
image

not

available



REVERENDISSIMO
AC
ILLVSTRISSIMO
DOMINO
D. HENRICO
FRANCISCO
VANDER BVRCH
ARCHIEPISCOPO
ET
DVCI CAMERACENSI,
S. R. I. PRINCIPI,
COMITI CAMERACESII.





PORTVNE, Deo ita disponente, accidit, Illustrissime Domine, vt quo tempore Archiepiscopus, & S. R. Imperij Princeps Cameraci inauguraris, Moses hic meus tibi à primo suo conceptu destinatus, multisque nominibus debitus, in lucem ederetur.

Sciunt omnes quàm arcta inter nos à multis annis fuerit animorum coniunctio, quam naturæ & affectionum, ac studiorum similium sympathia conciliauit, familiaritas auxit, Dei gratia in simili penè vitæ vtriusque instituto firmauit & perfecit. Quocirca Mechliniam à te ad Metropolitanam Ecclesiam, cui Decanus præsidebas, tamquam pœnitentiarius solemnioribus anni festis euocatus, per multos annos tuo semper hospitio & conuictu familiariter & liberaliter sum vsus, donec Societas nostra in ea vrbe & Nouitiatum & Collegium collocauit. Verùm quod dixit S. Iohãnes Baptista de Christo: *Illum oportet crescere, me autem minui*, hoc ego de tua Illust^ma D. & me ab olim, esto non sim vates, præsagij; quod omnes euenisse reipsa cernimus, & gratulamur.

Cui verò aptiùs Moses hic conueniat, quàm Illustr. D. T. qui Dei populo præes vt Dux Ecclesiasticus simul & sæcularis, vt Antistes simul & Princeps, pariter ac Moses qui Hebræorum Ecclesiam æquè ac Rempub. formauit, rexit, direxit, atque ex Ægypto per auia de- *Moses dux & Pontifex.*

Cornel. in Pentateuch. * 2 serta,

ſerta, perque innumeros hoſtes, incolumes imò victores ad terram promiſſam deduxit. Eccleſiam enim cæremonialibus, Rempubl. iudicialibus, vtramque moralibus decalogi præceptis à Deo acceptis inſtituit & gubernauit. In Moſe ergo æquè ac in Melchiſedec, Abraham, Iſaac, Iacob, aliiſque priſcis patribus vtraque ſumma poteſtas, nimirum principatus & ſacerdotij coniuncta ſtetit, vt quaſi Princeps ciuilia, quaſi Sacerdos, Pontifex, & Hierarcha ſacra adminiſtraret; donec alterum, nimirum ſacerdotium, in fratrem Aaronem tranſtulit, eumque Pontificem conſecrauit. Quocirca Moſes paſtor fuit, primò ouium, deinde hominum, quos virgâ ſuâ paſtorali tot miraculorum operatrice, & à Pharaone vindicauit, & ſanctiſſimis legibus vtriuſque fori moderatus eſt: non minùs enim Rex & Princeps, quàm Sacerdos & Pontifex Paſtor ſit oportet, inſtar Moſis: qua de cauſa prudenter Homerus Agamemnonem Regem vocat ποιμένα λαῶν, paſtorem populorum, quòd eos, vt paſtor oues, non deglubere, ſed paſcere debeat.

Ergo, Illuſtriſſime Domine, nobis Moſes Belgicus eſto, & Moſen hunc noſtrum inſpice, ac, vti facis, moribus magis magiſque exprime. ita populum Dei non in terram Chananæorum Iudæis promiſſam, ſed in terram viuentium & in cælis triumphantium deduces, imò perduces, quod Moſes facere non potuit.

S. Baſilius Moſes Chriſtianus. Fuit S. Baſilius ſui æui Moſes, inquit illi compar B. Greg. Nazian. orat. de laud. S. Baſilij, & à Moſe Moſen agere didicit. Fatetur id ipſemet S. Baſil. epiſt. 146. ad Libanium Sophiſtam: *Nos quidem,* inquit, *ô præclare vir, cum Moſe & Elia, ſimilibuſq; beatis viris verſamur, qui nobis barbarica voce doctrinam ſuam tradunt, & nos, quæ ab illis audiuimus, loquimur ſenſu quidem vera, verbis autem rudia.* Quàm Moſen triuerit S. Baſilius docent vel ſoli libri Hexameron, quos ipſe in Geneſim Moſis ita elucubrauit, vt eos tranſtulerit S. Ambroſ. atque non tam ſuum quàm S. Baſilij fœtum latinis auribus dederit in tractat. de opere ſex dierum.

Moſis & Baſilij ſtudium. Teſtatur Ruffinus S. Baſilium cum S. Gregor. Nazianz. poſtquam Athenis eloquentiæ & philoſophiæ ſtuduiſſent, ipſos tredecim annos Moſi & ſacris Literis voluendis & meditandis operam dediſſe. Norunt omnes quàm impensè, Illuſtriſſime Domine, Moſe & ſacra Script. delecteris, quàm ſtudiosè, cùm per occupationes licet, eam legere, voluere & perſcrutari ſoleas: meminiſti quàm multus de ea inter nos in menſa, cùm tuo vterer hoſpitio, conſueuerit eſſe ſermo: meminiſti nos vno prandio decem aut duodecim capita Geneſeos lectitaſſe: atque plurimas tum difficiles circa ea quæſtiones mihi propoſuiſti, quas ego ex tempore, quantum ferebat memoria, reſolui: verùm illas in hoc opere ab ouo & longo examine ac continuo filo diductas, explicatas & pertractatas videbis.

Proſapia & nobilitas. Fuit Moſes nobili patriarcharum ſtirpe prognatus, & Abrahæ abne-

abnepos. Abraham enim genuit Isaac, hic Iacob, hic Leui, hic Caath, hic Amram, hic Mosen.

Fuit & S. Basilius oriundus parentibus tam pietate quàm genere illustribus Basilio, & Emmelia, quæ & filium in eremum secedentem secuta est.

Tuam prosapiam, Illustrissime Domine, virtute non minùs, quàm sanguine conspicuam tui ciues suspiciunt. Auum habuisti Præsidem Concilij Flandriæ, qui eo honore magna sua laude, & Reipub. gratulatione perfunctus est. Parens summi iudicij & dexteritatis vir, Præses fuit primùm magni Parlamenti Mechliniensis, deinde Concilij priuati: qui in fide sui Principis in miris & magnis hisce Belgij fluctibus & turbinibus stetit immotus & inconcussus, eamque ob causam Regi Catholico Philippo II. glor. mem. extitit charissimus. Atque maximis hisce honoribus & officijs plurimis annis perfunctus, quibus ingentes opes congerere potuisset, rem tamen familiarem non auxit, semper in bonum publicum intentus, vt sua priuata negligere videretur.

Idem præstitit inclytus ille Angliæ Cancellarius & Martyr b. Thomas Morus, qui in Rep. quinquaginta annos versatus, summosque gerens magistratus, annuum tamen censum non auxit ad septuaginta aureos. Quinimò parens tuus res suas imminuit, & grauia fortunarum damna subijt, eò quòd in obsequio Principis sui fidelis & firmus consisteret. Anno enim 1572. hæreticis ex improuiso Mechliniam occupantibus, in carcerem infamem coniectus est, & multis molestijs affectus, grauem quoque fortunarum iacturam pertulit: & nisi subitò Dux Albanus cum exercitu superuenisset, iam erat morti destinatus. Anno verò 1580. cùm eadem vrbs iterum ab hæreticis occupata fuisset, domus eius rursus spoliata, omnisque supellex direpta, & insuper pro vxore, quæ fuga sibi consulere non potuerat, redimenda, multa millia florenorum dependere coactus fuit.

Testis est Thomas Stapleт. in vita Mori, cap. 8.

Moses non statim prouolauit, sed per gradus ascendit ad imperium. Primis 40. annis in aula Pharaonis educatus fuit omni sapientia Ægyptiorum, didicitque cum magnatibus agere. Secundis 40. annis pascens oues contemplationi se dedit: inde annum agens 80. populi pastoratum & ducatum adijt. Idem fecit S. Basilius, de quo S. Nazianz. *Cùm priùs*, ait, *sacros libros lectitasset, & eorum explanator fuisset, factus est presbyter ab Hermogene Episcopo Cæsareensi*, &c.

Profectus & ascensus.

Pari modo laudat S. Cornelium Pontificem Romanum S. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonianum: *Iste* (Cornelius) inquit, *ad episcopatum non subitò peruenit, sed per omnia officia Ecclesiastica promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit: sed quietus & modestus, & quales esse*

consueuerunt qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientia sua, & pro humilitate ingenita sibi & custodita verecundia, non vt quidam, vim fecit vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est vt episcopatum susciperet. Nónne hisce verbis quibus Cornelium, te quoq; Illustrissime Domine, tuosq; virgineos mores depingit S. Cyprianus? Gradatim ad apicem sacerdotij conscendisti: Primò Canonicum, & sacerdotem egisti, non inertem & otiosum, sed familiam religiosè instituendo, confessionibus audiendis vacando, studijs incumbendo, psalmodię iugiter inhęrendo, consilijs æquè ac eleemosynis indigos adiuuando; hospitalitatis & misericordiæ operibus insistendo. Hæc innocens & pura æquè, ac charitatis & zeli plena vita omnium suffragia exciuit, vt te in Decanum Metropol. Ecclesiæ Mechlin. deligerent. Quo loco quid præstiteris etiamnũ chorus & clerus Mechliniensis, qui toti Belgio virtutis & religionis est speculum, me tacente loquitur. Mox ab Illustrissimo Archiepiscopo Mechlin. creatus es Vicarius generalis; quo in munere totam Ecclesiæ praxin peruidisti & pertractasti, ea fide, diligentia, gratia & dexteritate, vt vbique disciplinam Ecclesiasticam restitueres, augeres, sancires, dignus tanto magistro discipulus. Qua in re illud fuit memorabile, te vtrique muneri ita exactè satisfecisse, vt nec chorus suum vnquam Decanum, nec diœcesis Vicarium requireret. Primus semper eras in choro, in media quoque hieme, summo frigore, etiamsi peregrè ex visitatione fessus domum redires, nullam corpori indulgens quietem. Hoc gradu ad episcopatum Gandensem à Serenissimo Archiduce nostro, qui in Præsulibus deligendis acre & singulare adhibet iudicium, nec quidquam gratiæ aut sanguini, sed totum virtuti concedit, euocatus es: in quo te ita eidem & toti Belgio probasti, vt iam ad archiepiscopatum non inuiteris, sed penè cogaris.

Solitudo & perfectio. Moses in deserto suæ perfectioni vacauit antequam ducatum capesseret, vt perfectus ipse perficeret alios. S. Basilius Moses Euangelicus idem præstitit. Sic enim de se scribit ipse epist. 79. ad Eustachium: *Inueni sanè multos* (ascetas) *apud Alexandriam; alios in Palæstina, & in Cœlesyria & Mesopotamia, quorum admiratus sum tum in seruanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam; ad quorum obstupui precandi vigorem & constantiam: cùm obseruarem, quo pacto nec somno victi, nec aliqua alia naturæ necessitate deflexi, sublimem semper & inuictum animi sensum in fame & siti, in frigore & nuditate seruarent. Cùm illa admirarer, vitamq; virorum illorum ob id beatam iudicarem, quòd ipso opere se mortificationem Iesu circumferre declararent, cupiebam & ipse, quantum mihi possibile esset, illos æmulari.* Æmulatus est, vitamque monasticam, imò angelicam ante episcopatum egit, quam vt imitaretur, vtq; S. Basilij consortio frueretur S. Nazianzenus, asserit, quòd ad eum in eremum se contulerit quæsiturus, ait, remedium

Doloris ex amici consuetudine

Planè

Planè viri diuini, qui istic cum Deo
Sub nube agebat vt alter Moses:
Hic erat Basilius viuens cum angelis.

Atque hæc fuit causa S. Basilio, cur in solitudinem Ponticam ad ripam Iris fluminis, vt ipse scribit epist. 79. se receperit, nimirum vt mores componeret, vt studio S. Literarum vacaret, vt cum angelis versaretur, vt modum alios regendi & perficiendi meditando condisceret, itaque nesciens ad episcopatum qui à Deo ei destinabatur, se compararet. In Pontica ergo solitudine velut in pharetra sua Deus S. Basilium & Nazianz. quasi sagittas electas abscondit, vt eos spiritu ibi concepto plenos oportuno postea tempore educeret, quasi nouos Iohannes Baptistas ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis.

Ante præsulatum, Illustrissime Domine, pariter solitudinem domi coluisti per multos annos simplicitati, pietati, & perfectioni tuiipsius incumbens. Cùm verò nuntium de episcopatu accepisti, extra domum per plures dies in secretum te abdidisti, vbi cum solo Deo ageres, futurum onus præciperes, difficultates & tempestates eminus quasi ex specula prospiceres, teque contra eas munires & armares; atque leges tum familiam, tum episcopatum piè & sanctè administrandi tibi ipsi præscriberes. Testis & particeps huius tuæ solitudinis, & sanctorum desideriorum ac consiliorum ipse fui. plura non dicam, parcam modestiæ tuæ, nec secreta mihi credita euulgabo. neque puduit te publicè hunc secessum, hæc exercitia pietatis profiteri: atque hoc ipso, nouo tuo exemplo plures ad te, imò ad Mosem, Basilium & Nazianz. sequendum incitasti. Plures iam Episcopi, antequam episcopatum inirent, hac pia solitudine & rerum diuinarum cōmentatione, ac oneris sibi impositi consideratione, ad illū magna sua consolatione, magnoque suo & Ecclesiæ bono se compararunt.

Moses sobriam egit vitam, nec tam cibo quàm verbo Dei vixit, *Sobrietas.* adeoque accepturus à Deo tabulas legis, bis 40. dies sine cibo & potu, sola oratione & contemplatione viuens traduxit.

S. Basilius Moses Orientis priscam Monachorum abstinentiam sectatus est, eamque constitutionibus suis monasticis sanxit. De studio paupertatis & abstinentiæ S. Basilij ita scribit Nazianzenus in orat. iam sæpè citata. *Illi*, ait, *tunica vna, & pallium vnum, & humicubatio, & balnei contemptus, & vigiliæ, & cœna suauissima, atque pulmentum illi erat panis, & sal; & potio sobria, quam nobis nihil laborantibus fontes proferunt.* Hinc ei vultus pallidus, & caro emaciata, vt solis ferè ossibus & pelle constare videretur. Hinc illud eius elogium: *Pallor & macies decent virum religiosum.*

Basilium & imagine, & vultu, ac colore circumfers, imò præfers. Pallor indicat & ornat abstinentiam tuam, quam omnes norunt & deprædicant. Ego oculatus sum testis, & quotquot hospites tui fue-

runt. Totas Quadragesimas quotannis exigis ea cibi tenuis parsimonia, vt ferè tantùm pomis, radicibus aut leguminibus vescaris, vt mirum sit te in tot laboribus vigere, vitam & vires sustinere. Pisces æquè ac oua natura tua auersatur: Deus à puero te quasi alterum Samsonem Nazareum sibi auctorauit.

Hæc scribo non adulando (nihil enim in hoc mũdo ab Illustr. D. T. aut à quoquam mortalium expecto, quia nihil desidero) sed vt alijs sint in vitæ speculum, tibi in stimulum, vt cum magno illo Episcopo S. Paulo ad vlteriora extendas teipsum, ac destinatum persequare, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

Fuga dignitatum.

Moses vocatus à Deo ad ducatum tertiò & quartò, ad indignationem vsque Dei, honorem & onus detrectans, se excusauit Exodi 4. *Obsecro*, inquit, *Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum: obsecro Domine mitte quem missurus es.* S. Basilius pariter fugit episcopatum Neocæsareensem; vt ipse scribit epist. 164. Similiter cùm ægrotanti Eusebio Episc. Cæsareensi amico suo fideliter ad mortem vsque astitisset, eo mortuo mox abdidit se, deprehensus morbum simulauit, ac reluctans & renitens Episcopus creatus est.

Cùm Vicarium ageres, onus excutere voluisti, ac secedere, tibique & Deo viuere; idque reipsa perfecisses, nisi R.P. Prouincialis noster, tuus olim in Philosophia præceptor, te ab hac mente abduxisset, ac persuasisset vt colla oneri pio rursum supponeres.

Porrò cùm Serenissimus Archidux ab episcopatu Gandensi te transferre cogitaret, teque Archiepiscopum Cameracensem nominasset, bone Deus! quàm indoluisti, quanto tempore detrectasti, quot effugia quæsiuisti, ac non nisi importunis multorum precibus, & penè minis ac vi impulsus & coactus, ne Deo tot indicijs vocanti reluctari videreris, inuitus munus suscepisti.

Fecit idipsum præcedente sęculo orbe admirante Iohannes Fischerus Episcopus Roffensis, illustris Anglię Martyr, qui ob incomparabilem doctrinam & vitæ innocentiam ad episcopatum Roffensem euectus est; cumque hoc beneficium tenuius postea pro viri tanti meritis videretur, & Henricus VIII. ad amplius eum promouere vellet; numquam adduci potuit, vt sponsam suam, tenuiorem quidem illam, sed Dei vocatione primam, & à se multorum annorũ laboribus vtcumq; cultam, pro locupletiori quacumq; dimitteret. illud adijciens, *se perbeatum futurum, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deq; non adeò inde magnis acceptis emolumentis, in die Domini rectè respondere possit, cùm & de bene curatis animis, & de rectè expensis pecunijs tunc reddenda sit ratio exactior, quàm mortales ferè putent aut curent.*

Sanderus lib. 2. de schism. Anglic.

Mansuetudo.

Mosi hoc elogium dat S. Script. quòd fuerit mortalium mansuetissimus. S. Basilius Moses Christianus sua constanti benignitate vicit aduersarios, vti de eo scribit S. Nazianzenus.

Tuam,

Tuam, Illustrissime Domine, humanitatem omnes mirantur, qua omnes comiter excipis, honorificè salutas, omnibus serenum vultum, sermonem, mentem exhibes. Hac ratione Gandensium animos in tui amorē attraxisti, scandala sustulisti, Ecclesiasticam disciplinā restituisti, Parochos solutioris vitæ vel correxisti vel amouisti, vt nouus iam Ecclesiæ Gandensis nitor, imò splendor quasi nouum iubar toto Belgio resplendeat. Sicut enim Belgium orbis, ita Gandauum Flandriæ & Belgij est ocellus, Caroli V. inuicti Imp. vt alia taceam, natali clarus. Hinc illæ te per plateas transeunte plebis mussitantis voces, *En transit angelus. En angelus noster.* Sapientissima illa Dei prouidentia quæ totū mundū diuinè gubernat, teste Sapiente, *attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter.* Hanc imitaris, vt suauitate difficultates mollias & penetres, fortitudine euincas. Itaque quidquid animo destinas, feliciter conficis, & ad exitum perducis. Meritò ergo emblema tuum esto: SVAVITER ET FORTITER.

Mosis in populum durum materna fuit charitas, adeoque pro eo optauit deleri de libro vitæ. Hinc quasi nutrix illum per 40. annos in deserto pane cælesti, putà manna, pauit: multò magis animis eius ad Dei timorem & amorem inflammandis insudauit. patet id ex toto Deuteronomio. S. Basilij in suos studia & beneficia recenset Ruffinus lib. 2. cap. 9. *Basilius*, inquit, *Ponti vrbes & rura circumiens, desides gentis illius animos & parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, & prædicatione succendere, callumq; ab his longæ negligentiæ cœpit abolere: subegitq; abiectis inanium rerum & sæcularium curis, suimet notitiam recipere, in vnum coire, monasteria construere: psalmis & hymnis & orationibus docuit vacare, pauperum curam gerere, virgines instituere, pudicam castamq; vitam omnibus penè desiderabilem facere. Ita breui permutata est totius prouinciæ facies.* *Charitas & zelus.*

S. Basilio concionanti suggerentem sermonem columbam vidit S. Ephrem, columbam inquam, quæ index & hieroglyphicum est Spiritus sancti, vti testatur Greg. Nyssen. Cogita ergo qualis, quàm zelosus & accensus fuerit eius sermo. Famem publicam S. Basilij studio leuatam testatur S. Nazianz. *Pauit*, ait, *omnes. & quonam pacto? Audi: Apertis oratione sua & cohortatione locupletum horreis, facit quod est in Scriptura: Cibum esurientibus frangit, panibusq; pauperes satiat, alitq; eos in fame, atque esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? Cùm famelicos in vnum coegisset, nonnullos etiam spiritum ægrè trahentes, viros, feminas, paruulos, senes, omnem ætatem commiseratione dignam: omnia ciborum genera, quibus fames depelli solet, corrogans, atque ollas pulmento plenas proponens: ac deinde Christi, qui linteo præcinctus discipulorum pedes nequaquam lauare grauabatur, ministerium imitans, simulq; puerorum siue conseruorum suorum ad eam rem opera vtens, corpora pauperum animasq; curabat. Talis erat nouus noster procurator & secundus Ioseph*, &c. Addit verò germanus eiusdem *orat. de laude S. Basilij.* *orat. citata.*

 Basilij

Basilij Gregor. Nyssenus, tum etiam S. Basilium patrimonium ipsum in pauperes erogasse.

Tuam charitatem, sollicitudinem, studia, officia in omnes deprædicant vniuersi Pastores, & clerici æquè ac laici. Plura templa, prædia & domos episcopales restaurasti, in hisce & similibus officijs non tantùm prouentus Ecclesiæ, sed & ipsa patrimonij tui bona expendisti. Charitatem tuam celebrant omnes pauperes, mœsti & afflicti; hucq; te natura incitat, propellit gratia. verè dixeris illud S. Iobi: *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* c.31.v.18.

Dixisti mihi non semel, idque experientia ita esse deprehendi, nil te libentiùs agere, nihil magis esse volupe, quàm hospitalia & domos pauperum ac miserorum visere, eos solari, iuuare eleëmosynis, omniq; misericordiæ officio recreare. Experti sunt eam hoc anno Hannones & Montenses. Cùm enim grauissima pestilentiæ lue, quæ multa eorum millia absumpsit, laborarent, nec malo sistendo vllum superesset remedium, misisti ad eos reliquias, corpus S. Macarij Archiepiscopi olim Antiocheni in Armenia: quod mox vt in vrbem illatum est, lues quasi cælitus repercussa cedere & minui cœpit, nec cessauit decrescere, donec planè extincta fuit. Id omnes Montenses confitentur, & publicè celebrant, ac in gratiarum actionem argenteam lipsanothecam S. Macario liberali sumptu erexerunt.

Religio. Moses Nazareos instituit, eis leges dictauit, Num. 5. S. Basilius cœnobitarum Moses monasteria toto Oriente suscitauit, eisque constitutiones monasticas præscripsit. Arguebant eum hac de causa hæretici, quasi nouarum rerum inuentor extitisset, quibus ille respondit epist. 63. *Accusamur*, inquit, *& huius vitæ, quòd homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui mundo renuntiarint, & vniuersis sæculi curis, quas Dominus comparauit spinis fertilitatem verbi impedientibus: qui huiusmodi sunt, mortificationem Iesu corpore circumferunt, ac cruce quisque sua accepta Dominum sequuntur. Ego verò omnem vitam meam impenderem, vt mihi possent ista impingi delicta, haberemq; apud me viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint,* &c. Subdit deinde, eiusmodi Philosophiæ Christianæ sectatoribus esse refertas Ægyptum, Palæstinam, atque Mesopotamiam: quin & feminas eiusdem studij æmulas par vitæ institutum esse feliciter assecutas: quod sublime viuendi genus, cùm iam apud se inciperet coalescere, optare, vt illud latissimè propagetur. cui quidem rei inuidere, nihil aliud esse, quàm diabolum ipsum superasse malitia, his, quæ subdit, verbis declarauit. *Illud*, inquit, *vobis assero & confirmo: quòd quæ hactenus pater mendacij Satanas non est ausus dicere; ea temeraria corda iam, & nullo retenta moderationis fræno ora indesinenter, & cum summa licentia loquuntur.* Ex quibus perpende, quales habendi sint, Religiosorum hostes hæretici, & perditi Christiani.

Tu Illustriss. Dom. instituto & domo Religiosus non es, sed, quod magis

magis est arduum, in sæculo religiosam vitam agis; domus tua, familia tua ita composita est, ita religiosa, vt videatur esse monasterium. Vnde hoc? nimirum quia, quod de S. Basilio ait Nazianz. *Basilij vita omnibus fuit canon viuendi*, in te quoque competit. Amicus es Societatis nostræ ac Religiosorum omnium qui veri Religiosi sunt, ac præsertim eorum, qui non sibi soli, sed & alijs viuunt, suámque operam animabus ad salutem dirigendis impendunt.

Monasteria virginum toto archiepiscopatu Mechliniensi olim, & episcopatu Gandensi nunc à te ita crebrò visitata, reformata & sanctis ordinationibus erecta & directa sunt, vt omnes te quasi parentem colant, ament, & in te recumbant.

Moses Pharaoni eiusque Magis mira constantia restitit, hostes populi Dei quaquauersum sustinuit, vicit, domuit. S. Basilius Iulianum Imper. Apostatam debellauit & occidit: sic enim ex Helladio scribit Damasc. orat. 1. de imaginibus: *Basilius*, ait, *pius astabat Dominæ nostræ imagini, in qua etiã Mercurij celebris Martyris figura descripta erat: astabat autem supplicans vt impius Iulianus Apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid esset euenturum. Vidit enim Martyrem ad exiguum tempus obscurum, non multò autem pòst hastam cruentam tenentem.* *Constantia & fortitudo.*

Porrò cum Valente & Arrianis quàm gloriosa fuere S. Basilij certamina? Modestus Valentis Præfectus, teste Nazianz. vrgebat Basiliũ, vt religionem Imperatoris sequeretur. Abnuit ille. tũ Præfectus: *Nos qui hæc imperamus, quid tandem tibi videmur? Nihil sanè*, inquit Basilius, *dum hæc iubetis; non enim personarum dignitate, sed fidei integritate christianismus insignitur.* Hinc ira accensus & assurgens Præfectus: *Quid*, inquit, *potestatem hanc non pertimescis? Cur verò pertimescam?* inquit Basilius: *quid fiet? quid patiar? Quid patieris?* intulit ille, *vnum è tam multis, quæ meæ sunt potestatis. Quænam hæc?* subiunxit Basilius: *fac enim intelligamus. Bonorum*, inquit ille, *proscriptionem, exiliũ, cruciatus, mortem.* Tum Basilius: *Si quid aliud habes, id mihi minitare: horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. Quonam modo?* inquit ille. *Quoniam*, inquit Basilius, *bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui nihil habet: nisi fortè laceris & detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copiæ sunt. Exilium autem haud cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum: at neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco; immò, vt rectiùs loquar, vniuersam terram Dei esse scio, cuius aduena ego sum & peregrinus.* Audi maiora & maiores animos. *Iam tormenta quid accipere queam, cùm corpore caream? nisi fortè primam plagam dixeris: huius enim solius penes te arbitrium & potestas est. Mors porro beneficij loco mihi erit: citiùs enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor, maximaq; ex parte mortem obij, & ad quam iampridem propero. Ignis autem & gladius,*

&

& bestia, & vngulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac delicijs potiùs sunt, quàm terrori. Proinde contumelijs nos affice, comminare, fac quidquid collibuerit, potestate tua fruere: audiat hæc etiam Imperator. nequaquam profectò nos vinces, nec efficies, vt impiæ doctrinæ assentiamur, ne si his quidem atrociora miniteris.

Hac libertate fractus Præfectus adit Imperatorem: Imperator, inquit, ab huius Ecclesiæ Antistite victi sumus, minis superior est, sermonibus firmior, verborum blanditijs fortior. Ignauiorum alius quispiam tentandus est. Quare rectè Præfecto huic, qui postea ægrotans coactus fuit exposcere Basilij auxilium, Cyrus Theodorus hisce versibus insultauit:

Præfectus es tu cæteris quidem omnibus,
Modeste, verùm Basilio Magno subes.
Præesse quamuis gestias, subes tamen:
Formica sanè es, rugias licet vt leo.

Theodoretus lib. 4. cap. 17. hæc addit, Aderat, inquit, etiam quidam nomine Demosthenes culinæ imperatoriæ præfectus, qui more planè barbaro orbis terræ magistrum Basilium reprehendit. At S. Basilius subridens: *Demosthenem*, inquit, *illitteratum vidimus*. Vbi verò ille maiore exardescens iracundia minari cœpit: *Tuum est*, inquit Basilius, *iusculorum curare condimenta: nam cùm aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes.*

Tua pro fide & disciplina constantia, Illustriss. Antistes, vbique celebratur. vident enim omnes te non desistere, donec eam sancias, ac rebelles suauiter ad iugum Domini reducas, vt ipsi postea se manus dedisse, seque ita immutatos mirentur. Dictitant nonnulli iyngis & illicis tibi esse philtrum, eò quòd cuiuis quiduis persuadeas, nec cesses donec quemlibet in tuam sententiam, idest ad sanam mentem, pertrahas. Multa dura hac in re deuorasti, duriora adhuc deuorabis, sed aderit Deus, dabitque ea superare.

Veneratio. Moses ad patres abiens ingens populo sui desiderium reliquit, *fleueruntq́; eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus.*

In morte & funere S. Basilij scribit S. Nazianzenus tantum fuisse lugentium, etiam Iudæorum & Ethnicorum, concursum, vt plures in turba obtriti & extincti sint.

Quis tuorum Gandensium sit dolor tuum abitum quasi parentis obitum lugentium, tota vrbs loquitur. Per compita hæ voces audiuntur, Eheu! tanto viro digni non fuimus, peccata nostra hunc Antistitem nobis eripiunt. Ingens hoc Dei flagellum reputamus. Angelus noster abit, quis nos custodiet? quis diriget? Ex aduerso quantus est planctus Gandensium te amittentium, tanta est exultatio Cameracensium te recipientium. lætantur Montes, exultant Valencenæ, iubilat Cameracesium.

Magna hîc tibi exurgit messis magno labore metenda: Parochiæ

chiæ ad octingentas administrandæ. quot hîc millia fidelium pascenda? quot millia animarum saluanda? Hîc tua acuetur industria, charitas excitabitur, zelus ignescet: præsertim dum cogitabis & nunc cogitas illud S.Nazianzeni, *Basilius per vnam Cæsareensem Ecclesiam toti præluxit orbi.*

Habes in Annalibus Ecclesiæ Cameracensis, quæ antiquissima est, & inter primas Belgij, Antistites eius permultos Sanctorum catalogo asscriptos, qui mira sanctitate præluxerunt, quisque sua virtute & exercitatione sibi propria.

S.Vindicianus locis sacris construendis, & fidelium conuentui adaptandis magnas opes & operas impendit: monasteria & templa potissimùm erexit. SS. Episcopi Cameracenses.

S.Lietbertus *iniurias cautissimè*, ait auctor Vitæ eius, *vitabat, æquissimè ferebat; citissimè finiebat: amorem pecuniæ certissimum totius spei suæ venenum esse credebat: amicis vtebatur ad rependendam gratiam, inimicis ad patientiam, reliquis ad beneuolentiā.* Hierosolymam discedens secum traxit ter mille homines, qui comitati eum sunt in peregrinationem. Eius sanctitas miraculo claruit. Nam cani eius post mortem redierunt in pristinæ iuuentutis colorem & decorem.

S.Autbertus mira humilitate & sanctimonia Cameracensibus & Hannonibus præluxit. Quare sub illo cœpit in Christiana fide florere Hannonia, adscitis multis socijs in auxilium, vt sancto Landelino, sancto Gisleno, sancto Vincentio Comite Hannoniæ, & sancta VValdetrude vxore Vincentij. Quapropter non rarò ad S.Autberti colloquia percipienda veniebat Dagobertus Francorum rex. Tanto zelo efferbuit ad conuertendum vnum peccatorem, vt præ lachrymis & pœnitentijs penè se consumpserit. Hic etiam Sanctorum reliquias decentissimè ornauit.

S.Gaugericus adhuc puer fuit propensissimus in res sacras: plurimos reos miraculosè eripuit è carceribus & vinculis: qua gratia maximè excelluit. Templa multa extruxit 59. annis quibus sedi præfuit.

Huic suppar fuit S.Theodoricus, cuius virtutes deprędicat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus.

Item S.Iohannes eius successor, ab eodem Hincmaro celebratus.

S.Odo Cameracensis Episcopus tanta in Deum & Ecclesiam fuit fide & constantia, vt ab Henrico IV. Imp. pulsus à sua sede, quòd virgam & annulum, quæ consecratus ab Ecclesia acceperat, dono illius iteratò accipere renueret, Aquicincti reliquo vitæ tempore exularit, & in exilio hoc obierit.

Hæc tibi domestica erunt specula, hi stimuli ad gloriosos labores pro eadem Ecclesia exantlandos, ad gloriosos agones pro eadem fortiter obeundos. Perge vt cœpisti: cooperatores sinceri & strenui non deerunt, eos sagaciter selige, ac in sancti operis consortium inuita & coopta. Mosen per omnia imitare, Basilium exprime. Diuinam

boni-

bonitatem precor, & precari non cessabo, vt vtriusque spiritum copiosum & duplicem in te effundat, quo tot animarum millia tibi credita in Dei timore, cultu & amore pascas, atque ad beatam æternitatem perducas. Huc vrget me amor & sollicitudo tuarum rerum, quam nosti.

Methodus operis. Succisiuis horis opus hoc lectitare licebit: spero, historiarum, exemplorum, rituum, & ceremoniarum priscarum varietate & amœnitate oblectabit, atque ex eo Mosen magis agnoscens, ad eius æmulationem magis incitaberis. Methodus mea hîc eadem est quæ fuit in Paulinis, nisi quòd hîc verbis sum breuior, re amplior. Maior enim hîc est materiæ varietas & amplitudo, æquè ac facilitas & amœnitas (multa enim historica sunt, alia typica, & pulchris figuris ac symbolis decorata) quæ duo me compulerunt verbis parcere, ne opus nimis excresceret: qua etiam de causa sculpturæ arcæ, Cherubim, altaris, tabernaculi, & aliorum pepercí. Expressi hîc ea quæ à viginti annis in Pentateuchum commentando, & secundò ac tertiò eadem docendo comparaui. Allegorias solidas & iucundas veterum cæremoniarum passim attexui, conditas selectis priscorum sententiis, exemplis & apophthegmatibus. Mouit me illud Poëtæ:

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Verùm ne Epistolæ modum excedam, de Mose & methodo plura dicam in procemio.

Accipe ergo, Illustrissime Domine, hoc amoris & obseruantiæ tum meæ, tum Collegij Louan. & totius Societatis nostræ erga te symbolum & tesseram: & quia iam hinc aliò auocor, fortè in hoc mundo Illustr. R.T. non visurus, hoc sit perenne mei apud te mnemosynon, vt corpore ad tempus absentes, spiritu semper præsentes, post breuem & miseram hanc vitam Christo Domino nostro, cui omnis hic labor noster desudat, in cælesti gloria coniungamur, accipiamusque vterque, tu amplè, ego pro meo tantùm modulo, illud à Daniele promissum: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Amen.

M V-

MVTIVS VITELLESCVS, SOC. IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm Commentarios in Pentateuchum Moſis, P. Cornelij Cornelij à Lapide, noſtræ Societatis Theologi, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 9. Ianuarij 1616.

Mutius Vitelleſcus.

FACVLTAS R.P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ.

EGo Carolus Scribani Societatis IESV in Prouincia Flandro-belgica Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, concedo Martino Nutio, Typographo Antuerpienſi, facultatem typis mandandi Commentarios in Pentateuchum Moſis, Auctore P. Cornelio Cornelij à Lapide, Societ. noſtræ Theologo. In quorum fidem has litteras manu mea ſcriptas, & officij mei ſigillo munitas dedi, Antuerpiæ 23. Auguſti, anno 1616.

Carolus Scribani.

CENSVRA.

HIc Commentarius R.P. Cornelij Cornelij à Lapide Societatis IESV Theologi, eſt doctus & pius, ac omnibus modis dignus qui in publicum prodeat, vt omnes doctrinæ auidos & erudiat, & in pietate promoueat. Quod teſtor 9. Maij, anno 1615.

Egbertus Spitholdius, S.T.L. Canonicus, & Plebanus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

FERDINANDVS, *diuina fauente clementia, electus Rom. Imperator, semper Augustus, litteris suis sanxit, ne quis* Commentarium in Pentateuchum Mosis, auctore R.P. Cornelio Cornelij à Lapide, Soc. Iesu, in Collegio Romano Sacræ Scripturæ Professore, *præter Martini Nutii typographi Antuerpiensis voluntatem per totum Rom. Imperium, aut regna ac prouincias Imperio subiectas, intra decennium vel imprimat, vel imprimi curet, alibiue impressum inferat distrahendum. Qui secùs faxit, præter confiscationem omnium & singulorum exemplarium, decem marcharum auri puri fisco Cæsareo inferendarum pœna multabitur: vti latiùs patet in litteris datis Viennæ, die 27. Augusti, anno Domini 1623.*

Signat

FERDINANDVS.

Ad mandatum S. Cæsareæ Maiest. proprium

Hermannus à Questenberg.

V[t] Petr. Henricus à Stralendorff, I.D.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps diplomate suo sanxit, ne quis* Commentaria in Pentateuchum Mosis, auctore R.P. Cornelio Cornelij à Lapide, Societatis IESV, in Collegio Romano Sacrarum Litterarum Professore, *præter Martini Nutij typographi Antuerpiensis voluntatem vllo modo in Belgio intra duodecim annos proximos imprimat, aut alibi terrarum impressa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáue habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & pro singulis exemplaribus peregrinis huc illatis triginta florenorum pensione multabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ an. 1627. die 25. Ianuarij.*

Signat

De Witte.



PROOEMIVM ET ENCOMIVM S. SCRIPTVRÆ.

SECTIO PRIMA.

De eius origine, dignitate, obiecto, necessitate, fructu, amplitudine, difficultate, exemplis, methodo, & dispositionibus.

1. ELEBRIS ille Ægyptiorum Theologus, Mosi penè æquæuus, Mercurius, Gentilium opinione Trismegistus, diu, qua ratione aptissimè vniuersum hoc describeret, secum ipse versans, huc demum erupit. *Vniuersum*, inquit, *est liber diuinitatis, sæculumq; hoc sublustre est speculum diuinorum.* nimirum hocce libro suam ipse theologiam, diutina sanè commentatione didicerat. *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annuntiat firmamentum*: &, *A magnitudine speciei & creaturæ, videri potest creator eorum, sempiterna quoque* & inuisibilis *eius virtus atque diuinitas*; vt in magnis hisce cælorum tabulis, in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, perspicaci oculo diuinæ institutionis doctrinam, propalàm quasi legere liceat. ita sanè ex ipsis mundi primordiis & ex nihilo illius molimine, omnipotentem auctoris eius vim & energiam; ex multiplici adeò creatarũ rerum discordi & variegata concordia, beneficam eiusdem abyssum; ex amplo illo cæterorum omnium spirituum, corporum, motuum, temporumque complexu æternitatem immensitatemque conditoris metimur, & quadam tenus peruidemus. Ita ex pondere eorumdẽ, numero & mensura sapientissimam magni huius architecti πρόνοιαν, numerosamque & mirè concinnam in eo cuiuslibet naturæ harmoniam ideamq; mirari & suspicere licet, quæ & primitus quamlibet vniuersi huius partem, fixis & immotis planè modis, & secum & compari cuiuis alteri parti amicissimè deuinxerit, & amicum hocce vinculum, vt stabili fide concordes varient vices, iugi suo influxu indiuulsè seruet & tueatur. Hoc ipsa de se publica voce deprædicans æterna Sapientia: *Quando præparabat*, inquit, *cælos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens*, quasi certas sui notas in hac compositione se inscripsisse significans.

Mundus est liber diuinitatis.

Prou. 8.12.

2. Verùm enimuerò quamuis pulcher hic microcosmus archetypum, vnde ab auctore suo expressus est, purà numen sacrum, increatamque sphæram altissimæ diuinitatis referat, oculisque subijciat; multis tamen partibus imperfectus est hic liber, & sciatica dumtaxat elementa suppeditat, vestigia inquam potiùs, quibus quasi ex vngue leonem agnoscas, quàm claram absolutamque scriptoris sui descriptionem. Accedit, quòd naturæ solius exaratus charactere, nihil eorum dictat quæ naturæ terminos transcendunt, quibus ad cælum sanctæ Trinitatis, bonumque nostrum perenne, quod vita & morte, votis omnibus sequimur, proueh amur.

3. Visum ergo diuinæ & interminæ bonitati, scribæ scilicet sapientissimo, velociter & mira dignatione scribenti, alium adhibere calamum, alias nobis subijcere tabulas, alios longè depingere sui characteres; qui non mutam aliquam speciem, sed distinctas oculis voces, auribus sonos, mentibus sensa, viuasque diuinorum imagines insererent, quibus & semetipsum, cælestesque mentes, creataque omnia, & quidquid ad benè beateque viuendum nos manu ducit, tam luculenter, quàm beneuolè & sapienter describeret. Quod demiratus legem Dei Israeli dictaturus Moses noster, *En populus*, exclamat, *sapiens & intelligens, gens magna: nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi. quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.* Equidem quàm mirabile est, libros sacros diuinæ Scripturæ, ipsissimas inquam à Deo ad nos perscriptas literas, & indubitatos diuinæ voluntatis testes, semper ad manum habere, lectitare identidem, voluere & reuoluere? quàm suaue, quàm pium, quàm salutare, domesticum dari quod consulas oraculum, quo non Apollinem ex tripode, sed Deum ipsum clariùs multò & certiùs, quàm è veteri arca & Cherubim proloquentem audias?

Deut. 4. 7.

S. Scripturæ sunt literæ Dei ad nos,

sunt oracula.

Hoc cogitabat S. Carolus Borromæus, dum S.Scripturam, quaſi Dei oracula, non niſi nudo capite, & flexo poplite venerabundus lectitare ſoleret.

4\. *Biblia iuxta Euchariſtiam in templis olim ponebantur.* Eapropter erant olim in templis duo ſecretaria, à dextro ſiniſtroque latere abſidis poſita: in quorum altero ſacra Euchariſtia aſſeruabatur, in altero diuinæ Scripturæ codices ſacri. Vnde S. Paulinus (vti ipſe teſtatur epiſt. 12. ad Seuerum) in templo Nolano à ſe erecto, hos verſus ad dextram inſcribi iuſſit:

Hic locus eſt, veneranda penus qua conditur, & qua
Ponitur alma ſacri pompâ miniſterij.

à ſiniſtra verò hoſce:

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Ita etiamnum Iudæi in ſuis ſynagogis legem Moſis, quaſi oraculum, magnificè in tabernaculo, perinde ac nos S.Euchariſtiam, condunt, & publicè proponunt: cauent ne illotis manibus Biblia contrectent: oſculantur ea quoties aperiunt & claudunt: non ſedent in eo ſcamno in quo ſunt Biblia, quòd ſi in terram ceciderint, integrum diem ieiunant. quo magis mirere negligentiùs hæc à Chriſtianis nonnullis accipi & pertractari. S.Greg. li. 4. epiſt. 84. Theodorum, medicum licet, reprehendit, quòd negligenter ſacram Scripturã lectitaret: *Imperator, inquit, cæli, Dominus angelorum & hominũ, pro vita tua tibi epiſtolas ſuas tranſmiſit, & tu illas ardenter legere negligis: quid eſt enim S.Script. niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad ſuam creaturam?* Quapropter paulò vberiùs diſſeram de S.Literarum, Primò, præſtantia, neceſſitate & fructu: Secundò, materia & amplitudine: Tertiò, difficultate: Quartò, afferam Patrum hac de re iudicia & exempla: Quintò, qua animi tum comparatione, tum contentione hoc ſtudium ſuſcipiendum ſit, oſtendam.

5\. CAP. I. *de S.Script. dignitate, neceſſitate, & fructu.* Philoſophi docent, principia demonſtrationum & ſcientiarum prænoſſe oportere illis ipſis ſcientijs & demonſtrationibus. Eſt enim ſcientijs ſuus, vti cæteris rebus omnibus, ordo, omniſque veritas vel prima eſt, & cuiuis obuia; vel à prima certis quibuſdam ductibus dimanat, quos ſi intercipias, veluti inciſis fontis canalibus, riuulos veritatis omnes inde naſcentes ſucciderìs. Porro Theologiæ omnis initia complectitur S. Script. Theologia enim non aliud eſt, quàm concluſionum ſcientia, quæ ex principiis fide certis ducuntur, ideoq; ſcientiarum omnium auguſtiſſima eſt, æquè ac certiſſima: principia verò fidei fidemque ipſam S. Script. comprehendit: vnde euidenter ſequitur, Script. ſacram Theologiæ principia iacere, quibus Theologus ſuas demonſtrationes mentis ratiocinio, ceu matre fœtus nouos gignat atque prolicit. *S.Script. dat principia Theologiæ Scholaſticæ.* Quare qui Scholaſticã à S.Script. ſeria commentatione diuellere ſe poſſe putat, prolem ſine matre, domum ſine fundamentis & ad inſtar terræ penſilem, aquæductus ſine ſcaturigine, ſegetem ſine ſemine, concluſionem ſine principiis, vti deſultoria, ita deluſoria leuitate fruſtra ſperat & expectat.

6\. Vidit hoc diuinus ille Dionyſius, quem & Theologorum verticem, & πτερὸν τ' οὐρανοῦ, volucrem cæli, omnis antiquitas ſuſpexit; qui paſſim de Deo, deq; rebus cæleſtibus diſputans, S.Script. vti principio & face præluſtri ſe ſubnixum incedere profitetur. Inſtar ſit omnium quod de Di-

A uin. nom. in ipſo operis limine c. 1. ita ferè præfatur: *Nulla, inquit, ratione præſumendum eſt, aliquid de ſuperſubſtantiali ſecretiſſimaq; deitate aut dicere, aut cogitare, præter illa quæ nobis ſacra eloquia tradiderunt. nam ſuprema diuinaq; ſcientia ignorationis illius* (diuini putà arcani) *ipſi aſſcribenda, tantumq; fas ad celſiora contendere, quantum ſeipſum diuinorum eloquiorum radius inſinuare dignatur, cætera verò vt ineffabilia caſto honoranda ſilentio: velut quòd primordialis & fontana deitas ſit Pater; Filius verò & Spiritus ſanctus fœcundæ deitatis, ſi fas eſt dicere, germina ſint plantata diuinitus, & veluti flores ac ſuperſubſtantialia lumina, à Script. ſacris accepimus. Eſt enim menti illa omnibus inacceſſa ſubſtantiis, ſed ab ea quantum illi placet, porrectâ manu, ſacris Literis ſubuehimur ad ſupremos illos fulgores hauriendos, atque ab his ad diuinos hymnos dirigimur, & ſacras laudationes effingimur.* *Id docet S.Dionyſ.* B Rurſumque libro de Myſtica Theologia, ſpiritalem & myſticam Theologiam, quæ ad ipſum ſuperſubſtantiale occultum, & Dei caliginem, ſine ſymbolis, creata omnia negatione tranſſcendendo peruadit, arctam eſſe docet, itaque ſtringi, vt tandem obmuteſcat: ſymbolicam verò, quæ Deo in Script. ad verba noſtra deſcendente, ſenſibiles eius nobis figuras obijcit, ad congruam latitudinem extendi; eaque cauſa dicere ſolitum S. Bartholomæum, Theologiam & plurimam eſſe & minimam; Euangeliumque & latum & magnum, rurſumque conciſum: myſticè ſcilicet, & aſcendendo, paruum atque conciſum; ſymbolicè verò & deſcendendo, magnum eſſe & amplum. *Myſticâ Theologia & ſymbolica.* *S. Bartholomæus ait, Euangeliũ eſſe latum, & ſimul anguſtum.*

7\. Equidem ſi ſymbolica deſtitueremur, ſi in ſacris codicibus nullas ſui ſuorumque imagines dediſſet Deus, oppidò quàm infans, quàm muta C foret omnis noſtra Theologia? Si de SS. Triade vnius eiuſdemque monadis & eſſentiæ, tacuiſſet Script. an non altum & perenne apud Scholaſticos, in materia adeò vaſta, de relationibus, origine, generatione, ſpiratione, notionibus, perſonis, Verbo, imagine, amore, dono, potentia, & actu notionali, cæteriſque omnibus foret ſilentium? Si beatitudinem noſtram in Dei viſione non ponerent diuina eloquia, quis Theologorum eam non dico ſperare, ſed vel eminus odorari potuiſſet? ſi fidem, ſpem, religionem, martyrium, virginitatem, & cæteram omnem, naturales tranſſcendentium diuinarumque virtutum catenam celaſſent ſacri vates, & noui inſtrumenti ſcriptores, quis eas ingenio, quis votis & voluntate ſequeretur? Nimirum, latuerunt hæc priſcos ſapien- D tes, quamuis prodigioſa, & ad miraculum penè ſublimi intelligendi vi præditos. ignorauit hæc Platonis Academia, hîc ſilet omnis Pythagoræ ſchola: hîc pueri ſunt Socrates, Pimander, Anaxagoras, Thales, Ariſtoteles. Taceo quæ de virtutibus naturæ cognatis, de lege, deque officijs homine, qua ratione pollet, dignis, deque eis aduerſis vitijs, & vniuerſa morali Philoſophia diuinæ Literæ clariùs certiuſque quauis Ethica pertractant, vt in eas ſolas illa Tullij Philoſophiæ, ſiue Ethicæ elogia aptiſſimè conueniant, & ſint dicanturque optimo iure *lux vitæ, magiſtra morum, animi medicina, bene viuendi norma, iuſtitiæ altrix, religionis fax.* *Ethicæ elogia.*

8\. Didicit hoc, expertuſque eſt magno ſuo bono S.Iuſtinus Philoſophus & Martyr, qui, vt ipſe teſtis eſt initio dialogi contra Tryphonem, Philoſo- *S. Iuſtinus per S.Literas conuertitur.*

losophiæ, veræque illius sapientiæ quæ ad Deum ducit auidus, mirabili circulo, sectas quasque Philosophorum illustriores, velut odyssæam errorum peruagatus frustra, in Christiana demum S. Literarum Ethica, tamquam sola solida conquieuit; ac primùm Stoico cuidam discipulum se addixit, à quo cùm nil de Deo audiret, Peripateticum delegit magistrum, quem mercede sapientiam nundinantem despiciens, in Pythagoricum est deuolutus: sed quòd neque Musicus, neque Astrologus, neque Geometer foret (quas ille artes, vti ad beatam vitam præambulas, exigebat) ab hoc in Platonicum delapsus est, subuentanea & inani ab omnibus sapientiæ spe delusus; donec inopinatò in diuinum quempiam Philosophum, siue hominem, siue angelum incidit, qui protinus suasit, vt abdicata omni illa circulari disciplina, Prophetarum libros legeret, quorum auctoritas omni demonstratione maior & sapientia foret saluberrima, in hos omne suum scientiæ desiderium acueret. atque abijt ille, nec postea ei visus, sed tam incensa ei studij huius sacri, lectionisque diuinorum voluminum iniecta cupiditate, vt protinus omni aliorum doctrina valere iussa, hanc vnam ambiret auidissimè, & constantissimè sequeretur, vbere adeò fructu, vt ipsa nobis Iustinum & Christianum, & Philosophum, & Martyrem pepererit. Idem illud diuini huius Philosophi consilium omnibus nobis affectari operæ pretiũ, si verum Dei pietatisque sensum, si mores Christianos, si sanctæ vitæ spiritum sugere atque imbibere percupimus.

9. *S. Scripturam non aliis, sed sibi ipsi legat quisque.*

Fallax enim est ista, quæ multorum perstringit mentis aciem, opinio, sacras Literas non sibi, sed alijs dumtaxat ediscendas esse, vt doctorem scilicet, vt ecclesiasten agas; videlicet vt quod alijs bonum appetas, eo teipsum fraudes, & vt mercenarius thesaurum tam nobilem, non tibi, sed alijs eruderes, aut effodias. Non ita censent illa ipsa diuina eloquia: *Habemus*, inquit B. Petrus, *firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucernæ, lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Huic ergo faci te primum decet intendere, hanc sequi, vt qui in tuo corde inde exortus fuerit lucifer, alijs deinde præfulgeat. *Epist. 2. c. 1.*

Regius verò Psaltes beatum vocat, non qui in alios Dei eloquia profundit, sed qui in lege eius meditatur die ac nocte; hunc proinde esse vt lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Hoc vtique fine vel maximè, sacros codices nobis conscribi voluit Deus, verbumque suum proposuit, vt lucerna esset pedibus, daretque lumen semitis nostris, vt inter hosce lucidissimæ voluptatis, & plusquam Alcinoi hortos inambulantes, iucundissimo cælestium fructuum pasceremur aspectu, & gustu frueremur. Et sanè vti in paradiso, inter vernantes arborum florumque surculos, aut rutilantes malorum facies, necesse est prætereuntem, vel odore saltem & colore refici; vtque qui in sole, licet animi causa, deambulat, calescere tamen, & rubedine imbui videmus; ita diuinas Literas religiosè assidueque legentium, audientium, discentium mentes, sensus, consilia, vota, moresque veluti quodam diuinitatis colore tingi, sanctisque affectibus accendi necesse est.

10. Quis enim castam animi puritatem non induat, A quando eloquia Domini casta, & tamquam argentum igne examinatum, tot eam efferentia laudibus, tantisq; suadentia præmijs auscultat? quod tam algidum cor, vt charitate non incalescat, quando ea æstuantem Paulum audit, igneas vbique amoris diuini flammas iaculantem? cui mens non assiliat cælestium in Script. lectione bonorũ, vt infima hæc bona spernat & fastidiat? quis hac spe cælitum in humano corpore vitam æmulari, & hominem angelum viuere non gestiat? quis pro fide & pietate masculum non obfirmet pectus, ad quosuis etiam decumanos malorum fluctus, pulchramque petat per vulnera mortem, quando sacras hasce tubas adeò suauiter & neruosè fortitudinem constantiamque occinentes arrectis auribus animisque haurit atque excipit? Ita nimirum Machabæi, solos habentes solatio libros sanctos, gloriantur se inuicta virtute, & hostibus B omnibus impenetrabiles persistere. Et Apostolus ad dura quæque & aspera fideles obarmans; *Quæcumque*, inquit, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Equidem nescio quem vitalem spiritum, occulto legentibus influxu afflent diuina verba, vt, si ea ad doctissimorum sanctissimorumq; hominum, quamuis ardentia scripta conferas, hæc inanima, illa viuentia, vitamque aspirantia sentiendo censeas.

1. Machab. 12 9.

Rom. 15. 4.

11. *S. Athanas. in eius vita.* *Per S. Scripturã conuersi sunt Antonius. Augustin. Victorinus, Simeon Stylites.* *August. 8. Confess.* *7. Confess. 21.*

Potuit vna Euangelij vox: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, magnum illum Antonium, iam tum iuuenem, nobilitate & opibus inclytum, tanto Euangelicæ paupertatis amore incendere, vt è vestigio bonis omnibus, quibus ita impensè cæci mortales inhiant, sese exueret, & cælestem in terris vitam monastica C professione complecteretur. Potuit diuina Scriptura Victorinum, turgidum tum vrbis Rhetorem, à Gentilitia superstitione & fastu, ad Christianam fidem humilitatemque inflectere. Potuit Paulina lectio hæreticum Augustinum, non tantùm orthodoxis adiungere, sed & fœdissimo Veneris quotidianæ barathro erutum, ad continentiam castitatemque, non dicam maritalem, sed Religiosam, cælibem omnino & intactam impellendo prouehere. Potuit vna Euangelij lectio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; Simeonem Stylitem ilico conuertere, eoque prouehere, vt octoginta annos continuos in columna eodem pede consisteret, vt perdius & pernox orationi vacaret, penè sine cibo & somno viueret, vt D portentum orbis, neque tam homo, quàm angelus in carnem lapsus esse videretur. Cur ergo, inquies, nos qui toties S. Scripturam legimus, hos æstus, has vitæ mutationes non persentiscimus? quia eas obiter & oscitanter legimus, vt meritò vsurpare possimus illud S. Marciani apud Theodor. in Philotheo, qui rogatus ab Episcopis dicere verbum salutis, ait: Deus quotidie loquitur nobis per suas creaturas, & per sacram Script. & tamen ex his paruam vtilitatem capimus; quî ergo ego loquens vobis prodero, qui cum alijs amitto hanc vtilitatem?

Vidit olim inter omnes vates maximè arcanus Ezechiel fluuium magnum egredientem subter limen domus Domini, quem pertransire non potuit, *quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis*, inquit, *qui non potest transuadari: cumq; me conuertissem,*

tissem, ecce in ripa torrentis ex vtraque parte ligna A *multa nimis*. ar quænam hæc? omnes vtique Sancti, tam prisci quàm noui; tam legis quàm Euangelij, qui ad Euangelistarum, Apostolorum & Prophetarum fluenta considentes, quasi arbores pulcherrimæ semper vernant, & amœna suauique fructuum omnium copia luxuriant. idem enim fluuius vtramque fouet alitque ripam, idem inquam Spiritus sanctus Scripturæ auctor, vnam & eödem tendentem, per diuersa licet sæcula, Scripturam contexuit, tamque nouo, quàm veteri instrumento, vitalem eâ pijs omnibus succum instillauit; si quidem eum haurire velimus.

12. Iam verò, vt ab altiori principio hæc repetamus, videamus quale & quantum sit S. Script. argumentum? quæ materia? vis verbo dicam, S. Scripr. obiectum habet omne scibile, disciplinas B omnes, & quidquid sciri potest, suo sinu complectitur; ideoque vniuersitas quædam est scientiarum, scientias omnes vel formaliter, vel eminenter continens. Origenes commentans in c. 1. S. Iohannis: Diuina, ait, Script. mundus est intelligibilis, suis quatuor partibus, veluti quatuor elemẽtis constitutus; cuius terra est velut in medio instar centri, scilicet historia: circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiæ: circa historiam & ethicam, veluti duas mundi huius partes, aër ille naturalis scientiæ circumuoluitur: extra autem omnia & vltra, æthereus ille & igneus ardor empyrei cæli, id est superna cõtemplatio diuinæ naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur. hæc Orig. Ex quo rursum, sicuti sensum historicum terræ, C & tropologicum aquæ; ita rectè allegoricum aëri, anagogicum igni &ætheri adaptes.

CAP. II. de S. Script. obiecto, & amplitudine.

S. Script. est vniuersitas scientiarũ.

Est mundus intelligibilis.

13. Verùm ego ampliùs contendo, S. Scripturam sensu, non tantùm mystico, sed solo etiam literali, qui primas tenet, quemque præ omnibus consectari oportet, omnem scientiam, scibile omne complecti.

Hoc vt demonstrem, statuo triplicem rerum ordinem, ad quem Philosophi & Theologi res vniuersas referunt. Primus est naturæ siue rerum naturalium; Secundus supernaturalium, & gratię; Tertius diuinæ essentiæ cum suis attributis, tum essentialibus, tum notionalibus. Primum naturæ ordinẽ peruestigat Physica, & aliæ naturalis philosophiæ disciplinæ; secundum & tertium in hac vita doctrina reuelata, quæ ad fidem & Theologiam pertinet; in altera visio diuinitatis, quæ San- D ctos & angelos beat. Iam S. Scripturam primum etiam rerum naturalium ordinem pertractare, docet D. Thomas statim ipso in limine Summæ Theologicæ: primæ enim quæstionis art. 1. quo quærit, vtrùm præter philosophicas disciplinas, alia doctrina sit necessaria; respondet duplici conclusione. Prior est, *necessaria est ad humanam salutem doctrina quadam à Deo reuelata, præter philosophicas disciplinas*, scilicet ad ea cognoscenda, quæ hominis intellectum & naturæ vires excedunt. Secunda, *eadem doctrina reuelata necessaria est etiam in his, quæ lumine naturali per philosophiam inuestigari possunt*. Rationem addit: quia hæc veritas per philosophiam à paucis, per longum tempus, & cum admistione multorum errorum acquiritur: reuelata ergo opus est, quæ philosophiam dirigat, corrigat, & facilè certoque ad omnes transmittat.

Triplex rerum ordo.

Illustri exemplo sunt philosophorum principes, Plato & Aristoteles, qui insigni ingenio multa quidem assecuti sunt, sed multa etiam tam ambiguè, tam obscurè, vt commentantium Græcorum, Latinorum, Arabum multis sæculis, in ijs explicandis desudarit industria. Taceo errores, & quidem crassissimos: verbi gratia, quòd Plato doceat Deum esse corporeum; Deum esse animam mundi, quæ magno eius se corpore misceat; deos quosdam esse iuniores & minores; animas corpori præextitisse, & in corpore, quasi in carcere, prioris vitæ scelera luere; scientiam nostram tantùm esse reminiscentiam; in Republ. vxores debere esse communes; mendacio subinde vtendum esse quasi elleboro; hominum, animalium, sæculorum, rerumque omnium fore reuolutionem, vt post decem annorum millia ijdem hîc omnes studentes, docentes, audientes sedeamus. sic animarum regressum, & palingenesiam fore, scilicet, 14.

Platonis errores octo.

vbi mille rotam voluẽre per annos,
Rursus vt incipiant in corpora velle reuerti.

Quin etiam, vti ex eodem fonte censuit Pythagoras, à corpore in corpus, iam hominis, iam pecudis demigrent: vnde ipse de se aiebat: *Ipse ego, me memini*, (quis non credat? αὐτὸς ἔφα. spectatum admissi risum teneatis)

Pythagoras ex Euphorbo transanimatus.

Ipse ego, me memini, Troiani tempore belli,
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ.

Nonne hîc verissimum est scitum illud Hebræorum adagium: אֲשֶׁר רִיקְקְרָא לְמֹרֶה לֹא אֹמֵן לְבֹרֵא׃ *ascer ric core lemore lo omen lebore*, hoc est, qui facilè & temerè credit doctori, discredit creatori?

15. Aristoteles verò (in cuius ingenio natura ostendit extremum potentiæ suæ, air Auerroës) primum motorem Orienti affigit; asserit, eum moueri fato, & naturali necessitate; mundum hunc esse ab æterno; futurorum contingentium non esse determinatam veritatem; Deum ea determinatè non scire: animæ verò immortalitatem, Dei circa homines & res sublunares prouidentiam, futuras pœnas & præmia, vel pernegat, vel ita obscurat, vt sepia suis spiris inuoluta agnosci explicarique non possit, & à multis ob affectatam obscuritatem, ingeniorum carnifex dictus sit & habitus. Has luminis naturalis tenebras peruidentes Democritus, & Empedocles, simpliciter confessi sunt, nihil verè à nobis sciri. Socrates aiebat se tantùm id scire, quòd nihil sciret: Arcesilas, ne id quidem sciri posse. Anaxagoras cum suis, censuit scientiam omnem nostram esse meram opinionem; tantùm ita nobis videri: imò non certò sciri, an nix sit alba, sed ita nobis videri: posse enim sensus omnes decipi; sicut decipitur visus omnium certissimus, cùm collum columbæ ob refractos luminis radios, coloribus cælestibus variegatum videt, cùm verè nulli tales in columba existant.

Aristotelis errores vel dubia octo.

Aristoteles est sepia.

Democriti, Emped. Socratis ignorantia.

In hac ergo nostræ caligantis aciei nocte, pelago & abysso, doctrinæ reuelatæ lucerna, quasi pharo est opus. *Lucerna pedibus meis*, ait regius Psaltes, *verbum tuum, & lumen semitis meis*: *narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Sapientia hæc vera & solida *non est*, ait Baruch, *audita in Chanaan, nec visa in Theman: filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ & Theman, & fabulatores, & exquisitores* pru- 16.

Baruch 3. 22.

prudentia & intelligentia, viam sapientia nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius; sed qui scit vniuersa nouit eam, qui præparauit terram in æterno tempore; qui emittit lumen, & vadit. hic est Deus noster, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. post hæc, vt scilicet hanc scientiam perdoceret, *in terris visus est; & cum hominibus conuersatus.*

17. *S. Script. Ethica, Physica, Logica, Metaphysica.* Quæris ergo, quo loco Physica, Ethica, Metaphysica in sacris Literis doceantur? Dico Physicam, etiam primæuam, & à sui origine tradi in Genesi, in Ecclesiaste, in Iob: Ethicam per breuissimas gnomas & sententias in Prouerbijs, Sapientia, Ecclesiastico: Metaphysicam maximè in Iob, & in Psalmis, quibus per hymnos Dei potentia, sapientia, immensitas; ad hæc eius opera, angeli scilicet, aliaque omnia celebrantur. Historiam & chronologiam ab ipso mundi exordio ad Christi penè tempora, aliunde non certiorem, non iucundiorem, non magis variam, quàm ex Genesi, Exodo, libro Iosue, Iudicum, Regum, Esdra, Machabæis petas. Quàm sacra Scriptura sophisticen damnet; quamque solida argumentatione & logica vtatur; docet S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 31. De Mathesi è numeris petita, idem docet libr. 3. de Doctrina Christiana cap. 35. Geometria patet in fabrica tabernaculi, & templi, tum Salomonis, tum illius tam mirè dimensi apud Ezechielem. Meritò proinde dixit S. Augustinus extremo li. 2. de Doctrina Christiana: *Quantum*, inquit, *minor est auri, argenti, vestisq; copia, quam de Aegypto secum Hebræus populus abstulit, præ diuitiis, quas postea Hierosolymæ, maximè sub Salomone consecutus est; tanta est cuncta scientia, etiam vtilis, collecta de libris Gentium, si diuinarum Scripturarum scientiæ comparetur. nam quidquid homo extrà didicerit, si noxium est, ibi damnatur: & cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.*

Omnes scientiæ ancillantur sacræ Script. Ancillantur enim illi, quasi dominæ & reginæ, omnes liberales disciplinæ, omnes linguæ, omnes scientiæ atque artes, quæ certis singulæ terminis continentur. Sacra autem hæc scientia ambit omnia, complectitur vniuersa, omniumque vsum suo iure sibi assumit; vt proinde quasi omnium perfectissima, omnium finis & scopus, vltimo loco veniat addiscenda.

Sic ergo sacræ Literæ primum rerum, putà naturæ ordinem, maximè qua Deum, Deique attributa, animæ immortalitatem, libertatem, pœnas, D præmia, creataque omnia tangit, certiùs & solidiùs quàm naturales scientiæ, persequuntur, easque sicubi aberrent, in viam reducunt.

18. Quod ad secundum gratiæ, & tertium diuinitatis ordinem, nemo non videt cum D. Thoma, hæc philosophis incognita fuisse (cùm naturæ lumen transscendant) & sine Dei reuelatione, sine Dei verbo sciri non posse. Viden' ergo, vt omnes *S. Script. est sol sapientiæ.* rerum ordines sacra Scriptura ambiat, omnibus se insinuet, & quasi sol sapientiæ omnis veritatis radios à se diffundat.

Deus est auriga mundi. Aristoteles, vel quisquis est auctor, libro de Mundo, quærens quid sit Deus? *Hoc in mundo*, inquit, *est Deus, quod in naui gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator:* nisi quòd in illis principatus laborio-A sus est, perturbatus & anxius; in Deo facillimus, liberrimus, ordinatissimus. Idē dixeris de S. Scriptura, quæ alijs scientijs dux est, lex, princeps & moderatrix. Empedocles verò rogatus quid esset Deus? respondit, Deus est sphæra incomprehensibilis, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. Sic roganti quidnam sit S. Scriptura? rectè dicas, Sphæra est disciplinæ incomprehensibilis, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam: Dei enim verbum est Scriptura sacra. *Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, peripheria nusquam.* Quare vt mentis nostræ verbum mentem ipsam, eiusque sensa omnia refert, ita S. Scriptura mentis diuinæ verbum, in sese vnicum, & diuino intellectui & cognitioni quasi adæquatum (quo scilicet se, res omnes, naturales & supernaturales. Deus vno mentis cernit ip ictu) exprimit per multa & B varia; vt mentis nostræ angustijs, quæ vnicum illud vastissimum non capit, totum quidem, sed frustatim quasi pueris, per varias sententias, exempla, similitudines sensim ingerat. Atqui ex hoc deinde quasi mari, Scholastici riuos conclusionum Theologicarum educunt. Tolle à Scholastica S. Scripturam, non Theologiam, sed Philosophiam dabis; Philosophus eris, non Theologus: vtramque inuicem nexam iunge, omne feres punctum & Theologi & Philosophi.

Ita quæ prima parte de Dei essentia & attributis, de prædestinatione, de angelis, de homine, de opere sex dierum (quod totum ex Genes. cap. 1. petitum esse liquet) tractantur à D. Thoma & Scholasticis, hausta & deducta sunt ex ijs quæ sacrarum Literarum reuelatione didicimus. Quare S. Dionysius digito ad fontes intento, cælestem suam hierarchiam ita orditur: C *Ad sacras Scripturas intelligendas, prout illas à Patribus accepimus contuendas, pro viribus pergamus, & quas illi nobis vel per signa, vel per intelligentia sacratioris arcana tradiderunt, cælestium spirituum distinctiones & ordines, in quantum possumus speculemur.* Si enim angelos non pingerent nobis sacræ Literæ, quis Apelles, quis oculus, quod acumen eos vestigando delineasset? 19.

Eadem est S. Clementis beati Petri comitis & alumni, sententia epist. 5.

Quæ tertia parte de incarnatione quæruntur, omnia è quatuor Euangelijs, quæ vitam Christi enarrant, deprompta sunt: quæ de Sacramentis veteribus, ex Leuitico: quæ de Sacramentis legis nouæ, ex nouo Testamento sparsim petita sunt. Quæ in prima secundæ de beatitudine, de actibus humanis, libertate, spontaneo, passionibus, peccato originali, veniali, mortali, de gratia, meritis, demeritis tractantur, vnde quæso nisi Dei reuelatione constant? Quæ in secunda secundæ de fide, spe, charitate disputantur, adeò sacris Literis nituntur, vt omnis earum intellectus ad ista tria referatur, ait S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 40. *Finis enim præcepti*, ait Apostolus, *est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Fide non ficta*, en tibi fides sincera. *conscientia bona*, en spes: bona enim conscientia sperat, mala desperat. *charitas de corde puro*, en charitas. Quæ de iustitia, fortitudine, prudentia, temperantia, & hisce annexis virtutibus docent Theologi; tum Moses in Exodo & Deuteronomio præceptis iudicialibus, quibus ius cuique dicit; tum Salomon in Prouerbiis, Ecclesiaste, Sapientia; tum Ecclesiasticus

complectitur: inde πανάρετος est dictus, quasi A dicas, Omnis virtus.

20. Sacra enim Scriptura sic à Spiritu sancto concinnè contexta est, vt omnibus locis, temporibus, personis, difficultatibus, periculis, morbis, malis pellendis, bonis accersendis, erroribus iugulandis, dogmatibus statuendis, virtutibus inserendis, vitijs propulsandis sese accommodet; vt meritò S. Basil. eam officinæ instructissimæ comparet, quæ omnia, & omnis generis pharmaca quibusuis morbis suppeditat: ita nimirum, vt ex ea Ecclesia, dum tempora erant Martyrum, hauserit constantiam suam & fortitudinem; dum tempora Doctorum, sapientiæ lumina, flumina eloquentiæ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, errorum euersionem: in prosperis, ex ea didicerit humilitatem & modestiam; in aduersis, magnanimitatem; B in tepore, feruorem & diligentiam. denique, si quando tot labentibus annis, senio, maculis, næuis deformetur, ex hac morum perditorum restitutionem, atque reditum ad pristinam dignitatem & statum sibi adsciscat. Ita S. Bernardus in illa Christi verba, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; Hæc, ait, verba sunt quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem, hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis.* Ita S. Tridentina Synodus Ecclesiæ reformationem à S. Scriptura orditur, totoque primo decreto de reformation. de vna lectione S. Scripturæ vbiuis locorum vel instituenda, vel reuocanda, tam sollicitè quàm fusè præcipit.

S. Script. est pharmacopolium.

21. Quare quàm vtilis, imò necessaria sit hæc ipsa C S. Literarum disciplina illis, qui non sibi soli viuunt, sed vitæ quoque partem aliorum commodis impartiuntur, maximeque ijs qui sacras tenent cathedras; me tacente res loquitur, communisque omnium Ecclesiastarum consuetudo. Et verò non nupera hæc: qui veteres voluit, longè pleniorem in priscis illis sacrorum eloquiorū cognitionem perspiciet, & vsque eò vberem, vt sæpè sermo eorum omnis, Scriptura non tam infertus, quàm concinna quapiam catena nexus videatur; neque mirabitur, si Origenes, Antonios, Vincentios, oracula, si templa, si arcas testamenti nuncupatos legerit.

S. Script. concionatori necessaria.

Præclarè S. Gregor. libr. 18. Moral. 14. explicans illud Iobi, *Habet argentum venarum suarum principia: Argentum*, inquit, *est eloquij, vel sapientiæ claritas; venæ, S. Scriptura. ac si apertè dicat: Qui ad* D *vera prædicationis verba se præparat, necesse est vt causarum origines à sacris paginis sumat; vt omne quod loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet.* Et S. August. ad Volusian. *Hic salubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia: ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.*

22. Meritò ergo deplorandum est etiam hoc æuo nostro, quod sui sæculi hominibus vitio dat S. Hieron. cùm in cæteris omnibus artibus priùs discere homines soleant quàm docere, in sacris Literis docere plerosque velle quod numquam didicerint. *Sola*, inquit, *Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, & cùm aures populi sermone composito mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia; quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.* Nimirum tenet insanabile multos docendi cacoëthes; discendi paucos, isque paruus amor. quo fit, vt eam instar ceræ in omnem gyrent partem, in omnem mirabili metamorphosi traducant formam, eaque ceu diuinorum sermonum aleatores, vt sors tulerit, ludant, vim ei sæpè afferant, & quod in Virgilio non ferrent Poëtæ, in alienos sensus, contra sanctorum Patrum, canonum, Conciliorum, Tridentini præsertim, grauissima decreta distorqueant. At vnde hæc omnia? arbitror, ex oscitanti & peruulgata quadam ignauia; sinistras didicerunt litteras, piget eos discere sedulò quod doceant, ipsaque pigritia noctem eorum mentibus offundit, vt S. Scripturam facilem, & cuiuis suopte ingenio peruiam arbitrentur, putentque se scire quod nesciunt, & nescire se nesciant. Hæc mali omnis radix extirpanda, vtpote quæ longissimè serpente contagio multos infecerit, & latissimè se sparserit.

In prol. galeato.

Dispiciamus ergo, quod tertio loco propositum fuit, quàm faciles diuini codices sint. Ac vt 23. breuiter quod sentio, quodque astruere nitor, præmittam, scripturam sacram profanis omnibus, Græcis, Latinis, Hebræis, & quibusuis alijs, intellectu multò difficiliorem esse contendo. Id an ita se habeat, videamus. Scriptura sacra cæteris vniuersis, omnium consensu, tum multis alijs, tum hoc antecellit; quòd cæteræ vnam dumtaxat vna phrasi, hæc quatuor vt minimùm dicat sententias. neque enim solatum vocum, sed & rerum ijs indicatarum habet significationem. quo fit, vt literalis sensus, historiæ, aut rei proximè verbis sacris expressæ intelligentiam exhibeat: hæc verò historia, aut res similis, aliud de Christo Domino portendat vaticinium, allegorico sensu; aliud moribus informandis idoneum, tropologico commendet; altiusque tertiò se porrigens, per anagogen cælestia sacramenta in ænigmate speculanda proponat. Atque ex hisce vix vnum sæpè genuinum assequare; quî ergo tres cæteros tam facili temeritate promittes?

CAP. III. de S. Scripturæ difficultate.

At, inquies, historicus præpollet, hunc vnum 24. quæro, sataque eum è scholastica veritate conijcio & metior; de symbolico qui incertus est, & quem facilè quiuis effingat, non anxiè laboro. Sed vide, ne similis Neoptolemo isti Enniano, qui *philosophari se velle dicebat, sed paucis, nam omnino haud placere*; nomine aut superficie tenus Theologum agas. Nam imprimis, quod ad mysticum, hunc præcipuum esse Scripturę sensum, omne vetus Testamentum loquitur, quod proximè quidem illius temporis gesta, aut gerenda; potissimè verò Christum vbique symbolicè significat. simile de alijs iudicium.

Ac quemadmodum Ionathas, vt familiari rem 1. Reg. 20. hanc spectemus exemplo, signum fugæ Dauidi latenter daturus, iaciens sagittam ex condicto, puerumque eam collecturum vltrà progredi iubens, duo significabat; prius proximè, vt puer sagittam tolleret; alterum remotius, sed quod multò magis volebat, Dauidi scilicet hac voce admonito, fugam esse capessendam: ita prorsus hîc sese res habet, estque historicus Scripturæ sensus prior, sed

Sensus literalis & mystici comparatio.

sed mysticus potior: & ex hoc, vti ex illo, valentissimum trahat Theologus dogmatis sui stabiliendi argumentum; si quidem eum esse genuinum constet; sicuti ex eo Christus Dominus & Apostoli sæpè efficacissimè concludunt. si non constet, sed ambiguum sit, germanúsne is loci illius sit mysticus sensus, ecquid mirum, si ex dubia præmissa dubia inferatur conclusio? Perinde enim ex historico qui literæ inhæret, si incertus is sit & dubius, neutiquam certi quippiam effeceris.

25. Porro fictos esse spirituales sensus, & quemque suo commento posse eos cuiuis adaptare orationi, veluti si quis Probam Falconiam (quæ Latina fuit Sappho) Æneidem Virgilij, & Eudociam Augustam Iliada Homeri ad Christum accommodantes, imitatus, Scripturam S. piæ suæ adinuentioni attemperet, perniciosum est sentire, periculosius facere. Si enim mysticus verus est Script. sensus, si eum vel maximè Spiritus sanctus dictare voluit, qua ratione liberum cuique erit, eum vt volet exponere? qua fronte cerebri sui quis commentum, Spiritus sancti mentem dicet; seque suaque vt Spiritus sancti fanaticus venditabit? Viderunt hoc, caueruntque sedulò, qui è Patribus allegoriam maximè versarunt, qui eodem Spiritu pleni, non ad plausus suósve conceptus astruendos, vbi arridere videtur, temere eam obtrudunt, aut inconcinnè fronti ocream, quod vulgò dicitur, tibiæ galeam applicant; sed rei ita eam deuinciunt, vt aptè per omnia consentiat. Sicut enim in historico, verba res gestas denotant; ita in allegorico, res gestæ alias magis arcanas significant; vt, nisi allegoria respondeat historiæ, falsa prorsus sit & euanida. Ea causa S. Hieron. in Osee c. 10. scribens, quod de rege Assyrio passim dicitur, iuxta tropologiam ad Christum deducere (quod aliquando imprudens antea ipse fecerat) impium esse docet. & prologo in Abdiam, semet ipse arguit, quòd olim allegoricè Prophetam hunc explicuisset, historicam eius intelligentiam necdum assecutus.

Mysticus respondere debet literali.

26. Ad historicum verò, vt is vnus tibi sufficiat, quot quantisque adiumentis est opus? quàm is sæpè reconditus? quàm Hebræa phrasi Græcáve, & nouo, à cæterisque omnibus discrepanti dictionis genere abditus? quàm sublimis altissimè sæpè sese librat? Neque id mirum. Si enim sapientum verba sensa animi sapientis produnt, voxque respondet conceptioni mentis; vbi hæc cælestis & diuina fuerit, quàm necesse est elocutionem pariter cælestem esse & diuinam? nemini autem dubium sacros libros sensa Spiritus sancti, sapientiamque æterni Verbi sua dictione complecti; vt proinde non humi serpere, sed in altum erigere sese oporteat, si diuinis hisce eloquijs ad diuina cogitata, primamque veritatem peruolare quis cupiat.

27. Fateor equidem, Scholasticos Doctores permulta è Scripturis subtiliter accersere, eaque subinde discutere, sed suas ipsi sibi metas Theologicis quæstionibus definiunt, quæ affatim ipsis materiæ & operæ, Theologo vtilissimæ, & verò necessariæ, suppeditant, vt aliud ex professo agere non liceat: perinde vt qui sacras elucidat Literas, subinde Theologicas conclusiones sacris sententijs inuolutas, euoluit accuratiùs, sed, ne vltra crepidam, ad suos statim se recipit capellos. Ve-A rùm aliud est delibare quippiam, aliud certo & continuo idipsum ordine pertexere; aliud sententiam quampiam excutere, aliud integrum volumen, omnesque eius sententias diligenti & exacto antecedentium & consequentium examine, Hebræorum Græcorumque fontium vestigatione, sanctorumque Patrum lectione, euoluere, illius phrasim imbibere, & quasi domesticum in eo versari. quod qui negligit, dictis quibusdam hinc inde difficilioribus exceptis explicatisque contentus, numquam ad sacra adyta, arcanum inquam sanctorum eloquiorum penetrabit: sed & facilè à veritate & mente scriptoris aberrabit. Videre hoc est in nonnullis antiquioribus, non indoctis alioqui viris, qui in re Theologica adeò leuiter quandoque arrepto axiomate quopiam sacro abutuntur, vt hæreticis nostris cachinnum, B Catholicis bilem moueant.

Præclarè S. Gregorius procœmio in libros Regum, lectorem monet, aliter se subinde historiam explicare, quàm Patres fecerint. si enim, inquit, illi seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis quam tenere visi sunt, obseruare nequaquam potuissent. Multa videlicet inseruntur, præeunt, consequuntur, quæ cum loco quem pertractas comparanda sunt, elocutionis sacræ modus alijs etiam in locis peruestigandus est, phrasis disquirenda: quæ si expositioni non cohæreant, neutiquam ea genuina est loci sententia, neutiquam ea orationis potestas, vis & notio; vt ambigas sæpè vtrius, ipsiúsne rei, an phrasis, obscuritas sit maior. 28.

Taceo variam, & quasi omnigenam materiæ amplitudinem. quid enim toto veteri nouoque C instrumento non pertractatur, aut tangitur? Exempli sit instar, vt Regum, Machabæorū, Esdræ, Danielis, & aliorum Prophetarum volumina intelligas; quàm varia historia Gentilis, quot monarchiæ, Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum pernoscendæ? quot mores gentium, ritus fœderum, bellorum, sacrificiorum, connubiorum perquirendi? quot vrbium situs, fluminum, montium, regionum ex vniuersa antiquissima chorographia & cosmographia perlustrandi?

Verùm nequis hîc scrupulus supersit, age prima ab origine rem deducamus, videamusq; quomodo omni semper ætate, difficultas iuxtà ac dignitas sacræ Scripturæ, & reuerentiam sui acuerit, & studium Sanctorum accenderit. Apud Hebræos peruulgata est traditio, cui è nostris astipu-D lantur S. Hilarius & Origenes, Mosen cum lege, etiam legis explicationem in monte Sina diuinitus accepisse; eique præceptum esse, vt legem scriberet, sed legis occulta mysteria & sensa Iosue, & hic sacerdotibus, hique consequenter vicarijs suis succedentibus, magna silentij religione reuelarent. Hinc Anatolius apud Eusebium, LXX. interpretes Ptolemæo Philadelpho Ægypti regi, percunctanti multa, ex Mosis traditionibus respondisse narrat. Et Esdras, vel quisquis auctor lib. 4. Esdræ (cui etsi non canonica, canonicis tamen adiuncto sua fides constat) c. 14. Mosi edictum refert: *Hac in palam facies verba, & hac absconles.* Sibi pariter, Esdræ putà, cùm Dei instinctu libros dictasset 204. simile iussum. *Priora, ait, qua scripsisti in palam pone, & legant digni & indigni; nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas eos* sapien-

Cap. IV. de studio sacræ Script. indicia & exempla Patrum.

29. *Hilar. ps. 2. Origenes homil. 5. in Num.*

Mysteria S. Script. voce tradita.

Lib. 7. hist. c. 28.

sapientibus de populo tuo. in his enim est vena intellectus, & sapientia fons, & scientia fluuien. & feci sic.

Quare Moses identidem, in Deuteronomio præsertim, omne populi ambiguum & difficile circa legem iudicium, ad sacerdotes referri voluit. nam, vt ait Malachias, *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem* (dubia vtique legis de quibus est quæstio, ait S. Bernardus) *requirent ex ore eius.* Qua de causa & studium eius sacerdotibus Dominus in Leuitico indicens, eos cap. 10. hisce compellat: *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Mosi.* Atque vt huius curæ admoneret pontificem vel maximè, in pectorali pontificalis sui doctrinam & veritatem, vel, vt hebraicè est, אורים ותמים *vrim vetummim*, illuminationem & integritatem, duo vitæ sacerdotalis decora, certis notata symbolis gestare, coramque semper intueri voluit. Sed vltrà tendamus.

Malach. 2. 7.

30. Propheta regius magna scriptorum sacrorum pars, diuinum inquam illud Spiritus sancti organum, eas in ijs ipsis sublimes & arcanas tenebras agnoscens, creberrimè alijs alijsque verbis orat: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* vbi hebraicè est, גל עיני ואביטה *galenai veabbita*, deuolue ab oculis meis (velamen caliginis scilicet) & clarè intuebor mirabilia legis tuæ. *Si tantum propheta*, inquit S. Hieron. ad Paulinum, *tenebras ignorantiæ confitetur, quæ nos putas paruulos, & penè lactentes inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solùm in facie Mosis, sed & in Euangelistis & Apostolis positum est; & nisi aperta fuerint vniuersa quæ scripta sunt, ab eo qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nullo alio reserante pandentur.*

Psal. 118.

Audit Ieremias, *Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in Gentibus dedi te*; & tamen exclamat: *A a a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.*

cap. 1.

Isaias Seraphim ad se aduolantem aspexit, calculoque ignito os vaticinaturum adaperientem.

cap. 6.

Ezechiel intuitus speciem quadrifidi animalis, gloriæque Domini, pronus cadit in faciem, erectusque à spiritu silet, dum pariter os ei pandatur.

cap. 2.

Daniel verbum Dei in corde conseruat, sed cogitationibus conturbatur, & facies ei immutatur, stupetque ad visionem, eò quòd desit interpres: & nos eorumdem vaticiniorum, parabolarum, ænigmatum, & symbolorum faciliorem ipsis eorum scriptoribus intelligentiam, aut disertam magis ea effandi facundiam, quasi naturalem, nobisque congenitam spondebimus?

c. 7. & 8.

31. Multò aliter Ecclesiasticus sapientem pingens, indefessum eius studium cum pia prece deposcit: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis* (vel, vt Græcus habet fons, *in prophetiis*) *vacabit, narrationem* (græcè διήγησιν, enarrationem, explanationem) *virorum nominatorum conseruabit, & in versutias*, acumen, *parabolarum simul introibit, occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur; aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tamquam imbres* A *mittet eloquia sapientiæ suæ, ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur.*

Veteres Iudæorum Rabbini toti erant in sacris Literis, indeque סופרים *sopherim*, γραμματεῖς, & Scribæ sunt dicti. post Christū verò nemo nescit Hebræorum Rabbinos non aliud quàm sacram Scripturam versare, cætera amusos esse. Scitum est illud Rabbini, qui à nepote scientiarum auido rogatus, num sibi liceret, aut suaderet, Græcis etiam auctoribus operam dare, ironicè respondit: licere, modò id nec die faceret, nec nocte; scriptum enim esse, in lege Domini meditandum esse die ac nocte.

Ad nouum pergamus noui fœderis instrumentum. S. Petrus cùm epistolarum S. Pauli meminisset, subiungit, in ijs quædam esse B *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* & anterius: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* 32.

Epist. 2. c. 3.

cap. 1.

Eius germanus officio, & martyrij laurea, sanctus Paulus, non naturalis ingenij vires, sed eiusdem Spiritus gratiarum diuisiones nuncupat, quòd *alij per Spiritum detur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij* denique *interpretatio sermonum*: ideoque posuisse Deum in Ecclesia quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores. Alibi verò, se ad pedes Gamalielis legem edoctum gloriatur: alibi Pastores & Episcopos monet, C velle præstent operarios inconfusibiles, rectè tractantes verbum veritatis, vt possint exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. sed quid moramur?

1. Cor. 12.

Audiamus Christum: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas.* quin verò dotem hanc, vti & thaumaturgiam, miraculorumque omnigenorum potestatem, Ecclesiæ suæ testamento consignauit Christus, quando in cælum adscensurus valedicens Apostolis, aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, vt & ipsi suos eas docerent discipulos, & ad posteros continua, & per manus accepta deriuatione transmitterent. Sic eas sibi traditas docent S. Dionysius Apostoli Pauli, & Clemens S. Petri discipuli. 33.

Hoc consilio, hac ipsa ætate S. Marcus Alexan- D driæ Christianam hanc sacrarum Literarū commentationem instituit. Videre licet apud Philonem Iudæum oculatum testem, libro de Vita contemplatiua, & Eusebium, quàm assiduè Esseni, primi inquam illi Christiani Alexandrini, ab aurora in noctem sacris voluminibus legendis, audiendis, rimandisque sublimioribus allegoriæ sensibus è Patrum suorum commentarijs, omnem diem impenderent. Exinde iam Alexandrinæ scholæ iacta sunt primordia: quæ deinceps succreuit, & mirè sensim adoleuit, ac sequentibus sæculis Martyrum agmina, illustrem Doctorum Præsulumque chorum, atque orbis lumina dedit: & vt ab vno metiamur reliquos, videamusque quàm auidè & indefessè, diuinorum eloquiorum curriculum decurrerint, de Origene auctor est Eusebius, cum iam inde à puero illud inchoasse, solitumq; patri in dies singulos sententias aliquot sacras

S. Marci schola Alexandrina.

Lib. 2. hist. Esseni.

Origenes à puero studuit sacra Scriptura.

ſacras è memoria, velut diurnum penſum reddere,& recitare;neque his contentum, altiſſimas etiam earum notiones & ſenſa perueſtigare & interrogare cœpiſſe: at cùm adultior factus, cathedraque donatus, perdius & pernox cœpta proſecutus, hac vna de cauſa Hebræam linguam perdidicit,& toto orbe conquiſitas variorum interpretum verſiones collegit, & primus nouo exemplo hexapla & octapla,immenſo labore elucubrauit, ſcholijſque illuſtrauit.

34. *S. Baſil. & Nazianz.* Hos ſecuti ſunt in Oriente pariter aureum Græciæ Doctorum par, Baſilius & Gregorius Theologus, qui ad monaſterij ſolitudinem,quietem otiumque confugientes, ipſos tredecim annos, remotis omnibus Græcorum ſæcularium libris,ſoli diuinæ Scripturæ operam dederunt,*diuinaq; volumina*, ait Ruffinus, *non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate, quos ipſos pariter ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat, commentando peruoluebant.* *Lib.11.hiſtor.9.* Itáne tantis viris,ea ſapientia, ingenio & eloquētia præditis, tot annos in rudimentis ſacræ Scripturæ viſum eſt ponere; nobis adeò faciles habeantur ſacræ Literæ, vt tres quatuórve annos ijs vacare tædeat,aut,ſi plures oporteat,oleum & operam omnem perdidiſſe nos arbitremur? S.Baſilij coæuus fuit S. Ephrem Syrus, qui quàm fuerit ſtudioſus ſacræ Scripturæ, docent eius lucubrationes. *S.Ephrem.*

De ſcholis ſacræ Scripturæ Niſibi inſtitutis tempore Iuſtiniani Imperatoris teſtis eſt Iunilius Africanus Epiſcopus libro ad Primaſium. Eaſdem ſub eodem Imperatore Romam inducere conatus eſt Agapetus Pontifex, vti narrat Caſſiodorus in præfatione libri Diuinar. lectionum: *Niſus ſum*, inquit, *cum beatiſſimo Agapeto vrbis Romæ, vt, ſicut apud Alexandriam multo tempore fuiſſe traditur inſtitutum,nunc etiam in Niſibi ciuitate Syrorum Hebræis ſedulò fertur exponi; collatis expenſis in vrbe Romana profeſſos Doctores ſchola potiùs acciperent Chriſtiana, vnde anima ſuſciperet æternam ſalutem, & caſto atque puriſſimo eloquio fidelium lingua comeretur.*

S.Hier. ſui æui phœnix. Inter Latinos porro primus iure cenſeatur S. Hieron. ſui æui phœnix; qui adeò totus hîc excubauit, vt in hiſce literis ad extremam canitiem conſenuerit, atque ex Hebræo Latinam Bibliorum verſionem conſignarit Eccleſiæ; quæ proinde eum in exponendis ſacris Scripturis doctorem maximum indigitat. Celebre quoque eſt illud S.Hieronymi, *Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobiſcum perſeueret in cælis.* &, *Sic ſtude, tamquam ſemper victurus; ſic viue, tamquam ſemper moriturus.* Hac de cauſa ipſe Hebræas, vti Cato Græcas literas,in ſenectute perdidicit; hac de cauſa Bethlehem,& loca ſancta adijt; hac de cauſa veteres omnes Græcos Latinoſque commentatores, teſte ſancto Auguſtino,legerat,quorum pleroſque ipſe quos ſecuturus ſit, omnium ferè commentariorum ſuorum prologis præmittit; & grauiter incuſare ſolet eos, qui abſque Dei gratia & doctrina maiorum, ſcientiam ſibi vindicant Scripturarum.

35. *S. Auguſt.* Porro S. Auguſt. illud ingenij acumen, quod Prædicamenta Ariſtotelis ſe ſolo peruaſerat, adeoque nihil voluere ſolebat, quin protinus illud aſſequeretur;mox à ſua conuerſione, D. Ambroſij ſuaſu, Iſaiam Prophetam in manus accipiens, *9.Confeſſ.5.*

A ilicò profundo eloquiorum eius abſterritus, cùm primam eius lectionem non caperet, retulit pedem, diſtulitque eum, dum in Dominico eloquio foret exercitatior. Sed & multò pòſt ad Voluſianum ſcribens: *Tanta*, ait, *eſt Chriſtianarum profunditas literarum,vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte ætate* (notate verba) *vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio,ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Præter fidem enim tam multa; támque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant, tantáque non ſolùm in verbis, verùm etiam in rebus latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat,quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet.* *Epiſt.3.*

Cognitio linguæ Heb. & Græcæ neceſſaria ad S. Script. ait S. Aug. 2.Doctrin. Chriſt.c.10. Difficultatem augent idiotiſmi Hebræi & Græci, vbique ſparſi,ad quos pernoſcendos opus eſſe B vtriuſque linguæ cognitione,docet S.Auguſt.li.2. de Doctrina Chriſtiana cap.10. Duabus enim de cauſis non intelliguntur quæ ſcripta ſunt, ſi aut ignotis,aut ambiguis ſignis verbiſve obteguntur: vtrumque non rarum eſt in qualibet verſione, qua ab vno idiomate in aliud quippiam transfunditur. Porro *contra ignota ſigna*, ait Auguſtinus, *magnum remedium eſt linguarum cognitio.* Sunt enim quædam verba,quæ in vſum alterius linguæ, per interpretationem tranſire non poſſunt; & vt doctiſſimus ſit interpres, nec à ſenſu auctoris deuius aberret, quæ ſit ipſa ſententia non apparet, niſi in ea lingua inſpiciatur, quam interpretatur. *cap.11. cap.13.* Inter alia hoc affert exemplum: *Spuria vitulamina non dabunt radices altas,* Sapient.4.3.græcizat enim C interpres, & quaſi à μόσχος μοσχεύματα, id eſt à vitulo vitulamina, deducit. μοσχεύματα autem ſunt ſtolones, ſiue propagines, & noui ſurculi ex arbore præciſi, & in terra plantati. Sanè quàm Hebræis Græciſque idiotiſmis Latini abundent codices ſacri, luce eſt clarius, vt non ſine cauſa idem Auguſt. 2.Retractat. ſeptem libellis, qui etiamnum extant, formulas phraſium ſacræ Scripturæ collegiſſe ſe memoret. *cap.54.* Quod imitatus eſt poſtmodù Eucherius Lugdunenſis libro de Formis ſpiritualibus, & poſt eum hocce etiam ſæculo complures alij.

S.Auguſtino conſentit S.Chryſoſtomus,quando in Geneſim ſcribens, neque ſyllabam, neque 36. *Homil.21.* apiculum eſſe in ſacris Literis, in cuius profundis non lateat grandis quiſpiam theſaurus,non dubitat aſſerere; ac proinde nobis opus eſſe diuina D gratia,& vt Spiritu ſancto colluſtrati,eloquia diuina adeamus.

Amplius audet Gregorius Magnus & Pontifex & Doctor. tot enim tamque abdita, in Ezechielem commentans, in ſanctis voluminibus agnoſcit myſteria, vt aſſeueret quædam mortalibus necdum reſerata, ſolis cæleſtibus patere ſpiritibus. Mirabimur iam Gregorium, Auguſtinum, Ambroſium, Euſebium, Origenem, Hieronymum, Cyrillum, & vniuerſum ſanctorum Patrum chorum,tam impensè ſacris libris noctes & dies inſudaſſe? mirabimur eos in hac diſciplina principes & palmares conſenuiſſe, nec alium eos ſtudiorum horum, quàm vitæ finem feciſſe? mirabimur, Hieronymum Gregorio Nazianzeno & Didymo, Ambroſium Baſilio, Auguſtinum Ambroſio, Chryſoſtomū Euſebio, alioſque ſuis præceptoribus vſos? mirabimur, iam inde à naſcen-

nascente Ecclesia, scholas sacrarum Literarum erectas? De Alexandrina enim, tot Doctorum & Præsulum parente, nemini dubium est: de cæteris sat euincunt Patrum lucubrationes, quæ multis antequam Theologia, scholastica methodo traderetur, sæculis elaboratæ, pænè in hoc argumento, in hac vna materia versantur.

Monasteriū Studij. Constantinopoli olim celebre fuit monasterium, quod ab auctore, & à sacrarum Literarum, ac vitæ perfectioris studio, Studij nomen accepit, cui præfuit S. Plato: post quem Theodorus Studita sub annum Domini 800. tot ingenij sui & pietatis, è sacris Literis reliquit monumenta, suos discipulos more veterum monachorum ijs describendis occupans; quibus & absens & præsens cum iconoclastis Impp. Constantino Copronymo, & Leone Isauro forti agone & duello congressus, hæresin iugulauit, & palmata sanctæ fidei trophæa æternæ memoriæ consecrauit. *Theod. Studita.*

37\. *Vener. Beda tota vita studuit sacra Script.* Ex Anglia, audi Ven. Bedam in historia Anglicana: *Ego*, ait, *septennis monasterium ingressus ibi tota vita omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter obseruantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere aut scribere dulce habui.* Hinc in omnes pænè sacræ Scripturæ libros, Bedæ extant commentaria, adeoque nec morbo ipse destitit: quin verò vltima infirmitate in Euangelio S. Johannis laborauit, & pænè animam agens, vt absolueret, accito scriba, *Accipe*, ait, *calamum, & festinanter scribe.* & tandem, *Bene*, inquit. *consummatum est*; & cycnæum canens, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, placidissimè spiritum emisit pro fidei labore Dei visione beandum, anno à partu Virginis 731.

Alcuinus. Venerabili Bedæ æqualis fuit Albinus, vel Alcuinus Flaccus, qui Caroli Magni vel præceptor fuit, vel potiùs familiaris. hic Eboraci in Anglia sacras Literas palàm docebat: vnde ad eum audiendum, ex Frisia S. Ludgerus Eboracum concessit, tantumque profecit, vt ad suos reuersus Frisiorum Apostoli nomen meruerit. Testes sunt Annales Frisiæ. & Auctor Vitæ S. Ludgeri.

S. Bonifacij Euangeliū miraculo seruatum. Apud Belgas, S. Bonifacius cum suis, Christi legem propagans, iugiter sancti Euangelij codicem secum deferebat, adeò vt eum nec in martyrio dimiserit; quin verò cùm anno Domini 755. in eius caput Frisij ensem vibrarent, ipse hunc codicem, quasi spiritualem clypeum obiecit, & illustri miraculo, licet ense acuto per medium sectus sit liber, nulla tamen litera ea sectione abolita est.

38\. *Caroli Magni studiū S. Script.* Apud Francos Rex & Imperator Carolus Magnus, imò ter maximus, eruditione scilicet, pietate, & laude bellica, sacrarum Literarum scholas tum alibi, tum Parisijs (adeò vetus est hæc academia, quæ Coloniensis est mater, Louaniensis auia) instituit. Quin & Carolus ipse, ait Eginhardus in eius Vita, legendi & psallendi disciplinam diligentissimè emendauit. Adeò verò sacris Literis deditus fuit, vt eis immortuus sit. Auctor est Teganus in Vita Ludouici, Carolum sub obitum, coronato Aquisgrani Ludouico filio, totum se orationibus, eleemosypis, & sacris Literis dedisse; scilicet quatuor Euangelia ad Græca & Syra egregiè correxit agens penè animam. Meritò ergo Caroli codex religiosè Aquisgrani, vt ipse vidi, asseruatur.

Quare quod in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. de cathedra sacrarum Literarum sancitum est, non noua, sed veterem innouans consuetudinem firmansque habenda est sanctio. Nimirum, simili tam sedula cura prouidit & Tridentina Synodus, ne mos ille vspiam labasceret, vt sess. 5. fusè de lectione sacræ Scripturæ statuat & sanciat, edicatque, vt in omnibus Canonicorum cœtibus, Monachorum etiam & Regularium, omnibusque publicis gymnasijs eadem stabiliatur, dotetur, promoueatur; vtque tam docentes, quàm discentes Beneficijs Ecclesiasticis ornati, fructuum perceptione iure communi concessa, in absentia fruantur. Et sanè, cùm sectariorum hostium nostrorum omnis hic desudet industria, vt non nisi Scripturas crepent, pudeat Christianum & orthodoxum Theologum, vel tantillum illis concedere, pudeat ab eis vinci ac superari: quin verò non tantùm verba sacræ Scripturæ crepent, sed & sensum genuinum rimentur. Ita tela hæreticorum in ipsosmet retorquebunt, & è Scriptura hæreses omnes reuincent & iugulabunt. Fecit hoc solidè & exactè Illustrissimus Bellarminus fidei hyperaspistes & hæresum strator, in suis Controuersijs: quod opus proinde impenetrabile est & incomparabile, nec à Christi temporibus hucusque simile in hoc genere vidit Ecclesia, vt meritò, veritatis Catholicæ murus & antemurale vocari possit.

Atque ex his omnibus facile est peruidere, quàm incensa, quamque constanti diligentia instructum, disciplina hæc discipulum postulet; qua rursus animi comparatione ad eam accedere, quibúsve fulciri præsidijs oporteat. Nimirum prima comparatio vt quis fructum ex hoc studio colligat, est crebra sacræ Scripturæ lectio, auditus creber, viua doctoris vox, & in hisce constantia, quia diuinatio est in ore doctoris, in doctrina non errabit os eius. Plutarch. lib. de Educat. puer. docet memoriam esse cellam penuariam disciplinarum. Plato in Theæteto asserit, memoriam esse matrem musarum, & sapientiam esse memoriæ & experientiæ filiam. Id cùm alibi, tum maximè in sacra Scriptura, teste S. August. lib. 2. de Doctrina Christiana c. 9. locum habet, quæ tanta rerum varietate, tot libris & sententijs constat. Ea propter Ecclesia, vt nostram hîc memoriam iuuet, nobis in quotidiano tum sacrificij Missæ, tum Horarum canonicarum officio, ita Bibliorum pensum distribuit, vt quotannis totum persoluamus. Eôdem iuuant tum alia, tum pius ille Ecclesiasticorum & Religiosorū vsus, vt in cœna & prandio ad mensam, caput nimirum vnum è Biblijs prælegatur, & prisco Patrum more cibi sacris Literis condiantur. Sic Tridentina Synodus statim initio sessionis 2. præcipit, vt in Episcoporum mensis diuinarum Scripturarum lectio admisceatur. Insuper nec omittant Theologi, quod doctissimorum legibus præscribitur, vt quotidiana lectione Scripturam sibi familiarem reddant. 39. *Cap. V. de dispositionibus ad hoc studiū requisitis.* *Prima est, crebra sacra Scripti lectio.* *Sapientia est filia memoria.*

Ita S. August. li. 2. de Doctrina Christiana c. 9. *In his omnibus libris*, inquit, *timentes Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei; cuius operis vel laboris prima obseruatio est, vt diximus, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere:* deinde solertiùs diligentiusque singulorum sensa peruestigare. Et S. Basilius prologo in Isaiam, Requi-

Requiritur, ait, assidua in Scriptura exercitatio, A
vt maiestas atque arcanum diuinorum verborum,
perpetua meditatione animo imprimatur.

40. *Secunda dispositio est modestia.* Secundò, insignis eôdem dispositio est humilis animi modestia. de qua S. August. epist. 56. ad Dioscorum: *Non aliam, ait, ad capessendam & obtinendam veritatem, & sacram sapientiam viam munias, quàm quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc idem dicerem. Itaque sicuti Demosthenes in eloquentia pronuntiationi primas, secundas, tertias dedit: ita ego in Christi sapientia primas, secundas, tertias dabo humilitati, quam Dominus noster vt doceret, humiliatus est* nascens, viuens, & moriens.

Idem libr. 2. de Doctrina Christiana c. 41. *Cogitet*, inquit, *Scripturæ studiosus illud Apostolicum*, B *Scientia inflat, charitas ædificat, illudq́; Christi, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; vt in humili charitate radicati & fundati, possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, & profundum, id est, crucem Domini: quo signo crucis omnis actio Christiana describitur, bene operari in Christo, & ei perseueranter inhærere ac sperare cælestia. Per hanc actionem purgati, valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, qua æqualis est Patri, per quem facta sunt omnia; vt impleamur in omnem plenitudinem Dei.* vbi enim humilitas, ibi sapientia, ait Salomon Prouerb. 11. & Christus ipse: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

41. Et sanè, si te noris, abyssum ignorantiæ noris. C Et quid, quæso, præ Dei, præ angeli sapientia, est hominis scientia, qui pauca à Deo didicit, infinita ignorat? Aristoteles, & ex eo Seneca aiebat, *Magnæ mentes habent aliquid amentiæ.* nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ extitisse, nec potest, inquit, grande aliquid, & supra cæteros loqui, nisi mota mens; atque ad hoc ebrietatem, sed raram laudat. En tibi mentem amentem, vel Aristotelis, vel insignis cuiusque ingenij, vt altissimè philosophetur. Quare pulchrè S. Bernardus serm. 37. in Cantic. *Necesse est*, inquit, *vt cognitio Dei, & sui ipsius, præcedat scientiam nostram; seminate vobis ad iustitiam, & metite spem vitæ, & tum demum illuminabit vos lumen scientiæ. ad hoc ergo non rectè proditur, nisi iustitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, non palea gloriæ.* Et S. Gregor. præfat. in D lib. Moral. c. 4. *In S. Script. agnus ambulat, elephas natat.* *Diuinus*, inquit, *sermo sacræ Scripturæ est fluuius planus, & altus; in quo & agnus ambulet, & elephas natet.*

Ex hac humilitate sequitur animi mansuetudo, & pax, omnis sapientiæ capacissima. nam sicuti aquæ, si nullo venti aërisve flabro agitentur, sed immotæ consistant, limpidissimæ sunt, & quamuis obiectam sibi imaginem clarissimè concipiunt, & intuenti, quasi speculum perfectissimam exhibent: ita mens turbinum passionumque expers, tranquillo hoc pacis silentio, limpida acutum cernit, omnemque veritatem planissimè concipit, acrique iudicio imperturbata peruidet. S. Augustin. de serm. Domini in monte, in illud, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur; Sapientia*, ait, *congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusq́; motus aduersus rationem rebellis est; sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo.*

Pacis comes est mentis puritas, quæ tertia est 42. *Tertia dispositio est puritas animi.* dispositio, huic disciplinæ aptissima. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* si Deum, quin ergo & Dei verba? E contrario, *in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Dixerat S. Aug. in Soliloqu. Deus qui solos mundos corde verum scire voluisti; retractat id 1. Retract. 4. Multi enim, ait, immundi corde multa verè sciunt, sed tamē si mundi sint corde, ampliùs, clariùs, faciliùs ea scient; nec nisi mundi corde, veram sapientiam, quæ ex sapida cognitione in affectum & praxin dimanat, quæ scientia Sanctorum est, assequentur. S. Antonius apud Athanasium, *Deus puro corde secreta reuelat, ait S. Anton.* Si quis, inquit, sciendi etiam futura, tenetur desiderio, habeat purum cor: quia credo animam Deo seruientem, si in ea perseuerarit integritate, qua renata est, plus scire posse, quàm dæmones. vnde ipsimet Antonio omnia, quæ scire volebat, à Deo mox reuelabantur. Idem verbo & exemplo suo docuit magnus ille S. Iohannes Anachoreta, apud Palladium in Lausiaca, c. 40.

S. Gregorius Nazianz. auctore Ruffino, cùm *Visio S. Nazian. castitatis & sapientiæ, quasi sororum.* Athenis studijs vacaret, vidit per soporem, sedenti sibi & legenti duas decoras, dextra læuaque feminas assedisse; quas ille castitatis instinctu, oculo toruiore respiciens, quænam essent, quidnam vellent percontabatur: at illæ eum familiariùs & ambitiosiùs complectentes aiunt: Ne molestè accipias iuuenis; notæ tibi satis & familiares sumus. altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; & missæ sumus à Domino tecum habitare: quia iucundum nobis & mundum in tuo corde habitaculum præparasti. En tibi sorores gemellæ, castitas & sapientia.

Hæc puritas S. Thomam Angelicum Docto- 43.
rem consecrauit. innuit id ipse animam agens *Tria vota S. Thomæ.* Reginaldo suo: *Morior, ait, consolatione plenus: quia quidquid à Domino petij, impetraui: Primum, vt nulla rei carnalis, vel temporalis affectio, puritatem mentis inficeret, vel fortitudinem emolliret. Secundum, vt à statu humilitatis ad prælaturas, ad infulas non assumerer. Tertium, vt nossem statum fratris mei Reginaldi, tam dirè cæsi. vidi enim eum in gloria, dixitq; mihi: Frater res tuæ bono sunt loco; ad nos venies: sed maior tibi paratur gloria.*

S. Bonauentura docet S. Franciscum idiotam *S. Franciscus Theologus à Deo illuminatus.* licet, sed mentis purissimæ, à Cardinalibus alijsque subinde rogatum de altissimis S. Scripturæ & Theologiæ difficultatibus, ita aptè & sublimiter respondisse, vt doctores Theologos longè superaret.

Quod enim in Vita S. Zenobij dicitur, verissi- *Vigent Sanctorum ingenia.* mum est, *Maximè omnium vigent Sanctorum ingenia, & ipsa animi puritas ad coniectanda etiam futura, ex minimis indicijs euentus colligit.* nam, vt rectè ait Philo quamquam Iudæus, *legitimi Dei cultores mente pollent. verus enim Dei sacerdos, simul etiam vates est: ideo nihil ignorat; habet enim in se solem intelligibilem.* nimirum, vt rectè ait Boëtius, *splendor ille quo regitur vigetq́; cælum, vitat obscuras animæ ruinas, & mentem sequitur nitentem.*

Ita Cardinalis Hosius Concilij Tridentini præ- *Hosij vaticinium.* ses, vir integerrimus, & insignis Lutheromastix, inter

inter alia, cùm Andreas Dudecius Episcopus Tiniensis legatum Cleri Hungarici in Concilio Tridentino ageret, alijsque ob eloquentiam venerationi & admirationi esset, vni Hosio suspectus fuit: dictitabat enim, ei periculū apostasiæ à fide imminere, foreque hæreticum. ita factum: fugit ille apostata ad Caluini castra. Rogatus Hosius, vnde hoc præuidisset, respondit, Ex sola hominis superbia; sui enim iudicij tenacem, præsagiebat animus in hanc fossam ruiturum.

44. *Quarta dispositio ad S. Scripturæ studium est oratio.*

Quartò, oratione hîc opus est quasi cælesti fistula & organo; quo ex Deo ipso, verbi Dei sensum hauriamus. S. August. scripsit librum de magistro, quo illud Christi verissimum esse docet: *Vnus vester magister est Christus.* & 1. Retract. c. 4. retractat quod alibi dixerat, plures ad veritatem esse vias, cùm vna tantùm sit, Christus scilicet, via, veritas & vita. Prophetarum ergo scientia & prædictio diuina fuit; & quia diuina, hinc certissima, sublimissima, amplissima, prouidentissima.

2. dial 35. *S. Benedictus vidit totum mūdum in vno solis radio.*

Refert S. Gregorius, B. Benedictum, quadam vespera ad fenestram orantem, vidisse lucem tantam, quæ diem vinceret, & tenebras omnes effugaret. & in hac, ait, luce omnis mundus velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est; atque inter alia, in splendore huius coruscæ lucis, vidit Germani Capuani Episcopi animam, in sphæra ignea ab angelis in cælum ferri. Quærit deinde Petrus, quî totus mundus ab eo oculis conspici potuerit? Resp. Gregorius, quia animæ videnti creatorem, angusta est omnis creatura: eò quòd per lumen diuinum mentis intimæ sinus laxetur, tantumque expandatur in Deo, vt superior existat mundo & semetipsa. *Videntis ergo Deum Benedicti animus dilatatus est, vt sine difficultate videret omne, quod infra Deum est; & in illa luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.*

Videnti creatorem angusta est omnis creatura.

45. *S. Bernard. magistros habuit fagos.*

Simili modo S. Bernardus meditando adeptus est intelligentiam sacrarum Literarum, indeque sapientiam istam, & facundiam melleam; adeoque ipsemet dictitabat, se in sacræ Scripturæ studio non alios, quàm fagos & quercus, habuisse magistros, inter quas nimirum orando & meditando, omnem sub se positam & expositam visus est sibi videre sacram Scripturam, vti ait Auctor Vitæ eius l. 3. c. 3. & l. 1. c. 4. Idem planè Prophetis accidit. Scitum illud Iamblici, Pythagoræ doctrinam, quia diuinitus tradita (vt ipse ementitò suis persuaserat) non nisi quopiam deorum interpretante, intelligi posse: poscendam itaque discipulo Dei opem, qua tantopere indigeat. Iudæi à Deo extorres humi serpunt, aridoque ita inhærent cortici sacrorum codicum, vt nullam medullæ dulcedinem degustent, nugarum tantùm institores, & fabellarum opifices. Hæretici quia æquor tam vastum & dubium, sui nixi ingenij remis & velis, nullo Cynosuræ, cælestisue cuiuspiam sideris contuitu, peruagantur, numquam ad portum euadunt, medijsque semper iactantur fluctibus, & quæ ad nauseam legunt, non intelligunt, nisi quæ quoad libertatem ventris, & subuentraneas voluptates, abdominis mancipia capiunt, & verò rapiunt. Quare non hîc Delio natatore, sed Spiritus sancti cælitumque ductu est opus, vtque in maris stellam defixi Mariam, collustrantem hoc iter ingrediamur. illa facem præferet.

46. *Daniel oratione euasit propheta. & Ezech.*

Daniel vir ille desideriorū, somnia regis Chaldæi, & numerum 70. annorum exilij Israelis, à Ieremia consignatum, oratione assecutus & à Gabriele edoctus est.

Ezechiel aperto ore (vtique ad Deum) libro in quo lamentationes, carmen & væ, intus forisque descripta erant, à Deo cibatus est.

Gregor. Thaumat. à S. Iohan. edoctus.

Gregorius, cognomento Thaumaturgus, beatæ Virginis cliens, eius in somnis monitu iussuque, à S. Iohanne, principij eius Euangelij explicationem, symbolo diuinitus edito, quod contra Origenistas opponeret, accepit. auctor in eius Vita est Nyssenus, qui & symbolum hoc refert.

Chrysost. à S. Paulo.

S. Chrysostomo, cuius tanta fuit erga S. Paulum pietas, commentarios in eius epistolas dictanti, quidam S. Pauli effigie astare visus, in aurem quæ scriberet suggerens.

Ambrosius ab angelo.

Ambrosius, si S. Paulino in gestis eius credimus, cùm Scripturas pro concione tractaret, pugnaretque ijs pro Filij diuinitate, visus est angelum habere inspirantem quæcumque diceret: qua spectaculi nouitate commotus Arrianus is, cui hoc cernere datum, veritatem Catholicam amplexus, hæresin eiurauit.

Gregorius à Spiritu sancto in specie columbæ.

S. Gregorio Magno, cuius vel prima in tropologia est laus, cōmentanti scribentique, Spiritum sanctum columbæ specie insedisse, fidem facit oculatus testis Petrus diaconus.

Quare diuinus ille Iustini Martyris catechista, Prophetarum ei lectionem suadens, hanc pariter ei dabat methodum: *At tu votis & precibus ante omnia, tibi lucis portas aperiri opta. neque enim ab aliquibus perspiciuntur & intelliguntur, præterquam si cui Deus & Christus eorum concesserit intelligentiam*; vt non sine causa S. Thomas Theologiæ Scholasticæ princeps, & in Scripturis apprimè versatus, sacros codices edisserens, tantum spei in propitiando Numine ponere consueuerit, vt ad difficiliorem quemque Scripturę locum intelligendum, præter orationem, etiam ieiunium adhibere solitus narretur. Precibus ergo Deoque maximè nitendum, vt in sacrarium hocce suum nos ipse deducat, & sacra oracula patefaciat.

S. Thomas prece & ieiunio adeptus est intelligentiā S. Script.

47. *Quinta dispositio est sanctitas.*

Atque hinc consequetur vltimum, ad disciplinam hanc peropportunum, vt mens nostra terrena fæce perpurgata, & passionum discussis nebulis, sancta & sublimis effecta, apta habilisque reddatur, ad cælestia hæc dogmata haurienda. neque enim, vti pulchrè Nyssenus, diuina, & cognatum illud lumen, quodque mente ipsa cernitur, vacuo & libero sensu aspicere quis potest, cùm is praua quadam atque inerudita anticipatione, ad humiles res & lutulentas aciem intendit. Quare vt quis venas ac medullas cælestium dictorum subeat, vtque profunda & abscondita sacramenta limpidè contempletur, eleuatus & sanctus cordis oculus sit oportet.

c. 5. de virginitate.

Ad fratres de monte Dei.

Non dubitat S. Bernardus asserere, neminem in sensum Pauli ingressurum, ni priùs eius spiritum imbiberit; neque Dauidica intellecturum carmina, ni priùs sanctos psalmorum affectus induerit; & omnino quo spiritu sunt scriptæ sacræ Literæ, eodem & intelligendas esse. Egregiè verò in Cantica, *Hanc veram*, inquit, *germanamq́; sapientiam, non lectio docet, sed vnctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Falleris, falleris, si te putas inuenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei*

Serm. 37.

muneri

munere assequuntur. Auctor est Cassianus Theodorum monachum sanctum, tam rudem, vt nec elementa sciret; tam peritum tamen diuinorum voluminum, vt à viris doctissimis consuleretur, dicere solitum: *Plus in vitiis extirpandis quàm libris euoluendis opera ponendum esse, quòd his expulsis, confestim cordis oculi cæleste lumen admittentes, sublato velamine passionum, sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipiant contemplari.* Sanè hæc vitæ sanctitas Franciscos, Antonios, Paulos, illiteratos altissima eloquiorum Dei mysteria & sensa edocuit vel maximè. Quare si sancta anima, si precibus nixus, Deoque fretus huc accedas, sedulusque adsit labor, vt nulla transeat dies qua (quod de Cypriano Tertullianum indies lectitante, memorat S. Hieronymus) non postules, *Da magistrum*; superabis celeri facilitate quidquid hîc est difficultatis, recreabiturque quod fulget in cortice sapientiæ, sed pascet suauiùs quod in medulla est cælestis adipis: neque verebere tandem quamuis veternosum hæreticum, etiamsi omne Biblicum opus memoria calleat, hoc enim ferè est omne eorũ studium, quo nos impetunt: quibus nos iisdem armis occurrere, nobisque nostra ab iniustis possessoribus vendicare decet; vt audacter hoc genere cum iis manus conserentes, suis eos telis debilitemus. Neque rursum cathedram extimesces, licet doctam & celebrem, sed securus fidensque, affatim doctis conceptibus, sententiisque sacris solidè germaneque instructus, ecclesiasten ages. Porro Scholastica neutiquam id sibi noxæ ducet, sed lubens, quasi germanæ suæ auxiliatricem accipiet dabitque dextram: ac partietur operas vtrique profuturas.

Plus docet mortificatio quàm lectio.

48. Ad me quod attinet, scio sentioque quid molis sustineam, quamque inuia hactenus calcanda sit via. aliud enim longè est, prolixos euoluere commentarios, ambiguo sæpè fructu; aliud breuiter sensum è Patribus reddere, historicumque allegorico iungere, & alterum ab altero secernere. Scio Nazianzeno duce, media via inter eos, qui crassiore ingenio literæ immorantur, & eos, qui sola allegorica speculatione impensè delectantur, incedendum. alterum enim Iudaicum est atque abiectum, alterum ineptum ac somniorum interpretis, parique vtrumque reprehensione dignum: & quod S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. c. 3. docet, multum mihi audere videntur, qui in Scripturis omnia prorsus, significationibus allegoricis inuoluta esse contendũt; vti in hoc extremum deuius fecit Origenes, dum historicam fugiens, imò elidens, veritatem, pro ea sæpè quippiam symbolicum supponit; dum Euæ ex Adami costa formationem, spiritualiter accipiendam putat; arbores paradisi, angelicam fortitudinem; tunicas pelliceas, corpora humana; & plura similia mysticè interpretatur, atque *ingenium suum*, nimis vtique præcellens *Ecclesiæ facit* a *Sacramenta*; ideoque illam b censuram incurrit: *Vbi bene Origenes, nemo meliùs; vbi malè, nemo peiùs.* Verùm, quis nobis hæc Oedipus interstinguẽdo definiet? Quod de sacerdotibus dixit S. Hieronymus: *Sacerdotes multi, sacerdotes pauci*; hîc verè de interpretibus dixerim: Interpretes multi, interpretes pauci. Ambrosius & Gregorius mysticum ferè reddunt sensum; Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & cæteri Patrum nunc historicum, nunc mysticum eadem oratione serie pertexunt, vt plusquam Lydio opus sit lapide, ad historicum, qui fundamenti vicem tenet, in Patribus vestigandum. Iam quàm paucos interpretum inuenire est, qui Græcis & Hebræis imbuti fontibus, genuinam eorumdem phrasin reddiderint, eosque nostræ editioni per omnia conciliarint? Quid ergo? desudandum hîc mihi video, enitendumque, vt multa legens, multa disquirens, apiculas imiter, & mellilegium è floribus ad id aptioribus, lecto examine conficiam: vt historicum primò sensum, exacta discussione vestigem, sicubi is apud varios erit varius, indicabo; atque in tanta opinionum multitudine, quæ anxios sæpè fluctuantesque tenet & obturbat auditores, eum qui maximè textui consonus est, præferam & seligam. Qua in re Vulgatam semper, decreto Concilij Tridentini, editionem tuendam duxi. Hebræa verò sicubi dissonare videantur, quò hæreticis respõdeamus, Vulgatæ consentientia ostẽdere enitar: & si quem alium, nostræ tamen non aduersum, pium doctumue suggerant intellectum, eum afferam; sed ita, vt Latinis Hebræa reddam verbis: vt & qui Hebræa nesciunt, ea assequantur; & qui sciunt, fontes consulere possint. verùm hæc omnia parcè, & non nisi vbi res exiget.

Methodus auctoris.

Orat. 2. de pascha.

a S. Hieron. l. 5. in Isaiã. b Cassiodorus.

49. Quod ad Rabbinos attinet, nulla mihi cum eis erit communio; nisi qua parte cum Catholicis doctoribus conspirant, aut Christianos, & maximè S. Hieronymum, vt in multis deprehensum est, tacito nomine sequuntur: cæteroqui genus hoc hominum vulgare, abiectum, hebes, omnisq; litteraturæ expers iam inde ab Hierosolymorum vastitate, qua tota gens regno, ciuitate, iudicio, templo, litteris exuta & derelicta iacet, iuxta Oseæ vaticinium, sine rege, sine principe sine sacrificio, sine altari, sine ephod sine Theraphim. Mysticam verò intelligentiam adeò numquam ipse comminiscar, vt suis semper eam tribuam auctoribus; & sicubi ea erit illustrior, paucis complectar: aliàs vnde petenda sit, digito ad fontes intento commonstrabo. Porro hæc omnia maiori breuitate faciam, quàm feci in Epist. Paulinas, vt vniuersum Biblicum curriculum paucis annis & tomis ad calcem (si Deus vires & gratiam dederit) perducam. Quàm verò hîc indefessus requiratur labor & studium cum acri iudicio, vt Græca, Hebraica, Latina, Syra, Chaldæa, lectiones codicum variantes consulas; Patres Græcos, Latinos, recentiores interpretes in diuersissima abeuntes, adeoque prolixos euoluas; de singulis censuram feras; quid error sit, quid fidei, quid certum, quid probabile, quid improbabile, quid litterale, quid maximè genuinum, quid allegoricum, & tropologicum, anagogicum; omniaque distilles, & in tria verba conferas; sæpè ipse sensum litteralem genuinum inuenire, & primus glaciem perfringere debeas, non credat nisi expertus. Felix auditor & lector, qui compendio, docentis labore hoc omni fruitur. Doctor martyrium aueat, & pro sanguine spiritus nobilissimos Deo consecret & exhauriat, cum iisq; oculos, cerebrum, os, ossa, digitos, manus, sanguinem, succum omnem, vitamq; ipsam impendat, & lento martyrio ei reddat, qui primus suam, Deus, pro nobis homulis dedit. Fortitudinem meam ad te custodiam. non quæstum, non plausus, non gloriæ fumos aucupabor; culpent, laudent; plaudant, plodant: non morabor. non tam stultus, nec tam parui animi sum, vt tam vili vanitate labores & vitam meam vendam,

vendam. Ecquis, si cum D. Thoma nuntium sæculo remiserit, & à Christo è cruce audiat, *Bene scripsisti de me Thoma; quæ ergo erit merces tua?* non statim cum eo respondeat? *Non alia quàm tu Domine*, merces mea magna nimis: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, opera mea, non mea, sed tua sunt dona, tibi tua reddo; tu docuisti meam infantiam, viam in inuio ostendisti, infirmitatem mentis æquè ac corporis roborasti, tenebras tua luce dispulisti: quia quæ infirma sunt mundi eligis, vt confundas fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruas; vt non glorietur in conspectu tuo omnis caro; sed qui gloriatur, in te vno glorietur.
50. Quid ergo? omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi. ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculũ super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: sed & erit post myrrham hanc, botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Quod vt cumulatè præstet, Sanctos omnes, & maximè tutelares, æternæ Sapientiæ matrem Virginem, S. Hieronymum, & quem præ manibus habemus Mosen, assiduè rogabo; vt sicuti S. Paulus D. Chrysostomo, ita ipse mihi quasi angelus magistralis assistat, & mihi scribendi, aliis legendi, vtrisque intelligendi, eademque sapiendi, volendi, perficiendi, aliosque ea docendi, & persuadendi, ductor sit & doctor, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, vt crescamus in illo per omnia: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, qui est amor noster, finis, meta & scopus omnis cursus, studij, vitæ & æternitatis nostræ. Amen.

SECTIO SECVNDA.

De vsu & fructu Pentateuchi, & veteris Testamenti.

51. SVnt nonnulli, qui vetus Testamentum quasi Iudæis proprium, Christianis non æquè vtile, aut necessarium; ac Theologo sufficere, si euangelia, si epistolas sciat & intelligat, sibi persuadent. Persuasio hæc, quia practica, practicus est error: si enim speculatiua sit, hæresis est: vtraque noxia, vtraque eliminanda.

Simõ, Marcion, & Manichæi reiecerunt vetus Testamentum, cur?

Fuit hæresis Simonis Magi, eiusque sectatorum, Marcionis deinde, & Curbici Persæ (quem sui Manem, & Manichæum, quasi mannæ effusorem, honoris gratia nuncuparunt) atque Albigensium, & nuper Libertinorum, nec non Anabaptistarum quorumdam, vetus Testamentum cum Mose proscribentium; sed dispari fundamento. Simon, Manichæi & Marcionitæ vetus Testamentum à sinistra virtute, & malis angelis editum docuerunt. hoc enim Testamentum, inquiunt, Deum quemdam describit, qui ante lucem in tenebris abæterno versatus sit, qui vetuerit homini sumere cibum scientiæ boni & mali, qui in angulo paradisi latitarit, qui angelis paradisi custodibus indigeat, qui ira, zelo, imò zelotypia laboret; indignantem, vindicantem, ignorantem & interrogantem: Adam vbi es? Libertini non litteram, sed rationem & lubentiam suam, fidei & morum ducem statuunt. Anabaptistæ spiritus enthusiasmo agi & edoceri se iactant. Vidit ætas nostra, quæ nulla non monstra vidit, phanaticum, qui de tribus orbis impostoribus, Mose, Christo, Mahomete (pergere perhorresco) blasphemiæ triumuiratum in lucem dedit.

Nostrorum, qui vel tempus, vel laborem, vel inutilitatem causantur, vt vetus Testamentum negligant, tolerabilior est persuasio: reipsa tamen errant, omniumque eòdem tandem redit error. error dico, quia pugnat cum Mose, cum Prophetis, cum Apostolis, cum Ecclesiæ sensu, cum Patribus, cum ratione, cum Christo, cum Deo Patre & Spiritu sancto.

Cum Mose. Deuteronomij 17.8. *Si difficile*, inquit, *& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris*, &c. *facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legẽ eius.* Quis hic non videt, controuersias de fide, moribus & ritibus, tam nouas quàm veteres, ex lege Dei diiudicandas esse, & sacerdotes ac Theologos, vt eas definiant, lege, quasi Lydio lapide, vti debere? legi ergo tam veteri, quàm nouæ studeant oportet. 52.

Refutantur ex Mose.

Cum Prophetis. Isaias enim c. 8. 20. clamat: *Ad legem magis, & ad testimonium.* & Malach. c. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et Dauid psal. 118. 2. *Beati qui scrutantur testimonia eius.* & v. 18. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

Ex Prophetis.

Cum Apostolis. *Habemus*, ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 19. *firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* & Paulus Timotheum epist. 2. c. 3. 14. dilaudat, quòd ab infantia sacras Litteras (veteres vtique, quæ solæ tum exstabant) didicisset, *quæ te possunt*, inquit, *instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Ex Apostolis.

Cum Christo. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas*, Iohan. 5. 39. non dixit, ait Chrysostomus, Legite Scripturas, sed *Scrutamini*, id est, cum labore & diligentia effodite arcanos Scripturarum thesauros, perinde vt qui in venis metallicis aurum & argentum studiosè scrutantur.

Ex Euangelio.

Cum sensu Ecclesiæ. Hæc enim in sacris, in mensis, in bibliothecis, in cathedris æquè vetus ac nouum Testamentum, quasi custos fidelissima exhibet ac proponit. hæc in Conc. Trid. toto c. 1. de reform. S. Scripturæ perennem lectionem vbique reuocari & stabiliri iubet. hæc Episcopos, Pastores Ecclesiæ futuros, ante consecrationem adigit, vt spondeant se scire tam vetus quàm nouum Testamentum. quam responsionem & sponsionem licet Siluester v. *Episcopus*, & alij mitiori interpretatione emolliant: hinc tamen religio nonnullis sapientioribus, pressè verba ipsa ponderantibus, iniecta fuit, vt hoc nomine episcopatum recusarent, ne sponsione falsa se obstringerent. 53.

Ex sensu Ecclesiæ.

Episcopi cõsecrandi spondent se scire nouum & vetus Testamentum.

Cum Patre, Filio & Spiritu sancto. vt quid enim S. Trinitas vetus Testamentum, per quatuor annorum millia, tam sartum tectum, per tot bellorum & regnorum turbines, seruauit? nisi quia à nobis fieri voluit, quod à Iosue c. 1. 8. *Non recedet*, inquit, *volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis*

Ex decreto Dei.

in

Theopõpus & Theodectes puniti, quòd Mosen profanassent. *inter diebus ac noctibus.* Vt quid profanantes illud tam acri vltione vindex mulctauit? Narrat Iosephus & Aristæas l. de LXX. interpretibus, illustrem virum Theopompum, cùm quidpiam diuinorum Hebræorum voluminum, Græca oratione ornare voluisset, mentis agitatione & turbatione percussum & perculsum incepto desistere coactũ; cumque orans Deum, perquireret, cur id sibi contigisset; responsum diuinitus accepisse, eò quòd diuinas Litteras inquinasset. Theodectem verò tragœdiarum scriptorem, cùm nonnulla è Iudæorum Scriptura ad fabulam transferre vellet, temeritatem hanc cæcitate luisse: ea enim ilicò percussum, ac luminibus captum orbatumq; fuisse; donec agnita audaciæ suæ culpa, facti pœnitens vterque veniam à Deo impetrauit; atque hic oculis, ille menti restitutus est. Vt quid 250. annis ante Christum, hanc mentem iniecit Ptolemæo Philadelpho, filio Ptolemæi Lagi, qui fratri suo Alexandro Magno in Ægypti regno successit, vt per Eleazarum pontificem, senos è qualibet Hebræorum tribu doctissimos, putà LXXII. interpretes seligeret, qui vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transferrent, iisque astitit, vt 70. diebus, summa omnium consensione rem confecerint, & in easdem non tantùm sententias, sed & verba conuenerint: idque, si Iustino, Cyrillo, Clementi Alexandrino & Augustino credimus, cùm quisque seorsim diuersa cellula suam versionem cuderet? vt quid Philadelphus hanc Septuag. versionem, per Demetrium bibliothecæ Alexandrinæ præfectum, vnà cum Hebræis exemplaribus, in sua Bibliotheca reponi, & studiosè seruari curauit? Sanè Tertull. in Apolog. illam ibidē ad sua vsq; tempora asseruatam fuisse testatur. Vtiq; volebat Deus, hæc gentibus Græcis, & per eos Latinis, nobis dico, nostrisq; Theologis consignari, & per omnes orbis partes, academias & vrbes distribui. *Versio Septuaginta.*

54. Vt quid post Christum, tot alios interpretes eiusdem veteris Script. vel dedit, vel prouidit testes & custodes? Secundus post LXX. S. Script. ex Hebræo interpres, teste Epiphan. fuit Aquila Ponticus, qui anno 12. Adriani Imp. Script. Hebræam in Græcum vertit: sed quia à Christianis ad Iudæos desciuit, non satis tuta est eius fides. *Aquila.*

Theodotionis. Huic maiori fide successit Theodotion, ex Marcionita licet proselytus Iudæus, imperante Commodo, cuius versionem in Daniele recepit & sequitur Ecclesia. Quartus sub Seuero Imper. fuit Symmachus, primùm Ebionita, deinde Iudæus. *Symmachi.* Quintus fuit anonymus, cuius versio in doliis quibusdam vrbis Iericho, anno 7. Caracallæ, qui Seuero patri successit, reperta est. Sextus pariter fuit anonymus, Nicopoli in doliis similiter inuentus, Alexandro Mammeæ filio imperante. hæ duæ vulgò, quinta & sexta editio indigitantur. Has omnes collegit Origenes, indeque tetrapla sua, hexapla & octapla digessit: rursum LXX. vitiatos correxit, adeoque probè, vt ab omnibus κοινή, id est communis, habita sit & dicta hæc eius editio. *Quinta & sexta edit.* *Hexapla Origenis.*

S. Luciani. Septimus fuit S. Lucianus presbyter, & Martyr, sub Diocletiano, qui nouam editionem molitus est ex Hebræo in Græcum.

S. Hieronymi. Denique S. Hieron. Latinæ Ecclesiæ sol, iussu B. Damasi veterem Scripturam ex Hebræo in Latinum conuertit, cuius versionem iam à mille annis vulgatam, paucis demptis publicè sequitur & probat Ecclesia. Quorsum quæso hæc omnia Deus prouidit tam operosè, tam studiosè; nisi vt sacrum hunc veterum codicum thesaurum illibatum nobis voluendum, docendum, discendum traderet?

Cum Patribus pugnat hæc persuasio. nam S. August. scripsit pro veritate & vtilitate Pentateuchi & veteris Testamenti ipsos 33. libros contra Faustum: rursum duos contra aduersarium legis & prophetarum. Scripsit pro eodē Tertull. libros quatuor contra Marcion. Eiusdē libris euoluēdis & explicandis insudarunt ad vnum omnes. Basilius & eius assecla vel interpres S. Ambrosius, scripserũt in Genesin libros Hexameron, in Psalmos, in Isaiam. Scripsit in Genesin Origenes 16. libros, Chrysostomus hom. 67. In Pentateuchũ scripsit Cyrillus l. 17. de Adoratione in Spiritu & veritate. ex eodem quæstiones & phrases ediderũt S. Augustinus, Theodoretus, Beda, Procopius, Hieronymus. Idque meritò: nam, vt ait S. Ambrosius epist. 44. diuina Scriptura est mare, habens in se sensus profundos, & altitudinem propheticorum ænigmatum, vtique veteris Testamenti. 55.

S. Hieronymus præfat. in epist. ad Ephes. de S. Scripturæ studio: *Numquam, ait, ab adolescentia aut legere, aut doctos viros quæ ignorabam interrogare cessaui; numquam meipsum (vt plerique) habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maximè caussam, Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarer.* S. Augustinus libr. 2. de Doctr. Christ. c. 6. docet diuinitus prouisum esse, vt tam multiplici & difficili S. Scriptura, studium hominis & à superbia & à fastidio reuocaretur. *Mira* (ait idem l. 12. Confess. 14.) *profunditas est eloquiorum tuorum Domine, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* vnde & epistola 119. *Ego, ait, in ipsis S. Scripturis multò plura nescio, quàm scio.*

Neque is tantùm prisca ætate Patrum fuit sensus, sed & horum est sæculorum, vigente iam & florente Scholastica Theologia. S. Dominicus S. Theologiæ doctor crebrò tam vetus quàm nouum Testamentum versabat. Romæ, & alibi, plures eius libros propalàm docuit: inde Magister primus sacri Palatij creatus est; atque ab hoc tempore dignitas hæc S. Prædicatorum Ordini adhæsit. Audite auctorem Vitæ eius, simplici licet stylo: *Quia, ait, sine scientia Scripturarum perfectus prædicator esse non potest, suadebat fratribus, vt semper studerent in veteri & nouo Testamento. figmenta enim philosophorum parui pendebat. hinc Fratres ad prædicandum missi, sola Biblia secum deferebant, & multos conuertebant ad pœnitentiam.* Ita S. Vincentius ille Fererius, qui proauorum nostrorum memoria Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, Hispaniam peragrans, minimùm centum hominum millia conuertit, vnum Breuiarium, & Biblia circumferebat ad concionandum. 56. *S. Dominici studium S. Script. vtriusque Testamenti.* *Lib. 4. vitæ cap. 4.* *S. Vincentij Fererij.*

S. Iordanes verò doctor, alter à S. Dominico Ordinis sui Magister Generalis, interrogatus à suis Prædicatoribus, *vtrum foret melius, orationi an studio S. Script. insistere?* facetè de more respondit: *vtrum melius semper bibere, an semper comedere? vtique sicut alternatim competit vtrumque: sic & orare & studere S. Scripturæ vicissim oportet;* &, vt S. Basilius ait, *orationi succedat lectio, lectioni oratio.* *S. Iordanis.* *Orationi succedat lectio.*

Pari modo S. Franciscus rogatus à suis, hoc sacrarum

erarum Litterarum studium eis indulsit, ea lege, vt orationis & deuotionis spiritum non extinguerent: ac primus ex eius familia S. Antonius de Padua, viuente ac vidente ipso S. Francisco, hasce litteras docuit, vir adeò in Scriptura tam veteri quàm noua versatus, vt coram Summo Pontifice concionatus, ab eo arca testamenti sit consalutatus. Mitto S. Bernardum, qui quidquid penè loquitur, verbis Script. loquitur. mitto b. Alfonsum Tostatum, Episcopũ Abulensem, qui in decateuchum hoc, & singulos veteris historiæ libros, singula volumina, sanè magna, acri iudicio & studio elaborauit; vt mihi olim eum peruoluenti, & iam exactiùs reuoluenti, non minus laboris, quàm opis afferat.

S. Antonij de Padua. S. Bernardi. Abulensis.

S. Edmundus Archiepiscopus Cantuar. anno partæ salutis 1247. in sacris Litteris perdius & pernox, noctes ipsas ducebat insomnes, ea reuerentia, vt, quoties sancta Biblia aperiret, priùs ea osculo honoraret. De quo illud memorabile; legationem obiens, de more noctu sancta Biblia lectitabat, somno opprimitur, candela in librum incidit, eumque flamma corripit. euigilans suspirat, ambustum putans librum, fauillam libro inhærentem efflat, & ecce integrum intactumque codicem admiratur. S. Carolus Borromæus in S. Script. assiduè quasi in paradiso deliciarum versabatur, dicebatque Episcopum non egere horto, sed eius hortum esse S. Biblia.

S. Edmũdi. S. Borromæi.

Atque vt hunc locum concludam, S. Thomas Scholasticorum princeps illustre nobis dedit exemplum, vt Scholasticen cum sacra Scriptura quasi sororiantem indiuulsè iungamus. Nostis omnes quis eius in Scripturam amor, quod studium, quæ preces, quæ ieiunia, qui commentarij in Prophetas, in Cantica, in Iob, & alios veteris Testamenti libros: in quibus illi in nostram Genesin (si tamen eius sunt, de quo posteriùs dicam) insignes sunt & eruditi.

S. Thomæ.

58. Denique vtilitatem, & necessitatem veteris Testamenti ratio persuadet. Moses, Dauid, Isaias, æquè vt Petrus, Paulus, Iohannes in cœtum quasi angelorum admissi, ab ipso fonte veritatis per se sapientiam hauserunt: &, vt rectè ait B. Gregor. & Theodor. linguæ & manus horum sacrorum Scriptorum, nihil aliud fuere, quàm calami eiusdem Spiritus sancti, adeò vt non tam ipsi scriptores diuersi, quàm vnius scriptoris diuersi calami fuisse videantur. eadem ergo veritas, auctoritas, reuerentia, studium, diligentia tribuenda Mosi, quæ Paulo; vel potiùs Spiritui sancto per Mosen, atque per Paulum loquenti. quæcumque enim ab eo scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Nimirum ipse omnem suam sapientiam hominibus vel necessariam, vel vtilem, quam ex abysso diuinitatis suæ nobis communicare voluit, tam veteri quàm nouo Testamento conclusit. Hic liber est Dei, liber Verbi, liber Spiritus sancti, in quo nihil redundans, superfluum nihil; sed vti scriptorum, ita & rerum variegatura, atque pulcherrima partium omnium harmonia inuicem omnia consonant, & vniuersum hoc Dei opus complent & concinnant; vt, si vnam partem dempseris, totum demembraris. Quare vt philosophus totum Aristotelem, medicus Galenum, orator Ciceronem, iurisperitus totũ Iustinianum, ita multò magis Theologus totum hunc Dei librum voluat, verset, terat oportet: ac vt qui Metaphysicam mutilaret, mutilaret & Philosophiam; ita qui S. Scripturam mutilat, mutilat & Theologiam. sicut enim Metaphysica Philosophiæ, ita sacra Scriptura Theologiæ sua dat principia. Hoc sanè voluit Christus, cùm dixit: *Omnis scriba*, id est omnis doctor, omnis Theologus, *doctus in regno cælorum, profert de thesauro suo noua & vetera.*

Eu ratione idem probatur. Scriptores sacri fuerũt calami Spiritus sancti.

59. Verùm, vt oculis rem subiiciam planè, & fructus aliquot illustriores veteris Testamenti recenseam: inprimis vetus Testamentum, æquè vt nouum, fidem stabilit. Vnde quæso mundi exordium, creationem, cõditorem nouimus? nisi quia fide credimus, aptata esse sæcula verbo Dei. quo verbo? vtique Geneseos primo, *Fiat lux, fiant luminaria, faciamus hominem*, &c. Vnde animam immortalem, hominis lapsum, peccatum originale, Cherubim, paradisum didicimus? nisi ex eadem Genesi, hæc enarrante. Euseb. toto 11. lib. de Præparat. Euang. docet Platonem, quem vt diuinum præ Aristotele aliisq; omnibus sectatus est S. Augustinus, & quotquot ante eum fuere Patres, Platonem, inquam, placita sua de Deo, de Dei Verbo, de mundi exordio, animæ immortalitate, futura resurrectione & iudicio, pœnis & præmiis hausisse ex Mose.

PRIMA VTILITAS veteris Testamenti.

Vnde Dei prouidentiam agnouimus, nisi ex tot sæculorum serie? vnde hominum, regum, regnorum propagationem, vniuersalem orbis cataclysmum, resurrectionem & spem vitæ æternæ hausimus; nisi ex veteri historia, & Iobi & priscorum patientia, ex patriarcharum peregrinatione perpetua? *Fide*, ait Apostolus, *Abraham demoratus est in terra repromissionis tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob, coheredibus repromissionis eiusdem. exspectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* Atque hinc spes nostra acuitur, assurgit animus, vt hospitem se hîc esse & exulem recolens, ad patriam cælestẽ aspiret, nihil in hoc orbe concupiscat, miretur nihil, sed omnia pedibus calcet, & arbitretur vt stercora, illudq; Socraticum cum S. Hieronymo iugiter sibi occinat: ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, *æthera conscendo; solũ hoc, imò cælum, solemq; despicio.* nõ terræ, sed cæli scriptus sum heres & dominus; eò mente, eò spe, eò omni cogitatione feror, meque supra sidera libro; ciuis sum Sanctorum, Dei domesticus, paradisi incola; cætera, vtpote humilia, me indigna, abiecta, infima pedibus premo.

Quis in tota Script. clariùs angelorum naturæ, officij, custodiæ, inuocationis fidem astruit, quàm liber Tobiæ? quis Purgatorium, & suffragia pro defunctis expressiùs statuit, quàm libri Machabæorum? adeò vt Nouantes nostri, cùm aliud non viderent effugium, victoriam desperantes, & vinci non vincere certi, necessitate in furorem versi, eos è sacro canone dispunxerint.

Ex aduerso verò, quot hæreses hisce libris se tutantur? Iudæi illo Deuter. 23. 19. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*, Christianis licitè se dare ad vsuram posse, mordicus tuentur. Magi pro magia testes laudant & citant magos Pharaonis, qui magiæ subita vi serpentes in virgas, & virgas in serpentes, æquè vt Moses transformarunt. Pro necromantia citant pythonissam, quæ Samuelem à mortuis suscitauit, qui Saulem vero mortis & cladis futuræ oraculo perculit. Pro chiromantia afferunt illud Iobi 37. *Qui signat in manu omnium hominum, vt norint singuli opera sua.*

Caluinus

Caluinus ex illo Dauidis, *Dominus præcepit ei* (Semei) *vt malediceret Dauid.* 2. Reg. 16. 10. Deum operis mali auctorem, imò præceptorem (vt ipſe putat) euincit: ex illo Exodi, *Ego obdurabo cor Pharaonis*; &, *Ad hoc ſuſcitaui te, vt oſtendam in te potentiam meam*, ineuitabile reprobationis ſuæ fatum aſtruit. ſeruum arbitrium ſtatuit ex eo, quòd Ieremias nos quaſi lutum, in manu Dei, quaſi figuli conſtituat. Ierem. 18. 6

A paucis annis Saxonici Lutherologi, & mataeologi, in diſputatione Ratiſbonenſi, omne ſuæ cauſæ momentum de proſcribendis traditionibus, & vno Dei verbo, quaſi vltimo controuerſiarum fidei iudice, ſtatuendo, in illo Deuter. 4. 2. poſuerunt: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* & c. 12. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.*

Quid hîc agas, ſi hîc domi non ſis? quomodo te eis ludibrium dabis, in Eccleſiæ ſcandalum, ſi hîc ceſpites, ſi hæc non legas, audias, diſcas; ſi fontes ipſos ſæpè non conſulas? hoc enim neceſſarium eſſe docet S. Auguſtinus. Sanè qui neſcit quid ſibi velit Hebræum צוה *tſaua*, id eſt, *præcepit* Deus Semei, &c. Caluini manus non effugiet. qui autem hebraiſmum norit, ſcilicet *tſaua* ſignificare ordinare, prouidere, diſponere, omnemque Dei prouidentiam, tam poſitiuam, quàm negatiuam & permiſſiuam, telum hoc quaſi araneæ telam diſſlabit. Similes hebraiſmos ſingulis ſæpè capitibus oſtendam, quos numquam, niſi ex Hebræa lingua intelligas.

61. II. VTILITAS *veteris Teſtamenti.* Prima hæc duplex eſt vtilitas veteris Scripturæ. Altera non minor, quòd vetus longè vberior ſit noua. videas ethicam vberem in Prouerbiis, Eccleſiaſte, Eccleſiaſtico: politicam admirabilem in geſtis, & legibus Moſis iudicialibus & cæremonialibus, è quibus multa mutuata eſt Eccleſia, & auctores Iuris canonici; ciuilis etiam nonnulla. oracula in Prophetis; conciones in Deuteronomio & Prophetis: &, quod præſentis eſt negotij, hiſtoriam à condito mundo vſque ad Iudicum, Regum & Chriſti tempora, certiſſimam, ordinatiſſimam, diuerſiſſimam, iucundiſſimam videas in decateucho. Quadruplex eſt lex, innocentiæ, naturæ, Moſaica, Euangelica: tres priores earumque hiſtorias complectitur Pentateuchus. *Geneſis*, inquit S. Hieron. in prologo galeato, *eſt, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuiſione terræ, de confuſione linguarum & gentium, vſque ad exitum ſcribitur Hebræorum.*

Fabulantur Latini & Græci Gentium hiſtorici, de diluuio Deucalionis, de Prometheo, de Hercule; & in omni profana hiſtoria, omnia ignorantiæ tenebris & fabulis plena ſunt, ante Olympiades. Olympiades autem cœperunt, vel initio regni Ioatham, vel in fine regni Oziæ, putà poſt annum à condito mundo ter milleſimum, & amplius: ita vt per tria millia annorum, mundi hiſtoriam certam nullam habeas, niſi hanc Moſis & Hebræorum. Eſt ſanè hiſtoria magiſtra, dux & lux vitæ humanæ, in qua regnorum, rerumpublicarum, vitæ humanæ ortus, caſus, occaſus, virtutes, vitia, quaſi in ſpeculo cernas, omnemq; prudentiam, & viam ad felicitatem alieno exemplo, felicitate, vel infelicitate diſcas.

62. Huc accedit, in nulla hiſtoria, imò nec in nouo Teſtamento, tot, tam varia, tam heroica virtutum omnis generis exempla exſtare, atque in Pentateucho, & veteri Teſtamento. Laudant Romani ſuos inclytos gloriæ caupones, quorum ceratas vmbras, imagines dico, lambunt ſequaces hederæ; corpora & animas lambit & depaſcitur æternus ignis. Laudant Manlios Torquatos, qui filios præter ducis & parentis imperium cum hoſte pugnantes, parta licet victoria, ad ſanciendam diſciplinam militarem, gladio ferierunt. Sed quis amet Manliana imperia? Laudant Romanæ libertatis vindicem Iunium Brutum, primum Conſulē, qui filios tam ſuos, quàm fratris, quòd cum Aquiliis & Vitelliis, ad recipiendum in vrbem Tarquinios coniurarant, virgis cæſos ſecuri percuſſit; infelix & infamis tali prole pater. Quis non magis laudet Abrahamum & Iſaacum innocentes, qui Deo debitam obedientiam parentali cæde & victima ſancire deſtinarunt; atque Machabæam matrem, ſe cum ſeptem prolibus Deo, pro patriis legibus immolantem? *Abraham immolans Iſaac præfertur Man. Torquato, & Iunio Bruto.*

Laudant illi tergeminos fratres Horatios, qui tergeminos Curiatios Albanos duello, dolo magis, quàm viribus vicerunt, & imperium Albæ in Romam tranſtulerunt. Quis non magis laudet animos & vires Dauidis, duello turrim illam carneam & oſſeam, Goliat, funda proſternentis, & Iſraeli imperium in Philiſtiim aſſerentis? *Comparatio Horatiorum & Dauidis.*

Laudant Alexandri continentiam, qui cæſo Dario, captam eius coniugem, & filias ſpecioſiſſimas videre noluit, dictitans, Perſicas *mulieres dolores eſſe oculorum.* Quis non magis laudet Ioſephum, iam à domina ſolicitante ſecretò prehenſum, relicta chlamyde aufugientem, & in omne carceris, famæ ac vitæ diſcrimen, pro caſtitate tuenda vltro ſe coniicientem? *Alexandri Magni & Ioſephi.*

63. Laudant Lucretiam inceſtè caſtam, atque ſui ſceleris feram vindicem, & homicidam. nos Suſannam longè fortiorem caſtitatis æquè ac vitæ & famæ pugilem celebramus. *Lucretiæ & Suſannæ.*

Mirantur illi Virginium centurionem, qui cùm Claudiam Virginiam filiam à potentia & ſtupro Appij Claudij decemuiri eripere non poſſet, vltimum poſcens eius alloquium, ſecretò occidit, mortuam malens, quàm corruptam filiam. *Virginij & Iephte.* Mirantur Decios, patrem & filium, pro caſtris Rom. Latinos & Samnites hoſtes, ſecum ſolenni prece, per Valerium & Liberium pontifices, diis manibus deuouentes, iiſque ſua morte victoriam conſignantes. Quis non magis miretur Iephte principem, pro victoria ſuæ gentis, vnicam filiam virginem, eiuſque virginitatem Deo vero deuouentem, & votam immolantem? Quis non Moſen, pro populo, non temporali, ſed æterno exitio ſe addicentem? *Deciorum & Moſis.*

Laudant illi fortitudinem, & felicitatem bellicam Iulij Cæſaris, Pompeij, P. Cornelij Scipionis, Hannibalis, Alexandri. At quanto maior Samſon, Gedeon, Dauid, Saul, Machabæi, Ioſue, qui non humana, ſed cæleſti fortitudine præditi, diuina felicitate paucis plurimos, eoſque potentiſſimos profligarunt, quibus ſol, luna, ſidera, quaſi milites obedierunt, & contra hoſtes depugnarunt? Cui quæſo niſi Theodoſio, ſed magis Iudæ Machabæo & Ioſue illud occinas? *Romanorũ ducum & Machabæorum.*

O nimiùm dilecte Deo, cui mittit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

64. Atque hi nobis iuges sunt stimuli ad omne virtutis arduum, ad omnem sanctimoniam & innocentiam, vt illorū æmuli, quasi angeli terrestres, & homines cælestes, in Euangelica luce, corā oculis diuinę maiestatis, iugiter nos intuētis, ambulemus, & seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia. Deinde, vt in propriis & publicis, Belgicis & Europæis hisce turbinibus, consolationi cum Machabæis habentes libros sanctos, per patientiam & consolationem Scripturæ, spem habeamus, animosque attollamus, scientes Deo nos esse curæ, eiusque & cęlestium amore obfirmati, nihil metuamus, mortem etiam ac tormenta despiciamus, & etiamsi fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinæ.

Ita Apostolus toto cap. 11. ad Hebræos, patrum exemplo, insigni concione ad tolerātiam & martyrium eos accendit, vt hemina sanguinis emant beatam æternitatem. *Lapidati*, inquit, *sunt*, Moses vtique, Ieremias, aliiq; Sancti veteris Testamenti, *secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. circuierūt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ*: idque, *vt meliorem inuenirent resurrectionem: ideoq; & nos, tantam habentes nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.*

III.
65. Tertia vtilitas est, quòd sine veteri Testamento nouum intelligi nequeat. citant illud crebrò, crebriùs ad illud alludunt Apostoli, & Christus, etiam iam extremum suis valedicens. *Hæc sunt*, ait, *verba quæ locutus sum ad vos: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & psalmis de me. tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* (Luce vlt. v. 44.)

Sanè epistola ad Hebræos, hac vna de causa grauissima & obscurissima est; quòd tota ex veteri Testamento, eiusque allegoriis contexta sit.

IV.
66. Quarta vtilitas est, cùm finis legis sit Christus, omnia quæ veteri Testamento dicuntur, ad Christum & Christianos pertinent, sensu vel litterali, vel allegorico: atque in hoc vetus Testamentum nouo antecellit, quòd vetus passim præter litteralem sensum, allegoricum habet, sæpè etiam anagogicum & tropologicum: nouum ferè caret allegorico. *Patres nostri*, ait Apostolus, *omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducauerunt*, &c. *hæc autem in figura facta sunt nostri: scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt*. Hinc rursum idem, veteris Testamenti intelligentiam à Iudæis oblatam, ad nos transisse docet. *Vsque in hodiernum diem*, inquit, *idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur; sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moses, velamen positum est super cor eorum.* (1. Corinth. 10. 1.) (2. Corinth. 3. 14.)

V.
67. Quinta, ad lectionum, disputationum, concionum copiam prouidit Deus, vt è veteri Testamento, tantam figurarum, exemplorū, sententiarum, oraculorum varietatem petere liceat, non tantùm ad fidem, sed ad omnem honestæ vitæ informationem. Ita Christus segnes ad vigilias excitat exemplo Noë, & coniugis Lot: *Memores estote*, ait, *vxoris Lot.* rursum obstinatas Iudæorū mentes recordatione Sodomorum, Niniuitarum, & reginæ Austri terret & percellit. Sic imitatores diuitis illius in inferno sepulti, ex Abrahæ verbis ad pœnitentiam reuocat, dicens: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.* Paulus verò ait: *Omnia in figura*, id est in exemplum nostri, *contingebant illis; vt non simus concupiscentes malorum, neque idololatræ*, neque fornicatores, neque edaces, neque murmuratores, aut Deitentatores, vt pereamus sicut illi, qui in lege veteri ob talia facinora perierunt. Spiritus enim sanctus, qui sæculorum omnium est conscius & præscius, ita sacram Scripturam concinnauit, vt non solis Iudæis, sed & Christianis quouis æuo seruire posset. Quinimò Tertullianus libr. de Cultu femin. c. 21. censet, nullam esse enuntiationem Spiritus sancti, quæ ad præsentem tantùm materiam, & non ad omnem vtilitatis occasionem dirigi ac suscipi possit. (Luca 17. 32.) (Luc. 16. 29.) (1. Cor. 10. v. 6. & 11.)

Verè S. Augustinus contra Faustum lib. 13. in fine, *Nos*, ait, *ad commemorationem fidei nostra, & ad consolationem spei nostra, & ad exhortationem charitatis nostra libros Propheticos & Apostolicos legimus, alterutris vocibus sibimet concinentes; atque ea concinentia, tamquam cælesti tuba, & à torpore mortalis vitæ nos excitantes, & ad palmam supernæ vocationis extendentes.* 68.

Hac de causa in sacris. Ecclesia & veteri Testamento passim lectiones prælegit, & sacro ieiunij tempore, Epistolam è veteri Testamento semper Euangelio aptè, quasi vmbram corpori, imaginem typo respondentem, inducit. Vidi ego olim ecclesiastas celebres, pro concione ita priore parte historiam, aut quid simile è veteri Testamento, posteriore aliquid è nouo populo edisserentes, magna populi frequentia, plausu, fructu.

Denique non tantùm hæretici, sed & orthodoxi, viri graues, qui in consiliis, causis, iudiciis versantur, sacras Litteras tam antiquas, quàm nouas volunt teruntque veteri exemplo.

Refert Franc. Petrarcha, ante 150. annos, Robertum Siciliæ regem ita litteris, maximè sacris, delectatum, vt iuratus ei dixerit: *Iuro tibi Petrarcha, multò chariores mihi esse litteras, quàm regnum: & si alterutro mihi carendum sit, æquanimiùs me diademate, quàm litteris cariturum.* 69. (Roberti regis studium S. Script.)

Auctor est Panormit. Alfonsum Aragonum regem gloriari solitum, se, licet in mediis regni negotiis, quater & decies vniuersa Biblia cum glossemate & commentariis euoluisse. Non ergo nouum, si iam principes, consiliarij, aliique viri primarij passim in mensis, conuiuiis, colloquiis, quæstiones è veteri & nouo Testamento moueant; vbi Theologus si sileat, infans erit: si ineptè respondeat, ignorans aut stolidus audiet. (Alfonsi.)

Atque hinc oritur sexta vtilitas: vetus enim Testamentum prælusit nouo, illique testimonium perhibuit, perinde ac S. Iohannes Baptista Christo Domino. ipse enim æquè ac Moses, & cæteri prophetæ, *præiuit ante faciem Domini, parare vias eius: ad dandam scientiam salutis plebi eius: illuminare eos qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Huius rei symbolo, in transfiguratione Christi apparuerunt Moses & Elias, tum vt illi testimonium darent, tum vt loquerentur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem. Quis enim credidisset Christo, quis Euangelio, nisi tot patrum testimoniis, tot oraculis, tot figuris fuisset confirmatum, prædictum, adumbratum? Iudæos quomodo conuinces, quomodo ad Christum adduces, nisi ex vaticiniis Mosis & Prophetarum? Apud Politicos, Gentiles, Saracenos, omnesq; omnino homines, magna VI. 70.

veritatis

veritatis Euangelicæ demonstratio est, inquit Euseb. quòd toto veteri Testamento, per tot sæcula fuerit promissa & præsignificata.

Hac de causa Christus toties ad Mosen appellat. Iohan. 1. 17. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Iohan. 5. 46. *Est qui accusat vos Moses: si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Lucæ 24. 27. *Incipiens à Mose, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Hinc & Philippus Nathanaëli Iohan. 1. 45. *Quem scripsit*, inquit, *Moses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum.* Magnum enim Christo & veritati perhibet testimonium consensio vtriusque Testamenti, siue consensio Mosis & Christi, Prophetarum & Apostolorum, Synagogæ & Ecclesiæ, vti docet passim Tertull. contra Marcionem. Atque vt concludam, quanta hic sit, & quàm omnigena sapientia, ex ipso Mose disce.

SECTIO TERTIA.

Quis, & quantus Moses?

71. VErbo dicam, pluribus annorum millibus sol hoc maiorem virum non aspexit. ipse à teneris in aula regia, quasi regis filius & destinatus heres, educatus est in omni sapientia Ægyptiorum, ipsos 40. annos: inde negans se esse filium filiæ Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, quàm temporalis regni & peccati habere iucunditatem, fugit in Madian. hic oues pascens, Deum in rubo allocutus 40 ipsos annos contemplando diuinam omnem sapientiam hausit. denique dux populi delectus, tertios 40. annos illi præfuit vt summus pontifex, summus imperator, legislator, doctor, propheta, Christo simillimus & antitypus. *Prophetam*, inquit Dominus, *suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui.* &, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, Christum scilicet. *Deut. 18. 15.*

Hic magistratus virum ostendit, quando tres hominum milliones, putà trigesies centena hominum millia, duræ adeò ceruicis, per arida deserta, 40. annis deduxit, cælesti cibo pauit, Dei metu & religione instituit, pace ac iustitia continuit, litium omnium arbiter ac sequester extitit, eosque contra hostes omnes tutatus est.

Moses fuit psalmographus. Virtutes Mosis mireris innumeras: fuit psaltes & psalmographus. testis est S. Hieron. to. 3. epist. ad Cyprian. Mosen psalmos 11. composuisse, scilicet à psal. 89. cui titulus est, *oratio Mosis serui Dei*, vsque ad psal. 100. qui prænotatur, *in confessione*.

72. *Mosis tabulæ, & archangelus in columna nubis. Mosis oratio & radij.* Moses à Deo tabulas legis accipere meruit. Moses ducem viæ habuit columnam nubis, imò archangelum columnæ præsidem. Oratione Moses quasi angelus pasci & viuere visus est. Legis tabulas accepturus in Sina, bis per 40. dies & noctes ieiunus, & cum Deo colloquens constitit: vbi & cornua lucis ei affixa sunt. ad ostium tabernaculi familiariter quotidie cum Deo, res omnes populi pertractabat. *Seruus meus Moses*, ait Dominus, *in omni domo mea fidelissimus est. ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Ostendit enim ei Dominus omne bonum. Deo à secretis Mosen fuisse dixeris, diuinæ inquam sapientiæ secretarium. & quid mirum, si non armis Iosue, sed precibus Mosis profligatus sit Amalec? & quid mirum, *si non surrexit vltrà propheta in Israel, sicut Moses, quem nosset Dominus facie ad faciem?* quid mirum, si Dei ope & virtute thaumaturgus, plagis & portentis Ægyptum, & mare rubrum tantùm non euerterit, carnes & manna cælo euocarit, Core, Dathan, Abiron viuos in infernum deturbarit, & magnalibus suis thaumaturgos ad vnum omnes superarit? *Num. 12. 7. Exodi 33. 17. Mosis preces profligant Amalec. Deuter. 34. 10 Mosis miracula.*

73. *Mosis prudentia.* Prudentiam optimi principis politicam, & œconomicam illustrem, quis non videt in tanta dexteritate regendi tantum populum, æneæ, imò adamantinæ frontis? Insignis eius in populum charitas & cura effulsit, tum in zelo, quo se pro suo Israele, quasi anathema, catharma & piaculum deuouit: tum in feruida illa concione totius Deuteronomij, qua cælum & terram, superos & inferos contestans, populum adigit ad obseruandam Dei legem; vt meritò ipse dixerit, *Cur, Domine, imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum?* Verè dixit S. Chrysost. homil. 10. in epist. 1. ad Timoth. *Oportet Episcopum esse angelum, nulli humanæ perturbationi vitióue subiectum.* & alibi: *Eum qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis cæteros, velut stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret.* Si ergo Episcopus, si Prælatus, si Princeps in populo debet esse quasi homo inter bruta, quasi angelus inter homines, quasi sol inter stellas: cogita, qualis quantusque fuerit Moses, qui Dei iudicio dignus inuentus, imò Dei vocatione & gratia dignus effectus est, qui non Christianis, sed duris & ceruicosis Iudæis, non tantùm quasi Episcopus, sed quasi Pontifex simul & Princeps præesset? *Mosis zelus. Num. 11. 11. Rector sit quasi angelus inter homines.*

74. *Mosis humilitas & mansuetudo.* Et vt cætera taceam, in tanto, tamque diuino fastigio, vel maximè miror tam demissam eius humilitatem, & mansuetudinem. sæpè murmure populi, calumniis, probris, apostasia, lapidibus appetitus, immota blandaque facie perstitit, vltus se non minis, sed precibus ad Deum pro populo fusis. meritò proinde Deus eum hoc celebrat elogio: *Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines.* Vnde mitissimus? quia magnanimus in cælo habitans, omnia hominum probra, iniurias omnes, vt res terrenas & exiguas contemnebat. *Sapiens*, inquit Seneca in sapiente, *maiore interuallo à contactu inferiorum abductus est, quàm vt vlla vis noxia ad illum vires suas perferat; vti telum in cælum solemque iactum ab illo stolido, citra solem tamen flectitur. putásne demissis in profundum catenis Neptunum dotuisse contingi? vti celestia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa aut simulacra constant, nil diuinitati nocetur: ita quidquid fit in sapientem proteruè petulanter, superbè, frustra tentatur.* *Num. 12. 3.*

Ob hanc mansuetudinem, Mosen in hac vita donatum fuisse visione diuinæ essentiæ, censent multi. qua de re aliisque ad Mosen pertinentibus Exodi c. 2. c. 32 & seq. sæpiùs dicendum erit.

Moses ab angelis sepultus. Deut. 34. 6. Certum est Mosen vita functũ, in monte Abarim ab angelis sepultum esse. vnde *non cognouit homo sepulcrum eius.* Atque hæc fuit ratio cur Michael archangelus cum diabolo altercatus sit de Mosis corpore, vt ait S. Iudas in sua epistola.

75. *Mosis encomia ex Eccles. 45.* Denique vis nosse Mosen? Audi Siracidem c. 45. *Dilectus Deo & hominibus Moses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum*

ctorum (sanctis Patriarchis) *magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit* (portentosas plagas Ægypti cessare fecit) *glorificauit illum in conspectu regum*, regis scilicet Pharaonis, (de quo dixit illi Dominus Exodi 7.v.1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.*) *& iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam, in fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim vocem ipsius, & induxit illum in nubem, & dedit illi coràm præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel.*

Ex S. Paulo. Audi Apostolum Hebr. 11.24. *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi. aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Aegyptum, non veritus animositatem regis: inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. fide celebrauit pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiua tangeret eos. fide transierunt mare rubrum, tamquam per aridam terram: quod experti Aegyptij deuorati sunt.*

76. *Ex S. Stephano.* Audi S. Stephanum Actor. 7.v.22.& 30. *Moses erat potens in verbis & in operibus. apparuit illi in deserto montis Sina angelus, in igne flammæ rubi. hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi. hic eduxit illos, faciens prodigia & signa in terra Aegypti. hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina; qui accepit verba vitæ dare nobis.*

Ex S. Ambrosio. Audi S. Ambrosium lib. 1. de Cain & Abel c. 2. *In Mose*, inquit, *fuit venturi doctoris figura, qui Euangelium prædicaret, impleret testamentum vetus, nouum conderet, cæleste populis alimentum daret. hinc Moses humana dignitatem conditionis excessit eousque, vt Dei vocaretur nomine: Posui, ait, te Deum Pharaonis.* (*Moses vocatus est Deus à victoria passionum.*) *Etenim victor passionum omnium, nec vllis sæculi captus illecebris, qui omnem istam secundùm corpus habitationem, cælestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis vbertate formauerat. & ideo non legimus de eo, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est.* (*Moses non tam mortuus, quàm raptus.*) *Deus enim neque defectionem, neque diminutionem patitur. vnde & additur: Quia nemo scit sepulturam eius, qui translatus magis est, quàm derelictus; vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit.* Videtur hic insinuare Ambosius, Mosen non esse mortuum, sed translatum instar Eliæ & Henoch. qua de re dicam Deuteronomij vlt.

Audi Constantinum Magnum Imp. in oratione sua apud Eusebium c. 17. *Quid*, inquit, *de Mose pro dignitate satis dici potest? qui populum confusione quadam turbatum, in ordinem redegit: qui leui persuasione & modestia eorum animos tranquillauit: qui illis pro seruitute libertatem reddidit: qui pro mœstitia lætitiam attulit: qui etiam tantum illis, qui ipsum ætate antecesserunt, sapientia præstitit, vt sapientes & philosophi à Gentilibus plurimùm prædicati, eius sapientiæ æmuli & imitatores existerent. Pythagoras enim eius sapientiam imitatus, vsque eò propter modestiam omnium sermone celebratur, vt Platoni homini planè modestissimo eius continentia, tamquam exemplar ad imitationem proponeretur.*

Ex S. Iustino. Audi, imò lege S. Iustinum in Admonit. siue parænetica ad Gentes, qua tota docet Græcos ab

A Ægyptiis, hos à Mose hausisse suam sapientiam, Deique notitiam. Inprimis, *cùm quidam*, ait, *vt ipsi fatemini, deorum oraculum consuleret, quos tandem homines religioni deditos aliquando esse contigisset, hoc responsum esse dicitis:*

Solis Chaldæis sapientia cessit: Hebræi
Ingenitum Regem mente Deumq́; colunt.

Subdit, *Moses suam historiam hebraicè scripsit, cùm Græcorum literæ nondum essent inuentæ. Has enim postea Cadmus primus ex Phœnice allatas Græcis tradidit. Vnde & Plato scripsit in Timæo, Solonem illum sapientum sapientissimum, cùm ex Aegypto rediisset, hæc dixisse Critiæ, se audisse Aegyptium sacerdotem qui sibi diceret: Græci, ô Solon, iuuenes estis semper: senex autem Græcus est nemo. Deinde rursus: Iuuenes estis animis omnes; nullam enim in eis veteri auditione veterem habetis sententiam, nec vllam tempore canam disciplinā.* B

Et paulò inferiùs ex Diodoro docet, Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, Sibyllam & alios, cùm in Ægypto fuissent, suam de pluribus diis mutasse sententiam: quia nimirum à Mose per Ægyptios cognouerunt vnum esse Deum, qui in principio creauit cælum & terram. Hinc Orpheus cecinit:

Iuppiter est vnus, Pluto, Sol, Bacchus & vnus,
Est Deus vnus in omnibus: hæc bis cur tibi dico?

Idem rursum:

Te testor cælum, magni sapientis origo,
Teq́; Patris Verbum, primum quod protulit ore,
Cum propria mundi machinam ratione creauit.

Denique addit, Platonem ex Mose didicisse Deum, vnde eum pariter vocasse τὸ ὄν, id est, *quod est*, sicut Moses eum vocat ὁ ὤν, id est, *qui est*, siue, C *Ego sum qui sum*. Rursum ab eodem didicisse creationem rerum, Verbum diuinum, resurrectionem corporum, iudicium, pœnas impiorum, & præmia iustorum, Sp. sanctum, quem Plato censuit esse animam mundi: nec enim satis intellexit Mosen, sed eum ad sua phantasmata detorsit: vnde in errores incidit.

Pari modo S. Cyrillus l. 1. contra Iulian. ostendit Mosen priscis Heroibus Gentilibus, quos ipsi *Ex S. Cyrillo.* vetustissimos putabant, esse antiquiorem. Audi doctam eius chronologiam Mosis & Gentium. *Itaque ab Abraha temporibus vsque ad Mosen descendentes noua inde annorum exordia iterum incipiamus, Mosis natiuitatem numeris præmittentes. Anno septimo Mosis aiunt natum Prometheum & Epimetheum, & Atlantem Promethei fratrem, præterea & Argum cuncta cernentem. Tricesimoquinto anno Mosis primus regnauit Athenis Cecrops, qui cognominatus Diphyes:* D *hunc ferunt primum ex hominibus sacrificasse bouem, nominasseq́; Iouem apud Græcos summum Deorum. Sexagesimoseptimo anno Mosis aiunt fuisse diluuium Deucalionis in Thessalia, præterea & in Aethiopia Solis filium, sicut illi dicunt, exustum esse Phaëthontem. Septuagesimoquarto anno Mosis quidam Hellen dictus, Deucalionis & Pyrrhæ filius, Græcis sui nominis agnominationem dedit, cùm antea vocarentur Græci. Centesimo & vicesimo anno Mosis Dardanus condidit ciuitatem Dardaniam, regnante apud Assyrios Amynta, apud Argiuos autem Stenelo, apud Aegyptios verò Ramesse. vocabatur autem ipse & Aegyptus Danai frater. Centesimo & sexagesimo anno post Mosen Cadmus Thebis regnauit, cuius filia Semele, ex qua Bacchus, vt ipsi dicunt, ex Ioue. Erat autem tunc & Linus Thebanus & Amphion Musici. Assumpsit autem tunc sacerdotium apud Hebræos Phinees filius Eleazari, filij Aaron, mortuo*

tuo scilicet Aarone. 195. anno post Mosen ferunt fuisse Proserpinam virginem rapiam ab Aedoneo, id est Orco, rege Molossorum; hic canem maximum aluisse dicitur cerberum nomine. qui apprehendit Pirithoum & Theseum venientes ad raptum vxoris: cùm periisset autem Pirithous, adueniens Hercules Theseum in mortis periculo constitutum ex inferno liberauit, vt fabulantur. 290. anno Perseus Dionysium, hoc est Liberum, occidit, cuius & sepulcrum esse dicunt in Delphis iuxta aureum Apollinem. 410. anno post Mosen expugnatum est Ilium, iudicante apud Hebraos Esebon, apud Argiuos Agamemnone, apud Aegyptios Vaphre, apud Assyrios Teutamo. Colliguntur igitur à natiuitate Mosis vsque ad destructam Troiam 410. anni. A

77. *Ex S. Augustino.* Audi S. Augustinum libr. 22. contra Faustum c. 69. Mosen, inquit, *famulum Dei fidelissimum, humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suscipiendo, fidelem in seruando, strenuum in exequendo, in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem: qui pro eis quibus præfuit, Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti. hunc itaque talem ac tantum virum absit vt ex maledico Fausti ore pensemus, sed ex ore planè veridici Dei.* B

Ex S. Gregorio. Audi S. Gregorium 2. p. Pastor. c. 5. *Hinc Moses crebrò tabernaculũ intrat & exit; & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis vrgetur; intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat: exemplum rectoribus præbens, vt cùm foris ambigunt quid disponant, Dominum per orationem consulant.* Idem l. 6 in lib. Regum c. 3. ait Mosen tam plenum fuisse spiritu, vt de eius spiritu Dominus tulerit, & septuaginta rectoribus populi communicarit. Idem homil. 16. in Ezech. Mosen in scientia Dei præfert Abrahamo: nec id mirum; Mosi enim ait Deus; *Apparui Abraham, Isaac, & Iacob: & nomen meum Adonai (Iehoua) non indicaui eis:* quod tibi ô Moses indico & reuelo. C

Porrò Moses expressus fuit Christi index & typus; adeoque sicut sol diem, luna noctem illuminat: ita Christus Christianos in lege noua, Moses Iudæos in veteri illuminauit. Quocirca pulchrè Christum soli, Mosen lunæ comparat Ascanius Martinengus in Gen. to. 1. pag. 5. in fin. & seq. nam Primò, legislator fuit Moses Pentateuchi: Christus Euangelij. Secundò, Moses duos singulares habuit congressus cum Deo, primum cùm primas legis tabulas in Sina à Deo accepit, alterum cùm secundas, tuncque rediit coruscante & quasi cornuta facie. Hæc testimonia dedit ei Deus. Similia duo dedit Christo: prius in baptismo, cùm descendit in eum Spiritus sanctus specie columbæ, voxque è cælo audita est; posterius, cùm transfiguratus est in Tabor, atque testimonium ei dederunt Moses & Elias, hoc est, lex & prophetæ. Tertiò, Moses stupendas plagas & miracula fecit in Ægypto: maiora patrauit Christus. Quartò, Moses Deum allocutus est, sed in caligine, viditque eum à tergo: Christus verò facie ad faciem. Quintò, Moses audiuit à Deo, *Inuenisti gratiam apud me, & noui te ex nomine:* Christus audiuit à Patre, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* D



Ex Eusebio. Audi Euseb. lib. 3. de Demonstr. Euang. qui ex Mosis & Christi gestis mirificam compaginat antithesin, cuius verba prolixa in pauca contraham.

1. Moses fuit legislator Iudaicæ gentis; Christus totius vniuersi.

2. Moses idola Hebræis abstulit; Christus ea ex omni ferè plaga mundi eiecit.

3. Moses mirificis portentis legem contulit; maioribus Christus Euangelium condidit.

4. Moses suos in libertatem vindicauit; Christus generis humani iugum excussit.

5. Moses terram fluentem lac & mel patefecit; Christus præstantissimam viuentium terram reserauit.

6. Elegans infans Moses vix natus Pharaonis sæuitia, qui mares Iudaici populi ad necem damnarat, vitæ discrimen subiit; Christus infans à Magis adoratus, ob Herodis immanitatem pueros trucidantis, in Ægyptum secedere est coactus.

7. Moses adolescens omnium disciplinarum eruditione claruit; Christus duodecim annorum legisperitos eruditissimos in stuporem adduxit.

8. Moses quadraginta diebus ieiunans diuino eloquio pastus est; per quadraginta perinde dies Christus non manducans, neque bibens, diuinæ contemplationi vacauit.

9. Moses in deserto famelicis manna & coturnices præbuit; Christus in deserto quinque panibus virorum quinque millia saturauit.

10. Moses inter Arabici sinus aquas illæsus transiit; Christus super maris vndas ambulauit.

11. Moses extenta virga mare diuisit; Christus increpat ventum & mare, & facta est tranquillitas magna.

12. Moses in monte rutilanti facie splendidus apparuit; Christus in monte fulgentissimo aspectu transfiguratus est, cuius facies resplenduit sicut sol.

13. In Mosen non poterant filij Israel oculorum aciem intendere; ante Christum discipuli in facies suas perterriti ceciderunt.

14. Mariam leprosam ad pristinam sanitatem restituit Moses; Mariam Magdalenam, criminum maculis obrutam, gratia cælesti abluit Christus.

15. Mosen Dei digitum appellarunt Ægyptij; de seipso Christus prodidit, *Porro si in digito Dei eiicio dæmonia,* &c.

16. Selegit Moses 12. exploratores; 12. Apostolos & Christus elegit.

17. Moses 70. seniores; Christus 70. discipulos auctorauit.

18. Iesum Naue successorem sibi destinauit Moses; Petrum ad summum pontificatum post se extulit Christus.

19. De Mose scriptum est, *Non cognouit homo sepulcrum eius vsque ad præsentem diem;* de Christo contestati sunt angeli: *Iesum quæritis crucifixum; surrexit, non est hic.*

Audi S. Basilium hom. 1. in Hexaëm. *Moses etiam dum ad matris vbera pendens, Deo amabilis, & gratiosus fuit. ipse prælegit calamitates ærumnasq́; cum Dei populo experiri, quàm temporaria voluptate cum peccato perfrui. iusti & æqui fuit amantissimus & obseruantissimus, improbitatis & iniustitiæ hostis acerrimus. in Aethiopia (in Madian) quadraginta annos contemplationi vacauit. octoginta annos natus vidit Deum, quoad videre potest homo. hinc de eo ait Deus: Ore ad os loquar ei, in visione, & non per ænigmata.* 78. *Ex S. Basilio.*

Audi S. Gregorium Nazianz. orat. 22. qua S. Basilium, eiusque fratrem Gregorium Nyssenum comparat Mosi & Aaroni. *Quis legislatorum illustrissimus? Moses. quis sacerdotum sanctissimus? Aaron, non minùs pietate, quàm corporibus fratres: vel potius,* *Ex S. Nazianz. qui S. Basil. & Nyssenum comparat Mosi & Aaroni.*

potiùs, ille quidem Pharaonis Deus, & Israelitarum antistes & legislator, & nubem ingrediens, & diuinorum arcanorum inspector & arbiter, & tabernaculi illius veri fabricator, quod à Deo, non ab homine constructum est: ille principum princeps, & sacerdotum sacerdos, Aarone pro lingua vtens, &c. ambo Aegyptum vexantes, mare scindentes, Israelem gubernantes, hostes demergentes, panem supernè trahentes, aquas conculcantes, ad terram promissionis iter commonstrantes. Fuit ergo Moses principum princeps, & sacerdotum sacerdos, &c.

Ex S. Hier. Audi S. Hieronymum, qui initio Commentariorum in epist. ad Galatas, Mosen non tantùm Prophetam, sed & Apostolum fuisse docet, idque ex communi Hebræorum sententia.

Ex Philone l. 3. de vita Mosis in fin. Audi Philonem Hebræorum doctissimum: *Hac est vita, hic exitus Mosis, regis, legislatoris, pontificis, prophetæ.*

79. *Ex Gentilibus. Plato est Moses Atticus.* Audi Gentiles. Numenius apud Eusebium l. 9. de Præparat Euangelica c. 3. asserit Platonem & Pythagoram Mosis dogmata esse sectatos, adeoque quid est, ait, Plato, nisi Moses Atticus? His adde Eupolemum & Artapanum, qui (apud Eusebium ibidem c. 4.) aiunt, Mosen Ægyptiis litteras tradidisse, aliaque multa ad commune bonum instituisse, & propter sacrarum litterarum interpretationem, Mercurium appellatum, indeque factum esse, vt ab ipsis quasi Deus coleretur. *Moses dictus Mercurius, cur.*

Ptolemæus Philadelphus (vt testatur Aristæas de 72. interpretibus) audita lege Mosis, dixit ad Demetrium: *Cur tanti operis nullus historiographus aut poëta meminit?* cui Demetrius: *Quia ista lex est sacrorum, diuinitus lata: & quia nonnulli aggressi sunt, sed diuina plaga territi, ab instituto destiterunt.* Atque illicò exempla subiungit de Theopompo historico, & de Theodecte tragico poëta, quæ superiùs commemoraui.

Diodorus historicorum omnium probatissimus, inquit S. Iustin. in Admonit. ad Gentes, sex priscos ponit legislatores, & primum omnium Mosem, quem ait fuisse magno animo virum, & probatissima vita celebratum. de quo & subdit: *Apud Iudæos quidem Mosen, quem vocant Deum, siue ob admirabilem diuinamq́ notionem, quam decernit hominum multitudini profuturam, siue ob excellentiam & potestatē, quibus vulgus ipsum suscepta legi libentiùs obsequitur. Secundum inter legis positores Aegyptios Sauchnin fuisse cōmemorant, insignē prudentia virum. Tertium Sesonchosin dicunt regem, qui non modò inter Aegyptios bellicis negotiis praecelluerit, sed & bellacem gentem legum positione frænauerit. Quartum Bacchorim statuunt, & eumdem regem, quem memoria prodiderūt & de modo regnandi, & de domestica dispensatione Aegyptiis præcepisse. Quintus fuit Amasis rex. Sextus dicitur Xerxis pater Darius Aegyptiis legibus addidisse.*

Denique Iosephus, Eusebius & alij tradunt, Mosen omnium, quorum scripta nunc extant, vel quorum nomen in Gentilium scriptis proditum A est, primum fuisse Theologū, philosophum, poëtam & historicum. Quocirca mira fuit non tantùm apud Iudæos, sed & Gentiles Mosis veneratio. Narrat Iosephus l. 20. c. 4. militem quemdam Romanum Mosis libros lacerasse, mox Iudæos concurrisse ad Præsidem Romanum Cumanum, flagitantes vt non suam, sed læsi Numinis vlcisceretur iniuriam. Quare Cumanus militem violatorem legis securi feriit.

Porrò hæc veneratio & martyriis & miraculis illustrata est. Cùm Maximianus & Diocletianus edicto iuberent sibi tradi libros Mosis, aliosque sacræ Scripturæ, ad exurendum, restiterunt fideles, mori malentes quàm eos tradere. Quare multi pro sacris libris gloriosum certamen obierunt, & victricem martyrij lauream adepti sunt. Cùm autem Fundanus Alutinensis olim Episcopus, metu mortis sacros libros tradidisset, & magistratus sacrilegus eos igni apponeret, subitò imber sereno cælo diffusus est, ignis sacris libris admotus extinctus est, grando subsecuta, omnisque B regio ipsa pro sacris libris elementis furentibus deuastata est, vti habent acta S. Saturnini, quæ extant apud Surium 11. Februarij.

Aspice nos, quæso, sancte Moses, qui eminus quondam in Sina gloriæ Dei, cominus verò in Tabor gloriæ Christi speculator fuisti: nunc autem facie ad faciem vtraque perfrueris. Porrige manum ex alto, sapientiæ tuæ flumina in nos deriua, & æterni illius luminis vel scintillam ope, votis & meritis tuis nobis imperti. impetra à Patre luminum, vt ad sua hæc Pentateuchi sacraria, nos vermiculos suos inducat; det vt in Scripturis suis eum agnoscamus, det vt tātum diligamus, quantum cognoscimus: nec enim cupimus eum cognoscere, nisi vt diligamus, vtque eius amore accensi, velut faces, & alios, totumq; orbem accendamus. Hæc enim est scientia sanctorū: ipse enim C est amor & timor noster, ipsum vnum omnia nostra spectant, ipsi nos & omnia nobiscum deuouimus. Denique duc nos ad Christum, qui est finis legis tuæ; vt ipse studia nostra, conatusq́, omnes ad eius, cui omnis creatura laudem dicit, gloriam, in Ecclesiæ eius regno iam militante, deprædicandam, & aliquando in victrici cælitum choro, tecum à nobis omnibus tui studiosis, in omnē æternitatem, vti spero, suauissimè felicissimeque concinendam, regat, secundet, & ad finem vsque perducat. ibi stabimus super mare vitreum, quotquot bestiam vicimus, *cantantes canticum Mosi, & canticum Agni, dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua Domine, Deus omnipotens: iusta & vera sunt viæ tuæ Rex sæculorum. quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es:* quia elegisti nos: quia fecisti nos reges & sacerdotes, & regnabimus in sæcula sæculorum. Amen. 80. *Oratio Auctoris ad Mosen.* *Apoc. 15.*

COM-

COMMENTARIA IN PENTATEVCHVM MOSIS.

ARGVMENTVM.

HEBRÆI, teste S.Hieron. in prologo galeato, tot numerant libros S.Scripturæ, putà veteris Testamenti, quot habent ipsi litteras, putà viginti duos; eosque in tres classes diuidunt: scilicet in תּוֹרָה *thora* id est legem: נְבִיאִים *nebijm*, id est prophetas: כְּתוּבִים *ketubim*, id est hagiographa. Thora siue lex complectitur Pentateuchum, putà Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros & Deuteronomium, qui ita non à Mose, vt vult Philo, sed à Septuag. interpretibus diuisi & nuncupati sunt. cùm antea vnus esset liber legis.

Prophetas duplices numerant, priores & posteriores. priores vocant Iosue, Iudicum, Ruth, & quatuor libros Regum: posteriores recensent Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & duodecim minores prophetas.

Hagiographa numerant Iob, Psalmos, Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Danielem, libros Paralipomenon, Esdram & Esther.

Argumentum Pentateuchi.

Pentateuchus, id est quintuplex hoc volumen Mosis, est chronicon mundi. Eius enim argumentum est texere historiam & chronologiam mundi, ac gesta patriarcharum à prima mundi creatione vsque ad mortē Mosis. In Genesi enim Moses pertexit à principio creationem mundi, & gesta Adami, Euæ, Noë, Abrahæ, Isaac, Iacobi, & aliorum vsque ad mortem Iosephi. In Exodo persecutionem Pharaonis, indeque decem plagas Ægypti, egressum Hebræorum ex Ægypto, & peregrinationem per desertum: vbi in Sina decalogum, cæterasque leges à Deo acceperunt. In Leuitico describuntur sacra, & sacrificia, cibi vetiti, festa, aliique ritus, lustrationes & ceremoniæ, tam populi quàm sacerdotum & Leuitarum. In Numeris numeratur populus, principes & Leuitæ, item quadraginta duæ mansiones Hebræorum, eorumque æquè ac Dei gesta in deserto; insuper recensetur prophetia Balaam, ac bellum Hebræorum cum Madianitis. Deuteronomium siue secunda lex repetit & inculcat Hebræis leges antea in Exodo, Leuitico & Numeris à Deo per Mosen datas.

Auctor Moses.

Nota Primò. Auctor Pentateuchi est Moses. Ita docent omnes Græci & Latini, imò ipse Christus, vt patet Iohan.1.v.17.& 45. Iohan.5.46. & alibi. Porrò Moses antiquior fuit, & tempore longè præcessit, omnes Græciæ & Gentilium sapientes, putà Homerum, Hesiodum, Thaletem, Pythagoram, Socratē; & his seniores Orpheum, Linum, Musæum, Herculem, Æsculapium, Apollinem, quin & ipsum Mercurium Trismegistum, qui omnium fuit antiquissimus. Hic enim Mercurius Trismegistus, ait S.Augustinus lib.18. de Ciu.c.39. nepos fuit maioris Mercurij; cuius maternus auus Atlas astrologus, & æqualis Promethei, eo tempore floruit quo vixit Moses. Vbi

Moses senior Mercurio, coæuus Atlanti.

Aduerte, Mosen Pentateuchum simpliciter conscripsisse, per modum diarij vel annalium; Iosue tamen, vel quem similem eosdem hos Mosis annales in ordinem digessisse, distinxisse, & sententias nonnullas addidisse, & intexuisse. Sic enim in fine Deuteronomij mors Mosis, eo vtique mortuo, à Iosue, vel alio quopiam additur & describitur. Sic non à Mose, sed ab alio quopiam, vt videtur, laus mansuetudinis Mosis intertexta est Num. 12.3. Sic Gen.14.15. vrbs Lais vocatur *Dan*, cùm diu post tempora Mosis, vocata sit *Dan*. quare nomen *Dan* ibi pro *Lais* substitutum est, non à Iosue, sed ab alio qui posteriùs vixit. Sic Numer.21. ab alio pariter additi sunt versus 14.15.27. Pari modo Iosue mors ab alio addita est, Iosue vlt. v.29. Pari modo prophetia Ieremiæ à Baruch digesta, & in ordinem redacta est, vti ostendam præfatione in Ieremiā. Sic & parabolæ Salomonis, non ab ipso, sed ab aliis, ex eius scriptis congestæ & digestæ sunt, vt patet Prouerb.25.1. Porrò Moses hæc partim traditione, partim diuina reuelatione, partim oculari inspectione didicit & accepit: nam quæ in Exodo, Leuitico, Numeris & Deuteronomio narrat, ea præsens ipse vidit & gessit.

Nota Secundò. Scripsit Genesim Moses cùm exul ageret in Madian Exodi 2.15. inquit Pererius, idque ad consolationem Hebræorum, qui in Ægypto à Pharaone opprimebantur. Verùm meliùs sentiunt Theodoretus, Beda & Tostatus (à quibus non dissentit Eusebius lib.7. de Præpar. c.2. si verba eius accuratè expendantur) tam Genesim, quàm quatuor sequentes libros à Mose scriptos esse post egressum Hebræorum ex Ægypto, cùm ipse in solitudine quasi dux, pontifex, propheta, doctor & legislator populi versaretur, atque ex cœtu & Synagoga Iudæorum remp. & Ecclesiam Dei formaret & instrueret, vt ipsi ex rerum creatione & gubernatione Deum creatorem agnoscerent, amarent, colerent.

Moses scripsit hæc in deserto.

CANO-

CANONES

FACEM PRÆFERENTES PENTATEVCHO.

Can. 1. Vm Moses hic historiam mundi conscribat, patet narrationem eius non symbolicam, non allegoricam, non mysticam, sed historicam, simplicem & planam esse: ac proinde ea quæ narrat de paradisi, Adami, Euæ, & rerum omnium creatione spatio sex dierum successiuè peracta, &c. historicè & propriè, vt sonant, sunt accipienda. Est hoc contra Origenem, qui hæc omnia allegoricè & symbolicè exponenda putauit, itaq; literam & literalem sensum euertit. Verùm canonem nostrum tradunt omnes alij Patres, & Ecclesia, quæ hic damnat allegorias Origenis. Vide contra Orig. hic disputantem S. Basilium hom. 3. & 9. Hexam. Verè S. Hieron. *Origenes*, inquit, *suum ingenium fecit sacramenta Ecclesiæ.*

Can. 2. Philosophia & Physica adaptanda sunt sacræ Scripturæ & verbo Dei, à quo omnis existit naturæ numerus, ordo & modus, ait S. Augustinus. Non ergo è contrario torquenda est sacra Scriptura ad sensa philosophorum, aut ad lumen & dictamen naturæ.

Can. 3. Moses sæpè vtitur prolepsi siue anticipatione: vocat enim vrbes & loca eo nomine, quod longè posteriùs eis est inditum. Sic Genes. 14. 2. Balam vrbem vocat Segor, quæ tamen non tunc, sed postea vocata est Segor, cùm Lot eò ex Sodomis euasisset. Sic ibid. v. 6. vocat montes Seir, qui longè pòst ab Esau Seir sunt dicti. Sic ibid. v. 14. vocat Dan, quæ tunc vocabatur Lais.

Can. 4. *Æternum* sæpè non significat propriè dictam æternitatem, sed longum aliquod tempus cuius finis non peruidetur. Hebr. enim עולם *olam*, id est æternum, significat sæculum, qua occultum est, seu cuius terminus & finis non perspicitur. Radix enim עלם *alam* significat occultare vel abscondere. Rursum *æternum* sæpè non absolutè, sed respectiuè dicitur, & significat durationem integram rei, quæ æterna est, non absolutè, sed respectu certi status, reip. & gentis. Sic dicitur lex vetus duratura in æternum, id est semper, non absolutè, sed respectu Iudæorum: quia nimirum lex illa durauit tamdiu, quamdiu durauit Iudæorum resp. & synagoga; putà toto tempore iudaismi, donec lex noua illi succederet: duratura enim erat donec veritas per Christum illucesceret. Id ita esse patet: nam alibi eadem Scriptura dicit legem illam veterem esse abolendam, eique surrogandam nouam Euangelicam, vt patet Ierem. 31. v. 32. & seq. Sic *æternum* capit Horat. cùm ait:

Seruiet æternùm qui paruo nesciet vti.

non enim potest in æternum absolutè seruire, cuius vita ipsa qua seruit, æterna esse non potest. Tradit hunc canonem S. Augustinus q. 31. in Genes. de quo plura vide apud Pererium tom. 3. in Genes. pag. 130. & seq.

Can. 5. Hebræi per enallagen sæpè sensum vnum cum alio commutant, & maximè visum pro quouis sensu accipiunt; tum quia visus omnium sensuum est præstantissimus & certissimus; tum quia in sensu communi, qui est supra visum & oculos, omnium sensuum sensationes conueniunt. Sic

A visus pro tactu capitur Iohan. 20. 29. *Quia vidisti*, id est tetigisti, *me Thoma, credidisti*. pro odoratu verò capitur Exodi 5. v. 21. in Hebræo: *Fœtere fecisti odorem* (nomen & famam) *nostrum in oculis*, id est, in naribus Pharaonis. pro gustu capitur psal. 33. 9. *Gustate & videte* (id est sapite) *quoniam suauis est Dominus*. pro auditu capitur Exodi 20. v. 18. *Populus videbat*, id est audiebat, *voces*. videre ergo idem est quod cognoscere, vel clarè percipere.

Peccatum sæpè, maximè in Leuit. sumitur metonymicè. Primò, pro hostia oblata pro peccato; Secundò, pro pœna peccati; Tertiò, pro irregularitate siue immunditia legali, ex fluxu menstrui sanguinis, seminis, lepræ, vel ex contactu mortui contracta. Sic Leuit. 12. v. 6. puerperium vocatur peccatum, id est, immunditia legalis. & Leuit. 14. B 13. lepra dicitur peccatum, non propriè dictum, sed legale, id est irregularitas, quæ leprosum arcebat sacris, & conuictu hominum. Can. 6.

Leges Dei vocantur Primò, præcepta, statuta, vel custodia: quia custodienda aut cauenda præscribunt; Secundò, vocantur iudicia: quia inter homines dirigunt & dirimunt lites: in iudicio enim secundùm leges iudicandum est. Tertiò, vocantur iustitiæ: quia statuunt id quod æquum & iustum est. Quartò, vocantur testimonia: quia testantur voluntatem Dei, siue quid à nobis exigat Deus, quid à nobis velit fieri. Quintò, vocantur testamentum, id est fœdus & pactum, id est conditiones pacti initi cum Deo: quia hac conditione pepigit Deus tam cum Iudæis, quàm cum C Christianis, se fore eis Deum & patrem, si videlicet ipsi leges eius seruent. Can. 7.

In Pentateucho crebra est Synecdoche. Sic genus capitur pro specie; vt, facere hœdum, agnum, vitulum, significat sacrificare hœdum, agnum, vitulum. Sic pars capitur pro toto; vt implere manum, scpple oleo, significat vnctione manus consecrare aliquem sacerdotem. Sic reuelare turpitudinem, vel cognoscere feminam, vel ad eam ingredi, est virum cum femina misceri. Sic aperire aurem alicui, est ei ad aurem loqui, siue insusurrare, indicare, & reuelare aliquid. Can. 8.

Pari modo crebra est Metonymia, vt Gen. 14. v. 22. Exodi 6. 8. *Leuo manum*, id est eleuata manu cæli Dominum testor, & iuro per Deum. Sic os D significat verbum vel præceptum quod ore datur. Sic manus significat potestatem, vim, vel punitionem, quæ manu fit. Sic anima significat vitam, vel ipsum animal, cuius forma & vita est anima. Sic *vir sanguinum* vocatur homicida. Can. 9.

Pari modo frequens est Catachresis; vt cùm *pater* rei alicuius vocatur is qui est auctor, conditor, aut inuentor rei, vel is qui est primus & præcipuus in illa re. Sic Deus vocatur pluuiæ pater, id est auctor. Sic dæmon vocatur mendacij pater, id est auctor. Sic Tubalcain vocatur *pater canentium organo*: pater, id est primus, & inuentor organi. Sic dicunt: *Percussit eos in ore*, id est in acie, *gladij*. os nimirum gladij vocatur acies ipsa gladij, quæ homines absumit & deuorat, perinde vt os deuorat panem. Hoc enim modo leones, tigrides, lupi, aliæque feræ ore suo percutiunt oues, canes & boues, Can. 10.

boues, cum eos rictu oris sui laniant, discerpunt & deuorant. Simili catachresi *filias* vocant minora oppida & vicos, quæ metropoli quasi matri adiacent & subsunt. Rursum ipsas vrbes ob pulchritudinem & elegantiam vocant *filias*, vt, filia Sion est vrbs & arx Sion: filia Ierusalem est vrbs Ierusalem: filia Babylonis est vrbs Babylonis, id est ipsa Babylon. Pari modo ædificare alicui domum, vel eam destruere, significat alicui dare, vel destruere familiam & proles. Domus nimirum significat proles & posteritatem. vnde Hebræi filios vocant בנים *banim*, quasi אבנים *abanim*, id est lapides, à rad. בנה *bana*, id est ædificauit. nam ex filijs vt lapidibus ædificantur domus & familiæ parentum. στῦλοι οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες, inquit Euripid.

CAN. 11. Hebræi sæpè verba realia accipiunt pro verbalibus vel mentalibus. Sic Leuit. 13. v. 6. 11. 20. 27. 30. dicitur, quòd sacerdos leprosum mundabit vel contaminabit, id est, mundatum vel contaminatum declarabit & pronuntiabit, vt hominum conuictui restituatur, vel ab eo arceatur. Sic Ierem. 1. v. 10. dicitur, *Constitui te super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*: id est, vt prophetes & prædicas has gentes euellendas esse & destruendas; illas verò ædificandas esse & plantandas. Sic dicitur Leuit. 20. 8. & c. 21. v. 8. 15. & 23. *Ego Dominus qui sanctifico vos*, id est, iubeo vos esse sanctos.

CAN. 12. Hebræi sæpè tacent suppositum, siue personam, aut rem tam agentem, quàm patientem; quia ex antecedentibus vel sequentibus eam intelligendam relinquunt, vt Deuter. 33. 12. & alibi sæpè.

CAN. 13. Verba & sententiæ S. Scripturæ non semper referendæ sunt ad proximè præcedentes, sed subinde ad remotas quæ longiùs antè præcesserunt. Sic illud Exodi 22. 3. *Si non habuerit* (fur) *quod pro furto restituat, ipse venundabitur*, non cum proximè præcedentibus, sed cum v. 1. vbi dicitur, *Si quis furatus fuerit bouem, quinque restituet*, connectendum est. Sic Cant. 1. dicitur, *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, vbi *tabernacula Cedar* non possunt connecti cum *formosa*. erant enim ipsa deformia, vtpote æstu adusta, nigra & fœda. Sic ergo hæc connecti & exponi debent: Nigra sum sicut tabernacula Cedar, cum hoc tamen simul formosa sum sicut pelles Salomonis vermiculatæ, & regiæ.

CAN. 14. Negatio Hebræis totum quod sequitur negat. vnde *non omnis* Hebræis idem est quod *nullus*, cùm Latinis idem sit quod *aliquis non*.

CAN. 15. Solet Scriptura quædam promittere quibusdam quæ non implentur in ipsis, sed in posteris eorum: vt significet Deus se hæc posteris in ipsorum gratiam præstare: quia quod posteris datur, hoc ipsis, quorum posteri sunt portio, videtur dari vt principio & capiti posteritatis. Sic Abrahæ non in se, sed in posteris suis promittitur terra Chanaan, Genes. 13. 14. Sic Iacob, id est Iacobæis, promittit dominium in Esau, id est, Idumæos, Gen. 27. 29. Sic Genes. 49. duodecim patriarchis promittitur, quod posteris eorum obuenturum erat. Tradit hunc canonem S. Chrysost. hom. 8. in Matth.

CAN. 16. Licet S. Cyprian l. 2. contra Iudæos c. 5. Hilarius l. 4. de Trinit. & Nazianz. tract. de fide, putet Deum in assumpto corpore visibilem apparuisse Abrahæ, Mosi & prophetis: tamen verius est omnes has apparitiones factas esse per angelos, qui

A in corporibus assumptis personam Dei gerebant, ideoque vocantur Deus. ita Dionys. ca. 4. Cælest. hierar. S. Hieron. in cap. 3. ad Gal. August. lib. 3. de Trin. c. vlt. Gregor. in præfat. Moral. cap. 1. & alij passim. Et probatur. Nam ille qui apparuit Mosi, dixitque, *Ego sum Deus Abraham*, fuit angelus, vt docet S. Stephanus Actor. 7. v. 30. Sic Dominus qui tradidit legem Mosi in Sina, Exodi 19. & 20. à Paulo ad Galat. 3. v. 19. vocatur angelus. Angeli enim sunt administratorij spiritus, per quos Deus omnia sua exsequitur. Quare quod Concilium Sirmiense can. 14. definit eum qui contra Iacob luctatus est Genes. 32. fuisse Filium Dei, intellige fuisse angelum qui Filium Dei repræsentabat. Adde, decreta huius Concilij non esse definitiones fidei, imò nec dogmata Ecclesiæ, nisi quatenus Photini hæreses damnant; constat enim hoc

B Concilium fuisse cœtum Arrianorum.

Quando S. Scriptura nomen nouum alicui imponit, intelligenda est non adimere nomen prius, sed posterius addere priori, vt iam vtroque nomine possit, modò vno, modò altero nuncupari. Sic Genes. 35. 10. dicitur: *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel*. sensus est, q. d. Non tantùm Iacob, sed etiam Israel appellaberis: sæpe namque postea adhuc Iacob vocatur. Sic Gedeon Iudic. 6. v. 32. dicitur ex eo die vocatus *Ierobaal*; & nihilominus pergit Scriptura eum vocare *Gedeonem*. Sic Simon postquam à Domino vocatus est *Cephas*, non rarò pòst adhuc *Simon* appellatur. CAN. 17.

Vbi Nota. Deus & Hebræi suis imposuerunt nomina ab euentu, scilicet quæ significarent euentum, vel præsentem, vel futurum; & tunc nomina erant quasi omina, vel monita, aut vota rei futuræ. imponendo enim alicui nomen, portendebant, vel optabant eum talem fore, qualis illo nomine significabatur. Id ita esse, patet in nomine Adam, Eua, Seth, Cain, Noë, Abraham, Ismael, Isaac, Iacob, &c. vt suis locis ostendam. *Hebræi nomina dabãt ab euentu,*

C

Idipsum imitati sunt Romani, Græci, Germani. Romani, qui Coruinum à coruo, qui ei in castris victoriæ omen dedit; Cæsarem à cæsarie, cum qua natus proditur; Caligulam à caliga militari, qua sæpè vtebatur, appellarunt. Sic Pisones, quòd optime pisa fererent, ita nuncupati sunt: sicut Cicerones à cicere, Fabij à faba, Lentuli à lente optimè serenda nomen acceperunt. Sic Ancus à vitioso cubito, inquit Festus, nominatus est, cubitus enim græcè ἀγκὼν dicitur. Sic Seruius, quòd è matre serua genitus esset; Paulus, à parua statura; *& Romani,*

D Torquatus, à torque, quem Gallo in pugna detraxit; Plancus, à planis pedibus vocatus est. Sic Scipio cognomen fuit Corneliorum, cui P. Cornelius (auus P. Cornelij Scipionis Africani, qui Hannibalem deuicit) initium dedit. Hic enim, eò quòd patrem vice scipionis regeret & duceret, primus Scipio cognominatus est, illudque cognomen ad posteros transmisit.

Græci, qui appellarunt Platonem, quasi latum, à latis humeris, cùm antea Aristocles vocaretur; Chrysostomum, quasi os aureum, ab eloquentia; Laonicum, quasi populi; Leonicum, quasi leonis; Stratonicum, quasi exercitus victorem; Demosthenem, quasi populi firmamentum; Aristotelem, quasi optimum finem; Gregorium, quasi vigilem; Diogenem, quasi Ioue genitum; Aristobulum, quasi optimi consilij virum; Theodorum, quasi donum Dei; Hippocratem, quasi equino robore *& Græci,*

præditum; Callimachum, à pulchra pugna nuncuparunt.

& Germani. Germani & Belgæ, qui Fredericum, quasi pacis diuitem, id est, planè pacificum; Leonardum, quasi leoninæ indolis; Bernardum, quasi vrsinæ indolis; Gerardum, quasi vulturinæ indolis; Cunonē, quasi audacem; Cunradum, quasi audacis consilij; Adelgisium, quasi nobilis spiritus; Canutum, ab exhauriendis poculis; Pharamondum vel Framondum, à venustate oris nominarunt. Sic Guilhelmus à deaurata galea; Gudela, quasi bona pars aut sors; Lotharius, quasi plumbeum cor, Leopoidus, quasi leoninus pes; Lanfrancus, quasi diuturna libertas; Wolfgangus, quasi lupinus incessus vocatus est. Plura vide apud Goropium, Scrieckium, & Pontum Heutterum in Belgio.

CAN. 18. Quando ei qui nomen habet, nomen non commutatur, sed simpliciter, tacito & præsupposito eius nomine; dicitur sic vel sic vocādus, tunc non imponitur ei aliud nomen, sed significatur talis futurus, vt iure alio isto nomine vocari & appellari possit: sic Isaiæ 7.14. Christus vocatur *Emmanuel*; & c.8.3. *Accelera spolia detrahere, festina prædari*; & c 9.6. *Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*; & Zach.6. v.12. vocatur *Oriens*. Sic Iohannes Baptista à Malachia vocatur *Elias*; & filij Zebedæi in Euangelio vocantur *Boanerges*, id est, filij tonitrui.

CAN. 19. Viri & feminæ olim erant polyonymi; vnde non mirum si eadem persona in Scriptura modò vno nomine, modò alio vocatur. Sic vxor Esau quæ Genes.36.2. vocatur Ada filia Elon Hethæi, Genes. 26.34. vocatur Iudith filia Beeri Hethæi; & alia eius vxor quæ Genes. 36. 2. vocatur Oolibama filia Anæ, Genes.26. 34. vocatur Basemath filia Elon. Sic sæpè li.1. Paralip. per decem prima capita alia viris & mulieribus dantur nomina, alia in quā ab ijs quæ habent in Genesi, Iosue, Iudicum, & lib. Regum. Sic idem est Abimelech & Achimelech, Iob & Iobab, Achar & Achan, Aram & Ram, Areuna & Ornan, Ietro & Raguel. Vbi obiter Aduerte, nomina cùm in aliam linguam transferuntur, ita mutari, vt vix eadē esse videantur, præsertim cùm ad aliud etymon suæ linguæ alludūt & inclinant. Sic hebr. Achasueros; latinè Assuerus; persicè Ochos oarses, Ochsoarses, Axurxes, Artaxerxes; græcè Oxyares, quasi idē sunt. Achasueros hebr. & chald. significat magnum caput, id est, magnus capitaneus; Artaxerxes persicè significat magnus bellator, teste Herodoto; Oxyares Græcis idem est quod acutus, siue acer Mars. Sic à Bosra Hebraico, id est munitio, dicta est Bysra, & Byrsa arx Carthaginis, quam Romani Burgum vocarunt, indeque Burgundiones sunt dicti. Sic à Dauid & Idida, dicta est Dido.

CAN. 20. Solet Scriptura causam vocare, & pro vera rei causa ponere, quod tantum fuit occasio: eò quòd ita soleant homines loqui, vt euentum vndecumque prouenientē vocent effectum, & occasionem vocent causam. Sic Gen.43.6. ait Iacob: *In meam hoc fecistis iniuriam, vt indicaretis ei & alium vos habere fratrem.* Nec enim filij Iacob hanc patris sui miseriam intendebant, sed ea ex factis & verbis illorum aliud agentium, fortuitò & occasionaliter consecuta est. vide Riberam in Amos 2.19.

CAN. 21. Hebræi sæpè abstractum ponunt pro concreto, vt abominationem pro re abominabili vel abominata. Exodi 8. 28. *Abominationes Aegyptiorum* A *immolabimus Domino?* Psal.10.2. *Desiderium* (id est, rem desideratam) *cordis eius tribuisti ei.* Sic Deus dicitur spes nostra, id est, res sperata, & patientia ac gloria nostra, id est, propter quem patimur, de quo gloriamur.

Hebræi verba sumunt iam in actu perfecto, iam in continuato, iam in inchoato, vt facere sit idem quod conari, moliri, incipere aliquid facere. Sic Hebræi aliquando dicuntur egressi ex Ægypto vesperè, vt Deuter.16.6. aliquando noctu, vt Exodi 12.42. alibi manè, vt Num.23.3. quia scilicet vesperè immolarunt agnum, qui egressus fuit causa & initium: noctu verò cæsis Ægyptiorum primogenitis acceperunt à Pharaone veniam, imò mandatum exeundi, suaque conuasantes exire cœperunt: manè verò ipso facto plenè & perfectè egressi sunt. CAN. 22.

B Hebræi cùm aliquid exaggerare volunt, vel significare gradum superlatiuum (quo ipsi carent) vtuntur nomine abstracto, vel concreto geminato, vt sanctitas est, vel sanctum sanctorū est, id est, sanctissimum est. quod crebrum est in Leuitico. CAN. 23.

In Scriptura crebra est hypallage, vt Exodi 12. v.11. *Calceamenta habebitis in pedibus*, hoc est inuertendo, pedes habebitis in calceamentis, siue calceatos. Nec enim calcei sunt in pedibus, sed pedes in calceis. Exodi 3.2. in Hebr. *Rubus ardebat in igne*, id est, ignis ardebat in rubo. Iudic. 1. 8. in Hebr. *Ciuitatem miserunt in ignem*, id est, ignem miserunt in ciuitatem. 4. Reg.9.30. de Iezabele dicitur in Hebræo: *Posuit in stibio oculos suos*, hoc est, posuit stibium in oculis suis, depinxit oculos suos stibio. Psalm.76.6. in Hebræo: *Propinasti nobis in lacrymis mensuram*, hoc est, lacrymas in mensura, vtique magna, vt ait R. Dauid. Psal.18.5. *In sole posuit tabernaculum suum*, hoc est, solem posuit in tabernaculo suo, vel Soli posuit tabernaculum suum in cælis, vt habent Hebræa. Psal.80.6. *Testimoniū in Ioseph posuit*, hoc est, posuit Iosephum in testimonium: cui nimirum bene cesserunt omnia, quòd legem Dei seruauerit. ita Chaldæus: licet & alius, magis genuinus, sit eius loci sensus, vt dixi psal.80. CAN. 24. *Hypallage.* C

Hebræi nomina nunc actiuè, nunc passiuè accipiunt. Sic timor vocatur, tam is quo timemus aliquem, quàm is qui timetur, vt Gen.31.42. Deus vocatur timor Isaac, id est, qui timebatur ab Isaac, quem Isaac metuebat & reuerebatur. Sic patientia non tantùm vocatur illa virtus, quæ nos impellit ad fortiter patiendum; sed etiam passio ipsa, & res aduersa quam patimur; imò & Deus ipse, propter quem patimur; vt psal.70.5. *Tu es patientia mea Domine.* D Sic amor non tantùm vocatur is quo amamus, sed & id quod amatur, vt, *Deus meus, amor meus, & omnia.* CAN. 25.

In Scriptura crebra est Liptote, (quæ potiùs λιτότης, id est tenuitas, dicenda est) hoc est diminutio, qua res magnæ verbis exilibus significantur, & quasi imminuuntur, qualis est illa Virgil. lib.3. Georgicon: CAN. 26.

Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Illaudati, id est, sceleratissimi, & maximè vituperandi. Busiris enim hospites suos mactare & immolare solebat. Sic 1. Reg.12.21. dicitur: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis*, id est, nolite declinare ad idola, quæ maximè oberūt eruntque noxia vobis. 1. Machab.2.21. *Non est vtile nobis* (id est, maximè oberit nobis) *relinquere legem.* Mi-

Michææ 2.1. *Væ qui cogitatis inutile*, id est, perniciosum. Leuit. 10.1. *Offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat*, id est, quod eis prohibitum erat. A

CAN. 27. Moses, inquit Clemens l. 6. Stromat. quia eruditus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, hinc subinde in suis legibus vtitur hieroglyphica eorum ratione, easque tradit per symbola & ænigmata. Sic & Eleazarus pontifex Aristææ (vt ipse testatur tract. de LXX. Interpret. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum) legato Ptolemæi Philadelphi, roganti, cur Moses quædam animalia vetuisset comedi, vel sacrificari, quibus aliæ gentes vterentur, respondit: hæc Mosis præcepta esse symbolica & ænigmatica, qualia sunt Symbola Pythagoræ, & hieroglyphica Ægyptiorum. Porro ænigmata Pythagoræ, inquit S. Hieron. lib. 3. contra Ruffin. B

Symbola Pythagoræ quæ.

talia erant: *Stateram ne transilias*, id est, ne prætergrediaris iustitiam. *ignem gladio ne fodias*, id est, iratum verbis ne lacessas. *coronam minimè carpendam esse*, id est, leges vrbium non vellicandas, sed conseruandas esse. *cor ne comedas*, id est, mœrorem de animo proiice. *per viam publicam ne ambules*, id est, ne multorum sequaris errorem. *hirundinem in domum non esse recipiendam*, id est, garrulos in domum non esse admittendos. *oneratis superponendum esse onus, deponentibus onus minimè communicandum esse*, id est, ad virtutem contendentibus augenda esse præcepta; laborem verò fugientes, & otio deditos, esse relinquendos.

CAN. 28. Hebræi recentiores ignorant significationem veram nominum propriorum animalium, herbarum, arborum, gemmarum; sed quisque eorum diuinat id quod vult: itaque in hac re certissima regula est, sequi antiquos doctissimos Hebræos, & C
præ omnibus Interpretem nostrum, qui Ecclesiæ iudicio omnium est optimus.

CAN. 29. Hebræa nomina animalium, arborum, lapidum generalia sunt, & pluribus communia. Sic שָׁפָן *saphan*, Leuit. 11. v. 5. significat chœrogryllum; sed Prouerb. 30. v. 26. significat leporem: psalm. verò 103. v. 18. significat herinaceum. Vide Riberam in c. 5. Zachar. n. 21.

CAN. 30. Hebræi sæpè actum, habitum & potentiam ponunt pro obiecto, & contrà, per metonymiam.

Oculus pro colore.

Sic oculum vel aspectum vocant colorem, qui est oculi & visus obiectum, vt Leuit. 13. 10. dicitur lepra mutare aspectum, id est, speciem & colorem. Sic rursum Deus dicitur timor, amor, spes, patientia, gloria nostra: quia est obiectum timoris, amoris, spei, patientiæ, gloriæ nostræ. est enim is quem D
timemus, amamus, speramus; propter quem patimur, in quo gloriamur.

CAN. 31. Moses in Pentateucho agit primò historicum, secundò legislatorem, tertiò prophetam. vnde nunc historicè, nunc iuridicè, nunc propheticè exponendus est.

CAN. 32. Coniunctio *&*, Hebræis sæpè est exegetica, notaque exponentis, significans *id est*, vt Leuit. 3. 3. *Quorum repleta, &* (id est) *consecrata manus.* replere enim manus oleo, erat eas consecrare ad sacerdotium. Sic Coloss. 2. 8. *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, &* (id est) *inanem fallaciam.* Non enim Apostolus damnare vult philosophiam verã, sed tantùm fallacem & sophisticam. Simili modo capitur *&* Matth. 13. 41. Ierem. 34. 21. & alibi.

CAN. 33. Hebræi interrogatione vtuntur sæpè, non in re dubia, sed clara, neque ad increpandum, sed ad excitandum acuendumque audientis animum. Sic Genes. 47. 19. dicunt Ægyptij Iosepho: *Cur moriemur te vidente?* Sic Exodi 4. 2. Deus ait Mosi: *Quid est quod tenes in manu tua?* & c. 14. 15. *Quid clamas ad me?* Sic illud Christi ad matrem, *Quid mihi & tibi est mulier?* non castigatio, sed spei est probatio, eam exacuens.

Omnia præcepta Pentateuchi, etiam iudicialia, sunt iuris diuini, quia à Deo sancita: quædam tamen ex ijs non videntur obligasse sub peccato mortali, sed tantùm veniali, ob leuitatem materiæ, vt *Agrum tuum non seres diuerso semine*, Leuit 19. 19. Si inueneris nidum, pullos cape, matrem dimitte, Deut. 22. v. 6. CAN. 34.

Scriptura, maximè in prophetiis, subinde simul complectitur typum & antitypum, hoc est rem, quam propriè verba significant, & simul allegoriam, quam res illa repræsentat; sed ita, vt quædam magis typo, quædam magis antitypo conueniant; tumque duplex illius loci est sensus literalis: prior historicus, secundus propheticus. Sic enim & ingeniosi adolescentes sæpè ludunt, & rident sociũ, dicendo, v. g. Tu es longis naribus, & simul significant eum esse sagacem. q. d. Tu æquè es nasutus ac nasatus: vbi vox nares & propriam retinet significationem, & alteram asciscit, per elegantem allusionem & allegoriam. Quid ni ergo Spiritus sanctus vno conceptu & oratione complecti possit signum & signatum, typum & veritatem? Exempla sunt 2. Reg. 7. 12. vbi ad literam loquitur de Salomone, sed tamen per hyperbolen quædam de eo dicit, quæ propriè & plenè ad literam soli Christo competunt. Sic Genes. 3. v. 14. Deus serpenti loquitur, & per eum diabolo in eo latenti: vnde quædam dicit, quæ propriè serpenti competunt, quale est illud, *Super pectus gradieris, & terram comedes*, quædam, quæ propriè diabolo competunt, quale est illud, *Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem: ipsa conteret caput tuum.* Sic Moses Deuter. 18. 18. per Prophetam, quem post se promittit, tum quoslibet Prophetas, tum propriè Christũ intelligit. Sic Balaam dicens, quòd Israel vastabit Moab, Idumæam, & filios Seth, Num. 24. v. 17. per Israel, tum Dauidem, tum Christum intelligit. Sic Isaias cap. 14. 11. & seq. describit casum regis Babylonis, per casum Luciferi. vnde quædam dicit, quæ propriè Lucifero, Balsasari verò figuratè tantùm, id est, hyperbolicè vel parabolicè conueniunt, vt, *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer? detracta est ad inferos superbia tua, qui dicebas: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* quædam verò dicit, quæ propriè conueniunt Balsasari, vt, *Concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Simili modo Ezechiel c. 28. v. 12 & 14. describit opes & casum regis Tyri instar opum & casus Cherubini alicuius. Mens enim Prophetæ rapitur ab altissimo lumine prophetico, in quo omnia sunt exilia & coniuncta, vnumq; videtur esse figura alterius. hinc saliunt sæpè Prophetæ ab vno ad aliud, tum ob causam iam dictam, tum ob elegantiam, quâ similia similibus comparant & adumbrant. CAN. 35.

Plures etiam, non tantùm typicos, & typicè subordinatos, sed etiam dissimiles & disparatos, posse esse sensus literales S. Scripturæ docet S. August. li. 12. Confess. c. 18. 25. 26. 31. & 32. quem citat & sequitur D. Thom. 1. p. q. 1. a. 10. in corp. idque CAN. 36.

colligitur ex Conc. Lateranensi c. *Firmiter, de sum. Trinit.* vbi Concilium ex illo Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, iuxta duos sensus literales, duas cōcludit veritates, scilicet, quòd mundus inceperit, quasi *τὸ in principio*, significet principium temporis; & quòd nihil ante mundum sit productum, quasi *τὸ in principio*, idem sit quod, ante omnia. Sic illud psalm. 2. 7. *Ego hodie genui te*, Patres tam de humana, quàm de diuina Christi generatione explicant. Hinc & versio Septuag. alium subinde dat sensum literalem, quàm nostra; & olim multæ aliæ versiones erant, differentes ab inuicem. Sic alio sensu Caiphas, alio Spiritus sanctus per os eius dixit: *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo*, Iohan. 11. 50. & tamen vtrumque, scilicet tam Caiphæ, quàm Spiritus sancti, sensum & mentem enarrat & hisce verbis significat S. Iohannes. Verùm in hoc, vti & in alijs plerisque, vnus sensus alteri aliquâ ratione coniunctus, & quasi subordinatus est.

CAN. 37. Apud Hebræos, præsertim Prophetas, crebra est enallage, & cōmutatio, tum personæ, vt transeant à prima vel secunda, in tertiam; qualis est Deut. 33. 7. tum temporis, vt præteritum ponant pro futuro, ob futuri certitudinē, qualis est Deuter. 32. v. 15. 16. 17. 18. 21. 22. & sequent. tum numeri, vt à singulari transeant in pluralem, & contrà, qualis est Deuter. 31. v. 15. & 16. tum generis, vt à feminino transeant in masculinum, & contrà, qualis est Genes. 3. 15.

CAN. 38. Climata, seu plagæ orbis, vt Oriens, Occidens, Meridies, Septemtrio, in Scriptura intelligenda sunt iuxta situm Iudææ, Ierusalem & templi. Iudæis enim scribunt Moses alijque hagiographi: & Iudæa sita quasi in medio orbis habitati & culti, erat terra & peculium Dei.

CAN. 39. Vna res est figura duorum, etiam contrariorum, sed alio & alio respectu. Sic diluuium, quatenus in eo enatauit Noë per arcam, fuit fidelibus typus baptismi: quatenus verò eo mersi sunt impij, fuit typus supplicij reprobis irrogandi in extremo iudicio. Sic Christus est petra & lapis angularis Ecclesiæ, sed pijs est lapis salutis; infidelibus verò & impijs est lapis offensionis, & petra scandali. Sic Christus vocatur leo, ob fortitudinem: diabolus verò vocatur leo ob crudelitatem & rapacitatem. Tradunt hunc canonem S. August. epist. 99. ad Euodium, & S. Basilius in Isaiæ c. 2.

CAN. 40. In sensu literali omnes sententiæ, omniaque verba debent explicari, & accōmodari rei significatæ: id autem non est necesse in sensu allegorico. imò S. Hieron. Gregor. Origen. & alij sæpè liberam volunt esse allegoriam, atque in ea explicanda non seruant rigorem historiæ. Exemplum est in Dauidis adulterio, quod S. August. Ambros. & alij docent fuisse typum amoris Christi in Ecclesiam Gentium, quæ antea cum idolis vt adultera vixerat. Verùm propria & solida allegoria debet respondere historiæ, & quo aptiùs respondet, eo aptior est; imò alioqui non est proprius Scripturæ sensus, sed quasi accommodatitius. Sicut enim literalis est is, quem primò verba significant: ita allegoricus est, quem res per literalem sensum significatæ, adumbrant & significant. ita docet S. Hieronymus in Osee 3. vbi retractat contrarium, quod alibi dixerat.

CAN. 41. In Mose & Scriptura non rarò est hendiadys, quæ figura est, qua vnum in duo diuiditur, vnde

A rectiùs vocatur ἓν διὰ δυοῖν, id est, vnum per duo, vt apud Virgil. Æneid. 1. *Molemq; & montes insuper altos imposuit*, id est, moles altorum montium imposuit. & alibi: *Aurum frenosq; momordit*, id est, frenos aureos momordit, & alibi: *Pateris libamus & auro*, id est, pateris aureis. Talis est Genes. 1 14. *Sint* (sol & luna) *in signa, & tempora, & dies & annos*, id est, sint in signa temporum, dierum & annorum. Talis quoque est Coloss. 2. 8. *Videte, ne quis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam*, id est, per philosophiam inanis fallaciæ, siue quæ sit inanis fallacia. q. d. Non damno omnem philosophiam, sed eam tantùm quæ non est aliud, quàm inanis fallacia. *τὸ* enim *&*, ibi & alibi, per *id est*, exponi debet.

Solet Moses alijque Prophetæ, redemptionem Christi duplici nomine, & ferè copulato significare, putà strage & salute, vltione & redemptione, indignatione & pace, sanguine & incolumitate, pretio & victoria. Hinc Secundò, Prophetæ, nulla facta distinctione inter hostes & ciues, Christum venientem ad redimendos homines, inducunt quasi ducem cataphractum, qui diuino furore actus in homines irruit, atque obuios quosque deturbat, proterit, trucidat. Sic enim canit Balaam Numer. 24. 17. de Christo Saluatore: *Percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth*, id est, omnes homines: hi enim prognati sunt ex Adam per Seth. Et Psaltes psal. 109. 6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorū, de torrente in via bibet.* & Isaias c. 61. describit Christi consolationem & redemptionem; cap. verò 63. eiusdem vltionem: *Conculcaui*, inquit, *eos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Dies enim vltionis in corde meo.* ac mox subiungit: *In dilectione sua, & in indulgentia sua, ipse redemit eos*, &c. CAN. 42.

Causa huius rei & phrasis est duplex: prior, quia vtraque libertas temporalis, quæ spiritalem humani generis quasi typus præcessit, videlicet Ægyptia & Babylonia (ad hasce enim alludunt) non sine sanguine & cæde hostium, puta Ægyptiorum in mari rubro, & Chaldæorum per Cyrum parta & peracta fuit. Posterior, quia in hac Christi vltione & redemptione, iidem sunt hostes & amici, debellati & liberati, enecti & redempti, sed ingenio, moribus & affectu dissimiles. Qui enim priùs erant infideles & impij, per Christum facti sunt fideles & pij. Christus ergo occidit gentes & homines, & alios, imò eosdem suscitauit: quia v. g. occidit Petrum idololatram, ebrium, adulterum; & eumdem suscitauit, fecitq; Petrum deicolam, sobrium, castum, &c. Pro quo

Nota. Peccator duplicem refert personam, & duplici quasi natura subsistit, puta hominis & dæmonis, siue vitij & peccati; illa est militis, ista hostis Christi; illa erat liberanda, ista debellanda; ad illam pertinet annus remissionis, ad istam dies vindictæ; illa comparatur Israelitis redemptis, ista Ægyptijs & Babylonijs trucidatis. Sic ergo furor Christi contra dæmonem, eiusque asseclas, scilicet vitia, militat, eaque ab homine expellit, vt regnum Dei in homine collocet, hominemq; sibi & Deo restituat.

Quia verò Pentateuchus continet chronica mundi, visum est, breuem hîc & probabilē chronologiam, lectori vtilem & iucundam proponere in

SYNOPSIS CHRONOLOGIÆ MUNDI, SIVE TOTIUS VETERIS TESTAMENTI AB ADAMO USQUE AD CHRISTUM.

Anni ab exordio Mundi	Ab Adam	A Noe	A Diluuio	Ab Abraham	A Repromissione	Ab ingressu Iacob in Ægyptum	A morte Ioseph	A seruitute Ægypti sub Pharaone	Ab exitu ex Ægypto	A Iudicibus et Iosue	A Regibus	A templo Salomonis	Ab Olympiadibus	A Roma Condita	A Captiuitate X. tribuum	A transmigratione Iechoniæ	A Captiuitate Babylonica	A libertate sub Cyro	Ab hebdomadibus Danielis	Ab Annis Græcorum	A Machabæis	A subiecta Iudæa	Ab Annis Iulianis	A Christo nato	A primo Anno Christi	A Baptismo Christi	A morte Christi
	1																										
Ad Noe	1056																										
Ad diluuium, puta finem diluuii	1657	601																									
Ad Abraham	1949	893	292																								
Ad repromissionem Abrahæ factam	2024	968	367	75																							
Ad ingressum Iacob in Ægyptum	2239	1183	582	290	215																						
Ad mortem Ioseph	2310	1254	653	361	286	71																					
Ad seruitutem Ægypti in luto et paleis	2366	1310	709	417	342	127	56																				
Ad egressum Israelitarum ex Ægypto	2454	1398	797	505	430	215	144	88																			
Ad ingressum in terrā promissionis et Iudices	2494	1438	837	545	470	255	184	128	40																		
Ad Reges	2850	1794	1193	901	826	611	540	484	396	356																	
Ad templum Salomonis	2833	1877	1276	984	909	694	623	567	479	439	83																
Ad Olympiades	3176	2120	1519	1227	1152	937	866	810	722	682	326	243															
Ad Romam conditam	3199	2143	1542	1250	1175	960	889	833	745	705	349	266	23														
Ad captiuitatem X. tribuum sub Salmanasar	3226	2170	1569	1277	1202	987	916	860	772	732	376	293	50	27													
Ad deportationem Iechoniæ siue Ioachin	3349	2293	1692	1400	1325	1110	1039	983	895	855	499	416	173	150	123												
Ad Captiu. Babyl. et excid. Ierosl. per Nabuchod.	3359	2303	1702	1410	1335	1120	1049	993	905	865	509	426	183	160	133	10											
Ad libertatē sub Cyro, ab eius Monarchatu	3419	2363	1762	1470	1395	1180	1109	1053	965	925	569	486	243	220	193	70	60										
Ad Hebdomadas Danielis	3497	2441	1840	1548	1473	1258	1187	1131	1043	1003	647	564	321	298	271	148	138	78									
Ad annos Græcorum, siue Seleucidarum	3640	2584	1983	1691	1616	1401	1330	1274	1186	1146	790	707	464	441	414	291	281	221	143								
Ad Machabæos	3785	2729	2128	1836	1761	1546	1475	1419	1331	1291	935	852	609	586	559	436	426	366	288	145							
Ad subiectam Iudæam Romanis a Pompeio	3888	2832	2231	1939	1864	1649	1578	1522	1434	1394	1038	955	712	689	662	539	529	469	391	248	103						
Ad annos Iulianos a reformatione Calēdarij	3907	2851	2250	1958	1883	1668	1597	1541	1453	1413	1057	974	731	708	681	558	548	488	410	267	122	19					
Ad Natiuitatem Christi	3950	2894	2293	2001	1926	1711	1640	1584	1496	1456	1100	1017	774	751	724	601	591	531	453	310	165	62	43				
Annus primus Christi	3951	2895	2294	2002	1927	1712	1641	1585	1497	1457	1101	1018	775	752	725	602	592	532	454	311	166	63	44	1			
Ad Baptismum Seruatoris	3981	2925	2324	2032	1957	1742	1671	1615	1527	1487	1131	1048	805	782	755	632	622	562	484	341	196	93	74	31	30		
Ad Passionem Redemptoris	3984	2928	2327	2035	1960	1745	1674	1618	1530	1490	1134	1051	808	785	758	635	625	565	487	344	199	96	77	34	33	3	
Ad Finem hebdomadum Danielis	3987	2931	2330	2038	1963	1748	1677	1621	1533	1493	1137	1054	811	788	761	638	628	568	490	347	202	99	80	37	36	6	3

Finis hebdomadum Danielis.

Atque vt horum omnium epitomen habeas, nota, et retine, ab Adamo vsque ad diluuium fluxerunt A.° 1656. vt colligitur Genesis 5. et 6. vsque ad finem vero diluuij fluxerunt A.° 1657.
Diluuium enim durauit annum integrum, Gen. 8.
A fine diluuij vsque ad Natiuitatem Abrahæ, fluxerunt Anni 292, vt colligitur Genes. 10.
A Natiuitate Abrahæ vsque ad eius vocationem, et repromissionem ei factam, fluxerunt A.° 75. vt patet Genes. 12. v. 4.
Ab hac repromissione vsque ad exitum Moysis et Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt Anni 430. vt patet ad Galatas 3. v. 17.
Ab exitu Hebræorum ex Ægypto, vsque ad annum quo cœpit ædificari templum Salomonis, fluxerunt Anni 480. vt patet 3. Regum 6. v. 1.
Ab ædificatione templi Salomonis vsque ad Captiu. Babylonicam, et templi, vrbisque Ierosol. excidium, fluxerunt A.° 426. qui colliguntur ex annis Regum Iuda et Israel, descriptis in lib. Regum.
A Captiuitate Babylonica vsque ad annos Græcorum, siue Seleucidarum (a quibus libri Machabæorum computant, et consignant suas historias, quique incipiunt post mortem
Alexandri Magni Anno duodecimo, quo Seleucus imposuit sibi diadema Asiæ) fluxerunt Anni 281.
Ab Annis Græcorum vsque ad Machabæos, fluxerunt Anni 145.
A Machabæis vsque ad CHRISTVM fluxerunt Anni [illegible] CHRISTVS vero natus est Anno mundi [illegible]

in qua quasi in synopsi vnico intuitu singularum personarum, vel rerum illustrium in sacra Script. ætates & tempora eorumq; distantias intueatur. Accepi eam à bonæ memoriæ R. P. Henrico Samerio, qui exactè eam elaborauit: non caruit tamen mendis, à quibus diligenter eam expurgaui. Omittit ipse Cainan: Sauli soli post Samuelem dat annos 40. vt innuitur Actor. 13. v. 21. & 70. annos captiuitatis vel seruitutis, quos prædixit Ieremias c.25. v. 11. & c.24. v. 10. probabiliter orditur à deportatione & captiuitate Iechoniæ siue Ioachin, qui fuit filius Ioakim, & nepos Sedeciæ; de quibus alijsque suis locis fusiùs agam, eaque exactiùs examinabo. Anni in hac tabula scripti in prima recta serie, & notati in laterculo illi cõiuncto, significãt annos mundi successiuè increscentes vsque ad Christum. Anni verò notati in transuersis lineis & laterculis, significant distantias eorumdem ab inuicem, si cum ijs qui in recta serie sunt combinentur, ita vt in vnum eumdemq; laterculum concurrant. v.g. laterculus secundus transuersus concurrens cum quarto in linea recta, significat à diluuio vsque ad Abraham fluxisse annos ducentos nonaginta duos.

Nota Primò. Eadem res subinde vno anno anteriùs, subinde vno anno posteriùs consignatur. verbi gratia, ab exitu Hebræorum ex Ægypto vsque ad templum Salomonis, subinde numerantur anni 479. scilicet completi, subinde 480. scilicet inchoati: inchoatus enim erat annus 480. cùm cœpit fabrica templi. hinc commune est chronologorum axioma, vnum annum in chronologia nullam afferre differentiam temporum, ac proinde non esse æstimandum.

Nota Secundò. Sicut Iudæi & Christiani suam chronologiam incipiunt ab Adamo, vel à diluuio, vel ab Abraham, vel ab egressu Hebræorum ex Ægypto: ita Ethnici sua tempora supputant Primò, à Nino & Semiramide, qui primam monarchiam Assyriorum condiderunt, quorum tempore vixit Abraham. Secundò, à diluuio Ogygis, ac regno Inachi & Phoronei regum, quod incidit in tempora Iacob patriarchæ. Tertiò, à bello & excidio Troiæ, quod euenit sub tempora Samsonis, & Heli pontificis. Quartò, ab initio Olympiadũ, quæ cœperunt sub finem regni Oziæ regis Iuda. Quintò, ab origine vrbis Romæ, quæ contigit sub finem regni Ioatham regis Iuda.



COM-

COMMENTARIA IN GENESIM.

ARGVMENTVM.



INSCRIBITVR hic liber hebraicè de more à prima libri voce בראשית *bereschit*, id est, in principio; græcè & latinè vocatur Genesis. Enarrat enim generationem, id est, creationem, siue natales mundi & hominis, eiusq; lapsum, propagationem & gesta, maximè patriarcharum, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph: completiturque Genesis gesta annorum 2310. tot enim interfluxerunt ab Adamo, & à mundi creatione vsque ad mortem Iosephi, in qua finitur Genesis, vt patet, si addas annos patrum in hac chronologia. nam

Chronologia Genesios.

Ab Adam vsq; ad diluuiũ fluxerunt anni 1656.
A diluuio ad Abraham anni 292.
Anno 100. Abrahæ natus est Isaac, Genes. 21. 4.
Anno 60. Isaaci natus est Iacob, Genes. 25. 26.
Anno 91. Iacobi natus est Ioseph, vti ostendam Genes. 30. v. 25.
Ioseph vixit annos 110. Genesis 50. v. 25.
Adde hos annos, inuenies ab Adamo ad mortem Iosephi annos 2310.

Diuidi potest Genesis in quatuor partes, quas totidem tomis diuisit & prosecutus est Pererius. Prima complectitur gesta ab Adam vsque ad diluuium, Genesis 7. Secunda continet gesta à Noë & diluuio vsque ad Abraham, putà ea quæ narrantur à c. 7. vsque ad c. 12. Tertia continet gesta Abrahæ à cap. 12. vsque ad Abrahæ mortem, Genes. 25. Quarta à cap. 25. ad finem Geneseos complectitur gesta Isaaci, Iacobi & Iosephi, finiturque in morte Iosephi.

Scriptores in Genesim.

Scripserunt in Genesim Origenes, S. Hieronymus, August. Theodor. Procopius, Chrysost. Eucherius, Rupertus, & alij, S. Ambrosius post S. Basilium scripsit lib. Hexameron, item lib. de Noë, de Abraham, de Isaac, Iacob, Ioseph. &c. B. Cyrillus scripsit libros 5. quibus adde eiusdem Glaphyra, id est, exsculpta, q. d. Pauca è multis selecta, quibus non literalem, sed mysticum ferè sensum persequitur. Extant ea manu scripta, quibus ego vsus sum, eaque pòst cum alijs edidit noster P. Andr. Schottus. Scripsit etiam Albinus Flaccus quæst. in Genes. Scripsit quoque in priora capita Gen. Iunilius Episc. Africanus, qui extat tom. 6. Biblioth. SS. Patrum. Scripsit insuper Anastasius Sinaita monachus, ac postea Antiochiæ Episc. & Martyr, an. Domini. 600. vndecim libros Hexam. in Genes. in quibus alleg. de Christo & Ecclesia prima Genes. capita exponit. Extant in append. Bibliothecæ SS. Patrum. Scripsit & Thomas Doctor, non sanctus ille Angelicus, sed Anglicus, putà Eboracensis Doctor sub an. Christi 1400. Anglici enim hæc esse, non Angelici Doctoris, testis est S. Antoninus, & Sixtus Senensis li. 4. Bibliothecæ sanctæ: licet S. Thomæ Aquinati hæc adscribere conetur Antonius Senensis qui primus ea edidit: & quia vulgò hæc nomine S. Thomæ citantur, nos quoque ita loquemur, ne quis alium aliquem nos citare putet. Scripserunt quoque in Genesim post Lyranum, Hugonem, Dionysium Carthusianum, recentiores permulti; inter quos excellit varietate doctrinæ Pererius. Scripsit olim præ cæteris prolixè, magno singulorum examine & iudicio, Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, cui meritò hoc datur elogium:

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

mortuus est enim anno ætatis quadragesimo. Denique scripsit nuper in cap. 1. Geneseos duos ingentes tomos Ascanius Martinengus Brixianus, quos *glossam magnam in Genesin* inscribit: in qua catenam è Patribus & Doctoribus texit, ac quæstiones omnes incidentes fusè discutit.

Verùm, quia de S. Scriptura verissimum est illud: Ars longa, vita breuis; hac de causa, quæ alij fusè dixerunt, ego in pauca constringam, & impensè breuitati, æquè ac soliditati & methodo studebo: ideoque moralia præclariora tantùm intexam, & subinde ad Auctores, qui fusiùs ea pertractant, remittam: atque hîc semel vniuersim concionatores, omnesque qui moralibus inhiant, monitos velim, vt legant S. Chrysostomum, Ambrosium, Origenem, Rupertum, Rabanum, Hieronymum ab Oleastro, Pererium, Hamerum, Caponium, & Iohannem Ferum, qui tamen cum grano salis legi debet: valdè enim fidem extollit, quod propter Lutherum, & Caluinum hoc tempore periculosum est. Denique legant Dionysium Carthusianum, qui singula ferè moraliter applicat & explicat: atque Antonium Honcalam Canonicum Abulensem, qui piè æquè ac doctè in Genesim commentatur.

Denique, dum hosce iam dictos citabo, non annotabo locum; subintelligo enim, quod cuique obuium est cogitare, ipsos in hunc locum quem tracto id dicere: aliàs ordinariè locum annotabo. In opere autem Hexameron Genes. 1. loca non annotabo; quia omnes sciunt interpretes illud ibidem tractare, Scholasticos verò in 2. sent. dist. 12. & sequent. aut p. 1 q. 66. & seqq. Iam quia nonnulli Patres & Doctores verbis sunt profluі & prolixi; ego vero breuiloquus sum, ne opus nimis excrescat, & lector defatigetur, hac de causa subinde verba eorum redundantia & iterata succido, ac nonnullis intermedijs omissis, seligo connectoque ea quæ neruum & pondus maius habent: itaque omnem eorum succum extraho, eumque in pauca ipsorummet verba contraho, vt legentium & tempori, & gustui commodisque consulam.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*Escribitur mundi creatio & opus sex dierum, scilicet primo die factum est cælum, terra & lux. Secundo die v.6. factum est firmamentum. Tertio die v.9. factum est mare & arida cum herbis & plantis. Quarto die v.14. factus est sol, luna, & stellæ. Quinto die v.20. producti sunt pisces & aues. Sexto die v.24. producta sunt iumenta, reptilia, bestiæ, & homo, eisq; Deus benedicit, & cibum assignat, cæterisq; hominem quasi dominum præficit.*

1. IN principio creauit Deus cælum & terram. 2. Terra autem erat ina-
nis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Dei fereba-
tur super aquas. 3. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. 4. Et vi-
dit Deus lucem quòd esset bona: Et diuisit lucem à tenebris. 5. Appel-
lauitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factumque est vespere & mane, dies vnus.
6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentũ in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis.
7. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ
erant super firmamentum. Et factum est ita. 8. Vocauitque Deus firmamentum, Cæ-
lum: & factum est vespere & mane, dies secundus. 9. Dixit verò Deus: Congregentur
aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita. 10. Et
vocauit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellauit, Maria. Et vidit
Deus quòd esset bonum. 11. Et ait: Germinet terra herbam virentem & facientem
semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta semen suum, cuius semen in se-
metipso sit super terram. Et factum est ita. 12. Et protulit terra herbam virentem, &
facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquod-
que sementem secundùm speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum. 13. Et fa-
ctum est vespere & mane, dies tertius. 14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in fir-
mamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos:
15. vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. 16. Fecit-
que Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus,
vt præesset nocti: & stellas. 17. Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super
terram, 18. & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus
quòd esset bonum. 19. Et factum est vespere & mane, dies quartus. 20. Dixit et-
iam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firma-
mento cæli. 21. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque
motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus
suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. 22. Benedixitque eis, dicens: Crescite, &
multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram. 23. Et
factum est vespere & mane, dies quintus. 24. Dixit quoque Deus: Producat terra
animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species
suas. Factumq; est ita. 25. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta &
omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum. 26. & ait: Facia-
mus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & vo-
latilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.
27. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum,
masculum & feminam creauit eos. 28. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, &
multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &
volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. 29. Dixitq;
Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa li-
gna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam: 30. & cun-
ctis animantibus terræ, omniq; volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in
quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. 31. Viditq; Deus
cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona. Et factum est vespere & mane, dies sextus.

VERS. 1. *Quid in principio? Prima exposit.*

N PRINCIPIO] Primò, S. August. lib. 1. de Genesi ad lit. c. 1. Ambrosius & Basilius hom. 1. Hexam. *In principio*, inquiunt, id est in Filio. per Filium enim quasi ideam & sapientiam Patris omnia esse creata, docet Apostolus Coloss. 1. v. 16. Verùm hæc expositio mystica est & symbolica.

A

Secunda. Secundò & meliùs ad literam, ijdem Augustinus, Ambrosius, & Basilius ibidem, & Concilium Lateran. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate & fide Ca-

Catholica, *In principio*, inquiunt, id est in primordio seu initio, non æternitatis, non æui, sed temporis & mundi, quando nimirū simul cum mundo cœpit mundi duratio, putà tempus. Licet enim initio mundi non esset tale tempus quale iam est: iam enim tempus nostrum est mensura motus primi mobilis, solis & cælorum; tunc autem necdum erat primum mobile, sol, & cæli, & consequenter necdum erat eorum motus, qui tempore mensurari posset: erat tamen tunc duratio rei corporeæ, putà cæli & terræ, quæ similis & commensa erat tempori nostro, ac proinde re ipsa erat tempus: res enim corporea mensuratur tempore, siue ipsa moueatur, siue quiescat. tempus enim est mensura corporum: sicut æuum est angelorum, & æternitas Dei. Aristotelicè tamen loquendo, tempus saltem natura posterius est motu, & corpore mobili. Vnde S. Augustin. in Sententijs num. 280. *Facta creatura*, inquit, *motibus cœperunt currere tempora. Vnde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inueniri ante ipsa tempora. Motu enim si nullus esset, vel spiritalis, vel corporalis creaturæ, quo per præsens præterita futura succederent; tempus nullum omnino esset. Moueri autem creatum non vtique posset, si non esset. Potiùs ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit ex tempore: vtrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Quale tempus ante motum primi mobilis.

Nota, Deum creasse cælum & terram non in tempore, sed in principio temporis, id est, in primo temporis momento, putà in primo mundi instanti. S. Basilius & Beda putant cælum & terram non primo die, sed paulò ante primum diem, vtpote ante lucem, creata esse. Verùm hæc non ante, sed ipso primo die, putà initio primæ diei, antequam lux produceretur, creata esse, patet Exodi 20. v. 1.

Quando creatum cælum & terra.

Tertia. Tertiò & simplicissimè: *in principio*, id est, ante omnia, ita vt nihil Deus crearit priùs, vel ante cælum & terram. Sic Iohannis 1. v. 1. dicitur, *In principio erat Verbum*, quasi diceret, Ante omnia, putà ab æterno, erat Verbum. Hunc sensum adfert quoque S. Augustinus suprà.

Vterque hic sensus genuinus est & litteralis: & ex secundo contra Platonem, Aristotelem, & alios patet, mundum non esse æternum. Ex tertio patet, angelos, non ante mundum corporeum, sed simul cum eo à Deo creatos esse, vti docet Concil. Lateran. inferiùs citandum.

Quarta. Tribus hisce alias explicationes addunt veteres. Quartò ergo, *in principio*, id est in principatu, seu in potentia regia (hanc enim significat quoque Græcum ἀρχή: vnde ἄρχοντες vocantur principes & magistratus) Deus fecit cælum & terram, inquit Tertull. libr. contra Hermogenem. Sic & Procopius: *Deus*, inquit, *qui est Rex regum, & planissimè sui iuris existens, nec aliunde pendens, cunctáque pro suo arbitrio administrans, excitauit hoc vniuersum simul cum speciebus & formis; imò & materiam ipse deprompsit, nec aliunde eam mutuatus est.*

Quinta. Quintò, Aquila pro *in principio*, vertit, *in capite*, id est summatim, simul omnia comprehensim, seu aceruatim. Deus enim creans cælum & terram, in ijs simul quasi reliqua omnia creauit summatim. ex ijs enim cætera postmodum efformauit. Hebræum enim *resit*, id est principium, deducitur à ראש *ros*, id est caput.

Sexta. Sextò, S. Ambrosius & S. Basilius homil. 1. Hexam. *in principio*, inquiunt, id est in momento, citra omnem, etiam minimā, temporis morulam. nam impartibile est principium. Sicut enim principium viæ non est via, sic principium temporis non est tempus, sed instans.

Septima. Septimò, *in principio*, id est vt res principales, præstantiores & primordiales. ita S. Ambrosius Procop. & Beda.

Octaua. Octauò, *in principio*, id est prima, tamquam fundamenta & bases vniuersi, inquit S. Basilius & Procop. Sic dicitur, *Principium sapientiæ timor Domini* est enim timor fundamentum sapientiæ, & primus ad eam gradus.

Nona. Denique Iunilius hîc, ב, inquit, *in principio* notat Dei æternitatem & omnipotentiam. *Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designatur: & quem ipso conditionis initio cælum & terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat.*

Creauit Vnde? CREAVIT] propriè scilicet ex nihilo, ex nulla materia præexistente. Ita sancta illa mater Machabæorum l. 2. c. 7. ad filium: *Peto*, ait, *nate vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* *Quis?* Secundò, *creauit*, scilicet solus, vt ait Isaias c. 44. v. 24 per se, suamque omnipotentiam; non per angelos, vtpote qui necdum erant, & etiamsi fuissent, creationis tamen non possunt esse administri. *Ad quid?* Tertiò, *creauit* secundùm ideam & exemplar, quod ab æterno mente sua conceperat. Tunc enim Deus erat

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse,

Cur? vt canit Boëthius l. 3. de Consolat. metro 9. Quartò, creauit cælum, non quòd illo indigeret, sed quia bonus est; & quia voluit hac ratione Deus bonitatem suam mundo & hominibus communicare. Decebat enim, vt à bono Deo bona opera fierent, ait Plato, & ex Platone S. August. libr. 11. de Ciuit. cap. 21 Quare pulchrè idem Augustinus 1. Confess. 1. *Fecisti*, inquit, *nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* &, *Cælum & terra clamant Domine, vt amemus te.*

Nota. Creare apud Ciceronem & Gentiles est generare: apud Græcos verò idem sunt creatio & conditio. Verùm in S. Scriptura creare cùm dicitur de ijs quæ antè nullo modo extiterunt, significat ex nihilo aliquid facere. Ita S. Cyrillus lib. 5. Thesauri c. 4. S. Athanas. in epist. quæ *Synodi Nicenæ decreta contra Arrianos* inscribitur, S. Iustinus in Admonitorio, Rupertus lib 1. in Genes. cap. 3. Beda & Lyra hîc. Nam, vt docet D. Thom. 1. p q. 61. a. 5. emanatio vniuersalis rerum omnium non nisi ex nihilo fieri potuit.

Hieronymus ab Oleastro Hebræum ברא *bara* vertit, *diuisit*. Vnde sic ipse transfert, *in principio diuisit Deus cælum & terram.* Putat enim ipse Deum primò omnium creasse aquas cum terra, easque maximas & vastissimas, atque ex eis deinde produxisse cælos (quod hîc tacet & præsupponit Scriptura) ac denique easà terra & aquis diuisisse, idque hîc tantùm exprimi. Verùm hoc figmentum ab omnibus Patribus & Doctoribus reijcitur, qui *bara* vertunt, *creauit*. Hoc enim propriè significat: nusquā enim significat *diuisit*, vti sciunt hebraicè docti. Nam Moses hîc primam mundi molitionem & productionem describit, ab eaque Geneseos, id est nataliū mundi, historiam orditur.

Loca

A Loca similia quæ ex Iosue & Ezechiele pro se citat Oleaster, nil probant. Ibi enim *bara* non diuidere, sed succidere & destruere significat. Est enim vnum ex ijs quæ sunt contrariæ significationis.

Tropologia de triplici creaturarũ contemplatione.

Tropologicè, tripliciter contemplandæ sunt creaturæ. Primò, considerando quid sint ex se, nimirum nihil, quia ex nihilo factæ sunt, & ex se in dies mutantur, & ad nihilum tendunt. Secundò, considerando quid sint ex dono creatoris, scilicet bonæ, pulchræ, stabiles & æternæ, itaque opificis sui imitentur stabilitatem. Tertiò, quòd Deus ijs vtatur ad hominum punitionem & præmiationem. Sic audimus omnem creaturam hæc tria nobis inclamantem: *Accipe, redde, fuge.* accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium. Prima vox est famulantis, secunda admonentis, tertia comminantis.

Philosophorum errores refutantur.

B Hinc patet Primò, error Stratonis Lampsaceni, qui mundum ingenitum fuisse, & suapte vi ab æterno extitisse finxit. Secundò, error Platonis & Stoicorum, dicentium mundum à Deo quidem fuisse conditum, sed ex materia æterna & ingenita; quia hæc materia esset increata, Deoque coæterna, ac consequenter esset ipse Deus, vt rectè obijcit Hermogeni Tertull. Tertiò, error Peripateticorum, asserentium Deum non voluntate, nec liberè, sed ex naturæ necessitate ab æterno creasse mundum. Quartò, error Epicuri, docentis mundum fortuita atomorum coitione & coniunctione esse productum.

Præclarè S. August. li. 11. de Ciuit. c. 4. *Mundus ipse*, inquit, *ordinatissima suâ mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque inuisibiliter magno, & ineffabiliter atque inuisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.* Hinc omnes philosophorum scholæ quæ diuinius aliquid sapuerunt, nihil esse quod tam arguat & factum esse à Deo mundum, & eius cura administrari, consensu vnico affirmant, quàm aspectum ipsum mundi totius, considerationemq; decoris eius atque ordinis. ita Plato, Stoici, Cicero, Plutarch. & Aristotel. cuius hac de re argumentum refertur à Cicerone lib. 2. de Natura deorum.

Quomodo creauit.

C Nota. Deus creauit cælum & terram iubendo & dicendo, Fiat cælum & terra, vt expresse habetur 4. Esdræ 6. v. 38. & psal. 32. v. 6. *Verbo*, inquit, *Domini cæli firmati sunt.* vnde infert S. Basilius, qua potestate, arte, libertate Deus fecit hunc mundum, eadem potest alios plures creare: rursum, eadem potest mundum annihilare. Mundus enim respectu Dei est quasi stilla situlæ, & quasi gutta roris, vt dicitur Isaiæ 40. v. 15. Sapient. 11. v. 23. hinc & Deus dicitur tribus digitis appendere molem terræ.

Obiectio.

D Dices, Cur ergo Moses non dicit hic Deum dixisse, Fiat cælum; sicut ait eum dixisse, Fiat lux?

Responsio.

Respond. Mosen vti potius verbo *creauit* quàm Dixit, ne populus Iudæorum rudis ex verbo, Fiat, conciperet materiam præuiam, cui Deus dixerit, vel ex qua cælum & terram produxerit. Ita Rupertus, qui tres causas assignat. Primùm, inquit, cùm ipsum principium sit Dei Verbum, superfluum & ineptum esset dicere: *In principio dixit Deus.* Secundò, quia nondum erat aliquid cui præceptum fieret. Tertiò, dicit *creauit*, non *fiat*, vt materiæ omnis creator Deus euinceretur.

Hæreticorũ errores.

DEVS] Errant ergo Simon Magus, Arrius, & alij, dicentes, quòd Deus crearit Filium; Filius verò crearit Spiritum sanctum; Spiritus sanctus crearit angelos; angeli mundum. Errant Secundò, Pythagoras, Manichæi & Priscillianistæ, dicentes duo esse principia rerum, siue duos esse deos: vnum bonum, conditorem spirituum; secundum malum, conditorem corporum. Pro *Deus* hebr. est אֱלֹהִים *elohim*, quod deducitur ab אֵל *el*, id est fortis, & אָלָה *ala*, id est adiurauit, obligauit, astrinxit; eò quòd Deus suam potentiam, virtutem, & bona omnia det & conseruet creaturis; & per hoc eas sibi quasi iuramento obstringat ad sui cultum, obedientiam, timorem, fidem, spem, inuocationem, gratitudinem.

Vocis Elohim explicatio.

Elohim itaque dicitur Deus, qua creator, gubernator, iudex, inspector, & vindex vniuersorum: hocque nomine Elohim vtitur hîc Moses. Primò, ad hoc, vt sciant homines eumdem esse conditorem mundi & iudicem, qui, sicut mundum creauit, ita & iudicabit, quasi Elohim, id est iudex. Secundò, vt sciant Dei voluntate, iudicio, sapientia mundum esse conditũ à Deo. Tertiò, vt sciant cuncta ab eo in iusta lance esse disposita, tributumque esse cuique rei id, quod illi quasi debebatur, videlicet quod natura illius, bonumque vniuersi postulabat. Quartò, vt sciant, quòd, vti à Deo creatus est mundus, ita ab eodem conseruetur & regatur, vt docet Iob ca. 34. 18. & seq. & Sapient. 11. v. 23. & sequent.

Quocirca Aben Ezra & Rabbini dicunt Deum hîc vocari Elohim ad declarandum eius maiestatem, tresque eius dotes, scilicet intelligentiam, sapientiam, prudentiam, quibus ipse condidit mundum. Alij ad idearum & perfectionum multitudinem quæ in Deo sunt, Mosen respexisse putant. Nota. Deus Mosi reuelauit suum nomen *Iehoua*. Ante Mosen ergo Deus vocabatur *Elohim*. Vnde & serpens ita Deum vocauit dicens, *Cur præcepit vobis Deus?* hebr. *Elohim.* vnde liquet, ab initio mundi Adamum & Euam Deum vocasse *Elohim.* ita Beda.

Elohim quid? Resp. Primò.

Quid ergo est *Elohim*? quid est Deus? Primò, Aristotel. vel quisquis est auctor libri de Mundo ad Alex. *Quod*, inquit, *in naui est gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator: hoc idem in mundo est Deus, nisi quòd in illis principatus est laboriosus, perturbatus & anxius; in Deo verò est facilis, ordinatus & tranquillus.*

Secundò.

Secundò, S. Leo serm. 2. de Passione: *Deus*, inquit, *est, cuius natura est bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia.*

Tertiò.

Tertiò, Aristoteles, vel quisquis est auctor libri de sapientia secundùm Ægyptios, lib. 12. cap. 19. *Deus*, inquit, *est, à quo sunt perpetuitas, locus & tempus, cuiusq; beneficio permanent: & sicut centrum circuli in seipso est, linea autem ab eo ducta ad ambitum, ipseq; ambitus cum punctis in eodem centro existunt: sic quoque natura omnes, tam quæ ad intellectum, quàm quæ ad sensum pertinent, in agente primo* (in Deo) *consistunt & confirmantur.*

Quartò.

Quartò, Deus est ipsa prouidentia rerum omnium: nam, vt ait S. August. li. 3. de Trinit. cap. 4. *Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiori inuisibili atque intelligibili aula summi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaq; republica.*

Quin-

Quintò. Quintò, idem S. August. Si videris, inquit, bonum angelum, bonum hominem, bonum cælum; tolle angelum, hominem, cælum; & quod reliquum est, bonorum essentia est, id est Deus, hinc

Sextò. Sextò, rex quidam Gentilis dixit, Deum esse tenebras post omne lumen, eumque mentis ignorantia cognosci.

Septimò. Septimò, elohim est, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, vt ait Sapiens.

Octauò. Octauò, elohim est, in quo viuimus, mouemur, & sumus, Actor. 17. 28.

Nonò. Nonò, *Deus*, ait S. August. in Medit. *est quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis; nec intellectus, quia inuestigabilis: nec sensus percipit, quia inuisibilis: nec lingua enunciat, quia ineffabilis: nec scriptura explicat, quia inexplicabilis.*

Decimò. Decimò, *Deus*, ait S. Nazianz. tract. de Fide, *est quod cùm dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari: cùm definitur, ipsa definitione crescit: quia cælum manu sua cooperit, pugno omnem mundi ambitum concludit: quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt. cuius nomini & virtuti famulatur hic orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet.*

Vndecimò. Vndecimò, *Deus* est, *qui tribus digitis appendit molem terræ, qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit. Ecce gentes* (coram eo) *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt, insulæ quasi puluis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ.* Isaiæ 40. v 12. 15. 22.

Duodecimò. Duodecimò, Deus est de quo ait Sapiens c. 11. v. 23. *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.*

Decimotertiò. Decimotertiò, *materia subtilior est aër, aëre anima, anima mens, mente ipse Deus*, ait Mercur. Trismegist.

Nota. *Elohim* est numeri pluralis, in singulari enim dicitur *Eloah.* huius rei causa est, Primò, quòd Hebræi res magnas, & magnates honoris caussa compellent numero plurali: vti faciunt & Latini, dicentes v. g. Nos Philippus Rex Hispan. Sic Iob 40. v. 10. elephas vocatur Behemot, id est bestiæ, quia propter magnitudinem corporis & virium, est instar multarum bestiarum, vt docent Hebræi.

Secundò, plurale *Elohim* significat plurimam, summam & immensam Dei fortitudinem & potentiam creandi, gubernandi & iudicandi.

Tertiò. *Elohim* plurale innuit in Deo pluralitatem personarum, sicut vnitas essentiæ in Deo innuitur per verbum singulare בָּרָא *bara*, id est creauit, vt contra Caietanum & Abulens. docent Lyran. Burgens. Galatinus, Eugubinus, Catharinus, Magister & Scholastici l. 2. sent. dist. 1.

Quatuor causæ creationis. Hæ itaque sunt quatuor causæ creationis & creaturarũ, puta cæli & terræ: scilicet materialis est nihilum; formalis est forma cæli & terræ; efficiens est Deus; finalis est bonum, non Dei, sed nostrum. Creaturæ ergo omnes per totam æternitatem latuerunt in suo nihilo, & in suis ideis in mente diuina, sed in tempore productæ sunt propter hominem. Deus enim, qui per omnem suam æternitatẽ in seipso fuerat beatissimus, ijs nullo modo beatior aut ditior effectus est: sed per eas volebat

A se effundere in creaturas & hominem; sicut mare redundans seipsum in litus effundit.

Condidit ergo Deus mundum ad hoc, Primò, vt homini regiam domum, imò regnum præpararet. Secundò, vt eidem theatrum rerum omnium, ac paradisum voluptatum quarumlibet exhiberet. Tertiò, vt librum ei præberet, in quo ipse creatorem suum videret & legeret.

Variæ explicationes vocum cæli & terræ. Prima sententia. Caelvm et terram] Primò, S Aug. lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 7. Cælum & terra, inquit, hìc vocantur materia prima, eò quòd ex illa cælum die secundo, & terra die tertio producenda esset: sed non est probabile, materiam solam sine forma creatam esse, nec talis vocari posset cælum. Audi ipsum August. *Informis*, ait, *illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primò cælum & terra; non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & cælum scribitur postea factum: quemadmodum si*
B *semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices & robur, & ramos, & fructus, & folia; non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt.* Verùm idem August. li. 1. de Genes. ad liter. c. 14. addit, hanc materiam eodem instanti temporis fuisse sua forma donatam & ornatam. Itaque hìc eius creationem tantùm nominari, quia natura, non tempore, suam formam antecessit. Huic vicina est Gregorij Nysseni expositio, qui per cælũ & terram accipit chaos vna vniuersali, communi rudique forma congestum, ex quo elicienda essent corpora cælestia, & elementaria cuncta.

Secunda. Secundò, idem August. lib. 11. de Ciuitate c. 9. per cælum accipit angelos, per terram verò materiam primam informem. Sed prius est mysticum, posterius pariter improbabile.

Tertia. Tertiò, Pererius, Gregorius de Valentia tract.
C de Opere sex dierum, & alij probabiliter per cælum intelligunt omnes orbes cælestes: per terram verò terram ipsam cum aqua, igne, & aëre vicino: quasi primo mundi die Deus omnes orbes cęlestes & elementares creauerit, eosq; sequentibus quinque diebus motu, luce, astris, influentijs, & intelligentijs motoribus tantùm exornauerit.

Sententia auctoris explicatur & probatur. Quartò, maximè probabile est, per cælum hìc intelligi primum & summum, scilicet empyreum, quod Paulus vocat cælum tertium, Dauid cælum cæli, quodque sedes est Beatorum; vti passim omnes docent contra Eugubinum, qui putat cælum empyreum non esse corpus cæleste, sed esse claritatem quamdam increatam, cuius visione reddantur animæ beatæ; claritatem, inquam, ex Dei essentia manantẽ. Primo itaque die Deus
D ex cælis tantùm creauit cælum empyreum, illudque omni suo decore exornauit & perfecit. Ad hoc enim inhabitandum in æternum, creati sunt postea angeli & homines. Et hoc ab omni æuo fideles vocant cælum; vt, si roges eos quò cupiant ire post hanc vitam, mox dicant, In cælum, scilicet empyreum, vt ibi sint felices & beati. Vnde S. Chrysost. hìc homil. 2. *Deus*, ait, *præter humanum morem suum perficiens ædificium, priùs cælum extendit. postea & terram substernit; priùs culmen, & postea fundamentum*; culmen enim fabricæ mundi est cælum, non sidereum, sed empyreum. Et S. Basil. homil. 1. Hexam. ait, *cælum & terram quasi fundamenta quædam, & bases fulcrales vniuersi, priùs iacta fuisse & præstructa.*

Probatur hæc sententia Primò, quia firmamentum, id est cælum octauum & orbes vicini, non

non tantùm ornati, sed re ipsa facti & creati sunt die secundo, vt patet v. 6. ergo non primo. Cælum ergo primo die creatum, non est aliud quàm empyreum. Est hæc sententia B. Clementis, accepta ex ore S. Petri, vt ipse ait l. 1. Recognit. Origenis hîc homil. 1. Theodoreti, Alcuini, Rabani, Lyrani, Philonis libr. de Mundi opificio, S. Hilarij in psalm. 135. Theophili Antiocheni ad Autolycum l. 2. Iunilij, Bedæ, Abulens. Catharini, Strabi in glossa ordin. hîc, S. Anselmi l. 1. de Imagine mundi c. 28. S. Bonauent. in 2. dist. 12. Ruperti l. 1 in Genes. c. 6. Gulielmi Parisiens. 1. p. 1. de Vniuerso c. 31. & 40. Alex. Alensis p. 2. Summæ Theologic. quæst. 45. memb. 2. Hugon. Victor. in sentent. tract. 2. c. 1. Brunonis Carthus. Patriarchæ libr. 1. de nouis c. 2. Lud. Molinæ 1. p. q. 86. sub initium operis primæ diei mundi, & aliorum; adeò vt S. Bonauentura hanc sententiam asserat esse communiorem, Catharinus verò esse verissimam. Secundò hæc sententia pluribus probabitur proximo paragrapho.

Quomodo abyssus creata sit cum terra, explicatur & probatur. Et terram] Puta globum terræ cum abysso, vt sequitur, id est aquarum mole, terræ infusa & superfusa, seseq; porrigente vsque ad cælum empyreum. Hæc ergo tria primò omniũ creata sunt, scilicet cælum empyreum, terra & abyssus, id est aquarum moles omnia occupans à cælo empyreo vsque ad terram; ex qua abysso, siue aqua, partim extenuata, partim densata atque solidata facti sunt cæli omnes, siue firmamentum die secundo, & omnia astra die quarto: perinde ac ex aqua conglaciata fit crystallus. Est hæc sententia S. Petri & Clementis l. 1. Recogn. circa medium, S. Basilij homil. 1. Hexam. Bedæ, Molinæ 1 parte tract. de Opere sex dierum sub initium, & aliorum plurium quos citabo v. 6.

Probatur hæc sententia Primò, quia cælum hîc intelligitur non sidereum, sed empyreum, vt dixi. inter hoc autem & terram non fuit vacuum: hoc enim inane fuisset ingens & immane, atque contra naturam. Fuit ergo inter empyreum & terram corpus aliquod, aqua scilicet, vel, vt Moses ait, abyssus, id est sine fundo aqua, impenetrabilis, immensa; vt rectè infert Beda & alij.

Secundò, quia secundo die factum est firmamentum ad hoc, vt aquas superas ab inferis diuideret; ergo antea. puta primo die, omnia supera & infera plena erant aquis.

Tertiò, quia ideò dicitur, quòd spiritus Domini ferebatur super aquas, non super terram, vt mox dicam.

Quartò, id magis patebit v. 6. imò ideo v. 6. cæli hebraicè vocantur *scamaim*, quasi dicas, *scam maim*, id est *ibi aqua*; eò quòd ante cælos omnia plena essent aquis, ex quibus facti sunt cæli & firmamentũ, ad diuidendũ aquas superas ab inferis.

Materiam cælorum & sublunariũ eiusdem esse speciei. Atque hinc consequitur veriorem esse sententiam eorum, qui censent eamdem esse materiam cælorum & sublunarium, eamque corruptibilem: tam enim cæli, quàm sublunaria, facta sunt ex eadem aquarum abysso. Ita docent Clemens Rom. Hippolytus, Seuerianus, Gennadius. Acacius in catena Græcorum, Theodor. hîc q. 11. Hieron. ad Oceanum, Cyrill. Hierosol. catech. 3. & 9. Lud. Molina, & alij. Errat enim Auerroës, & post eum Gabriel & Capreolus, dicentes, cælos esse corpora simplicia, & carere materia. Porro terra à Deo creata locata est in medio vniuersi, ibique firma consistit: tum quia voluntas & potentia Dei eam quasi pilam in medio aëre suspensam constanter tenet & firmat, iuxta illud quod ait Sapientia æterna Prouerb. 8. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* tum ex physica ratione; quia scilicet terra inter creata est grauissima, ideoque imum poscit locum: in eo ergo, quasi sibi connaturali, conquiescit. Si enim ex eo moueretur quamcumque in partem, necessariò deberet ascendere & ferri sursum. Hoc autem est contra eius naturam. Audi S. Basil. hom. 1. Hexam. *Quidam interpretes naturæ terram persistere immobilem tales ob causas contendunt, nimirum quòd mediam regionem vniuersi occupauerit, quodq; æqualem vndequaque ad extrema elongationem sortita, non iam habeat in quam potiùs deuergat partem, aut se acclinet. Cùm enim similis parue æqualitas omni ex parte ipsam ambiens, impossibilem inclinationem inducat ipsi terræ in vnam aliquam partem, necessariò in seipsa permanet.* Præclarè S. Chrysost. hom. de ieiunijs, & Geneseos lectione, tom. 1. *Patriam,* inquit, *tibi & nutricem, & matrem, & mensam, & domum posuit terram; sed & sepulchrum tibi hanc eamdem dedit. Nam & corpora nostra ex ipsa sunt, & ex ipsa etiam corporum nutrimenta, & ex ipsa quoque & in ipsa nostra habitatio est, & post mortem in ipsam rursum redimus.*

Quæres, Vbi, & quando creati sunt angeli? *Quando creati sint angeli.* Putarunt aliqui eos creatos esse ante mundum. ita senserunt Origen. Basilius, Nazianz. Ambros. Hieron. Hilarius. Alij putarunt eos creatos esse post mundum; ita senserunt Acacius & Gennadius in catena. Verùm dico eos simul cum mundo, in principio temporis esse conditos, idque in cælo empyreo: sunt enim eius ciues & incolæ. ita cum S. Augustino, Gregor. Ruperto, Beda docent Magister & Scholast. Vnde S. Nazianz. orat. in Christi natiuitatem: *Angeli,* ait, *prodierunt à Deo sicut radij à sole*: &, vt ait S. Gregor. l. 31. Moral. c. 19. *eruperunt tamquam scintillæ à silice* Imò Concil. Lateran. sub Innocent. III. *Firma,* inquit, *fide credendum est, Deum ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidisse creaturam; spiritualem & corpoream, angelicam & mundanam.* Quæ verba licet D. Thomas, & aliqui alij putent aliter accipi posse, scilicet quasi obiter dicta de angelis; propriè verò dicta contra Origen. qui censuit animas creatas esse ante corpora: tamen nimis diserta & clara videntur quàm vt aliò torqueri possint: vnde videtur hæc nostra sententia iam non tantùm esse probabilis, sed & certa de fide. hoc enim asserit & definit ipsum Concilium.

Nota. Moses non meminit creationis angelorum, quia scribebat rudibus & crassis Iudæis, ijsque ad idololatriam pronis, qui facilè angelos pro dijs coluissent: tacitè tamen eos insinuat ca. 2. v. 1. cùm ait: *Perfecti igitur sunt cæli, & omnis ornatus eorum:* ornatus enim cælorum, sunt stellæ & angeli. *Quare Moses non meminit creationis angelorum.* Hæc ergo est vasta bellaque mundi, puta cæli & terræ, machina, quam magnus ille rerum opifex cum initio temporis, in momento ex nihilo produxit. Præclarè Secundus philosophus interrogatus ab Adriano Imper. vti ex Chronicis Martinianis refert Iacobus Middendorpius in quæst. Theolog. & Polit. pag. 474. *Quid est mundus?* respondit, *Incessabilis circuitus, æternus tenor. Quid est Deus? Immortalis mens, incogitabilis inquisitio omnia continens? Quid est Oceanus? Mundi amplexus, hospitium fluuiorum, fons imbrium. Quid terra?*

Basis cæli, meditullium mundi, fructuum mater, viuentium nutrix. Epictetus verò, *Terra*, inquit, *est Cereris horreum, cellarium vitæ.*

VERS. 2. *Quare terra vacua.*

TERRA AVTEM ERAT INANIS ET VACVA] Hebraicè est, *terra erat* תהו ובהו *tohu vauohu*, id est terra erat solitudo, siue inane & vacuum: quia terra erat vacua hominibus & iumentis, vt vertit Ionathas Chaldæus: rursum erat vacua plantis, animalibus, seminibus, gramine, luce, decore, fluminibus, fontibus, montibus, vallibus, campis, collibus, metallis & mineralibus, ad quæ naturalem quasi inclinationem habet. Hinc Sapient. 11. dicitur, quòd Deus *creauit orbem* (id est res & species orbis) *ex materia inuisa*, græcè ἀμόρφου, id est informi, inornata, incomposita. Vnde LXX. hîc vertunt, *terra erat inuisibilis & incomposita*; Aquila, *terra erat vanitas & nihil*; Symmachus, *terra erat otiosa & indigesta*; Theodotion, *terra erat inane & nihilum*; Onkelos, *terra erat desolata & vacua*. Erat enim terra cum aquarum abysso sibi superfusa quasi chaos quoddam inane, rude & indigestum, de quo Ouidius:

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq́ moles;
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaq́ eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Quare improbabile est quod censent Gabriel in 2. dist. 12. q. 1. & Marsil. ibidem, chaos hoc, siue, vt Sapiens loquitur, materiam informem fuisse materiam primam, vel solam; vel certè informatam tantùm forma quadam rudi, obscura, generali & communi corporeitatis, ita vt tantùm esset in potentia ad omnes particulares formas suscipiendas, vt censuit Abulensis. Ex hoc enim Mosis loco constat, primitus fuisse creatam terram & cælum: ergo materia primitus creata non fuit formæ expers, sed particulari cæli & terræ forma induta & imbuta.

Cur non simul creata & exornata.

Quæres, Cur Deus cælum & terram creans primo die, illa simul non plenè & perfectè exornauit? Respondeo: Prima causa est eius sancta voluntas: congruentia est, quòd natura (cuius conditor est Deus) ab imperfectis ad perfecta procedat. Secunda est, vt discamus res omnes à Deo pendere tam quoad inchoationem, quàm quoad exornationem & perfectionem, nihilq́ue in rebus creatis esse tam imperfectum excluso peccato, cuius non sit auctor Deus. Tertia est, ne, si omnia à principio perfecta legerentur, increata putarentur, inquit S. Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 7. Quarta est; vt nos ad imitationem diuini operis eumdem in operando & proficiendo ordinem seruaremus, ait idem Ambrosius.

Quid abyssus.

ET TENEBRÆ ERANT SVPER FACIEM ABYSSI] Putà super aquas & molem aquarum, quæ quasi abyssus terram operiebat, seseque porrigebat vsque ad cælum empyreum, vti dixi v. 1. ἄβυσσος enim vocatur id quod fundo caret, siue profundum sine fundo, &c, vt ait Eustathius: *Abyssus est aqua nimia infinitum habens profundum.* Itaque antequam lux crearetur, obscuritas & caligo omnia occupabat, de qua Dominus Iob 38. v. 9. *Vbi eras*, inquit, *cùm caligine illud* (mare) *quasi pannis infantiæ obuoluerem?* Porro faciem Hebræi vocant superficiem tam extimam, quàm intimam. quasi dicat, Tota terra & abyssus hæc aquarum nihil omnino habebat lucis, hinc & nihil coloris; sed tota quanta quanta, tam interiùs quàm exteriùs, vbique obscura erat, caliginosa & decolor. Quare minùs verum videtur quod censet S. Basil. homil. 2. Hexam. tenebras has fuisse vmbram cælorum. *Vt sit vmbra*, inquit, *tria concurrant oportet: lux, corpus obiectum luci, locus luminis expers. Tenebræ igitur illa mundo circumfusa, propter cælestis corporis vmbram subortæ sunt.* Nam tenebræ hæ fuerunt antequam lux à Deo produceretur: ergo non potuerunt oriri ex vmbra cælorum. Vmbra enim fit, eò quòd corpus interiiciatur inter lucem & locum vmbrosum. Tunc autem nulla erat lux in mundo.

Quis spiritus hic intelligatur.

SPIRITVS DOMINI] id est angelus, ait Caietan. meliùs Hebræi, Theodoretus, & Tertull. contra Hermog. c. 32. Spiritus Domini, inquiunt, est ventus à Deo excitatus. Tertiò, optimè & plenissimè, Spiritus Domini est Spiritus sanctus à Deo Patre & Filio procedens, suaq́ue vi, præsentia & potentia ventum & auram calidam aspirãs aquis, ita S. Hieronymus, Basilius, Theodor. Athanasius, & penè omnes alij Patres, qui hinc probant diuinitatem Spiritus sancti.

Ferebatur, ex Hebræo explicatur contra Caietanum.

FEREBATVR] Nouè Caietan. hæc vti & alia multa sic explicat: *Spiritus Domini*, id est angelus, *ferebatur* & mouebat aquas, id est cælum crystallinum & omnes alios cælos, qui hebraicè *scamaim*, id est aquæ, nominantur.

Verùm Nota. Pro *ferebatur*, hebraicè est מרחפת *merachephet*, quod teste S. Basilio, Diodoro & Hieronymo in Quæst. hebraic. in Genesin, est volucrum, dum super oua & pullos, quasi pendulæ leniter agitatione alarum se librant, motitant & volitant (vnde Arabica Biblia habent, *volitabat, vt ales se gerebat, alis se mouebat*; Chald. verò, *insufflabat*) iisq́ue deinde incubant, calorem aspirant, fouent & animant. Pari modo Spiritus sanctus superferebatur, vel, vt Tertull. legit, *superuectabatur* aquis, non loco aut motu, sed omnia superante ac præcellente potentia, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas & idea artificis, inquit S. Augustinus lib. 1. de Genesi ad lit. c. 7. Hac ergo voluntate ac potentia sua, cum aura calida quam à se spargebat, aquis quasi incubabat Spiritus sanctus, eisq́ue vim prolificam indebat, vt reptilia, volatilia, pisces & germina, imò cæli omnes ex aquis producerentur.

Hinc Ecclesia in benedictione fontium Spiritui sancto accinit: *Tu super aquas foturus eas ferebaris.* & Marius Victor:

Et sacer extensis impendens Spiritus vndis
Altrices animabat aquas, dans semina rerum.

Hunc spiritum aquas omniaque vegetantem, Plato dixit esse animam mundi. vnde Virgil. l. 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamq́ infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Allegor.

Allegoricè, hîc significatur Spiritus sanctus aquis baptismi quasi incubans, iisq́ue nos parturiens & regenerans, inquit S. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum.

VERS. 3. *Quo verbo dixerit.*

DIXITQVE DEVS] verbo, non oris, sed mentis, eoque non notionali, sed essentiali, & communi tribus personis. *Dixit* ergo, id est in mente concepit, voluit, decreuit, imperauit efficaciter, atque imperando re ipsa effecit & produxit Deus, putà ipsa sanctissima Trinitas, lucem: Dei enim velle est facere, inquit S. Athanas. serm. 3. contra Arrianos. Appropriatur tamen vox *dixit*, Filio. Vnde alibi

alibi sæpè dicit S.Scriptura, per Filium, scilicet quasi Verbum & ideam, omnia esse condita, quia nimirum ipse Filius notionale & propriè dictum est Verbum, ac consequenter ipsi appropriatur sapientia, ars, idea: sicut Patri potentia, Spiritui sancto verò bonitas attribuitur.

A

Denique dixit hæc Deus post creatum cælum, terram & abyssum, sed durante adhuc eodem ipso die, qui primus erat mundi.

FIAT LVX] Nota, in Genesi & creatione mundi, ante omnia formatam esse lucem: quia lux est qualitas nobilissima, lætissima, commodissima, efficacissima & potentissima, sine qua omnia creata & creanda mansissent inuisibilia. *De thesauris suis*, inquit Esdras l.4.c.6.40. *protulit lumen luminosum, quo appareret opus suum.* Vide S.Dionysium de Diuin.nom.p.1.c.4. vbi triginta quatuor proprietates lucis & ignis recenset, Deo & diuinis rebus mirè congruentes. Atque inter cætera docet, lucem esse viuam Dei imaginem, ideoq; primò à Deo creatam, vt in ea quasi in imagine se depingeret, & mundo spectabilem exhiberet, iuxta illud Dracontij in Hexamer. *Principium factis lucem dat lucis origo*, putà Deus. *Ex ipso enim bono*, inquit S.Dionys. *lumen est, & bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine exemplar expressum. Vt enim diuinitatis omnia superantis bonitas*, &c. *omnia efficit, viuificat, continet, perficit, estq; eorum quæ sunt mensura, æternitas, numerus, ordo, complexus, causa & finis: sic etiam qui clara expressaq; diuinæ bonitatis imago est, magnus hic sol, totus lucens omnibus, habetq; lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum radiorum suorum splendorem explicans*, &c. Deus enim est increata, æterna & immensa lux, quæ cùm lucem habitet inaccessibilem, omnia tamen illuminat.

B

Pulchram similitudinem dat S.Basil.homil.2. Hexam. *Sicut*, inquit, *qui in profundam aquæ voraginem oleum immittunt, ei loco conciliant & immittunt perspicuitatem; itidem & vniuersi creator, edito mox verbo lucis, amabilē & peramænam venustatem mundo inuexit.* Aliam dat S.Ambros.l.1.Hexam.c.9. *Vnde*, ait, *mundi ornatus, nisi à luce exordium sumeret? frustra enim esset, si non videretur*, &c. *Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat, explorat: & ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus.* Denique Perer. censet primò creatam lucem, quia lux, inquit, generale principaleque est instrumentum causarum cælestium, quo vis omnis siderum, omnisque defluxus & effectus ad nos defertur, ex quo vno fit in hoc nostrate mundo, quidquid à cælo fit.

C

Quæ fuerit hæc lux disputatur. Quæres, quænam fuerit hæc lux? Resp. Primò, Catharin. fuisse solem lucidissimum; nec enim lux hæc sola, sed in subiecto, & cum subiecto creata est. Verùm sol non primo die, vti lux, sed quarto demum die est productus. Secundò, S.Basil.hom. 6.Hexam. Theod. & Nazianz.orat.in nouam Dominicam, putant solam lucis qualitatem hîc sine subiecto fuisse creatam: qua de causa Nazianzenus lucem hanc spiritalem appellat. quod Nota contra hæreticos, negantes in Eucharistia accidentia sine subiecto posse existere. Tertiò & optimè, Beda, Hugo, Magister, S.Thom. Bonau. Lyranus, Abulens. & fauet S.Dionysius suprà, putant lucem hanc fuisse corpus lucidum, siue cæli, aut potiùs abyssi lucidam partem, quæ in circuli aut columnæ speciem conformata orbi præfulserit, quæque fuerit instar materiæ ex qua postmodum in partes distincta ac diuisa, adaucta, & velut in igneos globos fabricata, sol, luna, & stellæ factæ fuerint. vnde S. Thomas ait, hanc lucem fuisse ipsum solem adhuc informem & imperfectum. Idem asserit Pererius & alij.

D

Vbi Nota Primò, lucem hanc propriè non fuisse creatam, quia Deus primo die creauit omnem materiam primam, eamque substrauit formæ aquarum abyssi, & ex ea deinde hanc lucem, aliasque formas, tam essentiales, quàm accidentales eduxit: sicuti modò omnes formæ naturales educuntur è potentia materiæ. Deus ergo propriè primo die tantùm creauit omnia creanda: reliquis verò quinque diebus non creauit, sed creata formauit & exornauit. Itaque videtur Deus lucem producturus, ex aquis abyssi condensasse instar crystalli corpus aliquod orbiculare, eique lucem hanc indidisse.

Quis fuerit vsus huius corporis lucidi. Nota Secundò, hoc lucidum corpus primo mundi triduo, scilicet antequam quarto die crearetur sol, ab angelo motum fuisse ex Oriente in Occidentē; atque eodem modo & tempore quo sol, scilicet viginti quatuor horis, vtrumque cæli hemisphærium circumgyrasse, & illuminasse, vniformiter difformiter, vti iam facit sol. Lux enim hæc primos tres mundi dies suo motu descripsit & distinxit: sicuti cæteros deinde sol suo motu descripsit, & indies describit & distinguit.

Tropolog. Tropologicè, Apostolus 2.Corinth.4.6. *Deus*, inquit, *qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* q.d. Vti Deus olim in Genesi produxit de tenebris lucem, ita nunc ex infidelibus nos fideles fecit, fideique luce collustrauit. Sic & S.August.lib.1.Contra aduers. legis, c.8. per hoc quòd tenebris, siue nocti, quæ luce fuit prior, lux & dies successit; & huic successerunt rursum tenebræ, docet quid in homine fiat spiritaliter, scilicet, peccato gratiam, & gratiæ peccatum, cùm in illud relabimur, succedere. vide S. Dionysium suprà. Rursum lux primò omnium creata significat rectam mentis intentionem, quæ omnia nostra opera præire & dirigere debet, ait Hugo Victor.

Insuper lux est scientia & sapientia. Vnde S. August.l.1.de Genesi ad lit.c.17. Primò, creata est. lux, id est, inquit, *prior omnium creata est sapientia*, Eccli.1.4. Adhæc lux est prudentia & consideratio, quæ omnes actus præire & illustrare debet, iuxta illud psal.4.v.7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Denique lux est lex & doctrina, præsertim Euangelica, iuxta illud Prouerb.6.23. *Mandatū lucerna est, & lex lux.* Hinc de Euangelio canit Isaias c.9.2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* & c.60.1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.*

Symbolicè: *fiat lux*, id est, fiat angelus, ait S.August.lib.1. de Genesi ad lit.c.17. & l.11.Ciuit. 19. atque ex eo Rupert. Beda & Glossa interlin. qui omnes censent hunc sensum esse litteralem, quasi hîc describatur creatio angelorum sub nomine lucis. Verùm hoc literale esse nequit: quia angeli ante lucem creati sunt, simul cum cælo & terra.

Secun-

Secundò, idem S. August. in opere imperfecto A super Genes. c. 5. hæc accipit de generatione Verbi Dei ab æterno: in hac enim conceptu mentis suæ dixit Deus Pater: *Fiat lux*, id est fiat Verbum, quasi lumen de lumine. Vnde Apostolus de eo ait Hebr. 1. v. 3. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Lux enim, quia spiritalis est, cælestis, impassibilis, lucem ex se diffundens, &c. optimè repræsentat Patris æterni generationem. Verùm hoc quoque symbolicum est, non litterale.

Alleg. Christus incarnatus est lux mundi, Iohan. 8. 12. & c. 1. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hinc idē nomen à Christo participant Apostoli, Doctores & prædicatores, quibus ipse ait Matth 5. *Vos estis lux mundi.* Qua de re præclarè S. Basil. homil de Pœnitentia: *Axiomata, ait, sua Iesus largitur aliis. Lux est: Vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est: &* B *facit sacerdotes. Ouis est, & dicit: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est: & petram facit* (S. Petrum.) *Quæ sua sunt largitur seruis suis. Argumentum hoc est opulenti, habere videlicet & aliis dare. Est enim* (Christus) *instar fontis perpetuò fluentis.*

Anagog. lux significat lumen gloriæ & claritatem visionis beatificæ, iuxta illud psal. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Hinc Christus gloriam cælestem in transfiguratione sua repræsentauit per lucem: *resplenduit enim facies eius sicut sol,* Matth. 17. 2. Hinc & angeli ac Beati dum apparent, videntur lucidi & splendidi, qua de causa pictores semper eis radios appingunt. Vide Apocal. 21. 11. & 23.

Vers. 4. ET VIDIT DEVS LVCEM QVOD ESSET BONA] *Vidit*, id est, videre & cognoscere nos fecit, inquit S. Hieronymus epist. 15. Secundò, planiùs & simpliciùs, per ethopœiam à Mose inducitur hîc C Deus humano more quasi artifex, qui peracto opere illud contemplatur, videtque esse pulchrum & elegans: idque hoc fine, vt contra Manichæos sciamus, à Deo nihil mali, sed omnia bona esse producta. Doctè S. August. in Sententiis, quæ habentur in fine tom. 3. n. 141. *Tria, ait, maximè nobis scienda de conditione creaturæ, oportuit intimari: quis ea fecerit, per quid fecerit, quare fecerit? Dixit Deus, inquit, Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd bona esset. Nec auctor excellentior est Deo; nec ars efficacior est Dei verbo; nec causa melior est, quàm vt bonum creetur à bono.*

BONA] Hebræum טוב *tob* significat omne bonum, pulchrum, iucundum, vtile & commodum: lux enim orbi est iucundissima, æquè ac vtilissima. Hinc initium lucis vocatur mane, eò quòd D tunc manet dies ab Oriente; vel potiùs quòd bonum antiqui vocarent manum. Quid autem melius est luce & manè? ita Varro, Festus & B. Isidor.

Quomodo diuisit lucē à tenebris. ET DIVISIT LVCEM A TENEBRIS] Hebræa & Septuag. habent, *diuisit inter lucem & tenebras.* *Diuisit* Primò, loco: nam dum hîc est lux & dies, apud Antipodes est nox & tenebræ. Secundò, tempore: nam in eodem hemisphærio vicissim, ac diuerso tempore sibi succedunt lux & tenebræ, nox & dies. Tertiò, causa: nam alia est causa lucis, scilicet corpus lucidum, alia tenebrarum, scilicet corpus opacum. Secundum maximè hîc spectat Moses, q. d. Fecit Deus vt post creatam à se lucem, tenebræ & nox succederent. Vnde sequitur, *Appellauitq́ lucem Diem, & tenebras Noctem.*

Primò. *Secundò.* *Tertiò.*

Quando creatus sit infernus. Quæres, quando creatus sit infernus? Ludou. Molina putat tertio die creatum esse: tertio enim die terra ornata fuit. infernus autem est in centro terræ. Sed verius est infernum creatum esse hoc loco, primo scilicet die. nam cùm angeli celerrimi sint, & instantaneos habeant actus, omnino verisimile est, eos primo die non diu post creationem suam peccasse, ideoque statim è cælo trusos esse in infernum, quem Deus statim post peccatum eorum, quasi carcerem & eculeum cum suo igne & sulfure eis apparauit in centro terræ. Primo ergo die sicuti Deus lucem à tenebris, ita angelos à dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœna, cælum ab inferno diuisit.

Allegoria. Vnde Allegoricè, Hugo lib. 1. de Sacram. p. 1. c. 10. & alij notant, primo die cùm facta est lux, & à tenebris diuisa, bonos angelos fuisse in bono & in gratia confirmatos, malos verò in malo, eosque à bonis fuisse segregatos; & ita quod agebatur in mundo sensibili, erat imago illorum, quæ in mundo intelligibili agebantur. Imò S. August. passim hunc sensum quasi litteralem adfert: *Diuisit lucem à tenebris*, id est inquit, angelos à dæmonibus. Verùm, vt dixi, hic sensus est allegoricus, aut potiùs symbolicus.

Vers. 5. APPELLAVITQVE LVCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM] In verbo *appellauit*, est metonymia: ponitur enim signum pro re significata. q. d. Effecit Deus vt lux pro toto tempore, quo hemisphærium illustrat, diem faceret; tenebræ verò noctem; ita vt ab hominibus lux hæc appellari posset dies, tenebræ nox ita S. August. l. 1. de Genesi contra Manichæos c. 9. & 10.

ET FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES VNVS] Ex hoc loco opinatur Catharinus, lucem (quam ipse putat fuisse solem) creatam esse in altero hemisphærio, quod huic nostrò, in quo conditus est Adam, oppositum est; ita vt initio mundi in altero esset lux & dies, in nostro esset nox & vespera, vt hic dicitur. Verùm hoc est improbabile. cætera enim omnia in nostro hemisphærio creata sunt à Deo: ergo & lux. Secundò, ex hoc v. & ex v. 2. videtur nonnullis quòd vesper, id est, tenebræ priores fuerint luce, & nox die; ita vt prima fuerit nox 12. horarum, in cuius initio creatus sit mundus: deinde successerit lux, siue dies 12. horarum: ex qua nocte & die artificiali conflatus sit primus dies naturalis 24 horarum Atque hinc putant tam Iudæos quàm Ecclesiam, appositè ad primæuam dierum institutionem, festos dies à vespera in vesperam celebrare. Verùm impropriè vespera vocatur ipsa tota nox. & mane ipsa tota dies.

Suppono tamquam verius, cælum & terram non antè. sed ipso primo die esse creata. de quo superiùs dixi. Nunc dico, verius est primo quasi mane creatum fuisse mundum, tumq; fuisse tenebras in orbe & abysso, quo tempore Spiritus Domini ferebatur super aquas, vt patet v. 2. Deinde paulò pòst v. 5. post sex horas sub meridiem (tenebræ enim æquè ac lux occuparunt, & diuiserunt primum diem) creatā fuisse lucem in medio cæli, vel totius abyssi, quæ peracto suo motu 6. horarum, quibus à medio cæli ad occasum declinauit, effecit vesperam, quasi sui terminum; ita vt tam tenebræ, quàm lux simul iuncta, non ampliùs quàm duodecim horas durarint: creata est enim lux perfecta in meridie, vti dixi: inde secuta est nox pariter 12. horarum, cuius terminus est mane.

Lux creata est in meridie: tunc enim est perfecta.

Moses enim hic diem & noctē per sui terminum, A vocat, Vespere & mane. q.d. Decurso iā diei curriculo (quod fuit 12. horarum) per succedentem vesperam, & peracto quoque noctis spatio (quod pariter 12. horarum est) per succedens illi mane, completus est dies primus 24. horarum. ita Ægidius Rom. 1. part. Hexam. c. 6. Si quis malit lucem summo mane in Oriente creatam esse, ab eaque cœpisse primum diem, hic cum Pererio & Abulensi dicat necesse est, cælum & terram ante primum diem creata esse; fuisseque tempus ante primum diem, quo Spiritus Domini ferebatur super aquas, durantibus tenebris.

DIES VNVS] *Vnus*, id est primus, vt patet ex v. 8. & 13. Sic dies, quam Iohan. 20. v. 1. vocat *vnam* B *sabbati*, Matth. 28. 1. vocat *primam sabbati*. Hebræi enim sæpè numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Fuit hæc prima mundi dies Dominica: nam septima ab ea fuit sabbatum. Tredecim Dominicæ prærogatiuas vide apud Pererium in fine operis primæ diei.

Dies Dominicus fuit primus dies mundi.

Nota. S. August. lib. 4. de Gen. ad litt. à c. 22. ad finem libri, & clarè lib. 11. de Ciu. c. 7 hosce dies vult mysticè esse intelligendos. videtur enim ipse opinari omnia simul à Deo creata esse primo die: Mosen verò per sex creationis dies, intelligere varias angelorum cognitiones, earumque modos & obiecta: v.g. quòd primus dies sit cognitio, qua tam se, quàm cælum & terram cognoscunt angeli: secundus sit cognitio, qua cognoscunt firmamentum diuidens aquas ab aquis: tertius sit ea, qua cognoscunt germina & plantas: quartus, qua solē & sidera: quintus, qua pisces & aues: sextus, qua animalia & homines, quæ sexto die creata sunt, cognoscunt. Idem docet Philo li. 1. Allegor. Verùm contrarium docent omnes alij Patres, idque omnino euincit simplex & historica narratio Mosis. Vide can. 1. Quare iam erroneum est dicere, omnia vno die esse producta, licet id senserit Caietanus & Melchior Canus, quem citat Bañes 1. p. q. 74. a. 2. S. August. ergo dubiè, & disputando loquitur in quæstione, vt ipse ait, tunc difficillima, nec satis seipsum explicat, an hæc adferat pro mystico, an pro litterali sensu.

Non omnia vno die esse creata, quod videtur sensisse S. Aug.

Dices, Eccli. 18. 1. dicitur: *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, ergo non successiuè per sex dies. Respond. Vox *simul* referenda est non ad *creauit*, sed ad *omnia*. q.d. Creauit Deus omnia simul, id est omnia pariter, nullo excepto; nihil est, nihil existit quod non creauerit Deus. Vnde pro *simul*, in Græco est κοινῇ, id est communiter.

Pari modo S. Augustinus per vesperam accipit cognitionem angelorum obscuriorem, qua res cognoscunt in seipsis: per mane, vel matutinam cognitionem accipit perfectionem, qua angeli cognoscunt res in Deo Deique Verbo. nam, vt ait ipse lib. 11. de Ciuit. c. 7. scientia creaturæ comparatione creatoris quasi vesperascit; lucescit verò & mane fit, cùm tam ad lucem quàm ad laudem & dilectionem creatoris ipsa refertur. Hæc vera & pia sunt; sed mystica, non litteralia.

Moral. S. Chrysost. hom. *quòd homo prælatus sit omni creatura*, tomo 5. acres homini ex die, luce, aliisque creaturis ad Deo seruiendum adhibet stimulos. *Tibi*, inquit, *cælum in die lucis splendore vestitur, & solis fulgoribus decoratur: in nocte clarissimo lunæ speculo, & astrorum vario fulgore polus ipse illustratur, vt diei noctisq́; vicissitudine & numerositas temporum dinoscatur, & post diurnum laborem requies miseris mortalibus præbeatur. Tibi tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt silua, amœnantur campi, prata virescunt, animantia fœtus edunt, scatent fontes,* C *amnes fluunt*, &c. *Quid si tibi vniuersa natura cōstanter ediceret: Ego tibi à Domino rerum parere præcepta sum: pareo, obtempero, seruio, & cum mutato non mutor. Pareo inquam rebelli, obtempero procaci, deseruio contemptori*, &c. *Quis talis es, qui in hoc contemptu consistis? qui creaturæ imperas, & creatori non seruis? qui dominatum exerces, & dominum non agnoscis? Time Dominum patientem, ne seuerum sentias iudicem: corrigat te dilatio differentiæ, ne censura puniat iudicantis.* Et mox: *Nec si totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, poteris pensare quod debes.* Et in fine: *Peccator in se duplex scelus & geminum crimen admittit; & quòd debita Domino seruitutis non reddit obsequia; & quòd innumera beneficia peccando, eius pensare nititur contumelia.*

De opere secundæ diei.

PRimo die in mundi fabrica Deus creauit & D iecit terram pro fundamento, eique imposuit cælum empyreum quasi tectum; reliquum inter hæc intermedium erat chaos, siue abyssus illa aquarum, quam hoc die secundò euoluit, ordinat & efformat.

VERS. 6. FIAT FIRMAMENTVM IN MEDIO AQVARVM, ET DIVIDAT AQVAS AB AQVIS] *Firmamētum* hebraicè vocatur רקיע *rakia*, cuius radix רקע *raka*, teste S. Hieron. aliisq́; doctissimis Hebræis, significat expandere, distendere, & distendendo firmare ac solidare rem aliquā, quæ priùs fluida erat & rara. Sicuti ergo æs fluidum fundendo distenditur & condensatur: ita hic aqua densata in cælos, vocatur græcè στερέωμα, latinè firmamentum: est enim firmamentū quasi murus in medio aquarum, id est inter duas aquas, superas scilicet & inferas interiectus, easque ab inuicem dispescens & coërcens.

Quæres, quodnam sit hoc firmamentum, & quænam sint aquæ supra firmamentum?

De firmamento & de aquis supra firmamentum.

Primò, Origenes per aquas superas intellexit angelos, per inferas verò dæmones. sed hoc Origenicum & allegoricum est somnium. *Prima sententia.*

Secundò, Bonau. Lyran. Abulens. Caiet. Catharin. & alij, per aquas superas accipiunt cælum crystallinum. Sed hoc nimis æquiuocè vocatur aqua. *Secunda.*

Tertiò, Rupert. Eugubin. Perer. Gregor. de Valentia (idque laudat S. August. libr. 2. de Gen. ad litt. c. 4.) censent firmamentum esse mediam aëris regionem, quæ licet primo die sit facta & creata vt esset aër; hoc tamen secundo die facta est firmamentum, id est interstitium diuidens aquas superas, id est nubes, ab inferis fluminum & fontium. *Tertia.*

Verùm dico, firmamentum esse cælum stellatum, omnesque orbes cælestes illi vicinos, tam inferiores, quàm superiores vsque ad empyreum, qui, vt ait Iob, quasi ære fusi sunt: imò firmamentum non quidem significat, sed tamen per quamdam concomitantiam, & situs connexionem extendit *Quarta & verior.*

extendit se, & complectitur etiam aërem vicinum à cælo in terram expansum,& suo loco quasi firmatum; ignem quoque, si quis elementaris (nam multi philosophi hunc ignem negant) supra aërem sit. Ecce hîc disponit & format Deus suam abyssum aquarum: pars enim huius aquæ, tamquam materiæ aptissimæ ad transmutationem (aqua enim nec nimis densa est, nec nimis rara, vnde facilè in quiduis commutatur) conuersa est & consolidata in cælos & aërem, vt dixi: pars subtilior & nobilior supra cælos remansit: pars crassior subtus firmamentum in maria & flumina varia diuisa est. A

Sunt aquæ veræ supra cælos. Itaque supra cælos omnes, adeoque supra primum mobile (hæc enim omnia complectitur firmamentum) proximè sub cælo empyreo, sunt veræ & naturales aquæ. Ridet hoc Caluinus, scribens in Genesin hoc versu: sed insulsè. nam hæc B

Prob. Primò. sententia prob. Primò, quia hoc exigit simplicissima & historica Mosis narratio. Firmamentum enim, & Hebræum *rakia*, non aërem, non nubes; sed propriè cælum sidereum, orbesque cælestes significat. Rursum vox *fiat*, non significat deputationem rei antea factæ, putà mediæ regionis aëris, ad dispescendum aquas ab aquis; sed significat realem rei quæ fieri iubetur productionem; vt cùm dicitur, Fiat lux, fiant luminaria: sic hîc dicitur, fiat firmamentum. idque factum est, & vocatum est cælum, hebraicè שָׁמַיִם *scamaim*, quasi *scammaim*, id est *ibi aquæ*. q.d. In materiam aquæ primæuæ in abysso, inducta est noua forma cælorum, ideoque ab aquis pristinis cælum, licet nouum; vocatur tamen *scamaim*, id est aqueum, ex aquis enatum & efformatum. vnde & cælum est colore aqueo. Quare quod Hieron. ab Oleastro *scamaim* interpretatur corpora admiratione digna & obstupescenda, putà corpora nominatissima & famosissima, à rad. שֵׁם *scem*, id est nomen, fama; aut potiùs à שָׁמַם *scamam*, id est obstupuit; non consentit cum verbis S. Scripturæ, nec cum etymo Hebræo: *scamaim* enim cùm sit duale, ad *maim*, quod pariter est duale, alludit, non ad *scamam*: sic enim *scemamim* vocandi essent cæli, non *scamaim*. Vox ergo *fiat* significat firmamenti non dispositionem, sed productionem. Alioqui enim, sicut dixit Deus v. 9. de mari & arida, *Congregentur aquæ in vnum locum*; ita dixisset hîc, Cælum vel aër qui antè fuit, iam sit firmamentum, id est interstitium inter aquas inferas & superas. Atque hinc nonnulli, vt S. Basil. Ambrosius, & ex iis Damasc. l. 2. de Fide c. 6. putant, cælos (non astra, hæc enim patet esse solida) non esse solidos, sed tenues & fluidos, ita vt instar aquæ & aëris secari & diuidi possint. C

Secundò. Secundò, idem probatur ex eo, quòd Deus die quarto in firmamento fecit solem lunam & stellas: hæc autem non sunt in aëre, sed in cælo: ergo non aër, sed cælum est firmamentum.

Tertiò. Tertiò, quia nubes necdum exstitisse hoc die secundo, imò nec sex primis diebus, sed aërem limpidissimum, satis colligitur ex c. 2. v. 5. ergo aquæ hæ superæ non possunt esse nubes.

Quartò. Quartò, quia alibi, vbi hæ aquæ superæ nominantur, distinguuntur à nubibus, pluuia & grandine, atque primo loco inter alia creata supra nubes, supra cælum ponuntur, vt patet Daniel. 3. 60. psal. 148. 4.

Quintò. Quintò, hæc est communis Patrum sententia, D

Philonis, Iosephi, S. Basilij, Ambrosij, Procopij, Theodoreti, Chrysostomi, Ruperti, Gennadij, & Seueriani in cat. Græcorum, Hilarij in psal. 135. Bedæ libr. de Natur. rerum, Iustini q. 93. August. l. 11. de Ciuit. c. vlt. & iam Onkeli, Oleastri, Lipomani, Molinæ, & aliorum multorum.

Dices, Deus initio nihil fecit contra naturam, nam tunc naturam ipsam instituit: contra naturam autem est, aquas esse supra cælos. Resp. negando minorem. Aquis enim illis attenuatis, subtilibus, & specie à nostra aqua differentibus ille locus est naturalis. *Id enim*, ait S. August. l. 26. contra Faustum c. 3. *cuique rei est naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus & ordo naturæ.* *Obiectio.* *Occurritur.*

Pari modo, idem ait l. 11. de Ciuit. c. vlt. Deus in homine phlegma posuit non in imo, sed in summo, scilicet in capite; sicuti aquas has in mundo posuit in summo, scilicet supra cælos. Sic & terra licet grauissima sit, in mundi tamen medio quasi pila pendet, & à Deo conseruatur: vide can. 2.

Quæres Secundò, quorsum ibi, scilicet supra cælos, sint hæ aquæ? Respond. Primò, Procop. & Theodor. Ibi hæ aquæ sunt ad hoc, ne sol, luna & astra, vtpote ignita, cælum ex aquis quasi conglaciatum dissoluant; vel, vt Beda, ad temperandum calorem ex vi & motu siderum ortum. Secundò, Iustinus suprà, Sunt, inquit, ibi hæ aquæ ad deprimendum firmamentum, ne sursum feratur. Tertiò, Procop. Sunt, inquit, ibi ad hoc, vt solis & lunæ radios reuerberent, eosque deorsum ad terram repellant. Quartò, Oleaster, Positæ, ait, ibi fuerunt hæ aquæ ad hoc, vt in diluuio Noë per cataractas emissæ terram obruerent. *Ad quid aquæ supra cælos.* *Prima sententia.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

Sed Resp. Deum voluisse has aquas supra cælos collocare (ex aquis enim his facti sunt cæli) tum ad ornatum vniuersi, tum vt matrix hæc cælorum creationis index exstaret, quam supra se cæli semper intuerentur. Fortè etiam ad voluptatem Sanctorum existentium in cælo empyreo, vt aquis hisce crystallinis & variegatis oculos eorum pascat: aquæ enim omnis formæ, decoris, coloris & ornatus sunt capacissimæ, vt patet in iride: quasi huc alludat Iohan. Apoc. 7. 17. *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* & c. 22. v. 1. *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tamquam crystallum.* Insuper ad hoc, vt sicut aqua hîc aëri nostro, ita aquæ illæ subseruirent ætheri qui est in cælo empyreo. Verisimile enim est, cælum empyreum non esse solidum instar ferri, (alioqui enim, si naturam spectes, Sancti ibi quasi in muro compacti essent) sed habere suum aërem vel ætherem, omni rerum specie ornatissimum, per quem Beati omnia sentiunt, respirant & mouentur. Denique multa mirari voluit nos Deus, non scrutari; & *maior est huius Scripturæ auctoritas*, ait S. August. *quàm omnis humani ingenij capacitas.* *Quinta & vera.*

Quæres Tertiò, cur Moses non dixerit hoc die id quod dixit in cæteris: *Et vidit Deus quòd esset bonum*? Respondet Catharinus & Molina: Causa est, quòd firmamentum adhuc rude erat, & quarto die sole & luna perficiendum. sed obstat, quòd de luce dicat, *Et vidit quòd esset bona*: cùm tamen die quarto eam perfecerit, in cælo eam augendo: sic die tertio non benedixit plantis, cùm tamen die quinto benedixerit animalibus. Fortè hîc optimè dici posset, Mosen tria diuinæ separationis opera, scilicet primum lucis à tenebris, secundum aquarum superarum ab inferis, tertium aquarũ à *Quare non dixit Moses de firmamento, vidit Deus quòd esset bonũ.*

 terra,

terra, vnica & vltima clausula complexum esse, dum post hæc tria v. 10. dicit: *Et vidit quòd esset bonum.*

Addunt aliqui, opus hoc non tam fuisse creationis, quàm interstitij & diuisionis aquarum superarum ab inferis, per interpositum firmamentum. Vnde moraliter collige, quòd, sicut ingens in rep. & congregatione bonum est vnio & concordia, sic ingens malum sit diuisio & discordia, vti multis hîc ostendit noster Bened. Fernandez in fine capitis.

Denique Septuag. hîc, vt in cæteris, habent τὸ *Et vidit Deus quòd esset bonum*; in Hebræo tamen, Chald. Theodot. Aquila, Symmacho & Vulgata id desideratur.

Morale.

Moraliter, firmamentum est firmitas & constantia animæ in Deo & cælis defixæ, quæ constãter sustinet aquas superas, id est prosperitates; & inferas, id est aduersitates. Hinc & homo vultu est erecto, vt cælum assiduè spectet: quin & in se habet imaginem cæli; nimirum Primò, habet caput rotundum, vt cælum. Audi Cassiodorum libr. de Anima c. 16. *Caput*, ait, *nostrum sex ossibus compaginatum, in similitudinem cælestis sphæra rotunda concauitate formatum est.* Secundò, duo oculi sunt, quasi sol & luna, quæ vicissim abscondunt se, & occuluntur, vti oculi, qui inde nomen acceperunt. dicti enim sunt ab occulendo, vel occultando. Audi Varronem, & ex eo Lactantium lib. de Opificio Dei c. 10. *Deus, vt oculi munitiores essent ab iniuria, eos superciliorum tegminibus occuluit. Vnde oculos dictos esse Varroni placet.* Occurrente ergo muliere, alia ue illecebra, occule oculos, vt eos serues quasi oculos, mentemque pariter à noxa. Ita noctu occulit se sol, ne quieti hominum obsit: luna per diem, vt noctu iis prosit & præluceat. Tertiò, quia animam è cælo Dei & angelorum similem accepit. Audi S. Bernard. in festo S. Mar-

Homo est imago cæli.

A tini: *Licet quodammodo cælum sit homo, cælestibus sine dubio spiritibus similis substantia simul & forma; substantia quidem, quoniam spiritalis; forma verò, quia rationalis est: minimè tamen leuare eum ista duo sufficiunt, vt mereatur audire, Quia cælum es, & in cælum ibis.* Quartò, quia cælum dicitur à celando, ait ibidem S. Bernard. quia in cælo multa nobis celantur & absconduntur: ita in homine mens, cogitatio, intentio, & secreta cordis celantur. Quintò, primus homo de cælo cælestis (putà Christus) & qualis cælestis, tales & cælestes, ait Apost. 1. Corinth. 15. q. d. Qualis Christus, tales sunt & Christiani. Sicut ergo Christus est cælum deitatis & virtutum: ita est & Christianus, in quo luna est fides, hesperus spes, sol charitas, reliqua astra cæteræ virtutes ait S. Bernar. serm. 27. in Cant. vnde de eo mysticè dicitur Isaiæ 66. *Cælum mihi sedes est*; & ad literam Apocal. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de cælo*, &c. Tale cælum fuit mulier illa amicta sole, habens coronam B stellarum duodecim in capite, & lunam sub pedibus, Apoc. 12. putà Ecclesia, & mysticè B. Virgo.

VOCAVITQVE DEVS FIRMAMENTVM CÆLVM] *Cælum* latinè à celando, id est occultando, dicitur, quòd omnia celet & tegat. ita S. August. libr. de Cognitione veræ vitæ c. 43. tom. 9. vel, vt S. Ambros. dicitur cælum quasi cælatum, id est, depictum variis stellis. Varro cælum dici putat quasi κοῖλον, id est cauum, & sic per œ, non æ, scribendum esset cœlum. VERS. 8.

Verùm Moses hebraicè scripsit, non latinè: & hebraicè locutus est Deus, vocauitq; firmamentum *scamaim*, ob causam quam superiùs dedi.

ET FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES SECVNDVS] Ne cogites Deũ instar artificis, toto die in hac firmamenti fabrica, aliisq; deinceps occupatum fuisse: sed fecisse eam subitò, in instanti, ac per totum reliquum diem eamdem conseruasse.

De opere tertiæ diei.

VERS. 9.

Ad quem locum aquæ congregatæ sint.

CONGREGENTVR AQVÆ QVÆ SVB CÆLO SVNT, IN VNVM LOCVM, ET APPAREAT ARIDA] Quæres, quomodo hoc sit factum. Primò, aliqui putant mare in alteram terræ partem, alterumque hemisphærium esse collectum, ita vt illa pars terræ tota sit aquis cooperta & inhabitabilis, ac proinde non sint antipodes. ita Procopius, nec abnuit S. August. lib. 16 de Ciuit. c. 9. Verùm contrarium constat ex quotidianis Lusitanorum & Hispanorum in Indias nauigationibus.

Secundò, Basilius homil. 4. Burgens. Catharinus, & D. Thom. 1. p. q 69. a. 1. putant mare hîc separatum esse à terra, vt ea factum sit altius, adeoque iam globum & centrum habeat à globo & centro terræ diuersum, eaque altius. Ex hac sententia facile est dare rationem, cur in locis etiam altis erumpant fontes & flumina; quia nimirum oriuntur per venas subterraneas ex mari, quod terra est altius: constat autem experientia, fontes ascendere ad altitudinem suæ originis, idque fit ex naturali aquarum degrauatione, qua aliæ alias propellunt, donec quasi ad æquilibrium vtraque perueniat.

Suppono, aquam quæ exteriùs apparet, multò minorem esse terra, vti clarè demonstrat Alexander Piccolomineus libro de hac re edito, & Iul.

C Scaliger contra Cardanum, exercitat. 38. Nunc

Dico Primò, Terra & aqua vnum globum efficiunt, ac proinde non est aqua terrà altior. Est hæc communis sententia Mathematicorum, Molinæ, Pererij, Caietani, S. Hieronymi in psalm. 32. Chrysost. hom. 9. ad pop. Damasc. lib. 2. de Fide c. 9 & 10. Et patet Primò, ex eclipsi lunæ, quæ fit ex terra inter solem & lunam interiecta. Hæc enim eclipsis vmbram dat tantùm vnius globi, non autem duorum; ergo terra & mare, quorum hæc est vmbra, non duo, sed vnus sunt globus. *Terra & aqua vnum globum efficiunt.* *Prob. Primò.*

Secundò, quia quælibet guttæ aquæ, & quælibet partes terræ vbique per eamdem lineam, recta D eodem modo & via descendunt ad suum centrum; ergo idem habent. *Secundò.*

Tertiò, quia littora & insulæ aquis eminent, vt patet, imò insulæ plures in aqua natant; & multæ locum mutare sunt visæ: ergo insulæ, terraq; ipsa vnum cum mari globum efficiunt. *Tertiò.*

Quartò, idem patet ex Scriptura: psal. 23. v. 2. *Ipse super maria fundauit eam* (terram.) psal. 135. 6. *Qui firmauit terram super aquas.* psal. 106. 23. *Qui descendunt mare in nauibus*; ergo non mare terra, sed terra mari est altior. *Quartò.*

Dices, Quomodo ergo dicitur psal. 103. 6. *Super montes stabunt aquæ?* Respondeo, *stabunt*, id est stabant *Obiectio quædam diluitur.*

stabant aquæ; cùm scilicet, vti illo psalmo præcessit, aquæ quasi vestis amicirent & tegerent totam terram, primo & secundo mundi die: sed tertio hoc die, ad vocem Dei fugerunt in vnum locum, tuncque Deus in terra fecit ascendere montes, alibi depressit eam in valles, alibi primam planitiem & campos reliquit, vti in psalmo sequitur. Idque fecit Deus, tum ad varietatem rerum; tum vt montibus mare & flumina quasi muris continerentur; tum vt montes suas pluuias & aquas distillando fœcundarent campos, eosque ab æstu & ventis protegerent.

Quare dicitur aqua congregata. Dico Secundò, Congregatæ sunt aquæ hoc tertio die? Primò, quia fecit Deus vt aqua dulcis fluminum & fontium (quæ videtur esse densitas aquæ naturalis) magna parte fieret densior, congestis simul in eam exhalationibus terrestribus & adustis, quibus mare fieret salsum; tum ne computresceret; tum vt haberet nutrimentum pro piscibus; tum vt faciliùs naues sustineret. Sic ergo Deus hoc tertio die fecit mare salsum, illudque quotidie conseruat additione similium exhalationum, quæ è terra vi solis & astrorum educuntur, & in mare demittuntur. Ridiculum enim est, quod quidam Philosophi excogitarunt, salsedinem maris prouenire vi radiorum solis, quibus fundus maris aduratur: adustione enim salsedinem nasci, vt cinis indicio nobis est. non enim sol vrit nisi per lumen, quod vltra quindecim cubitos in mare non penetrare vrinatores testantur: fundus autem maris multis locis quingentis, imò mille cubitis est profundus. Sic ergo Dei operatione facta aqua densior, se contraxit, & minorem locum terræ quàm antè occupauit, partemque terræ reliquit aridam. ita S. August. lib. 1. de Genes. ad lit. c. 12.

Vnde & ad quid maris salsedo.

Hoc tertio die facti montes. Secundò, non post diluuium, vti aliqui volunt, sed hoc tertio mundi dies fecit Deus terram partim subsidere, partim assurgere. Vnde facti sunt montes & valles; varij quoque hiatus & cauitates in terra, in quas quasi alueos mare se recepit, vt patet psal. 103. 7. & seq. Hoc ergo tertio die fecit Deus omnes alueos, tum maris, tum fluminum, in eosque mare & flumina segregauit. vide Rupert. in Genes. lib. 1. c. 34. & seq.

Concauitates sub terra quãdo & ad quid factæ. Tertiò, fecit Deus hoc tertio die cauitates sub ipsa terra maximas, vti experientia deprehensum est, easque impleuit maxima aquarum copia, quæ proinde à multis dicitur barathrum vel abyssus; & per varios meatus cum mari coniungitur, putaturque esse matrix & origo omnium fontium & fluminum; vtpote quibus per venas, quarum terra est plenissima, aquam quasi sanguinem impertit. Cuius indicium est, quòd vbicumque quis fodiat, ibi pænè semper inueniat aquam, vt patet in puteis, quos vbique effodi videmus. Terra enim est quasi mater viuentium & mixtorum: vnde sicuti in animalis omnisque hominis corpore, magna sanguinis copia est in hepate & corde, indeque per plurimas venas dispergitur per totum corpus, tam sursum quàm deorsum: ita, ait Seneca l. 3. Natur. quæst. c. 15. ingentes illæ cauitates siue voragines sub terra, per cuniculos quasi venas, per totam terram, etiam altam & montosam disperguntur, & certis locis terræ in fontes, riuos & flumina erumpunt. Quod ergo est hepar in homine, hoc est abyssus hæc aquarum in cauernis terræ. Verùm origo fontium & fluminum alibi exactiùs disquirenda est.

Ex hac abysso prodiens aqua, mixta cum pluuia, tempore diluuij Noë, totam terram rursum, omnesque montes altissimè oppleuit & superauit, Genes. 7. v. 11. & 20. Hinc rursum S. Basilius hic hom. 4. Ambros. l. 2. c. 2. & 3. Hieron. in c. 3. Habacuc, docent omnia flumina, omnesque aquarum confluxus Oceano tandem vniri. Quin & mare Caspium, quod separatum omnino videtur, per meatus subterraneos vniri Oceano Arctico, ideoque falsum esse, docent S. Basilius, Strabo, Plinius, & Dionysius de situ orbis; quidquid dicat Aristoteles & Ptolemæus. De hac abysso vide plura apud Conimbricenses tract. 9. in Meteora c. 4. & Franc. Valesium sacræ Philosophiæ c. 63. Hinc

Aqua quomodo congregata in vnũ locum. Dico Tertiò. Dicuntur aquæ congregatæ in vnum locum, id est in locum separatum à terra, vt ea fieret arida & habitabilis. Secundò, propriè in vnũ locum, quia, vti iam dixi, omnes aquæ vniuntur Oceano, & huic abysso, quæ partim sub terra est, partim ei contigua est in terra, quæ est ipsum mare. vna enim est hæc abyssus, cui omnis aqua per venas subterraneas quasi fonti & mammæ vnitur; indeque per venas in varia loca spargitur. Voluit enim Deus aquas per varios alueos & sinus terræ immiscere, tum vt ijs terra irrigaretur & fœcundaretur; tum vt ventis marinis ad salubritatem & fœcunditatem perflaretur. Porro aquæ illæ quæ initio terram operiebant, non erant profundæ; quare facilè in Oceanum & abyssum hanc profundam recludi potuerunt. Ergo non est necesse dicere, partem aquarum à vento, vt vult Abulensis; aut à sole, vt vult Eugub. siccatam esse.

Notat Theodoretus in psal. 103. mare furens non tam littoribus, quibus pænè æquale est, quàm Dei iussu, quasi fræno & tonitruo coërceri; alioqui sæpè omnia perrumperet & obrueret, vti fecit initio mundi. hinc Deus dicitur posuisse mari terminum suum, quem transgredi non possit, vbi contundat tumentes fluctus suos, psal. 103. v. 9. Iob 38. v. 7. Alioqui, ait S. Basil. hom. 4. Hexam. *Quid prohiberet mare Rubrum sua exundanti eluuie irrumpere in vniuersam Aegyptum, quæ ipso mari tanto est concauitate depressior, seq. mari quod Aegypto adiacet coniungere, nisi creatoris præcepto tamquam compedibus astrictum coërceretur?* Idem habet S. Ambros. S. Thomas 1. p. q. 69. a. 1. & Plinius lib. 6. c. 29. vbi ex mari Rubro nauigabilem alueum, non in mare Ægyptium, vt ait S. Basilius, sed in Nilum, qua parte infernè ad Delta decurrit, deducere *primus omnium*, inquit, *Sesostris rex Aegypti cogitauit, mox Darius Persarum, deinde Ptolemæus sequens, qui & duxit fossam,* &c. *vsque ad fontes amaros; vltrà deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quàm terra Aegypti.* Sed addit Plinius: *Aliqui non eam afferunt causam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potus præbet.* Nam priorem experientiam Sesostris, Darij & Ptolemæi, quòd scilicet ab eis compertum sit mare Rubrum altius esse Ægypto, negat Strabo l. 17 & ex eo Pererius: quibus fauet nonnihil, quòd auorum memoria Alfonsus Albuquercius Indiæ Prorex, non mare Rubrum in Nilum, sed vice versa Nilum supernè ex Æthiopia decurrentem, in mare Rubrum quasi demissius, fossa ducta deriuare cogitarit, idque ad hoc, vt Nilum auerteret ab Ægypto, itaque Ægyptum infrugiferam & inutilem Turcis redderet: ac reipsa perfecisset, nisi morte

morte præuentus fuisset, vti narrat noster Maffeius in fine libri 5. Historiæ Indiæ. Addit S. Basil. in fine homiliæ 4. multas magnasque maris vtilitates, quas videat qui volet.

Appareat arida] quæ prius erat limosa, & aquis cooperta. vnde pro *arida*, hebraicè est יַבָּשָׁה *iabesa*, id est exsiccata, vt posset habitari, seri, fructus ferre. arida ergo non est idem quod arenosa: sic enim fuisset infrugifera; sed arida idem est quod sicca. Mansit enim in terra aliquis humor dulcis; tum vt eam faceret frugiferam, tum vt quasi gluten partes distantes iungeret, ne fatiscerent, & à se inuicem diuellerentur. hinc rursum per venas fontium & fluuiorum eam irrigauit Deus.

Vers. 10. Et vocavit Devs aridam Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria] Est prolepsis. Nam non hoc die tertio, sed die sexto, putà cùm formauit Adamum, eique indidit linguam Hebræam, tunc Deus aridam vocauit, & ab Adamo vocari iussit hebraicè *erets*, id est terram; & congregationes aquarum vocauit *iammim*, id est maria. q.d. Hæc arida cuius fabricam hîc enarro, est illa, quam vulgò hebraicè *erets*, latinè terram appellamus: & congregationes aquarum, quas dixi Deum fecisse, sunt illæ quas vulgò hebraicè *iammim*, latinè maria vocamus.

Quid erets, id est terra?

Nota. Terra hebraicè dicitur אֶרֶץ *erets*, vel à radice רָצַץ *ratsats*, id est calcare, quòd ab hominibus & iumentis calcetur & habitetur: sicut terra dicitur à terendo, vt vult Iunilius, Varro & Eugubinus in Cosmopœia. vel à rad. רָצָה *ratsa*, id est voluit, concupiuit; quòd semper appetat fructum ferre, vt vult Isidorus Clarius. vel à rad. רוּץ *ruts*, id est cucurrit, per antiphrasim; quòd terra minimè currat, sed planè sit fixa & immobilis; aut potiùs quòd in ea habitent & currant homines & animalia; quodque ad eam, quasi infimam descendant & currant omnia grauia, circum verò eam currant omnia elementa, omnesque orbes cælestes. atque hac de causa Deus videtur aridam hîc appellasse terram, siue hebraicè *erets*, à currendo, quòd in ea, vel circum eam quasi basin & centrum omnia currant & moueantur. Ab Hebræo *erets* aliqui deducunt Germanicum *eerde*.

Primum etymon erets. *Secundum.* *Tertium.*

Porrò maria hebraicè vocantur יַמִּים *iammim* à copia & multitudine aquarum: *iammim* enim per anastrophen literæ iod, idem est quod *maim*, id est aquæ. Rursum *iammim* alludit ad rad. הָמָה *hama*, id est sonare, strepere præ turba, copia & multitudine, vti strepit mare: vnde הָמוֹן *hamon* vocatur turba, multitudo, strepitus, tumultus.

Vers. 11. Germinet terra herbam] *Germinet*, non actiuè producendo, vti vult Caiet. & Burgens. sed materiam tantùm ministrando: tunc enim in prima rerum creatione, Deus se solo actiuè & efficaciter, idque subitò produxit omnia germina & plantas, easque iustæ & perfectæ magnitudinis, vti docent S. Thom. 1. p q. 70. ar. 1. Abulens. Pererius & alij passim; imò Psaltes psal. 103. 14. *Producens*, inquit, *fænum iumentis, & herbam seruituti hominum*. Iam autem terra ad germina etiam effectiuè concurrit, præsertim si seminè sit imbuta: terra enim per semen pyri, producit pyrum; per semen pomi, producit pomum. seipsa verò sine semine. si pluuia irrigetur, & à sole calefiat, producit gramina. Porrò quàm terra sit benigna mater, & nutrix omnium viuentium, eleganter docet Plinius lib. 2. c. 63. *Sic hominum illa*, inquit, *vt cælum Dei, quòd nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: nouissimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater operiens.* Et mox: *Hæc benigna, mitis, indulgens, vsusque mortalium semper ancilla, quæ coacta generat? quæ sponte fundit? quos odores saporesque? quos succos? quos tactus? quos colores? quàm bona fide creditum fœnus reddit? quæ nostri causa alit?*

Quomodo hoc die, & deinceps terra producat germina.

Porro miratur, & meritò S. Basil. Dei in germinibus prouidentiam, quæ in culmos numero pares radicibus emicant, seseque attollunt. *Germen interim*, ait, *dum continenter tepesit, eum humorem quem exugit per radiculas, vi caloris ipsum è terra prolicientis, quantū moderata sua alimonia satis sit adsciscit, quod reliquum eius est dispensat ac dispertitur in culmum, corticem, in thecas, hoc est loculos siue valuulas, in triticum, in ipsas denique aristas.* Et mox: *Vide quomodo geniculis præcingantur culmi frumenti, vt illis velut quibusdam vinculis corroborati, spicarum facilè pondus ferant & sustineant, cùm plena iam fructuum grauidaque, ad humum suo pondere inclinant. Quapropter auena quidem inanis atque vacua tota est, quòd nullo prorsus culminis pondere premitur: contrà frumentum natura geniculato culmo, quasi vinculis confirmasse videtur. in theca verò granum recondidit, ne sit exposita frugilegis auibus præda: insuper & aristarum vallo, velut telis obiectis animalculorum noxam abarcet.* Plura deinde affert de vite, eiusque clauiculis, quibus se arboribus nectit, & ad earum culmen scandit. Ac paulò pòst symbolicè applicans homini: Simili modo, inquit, Deus *sensus nostros in sublime erexit, neque permisit in humum nos esse deiectos, ac dignos esse qui conculcemur. Vult etiam nos quasi clauiculis, siue capreolis quibusdam, amplexibus charitatis proximis inniti & adhærere, & in ipsis etiam conquiescere, vt iugi affectu sursum versus feramur, & quasi arbustiuæ vites nos ipsos adæquemus sublimium fastigiis arborum. Quin & à nobis exposcit, vt dum defodimur sustineamus.* Et inferiùs: *Arborum*, ait, *quarum rami prolixiores sunt, porrecti latè & expansi per aërem; earum & radices profundiores sunt, & circumquaque latè etiam diffunduntur; perinde quasi natura fundamenta quædam proportione respondentia superorum ponderibus subiecisset. Iam verò detruncatas nonnulli pinus, aut incensas vstasque flammis, in querceta obseruarunt verti. Sunt & quas sua natura vitium agricola cura deponere ac extrudere nouimus, vt punicas acidas, amygdalasque amaras. Cùm enim ima in parte radici propinqua stipite perforatæ, cuneum ex pino pinguem per mediam adactum medullam susceperint, saporis tum fastidio in gratum vsum mutato, dulcescunt.* Subdit palmas alias esse mares, alias feminas, & feminam *in marem pronam blandioribus ramis nutare, quasi gestientem & amplexum maris percupientem: stirpium verò cultores inter ramos tunc quasi semina quædam, maris florem seu fructum immittere, atque ita illam quasi voluptatem inde percipere, seseque rursum erigere, & ad formam propriam suas restituere comas. Hæc eadem de ficis etiam asserunt. Quamobrem alij iuxta ficeta caprificos serunt, alij caprifici grossos inter se colligatos iniiciunt ficis. atque hoc pacto ficorum imbecillitati medentur, defluentem iam labentemque fructum ipsarum grossis istis fulcientes.* Deinde idipsum moribus applicans: *Quid*, ait, *illud sibi natura vult ænigma? Quòd ipsi quoque nos ab alienis à fide, non rarò debemus desumere intentam* animi

animi acrimoniam vimq́, bonorum operum efficacem. v.g. cùm videris Gentilem, vel hæreticum temperantem, modestum, probum, acriter excitare, vt in iisdem virtutibus emineas, itaque velut ficus à grossis exacuta, fructuum tuorum inhibeas defluuium, & accuratiùs eos enutrias. Hæc & plura S.Basil.hom.5.Hexam.

Et facientem semen] q.d. Producat terra herbam, quæ possit semen ad speciei suæ propagationem facere, id est seminare.

Et lignvm pomiferum]id est, arborem fructiferam, vt habent Hebræa. Pomum ergo ponitur pro quouis arborum fructu.

Cvivs semen in semetipso sit] quod sibi simile gignendi vim habeat, per semen, quod habet in seipso, putà in suo vel fructu, vel folio, vel radice, vel ramis. Nam multæ plantæ non habent semen propriè dictum, vt patet in salice, gramine, menta, croco, allio, arundine, vlmis, populis, &c. sed hæc habent aliquid loco seminis, scilicet in ipsis radicibus vim quamdam propagatiuam, vt patet in arundine, &c. ita S.Ambros. & Basilius. Idq́ue hoc fine, vt, cùm plantæ indiuiduæ intereunt, maneant tamen in semine & fructu, quem ex se propagant; itaque quamdam quasi immortalitatem & æternitatem, quàm naturaliter ambiunt, consequantur, vt scilicet semper sint, & semper perdurent in sua propagine.

Vers.12. Protvlit terra]Hinc patet hoc tertio die, terram non tantùm virtutem producendi plantas accepisse, vt videtur velle S.August.l.5.de Genes.ad lit.cap.4.& 5. sed illo ipso, quo Deus iussit, momento, terram actu omnes plantarum species, easq́ue adultas, multas etiam cum fructu maturo produxisse. Dei enim perfecta sunt opera. ita S.Basilius & Ambrosius.

Arbores & bestias perfectas esse creatas, docet S.Basil.

Idem dico de animalibus & homine, creatis die sexto, videlicet omnia creata esse in magnitudine, vigore & robore perfecto, vt docent communiter DD. Ex dictis sequitur hoc die tertio etiam paradisum esse plantatum, ornatumq́ue mira arborum varietate & pulchritudine, de quo cap.2.

Hoc die tertio paradisus plantatur.

Nota, hoc die tertio terram quoque produxisse herbas venenatas, item rosam cum spinis: hæ enim quasi connaturales rosæ, eique congenitæ sunt. Negat hoc posterius de rosa S.Basil.hom.5. Hexam. & S.Ambros.lib.3.Hexam.cap.11. Prius negant Beda, Rupert. Rabanus & Alcuinus, putantq́ue quòd ante hominis lapsum terra nihil noxium, putà nullam herbam venenatam, non spinas, non tribulos, imò nec arborem sterilem protulerit: hæc enim post peccatum in eius pœnam esse producta. Verùm contrarium docent S.Basil. & Ambros. loco citato c. 9. & Damasc. l.2.de Fide c 10. idq́ue verius est; tum ne eorum pulchritudo deesset vniuerso; tum quia quæ homini venenata sunt, aliis rebus prosunt, & vtilia sunt aliis animalibus, vt ibidem docet S.Ambros. Sic enim cicuta, quæ homini est noxia, vaccis est in deliciis: *Cicuta*, ait Basil. *sturni vescuntur, & tamen propter corporis constitutionem à veneno non occupantur. Cùm enim pertenues habeant ad corda penetrantes meatus, fit vt antè deuoratam cicutam concoquant, quàm inde letale gelu ad præcordia peruenerit. Elleborus autem coturnicibus est cibus, nec ab eo, peculiari quadam temperatione, detrimenti quidquam percipiunt.* Tum quia eadem vtilia sunt homini. *Nam*

Herba venenata, rosa cum spinis ab initio fuerunt: sic & animalia noxia.

A *per mandragoram*, ait S.Basil. *medici somnum aduocant & inuitant: succo verò papaueris vehementes corporis dolores sedant. Quidam rabientem appetentiam esitando cicutam tabefecerunt, & sensim extinxerunt; ac elleboro non pauca, sed & diuturna corporis vitia radicitus extirparunt.* Tum quia Deus ante peccatum Adæ per sex creationis dies omnes omnino rerum species produxit, fecitq́ue vniuersum perfectum; nec post hos sex dies vllam nouam speciem creauit. vnde cap.sequ.v.1. dicitur Deus sex diebus creasse omne virgultum agri, & die septimo quieuisse. Quare idem dico de lupis, scorpiis, aliisq́ue animalibus noxiis, scilicet ea producta esse cum aliis non noxiis die quinta; idq́ue patet ex serpente, qui tentauit & seduxit Euam. Nihil tamen horum nocere potuisset homini, si is in B innocentia mansisset; quæ innocentia coniunctam habebat & exigebat ab homine prudentiam, vt scilicet cautè tractaret rosas, ne in spinas impingeret: rursum, ne irritaret lupos & feras contra se. alioqui enim sua culpa & imprudentia, ac proinde iam non innocens, sed nocens, ab eis læsus fuisset. vide dicta Sap.1.14.

Nota Secundò. Cùm hic dies tertius sit is, quo Deus terram perfectè formauit & ornauit, hac de causa omnino verisimile est, hoc pariter die producta esse marmora, metalla, mineralia, fossiliaq́ue omnia, rursum ventos. Hi enim terram, terræq́ue viuentia euentilant, purumq́ue aërem aspirant: sine ventis enim nec plantæ, nec homines viuere aut vegetari possent.

Hoc die mineralia, venti, & quæ terram perficiunt creata sunt.

Denique putat Molina hoc die productum esse infernum in centro terræ. Sed iam antè dixi, C verius esse, eum primo die, statim à casu Luciferi esse productum.

Quæres, quo anni tempore mundus à Deo sit conditus? Multi Hebræi, Lyranus, Abulensis, Oleaster, & Arias Montanus censent, mundum creatum esse in æquinoctio autumnali: tunc enim fructus sunt maturi; iam autem fructus fuisse maturos, patet ex pomo vetito, quod comedit Adam.

Non in autumno, sed in vere mũdus creatus est.

Sed Respondeo, Verius est mundum creatum esse in æquinoctio verno. Primò, quia id docent passim omnes Patres, quos vide apud Molinam & Pererium, quin & Poëtæ, vt Virgil.l.2.Georg. loquens de prima nascentis origine mundi:

Prob. Primò.

——*Ver, ait, illud erat, ver magnus agebat*
Orbis & hibernis parcebant flatibus Euri.

Secundò, quia ver est pulcherrimum anni tem- D pus, tale autem decuit felicitatem status innocentiæ. & in vere redemptus & recreatus est mundus per Christum: ergo videtur in vere pariter creatus esse mundus. Tertiò, quia idipsum definit Concilium Palæstinum, habitum sub Victore Pontifice, præside Theophilo, anno Christi 198. quod citat & refert Beda lib. de Æquinoctio verno Fuit hoc Concilium particulare, non generale; ac proinde definitiones eius, licet non sint de fide, sunt tamen magnæ auctoritatis. Quin & Concilium hoc hanc suam sententiam probat, ex verbo *germinet*: in vere enim terra germinare incipit. Secundò, idem Concilium docet mundum esse conditum in æquinoctio verno, idq́ue probat ex eo, quòd Deus tunc diuisit lucem à tenebris, scilicet in æquales partes, quæ diuisio fit in æquinoctio. Addit Tertiò, idem Concilium primum diem mundi fuisse VIII. Kalend. April. id est

Secundò.

Tertiò.

In æquinoctio.

Eo die mūdus est conditus, quo incarnatus est Christus.

est 25. Martij, quo & B. Virgini annuntiatus, simulque in eam et incarnatus est Christus, & quo post 34. annos vel passus; vel, vt exacti quidam Chronologi volunt, à morte resurrexit. Rursùm certum est hunc diem fuisse Dominicum: quamquam eo anno quo incarnatus est Christus, 25. Martij incidit, non in Dominicum, sed in feriam sextam. Feria enim sexta tam incarnatum, quàm passum esse Christum; natum verò & resurrexisse die Dominico, ex S. Athanasio, Augustino, & aliis docet Franc. Suarez 3. p. q. 35. in fine.

Conditus est die Dominico.

Quare mirum est, eumdem Bedam, sui, vt videtur, oblitum, l. de Ratione temp. c. 40. dicere, mundum creatum esse 18. Martij, non 25.

Resp. obiectioni.

Ad argumentum Hebræorum respondeo, initio mundi non omnes, neque vbique fuisse fructus maturos hoc die tertio productos (nihil enim tale asserit Scriptura) sed Deum in plantis & arboribus produxisse, in his quidem folia: in illis verò flores amœnissimos: in aliis fructus maturescentes: in aliis fructus maturos, pro natura, B qualitate & conditione tam plantæ & arboris, quàm regionis cuiusque. Nam in vere multis in locis, fructus non pauci sunt maturi, & fortè in paradiso plurimi erant tunc maturi.

Moraliter, Theodor. l. 4. de Prouidentia, qui est de Materia & Mundo: *Cùm stationes anni videbimus suis quamque pertransire temporibus, cùm terra pluuiam dispensari, cùm terram germinare, cùm virentibus herbis obduci, vndare segetes, prata floribus renidere, comare siluas, ramos arborum fructibus prægrauari, linguam moueamus in eius laudem qui hæc terræ dona contribuit. Ne verò montium Nymphas, néue fontium ac fluuiorum, néue filias Nerei referamus in deos. Ne cantemus Iulum Cereri, néue ipsi Rheæ Lytiersan, ne Baccho Dithyrambum, ne Pæana Pythio Apollini, néue Dianæ concinamus Hypoepum; sed rerum omnium conditori Deo hymnos Dauidicos proferamus, cumq; eo pariter exclamemus: Quàm magnificata sunt* A *opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti. Quotiescumque canoras aues audiemus varios cantus emodulari, cicadasq; tremulos vibrare concentus, Musis Sirenibusq; dimissis sapientissimum Deum, eumdemq; potentissimum adoremus, qui & huiusmodi auiculis tantam tribuit musicæ harmoniam, & humanum genus vndecumque nutrit, fouet ac mulcet.*

Mysticè, ascende hic anima à specie creaturæ ad pulchritudinem creatoris, tibique dicito: Si ita rubent rosæ, candent lilia, purpurantur hyacinthi, redolent caryophylli, vernant prata, delectant pomi, pyri, cerasi; si ita variè virent herbæ & segetes; si ita rutilat aurum, nitet argentum, splendent carbunculi, radiant gemmæ; quis color, quis odor, quis sapor, quis decor esse debet eius qui hæc omnia creauit? *Speciei enim creator hæc omnia constituit: quanto ergo his dominator eorum speciosior est?* Omnia hæc speciosa quæ vides, quæ tangis, quæ sapis, tantùm gutta sunt ad oceanum bonorum omnium, qui est in creatore Deo. Si ergo rapit te species floris, fructus, aut personæ pulchræ, noli ea capi: sed mentem transfer ad speciem increatam & immensam, quæ hæc omnia pulchra, quasi radios quosdam ex se diffudit, atque in se omnium florum, fructuum, feminarum, rerum omnium, imò mūdorum infinitorum possibilium, quos creare potest, pulchritudinem eminenter continet & complectitur. noli decori creaturæ modico & vmbratico cor affigere, vt verum & immensum decorem perdas: noli eum cane Æsopico vmbram carnis sequi, vt ipsam carnem tibi sinas excidere: noli guttæ inhiare, vt fontem & pelagus bonorum amittas, vt pro gutta mellis recipias mare fellis. sed ama bonum vnum, bonum verum, in quo sunt bona omnia; pulchrū vnum, in quo sunt pulchra omnia. Dic tibi, dic Deo: Deus meus, amor meus. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Ascensus à specie creaturæ ad pulchritudinē creatoris.

De opere quartæ diei.

VERS. 14. FIANT LVMINARIA IN FIRMAMENTO] Quæres, quomodo hoc sit factum? Nota Primò, firmamentum hîc, non tantùm significare octauum cælum stellatum, sed sumi pro expansione omnium orbium cælestium. Hos enim omnes significat Hebræum רקיע *rakia*; & Moses loquitur rudibus Hebræis, qui hos orbes non norant distinguere.

Astra non sunt animata.

NotaSecundò. Licet Plato asserat, & S. August. Enchir. cap. 58. dubitet, an sol, luna & astra sint animata, & vtantur ratione; ac consequenter an aliquando beanda sint cum hominibus & angelis: tamen certum est iam, nec cælos esse rationales, nec astra. nec enim cæli, vel astra habent corpus organicum. Rursùm, motus eorum circularis, perpetuus & naturalis, arguit principium illius motus, putà naturam eorum non esse liberam, nec rationalem, sed inanimam, & planè determinatam. ita S. Hieron. in Isaiæ 45. & passim Patres & Philosophi. Errant ergo Philo more suo platonizans libr. de Opificio sex dierum, docens stellas esse animalia intelligentia. Rursùm errat Philastrius dum ait: Est hæresis asserens stellas esse cælo infixas; cùm certum sit eas C in cælo moueri, sicut aues mouentur in aëre, & sicut pisces natant in aqua. Contrarium enim docent omnes Astronomi, scilicet stellas suo orbi affixas esse, cum eoque moueri & rotari, putà cum cælo octauo, siue sidereo.

Stellæ specie distinguuntur à suis orbibus, & à planetis.

Suppono Tertiò, verius esse, stellas & planetas omnes specie distingui à suis orbibus siue cælis; rursùm stellas à planetis, denique planetas ab inuicem specie distingui. Probatur id Primò, quia stellæ & planetæ fulgent mira luce, qua carent orbes. Rursùm, stellæ ex se suaque natura sunt lucidæ. Negat hoc Albertus, Auicenna, Beda, & Plinius l. 2. c. 6. sed asserunt alij passim; & patet experientia. nam nullum vmquam in eis cernitur, etiam per dioptram, luminis incrementum aut decrementum, siue ad solem accedant, siue ab eo recedant. Secundò & potiùs, quia distant à sole longissimè, scilicet 76. millionibus milliarium, vti mox dicam: eousque autem non potest se porrigere vis & lumen solis. Stellæ dico; nam clarum est lunam non lucere ex se, sed à sole lumen suum mutuari. Idem verisimile est de aliis planetis. Nam Venerem, æquè ac Lunam per statas temporum vices, quibus ad solem magis minusque accedit, corni-

corniculari, crescere & decrescere, ego ipse cum multis aliis Matheseos peritis, per dioptram clarè perspexi. Tertiò, idem patet ex eo, quòd stellæ miros habeant influxus, & miram vim in hæc inferiora, quam non habent ipsi orbes. Planetæ etiam proprios motus habent, vires, influxus in terram & mare, eosque admirabiles, maximè luna; ergo pariter naturam ab aliis diuersam habent. ita Molina, & alij.

Dixi stellas à planetis differre specie: nam verisimile est, multas stellas esse eiusdem speciei, scilicet illas, quæ habent eumdem modum influendi in hæc inferiora: nam quæ diuersum habent, diuersæ sunt speciei. Hic diuersus modus colligitur ex diuersitate effectus siccitatis, humiditatis, caliditatis, frigiditatis, quem producunt in terra. Nunc

Vnde facta sint sidera.

Dico. Deus hoc die quarto partem vnam cælorum rarefecit, vt condensaret aliam, scilicet lucidam illam quæ primo die creata est, & dicta est lux, v. 3. in eamque ita condensatam, expulsa cælorum forma, nouam formam solis, lunæ & stellarum induxit: simili modo ex aquis die secundo fecit firmamentum. Errant ergo veteres, qui stellas putarunt ex igne productas esse, esseq; igneas. vnde Poëta:

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.

Errant & illi, qui astra secundùm substantiam producta esse censent primo die; hoc verò die quarto tantùm accidentibus, putà luce, motu proprio, & virtute influendi in hæc inferiora, dotata esse.

Quomodo in resurrectione Deus faciet solem nouum.

Pari modo Molina & alij probabiliter putant, quòd in resurrectoine Deus producet alium solem, qui habeat aliam formam, non tantùm accidentalem, sed & substantialem, vtpote qui naturaliter septuplum plus lucis habiturus sit, quàm habeat hic noster, vt ait Isaias c. 30. 26.

Rursum, hoc die quarto Deus planetarum orbes diuisit in suas partes, seu circulos excentricos, concentricos, epicyclos, si quæ sunt huiusmodi. nam Aristot. hæc omnia negat: dum docet planetas tantùm moueri motu sui orbis. Astrologi verò, & Scotus cum suis, ea statuunt; quia docent planetas in suo orbe per se moueri, secundùm excentricos & epicyclos.

In qua parte cæli productus sol.

Nota. Ex dictis in opere tertiæ diei sequitur, solem productum esse in principio Arietis. ita Beda: tunc enim ver incipit. Lunam verò productam esse in opposito solis, putà in principio Libræ. Erat ergo tunc plenilunium, vti definit Conc. Palæst. suprà; ita vt sol vnum hemisphærium, luna alterum illuminaret. ita Molina, & alij. Vnde sequitur:

Lvminaria] Hebraicè מְאוֹרֹת *meorot* à rad. אוֹר *or*, id est lux. Sol ergo est *or*. Inde Ægyptij solem & annum qui cursu solis describitur, vocarunt Horum. Inde annus à Græcis dictus est ὧρος. Inde ὧρα vocatur anni pars quælibet primaria, putà Ver, Autumnus, Æstas, Hiems. Inde per synecdochen diem, ac tandem diei notam partem, quam vulgò horam vocamus, ὥραν nuncuparunt. Vide vt horæ etymon ab Hebræis ad Ægyptios, ab his ad Græcos & Latinos manarit. Ita ex P. Clauio noster Voëllus lib. 1. de Horolog. c. 1. in Scholiis. Ab Hebræis enim ad Ægyptios & Græcos profluxit omnis scientia, præsertim Mathesis, ac horarum ratio, & horologiorum fabrica. Vnde primum horologium quod in historiis tam sacris quàm profanis reperimus, fuit Achaz patris Ezechiæ regis Iuda, Isaiæ 38. 8. Ita P. Clauius l. 1. Gnomon. pag. 7.

Dividant diem ac noctem] q. d. Discriminent diem ac noctem, itaque hominibus & animantibus mox producendis vices laboris & quietis indicent. Rursum diuidant diem & noctem, quoad situm, & quoad hemisphærium, vt dum in vno est sol & dies, in altero sit nox & luna quæ præest nocti. Ex hoc enim loco videtur, quòd luna creata sit in opposito solis, vti dixi.

Symbolicè, Innocentius III. Pont. scribens ad Imper. Constantinop. l. 1. decretal. tit. 33. c. *Solidæ: Ad firmamentum*, inquit, *cæli, id est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritalibus, maior est; quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & reges differentia cognoscatur.*

Cuius rei signa sint astra.

Et sint in signa, et tempora, et dies, et annos] *In signa*, non prognostica astrologiæ iudiciariæ. hæc enim damnat Scriptura Isaiæ 42. 25. Ierem. 10. v. 2. Licet enim astra influendo corporum dispositionem & complexionem immutent, indeque animam eòdem inclinent, non tamen eam necessitant. Esto enim anima sæpè corporis complexionem imitetur; vnde cholericos experimur esse iracundos; sanguineos esse benignos; melancholicos esse suspicaces, timidos, pusillanimes & inuidos; phlegmaticos esse pigros: voluntas tamen, maximè per gratiam adiuta, & corpori & passionibus hisce dominatur; vnde multos cholericos videmus mansuetos, & melancholicos benignos & magnanimos. Sapiens ergo dominabitur astris.

Itaque sol & luna *sint in signa*, scilicet prognostica pluuiæ, serenitatis, gelu, ventorum, &c. v. g. luna *si tertio die à nouilunio tenuis sit, puroq; nitore fulgeat, serenitatem constantem prænunciat: sin crassa cornibus subrubicundaq; cernatur, aut impetuosam & immodicam è nubibus aquam, aut horridam Austri concitationem minatur*, ait S. Basil. hom. 6. Hexam. Et inferiùs: Luna, inquit, humectat, vt patet tum in iis qui sub dio lunaque dormiunt, quorum capita vltra modum humore replentur; tum in cerebris animalium, & medullis arborum, quæ cum luna augentur & crescunt. Rursum luna causat & signat maris æstus & reciprocationes. Secundò, sint in signa serendi, plantandi, metendi, nauigandi, vindemiandi, &c. Tertiò & propriè, sint in signa dierum, mensium & annorum, vt sit hendiadys: in signa & tempora, id est in signa temporanea, vel in signa temporum: in signa & dies, id est in signa dierum: in signa & annos, id est in signa annorum. annus enim describitur vno solis cursu, & vna gyratione per Zodiacum, duodecim verò lunationibus, dum videlicet luna duodecies percurrit Zodiacum.

Nota, per *tempora* hic intelligi ver, æstatem, hiemem & autumnum. Item tempora sicca, calida, humida, procellosa, salubria, morbida: horum enim signa & causa sunt sol & luna.

Symbolicè & anagogicè, S. Aug. l. 13. de Gen. ad litt. c. 13. in opere imperfecto: *Sint*, ait, *in signa & tempora*, id est discriminent tempora, quæ interuallo-

uallorum distinctione, æternitatem incommutabilem supra se manere significent. Signum enim, & quasi vestigiũ æternitatis videtur esse hoc nostrum tempus, vt hinc discamus à signo ad signatum, putà à tempore ad æternitatem ascendere. dicereque cum S. Ignatio: *Quomodo sordet mihi terra, cùm calũ aspicio!* Verè S. Aug. in Sent. sent. 270. *Inter temporalia*, inquit, *& æterna hoc interest, quòd temporalia plus diliguntur, antequam habeantur, vilescunt autem cùm aduenerint. non enim satiat animũ, nisi incorruptibilis gaudij vera & certa æternitas. æternum verò ardentiùs diligitur adeptũ, quàm desideratũ; quia ibi plus adeptura est charitas, quàm fides credidit, vel spes desiderauit.* Vide S. Augustini hac de re colloquium cum matre Monica lib. 9. Confess. c. 10.

A

Et dies et annos] q. d. Vt sol, luna, & stellæ sint indices dierum omnium naturalium, artificialium, festorum, criticorum, forensium & nundinarum; annorum quoque lunarium, solarium, magnorum, criticorum, &c. de quibus Censorin. & Macrob. ita Basil. & Theodor.

B

Vers. 16. Fecitque dvo lvminaria magna] solem & lunam. Licet enim luna omnibus astris, excepto Mercurio, sit minor, tamen quia citima est, & vicinissima terræ, hinc videtur omnibus aliis esse maior, æquè ac sol. Rursum luna maiori, quàm cæteræ stellæ, pollet efficacia & virtute agendi in hæc inferiora. ita S. Chrysost. hîc hom. 6. Pererius, & P. Clauius in Sphæra c. 1. vbi docet terram in se continere lunæ magnitudinem trigesies nouies, ita vt luna tantùm sit trigesima nona pars terræ. Acutè Secundus Philosophus interrogatus ab Adriano Imp. *Quid est sol?* respondit, *Cæli oculus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor. Quid luna? Cæli purpura, solis æmula, maleficiorum inimica, solamen iter agentium, præsagium tempestatũ.* Epictetus verò eidem Adriano: *Luna*, inquit, *est diei adiutrix, noctis oculus; stellæ sunt fata hominum.* Sed hoc vltimum est error Genethliacorum. Præclariùs Eccles. cap. 43. 3. *Sol*, ait, est *vas*, id est organum, instrumẽtum, *admirabile Excelsi, exurens montes, radios igneos exsufflans. Luna, ostensio temporis, & signum æui. à luna signum diei festi. Vas castrorum in excelsis, id firmamento cæli resplendens gloriosè.* q. d. Stellæ quæ in firmamento resplendent, sunt quasi vasa, id est arma, bellica Dei. *Species cæli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. In verbis sancti stabunt ad iudicium.* q. d. Stellæ Dei præcepto stant ad iudicium, hoc est, ad eius sententiam & imperium exequendum: *& non deficient in vigiliis suis.* Stellæ enim, quasi milites & vigiles Dei, perpetuò excubant intenti ad omnem eius nutum.

C

D

Symbol. S. Basil. hom. 6. Hexam. Luna, inquit, quæ perpetuò vel crescit, vel decrescit, inconstantiæ est symbolum, notatque omnes res humanas, vtpote quæ illi subsunt, quibusq; illa dominatur, in perpetua esse mutatione: sol verò semper sibi similis mentis constantis est symbolum. Hinc Sapiens: *Homo sanctus*, ait, *in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur*, Eccli. 27. 12.

Et stellas] vt scilicet vnà cum luna nocti præsint, eamque illuminent, psal. 135. v. 7. Docent Astronomi miram esse altitudinem, ac consequenter magnitudinem orbium cælestium & stellarum, ita vt terra, quæ centrum mundi, eorum respectu sit instar puncti: perinde vt omnes opes, bona & gaudia terrena, sunt quasi punctũ, respectu

Mira cælorum magnitudo, terræ verò paruitas.

cælestium; seq; habent vti gutta ad totum mare.

Nam Primò, docent, solem in se continere totam quantitatem terræ centies & sexagesies, eumque à terra distare quatuor millionibus milliarium, siue leucarum (millionem voco decies centena millia) & amplius: minutias enim numerorum hîc omitto. vnde sequitur, tantam esse peripheriam & vastitatem orbis solaris, vt sol 24. horis suum circulum peragens, vnâ horâ percurrat 1140000. milliarium, hoc est vnum millionem, & centum quadraginta millia milliarium: quod tantumdem est, ac si terræ ambitũ & gyrum circumcurreret quinquagies. Ambitus enim conuexi cæli solis, continet 27. milliones, & trecenta sexaginta millia milliarium, quæ si in 24. horas diuidas, inuenies numerum iam dictum, & paulò amplius. Coniice ex his quantus sit Deus. *Nam sol & luna collati ad creatorem, culicis & formicæ rationem obtinent*, ait S. Basil. homil. 6. Hexam.

Sol distat à terra quatuor millionibus milliarium.

Secundò, docent, terram à concauo firmamenti, siue cæli octaui & stellati, distare octoginta millionibus cum medio milliarium: spissitudinem verò firmamenti esse eamdem, scilicet octoginta millionum. quanta ergo debet esse distantia, spissitudo & amplitudo cæli noni, decimi, & si qui alij iis sunt superiores, ac maximè cæli empyrei?

Firmamentum distat à terra 80. millionibus milliarium.

Vnde Tertiò, docent, quodlibet punctum æquinoctialis, & quamuis stellam in æquinoctiali positam singulis horis conficere 42. milliones milliarium, & insuper tertiam partem millionis, hoc est tantum, quantum eques 40. milliaria quotidie conficiens posset 2904. annis conficere: rursum tantum, quantum si quis vna hora bis millies ambitum terræ obiret & circumcurreret. longè plus spatij conficit, ideoque longè velocius est nonum cælum, ac magis decimum, quod putant esse primum mobile. cogita ergo quàm velox sit tempus.

Stella singulis horis conficit 42. milliones milliarium.

Est enim tempus tam velox, quàm est ipse motus primi mobilis, cuius est mensura. tempus ergo longè velociùs fertur quàm sagitta, aut quàm globus tormento æneo eiaculatus hic enim globus egeret 40. diebus ad hoc, vt totum terræ ambitum obiret, quem stella, vt dixi, vna hora obit bis millies. instar ergo fulguris volat irreuocabile tempus: instar fulguris cum tempore ferimur & rapimur ad æternitatem. *Tu dormis*, inquit S. Ambros. in psal. 1. *& tempus tuum* non dormit, sed *ambulat*, imò volat.

Temporis velocitas quanta.

Inde Quartò, deducunt: si lapis molaris inciperet cadere à conuexo firmamenti versus terram, opus haberet nonaginta annis, vt decideret, & terram attingeret; etiamsi singulis horis caderet, & descenderet ad ducenta milliaria: naturaliter enim non posset amplius spatij transmittere. Diuide enim 160. milliones (tot enim sunt à terra ad conuexum firmamenti) in dies & annos, dando cuique horæ 200. milliaria; & inuenies rem ita se habere.

Lapis molaris à firmamento in terram caderet 90. annis.

Quintò, docent, nullam stellam esse in firmamento, quæ non decies octies maior sit toto globo terræ: quin verò ex Ptolemæi & Alphragani sententia, stellas omnes diuidunt in sex magnitudinũ differentias. Stellæ, inquiunt, primæ & summæ magnitudinis sunt numero 17. quarum quælibet maior est tota terra centies & septies. Secundæ magnitudinis sunt numero 45. quarum

Sex magnitudinum differentiæ stellarum.

quælibet

quælibet maior est terra nonagies. Tertiæ magnitudinis sunt 208. quarum quælibet maior est terra septuagesies & bis. Quartæ magnitudinis sunt 264. quarum quælibet maior est terra quinquagesies quater. Quintæ magnitudinis sunt 217. quarum quælibet maior est terra trigesies quinquies. Sextæ & infimæ magnitudinis sunt 249. quarum quælibet maior est terra decies & octies.

Vastitas cæli empyrei.

Sextò, docent, quòd multò minor sit proportio totius mundi, intra concauum firmamenti contenti, ad complexum cæli empyrei, quàm sit globi terræ ad ipsum firmamentum.

Octo millibus annorũ quis è terra non ascenderet ad cælum empyreum.

Septimò, ex dictis deducunt, quòd si bis mille annis viueres, & quotidie directè in altum adscenderes ad centum milliaria, idque continuò, post bis mille annos necdum peruenires ad concauum firmamenti (bis mille enim annis hoc modo tantùm conficeres 73. milliones milliarium, hîc autem sunt 80.) rursum post alios bis mille annos tantumdem quotidie ascendens, non peruenires à concauo ad conuexum firmamenti: denique post quatuor & plura annorum millia, tantumdem quotidie ascendens, non peruenires à conuexo firmamenti ad cælum empyreum. hæc & plura docet P. Clauius in Sphæra c. 1.

Si ergo in stella aliqua, & multò magis si in cælo empyreo consisteremus, & dispiceremus hunc terræ globulum, an non exclamaremus? Hoc est punctum, cui inhiant filij Adæ, quasi formicæ: hoc est punctum, quod inter mortales ferro & igni diuiditur. O quàm angusti sunt mortalium termini! ô quàm angusti sunt mortalium animi! *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* Despice ergo punctum hoc, & suspice cæli ambitum. quidquid hîc vides, exiguum est & breue. immensa & æterna cogita. Quis hæc cogitans tam amens sit & stolidus, vt iniquè punctum ex hoc puncto, putà agrum, domum, aut rem aliam proximo per vim aut fraudem surripere, itaque se immensis orbium supernorum spatijs fraudare & excludere velit? quis punctum terræ præferat cælorum immensitati? quis particula terræ rubræ, vel albæ (nec enim aliud est aurum & argentum) vendat vastissima & radiantissima stellarum palatia? Pauper ergo es? cælum cogita. infirmaris? sustine, sic itur ad astra. contemneris, rideris, persecutionem pateris? tolera, sic itur ad astra. geme, stude, labora, suda modicũ, sic itur ad empyreum.

Ita S. Symphorianus adolescens cùm sub Aureliano Imp. ad martyrium raperetur, mater eum hisce verbis animauit: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cælum suspice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* quibus verbis ille accensus, datis fortiter carnifici ceruicibus, Martyr in cælum euolauit.

Ita nostro hoc sæculo matrona illa generosa, fidei causa in Anglia damnata ad mortem horrendam, vt scilicet saxo acuto incubans, supernè imposito graui pondere premeretur, dum vita ei & anima exprimeretur, alijs horrentibus, ipsa læta cycnæum canens: *Tam breuis*, inquit, *via est quæ ducit ad cælum: post sex horas super solem & lunam euehar, astra pedibus premam, empyreum inibo.*

Ita S. Vincentius mente in cælum se librans vicit, imò risit omnia Daciani tormenta, cumque in eculeo sublatus ab eo per ludibrium rogaretur, vbinam esset? *In sublimi*, inquit, *vnde te potestate terrena tumentem altior despicio.* grauiora minitanti: *Non minari mihi videris*, respondit, *sed quod votis omnibus concupieram offerre.* Igitur cùm vngulas, faces, prunas toto corpore dilacerato constanter exciperet, ait: *Frustra fatigaris, Daciane: non potes tam horrenda excogitare tormenta, quàm ipse paratus sum sustinere. Carcer, vngulæ, candentes laminæ, morsque ipsa, ludus iocusque Christianis sunt, non tormentum*: cælum enim cogitant.

Ita S. Menas Ægyptius Martyr, atrocibus affectus supplicijs dicebat: *Nihil est quod conferri possit cum regno cælorum: neque enim potest totus mundus, æqua lance expensus, vni comparari animæ.*

Ita S. Apronianus cùm ad Sisinnium Martyrem vocem cælitus missam audisset, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis à constitutione mundi paratum*; baptismum petijt, eademque die Martyr factus est, qua & Christianus.

Symbolicè & tropologicè: Firmamentum est S. Ecclesia, quæ est firmamentum & columna veritatis, vt ait Apostolus 1. Timoth. 3. 15. in quo sol est Christus, luna B. Virgo, stellæ fixæ cæteri Sancti, qui à Christo quasi sole suum lumen participant. Vnde non sunt sicut planetæ, qui solem subinde, medios se interponendo, nobis abscondunt & tegunt; ac motus habent vagos retroque redeunt, sed sicut stellæ quæ semper solem, id est Christum, reuerentur, ostendunt & prædicant, ab eoque se omne suum lumen habere testantur & gloriantur; atque cum Paulo quæ retro sunt obliuiscentes, semper in anteriora directo cursu contendunt.

Stellæ sunt Sancti ob decem analogias.

Itaque Primò, sicut stellæ sunt in cælo; ita Sancti mente & vita versantur in cælis, orant crebrò, ac cum Deo & angelis colloquuntur. Hinc amant secretum, fugiunt vana hominum colloquia mundique illecebras. Secundò, stellæ licet sint maiores tota terra, tamen paruæ apparent ob distantiam & celsitudinem, & quo celsiores sunt, eo minores videntur: ita Sancti sunt humiles, & quo sanctiores, eo humiliores. Hinc stellæ docent nos patientiam, ait S. Augustin. in psal. 93. Nam citans illud Apostoli Philip. 2. *In medio nationis prauæ atque peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*: *Quanta*, ait, *de ipsis luminaribus & luna fingunt homines? & patienter ferunt. Conuitia fiunt stellis, quid illæ? numquid mouentur, aut non exercent cursus suos? Quanta de ipsis luminaribus quidam dicunt? & ferunt, & tolerant, & non mouentur. Quare? quia in cælo sunt. Sic & homo qui in natione peruersa & tortuosa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in cælo.* Sicut ergo stellæ ob probra hominum non relinquunt cursum sibi à Deo ordinatum, sic nec iusti ob conuicia hominum debent relinquere viam virtutis, pietatis & zeli sibi à Deo ostensam & inditam. Quare vir pius non pluris faciet dicteria sannionum, quàm luna facit sannas puerorum, vel latratus canum, sibi dum splendet tota nocte oblatrantium. Tertiò, stellæ docent mentis celsitudinem & immobilitatem in tot aduersis & iniurijs, vt quasi stellæ despiciant omnia, tam mala quàm bona, quæ fiunt in mundo. Nam, vt ait ibidem August. *Committuntur tanta mala, nec deuiant desuper stellæ fixæ in cælo, agentes per tractus cælestes, quæ illis præstituit & constituit creator ipsarum: sic debent Sancti, sed si in cælo figantur corda eorum, si innitentur eum qui dicit, Nostra conuersatio in cælis est. Qui ergo sunt in supernis, & de supernis cogitant, de ipsis cogitationibus superiorum patientes fiunt. Et quidquid in terra committitur sic non curant, donec peragant iti-*

vera sua: & sicut ferunt quæ in alios fiunt, sic ferunt & quæ in ipsos fiunt, quomodo luminaria. Nam qui perdiderit tolerantiam, cecidit de cælo. Quartò, stellæ lucent, totumque orbem noctu illuminant, idque semper æquali luce: sic & Sancti in nocte huius sæculi præfulgent, viamque virtutis & iter in cælum verbo & exemplo omnibus ostendunt, idq; æquali semper serenitate mentis & vultus ac constantia, tam in aduersis quàm in prosperis. Porro lux stellarum non est sicut lux candelæ, lucernæ, tedæ, quæ seuo, oleo, cera alitur, eamque depascitur, eaque depasta emoritur. Huic enim similes sunt, qui virtuti student ob respectus carnales & humanos, ob lucra, &c. v.g. vt laudentur ab hominibus, vt dignitates vel opes assequantur. Mox enim vt hæc cessant, cessat & eorum virtus ac deuotio; Sancti verò lucent semper vt stellæ, quia ex Deo, ipsique Deo lucent: soli enim Deo placere, Deique honorem propagare satagunt. Quintò, lux stellarum est purissima, æquè ac stellæ: ita Sancti castitatem & puritatem angelicam consectantur. Hinc sicut in stellis nihil est nubili, caliginis aut fusci; sic in Sanctis nulla est melancholia, nulla ira, nulla turbatio, nulla suspicio: quia omnia oculis lucidis & benignis instar stellarum intuentur. Nesciunt quid sit simulatio, fraus, malitia: charitas enim non cogitat malum. Quocirca videntur esse quasi impeccabiles. Sextò, lux solis & stellarum est velocissima; in instanti enim spargit & propagat se per totum orbem: ita Sancti veloces sunt ad opera Dei, præsertim viri Apostolici, qui per prouincias euangelizando discurrunt, quibus rectè competit illud Isaiæ 18.2. *Ite angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius.* Septimò, lux stel- A larum est spiritalis; ita spiritalis est Sanctorum sermo, æquè ac cogitatio & conuersatio. Octauò, lux solis & stellarum, etiamsi cloacas, fimeta, cadauera & sterquilinia illuminet, ijs tamen ne vel hilum fœdatur vel inficitur: ita Sancti conuersantes cum peccatoribus, eorum peccatis non inquinantur, sed potiùs eos illuminant, sibique similes, id est lucidos & sanctos, efficiunt. Nonò, lux solis & stellarum ita lucet, vt & calefaciat. Vnde per eam omnia viuificantur, vegetantur & crescunt: ita Sancti alios charitate inflammant, adeoque lucent vt ardeant, non verò ardent vt luceant; vti de S. Ioanne Baptista ait Christus, *Ille erat lucerna ardens & lucens,* non, lucens & ardens, vti rectè obseruat & explicat S. Bernardus serm. de S. Ioanne Baptista: B *Est enim*, inquit, *tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum, ardere & lucere perfectum.* Denique in cælesti gloria fulgebunt vt stellæ, vti docet Apostolus 1. Corinth. 15.41. & Daniel c. 12.3. *Qui*, ait, *docti fuerint, fulgebunt vt splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Accedit, quòd stellæ suam substantiam & quantitatem vastissimam abscondunt, tantumque lucem exiguam instar scintillæ ostendunt, per quam apparent & emicant: ita Sancti se suasque virtutes, gratiam & gloriam hominibus abscondunt, & latere appetunt. Quocirca opera eorum lucent quidem, vt ex eis homines glorificent Deum; sed eo modo vt ipsi lucem operum ostendant, personam verò suam à qua manat opus, quantum in se est, occultent: vellent enim non videri, vt homines videntes opus, nec videntes auctorem, illud in Deum, qui est Pater omnium luminum, referant, eumque celebrent.

De opere quintæ diei.

Vers. 20. *Ex qua materia aues sint factæ.* PRODVCANT AQVAE REPTILE ET VOLATILE] Quæres, an aues ex aqua sint factæ? Caietan. & Catharin. negant, putantque aues ex terra esse factas: id enim asseri videtur cap. 2. v. 19. & hoc versu Hebræa insinuant, solos pisces ex aqua esse productos: sic enim habent ad verbum, *Producant aquæ reptile* (scilicet pisces) *& volatile volet super terram.* Verùm communis S. Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Damasceni, aliorumque Patrum (præter Rupert.) quos citat Pererius, sententia est, tam aues, quàm pisces ex aqua, quasi materia, esse productas. hoc enim clarè docet tam nostra versio, quàm Septuag. & Chaldæus, qui omnes in Hebræo intelligunt relatiuum אֲשֶׁר *ascer*, id est *quod* (hoc enim Hebræis est familiare.) quasi dicatur: *Producant aquæ reptile & volatile, quod volet super terram.* Ad locum Genes. 2. v. 19. ibi respondebo. hinc Philo aues vocat piscium cognatas.

In quibus conueniant aues & pisces. Dices, Aues & pisces sunt omnino dispares & dissimiles: ergo non videntur ex aqua factæ esse aues, sed tantùm pisces. Respondeo, neg. antecedens: nam magna est auium & piscium cognatio, vt rectè docet S. Ambros. l. 1. Hexam. cap. 14. *Primò.* Primò, quia aqua, qui est locus piscium, & aër, qui est locus auium, sunt elementa vicina & cognata: vtrumque enim est diaphanum, humidum, molle, subtile, agitabile. Hinc aër facilè in aquam vertitur, & vicissim aqua in aërem. *Secundò.* Secundò, quia tam auibus, quàm piscibus inest leuitas & agilitas. C Quod enim auibus sunt alæ, hoc piscibus sunt pinnæ & squamæ. Hinc & tam aues, quàm pisces non habent vesicam, nec lac, nec mammas, ne volatum aut natationem impediant. *Tertiò.* Tertiò, similis vtrisque est motus: quod enim natatus est piscibus, hoc volatus est auibus, ita vt pisces videantur esse aues aquatiles, & vicissim aues videantur esse pisces aërij. Rursum tam aues, quàm pisces cauda suum iter & cursum dirigunt, ita vt ab ijs, ac nominatim à miluo, nauigandi artem homines didicisse videantur, inquit Plinius lib. 10. cap. 10. *Quartò.* Quartò, multæ aues sunt aquatiles, vt cycni, anseres, anates, fulicæ, merguli, halcyones.

Denique respondet S. August. libr. 3. de Genes. D ad lit. c. 3. & S. Thomas 1. p. q. 71. art. 1. pisces factos esse ex aqua densiori; aues verò ex aqua subtiliori, quæ ad aërem accedit, vel in vaporem & nubem est versa. sunt enim aues temperamenti aërij magis, quàm aquei.

PRODVCANT] Hebraicè יִשְׁרְצוּ *ijsretsu*, id est ebulliant & scaturiant in magna copia. Est hoc verbum proprium piscibus & ranis, eorumque miram fœcunditatem, propagationem & prolificationem significat. Hinc ob humoris luxuriem, pisces indociles & stolidi sunt, nec ab homine domari aut cicurari possunt, ait S. Basil. hom. 7. Hexam. *Rursum nihil, ait, in piscium genere, dimidia parte dentibus est armatum, vt bos, vel ouis: neque enim quisquam piscis ruminat, nisi scarus solus, sed omnes acutissima*

acutissima frequentium dentium acie communiuntur, ne,si mora in molendo traheretur, diffluere alimentum per humorem. Quidam limo, quidam alga vescuntur: alter alterum deuorat,& minor est esca maioris, & sæpè vterque alterius tertij præda fit. Sic apud homines potentior spoliat debiliorem, & hic rursum potentioris fit præda. Cancer vt ostrei carnes deuoret, cùm illud concham ad solem pandit, in illam lapillum inijcit, vt claudi nequeat, itaque eam inuadit & depascitur. Cancri sunt astuti fures & raptores. Polypus cuicumque saxo adhæret, illius colorem induit, itaque pisces ad se quasi ad saxum adnatantes, capit & vorat. Polypi sunt hypocritæ, qui cum castis fingunt se castos, cum spurcis spurcos, cum gulosis gulosos,&c. ac proinde rapaces lupos eos vocat Christus. Pisces dicunt: *Eamus ad Aquilonium mare. Illa enim cæteris æquoribus aqua dulcior est, propterea quòd modicam in eo moram sol trahens, non vniuersum suis exhaurit radijs quod potulentum est. Animantes enim æquoreæ dulcibus humoribus gaudent: vnde fit vt ad flumina sæpè adnatent, longeq; à mari discedant. Hac de causa Pontum ipsi finibus æquoreis cæteris anteponunt, vt ad effundendos nutriendosq; fœtus magis idoneum.* Disce ô homo à piscibus prouidentiam, vt tibi de ijs quæ saluti conducunt prospicias. *Herinaceus marinus cùm ventorum perturbationem præsenserit, calculum haud exiguum subit, sub ipso tamquam sub anchora seipsum stabiliens. Id vbi nautici conspiciunt, futuram tempestatem præsagiunt. Vipera murena marina nuptias expetit, & sibilo suã significat præsentiam. Illa autem accurrit,& coit cum venenato. Quid hæc mea ratio portendit? siue asper, siue temulentus est maritus, perferat illum vxor. Sed & maritus audiat: vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit; tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non depones? An exemplum viperæ nobis & alio modo prodest? Adulterium natura quoddam est, viperæ murenæq; complexus. Discant ergo illi qui alienis insidiantur nuptijs, cuinam reptili sint similes.* Miratur deinde S. Basil. quomodo in salem cogatur maris aqua, quomodo corallium in mari sit herba, sed cùm in aërem effertur in lapidem transgeletur, quomodo vilissimis ostreis pretiosos vniones natura impresserit, quomodo ex purpuræ vilis pisciculi sanguine fiat color purpureus, quo vestes regum tinguntur, quomodo remora pisciculus si carinis adhæserit, naues, etiam valido vento actas, sistat & immobiles reddat. Hæc omnia S Basil. homil. 7. Idem de Remora tradit Plinius, Plutarch. Aldrouandus, qui causam referunt in arcanam qualitatem Remoræ à natura inditam, qualis est in magnete ad attrahendum ferrum & indicandum polum. Porro ijs omnibus S. Basil. docet Primò, admirari Dei potentiam, sapientiam & munificentiam in hoc maris theatro, eique pro tot beneficijs, quot sunt pisces, imò guttæ in mari, iugiter gratias agere. Secundò, ostendit quomodo debeamus ex piscibus, alijsque animalibus & creaturis singulis congrua elicere documenta vitæ; omnesque earum dotes & actiones accommodare ad informationem morum. in speculum enim, æquè ac in auxilium à Deo datæ sunt homini. Ita Sapiens Prouerb. 6.6. hominem inertem amandat ad formicas: *Vade, ait, ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.*

Cornel. in Pentateuch.

Reptile animae viventis] id est, reptile habens animam viuentis, siue animalis sentientis. Reptilia vocat pisces, quia pisces non habent pedes, sed ventre incubant aquis, quasi repentes & remigantes. Ad pisces refer amphibia, vti sunt fibri, lutræ, hippopotami; quæ licet pedes habeant, ijs tamen non gradiuntur, dum sunt in aquis, sed ijs natando vtuntur pro remigio. *Amphibia ad pisces referenda.*

Vers. 21. Creavitqve Devs cete grandia] *Cete* hebraicè vocantur תנינים *tanninim*, quod significat dracones, & omnia ingentia animalia, tam terrestria quàm aquatica, vti sunt balænæ, quæ sunt quasi dracones aquatici. Sic nomen cete commune est omnibus magnis & cetaceis piscibus, vt docet Gesnerus.

Iudæi per *tanninim* accipiunt balænas maximas, quas duas tantùm creatas esse dicunt (ne si plures essent, pisces omnes deuorarent, & naues omnes absorberent) scilicet feminam, quam Deus occidit, & reseruat eam iustis ad epulandum tempore Messiæ; & masculum, quem reseruat, vt cum eo certis horis ludat singulis diebus. iuxta illud psal 103. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, hebr. *vt ludas cum eo.* Hanc fabellam sumpserunt ex l. 4. Esdræ c. 6. vti refert Lyran. & Abul. Hæc sunt deliria istorum sapientum.

Nota τὸ *cete grandia*: cùm enim super aquas dorsum efferunt, ingentis insulæ speciem exhibent, inquit S. Basilius & Theodoretus.

Et omnem animam viventem atqve motabilem] *Atque* hìc significat, *id est*, quasi dicat, Creauit Deus omne animal viuens in aquis, quod scilicet in se habet principium motus, putà animam, qua se suopte nutu mouere potest, ideoque vocatur motabile.

Vers. 22. Benedixitqve eis dicens: Crescite et mvltiplicamini] Dei benedicere est benefacere. benefecit autem Deus piscibus & auibus, hoc ipso, quo tribuit eis appetitum, vim & potentiam generandi sibi simile, vt cùm non possint ipsa in se indiuidua semper manere, sed moriantur; maneant saltem in prolibus, & ita quasi æternitatem quandam habeant: omnis enim res appetit sui conseruationem & æternitatem. vnde explicans subdit: *Crescite*, non magnitudine (hanc enim iustam, in prima sua creatione acceperunt.) sed, vt hebraicè est, פרו *peru*, id est fructificate, siue prolificate, vt numero multiplicemini; & vos ô pisces replete aquas. Maior est enim fœtura piscium quàm auium; & auium maior est quàm sit animalium terrestrium: quia, vt ait Aristot. l. 3. de Generat. animal. c. 11. humor quo abundant pisces, naturam habet ad effingendum efformandumque habiliorem, quàm terra. *Cur maior fœtura piscium quã auium.*

Adde, pisces & aues generare per oua, quæ faciliùs in matrice multiplicantur quàm fœtus, quos vtero gestant terrestria. Vnde auibus & piscibus benedixisse Deus legitur, non autem terrestribus: licet, vt rectè aduertit S. August. l. 3. de Genes. ad lit. c. 13. quod in vno expressum est, in altero simili æquè subintelligi debeat. Homini verò legitur Deus benedixisse, tum quia homo dominus est animalium omnium, tum quia homo per omnes terræ prouincias disseminandus erat, cùm cætera animalia, alia alias terras naturaliter non sustineant.

Dices, Phœnix auis est vnica in mundo: ergo in ea non est verùm τὸ *crescite & multiplicamini.* *An phœnix vnica auis existat.*

Respond. ad antecedens, Phœnicem existere multi veterum, non tam ex certa scientia, quàm ex communi rumore asseruerunt. Verùm posteriores Philosophi & Physici, qui de auibus exactè scripserunt, inter quos vltimus & exactissimus est Vlysses Aldrouandus, phœnicem pro fabula habent, cumque non existere, nec vmquam extitisse multis demonstrant. Phœnix ergo auis est, non vera, sed symbolica, vti ostendam cap. 7. v. 2.

S. Basil. hom 8 Hexam. & ex eo S. Ambros. l 5. Hexam. describit & miratur, Primò, apum industriam in fauis construendis, melle legendo, disponendo, tutando, &c. Secundò, gruum excubias, quas noctu vicissim agunt, vt cæteras dormientes obeant & custodiant. Exacto enim tempore definito, illa quæ excubauit emisso clangore se ad somnum componit, alia verò succedit, & quam B accepit, cæteris reddit excubando securitatem. Volant certo ordine quasi acie instructa: vna velut dux præit, quæ stato tempore munere suo perfuncta, ad totius agminis se terga vertit, & ducendi munus ei quæ proximè sequitur, resignat. Tertiò, mores ciconiarum, quæ stato tempore aduolant & auolant; eas deducunt cornices, & contra alias aues tutantur. Signum præstitæ tutelæ est, quòd cornices cum vulneribus redeunt. Rursum ciconiæ suos parentes senescentes, pennis proprijs circumdatos fouent, victum lautè subministrant, & vtrimque suis eos subleuant alis. *Hac est vectura pietatis*, ait S. Ambros. Quartò, nemo suam paupertatem deploret, si consideret hirundinem, quæ pro compingendo nidulo stramenta ore legit, perfertque: lutum autem cùm deferre nequeat pedibus (vtpote quos adeò breues paruosque habet, vt C nullos habere videatur; ideoque vix consistere, sed ferè volare cernitur) extremitates pennarum aqua madefacit, mox puluere sese inuoluens, hoc pacto sibi lutum efformat, quo nidum compaginat, ibique positis ouis pullos excludit; quorum si quispiam pupugerit oculos, adhibita herba chelidonia rursum eos oculare nouit. Quartò, halcedo iuxta littus maris media ferè hieme, cùm sæuiunt venti & procellæ, oua ponit, tumque ilico silent & sopiuntur venti & procellæ, ac æquora placantur per septem totos dies, quibus ouis incubat, pullosque excludit halcedo, ac deinde succedunt alij septem sereni dies, quibus pullos enutrit. Vnde nautæ securè tunc nauigant. Hinc & Poëtæ dies tranquillos & serenos, vocant halcyonios. Halcedo docet nos sperare in Deo: si enim ipse tantam serenitatem præstat vni auiculæ, quid non D præstabit homini se inuocanti? Quintò, turtur mortuo compare nulli alteri se iungens, docet viduas manere castas, nec ad alterius viri aspirare connubium. Sextò, aquila in pullos dura, eos mox deserit, imò subinde nido exturbat: hinc symbolum est parentum in filios suos crudelium. Ex aduerso benigni in filios, sunt similes coturnicibus, quæ suos pullos iam volantes comitantur, eisque aliquamdiu alimoniam suppeditant. Septimò, vultures longæuæ (plerumque enim centenos annos viuunt) pariunt sine coitu. Has obijcias Ethnicis, qui dicunt: Quomodo B. Virgo, manens virgo, potuit parere Christum? Idem habet S. Ambros. lib. 5. Hexam. c. 20. Quin & Ælianus lib. 2. de Animal. c. 46. Horus libr. 1. Hierogl. Isidorus libr. 12. Origin. cap. 7. & alij quos citat Aldrouandus in vulture, tradunt vultures omnes esse feminas, easque sine mare ex vento concipere & generare. Verùm hæc omnia esse fabulosa docet Albertus Magnus, & ex eo Aldrouandus lib. 3. Ornithol. pag. 244. Vultures enim sunt animalia perfecta, quæ omnia communi naturæ lege, vtroque sexu gaudent, eoque generant & se propagant, vti cæteræ aues. Insuper vultures valent odoratu, & cadauera à centenis milliaribus, imò trans mare sita olfaciunt, ad eaque aduolant: quin & videntur cædes præsagire; vnde magnis gregibus sequuntur exercitus & castra. Octauò, vespertilio quadrupes est, & tamen alata, quasi auis: vnde parit animal, vt quadrupes; & alas habet, non pennis distinctas, sed continuas instar membranæ coriaciæ. His, & noctuis similes sunt qui sapiunt in rebus vanis, non veris & solidis: instar enim noctuæ, acies eorum sole illucescente hebetatur, acuitur verò ipsa vmbra & caligine. Nonò, gallus excubitor, manè te excitat, vt ad opera conficienda consurgas, acuta inclamitans voce, cantuque suo solem adhuc è longinquo aduenientem prædicens, cumque viatoribus manè euigilans, & ad suos labores ac messem agricolas educens ædibus. Decimò, peruigil est anser, & acutissimus ad ea sentienda quæ cæteros latent. Vnde olim Romæ anseres Capitolium contra Gallos hostes irrepentes, suis clamoribus custodes dormientes excitando, tutati sunt. Quocirca S. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 13. *Meritò, ait, illis* (anseribus) *Roma debes quòd regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anseres. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Ioui. Cedunt enim dij vestri anseribus, à quibus sciunt se esse defensos, ne & ipsi ab hoste caperentur.* Vndecimò, exercitus locustarum sub vna tessera, in sublime vniuersus simul elatus, castris toto latè positis agro, non antea fructus depascitur, quàm ipsi id sit à Deo concessum, & quasi mandatum. Suggerit Deus remedium. illud est seleucis auis, quæ turmatim aduolans locustas deuorat. Insuper quis qualisque est modus canendi cicadæ? Meridie magis incumbit cantui, aëris tractione, quæ fit cùm pectus expanditur, sonum eliciens. Duodecimò, insecta (vt apes, vespæ,) ita dicta, quòd vndique scissuras quasdam, siue incisuras ostendant, pulmone carent, ideoque non respirant, sed totis corporis sui partibus aëre nutriuntur. Quapropter si oliuo, id est oleo ex oliuis expresso, fuerint madefacta, occlusis meatibus pereunt: si aceto protinus asperseris ea, reclusis foraminibus reuiuiscunt. Decimotertiò, anates, anseres, & aliæ aues quæ natant, pedes habent non diffissos, sed continuos, & instar membranæ expansos, vt commodiùs fluitare & natare possint. Cycnus longo collo in profundam aquam immisso, piscariam exercens, pisces venatur. Decimoquartò, resurrectionis argumentum & typus sunt bombyces. In his enim primò ex semine enascitur vermiculus, ex hoc fit eruca, ex eruca bombyx, qui folijs mori se implet, ac plenus net fila byssi, quæ ex visceribus suis educit, factoque glomo illi se includens immoritur, ac eo euoluto reuiuiscit, conceptisque alis fit papilio, & relicto in glomo semine auolat. Hæc Basil. Adde aues mirè canoras, psittacum, merulam, regulum, & maximè philomelam, quæ pusilla non aliud esse videtur quàm vox, imò musica. de qua S. Ambros. lib. 5. Hexam. c. 12. *Vnde mihi, ait, vocem psittaci, dulcedinémque merularum? vtinam saltem luscinia canat, quæ dormientem*

tem de somno excitet. Ea enim auis significare solet diei surgentis exortum, & effusiorem diluculo deferre latitiam. Idem cap. 5. *Quomodo*, ait, *fulica, quæ marino delectamini profundo, refugientes quam præ-* A *senseritis commotionem maris, in vado luditis? Ipsa ardea quæ paludibus inhærere consueuit, notas deserit sedes, imbresq; formidans, supra nubes volat, vt procellas nubium sentire non possit.*

De opere sextæ diei.

SEXTA dies dedit incolas terræ, sicut quinta dedit incolas aquæ & aëri. Igni verò nulli incolæ sunt dati: nam nec salamandram, nec aliud animal in igne viuere aut durare posse docet Galenus lib. 3. de Temperamentis, & Dioscorid. l. 2. c. 56. vbi Mathiolus ait, se idipsum expertum esse, ac multas salamandras in ignem coniecisse, quæ breui consumptæ sunt. Sic pyraustæ siue lamprides, quæ paulò maiores sunt muscis, tantùm ad breue tempus viuunt in igne. nam in fornacibus ærarijs nascuntur in Cypro, in ijsque per ignem saliunt & ambulant, & mox à flamma auolantes emoriuntur, vti testatur Aristoteles lib 5. Histor. anim. cap. 19.

Salamandram in igne viuere fabula.

VERS. 24. PRODVCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM] animalia viuentia. est synecdoche. Rursum, *producat terra*, non quasi causa efficiens: hæc enim fuit solus Deus, sed tamquam causa materialis. quasi dicat, Exoriantur, emanent, exurgant, prodeant animalia ex terra.

Quæres, an omnes omnino animalium terrestrium species hoc sexto die à Deo sint creatæ?

An omnes animalium species die sexto creatæ.

Respondeo Primò, omnes omnino animalium terrestrium species, quæ perfectæ sunt & homogeneæ, id est, quæ per commixtionem maris & feminæ, ex vna tantùm specie nasci possunt, hoc die esse creatas. ita passim docent interpretes & Scholastici. Et probatur, quia hoc requirebat perfectio vniuersi: Deus enim hisce sex diebus vniuersum hoc perfectè condidit & exornauit; vnde sequitur eum hisce sex diebus omnia, id est omnium rerum species, creasse. Atque hinc dicitur septimo die cessasse, scilicet à nouarum specierum productione.

Dico Secundò, Consequenter hoc sexto die omnes bestiæ venenatæ, vt serpentes; & sibi inuicem inimicæ ac carniuoræ, vt lupus & ouis, creatæ sunt, adeoque cum hac inimicitia & antipathia creatæ sunt: hæc enim antipathia est eis naturalis. Itaque ante peccatum Adæ natura lupi erat inimica oui, eique necem intulisset: Dei tamen prouidentia cauisset, ne id fieret ante speciem satis propagatam, vt illa non intercideret. Ita D. Thomas 1. p q. 69. a. 1. ad 2. & S. August. lib. 3. de Genes. ad lit. cap 16. licet ipse id ipsum retractare videatur lib. 1. Retract. c. 10. atque asserere, ad naturalem institutionem pertinere, vt herbis omnes bestiæ vescantur, iuxta id quod dicitur Genes. 1. 30. ex hominis autem inobedientia factum esse, vt aliæ aliis sint in cibum. Idem censet Pererius & Abulens. in c. 13. vbi fusè hæc pertractat. Idem videtur sentire Gregorius Nyssenus orat. 2. de procreatione hominis. Idem disertè docet Iunilius: *Ex eo*, inquit, *quod dixit Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam, patet quòd nihil noxium terra protulit, & nullam herbam venenatam, & nullam arborem sterilem. Secundò, quòd nec ipsa aues raptu infirmorum alitum viuebant, nec lupus insidias explorabat ouilia circum, nec serpenti puluis panis eius erat; sed vniuersa concorditer herbis & fructibus arborum vescebantur.* Ve-

Bestia etiã venenata creata.

B rùm prius, quod dixi, est verius. Causæ, cur venenata crearit Deus, sunt: Prima, vt vniuersum omnibus rerum generibus esset integrum. Secunda, vt ex ijs elucesceret aliorum bonitas: bonum enim malo oppositum elucescit. Tertia, quia ipsa ad medicinas, & ad alios vsus vtilia sunt. Sic enim ex vipera fit theriaca. ita Damascenus lib. 2. de Fide c. 25. vide & S. Augustinum l. 1. de Genesi contra Manich. c. 16.

Dico Tertiò, Minuta animalia, quæ ex sudore, exhalatione aut putrefactione nascuntur, vti pulices, mures, aliique vermiculi non fuerunt hoc sexto die creata formaliter, sed potentialiter, & quasi in seminali ratione: quia scilicet illa animalia hoc die creata sunt, ex quorum certa affectione, hæc naturaliter erant exoritura. ita S. August. l. 3. de Genes. ad lit. c. 14. licet contrarium docere videatur S. Basilius hîc homil. 7. Certè pulices, & similes vermes, qui iam in hominibus sunt, tunc creari, contrarium fuisset felicissimo innocentiæ statui.

Quæ ex putrefactione nascuntur, non sunt hoc die creata.

C Nota, in paruis animalibus æquè, & subinde magis elucere magnificentiam Dei atque in magnis. Audi Tertull. l. 1. contra Marcionem c. 14. *At quum & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industria, ingenijs aut viribus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probare docens, quemadmodum virtutem in infirmitate, secundùm Apostolum; imitare si potes apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina; sustine, si potes, illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam: qualia erunt maiora, cùm tam modicis aut iuuaris aut læderis, vt nec in modicis despicias creatorem?* Ita Chrysippus teste Plutarcho libr. 5. de Natura, cimices, & mures homini perutiles esse dixit: cimicibus enim nos à somno excitari, & à muribus admoneri, vt in rebus locandis curam adhibeamus.

S. August. enarrat. in psal. 148. *Attendat*, ait, *charitas vestra, quis disposuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? vnam bestiolam breuem, minutissimam* D *considera, quam volueris: si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vita qua mouetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat molestias; exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici quo sanguinem sugat? quàm tenuis fistula est qua sorbet! Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expauescis in minimis, lauda magnum.*

Dico Quartò, Hybrides, putà animalia quæ ex congressu diuersarum specierum generantur, vti mulus ex equa & asino, ex lupo & ceruа lynx, ex hirco & oue tityrus, ex leæna & pardo leopardus, hæc inquam non necesse est dicere, hoc die sexto esse creata: atque de facto tunc non omnia hæc esse creata certum est. ita Rupertus, Molina, & alij, licet Perer. hîc contrarium sentiat. Hoc dictum probatur Primò, quia in Africa in dies nouæ oriuntur monstrorum species, & plures deinceps orientur, atque oriri possunt ex noua alia-

nec hybrides.

rum & aliarum specierum, siue animalium commixtione. Secundò, quia hæc commixtio est præter naturam & adulterina, vnde vetita fuit Iudæis Leuit. 19. 19. Tertiò, quia hæc animalia sufficienter censentur creata, quando aliæ species creatæ sunt, ex quarum commixtione postea erant nascitura. Quartò, quia de mulis docent Hebræi Gen. 36. 24. eos longè post hunc sextum mundi diem, ab Ana inuentos esse in deserto, ex equarum cum asinis congressu.

In genere svo] secundùm suum genus, putà secundùm species suas, vt sequitur. q. d. Producat terra animalia viuentia, secundùm quasque singulorum species; siue, Producat terra singulas animalium terrestrium species. Species hasce enumerat & contemplatur S. Basil. hom. 9. Hexam. eumque secutus S. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 4. Vbi inter cætera ait: *Vrsa insidians licet, vt Script. ait (est enim plena fraudis fera) tamen fertur informes vtero fœtus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciem sui similitudinemque formare: tu filios tuos instituere similes tui non potes? Eadem grauis affecta cade, & consauciata vulneribus, mederi sibi nouit, herba, cui nomen est phlomos, vlcera subijciens sua, vt solo curentur attactu. Serpens quoque pastu fæniculi cæcitatem repellit exceptam. Testudo visceribus pasta serpentis, cùm venenum aduerterit sibi serpere, origano medicinam suæ salutis exercet. Videas etiam vulpem lachrymula pinus medentem sibi. Clamat Dominus Ierem. 6. Turtur & hirundo, agri passeres custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognouit iudicia Domini. Nouit etiam formica explorare serenitatis tempora: nam ea præsagiens madidatos fructus foras exportat, vt iugi sole siccentur. Boues impendente pluuia ad præsepia se tenere nouerunt, aliàs foras spectant, & vltra præsepia ceruices extendunt, vt prodire se velle testentur,* eò quòd immineat aura serenior. *Ouis sub aduentum hiemis inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam rapit, eò quòd præsentiat asperitatem & sterilitatem hiemis futuram. Hericius si quid insidiarum præsenserit, spinis suis clauditur, atque in sua se arma colligit, vt quicumque eum contingendum putauerit, vulneretur. Idem futuri prouidens, geminas sibi respirandi vias munit, vt quando Boream flaturum cognouerit, Septemtrionalem obstruat; quando Noto cognouerit detergi aëris nubila, ad Septemtrionalem se conferat, vt flatus declinet obuios, & e regione nocituros. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti.* Subdit de tigride, quæ raptorem catulorum suorum insequitur, qui vbi se contiguum viderit, sphæram de vitro proijcit. At illa imagine sui (quam reflexam videt in vitro, putatque suum esse catulum) luditur, & quasi lactatura fœtum residet. sic pietatis studio decepta, & vindictam amittit & prolem. Docet ergo tigris sæua licet, quantum parentes debeant amare suos liberos, nec eos ad iracundiam prouocare.

Pergit deinde ad canes, qui ex vestigijs mira sagacitate leporem odorantur, & insequuntur. Affert exempla canum, qui herorum suorum homicidas detexerunt & vindicarunt: additque, *Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulamus iniurias, & sæpè inimicis Dei eas quas à Deo accepimus, epulas exhibemus? Agniculus balatu frequenti absentem matrem citat, vt responsura vocem excitet; multis licet versetur in millibus ouium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem. illa quoque inter multa agniculorum millia, solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit. Pastor errat in discretione ouium, agniculus in agnitione matris nescit errare. Nondum catulo dentes, & tamquam habeat, ore proprio se quærit vlcisci. Nondum ceruo cornua, & tamen fronte præludit, atque ex ea qua nondum expertus sit tela minitatur. Lupus si prior hominem viderit, vocem eripit, & despicit eum tamquam victor vocis ablatæ. idem si se præuisum senserit, deponit ferociam, non potest currere. Leo gallum, & maximè album veretur. Caprea vulnerata dictamnum petit, & de vulnere excludit sagittas. Leo æger simiam quærit, vt deuoret, quo possit sanari. Leopardus capreæ agrestis sanguinem bibit, & vim languoris euitat. Omnis fera ægra, canis basilio curatur sanguine. Vrsus æger formicas deuorat. Ceruus oleæ ramusculos mandit. Ergo feræ norunt expetere quæ sibi prosint, tu ignoras ô homo remedia tua? Tu nescio quomodo virtutem eripias aduersario, vt te tamquam præuentus lupus effugere non possit, vt oculo tuæ mentis eius perfidiam deprehendas, & prior cursum verborum eius impedias, impudentiam eius & acumen disputationis obtundas? Quid dicam allio homines delectari, quod & leopardus fugit? ieiuni hominis sputum si serpens gustauerit, moritur. Vide quanta vis ieiunij sit. Turtur nido suo, ne pullis suos incurset lupus, squillæ folia superiacit: tu negligis quomodo aduersum lupos nequitiæ spiritualis, posteritatem vitæ huius habeas tutiorem?*

Prosequitur cap. 5. docetque Deum angustiora colla formasse leonibus, tigridibus & vrsis: quia illis feris quæ carne vescuntur, non erat opus prolixitate ceruicis: longiora verò dedisse camelis, equis, bobus, ac promuscidem elephantis, vt cùm sint altiores, inclinare se possint ad carpenda terræ germina, quibus pascuntur. Elephanti intolerabili impetu in hostes ruunt, velut quidam mobiles montes versantur in prælijs. & vt colles alto eminent vertice, mugitus fragore omnium perturbant confidentiam. Trecentis & amplius annis feruntur vitam producere: quia omnia sibi ad magnitudinem membra conueniunt, artusque compacti sunt, non distincti, vti in homine. Promuscide sua quidquid inuoluerint, frangunt: pede quidquid compresserint, exanimant. Et tamen hæc tantæ molis bestia, subiecta nobis imperijs seruit humanis. Et cap. 6. *Formidabilis tauris elephantus, murem timet leo rex ferarum, comantes ceruice toros excutit, exiguo scorpionis aculeo exagitatur, & veneno serpentis occiditur.* Serpentes, cæteraque animantium & herbarum venenata, sunt quasi pædagogi paruulis, libertatem lasciuiendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, terrore constringunt: flagella sunt eorum, quibus infirma est animi ætas. Hæc & pluta S. Ambros. Breuiter S. Basil. homil. 9. *Bos, ait, constans est strenuusque: asinus autem piger: equus libidine incenditur: lupus mitescere nequit: vulpes insidiosa, & ad dolos concinnandos sagax: ceruus timidus: laboriosa formica: canis gratiosus, & initæ semel amicitiæ tenax ac memor: leo animosus, ideoque solitarius. velut enim tyrannus animantium, pares honores congressionesque cum cæteris non acceptat, sed aspernatur: qui neque ad pabulum hesternum accedit, nec ad reliquias venationis suæ vmquam redit. Vehemens est panthera, impetuosa & pernix, ideoque flexilis & agilis. Pigerrima est vrsa, solitaria & dolosa.*

Ivmenta] animalia domestica & mansueta. hæc enim hebraicè vocantur בְּהֵמוֹת *behemot*, & opponuntur bestijs, id est feris terræ, quas Græci hîc clarè θηρία vertunt.

Tropologicè, opus creationis sex dierum, significat

Quid tropologicè significet opus sex dierum. ficat opus iustificationis hominis. Primo ergo die creatur lux, id est, infunditur peccatori illuminatio, qua videat turpitudinē peccati, & periculum sui status ac æternitatis. Secundo die fit firmamentum, id est, inditur peccatori timor Dei & iudicij, qui diuidit aquas superas, id est appetitum rationalem, ab inferis, id est ab appetitu sensitiuo, vt licet sensu concupiscat terrena, spiritu tamen feratur in cælestia. Tertio die terra, id est, homo coopertus aqua, id est concupiscentia, detegitur, vt licet eam habeat, non tamen obruatur; & sentiat, nec consentiat. Inde fert germina virtutum. Quarto die fit sol, id est inditur homini charitas: & luna, id est fides illustris: & Hesperus, id est spes: & Saturnus, id est temperantia: & Iupiter, id est iustitia: & Mars, id est fortitudo: & Mercurius, id est prudentia: cum alijs astris, id est virtutibus. Quinto & sexto die fiunt animantes: primò, pisces, id est homines boni, sed imperfectissimi; quia curis sæculi immersi: secundò, iumenta, id est homines perfectiores, qui in terra viuunt spiritualiter: tertiò, aues, id est homines perfectissimi, qui omnia contemnentes, toto affectu quasi aues in cælum euolant. ita ex Eucherio, Origene & Hugone Pererius. Vide S. Bernard. serm. 3. de Pentecoste. Symbolicè, Iunilius hos ses dies adaptat sex ætatibus mundi. Sequitur creatio hominis, nimirum

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

Dicit ergo Deus,

VERS. 16. *Hinc mysterium Sanctissimæ Trinitatis intelligitur.* FACIAMVS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM NOSTRAM] Nota hic SS. Trinitatis mysterium: hisce enim verbis alloquitur Deus Pater, non angelos, quasi ijs iubeat, vt ipsi fabricent corpus humanum, & animam sensitiuam, sibique solùm reseruet fabricam animæ rationalis, vti voluit Plato in Timæo, & Philo l. de Opificio sex dierum, ac Iudæi. hoc enim vt impium detestantur S. Basilius, Chrysost. Theodor. Cyrillus lib. 1. contra Iulian. & August. lib. 16. de Ciuit. c. 6. nam Deus non per angelos, sed per se tam corpus, quàm animam hominis creauit, vt patet c. 2. v. 7. & 21. vnde non ait hîc, Facite, sed Faciamus ad imaginem, non vestram, ô angeli, sed nostram. Alloquitur ergo hîc Deus Pater suum Filium, & Spiritum sanctum, quasi collegas suos, eiusdem secum naturæ, potentiæ & operationis. ita S. Basilius, Rupert. & alij suprà. Imò Concilium Sirmiense apud Hilar. l. de Synodis, dicit anathema ijs, qui aliter hunc locum explicant.

Hominis excellentia duodecim. Prima. Nota Secundò, excellentiam hominis: Deus enim de hominis, tamquam rei magnæ, creatione deliberat & consultat, dicens, Faciamus hominem. ita Rupertus. Est enim homo prima mundi increati, id est SS. Trinitatis, imago, & eius infinitæ artis & sapientiæ testimonium, & opus perfectissimum: creati verò mundi homo est finis, compendium, vinculum & nexus: omnes enim rerum spiritualium & corporalium gradus in se habet & nectit homo, ideoque est & vocatur Microcosmus, atque à Platone vocatur Horizon vniuersi, quia disterminat, & in se coniungit superius hemisphærium, putà cælum & angelos, atque inferius, putà terram & bruta. *Homo est horizon vniuersi.* homo enim partim angelis, partim brutis est similis. Sic vita, & tempus hoc nostrum est horizon æternitatis; quia disterminat æternitatem beatam, quæ est in cælis, à misera, quæ est inferno, & ab vtraque aliquid participat. Pulchrè S. Clem. lib. 7. Constit. Apost. c. 35. *Finem*, inquit, *fabricationis, animantem rationis participem, mundi ciuem, sapientia tua moderatione fecisti, cùm diceres: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: fecisti inquam, vt esset homo κόσμου κόσμος, id est, ornati ornatus, cuius corpus ex quatuor elementis primis corporibus formasti, animam verò ex nihilo, ac sensus quinque ad certamen virtutis dedisti; & mentem ipsius animæ, tamquam aurigam sensibus præfecisti.*

Secundò, quia per Christum hominem omnes pariter creaturæ, quæ in homine quasi in microcosmo, vti iam dixi, continentur, erant deificandæ. vide ergo quanta sit hominis dignitas. *Secunda.*

Tertiò, quia propter hominem, & cum homine, vti mundus est conditus, ita & in resurrectione renouabitur. *Tertia.*

Quartò, summum fidei mysterium, scilicet SS. Trinitatis & indiuiduæ vnitatis, primùm in generatione hominis reseratum est, quod postea in eiusdem hominis regeneratione, putà in baptismo, apertè declarandum & profitendum erat. nam illa verba, *Faciamus* & *nostram*, Trinitatem significant: vnitatem verò indicant illa verba: *Dixit Deus, fecit Deus*, &c. *Quarta.*

Quintò, animalia & plantæ ex terra & aqua generatæ dicuntur: at solus Deus corpus hominis finxit & figurauit, illique animam rationalem à se ex nihilo creatam indidit. *Quinta.*

Sextò, homo factus est à Deo rector & princeps omnium animalium, etiam maximorum, totiusque mundi quasi rex. *Sexta.*

Septimò, assignauit Deus homini ad habitandum, & sese oblectandum paradisum, delicijs omnique rerum copia instructissimum. *Septima.*

Octauò, creauit Deus hominem tanta integritate animi & innocentia præditum; vt & mens subiecta esset Deo, & sensus rationi, & corpus animo, & omnes animantes hominis imperio subderentur: hinc factum est, vt nudus non erubesceret. *Octaua.*

Nonò, Adam congrua singulis animantibus nomina imposuit: vnde elucet summa eius scientia & sapientia, vt & ipsæ animantes quasi agnoscerent & profiterentur, se pro rege ac domino habere hominem. *Nona.*

Decimò, corpus habuit immortale, vt scilicet si Deo parêret, longissimo æuo in terris acto, ex vita terrena ad cælestem & sempiternam, mortis malorumque omnium expers traduceretur. *Decima.*

Vndecimò, Deus dono prophetiæ hominem insigniuit, cùm dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis.* *Vndecima.*

Duodecimò, Deus sæpè sub specie humana homini apparebat, eumque familiariter alloquebatur. *Duodecima.*

Nota Tertiò. Deus palatium hoc mundi, quasi quoddam conuiuium, ait Nyssenus, aut potiùs quasi splendidum triclinium, instruxit omnibus rebus, quæ ad vsum, oblectationem & scientiam erant oportuna; ac deinde vltimò in illud ita adornatum induxit creauitque hominem, quasi qui omnium esset vertex, finis & dominus. Vide S. Ambros. epist. 38. ad Horont. & Nazianz. orat. 43. & Nyssenum lib. de Opificio hominis. vide & de singularum humani corp. partium dignitate, S. Ambros. l. 6. Hexam. c. 9. Rectè ergo S. Bernard. serm. 1. de Annunt. *Quid*, inquit, *homini primo* deerat

deerat quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fouebat?

Insuper Diogenes teste Plutarch. lib. de Tranquil. animæ & Philo lib. 1. de Monarchia, docent quòd mundus sit quasi templum Dei sacrum. & pulchrum, in quod inductus sit homo, vt eius esset antistes, & sacerdotio fungeretur pro creaturis omnibus, ac pro beneficijs eis omnibus & singulis collatis gratias ageret, illisque propitium redderet Deum, vt bona adderet, malaque repelleret. Hinc *in veste poderis, quam habebat* Aaron pontifex veteris testamenti, *totus erat orbis terrarum*, Sapien. 18. 24. Audi Lactant. lib. de Ira Dei c. 14. *Sequitur vt ostendam, cur hominem fecerit Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tamquam diuini templi antistitem, spectatorem operum, rerumq; cælestium. Solus enim est, qui sentiens capaxq; rationis intelligere possit Deum, qui eius opera admirari, virtutem potestatemq; perspicere, &c. Ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem Domini sui possit.*

Porro S. Ambros. epist. 38. iam citatâ, docet hominem vltimò creatum, vt subiectas haberet omnes mundi opes, omnia volatilia, terrestria, etiam pisces, &c. essetque quasi rex elementorum, ac per hæc quasi per gradus ad cæli ascenderet regiam. *Cuius*, inquit, *difficilis itineris viatorem non facilè reperies, illum virum qui ita sit animi inductione formatus ac voluntate, vt minima sibi sit cum suo corpore familiaritas, neque in vllum ingrediatur vitiorum contubernium, nullis assentantium pumicetur sermonibus, neque in rotis secundorum temporum positus humiles fastidiat, mæsta fugiat, sanctorum laudes excutiat atque eleuet. Cuius animam non inflectat mæstitia, non frangat iniuria, nulla sollicitet suspicio, libido non exagitet, non expugnent passiones corporis, non inquietet vanitatum appetentia, voluptatum gratia. Meritò ergo postremus, quasi finis naturæ, formatus ad iustitiam, inter cætera animantia iusti arbiter.* Ac tandem eleganter, æquè ac neruosè ita concludit: *Rectè ergo nouissimus, quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta sunt omnia, quasi omnium habitator elementorum: inter feras viuit, cum piscibus natat, super aues volat, conuersatur cum angelis; terram inhabitat, & cælo militat, sulcat mare, aëre pascitur; cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, in aëre auceps, in cælo heres, coheres Christi.*

HOMINEM] Homo hîc non est idea hominis abstracti & vniuersalis, qui sit causa & exemplar omnium singularium hominum, vt ex Platone voluit Philo. Non etiam homo hîc est animus hominis, q.d. Animum hominis ornemus nostra imagine, putà gratia, vti explicat S. Basilius & Ambros. Sed homo est ipse Adam primus homo, parensque ceterorum omnium, vt patet ex dictis. in Adamo enim, & per Adamum Deus fecit & creauit cæteros homines.

AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM NOSTRAM] Quæres, in quo sita sit hæc imago Dei, expressa in homine? Anthropomorphitæ, quorum auctor fuit Audæus, vnde & Audæani sunt dicti, putarunt hominem esse imaginem Dei secundùm corpus, ideoque Deum esse corporeum. verùm hæc est hæresis.

Homo in quo est imago Dei.

Secundò, Oleaster & Eugub. in cosmopœia putant Deum hîc induisse formam humanam, vt illius adinstar crearet hominem. sed hoc æquè frigidum ac nouum est.

Nota Primò, imaginem hîc sumi pro exemplari. q.d. Faciamus hominem ad exemplar nostrum, vt quasi imago nos, quasi suum exemplar referat ac repræsentet. Imago hæc non est Verbum diuinum, siue Filius, qui est imago Patris, vti aliqui apud Lipoman. explicant; sed est ipsa essentia diuina, ipseque Deus vnus & trinus: ad huius enim imaginem conditus est homo. Quare quod Rupertus per imaginem accipit Filium, per similitudinem Sp. sanctum, mysticum est. Potest tamen Secundò, imago hîc propriè capi, vt sit hebraismus. q.d. Faciamus hominem ad imaginem, id est, vt sit imago nostri, quasi sui exemplaris.

An imago & similitudo hic distinguantur.

Nota Secundo. Imaginem hîc multi à similitudine distinguunt, nimirum vt imago ad naturam, similitudo ad virtutes pertineat. Ita S. Basilius homil. 10. Hexam. *Per imaginem*, inquit, *animæ impressam mea, obtinui rationis vsum: verùm Christianus effectus, vtique similis efficior Deo.* Et S. Hieron in illud Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis*, sic ait: *Et notandum est quòd imago tunc* (in creatione) *facta sit tantùm, similitudo in baptismate compleatur.* Et S. Chrysost. homil. 9. in Genes. *Imaginem dixit, ob principatus rationem; similitudinem, vt pro viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine, lenitate, &c. quod & Christus dicit: Similes estote Patri vestro qui in cælis est.* Idem docet S. August. l. contra Adimantum c. 5 Eucher. lib. 1 in Genes. Damascen. lib. 2. de Fide c. 12. S. Bernard. serm. 1. de Annunt vbi & addit: *Imago siquidem in gehenna vri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri. Similitudo non sic, sed aut manet in bono; aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter iumentis insipientibus similata.* Sic ergo per peccatum in homine perit similitudo Dei, non imago.

Verùm dico, non distingui, esseque hendiadyn. q.d Ad imaginem & similitudinem, id est, ad imaginem similitudinis, vt habetur Sap. 2. v. 24. hoc est, ad imaginem similem, vel simillimam. Hinc Scriptura hæc nomina promiscuè vsurpat, modò vnum, modò alterum, modò vtrumq;: vt iam dicat hominem factum esse ad imaginem Dei, vt Genes. 9. 6. modò ad similitudinem Dei, vt Genes. 5. 1. modò ad imaginem & similitudinem Dei, vti hîc.

Nota Tertiò. Pro *imaginem*, hebraicè est צֶלֶם *tselem*, quod significat vmbram, siue adumbrationem rei. Radix enim צָלַל *tsalal*, significat obumbrare, inde צֵל *tsel*, significat vmbram, & *tselem* imaginem adumbrantem. Sicut enim vmbra corporis, sic imago sui prototypi est quædam adumbratio. Innuit ergo *tselem*, hominem respectu Dei tantùm esse vmbram, vel vmbraticam imaginem. Deus enim solidam & constantem habet essentiam; homo verò vmbraticam & euanidam. & hoc est quod psal. 38. dicitur: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens, verumtamen in imagine* (hebraicè בְּצֶלֶם *betselem*, in vmbra, id est instar vmbræ) *pertransit homo.*

Homo est tselem id est vmbra Dei.

Nota Quartò. Homo non est imago Dei, vt Deus est, id est quoad attributa propria Dei (nec enim homo est omnipotens, immensus, æternus, omniscius, vti est Deus) sed solùm quoad attributa communia, quæ scilicet ipse communicat intellectuali creaturæ.

Nota Quintò. Hæc imago Dei non est in solo viro, vt vult Theodor. sed & in angelo, & in femina, vt fusè docet S. August. l. 12. de Trinit. c. 7. & Basilius hîc hom. 10. explicans illa verba Genes. 1. *Masculum & feminam fecit eos.* Nunc

Dico

In mente hominis sita est imago Dei.

Dico Primò, Hæc imago Dei sita est in mente hominis, siue in eo, quòd homo in summo rerum sit gradu, in quo Deus est & angelus; putà quòd homo sit naturæ intelligentis, sitque animal rationale. per rationem enim, mentem & intellectum homo maximè refert Deum, illique præ aliis creaturis simillimus est. Ex hac natura rationali sex eximiæ hominis dotes & proprietates consequuntur, in quarum modò vna, modò alia Patres subinde hanc Dei imaginem collocant, scilicet partialiter & incompletè.

Sex hominis dotes eximiæ, in quibus homo est imago Dei.

Prima est, quòd hominis anima incorporea sit & indiuidua, vti est ipse Deus. in hac imaginem Dei collocat S. Augustinus.

Secunda est, quòd sit æterna & immortalis. in hac collocat Origenes.

Tertia est, quòd sit intellectu, voluntate & memoria prædita. in hac collocat Damascen.

Quarta, quòd sit liberi arbitrij. in hac collocat S. Ambrosius.

Quinta, quòd sit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, visionis Dei, omnisque boni; vnde in hac capacitate imaginem Dei collocat Nyssenus.

Sexta, quòd cunctis animalibus sua potestate præsit & dominetur. in hac collocat S. Basil.

Quatuor aliæ hominis proprietates & excellentia.

Adde Septimò, sicut in Deo omnes res sunt & continentur eminenter; ita quoque omnes res in homine sunt eminenter, vti dixi sub initium huius vers. Rursum, homo intelligendo fit quasi omnia, vt ait Aristot. quia omnium rerum imagines & simulacra in phantasia & mente sibi efformat.

Octauò, hinc homo quasi est omnipotens instar Dei: quia multa arte, & omnia mente sua efformare & comprehendere potest. Rursum, homo est finis omnium creatorum, vti eorumdem finis est Deus.

Nonò, sicut anima regit corpus, estque tota in toto, & tota in qualibet eius parte, ita & Deus est totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte.

Decimò & perfectissimè, sicuti Deus Pater per intellectum se cognoscens producit Verbum, putà Filium, & eum amando producit Spiritum sanctum: ita homo intelligendo se producit in mente sua verbum intelligibile, suiipsius expressiuum, sibique simile, atque inde procedit in voluntate eiusdem amor. sic enim homo clarè repræsentat SS. Trinitatem. ita S. Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 10. & l. 14. c. 11.

Imago Dei naturalis peccato perdi non potuit.

Hæc ergo imago Dei homini est naturalis, quæ peccato perdi non potuit; est enim ipsi naturæ intimè & indelebiliter impressa, vt perdi non possit, nisi perdatur & natura. Ita contra Origenem docet S. August. lib. 1. Retract. cap. 24. vbi retractat id quod dixerat lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 27. scilicet, Adamum peccando imaginem Dei perdidisse: quod, ait August. vt verum sit, sic accipiendum est, non quasi in Adamo peccante nulla remanserit Dei imago, sed quòd illa per peccatum tam deformis effecta fuerit, vt reformatione indiguerit. Impia ergo & stolida est sententia Matthiæ Illyrici Lutherani, dicentis, quòd imago Dei in homine per peccatum ita sit corrupta, vt homo substantialiter sit transformatus in viuam & substantialem imaginem diaboli: hanc enim esse ipsum peccatum originale, ipse cum suis mordicus tuetur l. de Pecc. orig.

A Dico Secundò, Altera quoque in homine est imago Dei, scilicet supernaturalis, quæ sita est in gratia & iustificatione hominis, qua ipse diuinæ fit consors naturæ, quæque in gloria & vita æterna firmabitur & perficietur. *Gratia enim est anima animæ*, ait S. August. In hac gratia conditum esse Adamum, eamque hîc etiam ad litteram intelligi imaginem Dei, patet Coloss. 3. v. 10. Ephes. 4. v. 24. Ita passim Patres. Hæc imago ab hominis voluntate pendet, eaque peccante deperdita est, sed per gratiam & iustificationem reparatur & reformatur. Vnde Apost. Ephes. 4. 23. *Renouamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* vide ibi dicta, & 2. Corinth. 3. v. 18.

De imagine Dei supernaturali in homine.

Vbi Nota, Adæ in primo instanti creationis suæ, cum gratia infusas fuisse simul omnes virtu-

B tes theologicas & morales: item datam ei esse iustitiam originalem, quæ præter habitus virtutum iam dictos, erat assistentia & manutenentia Dei assidua; qua fiebat, vt motus omnes appetitus inordinati, siue concupiscentiæ, rationem præuenientes, impedirentur; vtque appetitus rationi, ratio Deo in omnibus subderetur; itaque homo in omnibus interna pace, rectitudine & sanctitate frueretur: vnde de nulla re inordinatam tristitiam, iram, concupiscentiam, aliámve turbidam passionem concepisset: atque hanc iustitiam & integritatem Adam, si non peccasset, in posteros transfudisset. De iustitia originali vide Molinam, Pererium, Aretinum, & alios.

Iustitia originalis Adæ.

Dico Tertiò, In corpore hominis propriè non est imago Dei, sed tamen in eo relucet quodammodo & resplendet: quia scilicet corpus hominis

In corpore tantùm relucet imago Dei.

C est imago mentis. recta enim statura, & vultus in cælum erectus, indicat animum corporis rectorem cælesti satum origine, Deique similem, æternitatis & diuinitatis capacem, superna spectare & ambire debere. *Si enim tanti vitrum, quanti margaritum?* si tale est corpus, qualem decet esse animam? ita S. Augustin. lib. 6. de Genes. ad lit. c. 12. & Bernardus serm. 24. in Cantica. Recta ergo statura admonetur homo, sibi non esse sectanda terrena, vti faciunt pecora, quorum voluptas omnis ex terra est: vnde in ventrem cuncta pecora prona & prostrata sunt. hinc poëta:

Pronaq́; cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq́; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Cælo ergo nati, cælo creati sumus. hic finis, hic scopus noster: ab hoc si aberremus, frustra homi-

D nes sumus, frustra cælum solemque suspeximus; satius foret bruta aut saxa fuisse: sin assequamur, terque quaterque beati. Hic ergo nobis, æquè ac S. Bernardo, perennis sit stimulus ad vitam puram & sanctam: Bernarde dic quare hîc? cur cælum suspicis? cur animam rationalem & immortalem accepisti?

Dico Quartò, In cæteris creaturis non est imago, sed quoddam quasi vestigium Dei, Deum repræsentans, sicut effectus suam causam repræsentat. Consideranti enim earum naturam, actionem, dispositionem, determinationem, & mirabilem omnium inter se consociationem & ordinem, patet, eas diuina ratione & sapientia conditas esse, & conseruari.

In cæteris creaturis tantùm est vestigium quoddam Dei.

Moraliter, voluit Deus omnia esse hominis, hominem verò esse Dei, quasi peculium, ideoque cum

Moralis ratio redditur, quare homo sit imaginem Dei.

eum obsignauit sigillo suæ imaginis, eoque tenacissimo & indelebili, vt homo seipsum intuens, quasi in imagine Deum creatorem suum agnoscat, sciatque quāto debito, & quàm arcto vinculo illi sit obstrictus. Homo enim gestat Dei imaginem: Primò, vt filius sui patris, cui debet amorem & pietatem; Secundò, vt mancipium domini sui, quem timere ac reuereri debet; Tertiò, vt miles sui ducis & imperatoris, cui fidem & obedientiam præstare oportet; Quartò denique, vt minister & dispensator bonorum heri & domini sui, cui rectum vsum creaturarum, quæ dispensationi eius commissæ sunt, exhibere debet, ad perennem Domini Deique sui laudem & gloriam. ita Pererius, qui septem causas morales, cur homo conditus sit ad imaginem Dei, adfert hîc l.4. in digressione morali pag.501. edit. in octauo. Vbi maximè notanda est sexta, quæ est, vt homo esset capax æternitatis & infinitatis Dei, vtque ab eo fidenter omne bonum sperare & petere audeat, dicatque ei: Imple Domine in bonis desiderium animæ meæ, quam ad tui imaginem, tuique capacem creasti. tu nihil in mundo pateris esse vacuum, patiere vacuum in animo meo? reple ergo eum tuis bonis, imò teipso; nam nihil aliud eius infinitam capacitatem satiare & explere potest, nisi tu. Denique, si crimen est læsæ maiestatis regis imaginem violare, quale crimen erit, Dei imaginem sibi insitam fœdare peccato & polluere?

Et praesit] Hebraicè וְיִרְדּוּ, veïrdu, id est & præsint, siue dominentur, scilicet tam Adam, quàm Eua eorumque posteri. Est ergo homo, animal imperio natum.

Audi S. Basil. hom. 10. Hexam. *Animal itaque es, ô homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum seruis seruitutem? ecquid te dedis peccato in vile mancipium, seu tuapte sponte mancipem te & captiuum constituis diaboli? Iussit te Deus in creaturis principem locum tenere: & ecce tanti principatus dignitatem à te excutis & repellis. Sed seruus vocatus est, en habes rationem vitiosi omnis affectus planè dominatricem. Si herus fœda voluptati seruiat, tu ab ea temperans, imò contemnens, præ illo es dominus illius obscænæ affectioni: ille è diuerso earum seruus, quæ abs te velut calce proteruntur, illicium voluptatum.*

Quale dominium habuisset homo in cæteras creaturas. Nota Primò. Homo in statu innocentiæ, perfectum habuit dominium in omnia animalia, idque partim ex scientia & prudentia naturali, qua sciebat quomodo domanda, cicuranda & tractanda essent singula; partim ex peculiari prouidentia Dei, qui per angelos animalium omnium phantasiam & corpus flexisset ad nutum, voluntatem & imperium hominis, sicuti eadem per angelos ad Adamū deduxit c.2.v.19. Decebat enim, vt, quamdiu caro hominis spiritui, & spiritus Deo; tamdiu & animalia homini, quasi domino suo obedirent. Porro hoc dominium index est magnæ dignitatis hominis. Audi S. Ambros. initio l.6. Hexam: *Videbatur elephantis nihil habere natura procerius atque robustius, nihil terribilius leone, nihil sæuius tigride: verùm hæc seruiunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt; obliuiscuntur quod nata sunt; induuntur quod iubentur. Quid multa? docentur vt paruuli, seruiunt vt famuli, adiuuantur vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi: in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.*

Aduerte. In statu innocentiæ, obedientia animalium fuisset quasi politica: debuissent enim ipsa

A imperium hominis sensu aliquo percipere, vt ei obedirent. vnde si longè fuissent dissita, vel aliter occupata, non percepissent hominis imperium, illi non obediuissent. Denique tunc homo homini quoque dominatus fuisset, dominatione non seruili, sed ciuili, qualis est inter angelos. Sic enim parentes filios, mariti vxores, principes subditos rexissent. ita S. August. l.19. de Ciuit. c.14.

Nota Secundò. Mansit in homine hoc dominium post peccatum, vt patet Genes. 9.1. hinc iure naturæ, vt docet Aristot. l.1. Politic. cuique homini licita est siluestrium animalium venatio, æquè ac piscium piscatio. Verùm per peccatum multùm imminutum est hoc dominium, idque, vt notat Hugo, maximè circa animalia extrema, scilicet maxima, vt leones; & minima ac vilissima, vti culices, pulices, &c. illud tamen recuperarunt quidam viri sanctissimi, qui ad innocentiam primæuam quàm proximè accesserunt; vti Noë in omnia animalia arcæ, Elisæus in vrsos, Daniel in leones, Paulus in viperam, S. Franciscus in pisces & aues, quibus concionabatur, imperium obtinuit. *Quomodo imminutum hoc dominium.*

B

Tropologicè, homo præest piscibus, quando dominatur gulæ & libidini: auibus, cùm dominatur ambitioni: reptilibus, cùm dominatur auaritiæ: feris, cùm dominatur iræ. ita Origenes, Chrysostomus, Eucherius. *Tropologia.*

Ad imaginem Dei creavit illum] *Dei*, id est Christi, qui est Deus: ad Christi enim imaginem specialiter creatus est homo. hoc enim est quod dicitur Roman. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* & alibi: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* ita S. Cyrill. l.1. contra Iulian. Hilar. Theodor. & ex eis

C Franc. Aretinus hîc. Verùm imago Christi est supernaturalis gratiæ & gloriæ: hîc autem agitur primariò de imagine naturali. Est ergo hîc enallage personæ frequens apud Hebræos. Deus enim de se quasi de alio aliquo, in tertia persona loquitur. quod enim dixit, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*, hoc confirmat & inculcat, clareque explicat τὸ *suam*; dicēs, *Ad imaginem Dei creauit illum.*

Masculum et feminam creavit eos] Hinc nouator quidam in Francia nuper asseruit, Adamum creatum esse hermaphroditum, fuisseque eum tam feminam, quàm masculum. Sic & Plato in Symposio censuit, primos homines fuisse androgynos. Verùm insulsè hoc dicitur: non enim dicit Scriptura, *creauit* eum, sed *eos*, scilicet Adamum & Euam: putà Adamum creauit masculum, Euam verò feminam. Vnde patet hæc per anticipationem dici. Necdum enim Moses descripsit creationem Euæ, licèt ipsa hoc eodem sexto die sit facta; hanc enim reseruat in c.2.v.22. Æquè insulsum est, quod tradunt aliqui Hebræi, & Franc. Georgius to.1. probl.29. scilicet, Adam & Euam à Deo creatos esse ita, vt in lateribus sibi inuicem cohærerent, essentque quasi vnum, sed postea Deum eos ab inuicem separasse. hoc enim repugnat cap.2.v.18. vt ibi ostendam. Vers. 27. *Ineptè quidam hinc colligunt Adamum fuisse hermaphroditum.*

D

Crescite et multiplicamini] Ex hisce verbis liquet Adamum & Euam in ætate & statura perfecta, atque ad generandum apta, putà iuuenili, vt ait Iunilius, aut virili, conditos esse. Volunt hæretici, hic singulis hominibus à Deo præcipi generationem vsumque matrimonij. Sed si ita est, ergo Christum Dominum (vt alios viros sanctissimos taceam) primum huius legis violatæ reum peragant Vers. 28. *Crescite & multiplicamini, benedictio est, non præceptum.*

peragant oportet. Et sanè, si quod hîc est præceptum, id non singulis hominibus, sed toti speciei, id est omnibus hominibus, in communi datur, ne sinant speciem humanam intermori. ita D.Thom. Verùm dico, nullum hîc esse præceptum. idem enim dixit Deus piscibus v.22. quibus vtique legem non tulit. Tantùm ergo hîc Deus benedicit homini, vt patet ex ipsis eius verbis; hoc est, vsum matrimonij inter homines probat, eisque virtutem & fœcunditatem indit, vt per maris & feminæ coniunctionem, vti cætera animalia, sibi simile procreent, itaque se suamque speciem conseruent ac propagent. ita S.Chrysostomus, Rupertus, & Augustinus lib.21. de Ciuit.22. Pererius, Oleaster, Vatablus & alij.

Et replete terram] Huius rei symbolo, inquit S.August. tract.9. in Ioann. quatuor mundi plagæ, per sui literas initiales, in nomine *Adam* græcè continentur. Adam enim, si initiales exponas, idem est quod *ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία*, id est, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies; vt significaretur ex Adam nascituros esse homines, qui quatuor mundi partes incolerent & replerēt.

Nomen Adam continet quatuor plagas mundi.

Subiicite eam] expulsis, vel domitis cunctis feris eam inhabitate & colite, eiusque decore & fructibus vos pascite ac fruimini.

Dominamini] Hebræum רְדוּ *redu*, est ambiguum. Si enim illud deducas à רָדָה *rada*, significat *dominamini*: sin à יָרַד *iarad*, significat *descendite*. q.d. Si præcepto meo parueritis, dominabimini cunctis animalibus; si non, dominio vestro excidetis, vti factum deplorat Psaltes psal.48. v.15. ita Delrio. Verùm hic sensus subtilior est, quàm solidior. patet enim hîc tantùm de benedictione & dominio hominis agi, idque tantùm significat *redu*, quando cum *bet* construitur, vti hîc fit. *Redu* ergo hîc idem est quod *dominamini*.

Vers. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam in escam] *Dedi*, id est *do*: Hebræi enim vtuntur præterito, pro præsenti, quo carent. Hinc communior Patrum & Doctorum (excepto Caiet. Victoria, & D.Soto, quos citat Pererius to.1. pag.322.) sententia est, homines vsque ad diluuium in cibo ita frugales fuisse, vt herbis & fructibus vescerentur, carnibus verò, æquè ac vino, abstinerent; idque non ob aliquod Dei præceptum, sed ob religionem quandam inde natam, quòd necdum Deus carnium & vini vsum expressè & disertè concessisset, vt patet Genes. 9 v.3. & 21. Hæc ecce simplex patrum frugalitas vitam eis non minuit, sed auxit: vixerunt enim tunc ad 900. annos. Pulchrè de hac prisca frugalitate Boëtius lib.2. de Consolatione metro 5.

Carnibus ante diluuium abstinebant homines.

Felix nimiùm prior ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.

Et Ouid. lib.1. Metam. de priscis patrib. ita canit:

—— Fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Iouis arbore glandes.

De hac re plura dicam cap 9.v.3.21.

Quæres, cur, cùm post singula creationis opera dicatur, *Et vidit Deus quòd esset bonum*, illud omittatur post creationē hominis? Resp. Causa prima est, quia in homine finitur rerum creatio, quæ finita & perfecta generatim omnia complectens

Cur de homine non dicitur, & vidit Deus quòd esset bonum?

A dicit Moses: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*. quæ complexio ad hominem maximè spectat; tum quia eius creationem fusiùs cæteris immediatè antè descripserat: tum quia homo est finis, complexio, nodus & cētrum omnium creaturarum. propter hominem enim omnia creata sunt, & homo omnis creaturæ est dominus, participium, nexus & vinculum. Quare ne bis idem immediatè repeteret Moses, dicendo de homine, *Et vidit Deus quòd esset bonum*; ac mox de omnibus subijciendo, *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, prius omisit, illudque in posteriori intellexit, vt significaret omnia in homine, & propter hominem, vti creata sunt, sic & bona esse à bono hominis creatore. ita Perer. Qui & addit, idcirco addi hîc *τὸ valdè*, quod in cæteris omittitur, quia bonum hominis præstat bono cæterorum, præsertim quia per hominem, puta Iesum Christum, creaturæ omnes erant deificandæ: deificata enim Christi humanitate, vnà quoque omnes creaturæ, quæ in ea continentur, mirabiliter sunt deificatæ.

Causa prima.

B Duas alias causas affert S.Aug. lib.3. de Genesi ad liter. c.24. scilicet Secūdam, Quia, inquit, homo nondum erat perfectus; nondum enim erat in paradiso constitutus: sed quia postquam ibi constitutus est, illud ipsum pariter prætermissum est, hinc Tertiam subdit: quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum. q.d. Noluit eum dicere natura bonum, quem præsciebat culpa sua fore malum.

Secunda. *Tertia.*

Quartam causam dat S Ambr. lib. de Paradiso c.10. Deus, inquit, noluit soli Adæ ante formationem Euæ dicere, *quòd esset bonum*, ne videretur sibi contrarius. nam cap.2.18. dicit: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi*. C Igitur quia bonum generis humani, putà fæcunditas & propagatio, pendebat ex Eua; hinc Deus ante eius formationem noluit de solo Adam dicere, *quòd esset bonum. Maluit enim*, ait, *plures esse quos saluos facere posset, & quibus donare posset peccatum, quàm vnum solum Adam qui liber esset à culpa*.

Quarta.

Quinta causa est moralis, scilicet vt significaret hominem esse liberi arbitrij, quo cætera creata carent; vnde habent dumtaxat bonitatem entis, siue naturalem: homo verò quia liber, maiorem habet bonitatem virtutis, siue moralem. Vt ergo indicaret hominis bonitatem moralem, quæ præcipua est, pendere ex vsu liberi eius arbitrij, noluit ante eum dicere de illo, *quòd esset bonum*. Hanc causam assignant S.Aug. S.Ambr. & alij.

Quinta.

D Viditqve Devs cvncta qvæ fecerat, et erant valde bona] S.Aug. lib.1. de Genes. contra Manich. c.21. *Cùm de singulis ageret*, inquit, *dicebat tantùm: Vidit Deus quia bonum est: cùm autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere, Bona, nisi adderetur & Valdè. Si enim singula opera Dei cùm considerantur à prudentibus, inueniuntur habere laudabiles mensuras, & numeros, & ordines, in suo quæque genere constituta, quanto magis omnia simul, id est ipsa vniuersitas, quæ istis singulis in vnum collatis completur? Omnis enim pulchritudo quæ partibus constat, multò est laudabilior in toto quàm in parte*. Et mox: *Tanta est vis & potentia integritatis & vnitatis, vt quæ bona sunt, tunc multum etiam placeant, cùm in vniuersum aliquod conueniunt atque concurrunt. Vniuersum autem ab vnitate nomen accepit*.

Vers. 31.

Nota. Mira est mundi rerumque creatarum pulchri-

Mundi pulchritudo, primò, ex rerum varietate. pulchritudo. Primò, ob rerum varietatem. aliæ enim sunt incorporeæ, vt angeli, iique in varias species, hierarchias & choros distributi, suntque plurimi, & penè innumeri. aliæ sunt corporeæ: rursum harum aliæ sunt incorruptibiles, vt cæli & sidera; aliæ corruptibiles; eæque duplices, scilicet inanimes, & animatæ. rursum animatæ, aliæ sunt plantæ, aliæ animalia. aliæ denique sunt partim corporeæ, partim incorporeæ, vt homines. Iam quanta est varietas hominum in forma & vultu, in ingressu, voce, ingenio, lingua, studijs, opificijs, moribus, legibus, institutis, religionibus!

Secundò, ex rerum ordine. Secundò, ob rerum omnium ordinem, & aptissimam dispositionem: nobiliores enim summum mundi tenent locum, ignobiliores infimum, mediæ medium, eæque per superiores aguntur, seruantur & reguntur.

Tertiò, ex rerum vniuersitate. Tertiò, ob rerum plenitudinem & vniuersitatem. in mundo enim sunt omnia tripliciter: Primò, secundùm generales gradus rerum, qui quatuor sunt, esse, viuere, sentire & intelligere. Secundò, secundùm cuiuslibet horum graduum genera omnia, & species subalternas. Tertiò, quòd nihil vspiam sit, nihilque factum sit à Deo, quod non in mundo contineatur, ad eumque pertineat.

Quartò, ex rerum connexione. Quartò, ob partium omnium inter se arctam miramque connexionem, non modò secundùm quantitatem, vt nihil sit vsquam inane & vacuum, sed etiam in serie contextuque naturalium specierum; videlicet vt nulla sit interruptio, vtque quælibet pars alijs vicinis circumquaque aptissimè & amicissimè astricta & deuincta sit.

Quintò, ex rerum antipathia & sympathia. Quintò, ob rerum inter se discordem concordiam, obque earum sympathiam & antipathiam. Talis antipathia est inter vitem & brassicam, inter ouem & lupum, felem & murem, aliasque res innumeras. sympathia est inter magnetem & ferrum, inter herbas mares & feminas, inter metalla varia, inter liquores, inter animalia.

Sextò, ex rerum proportione. Sextò, ob miram rerum omnium tum inter se, tum cum toto mundo proportionem. hæc enim similis est proportioni & pulchritudini humani corporis, quæ ex concinna membrorum omnium compositione consurgit, quo fit, vt sicut homo est paruus mundus, ita mundus sit magnus quidam homo. *Mundus est magnus homo.*

Septimò, ex optima mundi administratione. Septimò, ob diuinam optimamque mundi administrationem: Primò, quòd Deus singulis rebus, etiam vilissimis, quæcunque vel necessaria, vel oportuna erant ad vitam cuiusque tuendam, finemque consequendum, sapientissimè ac liberalissimè compararit. Secundò, quòd singulas, etiam ratione & sensu carentes, ad finem suum dirigat, quodque eius ductu illæ ad finem suum perueniant, perinde ac si actiones & fines suos cognoscerent & intenderent; vt clarè patet in auibus dum nidos construunt, in motu solis, cælorum, ventorum, &c. Tertiò, quòd singulas ex æquo ita temperet, vt vires suas vicissim frangendo, & sese corrumpendo, mundo sibique non sint exitio, sed saluti & ornamento. Quartò, quòd singulæ publicum bonum priuato præferant, vt cùm corpus graue ascendit sursum, vt vacuum impediat. Quocirca S. August. epist. 28. citans illud Isaiæ 40. iuxta Septuag. *Qui profert ad numerum*, vel numerosè, *sæculum*, docet mundum esse musicam suauissimam modulatoris Dei, quæ ex varijs & contrarijs rebus, quasi sonis & tonis oppositis conflata, concentum & harmoniam edit admirabilem. Idem lib. 11. Ciuit 18. ait in hoc mundo Deum fecisse tam diuersa, *vt ordinem*, inquit, *sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, ex quibusdam quasi antithetis honestaret*; perinde ac Scipio apud Ciceronem dictitat, ciuitatem & politiam bene ordinatam esse concentum Sicut enim hic *ex dissimillimarum vocum moderatione concors efficitur & congruens, sic ex summis, medijs & infimis ordinibus interiectis vt sonis, moderata ratione ciuitatem consensu dissimillimorum concinere, & quæ harmonia à Musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, eámque nullo pacto sine iustitia esse posse*, vti refert idem August. libr. 2. de Ciuit. cap. 21.

Octauò, quia omnia homini seruiunt. Octauò, quòd omnes res mundi ad hominis vtilitatem compositæ sint. aliæ enim pertinent ad vitæ humanæ necessitates & commoditates: aliæ ad varias hominum oblectationes: aliæ sunt morborum remedia & sanitatis præsidia: multæ ad exemplum & imitationem sunt propositæ: omnes conducunt ad scientiam rerum, & maximè ad Dei notitiam, amorem & religionem concipiendam.

Nonò, quia mala ordinantur in bonum. Nonò, quòd mala omnia in mundo Deus ordinet in bonum. mala enim pœnæ ordinat ad castiganda mala culpæ; mala culpæ absolutè mala & peccata sunt: tanta est tamen Dei bonitas, sapientia & potentia, vt ea ordinet ad bonum, vel clementiæ & misericordiæ suæ, ea condonando; vel iustitiæ & vindictæ suæ, puniendo ea pœnis præsentibus & æternis. ita Pererius.

In mundo cogita, quid sit, quomodo sit, cur sit. Aptè ergo S. Bernard. serm. 3 de Pentecoste: *Tria*, ait, *in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum, inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid sit factus mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosq; multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata.* Et S. August. in Sent. sent. 141. *Tria*, ait, *maximè nobis scienda de conditione creaturæ oportuit intimari; quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Dixit Deus*, inquit, *Fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus lucem quòd bona esset. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior est Dei verbo, nec causa melior est, quàm vt bonum creetur à bono.* Et sent. 140 *Nullum*, ait, *Deus vel angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset; nisi pariter nosset quibus eos vsibus bonorum commendaret, atque in ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestaret.* hoc est carmen, hic liber mundi. Quare S. Antonius cuidam roganti, quomodo in eremo sine libris viuere posset? respondit: *Meus liber, ô Philosophe, est natura rerum à Deo conditarum, quæ quotiescunq; mihi libuerit, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat.* ita refert Socrates libr. 4 histor. cap. 18.

Denique Philo lib. de Plantatione Noë, sub finem, docet Dei operibus nihil deesse, nisi iustum eorum æstimatorem & encomiasten. *Fertur*, inquit, *fabula à sapientibus viris ad posteros per manus tradita. est autem talis. Olim cùm totum mundum opifex absolueret, quemdam è Prophetis rogauit, numquid defide-*

desideraret nondum creatum, siue in terra & aqua, siue in aëre, aut cælo. Respondit ille, esse quidem perfecta & plena vtique omnia; vnum tamen se requirere, laudatorem horum sermonum, qui in rebus omnibus, vel quod minimum obscurissimumq; videtur, non tam laudet, quàm enarret. Ipsam enim enarrationem operum Dei, sufficientissimam esse laudem, nullo egentem auctario. Hoc responsum patri vniuersorum placuisse fertur, nec multò pòst exortum genus canorum & musicum, ex vna diuinarum potentiarum, virgine memoria, quam Mnemosynem vocant. Hæc est priscorum fabula, ex cuius A auctoritate dicimus nihil esse Deo magis proprium, quàm benefacere; nihil autem creaturæ, quàm gratias agere, cùm præterea nihil rependere valeat. Denique S. Basilius homil. 11. Hexamer. Vniuersa hæc mundi moles, inquit, perinde est ac liber litteris exaratus, palàm contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiusq; augustissimam maiestatem, arcanam aliòqui & inuisibilem, abundè enuncians tibi intellectili creaturæ. Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, psal. 18. 1.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur quies Dei in sabbato, sabbatiq; sanctificatio. Secundò, v. 8. plantatio paradisi, & quatuor eius flumina. Tertiò, v. 18. formatio Euæ ex costa Adæ. Quartò, v. 23. institutio matrimonij in Adamo & Eua.

1. IGitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. 2. Compleuitque
Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso
opere quod patrarat. 3. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso
cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret. 4. Istæ sunt generatio-
nes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & ter-
ram: 5. & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam re-
gionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & ho-
mo non erat qui operaretur terram: 6. Sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuer-
sam superficiem terræ. 7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo ter-
ræ & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuen-
tem. 8. Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in
quo posuit hominem quem formauerat. 9. Produxitque Dominus Deus de humo
omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio pa-
radisi lignumque scientiæ boni & mali. 10. Et fluuius egrediebatur de loco volu-
ptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. 11. Nomen
vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum: 12. Et
aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus. 13. Et
nomen fluuij secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ.
14. Nomen verò fluminis tertij, Tigris ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quar-
tus ipse est Euphrates. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in
paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. 16. Præcepitque ei dicens:
Ex omni ligno paradisi comede: 17. de ligno autem scientiæ boni & mali ne come-
das. in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. 18. Dixit quoque
Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile
sibi. 19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, &
vniuersis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim
quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. 20. Appellauitq; Adam
nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ:
Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. 21. Immisit ergo Dominus Deus
soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem
pro ea. 22. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulie-
rem: & adduxit eam ad Adam. 23. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis,
& caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. 24. Quam-
obrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo
in carne vna. 25. Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non
erubescebant.

EST hoc capite anacephalæosis: nam formatio paradisi facta est die tertio; & Euæ creatio, ac matrimonij institutio facta est ante sabbatum die sexto, putà Veneris, quo creatus est Adam. B Moses ergo hæc & alia quæ cap. 1. obiter perstrinxit, hic copiosiùs explicat & enarrat.

VERS. 1. OMNIS ORNATVS] Putà stellæ, & etiam angeli, qui cælum ornant; perinde ac auesaërem, pisces

mare

mare, plantæ & animalia terram exornant. Pro A *ornatus*, hebraicè est צבא *tsaba*, id est exercitus, acies, militia, virtus, ornatus; nihil enim ordinata acie est ornatius. Hinc dicitur Deus exercituum, id est angelorum & siderum, quæ quasi milites, Deo stato ordine deseruiunt, mouentur, oriuntur, occidunt, & pro Deo contra impios non raro depugnant, vt dixi Iudic. 5. 20

VERS. 2. COMPLEVITQVE DEVS DIE SEPTIMO OPVS SVVM] *Die septimo*, scilicet exclusiuè: nam inclusiuè Deus compleuit opus suum die sexto, vt habent LXX. cœpit enim die Dominico, & compleuit feria sexta, siue die Veneris, ita vt sequenti die septimo quieuerit, qui ab hac quiete Dei vocatus est sabbatum. Symbolicam & arithmeticam causam, cur sex diebus perfectus sit mundus, dant S. August. libr. 4. de Genes. ad litt. cap. 1. Beda & Philo libr. de Opificio mundi; nimirum, quòd B senarius numerus primus est perfectus: conficitur enim è primis sui partibus, scilicet vnitate, binario & ternario; nam vnum, duo & tria faciunt sex.

Symbolicè, sex dies significare sex millia annorum, quibus durabit hæc fabrica mundi (mille enim anni coram Deo sunt sicut dies vnus, psal. 89. 4.) ita vt iis exactis veniat Antichristus, dies iudicij, & sabbatum, id est requies Sanctorum in cælis, docent S. Hieron. in expos. psal. 89. ad Cyprian. Iren. li. 5. c. vlt. Iustin. quæst. 71. ad Gentes, S. August. 20. Ciuit. 7. & alij, quos citat Sixtus Senensis libr. 5. Biblioth. annot. 190. Hinc & sex primi parentes Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, mortui sunt, septimus Enoch viuus in cælum translatus est, quia post sex millenarios C annorum laboris & mortis, sequetur vita æterna, ait Isidor. in Glossar. cap. 5. vide dicta Apocal. 20. 6.

OPVS SVVM] creationis nouarum specierum. nam gubernationis, conseruationis, & productionis nouorum indiuiduorum opus etiamnum peragit Deus, vt patet Iohannis 5. 17.

REQVIEVIT] non à defatigatione, sed ab opere: vnde hebraicè est שבת *scabat*, id est cessauit. Aliter Aristobolus apud Euseb. libr. 13. de Præpar. cap. 6. *requieuit*, inquit, id est, rebus à se conditis dedit quietem, id est stabilitatem, permanentiam, perpetuitatem ordinemque ratum, fixum & immutabilem. Quocirca τὸ *requieuit* tacitè significat conseruationem rerum creatarum, cum iisque ad actus & motus proprios iugem Dei D cooperationem. Nam, vt ait S. August. in Sententiis num. 277. *Creatoris omnipotentis omnipotentia, est causa subsistendi omni creaturæ: quæ virtus si ab iis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species & natura concideret. Proinde quod Dominus ait: Pater meus vsque nunc operatur, quamdam coniunctionem operis eius, qua simul omnia continet atque administrat, ostendit. In quo etiam opere sapientia eius perseuerat, de qua dicitur: Pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Idem etiam Apostolus sentit, cùm Atheniensibus prædicans ait, In quo viuimus, mouemur, & sumus. Quia si opus suum rebus creatis subtraheret, nec viuere, nec moueri, nec esse possemus. Et ideo sic Deus intelligendus est requieuisse ab omnibus operibus suis, vt iam nullam nouam conderet creaturam, non vt conditas continere & gubernare cessaret.*

Doctè idem August. in Sententiis n. 145. docet eodem modo affici Deum, cùm vacat, & cùm operatur. *Non ergo*, inquit, *in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitatur industria, qui nouit & quiescens agere, & agens quiescere: & quod in operibus prius quidem est, aut posterius; non ad facientem, sed ad facta referendum est. Aeterna enim est & incommutabilis voluntas eius, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus creandis, vel ordinandis, aut præcesserit, aut sequitur.* Hinc Philo lib. Allegor. vertit, non, *quieuit*, sed, *quiescere fecit quæ exorsus est: quia*, inquit, Deus numquam quiescit, *sed sicut proprium ignis est vrere, & niuis refrigerare, ita Dei operari.* Hebræum tamen וישבות *iisbot*, propriè significat *quieuit*, vti vertit Chald. Noster & Septuag.

Symbolicè, Iunilius, Beda, & S. Augustinus lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 12. docent, quietem hanc Dei in sabbato, fuisse figuram quietis Christi in sepulchro, die sabbati, postquam opus redemptionis nostræ die sexto, per passionem & mortem consummasset.

Anagogicè, fuit hic typus quietis Sanctorum in cælo: ibi enim perenne agent sabbatum. de quo plura Deuter. 5. 12.

ET BENEDIXIT DIEI SEPTIMO] id est, diem septimum laudauit, commendauit, approbauit, ait Philo. sic benedicimus Deum, cùm eum laudamus. Secundò & meliùs, *benedixit*, id est, vt sequitur, sanctificauit, sanctum & festum decreuit diem septimum. Sicut enim hominis magna est benedictio, quòd sanctificetur; ita est & festi. VERS. 3. *Sabbati sanctificatio.*

ET SANCTIFICAVIT ILLVM] Non hoc ipso die septimo, quod primum fuit sabbatum in mundo, sed postea, tempore Mosis, putà Exodi 20. 8. Ita Abulensis, qui putat hæc hîc dici per anticipationem. Secundò, & meliùs alij, sanctificauit Deus iam tunc sabbatum, non actu & reipsa, sed decreto & destinatione sua, q. d. Quia Deus quieuit die septimo, hinc illum diem destinauit sibi quasi sacrum, vt à Mose indiceretur festus, colendus à Iudæis. ita Perer. Beda, Hieron. Prado in cap. 20. Ezechiel. Tertiò & planissimè, Deus à mundi exordio hoc primo sabbati die, illum *sanctificauit*, id est actu festum instituit, colique voluit ab Adamo eiusque posteris sacro otio & cultu Dei, maximè recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi, illo die completæ. Vnde patet, sabbatum fuisse festum institutum & sancitum primitus, non à Mose Exodi 20. 8. sed longè anteriùs, putà ab origine mundi, hoc ipso primo mundi sabbato. Idem colligitur Exodi 16. 23. Hebr. 4. 3. vt ibi ostendi. ita Ribera ibidem, Philo, Cathar. hîc. Fuit ergo hoc præceptum sabbati diuinum, non naturale, sed positiuum: vnde à Christo & Apostolis festum à sabbato in Dominicum est translatum. *Sabbatum festum fuit à Deo indictum Adæ & posteris ante Mosen.*

QVOD CREAVIT DEVS VT FACERET] Id est, quod creauit faciendo, & creando fecit atque perfecit: hanc enim operis perfectionem significat hæc eiusdem verbi per synonymon iteratio, qua dicitur: *Creauit vt faceret.*

ISTÆ SVNT GENERATIONES, id est creationes, CÆLI ET TERRÆ] Vnde sequitur, *Quando creata sunt in die*, id est tempore toto sex dierum, de quibus cap. 1. ita Beda & alij. VERS. 4.

ET OMNE VIRGVLTVM] Connecte hæc cum v. 4. sic: *In die quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum* (Hebræum שיח *siach*, est enatum, VERS. 5.

vel

vel germinans) *antequam oriretur in terra*, more A scilicet naturali & virtute seminis, vti nunc oritur. Tantùm enim vult dicere Moses, primam illam productionem virgultorum ac paradisi, ad quem paulatim descendit, non naturæ, non terræ, non semini, sed Dei virtuti & operationi tribuendam esse: idque probat ex eo, quòd, cùm omnes herbæ & virgulta cæli influxu, & hominis industria ac cultura proueniant, tunc nondum erat homo, qui sereret & coleret terram; nec etiam erat pluuia, quæ sata rigaret.

Secundò, ex Hebræo sic planiùs verti posset, *in die* (primo mundi) *quo fecit Deus cælum & terram, omne virgultum agri nondum* (hoc enim est טֶרֶם *terem*, vt patet Exodi 9.30. *Noui quòd necdum* (hebraicè *terem*) *timeatis Dominum.*) *erat in terra, & omnis terra regionis nondum germinabat, sed* B *fons ascendebat de terra.*

Vers. 6. Quis hic fons? Prima sententia.

Sed fons ascendebat e terra] Quæres, quis hic sit fons? Primò, Aquila, Chaldæus, & Hebræi aliqui, ac Molina, Pererius, Delrio, Hebræum אֵד *ed*, vertunt *vaporem*, quem scilicet sol è terra sursum vi sua attraxerit, qui postea noctis frigore concretus in rorem & in humorem resolutus, terram eiusque germina irrigarit initio mundi, donec paulò pòst pluuias dedit Deus terræ, ad eam irrigandam. Hic ergo vapor & ros erat tunc loco pluuiæ & humoris, quo plantæ recèns creatæ fouerentur; nam primos dies mundi decuit esse sudos & serenos.

Dices, Quomodo hic vapor à nostro Interprete & à LXX. vocatur fons? Respondeo, quia vt fons terram inundabat. Sic enim Aristot. l. 1. Meteor. c. 1. nubes ex aquis ortas, & in aquas verti solitas, C vocat circularem & perennem fluuium, siue oceanum, qui per aërem fluit & volitat.

Refellitur.

Verùm obstat huic sententiæ, quòd v. præced. negauit Moses, vllam tunc pluuiam, aut similem humorem cælestem fuisse, qui terram rigaret. Rursum, quòd vapor valdè impropriè vocatur fons: & Hebræum *ed*, non vaporem, sed gurgitem potiùs aquarum, (vt patet Iob 36. v. 27.) indeque calamitatem & cladem, quæ instar gurgitis, homines obruit & inuoluit, vt patet Ierem. 48 v. 16. & alibi, significat. vnde Oleaster *ed* vertit inundationem.

Secunda sententia improbabilis.

Secundò, S. Augustinus lib. 5. de Genes. ad lit. cap. 9. & 10. Initio mundi, inquit, propriè vnus fuit fons, qui stato tempore instar Nili exundans terræ germina rigabat. Sed talem fontem fuisse, D qui totam terram inundando rigaret, vix est credibile.

Longè incredibilius est, quod addit Glossa interlinealis, hoc fonte exundante rigatam esse totam terram, vsque ad tempora Noë, ita vt ante Noë nullæ vmquam fuerint pluuiæ in mundo.

Tertia probabilis.

Tertiò ergo, meliùs ibidem S. August. Philo, & Nicolaus Papa ad Michaëlem Imper. Fons, inquit, id est fontes, riuuli, & flumina adscendebant de terra: omnes enim aquæ, vt dixi c. 1. v. 9. congregatæ sunt in vnum locum, quasi in vnum fontem, vel matricem. Moses enim hic tantùm generatim relegit & reuoluit rerum creationem, quam cap. 1. seriatim enarrauit. q. d. Deus solus initio mundi fecit omne virgultum vbique in tota terra; idque probo ex eo, quòd tunc necdum erat homo qui hæc virgulta plantaret, nec pluuia quæ ea rigaret; sed tantùm fons, id est va-ria flumina & fontes ex vna quasi fontali matrice (de qua dixi cap. 1. v. 9.) manantes totam terram hinc inde irrigabant. Hæc autem non poterant, sine pluuia, vbique terris à se remotis subministrare humorem ad germinandum; ergo hæc germina & virgulta solus tunc effecit Deus.

Quarta & genuina.

Quartò, ex Hebræo planiùs & solidiùs sic explices: *fons*, hebraicè אֵד *ed*, id est gurges vel inundatio, putà abyssus illa primigenia aquarum, de qua dixit c. 1. v. 2. irrigabat & tegebat totam terram, quasi tota terra vnus esset fons: hanc enim quasi primam omnium matricem iàtùm hoc versu summatim repetit Moses, vti paulò antè v. 4. repetiit creationem cæli & terræ. Deus enim ante omnia primò creauit cælum & terram, & hunc fontem siue abyssum aquarum. Sensus ergo est, q. d. Deus vti solus cælum & terram, & abyssum aquarum creauit; ita solus eam à terra separauit, & aridam detexit, atque germina, paradisum, hominem, aliaque omnia ex ea produxit, quæ postea per pluuiam & rorem conseruauit & propagauit: vnde, vt dixi v. 5. ex Hebræo sic planè & clarè vertas, *in die quo fecit Deus cælum & terram, omne virgultum agri nondum erat in terra, & omnis herba regionis nondum germinabat; sed fons*, id est inundatio, scilicet abyssus aquarum, quæ è terra videbatur emergere & ascendere, *irrigabat & tegebat totam terram.*

Vers. 7.

Formavit igitvr Dominvs Devs hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem eivs spiracvlvm vitæ, et factvs est homo in animam viventem] Chald paraphrasticè vertit, *factus est homo in animam loquentem*: quia loquela, æquè ac ratio, propria est homini.

Redit hic Moses ad opus sextæ diei, vt formationem hominis luculentiùs explicet.

Quinque causæ hominis.

Nota Primò. Moses hic quinque hominis causas assignat. Efficiens est Deus. Materia est limus terræ siue terra aqua mixta: vnde & cadauer hominis in terram & aquam, quasi in elementa sua resoluitur. Forma est spiraculum vitæ. Exemplar est Deus: Dei enim imago est homo. Finis est, vt sit anima viuens, id est res vel animal viuens, putà sentiens, seipsum mouens, se & alia noscens, omniaque vitæ opera exercens; (est synecdoche) vtque præsit cæteris animalibus, totique mundo.

Quomodo formatus sit Adam.

Nota Secundò. Hebræa ad verbum sic habent, *plasmauit Deus hominem puluerem*, vel *lutum de terra.* Hebræum enim יִּצֶר *iitsar*, & Græcum ἔπλασεν, propriè ad figulinam pertinet, idemque est quod plasmauit; vnde videtur, quòd Deus primò corpus hominis in modum statuæ de limo terræ, vel per se vel per angelos (vt insinuat S. Augustinus, & ex eo Thom. 1. p. q. 91. a. 2. ad 1.) efformarit, vti plastæ fingunt homines luteos. Et hoc est quod ait Iob c. 10 9. *Memento quòd sicut lutum feceris me.* Et Ieremias c. 18. 2. Deum figulo, hominem luto comparat. Hinc etiam Sapient. 7. v. 1. Adam vocatur πρωτόπλαστος καὶ γηγενής, primoplasmatus & terrigena; & ab Apostolo 1. Corinth. 15. 47. *de terra terrenus* appellatur. Deinde Deus in hunc hominem luteum sensim induxit dispositiones carnis & corporis humani, ac denique simul cum vltima dispositione induxit formas heterogeneas singularum partium corporis, simulque cum iis infudit creando, & creauit infunden-

fundendo animam rationalem: itaque factus est homo perfectus, corpore humano & anima rationali constans. ita S. Chrysost. hic homil. 12. & Gennadius in Catena: idque solus Deus per se effecit. Vnde S. Basil. Ambros. & Cyrillus docent, quòd homo sit conditus à sola SS. Trinitate, sine alio adiutore: & contrariam sententiam appellant Iudaicum errorem.

Porro miram & diuinam hominis singulorumque eius membrorum structuram ita graphicè depingit S. Clemens libro 8. Recognit. *Vide in corpore hominis artificis opus, quomodo ossa velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inseruit; tum deinde æqualis ex vtraque parte, id est dextra ac laua, mensura seruetur: vt congruat pes pedi, & manus manui, digiti quoque digitis, vt singuli ad singulos tota æqualitate concordent; sed & oculus oculo, auris auri, quæ non solùm consona sibi & concordantia, sed & vsibus necessariis apta formantur. Manus quidem vt operi commoda sint, pedes vt gressibus, oculi vt visibus seruiant superciliorum excubiis custoditi; aures ad audiendum ita formatæ, vt cymbalo similes, suscepti verbi repercussam sonitum altiùs reddant, & vsque ad sensum cordis emittant.* Audi sequentia æquè artificiosa & mira. *Lingua autem ad loquendum illisa dentibus, plectri reddat officium: ipsi verò dentes, alij vt incidant & diuidant cibos, & interioribus tradant, interiores verò vt in modum molæ conficiant & comminuant, quò oportuniùs stomacho traditi coquantur, vnde & molares appellati sunt. Sed & nares commeandi flatus, & reddendi ac recipiendi gratia factæ sunt, vt innouatione spiritus, calor naturalis qui ex corde est, vel accendi vel refrigerari cùm res poposcerit, queat, pulmonis officio; qui pectori inheredatus est, vt mollitie sua palpet & foueat cordis vigorem, in quo videtur vita consistere, vita dico, non anima. Nam quid dicam de substantia sanguinis, quam velut fluuius ex fonte procedens, ex vno priùs alueo inuectus; tum deinde per innumeras venas, quasi per areas deriuatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis, iecoris opere ministratus; quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum in dextero latere iacet?* Quis ex his omnibus euidenter non agnoscat rationis opus & sapientiam Conditoris?

Eamdem hominis cosmopœiam eleganter describit S. Ambros. lib. 6. Hexamer. c. 9. Vbi inter cætera docet, *humani corporis fabricam instar esse mundi. Si quidem vt cælum eminet aëri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi, ita etiam caput super reliquos artus corporis nostri cernimus eminere: in arce autem hac regalem quamdam habitare sapientiam. Rursum quod sol & luna in cælo, hoc sunt oculi in homine. Sol & luna duo mundi lumina, oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, speculatores quidem nostri die ac nocte excubant. Quàm speciosa castries? Quid sine capite est homo, cùm totus in capite sit? Huic frons libera, quæ mentis habitum specie sui prodat. Imago quædam animi loquitur in vultu. Geminæ series superciliorum oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam. Propter oculos ferunt medici periti cerebrum hominis in capite locatum. Initium neruorum & omnium sensuum cerebrum est. Initium autem arteriarum, & insiti caloris quo animantur & tepescunt vitalia, cor esse plerique arbitrantur. Sensuum autem singulorum velut organum nerui sunt, qui velut chordæ & fides quædam de cerebro oriuntur, & per partes corporis in singula quæque officia deriuantur. Ideoq́; mollius est cerebrum, quia omnes sensus suscipit: eò enim nerui referunt vniuersa, quæ vel oculus viderit, vel auris audierit, vel odor inhalauerit, vel lingua increpuerit, vel os saporis acceperit. Sinuatio interiorum aurium modulandi quemdam numerum præstat, & disciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rhythmus efficitur, & modulis quibusdam ingressi sonus vocis exprimitur. Quid ego describam dentium vallum, quo cibus conficitur, & plena fit vocis expressio? Lingua est velut plectrum loquentis, & quædam edentis manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit & ministrat. Vox quoque aëris quodam remigio vehitur nunc commouens, nunc demulcens audientis affectum. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?* Pergit deinde à capite ad cætera membra, aitque: *Manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensatrix, quæ præclaris enites factis, per quam offerimus, sumimus & dispensamus Sacramenta cælestia. Quis dignè explicet pectoris cratem, ventrisq́; mollitiem? Quid tam salutare, quàm vt pulmo cordi finitimo limite iungeretur, vt cùm exarserit cor ira & indignatione, pulmonis sanguine atque humore citiùs temperetur? Ideoq́; mollior pulmo est, quia madet semper, simul vt rigorem indignationis emolliat. Lien quoque cum iecore vicinam habet fructuosam, qui dum assumit quo ipse pascatur, abstergit quidquid sordium deprehenderit, vt per fibras iecoris minutiores, ciborum possint tenues atque subtiles reliquiæ transire, quæ vertantur in sanguinem, viribusq́; proficiant. Intestinorum verò circumplexi orbes, & sine aliquo licet nodo sibi tamen inuicem nexi, quid aliud nisi diuinam prospicientiam Creatoris ostendunt, vt non citò esca pertranseat, & statim à stomacho decurrat? Quod si fieret, iugis fames, & continua vorandi libido hominibus gigneretur.* Et post nonnulla: *Venarum pulsus vel infirmitatis internuncius, vel salutis est. eadem tamen cùm totò diffusa sint corpore, neque nuda, neque intecta sunt, & ita lenibus operiuntur visceribus, vt explorandi copia sit, & celeritas sentiendi, quando nulla est viscerum crassitudo quæ pulsum possit obducere. Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere, & reuincta neruis, præcipuè tamen capitis leui tecta sunt corio; vnde, quò possint aliquod aduersus vmbras & frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur. Quid dicam de officio pedum, qui totum corpus sine vlla sustinent oneris iniuria? Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, vt in nomine Iesu omne genu curuetur. Duo enim sunt quæ præ cæteris Deum mulcent, humilitas & fides. Duo sunt homini pedes: quaterni enim pedes sunt feris & belluis: bini auibus. Et ideo vnus quasi de volatilibus est homo, qui alta visu petat, & quodam remigio volitet sublimium cogitationum; & ideo de eo dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua, eò quòd propior sit cælestibus, & sublimior aquilis, qui possit dicere, Nostra conuersatio in cælis est.*

Nota Tertiò. Pro *limo terræ*, hebraicè est עָפָר מִן הָאֲדָמָה *aphar min haadama*, id est puluerem de terra. LXX. vertunt, *puluerem accipiens è terra*. Sed hunc puluerem, inquit Tertull. Deus addito optimo liquore in limum & quasi argillam coagulauit. Puluis enim aridus inidoneus est ad plasmandum: puluis ergo hic humectus erat ideoque limus.

Rursum *Adama* (ex qua formatus & dictus est *Adam*) *Adam ex Adama.*

Adam) significat terram rubram. Vnde ex terra rubra, quæ est in agro Damasceno, non vrbis Damasci, sed agri cuiusdam ita dicti, qui est iuxta Hebron, creatum esse Adamum, multorum est traditio. Id enim tradunt Hebræi, & ex eis S. Hieron. in Quæst. hebraicis hîc, Lyran. Hugo, & Abulensis hîc, & in c. 13. q. 138. Burchardus, Bredenbachius, Saligniacus, & Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ, in Hebron; vbi & vallem lachrymarum consignant iuxta Hebron, in qua ferunt Adamum centum annis plorasse mortem Abelis. Confirmant idipsum ex Iosue cap. 14. 15. vbi sic dicitur: *Nomen Hebron antè vocabatur Cariatarbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Verùm genuinus huius loci sensus longè alius est, vti ibi dicam: Adam enim non fuit gigantea, sed iusta statura; aliàs enim fuisset ipse monstrum hominis. Errat ergo Iohann. Lucidus & alij, qui Adam putant fuisse gigantem. Sed ad rem: ego sanè præter Hebræos subinde fabulosos, optarem alios veteres huius traditionis habere auctores.

Fertur in Hebron creatus.

Moraliter rectè Ieremias (& nos cum eo) c. 18. mittitur à Deo ad domum figuli, ad contemplandam suam matricem & originem, scilicet lutum, vt humilietur, vtque discat & doceat, omnes homines esse in manu Dei, sicut lutum est in manu figuli. Eleganter Secundus Philosophus interrogatus ab Adriano Imp. *Quid est homo?* respondit, *mens incarnata, phantasma temporis, speculator vitæ, transiens viator, anima laboriosa.* Epictetus verò: *Homo,* inquit, *est lucerna in vento posita, loci hospes, legis imago, calamitatis fabula, mancipium mortis.*

Nota Quartò, *Spiraculum vitæ* vocatur, non Spiritus sanctus, vti voluit Philastrius in catalogo hæresum cap. 99. cuius errorem refutat S. August. lib. 13. de Ciuit. c. 24. sed ipsa anima rationalis, quæ in homine simul est vegetatiua & sensitiua. Ex hac enim oritur respiratio & exspiratio, quæ est tam signum, quàm effectus vitæ; & inde anima dicitur ψυχή à ψυχάζω, id est, *frigus capto*; respirando enim refrigeramur: hebraicè verò dicitur נְשָׁמָה *nescama*, & נֶפֶשׁ *nephes*, à radice נפש *naphas*, id est respirauit.

Vnde anima dicatur ψυχή & נפש

Pro *vitæ*, hebraicè est חיים *chaiim*, id est vitarum: quia rationalis anima homini tribuit triplicem vitam, scilicet plantarum, brutorum & angelorum. Alij *vitarum*, inquiunt, quia narium foramina sunt duo, quibus vita, id est aura, respirando hauritur. Verùm nares non sunt spiraculum vitarum, sed eius receptaculum, vt mox dicam. Dicitur *spiraculum vitæ*, quia ad vitam ita necessaria est respiratio, vt ne ad momentum quidem sine ea viuere possimus, inquit Galen. lib. de Vtil. respirat. cap. 1. Hinc ait, Asclepiades dixit, respirationem esse generationem animæ; Praxagoras verò, non generationem animæ, sed corroborationem.

Nota Quintò. Ex hoc loco patet animam rationalem non educi ex materia, non etiam esse ex traduce, id est, non generari & propagari ex anima parentis, vti lux spargit & propagat lucem, sicuti putauit Tertull. & dubitauit S. Augustinus lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 1. & sequent. Certum enim est, vt docet S. Hieronymus, omnesque alij Patres (estque sensus hic Ecclesiæ) animam non ab angelis, vt voluerunt Seleuciani, sed extrinsecùs à solo Deo creari, & infundi homini. Hoc enim significat vox *inspirauit*, vel, vt Cyprianus legit, *insufflauit in faciem*, id est in totum corpus. Est synecdoche: ex facie enim, in qua vigent omnes vitales operationes, & maximè respiratio, quasi ex parte nobilissima, totum corpus intelligitur.

Insufflauit ergo Primò, vt ostenderet, ait Theodoret. tam facile esse Deo animam creare, quàm homini insufflare. Secundò, vt intelligamus animam non eductam è materia, nec esse ex traduce, vt putauit Tertull. (qui idcirco censuit animam, æquè ac Deum, corpoream esse, imò effigiatam & coloratam; eò quòd nihil incorporale sit) & dubitauit S. August. lib. 7. de Genesi ad litteram cap. 1. sed extrinsecus à Deo creatam. Tertiò, diuinum quid esse animam nostram, quasi Dei flatum, non quidem vt credas esse partem auulsam diuinitatis, vti videtur sensisse Epictet. dissert. 1. cap. 14. Seneca epist. 92. Cicero Tusc. 1. & 1. de diuin. sed quòd anima sit summa participatio diuinitatis, quoad naturam spiritalem. Quartò, quòd insufflatio & respiratio sit ita necessaria vitæ, vt ne momentum quidem sine ea viuere possimus; vnde Galenus libr. de Vtilitate respirandi cap. 1. ait: *Asclepiades dixit respirationem esse generationem animæ, Nicarchus corroborationem, Hippocrates nutritionem.* Insufflando igitur Deus hominem creat, ac si voluisset ostendere, non secùs homine se ad vniuersi complementum carere non posse, ac non potest homo carere respiratione. Postremò, cùm ipsum flatum animamque Deus homini communicauit, semetipsum communicauit, quasi suum in illo cor indidisset.

Pro *in faciem*, hebraicè est בְּאַפָּיו *beappaf*, quod Aquila & Symmach. vertunt, εἰς μυκτῆρας, id est *in nares*: in naribus enim viget respiratio, quæ signum est animæ latentis. Verùm meliùs vertit Noster, *in faciem*; non enim in solis naribus, sed in facie tota, ac consequenter in toto homine anima est & relucet, sed maximè in facie & capite. Quocirca S. Ambros. libr. 6 Hexamer. c. 9. ait humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem, vt cælum eminet aëri, terris maria, quæ velut membra sunt mundi: ita etiam caput super reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tamquam inter elementa cælum, tamquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. in arce autem hac, regalem quamdam habitare sapientiam. Vnde à Salomone dictum est: *Oculi sapientis in capite eius.* Hinc & Lactant. libr. de Dei opificio cap. 5. In summa, inquit, constructione corporis, caput Deus ipse collocauit, in quo esset regnum totius animantis: datumque illi hoc nomen est, vt quidem Varro ad Cicer. scribit, quòd hinc capiant initium sensus & nerui.

Putarunt aliqui animam nostram esse partem diuinæ substantiæ, quasi dicatur Deus hîc insufflasse, id est partem sui flatus, spiritus & animæ homini communicasse. Sed hæc est vetus hæresis, & error Poëtarum, qui animam dicunt esse *diuinæ particulam auræ*, & ἀπόσπασμα (id est partem auulsam) diuinitatis. Ita sentit Epictetus dissert. 1. cap. 14. Seneca epist. 92. Cicero 1. Tuscul. quæst. & lib. 1. de Diuinatione. *Insufflauit* ergo, id est flatum, spiritum & animam, quasi effectum omnipotentiæ suæ, de nihilo in homine creauit Deus,

An anima sit diuina particula auræ

Septem definitiones animæ rationalis.

Deus. Hinc S. Chrysost. Ambros. August. Eucher. & Lyran. animam rationalem ita definiunt: *Anima est deiforme spiraculum vitæ.* Secundò, auctor de Spiritu & anima apud S. August. tom. 3. *Anima*, inquit, *est substantia quædam incorporea, rationis particeps, regendo corpori accommodata.* Tertiò, Cassiodorus, *Anima*, inquit, *est substantia spiritualis, à Deo creata, sui corporis viuificatrix.* Quartò, Seneca, *Anima*, inquit, *est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus.* Quintò, Damascenus, *Anima*, inquit, *est spiritus intellectualis, semper viuens, semper in motu, bona malæq; voluntatis capax.* Sextò, Auctor de Spiritu & anim. *Anima*, inquit, *est omnium similitudo.* Septimò, alij, *Anima*, inquiunt, *est substantia spiritualis simplex & indissolubilis, in corpore passibilis atque mutabilis.*

VERS. 8. PLANTAVERAT AVTEM DOMINVS DEVS PARADISVM VOLVPTATIS A PRINCIPIO] *Plantauerat*, id est plantis, arboribus, omnibusque deliciis à se creatis instruxerat & adornarat.

Vnde dicatur paradisus.

PARADISVM] Nota. Paradisus non est vox Græca, à παρὰ τὸ δεύω, id est *irrigo*, vt vult Suidas; vel, vt alij, παρὰ τὴν δέσιν ποιεῖσθαι, id est à collectione herbarum, ita nuncupatus: sed est vox Persica, ait Pollux, aut potiùs Hebræa. פַּרְדֵּס *pardes* enim hebraicè significat locum voluptatis, à radice פָּרָה *para*, id est fructificauit, & הֲדַס *hadas*, id est myrtus, quasi dicas, hortus myrtorum, seu in quo fructificant myrti. Myrtus enim odore & sapore præ aliis arboribus recreat & excellit.

Paradisus fuit in Eden.

VOLVPTATIS] LXX. retinent vocem Hebræam, vertuntque *in Eden*, quod est nomen proprium loci, idque indicat Hebræum *bet*, id est *in*; planeque Eden esse nomen loci, in quo fuerit paradisus, patet v. 10. in Hebræo, idque magis patebit inferiùs. Verùm noster Interpres, & Symmachus *Eden* accipiunt, non vt proprium, sed vt appellatiuum, tuncque significat voluptatem. Vnde ab Hebræo *Eden* nonnulli deducunt Græcum ἡδονή, id est *voluptas*. Theodoret. quæst. 25. putat Adamum formatum esse in Eden, & ab *Eden* denominatum esse Adam. *Eden* enim, inquit, rufum significat. sed errat: *Eden* enim non rufum, sed voluptatem hebraicè significat. Rursum Adam vocatus est ab Adama, id est terra rubea ex qua formatus est, non ab Eden: Adam enim per *aleph*, Eden verò per *ain* scribitur.

Fuit ad Orientem.

A PRINCIPIO] scilicet die tertio mundi, vt dixi cap. 1. v. 11. Errat ergo auctor lib. 4. Esdræ c. 3. v. 6. qui exponit sic, vt asserat ante terram plantatum esse paradisum. LXX. vertunt, Ad Orientem; vnde patet quòd respectu Iudææ (Iudææ enim respectu Moses scribit, & consignat plagas mundi) paradisus fuerit ad Orientem, quodque Orientalis plaga primò ab Adamo & hominibus incoli cœperit.

Hinc S. Chrysost. Theodoret. & Damascenus lib. 4. de Fide c. 13. docent Christianos orare vertendo se ad Orientem, vt recordentur paradisi, ex quo per peccatum expulsi sunt; atque anhelent ad cælestem paradisum, cuius ille terrestris typus & imago fuit.

Quæstio vbi sit paradisus? Prima sententia.

Quæres, quis, qualis, & vbi sit paradisus? Primò, Origenes putat paradisum esse tertium cælum, in quod raptus fuit S. Paulus; arbores esse virtutes angelicas; flumina esse aquas quæ sunt supra firmamentum. Idem docet Philo & Seleuciani hæretici, quin & S. Ambrosius lib. de Paradiso. Verùm S. Epiphan. August. Hieronymus & alij hanc expositionem hæreseos damnant: torquet enim planam historiam Geneseos ad figmenta allegoriarum. Vnde S. Ambrosius excusandus est, quòd litteram litteralemque sensum præsupponat, tantumque allegoriam paradisi vestiget.

Secunda.

Secundò, alij apud Hugonem Victorin. putant paradisum fuisse totum mundum, flumen esse Oceanum, ex quo quatuor illa celeberrima flumina oriuntur. Sed & hic est error: nam quatuor hæc flumina egrediuntur extra paradisum. Rursum, Adam post peccatum eiectus est è paradiso; atqui Adam non est eiectus extra mundum; ergo mundus non est paradisus.

Tertia.

Tertiò, alij apud Magistrum Sent. in 2. dist. 17. censent paradisum esse locum omnino secretum & eleuatum vsque ad globum lunæ. ita Rabanus, Rupert. Strabus. vel certè, vt Abulensis & Alensis, paradisum supra mediam aëris regionem eleuari; ac proinde aquas diluuij eò non pertigisse. Sed sic non in terra, sed in aëre aut cælo esset paradisus. Rursus esset valdè spectabilis ac cognitus; vti sol, luna, stellæ, & cometæ ab omnibus spectantur.

Quarta.

Quartò, S. Ephrem apud Mosen Barcepha libr. de Paradiso, putat totam terram nostram cingi Oceano, & vltra illum in alia terra, & alio orbe esse paradisum. Sed & hic error est: nam quatuor flumina paradisi in nostra sunt terra & orbe.

Quinta.

Quintò, Ciruelus Darocensis in Paradoxis quæst. 15. & Alphonsus à Vera cruce lib. de Cælo specul. 15. opinantur paradisum fuisse in Palæstina circa Iordanem in terra Sodomorum; probant ex Genesis 13. v. 10. Alij volunt eam fuisse in insula Taprobana, alij in America. Verùm hæc quatuor flumina nec in Palæstina, nec in Taprobana, nec in America sunt.

Sexta.

Sextò, S. Bonauent. & Durandus in 2. dist. 17. putant paradisum esse sub æquinoctiali. Putant enim ibi esse summam aëris temperiem, vbi semper dies sunt æquales noctibus. Sed hoc vti vagum est & incertum, ita nodum non soluit.

Difficultas huius quæstionis pendet ex duobus fluminibus, scilicet Phison & Geon: qui enim hos nosset, facilè ex iis vestigaret paradisum.

Multi putant Geon esse Nilum, Phison esse Gangem.

Dico Primò, Multorum Patrum & Doctorum sententia est, Geon esse Nilum, Phison esse Gangem. ita sentit S. Epiphan. August. Ambros. Hieron. Theodor. Iosephus, Damascenus, Isidorus, Eucherius, Raban. Rupert. & alij, quos citant & sequuntur Conimbricens. in meteora tract. 9. c. 10. & Ribera in Amos 6. n. 44. & Bellarmin. de Gratia primi hominis c. 12. Et probatur Primò, quia LXX. Ierem. 2. v. 18. pro Nilo vertunt Geon. vnde etiamnum hodie Abyssini Nilum vocant Guijon, teste Franc. Aluarez Hist. Æthiop. c. 122. Sed responderi posset, Geon esse nomen plurium fluuiorum. nam & iuxta Ierusalem erat riuulus Geon, siue Gion (hæc enim duo idem sunt; vtrobique enim in Hebræo est eadē vox גִּיחוֹן *gichon*) vbi vnctus est Salomon in regem, 3. Reg. 1. v. 33. 38. 48. 2. Paralip. 32. 30.

Secundò, quia Ganges propriè circuit terram Heuilat, id est Indiam (vti Genes. 10. v. 29. docet S. Hieronymus, & alij passim) quæ est intra Gangem, vbi aurum est optimum; imò ipse Ganges, teste

teste Plinio, est aurifer & gemmifer. Porrò Ganges vocatur Phison, id est multitudo, à radice פוש *pus*, id est luxuriare, multiplicari, quia decem magna flumina in Gangem se exonerant. ita Ioseph. lib. 1. Antiqu. 2. & Isidor. lib. 13. Etymol. c. 21. Pari modo Geon, id est Nilus, circuit Æthiopiam, siue Abyssiam, vbi regnat Preto-Iohannes. Nili etiam inundatio est celeberrima; hanc autem ipsi Geon tribuit Ecclesiasticus cap. 24. v. 35. & 37.

Dices, Quomodo Ganges & Nilus, qui remotissimi sunt à Tigri & Euphrate, ex eodem cum iis fonte & fluuio paradisi nasci possunt? nam Ganges oritur in Caucaso monte Indiæ: Euphrates & Tigris in montibus Armeniæ: Nilus ex montibus Lunæ, versus promontorium Bonæ spei; vel potiùs ex lacu quodam regni Congi, vti notarunt qui hoc sæculo illa loca lustrarunt. B hæ autem origines à se inuicem, ac consequenter à flumine paradisi remotissimæ sunt.

Hæc sanè ingens est difficultas, ad quam respondet S. Augustinus lib. 8. de Genes. ad lit. c. 7. Theodoret. Rupert. & alij, Gangem & Nilum è terrestri paradiso oriri, sed subterraneis cuniculis & meatibus abscondi, donec locis iam dictis erumpant, idque Dei consilio ad occultandum paradisum. Imò Pausan. in Corinthiacis, & Philostrat. libr. 1. de Vita Apollonij cap. 14. aiunt non deesse, qui putent ex Euphrate terra condito, ac postea supra Æthiopiam prodeunte, Nilum effici. quod aptè respondet sacræ Scripturæ hîc cap. 2. quæ hæc quatuor flumina ex vno fonte profluere insinuat. Nec mirum est Gangem & Nilum ita condi, & tam remotè exoriri; nam & C mare Caspium ab Oceano Arctico remotissimo per meatus subterraneos prodire, docet S. Basilius, Strabo, Plinius, & Dionys. lib. de Situ orbis. Imò multi censent omnia, etiam remotissima flumina, fontes & aquas oriri ex mari & abysso illa subterranea, per venas subterraneas, vti dixi cap. 1. v. 9. Ex hac ergo abysso primò ingens fluuius oriebatur in paradiso; Deus enim ad paradisi decorem voluit, vt ex eo oriens, quasi matrix reliquorum, in hæc quatuor flumina se dispertiret: post peccatum verò Adæ, Deus hunc paradisi fluuium vel totum terra condidit, vel latere voluit, vt magis lateret paradisus.

Probatur Nilum non esse Geon, nec Gangem esse Phison. Primò. Verùm incredibile videtur, tanto & tam vasto spatio hoc paradisi flumen, vel potiùs quatuor flumina sub terra se condere, & postea tam dissitis locis exoriri. D Nam, vt docet Ptolemæus, inter Euphratem & Gangem intercedit spatium 70. graduum, id est plusquam 4300. milliarium. Idem de Nilo dici potest.

Secundò. Secundò, hæc quatuor flumina locis iam paulò antè dictis & satis cognitis ita modicè oriuntur, vt statim appareat ea ibi primùm nasci, ac deinde confluentibus hinc inde riuulis paulatim adolescere: ergo non nascuntur ex vno illo flumine magno paradisi.

Tertiò. Tertiò, Viegas in Apocal. caput xI. sect. 5. aliique viri doctissimi annotarunt, nec Indiam, nec Gangem, nec alias regiones, aut fluuios quæ sunt vltra sinum Persicum, vocari in Scriptura Orientales vel Orientem, sed tantùm illas quæ sunt citra sinum Persicum, veluti Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam. Harum ergo incolæ, putà A Arabes, Idumæi, Madianitæ, Armeni, vocantur Orientales, vel filij Orientis respectu Iudæorum: atqui paradisus fuit in Oriente, vt habent Septuag.

Quartò. Quartò, si Geon est Nilus, & Phison Ganges; ergo paradisus complexus est omnes regiones interiacentes inter Nilum, Euphratem, Tigrim & Gangem, putà Babyloniam, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, Mediam, Persiam, multasque alias. Admittunt hoc nonnulli, sed parùm probabiliter, vt videtur: nam paradisus vocatur hîc hortus voluptatis. quis vnquam tantum vidit hortum?

Hinc sequitur Phison non esse Gangem, nec Geon esse Nilum. vnde

Paradisus fuit circa Mesopotamiam. Prob. Primò. Dico Secundò, Paradisus videtur fuisse circa Mesopotamiam & Armeniam. Probatur Primò, quia hæ regiones in Scripturà vocantur Orientales, vti iam dixi. *Secundò.* Secundò, quia homines eiecti è paradiso primùm has regiones incolere cœperunt; tum antè diluuium, vt patet de Cain, qui habitauit in Eden, Genes. 4. v. 16. tum post diluuium, quasi sitas prope paradisum, ideoque cæteris fertiliores, vt patet Genes. 8. & cap. 11. 2. *Tertiò.* Tertiò, quia paradisus fuit in Eden, vt vertunt Septuag. Eden autem fuit iuxta Haran, vt patet Ezech. 27. 23. Isaiæ 37. 12. Haran autem est circa Mesopotamiam: Haran enim siue Carrhæ vrbs est Parthorum, vbi cæsus est Crassus. *Quartò.* Quartò, quia ibi est paradisus, vbi sunt Euphrates & Tigris, vt patet hîc v. 14. atqui hi sunt in Mesopotamia & Armenia. Euphrates enim est fluuius Babyloniæ, inter quem & Tigrim intercepta regio, Mesopotamia (quasi dicas, in medio duorum fluuiorum sita) vocatur. *Quintò.* Quintò, quia hæ regiones sunt amœnissimæ & fertilissimæ. *Sextò.* Sextò, quia paradisus non adeò longè dissitus fuisse videtur à Iudæa: perinde ac Mesopotamia à Iudæa non adeò dissita est. nam tradunt Patres, Adamum paradiso eiectum peragratis aliquot locis venisse in Iudæam, ibique mortuum ac sepultum in monte, qui à posteris, quòd ibi caput primi hominis contineretur, Caluariæ mons fuerit appellatus; in quo Christus crucifixus Adæ peccatum luit & expiauit. ita tradunt Origenes, Cyprianus, Athanasius, Basil. & alij passim, vno excepto & repugnante S. Hieronymo, vt dixi Matth. 27. 33.

Dico Tertiò, Non constat quinam fluuij sint Phison & Geon, eos tamen adhuc extare satis liquet ex Ecclesiast. cap. 24. 35. Rursum, non constat an quatuor hæc flumina oriantur ex flumine paradisi: an verò flumen paradisi in hæc quatuor tantùm influat, vel in ea se diuidat. Moses enim tantùm dicit quòd hic fluuius diuidatur in quatuor capita: quatuor autem capita vocat ipsos quatuor fluuios, qui vnum hoc flumen paradisi in quatuor quasi ramos, vel capita diuidunt, siue ex eo oriantur & profluant, siue non. Ita enim ipse Moses se mox explicare videtur. Probabilis tamen est sententia Pererij, Oleastri, Eugubini, Vatabli hîc, & Iansenij in cap. 143. Concordiæ Euangel. Phison & Geon esse flumina quæ ex Euphrate & Tigri coëuntibus enascuntur. Pro quo

Nota, Tigrim & Euphratem supra sinum Persicum in vnum tandem coire, ac rursum diuidi, tumque nomen mutare. Vnus enim in sinum

num Persicum delabens dicitur Phasis siue Phasitigris (qui videtur esse Phison) celebris apud Curtium, Plinium, & alios: hic circuit terram Heuilat, id est Chauila, putà Chaulatæos, quos Strabo libr. 16. in Arabia ponit iuxta Mesopotamiam. Alter Arabiam Desertam, & loca vicina petens videtur esse is, qui hîc Geon dicitur: hic circuit Æthiopiam, non illam Abyssinorum quæ est infra Ægyptum, sed illam quæ est circa Arabiam. In Scriptura enim Madianitæ, aliique iuxta sinum Persicum, vel Arabicum habitantes, vocantur Æthiopes.

Phison est Phasitigris.

Paradisus fuit in eo loco vbi confluunt Tigris & Euphrates.

Paradisus ergo videtur fuisse eo loco, quo confluunt Euphrates & Tigris: ab illo enim confluxu diuiduntur & discriminantur in quatuor hæc flumina: sursum enim sunt Euphrates & Tigris; deorsum verò sunt Geon & Phasitigris siue Phison. Quòd enim hi fluuij postquam coierunt, rursum diuidantur, clarè patet ex exactioribus tabulis Cosmographicis Gerardi Mercatoris, Ortelij, & aliorum. Mercator enim in Asiæ tabula 4. manifestè ostendit, Tigrim & Euphratem concurrere iuxta Apamiam, ac rursum diuidi iuxta vrbem quæ dicitur Asia, atque efficere insulam Teredon magnam satis; ac denique vtrimque in sinum Persicum influere, ibique desinere.

Adde, verisimile est, hos fluuios tempore Mosis magis fuisse diuisos, eò quòd postea mutarint alueum, magisque confluxerint, vti à tempore Mosis multa alia flumina & maria locum & alueum mutarunt, vti annotauit Torniellus. Nam sub tempora Mosis, hæc quatuor flumina paradisi fuisse planè diuisa, patet ex eo, quòd ipse illa quatuor quasi separata, & vulgo nota describit, eaque Iudæis proponit, vt ipsi ex illis, quo loco fuerit paradisus, cognoscant.

Dico Quartò, Etiamsi non constet quo præcisè loco fuerit paradisus; tamen certum est de fide paradisum fuisse locum corporeum, situm in parte aliqua terræ nostræ versus Orientem, vt habent LXX. Rursum, certum est locum hunc fuisse amœnissimum & temperatissimum, idque partim ex se suoque situ naturali, partim ex speciali Dei prouidentia, quæ æstum, frigus, omnemque aliam intemperiem à paradiso remouisset: locum, inquam tum hominum, tum etiam aliorum animantium. Negat hoc Damasc. & S. Thomas & Abulens. in c. 13. qu. 87. Putant enim ipsi, in paradiso nulla animalia quadrupedia, sed solos homines futuros fuisse. Abulensis tamen ad paradisum quoque admittit aues, ad melodiam, & pisces in fluminibus. Verùm contrarium docent alij passim cum S. Basilio libr. de Paradiso, & S. August. lib. 14. Ciuit. c. 11. Animalium enim varietas & pulchritudo magnam homini in paradiso voluptatem afferebat. Rursum constat serpentem fuisse in paradiso. *In paradiso*, inquit Basilius, *omnia erant auicularum genera, quæ pulchritudine colorum, & naturali musica, ac dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic variorum etiam animalium spectacula. Sed erant omnia mansueta, obedientia homini, inter se concorditer & pacificè viuentia, quæ & audiebant inter se, & loquebantur sensatè. Serpens autem non erat tunc horrendus, sed mitis & mansuetus, nec terribiliter in terra superficie veluti natans reptabat, sed sublimis & erectus pedibus insistens gradiebatur.* Vbi

An in paradiso fuerint soli homines, an etiam animalia?

Nota, S. Basilium videri dicere, quòd in paradiso bruta animalia habuerint rationem & loquelam humanam. rursum, quòd serpens non rependo, sed erectus incesserit. Quorum neutrum videtur probabile. Æquè paradoxum est, quod asserit Rupert. lib. 2. de Trinitate c. 24. & 29. aquas natura sua esse salsas; sed sicutiecur fons est sanguinis, ita fontem hunc paradisi fontem esse omnium aquarum dulcium, quæ sunt per totum orbem; ac consequenter eumdem fontem parentem esse & auctorem omnium germinum, arborum, gemmarum & aromatum.

S. Basil. putat animalia in paradiso locuta & vsa ratione.

Quæres Secundò, An locus & paradisi amœnitas adhuc supersint? Respondeo, Certum est locum superesse, de amœnitate incertum est.

An paradisus adhuc supersit.

Asserunt S. Iustinus, Tertull. Epiphan. Augustinus, Damasc. S. Thomas, Abulens. & alij, quos citat Viegas suprà. censent enim hi, peculiari Dei prouidentia, tempore Noë à diluuio intactum seruatum esse paradisum: licet enim alios communes hominum montes aqua diluuij excesserit, vt dicitur Genes. 7. non tamen paradisum; aut, si & hunc excessit, eum tamen non vitiasse, eò quòd hic sit innocentiæ locus, in quo etiamnum sanctissimè & quietissimè viuant Elias & Henoch. ita omnes Patres iam citati.

Addit Irenæus lib. 5. c. 5. in hoc paradiso terrestri omnes iustorum animas post mortem, vsque ad diem iudicij detineri, vt tunc in cælum eant, videantque Deum. Sed hic est error Armenorum damnatus in Concilio Florentino.

Alij, & fortè probabiliùs, censent, vsque ad diluuium extitisse paradisum in primæua sua amœnitate. nam cùm Deus expulit ex eo Adamum, posuit ante eum Cherubim ad eum custodiendum. Rursum Henoch raptus dicitur in paradisum, non cælestem, sed terrestrem, Eccli. 44. 16. Verùm in diluuio Noë, cùm aquæ per annum integrum totam terram occuparunt, censent iidem paradisum quoque iis obrutum, violatum & dissipatum fuisse. idque satis indicat Moses c. 7. 19. Adde, quòd nusquam iam paradisus inueniri possit; cùm tamen tota terra, præsertim circa Mesopotamiam & Armeniã, planè sit cognita & habitata. Ita censent Oleaster, Eugubin. Catharin. Pererius & Iansenius suprà, Franc. Suarez 3. p. q. 59. a. 6. disp. 55. sect. 1. Viegas iam citatus, & alij. Aquæ enim diluuij per annum integrum tanta vi recurrentes, &, vt Moses ait, euntes & redeuntes, omnes arbores, domos, vrbes, quin & colles strauerunt, totamque ferè terræ superficiem dimouerunt: ergo & paradisi formam & decorem subuerterunt.

Tropolog. paradisus est anima omni arborum, id est virtutum, varietate ornata. Hinc illud Zoroastris symbolum, *quære paradisum*, id est omnem diuinarum virtutum chorum, ait Psellus. Eiusdem est hoc, *animam alatam esse: cumq; alæ excidunt, illam in corpus præcipitem ferri; tum demum illis subcrescentibus, ad superos reuolare.* Eum autem discipulis percunctantibus, quo pacto alis beneplumantibus, volucres animos sortirentur? Irrigetis, inquit, alas aquis vitæ. Iterum sciscitantibus, vnde has aquas peterent? illis per parabolam respondit: Quatuor fluuiis Dei paradisus abluitur & irrigatur: inde vobis salutares aquas haurietis. nomen fluminis quod est ab Aquilone, rectum denotat: quod ab Occasu, expiationem: quod ab Ortu, lumen: quod à Meridie, pietatem.

Alle-

Allegoria paradisi. Allegoricè, S. August. lib. 13 de Ciuit. c. 21. & Ambros. lib. de Paradiso: Paradisus, inquiunt, est Ecclesia: quatuor flumina sunt quatuor Euangelia: ligna fructifera sunt Sancti: fructus sunt opera Sanctorum: lignum vitæ est Christus Sanctus sanctorum, vel est ipsa bonorum omnium mater sapientia, Eccli. 24. 41. Prouerb. 3. 18. lignum scientiæ boni & mali est liberum arbitrium, vel transgressi mandati experimentum. Rursum paradisus est Religio in qua viget humilitas, charitas & sanctitas. Audi S. Basil. libro, vel potiùs homilia de paradiso sub finem: *Quòd si locum aliquem cogitaueris sanctorum capacem, in quo omnes qui in terra bonis operibus resplenduerunt, gratia Dei fruantur, & in vera ac spiritali iucunditate viuant, non aberraueris à decenti de paradiso similitudine.* Sic & S. Chrysost. homil. 69. in Matth. de Monachorum felicitate disserens, comparat illos Adamo paradisum incolenti. Vide S. Bernardum ad clericos cap. 21. & Hieron. Platum libr. 3. de Bono status Relig. cap. 14.

Anagogicè, iidem: Paradisus, inquiunt, est cælum & vita Beatorum: quatuor flumina sunt quatuor virtutes cardinales; scilicet Ganges est prudentia, Nilus temperantia, Tigris fortitudo, Euphrates iustitia. Vide Pierium hieroglyphico 21. Vel potiùs quatuor flumina sunt quatuor dotes corporis gloriosi, Apocal vlt v. 2. Ita S. Dorothea cùm ad martyrium duceretur à Fabricio præfecto, gaudebat, quòd se ad sponsum ire diceret, cuius paradisus omnium florum & fructuum amœnitate vernaret: cumque Theophilus scriba per risum rogaret, vt, cùm eò peruenisset, inde sibi rosas aliquot mitteret; Mittam, inquit. Postquam ergo decollata est, Theophilo puer cum recentium cistula rosarum apparuit, & quidem brumæ tempore (passa est enim sexta Februarij) easque ipsi à Dorothea de sponsi sui paradiso missas dixit: & cùm obtulisset, ex oculis euanuit. quare Theophilus ad Christi fidem conuersus, martyrium obiit.

VERS. 9. OMNE LIGNVM PVLCHRVM VISV, ET AD VESCENDVM SVAVE] Et hîc ponitur pro *vel*: significat enim Moses in paradiso fuisse tam arbores pulchras & amœnas, vti sunt cedri, cypressi, pini, aliæque infrugiferæ; quàm frugiferas & esui aptas.

LIGNVM ETIAM VITÆ] putà arborem vitæ. Quæres, quænam & qualis fuerit hæc arbor?

Quænam arbor vitæ? Dico Primò, De fide est fuisse hanc veram arborem. hæc enim ab Hebræis vocatur lignum; D hocque exigit simplex & historica narratio Mosis. ita omnes veteres contra Origenem & Eugubinum, qui putant arborem vitæ symbolicam fuisse, & symbolicè tantùm significasse & vitam & immortalitatem Adæ, si Deo obediret, promissam.

Dico Secundò, Dicitur arbor vitæ, non quòd signum esset vitæ Adamo à Deo concessæ, vt vult Artopœus: sed *vitæ*, id est viuifica, causa vitæ, vitam conseruans & prorogans: quia scilicet hæc arbor comedentis vitam longissimè protendebat, eamque à morbis ac senio immunem, sanam, quietam & iucundam tuebatur. vide Perer. & Valesium Sacræ Philosoph. cap. 6. Primò ergo hæc arbor vitam fecisset longæuam: Secundò, valentem & robustam: Tertiò, constantem, vt numquam morbum aut senium incurrisset: Quartò,

A lætam & hilarem. pepulisset enim omnem tristitiam & melancholiam.

Dico Tertiò, Fuit hæc vis & virtus huic arbori non supernaturalis; ideoque post Adæ peccatum illi ablata, vt volunt S. Bonauent. & Gabriel in 2. dist. 19. sed fuit illi naturalis, vti est vis medendi in aliis fructibus & arboribus. inde enim à natura sua, natiuaque vi dicitur arbor vitæ: ideoque post peccatum mansit huic arbori hæc virtus, eaque de causa ab ea, & à paradiso exclusus est Adam postquam peccauit, vt patet cap. 3. v. 22. ita ita D. Thomas, Hugo & Pererius.

In paradiso ergo nihil hominem in innocentia permanentem lædere aut corrumpere potuisset. Nam contra actionem elementorum & consumptionem humidi radicalis, habuisset lignum B vitæ, quod humidum illud planè restaurasset: contra violentiam dæmonum, habuisset custodiam angelicam: contra impetum ferarum, habuisset perfectum in eas dominium: contra vim hominum habuisset paradisum; si enim quis alium lædere voluisset, iustitia excidisset, & mox paradiso fuisset expulsus, vti Adæ contigit: contra infectionem aëris, habuisset auræ temperiem conuenientissimam: contra herbas venenatas, contra flammas, aliaque, quæ eum casu lædere vel opprimere potuissent, habuisset plenam in omnibus prudentiam, & prouidentiam cuncta cauendi; quam si non adhibuisset, iam non innocens, sed imprudens, temerarius & nocens fuisset, itaque lædi potuisset. Denique Dei tutela vndique eum vallasset & protexisset à noxiis.

Quæres Secundò, qua ratione hæc arbor vi- *Quomodo prorogasset homini vitam?*
C tam homini prorogasset? Multi putant fructum arboris vitæ semel gustatum & comestum, comedenti immortalitatem attulisse. Sicut enim, inquiunt, lignum scientiæ boni & mali fuit arbor mortis, & stipendium mortis, ita vt semel gustatum necessitatem moriendi adferret: sic è contrario arbor vitæ fuit præmium obedientiæ, quod homines à mortali statu ad immortalitatem transferret. Vndè Bellarm lib. de Gratia primi hominis c. 18. censet homines ex hac arbore vitæ tantùm comesturos fuisse tunc, cùm proximè transferendi essent ex hac vita ad statum gloriæ. Huic sententiæ fauet S. Chrysost. Theodor. Irenæus, Rupert. quos citat & sequitur Abulens. in cap. 13. vbi hæc omnia fusè pertractat.

Dico Primò, Probabilius est, hunc fructum semel gustatum prorogaturum quidem fuisse homini vitam ad longum tempus, non tamen eum absolutè immortalem facturum fuisse. Ratio est, quia huic fructui naturalis erat hæc vis, eratque finita, ac proinde continua actione caloris naturalis in homine tandem erat consumenda. Rursum, fructus hic, vti & alij quiuis, natura sua erat corruptibilis; non ergo poterat facere hominem omnino incorruptibilem: sed tantùm iteratò comestus vlteriùs semper, & vlteriùs vitam homini prorogasset. ita sentit Scotus, Durandus, Caiet. & Perer.

Dico Secundò, Fructus arboris vitæ vires integras homini reparabat: Primò, humorem naturalem primigenium, aut eo meliorem suggerendo; Secundò, calorem naturalem continua actione & pugna cum aliis cibis (quibus ordinariè vsus etiam tunc fuisset homo, vt docet S. August. lib. 13. de Ciuit. cap. 20.) refractum acuendo, robo-

roborando, & in pristinum, vel etiam meliorem statum restituendo, eumque continendo & conseruando. Vnde si statis temporibus, licet raris, ex hac arbore comedisset homo, nec mortem, nec senium incurrisset. Errat ergo Aristoteles, qui lib. 3. Metaphys. textu 15. tacitè reprehendit Hesiodum dicentem, deos qui ambrosia vescuntur esse immortales, alios verò qui ambrosia carent esse mortales. Quia quidquid, inquit, cibo vescitur, natura sua senescit, dissoluitur & moritur: hoc enim in hac arbore vitæ, quam Aristoteles non cognouit, patet esse falsum. vnde cap. 3. v. 22. hic Moses disertè docet Adamum expulsum esse paradiso, ne gustans lignum vitæ viueret in æternum: ergo lignum vitæ poterat vitam prorogare in æternum.

Dices, Calor naturalis in homine, actione continua sensim minuitur, & agendo in fructum arboris vitæ fuisset refractus. hæc autem refractio videtur non posse reparari per cibum; quia illa tantùm reparari potest per conuersionem cibi, siue alimenti in substantiam aliti: tunc autem alimentum simile est alito, ac consequenter alito maiorem non habet vim: ergo vires eius refractas & imminutas integrè reparare nequit.

Respondeo Primò, Falsum est, quòd alimentum cùm conuersum & simile est alito, maiorem eo non habeat vim: videmus enim sumpto cibo homines debiles mox vegetari, vigere, roborari.

Respondeo Secundò, hunc fructum arboris vitæ non tantùm fuisse cibum, sed & pharmacum miræ virtutis, quod antequam conuertatur in substantiam hominis, purificat, reficit & roborat corpus, & calorem naturalem. Rursum, illud idem postea conuersum in substantiam hominis, hanc eamdem virtutem & qualitatem retinuisset. hac ergo sua naturali vi vires nutritiuas hominis longè magis refecisset & restaurasset, quàm eas actio caloris naturalis, eiusque in fructum cibumque refractio debilitasset. ita Lud. Molina.

Qualis æternitas ex arbore vitæ.

Quæres Tertiò, qualis fuerit hæc æternitas, quam attulisset esus ligni vitæ; an absoluta, an restricta & respectiua: Lud. Molina censet fuisse absolutam; quia, inquit, hoc lignum semper restituisset hominem pristino vigori. Verùm meliùs Scotus, Valesius, & Caietan. censent fuisse restrictam, non absolutam; quia videlicet hoc lignum prorogasset homini vitam & vigorem ad aliquot annorum millia, donec Deus eum transtulisset in cælum, quæ æternitas quædam est. Hebræi enim עולם *olam*, id est æternum, vocant ex vulgi vsu tempus longissimum, cuius finis ab homine non peruidetur. vide canon. 4. Sic cap. 6. 3. ait Dominus, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum* (id est in longam primorum patrum ætatem) *eruntq́, dies illius centum viginti annorum.* Non tamen potuisset hoc lignum prorogare homini vitam absolutè in omnem æternitatem. Ratio est, quia omne corpus mistum, cùm constet elementis contrariis, & inter se pugnantibus, natura sua est corruptibile: lignum autem hoc sapidissimum & pulcherrimum, erat corpus mixtum: ergo in se erat corruptibile, & sensim, licet lentè admodum, defecisset, primumque suum vigorem perdidisset, ac tandem interiisset, vti quercus etiamsi sint durissimæ, sensim tamen intereunt: ergo non potuisset hominem à morte & corruptione in æternum præseruare. Non enim poterat dare homini id quod in se non habebat. Et hoc sensu verum est quod dixit Aristoteles: omne quod cibo vescitur esse mortale. Secundò, quia aliàs sequeretur, quòd Adam post peccatum, si permissus fuisset viuere in paradiso, & edere lignum vitæ, vixisset absolutè in æternum: hoc autem videtur incredibile; tum quia antequam paradiso expelleretur, lata erat in eum sententia mortis; tum quia per peccatum corpus & natura humana tam est debilis & misera, totque morbis, vitiis & ærumnis, quæ vires atterunt, & sensim ad mortem deducunt, obnoxia, vt eum tandem mori necesse sit.

Obiectio.

Dices, Fructus arboris vitæ restituisset *semper* calorem naturalem, & humidum radicale pristino suo vigori: ergo homini vitam semper, & in omnem æternitatem prorogare potuisset, si suis temporibus ex eo comedisset homo.

Responsio.

Resp. τὸ *semper* in antecedente accipi debet restrictè, nimirum *semper*, quamdiu scilicet durasset integra vis & vigor arboris vitæ: ea enim senescente & pereunte, senuisset pariter & periisset homo. Sicut enim iam electuaria & cibi nonnulli valdè succulenti, spiritosi & alimentosi humidum radicale, & calorem naturalem (præsertim in iuuenibus) planè restaurant, & in integrum restituunt; sed ad certum tempus, putà donec vel senescat homo, vel cibi vis & vigor debilitetur: tunc enim hominis vires ita restaurare nequit, quin sensim deficiat & emoriatur homo. ita pariter res se habuisset in arbore vitæ. Hoc tantùm discrimine, quòd cibi & pharmaca nostra ad breue tantùm tempus, vigorem homini restaurent: arbor verò vitæ id diu, ad multa annorum millia, præstitisset: quibus exactis senuisset, & mortuus fuisset, tam homo, quàm arbor vitæ. verùm Deus hoc senium & mortem præuenisset, transferendo hominem in cælum & vitam æternam. Cùm ergo Deus noluerit hominem in paradiso viuere absolutè in æternum, sed tantùm ad longum tempus; videtur pariter arbori vitæ indidisse vim prorogandi vitam, non absolutè in æternum, sed tantùm ad longum tempus. ita docet Scotus cum suis.

Nectar & ambrosia orta ex ligno vitæ.

Denique ex hac arbore vitæ fabulati sunt Poëtæ, finxeruntque suum nectar, ambrosiam, nepenthes & moly, quasi cibos deorum, qui eos faciant immortales, iuuenes semper, lætos & beatos.

Nota, Adamum non gustasse de hoc fructu vitæ: nam paulò post creationem suam peccauit, & paradiso expulsus est, vt patet c. 3. v. 22.

Symbolicè ergo, lignum siue arbor vitæ erat hieroglyphicum æternitatis, vt patet ex dictis.

Allegor. arbor vitæ est Christus, qui ait: *Ego sum vitis, vos palmites*, Iohan. 15. Et: *Ego sum via, veritas & vita*, Iohan. 14. Rursum, arbor vitæ est crux Christi, quæ in medio paradisi, id est Ecclesiæ, erecta vitam dat mundo: in quam proinde conscendere gestiens sponsa ait Cant. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus dulces gutturi meo.* Arbor vitæ denique est Eucharistia, quæ vitam dat animæ & corpori: nam eius virtute resurgemus ad vitam immortalem, iuxta illud Christi Iohan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* ita S. Iren. lib. 4. c. 34. & lib. 5. c. 2.

Tropolog. lignum vitæ est B. Virgo de qua nata est vita, Deus homo, Christus Iesus: Virgoque ipsa,

ipsa, vt ait Germanus Patriarch. Constantinopol. spiritus & vita Christianorum est. Rursum, arbor vitæ est iustus, qui opera sancta quæ vitam gratiæ & gloriæ pariunt, operatur, iuxta illud: *Fructus iusti lignum vitæ*, Prouerb. 11. v. 30. Insuper arbor vitæ est ipsa sapientia, virtus & perfectio, iuxta illud de eadem: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam*, Prouerb. 3. 18.

Anagog. arbor vitæ est beatitudo & visio Dei, quæ vitam beatam animæ confert, iuxta illud: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*, Apocal. 2. 7. & c. 22. 2. Vide ibi dicta.

Qualis arbor scientiæ boni & mali?

LIGNVMQVE SCIENTIÆ BONI ET MALI] Quæres, quale fuerit hoc lignum, id est arbor? Iudæi fabulantur, Adam & Euam creatos esse sine vsu rationis, quasi infantes, sed ex hac arbore accepisse vsum rationis, quo scirent bonum & malum.

Secundò, Iosephus lib. 1. Antiqu. cap. 2. censet arborem hanc habuisse vim acuendi ingenium & prudentiam, indeque vocatam esse arborem scientiæ boni & mali. Idem senserunt Ophitæ apud Epiphan. hæresi 37. qui pro Christo coluerunt serpentem, eò quòd ipse homini fuerit auctor adipiscendi scientiam, cùm ei esum ligni vetiti persuasit.

Tertiò, Damascenus lib. 2. de Fide c. 11. censet esum huius arboris attulisse homini cognitionem propriæ naturæ.

Verùm dico Primò, Probabilis est sententia Ruperti, Tostati & Pererij, per anticipationem hîc vocari arborem scientiæ boni & mali, quæ postea ita vocata est ex eo, quòd serpens homini si inde ederet promiserit, licet falsò & mendaciter, hanc scientiam, dicens, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* vnde posteaquam inde comedisset Adam, Deus irridens eum dixit, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.*

Dico Secundò, Probabilius est, non postea, sed nunc ab ipso Deo vocatam esse hanc arborem scientiæ boni & mali; tum quia Deus vti arborem vitæ, ita & hanc suo nomine vocauit, & Adamo designauit: non enim aliud huius arboris nomen extat. tum quia denuò v. 17. vocatur à Deo arbor scientiæ boni & mali. tum denique quia per hoc nomen videtur serpens decepisse Euam, quasi diceret: Arbor hæc vocatur scientiæ boni & mali; ergo si ex hac comederitis, eritis scientes bonum & malum. Nimirum promisit ei serpens scientiam omnimodam & diuinam, cùm Deus longè aliam intellexisset in hoc nomine. Vnde

Dico Tertiò, Lignum scientiæ boni & mali ita à Deo vocatum videtur, tum ab ipsa destinatione Dei, tum ab euentu secuto, quem Deus præuiderat. Destinauerat enim Deus, ad exercendam hominis obedientiam, ei huius arboris esum vetare, &, si homo obediens ea abstineret, iustitiam & felicitatem ei augere & conseruare: sin inobediens inde comederet, eumdem morte mulctare. Per hanc ergo arborem didicit & sciuit homo per experientiam, id quod antè tantùm sciebat per speculationem, scilicet quid intersit inter obedientiam & inobedientiam, inter bonum & malum, ideoque vocata est hæc arbor scientiæ boni & mali, q. d. Arbor ex qua discet homo per experientiam, quid sit bonum, & quid sit malum. Ita Chaldæus, S. August. lib. 14. Ciuit. c. 17. Theodoret. Eucherius, & Cyrill. lib. 3. contra Iulian. Sic pars illa deserti Pharan, dicta est Sepulchra concupiscentiæ: quia ibidem interfecti & sepulti sunt qui carnes concupierant, Numer. 11. 34.

Arbor scientiæ boni & mali videtur fuisse ficus.

Dico Quartò, Probabiliter Theodor. Procop. Barcepha, atque Isidorus Pelusiot. & Gennadius in catena Lipomani ad c. 3 v. 7. putant, hanc arborem fuisse ficum. Nam statim ab eius esu nudum se videns Adam, ex foliis ficus vestem sibi consuit, vt dicitur c. 3. v. 7. A proxima enim & vicinissima arbore, Adam ita confusus videtur accepisse hæc folia, & tegmina nuditatis suæ. nulla autem erat ei vicinior illa, ex qua iamiam comederat; illa ergo fuit ficus.

Alij putant fuisse malum siue pomum. nam Cantic. 8. v. 5. dicitur: *Sub arbore malo suscitaui te.* sed nomen mali commune est ad omnes fructus qui molliori sunt cortice, vnde ficus quoque est malum. Verùm in hac re nihil certò asseri potest.

Tradunt, vel potiùs fabulantur Hebræi ex hac arbore vetita Seth iussu angeli accepisse semen, illudque indidisse ori Adæ sepulti, ex quo succreuerit arbor, ex qua crux Christi confecta est, quæ peccatum Adæ aboleuit: decuisse enim, vt in eodem ligno quo peccauerat Adam, Christus Adæ peccatum lueret & expiaret. Fabulam hanc fusè narrat Pineda lib. 5. de Salom. c. 14.

Mysticè & tropolog. arbor scientiæ boni & mali fuit hieroglyphicum liberi arbitrij, vti iam dixi. Ex eius enim malo vsu didicit Adam, quantum malum sit inobedientia & peccatum: sicut vice versa ex eius bono vsu didicerunt discuntque Sancti, quantum bonum sit obedientia & custodia legis. Quocirca arbor hæc pariter fuit typus obedientiæ & inobedientiæ, vti insinuat S. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 6. de qua multa hîc congessit noster Benedictus Fernandius. Huius rei causa arbor hæc sita fuit in medio paradisi, id est inter densissimam confertissimarum arborum syluam, vbi non obuia semper esset oculis, ne perpetuò gulam suo tam spectabili fructu sollicitaret, vti sollicitasset si in arborum extremitate, vel loco semoto sola fuisset collocata, vbi omnibus conspicua omnium ad se obtutus rapuisset.

ET FLVVIVS EGREDIEBATVR DE LOCO VOLVPTATIS] hebraicè *ex Eden*. In Eden erat paradisus. ita LXX. Noster *Eden* non vt proprium, sed vt appellatiuum accipit, tuncque significat voluptatem. ita LXX. Chaldæi & alij vertunt v. 23. indeque locus hic dictus est Eden, quia voluptuarius erat & amœnissimus. VERS. 10.

Nugatur auctor aliàs ingeniosus, qui Eden, & consequenter paradisum fuisse in *Hedin*, siue Hesdinij, quæ vrbs est Artesiæ, tum ex aliis, tum ex affinitate nominum probare contendit.

AD IRRIGANDVM PARADISVM] vel per varios fluctus & sinus se intorquens, vt Mæander; vel per meatus occultos paradisum humectans.

HEVILATH] Multi volunt esse Indiam, verùm, vt dixi v. 8. Heuila potiùs hîc est regio vicina Susianæ, Bactrianæ & Persidi, iacens inter Assyriam & Palæstinam, opposita Sur. Sic enim accipitur VERS. 11.

pitur Heuila 1. Reg. 15. 7. & Genes. 25. 18. ita dicta A est ab Heuilā filio Iectan, de quo Genes. 10. 28.

CIRCVIT] non ambiendo, vel circulando, sed perlabendo & peragrando. Sic sumitur circuire pro peragrare, Hebr. 11. 7. Matth. 23. 15.

VERS. 12. BDELLIVM] Genus est gummi, siue lacrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra magnitudine oleæ, folio roboris, fructu naturaque caprifici. ita Plinius l. 12. c. 9. & Dioscorides l. 1. c. 69. Bdellium laudatissimum est hoc Bactrianum. Pro *bdellium* hebraicè est בְּדֹלַח *bedolach*, quod Vatablus & Eugub. vertunt, vnionem; Septuag. *ἄνθραξ*, id est carbunculum. Iidem Num. 11. 7. vertunt, crystallum. Sed *bedolach* esse bdellium, patet ex ipsis vtriusque litteris.

VERS. 13. GEHON] Videtur dici ab Hebræo גִּיחַ *goach*, id est venter vel pectus, quòd sit quasi venter sordi- B bus lutoque plenus. vnde putant multi Geon esse Nilum, qui seipso, quasi pectore incubat Ægypto, eamque fœcundat. sed quis sit Geon dixi v. 8.

VERS. 14. TIGRIS] Ita dictus est hic fluuius à tigride animali velocissimo, vt vult Rupert. & Isidor. vel potiùs, vt Curtius & Strabo, à celeritate sagittæ, quam suo cursu imitatur: Medi enim sagittam vocant Tigrim. Hebraicè vocatur חִדֶּקֶל *chiddekel* (inde iam corruptè dicitur Tigel) id est acutus & leuis, ob cursum scilicet, quem habet velocissimum.

EVPHRATES] Ex Hebræo הואפרת *huperat* ait Genebrardus, conflata est vox Euphrates. vnde etiamnum *Phrat* dicitur, à rad. פָּרָה *para*, id est fructificauit: quia instar Nili exundans terras rigat & fœcundat. malè ergo aliqui apud Ambro- C sium Euphratem deriuant à Græco *εὐφραίνεσθαι*, id est à lætando.

Scribit Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus sub Iustiniano Imper. libros, vel homilias vndecim Anagogicarum Contemplationum in opus hexameron, qui extant tom. 1. Bibliothecæ SS. Patrum. sed discretè & cum grano salis legendi sunt. asserit enim in iis angelos creatos esse ante mundum corporeum: quod licet olim multi senserint, iam tamen certum est contrarium, scilicet eos creatos vnà cum mundo corporeo. Rursum innuit angelos non esse creatos ad imaginem Dei, sed hominem dumtaxat. quod absolutè est falsum. mysticè tamen verum est, quia scilicet solus homo constat anima & corpore, ac consequenter solus habet imaginem Dei corporati, videlicet Christi incarnati, vti ipse se explicat. In- D super subinde innuit paradisum non fuisse locum corporeum, sed spiritaliter intelligi debere. Hoc in sensu litterali falsum est, & erroneum: anagogicè tamen verum. Vnde lector meminisse debet tituli eiusdem, scilicet commentationes has ipsius esse anagogicas & allegoricas contemplationes, non expositiones litterales. Ita in fine homil. 8. quatuor flumina paradisi, id est Ecclesiæ, asserit esse quatuor Euangelistas, scilicet Euphratem, id est fertilem, esse S. Iohannem: Tigrim, id est latum, esse S. Lucam: Phison, id est oris transmutationem, esse S. Matthæum, qui hebraicè scripsit: Geon, id est conducibilem, esse S. Marcum.

VERS. 15. TVLIT ERGO DOMINVS DEVS HOMINEM, ET POSVIT EVM IN PARADISVM] Hinc & ex c. 3. v. 23. patet Adamum non in, sed extra paradisum esse creatum (in Hebron multi eum creatum putant) indeque à Deo eodem die per angelū translatum esse in paradisum, vt sciret paradisi se non filium, sed colonum esse, gratuitò à Deo constitutum, vtque paradisi locum non naturæ suæ, quasi sibi debitum, sed gratiæ Dei tribueret: vnde & ob peccatum ab eo expulsus est. Plures alias huiusce rei causas affert Franc. Aretinus quæst. in Genes. pag. 300. & 301. Est hæc sententia S. Ambrosij, Ruperti, Abulens. Eua verò videtur condita in paradiso v. 21. *Adam creatus est extra paradisum.*

VT OPERARETVR] non ad victum comparandum, sed ad honestum exercitium, voluptatem & experientiam; ita vt nec fatigaretur, nec otio labasceret. ita S. Chrysostomus.

Nota hic agriculturæ, Primò, antiquitatem: cœpit enim cum homine & mundo. Secundò, dignitatem; tum quòd à Deo sit instituta, & Adæ præcepta: tum quòd Adam, à quo omnis nobilitas descendit, Abel, Seth, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, omnesq; prisci viri celeberrimi fuerint agricolæ. *De antiquitate agriculturæ.*

Refert Paulus Iouius in vita Iac. Mutij c. 84. de Sfortia Cottignola, quòd, cùm ei à Sergiano magno Seneschalco, ad exprobrandam generis nouitatem, ligonis fabula obiectaretur, responderit: *In hac, vt video, stirpis origine conuenimus, cùm Adamus mortalium primus terram foderit: sed ego certè, quod iure diffiteri non potes, illo meo ligone multò euasi nobilior, quàm tu tuo pene & pœna.* Quo scommate indicauit eum tantam dignitatem stupro acquisiuisse, & patrem eius ad prætoris tribunal ignobilem scribam, adulteratoque testamento falsi damnatum fuisse.

Tertiò, Nota agriculturæ innocentiam; quòd præ aliis artibus homini innocenti, in paradiso sit commendata, tamquam nulli iniuria, sed omnibus proficua. Audi Virgil. 2. Georg.

O fortunatos nimiùm, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

Et rursum:

Hanc olim vitam veteres coluere Sabini,
Hanc Remus & frater. Sic fortis Hetruria creuit:
Scilicet & facta est rerum pulcherrima Roma.
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Audi Ciceronem. *Omnium*, inquit, *rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.*

Meritò ergo ait S. Augustinus: *Agricultura artium omnium innocentissima: hanc tamen impius damnare ausus fuit Faustus Manichæus*; quòd diceret agricolas violare præceptum Dei, *Non occides.* eo enim vetari, ne vllum viuens vita priuemus: agricolas autem segetes demetendo, pira, poma, aliasque plantas carpendo, eas sua vita priuare. Plura de agricultura dicam c. 9. v. 20.

Moraliter, docuit nos hic Deus, quòd tota vitæ nostræ ratio in agricultura quadam posita sit: sicut enim inter creaturas solæ arbores frugiferæ, & semina egent hominis opera & industria; ita homo eget suiipsius custodia & cultura. Hoc indicauit Deus homini, cùm *posuit eum in paradiso, vt operaretur & custodiret illum*; fecitque luminaria, *vt essent in signa & tempora*; videlicet vt admonerent nos de tempore opportuno ad serendum, metendum, &c. Ager ergo iugiter nobis excolendus iussu Dei est anima. plantæ frugiferæ sunt sobrietas, castitas, charitas, aliæque virtutes. *Moral. de cultura animæ.*

lolium

lolium & zizania cuique eradicanda sunt gula, luxuria, ira, aliaque vitia. agricola est homo. imber est gratia Dei, quæ menti bonos satus, id est sanctas inspirationes, illuminationes & impulsus suggerit & instillat, vt ex ijs quasi ex seminibus anima prægnans, opera virtutum germinet & proferat. venti sunt tentationes, quibus arbores, id est virtutes, purificantur & solidantur. messis erit præmium vitæ æternæ. solis calor est ardor quem suggerit Spiritus sanctus. Sicut ergo agricola laborat in serendo, sed gaudet in metendo; ita & iusti, *qui seminant in lacbrymis* opera pœnitentiæ, patientiæ ac laborum, *in exultatione metent.* Rursum, sicut sator longanimiter expectat messem, ita & iusti. vnde Ecclesiast. cap. 6. 19. dicit: *Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam* (sapientiam) *& sustine*(expecta)*bonos* (vberes) *fructus illius. in opere* (cultura) *enim illius paullulùm laborabis, & citò edes de generationibus*(fructibus progenitis)*illius*. & Paulus ad Galat. 6. v. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus.* E contrario impij qui indulgent concupiscentiæ suæ, *operantur iniquitatem, & seminant dolores*, tum præsentes, tum æternos. vti pulchrè explicat noster Pineda in Iob 4. v. 8. n. 4.

Et cvstodiret illvm] tum à feris, quæ extra paradisum erant, inquit S. Basilius & Augustinus; tum ab ipsis animalibus quæ erant in paradiso, ne eius decorem & amœnitatem læderent aut inquinarent.

Vers. 17. Ne comedas] Septuag. *ne comedatis*, scilicet vos ô Adam & Eua, quam verisimile est ante hoc præceptum esse conditam, vt docet S. Gregorius 35. Moral. c. 10. licet postea eius conditio enarretur. tam enim Euæ, quàm Adæ datum est hoc primum orbis præceptum. Præclarè S. Chrysost. (vel quisquis est auctor) homil. de interdictione arboris to. 1. *Deus*, inquit, *dat mandatum, vt probet obsequium: imponit legem, vt exploret hominis voluntatem. Stabat ergo arbor in medio, hominis voluntatem explorans. Explorabat enim an homo Dominum comminantem, quàm diabolum persuadentem audiret. Stabat & homo inter Dominum & hostem, inter vitam & mortem, inter interitum & salutem. Nunc Deus comminatur vt saluet: nunc serpens persuadet vt vexet: nunc per Deum seueritas vitam, nunc per diabolum blanditia mortem intentat. Et vtique (proh nefas!) minatur Deus, & contemnitur: persuadet diabolus, & auditur. Apud Deum est seueritas, sed benigna: apud diabolum blanditia, sed nociua.* Et paulò pòst: *Fuerat enim condignum vt Deo pareret, qui illi cuncta parere præceperat; seruiret Domino, qui illum dominum mundo effecerat; certaret cum hoste, vt inimicum deuinceret: denique præmia Deo reddente perciperet. Torpescit enim virtus, vbi contrarium defuerit. Adeò roborantur vires exercitatione frequenti.* Et mox: *Adam non vigilauit, vt serpentis malitiam præcaueret. Simplex fuit, astutus contra diabolum non fuit. Dum enim diabolo persuadenti, quàm Domino comminanti consensit, & vitam quam habuit perdidit, & mortem quam ignorabat accepit.*

Morte morieris] id est, mortis certæ sententiam & necessitatem incurres. Vnde Symmachus vertit, θνητὸς ἔσῃ, id est mortalis eris. ita S. Hieron. August. Theodor.

Mors corporis & animæ est pœna peccati Adæ. Nota. Minatur hîc Deus Adæ inobedienti mortem, non tantùm corporis, & temporalem, sed & animæ spiritualem & æternam in gehenna, eamque certam & infallibilem. hoc enim significat A hæc geminatio, *morte morieris*, id est certissimò morieris. Adam ergo peccans quoad corpus mox mortis necessitatem, quoad animam verò actu & reipsa mortem incurrit. hinc patet, mortem homini in hoc statu quo à Deo conditus est, non naturalem esse, vt voluit Cicero & philosophi; adde, & Pelagiani: sed esse pœnam peccati, vti definit Concil. Mileuitan. c. 1. & docet S. August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 2. Licet enim, spectando naturam & elementa contraria, ex quibus compositus est homo, mori debuisset, fuissetque mortalis: tamen spectando Dei decretum, opem & conseruationem perpetuam, si non peccasset, mori non potuisset, fuissetque immortalis. Vnde Magister sent. in 2. dist. 19. docet in paradiso hominem habuisse *posse non mori*; quia poterat homo non peccare, itaque non mori: in cælo habiturum *non posse* B *mori*; quia ibi per gloriam & dotem impassibilitatis, erit moriendi impossibilitas: in hac vita post lapsum, habere *posse mori, & non posse non mori*; quia iam in eo est moriendi necessitas. Ad mortem ergo damnati nascimur. Memento, ô homo, quia morte morieris, idque breui. Narrant historici, quòd Xerxes, cùm suo exercitu terram, classibus mare sterneret, ex edito loco omnem hanc multitudinem contemplans ingemuerit & fleuerit, dictitans, *Ex hisce omnibus nemo post centum annos superstes erit.* *Xerxis de morte gnome.*

Salahadinus rex Ægypti & Syriæ, qui Christianis terram sanctam ademit, sub annum 1180. moriturus per omnia sua castra vexillum cum funebri linteo circumferri iussit, ac præconem proclamare: *Hoc est quod dominator Syriæ & Aegypti Salahadinus, ex omni suo imperio solum iam secum delaturus est.* *Salahadini.*

C Quare eleganter & appositè Barlaam apud Iosaphat, mortem comparat vnicorni, qui hominem assiduè insequitur: fugit ille, & fugiens in scrobem incidit, casuque amplectitur arborem, quam rodebant duo mures: in ima scrobe erat draco igneus, homini deuorando inhians. videbat hæc homo, sed stolidè modico melli, quod ex arbore stillabat, incubans, periculi omnis obliuiscitur: assequitur eum vnicornis; arborque à muribus eroditur, ruit illa, & homo à dracone arripitur ac deuoratur. Scrobs est mundus, arbor est vita, duo mures sunt dies & nox, draco igneus est venter inferni, mellis gutta est mundi voluptas ita Damasc. c. 12. histor. *Mors est vnicornis.*

Dixit qvoqve] dixerat quoque, scilicet iam antè die sexto. licet enim Origenes, Chrysost. Eucher. & D. Thom. 1. p. q. 73. art. 1. ad 3. putent Mo- D sen hîc seruare ordinem narrationis; ideoque Euam productam esse post sextum diem mundi, tamen longè verius est Mosen hîc, sicut & toto capite, vti recapitulatione; ac consequenter Euam, æquè ac Adamum, creatam esse sexto die. Primò, quia v. 2. dicitur Deus sex diebus complesse opus suum, & die septimo cessasse ab omni opere. Secundò, quia in alijs animalibus, auibus, piscibus Deus die quinto & sexto, sicuti mares, ita & feminas creauit. Tertiò, quia cap. 1. 27. die sexto quo creatus Adam, expressè dicit Moses: *Masculum & feminam creauit eos*, putà Adamum & Euam. Voluit ergo hoc capite vti viri ita & feminæ formationem per recapitulationem fusiùs enarrare, quam cap. 1 tribus verbis perstrinxerat. ita Caietanus, Lipoman. Pererius hîc, & S. Bonauent. in 2. d. 18. qu. 2. Vers. 18. *Eua vt Adam creata est die sexto.*

NON EST BONUM HOMINEM ESSE SOLVM] Quia si Adam fuisset solus, species humana in eo interisset; & quia homo est animal sociale: itaque mulier necessaria est ad sobolis propagationem: postquam peractam, postque orbem iam hominibus refertum, cœpit bonum esse homini mulierem non tangere, vt ait S. Paulus 1. Corinth. 7. cœperuntque laudari eunuchi spirituales, Matth 19. 12. suaque continentiæ laus ac merces illustris promissa est, tum ab Isaia, tum à Christo & Apostolis. ita S. Hieron. contra Iouinian. & Cyprian. lib. de Habitu virginum. *Prima Dei sententia*, ait Cyprian. *crescere & generare præcepit: secunda continentiam suasit. cùm adhuc rudis mundus & inanis est, copia fœcunditatis generatur, propagamur & crescimus ad humani generis augmentum: cùm iam refertus est orbis & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes, castrantur ad regnum.*

Adæ bonum erat matrimonium, iam melior est continentia.

Nota τὸ *solum*; hinc enim patet errare eos, qui ex eo quod dictum est cap. 1. *Masculum & feminam creauit eos*, dixerunt Deum simul creasse virum & feminam; sed ita, vt in lateribus coniuncti essent. postea verò eos tantùm ab inuicem separasse. nam Scriptura ait, solum tunc fuisse Adamum; atque Euam non separatam ab Adamo, sed totam ex Adæ costa productam esse docet, cùm scilicet illam ab eo tulit, id est separauit, Deus.

FACIAMVS EI ADIVTORIVM SIMILE SIBI] *sibi*, id est ei. Pro *simile sibi*, hebraicè est כְּנֶגְדּוֹ *kenegdo*, quod Primò, significat, *quasi coram ipso*, vt videlicet mulier viro sit præsens, & socia in solitudinis remedium & solatium. Rursum, vt mulier viro sit ad manum, vt eum in omnibus iuuet & subleuet. Vnde Chaldæus vertit, *faciamus ei sustentaculum quod sit penes eum.*

Secundò, *kenegdo* verti potest, *è regione*, vel *ex aduerso eius*, id est illi contrapositum & correspondens. vnde Noster clarè vertit, *simile sibi*, scilicet in natura, in statura, in loquela, &c. in hisce enim omnibus mulier similis est viro. Porro mulier viro est in adiutorium Primò, ad prolis propagationem & educationem; Secundò, ad familiæ gubernationem; Tertiò, ad curarum, dolorum & laborum leuamen, Quartò, ad cæteras vitæ necessitates subleuandas. Peccatum, hoc adiutorium multis in molestiam, lites & rixas vertit. vnde Cato dixit, mulierem esse malum necessarium.

Quatuor in rebus uxor est viro in adiutorium.

VERS. 19. FORMATIS IGITVR DE HVMO CVNCTIS ANIMANTIBVS TERRÆ, ET VNIVERSIS VOLATILIBVS CÆLI] τὸ *volatilibus* refer ad *formatis*, non autem ad τὸ *de humo*. volatilia enim non ex humo, sed ex aqua formata sunt, vt dixi c. 1. v. 20. Moses enim multa paucis per anacephalæosim perstringit. verba ergo eius respectiuè exponi debent: ex antè narratis enim constat, quid quod respiciat.

ADDVXIT EA AD ADAM] *Adduxit*, non per visionem intellectualem, vt vult Caietanus, sed realiter, idque per angelos, vel per affectum & impulsum phantasiæ & affectus singulorum animalium à se impressum. ita S. August. libr. 9. de Genesi ad lit. c. 14. & alij passim.

Quomodo Deus animalia adduxit ad Adam?

IPSVM EST NOMEN EIVS] ipsius naturæ conueniens est nomen. q. d. Adam singulis conuenientia indidit nomina, quæ singulorum naturam exprimerent ita Euseb l. 11. de Præpar. c. 4. Porro nomina hæc erant Hebraica; hæc enim lingua Adamo fuit indita, vt patet v. 23. & c. 4. 1.

Vide hîc sapientiam Adæ, qua singulorum animalium naturas norat, eisque congrua indebat nomina: vide & vsum dominij eius in animalia. eis enim quasi sibi subditis, suoque peculio nomen imponit. Pisces non adduxit Deus ad Adam; quia pisces naturaliter extra aquam viuere nequeunt: vnde eis Adam hîc nomina non imposuit, sed nomina eis postea indita fuerunt.

ADÆ VERO NON INVENIEBATVR ADIVTOR SIMILIS EIVS] q. d. Solus erat Adam cum animalibus, necdum erat Eua, nec alius homo, cum quo haberet vitæ communionem. Vnde videtur quòd Adam nomina imposuerit animalibus ante Euæ creationem. VERS. 20.

IMMISIT ERGO DOMINVS DEVS SOPOREM IN ADAM] Pro *soporem* hebraicè est תַּרְדֵּמָה *tardema*, id est grauem & profundum somnum, quem Symmachus κάρον, LXX. meliùs ἔκστασιν vertunt. vnde patet, non tantùm somnum hîc Adæ immissum esse ad hoc, ne sentiret costam sibi detrahi, itaque exhorresceret & doleret; sed etiam simul cum somno eum raptum esse in ecstasim mentis, qua mens eius non tantùm naturali modo soluta & libera erat à corporis & sensuum functionibus; sed & diuinitus ita eleuabatur, vt videret ea quæ gerebantur, & spiritu prophetico cognosceret mysterium per ea significatum: videret, inquam, mentis oculis costam sibi eximi, & ex ea Euam formari; atque per hoc significari matrimonium, tum suum naturale cum Eua, tum mysticum Christi cum Ecclesia. hoc enim significant verba Adæ v. 23. & S. Pauli Ephes. 5 v. 32. ita S. August. l. 9. de Genesi ad lit. c. 19. & fusè tract. 9. in Ioan. & S. Bernardus ser. 2 de Septuagesima. VERS. 21.

Sopor Adæ fuit ecstasis.

Imò sunt qui putent Adamum in hac ecstasi vidisse Dei essentiam. huc inclinat Richard. in 2. d. 23 a. 2. qu. 1. nec reijcit D. Thom. 1. p. qu 94. a. 1. Sed contrarium est longè verius, scilicet nec Adam, nec Mosem, nec Paulum, adeoque neminem in hac vita vidisse Dei essentiam, vti dixi 2. Corinth. 12 4.

Adam non vidit Dei essentiam.

Fuit ergo Adam propheta & ecstaticus. Nota. Adam à Deo accepit scientiam infusam omnium rerum naturalium: atque ex ea singulis nomina imposuit, vt dixi v. 19. non tamen accepit cognitionem futurorum contingentium, nec arcanorum cordis, nec numeri indiuiduorum, vt sciret v. g. quot essent oues, quot leones in mundo, quot arenæ in mari. Pari modo accepit Adam infusam sibi fidem & cognitionē rerum supernaturalium; putà SS. Trinitatis, incarnationis Christi (non tamen sui lapsus futuri) ruinæ etiam angelorum. Rursum omnium agendorum & fugiendorum prudentiam infusam accepit. Denique summum contemplationis Dei & angelorum gradum adeptus est. ita ex S Augustino & Gregorio Pererius.

Quanta fuerit scientia Adæ indita.

Allegoricè, S. August. in Sent. sent. 328. *Dormit*, inquit, *Adam vt fiat Eua, moritur Christus vt fiat Ecclesia. Dormiente Adam fit Eua de latere: mortuo Christo lancea perforatur latus, vt superessluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.*

TVLIT VNAM DE COSTIS EIVS] Nota Primò, contra Caietan. non parabolicè hæc dici, sed propriè vt sonant. ita docent Patres & interpretes passim.

Quomodo ex Adæ costa facta sit Eua?

Dices, Ergo Adam monstrosus erat ante hanc costam sublatam, vel certè post eam ablatam remansit mancus, & sua costa mutilus.

Respondet Catharin. Deum pro hac costa Adamo,

mo, cum carne aliam costam restituisse. Verùm quia disertè dicit Moses: *Tulit vnam de costis eius, & repleuit*, non costam, sed *carnem pro ea*;

Hinc Secundò, meliùs D. Thomas & alij respondent: hanc costam Adæ fuisse instar seminis, quod indiuiduo superfluum est, sed ad generationem prolis est necessarium. Pari enim modo costa hæc Adæ, vt priuatæ personæ superflua erat, eadem tamen illi necessaria fuit, quatenus ipse erat caput naturæ & seminarium omnium hominum, ex quo tam Eua, quàm cæteri homines producerentur. Eua enim non poterat produci, vt proles iam, per semen; Deus ergo statuit, vt ex costa Adæ produceretur, ob causam mox dicendam.

Dico Secundò, Deus cum costa videtur & carnem adhærentem costæ ex Adamo sustulisse: ait enim ipse Adam v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; ergo Eua non tantùm ex Adæ osse & costa, sed etiam ex carne costæ adhærente formata est.

Dico Tertiò, Ex costa hac carnosa, quasi fundamento, Deus admiscendo illi aliam materiam, vel per creationem, vt vult D. Thomas; vel potiùs ex terra & aëre circumstante (nam post primam veram creationem sex dierum, Deus nullam materiæ partem de nouo produxit) mirabili artificio mulierem efformauit, sicuti ex luto formauit Adamum. Vnde Arabicus vertit, *crescere fecit costam sublatam de Adam mulierem*, id est in mulierem. non est barbarismus, sed arabismus. Arabes enim carent præpositione *in*, quæ mutationem vel motum ad locum significat. vnde dicunt: *Iuit vrbem*, id est in vrbem. *Conuertit aquam vinum*, id est in vinum. *Costam crescere fecit mulierem*, id est in mulierem.

Dico Quartò, Ex hoc c. 2. v. 22. videtur colligi, quòd Deus costam hanc in alium locum, ab Adamo dormiente parum separatum tulerit, ibique ex ea Euam ædificauerit, eamque scientia & gratia repleuerit, sicuti repleuerat Adamum, ibique cum Eua collocutus sit: deinde expergefacto Adamo, Euam ad eum, quasi ad sponsum adduxerit, vt matrimonio indissolubili illos, id est vnum & vnam copularet, omnemque polygamiam, æquè ac diuortium tolleret. Vnde admirans Adam, quasi in raptu sibi costam auferri, & ex ea Euam formari vidisset, exclamauit dicens, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. q. d. Hæc Eua facta est ex vno ossium meorum, vt sit mihi sponsa charissima & coniunctissima. Causa enim, cur ex latere & costa Adæ facta sit Eua, fuit, vt doceret nos Deus, quantus debeat esse amor coniugum, & quàm sanctum, arctum & insolubile debeat esse matrimonium; scilicet coniuges, vti quasi vnum sunt os & vnum corpus, ita vnam quasi debere habere animam & voluntatem, vt vna quasi vtrisque sit anima, non in duobus corporibus, sed in vno eodemque osse & corpore in duas partes dissecto.

Cur ex costa.

Audi S. Thomam 1. p. q. 92. a. 2. *Decuit*, inquit, *mulierem ex viro formari, magis quàm in alijs animalibus. Primò quidem, vt in hoc quadam dignitas primo homini seruaretur: vt secundùm Dei similitudinem esset & ipse principium totius suæ speciei, sicut Deus est principium totius vniuersi. vnde & Paulus dicit Actor. 17. quòd Deus fecit ex vno homine genus hominum.*

Prima ratio.

Secundò, vt vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabiliùs inhæreret, dum cognosceret eam ex se esse productam. vnde dicitur Genesis 2. De viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et hoc maximè necessarium fuit in specie humana, in qua mas & femina commanent per totam vitam: quod non contingit in alijs animalibus.

Secunda.

Tertiò, quia, vt Philosophus dicit in 8. Ethic. Mas & femina coniunguntur in hominibus; non solùm propter necessitatem generationis, vt in alijs animalibus: sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri & feminæ, & in qua vir est caput mulieris. vnde conuenienter ex viro formata est femina, sicut ex suo principio.

Tertia.

Quarta verò est ratio sacramentalis. Figuratur enim per hoc, quòd Ecclesia à Christo sumit principium. vnde Apostolus dicit ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.

Quarta.

Et art. 3. *Conueniens*, inquit, *fuit mulierem formari de costa viri. Primò quidem, ad significandum, quòd inter virum & mulierem debet esse socialis coniunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum; & ideò non est formata de capite: neque debet à viro despici tamquam seruiliter subiecta; & ideo non est formata de pedibus. Secundò, propter Sacramentum: quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, id est sanguis & aqua, quibus est Ecclesia instituta.*

Quinta.

Adde, voluit Deus in productione Adæ & Euæ, imitari suam generationem & spirationem æternam. Sicut enim ab æterno generauit Filium, & ex Filio spirauit Spiritum sanctum; ita in tempore produxit Adam ad imaginẽ suam, itaq; eum quasi filium genuit; atque ex eo produxit Euam, quæ esset amor Adæ, sicut Spiritus sanctus est amor Dei.

Denique Euam in paradiso conditam esse, docet S. Basil. Ambros. D. Thomas, Pererius, & alij: & fauet hic historia, & series Scripturæ. Adam ergo statim à creatione sua videtur translatus fuisse in paradisum; & paulò pòst ex eius costa formata est Eua. Vnde & Moses mox post hanc translationem Adæ, subnectit formationem Euæ ex Adamo.

Eua condita est in paradiso.

Errat ergo Catharinus, qui Euam non sexto, sed septimo die productam asserit. Errat & Caietanus, qui Adam & Euam eodem temporis instanti, simul esse productos censet.

HOC NVNC OS] q. d. Apage à me animantia priùs adducta, non placent, non congruunt mihi, quia specie dissimilia, & prono vertice in terram vergentia, loquelæ æquè ac rationis sunt expertia: hæc Eua mihi simillima est, particeps rationis, consilij, colloquij & sermonis, denique carnis & ossis mei portio. ita Delrio. VERS. 23.

Fabulantur Talmudistæ apud Abulensem, Adam ante Euam aliam habuisse vxorem, ex limo terræ productam, nomine Lilis, cumeaque vixisse 130. annis, quibus fuit excommunicatus ob esum pomi vetiti: atque toto illo tempore, inquiunt, ex ea non homines, sed dæmones genuit. deinde accepit Euam ex costa sua productam, atque ex ea homines procreauit. Hæc sunt eorum deliria, quibus ipsi coguntur confiteri, se esse fratres dæmonum, cùm pater eorum Adam dæmones genuerit.

Vox ergo *nunc*, non priorem vxorem, sed partim animantia, vt dixi, partim Euam respicit. q. d. Hæc mulier nunc, id est hac prima vice, sic formata est, ex viro scilicet: nam quæ deinceps futuræ sunt mulieres, earum nulla sic generabitur; sed quælibet per naturalem generationem, ex mare & femina procreabitur. ita S. Chrysost. hom. 15. hic.

Symbolicè, S. Basil. oratione in Iulittam, ex voce & mente Iulittæ matronæ, causa fidei ad ignem damnatæ, ait: *Est mulier ab opifice creata peræquè* as

ac vir capax virtutis. Non enim ad construendam mulierem, sola assumpta est caro, sed & os ex ossibus: quo fit vt nos ipsæ Domino nihil minùs ac viri redhibere debeamus firmitatem fidei atque constantiam, nec non in aduersis patientiam. His dictis confortans matronas eiulantes, in lignorum struem accensam insiluit: quæ proinde ac thalamus splendore coruscus, corpus sanctæ Iulittæ circumplexa, animam quidem in cælum destinauit, corpus autem honore præcipuo venerabile asseruauit, affinibus & cognatis incolume, nec vlla sui parte læsum. quin & terra Beatæ istius aduentu, aquam emisit adeò, vt Martyr imaginem referat pientissimæ matris, dum nutricis in morem incolas vrbis alit suauiter, perinde ac lacte quopiam in communes vsus affatim scaturienti.

HAEC VOCABITVR VIRAGO: QVONIAM DE VIRO SVMPTA EST] Non æquat Interpres vim Hebrææ vocis, adeoque ex hoc loco patet, Adamum hebraicè esse locutum. nam *virago* non significat naturam aut sexum; sed virtutem & animum virilem in muliere. Hebræa verò vox אִשָּׁה *isscha*, significat naturam & sexum mulieris, quia ab אִישׁ *isch*, id est à viro, deriuatur, addito *he* feminino. q.d. Vocabitur vira (vti veteres Latini locuti sunt, teste Sexto Pompeio) quia de viro sumpta est: sic Symmachus Græcè ἐκ τοῦ ἀνδρὸς fecit ἡ ἀνδρίς. teste S.Hieronymo. Theodotion vertit, *hæc vocabitur assumptio, quia de viro sumpta est*. ipse enim *isscha*, deducit à rad. נָשָׂא *nasa*, id est assumpsit, tulit, portauit. sed prior aliorum versio est genuina.

Quid virago?

Symbolicè & lepidè, R. Abraham ben Esra notat in voce אִשָּׁה *isscha* contineri nomen contractum Dei יָהּ *ia*, qui est auctor coniugij: & quamdiu hoc nomen in coniugio manet (manet autem quamdiu coniuges Deum timent, & mutuo sese amant) tamdiu nuptijs Deum adesse & benedicere. Si verò inuicem oderint, & Dei obliuiscantur, tum illud nomen coniuges abijcere; itaque sublato *iod* & *he*, ex quibus fit אִשָּׁה, tantùm remanere ex אִישׁ *isch* & אִשָּׁה *isscha*, id est ex viro & muliere, אֵשׁ אֵשׁ *esch esch*, id est ignem & ignem, sc. ignem rixarum & molestiæ in hac vita, in altera verò ignem æternum.

VERS.24. QVAMOBREM RELINQVET HOMO PATREM ET MATREM] Verba sunt non Mosis, vt vult Caluinus; sed Adæ, vel potiùs Dei, qui Adæ verba confirmat, ex ijsque matrimonij legem elicit, eamque decreto suo sancit. Deo enim hæc verba tribuit Christus, Matth.19.v.5. Hæc ergo coniugij lex est & societas, vt, si res exigat, coniunx coniugis caussa patrem & matrem deserere teneatur. Quod intellige de cohabitatione & vitæ consortio. nam in pari casu famis, vel alterius similis necessitatis, potiùs patri & matri, quasi auctoribus vitæ, quàm coniugi est subueniendum, vt docet D.Thom.2.2. q.26.a.11.ad 1.

ET ADHAERebit VXORI SVAE] LXX. vertunt προσκολληθήσεται, quod Tertull. aptè vertit, *conglutinabitur*. Hebræum enim דָּבַק *dabac*, significat arctissimam coniunctionem. Ita Sara conglutinata est Abrahæ, Rebecca Isaaco, Sara Tobiæ, Susanna Ioachimo. Audi & Gentiles: Theogena vxor Agathoclis regis Siciliæ, ab ægro marito nullo modo passa est se diuelli, dicens: *Nubendo se non prospera tantùm, sed omnis fortunæ iniisse societatem, nec inuitam sui spiritus periculo empturam, vt extremos viri spiritus exciperet.*

Exempla amoris coniugum.

Hypsicratæa Mithridatis regis Ponti vxor, de-A uictum profugientemque maritum, in omnibus aduersitatibus secuta est.

Memorabile est exemplum feminarum Lacenarum, quæ captiuos viros liberauerunt mutatis vestibus, ipsæque in captiuorum locum se subiecerunt.

Ita Penelope adhæsit Vlyssi. audi Poëtam:

Penelope desponsa sequi cupiebat Vlyssem,
Ni secum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Spartam, manet anxia virgo:
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos,
Ista verecundi signa pudoris erant.
Queis sibi prælatum Icarius cognouit Vlyssem,
Hocq́; pudori aram schemate constituit.

Illustre fuit Gracchi Romani exemplum, in cuius domo deprehensis duobus anguibus, cum B respondèrent augures, alterum victurum, si alter alterius sexus interimeretur: Imò verò, inquit Gracchus, meum necate; mea enim Cornelia iuuenis est, & parere adhuc potest. hoc erat vxori parcere, & reipub. consulere, semper tamen bonum maritum agere, quem in rep. magnum virum esse veteres censuerunt.

Dido soror Pygmalionis multo auro & argento congregato nauigauit in Africam, ibique Carthaginem condidit; & cùm ab Hyarba rege Libyæ in coniugium peteretur, extructa in memoriam mariti quondam Sychæi pyra, in illam se iniecit, malens ardere quàm alteri nubere. Casta mulier Carthaginem condidit, rursus eadem vrbs in castitatis laude desijt.

Nam Hasdrubalis vxor, capta & incensa Carthagine, cùm se cerneret à Romanis capiendam, C apprehensis vtrimque duobus filiolis, in subiectum domus suæ deuolauit incendium.

Nicerati coniunx impatiens iniuriæ marito illatæ, mortem sibi ipsa consciuit, ne triginta tyrannorum, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret.

ET ERVNT DVO IN CARNE VNA] Id est, duo, scilicet vir & vxor, erunt vna caro: Primò, per copulam carnalem; sic explicat Apostolus 1.Corinth. 9.16. Secundò, erunt vna caro synecdochicè, id est erunt vnus homo, erunt vna persona ciuilis. Vir enim & vxor ciuiliter vnus censentur, & sunt. Tertiò, quia coniux est dominus corporis sui comparis, & sic vnius caro est alterius caro, 1.Corinth. 7.3. Quartò, effectiuè; quia vnam carnem, scilicet prolem, generant.

Quatuor modis sunt duo in carne vna.

Nota. Inter humanas necessitudines arctissi-D mum & inuiolabile est vinculum matrimonij: hinc ex Adami costa Deus fecit Euam, vt significaret Primò, quòd vir & vxor non tam duo, quàm vnus sint. Secundò, quòd sint indiuisibiles & inseparabiles. sicut enim vna caro non potest diuidi, & tamen vna manere, sic non potest coniux à coniuge separari; eò quòd sit vna caro cum coniuge. Vnitati enim diuisio, putà diuortium & polygamia repugnant. Tertiò, quòd debeant vnum esse amore & voluntate. vide Rupertum hîc. vnde Pythagoras dixit, in coniugio amico esse vnam animam in duobus corporibus.

Hinc patet non esse verum id quod asserit Nyssenus (si tamen is est auctor libri) l. de Creatione hominis cap.17. & Damascen. lib.2. de Fide c.30. & Euthymius in psalm.50. & S.August. lib.9. de Genesi contra Manichæos c.19. & lib. de Vera

religione

religione c.46. in innocentiæ statu nullam futuram fuisse sexuum commistionem, sed modo quodam angelico procreandos fuisse homines: nam hîc expressè dicitur, quòd *erunt duo in carne vna*, quod Apostolus de commistione explicat, vt dixi. Vnde S.August. suam sententiam retractat libr.1. Retract.c.10. idque communiter sequuntur iam DD. Errat ergo Faber Stapulensis in comment. in l.Richardi Victor. de SS.Trinit. qui somniat, aitque, quòd, si Adam non peccasset, ex se sine femina similem sibi masculum peperisset. & Almaricus, qui in eo statu nullam futuram fuisse sexus differentiam, opinatus est.

Rursum, S.Thomas 1.p.qu.98. art.2. putat, in statu innocentiæ salua corporis integritate, quæ virginitas dicitur, futurum fuisse conceptum & partum. Sed, vt rectè notat Pererius, idipsum etiam B pugnat cum hoc loco, & cum natura generationis humanæ. Similis ergo fuisset tunc generatio, qualis iam est, dempta tamen concupiscentia. Vnde virginitas tum non fuisset; quia nec virtus fuisset eo statu. Est enim iam virginitas virtus, quia concupiscentiam libidinis refrænat: atqui tunc nulla fuisset concupiscentia aut libido frænanda; ergo nec fuisset tunc continentia aut virginitas. Hinc probabiliter censet Pererius, eo statu tot nascituras fuisse feminas, quot mares. Omnes enim matrimonium inijssent, idque singulare, putà vnus cum vna, iuxta id quod Deus hic instituit.

In paradiso talis fuisset generatio qualis iam est. Tunc enim non fuisset virginitas.

VERS.25. ERAT AVTEM VTERQVE NVDVS, ET NON ERVBESCEBANT] quia in statu innocentiæ nulla erat libido, nulla concupiscentia: ex hac enim oritur pudor & erubescentia, si membra in quibus regnat libido, alijs pateant & denudentur ita S.August. lib.2. de Genes. ad lit. circa principium. Inepti ergo, inuerecundi & impuri sunt Adamitæ, qui cum Adamo nudi iam non erubescunt; cùm Adam mox post peccatum erubuerit, seque vestibus contexerit, vt rectè refutans similes, ait S.Epiphan. l.2.hæres.52.

Adam verecundus fuit, Adamitæ sunt inuerecundi.

Hinc hausisse videtur Plato in Politico suam illam nuditatem, quam omnibus hominibus aurei sæculi attribuit.

Perperam quoque Isidorus Clarius putat Adamo & Euæ pro veste fuisse diuinum quemdam splendorem & gloriam, quali S.Agnetem aliasque virgines ad lupanar ductas & denudatas sæpè obtexit Deus, & quali obteget corpora Sanctorum in resurrectione. Hoc enim gratis fingitur, & frustra: vbi enim nullus est pudor, nulla concupiscentia, nullum frigus, ibi nulla opus est veste aut luce.

Error Isidori Clarij.

A

Denique pulchrè Pererius præfatione in l.5. septem excellentias status innocentiæ recenset: Prima, erat plena sapientia; Secunda, gratia & amicitia Dei; Tertia, iustitia originalis; Quarta, immortalitas & impassibilitas animæ & corporis, non intrinseca, qualis est in corporibus gloriosis Beatorum; sed extrinseca, proueniens scilicet partim ex protectione Dei, partim ex prudentia & prouidentia hominis, qua à noxijs & læsiuis sibi cauisset. atque hæc erant in ipso homine; tria verò reliqua extra hominem, videlicet Quinta, habitatio in paradiso, & esus arboris vitæ; Sexta, specialis Dei cura erga hominem. Vnde sequebatur Septima, quòd scilicet homo non potuisset concupiscere, nec venialiter peccare, ait D.Thomas. nec errare, nec decipi; sed de rebus incertis iudicium vel suspendisset, vel dubium formasset. Hæc enim non videntur posse effici per habitum, vel qualitatem creatam homini infusam, sed tantùm per assistentiam & protectionem Dei.

Septem dotes status innocentiæ.

Hæc intellige de statu plenæ & perfectæ innocentiæ, in quo conditus est Adam, vt scilicet immunis esset ab omni malo, tam culpæ quàm pœnæ & miseriæ: alioqui enim si eum in semiplenam innocentiam transferri & cadere permisisset Deus, potuisset ipse peccare venialiter, item errare & decipi, vti rectè docet Scotus. de qua re vide Franc.Aretinum in Gen.pag. 450.

E contrario per Christum maior nobis reddita est gratia, quàm data fuerit Adamo, adeoque septem iam habemus virtutes, quæ non fuissent in C statu innocentiæ: Prima, est virginitas; Secunda, patientia; Tertia, pœnitentia; Quarta, martyrium; Quinta, ieiunium, abstinentia, omnisque carnis mortificatio; Sexta, paupertas & obedientia religiosa; Septima, misericordia & eleëmosyna: nulli enim tunc fuissent pauperes vel miseri, quibus iam abundamus, vt in eos misericordiam exerceamus.

Septem dotes Christi in statu lapso.

Denique maior & efficacior iam homini lapso datur gratia, quàm data fuerit Adæ, vt patet in Martyribus alijsque illustribus Sanctis. vnde & maior iam est merendi facultas, tum ratione maioris gratiæ, tum ratione difficultatis operis: licet in statu innocentiæ maior fuerit merendi facultas, ratione promptitudinis voluntatis. Voluntas enim tum planè recta, nec habens passiones virtuti contrarias, prono naturæ & gratiæ impetu, ad virtutes rapta fuisset; itaque multos intensos, magnos & heroicos virtutum omnium actus elicuisset.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Serpens tentat Euam, illa peccat cum Adamo. vnde v.8. increpantur à Deo. Tertiò, v.14. serpens maledicitur à Deo, ac promittitur Christus redemptor. Quartò, Eua & Adam v.16. damnantur ad labores, dolores & mortem. Ac deniquè v.23. pelluntur paradiso, & ante eum ponitur custos Cherubim cum flammeo gladio.

1. SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi? 2. Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: 3. de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. 4. Dixit autem serpens

serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. 5. Scit enim Deus quòd in
quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij, scientes
bonum & malum. 6. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum,
& pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque
viro suo, qui comedit. 7. Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse
nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. 8. Et cùm audissent vo-
cem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam
& vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. 9. Vocauitque Dominus
Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? 10. Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso: & timui
eò quòd nudus essem, & abscondi me. 11. Cui dixit: Quis enim indicauit tibi quòd
nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?
12. Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.
13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens
decepit me, & comedi. 14. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc,
maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, &
terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem,
& semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo
eius. 16. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in
dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. 17. Adæ verò
dixit, Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo, præceperam tibi, ne
comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vi-
tæ tuæ. 18. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. 19. In
sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia pul-
uis es, & in puluerem reuerteris. 20. Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua: eò
quòd mater esset cunctorum viuentium. 21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ &
vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. 22. Et ait: Ecce Adam quasi vnus ex nobis
factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat
etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. 23. Et emisit eum Dominus
Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. 24. Eiecit-
que Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium
atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

VERS. 1. SED ET SERPENS ERAT CALLIDIOR CVNCTIS ANIMANTIBVS] Potest Secundò, ex Hebræo verti, *serpens erat in multas spiras & gyros complicatus & inuolutus.* hoc enim quoque significat Hebræum עָרֹם *arûm.* vnde *arumim* vocantur aceruі segetum. hæ enim spiræ indices sunt internæ serpentis versutiæ, qua hominem implicauit & circumuenit.

Quis serpens tentarit Euam.

Primò, Caietan. per serpentem intelligit diabolum, qui non externa voce, sed tantùm interna suggestione tentarit Euam.

Secundò, Cyril. lib. 3. contra Iulian. & Eugubinus in Cosmopœia putant, dæmonem hîc non verum serpentem, sed serpentis tantùm speciem & formam induisse: sicut angeli dum assumunt corpus humanum, non verum, sed aëreum, quod speciem habeat veri & humani, assumunt.

Verùm omnes alij docent, hunc verum fuisse serpentem; dicitur enim hic fuisse callidior cunctis, non angelis, sed animantibus: in quem natura sua callidum & vafrum vafer diabolus congruè ingressus, in eius ore, quasi in organo certa ratione moto, colliso & modulato, vocem humanam, vt potuit, effinxit. ita S. Chrysost. Procopius, & August. lib. 14 Ciuit. 11. Aliqui putant, inquit Magister Sent. in 2. dist. 6. hunc diabolum fuisse Luciferum, qui primum Adam tentauit, & vicit; secundum quoque, putà Christum, tentauit, sed ab eo victus est, & in infernum relegatus.

Aptè diabolus in specie, non ouis, non asini, sed serpentis tentauit Adam. Primò, quia serpens natura est callidus. Secundò, quia naturaliter ho- A mini est contrarius, eique insidiatur, vt clanculum mordeat. Tertiò, quia serpentis est repere, venenum diffundere, hominem interimere: hoc autem facit dæmon. Quartò, quia serpens toto corpore terræ adhæret: ita Adam credendo serpenti & diabolo, totus brutus & terrenus factus est, vt nonnisi bonis terræ inhiet.

Hinc S. August. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 28: docet, diabolum vti solere forma serpentum ad decipiendos homines: quia ea decepit Adamum & Euam, ibique vidit hanc fraudem sibi bene succedere. Eadem de causa dixit Pherecydes Syrus, dæmones è cælo à Ioue fuisse deturbatos, quorum princeps dictus sit Ophioneus, id est serpentinus.

Tropologicè, *Diabolus*, inquit S. August. *tentat vt leo, tentat vt draco.* nam, vt ait Gregor. in c. 40. B Iob: *Fideli famulo dominus cunctas hostis callidi machinationes insinuat, scilicet quòd opprimendo rapit, insidiando circumuenit, minando terret, suadendo blanditur, desperando frangit, promittendo decipit.*

Species tentationum & modos recenset S. Bernardus. *Tentatio*, ait, *alia est importuna, quæ procaciter insistit: alia est dubia, quæ animum dubietatis nebula inuoluit: tertia est subita, quæ iudicium rationis præuenit: quarta est occulta, quæ deliberationis ordinem præterfugit: quinta violenta, quæ vires nostras transscendit: sexta fraudulenta, quæ animam seducit: septima perplexa, quæ varijs vijs impeditur.*

Nota. Eua non exhorruit aspectum serpentis, quia domina animalium, certa erat nullum sibi nocere posse. ita S. Chrysost. hom. 16.

Qui locutus est serpenti.

Dices, Quomodo saltem eum loquentem non exhor-

exhorruit? Respondent Primò Iosephus & S. Basilius (quod sensit & Plato in Politico) in paradiso animantia quælibet habuisse vim & facultatem loquendi. Addit S. Ephrem apud Barcepha libr. de Paradiso, serpenti ad tempus non tantùm loquendi, sed & intelligendi vim hîc à Deo concessam esse, idque probat ex v. 1. & 15. Sed hæc sunt paradoxa.

Secundò, Procopius, Cyrillus suprà, Abulensis & Pererius respondent; Euam necdum sciuisse, soli homini naturalem esse vim loquendi. Sed hoc repugnat perfectæ scientiæ, quam habuit tam Eua, quàm Adam.

Respondeo ergo, Sciuit Eua serpentem naturaliter non posse loqui: admirata est ergo eum loquentem, & suspicata id quod erat, altiori vi, scilicet diuina, angelica aut diabolica id fieri. metus aberat, quia necdum peccarat, & sciebat se Deo curæ esse. ita D. Thom. 1. p. qu. 94. art. 4. Ita *sapienti nihil est inopinabile: pueri & insipientes ad omnia, quasi noua obstupescunt.*

Eugubinus putat hunc serpentem fuisse basiliscum, qui rex est serpentum. Delrio putat fuisse viperam; Pererius scytalen, quia magnitudine & tergi varietate præfulgens intuentes detinet. Verùm in hac re nihil est certi. Adde, scytale, & basiliscus sunt stultæ naturæ. hic autem serpens erat callidior cunctis animantibus: in eum enim ingressus est dæmon, non veneni spargendi, sed decipiendi causa. Probabile est, quod censent multi, fuisse eum qui communiter serpens nuncupatur, quia serpit; & coluber, quia vmbras excolit; & anguis, quia angulos petit & latebras. Hic enim sine addito vocatur serpens; reliqui cum addito, vt serpentes reguli, igniti, &c. aut proprio nomine viperæ, cerastæ, amphisbenæ, aspides, &c. nuncupantur. Hic etiam callidissimus est, & planè pronocorpore repit, quod de hoc serpente dicitur v. 14. Quare improbabile est, quod hîc aiunt Beda, Dionys. Carthus. & Histor. Scholast. ac S. Bonau. in 2. distinct. 21. & Vincent. in Spec. histor. serpentem hunc fuisse draconem, pedibus insistentem, facie virginea, tergo vario instar iridis fulgente, ita vt in admirationem Euam traheret, eumque erectum incedere solitum. Hic enim monstrosus fuisset serpens, quem Deus initio mundi non condidit, quem proinde statim exhorruisset & fugisset Eua.

Artificium serpentis in tentando Euam. CVR PRAECEPIT VOBIS DEVS] Ita vertunt quoque Septuaginta. Astutè serpens hic conatur euertere finem præcepti, vt euertat ipsum præceptum. q. d. Non apparet iusta ratio & causa, cur Deus vetuerit esum huius arboris: ergo reuera & seriò eum non vetuit; sed quod dixit, *Non comedetis ex eo*, ioco & ludens dixit. Antecedens probat serpens ex ipsa vtilitate arboris, dicens v. 5. *Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.*

Nota. Pro *cur*, hebraicè est אַף כִּי *aph ki*, quod ad verbum sonat, *etiámne*, vel *itáne verum est*; &, vt Chaldæus vertit, *verúmne est quod dixit* (dixerit) *Deus, Non comedetis ex omni arbore horti?* Hoc sensu clariùs apparet, quòd serpens non accusarit Deum inclementiæ: hanc enim blasphemiam statim exhorruisset Eua; sed subdolè quasi commendans Deum ita loquatur. q. d. Non credo Deum, qui tam liberalis est, hanc arborem ita seriò & absolutè vetuisse, licet vos hoc putetis. cur enim fructum tam pulchrum & vtilem vobis inuideret? cur vos

A ita arctaret & oneraret? Bonitas enim opponitur inuidiæ: hinc in Deo, qui summè est bonus, non potest esse aliquid inuidiæ. hoc est quod canit Boëtius: *Summi forma boni liuore carens.* Idem docet Plato in Timæo, & Aristotel. 1. Metaphys. c. 2. vbi impugnat Simonidem, qui dicebat, Deum inuidisse homini honorem sapientiæ. Sic enim, inquit Aristot. Deus esset tristis, & consequenter miser: inuidia enim est tristitia de alieno bono. Porro Noster interpres non verba sequens, sed sensum, אַף כִּי *aph ki* cum LXX. vertit *cur*. Huic expositioni directè respondet responsio Euæ, stabiliens & asseuerans præceptum Dei quasi serium & absolutum, quod serpens quasi ioco dictum elidere volebat. & ita hæc expositio cum priori in idem recidit.

B Ex hoc Hebræo *aph ki* videtur, quòd serpens huic interrogationi præmiserit alios sermones quibus ad eam viam sterneret, licet eos taceat Moses. v. g. de libertate & dignitate humanæ naturæ, de obligatione & multitudine præceptorum naturalium & supernaturalium fidei, spei, charitatis homini impositorum, vt inde concluderet eum vlteriùs nouo hoc positiuo Dei præcepto grauari non debere. ita Procopius, & alij. *Serpēs alios sermones tentationi præmisit.*

Tropologicè, Abbas Hyperichius in Vitis Patrum: *Susurrans*, inquit, *serpens ad Euam, de paradiso eiecit eam. Huic ergo similis est, qui proximo suo obloquitur: quoniam & audientis sę animam perdit, & suam non saluat.* Rursum S. Bernard. lib. de Vita solitaria, ex hoc loco docet perfectam obedientiam debere esse indiscretam, vt scilicet non discernat quid, vel quare præcipiatur. *Adam*, inquit, *gustauit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait: Quare præcepit, &c. Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addidit: Sciebat enim quia qua die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Ecce vt*
C *quid præceptum sit, scilicet quòd Deos fieri non sinat. Discreuit, comedit, & inobediens factus est, & de paradiso eiectus est. Vnde infert: sic & animalem discretum, nouitium prudentem, incipientem sapientem, in cella diu posse consistere, in congregatione durare impossibile est. Stultus fiat, vt sit sapiens; & hæc sit omnis eius discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio.* Vide Cassian. collat. 12. & l. 4. de Instit. renunc. c. 10. 24. & 25. ac S. Gregor. super l. 2. Reg. c. 4. quorum hoc est axioma: *Verus obediens, nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur: quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat.*

D VT NON COMEDERETIS DE OMNI LIGNO] *Non omni*, id est nullo, inquit S. Chrysost. Rupert. & S. August. l. 11. de Genesi ad lit. c. 30. quasi serpens dicat, Deum nullius arboris fructum homini concessisse, itaque mentiatur, vt Deum crudelitatis accuset. Sed hoc nimis patens & crassum fuisset mendacium.

Secundò & meliùs, *non ex omni*, q. d. Cur aliquod prohibuit, scilicet lignum scientiæ boni & mali? Tertiò & optimè, ambiguè more suo loquitur per serpentem diabolus, vt hæc eius interrogatio vel de omni, vel de aliquo tantùm ligno prohibito accipi possit; idque subdolè, vt insinuet non maiorem esse prohibendæ vnius arboris, quàm omnium rationem: itaque aut omnes, aut nullam prohiberi debuisse. Rursum, Deum qua facilitate vnam hanc prohibuit, eadem deinceps alias omnes *Ambiguè loquitur serpens.*

nes prohibitorum. Vnde mulier huic ambiguæ eius interrogationi statim respondet sub distinctione, dicens: *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur* (vesci possumus, vesci nobis licet;) *de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.*

VERS. 3. ET NE TANGEREMVS] Putat S. Ambros. l. de Paradiso c. 12. Euam ex tædio & odio præcepti hoc addidisse de suo, itaque inuidiosè exaggerasse duritiem præcepti. Deus enim nec aspectum, nec tactum, sed esum tantùm prohibuerat. Verùm Eua adhuc integra & sancta, videtur potiùs ex religione & reuerentia diuini præcepti hoc dixisse: q. d. Deus præcepit, ne hanc arborem tangamus ad comedendum ex ea; ideoque religionem nobis iniecit & metum, vt statuerimus ipsi nobiscum nulla ratione, nullo casu illam vel leuiter contingere, vt sic quàm longissimè absimus à comestione & violatione præcepti.

B NE FORTE MORIAMVR] Deus absolutè affirmarat *moriemini*, mulier dubitat, diabolus negat: vt enim Euam nutantem vidit, instat eam impellere dicens, *Non moriemini.* ita Rupertus. Verùm Eua erat adhuc integra, adeoque ex religione addidit præcepto *τὸ, ne tangeremus.* non ergo videtur dubitasse de pœna mortis præcepto adiuncta. Vox ergo פן *pen*, id est *fortè*, Hebræis sæpè non est dubitantis, sed asserentis, & confirmantis rem vel præceptum, tantumque innuit dubium de futuro euentu, cùm is pendet ex futura hominis actione libera. q. d. Ne fortè comedamus, ideoque moriamur: si enim comederimus, certò moriemur. Sic accipitur *fortè* Matth. 11. v. 23. & sæpè apud Prophetas.

VERS. 4. NEQVAQVAM MORTE MORIEMINI] Tentat serpens Euam remouendo pœnam, & promissis lactando.

C *Quinque mendacia serpentis.* Nota hîc quinque eius splendida mendacia: Primum, *non moriemini*; Secundum, *aperientur oculi vestri*; Tertium, *eritis sicut dij*; Quartum, scietis bonum & malum; Quintum, scit Deus hæc omnia esse vera, & me non mentiri q. d. Cùm Deus hæc sciat, vosque amet, non est verisimile, eum vos hac arbore tam proficua priuare voluisse. Itaque vel ioco tantùm illam prohibuit, vel sub hoc eius præcepto aliquid mysterij latet, quod necdum scitis; scietis autem cùm ex ea comederitis. ita S. August. l. 11. de Genes. ad lit. cap. 30.

Moraliter idem etiamnum diabolus persuadet penè omnibus hominibus; sed quia res contraria nimis clara est, & de facto patet omnes omnino mori, hinc astu vtitur, vt omnibus persuadeat *τὸ nequaquam moriemini.* nimirum facit quod facere solet medicus, qui medicinam amaram, quam æger integram respueret, in partes diuidit, itaque eam per bolos ei dat, vt sensim totam absumat. Ita & dæmon mortem per partes & annos diuidit, ac persuadet iuuenibus: Non morieris in flore & vigore ætatis: nimiùm robustus es: facilè viues adhuc annos quinquaginta. Studiosis persuadet: Non morieris antequam finias studia. Alijs, Antequam finias negotia, quæ habes præ manibus. Denique nemo est tam senex, qui non putet se adhuc saltem ad annum victurum. Ita omnes decipit. Cùm enim quotannis mors aliquos auferat, & ita sensim omnes: hinc fit vt singuli ab ea auferantur, cùm minimè putant, quia putant se saltem ad annum adhuc victuros. Vnde sequitur axioma verissimum, Mors

A omnibus & singulis vicinior est, quàm omnes & singuli putent: quia illo anno quo singuli moriuntur, putant se non morituros; sed adhuc ad annum victuros. Accedit, quòd Christus dicat se venturum, vt fur in nocte, quem herus domus remotum, imò non venturum putat, Matt. 24. 43. Sicut ergo fur obseruat tempus, quo herus dormiat, vt eum spoliet: sic mors inexpectantes, & quasi dormientes corripit. Qui sapit ergo aperiat oculos, & hanc claram diaboli fraudem discutiat, ac persuadeat mortem sibi vicinam esse: imò se illo anno, fortè illo mense, illa hebdomade, illo die moriturum. Sapienter Poëta: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Ita S. Hieron. & S. Carolus Borromæus in mensa habebant cranium mortui, vt iugiter mortis instantis meminissent. Quorumdam Sanctorum fuit hæc salutatio, vt, cùm sibi occurrerent, prior salutando diceret, *Moriendum est*; responderet alter resalutans, *Nescimus quando.* Ita S. Marcella, ait S. Hieron. ad Principiam, *sic ætatem duxit, & vixit, vt semper se crederet esse morituram. Sic induta est vestibus, vt meminisset sepulchri, memor Satyrici: Viue memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est; &, Memento semper diem mortis, & numquam peccabis. laudabatq; illud Platonis, qui philosophiam esse meditationem mortis dixit.* Præclarè noster Thomas theodidactos l. 1. de Imitat. Christi c. 23. *Hodie*, ait, *homo est, & cras non comparet. O hebetudo & duritia cordis humani, quòd solum præsentia meditatur, & futura* (etiam vicina) *non magis prauidet! Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi hodie vel statim esses moriturus.* Et inferiùs: *Beatus qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori; cogita quia & tu per eamdem transibis viam. Cùm manè fuerit, puta te ad vesperam non peruenturum: vespere autem facto, manè non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, & taliter viue, vt numquam te imparatum mors inueniat. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita, & valdè dolebis, quòd tam negligens & remissus fuisti. Quàm felix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inueniri in morte! Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, feruens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, & supportatio cuiuslibet aduersitatis pro amore Christi.* Et paulò pòst: *Veniet, quando vnum diem seu horam pro emendatione desiderabis, & nescio an impetrabis. dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales præter salutem tuam nihil cogites: D solum quæ Dei sunt cures. serua te tamquam peregrinum & hospitem super terram: serua cor liberum, & sursum ad Deum erectum; quia non habes hîc manentem ciuitatem.* Denique obserua illud S. Hieron. *Sic stude tamquam semper victurus, sic viue tamquam semper moriturus.*

APERIENTVR OCVLI VESTRI] Hinc putant aliqui apud Abulensem in cap. 13. quæst. 492. Adam & Euam non habuisse oculos apertos, sed fuisse cæcos donec comederunt pomum vetitum: tunc enim aperti sunt oculi amborum, & viderunt se esse nudos, v. 7. Verùm hoc repugnat felicitati status innocentiæ, in qua conditi sunt Adam & Eua. Dico ergo, oculus hîc mentis non corporis, intelligitur: nam, vt ait Aristotel. 1. Ethicor. *intellectus est quidam oculus*: præsertim quia oculus ac visus, præ cæteris sensibus, subseruit intellectui ad cognitio- VERS. 5.

nem.

nem. ex visis enim oriuntur memoriæ, ex memoria experientia, ex experimentis ars vel scientia. itaque sensus est, q.d. Adeò clari ingenij,& perspicacis intelligentiæ efficiemini, vt videamini vobis priùs cæci fuisse. ita Rupert. quem vide lib.3. de Trinit. c.7.& 8.

ERITIS SICVT DII] non essentia. hoc enim est impossibile.sed similitudine quadam sapientiæ & omniscientiæ,vt sequitur. Quare perperam aliqui sic explicant: eritis sicut angeli. non enim ad angelicam, sed ad diuinam similitudinem ambiendam excitati sunt. hoc est enim quod ait Deus v.22.*Ecce Adam quasi vnus ex nobis*.

Quæres, quodnam fuerit primum Euæ peccatum? Respondet Rupertus, Hugo & Magister in 2.d.21. primum Euæ peccatum fuisse, quòd τὸ *fortè* quasi dubitans addiderit præcepto Dei, dicens, *Ne fortè moriamur*. Secundò, S.Ambrosius, quòd addiderit τὸ *ne tangeremus*. Tertiò, S.Chrysost.quòd cum serpente & diabolo sermonem miscuerit. Sed hæc parum probabilia videntur. Nec enim primum hominis peccatum fuit in intellectu,sed in affectu. Nam ante peccatum homo errare, aut decipi non poterat. hinc D.Thom.1.2. q.89.a.3. addit, hominem in eo statu non potuisse peccare venialiter; idque ex Dei speciali protectione: nec enim peccatum veniale auferre potest gratiam; nec rursum consistere potest cum perfectissimo illo iustitiæ originalis statu.

Primum Euæ peccatum fuit superbia, & vnde? Dico ergo, Primum Euæ, vti & Adæ postea, peccatum fuit superbia. patet hoc Eccli.10.14. Tobiæ 4.14. idque indicant hîc Hebræa, & Septuag. v.6. nimirum Eua & Adam audientes, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*, inuitati sunt ad suam excellentiam intuendam,nimis amandam, augendam & extollendam; itaque ad seipsos conuersi intumuerunt, vt à Deo recesserit cor eorum; & tandem omniscientiam,quamdamque diuinitatis æqualitatem appetierint, vti fecit & Lucifer. Vnde hoc illis obiecit Deus v.22. dicens: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Ita S.Ambros. lib.4. in Luc. S.Ignatius epist. ad Trallianos, Chrysost. in 1.Timoth.2.14. August. lib.11.de Genes. ad lit.c.5.& lib.16.de Ciuit.c.15. vbi docet amorem excellentiæ ita innatum & intensum esse in natura rationali integra & perfecta, vt hic amor quasi primus sit in homine, qui hominem incitet ad alia quæuis prosequenda, hoc fine vt excellat. Et S.Bernardus: Ambo, inquit, scilicet diabolus & homo, affectarunt altitudinem; ille potentiæ, iste scientiæ.

Quam omniscientiam appetijt Eua? Dico Secundò, Hæc superba appetentia omniscientiæ diuinæ videtur in eo sita fuisse, quòd appetierint, vt ait Scriptura, scire bonum & malum, vt scilicet per seipsos, ac virtute naturæ suæ & ingenij, possent in omnibus se dirigere discernendo & eligendo quod bonum est, atque cauendo quod malum est; itaque possent se dirigere sua scientia, suopte marte, suis viribus ad bene beateque viuendum, adque plenam felicitatem assequendam, quasi dij quidam essent, qui à nemine, ne à Deo quidem, dirigi, vel adiuuari deberent, vti fecit & Lucifer. ita S.Thomas 2.2. q.163. q.2. licet enim speculatiuè sciret Adam, se à Deo pendere & illuminari debere, aliterque fieri non posse; tamen practicè per superbiam ita se gessit, ita hanc omniscientiæ & diuinitatis similitudinem appetijt, ac si reuera sine Deo, per se suasque vires ea potiri posset: superbia enim sensim intumescens excæcat & dementat mentem.

Dico Tertiò, Ex hac superbia mox secuta est impatientia, & indignatio animi indignantis se hoc præcepto constringi, & à pomo tam nobili arceri: deinde curiositas, mox concupiscentia gulæ, vt dicitur v.6. denique error in intellectu: credidit enim tam Eua, quàm Adam verbis serpentis promittentis omniscientiam & immortalitatem, si ex arbore vetita comederent; indeque tandem prosilijt ad perfectam inobedientiam,& præcepti transgressionem, putà ad realem comestionem. *Quinque Euæ peccata.* Vnde

Dico Quartò, Non tantùm Eua, sed & Adam superbia excæcatus credidit verbis serpentis, *Eritis sicut dij, scientes bonum malum*; ideoque fidem amisit. Prior pars patet, quia hoc Deus illi improperat, dicens: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. hæc enim verba ironicè dicta significant quid Adam ex gustato pomo iuxta promissa serpentis sperauerit, nec tamen sit consecutus. Vnde Adamum à serpente, per Euam serpentis promissa referentem, esse deceptum, eiusque verbis fidem habuisse; docent S.Ignatius ad Trallianos, Irenæus lib.3.c.37. Hilarius in Matt.3. Epiphan.hæres.39. Ambros.in c.10. Lucæ, Cyrillus lib.3.contra Iulian. Augustin. l.11. de Gen.ad lit.c.21.& 24.& lib.14.Ciuit.c.7. *Adam quoque credidit serpenti.*

Vnde patet & pars posterior conclusionis: hoc enim ipso quo Adam credidit diabolo, promittenti ex pomo vetito diuinam omniscientiam, quodque non moreretur, auersus est,& discredidit Deo comminanti, ac dicenti, *In quacumque die comederis, morte morieris*. Fuit ergo infidelis: ergo non tantùm gratiam, sed & fidem in Deum amisit. ita S.August.l.1.contra Iulian. c.3. *Adam amisit fidem.*

Dices, Quomodo ergo Apostolus 1.Timoth.2. ait, Adam non esse seductum, sed Euam?

Respondeo, Quia Eua seducta fuit à serpente, volente eam seducere, vt ederet pomum: Adam verò non à serpente deceptus, sed tantùm illectus fuit ab vxore, quæ eum non intendebat decipere. de quo plura 1.Timoth.2.v.14.

SICVT DII SCIENTES BONVM ET MALVM] Dei prima perfectio, homini appetibilis & imitabilis, est scientia. *Nil est per quod magis dijs assimilemur, quàm per ipsum scire*, inquit Cicero. vnde & Horatius loquens de Deo, sic ait:

Vnde nil maius generatur ipso,
Nec viget quidquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

Et Damascenus, *Peruigil*, inquit, *Dei oculus simplici intuitu præterita, præsentia, futura præsentialiter cognoscit*. Et Boëtius: Deus, ait, *quæ sunt, quæq; fuerunt, Vno mentis cernit in ictu, Quem, quia respicit omnia solus, Verum possis dicere solem*. Hinc angeli Deo proximi pollent intellectu, indeque vocantur intelligentiæ, quinimò dæmones græcè vocantur, quasi scientes vel sapientes. naturales enim dotes, etiam post lapsum, in illis manserũt integræ teste S.Dionys. Hinc homines naturali appetitu scire desiderãt, inquit Aristot. Audi Quintilianum l.1.Institut. *Sicut aues*, inquit, *ad volatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mẽtis agitatio atque solertia: vnde origo animi cælestis creditur. Hebetes verò & indociles, non tam secundùm naturam hominis edũtur, quã prodigiosa sunt corpora, & monstris insignia.* Ratio

Ratio est, quia hominis naturalis operatio est ratiocinari, discurrere, intelligere; qua à bestijs & saxis homo distinguitur. hinc Diogenes ridens quemdam diuitem ignarum sedere super lapidem: *Aptè*, inquit, *lapis sedet super lapidem*. Solon rogatus, quid esset diues indoctus? respondit: Est ouis habens aureum vellus. Stulti ergo sunt, qui sapientiam & doctrinam despiciunt, Prou. 1. 22. hi enim dicunt: *Malo guttam fortunæ, quàm vas sapientiæ*. Sapientes verò dicunt cum Salomone Sapient. 7. 8. *Præposui illam* (sapientiam) *regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. omne aurum in comparatione illius est arena exigua*. & Prou 8. 11. *Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari*. Sicut enim sensus gaudet obiecto suo sensili, sic intellectus gaudet scibili & scientia; æquè ac voluntas bono & virtute. Verùm in Adamo, vti & in multis eius posteris, nimius fuit hic sciendi amor.

Scientes bonvm et malvm] quia per experientiam scietis quantum malum sit inobedientia, & consequenter quantum bonum sit obedientia. ita aliqui: quasi verum hìc dixerit dæmon, suaque hac stropha illuserit Euæ, quæ amplius quid hic sibi promitti putabat. Verùm dico esse hebraismum: scietis bonum & malum, id est, scietis omnia, quæcumque bona sunt vel mala, vera vel falsa, necessaria vel contingentia; vt discernere possitis quid vtile sit, quid inutile, quid agendum, quid fugiendum in rebus omnibus.

Vers. 6. Vidit igitvr mvlier] Priùs viderat, sed sine concupiscentia comedendi: iam post tentationem elata in superbiam, videt illud ad concupiscendum & comedendum. vidit ergo, id est curiosiùs, & cum voluptate illecebrosa illud intuita est, ac morosè considerauit.

Ex τοῦ *igitur* patet, Euam post verba serpentis, non antè peccasse. Perperam ergo Rupert. censet eam antè peccasse sponte superbiendo, & interiùs concupiscendo pomum vetitum: diabolum deinde accessisse, vt eam ad peccatum opere externo consummandum impelleret.

Bonvm] suaue, sapidum & gratum esset palato ad vescendum. color roseus pomorum & cerasorum index est saporis, gulamque irritat.

Aspectvqve delectabile] Hebraicè וְנֶחְמָד לְהַשְׂכִּיל *venechmad lehaskil*, id est, concupiscibile ad intelligendum: quod Hebræi exponunt, concupiscibile ad scientiam & prudentiam comparandam. De eo enim dixerat serpens, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*. Verùm, quia Eua hoc videre nequibat oculis corporeis, de quibus τὸ *vidit* hìc accipi, patet ex duobus membris præcedentibus: hinc Secundò, meliùs noster Interpres, Chaldæus & Vatablus vertunt, *concupiscibile ad contemplandum*, quod scilicet sua forma & pulchritudine (vnde & Septuaginta vertunt, ὡραῖον, id est speciosum) Euam quasi detineret in moroso sui intuitu & contemplatione.

Vide de curiositate & custodia oculorum S. Gregor. 21. Moral. 2. Audi & S. Bernard. de gradibus humilitatis, in primo, qui est curiositas: *Serua ô Eua commissum, expecta promissum, caue prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intentè intueris? quid illò tam crebrò vagantia lumina iacis? quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. non est interdictum ne videam, sed ne comedam. Hoc etsi culpa non est, culpa tamen indicium est. te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blandè alloquitur; blanditijs rationem, mendaciis timorem compescit, Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam: acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. offert tandem prohibitum, & aufert concessum; porrigit pomum, & surripit paradisum. haurit virus peritura, & perituros paritura.*

Deditqve viro svo] narrans illi quæcumque diabolus promiserat, ac iubens eum securum esse à metu mortis, cùm eam quæ comederat superstitem videret: ita citò decepta citò decepit virum. Adam enim hisce auditis in superbiam elatus, appetensque omniscientiam coniugi consensit, & comedit ex ligno vetito. Sic à *muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur*, Ecclesiast. 25. v. 33. Addit S. Augustinus l. 14. Ciuit. 11. Adamum, eò quòd non esset expertus Dei seueritatem putasse veniale esse hoc suum peccatum, facileque se illius veniam à Deo impetraturum.

Discant hìc viri, mulieres esse periculosas illecebras, & suaue venenum, cùm suis concupitis & concupiscentijs indulgent, quibus se & viros perdunt. ijs ergo viriliter se opponant & resistant. *Memento semper quòd paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit*, ait S. Hieron. epist. ad Nepotianum. *Morale, ne viri sequantur concupiscentiam feminarum.*

Ita fecit Saturus Hunerici regis procurator, qui ad arrianismum sollicitatus abnuit; mox vxor timens familiæ euersionem, adductis liberis ad genua mariti aduoluitur, perque omnia sacra obtestatur, misereatur sui, & pendentis à lacte matris filiolæ, aliorumque pignorum: Deum condonaturum, quod inuitus ipse fecerit, cùm alij idipsum fecerint voluntarij. Tum ipse cum S. Iob ei respondit, *Tamquam vna ex insipientibus mulieribus loqueris. reformidarem ista, mulier, si tantùm huius vitæ dulcedo esset futura amara, in amissione rerum nostrarum: imò si tu verè diligeres maritum, numquam eum tuis insidiosis blanditiis, in secunda mortis exitium præcipitare conareris. Age, distrahant liberos, auferant vxorem, diripiant facultates. ego Domini promissionum planè securus, verba in mente fixa tenebo: Si quis non reliquerit vxorem, liberos, agrum, aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Vxor discedit: Saturus spoliatus omnibus, & multis supplicijs debilitatus, mendicus demum relinquitur. Testis est Victor Vticensis in persecut. Wandal. Parimodo b. Thomas Morus vxori suæ restitit, Deique offensam offensæ regis, & euersioni familiæ suæ prætulit.

Qvi comedit] Notat Pererius octo peccata Adæ: Primum, fuit superbia; Secundum, nimius amor placendi vxori suæ; Tertium, curiositas; Quartum, incredulitas; quasi Deus mortem figuratè, vel comminatoriè, non autem absolutè intentasset violanti legem; Quintum, præsumptio; quasi hæc legis violatio tantùm esset leue & veniale peccatum; Sextum, gula; Septimum, inobedientia; Octauum, excusatio, de qua S. Augúst. serm. 19. de Sanctis: *Si Adam*, inquit, *se non excusasset, à paradiso non exulasset*: ac consequenter comedisset de ligno vitæ; ergo & immortalitatem & iustitiam originalem (hæc enim connexa sunt) recuperasset. Verùm contraria sententia, vt docet Pererius, est verior. Adam enim mox vt peccauit, ante omnem sui excusationem, incurrit absolutam sententiam mortis. Nam cap. 2. 17. ea lata fuit absolutè: *In quacumque*, inquit, *die comederis ex eo, morte morieris*, id est, certissimè morieris. *Octo peccata Adæ.*

Hebræa

Hebræa & Septuaginta addunt *secum*, scilicet Eua pomum dedit viro, vt secum vnà vesceretur. videtur ergo Eua bis comedisse, semel sola, secundò cum Adamo, vt eum ad esum pelliceret, & in esu se sociam præberet. Vnde Septuaginta habent, *& comederunt*; & Chaldæus, *comedit* (scilicet Adam) *cum ea*.

Vter grauiùs peccarit, Adam, an Eua?

Quæres, vter grauiùs peccauerit, Adam an Eua? Respondet D.Thomas 2.2.q.163.art.4. si peccatum in se spectes, grauiùs peccasse Euam; tum quia prior peccauit; tum quia Adamum ad peccatum induxit, itaque se, & ipsum nosque omnes perdidit. si tamen circumstantiam personæ spectes, grauiùs peccasse Adamum; tum quia perfectior erat & prudentior quàm Eua: tum quia Adam immediatè à Deo acceperat hoc præceptum, Eua verò mediatè tantùm, scilicet per Adamum.

VERS.7. *Quomodo aperti sint oculi Adæ?*

ET APERTI SVNT OCVLI AMBORVM] q.d. Gratiæ & iustitiæ originalis tegumento per peccatum spoliati, aduerterunt suam nuditatem, confusionem & verecundiam ex eo, quòd sentirent in se motus concupiscentiæ rebelles rationi, præsertim libidinis ad inuicem. Hi enim motus inhonesti ita pudore afficiunt hominem, vt ipsa membra sua, in quibus hæc concupiscentia regnat, tegat & abscondat: indeque Tertiò, aduerterunt, quantum bonum iustitiæ originalis amiserant, & in quantum peccatum ac malum ceciderant. Quartò, cognouerunt Deum, Deique sententiam esse veracem; serpentem verò & dæmonem esse mendacem in promissis sibi factis. ita S.Chrysostomus, Rupert. & S.August. lib.14. Ciuit.17.

Ex hoc loco colligitur, quòd Eua per peccatum spoliata gratia, non aduerterit suam confusionem & nuditatem, donec Adamum ad idem peccatum induxit, idque quia breuis mora intercessit inter vtriusque peccatum, qua Eua tota occupata suis pomi delicijs, vtque eas viro suo offerret & persuaderet, non reflectebat ad suam miseriam & nuditatem: aut certè, vt vult Franc. Aretinus, Eua non fuit spoliata iustitia originali, quatenus ea fuit gratia gratis data, nec sensit motus concupiscentiæ, & nuditatem suam, donec Adam peccauit: tunc enim totum hocce primæuum inobedientiæ peccatum consummatum fuit, tuncque vterque ex decreto Dei iustitia originali spoliatus est, indeque erubuit. Si enim Eua ea spoliata fuisset mox vt peccauit, erubuisset de sua nuditate, nec ausa fuisset nuda ire ad virum, sed præ verecundia latebras aut vestem quæsisset, vti fecit mox vt Adam peccauit.

Cur ex nuditate naturaliter sequatur verecundia, vide apud S.Cyprianum serm. de ratione circumcisionis.

Hinc S.August. serm.77. de tempore docet, gulam esse matrem libidinis, sicut abstinentia mater est castitatis. *Adam*, inquit, *non nisi intemperantia prouocante Euam cognouit. quamdiu enim in illis mansit temperata parcitas, mansit & impolluta virginitas; & quamdiu ieiunarunt ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis ieiunarunt peccatis. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciuiæ; saturitas verò castitatem prodit, nutrit illecebram.* Addit ibidem S.Augustinus, hac de causa Christum ieiunasse & esurijsse in deserto, vt suo ieiunio purgaret gulam & libidinem Adæ, ipsumque & nos immortalitati, quam per gulam eius perdidimus, restitueret.

Quæ perizomata.

FECERVNT SIBI PERIZOMATA] id est, cingula ad ventrem, putà lumbaria, seu ventralia subligacula, vt scilicet tegerent partes inhonestas: cætero enim corpore manserunt nudi, sicut ipse Adam ait Deo v.10. vti faciunt iam Brasilij, Cafres, alijque Indi. Putat S.Irenæus lib.3.c.37. eos ex ficu hæc fecisse, in signum pœnitentiæ, & quasi cilicium sibi aptasse. nam folia ficus pungunt & stimulant. vide & S.Ambros. lib. de Paradiso c.13.

VERS.8. *Vox Dei deambulantis fuit fragor arborum.*

ET CVM AVDISSENT VOCEM DOMINI] putà terribilem strepitum & fragorem ex concussione arborum à Deo excitatum. nam quasi ad vestigia Dei venientis à longè, & per arbores gradientis arbores concutiebantur. erat enim vox hæc Dei deambulantis in paradiso, vt ait Moses. Caietanus tamen vocem intelligit non arborum, sed loquentis & irati Dei, ac, vt vult Abulensis, dicentis: *Adam vbi es?*

Porro agnouit Adam hanc esse Dei vocem, Primò, quia iam antè cum Deo collocutus, vocem solitam Dei agnouit. Secundò, quia hæc vox erat ingens & terribilis, dignaque Deo. licet enim per angelum efformata esset, tamen Deum referebat. vide can.16. Tertiò, quia Adam sciebat nullum alium esse hominem, qui hanc vocem excitaret. Quartò, quia conscientia peccati, ipseque Deus menti eius suggerebant, hanc Dei vindicis esse vocem.

AD AVRAM POST MERIDIEM] putà inclinante die, quando aspirare solent lenes zephyri, & aura ab hominibus diurno æstu fatigatis captari. ita ex Symmacho, Aquila & Theodotione S.Hieron. in Quæst. hebraic. Apparuit enim hîc Deus, aut potiùs angelus vice Dei quasi homo, & hominis specie deambulans in paradiso.

Adde, *ad auram*: quia aura siue ventus (flabat enim ex ea parte qua aduentans Deus gradiebatur;) faciebat audiri sonitum Dei eminus, vt Adam maiori Dei metu percelleretur, tempusque haberet latebras quærendi. ita Franciscus Aretin.

Nota *τὸ post meridiem*: illud enim, inquit Iren. lib.5. significabat, quòd Christus ad mundi vesperam venturus esset, ad redimendum Adam, eiusque posteros.

Tropologiam, quot modis nobis Deus loquatur, vide apud S.Gregor.28.Moral.c.2.& 5.

ABSCONDIT SE IN MEDIO LIGNI] id est lignorum; putà inter arbores densissimas paradisi. Est enallage.

Quinque effectus peccati.

Nota hîc cum Pererio quinque peccati fructus & effectus. Primus est, quòd aperti sint oculi; Secundus, est nuditas; Tertius, pudor & confusio; Quartus, est vermis conscientiæ; Quintus, est pauor & metus diuini iudicij. Verè S.Bernard. *In peccato*, inquit, *transit iucunditas non reditura, manet anxietas non relictura.* quin & Musonius apud Gellium, *Cùm quis*, ait, *per voluptatem aliquid turpe gessit, quod suaue est abit, quod turpe & triste est manet.* E contrario in labore virtutum, quod durum & triste est abit, quod suaue & lætum est manet.

VERS.9.

VBI ES?] q.d. In alio loco te, ô Adam, reliqui, in alio te inuenio: gloria te vestiueram, gloriosè coram me incedebas, nunc nudum te video & latebras quærentem. vnde hoc tibi accidit? quis in tantam te induxit vicissitudinem? quis fur vel latro te omnibus tuis dotibus spolians, in tantam inopiam te redegit? vbi nuditatis sensus, vbi confusio hæc tibi contigit? cur fugis? cur erubescis? cur

cur lates? cur paues? num astat qui te accuset? num premunt testes? vnde tanta formido te inuasit? vbi iam sunt illa tam magnifica serpentis promissa? vbi est prima illa tua mentis tranquillitas? vbi securitas animi? vbi pax & fiducia conscientiæ? vbi omnis illa tantorum bonorum possessio, malorumque omnium vacuitas? Ita S. Ambrosius lib. de Paradiso c. 14. *Vbi est*, inquit, *tua benè sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. vbi es ergo? non in quo loco, quæro, sed in quo statu? quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem antè quærebas?*

Vers. 10. Timvi, eo qvod nvdvs essem] *Timui*, id est erubui, verecundatus sum in conspectum tuum venire: nam hisce ficus folijs sola pudenda ægrè contexi, cætero corpore adhuc sum nudus. *Et*, id est ideò (Hebræum enim *vau*, id est *&*, sæpè est causale) *abscondi me.* Sic timor sæpè sumitur pro pudore, adeoque timor vel metus reuerentiæ vocatur ipse pudor & reuerentia, vt dixi Hebr. 12. v. 28.

Vers. 11. Qvis enim] Vox *enim* non est in Hebræo, nec est causalis, sed emphatica, idemque valet quod enimuero, sed enim, atqui. Instat enim & vrget hîc Deus Adamum, vt suæ nuditatis causam & culpam agnoscat.

Vers. 12. Mvlier qvam dedisti mihi sociam] Iustus in principio accusator est sui: nobis Adam iam post peccatum concupiscentia, superbia & sui amore plenus, prævit quærere excusationes in peccatis. deinde culpam in vxorem se pellicientem, quin & in ipsum Deum, qui talem dedit vxorem, deriuat.

Et ait Dominvs Devs ad serpentem] qui præsens erat coram Deo, Adamo & Eua: licet enim post tentationem dæmon reliquisset serpentem, isque huc illucque reptaret; tamen Dei nutu directus fuit ad locum, in quo Adam è latebris à Deo euocatus, coram Deo prodijt; præsertim, quia locus tentationis serpentis, à loco latebrarum Adæ non multùm distabat. mox enim vt Adam tentatus lapsus est, vestes & vicinas latebras quæsiuit.

Vers. 14. Qvia fecisti hoc, maledictvs es inter omnia animantia] Conuertit se Deus ad primum & certum mali auctorem, malesuadum anguem, eique maledicit.

Quomodo serpens maledictus. Primò. Nota Primò, per serpentem hîc ad literam accipi tum verum serpentem, vt vult S. Ephrem, Barcepha, Tostatus, & Pererius; tum diabolum, qui erat motor, locutor, & quasi anima serpentis.

Secundò. Vnde Secundò, hæ omnes pœnæ ad literam aliquo modo conueniunt serpenti, quia ipse diaboli fuit organum, & ruinæ hominum instrumentum: quædam tamen magis competunt diabolo. De diabolo enim accipiunt hæc omnes veteres.

Tertiò. Tertiò, serpens est maledictus, quia abominabilis, horridus, venenatus & noxius est præ omnibus animalibus. præsertim homini, cum quo post peccatum naturalem habet antipathiam.

Quartò. Quartò, licet ante tentationem Euæ serpens non erectus (vt vult S. Basil. homil. de parad. & Didymus in Catena Lipomani) sed super pectus graderetur reptando per cauernas, terramque comederet; vtrumque enim ei est naturale: tamen non erat tunc abominabilis, nec infamis, sed suus ei inter bestias erat locus & dignitas. Post tentationem verò & supplantationem Euæ, factus est serpens inuisus, infamis, abominabilis homini; atque re-

A ptare, lucē & homines fugere, antra sequi, terram comedere, quæ priùs ei erant naturalia, iam eidem confirmata sunt in pœnā, & ordinata in infamiā: cur enim quæso serpenti in quo non erat culpa, naturalia dona tollerētur, quæ nec dæmonibus propter peccatum ablata fuerunt? Sic mors homini, & humano corpori ex elementis contrarijs composito, est quasi naturalis, sed post eius peccatum cœpit illi esse pœna peccati. Sic iris antè naturalis, post diluuium cœpit esse signum pacti inter Noë, hominesque & Deum initi, Genes. 9. 16.

Quintò, congrua & iusta fuit hæc pœna serpentis; scilicet in amicitiam & familiaritatem hominis conatus fuit anguis irrepere; ideo fit illi odium & execratio: erexerat anguem diabolus, vt cum femina misceret colloquium; ideo iubetur in *Quintò.*
B in solo repere: persuaserat esum pomi; ideo ad esum terræ damnatur: in os feminam erat intuitus; ideo nunc calcaneum intuetur, eisque insidiatur, ait Delrio.

Sextò, symbolicè hæc competunt dæmoni. *Sextò.* nam, vt ait Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 18. dæmon super pectus graditur, quia iam non cælestia, vt olim cùm esset angelus, sed terrena, imò infernalia semper cogitat, atque terra, id est homines qui terrena sapiunt, sunt cibus & pabulum eius iam post peccatum Adæ. Hos enim ipse in terra ventre repere, id est gulæ & luxuriæ totos vacare, docet. ita S. Gregor. l. 21. Moral. 2. Rursum S. August. lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 17. Beda, Rupertus, Hugo, Caietan. Super pectus, inquiunt, & super ventrem graditur dæmon, quia duabus vijs homines adoritur & seducit. Primò,
C per superbiam, quæ figuratur pectore; Secundò, per libidinem, quæ adumbratur ventre: in pectore enim est vis irascibilis, in ventre concupiscibilis, quos appetitus commouet & accendit dæmon, ijsque homines ad grauissima flagitia impellit.

Inimicitias ponam inter te et mvlierem] Vers. 15. Quia enim Deus hominem ob peccatum dominio in bestias priuauit, hinc serpens homini cœpit esse noxius & lethalis, & vicissim homo cœpit esse serpenticida, cùm ante peccatum nec antipathia, nec horror, nec odium, nec nocendi studium fuisset inter hominem & serpentem. Tradit Aristoteles saliuam hominis cruciare serpentem, &, si tangat fauces (quibus Euam tentauit) eum occidere.

Ipsa conteret capvt tvvm] Triplex est hîc lectio. Prima est codicum Hebræorum qui ha-
D bent: *Ipsum*, scilicet semen, *conteret caput tuum*: & ita legit S. Leo, & ex eo Lipomanus. Secunda est: *Ipse* (scilicet homo vel Christus) *conteret caput tuum*. ita LXX. & Chald. Tertia est: *Ipsa conteret caput tuum.* ita Biblia Romana, & omnia penè Latina legunt cum S. August. Chrysost. Ambros. Gregor. Beda, Alcuino, Bernardo, Eucherio, Ruperto, & alijs. Accedunt quædam exemplaria Hebræa, quæ pro הוא legunt הִיא vel הִיא cum *chirich* paruo vel magno. Adde הוא *hu* sæpè poni pro הִיא *hi*, præsertim cùm emphasis est, & virile aliquid feminæ tribuitur, vti hîc est contritio capitis serpentis. Exempla sunt hîc v. 12. & 20. Genes. 17. 14. Genes. 24. 44. Genes. 38. 21. & 25. Nec obstat verbum masculinum יְשׁוּף *iascuph*, id est conteret: est enim crebra enallage generis in Hebræo; vt masculinum ponatur pro feminino, & contrà, præsertim si causa & mysterium aliquod subsit, sicut hîc subest, *Vera lectio est, ipsa conteret.*

vti

vti iam dicam. Ergo *hi iascuph* ponitur pro *hi. tascuph*. Sic c. 2. 23. dicitur יִקָּרֵא אִשָּׁה *it kare issa*, pro תִּקָּרֵא אִשָּׁה *tickare issa*. Vnde & Iosephus lib. 1. c. 3. ita legit, vti noster Interpres habet: habet enim, *Præcepit vt mulier capiti eius plagas inferret*, vt vertit Ruffinus. Ex quo patet olim αὐτὴ, id est *ipsa*, legisse Iosephum, sed hæreticos typographos vocem γυνὴ ex eo iam sustulisse.

Nota Primò, nullam ex his tribus lectionibus esse reiiciendam; imò omnes sunt veræ. nam cùm Deus hîc opponat quasi antagonistas, mulierem cum suo semine serpenti cum suo semine; consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contrituram caput serpentis: sicut è contrario serpens tam mulieris quàm seminis eius calcaneo insidiatur. Ideoque videtur Moses hîc in Hebræo verbum masculinum cum pronomine feminino permiscuisse, dicens: הִיא יְשׁוּף *hi* B *iascuph*, *ipsa conteret*, vt significaret tam mulierem quàm semen eius, adeoque mulierem per semen suum, putà per Christum, contrituram caput serpentis.

Nota Secundò. Hæc, vt dixi, tam serpenti quàm diabolo, qui fuit quasi motor & anima serpentis, ad litteram competunt. Hæc enim antipathia, odium, horror & bellum post peccatum ad litteram esse cœpit inter serpentes & homines, tam viros quàm feminas, vti iam experientia patet. Imò Rupert. lib. 3. c. 20. specialem & notandam adfert experientiam, scilicet quòd caput serpentis difficillimè gladiis, vectibus & malleis ita conteri possit, vt totum corpus enecetur: si tamen mulier planta nuda dentem serpentis præuenerit, & caput eius presserit, statim cum capite totum corpus planè interire. C

Rursum hæc ipsa magis Christo & beatæ Virgini contra diabolum pugnanti, etiam ad litteram conueniunt. Mulier enim est Eua, quæ diabolum contriuit, quando pœnitentiam egit: vel potiùs mulier est beata Maria Euæ filia; semen eius est Iesus & Christiani; serpens est diabolus; semen eius sunt infideles, omnesque impij. Ergo B. Maria contriuit serpentem; quia ipsa semper plena & gloriosa fuit victrix diaboli, omnesque hæreses (quæ caput sunt serpentis) in vniuerso mundo contriuit, vt canit Ecclesia. Christus verò perfectissimè eum eiusque caput & machinationes contriuit, dum virtute propria in cruce diabolo regnum omne, & spolia sua ademit: atque à Christo tam Eua pœnitens, quàm Maria innocens, nos quoque omnes virtutem conterendi diabolum, eiusque semen (id est suggestiones; secundò, semen, id est impios homines: horum enim pater & princeps est diabolus) accepimus. Hoc enim est quod dicitur psal. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* & Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* & ad Rom. 16. *Deus conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* ita Theodoret. Rupert. Beda hîc, Augustinus lib. 11 de Ciuit. c. 36. Epiphanius libr. 2. contra Antidicomarianos, & passim alij Patres.

B. Virgo contriuit caput serpentis.

Appositè S. Chrysost. homil. de interdictione arboris tom. 1. Adamo opponit Christum, Euæ B. Mariam, serpenti Gabrielem. *Mors*, inquit, *per Adam, vita per Christum: Euam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit: sed seductio Eua attulit mortem, consensus Mariæ peperit sæculo Saluatorem. Restauratur per Mariam, quod per Euam perierat: per Christum redimitur, quod per Adam fuerat captiuatum: per Gabrielem promittitur, quod per diabolum fuerat desperatum.*

CONTERET] Hebraicè est יְשׁוּף *iascuph*, quod R. Abraham vertit, *percutiet*; R. Salomon, *conterundet*; Septuag. vertunt, τηρήσει, id est conteret: Philo tamen lib. 2. Allegor. cum nonnullis legit τηρήσει, id est obseruabit. Vnde & Chaldæus vertit, *ipse obseruabit tibi quæ fecisti ei à principio, & tu obseruabis ei in finem.* Propriè Hebræum שׁוּף *scuph* videtur significare subitò & quasi ex insidiis ac latebris aliquem percutere, obruere, calcare, conterere, vt patet Iob 9. 17. & psal. 138. 11. vnde & Noster hîc mox vertit, *insidiaberis*.

Vide hîc, quàm deliri fuerint & hæretici & idololatræ, dicti Ophitæ, id est serpentini, ab ὄφι, id est serpente, quem colebant, eò quòd ipse suggerendo pomum vetitum, principium cognitionis boni & mali fuerit Adæ & posteris eius: ideoque panem ei offerebant. ritum oblationis refert Epiphan. hær. 37.

ET TV INSIDIABERIS CALCANEO EIVS] Hebraicè est idem verbum iam dictum *iascuph*, quod Septuag. paulò antè verterunt, τηρήσει, id est conteret: hîc verò vertunt, τηρήσεις, id est obseruabis (scilicet insidiando ei.) Sic enim ex Septuag. legunt hîc Iosephus, Philo, S. Hieronymus, Ambrosius, Irenæus, Augustinus, & alij. Solent enim propriè serpentes in pratis & siluis latitantes non aperta vi, sed dolis se vlcisci, atque à tergo incautos mordere & percutere in calce, indeque in totum corpus veneno proserpente occidere. ita Rupertus.

Pari modo diabolus insidiatur calcaneo, id est per insidias quasi à tergo percutere conatur (significatur enim hîc actus percutiendi non perfectus, sed inchoatus, siue conatus, more Hebræo) Christum, beatam Virginem, & Christianos; sed non præualet iis quamdiu ipsi manent semen Christi, putà filij Dei. Adde, diabolum reipsa percutere & conterere aliquos ex hoc semine, scilicet fideles eos qui in Ecclesia sunt quasi calcaneus, id est imi, viles & terræ affixi.

Rursum Christi caput est diuinitas, calcaneus est humanitas; hanc dum offendit & occidit dæmon, occisus est: tunc enim Christus contriuit caput illius, id est eius superbiam deiecit, atque omnem eius impetum prostrauit.

Tropologicè, S Gregorius libr. 1. Moralium, D cap. 38. *Caput*, inquit, *serpentis conterimus, cùm initia tentationis à corde extirpamus, & tum ipse insidiatur calcaneo nostro, quia finem bonæ actionis callidiùs & potentiùs oppugnat.* Et S. August. in psal. 48. & 103. *Si diabolus*, inquit, *tuum calcaneum obseruat, tu caput illius obserua. Caput illius est initium malæ suggestionis: quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, & sequatur consensus. Itaque vitabis caput eius, atque adeò non apprehendet ille calcaneum tuum.* nimirum

Caput serpentis est initium tentationis; calcaneus est finis actionis & vitæ.

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

Et S. Bernard. ad sororem de Modo bene viuendi cap. 29. *Caput*, inquit, *serpentis conteritur quando culpa emendatur vbi nescitur.* Huc accedit Albinus, vel Albinus: Diabolus, inquit, insidiatur calcaneo nostro, quia extremum vitæ nostræ acriùs

acriùs oppugnat. Hac de causa Sancti fini suo A timuerunt, tumque feruentiùs Deo seruierunt. Ita S. Hilarion in morte timens ait sibi: *Septuaginta ferè annos Domino seruiuisti, & mori times?* Abbas Pambo moriens dixit: *Discedo iam hinc ad Deum meum; sed ita, vt qui hactenus vix inceperim Deum verè & rectè colere.* Arsenius, *Da*, inquit, *Domine, vt vel nunc incipiam piè viuere.* S. Franciscus sub mortem, *Fratres*, ait, *vsque nunc parum profecimus, incipiamus nunc seruire Deo, redeamus ad humilitatis & nouitiatus primordia:* dixit & fecit teste S. Bonauentura in eius Vita. Sic & Antonius, *Hodie*, inquit, *vos religiosum institutum arripuisse arbitramini.* Et Barlaam ad Iosaphat: *Cogita quotidie te hodie cœpisse seruire Deo, te hodie finiturum.* Agatho sanctè vixerat, & tamen dicebat: *Mortem horreo: quia alia sunt iudicia Dei, alia hominum.* B

Symbol. Symbolicè, Philo, Calcaneus, inquit, est ea pars animæ quæ terrenæ adhærescit naturæ, quæque in sensum & voluptates terrenas prona est & labilis; huic, & per hanc menti & voluntati insidiatur dæmon: ideoque Christus discipulorum pedes in vltima cœna lauit, vt hoc signum esset, dilutum iam esse maledictum illud calcanei, quo ab ipso rerum primordio serpentis morsibus patebat aditus.

Allegor. Allegoricè, inimicitia hæc inter mulierem & serpentem, significat odium & bellum continuum inter Ecclesiam & diabolum, vti docet S. Iohannes Apocal. c. 12. 13. & passim Patres: imò aliqui, vt P. Gordonus Controuers. 1. cap. 17. litteraliter hîc per mulierem intelligunt Ecclesiam, per serpentem diabolum. Verùm mulier potiùs ad litteram mulierem, mysticè Ecclesiam significat: vnde Apostolus Ephes. c. 5. v. 32. vocat hoc Sacramentum, siue, vt græcè est, mysterium Christi & Ecclesiæ. C

VERS. 16. MVLTIPLICABO] Hebraicè הַרְבָּה אַרְבֶּה *harba arbe*, multiplicando multiplicabo, id est plurimùm & certissimè multiplicabo. Hæc enim geminatio tam multitudinem, quàm certitudinem significat.

Pœna mulieris triplex. Triplex hîc pœna infligitur mulieri ob triplex eius peccatum. nam Primò, quia credidit serpenti dicenti, *Eritis sicut dij*; audit, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Secundò, quia gulosè pomum vetitum comedit, audit, *In dolore paries.* Tertiò, quia virum seduxit, audit, *Sub viri potestate eris.* ita Rupertus.

ÆRVMNAS ET CONCEPTVS] Hoc est, ærumnas conceptuum. est enim hendiadys frequens Hebræis, qualis est illa Poëtæ: *Aurum frenosq́ue momordit*, id est frænos aureos momordit. Ærumnæ hæ ante conceptum, sunt sordes & fluxus menstrui: in ipso conceptu, defloratio, pudor & dolor: post conceptum, immunditia, fœtor, retensio menstruorum, incontinens appetitus, pondus prolis per nouem menses, fastidia, spasmi, & plurima pericula, de quibus Aristoteles lib. 7. de Histor. animal. c. 4.

IN DOLORE PARIES] Cum hoc dolore coniunctum est sæpè periculum vitæ, tum matris, tum prolis, idque tam animæ, quàm corporis; estque hic dolor tantus, vt illa experta dixerit, *Malle se decies sub armis de vita decernere, quàm semel parere.* Dolor hic in muliere maior est quàm in vllo animali, propter continuarum partium difficiliorem diuulsionem, vt docet Aristoteles suprà c. 9. Hunc dolorem mulier in statu innocentiæ Dei beneficio & prouidentia effugisset. Ecce quàm parua voluptas peccati, gutta inquam mellis, quantum fel, quantos dolores in Euam omnesque posteros induxit? *Sperne voluptatē, nocet empta dolore voluptas.*

SVB VIRI POTESTATE ERIS] Non vt priùs sponte, libens, mira suauitate & concordia, sed sæpè inuita, cum summa modestia & repugnantia. Accepit enim hic vir potestatem vxorem coërcendi & puniendi. ita Molina. Hebraicè est, Ad virum הְשׁוּקָתֵךְ *teschukatech*, id est concupiscentia, discursus, vel recursus, aut, vt Septuag. & Chaldæus, Conuersio tua erit. q. d. Quidquid desiderabis, necesse erit ad virum recurras, vt illud impetres & perficias. Proinde si sapis, oculi tui semper os, oculos, nutum & propensionem viri obseruent, vt illi placeas, morem geras, eumque tibi deuincias. Si sapis, non aliud appetas, quàm quod marito placiturum scies. si pacem & quietem amas, cum marito sentias & consentias: caue ne contra stimulum calcitres. Addit Rupertus, *sub viri potestate eris.* Adeò, inquit, hoc verum est, vt secundùm leges Romanas, Gentiles licet, non licuerit vxori condere testamentum, sine viri auctoriate: & quia sub viri erat manu, capite diminuta dicebatur.

ET IPSE DOMINABATVR TVI] Dominatus hic viri, si iustus & moderatus, legis est naturæ; si imperiosus & tyrannicus, præter naturam est: sed vterque feminæ molestus, & pœna peccati est: ergo contra naturam est, & instar monstri, si femina viro dominari velit.

QVIA AVDISTI] quia obediuisti vxori potiùs quàm mihi. VERS. 17.

MALEDICTA TERRA IN OPERE TVO] Nota cum Procopio, Abulensi, Pererio, terram hic à Deo maledici non absolutè, sed *in opere tuo*, quia scilicet tibi ô Adam, eam laboranti, & sudanti paucos dabit fructus, imò sæpè tribulos & spinas, vt sequitur. *Pœna Adæ & terræ.*

Secundò, licet ante peccatum terra naturaliter spinas quoque & tribulos germinasset (quod licet negent Beda, Rupert. & alij; verius tamen esse ostendi c. 1. v. 11) illud tamen ipsum iam factum est pœna hominis peccantis: quia si Adam non peccasset, ex paradisi (in quo amœnitatis loco omnia iuuissent & recreassent hominem, nec quidquam fuisset quod eum læderet, ac consequenter in eo non fuissent spinæ) fructibus sine D vllo labore vixisset; iam autem laborans vt victum sibi paret, spinas sæpè & carduos metit, quibus non pascitur, sed læditur.

Adde Tertiò, per peccatum hoc Adæ primæua terræ bonitas & fertilitas impedita & imminuta videtur, ideoque crebriores, & pluribus in locis iam germinat tribulos & spinas, quàm ante peccatum germinabat. hoc enim factum est Cain peccanti Genes. 4. v. 12. Sic quoque Israelitis, ob peccata, Deus sæpè per Prophetas minatur cælum æneum, & terram ferream. Sic & hodie sæpè Deus vrbes & regna ob peccata sterilitate punit. Vnde Chaldæus & Aquila vertunt, *maledicta terra propter te*; & Theodotion, *maledicta terra in transgressione tua.* radix enim עָבַר *abar* significat transgredi.

Vbi Nota Quartò. Hebræa iam habent בַּעֲבוּרֶךָ *baaburecha*, id est propter te, vti vertit Chaldæus & Aquila, Noster verò cum Septuag. (ex quibus patet

patet hanc lectionem esse priscam, indeque veriorem) legit בַּעֲבוּרֶךָ baabodecha, id est in opere tuo. Literæ enim res & daleth sunt valdè similes, vt ab vna in aliam facilis sit lapsus.

Tropol S. Basil. homil. de paradiso: *Rosa*, inquit, *hic spinis est coniuncta, tantùm non aperta nos voce contestans & dicens: Quæ iucunda vobis sunt, ô homines, tristibus permixta sunt. Nam verè in humanis ita comparatum est, vt nullum eorum sincerum sit, sed confestim lætitia & hilaritati conglutinetur mœstitia, coniugio viduitas, puerorum educationi cura & sollicitudo, fœcunditati abortus, vitæ splendori ignominia, prosperis successibus dispendia, deliciis satietas, sanitati infirmitas. Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Quoties florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra vt spinas ac tribulos proferret, condemnata est.*

A

IN LABORIBVS COMEDES EX EA] Hebræum עִצָּבוֹן itsabon significat laborem mixtum magnis molestiis, ærumnis & doloribus, qualis est agriculturæ, isque varius, multiplex & continuus, quo tamen omni vix adhuc victum sibi & suis parat homo.

B

Notat Isidorus Clarius, congruè cuique suas hîc pœnas à Deo infligi: nimirum serpens arroganter se erexerat; ideo iubetur repere in terra. Mulier delicias pomi gustarat; ideo parere iubetur in doloribus. Adam ignauè cesserat mulieri; ideo in laboribus iubetur victum sibi parare. Hoc est ergo *iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium*, Eccli. 40. 1. Sub hoc iugo gemimus omnes.

EX EA] Hebraicè comedes eam, putà eius germina & fructus.

C

VERS. 18. ET COMEDES HERBAM TERRÆ] q. d. Non delicias & fructus paradisi, non etiam perdices, lepores, carnes assas & elixas, sed simplices & viles herbas terræ comedes, tum temperantiæ, tum pœnitentiæ causa. Hebræi enim herbas terræ vel agri, vocant vulgares & viles herbas, quibus bruta æquè ac homo vescuntur. Nimirum per peccatum homo factus erat quasi equus & mulus: ergo eodem cum iis cibo vescatur oportet.

Tropologiam vide apud Cassianum collat. 23. cap. 11.

VERS. 19. QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS] Septuag. *quia terra es, & in terram redibis*. Homo ergo post peccatum immedicabili quasi phthisi, putà contrariarum qualitatum pugna & corruptione laborat, quæ eum sensim absumit & enecat. Hebræum עָפָר aphar, propriè puluerem significat, sed, vt antè dixi, puluis hic, ex quo factus est Adam, fuit aqua mixtus, ideoque lutum & limus terræ, vnde & in limum cadauer hominis post mortem resoluitur. Quid ergo superbis terra & cinis? hinc patet mortem homini non esse naturæ conditionem, sed peccati supplicium. Vnde acutè S. August. in Sent. sententia 260. *Homo*, ait, *factus erat immortalis; Deus esse voluit; non perdidit quod homo erat, sed perdidit quod immortalis erat, & de inobedientia superbia, contracta est pœna naturæ* Idem patet Roman. 5. 12. & Sapient. 2. 23. S. Chrysost. putat hanc mortis sententiam mitigare illam priorem: *In labore comedes ex ea*. Quàm enim hæc pœna nobis sit vtilis, doctè ostendit Rupertus libr. 3. c. 24. & 25. vbi inter cætera ait, Primò, *ne malam mortem anima sua homo nesciens*

D

& securus vsque ad vltimi iudicij diluculum in suis voluptatibus dormiret, morte illum carnis percellit Deus, vt saltem eius instatis metu euigilet. hinc & Secundò, *diem & horã mortis voluit esse incognitam, quæ hominem semper sollicitum, semperq́, suspensum superbire non sinat.* Tertiò, ex Plotino docet misericordiæ Dei fuisse, quòd hominem fecerit mortalem, ne perpetuis cruciaretur huius vitæ ærumnis. Quartò, voluit Deus hominem viuere in laboribus,

curis acuens mortalia corda,

Nec torpere graui passus sua regna veterno.

ita Rupertus.

Quid ergo est homo? Audi Gentiles. Primò, homo est fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium, inquit Aristot. Secundò, homo est mancipium mortis, viator transiens. Tertiò, est pila qua ludit Deus, inquit Plautus. Quartò, est imbecillum corpus & fragile, nudum, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, inquit Seneca. Quintò, est corruptionis vinculum, viua mors, sensitiuum cadauer, sepulchrum circumuectibile, velamen opacum, inquit Trismegistus. Sextò, est simulacrum & tenuis vmbra, inquit Sophocles. Septimò, est vmbræ somnium, inquit Pindarus. Octauò, est exul & incola miseri mundi. quid enim iam est mundus, nisi scrinium dolorum, schola vanitatis, forum impostorum? vt dixit quidam Philosophus. *Mor. quid est homo.*

Quid est homo? Audi fideles, sapientes & prophetas. Primò, homo est sperma fœtidum, saccus stercorum, esca vermium, inquit S. Bernard. Secundò, homo est ludibrium Dei, inquit Zeno Imp. fugiens audita suorum clade. Tertiò, homo est stilla situlæ, est locusta, est momentum stateræ, est gutta roris antelucani, est fœnum, est flos, est nihilum & inane, vt ait Isaias c. 40. v. 6 15. 17. 22. Quartò, est vniuersa vanitas, vt ait Psaltes psal. 38. v. 6. Quintò, est nuncius præcurrens, est nauis pertransiens, est auis transuolans, est sagitta emissa, est fumus, est lanugo, est spuma gracilis, est hospes vnius diei, Sapient. 5. v. 9. Sextò, est puluis & cinis, vt ait Abraham Genes. 18. 27. Septimò, *homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet*, Iob 14. v. 1. Disce ergo, ô homo, tam teipsum, quàm mundum contemnere. Audi S. August. in Sentent. sent. vltima: *Diuitiis flores, & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria & pulchritudine corporis, & honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur: respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. circumspice eos qui ante te similibus splendoribus fulsere: vbi sunt quos ambiebant ciuium potentatus? vbi insuperabiles imperatores? vbi qui conuentus disponebant & festa? vbi equorum splendidi inuectores? vbi exercituum duces? vbi satrapæ tyrannici? nunc omnia puluis, nunc omnia fauilla, nunc in paucis versibus eorum memoria est. Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis dominus, quis pauper, quis diues? discerne si potes, vinctumà rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque naturæ ne extollaris aliquando: memor autem eris, si teipsum respexeris.*

Ita Zosimas redeunte Paschate reuertens ad locum à S. Maria Ægyptiaca conditum, eam iacentem & mortuum reperit, ac pone in terra scriptum: *Sepeli Abba Zosima, misera Mariæ corpusculum:*

terram redde terræ, & puluerem pulueri. Cumque ligonem non haberet, affuit leo, qui vnguibus terram effodit, fecitque fossam, in qua Zosimas Sanctæ corpus sepeliuit.

VERS. 20. ET VOCAVIT ADAM NOMEN VXORIS SVÆ HEVA] *Vocauit* postquam eiectus est paradiso: nam statim post peccatum Deique sententiam paradiso est eiectus. Est ergo hîc prolepsis siue anticipatio.

HEVA] Hebraicè est חַוָּה *chaffa*, id est viuens, aut potiùs viuificans, à radice חָיָה *chaia*, id est vixit: *eò quòd* futura *esset mater cunctorũ viuentium.* Vnde Septuag. pro Heua vertunt, ζωὴ, id est vita. Ab Hebræo *chaia*, vel *chaua*, id est vixit, descendit Imperatiuus חֲוֵה *chaue*, vel *haue*, id est, viue, quæ vox est salutantis, & bene precantis. q.d. χαῖρε, ὑγίαινε Pro *haue* Latini dicunt, *aue*; & Pœni, *hauo*. Vnde illud Plauti in Pœnulo: *Hauo* (id est aue, salue) *cuiates estis? aut quo ex oppido?* Ita noster Serarius in Iosue caput 2. quæst. 25.

Nota, Rabbinos perperam subiecisse puncta in *chaffa*: punctandum enim & legendum est חֵוָה *Cheua*, vel *Heua*; ita enim legerunt Septuag Noster, & alij. Sic Rabbini imperitè pro *Cyrus* legunt *Cores*, pro *Darius Dariaues*.

Hoc nomine *Heua* se & vxorem, ad mortem à Deo damnatos solatur Adam, quòd per Euam gignet posteros viuentes, in quibus & ipsi, licet morituri, tamen quasi parentes in filiis victuri sint perenniter.

Hinc Eua typus fuit B. Mariæ, quæ mater est viuentium, non temporali, sed spirituali & æterna vita in cælo, ita S. Epiphan. hæres 78. Melior ergo mater est Maria quàm Eua. Eua enim tam morientium, quàm viuentium cunctorum mater est, & vocari potest. vnde Lyran. & Abulensis, Eua, inquiunt, significat matrem omnium, non simpliciter, sed ærumnosè & miserè in hac mortali vita viuentium. Hinc piè aliqui contemplantur aptè vocari Euam, quasi hoc nomen alludat ad eiulationem paruulorum ex Eua prognatorum. masculus enim recenter natus eiulando dicit a, femina verò dicit e. q.d. Dicent e vel a quotquot nascentur ab Eua. Rursum Eua per anastrophen & apocopen latinè est *ve*; per solam anastrophen est *aue*, quod B. Virgini salutando detulit Gabriel Archangelus.

VERS. 21. FECIT QVOQVE DEVS ADÆ ET VXORI EIVS TVNICAS PELLICEAS] Nota hîc disparem genium diaboli & Dei. diabolus hominem voluptatula aliqua supplantat, mox eum in profundo miseriæ & confusionis iacentem destituit, vt sit miserabile omnibus, qui eum vident, spectaculum: at Deus miserabili licet hosti suo, succurrit, eum vestit & tegit. Origenes hîc non veras tunicas pelliceas, sed carnalia & mortalia corpora intelligit, quibus post peccatum Adam & Eua induti sunt. ridiculum enim, ait, est dicere, quòd Deus fuerit Adæ coriarius & pellium sutor. Verùm hic est error: hæc enim verba historicè & litteraliter, vt sonant, sunt accipienda, vti docet S. August lib. 11. de Genes. ad lit. c. 39. imò ipse Orig. homil. 6. in Leuit. *Talibus*, inquit, *oportebat indui peccatorem*, pelliceis scilicet tunicis, *quæ essent mortalitatis, quam primo peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Theodorus Heracleotes & Gennadius putant arborum cortices hîc vocari pelles, indeque vestes

A Adæ esse factas. Verùm hoc meritò refellit Theodoret. q. 39. Pelles has Deus non creauit ex nihilo, vt vult Procopius, sed eas vel angelorum ministerio animalibus occisis detraxit (non enim vnum par in quaque specie, vt vult Theodor. sed plura initio creauit Deus;). vel aliunde subitò transmutauit & efformauit.

Rursum pelles hîc naturales, scilicet cum villis & pilis intellige: hoc enim innuit Hebræum עוֹר *or*, & Latinum *pelliceas.* idque Primò, vt hæ vestes tam hieme, quàm æstate sola inuersione Adamo & Euæ seruirent. Secundò, quia non ad ornatum datæ sunt, sed ad necessitatem, vt nimirum nuditatem tegerent, & aëris iniurias arcerent. Tertiò, quia hæ vestes symbolum erant non tantùm verecundiæ, sed & frugalitatis, conti- *Cur Adam vestitus pellibus.*

B nentiæ ac pœnitentiæ. Non purpura, non panno, sed pellibus quasi cilicio Deus homines post peccatum vestiuit, vt doceret similem simplicem nobis debere esse vestitum. Hinc SS. Quadraginta milites & Martyres apud S. Basilium à præfecto nudati, & in gelidum stagnum coniecti, vt eius frigore necarentur, hac se voce animabant: *Non amictum*, inquiunt, *exuimus, sed hominem veterem, concupiscentia deceptione corruptum. gratias agimus tibi Domine, quòd cum isto amictu, simul & peccatum exuere licet: quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum verò exuimus.* ita frigore penè enecti flammis traduntur, angelis è cælo coronas eorum triumphales ostentantibus. Quartò, hæ vestes è mortuorum pellibus factæ monebant Adamum, eum mortis fuisse reum. ita S. August. libr. 2. de Genes. contra Manich. c. 21. Alcuinus, & alij.

C Allegoricè, Adam vestitus typus fuit Christi, qui licet purus esset & sanctus, indui tamen voluit pellibus, id est vestiri peccatis nostris, dum habitu inuentus vt homo, in similitudinem carnis peccati factus est. Quid ergo, ô homo gloriaris in veste serica? vestis enim est nota & stigma peccati; perinde vt compedes, vt catenæ siue ferreæ, siue æneæ, sunt symbola & vincula furum & malefactorum. Talis fuit vestis primorum Romanorum Senatorum, de qua Propertius:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

ECCE ADAM QVASI VNVS EX NOBIS FACTVS EST] *Hoc*, ait S August. lib. 2. de Genesi contra Manich c. 22. *dupliciter intelligi potest: vel Vnus ex nobis, quasi & ipse Deus, quod pertinet ad insultationem; sicut dicitur, Vnus ex senatoribus, vtique senator. aut* VERS. 22.

D *certè, quia & ipse Deus esset, quamuis creatoris sui beneficio, non natura, si sub eius potestate manere voluisset; sic dictum est, Ex nobis, quomodo dicitur, Ex consulibus, aut proconsulibus, qui iam non est.* Addit deinde S. August. *Sed ad quam rem factus est tamquam vnus ex nobis? ad scientiam scilicet dinoscendi boni & mali, vt iste per experimentum discederet dum sentit malum, quod Deus per sapientiam nouit: & potestatem illam Omnipotentis, quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse ineuitabilem.* Prior sensus germanior est; eum enim exigit τὸ *factus est.* Est ergo ironia & sarcasmus. q.d. Voluit Adam nobis per esum pomi fieri similis, en quàm factus est dissimilis; voluit scire bonum & malum, en in quale ignorantiæ barathrum corruit. ita Gennad. Theodoretus & Rupertus, qui ait: *Adam quasi vnus ex nobis factus est, vt iam non simus nos Trinitas, sed quaternitas: quamquam non cum Deo Deus, sed contra*

contra Deum affectauerit esse Deus. Sunt hæc verba Dei Patris non ad angelos, vt vult Oleaster & Abulensis; sed ad Filium & Spiritum sanctum, vt patet, itaque intelligit ipse Abulensis in c.13. q.486.

NVNC ERGO] supple cauendum est, vel expellendus est ex paradiso. Est aposiopesis.

ET VIVAT IN ÆTERNVM] sed moriatur, iuxta sententiam in eum latam c.2.v.17. mors hæc pœna est homini, est & pœnæ abbreuiatio. mos enim Dei est, ait S. Chrysost. hîc, vt puniens non minùs quàm benefaciens, suam erga nos declaret prouidentiam. q.d. ait Rupertus: *Homo quia miser est, fit etiam temporalis, itaq; fit dissimilis tam Deo, quàm diabolo. Deus enim & æternus est & felix, & est eius æterna felicitas, felix æternitas. horum alterum, id est felicitatem, perdidit diabolus; æternitatem verò non amisit; & est eius æterna infelicitas, infelix æternitas. Parcamus, inquit Deus, homini; & quia felicitatẽ perdidit, æternitatẽ quoque præripiamus infelici; vt in neutro sit quasi vnus ex nobis. Nobis est æterna felicitas, felix æternitas; sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas; & tunc illi commodiùs reformetur æternitas, cùm fuerit recuperata felicitas.*

VERS. 23. ET EMISIT EVM] Hebraicè est וַיְשַׁלְּחֵהוּ *iescallechehu* in piel, id est eiecit, expulit eum. Septuaginta addunt, *& collocauit eum è regione*, seu *in conspectu* (hoc enim est ἀπέναντι) *paradisi*; scilicet vt eius aspectu bonum amissum assiduè lugeret, & acriùs pœniteret.

Nota. Emisit Deus Adam per angelum, qui eum vel manu eduxit, vti Raphael Tobiam; vel abripuit, vti rapuit Habacuc ex Iudæa in Babylonem, vt ferret prandium Danieli. ita S. August. & Abulens. qui addit, angelum ex paradiso Adamum transtulisse in Hebron, vbi creatus fuerat, vixit, & postea sepultus est.

Quo die peccarit Adam? Quæres, quo die hoc sit factum? Abulensis putat Adamum peccasse, & expulsum esse ex paradiso altero die à creatione sua, id est sabbato. Pererius octauo die, idque hoc fine, vt interim aliquot dierum interuallo beatum illum in paradiso statum experiretur. Alij quadragesimo die: vnde Christus pro hac Adæ gula totidem, id est quadraginta, diebus ieiunauit. Alij trigesimo quarto anno; sicuti triginta quatuor annos Christus vixit, & peccatum hoc expiauit.

Verùm communiter Patres, S. Irenæus, Cyrillus, Epiphan. Sarugensis, Ephrem, Philoxenus, Barcepha, & Diodorus apud Pererium, tradunt Adamum eodem die quo creatus est peccasse, & paradiso eiectum esse, scilicet feria sexta die Veneris; imò sub eamdem horam, qua Christus in cruce mortuus est extra Ierusalem, & latronem nosque omnes paradiso restituit. Huic sententiæ fauet series Scripturæ: nam ex v.8. patet, hæc contigisse post meridiem remittente se æstu, & leni aura afflante. Fauet & inuidia diaboli, quæ non permisit diu Adamum stare. Fauet & perfectio naturæ in qua conditus est Adam, per quam ipse, vti & angelus, statim se resoluit, & alterutram partem elegit. Denique si diu in paradiso fuisset, vtique ex arbore vitæ comedisset.

Adam die Veneris paradiso pulsus est: vnde & Christus die Veneris patiendo nos paradiso restituit.

Sicut ergo Christus eodem loco, scilicet in monte Caluariæ, voluit crucifigi, in quo sepultus erat Adam; ita ipse diem peccati & exilij nostri tunc notauit, damna diei vt solueret & dependeret.

Addunt S. Ephrem apud Barcepha in fine libri 1. de Paradiso, Philoxenus & Iacobus Sarugensis, Adamum creatum esse hora nona matutina, & paradiso expulsum esse hora tertia pomeridiana, itaque in paradiso tantùm sex horas commoratum esse.

VERS. 24. ET COLLOCAVIT ANTE PARADISVM VOLVPTATIS CHERVBIM, ET FLAMMEVM GLADIVM ATQVE VERSATILEM] Quæres, qui sint Cherubim, quis gladius hic?

Qui Cherubim & flammeus gladius?

Prima sententia. Primò, Tertullianus in Apologetico, & D. Thomas 2.2. quæst.165. art. vlt. putant esse zonam torridam, quæ ob æstum imperuia est; quam proinde Deus, inquiunt, inter hasce nostras regiones & paradisum interposuit.

Secunda. Secundò, Lyranus & Tostatus volunt hæc esse ignem vndique paradisum ambientem. Idem censent multi Patres citandi in fine huius capitis.

Tertia. Tertiò, Theodoretus & Procop. censent esse μορμολύκια, & spectra quædam terribili forma, qualia terriculamenta contra aues ponuntur in hortis.

Quarta & vera. Verùm dico, hæc omnia propriè vt sonant accipienda esse, nimirum quòd angeli ex ordine Cherubim positi sint ante paradisum, vt eius aditu prohiberent tum Adam & homines, tum etiam dæmones; ne scilicet ipsi paradisum ingressi fructum arboris vitæ decerperent, quem hominibus offerrent, pollicentes eis immortalitatem, vt hac ratione eos ad sui amorem & cultum pellicerent. ita S. Chrysost. August. Rupert. & alij.

Nota Primò. Cherubim potiùs, quàm Thronis, Virtutibus, aut Principatibus custodia paradisi demandata est: quia Cherubim sunt vigilantissimi & perspicacissimi; vnde à scientia vocantur Cherubim, ideoque aptissimi sunt vindices omniscientiæ Dei, quam ambierat Adam. Hinc patet, angelos superiores quoque mitti ad terram, vti ostendi Hebr.1.v.vlt.

Nota Secundò. Videntur hi Cherubim fuisse humana forma induti, nam habent & vibrant flammeum gladium, & in omnes partes versatilem, vt eo feriant eos qui paradisum ingredi volent.

Nota Tertiò. Pro *flammeum gladium* hebraicè est לַהַט הַחֶרֶב *lahat hachereb*, id est flammam gladij. Vnde incertum est an gladius hic fuerit flamma, habens formam & speciem gladij; an verò reuera fuerit gladius, sed igne candens, fulgurans, & quasi flammas vomens.

Nota Quartò. Ablatus est & cessauit hic gladius, vti & Cherubim, quando paradisus desiit, putà in diluuio.

Alleg. flammeus gladius est ignis Purgatorij. Allegoricè, vt S. Ambros. ad illud psal.118. *Retribue seruo tuo, & viuam*, & Rupertus l.3 c.32. hic flammeus gladius est ignis Purgatorij, quem ante paradisum cælestem morientibus, necdum in hac vita planè purgatis, posuit Deus: indeque Cherubim, id est angeli, animas planè purgatas in paradisum, putà in cælum, educunt. Imò S. Ambrosius, Origenes, Lactantius, Basilius, Rupertus ex hoc loco putant ante cælum positum esse ignem, quem omnes animæ, etiam S Petri & Pauli, post mortem transire debeant, vt eo examinentur; &, si impuræ reperiantur, vt per eum purgentur. de quo dixi 1. Corinth.3.15.

Moral. Nota. Sex pœnæ inflictæ sunt Adæ, (cum Eua) & posteris eius, quæ congruè respondent

dent sex eius peccatis. Primum eius peccatum A fuit inobedientia: ob hanc sensit carnis & sensus rebellionem. Secundum fuit gula: ob hanc punitus fuit labore & fatigatione. *In sudore*, inquit, *vultus tui vesceris pane tuo.* Tertium fuit furtum pomi: ob hoc punitus fuit carnis dolore, putà fame, siti, frigore, calore, morbis, &c. *Multiplicabo*, inquit, *ærumnas tuas.* Quartum fuit infidelitas, qua discredidit Deo, & credidit dæmoni: ob hanc punitus fuit morte, qua anima discedit & separatur à corpore. Quintum fuit ingratitudo: ob hanc priuari meruit sua substantia, quam à Deo acceperat, & incinerari. *Puluis*, inquit, *es, & in puluerem reuerteris.* Sextum fuit superbia: per per hanc meruit priuari paradiso, cælo & cælitibus, atque detrudi in tartara.

Ex dictis patet, peccatum Adæ, si primam & propriam speciem peccati spectes, non fuisse omnium grauissimum. fuit enim inobedientia legis positiuæ Dei: hac autem grauior est blasphemia, odium Dei, obstinata impœnitētia, &c. Quare grauiùs peccarunt Arrius, Lutherus, Iudas, & alij, quàm Adam. Si tamen damna ex hoc peccato consecuta spectes, fuit Adæ peccatum omnium grauissimum: per hoc enim ipse se & omnes suos posteros perdidit, adeoque quicumque damnantur, propter hoc peccatum vel immediatè, vel mediatè damnantur: & hac ratione hoc peccatum dici potest irremissibile; quia in omnes posteros eius culpa & pœna transit, nec id remitti aut impediri vllo modo potest.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ADam gignit Cain & Abel. Secundò, v.8. Cain occidit Abel, ideoq; à Deo maledicitur, fitq; profugus. Tertiò, v.17. recensetur progenies Cain. Quartò, v.25. Adam gignit Seth, & Seth Enos.

1. ADam verò cognouit vxorem suam Heuam: quæ concepit & peperit Cain, di-
cens; Possedi hominem per Deum. 2. Rursumque peperit fratrem eius
Abel. Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. 3. Factum est autem post
multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. 4. Abel quoque
obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel
& ad munera eius. 5. Ad Cain verò, & ad munera illius, non respexit: iratusque est
Cain vehementer, & concidit vultus eius. 6. Dixitque Dominus ad eum: Quare
iratus es? & cur concidit facies tua? 7. Nónne si bene egeris, recipies: sin autem
malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominabe-
ris illius. 8. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent
in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum. 9. Et ait
Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Num custos fratris
mei sum ego? 10. Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat
ad me de terra. 11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum,
& suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. 12. Cùm operatus fueris eam, non
dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram. 13. Dixitque Cain ad
Dominum: Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear. 14. Ecce eiicis me
hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis
igitur qui inuenerit me, occidet me. 15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita
fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitq; Dominus Cain si-
gnum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. 16. Egressusq; Cain à fa-
cie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden. 17. Cogno-
uit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuita-
tem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui, Henoch. 18. Porro Henoch genuit
Irad, & Irad Mauiaël, & Mauiaël genuel Mathusaël, & Mathusaël genuit Lamech.
19. Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. 20. Genuitq;
Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. 21. Et nomen
fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara & organo. 22. Sella quoque ge-
nuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò
Tubalcain, Noema. 23. Dixitq; Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ: Audite vo-
cem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in
vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. 24. Septuplum vltio dabitur
de Cain: de Lamech verò septuagies septies. 25. Cognouit quoque Adam vxorem
suam: & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen
aliud pro Abel, quem occidit Cain. 26. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit
Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.

COGNO-

Vers.1. Cognovit] Hoc verbo Scriptura honestè significat copulam carnalem: quia enim Hebræi virginem vocant עלמה *alma*, id est absconditam & incognitam viro; hinc eam corrumpere, vocant eam cognoscere, vel reuelare eius turpitudinem, vt patet Leuit.18.

Adam in paradiso mansit virgo.

Aliqui Rabbini cum nostris hæreticis putant, Adamum in paradiso cognouisse Euam. Sed ex hoc loco communiter Patres docent contrarium, scilicet Adam & Euam in paradiso mansisse virgines. Hîc enim post eiectionem è paradiso, prima copulæ eorum fit mentio. *Nuptiæ*, ait S.Hieron. lib.1. contra Iouin. *terram replent, virginitas paradisum.* Videtur ergo hæc prima extra paradisum fuisse Adæ & Euæ generatio, ac consequēter Cain fuit eorum primogenitus. Id enim insinuat vox Euæ, eum parientis: *Possedi hominem per Deum.* q.d. Iam primum peperi filium, factaque sum mater hominis.

Probabiliter censet Torniellus in Annal. Cain genitum esse mox post expulsionem Adæ & Euæ è paradiso, scilicet primo anno mundi, & Adæ: tum quia Adam & Eua creati sunt in statura perfecta, & habili ad generandum: tum quia post peccatum mox acres libidinis & copulæ stimulos senserunt: tum quia ipsi erant soli in mundo, & per eos Deus volebat statim propagari & multiplicari toto orbe genus humanum. Vnde sequitur, Cain occidisse Abel anno ætatis 130. scilicet paulò ante ortum Seth. Seth enim illo anno natus est, vt patet cap.5.v.3. Quocirca improbabile est, quod censent aliqui, Adamum & Euam lugentes suum peccatum & lapsum, per centum annos abstinuisse vsu coniugij, centesimo verò anno copulatos genuisse Cain, & mox Abel: vnde Cain anno trigesimo ætatis occidisse Abel, ideoque mox loco Abelis Adamum genuisse Seth, anno mundi 130. vt videtur c.5.3. Hoc, inquam, est improbabile: sciebat enim Adam se esse constitutum à Deo, vt esset seminator & propagator generis humani. sciebat insuper se à Deo damnatum ad mortem, breuique moriturum. sciebat incertam esse diem mortis suæ. Quis ergo credat eum centum annis generatione & propagatione sui generis abstinuisse, cùm nesciret an centum annis esset victurus? Æquè improbabilis & fabulosa est visio, quam S.Methodio Martyrij falsò attribuit Petrus Comestor in Scholast. histor. Genes. c.25. Quòd scilicet Adam & Eua, anno ætatis, æquè ac mundi decimo quinto, genuerint Cain, & sororem eius Calmanam: anno verò trigesimo, genuerint Abelem, & sororem eius Delboram: anno verò 130. Cain occiderit Abel, quem parentes eius planxerint centum annis, & post planctum genuerint Seth, anno ætatis & mundi 230. vt habent Septuag. Nam præter iam dicta, est hic in numeris apud Septuag. manifestus error, & pro 230. legendum 130. vt habent Hebr. Chald. Latina.

Peperit Cain dicens: Possedi hominem] *Cain* hebraicè idem est quod possessio, à radice קנה *kana*, id est *possedit*. Arabicus vertit, *lucrata sum per Deum virum.* Ludit ergo Goropius Becanus, qui nomen Cain à lingua Flandrica accersit, quasi Cain idem sit quod *quaet eynde*, id est malus finis vel exitus. Itaque Cain hebraicè idem est quod possessio. est enim filius quasi parentum possessio & supellex: vnde iure naturæ est patris in filium potestas: hinc patres vocantur domini, Matth.11.v.25. Ecclesiast.23.1. Hinc factum est, vt Persæ (teste Aristotele in Politic.) liberis vterentur quasi seruis. Hinc etiam Sclaui (teste Accursio) filios arbitrio suo vendebant & occidebant. Dicit ergo Eua, *Possedi hominem, sed per Deum.* q.d. Natus est mihi filius quasi possessio mea; sed idem potiùs est Domini possessio, & hereditas mihi à Deo donata. ita S.Chrysost. *Non* (inquit Eua) *natura mihi puerum dedit, sed diuina gratia.* Sic Iacob ad Esau: *Paruuli*, inquit, *sunt, quos donauit mihi Deus*, Genes.33.5. Discant hîc parentes, proles esse dona Dei.

Proles sunt dona Dei.

Tropol. *Cain dictus est acquisitio, quòd omnia sibi acquireret; Abel, qui omnia referret ad Deum* (Abel enim S. Ambrosio dictus est quasi הב אל *ha bel*, id est, *dans Deo* omnia, vtpote quæ accepit ab eo) *nihil sibi arrogans*, ait S.Ambros. lib.1. de Cain & Abel cap.1. Cain ergo significat arrogantes, qui omnia suo ingenio attribuunt: Abel humiles, qui omnia Deo datori accepta referunt. Et cap.2. *Per Abel*, inquit, *intelligitur populus* Christianus (sicut per Cain Iudæi parricidæ Christi & Prophetarum) *adhærens Deo, sicut & Dauid ait: Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Et c.4. docet Cain esse typum malitiæ, Abel virtutis. Significatur ergo quòd Cain, id est, *malitia præcedat tempore, sed inuenescat infirmitate. Habet illa ætatis stipendium, virtus autem prærogatiuam gloriæ; quam plerumque iusto cedit iniquus*; sicut Cain cessit Abeli in fauore & honore apud Deum.

Per Deum] Præpositio *per* non est iurantis, sed gratulantis, & auctorem generationis agnoscentis. Hebraicè est את יהוה *et adonai*. Isidorus Clarius putat *et*, hîc esse articulum accusatiui, ideoque vertit, *Possedi hominem Deum*, quasi Eua hæc dixerit in spiritu præuidens, Christum, qui Deus est & homo, ex se nasciturum. Verùm quid hoc ad Cain? nec enim ex Cain, sed ex Seth natus est Christus. Vox ergo את *et*, hîc non est articulus, sed præpositio significans *cum, coram*. Vnde Chaldæus vertit, *coram Domino*; alij, *cum Domino*: quod Noster clariore sensu expressit vertens, *per Dominum*, putà *per Deum*.

Vers.2. Rursumque peperit] Rabbini, & ex eis Caluinus, putant ex eodem conceptu Euam peperisse gemellos, Cain & Abel, quia hîc in Abel non repetitur verbum *concepit*, sed tantùm *peperit*: vnde idem extendunt ipsi ad alias illius ætatis generationes, putantque Euam, aliasque feminas initio mundi semper peperisse geminos, vt homines eo citiùs multiplicarentur. Sed hæc temere & sine fundamento asseruntur. Moses enim hîc compendio vtitur, & in verbo *peperit* præsupponit & subaudit verbum *concepit*. Nemo enim parit nisi quæ antè concepit. Spiritus sanctus enim hîc non conceptus, sed partus & proles hominum primorum recensere intendit.

Abel] Iosephus & Eusebius Abel interpretantur luctum. quasi הבל *Hebel*, id est Abel, idem sit quod אבל *Ebel*, vt he ponatur pro *aleph*: quia Abel primus mortalium sua morte ingentem luctum attulit parentibus, inquit Eusebius lib.11. de Præpar. c.4. Verùm propriè Abel, vel, vt hebraicè dicitur *Hebel*, significat vanitatem. Vnde Ecclesiastes ait: הבל הבלים הכל הבל *hebel habalim col habel, vanitas vanitatū & omnia vanitas.* Videtur mater Eua præsagijsse Abeli celerē necem, aut certè

Abel idem est quod vanitas.

memor se cum posteris ad mortem paulò antè damnatam, vocauit eum Abel, id est vanitas, q d. *Vniuersa vanitas est omnis homo viuens*, atque possessio hominis similis est vanitati; quia *in imagine* (instar vmbræ) *pertransit homo*. ita Rabanus, Lipomanus, & alij.

Abel mortuus est virgo.

Abel mansisse & mortuum esse virginem docent contra Caluinum communiter Patres: idque colligunt ex eo, quòd Scriptura non meminerit vxoris & prolium eius, sicut meminit vxoris & prolium Cain. ita S. Hieron. Basilius, Ambrof. & alij. Hinc ex Abel, hæretici quidam nominati sunt Abeliani, vel Abeloitæ, qui instar Abel vxoribus non miscebantur, sed filios vicinorum adoptabant, & heredes sibi asciscebant, nimirum puerum & puellam simul. ita S. August. lib. de Hæres. hæresi 87. tom. 6.

VERS. 3. POST MVLTOS DIES] post multos annos. S. Ambros. lib. 1. de Cain c. 7. hoc tribuit culpæ: *Duplex*, ait, *culpa Caini: vna quòd post dies obtulit, altera quòd non ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur, & gratia*, &c.

VT OFFERRET CAIN DE FRVCTIBVS TERRÆ] secundos scilicet & viliores fructus: hi enim vocantur in Scriptura fructus terræ. Primos ergo & meliores fructus sibi reseruabat Cain. opponitur enim Abelo, qui obtulit Deo primogenita. & *de adipibus*, id est optima & pinguissima gregis sui: quia ingenti fide, reuerentia & amore prosequebatur Deum. ita S. Ambros. lib. 1 de Cain & Abel c. 7. & 10. *Obtulit*, inquit, *à fructibus terræ, non à primis fructibus primitias Deo. Hoc est primitias sibi prius vendicare, Deo autem sequentia deferre. Itaque cùm verè anima corpori, tamquam seruo domina sit præferenda, vtique primitias eius, hoc est animæ, priùs quàm corporis offerre debemus.* Addit Abelem liberalem, animalia; Cainum auarum, fruges terræ duntaxat obtulisse. Idem lib. 2. c. 5. ait Abelem à Deo prælatum Caino, eò quòd pinguiora gregis offerret, *sicut Dauid docet dicens: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. &, Holocaustum tuum pingue fiat; hoc docens acceptabile esse sacrificium, quod pingue, quod nitidum, & quodam pabulo fidei ac deuotionis, verbique cælestis vberiore alimonia saginatum est.* Et c 6. *Noua igitur fides renouatorum, valida, pubescens, incrementum virtutis acquirens; non remissa, non fessa, non senio quodam marcida, & vigore ignaua, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam virenti germine sapientiæ, & iuuenili diuina cognitionis feruore pubescat.* Abelis est hæc vox:

Sacrum pingue dabo, non macrum sacrificabo.

Caini ex aduerso hæc:

Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum.

Docet S. Athanasius in illud, *Omnia mihi tradita sunt*, Cain & Abel à patre Adamo didicisse religionem & ritum sacrificandi; vnde sequitur, primò omnium Adamum sacrificasse.

Mor. Philo lib. de sacrific. Abelis & Cain, *Sicut*, ait, *Cain de fructibus, & non de primitiis Deo sacrificium obtulit, sic sunt multi qui dant primatum creaturæ, secundarium honorem numini*, v. g. Qui ex frugibus peiores dant pro decimis; qui proles stupidas, turpes, mancas, inertes dant Religioni; pulchras & ingeniosas coniugio.

VERS. 4. RESPEXIT DOMINVS AD ABEL ET AD MVNERA EIVS] Primum fuit causa secundi. ideo enim placuerũt Deo munera Abel, quia placuit ipse Abel. Sacrificia enim vetera non placebant Deo ex opere operato, vti placet sacrificium legis nouæ, sed tantùm ex opere operantis. Vnde Rupertus lib. 4. in Genes. c. 2. sic ait: *Apostolus dicit* (Hebr. 11.) *fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus*, &c. *Fide, inquit, plurimam. nam cultu, vel religione, parem vterque obtulit, & proinde vterque rectè obtulit; sed non rectè diuisit. Nam Cain cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens cor in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit, sed per se inquit* (Prouerb. 23.) *Fili præbe cor tuum mihi. Porro Abel primò cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam per fidem obtulit.* Fidem hanc explicat cap. 4. vbi docet Abelem hoc suo sacrificio præsignasse & præcucurrisse sacrificium Christi in Eucharistia. *Quia verè*, inquit, *sacrificium, quod illa nocte Pontifex noster Iesus Christus instituit, quamuis exteriori specie panis sit & vinum, in veritate agnus est Dei, primogenitus omnium agnorum vel ouium, quæ pertinent ad caulas cæli, ad pascua paradisi.* Verè S. August. (vel quisquis est auctor, non enim videtur esse hoc opus S. Augustini) lib. 1. de Mirabil. S. Script. cap. 3. Iustitia, ait, triplex in Abel fuit: Prima, virginitas, non generando; Secunda, sacerdotium, munera Deo placita offerendo; Tertia, martyrium, proprium sanguinem effundendo. cui primam figuram Saluatoris gestare conceditur, qui virgo, martyr & sacerdos esse videtur. Et paulò antè: *Abel*, inquit, *totius humanæ iustitiæ princeps, in ipso mundi principio sanguinis sui tripudio coronatus martyrio arripitur.* Et mox: *Huic Abel Dominus Iesus Christus primatum iustitiæ hominum commisit, ita inquiens: A sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ*, Matth. 23. 35.

Nota. Pro *respexit*, hebraicè est יִשַׁע *iissa*, quod Symmachus vertit, ἐτέρφθη, *delectatus est*; Aquila, *consolationem accepit*; Chaldæus, *suscepit cum beneplacito*. Propriè *iissa* significat respexit, à radice שָׁעָה *scaa*; sin legas aliis punctis יִשַׁע *iasca*, significat, delectatus est, à radice שָׁעַע *scaa*, per duplex *ain*. & ita legit Symmachus, & Aquila.

Per ignem ostēdit Deus sibi placere sacrificium Abelis.

Quæres, quo signo declararit Deus sibi placere oblationes Abelis, non autem Cain? Respondeo, Communiter tradunt Patres, Deum id igne de cælo misso in sacrificium Abelis, non autem Caini, declarasse: ignem enim hunc combussisse & consumpsisse sacrificium Abelis, Caini verò sacrificium intactum reliquisse.

Rident hoc Lutherus & Caluinus, quasi Iudaicas fabulas. Verùm id ipsum asserunt & tradunt S. Hieron. Procopius, Cyrillus hîc, Chrysost. Theophyl. Oecumen. in c. 11. ad Hebr. v. 4. & Cyprian. orat. de natiuitate Domini. Vnde & Theodotion vertit, ἐνεπύρισεν, *inflammauit Dominus super Abel & sacrificium eius, super Cain non.* Hoc enim eodem ignis & conflagrationis victimæ signo solet Deus probare & acceptare sacrificia, vt Gedeonis Iudic. c. 6. 21. Manue Iudic. 13. 20. Aaronis Leuit. 9. 24. Eliæ 3. Reg. 18. 38. Dauidis 1. Paralip. 21. 26. Salomonis 2. Paral. 7. 1. Nehemiæ 2. Machab. 1. 32.

VERS. 5. AD CAIN AVTEM ET AD MVNERA ILLIVS NON RESPEXIT] non inflammauit ea. Ita narrat Nazianz. orat. 1. in Iulian. duos nepotes Constantij Imper. Gallum & Iulianum, volentes exstruere templum supra tumulum Mamantis Martyris, inter se diuisisse opus, sed partem illam quæ exstrue-

Nazianz. comparat Iulianum & Gallum Caino & Abeli.

exstruebatur à Gallo, verè pio & fideli, felicissimè A processisse: partem autem quæ exstruebatur à Iuliano, qui apostata futurus, iam mente corruptus erat, non potuisse vmquam coalescere, quòd terra contremiscens omnia quasi remoueret: quia Martyr noluit honorari ab eo, à quo collegas suos contumelia afficiendos præuidebat: & quia Deus qui corda intuetur, opus Galli, tamquam Abelis sacrificium, admisit; opus verò Iuliani, tamquam sacrificium Caini, abiecit, inquit Nazianz. Præclarè S. Cyprian. tract. de orat. Domin. Non, inquit, Caini & Abelis *munera Deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iustus dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordia pace. Meritò ille, dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, vt martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloria Dominicam passionem, qui & iustitiam Domini habuerat & pacem.* B

VERS. 6. CVR CONCIDIT FACIES TVA?] cur mœrore, ira, odio, inuidia in fratrem contabescis, eaque vultus tristitia & deiectione prodis? cur liuidis & deiectis in terram oculis parricidium incipis meditari? ita Rupertus. Vnde Arabicus vertit, *contristatus est vultus eius.*

VERS. 7. NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES?] tum quietem & gaudium cōscientiæ, tum fauorem meum, vtque simili signo, putà igne de cælo misso, attester te tuaque sacrificia mihi placere, sicuti testatus sum Abeli; quod te nunc ita cruciat. tum denique bona præsentia & æterna recipies. hæc enim omnia virtutis sunt merces.

Pro *recipies* hebraicè est שְׂאֵת *seet*, quod significat ferre, eleuare, portare, recipere; rursum, remittere. Vnde Chaldæus vertit, *dimittetur tibi*, scilicet inuidia & impietas tua; Septuaginta vertunt, *nónne si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti? quiesce.* quod S. Ambros. Chrysost. August. sic exponunt: Quia in recta, inquiunt, diuisione prima secundis, cælestia terrenis præferenda sunt: Cain autem primas sibi, secundas dabat Deo, ideoque non rectè cum Deo diuisit. Tertiò, alij sic vertunt, *nónne si bene egeris, attolles?* subaudi vultum. q.d. Nónne incedes recto vultu, viuesque in gaudio & lætitia? vnde & Vatablus vertit, *nónne si bene egeris, exaltatio erit tibi?* q.d. Tu videris dolere, quòd frater tuus sit clarus, & euectus supra te; at si studueris bene facere, attolleris vt ille; sin autem malè egeris, statim in foribus peccatum aderit. C

Pœna quasi Cerberus obsidet fores peccati. PECCATVM] id est pœna peccati, quæ quasi canis aut Cerberus cubans (hoc enim est Hebræum רֹבֵץ *robets*) fores peccati obsidet, tamquam peccati vindex; hic mox vt malè egeris tibi aderit, tibi allatrabit, te mordebit & lancinabit. Canis hic est vermis conscientiæ, mentis turbatio & indignatio, ira Dei capiti peccatoris imminens, tribulatio, angustia, omnesque ærumnæ præsentes & æternæ, quibus Deus peccata punit. vnde Chaldæus vertit, *in diem iudicij peccatum tuum seruatum est, in qua vlciscetur de te.*

Peccatum est tyrannus. Nota prosopopœiam. Peccatum hìc inducitur quasi tyrannus, qui cum suis asseclis tam lictoribus, quàm molossis peccantem assiduè insequitur. Nam, vt Poëta ait,

Noxa caput sequitur.

& Horatius lib. 3. Carminum ode 3.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Vt enim alia taceam, magna pœna est

Nocte dieq; suum gestare in pectore testem,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Conscientia sceleris est sui carnifex. Conscientia ergo sceleris, ipsa sui vindex, tortor & carnifex est, vti pulchrè docet S. Chrysost. conc. 1. de Lazaro. Et S. August. in Sententiis sententia 191. *Nulla*, ait, *pœnæ grauiores sunt, quàm malæ conscientiæ, in qua cùm non habetur Deus, consolatio non inuenitur. Et ideo inuocandus est liberator, vt quem tribulatio exercuit ad confessionem, confessio perducat ad veniam.* Ita Alexander Macedo cùm Clytum sibi carissimum ac fidelissimum temulentus occidisset, mox conscientia sceleris furens, sibi mortem inferre voluit, sed à suis fuit prohibitus, teste Seneca epist. 83. Ita Nero Cæsar, auctore Dione, matre trucidata, aiebat se specie materna exagitari verberibus furiarum, tedisque ardentibus, nulloque loco tutum posse consistere. E contrario, *nullum theatrum virtuti conscientia maius est*, ait Cicero Tuscul. 2. & Horat. in Odis:

Integer vitæ, scelerisq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra.

Nimirum, *secura mens quasi iuge conuiuium.* ita S. August. contra Secundinum c. 1. *Senti*, inquit, *de Augustino quod libet; sola me conscientia in oculis Dei non accuset.*

SED SVB TE ERIT APPETITVS EIVS, ET TV DOMINABERIS ILLIVS] Caluinus, ne cogatur ex hoc loco admittere liberum arbitrium dominans peccato & concupiscentiæ, censet pronomen *eius* referre Abelem, non peccatum, sensumque esse, q.d. Ne, ô Cain, inuideas Abeli iuniori fratri tuo; nam ipse in tua potestate permanebit, & tu ei tamquam primogenitus dominaberis. Fauet huic expositioni vnus S. Chrysost. hom. 18. Verùm nulla Abelis hic facta est mentio; ac proinde pronomen *eius*, Abelem referre nequit, vt docet S. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel, c. 7. & S. August. li. 15. de Ciuit. cap. 7. Vnde Arabicus clarè vertit, *in electione tua appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Electio enim est actus proprius liberi arbitrij, per quem dominatur suis actionibus.

Dices, Pronomen *eius*, in Hebræo est masculinum: חַטָּאת *chattat* autem, id est peccatum, est femininum: ergo vox *eius* nequit referre peccatum, sed Abelem respicit.

D Respondeo, Hebræum *chattat* non solùm esse femininum, sed & masculinum: id patet hìc cùm ait, חַטָּאת רֹבֵץ *chattat robets*, peccatum cubans, apud te, tibi aderit: si enim esset femininum, dicere debuisset רֹבֶצֶת *robetsa*. Idem patet Leuit. 4. 24. חַטָּאת הוּא *chattat hu*, peccatum est ipse, non הִיא *hi*, id est ipsa.

Dices Secundò, Hebraicè est אֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ *elecha teschukato*, id est, vt vertunt Septuaginta, *ad te conuersio eius.*

Respondeo, Sensus huius phrasis est: peccatum, eiusque appetitus & concupiscentia te sollicitabit ad sibi consentiendum, sed ita, vt ad te conuerti, & à te consensum petere & impetrare debeat. quod Noster quoad sensum clarè vertit, *sub te erit appetitus eius.* Pari enim modo Euæ dixit cap.

cap. 3.16. אֶל אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ *el ischech teschukatech*, A ad virum erit conuersio tua. quod Noster quoad sensum clarè vertit, *sub viri potestate eris*. Vnde ibi, æquè vt hic, sequitur, *& ipse dominabitur tui*.

Dico ergo, vocem *eius* referre peccatum, non Abelem, sensumque esse, q.d. Potes ô Cain per arbitrij libertatem, & gratiam meam tibi præparatam, tuæ concupiscentiæ & appetitui inuidentiæ, tamquam mancipio dominari. Quid clarius pro arbitrij libertate dici potuit? Vnde Targum Hierosolymitanum ita vertit, *in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominare ei, siue ad bonum, siue ad malum*. ita exponunt S. Ambros. & S. August. suprà, S. Hieron. Raban. Rupert. Hugo, Beda, Alcuinus, & Eucherius hîc. quin & S. Chrysost. hom. 18. citata apertè docet, Cainum potuisse dominari suæ concupiscétiæ. vide Card. Bellarminum, doctè æquè ac solidè hunc locum, B vti & alios omnes, pertractantem.

Et tv dominaberis illivs] tu illi dominari potes, ideoque debes: si enim non posses, nec deberes. Deus enim homini non præcipit impossibilia.

Magnum dominium voluntatis in motus corporis & animæ.

Nota hîc, quantum sit dominium voluntatis, non tantùm in motus & actiones externas, sed etiam in appetitus & passiones internas. Sentias licet æstus choleræ aut libidinis maximos, voluntate tua forti & constanti iis renitere, dicitoque, Nolo iis consentire, ii mihi displicent, eos detestor; & dominaberis choleræ ac libidini, erisque corā Deo & hominibus, non cholericus, sed mansuetus choleræ domitor; non incestus, sed castus libidinis victor. Tanta est vis & imperium voluntatis. *Magna*, inquit Chrysost. serm. de Zachæo, *vis est voluntatis, quæ nos efficit posse quod volumus, &* C *non posse quod nolumus*. Vidit hoc Seneca, qui ad iram domandam, hoc inter cætera dat remedium lib. 2. de Ira cap. 12. *Nihil*, ait, *est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nulliq; sunt tam feri & sui iuris affectus, vt non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperauit animus, obtinuit: quidam, ne vmquam riderent, consecuti sunt: vino quidam, alij venere, quidam omni humore interdixere corporibus.*

Quidquid vis, hoc es.

Solerter ergo & verè sanctus quidam Doctor dixit: *Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissimè.* Vis toto corde & efficaciter esse humilis; hoc ipso reipsa es humilis. vis efficaciter esse patiens, obediens, constans; hoc ipso reipsa es patiens, obediens, constans.

Praxis proficiendi in virtute.

Quare prudenter suadet, *Si magna*, inquit, *dare aut facere non potes, magnam saltem habeto voluntatem, eamq; ad immensa extende*. D v.g. pauper es, habeto voluntatem efficacem dandi largissimas eleēmosynas, si facultates suppeterent; & verè eris largissimus & liberalissimus. parua habes talenta, paruas vires Dei gloriam & salutem animarum promouendi; concipe efficax desiderium, & ex toto corde offer Deo mille animas, mille vitas, mille corpora, si ea haberes: offer ingens desiderium laborandi, & patiendi ardua quæque ad eius amorem, & plurimorum salutem: atque Deus voluntatem tuam pro facto computabit. voluntas enim seria & resoluta omnis virtutis & vitij, omnis meriti & demeriti fons & causa.

Ita S. Christina virgo & Martyr, patris sui Vrbani, Tyri Italiæ oppidi præfecti, idola argentea confringens, blandimenta illius voluntate firmâ despexit, minas irrisit; non flagellis, non vngulis dilaniata constantiam mutauit. quinimò laceræ carnis frustum in patrem proiiciens ait: *Satiare carnibus, miser, quas genuisti: filiam comedere potes, at certè vt impietati tuæ consentiat, facere non potes.* Hinc rotis alligatur, & subdito igne vritur, in lacumque deiicitur. mox defuncto patre, à Dione eius successore in oleo, resina & pice coquitur. inde ad Apollinis statuam adorandam ducta, eam sua precatione subuertit. Dioni subitò mortuo surrogatur Iulianus, qui Christinam in fornacem ardentem mitti iussit: sed missa noxam non sensit. serpentibus mordendam obiecit: sed serpentes illa demissa, veneficum inuaserunt: interemptum ipsa suscitauit. Iulianus illi mammillas amputari iubet, linguam præcidi, ipsamque sagittis confici. Tali demum martyrio consumpta in cælum euolauit. Ecce quàm voluntas resoluta dominetur affectibus, tormentis, tyrannis & morti. hac Christina patrem, Abel fratrem superauit, non pugnando, sed patiendo. ita habet eius Vita, quam edidit Surius tom. 4. 24. Iulij.

Egrediamvr foras] Hæc verba exciderunt Vers. 8. ex textu Hebræo: vnde ea non legerunt, nec verterunt Aquila, Symmachus & Theodotion. olim tamen ea fuisse in Hebræo, patet: quia ea legerunt LXX & Targum Hierosolymitanum. Vnde eadem se reperisse in Samaritanorum Pentateucho fatetur S. Hieronymus. Denique nisi illa legas, mutilus erit hic locus: non enim exprimet quid dixerit Cain. Rursum hæc verba dixisse Cain, potiùs quàm alia, patet ex eo, quod secutum est: nam mox egressus Abel cum Cain in agrum, ab eo occisus est.

Consvrrexit Cain adversvs fratrem] Docet Targum Hierosolymitanum Cain in agro cœpisse queri de Dei prouidentia & æquitate, disputasse contra iudicium extremum, contra mercedem bonorum & vindictam malorum. E contrario Abelem hæc asseruisse, Deum defendisse, fratrem reprehendisse, ideoque ab eo cæsum esse. Quàm ergo immane fuit parricidium Cain, tam illustre fuit martyrium Abel. Quocirca S. Cyprian. lib. 4. epist. 6. exhortans Tibaritanos ad martyrium: *Imitemur*, ait, *fratrés dilectissimi, Abel iustum, qui initiauit martyria, dum propter iustitiam primus occiditur.*

Horatio Cocliti obiiciebant æmuli claudicationem, quibus ille: *Per singulos gradus moneor triumphi mei.* ipse enim Porsenæ regi per sublicium pontem transire conanti restitit, solusq; hostium impetum sustinuit, donec à tergo pons à sociis frangeretur, ibique in coxa læsus claudicare cœpit, teste Liuio l. 2. decad. 1. Idem Caino parricidæ dicere poterat, & potest etiamnum Abel.

Probabiliter putant aliqui, Abel occisum esse sub annum mundi 130. ex eo, quòd hoc anno 130. natus sit Seth, quem mater Eua crebrò (quotannis, ait Aug. Torniellus) parere solita, Abeli occiso mox substituit. ita Pererius, Caietanus, & Torniellus in suis Annalibus, quos ad instar Baronij, ab Adamo ad Christum per singulos annos seriatim & ordine digessit & descripsit.

Allegoricè, Abel fuit typus Christi à Iudæis suis occisi. ita ex S. Irenæo & August. Rupertus.

Nescio: Nvm cvstos (Arabicus *speculator*) Vers. 9. fratris mei svm ego?] Ambros. lib. 2. de Cain c. 9.

c 9. notat hîc tria eius crimina. *Negat*, inquit, *primum, quasi apud ignorantem: recusat fraterna munus custodia, quasi exors natura: declinat iudicem, quasi liber arbitrij. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem?*

Vers. 10. Vox sangvinis] Hebraicè est *vox sanguinum*. quod perperam Chaldæus cum Rabbinis refert ad filios, quos habiturus erat Abel, si non fuisset necatus: quia nimirum tantum sanguinis effudit Cain, quantum per propagationem filiorum, quos generaturus erat Abel, sufficere multis poterat: clamabant ergo vocibus innumeris, qui sanguinis futuri erant participes. Patet enim, hæc non ad posteros, sed ad sanguinem Abelis à Cain effusum, pertinere. Hebraicè autem est *vox sanguinum*, pro *sanguinis*: quia Hebræi homicidium ad emphasim (ad horrorem incutiendum) vocant effusionem sanguinum, id est sanguinis: quia reuera in homicidio multus sanguis hominis effunditur.

Pulchrè S. Ambros. libr. 2. de Cain cap. 9. *Non accusat*, ait, *vox ipsius* (Abelis) *non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti: tuum te ergo facinus, non frater accusat. Est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem. Si frater parcit, terra non parcit: si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te, & testis & iudex. Non est ergo dubium, quòd eum & superiora (cælum, sol, luna, stellæ, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubim & Seraphim) damnauerint, quem inferiora damnarunt. Nam quomodo absoluitur pura illi cælestique sententia, quem nec terra potuerunt absoluere?*

Abeli similis fuit S. Wenceslaus, rex Boëmiæ & Martyr, occisus à fratre Boleslao quasi altero Caino, instigante matre Drahomira. Wenceslaus enim pius & innocens quasi Abel regnum plus ieiunio, orationibus, cilicio ac aliis piis operibus rexit, quàm imperio, illud planè occinens, *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* Diuinitus ergo præscius mortem sibi à fratre ad epulum inuitante per dolum parari, non subterfugit, sed S. Sacramentis se præmuniens fratris domum adiit; ac post fraternam & hospitalem mensam, proxima nocte ante templum orans cæsus est, factusque gratissima Deo hostia: sanguine eius aspersus est templi paries, quem frustra cæsores abluere & detergere conati sunt: quanto enim crebriùs detergebatur, tanto viuacior magisque cruentus aspiciebatur. mansit itaque ibidem indeletus, in testimonium tanti parricidij instar Abelis clamans in cælum. Quocirca omnes tanti sceleris administri miserè perierunt: Drahomiram matrem in arce Pragensi viuam terra absorpsit: Boleslaus quasi alter Cain, prodigiis & terroribus agitatus, & ab Othone Imper. in vltionem parricidij bello appetitus, morbo tandem absumptus principatu & vita priuatus est. Alij per dæmones exagitati, vmbram suam metuentes, sese in flumen præcipites dederunt. Alij mente capti fugam inierunt, & nusquam ampliùs comparuerunt. Alij variis & grauibus morbis icti, hominibus exosi, vitam miserabiliter finierunt. ita habet eius Vita, & Annales Boëmiæ, atque ex iis Æneas Syluius in Histor. Boëmica.

Clamat ad me] q.d. Reatus homicidij, imò parricidij tui, ita voluntarij, in conspectu meo comparet, atque à me celerem & atrocem vindictam exposcit. Est prosopopœia. ita S. Hieronymus in Ezechiel. cap. 27. Sunt ergo hæc atrocia peccata, phrasi Scripturæ in cælum clamantia: Primò, parricidium, quale fuit Caini. Secundò, peccatum Sodomorum, Gen. 19. 13. Tertiò, merces operariorum defraudata, Iacobi 5. 4. Quartò, oppressio viduarum, pupillorum & pauperum, Exodi 2. v. 23. Vide hic quomodo Deus occultum homicidium Caini propalet & puniat. Mira alia homicidij occulti detecti & puniti exempla habet Plutarchus libr. de Sera numinis vindicta. *Quatuor peccata in cælum clamantia.*

Hoc factum & dictum appositè Innocentius Primus Pontifex applicat Arcadio Imper. & Eudoxiæ Augustæ, eò quòd S. Iohannem Chrysostomum in exilium egissent, ibique eum, quasi Caini Abelem ærumnis confecissent, ideoque in eos excommunicationis fulmen intorquet. Audi epistolam tanto Pontifice dignam, quam ex Gennadio & Glyca recitat Baron. anno Domini 407. *Vox sanguinis fratris mei Iohannis clamat ad Deum contra te, ô Imperator, sicut quondam Abel iusti contra parricidam Cain. & is modis omnibus vindicabitur. Eiecisti è throno suo re non iudicata, magnum totius orbis doctorem, & vnà cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror: sortem enim, seu hereditatem cum S. Apostolis, in Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi regno consecutus est, &c. sed quòd orbis sub sole totus, ad orbitatem redactus est, viro tam diuino amisso persuasione vnius mulieris, fabulam hanc & spectaculum exhibentis.* Et mox: *Noua autem Dalila, Eudoxia, quæ paulatim te seductionis nouacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, graue & quod gestari nequeat peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reiicio te & illam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi.*

De terra] Tradunt multi Abel cæsum esse in Damasco, & inde dictam Damascum quasi דם שק *dam sac*, id est sanguinis saccus: quia scilicet bibit & hausit sanguinem Abelis. Intellige Damascum, non Syriæ, vt videtur velle S. Hieronymus: hæc enim aliunde suum nomen & originem traxit, vt dicam cap. 15. v. 2. sed Damascenum agrum iuxta Hebron, rubra terra confertum (quæ hebraicè hîc vocatur Adama) vbi creatus & vixisse putatur Adam. ita Borchard. Adrichom. & alij in descriptione terræ Sanctæ, & Abulens. in cap. 13 q. 138.

Maledictus eris svper terram] Tum quia terra tibi erit maledicta, & malignè parceque, tibi eam colenti suos dabit fructus, vt sit hypallage. Hebræa habent, *maledictus tu de terra*. q.d. Polluisti terram sanguine fratris tui, ideo & per terram sterilitate punieris. Hinc & sequitur, *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Tum quia tu infaustus, infelix, vagus & profugus eris super terram, vt sequitur. Ergo deliri, æquè ac blasphemi fuerunt Caiani hæretici, qui Cain coluerunt, dictitantes Abel fuisse ex debiliori virtute, ideoque esse occisum: Cain verò fuisse ex fortiore & cælesti virtute, æquè ac Esau, Core, Iudam & Sodomitas; atque hos omnes esse cognatos suos iactabant: Cain enim fuisse patrem Iudæ, Iudam autem venerabantur, eò quòd ipse tradiderit Christum, præsciens eius morte homines redemptum iri. ita Epiphan. hæresi 38. S. August. Philastr. & alij in hæresi Caianorum. Vers. 11.

Non

VERS. 12. NON DABIT TIBI FRVCTVS SVOS] hebraicè כחה cocha, id est virtutem suam. Iam virtus terræ sunt fructus terræ copiosi & vigorosi.

VAGVS ET PROFVGVS] ex mala conscientia pauidus, &, vt Septuag. vertunt, *gemens & tremens*, scilicet tum animo tum corpore, huc illucque vagaberis. Græci enim τὸ τρέμων, id est tremens, referunt ad tremorem corporis in Cain, qui pauoris eius & consternationis animi fuit index.

VERS. 13. MAIOR EST INIQVITAS MEA, QVAM VT VENIAM MEREAR] Pagninus, Vatablus, Oleaster cum Aben Ezra, עון *auon*, id est iniquitas, peccatum, sumunt pro pœna peccati, itaque vertunt, *maior est punitio mea, quàm vt feram*, vel *ferre possim*. ita & Athanas. ad Antiochum quæst. 96. Vbi obiter Aduerte, hasce breuiores quæstiones non esse Magni illius S. Athanasij Alexandrini: nam in iis citantur S. Epiphan. & Gregor. Nyssen. qui S. Athanasio fuerunt posteriores; imò auctor earum citat quæst. 23. ipsum S. Athanasium, atque ab eo recedit, aliamque sententiam sequitur. Nec tamen auctor earum idem est cum Anastasio Niceno, qui prolixas quasdam quæstiones in sacram Scripturam conscripsit; licet fortè ad eumdem Antiochum vterque quæstiones suas scripserit.

Cain desperat. Verùm communiter Septuaginta, Chaldæus, Noster, Patres Græci & Latini propriè accipiunt hîc peccatum, putantque Cainum his verbis desperasse. Vnde Hebræa sic habent, גדול עוני מנשא *gadol auoni minnese*, id est, maior est iniquitas mea, quàm vt eam ferre aut portare possim. Secundò, planiùs & meliùs cum Septuag. Chald. & Nostro ita vertas: Maior est iniquitas mea, quàm vt eam ferre & parcere, id est, quàm vt ferat & parcat Deus. Hebræum enim נשא *neso*, & ferre, & parcere significat: quia cùm quis alteri parcit, magno eum onere leuat; offensam enim eius condonando fert & portat: offensa enim & peccatum in Deum est onus Ætna ponderosius, peccatori incumbens. Vnde Noster vertit, *quàm vt veniam merear*, id est, quàm vt vlla pœnitentia veniam possim impetrare. q. d. Omnino indignus & incapax sum veniæ.

Hinc cum Caino grauiter errant Nouatiani, aliique, qui censent aliqua peccata ita grauia esse, vt, etiamsi quis pœniteat, Deus tamen illa condonare non possit, aut nolit. ita S. Ambrosius libr 1. de Pœnitentia c 9.

Quatuor quæ aggrauant peccatum. Quatuor sunt, inquit Hugo Cardin. quæ aggrauant peccatum, scilicet peccati qualitas, frequentia, diuturnitas, impœnitentia: sed his omnibus in immensum maior est Dei clementia, Christique meritum & gratia. Audi eum Ieremiæ 3. 1. *Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Audi Ezechiel. c. 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor ampliùs.*

VERS. 14. ECCE EIICIS ME HODIE A FACIE TERRÆ] à patria mea iucundissima & fertilissima, inquit Oleaster & Pererius; adeoque à tota terra, dum nusquam me consistere permittis, sed continuò ab vna regione in aliam expellis, facisque exulem & profugum, tum à terra, tum consequenter ab hominibus. q. d. Facis me odium omnium hominum, vt nec ego illos aspicere ausim, nec illi me aspicere dignentur.

Addit Iosephus, penes quem sit fides, Cainum peiorem effectum, tandem factum fuisse ducem latronum & nequitiæ, in Henochia vrbe, quam condidit.

A FACIE TVA ABSCONDAR] quasi reus præsentiam iudicis Dei fugiam, latibula quæram. ita S. Ambrosius & Oleaster. Secundò, cura, fauore & tutela tua destituar. ita Chrysost. & Caietanus. Vnde non est necesse cum Delrio hîc recurrere ad hypallagen. q. d. Tu abscondes faciem tuam à me, ne me oculis æquis aspicias. Ait ergo Cain, vt pulchrè Lipomanus: Ecce Domine abstulisti à me fructus terræ, abstulisti gratiam & tutelam tuam, permittis me mihi, pro venia te conuenire non audeo; abscondar à te, subterfugiam vt potero iudicium tuum, vagus & instabilis ero vbique, & si tu me non persequeris, quisquis aliorum inuenerit me occidet, meque tueri non potero.

OMNIS IGITVR QVI INVENERIT ME, OCCIDET ME] Quia ex tremore corporis, & furiatæ mentis agitatu, quisque cum me esse intelliget. qui mereatur interfici, ait Hieron. epist. 125. ad Damas. qu. 1. q. d. Sum catharma, sum anathema, sum odium Dei & hominum, non potero euadere quin ab aliquo occidar. En omen, en pauor malæ conscientiæ. ita S. Ambros. E contrario iustus vt leo confidit, dicitque: *Etsi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, psal. 22. 4. *Pauor Caini & malæ conscientia.*

Nota. Cain impœnitens timet mortem corporis, non animæ. ita S. Ambrosius.

NEQVAQVAM ITA FIET: SED OMNIS QVI OCCIDERIT CAIN, SEPTVPLVM PVNIETVR] Pro *septuplum*, hebraicè est שבעתים *scibataim*, quod Aquila vertit, *septemplicìter*; Septuag. & Theodot. *septem vindictas*. q. d. Multipliciter & grauissimè punietur is, qui Cain occiderit; quia secundus erit homicida, qui primus malum exemplum Caini secutus est, nec eius punitione tam graui, à cæde absterritus est; & qui occidit primum homicidam Cainum, cui Deus vitæ fidem dedit, quemque ad pœnam & omnium exemplum vult superesse, cùm ipse vitam habeat pro supplicio, mortem pro solatio; vt ei diu viuere non sit aliud, quàm diu torqueri. VERS. 15.

Hinc aptè Burgensis censet, plus pœnæ hîc intentari occisori Caini, quàm ipsi Caino, ob causas iam dictas. Negant hoc Lyran. Abulens. Carthusian. & Pererius; adeoque negant eos hîc inter se comparari, vnde ipsi hæc ita dispungunt & distinguunt: *Omnis qui occiderit Cain*, subaudi grauissimè punietur, punctum. Deinde subdunt, *septuplum punietur*, scilicet Cain; vel, vt Symmach. vertit, *septimus punietur*, Cain scilicet: quia in septima generatione, scilicet à Lamech, creditur occisus esse Cain, eousque vitæ derelictus ad pœnam & exemplum. Verùm hæc dispunctio inconcinna est, noua & hiulca: prior ergo sensus, quem dedi, genuinus est. Adde, Hebræum שבעתים *scibataim*, non septimum, vt vertit Symmachus, sed *septuplum* significare.

POSVITQVE DOMINVS CAIN SIGNVM] Quæres, quale? Rabbini quidam fabulantur fuisse canem, qui Cainum semper præibat, & per vias tutas deducebat. Alij fuisse litteram fronti Caini impressam: alij vultum ferum & truculentum. Verùm communior sententia est, signum hoc fuisse

Signū Cain fuit tremor corporis. signum hoc fuisse tremorem corporis & mentis ac vultus consternationem, ita vt corpus & vultus peccatum Caini loquerentur. Hunc enim tremorem fuisse in Caino, patet ex Septuag. iisque decebat Cainum: *nusquam enim peiùs, quàm in sano corpore, æger animus habitat.*

Sex pœnæ Caini. Nota hîc in Caino effectus & pœnas peccati. *Prima.* Primus est, tremor corporis; *Secunda.* Secundus est, exilium & fuga; *Tertia.* Tertius est, timor & consternatio mentis: *Omnis*, inquit, *qui inuenerit me, occidet me.* Quid times, ô Cain? præter te & parentes nullus adhuc homo in mundo est? A gratia Dei per peccatum exciderat; hinc pœna & trepidatio: nec sine causa. nam primùm ipse Abel defunctus persequi cœpit homicidam, *Vox sanguinis fratris tui*, inquit Scriptura, *clamat ad me.* nam *Deus*, ait S. Ambrosius, *audit suos iustos, etiam mortuos, quoniam* B *Deo viuunt.*

Quarta. Quartò, persequebatur Cainum ipsa terra: *Vox sanguinis clamat ad me de terra.* q.d. Si frater parcit, terra non parcit, ait S. Ambrosius. hæc Caino maledicta negat fructus, hæc eum expellit quasi profugum.

Quinta. Quintò, horrorem Cain inijciebant cælestes, pariter & infra cælum positæ virtutes: vt enim ait Procopius, præter fulgura & coruscationes horrificas, videbat Cain angelos igneis gladijs sibi mortem minantes. si oculos ad terram demittebat, serpentes veneno, leones vnguibus, cæterasque feras suis armis in se irruentes videre sibi videbatur.

Sexta. Sextò, profugus fuit Cain in terra, ac tandem latitans in siluis (si credimus Hebræis) à Lamech occisus est: qua de re dicam v.23. Nónne ergo, vt C ait S. Chrysost. *peccatum est spontanea insania, & voluntarius dæmon?*

VERS. 16. HABITAVIT PROFVGVS IN TERRA] Hebraicè est, Habitauit in terra Nod. ita Septuag. & Iosephus, qui *Nod* vt proprium accipiunt; Noster tamen accepit vt appellatiuum. vtrique bene: *Nod* enim significat vagum, mobilem, fluctuantē, pro- *Quæ terra Nod?* fugum. Hæc ergo terra, in quam primitus fugit Cain, dicta est *Nod*, non quasi terra quæcumque à Caino pedibus calcata fuisset, fluctuaret & contremisceret, vti Rabbini aliqui finxerunt: sed dicta est terra *Nod*, quasi dicas, terra profugij, in quam scilicet profugit Cain profugus.

VXOREM SVAM] filiam Adami, ac consequenter sororem suam. Initio enim mundi necesse fuit sorores fratribus nubere, inquit S. Chrysost. Theodor. Procop. quod aliàs iure naturæ ve- D titum est, ita vt in eo Pontifex dispensare non possit.

VERS. 17. ÆDIFICAVIT] non iam, sed multis (purà 400. aut 500 pòst annis, inquit Iosephus, cùm Cain plures iam genuisset filios & filias, nepotes & neptes, qui Henochiam replere possent. ita S. August. libr 15. de Ciuit. cap. 8. Symbolicè, idem eodem libro cap. 1. *Natus est*, inquit, *prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum ciuitatem: posterior Abel, ad ciuitatem Dei. Sic in vniuerso genere humano, cùm primùm duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere ciuitates, prior est natus ciuis huius sæculi, posterior autem iste peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum.* Et mox: *Scriptum est itaque de Cain, quòd condidit ciuitatem: Abel autem*

A *tamquā peregrinus non condidit. Superna est enim sanctorum ciuitas, quamuis hic pariat ciues, in quibus peregrinatur donec regni eius tempus aduentat, vbi cū suo principe rege sæculorum sine vllo temporis fine regnabūt.*

VOCAVIT EX NOMINE HENOCH] Henochiam. Hæc prima in orbe fuit vrbs, in qua non dubium habitasse Cainum, ac proinde desiisse iam esse profugum & vagum sub finem vitæ: tremor tamen corporis ei semper adhæsit.

Tropolog. S. Gregor. libr. 16. Moral. 6. Mali in terris boni in cælis ciuitatem deligunt: sed vide quàm breue sit impiorum sæculum & gaudium: Cain tantùm septimam habuit generationem, *Cain stirps perijt diluuio.* quæ desinit in Lamech, in quo eius tota progenies diluuio perijt.

DVAS VXORES] Primus polygamus Lamech VERS. 19. legem monogamiæ latam Genes. 2. v. 24. violauit. vnde Nicolaus Pontifex scribens ad Lotharium *Primus polygamus Lamech fuit homicida.* regem, pariter polygamum, Lamech vocat adulterum, vt habetur c. *An non*, 24. q. 3.

Post diluuium, cùm vita hominum esset breuior, & vnicus superesset Noë cum suis, ne nimis lentè propagarentur homines, dispensauit Deus, vt plures liceret habere vxores. Id patet, quia Abraham & Iacob viri sanctissimi plures habuerunt. Verùm satis propagato iam genere humano, cœperunt cultiores Hebræi, Græci, Romani polygamiam sensim auersari, & tandem Christus omnino eam sustulit, Matth. 19. vers. 4.

PATER] inuentor, auctor. Iubal ergo filius La- VERS. 21. mech fuit inuentor organi & citharæ: vnde ab hoc Iubal, qui fuit iubilosus, iucundus & iouiolis, putant nonnulli, Latinos sumpsisse suum iubilare & iubilum.

QVI FVIT MALLEATOR ET FABER IN CVN- VERS. 22. CTA OPERA ÆRIS ET FERRI] qui fuit inuentor artis fabrilis. Hebræa ad verbum sic habent: *Qui fuit acuens*, id est expoliens, *omnia opera æris & ferri.*

QVONIAM OCCIDI VIRVM ET ADOLESCEN- VERS. 23. TVLVM] Quæres, quis fuerit hic vir & quis adolescens? Hebræi, & ex iis S. Hieron. Raban. Lyranus, Tostatus, Caietanus, Lipomanus, Pererius, *An Lamech occiderit Cainum?* Delrio tradunt, quòd Lamech occiderit Cain tritauum suum, hac ratione. ibat Lamech venatum in siluam, in quam Cain concesserat, vel ambulandi, vel captandi frigoris causa. Comes ergo, vel armiger Lamech aduertens strepitum & motum foliorum quem faciebat Cain, indicauit Lamecho ibi latere feram. Lamech iaculatus occidit, non feram, sed Cain. Re deprehensa, Lamech ira æstuans in armigerum malum indicem, eum arcu aut fuste cōtudit; vnde ipse paulò pòst mortuus est. Occidit verò Lamech virum, putà Cain, & adolescentem, putà armigerum suum. Nec obstat v. 15. ibi enim tantùm Deus vetat, ne palàm & agnitus Cain occidatur: Lamech autem casu & ignarus occidit Cain.

Hæc tamē traditio Theodoreto, Burgensi, Cathar ino & Oleastro fabulosa videtur: ac meritò talis apparebit, si illi addātur circūstantiæ, quas aliqui addūt, veluti quòd Cain, nō in Henochia sua, sed in siluis versari & latere sit solitus; quòd Lamech fuerit cæcus aut cæcutiens, itaq; iuerit venatū, atque ob cæcitatē deceptus à suo comite, vel armigero confixerit Cain; quòd hic comes, vel armiger fuerit Tubalcain filius Lamech, quem sanè nominasset hîc Moses & Lamech pater.

Certum ergo est Lamech occidisse virum aliquem, quisquis ille fuerit.

Rursum, licet Theodoret. & Rupert. putent, Lamech tantùm vnum occidisse, qui in Hebræo carmine & rhythmo dicatur vir, ratione sexus; adolescens verò, ratione ætatis: Hebræi enim in rhythmo, posteriore hemistichio repetunt & explicant prius hemistichium; tamen passim alij docent, Lamech occidisse duos: vnus enim hîc vocatur vir, alter adolescens, &, vt hebraicè est ילד *ieled*, id est *puer*: puer autem nequit dici vir. Porro perperam vir doctus apud Emmanuelem Sà, per interrogationem hæc vertit, itaque explicat; Cùm malè, inquit, audiret Lamech, quòd duas vxores duxisset, illæque timerent, ne ei mali aliquid ea de causa accideret, dixit: Numquid hominem aliquem occidi, vt vitæ meæ timere debeatis? Si Caini occisor grauiter puniendus est, quanto magis qui me occiderit? Tam enim Hebræa, quàm Noster, Septuaginta, Chaldæus & alij, hæc legunt assertiuè, non interrogatiuè. Perperam & Vatabl. conditionatè vertit hoc modo: Si à quopiam etiã viro fortissimo, vel ab adolescente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem; valeo enim viribus: non est ergo, vxores, quòd mihi aut liberis vestris, ob polygamiam timeatis.

Lamech duos occidit.

IN VVLNVS MEVM, ET ADOLESCENTVLVM IN LIVOREM MEVM] putà, per vulnus meum], per liuorem meum, seu vulnere & liuore à me incusso & inflicto. patet ex Hebræo. Secundò, alij sic explicant, q.d. Quo vulnere virum confodi, eodem me cruentaui; & qua plaga decoloraui adolescentulum, illa ipsa astrum meo animo liuorem induxi, notam scilicet homicidij ac reatum, cui obnoxius pari vulnere & liuore conficiar. vnde Septuaginta vertunt, *virum occidi in vulnus mihi, & adolescentulum in liuorem mihi.* Hoc est enim quod Dominus Dauidi homicidæ intentat: *Vriam percussisti gladio, quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum*, 2. Reg. 12. Atque hinc est quòd homicidæ terrente conscientia, semper sunt pauidi, vmbris percelluntur, territantur spectris mortuorum suos occisores persequentium, & adigentium ad mortem. Illustre exemplũ habet Sophron. in Prato spirit. cap. 166. de latrone, qui conuersus factusque monachus assiduè vidit puerum se insectantem, ac dicentem, Cur me occidisti? vnde petita venia monasterio egrediens, vrbemque ingrediens captus & decollatus est. Hic sensus profundior, sed prior simplicior est.

Vers. 24. Quid Septuagies septies vltio de Lamech? Prima expositio. Secunda. Tertia.

SEPTVPLVM VLTIO DABITVR DE CAIN, DE LAMECH VERO SEPTVAGIES SEPTIES] Arabicus, *septuplum vindicabitur propter Cain, & propter Lamech septuagies septies.* Primò, Rupert. per *septies* temporariam, per *septuagies septies* æternam pœnã accipit. Secundò, quia Lamech, teste Iosepho, 77. habuit proles, qui omnes perierunt diluuio. Tertiò, S. Hieron. & ex eo Nicolaus Papa ad Lotharium, ac Procopius, Cain, inquiunt, peccatum septies, Lamech septuagies septies vindicatum est: quia peccatum Cain septima generatione in diluuio deletum est: peccatum verò Lamech, & totius generis humani, cuius typus fuit Lamech (qui hebraicè idem significat quod humiliatus, ait Alcuinus) in septuagesima septima, scilicet per Christum deletum est: tot enim sunt generationes ab Adam vsque ad Christum Luc. 3. vers. 23.

A Huic affinis est versio Chaldæi, quæ sic habet, *si in septem generationes vindicta dabitur de Cain, nónne de Lamech in septuaginta septem?* Verùm Lamech non habuit tot generationes: ipse enim cum tota sua posteritate diluuio perijt.

Quarta.

Quartò, Lipomanus, Delrio, & alij sic explicant: videntur vxores Lamech ipsi improperasse suas cædes, comminando, quòd & ipse pariter ab aliis occidendus foret; hisce respondet Lamech, *Quoniam occidi*, id est occidi sanè, fateor, virum & adolescentem, mortemque sum meritus: sed tamen si Caini (qui voluntarius fuit parricida) interfector septuplum est puniendus; vtique mei (qui casualis tantùm & inuoluntarius sum homicida, quique facti sum pœnitens) interfector, septuagies septies, id est longè grauiùs, punietur: ego enim Cainum inscius occidi; armigerum verò meum castigare tantùm volui, non occidere.

B

Quinta. & genuina.

Verùm dico, pro *vltio dabitur de Cain & Lamech*, hebraicè est יֻקַּם קַיִן וְלֶמֶךְ *iuckam Cain velamech*, id est, vindicabitur, & punietur ipse Cain & Lamech. sic enim Noster, Septuag & alij hanc phrasin vertunt v. 15. non ergo hîc vindicta intentatur cæsori Caini & Lamechi; sed ipsi Caino & Lamecho. Lamech ergo ex vehementia doloris & pœnitentiæ ob admissum homicidium duplex, dicit: Si Cain, qui vnum occidit, septuplum, id est multipliciter, grauiter & plenè punitus est; ergo ego, qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, nec tamen ab eius peccato abstinui, septuagies septies, id est longè grauiùs & multipliciùs, puniendus sum. ita S. Chrysostomus & Theodoretus. Est enim hæc phrasis & parœmia Hebræis familiaris, vt dicant septies puniri, pro grauiter, plenè & multifariam puniri; septuagies verò septies puniri, pro longè grauiùs & copiosiùs, ac quasi in immensum puniri. Est enim septenarius numerus multitudinis & vniuersitatis: septuagenarius septimus verò est numerus quasi immensitatis. Huc respexit Christus Matth. 18. v. 22. *Non dico vsque septies, sed vsque, septuagies septies.*

C

Septem peccata Caini ex Cyrillo.

Secundò, propriè S. Cyrillus, Septuplum, inquit, punitur Cain, quia septem peccata admisit, Primum, irreligiositatis, dum viliora obtulit; Secundum, impœnitentiæ; Tertium, inuidiæ; Quartum, quòd dolosè fratrem in agrum deduxerit; Quintum, quòd eum occiderit; Sextum, quòd Deo mentitus sit, dicens se nescire vbi esset frater; Septimum, quòd putaret se posse fugere, & abscondi à Deo, quodque inscio & inuito Deo putaret se posse occidi & mori, itaque vitæ huius euadere supplicium. Verùm hic sensus subtilior est & minutior, quàm solidior.

D

Censet Alcazar 77. idem esse quod 490.

Censet Alcazar in Apocal. 11. v. 2. notat. 1. τὸ *septuagies septies*, idem esse quod 490. hunc enim numerum in Scriptura esse celebrem, & reputari plenum ac perfectum. nam si 70. multiplices per 7. efficies 490. Sic cùm dicimus, *ter quater*, significamus duodecim: aliàs enim diceremus, ter & quater. Verùm hic sensus subtilior, & hic numerus plus æquo grandior videtur. Sicut ergo dicimus vigesies ter, pro 23. vicibus; sic & septuagies septies, pro 77. vicibus. Similis est phrasis Amos 1. v. 6 9. 11. *Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eum.* tria enim & quatuor, significant innumera scelera Gazæ.

Notat hæc Scriptura in Lamech, in odium polygamiæ

lygamiæ & homicidij; vtque sciamus primum polygamum Lamech, fuisse secundum homicidam. facilis enim ex libidine in rixas & cædes est lapsus,

VERS. 25. VOCAVITQVE] non Adam, sed Eua, vt patet ex Hebræo תקרא *ticra*, quod femininum est.

Seth idem quod thesis, vel positio. NOMEN EIVS SETH] *Seth*, idem est quod thesis. siue positio aut fundamentum. radix enim שית *suth*, significat ponere, locare. Eua ergo occiso Abel, mox videtur genuisse Seth; eumque ita vocasse, quasi fundamentum suæ sobolis & posteritatis, ac consequenter reip. æquè ac Ecclesiæ ciuitatisque Dei. hoc enim pro Abel futurus erat Seth: sicut Cain fuit caput & fundamentum ciuitatis diaboli. qua de re S. August. scripsit libros de Ciuit. Dei. Addit Suidas Seth à pietate, sapientia & astrologia cognominatum esse Deum, eò quòd ipse inuentor fuerit literarum & astrologiæ.

Porrò stolidi fuerunt Sethiani hæretici, qui à Seth filio Adæ se prognatos gloriabantur. hi, ait Epiphan. hæres. 39. Seth glorificabant, & ad ipsum omnia, quæ virtutis & iustitiæ sunt, referebant, quin & ipsum esse Iesum Christum asserebant. Seth enim productum esse ex superna matre, quæ pœnitentiam egit, eò quòd produxisset Cain: postea verò cum occisus esset Abel, & Cain abiectus, superno patri congressa sit, & purum semen, putà ipsum Seth, genuerit, à quo deductum est omne genus hominum. Hæc hæreticorum de more fuêre deliria.

VERS. 26. ENOS] *Enos* hebraicè idem est quod infirmus, afflictus, ærumnosus, desperatæ valetudinis, certæ morti addictus. videtur ergo Seth pius ita filium vocasse, vt eum eiusque posteros admoneret miseræ suæ sortis & mortalitatis, cui omnes ob peccatum addicti sumus. Sicut ergo Adam vocatur ab adama, quasi homo ab humo, ita vocatur Enos à miseria & mortalitate. E contrario homo græcè vocatur ἄνθρωπος quasi ἀναθρῶν, id est *sursum aspiciens*, vel, vt ait S. Athanasius tract. de Definitionibus ἀπὸ τοῦ ἄνω θεωρεῖν τὴν ὦπα, id est, ab eo quòd vultu superna suspicit. Potest

Enos vocatur à mortalitate.

Secundò, ab obliuione. Secundò, homo dici *Enos* à radice נשה *nasa*, id est oblitus est, vt Enos idem sit quod obliuiosus, & vicissim citò obliuioni tradendus. Ad hoc etymon alludit Psaltes psal. 8. *Quid est homo quòd memor es eius?*

Huc pertinet id quod scribit Iosephus, Adamum prædixisse mundi hominumq; interitum, eumque duplicem, vnum per diluuium, alterum per incendium & conflagrationem: ideoque posteros Seth pios & sapientes excitasse duas columnas, vnam lateritiam, alteram lapideam, eisque sua inuenta, artes & disciplinas, vel inscripsisse, vel scriptas inclusisse ad posterorum instructionem, & sui memoriam posteris consignandam:

A idque hoc consilio, vt, si lateritia diluuio periret, lapidea superstes remaneret, quæ, inquit Iosephus, etiamnum extat in Syria.

ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI] q.d. Enos auctor fuit, vt passim homines ritè Deum colerent. vnde Hebræa habent, *tunc cœptum est*, scilicet publicè & per cœtus, auctore Enos, *inuocari nomen Domini*. Tempore ergo Enos videntur cœtus hominum instituti, & in Ecclesiam congregari cœpisse, ad publicas preces, ad publicas conciones & catecheses, ad publicum Dei cultum per sacrificia, aliosque ritus & cæremonias.

Addit Thomas Waldensis, & ex eo Bellarmin. libr. 2. de monachis cap. 5. Enos instituisse peculiarem aliquem cultum & sublimiorem, quàm esset religio vulgi: nam ante Enos Abel, Seth & Adam inuocauerunt Deum. vnde censent ipsi, Enos instituisse quasi præludium & initiũ vitæ Religiosæ & monasticæ. Porro Septuag.

B vertunt, *hic sperauit inuocare nomen Domini*. Hebræum enim הוחל *huchal*, non tantùm incipere, sed & sperare significat, à radice יחל *iachel*, & spes est causa inuocationis. Perperam Rabbini vertunt, *tunc profanata est inuocatio nominis Domini*, quasi tempore Enos cœperit idololatria. licet enim *huchal* à rad. חול *chol*, significet profanare; hîc tamen non à *chol*, sed à חלל *chalal* descendit, quod in niphil habet הֵחֵל *hechel*, significatque cœpit, incepit; in hophal habet הוחל *huchal*, id est cœptum est, vti vertit Noster, Chald. Vatabl. Forsterus, Pagninus, & alij passim. Non rectè quoque Cyrillus, Theodoretus & Suidas vertunt, *iste cœpit vocari nomine Domini*, quasi ipsi Enos, ob insignem pietatem, Dei; eiusque liberis, filiorum Dei nomen sit inditum.

Putat D. Thomas 2.2.q.94.a.4.ad 2. in prima mundi ætate non fuisse idololatriam, ob recen-

C tem creati mundi memoriam. Verùm hæc ratio non omnino concludit: nam recens memoria diluuij, & tantæ vindictæ Dei, non impediuit, quin & mox surreperet idololatria. Vnde Torniellus & alij putant, etiam tum fuisse idololatriam in alijs Adæ familijs: ideoque Enos ei opposuisse publicum vnius Dei cultum, itaque S. Ecclesiæ visibilem formam instituisse.

DOMINI] Hebraicè est nomen tetragrammaton *Iehoua*. vnde Rupert. Caietan. & alij, putant, hoc nomen Adæ & Enos fuisse reuelatum, ipsosque per illud Deum inuocasse. Sed verius est, Mosi primùm hoc nomen tetragrammaton fuisse reuelatum, vt dicam Exodi 6. 3. Moses ergo, qui hæc scripsit, postquam hoc nomen à Deo Exodi 6. accepit, eo passim anteriùs, etiam in Genesi, Deum compellat, etiamsi Adam, Enos, aliique patriarchæ Deum tunc, non *Iehoua*, sed *Elohim* vel *Adonai* compellarint.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

TExitur genealogia Adæ, per Seth, vsque ad Noë, idq; Primò, vt per eam texatur chronologia mundi, eiusq; propagatio hucusque ad nos. hinc fit per Seth: à Seth enim omnes descendimus. nam cæteri omnes Adæ filij & posteri perierunt in diluuio. Secundò, vt videamus Deum omni tempore suam Ecclesiam, sui cultum & pietatem, in aliquibus conseruasse, vti hîc conseruauit in Seth eiusq; posteris. Tertiò, vt constet genealogia Christi à Noë ad Adam, de qua Lucas c. 3. v. 35.

1. HIc est liber generationis Adam. In die qua creauit Deus hominem, ad simili-
tudinem Dei fecit illum. 2. Masculum & feminam creauit eos, & benedi-
xit illis: & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. 3. Vixit autem Adam
centum triginta annis: & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque
nomen eius Seth. 4. Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti
anni: genuitque filios & filias. 5. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, an-
ni nongenti triginta, & mortuus est. 6. Vixit quoque Seth centum quinque an-
nis, & genuit Enos. 7. Vixitque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem
annis, genuitque filios & filias. 8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum
duodecim annorum, & mortuus est. 9. Vixit verò Enos nonaginta annis, & ge-
nuit Cainan. 10. Post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit fi-
lios & filias. 11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mor-
tuus est. 12. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. 13. Et
vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque fi-
lios & filias. 14. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus
est. 15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Iared. 16 Et vi-
xit Malaleel postquam genuit Iared, octingentis triginta annis, & genuit filios & fi-
lias. 17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, &
mortuus est. 18. Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit He-
noch. 19. Et vixit Iared postquam genuit Henoch, octingentis annis & genuit filios
& filias. 20. Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus
est. 21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalam.
22. Et ambulauit Henoch cum Deo: & vixit postquam genuit Mathusalam, trecen-
tis annis, & genuit filios & filias. 23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti se-
xaginta quinque anni. 24. Ambulauitq; cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum
Deus. 25. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit La-
mech. 26. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentis octoginta
duobus annis, & genuit filios & filias. 27. Et facti sunt omnes dies Mathusala non-
genti sexaginta nouem anni, & mortuus est. 28. Vixit autem Lamech centum
octoginta duobus annis, & genuit filium: 29. vocauitque nomen eius Noe, dicens:
Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in terra cui male-
dixit Dominus. 30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noë, quingentis nona-
ginta quinque annis, & genuit filios & filias. 31. Et facti sunt omnes dies Lamech,
septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noë verò cùm quingentorum
esset annorum. genuit Sem, Cham, & Iapheth.

VERS. 1. *Liber est catalogus.* LIBER] catalogus, enarratio, enumeratio generationum ab Adam ad Noë. hoc enim est Hebræum סֵפֶר *sepher*, à radice סָפַר *saphar*, id est numerauit, recensuit. Eodem sensu Matth. cap. 1. vocatur *liber*, id est catalogus, *generationis*, siue genealogiæ *Christi*.

AD SIMILITVDINEM DEI] ad imaginem suam. Sæpè enim Hebræi ponunt antecedens pro relatiuo.

VERS. 2. VOCAVIT NOMEN EORVM ADAM] ab Hebræo Adama. q. d. Vocauit eos Homo ab humo, ex qua creauit eos. Eua ergo etiam est Adam, id est homo. Vtrique vnum nomen indidit Deus, vt scirent coniuges, se quasi vnum hominem in duobus esse corporibus, seque vti nomine, ita & anima ac voluntate adunari debere. Secundò, nomine Adam monentur, se esse terræ filios, viles, luteos, fragiles, mortales, & in terram reuersuros. Memento Adam, quia adama, id est terra & puluis es, & in puluerem reuerteris.

VERS. 3. GENVIT (filium) AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM SVAM] putà, sibi per omnia similem, non in peccato originali, vti explicat Caluinus, sed in natura, scilicet in corpore humano, & in anima rationali, in qua Seth, æquè vt Adam, erat imago Dei vide dicta c. 1. v. 27.

VERS. 5. ADAM ANNI NONGENTI TRIGINTA, ET MORTVVS EST] Nota Primò. Ab Adam vsque ad di- A luuium, per Seth sunt decem generationes, estque hæc prima mundi ætas.

Anni priscorum quales nostri. Nota Secundò. Anni hi fuerunt duodecim mensium, vti sunt nostri, vt patet Genes. 8. v. 5. nam si fuissent menstrui, vt aliqui volunt, putà si annus vnus fuisset tantùm vnus mensis, continens triginta dies, sequeretur, eos qui hîc 75. anno generasse leguntur 75. mense generasse; ac consequenter generasse anno ætatis suæ 7. Omnes denique defuncti essent ante annum ætatis 82. quem etiam hodie non pauci exsuperant. ita S. Hieronymus & S. August. lib. 15. de Ciuit. c. 13. Fateor Ægyptijs priscis annum fuisse menstruū. id enim tradit Diodor. Sicul. libr. 1. Varro apud B Lactant. lib. 2. cap. 13. Plutar. in Numa, S. August. l. 12. Ciuit. c. 20. & Proclus in Timæum, l. 1. pag. 33. Αἰγύπτιοι, inquit, τὸν μῆνα ἐνιαυτὸν ἐκάλουν. *Ægyptij mensem vocabant annum.* Verùm nil tale de priscis Hebræis reperias.

Ab Adam ad diluuium sunt anni 1656. Tertiò, ex Hebræo textu, & ex nostra versione Latina patet, ab Adam vsque ad diluuium fluxisse annos 1656. ita S. Hieron. Beda, & Augustinus suprà. Quare in Septuaginta qui numerant annos 2242. (iuxta editionem correctam à Cardin. Caraffa) irrepsit error: superat enim hic numerus veritatem annis 586. Suspicatur S. Augustin. sciolum quemdam mutasse numerum in Septuag. eò quòd putaret hîc accipi debere annos men-

ſtruos. inſolitum enim & paradoxum videtur, vt homines tunc vixerint 900 ſolidos annos. Sed quia ille ipſe rurſum videbat ſibi obiici poſſe; Si anni fuerunt menſtrui, ergo qui centeſimo anno dicuntur generaſſe, generarunt anno ſecundùm nos octauo: hinc, vt hoc effugeret, pro 100. ſuppoſuiſſe 200.

Quartò, mortuus eſt Adam anno 57. Lamech patris Noë, 726. annis ante diluuium, viditque totius humani generis ſui propagationem & corruptionem. Addit Irenæus lib. 5. c. 32. Adam mortuum eſſe feria ſexta, die Veneris: quia eodem die creatus eſt, & peccauit Adam. dixerat autem ei Deus, *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*: ergo mortuus eſt die Veneris, quo & peccauit. Verùm illa comminatio Dei alium habet ſenſum, vti ſuperiùs dixi. Eua, ſi credimus Mariano Scoto, decem annis poſt maritum vixit, mortuaque eſt anno vitæ & mundi 940.

Quintò, traditio eſt, Adam ſepultum eſſe in Hebron. Tradit Iacobus Edeſſenus, qui fuit magiſter S. Ephrem, apud Barcepha lib. 1. c. 14. quòd Noë oſſa Adami in arcam religioſè ſuſceperit, & poſt diluuium illa inter ſuos liberos diſtribuerit, Semque quem anteferebat cæteris caluariam Adæ dederit, & cum ea Iudæam. Tanta patribus fuit cura honorque ſepulchri, ob animarum immortalitatē, quam certa fide & ſpe ſibi proponebant. Hinc communis Patrum ſententia eſt, cranium Adæ ſepultum eſſe in monte Caluariæ, vt ibi Chriſti crucifixi ſanguine rigaretur, ablueretur, viuificaretur. Audi inter alios Tertull. l. 2. carmin. contra Marcion. c 4.

Cranium Adæ in mōte Caluariæ ſepultum.

Golgotha elogia.

Golgotha locus eſt, capitis caluaria quondam;
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoria ſignum.
Os magnum hic veteres noſtri docuere repertum,
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum.
Hic patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Puluis Adæ vt poſſit veteris, cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquâ virtute lauari.

Denique Adamo & Euæ peccatum ſuum remiſſum eſt, vt patet Sapientiæ 10. v. 2. intellige quatenus hoc peccatum eis perſonale erat, non autem quia peccatum erat naturæ, ſiue totius generis noſtri. ſic enim hoc peccatum eſt nobis originale, & in omnes Adæ poſteros naſcendo transfunditur; atque hac ratione eſt irremiſſibile. Adde, traditio eſt, Adamum & Euam eſſe ſaluatos; quæ ita certa eſt, vt Epiphan. Philaſtr. Auguſtinus, & alij, Encratitas hoc negantes damnent erroris. vide Alphonſum à Caſtro v. Adam. Quocirca Adamum inter alios, imò præ alijs Sanctis reſurrexiſſe cum Chriſto Matth. 27. 53. docent S. Athanaſius orat. de paſſ. Auguſtin. hîc quæſt. 161. Origenes tract. 35. in Matth. & alij.

Adam & Eua ſaluati.

Quæres, vnde tunc tam longæui fuerint homines? Pererius varias dat cauſas: Prima, fuit bonitas primæua complexionis & temperamenti corporis, in primis hominibus. Secunda, fuit ſobrietas, quæ tanta fuit, vt nec carnibus, nec vino vterentur. Tertia, fuit primus vigor terræ, fructuum & alimentorum, quæ initio creationis ſuæ longè viuaciora & ſucculentiora & efficaciora erant quàm iam, cùm ſunt effœta. Quarta, fuit ſcientia Adæ, quam alijs communicauit, qua meliùs quàm medici noſtri norat vim herbarum, fructuum, metallorum, &c. Quinta, fuit benignus aſpectus, concurſus & influxus aſtrorum. Sexta, fuit Dei voluntas & arcana cooperatio: idque ad hoc, vt homines citiùs propagarentur, & per longam experientiam ſcientias & artes omnes perdiſcerent, vtque primi homines fidem creationis rerum, Deique cognitionem & cultum poſteris etiam remotiſſimis traderent. vnde Lipomanus magis Dei miraculo, quàm naturæ hanc longæuitatem attribuit.

Vnde priſci tā longæui. Cauſa Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

Nota. Nullus iſtorum patrum attigit annum milleſimum, vt videamus, etiam longiſſimam vitam in hoc mundo, ne punctum quidem eſſe ad æternitatem. nam mille anni coram Deo, ſunt quaſi dies heſterna, quæ præterijt, pſalm. 89. 4.

ET MORTVVS EST] Singulis hoc additur, vt videas efficacem fuiſſe ſententiam mortis, à Deo latam in Adamum peccantem, eiuſque poſteros, cap. 3. v. 19. nam, vt ait Sapiens Eccleſiaſtici 14. v. 12. *Hoc eſt teſtamentum huius mundi: morte morietur.* Ergo cogitemus ſinguli, De me quoque breui dicetur: *Et mortuus eſt.* hoc meum & cuiuſque eſt, aut erit emblema, hoc epitaphium: Cornelius vixit tot annos, & tali anno mortuus eſt. *Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum,* ait S. Hieronymus epiſt. 103.

Epitaphiū cuiuſque: & mortuus eſt.

Seuerus Imp. auctore Dione Nicæno in eius vita, vrnam ſibi parari voluit, in qua ſepeliretur, quā crebrò manibus contrectans dicebat: *Tu virum capies, quem totus orbis capere non potuit*: idque fecit, vt memoriam mortis retineret.

Exemplum Seueri Imp.

Eadem de cauſa S. Iohannes Eleëmoſynarius Patriarcha Alexandrinus iuſſit ſibi extrui monumentum, ſed imperfectum: ſolemnibus autem feſtis in conſpectu multorum, voluit ſibi à fabris dici, *Monumentum tuum Domine adhuc imperfectum eſt; iube ergo vt tandem perficiatur: incertum enim eſt, qua hora mors ventura ſit.* ita Leontius in eius Vita. *Incertum eſt,* inquit Seneca epiſt. 26. *quo te loco mors expectet: itaque tu illam omni loco expecta. in ſomnum ituri, læti hilareſque, dicamus: Vixi, & quem dederas curſum, Deus alme, peregi.* Diſce ergo mori: æternitatem cogita. O æternitas, quàm longa es æternitas, quàm æterna, quàm conſtans æternitas!

S. Iohannis Eleëmoſ.

VIXIT QVOQVE CAINAN SEPTVAGINTA ANNIS, ET GENVIT MALALEEL] *Malaleel*, vel, vt hebr. eſt *Mahalalel*, idem eſt quod *laudans Deum:* הלל *halal* enim eſt laudare, אל *el* Deum: ſiue quia filius aſſiduè laudans Deum, inde vocatus ſit *Mahalalel*: ſiue quia pater Cainan eum in ortu ita vocarit, vt tam ſe quàm ipſum ad iugem Dei laudē excitaret, vt, quoties filium nominaret vocaretque *Mahalalel*, toties quaſi dicat *Halleluia*, id eſt laudate Deum, vel potiùs הלל אל *hallel el*, id eſt lauda fortem Deum.

AMBVLAVIT HENOCH CVM DEO] q. d. Henoch ita ſanctè & piè vixit, quaſi Deum ſemper præſentem præ oculis haberet, & revereretur, ideoque in omni opere cautiſſimus, modeſtiſſimus, religioſiſſimus ſemper incedebat, eratque Deo Deique voluntati per omnia conſentiens, perinde vt homo cum homine amico, vel domino ſuo vbique & indiuulsè inambulans, illi per omnia conſentit, illi in omnibus ſe conformat. Septuag. vertunt, *Henoch placuit Deo*, ſcilicet præ cæteris hominibus, etiam iuſtis & ſanctis illius æui. Targum Hieroſolymitanum vertit, *ſeruiuit Henoch in veritate coram Domino*; Arabicus, *Henoch rectum fecit incesſum coram Deo*; Chald. *& ambulauit Henoch in timore Dei.* Hac de cauſa tulit & rapuit eum ad ſe Dominus,

VERS. 22. Quid ambulare cum Deo.

Dominus, tamquam altiorem terra, Deo angelisque dignum, imò familiarem.

Hinc aliqui Iudæi putarunt, Henoch fuisse angelum incarnatum. Ambulant, inquit Hugo Cardin. post Dominum, humiles & pœnitentes: cum Domino, sancti Prælati & rectores: ante Dominum, pij concionatores, vti S. Ioannes Baptista: à Domino, apostatæ, & qui suæ voluntati ac voluptati seruiunt: contra Dominum, superbi & rebelles, vti Iudæi Leuit. 26. 2.

Addunt aliqui, *ambulare cum Deo* significare, in publico esse ministerio Dei, & fungi officio sacerdotali. Sic enim de Heli Pontifice ait Deus 1. Reg. 2. 30. *Loquens locutus sum, vt domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo*; Hebr. *ambularet coram me*. Et v. 35. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem*, &c. *& ambulabit coram Christo meo cunctis diebus*. Sacerdotum enim est assiduè cum Deo in precibus, sacrificijs, sacrisque actionibus versari: ipsi enim sunt angeli & mediatores inter Deum & homines, nec dubium est quin Henoch velut caput familiæ fuerit sacerdos.

Magna ars est, nosse cum Deo ambulare, illum vbique habere præsentem, illi se iungere, illi per omnia obsequi, cum illo sæpè colloqui, illius opem implorare, ab eo pendere, ab eo regi, illi totum vniri. Qui cum Deo ambulat, cum hominibus bene ambulat: qui tantùm cum hominibus ambulat, nec cum Deo, nec cum hominibus bene ambulat. Ita ambulauit cum Deo S. Paulus primus eremita, ab anno ætatis 15. ad annum 113. in eremo degens, cuius proinde defuncti animam inter angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum cœtus, in cælum rapi vidit S. Antonius.

Exempla ambulantium cum Deo.

Hunc secutus est ipse S. Antonius, quem sæpè sol oriens eodem vestigio stantem, & in cælum suspicientem aspexit, quo eum occidens reliquerat, teste S. Athanasio.

Ita Macarius in cælis cum Deo versabatur, dicebatque sibi, *Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim & Seraphim. Deum horum omnium effectorem: illic versare, ne sub cælos descenderis, ne incideris in mundanas cogitationes*. testis est Palladius in Lausiaca c. 20.

Ita Anuph apud eumdem cap. 15. *Nullius*, inquit, *alterius rei cupiditas in cor meum ascendit, nisi Dei. Nil ex rebus terrenis occultauit mihi Deus. non interdiu somnum cepi, non noctu requieui, Deum quærens. omnem petitionem accepi à Deo protinus. vidi sæpè Deo assistentes myriadas, vidi choros iustorum, vidi Martyrum congeriem, vidi monachorum vitæ institutionem: opus autem omnium Deum laudabat. vidi iustos lætantes in æternum.*

Ita ambulauit cum Deo Simeon Stylites, Ioannes, Macedonius, Marcianus, Ephrem & alij innumeri, de quibus Euagrius in Vitis Patrum, & Theodoret. in Philotheo. O quàm felices hi angeli terrestres!

Fuit ergo Henoch Propheta, & scripsit quædam diuina, quæ citat S. Iudas in sua epistola. sed liber Henoch interijt: nam ille quem viderunt S. Hieronymus, S. Augustinus, Origenes, Tertull. suppostitius & apocryphus est.

VERS. 24. ET NON APPARVIT, QVIA TVLIT EVM DOMINVS] Caluinus secutus Aben Ezra & Iudæos, putat Henoch esse mortuum suauiter & placidè, & mox à morte animam eius translatam esse in cælum, sed non vidisse Deum, donec Christus in cælum ascenderet: itaque Henoch iam esse immortalem, nec ampliùs ad nos rediturum aut moriturum. Sed hæc omnia falsa & erronea sunt. Primò, quia, si esset mortuus Henoch, æquè de eo ac de alijs omnibus dixisset Scriptura, *Et mortuus est*. Secundò, quia de eo hîc dicitur, *tulit*, id est rapuit eum viuum, *Deus*: vnde Septuaginta vertunt, *transtulit eum Deus*. Hinc & Ecclesiast. c 44. 16. asserit Henoch non mortuum, sed translatum in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam; ergo viuit adhuc Henoch, & ad nos redibit, vt se opponat Antichristo, & prædicet Gentibus. Tertiò, quia expressè S. Paulus Hebr. 11. 5 ait: *Henoch translatus est, ne videret mortem*. Quartò, ita docent communiter Patres, quos citat Delrio & Perer.

Caluini error de morte Henoch.

Ex dictis sequitur Primò, Henoch translatum esse in paradisum terrestrem, qui ante diluuium adhuc supererat. ille enim intelligitur, cùm absolutè nominatur paradisus, vti eum nominat Ecclesiasticus, cùm ait, in eum translatum esse Henoch. Quare quod S. Ambrosius libr. de Paradiso cap. 3. ait Henoch raptum in cælum, intellige Henoch de terra sublatum esse in aëra, & per aëra in paradisum esse translatum. nec aliud voluit Tertullianus, cùm libr. de Resurrect. carnis c. 58. dixit, Henoch & Eliam de orbe esse translatos: orbem enim intelligit terram hanc, ab hominibus habitatam & cultam.

Henoch raptus est in paradisum terrestrem.

Causam translationis indicat Sapiens Sapient. 4. 10. Primò, quia dilectus erat Deo, & viuebat bonus inter malos: hinc raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Rursum, raptus est, quia ambulabat cum Deo, ideoque dignus erat paradiso, & continua Dei contemplatione. Tertiò, raptus est, vt redeat, & det Gentibus pœnitentiam, perinde ac Elias eam dabit suis Iudæis. hoc enim est quod de eo dicitur Ecclesiast 48. 10. *Qui inscriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob*. Quartò, raptus est, vt suo raptu ostenderet, quid Adam peccans perdiderit: pari enim modo omnes suo tempore citra mortem translati fuissemus, si in innocentia permansissemus. Quintò, tulit eum Dominus, vt confirmaret fidem patrum de futura vita. q. d. En hoc ipso facto agnoscite, quòd aliam vitam habeo, eamque meliorem, in qua Sanctos remunerabor.

Sequitur Secundò, fidei esse proximum, quòd Henoch, æquè ac Elias, necdum sint mortui. vnde Tertullianus libr. de Resurrect. carnis cap. 58. vocat eos æternitatis candidatos. *Aeternitatis*, ait, *candidati ab omni vitio, ab omni damno, ab omni iniuria & contumelia immunitatem carnis ediscunt*. & Irenæus lib. 5. c 5. vocat eos *coauspicantes immortalitatem*, hoc est, eius auspicium, & quasi adumbrationem accipientes.

Elias & Henoch candidati æternitatis.

Sequitur Tertiò, Henoch & Eliam, non gloriosa, sed mortalia habere corpora, adeoque morituros. vnde Tertullianus suprà, *Henoch*, ait, *& Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi*. Errant ergo Procopius & Eugubinus, qui putant Henoch & Eliam frui visione Dei, & gloriosa habere corpora in cælo.

Mortalia habent corpora.

Quæres, Vbi iam sint Henoch & Elias, & qualem agunt vitam? Respondeo, Communiter docent Patres, eos versari in paradiso. Verùm dico, Henoch ante diluuium translatum esse in paradisum:

Vbi sint Henoch & Elias?

sum: post diluuium verò, quo inundatus & sublatus videtur paradisus, agit in loco aliquo amœno, quem Deus illi siue in aëre, siue in terra præparauit, ad quem post diluuium raptus est Elias: ibi ergo simul agunt vitam quasi beatam, immunem à concupiscentia, & à nostris ærumnis, in altissima Dei contemplatione.

Viuunt sine cibo. Secundò, sine cibo eos viuere, censet Epiphan. hæresi 64 & Hieronymus ad Pammachium: Augustin. verò hac de re dubitat lib. 1. de Peccat. meritis & remissione, cap 3. aitque eos vel sine cibo viuere, vel certè viuere sicut Adam vixit in paradiso, scilicet ex ligno vitæ, ideoque nec morbo, nec senectute deficere. Sed verius est, eos à Deo viuos & vegetos per miraculum conseruari, sine cibo. nam, vt dixi, paradisus, & consequenter lignum vitæ interiit.

An Henoch videat Deũ? Asseru Cathar. & alij. Quæres Secundò, an Henoch & Elias videant Deum, sintque beati? Asserunt Catharinus tract. de gloria Christi consummata, P. Salmeron, & propendet Barradius in illud Ioan. 21. 23. *Sic eum volo manere, donec veniam.* Putant enim Henoch & Eliam, vti & S. Ioannem Euangelistam, necdum esse mortuos, ideoque eos habere adhuc corpora mortalia, venturosque esse contra Antichristum, & ab eo martyrio afficiendos; interim tamen videre Deum, eoque frui, saltem à morte & resurrectione Chtisti.

Prob. Primò. Probant id multis & plausibilibus rationibus. Primò, quia S. Ioannem venturum esse cum Henoch, videtur asseri Apocal 10. v. 11. *Oportet te iterum prophetare Gentibus.* & Ioan. c. 21. v. 23. *Sic eum volo manere, donec veniam.* Nam corona martyrij Ioanni, vti & cæteris Apostolis, debetur & promissa est Matth. 20. 23. hisce verbis: *Calicem meum bibetis.* Iam S. Ioannem videre Deum, non videtur dubium: nam Ecclesia eum publicè in Litanijs, æquè ac alios Beatos, colit & inuocat.

Secundò. Secundò, quia Ecclesia celebrat festum, tam S. Ioannis, quàm Eliæ Iulij 20. vt patet ex Martyrolog. Romano: ergo ipsi fruuntur Deo.

Tertiò. Tertiò, quia Græci erexerunt templa in honorem, tam Eliæ, quàm S Ioannis, vti docet Baronius in Martyrol. Iulij 20. ergo ipsi sunt beati. his enim solis eriguntur templa.

Quartò. Quartò, quia Henoch & Elias sanctissimè vixerunt, ac proinde dignissimi sunt vt Deo fruantur, præsertim cùm alij Prophetæ & patriarchæ etiam minùs sancti quàm ipsi, quibuscum vixerunt, iam Deum videant.

Quintò. Quintò, quia sic optimè euadimus difficultatem, quæ est de suspensione meritorum Henoch & Eliæ. Cur enim suspendit Deus merita eorum præter morem, nisi quia iam vident Deum, suntq; non in via, sed in termino, putà sunt beati? Si dicas, Deum eorum merita non suspendisse; inferam, Ergo ipsi in meritis & præmijs, penè in immensum superabunt omnes alios Beatos. nam per tot annorum millia assiduè merentur, & in dies merita sua adaugent, idque vsque ad diem iudicij. hoc autem videtur incredibile.

Negãt alij, idq; verius est. Verùm hæc sententia noua & paradoxa videtur, solidoque carere fundamento.

Prob. Primò. Primò, quia vix vllus veterum Patrum vel Doctorum eam asseruit. nam Nazianzenus, quem citat Barradius, eam non asserit, sed dubitat.

Secundò. Secundò, si Henoch & Elias vident Deum, ergo sunt beati, ergo sunt comprehensores, non viatores. Atqui viatores sunt; quia adhuc morituri sunt, & martyrio laureandi.

Tertiò. Tertiò, nec Mosi, nec Paulo, nec vlli alteri mortalium concessum est vt ante mortem videret Deum: imò Dominus edixit Mosi, *Non videbit me homo, & viuet*, Exodi c. 33 v. 20. Ergo nec Henoch & Eliæ id concedendum est: sunt enim ipsi adhuc mortales, & reipsa morituri.

Quartò. Quartò, multò magis paradoxum videtur, Henoch & Eliam à gloria cælesti, & visione Dei redire ad passiones, merita & mortem, quàm merita eorum suspendi. quis enim Beatus vmquam è cælo redijt ad labores, merita & mortem? quis vmquam ex comprehensore factus est viator?

Quintò. Quintò, solus Christus fuit simul viator & comprehensor: hoc enim priuilegium soli Christo dant omnes Theologi. Atqui secundùm nouam hanc sententiam, hoc falsum est. nam Henoch & Elias, saltem cùm redibunt certaturi contra Antichristum, simul erunt viatores & comprehensores. tunc enim non perdent visionem Dei, quam iam possident, quaque sunt beati.

Sextò. Sextò, si visio Dei non impediet tunc eorum merita & labores contra Antichristum, cur iam eorum merita impedit? pari enim modo Christus ante mortem & resurrectionem suam videns Deum, numquam per hanc visionem impeditus fuit à suo merito.

Septimò. Septimò, S. Ioannem non esse mortuum, cumque venturum esse contra Antichristum, planè videtur improbabile, atque repugnat tam historicis plurimis, qui eum mortuum esse asseuerant (citat eos Baronius) quàm Ecclesiæ, quæ S. Ioannis quasi mortui, & in cælo cum Christo iam regnantis festum colit, eumque inuocat. Secùs est de Henoch & Elia: hos enim nemo colit, vel inuocat.

Resp. ad primũ prioris sent. Ad primum Respond. Ioannem post illa verba Apocal. 10. iterum prophetasse Gentibus c. 12. 13. 14. & sequent. vsque ad finem Apocal. non autem ijs prophetaturum esse in fine mundi. Illud verò Ioan. c. 21. *Sic eum volo manere*, idem est ac si diceret, *Si eum volo manere*, vti alij codices legunt. loquitur enim Christus non assertiuè, sed conditionatè, idque ad retundendam curiosam Petri interrogationem: *Domine hic autem quid?* Porro calicem passionis bibit S. Ioannes, tum aliàs, tum eo tempore quo in dolium olei feruentis missus est. vnde ipse à Patribus vocatur, & ab Ecclesia colitur, & reuera est Martyr. *S. Ioannes Euangel. est Martyr.*

Ad secundum. Ad secundum Respond. Græci celebrant festum Eliæ, non beati, sed rapti. illo enim die tantùm recolunt memoriam raptus eius, quia raptus hic fuit admirabilis.

Ad tertiũ. Ad tertium Respond. Eodem modo & scopo Eliæ templa erexerunt Græci, quo festum illi instituerunt, scilicet vt ijs testarentur & recolerent memoriam tam miri raptus Eliæ (templa enim propriè non Sanctis, sed soli Deo in honorem Sanctorum eriguntur;) qui cælestem hic egit vitam, & cælestes quasi discipulos post se reliquit, fuitque Monachorum quasi pater & patriarcha, quique etsi nondum beatus sit, iam tamen quasi confirmatus est in gratia, certoque beandus, itaque ex Dei reuelatione & oraculo iam quasi canonizatus est.

Ad quartum. Ad quartum Respond. Ordo à Deo institutus postulat, vt Henoch & Elias non videant Deum,

cùm nondum sint mortui: alij verò Prophetæ mortui sunt, ideoque vident Deum. Quare congruum est vt Henoch & Elias mediam vitam agant, inter homines terrenos & inter Beatos in cælo, pacatam scilicet & iucundam, non tamen beatam. Eorum verò sanctitati & meritis rependitur, non visio Dei, sed aliud magnum quid, scilicet quòd illi soli ex Prophetis venturi sint, quasi fortissimi pugiles Christi contra Antichristum, eumque confutaturi, ideoque martyrio ab eo laureandi.

Ad quintũ. Ad quintum de suspensione meritorum mox dicam, neque illa suspensio hîc difficultatem tollit. nam saltem Henoch merita fuerunt suspensa, à raptu eius vsque ad passionem Christi, per tria penè annorum millia (præcisè enim anni 2997. interfluxerunt) quibus tamen Deum non vidit Henoch. si enim merita eius tunc non fuerunt suspensa, ergo Henoch tot annis continuè merendo, longissimè superabit in gratia & gloria omnes Sanctos, itaque recidemus in incommodum quod ipso argumento prætenditur.

An mereãtur, problema est. Quæritur Tertiò, An sint in statu merendi? Asserit Viegas in Apocal. 11. Ratio est, quia sunt adhuc viatores, cumque priuentur visione Dei, cur præter ordinem communem priuarentur etiam facultate merendi, quam habent alij viatores? esto hac ratione meritis & gloria sint superaturi Sanctos omnes, excepta B. Virgine. Negat verò idipsum Pererius & Suarez. idque videtur probabilius. ratio est, quia alioqui tot annorum millibus innumera accumularent merita, nec inter eos & alios Sanctos esset vlla comparatio, aut proportio in gratia & gloria. Secundò, quia per raptum translati sunt in alium statum & vitam. vnde raptus videtur eis fuisse instar mortis; ac consequenter suspendisse eorum merita, donec redeant ad nos tempore Antichristi: tunc enim rursum merebuntur.

Iam ergo sunt quasi in statu medio viatorũ & Beatorum, scilicet in statu quietis & contemplationis: vnde sicut non laborant, nec patiuntur; sic nec merentur: plurimùm autem merebuntur redeuntes, & pugnantes contra Antichristum.

Tria ænigmata. In Vita S. Pachomij refertur, quòd philosophus quidam Theodoro discipulo S. Pachomij, hæc tria ænigmata proposuerit; ad quæ ipse ita solerter respondit. Primum, Quis non natus, mortuus est? Respondit Theodorus, Adam. Secundum, Quis natus est, nec tamen mortuus? Respondit, Henoch, qui translatus est. Tertium, Quis mortuus est, nec tamen corruptus? Respondit, Vxor Lot, quæ in statuam salis est conuersa.

Redibunt, vt se opponant Antichristo. Nota. In fine mundi redibunt ad communem vitam Henoch & Elias, vt Antichristo per conciones, disputationes & miracula se opponant, ideoq; ab Antichristo martyrio afficiẽtur Hierosolymæ, *Occidẽtur, resurgent, & in cælũ ascendent,* qui corpora eorum proijciet insepulta in plateam: sed post tres dies & dimidium, viui & gloriosi tota vrbe spectante resurgent, ascendentque in cælum, vt patet Apocal. c. 11. v. 7. & seq. Ita passim Patres hîc, & Apocal. c. 11. estque communis hic fidelium sensus & traditio. vnde S. August. l. 20. de Ciuit. cap. 29 dicit hoc esse celeberrimum in sermonibus & cordibus fidelium.

Denique Henoch atauus fuit No, ac consequenter pater fuit omnium nostrũm; omnes enim homines, (consequenter & Antichristus) vti

A à Noë, ita & ab Henoch descendunt. vnde sequitur, quòd, cùm ad nos redibit Henoch, cælebs manebit; nec enim cum vlla femina (cùm omnes ex se descendant, sintque suæ filiæ) matrimonium ratum contrahere poterit: *Henoch rediens nullã vxorem ducere poterit* quia in linea recta ascendentium & descendentium, etiam si gradibus infinitis ab inuicem distarent, iure naturæ irritum est matrimonium, si ascendentes descendentibus copulari velint, vti habet communior sententia Doctorum, quos recenset Sanchez to. 2. de Matrim. libr. 7. disp. 51. licet ipse cum alijs contrarium doceat. Concionabitur ergo Henoch rediens omnibus suis filijs, putà omnibus hominibus, & ab vno filiorum suorum, putà à spurio Antichristo, occidetur. Rursum raptus fuit Henoch anno mũdi 987. ergo cùm hoc anno Christi 1615. agatur annus mundi 5565. sequitur Henoch hoc anno agere annum raptus sui 4578. vitæ verò suæ 4943. *Henoch raptus anno mundi 987 vixit annis 4943.*

B

DIES MATHVSALEM NONGENTI SEXAGINTA NOVEM ANNI] Hic fuit omnium mortalium longæuissimus: Adam tamen eo longæuior dici hac ratione potest, quòd Adam creatus sit in ætate & statura perfecta, qualis iam est triginta, tunc fuisset 60. annorum, vt minimum: Mathusalẽ autem natus est infans, & 60. annis creuit, & adoleuit ad statum & staturam in qua creatus est Adam: ergo si 60. annos à Mathusalem demas, vel totidem Adæ addas, superabit Adamus Mathusalem 21. annis. ita Perer. Natus est Mathusalem anno mundi 687. cumque vixerit annos 969. sequitur eum obijsse anno mũdi 1656. scilicet eodem anno quo factũ est diluuium, paucis (septem, si Hebræis C credimus) diebus antequã illud inundaret. ita S. Hieron. Non bene ergo S. August. libr. 1. quæst. in Gen. censet eum obijsse 6. annis ante diluuiũ. sexto enim anno ante diluuium obijt, non Mathusalem, sed Lamech eius filius, qui fuit pater Noë, vt patet Gen. 5. 30. & 31. Sed audi S. August. initio quæst. in Gen. *Quæri, inquit, solet, quomodo Mathusalem secundùm annorum computationem, viuere post diluuium potuerit, cùm omnes præter eos, qui in arcam ingressi sunt perijsse dicantur? sed hanc quæstionem, plurium codicum mendositas peperit. Non solùm quippe in Hebræis aliter inuenitur, verùm etiam in Septuag. interpretatione, Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus sex annos ante diluuium reperitur fuisse defunctum.* Quod etiam explicat lib. 15. de Ciuit. c. 13. *Vers. 27.* *Mathusalem mortuus est anno diluuij.*

NOMEN EIVS NOE, DICENS: ISTE CONSOLABITVR] Ex hisce verbis patet, Lamech fuisse pro- *Vers. 29.*
D phetam. Nota. Noë hebraicè duo significat: Primò, quietem, à radice נוח *noach*, id est, *quieuit*. inde enim Noë hebraicè dicitur *Noach*, id est quies, vel quiescens, & quiescere faciens. vnde LXX. vertunt, *hic requiescere faciet nos ab operibus & tristitijs manuum nostrarum*. Sic & Arabicus. Secundò, significat consolationem vel consolatorem, à radice נחם *nacham*, id est consolatus est, vt Noë à *nacham* deducatur, per apocopen literæ *mem*: & ita deducit Scriptura hîc dicens, זה ינחמנו *ze ienachamenu*, iste consolabitur nos, vti habent Hebræa, Chaldæus, & Noster. sed vtrumque eôdem redit: consolatio enim ab opere & labore, non est aliud quàm quies ab opere & labore. *Noë idem est quod quies & consolatio.*

Noë ergo quiescere fecit & consolatus est homines: Primò, quia, vt ait S. Hieron. omnia retroacta opera, scilicet peccata, quieuerunt per *Quinque modis Noë fuit consolator.*

Noë, *Primo.*



Noe, qui ea sepeliuit diluuio. Secundò, vt R. Salomon, Hebræi, Caiet. & Lipoman. quia Noe aratrum & alia instrumenta agriculturæ, artemque faciliorem colendi agros inuenit. Tertiò, vt alij, quia propter sanctitatem & sacrificium Noe post diluuium, Deus benedixit terræ c. 8. v. 21. & c. 9. v. 1. & sequen. quo factum est, vt terra sic benedicta minore labore & cultura maiores fructus afferat. Quartò, quia Noe plantauit vites, & adinuenit vinum, quod est solatium cordis humani. Rursum, quia Noë à Deo fuit concessus vsus carnium, quibus vita hominum roboratur. Addunt alij, quia Noe per diluuium hominibus asciuit mortem, quæ est omnium laborum nostrorum finis & quies. Verùm mors & mersio improborum non est quies, sed initium æterni doloris & laboris. Quintò & maximè, hisce verbis prophetat Lamech de Noe filio suo, quòd ipse erit generis humani, diluuio penè absumendi, reparator (hæc enim magna Lamechi, & patrum fuit consolatio & quies) ait Hugo, & quòd ipse mundo Deum, Deique beneficentiam conciliabit, quodque ex eo nascetur Messias, inquit Rupertus, qui nostra est requies & consolatio: cuius est illa vox, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Noe ergo fuit typus Christi.

Quadruplices labores sublati per Noe.

Ante diluuium magni & longi fuerunt patrum dolores & labores: Primò, quia viuebant 900. annos in continuis laboribus. Secūdò, quia terram colebant à Deo maledictam, ideoque sterilem. Tertiò, quia non habebant illas artes & instrumenta arandi & colendi terram. Quartò, hi omnes eorum labores perituri erant diluuio: quæ magna futura erat eis pœna & afflictio. Ab his ergo eos quiescere facit & solatur Noe: Primò, quia per arcam labores, id est opera labore eorum facta, restituit. Secundò, quia ob eius merita, artesque ab eo & posteris inuentas, facilior iam est agricultura, omnisque labor hominum, vti paulò antè dixi.

Nota. Natus est Noe 600. anno ante diluuium, quod factum est anno mundi 1656 vnde sequitur Noe natum esse anno mundi 1056. scilicet post mortem Adæ anno 126. mortuus est enim Adam anno tam suo quàm mundi 930.

Tropologicè, Noe symbolum est iustitiæ, quæ omnes consolatur, *& requiescere facit ab operibus iniquitatis; hæc reuocat à tristitia: quia dum ea quæ iusta sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate, non dolemus graui dolore. nihil est enim quod maioris doloris sit, quàm culpæ reatus,* inquit S. Ambrosius lib. de Noe c. 1.

Vers 3.

NOE VERO CVM QVINGENTORVM ESSET ANNORVM] Nota, non videri (licet id videatur S. Chrysostomo) Noe ad annum 500 abstinuisse coniugio: ergo alios ante Sem, Cham & Iapheth genuit filios, qui mortui sunt ante diluuium. vnde sequitur, non omnes qui hîc primò generati nominantur, fuisse reuera primogenitos. ita S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. 20.

Hoc anno 500. cœpit Noe arcæ fabricam, eamque continuauit per 100. annos: perfecta est enim illa anno 600. ita Origenes, August. Gregor. Rupert.

Rursum post annum 500. Noe genuit, id est generare cœpit, Sem, Cham & Iapheth; vt successiuis annis genuerit, nunc Sem, nunc Cham, nunc Iapheth. nec enim eodem anno hi tres simul sunt geniti.

Chronologia ab Adā ad Noe & diluuium.

Ex hoc loco colligitur chronologia mundi, putà à creatione mundi & Adæ, vsque ad diluuium fluxisse annos 1656. nam

Adam	genuit	Seth	cùm esset	130	annorum.
Seth		Enos		105	
Enos		Cainan		90	
Cainan		Malaleel		70	
Malaleel		Iared		65	
Iared		Henoch		162	
Henoch		Mathusalem		65	
Mathusalem		Lamech		187	
Lamech		Noe		182	
Noe		Sem, Cham & Iapheth		500	

Post generationem Sem anno centesimo, qui fuit 600 vitæ Noe, factum est diluuium, Gen 7. v. 11. Durauit diluuium anno integro, vt patet conferenti Genes. 7. v. 11. cum Genes. 8. v. 13. & 14. Ergo à creatione mundi vsque ad finem diluuij fluxerunt anni 1657.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Homines omnes, ac præsertim gigantes, libidinibus, omnique scelere sese corrumpunt. hinc Secundò, v. 7. Deus intentat orbi excidiū per diluuium, ac consequenter v. 14. iubet Noe fabricare arcam, in qua tam ipse, quàm animalia bina cuiusque speciei, in semen posteritatis seruentur.

Finitur hic prima mundi ætas, primaque Genesis pars, atque incipit secunda, quæ est de Noe & diluuio, terminaturque in Abraham cap. 12.

1. CVmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent,
2. videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi
vxores ex omnibus, quas elegerant. 3. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus
in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.
4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. postquam enim ingressi sunt
filij

filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.
5. Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogi-
tatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, 6. pœnituit eum quòd homi-
nem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, 7. Delebo, inquit, homi-
nem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad vo-
lucres cæli. pœnitet enim me fecisse eos. 8. Noe verò inuenit gratiam coram Do-
mino. 9. Hæ sunt generationes Noe: Noe vir iustus atque perfectus fuit in gene-
rationibus suis, cum Deo ambulauit. 10. Et genuit tres filios, Sem, Cham & Ia-
pheth. 11. Corrupta est autem terra corã Deo, & repleta est iniquitate. 12. Cum-
que vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam
super terram) 13. dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est
terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. 14. Fac tibi arcam
de lignis læuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & ex-
trinsecus. 15. Et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quin-
quaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. 16. Fenestram
in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius: ostium autem arcæ po-
nes ex latere: deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea. 17. Ecce ego adducam
aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est
subter cælum: Vniuersa quæ in terra sunt, consumentur. 18. Ponamque fœdus
meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum,
tecum. 19. Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt vi-
uant tecum: masculini sexus & feminini. 20. De volucribus iuxta genus suum, &
de iumentis in genere suo ex omni reptili terræ secundùm genus suum: bina de omni-
bus ingredientur tecum, vt possint viuere. 21. Tolles igitur tecum ex omnibus escis,
quæ mandi possunt, & comportabis apud te: & erunt tam tibi quàm illis in cibum.
22. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

VERS. 1. CVMQVE COEPISSENT HOMINES MVLTIPLICARI] Iosephus & Theodoret. putant hæc accidisse circa septimam ab Adamo generationem, scilicet sub tempora Henoch. Est ergo hîc anacephalæosis: recapitulat enim hîc Moses, & redit à Noe ad tempora priora, quæ causam dederunt diluuio.

VERS. 2. *Qui filij Dei quæ filiæ hominum? Prima sent.* VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINVM, QVOD ESSENT PVLCHRÆ] Quæres, qui sint filij Dei, & quæ filiæ hominum? Respondent aliqui filios Dei esse angelos. angelos enim esse corporeos, & in corpore hîc primum suum peccatum luxuriæ admisisse, ob quod cælo deiecti sint. ita Ioseph. Philo lib. de gigantibus. Iustinus Apolog. 1. Clemens 3. Strom. Tertull. lib. de Habitu mulierum (vbi docet, dæmones hîc docuisse mulieres conficere stibium, brachialia, aliosque fucos) Lactant. lib. 2. c. 15. Nec mirum id eos sensisse: nam & hoc sæculo Caietan censuit probabile esse, angelos habere sua corpora.

Secunda. Secundò, alij respondent, filios Dei (scilicet quoad naturam) esse dæmones, qui ex se suaque natura & corpore generarint instar hominum, vt voluerunt Platonici, & Francisc. Georg. tomo 1. problem 74. vel potiùs, vt Burgensis & Francisc. Valesius Sacræ philosophiæ c. 8. esse dæmones, primùm succubos, qui à potentissimis viris validissimum semen exceperint, quod deinde ijdem quasi incubi in validissimas feminas transfuderint, itaque generarint gigantes. Licet enim Pererius dubitet, an ex incubis dæmonibus hoc modo generari possit homo, & idipsum neget Cyrill. asserunt tamen Cardanus, Caiet. & bene idipsum probat Delrio lib. 2 Disquisit. magic. q. 15.

Tertia & vera. Verùm dico, *filij Dei* vocantur hîc filij Seth, Primò, ob sanctitatem suam, iustitiam, temperantiam, aliasque virtutes. per quas Dei imago in eis, quasi filijs suis resplendebat. ita S. Chrysost.

A Cyrillus, Theodor. Rupert. & Hilar. in psal. 132. Secundò, vt Oleaster, est phrasis Hebræa: Hebræi enim omnia fortia magna, egregia, dicunt esse Dei; vt montes Dei, cedri Dei vocantur cedri & montes & altissimi & maximi. Sic *filij Dei* vocantur filij Seth, quia robusti, quia viribus, forma, pulchritudine, statura eximij. è contrario filij & filiæ Caini, vocantur *filij & filiæ hominum*, Primò, quia erant peruersi, & terræ affixi. Secundò, quia corporis robur, formam, & staturam eneruarant & decurtarant. vnde, vt notat Pererius, Cainitæ hîc dicuntur generasse, non filios, sed filias: quia vi generandi per profusam libidinem debilitata, non filios, sed ferè tantùm filias generare potuerunt. Addit Tertiò, Theodor. & Suidas, Seth à pietate & sapientia Deum esse dictum; hinc eius filios vocari filios Dei.

Quartò, *filij Dei* possunt accipi *filij potentum*, vti vertit Symmachus, Chald. & Pagninus: vt *filiæ* *Quarta.*
B *hominum* vocentur plebeiæ, quibus potentes per potentiam & tyrannidem sint abusi. Cùm enim Deus, teste Damasceno, à prouidendo & præuidendo sit dictus; hinc rectores & potentes, quorum est alijs prouidere, vocantur dij. vnde illud Dei ad Mosen: *Constitui te Deum Pharaonis.* ita Molina. Verùm prior sensus, vti planior est & communior, ita & verior.

NON PERMANEBIT] Hebraicè est לא ידון *lo iadon*, quod Symmachus, Arias, & alij à radice דון *dun* deducunt, vertuntque, *non iudicabit, non litigabit*, q.d. Deus, Non patiar hanc litem, inter meam misericordiam, & iustitiam, tamdiu durare. rursum, Nolo ampliùs cum hominum peruicacia contendere. tædet me, angunt me & discruciant tanti conflictus sibi aduersantium affectuum: litem ergo dirimam, ac homines incorrigibiles, totosque carni deditos planè delebo. loquitur Deus *ἀνθρωποπαθῶς*. Sic quoque legit S. Hieron. *VERS. 3. Triplex ex Hebræo sensus. Primus.*

Hieron. in Quæst. siue tradition. in Genes. *In Hebræo*, inquit, *scriptum est: Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt, hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hîc pro suo scelere visitatur.*

Secundus. Secundò, melius Pagninus & Caietan. cum S. Chrysostomo pro *iadon* alijs punctis legunt יִדּוֹן *iiddon*, à radice נְדַן *neden*, id est vagina. q. d. Non ampliùs manebit spiritus meus in hominis corpore, quasi in vagina: euaginabo, seu extraham animam de corpore. vnde Syri corpus vocant *nidne*, quòd sit quasi vagina animæ.

Tertius. Tertiò & planissimè dici potest cum Leone Castrio lib. 3. Analogiæ, in Hebræo pro *iadon* legendum esse יָלִין *ialon*, à radice לוּן *lun*, id est mansit, moratus est, hospitatus est. tam enim Septuag. & Chaldæus, quàm Noster vertunt, *non permanebit*, scilicet spiritus in corpore, quasi in hospitio suo.

SPIRITVS MEVS] anima & vita homini à me inspiratà, Gen. 2. hinc halitum nostrum, vitam & animam Deus habet in manu sua, Dan. 5. v. 23.

IN AETERNVM] in longũ tempus quale habuerunt homines ab Adam hucusque: quia, vt sequitur, post 120. annos omnes delebo diluuio.

QVIA CARO EST] quia carnalis, & in vitia carnis sua culpa proiectus est. ita S. Chrysost. & Ambros.

Qui 120. anni hic præstituti hominibus. ERVNTQVE DIES ILLIVS CENTVM VIGINTI ANNORVM] Putant aliqui hîc à Deo statui terminum vitæ singulis hominibus, quasi singuli homines deinceps tantùm essent victuri 120. annis. ita Iosephus, Philo, Rupertus, Abulens. Sed falluntur. nam constat post hæc tempora homines vixisse, non 120. sed 400. annis, vt patet Genes. 11.

Dico ergo, Deum hîc statuere terminum vitæ toti generi humano, q. d. Homines carnales grauissimè me offenderunt, possem eos hoc instanti delere; sed quia clemens sum, do eis tempus pœnitentiæ, idque largum, scilicet 120. annos: quòd si illud negligant, post 120. annos omnes planè delebo per diluuium, quod orbi inducam. ita Chaldæus, Hieron. Chrysost. & August. l. 15. de Ciuit. c. 24. Ergo, vt rectè aduertit S. August. & Saluianus l. Antikimenon ex Genesi, dixit hæc verba Deus anno ætatis Noë 480. 20. annis ante natiuitatem Sem, quæ contigit anno Noë 500. sicut diluuium contigit 600. licet S. Hieron. Chrysost. & Hugo hæc dicta velint anno 500. Noë, 100. annis ante diluuium: ita nimirum vt ab his 120. annis, Deus ob scelera hominum 20. dempserit & decurtarit. Hîc ergo Deus statuit mundo tempus pœnitentiæ 120. annorum, illudque reuelat Noe, vt ipse illud ipsum propalet mundo. Vnde sequitur,

Noë præco pœnitentiæ. Noë hîc implicitè à Deo statui præconem pœnitentiæ, & comminationis diluuij: quo diligenter & fideliter apud homines eum perfunctum esse, non est dubium, atque in eodem collegas habuisse Mathusalem auum, & patrem Lamech, valdè est verisimile. vnde Berosus Chaldæus l. 1. sic ait: *Tum multi prædicabant, & vaticinabantur, & lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione. sed enim illi assueti corridebant omnia, cælestium illos ira atque vltione perurgente, pro impietate atque sceleribus.* Moraliter hîc Nota, vti

A impietas & improbitas familias, etiam antiquissimas & nobilissimas extinguunt, vt patet in Cain & gigantibus; ita pietas & probitas easdem perpetuant, vt patet in Seth & Noë. hoc est quod psalmo 36. dicitur: *Iusti autem hereditabunt terram: iniusti autem disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt.* Symbolicè, Cabalistæ, & ex ijs Petrus Bongus tract. de Numerorum mysterijs, in sexies millesimo, annos hos 120. magnos & Mosaicos accipiunt, putà iubilei, ita vt quilibet annus hic complectatur quinquaginta annos vulgares; ac consequenter 120. hi efficiant sex millia annorum vulgarium (multiplica enim 120. per quinquaginta, habebis sex millia) quibus durabit hic mundus, vitaque & ætas hominum, de quo dixi cap. 2. v. 2.

B GIGANTES AVTEM ERANT] Ex τῷ *erant* videtur, quòd iam antè fuerint gigantes: ita tamen, vt hoc tempore fuerint multiplicati, ex commistione filiorum Dei cum filiabus hominum. vnde Hebræa pro *postquam enim* habent, *& etiam postquam:* & Septuag. clarè ita vertunt, *gigantes erant super terram in diebus illis, & post illud, postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum.* Ita S. August. Vatabl. & alij.

Gigantes quomodo & vnde nuncupati. Nota. Gigantes hebraicè vocantur נְפִילִים *nephilim*, id est cadentes, (à radice נָפַל *naphal*, id est cecidit) actiuè, q. d. irruentes, opprimentes, & cuncta instar procellæ prosternenetes, & ad casum ac ruinam impellentes. vnde Aquila vertit, ἐπιπίπτοντες οἱ βίαιοι, *illi violenter irruentes.* inde illud Iobi 16. v. 15. *Irruit in me quasi gigas.* Erant enim gigantes vastissimi, procerissimi, fortissimi & violentissimi homines. Iidem à parentibus Rapha &

C Enac, vocantur *Raphaim* & *Enakim:* græcè vocantur, γίγαντες, quasi γηγενεῖς, id est ex terra geniti, quasi ventris & terræ filij, inquit S. Ambrosius & Philo.

Quinam fuerint. Burgensis putat gigantes fuisse dæmones, humana specie indutos: Valesius putat gigantes fuisse filios dæmonum incuborum: Philo putat homines sceleratissimos vocari gigantes. Sed certũ est, gigantes fuisse homines monstrosa statura, robore, latrocinijs & tyrannide insignes. vnde gigantes, per sua scelera, fuerunt maxima & potissima causa diluuij, vt patet Sap. 14. v. 6. Iob 26. 5. Idem insinuat hîc Moses: ea enim de causa descripturus diluuium, gigantes, quasi diluuij causam, præmittit. ita passim docent interpretes.

Ex hoc loco rursum, & potiùs ex fabrica turris Babel, de qua c. 11. Gentiles sumpserunt fabulam

D *Fabula gigantum vnde.* gigantum & Titanum, vt post S. Ambrosium & Eusebium lib. 5. de Præpar. Euang c. 4. docet Pererius. Credidit enim vetustas, gigantes fuisse homines excelsissimæ staturæ, & draconum pedibus, ab irata tellure procreatos in deorum perniciem, vt scilicet bellum dijs inferrent, Iouemque cæli possessione deijcerent. sed temere & frustra: nam à Ioue contriti sunt. quod paucis versibus ita perstringit Ouidius:

Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes,
Altaq; congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossa.

POSTQVAM ENIM] q. d. Maximè postquam. Nota. Gigantes maximè generati sunt ex filijs Seth (hi enim vocantur filij Dei) qui integerrimis erant viribus, & iam à primæua integritate degeneran-

Libido peperit gigantes.

nerantes, summo amore ardoreque libidinis, A toti in terram & ventrem proiecti, filiabus Cain (hæ enim vocantur filiæ hominum) vtpote pulcherrimis, agglutinati sunt. Fecit enim libido, vt natura in ijs omnem suam vim, & extremum potentiæ suæ exsereret, itaque vastissimi & validissimi homines prognati sunt. Thomas Fasellus de rebus Siculis lib. 1. decade 1. c. 6. multa affert exempla gigantum huius penè sæculi, quorum alij 18. alij 20. alij plures habebant cubitos in altitudine.

Vide hic, vt robur æquè ac virtus vel vitium parentum, in proles transfundatur. Rectè Poëta:

Fortes creantur fortibus.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

VERS. 5.

CVNCTA COGITATIO] Hebr. כָּל יֵצֶר מַחְשְׁבֹת B *col ietser machsceuot, omne figmentum cogitationum.* ietser enim est figmentum siue plasma figuli. vnde Illyricus delirat, dum ex hac, imò ex sua monstrosa figulina format & fingit peccatum originale non esse accidens, sed substantiam & formam substantialem hominis. talis enim substantia, inquit, est plasma figuli. Verùm non aduertit ipse, hoc figmentum non esse Dei, sed *cogitationum*: cogitatio autem hominis non substantiam, sed substantiæ adamatæ imaginem sibi pingit & fingit: hæc autem imago est accidens, non substantia. vnde Caluinus vertit, *cuncta imaginatio.* Sicut enim figulus sua idola, ita imaginatio & concupiscentia hominis, suas species, quasi idola sibi effingit (qua de re vide Cyprianum in prologo libri de Cardin. operibus) ijsque non coactè, sed liberè se pascit & oblectat, ideoque meritò punitur, vt hi puniti sunt diluuio. C

Delirium Illyrici: peccatum originale esse veram substantiam.

INTENTA ESSET AD MALVM] Infert Caluinus, Ergo omnia opera nostra, etiam sancta, aliquo occulto concupiscentiæ peccato sunt inquinata, imò tota sunt sordida. nam Hebræa addunt רַק *rac*, id est, tantùm intenta ad malum.

Caluini error: omnia opera iustorum esse peccato inquinata.

Respondeo, Tò *rac* nec LXX. nec Chaldæus, nec Nostri verterunt, quia viderunt id in Hebræo addi per pleonasmum & auxesin, satisque includi in eo quod dicitur, *cuncta cogitatio* & *omni tempore intenta ad malum.* Respondeo Secundò, Scripturam hîc non loqui de iustis, sed de peccatoribus, ob quos inductum est diluuium. nam statim excipit iustum Noë v. 8. cuius cuncta penè cogitatio intenta erat, non ad malum, sed ad bonum. Respondeo Tertiò, esse hîc hyperbolen. nam peccatores licet maximi, quædam tamen bona faciunt, dum parentibus obediunt, proximos iuuãt, alijs fidem seruant, &c. *cuncta* ergo, id est plurima & creberrima, *cogitatio.* Sic vulgò dicimus, Hic homo non aliud somniat (id est, sæpè non aliud cogitat) quàm de suo ventre. Similis hyperbole est psal. 13. 3. Rom. 3. 12. D

Refellitur Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Adde, propriè Mosen loqui de peccatoribus, non omnibus, sed ijs tantùm qui erant tempore Noë, erantque pessimi & sceleratissimi: quos licet daremus nil boni, sed omnia mala fecisse, idque ex libera sua malitia; inde tamen nec sequitur, eos aliter facere non potuisse, nec etiam alios peccatores, qui alijs temporibus viuunt, nil boni, sed omnia mala peragere.

Ex hoc loco probabiliter putat Pererius, illo tempore solum Noë cum suis prolibus fuisse iustum, omnes alios fuisse impios, ideoque, vti aquis diluuij, ita & in infernum esse demersos, exceptis tamen infantibus, qui sacramento illius temporis renati mergebantur. Verùm contrarium est probabilius; scilicet aliquos etiam adultos, cùm se aquis inuolui, & sensim obrui viderẽt, pœnituisse, iustificatos & saluatos esse. Docet hoc S. Hieron. & Rupertus, satisque id ipsum insinuat S. Petrus epist. 1. c. 3. v. 19. sic enim in periculis naufragij, etiam sceleratissimi quique, magno pietatis affectu ad Deum confugiunt, emendationem spondent, veniam petunt & impetrant, vt corpore pereunte anima saluetur.

Verius est aliquos, dũ in diluuio mergerentur, pænituisse.

VERS 6.

POENITVIT EVM] Septuag. ἐνεθυμήθη, *recogitauit.* nam is quem facti pœnitet, sæpè illud versat & recogitat, Eccur hoc feci? vtinam non fecissem. Pœnitet hominem, cùm is reuocat cum dolore, & retractat sua dicta aut facta, ob euentum tristem, quem non præuiderat, ex ijs consecutum. Deus omnia præuidit, nec dolere potest; ergo propriè eum nullius pœnitet: dicitur tamen anthropopathῶς pœnitere & dolere, cùm ob hominum scelera, sua dona & gratias reuocare statuit & decernit: cùm peccatores à se creatos & beneficijs affectos, ob sua peccata, occidit & punit. vnde Symmachus vertit, ἀντιστρέψεν, auersatus est. *pœnituit* ergo *Deum*, id est, Deus irascens & indignans peccatis hominum decreuit retractare & delere hominem, quem creauerat.

Aliter pœnitet hominem, aliter Deum.

VERS. 7.

DELEBO HOMINEM, &c. VSQVE AD ANIMANTIA] Nota. Peccatum totius vniuersi harmoniam dissoluit; quia non tantùm hominem, sed & elementa, omnesq; creaturas commaculat & distorquet. Ostendam hoc per singula creationis singulorum dierum opera. Primo die creata est lux: hãc fugat & obtenebrat peccatum. hinc ait Ieremias c. 4. *Aspexi cælos & non erat lux.* Secundo die, creatum est firmamentum & orbes cælestes: iam ob peccata cæli complicabuntur sicut liber, ait Isaias c. 34. 4. ne scilicet peccata & peccantes tegant & operiant. Tertio die productæ sunt plantæ: de his audi Ieremiam cap. 4. *Aspexi terram, & ecce, vacua, & nihil.* Quarto die factus est sol: hunc peccatum eclipsat, vt docet Isaias c. 13. 10. Quinto die producti sunt pisces & aues: de his ait Ieremias c. 4. 25. quòd ob peccatum omne volatile recessit. Sexto die creata sunt quadrupedia & homo; hæc peccatum aufert ex montibus & siluis, vt patet Oseæ c. 4. 3. Omnia ergo cum homine peccante puniuntur, quia ei ad peccatum seruiunt: vel potiùs homo ipse in omnibus punitur, dum omnibus quibus abusus est, priuatur.

Peccatum tot ius vniuersi harmoniã dissoluit id probatur eundo per opera sex dierum.

VERS. 9.

NOE VIR IVSTVS] Noe, ait S. Ambrosius libr. de Arca & Noë c. 4. *non genere, sed iustitia laudatur: probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus, homines; ita animarum genus, virtutes sunt.* Hinc pereunte mundo, vnus Noë seruatur, quasi stirps incorrupta, vt noui mundi sit origo, & nouorum hominum seminarium, vt ait S. Ambrosius.

Animarum prosapia & nobilitas, & virtus.

Vera ergo nobilitas, laus & gloria in iustitia, religione & virtute consistit. Ita censuerunt veteres Christiani, nobiles & Martyres. Ita Romanus Martyr, cùm Galerius Imper. & Asclepiades præfectus Antiochiæ Christianos inuaderent, flagris & plumbatis cæsus, noluit sibi nobilitatis nomine parci. *Absit*, inquit, *vt me nobilem sanguis parentũ præstet, aut lex curiæ: generosa Christi sequela*

sequela nobilitat viros. Iussit ergo Asclepiades latera eius mucronibus scindi. tum ille: *Gratias ago tibi, ô præfecte, quòd ampliorìs mihi oris patefecisti meatus, quibus Christum prædicare possim. tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.* testis est Prudentius in hymnis περὶ στεφάνων. Ita & S. Agatha Quintiano præfecto objicienti: *Non te pudet nobili genere natam, humilem & seruilem Christianorum vitam agere?* respondit, *Multò præstantior est Christiana humilitas & seruitus, regum opibus & superbia.* B. Gregorius Nazianz. orat. 11. *Nobilitas vera*, inquit, *est diuinæ imaginis conseruatio, atque archetypi imitatio, quam ratio & virtus efficiunt.*

In quo consistat perfectio viatoris. PERFECTVS] perfectione, non patriæ, sed viæ, quæ excludit omne peccatum, non veniale, sed mortale, quæq; in assiduo studio & profectu virtutum consistit. vide S. August. l. de Perfect. iustitiæ. Hinc de Noë canit Sibylla l. 1.

Μοῦνος δ᾽ ἐν πάντεσσι δικαιότατος ἦν, ἠδ᾽ ἀληθὴς
Νῶε πιστότατος, καλοῖς τ᾽ ἔργοισι μεμηλώς.
Solus in cunctis iustissimus erat, & verax
Noë fidelissimus & bonis operibus addictus.

& Ecclesiast. c. 44. 17. *Noë inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* & Paulus Hebr. 11. v. 7. *Fide Noë aptauit arcam, per quam damnauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus.*

IN GENERATIONIBVS SVIS] inter homines sui æui & sæculi, adeoque præ hominibus sui æui. Ponitur abstractum pro concreto, scilicet *generationes sua*, pro hominibus suo sæculo generatis. Ita ait Sapiens Eccles. 1. 4. *Generatio præterit, generatio aduenit*, id est, ætas & soboles vna hominū præterit, mox altera filiorum & nepotum ei succedit. Sic enim B. Virgo dicitur benedicta inter mulieres, id est, præ omnibus mulieribus. Vnde colligunt aliqui, Noë quoque fuisse perfectiorem ipso Henoch, omnibusque suis maioribus, qui primo illo sæculo vixerunt. *An Noë perfectior fuit Henocho.* Verùm hoc non est necessum dicere: nec enim necessum est, sæculum Noë extendere vsque ad Henoch, qui iam ante sexcentos annos raptus erat in paradisum: & licet eò extenderemus sæculum Noë, sufficit ad veritatem horum verborum, dicere, Noë non ipso Henoch, nec omnibus omnino hominibus, sed plerisque fuisse perfectiorem.

Secundò, Delrio per generationes intelligit actiones: hæ enim sunt quasi liberi, quos parit homo toto vitæ suæ spatio. q. d. Toto vitæ suæ decursu, in suis actionibus perfectus fuit Noë. Hic sensus acutior & subtilior est. Prior ergo sensus magis planus, simplex & genuinus est.

CVM DEO AMBVLAVIT] vti Henoch, de quo dixi c. 5. 22. Præclarè Hugo de S. Victor. l. 1. de Claustro animæ, *Sicut*, inquit, *nullum est momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne enim tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse.* S. Basilius rogatus, quis frequēter irascitur? quis ad bona opera piger est? quis Dei gloriam non promouet? hoc vnum ad singula respondebat: *Qui non semper cogitat, Deum suarum actionum inspectorem esse. Hac enim vna recordatio si esset assidua, contra omnia vitia medelam præberet.* *Cogitatio præsentiæ Dei est remedium omnium peccatorū.*

VERS. 10. SEM, CHAM, ET IAPHETH] *Sem* hebraicè, inquit S. Cyrillus hic hom. 3. significat perfectionem, vel plantationē; *Cham* calliditatem; *Iapheth* amplificationem. Verius est, *Sem* hebraicè significare nomen, vel famam; *Cham* calorem & nigrorem; *Iapheth* amplitudinē, vt patebit c. 9. 26. Iam abstracta ponuntur pro concretis: nomen & fama, id est nominatus & famosus: calor & nigredo, id est calidus & niger: amplitudo, id est amplus. *Sem idem est quod famosus, Cham niger, Iapheth amplus.*

VERS. 11. CORRVPTA EST AVTEM TERRA] incolæ terræ adeò corrupti sunt, vt ipsam terram suis sceleribus polluisse & corrupisse videantur. est metonymia cum auxesi.

VERS. 12. OMNIS CARO] omnis homo. est synecdoche; *caro* enim idem est quod homo: & hyperbole; nam *omnis* idem est, quod plerique. excipitur enim Noë iustus cum suis.

CORRVPERAT VIAM SVAM] suam viuendi rationem. sic viæ hominis vocantur opera, conuersatio, consuetudo hominis; viæ Dei vocantur opera Dei, Prouerb. 8. 22. Notat S. Ambros. lib. de Noë & arca cap. 5. diluuium carnis peperisse diluuium aquarum. *Caro*, inquit, *causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo & locus est quidam voluptatis, ex qua velut à fonte prorumpunt concupiscentiarum malarúmque passionum flumina, lateq; exundant: quibus demergitur anima quoddam excusso gubernatore remigium, cùm ipsa mens velut quibusdam tempestatibus & procellis victa, loco suo cedit.* Et cap. 9. *Corruptela diluuij causa est: ea vbi erepserit, aperiuntur aquæ, ebulliunt omnes fontes cupiditatum, vt totum corpus tanto & tam profundo vitiorum diluuio mergatur.* Sicut ergo Noë includens se cum animantibus in arca, diluuium euasit; sic & tu cohibe tuos sensus & passiones intra mentis imperium, & poteris te tuaque ab omni diluuij periculo liberare.

VERS. 13. FINIS VNIVERSAE CARNIS VENIT CORAM ME] instat dies decreta à me excidio hominum & animalium; statui iamiam finire & perdere orbem diluuio. patet ex seqq.

A FACIE EORVM] per eos, ab eis. ita Septuag. Chaldæus vertit, *propter mala opera sua.*

VERS. 14. FAC TIBI ARCAM] Hebræum תֵּבָה *teba* significat arcæ formam fuisse, non in morem nauigij, cuius carina arcuatur, & summitas vel patet, vel concameratur: sed in morem cistæ vndique clausæ & quadrangulæ, quæ infernè plana est, & æqualis quaquauersum, supernè verò plana est, sed ita, vt modicè in culmen & cliuum exiguum assurgat. ita S. August. lib. 15. de Ciuit. c. 27. idque satis colligitur ex eius dimensione, quam v. sequ. subdit Moses. *Arca fuit instar cistæ.*

DE LIGNIS LAEVIGATIS] Hebraicè de lignis גֹּפֶר *gopher*, quod Septuag. vertunt, *quadratis*; Noster, *læuigatis*, id est dolatis & perpolitis, tum ad aptiorē & arctiorem compaginem, tum ad elegantiam, tū vt commodiùs illinerentur bitumine; Oleaster vertit, *de lignis pini*; Chald. Aben Ezra, & Rabbini vertūt, *de lignis cedri*. Cedrus enim in Syria abundat, estq; incorruptibilis, & longissimas dat tabulas, easq; leues & superfluitantes. Ex cedro factam esse arcam, docet etiam S. Ambros. l. de Arca c. 7. & S. August. tract. 6. in Iohan. S. Hieron. vertit, *ex lignis bituminatis* (vt גֹּפֶר *gopher*, idē sit quod כֹּפֶר *copher*) id est bituminosis, hoc est resinosis. bitumen enim amplè capitur pro resina: pinus autem & cedrus sunt resiniferæ. & sic omnes hæ versiones in vnum conuenirent. *Ex cedro facta est arca.*

MANSIVNCVLAS IN ARCA FACIES] Hebræa

& Septuag. *nidos facies arcam*, id est, in parua stabula diuides & distribues arcam, non solùm vt aues, sed vt cætera animalia, sua discreta habeant habitacula. vnde Noster clarè nidos hos exposuit, per mansiunculas.

Symbolicè S. Ambros. l. de Noë c. 6. *Omne corpus nostrum*, inquit, *attextum est sicut nidus, vt spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret. Nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inserit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit. Nidus est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus maior cæteris, hiatus oris, in quo nutritur donec adolescat sapor, & vnde vox euolat, in quo latet lingua. Spiritus quem carpimus & quo alimur, nidus est pulmo: sanguinis autē & spiritus nidus est cor. Ossa quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus cauata, in quibusdam foraminibus est medulla. In visceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris sunt.* Et mox: *Est iam in hoc corpore nidus pudicitia, in quo erat nidus irrationabilis concupiscentia.*

Cur arca oblita sit bitumine, non pice. BITVMINE] Pice aptius erat bitumen, ad tabulas conglutinandas & consolidandas, & ad fœtorem, ex stercore tot animalium prouenientem, dispellendum.

VERS. 15. TRECENTORVM CVBITORVM ERIT LONGITVDO ARCÆ, QVINQVAGINTA CVBITORVM LATITVDO, ET TRIGINTA CVBITORVM ALTITVDO] *Cubitus est pes cum dimidio.* Cubitus continet pedem cum dimidio, siue sex palmos. olim, vti pedes hominum & palmi, ita & cubiti erant maiores, quàm iam sint. Origenes cubitum hîc intelligit, non communem, de quo iam dixi, sed qui continet sex cubitos communes & vulgares. Origenem sequitur Isidorus Clarius & Delrio. Sic enim non arctè & compactè, sed laxè & salubriter in arca degere poterant animalia omnia. Verùm sic immanis fuisset vastitas arcæ, quæ vix in vnam fabricam compingi, vixq; aquis sustineri & moueri potuisset. Adde, alibi Script. cubitos non geometricos, sed communes accipere, vt cùm ait, Goliath fuisse procerum sex cubitos & palmum. quis enim credat Goliath fuisse 36. cubitorum communium? ergo & hîc cubiti communes accipiendi sunt. ita Torniellus.

Arca longitudo erat decupla ad altitudinē, & sextupla ad latitudinem. Eadem est proportio dimensionū in homine. Nota. Arcæ longitudo decupla erat ad eius altitudinem & profunditatem. talis enim est proportio 300. ad 30. nam decies triginta sunt trecenta. Rursum longitudo arcæ sextupla erat ad eius latitudinem: talis enim est proportio 300. ad 50. nam sexies 50. sunt 300. Eadem est proportio dimensionum in corpore humano bene formato; vt nimirum eius longitudo, quæ sumitur à vertice vsque ad pedes, sit sextupla ad eius latitudinem, quæ sumitur à latere dextro in sinistrum, eundo per medium pectus. Rursum, longitudo corporis humani decupla est ad eius profunditatem, quæ sumitur à pectore, & per pectus penetrando in dorsum. ita S. Augustinus libr. 15. de Ciuit. cap. 16. & S. Ambrosius libr. de Arca, cap. 6.

Arca capacitas fuit 450000. cubitorum. Hinc sequitur, arcæ capacitatem interiùs fuisse 450000. cubitorum. nam si geometricè 300. cubitos longitudinis arcæ, multiplices per quinquaginta latitudinis eiusdem, habebis cubitos quadratos quindecim millia: quæ si rursum multiplices per 30. cubitos altitudinis arcæ, habebis iam dicta 450. millia cubitorum solidorum. Hæc ergo fuit dimensio & capacitas arcæ interiùs: quæ sanè ingēs fuit, & sufficiēs omnibus animalibus &

A rebus arca contentis; vt non sit necesse cum Origene, cubitos hîc, non communes, sed geometricos accipere: sic enim sextuplo maior & capacior fuisset arca.

FENESTRAM] Præcipuam vnam, grandiorem & pellucidam, ex vitro, crystallo, vel lapide speculari (hoc enim significat Hebræum צהר *tsohar*, & Græcum διαφανὲς, vt vertit Symmachus.) Nihil ergo prohibet, alias minores per circuitū in tertio cœnaculo, ad lucem vbiq; recipiēdam, factas esse fenestras. Fenestra hæc aperiri poterat: vnde per eam Noë columbam & coruum emisit. VERS. 16.

ET IN CVBITO CONSVMMABIS SVMMITATEM EIVS] q. d. Altitudinem eius, putà fenestræ, facies vnius cubiti. ita Vatablus, Oleaster. Delrio. Secundò, Torniellus sic explicat, q. d. Mensuram cubiti semper ad manū habe & adhibe, vt iuxta eam singulas arcæ partes, ad mensuram à me præstitutam
B ædifices. Tertiò, & genuinè (vt patet ex Hebræo) *eius*, scilicet arcæ, summitatem siue altitudinē facies vnius cubiti. q. d. Faciès tectum arcæ non omnino, sed penè planum, ita videlicet, vt sensim & lentè tantùm assurgat ad altitudinem cubiti; sic vt cubitus iste, sit altitudo mediana culminis arcæ, per totam eius longitudinem. ita Iohānes Buteo & Pererius ex communi Doctorum sententia: describit enim Moses hîc arcæ tectum eiusque formam arcuatam in culmine. *Arca tectū assurgebat altitudine vnius cubiti vsque ad culmen.*

DEORSVM COENACVLA ET TRISTEGA FACIES IN EA] Ita hæc lege & iunge, non autem, vt *deorsum* referas ad *ostium*, quod præcessit. Iam sensus est, q. d. Deorsum vnum cœnaculum, siue tabulatum sub alio constituatur, inquit Delrio. Secundò, aptiùs ad Hebræa: *deorsum*, id est tabulata infi-
C ma: *cœnacula*, id est tabulata media. in his enim fieri solent cœnacula: & *tristega*, id est tabulata tertia, vel suprema, facies in arca. Hebræa enim habent, *inferiora, secunda & tertia facies*; & Chaldæus, *mansiones inferiores, secundas & tertias facies in ea.* Vnde patet, arcam tres habuisse contignationes, siue tabulata: hæc enim vocantur à Græcis tristega; in quibus partim animalia, partim esca, aliaque supellex condita & distributa erant. his adde quartam imam, pro sentina. Iam singula ita exactè describit & distribuit Iohan. Buteo lib. de Arca. In ima hac parte erat locus saburræ, siue arenæ, quæ naui necessaria est, vt in aquis non fluctuet, non in hanc illamúe partē īnclinet, sed suo quasi pondere, & iusto libramento recta in aquis consistat. in hac etiam erat sentina, quæ sordes ex superioribus tabulatis per canales exciperet, atq;
D per foricas, siue foramina in aquas foras emitteret. hæc tamen foramina non erant in hac ima parte (hæc enim tota erat sub aquis) sed in sequēti, siue secunda contignatione, in quam per antliam ex ima parte aqua & sordes attollebantur: nisi malis dicere cum Torniello, sordes sublatas fuisse per funes in primum & summum tabulatum, ad fenestram arcæ, vt per eam, vtpote magnam, foras eijcerentur. *Arca tres habuit contignationes, siue tria tabulata, & quartam imam. In ima erat saburra & sentina.*

In secunda contignatione, siue tabulato, erat locus omnium animalium tam reptilium, quàm gradientium, in plurimas (Delrio numerat 300.) cellas, siue mansiunculas, maiores, vel minores, pro quantitate animalium, vtraq; ex parte distinctus: in cellis erant præsepia aliaque vasa cibum & potum continentia: in cellarum pauimento erant fenestellæ, per quas sordes animalium in senti- *In secunda erant animalia per cellas distributa.*

sentinam demitterentur: in medio cellarũ vtrimque erat transitus, seu via, qua homines cum lucernis discurrerent ad singulas cellas, vt eas inspicerent, & cuique animali de necessarijs prouiderent. In hoc tabulato erat ostium arcæ, de quo v.16. idque magnum & amplum, vtpote per quod elephantes, cameli, omniaque animalia inducta sunt in arcam.

In tertia erat annona. In tertio tabulato erant distinctæ apothecæ, continentes tum annonam animalium & hominum, putà fœnum, paleas, poma, frumentum, semina, legumina; tum dolia aquæ dulcis, ad potum & ad lotionem. Ex hoc tertio tabulato, per foramina, tubos, in quodque præsepe secundi tabulati cibus & potus immittebatur. hic etiam reposita fuit omnis supellex, tam vrbana quàm rustica, post diluuium vsui futura.

In quarta erat aues & homines. In quarto & summo tabulato, locus erat hominum & auium. Primò, ergo erat hîc cubiculum Noë & filiorum, distinctum à gynæceo, siue habitaculo mulierum (ab his enim viros, durante diluuio, abstinuisse docet S. Ambros. Rabanus, Anselm. Laodun. S. Hieronymus in Zachar. 12. Delrio, & alij) huic lumen infundebat fenestra arcæ. Secundò, erat hîc culina cum camino & foco; Tertiò, furnus, pistrinum, & molæ trusatiles; Quartò, lignile, cum lignis & carbonibus; Quintò, penus annonæ tam cibi quàm potus. Ex alia parte erant caueæ & nidi singularum auium, cum suo pabulo. In his cœnaculis erant scalæ, per quas ex vno in aliud ascendebant & descendebant.

Spiracula erant in arca. Porro, vt docet Buteo, in hac quarta contignatione erant spiracula ad auram excipiẽdam & renouandam. Erant hæc spiracula veluti quidam camini, qui vsque ad arcæ summitatem protendebantur, vt per aperta quædam ostiola, vtrimq; sub prominente tecti stillicidio aptè fabricata (quò à pluuijs tuta, & ab aquarum fluctibus remotiora essent) fœtores exhalare, & inclusus aër transpirare posset, ne sordium pœdore infectus, animalia etiam ipsa inficeret interimeretque.

His omnibus tectum erat impositum, planum, sed nonnihil accliue, & assurgens ad altitudinem cubiti (vt patuit antè) vt vtrimque pluuiam illapsam effunderet foras arcam, in aquas.

Ima pars arcæ habebat quatuor cubitos altitudinis, secunda nouem, tertia octo, quarta nouem. Iam triginta cubitos altitudinis arcæ, ita per quatuor tabulata iam dicta dispertitur Buteo, vt sentina habuerit quatuor cubitos altitudinis; Secunda contignatio, in qua erãt animalia, habuerit nouem cubitos altitudinis; Tertia cibariorum, habuerit octo; Quarta hominum & auium, habuerit nouem cubitos altitudinis.

Porrò Noë, Deo dirigente, in arca, sicuti animalium mansiones locaque sapientissimè distinxit, ne sese inuicem vllo modo possent animalia lædere: ita etiam miro iudicio onera cuncta intra arcam ea ratione locauit ac disposuit, vt ipsa arca, veluti iustis librata ponderibus, recta positione, super aquas consistere ferrique posset.

Arcæ huius & diluuij meminerunt omnes profani scriptores, teste Iosepho l. 1. Antiq cap. 4 vbi addit, etiam suo tempore, reliquias arcæ apud Armenos ostendi solitas.

Allegoricè, arca est Ecclesia, Noë Christus. Allegoricè, arca est Ecclesia; Noë est Christus saluator & consolator orbis; munda animalia & immunda in ea, sunt iusti & impij; qui extra hanc Christi arcam est, putà hæreticus & infidelis,

A peribit regnante diluuio, inquit S. Hieronymus. ita & S. August. lib. 15. de Ciuit. cap. 26. & Gregor. hom. 16. in Ezechiel. vbi inter cætera ait: *In vno cubito consummatur arca, quia vnus est auctor & redemptor S. Ecclesia sine peccato; ad quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores nouerunt.* vide Ferum hîc in fine cap.

Insignis tropologia totius arca de anima sancta. Tropologicè, arca est anima sancta, per cruces & labores recisis vitijs dolata, quadrata, & ex omni parte librata. Rursum arca, est secretũ conscientiæ: Noë, est meus: longitudo arcæ, est fides: latitudo, charitas: altitudo, spes, itẽ oratio & contemplatio: inundatio aquarum, est impetus tentationum: montes Armeniæ in quibus arca requiescit, quies est animæ in contemplatione rerum diuinarum: volucres arcæ, sunt cogitationes cælestes: animalia, sunt opera & curæ circa res ter-
B renas: coruus emissus nec reuersus, significat falsos Christianos, qui foris in fluctuatione temporalium lætantur, nec redeunt ad mentis quietem: columba reuersa significat bonos Christianos, qui ad opera charitatis emissi, mox ad mentis quietem redeunt, sed cum ramo oliuæ, quia peregerunt opera misericordiæ. Hæc omnia habet Hugo Victor. lib. Allegor. in Gen. c. 18. & Origenes hîc.

INGREDIERIS ARCAM TV ET FILII TVI, VXOR TVA ET VXORES FILIORVM TVORVM] separantur hîc viri à feminis, vt innuat, in arca abstinendum vsu coniugij, vtpote tempore diluuij, id est luctus & pœnitentiæ, ad propitiandum Numen. Hinc in arca nullus legitur genitus, idque insinuat Moses dicens c. 10. 1. *Natiq; sunt eis filij post* VERS. 18.
C *diluuium.* Et c. 11. 10. *Sem genuit Arphaxad biennio post diluuium.* Rationem dat Damascen. l. 4 Fidei c. 25. *Separauit, inquit, eos ab vxoribus, vt cum castitate pelagus & illud commune naufragium euitarent.* Quocirca Hebræi & S Hieron. in c. 12. Zachariæ ad illa verba, *Familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum*; & Abulens. hîc in c. 7. & Remigius c. 2. Ioëlis ad illa, *Egrediatur sponsus de cubili*; censent, toto tempore quo durauit diluuium & mundi vniuersalis interitus, neque Noe, neque filios eius operam dedisse generationi: quia tempus erat lugendi & orandi placandique Deum.

EX CVNCTIS ANIMANTIBVS BINA INDVCES] VERS. 19.
De terrestribus intellige: ergò etiam feræ, vt leones, lupi, tigrides, bini inducti sunt in arcam, qui tunc cicures, quasi mites agnelli, Noë viro innocentissimo parebant, vti paruerunt Adamo in paradiso. vide S. Chrysost. hom. 25. Nulli ve- *Leones quasi agnelli paruerunt in arca.*
D rò pisces ingressi sunt arcam, nec amphibia: quia hæc continenter tam in aquis, quàm in terra viuunt Frustra ergo & temerè aliqui apud Hugon. libr. 1. de Arca morali cap. 3. amphibijs his cauitates siue nidos assignant, quos pro ijs fecerit Noë forinsecus in extimo pariete arcæ, qui aquas spectabat. nam si quæ sunt amphibia, quæ tamdiu terra carere nequeunt, vel ob pabulum, vel quia in terra nocte stabulantur, hæc intra arcam cum alijs recepta & seruata sunt. Rursum in arcam non sunt inducta animalia, quæ ex putrefactione, vti mures, vermes, apes, scorpiones; nec ea quæ ex congressu diuersarum specierum, vti mulus ex equa & asina, nascuntur. Terrestrium ergo animaliũ, quæ ingressa sunt arcam, Arias Montanus lib. de Arca numerat species 150. exceptis serpentibus. Iam Pererius serpentium *In arca nõ fuerunt pisces, nec amphibia; nec mures nec muli.*

Animantiũ terrestrium species sunt 157. quæ in arca tantũ occuparunt loci, quantum occupant 250. boues. & reptilium numerat species 25. Quare vniuersim fuissent circiter 175 species animalium terrestriũ in arca: in quibus sex tantùm sunt maiores equo, paucæ æquales, multæ minores etiam ouibus. Omnia hæc terrestria Pererius æquat 250. bobus, nec in arca plus loci occupasse censet, quàm occupent 250. boues. Auium vix 150. species apud *Auium vix sunt 150. species.* Gesnerum & Aldrouandum inuenies: in quibus paucæ maiores sunt cycnis, pleræque ijs minores. Potuit ergo facilè arca hæc omnia capere, cùm eius capacitas fuerit 450000. cubitorum, vt dixi v. 15.

VERS. 20. INGREDIENTVR TECVM] Hebr. יָבֹאוּ אֵלֶיךָ *iabou elecha*, venient ad te, scilicet sponte sua, etiam si sint effera, idque vel Dei instinctu, vel angelo- *Angeli adduxerunt animalia ad arcam.* A rum impulsu, vti priùs ad Adamum c. 2. 19. eadem adducta sunt. ita S. August. libr. 15. de Ciuit. cap. 27. Non ergo animalia hæc quæsiuit Noe, eaque adduxit ad arcam, vt vult Philo: non etiam ipsa animalia inualescente diluuio, fugerunt enatando ad arcam, vt vult Hugo Victorinus apud Buteonem.

EX OMNIBVS ESCIS QVAE MANDI POSSVNT] VERS. 21. Hebraicè, *ex omni cibo qui comedi solet*, putà tam ab homine, quàm à bestijs. Vnde verius est, quod asserit Iohan. Buteo (licet contrarium opinetur *Carniuora in arca comederunt carnes.* Perer.) scilicet animalia carniuora in arca, non herbas, sed carnes, à Noe arcæ ad hunc finem impositas, comedisse. leo enim v. g. tantùm carne vescitur.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

NOë cum animantibus ingreditur arcam. Secundò, v. 17. diluuium occupat terram per dies 150.

1. DIxitque Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua, in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, masculum & feminam. 3. Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & feminam: vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ. 4. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. 5. Fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat ei Dominus. 6. Eratque sexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt super terram. 7. Et ingressus est Noë & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo, in arcam propter aquas diluuij. 8. De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, 9. duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus & femina, sicut præceperat Dominus Noë. 10. Cumq; transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. 11. Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secũdo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli aperti sunt: 12. & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 13. In articulo diei illius ingressus est Noë, & Sem, & Cham & Iapheth, filij eius; vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis, in arcam: 14. ipsi & omne animal secundùm genus suum, vniuersaq; iumẽta in genere suo, & omne quod mouetur super terram in genere suo, cunctumq; volatile secundùm genus suum, vniuersæ aues, omnesq; volucres, 15. ingressæ sunt ad Noë in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. 16. Et quæ ingressa sunt, masculus & femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis. 17. Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. 18. Vehementer enim inundauerunt: & omnia repleuerunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. 19. Et aquæ præualuerunt nimis super terram: opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. 21. Consumptaq; est omnis caro quæ mouebatur super terram, volucrum animantium, bestiarum, omniumq; reptilium, quæ reptant super terram: vniuersi homines, 22. & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. 23. Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile quàm volucres cæli: & deleta sunt de terra: remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca. 24. Obtinueruntq; aquæ terram centum quinquaginta diebus.

VERS. 1. OMNIS DOMVS TVA] omnis progenies & familia tua.

IN GENERATIONE HAC] inter homines huius B temporis.

EX OMNIBVS ANIMANTIBVS MVNDIS] The- VERS. 2. odoret. Abulensis & Beda putant hæc animalia per

per anticipationem vocari munda, quia scilicet per legē Mosis Leuit. 11. decernenda erant munda. Verùm meliùs alij censent, distinctionem animalium (etiam auium, vt habent LXX) in munda & immunda, de qua Leuit. 11. fuisse quoque in lege naturæ, idque instinctu Dei & traditione maiorum: quòd scilicet Deus tempore legis naturæ, illa animalia quasi munda, secreuerit ad sua sacrificia, quæ postea tempore legis Mosis, quasi munda Iudæis secreuit ad esum. ita S. Chrysost. Didymus, & Pererus.

Ante Mosen fuit distinctio animalium mundorum ab immundis quoad sacrificia.

SEPTENA ET SEPTENA] id est quatuordecim, putà septem mares & septem feminas: quatuordecim enim ex mundis animalibus, quatuor verò ex immundis seruata esse in arca, censet Origenes, Iustinus, Oleaster, & Dionys. Verùm sic ingens fuisset animalium turba, quam capere non potuisset arca.

B

Meliùs ergo Iosephus, S. Ambros. Chrysost. Theodor. Eucher. Lyran. Abulens. Caietanus & Perer. sic exponunt: *Ex mundis tolles septena & septena*, id est septem tolles in arcam, è singulis quæ munda sunt, scilicet vnum par ad speciei propagationem: secundum par ad sacrificium: tertium par ad esum post diluuium: denique septimū marem pro sacrificio offerendo, mox vt cessarit diluuium, prout de facto, mox vt cessauit, Noë vnum è singulis animalibus mundis, Deo in gratiarum actionem obtulit, c. 8. 20. ita Perer. ex immundis verò, vnum tantùm par seruatum est in arca, ad speciei propagationem.

Quid septena & septena?

Symbolicè, S. Ambros. l. de Noë & arca c. 12. ait septena assumi, *quia mundus & sacer est septimus numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur, ideoq; virgo dicitur; quia nihil ex se generat: itaque virilis habet sanctificationis gratiam.*

C

Ex hoc loco alijsque argumentis, Pererius & Aldrouandus probant, phœnicem non fuisse in arca, ac proinde nullū phœnicē esse aut fuisse in mundo: quia Scriptura hîc docet, ex singulis animalibus bina, scilicet marem & feminā, inducta esse in arcam: phœnix verò vnus & solus dicitur esse in mundo. Et certè non est vllus, qui asseueret se vidisse phœnicem. Rursum, qui asserunt phœnicem, valdè inter se de eo dissentiunt. Videtur ergo phœnix esse fabula, fortè inde orta, quòd Ægyptij Heliopoli solē, quasi auem orientem & occidentem, pinxerint. hanc fecerunt & finxerunt esse phœnicem, cùm tantùm esset symbolum & hieroglyphicum solis, qui quasi phœnix solus est in mundo.

Phœnicem esse auem, non realem, sed symbolicā, ostenditur.

Phœnix nō est alius, quàm sol.

D

Huic coniecturæ fauet, quòd veteres, teste Lactantio & Claudiano, phœnicem dixerunt esse solis auem, quæ eo oriente dulcissimè caneret, eumque prona veneraretur. Quapropter Plinius l. 10. c. 2. describens phœnicē, ait eum esse fabulam, additque: *Allatus est*, inquit, *in Vrbem phœnix Claudij principis censura, anno Vrbis DCCC. & in comitio propositus, sed quem falsum esse nemo dubitaret.* Vnde mirū est Conimbric. l. 2. de Cælo c. 3. q. 6. a. 4. asserere esse phœnicem, idque tum ex alijs, tum ex hisce Plinij verbis confirmare: Plinius enim phœnicē habet pro fabula. alij veteres qui phœnicem astruunt, non ex sua sententia, sed ex priscorum scriptis, siue veris, siue fabulosis aut symbolicis eum astruunt. Verùm Conimbric. addunt, phœnicem non esse vnum, sed plures; nec seipsum resuscitare, sed more communi generari, quare alium ponunt phœnicem ab eo qui à veteribus ponitur, quasi symbolum & typus resurrectionis: & tales phœnices se habere Abyssini alijque ei adsitant. Nam Conimbric. alijque omnes iam consentiunt, nullum esse talem phœnicem, qui vnicus sit, quique moriens renascatur, qualem veteres descripserunt. Nisi ergo quæstio sit de nomine, dicendum est, phœnicem non esse, nec fuisse in mundo.

ET INGRESSVS EST NOE ET FILII EIVS, VXOR EIVS, ET VXORES FILIORVM EIVS] Nota. Octo tantùm homines in arcam ingressi & seruati sunt, regnante diluuio: ex his octo, septem seruati sunt propter Noë, Henoch interim ex paradiso aquis obruto, aliò est translatus. VERS. 7.

Octo tantū homines seruati in arca.

Berosus Annij vxorē Noë Tyræam vocat, vxores verò filiorū Noë vocat Pandoram, Noëllam, & Noëglam. Verùm viri docti valdè dubitant, an Berosus quem Annius edidit, sit verus & priscus ille Chaldæorū Berosus. Gnostici, teste Epiphan. hær. 26. vxorem Noë vocarunt Noria: arguit eos Epiphan. eamque asserit vocatam esse Barthenon Rursum vnā ex hisce vxoribus fuisse Sibyllam Babyloniam, fatetur ipsamet l. 1 orac. Sibyll. post principiū, vbi ipsa se cum marito in arca fuisse profitetur. Sed viri docti id suspectū habent, quasi versibus illis additum sit ab aliquo sciolo, ad antiquitatem & auctoritatē illi oraculorū libro conciliandam nam quòd ibidem ipsa addit, arcam subsedisse, non in montibus Armeniæ, sed Phrygiæ, manifestè repugnat Mosi c. seq. v. 4. Scio aliquos eruditos hæc symbolicè accipere, atque opinari, Sibyllas veras & primæuas, non fuisse feminas prophetissas, sed tantū fuisse priscam Hebræorum Kabulam, siue Kibyllam (vnde Sibyllæ nomen) id est doctrinam à patribus traditione acceptā. קבל *kabal* enim hebraicè significat accipere, recipere, excipere ab alio: inde Kabula vel Kibylla est παράδοσις, siue patrum traditio, quam Noe à priore sæculo acceptam posteris post diluuiū tradidit: perinde ac Lactant. l. 1. Instit. c. 6. ex Varrone censet, Sibyllam dictam esse quasi θεοβουλὴν, eò quòd consilia Dei denuntiaret. Veteres enim deos σιοὺς, non θεοὺς; & consiliū, non βουλὴν sed βυλὴν appellabant. Si ergo Sibylla est Kabula, vel θεοβούλη, vtique ipsa cum Noe, & in Noe fuit in arca. Verùm de Sibyllis alibi disputandum est.

An Sibylla fuerit in arca?

Sibyllā esse Kabulam aliqui censent.

ANNO SEXCENTESIMO VITAE NOE] planè exacto, & 601. inchoato per 40. dies, inquit Perer. Verùm contrarium est verius, scilicet anno 600. Noe inchoato, cœpisse diluuium: nam diluuium durauit totum annum, & anno 601. Noe, mense secundo, cessauit, vt patet cap. 8. v. 13. Rursum Noe post diluuium vixit 350. annos: vixit autem vniuersim annos 950. quòd si diluuium exstitisset anno 601. Noe, cùm illud durarit annum integrum, sequeretur, Noe vixisse annos 951. quod falsum est. Porro sexcentesimo anno factum est diluuium, inquit S. Ambros. libr. de Noe cap. 14. *quia sexto die Adam creatus est. Idem numerus par, & in auctore est Adamo, & in reparatione* (Noe) *seruatur: quia fons sexagesimi & sexcentesimi, sextus est numerus.* VERS. 11.

Nota hîc constantiam fidei in Noe. nam centum annis in fide diluuij perstitit, scilicet ab anno 500. ad 600. illudque constanter prædicauit. esto ab omnibus, etiam cognatis, rideretur, quasi

quasi qui vano timore correptus, stulto labore in arcæ fabrica tot annos desudaret: sed hi hoc anno risum in fletum, & seram pœnitentiam commutarunt. Noë similis fuit Mathathias 1. Machab. 2. v. 19.

Diluuium cœpit in Maio, cur?

MENSE SECVNDO] qui hebraicè dicitur Iiar, & ferè respondet nostro Maio, saltem quoad posteriorem sui partem. primus enim Hebræorum, & S. Scripturæ mensis, est Nisan, qui partim Martio, partim Aprili respondet. In Maio ergo cœpit diluuium, idque vt ostenderet Deus, causam diluuij non naturalem fuisse ex pluuia & imbribus hiemalibus, sed speciali prouidentia Dei illud effectũ esse, sub initium æstatis, cùm inchoantur calores & siccitates. Vt igitur maior esset impiorum dolor, Deus eos perdit tempore amœnissimo, quo nil nisi lætum sibi pollicebantur: *edebant & bibebant*, vt ait Christus Lucæ cap. 17. v. 27. Et S. Ambros. lib. de Noë c. 14. *Tunc*, inquit, *fecit diluuium, quando dolor eorum maior foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc vltio terribilior tamquam dicentis Dei*, &c. *Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis diuitijs consumatur homo, cùm sua dote moriatur.* Idem iudicium contigit diuiti Euangelico, qui multis bonis collectis, pollicebatur sibi deinceps lautam vitam, sed eadem nocte perijt. Idem contigit Nabuchodonosor regi: idem Aman: idem Herodi Act. 12. Hoc est quod ait Christus, *Qua hora non putatis, filius hominis veniet.* & Paulus: *Cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Nemo igitur in prosperitate mundana confidat. *Spes enim impij quasi lanugo quæ à vento tollitur*, Sap. 5. 15. Iosephus tamen incipiens annũ à Septembri, mensem hunc secundum vocat Marchesuan (sic enim legendum est, non autem Marsenona) qui respondet nostro Octobri, cùm abundant imbres: sed prius, quod dixi, verius est.

An Noë arca exierit in Ianuario?

Denique Anton. Fonseca in annot. ad Caiet. in c. 8. Gen. & Torniellus putant, mensem ingressus & exitus Noë de arca fuisse Ianuariũ, quem ideò dicunt à primis Gentilibus postmodum ipsi Noë fuisse consecratum, & ab eo denominatum: siquidem Noë ab ipsis Ianus nuncupabatur; quem idcirco bifrontem finxerunt, quòd Noë viderit annum & sæculum tam vetus quàm nouum. Verùm non video solidum huius opinionis fundamentum. nec enim Ianuarius apud Hebræos fuit mensis secundus, siue annum sacrum, siue vulgarem & ciuilem accipias: licet id subtiliter ostendere conetur Torniellus pag. 107.

SEPTIMODECIMO DIE MENSIS] Hunc diem fuisse Dominicum asserit Cedrenus: die enim Dominico tam cœpisse, quàm desiisse, & finem accepisse diluuium, tradit ipse & alij nonnulli, penes quos sit fides.

RVPTI SVNT] Hebraicè נִבְקְעוּ *nibkeu*, id est impetu ac vi aquarum discissi, dissecti, diffracti, disrupti sunt.

OMNES FONTES] omnes scaturigines, omnes riui, omnia orificia, omnes venæ, omnes aquæductus ex abysso prodeuntes: ita vt aqua abyssi iam suis riuis, venis, alueis, & aquæ ductibus coërceri non posset, sed eos perrumpens omnia inundaret, faceretque quasi vnum mare per totam terram. vnde cessante diluuio, reductæ sunt aquæ in suam hanc abyssum, ibique conclusæ, cùm, vt ait Scriptura, *clausi sunt fontes abyssi.*

A ABYSSI MAGNÆ] id est, abyssorum multarum. Sub terra enim sunt multæ abyssi, id est voragines aquarum. vnde pro *magna*, hebraicè est רַבָּה *rabba*, id est multæ. ita Perer. & Delrio. Verùm cũ hebraicè sit, non תְּהוֹמוֹת *tehomot*, id est abyssi, sed תְּהוֹם *tehom*, id est abyssus: & *rabba*, id est multa, per enallagen Hebræis familiarẽ, idem fit, quod magna, vt vertit Noster; veriùs censent alij, abyssum magnam hîc vocari barathrum, siue voraginem illam subterraneam, maximam & profundissimam, quæ tum ex aquis in ea initio mundi à Deo reconditis, tum ex mari, aquis est plenissima; quam multi putant esse matricem omnium fluminum, fontium & aquarum dulcium, de qua dixi c. 1. 9. Hæc enim hebraicè vocatur *tehom*, tam

Abyssus est vorago aquarum sub terra & in mari.

B hîc quam Deuter. 33. 13. vbi hebraicè nuncupatur, *tehom robetset tachat*, id est abyssus cubans infernè: quod Noster vertit abyssum subiacentem. talem enim abyssum siue voraginem aquarũ subterraneam esse, tum experientia multiplici, tum varijs argumentis, tum auctoritate Platonis, S. Hieron. Basilij, Damasc. Philonis, Plinij, Isidori, S. Thomæ, Bernardi, & aliorum, quin & S. Script. locis iam citatis, docent Conimbricenses tractatu 9. in Meteora c. 9. & Valesius Sacræ Philosophiæ c. 63. Licet enim sub terra multæ sint aquarum voragines, tamen hæ omnes vna censentur esse subterranea vorago, siue abyssus; præsertim, quia verisimile est, omnes inuicem per venas & meatus coniungi, & in primaria ac maiori quapiam voragine quasi matrice conuenire. Ex hac ergo abysso erumpentes aquæ largissimæ, instar

C fluminum, imò marium, terram operuerunt. ipsa quoque maria litora sua egressa, terram operuerunt: omne enim mare, per venas, cum abysso iam dicta coniungitur & vnitur. vnde per abyssum hîc, maria quoque intelliguntur: abyssus enim est vorago aquarum, tam quæ terra, quàm quæ mari continentur.

An fuerit vacuum in abysso.

Dices, Ergo tum in mari & abysso fuit vacuum. Respondeo, non fuisse, partim quia in abyssum loco aquæ subintrauit aër: partim quia Deus tum rarefecit aquas maris & abyssi, quo factum est vt illæ maiorem locum exposcerent, seque non tantùm per alueos suos, sed & per terram diffunderent.

Nota τὸ *rupti sunt omnes fontes*, q. d. Tanta fuit aquæ, ex abysso & mari erumpentis, vis & copia, vt omnes suos fontes, limites & aggeres peruade-

D ret, atque per latera quaquaversum se effunderet, totamque terram obrueret; perinde vt faciũt torrentes terra conclusi, dum vi aquarum suos exitus, alueos & aggeres, quibus quasi carceribus concludebantur, dilatant, diffringunt, rumpunt, & per latera vndequaque erumpunt, omniaque inundant.

Quæ cataracta cæli? Prima sent.

ET CATARACTÆ CÆLI APERTAE SVNT] *Cataracta*, ait Eugubinus & Oleaster, sunt foramina, quæ Deus fecit in cælo, siue firmamento, vt per ea aquæ quæ supra firmamentum sunt, defluerent. propter diluuium enim aquas has ibidem fuisse repositas à Deo, initio mundi, censent ipsi: sed hoc modo findi debuisset, non tantùm firmamentum, sed & omnes cæli planetarum. quod est improbabile.

Secunda.

Secundò, Petrus de Aliaco, & alij, quos citat Perer. pagin. 252. per cataractas accipiunt con-

stel-

stellationes, quarum vi naturali factum sit diluuium: sed hoc repugnat huic versui & v.4.

Tertia & vera esse nubes.

Dico ergo, cataractæ cæli hic per catachresin vocantur nubes, ipsaque secunda aëris regio, multas in partes plagasque diuisa, quæ vapores & aquas intra se quasi repagulis & cataractis quibusdam continet & coërcet. q.d. Nubes, ipsaque secunda aëris regio, in diluuio tanto impetu, aquarum vim maximam in terram deiecit, vt totus aër videretur rumpi in vastissima foramina, per quæ non tam guttas & pluuias, quàm densissimos imbres, instar riuorum & fluuiorum effudit, ita vt aër iam non aër, sed continuus quidam imber, imò mare esse videretur. ita S. Chrysost. Rupertus, & Perer. cataractæ enim nuncupantur à καταῤῥήγνυμι, id est, præceps deorsum ruo. vnde ruptis his cataractis subdit Moses: *Et facta est pluuia super terram quadraginta diebus.*

Duplex causa diluuij.

Nota: Duplex fuit causa diluuij, vna supera, putà pluuia erumpens ex cataractis cæli; altera infera, putà eruptio & inundatio abyssi, ita vt terra media, vtrimque inuasa & obruta fuerit aquis.

Sanè difficilè est peruidere, vnde tanta aquarum copia, quæ totam terram operiret, imò altissimos montes quindecim cubitis superaret, prodierit. Constat enim montes nonnullos ad quatuor milliaria Italica, siue ad quatuor millia passuum eleuari, ac supra terram eminere. quanta est altitudo Alpium gradatim ascendentium. Quòd si vbique terrarum æquè altæ fuerunt aquæ, vt videtur (idque significat Script. c.8. v.3. vbi ait arcam Noë in aquis diluuij fluitantem, ijs sensim decrescentibus, tandem septimo mense quieuisse super montes Armeniæ, ac decimo mense aliorum cacumina montium apparuisse; ergo illucusque aquis fuerant obtecta) sanè ingens fuit peripheria aquarum, quæ facilè in se quatuor maria & amplius complecteretur, vti patet geometricè spatiū hoc expendenti & metienti: quo enim altius scanditur, eo peripheriæ capacitas magis dilatatur, ac geometrica progressione gradatim excrescit in quantitatem ingentem. Mare enim longè minus est terra, ac videtur non multo maius esse montibus & collibus: in horum enim locum successit. Deus enim è terra priùs rotunda montes eleuauit, vt per hoc in ea faceret scrobes & fossas, in quas induceret aquas, quæ priùs terram operiebant, vt terra aquis vacua posset habitari. Igitur mare parum contulit ad tantum diluuium. Rursum, vapores è terra eleuati atque aër, non videntur potuisse reliquum conferre: nam vt ex vapore & aëre fiat aqua, debet magna fieri aëris condensatio. Decem enim vnciæ aëris, imò longè plures, non efficiunt vnam vnciam aquæ. Quare etiamsi maior pars aëris fuisset conuersa in aquam, vix videtur suffecisse ad tantam aquarum molem præstandam, etiamsi eas à Deo per rarefactionem extensas & expansas esse asseueres, præsertim quia si valdè rarefactæ fuissent aquæ, fuissent vtique valdè subtiles, leues & aëriæ; vnde non potuisset eis innatare, & supernatare arca tam grauis & onusta. Adde, tunc loco aëris in aquam versæ & densatæ debuissent alia corpora succedere, aut ingens relinqui vacuum, quod natura abhorret, aut certè noua aqua, vel nouus aër à Deo creari, & post diluuium annihilari. quod etiam absonum videtur. Quare nonnulli viri docti dicunt se rationibus iam allatis co-

A gi, vt fateantur cum Oleastro & Eugubino aquas, quæ diluuium causarunt, esse illas quæ primitus super cælos in maxima copia à Deo ad hoc repositæ sunt, ideoq; Deum in firmamento fecisse cataractas siue meatus, per quos hæ aquæ descenderent. hoc enim plana Mosis narratio exigere videtur. Cùm enim aquas veras ad diluuium oportunas in cælo reperiamus, tot tantasq; aëris commutationes vestigare non est opus. Adde, multi veteres & moderni censent, cælos non esse solidos, sed liquidos & fissiles instar aëris vel ætheris. quod si concedas, facilè per eos descendere potuerunt aquæ. In locum verò aquarum superarum, ne esset vacuus, vel successit aër & æther, qui cum aquis superis videtur commutasse locum tempore diluuij: vel certè aquas reliquas, quæ super cælos tempore diluuij manserunt, Deus

B rarefecit, vt locum aquarum sociarum, quæ descendebant, implerent. Porrò, accelerauit, inquiunt, Deus descensum aquarū singulari impulsu: nam si naturali motu descendissent, impendissent in descensu ex loco tam alto & remoto, plusquam centum annos, vti ostendi cap.1. v.14. Fauet huic sententiæ S. Petrus epist.2. cap.3.5. vbi si accuratè verba expendas, videtur dicere aquis diluuij perijsse mundum, id est cælum & terram; sicut idem peribit in fine sui igne conflagrationis. Igitur sicut non tantùm elementa, sed & ipsimet cæli, vt ipse ait v.12. hoc igne *ardentes soluentur*: sic pariter videntur ijdem in diluuio aquis fissi & obruti, ita vt quodammodo perijsse censeri possint. Hoc enim plena S. Petri antithesis exigere videtur. Vnde v.5. ait, *Quòd cæli erant priùs & ter-*

C *ra*, &c. *per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt: cæli autem qui nunc sunt*, &c. *igni reseruati*, q.d. Mundus & cæli priores periêre diluuio: cæli autem, qui post diluuium à Deo sunt restituti, & nunc extant, simili modo reseruantur igni, vt eo conflagrent & pereant. quocirca subdit v.13. *Nouos verò cælos & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus.* Accedit quòd Esdras lib.4. c.6. v.41. firmamentum vocat spiritum, id est aërem vel ætherem: hunc enim ipse vocat spiritum, vt patet v.39. Ita ipsi, qui posito hoc principio, quòd cæli sint liquidi vel fissiles, non malè philosophantur, ac facilem claramque tantarum, quantæ ad diluuium requirebantur, aquarum dant causam.

Verùm, quia Aristoteles & Philosophi hoc principium pernegant; & quia aquæ illæ supra cælos subtiles sunt, & cælestes, ac longissimè re-

D motæ à terra; idcirco Resp. & dico Primò, solum mare tantum diluuium causare non potuit: diluuiū enim longè maius fuit toto mari. Mare enim respectu terræ est exiguum: nam cùm à terra separatum est, successit dumtaxat in locum fossarum & scrobum, è quibus eleuati sunt montes: quare ferè sua quantitate montes adæquat, vti iam dictum est. Rursum nautæ qui bolide profunditatem maris explorarunt, asserunt, mare in sui medio, vbi profundissimum est, communiter non esse profundius dimidio milliari Italico, hoc est quingentis passibus; cùm semidiameter terræ sit trium millium milliarium, vti passim docent Mathematici. Quid est dimidium milliare, etiam in suprema, ideoque amplissima superficie terræ, si comparetur cum tribus millibus milliariū, quæ est mensura profunditatis terræ à superficie vsq; ad

ad centrum? Insuper mare vix operit dimidiam superficiem terræ, nec vllos montes; imò Esdras l.4.c.6.v.42. ait aquas & mare occupare septimā tantùm terræ partem. Quare his ad calculū subductis, sequitur mare vix esse millesimam partem terræ: spatium autem ad quod diluuium excreuit super terram, continuit ducentesimam & trigesimam octauam partem terræ, vti mox dicam; qui numerus continet millenariū quater & ampliùs. quo fit, vt ad spatiū hoc, ad quod diluuium excreuit, aquis implendum quatuor maria non suffecissent, nisi dicas mare ad quadruplum solito magis à Deo fuisse rarefactum.

Dico Secundò, causa diluuij fuere vapores è globo terræ & maris sursum eleuati, ibiq; in pluuiam resoluti. Pro quo Nota. Si ponas diluuiū ad quinque milliaria Italica supra terram excreuisse: operuit enim altissimos montes ad 15. cubitos; montes autem aliqui ad quatuor milliaria supra terram attolluntur. Ponamus ergo ad faciliorem calculum, diluuium ad quinque milliaria supra terram excreuisse, dico spatiū hoc quinque milliarium non esse nisi ducentesimam trigesimam octauam partem globi terræ, vti periti Mathematici subductis rationibus Romæ mihi ostenderunt. Iam facile fuit Deo 238. partem terræ, cui immixtum est mare, in vapores vertere, eosque in pluuias conuertere: hi ergo totum hoc quinque milliarium spatium implessent. Adde, aquam decuplo rariorem esse terra: quare dictū numerum 238. portionis terræ, sufficientis ad implendum spatium quinque milliarium iam recensitū, multiplicandum esse per decem: quod si facias, prouenient 2380. quare 2380. pars terræ resoluta in vapores & pluuias, sufficit ad implendum hoc spatium quinque milliarium. Quid est 2380. pars terræ ad totum terræ globum? In locum verò huius portionis terræ in vapores abeuntis, successit aër & aqua, per rarefactionem dilatata, & solito magis expansa.

Denique potuit Deus pluuias pari modo rarefacere & extendere: quo dato, multo adhuc minor terræ & pluuiarum portio, ad spatiū hoc implendum suffecit. Probabile quoque est, Deūm partem aëris in pluuiam & aquam conuertisse. Tria ergo elementa, scilicet aër, aqua & terra, ad tantum diluuium causandum concurrerunt. Locum S. Petri explicui in Comment. epistolæ eiusdem.

VERS. 12. QVADRAGINTA DIEBVS] Pluuiæ huius tam continuæ causa fuit, assidua vaporum multiplicatio & conuersio in aquas. Deus enim tunc vapores, aërem, aliaque in aquas resoluebat continuò per 40. dies, easque misericorditer, non simul, sed sensim depluit, vt interim terrerentur & pœniterent homines, ait S. Chrysost.

Nota. Putat Oleaster non tantùm per dies hos 40. sed etiam per 150. sequentes, continuò pluisse. Verùm Scriptura tantùm asserit, 40. diebus pluisse, quo satis innuit, post 40. dies cessasse pluuiam. ita Abulens. & Pererius.

VERS. 13. IN ARTICVLO (in puncto) DIEI ILLIVS: hebraicè est בְּעֶצֶם הַיּוֹם *beetsem haiom*, in osse diei, id est in subsistentia (ossa enim dant subsistentiam firmam corpori) illius diei, putà illo die 17. mensis secundi, anni 600. Noë, INGRESSVS EST] scilicet vltimatè & completè, Noë cum omnibus in arcam. Notandum enim ex v. 1. 4. & 7. Noë in arcam ingredi cœpisse, septem diebus ante diluuiū, ac per eos dies sensim cibaria & animalia induxisse in arcam, ita vt ipso die diluuij, qui fuit decimus septimus mensis secundi, omnia, & omnes perfectè essent ingressi. τὸ ergo *ingressus*, significat hîc actum, non inchoatū, sed completum & perfectum. Voluit enim Dei clementia, hisce septem diebus, per apparatum quem faciebat Noë, perque continuam inductionem animaliū & cibariorum in arcam, homines monere de instanti diluuio, & commouere ad pœnitentiam. ita S. Ambros. Tostatus & Pererius.

VNIVERSÆ AVES, OMNESQVE VOLVCRES] Aues sunt, quæ pennas habent: volucres, quæ alas, siue eæ pennæ sint, siue membranulæ, quales habet vespertilio. VERS. 14.

INCLVSIT EVM DOMINVS DEFORIS] scilicet, extrinsecus ostium arcæ, contra aquas, bitumine obliniendo, quod Noë, vtpote arcæ iam inclusus, facere non poterat. vnde Hebræa habent, *clausit Dominus pro eo*, vel, vt Vatabl. vertit, *post eum*. Vide quantam curam & prouidentiam Deus habeat Noë & suorum. VERS. 16.

FACTVMQVE EST DILVVIVM] Tropol. S. Ambros. lib. de Noë cap. 13. *Diluuij species, ait, typus est purgationis animæ nostræ. Itaque cùm mens nostra se à corporalibus mundi huius illecebris, quibus antè delectabatur, ablueris, bonis quoque cogitationibus veteris colluuiem cupiditatis absterget, tamquam purioribus absorbens aquis turbidorum priùs amaritudinem fluentorum.* VERS. 17.

AQVAE PRAEVALVERVNT NIMIS] ita vt domos & vrbes euerterent, arbores eradicarent, omniaque sata & germina solo sternerent, nimirum tunc, vt canit Ouidius: VERS. 19.

Omnia pontus erant, & deerant littora ponto.

Constantia Noë in istis tentationibus.

Nota hîc rursum constantiā fidei, spei & patientiæ in Noë. Erat enim in tentationibus grauissimis, vt mirum sit eum non desperasse. Primò, enim relinquere cogebatur domum, amicos & omnia; imò eorum interitum videre. Secundò, quasi in carcere & tenebris, fœtoreque animalium clausus erat. Tertiò, terrore quatiebatur videns tantam Dei iram, aquasque vndiq; irruentes, imò nil nisi præsentem mortem aspiciens. Si enim in mari & fluctibus timent homines, quantum timuit Noë? Quartò, timere poterat ne & ipsum, ob culpam aliquam relinqueret Deus. Quintò, nesciebat quamdiu tempestas duraret. Sextò, non videbat exitum: clausa enim erat arca. Septimò, cruciabat eum interitus omnium hominum & animalium. Octauò, laborabat, vt suos in arca consolaretur & confortaret, ne desperarent. Quis in tantis tentationibus non succubuisset, ac mori prælegisset? verùm omnia hæc sustinuit & superauit Noë, vni Deo nixus, eiusq; promissioni & prouidentiæ; quoniam nullum erat aliud auxilium aut consilium. Ita suos exercet & perficit Deus, dum omnia fulcra eis adimit, vt totos se Deo committant. Discamus & nos in arctis quibusque nos Deo vnire, in eumq; maximè sperare. Dominus enim est qui suos *mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Quid mirum ergo si Noë à fide ita laudet Paulus Hebr. 11.7. & Ecclesiast. c. 44. 17?

QVINDECIM CVBITIS ALTIOR FVIT AQVA SVPER MONTES] Ergo pertigit diluuium vsque ad imum mediæ regionis aëris: eò enim pertingit Olym- VERS. 20.

lympus & alij montes celsissimi: ergo diluuiũ paradisum quoque obruit & destruxit. Putant aliqui, quòd tantundem, putà quindecim cubitis supra terram & montes excrescet ignis conflagrationis in fine mundi, illudq; innuit S. Augustinus l.3. de Gen. ad lit. c. 2. idque probat ex 2. Petri 3. v.5. & 7. Falsum ergo est, quod Caiet. censuit, montes qui hîc aquis operti dicũtur, esse illos, qui sunt sub cælo aëreo, non autẽ illos, qui superant mediam aëris regionem, quales ait ipse esse Olympũ & Atlantem. hoc enim repugnat S. Scripturæ hîc, quæ omnes terræ montes diluuio superatos & obrutos asseuerat, vt rectè aduertit S. August. l.15. Ciuit. 27. Fundamentũ quoque Caietani, scilicet quòd aliqui montes superent mediam regionem aëris, siue locũ pluuiæ & niuis, falsum est. nam cacumen Atlantis niuibus tegi, compertum est.

An omnes omnino montes obruti aquis?

Nota. Quindecim cubitis aqua excessit omnes montes, ne gigantes longissimi, aut aliud animal vastissimũ, in altissimi montis vertice seruari posset. Quare quod tradunt Iudæi, Og regem Basan fuisse ex gigantibus ijs, de quibus dictum est c.6. quodque in altissimo monte consistens euaserit diluuiũ, idque probant ex eo, quod dicitur Deuter. 3. 10. *Solus Og restiterat de stirpe gigantum*; fabella est. sic enim Og fuisset 800. annorum: tot enim anni sunt à diluuio, vsque ad ingressum Hebræorum in Chanaan, quando ab eis occisus est Og. Deut. 3. 3.

Og gigantẽ euasisse diluuium fabulantur Iudæi.

Quæres, quid fecerit Noe cum suis toto tempore in arca?

Quid egerit Noë in arca.

Resp. Torniellus, eum commiseratũ esse cæteris omnibus pereuntibus, sibique congratulatum esse de sua salute in arca, ac Deo gratias egisse. Secundò, vacasse precibus & contemplationi. Tertiò, se & animalia cuncta curasse, dando eis cibum & potum, sordes euerrendo in sentina, indeque per antliam vel situlas extollendo, & extra arcam per fenestellas, quæ superiùs erant, eijciendo. Denique rem omnem arcæ administrasse.

VERS. 22. ET CVNCTA IN QVIBVS SPIRACVLVM VITAE EST IN TERRA, MORTVA SVNT] Hebræa ad verbũ sic habent, *& omne cuius flatus spiritus* (id est flatus respirationis siue respirans) *vita in naribus eius ex omnibus quæ sunt in arida, mortua sunt*, hoc est, omnia omnino in terra respirantia mortua sunt. Vnde Tigurina vertit, *& quicquid erat in cuius naribus spirabat flatus vitæ, de omnibus quæ in sicco degebant, mortua sunt*; Vatab. *iam interierant*. Addit τὸ *in sicco* ob pisces, qui in humido, putà in aqua, versantur: hi enim mansere viui & superstites. Pagnin. *omnia, in quorum facie erat anhelitus vitæ, ex omnibus quæ erant in sicco, mortua sunt*; Septuag. verò sic, *& omnia quæcumque habebant spiritum vitæ, & omnis qui erat super aridam, mortuus est*; Chaldæus, *omnia in quibus est spiraculum spiritus vitæ in naribus suis, ex omnibus quæ sunt in arida, mortua sunt.*

VERS. 24. OBTINVERVNTQVE AQVÆ TERRAM CENTVM QVINQVAGINTA DIEBVS] Nota, hos 150. dies, non esse cõputandos seorsim, post 40. dies pluuiæ, de quibus v.12. (vt volunt Ioseph. Chrysost. Tostat. Caietan.) sed eos includere: nam à 17. die mensis secundi. quo cœpit pluuia & diluuium, vsque ad diem 27. mensis septimi, quando imminutis aquis arca quieuit in montibus Armeniæ, vt habetur c. 8.4. tantũ interfluunt dies 160. ergo primis 40. diebus fuit pluuia, qua terra & montes omnes, ad quindecim cubitos fuerunt obruti: deinde per

A sequentes centum & decem dies, mansit aqua in hoc statu & altitudine; post quos cœpit decrescere, ita vt decimo pòst die arca quiesceret in montibus Armeniæ: tot enim vniuersim numerantur dies, à 17. die mensis secundi, quo cœpit diluuium, vsque ad diem 27. mensis septimi, quo quieuit arca, nimirum dies 160. quos eo modo, quo iam dixi, partiri & distribuere oportet. ita Lyran. Hugo, Pererius.

Horrendum fuit hoc diluuij spectaculum: sensim crescentibus aquis, circumcursabant per domos tremulæ matres cum paruulis, nescientes quò pergerent: surgebant alij pauidi de mensa, & effugium quærebant: è cubili exiliebant sponsus & sponsa, huc ille, illuc illa fugiebat, vt salientem euaderet vndam. vidisses quosdam repentè superiora domus, alios etiam tectorum cacumina conscendere: nonnullos item excelsarum arborum ramos scandere; alios verò cum festinatione ad collium montiumque iuga se proripere. sed frustra: nemo enim hanc aquarum vim & impetum euadere potuit. vbique pauor, vbique tremor. O quàm dolebant tunc, quòd Noë hæc cõminantem non audierant, sed irriserant! O Noë, quàm sapuisti, inquiebant: ô nos dementes, quàm insani, quàm stolidi fuimus! ô si iam liceret arcam ingredi, quàm cuperemus etiam tota vita in ea includi! potuimus aliquando, sed noluimus: nunc volumus, sed non possumus. Serò sapiunt Phryges. Ex hisce & similibus vides, quàm horribile fuerit diluuium. quod vt magis videas & apprehendas, imaginare te in vertice montis consistere, ac videre aquas totam terram inundantes, omnia sternentes, homines & animalia sorbentes, arces & oppida euertentes, excrescentes, & montes omnes superantes; itaque ad te tandem in vertice consistentem pertingentes, teque pariter haurientes & mergentes. Hinc disce quid sit peccatum, quod hanc cladem toti orbi induxit: & si tale fuit diluuium aquæ in terra, quale erit diluuium ignis in gehenna? Cogita, quàm terribilis sit Deus in consilijs suis super filios hominũ, quàm terribilis sit eius iustitia & vindicta. *Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Quid ergo erit in die iudicij, qui similiter omnes ex improuiso obruet? Audite Christum ipsissimam veritatem Matth. cap. 24. v. 37. *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.*

Horror diluuij.

B C D

Tunc, inquit ex S. Bernardo Hugo Cardin. *angustiæ erunt vndique reprobis. Superiùs erit iudex iratus: subtus, horrendum chaos: à dextris, peccata accusantia: à sinistris, infinita dæmonia ad supplicium trahentia: intus, vrens conscientia: foris, mundus ardens. Miser peccator deprehensus, quò effugies? latere, erit impossibile: apparere, intolerabile. Si quæris, quis te accusabit: dico, quòd totus mundus: quia offenso creatore, omnis creatura odio habet offendentem, putà peccatorem.*

Horror iudicij.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

MInuitur sensim, & tandem finitur diluuium: idq; v.8. ex columba, redeunte cum ramo oliuæ, discit Noë. Hinc v.16. cum omnibus suis ex arca egreditur. Denique v.20. offert sacrificium Deo, qui per illud placatus, promittit deinceps non fore diluuium.

1. REcordatus autem Deus Noë, cunctorumq; animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ
sunt aquæ. 2. Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli: & prohibitæ sunt plu-
uiæ de cælo. 3. Reuersæq; sunt aquæ de terra euntes & redeuntes: & cœperunt mi-
nui post centum quinquaginta dies. 4. Requieuitq; arca mense septimo, vigesimo
septimo die mensis, super montes Armeniæ. 5. At verò aquæ ibant & decresce-
bant vsque ad decimum mensem: decimo enim mense prima die mensis, apparuerunt
cacumina montium. 6. Cumq; transissent quadraginta dies, aperiens Noë fene-
stram arcæ, quam fecerat, dimisit coruum, 7. qui egrediebatur, & non reuerteba-
tur, donec siccarentur aquæ super terram. 8. Emisit quoque columbam post eum,
vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ 9. Quæ cùm non inuenisset
vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super vniuer-
sam terram: extenditq; manum, & apprehensam intulit in arcam. 10. Expectatis
autem vltrà septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex arca. 11. At illa venit
ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo. intellexit ergo
Noë quod cessassent aquæ super terram. 12. Expectauitq; nihilominus septem a-
lios dies: & emisit columbam, quæ non est reuersa vltrà ad eum. 13. Igitur sexcen-
tesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super ter-
ram: & aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, viditq; quòd exsiccata esset superficies ter-
ræ. 14. Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis, arefacta est terra. 15. Lo-
cutus est autem Deus ad Noe, dicens: 16. Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui
& vxores filiorum tuorum tecum. 17. Cuncta animantia quæ sunt apud te ex om-
ni carne, tam in volatilibus quàm in bestijs & vniuersis reptilibus, quæ reptant super
terram, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super
eam. 18. Egressus est ergo Noe, & filij eius, vxor illius & vxores filiorum eius, cum
eo. 19. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant super terram, se-
cundùm genus suum, egressa sunt de arca. 20. Ædificauit autem Noe altare Do-
mino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super
altare. 21. Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis, & ait: Nequaquam vltrà ma-
ledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum
prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltrà percutiam omnem animam viuen-
tem sicut feci. 22. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas &
hiems, nox & dies, non requiescent.

Vers. 1. REcordatvs avtem Devs Noe] Quasi Deus oblitus fuerit Noë, cùm eum in illa horribili aquarum abysso, cum arca fluitantem reliquit; hîc finiente diluuio eius recordari dicitur: quia eum inde iam liberat, ait Theodor.

Audiuimus c. præc. interitum omnium impiorum: hîc audimus consolationem piorum. Sicut ergo priùs ostendit gaudium impiorũ in luctum fuisse conuersum: ita hîc declarat piorũ tristitiam in gaudium esse conuersam, iuxta illud Tobiæ: *Hoc pro certo habet omnis qui colit te, quòd vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur.*

Addvxit spiritvm] id est, Spiritum sanctũ, inquit Theodor & S. Ambros. Secundò, Rupert. per spiritũ accipit solem, qui suo ardore siccarit aquas. Verùm dico, *spiritum*, id est ventum validũ, qui vi, non tam naturali (quomodo enim id fieret in tantis aquis, tam breui tempore?) quàm diuina, partim siccaret & consumeret aquas, par- A tim eas densaret, & cogeret in abyssum & alueũ vnde eruperant, quo facto eas ibi reclusit, clausis abyssi fontibus & orificijs. & hoc est quod sequitur: *Clausi sunt fontes abyssi.* ita S. Chrysost. & Ambros. Quæ sit hæc abyssus dixi c.7.11. Idem ventus eadem vi effecit, ne ex hoc diluuio vlla postea lues, vel pestilens quippiam spargeretur.

Spiritus, id est ventus, siccauit aquas.

Et prohibitae svnt plvviae de caelo] Vers. 2. Non quasi hucusque continuò pluerit per 150. dies, sed quòd decrescente diluuio, Deus omnes omnino pluuias, etiam ordinarias prohibuerit, vt eò citiùs decrescerent aquæ, & terra siccaretur. Prohibuit ergo hîc pluuiam Deus, per septem integros menses, scilicet à 17. die mensis septimi, quo cœpit aqua decrescere, ad 27. diem mensis secundi sequentis anni, quo arefacta est terra, vt patet v.14.

Evntes et redevntes] euntes redeundo ad Vers. 3. mare, & ad abyssum subterraneam, per varios mea-

meatus perque occultas venas. ita S. Hieron.

Mense septimo] ab initio, non diluuij, vt volunt aliqui, sed anni, vt patet ex v. 13. & seq.

Vers. 4. Vigesimo septimo die] Ita legunt constanter Latina Biblia, Septuag. & Patres omnes. & ratio euincit ita legendum esse. nam cùm per 150. dies aquæ manentes in sua altitudine obtinuerint terram; sequitur eas in sua altitudine mansisse vsque ad diem 17. mensis huius septimi; cœpit enim diluuium 17. die mensis secundi. Iam à 27. die mensis secundi, ad 17. diem mensis septimi, præcisè intersunt 150. dies, post quos aquæ cœperunt decrescere: ergo 17. die mensis septimi cœperunt decrescere. non potuerunt autem vno die 15. cubitis, quibus quaquauersum montes, non tantùm Armeniæ, sed etiam ijs altiores, in tota terra superabant, ita decrescere, vt eodem die 17. arca quiesceret in montibus Armeniæ. sed sensim hoc factum est; ita videlicet, vt post 10. dies, putà 27 die eiusdem mensis, arca quiescere posset in illis montibus, vti hic dicitur. Valdè enim lentè decreuisse aquas, patet ex eo, quòd post quietem arcæ mense septimo, decimo tandem mense apparuerint cacumina montium. Quare Hebræa & Chaldæa hîc, nõ tam mutila, quàm distorta & diuulsa sunt: nam pro 27. habent 17. nimirum pro duabus disiunctis vocibus עשר יום *asar iom*, id est decimo die, legendum est coniunctim vnica voce עשרים *esrim*, id est vigesimo, supple die.

Perperam ergo Eugubin. Caiet. & Lipoman. dixerunt nostrum textum hîc esse corruptum.

Montes Armeniae] Hebraicè est, *montes Ararat*, quod Chaldæus vertit, *montes Cordu*, quos Iosephus & Curtius Cordiæos vocant. Hi montes, inquit Pererius & Delrio, sunt pars Tauri mõtis (qui varia diuersis locis nomina accipit) vbi is imminet Ciliciæ & Araxi fluuio, qui fortè Ararat hebraicè dicitur. Inde Stephanus lib. de Vrbibus, Tarsum Ciliciæ dictam putat à ταρσόω, id est

Vnde Tarsus dictus? arefacio, quòd in argumentum exsiccatæ ibi primùm terræ, ibidem Tarsus sit condita. Verùm alij Tarsum à Tarsis filio Iapheth conditam, & appellatam censent.

Vnde dicta Armenia? Nota. Armenia postea ita dicta videtur, ab Aram filio Sem, nepote Noë, Gen. 10. Quòd si etymon Hebræum spectes, Aram & Armenia significat altam & excelsam. est enim Armenia omnium orbis partium celsissima, idque vel ex eo colligitur, quòd in montibus Armeniæ primùm, decrescente diluuio, arca resederit.

Vers. 5. Decimum mensem] non à cœpto diluuio, vt vult Tostat. & Caiet. sed à cœpto anno 600. vitæ Noë, vt patet c. præced. v. 11. & hîc v. 13. & 14. ita Lyran. & Perer.

Apparuerunt cacumina] Licet enim iam antè, mense septimo, arca quieuerit in montibus Armeniæ, nondũ tamen tum detecti erant montes: nam arcæ moles aliquot cubitis (putà septem vel octo) pondere suo sub aquas penetrarat, vti solent facere naues onerariæ. his ergo cubitis septem vel octo sensim decrescente aqua, tandẽ retecti sunt montes, ita vt Noë spectanti per arcæ fenestram, demum mense decimo apparuerint cacumina montium. Verisimile est, ea priùs fuisse retecta & nudata aquis, sed mense decimo primùm apparuisse, & visa esse ipsi Noë. Adde, non est necesse dicere, æqualiter & æquo tenore, sensim semper decreuisse aquas. verisimile est enim, initio eas magis decreuisse, idq; vt arca ampliùs non fluitaret, sed subsideret in montibus Armeniæ, ad securitatem & consolationem Noë. nam initio statim non tantùm per ventum siccatæ & densatæ sunt aquæ: sed etiam à Deo subitò reductæ sunt in suam abyssum, ex qua prodierant, quæ sanè ingentem aquarum copiam excepit, ibique sunt reclusæ. vnde v. 2. dicitur, *Et clausi sunt fontes abyssi.*

Qui (coruus) egrediebatur, et non revertebatur] Chaldæus, Ioseph & vt nonnullis videtur, ipsa Hebræa habent contrariũ, scilicet, *coruus egrediebatur & reuertebatur.* vnde Caluinus nostrum textum Latinum falsitatis accusat; verùm Septuag. noster Interpres, & Patres omnes, præter Procopium, legunt cum negatione, *coruus egrediebatur, & non reuertebatur.* vtraque versio & lectio verum habere sensum, ac proinde vna cum alia facilè conciliari potest. — *Vers. 7. An coruus sit reuersus ad arcam?*

Pro quo Nota. Hebræa ad verbum sic habent, *Coruus egrediebatur exeundo & redeũdo*: scilicet, coruus hic emissus ex arca, teste S. Augustino, Chrysost. & alijs, videns cadauera in montibus iacentia, aut in aquis natantia, quæ necdum dissoluta, vel à piscibus deuorata erant, illorũ auiditate, aut potiùs, vt censet Perer. quia clausuræ in arca pertæsus, libertatis erat auidus, in arcam regredi nolebat: quia tamẽ terra adhuc erat limosa & aquosa, subinde reuolabat ad culmen arcæ, illicq; insidebat, vt rursum ad cadauera reuolaret. Reuertebatur ergo coruus ad cacumen arcæ, non verò reuertebatur ad Noë, in ipsam arcam, sed vltro citroque volitabat. vnde Noë ex eo, an & quantum siccaretur terra, scire non poterat. hinc paulò pòst columbam emisit, quæ id exploraret. vide Franc. Lucam notat. 3. in Gen.

Secundò & magis genuinè, Hebræũ שוב *scob* significat redire, non ad Noë emittentem, sed ad pristinum locum, libertatem & consuetudinem. vnde *scob* sæpè sumitur pro *recedere*, vt clarè patet hîc v. 3. & Ruth 1. 16. & Ezech 18. 26. & alibi sæpè. quare in Hebræo ita est ad verbum, *Coruus egressus est egrediendo & recedendo, donec siccarentur aquæ super terram*: hoc est, magis magisq; egrediebatur, & recedebat, donec siccaretur terra. Id enim naturale est auibus, vt dimissæ è cauea, quàm longissimè aufugiant. Hunc verò sensum clariùs explicuit noster Interpres, dum vertit, *egrediebatur, & non reuertebatur.* vnde & S. Hieron. in Tradit. Hebr. in Genes. ait in Hebræo esse, *egressus est exiens & non reuertens.* ita solerter & doctè P. Gordonus l. 1. Controu. c. 19. Coruus enim exiens reuertebatur ad suam libertatem, ac consequenter ad arcam non reuertebatur, sed ab ea longiùs & longiùs recedebat: & hoc significat Hebræum *scob.* — *Heb. scob significat recedere.*

Ex hoc loco coruus apud Hebræos in prouerbium abijt, vt dicant *coruus nuntius*, de eo qui missus est, & tardè, vel numquam redit.

Moral. Coruus non est reuersus ad arcam, sed columba: corui sunt, qui differunt pœnitentiam; dicunt, cras, cras: columbæ gementes sunt, qui statim pœnitent, & redeunt ad arcam. Hinc Alcuinus l. de Virtutibus & vitijs, *Fortè*, inquit *respõdes, Cras, cras* (scilicet conuertar.) *ô vox coruina. coruus non rediijt ad arcam, columba rediijt. si tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa; satis alienus es à fide, qui ad agendam*

dam pœnitentiam tempus senectutis expectas. Aliter S. Ambros. l. de Noë c. 17. Emissio corui, ait, significat *quòd omnis iustus quando mundare se incipit, quæ tenebrosa sunt, & immunda, & temeraria, primò à se repellit. Siquidem omnis impudentia atque culpa tenebrosa est, & mortuis pascitur sicut coruus. Et ideo tamquam emittitur & fugatur culpa, & separatur ab innocentia, vt nihil remaneat in viri iusti mente tenebrosum. Denique egressus coruus non reuertitur ad iustum: quia fugitans culpa omnis æquitatis, nec probitati videtur & iustitia conuenire.* Et c. 18 columbam ad arcam reuersam, ait significare simplices & innocẽtes, qui missi ad sæculares conuertendos, cùm in ijs vident inundasse malitiam; ne frustra laborẽt, & ea inquinentur, mox ad mẽtis arcam reuolant. *Tardè enim*, inquit, *inter astutias istius mundi, & sæcularium fluctus cupiditatum, portum solet inuenire simplicitas.* Vide apud eum plura si lubet.

DONEC SICCARENTVR AQVÆ] *τὸ donec*, non significat post terram siccatam coruum in arcam regressum esse, sed tantùm ante siccationem non esse regressum. sic sumitur *donec* Matthæi 1. v. vlt. psal. 109. 2. & alibi.

VERS. 9. VBI REQVIESCERET] Adhuc enim omnia erant limosa, & luto obsita.

AQVÆ ENIM ERANT SVPER VNIVERSAM TERRAM] Licet enim montes altos deseruissent, tamen adhuc totam terram planam, siue campestrem occupabant.

VERS. 11. AD VESPERAM] Toto die pasta (inquit S. Chrysost. hom. 26.) ad comparem in hospitium notum redit, vt nocturnum frigus vitet. ita Delrio.

RAMVM OLIVÆ] Quia olea semper viret folijs, teste Plinio l. 16. c. 20. Potuit ergo olea hæc, sub aquis diluuij annum integrum folia sua seruare. ita S. Chrysost. hom. 26. licet S. Ambros. l. de Arca c. 19. malit oleam hanc sub aquis germinasse, non naturaliter, sed per Dei omnipotentiam.

Nota, licet diluuium strauerit plerasque omnes arbores in planitie sitas; oleam tamen hanc, aliquasque alias arbores & plantas, potuisse inter montium petras, quæ aquarum vim refrangebant, seruari.

Nugantur hîc Iudæi, qui ramum hunc fabulantur allatum esse ex Sion, & monte oliuarum, ad quem quasi sacrum non pertigerit diluuium. Alij eum ex paradiso allatum somniant.

Oliua symbolum est pacis, æternitatis, & felicitatis. Tropologicè, Oliua, inquit S. Ambros. est insigne diuinæ misericordiæ. Rursũ oliua, inquit Perer. hieroglyphicum est pacis, victoriæ, æternitatis & felicitatis. Columba ergo hæc cum ramo oliuæ Noë & mundo quasi securitatem ab aquis, pacemque ac Dei reconciliationem afferebat. Plura de symbolo oliuæ dicam Leuit. 2. 1.

Alleg. totius historiæ. Alleg. Noë est Christus, arca Ecclesia. post passionem & mortem Christi, adduxit Deus spiritũ reducem vitæ, cùm Christum suscitauit à mortuis, tumq; dedit hominibus Spiritum sanctum in remissionem peccatorum. Secundò, non statim siccatæ sunt aquæ per spiritum: quia Deus aquas concupiscentiæ & tentationum ac peccatorum omnium, non statim exsiccat, sed cũ tempore. Tertiò, arca primò requieuit in montibus: quia tempore passionis Christi, Ecclesia in Apostolis constitit. Quartò, Noë 40. die fenestram aperuit: quia Christus 40. die post resurrectionem cælos ascendit & reserauit. Quintò, coruus emissus non reuertitur: quia Iudæi infideles ex Ecclesia eiecti

A ad eam non redeunt. Sextò, colũba est Spiritus S. qui in specie columbæ super Christũ visus est. Septimò, tertiò emittitur colũba: quia Spiritus sanctus ter ad nos venit; primò, cùm baptizamur; secundò, cùm confirmamur; tertiò, cùm suscitabit corpora nostra. Octauò, colũba non sedit in terra lutosa, vel cadaueribus: quia Spiritus S. non intrat in carnalem & maleuolam animam. Nonò, colũba ad vesperam venit: quia Spiritus sanctus nouissimis Christi diebus effusus est. Decimò, columba affert ramum oliuæ: quia Spiritus sanctus affert nobis oleum diuinæ gratiæ, pacemque cum Deo. Vndecimò, Noë per columbam certificatur aquas cessasse: quia Spiritus sanctus reddit testimoniũ spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Duodecimò, Noë tectum arcæ amouet: quia Christus B omnia impedimenta amouet, vt liberum habeamus ingressum in cælum: quod tunc fiet, cùm dicet, *Venite benedicti Patris mei*, &c.

QVOD CESSASSENT AQVÆ] quòd vsque ad arbores & terram essent imminutæ.

IMMINVTAE SVNT AQVAE] vsque ad terram, ita vt terra sicca apparuerit. Vbi Nota. Primo die mensis primi, anni 601. Noë, terra hîc dicitur exsiccata, intellige inchoatè, ita scilicet, vt esset nudata aquis, remaneret tamen adhuc limosa & cœnosa. nã perfectè à cœno & limo siccata est, post 57. dies, scilicet 27. die mensis secundi, vt dicitur v. seq. ita scilicet, vt Noë cum suis arca egredi, & per terram ingredi posset. ita Perer. VERS. 13.

ET APERIENS NOE TECTVM ARCAE ASPEXIT] Noë non aperuit totum arcæ tectum, sed tantùm partẽ, putà vnam alterámve eius tabulam, quantum scilicet opus erat, vt commodè supra ipsum C tectum eleuari posset, & inde vndique circũspicere (quod non poterat facere de fenestra, vtpote quæ ad latus arcæ posita erat) & videre, an iam vbique aquæ deseruissent terram.

Tropol. S. Ambros. l. de Noë c. 20. Noë, id est vir iustus, aperit tectum vt speculetur incorporalia, putà Deum & cęlites. *Et ideo*, inquit, *iustus quem non videbat Dominum requirebat, corruptelæ exors, cupidus æternitatis.*

MENSE SECVNDO, SEPTIMO ET VIGESIMO DIE MENSIS AREFACTA EST TERRA] Ex hoc loco patet diluuiũ durasse annũ integrum, & decẽ dies. cœpit enim anno 600 Noë, die 17. mẽsis secũdi: finitũ autem est anno 601. Noë, die 27. mẽsis secundi. fuit ergo Noë in arca anno integro, & decẽ dies. VERS. 14. *Diluuium durauit annum integrum & decem dies.*

Putat Perer. annum hîc lunarem intelligi, qui D continet duodecim lunationes, siue duodecim lunæ circuitus per Zodiacum, ac consequenter continet dies 354. ideoque vndecim diebus minor est anno solari: hic enim continet dies 365. Ratio Pererij est, quia Hebræi vtebantur mensibus, & consequenter annis, lunaribus: ergo ijsdem videtur hîc vti Moses. *An Moses vtatur hic anno lunari, an solari.*

Verùm hæc ratio non omnino concludit: nam Hebræi vtebantur mensibus lunaribus, propter festa plura, quæ secundùm lunam celebranda erant, vti neomenia celebranda erat in nouiluuio; pascha 14. luna mensis primi: inde tamen non sequitur, Mosen in Pentateucho ijsdem vti. nam Moses conscribit hîc chronologiam mundi, quæ secundùm annos solares, vtpote vsitatissimos & communissimos conscribi solet. Adde, Hebræi suos annos lunares, per intercalationem, secundo, vel tertio quoque anno, redige-

digebant ad annum solarem, eique coæquabant; itaque ipsi quoque anno solari vtebantur. alioqui enim non potuissent semper inchoare annum suum, mense nouarum frugum, & in eo celebrare Pascha.

Anno solari vti Mosen, suadet id quod dixi c.7.v.vlt. scilicet à 17. die mensis secundi, vsque ad 27. mensis septimi fluxisse 160. dies; ita vt primis diebus 150. aquæ in suo statu constiterint, deinde decem vltimis diebus ita sint imminutæ, vt arca hæserit in montibus Armeniæ. Si enim menses lunares accipias, dicendum est, post illos 150. dies diluuij, terram subitò per quatuor dies ita siccatam fuisse, vt arca in montibus illis hærere potuerit, cùm tamen postea lentè admodum siccata sit, vt patet v.5.13.14.

VERS. 16. EGREDERE TV ET VXOR TVA] Notat S. Ambros. l. de Arca c.21. & Caiet. in ingressu arcæ c.6. 18. iuberi à Deo, seorsum vxores à maribus ingredi, sed in egressu iuberi simul egredi: quia, inquit S. Ambros. in ingressu, tacitè illa separationis phrasi, à Deo monentur singuli abstinere à coniugio & à generatione, eò quòd tunc esset tempus luctus & pœnitentiæ: in egressu verò, alia combinationis phrasi monentur vti coniugio, ad hominum propagationem.

VERS. 17. *Qui feræ & homines venerint ad insulas & nouum orbem?* CVNCTA ANIMANTIA, &c. EDVC TECVM, ET INGREDIMINI SVPER TERRAM] Quæres, quomodo post diluuium lupi, vulpes, leones, tigrides, aliæque noxiæ feræ de Asia, in qua ex arca egressus est Noe, ad insulas & terras medio mari ab ea separatas, ac præsertim in Americam, deuenire potuerint?

C Respondet S. August. lib. 16. de Ciuit. c.17. tripliciter, scilicet; animalia hæc vel natando ad insulas transisse, vel ab hominibus nauibus eò fuisse deportata; vel Dei ordinatione & creatione in ipsis esse producta. Hoc tertium parum credibile videtur. nam post diluuium, imò post primam rerum creationem Genes.1. factam, nihil de nouo creauit Deus. ideo enim ex singulis animantibus masculum & feminam induxit in arcam, vt saluaretur semen eorum super terram, Genes.7.3.

Verius ergo est, feras has natando ad insulas peruenisse. Experientia enim docet, feras per integros dies & noctes, necessitate vrgente, natare & enatare. Huius rei magnum indicium est, quòd in nouo orbe, putà in America, feræ hæ reperiantur per totam continentem, & in insulis ei vicinis: in insulis verò à continente quatridui itinere dissitis nequaquam reperiantur (quia scilicet tamdiu ieiunare, vt eò natando peruenirent, non potuerunt) vti se diligenter obseruasse, dum in America habitaret, asserit noster Iosephus Acosta l.1. de Nouo orbe cap.21. vnde addit, nullam vulpem, leonem, vrsum, aprum, aut tigridem reperiri in insula Cuba, Hispanica, Margarita, & Dominica, quia longiùs à continenti absunt: perinde vt ante aduentum Hispanorum in iisdem insulis nulli erant boues, equi, canes, vaccæ; quibus ab Hispanis postea inuectis, insulæ illæ modò abundant.

D Porro tam homines, quàm animalia ex hoc orbe in Americam penetrasse terrestri itinere, aut parua & facili nauigatione, probabiliter coniectat Acosta ex eo, quòd Indi isti nec magnarum nauium vsum, nec magnetis, astrolabij & quadrantis peritiam habuerunt, sine quibus si per plures dies in pleno mari nauiges, toto cælo errabis. Hinc

A ait, sicubi insula occurrit à continente, atque alijs insulis valdè disiuncta, qualis est Bermuda, eam omnino hominum carere commercio comperimus. Vnde concludit ipse, quòd America nostro huic orbi sit continens, nostræque terræ aliquibus locis cohæreat, aut certè ab ea non sit valdè disiuncta, ita vt scaphis, aut paruis nauigijs eò traijci possit. Nam ad polum Arcticum non est omnis longitudo Americæ satis explorata, multique putant super Floridam latissimam esse terram, & Baccaleos vsque ad Europæ extrema porrigi.

Secundò, quædam feræ ab hominibus vel lucri, vel nouitatis, vel venationis, vel magnificentiæ, vel alia de causa eò delatæ sunt, vti huc in caueis spectandæ deferuntur; quarum quædam ex caueis elapsæ ad montes & siluas fugerunt, ibique generando multiplicarunt.

B Si cui hæc non sufficiunt, is ad Dei prouidentiam recurrat, dicatque, sicut cuncta animalia ab angelis in diluuio perducta sunt in arcam, ita post diluuium eorumdem operâ per varias terras & insulas fuisse dispersa. ita Torniellus anno mundi 1931. n.49.

SECVNDVM GENVS SVVM] secundùm speciem suam. q.d. Animalia bina, vel septena, secundùm species suas egressa sunt ex arca, ita scilicet vt animalia (mares & feminæ) eiusdem speciei simul egrederentur. VERS. 19.

ALTARE] Primum hoc est altare quod legitur in Scriptura; tamen non dubium est, alia priùs extitisse, vtpote in quibus sacrificauit Abel. c.4. Altare dicitur quasi alta ara, in qua scilicet victimæ Deo mactantur & offeruntur: vnde altare hebraicè dicitur מִזְבֵּחַ *mizbeach*, à radice זָבַח *zabach*, id est mactauit. VERS. 20.

HOLOCAVSTA] ex septimo illo mundorum animalium cælibe, seu solitario masculo, vti dixi v.2. ita Diodor. Tarsensis in Catena.

ODORATVSQVE EST DOMINVS ODOREM SVAVITATIS] putà *odorem bonæ fragrantiæ*, vti legit Nouatianus lib. de Trinitate. q.d. Deus acceptauit holocaustum Noe, tamquam rem sibi suauem & gratam; Deus eo delectatus est, sicuti nos nidore carnium assarum delectamur & pascimur. est enim sacrificium quasi cibus Dei. vnde Chaldæus vertit, *suscepit Dominus cum beneplacito oblationem eius.* Hebraicè pro *odorem suauitatis*, est רֵיחַ הַנִּיחֹחַ *reach hannichoach*, odorem quietis: quia scilicet hoc sacrificium Deum generi humano iratum placauit & tranquillauit. ita Vatabl. & Oleaster. VERS. 21. *Quis odor quietis in Deo?*

Loquitur Moses metaphoricè & anthropopathῶs, q.d. Fumus hic sacrificij & odor qui cum fumo ascendebat sursum, ad similitudinem suauis odoris placuit Deo, & quasi fœtorem peccatorum sustulit à naribus Dei: quia, vt ait S. Chrysost. *Iusti Noe virtus fumum & nidorem victimæ, Deo fecit odorem fragrantiæ.* Ita Plato & Lucianus simili modo deos Gentium inducunt, quasi suauiter odorantes sacrificia, eorumque nidore gaudentes.

AIT AD EVM] Hebr. אָמַר אֶל לִבּוֹ *amar el libbo*, dixit ad cor suum; Chald. vertit, *dixit in verbo suo*; Septuag. *dixit recogitans*, seu post multam cordis cogitationem & considerationem. q.d. Dixit Deus hoc maturo consilio, & deliberato decreto. Secundò, τὸ *dixit ad cor suum*, potest accipi pro *dixit in corde suo*, vel ex corde suo. q.d. Seriò, & ex intimo corde dixit. אֶל *el* enim sæpè capitur pro *Quid locutus ad cor? Primò. Secundò.*

Tertiò. לִבּוֹ *min*, vel *bes*. Tertiò, Delrio sic explicat: *dixit ad cor suum*, id est dixit ad Noe, qui erat corculum Dei. *Quartò, & genuinè, loqui ad cor est consolari.* Quartò, optimè ex phrasi Hebræa sic exponas: *amar el libbo*, id est dixit ad cor eius, putà Noe, qui præcessit: ad Noe enim hæc dici, omnes veteres consentiunt. q.d. Deus placatus sacrificio Noe, locutus est ei ad cor, id est consolatus est eum, demulsit eum, dixit illi ea, quæ cordi eius gratissima & iucundissima erant. hoc enim est Hebræis *loqui ad cor alicuius*.

NEQVAQVAM VLTRA MALEDICAM TERRÆ] *Maledicam*, id est malefaciam. q.d. Non ampliùs terram perdam diluuio, vt feci.

PROPTER HOMINES] propter hominum peccata.

SENSVS ENIM] q.d. Miserebor humanæ infirmitatis & procliuitatis ad malum, ac proinde eorum peccata deinceps non puniam, generali totius orbis diluuio; sed quosque peccantes proprijs & particularibus pœnis castigabo. volo enim ipsum humanum genus conseruare & propagare.

SENSVS ET COGITATIO HVMANI CORDIS] Hebraicè est יֵצֶר לֵב הָאָדָם *ietser leb haadam*, *figmentum cordis humani*, id est, ipsa natura & essentia hominis, putà ratio & voluntas, mala est, inquit Lutherus & Caluin. sed ineptè: nam ipsa natura, ratio & voluntas hominis sunt figmentum, non hominis, nec cordis humani, sed Dei & voluntatis diuinæ. Figmentum autem cordis humani, est ipsa eius cogitatio, intentio, machinatio, vt vertit Noster, Septuag. R. Kimchi, & alij passim, tam Hebræi, quàm Græci & Latini. hæc enim sibi fingit & plasmat homo in sua cordis officina. vnde patet hominem esse liberi arbitrij: sicut figulus liber est, vt fingat tale vel tale figmentum, aut vas quod ipsi libuerit.

Secundò & meliùs, *figmentum*, id est figulina & officina cordis humani, prona est ad malum, vt illud formet & effingat. nam sicuti figulus in sua figulina format lances, ollas, matulas; ita homo in sui cordis & concupiscentiæ officina, format sibi imaginationes rerum omnium, quas concupiscit. *Figulina cordis humani peccato corrupti, est concupiscentia.* Hæc ergo figulina, vel officina cordis humani peccato corrupti, est ipsa concupiscentia, siue sensus, &, vt Septuag. vertunt, διάνοια, mens peccato corrupta, & cogitabunda malorum, quæ motus concupiscentiæ profert & producit.

Dices, Ex concupiscentia nihil boni, sed tantùm motus concupiscentiæ, qui mali sunt, prodire possunt: ergo ex corde humano nil boni, sed tantùm

A malum prodire potest. Respondeo, Nego consequ. quia in corde humano est duplex officina, vna concupiscentiæ; altera rationis, legis & virtutis; illa ad malum, hæc ad bonum propendet. *In corde est duplex officina, vna virtutis, altera concupiscētiæ.* hanc enim propensionem ad bonum naturaliter nobis insevuit Deus. iam in hominis arbitrio est, vt operetur in officina concupiscentiæ, vel rationis; & consequenter vt eligat & operetur vel malum, vel bonum, præsertim si gratia Dei adiuuetur.

IN MALVM PRONA SVNT] Hebr. רַע *ra*, id est *mala sunt*, putà ipsa figmenta, cogitationes & machinationes, quas sibi format & fingit cor humanum, peccato & concupiscentia infectum & corruptum. Verùm noster Interpres profundiùs vidit τὸ *ra*, id est *mala*, sumi causaliter, pro *prona sunt ad malum*, aut, vt Septuag. vertunt, *incumbunt in mala:*
B nam, vti dixi, figmentum sumit pro ipsa figulina, sensu & concupiscentia, quæ formaliter non sunt mala, id est peccata, sed causaliter, quia prona sunt ad malum, & ad malum hominem incitant. Hæc enim est apposita ratio, cur Deus dicat se misertum hominum, vt ampliùs eorum peccata non puniat diluuio; quia sc. homines à natiuitate infirmi, debiles & proni sunt ad malum: nam actualis malitia & peccatum, non misericordiam, sed iram Dei prouocat.

AB ADOLESCENTIA SVA] *Ex illa enim ætate*, ait S. Ambros. *crescit malitia: nam diligentia & studium peccandi incipit à iuuentute; vt puer quasi infirmus peccet, iuuenis tanquam improbus, qui studiosè cupiat peccata committere, & in criminibus glorietur.*

CVNCTIS DIEBVS TERRÆ] Non quamdiu terra durabit; hæc enim stat in æternum: sed quam- VERS. 22.
C diu in terra erit generatio & corruptio, eruntque homines & animalia, propter quæ hæc temporum varietas inducta est.

SEMENTIS ET MESSIS] Putat Isidorus Clarius, annum hîc more Hebræorum in sex partes diuidi, scilicet in floritionem, maturationem, calorem, seminationem, frigus & æstatem, de quibus Delrio hîc. Verùm longè verius est, vt patet ex ipsis antithesibus, hîc describi, Primò, vicissitudines laboris, vnam seminandi, alteram metendi. sementis enim hîc significat tempus seminandi; messis, tempus metendi. Secundò, vicissitudines anni; æstatem & hiemem. Tertiò, vicissitudines qualitatum & tempestatum; frigus & æstum.

NON REQVIESCENT] non cessabunt, non desinent sibi mutuo succedere, vti desierunt & cessarunt toto anno diluuij.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus hoc capite homini per diluuium quasi renouato & recreato pristina bona, quæ per peccatum & diluuium amissa videri poterant, restituit, scilicet fœcunditatem, imperium in bestias, alimoniam etiam weliorem. Primò, ergo Deus Noe, eiusq́ posteritati benedicit, eiq́ esum carnium indulget, non tamen sanguinis. vnde Secundò, v.5. homicidij pœnam sancit. Tertiò, v.9. pactum init cum Noe, de non inducendo ampliùs diluuio, pactiq́ tesseram dat iridem. Quartò, v.20. Noe inebriatur, & dormiens à Cham nudatur, sed à Sem & Iapheth tegitur: ideoq́ euigilans maledicit Cham, sed Sem & Iapheth benedicit.

1. BEnedixitque Deus Noe & filijs eius Et dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. 2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ,

ræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: omnes
pisces maris manui vestræ traditi sunt. 3. Et omne, quod mouetur & viuit, erit vobis
in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia; 4. Excepto, quòd carnem cum
sanguine non comedetis. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de ma-
nu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri & fratris eius, requiram
animam hominis. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis
illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. 7. Vos autem crescite & multipli-
camini, & ingredimini super terram, & implete eam. 8. Hæc quoque dixit Deus ad
Noe, & ad filios eius cum eo: 9. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum
semine vestro post vos: 10. & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum, tam
in volucribus quàm in iumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, &
vniuersis bestijs terræ. 11. Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà in-
terficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.
12. Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem ani-
mam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: 13. Arcum meum
ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. 14. Cumq; ob-
duxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: 15. & recordabor fœderis
mei vobiscum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat: & non erunt vltrà aquæ
diluuij ad delendum vniuersam carnem. 16. Eritque arcus in nubibus, & videbo il-
lum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem ani-
mam viuentem vniuersæ carnis quæ est super terram. 17. Dixitque Deus ad Noe:
Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me & omnem carnem super terram.
18. Erant ergo filij Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth. porro Cham
ipse est pater Chanaan. 19. Tres isti filij sunt Noe: & ab his disseminatum est omne
genus hominum super vniuersam terram. 20. Cœpitque Noe vir agricola exercere
terram, & plantauit vineam. 21. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in ta-
bernaculo suo. 22. Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet pa-
tris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras. 23. At verò Sem & Iapheth
pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris
sui, faciesque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. 24. Euigilans autem
Noe ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, 25. ait: Maledictus Cha-
naan, seruus seruorum erit fratribus suis. 26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus
Sem, sit Chanaan seruus eius. 27. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis
Sem, sitque Chanaan seruus eius. 28. Vixit autem Noe post diluuium trecentis quin-
quaginta annis. 29. Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta
annorum: & mortuus est.

Vers. 1. *Post peccatum Deus restituit homini semiplenum dominium in bestias.*

A TERROR VESTER SIT SVPER CVNCTA ANIMALIA TERRAE] Nota. Homo per peccatum plenum dominium in bestias amisit. vnde aliquale & semiplenum ei dominium hîc restituit & confirmat Deus: indidit enim Deus animalibus timorem quemdam, quo hominem, quasi dominum suum, timent & reuerentur; &, si feræ sunt, hominis conspectum fugiunt, nec in eum sæuiunt, nisi iniuria lacessantur, aut fame vrgeantur. quin & pisces, ait S. Basil. hom. 10. Hexam. humanas vmbras verentur, & ab ipsis aufugiunt: imò & elephantes, si credimus Plinio l. 8. c. 4. hominum vestigia formidant. Hinc videmus sæpè boues & equos à paruis pueris agi. Rursum, aues & feras homo sagittis deijcit: nec vlla est bestia tam fortis, quæ non possit per hominem capi & domari. Audi S. Ambros. epist. 38. ad Horont. verè & eleganter docentem quomodo feræ & irrationalia hominis rationem agnoscant, eiusque mansueti imperio mansuescant. *Sæpè*, inquit, *suspenderunt morsus suos reuocante sono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi: leones quoque ipsos si vox hominis resultauerit, prædam dimittere: pardos atque vrsos incitari ac reuocari vocibus, equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum. Denique sæpè sine verbere prætereunt verberatos: ita vehementer illos incitat linguæ flagellum.* Addit deinde: *Quid verò de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, vt placeat homini, atque in fluuio mersatur, vt nitorem augeat. Oues quoque meliora pabula legunt, vt suauiore succo lactis fœta distendant vbera: subeunt partus dolores, vt homini sua munera ferant. Tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli præter subeundi oneris obsequia, tondendos se exhibent vt arietes, quò velut regi diuersa animalia tributum suum conferant, pendantq; vectigal annuum. Equus tanto se iactans equite, glomerat gressus superbos, atque ad domini ascensum dorsa sinuatus, herili terga substernit sedili.*

B Maximè tamen hæc promissio in fidelibus impletur, quibus per Christum dictum est, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes*, Lucæ 10. &, *Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, Marci 16. Ita leones ceruice deiecta accesserunt ad S. Antonium, eiusque manus & pedes circumlinxerunt benedictionem petentes: ita boas serpens obediuit S. Hilarioni, duo dracones Ammoni, onager Macario Romano, hippopotamus Beno, crocodilus Heleno, leæna Ioanni Abbati, hyæna Macario Alexandrino, canis Abbati Subeuorum Syrorum, vt habetur in eorum vita in Vitis Patrum. Tropologiam vide apud S. Gregor. lib. 21. Moral. c. 11.

Vers. 3. OMNE QVOD MOVETVR ET VIVIT ERIT VOBIS IN CIBVM] *Omne*, scilicet comestibile, & humanæ com-

complexioni conueniens: viperæ enim, scorpiones, aliaque venenata animalia comedi nequeunt, quia repugnant complexioni humanæ, eamque destruunt. Adde, non præcipi, sed permitti hîc homini omnium, id est quorumlibet, esum. q.d. Permitto, vt omne, id est quidlibet, quod placebit, quod complexioni & palato vestro gratum erit, in cibum assumatis. ita Abulens. Non ergo peccant Religiosi, qui hac Dei permissione non vtuntur, & ad carnis macerationem, vel semper, vel certo tempore carnibus abstinent: quinimo heroicæ temperantiæ actus & signa edunt.

Deus permittit Noe esum carnium, non autem præcipit.

QVASI OLERA VIRENTIA TRADIDI (trado) VOBIS OMNIA] vt animalibus vescamini, sicut hactenus olera comedistis.

Tropol. S. Ambros. l. de Noe c.25. *Significatur,* inquit, *quòd irrationabiles passiones ita debeant menti sapientis, vt olera rustico, esse subiecta; atque ita vtamur reptilibus cogitationibus, vt agricola oleribus, quæ licet obesse non possunt, cibi tamen non habent gratiam fortioris. Generale enim omnibus & commune præceptum, non altiora indicit genera virtutum, quæ vtique paucorum sunt. Sed & si quis virtutum epulas fortiores sibi exhibere non possit, huiusmodi tamen habeat passiones, quæ non noceant, sed delectent.*

An esus carnium ante diluuium fuerit licitus & vsitatus. Prima sent.

Quæres, Fuitne ante diluuium carnium esus licitus & vsitatus? Primò, Lyranus, Tostatus & Carthusianus in cap. 1. v. vlt. censent nec licitum, nec vsitatum fuisse; eò quòd cap. 1. v. vlt. Deus tantùm homini esum olerum concesserit. Idem senserunt Ethnici. vnde Ouid. lib. 15. Metamorph. de primo illo & aureo mundi sæculo ita canit:

At vetus illa ætas non polluit ora cruore,
Tunc & aues tutæ mouere per aëra pennas,
Et lepus impauidus medijs errauit in agris.

Sed errat, dum esum carnium postea inductum, quasi scelus execratur, dicens:

Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi,
Alteriusq; animantem animantis viuere letho!

Sic & Pythagoræi & Manichæi censuerunt nefas esse animal occidere, eoque vesci. quin & Tertull. iam Montanista lib. de Ieiunijs contra Psychicos c.4. esum carnium humanæ incontinentiæ indultum asseuerat.

Secunda.

Secundò, Caietan. hîc, & Victoria relect. de temperantia, & Dominicus Soto l.5. de Iustitia q.1. a.1. putant, tunc esum carnium & licitum & vsitatum fuisse. Primò, quia carnis esum nusquam vetuit Deus, & caro cibus est homini conuenientissimus. Secundò, quia tunc erant greges ouium, quarum pastor erat Abel.

Dices, Pascebat Abel greges ad lanam & lac, non autem ad esum. Contrà, ergo nulla fuit laus Abelis præ Caino, ex eo, quòd pinguiores oues obtulerit Deo. Si enim illis nemo vescebatur, perinde fuisset illi & Caino, pingues atque macilentas sacrificare. macilentæ enim oues non rarò tam bonam, imò meliorem, quàm pingues, dant lanam & lac; carnem autem semper præbent deteriorem. ita Caietanus.

Tertia & verior.

Tertiò & optimè, S. Chrysost. Theodor. Pererius & alij censent, ante diluuium non interdictum, sed licitum fuisse esum carnium: ab eo tamen abstinuisse viros religiosiores, putà posteros Seth, eò quòd Deus assignans homini cibum, disertè tantùm expressisset olera, non autem carnes c.1.29. sic enim optimè concordantur rationes tam primæ, quàm secundæ sententiæ. Deus ergo hîc

A post diluuium carnium esum, omnibus, etiam Sanctis, explicitè & disertè permittit, ob malignitatem terræ, tam peccato quàm diluuio, salsedine maris, inductam, & consequenter ob vires imbecilliores, tam hominũ quàm plantarum. Tradunt enim medici, & experientia constat, carnes præ herbis plenius, solidius, succulentius, magisque carni humanæ conueniens alimentum hominibus præbere.

CARNEM CVM SANGVINE NON COMEDETIS] VERS. 4.
Hebraicè est, בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ *basar benapso damo lo tochelu, carnem in anima sua, in sanguine suo, non comedetis*: hoc est, vt vertit Pagninus, carnem cum anima sua, quæ est sanguis suus, non comedetis. q.d. Non comedetis carnem cum anima sua, quæ anima est sanguis, vel consistit in sanguine animalis ipsius.

B Nota. Præcipitur hîc modus comedendæ carnis istiusmodi, vt primò animal iuguletur, secundò, sanguis effundatur, tertiò caro coquatur & comedatur: prohibetur autem omnino comestio sanguinis siue is adhuc in animali existat. vnde prohibetur hîc esus morticinorum & suffocatorum, vt docet Eucherius. siue is ab animali sit separatus, isque tam liquidus & potabilis, quàm fartus & coagulatus, qualis est in farciminibus. omnem enim sanguinis esum hîc prohibet Deus. ita Lyranus, Tostatus, Carthusianus.

Omnis sanguinis esus prohibitus Noe & posteris.

Quæres, cur adeò seuerè sanguinis esum inhibuerit Deus? Respondeo Primò, vt homines quàm longissimè absterreret ab effusione sanguinis humani. ita S. Chrysost. & Rupert. nam Gentiles non tantùm ad effusionem, sed etiam ad potationem sanguinis humani proruisse, testis est Tertull. in Apolog c.9. Hanc rationem dat ipse Deus v. sequ.

Cur? Causa Prima.

C est enim sanguis vehiculum animæ & vitæ, spirituumque vitalium. hinc anima, id est vita, dicitur esse in sanguine, vt patet hîc in Hebræo, & Leuit. 17.11. Secundò, quia voluit Deus sanguinem, qui est quasi vita animalis, sibi soli quasi auctori vitæ offerri in sacrificijs, pro vita peccatoris, vt patet Leuit. 17.11. ita S. Chrysost. & D. Thomas. Addit Tertiò, Rupertus, brutorum sanguinem esse grauem, terrestrem, melancholicum, & multarum ægritudinum causam, si comedatur; hinc vetitum esse comedi.

Secunda.

Tertia.

Est hoc præceptum de cauendo sanguinis esu, non naturale, sed positiuum, quod renouatum est ab Apostolis, Actor. c.15. v.29. durauitque non tantùm ad tempora Tertulliani & Minutij, vt ipse fatetur in Octauio, sed etiam tempore Bedæ & Rabani, vt patet ex eius Pœnitentiali. Verùm iam

D exoleuit: nunc enim sanguinem, non quidem bibere, sed comedere in farciminibus mos est.

SANGVINEM ENIM ANIMARVM] Hæc est ratio, cur Deus vetuerit sanguinis esum, videlicet ne homines assuescendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent. q.d. Adeò mihi pretiosus est sanguis vester, quo corpus vegetatur & viuificatur, vt eum etiam à brutis, quæ hominem necarint, requiram: quanto magis eum à vobis, qui homines estis, requisiturus sum? VERS. 5.

Quomodo Deus requirat sanguinem hominis à bestijs.

REQVIRAM DE MANV CVNCTARVM BESTIARVM] id est dæmonum, qui feri sunt, bestiarum instar, ait Rupertus. Sed hic sensus symbolicus est, non literalis. Secundò, Theodor. sic exponit: in resurrectione requiram, & vobis reddam omnem sanguinem, quem bestiæ effuderunt, vos necando aut lædendo hic etiam sensus non est genuinus, sed anago-

Prima expositio.

Secunda.

Tertia. anagogicus. Tertiò, alij sic exponunt: in sacrificio requiram sanguinem vestrum, ab homine iniquè effusum, de manu bestiarum: quia nimirum homicidium, quo sanguis effunditur, adeoque omne peccatum hominis, voluit Deus expiari bestiarum sanguine, vt patet Num. 28. v. 29. in sacrificio enim bestia occisa luit offensam homicidij, & cuiusuis peccati hominis, adeoque Deus quasi in bestia sacrificata, vindicat homicidium, omnemque culpam hominis. *Quarta.* Quartò, Abulensis & Lipoman. sic explicant, q. d. Si effundas proximi tui sanguinem, vel per te, vel per bestiam aliquam in eum emissam, Deus eum requiret non à bestia, sed à te, qui eum vel gladio, vel imperio tuo effudisti. Nam τὸ *de manu bestiarum*, referunt hi, non ad *requiram*, sed ad *sanguinem vestrum*. sed hoc durum & penè violentum est. *Quinta & genuina.* Quintò, optimè & planissimè idem Abulensis & Oleaster sic exponunt, q. d. Puniam bestias, si illæ hominem occidant. Patet id Exodi 21. 28. vbi Deus iubet bouem (& à pari quamuis aliam bestiam) homicidam lapidari.

Citati à reis iudices, ad tribunal Dei sistere se coacti. Rursum ex hac Dei sanctione & promissione hîc data, sæpè fieri solet, quòd ipse preces & vota eorum qui iniustè damnantur, vel trahuntur à principibus aut iudicibus ad mortem, exaudiat: & præsertim, vt, si rei & damnati suos iudices in causa iniusta, vel etiam dubia, citent ad tribunal Dei, ipse iudices mori, & se suo iudicio causam dicturos non rarò, etiam intra condictum à reis tempus, sistere cogat. *Exemplum Primum in Dauide.* Ita Dauid multiplici iniuria & violentia per Saulem afflictus, ac penè oppressus, illum coram Deo citans exclamat: *Iudicet Dominus inter me & te: & vlciscatur me Dominus ex te*, &c. Nec vana fuit hæc prouocatio: quando paulò pòst hic à Philistæis acie victus, & sagittis vulneratus, ne in manus eorum viuus incideret, proprio se ferro transuerberauit.

Secundum in Zacharia. Secundò, adhuc euidentior est hæc Zachariæ pontificis, cùm ingratissimi regis Ioas præcepto, in atrio templi lapidaretur, ad diuinum iudicium appellatio, *Videat Dominus, & requirat*: quoniam suo euentu non caruit. Anno namque vix exacto, & principes regij qui huic iniuriæ consenserant, gladio Syrorum trucidati, & rex magnis cladibus afflictus, in lectulo à suis multis vulneribus confossus, simul cum aulicis ad diuinum tribunal raptus est, dicturus de proprijs factis rationem.

Tertium in Machabæis. Tertiò, septem fratres Machabæi pro patrijs legibus, ab Antiocho omni diritate & crudelitate vexati, eidem non obscurè diem coram Deo dicebant, inquientes: *Dominus Deus aspiciet veritatem*, &c. *Videbis magnam potestatem Dei, qualiter te & semen tuum torquebit*, &c. *Tu non effugies manum Dei*, &c. Nam appellationes istas de cælo efficaces sentiens, manifesta Dei vltione perijt.

Quartum ex Apocalyp. 6. Quartò, non modò Paulus de Alexandro ærario conqueritur dicens, *Reddat illi Dominus secundùm opera sua*; verùm & beatorum Martyrum animæ ad eundem, contra suos oppressores vociferantur: *Vsquequò Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Differtur autem tantùm, non damnatur hæc eorum prouocatio. Quin etiam Christus ipse ab iniurijs Iudæorum, ad Patris iudicium appellans, ait: *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat & iudicet*. Ab his sacris diuinisque testimonijs nunc ad graues planeque memorabiles historias accedamus.

Quintum Quinto igitur loco, Nauclerus & Fulgosius referunt, Fernandum Legionis & Castellæ regem, *de Fernando rege.* duos nobiles ex Caruaialiorum familia, de proditione sibi suspectos, sed inauditos, præcipiti iudicio, de altissima rupe deturbari iussisse. At illi præclusam sibi defensionem, & præsentem mortem cernentes, Christo æquissimo iudici causam suam commendarunt, & ad eius tribunal intra trigesimum diem Fernandum regem citauerunt. Nec inanis fuit eorum prouocatio; quoniam trigesimo pòst die, morte percussus, coram diuino iudice euocatus fuit.

Sextò, scribit idem Fulgosius, equitem Neapolitanum cum reliquis Templarijs confratribus *Sextum de equite Templario.* suis ad supplicium raptum, ad Clementem VI. & Philippum Pulchrum Franciæ regem, quorum auctoritate necabatur, de fenestra prospectos, exclamasse. Quando mihi inter mortales nullus iam superest, ad quem appellem; ad iustum iudicem Christum, qui nos redemit, appello, vt ante eius tribunal intra annum & diem vos sistatis, vbi causam meam exponam. intra annum verò vterque, rationem Deo redditurus, mortuus est.

Septimò, auctor est Ioannes Pauli, Rudolphum Austriæ Ducem, Equitem auratum damnasse, vt sacco inclusus mergeretur. *Septimum de Rudolpho Austrio.* Eques autem conspecto priùs Duce, exclamauit; Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal intra annum te voco. Ille irridens respondit: Benè, præito; ego tum adero. Exacto tempore incidens in febrim, appellationis recordatus, seruis dicit, Tempus mortis meæ instat, ad iudicium eundum. & statim obijt.

Octauò, ex historijs Britanniæ Armoricæ recitat Æneas Syluius, Franciscum illius Ducem, fratrem suum Ægidium læsæ maiestatis falsò accusatum, in carcere necasse. *Octauum de Francisco Armorica Duce.* Hic paulò ante mortem conspecto Franciscano, adiurauit eum, vt ad fratrem Ducem renuntiaret, quatenus intra quadragesimum diem ad Dei tribunal se sisteret. Franciscanus abiens ad Ducem in finibus Normanniæ, fratris mortem & appellationem denuntiat. Dux territus, ilicò malè habere cœpit, & crescente in dies morbo, ad condictum diem expirauit.

ET DE MANV HOMINIS, DE MANV VIRI, ET FRATRIS EIVS] Tria, inquit Delrio, inculcat homicidæ epitheta, quæ eius culpam aggrauant. Primò, vocat eum hominem, quem scilicet humanitatis memorem esse oportebat. Secundò, vocat eum virum, quem scilicet decebat iræ dominari, & robore ac potentia sua non abuti. Tertiò, vocat eum fratrem, quem scilicet fratri suo arctissimo amore coniungi, ac proinde eumdem defendere, non occidere oportebat. omnes enim fratres sumus in Adamo, & quisque in communi suæ tribus aut familiæ patriarcha, contribuli suo frater est: quomodo Iudæi (quibus maximè hîc loquitur Moses) fratres erant in Abrahamo.

QVICVMQVE EFFVDERIT HVMANVM SANGVINEM, FVNDETVR SANGVIS ILLIVS] *Fundetur*, id est, fundi debet, æquum & iustum est vt fundatur, dignus est vt fundatur eius pariter sanguis, putà per sententiam & condemnationem iudicum, vt habet Chaldæus. Deus enim tam hîc quàm Exodi 21. 12. & Matth. 26. 57. lege talionis, tulit in homicidas sententiam mortis, quæ omnium gentium vsu recepta est. Nota hoc contra Anabaptistas, qui magistratibus ius gladij in nocentes adimunt. VERS. 6.

Secundò, *fundetur*, scilicet ordinariè reipsa, vt de facto occidatur homicida, vel per iudicem, vel per *Homicidas Dei vltio persequitur ad necem.*

per rixam latrones, ruinas, incendia, aliósve simi- A les casus. Deus enim hîc spondet se necatorum fore vindicem, & homicidas talione mulctaturum varijs vitæ infortunijs. Id ita esse, experientia constat, qua videmus homicidas persequente eos numine, miris casibus, non naturali, sed ferè violenta morte occumbere. Exempla mira hac de re afferam Deut. 21. v. 4.

Nota. Pro *humanum sanguinem*, hebraicè est דם האדם באדם *dam haadam baadam*, sanguinem hominis in homine: vbi τὸ *in homine* variè à varijs exponitur. Septuag. sic vertunt, *pro hominis sanguine fundetur sanguis illius*. Secundò, Oleaster *in homine*, inquit, id est, per hominem. Tertiò, Caiet. vertit, *in hominem*, id est, inquit ipse, in hominis iniuriam & contumeliam. Quartò, facillimè & planissimè Abulensis, *in homine*, inquit, id est intra hominem, B vel in homine existentem sanguinem: vt sit pleonasmus, quem proinde noster Interpres tacuit & omisit.

Ad imaginem quippe Dei factus est homo] q. d. Si non mouet te natura communis, moueat saltem imago mea: homo enim est imago mea vide ergo ne eum occidendo, cælestis regis viuam imaginem demoliaris, inquit S. Chrysost. itaque non tam homini, quàm Deo ipsi sis iniurius.

Aliter noster Salazar in Prouer. 1. v. 16. *Per hominem*, inquit, *fundetur sanguis illius*, id est per magistratum publicum: huic enim soli in vitam subditorum licet. Causam subdit: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*, id est homo ille cui magistratus delatus est, expressa imago & simulacrum Dei existit, & ipsius vices agit, personamque illius repræsentat, atque inde in illum ea potestas & licentia in C subditorum vitas deriuatur, quæ aliàs Dei propria est: Vt nimirum ipse non aliter contra improbos & sceleratos capitis sententiam ferre possit quàm Deus, cuius sustinet personam.

Vers. 7. Vos autem crescite] q. d. Videtis me hac vetatione homicidij, velle consulere generis humani propagationi: illi ergo, hoc præsertim renouati mundi tempore, in tanta hominum paucitate incumbite, ac crescite & multiplicamini. ita Rupert. cuius allegoriam vide l. 4 c. 34.

Ingredimini super terram] Hebraicè שרצו בארץ *scirtsu baarets*, prolificate, & multiplicamini in terra instar piscium, ranarum, aliorumque reptilium (horum enim mira est fœcunditas, fœtura & prolificatio; & hoc significat Hebræum *scarats*) vt nimirum quàm citissimè per vniuersam D terram ingredi, vosque spargere, eamque occupare & replere possitis.

Vers 9. Ecce ego statuam] Hebraicè est מקים *mekim*, statuens, id est statuo. iam enim de facto Deus in præsenti statuit & sancit hoc fœdus & promissionem, de non inducendo ampliùs in terram diluuio, cum Noe & hominibus. vnde mox v. 12. fœderis huius signum, putà iridem, reipsa assignat. Nota, fœdus hoc, non esse fœdus contrahentium, in quo vtraque pars ad certas fœderis conditiones inuicem sese obligat & obstringit (nec enim in hoc fœdere se Noe Deo, sed Deus solus ipsi Noe se obligat:) sed fœdus hoc esse merã Dei promissionem. hæc enim hebraicè rectè vocatur ברית *berit*.

Vers. 11. Neque erit deinceps diluuium] scilicet vniuersale. vnde sequitur, *dissipans terram*, scilicet vniuersam. nam post diluuium hoc generale, fuit diluuium particulare, sed celebre, Ogygis in Græcia, tempore Iacob patriarchæ; & post hoc fuit diluuium Deucalionis in Thessalia, tempore Mosis. ita Orosius, Eusebius, & alij in chronicis. *Diluuium Ogygis & Deucalionis.*

Hoc est signum foederis quod do inter me et vos] Sicut ergo Deus hîc in præsenti sancit fœdus cum Noe, ita & in præsenti fœderis signum, putà iridem, producit & assignat. Vers. 12.

In generationes sempiternas] per omnes generationes, quamdiu generationi generatio succedet, vsque ad consummationem omnium generationum sæculi, putà vsque ad diem iudicij. hæ enim generationes dicuntur sempiternæ, non absolutè, sed respectiuè, scilicet respectu Noe & posterorum eius, cum quibus Deus fœdus hoc init. Significat ergo Deus, hoc fœdus sempiternum fore, id est tamdiu duraturum, quamdiu durabunt generationes, quibus propagentur posteri Noe, cum quibus & pro quibus hoc fœdus initur. vnde Hebræum לדרות עולם *ledorot olam*, verti potest, In durationes sæculi, putà quamdiu durabit hoc sæculum, hic mundus, hæc vita in terris.

Ex hoc ergo loco, non est damnanda (an vera, an falsa sit, non disputo hîc) illa quorumdã Doctorum sententia, qua censent, post diem iudicij fore vniuersale diluuium, quo rursum tota terra aquis cooperiatur, sicuti ijs initio mundi cooperta fuit. nam hæc promissio Dei de non inducẽdo ampliùs diluuio, tantùm extenditur vsq; ad generationes huius sæculi, putà vsq; ad diem iudicij, nõ vlteriùs.

Arcum meum ponam in nubibus, et erit in signum foederis] Arcus hic est iris, vti omnes Patres docent, præter S. Ambros. lib. de Arca & Noe c. 27. qui arcus huius sensum non literalem, sed tropologicum more suo assignat. Vers. 13.

Nota. Deus arcum, putà iridem, vocat suam; quia iris est pulcherrima, Deique opificis pulchritudinem & magnificentiam nobis repræsentat. vnde de ea dicit Ecclesiast. c. 43. v. 12. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè speciosus est in splendore suo, gyrauit* (cinxit) *cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.* Hinc Plato in Theæteto iridem, Thaumantis filiam, propter admirationem, dictam censuit.

Nota Secundò, contra Alcuinum & Glossam, ante Noe & diluuium fuisse iridem. Est enim naturalis eius generatio & causa, scilicet reuerberatio radiorum solis in nube rorida. Cùm ergo hæc fuerit ante diluuium; æquè vt nunc, sequitur & iridem fuisse ante diluuium. *Ante diluuium fuit iris.*

Dices, Quomodo ergo ait hîc Deus in futuro, Arcum meum ponam, non autem, Posui, in præterito? Respondeo, In Hebræo est præteritum נתתי *natatti*, dedi, posui, id est, do, pono, & dabo, ponam iridem, non absolutè vt existat, sed vt sit in signum fœderis, quod Deus hîc init cum Noe. Fuit ergo iris ante diluuium, signum naturale nubium roridarum, & consequenter futuræ pluuiæ. vnde Ouid.

Concipit iris aquas, alimentaq; nubibus affert.

Iul. Scaliger exercit. 80. docet iridem matutinam portendere pluuias, vespertinam verò serenitatem. Rursum Aristot. l. 5. Histor. animal. c. 22. tradit iridem multum conferre ad generationem mannæ, siue mellis aërij. Adhæc aspalathum, aliasque herbas odoratiores fieri per iridem tradit Plinius lib. 12. c. 24. *Est*, inquit, *aspalathus spina candida, magnitudine arboris modica, flore rosa, radice vnguentis expetita.* *Iris iuuat mannam & plantas.*

expetita. Tradunt in quocumque frutice curuetur arcus A *caelestis, eamdem quæ sit aspalatho, suauitatem odoris existere: sed in aspalatho inenarrabilem quandam.* Idem l. 17. c. 5. *Terra, inquit, cùm à siccitate continua immaduit imbre, & in quam arcus caelestis deiecerit capita sua, tunc emittit illum suum habitum diuinum, ex sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit.* Post diluuium verò, & post hoc pactum Dei cum Noe, iris à Deo instituta est in signum supernaturale huius pacti, de non futuro deinceps diluuio.

Iris ponitur in signum supernaturale diluuij deinceps prohibendi.

Nota Tertiò, apposité hoc signum non futuri diluuij esse iridem, ponique in nubibus: quia ex nubibus aquæ diluuij delapsæ sunt, & ex ijs rursum metui posset diluuium. vnde ne id metuamus, contrarium in iisdem nubibus ponit Deus hoc iridis signum. Addit D.Thom. quodlib. 3. a. 30. & Abulens. hîc q. 7. itidem naturale signum esse, quòd proximè non sit futurum aquarum B profluuium, vt ex eo fiat diluuium. quia ad hoc opus est, multas & crassas esse nubes, quæ in magnam pluuiam resoluantur: illæ autem repugnant iridi. Iris enim oritur in nube, non crassa & densa, sed rorida, opaca & concaua, ex radiorum solis oppositi reflexione.

Nota Quartò. Auctor historiæ Scholastic. in librum Genes. c. 35. *Tradunt, inquit, Sancti, quòd quadraginta annis ante diem iudicij, non videbitur arcus caelestis:* quia scilicet tunc summa erit siccitas, qua mundus præparabitur ad conflagrationem, quæ fiet sub diem iudicij. Sed hæc traditio friuola & falsa est, falsoque attribuitur sanctis Patribus. Si enim tanta tunc foret siccitas, homines, animalia & plantæ ex ea interirent, cuius contrarium nos docet Christus Matth. 24. 38.

Iris symbolum est clementia Dei, ob tres analogias.

Symbolicè & mysticè, S.Ambros. lib. de Arca C & Noe cap. 27. Iris, inquit, est clementia Dei, quæ quasi arcus contentus, sed carens sagitta, per aduersa quæ immittit, magis terrere nos vult, quàm ferire; vt vitia corrigamus, itaque sagittas vindictæ euadamus, iuxta illud psal. 59. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* vbi vide S.August. & S.Gregor. lib. 19. Moral. sub finem. Vnde S.Ioannes Apoc. 4. v. 3. vidit thronum Dei circumdatum iride, id est misericordia. iris enim tempore Noe pacis, reconciliationis & fœderis inter Deum & homines fuit signum, fuitque iris εἰρήνη, id est pax, ait Ticonius homil. 2. in Apocal. quæ extat tom. 9. S.Augustini. Secundò, iris versicolor recreat, & imbres varios in terram effundit: idem facit Dei misericordia. Tertiò, sicut iris est semicirculus, in nostro hemisphærio tantùm apparens: ita & Dei misericordia tantùm ap- D paret in hac vita, iustitia verò in altera.

Alleg. Iris est Primò, lex Euangelica; Secūdò, baptismus;

Allegoricè, iris signum est Primò, legis Euangelicæ. hæc enim affert gratiam, & remissionem & gloriam. ita Rupert. qui tamen perperam putat, hunc sensum hoc loco esse litteralem. Secundò, iris cùm sit aqueo & igneo colore, signum est baptismi Christi, qui fit per ignem & aquam, Matth. 3. v. 11. ita S.Gregor. homil. 8. in Ezechiel. Tertiò, iris est Verbum incarnatum, & carne velatum, siue est ipsa caro Verbi. Primò, quia, sicut sol in nube irradians facit iridem: ita Verbum in carne irradians fecit Christum. Secundò, quia, sicut iris pacis fuit symbolum tempore Noe: ita & incarnatio Christi fuit reconciliatio mundi. Tertiò, duo cornua iridis, sunt duæ naturæ Christi, diuina scilicet & humana, quarum chorda occulta & inuisibilis, est arcana vnio hypostatica. Quartò, in iride triplex est color: ita & in Christo. Christus enim fuit cæruleus, id est cælestis, per orationem assiduam; fuit & viridis per florem gratiarum & virtutum; fuit denique rubicundus per sanguinem suum in cruce. Quintò, ab hoc arcu emissæ sunt occultæ sagittæ amoris, quibus confixa & vulnerata sponsa cantabat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Sextò, iris hæc imbrifera fuit, quia dedit in pentecoste orbi prædicationis & doctrinæ cælestis abundantiam, quasi pluuiam. ita Ansbertus in Apoc. 4. v. 3. Cui adde Septimò, iris quæ est semicirculus, significat Christum de cælo descendentem ad terram, & rursum è terra remeantem ad cælos. Denique significat regnum Christi, quod in hac vita semiplenum est & imperfectum; sed in cælis complebitur hic circulus, putà regnum Christi, dominans omnibus in omnem æternitatem.

Tertiò, iris est Verbum carne vestitum ob septē analogias.

Tropologicè, tres colores iridis significant virtutem purgandi, illuminandi & perficiendi, quam à Deo & angelis participant sancti Doctores. Secundò, color cæruleus est fides, viridis est spes, rubicundus est charitas, quas iris, id est Dei misericordia, depluit in homines, vt docent Viegas, Ribera, Perer & alij in Apoc. 4. v. 3.

Tropol. tres colores iridis sunt fides, spes, charitas.

Anagogicè, iris quæ colore est aqueo & igneo, signum est vti diluuij facti, ita & conflagrationis mundi futuræ. ita S.Gregor. homil. 8. in Ezech. Rursum, iris quæ formam habet arcus, itaque belli speciem ostentat, significat iudicium vniuersale, inquit Richard. Victor. in Apoc. c. 4. in quo virebunt iusti per gloriam æternam; sed rubebunt impij per ignem gehennæ. Duo iridis cornua sunt misericordia, & veritas siue iustitia. hinc Christus iudex pingitur insidere iridi: sedebit enim in nube gloriosa, qualis est iris.

Anagog: iris significat diem iudicij, in quo Christus sedebit in iride.

ET VIDEBO ILLVM (arcum, putà iridem) ET RECORDABOR FOEDERIS] Ergo & nos vicissim quoties videmus iridem, recordemur diluuij & cataclysmi, qui orbem & peccatores perdidit; recordemur & pacti diuini, Deoque nostro pro hoc pacto gratias agamus, illi grati & obsequentes simus. Denique dicamus, Si tam speciosa & varia est iris, quàm speciosus & varius est Deus Deique domus? VERS. 16.

PORRO CHAM IPSE EST PATER CHANAAN] Meminit hîc Moses Chanaan, vt viam sibi sternat ad maledictionem Chanaan, qua propter Cham patrem à Noe mulctatus est v. 25. Addit Secundò, S.Chrysost. Cham solum intemperantem in arca, tempore diluuij genuisse Chanaan, ideoque eius hîc mentionem fieri. Verùm alij omnes contrarium docent: imò ipsa S.Scriptura docet octo tantùm animas (putà Noe cum tribus filijs, & singulorum vxoribus) per arcam saluatas esse, 1. Petri 3. v. 20. Rursum Chanaan natum esse post diluuium, docet ipse Moses c. 10 v. 1. & 6. VERS. 18.

An Chanaan natus in arca?

In egressu ergo Noe ex arca, de quo hic loquitur Moses, necdum ex Cham genitus & natus erat Chanaan: dicitur tamen Cham pater Chanaan, quia ex Cham nasciturus erat, & tempore Mosis, qui hæc scribit, iam natus erat Chanaan & Chananæi, quos Hebræi ex Sem oriundi subegerunt & vastarūt. q.d. Ex Cham natus est Chanaan, tamquam mali corui malum ouum. quî enim Cham bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, atque naturæ & eruditionis degener

Quid Cham pater Chanaan?

extiterat? ita S.Ambrof.& Theodoret. Vnde & Chami irrifio, qua patrem Noe irrifit, punita fuit in Chanaan filio, dum eius posteri Chananæi feruitute & vastitate à Iofue & Hebræis,qui fuerunt posteri Sem, mulctati funt. ita S.Ambrof. lib. de Arca & Noe,c.28.vbi myfticè,Cham,inquit,id eft calor,pater eft Chanaan,id eft turbationis,aut potiùs contritionis & confractionis: qui enim calet, continuò mouetur & perturbatur, omniaque perturbat & confringit.

VERS. 19. TRES ISTI FILII SVNT NOE, ET AB HIS DISSEMINATVM EST OMNE GENVS HOMINVM] Errant ergo, qui plures quàm tres, numerant filios Noe,vt Berofus Annianus & chronica Germaniæ, quæ Tuifconem, à quo oriundi funt Teutones & Germani,afferunt filium fuiffe Noe.Rurfum,Noe post diluuium triginta alios genuiffe filios, eofque ex Titæa vxore vocaffe Titanas. Ex hoc loco ergo videtur Noe post diluuium iam fractus & fenex, vtque meliùs vacaret Deo, veneris pertæfus, abftinuiffe vfu coniugij, ideoque nullas alias genuiffe proles.ab hifce enim tribus omnes homines prognati funt.Contrarium fentit Caietan.& Torniellus, fcilicet Noe post diluuium alios genuiffe filios,à quibus quoque gentes propagatæ fint: hos tres tamen folos hîc nominari,quòd illi huius diffeminationis in gentes illuftriores fuerint principes,& capita primariarum gentium.Verùm prius quod dixi, conformius eft verbis Scripturæ, quæ vix alium patiuntur fenfum: clarè enim fic habent, *Ab his diffeminatum eft omne genus hominum fuper vniuerfam terram.*

Tuifco non fuit filius Noe.

Noe post diluuium continens.

VERS. 20. COEPIT NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM] Hebraicè eft נֹחַ אִישׁ הָאֲדָמָה *noach is haadama*, cœpit Noe effe vir terræ,id eft cœpit Noe effe agricola,cœpit post diluuium terram iam ficcatam colere & exercere. q.d. Redijt Noe ad agriculturam, qua ante diluuium vfi funt homines, iuffu Dei Genef.2.v.15. & c.3.v.17. idque diligentiùs quàm ante diluuium: quia diluuium fua falfedine, acrimonia, penetratione & inundatione primæuam terræ pinguedinem & bonitatem exfuxerat & abluerat. Vnde Perer. Delrio,& alij opinantur, Noe inueniffe aratra,ijfque per equos & boues attractis, vomere terram profcidiffe, cùm antea fuis manibus & ligonibus homines terram foderent & colerent.

Vide hic Noe patriarcham agriculturæ vacantem. Sic agricola fuit Sem, Iaphet, Ifaac, Iacob, Efau,Mofes,Booz, Gedeon: denique totus populus Ifrael colebat agros, donec regem peteret, & Samuel iuffu Dei ei diceret, quòd rex agros, vineas,olíueta optima tolleret, & daret ea feruis fuis; fed & fegetes eorum addecimaret, 1.Reg.8. Saul paftor fuit afinorum,Dauid ouium. Elias Elifæum ab aratro vocauit,& prophetam creauit.Si Pontificum vitas excutias, plures reperies agricolarum filios,vti fuere Siluerij,Adriani,Siluestri,&c.

Mor. de agricultura dignitate & fructu.

Cyrus Perfarum rex,prifcique imper.Romani agricolæ fuerunt. vnde Fabij,Lentuli,Pifones,Cicerones, Vitellij, Porcij, Seruij, Appij, Scrophæ, agricolarum nomina, triumphali dignitate honorata funt. Audi Valer. Max. *Illi etiam praditiores,qui ab aratro accerfebantur, vt confules fierent, voluptatis caufa fterile atque æftuofiffimum Pupiniæ folum verfabant, deliciarumq; ignari, vaftiffimas glebas plurimo cum fudore diffipabant. Imò verò quos pericula reip. imperatores afferebant, anguftia rei familiaris bubulcos fieri coëgit.* Romulus & Remus, Diocletianus, Iuftinus,Reges & Imperatores, æquè ac paftores & agricolæ fuerunt.

Arcades mortalium omnium antiquiffimos fe venditantes, paftores & agricolas fuiffe hiftoriæ teftantur. audi poetam:

Pan (Deus Arcadiæ) *curat oues ouiumq; magiftros.*

Græci Protea & Apollinem paftorem Admeti regis Theffaliæ fuiffe fatentur, vnà cum Mercurio & Argo.

Phrygij, paftores Paridem, Priamum, Anchifen, aliofque agnofcunt. Numidæ, Georgi, Scythæ,Nomades hanc vitam volunt,non aliam. Regum cura occupata fuit non folùm agriculturæ exercitio, fed libris etiam quafi artem complexi funt,vt Hiero, Mithridates, Philometor, Attalus, Archelaus;& duces vt Xenophon,Syllanus,Cato, Plinius,Terentius Varro. A villa in fenatum vocatus eft Curius, alijque fenes. Attilium vocantes ad imperium Rom.eum femen fpargentem inuenerunt. Nec fuit eis rubori eburneo fcipione depofito, parta victoria & pace,ad ftiuam aratri reuerti. Agriculturæ enim exercitium Primò, eft à natura & à Deo inftitutum; Secundò, magnam habet amœnitatem; Tertiò, fanitatem tuetur, & corpus roborat; Quartò, fruges & fructus procurat; Quintò, valet ad meditationem cæli, fiderum, pluuiæ, arborum, aliarumque rerum naturalium. Sextò, valet ad contemplandum colendumque Deum. inde prifca fefta,Cerealia, Floralia, Vinalia,Sementina,Agnalia,Palilia,Chariftia,&c.

ET PLANTAVIT VINEAM] Nota,vitem ante diluuium fuiffe. vnde enim aliàs eam habuiffet Noe? fed hucufque vitis videtur filueftris, inculta, & hinc inde fparfa fuiffe, ex eaque non vinum expreffiffe homines,fed tantùm vuas comediffe.Noe verò arte vitem excoluit,plantauit,in vineta diftribuit, & primus ex vuis vinum expreffit. nam nefciens vim vini, vtpote antea non vifi, nec cogniti, ex eo inebriatus eft.ita S.Hieron. l.1.contra Iouin.

Noe non inuenit vitē, fed vinum.

Notat S.Chryfoft.Noe ex vite vinum expreffiffe,vt eo fuum & aliorum hominum post diluuium mœrorem, labores & infirmitatem leniret & roboraret: vinum enim roborat & lætificat cor hominis. Atque hinc Berofus Annianus cenfet, Noe eundem effe cum Iano, dictumque effe Ianum, id eft vitiferum, vel potiùs viniferum, ab Hebræo יין *iain* vel *ien*,id eft vinum. hinc & Ianus pingitur bifrons: quia Noe vidit tam fæculum quod erat ante diluuium, quàm quod fuit post illud. vnde Ouidius 1.Faftor.

Ianus,id eft vinifer putatur effe Noe,cur bifrons?

Iane biceps anni tacitè labentis origo,
Solus de fuperis qui tua terga vides.

Appofitè gefta Romanorum fymbolica, fymbolicè fingunt, Noe mifcuiffe viti & vino fanguinem quatuor animalium, putà fimiæ,leonis, porci, & agni: quia vinum inebriat, & ebrios alios facit motiones quafi fimias; alios pugnaces & crudeles quafi leones;alios lubricos & fœdos quafi porcos; alios mites,blandos& pios quafi agnos.

Noe mifcuit vino fanguinem fimiæ, leonis, porci, & agni.

BIBENSQVE VINVM INEBRIATVS EST] Ebrietas hæc Noe non fuit peccatum, faltem mortale: quia nefciens vim vini,& inexpertus, illud largiùs bibit. ita S.Chryfoft. & Theodor. Perperam ergo Caluinus & Lutherus ebrietatem hanc tribuunt intemperantiæ Noe, quæ erat inexperientiæ. Aliter nonnulli, q.d. Inebriatus, id eft exhilaratus

VERS. 21.

Noe ebrietas fuit venialis.

ratus est. Vnde S.Ambros. iuxta Septuag. *Non dixit,inquit, vinum bibit, neque iustus vinum ebibit, sed de vino,hoc est de eius potione,libauit. Ebrietatis itaque species gemina est,vna quæ titubationem corpori afferat, atque eius supplantet vestigia, sensumq; perturbet: altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, & omnem infirmitatem videatur auertere, de qua psal.22. Et calix meus inebrians quàm præclarus est.*

Vide hîc & admirare priscorum abstinentiam: omnes enim à condito mundo vsque ad diluuium per 1600. annos, vino æquè ac carne abstinuerunt,ideoque valdè longæui ac sapientes fuerunt.vixerunt enim ad 900.annos.

Moral. abstinentia prodest sanitati,

Vbi Nota Primò. Abstinentia plurimum prodest: Primò, sanitati & longæuitati; consumit enim noxios humores, spiritusque vitales purificat & exacuit.Secundò,castitati & virtuti;subtrahit enim nimium sanguinem, succum & spiritus, B qui venerem, iram, aliasque passiones fouent & suscitant.

& castitati,

& sapientiæ.

Nota Secundò. Sobrietas naturaliter confert ad scientiam;tum quia sanitatem tuetur, & vitam prolongat;tum quia caput facit serenum, spiritusque animales facit liberos & puros, aptosque ad speculandum & meditandum: tum quia anima (quæ vna est in homine,eademque simul est vegetatiua, sensitiua, & rationalis) limitatæ est virtutis & actiuitatis, ideoque quo minùs occupatur cibo cibique concoctione, digestione & egestione; eo magis intendere potest & solet studio & contemplationi,in eamq; totam vim suam exserere. Hinc Salomon Ecclesiast.2. *Cogitaui,inquit, in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animam transferrem ad sapientiam, deuitaremq; stultitiam.* & Isaias cap.28. *Quem docebit scientiam,& quem intelligere faciet auditum?ablactatos à lacte,auulsos ab vberibus.* C

Exempla fidelium.

Ita abstinentes Enos, Henoch, Mathusalem, Noe,sapientissimi fuerunt. Noe enim totius mundi fuit reparator, instructor & gubernator. Ita Nazaræi & Rechabitæ à sapientia, æquè ac abstinentia commendantur. Ita Moses & Elias ieiunio 40.dierum sapientiam, & visionem Dei meruerunt. Ita Iudith, Esther, Machabæi sapientiam illam & fortitudinem, qua Holofernem, Aman & Antiochum prostrauerunt, adepti sunt. Ita Ioannes Baptista abstinentia quasi angelus euasit. Ita Paulus primus Eremita,Antonius, Hilarion,& tot Anachoretarum & Monachorum examina vitam,quasi angeli terrestres,in abstinentia,contemplatione & sapientia longæuam duxerunt, vixeruntque centum & ampliùs annos. Ita cœnobitæ olim,teste S.Hieron. perpetuò ieiunabant,aquam D bibentes, & solum panem cum leguminibus & oleribus manducantes.

Gentilium.

Audi & Gentiles. Tradit Xenophon, antiquos Persas ad panem nihil nisi nasturcium adhibere solitos,tumque floruerunt sapientia & virtute bellica, orbisque imperium tenuerunt per 200. annos,scilicet à Cyro ad Darium, qui per delicias & vina,imperium cum vita perdidit.

Chæredemus Stoicus tradit, priscos Ægypti sacerdotes carne, vino, ouis & lacte semper abstinuisse,idque vt puriùs, intentiùs & acriùs diuinis rebus vacarent, ardoremque libidinis restinguerent. Atque hi Ægypti fuerunt sapientes & Astrologi.Esseni apud Iudæos vino & carne sibi interdicebant,totique orationi & studio sacrarum Litterarum vacabant, de quibus mira narrat Iosephus, A Philo & Plinius; quinimò Porphyrius in libro de Abstinentia ab esu animalium,asserit plerosque ex eis diuino afflatos spiritu vates exstitisse. Eubulus refert apud Persas tria fuisse Magorum genera; quorum primum (qui maximè sapientes & eloquentes existimabantur) præter farinam & olera nihil esitabant. Bardesanes Babylonius tradit, Indorum Gymnosophistas solis arborum pomis, oryza & farina viuere. Euripides in Creta Iouis vates, carne & coctis omnibus abstinuit. Socrates virtutis studiosos hortabatur, vt abstinentiam colerent,& delicias veluti Sirenes respuerent;ideoq; rogatus qua re ab alijs hominibus differret,ait, *Alij viuunt vt edant;ego verò edo vt viuam.* Isæus Assyrius, teste Philostrato, interrogatus, quænam essent epulæ suauissimæ,respondit,*Ista curare desij.* Xenocrates tria tantùm præcepta in templo Eleusine mansisse dixit, scilicet Primò, venerandos esse deos;Secundò,honorandos esse parentes; Tertiò, abstinendum esse à carnibus. Plinius ait vinum esse cicutam hominis: & Seneca ait ebrietatem esse voluntariam insaniam. Epicurus, licet voluptatis patronus, asserit ad iucundè & suauiter viuendum,tenuitatem victus conferre plurimùm. Et in epistolis suis testatur,se aqua tantùm & pane vesci solitum. De abstinentia Pythagoræ, Antisthenis, Diogenis, Apollonij Thyanæi mira habet Laërtius, Plutarchus, & Philostratus. Plura vide apud S.Hieron. l.2. contra Iouinianum,& Plutarchum in duabus orationibus de esu carnium.

Vinum est cicuta. Ebrietas est voluntaria insania.

ET NVDATVS EST IN TABERNACVLO SVO] vti solent dormientes, & ebrij præ æstu disijcere tegumenta,seque nudare.ita Theodoret.

QVOD CVM VIDISSET CHAM, PATER CHANAAN] Tradunt Hebræi & Theod. hîc fieri mentionem Chanaan,eò quòd Chanaan puer,doli tamen capax(fortè enim 10. circiter erat annorum) primò viderit Noe auum suum nudatum,eumque irriserit,ac mox illud ipsum patri Cham renuntiarit,qui pueri petulantiam non repressit,sed probauit, patremq; fratribus suis ridendum proposuit. VERS.22.

Chanaan cum Cham irrisit Noe.

Notant hîc S.Basilius & Ambros. genium improborum,qui gaudent bonorum lapsus propalare. Addit Berosus Annij (penes quem sit fides) Cham fuisse magum,quodque inde dictus sit Zoroaster (idem habet Cassianus coll.8. c.21.) quòd ex odio quo patrem pium prosequebatur,eum irriserit, eumque magia sua sterilem deinceps effecerit: quòd docuerit homines congredi cum matribus,masculis & brutis,ideoque à Noe patre esse fugatum & eiectum.

OPERVERVNT VERENDA PATRIS SVI] *Ne paterna reuerentia vel ipso minueretur aspectu*, ait S.Ambros.lib.de Noe c.31.Additque ex Cicerone lib.1. Offic. *Vnde etiam Romæ vetus fuisse vsu dicitur, ne filij cum parentibus, & maximè puberes, intrarent lauacrum.* Ita Tropologicè tegenda esse parentum spiritualium, & Ecclesiasticorum peccata docet S.Gregor l.25. Moral. c.22. & suo exemplo docuit Constantinus Magnus in Concilio Niceno, dum chartas accusationum contra aliquos Episcopos sibi oblatas combussit, dictitans, *si Episcopi alicuius stuprum videret, facinus id se suo paludamento obtecturum,ne flagitij eius aspectus eos,qui ipsum cernerent,vlla ex parte læderet*:vti refert Theodor.l. 1.Histor. VERS.23.

Constantini pia sententia.

Allegoricè, S.August. lib.16. de Ciuit. c.2.& 7. Cham sunt Iudæi & hæretici. hi irrident Noe, id est Christum & Christianos.

Ex

VERS. 24. Ex vino] ex somno, in quem eum vis vini conieceret.

Cvm didicisset, quae fecerat ei filius suus minor] Vidit enim Noe euigilans se te-ctum pallio non suo, sed alieno, scilicet filiorum, Sem & Iapheth. causam ab eis quæsiuit: illi patri singula exquirenti mentiri non ausi, rem totam & Chami scelus pandunt, aliàs illud silentio pressuri.

Filivs svvs minor] scilicet Chanaan, inquit Theodor. qui filius, id est nepos, erat Noe: vnde mox Noe eidem maledicit. Verùm omnes alij filium hunc intelligunt Cham: huius enim scelus & impietas hîc punitur. Addit S. Chrysost. & incontinentia, quòd tempore diluuij in arca vsus sit coniugio, genueritque Chanaan. de qua re dixi v. 18.

Cham fuit medius filiorũ Noe. Nota. Cham fuit filius minor Noe, non quasi fuerit minimus omnium, vti aliqui volunt: sed quia fuit iunior Semo. fuit enim Cham senior Iapheto. Cham ergo medius fuit filiorum Noe. vnde v. 18. & alibi passim medius ponitur. ita S. August. l. 16. Ciuit. 1. & Eucherius.

VERS. 25. Maledictvs Chanaan] supple erit: quia Noe hæc non tam maledicendi, vel imprecandi animo dixit, quàm spiritu prophetico prædixit ea, quæ posteris filiorum suorum erant euentura. vnde explicans subdit: *Seruus seruorum erit.*

Nota. Per Chanaan hîc, Vatablus intelligit ipsum Cham, scilicet patrem impium ex filio impijssimo. vnde & Gennad. Diodorus & Origen. putant tunc, cùm hæc dixit Noe, necdum natum fuisse Chanaan. Verùm contrarium verius est, scilicet simpliciter hîc compellari ipsum Chanaan: causam ex Hebræis dixi v. 18. Vnde S. Ambros. lib. de Noe cap. 30. *Et pater*, inquit, *in filio, & in patre filius redarguuntur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoque commune consortium. Nec poterat fieri vt bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & natura, & eruditionis degener extitisset.*

Cur Noe maledicit solum Chanaan, non alios filios Cham. Nota Secundò. Alij filij Cham, putà Chus, Mesraim, Phuth hîc non maledicuntur à Noe, sed solus Chanaan: nam soli Chananæi, qui fuerunt posteri Chanaan, & æquè vt ipse impijssimi, leguntur excisi à posteris Sem, putà à Iudæis; vel eis seruijsse, vt patet in Gabaonitis, qui inter Chananæos dolo vitam ab Hebræis obtinuerunt, ea lege vt eis seruirent quasi vilissima mancipia. hoc enim significat τὸ *seruus seruorum*. ita Rupertus.

Aduerte, Mosen hæc omnia propter Chananæos, à Iudæis expellendos scripsisse. parat enim hîc viam suæ historiæ de expeditione & profectione Hebræorum in Chanaan, datque occasionem & causam, ex qua contigit, Dei voluntate, Iudæos per se & per Iosue occupare Chananæam; videlicet impietatem Cham & Chanaan, quam imitati sunt Chananæi, ideoque ex Chananæa sunt expulsi.

Hinc patet Tertiò, Cham & Chanaan hîc puniri in suis posteris, putà Chananæis, qui paternæ impietatis fuerunt imitatores & heredes. Vide hîc, quàm infelices sint ij, qui habent impios parentes & præceptores. Meritò Plato gratias agebat naturæ, siue Deo, Primò, quòd hominem; Secundò, quòd marem; Tertiò, quòd Græcum; Quartò, quòd Atheniensem; Quintò, quòd tempore Socratis, à quo instrui posset, se genuisset.

Moraliter S. Ambrosius, *Manebat*, ait, *ante vini* A *inuentionem omnibus inconcussa libertas; nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere: non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset.*

Servvs servorvm] id est seruus infimus & vilissimus. Nota, pœnam peccati esse seruitutem. hinc & serui facti & dicti sunt à seruando, quòd bello capti, cùm possent occidi quasi hostes & nocentes, ex quadam indulgentia in vita seruarentur serui, siue ad seruiendum. Rursum, qui noluit esse filius reuerens, punitur vt fiat seruus: iustum enim est, vt seruili subiectione prematur is, qui filialem, suauemque ac naturalem subiectionem, seu seruitutem, violare non erubuit.

Ridet Caluinus hîc Papam, quòd ex maledictione hac Chami, sumpserit sibi titulum, *seruus seruorum*. Sed errat: non enim Papa absolutè se vocat seruum seruorum, sed, vt rectè notat Rupert. B cum addito, *Seruus seruorum Dei*; idque facit ex pia animi submissione. non ergo ex impio Chamo hoc nomen sibi sumpsit Pontifex.

Benedictvs Dominvs Devs Sem] Est Hebraica metalepsis: ex consequente enim intelligitur antecedens, putà ex benedictione Dei intelligitur ipsa benedictio Sem. hisce enim verbis Noe, vti Cham maledicit, ita benedicit non tantùm Deum, sed etiam Sem & Iaphet. Sensus ergo est, q. d. Deus tanta benedictione & copia, tum frugum, tum sapientiæ, pietatis, religionis, gratiæ & cultus Dei cumulet Sem, eiusque posteros, vt quisquis eos viderit, benedicat Deum in Sem suosque tam liberalem, dicatque: Benedictus sit Deus, qui semper est Deus, Dominus, pater ac prouisor Sem eiusque posterorum, qui semper suis beneficijs ostendit, quòd sit Deus, tutor & cu- C rator Sem & suorum. ita Lipomanus, Caietanus, & alij. Hæc benedictio completa est in Iudæis, qui orti sunt ex Sem. Disce hîc, cum Noe, ad omnia bona & fausta, erumpere in laudem & benedictionem Dei. VERS. 26. Benedictio Dei redundat in Sem.

Nouem bona promissa filijs parentes honorãtibus. Moraliter rectè notat Perer. Ecclesiast. 3. nouem bona à Deo promitti filijs bonis, qui parentes honorant. Primum est opes, tum temporales tùm spirituales: *Sicut*, inquit, *qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam.* Secundum, quòd talis filius felix erit in suis pariter filijs: *Qui honorat patrem iucundabitur in filijs.* Tertium, quòd preces eius exaudiet Deus: *In die orationis suæ exaudietur.* Quartum, quòd longæuus erit: *Qui honorat patrem, vita viuet longiore.* Quintum, quòd stabilem habebit familiam & posteritatem: *Benedictio patris firmat do-* D *mos filiorum.* Sextum, quòd erit gloriosus: *Ex honore patris gloria filij*; siue quia pater honoratus reddit filios gloriosos; siue quòd filius honorans patrem, comparat sibi gloriam apud omnes. Septimum, quòd in tempore tribulationis ab ea liberabitur à Deo: *Eleëmosyna patris non erit in obliuione, & in die tribulationis memor erit tui.* Octauum, quòd peccata ei remittentur: *Sicut in sereno glacies, ita soluentur peccata tua.* Nonum, quòd à Deo benedicetur, id est omni bonorum copia cumulabitur: *Honora*, inquit, *patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.*

Dilatet Devs Iaphet] In Hebræo pulchra est allusio ex etymo nominis Iaphet, scilicet יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת *iapht elohim leiaphet*, q. d. *Dilatet Deus dilatatum*; S. Augustinus vertit, *latificet*; Caiet. & Eugubin. *condecoret*, vel venustum faciat Deus ipsum Iaphet. VERS. 27.

Nota,

Nota. Iaphet (quem Gentiles vocant Iapetum) deducitur à פָּתָה *pata*, id est suadere, pellicere, persuadere: sed in hiphil (vti hîc est) significat dilatare, vti vertunt hîc Septuaginta, Chald. noster Interpres, Vatabl. Mercerus, Pagninus, & alij. Iaphet ergo, non tam venustum quàm dilatatum significat. Frustra ergo se torquent Græci, qui Iaphet nomen Hebræum deducunt à Græco ἰάπτειν, id est, lædere, aut ab ἰᾶσθαι, id est mederi, aut ab ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι, id est emittere & volare. q.d. Emittat Deus, & volare faciat Iaphet per latitudinem terræ. Iam sensus est, q.d. Iaphet posteritas dilatet se, sitque plurima, ita vt latissimas & amplissimas occupet regiones, adeò vt diffundat se in sortem & habitationem posterorum Sem. Id ita contigisse patet ex c. sequ. & ex S. Hieron. hîc in Quæst. Hebr. atque ex Iosepho libr. 1. Antiq. 6. Ex quibus constat, posteros Iaphet occupasse Europam, & partem Asiæ Septemtrionalem ad Occasum vergentem, à Tauro & Amano monte vsque ad Tanaim: posteros verò Cham occupasse partem Meridionalem Asiæ, ab Amano & Tauro, scilicet Ægyptum, & partem Syriæ, atque totam Africam: posteros verò Sem occupasse Asiæ partem Orientalem, ab Euphrate vsque ad Indicum oceanum. vide Ariam Montanum in suo Apparatu, in Phaleg. siue de primis gentium originibus.

Iaphet siue Iapetus idē est quod dilatatus.

Sem Asiam, Cham Africam, Iaphet Europam occupauit.

Allegoricè, & præcipuè prophetatur hîc Ecclesia Gentium dilatanda, & coadunanda Iudæis in Christo & christianismo: nam ex Iaphet orti sunt Gentiles: ex Sem verò orti sunt Iudæi & Christus, qui primi habuerunt Dei templum, cultum, & Ecclesiam, in quam deinde Gentiles transtulit Christus, ex vtrisque faciens vnam Ecclesiam, eiusque amplitudinem & caput ex Sem, id est ex Ierusalem & Iudæis, in Iaphet, id est Romam ad Gentiles, transtulit. ita S. Hieron. Chrysost. homil. 29. & Rupert. l. 4. cap. 39. vnde ex Hebræo sic apposité vertas, *pelliciat*, vel *persuadeat Deus Iapheto* (Gentibus ex Iaphet oriundis) *vt habitet in tabernaculis Sem*, putà in Ecclesia Christi, qui ex Iudæis & Sem est oriundus. Est hîc ergo prophetia clara de vocatione Gentium ad Christum. Hebræum enim פָּתָה *pata*, propriè significat allicere, blandiri, persuadere.

Prophetia de vocatione Gentiū: hæ enim ortæ sunt ex Iaphet.

Et habitet in tabernaculis Sem] Aliqui, vt Theodor. Lyran. Abulens. hîc repetunt nomen, non *Iaphet*, sed Deus. q.d. Deus habitet in tabernaculis Sem. ita factum est: nam inter Semitas, putà Iudæos, habitauit Deus in tabernaculo & templo. Rursum ex Semitis natus est Christus Deus: ex ijs enim Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. vnde Chaldæus vertit, *& habitet diuinitas in tabernaculis Sem.* Chaldæum enim שְׁכִינָה *sechina*, significat requiem, quo nomine Hebræi præsentiam diuinitatis in tabernaculo, super arcam in propitiatorio habitantis & quiescentis significant. Hinc & *sechina* vocatur Spiritus sanctus, qui in Prophetis alijsque Sanctis requiescit, ait Elias Leuita. vnde ex Chaldæo ita quoque vertas, *& Spiritus sanctus, siue ipsa sanctitas, requiescat in tabernaculo Sem.*

Quid Chaldæum sechina.

Secundò aptiùs & veriùs, τὸ *habitet* referas ad *Iaphet*. nam Semum Deus iam antè benedixit: hîc ergo non Semum, sed Iaphetum benedicit. Iam per tabernacula Sem Delrio, Perer. & alij ad literam intelligunt Ecclesiam. Verùm quia hæc omnia ad literam spectant dilatationem & propagationem posterorum Iaphet: hinc potiùs ad literam, propriè dicta tabernacula hîc accipias, & per ea sensu allegorico (qui tamen literali hîc præualet, magisque quàm literalis, intentus est à Spiritu sancto) intelligas Ecclesiam, eo sensu quem dedi §. præced.

Vixit Noe post diluuium trecentis quinquaginta annis] Ergo cùm Abraham, vt patebit c. seq. natus sit anno 292. à diluuio, sequitur Abraham natum esse viuente adhuc Noe, & cum eo vixisse 58. annis. Vidit ergo Noe turrim Babel, vidit & omnes penè posteros suos corrumpere vias suas, & ad idololatriam deflectere: quantumuis ipse Noe, teste Epiphan. à suis filijs exegisset iusiurandum, de seruando vero veri Dei cultu, & mutua concordia. Vidit ergo Noe mundum plenum hominibus, ijsque impijs, vidit & ingemuit. Vers. 28.

Noe vidit Abraham.

Notandum enim hîc est, his trecentis annis post diluuium, miram hominum propagationem esse factam. Philo libr. Antiquit. Biblicar. tradit, Noe paulò ante mortem numerasse omnem suam sobolem, ex se proseminatam spatio 350. annorum, quibus vixit post diluuium, ac inuenisse filios & nepotes, per Iaphet ex se descendentes, centum quadraginta millia, ducentos & duos, præter mulieres & pueros. Ex Cham verò, ducenta quadraginta quatuor millia, & nongentos. Ex Sem verò pauciores numerat: sed videntur aliquæ ciphræ posterorum Sem deesse in eius codice. Omnibus ergo computatis, facilè vidit ex se progenitos homines ad nongenta millia, & amplius. Quantus hic filiorum & nepotum exercitus! quantus patriarcha Noe! Verùm liber ille dubiæ est fidei: tum quia Euseb. lib. 2. histor. c. 18. & S Hieron. lib. de Viris illustr. ac Bellarm. l. de Scriptor. Ecclesiast. vbi recensent opera Philonis, huius libri non meminerunt: tum quia stylus libri diuersus est à stylo Philonis: tum quia liber iste multis narrationibus apocryphis scatet. ita Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. in Philone, & ex eo noster Posseuinus. Numerus tamen quem ex eo recensui, credibilis est, imò iusto minor videtur. nam, vt ex Ctesia narrat Diodorus lib. 3. Ninus monarchiæ Assyriorum conditor (cuius 43. imperij anno natus est Abraham, ait Eusebius) habuit in exercitu suo peditum decies septies centena millia, equitum verò ducenta millia: ad hæc currus falcatos ad decem millia & sexcentos. Ex aduerso Zoroastres rex Bactrianorum, contra Ninum comparauit exercitum quadringentorum millium. En in vtroque exercitu erant tum vicies ter centena millia hominum, quos omnes videre potuit Noe pater omnium; tunc enim adhuc viuebat. Nec id mirum; tunc enim homines habebant plures vxores, & toti vacabant generationi.

Rursum Aduerte hîc, fidem & cultum Dei, ab initio mundi per annos 2108. propagari & tradi potuisse per manus trium hominum, scilicet Adam, Mathusalem, & Sem. nam Adam vidit Mathusalem, hic vidit Sem, Sem vidit Iacobum, qui natus est anno mundi 2108. qui fuit annus à diluuio 451. Sem enim vixit post diluuium 500. annis; vt patet cap. 11. v. 11. potuit ergo Sem videre Iacobum. Denique tradunt Hebræi, Noe cum Sem ex Armenia redijsse in veterem patriam, id est ad loca vicina Damasco, ibique condidisse regnum & pontificatum Salem, cumque tradidisse filio

Fides per tres homines propagata ad annos 2108.

filio suo Sem, qui alio nomine dictus sit Melchisedec. Sed cap. 14. ostendam, Sem non fuisse Melchisedec.

De Noe vita & morte ex Beroso. Addit Berosus Annianus l. 3 Noe, postquam arca consedit in montibus Armeniæ, ibidem habitasse, atque Armenos docuisse agriculturam, astrologiam, sacros ritus & cæremonias colendi Deum, ac denique multa secreta rerum naturalium; indeque profectum esse in Italiam, ibique docuisse homines tum pietatem, tum Physicam & Theologiam (quodque idcirco ab Italis appellatus sit pa- A ter deorum & anima mundi) ac tandem ibidem esse mortuum. Verùm Berosus hic Annij de suppositione suspectus est.

Symbol. S. Ambros. libr. de Noe cap. 32. *In trecentis annis Noe*, inquit, *crucem Christi significari certum est* (*Tau enim Græcis index trecentorum, formam habet crucis*) *cuius typo iustus à diluuio liberatus est. In quinquaginta, iubileus est numerus remissionis, quo Spiritus sanctus missus à cælo est, gratiam humanis pectoribus infundens. Perfecto igitur numero remissionis & gratiæ, iustus curriculum vitæ huius impleuit.*

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Catalogus filiorum & posterorum Iapheth v. 2. & Cham v. 6. & Sem v. 21. eorumq; per orbem partitio. Ex his enim posteris celebriores gentes ortæ & nominatæ sunt.

1. HÆ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Iapheth: natique sunt eis filij post diluuium. 2. Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan & Thubal, & Mosoch, & Thiras. 3. Porro filij Gomer: Askenez & Riphath & Thogorma. 4. Filij autem Iauan: Elisa & Tharsis, Cetthim & Dodanim. 5. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam & familias suas in nationibus suis. 6. Filij autem Cham: Chus, & Mesraim, & Phuth, & Chanaan. 7. Filij Chus: Saba, & Heuila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha. Filij Regma: Saba & Dadan. 8. Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, 9. & erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exiuit prouerbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. 10. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. 11. De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale. 12. Resen quoque inter Niniuen & Chale: hæc est ciuitas magna. 13. At verò Mesraim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, Nephtuim, 14. & Phetrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthijm & Caphtorim. 15. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, 16. & Iebusæum, & Amorthæum, Gergesæum, 17. Heuæum, & Aracæum: Sinæum, 18. & Aradium, Samaræum, & Amathæum: & post hæc disseminati sunt populi Chananæorum. 19. Factique sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, vsque Lesa. 20. Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque & gentibus suis. 21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore. 22. Filij Sem: Ælam & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. 23. Filij Aram: Vs, & Hul, & Gether, & Mes. 24. At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. 25. Natique sunt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eò quòd in diebus eius diuisa sit terra: & nomen fratris eius Iectan. 26. Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Iare, 27. & Aduram, & Vzal, & Decla, 28. & Ebal, & Abimael, Saba, 29. & Ophir, & Heuila, & Iobab. omnes isti, filij Iectan. 30. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus vsque Sephar montem orientalem. 31. Isti filij Sem, secundùm cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis. 32. Hæ familiæ Noe iuxta populos & nationes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.

VERS. 2. FILII IAPHETH] Præponit Iapheth, licet iuniorem, Semo: quia breuiter eius prosapiam expedit, vt fusiùs agat de posteris Cham & Sem, ex quibus orti sunt Chananæi & Hebræi, propter quos maximè Genesin & Pentateuchum scripsit Moses; ideoque deinceps solos Semi posteros est enumeraturus. Nota. Iapheto obtigit Europa, Chamo Africa, Semo Asia. vide dicta c. 9. v. 27.

GOMER] Ex hisce singulis post dispersionem quæ contigit in turri Babel, singulæ ortæ sunt gentes; sed quæ ex quo incertum est. Afferam in B singulis, quod probabilius est, sequarque S. Hieron. Iosephum, Isidorum, Ariam Montanum, qui exactè hæc tradit in Phaleg. Ex Gomer itaque orti & dicti sunt Gomari, siue Cimbri & Cimmerij, &, vt Ioseph. & Hieron. & Isidorus tradunt, Galatæ: Galatæ enim Cimbri fuerunt: nam qui Brenno duce in Asiam perruperunt, Cimbri erant, & in Asia ac Græcia Gallograeci, à lacteo colore (γάλα enim Græcis lac significat) sunt appellati. vnde & Galatas Treuirensi lingua (quæ sanè Germanica fuit) vsos esse, docet S. Hieron. *Ex Gomer orti sunt Cimbri.*

ron. præfat. in epist. ad Galatas: vide ibi dicta in A procemio.

MAGOG] Ab hoc orti sunt Getæ & Massagetæ, Scythicæ gentes, & Tartari, de quibus Ezechiel c.38 & 39.

MADAI] Hic post dispersionem Babel iuit in Mediam, & ab eo orti dictique sunt Medi, & terra Media.

A Iauan Iones. IAVAN] Ab hoc orti sunt Iones omnesque Græci, indeque Græcia primò dicta est Ionia. ita Ioseph.

A Thubal Iberi. THVBAL] Ab hoc orti & dicti sunt Iberi quasi Ibeli vel Tibeli. Iberi, inquam, tam Asiani iuxta Pontum Euxinum, quàm Europæi, putà Hispani; siue hi ex illis, siue illi ex his sint oriundi. ita Mariana, Delrio, Oleaster, Arias. Sic & nonnullas alias gentes ex ijs quæ hic recensentur, ex Europa in Asiam, aut contrà, translatas esse, siue ad militiam, siue ad coloniam, insinuat Ezech. c.38. vbi Asianis nominibus, & populis iungit aliquos ex his, quos hîc in Europa collocamus.

MOSOCH] Ab hoc orti & appellati videntur Moscouitæ. licet S. Hieron. & Ioseph, à Mosoch ortos putent Cappadoces.

THIRAS] Ab hoc orti sunt Thraces, vti communiter docent interpretes. licet Eugubinus à Thiras putet ortos esse Tyrios.

VERS. 3. *Ex Askenez Germani.* ASKENEZ] Ex hoc orti sunt Tuiscones, qui postea à robore & virtute dicti sunt Germani, vel Alemanni, quasi planè viri. vnde etiamnum Hebræi Germaniam hebraicè vocant Askenez. ita Oleaster, Delrio, & alij.

Verisimile est Askenez habitasse in Asia, iuxta Medos (cum Medis enim vocatur ad excidium Babylonis, Ieremiæ 51. v.27.) sed multos ex posteris transisse in Europam, ab eisque ortos esse nostros Ascanios, siue Tuiscones, hoc est Germanos. ita Torniellus anno mundi 1931. n.21.

RIPHAT] Ab hoc ortos Paphlagones putat Iosephus.

THOGORMA] Ab hoc orti sunt Turci, qui Turcimanni vel Turgimanni vocantur: vnde & Hebræi modò regem Turcarum vocant Togar. licet Iosephus à Thogorma natos putet esse Phryges.

VERS. 4. ELISA] Ex hoc Italos esse natos, censet Targum Chaldæum; Pererius tamen ex Elisa putat natos esse incolas insularum Fortunatarum, quæ inde Elisiæ sunt dictæ.

THARSIS] Ab hoc orti sunt Tarsenses, & vicini Cilices.

CETTHIM] Inde orti sunt Citij, Cyprij & Cretenses. vnde Cyprus, Creta, & aliæ insulæ maris Mediterranei in S. Scriptura vocantur Cethim.

DODANIM] Multi ab hoc Rhodios deducunt, quasi Dodanim sint Rodanim, & Dalet positum sit pro sibi simili littera Resch. alij tamen ab hoc Dodonæos in Epiro deriuant.

VERS. 5. AB HIS DIVISAE SVNT INSVLAE GENTIVM] *secundùm linguam suam*, vt sequitur: ergo post dispersionem factam in Babel id contigit. est prolepsis. Nota. Hebræi omnes regiones, ad quas ex Iudæa nauibus itur, vocant insulas, siue veræ sint insulæ, siue non, sed terra continens, vti dixi Ierem. 25.22.

VERS. 6. CHVS] Ab hoc orti sunt Æthiopes, qui hinc se sua lingua vocant Cussios. ita Septuag. S. Hieronymus, Iosephus, Isidorus, & alij.

MESRAIM] Ab hoc habitata & propagata est Ægyptus, quæ inde hebraicè vocatur *Mesraim*, & etiamnum ab Arabibus & Turcis vocatur *Mesra*.

Nota. Psal. 105. v.23. & psal. 104. v.27. & psal. 77. v.51. Ægyptus vocatur terra Cham: vnde videtur, quòd Cham, qui fuit filius Noë, & pater Mesraim, primus incoluerit Ægyptum, regnumque Ægypti administrauerit, qua de causa Saturnus Ægyptius est appellatus, vti docet Berosus l.4. & 5. & Diodorus l.1. Hinc & nonnulli opinantur, Cham esse Hammon, siue Iouem Hammonium. Eædem enim sunt literæ, eademque est vox Cham, siue Ham, & Hammon. Ita Theatrum vitæ humanæ in voce Ammon. Vide dicta Ezech. 6. v.6. Patri Cham successit filius Mesraim, quem Berosus, & ex eo Annius Viterbiensis, putant fuisse eumdem cum Osiri, qui celeberrimus fuit Ægyptiorum rex & deus, vxoremque habuit Isidem. Fauet huic B opinationi cognatio vocum Mesraim & Osiris, si ad Hebræam originem deducantur; abiectis litteris seruilibus, in priore *mem*, in secunda *aleph* cum *cholem*: tunc enim Mesraim est Osiris. Verùm alij aliud etymon dant Osiridis, vti dicam c.41. *Cham primus rex Ægypti.*

PHVTH] Ab hoc orti putantur Libyes & Mauritani, apud quos est flumen, quod vocatur Phuth.

CHANAAN] Ab hoc ortos esse Chananæos clarissimum est.

SABA] Duo sunt Saba, primus hic, qui filius fuit Chus: is scribitur hebraicè per Samech. ab eo orti videntur Abyssini, quorum regia Saba dicta est, quæ postea à Cambyse, nomine sororis suæ vocata est Meroë, ex qua venit ad Salomonem regina illa, quæ Saba dicitur. Secundus Saba, filius C fuit Regma: hic scribitur hebraicè per Schin. Ex hoc orti sunt Arabes Sabæi, de quibus dicitur, *Mittunt sua thura Sabai*. ita Septuag. psal. 71. v.10. & S. Hieron. hic. VERS. 7. *Duplex Saba.*

HEVILA] Ab hoc orti sunt Getulij in Africa, inquit S. Hieron. & Ioseph. Rursum Heuilæi qui habitarunt in Heuila, iuxta sinum Persicum, & iuxta Amalecitas, 1. Reg. 15.7. In hac Heuila habitauit & Ismaël, filius Abrahæ, Genes. 25.18.

CHVS GENVIT NEMROD] qui inter omnes filios Chus quasi princeps excelluit. Aptè vocatur hebraicè Nemrod, id est rebellis, quia primus hic fuit tyrannus, qui alios oppressit, & sibi seruire coëgit, fuitque Dei contemptor. ita S. Hieronymus, Iosephus, Alcuinus, & alij. VERS. 8. *Nemrod, id est rebellis, primus rex & tyrannus.*

IPSE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA] Septuag. vertunt, *iste erat gigas*, scilicet tum mole corporis, tum robore, tum audacia, tum superbia & D crudelitate, inquit S. August. Videtur ergo Nemrod fuisse primus post diluuium gigas. Rursum fuit ipse potens opibus & vsurpatione dominij: cœpit enim tyrannicè homines sibi subdere. Primus ergo in orbe princeps & rex fuit Nemrod, isque tyrannus, inquit Abulensis.

ET ERAT ROBVSTVS VENATOR CORAM DOMINO] *Venator*, non tam ferarum, vt vult Vatablus, Caietanus, & Aben Esra; quàm hominum: quia vi & insidijs homines captabat & opprimebat, vel spoliando, vel necando, vel in seruitutem abducendo: quomodo Brasilij aliique Indi etiam nunc homines venantur. ita S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 4. Lyran. Abulensis & alij. Venator ergo, idem est quod latro & prædo. Sic Aristoteles λῃστείαν, id est latrocinium, posuit inter genera venationum, & ex venatione ferarum facilè disci- VERS. 9. *Venator, id est prædo.*

tur venatio hominum. Vnde Xenophon l. 1. Pædiæ Cyri narrat, Cyrum suos Persas aptasse ad bellum exercendo eos in venatione & cæde animalium: vti & priori sæculo fecit Ismahel Sophi, qui regnum Persidis Turcis ademit, & valdè propagauit. Est enim venatoria exercitatio quasi bellorum præliorumque progymnasma.

A

CORAM DOMINO] Septuag. ἐναντίον κυρίου, quod S. Augustinus vertit, *contra Dominum*. vnde Isidorus l. 6. Etymolog. tradit, quòd Nemrod homines à Deo abductos, ad idololatriam coëgerit, videlicet ad cultum ignis in Chaldæa, post dispersionem turris Babel. Verùm non *contra*, sed *coram Domino* vertendum esse, patet ex Hebræo לִפְנֵי *liphne*, id est *coram Domino*. Iam *coram Domino*, idem est quod reuera, & eximiè talis; vtpote talis iudicio Dei, qui falli non potest. hinc Nemrod in prouerbium abijt, vt de insigni tyranno dicatur, quòd sit quasi alter Nemrod, venator & prædo. Addit Caietan. τὸ *coram Domino*, addi ad auxesin criminis. crimen enim grauius æstimatur, si commissum sit inspectante prætore.

B

Insuper alij tres nouas afferunt expositiones. Prima est, *coram Domino*: quia splendidas victimas, quas venatu ceperat, Domino mactabat ad aras, inquit Aben Ezra, Kimchi, & Hebræi. Secundò, *coram Domino*, id est, vt homines ad ciuilem vitam, & monarchiam Dei nutu & beneplacito introductam, cogeret. Tertiò, Melchior Canus lib. 2. de Locis c. 15 *coram Domino*, id est sub dio. q. d. Nemrod homines quasi bestias per agros palantes, sub dio venabatur, ac sub tecta & in ciuilem societatem contrahebat. Verùm iuxta has expositiones Nemrod fuisset prudens & laudandus princeps: iam autem constat illum fuisse impium & tyrannum, Deique & religionis sanctæ contemptorem.

C

VERS. 10. FVIT AVTEM PRINCIPIVM REGNI EIVS BABYLON] Hinc notant passim interpretes, Nemrod hunc fuisse, vel antecessorem, &, vt Berosus Annianus ait, patrem Iouis Beli, auum verò Nini, scilicet Saturnum primum. aut potiùs, vt S. Hieron. August. Eusebius, Perer. & alij censent, Nemrod hunc fuisse ipsummet Belum, qui fuit pater Nini. nam Nemrod & Beli tyrannis, mores, tempus, & regia Babel per omnia conueniunt. vterque fuit primus rex Babylonis, vterque fuit auctor idololatriæ, teste S. Hieron. Cyrillo, Pererio, & alijs; ac primus Ninus filius iussit patrem Belum quasi Deum publicè diuinis honoribus coli: atque hinc ex Belo idola apud Hebræos, Syros & Phœnices vocata sunt Bel, baal, baalim: bel enim, vel baal idem est, quod Belus. Beli ergo proprium nomen fuit Nemrod, qui appellatiuè & antonomasticè dictus est Bel, Baal & Belus, id est Dominus & Dominator: sicut etiamnum Turcæ & Tartari suum regem, Magnum Cham, siue Magnum dominum appellant.

Nemrod fuit Belus pater Nini.

Ex Belo idola dicta sunt bel, baal, baalim.

D

Hic ergo Belus fuit primus Iupiter, primus & communis Gentium Deus. Hinc & eidem Ioui Belo, Semiramis Nini vxor templum magnificentissimum extruxit, teste Diodoro l 3. c. 4. in quo erat sepulchrum Beli, magnitudine structuraque mirandum. erat enim stadij altitudine, teste Strabone l. 16. Atque hæc fuit origo idololatriæ, sub annum trecentesimum à diluuio. Licet enim Tertull. libr. de Idololatria, putet idola fuisse ante diluuium, tamen Cyrillus lib. 1. & 3. contra Iulian. asserit, idololatriam nobis notam sumpsisse originem post diluuium à patre regis Nini, quem ipse Arbelum nominat, nos Belum nominamus. Huius rei indicium quoque est, quòd pleraque idola Gentium, præsertim Orientalium, ab hoc Bel, siue Belo denominata sint, vt Beelzebub, Beelphegor, Baalberith, Baalsames. vide dicta c. 4. v. 26.

Nota. Nemrod fuit auctor, incentor & conditor turris & vrbis Babel: eam tamen postea restaurauit, mireque auxit & ornauit Semiramis vxor Nini, eaque de causa ab ea conditam esse Babylonem, asserunt Herodot. Diodor. Siculus, Strabo, Mela, S. Hieron. Ioseph. Iustinus, & alij.

Nemrod auctor turris Babel.

Nota Secundò. Cœpit Nemrod, siue Belus in Babel regnare, sub annum 170. à diluuio, cùm facta est ibidem diuisio linguarum & gentium: verùm sensim viribus & potentia increscens, factus est rex & quasi monarcha, anno 184. à diluuio, regnauitque 65. annis (tot enim annos Beli regno dant omnes historici.) putà vsque ad annum 249. à diluuio, quo defunctus est, ac successit ei filius Ninus. Nam anno Nini 43. natus est Abraham, vti omnes tradunt: natus est autem Abraham anno à diluuio 292. ergo 43. annus regni Nini incidit in annum 292. à diluuio; ac consequenter retro ascendendo & computando, primus annus regni Nini incidet in annum 249. à diluuio. illo ergo 249. regno & vita defunctus est Belus, siue Nemrod, successitque ei filius Ninus.

Abraham natus est anno 43. Nini.

Denique Babylon hodie vocatur Baldag, vel Bagdet: quamquam vetus Babylon propriè non superfit, sed omnino sit diruta, ac loco illi vicino ædificata sit Baldag, quæ hodie extat, vti docet Ortelius.

ET ARACH] quæ postea vocata est Edessa, vrbs in Cœlesyria, in qua regnauit Abagarus, cui Christus suam imaginem transmisit, teste Eusebio.

Arach est Edessa.

ACHAD] Hæc est Nisibis, vrbs Mesopotamiæ, ad Tigrim fluuium, in qua floruit S. Iacobus Nisibita, de quo Theodoret.

Achad est Nisibis.

CHALANNE] Hæc vel est Seleucia, vel certè Ctesiphon, regia Persarum, inquit S. Hieron.

TERRA SENNAAR] Ita vocatur ager Babyloni circumiacens. addit hoc ad distinctionem alterius Babylonis, quæ est in Ægypto, quæque nunc Cayrus dicitur.

DE TERRA ILLA (Sennaar, putà de Babylone) EGRESSVS EST ASSVR] Iosephus & ex eo S. Augustinus & Hieron. putant Assur hunc esse secundum filium Sem, de quo v. 22. illum enim per anticipationem hîc interseri, occasione regni Babylonis, cui proximè successit regnum Assyriorum in Niniue, cuius conditor fuit hic Assur. ab hoc enim Assur orti & dicti videntur Assyrij, atque ab eodem condita est vrbs, quæ postea restaurata & valdè aucta à Nino, dicta est Niniue. Hæc sententia est probabilis. VERS. 11.

Quis Assur

Verùm quia hæc omnia spectant filios, non Sem, sed Cham vsque ad v. 21. vbi primùm agit de filijs Sem; hinc veriùs Pererius, Delrio & alij censent, hunc Assur esse Ninum, Beli filium. ab hoc enim conditam & dictam esse Niniuen, siue Ninum vrbem, omnes veteres consentiunt. Ninus ergo hîc dicitur Assur, vel quia binominis erat; vel potiùs dicitur Assur, per anticipationem, quia postea fuit primus rex & monarcha Assyriorum.

Assur est Ninus.

HAEC EST CIVITAS MAGNA] *Hæc*, scilicet non Chale, sed Niniue, quæ primo loco posita est, quasi VERS. 12.

prima

ptima & præcipua: ad hanc enim, licet remotiorem, more Hebræo redit & respicit. Niniue enim tempore Nini maxima fuit vrbium orbis, vt nec antè, nec pòst habuerit parem in hoc orbe. ambitus enim vrbis erat 480. stadiorum, id est sexaginta millium passuum: altitudo murorum erat pedum centum, latitudo tanta, vt tres currus simul incederent. turres habebat 150. singulas altitudinis 200. pedum. ita ex Diodoro & Strabone Pererius. Postea tempore Ionæ prophetæ tanta fuit, vt vicatim obiri & lustrari, non minùs triduo posset. vnde à Iona dicitur ciuitas itineris trium dierum.

Quanta Niniue.

VERS. 13. LVDIM] Inde Lydi, non illi, quibus imperauit Crœsus, sed alij iuxta Ægyptum, de quibus Isaiæ 46.9. Ezech. 30.5.

LAABIM] Inde Libyes in Africa.

NEPTHVIM] Inde Numidæ.

VERS. 14. PHETRVSIM] Inde Arabes Petræi, quorum metropolis erat vrbs Petra.

PHILISTHIIM] Hi sunt Philistini, cum quibus Iudæis perpetuum fuit bellum. licet enim Abrahæ & Iudæis data à Deo tantùm sit Chananæa vt exscinderent Chananæos posteros Chanaan: tamen Philistini partem Chananææ, expulsis Chananæis, occupauerant, vt patet Sophon. 2. v. 5. Sic Heuæos, qui erant Chananæi, terra sua expulerunt Cappadoces, vt dicitur Deuteron. cap. 2. 23. vnde iure ab vtrisque Hebræi, Chananæam sibi debitam, & à Deo datam, bello repetiuerunt.

CAPHTORIM] Inde Cappadoces. ita Septuag. & Noster.

VERS. 16. HETHÆVM, IEBVSÆVM, &c.] Nota. Hæc omnia sunt nomina populorum, qui à filijs Chanaan prognati sunt. à patre enim Heth, dicti sunt Hethæi: à Iebus, Iebusæi: à Sin, Sinæi, &c. patet ex Hebræo.

Iebus condidit Ierusalem.

Vilalpando parte 1. de Vrbe & templo, libr. 1. cap. 10. censet, quòd Iebus, vel Iebusæus, filius Chanaan, & pronepos Noe condiderit Ierusalem, quæ ab eo dicta sit Iebus; sicut frater eius Sidon, teste Iosepho, condidit Sidonem; & Amathus Amathem, & Aradius Aradum vrbem.

VERS. 17. SINÆVM] Sinæi hîc sunt Sinæ, iuxta Iaponiam degentes, de quibus ad Christum conuertendis prophetauit Isaias cap. 49. v. 12. in Hebræo, vt ibi dixi. ita aliqui.

Verùm, quia reliqui posteri Chanaan, de quibus hîc est sermo, habitarunt non in India, sed in Iudæa, vel iuxta Iudæam: hinc Sinæi hi videntur fuisse incolæ deserti & montis Sina. Alius hic est Sinæus à Cinæo per C. vti dicam Iudic. 4. 17.

VERS. 18. ARADIVM] Ab hoc viro, vel potiùs populo conditæ & dictæ sunt vrbes Aradus & Antaradus iuxta Sidonem, de quibus Ezech. c. 27. 8.

SAMARAEVM] Videntur Samaræi ijdem esse cum Pheresæis, & ab eorum parente, non prisco hoc, sed proximo illo, qui vixit tempore Amri regis Israel, dictusque pariter est Scemer, vel Scomer: tam mons quàm vrbs & regio vocata est Samaria, 3. Reg. 16. 24.

AMATHAEVM] incolas Emath vrbis, quæ in Scriptura est duplex, scilicet Emath maior, quæ est Antiochia; & Emath minor, quæ est Epiphania.

VERS. 21. FRATRE IAPHETH MAIORE] Hebræum הַגָּדוֹל *baggadol*, est indeclinabile; vnde tam verti potest *maioris* in genitiuo, vt vertunt Septuag. quàm *maiore* in ablatiuo. Hebræi, Lyran. & Tostat. vertunt, *maioris*, referuntque ad Iapheth. vnde putant Iapheth fuisse primogenitum Noe, secundum Cham, tertium & vltimum Sem. Verùm verius est vertendum esse *maiore*: ita enim vertit Noster, Pagninus, Vatablus, Caietanus, & alij. hæc enim omnia spectant ad laudem, non Iapheth, sed Sem. nam alibi, vt c. 9. v. 24. inter filios Noe primus ponitur Sem, secundus Cham, tertius Iapheth.

Dices, Noe cœpit generare hos tres filios anno 500. vitæ suæ, vt habetur c. 5. in fine: ergo anno hoc 500. genuit Iapheth, anno 501. genuit Cham, anno verò 502. genuit Sem. nam Genes. 10. 11. dicitur quòd Sem biennio post diluuium (quod factum est anno 600. Noe) fuerit centum annorum: natus est ergo Sem anno 502. Noe, & consequenter anno 500. Noe natus est Iapheth, fuitque primogenitus Noe.

Respondeo, Scriptura sæpè tantùm integros numeros exprimit, paruos verò & minutos subticet. Sic hîc quod dicitur c. 5. 32. Noe cœpisse generare anno 500. intellige præcisè non 500. sed 502. Vel certè quod dicitur c. 11. Sem biennio post diluuium, cùm genuit Arphaxad, 100. fuisse annorum, intellige præcisè non 100. sed 102. binarium enim, vtpote minutum, in tanto numero non curat, sed silet Scriptura.

FILII SEM: ÆLAM] Vnde Ælamitæ, id est Persæ. sic ab Assur Assyrij, à Lud Lydi, quorum rex fuit Crœsus; ab Arphaxad Chaldæi descenderunt, inquit S. Hieron. VERS. 22.

ARAM] Inde Aramæi, id est Syri. Nota, in Script. Syriam latè patere, & comprehendere Armeniam, quin & Mesopotamiam, quæ dicitur *Aram naharaim*, id est Syria duorum fluuiorum, quia interiacet inter Tigrim & Euphratem, vti fusiùs dicam cap. 25 v. 20.

HEBER] A quo orti & dicti sunt Hebræi, qui primigeniam paradisi linguam, Hebræam scilicet, cum vero Dei cultu soli retinuerunt in diuisione gentium & linguarum in Babel. Quanquam & alia sit origo vocis *Hebræus*, vt dicam c. 14. 13. VERS. 24.

Putant aliqui, Heber natum esse eo tempore, quo Arphaxad auus discedens ex Armenia traiecit fluuium Tigrim, & primò omnium consedit in Chaldæa, ac propterea infantem tunc natum appellasse Heber, id est *transiens*, scilicet Tigrim. Cui opinioni fauet id quod docet S. Hieronymus & Iosephus l. 1. Antiq. 7. scilicet, ab Arphaxad prodijsse Chaldæos.

Heber vnde vocatus.

PHALEG, EO QVOD IN DIEBVS EIVS DIVISA SIT TERRA] *Phaleg* enim hebraicè idem est quod diuisio. hæc diuisio & dispersio contigit in Babel, de qua cap. 11. VERS. 25.

Quæres, an hæc diuisio linguarum & gentium contigerit in ortu, an in medio, an in fine vitæ Phaleg? S. August. libr. 16. Ciuit. cap. 11. & Pererius censent eam in ortu Phaleg contigisse: inde enim puer nominatus est Phaleg.

Quando contigit diuisio linguarum in Babel.

Secundò, & meliùs Hebræi, S. Hieron. Chrysost. Tostatus & Lyran. censent, eam contigisse, non in ortu, sed durante vita Phaleg: pater enim eius Heber vir sanctus, vaticinans filio nascenti nomen Phaleg imposuit ab euentu, non præsenti, sed futuro, quem in spiritu præuidebat.

Itaque dico verius videri, sub annum 170. à diluuio, cùm iam Phaleg esset 70. annorum (natus est enim anno 101. à diluuio, vt patet cap. 11. v. 15. & 16.) factam esse hanc diuisionem. Probatur Primò, quia sub hunc annum 170. in Babel, facta hac

Contigit sub annum 170. à diluuio.

 diui-

Prob. 4. argumentis. diuisione, regnare cœpit Nemrod, vt dixi v.10. Secundò, quia Scriptura hîc non ait, in ortu, sed in diebus Phaleg diuisam esse terram. Tertiò, quia anno 101. à diluuio cùm natus esset Phaleg, non videntur homines ita propagati fuisse, vt possent diuidi in 70. gentes & linguas. erat enim tunc secunda tantùm, aut vt summum tertia generatio à diluuio. Adde, quod magis vrget, Heber genuit anno 34. ætatis suæ Phaleg, & post eum, vt videtur, genuit Iectan. Iectan autem plures habuit filios, vti hîc dicitur, qui scilicet in dispersione Babel iam grandæui, in suam quisque regionem, gentem & linguam, æquè vt alij, qui hîc nominantur, dispersi sunt, vt patet v.31. Ergo non in ortu Phaleg, sed eo iam grandæuo (vtpote cuius iunior frater Iectan tot tamque grandæuos iam haberet filios) diuisa est terra. ita Diodor. Lipomanus & alij.

Respondet S. Augustinus, Iectan, non iuniorem, sed seniorem fuisse Phaleg. Verùm hoc parum videtur probabile: nam prior hîc nominatur Phaleg, quàm Iectan. sed esto sit verum, exiguo tempore ante Phaleg nasci debuit Iectan: nam Phaleg natus est anno Heber patris 34. sit ergo Iectan natus anno 30. aut 25. Heber, sic fuerit vt summum nouem annis senior Phaleg: itaque non potuit Iectan in ortu Phaleg habere filios tot & tantos.

Hinc sequitur, falsum esse quod tradunt Hebræi in Seder Olam, scilicet hanc diuisionem linguarum & gentium, factam esse in fine vitæ Phaleg, putà sub annum 340. à diluuio, 10. nimirum annis ante mortem Noe. nam hoc anno 340. iam natus erat Abraham, eratque 48 annorum: iam verò ante Abraham, Ninus contra Zoroastrem plurimis contractis gentibus dimicarat, vti dixi sub finem cap. præcedentis: erant ergo tum gentes iam pridem antè diuisæ & dispersæ.

VERS. 29. OPHIR, HEVILA] Inde Indi, & variæ Indorum gentes. ita S. Hieronymus & Arias, qui ad Iobab pariter refert noui orbis partem illam, quæ dicitur Parias. Reliquorum qui hîc nominantur, propagines incognitæ sunt.

VERS. 31. *Error Philastrij.* ISTI SUNT FILII SEM SECUNDUM COGNATIONES ET LINGUAS] Hinc Philastrius libr. de Hæresib. c.106. firmiter credendum esse docet, quòd ante turrim Babel variæ fuerint linguæ, sed quas homines omnes tunc intellexerint; in dispersione verò Babylonica, in quoque patrefamilias vnam tantùm mansisse linguam, à lingua alterius cuiuslibet patrisfamilias diuersam. Huc accedit Nicolaus de Cusa, qui in Compēdio c.3. ait, *adeò fuisse copiosam primam dicendi artem ex multis synonymis, vt omnes, quæ sunt postea diuisæ linguæ, continerentur in ipsa, ipseq; Adam, si quis illis loqueretur, omnes intelligeret,* A *cùm omnia vocabula imposuerit, & multis peritia linguarum subitò concessa sit.*

Verùm hoc falsum esse, patet c. seq. vbi ante hanc dispersionem terra dicitur fuisse labij vnius & linguæ. Est ergo hic prolepsis, siue anticipatio. linguæ enim hîc vocantur, non quæ iam erant, sed quæ paulò pòst erant futuræ in Babel. ita S. August. & Rupert. & alij.

AB HIS DIVISÆ SUNT GENTES] Communiter S. August. Hieron. Prosper, Epiphanius numerant 72. gentes & linguas, in quas diuisi sunt homines in dispersione Babel: tot enim personæ, puta septuaginta duæ, hoc capite nominatę & enumeratę reperiuntur, nimirum 14. ex filijs Iaphet, 31. ex filijs Cham, 27. ex filijs Sem. Addunt enim ipsi Cainan, quem addunt Septuag. Verùm c. seq. ostendam demendum esse Cainan. Rursum demenda B sunt hîc nomina patrum: nec enim patres diuersam à filijs fecere familiam aut gentem. ijs ergo demptis restant 55. filij, à quibus singulis singulæ gentes ortæ sunt, cùm in dispersione Babel singulæ propriam linguam vel idioma sortitæ sunt. qua de re vide fusè Perer. lib. 15. & 16. VERS. 32. *Quinquaginta quinque linguæ, & gentes diuisæ sunt in Babel.*

Ex dictis sequitur, gentes has toto orbe, ac consequenter tam per inferius, quàm per superius hemisphærium esse dispersas. vnde sequitur, alias alijs esse antipodes, & aduersis vestigijs insistere & ingredi. Antipodes esse negauit Plinius l.2. cap.67. Cicero, Mela, & Nazian. epist.71. ad Posthumianum, & S. Augustinus lib.16. de Ciuit. cap.9. Ratio eos mouens erat, Oceani inter hunc orbem & nouum interiecti immensitas, quæ eis videbatur esse impermeabilis; vt ex hoc orbe ad nouum transire non potuerint homines. Sed ad C hanc rationem respondi cap.8. v.17. Iam enim ex nauigationibus Hispanorum constat Americam ab hominibus incoli, eosque nobis esse antipodes. *Antipodes sunt.*

Rursum hinc colligitur, gentes has dispersas esse per omnia mundi climata, atque habitare non tantùm intra Tropicos, sed etiam extra eos, ac penè sub polis, insuper sub Æquinoctiali, sub quo veteres olim posuerunt Zonam torridam, quam ob æstum censuerunt esse inhabitabilem. Sed ex ijsdem Hispanorum nauigationibus constat, Zonam torridam ab hominibus incoli, esseque temperatam, idque tum multitudine imbrium, tum dierum æstiuorum breuitate, tum Oceani vicinia, tum ventis perpetuis quibus perflatur, tum alijs diuinæ prouidentiæ modis & remedijs, vti docet oculatus testis Iosephus Acosta libr.2. de Nouo orbe cap.8. & seq. Sic enim Deus implet decretum suum, quo sanxit cap.1. v.28. *Replete terram.* *Zona torrida est habitabilis.*

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, exstruitur turris Babel. Secundò, v.7. linguæ diuiduntur, & gentes disperguntur. Tertiò, v.10. texitur genealogia Sem vsque ad Abraham, qui ex Vr Chaldæorum migrat in Haran & Chanaan.

1. ERat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem. 2. Cumque proficiscerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. 3. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni.

igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento. 4. & dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras. 5. Descendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. 6. & dixit: Ecce, vnus est populus, & vnum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. 7. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. 8. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessarunt ædificare ciuitatem. 9. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. 10. Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad biennio post diluuium. 11. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias. 12. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. 13. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios & filias. 14. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. 15. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis: & genuit filios & filias. 16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. 17. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias. 18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. 19. Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis nouem annis: & genuit filios & filias. 20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. 21. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias. 22. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor. 23. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios & filias. 24. Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare. 25. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem & nouem annis: & genuit filios & filias. 26. Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. 27. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot. 28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum. 29. Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Ieschæ. 30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. 31. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntque vsque Haran, & habitauerunt ibi. 32. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

VERS. 1. ERAT AVTEM TERRA LABII VNIVS] loquelæ A vnius, scilicet Hebraicæ. est metonymia. Hebræam enim primam & communem omnium hominum, tam ante diluuium, quàm post vsque ad fabricam turris Babel, fuisse loquelam & linguam, patet ex etymis & significatione nominum Adam, Euæ, Cain, Seth, Babel, Phaleg, Abraham, Isaac, Iacob, & aliorum, quæ tradit ipsa Script. in Genesi. horum enim nominum origo & significatio, non ex alia quàm Hebræa lingua peti potest. Estque hæc sententia S. August. l. 16. de Ciuit. cap. 11. Origen. Chrysost. Diodori, Hieron. & cæterorum, præter vnum Theodoretum, qui falsò putat primam linguam fuisse suam Syriacam (fuit enim Theodoretus Syrus, vtpote natus Antiochiæ in Syria, & Cyri in Syria postea Episcopus) Hebræam verò postea cœpisse, ac primò Mosi à Deo esse traditam. constat enim peritis, Syriacam dialectum esse linguæ Hebrææ, ex eiusque corruptione prognatam: sicut Gallica, Italica & Hispanica à Latina corrupta descendunt.

Prima mundi lingua fuit Hebræa.

Goropius Becanus vult primam mundi linguam fuisse Cimbricam, siue Flandricam, ab eaque omnia nomina S. Script. putà Adæ, Euæ, Cain, Mathusalem, &c. deducit. *Adam,* inquit, dicitur quasi *had dam*, id est odium aggeris. Adam ergo idem est, quod agger inuidiæ fluctibus obiectus. *Eua* dicitur quasi *Eu vat*, id est sæculi vas, quia in Eua principium omnium sæculorum fuit conceptum. *Abel* dicitur quasi *hat belg*, id est odium belli, scilicet à Caino fratre sibi illati. *Cain* dicitur quasi *kaet ende*, id est malus finis. *Mathusalem* dicitur *maet v salich*, id est salua te, scilicet ab instante diluuio. *Henoch* dicitur quasi *eet noch*, id est iuramentum (Dei cum hominibus) adhuc, scilicet perdurat, &c. Verùm hæc non respondent etymis quæ dat Script. illa enim prorsus alium sensum aliamque originem ingerunt. Quare in hisce etymis tam operosè ex lingua Belgica accersendis, Goropius non aliud, quàm ingenij sui acumen B ostendit, quod vtinam rebus solidioribus & vtilioribus applicuisset. Vnde vir doctus de hoc opere censuit, illud ingenij dumtaxat esse ludum lusumque.

VERS. 2. CVMQVE PROFICISCERENTVR DE ORIENTE] de Armenia, quæ Babyloni est Orientalis, vbi cessante diluuio arca quieuerat: ibi ergo mox à diluuio mansisse videtur Noë cum suis ita Epiphan. initio lib. de Hæresib. Perer & alij. Noë secuti sunt eius nepotes & posteri: idque, vt notat Iosephus & Plato lib. 3. de Legib. metu diluuij habitantes primùm in montibus; inde sensim metu abeunte, in valles & campos descenderunt.

INVENERVNT CAMPVM IN TERRA SENNAAR]

Nota. Omnes (licet id neget Caiet.) qui tunc erant homines, ex Armenia egressi videntur in Sennaar, id est in Babylonem, spe maioris & melioris soli, & ob situm eius commodiorem, vtpote ex qua faciliùs se quaquauersum dispergere possent, vt circumquaque sibi inuicem essent & manerent contigui & vicini. Vnde Abul. rectè opinatur, Noë, qui tum adhuc viuebat, interfuisse ædificationi turris Babel, ac fortè eam adiuuisse: aliqui enim bono, alij, & longè plures, malo fine eam ædificabant. omnes enim homines tunc erant in Babel; vnde & omnium ibi confusæ & diuisæ sunt linguæ. ita quoque sentit Pererius, Delrio, & alij.

Noë interfuit fabricæ Babel.

Nota. Hic locus non tunc, sed postea ab incolis dictus est Sennaar, vti & Babel, ab euentu. Sennaar enim hebraicè idem est, quod excussio dentium: quia dentati, id est superbi, homines ædificantes Babel, ibi suis dentibus, id est sua lingua, priuati sunt, inquit Rupert. & S. Gregor. scribens in psalm. 4. pœnitent. ad v. penult. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion.* qui & Tropologiam addit: *In Sennaar*, inquit, *habitant dentati, qui detractionum morsibus proximos lacerant. horum dentes excutit Deus, cùm illorum facta, simul & verba confundit. De eo quippe scriptum est: Dentes peccatorum contriuisti. & iterum: Dominus cõteret dentes eorum in ore ipsorum.*

Sennaar, id est excussio dentium, putà linguarum.

VERS. 3. HABVERVNTQVE LATERES PRO SAXIS] Quia, vt tradit Theod. in Babylone magna erat saxorum inopia. Addunt aliqui, id eos fecisse metu diluuij ignis, quo intellexerant rursum conflagraturum quandoque esse mundum: lateres enim, cùm decocti sunt, validissimè resistunt igni; lapides verò igni soluuntur in calcem. Si hoc cogitarunt, insipienter cogitarunt: nam vti nihil diluuio aquæ; ita nihil diluuio ignis in fine mundi, quod longè potentius erit, resistere poterit.

VERS. 4. TVRRIM, CVIVS CVLMEN PERTINGAT AD CAELVM] turrim quæ sit altissima. est hyperbole. De altitudine huius turris mira habet S. Hieron. in c. 14. Isaiæ, scilicet eam habuisse altitudinem quatuor millium passuum, quæ efficiunt milliare magnum, siue Germanicum. Addit Ioseph. Nemrodianos cogitasse hanc turrim ædificare ea altitudine, ad quam diluuium, si rediret, ascendere non posset. vide stultitiam hominum. Manserunt reliquiæ huius turris, vsque ad tempora S. Hieronymi & Theodoreti, vt ipsi fatentur.

Turris Babel alta vnum milliare.

Nota, turrim hanc fuisse in ipsa vrbe Babel, vti indicant Hebræa v. 9. licet alij putent eam fuisse non in Babel, sed in vicina vrbe Chalanne.

Secundò, auctor huius fabricæ non fuit Noe, qui adhuc viuebat, sed Nemrod. ita Iosephus, August. & alij.

CELEBREMVS NOMEN NOSTRVM] Abul. hos fabricatores Babel excusat à peccato, non solùm mortali, sed etiam veniali. Primò, quòd turrim hanc tantùm ædificarint vt esset specula, tam actiua, quàm passiua, vt scilicet eminus conspici posset ab omnibus circumcirca habitantibus, vt statis temporibus singuli in Babel, de rebus tum priuatis, tum publicis & communibus acturi redire & conuenire possent; qua de causa etiamnum fiunt turres. Secundò, esto voluerint celebrare nomen suum hac turri; hoc non erat malum. nam licet quærere famam & gloriam, dummodo res ex qua quæritur gloria, non sit mala, sed bona, nec detrahat honori diuino. Adde, inter hos fabros erat Noe vir sanctus, princeps & pater omnium,

An peccarint fabri turris Babel?
Excusat eos Abulens.

A qui non permisisset hanc turrim ædificari ad malum finem. ita Abulensis.

Verùm meliùs S. August. Chrysost. Iosephus, & alij passim censent, hos fabros peccasse vanitate & superbia. quid enim aliud significat tam alta & insana in cælum vsque, turris structura? Secundò, cùm aiunt, *Celebremus nomen nostrum*, quid aliud indicant, quàm finem & scopum sui conatus & laboris improbi, esse ambitiosam cupidinem nominis æternandi? Tertiò, Deo ingratum & exosum fuisse hoc opus, patet ex eo, quòd illud ipse impediuerit, & ædificantes mulctarit dissonantia & diuersitate linguarum, vt se inuicem ampliùs intelligere non possent. Addit Quartò, S. August. l. 16. de Ciuit. c. 4. Nemrod ædificasse Babel, vt esset arx suæ tyrannidis & impietatis. Vnde ex hac fabrica natam esse fabulam gigantum, bellum cælo inferentium, de qua dixi c. 6. v. 4. docet Alcimus
B Auitus, & indicat Sibylla lib. 3. Noe huic fabricæ interfuit, non præfuit: quia eam impedire non potuit: præualuit enim Nemrod cum suis. si eam adiuuit Noe, bono fine, & ad grauius malum vitandum, eam adiuuit.

Peccarunt vanitate & superbia.

Vbi tamen Aduerte, Deum permisisse hoc peccatum, & hanc turris fabricam ad tempus, & ad certam altitudinem: quia hac occasione intendebat ingẽs efficere bonum, scilicet dispergere homines per omnes prouincias, vt totus orbis repleretur & coleretur ab hominibus. quod magnum fuit totius orbis ornamentum, æquè ac commodum.

Moraliter S. Chrysost. hic homil. 30. hisce fabris Babel similes dicit esse eos, qui splendidas domos, lauacra, porticus ædificant hoc fine, vt in ijs æternent nomen suum. Additque: *Quòd si omnino*
C *æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, nimirum, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus & splendidis ædificiis, villis & balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria innumeros tibi thesauros parit, hæc memoria à sarcina peccatorum alleuiat, hæc multam tibi fiduciam apud Deum conciliat.* Probat id ex psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia* (id est eleëmosyna) *eius manet in sæculum sæculi. Vidisti memoriam quæ se in omne sæculum extendit?*

ANTEQVAM DIVIDAMVR] Ita & Septuag. vnde quod hebraicè est פֶּן נָפוּץ *pen naphuts*, *ne fortè dispergamur*, subaudi, nondum vllo memoriæ, nominis & gloriæ nostræ relicto monumento. Sciebant enim se propediem dispergendos; præueniunt ergo, & accelerant hoc sui monumentum, & hanc fabricam, ne ab ea morte, vel dispersione præuenti, impediantur.

D DESCENDIT AVTEM DOMINVS] non locum mutando (est enim vbique) sed cominus inspiciendo, impediendo & vindicando, inquit Caiet. Loquitur enim Script. de Deo anthropopathôs. q. d. Deus exactè, seriò, lentè & maturè inspexit & considerauit hanc turrim, atque superbiam hanc hominum ædificantium insanam & intolerandam, vt eam impediret & puniret, perinde ac si è cælo in terram Sennaar descendisset, vti faceret homo, vel angelus iudex. ita S. August. VERS. 5.

Quid significet Dei descensus.

Vnde rectè notat ex Philone, & S. Chrysost. Delrio, quòd S. Script. quando vult indicare, Deum lento gradu procedere ad iudicium & vindictam, dicat illum descendere, id est accedere ad nos, vt rem totam clariùs cognoscat, & postea maturè noxios puniat. Sic descendit in Sodomam, Genes. 18. 21. & in Iudæam, Micheæ 1. 3.

QVAM

Qvam aedificabant filii Adam] qui ab adama, id eſt terra, orti, cùm ſint terrigenæ, nunc ſuperbè in cælum ſua fabrica conſcendere moliuntur.

Vers. 6. Labivm] loquela & lingua, vti dixi v. 1.

Vers. 7. Venite igitvr, descendamvs et confvndamvs ibi lingvam eorvm] Sunt hæc verba Dei, quaſi conſultantis, & inſanam hominum machinationem & ſuperbiam deteſtantis. Putant aliqui Deum hîc loqui angelis; angelos enim adiuuiſſe hanc linguarum confuſionem. ita S. Auguſt. libr. 16. Ciuit. cap. 9. Philo, Caiet. & Perer. Sed verius eſt Deum Patrem hîc loqui, non quidem alteri cuipiam Deo, vt obijciebat Iulianus Apoſtata, ſed ſuo Filio & Spiritui ſancto, vti & fecit c. 1. v. 26. & c. 2. v. 18. Sicut enim ibi creatio, non angelorum, ſed ſolius Dei fuit opus: ita pariter fuit & hîc hæc linguarum confuſio. non enim angelus cuiuſque populi rector, ſuam ei linguam indidit (vt vult Origen. in c. 11. Numer.) ſed Deus. Sicut enim Deus ſolus per ſuam omnipotentiam menti illabi, ita & ſolus menti habitus ſcientiæ & linguarum indere poteſt. ita S. Chryſoſt. Procop. Raban. Rupert. & alij paſſim.

Sicut creatio, ita & linguarum confuſio, ſolius Dei fuit opus.

Quare cognitio S. Scripturæ, vel etiam linguæ Hebrææ aut Græcæ, quam diabolus nonnullis Anabaptiſtis, antea rudibus & idiotis, hauſto bolo & ſymbolo anabaptiſmi ſuggerit, non eſt habitualis aut permanens, ſed tantùm actualis quaſi ſuggeſtio & inſpiratio. aſſiſtit enim ijs dæmon, & ſuggerit hæc omnia, perinde vt nos, declamantibus publicè, ſecretò carmina, vel ea quæ declamanda ſunt, ſuggerimus. imò ſubinde non ipſi, ſed per ipſos loquitur dæmon, vt energumeni, vel poſſeſſi à dæmone, non tam videantur, quàm reuera ſint. Id ita eſſe ex eo patet, quòd mox vt ab hæreſi ad ſanam fidem & mentem redeunt, relicti à dæmone, ilicò in priſtinam ſuam ruditatem & ignorantiam recidant.

Diabolus non poteſt indere habitualem linguarum cognitionē, ſed tantùm actualem.

Descendamvs] Dices, Iam verſ. 5. deſcenderat Deus: ergo fruſtra rurſum hîc deſcendit. Reſpondet S. Auguſt. & Pererius hoc verſu eſſe recapitulationem, & hunc verſum præponendum eſſe verſui 6. Sed huic expoſitioni non fauet vox *igitur*, quæ non recapitulantis, ſed inferentis & proſequentis eſt.

Reſpondeo ergo, v. 5. deſcenderat Deus, ſed inchoatè tantùm, & aliquouſque, vt eminus è cælo turrim hanc intueretur. vnde ait Moſes: *Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem & turrim*: hic verò vlteriùs deſcendit Deus in terram Sennaar, vt ſcilicet noua operatione ſua, in ea linguas confundat. ait enim, *Venite, deſcendamus*, non vt videamus, (iam enim vidimus turrim) ſed, *vt confundamus linguam eorum*.

Confvndamvs] Confundere, non ſignificat hîc pudefacere, ſed commiſcere; vti confunditur vinum cùm aqua illi commiſcetur: & confunditur vox philomelæ dum ei ſtridulæ picarum & graculorum voces commiſcentur. hoc enim ſignificat Hebræum בלל *balal*, ex quo per craſin fit *bal*. inde geminata litera *bet* ad onomatopœiam fit *babel*. vnde noſtri Germani videntur accepiſſe ſuum *babbelen*, & Galli *babiller*.

Sic ergo Deus hîc commiſcuit linguas, vt pro vna Hebræa lingua, quam omnes callebant, ſingulis propriam & diuerſam inderet linguam: ita vt dum homines colloquerentur; vnus græcè, alter latinè, tertius germanicè, quartus ſlauonicè, &c. loqueretur: quæ ſanè magna linguarum & vocum erat commiſtio & confuſio. de quo rurſum dicam v. 9.

Deus confudit linguas, quia pro vna multas indidit & cōmiſcuit.

Nota Primò. In hac confuſione, Deus tantùm matrices linguas condidit, eaſque hominibus indidit: ex his enim cæteræ poſtea prognatæ ſunt. Sic Hebraica, matrix & genitrix eſt Syriacæ, Chaldaicæ, Arabicæ; & Latina Italicæ, Valachicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ; Græca Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, Atticæ; Slauonica Polonicæ, Bohemicæ, Moſcouiticæ; Germanica Helueticæ, Saxonicæ, Anglicæ, Scoticæ; Tartarica Turcicæ, Sarcamanicæ; Abyſſina Æthiopicæ, Sabææ, &c. inquit Genebrardus.

In Babel ſola matrices linguæ ſunt conditæ.

Nota Secundò, quàm vanæ ſint hominum cogitationes coram Deo. putabant hi fabri ſe à nemine impediri poſſe; ridet hanc ſtultam eorum præſidentiam Deus, ac reipſa ait: Leui flatu hoc opus diſſipabo, nullis vtar machinis; tantùm confundam linguas fabrorum, vt vno petente lateres, alter præbeat cæmentum; hoc petente trullam, alter porrigat ſportam: itaque implebo cuncta confuſione, vt inuicem irridentes, & mutuò iraſcentes ſeparentur, atque vti lingua, ita & animo confuſi & pudefacti abeant & diſpergantur in ſuam quiſque regionem. quod pulchrè deſcribit Marius Victor. lib. 3. in Geneſim.

Vt non avdiat] vt non intelligant inuicem, non quidem ſinguli homines (ſic enim nulla fuiſſet hominum ſocietas) ſed ſingulæ cognationes. Tot enim fuerunt linguæ, quot familiæ ſiue cognationes, putà 55. vti dixi c. 10. v. 32. has enim Deus voluit ſic ſeparare, & per orbem diſpergere.

Nota, quomodo ſuperbia fabrorum meruerit linguarum diuiſionem, quarum vnionem in Pentecoſte meruit humilitas Apoſtolorum, inquit S. Gregor. homil. 30. in Euangelia.

Superbia in Babel diuiſit linguas, quas humilitas in Sion vniuit.

Vers. 8. Atqve ita divisit] Cùm enim viderent quòd mutuò ſeſe intelligere non poſſent, ſeceſſerunt, & ſinguli in ſuas regiones diſperſi ſunt; vti iam explicui. Fuit ergo hæc pœna peccati vtilis generi humano, *Vt habitando orbi terrarum daret incolas mala congregationis opportuna diſperſio*, ait Proſper lib. 2. de Vocat. Gentium c. 4. *Vtq; meminerimus, rectè damnatam ſuperbiam*, ait Caſſian. Collat. 4. c. 12. qua factum eſt, *vt non intelligeretur homo iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti*, ait S. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. c. 4.

Vers. 9. Vocatvm est nomen eivs Babel, qvia ibi confvsvm est labivm vniversae terrae] lingua ſcilicet omnium hominum.

Tropol. S. Auguſt. in Sent. ſent. 221. *Duas*, ait, *in toto mundo ciuitates faciunt duo amores: Ieruſalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor ſæculi. interroget ergo ſe quiſque, & inueniet vnde ſit ciuis.*

Eivs] ſcilicet, non turris, ſed vrbis, vt patet ex Hebræo & Septuag.

A turri ergo, in cuius ædificatione, per diuiſionem linguarum confuſi ſunt ædificantes, vocata eſt vrbs integra Babel, & ab vrbe regio tota dicta eſt Babylonia, id eſt confuſio. Babel ergo nomen ſuum accepit non à Belo, qui primus fuit rex & deus in Babel, ſed à rad. בלל *balal*, id eſt confudit. vnde Septuag. vertunt, *& vocatum eſt nomen eius, σύγχυσις*, id eſt *confuſio*.

Vrbem hanc (vti ſuperiùs dixi) poſt 100. annos Semiramis incredibili magnitudine & magnificentia reſtaurauit, turrim verò non altiùs

extulit, sed mirè ornatam templo Beli inclusit. A

QVIA IBI CONFVSVM EST LABIVM] Id est, quia ibi pudore confusi sunt ædificantes Babel, cùm se inuicem ampliùs non intelligerent, inquit Pererius. Verùm Hebræum *balal*, id est confundere, non pudefacere, sed commiscere significat.

Secundò, Philo l. de Confus. ling. sic explicat, q.d. Vitiorum & impiorum societas à Deo confusa est in Babel, cùm scilicet schismate distracta est, ne virtutem & bonos mores constipata euerteret; nam linguæ confusæ dici non possunt, sed diuisæ omnino. sic enim ait Philo: *Docet Moses mysticè, quòd sicut consensus virtutum fouetur à Deo, sic confundi linguas, id est constipatum vitiorum & impiorum cuneum diuidi, muta surdaq; fieri vitia omnia, vt nec loquendo, nec inuicem consentiendo damnum afferant.* Verùm hic sensus mysticus est, per quem Philo literalem euertere videtur.

Babel mysticè significat confusionem vitiorum.

B Tertiò, Philastr. de hæres. c.106. arbitratur in Babel non linguas, sed intelligentiam linguarum esse confusam & diuisam. putat enim ipse, ante fabricam Babel diuisas fuisse hominum linguas, vti dixi c.10.31.

Verùm Respondeo, *Deus confudit*, hebr. *balal*, id est commiscuit, linguam hominum, hoc est vnam linguam omnium hominum in varias dispescuit, easque inter se & inter homines permiscuit, vt dum plures simul loquerentur, non vna vox & lingua, sed diuersæ & confusæ multorum voces & linguæ audirentur, eo modo quo dixi v.7.

Quomodo commistæ sint linguæ

Cui adde, elementa primæuæ linguæ, putà literæ, apud omnes gentes & linguas eædem manserunt, sed aliter & aliter combinatæ & traiectæ; quod est confundere & commiscere. Sic & syllabæ multæ, quin & dictiones eædem manserunt, sed aliud & aliud hac, aliud illa lingua significant: vt *sus* Latinis porcum, Hebræis equum, Flandris silentium significat. vnde explicans subdit Moses v.7. *Vt non audiat*, id est intelligat, *quisque vocem proximi sui.* Denique alijs linguis multæ voces & phrases Hebrææ permistæ sunt, v.g. שק *sac*, id est saccus, & קרן *keren*, id est cornu, ab Hebræis accepta, pleræque gentes & linguæ etiamnum retinent & vsurpant. Plurima talia collegit Postellus & Auenarius, qui in suo Lexico Hebræo omnia penè verba Græca ab Hebræis deriuat, per quamdam literarum traiectionem, commutationem, & commistionem. Sic ex lingua Celtica, siue Belgica multa ab Hebræis esse deducta, cum ijsque in fundo, siue in literis radicalibus conuenire, solerter & ingeniosè ostendere conatur Adrianus Scrieckius in suis Originibus, & in Europa rediuiua, vbi ex etymis Belgicis omnium penè nominum propriorum gentium, quæ sunt in Europa, contendit probare Celticam, siue Belgicam linguam esse tantùm dialectum linguæ Hebreæ, eamque primò in Babel Iapeti posteris fuisse inditam, qua proinde vsi sint prisci Græci, Itali, Hispani (qui inde, inquit, Celtiberi vocantur) Galli, Britanni & Europæi omnes Verùm hoc difficile est creditu, difficilius demonstratu, præsertim cùm lingua Græca & Latina admodum præstantes, politæ & artificiales sint, æquè ac antiquissimæ, vt patet ex Græcorum & Latinorum scriptis, ac proinde videntur ipsæ in confusione linguarum, æquè ac Celtica, nonnullis Iapeti posteris à Deo esse inditæ. At quibus? nisi ijs, qui Græciam & Latium incoluere: ij ergo non celticè, sed græcè & latinè sunt locuti. Illud crediderim, linguam Belgicam esse antiquissimam, vnamque ex primis in Babel à Deo inditis. Insuper eam non pauca habere vocabula ab Hebræis deriuata, aut ijs similia & affinia. Verùm eam tantùm dialecto ab Hebraica differre, quis sibi persuadeat, qui vtriusque dissonantiam & diuersitatem inspexerit? tantùm enim vel magis Belgica ab Hebræa, quantum Latina à Græca vel Hebræa distare videtur.

Voces Hebrææ alijs linguis permistæ.

Notat S. August. l.18. Ciuit.39. Origen. Hieron. Tostat. Caietan. Oleaster, Genebrardus, & alij passim, in solo Heber eiusque posteris, cum vera fide, religione & pietate mansisse primæuam linguam Hebræam. In ceteris ergo deleuit Deus habitum linguæ Hebrææ, (ita vt homines viderentur sibi non tam esse obliti, quàm omnem perdidisse linguæ Hebrææ memoriam quasi nunquam de ea quidquam nouissent, vel audissent) & nouū promptissimumque nouæ linguæ habitum, cumq; cuique genti alium & proprium, putà alterius & propriæ linguæ, inseruit. ita Abulensis, Pererius, & alij.

Solus Heber retinuit linguam Hebræam.

Hinc Secundò, Epiphan. initio l. contra hær. & Suidas in voce *Serug*, hos fabros Babel græcè *meropes*, quasi *voce diuisos* dictos esse, putant. μερίζω enim idem est quod diuido, ὄψ idem est quod vox: vnde & à poëtis vnus gigantum, qui Iouem cælo deturbare conati sunt, vocatus est Merops, à quo insula Cos Meropis appellata putatur: licet Homeri interpr. homines velit dici *meropes*, eò quòd distincta & articulata voce vtantur; aut, vt alij, eò quòd quisque vti vultum, ita & vocem ab alio quolibet diuersam habeat, quæ duo in homine admiratur Plinius.

Meropes quinam.

C Denique hæc contigerunt sub annum 170. à diluuio, vti dixi c.10 25. Addit Epiphanius & Sibylla, ac Abydenus apud Iosephum & Euseb. l.9. de Præpar. Euang. c. vlt. Deum turrim hanc procellis & ventis deiecisse, eaq; ædificatores ipsos obruisse.

Turris Babel procellis deiecta.

HÆ SVNT GENERATIONES Sem] Solius Sem genealogiam pertexit Moses, idque in recta tantùm Abrahami linea: quia cæteri posteri Noe, eo licet renitente, à Deo ad idola deflexerunt; & quia ex Abraham orti sunt Iudæi (quibus hæc scribit Moses) & Christus. VERS. 10.

SEM ERAT CENTVM ANNORVM] Ergo natus est Sem, non anno 500. sed 501. Noe, vt dixi c.10. v.21. quia enim hîc numerus minutus exprimitur, scilicet quòd biennio post diluuium Sem fuerit 100. annorum, qui non exprimitur c.5. v.32. hinc Moses hîc potiùs, quàm c.5. præcisè videtur consignare annos Sem.

D ARPHAXAD GENVIT SALE] Ita habent Hebræa & Chaldæa tam hîc quàm 1. Paralip. 1.18. & 24. verùm Septuaginta tam hîc quam ibi interijciunt Cainan. habet enim, *Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sale.* Septuag. sequitur S. Luc. c.3. Euang. v.36. vnde Lipomanus, Melchior Cano, Delrio, & alij putant hunc Cainan omnino interijciendum esse, eique æquè ac alijs dandos esse annos 30. antequam genuit Sale, ac consequenter hos triginta annos chronologiæ esse inserendos. VERS. 12.

Quæres, vter hîc sit sequendus, an Moses omittens Cainan, an versio Septuag. Cainan inserens. Resp. Mosen potiùs esse sequendum, quasi primum autographum. Moses enim hîc tam chronologiam quàm historiam mundi pertexit: ergo non omisit 30. annos, qui iuxta LXX. sunt dandi Cainan; hoc enim ingens esset vitium & error in chronologia,

Cainan reijcitur. Primò.

nologia, imò in historia. Itaque non minoris ferè A periculi est dicere Mosen hîc esse mutilum, quàm dicere Lucam esse superfluum: aut dicere, textum S. Script. hîc esse detruncatum, quàm dicere in Luca esse redundantem iu Cainan. pari enim modo corrumpitur, & falsa efficitur tam historia, quàm chronologia. *Secundò.* Secundò, quia Hebræa, Chaldæa & Latina Biblia constanter, tam hîc, quàm 1. Paralip. 1. omittunt Cainan. *Tertiò.* Tertiò, quia Hebræi, Philo, Iosephus & alij veteres omittunt Cainan. *Quartò.* Quartò, quia regula est S. August. l. 15. de Ciuit. 3. *Si translatio ab originali dissentit, ei linguæ potiùs credendum est, vnde in aliam per interpretationem facta est translatio*: ergo Mosi Hebræo potiùs credendum, quàm versioni Septuag. *Quintò.* Quintò, quia in versionem LXX. irrepsisse hîc mendum, patet Primò, quia hîc manifestus in eis irrepsit error in numeris, adeoque in hoc ipso Cainan: habent enim B Cainan fuisse 130. annorum quando genuit Sale, cùm tamen nemo etiam eorum qui Cainan recipiunt, illi vltra 30. annos assignet. Secundò, quia editio LXX. à Romanis correcta, & auctoritate Sixti V. Pontif. edita, expungit Cainan 1. Paralip. 1. Recensens enim seriem generationum ab Arphaxad vsque ad Abraham, sic eam pertexit: *Arphaxad, Sala, Heber, Phaleg, Ragau, Seruch, Nachor, Tharra, Abraham*: vbi planè consentiunt cum editione Latina vulgata v. 24. Si in I. Paralip. in serie genealogiarum expungendus est Cainan apud Septuag. iuxta correctionem Romanam: ergo apud eosdem expungendus est Genes. 11. Eadem enim series generationum vtrobique conscribitur. Hæc sanè coniectura valida est, magnamque mouet suspicionem in Genesi apud Septuag. intrusum esse C Cainan. Suspicionem auget, quòd apud Septuag. in Genesi, ijdem prorsus numeri generationis & ætatis dentur Cainan, qui dantur Salæ, cùm in alijs semper euarient. Vnde illi Salæ soli à Septuag. dati videntur, & ab aliquo intrudente Cainan, in eo repetiti. Sic enim habent: *Et vixit Cainan* 130. *annos, & genuit Sala. Et vixit Cainan postquam genuit Sala, annos* 330. *& genuit filios & filias, & mortuus est*. Deinde eosdem numeros, imò eadem omnino verba asscribunt Salæ, dicendo: *Et vixit Sala* 130. *annos, & genuit Heber. Et vixit Sala postquam genuit Heber*, 330 *annos, & genuit filios & filias, & mortuus est*. Tertiò, quia Epiphan. hær. 55. recitans seriem generationum ab Abraham vsque ad Sem, iuxta versionem LXX omittit Cainan, ergo in LXX. tunc non erat Cainan, sed postea irrepsit. Idem patet ex S. Hieron. qu. in Genes. vbi absolutè omittit Cai- D nan. sic enim legit: *Arphaxad genuit Sale: Sale genuit Heber*. Quòd si tunc LXX habuissent Cainan, sanè S. Hieron. id non dissimulasset. nam ibi & alibi studiosè notat LXX. vbicumque ab Hebræo dissentiunt: sicut in ijsdem quæst. disertè notat eosdem, quòd in generationibus Adæ, Seth, Enos, &c. Genes. 5 ponant 200. annos, vbi Hebræa habent 100. Ergo tempore S. Hieronymi & Epiphan. necdum in codices saltem correctiores, tum Septuag. tum S. Lucæ irrepserat Cainan. Correctiores dico, nam in aliquos alios irrepsit. S. August. enim q. in Genes. 23 & Euseb. in Chronico interserunt Cainan. Audi & Procopium Gazæum, vetustum & grauem commentatorem: *Hebraica, inquit, veritas habet, Salam genitum esse ab Arphaxad: quæ enim in medio ponuntur, obelisco signata visuntur*.

Ex dictis sequitur, omittendum esse Cainan, ac consequenter à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, fluxisse annos tantùm 292. non autem 322. vti numerant ij qui Cainan recipiunt.

Obiectio. Dices, S. Luc. c. 3. in fine, confirmat versionem LXX. additque Cainan. *Resp.* Respondent nonnulli conformiter non videri dubium, quin in S. Luca Cainan additus sit ex versione LXX. Cùm ergo rationes adductæ probent Cainan irrepsisse in LXX. sequitur eumdem pariter in Lucam irrepsisse, non errore S. Lucæ, quasi is versionem LXX. tunc vulgatam, eiusque errorem secutus sit, vti volunt Iansen. & Caietanus in Lucæ 3. & Genebrardus in Chronolog. (sic enim errasset S. Script. ipseque Spiritus S. cuius scriba fuit S. Lucas: quod absit) sed errore librariorum, vel scioli alicuius, qui hebraicè nesciens, cùm in versione Septuag. quæ olim vulgata fuit, in Genesi inueniret additum Cainan, eumdem ex LXX. in Lucam transtulit, illumque ei inserendum putauit. Sic multorum sententiâ irrepsit nomen Abraham pro Iacob Act. 7. v. 16. & nomen Ieremiæ Matth. 27. 9. Sic Matthæi 1. 12. passim ex Latinis codicibus excidit vna generatio. hoc enim modo supplendum & legendum est cum S. Epiphan. & alijs: *Iosias genuit Ieconiam & fratres eius: Ieconias autem genuit Iechoniam in transmigratione Babylonis*. Iam enim tantùm legitur: *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis*. Si locus Matthæi passim mendosus restitui potest ex libris Regum, cur non & locus Lucæ ex Mosis autographo? Locum enim esse mendosum tam ex alijs Script. locis, quàm ex alijs exemplaribus eiusdem loci euariantibus, colligi potest. Sic pro *Bethania*, vti Ioan. 1. 28. legunt omnes codices Latini, Syri & plurimi Græci, multi reponendum volunt *Bethabara*. nam ita legit Chrysost. Origen. Theoph. Euthym. & alij in illum locum commentantes. vide Franc. Lucam in Notat. ibid. ex quo plura talia colliges. Sic 4 Reg 8. 26 pro *viginti duorum annorum erat Ochozias*, Caietan. Bellarm. & alij legendum putant, *quadraginta duorum annorum erat Ochozias* ita enim legitur 2. Paralip. 22. 2. Si in hisce Scripturæ locis viri sapientes censent, quasdam voces irrepsisse (esto eæ in omnibus, vel penè omnibus Biblijs, etiam Romanis, habeantur) eò quòd illæ videantur apertè repugnare alijs eiusdem Scripturæ sententijs; cur id ipsum hîc in Cainan contigisse, eandem ob causam opinari non liceat? præsertim cùm ad id maior cogat hîc ratio, ac penè necessitet. Nam Primò, Moses disertè & præcisè hîc asserit, Arphaxad anno ætatis suæ 35. genuisse Sale. Hoc autem absolutè falsum est, si ex Septuag. interijciamus Cainan: nam secundùm illos Cainan genitus est ab Arphaxad hoc ipso anno eius 35. Sale verò post triginta annos genitus est à Cainan, non ab Arphaxad. Durum enim & violentum videtur, ac in chronologia mendacium, quod aliqui respondent, Sale genitum esse anno 35. Arphaxad, non in se, sed in patre suo Cainan. Secundò, Moses exactè & ex professo, isque solus, conscribit hîc historiam, genealogiam & chronologiam mundi: ergo incredibile est, quòd ipse omiserit 30. annos vitæ Cainan. Hi enim triginta anni perturbant & vitiant totam chronologiam. Quis audeat dicere Mosen truncasse, & consequenter vitiasse chronologiam triginta annis? Tertiò, nulla probabilis ratio dari potest, cur Moses omiserit Cainan. Nam illa quæ à nonnullis affertur, quòd scilicet voluerit generationes quæ

fuerunt

fuerunt ante & post diluuium, ad duas decades redigere, vt, sicut decem sunt generationes ab Adam vsque ad Noë, sic & decem assignaret à Noë vsque ad Abraham; illa inquam, vt rectè ait Perer. nec ab ipsis probari potest, & leuis est ac futilis, nec talis & tanta, vt propter eam debuerit Moses chronologiam (cuius exacta cognitio tanti erat momenti) perturbare & confundere. Quare si Mosis, æquè ac lib. Paralip. ac Vulgatæ editionis vtrobique fidem, integritatem & chronologiam tueri volumus, vel inuiti, inquiunt, cogimur asserere, Cainan in Septuag. irrepsisse. Satius enim est, & minoris notæ ac periculi, errorem hunc librarijs & descriptoribus, quàm ipsis Septuag. vtpote viris sapientissimis impingere; vti iisdem librarijs errorem, qui hîc in numeris apud Septuag. reperitur, impingit S. August. lib. 15. Ciuit. 13. vbi & asserit vetus esse hoc mendum, vtpote à priscis primisque A descriptoribus commissum, quod proinde in omnia deinceps exemplaria LXX. & ex ijs ilico in omnia S. Lucæ peruasit. Cùm enim versio LXX. apud gentes Hebræa ignorantes, toto orbe esset vulgata, & in ea inuenirent Cainan, putarunt, eumdem omninò addendum esse in S. Luca, præsertim cùm initio non statim S. Lucas habitus sit scriptor canonicus. Vnde non mirum quòd idipsum ex alijs exemplaribus, vtpote vitiatis, emendari non possit; sed ex originali textu Hebræo, cui astipulatur Latinus & Chaldæus (qui tanti, imò pluris sunt, quàm multa exemplaria euariantia) emendandum sit. In hanc sententiam præ cæteris propendet Perer. Sic & Beda (licet timidè) Ado quoque, Isidorus, Abul. Lucidus, Eugubinus, Genebrard. Iansen. & Caiet. omittunt Cainan. Quin & plerique interpretum Lucæ 3. 36. reipsa astipulantur. Nam exponentes illud de Sale: *Qui fuit Cainan*, sic exponunt: *qui fuit*, scil. non filius naturalis, vti cæteri apud Lucam, sed vel frater, vel filius legalis, vel etiam ille ipse *Cainan*. quæ expositiones, quia contortæ, & nostram sententiam validant, vtpote præter quam nulla alia expositio vel conciliatio solida, quæ viro cordato satisfaciat, dari possit; & reipsa Cainan è serie genealogiæ & chronologiæ auferunt, quod vnum hîc agimus & deposcimus. Hic enim nobis sufficit, vt Mosis, vtpote sacri & diuini historici & chronologi, historia & annorum mundi series integra & intacta consistat, cùm præter illam non habeamus aliam: quòd si illam mutilam aut vitiatam fatemur, mutilamus, imò tollimus è mundo omnem veram non tantùm mũdi primæui, sed & sæculorum omnium sequentium, indeque dependentium chronologiam; cùm tamen Deus eam hominibus per Mosen conscribi & tradi voluerit. Annon hæc ratio adeò iusta est & grauis, vt cogat fateri irrepsisse Cainan? Qua in re ita Mosi fidem arrogamus, inquiunt, vt nihil LXX. vel S. Lucæ & Vulgatæ editioni derogemus; imò ipsos ab iniuria & mendo librariorum vindicamus, ac suæ puritati restituimus, & cum Mose suoque prototypo conciliamus, idque per omissionem vnius tantùm voculæ. Dices: Ergo eradendus est Cainan è textu LXX. & S. Lucæ; vti eradunt eum hæretici, dicentes eum confictum esse à LXX. Resp. Nego consequentiam: tum quia passim exemplaria Græca & Latina habent Cainan: vnde eius erasio multos offenderet. Qua de causa Romani, qui iussu Sixti V. & Clementis VIII. Vulgatam editionem correxerunt, in præfatione sic aiunt: *In hac tamen peruulgata lectione sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt, quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam, S. Hieron. non semel admonuit*, &c. Quocirca præstat & sufficit viros doctos ea in suis Comment. annotare. Tum quia fortè hîc aliud secretum & mysterium diuinum latet, quod Deus homines ignorare voluit, vti innuit Beda. Quod ergo hîc dicimus de Cainan omittendo, dicimus de chronologia, idque quantum humanis coniecturis & rationibus assequi possumus. Humanitus enim loquimur: reliquum Deo & Ecclesiæ resignamus. ita Sixtus Senensis l. 5. Biblioth. annot. 88. & alij. Verùm hæc suo loco Lucæ 3. 36. discutienda sunt.

B Nota. Vti dixi c. 5. in genealogia Adæ vsque ad Noe, numeros in LXX. esse corruptos, ita & hîc corrupti sunt. hîc enim LXX. tam Arphaxad, quàm alijs adijciunt centum annos, quos non habent Hebræa, nec Noster; vnde secundùm Septuag. ita corruptos, sequitur à diluuio vsque ad Abram fluxisse annos 1172. cùm iuxta Hebræam veritatem, tantùm fluxerint 292.

VIXITQVE ARPHAXAD TRECENTIS TRIBVS ANNIS] Ita legunt Biblia Latina Rom. & Regia, & Septuag. Græca ex editione Caraffæ. Verùm Hebræa, Chaldæa & LXX. tam ex editione Complutensi, quàm Regia, multa etiam vetera Latina Biblia legunt 403. idque magis consentit cum ætate istius æui. nam Sale & Heber, qui fuerunt posteri Arphaxad, vixerunt 400. annis & ampliùs. VERS. 13.

Nota. Ante diluuium vixerunt homines 900. annis, mox à diluuio tantùm 400. & mox 300. vnde patet, vitam priorum tam longæuam, scilicet C vsque ad 900. annos, eis obtigisse, non ex vi naturæ & causarum naturalium, sed potiùs ex dono Dei: nec enim statim in prima aut secunda generatione, potuit naturaliter vita hominum decrescere ad 500. aut 600. annos.

SARVG] Hunc Epiphan. & Suidas faciunt inuentorem simulacrorum, formandi scilicet picturas & statuas, in quibus repræsentarentur, colerentur & adorarentur principes alijque viri illustres, quasi tunc cœperit idololatria. Verùm idololatriæ auctorem fuisse Nemrod, siue Belum superiùs dixi. Sarug ergo eius non fuit auctor, sed propagator per suam plasticen & pictoriam. Errat rursum hîc Suidas, dum Sarug collocat in posteris Iapheth. VERS. 20. *Sarug inuentor pictoriæ & statuariæ.*

VIXITQVE THARE SEPTVAGINTA ANNIS, ET GENVIT ABRAM, ET NACHOR, ET ARAN] Nota. Thare primum filium genuit Aran, secundùm D Nachor, tertium Abram; fuit ergo Abram minimus natu. Id patet: nam Abram habuit vxorem Saram, quæ erat filia Aran, eaque tantùm decennio fuit senior Abramus. Atqui Aran cùm genuit Saram, vt minimùm 20. erat annorum: ergo Aran vt minimùm decennio senior erat Abramo. Præponitur autem hîc fratribus suis Abram, licet iunior, quia eius vnius prosapiam, fidem & gesta deinceps prosequi intendit Moses. VERS. 26. *Abram fuit minimus natu fratrum.*

Sensus ergo est: vixit Thare 70. annos, & iam tum genuerat Aran & Nachor, ipsum verò Abram præcisè genuit anno 70. ita Perer. & alij. Perperam ergo aliqui putant, Abram natum esse anno Thare, non 70. sed 130. quorum rationem soluam c. 12. v. 4. Disertis enim verbis hîc dicitur, quòd Thare genuerit Abram, cùm 70. esset annorum: atque ita per hunc annum 70. Thare, continuat

Moses

Moses suam chronologiam, quæ alioqui esset incerta & dubia, imò falsa, si non 70. sed 130. anno Thare natus esset Abram.

Nota Secundò. Natus est Abram anno 292. à diluuio, cumque Noe vixerit post diluuium 350. annis; hinc sequitur Noe mortuum esse anno Abrami 58. Abram ergo vidit omnes suos auos, numero nouem, vsque ad Noe: scilicet vidit Thare, Nachor, Sarug, Reu, Phaleg, Heber, Sale, Arphaxad, Sem, Noe.

TVLIT ITAQVE THARE ABRAM FILIVM SVVM] scilicet postquam Abram ex Vr Chaldæorum à Deo euocatus est, c. seq. v. 1. Est ergo hîc prolepsis siue anticipatio: voluit enim Moses hîc vitam simul & mortem Thare pertexere, antequam ordiretur gesta Abræ, etiam illa quæ gessit viuente adhuc Thare patre suo.

Nota. Putant aliqui cum S. Chrysost. Thare in Chaldæa initio coluisse idola, sed ab Abramo filio conuersum ea deseruisse & coluisse Deum verum. Id probant ex Iudith 5. 8. sed ille locus potiùs contrarium asserit, scilicet noluisse eum colere idola patria. Idem rursum probant ex Iosue 24. 2.

Ex quo loco etiam Abramum initio, antequam à Deo vocaretur, idola coluisse colligunt Philo l. de Abraham, Hebræi, Genebr. & And. Masius scribens in Iosue 24. Verùm veriùs est Primò, Abram numquam idola coluisse. Primò, quia Iosue 24. v. 2. non Abram, sed Thare tantùm & Nachor dicuntur seruijsse dijs alienis. Secundò, quia Abram quasi pater credentium, & exemplar fidei in Scriptura nobis proponitur: ergo numquam fuit infidelis. Tertiò, quia ita sentiunt Ioseph. Suidas, Pererius, Delrio & alij plurimi.

Abraham nunquam coluit idola.

Secundò, verius est Thare in Chaldæa non coluisse idola, sed cum Abramo coluisse Deum verum, ideoque cùm à Chaldæis diuexaretur, monente & euocante eum Abramo, inde secessisse & migrasse in Chanaan: verùm cùm Thare iam fatigatione & senio conficeretur, fessus substitit in itinere, putà in Mesopotamiæ vrbe Haran, quæ vulgò Carrhæ dicitur, vbi M. Crassus Romanus dux à Parthis cladem accepit.

Tertiò, verius est Thare in Mesopotamia, putà in Haran, lapsum esse in idololatriam: vel ex consuetudine istius gentis, vel aduentu filij Nachor idololatræ ex Chaldæa (Nachor enim ex Chaldæa in Haran commigrasse, patet Gen. 24. 10. Gen. 28. v. 2. 5. 6. 10. eumque ibi cum domo sua coluisse idola, patet Gen. 31. 30.) vel discessu & absentia ipsius Abræ, cùm is ex Haran perrexisset in Chanaan. Id patet Iosue 24. 2. vbi sic dicitur: *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraha & Nachor, seruierúntque dijs alienis. Trans fluuium*, scilicet Euphratem in Mesopotamia, non autem in Chaldæa: sic enim se explicat Iosue v. seq. & v. 14. & 15 ita ex S. August. & Tostato Pererius.

Thare in Haran lapsus est in idololatriam.

ET EDVXIT EOS DE VR CHALDAEORVM] *Vr* fuit vrbs Chaldææ, quæ alio nomine dicta est Camirine, teste Eupolemo apud Euseb. libr. 9. Præp. Euang. 4. Porro Chaldæi dicuntur ab Hebræo & Chald. *Chasdim*, mutata litera s. in l. sicut ex Ὀδυσσεύς factum est Vlysses. *Chasdim* verò plurale in sing. habet *Chasad*, quod Hebræi nonnulli decurtatum putant ab Arphaxad. tres enim literæ vltimæ in vtroque nomine sunt eædem: nam vocales non æstimant Hebræi. Quare ipsi censent, Chaldæos oriundos & nominatos esse ab Arphaxad filio Sem. Alij à Cased filio Nachor, fratris Abræ, ortos & dictos putant Chaldæos, de quo c. 22. 22. Sed hic posterior fuit.

Nota. *Vr*, hîc significat ignem, vnde videtur hæc vrbs dicta *Vr*, quòd in ea seruaretur & coleretur sacer ignis. Sic enim Persæ ignem sacrum quasi numen colebant in locis, quæ inde πυρεῖα vocat Procopius histor. in Persicis. Pari modo ignem coluisse Chaldæos tradit S. Hieron. Sic ergo *Vr* dicta videtur à cultu ignis, sicuti Heliopolis dicta est à cultu solis. Fortè *Vr* eadem est cum Vram, quam Plinius lib. 7. c. 24. ponit iuxta Euphratem.

Hinc etiam noster Interp. l. 2. Esdræ c. 9. 7. pro *Vr*, quod est in Hebræo, vertit ignem: vertit enim, *Deus qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne*, (hebr. *de Vr*) *Chaldæorum*. Vbi Aduerte, Esdram omnino videri alludere ad hunc locum Gen. q. d. Deus qui eduxisti Abraham de Chaldæorum vrbe, quæ hebr. vocatur *Vr*, id est ignis. sic enim & alibi noster Interpres, propria vrbium, hominum & locorum nomina subinde interpretatur per eorum significata, vt patet Iudic. 15. 19. Gen. 26. 20. & 22. & alibi. Vnde Secundò, ignis apud Esdram accipi potest appellatiuè, vt significet tribulationẽ: huius enim in Script. symbolum est ignis, vt patet psal. 16. 3. psal. 65. 12. Multas enim afflictiones Abramum passum esse à Chaldæis, eò quòd nollet adorare ignẽ, docet Ioseph. S. August. l. 16. Ciuit. 13. & alij.

Vr Chaldæorum vrbs ita dicta à cultu ignis.

Potest Secundò, ignis apud Esdram capi propriè. nam Hebræorum traditio est, Abramum hac eadem de causa propriè in ignem, vt habet Esdras, à Chaldæis iniectum, sed ex eo per miraculum à Deo liberatum esse: quam traditionem licet initio suggillet, postea tamen approbat S. Hieron. &, vt videtur, Ecclesia, quæ pro moribundis orat, vt Deus eos liberet ab angustijs mortis, & ab igne gehennæ, sicut Abramum liberauit de *Vr*, putà de igne, Chaldæorum.

Abram de Vr, id est igne Chaldæorum liberatus fuit.

Idem indicat S. Scriptura, cùm hanc eductionem & liberationem Abræ de Vr Chaldæorum, quasi rem magnam & admirabilem celebrat. nec mirum est eius non meminisse Iosephum, Philonem, & Paulum Hebr. 11. vti obijcit Pererius, quia illi tantùm ferè referunt ea, quæ habentur in S. Scriptura, vti sæpè de se profitetur Iosephus. Moses etiam idipsum tacuit, quia compendio omnia, tam Adami quàm aliorum vsque ad Abrami vocationem gesta perstringit. Quid enim habes in Genesi de actis Adæ, Seth, Enos, Mathusalem, & aliorum ante diluuium per 1656. annos? Vbi tamen Aduerte, in hac traditione circumstantias quasdam fabulosas ab Hebræis admisceri, vt quòd Aran frater Abræ in eumdem ignem iniectus, ab eo consumptus sit, eò quòd non tantæ esset fidei quantæ erat Abram: nam Aran naturali morte esse defunctum satis indicat Moses v. 28. Rursum, quòd Nemrod, vrgente Thare patre Abræ, vtpote idololatra, Abrahamum coniecerit in ignem. nam Nemrod, siue Belus ante Abram mortuus est: natus est enim Abram anno 43. Nini, qui Belo patri defuncto successit, vti dixi c. 10.

Potest Tertiò verti, *de Vr*, id est, de doctrina (erroris & idololatriæ) *Chaldæorum*. sic enim Noster *Vrim* vertit doctrinam, Exodi 28. 31. & alibi.

MELCHA FILIA ARAN PATRIS MELCHAE, ET PATRIS IESCHAE] Iescham hanc esse Saram Abulens. & alij plerique opinantur. Sicut enim prior filia Aran, putà Melcha, nupta fuit Nachor patruo suo, Vers. 19.

Ieſcha eſt Sara. ſuo,ita & ſecunda,putà Ieſcha ſiue Sara,nupta fuit Abramo patruo ſuo,vti hoc verſu ſubindicat Moſes,& clariùs cap.20.v.12.vbi Abram Saram vocat ſororem ſuam,id eſt neptem ex fratre Aran.Saram enim non fuiſſe neptem Abræ ex fratre Nachor, A ſatis hîc indicat Moſes,cùm Abram & Nachor ſimul duxiſſe vxores commemorat.

Ex hoc cap.colligitur chronologia mundi, ſcilicet à fine diluuij vſque ad Abram fluxiſſe annos 292.id patet,nam

biennio poſt diluuium Sem genuit Arphaxad,

Arphaxad	genuit	Sale	cùm eſſet	35.	annorum.
Sale		Heber		30.	
Heber		Phaleg		34.	
Phaleg		Reu		30.	
Reu		Sarug		32.	
Sarug		Nachor		30.	
Nachor		Thare		29.	
Thare		Abram		70.	

Summa 292.anni.

Ergo Abram natus eſt anno 292.à diluuio,qui fuit annus mundi 1949.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INcipit hic pars tertia Geneſeos. Prima enim eſt à c.1. ad 6. continens geſta ab Adamo vſque ad Noe & diluuium. Secunda à c.6.hucuſque,continens geſta à Noe ad Abram. Tertia hæc pars ab hoc cap.ad c.25. continet geſta Abrami. Hac ergo Tertia parte Abram quaſi pater credentium, ſanctitatis & perfectionis exẽplar nobis proponitur. Iſq; primò quaſi incipiens virtutis iter,vſq; ad c.17. inde vt in eo proficiens,vſque ad c.22.exinde vt perfectus,ad c.25. Vide de laudibus Abrahæ Philonem,S.Chryſoſt.& Ambroſ.qui ait l.1.de Abraham c.2. Magnus planè vir Abraham,& multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis philoſophia non potuerit æquare. *& infrà:* Tentatur vt fortis,incitatur vt fidelis,prouocatur vt iuſtus: facto præuenit dictum Sapientum:Sequere Deum,*&c. Hoc ergo capite Abraham, euocatus à Deo ex Chaldæa patria ſua, cũ ampla promiſſione,peregrinatur in Chanaan,putà in Sichem & Bethel Secundò,v.10.ob famem pergit in Aegyptum,vbi rapitur Sara à Pharaone; ſed ob flagella à Deo immiſſa reſtituitur Abrahæ.*

1. DIxit autem Dominus ad Abram, Egredere de terra tua,& de cognatione tua,& de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi. 2. Faciamque te
in gentem magnam,& benedicam tibi,& magnificabo nomẽ tuum, eriſque benedictus.
3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. 4. Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cùm
egrederetur de Haran. 5. Tulitque Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran: & egreſſi
ſunt vt irent in terram Chanaan. Cumque veniſſent in eam, 6. pertranſiuit Abram
terram vſque ad locum Sichem,vſque ad conuallem illuſtrem: Chananæus autem tunc
erat in terra. 7. Apparuit autem Dominus Abram,& dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino,qui apparuerat ei. 8. Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum,
ab Occidente habens Bethel,& ab Oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino,
& inuocauit nomen eius. 9. Perrexitque Abram vadens, & vltrà progrediens ad
Meridiem. 10. Facta eſt autem fames in terra:deſcenditque Abram in Ægyptum,vt
peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra. 11. Cumque propè eſſet vt ingrederetur in Ægyptum, dixit Sarai vxori ſuæ: Noui quòd pulchra ſis mulier: 12. &
quòd,cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt, Vxor ipſius eſt: & interficient me, & te reſeruabunt. 13. Dic ergo,obſecro te,quòd ſoror mea ſis:vt bene ſit mihi propter te, &
viuat anima mea ob gratiam tui. 14. Cùm itaque ingreſſus eſſet Abram Ægyptum,
viderunt Ægyptij mulierem quòd eſſet pulchra nimis. 15. Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. 16. Abram verò bene vſi ſunt propter illam:fueruntque ei oues & boues, & aſini,
& ſerui & famulæ,& aſinæ & cameli. 17. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius, propter Sarai vxorem Abram. 18. Vocauitque Pharao
Abram, & dixit ei: Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti quòd vxor
tua eſſet? 19. Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in
vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam,& vade. 20. Præcepitque Pharao
ſuper Abram viris:& deduxerunt eum,& vxorem illius, & omnia,quæ habebat.

Dixit

VERS. I.

DIXIT AVTEM DOMINVS AD ABRAM, EGREDERE] Putant aliqui Abramum bis vocatum fuisse à Deo. Primò, in Vr Chaldæorum, Actor. 7.2. Secundò, hîc ex Haran, vt pergeret in Chanaan. ita Diodorus & S. Hieron. Verùm verius est, tantùm semel à Deo vocatum esse Abram, eandemque esse vocationem, de qua agit Moses hic, cum ea, de qua agit S. Stephanus Actor. 7. Eadem enim hîc & ibi sunt verba: citat enim Stephanus hæc verba Mosis: ac proinde vna & eadem vtrobique est vocatio. Vnde patet, hanc Abræ vocationem contigisse non in Haran, sed in Vr Chaldæorum. id enim asserit S. Stephanus Actor. 7. ita S. Augustinus l. 16. de Ciuit. 15. Est ergo hîc prolepsis: *dixit autem*, id est, dixerat autem, scilicet iam antè cùm versaretur Abram in Vr Chaldæorum. hæc enim vna Dei vocatio mouit Abram, vt exiret primò ex Vr in Haran cum patre; deinde, vt ibi relicto patre ex Haran pergeret in Chanaan, quò eum euocarat Deus. Non enim quieuit Abram, donec primæ Dei vocationi plenè satisfaceret.

Abram semel tantùm vocatus est in Chanaan.

Obiectio. Dices. S. Stephanus asserit Abramum vocatum in Mesopotamia: ergo non fuit vocatus Abram ex Vr, quæ est in Chaldæa. *Respons.* Respõd. S. Stephanus Mesopotamiam latè sumit, vt complectatur etiam vicinam Chaldæam. Id ita esse, patet ex eo quod subdit Stephanus: *Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Sic Babylonem, quæ est metropolis Chaldæorum, Mesopotamiæ annumerat Plinius l. 6. c. 26.

DOMINVS] Idem & clariùs asserit S. Stephanus, Act. 7. Fabulatur ergo Lutherus, dum Abramum non à Deo, sed à Sem vocatum esse asserit: fingit enim ipse Deum id indicasse Semo, Semum id retulisse Abramo.

Nota, Deum Abræ alijsque Prophetis tripliciter esse locutum: scilicet, aliquando per somnia à se immissa, vt patet c. 15. 12. aliquando per angelos voce sensibili; aliquando per locutionem spiritualem in mente & phantasia, quo modo Abræ hîc locutus est Deus.

Tripliciter Deus locutus est Prophetis.

EGREDERE] Hebraicè לך לך *lech lecha, vade tibi*, q. d. Absolutè vade, & egredere è patria & domo tua, ampliùs eò non rediturus.

Nota. Inter omnes homines hîc primò à Deo vocatur Abram, ex patria sua Chaldæa in Chanaan: datur ergo hîc typus vocationis omnium, qui vocantur ad fidem, gratiam, iustitiam, perfectionem & salutem. Hinc & Abram dicitur pater credentium & iustorum; idque Primò, quia primus Abram ex media infidelitate Chaldæorũ hîc euocatur à Deo, eiusque fides & obedientia tam fuit illustris, vt illicò Deum vocantem secutus sit, licet nesciret quò vocaretur, & quò iret, Hebr. 11. 8. Secundò, quia primus Abram promissionem accepit de Christo ex se nasciturо, per cuius fidem & gratiam omnes gentes erant benedicendæ. Tertiò, quia Abrã pater fuit Hebræorum, penes quos ferè solos fuit fides & Ecclesia Dei vsque ad Christum.

Vocatio Abræ est typus vocationis omnium.

Tropol. de triplici vocatione & renuntiatione vide Cassian. initio collationis 3. Nam Paphnutius Abbas cap. 6. tria hæc adaptat triplici abrenunciationi. *Prima est*, inquit, *qua corporaliter vniuersas diuitias mundi facultatesq́; contemnimus: secunda, qua mores ac vitia, affectusq́; pristinos animi carnisq́; respuimus: tertia, qua mentem nostram de*

A *præsentibus vniuersis ac visibilibus euocantes, futura tantummodo contemplamur, & ea quæ sunt inuisibilia concupiscimus. Quæ tria vt simul perficiantur, etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cùm dixit: Exi de terra tua & de cognatione tua, id est de conuersatione & moribus vitijsq́; prioribus, quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia, velut affinitate quadam & consanguinitate cognata sunt: tertiò, de domo patris tui, id est de omni memoria mundi huius, quæ oculorum occurrit obtutibus. De duobus enim patribus, id est siue de illo qui deserendus est, siue de illo qui expetendus est, ita per Dauid ex persona Dei canitur: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Nam qui dicit: Audi filia, pater vtique est; & illum cuius domum vel populum obliuioni tradi debere persuadet, patrem nihilominus suæ filiæ fuisse testatur.* B Rursùm Philo lib. de Migrat. Abraham, & eum secutus S. Basil. in cap. 7. Isaiæ, & S. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 2. *migrationem de terra*, tropologicè exponit, *fugam è carcere corporis & voluptatibus, tamquam custodibus carceris illius*: cognationem intelligit, *sensuum familiarem vsum, qui sensus sunt cognati mentis, & cum ea pars animæ*. Per domum paternam accipit *mentem, siue intellectum & rationem, quæ quasi pater potentias suas in singulas partes seminat, suas cuique operationes tribuens, & omnes gubernans.*

Alcuinus siue Albinus quæst. 154. in Gen. ait, *Per tres egressiones, de terra, de cognatione, de domo paterna, significari egrediendum nobis de terreno homine, de cognatione vitiorum nostrorum, & de mundo qui diaboli domus est*, idque significari psalm. 44. v. 11. *Obliuiscere populum tuum & domum patris tui.* C Hugo Victor. libr. 2. Allegor. in Genes. cap. 2. docet significari egressum animæ de delectatione terrena, & de conuersatione praua, in qua sub patre diabolo primùm permansit: inuitatis autem ad terram vitæ spiritalis tabernaculum esse conuersationem honestam, altare fidem firmam, sacrificium actionem bonam.

DE TERRA TVA] de Vr Chaldæorum, quæ est patria tua.

DE COGNATIONE TVA] relinque cognatos tuos Chaldæos idololatras.

DE DOMO TVA] quin & domum tuam desere; domum inquam, tam splendidam, tam caram. nec solùm domum ipsam, sed & incolas domus, putà fratrem, patrem, & vxorẽ, si manere velint, relinque, & egredere solus, vt Deum vocãtem sequaris. Ecce quot verbis, tot stimulis pungit exercet & acuit Deus fidem & obedientiam Abræ. D Ita videtur Abram reliquisse reipsa domi in Chaldæa Nachor fratrem idololatram, cum sua familia. nam c. præced. v. 31. solus Thare, Lot & Sara, cum Abram egressi dicuntur ex Chaldæa in Haran: postea tamen Nachor, vel desiderio patris & fratris, vel quia ob discessum patris & fratris vexabatur à Chaldæis, ex Chaldæa suos in Haran secutus est, vt patet c. 24. 10.

Abram reliquit omnia sua, omnesq́; cognatos in Chaldæa.

Nota hîc in Abramo, conditiones & dotes perfectæ obedientiæ. Prima est, obedire promptè & libenter: promptè enim ipse Deum vocantem secutus est. Ita Cassian. iubet Monachis, *vt præter Abbatis mandatum, nulla penitus voluntas viuat in eis.*

Proprietates obedientiæ. Prima.

Secunda est, obedire simpliciter. quod fit cùm iudicium nostrum submittimus iudicio Superioris. *Exijt* enim Abrãm *nesciens quò iret*. Ita Petrus

Secunda.

& Andreas vocati à Christo, non hæsitantes, non solliciti vnde viuerent, non considerantes quomodo rudes homines prædicatores fieri possent, sine mora secuti sunt Christum. *Crede tibi salutare, quidquid monasterij præpositus præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Mose, Audi Israel, & tace*, inquit S.Hieron. ad Rusticum. & S.Gregor. *Nescit iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.*

Tertia. Tertia est, obedire hilariter. Abram enim cum Sara, Lot, rebusque omnibus lætus exiuit ex Vr. S.Basilius in Constit. monast. *Apostoli*, inquit, *submissa mentis ceruice obedientiæ iugum subierunt, alacriq; animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processêre. hanc obedientiam præstet monachus.*

Quarta. Quarta est, obedire humiliter. Deo enim ardua præcipienti humiliter subiecit se Abram, dicens cum Psalte; *Nónne Deo subiecta erit anima mea?* &, *Vt iumentum factus sum apud te.* hinc non obtēdit senium patris, non viæ molestias, &c.

Quinta. Quinta est, obedire viriliter & constanter. Abram enim viriliter superauit omnes difficultates cognatorum & itinerum, vt obediret Deo. Rectè S.August. l.1. Soliloq 15. *Constanter*, inquit, *Deo crede, eiq; te totum committe quantum potes: ita enim ipse te ad se subleuare non desinet, nihilq; tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.*

Sexta. Sexta est, obedire indifferenter. Indifferens enim erat Abram vt iret quocumque eum vocaret Deus: Deo enim se totum resignabat. *Nihil gratius Deo possumus offerre, quàm vt dicamus ei cum Isaia, Posside nos*, ait S.August. in psalm. 131. Scribit Cassian. l.4. c 10. Tabennesiotas monachos *sic vniuersa complere quæcumque à Superiore fuerint præcepta, tamquam si à Deo cælitus sint edita.*

Septima. Septima est, obedire perseueranter. Abram enim tota vita peregrinatus est in Chanaan, vt obediret Deo. ita Christus obediuit vsq; ad mortem, & mortem crucis. Denique Climachus gradu 4. *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, nauigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, suo onere alijs imposito.*

QVAM MONSTRABO TIBI] Deus ergo vocans Abram non reuelauit ipsi quonam esset eundum; sed id postea ei reuelauit. Vnde Apostolus fidem & obedientiā Abrami laudat dicens ad Hebr. 11. *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem: & exijt nesciens quò iret.* Nam, vt rectè ait Delrio, Solet vaga & incerta peregrinatio liberorum procreationi & educationi officere, opes deterere, famam maculare, amicitias soluere.

Verùm Deus hîc Abramo peregrinaturo, omnia contraria in præmium obediētiæ pollicetur, quæ reipsa eidem præstitit. Hinc Abræ obedientiam, pariter & remunerationem Iudæis & nobis imitandam proponit Isaias cap. 51. 2. *Attendite*, inquit, *ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.*

Abram sciuit se vocari in Chanaan, sed nesciuit in Nota. Deus vocans Abramum reuelauit simul ei eundum esse in Chanaan, vt patet v.5 & c. 11. 31. sed non reuelauit illi, in quam partem Chanaan eum cōmigrare vellet; regio enim Chanaan ampla erat, & in multos reges partita. Quod hîc dicitur, sic intellige: *Veni in terram* (id est, in illam terræ Chanaan portionem) *quam monstrabo tibi.* hebr. אַרְאֶךָּ *arecha*, id est quam faciam te videre, quam oculis tuis ostendam. *quam eius partem vocaretur.*

Contrarium sentit Perer. scil. quòd Deus è patria vocans Abramum, ad exercēdam eius fidem & obedientiā, nec locum, nec nomen Chanaan, quò volebat eum pergere, illi indicarit. Verùm prior sententia, quæ est Abulens. & Oleastri hîc, ac Riberæ in Hebr. 11. 8. verior videtur, vti ibi fusiùs ostendi. Porro *euocauit*, inquit S.Chrysost. *Deus Abraham ex Chaldæa, quia volebat eum doctorem fieri omnibus Palæstinis & Aegyptijs.*

Fidelis est ciuis mundi. Moraliter discant hic cum Abramo fideles illud Nazianzeni orat. 28 *Nobis omnis terra, & nulla terra patria est.* nulla terra erit nobis patria, cùm cælum patriam nostram esse putabimus, & mundum exilium. nam, vt ait Hugo Victor. libr. 3. Didasc. erud. c. 20. *Magnum virtutis principium est, vt discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc & transitoria primùm commutare, vt possit etiam postmodum derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autem, cui omne solum patria est: perfectus verò, cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorem fixit; iste sparsit; hic extinxit.* κοσμοπολῖται sumus, id est non vni vrbi, sed toti orbi nati. Talis Adamus fuit natura, ait Philo: sed electione Socrates & Diogenes; quorum vterque cùm interrogaretur, Cuias es? *Mundanus*, inquit, *quia totius mundi ciuis sum & incola.* Talem se esse gloriatur Seneca lib. de Tranquill. c.3 *Magno*, ait, *animo nos, non vnius vrbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamq; nobis mundum professi sumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare.* Pontius in Vita S.Cypriani: *Christiano*, inquit, *totius hic mundus vna domus est.* Proinde S.Basilius Præfecto Valentis Imp. exilium minitāti, *exilium se non cognoscere* respondit, *qui nullo loco circumscriptus esset*, teste Nazianz. orat. 20. Alexander Magnus, teste Plutarcho, Persis deuictis, Macedonibus matrimonio iunxit Persides puellas: tum vniuersis mandauit, *vt mundum pro patria, castra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnoscerent.* Quid iam faciat Christianus? Audi S. August. in Sentent. sent. 7. *Omnis*, inquit, *qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali vtitur vita, in patria viuit aliena, vbi inter multa illecebrosa, & multa fallacia Deum nosse & amare paucorum est.* S.Cyprianus, cùm Proconsul ob fidem Christi minaretur ei exilium, dixit: *Exul non erit, qui Deum in mente habebit: quia Domini est terra & plenitudo eius.* *Adam fuit cosmopolita: sic & S. Basilius: & Alexander: & S. Cyprianus.*

VERS. 2. FACIAMQVE TE IN GENTEM MAGNAM] Notat Caiet. Abræ, si Deo vocanti obediat, septem à Deo benedictiones, siue ingentia bona promitti. Primum est, principatus, seu paternitas magnæ gentis, cùm ait, *Faciamq; te in gentem magnam*, vt scilicet ex te gens Iudæorum maxima nascatur, quæ numero æquetur stellis cæli, & arenæ maris; quæque magna sit honore & dignitate; tum legis & veræ fidei, tum victoriarum aliarumque rerum, Deut. 4. 7. *Septem benedictiones Abræ obedienti promissæ & præstitæ. Prima.*

Secunda. Secundum est, frugum opumq; copia, cùm ait, *Et benedicam tibi.* q.d. Homines bene & malè precantur, sed verbo tenus; nam vltrà quod faciant non habent: ego verò quidquid volo, quidquid imprecor, præsto; reipsa ergo benedicam & benefaciam tibi.

Ter-

Tertia. Tertium est, nominis celebritas & gloria, cùm ait, *Et magnificabo nomen tuum*, vt scilicet cunctis sæculis, & toto orbe celebre sit nomen tuum, vt Abræ nomine, fide & prosapia glorientur Iudæi, Saraceni, Christiani.

Quarta. Quartum est, complexio omnium benedictionum & bonorū, cùm ait, *Erisq; benedictus*. hebraicè est תְּהִי בְרָכָה *tehi beracha*, *sis benedictio*, id est, ita plenè per omnia sis benedictus, vt videaris esse ipsa benedictio, vtque homines cuipiam benedicere volentes, te in exemplum statuant, dicentes, Fiat tibi, benedicat tibi Deus, sicuti fecit & benedixit Abræ. quemadmodum Cæsari in inauguratione olim acclamabant: Sit Augusto felicior, sit Traiano melior.

Quinta. Quintum est, quòd non solùm tibi, ô Abram, sed & amicis tuis benefaciam. *Benedicam*, inquit, *benedicentibus tibi*. v.3.

Sexta. Sextum est, quòd tibi maleficis pariter malefaciam. *Maledicam*, inquit, *maledicentibus tibi*. q.d. Inimicos tuos tuasq; iniurias vlciscar & puniam; ijdem enim mihi futuri sunt amici aut inimici, qui tibi: quod proprium est perfecti fœderis & plenæ amicitiæ. Huc alludit Balaam Num.24.9. *Qui*, inquit, *benedixerit tibi, erit & ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur*.

Moraliter. Nota hîc, quàm vtile sit habere viros sanctos sibi amicos, ijsque esse beneuolum & beneficum; & contrà, quàm malum sit ijs detrahere, eos odisse, affligere & persequi: qui enim eos habet hostes, Deum sentiet hostem & vindicem.

Septima. Hæc sex ferè corporalia sunt & temporalia, septimum verò ac præcipuum spirituale est ac æternum; de quo subdit, dicens:

VERS.3. In te, id est, in Christo filio tuo. IN TE BENEDICENTVR OMNES COGNATIONES TERRÆ] *In te*, id est in semine tuo, vti exponitur Gen.22.17. hoc est in Christo, qui ex Abramo natus est; vti exponit S.Paulus ad Gal.3.16.& S.Petrus Act.3.26. Quod enim Christo filio præstitum est, hoc & Abrahæ parenti Christi præstitum est, iuxta can.15. per hoc enim spirituale & sanctum semen, putà per Christum, Abram factus est pater omnium credentium. q.d. Per Christum filium tuum tuum, ô Abram, perque fidem in Christum, omnes gentes benedicentur, id est iustificabuntur, fientque amici & filij Dei, ac consequenter heredes regni Dei, & aliquando audient: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*. Est ergo quòd gaudeas, ô Abram, quia per Christum filiū tuum pater eris omnium fidelium, iustorum & electorum. ita interpretes hîc, & S.Hieron. Anselm.& alij in epist. ad Galat.3.16.

Secundò, In te, id est, instar tui. Posset Secundò, etiam sic accipi: *in te*, id est instar tui, ad tui imitationem & exemplum. q.d. Sicut tu per fidem, ita & omnes gentes per fidem, non per opera legis benedicentur, id est iustificabuntur. Hebræi enim literam *bet*, id est *in*, sæpè sumunt pro affini litera seruili *caph*, quæ est nota similitudinis & comparationis. ita S.Chrysost. S.August. Theophyl. Oecum. in epist. ad Galatas c.3.16.

Benedictio Dei Abrahæ promissa est iustitia & salus. Aduerte hîc, sicut dicere Dei, vtpote efficax, idem est quod facere (*ipse enim dixit, & facta sunt*) ita benedicere Dei, idem est quod benefacere, & bona largiri; quæ quo maiora sunt, eo maior est benedictio. Iam quia maximum bonum est gra- A tia & iustitia, per quam simus diuinæ consortes naturæ, amici, filii heredesque Dei & gloriæ cælestis; hinc benedictio absolutè posita, eamdem gratiam & iustitiam per antonomasiā significat. Hæc ergo Abræ benedictio propriè significat hanc iustificationē, tam Abræ quàm posterorum eius, hoc est fidelium, qui per Christum renati Abræ fidem imitantur. Vnde rectè explicant Patres *benedicentur*, id est, inquiunt, iustificabuntur, benedictionem, id est iustitiam, assequentur. nec enim maius bonum benedictionémve Deus nobis donare potest, quàm suam iustitiam, amicitiam, filiationem.

BENEDICENTVR] Malè vertit Pagninus, *in te benedicent se omnes gentes*, dicendo scilicet, Vtinam sim tam felix & benedictus, quàm fuit Abram! B Hebræum enim נִבְרְכוּ *nibrechu*, purè passiuum est, scilicet coniugationis passiuæ niphal, propriéque significat *benedicentur*: non ergo significat actionem reflexam agentis in seipsum, scilicet *benedicent se*. hoc enim significatur vltima coniugatione hitpael; sicque dicendum fuisset הִתְבָּרְכוּ *hitbarechu*. Rursum versionem ac sensum Pagnini planè excludit versio ac sensus S.Pauli Gal.3.8. Paulus enim citans hunc locum ait: *Benedicentur in te omnes gentes*, putà *omnes cognationes* (familiæ, tribus, gentes) *terræ*. sicut enim omnes omnino gentes in Adamo maledictæ & mortuæ sunt; ita & in Christo omnes benedictæ & iustificatæ sunt.

SEPTVAGINTA QVINQVE ANNORVM ERAT ABRAM, CVM EGREDERETVR DE HARAN] Abram natus est anno Thare 70. rursum Abram egressus est de Haran annos natus 75. ergo egressus est de Haran, cùm pater eius Thare ageret annum ætatis 145. post hunc Abræ egressum de Haran, vixit Thare adhuc 60. annis; mortuus est enim annum agens 205. VERS.4.

C Dices, Quomodo ergo S.Stephanus Actor.7. asserit Abram exisse de Haran, post mortem Thare?

Aliqui ex hoc loco Actor.7. putant Thare genuisse Abramum anno ætatis suæ non 70. sed 130. his enim 130. annis, si addas hos 75 Abrami, cùm egressus est de Haran, habebis annos 205. vitæ Thare; ita vt illo anno 205. statim à morte patris Abrā exiuerit de Haran. ita Lyranus & Torniellus. Sed hoc repugnat capiti præced. v.26. vbi disertè dicitur, quòd Thare anno ætatis suæ, non 130. sed 70 genuerit Abramum. Quòd si his 70. annis addendos dicas alios 60. vt fiant 130. incertam facies, & turbabis totam S.Scripturæ chronologiam, quam Moses in Genesi tam ordinatè D pertexit.

Resp ergo, Abram ex Vr Chaldæorum cum Thare migrans in Haran, paruo tempore, & fortè tantùm aliquot mensibus, ibi cum patre substitit; ac mox valedicēs patri, ex Haran cum Lot, perrexit in Chanaan. eò enim primitus vocatus fuerat à Deo; cui vocationi Abram gestiebat & festinabat obedire: vnde & Moses hîc nullius rei ab Abramo in Haran gestæ meminit; sed tantùm capite præced. v.31. significat eò, ex Vr, Abramum migrasse, & mox hoc cap. subijcit, eum ex Haran progressum esse in Chanaan, quò à Deo euocabatur. Abram ergo in Chanaan, viuente adhuc patre, peregrinatus est ad sexaginta annos, qui bus exactis moritur eius pater Thare in Haran; redit ergo Abram in Haran, vt patrem sepeliat, & Abram bis ex Haran iuit in Chanaan.

VERS. 13. DIC QVOD SOROR MEA SIS] Non mentitur Abram: erat enim Sara eius soror eo sensu, quo dicam c.20.v.12.

Dices, Saltem Abram hîc vxorem suam exponit adulterij periculo. ita Caluinus, qui hîc Abramum in lenocinij suspicionem vocat.

Resp. negando idipsum; nam Abram Saræ tantùm iubet tacere quòd sit vxor, & verè dicere quòd sit soror sua, idque ob præsens vitæ suæ periculum. *Periculum enim numquam sine periculo pellitur.* Cauit ergo hîc vitæ suæ Abram; ne, quia maritus, occideretur; quod cauere poterat & debebat: reliquum, quod cauere ob Ægyptiorum incontinentiam non poterat, Deo commendauit, videlicet ne vxor eriperetur & violaretur. Sciebat enim se in hoc præsertim articulo necessitatis, Deo curæ esse, cœpitque hîc pater fidei contra spem in spem credere. ita S. August. l.22. contra Faustum cap.33. Vnde non malè censet Pererius, Abramum Dei instinctu hæc dixisse & fecisse. Adde, confisus est Abram constantiæ & castitati Saræ (tot enim annis eam pudicissimam expertus erat) quòd numquam peccato consentiret.

VERS. 15. ET NVNTIAVERVNT] Hebraicè ויראו vaiiru, & viderunt. ita & Septuag. Noster verò videtur legisse ויגידו vaiaggidu, facilè enim ר in ד, & א in י & ה commutatur. Nostro fauet, quòd *& viderunt*, immediatè antè præcesserit; vnde non videtur mox repetitum fuisse à Mose.

IN DOMVM] non ad stuprum, sed ad matrimonium, quasi coniux saltem secundaria regis futura: vt patet v.19.

VERS. 16. ABRAM BENE VSI SVNT] Hebraicè est היטיב hetib, id est, benefecit, scilicet Pharao (ac consequenter ad exemplum regis cæteri eius aulici benefecerunt) Abramo.

VERS. 17. FLAGELLAVIT AVTEM DOMINVS PHARAONEM] non ob adulterium, quia nesciebat esse coniugem Abræ, sed ob vim Saræ illatam, quia inuitam rapi iusserat. Verè S. Ambros. l.2. de Abraham c.4. *Afflictiones, ait, viro forti corona sunt, inualido infirmitates sunt.*

PLAGIS MAXIMIS] Rabbini carnales plagam hanc putant fuisse fluxum seminis, & impotentiam copulæ. Vnde quod nos habemus, *propter Saram*, hebraicè est, *propter verbum Saræ*: quod ipsi vertunt, *propter angelum Saræ*; quòd nimirum hic angelus fuerit custos pudicitiæ Saræ, cumque ei diceret Sara, Percute talem (à quo scilicet ipsa suæ castitati timebat) mox percutiebat eum angelus, & faciebat impotentem; ita vt ad Saram accedere, nec vellet, nec posset. Fabulæ hæ sunt Iudaicæ.

Secundò, Iosephus plagam hanc censet fuisse pestilentiam. rursum, tumultum & seditiones populares.

Tertiò, Philo & Perer. censent fuisse morbos & dolores grauissimos; ita vt nec diu, nec noctu quiescere aut respirare Pharao posset.

Quartò, Catholici Doctores passim censent fuisse sterilitatem, tam hominum, quàm animalium: hac enim pœna ob similem Saræ raptum puniuit Deus Abimelech c.10.v.17. & 18. Hinc rectè infert Procopius Saram apud Pharaonem castam & inuiolatam permansisse. Deus enim qui hîc iniuriam Abræ, per Saræ raptum illatam, tam

A grauiter vindicauit, multò magis eidem eamdem inuiolatam seruauit. vnde hîc impleri cœpit illud psalm.104.14. *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.* Adde, solebant mulieres per plures dies vngi, ornari & præparari, antequam ad thorum regis admitterentur, vt patet de Esthere.

Videmus hîc igitur Primò, verũ esse illud psal. 145. *Dominus custodit aduenam, pupillum & viduam suscipiet.* huiusmodi enim personæ derelictæ, Deo speciali modo curæ sunt. vnde psal.9. dicitur: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* hinc in lege sæpè præcipitur, ne molesti sint peregrinis: hospitibus enim tutela & fides debetur. Videmus Secundò, quantum Deus curet & protegat iustos. Vnus hîc Abram iustus plus Deo curæ est, quàm

B Pharao cum omni regno, & propter vnũ iustum etiam regem flagellat. quis igitur non libenter seruiat Deo, qui tam fideliter suis adest & assistit? Videmus Tertiò, quòd Deus specialis est vindex coniugij. nesciebat rex Saram esse vxorem Abræ, & tamen flagellatur cum tota domo. tantum peccatum est adulterium.

Vnde S. Ambros. l.1. de Abraham c.2. *Vnusquisque, ait, se castum præbeat, alienum non affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate alienam incestet vxorem: non incuria, aut stultitia prouocetur mariti, aut absentia longiore. Adest præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat. Vicem absentis mariti tuetur, seruat excubias, imò sine excubijs deprehendit reum, antequam faciat quod parauerit: in animis singulorum, in mentibus vniuersorum crimen agnoscit. Etsi maritum adulter fefelleris,*

C *non falles Deum: etsi maritum euaseris, etsi iudicem fori luseris, non euades iudicem totius mundi. Ille grauiùs vlciscitur iniuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti.* Subdit Ambros. Abram meritum esse hanc Dei tutelam per pietatem, qua Deo iubenti vt in Ægyptum descenderet, obediuit. *Nam quia studio obeundi cælestis oraculi, vxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam coniugij defendit,* scilicet Deus. Sic in Vitis Sanctorum legimus, Monachos à suis Abbatibus missos ad feminas pietatis causa, cùm libidinis stimulo tentarentur, obedientiæ merito & præsidio, orandoque tentationem superasse. Tantas vires, tantam tutelam in periculis præstat obedientia.

DOMVM EIVS] Nam aulici eius & domestici ad Saræ raptum & detentionem concurrerant & iuuerant.

D QVOD VXOR TVA ESSET] Sciuit id Pharao reuelante Deo, ait S. Chrysost. Addit Iosephus, sacerdotes Ægyptiorum, in hac plaga deos, vel potiùs dæmones suos consulentes, idipsum Pharaoni indicasse. Potuit denique Pharao, tale quid suspicans, Saram interrogare, & ex ea veritatem cognoscere, vti factum esse putat Pererius. VERS. 18.

VT TOLLEREM] vt non dubitarem eam (putans esse liberam) tollere mihi in vxorem. VERS. 19.

Tradit Iosephus, Ægyptios ab Abramo mathesin didicisse. Verùm à Iosepho, Mose & Hebræis in Ægypto habitantibus potiùs id factum esse videtur, idque indicatur psal.104.21. nam Abram non videtur diu hæsisse in Ægypto.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abram à Lot se separat. Lot Sodomam eligit, Abram Chananaam; quam v.14. ei Deus ostendit, & promittit.

1. ASCendit ergo Abram de Ægypto, ipse & vxor eius, & omnia quæ habebat, &
Lot cum eo, ad Australem plagam. 2. Erat autem diues valdè in possessio-
ne auri & argenti. 3. Reuersusque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel, vs-
que ad locum vbi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai: 4. in loco altaris
quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini. 5. Sed & Lot qui erat cum A-
bram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. 6. Nec poterat eos cape-
re terra, vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant ha-
bitare communiter. 7. Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot.
Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa. 8. Dixit er-
go Abram ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pasto-
res tuos: fratres enim sumus. 9. Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me, obse-
cro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram
pergam. 10. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ
vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham,
sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. 11. Elegitque sibi
Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: diuisiq; sunt alterutrum à fratre
suo. 12. Abram habitauit in terra Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, quæ
erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. 13. Homines autem Sodomitæ pes-
simi erant, & peccatores coram Domino nimis. 14. Dixitq; Dominus ad Abram,
postquam diuisus est ab eo Lot: Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad
Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. 15. Omnem terram, quam
conspicis, tibi dabo & semini tuo vsque in sempiternum. 16. Faciamq; semen tuum
sicut puluerem terræ: si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quo-
que tuum numerare poterit. 17. Surge, & perambula terram in longitudine, & in
latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. 18. Mouens igitur tabernaculum suum
Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificauitq;
ibi altare Domino.

VERS. 1. AD AVSTRALEM PLAGAM] respectu Chananææ, siue Iudææ. ad hanc enim semper plagas mundi accommodat S. Script. vtpote Iudæis scripta. erat ergo hic locus Iudææ Australis, Ægypto verò Aquilonaris; rediјt enim Abram in Bethel, vnde exierat.

VERS. 4. IN LOCO ALTARIS] ad locum altaris, in quo scilicet c. 12. 8. altare erexerat. Patet ex Hebræo.

VERS. 5. QVI ERAT CVM ABRAM] Hisce verbis significat Moses, quòd Lot propter societatem Abræ fuerit à Deo benedictus & locupletatus.

TABERNACVLA] papiliones, in quibus ipse cum sua familia degebat. nec enim in domibus, sed in casulis, quasi peregrini degebant, Hebr. 11. 9.

VERS. 6. NEC POTERAT EOS CAPERE TERRA] Eadem Chananææ portio non sufficiebat ad pascua, quibus alerentur tot tantique greges vtriusque. *Sacularе vitium*, ait S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 3. *vt diuites terra non capiat. Nihil enim satis est diuitum cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior ad possidendum est. Extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere. Numquid huiusmodi Abraham? minimè. Tamen vt minimè auarus electionem offert, vt iustus dissensionem amputat.*

VERS. 7. VNDE FACTA EST RIXA] dum quisque pastorum meliora pascua suis gregibus assignat. Vide hîc, quomodo opes pariant lites & rixas, etiam A inter fratres & cognatos amicissimos. Vnde S. Chrysost. hom. 33. *Aucta sunt*, ait, *armenta, multiplicati greges, affluxerunt diuitiæ multæ, & statim discinditur concordia. Antea erat pax & charitatis vinculum, nunc rixa & contentio: vbi enim Meum & Tuũ, illic omne litium genus; vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & cõcordia* Hinc de primis Christianis ait Lucas c. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* Causam subdit: *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

EO AVTEM TEMPORE CHANANAEVS ET PHEREZAEVS HABITABANT IN TERRA] q. d. Ne ergo ab eis inuaderetur, & opprimeretur Abram eius- B que familia, cum Lot contendens & dimicans: rursum, ne Chananæi hisce pastorum rixis scandalizarentur, itaque blasphemarent Abræ familiam fidelem & religiosam, ac consequenter magis auerterentur ab eius fide & religione, Deoq; vero; hac de causa voluit Abrahã separari à Lot, itaque omne eorum scandalum tollere.

FRATRES ENIM SVMVS] *Fratres*, id est cognati. VERS. 8. erat enim Lot Abræ ex fratre nepos.

ECCE VNIVERSA TERRA CORAM TE EST] in tua VERS. 9. est potestate & electione, licet tibi eam partem regionis eligere, quæ tibi placuerit. hanc enim tibi incolæ libenter vendent aut locabunt.

Abram

Inter fratres maior diuidat, minor eligat.

Abram patruus dat hîc suo nepoti Lot optionem, vt eligat regionem quam velit. Hinc videtur orta veterum consuetudo in diuisione hereditatis inter fratres, vt frater maior quasi prudentior, hereditatem in æquas partes diuidat; minor verò eligat, (vt sic neuter se deceptum esse queri possit) quod laudat S. Ambrosius l. 1. de Abraham cap. 3. & August. l. 16. de Ciuitat. cap. 20. *Cuiusmodi*, inquit Ambros. *debeat esse diuisio, Patriarcha docet: firmior diuidat, infirmior eligat, ne habeat quod queratur. Electionis enim suæ partem non poterat calumniari. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi.*

SI AD SINISTRAM] Per sinistram intelligit Septemtrionem; per dextram Meridiem. ita Chaldæus & Vatablus. In Hebræo, pulchrè verbum verbo opponitur. habet enim sic: *Si tu sinistrabis, ego dextrabo; si tu dextrabis, ego sinistrabo.* hoc est, si tu sinistram elegeris, ego eligam dextram, & contrà. Præclarè S. Ambros. libr. 2. de Abraham c. 6. *Dixit*, ait, *ante nos vir ex Philosophia perfectus disciplina, quatuor hæc bono viro inesse: vt elaboret Primū, vt omnes amicos faciat. Secundum, vt si non potest amicos facere, certè nec inimicos. Tertium, vt, si nec istud suppetit, ex sententia discedat. Quartum, si quis cedentem persequitur, vindicet se vt potest: sed illa tria in Abraha non sermonibus nudis, sed veris operibus agnoscimus. Quartum autem non ita est; quando etiam circa cedentem seruauit affectum parentis, vt eum non solùm non persequeretur, sed etiam captum erueret ac liberaret.*

VERS. 10. OMNEM CIRCA (circumcirca) REGIONEM IORDANIS] Vatablus vertit, *vniuersa æquora campi Iordanis*, Chald. *omnem planitiem Iordanis.*

SICVT PARADISVS DOMINI] Hebraicè כְּגַן אֲדֹנָי *kegan adonai*, sicut hortus Domini, quem scilicet Deus Adamo instruxerat & adornauerat, Genes. 2. 8. ita S. August. & sicuti quilibet alius hortus amœnissimus, qui à Deo vel factus est, vel fieri potest.

ET SICVT ÆGYPTVS VENIENTIBVS IN SEGOR] q. d. Sicut ea pars Ægypti, qua itur in Segor. hæc enim irrigatur à Nilo, ideoque fertilissima est. Verùm quia hæc pars Ægypti, pari modo Sodomam & Gomorrham respicit, quæ nobiliores erant vrbes quàm Segor, quas proinde potiùs, quàm Segor nominasset hîc Moses; hinc Secundò, & magis aptè ac genuinè, τὸ *venientibus in Segor*, refer non ad τὸ *sicut Aegyptus*, sed superiùs ad τὴν *regionem Iordanis quæ vniuersa irrigabatur venientibus* (veniendo) *in Segor*. q. d. Tota Pentapolis ante subuersionem, maximè à loco in quo tunc erat Abram, eundo versus Segor, irrigua erat & fertilissima; sicut paradisus, & sicut Ægyptus, quā Nilus fœcundat. ita S. August. Caiet. Pererius.

VERS. 11. ELEGITQVE SIBI] Permisit Deus in hac electione sua Lot decipi; tum, vt eius exēplo & conuersatione Sodomitæ ad peccatorū odium, & virtutis amorē excitarentur: tū, vt discamus amœniora non præferre salutaribus, nec sequi in electione nostram cupiditatem. *Infirmior*, ait S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 3. *amœniora eligit, vtiliora fastidit. Plerumque enim vbi fructus impares sunt, prudentior amœniora declinat. Citò inuidiam mouent, citò in se excitant mentem auari*, &c.

RECESSIT AB ORIENTE] Dices, Lot ibat ad Iordanem & Pentapolim, quæ sunt ad Oriētem: ergo non recessit ab Oriente, sed ad eum accessit. Respondēt aliqui esse enallagen præpositionis: *ab* enim poni pro *ad*, *versus*. Hebr. enim est, *profectus est ab Oriente*, hoc est versus Orientem. Tantùm enim vult dicere, Lot secessisse ab Abraham: ille enim Orientem, hic Occidentem peragrauit. q. d. Lot recessit ab Abraham versus Orientem. Secundò, alij cum Pererio respondent, Lot recessisse ab Oriente, quia non directè rectoque itinere ex Bethel perrexit ad Orientem, sed lateraliter reflexit iter ad Pentapolim, quæ respectu Bethel partim erat ad Oriētem, partim ad Meridiē. Cùm enim veniret ex Meridie, putà ex Ægypto, in Bethel, non rectà perrexit ad Orientem, sed reflexit viam ad Meridiem, vnde venerat. Tertiò & genuinè, Orientem hîc Moses vocat locum, in quo consistebant Lot & Abraham cùm se ab inuicem diuiserunt, nimirum eum de quo dixit cap. 12. 8. *Et inde transgrediens ad montem qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai.* Hic ergo locus, in quo facta est separatio Lot ab Abraham, vt patet c. 13. 3. vocatur Oriens, quia erat contra Orientem Bethel, & ab Oriente habebat Hai. Sensus ergo est: Lot recessit ab Oriente, id est à loco in quo cum Abraham fecit pactum separationis, qui ob respectus iam dictos à Mose vocatur Oriens.

ALTERVTRVM A FRATRE SVO] Hebraicè *vir à fratre suo*, id est alter ab altero, frater à fratre, putà patruus à nepote.

ABRAM HABITAVIT IN TERRA CHANAAN] VERS. 12.
Chanaan hîc nomen est vnius gentis & partis terræ promissionis, sitæ iuxta mare Mediterraneum, & fluenta Iordanis.

Chananæus enim fuit vnus è septem populis, habitantibus in terra promissionis, quos expulerunt Hebræi; à quo quasi præcipuo tota regio dicta est Chanaan, vel Chananæa: & hoc sensu etiam Lot habitans in Sodomis, habitauit in Chanaan. Sed arctè accipiendo vocem Chanaan, vti hîc capitur; Abram in Chanaan, Lot verò non in Chanaan, sed in Sodomis habitauit. Sodoma autem non Chananæorum propriè, sed Pherezæorum erat, inquit Tostatus.

LOT VERO MORATVS EST IN OPPIDIS QVÆ ERANT CIRCA IORDANEM, ET HABITAVIT IN SODOMIS] scilicet Lot proficiscens & peregrinans cum suis gregibus, obibat oppida & campos Iordanis, vsque ad Sodomam: vt clarè habent Hebræa.

SODOMITÆ PESSIMI ERANT ET PECCATORES CORAM DOMINO] hoc est, eximij & grauissimi peccatores; quia quæ Dei sunt, vel coram Deo, hæc magna & eximia sunt. Peccata hæc, vel potiùs peccatorum horum originem, explicat Ezechiel c. 16. 49. cùm ait: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius* (Septuag. vertunt, *delicijs affluebat ipsa & filiæ eius, & gloriabantur magnificè*) *& manum egeno & pauperi non porrigebant.* q. d. Hæc fuit quintuplex Sodomæ iniquitas, eaque radix & origo cæterarum, scilicet libidinum portentosarum: nimirum Prima Sodomæ iniquitas, fuit superbia; Secunda, saturitas panis & ciborum, putà comessatio & compotatio; Tertia, abundantia & luxus rerum omnium; Quarta, otium. VERS. 13.

Quintuplex peccatū Sodomæ. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

Quæritur, Aegisthus quare sit factus adulter:
In promptu causa est, desidiosus erat.

Quintum. Quinta, immisericordia. Vnde S. Hieron. in citatum versum Ezech. sic ait: *Superbia, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium & deliciæ peccatum Sodomiticum est; & propter hoc sequitur Dei obliuio, quæ præsentia bona putat esse perpetua. vnde de Israele scriptum est: Manducauit & bibit, & saturatus est, & impinguatus, & calcitrauit dilectus. Quod sciens sapientissimus omnium Salomon ita precatur: Tribue mihi necessaria & quæ sufficiant, ne saturatus mendax fiam, & dicam: Quis me videbit? aut pauper effectus, furer, & peierem nomen Dei mei.* hactenus S. Hieron.

Secundò, Sodomitæ erant peccatores *coram Domino*, id est palàm, publicè, in oculis solis huius, ipso Deo & sole spectante inuerecundè peccabant. q.d. Sodomitæ non tantùm iniquissimi erant, sed & impudentes, Dei hominumque contemptores.

Tertiò, Hebræum לַאדֹנָי *ladonai*, quod Noster *in Dominum*, contra Dominum.

Eo maior fuit virtus Lot, quòd inter pessimos optimus fuerit, vti docet S. Petrus epist. 2. c. 2. 7. & S. Gregor. l. 1. Moral. c. 1.

VERS. 15. OMNEM TERRAM QVAM CONSPICIS] Probabile est quod sentit Perer. scilicet Deum, vel angelum vice Dei, Abramo vigilanti (æquè ac Mosi Deuter. 34. 1.) obiecisse imaginem totius terræ promissionis (hanc enim totam naturaliter, tantùm circumspiciendo, peruidere non poterat Abram) & singularum eius partium, in qua omnia quæ in illa terra spectatu digna erant, propriè, distinctè ac liquidò cerneret. Sic enim diabolus Christo ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum, Matth. 4. 8. Sic S. Benedictus, Deo eum eleuante, vidit totum mundum, velut exiguum globum in aëre pendulum, sub vno solis radio oculis suis subiectum: vti refert S. Gregorius l. 2. Dialog. c. 35.

TIBI DABO, ET SEMINI TVO VSQVE IN SEMPITERNVM] τὸ &, exegeticum est, idemque valet, quod *id est*. Abræ enim censetur dari, quod semini & eius posteris datur, iuxta can. 15. ita S. Chrysost. & Caiet. Promittitur ergo hic ad literam Hebræis possessio terræ Chanaan in sempiternum; non absolutè, sed respectiuè, scilicet quamdiu durabit hoc semē, id est populus & respub. Hebræorum. Iam enim disperso populo, & euerso eius regno, & republica, quid mirum si terram hanc, in qua rempub. & regnum suum habebant, amplius non obtineant?

Lex vetus fuit æterna, sed respectiuè tantùm & conditionatè.

Adde cum S. Thoma, vel potiùs Thoma Anglico, Pererio, & alijs, promissionem hanc esse cōditionatam. promittitur enim Hebræis Chananæa hac conditione, si videlicet ipsi vicissim Deo obediant, eiusque legem & cultum seruent: vt patet Leuit. 26. quod quia non fecerunt Iudæi, hinc Deus rescidit sua pacta & promissa, eosque afflixit & euertit, vti eis comminatus fuerat Leuit. 26.

Nota. Deus hîc remuneratur Abræ mansuetudinem & magnanimitatem, qua Lot, licet iuniori, cesserat meliora pascua. q.d. Tu priùs Lot pacis causa cessisti Pētapolim, ideo ego nunc tibi maiora do. *Omnem*, inquit, *terram quam conspicis, tibi dabo.* Vide quàm largiter Deus remuneret, si quid pacis causa relinquatur. Parum cesserat Abram ipsi Lot, & nunc vniuersam terram accipit. Vnde S. Ambros. l. 2. de Abraham cap. 7. *Hinc,* A ait, *tamquam ex fonte hauserunt Stoici Philosophici dogmatis sententiam, omnia sapientis esse. Oriens enim & Occidens, Septemtrio & Meridies portiones sunt vniuersitatis. His enim totus mundus includitur. Hæc cùm promisit Deus daturum se Abrahæ, quid aliud declarat, nisi sapienti & fideli præstò omnia, deesse nihil? Vnde & Salomon in Prouerb. c. 17. ait: Eius qui fidelis sit, totus mundus diuitiarum.* Et mox: *Quomodo sapientis totus mundus? Quoniam ipsa natura dat illi sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat. Domina est & possessor sapientia, quæ sua putat naturæ munera, quoniam in vsum hominum data sunt, nec vllis indiget, etiamsi desint ei ad victum necessaria. Sapiens suum iudicat quidquid naturæ est, qui viuit secundùm naturam. Non enim amittit ius suum, qui meminit se ad imaginem Dei factum, & ad homines à Deo dictum: Crescite & multiplicamini, & replete terram, &* B *dominamini in ea, & imperate piscibus maris, & volatilibus cæli, & omnibus pecoribus, & omni terræ, & omnibus quæ repunt super terram. Et nouit, quia sapientia mater omnium est, & orbem terrarum possidet.* Anagog. idem accipit *terram resurrectionis, quam promisit patribus nostris, fluentem lac & mel, suauitatem vitæ, iucunditatis gratiam, splendorem gloriæ, cuius heres primus factus est primogenitus à mortuis, Dei filius Iesus Christus.* Ita S. Chrysost. homil. 34. *Sciebat*, inquit, *Patriarcha cedentem minoribus, assecuturum maiora: & cessit Loto, regionemq́; deteriorem elegit, vt contentionis resecaret occasionem, & seruata virtute sua peculiari totam domum pacatam redderet.* Et anteriùs: *Nihil animam ita in tranquillitate & quiete esse facit, vt mansuetudo & modestia. Hæc omni diademate se possidenti est vtilior*, &c. C

Anagogicè, promittitur hîc spirituale semen Abræ, id est, fideles & electi plurimi; eisque terram viuentium in cælis, propriè in sempiternum possidendam, Deus hîc pollicetur. ita ex Apostolo Rom. 4. 16. S. August. l. 16. de Ciuit. c. 21.

SICVT PVLVEREM TERRÆ] Id est plurimos, & penè innumerabiles dabo tibi posteros. Est hyperbole. nam in rigore arithmetico clarum est, longè plures esse arenas in terra, quàm sint, fuerint, ac futuri sint Iudæi. VERS. 16.

Symbolicè Isidorus Pelus. l. 3. epist. 296. notat posteros Abræ hîc comparari puluerì terræ, cap. 15. verò v. 5. stellis cæli: quia ex ijs alij futuri erant sapientes & sancti, cælestes, sublimes & illustres instar stellarum cæli: alij verò insipientes & praui, terrestres, viles, obscuri, ideoque dispergendi in omnem terram instar arenæ vento agitatæ.

PERAMBVLA] Non præcepit sed offert; q.d. Si vis scire quanta sit hæc terra, perambula eam, miraberis, & gaudebis. ita S. Chrysost. nec enim reipsa Abram totam Chananæam perambulauit. VERS. 17. D

CONVALLEM MAMBRE] Hebraicè est, *elon Mambre*, id est, quercus & quercetum Mambre. Hæc ergo conuallis quercubus erat consita. dicta est Mambre à possessore, qui vocabatur Mambre, de quo c. 14. 13. VERS. 18.

IN HEBRON] in territorio Hebron, iuxta Hebron.

ÆDIFICAVITQVE IBI ALTARE DOMINO] Abram religiosus vbique Domino erigit altaria, dicitque Deo, *A te principium, tibi desinet.* Non ergo Abræ filij sunt Nouantes, qui aras euertunt.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Babylonij bello superant Pentapolitas: inter eos capitur & Lot, quem Abram v 14. liberat cæsis Babylonijs: quare latus pro victoria Abram v. 18. decimas dat Melchisedeco, & ab eo benedicitur.

1. FActum est autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Pon-
ti, & Chodorlahomor rex Elamitarum & Thadal rex Gentium, 2. inirent
bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra
Sennaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ,
ipsa est Segor. 3. Omnes hi conuenerunt in vallem Siluestrem, quæ nunc est mare
salis. 4. Duodecim enim annis seruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno
recesserunt ab eo. 5. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges
qui erant cum eo, percusseruntque Raphaim in Astarothcarnaim, & Zuzim cum eis,
& Emim in Saue Cariathaim, 6. & Chorræos in montibus Seir, vsque ad Campe-
stria Pharan, quæ est in solitudine. 7. Reuersique sunt, & venerunt ad fontem Mis-
phat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarũ, & Amorrhæum
qui habitabat in Asasonthamar. 8. Et egressi sunt, rex Sodomorum, & rex Gomor-
rhæ, rexq; Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ est Segor: & direxerunt a-
ciem contra eos in valle Siluestri: 9. scilicet aduersus Chodorlahomor regem E-
lamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch re-
gem Ponti: quattuor reges aduersus quinque. 10. Vallis autem Siluestris habebat
puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum & Gomorrhæ terga verterunt, ce-
ciderunt q; ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem. 11. Tulerunt autem om-
nem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, &
abierunt: 12. necnon & Lot & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habita-
bat in Sodomis. 13. Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habi-
tabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepige-
rant fœdus cum Abram. 14. Quod cùm audisset Abram, captum videlicet Lot
fratrem suum; numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & per-
secutus est vsque Dan. 15. Et diuisis socijs irruit super eos nocte, percussitq; eos, &
persecutus est eos vsque Hoba, quæ est ad læuam Damasci. 16. Reduxitque om-
nem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & po-
pulum. 17. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuer-
sus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est val-
lis regis. 18. At verò Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum, erat e-
nim sacerdos Dei altissimi, 19. benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso,
qui creauit cælum & terram: 20. & benedictus Deus excelsus, quo protegente, ho-
stes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. 21. Dixit autem rex So-
domorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi. 22. Qui respondit ei: Le-
uo manum meam ad Dominũ Deum excelsum possessorem cæli & terræ, 23. quòd
à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt,
ne dicas: Ego ditaui Abram: 24. exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus
virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre: isti accipient partes suas.

VERS. I. AMRAPHEL REX SENNAAR] rex Babylonis, vti dixi c. 11. 2. Hic ergo Amraphel videtur tertius aut quartus fuisse à Nemrod, primo rege & tyranno Babylonis. Rursum, hic Amraphel fuit primus & præcipuus huius belli dux.

Dices, Quomodo ergo Iosephus hoc bellum vocat bellum & exercitum Assyriorum? Resp. Sub Assyrijs Babylonios intelligit; iam enim vna eademque erat monarchia Assyriorum & Babyloniorum: omnes enim hi reges subditi fuerũt regi Assyriorum, scilicet Nino monarchæ.

Videtur ergo Ninus translata monarchia ex Babylone in Niniuem, alium regem vel viceregem in Babylone constituisse, cuius hic Amraphel fuerit successor.

A

Nota. Hoc bellum videtur contigisse quinque circiter annis, post egressum Abræ de Haran in Chanaan, qui contigit anno Abræ 75. Genes. 12. v. 4. Nam gesta Abræ, à cap. 12. hucusque, facilè quinque annos exposcunt, vti & quinque annos exposcunt, quæ ab hoc cap. narrantur vsque ad cap. 16. scilicet vsque ad natiuitatem Ismaëlis; quæ contigit anno decimo à vocatione Abræ, vt patet c. 16. v. 3.

Contigit ergo hoc bellum sub annum Abræ 80. qui fuit Nini iunioris trigesimus. Nam Abrã

natus

sen & Aaron, quasi indignos qui terram promissam ingrederentur, propter incredulitatem, qua non crediderunt Deo promittenti aquas ex petra. Num. 20. ita Tostatus, Lyranus, & S. Hieron. ad Fabiolam.

Secundò & certiùs, Pererius putat, idem esse *Misphat* & *Meriba*. fons enim *Misphat* idē est cum aquis *Meriba*, id est contradictionis, Num. 20. 13. Dicitur ergo hic fons *Misphat*, id est iudicij; vel *Meriba*, id est litis, iurgij, murmuris & cōtradictionis; quia ibi Iudæi ob defectum aquæ murmurarunt contra Dominum, & cum eo quasi lite & iudicio expostularunt. Verùm quia Deus hanc litem miraculo vicit & diremit, dum miraculosè ex petra dedit aquas, itaque sanctificatus fuit in eis; hinc fons hic & locus postea dictus est Cades, id est sancta; vt patet Num. 20. 13. Fons hic situs est contra Petram Arabiæ. vide Adrichomium.

ASASONTHAMAR] q. d. Vrbs palmarum. Fuit hæc Amorrhæorum vrbs, postea Engaddi dicta. ita ex S. Hieronymo, Eucherio, Chaldæo Adrichomius.

VALLIS AVTEM SILVESTRIS HABEBAT PVTEOS MVLTOS BITVMINIS] Addit hoc Moses, vt significet regem Sodomæ cum suis hunc locum ad conflictum elegisse, eo consilio & dolo, vt hostes Babylonij horum locorum ignari, vtpote peregrini, in hos puteos pugnando corruerent: sed Dei iudicio secùs factum est, scilicet vt ipsimet Sodomitæ victi & perculsi, in hosce puteos suos caderent: vnde sequitur,

CECIDERVNTQVE IBI] non ipsi reges Sodomæ & Gomorrhę (hi enim fugerunt & euaserunt, vt patet v. 17.) sed eorum milites partim gladio ceciderunt, partim ex trepidatione & præcipitatione fugiendo in puteos bituminis corruerunt. ita Abulensis.

Permisit Deus hic Pentapolitas succumbere, vt hac plaga & castigatione eos ad mētem & frugem reduceret. sed frustra: ideoque paulò pòst eos igne cælesti subuertit.

VERS. 12. NECNON ET LOT] Permisit Deus Lot in Sodomis capi, vt castigaret eius præproperā & sensualem electionem, qua inter impijssimos Sodomitas, illectus loci fertilitate, habitare præelegerat. Fuit tamen hæc Lot captiuitas iniusta, ideoq; iusto bello liberauit eum Abram. Esto enim Chodorlahomor Pentapolitas rebellantes iusto bello inuasisset, Lot tamen, vtpote exterum & peregrinum, tangere non poterat. Adde, Chodorlahomor Pentapolitas magis ambitione, & libidine dominandi, vt videtur, quàm iusto aliquo titulo sibi subiugasse. totum ergo eius hoc bellum iniustum fuisse videtur, ac proinde iustè cum Abram persecutus est, & cecidit.

Abram habuit iustum belli titulū.

VERS. 13. ABRAM HEBRÆO] Hic primò inuenitur cognomen Hebræi. Quæres vnde dicti sint Hebræi? Resp. Primò, ab Heber, qui fuit atauus Abræ. Hebræi ergo dicti sunt posteri Heber; non omnes, sed ij tantùm qui per Abram, Isaac, & Iacob descendentes, diuisis in Babel linguis, primigeniam linguam Hebræam ab auo suo Heber, cum vera vnius Dei fide, religione & pietate traxerunt & conseruarunt: hi enim vocantur filij Heber, putà Hebræi, cap. 10. v. 21. ita S. Hieron. Acacius, Iosephus, Eusebius, Caietan. Tostatus, Eugubinus, & S. August. l. 2. Retract. 14. vbi retractat id quod

Hebræi dicti sunt ab Heber auo suo.

A dixerat l. 1. de Consensu Euang. c. 14. scilicet Hebræos ab Abram, quasi Abræos dictos esse. hoc enim non esse verum, patet ex hoc loco; vbi ipsemet Abram vocatur Hebræus: rursum ex eo quòd Abram per aleph, Hebræus verò per ain scribatur.

Secundò, Hebræus dicitur à radice עבר *abar*, id est, transiuit; quasi dicas, transiens, transamnanus, transeuphratæus; vti nos vocamus transmarinos, transalpinos, transmosanos: quia scilicet Abram & Hebræi ex Chaldæa oriundi, transierunt Euphratem, vt habitarent in Palæstina; vnde primus Abram hîc post transitum Euphratem, habitans in Chanaan vocatur Hebræus. Hinc & Septuag. & Aquila hîc, pro *Hebræo* vertunt περάτῃ, id est transitori, vel, vt vertit S. August. hîc quæst.
B 29. *transfluuiali*. ita Theodor. S. Chrysostomus, Origenes, Diodorus, Rupertus, Burgensis hîc, & Ribera in 1. Ionæ.

Secundò Hebræus idē est quod transiens, scilicet Euphratem.

Addit Theodor. Hebræum dici ab Euphrate, scilicet transito: *Hebra enim, ait, Syrorum lingua, idem est quod Euphrates.* vnde & vtrobiq; penè eædem sunt litteræ; vt Hebræus idem sit quod Euphratæus. fortè Mesopotamij ob continuū transitum fluuium suum Euphratem vocarunt Hebra, id est transitum: sicut Iudæi Iordanem in suo traiectu vocarunt *bet abara*, id est domum siue locum transitus, Iohan. 1. 28.

Hebra est Euphrates, ait Theod.

Qui ergo primò ab Heber dicti sunt Hebræi, ijdem postea à transitu Euphratis dicti pariter sunt Hebræi, id est transitores, transamnani; vtrumque enim in Hebræos competit.

Nota. In hoc bello primò Abram vocatur *He-*
C *bræus*: vt significetur Abram non Sodomita, non Palæstinus, non Syrus, sed Hebræus, sua hac victoria præludere Hebræis, qui sub Iosue pari modo victores & gloriosi futuri erant, in eadē Chananæa, eamq; totam sibi à Deo promissam erant bello subacturi. vnde Chananeæ possessionem hîc quasi inchoat, primusque in ea victor & triumphans pedem figit Abram.

Cur Abra hic vocetur Hebræus.

NVMERAVIT EXPEDITOS] Hebr. est יָרֶק חֲנִיכָיו *iarec chanichau*, id est, expediuit initiatos, vel instructos suos, quos scilicet iam ferrum armaque tractare docuerat, vt peregrè inter impios & infideles habitans, contra eorum iniurias, ijs iusto bello se tueri posset. Habebat enim ius belli, tamquam princeps independens familiæ suæ numerosæ, & ab alijs populis segregatæ à Deo constitutus. de quo plura c. 38. 24. VERS. 14.

D VERNACVLOS SVOS] seruos domi suæ natos. ita Hebræa.

TRECENTOS DECEM ET OCTO] Vt scias (ait S. Ambros. l. de Abram c. 3.) non quantitatē numeri, sed meritum electionis expressum. eos enim adsciscit Abram, quos numero fidelium dignos iudicauit, qui in Domini nostri Iesu Christi passionem crederēt. T. enim, quod Græcis 300. significat, signum est crucis: I & H, quæ significant 10. & 8. initium sunt, & abbreuiatio Græci nominis Iesu, si τῷ H. T. inscribas hoc modo, $\overset{T}{IHS}$, tantùm enim deest littera S, vt fit plenum nomen Iesus. Magis ergo merito fidei vicit Abram, quàm numeroso exercitu. ita S. Ambrosius, Eucherius, & Rupertus l. 5. c. 15. Vbi aduerte. Contigit hæc Abræ victoria iuxta Dan, vt patet v. 14. quæ postea à Philippo Tetrarcha, in gratiam Cæsaris Tiberij, dicta est Cæsarea Philippi, vbi Petrus obscuram

Mysteria numeri 318.

ram & symbolicam hanc Abræ fidei confessionem clarè expressit, dicens: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Matth. 16.

Rursum idem S. Ambros. l. 1. de Fide ad Gratian. & Liberius Papa in epistola ad Orientales, & Rupertus hîc putant hisce 318. Abræ patris credentium militibus, præsignificatos fuisse 318. Patres, fidei pugiles, qui in victrice Nicæa infidelem Arrium vicerunt & damnarunt. Verùm hæc omnia symbolicè sunt accipienda, & ænigmaticè. Moses enim hæc scripsit hebraicè, non græcè: sed potuit Spiritus sanctus hæc ita attemperare, vt etiam in lingua & Ecclesia Græca (quæ futura erat florentissima, in quam proinde hæc Hebræa transferri volebat) sua continerent mysteria.

VERS. 15. ET DIVISIS SOCIIS IRRVIT SVPER EOS NOCTE] Abram vnam turmam duxit: socios tres, putà Aner, Escol & Mambre, in tres, vt videtur, turmas diuisit, vt omnes effugij vias hosti clauderet, vtque à quatuor partibus eos adoriens perculleret, opinantes à magno exercitu se vndique cingi, itaque omnes somno vinoque sepultos opprimeret.

Nota hîc Abræ bellicam fortitudinem, prudentiam, vigilantiam, fidem, iustitiã: rursum charitatem, amicitiam, liberalitatem tum erga Lot, tum erga suos socios & amicos. Sic Leonidas rex Lacedæmonum cum trecentis in castra Xerxis, quæ numerosissima erant, irrumpens, nõ antè cædendi finem fecit, quàm fessus occumberet, qui ad suos, *Prandete*, ait, *commilitones, quasi apud inferos cœnaturi*. Vide hîc, quàm facilè Deus deijciat omnem mundi potentiam, quamque per paucos, æquè ac per multos saluare possit. *Leonida vox.*

VSQVE DAN] Vrbs Dan tempore Abrahæ & Mosis vocabatur Lais, vel Lesem; & ita scripsit Moses: sed qui hæc diaria Mosis digessit, pro Lais substituit nomen Dan, quo post Mosen vocata est, Iosue 19. 47. vide can. 3. Alij putant Mosen spiritu prophetico vocasse eam Dan, quia ita vocandam præuidebat. Sed prius est verius.

VERS. 17. EGRESSVS REX SODOMORVM] vel ex montibus, vel ex vrbe Sodoma, in quam, licet ab hoste iam antè direptam, fuga elapsus euaserat.

IN OCCVRSVM EIVS] vt Abræ de victoria congratularetur, eique gratias ageret, & ab eo suos ciues ab hoste liberatos repeteret.

IN VALLE SAVE, QVÆ EST VALLIS REGIS] Quia hæc vallis, postea dicta est vallis regis Melchisedec, vt habent Septuag. fortè ex eo, quòd circa hãc vallem Melchisedec occurrerit Abræ victori, eique benedixerit, ac sacrificium Deo obtulerit. Aut certè hæc vallis dicta est regis, id est, ampla & regia: vnde Iosephus eam vocat campum regium. Hinc dicitur vallis Saue, id est plana: dicitur etiam vallis illustris, ob amœnitatẽ; quia iuxta Iordanem sita est, porrigiturque vsque ad mare mortuum. ita Borchardus.

VERS. 18. AT VERO MELCHISEDEC] Videtur Abram ex Dan, & conualle Saue siue illustri, domum rediẽs in Hebron, siue ad conuallem Mambre, nonnihil deflexisse versus Salem ad Melchisedec, vt regem tam pium & tam celebrem viseret, vtque per eum pro victoria adepta gratias Deo ageret & sacrificaret. Melchisedec intelligens aduentare Abram, occurrit ei.

Quæres, quis fuerit hic Melchisedec?

Primò, hæretici Melchisedeciani docuerunt Melchisedec esse Spiritum sanctum: hic enim est Melchisedec, id est, rex iustitiæ. Sed hæc est hæresis.

Secundò, Orig. & Didymus putarunt Melchisedec fuisse angelum.

Tertiò, Hebræi, teste S. Hieronymo hîc in quæst. volũt Melchisedec fuisse Sem filium Noë: vixit enim Sem vsque ad tempora Abræ & Melchisedec.

Dico Primò, de fide est, Melchisedec fuisse verum & merum hominem. Fuit enim rex Salem & sacerdos, qui occurrit & benedixit Abræ, vti hîc dicitur. ita Epiphan. hæres. 56. Cyrillus, & alij passim.

Dico Secundò, probabilius est Melchisedec non fuisse Sem, sed aliquem è regulis Chananæorum, qui inter impios Chananæos pius & sanctus vixit. ita Theodor. Euseb. & passim veteres. quia Sem genealogia texitur in Genesi: Melchisedec autem est sine genealogia, vt ait Apostolus Hebr. 7. Secundò, quia Sem cum posteris occupauit Orientem: Cham verò cum suis occupauit terram Chanaan, in qua erat Salem, cuius rex fuit Melchisedec. erat ergo ipse Chamæus & Chananæus, non autem Sem aut Semita. vide dicta ad Hebræos 7. 7. *Melchisedec fuit regulus Chananæus.*

Dico Tertiò, Melchisedec idem est, quod rex iustitiæ. à iustitia ergo & sanctitate huic regi inditum & appropriatum est hoc nomen, Melchisedec. non ergo hoc nomen fuit commune regum Ierusalem, vti vult Caiet. quemadmodum Ægyptijs regibus commune fuit nomen Pharao, & postea Ptolemæus; atq; Palęstinis regibus tempore Abræ cõmune nomen erat Abimelech. Sed huic personæ & regi propriũ fuit hoc nomen Melchisedec: fuit enim ipse typus Christi iusti & sancti Sanctorum. vnde tradit S. Ignatius epist. ad Philadelph. & Suidas, Melchisedec & regem & pontificem & virginem tota vita permansisse. *Melchisedec fuit virgo*

Dico Quartò, Melchisedec fuit typus Christi: Primò, in nomine & nominis etymo; vterque enim fuit rex iustitiæ. Secundò, in officio & statu; vterque enim fuit rex Salem, id est pacis. Tertiò, in generatione; vterque enim fuit sine patre & matre, ad Hebr 7. v. 2. Quartò, in ætate & duratione; vterque enim quasi æternus inducitur in Scriptura. Quintò, in pontificatu. Sextò, in sacerdotio Eucharistico. vide dicta ad Hebræos c. 7. v. 16. & seq. *Fuit typus Christi ob sex analogias. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.*

REX SALEM] Censet S. Hieron. epist. 126. ad Euagrium, hanc Salem non esse Ierusalem, sed aliã vrbem sitam iuxta Scythopolim; vbi Iohannes baptizabat, Iohan. 3. 23. in qua, ait Hieron. etiamnum ostenditur palatium Melchisedec: sed errore vulgi, vt videtur. Fortè Ieroboam eiusque posteri, vt hoc suum palatium celebrarent, dixerunt illud fuisse palatium Melchisedec. Nam communiter Patres docent Melchisedec fuisse regem Salem, id est Ierusalem. ita Irenæus, Eusebius Cæsar. & Emissenus, Apollinarius, Iosephus, Chaldæus, Procopius, Abulens. Andr. Masius. Isidorus, & ex ijs Ribera in Hebr. 7. estque hæc traditio Hebræorum. Ierusalem enim priùs dicta est Iebus, & Salem: vt patet psal. 75. 3. in Hebræo. Imò Iosephus l. 7. Belli c. 18. & ex eo Hegesippus, & Isidorus, tradunt Ierusalem conditam esse à Melchisedec. *Fuit rex Ierusalem.*

Pro-

Proferens (hebraicè הוציא *hotsi*, id est protulit) panem et vinum] non ad cibum militum, (A) vel ad epulum victoriale, vt vult Caluinus & Kemnitius: iam enim ex præda saturi erant milites, vt patet v.24. sed ad sacrificium pacificum, in gratiarum actionem pro victoria Abræ à Deo concessa offerendum. Patet id Primò, ex eo quod subditur: *Erat enim sacerdos.* q.d. Protulit panem & vinum ad sacrificium, quia erat sacerdos, cuius proprium munus est sacrificare. Secundò, quia psalm.109. Hebr.7. & alibi celebre est sacerdotium, ac consequenter sacrificium Melchisedec. Iam verò nusquam alibi sacrificium Melchisedec, eiusque ritus & modus exprimitur nisi hîc; ergo protulit hîc panem & vinum ad hoc, vt ea Deo ex more suo offerret in sacrificium. Solitus ergo erat Melchisedec Deo panem & vinum offerre. Tertiò, quia veteres Rabbini, quos citat & sequi- (B) tur Galatinus libr.10. de Arcanis catholicæ veritatis, & Genebrardus in Chronologia in Melchisedec, vertunt, *obtulit panem & vinum.* Hebræi enim verbo *hotsi* in sacrificiis vtuntur, vt patet Iudic.6.18. vbi hebraicè est הוצאתי מנחה *hotseti mincha.* quod noster Interpres vertit, *portans sacrificium:* S. August. verò in lib. Iudicum quæst. 35. vertit, *offeram sacrificium.* Quartò, quia Apostolus Hebr. c.7. sacrificium Melchisedec opponit Aaronico, dicitque Christum sacerdotem esse secundùm ordinem non Aaron, sed Melchisedec: Aaronici autem sacerdotes offerebant omnis generis animalia; ergo Melchisedec non hæc, nec victimam cruentam, sed incruentam, putà panem & vinum, obtulit. Quintò, est hæc communis sententia Patrum, Irenæi, Cypriani, Augustini, Hieronymi, Theodoreti, Eusebij, Ambrosij, & alio- (C) rum, quos citat Bellarm. l.1. de Missa c.6.

Idem verus sacerdos.

Hinc patet, Missam esse sacrificium, Christumque non tantùm in cruce, sed etiam in vltima cœna sacrificasse, adeoque Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, sed & sacrificium. tam enim Dauid, quàm Apostolus, dicunt Christum esse sacerdotem secundùm ordinem, non Aaron, sed Melchisedec: atqui talis non fuit in cruce; quia in cruce cruentum obtulit sacrificium, quod proinde potiùs fuit secundùm ordinem Aaron, quàm Melchisedec; ergo talis fuit in vltima cœna, cùm scilicet Eucharistiam sub specie panis & vini instar Melchisedec, Deo obtulit. ita passim docent omnes Patres, quos citat Bellarm. loco iam citato.

Nota. Melchisedec priùs panem & vinum Deo obtulit in sacrificium, scilicet partem panis cre- (D) mando, partem vini libando, id est effundendo Deo in gratiarum actionem pro victoria Abræ: deinde reliquam panis & vini partem in milites Abræ libandam, id est participandam & comedendam distribuit: hoc enim moris erat in sacrificio pacifico. ita pariter Christus in vltima cœna obtulit panem & vinum, consecrando illa, & transsubstãtiando in sacrificium Eucharisticum, eaque deinde Apostolis libanda distribuit, & similiter offerenda & libanda præcepit.

Erat enim sacerdos] Hebraicè והוא כהן *vehu cohen, & ipse sacerdos*, id est, quia erat ipse sacerdos: dat enim causam, cur protulerit panem & vinum; scilicet, quia ex iis parabat sacrificium, hæc enim ad præcedentia in hoc versu pertinere, non autem ad sequentem v.19. vti volunt Nouantes, patet ex textu Hebræo, Græco, Chaldæo & Latino, qui omnes hæc in eodem versu iungunt præcedentibus, scilicet versui 18. non autem sequentibus v.19. Falluntur ergo Nouantes, qui Melchisedec sacerdotem hîc vocari putant eo tantùm nomine, quòd benedixerit Abræ, vti sequitur.

Sic sæpè Hebr. *vau*, id est *&*, sumitur pro rationali כי *ki*, id est *quia, nam, enim*, vt psal.94.5. *Ipsius est mare, &* (id est quia, vt vertit S. Hieron.) *ipse fecit illud.* Isaiæ 64.5. *Tu iratus es, &* (quia) *peccauimus.* Lucæ 1.42. *Benedicta tu in mulieribus, &* (quia) *benedictus fructus ventris tui.* & alibi sæpè.

Melchisedec fuit sacerdos.

Sacerdos] Nouantes vertunt, *princeps*: sic enim sumitur Hebr. כהן *cohen*, 2.Reg.8.18. vbi filij Dauid vocantur sacerdotes, id est principes, &, vt Septuag. vertunt, *αὐλάρχαι*, vti exponitur 1.Paral.18.17. Verùm propriè *cohen*, nonnisi sacerdotem significat, abusiuè verò & raro significat principem. Hic verò significare sacerdotem, patet Primò, tum ex antecedẽtibus, tum ex sequentibus: non enim principis, sed sacerdotis est tam sacrificare, quàm benedicere. Secundò, quia ita vertunt Septuag. Chaldæus, Philo, Iosephus, & Rabbini. Tertiò, quia sequitur, *Dei altissimi.* erat ergo sacerdos: non enim rectè quis dicitur Princeps Dei altissimi; sed rectè quis dicitur Sacerdos Dei altissimi. Quartò, quia ita vertit S. Paulus Hebr 7.1. cùm ait, *Hic enim Melchisedec rex Salem, sacerdos Dei summi*, græcè ὑψίστου, (vti & vertunt Septuag. quos citat & sequitur Paulus) id est altissimi.

Notat S. Dionysius cap.8. Cæl. hierarch. Melchisedec dici sacerdotem Dei altissimi, non tantùm eò quòd illi ipse seruiret, sed quòd & alios ad eius fidem cultumque conuerteret ac promoueret.

Benedixit ei] Putà Melchisedec Abramo, Vers.19. tamquam maior iuniori benedixit. Erat enim Melchisedec typus Christi, sacerdotis æterni; cùm Abram ad suos Leuitas temporarium tantùm sacerdotium transmiserit. Benedixit autem dicens: *Benedictus Abram Deo excelso*, id est, à Deo, vel apud Deum excelsum. q.d. Benedicatur Abram, & bonis cumuletur à Deo excelso, prout ipse cœpit ei benedicere, dum ipsi hanc victoriã tam illustrem contulit. ita Lipomanus, qui hîc notat tres actiones sacerdotales Melchisedec. Prima est, quòd panem & vinum obtulerit; Secunda, quòd Abramo victori benedixerit; Tertia, quòd ab eo decimas acceperit.

Qui creavit] Hebraicè est קנה *kone*, id est possessor, qui possedit, vel qui comparauit: sed ideo Deus est possessor cæli & terræ, quia eorumdem est creator, eaque creationis titulo sibi comparauit, suaque fecit. Sic v.22. dicitur Deus possessor (id est creator, ideoque possessor) cæli & terræ. Sic psal.138.13. dicitur *possedisti*, (id est formasti, & formando possedisti) *renes meos.*

Dedit ei decimas] Putà Abram Melchise- Vers.20. deco, vt patet ad Hebr.7.v 4. ita Iosephus & alij passim. Falluntur ergo Hebræi nonnulli, qui è contrario volunt Melchisedec dedisse decimas Abramo: quorum hæc est ratio. Ille dedit decimas qui præcessit, quique benedixit Abramo; atqui hic est Melchisedec; ergo Melchisedec dedit decimas. Verùm falsa est maior propositio. Hebræis enim crebra est enallage personæ: ipsi enim

sæpè ab vna persona ad aliam tacito nomine transeunt, eamque ex dialogismo, vel aliis circumstantiis subintelligendam relinquunt.

Tropol S. Ambros. hîc: *Qui vincit, ait, non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior: sacrificium denique obtulit, decimas dedit.*

DECIMAS] vnum de decem, inquit Chaldæus. Vide hîc, quàm fides & ratio naturalis inclinent ad dandas Deo decimas, etiamsi eas absolutè non præcipiant: & hoc sensu decimæ dici possunt esse iuris naturæ, cùm absolutè sint iuris positiui, scilicet diuini in lege veteri, humani in lege noua. Abræ aui exemplum secutus est Iacob c. 28. 22.

Ita & Gentiles quodam religionis impulsu, sæpè in bello de manubiis decimas vouerunt & reddiderunt. Id à Posthumio factum est, obtenta belli Latini victoria, nec non ab aliis Romanorum ducibus, vti narrat Dionysius Halicarnass. lib. 6. Liuius & alij. Xenophon quoque in Cyro lib. 5. *Hîc etiam*, inquit, *pecuniam de captiuis collectam partiti, eamq; quam decima nomine aut Apollini, aut Ephesiæ Dianæ vouerant, consecrandam Prætores acceperunt.* Idem in Agesilao: *Hostium*, ait, *ita fruitus agro est, vt duobus annis centum talenta & amplius, Deo apud Delphos decimam dedicaret.*

Notat Chrysost. orat 4 contra Iudæos, Melchisedec præfigurasse sacerdotes nouæ legis; Abram, qui ei decimas dedit, adumbrasse laicos.

EX OMNIBVS] spoliis, quæ Babyloniis in bello ademerat.

VERS. 21. DA MIHI ANIMAS] homines (ita Septuag.) q. d. Redde mihi ciues & subditos meos captiuos, quos cum Lot hostibus excussisti; cæteram prædam tibi serua.

Nota, quid valeat vnius viri virtus & gratia apud Deum: scilicet, Deus in vnius iusti Lot gratiam, tot impios Pentapolitas liberauit, vt famulum suum Abram magnificaret.

VERS. 22. *Leuo manum, id est, iuro.* LEVO MANVM MEAM] q. d. Leuans manum in cælum, quasi ad Deum, quem testem & vindicem inuoco, iuro: hac enim ceremonia veteres iurabant, leuando scilicet manum in cælum.

POSSESSOREM CÆLI ET TERRÆ] Hinc Philo libro de Cherubim, docet Deum solum habere dominium rerum omnium; homines verò eorumdem tantùm habere vsum & fructum.

VERS. 23. A FILO SVBTEGMINIS VSQVE AD CORRIGIAM CALIGÆ] Id est, nec vilissimum, nec minimum quid accipiam. Est adagium. Vox *subtegminis*, non A est in Hebræo, sed à nostro Interprete addita est explicationis causa. Subtegmen est filum quod sub stamine texitur, vel quod stamini intexitur: in textrina enim sibi respondent quasi correlatiua, stamen & subtegmen. Porrò caliga est genus calceamenti militaris, vnde milites caligati dicti sunt, & Caius Imperator dictus est Caligula. Sic Act. 12. 8. dicitur: *Calcea te caligas tuas*; quasi calceos tuos. *Caliga pro calceo.*

NON ACCIPIAM EX OMNIBVS QVAE TVA SVNT] quæ sunt Pentapolitanorum, quæque ab hoste recuperaui: nam ex bonis hostium non negat Abram se partem suam accepturum.

Nota hîc continentiam Abræ, quæ eum verè diuitem fecit, vt posset dicere illud Senecæ: *Mea sunt diuitiæ; tu diuitiarum es: quia diuitiæ sapienti in seruitute, stulto in imperio sunt.* Noluit ergo quidquam B accipere: Primò, vt omnes viderent, eum non propter lucrum pugnasse, sed ex charitate, ad liberandos captiuos. Quàm paucos hodie sic bellantes inuenies? Secundò, quia illa bona pauperibus erepta erant: maluit ergo ea ipsis restitui, quàm illis ditari. Tertiò, quia noluit esse obnoxius regi ea offerenti. Quartò, vt gloriam victoriæ non sibi, sed Deo attribueret. Quintò, vt insignem animum, terrena omnia paruipendentem, impiis ostenderet, seque maius quiddam habere quàm opes, in quibus infideles omnem spem collocant. q. d. Habeo Deum, qui plus potest, quàm omnia mundi bona. Vnde S. Ambros. lib. 2 de Abraham c. 8. *Perfectæ*, inquit, *mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere. Ideo Abraham dicit: Nihil sumam ab omnibus tuis. Quasi* C *contagium declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi reiicit, quærens quæ supra mundum sunt, hoc est extendere manus ad Dominum. Manus, operaria virtus est animæ. Angustæ mentes inuitentur promissis, erigantur speratis mercedibus.*

Aliter Pererius: *Quæ tua sunt*, inquit, id est, quæ tua fuerunt, sed iam mea sunt. nam capta bello iusto, cuiuscumque illa fuerint, fiunt victoris, lege non naturali, sed positiua multarum gentium; quam in Hispania seruari docet Abulensis & Couarruuias. eamdem in Belgio obtinere nonnulli dicunt, vt nimirum præda ab hoste abacta, & hosti rursum excussa cedat excussori, modò illa spatio 24. horarum fuerit in manu hostium. Verùm hæc, vt dixi, sunt iuris positiui, non naturæ, quod sequitur hîc Abram.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEus promittit Abrahæ semen numerosum instar stellarum cæli, simulq; terram Chanaan. Hinc Secundò, v. 9. huius promissionis dat signum; putà victimas, quibus simul fœdus suum cum Abram sancit. Tertiò, v. 13. se posteros Abræ post 400. annos in Chanaan inducturum pollicetur.

1. HIs itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.
2. Dixitque Abram, Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. 3 Addiditque Abram: Mihi
autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus heres meus erit. 4. Statimque
sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur
de

de vtero tuo, ipsum habebis heredem. 5. Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. 6. Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. 7. Dixitq; ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam. 8. At ille ait: Domine Deus. vnde scire possum, quòd possessurus sim eam? 9. Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. 10. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit. 11. Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram. 12. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. 13. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. 14. Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. 16. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. 17. Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. 18. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, 19. Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, 20. & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, 21. & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.

VERS. 1. HIS ITAQVE TRANSACTIS] q.d. Confecto in Sodomis bello & victoria, gratiisque Deo actis per Melchisedec; cùm Abram metueret ne Babylonij bellum restaurarent, aut ne Chananæi inuidia aut spe prædæ illecti, in eum quasi spoliis onustum irruerent; Deus volens remunerari eius pietatem, fortitudinem & virtutem, apparuit Abramo, eumque roborauit, dictitans, nihil ipsi ab Assyriis aut Chananæis esse metuendum: ipsum enim sibi cordi esse & curæ, se eius tutorem, protectorem & remuneratorem fore.

PER VISIONEM] non in somno, sed in visione qua Abram vigil vidit angelum, Deum repræsentantem, in corpore assumpto; vel oculis corporeis; vel potiùs oculis mentis, cum eoque fœdus iniit. ita Tostatus, Perer. Oleaster.

Deus est clypeus iustorum. EGO PROTECTOR TVVS] Hebraicè אָנֹכִי מָגֵן לָךְ *anochi magen lach*, ego sum clypeus tuus, ego sum scutum tuum, ego instar scuti te protegam, omniaque hostium tela excipiam. vnde Septuag. vertunt, *ego hyperaspistes tuus*, qui scilicet te præcedo, & scuto meo protego, vti capitanei in acie suum habent hyperaspistem præambulum. Vide hic quomodo Deus iustos & amicos suos soletur & protegat. Sic protexit Dauidem, psal. 5. 13. *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* & psal. 117. 6 *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.*

Notum est apud Alciatum emblema militis, qui scutum, quo omnium hostium tela exceperat, cymbam fecit, qua fluuium pedibus impermeabilem traiecit, indeque clypeum osculatus: *Hic*, inquit, *verus & solus amicus mihi fuit, cùm premererq; solo, cùm premererq; salo.* Tale scutum vbique & in omnibus Abræ, aliisque Sanctis fuit & est Deus.

ET MERCES TVA MAGNA NIMIS] q.d. Quia tam piè, sanctè & fortiter egisti, ô Abram; & quia respuisti mercedem vilem regis Sodomæ, c. 14. v. 22. hac de causa ego tuæ fidei, patientiæ, fortitudini, charitati, obedientiæ mercedem rependam magnam nimis, quæ tuos labores longè exsuperet. ita S. Chrysost. Ambros. Caietan.

Nota hic mercedis nomen, contra hæreticos. vbi enim est merces, ibi est meritum bonorum operum, quod hanc mercedem meretur.

Merces hæc Primò, est temporaria, putà multitudo & amplitudo familiæ & posteritatis: vt patet v. 5. Secundò, est spiritualis & æterna. q.d. Ego ipse qui sum Deus bonorum omnium oceanus, ero merces, præmium, & beatitudo tua obiectiua, ô Abram. Idem canit Dauid psal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hereditas mea præclara est mihi.* & psal. 71. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* & S. Thomas Aquinas cùm Neapoli orans audiret à Christo crucifixo: *Bene scripsisti de me Thoma, quæ ergo erit merces tua?* respondit. *Non alia quàm tu Domine*; tu enim es spes mea, merces mea, amor meus, & omnia. Mentiuntur ergo impij qui dicunt Malach. 3. 14. *Vanus est qui seruit Deo.* *Merces bonorum operũ duplex.* *Deus est merces & beatitudo Sanctorum.*

Addunt Tertiò, nonnulli, per τὸ *ego protector tuus*, promitti Abræ donum perseuerantiæ: per τὸ verò *& merces tua*, significari & reuelari Abræ æternam eius electionem, eamque efficacem ad gloriam. Sed hoc vti mysticum, ita incertum est.

QVID DABIS MIHI] q.d. Credo, Domine, te multa bona & opes mihi largiturum, sed cui illa seruient? ego enim illiberis sum, filio & herede careo. Sciebat Abram Deum sibi promisisse filium c. 12. v. 7. nec de Dei fide dubitat: sed in re tanta, tamque cupita, metuit ne sua culpa Dei promissionem auerterit, vel euerterit. Cupido enim & amor omnia tuta timet; nec quiescit donec potiatur amato, reque ita cupita. VERS. 2.

FILIVS PROCVRATORIS] Hebraicè est בֶן מֶשֶׁק *ben mesec*, quod Primò, Gennadius & Diodorus exponunt, *filium Mesec*, quæ est ancilla mea oriunda Damasco. Secundò, Vatabl. vertit, *filius relictionis domus meæ*, id est, is cui curam omnem rei familiaris meæ reliqui & commisi; putà dispensator & procurator meus. Tertiò & propriè, Oleaster & Forsterus vertunt, *filius excursionis* vel *discursionis domus meæ*, id est, qui discursat per domum meam, vti solet œconomus, in rebus dispensan- *Quid sit מֶשֶׁק?*

pensandis & administrandis. *Mesec* enim deducitur à radice שוק *seuc*, vel שקק *scacac*, id est discurrere, quod proprium est procuratorum. vnde Chaldæus & Theodot. vertunt, *filius œconomiæ*, vel *procurationis domus meæ*. Iam per hebraismum ponitur abstractum pro concreto, putà excursio pro excursore, procuratio pro procuratore: intelligitur enim nomen איש *is*, id est vir. q.d. *is mesec*, id est, *vir procurationis*, cui scilicet credita est procuratio. Sic vulgò vocamus iustitiam ipsum iudicem, qui præest iustitiæ. vnde Aquila vertit, *filius potum dantis domui meæ*, id est, vt S. Hieron. in Quæst. Hebr. vertit, *filius procuratoris domus meæ*: procurator enim cibum & potum procurat & præbet familiæ.

ISTE DAMASCVS ELIEZER] supple, meus heres erit, quia careo filio. Iam Gennadius & Diodorus putant Eliezer vocari Damascum, id est Damascenum; quia natus erat ex matre Damascena.

Secundò, Tostatus, Delrio, & Honcala putant, huic seruo proprium nomen fuisse Damascus, qui fuerit filius Eliezeri. q.d. Damascus Eliezeri, scilicet filius.

Tertiò & genuinè, vt videtur, Damascus, hebraicè דמשק *Dammesec*, descendit à *mesec*, quod præcessit; vt præfixa littera *daleth* sit articulus, quem Syri vsurpant pro *he* demonstratiuo Hebræorum. *Damascus* ergo, vel *Dammesec*, idem est, quod iste *mesec*, putà iste procurator, quod vulgò dicunt Flandri, *den procureur*. itaque ex officio quasi perpetuo & hereditario procurationis, hic seruus vocatus Damascus, cùm eius proprium nomen esset Eliezer. Ab hoc Damasco conditam esse vrbem Damascum, tradit S. Hieronymus, Tostatus, & alij. Quare ingeniosiùs quàm veriùs censent alij, Damascum dici à דם *dam* & שק *sac*, quasi dicas, saccus sanguinis, putà rubri vini. vnde & Græci eam Damascum, quasi αἷμα, sanguinis, id est vini, & ἀσκόν, saccum dictam voluerunt: & quia magna ibidem fuit vini fertilitas & copia, hinc Bacchum istic in sacco habitasse finxerunt. Sed hoc Gentilium fuit commentum, qui hunc Damascum Abræ œconomum ignorarunt; ideoque ex etymologia Damasci, eius nomenclaturam indagarunt.

Eliezer procurator Abræ, ideoq. vocatur Damascus. Hic Damascus condidit vrbem Damascũ.

VERS. 3. VERNACVLVS MEVS] verna meus, id est seruus meus domi meæ natus, vt habent Hebræa.

VERS. 4. STATIMQVE] Vide quàm citò angustiis & scrupulis suorum occurrat Deus.

DE VTERO] de ventre. Est hebraismus.

VERS. 5. NVMERA STELLAS] Erat ergo tunc nox, non illunis, sed innubis, serena & stellata. Hinc patet, stellas etiam visibiles, esse nobis innumerabiles. Nam, vt ait S. Augustinus, quanto quisque acutiùs intuetur, tanto plures in cælo videt. ita ipse lib. 16. Ciuit. 23. S. Basil. Eusebius, Aristot. Plato, & Seneca apud Perer. Dioptra verò longè plures stellas ostendit, quæ solis oculis cerni nequeunt. Cùm ergo nonnulli ex Ptolemæo & Astrologis, tantùm numerent stellas 1022. tantùm visu insignes, illustres & magis notabiles numerant.

Stellæ innumerabiles.

Nota. Iubet Deus Abram numerare stellas, tum quia erat astronomus, tum quia eas sæpè suspicere, & ad cælum suspirare & anhelare solebat, vti & faciebat S.P.N. Ignatius. Hinc Orpheus apud Clement. libr. 5. Stromatũ Abrahamum vocat Astrologum, dum canit:

Vnus præterquam, cui deriuatur origo
Chaldæûm ex genere; is noscebat sidera cæli,
Illorumq́; vias, & quâ moueatur in orbem
Sphæra.

SIC ERIT SEMEN TVVM] q.d. Instar stellarum erit, ô Abram, posteritas tua; tum ad litteram, carnalis Iudæorum, quam propriè hîc efflagitas; tum allegoricè, spiritualis credentium & Christianorum: hi enim sunt filij Abræ; tum quia eius fidem & pietatem imitantur: tum quia Christus filius Abræ secundùm carnem, Christianorum omnium est parens. & hoc est quod teste S. Ambros. & S. August. dixit Christus Iohannis 8. 56. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est.*

Posteritas Abræ, tum carnalis, tum spiritualis.

Nota, posteros Abræ tum carnales, tum potiùs spirituales, rectè comparari stellis cæli; quia posteritas hæc instar stellarum Primò, est innumera & maxima, (quod maximè hîc ad litteram intenditur.) Secundò, est sublimissima & cælestis. Tertiò, est constans, ordinatissima, & æterna. Quartò, est potentissima. Quintò, est famosissima. Sextò, est splendidissima & gloriosissima; atque talis maximè erit post resurrectionem. *Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Danielis 12. Stellæ ergo significant fideles illustres, vti sunt Doctores. Atque huc alludit Ecclesia, cùm canit: *Signifer tuus S. Michaël repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abræ promisisti* (vbi? nisi hîc, & v. 1.) *& semini eius.*

Sancti sunt stellæ ob sex analogias.

Nota Secundò. Filij Abræ carnales, putà Iudæi, expressa fuerunt figura spiritualium Abræ filiorum, putà Christianorum. Primò, in numerosissima eorum multiplicatione. Secundò, in durissima eorum vexatione, & afflictione in Ægypto. Tertiò, in tam felici transitu maris rubri demersis Ægyptiis. Quartò, in cibo, putà manna, cælesti, quo aliti sunt in deserto per 40. annos. Quintò, in serpente æneo, quem quicumque morsi à serpentibus aspiciebant, sanabantur. Sextò, in peregrinatione 40. annorum per desertum, duce columna cælesti, per tot pericula & tentationes. Septimò, in introductione eorum in terram promissam, duce Iosue, siue Iesu filio Naue. Octauò, in abundantia vini, mellis & olei in terra Chanaan. Hæc enim omnia spiritualiter facile est adaptare Christianis.

Iudæi fuerunt figura Christianorum per octo analogias.

CREDIDIT ABRAM DEO] promittenti rem tam arduam, & per naturam impossibilem, putà quòd ex Sara anu & sterili generaret filium; & per eum posteros innumeros, instar stellarum cæli. VERS. 6.

Nota. Hæc fides Abræ non nuda & informis fuit, vti volunt Nouantes; sed submissionis, obedientiæ, reuerentiæ, charitatis, aliarumque virtutum operibus vestita & formata; vt patet ex præcedent. & seqq. atque ex S. Iacobi epist. c. 2. 21.

ET REPVTATVM EST (à Deo, vel iudicio Dei, quod sincerum est, & falli nequit) ILLI AD IVSTITIAM] Hebraicè est, *vaiachscebehalo tsedaka*, & *reputauit illam*, scilicet fidem, Deus *illi ad iustitiam*, maiorem scilicet, (nam iam antè iustificatus erat Abram, vt patet v. 1. & c. præced.) vt coram Deo iustior appareret, & reuera esset. Deus enim ita æstimat, vti res ipsa in se habet; alioqui enim falleretur Dei iudicium.

Abram hîc factus est non iustus, sed iustior.

Perperam ergo Nouantes ex hoc loco probare contendunt suam iustitiam imputatiuam. Sic

Imputatiua Nouantium iustitia reiicitur.

Sic enim dixisset Moses: Imputauit Deus Abræ iustitiam Christi. iam autem contrarium dicit, scilicet quòd Deus ipsi Abræ fidem, non Christi, sed ipsiusmet Abræ imputarit ad iustitiam; quia scilicet propter Abræ fidem, actusque fidei tam heroicos, eum iustum, imò solito iustiorem habuit & censuit. Nam per hos intrinsecos fidei actus, non denominatiuè, nec imputatiuè, sed reuera & intrinsecè iustificatus est, & in iustitia creuit Abram.

Nota. Hæc sententia, ***Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam***, generalis est, & ad omnia præcedentia pertinet. Abram enim per fidem, ex iniusto factus est iustus; & per fidem in iustitia iam adepta creuit. Vult enim S. Scriptura hîc Abram proponere, quasi patrem fidei, & exemplar iustificationis. Hîc tamen potiùs, quàm alibi hanc sententiam ponit, quia credere semen B tale ac tantum, cùm carnale, tum spiritale ex coniugibus senibus, sterilibus & infirmis nasciturum, arduus erat fidei actus, isque amplissimus, omnia alia credenda tacitè complectens. Plura de hoc loco dixi Rom. 4. 3.

VERS. 7. POSSIDERES] per tuos posteros.

VERS 8. *Cur Abram petat signũ?* VNDE SCIRE POSSVM] Non dubitat Abram de Dei promissione (alioqui enim fides eius non fuisset illi reputata ad iustitiam) sed tantùm modum eius scire cupit, & eius quod crediderat symbolum aliquod & similitudinem sibi exhiberi exoptat. ita Theodoret. S. Chrysost. & S. August. Id ita esse patet ex responsione Dei, qui annuens petitioni Abræ tale dat signum, quo modum & ordinem futuræ ob oculos ponit. Secundò, cupit hîc Abram, vt Deus promissum suum confirmet, nec vllis posterorum demeritis id- C ipsum irritet, inquit Rupert. & Tostatus. Tertiò, non tam sibi quàm posteris signum petit hîc Abram: vt scilicet per signum hoc posteri firmiùs idipsum crederent. ita Caietan.

VERS. 9. SVME MIHI VACCAM TRIENNEM, &c.] Primò, in vsum fœderis, quod tecum more & ritu vestro pacisci, horumque animalium occisione & diuisione sancire volo. Secundò, vt post initum mecum fœdus, iis mihi sacrifices. Tertiò, vt per ista tibi adumbrem & significem quæ posteris tuis euentura sunt, partim læta, partim tristia, antequam ineant possessionem terræ Chanaan, eis à me promissæ. ita Perer.

VACCAM TRIENNEM, ET CAPRAM TRIMAM, ET ARIETEM ANNORVM TRIVM. TVRTVREM QVOQVE ET COLVMBAM] Hæc omnia symbola sunt futurorum post Abram in eius posteris, putà Hebræis. D

Vacca, capra, & aries significant tres generationes Hebræorum. Primò ergo, ***vacca*** hæc ***triennis*** indomita significat primam generationem Hebræorum, eorumque libertatem in Ægypto tempore Ioseph. tunc enim liberè & lautè, instar iuuencæ, pascebantur opibus Ægypti. Secundò, ***capra trima*** significat secundam generationem Hebræorum, quam post Ioseph instar capræ mulgere cœperunt Ægyptij, Hebræorum operis & seruitute se ditando. Tertiò, ***aries*** durus & cornutus significat tertiam generationem Hebræorum numerosissimam & fortissimam, ac proinde durissima seruitute oppressam ab Ægyptiis, nascente Mose. Quartò, ***duæ aues***, non diuisæ, vti cætera, sed integræ in sacrificium oblatæ, significant, quòd post 400. annos Hebræi liberi & integri essent euolaturi ex Ægypto, vt Deum colerent, tum in A deserto, tum in Chanaan. ***Turtur*** gemebunda significat 40. annos luctus, in peregrinatione per desertum. vnde turtur hebr. dicitur תור ***tor***, à תור ***tur***, id est, cogitare, meditari, eò quòd turtur intus loqui videatur, instar eorum qui meditabundi secum loquuntur. ***Columba*** socialis significat tempus Iosue, quo Hebræi in terra promissa lætè ac placidè habitarunt. Pro ***columba***, hebraicè est גוזל ***gosal***, id est, pullus columbæ, siue pipio, vt vertit Chald. Hebræi enim recenter sub Iosue Chananæam ingressi, in ea fuerunt quasi pipiones.

Dissectio quadrupedum significat afflictiones varias Hebræorum in Ægypto; harum finem significant aues integræ. ***Volucrum volatus*** ad cadara significat Og, Seon, Amalec, aliosque hostes Israelem peregrinantem inuadentes & vellicantes. ***Abram volucres abigens*** significat Dei prouidentiam, Hebræos ob merita Abræ tuentem & protegentem. ita Theodor. & Diodor. Tarsensis.

Tropol. de oratione & variis in ea distractionibus instar auium abigendis, vide apud S. Gregor. lib. 16. Moral. 20.

Quæres, Cur Deus voluit hæc animalia terrestria esse trima, siue trium annorum? Resp. Primò, quia trima animalia perfecta sunt statura, ætate & robore. Secundò, symbolicè, quia seruitus Ægyptia durauit per tres generationes, putà Caat, Amram, & Mosis.

Trop. vacca est humilitas, capra pœnitentia, aries fortitudo, turtur castitas, columba mansuetudo. Tropologicè, qui contendit ad terram promissionis in cælis, quasi verus Hebræus Abræ filius, hîc sumat Primò, vaccam triennem, id est humilitatem triplicem, putà humiliet se superioribus, paribus & inferioribus. Secundò, capram trimam, id est pœnitentiam triplicem, putà contritionem, confessionem & satisfactionem. Tertiò, arietem trimum, id est fortitudinem triplicem, vt scilicet fortiter ferat pro fide & Dei obsequio damna opum, honoris, & corporis siue vitæ. Quartò, sumat turturem, id est castitatem & orationem; atque columbam, id est, simplicitatem & mansuetudinem. Quintò, abigat volucres, id est, dæmonum tentationes.

Mysticè, hoc est physicè, S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 8. Vitula, inquit, repræsentat terram, capra aquam, aries aërem, qui fortis vt aries, ventis & procellis terram aquamque concutit. Hæc enim offerenda sunt Deo. Moral. Vitula est caro, capra est sensus, aries est verbum. ***Caro nostra vitula est: laborat vt ferat, laborat vt colligat: laborat vt pariat: innumeris fatigatur laboribus. Vnde & Græci δάμαλιν ἀπὸ τοῦ δαμάζεσθαι λίαν, eò quòd dometur nimis. Sensus autem nostri caprarum modo, velut saltu quodam aliò exiliunt. Ad omnem occasionem præstò sunt, vel occursu femineæ pulchritudinis, vel odore suauitatis alicuius: auditu pariter & tactu mouentur velociter, quibus etiam animæ inflectunt constantiam. Aries vehemens est, sicut & sermo noster efficax operationis, ordine quodam vitæ & actionum gregem ducens.*** Hæc ergo tria Deo litanda sunt. ita S. Ambrosius.

Allegoricè, hæc animalia significabant Christum Christique sacrificium, quo sancitum est nouum fœdus Christianorum cum Deo. Aries ergo, siue ouis significat Christi innocentiam: capra significat similitudinem carnis peccati in Christo: vacca robur & patientiam Christi in perferendis laboribus: turtur, Christi munditiem &

& castimoniam: columba, quæ sine felle est, incomparabilem Christi mansuetudinem, quam ille nos præcipuè amare & imitari voluit, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* ita Lyranus. A

Vers. 10. *Sanciebantur fœdera diuisione victimarũ.* Divisit ea per medium] fidit ea secando à capite ad caudam. Videtur hîc Deus instituere ritum feriendi fœderis, vt scilicet in fœdere findant & diuidant animalia, siue victimas fœderales, interque partes ita diuisas transeant, imprecando sibi similem necem & fissionem, si fœdus violent. Vnde hunc ritum deinceps seruarunt Iudæi, vt patet Ierem. 34. 18. Chaldæi quoque: apud Chaldæos enim, inquit Diodorus Tarsensis, tutius habetur iusiurandum, cùm illud per animalium sectionem sanciunt, eamdem prævaricatoribus imprecantes. Sic Romani & Latini

Stabant, & cæsa firmabant fœdera porca.

Plura hac de re dixi 1. Corinth. 11. v. 25. & dicam Exodi 24. 8.

Partes contra se] Posuit partes illas sibi altrinsecus respondentes, relicto spatio intermedio ad transeundum. Hæc omnia fecit Abram instinctu & iussu Dei, licet id non exprimat Moses.

Vers. 11. Aves non divisit] quia non faciebant ad fœdus. Symbol. S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 8 *Non sunt enim, inquit, diuisi iusti, quibus dicitur, vt sint simplices sicut columbæ. Mens enim directa ad Christi gratiam, videbat hunc mundum plenum esse iniquitatis: pudicitiam autem, fidem, sinceritatem nullis esse obnoxias passionibus: auaritiam verò, & sollicitudines sæculi, quibus suffocantur qui habent voluptates diuitiarum, dilacerari ac diuidi. Vnde & diuitiæ dictæ sunt, quòd mentem diuidant, atque in diuersum scindant, & in partes trahant, nec sinant incorruptam esse & integram.* C

Abigebat] Rectè. hoc enim significat Hebræum וַיַּשֵּׁב *tasseeb*, à rad. נָשַׁב *nascab*, id est, amouit, expulit. ita Chaldæus, Vatabl. & alij. estque hæc versio vera & genuina. Certum enim est, Abram abegisse volucres à suis victimis, alioqui enim eas deuorassent. Verùm Septuag. aliis punctis legentes וַיֵּשֶׁב *iesceb*, contrariè vertunt, *sedit cum eis Abram.* quod tamen verum quoque est. sedebat enim eminus Abram cum auibus à se abactis: hæ enim abactæ eminus sedebant victimis inhiantes & ad eas redire cupientes.

Simili modo cùm Episcopus solemnem Missam facit, diaconi ex vtroque latere tenent flabella, ad muscas & culices abigendas, ne in calicem incidant: sicut Abram volucres, quæ ad victimas descendebant, abigebat, ait Turrianus in Constit. Apost. S. Clementis lib. 8. c. 12. D

Notat S. Ambros. libr. 2. de Abraham, nullam hinc aruspicinæ, qua ex volatu vel garritu auium diuinabant Gentiles, sumendam esse commendationem; quod tamen subinnuit Valesius Sacræ Philosoph. c. 30. vbi videtur gentilizare, ideòque censuram Indicis Romani incurrit.

Vers. 12. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram] Sopor hic Abræ partim fuit naturalis, ex nimio labore diurno, occidendi, diuidendi, sacrificandi victimas, abigendique ab eis volucres; partim fuit Abræ à Deo immissus, sicut Adæ soporem immisit Genes. 2. 21 Est enim vtrobique in Hebr. eadem vox תַּרְדֵּמָה *tardema*, quam Septuag. vertunt *ecstasin*. In ecstasin ergo raptus Abram, vidit posterorum (vt patet v. sequ.) suorum in Ægypto seruitutem, idque videns horrore & angore correptus est. ita Philo, Pererius, & alij.

Abram in ecstasi videt futura.

Symbolicè, hic sopor significabat Deum, quasi dormientem & dissimulantem ad tempus afflictionem Hebræorum: vnde contigit in occasu solis, id est, mortuo Ioseph, qui eorum apud Pharaonem erat patronus. Secundò, Pererius putat hunc soporem Abræ significare, quòd Abram antè sit moriturus, nec visurus suæ gentis calamitatem.

Sopor Dei est Dei patientia & dissimulatio.

Allegoricè, hæc ad perturbationem in fine mundi futuram refert S. August. l. 16. Ciuit. 24.

In terra non sua] putà partim in Ægypto, partim in Chananæa.

Et subiicient eos servituti, et affligent quadringentis annis] Nota, hos 400. annos partim referendos esse ad τὸ *affligent*, partim ad τὸ *peregrinum erit semen tuum*, quòd præcessit. nam in Ægypto non seruierunt Hebræi, imò non habitarunt 400. annis, sed tantùm 215. vti ostendam Exodi 12. 40. Sensus est ergo, q. d. Ab hoc tempore, quo mox tibi, ô Abram, promissum semen dabo, faciamque tibi nasci Isaac, vsque ad egressum tuorum posterorum ex Ægyptia seruitute in Chanaan, fluent anni 400 quibus Isaac & posteri tui, partim peregrini erunt hîc in Chanaan & in Ægypto, partim in Ægypto seruient & affligentur. Vers. 13. B

Nota hos 400. annos inchoandos esse à natiuitate Isaac (hæc enim concernunt posteros Isaac, non autem Ismaelis) quæ contigit anno 100. Abræ, qui fuit 25. ab eius vocatione, Genes. 12. 4. ab hoc enim anno 100. Abræ, vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 405. Sed Scriptura solet paruos numeros prætermittere, ideoque hîc quinque annos omittit. ita ex S. August. Pererius. Vel si præcisam supputationem requiris, hos annos inchoa ab eiectione Agar & Ismaelis ex domo Abræ: tunc enim remansit in domo Abrahæ solus Isaac, vnicus heres eius & harum eius promissionum. vnde Gen. 21. 12. vbi eiectio Ismaelis præcipitur, dicit Deus Abrahæ: *Quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* ita Torniellus. Hæc enim eiectio Ismaelis contigit anno Abræ 105. cùm Isaac esset quinquennis, vt dicam c. 21.

Ab Isaac ad exitum ex Ægypto sũt anni 405.

Iudicabo] grauissimè puniam plagis Ægyptiacis, Exodi 7 & seq. Vers. 14.

Magna substantia] magnis opibus tum suis, tum Ægyptiacis. Spoliabunt enim Ægyptum, Exodi 12. 36.

Ibis ad patres tuos in pace] defungeris morte placida, pacata & læta. Audi S. Ambros. lib. 2 de Abraham c. 9. *Nonnulli putauerunt patres esse elementa, ex quibus constat caro nostra dum viuimus, & in quæ resoluimur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Ierusalem quæ sursum est, illos asserimus patres, qui vita merito & ordine antecesserunt. Erat illic Abel pia victima, erat pius & sanctus Henoch, erat Noë: ad eos promittitur Abraham transitus.* Vers. 15.

In senectute bona] prouecta, matura, annorum 175.

Generatione autem quarta revertentur huc] *Generatione quarta*, id est, quarto sæculo, siue quarto centenario annorum: putà post 400. annos. Generatio enim, siue spatium vitæ humanæ, 100. annis circumscribitur, Eccli. 18. 8. Vers. 16.

Generatio est spatium centum annorum.

Potest

Potest Secundò, cum Pererio generatio hîc propriè capi, pro ea qua pater generat filium; nam post descensum Iacob in Ægyptum, hæ fuerunt quatuor generationes in linea Iuda, eorum qui ex Iuda nati sunt in Ægypto: Esron, qui fuit nepos Iuda, genuit Ram (en prima.) Ram genuit Aminadab, (en secunda.) Aminadab genuit Naasson, (en tertia.) Naasson genuit Salmon, qui terram Chanaan Iudæis à Deo promissam ingressus est, (en quarta.)

Dices: Septuag. Exodi 13.18. non quatuor, sed quinque generationes hîc computant. Resp. Septuag. computant à filiis Iacob exclusiuè; computant enim ipsum Phares filium Iuda. nam Phares genuit Esron: at non in Ægypto, sed in Chanaan. Esron enim cum Pharespatre, & auo Iuda, & abauo Iacobo, è Chanaan intrauit Ægyptum: vt patet Genes. 46. v. 12. & 26. ideoque hæc quinta generatio hîc omittitur.

B

NECDVM ENIM COMPLETÆ SVNT INIQVITATES AMORRHÆORVM] Nota. Per 40. annos tolerauit Deus Chananæorum peccata, donec scilicet impleretur ab eis mensura peccatorum, à Deo vindictæ & excidio eorum præstituta: qua impleta, & Chananæis expulsis & deletis, in eorum locum & regionem surrogauit Hebræos.

Tria Chananæorum peccata. Nota Secundò. Amorrhæorum & Chananæorum iniquitates (vt patet Leuit. 18. & Deuter. 9. & 12.) præcipuè fuêre tres. Primò, idololatria, qua etiam proprios filios igni comburendo diis immolabant. Secundò, iniustæ oppressiones peregrinorum, & pauperum. Tertiò, promiscua matrimonia cum consanguineis & cognatis. Rursum libido nefanda, non tantùm marium cum maribus, sed etiam cum bestiis. Hæc ita abominanda fuerunt, vt terra non potuerit eos ampliùs sustinere; sed eos euomere sit coacta, vt ait Scriptura.

C

Quæ peccata maximè puniat Deus in hac vita. Vbi Nota Tertiò. Deus in hac vita maximè solet punire peccata publica & inuerecunda; quæ humanæ societati exitialia sint. Humana verò societas tribus maximè coalescit: Primò, religione & pietate in Deum; Secundò, æquitate & iustitia; Tertiò, recta viuendi disciplina, & bona morum compositione. Contra primum peccat atheismus & idololatria, contra secundum rapinæ & oppressiones innocentum, contra tertium promiscua & infanda libido.

Denique S. Gregor. in Ezech. explicans illud c. 3. *Si conuersus iustus à iustitia fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo*; *Hoc*, inquit, *cum tremore nobis considerandum est, quòd iustus & omnipotens Deus, cùm irascitur præcedentibus peccatis, permittit vt cæcata mens etiam in alia delabatur.* Sic permisit Chananæos labi in alia & alia scelera, donec impleretur eorum mensura. magna ergo Dei pœna est impunitas peccandi, peccatori indulta ad grauiorem eius punitionem & damnationem. Ex hoc ergo loco disce Primò, quidquid peccamus, quasi in vnum cumulum coram Deo venire, vt mensura impleta, certum super nos cadat exitium. non ergo leuia putemus esse peccata, etiam parua, quia addunt aliquid ad hunc cumulum. Disce Secundò, gratiam esse, vbi Deus citò peccata punit: per hoc enim cumulus peccatorum decrescit. ex aduerso magna ira Dei est, vbi Deus diu differt & dissimulat: tunc enim cumulus culpæ augetur, ac consequenter & pœnæ.

D

A Disce Tertiò, Deum impiós tolerare ad certum terminum, quem transgredi non possunt sine Dei punitione. Disce Quartò, cùm in republ. vel vrbe aut principe, aliòve homine, peccata ad summum peruenerunt, tunc certam Dei vindictam imminere. eam ergo pœnitentia cita auertamus.

FACTA EST CALIGO] Hæc omnia vidit Abram in ecstasi, vt habent Septuag. vers. 12. ita S. Augustinus lib. 2. Retract. c. 43. VERS. 17.

CLIBANVS FVMANS] clibanus ardens, & per flammam fumosam erumpens. hic clibanus est symbolum & imago fornacis metaphoricæ, putà Ægyptiacæ seruitutis in luto & latere, quem in suis furnis coquebant Hebræi: vnde hæc eorum seruitus vocatur fornax ferrea Ægypti. Deuter. 4 20.

Symbol. S. Ambros. libr. 2. de Abraham cap. 9. Fornacis, ait, *similitudine exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi istius atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritudinem, & splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut quodam fumo obtexitur, ne videat veritatis faciem, donec cælestes lampades dirigat Dominus Iesus, hic est fulgorem gloriæ suæ.*

LAMPAS IGNIS] Hebræi lampadem ignis vocant facem, vel titionem ardentem. Fuit ergo hæc lampas facula ardens & index Dei, qui passim solitus est in veteri testamento apparere in igne. vt dixi Hebr. 12. 29. *Lampas est facula.*

Nota. In fœderibus feriendis, solebant ferientes transire inter victimas diuisas, imprecantes sibi similem necem & diuisionem, si fœdus violarent: vt dixi v. 10. Hoc ergo lampadis, vel faculæ transitu per media animalia, firmat Deus suum fœdus cum Abram: loco enim Dei transit angelus in hac face repræsentatus & delitescens. Abram quoque qui fœdus init cum Deo, pari modo transisse, vel potiùs visus sibi transire intelligendus est. Omnia enim hæc in visione sibi videre visus est Abram. *Cur trâsit* *Quia hoc transitu sancit fœdus.*

Secundò, hæc lampas siue facula significabat columnam ignis & nubis, per quam Deus Hebræos diuisit ab Ægyptiis in mari rubro, Exodi 13. 21. eosque deinceps per desertum deduxit in terram promissam. *Fax hæc fuit typus columnæ ignis & nubis.*

Rursum lampas est Deus, ipso transitu quasi inuitans Hebræos ad exitum ex Ægypto, iuxta illud Eccli. 50. 31. *Lux Dei vestigium eius*, id est præeuntis lucis, putà Dei, vestigia sequitur. Deus enim in columna ignis & nubis præcedens castra Hebræorum, ea eduxit, viamque per desertum ostendit & præiuit. Insuper Clemens Alex. in Parænet. ad Gentes, in ipsa columna ignis lucentis & ardentis, Deum ita populo loquentem inducit: *Si obedieris, lucem*; *si non obedieris, ignem* in te immittam. Denique clibanus fumans est iudex molestans, torquensque impios in die iudicij: lampas verò transiens est purgatorium breue, quo pij excoquuntur, vt transeant in vitam æternam.

Allegoricè, hæc facula transiens significabat gloriam Dei, fidei & gratiæ à Iudæis transituram ad Gentes. ita Rupertus.

Anagogicè, hæc facula significat diem iudicij, & ignem conflagrationis mundi, qui dirimet electos & reprobos, saluandos & damnandos. ita August. l. 16. Ciuit. c. 24.

Denique hæc facula transiens inter partes animalium diuisas, eas cum columba & turture pariter

riter absumpsit & combussit; idque vt hoc modo perficeretur Abrae sacrificium, vtque hoc signo testaretur Deus, gratum sibi esse hoc Abrae sacrificium. Sic enim per ignem acceptauit Deus sacrificium Abelis, Gedeonis, Manue, Salomonis & aliorum: vti dixi c.4.v.4. ita Chrysost. hom. 37.

VERS. 18. A FLVVIO ÆGYPTI] Hic fluuius est riuus Nili, qui inter Rinocoluram & Pelusium ingreditur mare Mediterraneum: vnde alibi vocatur torrens Ægypti, vel deserti. de quo vide Riberam in Amos 6.n.45.

VERS. 19. CINÆOS] Nota. Hebraei sub Iosue septem tantùm gentium terram possederunt.

Cur nunc septē, nunc vndecim gentes numerentur in Chanaan.

Dices, Quomodo ergo vndecim gentium hîc eis terra promittitur? decem enim hîc nominantur, quibus si addas Heuaeos, quos alibi exprimit Scriptura, habebis 11. Respondet Abulens. hanc promissionem non solos Hebraeos, sed omnes Abrae posteros spectare; itaque hic Deum complecti etiam portionem terrae, quae cessura erat Esau nepoti Abrae & Idumaeis: rursum portionem cessuram filiis Ammon & Moab, quibus in gratiam Abrae patrui sui Deus duarum gentium regionē tradidit. His tribus demptis restant octo. iam ex his octo Raphaim, siue gigantum, terra alibi sub Amorrhaeis comprehenditur. iis ergo demptis, restant 7. tantùm gentes, quas possederunt Hebraei iuxta Dei promissa. Verùm verius est, haec omnia spectare, non Idumaeos, nec Ammonitas & Moabitas, sed solos Hebraeos, posteros Isaac & Iacob. hi enim sunt semen Abrae, cui sua promissa consignat Deus.

Meliùs ergo respondet S. August. qu. 21. in Iosue, & ex eo Pererius, in Scriptura duplicem poni terram promissam: primam, quam Hebraei possederunt sub Iosue, quae septem tantùm continebat gentes: secundam, quam iidem possederunt sub Dauide & Salomone, cùm florentissimum fuit regnum Iudaeorum, eaque vndecim gentes, quae hic Abrae promittuntur, complectitur; non quasi Hebraei sub Salomone omnem hanc terram inhabitarint, sed quòd tota eis fuerit subdita & vectigalis.

Tertiò & optimè, respondet S. Hieron. & And. Masius in c.1. Iosue v.4. Deum non dedisse Hebraeis totam terram hîc eis promissam, eò quòd ipsi conditiones promissionis & pacti, scilicet legem & cultum Dei, non seruarint. vnde passim in libr. Iudicum dicitur, quòd Chananaeus etiam tunc habitaret in terra, quodque Deus reliquerit eis Iebusaeum, qui exerceret Israelē. Hac ergo de causa, licet hae gentes vniuersim fuerint vndecim; passim tamen nominantur septem tantùm; vt videre est Deuter. 7.v.1. Iosue 24.v.11. Rursum, aliquando tantùm sex nominantur: omittuntur enim Gergesaei; quia hi pauciores erant & viliores; vnde eos sub aliis comprehendit Scriptura.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AGar ex Abram concipit, hinc superbit, affligitur, fugit in desertum: ibi v.7. solatur, ac redire eam iubet angelus, simulq́ Ismaelem filium ei promittit & describit: quem rediens v.15. parit Agar.

1. IGitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam
nomine Agar, 2. dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem:
ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille ac-
quiesceret deprecanti, 3. tulit Agar Ægyptiam, ancillam suam, post annos decem
quàm habitare coeperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem. 4. Qui
ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. 5. Dixit-
que Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum,
quae videns quòd conceperit, despectui me habet. iudicet Dominus inter me & te.
6. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet. Af-
fligente igitur eam Sarai, fugam iniit. 7. Cumque inuenisset eam angelus Domi-
ni iuxta fontem aquae in solitudine, qui est in via Sur in deserto, 8. dixit ad illam:
Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quò vadis? quae respondit: A facie Sarai dominae meae
ego fugio. 9. Dixitque ei angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humi-
liare sub manu illius. 10. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum,
& non numerabitur prae multitudine. 11. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & pa-
ries filium: vocabisque nomen eius Ismael, eò quòd audierit Dominus afflictionem
tuam. 12. Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra
eum: & è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. 13. Vocauit au-
tem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Pro-
fectò hîc vidi posteriora videntis me. 14. Propterea appellauit puteum illum, Pu-
teum viuentis & videntis me. Ipse est inter Cades & Barad. 15. Peperitque Agar
Abrae filium: qui vocauit nomen eius Ismael. 16. Octoginta & sex annorum erat
Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

VERS. 2. CONCLVSIT ME DOMINVS] Nota hebraismum, aperire vuluam est foecundare, dare prolem: è contrario, concludere vuluam, vel feminam, est facere sterilem, conceptu & prole priuare.

INGREDERE AD ANCILLAM MEAM] quasi maritus ad coniugem tuam, quam per hunc ingressum, putà per copulam maritalem, tibi matrimonio iungis.

Carpit hic Caluinus Saram quasi lenam, & Abram

Abram quasi adulterum ancillæ suæ Agar. Verùm vtrumque excusat S.Chrysost. August. Ambros. Ioseph. Hieron. & alij. Abram enim Agar non habuit quasi concubinam, sed eam duxit hîc in vxorem secundariam; tum enim licita erat polygamia; nec ad eam libido, sed spes & desiderium prolis & posteritatis tam Saram, quàm Abram incitabat. Pulchrè S.August. lib 16 Ciuit. cap. 25. de Abram: *O virum, inquit, viriliter feminis vtentem, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter!*

Agar fuit vxor Abra secundaria.

Addit Iosephus, Saram à Deo admonitam, suasisse Abræ nuptias Agar. idem insinuat S.Augustinus lib. 10. contra Faust. c. 32.

Vbi Nota Primò, fidem & pietatem Saræ, quòd suæ ipsius dignitatis oblita, hoc agit, vt Dei promissio de prole & stirpe Abræ impleatur. Secundò, eius prudentiam, quòd marito vxorem dat non extraneam, sed ancillam, vt vel sic natos ex ea filios sibi asscribere posset. Tertiò, eius humilitatem, quòd sponte iuri suo cedit, ancillamque sibi prætulit: qua de causa meruit à Deo exaltari per conceptum Isaac. Quartò, eius dilectionem erga maritum, vt eius stirpi consulat. Quintò, eius castitatem, quòd, cùm videt se concipere non posse, virum vltrà non appetit. Vna tantùm re Sara imperfectior fuit Abramo, quòd in prole habenda nimis festinarit, vti facere solent mulieres. Abram enim & quiuis verè fidelis expectat, etiamsi moram fecerit Dominus. Quare & punita fuit hac ipsa in re, cùm scilicet Agar pariens, eam, licet dominam, despexit. Notent hoc parentes, qui nimio desiderio filios quærunt: per eos enim punientur, cùm filij tales euadent, vt parentibus non nisi molestias & miserias creent, vt optent subinde eos non esse natos.

Dices, Polygamia est contra ius naturæ, ergo nullus, ne Deus quidem, in ea dispensare, eamque concedere potest. Negant antecedens Durandus in 4 d. 33. & Abulens. in c. 19. Matthæi. hi enim volunt, polygamiam tantùm vetitam esse lege positiua Christi in Euangelio, Matth. 19. v. 6. Verùm omnes alij docent polygamiam illicitam esse iure non tantùm positiuo, sed etiam naturali. Vnde S.Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 4. eam vocat adulterium, sed ob mysterium illo æuo permissum. Respondeo ergo negando consequentiam. Deus enim potest dispensare in lege naturæ, præsertim si ea sit secundaria, qualis est ea quæ vetat polygamiam. Polygamia in se est vetita, nisi ab altiori potestate, putà diuina, permittatur; tum enim est licita. tantùm enim in se est mala & vetita; quia nonnihil repugnat paci familiæ & bonæ educationi prolium, ad quam tenentur parentes: verùm Deus hac obligatione parentes liberare, eamque alio modo, & maiore bono (v.g. propagatione veræ fidei) compensare potest. Deus ergo dispensando in lege naturæ, verbi gratia monogamiæ, non tam legem, quàm legis obiectum & materiam tollit & immutat. Sic cùm iussit Osee ducere fornicariam, ex fornicaria effecit coniugem Osee. Sic cùm iussit vt Hebræi spoliarent Ægyptios, Ægyptiorum bona dedit Hebræis; ac proinde nec actus Osee fornicatio, nec Hebræorum furtum fuit: quia Deus Osee dederat ius in corpus eius, quæ priùs fuerat fornicaria; Hebræis verò dederat ius in bona Ægyptiorum. Sicut ergo Deus donauit Hebræis bona Ægyptiorum, ita condonauit & remisit Abræ aliisque ea ætate obligationem ad procurandam tantam pacem familiæ, tamque commodam prolium educationem, ad quantam natura incitat parentes, & quanta esse solet in monogamia: ac consequenter permisit eis Deus polygamiam, in qua paulò incommodior est prolium educatio, pauloque minor pax familiæ. Potest enim Deus & prolem, & totam familiam, non tantùm negligere, sed & turbare atque dispergere, imò perdere & occidere; idque tam per alios homines, etiam parentes, quàm per seipsum. Est enim ipse summus omnium, ipsiusque naturæ dominus. Adde, polygamia, si eam petat primaria vxor, vti hîc petiit Sara, idque ad gentis & veræ fidei ac religionis conseruationem ac propagationem, annuente Deo, non est contra ius naturæ, vti passim docent Doctores cum D.Thoma.

Deus potuit dispẽsare in polygamia Abræ & in lege natura.

Quo titulo?

CVMQVE ILLE ACQVIESCERET DEPRECANTI] Nota hîc castitatem Abræ, qui non nisi precibus Saræ, idque ægrè impelli potuit ad nuptias Agar.

AGAR ÆGYPTIAM] S.Chrysost. putat Agar à Pharaone Abræ in Ægypto peregrinanti c. 12. 16. donatam fuisse. addit Philo, eam ab Abramo & Sara, tum verbo, tum sanctæ vitæ exemplo, (addunt Hebræi, & miraculo, quo Deus ob raptam Saram flagellauit Pharaonis aulam c. 12. v. 16.) ad veram fidem, verique Dei cultum esse conuersam: rursum, Abram ab ea abstinuisse, postquam vidit illam concepisse. VERS. 3.

QVAM HABITARE] ex quo habitare. VERS. 5.

INIQVE AGIS CONTRA ME] Hebraicè, *iniuria mea* (quæ mihi ab ancilla mea irrogatur) *super te est*, id est, tibi imputanda est: eò quòd Agar ancillam meam, contra me insolescentem non castigas, sed toleras. ita S.Chrysost.

IVDICET DOMINVS INTER ME ET TE] de mea causa & tua, num videlicet æquum sit, me hanc iniuriam pati, & te illam dissimulare. Vide hîc quàm infida & fallacia sint hominum consilia, vt non nobis, sed Deo fidere discamus. Primò, Sara sperabat semen promissum ex Agar, sed fallitur. Secundò, putabat per coniugium magis Agar sibi deuincire: at mox sensit eam contumacem. ita ancillæ & serui si exaltentur, in dominos insurgunt. Prouerb 29. 21. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* & c. 30. 21. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: per seruum, cùm regnauerit: per stultum, cùm saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cùm fuerit heres dominæ suæ.* Tertiò, per hanc superbiam matris præostensa fuit ferocia filij nascituri, quem Sara sui filij Isaaci persecutorem experta est. Ecce quàm malè cadunt præpropera & nimis humana consilia. Sic Ezechias ostendendo thesauros suos, amicitiam Babyloniorum ambiebat: verùm per hoc eos ipsos ad inuadendum regnum eius excitauit. Ita quotidie maximè eos aduersarios experimur: quos nimis commendauimus, vel promouimus.

Morale, infida esse hominum consilia.

ECCE, AIT, ANCILLA TVA IN MANV TVA EST] q.d. Non mihi imputa alienam, imò tuam culpam. Seruus si esset, ego compescerem, ancillam tuam tu tracta pro meritis: fori tui est, non mei. *Scio quem tibi debeam honorem. Vnum tantùm est cui studeo, vt tu mœrore careas & turbatione, ac in omni sis honore*, ait S.Chrys. hom. 38. Qui & addit morale dogma: VERS. 6.

dogma: *Hoc est verum*, inquit, *contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitati sexus veniæ nonnihil concedit, hoc vnum satagens, vt è medio tollatur tristitia, & pax atque concordia constringantur arctiùs*. Et inferiùs: *Vt & illa ad virum suum habeat conuersionem, & vir ab externis ac forensibus negotiis & turbationibus ad eam quasi ad portum confugiat, & omnigenam inueniat consolationem. In adiutorium enim data est*, &c. A

AFFLIGENTE IGITVR EAM SARAI] cùm Sara puniret & coërceret eius insolentiam.

VERS. 7. ANGELVS DOMINI] Misit Deus hunc angelum ad Agar, permotus precibus Agar, ait Iosephus: vel potiùs, ob merita, & in gratiam Abræ amici sui, vt eius proli, putà Ismaeli, consuleret.

Fons Hebrais est puteus. FONS] id est puteus: vt patet v. 14. Scriptura enim puteum vocat fontem: quia in puteis est fons & scaturigo aquarum. B

QVI EST] *Qui*, scilicet fons est in illa parte deserti, qua ex Chanaan per Sur itur in Ægyptum: in Ægyptum enim, vtpote patriam suam, fugiens contendit Agar. Hoc desertum Syri vocant Agaram, ab Agar: vnde prodierunt Agareni, qui & Ismaëlitæ, ab Ismaël, & Saraceni vocantur, non à Sara vxore Abræ, vt vulgus putat ex S. Hieron. sic enim Sarani dicendi essent: sed à Saraca vrbe Arabiæ, inquit Stephanus; ita & Couarr. to. 2. Var. resol. lib. 4. c. 9. *Vnde Saraceni & Agareni.*

VERS. 8. AGAR ANCILLA SARAI VNDE VENIS?] Quærit angelus, non quòd nesciat, sed vt confessionem peccati eliciat. q. d. Quomodo è tam bona & felici domo Abræ, in hoc vagum & miserum exilium te coniecisti? sic Deus ait Adæ: *Adam vbi es?* & Caino: *Quid fecisti?* C

VERS. 9. HVMILIARE SVB MANV ILLIVS] illius potestati & correctioni te subde. Hæc in Script. prima est visio angeli. Nota hîc, angelorum opus & officium esse homines quasi seruos, tum ad Deum, tum ad dominos suos reducere. Rursum, sanum hoc consilium angeli, *Humiliare sub manu illius*, dandum est ancillis & seruis immorigeris & fugitiuis.

Tropol. Agar animam peccatricem & pœnitentem, Sara Ecclesiam, Abram Christum significat: huic illa reconciliatur per humilem confessionem. vide Ferum hîc.

VERS. 10. MVLTIPLICANS MVLTIPLICABO] plurimum multiplicabo tuos posteros ex Ismaël, eò quòd ipse sit filius Abræ. Ita videmus etiamnum Ismaëlitas, siue Saracenos, non tantùm Arabiam, Ægyptum, Mauritaniam, Numidiam, Turciam, Persiam, Armeniam, sed & Indias, totumque penè Orientem ingenti numero peruasisse & occupasse. D

VERS. 11. VOCABIS NOMEN EIVS ISMAEL, EO QVOD AVDIERIT DEVS AFFLICTIONEM TVAM] *Ismaël* ergo idem est, quod exauditio Dei, vel ad verbum, audiuit Deus. Ismaël enim idem est, quod יִשְׁמַע אֵל *scama el*, id est, exaudiuit Deus, scilicet orationem tuam, quam fudisti cùm affligereris.

Sex viris ante ortum Deus indidit nomen. Notat rectè ex Abulensi Pererius, quinque, aut potiùs sex viris illustribus prænuntiatum esse nomen à Deo ante eorum natiuitatem. Primus est Ismael hîc. Secundus est Isaac, Gen. 17. 19. Tertius est Salomon, 1. Paralip. 22. 9. Quartus est Iosias, 3. Reg. 13. 2. Quintus est Iohannes Baptista, Lucæ 1. 60. Sextus est Iesus Christus, Matth. 1. 21.

AFFLICTIONEM TVAM] Rabbini, quos sequitur Abulens. tradunt quòd Agar partim in pœnam contemptæ dominæ suæ, partim ex labore itineris, fœtum in vtero extinxerit, hancque intelligi hîc afflictionem Agar: sed quia acquieuit angelo suadenti reditum, & humiliationem sub domina sua, hac de causa Deus viuificarit fœtum ex vtero extinctum, & hoc esse quod ait angelus, *Ecce concepisti*; vel, vt ipsi vertunt, *concipies*. q. d. Nuper concepisti ex Abram, sed nunc rursum concepisti ex Deo fœtum tuum mortuum viuificante; ideoque vocabis nomen prolis Ismael, quia Deus exaudiuit preces afflictionis tuæ, fœtum resuscitando. Verùm hæc sunt figmenta Iudæorum. afflictionem ergo hic intelligit famem, sitim, labores, anxietates, aliasque ærumnas fugæ & itineris. *Hebræi fabulantur Ismael esse resuscitatum.*

HIC ERIT FERVS HOMO] Hebraicè, hic erit פֶּרֶא *pere*, putà onager, vt vertit Chaldæus, id est, instar onagri ferus, durus, intractabilis, soliuagus, & incertis sedibus errans, iugique impatiens. nam, vt ait Iob 11. v. 12. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tamquam pullum onagri, se liberum natum putat.* VERS. 12. *Ismael fuit onager.*

Nota. Angelus hæc prædicit non tantùm de Ismael, sed & de posteris eius: quales illos etiam hodie videmus, & experimur. vide Ammian. Marcell. lib. 14. de moribus Saracenorum.

MANVS EIVS CONTRA OMNES, ET MANVS OMNIVM CONTRA EVM] q. d. Posteri Ismael omnes impugnabunt, & ab omnibus impugnabuntur. nam in circuitu deserti Pharan, in quo habitauit Ismael, multæ gentes habitabant, quæ contra Ismael eiusque posteros pugnare solebant.

ET E REGIONE VNIVERSORVM FRATRVM SVORVM FIGET TABERNACVLA] q. d. Ismael erit audax & impauidus. erit enim ipse non pars vnius gentis, sed per se separatim vnam gentem constituet, (idque in gratiam Abræ, cuius ipse est filius) quæ securè ex aduerso fratrum suorum, & quorumlibet hominum habitare audeat.

Nota. Fratres Ismael fuerunt Isaac aliique filij Abræ, nati ex Cetura. ex horum aduerso habitauit Ismael in deserto Pharan, Genes. 21.

FIGET TABERNACVLA] Ita etiamnum Nomades, aliique Ismaelitæ permulti, non in domibus, sed in papilionibus habitant. hæc sunt tabernacula Cedar, de quibus Cant. 1. v. 5.

VOCAVIT NOMEN DOMINI] inuocauit nomen Domini, dicens id quod sequitur: VERS. 13.

TV DEVS QVI VIDISTI ME] Nota. Agar angelum vocat Deum, quia Dei personam repræsentabat, vti vicerex repræsentat regem. Tu ergo, ô Deus, id est ô angele vice Dei, vidisti, id est respexisti, me, meamque afflictionem, mei curam & prouidentiam egisti in horribili hoc deserto. Agit enim hîc Agar gratias Deo pro eius paterna erga se visitatione, prouidentia & tutela. ita Caiet. Lipom. & alij.

Secundò, Vatablus vertit, *tu es Deus visionis*; quia scilicet vides omnia, adeoque me etiam vagam & profugam in deserto, vbi nemo alius me videt aut curat. vnde Chaldæus vertit, *tu es Deus videns omnia*.

VIDI POSTERIORA (id est tergum) VIDENTIS ME] putà Dei, vel potiùs angeli Deum repræsentantis. q. d. His oculis aspexi Deum, aut potiùs angelum, à tergo mihi obuersum, cùm me alloqueretur.

Nota.

Cur Deus Agar & Mosi ostenderit dorsum, non faciem? Prima causa.

Nota. Deus, aut potiùs angelus Deum repræsentans, Agar æquè ac Mosi, Exodi 33.23. non faciem, sed tergum, tantùm ostendit in corpore à se assumpto: idque vt significaret, faciem, id est claram Dei cognitionem & visionem, non tantùm essentiæ diuinæ, sed & gloriæ corporis à Deo assumpti, quæ maiestati Dei aliquatenus respondeat, & in facie de more maximè resplendeat, non posse capi ab oculo mortali.

Secunda.

Rursum, quia Agar hîc imperfectè Deum cognoscebat & diligebat; vtpote quæ obedientiam heræ suæ fugiebat, Deum quoque fugiebat; ideoque necdum reuersa, necdum plenè conuersa, Deo quasi tergum ostendit: hinc vicissim ei Deus non faciem, sed tergum suum ostendit. Hoc ergo Deus egit foris in oculis corporalibus Agar, quod apud illam agebatur in oculis cordis. Eadem de causa, teste S. Gregor. hom. 23. in Euang. Christus, gloriosus licet, quasi peregrinus tamen apparuit duobus discipulis in Emaus, & quasi hortulanus Magdalenæ.

Allegoricè, Agar est Synagoga Iudæorum, Sara est Ecclesia Christianorum, cui illa insultans expellitur. vide Rupert. l. 5. c. 25.

Aliter, imò contrariè, putà negatiuè, hæc vertunt & explicant Vatabl. & Caietan. hoc modo. q. d. Vidisne illum abeuntem, qui vidit me, siue apparuit mihi? non vidi. vnde cognoui esse angelum Domini; nam quamdiu colloquebatur mecum, videbam illum: mox ita disparuit, vt videre non potuerim; quem abeuntem videre potuissem, si homo fuisset. verè ergo cognoui, Dominum misisse ad me angelum suum, qui me consolaretur. Quasi Agar hîc à subita disparitione colligat, angelũ esse Domini. Verùm Septuag. Chald. Noster, & alij passim hæc non negatiuè, sed affirmatiuè vertunt.

Appellavit] ipsa Agar, vel quisquis hoc nomen dedit fonti, siue puteo. Vers. 14.

Peperitqve] postquam angeli consilium secuta, domum reuersa, Abræ & Saræ, humiliando se, reconciliata est. Vers. 15.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus pactum init cum Abrahamo, pactiq; signum instituit circumcisionem. Secundò, v. 15. promittit ei filium Isaac. Tertiò, v. 23. Abraham se suosq; circumcidit.

1. Postquam verò nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum, Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. 2. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. 3. Cecidit Abram pronus in faciem. 4. Dixitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. 5. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. 6. Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. 7. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. 8. Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. 9. Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. 10. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum: 11. & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra: 13. eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. 14. Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. 16. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. 17. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo, Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? 18. Dixitque ad Deum: Vtinam Ismael viuat coram te. 19. Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. 20. Super Ismael quoque exaudiui te. ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. 21. Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. 22. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham. 23. Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ: vniuersosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: & circumcidit carnem præputij eorum, statim in ipsa die, sicuti præceperat ei Deus. 24. Abra-

24. Abraham nonaginta & nouem erat annorum quando circumcidit carnem præputij sui. 25. Et Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ. 26. Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius. 27. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij & alienigenæ, pariter circumcisi sunt.

VERS. I. APPARVIT DOMINVS] putà angelus vice Dei, Deumque repræsentans in corpore assumpto, vt patet v. 17. & 22. ita Caier. & alij; idque ad hoc, ne putaret Abram promissionem seminis sibi cap. 15. factam, per Ismael esse completam, sed complendam esse in Isaac.

Deus dicitur à Saddai. EGO DEVS OMNIPOTENS] Hebr. אל שדי *el saddai*. q. d. Ego sum Deus fortis & liberalis. Nota. *Saddai* componitur ex ש schin articulo relatiuo, & די *dai*, id est sufficientia (ex hoc Hebræo *dai*, vel *de*, aliqui deducunt Græcum ζεὺς & θεὸς, ac Latinum Deus; licet alij Deum à dando, sicut Iouem à iuuando dici putent) q. d. Cui est omnis

Saddai idē est quod cornucopia. sufficientia, abundantia, copia, plenitudo, copiæ cornu; qui est sufficientissimus, abundantissimus, copiosissimus, adeò vt non tantùm per se bonis omnibus abundet, sed etiam aliis omnem sufficientiam & abundantiam tribuat. nam, vt ait Iohannes c. 1. de filio Dei, *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Vnde ad *Saddai* alludit Apostolus 1. Timoth. 6. cùm ait: *Neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* Hinc & R. Saadias. *Deus*, inquit, *dicitur Saddai quia ipse abundat, omneśq; omnium creaturarum defectus supplet.* Quare Aquila, Symmachus & Theodotion teste Hieron. epist. 136. ad Marcellam, & in Ezech. 10. 5. *Saddai* vertunt robustū, & sufficientem ad omnia perpetranda, vt sit idem quod αὐτάρκης, παντοκράτωρ, id est sibi sufficiens & omnipotens, vti Noster vertere solet.

Secundò, Saddai idē est quod mammeus. Secundò, *Saddai*, vt cùm aliis locis, tum Genes. 49. 25. ex Hebræo colligitur, deducitur à שד *sead*, id est vber, mamma: quasi dicas *mammeus*. ex Deo enim, quasi vbere bonis omnibus distento, affluenter bona omnia sugimus. *Saddai* ergo significat, quòd Deus dulcis sit vt mamma & lac; quodque omnia eo charitatis affectu & amore nutriat, quo mater infantem vberibus applicando fouet, lacteque alit ac nutrit: atque vti à רחם *rechem*, id est matrice, Deus vocatur רחום *rachum*, id est misericordissimus; ita ab *sead*, id est vbere, vocatur *Saddai*, id est vberrimus; quasi dicas, diuina vbertas. Dicitur ergo Deus *Saddai*, quòd sit munificus, efficax, omnipotens; quòd ipsius cura, prouidentia, sapientia, bonitate cuncta existant, viuant & moueantur; quodque omnes homines & creaturæ, de eius inexhausta plenitudine existentiam, vitam, operationes, bonaque omnia, tamquam de immenso & inexhausto thesauro, hauriant & accipiant. Vnde *Saddai* explicans Paulus Act. 17. *Deus*, ait *non est indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitā & inspirationē* (halitum) *& omnia*. &c.

Sic Plato inter hæc tria, ἔνδεια, αὐτάρκεια, ὑπέρχυσις, inopia, sufficientia, effusio, distinguens, solam effusionem bonitatis Deo tribuit. sicut enim crater aliquis vino plenus & superplenus, effluit & superfluit: ita & Deus Deique bonitas.

Platonem reprehendit Nazianz. orat. 4 de Filio, sed hactenus tātùm, quòd hoc crateris exemplo, effusionem quamdam non voluntariam, nec liberam, sed naturalem & necessariam, Deo tribuere videatur: alioqui ipse Nazianz. orat. de pascha, hanc effusionem in Deo admittit.

Dicit ergo Deus Abræ: Ego sum Deus *saddai*, sufficientissimus, copiosissimus, ditissimus, munificentissimus, qui te ditare, bonisque omnibus cumulare possum & volo. Ambula ergo coram me, vt capax sisharum opum, vtque dignus sis iis bonis quæ tibi promisi. Pari modo dixit Deus Iacobo Genes. 35. 11. *Ego Deus omnipotens* (hebraicè *saddai*) ideoque ex me *cresce & multiplicare*. Et Isaac ad Iacob Genes. 28. v. 3. *Deus*, inquit, *omnipotens* (hebr *saddai*) *benedicat tibi, & crescere te faciat atque multiplicet*. Et hoc est quod Deus dixit Mosi Exodi 6 *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente* (instar Dei *saddai*, tamquam Deus *saddai*, vt habent Hebræa) *& nomen meum Adonai non indicaui eis.*

Deus ergo est noster *Saddai*, qui satiat, qui replet in bonis omne desiderium nostrum. cur ergo infelix homo per multa vagaris, requiem quæris, & non inuenis? amas opes, non satiaris: quia non sunt *Saddai*. amas honores, non expleris: quia non sunt *Saddai*. amas gratiam & pulchritudinem corporum, non sunt illa tuum *Saddai*. O cor humanum, cor indignum, cor ærumnas expertum, ærumnis obrutum, quid per vana, exilia, breuia & fallacia bona frustra discurris? illa famem, illa sitim animæ tuæ satiare non possunt. Ama tuum *Saddai*: ille solus sinus omnes animæ tuæ implere potest: ipsi solus torrente, imò pelago voluptatum potare te sufficit, quoniam apud ipsum est fons vitæ. ipse est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. ipse suis est, & erit omnia in omnibus. Delectat te gloria? *gloria & diuitia in domo eius*. delectat te pulchritudo? *fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*. delectat te sapientia? *ô altitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei!* delectat te sapor, vina, deliciæ? *satiabimur cùm apparuerit gloria tua: &, inebriabuntur ab vbertate domus tua.* Nimirum Deus omnes gloriæ, omnes opum, omnes scientiæ, omnes gaudij, omnes deliciarum suarum thesauros, imò se totum in electos amicos suos in cælo transfundet. In hoc ergo vnico bono tuo, ô anima mea, te totam defige. hæc requies est, hoc centrum cordis tui: hoc vnicum omnibus votis & studiis prosequere. Dicito ergo cum S. P. N. Ignatio: *Domine quid volo, aut quid velim extra te? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* & cum S. Ludouico: *Diuitiæ meæ Christus, desint cætera. Omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi inopia est.*

Mor. nihil nos satiat nisi Deus saddai.

AMBVLA CORAM ME] vti seruus coram domino, discipulus coram magistro, miles coram duce, filius coram patre; illi per omnia præstò, obsequens, fidelis, vt illi sincerè, accuratè, perfectè seruiat, obediat, placeat. vnde Septuag. vertunt, *complace coram me*; Chaldæus, *seruias coram me*. Hoc est, quod canit Zacharias, *Seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Sic fecit Henoch cap. 5. 22. & Noë cap. 6. v. 6. Felix qui Deum semper præsentem cogitat, reueretur, & quasi coram præsente vbique ambulat, suaque omnia agit & operatur. Audiant Christiani

Locus mor. de præsentia Dei.

Genti-

Gentilem Senecam epist.10. *Sic viue, inquit, cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.* Audiant Salomonem Prouerb.3.6. *In omnibus vijs tuis cogita illum: & ipse diriget gressus tuos:* & Tobiam ad filium c.4.6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*: & Michæam c.6.8. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Nota hîc tres gradus & status Abrahami cuique in exemplum virtutis proponi. A capite enim 12. hucusque Abram descriptus fuit vt incipiens: hîc verò vsque ad cap.22. describitur vt proficiens. Denique à cap.22. vsque ad 25. describitur vt perfectus. Proficienti ergo hoc primum datur præsentiæ Dei præceptum: *Ambula coram me.*

Eius fructus. Primus. Porrò huius præsentiæ Dei fructus primus est, fuga peccati: *Memento Dei, & non peccabis*, ait S.Ignatius ad Heronē: & Clemens Alexand. l.3. Pædagogi c.5. *Hac solùm ratione fit, vt quis numquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimat.* Scortum sollicitabat S.Ephrem ad scelus; ille in speciem annuit, modò id fieret in foro: cumque scortum diceret, hoc fore infame & pudendū; tum Ephrem: Quanto magis pudere debet te coram Deo, qui omnia etiam occultissima intuetur? quo responso perculsa meretrix, veniam petijt, & monasticam vitam amplexa est. Ita Susanna mori maluit, *quàm peccare in conspectu Domini.* ita & sanctus ille qui Thaidem conuertit.

Secundus. Secundus fructus est, victoria tentationum, periculorum & inimicorum. Psal.22.4. *Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Ita Machabæi *Dominum cordibus orantes* prostrauerunt Nicanorem cum 35. millibus, *præsentia Dei magnificè delectati*, 2.Machab.15.16.

Tertius. Tertius. *Semper Dei memineris, & cælum menti tuæ suadet*, ait S.Ephrem. Ita Iacob videns Dominum cum angelis in scala, ait: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.*

Quartus. Quartus. Talis est quasi angelus: angeli enim semper vident faciem Patris. Talis fuit Elias: *Viuit*, inquit, *Dominus, in cuius conspectu sto*, 3.Regum 17.1.

Quintus. Quintus. Talis mirè excitatur ad amorem Dei, semperque lætatur, quia Dei præsentia fruitur. Ita Dauid psalm.15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* ac subdit: *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* nam, vt ait S.Paulus, *qui adhæret Domino, vnus spiritus est.*

Sextus. Sextus. Hæc Dei præsentia fugat iram, concupiscentiam, distractiones, hominemque facit perfectum. Ita S.Dositheus, vt habetur in eius Vita, ex hoc S.Dorothei præcepto: *Cogita semper Deum tibi præsentem, & te coram illo stare*, ex dissoluto milite monachus perfectus euasit.

Esto perfectus] conare perfectè legem & voluntatem meam implere, atque opera tua omnia & singula perfectè facere, sic vt in ijs nihil desit, nihil carpi possit; teque omnibus virtutibus perfice. vnde Septuag. vertunt, γίνε ἄμεμπτος, *esto irreprehensibilis.* Mercedem subiungit dicens:

Vers.2. Ponam foedus meum inter me et te] Si videlicet perfectè coram me ambulaueris, amicitiam & fœdus peculiare tecum sanciam & colam; vt ego peculiari cura te tuosque præ alijs hominibus ac gentibus protegam, dirigam & promoueam, vocerque Deus Abræ: tu vicissim peculiari fide, obedientia & cultu mihi seruias, huiusque fœderis symbolum & signum dabo circumcisionem, v.10.

Nota. Perfectionem Deus non exegit ab Abrahamo iuuene, sed sene, cùm propè esset, vt nasceretur Isaac; in signum, quòd tempore Christi Deus exigeret perfectionem à fidelibus. Religio enim Christiana non est aliud, quàm disciplina, officium & conatus ad summam perfectionem.

Media nouem ad perfectionem. Media ad eximiam, etiam Religiosorum, perfectionem, suggerit sanctus quidam doctor, scilicet Primò, ambulare iugiter coram Deo. Secundò, in omnibus tam tristibus quàm lætis, conformare se voluntati Dei, ac dicere: Fiat voluntas tua: sit nomen Domini benedictum. Tertiò, vis citò esse perfectus, recipe te in fundum animæ tuæ, ac inibi diligenter scrutare quid te maximè inhibeat & distineat ne purus sis & liber, ac agilis ad obsequium Dei, omnemque virtutem: & hunc laqueum, hunc lapidem qui te detinet, radicitus reseca, & in profundum maris demerge: alioqui fac quod vis, omnia erunt frustra. Hæc mortificatio dura est, & viua quædam mors, quæ carnem quasi ab ossibus abradit; sed necessaria, & vsu ipso fit facilis. Quartò, natura nostra fallacissima est, ac mille angulis & versutijs prædita, in quibus seipsam fouet ac retinet; quæ nisi funditus extirpentur, parum proficies. inter hæc maximum est quod etiam Sanctos tenet, etiam subinde monachos, velle videri, velle vt alij ad eos se conuertant, vt ipsis deferant, honorent, &c. Hoc planè abnegandum est, vt funditus venias ad illud Ioannis Bapt. *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius* (Christi.) Hinc Quintò, abstrahe te saltem mente ab omnibus hominibus. Sextò, expedi te ab omnibus rebus, quæ si tibi acciderent, affectus adhæsionem, & curas nimias ac sollicitudines adueherent. à quibuscumque intro receptis imaginibus mundum & liberum te serua. Septimò, animum tuum fige in Deo, quasi in scopo; cætera, vt ieiunia, vigilias, paupertatem huc refer, tantumque ex ijs assume, quantum tibi ad finem hunc vtile est. Octauò, sic te in omnibus Deo resigna, vt si quis vasto iactetur pelago, ac pallio resideat. talis enim quid agat, nisi vt Deo se totum resignet? sic & tu facito. Nonò, disce contemnere omnia, & contemni ab omnibus, vt cum S.Paulo fias purgamentum mundi, & peripsema omnium.

Cecidit] adorans, & gratias agens Deo. Vers.3.

Ego svm] ego sum qui sum; sum æternus, sum immutabilis, sum constans & fidelis in promissis. Vers.4. ideoque pactum meum quod tecum hisce verbis sancio, erit immutabile & irreuocabile. S.Hieron. epist. ad Marcellam notat, Deum tantùm *esse*: quia non nouit *fuisse*, nec *fore*; cuius essentia est *esse*, & cui nostrum *esse* comparatum non est. de quo plura Exodi 3. & 6.

Nec vltra vocabitvr nomen tvvm Abram, sed appellaberis Abraham] Abram Vers.5. hebraicè dicitur, quasi *ab ram*, id est, pater excelsus, qui excelsa cogitat, in excelsis, v.g. in cælestibus habitat, excelsa & diuina molitur & agitat.

Cur Abrā dictus sit Abraham. Nunc Deus Abram vocat Abraham, quasi אב רם המון *ab ram hamon*, id est, pater magnæ & excelsæ multitudinis, seu pater multorum excelsorum; quia, vt sequitur, *cōstitui te patrem multarum gentium*; putà Iudæorum & Gentilium. Quia ergo Abrahā hactenus suo nomine bene vsus fuit, bene-

quę ipsi vita excelsa respondit: hinc aliud hîc suscipere meretur, quo alios quoque multos excelsos faciat. Si & nos respondeamus nomini nostro, quod à Christo accepimus, dabit nobis aliud nouum, quod os Domini nominabit, Isaiæ 62.2. Apocal.3.12. Nomen ergo Abraham est quasi columna, in qua Deus promissionem posteritatis, & seminis fidelis electique inscripsit ad æternitatem, ait S.Chrysost. hîc. Vide laudes Abrahæ decantatas ab Ecclesiastico c.44.20.

Nota ex Apostolo Rom.9. v.5.6.7 posteros Abrahæ litteraliter hîc accipi naturales & carnales; putà Iudæos, qui in duodecim tribus, quasi 12. gentes fuerunt diuisi.

Alleg. verò & potissimùm hîc accipi spirituales Abrahæ filios, putà fideles, qui fidem & pietatem Abrahæ imitantur; quales primò fuerunt Iudæi: deinde sub Christo pauci Iudæi & Gentes omnes. hi enim propriè vocantur multæ gentes, & inter has multi fuerunt excelsi, putà Apostoli, Martyres, Doctores, Virgines, &c. Miscet ergo hic Deus promissiones spirituales cum carnalibus, vt dixi Roman.9.v.6.

Abraham est pater omnium excelsorum. Abraham ergo est pater omnium excelsorum, putà cælicolarum, videlicet 144. millium signatorum ex Iudæis, & turbæ magnæ signatæ ex Gentibus, quâ dinumerare nemo poterat, Apoc.7.v.9.

Notant Hebræi, S.Hieron. Lipom. & alij, ad *Abram* addi litteram *he*, vt fiat *Abraham*, eamdem addi quoque *Sarai*, vt fiat *Sarah*, quæ littera *he* præcipua est in nomine tetragrammato Dei: bis enim in eo ponitur. quasi per hoc indicet Deus, Messiam, qui Deus est, Deique filius, putà Iesum Christum, ex Abraham & Sarah nasciturum.

Littera he cur addita Abrahę. Addit Pererius *he* significare quinque, putà quintum millenarium annorum mundi, cuius initio ex Abraham & Sarah natus est Christus. Verùm verius est Christum natum esse sub finem quarti millenarij.

Notat Secundò, Philo li. de Gigantib. Abram dictum esse patrem excelsum, quia erat astrologus, quia alta & cælestia scrutabatur; postea verò dictum esse Abraham, quasi אָב בַר הָמוֹן *ab bar hamon*, id est pater electus magni soni vel vocis, siue pater electæ consonantiæ: ea autem est intellectus, vox, & vita probi viri. hic enim est electus & purgatus atque pater vocis & consonantiæ, qua Dei laudes personamus, eique in omni vita factis dictisque nostris consonamus. Ex Abram ergo factus est Abraham, id est ex astrologo diuinus, ex homine cæli homo Dei. ita Philo. Sed hæc symbolica & mystica sunt.

Nota Tertiò, hîc memoria lapsum videri Chrysost. dum ait Abram significare transitorem, itaque vocatum esse à parentibus, eò quòd præsagirent eius transitum ex Vr Chaldæorum in Chanaan. confundit enim Chrysost. nomen *Abram* cum nomine *Hebræus*, quod transitorem significat: aut certè putat, Abram à parentibus vocatum esse Hebræum. quod non est verisimile.

VERS.6. REGESQVE EX TE EGREDIENTVR] Putà reges Israel & Iuda ex Iacob: ex Esau reges Idumæorum & Amalecitarum; quin & Ismael, aliique ex Cetura geniti suos habuere reges.

VERS.7. ET STATVAM] Hebraicè וַהֲקִמֹתִי *hakimoti*, stare faciam, stabiliam, confirmabo pactum quod iam tecum ineo, vti dixi v.4.

FOEDERE SEMPITERNO] Fœdus hoc æternum
A
fuit, non absolutè, sed respectiuè in semine carnali, putà Iudæis. durauit enim tam diu, quamdiu durauit Iudæorum Ecclesia & respub. Sed in semine spirituali, putà fidelibus, absolutè æternum est.

VT SIM DEVS TVVS, ET SEMINIS TVI POST TE] q.d. Ea lege & conditione pactum tecum & cum tuis, ô Abram, ineo, vt scilicet sim tuus tuorumque Deus, nimirum vt à vobis solus adorer & colar, vtque à me solo pendeatis; ego vicissim vos quasi peculium meum amem, curem, protegam & benedicam: ita Vatablus, & alij.

CVSTODIES] custodi. ita S.Augustinus. VERS.9.

HOC EST PACTVM] hoc est signum pacti iam VERS.10.
tecum initi. patet ex sequent. Vnde Apostolus Rom.4. loquens de Abram: *Signum*, inquit, *accepit circumcisionis, signaculum iustitia fidei, qua est in praputio, vt sit pater omnium credentium per praputium*, (præputiatorum, putà Gentilium.)
B

Circumcisionis institutio, vsus, causæ &c. Prima. Nota breuiter hîc vsum & causas huius signi, putà circumcisionis. Primò enim erat hoc signum memoratiuum pacti, hîc à Deo cum Abraham initi, vt Iudæi, dum circumcidebantur, vel circumcisos se cogitabant, recordarentur se iam transisse in fœdus hoc cum Deo initum, adeoque esse se populum Deo dicatum & consecratum. Sicut ergo dæmon, qui est simia Dei, suis sagis in fronte stigma imprimit, quo notantur, significanturque esse sui iuris, suæ oues, suum peculium, sua mancipia: ita multò magis Deus omnium Dominus voluit Abrahæ & Iudæis hoc stigma circumcisionis in carne sensibiliter, intimè, & indelebiliter incidere; vt significaretur eos transisse in ius Dei, esseque Dei populum & peculium.

Secunda. Secundò, circumcisio erat signum repræsentatiuum fidei Abrahæ, & iustitiæ per eam adeptæ, vti ait Apostolus verbis paulò antè citatis.
C

Tertia. Tertiò, erat hoc signum distinctiuum fidelium ab infidelibus putà Iudæorum à Gentilibus.

Quarta. Quartò, erat hoc signum demonstratiuum, & purgatiuum peccati originalis; vti docent Patres: circumcidebatur enim membrum genitale, quo peccatum originale transfunditur. de qua re vide S.Thomam, Suarez, & Scholast.

Quinta. Quintò, erat præfiguratiuum baptismi: tam enim baptismus quàm circumcisio, primum est Sacramentum & initiatiuum veræ religionis & fidei, eiusque est publica professio & obligatio; ac consequenter est adoptio & adscriptio in Ecclesiam Dei, eiusque iura & præmia.

Hac de causa nouum nomen in circumcisione, vti iam in baptismo, circumciso imponi solebat; vti hîc Abram circumcidendus, pro Abram vocatus est Abraham: quia per circumcisionem, in nomen, gentē, & religionem nouam, putà Iudaicam, adsciscebantur. Sic & Romani puellis octauo die à natiuitate, pueris nono die nomen imponebant; cuius rei causam dat Plut. q.102. in Quæst. Roman.
D

CIRCVMCIDETVR EX VOBIS OMNE MASCVLINVM] Abraham ex vi huius legis, tenebatur circumcidere suam familiam, ac consequenter & Ismaelem & Isaacum. Similiter tenebatur postea Isaac circumcidere Iacobum & Esau. Quando verò Ismael & Esau separati sunt à familia Abrahæ & Isaaci, non ampliùs obligati fuerunt circumcidere suas proles; Iacob autem ad id obligatus fuit: quia ex omnibus eius filijs collecta fuit familia Abrahæ (putà populus Dei, ex quo Christus erat nasciturus) quæ hac lege obligabatur. *Ismael & Esau non obligati ad circumcisionem.*

Idumæi

Gentes receperunt circumcisionem. Idumaei tamen, Saraceni, Ammonitae, & alij quoque populi receperunt circumcisionem, non vt sacramentum legis veteris, cum intentione profitendi legem Mosaicam (sic enim ea fuissent obligati) sed tantùm ex humana quadam consuetudine, ad imitationem suorum parentum, ideoque lege Mosaica non fuerunt obligati.

Per eam expiati sunt à peccato originali. Adde, valdè probabile est, quod docet Sebastianus Episcopus Oxomensis, & ex eo Franciscus Suarez 3. p. q. 70 d. 29. sect. 2. scilicet, circumcisionem, quatenus ipsa fuit remedium, quo remittebatur peccatum originale, & professio fidei de Christo venturo, potuisse esse in vsu omnium gentium: potuerunt enim ipsae hoc signum eligere inter alia, quod sine dubio validum erat ad talem effectum, si ea intentione fieret, quamuis non fieret cum intentione profitendi iudaismum, seque illi populo adiungendi. Itaque tales circumcisione expiabantur à peccato originali, non verò obligabantur ad legem Mosaicam.

OMNE MASCVLINVM] Fallitur ergo Strabo lib. 17. qui etiam feminas putat circumcisas fuisse. circumcisio enim data est vel maximè ad hoc, vt ea, quasi signo, distingueretur populus Abrahamiticus ab alijs gentibus; haec autem populi distinctio petitur à maribus, non à feminis.

VERS. 11. *Circumcisio cur in tali membro.* CIRCVMCIDETIS CARNEM PRAEPVTII] Quaeres, cur in hoc membro praeputij instituta sit à Deo circumcisio? Respond. Primò, quia in hoc membro Adam primò inobedientiae suae effectum, & carnis rebellionem sensit.

Secundò, quia hoc membro generamur, & transfunditur peccatum originale, quod circumcisione curatur.

Tertiò, vt significaretur Christus redemptor, & noui foederis institutor generandus ex Abrahae semine.

Circumcisio spiritalis triplex. Allegoricè, circumcisio typus fuit baptismi & poenitentiae; tropologicè, mortificationis luxuriae, omniumque vitiorum; anagogicè, resurrectionis, quae fiet octauo die, id est octaua mundi aetate & saeculo, in qua circumcidetur omnis carnis naturaeque corruptio. vide Rupert. & Origen. hom. 3. vide & Barradium de circumcisione Christi.

VERS. 12. *Circumcisio cur dilata in octauũ diem.* INFANS OCTO DIERVM] Nota, non potuisse praeuerti octauum diem, quia ante illum infans nimis tener est, & incertum est an sit vitalis futurus, vt ex Galeno docet Franc. Valesius Sacrae philosophiae cap 18.

Nota. Si infans ante octauum diem periculum vitae adiret, poterat aequè vt feminae saluari, remedijs & ritibus legis naturae.

Nota Secundò, Iusta de causa poterat circumcisio differri post octauum diem, vti dilata est in deserto per quadraginta annos, ob continuam peregrinationem, Iosue 5. 6. ita Theod. & Iosephus.

An cultro lapideo peracta circumcisio. CIRCVMCIDETVR] Censent aliqui, vt S. August. Bernardus, & Magister sentent. Iudaeos solitos esse circumcidi cultro lapideo; tali enim vsus est Moses, Exodi 4. & Iosue c. 5. Verùm nihil tale hîc praecipitur: imò S. Iustinus contra Tryphon. testatur sua aetate Iudaeos non lapideo, sed ferreo cultro vsos esse in circumcisione. ita S. Thomas, vel potiùs Thomas Anglicus, Lyranus, Tostatus, & alij.

TAM VERNACVLVS QVAM EMPTITIVS CIRCVMCIDETVR, ET QVICVMQVE (seruus vester) NON FVERIT DE STIRPE VESTRA] Hebraea clariùs haec transponendo exprimunt hoc modo: *Omnis seruus*

A *domi natus & emptitius, qui non est de semine tuo, circumcidendo circumcidetur.*

Est hîc triplex expositio & sententia. Prima Caietani, Lipomani, Lyrani, & S. Ambrosij, qui putant, omnes qui erant de familia Abrahae, etiam seruos, quin & famulos liberos, hîc obligari ad circumcisionem. Secunda est Pererij, Soti, Alensis, Bonau. Ruperti, nullum adultum seruum hîc obligari ad se, vel suas proles circumcidendum, nisi ipse sponte in id consentiat. in hanc inclinat Suarez 3 p. q. 70. a. 2. disp. 29. sect. 2. q. d. *Seruus emptitius circumcidetur*, id est circumcidi poterit, si videlicet velit ad vestrum populum transire, & fieri Iudaeus. Tertia sententia, & S. Scripturae conformior est Abulensis, qui censet, non famulos liberos, non mercenarios, sed seruos, siue mancipia Hebraeorum, etiamsi essent alienigenae, coactos fuisse circumcidi, siue vernae essent, id est domi heri nati; siue emptitij; sub quibus & bello captos accipe. est enim omnium par ratio. Nec id mirum: est enim, ait Aristot. lib. 5. Ethicorum, seruus possessio domini; &, vt Hebraea hic habent, Seruus est pretium aut possessio pecuniae domini, quasi qui pecunia emptus, possideatur à domino instar pecuniae. Secundò, quia *τὸ circumcidetur*, praeceptum significat, quod elides, si subaudias, *si velit*. fertur enim hîc lex de circumcisione. Accedit, quòd in Hebraeo est, *himmol immol*, circumcidendo circumcidetur. q. d. Omnino circumcidetur. Et ita hoc Dei praeceptum videtur intellexisse Abraham, vt satis liquet v. 23. vbi dicitur Abraham circumcidisse Ismaël & seruos omnes, *sicut praeceperat ei Deus*: ergo circumcisio seruis non permissa, sed praecepta fuit. sicut enim Deus eam imposuit Abrahae & posteris eius; ita & seruis eorum: hi enim herorum suorum sunt mancipia. praesertim, quia circumcisio & iudaismus seruis tunc erat vtilis & honorifica: per eam enim aggregabantur familiae Abrahae & populo Dei. Tertiò, quia alioqui non fuisset distinctio inter seruum & mercenarium, quam tamen ponit Deus Exodi 12. v. 44. nam & mercenarij, si volebant, poterant circumcidi, itaque comedere phase. distinctio ergo fuit haec, quòd serui tenebantur circumcidi, non mercenarij. Ratio legis erat, vt familia Abrahae tota esset Deo dicata, vtque cultus Dei, fides & salus ita ad plures propagaretur, si non amore & sponte, certè metu & coactione. Erat enim illa aetas & lex, non filiorum, sed seruorum. Denique si Abraham eiusque posteri queri non poterant, hoc onus sibi à Deo imponi, quid de eo queri poterant Abrahae mancipia?

Serui Hebraeorum etiam emptitij praecepta fuit circũcisio. Prob. Primò. Secundò. Tertiò. Ratio legis.

B C D

VERS. 14. *Quid sit deleri de populo.* DELEBITVR ANIMA ILLA DE POPVLO SVO] *Primò.* Hebraei sic exponunt, q. d. Si quis Iudaeorum circumcisus non fuerit, morietur ante annum quinquagesimum, & sine liberis. id ita fieri solitum tradunt, imò fabulantur ipsi.

Secundò. Secundò, Diodorus & Caiet. volunt hîc sermonem esse de adulto tantùm, cumque iuberi hîc occidi per iudices, si circumcisionem sui, vel suorum negligat. Verùm ex antecedentibus, maximè v. 12. patet, Deum hîc omnibus incircumcisis, etiam infantibus poenam mortis intentare.

Tertiò. Tertiò, Vatablus sic exponit: *Delebitur anima*, id est, homo ille non censebitur in populo meo, non censebitur filius Abrahae, nec heres Chanaan, aliarumque mearum promissionum. Rursus, non erit particeps passionis Christi, quae circumcisione

fuit figurata, ac consequenter non nanciscetur circumcisionem cordis spiritualem, quæ fit per gratiam; nec erit heres regni cælestis, cuius typus erat Chanaan, quia scilicet remanet in peccato originali, quod circumcisione tollendum erat. ita S. August. & Rupert.

Quartò. Quartò, optimus & plenissimus erit sensus, si secundam & tertiam expositionem iungas hoc modo. q. d. Quicumque, etiam infans, circumcisus non fuerit, cùm ad adultam ætatem venerit, per iudices morte punietur, quia circumcisionē neglexit, non in infantia, sed in adolescentia. Tunc enim, vtpote rationis compos, debebat negligentiam parentum supplere, & curare se circumcidi. Hunc esse sensum patet ex eo quod sequitur: *Quia pactum meum irritum fecit*, id est, violauit: hoc autem nemo facit in infantia, sed in adolescentia, cùm rationis est compos.

Punitio incircumcisorum.

Secundò, quia pro *delebitur*, hebr. est, נִכְרְתָה *nicbreta*, id est exscindetur. iam exscindi de populo, idem est quod occidi: simili enim modo violator sabbati iubetur exscindi de populo, id est occidi à iudicibus Num. 15. 31. in Hebræo. ita Pererius. Nec dubium est quin ex hac lege Iudæi adultos negligentes circumcisionem, morte mulctarint.

Rursum spiritualiter hîc per mortem corporalem significatur & intentatur mors spiritualis animæ, & æterna damnatio, illi qui circumcisionem vel infans non susceperit (infanti enim mors animæ infligi potest à Deo non verò mors corporis à iudice) vel adultus neglexerit; quòd scilicet hac de causa exscindatur à familia Abrahæ, à populo & Ecclesia Dei, ac consequenter ab hereditate cælesti. Vnde Septuag. habent, *infans qui octauo die non fuerit circumcisus, delebitur de populo suo.* Verùm *τῇ octauo die*, non habent Hebræa, nec Latina, videturque ab aliquo insertum: elidit enim priorem sensum.

QVIA PACTVM MEVM IRRITVM FECIT] propriè in adolescentia, vti dixi Secundò, in infantia, impropriè & passiuè q. d Quia pactum meum in eo irritum fuit & violatum in infantia; non sua, sed parentum culpa, vel etiam casu, vt per hebraismum, *hiphil* ponatur pro *cal.* ita S. August. (quem sequitur Rupert. lib 16. de Ciuit. 27. qui tamen iuxta Septuag. legens *τῇ octauo die*, pactum hîc intelligit illud, quod iniit Deus cum Adamo, de non comedendo pomo vetito; quod quia Adam violauit, hinc cum suis posteris perijt, & incurrit debitum mortis æternæ: hanc verò mortem actu incurrerunt, quotquot hoc Adæ peccatum circumcisione non expiarunt. Verùm ex præced. patet, hæc intelligenda esse de pacto inito, non cum Adamo, sed cum Abrahamo v. 10. cuius signum erat circumcisio.

VERS. 15. *Cur Sarai dicta est Sara?* NON VOCABIS SARAI, SED SARAM] *Sarai* idem est, quod princeps vel domina mea, putà domus meæ; *Sara* verò absolutè significat principem & dominam. q. d. Sarai hactenus vnius mariti & familiæ fuit domina; iam verò erit Sara, id est absolutè princeps & domina; quia erit mater gentium plurium, imò cunctarum per Isaac, quem pariet. Ex Isaac enim nascetur Christus, qui erit pater omnium gentium fidelium & Christianarum: harum ergo auia mater, domina & princeps erit Sara. ita S. Hieron. Ambros. & alij.

Nota. Tam Hebræis, quàm Græcis & Latinis moris erat, vt vxor virum dominum; & vicissim viri vxores vocarent dominas, itaque mutuum honorem & amorem testarentur & fouerent. Sic Sara Abrahamum vocabat dominum suum, & ipse vicissim eam vocabat Saram, id est dominam.

Nota Secundò. *Sarai* additur littera ה *he*, vt fiat *Sarach*. causam dixi v. 5.

Allegoricè, Sara, ait S. Ambros. typus est Ecclesiæ, quæ filios suos gentesque omnes regit prudentissimè.

BENEDICAM EI] eam sterilem & anum, supra naturam, per miraculum faciam fœcundam, vt pariat Isaacum. VERS. 16.

REGES] quos nominaui v. 6.

CECIDIT ABRAHAM, &c. ET RISIT DICENS: PVTASNE CENTENARIO NASCETVR FILIVS?] Non dubitat Abraham de Dei promissione, vt vult S. Chrysost. & Hieron. nam eius fidem commendat Moses cap. 15. v. 6. & Paulus Rom. 4. 19. Sed verba hæc eius sunt animi exultantis, gratulabundi, & ad tantum, tamque nouum & inauditum beneficium obstupescentis. Vnde Abraham non ex incredulitate, vti aliqui volunt, sed ex ima demissione & reuerentia, quasi se indignum agnoscēs, vt sibi ex Sara nascatur Isaac, non pro Isaaco nasciturо, sed pro Ismaele iam nato orat dicens: *Vtinam Ismael viuat coram te.* ita S. Ambr. August. Rupert. *Risus Abrahæ*, ait S. August. lib. 16. Ciuit. 29. *exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis.* VERS. 17.

Addunt Caietanus & Pererius, Abrahamum dubitasse, non de potentia Dei aut veritate promissionis diuinæ; sed an hæc promissio literaliter vt sonat, an parabolicè, symbolicè, vel ænigmaticè intelligi deberet. Verùm nil tale, imò contrarium potiùs insinuat tam Moses hîc, quàm Paulus Rom. 4. v. 19.

An Abraham absolutè impotens fuerit ad generandum. PVTASNE CENTENARIO NASCETVR FILIVS?] Quæres, an Abraham, quia centenarius, fuerit impotens ad generandum absolutè, an tantùm respectiuè? Aliqui censent eum absolutè fuisse impotentem respectu cuiuslibet feminæ, ac consequenter per miraculum fuisse ei absolutè restitutum vigorem, & potentiam omnem generandi. Probant, quia hac de causa Apostolus Rom. 4. 19. absolutè vocat corpus Abrahæ emortuum; itaque eo loco explicui.

Resp. Non, sed tantùm respectu Saræ. Verùm re profundiùs considerata, probabilius mihi videtur, Abraham non absolutè, sed respectiuè tantùm fuisse impotentem ad generandum, scilicet respectu Saræ vxoris suæ, vtpote quæ erat nonagenaria, & cui iam menstrua fluere desierant. ex tali enim Abraham cētenarius suscitare prolem non poterat; poterat tamén ex iuniore. nam post mortē Saræ, cùm ipse 137. esset annorum, sex proles genuit ex Cetura, vtpote quæ adolescentula, viuida erat & fœcunda: ad hanc enim satis vigoris & potentiæ habebat adhuc in illo senio, non verò ad Saram: vnde per miraculum id à Deo hîc accipit.

Prob. Primò. Id ita esse probatur Primò: quia Abraham post generationem Isaac, vixit 75. annis. ergo cùm genuit Isaac, vigor vitæ, & consequenter potentia generandi in eo non fuit planè emortua. *Secundò.* Secundò, homines ea ætate viuebant ad ducentos annos; sicut Thare pater Abrahæ vixit 205. annos: ergo non fuerunt decrepiti & impotentes ad generandum, anno centesimo; alioqui per dimidium vitæ & ætatis, fuissent decrepiti: quod insolitum est, & præter naturam. *Tertiò.* Tertiò, quia Iacob Abrahæ nepos, qui in maioribus fuit laboribus pascendi greges,

greges, quàm Abraham, genuit Beniamin anno ætatis 107. vti ostendam c. 35. 18. ergo Abraham potuit generare anno 100.

Ad argumentum Respondeo, Apostolum vocare Abrahæ corpus emortuum, non absolutè, sed respectiuè, scilicet respectu Saræ suæ coniugis. vnde subdit: *Et emortuam vuluam Saræ.* nam τὸ &, copulatim & iunctim cum τῷ *corpus suum emortuum*, explicandum est. certum enim est, Abrahæ corpus non fuisse planè emortuum: nam vixit adhuc 75. annos. Alludit ergo Apostolus ad hunc locum, idemque dicit quod hîc dicitur: Abraham enim centenarius, & Sara nonagenaria, ita habebant corpus emortuum, vt ex sese inuicem non possent generare; ex alia tamen iuuencula posset Abraham. ita S. August. Eucherius, & alij.

B

Nota. Deus probauit & exacuit fidem, spem & longanimitatem Abrahæ, differens prolem promissam, vtpote rem ingentem, per 25. annos. illam enim promisit Abrahæ, cùm ipse 75. esset annorum, cap. 12. 3. hîc verò eam præstat, cùm ipse esset centum annorum, cùm naturaliter res videretur esse desperata.

VERS. 18. VTINAM ISMAEL VIVAT CORAM TE] Abulens. dupliciter hæc explicat; Primò, admiratiuè. q. d. O Domine, ex quo tantum bonum vis mihi facere, vt des Isaacum, viuat etiam obsecro coram te Ismael meus. Secundò, Abraham, inquit, videns quòd Deus ei volebat dare alium filium, putà Isaacum, in quo complendæ erant benedictiones, timuit quòd vellet occidere, vel abbreuiare dies Ismaelis; ideo rogauit pro eo dicens: Vtinam viuat Ismael. Verùm vti paulò antè dixi, verius est, Abraham ex summa humilitate & reuerentia non ausum orare pro Isaaco, orasse pro Ismaele. q. d Vtinam saltem Ismaelem in vita conserues, eique benedicas, vti v. 16. benedixisti Isaaco, quem mihi nasciturum promittis. Viuat, inquam, Ismael meus coram te, vt scilicet tibi placeat, tuisque mandatis obediat. ita S. Ambros. & Vatablus.

C

Quare cùm Deus idipsum annuat, & concedat Abrahæ, v. 20. hinc probabiliter colligunt Hebræi, Ismaelem pœnitentiam egisse, Deo placuisse, rectè & iustè vixisse, esseque saluatum. vnde & cap. 21. v. 20. Deus dicitur fuisse cum eo, & cap. 25. 17. post mortē dicitur Ismael appositus ad populum suum.

Ismael saluatus videtur.

D

Alij tamen, vt Lipom. & Pererius, de Ismaelis salute dubitant: sic & Caietan. qui ita scribit: *Ismael primus inter homines sortitus est nomen à Deo: & cum hac tam noua, ac non parua gratia, nihil scitur, an bonus, an malus fuerit: vt ex diuina gratia gratis data, nullus glorietur, nullus laudetur, nullus speretur bonus.*

VERS. 19. SARA] Hebraicè additur אֲבָל *abal*, imò, quin etiam. q. d. Non tantùm tibi viuet superstes Ismael, sed etiam Sara gignet tibi Isaacum.

Isaac, id est risus. ISAAC] Isaac significat risum, à radice צָחַק *tsachak*. id est risit. ita dictus est Isaac, ob risum & gaudium Abrahæ, cùm audit à Deo eum sibi nasciturum, v. 17. Postea Sara pariter ridens, & gaudens de nato hoc sibi filio, hoc nomen iam datum iterat

A & confirmat, c. 21. 6. dicens: *Risum fecit mihi Deus; quicumque audierit, corridebit mihi.*

Allegoricè, Isaac fuit typus Christi, qui fuit risus & gaudium vniuersæ terræ, ait Rupertus.

CONSTITVAM PACTVM MEVM ILLI] Pacti quod tecum iniui heres erit Isaac, ac consequenter quæcumque hoc pacto promisi, Isaaco & posteris eius cedent, non Ismaeli: qualia sunt, quòd dabo tibi tuisque terram Chanaan; quòd ero tibi tuisque Deus, & ipsi mihi erunt populus; quòd in semine tuo (Christo) benedicentur omnes gentes.

AD ISAAC] cum Isaac. ita Hebr. & Chald. VERS. 21.

TEMPORE ISTO] sub hoc anni tempus.

ANNO ALTERO] proximè sequenti.

ASCENDIT DEVS AB ABRAHAM] Angelus VERS. 20.
Deum repræsentans subtraxit se oculis Abrahæ, & in cælum rediit. Ita fecit & angelus apparens Manue, Iudic. 13. 20.

STATIM IN IPSA DIE] Nota hîc promptam & VERS. 23.
celerem obedientiam Abrahæ, totiusque familiæ in circumcidendo se: qualis herus, tales serui. erant autem facilè quadringenti. *Verus obediens*, inquit Abulensis, *moras nescit; nec diu in agendo deliberat, cùm mandatum fuerit: sicut nec verus moralis, nihil agendo moratur, postquam consiliatum fuerit, vt ait Aristoteles lib. 6. Ethic. c. de eubulia. Eumdem locum habet obedientia & eubulia: quia sicut post consilium perfectum nihil manet, nisi operari; ita proposito mandato obedienti solùm operatio sequitur.* Et S. Bernardus serm. de virtut. obedientiæ: *Fidelis obediens*, inquit, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum se colligit, vt imperantis compleat voluntatem.* Et S. Benedictus in reg. *Perfecta obedientia, sua imperfecta relinquit.* Et Dauid psal. 17. 45. *In auditu auris obediuit mihi.* Ita Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus, vocati à Christo, continuò relictis omnibus secuti sunt eum. ita faciunt angeli, de quibus ait Psaltes: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* ita faciunt stellæ, quæ *vocata dixerunt, Adsumus*; & fulmina, de quibus Iobo ait Deus cap. 38. 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent tibi, Adsumus?* Audi Ethnicos, Cyrus apud Xenophontem lib. 4. laudat Chrysantam militem, qui in prælio gladium hosti iam incussurus, cùm audiret receptui cani, ictum non intulit: & rogatus, cur hosti pepercisset, respondit: Quia *melius est imperatori parêre, quàm hostem interficere.* Audi Cleanthem Philosoph. apud Senecam epist. 106.

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit: nulla parendi mora est;
Adsum impiger.

TREDECIM] Hinc Saraceni, exemplo patris VERS. 25.
sui Ismaelis, circumcidunt se anno ætatis suæ 13. ait Iosephus lib. 1. cap. 12. Sed in hoc non seruant legem Dei, quæ iubet quemque octauo die circumcidi, v. 12.

Mysticum sensum huius cap. pete à Ruperto lib. 5. à cap. 28. ad 37.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abraham tres angelos hospitio & conuiuio excipit. Secundò, hi v.9. promittunt ei filium ex Sara. Tertiò, v.17. reuelant ei instans excidium Sodomæ, vnde pro Sodoma orat & interpellat Abraham.

1. APparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi
sui in ipso feruore diei. 2. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres
viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio taber-
naculi, & adorauit in terram. 3. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne
transeas seruum tuum: 4. sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, &
requiescite sub arbore. 5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum,
postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: Fac vt lo-
cutus es. 6. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera,
tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. 7. Ipse verò ad armentum cu-
currit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero: qui festinauit &
coxit illum. 8. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit co-
ram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. 9. Cumque comedissent, dixerunt ad
eum: Vbi est Sara vxor tua? ille respondit: Ecce in tabernaculo est. 10. Cui dixit: Re-
uertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo
audito Sara risit post ostium tabernaculi. 11. Erant autem ambo senes, prouectæque
ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria. 12. Quæ risit occultè, dicens: Postquam con-
senui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? 13. Dixit autem Do-
minus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus? 14. Num-
quid Deo quidquam est difficile? iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore,
vita comite, & habebit Sara filium. 15. Negauit Sara dicens, Non risi: timore perter-
rita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti. 16. Cùm ergo surrexissent inde
viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur, dedu-
cens eos. 17. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum:
18. cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo
omnes nationes terræ? 19. Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ
post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam: vt adducat Domi-
nus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. 20. Dixit itaque Dominus:
Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum
est nimis. 21. Descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, opere com-
pleuerint: an non est ita, vt sciam. 22. Converteruntque se inde, & abierunt Sodo-
mam: Abraham verò adhuc stabat coram Domino. 23. Et appropinquans ait: Num-
quid perdes iustum cum impio? 24. Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peri-
bunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? 25. Ab-
sit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius: non
est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc. 26. Di-
xitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis,
dimittam omni loco propter eos. 27. Respondensque Abraham, ait: Quia semel
cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis. 28. Quid si minùs quin-
quaginta iustis, quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, vniuersam vr-
bem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque. 29. Rursumque lo-
cutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non per-
cutiam propter quadraginta. 30. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar:
Quid si inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si inuenero ibi triginta.
31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inuenti fuerint vigin-
ti? Ait: Non interficiam propter viginti. 32. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si
loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter
decem. 33. Abiitque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuer-
sus est in locum suum.

VERS. I. APPARVIT AVTEM EI DOMINVS] in specie trium virorum, vti sequitur: tres enim viri (de quibus v. seq.) repræsentabant Dominum, vti mox dicam. In memoriam huius apparitionis angelorum Abrahæ factæ iuxta quercum Mambre, quotannis eòdem conuenire solebant Iudæi, Gentiles

tiles & Christiani, ibique quisque suo ritu festa & sacrificia peragere. Verùm Constantinus Imp. sublatis impijs Iudæorum & Gentilium ritibus, iussit locum purgari, ibique erecto templo ad Christiana sacra tantùm deputari & consecrari, vti narrat Sozomen. lib.2.c.3.

Hospitalitatis encomia & proprietates. SEDENTI IN IPSO FERVORE DIEI] Hinc videtur, quòd Abraham more suo soleret sub meridiem & prandium, ad ostium sedere, & expectare peregrinos & hospites, qui in feruore diei solent ad hospitia diuertere; vnde cùm expandit sagenam suæ hospitalitatis, non tantùm homines, sed & angelos latenter suscepit. hoc est enim quod ait Apostolus, Hebr.13.v.2. *Hospitalitatis nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis.* Vide de laude hospitalitatis ibi dicta, & S.Chrysost. hîc homil.41. S.Ambros. lib.1. de Abraham cap.5.& S.August. serm.68.& 70. de tempore. Audi S.Ambros. *Qui scis, ait, an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque angelos eius suscipit hospitio. quamuis & cùm hospitem suscipis, Deum suscipis. Sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me. quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Vnius hora hospitio, vidua illa quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt numquam farina de hydria deficeret. Elisæus quoque defuncti pignoris resuscitatione donatâ, hospitij resoluit pensionem.* hæc & plura Ambrosius.

Rursum notat hîc S.Ambrosius, *Disce*, inquit, *quàm impiger esse debeas, vt possis præuenire hospitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet copia.* & S.Chrysost. hîc: *Currit, ait, & volat senex: vidit enim prædam quam venabatur. non vocauit famulos. quasi diceret: Magnus thesaurus est, magna negotiatio, per meipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.* Et rursum: *Vide liberalitatem Abrahæ, vitulum mactauit, & fermentauit farinam. Audi & alacritatem: per seipsum & per vxorem hoc facit. considera etiam, quàm alienus est à fastu: adorat & obsecrat. omnia illa habere oportet hospitio excipientem, alacritatem, festiuitatē, liberalitatem. Audiant viri, audiant mulieres. Viri quidem, vt sic suas contubernales erudiant, vt, si quando spirituale lucrum incidat, non per famulos hoc perficiatur, sed per seipsos faciant omnia: mulieres autem, vt accelerent iuuare viros in tam bonis operibus per seipsas; imitentur sacram vetulam in tanta senecta laborem libenter suscipientem, & famularum opera perficientem.* Nimirum in domo iusti nemo otiosus est: quisque hospitalitati similiue pio operi primus manus admouere satagit. Sanè S.Carolus Borromæus cùm amplam haberet familiam, ita cuique per totum diem suas partiebatur operas, easque vtiles & pias, vt nemo vel quadrantem horæ per diem haberet liberum & non occupatum. Id mihi Romæ narrarunt qui cum eo diu vixerunt. Hac de causa familia eius tota erat quieta, ordinata, sancta, fructuosa instar apum. Hoc imitentur Principes & Prælati. otium enim perdit familias, præsertim aulicas. Et S.Hieron. epist.26. ad Pammachium: *Ipse (Abraham) pedes lauit, ipse pinguem vitulum portauit humeris de armento, stetit vt seruus peregrinis prandentibus, & Sara manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit.*

VERS.2. TRES VIRI] Concil. Sirmiense can.14. vult medium horum trium fuisse Filium Dei. Sed fuit hoc conciliabulum Arrianorum, vti fusè docet Baron. anno Christi 357.

Angeli apparent Abrahamo. Nota ergo Primò, hos tres viros fuisse angelos, qui corpus humanum ex aëre formarunt & assumpserunt, vt cum Abrahamo loquerentur. Paulus enim Hebr.13.v.2. & Moses cap. seq. v.1. vocat eos angelos. ita S.Augustin. libr.16. Ciuit.29. & alij passim. Hebræi & Lyranus putant vnum ex his tribus fuisse missum ad nuntiandum partum Saræ; secundum, ad euertendum Sodomam; tertium, ad liberandum Lot ex Sodoma. Verùm non vnus, sed duo missi sunt simul, tam ad euertendum Sodomam, quàm ad liberandum ex ea Lot, vt patet c.19.v.1.10.& 16. ita Abulensis.

Secundò, vnus trium, scilicet medius, cæteris apparebat illustrior, quia erat superior angelus: vnde ipse solus ferè hîc loquitur, vocaturque Dominus. Hebræi apud Lyranum & Tostat. putant hunc medium fuisse Michaëlem, qui à dextris habuerit Gabrielem, à sinistris Raphaëlem; quos duos deinde misit ad euertendum Sodomam, & ad Lot ex ea educendum, de quo c. seq. Hinc vnum hunc medium, quasi duobus alijs illustriorem, Abraham alloquitur, audit & adorat. Vnde alleg. Eucher. lib.2. in Genes. c.27. *In tribus, ait, viris, qui venerunt ad Abraham, Domini Christi prænuntiabatur aduentus, cum quo duo angeli comitabantur, quos plerique Mosen & Eliam accipiunt: vnum priscæ legis latorem, qui per eandem legem aduentum Domini indicauit: alium qui in fine mundi venturus est, denuntiaturus secundum aduentum Christi, atque eius Euangelium prædicaturus.* *Tres angeli significant Christum cum Mose & Elia.*

Suscipiuntur tres angeli ab Abrahamo. Tertiò, Abraham in primo horum trium occursu, putauit omnes tres esse homines, scilicet communes suos hospites. Apostolus enim ad Hebr.13 ait, eum latenter & ignoranter suscepisse angelos; quia scilicet putabat eos esse homines, non angelos: vnde omnibus tribus quasi hominibus pedes lauat, epulum & reliqua, quæ hospitibus necessaria sunt, sedulò parat & curat. ita S.Chrysost. & Ambros.

Dices, Quomodo ergo hîc dicitur eos adorasse? Respond. *adorauit eos*, id est, prosternens se in terram, ciuilem & Orientalibus consuetam reuerentiam eis exhibuit. Simili modo adorauit filios Heth, c.23.7.

Reuerenter excipiendi hospites. Vbi Aduerte, quanta non tantùm charitate, sed & reuerentia hospites excipere solitus sit Abraham. Ab Abrahamo didicit Apollonius Abbas, vt habetur in Vitis Patrum, hanc reuerentiam: ipse enim fratres peregrè venientes excipiebat, adorans eos, & vsque ad terram se prosternens, & surgens osculabatur, & fratres monebat, vt aduentantes fratres quasi Dominum susciperent. *Nam*, aiebat, *& adorari fratres aduentantes propterea traditio nostra habet, vt certum sit in aduentu eorum, Christi aduentum haberi*; & Abrahami exemplum subjicit. Hac Patrum traditione imbutus S. Benedictus præcipit: *Omnibus venientibus, siue discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.*

Agnoscuntur angeli ab Abrahamo. Quartò, Abraham cum hisce tribus agendo, sensim ex splendore, sermone, maiestate, alijsque signis, atque ex Dei instinctu agnouit eos non esse homines, sed angelos, legatos Dei; imò Dei vicem & personam gerere, maximè medium qui in persona Dei loquitur, vocaturque semper *iehoua*, & quasi Deus excidium intentat Sodomæ, v.20. vnde

de vt talem omnino reuerenter compellat, honorat, & pro Sodoma precatur Abraham. ita S. August. Vnde patet Abrahamum id cognouisse, non postquam ab eo discessit & euanuit angelus v. vlt. vt volunt aliqui, sed antè, vti iam ostendi.

Significant SS. Trinitatem. Quintò, hi tres symbolicè significabant SS. Trinitatem, & medius significabat essentiam diuinam, tribus personis communem. ita S. Ambros. Euseb. Cyrillus. vnde Abraham tres vidit, & vnum adorauit, vt canit Ecclesia.

Adorantur. Hinc sequitur, quòd Abraham hos angelos, vt angelos Deique legatos primò adorarit dulia; secundò agnoscens eos repræsentare Deum & SS. Trinitatem in eis repræsentatam, adorarit latria, vt docet S. Augustinus. qui enim hîc apparet & loquitur cum Abrahamo, semper vocatur *iehoua*, quod est nomen proprium Dei, cui debetur latria.

Simili modo legatus regis dupliciter honorari potest, primò vt legatus; secundò vt rex, cuius personam induit & repræsentat; sic vt non tam legatus, quàm rex in legato censeatur coli & honorari: sicuti Sancti repræsentantur & coluntur in sua imagine. est enim legatus viua sui regis imago.

VERS. 4. LAVENTVR] Sinite vt mei, vel potiùs ego ipse (vt insinuat S. Augúst. serm. 70. de tempore, & S. Hieron. epist. 26. ad Pammachium) vobis pedes lauem. Abraham à medio, quem primò allocutus est, ad duos laterales se suumque sermonem conuertit; vti solemus facere, dum cum pluribus agimus.

Nota hîc Abrahami, & priscorum morem lauandi pedes hospitibus, tum ad sordes, tum ad lassitudinem tollendam, de quo dixi 1 Timot. 5. v. 10. vide & Guiliem. Hamerum hîc, & fusè Iacob. Gretserum in Pedilauio.

Quale corpus assumāt angeli. Quæres hîc, quales pedes, & quale corpus assumant angeli, & quo modo? Resp. Primò, angeli non possunt sibi vnire aliquod corpus substantialiter, siue vnione hypostatica: quia hoc solius est diuinæ virtutis. Secundò, possunt angeli corpora assumere, sibi ea accidentaliter vniendo, eaque mouendo ac si essent viua. Tertiò, etsi angeli possint cadauera recèns defuncta ita assumere & mouere, ac si verè viuerent, vti subinde faciunt dæmones; communiter tamen sibi corpus effingunt ex circumstante aëre, admixtis crassioribus exhalationibus, quibusdam obscurioribus, quibusdam lucidioribus, sic vt vtraque ita inter se commisceant & condensent, vt solida corpora, verosque colores & figuras membrorum humanorum referant, ita vt oculis veritas discerni nequeat. Id ex eo patet, quòd hæc corpora disparentibus angelis, mox in aërem & vaporem resoluantur. ita Vasques 1. p. disp. 184.

Corpus angeli verè non est coloratum, Hinc sequitur Primò, in huiusmodi corporibus non esse veros colores, sed apparentes, quales in nubibus cernimus. Secundò, angelum in tali corpore non posse exercere operationes vllas vitales, communes animantibus, quales sunt videre, comedere, audire, sentire, loqui: quia ad has, vt sint vitales, requiritur corpus viuum & animatum: angelus autem non potest corpus animare; potest tamen huiusmodi operationes ita imitari, vt non possint à nobis deprehendi esse falsæ, fictæ vel adumbratæ. *nec solidū.* Tertiò, talia corpora non esse verè densa & solida, sicuti alia corpora; sed talia apparere resistente angelo. *An palpabilet* Infert hinc Vasques, hæc corpora non habere veram mollitiem aut duritiem, & A consequenter Secundò, nos palpando posse sentire ea non esse vera humana corpora. idque probat ex illo Ioan. 20. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sed hic locus non conuincit, vt ibi dixi. Sicut ergo cætera corporis accidentia, ita & mollitiem ac duritiem corporis humani, magis minusque in hac illáve parte resistendo, in tali corpore exhibere potest angelus, ita vt ab homine internosci nequeat: sicut enim manum, brachium, digitum possumus modò rigidum, modò mollem & flexilem exhibere, prout anima per spiritus, neruos & musculos vult, aut non vult resistere: & sicut echinus, siue porcellus hortensis, quem vulgò hericium vocamus, suos aculeos potest instar spinarum exserere, aut remittere: ita potest & angelus. Id ita esse patet: nam angeli permiserunt se palpari; cùm Abraham eis hîc lauit pedes, vt patet v. 5. & cùm manum Lot apprehenderunt, eumque eduxerunt ex Sodomis, B c. 19. v. 16.

BVCCELLAM PANIS] Modestè ad panem tantùm inuitat, cùm splendidum eis paret conuiuium, vt patet ex sequentibus; frugale tamen, more illius æui: nec enim hîc legis perdices, capones, ceruos, &c. Simile est c. 31. v. 34. & alibi. VERS. 5.

Ita Plato Aristippi luxum in emendis piscibus reprehendit. Phocion filium suum Phocum, qui plura solito obsonia coëmerat, obiurgans, ita comminatus est ei: si plura quàm secundùm naturam comederet, vel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum. C. Fannij Consulis lege introductum est, ne quid apud Romanos volucrum, præter vnam gallinam, quæ altilis non esset, apponeretur: & singulis cœnis domesticis denos asses præfiniuit. testis est Macrobius & Gellius. Cicero Q. C Crasso & Q. Scæuolæ non meram elegantiam, sed multa parsimonia mistam laudē dedit. *Crassus,* inquit, *erat parcissimus elegantium, Scæuola parcorum elegantissimus.* M. Cato vinum in prætura & consulatu, idem quod & operæ, bibebat: epulas ad cœnam ex foro triginta comparabat assibus, idque se facere aiebat reip. causa, quo corpus suum esset ad perferendam militiam robustum.

IDCIRCO] vt scilicet honoretis me, vtendo mea hospitalitate; vel, vt alij, q. d. Dei prouidentia factum est vt hac hora prandij per me iter haberetis quò possetis meam hospitalitatem experiri; itaque non tam vobis quàm mihi, qui hospitibus & hospitalitate mirè delector & pascor, gratificari.

TRIA SATA] *Satum,* vel, vt Hebræi loquuntur, VERS. 6. D *saa,* genus est mensuræ aridorum, æqualis bato, qui est liquidorum: noster Interpres alibi modium vertit. cùm ergo tres modij, siue tria sata, facerent vnum ephi vel epha, vt patet Ruth 2. v. 17. vti decem ephi faciebant vnum corum, qui continet triginta modios, vt patet Ezech. 45. 11. hinc sequitur, satum fuisse tertiam partem ephi, & trigesimam cori. *Satum mensura genus quale.*

Porro hic modius, siue satum Hebræorum continebat tres modios Atticos, vt colligitur ex Iosepho lib. 15. Antiquit. 11. Italicum verò modium vnum cum medio continebat, teste S. Hieron. in Matth. 13. & Iosepho 9. Antiq. c. 4.

SVBCINERICIOS PANES] Qui lati & plani, absque fermentatione, extra clibanum statim sub cinere coquuntur: vt scilicet hac ratione ilicò succurramus fami hospitum.

Nota. Hebræi olim, vti etiamnum faciunt Saraceni

raceni & Mauritani penè omnes, qui Hebræis vti A
lingua, ita habitu & ritibus sunt similes, quotidie in fictili vase & concha farinam subigebant, indeque panem in dies singulos coquebant, vel in clibanis, vel in craticula, vel in sartagine tecta, vndique carbonibus & cinere circumdata; tum vt recentior esset panis, tum vt ex tempore parabilis & ad manum esset, cùm hospites aduentabant. vnde crebra est mentio in Script. panis subcinericij, quem Hebræi vocant עֻגָה *vgga*, quasi dicant *vstulatum*.

Tropol. de officio Abrahæ & Saræ, id est spiritus & carnis, in rebus & promissis diuinis, disserit S. Gregorius lib. 9. Moral. c. 51. *Sara*, inquit, *promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fœcundatur: quia cùm cura carnis sui confidentiam habere desierit, contra spem ex diuina promissione accipit, quod habituram se ex humana ratione* B
dubitauit. vnde & bene Isaac, id est risus, dicitur: quia cùm superna spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quàm gaudium parit? Curandum itaque est, ne aut necessitatis metas cura carnis transeat, aut in eo quod moderatè exequitur, de se præsumat, &c.

Vers.8. Stabat ivxta eos] vt ministrans & incitans tres suos hospites ad bene prandendum.

Svb arbore] S. August. serm. 66. de temp. *Arborem*, ait, *incolebat Abraham, sub qua constitutum erat qualecumque effugium, angustum quidem homini, sed sufficiens maiestati. Dignum enim Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas diuina pransura.*

Vers.9. *Qualis angelorum in corpore assumpto comestio.* Cvmqve comedissent] Non vera, nec vitalis fuit hæc angelorum comestio; quia non fiebat ab anima informante, sed assistente corpori aërio ab eis assumpto. traiecerunt ergo angeli cibum hunc C
intra corpus à se assumptum, ibique eum resoluerunt in aërem, perinde ac sol humorem terræ in vaporem resoluit & consumit, nec in se conuertit. ita Theodoretus. vide dicta v. 4.

qualis Christi post resurrectionem. Secùs est de Christo, qui post resurrectionem suam cum Apostolis verè comedit, sed simili modo atque angeli hi, cibum à se comestum in aërem resoluit: nec enim corpus gloriosum cibo alitur. ita S. Thomas 1. p. qu. 51. art. 2. ad 5.

Vers.10. Cvi (Abrahamo) dixit] vnus pro tribus, putà medius cæteris illustrior, qui ad hoc maximè erat missus; nam duo reliqui postea Sodomam iuerunt ad eam perdendam, vt patet v. 22.

Veniam ad te tempore isto] proximo anno, hoc eodem die & hora, vt habent Septuag. ergo eum rediisse ad Abrahamum certum est: id enim hîc promittit; licet id eum reipsa præstitisse, D
in sequentibus non narretur.

Vita comite] viuente te, & Sara vigente & gaudente: hebraicè est, *secundùm tempus hoc vitæ*, id est, vt Chaldæus vertit, *in tempore isto quo vos eritis viui*. non enim loquuntur de sua (cùm sint angeli, de quorum perenni vita nullum potest esse dubium) sed de Abrahæ & Saræ vita & incolumitate, eamque hîc vtrique spondent, ac cum ea prolem. quasi dicant: Viuetis tum, & filium habebitis.

Quare non rectè Abulensis sic explicat, *vita comite*, id est, si vita tam vobis quàm mihi superstes fuerit, quasi angelus de vita sua dubiè loquatur, vt homo, qui de vita sua futura dubius est: certò enim promittit hîc angelus, se rediturum ad Abraham & Saram, certoque eis promittit prolem, ac consequenter certam vtrique vitam spondet; omne ergo tam prolis, quàm vitæ dubium excludit.

Fieri mvliebria] fluere menstrua, quæ ad conceptionem sunt necessaria. Vers.11.

Risit occvlte] Hebraicè, chaldaicè & græcè est, *risit intra se: risit* quasi rem impossibilem, scilicet anum & sterilem parituram. ita S. August. hîc q. 36. Est enim risus species confutationis, ait Plato in Gorgia. hinc & eius risum reprehendit angelus, quasi ex dubitatione vel diffidentia profectum, cùm ait: *Numquid Deo est quidquam difficile?* S. Ambros. tamen risum hunc Saræ fuisse putat indicium futuri mysterij potiùs, quàm incredulitatis argumentum. *Risit enim*, inquit, *adhuc nesciens quid rideret, quòd publicam esset in Isaac paritura lætitiam*. Sed prius quod dixi, verius est. Vers.12.

Dominvs mevs] maritus meus Abraham. Instar Saræ, vxores bonæ reuereantur maritos, eosque vocent dominos, vti monet S. Petrus epist. 1. c. 3. v. 5. & 6.

Dixit avtem Dominvs] Putà angelus ille medius Dominum repræsentans, vt dixi v. 2. hoc dicto angelus pandens occultum risum Saræ, ostendit se non hominem, sed angelum, vel Deum esse. vnde pro eo quod sequitur: *Numquid Deo quidquam est difficile?* Chaldæus vertit, *numquid occultabitur à facie Domini verbum?* vtrouis enim modo verti potest Hebræum יִפָּלֵא *pala*. Vers.13.

Viri] tres illi angeli v. 2. Vers. 16.

Dominvs] medius angelus illustrior, personam Dei repræsentans. Vers.17

Nvmqvid celare potero] Hebraicè הַמְכַסֶּה *hamecasse, numquid celabo?* amor & familiaritas mea non fert, vt amicum meum Abrahamum, ita mihi charum, celem hæc secreta mea; præsertim quia scio ipsum intellecto hoc meo decreto de excidio Sodomorum, pro ijs oraturum. Volo ergo hac reuelatione illi dare materiam charitatis & orationis, simulque ostendere quantum ipsius precibus tribuam. atque ex aduerso voluit patefacere, quanta fuerit peruersitas & corruptio Sodomorum; vtpote in qua ne decem quidem iusti inuenti sunt, adeò vt pro ijs vlteriùs rogare ausus non fuerit Abraham.

Cvm fvtvrvs sit] Est argumentum à maiori. q.d. Tam insigni tantæ posteritatis & benedictionis beneficio decoraui Abrahamum; ergo par est vt tantillum beneficium, putà reuelationem secreti mei, ei non denegem. Vers. 18.

Robvstissimam] Hebraicè עָצוּם *asum*, id est *osseam*, vt vertit Aquila, id est *fortem* (instar ossis) vt vertit Symmach. hoc est, *multum*, vt vertunt Septuag. fortitudo enim populi maximè consistit in eius multitudine.

Scio enim] Hæc est secunda ratio mouens Deum, vt secreta sua detegat Abrahamo; quòd scilicet per ea, putà per punitionem Sodomorum, velit Abrahamum suos posteros erudire, vt ab eorum peccatis caueant, ne similiter puniantur. Vers.19.

Vt faciant ivdicivm et ivstitiam] vt rectè & iustè viuant. *iudicium* enim significat id quod iudicio Dei & sapientum rectum, iustum & sanctum est. ita Vatablus.

Vt addvcat Dominvs propter Abraham] Potest quoque ex Hebræo verti, *super Abraham*. Loquitur hîc Deus de se in tertia persona. Sensus enim est: Vt ego impleam ea quæ Abrahæ promisi, vt scilicet ea exhibeam posteris eius.

Clamor Sodomorvm] Est prosopopœia. q.d. Peccata Sodomæ ita enormia sunt & impudentia, Vers.20. *Quid clamor Sodomorum?*

tia, (hoc enim significat clamor, ait S. August.) vt publicè & vbique in omnium ore versentur, adeoque fama (vt vertit Vatabl.) eorum in cælum per angelos sparsa, ad me peruaserit: imò, ipsamet eorum peccata, quasi accusatores in cælum ad me conscenderunt, clamantque contra tam impios homines, atque vindictam à me extorquent. Descendam ergo eò, vt videam an hæc fama, & hic peccatorum quasi accusatorum clamor verus sit, an non, vt experientia id sciam. Loquitur & agit hîc Deus more nostrorum iudicum, qui cominus de facto inquirunt, remq; inspiciunt, vt dixi. nam Deus ante experientiam omnia nouit ab æterno.

Nota. Hanc experientiam sumpsit Deus cap. sequenti v. 5. cùm se per duos hosce angelos, Sodomitis duorum virorum specie obiecit, qui statim ab eis ad stuprum appetiti sunt.

Nota Secundò, multa fuisse peccata Sodomæ, sed præcipua fuerunt, otium, gula, superbia, inhospitalitas, crudelitas, Dei contemptus, & ex hisce nata tam portentosa libido, Ezech. 16. 49. vti dixi cap. 13. 13.

VERS. 21. DESCENDAM, ET VIDEBO] Descendit Deus per duos hosce angelos, Deum pariter repræsentantes: quos tertius, putà medius, angelus illustrior, misit in Sodomam.

Ex hoc loco Concilium Lateran. I. c. 8. monet iudices, ne facilè accusationibus credant, sed eas lentè & maturè instar Dei examinent & inquirant, antequam reum condemnent: nam, vt ait Seneca l. 2. de Ira: *Veritatem dies aperit, potestq; pœna dilata exigi, exacta reuocari non potest.* Idem cuique faciendum, ne facilè accusatoribus, vel detractoribus credat. Est enim pusilli animi citò irasci, & credere rumoribus. *Sæpè enim sinistro rumori malignitas dat initium, credulitas incrementum. Deus,* inquit Philo de Cõfusione linguarum, *dicitur ad visendum descendere, qui omnia priusquam fiant prouidet manifestissimè, vt doceamur, ne quis homo de absentibus, & futuris, & incertis putet se posse coniecturam facere; sed priùs maximè prospicere debet: visus enim certus, potiùs quàm fallax auditus, testis adhibendus est.* Et S. Gregor. lib. 19. Mor. cap. 23. exponens illa verba Iob cap. 29. v. 16. *Et causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam,* sic ait: *Deus cùm omnia illi nuda & aperta sint, mala Sodomorum puniuit non audita, sed visa.* Hinc S. Chrysostomus commendat Prælatis, ne aliquid definiant propter solos vulgi rumores. *Noli,* inquit, *ex suspicione tua iudicare antequam discas vtrùm res ita se habeat, neque aliquem culpa; sed potiùs Deum imitare, qui ait Gen. 18. Descendam & videbo.* Notus est Theodosij Imp. lapsus in præcipitata sententia & cæde Thessalonicensium, cuius eum, monitu S. Ambrosij, postea adeò pœnituit: & Dauidis circa Miphiboseth, 2. Reg. 16. v. 4. collato cum 2. Reg. 19. v. 27.

Maturè examinanda crimina, lenteq; ferendam esse sententiam.

VERS. 22. CONVERTERVNTQVE SE] Ex hoc loco, & ex c. sequenti v. 1. apparet duos angelos ab Abrahamo discessisse Sodomam, tertium verò cum eo adhuc mansisse. vnde de eo subdit Moses: *Abraham adhuc stabat* (in oratione, vt addit Chaldæus) *coram Domino*: cum enim orat Abraham vsque ad finem capitis, vt Sodomæ parcat; vnde finita oratione & colloquio, tertius ille ab Abrahamo abijt & disparuit, vt patet v. 33.

VERS. 25. QVI IVDICAS OMNEM TERRAM] qui iustissimus es iudex, norma iustitiæ, & iudex iudicum terræ.

VERS. 26. IN MEDIO CIVITATIS] in ipsa ciuitate. hoc

A enim significat hic hebraismus. Per hanc ciuitatem siue metropolim, putà Sodomam, totam Pentapolim intellige; vnde si Deus in tota Pentapoli decem iustos inuenisset, toti Pentapoli pepercisset. ita Abulensis. *Vnde* ait S. Ambrosius, *discimus quantus murus sit patria vir iustus, quemadmodum non debeamus inuidere viris sanctis, nec temere derogare. Illorum enim fides nos seruat, illorum iustitia ab excidio defendit: Sodoma quoque si habuisset viros decem iustos, potuit non perire.*

COEPI] Incipere in Script. sæpè significat desiderare, optare, gestire, conari, parere, moliri; hoc enim est Hebræum הואלתי hoalti. vnde Hebræa ad verbum habent, *Cupio vel gestio loqui ad Dominum, tametsi sim puluis & cinis,* scilicet vilissimus & abiectissimus. ita Vatabl. Agnosce ergo, ô homo, ô princeps, præsertim coram Deo in oratione, quòd sis puluis & cinis, nosce teipsum. S. August. 13. Ciuit. c. 8. narrat Alcibiadem summo loco natum, cùm ex sermone Socratis seipsum agnouisset, nihilque inter se & baiulum quemuis interesse, illacrymasse, petijsseque sibi virtutem tradi. *Scito,* inquit auctor lib. de Spiritu & anima apud S. August. c. 51. *quoniam homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, necesse mori. attende ergo sollicitè, quid agas, vel quid agere debeas.* & S. Bernard. in carm.

VERS. 27.

B

Homo cinis.

Vnde superbis homo, cuius conceptio, culpa;
Nasci, pœna; labor, vita; necesse, mori?

Præclarè S. Ægidius comes S. Francisci: *Humilitas,* inquit, *est instar fulminis, quod ferit quidem, sed nulla post se relinquit vestigia: ita sanè humilitas omne peccatum dissipat, & tamen vt homo in oculis suis sit nihil, efficit.* Hac Abraham Deo charus & amicus euasit. nam, vt aiebat S. Ludouicus Episcopus Tolosanus: *Nihil tam gratum Deo, quàm si vita merito magni, humilitate simus infimi, cùm tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum sibi est vilior.*

C

NON DELEBO PROPTER DECEM] Hic Deus iniecit Abrahæ timorem & verecundiam, ne vltrà progrederetur in sua petitione ad quatuor, qui reuera tantùm erant in Sodomis, scilicet Lot, eius vxor, & duæ filiæ, inquit S. Chrysost. reliqui enim omnes, quasi nocentes cælesti igne in Sodomis conflagrarunt. Fecit hoc Deus, ne, si Abraham ob quatuor Sodomæ parci peteret, idque ipse abnueret, Abrahamum contristaret; decreuerat enim omnino quatuor has ciuitates perdere: iam enim completa erat peccatorum Sodomæ mensura, imò supereffluebat.

VERS. 32.

Dices, Cur saltem non permisit Deus Abraham descendere ad octo vel quinque, vt propter octo vel quinque iustos peteret parci Pentapoli? Respondet Abulens. quia in Pentapoli facilè erant septem vel octo iusti: si enim in Sodoma erant quatuor iusti, in singulis reliquis vrbibus facilè fuisset inuenire vnum iustum; cumque ex essent quatuor, vniuersim fuissent octo iusti in Pentapoli.

D

Si obijcias, Ergòne quatuor hi iusti cum impijs in Pentapoli conflagrarunt? Respondet Abulens. minimè, quia vti Lot cum vxore & filiabus ex Sodomis, ita reliqui quatuor iusti ex suis vrbibus, totaque Pentapoli vel monitu angelorum, vel Dei instinctu ante eius excidium excesserunt. Verùm hoc est coniectare & diuinare. Cùm ergo omnes Pentapolitæ, excepto Lot cum suis, & exceptis incolis vrbis Segor, cælesti igne, quasi subito fulmine sint afflati & consumpti, liquet omnes pariter fuisse impios.

Respon-

Respondeo ergo Abraham infra decem non descendisse, tum quia dixerat v. præced. hanc suam petitionem fore vltimam. cùm enim toties minuendo descendisset, non ausus fuit sæpiùs descendere, ne Deo esset importunus, illique fastidium aut iram moueret: tum quia continuò à quadraginta vsque ad decem per denarios petendo descenderat Abraham. Pari ergo modo & congruentia, hîc à decem ad vnum vel nullum descendere debuisset. Tum denique, quia putabat facilè decem iustos in Pentapoli inueniendos esse.

Sed cur Abraham non meminit Lot nepotis sui, cur eum communi clade eripi non postulauit? An vt rem claram id Moyses prætermisit? an quòd iustum norat, liberandum confidebat?

Moral. docet hîc S. Chrysost. homil. 42. quanto in pretio haberi debeant iusti, etiamsi exteriùs viles & pauperes; cùm propter eos Deus vrbibus & A prouincijs sceleratis parcat: illi enim sunt bases & columnæ reip. Talis fuit Dauid, de quo ait Deus Ezechiæ: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum*, 4. Reg. 19. 34. *Talis erat Elias, qui melotem tantùm habuit, & purpura vestitus Achab illius melote indigebat. Melote huius cælum clausit, pluuiarumq́, descensum stitit. Et lingua Prophetæ frænum fuit cælo: purpura autem amictus & diademate circumibat quærens Prophetam.* Hinc de eo & similibus ait Paulus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*, Hebr. 11. 37. *Vt dubitari non debeat ipsorum meritis adhuc stare mundum*, ait Ruffinus Præfat. in lib. 2. de Vitis Pat.

ABIITQVE DOMINVS] Vnus hic angelus finito colloquio cum Abraham, disparuit; reliqui verò duo perrexerunt in Sodomam, vt patet cap. sequ. v. 1. VERS. 33.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

LOT hospitio excipit angelos, quos Sodomitæ petunt ad scelus nefandum; hinc angeli educentes Lot, igne cælesti cremant Pentapolim, excepta Segor, cui Lot veniam impetrat. Secundò, v. 26. uxor Lot respiciens post se, vertitur in statuam salis, filiæ verò ex patre concipiunt, & pariunt Moab & Ammon.

1. VEneruntque duo angeli Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiàm eis: adorauitque pronus in terram, 2. & dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus. 3. Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum: ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt. 4. Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul. 5. Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos. 6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait: 7. Nolite, quæso, fratres mei nolite malum hoc facere. 8. Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei. 9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, vt aduena; numquid vt iudices? te ergo ipsum magis quàm hos affligemus. Vimq; faciebant Lot vehementissimè: iamque propè erat vt effringerent fores. 10. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, 11. & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. 12. Dixerunt autem ad Lot: Habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac: 13. delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos vt perdamus illos. 14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. 15. Cumque esset manè, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. 16. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi. 17. Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. 18. Dixitque Lot ad eos: Quæso Domine mi, 19. quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar: 20. Est ciuitas hæc iuxtà, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: numquid non modica est, & viuet anima mea? 21. Dixitq; ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. 22. Festina & sal-

& saluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen vrbis illius Segor. 23. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. 24. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: 25. & subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. 26. Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis. 27. Abraham autem consurgens manè, vbi steterat priùs cum Domino, 28. intuitus est Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascendentē fauillam de terra quasi fornacis fumum. 29. Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat. 30. Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo. 31. Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ. 32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. 33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuitq; cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. 34. Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. 35. Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaq; minor filia dormiuit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. 36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. 37. Peperitq; maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem. 38. Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.

Vers. 1. VENERVNTQVE DVO ANGELI] *Duo*, scilicet qui ab Abrahamo recesserant, tertio cum eo remanente cap. præced. v. 22. Symbolicè, angelus vnus è tribus, repræsentans Deum Patrem, manserat cum Abraham, vt eius domum benediceret, eumque patrem efficeret ad generandum Isaac; vnde videtur hic angelus fuisse medius & primarius inter tres, putà Michael, qui duos socios Gabrielem & Raphaelem, misit ad excindendam Sodomam: Gabriel enim iuxta etymon suum est fortitudo Dei, putà fortis executor diuinæ iustitiæ, hicque repræsentat secundam in Trinitate personam, putà Filium: quia eius incarnationem annuntiauit B. Virgini Lucæ 1. incarnatio enim fuit opus summæ Dei fortitudinis & potentiæ. Raphael verò videtur esse angelus præses castitatis, & vltor incestus; vnde Tobiam castè tutatus est ab Asmodæo, qui septem incestos Saræ sponsos occiderat. Tob. 7. & 8 Quare Raphael missus est Sodomam, vt incestos Sodomitas perderet. Hic repræsentabat Spiritum S. qui est tutor & vindex sanctitatis, id est puritatis & castitatis, summusque osor impuritatis ac libidinis. Quare per hos duos angelos significatur Filium & Spiritum S. excidisse Sodomam: nam, vt ait Procopius: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Filio autem naturaliter adest & inest Spiritus S.* Addunt nonnulli Filio additum Spiritum S. quia Deus Pater iudicium & vindictam bonitate & clementia, quæ appropriatur Spiritui S. temperat & mitigat, q. d. Mitto Filium, vt vos iudicet & perdat, sed addo ei Spiritum S. qui vos inuitet ad pœnitentiam, quam si capessatis, veniamque flagitetis, Spiritus S. iudicium & vindictam Filij sistet & inhibebit, ac indulgentiam vobis largietur.

VESPERE] eiusdem diei, quo cum Abrahamo pranderant c. præced. v. 1. 2. & sequenti.

Symbolicè, iustis, vti Abrahæ, angeli lucem; impijs, vti Sodomitis, tenebras adducunt. ita S. Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 6. Secundò, vespera A significabat vesperam & occasum imminere ciuitati, ait Caiet. Tertiò, vesper hic portendit æternam noctem Sodomitis imminentem. ita S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2.

SEDENTE LOT] Putant Iudæi, quòd Lot sederit hic quasi primus iudex inter alios iudices, qui tunc temporis sedebant in portis ciuitatum, vt patet Deuteron. 21. & 22. Verùm hoc falsum esse patet ex versu 9.

Dico ergo cum Abulensi, Lot habitans olim in domo Abrahæ, ibi didicit hospitalitatem; eam ergo hîc more suo exercet, dum sedet in porta ciuitatis, vt hospites colligat, ne à Sodomitis vim & B stuprum patiantur, quale duobus angelis intentarunt v. 5. Putabat Lot, æquè vt Abraham, eos esse homines, non angelos, Hebr. 13. v. 2.

ADORAVITQVE EOS] Nota Lot, in hospitalitate, humilitatem: adorauit enim hos peregrinos, nesciens esse angelos. nam decor & splendor vultus indicabat eos esse viros graues, vel Prophetas à Deo missos. ita S. August. qu. 41. Rursum se vocat eorum puerum, id est seruum, vt habent Hebræa. Vers. 2.

MINIME] Inuitati à Lot angeli primò honestatis causa recusant, mox dum vrgentur acquiescunt. Fallitur ergo Cassianus collat. 17. c. 25. qui putat angelos hîc mutasse sententiam. Vers. 3.

C COMPVLIT ILLOS OPPIDO] inuitauit & vrsit eos mirum in modum.

AZYMA] Panes sine fermentatione subitò coxit in clibano, vel sartagine, quales coxerat Abraham: azyma enim idem sunt cum panibus subcinericijs. vide dicta cap. 18. v. 6. Vers. 4.

OMNIS POPVLVS SIMVL] etiam ab extremis vrbis partibus, vt habent Hebræa; idque vel ad patrandum, vel ad intuendum nefas. Notat hoc Moses, vt pateat non fuisse decem iustos in Sodomis, sed omnes, præter Lot cum suis, fuisse impios & nefandos Sodomitas. ita Burgens. Caiet. Pererius. Vers. 5.

VT COGNOSCAMVS] vt turpiter eis abutamur. hoc est scelus Sodomiticum, de cuius enormitate vide

vide Hamerum hîc, & Hieron. Magium integro volumine de hac re edito.

ABVTIMINI ILLIS] Aliqui excusant hoc dictũ & factum Lot, quasi senserit (quod sensit Dom. Soto l.4. de Iustitia, q.7.a.3. & plures alij Theologi, atque satis insinuat D.Thom. q.1. de malo art.3. ad 14. & S.Ambros.l.1. de Abraham c.6.) licere volenti facere maius flagitiũ, suadere minus: sic enim volenti committere sodomiam aut stuprum, licet suadere vt eat potiùs ad meretrices in lupanari expositas; & latroni volenti occidere viatorem, licet suadere vt potiùs eum spoliet. Pari ergo modo Lot molientibus sodomiam licitè potuit suadere fornicationem. Vnde Gabriel Vasquez 2.2. quæst. 43. de scandalo, dubio 1. ex hoc facto Lot docet, licitum esse volenti omnino facere maius malum, suadere minus, etiamsi ipse de eo nihil cogitaret. Sic enim Lot volentibus committere sodomiam, proposuit & suasit stuprum filiarum, de quo ipsi non cogitabant. Adde, Lot non suadere, sed tantùm offerre filias sibi per omnia obedientes, ad stuprum, vt maiorem vexationem, & iniuriam tantorum virorum redimat.

Lot peccauit offerendo filias turpitudini. Primò. Verùm dico peccasse Lot; quia filiarum suarum famæ & pudicitiæ, ac consentiendi in actum venereum periculo, magis consulere & prospicere (vtpote pater) debuit, quàm hospitum externorum; esto, ij viri sancti & Prophetæ essent.

Secundò. Secundò, Lot non erat dominus suarum filiarum, ac consequenter non erat dominus corporum & pudicitiæ earumdem: ergo non potuit eas, maximè non consentientes, offerre stupro. non enim tenebantur, imò non poterant, illæ in hac oblatione obedire patri: & planè verisimile est eas hac in re noluisse obedire patri. quæ enim virgo honesta tale stuprum suum potiùs, quàm alterius cuiuslibet non perhorrescat?

Tertiò. Tertiò, Sodomitæ non cogitabant de filiabus Lot vitiandis; ergo iniquè eas illis tam impuris ipse proposuit & obiecit, vt liberaret suos hospites non enim licet impedire damnum Petri cum damno Pauli, dicendo latroni volenti spoliare Petrũ, Spolia Paulum, de quo latro non cogitat. vti doctè docet noster Lessius lib.2. de Iustitia c.13. dub.3. n.19.

Videtur tamen inconsideratio & perturbatio Lot in re tam ancipiti, multum de peccati grauitate minuisse. anceps enim erat Lot & inops consilij in re tam implexa: volebat enim omni modo hospitum talium, tamque venerandorum indemnitati, honori & pudicitiæ consulere, nec alius ei tũc modus occurrit, quàm si pro eis filias suas offerret; quem statim amplexus est, non cogitans, nec aduertens se hac ratione iniuriam facere filiabus suis. ita S.August. lib. contra mendac. cap.9. Lyranus, Thomas Anglicus, Tostatus, Lipoman. Perer.

Addit Caiet. Lot obtulisse filias, animo non redimendi flagitium flagitio, sed placandi hyperbolica submissione furentem populum. putabat enim, & rationabiliter (vti rei probauit euentus) quòd populus non acceptaret talem oblationem; sed quòd placatus tanta submissione ipsius Lot desisteret à cœpto; & eo rationabiliùs, quòd filiæ eius iam erant desponsatæ ciuibus Sodomæ. Sicuti vir aliquis placaturus alium, quem iniuria lacessiuit, ei pugionem nudum offert, dicendo, Occide me; non animo vt interficiatur, sed vt tanta submissione placetur læsus. Per exaggerationem ergo hæc dixit Lot, perinde ac Dauid dixit ad Ionatham

A 1.Reg.20.v.8. *Si est iniquitas in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* & Iudas Genes.42. dixit patri suo Iacob: *Duos filios meos interfice, si non reduxero tibi Beniamin.* ita Caietanus.

Moral. S.Chrysost. hom.43. stupet charitatem Lot erga hospites & exteros, quorum integritatem filiarum suarum pudori anteponit. *Nos autem,* inquit, *videntes sæpè fratres nostros in ipsum impietatis profundum, & quasi in fauces diaboli cadere, neque sermone eos dignamur, neque consulere, neque verbis admonere, & eripere à malitia, & ad virtutem manu ducere. Quid enim, inquis, mihi cum eo commune? mihi non est cura, nil mihi negotij cum eo. Quid dicis homo? nihil tibi commune cum eo? Frater tuus est, eiusdem tecum naturæ: sub eodem estis Domino, sæpè etiam eiusdem participes mensæ spiritalis,* &c.

SVB VMBRA CVLMINIS MEI] Hebraicè, sub B vmbra tabulati vel contignationis, id est tecti & domus meæ. tectum enim eos qui in domo sunt, instar vmbræ obumbrat, & protegit ab æstu, alijsque aëris iniurijs.

Rursum peregrini sunt sub vmbra, id est protectione & cura hospitis sui, cuius est prouidere, ne quæ illis iniuria in domo sua inferatur, & hoc propriè hîc intendit Lot.

RECEDE ILLVC] facesse hinc. VERS.9.

INGRESSVS ES VT ADVENA, NVMQVID VT IVDICES?] Hebraicè est, *vnus ille venit ad peregrinandum* (vt instar peregrini inter nos degat) *& ille iudicando nos iudicabit?* quasi dicant: Venítne ille peregrinus vt sit iudex noster, vt nos iudicet? vnde LXX. vertunt, *ingressus es habitare, non etiam iudicium iudicare.*

VIMQVE FACIEBANT LOT] Pars eum protrudentes & abripere conantes, pars effringentes C ostium, à Lot egrediente ad eos, post se clausum, v.6.

INTRODVXERVNT AD SE LOT, CLAVSERVNTQVE OSTIVM] Duo angeli ostium à Lot clausum aperuerunt, vt eum à violentia Sodomitarum ereptum in domum introducerent, eoque introducto rursum ostium clauserunt, ne Sodomitæ pariter ingrederentur. VERS.10.

PERCVSSERVNT CÆCITATE] Septuag. ἀορασίᾳ, id est auidentia, qua cætera videntes ostium tantùm Lot, quod quærebant, videre non potuerunt. ita Ioseph. S.Ambrosius, Chrysost. & August. quæst.43 vnde Vatablus vertit, *perstrinxerunt illis oculos, vt hallucinarentur, nec fatigati quidem inuenirent ostium.* Si enim, ait S.August. omnino cæci fuissent, non ostium Lot, sed duces, qui eos domum D reducerent, quæsissent. VERS.11.

Nota. Id factum est hac ratione, quòd Deus eis aliam speciem obiecerit, vt loco ostij viderent, verbi gratia, solidum parietem, aut quid aliud. id autem fecit vno horum quatuor modorum, putà immutando vel speciem obiecti, vel aërem medium, vel potentiam visiuam, vel sensum communem, ad quem omnes visiones & sensationes deferuntur. Simili modo Syri 4.Reg 6. Eliseum quærentes & videntes, non viderunt, nec agnouerunt esse Eliseum. Sic Christus post resurrectionem duobus discipulis vt peregrinus; Magdalenæ verò tamquam hortulanus apparuit. *Aorasia Sodomitarum vnde.*

Simile fuit illustre miraculum Gregorij Thaumaturgi, qui cum diacono persecutores fugiens in montem, cùm à quodam proditus esset, persecutores montem vndique cinxerunt, & perscrutati sunt,

sunt, nec tamen eum viderunt. redeuntes ergo ad A proditorem eum increpuerunt; ille eum tali loco fuisse certò asseuerauit: ipsi verò eo loco ab eo designato, non duos homines, sed duas arbores inuenisse se asseruerunt. Illis digressis proditor ad locum adscendit, viditque Gregorium cum diacono manibus in cælum elatis orantem, qui persequentibus duæ arbores fuisse videbantur: quare ad pedes eius accidens conuersus ad Christum, ex persecutore cum eo factus est profugus. ita Nyssenus in eius Vita.

Tropolog. S. Ambros. *Hic*, ait, *ostenditur, quia cæca est omnis libido, & quod est ante se, non videt.*

Ita vt ostium invenire non possent] Hebraicè est, *vaiilu limtso happetach*, & laborauerunt siue fatigati sunt quærendo ostium; sed frustra, quia illud omni suo conatu inuenire non potue- B runt. Addit S. Chrysost. ex Hebræo ילאו *iilu*, id est *fatigati sunt*, Sodomitis luxata fuisse membra, vt vires eis motusque membrorum deficerent. idque factum esse à Deo hoc fine, vt significaret eos, mente & vitijs cæcos & enerues esse, quodque libido mentem maximè excæcet, eamque æquè ac corpus eneruet.

Ostium] Putat Ribera in c. 1. Sophon. nu 81. Delrio, & alij, Mosen loqui de ostio domus, tam Lot, quàm cuiusque Sodomitæ; quasi quisque suam domum regressus, illam inuenire & ingredi non potuerit. id enim videtur asserere Sapiens Sap. 19. 16. dignum enim erat, vt qui alienas fores volebant effringere, suas non inuenirent.

Verùm meliùs S. Ambros. Chrysost. August. & Pererius censent, Mosen tantùm loqui hic de ostio solius Lot, quod Sodomitæ conabantur effringere, sed cæcitate percussi, omni suo conatu C inuenire non potuerunt. illud enim exigit planus Script. maximè Hebraicæ contextus, & series historiæ. Sapiens autem Sap. 19. 16. loquitur de Ægyptijs, non de Sodomitis: tantùm enim Ægyptios comparat Sodomitis in eo, quòd vtrique percussi sint cæcitate, quodque vti Sodomitæ ostium Lot quod quærebant, ita Ægyptij suum quisque ostium quod quærebant, in triduanis Ægypti tenebris, inuenire non potuerint.

Tropolog. Gregorius lib. 6. Moral. 16. *Quid est quòd malis aduersantibus intra domum Lot reducitur & munitur, nisi quòd iustus quisque dum prauorum insidias sustinet, ad mentem reuertitur, & imperterritus manet? Sodomitæ autem viri in domo Lot ostium inuenire nequeunt, quia corruptores mentium, contra vitam iusti nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate quasi domum circumeunt, quia inuidentes dicta factaq́; perscrutantur: sed quia eis de vita* D *iusti, fortis vndique ac laudabilis actio obuiat, errantes nihil aliud quàm parietem palpant. Bene ergo dicitur, Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie: quia dum bonum quod vident accusare nequeunt, cæcati malitia, malum quod non vident ad accusationem quærunt.*

Vers. 12. Dixervnt] duo illi viri, vt habent Hebræa, putà duo angeli.

Vers. 14. Qvasi lvdens loqvi] ludere & iocari, aut delirare, & ludicra, non seria loqui.

Vers. 15. Tolle vxorem tvam et dvas filias] Hi ergo quatuor, putà Lot, vxor, & duæ filiæ crediderunt angelis, egressique sunt Sodomis & saluati: generi verò, famuli & ancillæ Lot non crediderunt, sed manentes in Sodoma cum alijs combusti sunt.

Dissimvlante illo] Hebraicè ויתמהמה *vaiitmama*, id est, cùm moras necteret; siue vt generis suis persuaderet discessum, vt vult S. Ambros. siue vt domum & supellectilem suam incendio eriperet, vt vult Rupertus; siue orans Deum vt vrbi parceret, vt vult Abulens. Ecce amœnitas & opes Pentapolis inuitarunt Lot ad se, eædem ipsum iam detinent, & pænè perdunt. Disce contemnere terrena & amœna. Vers. 16.

Salva animam] vitam tuam hoc incendio eripe; domum, supellectilem, & cætera omnia neglige; ne, si moreris, & ea tecum saluare velis, cum ijs pereas & conflagres. Vers. 17.

Simili modo, Gothico Romæ excidio anno Domini 410 à Deo ereptus est S. Innocentius Pontifex, ob vitæ innocentiam & sanctitatem, qua & S. Chrysostomum defendit, ideoque Arcadium Imper. & Eudoxiam, qui eum in exilium egerant, excommunicauit; ac Pelagij subnascentem hæresim damnauit: eoque nomine dilaudatur à S Hieron. ad Demetriadem, & sæpiùs à S. Augustino disputante contra Pelagianos. De quo ita scribit Paulus Orosius illi coæuus lib. 7. histor. cap. 39. *Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit*, &c. *Accidit quoque, quo magis illa vrbis irruptio indignatione Dei acta, quàm hostis fortitudine probaretur, vt S. Innocentius R m. Ecclesiæ Episcopus, tamquam iustus Lot subtractus à Sodomis, occulta prouidentia Dei apud Rauennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium.*

Noli] tu cum tuis: nam non soli Lot, sed & vxori, & filiabus hoc præceptum datur. ideo enim vxor Lot conuersa est in statuam salis, quia contra hoc præceptum retrò respexit. ita Abulens.

Noli respicere] Vatablus putat esse adagium. q. d. Ne te incœpti pœniteat. Sic enim Lucæ 9. dicitur: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Sed dico hæc verba non adagialiter, sed propriè esse accipienda. id patet ex eo, quòd vxor Lot punita est, quia retrò respexit; non autem quia eam cœpti itineris pœnituit.

Quæres, cur Deus tam rigidè vetuit Lot cum suis, ne retrò respicerent? Resp. Primò, ad exercendam obedientiam Lot: sic enim Deus exercuit obedientiam Adæ, vetans pomum in paradiso. Secundò, ad sceleratæ gentis detestationem; vtpote quam Deus à suis respici nollet. nolebat enim Deus vt Lot Sodomitis pereuntibus condoleret, sed volebat omnem compassionem, cogitationem & memoriam impijssimorum hominum ex animis suorum delere; imò volebat, vt sua domo & bonis pereuntibus cum impijs, non dolerent. statuerat enim totam vrbem ob impietatem facere anathema ignis & incendij diuini. Sic Christus iussit Apostolis excutere puluerem de pedibus in eos, qui Euangelium auersarentur, vt hoc signo protestarentur se cum tam impijs hominibus nihil, ne puluerem quidem, velle habere commune. Tertiò, quia volebat Deus Lot citissimè fugere, & saluare se: instabat enim incendium. Rursùm volebat Deus docere; Lot, nosque omnes debere curiositatem nostram mortificare, ait Philo Cyprius in catena. Quartò, quia nolebat Deus Lot aliquod pœnitentiæ signum dare; quale est retrò respicere: idque vt hoc exemplo tropologicè doceret Christianos omnes, præsertim salutis suæ & perfectionis studiosos, quæ retrò sunt obliuisci, ad anteriora semper contendere, & in verticem

Cur Lot respicere vetitum. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

verticem montis, id est culmen Euangelicæ perfe-ctionis, conscendere. ita S. August. 16. Ciuit. 30.

In monte salvum te fac] *In monte*, scilicet, qui imminet vrbi Segor: huc enim profugit Lot v. 30.

Tropol. S. Gregorius p. 3. Pastor. admon. 28. *Ardentem*, inquit, *Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. altitudo verò montium est munditia continentium. in monte enim stare, est carni non carnaliter adhærere. Sed qui ad montana scandere non possunt, saluantur in Segor: quia coniugalis vita nec à mundo longè diuisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena.*

Arsenius præceptor Arcadij Imp. fugiens in eremum, quadam vice descendit ad flumen. Erat ibi puella Æthiopissa, quæ tetigit melotem eius: ille autem increpauit eam. illa verò dixit: *Si monachus es, vade in montem.* Compunctus in hoc verbo senex, dicebat ad seipsum, *Arseni si monachus es, vade in montem.* ibi verò assiduè sibi dicebat: *Arseni, propter quid exiisti?* ita vixit in eremo 55. annos, mortuusque est anno ætatis 95.

Vers. 18. Qvæso, Domine] Duo erant angeli, sed vnus Lot & vxorem manu ducebat; hunc compellat hîc Lot dicens, *Domine.* alter eum sequens inter filias duas medius, eas pariter ducebat.

Vers. 19. Nec possvm in monte salvari] q. d. Trepido & timeo, ne, cùm sim senex & tardigradus, non satis citò cliuum superem; sed incendium me assequatur. Fuit hæc non prompta, sed lenta & morosa obedientia Lot, hac ex parte culpanda, quòd nimis suæ infirmitati innixus, angelo comiti & diuinæ prouidentiæ sit diffisus; altera tamen ex parte laudanda, quòd scilicet hoc prætextu, postularit, & impetrarit parci vrbi Segor.

Vers. 20. Nvmqvid non modica est?] q. d. Cùm modica sit hæc vrbs Segor, modicos habet ciues, & modicè peccauit: da ergo mihi modica eius crimina, vt eam modicam mihi quasi refugium & asylum serues.

Vers. 21. Svscepi preces tvas] suscepi & exaudiui te, tuasque preces & vota. Septuag. vertunt, ἐθαύμασα, admiratus sum, id est mirè reueritus sum & honoraui faciem tuam, dum scilicet tui amore & reuerentia, iuxta vota tua parco vrbi ad ignem damnatæ.

Vers. 22. Donec ingrediaris illvc] *Illuc*, non in vrbem, sed in territorium Segor. nam dum Lot versaretur inter Segor & Sodomam, iam Sodoma conflagrabat. inter Segor enim & Sodomam vxor Lot respiciens hoc incendium, versa est in statuam salis, quæ etiamnum extat. ita Abulensis, Adrichom. Borchardus, & alij.

Pulchrè vrget hæc Dei verba, *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*, noster Prado in c. 9. Ezech. v. 6. *O*, inquit, *diuinæ bonitatis pelagus! nónne satis erat fidem astrinxisse suam, Dei angelum erepturum Lotum de Sodomæ incendio? quorsum tanta cunctatio? videlicet acceperat angelus à Deo mandatum non modò saluandi Lot, sed etiam ipsum sospitem, incolumem, tutum & securum conseruandi. Non potero, inquit, facere quidquam: at peccata Sodomorum multa sunt nimis. Non potero facere quidquam: at impleta sunt scelera impudentium. Non potero facere quidquam: at clamant in cælum. Non potero facere quidquam: at venisti executurus sententiam absque venia. Non potero facere quidquam, quousque sese in montem recipiat Lot. Quorsum tam insolita prouidentia? quò nepotem Abrahami serui Dei nec tangat nec olfaciat ignis, neque occupet, neque verò sollicitet pereuntium calamitas. Quàm meritò Dauid canebat: Qui habitat in adiutorio (in tutela, latibulo) Altissimi, in protectione (in vmbra) Dei cæli commorabitur! Dicet Domino, Susceptor meus (asylum meum, & arx mea) es tu.*

Idcirco vocatvm est nomen vrbis illivs Segor] Quæ priùs Bala dicebatur, iam vocata est Segor, id est parua, quia Lot eam quasi paruam, ne cremaretur, exorauit v. 20. Quatuor ergo vrbes Pentapolis, putà Sodoma, Gomorrha, Adama & Seboim, hoc igne cælesti conflagrarunt: quinta Segor communi aliarum incendio destinata, precibus Lot seruata est.

Putant Theodoret. Procopius, Suidas & Lyran. Segor quoque, posteaquam ex ea egressus Lot profugit in montem, esse vastatam, & hiatu terræ absorptam. Sed contrarium est verius. iam enim precibus Lot pepercerat ei Dominus, v. 21. itaque sola hæc seruata est. ita S. Hieron. Ioseph. Borchardus, & alij.

Dices, Sap. 10. v. 6. dicitur ignis descendisse in Pentapolin, ergo etiam in Segor. Resp. *in Pentapolin*, id est in regionem illam quæ à quinque vrbibus dicta est Pentapolis, descendit ignis, & exussit omnia, præter Segor. De Segor ex S. Hier. Bredenbachio, Borchardo, Guilielmo Tyrio, & alijs ita scribit Adrichomius: *Segor vrbs paruula, priùs Bala, siue Bale, vel Bela dicta, hebraicè Salissa, latinè vitula consternans* (vitiosè aliqui legunt consternans) *vocabatur; quòd scilicet terra motu tertiò absorpta* (quod significat hebraicè Bala) *sit, & prostrata. Syriacè Zoar, Zoara, & Seora dicitur, nunc Balezona vocatur. Sola hæc ex quinque Pentapolis vrbibus, precibus Lot de incendio seruata est. Apud eam gignitur balsamum, & poma palmarum antiqua vbertatis indicia. Tempore S. Hieron. Palmerina dicebatur: de Iericho distat quinque leucis, posita sub monte Engaddi.* Segor vrbs.

Sol egressvs est svper terram, et Lot ingressvs est Segor] q. d. Lot qui ante lucem è Sodomis exiuit, orto iam sole peruenit in Segor, cùm iam Sodoma conflagraret. ita Lipoman. & Caiet. vnde videtur quòd summo manè in crepusculo, mox vt Lot egressus est, Sodoma cõflagrarit. Vers. 23.

Plvit Dominvs a Domino] id est, pluit Dominus à seipso, putà à se, suaque omnipotentia, non à causis naturalibus. q. d. Non naturalis, sed cælestis & diuina fuit hæc pluuia ignis & sulphuris. ita Caietanus, Pagninus, Vatabl. Oleaster. Non ergo hoc Sodomæ incendium fuit terrestre, exhalatum eructatumque ex terra, vt vult Strabo l. 15. Geographiæ, qui id probat ex v. 28. hîc, sed perperam. Vers. 24. *Quid.* Pluit Dominus à Domino?

Secundò, hæc phrasis innuit distinctionem personarum in diuinis. q. d. Pluit Dominus à Domino, id est pluit Filius à Patre: Filius enim à Patre vti essentiam, ita potentiam omnemque pluendi & agendi vim accipit. ita S. Hilar. lib. 5. de Trinitate, Euseb. lib. 5. Demonstrat 23. Hieron. in cap. 2. Zachar. August. & alij. imò Concil. Sirmiense can. 15. idipsum definit.

Dices, Concilium Sirmiense eo loci damnat priorem sensum. Resp. Damnat eum tantùm ad mentem Photini, qui ex hoc loco inferebat Filium non esse Deum, nec Patri coæternum. Adde, Concilium hoc non esse ab Ecclesia receptum, nisi quatenus Photinum damnat: imò, vt dixi cap. præcedenti, Concilium hoc fuit Arrianorum. docet enim Filium qua Deus est, Patri esse obsequentem & ministrantem.

SVLPHVR ET IGNEM] Sulphure rectè significatus & punitus fuit peccatorum fœtor, igne, libidinis ardor, inquit Gregor. lib. 4. Moral. c. 10.

Pœna prisca Sodomitarum fuit ignis. Rursum hic ignis & sulphur symbola fuêre & prænuntia ignis gehennæ. Ita Laius rex Thebarum, licet Gentilis, ignis supplicio in emasculatores, tamquam naturæ iura peruertentes, animaduertendum censuit, inquit Plato apud Cælium lib. 15. c. 16.

VERS. 25. VNIVERSOS HABITATORES] Ergo in Sodomis tam viri, quàm feminæ omnes erant impijssimæ & Sodomitæ, vel actu, vel affectu & consensu. vide Ezech. 16. v. 49.

Dices, Quo iure, qua causa combusti sunt paruuli & innocentes omnes? Respond. quia Deus, qui omnium, mortisque & necis est dominus, per eos etiam volebat parentes, & tantum parentum scelus punire. paruulis autem bene hac morte consuluit, ne, si superstites manerent, patrissarent, itaque æternis ignibus addicerentur.

Omnes Sodomitæ impœnitentes, ideoq; damnati. Quæres, an aliqui Sodomitæ, videntes suas flammas, in morte pœnituerint, sintque saluati? Asserit S. Hieron. sed communiter alij passim putant omnes in impietate esse mortuos esseque damnatos: versabantur enim in flagranti crimine eiusdem noctis, qua duos angelos ad stuprum appetierant, v. 2. Adde, subita flamma eos corripuit & obstupefecit, vt nec sensum nec tempus haberent pœnitendi. Secùs fuit in diluuio, quod sensim & lentè increscens, spatium dedit pœnitentiæ. ita Tostatus, Pererius, & alij, & indicat S. Iudas sua epist. v. 7.

CVNCTA TERRÆ VIRENTIA] Nota hic insignem libidinis Sodomiticæ vltionem. Pentapolis antea fertilis erat & amœna, instar paradisi; post peccatum & cælestem conflagrationem, tota effecta est squalida & putida: nam pars extima mansit cremata & cinerulenta. hic natæ arbores pulchra dant poma, sed si ea tangas, in fauillam vertuntur: reliqua interior pars putidissimis & crassissimis aquis è terra erumpentibus tecta, quibus passim innatant moles bituminis, quas putei, quibus vallis hæc erat plena, ex imo euomuere; vnde hic lacus dictus est Asphaltites; &, quia pisces non fert, nec aliquid viuum, dicitur mare mortuum, & à salsedine salsissimum, à loco verò campestri & deserto dicitur mare solitudinis, quod per 72. milliaria in longum, & per sex in latum excurrit. influit in hunc lacum Iordanis, & pisces cum eo, qui mox vt lacum ingrediuntur, emoriuntur. Si quod verò animal viuum, putà equus, bos, homo in eum injiciatur, supernatat, nec mergitur. ita Tertull. in carm. de Sodoma, Iosephus, Orosius, Tacitus, Solinus, Plinius, & alij, vbi agunt de Asphaltite. *Mare mortuum quale.*

Addit Philo lib. de Abraham, mare hoc, siue lacum continuum fumum & sulphur, quasi reliquias huius incendij, exhalare. Et Borchardus oculatus testis in Descriptione terræ sanctæ, Mare mortuum, inquit, semper est fumans & tenebrosum, sicut ego oculis meis vidi, vt videatur esse os inferni; adeò tetrum vaporem fumat, vt vicina ad mediam diætam, scilicet ad quinque vel sex leucas, sterilia reddat, ita vt ne germen quidem producant. Quin & Sapiens Sap. 10. v. 7. *In testimonium*, inquit, *nequitia fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore* (intempestiuos, immaturos, imperfectos, euanidos) *fructus habentes arbores.*

Si hæc in Sodomis facta sunt, quid fiet in gehenna? Videte mortales, videte carnales exemplum & typum vestrum, 2. Petri 2. v. 6. *Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.* Quis ex vobis habitare poterit cum igne deuorante (corpora & animas?) habitare cum ardoribus sempiternis? hoc igne, ignisque meditatione suffocate ignem concupiscentiæ vestræ. Nam omnes ignes, omnesque pœnæ huius mundi respectu ignis & cruciatus inferni, sunt tantùm quasi ignis pictus ad verum & magnum ignem, ait S. Polycarpus presbyter in Vita S. Sebastiani. *Ignis noster est quasi ignis pictus respectu ignis inferni.*

Nota. Hoc Pentapoli excidium & incendium contigit præcisè anno vno ante natiuitatem Isaac, quæ contigit anno Abrahæ centesimo. Id patet. nam angeli qui subuerterunt Sodomam, pridie pranderant apud Abraham, eique promiserant Isaac sequenti anno nasciturum c. 18. v. 10. indeque eodem die iuerunt Sodomam, vespereque excepti sunt à Lot; cùm nocte sequenti inuaserunt eos Sodomitæ, ideoque summo manè ab ijsdem angelis cremata est Sodoma. Vnde sequitur Sodomæ incendium contigisse anno Abrahæ 99. cùm ergo Abraham natus sit anno à diluuio 292. adde annos 99. vitæ Abrahæ, habebis annum 391. à diluuio, quo contigit hoc Sodomæ excidium, qui fuit annus mundi 2047. ante plagas verò Ægypti, & egressum Hebræorum ex Ægypto fuit hic annus 406. *Incendium Sodomæ contigit anno Abrahæ 99. mundi 2047.*

RESPICIENSQVE VXOR EIVS POST SE] Id factum est iuxta vrbem Segor, quò eam cum Lot & filiabus deduxere angeli, quasi in tutum; & inde mox Dei vltionem in Sodomam executi sunt, pluendo in eam sulphur & ignem. VERS. 26.

Respexit autem, excita strepitu ignis & sulphuris pluuij, & clamore pereuntium; partim ex timore, ne & ipsam flamma corriperet, partim ex curiositate, partim ex dolore rerum amissarum & ciuium suorum, patriæque suæ conflagrantis. Punitur ergo, quia inobediens fuit & incredula, vt ait Sap. c. 10. 7. non enim credidit quidquam referre ad incolumitatem & salutem suam, si respiceret retrò nec ne. vnde Dionys. Carthus. censet eam peccasse mortaliter. Alij tamen venialem hanc fuisse culpam opinantur; tum quia nimio metu perculsa respexit; tum quia non respicere leuis illi videbatur res & materia; proinde non putabat hoc præcipi & obligare sub peccato mortali: punita tamen fuit, quia Deus volebat eam statuere alijs in exemplum, vti mox dicam. simili enim modo ad exemplum aliorum, puniuit Deus morte Prophetam illum, cuius historia narratur 3. Reg. 13. ob inobedientiam tantùm venialem, vt videtur. *Quale peccatum vxoris Lot respicientis.*

VERSA EST IN STATVAM SALIS] Vatabl. vertit, *versa est in statuam perpetuam*; sic Num. 18. 19. vocatur pactum salis, id est perpetuum. Verùm hoc satis improprium & alienum est: vnde passim alij censent eam propriè versam esse in statuam salis, nec de eo dubitare licet.

Nota Primò. Statua hæc fuit effigie muliebri. Fuit enim statua vxoris Lot, cuius proinde formam ipsa statua retinuit.

Secundò, sal hoc videtur fuisse metallicum, quod pluuiæ resistit, & ædificijs soliditate sua est vtile, de quo Plinius lib. 31. cap. 7. nam hæc statua durauit ad multa sæcula. Audi Tertull. in carm. de Sodoma:

Ipsaque imago sibi formam sine corpore seruans
Durat adhuc, numquam pluuijs, nec diruta ventis: *Mira de statua vxoris Lot.*

Quin

Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Vbi Nota τὸ *viuens*, non quòd verè viuat hæc statua, sed quòd viuentis more quasi menstrua quædam effundat. quod æquè mirum est, atque alterum quod asserit hic Tertull. statuam hanc, si à quopiam mutiletur, mox hoc mutilum quasi vulnus suum sarcire & implere. Horum fides sit penes Tertullianum.

Quin & Borchardus, qui vixit abhinc trecentis annis, testatur statuam hanc sua ætate adhuc extitisse, inter Engaddi & mare mortuum, eamque etiamnum extare docet Adrichomius. Quin & Targum Hierosolymitanum addit, statuam hanc duraturam vsque ad diem resurrectionis & iudicij. Hinc de hac statua salis vxoris Lot est ænigma:

Cadauer, nec habet suum sepulchrum;
Sepulchrum, nec habet suum cadauer:
Sepulchrum tamen & cadauer intus.

quia scilicet ipsa sibi cadauer est & sepulchrum.

Cur versa in statuam salis? Resp. Hebr. fabulosa. Quæres, Cur vxor Lot versa est in statuam salis? Respondent Hebræi apud Lyran. eò quòd vespere præcedente, cùm Lot angelos exciperet in cœna, non apposuerit sal, quo cibi condiri solent: idque ex gentilitio hospitum & hospitalitatis odio, Sodomitæ enim erant inhospitales. Verùm hæc est Iudaica fabula & figmentum.

Resp. vera. Dico ergo, versa est vxor Lot in statuam salis, ad hoc vt esset quasi marmor & monumentum perenne diuinæ castigationis, quo posteri doceantur Deo per omnia obedire & seruire, nec retrospicere, vt bonis cœptis desistant, ac repetant mundi & carnis oblectamenta. nam sal sua siccitate memoriæ prodest, & corpora à corruptione conseruat: metallicum verò solidum est; vnde symbolum est æternitatis & memoriæ æternæ. hinc pactum salis vocatur pactum æternum.

Hinc Tropolog. S. Prosper l. 1. de Prædict. & promiss. c. 16. *Vxor, ait, Lot salis statua effecta, suo exemplo fatuos condiuit, in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxia curiositate retrò non debere respicere.* his enim ait Christus Lucæ 17. 31. *Mementote vxoris Lot.* Sic & S. August. in psal. 75. hæc adaptat apostatis, qui votum castitatis infringunt.

An anima vxoris Lot etiam versa in statuam? Quæres Secundò, an vxoris Lot corpus solum, an verò etiam anima interierit, & versa sit in statuam salis? Animam cum corpore esse conuersam in statuam, suadere videtur Primò, quòd absolutè hic miro & inaudito modo vxor dicatur conuersa in statuam: vxor autem constat tam, imò magis, anima, quàm corpore. Secundo, quia id videtur dicere Sapiens Sap. 10. v. 7. cùm ait, *Incredibilis* (incredulæ) *anima memoria stans figmentum salis.*

Respon. negatiuè. Prob. Primò. Verùm Respondeo & dico, solum corpus versum esse in statuam: hæc enim conuersio fuit mors vxoris Lot: in morte autem anima non interit, sed solum corpus commutatur in cadauer, & inde in terram. *Secundò.* Secundò, quia anima est incorporea; ergo non potuit propriè transmutari in corpus, putà in statuam. *Tertiò.* Tertiò, anima est immortalis, ergo interire & commutari nequit. Et cur quæso per miraculum, & contra naturam Deus eam fecisset hic mortalem, imò reipsa mori, cùm idipsum hominibus ad exemplum non prosit? ad hoc enim sufficit corpus visibile conuerti in statuam visibilem. Hæc ergo à Sapiente vocatur incredulæ ani-

A mæ, id est hominis, monumentum. nam alioqui nec anima, nec animæ, sed tantùm corporis in statuam conuersio videri potest. Itaque anima huius vxoris, corpore conuerso in statuam, superstes mansit, atque iuit ad infernum, aut potiùs Purgatorium: videtur enim hæc eius retrospectio venialis tantùm fuisse culpa, vt dixi.

CVM DOMINO] cum tertio illo angelo de quo c. 18. 23. qui v. 33. ab Abrahamo iam discesserat. VERS. 27.

FAVILLAM] fumum flammæ & fauillæ mixtum. ita Hebr. Chald. & Septuag. Spectabat enim Abraham ipsum Sodomæ incendium. VERS. 28.

RECORDATVS EST ABRAHÆ] ne perderet iustum Lot, nepotem Abrahæ, cum impijs Sodomitis, ob merita & preces Abrahæ qui orauerat dicens: *Ne perdas iustum cum impio* c. 18. 23. VERS. 29.

ASCENDITQVE ET MANSIT IN MONTE] Angelus vetuerat tantùm ne in via respicerent retrò: VERS. 30.
B cùm ergo ex via in Segor peruenit Lot, respexit, vidensque horribilem illam ignis & sulphuris pluuiam, ac longè lateque populans incendium; consternatus, immemor sui & promissionis angelicæ, quasi in Segor necdum satis esset tutus, ex Segor profugit ad montana.

NVLLVS VIRORVM REMANSIT IN TERRA] Censet Origen. filias Lot traditionem à patre accepisse, mundum, vti olim diluuio perierat, ita secundò periturum incendio: vnde nimius timor & horror incendij huius Sodomitici impulit eas, vt totum orbem conflagrasse putarent; & hic error, quem tamen vel patre, vel tempore docente deponere poterant & debebant, impulit eas ad incestum, non libido. vide S. August. libr. 22. contra Faustum c. 12. & 43. VERS. 31.

Nota. Ioseph. S. Chrysost. Theod. Ambros. has
C filias Lot à peccato excusant, idque ex duplici capite. Primò, ex ignorantia earum inuincibili; Secundò, quòd tali casu quo illæ solæ cum patre fuissent superstites, licita erat earum cum patre commistio, ad seruandum genus humanum, ait Ambros. lib. 1. de Abraham c. 6. sic enim Eua, quæ ex Adami costa est facta, itaque Adæ fuit quasi filia, eiusdem tamen fuit vxor; quia hæc erat tunc sola in mundo femina.

Verùm contrarium docet S. Augustinus & communiter Theologi. Primò, ignorantia hæc & error filiarum erat vincibilis, vti dixi. Secundò, concubitus filiæ cum patre est contra omnem naturæ pudorem, vnde nullo casu aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset, eumque concedat.

Moraliter rectè notat Lipomanus, cohabita-
D tionem feminarum cum viris, licet eis sint sanguine iunctæ, numquam carere periculo. Vnde S. Augustinus nec neptes, nec sorores in domum suam admisit.

BIBERE VINVM] quod in Segor emerant, & inde cum victualibus cæteris, ad aliquot dierum victum asportarant. *Peccauit Lot,* ait S. August. l. 22. contra Faustum cap. 44. *non quantum meretur incestus* (quem ebrius & sui impos præter omnem opinionem & suspicionem admisit) *sed illa ebrietas.* hęc autem tantùm videtur fuisse venialis. ita Theod. S. Chrysost. Perer. Planè enim consternatus, & ob coniugis bonorumque omnium amissionem, tristissimus erat Lot, ideoque paulò largiùs bibit ad leniendam mœstitiam non tamen ita, vt putaret se temulentum fore. Sed vinum ipsi fortè insuetum, aut solito potentius, mox cerebrum labore & mœ- VERS. 33. *Ebrietas Lot fuit venialis peccatum.*

rore debilitatum occupauit & oppressit; tristes enim ilicò capiuntur vino.

Non sensit] Fuit aliquis sensus in Lot, vt patet; sed confusus, sopitus & perturbatus, qualis esse solet in dormientibus, maximè semisopitis & semiuigilantibus. ita Caiet. In particulari ergo non sensit, nec agnouit Lot filiam, eiusque accessum & recessum.

Vers. 35. Dedervnt etiam et illa nocte patri svo bibere vinvm] Hæc secunda ebrietas Lot maius peccatum fuit priori. quia ex priori expertus iam vini potentiam, suamque temulentiam, sapere debuisset & cauere, sibique temperare à vino, ne in secundam incideret. Sed quis, præsertim ita afflictus, per omnia tam prouidus est?

Vers. 37. Moab] *Moab* dicitur quasi מאב *Meab*, id est, ex patre. q d. Hunc filium genui ex patre meo; vt idem sit illi pater & auus. impudens fuit hæc filia in congressu cum patre; impudentior in nomine prolis, quo crimen suum publicat.

Vers. 38. Ammon] Hebraicè בֶּן עַמִּי *ben ammi*, id est filius populi, vel, vt Septuag generis mei, quem scilicet ex meo genere & gente, ex mea cognatione & parentela, putà ex patre, suscepi q d. Filius hic meus non generatus est ab impijs Sodomitis, inter quos vixi, sed totus est ex meo populo & gente, natus nimirum ex parentis satu filiæque conceptu. Voluit Deus in filijs manere incestus huius paterni tam infamis memoriam, vt Hebræi eorum connubijs prætextu cognationis, se non contaminarent. ita Theodor.

Quare appositè *S. Paula terram sanctam peragrans, cùm ad Segor siue Zoaram venisset, recordabatur speluncæ Lot, & versa in lachrymas virgines socias admonebat, cauendum esse vinum in quo est luxuria, cuius opus Moabitæ sunt & Ammonitæ.* vti refert S. Hieron. in eius Vita.

Ebrietas quid? Vide hîc quid sit ebrietas, etiam inuoluntaria, & in quæ absurda hominem adigat.

Quid ergo est ebrietas voluntaria? in quæ mala adigit! quàm multis fuit funesta!

Quid est ebrietas? Audi S. Basilium homil in ebrietatem, *est dæmon voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperante facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Quid, quæso, sunt ebrij aliud, quam gentium idola: oculos habent, & non vident.*

Quid est ebrietas? Audi S. Ambros. de Elia & ieiunio c. 16. *Est fomentum libidinis, incentiuum insaniæ, venenum insipientiæ Per hanc homines vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt.*

Quid est ebrietas? *Est homo nec mortuus, nec viuus*, ait S Hieron. in cap. 5. ad Galat.

Quid est ebrius? *Est dæmon voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. vbi ebrietas, illic diabolus, ibi turpia verba; vbi saturitas, illic dæmones choreas agunt*, inquit S. Chrysost. homil. 57. ad popul Rursum homil. 58. in Matth. *Quanto melior asinus ebrioso est? quanto canis præstantior? Omnes certè bestiæ, cùm bibunt aut comedunt, vltrà quam satis est non sumunt, etiamsi mille homines cogerent.*

Quid est ebrietas? *Est voluntaria insania*, ait Seneca epist 83.

Ebrietatis effectus. Secundò, vis scire effectus ebrietatis? Primò, iram Dei prouocat. Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam.* Prou. 23 *Cui væ, cui rixa, cui fouea, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum, nónne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Secundò, mentem eripit. Prou. 23. 31. *Ne intuearis vinum, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber.* Osee 4. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Tertiò, luxuriam inflammat, vt patet hîc in Lot. Prou 20. 1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Ephes 5. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Quartò, iacturam facit vitæ & fortunarum. Eccli. 37. 34. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adijciet vitam.* & c 19. 1. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Quintò, tollit erubescentiam, qua sublata homo erumpit in verba spurca, litigiosa, rixosa, &c. quin & verbera ac cædes. Sextò proprium hoc habet, quòd peccatorem constituat in periculo certo & ineuitabili damnationis æternæ: alij enim peccatores, si ingruat mors, pœnitent, cùm sint rationis compotes, & Sacramentis expiantur: solus ebrius nec pœnitentiæ, nec Sacramentorum est capax, vt, si lædatur, vel catarrho suffocetur, certo certiùs damnetur. hinc ait Paulus 1. Corinth. 6. v. 10. & Galat 5. v. 21. quòd ebriosi regnum Dei non possidebunt.

Exempla. Tertiò, vis exempla? Lot, quem Sodoma non vicit, ebrius geminum commisit incestum. Noë vir perfectus, ebrius nudatus & à filio illusus est. Samson repletus vino per Dalilam hostibus traditus est. Holopherni ebrio caput à Iudith resectum est. Filij Iob dum vinum bibunt, ruina domus oppressi sunt. Herodes inter pocula caput Ioanni Baptistæ præcidi iussit. Diues Epulo ob excessum in potu, ne guttulam quidem aquæ post hanc vitam habere meruit, ait S. Chrysost. Alexander ebrius Clytum charissimum occidit, quin & seipsum Herculeano scypho. Balsasar monarcha vltimus Babyloniorum temulentus vidit manum scribentem, *mane, tekel, phares*: & eadem nocte à Cyro regno & vita spoliatus est. Cogitet ebrius sibi eamdem sententiam à Deo ferri; *mane*, numerati & succisi sunt dies vitæ tuæ, breui, & fortè hac die, hac hora morieris; *tekel*, appensus es, & inuentus es minus habens, minus sobrietatis & virtutis quia grauis es vino & vitijs; *phares*, diuisus es, corpus tuum quod ita saginasti, dabitur vermibus in epulum, anima dabitur dæmonibus in ludibrium & tormentum.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abraha in Geraris à rege abripitur vxor, hinc à Deo v. 3. punitur & increpatur rex, qui v. 9. cum Abraham expostulat quòd eam sororem vocarit. ac tandem v. 17. orante pro eo Abraham sanatur.

1. Pro-

1\. PRofectus inde Abraham in terram Australem, habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Geraris. 2. Dixitq; de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. 3. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. 4. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait, Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? 5. Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est: & ipsa ait, Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum, feci hoc. 6. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quòd simplici corde feceris: & ideo custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam. 7. Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia propheta est, & orabit pro te, & viues: si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt. 8. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valdè. 9. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. 10. Rursumque expostulans, ait: Quid vidisti, vt hoc faceres? 11. Respondit Abraham: Cogitaui mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me propter vxorem meam: 12. aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. 13. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim. 14. Tulit igitur Abimelech oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abraham: redditque illi Saram vxorem suam, 15. & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit habita. 16. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris mementoq; te deprehensam. 17. Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech & vxorem, ancillasq; eius, & pepererunt: 18. concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

VERS.1. PROFECTVS INDE ABRAHAM] Ex Mambre, vt patet c.18.v.1. profectus est in Geraram: Primò, ob cladem recentem Sodomæ, vt scilicet longiùs abesset à Sodomis & mari mortuo, quod suo fumo vicinis locis sterilitatem & pestem afflabat.

Secundò, quia Deus volebat eum in Chanaan esse peregrinum, & assiduè peregrinari, vt doceret nos in hac vita esse peregrinos, & tendere ad cælum, Hebr 11.v.10.

Tertiò, vt varijs locis & gentibus prodesset sua doctrina, pietate, & vitæ exemplo, atque vndique spargeret veræ religionis & virtutis semina. ita Chrysostomus.

VERS.2. TVLIT EAM] vt coniugem eam duceret. erat Sara iam nonagenaria: vnde mirum alicui videatur, illam ea ætate tanta fuisse pulchritudine, vt à rege appeteretur. Verùm nonagenarij tunc erant similes nostris quadragenarijs, vel quinquagenarijs, qua ætate nonnulli robusti pristinam adhuc seruant pulchritudinem. Addit Procop. diuinitus cum fœcunditate Saræ restauratam fuisse pristinam pulchritudinem.

Adiuuit hanc Saræ pulchritudinem, quòd ipsa valdè bono erat temperamento, quòd numquam pepererat, quòd numquam lactauerat, quodque, vt Tornielius & alij putant, multis antea annis, scilicet ex quo sterilem se esse certò intellexit, copula coniugali abstinuit, vti colligitur c.18. v.12. hæc enim vires & pulchritudinem conseruant: sicuti è contrario, debilis complexio, crebri partus, lactationes longæ, frequens copulæ vsus, vires eneruant, rugas & senium accelerant.

Nota. Sara paucis diebus post angelorum ab Abrahamo discessum concepit Isaac, simulque cum Abraham iuit in Geraram, vbi statim Abimelech eam sibi tulit, ideoque à Deo mox flagellatus est, vt patet v.17. sterilitate communi & morbo grauissimo, sed medicis ignoto; itaque impeditus fuit ne Sara abuteretur, desperata medicorum ope Deus in somnis illi apparuit, iussitque Saram reddi. ita Iosephus.

PER SOMNIVM] Hinc patet, dormienti Abimelech hanc visionem in imaginatione obiectam esse: angelus enim in ea hæc verba Dei loquentis, & Abimelech respondentis ita efformauit, vt rex omnino videretur sibi cum Deo colloqui. VERS.3.

EN MORIERIS] scilicet, nisi iam sciens coniugatam, marito eam reddas, vt patet v 7.

IN SIMPLICITATE] simplici, innocenti, recto & sincero animo. simplex enim in Scriptura vocatur rectus, sincerus, innoxius, qui nulli est iniurius. VERS.5.

ET EGO SCIO] te innoxium ab adulterio, sed non ab iniuria. tulisti enim inuitam pro tuo imperio, ideoque puniui te v.17. VERS.6.

NE PECCARES] ne vel inscius mœchareris, essesque materialiter saltem adulter.

NON DIMISI] morbo impediui v.17.

ORABIT] & exorabit, vt cesset ista plaga tua. VERS.7.

QVIA PROPHETA EST] quia vir sanctus est, cum quo Deus familiariter agit & loquitur. Secundò, propriè propheta fuit Abraham: multa enim futura prænouit, vti nasciturum sibi Isaac, & ex eo Christum, posterosque suos quarta generatione obtenturos Chananæam, euertendam Sodomam, &c. Septem vocis *propheta* significationes assignaui 1.Corinth.14.initio.

STATIMQVE DE NOCTE] summo manè, vt habent Hebræa, Chaldæa, & Septuag. VERS.8.

SVPER REGNVM MEVM] Solet enim Deus regna ob peccata regum punire; quia populus est aliquid principis, & quasi principis pars, siue membrum politicum. ita Abulensis. VERS.9.

Q 4 INDV-

INDVXISTI SVPER ME PECCATVM GRANDE] A materiale adulterium. Dicendo enim Saram esse tuam sororem, non vxorem, dedisti mihi occasionem accipiendi eam in vxorem, quæ mihi non potest esse vxor, sed pellex & adultera. vulgus enim materiale peccatum vocat peccatum, putatque esse pœna dignum. Metuere etiam, & dubitare poterat Abimelech, an satis Abrahamum examinasset & inquisijsset, num Sara esset coniugata. Certè cupiditate aliqua peccasse videtur & licentia, vti solent reges nonnulli, præsertim pagani, imperiosè multa poscere, etiam coniuges & bona aliorum. Adde, fuisse aliquam formalem culpam in Abimelech, in eo quòd Saram inuitam abduxerit, vti dixi. Secundò, *peccatum grande*, id est grandem peccati mei iam dicti vltionem, pœnam, & plagam, vt patet v.17. ita Abulens. Deus enim subinde etiam ob materialia peccata homines punit, id est B castigat & affligit, vt ipsi, ac præsertim principes & Prælati, ea indagent & extirpent. ita fecit hic Deus cum Abimelech.

Deus punit etiam materialia peccata.

VERS.12. VERE SOROR MEA EST] q.d. Verè more gentis meæ, quæ neptes sorores, nepotes fratres vocat, vocaui Saram sororem meam, cùm neptis sit, vti dixi c.12.13 sic Abraham vocat Lot fratrem, id est nepotem suum, c.13.8.

Sara soror Abrahæ quo sensu.

Addit S.Chrysost. quòd omnes in familia Thare, ipsum Thare patrem vocabant, ac si omnes inter se fratres & sorores fuissent; maximè cùm mortuo Aran, patre Saræ & Lot, habuerunt Thare non solùm aui, sed & patris loco. Sic vulgò Flandri & Galli suos auos vocant magnos patres.

Quare non est verisimile, quod Caietan. & alij ex hoc loco astruunt, Saram propriè fuisse sororem Abrahæ, ex eodem proximo patre Thare, sed C alia matre genitam; nam iure naturæ illicitum & irritum est matrimonium in primo consanguinitatis gradu, non tantùm lineæ rectæ, sed & lateralis, putà inter fratrem & sororem. ita S. August. libr.22. contra Faustum cap.35. Et quis credat Abrahamum virum tam probum, prudentem & honestum, sororem suam in coniugem accepisse?

FILIA PATRIS MEI, ET NON FILIA MATRIS MEÆ] q d. Sara ex eodem patre Thare mecum, sed per aliam matrem descendit; vnde videtur, quòd Thare duas habuerit vxores, ex quarum vna natus est Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram & Lot.

Hinc patet, coniugium in secundo gradu collateralium, putà inter patruum & neptem, non planè vetari lege naturæ, & tum fuisse vsitatum; iam autè vetitum est lege positiua. ita S. August. suprà. D

VERS.13. POSTQVAM AVTEM EDVXIT ME DEVS] Hebraicè est, *cùm errare & instar erronis peregrinari* (hoc est enim Hebræum התעו *hitu*) *me fecerunt dij*, putà Deus vnus, sed in personis, trinus.

VERS.16. MILLE ARGENTEOS] scilicet siclos, vt vertit Chaldæus. nam, cùm in Scriptura ponitur argenteus vel aureus, intelligitur siclus, vti bene probat Mariana cap.6. de Ponderibus, & Delrio hic. iam mille sicli argentei sunt mille floreni Brabantici: siclus enim est florenus, siue 4. regales Hispanici. LXX. vertunt, mille didrachma, scilicet Hebraica: nam didrachmum Hebræum, siue siclus, continebat non duas, sed 4. drachmas Atticas, putà 4 regales, vti dixi.

FRATRI] quem vocas fratrem tuum, cùm sit maritus. Est ironia.

HOC ERIT TIBI IN VELAMEN OCVLORVM] id est in defensionem pudoris, &, vt Chaldæus vertit, in velamen honoris tui, quòd miserim tollere te mihi in sponsam, quodque honestè te habuerim, & intactam viro reddiderim: oculi enim sunt sedes pudoris. Alludit ad ritum veterum; sponsæ enim cùm nuptui dabantur, ob pudorem obnubebant velo, quod flammeum dicebatur, vel pallio caput, vti fecit Rebecca, Genes. 24.65. Vide Alexand. ab Alex. l.2. Genial. c.5. vide etiam dicta 1.Cor 11.v.5.& seq.

Flammeũ nuptiarum velum.

Sensus ergo est, vt rectè Delrio, q.d. En ego quasi paranymphus, & nouantiqui matrimonij auspex, te viro vxorem in manum do; Caio Caiam: quia & dotem superaddo siclos mille. Illud sit tibi loco flammei, quin & ijs flammeum eme si voles; hoc noua nupta pudorem tum nuptiarum, tum mendacij tui, tum suspicionum quarumlibet de me & te obnube: facilè enim omnes intelligent, te castè à me habitam, ex eo quòd tam solemniter & honorificè à me sis viro reddita.

Secundò, Hamerus sic explicat: Dedi tibi mille argenteos, vt emas tibi tuisque ancillis velamen vultus, ad operiendam pulchritudinem, ne sit ea alijs vt mihi fuit, illecebra & irritamentum libidinis. q.d. Noli quasi innupta aperto capite, vti antè fecisti, incedere; sed quasi nupta illud obnube & vela.

Tertiò, Caietan vertit, non *hoc*, sed *hic*, scilicet Abraham maritus tuus, erit velamen oculorum omnibus ad concupiscendum te in vxorem. q.d. Nemo qui nouerit hunc esse maritum tuum, etsi videat te esse pulcherrimam, audebit te concupiscere & sumere in vxorem. Abraham enim, vt pote maritus, omnibus velabit & claudet oculos, spem & mentem coniugij. Sed primus sensus magis est genuinus.

MEMENTO TE ESSE DEPREHENSAM] Lipom. vult corrigendum esse, *reprehensam*. sic enim habent Hebræa & Chaldæa. Sed reprehensa fuit Sara hoc ipso, quo deprehensa, & verbis istis quasi sale aspersa. q d. Deinceps noli vti hac dissimulatione & dolo, vt maritum voces fratrem tuum, ne te probri, alios peccati periculo exponas. vnde Septuag. vertunt, *in cunctis esto veridica*.

CONCLVSERAT ENIM DOMINVS OMNEM VVLVAM DOMVS ABIMELECH] ne possent mulieres fœtum concipere, vel antè conceptum edere & parere; ex quo necesse erat grauidas acerbissimis doloribus excruciari. q.d Fecit Deus omnes steriles. Addit Iosephus, Abimelech adeò graui morbo percussum à Deo, vt medici de eius vita desperarent. Hoc etiam innuit Script. cùm ait: *Orante autem Abraham* (vide, ait S. Chrysostomus, quid valeant preces iusti apud Deum) *sanauit Deus Abimelech*. Addunt & alij apud Pererium, eum ingenti cruciatu in verendis afflictum fuisse. VERS.18.

Non peccarat, vel certè parum peccarat Abimelech, vt patet v.4. & 6. itaque pœna hæc non illi tam pœna fuit, quàm frænum ne Saram tangeret; & stimulus, qui eum cogeret, vt statim Saram redderet Abrahæ.

Ex hoc cap. liquet, tunc gentes aliquas, putà Gerraritas, coluisse vnum verum Deum. cum enim colebat eorum rex Abimelech, vir pius & probus, vt colligitur Primò, ex eo, quòd Saram noluit vxorem, nisi audiens esse sororem Abrahæ, putansque esse innuptam: mox verò vt nuptam sciuit,

reddi-

reddidit. Secundò, quia v.4. se & suos vocat *gentem iustam*. Tertiò, quia cum Deo familiariter colloquebatur, v.3. Deusque eius excusationem acceptauit, v.6. Quartò, quia v.10. expostulans cum Abraham dicit: *Quid vidisti* (impietatis in gente mea) *vt hoc faceres?* Quintò, quia v.14. Abraham liberaliter habuit, eumque inuitauit vt secum habitaret.

Talis fuit quoque Melchisedec rex Salem, &, vt videtur, eius ciues, cap. 14. item Hebronitæ, cap.23. Talis fuit & Iob cum suis Hussitis. ita Theodor. & alij. Præter Abraham ergo eiusque posteros, erant tunc alij princi- A pes & populi colentes & timentes Deum verum.

Moral. S.Chrysost. homil.45. notat quàm iustus, v.g. Abraham, sit Deo cordi & curæ, vt, quia in eum confidit, ipsum non tantùm à morte liberet, sed & gloriosum diuitemque repentè efficiat. *In hunc enim modum*, inquit, *solet Deus agere: non solùm à tristibus liberat eos, qui fortiter se gerunt in periculis in qua incidunt, sed & tantam in aduersis prabet lætitiam, vt in eorum obliuionem omnino veniant, & in multa sint bonorum affluentia.* Et inferiùs: *Nam semper omnia ita facit & tractat, & singula dispensat, vt qui sibi seruiunt quasi luminaria reluceant, & eorum virtutem vbique manifestam faciat.*

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nascitur, circumciditur, & ablactatur Isaac. Secundò, v.10. Ismael & Agar domo Abraha pelluntur: eos in deserto solatur angelus. Tertiò, v.22. Abraham init fœdus cum Abimelech.

1. VIsitauit autem Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est.
2. Concepitq; & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei
Deus. 3. Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac: 4. &
circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, 5. cùm centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac. 6. Dixitque Sara: Risum fecit mihi
Deus: quicumque audierit, corridebit mihi. 7. Rursumque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni? 8. Creuit igitur
puer, & ablactatus est: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.
9. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad
Abraham: 10. Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ
cum filio meo Isaac. 11. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo. 12. Cui dixit
Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quæ dixerit
tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen. 13. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. 14. Surrexit itaque Abraham
manè, & tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditq; puerum, & dimisit eam. Quæ cùm abijsset, errabat in solitudine Bersabëe. 15. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant. 16. Et
abijt, seditque è regione procul quantum potest arcus iácere. dixit enim: Non videbo
morientem puerum: & sedens contrà, leuauit vocem suam, & fleuit. 17. Exaudiuit
autem Deus vocem pueri: vocauitque angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est: 18. Surge,
tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. 19. Aperuitque oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditque
puero bibere. 20. Et fuit cum eo: qui creuit, & moratus est in solitudine, factusque
est iuuenis sagittarius. 21. Habitauitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua
vxorem de terra Ægypti. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps
exercitus eius, ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis. 23. Iura ergo per
Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed iuxta misericordiam, quam
feci tibi, facies mihi, & terræ in qua versatus es aduena. 24. Dixitque Abraham:
Ego iurabo. 25. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant serui eius. 26. Respondítque Abimelech: Nesciui quis fecerit hanc rem: sed &
tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie. 27. Tulit itaque Abraham
oues & boues, & dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. 28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. 29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? 30. At ille: Septem, inquit, agnas accipies
de manu mea: vt sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. 31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabëe: quia ibi vterque iurauit. 32. Et inierunt fœdus
pro puteo iuramenti. 33. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus
eius, reuersique sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò plantauit nemus in Bersabëe, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. 34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

VISI-

Vers. 1. VISITAVIT AVTEM DOMINVS SARAM] dando ei conceptum & prolem promissam. ita Rupertus. Secundò, post conceptum & natum Isaac, angelus Dei vicarius visitauit corporali forma Saram, vt ei de prole gratularetur, iuxta id quod promiserat c.18. dicens: *Reuertens veniam ad te tempore isto,& habebit filium Sara.*

Vers. 2. IN SENECTVTE SVA] *Sua*, id est eius, scilicet Abrahami est hebraismus: Hebræa enim sic habent, *peperit Sara Abrahamo filium in senectute eius*, vel *pro senectute eius*; qui scilicet seni Abrahæ esset consolationi & voluptati. Adde, Hebræi dicunt prolem nasci patri, non matri; quia proles, patris est heres, patrisque nomen & familiam propagat, non matris.

Vers. 3. VOCAVITQVE ABRAHAM NOMEN FILII SVI, &c. ISAAC] quia scilicet Isaac hebr. idem est quod risus. Isaac enim fuit risus gaudiumque senis Abrahæ & sterilis Saræ, adeoque totius orbis: nam ex eo nasciturus erat Christus. Vnde v.6. ait Sara: *Risum, fecit mihi Dominus, quicumque audierit corridebit mihi.* Hinc Alleg. S. Ambros. l. de Isaac cap.1. *Isaac, ait, ipso nomine figuram & gratiam signat. Isaac enim risus latinè significatur: risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignorat quòd is* (Christus) *vniuersorum lætitia sit, qui mortis formidolosæ vel pauore compresso, vel mærore sublato factus omnibus est remissio peccatorum? Itaque ille nominabatur, & iste designabatur: ille exprimebatur, & iste annuntiabatur.*

Vers. 5. CVM CENTVM ESSET ANNORVM] Refer hæc non ad *τὸ præceperat*, sed ad *τὸ circumcidit*. Circumcisus enim, vti & natus, est Isaac, anno Abrahæ centesimo.

Nota. Hoc tempore viuebat adhuc in Haran Thare, pater Abrahæ, & auus Isaac. Thare enim genuit Abraham anno ætatis suæ 70. cùm ergo Abraham centum erat annorum, genuitque Isaac, Thare erat 170 annorum. post hæc vixit adhuc Thare 35. annis; mortuus est enim anno ætatis suæ 205. Genes.11.v.32.

Tropol. S. Ambrosius l.1. de Abraham c.7. *Si fueris centenarius, id est perfectus, habebis posteritatem, lætitiam exultationis, hereditatem vitæ æternæ.* centenarius enim est numerus perfectionis, & Isaac risum & exultationem significat.

Vers. 6. RISVM FECIT MIHI DEVS] Chaldæus vertit, *gaudium fecit mihi Deus, omnis qui audierit congratulabitur mihi.* Sara typus fuit B. Mariæ parientis Christum, qui est desiderium & gaudium collium æternorum. vnde ipsa canit *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Vers. 7. QVIS AVDITVRVM CREDERET ABRAHAM] Hebraicè מי מלל *mi millel*, quis dixisset Abrahæ?

QVOD SARA LACTARET] Deus cum partu lac Saræ per miraculum restituit; quia volebat eam quasi matrem, per se, non per nutricē lactare Isaac.

Mor. matres debere lactare suas proles, cur. Discant hic matres, se debere per se suas proles nutrire & lactare: natura enim hoc illis onus imposuit. Hinc mammillas & vbera, veluti lagenulas quasdam ad proles nutriendas aptas, illis largita est. Et aliqui quidem putant esse peccatum mortale, absque causa per nutricem alere: meliùs tamen cum Nauarro in Enchirid. c.14. n.17. dicendum existimamus, tantùm esse veniale; ratione tamen aliquarum circumstantiarum grauius peccatum esse potest. Si autem id fiat subsistente causa legitima, nullum peccatum erit. Peccant ergo illæ

A matres, quæ absque iusta causa & necessitate, filios alere dedignantur: & illæ adhuc grauiùs, quæ absque delectu quibusuis ferè nutricibus tradunt, sæpè incognitis, infirmis, &c. ex qua re multa mala oriuntur: nam præter id, quòd aliquando alij filij supponuntur,

Primò, infans vel non viuit, vel debilior viuit; quia lac sugere compellitur naturæ suæ non conforme: qui si ex eodem corpore, ex quo genitus est, pastus esset, ac materni corporis calore fotus, robustus euaderet, meliorisque ingenij & indolis. Vide Plinium lib.28. c.9. vbi scribit lac maternum esse vtilissimum, & naturæ prolis conuenientissimum. Vide etiam apud A. Gellium l.12. Noct. Att. c.1. orat. Phauorini Philosophi, in qua plurima incommoda enumerantur, quæ ex tali educatione per lac aliarum promanant. Quod verissimum esse ex eo constat, quòd hœdis, si ouium lacte alantur, pili teneriores gignentur; & agnis, si caprarum, lana existet durior: imò arbores si transplantentur ex loco suo naturali, ex humore quem radices transplantatæ attrahunt, sæpè vel mutantur, vel pereunt. Si ergò nutrices fuerint rusticæ, si improbæ, si impudicæ, si iracundæ, si temulentæ, si crudeles, si fortè etiam lepra, aut alio morbi genere infectæ, tales ferè proles existent. Sic Dido apud Virg. insectatur Æneam tamquam degenerem, vt qui à matre educatus non fuerit. Scribit Lampridius, Titum filium Vespasiani Imp. toto vitæ tempore aduersa valetudine laborasse, eò quòd à nutrice infirma lactatus esset; & pluribus alijs idem contigisse. De Tiberio quoque Cæsare fertur, quòd fuerit magnus potator, quia nutrix ipsius talis erat. *Prima causa.*

B

C Secundò, ex eo quòd filius non lactetur à propria matre, fit vt mater filium, & filius matrem minùs amet. Hinc D. Ambrosius lib. 1. de Abraham c.7. ex eo quòd Sara lactauerit filium, infert, Prouocantur feminæ meminisse dignitatis suæ, & alere filios suos: hæc enim matrum gratia, hic honos; denique, inquit, eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactauerunt vberibus suis. Vnde naturalem parentum ac filiorum amorem maiorem videmus in communi plebe, quàm in familijs nobilium: quoniam ferè nobiles feminæ infantes suos per nutrices lactare curant, & eos sæpè nec vident, nec ab eis videntur ante annum vel alterum. *Secunda.*

Tertiò, S. Basil. homil.9. Hexam. ostendit nullum feræ genus esse, quod alteri proles alendas committat, tametsi sæuissimum & crudelissimum. Videmus, inquit, vt in ouium copioso grege è stabulis exsiliens agnus, matris suæ continuò percipiat vocem, ad eamque properet, atque lactis fontes proprios rectà petat, & mater inter innumeros agnos internoscat proprium. lupi, leones, tigrides, ac ceteræ feræ immanes ita suos fouent fœtus, vt ferè semper in sinu, vel ad mammillas habeant. Aues sæpè 5. 6. 7. & 8. & plures sub alis habent, & licet nec lac ipsis natura impertiuerit, nec grana habeant, nec alia semina vnde suos pullos alant, tamen curam adhibent, vt ipsis necessaria subministrent; imò quod magis est admirandū, tantum est in ipsis feris & auibus nutriendi & incubandi desiderium, vt subinde pro hoc officio mas & femella contendant, vt patet in cycnis & vrsis, alioqui feris animalibus, quæ etiam catulos informes lambendo formant. Et ita soli homines à matribus deseruntur, & nutricibus, nescio quibus, exponuntur. *Tertia.* D

Pudeat

Pudeat ergo eas, quòd à brutis animantibus in officio caritatis superentur; & imitentur sanctas mulieres quæ proprio lacte filios aluerunt, vt Sara Isaac, Rebecca Iacob, Anna Samuelem; & mater illa nobilis septem fratrum Machabæorum, 2. Machab. 7. ac ipsa Dei genitrix filium suum Christum Dominum. D. quoque August. in lib. Confess. fatetur se cum matris lacte, Dei honorem & venerationem hausisse. Ex quibus omnibus sequitur, prauam consuetudinem, præter ipsam naturam effecisse (sicut ait D. Gregor. ad interrog. Augustini Anglorum Episcopi c. 10.) vt mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque alijs mulieribus tradant. quod ex causa incontinentiæ videtur inuentum: quia dum se continere nolunt, lactare despiciunt quos gignunt.

VERS. 8. ABLACTATVS EST] Quod fiebat tum anno circiter quinto, vti iam fit tertio: præsertim si proles esset vnica, vniceque dilecta. quinquennis ergo fuit Isaac, cùm eum vexauit & persecutus est Ismael.

FECIT GRANDE CONVIVIVM IN DIE ABLACTATIONIS] Quia moris tum erat, ait Caietan. vt initium comedendi primogeniti, quasi iam per se viuere incipientis, & vitalis futuri, celebraretur communi conuiuij lætitia.

Secundò, vt conuiuæ, alijque passim viderent ex lacte Saræ, partum fuisse verum, non supposititium, nec subuentaneum, ait S. Chrysost.

Tropolog. S. Augustin. & Rupert. Ingens, inquiunt, est gaudium, cùm homo non lacte, sed solido sapientiæ & virtutis cibo vescitur.

VERS. 9. LVDENTEM] irridentem, subsannantem, vexantem, imò persequentem Isaac, vti explicat Apostolus Galat. 4. 29. Sic duellum Ioab cum Abner vocatur lusus 2. Reg. 2. 14. *Surgant*, inquit, *pueri, & ludant*, id est duellent. sic canes ludunt cum felibus, & feles cum muribus.

Lusus Ismael cum Isaac qualis

Causa cur Ismael illuserit & vexauerit Isaacum, videtur fuisse inuidia conuiuij tam solemnis (quod fecit Abraham in ablactatione Isaac) & primogenituræ ac promissionis de semine benedicto, ex Isaac nascituro: hæc enim sibi potiùs, vtpote primogenito, & 12. annis seniori, quàm Isaac, deberi putabat Ismael. ita S. Hieron. & alij.

Porrò, iure non tantùm in Ismaelem, sed etiam in matrem eius Agar, excanduit Sara, eò quòd ipsa filij sannas & petulantiam non compesceret.

VERS. 10. EIICE ANCILLAM] Dixit hæc Sara mota à Deo, vt colligitur v. 12. prudenti enim & præsago spiritu timebat, ne Ismael, qui tam citò suum vexabat Isaac, deinceps crescentibus odijs eum supplantaret, vel opprimeret; voluit ergo eum separari, & domo expelli. Ita videmus multò meliùs & quietiùs separari, ac seorsim viuere, proles diuersi thori, scilicet ex eodem parente, sed alia matre genitas.

Allegor. eiectus & reprobatus est Ismael, id est Synagoga, quia illusit filium liberæ, id est, quia Christum regem libertatis illusit, flagellauit, crucifixit, eiusque domesticos libertos, putà Apostolos & Christianos, pertinaci odio persecuta est.

VERS. 12. CVI DIXIT DEVS] nocte in somnis per visionem, vt patet v. 14.

IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN] in Isaac & Isacidis censebitur & vocabitur posteritas tua. filij enim Isaac vocabuntur filij Abrahæ, eruntque heredes promissionis, quam tibi, ô Abraham, feci; non autem filij Ismael. hi enim non Abramidæ, sed Ismaelitæ, Agareni & Saraceni vocabuntur.

Allegoricè, in Isaac, id est in Christo Isaaci filio, eoque solo, vocabuntur Christiani fideles, filij Abrahæ, qui est pater credentium, ac consequenter filij Dei, & heredes vitæ æternæ, Galat. 4. v. 23. & 28.

DIMISIT EAM] Facit hîc Abraham diuortium cum Agar, iussu Dei; vnde Agar & Abraham inuicem deinceps debitum coniugale reddere non tenebantur, perinde vt non tenetur modò coniux coniugi adultero, vel ob rixas, aliásve iustas causas per diuortium separato debitum reddere. Non tamen facta est hîc matrimonij inter Agar & Abraham dissolutio, ita vt liceret Agar alteri nubere. Agar enim non matrimonio, sed domo tantùm Abrahæ eiecta fuit per diuortium, ob suas lites quas habuit cum Sara, vti eijcitur adultera. ita Abulensis. VERS. 14.

TRADIDIT PVERVM] non humeris portandum, sed pedibus ducendum: erat enim iam Ismael 17. annorum, vt patet ex dictis v. 8. Quare quod in Septuag. iam legimus, *Et posuit puerulum super humerum eius*, corruptum videtur, itaque transpositis verbis legendum: *Dedit Abraham Agar panem & vtrem aquæ, & imposuit super humerum eius, & puerum*, supple dedit illi, non in humerum, sed in manu ducendum.

ABIECIT] non tam brachijs, quàm animo. q. d. Dimisit & reliquit eum, fatiscentem fame, sub arbore, quasi desperatum, & mox moriturum. ita S. August. VERS. 15.

ET FLEVIT] Agar, fleuit & puer Ismael, vnde & flentem eum audiuit Deus, eiusque misertus est. *Sic*, ait S. Chrysost. hom. 46. *quandocumque voluerit Deus, licet in solitudine simus, & in extremis afflictionibus, nullamque spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus, diuina gratia nobis omnia suppeditante. Nam si eius gratiam nacti fuerimus, nullus nobis praualebit, sed nos potentiores omnibus erimus.* Ergo in arctis & desperatis rebus vicinissimus est Deus, & inuocatus ilico succurrit. Nam, vt ait Psaltes: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Ita Deus affuit Dauidi in deserto, eumque iam quasi captum, è manibus Saulis persequentis eripuit, 1. Reg. 18. & seqq. VERS. 16.

NOLI TIMERE] meum aduentum & fulgorem, aut pueri mortem; non enim morietur. VERS. 17.

APERVITQVE OCVLOS EIVS] fecit vt videret vicinum fontem, quem priùs mœrore turbata & prostrata non viderat. q. d. Deus oculos Agar inflexit, direxit, & ostendit ei puteum. VERS. 19.

Sic allegoricè, ait Rupert. Deus in fine mundi Iudæis ab Ecclesia profugis & errantibus viam veritatis, & puteum Scripturæ, atque in eis aquam vitæ, putà Christum, ostendet.

DEVS] angelus vicè Dei gerens. vide canon. 16.

ET FVIT CVM EO] supple Deus, vti habent Hebræa, Chaldæa, & Septuag. q. d. Deus fauit, iuuit, direxit, promouit Ismaelem, in gratiam Abrahæ patris eius. Fabulosum ergo videtur, quod tradunt Hebræi, Ismaelem latrocinijs vacasse. VERS. 20.

FACTVSQVE EST IVVENIS SAGITTARIVS] à iuuentute vacauit venationi & sagittationi ferarum.

NE NOCEAS MIHI] quòd non nocebis mihi meisque posteris: hebr. est אם־תשקר *im tischor*, quòd non mentieris mihi, id est quòd dolo malo mecum non ages. ita Vatablus. Secundò, quòd iniquè mecum VERS. 23.

cum non ages, quòd non eris mihi iniurius, quòd per vim me meosque non opprimes. in Scriptura enim mendacium vocatur ipsa iniquitas & iniustitia; & mentiri dicitur qui fidem fallit, quique proximo suo iniquus & iniurius est. hic enim agit contra veritatem practicam, putà contra officium & debitum quod alteri præstare debet.

SED IVXTA MISERICORDIAM QVAM FECI TIBI] Est hebraismus. q.d. Sicut ego de te bene meritus sum, dando tibi oues, boues, seruos, ancillas, & mille argenteos, c.20.v.14. ita quoque tu studebis de me meisque bene mereri.

VERS.31. *Vnde dicitur* Bersabëe.

BERSABEE] Ita dictus est locus à בְּאֵר *beer*, id est puteus, & שְׁבֻעָ *scebua*, id est iuramenti; quia ibi iurauit Abraham fœdus & fidelitatem Abimelech.

Secundò, dictus est Bersabëe à *beer*, id est puteus, & *sceba*, id est septem. q.d. Puteus septem, scilicet agnarum, quas pro puteo & loco circumiacente Abraham regi numerauit. Puteum ergo hunc, licet à se fuisque effossum, non gratis, nec hereditario iure, sed titulo emptionis & permutationis possedit Abraham. vide S. August. q.56.

Ab hoc puteo, vrbs illi vicina dicta est Bersabëe, quæ est vltima Iudææ ad Meridiem, sicuti Dan est vltima ad Septemtrionem. vnde Scriptura solet Iudææ longitudinem exprimere per duos hosce eius terminos, dicens: *A Dan vsque Bersabëe.* In Bersabëe diu habitarunt Abraham, Isaac & Iacob. vnde in Bersabëe, vti & in Dan, Ieroboam constituit suos vitulos aureos à populo adorandos. Alius est hic puteus, à puteo Viuentis & videntis, vt patet c.16.v.14.

Docent Hebræi Hebræum נִשְׁבַּע *nisba*, id est A iuro, à שֶׁבַע *sceba*, id est septem, deduci, eò quòd iusiurandum suscipi non debeat nisi septem, id est multis grauibusque de causis, æquè ac argumentis ac testibus. est enim iusiurandum res sacra, in qua interponitur diuina auctoritas & veracitas, quæ proinde non temerè, nec leuiter, sed animo multipliciter confirmato, & certo adhibenda est.

PLANTAVIT NEMVS] Septuaginta vertunt, VERS.33. *plantauit agrum*; Onkelos, *plantauit plantationem*; Ionathas, qui est auctor Targum Hierosolymitani *plantauit hortum arbore densum*, & plenum optimis fructibus. Additque Ionathas, quòd Abraham in hoc horto solitus sit peregrinos hospitio excipere & recreare, ac pro mercede pacisci, vt creatorem cæli & terræ, qui hæc illis dedisset, timerent & colerent. vnde ex eo quod sequitur, *Et inuocauit* B *ibi nomen Domini Dei æterni*, patet Abrahamum illic etiam altare ad orationem & sacrificium extruxisse. Erat ergo hoc quasi eremitorium & oratorium Abrahæ, quò se subinde à curis & negotijs, cum Deo acturus recipiebat. ita Caiet. & Pererius.

Abraham hospites obligabat ad cultum Dei.

Hinc hoc nemus hebraicè vocatur אֵשֶׁל *escel*, id est arboretum aut silua arboribus consita, silens & amœna, à rad. שָׁלָה *scala*, id est, quietus & tranquillus fuit; inde ergo dicitur hoc nemus אֵשֶׁל *escel*, à quiete, silentio & tranquillitate: sicut idē nemus aut lucus hebr. vocatur אֲשֵׁרָה *ascera*, à felicitate & beatitudine. in luco enim quieto & amœno, homo sibi videtur esse quasi in paradiso, felix & beatus.

ET FVIT, COLONVS] incola & peregrinus, non VERS.34. indigena & inquilinus. Hebraicè enim est וַיָּגָר *vaiager*, & peregrinatus est Abraham in terra Palæstinorum.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abraham à Deo iussus immolare filium obedit; sed sistitur ab angelo. Secundò, amplam v.15. obedientiæ mercedem & benedictionem recipit. Tertiò, v.20. texitur progenies Nachor & Rebeccæ, quæ futura erat vxor Isaaci.

1. QVæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham,
Abraham. At ille respondit: Adsum. 2. Ait illi: Tolle filium tuum vnigeni-
tum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum
super vnum montium quem monstrauero tibi. 3. Igitur Abraham de nocte consur-
gens strauit asinum suum: ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque
concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. 4. Die
autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul: 5. dixitq; ad pueros suos: Expecta-
te hîc cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuer-
temur ad vos. 6. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum:
ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cumq; duo pergerent simul. 7. di-
xit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna:
vbi est victima holocausti? 8. Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam
holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter: 9. & venerunt ad locum quem ostende-
rat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cumque alligasset Isaac
filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. 10. Extenditque manum,
& arripuit gladium, vt immolaret filium suum. 11. Et ecce angelus Domini de cælo
clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. 12. Dixitque ei: Non
extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognoui quòd
times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. 13 Eleuauit Abra-
ham oculos suos, viditq; post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem
assumens obtulit holocaustum pro filio. 14. Appellauitq; nomen loci illius, Domi-
nus

nus videt. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit. 15. Vocauit autem
angelus Domini Abraham secundò de cælo, dicens: 16. Per memetipsum iuraui, di-
cit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me:
17. benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ
est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. 18. & bene-
dicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. 19. Reuersus est
Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabëe simul, & habitauit ibi. 20. His ita
gestis, nuntiatum est Abrahæ, quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,
21. Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum, 22. & Ca-
sed, & Azau, Pheldas quoque & Iedlaph, 23. ac Bathuel, de quo nata est Rebecca:
octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ. 24. Concubina verò illius, nomine
Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

VERS. I. *Aliter tentat Deus, aliter diabolus.*

TENTAVIT DEVS ABRAHAM] dando & obijciendo illi insigne obiectum & materiam heroicæ virtutis & obedientiæ; hoc fine, vt eius virtutem in animo latentem ostenderet, acueret, perficeret, ac tandem coronaret. Diabolus verò tentat obijciendo illecebras, hoc fine, vt pertrahat hominem in peccata & gehennam: quorum malorum intentator est Deus; ipse enim neminem hoc modo & fine tentat.

Vidit hoc quoque per vmbram Seneca libr. de Prouidentia: *Deus*, inquit, *viros bonos, vt seueri patres suos filios, duriùs educat*, aitque: *Duris operibus, doloribus ac damnis colligant robur. marcet sine aduersario virtus; eoq; præsente acuitur, atque inter aduersa manet in suo statu, & quidquid euenit in suum colorem trahit, vt mare flumina. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus: spectaculum Deo dignum. Fortuna vt gladiator, fortißimos sibi pares quærit, alios fastidio transit: ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone.* Longè magis Deus noster ignem experitur in Laurentio, bestias in Ignatio, lapides in Stephano, eculeos in Vincentio, rotas in Catharina, gladium in Dorothea. Pergit Seneca: *Periculosißima est felicitatis intemperantia. Gaudent magni viri aliquando rebus aduersis, non aliter quàm milites fortes bellis. Gubernatorem in tempestate, in acie militem cognoscas. Hanc rationem sequuntur Dij in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris exigunt ab his, in quibus certior est spes doctrinæ.*

Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse, nec mala: ideo tam bonis quàm malis ea obijcit. non sunt mala, nisi malè sustinenti.

Quid est boni viri? præbere se fato (Deo.) *grande solatium est cum vniuerso rapi: omnia mala ab eo remouit Deus, flagitia scilicet.*

Tolerantes nati sunt in exemplar. Deus extra patientiam est, illi supra patientiam sunt. Dicit ergo eis Deus: Ego vobis solida bona dedi; id in quoque solidißimum est, quod exercuit.

Dicant probi: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Optimi milites ad durißima mittuntur. Hæc & plura sparsim Seneca.

Decem Abrahæ tentationes. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Notant Hebræi, Abraham decies fuisse tentatum à Deo. Primò, cùm iussus est relinquere patriam & cognatos, & ire peregrinus in terram ignotam. Secundò, cùm ob famem iussus est peregrinari in Ægyptum. Tertiò, cùm ei ablata est vxor à Pharaone, ipseque periculum vitæ, vxor pudicitiæ subijt. Quartò, cùm ob iurgia famulorum coactus est diuelli à Lot, quem quasi filium aluerat & diligebat. Quintò, cùm quatuor reges fortissimè debellauit, vt Lot captiuum liberaret. Sextò, cùm Agar, quam vxorem duxerat, iam ex se grauidam, impulsu Saræ domo eiecit. Septimò, cùm senex iussus est circumcidi. Octauò, cùm per regem Abimelech ablata est ei vxor. Nonò, cùm rursum vxorem Agar & filium Ismaelem, primò Saræ instinctu, tum Dei iussu domo expulit. Decimò, cùm iussus est immolare filium suum Isaac: & quia hæc omnium fuit grauissima, ideo hanc solam Moses vocat tentationem.

Quinta. Sexta. Septima. Octaua. Nona. Decima.

ET DIXIT AD EVM] nocte per visionem, vt patet v. 3.

ADSVM] Hebraicè הִנֵּנִי *hinneni*, ecce ego, scilicet quasi famulus corpore & animo præstò sum, vt tibi obsequar, meque & mea omnia ad nutum tibi impendam: quid ergo à me poscis?

VERS. 2. *Octo stimulis pungit & tentat hic Deus Abrahamum.*

TOLLE FILIVM] Hebræa magis pungunt & stimulant animum Abrahæ. habent enim: *Tolle nunc filium tuum, vnicum tuum, quem dilexisti Isaac*; & Septuag. *Tolle filium tuum, illum dilectum tuum, quem dilexisti, illum Isaac.* Quot hic verba, tot sunt stimuli, tot tentationes. Primò, *tolle*, ait. non boues, non famulos; sed *filium*. Secundò, eumque *vnicum*. si multos haberes, facilè vnum è multis dares, iam vnigenitum habes, eumque mihi immolari deposco. Tertiò, *quem diligis*, hebraicè, *quem dilexisti*, scilicet continuò, hucusque sine vlla amoris cessatione vel imminutione; tum quia Isaac erat suauissimis moribus, patris reuerentissimus & obedientissimus; tum quia genuerat eum pater in senectute per miraculum: tum quia per Isaac promissa erat Abrahæ maxima posteritas, omnisque benedictio, & Christus ipse, per quem vitam æternam sperabat. Quare filium suum offerendo, simul etiam omnes spes suas, omniaque bona sibi promissa, Deo offerebat. Quartò, *Isaac*, q. d. Da mihi tuum Isaac, tuum risum, tuum gaudium, tuum corculum. Hoc nomen mirè feriebat & sauciabat patris aures & animum; iam enim futurus erat non Isaac, sed Abel; non Beniamin, sed Benoni; non risus, sed luctus. vide Origen. homil. 8. Quintò, *offeres*, non sit, Dabis eum offerendum, sed tu tuis manibus eum trucidabis, cremabis, immolabis. Sextò, *mihi* (hoc enim hic intelligitur) sciebat Abraham Deum humanas victimas detestari: sciebat in Isaac sibi semen, omniaque bona esse promissa; nónne ergo dicere poterat: Quomodo ergo, ô Domine, horum omnium quasi oblitus aut pœnitens, meum tuumque Isaac occidi, tibique immolari iubes? Septimò, *in holocaustum*, vt nec corpus, nec pars vlla corporis patri relinquatur, sed totus Isaac in cineres redigatur, & quasi annihiletur. Octauò, *tolle nunc*, non cras, non manè, sed nunc, hac nocte, hac hora,

Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octauus.

hora Ecce tibi, quot quantisque modis tentatus & probatus Abraham, quantam obedientiæ palmam tulit? vide quàm excelso & constanti animo hæc omnia deuorauerit & superauerit; vt de eo rectè dicas, quod Pyrrhus rex aiebat de Fabricio Romano: *Facilius est solem à suo cursu, quàm Fabricium à suo proposito auertere* Hinc vide eius promptitudinem & celeritatem: nam eadem ipsa nocte obediuit, & exiuit, vt immolaret Isaac.

Totum hoc caput egregiè expendit ac ponderat S. August. serm. 72. de tempore: & S. Ephrem de Abraham & Isaac.

VNIGENITVM] Quia Isaac solus erat filius repromissionis, miraculo genitus, vnicè dilectus, Abrahæ, eiusque stirpis & familiæ heres ac propagator. Ismael enim iam ex domo Abrahæ eiectus, quasi exheres, filius Abrahæ non reputatur.

Exempla matrum offerentium filios ad mortem.

B Abrahamum imitata est mater Machabæorum coram Antiocho, quæ septem filios ad mortem obtulit, & ad martyrium incitauit. Idem fecerunt S. Felicitas, & Symphorosa, aliæque matres, atque in primis illa cuius meminit Prudentius in hymno de S. Romano Martyre, quæ cùm videret filium paruulum ob Christi fidem, Antiochiæ ab Asclepiade Præfecto loris dirissimè cædi, constans sine fletu spectauit; quin & filiolum aquæ haustum poscentem obiurgauit, dicens: *Calicem eum expecta, quem occisi in Bethlehem infantes olim biberunt. Lactis & papillarum immemores: Isaacum respice. qui cùm immolandus aram & ensem aspexisset, vltrò colla præbuit.* Interea cutem cum capillis à vertice tortor reuellit. Acclamat mater: *Patere fili; mox enim ad eum venies, qui caput nudatum nunc tuum per contumeliam, regio vestiet diademate.* Puer lætus virgas & dolores vulnerum ridet; damnatur, ducitur cum Romano C ad supplicium. Peruentum est ad cædis locum: puerum, quem in complexu mater foras extulit, carnifex poscit. dat illa, præter osculum nihil morata. Et, *Vade*, inquit, *nate dulcissime.* ceruicem dum ense carnifex ferit, accinit illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Ecce seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Hæc vbi dixisset, caput amputatum pueri in pallium explicitum excipit, & pectori applicat. Romanus deinde in ignem conijcitur, sed imber exortus eum extinxit. Carnifex Romano linguam exsecat: loquitur ille nihilominus: *Christum*, inquit, *loquenti numquam lingua defuit.* Præfectus ergo eum in carcerem abripi & strangulari iussit.

IN TERRAM VISIONIS] Hebraicè est, *vade in terram* מריה *Moria*, quæ scilicet postea ab Abrahamo dicta est Moria, v. 14. Mons Moria est mons D Sion, in quo Salomon ædificauit templum.

Moria mons vnde dictus? Primò.

Nota. *Moria* Primò, cum Oleastro deduci potest à radice מרר *marar*, id est amarus fuit, vel à מור *mor*, id est myrrha; quia mons Moria ferax est myrrhæ, aloës & cinnamomi; vel potius quia mons hic fuit amarus tam Abrahamo immolanti, quàm filio immolando. Vnde Pagninus & ex eo noster Barradius tom. 2. l. 3. c. 11. Moria, ait, dicitur, quasi מורי *mori*, id est myrrha mea, & יה *iah*, id est

Secundò.

Deus, q. d. *Myrrha mea Deus.* Secundò, Moria deduci potest à radice ירא *iare*, id est timuit; eò quòd in hoc monte Dominus posthac coli, & quasi præsens timeri & adorari deberet. vnde Chaldæus

Tertiò.

vertit, *vade in terram diuini cultus.* Tertiò, Moria deduci potest à radice ירה *iara*, id est docuit; eò

A quòd תורה *thora*, id est lex & doctrina, de Sion & Moria esset exitura, Isaiæ 2. 3. Quartò & optimè, Noster cum Symmacho *Moria* deducit à radice ראה *raa*, id est vidit, vertitque terram vel montem visionis. Primò, quia hic locus altus erat & conspicuus, vt eminus videri posset. ita Vilalpando lib 3. de Templo c. 5. Secundò, quia in Sion & Moria Prophetæ acceperunt suas visiones, ibique Christus homo visibilis apparuit, Baruch 3. v. vlt. Tertiò & optimè, quia Deus hunc montem Moria Abrahæ ostendit v. 4. ibique ab eo visus est, ipseque vidit & respexit Abrahamum suis oculis & respectu, tum misericordiæ suæ, dum vetuit immolari filium; tum beneficentiæ suæ, dum tantam Abrahæ obedientiam amplissimè est remuneratus. vide v. 14. Quintò, Barradius loco citato: Moria, ait, dicitur, quasi מורה יה *more iah*, id est, *docens Deus*, aut *pluuia Deus.*

Quartò.

Quæ terra visionis.

Quintò.

Situs montis Moria & partes.

Nota Secundò, ex Diodoro Tarsensi. Mons Moria in plures colles & monticulos fuit diuisus: in Orientali enim parte montis Moria fuit Sion, in qua erat arx Dauid; iuxta quam in area Ornan Iebusæi à Dauide coëmpta, Salomon extruxit templum, vt patet 2. Paral. 3. 1. Alia pars Moria extra vrbem Ierusalem mansit, posteaque dicta est mons Caluariæ, in quo tam Isaac, quàm Christum per Isaac significatum, immolatum esse docet S. Hieron. & Augustin. l. 16. Ciuit. c. 32. vbi sic ait: *Hieronymus presbyter scripsit, se certissimè à senioribus Iudæorum cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, & Adam sepultus, vbi postea Christus est crucifixus.* Sic & Borchardus in Descriptione terræ sanctæ, & Genebrardus lib. 1. Chronograph. asserunt in eodem montis tractu tres esse colles, siue montes, qui aliquando vna appellatione Sion dicuntur, aliquando peculiaria sortiuntur nomina, Primus est Sion, qui propter celsitudinem hoc nomine appellatur: significat enim Sion speculam. Secundus Moria. Tertius Caluariæ mons. In Sione ciuitas Dauid, & arx: in Moria templum: in monte Caluariæ Christus est in crucem actus. Addunt nonnulli Hebræi, in Moria sacrificasse Abelem & Cainum, item Noë mox à diluuio; sed temere & sine fundamento hæc asserunt. Abraham ergo hîc suo sacrificio, quasi initiauit & consecrauit montem Moria in templum posterorum & Christi, itemque montem Caluariæ in aram Christi.

Ibi immolatus est Isaac, vbi Christus crucifixus.

Nota Tertiò. Pro Moria Aquila vertit, καταφανῆ, id est lucidum: quia in Moria fuit templum, in quo erat דביר *debir*, id est oraculum Dei, & lex ac Spiritus sanctus docens homines veritatem, illuminans Prophetas, eisque oracula inspirans. ita S. Hieronymus.

Alleg. Moria Primò est mons Caluariæ.

Allegoricè, Caluariæ mons vbi crucifixus est Christus, fuit mons Moria iuxta quinque etyma iam data, scilicet Primò, ob crucis amarorem. Secundò, ob holocaustum quod ibi Patri obtulit Christus. Tertiò, quia ibidem legem Euangelicam sua morte sanxit. Quartò, fuit terra visionis: quia in eo Christus crucifixus admirandum terræ cæloque spectaculum exhibuit. Quintò, quia ibi Deus docuit nos ex cathedra crucis viam in cælum. nam, vt ait S. August tract. 119. in Ioan. *Lignum illud, vbi fixa erant membra morientis, cathedra fuit magistri docentis.* Rursum Caluariæ mons fuit Moria, id est pluuia Dei: quia sanguinis Dei pluuia in eo effusa est. Denique fuit Moria, id est lucidus

dus & illuminans; quia omnes homines Christus crucis suæ radijs illustrauit. Quocirca cùm sol alium solem in cruce orbem illuminantem cerneret, meritò radios suos retraxit.

Secundò, Ecclesia: Secundò, Moria est Ecclesia. Primò, quia ipsa docet crucem Christi ferre, & sanctis Sacramentis, quasi myrrha quadam à peccati putredine nos præseruat. Secundò, quia in ea est timor Dei, verusque eius cultus. Tertiò, quia ipsa docet legem verbumque Christi. Quartò, est terra visionis: quia ex illa sola per veram fidem videntur inuisibilia, & ea quæ sunt in cælo. Rursum quia toto orbe est spectabilis nam, vt ait Isaias c. 2. est mons in vertice montium. Adhæc habet videntes, id est prophetas. Quintò, habet doctorem Spiritum sanctum, qui eam docet omnem veritatem. Rursum, Ecclesia verbo Dei & sacris concionibus, quasi pluuia cælesti irrigat arentia hominum corda. Denique est mons illuminans: quia sicut cælum solem, ita Ecclesia Christum habet totum orbem illuminantem.

Tertiò, B. Virgo: Tertiò, Moria est B. Virgo, in cuius vtero templum, id est humanitas Christi est ædificata. Primò, quia B Virgo in passione Christi fuit mare amaritudinis. Secundò, quia tam Christum quàm se Deo obtulit in iuge holocaustum. Tertiò, quia ipsa fuit arca testamenti continens legem Dei. Quartò, fuit terra visionis. Quid enim visu dignius, quàm Virgo Deipara? Rursum pro *Moria* Septuag. vertunt, *terra excelsa*: sic nihil excelsius fuit Maria infra Deum. Quintò, quia fuit doctrix Apostolorum post mortem Christi. Rursum ipsa sicut vellus Gedeonis cælestem rorem gratiæ, & pluuiam Spiritus sancti copiosissimè excepit. Denique Maria est stella maris, & mulier amicta sole, quæ totum orbem illuminat.

Moral. est anima fidelis. Moraliter, in terra visionis oblatus est Isaac Christi typus: vtinam ergo anima Christiana terra sit, non obliuionis, sed visionis! vtinam semper ante oculos lachrymis madentes, habeat suum Isaac è cruce pendentem! vtinam vt ille in manibus suis sanguine illam descripsit, ita illa in corde suo perpetua memoria illum inscribat! Isaiæ 49. *Ecce*, inquit, *in manibus meis descripsi te.* Vtinam in hac terra visionis semper videatur verus Isaac, sancta cogitatione! vtinam semper immoletur, sancta meditatione! Hoc ille flagitat dicens Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* q.d. Sicut annulus signatorius suam figuram ceræ imprimit: ita Christus crucifixus suam crucem, dolores & amorem imprimat cordi tuo. iuxta illud S. August. lib. de S. Virgin. c. 55. *Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce.*

VERS. 3. ABRAHAM DE NOCTE CONSVRGENS] *De nocte*, id est summo manè, in crepusculo, ante lucem. Hebræa enim habent, *manicauit Abraham manè*. Saræ hîc non fit mentio: vnde videtur ea inscia (vtpote quæ nimis tenerè suum diligebat Isaac) hæc omnia fecisse Abraham. ita Iosephus, S. Chrysost. & Perer. S. August. tamen serm. 73. Nyssenus & Procopius putant, Saram consciam & consentientem fuisse immolationi filij.

VERS. 4. DIE TERTIO] Habitabat Abraham in Geraris, ait S. Hieron. inde ad Sion & Moria tridui est iter. Per Geraris, non vrbem, sed regionem intellige. nam, vt rectè Abulensis, videtur Abraham tum habitasse in Bersabée, vt colligitur cap. præced. v. 31. vnde & post immolationem, in Bersabée rediit, vt patet hoc cap. v. 19 Licet enim ex Bersabée vsque ad Sion, tantùm sit iter vnius diei, tamen Abraham, quia onustus erat rebus ad sacrificium necessarijs ita lentè processit, vt tertio demum die perueniret in Sion & Moria: & hoc sensu dixit S. Hieron esse iter tridui.

Triduum hoc auxit tentationem Abrahæ: nam, vt ait Origen. *Per triduum ambulat Abraham, vt per totam viam cogitationibus discerpatur, hinc vrgente præcepto, illinc filij affectu reluctante: vt per omnia hac spatium certaminis accipiant, hinc affectus, inde fides; hinc amor Dei, inde amor carnis; hinc præsentium gratia, inde futurorum expectatio. iubetur quoque Abraham montem, id est calestia, conscendere, vt loci altitudo fidei & obedientia in operando sublimitatem significaret.* *Tentatio Abrahæ triduana.* Hinc & Theod. ait, Abraham in hac tentatione, quasi agonia & morte, fuisse per tres dies & noctes, sicut Christus triduo fuit, partim in cruce & passione, partim in morte, sepulchro & inferno.

VIDIT LOCVM] Ex signo aliquo à Deo dato cognouit, vbi & in quo colle montis Moria præcisè, immolare deberet suum Isaac.

Rabbini, quos sequitur Abul. tradunt hoc signum fuisse columnam ignis in cacumine montis Moria, circa collem Caluariæ apparentem.

POSTQVAM ADORAVERIMVS] postquam sacrificauerimus. Est metalepsis. sacrificio enim iungi solet adoratio.

REVERTEMVR AD VOS] Melchior Canus lib. 2. de Locis cap 4. vult Abraham hîc esse mentitum: putabat enim ipse occidere & immolare suum Isaac. Secundò, Caiet *reuertemur*, scilicet secundùm cursum ordinarium causarum naturalium: supernaturalia enim excipiuntur. Tertiò, alij, *reuertemur*, scilicet si vita comes fuerit, si Deus voluerit. Quartò. Thomas Anglicus, *reuertemur*, id est reuertar ego, non Isaac, vt pluralis ponatur pro singulari. VERS. 5.

Verùm dico, asserit Abraham se cum Isaac reuersurum, quia certus erat, certoque credebat, quòd Deus Isaacum vel à morte liberaret, vel occisum & immolatum resuscitaret Nam ex Isaac expectabat semen benedictum, & posteritatem maximam hoc enim ei promiserat Deus, & hoc est quod ait Apostolus, Abraham contra spem (naturæ) in spem (gratiæ & diuinæ promissionis) credidisse, arbitrando, *quia & à mortuis suscitare potens est Deus*, Hebr. 11. 19. ita Origen. & S. August. l. 16. Ciuit. 32. & alij. Vide hîc cæcam, sed excelsam Abrahæ fidem, spem & obedientiam, cui nihil est arduum, nihil impossibile, nihil incredibile.

ET IMPOSVIT SVPER ISAAC] vt esset typus Christi crucem baiulantis. ita Prosper p. 1. Prædict c. 17. & 18. VERS. 6.

Erat tunc Isaac vt minimùm 25. annorum, ait Iosephus, Abraham 125 Sara 115. Hebræi verò tradunt Isaac fuisse 37. annorum. Errant Aben Esra & Burgensis, dicentes Isaac 12. tantùm fuisse annorum. *Isaac immolandus erat 25. annorum.* Quomodo enim puer duodennis tantam struem lignorum per triduum tulisset, quanta requirebatur ad eum quasi holocaustum comburendum? quamquam ad eum totum cremandum, & in cineres redigendum, Abraham ex vicinis locis ligna præcidere & addere debuisset.

IGNEM ET GLADIVM] Gladium ad iugulandum filium; ignem, ad eum quasi victimam & holocaustum Deo comburendum.

Tropolog. gladius est mortificatio, ignis est charitas, quibus Abraham immolauit filium, nosque affectiones, passiones, dolores, cruces, omniaque nostra Deo immolare debemus.

VERS. 7. VBI EST VICTIMA?] Hoc colloquium cum filio mirè rursum sauciauit animum Abrahæ, fecitque vt vulnus illi à Deo inflictum recrudesceret.

VERS. 9. CVMQVE ALLIGASSET ISAAC] Vide Iosephum narrantem, quomodo Abraham filio priùs Dei voluntatem de eo immolando declararit, ille alacer responderit, se vitam datori Deo debere, eamque repetenti iam læto animo redditurum. Cur ergo eum ligauit pater? Resp. Primò, ne, si vellet resilire, posset. Plenissimè ergo Isaac dat Deo & velle & posse suum. *Nectit*, ait S. Ambros. *filio manibus suis vincula pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exustus peccatum incurreret.* Secundò, ne naturalem aliquem inconditum, incompositum & inuoluntarium motum & renisum sacrificio indecentem, in ipsa iugulatione ederet. ita Caiet. Tertiò, vt esset typus Christi, clauis affixi cruci.

Isaac cur ligatus.

Tropologicè, sic Religiosi se per vota Deo alligant & astringunt, eique suum offerunt velle & posse.

VERS. 10. ARRIPVIT GLADIVM] Maluisset Abraham ipse mori & immolari, quàm immolare filium. naturaliter enim patres optant filios superstites sibi, quia per eos stirps & familia patris propagatur; vt morte filij, non modò se, sed etiam suæ posteritatis spem emori & extingui sentiant.

Auxit rei acerbitatem, quòd ipse humeris filij imposuit ligna, quibus ille cremandus erat; quòd ignem & gladium, quo filium iugularet, manibus suis gestauit; quòd ipsemet extruxit altare, & ligna desuper composuit, & in eo posuit filium manibus pedibusque colligatum, magnoque animo dextram tollens, gladium in eius ceruices vibrauit, idque lætis & siccis oculis: nullæ enim eius leguntur lacrymæ, non gemitus non auersio vultus.

Sic exemplo Abrahæ, inquit S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 8. *Quot patres occisis martyrio filijs, lætiores ab eorum tumulis reuerterunt!*

Mutius instar Abrahæ offert filium, rectène?

Hanc Abrahæ obedientiam imitatus est quoque Abbas Mutius, apud Cassian lib. 4. c. 27. & 28. qui ex mādato sui senioris, proprium filium octennem in profluentem abijcere voluit. *Cuius fides & deuotio*, inquit Cassian. *in tantum Deo fuit accepta, vt diuino statim testimonio comprobata sit. Reuelatum namque est continuò seniori, hac eum obedientia, Abraha patriarcha opus implesse.*

Vbi Nota hoc Mutij exemplum admirandum magis esse, quàm imitandum: excedit enim ordinarias obedientiæ & prudentiæ leges. Nec enim homo sui, vel suorum necem præcipere potest, vti potest Deus, qui vitæ necisque est dominus: ac consequenter subditus homini talia præcipienti parere nequit. Itaque Mutius hic ardore obedientiæ quasi cæcus, suum omne iudicium de facti qualitate & euentu commisit & submisit suo seniori, quem virum prudentem esse & sanctum sciebat, tantumque hoc actu & conatu suo obedientiam promptam, & mortificationem affectus paterni erga prolem suam, eam abijciendo, ostendere voluit; non autem eam mergere intendit. Sciebat enim seniori omnem hanc rem & se suamque prolem curæ esse; nec dubitabat eum curaturum, vt explorata sua obedientia & affectus patrij mortificatione, de effectu, & cæteris omnibus ita dispo-

A neret, vt non tantùm peccatum, tam imperando quàm parendo excluderetur; sed etiam vt proli consuleretur. Poterat enim senior in ipsa via mandatum reuocare, vel aliquos in flumine statuere, qui prolis proiectionem impedirent (vt de facto fecit) vel alijs modis necem prolis impedire. Totum ergo hoc negotium Mutius prudentiæ & prouidentiæ senioris sibi imperantis resignauit. Prudentia enim non tam in parente, quàm in imperante requiritur.

Quæres, vtrius virtus fuerit maior, an Abrahæ immolantis, an Isaac immolati? vtriusque virtutem stupet S. Chrysost. & nescit quem præferat. Audi eum homil. 48. in Gen. *O religiosam animam! ô fortem mentem! ô ingens robur animi! ô rationem, omnem humanæ naturæ affectum vincentem! Vtrum admirer, fortémne spiritum patriarchæ, an tam constantem* B *pueri obedientiam; quòd neque reluctatus est, nec factum ægrè tulit; sed cessit, & obtemperauit iis quæ à patre fiebant, & sicut agnus cum silentio super altare decubuit, expectans patris dexteram?*

Abrahæ ne virtus maior, an Isaaci?

Audi & Zenonem Episcopum Veronensem in catena Lipomani. *Mira*, inquit, *patriarchæ tentatio, qua eum aut sacrilegum faceret, si contemneret Deum; aut crudelem, si occideret filium: nisi quadam singulari ac verè diuina patientia, inter religionem pietatemq; negotium temperasset, in spe non denegans Deo, quod contra spem acceperat à Deo: ideo Isaac sibi dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem, contemnit, vt seruet; destinat iugulare, ne iugulet; securus ille se non posse displicere facinore, quod Deo gerebatur auctore. O nouum spectaculum ac verè Deo dignum! in quo diffinire difficile est, vtrùm sit patientior sacerdos, an victima. Non percussoris, non percutiendi variat color, non membra tre-* C *more vibrantur, non demissi, non torui sunt oculi. nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur.* Ac deinde eos inter se comparans, vniusque actus alterius actibus contraponens: *Ille*, inquit, *exeris gladium, iste ceruicē. Vno voto, vna deuotione, ne quid profanum sit, diligenter ac patienter geritur, quod ab altero celebratur: ille lignum quo exuratur sibi portat, iste aram construit. Sub tanto non dicam humanitatis, sed ipsius naturæ metu læti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni; fauet vtrique religio, medius stupet gladius, nullo impedimento suspensus, mactationi terribili gloriam se præstitisse, non crimen. Quid hoc est? ecce immanitas in fidem, & scelus transit in sacramentum; parricida redit incruentus, & qui immolatus est viuit. Ambo ergo gloriæ & claritatis exemplum; ambo Dei cultus, admirabile sæculi testimoniū. Felix orbis foret, si omnes sic fierēt parricidæ.*

Zeno dubitat, & vtrumque extollit.

Pro Isaac ergo stant hæ rationes; Primò, quòd D maioris fortitudinis sit mortem pro Deo subire, quàm eam alijs inferre. fortiores enim sunt Martyres quam milites. Isaac autem verè hîc fuit Martyr: quia pro actu virtutis, scilicet vt obediret Deo, certæ morti se obtulit. Pater enim in eum gladium extendit, ictumque letalem ei dedisset, nisi Deus eum auertisset. Sic enim S. Ioannes Euangelista, Daniel, alijque verè sunt Martyres, quia oleo feruenti, leonibus, &c. fuerunt obiecti, esto ab eis non sint læsi, Deo eos protegente. Ex parte enim sua & tormenti, naturaliter & necessariò eis moriendum erat. Quòd ergo Deus per miraculum eos in vita seruarit, id nihil naturæ rerum, nec eorum virtuti aut martyrio detrahit. Secundò, Abraham in animo tantùm dolebat: Isaac verò ad animi & corporis cruciatus mortemque se obtulit. Tertiò, præuisa tela minùs feriunt: Abraham

Rationes pro Isaaco. Prima.

Isaac fuit Martyr.

Secunda.

Tertia.

per

per triduum itineris animum suum ad filij immolationem composuit; Isaac verò in ipsa ara nihil minùs cogitans, repentè ad immolationem à patre postulatus, ilicò alacer sese obtulit. Nam, vt docet Aristoteles l.3. Ethic. cap.8. magis fortis viri esse videtur, in subitis terroribus esse interritum, quàm in præuisis. Quartò, Isaac erat 25. annorum, in flore ætatis, sperans adhuc viuere centum annos, multamque habere sobolem & familiam; quæ omnia amore Dei morti se offerendo præcidit, spesque suas omnes abrupit: hac enim de causa iuuenibus acerbissima est mors, quæ senibus est tolerabilior. Quintò, Isaac à patre ligari voluit, aram conscendit, ceruicem obtulit, ictum certissimè expectauit.

Quarta.

Quinta.

Rationes pro Abrahamo; quibus consentit author. Prima.

Verùm dico cum Pererio, maior fuit virtus Abrahæ quàm Isaac. Primò, quia Abraham plus diligebat vitam filij sui Isaac, quàm suam, & quam ipse propriam vitam diligeret; idque Primò, quia Isaac erat vnigenitus ex dilectissima vxore. Secundò, quia Isaac erat eius amantissimus & obsequentissimus. Tertiò, quia in senectute ingenti miraculo eum genuerat. Quartò, quia Isaac innocentissimus erat & sanctissimus. Quintò, quia in vnius Isaac vita omnes Dei promissiones ei datæ nitebantur.

Secunda.

Secundò, quia Abraham per totum triduum cogitatione & machinatione atrocissimi facinoris discruciatus est: Isaac verò tantùm ad momentum instante ipsa immolatione. Itaque licet quoad præuisionem, vti suprà dixi, fuerit minor; tamen quoad durationem fuit maior Abrahæ tentatio & tribulatio.

Tertia.

Tertiò, quia Abraham maxima circa fidem habuit tentationes, eò quòd viderentur promissa Dei sibi facta, morte Isaac penitus aboleri. quin & Hebræi tradunt, tunc ei apparuisse dæmonem specie angelica, eumque grauissimis verbis deterruisse ab immolando, tamquam à re impia & crudelissima, ac Dei voluntati contraria: & ad id aptant quidam illa Pauli verba Hebr. 11. *Fide Abraham obtulit primogenitum suum Isaac, cùm tentaretur*, scilicet à diabolo, inquiunt ipsi.

Quarta.

Quartò, atrocius erat patri necare filium, quàm filio necari. is enim vno ictu iugulatus quasi puncto temporis mortem hausisset; Abraham verò longum & multiplicem habuisset dolorem: Primò, iugulando filium; Secundò, sacrificali ritu membratim eum concidendo, deinde cremando eum, & redigendo in cineres sine vllis eius reliquijs, ac denique perpetua memoria recolendo se talem immolasse & perdidisse filium. Vnde Deus ipse obedientiam non Isaaci, sed Abrahæ commendat, ac propter eam se Isaaco benedicturum promittit c.26. v.3. *Tenuit*, ait S. Ambros. *manum eius diuina vox, & ictum vibrantis occupauit dextera.*

VERS. 11. ABRAHAM, ABRAHAM] Iterationis huius tres causas dat S. Ambros. lib.1. de Abraham cap 8. *Tenuit, ait, quodammodo manum eius diuina vox, & ictum vibrantis occupauit dextera; non semel vocauit. Primò, ne, aut non plenè audiret, aut fortuitam vocem putaret; Secundò, sic reuocauit quemadmodum imperauit* versu 1. *Tertiò, repetiuit vocem, tamquam veritus ne preueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset.*

VERS. 12. NON EXTENDAS MANVM] *Non hoc præcepi*, ait S. Chrysost hom.47. *vt opus perficiatur, neque volo vt occidatur puer tuus, sed vt obedientia tua manifesta fiat omnibus. Igitur ne feceris ei quidquam. Contentus sum voluntate tua, & ex hac te corono & prædico.* Ita sæpè nobiscum agit Deus: factum difficile mandat & poscit, sed vbi voluntatem obsequentem viderit, ea contentus executionem inhibet. Vnde idem homil.49. *Patriarcha*, inquit, *sacerdos pueri factus est, & proposito quidem cruentauit dexteram, sacrificiumque obtulit; per ineffabilem autem misericordiam Dei, saluo & sano filio recepto rediit, & propter voluntatem prædicatur, coronaque fulgida redimitur, & summum agonem certauit, & per omnia pietatem mentis suæ declarauit.* Ecce quomodo Deus suos quandoque ad extrema, & ad restim adigit, vel adigi permittit, vt omnem suam spem & voluntatem in Deum Deique opem & voluntatem conferant & transferant, tuncque in ipso extremæ necessitatis articulo, & in limine mortis adest & succurrit. hac enim fide & spe in finem vsque animatus Abraham, obtulit Isaac, vt Apostolus ait Hebr.11. v.19. *Arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus. vnde & eum in parabolam accepit*, vt scilicet Isaac esset parabola, fabula, exemplum memorabile omnium sæculorum, quod omnibus sæculis homines memorarent & celebrarent, sibique imitandum proponerent; vt cùm Deus per se aut suos nobis aliquid iusserit, licet arduum & difficile, exemplum Isaac ob oculos habentes, fidenter & generosè nos offeramus, remque iussam capessamus, certi Deum affore, implexa explicaturum, ardua superaturum, ignominiam, infirmitates, ærumnas, mortes, omniaque mala quæ timemus, in bonum nostrum, laudem & gloriam conuersurum, vti fecit Isaaco. Hinc huius immolationis memoria, antiquissimis omnium gentium imaginibus est celebrata. Testis est Gregorius Nyssenus citatus in Concilio Niceno II. act.4. can.2. *Vidi*, inquit, *sæpiùs descriptionis eius* (immolationis Isaac) *imaginem, & sine lachrymis transire non potui; cùm tam efficaciter, & ad viuum ob oculos historiam eius rei poneret.* Si ergo tentaris, contemneris, doles, infirmaris, tristaris, infamaris, mortificaris, cruciaris, imò suspenderis, combureris, Isaacum imitare. Modicum est, æternitatem cogita.

Imago Isaaci antiquissima.

Hac cogitatione armati fideles generosi, omnem parentum, carnis suique amorem, quin & tormenta mortesque vicerunt. Ita Liberatus Abbas, Bonifacius, Rusticus, alijque à Wandalis ad arrianismum sollicitati: *Satius*, inquiebant, *est momentanea perferre supplicia, quàm æterna subire tormenta.* Iussit rex eos naui impositos in mari cremari: illi fidenter canebant, *Gloria in excelsis Deo. ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* ignis cùm accenderetur, sæpiùs extinctus est. ergo rubore & furore perculsus rex, mandauit eos remorum vectibus necari. Testis est Victor Vticens. lib.4. Persecut. Wandal. Idem respondit Thomas Morus vxori suæ, itaque eius amorem, vti Abraham sui filij, superauit.

Rursum Nota hîc verè obedientem, qualis fuit Isaac, mori non posse. Refert Climachus gradu quarto de obedientia, Achatium in obedientia mirè exercitatum, cùm post mortem è sepulchro à sene quodam euocaretur, rogareturque, an mortuus esset, respondisse: *Obediens mori nequit.*

NVNC COGNOVI] id est, nosse te feci, ait S. August. q.58. & Gregorius lib.28. Moral. c.7.

Secundò, *nunc cognoui*, id est, nunc per illud factum tuum feci manifestum, & euidenter cognobile. ita Diodorus & Pererius.

Tertiò & planissimè, *nunc cognoui*, scilicet per experientiam. q.d. Nunc reipsa expertus sum: loquitur enim Deus hîc more hominum, qui, cuius rei periculum fecerunt, id se perfectè putant nouisse.

QVOD TIMEAS] quòd ames, colas, reuerearis Deum, illique per omnia obsequaris, & placere studeas: hæc enim omnia complectitur timor Dei, adeoque timor hic sanctorum filialis non est aliud quàm amor, cultus & honor Dei.

VERS. 3. ARIETEM INTER VEPRES HÆRENTEM CORNIBVS] Verus fuit hic aries, alicunde ab angelo adductus, & adhæsit vepribus, vel, vt hebraicè est, *in implexu*, scilicet veprium & ramorum, ne Abrahamum effugeret, sed præstò esset immolaturo. Hebræi tradunt, hæc facta esse die prima mensis septimi, qui dicitur Tisri; indeque eo die à Iudæis celebrari festum tubarum, eò quòd tunc cornibus arietinis clangerent, in memoriam Isaac ab immolatione liberati, & arietis pro eo surrogati.

Quid aries mysticè. Allegoricè sicut pro Isaac aries, ita pro nobis immolatus est Christus, inquit S. August. l. 16. de Ciuit. c. 32. Secūdò, S. Ambr. & Cyrill. pro Isaac aries, id est, pro deitate immolata est humanitas Christi.

Anagogicè, Isaaco succedit aries, id est, passioni succedit resurrectio, infirmitati fortitudo, morti immortalitas, inquit Theodoretus.

Rursum, aries hic cornibus hærens, & suspensus inter vepres, significat Christum in cruce suspensum, ait Ambrosius, qui addit, Abraham hîc vidisse diem immolationis & passionis Christi. Et hoc est quod ait Christus Ioann. 8. v. 56. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est*; indeque locum hunc vocatum esse, *Dominus videbit*, vel apparebit, vt sequitur. Septuag. retinentes Hebræam vocem *Sabec*, quasi propriam certæ arboris, vertunt, *& ecce aries vnus detentus ex cornibus in arbore Sabec*, vel, vt Procopius legit ex Syriaca translatione, *& ecce aries vnus pendens in arbore Sabec*, aitque illum arietem apparuisse instar ascendentis in arbore Sabec; nec tantùm cornibus, sed pedibus etiam anterioribus innixum hæsisse in illius arboris ramis, eaque figura Christum in arboris crucem ascendentem, in ea pendentem, illi affixum clauis hærentemque repræsentasse. Idemque expendit Ambros. lib. 1. de Abraham Patriarcha c. 8. vbi imprimis ita legit: *Et ecce aries vnus suspensus cornibus in virgulto Sabec.* Deinde addit: *Quis significatur nisi ille de quo scriptum est psal. 148. Exaltauit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est eleuatus & exaltatus à terris; hunc vidit Abraham in isto sacrificio, huius passionem aspexit: & ideo ipse Dominus ait de eo, Abraham voluit videre diem meum, vidit & gauisus est: vnde ait Scriptura, Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, vt dicant hodie, In monte Dominus apparuit, hoc est, quòd apparuerit Abrahæ reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cùm suspensum ostendit cornibus arietem. Virgultum illud patibulum crucis est.* Hæc Ambrosius. Annotauit etiam D. Athanasius lib. quæst. ad Antiochum q. 98 ad mysterium quoque spectare, quòd *Sabec* interpretatur remissio, seu condonatio, quam Christus nobis per crucem promeruit. *Planta*, inquit, *Sabec, est veneranda crux. Iuxta Hebræos videtur Sabec remissio esse & condonatio: aries verò qui in Sabec hærebat ad plantam, quem pro Isaac Abraham holocaustum obtulit, figurauit Christum pro nobis in cruce immolatum.*

Quartò, subtiliter animaduerterunt plerique, in quibus est Leo à Castro lib. 6. Apolog. & in c. 29. Isaiæ, cùm Christus in cruce dixit: *Eli, Eli lamma sabacthani*, ad eandem plantam *Sabec* allusisse, vt indicaret se esse illum arietem pendentem atque suspensum ex arbore Sabec, id est in cruce, quem Dominus sub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec, Abrahæ olim ostenderat: itaque idcirco verbum illud *sabacthani*, potiùs quàm aliud vsurpasse, vt nomine quoque ipso plantam illam Sabec, ex qua ille alter aries pependerat, fidelibus in memoriam reuocaret, seque ostenderet tunc temporis figuram illam cumulatissimè adimplere: verbum enim *sabacthani* à nomine *sabec* inflexum videtur, esto habeat suam quoq; radicem Syriacam שבק *sebac*, id est reliquit.

APPELLAVITQVE NOMEN LOCI ILLIVS, DOMINVS VIDET] q.d. Abraham loco huic in quo filium immolauit, dedit nomen hoc, scilicet ארני יראה *adonai iire*, id est, *Dominus videbit*, vel *videt*, idque ex eo, quòd ipse filio suo roganti de victima v. 8. responderit *adonai iire*, id est, Dominus videbit, siue prouidebit de victima. ita Vatablus, Lipoman, Oleaster. Perer & alij. VERS. 14.

Cur mons hic dictus sit, Dominus videt. Prima causa.

Ex verbo *iire*, id est videbit, factum est nomen *Moria*. id est visio; vnde mons hic dictus est Moria, id est visionis, vt patet v. 2. in Hebræo. *Moria* ergo idem est quod *adonai iire*, id est Dominus videbit. *Etymon Moria, id est visio Dei.*

Rursum ex *iire*, & antiquo nomine *Salem* (sic enim priùs vocata est Ierusalem, vt patet c. 14. 18.) conflatum est nomen *Ierusalem*; Moria enim erat in Ierusalem. ita Andr. Masius in Iosue cap. 10. *Origo vocis Ierusalem.*

Secundò, S. August. lib. 16. Ciuit. c. 32. Dicitur, inquit, hic locus *Deus videt*, id est, Deus videri se fecit, cùm per angelum apparuit Abrahæ, v. 11. *Secunda.*

Tertiò, Hebræi, Chaldæus & Pererius, Dictus est, inquiunt, mons hic *Dominus videt*; qu a Dominus in hoc monte vidit afflictionem, obedientiam & sacrificium Abrahæ, illudque acceptauit, atque afflicto Abrahæ prouidit, per angelum sistentem gladium Abrahæ, & per arietem pro Isaac substitutum. *Tertia.*

Quartò, dicitur mons hic, *Dominus videt*, quia in monte hoc exstruendum erat templum, in quo Deus visurus & exauditurus erat supplicantium vota. vnde Chaldæus putat Abrahamum hîc sua immolatione, montem hunc Moria, siue Sionem destinasse templo, illudque ibi ædificandum prædixisse. Sic enim habet Chaldæus: *Et dixit Abraham coram Domino: Hic erunt seruientes* (Deo) *generationes, propterea dicebatur in die hac: In monte hoc Abraham coram Deo immolauit.* *Quarta.*

VNDE VSQVE HODIE DICITVR: IN MONTE (subaudi, cui nomen est) DOMINVS VIDEBIT] subaudi, hoc illúdve gestum, vel factum est. Cùm enim homines narrant aliquid, quod accidit, vel factum est in monte Sionis, siue in Moria, dicunt id factum esse in monte, cui nomen est, *Dominus videbit*. q.d. Etiamnum hoc tempore, quo ego Moses hæc scribo, iste mons exinde vocatur, *Dominus videt*, vel *videbit*; quia scilicet in eodem Abraham Deo immolauit, dicens: Dominus videbit, vel prouidebit sibi victimam, fili mi; & quia in eodem Deus Abrahæ visus est, vt vertunt Septuag. dum ei per angelum apparuit. *Dominus videbit, id est, prouidebit.*

Secundò *vsque hodie dicitur*, &c. q.d. Vsque hodie hoc dicto Abrahæ, *Dominus videbit* & prouidebit, quasi prouerbio vtimur, dum in angustijs consti-

constituti, speramus & inuocamus Dei auxilium. Speramus enim, quòd, sicut in monte hoc Moria Dominus vidit, tam afflictionem, quàm pietatem & obedientiam Abrahæ & Isaac, eorumque misertus est: ita pariter nos posterosque nostros, præsertim in hoc eodem monte & templo Moria orantes, in qualibet afflictione, videbit, respiciet, exaudiet & liberabit. ita S. Hieronymus, Caietanus, & Perer.

Tribulatis eundum in Moria id est ad Dei prouidentiam. Idem prouerbium Christianis vsurpandum, vt in omni tribulatione recipiant se in montem Moria, in montem templi, in montem spei & orationis, dicantque: Dominus videbit & prouidebit omni necessitati meæ.

Ita S. Gordius Martyr, spe in Deum fretus, vltro se Præsidi & tormentis obtulit. iubet ille expediri flagella, rotas, eculeos, & omne tormentorum genus excogitari. Gordius oculos ad cælum eleuans, illud psalmi pronuntiauit: ***Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.*** & ***Non timebo mala quoniam tu mecum es.*** Tormenta deinde vltrò in se prouocat, & si quæ moræ intercedant, increpat, ac tandem vultu alacri in ignis supplicium volens se immisit, inquit S. Basilius serm. de Gordio.

Nota. Pro יִרְאֶה *iire*, id est videbit, iam Hebræi alij punctis legunt יֵרָאֶה *ierae*, id est videbitur, quasi dicant: ***Vnde vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbitur***, id est apparebit & succurret. Sed eòdem redit sensus: cùm enim Deus videt nos, tunc pariter videtur a nobis.

Verùm S. Ambros. Eutherius, Vatabl. & Lipom. sic exponunt, quasi hæc sit prophetia de Christo. q.d. ***In monte Dominus videbitur***, id est Christus Dominus apparebit in monte hoc & templo Sion, cùm in eo concionabitur; & in monte Caluariæ, cùm in eo crucifigetur. vnde & Septuaginta vertunt, *in monte Dominus visus est*.

VERS. 15. VOCAVIT AVTEM ANGELVS DOMINI ABRAHAM SECVNDO] Quia primò vocauit eum, cùm vetuit ne filium immolaret, v. 11. Per angelum hunc Origenes intelligit Filium Dei: Filius Dei, inquit, sicut inter homines habitu repertus est homo, ita hîc inter angelos habitu repertus est angelus, non

A quasi angelicam naturam assumpserit, sed quia angeli munus, quod est Dei voluntatem annuntiare, hîc suscepit. Verùm contrarium docent passim Patres, scilicet angelum hunc fuisse angelum, non Filium Dei: patet enim ex sequentibus eum loqui vt legatum Dei, verbaque Dei enuntiare, quasi esset præco Dei; ergo fuit angelus, non Filius Dei.

QVIA FECISTI HANC REM] Hinc videtur quòd VERS. 16. Abraham hac sua obedientia & filij victima inter alia meruerit, saltem de congruo, vt ex sua stirpe potiùs quàm ex alia, imò ex eodem Isaac nasceretur Christus; ac consequenter idem meruit & Isaac. hoc enim est præmium obedientiæ, quod mox subijcit Deus dicens: ***Benedicentur in semine*** *Abraham obedientia sua meruit fieri pater Christi.*

B ***tuo omnes gentes terræ*** ita Perer. Vide quid sit Deo obedire; vide quàm grata, quanti meriti apud Deum sit obedientia. Præclarè S. Hieron. (vel quisquis est auctor) epist. de circumcis. ***Cùm***, inquit, ***vnico non parcit in terris, stellas pro filijs annumerare iubetur in cælis.*** Cur semen Abrahæ comparetur stellis dixi c. 15. v. 5.

POSSIDEBIT SEMEN TVVM PORTAS] putà, vr- VERS. 17. bes Chananæorum sub Iosue; Palæstinorum, Ammonitarum, Syrorum, &c. sub Dauide & Salomone. Est synecdoche: per portas enim intelligit vrbes; qui enim portas occupat, vrbem occupat. Sic Christus portas inferorum infernumque occupauit, & deprædatus est. Sic & Apostoli eo-

C rumque successores, Romam omnesque penè orbis vrbes subegerunt Christo, Christique fidei & Ecclesiæ.

BENEDICENTVR IN SEMINE TVO OMNES GENTES] VERS. 18. q.d. In Christo qui ex te nascetur, quasi semen, id est proles tua, imò Dei, benedicta, iustitiam, gratiam, salutem, & gloriam assequentur quælibet gentes. vide dicta ad Galat. 3. 16.

QVOD MELCHA QVOQVE GENVISSET FILIOS VERS. 20. NACHOR] Texitur hîc genealogia Nachor, tum in gratiam Abrahæ, cuius ipse erat frater; tum propter Rebeccam, quam sibi nurum, filio verò suo Isaac vxorem quæsiuit Abraham; vt ex ea manifestò constaret genus tam maternum, quàm paternum Iacobi & Iacobæorum, putà Israelitarum omnium.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moritur Sara: emit Abraham agrum cum spelunca duplici ab Ephrone, in eaq; sepelit Saram.

1. VIxit autem Sara centum vigintiseptem annis. 2. Et mortua est in ciuitate
Arbee quæ est Hebron in terra Chanaan: venitque Abraham vt plangeret &
fleret eam. 3. Cumq; surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:
4. Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam
mortuum meum. 5. Responderunt filij Heth, dicentes: 6. Audi nos domine,
princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusq; te
prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum 7. Surrexit
Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth. 8. dixitq; ad eos: Si pla-
cet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud
Ephron filium Seor. 9. vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema
parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulcri.
10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad A-
braham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens: 11. Ne-

quaquam ita fiat, domine mi, ſed tu magis auſculta quod loquor: Agrum trado tibi, & ſpeluncam quæ in eo eſt, præſentibus filijs populi mei; ſepeli mortuum tuum. 12. Adorauit Abraham coram populo terræ. 13. Et locutus eſt ad Ephron circumſtante plebe: Quæſo, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro: ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo. 14. Reſponditque Ephron: 15. Domine mi, audi me: Terra, quam poſtulas, quadringentis ſiclis argenti valet: iſtud eſt pretium inter me & te: ſed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum. 16. Quod cùm audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth: quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ 17. Confirmatuſque eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex, reſpiciens Mambre, tam ipſe, quàm ſpelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, 18. Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filijs Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius. 19. Atque ita ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre. hæc eſt Hebron in terra Chanaan. 20. Et confirmatus eſt ager, & antrum quod erat in eo, Abrahæ in poſſeſſionem monumenti à filijs Heth.

Vers.2. ARBEE, QVÆ EST HEBRON] Vnde Hebron dicta ſit Arbee, dicam Ioſue 15. Mortua eſt Sara anno ætatis 127. qui fuit Abrahæ 137. biennio poſt mortem Thare: mortuus eſt enim Thare anno Abrahæ 135.

A

VENITQVE ABRAHAM, VT PLANGERET ET FLERET EAM] Putant aliqui Saram mortuam eſſe abſente Abrahamo, & propterea dixiſſe Moſen, *Venitq́; Abraham*. Verùm *venire* apud Hebræos ſæpè ſignificat ordiri aliquid, accingere ſe ad aliquid faciendum. Sic Abraham hîc *venit*, id eſt accinxit ſe, ad plangendum Saram. vnde aliqui vertunt, *cœpit Abraham plangere Saram*.

Quid planctus. Nota. Planctus diſtinguitur à fletu, ſignificatque ſolemnem luctum, luctuſque & funeris pompam. Sic Stephano fecerunt planctum magnum, id eſt magnam luctus & funeris pompam, Act. 7. Sic Dauid ſolemni funere & carmine planxit Saul & Ionatham, cæſos in bello, 2.Reg.1.17. Sic vniuerſus Iuda & Ieruſalem planxit & luxit mortem Ioſiæ regis dilectiſſimi, 2.Paral.35.24.

B

Vers.4. IVS SEPVLCHRI] Hebraicè eſt אֲחֻזַּת קֶבֶר *achuſſat keber*, id eſt poſſeſſionem ſepulchri, ſiue ſepulchralem: non enim petit Abraham miſceri ſepulchris idololatrarum, ſed ſibi ſeorſum locum poſtulat, in quo ſepeliatur tā Sara quàm ipſe & poſteri. Myſticè Abbas Paſtor in Vitis Patrum rogatus à quodam, *Quid faciam vt ſaluer?* reſpondit: *Quando venit Abraham in terram repromiſsionis, monumentum ſibi cōparauit, & per ſepulchrum terram in hereditatem accepit.* q.d. Ita & tu per cogitationem mortis tendes ad ſalutem in cælum. Et dixit frater: *Quid eſt ſepulchrum?* reſpondit ſenex, *Locus flendi & lugendi.*

MORTVVM MEVM] Id eſt mortuam meam, vxorem ſcilicet. ita S.Auguſt. Secundò, ſimpliciùs, *mortuum meum*, ſcilicet corpus vel cadauer: vnde Vatabl. vertit, *funus meum*. Adde, poſt mortē nulla in corpore ſexus diſtinctio conſideratur; vnde rectè vocamus mortuum, ſiue is vir ſit, ſiue femina.

C

PRINCEPS DEI ES APVD NOS] quaſi dicant: Habemus, & reueremur te quaſi principem, &, vt Septuag. vertunt, *regem ſanctum*, qui Deo charus & curæ ſis, ac proinde inſignis & illuſtris ſis, eximieque venerandus. Suſpicimus te ob tuas virtutes, & propter Dei erga te fauorem, curam & protectionem: perinde ac ſi magnus eſſes princeps, ex cælo ad nos lapſus.

IN ELECTIS] in ſelectiſſimis ſepulchris noſtris ſepeli Saram. Non ſunt aſſecuti mentem Abrahæ, qui cum Hethæis, vtpote idololatris, miſceri & ſepeliri nolebat.

NVLLVSQVE TE PROHIBERE POTERIT] nemo erit tam proteruus, vt audeat velitque te prohibere.

ADORAVIT] Hebraicè eſt יִּשְׁתַּחוּ *iiſtachu*, id eſt, incuruauit ſe Abraham gratias agens, & honorem ac reuerentiam ciuilem exhibens Hethæis. ita Caietanus & alij. Vers.7.

SPELVNCAM DVPLICEM] Erat duplex, vel quia duas habebat cryptas, vnam pro ſepeliendis viris, alteram pro mulieribus, vt vult Procopius; vel quia vna erat interior, alia exterior, in qua quaſi incluſa erat interior. ita Aben Eſra. Vers.9.

PECVNIA DIGNA] pretio iuſto.

PORTAM CIVITATIS] Hinc videtur, quòd in portis, quaſi loco publico, quò omnes etiam exteri facilè conuenirent, olim tam commercia quàm iudicia peragi ſolerent. In portis ergo olim ſedebant iudices, ſcabini, & conſules, ibique omnia tam publica, quàm priuatorum negotia tractabant, vti iam ſedent & tractant in domo ciuica. Vers.10.

DABO PECVNIAM PRO AGRO] Nolebat Abraham agrum gratis habere, ſed emere iuſto pretio; tum, quia hoc eſt animi honeſti, liberalis, & regij; tum, ne poſteri Ephronis agrum repeterent, vel communem in eo ſepulturam poſtularent. Ita viri liberales inter ſe certant liberalitate, ſicut auari certant parſimonia. Narrat Ælianus, Alcibiadem Socrati præceptori lautiſſima munera miſiſſe. ea Socrates magno animo recuſauit. Xantippe vxore plurimùm inſtante: *Sua eſt Alcibiadi*, inquit, *nobis etiam noſtra ſit ambitio: Alcibiades dando, Socrates non accipiendo ſuam oſtendit liberalitatem.* Vers.13.

Dices, Emere ſepulturam & ius ſepulchri, eſt ſimonia. Reſpondet Primò, D.Thom.2.2.q.100. a.4. ad tertium, Abraham non emiſſe ius ſepulturæ, ſed tantùm agrum in quo ſepeliret Saram: ager autem per ſe vendibilis eſt.

Secundò, Abulenſ. Sepulchrum, inquit, fit ſacrum, ita vt vendi non poſſit ſine ſimonia, non effoſſione, ſed mortui in illud elatione; necdum ergo erat ſacrum, cùm illud emit Abraham. Hoc verum eſt iure ciuili Romanorum, quo ipſa illatione cadaueris fit locus religioſus.

Verùm hoc nihil facit ad crimen ſimoniæ, quod Eccleſiaſticum eſt, non ciuile: vt ergo locus ſepulturæ ſine ſimonia vendi non poſſit, debet eſſe ſacer conſecratione, ſiue benedictione Eccleſiaſtica, vt paſſim docent Theologi & Canoniſtæ. Tempore autem Abrahæ, necdum erat conſecratio ſiue benedictio Eccleſiaſtica (hanc enim Eccleſia Chriſtiana inſtituit) qua locus conſecraretur ad ſepul- *Locus ſepulturæ fit ſacer conſecratione, vt eum vendere ſit ſimonia.*

sepulturam: vnde sine simonia vendi poterat. ita Caietan. Lipoman. & alij. Adde, sepulchra, vti & sacerdotia, Gentilium, vtpote idololatrarum non esse sacra, sed profana; imò sacerdotia eorum diabolica sunt, ac proinde ea emere non est simonia. Gentiles tamen ea vendentes, ex conscientia erronea, qua putabant ea esse sacra, peccabant simonia ita D.Thom.

VERS. 16. QVADRINGENTOS SICLOS ARGENTI] putà 400. florenos Brabanticos; de siclo plura dicam Exodi c.30 v.13.

PROBATÆ MONETÆ PVBLICÆ] Hebræa, *argenti inter mercatores transeuntis*; LXX. *argenti probati mercatoribus*. mercatores enim monetam maximè discernere, appendere & probare solent, maximeque probam & probatam exigunt.

VERS. 17. CONFIRMATVS EST AGER] q.d. Per emptionem firmo & stabili iure translatus est hic ager, cum sua spelunca duplici, in dominium Abrahæ.

Considera, Abraham in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, sed tantùm sepulchrum proprium: quia volebat Dei monitu esse peregrinus in vita, tendereque ad cælum: in morte autem quasi in termino & confinio cæli, proprium sibi suorumque fidelium poposcit locum, ne cum infidelibus requiesceret. in morte enim est discriminatio fidelium & infidelium; ergo par est vt eadem sit & in sepulchro. Vide, quanta priscis patribus fuerit cura sepulchri, & quanta iam esse debeat fidelibus, vt in locis sacris cum fidelibus & sanctis sepeliantur, idque ob spem beatæ resurrectionis cum eis: infideles enim & hæretici suam habent asini sepulturam.

Sepultura inter fideles quanti sit

Hac de causa in hoc Saræ sepulchro sepultus est Abraham, Isaac, Rebecca, & Lia: quin & Iacob in idem ex Ægypto transferri voluit. Sic, vt habet Regum historia, Samuel, Saul, Ionathas, propheta à leone occisus, 3 Reg. 13 Iosias rex & alij honorificè cum suis sepulti sunt. Sic Tobias officium sepulturæ corporibus fidelium, à tyranno trucidatorũ, benignè exhibuit. Sic Ioannes Baptista à suis discipulis studiosè ad sepulturam, ex carcere elatus est. Sic Ioseph ab Arimathia corpus Christi à Pilato petijt, & in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, condidit. Sic S. Antonius à Deo missus est ad S. Paulum primum Eremitam, vt eum sepeliret, cumque sarculum non haberet, duo leones illi sepulchrum vnguibus suis effoderunt.

EPHRONIS] S. Stephanus Actor. 7. asserit hunc agrum emptum esse non ab Ephrone, sed à filijs Hemor, aliaque quædam habet, quæ cum hoc loco non satis consentire videntur; sed de ijs dicendum est Actor. 7.

MAMBRE, HAEC EST HEBRON] Hebron dicta est Arbee, dicta est & Mambre, à conualle adiacente quæ dicta est Mambre, à viro potente Mambre, qui eam possidebat, quique cum Abraham pugnauit contra quatuor reges, c. 14. 13. VERS. 19.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Adiurat Abraham seruum suum, vt Isaaco vxorem quærat ex Haran. adducit ille Rebeccam: adductam Isaac capit.

1. ERat autem Abraham senex, dierumq; multorum: & Dominus in cunctis bene-
dixerat ei. 2. Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omni-
bus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, 3. vt adiurem te per Do-
minum, Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæo-
rum, inter quos habito: 4. sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & in-
de accipias vxorem filio meo Isaac. 5. Respondit seruus: Si noluerit mulier venire
mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu
egressus es? 6. Dixitque Abraham: Caue nequando reducas filium meum illuc.
7. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ,
qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc ipse mittet
angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo. 8. sin autem mulier no-
luerit sequi te, non teneberis iuramento: filium meum tantùm ne reducas illuc 9. Po-
suit ergo seruus manum sub femore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermones
hoc. 10. Tulitque decem camelos de grege domini sui, & abijt, ex omnibus bonis
eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor.
11. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vespere,
tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: 12. Domine Deus
domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino
meo Abraham. 13. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ci-
uitatis egredientur ad hauriendam aquam. 14. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina
hydriam tuam vt bibam: & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa
est, quam præparasti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam quòd feceris misericordiam
cum domino meo. 15. Necdum intra se verba compleuerat: & ecce Rebecca egre-
diebatur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam
in scapula sua: 16. puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro:
descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. 17. Occur-
ritq; ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. 18. Quæ
respon-

respondit: Bibe domine mi. celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. 19. Cumque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. 20. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit. 21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, an non. 22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem. 23. Dixitque ad eam: Cuius es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum? 24. Quæ respondit: Filia sum Bathuelis filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor. 25. Et addidit dicens: Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. 26. Inclinauit se homo, & adorauit Dominum, 27. dicens, Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. 28. Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. 29. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons. 30. Cumque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum, qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ: 31. dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? præparaui domum, & locum camelis. 32. Et introduxit eum in hospitium: ac destrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant cum eo. 33. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere. 34. At ille: Seruus, inquit, Abraham sum: 35. & Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatusque est: & dedit ei oues & boues, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos. 36. Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. 37. Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: 38. sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo. 39 ego verò respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier? 40. Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiesque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. 41. Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi. 42. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo. 43. Ecce sto iuxta fontem aquæ; & virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: 44. & dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio domini mei. 45. Dumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere. 46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquauit camelos. 47. Interrogauiq; eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius. 48. Pronusque adoraui Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerē filiam fratris domini mei filio eius. 49. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram. 50. Responderuntque Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. 51. En Rebecca coram te est, tolle eam & proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicut locutus est Dominus. 52 Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum. 53. Prolatisq; vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius & matri dona obtulit. 54. Inito conuiuio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Surgens autem manè, locutus est puer, Dimitte me, vt vadam ad dominum meum. 55. Responderuntque fratres eius & mater, Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur. 56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me vt pergam ad dominum meum. 57. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. 58. Cumque vocata venisset: sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait Vadam. 59. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruumque Abraham, & comites eius, 60. imprecantes prospera

sorori

sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen
tuum portas inimicorum suorum. *61.* Igitur Rebecca & puellæ illius, ascensis ca-
melis, secutæ sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suum. *62.* Eo autem
tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad Puteum, cuius nomen est Viuentis
& videntis: habitabat enim in terra Australi: *63.* & egressus fuerat ad meditandum
in agro, inclinata iam die: cumque eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul.
64. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo, *65.* & ait ad puerum:
Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est domi-
nus meus. At illa tollens citò pallium, operuit se. *66.* Seruus autem, cuncta quæ gel-
serat, narrauit Isaac. *67.* Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, &
accepit eam vxorem & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius ac-
ciderat, temperaret.

VERS. 1. ERAT AVTEM ABRAHAM SENEX] Erat Abraham 140. annorum cùm seruum misit, vt Rebeccam vxorem quæreret Isaaco. Isaac enim duxit Rebeccam anno ætatis suæ 40. (vt patet cap. seq. v. 20.) qui fuit Abrahæ 140. natus est enim Isaac anno Abrahæ centesimo. ætas ergo Abrahæ superat ætatem Isaaci centum annis. ita S. August.

VERS. 2. SERVVM SENIOREM] œconomum suum Eliezer, de quo c. 15. 2.

PONE MANVM TVAM SVBTER FEMVR MEVM] q.d. Me sedente pone sub coxa mea manum tuam, & hoc ritu ac cæremonia mihi iura, quòd filio meo non accipies vxorem Chananæam. Ad literam, hic fuit ritus iurantium per femur: quia femur causa & symbolum est generationis & vitæ. Femur ergo tenendo iurantes, testabantur Deum vitæ auctorem, in cuius manu est salus nostra. q.d. Si rectè & verè iuro, & iuratum præsto, Deus mihi vitam longam & felicem, quæ femore significatur, præstet: sin fallo & peiero, peream, neque particeps sim vitæ, quæ processit ex femore. ita Martinus de Roa lib. 4. Singul. c. 4.

Putant Hebræi, hanc cæremoniam ponendi manum sub femore, fuisse solemnem Iudæis in iuramento, ob significationem & reuerentiam sacramenti circumcisionis, quod in membro femori vicino celebrabatur. Verùm hoc falsum esse videtur: nam soli Abraham & Iacob hac cæremonia suos adiurarunt: cæteri verò in Scriptura manu in altum (vti & modò fit) eleuata iurasse leguntur. *Iurabant olim ponendo manum sub femore, cur?*

Nota ergo, per femur siue coxam, partes etiam genitales, quæ inter femora sunt, tacitè intelligi & comprehendi. Sic enim filij Iacob dicuntur egressi de femore, id est genitalibus, eius, Genes. 46. v. 26. & alibi.

Hoc ergo symbolo & cæremonia ponendi manum sub femore, significat Abraham, ex femore suo iam natum esse Isaac, & ex eodem per Isaac nascituram esse sobolem magnam, imò Christum, semen suum benedictum, sibi à Deo promissum. Vt ergo hæc soboles, & Christus ex se per Isaac nascatur, hac de causa Isaaco hìc fidelem quærit vxorem, seruumque suum, vt talem ei quærat, per femur, quasi per sobolis originem; item per femur, id est per Christum, vtpote ex femore suo nasciturum, adiurat, id est obstringit & iurare compellit. Primus enim qui hac forma adiurationis est vsus, fuit Abraham: eum deinde secutus est nepos Iacob, cap. 47. 29. ita S. Hieron. Theodor. August. serm. 75. Ambr. l. 1. de Abraham c. vlt. Prosper 1. p. Prædict. c. 7. & S. Gregor. qui sic ait: *Manum sub femore iubet ponere; quia per membrum illud descensura erat caro eius, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, & dominus eius ex diuinitate. quasi dicat:* A *Tange filium meum, & iura per Deum meum. Vnde non super femur, sed sub femore manum ponere iussit; quia inde erat ille descensurus, qui homo quidem, sed super omnes homines veniret.*

ADIVREM] Id est, iuramento tuo te obstringam, iurare te faciam. ita Hebræa. Cogit enim Abraham seruum sibi hac cæremonia iurare. Vnde de facto seruus ei hoc ritu iurauit, vt patet v. 9. Non ergo adiurare hìc significat per sacra obtestari aliquem, sed adigere eum ad iuramentum, & iuramento hoc eum obstringere ad aliquid promittendum, vel faciendum. VERS. 3.

VT NON ACCIPIAS VXOREM FILIO MEO, DE FILIABVS CHANANÆORVM (quia Chananæi impij erant & idololatræ) SED AD TERRAM ET COGNATIONEM MEAM PROFICISCARIS] non in Chaldæam, sed in Mesopotamiam, putà in Haran ad B domum Nachor fratris mei, vt patet v. 10. in Haran enim Abraham cum patre, & tota cognatione migrauit c. 12. v. 1. Licet enim domus Nachor more gentis, cum qua habitabat, idola coleret, vt patet c. 31. v. 30. tamen aliquid de vnius Dei cultu norat & seruabat, adeoque cum idolis simul Deum cæli colebat, vt patet hìc v. 31. Eratque hæc domus bene morata, vt patet ex sequent. VERS. 4. *Noluit Abraham vt Isaac duceret Chananæam, cur?*

Tropol. quàm cauenda sint infidelium, hæreticorum, & impiorum connubia, vide apud S. Chrysost. & Ambros. lib. 1. de Abraham c. vlt. *Sæpè*, ait Ambros. *illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Primùm ergo in coniugio religio quæritur. Disce ergo quid in vxore quæratur: non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis.* Allegor. idem ibidem: *Vbi*, ait, *inuenitur* vxor Isaac, putà Christi, hoc C est *Ecclesia, nisi in Mesopotamia? ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratiæ & fletu pœnitentiæ. Muniunt eam Tigris, hoc est prudentia; & Euphrates, hoc est iustitia, & illuminatio fructuosa, à barbaris separans gentibus.*

CAVE NE QVANDO REDVCAS FILIVM MEVM ILLVC] *Reducas*, id est, reducendum promittas. q.d. Si filia, quam in Haran quæris, huc ad me & Isaacum venire nolit, sed velit eò Isaac venire ad se, ne consentias, nec promittas ei matrimonium filij mei; quia Deus ex Mesopotamia me & meos in perpetuum exire voluit, atque venire in terram hanc, quam mihi meisque promisit. VERS. 6.

IPSE MITTET ANGELVM SVVM] Ecce prisci Hebræi credebant, custodes angelos hominibus à Deo dari, vt eos seruent, ducant, doceant, dirigantque. Simile est Tobiæ 5. v. 5. Censet Scaliger, angelum dici à Persico *angar*, id est cursor, nuncius, mutato r in l. sicut pro Belial dicitur Beliar: sic enim & Hebræi à Persico *angar*, epistolam latam VERS. 7.

latam à cursoribus, siue angaris, vocant *iggeret*, quasi *ingeret*.

VERS.9. IVRAVIT ILLI SVPER SERMONE HOC] iurauit se fideliter sermones & iussa Abrahæ domini sui completurum.

VERS.10. AD VRBEM NACHOR] ad Haran in qua erat domus Nachor, distans à Bersabée, vbi tunc versabatur Abraham, itinere septem vel octo dierum. ita Abulens.

VERS. 11. OCCVRRE] Hebraicè הַקְרֵה *hacre*, id est, fac mihi occurrat, scilicet id quod peto, putà talis filia, qualem Isaaco vxorem cupit Abraham. Septuag. vertunt, *prosperum fac mihi occursum*.

Moral. vxor bona est donum Dei insigne. Discant hîc Christiani, sibi suisque coniuges quærere, non tam conciliatione hominum quàm Dei: nec tam spectent opes, formam & genus, quàm educationem & mores probos & commodos. Ita Pulcheria fratri suo Theodosio Imper. Eudoxiam pauperem, sed bene eruditam & moratam vxorem curauit. Verùm quia multi secùs faciunt, hinc tam multa litigiosa & infelicia videmus matrimonia. Rectè ergo ait Sapiens Prou.19.14. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens.* Ita Rebecca Isaaco, Ruth Booz, Sara Tobiæ, vxores à Deo datæ, pacificum, fœcundum & felix habuere coniugium. Nam, vt ait Sapiens Prouerb 18. v.22. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* Bona enim, strenuaque & prudens mulier, est rara auis in terris. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni*, inquit Salomon Eccles.7. v.28 Hinc Cato dixit, mulierem esse malum necessarium. Vis scire quantum malum sit mala mulier, audi Eccles.c.25.17. *Omnis malitia nequitia mulieris.* & v.22. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* & v.31. *Plaga cordis mulier nequam.* Deus ergo fornicarijs, adulteris, alijsque impijs in pœnam peccati dat malas vxores: quæ plaga est maxima & continua: durat enim per totam vitam.

E contrario, *mulieris bonæ beatus vir. Mulier fortis oblectat virum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis*, Eccli.26.v.1.2.3. Cuius rei exemplum memorabile extat apud Sophronium, vel potiùs Ioannem Moscum in Prato spirit. cap.201. de Constantinopolitano quodam nobili, qui sua pauperibus distribuens, moriens filio suo Iesum Christum reliquit curatorem. Christus enim ob patris eleëmosynas, filio diuitem & probam curauit vxorem, cum qua sanctam & iucundam egit vitam. Verè ergo Siracides Eccli.26.16. *Gratia*, inquit, *mulieris sedula delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit: disciplina illius datum Dei est, gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.*

VERS.13. *Omen sacrum.* ECCE EGO STO] Petit hic seruus à Deo certo signo à se designato, vxorem Isaaci futuram sibi demonstrari; ad hoc signum designandum motus est & instigatus à Deo; vnde & illud adhibuit cum certa spe diuinæ prouidentiæ, opis & directionis, iuxta ea quæ sciebat Deum Abrahæ promisisse, & Abraham sibi, dicendo: *Deus mittet angelum suum coram te.* Vnde & signum hoc sibi exhiberi petit humili prece præmissa. Denique signum hoc esse à Deo, euentus qui secutus est tam prosper declarauit: alioqui enim hic seruus temerario omine & diuinatione tentasset Deum. Simile fuit omen Ionathæ, quod ex Dei instinctu captauit ex verbis Philisthinorum de ijs inuadendis, illudque sequens eos cecidit: *Si dixerint*, inquit, *Ascendite ad nos, ascendamus: quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. hoc erit nobis signum*, 1.Reg.14.10.

Sic Gedeon ex somnio Madianitæ, captauit omen victoriæ, Iudic.7.v.13.

Simile fuit omen Clodouæi. qui castra mouens contra Gothos, munera misit Turonam ad S. Martinum. legatis mandans: *Ingressuri templum, obseruate quæ futuri euentus ex bello quod paramus, coniecturam possint præbere* parent illi. & venientes ad templum, audiunt monachos illud Dauidicum psallentes: *Præcinxisti me virtute ad bellum*, captatoque omine felici, ad regem redeunt, omen nuntiant; quod euentus declarauit fuisse non vanum, sed diuinum. testis est Fulgos l.1.c.3.

E contrario superstitiosum fuit omen Nabuchodonosor, quod ipse, non Dei, sed suo, vel dæmonis instinctu, captauit, cùm dubitaret, an Ammonitas, an Iudæos inuadere deberet. capiens enim duas sagittas, vni inscripsit nomen Rabbath (quæ erat Petra Arabiæ, metropolis Ammonitarum) alteri nomen Ierusalem. eas deinde commiscuit: mox vnam cæcè eduxit; cui inscriptum videns Ierusalem, statim contra eam perrexit, Ezech.21.21.

Simile omen fuit Philisthinorum, qui ex vaccarum arcam Domini vehentium itinere & gressu coniecerunt, an plaga eis immissa, à Deo, an casu obuenisset, 1.Reg.6.v.7. Plura de omine sacro & licito, ac profano, illicito & superstitioso, vide apud Pererium hîc.

Nota. Hoc signum quod statuit hic seruus, congruum fuit: erat enim signum bonæ vxoris & indolis affabilis, hospitalis, prouidæ & strenuæ. ita S.Chrysostomus, Theodor. Rupert.

FONTEM] puteum, vt patet v.11. & 20. sic enim in Scriptura fons & puteus idem sunt.

IPSA EST] ea sit, quam præparasti vxorem Isaaco. q.d. Quæso Domine, vt quam tu visesse vxorem Isaaci, illa ipsa (eaque sola) hæc faciat & dicat, quæ ego hîc postulo; vt ex his eius factis dictisque cognoscam quòd ipsa sit, & non alia. VERS.14.

ET ECCE REBECCA EGREDIEBATVR] Nota hîc speculum virginum in Rebecca. nam Primò, non otiosa sedet vt pleræque, sed laboriosa hydriam gestat, aquamque haurit. Secundò, cùm aquam hausit, reuertitur, non diu moratur in publico; & licet seruum Abrahæ videret, non tamen curiosè inspicit, vel alloquitur. Tertiò, cùm seruus ab ea petit potum, statim consistit, offert, benignè alloquitur, dominum vocat: plus offert quàm ille petierat, non grauatur incognito seruire; cùm nostræ subinde tam morosæ sint, vt vix alloqui homines dignentur, præsertim extraneos, quasi ij ad se nihil pertineant. Quartò, quamuis audiret eum esse seruum Abrahæ, non tamen ipsa eum in domum introducit: hoc enim virgini indecorum fuisset; sed currit, ac in domo matri nunciat. Quintò, non curiosè inquirit cur seruus hic aduenerit, aut quid sibi velit: virgo enim non debet esse curiosa. Sextò, obtemperat parentibus, cùm videt eos consentire, vt ad Isaac pergeret; tametsi durum esset ei relinquere parentes & patriam, nihil contradicit. Septimò, non mollis est, sed virilis: camelum enim conscen- VERS.15. *Rebecca, speculum virginum octuplex.*

conscendit, & iter longum ingreditur. Octauò, cùm vidit Isaac, statim è camelo descendit, & se operuit; vnde apparet eius verecundia & reuerentia erga sponsum.

VERS. 21. CONTEMPLABATVR EAM TACITVS] admirans eius non formam tantùm, sed officiositatem, sedulitatem, beneficentiam, liberalitatem, atque explorans num per omnia ita se gereret, talisque esset, quæ digna esset Isaaco, quæque suis & Abrahæ votis responderet.

VERS. 22. INAVRES AVREAS, APPENDENTES SICLOS DVOS] Nota. Hic seruus vtrique auri Rebeccæ vnam dedit inaurem, id est vniuersim duas: ita vt quæque appenderet dimidium siclum, siue drachmam vnam, vt habent Septuag. Hebræa, & Chaldæa: ac consequenter vtraque simul appenderet siclum vnum, siue drachmas duas.

Dices, Quomodo ergo noster Interpres vertit *siclos duos*? Respondeo, Noster siclos minores, siue dimidiatos intelligit. Dimidium enim sicli vocatur subinde siclus, sicut regalis apud nos maior est & minor siue dimidiatus: maior enim est 10. stuferorum, minor 5. stuferorum. Vide dicta in fine libri, de ponderibus.

VERS. 27. NON ABSTVLIT MISERICORDIAM ET VERITATEM SVAM A DOMINO MEO] q.d. Deus misericors fuit & verax erga herum meum Abraham; misericors in pollicendo, verax in præstando promissa: vti iam video Deum misericorditer & veraciter iter meum direxisse ad cognatos Abrahæ, & ad Rebeccam, vt eam acciperem vxorem Isaaco.

VERS. 28. IN DOMVM MATRIS SVÆ] Quia in domo veterum Hebræorum alia erant habitacula & domus virorum, alia mulierum. Seorsim enim in gynæceo mater cum puellis degebat, vti docet Nic. Serarius in Hester c.2. pag. 469. Adde, viri tum plures habebant vxores, quæ seorsim ad pacem seruandam habitabant. ita Caietanus & Thomas Anglicus. Ad hoc gynæceum cucurrit Rebecca, ostendens inaures acceptas à seruo Abrahæ.

Nota. Rebecca ostentat sua dona matri: nam vulgò dicitur,

Quæ recipit dona, femina nulla bona.

quod intellige, si ea furtim, & fine suorum consilio aut consensu recipiat.

VERS. 29. *Laban speculum patrumfamilias octuplex.* HABEBAT AVTEM REBECCA FRATREM, NOMINE LABAN] Sicut Rebecca speculum fuit virginum, sic Laban patrum-familias. nam Primò, cùm audisset verba sororis, statim egreditur ad virum inuitandum, non expectat donec rogetur. Secundò, benignè eum alloquitur & piè: *Ingredere*, ait, *benedicte Domini*. Tertiò, non tantùm ipsum introducit, sed & eos qui cum ipso erant, nihil veritus sumptuum magnitudinem. Quartò, ipsemet Laban camelos destrauit, aquam lauandis pedibus attulit, mensam parauit, &c. Vide hîc, quanta fuerit priscorum hospitalitas. Quintò, cùm audisset rem vt erat gesta, non contradixit, sed intulit: *A Domino egressus est sermo*, quo rem hanc non casui aut fortunæ, sed diuinæ ordinationi adscripsit. Sextò, ipse & Bathuel parens non cogunt puellam, sed inquirunt eius voluntatem. Septimò, cùm vident seruum festinare, non retinent eam, sed sinunt abire, adduntque nutricem eius, vt haberet quæ ipsam curaret & instrueret. Octauò, benè precatur sorori.

VERS. 30. CVMQVE VIDISSET] postquam viderat & audierat. Est hebraismus, quem Vatablus clarè explicat ita vertens, *viderat enim inaures, audieratque verba Rebeccæ.*

INGREDERE BENEDICTE DOMINI] Id est, benedicte à Domino, qui scilicet es in Dei gratia, cuique Deus fauet, quemque prosperat, atque vt fauere & prosperare pergat, oramus & optamus. VERS. 31.

PRÆPARAVI DOMVM] curaui præparari domum, mandaui famulis vt præpararent tibi hospitium.

BENEDIXIT DOMINO MEO VALDE] insigniter ditauit eum. VERS. 35.

DEDITQVE ILLI OMNIA] dare decreuit, destinauit dare illi omnia, quasi vnigenito suo: necdum enim Abraham possessione bonorum se abdicarat, necdum ea in Isaac transtulerat. Vox ergo *dedit*, significat actum non completum, sed inchoatum & destinatum. vti & vox *præparaui*, v.31. VERS. 36.

IN CVIVS CONSPECTV AMBVLO] quem quasi præsentem intueor, & reuereor, & colo. Sic in conspectu Dei, siue coram Deo, & cum Deo ambulauit Henoch c.5.v.22. & Noë c.6.v.9. vide ibi dicta. q.d. Quia ego Deum ita colo, hinc vicissim Deus mittet angelum suum, vt me meaque per te dirigat & prosperet. VERS. 40.

INNOCENS ERIS A MALEDICTIONE] absolutus eris tuo iuramento execratorio, & consequenter à maledictione & pœna quam tibi iurando imprecatus es, casu quo illud violares, dicendo de more: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, si non fecero iussa Abrahæ heri mei. VERS. 41.

SVSPENDI] dedi vt suspenderet. patet v.30. VERS. 47.

SI FACITIS MISERICORDIAM ET VERITATEM] Nota. His duobus Scriptura complectitur omne officium virtutis. omne enim vel indebitum & liberale est, & est misericordia, vel præceptum est & debitum, siue ex iustitia, siue ex pietate, siue ex alia virtute, & vocatur veritas. hîc ergo veritas, est pietas, quam parentes Rebeccæ debebant cognato suo, imò patruo Abrahamo. ita Oleaster. VERS. 49. *Quid misericordia & veritas*

Aliter Caietanus, Veritas, inquit, hîc est verificatio. q.d. Si verificare vultis, veraque ostendere & efficere tot signa diuinæ voluntatis, quibus Deus ostendit se velle Rebeccam Isaaco tradi.

VT VADAM AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTRAM] Est hebraismus. q.d. Vt sciam qua via mihi eundum sit, quid mihi agendum sit; vtrùm hîc sistere, an aliò pergere debeam: poterat enim ex alijs filijs Nachor (habuit enim vndecim, vt patet c.22.21.) vxorem petere Isaaco, idque fecisset, si in Rebecca repulsam tulisset.

RESPONDERVNTQVE LABAN ET BATHVEL] Laban frater erat Rebeccæ, ac proinde filius Bathuelis, sed qui patre senescente videtur familiam administrasse: vnde hîc passim pro patre loquitur, & matrimonium Rebeccæ cum Isaaco conficit. Sapienter S. Ambros. Rebecca, ait, *iudicium expectat parentum: non est enim virginalis pudoris eligere maritum.* Vnde & Andromacha apud Euripidem: *Sponsalium, inquit, meorum pater meus curam subibit: hoc enim non est meum.* VERS. 50.

A DOMINO EGRESSVS EST SERMO] hoc negotium diuino nutu geritur: hæc est voluntas Dei, vt Rebeccam tradamus Isaaco.

SICVT LOCVTVS EST DOMINVS] non voce, sed signo, quo voluntatem suam ostendit v.14. ita S. August. q.67. VERS. 51.

PVER] seruus. VERS. 52.

VERS. 57. QVÆRAMVS IPSIVS VOLVNTATEM] non de nuptijs cum Isaaco: in has enim Rebeccam iam antè consensisse colligitur ex v. 51. 53. 54. & 55. sed de subito abitu à parentibus, & profectione in Chanaan ad Isaacum. ita S. Ambros.

Allegor S. Ambros. Rebecca, ait, repræsentat Ecclesiam è gentilismo vocatam à Christo ad connubium: *qua vocata non fecit moram, & ideo acceptior Domino: quia populus Iudæorum qui erat ad cænam vocatus, dignus non fuit venire: congregatio autem Gentium simul vt accersiri se vidit, occurrit. Cùm veheretur camelo venit ad maritum, eò quòd populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate, qui forma sua nullum habebat decorem, fidem esset atque consensum Ecclesiæ recepturus.*

VERS. 62. PER VIAM] per desertum, scilicet Sur, in quo, vtpote vicino, solus Isaac meditaturus inambulare solebat. Solitudo enim aptissima est orationi, æquè ac speculationi & contemplationi. Sciuerunt id Gentiles. Plato post longam peregrinationem Athenas reuersus, secessit in locum suburbanum, arboribus vmbrosum, qui ab Academo possessore dictus est Academia, ibique philosophatus est, & gymnasium erexit.

Cicero sæpè à negotijs & vrbe secedebat in rus, ibique philosophabatur. testis est ipse lib. 3. Offic.

Poëtæ olim recipiebant se in auios montes, ibique in solitudinis recessu carmina pangebant. Ita Hesiodus canit se poëticen à Musis didicisse, sed in monte Helicone, dum agnos pasceret, indicans solitudinem esse ingenij suscitabulum. nimirum, *carmina secessum scribentis & otia quærunt.*

Euripides in insula Salamine tragœdias suas scripsit, in spelunca tetra & horrida, quam A. Gellius se vidisse scribit.

Horatius negat se Romæ poëmata pangere posse.

E fidelibus Elias, Elisæus, Ioannes Baptista, Hieronymus, Basilius, Nazianz. plurimique alij in eremum secesserunt, ibique sapientiæ & contemplationi vacarunt; idque exemplo Christi, qui noctu oraturus secedebat in mõtes, vti in Thabor in transfiguratione, & in hortum tempore passionis.

Vidimus hîc autographum Thomæ à Kempis de Imitat. Christi, in cuius initio hæc legebatur sententia: *In omnibus requiem quæsiui, & non inueni, dan in een hoecxken met een boecxken*, id est, *nisi in angello cum libello.* Hoc est quod magnus ille Arsenius eremita dicebat: *Non possum simul cum Deo & hominibus habitare.*

AD PVTEVM] de quo c. 16. v. 14. & cap. seq. v. 11.

IN TERRA AVSTRALI] Chananææ, scilicet non longè à Bersabëe.

VERS. 63. AD MEDITANDVM] Septuag. vertunt, ἀδολεσχῆσαι, id est, ad se exercendum, putà ad faciendum spirituale exercitium meditationis. ἀδολεσχῆσαι enim significat, magno studio & solertia alicui rei esse intentum, ait Procopius, estque animi cum delectatione studiosissimè cogitantis & meditantis, inquit S. August. Meditabatur ergo hîc Isaac, *Meditatio Isaaci.* tum res naturales, vti motus & cursus siderum, eorumque auctorem & motorem Deum. ita Hebræi, Lyranus, & Tostatus: nam, vt ait Periander, *Sapientis vita est meditatio*: &, *Docto cogitare est viuere.* Ita Carneades cogitationibus quasi alebatur. Hinc sapiens nihil miratur, pueri ad omnia obstupescunt: illi enim omnia præuisa & præmeditata sunt, his nihil. Tum potiùs meditabatur Isaac res

A cælestes & diuinas. ita S. Ambrosius lib. de Isaac cap. 1 *Sapientis enim est*, inquit, *segregare se à voluptatibus carnis, eleuare animam, atque à corpore abducere. Hoc est enim se hominem cognoscere.* Pergit S. Ambros. toto libro, sub typo Isaac describere progressum animæ sanctæ, quæ ad spiritale cum Christo connubium aspirat. vnde Chald. vertit, *exiuit ad orandum.* Hinc Alcuinus docet, Isaac hîc fuisse typum Christi, qui vespere & noctu oraturus secessit in montem. Perperam Aquila & Symmachus vertunt, *Isaac exiit ad confabulandum in agro*, putà cum suis rusticis & operarijs.

REBECCA QVOQVE CONSPECTO ISAAC DESCENDIT] suspicata nimirum id quod erat, hunc esse Isaac maritum suum, se ex camelo in terram demisit, honoris sponso suo deferendi caussa. VERS. 64.

Secundò & meliùs dicemus, hîc esse hysteron proteron. B priùs enim videtur Rebecca rogasse seruum, quis esset ille qui illis occurrebat, cumque respondisse, esse Isaac; actum demum è camelo in terram desilijsse Rebeccam.

PALLIVM] vt eo quasi flammeo honestatis & pudoris caussa, noua nupta coram sponso suo se tegeret & obnuberet. vide dicta c. 20. v. 16. VERS. 65.

Vide hîc nouæ sponsæ Rebeccæ verecundiam. *Considera*, inquit S. Chrys. hom. 48. *quomodo nusquã superflua illa & inutilia, nusquã diabolica pompa, nusquam cymbala, & tibia, & chorea, & satanica illa conuiuia & scommata omni obscenitate plena: sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis bonitas*, &c. Et S. Ambros. Rebecca videns Isaac, ait, *descendit & caput suum pallio obnubere cœpit, docens verecundiam nuptiis præire debere. Inde enim & nuptiæ dictæ, quòd pudoris gratia puellæ se obnuberent. Discite ergo virgines quemadmodum seruetis verecũdiam, ne intecto capite prodeatis* C *ante extraneos, cùm Rebecca iam desponsata designatum maritum aperto capite non putauerit videndum.*

IN TABERNACVLVM SARÆ] Triennio post mortem Saræ, duxit Isaac Rebeccam, vt patet ex dictis cap. huius v. 1. hinc patet seorsim à viris habitasse vxores, vt dixi v. 28. VERS. 67.

Notat Naunius in Cantic 3. sponsam olim ductam fuisse in tabernaculum vel cubiculum socrus suæ, vt significaretur, quòd nouella sponsa esset futura materfamilias, ex qua liberorum, successionis, & familiæ filum produceretur & propagaretur; quodque ipsa in pari honore & gradu futura esset apud domesticos, quàm fuerat sponsi mater. Quare sponsa ipsa rem similem sponso (quò firmior sit charitas) se facturam vicissim pollicetur, dicens Cant. 3. 4. *Introducam illum in domum matris* D *meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* q. d. Sponsus me loco matris suæ habebit, inducetque in eius cubiculum & locum. *Propter hoc enim relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*: vicissim ego sponsa illum parentum loco habebo, & introducam in locum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Allegor. Abraham Deum Patrem significat, *Alleg. totius capitis.* Isaac Christum, Rebecca Ecclesiam, imò quamuis fidelem animam, seruus Abrahæ Apostolos. Attende, quid hæ quatuor personæ hoc capite gesserint, & videbis quid ad salutem nostram fecerit *Primò Abraham est Deus Pater ob sex analogias.* Deus Pater, quid Christus, quid Apostoli, & quid nobis faciendum sit.

Primò ergo, sicut Abraham vnicum habuit filium, cui omnia sua dedit: sic & Deus Pater, &c. *Prima.*

Secundò, Abraham non vult filium suum solum *Secunda.* esse,

esse, sed cogitat ei vxorem dare, vt filios procreet: A sic Deus Pater vult Christum iungi Ecclesiæ, aitque ei, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem*, &c. Tertiò, Abraham primus facit mentionem nuptiarum, ipse seruum mittit, alioqui non iturum; ipse vxorem vocari facit, alioqui ex se non venturam: sic Deus auctor est & principium salutis nostræ, alioqui ad Christum numquam venissemus: ipse Prophetas & Apostolos misit, qui nos vocarent. Quartò, Abraham non per se, sed per seruum seniorem & fidelissimum hoc executus est: sic & Deus oues & sponsam suam committit pastoribus fidelissimis. hinc Petro ter dicit: *Diligis me plus his? pasce oues meas.* Quintò, Abraham seruum adiurat: sic Deus prædicatoribus prædicandi officium sub graui pœna iniungit: *Væ mihi si non euangelizauero*, ait S. Paulus 1. Cor. 9. & Ezech. 3. Deus sanguinem pereuntium de manu speculatorum requirit. Sextò, Abraham filio cupit vxorem, sed quæ eiusdem sit sanguinis, eisdem moribus prædita quibus Isaac: sic Deus sanctam vult habere Ecclesiam, quæ filio suo sit honori, non pudori. *Sancti, inquit, estote: quia ego sanctus sum.*

Tertia. *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.*

Secundò, in Isaac videmus quid Christus tempore suæ desponsationis fecerit. Primò, Isaac egressus fuerat in agrum, Christus in mundum. Secundò, Isaac vespere egressus est: Christus venit in vltima ætate mundi. Tertiò, Isaac tunc habitabat in parte Australi: Christus veniens ab Aquilone frigido, qui iudicium designat, conuertit se ad Austrum misericordiæ. Quartò, Isaac deambulabat ad puteum Viuentis & videntis. Viuens & videns Deus est: ipsius enim oculis omnia nuda sunt & aperta. Fons huius viuentis & vidẽtis est S. Script. C Via ad fontem est humilitas passionis: per hanc viam deambulabat Christus in sua peregrinatione, nunc hanc, nunc illam Scripturam implens, donec impletis omnibus diceret, *Consummatum est.* Quintò, Isaac sponsæ venienti occurrit: & Christus omnibus ad se venientibus per gratiam occurrit, vt patet in Zachæo & filio prodigo. Sextò, Isaac Rebeccam in vxorem accepit, non in famulam: sic & Christus Ecclesiam. Septimò, Isaac Rebeccam induxit in tabernaculum Saræ matris: Christus Ecclesiam Gentium induxit in locum Synagogæ Iudæorum, ex quibus progenitus erat. Octauò, Isaac ita dilexit Rebeccam, vt dolorem ex morte matris temperaret: sic & Christus videns ciuitatem fleuit super eam; sed adeptus Ecclesiam Gentium dolorem temperauit.

Secundò, Isaac est Christus ob octo analogias. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.*

Tertiò, in seruo Abrahæ describitur officium D Apostolorum & prædicatorum. Primò, seruus iussu heri exijt vt quæreret sponsam, nesciens quam & qualem, sed Domino commisit effectum & successum rei: sic Apostoli egressi prædicauerunt vbique, cùm nescirent, qui credituri essent. ipsi spargebant semen, Domino committebant fructum. Secundò, seruus tulit secum de omnibus bonis heri, quibus puellam ornaret: sic Apostoli non venerunt vacui, sed magna munera attulerunt, scilicet gratiam, pacem, miracula, sanctitatem vitæ & morum, &c. Tertiò, seruus Abrahæ ad fontem stat, & deliberat, quæ puella eligenda sit: sic Apostoli non proiecerunt margaritas ante porcos; sed ijs prædicarunt, ex quibus maiorem sperabant fructum: nec obstinatos & indignos baptizarunt aut reconciliarunt, sed pœnitentes & aptè dispositos. Quartò, seruus non it nisi missus: sic & veri Apostoli. de erronibus enim dicitur. *Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.* Quintò, seruus antequam rem aggrediatur orat: sic & Apostoli. prædicatio enim sine oratione præuia nullum fructum facit. Sextò, seruus mox vt suum officium fecit, inuenit virginem quam quærebat: sic & Apostolis Deus cooperatus est, vt apud quaslibet gentes inuenirent qui eos reciperent & crederent. Septimò, seruus potum petit à virgine. sitis Apostolorum est desiderium salutis hominum: huic potum præstant, qui eorum verba audiunt, & opere explent. Octauò, seruus cùm videret iuxta votum suum virginem facere, gratias egit Deo: sic & B Paulus vbique gratias agit Deo pro Gentium conuersione. Nonò, seruus dat sponsæ ornamenta aurium & manuum: Apostoli ornant Ecclesiam, vt habeat aures ornatas per fidem, manus per bona opera. Pharisæi tantùm ornabant manus, hoc est, tantùm docebant opera legalia: Simon & hæretici tantùm ornant aures, id est tantùm prædicant fidem, quæ est ex auditu. Verùm neutrum sufficit. Decimò, seruus virgini in coniugium consentienti maiora munera dat: sic & fidelibus maiora dona Spiritus sancti subministrantur. Vndecimò, seruus confecto negotio mox redit, quia tantùm rem heri curat: sic fecerunt Apostoli. sic faciant omnes prædicatores. Duodecimò, seruus virginem è domo patris educit ad domum Abrahæ: sic & Apostoli animas è gentilismo adduxerunt ad Ecclesiam. Decimotertiò, seruus non sibi adducit sponsam, sed domino: sic & Paulus fecit, dicens, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

Tertiò, seruus sunt Apostoli ob tredecim analogias. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.* *Decima.* *Vndecima.* *Duodecima.* *Decimatertia.*

Quartò, Rebecca ostendit mores Ecclesiæ, & fidelis animæ. Primò, Rebecca hebraicè est idem quod saginata, impinguata: quia maritum habet Isaac, id est risum, putà Christum, qui est animæ gaudium. Secundò, Rebecca virgo erat: & Christus virginem vult habere sponsam, ab omni amore carnis & mundi puram. vide dicta 2. Cor. 11. 2. Tertiò, Rebecca in labore inuenitur: Christus non vult habere otiosos. Quartò, Rebecca charitatem ostendit seruo Abrahæ: & Christus charitatem ab anima fideli exigit. Quintò, Rebecca seruo Abrahæ hospitium & victum offert: sic fideles facere debent prædicatoribus. Sextò, Rebecca omnibus relictis sequitur seruum Abrahæ: sic facit & fidelis. Septimò, Rebecca secum ducit puellas: sic & fidelis familiam suam. Octauò, Rebecca appropinquans ad Isaac descendit de camelo: sic fidelis humiliatur accedens ad Christum, atque cum pudore & pœnitentia relinquit quidquid tortuosum erat & superbum. Nonò, Rebecca videns Isaac statim operuit se: sic fidelis quo magis Christum agnoscit, eo magis erubescit de præterita vita: Roman. 6. *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Decimò, Rebecca perpetuò manet cum Isaac, non reuertitur ad domum patris sui: sic fidelis qui perseuerauerit cum Christo vsque in finem, hic saluus erit. ita S. Gregor. l. 35. Moral. c. 17. Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 40. Ferus, & alij.

Quartò, Rebecca est anima ob decem analogias. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.* *Decima.*

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ABraham ex Cetura suscipit sex proles, & moritur. Secundò, v. 12. recensentur Ismaelis proles & obitus. Tertiò, v. 20. Rebecca parit Isaaco Iacob & Esau: quorum minor præfertur à Deo maiori. Quartò, v. 29. Esau ob pulmentum vendit primogenituram Iacobo.

1. ABraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam: 2. quæ peperit ei Zamran, & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue. 3. Iecsan quoque genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt, Assurim, & Latusim, & Loomim. 4. At verò ex Madian ortus est Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi filij Ceturæ. 5. Deditq; Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: 6. filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam Orientalem. 7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni. 8. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: congregatusque est ad populum suum. 9. Et sepelierunt eum Isaac & Ismaël filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, 10. quem emerat à filijs Heth: ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius. 11. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis & videntis. 12. Hæ sunt generationes Ismaël filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ: & 13. hæc nomina filiorum eius in vocabulis & generationibus suis. Primogenitus Ismaëlis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam, 14. Masma quoque, & Duma, & Massa, 15. Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma. 16. Isti sunt filij Ismaëlis: & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. 17. Et facti sunt anni vitæ Ismaëlis centum trigintaseptem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum. 18. Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introëuntibus Assyrios. coram cunctis fratribus suis obijt. 19. Hæ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham: Abraham genuit Isaac: 20. qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. 21. Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. 22. Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitq; vt consuleret Dominum. 23. Qui respondens, ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. 24. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. 25. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. 26. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli. 27. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. 28. Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob. 29. Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, 30. ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom. 31. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. 32. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? 33. Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. 34. Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; paruipendens quòd primogenita vendidisset.

VERS. 1. ABRAHAM VERO ALIAM DVXIT VXOREM] Mortua erat Sara, Agar iussu Dei dimissa, fortè etiam mortua: ergo Abraham aliam & tertiam ducit vxorem, vt ex eo semen inter gentes quoque multiplicaretur. Factum id postquam Isaac duxisset Rebeccam (de quo cap. præced.) ac consequenter post annum Abrahæ 140.

Allegoricè, filij Agar sunt Pagani & infideles, filij Ceturæ sunt hæretici, qui filios Isaaci, id est fideles & Catholicos, persequuntur. ita Origenes, & S. August. q. 70.

NOMINE CETVRAM] Hebræi, Lyranus, & Thomas Anglicus putant, hanc eamdem esse cum Agar, quæ dicta sit קְטוּרָה *Cetura*, id est thurificata, quòd eiecta ex domo Abrahæ, pudicitiæ, orationi & cultui Dei, cuius symbolum est thus & thurificatio, se dederit. Adduntque quòd Abraham mortua Sara, miserit Isaacum ad reducendum Agar, siue Ceturam. Verùm hæc sunt commenta Iudæorum, quæ fusè confutat Abulensis & Caietanus. Videtur tam Cetura, quàm Agar fuisse ancilla, siue serua Abrahæ: nam si fuissent ingenuæ, non vocarentur concubinæ v. 6.

Cetura idē quod thurificata.

Nota. Abraham duxit Ceturam post mortem Saræ,

Ceturam ducit Abraham anno ætatis 137. Saræ, quæ mortua est anno ætatis suæ 127. cùm Abraham esset 137. annorum, tot ergo annorum existens duxit Ceturam, & ex ea sex proles suscitauit: erat enim Cetura viuida & fecunda. Adde, Deus, qui Abrahæ vim generandi ex Sara supra naturam dedit, adiuuit quoque vim generandi eiusdem ex Cetura, & quod ei deerat suppleuit.

VERS. 2. MADIAN] Ex quo orti sunt Madianitæ: hi ergo sunt posteri Abrahæ ex Cetura nobis cogniti; cæteri incogniti sunt. Tradit tamen Iosephus eos incoluisse Arabiam Felicem, vsque ad mare Rubrum.

VERS. 3. FILII DADAN FVERVNT ASSVRIM, ET LATVSIM, ET LOOMIM] Sunt ista nomina gentium & populorum, qui originem traxerunt à filijs Dadan. ita Vatabl. & patet ex Hebræo. Fortè ita dicti sunt, ab artificio cuiusque; nam *Assurim*, teste S. Hieron. significat negotiatores: *Latusim*, fabros ferri & æris: *Loomim*, multarum tribuum ac populorum, supple, possessores, vel rectores Chaldæus vertit, *habitantes in castris, in tabernaculis, & in insulis*.

VERS. 4. *Afer nomen dedit Africa.* OPHER] Huius filius Afer nomen dedit Africæ vrbi & regioni, vti ex Alexandro Polyhistore, & Cleomede docet Iosephus: quamquam alij apud Solinum, Africam dictam velint ab Afro, Libis & Herculis filio. Putant aliqui ab his filijs Ceturæ ortos esse Brachmanas, qui sunt sapientes & quasi Religiosi Indorum, dictosque esse Brachmannos, quasi Abrahamannos: vnde & Brachmanæ colunt quemdam Perabrammam, quasi deorum antiquissimum, qui videtur esse primus ipsorum parens Abraham. Hæ plausibiles sunt coniecturæ, sed incertæ.

VERS. 6. FILIIS AVTEM CONCVBINARVM] Agar & Ceturæ. Hinc patet, Abraham non neglexisse Agar & Ismaëlem, etiamsi à se dimissos: sed eis subinde munera misisse.

Nota, concubinas has fuisse veras vxores (ita enim vocantur v. 1. & alibi) sed ignobiliores, & ferè seruas. vnde primaria vxor erat & dicebatur domina. Sic Abraham Ieschæ c. 11. 29. dedit nomen Sarai, id est princeps vel domina mea. Hæc primaria vxor ducebatur præmissis sponsalibus, dote dicta, & solemni ritu, eratque materfamilias, & bonorum omnium cum marito consors, atque gubernatrix domus, eius denique filius erat heres patris. Nil tale communiter & ordinariè habebant concubinæ: sed ferè manebant seruæ, & seruilis conditionis. ita Pererius, & alij. *Qua vxor, qua concubina?*

MVNERA] Aurum, argentum, vestes, pecora, &c.

SEPARAVIT] ne cum Isaaco contenderent, eumque in terræ promissæ possessione turbarent. Rursum ne posteri eorum sua idololatria & vitijs Isacidas inficerent.

AD PLAGAM ORIENTALEM] Nota. Posteri Ismael proximè contingebant posteros Isaac, Orientem versus. Nati verò ex Cetura post Ismaëlitas vlterius ad Orientem habitarunt, ideoque hi semper in Scriptura vocantur *filij Orientis*, quorum crebra est mentio. vide Ariam in lib. Chanaan c. 3. & 4. *Filij Orientis qui?*

VERS. 8. ET DEFICIENS] q. d. Abraham non morbo, non vi aliqua extrinsecus illata, sed præ senio, deficiente naturali humore, calore & viribus, mortuus est.

MORTVVS EST] Mortuus est Abraham post mortem Thare patris sui anno 40. post matrimonium Isaaci (quod contigit anno Abrahæ 140.

A Isaaci 40.) anno 35 cùm Esau & Iacob, ex Isaaco sexagenario geniti, iam essent 15. annorum. Licet enim natiuitatem Iacob & Esau, in sequentibus hoc cap. post mortem Abrahæ, narret Moses; tamen ea antè contigit. Voluit enim Moses omnia Abrahæ gesta, vitam & mortem simul percensere, ac deinde gesta Isaaci ac Iacobi sigillatim ordine prosequi. Quædam ergo hîc coniunguntur, licet posteriùs sint gesta, quæ eòdem pertinent, per anticipationem; eademque de causa alia postponuntur, licet priùs sint gesta, per hysterologiam.

Nota. Natus est Abraham anno post diluuium 292. vixit autem annos 175. mortuus est ergo anno post diluuium 467. Noë verò mortuus est anno post diluuium 350. cùm Abraham esset 58. annorum, Sem verò filius Noë, qui fuit nonus auus Abrahæ, vixit post diluuium annos 502. Sem ergo 35. annos superuixit Abrahæ. Heber verò, sextus auus Abrahæ, obijt anno 561. post diluuium; ergo 94. annis superuixit Abrahæ suo sexto abnepoti. Mortuus est itaque Heber anno 109. vitæ Iacobi; sicut Sem mortuus est, cùm Iacob esset 50. annorum. *Chronologia vitæ Abrahæ.* *Sem & Heber vixerūt post mortem Abrahæ.* B

Nota Secundò. Obijt Abraham anno mundi 2123. cùm Ismaël esset 89. annorum, Isaac verò 75. viditque filios tam Isaaci duos, quàm Ismaëlis duodecim, totidem populorum principes. Filij Ceturæ tunc circiter erant 30. annorum. Ceturam enim duxit Abraham paulò post annum ætatis suæ 140 vti dixi.

Nota Tertiò. A morte Abraham vsque ad descensum Iacobi in Ægyptum, qui contigit anno ætatis Iacobi 130. fluxerunt anni 115. à morte verò Abrahæ vsque ad egressum Mosis & Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 330. Cùm ergo Moses tunc, in egressu Hebræorum ex Ægypto, esset octogenarius; hinc sequitur eum natum esse 250. annis post mortem Abrahæ. C

Nota Quartò. Hæc est periodus vitæ Abrahæ. Abraham anno ætatis suæ 75. ex Chaldæa à Deo euocatus, profectus est in Haran. anno ætatis 85. duxit Agar, & 86. natus est ei Ismaël. anno 99. fuit circumcisus; eodem anno igne cælesti cremata est Sodoma. anno 100. nascitur ei Isaac. anno 105. ablactatur Isaac, & Ismaël domo eijcitur. anno 125. contigit immolatio Isaac. anno 135. moritur Thare. anno 137 moritur Sara. anno 140. Isaaco vxorem dat Rebeccam. anno 160. ex Isaac nati sunt ei nepotes, Iacob & Esau. anno 175. moritur Abraham. *Periodus vitæ Abrahæ.*

D IN SENECTVTE BONA] maturè & tempore suo, siue spectes ætatem, siue gratiam: ætatem, quia decrepitus, & sine ægritudine; gratiam, quia plenus meritis decessit. Nam, vt ait Philo libr. Quis diuinarum rerum sit heres, rectè dixit Propheta quidam: *Malle se vnam diem cum virtute viuere, quàm mille annos in vmbra mortis*, putà in peccato & mala vita.

PLENVS DIERVM] viuendi satur, vt habent Hebræa, & cupiens dissolui.

Questus est Aristoteles, naturam animalibus quina aut dena sæcula ad viuendum indulsisse, homini ad tanta genito tanto citeriorem terminum stare. Verùm fidelis nouit illud: *Scio me ascendere vt descendam, virere vt arescam, vt senescam adolescere, viuere vt moriar, mori vt in æternum beer.* Volat ætas, inquit Cicero, & nihil omnino aliud est tempus huius vitæ, quàm cursus ad mortem, in quo, vt ait *Mor. de vo‑to moriendi.*

ait S. Augustinus, nemo vel paululum stare, vel paulò tardiùs ire permittitur. Sapiens ergo qui tota vita viuere, imò mori didicit, scit corpus hoc grauem esse sarcinam nobilium animarum, ideoque illud terræ, vnde ei origo est, cupit restitui, puluerem que pulueri reddi; vt animus liber ad patres & ad angelos Deumque euolet.

Si Abraham satur vitæ optauit mortem iturus ad limbum, quidni Christianus optet mortem, Martyr crucem pro Deo, iturus in cælum? B. Thomas Morus capite plectendus, dum carnifex de more veniam peteret, osculum ei & angelottum aureum dedit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficij præstabis, quod hactenus nemo mortalium præstitit aut præstare potuit.* Audi S. Theodoram accurrentem ad locum supplicij, & cum milite, qui mutatis vestibus eam è carcere, ne violaretur, liberarat, de martyrio contendentem: *Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optaui. in me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Moriar certè innocens, ne moriar nocens. nihil hîc medium: hodie ego aut rea tui sanguinis, aut martyr mei,* vt refert S. Ambros. lib. 2. de Virgin.

CONGREGATVS EST AD POPVLVM SVVM] q.d. Abraham mortalitatem, vti cæteri, exuit, ingressus est viam vniuersæ carnis, atque à statu viuentium hîc transijt ad statum patrum, degentium in altera vita.

Quid est congregari ad populum suum. Vnde ex hac phrasi Theodoret. Caiet. Lyranus, & Pererius colligunt, *Primò,* Primò, animam hominis esse immortalem; *Secundò.* Secundò, animas mortuorum non viuere solitarias, sed gregatim & socialiter, quasi in populo, siue in cælo sint, siue in limbo, vti erant tempore Abrahæ. *Tertiò.* Tertiò, tam de malis, vti Roboam, Achaz, & alijs, quàm de bonis, dici, *Dormiuit cum patribus suis*; sed ferè de bonis tantùm & iustis, vti de Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Aarone, dici, *Congregatus est ad populum suum.* *Quartò.* Quartò, S. August. quæst. 168. Tostatus, & Burgensis, per *populum* accipiunt societatem angelorum, ad quam congregatus sit Abraham, alijque sancti patres. Verùm simpliciùs & germaniùs Rupertus, & alij, per *populum* accipiunt societatem iustorum hominum, ad quam colliguntur iusti morientes, sicuti de agris colligitur & congregatur matura messis in horreum. *Quintò.* Quintò, notat Burgensis, in veteri testamento legi: *Congregatus est ad populum suum*, id est, ad Heber, Noë, Abel, Seth, Adam, aliosque in limbo beatitudinem expectantes: sed in nouo testamento, quo animæ puræ mox in cælum auolant, dici, *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* &, *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Epitaphium Abrahæ vide Ecclesiastici 44. v. 20. vbi sic ait: *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruauit legem Excelsi,* &c.

Addit Burgensis, ante Abraham neminem è patribus descendisse ad limbum; sed Adam, Abel, Seth, Enos, Noë, omnesque ante Abraham iustos iuisse ad Purgatorium, ob sua venialia peccata quæ fecerant: quia, inquit, de ijs dicitur, quòd mortui sint; de Abraham verò primò omnium dicitur, quòd congregatus sit ad populum suum, putà in limbo.

Primum Abraham iuisse ad limbum, falsum est. Verùm hoc est improbabile. Abel enim obijt Martyr, ergo iuit ad limbum, non ad Purgatorium. Sic Noë fuit vir iustus atque perfectus, imò cum Deo ambulauit. Iuerunt ergo hi alijque ad limbum; non tamen dicuntur congregati ad populum suum: quia tunc necdum erat populus, & multitudo iustorum in limbo; sed ipsi hunc populum morientes paulatim adunarunt & constituerunt. Cùm enim occisus est Abel, nullus erat in limbo, sed ipse primus eò concessit.

Hîc finitur tertia pars Gen. incipitque quarta & vltima, continens gesta Isaaci, Iacobi, & Iosephi. Hîc finitur tertia pars Geneseos, quæ est à natiuitate Abrahæ vsque ad mortem eiusdem, in qua & Pererius finit tertium suum tomum Comment. in Genesin.

VERS. 11. BENEDIXIT ISAAC] benefecit Isaaco, ditando eum.

VERS. 14. MASMA QVOQVE, ET DVMA, ET MASSA] Sunt nomina propria trium filiorum Ismaelis. Hebræi ea coniuncta prouerbialiter vsurpant, dicentes, *masma, duma, vemassa.* quo volunt significare, multa audienda, tacenda, & ferenda esse: quod Græci dicunt ἀνέχου καὶ ἀπέχου. *Masma* enim hebraicè auditum significat, *duma* silentium, *massa* tolerantiam. Quod Itali dicunt: *Audi, vide, tace, si vis viuere in pace.*

VERS. 15. THEMA] A quo ciuitas & regio Theman, ad Meridiem Idumææ, cuius rex fuit Eliphaz amicus S. Iob, qui inde Themanites dicitur.

VERS. 17. APPOSITVS EST AD POPVLVM SVVM] Ex hac phrasi colligunt Hebræi, Ismaelem post lusum & vexationem Isaaci, cùm domo Abrahæ eiectus esset, mentem & vitam mutasse, rectè vixisse, ideoque saluatum esse. vide dicta v. 8.

VERS. 18. HEVILA] Regio est, non Indiæ, sed sita prope desertum Sur, inter Ægyptum, Assyriam & Palæstinam; de qua cap. 2. v. 11. Posteri ergo Ismael omnem illum tractum, qui à sinu Persico vsque ad Assyriam protenditur, possederunt, quæ hodie putatur dici Cabana.

CORAM CVNCTIS FRATRIBVS] quia Ismael inter suos fratres, medius habitauit; habebat enim ab Occidente Isaacum, ab Oriente filios Ceturæ.

CORAM CVNCTIS FRATRIBVS SVIS OBIIT] Pro *obijt*, hebraicè est נָפָל *naphal*, id est cecidit. q.d. Stantibus & viuentibus, ac videntibus fratribus suis Ismael cecidit & obijt; idque nonnihil præmaturè, anno ætatis 137. cùm alij parentes & fratres eius diutiùs vixerint: Isaac enim vixit annos 180. Mortuus est Ismael post mortem Abrahæ anno 48. natus est enim anno Abrahæ 86. Abraham autem vniuersim vixit annos 175. Alij sic exponunt: *cecidit*, scilicet sors eius, q.d. Habitauit Ismael inter fratres suos, vti vertunt Sept. Chald. & Arabicus. Verùm nulla sortis hîc fit mentio. vnde Pagnin. vertit, *& mortuus est.*

VERS. 20. BATHVELIS SYRI DE MESOPOTAMIA] q.d. Bathuel erat Syrus, oriundus ex illa Syriæ parte, quæ Mesopotamia dicitur. Pro quo Nota Primò. Syrus hebraicè dicitur אֲרַמִּי *Arammi*, quasi dicas Armenius; & Syria vocatur *Aram*, quasi dicas Armenia. *Syria dicta est Aram, id est Armenia.* Videtur ergo ex hac voce Hebræa, quòd Syria latissimè, vt mox dicam, patens, olim dicta sit Armenia, ab Aram filio Sem, nepote Noë, Genes. 10.

Multiplex Syria. Secundò, Syria apud priscos longè lateque patebat, ac multas regiones complectebatur, varijs cognominationibus distinctas, vt patet 2. Reg. 10. v. 6. & 8.

Primò enim, regio in qua Damascus est sita, vocatur אֲרַם דַּמֶּשֶׂק *Aram Dammesec*, Syria Damasci.

Secundò,

A Secundò, Syria in qua sita est Zoba, dicitur Aram, vel Syria Zoba. est autem illa, quæ inter Libanum & Antilibanum iacet, & corrupto vocabulo Hebræo Zoba, Caua Syria, & à Græcis Coele, ob demissam à decliuitate montium planitiem (id quod Hebræis sonat Zoba) dicta est.

Tertiò, אֲרַם נַהֲרַיִם *Aram naharaim*, id est Syria duorum fluuiorum, est Mesopotamia, quæ & interamnis dicitur: quia inter Euphratem & Tigrim sita est. Eadem dicitur אֲרַם פַּדָּן *Aram padan*, quasi dicas, Syria campestris. *Padan* enim lingua Ismaelitica significat agrum, seu regionem campestrem. Vnde & Italiæ fluuius nobilissimus, Padus dicitur, quia per planas regiones diu fluit. Sic Bathuel hîc, dicitur Syrus, quia Mesopotamius, putà oriundus ex Haran, vrbe Mesopotamiæ.

Padus, id est campestris.

B Quartò, est Syria Maacha; ita dicta est à Maacha, filio Nachor, ex Roma vxore, Genes. c.22. v. vlt.

VERS. 21. DEPRECATVSQVE EST] Hebraicè est עָתַר *ietthar*, id est, multùm & instanter precatus est, blanda & suaui prece amanter Deum demulcendo. Vnde S. Chrysost. censet Isaacum per 20. annos orasse pro sterilitate Rebeccæ tollenda, ac vigesimo demum anno id impetrasse: nam Isaac duxit Rebeccam anno ætatis suæ 40. ac demum anno 60. genuit ex ea Iacob & Esau. *Vt & nos*, inquit ipse homil. 49. *æmulantes iustum, assidui simus in diuinis precibus, si quando aliquid à Deo petierimus. Si enim iustus ille ita virtute præditus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ se tulit constantiam & studium, continuò Deum orando, ita vt solueretur Rebeccæ sterilitas; quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur; sed etsi paruo tempore studium aliquod & diligentiam exhibuerimus, torpescimus & resilimus, nisi statim exaudiamur*, &c.

Isaac viginti annis orauit pro prole.

C Nota, sanctas mulieres Saram & Rebeccam, (vti & Rachel & Annam) Deus ad tempus steriles esse voluit, vt doceret nos, semen illud benedictum, putà Christum, ex Sara & Rebecca (vti & viros sanctissimos, Iosephum ex Rachele, Samuelem ex Anna) non naturæ viribus, sed ex mero Dei dono, per miraculum natum, orbique datum esse. ita S. Chrysost. Statuerat ergo Deus, ex Rebecca nasci Iacob & Christum, sed non nisi mediantibus causis secundis, & obtinentibus id precibus Isaaci.

Sanctæ mulieres cur steriles.

VERS. 22. COLLIDEBANTVR IN VTERO EIVS PARVVLI] Septuag. vertunt, ἐσκίρτων, quod S. Ambrosius vertit, *exultabant*; S. Augustin. *gestiebant*; hebraicè est, יִתְרֹצְצוּ *iitrotsetsu*: quod S. Hieronymus vertit, *calcitrabant*; Aquila, *confringebantur*; Symmachus, διεπάλαιον, id est colluctabantur, quasi palæstritæ.

Hi ergo pueri inuicem quassabant, trudebant & coarctabant, dum vterque gestit & nititur prior vtero matris exire ac nasci, vt sit primogenitus.

Iacob & Esau colluctabantur in vtero de primogenitura.

D Nota. Hoc certamen, & hæc lucta paruulorum, Iacob & Esau, non vi naturæ, sed Dei nutu facta est, ad præsagium, quòd Iacob & Esau nati, inter se colluctarentur & concertarent de primogenitura & primatu, vt patet v. 23. Vnde Iacob tenuit plantam Esau, quasi eum supplantare volens, ne prior ex vtero egrederetur. ita Rupert. *Vtriusque habitus*, inquit, *ostendit quis intus fuerit princeps duelli, videlicet Esau collisus à Iacob quasi fugere videtur, iste manu tenens pedem, insequentis ac terga deuicta pulsantis schema præfert.* Additque allegoricè hac lucta Iacob & Esau, significari luctam Christianorum cum Iudæis.

Historia Scholastica, & S. Ambros. lib. 4. de Fide cap. 4. & S. August. citatus à Dion. Carthusiano, (tamen hactenus in S. August. nihil tale reperi) putant hanc collisionem Iacob similem fuisse exultationi Ioannis Baptistæ in vtero matris, ac proinde tam Iacob, quàm Ioannem Baptistam in vtero matris esse sanctificatos. Confirmant hoc ex eo, quòd Apostolus Rom. 9. asserit Deum dilexisse Iacob, priusquam boni quidquam egisset, & cùm adhuc esset in vtero matris suæ. Verùm pari modo dicendum esset Esau esse sanctificatum in vtero. Alia ergo fuit exultatio S. Ioannis; alia collisio & colluctatio Iacob & Esau. alia quoque est mens Apostoli, vti dixi Rom. 9. Hæc ergo illorum sententia caret fundamento, & temere asseri videtur.

An Iacob sanctificatus sit in vtero?

Ita virorum illustrium vita & facinora ostentis & præsagijs sæpè præsignificata sunt. Socrates vidit per somnum oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuò exortis alis in altum euolans, suauissimos cantus edidit: hic scilicet erat Plato Socratis discipulus, qui inter Philosophos sapientia & facundia emicuit. vnde postridie cùm Plato Socrati à patre commendaretur: Hic est, inquit, cycnus quem vidi. testis est Laërtius in Platone.

S. Dominici mater grauida visa est sibi in quiete, continere in vtero catulum ore præferentem facem, qua, editus in lucem, orbem terrarum incenderet. quo somnio significabatur fore, vt S. Dominicus splendore sanctitatis ac doctrinæ homines toto orbe inflammaret.

S. Thomas Aquinas adhuc infans chartam versans, imò comedens, significabat quàm studiosus foret adultior factus.

Ex ore sancti Ephrem pueri visa parentibus prodire vitis, quæ omnem circumcirca regionem repleret, significabat quantùm se sparsura esset eius doctrina & virtus.

PERREXITQVE VT CONSVLERET DOMINVM] in monte Moria per Melchisedec. ita Euseb. Gennadius, Theodoret. & Diodorus. Sic & Chrysost. homil. 50. ait Rebeccam per sacerdotem Deum consuluisse, & per eumdem responsum à Deo accepisse. Vnde addit: *Vide quanta & tunc erat sacerdotum dignitas.*

Secundò, Paraphrastes Hierosolymitanus, & Hebræi vertunt, *abijt vt peteret misericordiam in domo vbi concionabatur Sem.* Sem enim filius Noë adhuc viuebat: mortuus est enim cùm Iacob annum ageret quinquagesimum. Porro putant Hebræi, Melchisedec fuisse Sem; & sic hæc eorum expositio cum prima Eusebij coincideret.

Tertiò, facillimè & planissimè Theodor. Diodorus, & Procopius censent, Rebeccam animo consternatam ad vicinum & domesticum altare iuisse, ibique Deum orasse, qui per angelum respondit id quod sequitur: *Duæ gentes in vtero tuo sunt, & maior seruiet minori.* Ex quo intellexit Rebecca, quòd Iacob præferretur Esau, eique primogenituram & benedictionem paternam præriperet: quod tamen maritum suum Isaacū celauit, vt mysterio prophetico locus daretur, de quo c. 27. 23.

DVAE GENTES] duo filij, qui erunt patres & capita duarum gentium, putà Iudæorum & Idu- VERS. 23.

 mæorum,

mæorum, sibi inuicem aduersantium. vide Amos I. v 11.

Maior seruiet minori, id est Idumæi seruient Iudæis.

MAIOR SERVIET MINORI] Primogenitus Esau seruiet minori Iacobo, non in sua persona (hoc enim nusquam factum legimus, imò potiùs Iacob submisit se Esau) sed in suis posteris. Iudæi enim posteri Iacobi, soli quasi heredes Abrahæ, possederunt terram promissam Chanaan, & beneficijs Dei locupletati sunt: eisque seruierunt Idumæi, posteri Esau, tempore Dauidis & Salomonis, vt patet 2. Reg. 8. & licet postea iugum excusserint, rursum tamen ab Hyrcano subiugati, circumcisionem receperunt, & in vnam gentem cum Iudæis coaluerunt, teste Iosepho l. 14. Antiquit. c. 17. Vnde Plin. & alij subinde Idumæos cum Iudæis confundunt.

Alleg. Iudæi seruient Christianis.

Allegoricè, Iudæi, licet antiquiores sint, seruient & postponentur in Ecclesia, gratia & salute Christianis, perinde ac lex vetus seruiuit nouæ, Rom. 9. v. 10.

Tropol. mali seruiunt bonis.

Tropologicè, mali seruiunt bonis, tyranni Martyribus; quia sua persecutione, crucibus & tormentis parant & fabricant eis coronas æternas. Adde, sæpè mali bonis in hac vita subijciuntur: verùm certò, & semper eis subijcientur post diem iudicij; tunc *enim iusti iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* ita S. Augustinus serm. 78.

Secundò iniustis, maior seruit minori, id est, caro seruit spiritui, & vitia cedunt virtutibus, ait Origenes.

VERS 25. ET TOTVS IN MOREM PELLIS HISPIDVS, VOCATVMQVE EST NOMEN EIVS ESAV] Infantes nasci solent glabri; at Esau toto corpore hispidus natus est, Dei nutu, vt eius agrestis & aspera indoles, mores & vita futura præsignaretur.

Esau idem est quod factus, & perfectus quasi vir. Seir, id est pilosus. Edom, id est rufus.

Esau ergo nascens, non tam infans, quàm vir perfectus sua pilositate & hirsutie videbatur, indeque dictus est Esau, quasi עשוי asui, id est factus & perfectus: erat enim hispidus instar viri perfecti. Secundò, inde quoque dictus est שעיר *Seir*, id est pilosus. Tertiò, dictus est אדום *Edom*, id est rufus, tum à colore rufo, tum potiùs à coctione rufa, pro qua vendidit primogenita sua Iacobo, vt patet v. 30. Ita S. Hieron. in Abdiam, Caietanus, Oleaster, & Pererius. Rursum S. Hieron. in Amos 2. v. 9. *Ex cuius* (quercus) *vocabulo Philo vir disertissimus Hebræorum, Esau appellatum putat δρύινον, id est quercinum & roboreum, licet & Esau possit minuæ, id est factura, intelligi, vt ad mala opera referatur.* Verùm quomodo à quercu dictus sit Esau, non video: quercus enim hebr. vocatur אלה *ela*, non *Esau*: nisi fortè Philo deriuet Esau, ab עז *az*, id est robustus fuit. Sed Esau hebr. per ש scribitur, *az* verò per ז.

Esau fuit typus improborum, ob 12. analogias.

Tropologicè, Esau repræsentat improbos, ob duodecim analogias, inquit Pererius. Prima est, Esau fuit prior & honorabilior apud homines, Iacob verò apud Deum: sic mali in hac vita excellunt donis naturæ, ingenij prudentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, opum, & ab hominibus coluntur; cùm apud Deum sint inglorij & ignobiles: contrarium prorsus est in bonis. Secunda est, quòd maior seruiet minori: ita sanè mali in hoc mundo videntur dominari bonis, sed reuera seruiunt ipsis, & ipsorum gloriæ ac coronæ, vti dixi. Tertia, collisio Iacob & Esau significat luctam & pugnam assiduam, quæ est inter malos & bonos. Quarta, Esau prior egreditur, sed Iacob eius tenet calcaneum: ita impiorum priora sunt læta & prospera, sed extrema sunt luctuosa & funesta in æternum. Quinta, Esau erat totus hispidus, quod significabat eius mores asperos, ferocem animum, versutum ingenium, libidinosum affectum: tales sunt impij. Sexta, Esau erat venator & agricola: sic impij toti terræ & terrenis bonis inhiant. Septima, Esau vili lenticula vendidit primogenituram: ita impij ius adoptionis filiorum Dei, & spem vitæ æternæ commutant cum vilissimis bonis. Octaua, Esau hoc damnum suum parui pendit: sic reprobi amissionem gratiæ diuinæ, & gloriæ cælestis pro nihilo ducunt. Nona, Esau ducens vxores Chananæas grauiter parentes offendit: ita mali dum improbis socijs agglutinantur, Deum & Ecclesiam grauiter offendunt. Decima, sensit tandem Esau sua mala & damna, & ingemuit, fleuit, pœnituit, sed irrita & cassa pœnitentia: similem pœnitentiam agunt reprobi, Sap. 5. Vndecima, Esau oderat Iacob, cumque persequebatur: ita mali bonos persequuntur. Duodecima, Isaac diligebat Esau, quia ex eius venatione comedebat; Rebecca verò amabat Iacob simpliciter & absolutè, quia bonus & sanctus erat: ita mali non sunt diligendi, nisi secundùm quid; quia eorum opera artificialia, & inuenta corporalia reipubl. vtilia sunt: at electi & sancti, vti magni sunt & honorati coram Deo, ita simpliciter amandi & honorandi.

(Margin: Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octaua. Nona. Decima. Vndecima. Duodecima.)

PROTINVS ALTER EGREDIENS, PLANTAM FRATRIS TENEBAT MANV] Situs hic erat quasi volentis præcedere, aut simul cum fratre ex vtero egredi, quasi præ illo, aut certè cum illo niteretur occupare ius primogenituræ. Non naturaliter, sed Dei nutu & dispositione hoc factum est. vide dicta v. 22.

Iacob, id est plantam tenens, vel supplantator.

ET IDCIRCO APPELLAVIT (Isaac pater, cuius erat proli indere nomen) EVM IACOB] Iacob enim idem est, quod supplantator, vt patet c. 27. 36. vel tenens plantam עקב *ekeb* enim plantam significat.) itaque decipiens & supplantans.

Allegoriam habet Eucherius lib. 2. cap. 46. scilicet Iacob est Christus, qui supplantauit Esau, id est Iudæos.

AGRICOLA] Septuag. ἄγροικος, id est agrestis; hebraicè est, *Esau erat vir agri*, id est assiduè & libenter versabatur in agro, procul ab vrbe, raro domi, ferè in campis degens. VERS. 27.

Simplex, id est integer, perfectus.

VIR SIMPLEX] Hebraicè est תם *tam*, quod Septuag vertunt ἄπλαστος, id est, non fictus, quasi dicas, sine fuco & dolo; Symmachus vertit, ἄμωμος, id est, sine crimine; Aquila, ἁπλοῦς, id est, non duplex; sed simplex propriè *tam* idem est, quod rectus, innocens, integer, perfectus: radix enim תמם *tamam*, significat perficere, consummare. Vir simplex ergo est vir integer, qui vni Deo & virtuti intendit, non per multa, auia subinde & illicita, vagatur. Sic Iob dicitur vir simplex. Itaque simplicitas hæc, non prudentiæ, sed dolo & falsitati opponitur; estque simplicitas hæc veritas puritas sinceritas, & innocentia animi, falsitatis, simulationis & peccati expers, & impermista, inquit S. Chrysost. Sic Cicero l. 2. de Finibus: *Vera*, inquit, *diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus, vt fraudem, periurium, malitiam, iniuriam.* Hac simplicitate Iacob à Deo obtinuit omnem prosperitatem, vt meritò illi tribuatur hoc emblema: *Prudens simplicitas, densa felicitas.*

HABI-

HABITABAT IN TABERNACVLIS] domi se continebat. ita Septuag. Veterum enim, maximè patriarcharum, domus erant tentoria, siue tabernacula. q.d. Iacob domi vitæ quietæ, domesticis officijs & culturæ animi sui vacabat. ita Caietanus.

Rectè Hesiodus dixit: *Melius est esse domi, damnosum verò est foris vagari.* Hebræi apud Lyranum, per tabernacula intelligunt scholas, quas frequentabat Iacob ad discendum sapientiam & Dei timorem. Vna, inquiunt, erat schola Melchisedec siue Sem, secunda Heber, tertia Abrahæ. Vnde Chaldæus vertit, *Iacob erat vir integer, & minister* (auditor) *domus doctrinæ*, quæ non alia est quàm schola. Quæ si vera sint, vide quàm antiquæ sint scholæ & gymnasia. Talis fuit & tempore Iosue c.15.v.15. Cariat sepher, id est vrbs litterarum, quasi dicas, academia. Vide de antiquitate & origine singularum Academiarum, Middendorpium.

Schola prisca Sem, Heber, & Abrahæ.

Tropolog. S. Gregorius libr. 5. Moral. cap. 7. *Pij*, inquit, *à distractionibus, ad mentis secreta se restringunt, & ibi quasi in tranquillitatis sinu requiescunt.* hæc sunt piorum tabernacula.

VERS. 28. REBECCA DILIGEBAT IACOB] quia Iacob quietior, placidior, suauior erat, quàm Esau, & quia à Deo Rebecca audierat v.23. illum præferendum esse fratri seniori.

VERS. 29. PVLMENTVM] lentis, vt patet v.34. Fuit hæc lenticula Ægyptia, inquit S. August. in psalm. 46. quæ sapida & suauis est, teste Athenæo lib 4. & Gellio lib. 17. c. 8.

Quid pulmentum? Vocatur hic cibus *pulmentum*, quòd in modum pultis factus esset: sicuti enim fit puls ex oryza, pisis, fabis, ita & ex lente. Adde, quoduis obsonium dici pulmentum: primus enim cibus veterum, etiam Latinorum, fuerunt pultes, teste Plinio l. 18. c. 8. vnde & prisci Romani pultiphagi sunt dicti: inde quiuis cibus dictus est pulmentum.

VERS. 30. DA MIHI DE COCTIONE HAC RVFA] suauiter rubente. fortè quia croco, coriandro, similíve condimento erat tincta; sic enim Zeno lenticulæ Alexandrinæ coriandri grana, quæ rufa sunt, misceri iubebat. Hebræa indicant nimiam auiditatem & gulam Esau: habent enim, *Obtege me, obrue me, imple me, de rufo, rufo isto.* Doctiores enim Hebræi נָא הַלְעִיטֵנִי *haliteni*, deducunt à radice הָטָה *ata*, quæ obtegere & obruere significat.

EDOM] id est rufus, rubicundus, sanguineus, vt dixi v.25.

VERS. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TVA] vende τὸ πρεσβεῖον, id est ius primogenituræ tuæ.

Quadruplex ius primogeniti. Quæritur hic Primò, quodnam fuerit ius primogeniti in lege naturæ. Respon. fuisse quadruplex. *Primum.* Primum erat, quòd primogenitus erat princeps fratrum, eorumque quasi pater & dominus, adeò vt coram eo se fratres inclinarent, vt patet cap. 27. v. 29. & cap. 32. & 33. succedebat enim primogenitus in patriam dignitatem. Et hoc est quod ait Isidorus Pelusiota in Catena, primogenitos successisse in regnum, & in patriarchalem dignitatem.

Secundum. Secundum erat, quòd in diuisione hereditatis paternæ, singuli fratres singulas partes, primogenitus verò duplices accipiebat, vt patet Deut. 21. 17. ita Theodor.

Tertium. Tertium erat, quòd post diluuium, primogenitus erat sacerdos familiæ; vnde & in lege Mosi, Leuitæ loco omnium primogenitorum Israëlis, fuerunt electi ad sacerdotium, Num. 3. v. 12. Rursum, primogeniti parentibus in pontificatu succedebant, vt patet Num. 20. 28. ita S. Hieronym. Rupertus, Tostatus & Eucherius cap 44. Quare Hebræi, & ex eis Eucherius, sic explicant: *Vende mihi primogenita*, id est, vende mihi vestem tuam sacerdotalem (ac consequenter ipsum sacerdotium) qua de more induti primogeniti, quasi sacerdotes, victimas solent offerre Deo: adduntque, hac veste Rebeccam induisse Iacobum, cùm ipse fratri suo Esau patris benedictionem suffuratus est, Genes. 27. 15. Fuit tamen hoc ius sacerdotij aliquibus non primogenitis concessum; vti Abrahamo, idque ex singulari Dei dispositione & electione; quia Abraham fidelis fuit, & pater fidelium, cùm cæteri fratres eius infideles & idololatræ fuisse videantur.

Quartum erat, quòd pater moriens peculiariter primogenito benedicebat, vt patet c. 27. v. 4. quæ benedictio magni tum æstimabatur, magnique sæpè erat valoris & efficaciæ apud Deum. *Quartum.*

Addit Abulensis & Lipom. quòd primogenitus in solemnitatibus & conuiuijs publicis solebat benedicere fratribus & nepotibus, quasi iunioribus. Verùm id nusquam disertè expressum est.

Quæritur Secundò, an peccarit Esau vendendo, Iacob, emendo ius primogenituræ? *An Iacob peccarit emendo, & Esau vendendo primogenita.*

Nota. Ius primogenituræ primariò temporale erat: erat enim ius præeminentiæ inter fratres, & ius ad duplicem portionem hereditatis. Secundariò tamen habebat annexum ius spirituale, scilicet ius sacerdotij, & ius ad benedictionem patris.

Caietanus putat Esau tantùm peccasse gula, eumque tantùm vendidisse primogenituram, quatenus ea quid temporale erat, sicut modò quis licitè vendit calicem consecratum, si calicem tanti quanti in se valet vendat, nec plus exigat ratione consecrationis.

Dices, Quomodo ergo Apostolus Hebr. 12. v. 16. vocat Esau *profanum*?

Respondet Caietanus, quia Esau materialiter profanus erat, vendens tam vili pretio primogenituram, cui certam sancta annexa erat, quam ipse paruipendebat. sicuti profanus esset & vocaretur, qui calicem consecratum venderet pro offa aliqua delicata.

Verùm Dico Primò, Esau peccauit Primò, gula; Secundò, sacrorum contemptu, quia primogenituram, cui erat annexum ius sacerdotij, tam vili esca vendidit. Tertiò, videtur peccasse simonia, quia ius primogenituræ totum, ac consequenter ius sacerdotij, quod spirituale erat, vendidit; ideo enim ab Apostolo Hebr. 12. vocatur profanus. profanus enim propriè & formaliter nemo est, nisi qui rem sacram vendendo aut polluendo violat & profanat. Peccauit ergo Esau, quia ventrem virtuti, cibum honori, gulam sacerdotio & benedictioni, prætulit. *Esau peccauit gula & simonia.*

Dico Secundò, Iacob emendo ius primogenituræ Esau, non peccauit. Primo, quia intendit tantùm emere ius primarium primogenituræ, quod temporale erat & vendibile; sicuti vendi & emi potest ager, cui est annexum ius patronatus, ait Lipomanus. *Iacob non peccauit: quia emit tantùm ius temporale, & quia id quod suum erat, repetijt.*

Dices, Saltem Iacob peccauit iniustitia, quia rem tantam tam vili pretio emit.

Respond. non peccasse: quia Esau volens & sciens rem tantam vili vendere voluit, quia illam contempsit, vt patet v. 34. Volenti autem & scienti, imò

imò rem suam prodigenti & contemnenti non fit A iniuria.

Secundò, non peccauit Iacob emendo hoc ius, quia doctus à matre sciebat, hoc ius Dei dispositione & dono ad se pertinere: & ab Esau ad se esse translatum. Rebecca enim id ab angelo audierat v.23. Rursum, idipsum illa indicauit Iacobo, vt satis colligitur ex eo, quòd, cùm ipsa c.27. audacter incitaret Iacobum, ad præripiendam fratri benedictionem, Iacobus non se excusauit titulo iniustitiæ, quasi non sibi, sed fratri, vtpote primogenito, debita esset hæc benedictio; quod vtique fecisset, nisi contrarium docente matre sciuisset, erat enim vir iustus, & timoratæ conscientiæ: sed tantùm obiecit periculum paternæ indignationis, si pater suam fraudem rescisceret. Hanc autem Dei reuelationem, dispositionem, & translationem primogenituræ ex Esau in Iacob, nec Iacob, nec Rebecca hucusque reuelare ausi sunt, vel ipsi B Esau, verentes eius indignationem; vel ipsi Isaac, ne eum mœrore afficerent: Isaac enim vnicè amabat Esau. Nunc ergo Iacob occasionem nactus vindicandi confirmandique iuris sui, per spontaneam fratris cessionem, ob coctionem rufam, sibi à fratre hac conditione datam, eam non neglexit, sed acceptauit. Non ergo Iacob propriè hic rem fratris emit, sed rem suam astu ab iniusto possessore extorsit. Vnde quod ait, *Vende*, idem est ac da, trade, imò redde ius mihi debitum. vide Caiet. 2. 2. q. 100. a. 4.

VERS. 32. EN MORIOR] Necessitatem prætexit Esau suæ auiditati & gulæ: nam gula & contemptu primogenituræ eum peccasse patet v. 34. Non enim dubium est, in tam diuite Isaaci domo, filium Esau panem, carnes, aliosque cibos, quibus vesceretur, habere potuisse. Fragrantia ergo, color, & cupiditas lentis, quam coxerat Iacobus, tanta fuit in Esau, vt moriturum se diceret, nisi protinus illa daretur. ita Caietanus & Pererius. Vide de gulæ speciebus & damnis S. Gregorium 30. Moral. c. 27.

IVRA ERGO MIHI] quòd mihi cedas ius primogenituræ, eoque pacificè me frui permittes. VERS. 33.

ABIIT, PARVI PENDENS] Nota obstinationem & impœnitentiam Esau; Secundò, perfidiam & periurium eiusdem: ideo enim paruipendit se ius hoc vendidisse, quia non habebat in animo suum contractum, hic iuramento firmatum, seruare. Vnde de facto sine vllo scrupulo, ius hoc sibi reipsa vindicare voluit, perinde ac si illud non alienasset, nec cessisset Iacobo. VERS. 34.

Peccatores cum Esau vendunt vili esca ius ad calestem gloriam. Tropolog. magis profani & viles quàm Esau, sunt peccatores, qui pro vili esca, aut honoris vanitatisque illecebra Deum offendunt. itaque diabolo, non tantùm animam, sed & Dei gratiam, iusque ad hereditatem cælestem diuendunt: hoc enim est ius primogenituræ Christi & Christianorum, quod Christus vnigenitus eis sua morte & sanguine comparauit, atque in baptismo renascentibus, sibi eos inserendo, consignauit. Rectè ergo ait Sapiens Prouerb. 6. 26. *Pretium scorti vix est vnius panis; mulier autem viri pretiosam animam capit.* Rursum, Antonius in Melissa p. 1. serm. 16. *Damon*, inquit, *ait: Da mihi præsentia, Deo futura: mihi iuuentutem, Deo senectam: mihi voluptates, illi corpus inutile. O quantum tibi periculum, quanti casus inexpectati imminent!*

Quocirca S. Chrysost. homil. 50. *Hæc*, inquit, *audientes discamus numquam negligere dona à Deo nobis data, neque perdere magna propter parua & vilia. Quare enim, dic mihi, proposito regno cælorum, bonisque illis ineffabilibus, ita in diuitiarum cupiditatem insanimus, & momentanea & quæ sæpè non vsque ad vesperam permanent, perpetuis semperque duraturis præferimus? Et quid hac amentia deterius esse possit? Quando & illis priuamur ob nimium in ista amorem, & numquam his purè frui possumus.*

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ISaac hic de nouo instituitur heres promissionum fidei, putà Chananææ, tentationum quoque ac profectuum Abrahæ. Primò ergo Deus apparet, & benedicit Isaaco, eumque ditat: vnde Secundò, v. 14. inuident ei Geraritæ, puteosque eius obstruunt. Tertiò, v. 24. rursum in Bersabée Deus Isaaco, promissiones patri factas iterat, ibique Isaac fœdus init cum Geraritis. Quarto, v. 34. Esau vxores Hethæas ducit.

1. ORta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus
Abraham, abijt Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum, in Gerara. 2. Ap-
paruitque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam di-
xero tibi. 3. Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semi-
ni tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham
patri tuo. 4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: daboque posteris tuis vni-
uersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, 5. eò quòd
obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias
legesque seruauerit. 6. Mansit itaque Isaac in Geraris. 7. Qui cùm interrogaretur
à viris loci illius super vxore sua, respondit: Soror mea est. timuerat enim confiteri quòd
sibi esset sociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritu-
dinem. 8. Cumque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abi-
melech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua.
9. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem
tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam. 10. Dixitque Abimelech:
Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras
super

ſuper nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens: 11. Qui tetigerit
hominis huius vxorem, morte morietur. 12. Seuit autem Iſaac in terra illa, & inue-
nit in ipſo anno centuplum, benedixitque ei Dominus. 13. Et locupletatus eſt ho-
mo, & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt:
14. habuit quoque poſſeſſiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc
inuidentes ei Palæſtini, 15. omnes puteos, quos foderant ſerui patris illius Abra-
ham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo: 16. in tantum, vt ipſe Abimelech
diceret ad Iſaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè. 17. Et il-
le diſcedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi: 18. rurſum fodit
alios puteos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obſtru-
xerant Philiſthijm: appellauitque eos eiſdem nominibus quibus antè pater vocauerat.
19. Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam viuam. 20. Sed & ibi iurgium
fuit paſtorum Geraræ aduerſus paſtores Iſaac, dicentium: Noſtra eſt aqua: quam ob
rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. 21. Foderunt autem
& alium: & pro illo quoque rixati ſunt, appellauitque eum, Inimicitias. 22. Profectus
inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius Lati-
tudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram. 23. Aſcen-
dit autem ex illo loco in Berſabëe, 24. vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte, di-
cens: Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum ſum: benedicam
tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meum Abraham. 25. Itaque ædi-
ficauit ibi altare: & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepitque
ſeruis ſuis vt foderent puteum. 26. Ad quem locum cùm veniſſent de Geraris, Abi-
melech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, 27. locutus eſt eis Iſaac:
Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? 28. Qui reſpon-
derunt: Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus: Sit iuramentum inter
nos, & ineamus fœdus, 29. vt non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil
tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: ſed cum pace dimiſimus auctum bene-
dictione Domini. 30. Fecit ergo eis conuiuium, & poſt cibum & potum. 31. ſur-
gentes manè, iurauerunt ſibi mutuò, dimiſitque eos Iſaac pacificè in locum ſuum.
32. Ecce autem venerunt in ipſo die ſerui Iſaac annuntiantes ei de puteo quem fode-
rant, atque dicentes: Inuenimus aquam. 33. Vnde appellauit eum Abundantiam: &
nomen vrbi impoſitum eſt Berſabëe, vſque in præſentem diem. 34. Eſau verò qua-
dragenarius duxit vxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam Elon eiuſdem
loci: 35. quæ ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ.

VERS.1. ABIMELECH] non ille tempore Abrahæ, de A quo cap.21. vt vult S.Auguſt. Ioſephus, & S.Chryſoſt. ſed alius, fortè filius eius; ille enim centum annis fuit ante hunc. regnauit enim antequam naſceretur Iſaac, qui iam erat ferè centum annorum, vt colligitur ex v.34. ita Abulenſis, Pererius, & alij. Videtur ergo Abimelech fuiſſe nomen commune regum Palæſtinæ, vti Pharao, & poſtea Ptolemæus, commune fuit nomen regum Ægypti, & Cæſar Romanorum Imperatorum. ita Procop. Diodorus & Hieron. l.9. in Ezech. Vnde & teſte Procopio & Diodoro, Abimelech hebraicè ſignificat patrē regem; quaſi dicas, Pater patriæ. Rex enim ſuis ſubditis debet eſſe pater, vnde & Romani ſuos Imperatores, vocabāt patres patriæ.

Abimelech fuit commune nomen regum Palæſtinæ.

VERS.5. VOCI MEÆ] præcepto meo de immolando filio. Stimulat Deus Iſaacum, mentione obedientiæ patris, vt videns eam ita in ſe remunerari, eamdem imitari, imò ſuperare contendat, itaque ampliorem mercedem à Deo conſequatur. ita S.Chryſoſt.

CEREMONIAS] tum propriam circumciſionis, tum alias omnibus communes, quas Deus in lege naturæ inſtituit, quibuſque coli voluit. Habuit enim lex naturæ, vti & Moſis & Chriſti, ſuos ritus, ſua ſacra & ſacramenta.

VERS.7. SOROR (cognata) MEA EST] Vide dicta c.20.12.

VERS.8. VIDIT EVM IOCANTEM CVM REBECCA] Iudæi impuri iocum hunc intelligunt copulam coniugalem. Sed apage hos Cynicos. quis credat Iſaac publicè & ſpectante rege, tam inuerecundum, lubricum & cynicum fuiſſe? Dico ergo, pro *iocantem* hebraicè eſt מְצַחֵק *metſachek*, id eſt ridentem, vel ludentem cum Rebecca, eo modo quo maritus caſtus & grauis, ſubinde cum vxore honeſtè iocari, ridere & ludere ſolet; quod cum alia facere non auderet, quia non deceret.

VERS.10. INDVXERAS SVPER NOS GRANDE PECCATVM] occaſiones dediſſes grandis peccati. Pro *peccatum* hebraicè eſt, אָשָׁם *aſcam*, quod ſignificat Primò, peccatum ex ignorantia admiſſum; vnde Septuag. vertunt *ἄγνοιαν*, ignorantiam: Secundò, pœnam & deſolationem ob tale peccatum inflictam. B vtroque modo hic capi poteſt.

VERS.11. MORTE MORIETVR] Nota hîc antiquam & primam in adulteros legem & pœnam mortis; quæ non videtur hîc primò ferri, ſed priùs in genere lata eſſe, hîc verò tantùm applicari & intentari violatoribus Rebeccæ. Eadem mortis pœna Deus poſtea, per legem Moſis, adulteros mulctauit. Eſt enim adulterium graue ſcelus, quod Deus vindicat, non tantùm principes, ſed & ſubditos puniendo. Ita ob Paridis cum Helena adulterium Troia & regnum Troianum interijt. Ita ob Tarquinij adulterium cum Lucretia, reges à Romanis in æternum eiecti ſunt. Ita Dauid peccans cum Berſabëe grauiſſimè punitus eſt, vt patet 2.Reg. 12.v.10. qua de re plura c. 38.v.24.

Prima & priſca lex mortis in adulteros.

SEVIT]

VERS. 12. SEVIT] in agro non proprio, sed à Gераritis conducto: nec enim Abraham, nec Isaac, nec Iacob possederunt agros aut domos in Chanaan, sed continuò in ea peregrinati sunt. Videmus hîc Isaac & Sanctos non otiari, esto scirent se à Deo benedicendos, Deumque id promisisse: sed eo fortiùs laborant, ne tentent Deum. Sic Isaac seminat, & sementi benedicit Deus.

INVENIT (non cæteri, sed ipse) IN IPSO ANNO (sterilitatis) CENTVPLVM] Vnde patet, hanc tantam messem, non per sationem, nec per agrorum fertilitatem, sed per miraculum, Dei beneficio, obtigisse Isaaco; vt videlicet ex vno modio à se seminato, meteret centum modios. Sic Plinius lib. 18. cap. 11. fertilissimum triticum vocat *centigranum.* Heb. ad verbum, *& inuenit centum modios.* ita Pagn. Vatabl. & alij. שְׁעָרִים *schеorim* enim per *schin* significat modios: Septuag. & Arabicus legentes, שְׂעֹרִים *seorim* per *sin*, vertunt, *inuenit centuplicatum hordeum.* Tertiò, alij vertunt, *inuenit centum æstimationes*, id est centies tantum quantum æstimauerat. radix enim שָׁעַר *scaar* significat cogitare, æstimare. Vnde Chald. vertit, *inuenit centuplum quàm æstimauerat.*

Tropolog. Vberrima terra est paupertas, in qua si feras, centuplum recipies: hoc est enim quod ait Christus Matth. 19. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres*, &c. *aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Huc alludens S. Hieron. epist. 26. ad Pammachium sic ait: *Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur: in tali Isaac quondam agro seuerat.* Meritò ergo canit B. Nazianzenus in carm.

Felix qui Christum fortunis omnibus emit.

Et S. Augustin. serm. vlt. de diuersis: *Quid est gloriosius homini, quàm sua vendere, & Christum emere?*

BENEDIXITQVE EI] Id est, benedixerat enim ei Deus, scilicet eum locupletando. ita Vatablus *Vau* enim Hebræorum copula, sæpè est causalis; & præteritum perfectum Hebræi sæpè sumunt pro plusquam perfecto. q.d. Non cælum, non terra, non agri, hæc bona dabant Isaaco, sed benedictio Domini, quæ sola diuites facit.

Moral. de strenuè colendo agro. Adde tamen, Deum Isaaco benedixisse, quia strenuè laborabat, colebatque agrum: agricolarum enim labori se inserit & benedicit Deus. Cùm apud Romanos prisci dictatores & senatores agrum colebant quinque iugerûm, abunde sufficiebat prouentus toti familiæ alendæ: postquam famulis vsi, per eos agros coluerunt, maxima latifundia non suffecerunt. illi sponte sua faciebant, & diligenter: hi frigidè & penè coacti; vnde terra indignata non reddebat ita laborantibus gratiam. Illustre est quod de C. Furio Cresino scribunt, qui cùm ex paruo agello multò largiores fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quare à Sp. Albino Curule die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos: postea dixit: *Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias & sudores.* Ergo omnium sententijs absolutus est. Ita est sanè: fructus agri non impensa, sed cultura constat. & ideo fertilissimum in agro oculum domini ac pedem esse dixerunt: oculus enim domi-

A ni impinguat equum, pes domini impinguat agrum.

Moraliter Nota. Isaac quia Deo iubente mansit in Geraris, hinc ibi à Deo locupletatus est: ita vbicumque quis manserit Dei voluntate & iussu, ibi à Deo benedicetur & prosperabitur. Notent hoc Religiosi, nec stationes sibi assignatas mutare velint.

Moral. S. Chrysost. homil. 52. Dicit, inquit, rex peregrino, *Abi à nobis, quia potentior factus es nobis. Et verè potentior erat supernum præsidium habens in omnibus, dexteraq; Dei munitus. Quò igitur abigis iustum? ignoras quòd quocumque eum ire coëgeris, semper erit in his quæ Domini sui sunt: Non docuit te rerum experientia, quòd Dei manus est quæ illustrem facit & conseruat iustum? Quare igitur abigendo iustum erga Dominum ingratitudinem declaras?* B *Et neque magna viri mansuetudo tuam domare potuit inuidiam, sed victus inuidiam opere comples. & iterum migrare eum cogis, qui in nullo te læsit. Nescis quòd licet in ipsissimam solitudinem eum fugaris, habebit tamen potentem Dominum, qui se iuuare, & multò clariorem facere nouit: Nihil enim fortius, quàm frui superno præsidio; sicut nihil infirmius, quàm eo destitui.*

PVTEOS OBSTRVXERVNT] Ita allegoricè hæretici Catholicis inuidentes puteos Catholicæ doctrinæ, putà S. Scripturam, & traditiones, ipsaque Sacramenta & sacra suis hæresibus & sordibus obstruunt, ait Origenes. VERS. 15. *Puteos S. Script. obstruunt hæretici.*

RECEDE A NOBIS] Vide hîc, quàm non sit confidendum in fauore regum aut populi, quamque inuidia sit timida & suspicax: per illam enim expellitur hîc Isaac, Deus tamen alijs de causis eum peregrinari voluit. Primò, vt probaretur eius fides & virtus. C Secundò, vt etiam in alijs locis Deus ipsius pietate & sancta conuersatione glorificaretur. Tertiò, vt doceret, Sanctos nulli loco, imò nullis terrenis rebus affixos esse debere, sed semper paratos omnia propter Deum relinquere, si casus id exigat. VERS. 16.

FODIT ALIOS PVTEOS] *Fodit*, id est eruderauit & expurgauit: erant enim iam antè effossi ab Abraham, sed ab inuidis Geraritis iniecta humo oppleti. Maluit Isaac veteres patris puteos eruderare, quàm nouos fodere. Primò, quia certus erat illic esse venam aquæ. Secundò, ad minuendam inuidiam Geraritarum, cùm tantùm repeteret & renouaret puteos, quos illi patri suo iam pridem concesserant. Tertiò, vt ita gratam patris memoriam, labores & opera recoleret ac veneraretur; vnde & priora nomina, à patre puteis imposita, D Isaac reuocauit & renouauit. ita Delrio. VERS. 18.

Tropologicè, quomodo dæmon puteum animæ per tentationum cogitationes obturet, & quomodo is exhauriendus & eruderandus sit, vide apud S. Gregorium lib. 31. Moral. c. 22.

IN TORRENTE] Torrens per metonymiam vocatur ipse alueus siccus, qui in hieme aqua pluuia impletur & exundat, fitque torrens, sed in æstate siccitate exarescit. in eo ergo fodit Isaac puteum, inuenitque aquam viuam, id est scaturientem, fontanam & perennem: in alueis enim & vallibus, locisque demissis faciliùs & citiùs inuenitur aqua viua & fontana, quàm in montibus & locis excelsis. videmus enim in vallibus ad tertium, vel quartum pedem fodiendo, exsilire aquam, fierique puteos, qui in montibus ad centum, imò ducentos pedes (ita enim profundi sunt) effodi debent. VERS. 19.

NOSTRA

VERS. 20. NOSTRA EST] quia eam effodistis in agro & fundo nostro. Sed hoc iniustè obiectant; quia illorum voluntate, scientia, conniuentia & consensu Isaac foderat hunc puteum: ideo vocauit hunc puteum *calumniam*; quia in fossione huius putei, calumniam hanc irrogarunt ei Geraritæ. Pro *calumniam* hebraicè est עֵשֶׂק *esec*, quod per ש *schin* significat calumniam; item oppressionem, fraudem & iniustitiam, vt vertunt Septuag. Per ש *sin* verò significat contentionem, iurgium, vt vertit Vatablus & Chaldæus. Vide hîc mansuetudinem Isaaci calumniam patientis, dissimulantis, abeuntis, suisque æmulis benignè & placidè respondentis. Vide & quomodo Deus Isaaco suisque amicis dulcia amaris permisceat, & infundat γλυκύπικρον, dulce amarum. *Nihil*, inquit S. Chrysost. hom. 52. *hic contendit iustus, neque obluctatur, sed etiam pastoribus cedit. Hæc enim verè mansuetudo est, non quando quis offensus à potentioribus mansuetè fert, sed quando quis ab his etiam qui inferiores putantur, offensus cedit.*

VERS. 22. *Cur Isaac vocarit puteum latitudo.* LATITVDO] Hebraicè רְחֹבוֹת *rechoboth*, id est latitudines q. d. Hic puteus latam, liberam & immunem à Geraritarum inuidia, abundantemque nobis nostrisque pecoribus dabit adaquationem: ideoque vocetur *latitudo*. S. Chrysost. legit *latifundium*. *Propter hoc*, inquit, *latifundium voco, quia dilatauit Dominus & auxit nos super terram. Vidisti piam mentem, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum quæ obstiterunt, bonorum tantùm meminit, & pro illis gratiam Deo offert. Nihil enim tam gratum Deo, vt anima grata & gratias agens. Nam cum innumeris beneficijs quotidie omnes nos prosequatur, nihil tamen aliud a nobis exigit quàm gratiarum actionem, vt illa ad ampliora danda prouocetur:* vti hîc prouocatus est ad ostendendum se Isaaco, eique benedicendum. Vnde subdit: *Noli timere, quia ego tecum sum; ideo & inuictus eris, & infestantibus potentior, & inuadentibus fortior: & tantam tui curam habebo, vt insidiosus illis sis futurus.* Hinc & præmisit: *Ego sum Deus Abraham patris tui, ostendens quomodo sibi vendicauerit & proprium fecerit patriarcham, ita vt dignatus sit se vocare Deum Abrahæ. Et Dominus orbis ac conditor, vnius hominis Deum se dicens, non concludit & abbreuiat suum dominium, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat. Ita, inquit, eum mihi feci proprium, vt apud me tanti computetur, quanti alij omnes. Igitur propter patrem tuum multiplicabo semen tuum.* Hæc S. Chrysost.

VERS. 24. EGO SVM DEVS ABRAHAM PATRIS TVI] q. d. Omnes quidem creaturæ meæ sunt, sed tamen vnus Abraham apud me plus valet, quàm omnes alij. vide ergo, ô Isaac, vt patrem tuum imiteris.

Morale. Disce hîc quàm bonum sit esse amicum Dei. Secundò, quòd Sancti in perpetua memoria sint apud Deum. Tertiò, Deum prolibus benedicere ob sanctos parentes. Quartò, quid honoris debeamus Sanctis, quos Deus sic honorat.

VERS. 25. EXTENDIT TABERNACVLVM] vt ibi figeret sedem & domicilium.

VT FODERENT] vt refoderent & eruderarent puteum, olim ibidem à patre Abrahamo effossum, putà puteum Bersabëe, vti sequitur. Nota hîc constantiam & magnanimitatem Isaci, qui fortiter fert inuidorum insultus, eisque cedit, sed ita vt segnior non efficiatur, quin alibi se suaque strenuè promoueat.

VERS. 26. OCHOZAT AMICVS ILLIVS] Chaldæus & Vatablus Hebræum *Ochozat* accipiunt quasi appellatiuum, vnde vertunt, *& cœtus amicorum eius.* Verùm meliùs Septuag. & Noster accipiunt Ochozat, quasi nomen proprium.

AMICVS] Septuag. *paranymphus* regis Abimelech: illi enim maximi sunt amici alicuius, qui in nuptijs eius sunt pronubi: hi enim ipsi sponso sunt proximi, cumque ad thalamum nuptialem deducunt. Vnde S. Ioannes Baptista Ioan. 3. 29. vocatur amicus sponsi, quia Christi erat paranymphus.

Hic paranymphus, regisque amicus intimus, apud Persas erat secundus à rege, vocabaturque Surenas, cuius erat coronare regem. Præerat hic cohorti regiæ, quæ ex selectissimis, fidelissimis, regique amicissimis, putà nobilibus & dynastis qui cum rege nutriti & educati fuerant, constabat. vnde erat quasi dux & primus inter aulæ nobiles & regis amicos. Talis fuit hic Ochozat apud regem Abimelech. *Quid regis paranymphus.*

ET PHICOL DVX MILITVM] Alius hic est Phicol ab eo, qui fuit tempore Abrahæ, c. 21. v. 22 hic enim illo fuit posterior centum annis. Sicut ergo alius fuit Abimelech hic, qui cum Isaaco, ab illo qui cum Abrahamo fœdus inijt: ita & alius fuit Phicol. Videtur ergo, quòd, sicut Abimelech commune erat nomen regum Geraris, ita Phicol commune fuerit nomen ducum, non cohortis regiæ (huius enim dux erat Ochozat) sed militiæ publicæ, vti iam commune eorum nomen est, vt vocentur, Magistri, vel Generales exercitus. *Phicol* hebraicè significat *omnis facies*, vel potiùs *omne os*, quasi omnium militum facies, animi, ora & oculi, in hunc militiæ ducem essent conuersi; quodque, sicut facies totum corpus, ita ipse totum exercitum præire & ducere deberet.

Symbolicè, Eucherius lib. 2. cap. 51 per hos tres amicos Abimelech, accipit Philosophos triplices, scilicet Logicos. Ethicos, Physicos: item tres Magos, qui duce stella ad Isaac, id est Christum, venerunt.

NEC FECIMVS QVOD TE LÆDERET] Falsum dicunt: nam ipsis conniuentibus, pastores puteos Isaaco ademerant. Ita violenti & tyranni prædicant suam iustitiam: iusti verò, cum Isaac acceptam iniuriam dissimulant, & maleficia beneficijs obruunt, irasci nesciunt, quia pacifici sunt & paci student. Quocirca meritò S. Gregor. homil. 15. in Ezech. Isaacum speculum pacis & simplicitatis statuit, dum ait: *Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei oculis, vita sua tranquillitas ornauit.* Ita Dauid Saulem se persequentem fuga declinauit; & cùm posset lædere, noluit. itaque beneficio Dauid victa est Saulis inuidia. Ita Salomon pacificus fuit, ideoque templum Domino ædificare meruit. VERS. 29. *Pacificorū exempla.*

S. Iuo causidicorum patronus, cùm multis miraculis, tum pietatis operibus clarus, litigantes conciliare studebat. cumq; quemdam graui odio à matre dissidentem, in gratiam & pacem reducere nequiuisset, Missæ sacrificium pro eo Deo obtulit. exinde nemine iam sollicitante, solo diuino instinctu ita animis resipuerunt, vt & hic filium se agnosceret, & illa matrem.

Pasnutio Abbati & eremitæ reuelatum est, quendam Heracleæ sibi vitæ meritis esse parem; & quærens, inuenit eum quidem & vxorem & filios habere, sed post secundam susceptam prolem, castitatem cum ipsa seruare, iustitiæ & pietati studere,

dere, ac præsertim conniti, vt, si quos inter se odio distractos cognouisset, reconciliaret. pacifici ergo Religiosis æquantur. testis est Pallad. c. 64.

Hinc Agathon Abbas gloriari solebat, se nunquam cepisse somnum, nisi priùs & suam aduersus alios, & aliorum contra se indignationem placando sopiret, dictitans illud: *Inquire pacem, & persequere eam*: &, *Iracundi Deo atque hominibus odio sunt*. In Vitis Patrum.

Ioannes Abbas visens Pesium Anachoretam, rogauit eum, quid per 40. annos in eremo profecisset? respondit ille, *Quòd sol omnia collustrans nunquam me manducantem vidit, nec iratum*. ibidem.

Præfectus monasterij Scythi rogatus quid esset illud Euangelij: *Qui irascitur fratri suo sine causa*, solam iustam iræ causam definiuit, separationem à Deo: cæteris quamlibet magnis iniurijs acceptis qui irascitur, eum sine causa irasci. ibidem.

Edgaro rege Angliæ S. Dunstanus Cantuar. Archiep. à Deo audiuit, pacem Angliæ futuram, quamdiu ille viueret. Igitur annos sedecim quibus regnauit, omnia in summa pace fuerunt. Perpetuo enim fœdere sibi vicinos reges deuinxerat, piratas mari, prædones terra submouerat: quin & feras. nam à Guidualo Gualdensium rege tributum exegit, annis singulis lupos triginta. id seruatum, donec illud bestiarum genus assidua venatione defecit. Tantus ergo pacifici status amor, ipsum ad pacem æternam prouexit, atque ad cælestem gloriam inter Sanctos sublimauit. ita habet Vita S. Dunstani.

AVCTVM BENEDICTIONE DOMINI] quia te vidimus benedictum à Domino. Vnde Vatablus vertit, *nam tu es benedictus Domini*. Dant enim causam, cur Isaacum in pace dimiserint; quia videlicet videbant eum à Deo protegi & benedici, ac proinde eum tangere non audebant.

VERS. 32. QVEM FODERANT] Hinc & ex v. 25. patet, quòd Isaac, mox vt venit Bersabëe, iusserit refodi & erudera ri puteum dictum Bersabëe, quem olim c. 21. v. 30. effoderat Abraham, sed Geraritæ ex inuidia eum humo oppleuerant. ita Caietan. & Abulens.

INVENIMVS AQVAM] Ita & Hebræa. Mendosi ergo hîc, vti & alibi, sunt Septuag. qui habent contrariè, *non inuenimus aquam*.

VERS. 33. VNDE APPELLAVIT EVM, ABVNDANTIAM] Pro *abundantiam*, hebraicè est שׁבע, quod pro varietate punctorum tripliciter legi, & explicari potest. Primò, legi potest שֶׁבַע *scheba*. per *schin*, & tunc significat septem. q. d. Hic est septimus puteus quem effodi. ita Vatablus. Rursum, hic est puteus septem agnarum, quibus eum emit Abraham, c. 21. v. 30. & 31. Denique hic puteus septem, id est multas & copiosas dabit aquas. Et ita legisse & intellexisse videri potest noster Interpres, dum vertit, *abundantiam*.

Secundò, legi potest שְׁבֻעָ *schebua*, id est iuramentum, quia ad hunc puteum iurarunt fœdusque inierunt Abraham & Isaac cum Abimelecho. ita Septuag.

Tertiò, legi potest שָׂבָע *seba*. per *sin*: ita legit Noster; tumque significat *saturitatem*. q. d. Ex hoc puteo saturabimur, hic puteus pacificam, copiosam & abundantem nobis & pecoribus nostris dabit adaquationem. Hic sensus planè est ad mentem Isaaci, vt patet ex v. 22. & alijs.

Mysticè tres putei. Mysticè, inquit Hugo Card. *Tres hi putei sunt tres status Ecclesiæ, incipientium, proficientium, & perfectorum. Primum fodit, qui vomere contritionis duritiam cordis sui eruderat. Hoc fit in exitu de Aegypto, & ideo talis adhuc in se retinet multas reliquias Aegypti, propter quas diabolus multas calumnias mouet; vnde & puteus iste, calumnia nuncupatur. opera enim neophytorum non sunt vsquequaque pura. Secundum puteum fodit, qui manu bona operationis à se otij omnis torporem expellit. Ecclesiast. 9. Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. & S. Bernard. Non est virtus, nisi crescat animus in ipsa difficultate. Tertium fodit, qui à se temporalia abijcit per contemptum propter Christum. Philip. 3. Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. In primo puteo est aqua contritionis: in secundo est aqua compunctionis: in tertio est aqua deuotionis, in quo contentio nulla est, nulla difficultas, sed serenitas conscientiæ. vnde vocatur latitudo. In prima fossione diabolus expellitur & vincitur: in secunda caro subijcitur & deijcitur: in tertia mundus: & ita omne bellum sopitum est, & iam est pax in carne, pax in mente, pax in mundo.* In omnibus ergo operibus tuis perfectus esto; ora, stude, patere, certa, labora æternitati. despice breue hoc tempus, & temporales breuesque voluptates, opes, honores: suspice æterna.

ET NOMEN (puteo, deinde vicinæ) VRBI IMPOSITVM EST BERSABEE] בְּאֵר *beer* significat puteum, *sabee*, siue *sceba*, vel *scebua*. per *schin*, significat *iuramentum*, vel *septem*, vti iam dixi: Bersabëe ergo idem est, quod puteus iuramenti, vel puteus septem agnarum, quas pro eo dedit Abraham. inde enim hic puteus ante centum annos, ab Abraham vocatus est Bersabëe. Verùm Isaac leniter *schin* in *sin* inflectens, hebraicè pro *Berscabëe*, dixit *Bersabëe*, itaque hunc puteum vocauit, ac consequenter nomen à patre impositum iterauit & renouauit, sed per exiguum vnius literæ flexum alio sensu, quàm pater. *Bersabëe* enim per *sin*, significat puteum saturitatis; quia eo saturata est familia Isaaci, vti iam dixi. *Triplex etymon Bersabee.*

Aliter hæc explicat Lipomanus. putat enim ipse, eodem prorsus sono & sensu, hunc puteum ab Isaaco vocatum esse Bersabee, quo à patre Abrahamo Bersabee vocatus fuerat; vt scilicet Bersabee sit idem, quod puteus iuramenti: censet enim Lipoman. Mosen hic respicere ad versum 31. q. d. Eodem die quo Isaac iuramentum & fœdus inijt cum Abimelech, venit ad eum nuncius de puteo hoc patris refosso: hinc æquè vt pater, vocauit eum Bersabee, id est puteum iuramenti; quia æquè ac pater, ad eumdem puteum iurauit fœdus Abimelecho.

Verùm prior sensus genuinus est, & ex mente Isaaci, eumque exposcit versio nostra, quæ *sabee* non iuramentum, sed saturitatem & abundantiam interpretatur.

Allegoricè, Bersabee est Ecclesia militans, in qua est abundantia gratiarum. *Bersabee, mysticè est Ecclesia, maximè triumphãs.*

Anagogicè, Bersabee est Ecclesia in cælis triumphans, in qua est saturitas gloriæ, omnisque boni: de qua canit Psaltes, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. &, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ*. Hunc fontem & puteum magno labore effodere oportet, simulque resistendum est Philistinis, fossionem huius putei impedientibus, putà hæreticis alijsque impijs: hi enim litigant de puteis, id est Sacramentis, & S. Scriptura, quos

inuident,

inuident, & adimere volunt Catholicis pijsque viris. ita Rupertus.

Vers.34. Esav vero qvadragenarivs dvxit vxores] Contigit hoc anno Isaac centesimo: natus est enim Esau anno Isaaci sexagesimo. Addit Iosephus, has vxores fuisse filias Dynastarum Hethæorum.

Vers.35. Ambae offenderant animvm Isaac] suis malis moribus & contumacia; & quia manebant idololatræ. ita Targum Hierosolymitanum. Vide A Isaac priùs vexatum ab alienis, putà Geraritis, hîc contristatum à suis, placidè omnia pati & dissimulare.

Nota. Esau inuitis parentibus duxit vxores alienigenas, ideoque paterna benedictione priuatus & fratri subiectus fuit, vt patebit cap. sequenti. Discant hîc iuuenes, coniuges accipere ex consilio parentum, fideles & bene moratas, vti fecit Isaac, Iacob, Tobias & alij.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob fratri dolo præripit benedictionem patris; ei ergo mortem minatur Esau: quare mater Iacobo suadet fugam in Haran. Hinc disce, firmum esse Dei propositum, promissionem, electionem, qua dixerat c.25.23. Maior seruiet minori, *quodq; illam nulla humana consilia possint euertere.*

1. Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque
Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. 2. Cui
pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. 3. Sume arma tua
pharetram, & arcum, & egredere foras: cumq; venatu aliquid apprehenderis, 4. fac
mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima
mea antequam moriar. 5. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abijsset in agrum vt
iussionem patris impleret, 6. dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem
cum Esau fratre tuo, & dicentem ei, 7. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt
comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. 8. Nunc ergo fili
mi, acquiesce consilijs meis: 9. & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos,
vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur. 10. quas cùm intuleris,
& comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. 11. Cui ille respondit: Nosti
quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: 12. si attrectauerit me pater
meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem
pro benedictione. 13. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi:
tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. 14. Abijt, & attulit, deditque
matri: Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius. 15. Et vestibus Esau valdè
bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: 16. pelliculasque hœdorum circumdedit
manibus, & colli nuda protexit. 17. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat,
tradidit. 18. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu
fili mi? 19. Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti
mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. 20. Rursumq;
Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti, fili mi? Qui
respondit: Voluntas Dei fuit vt citò occurreret mihi quod volebam. 21. Dixitque
Isaac: Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu sis filius meus Esau, an non.
22. Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed
manus, manus sunt Esau. 23. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem
maioris expresserant. Benedicens ergo illi, 24. ait: Tu es filius meus Esau? Respondit,
Ego sum. 25. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat
tibi anima mea. quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. quo hausto,
26. dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. 27. Accessit, & osculatus
est eum. Statimq; vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce
odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 28. Det tibi Deus de
rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. 29. Et seruiant tibi
populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij
matris tuæ. qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus
repleatur. 30. Vix Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau,
31. coctosq; de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione
filij tui: vt benedicat mihi anima tua. 32. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu?
Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. 33. Expauit Isaac stupore
vehementi: & vltrà quàm credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam
venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixique
ei; & erit benedictus. 34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno:
& consternatus ait: Benedic etiam & mihi, pater mi. 35. Qui ait: Venit germa-

nus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. 36. At ille subiunxit: Iustè
vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea
antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem:
Numquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem? 37. Respondit Isaac: Domi-
num tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento &
vino stabiliui eum, & tibi post hæc, fili mi, vltrà quid faciam? 38. Cui Esau: Num v-
nam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas.
Cumque eiulatu magno fleret, 39. motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ,
& in rore cæli desuper, 40. erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies:
tempusque veniet, cùm excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. 41. Oderat
ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde
suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. 42. Nuntiata
sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau
frater tuus minatur vt occidat te. 43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & con-
surgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: 44. habitabisque cum eo dies pau-
cos, donec requiescat furor fratris tui, 45. & cesset indignatio eius, obliuiscaturque
eorum quæ fecisti in eum, postea mittam: & adducam te inde huc. cur vtroque orbabor
filio in vno die? 46. Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias
Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.

VERS. 1. SENVIT AVTEM ISAAC] Isaac hoc anno quo Iacob eius benedictionem fratri surripuit, erat 137. annorum, Esau verò & Iacob 77. Nam hoc anno 77. Iacob mox à surrepta benedictione fratris, timens eius iram, monitu matris fugit in Mesopotamiam. Id patet ex eo, quòd Ioseph natus sit anno Iacobi 91. Ioseph autem natus est annis 14. post fugam patris in Mesopotamiam, putà postquam Iacob ibidem seruierat 14. annis Laban, pro Rachele & Lia, vti demonstrabo c. 30. v. 25. Ergo hæc fuga Iacobi contigit anno vitæ Iacobi 77. ab hoc enim anno 77. vsque ad annum 91. quo natus est Ioseph, intercurrunt præcisè 14. anni iam dicti. ita Eusebius libr. 9. de Præpar. cap. 4. Vide Abulensem hîc quæst. 1. & Pererium in præfatione capitis. Vixit post hæc Isaac adhuc annis 43. mortuus est enim anno ætatis 180.

Iacob erat 77. annorum cum surripuit benedictionem Esau.

A

B

ET CALIGAVERVNT] tum senio, tum crebris morbis, inquit S. August. lib. 16. Ciuit. c. 30.

Isaac fuit cæcus per 44. annos.

Nota hîc longam patientiam Isaac. tulit enim ipse cæcitatem per 44. annos, scilicet ab anno ætatis 137. (vt dixi antè) vsque ad annum 180. quo mortuus est. Præclarè dixit S. Sincletica in Vitis Patrum: *Si infirmitas nobis superuenit, non contristemur; quia ad destruenda desideria corporis nobis proficit. Si amittamus oculos, non feramus grauiter; quia extollentiæ instrumentum amisimus. Si surdi facti sumus, non doleamus; quia auditum vanum amisimus.*

Mor. de patientia in morbis. Par. 2. de patientia.

Par. 2. §. 147.

Hinc ibidem alius sanctus Anachoreta dixit, *Summa religio est, vt in infirmitate quis Deo gratias agat: sicut enim magno & forti medicamine ægritudo corporis curatur, sic ægritudine corporis cordis vitia retunduntur. Si ferrum es, æruginem per ignem tribulationis amittis; si aurum, splendidior & purior efficeris. quapropter sancti Patres desiderabant semper esse in infirmitate.*

C

Par. 1. de S. Polemone.

Ibidem Polemon socius B. Pachomij, cùm doloribus splenis grauiter affligeretur, & rogaretur à fratribus, vt pateretur aliquid remedij impendi, respondit: *Si Martyres Christi alij per frusta lacerati, alij capite plexi, alij ignibus cremati sunt, & tamen vsque in finem fortiter pro fide tolerauerunt; cur ego patientiæ præmia paruis cedens doloribus impatienter abijciam, & desiderio vitæ præsentis afflictiones momentaneas inaniter expauescam?*

Par. 2. §. 205.

Ibidem legitur de Didymo (qui cæcus fuit per octoginta annos, & tamen in S. Scriptura versatissimus, vnde S. Hieron. eum vocat suum videntem) quòd rogatus à S. Antonio, an tristaretur de eo quòd oculis careret, & ille non abnueret, audierit ab Antonio: *Miror prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ & pulices habent; & non potiùs lætari illius possessione, quam soli Sancti & Apostoli meruerunt. multò enim melius est spiritu videre quàm carne; & illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quàm illos qui solo visu, per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere.*

Hinc B. Petrus Abbas Clarauallensis, cùm ex vi morbi vnum oculum amisisset, monoculus dixit: *Vnum de inimicis euasi, & plus à residuo, quàm à perdito formido.* Hinc & nonnulli philosophi sibi oculos eruerunt, ne mens distraheretur, sed collecta tota contemplationi vacaret: fideles verò, vt S. Audomarum, Aquilinum, & alios, cæcitatem à Deo petijsse & impetrasse legimus. S. Pigmenius Romanus presbyter cæcus occurrens Iuliano Apostatæ, cùm ab eo audiret, *Gratias ago dijs, ô Pigmeni, quòd te video*; respondit, *Gratias ago Deo meo, quòd te non video.* Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quàm tyrannum contempsit. Dehinc martyrij corona donatus videre cœpit quæ oculus non vidit; & audire, quæ auris non audiuit; & intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt.

VIDES QVOD SENVERIM, ET IGNOREM DIEM MORTIS MEÆ] Vide, quàm maturè per 43. annos, Isaac hîc præmeditetur suam mortem, eam, vtpote incertam, indies expectet, ad eamque se suaque omnia comparet. Facto ergo suo docet nos, vitam nostram non aliud esse debere, quàm meditationem mortis, vti aiebat Plato. Mors enim certa est, certoque nobis obuentura; sed dies & hora eius incerta. Audi Horat. ode 3. l. 2. VERS. 2.

Vita esse debet iugis meditatio mortis.

Omnes eòdem cogimur: omnium
Versatur vrna, seriùs, ocyùs
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymba.

CVMQVE VENATV ALIQVID APPREHENDERIS, FAC MIHI INDE PVLMENTVM] Hebraicè, fac mihi מַטְעַמִּים *matammim*, id est gustamenta, putà delicatioris cibi fercula, quæ gustum oblectant. erat enim hæc dies benedictionis filij fausta, læta & solemnis, VERS. 3. & 4.

lemnis, & proinde læto & iucundo epulo celebranda. ita Lipomanus.

Cur Isaac ferinam petijt ab Esau.

Quæres, cur Isaac petijt ab Esau carnem ferinam ex venatione, potiùs quàm pullorum, vel agnorum, cùm ea domi ad manum haberet, antequam vellet ei benedicere? Respond. Primò, quia Isaac assueuerat esui ferinæ; quam ei ex venatione afferebat Esau, vt patet c.25.v.28. ac consequenter ea magis pascebatur & delectabatur. Secundò, quia volebat vt Esau se disponeret ad benedictionem recipiendam, per hanc obedientiam & obsequium venationis. ita Thomas Anglicus. Tertiò, quia Isaac nescius mouebatur à Deo, ad emittendum Esau foras venatum, vt interim Iacob posset præuenire Esau, eique benedictionem præriperet: decreuerat enim Deus in primogenitura Iacobum præferre Esau.

Causa Prima. *Secunda.* *Tertia.*

Tropologia. Tropologicè, docuit hic Isaac, dantes spiritualia posse exigere temporalia, nimirum sacerdotes & pastores qui docent, orant, & benedicunt populo, à populo ali debere.

VERS. 7. CORAM DOMINO] vidente, audiente, inuocato, annuente & aspirante Domino. ita Oleaster, Pererius, & alij. Vide hic, quàm mirabilis sit Deus in operibus & promissis suis implendis. Nihil minùs sperare poterat Iacob, quàm se benedicendum, cùm pater decreuisset benedicere Esau; & tamen benedictio ipsi Iacob contigit. E contrario numquam Esau certior fuit de benedictione accipienda, quàm dum pater ei sic loqueretur; & tamen tunc vel maximè perdidit eam. Disce ergo Deo fidere, etiamsi aduersa omnia eueniant: disce contra spem in spem credere.

Deus mirabilis in suis consilijs.

EGO LENIS] glaber, non pilosus vt Esau.

VERS. 13. IN ME SIT ISTA MALEDICTIO] Non quòd Rebecca verè pro filio voluerit excipere patris maledictionem & punitionem, vt vult S. Chrysost. Sed ita loquitur, quia secura erat de felici euentu: sciebat enim Deum ita promisisse c.25.23. q. d. Frustra times iram patris, illius nullum est periculum; ego spondeo, imò si hæres & dubitas, ego omnem iram in me excipiam ita Theodor.

Vbi Nota Primò, in Rebecca fidem inconcussam in verbum Dei dicentis, *Maior seruiet minori.* Secundò, ipsa filium instruit ad benedictionem petendam, felicem futurum rata, si benediceretur à patre, eoque sancto. Aliæ matres educant filios ad vanitates & peccata. Tertiò, licet sciret maritum errare in eo, quòd contra voluntatem Domini maiorem filium benedicere volebat; non tamen cum eo iurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat, vt benedictio ei obtingat, quem Deus destinauerat. Quartò, omnibus modis curat, ne senex pater deceptionem sentiat, itaque turbetur. Quintò, officiosa est erga maritum senem, cibos ei parando quibus libenter vescebatur. Sextò, prudenter Iacobum amandat, vt Esau iram leniat.

Tropologicè, quomodo parentes æqualiter filios diligere, nec vnum præferre alteri, aut si præferant, id alio modo compensare debeant, docet ex hoc Isaaci erga Esau, & Rebeccæ erga Iacob affectu, S. Ambrosius lib.2. de Iacob cap.2. *Accipe,* ait, *bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater iudicium: mater circa iuniorem tenera pietate propendeat, pater circa seniorem natura honorificentiam seruet: hic magis honoret, illa plus diligat: compenset alter, quod alter imminuit.*

A ATTVLIT] duos hœdos quos mater postularat: non quòd pater tam robustus esset, tantique cibi, vt duos hœdos absumeret, vt vult Procopius; sed quia ex duobus hœdis delicatiores partes abscindere, easque patri offerre destinabat. ita Diodorus & Abulens. VERS. 14.

Moral. S. Ambros. lib.2. de Iacob c.2. *Vicit,* inquit, *ille qui præferebatur oraculo: vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam, dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem, hic mitium cibos morum.*

VALDE BONIS] Hebraicè חמודות *chamudot*, id est desiderabilibus; Septuag. *pulchris*: vnde in arca inter odoramenta asseruabat eas mater. Odoratas enim fuisse, patet v.27. VERS. 15.

Allegoricè, stola Esau, id est prophetia, sacerdotium, & Scriptura veteris testamenti à Iudæis translata est ad Iacob, id est ad Christianos. ita S. Ambros.

B PELLICVLASQVE HOEDORVM] vt Iacob videretur esse Esau, qui erat hirsutus. VERS. 16.

CIRCVMDEDIT MANIBVS] in modum chirothecarum: nam alioqui manibus vti debebat Iacob, ijsque cibos inferre ad patrem, eique ministrare cogebatur.

Allegoricè, Iacob est Christus, qui induit pelles hœdinas, id est nostra peccata in se assumpsit, vt ea lueret. ita S. Augustin. lib. Contra mendac. c.10. & Prosper 1 p. Prædict. c.21.

Iacob, id est Christus, induit pelles hœdinas Esau, id est, nostra peccata in se assumpsit.

COLLI NVDA] mollitiem & glabritiem colli. ita Hebræa.

QVIS ES TV?] Vox enim Iacob mouebat dubium & scrupulum Isaaco, vt ambigeret, an qui loquebatur esset Iacob, an Esau, ideoque rogat Quis es tu? VERS. 19.

Morale. Disce hic, quòd Deus subinde iustos sinit aliC qualiter ignorare, falli, cadere, decipi, vt se agnoscant. Sic Isaac sanctus putabat benedictionem Dei in Esau implendam esse, sed fallebatur. Secundò, quòd Deus aliquando paruulis reuelat, quæ magnis abscondit: sic Rebeccæ reuelatur, quod Isaac ignorabat. Idem confitetur Christus Matth.11.25.

EGO SVM PRIMOGENITVS TVVS ESAV] Quæres, an Iacob hic mentitus sit, & an peccarit. Primò, Origenes, Cassianus & Chrysostomus, Platonem secuti censent, Iacob mentitum esse, sed licitè & sine peccato. licere enim subinde vti mendacio, quasi helleboro, vel sicuti vtimur rebus venenatis in pharmacis. Sed hic est error iam ab Ecclesia declaratus & reprobatus, aduersus quem scripsit S. August. lib. contra mendacia.

Quomodo Iacob dixerit se esse Esau? Prima expositio.

D Secundò, Gabriel in 3. d.38. & Aliaco in 1.q. 12. in fine censent, non licere quidem mentiri per se, licere tamen mentiri dispensante Deo. Sed communis Doctorum cum S. August. sententia est, mendacium natura sua esse malum, ac consequenter in eo à Deo dispensari non posse. Est enim mendacium per se contra naturam & virtutem veritatis. vnde S. Script. omne omnino prohibet mendacium, Ecclesiastici 7.v.14. *Secunda.*

Tertiò, meliùs S. August. l. Contra mēdac. c.10. censet hic esse figuratam locutionem. Sicut enim Matth.11.14. Ioannes Baptista vocatur Elias, non quoad personam, sed quoad spiritum: & Tobiæ 5.18. Raphael se dicit esse Azariam, id est adiutorem Dei, Ananiæ, id est gratiæ Dei, filium: sic Iacob dicit se esse Esau, non quoad nomen & personam, sed quoad ius & primogenituram, *Tertia.*

sibi à Deo collatam c.25. v.23. vnde ait, *Feci sicut* A *praecepisti mihi*: intendisti enim primariò, praecipere primogenito tuo adferre cibos, & excipere paternam benedictionem: primogenitus autem sum ego. *Comede* ergo *de venatione mea*, quam non in agro, sed in stabulo venatus sum.

Quarta & genuina. Verùm dico, videtur Iacob matris impulsu & veste, & factis, & verbis mentiri, non tantùm ius, sed & personam Esau: vult enim patri diligenti personam Esau omnibus modis persuadere se esse ipsummet Esau; vnde mentitur dicens, *Feci sicut praecepisti mihi* &, *Comede de venatione mea.* q.d. Sumpsi arma & arcum, venatus sum; en fera quam apprehendi & coxi; comede ex ea. ita S. Chrysostomus, Lyranus, Caiet. Lipoman. Pererius, & alij.

Adde, licet haec verba amphibologica & subtili aliqua subintelligentia excusari & verificari B possent; tamen eam non videtur habuisse Iacob, qui non tam subtilis erat, nec talia tantaque versabat animo; sed simplex erat, rectus, & candidus, atque in hoc negotio praeripiendi fratri benedictionem per dolum & fraudem, matri simpliciter obediuit, fecitque quidquid illa suggessit; vnde & à patre vocatur fraudulentus, v. 35.

Iacob mentitur, sed officiosè. Dico Secundò, mendacium hoc Iacob, non perniciosum, nec iniurium alicui, sed officiosum fuit, ac consequenter veniale tantùm peccatum. Erant enim ei ex Dei dono, debita iura primogeniturae, ac proinde ea praeripiendo Esau per dolum, nullam ei faciebat iniuriam, sed rem suam sibi vendicabat. ita Tostatus, Lipoman. Caietanus. Adde, fortè ex ignorantia inuincibili putabat, tam mater, quàm Iacob, id quod putauit Origen. Cassianus & S. Chrysost. scilicet, licere sibi tali casu & C necessitate mentiri.

Obiectio. Dices, Mysterium fuit hîc, ergo non mendacium. Antecedens patet: quia Iacob induens vestes & personam Esau, significabat Christum, qui nostra peccata & poenas in se suscepit. Rursum significabat Gentes surrogandas esse Iudaeis in filiatione & benedictione Abrahae, putà in gratia, iustitia & salute, vti explicat Apostolus Rom. 9. & 10.

Respons. Respond. Mysterium hoc fuit ex parte Dei & Spiritus sancti, qui intendebat allegoricè hoc significare: sed mendacium fuit ex parte Iacobi: ipse enim literali sensu intendebat patri persuadere, se esse Esau in persona. Vnde mysterium Dei iam dictum eum non excusat, praesertim cùm ipse illud tunc ignorasse videatur. Adde, mysterium hoc, & hunc mysticum sensum non esse si- D tum in mendacio Iacobi: nec enim veritas falsitate niti potest; sed situm esse in facto Iacob, quo se patri exhibuit, itaque gessit, ac si ipse esset Esau: facta enim saepè à mendacio excusari possunt, vbi verba non possunt. verba enim definitè & determinatè rem & mentem loquentis significant; facta autem confusè tantùm & indeterminatè: vnde à mente facientis huc illúcve flecti, determinari, & ad hoc illúdve significandum dirigi possunt. Sic comoedi in comoedijs sine mendacio alias personas regum & principum repraesentant, agendo ea quae ipsi egerunt, perinde ac si ipsimet essent reges & principes.

Mysterium non potest esse mendacium.

SVRGE, SEDE ET COMEDE] Iacebat ergo Isaac prae senio & debilitate in lectulo, ex quo vt surgat ad comedendum rogat eum Iacob.

Mysticè S. Ambros. lib. de Isaac. c. 5. *Lectus*, ait, *sanctorum Christus est, in quo vniuersorum fessa saecularibus praelijs corda requiescunt. In hoc lecto requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorem.*

VOX QVIDEM, VOX IACOB EST; SED MANVS, MANVS SVNT ESAV] Sic allegoricè, Christi vox, vox fuit Filij Dei, sed manus & species externa, quam viderunt & tetigerunt homines, fuit hominis communis, mortalis & miseri. vnde S. Bernardus serm. 28. in Cantica, *Suum*, inquit, *est quod auditur in Christo; quod videtur, nostrum: quod loquitur, spiritus & vita est; quod apparet, mortale est & mors: aliud cernitur, & aliud creditur.* VERS. 22.

Hinc ibidem docet quòd notitia veritatis magis per auditum, quàm per visum accipitur. *Caligant*, inquit, *oculi patriarchae, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum si auris percipit veritatem, cùm fides ex auditu, auditus per verbum Dei, verbum Dei veritas sit? Vox, inquit, vox Iacobi: nihil verius. manus autem, manus sunt Esau: nihil falsius. Falleris, manus similitudo decipit te. Nec in gustu veritas, etsi suauitas: nam quomodo habet veritatem, qui se putat edere venationem, cùm domesticis vescatus haedorum carnibus? Multò minùs oculus, qui nihil videt. Non est veritas in oculo, non sapientia: solus habet auditus verum, qui percipit verbum.*

Idem clarum est in Eucharistia: in ea enim manus, gustus & tactus falluntur, dum sapiunt, gustant & iudicant esse panem; sed sola vox non fallit: haec enim est vox Filij Dei, qui falli aut fallere nequit, dicens, *Hoc est corpus meum.* *In Eucharistia est vox Iacob, id est Christi, sed manus sunt Esau.*

BENEDICENS ERGO] destinans & parans se ad benedicendum. τὸ enim *benedicens*, significat hîc actum, non perfectum, sed inchoatum & destinatum, putà ipsam destinationem & praeparationem ad benedicendum: non enim hîc, sed in sequentibus benedicit Isaac Iacobo. VERS. 23.

VT SENSIT] Odoris fragrantia, quam vestibus suis spargebat Iacob, cerebrum boni senis Isaac ita recreauit & exhilarauit, vt laetitia perfusus, & amore filij inardescens, in eius benedictionem prorumperet. VERS. 27.

Ex hoc loco patet, antiquissimum esse, vt principum virorum & nobilium vestes pretiosis vnguentis, vel odoribus condirentur. Idem patet Cant. 4. 11. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* & psal. 44. 9. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.*

ECCE ODOR FILII MEI] ראה *ecce*, hebraicè est *vide*, q.d. Video, id est sentio, percipio, odoror mitam fragrantiam filij mei. visus enim pro quouis sensu ponitur, vti aliàs dixi.

SICVT ODOR AGRI PLENI] floribus & fructibus vernantis. hi enim suauem & odoratum sui halitum expirant, quo mirè homines recreantur. Vox *pleni* non est in Hebraeo, nec in Chaldaeo, sed in Graeco.

Tropol. de odore virtutum vide Rupert. hîc, & S. Augustin. lib. 16. de Ciuit. 37. & S. Gregor. homil. 6. in Ezech. qui ait: *Aliter namque olet flos vuae: quia magna est praedicatorum virtus & opinio, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos oliuae: quia suaue est opus misericordiae; quia more olei fouet & lucet. Aliter flos rosae: quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violae: quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio vltima loca tenentes, se per humilitatem à terra in altum non subleuant, & caelestis regni purpuram in mente seruant. Aliter redolet spica,*

spica, cùm ad maturitatem perducitur: quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum qui iustitiam esuriunt, præparatur.

Agri benedictio sita est in tribus. CVI BENEDIXIT DEVS] Hæc agri à Deo benedictio sita est in tribus, vti hîc explicat Isaac. Primò, in odore suaui & fragranti, de quo hîc dicit, *Sicut odor agri pleni.* Secundò, in *rore cæli.* Dicit potiùs in rore, quàm in pluuia: quia in Palæstina bis tantùm in anno pluit, nimirum in Octobri cùm seminant, vt semen germinet, qui proinde in Script. vocatur imber temporaneus: secundò in Aprili, vt fruges maturescant, qui vocatur imber serotinus. Hinc intermedio tempore agri continuo rore indigent, vt sata & segetes non exarescant, sed vegetentur, alantur & crescant. Tertiò, in *pinguedine terræ*, vt scilicet terra sit non sabulosa, non aquosa, non senescens, sed pinguis, moderatè sicca, & quasi iuuenescens, vt vberes fœtus & fructus proferat.

Allegoricè, istæ benedictiones impletæ sunt in Christo, vt docet S. August. lib. 16. Ciuit. 37. Tropologicè, in anima cuiusque iusti, vt docet S. Gregor. homil. 6. in Ezech. Anagogicè in Beatis, vt docet S. Irenæus lib. 5. c. 33.

VERS. 29. SERVIANT TIBI POPVLI] q. d. Posteris tuis, Dauidi, Salomoni & Machabæis subijcientur Idumæi, Philisthini, Arabes, Ammonitæ & alij populi.

Quadruplex benedictio Iacobi. Nota quatuor partes huius benedictionis. Prima ad opes pertinet, cùm ait: *Det tibi Deus de rore cæli*, &c. Secunda hæc ad imperium, cùm ait: *Seruiant tibi populi.* Tertia ad principatum inter fratres, cùm ait: *Esto dominus fratrum tuorum*; quibus verbis Iacob accepit ius & dominium in Esau: sed executionem huius iuris & dominij non in se, sed in suis posteris accepit, cùm eis posteri Esau, putà Idumæi, sub Dauide seruierunt. Quarta, cùm ait: *Qui tibi maledixerit, sit ille maledictus; & qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur.* Hæc ad Dei fauorem pertinet. q. d. Deus tuas tuorumque partes & causam aget, qui tui sunt amici vel inimici, suos censebit; his maledicendo, id est malefaciendo; illis benedicendo, id est benefaciendo.

Nota. Hæ benedictiones partim benedictiones, partim prophetiæ sunt. Isaac enim spiritu prophetico hisce verbis imprecatur, & simul prænuntiat ea, quæ Iacobo & Iacobæis ex Deo Deique fauore sunt obuentura.

VERS. 33. EXPAVIT ISAAC STVPORE VEHEMENTI] Septuag. *raptus est Isaac in ecstasin magnam vehementer.*

Isaaci ecstasis. In hoc ergo pauore & admiratione Isaac raptus in ecstasin, inquit S. August. quæst. 80. vidit & dixit ea quæ sequuntur, ita vt mentem mutaret, & Iacobo, qui fraude benedictionem fratri surripuerat, non irasceretur, sed eam confirmaret: nimirum in hoc raptu Deus indicauit Isaaco, factum hoc Iacobi, quoad facti substantiam, putà quoad surreptionem, præuentionem, & suppositionem sui in primogenitura (licet non quoad modum, putà mendacium) suo nutu & instinctu gestum esse: Iacobum enim à se designatum esse primogenitum & heredem promissionum suarum Abrahæ & Isaaco factarum, non Esau: velle ergo se, vt Isaac hæc ipsa rata habeat. vnde Isaac statim Deo obediens, mentemque ex Esau in Iacob commutans, ait: *Et erit benedictus.* ita S. Hieron. Alcuinus, & S. August. lib. 16. Ciuit. c. 37.

DVDVM] Hæc vox non est in Hebræo, nec Chaldæo, nec Græco. *Dudum* ergo idem est, quod *antè*. A sic enim vulgò dicimus de homine vigili, sedulo, & acri: Iamdudum, iampridem ille te præuenit, etiamsi paulò antè præuenerit; vti Iacob hîc præuenerat Esau. vix enim egressus erat à patre Iacob, cùm superuenit Esau, vt patet vers. 30. Vbi S. Chrysost. hom. 53. miratur Dei erga suos sibique obedientes prouidentiam: ea enim fecit vt Esau non rediret, nisi post Iacobi, benedictione accepta, egressum. *Hinc discamus*, ait, *quando quis iuxta voluntatem Domini sua dispensare vult, tanto superno subsidio adiuuatur, vt hoc planè reipsa experiatur.*

Posset Secundò, *τὸ dudum*, non ad egressum Iacobi, sed ad captam venationem, cibosque ab eo ad patrem illatos referri: plusculum enim moræ in comedendo & colloquendo cum Iacobo impendit pater.

An Isaac errarit in persona Iacobi. ET ERIT BENEDICTVS] Dices, Error personæ B irritat humanos contractus, maximè matrimonia: ergo & hanc Isaaci benedictionem: ipse enim benedicens Iacobo, non illi, sed Esau se benedicere putabat & intendebat. Rursum, Iacob dolo irrepsit & surrepsit; dolus autem nemini debet patrocinari, vt habet regula Iuris.

Respondet Pererius, negando consequentiam: quia Isaac non errabat in persona quoad primariam suam intentionem, quæ erat benedicere ei qui erat primogenitus, seu quem Deus vellet esse primogenitum: is autem erat Iacob, non Esau. errabat tamen quoad secundariam intentionem, qua intendebat benedicere Esau, putans eum esse primogenitum. vnde Dei instinctu errorem hunc agnoscens, intentionemque suam corrigens ait, *Et erit benedictus*, scilicet Iacob, cui antè benedixi. Dolus autem Iacobi non malus, sed bonus C fuit: illo enim sibi vendicauit ius & rem suam, putà primogenituram, quam aliter ab iniusto & violento possessore Esau obtinere non potuisset. Adde, hanc non tam esse benedictionem, quàm prophetiam, & linguam Isaaci non tam ab Isaaco, quàm à Deo motam fuisse ad benedicendum Iacobo.

IRRVGIIT] quasi leo, suam non tantùm tristitiam, sed ferociam & furorem, valido clamore quasi rugitu ostendens. VERS. 34.

Philo & Eusebius censent, Esau ita irrugijsse, non tam ex dolore amissæ benedictionis (quamquam & hic eum pupugit) quàm ex inuidentia fraterni incrementi, præsertim quòd illum sibi prætulerat, seque illi subiecerat pater.

BENEDIC ETIAM ET MIHI] Hebræa maius habent pathos, *Benedic mihi etiam: ego pater mi*, subaudi, D filius tuus sum, isque verè primogenitus, tibique hactenus carior, & cui paulò antè benedictionem hanc promisisti, qui nunc dolo fratris præuentus sum, quique hanc iacturam feci, eò quòd tuæ iussioni obediuerim discedens venatum, vt pararem quæ optabas; par ergo est, vt mihi quoque benedicas.

Cur Esau adeò expetijt benedictionem patris? Quæres, cur Esau tam auidè & instanter expetijt benedictionem patris? Respond. Primò, quia longo vsu didicerant illo tempore homines, patris benedictionem, vel maledictionem plurimum valere, sæpeque esse efficacem in filijs, vti etiamnum non rarò fit. *Benedictio patris*, inquit Sapiens Eccli. 3. v. 11. *firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ita Sem & Iapheth benedicti à Noë: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius, dilatet Deus Iapheth*, &c. *Resp. quia erat efficax. Prob. exemplis,*

Gen.9.26.idipsum à Deo consecuti sunt.Ita Iacobi benedictio data Ephraim & Manasse Gen.48.20. & alia data duodecim filijs Genes.49. item Mosis data 12. tribubus, Deut.33. fuit efficax, & reipsa completa. Ita benedictio Tobiæ data filio cap 5.21. *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & angelus eius comitetur vobiscum*; item benedictio Raguelis soceri data Tobiæ, eiusque vxori Saræ cap.10.v.1.fuit efficax. Hinc S.Ambrosius lib. de Benedict. Patriarch. cap.1. *Quantam quoque*, inquit, *debemus parentibus reuerentiam, cùm legimus* (Gen.27.)*quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat: ideo parentibus hanc Deus donat gratiam, vt filiorum pietas prouocetur. prærogatiua ergo parentum, disciplina est filiorum.* Ita Mathathiæ patris benedictione Machabæi fortes & inuicti in bellis euaserunt, 1.Machab.2.69.& seq.

Sic & efficax erat maledictio parentum. E contrario Cham à patre Noë maledictus, talis in omni sua Chananæorum posteritate euasit. B Sic & Ruben à Iacobo ob incestum maledictus, talis extitit: idem contigit Leui & Simeoni, Genes. 49.v.4.& 5. Vnde infert S.Ambros.suprà: *Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem.*

Exempla. Exemplum memorabile habet S.August. l.22. Ciuit.8. de decem prolibus à matre maledictis, qui mox horribili membrorum tremore percussi sunt, ideoque toto penè orbe Romano vagabantur: è quibus duo ad reliquias S.Stephani curati sunt.

Secundò, quia per hanc patris morientis benedictionem, declarabantur primogeniti, & heredes promissionis Abrahæ factæ, vti Iacob hîc declaratus est. ita Rupertus.

BENEDICTIONEM TVAM] tibi iure naturæ debitam, tibique à me destinatam, sed illam Deus in fratrem tuum transtulit. C

VERS.36. IVSTE (rectè, verè, aptè ita Hebræa) VOCATVM EST NOMEN EIVS IACOB: SVPPLANTAVIT ENIM ME EN ALTERA VICE] Iacob idem est quod plantam tenens & supplantans. ita dictus est ex eo, quòd nascens tenuit plantam fratris. Quo significabatur quòd supplantaret fratrem, vti de facto fecit, Primò, astutè emendo primogenituram Esau, c.25. v.21. Secundò, hîc præripiendo illi benedictionem patris. Arabicus emphaticè vertit, *quia iacobauit me eu altera vice*. Iacobare est verbum frequens Arabibus significans supplantare, & aliquid vsque ad fæcem & extremum extenuare, sumptum ab Hebræo *akab* & *iaacob*, id est supplantare & supplantator.

VERS. 37. OMNES FRATRES] omnes cognatos & consanguineos, vel ex te, ô Esau, vel ex Ismaële, alijsque fratribus meis, filijs Ceturæ, nascituros: horum enim vti caput & princeps sum ego, ita erit & Iacob. D

QVID FACIAM?] Esau benedictionem similem Iacobi, & primogenito debitam poscebat: hanc dare non poterat Isaac. vnde Apostolus Hebr. 12. Esau cum lachrymis eam requisijsse, sed frustra, nec enim eam impetrasse, asserit; aliam ergo talem qualem dedit ei Isaac.

VERS.39. IN PINGVEDINE TERRÆ, ET IN RORE CÆLI DESVPER ERIT BENEDICTIO TVA] Hebraicè est, *erit sessio*, vel *habitatio tua*. q.d. Habitabis in terra pingui & fertili, quam Deus fœcundabit immissione roris & pluuiæ.

Vides hîc benedictionem Isaaci esse prophetiam, quæ impleta est cap.33.v.9. Rursum, hæc est minima benedictionum Iacobo datarum, scilicet opulentia vini & tritici; nimirum talis, non alia, homini terreno & carnali debebatur.

VIVES IN GLADIO] Vberem terram occupabis; attamen non tam ex agricolatione, quàm ex rapina & prædatione viues, non tam tu, quàm tua posteritas. Quàm rapaces & bellicosi fuerint Idumæi, docet Iosephus l.4.de Bello Iudaico. VERS.40.

ET FRATRI TVO SERVIES (sub Dauide) TEMPVSQVE VENIET, CVM (quo, vel quando) EXCVTIAS ET SOLVAS IVGVM] putà tempore Ioram, filij Iosaphat, Idumæi rebellarunt Iudæis, 4.Reg.8. & à Iudæorum iugo liberi manserunt per 800.annos, vsque ad Hyrcanum, qui eos rursum subegit. ac rursum Herodes, Antipatri Idumæi filius, regnum Iudææ fuit adeptus, tenuitque in se & suis posteris vsque ad excidium Hierosolymæ, per annos 150. Hinc factum est, vt tempore Titi & Vespasiani, Idumæi cum Romanis Hierosolymam expugnarint & vastarint. Vide Iosephum l.14.Antiquit.initio, & l.1.de Bello Iudaico.

Moral. S.Ambrosius lib.2. de Iacob c.3. *Bonus pater, ait, cùm duos haberet filios, vnum intemperantem, sobrium alterum, quò vtrique consuleret, intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire, vt regentis imperio suum melioraret affectum.*

ODERAT ERGO SEMPER ESAV IACOB] Nota hîc. Post acceptam patris benedictionem statim tentatur Iacob, persecutionem patitur, denique fugatur è domo patris, vt cogitare posset quis, nihil illi profuisse benedictionem, imò obfuisse: sed euentus docuit illam ipsi profuisse. VERS. 41.

Nota Secundò impietatem & stultitiam Esau: nam Primò, irascitur, imò odit fratrem. Secundò, modum vindicandi quærit. Tertiò, nō cogitat Dei prouidentia sic factum esse, nec se id commeruisse, sed tantum quid frater fecerit cōsiderat. Quartò, cum iure benedictionem retrahere non posset, ad vim se accingit. Quintò, fratrem non tantùm persequi, sed & occidere destinat. Sextò, patris mortem desiderat: *Venient*, inquit, *dies luctus patris mei, & occidam fratrem.* Vbi iure S.Chrys.hom.53. *Nónne, inquit, & irascens insanientibus ipsis non minùs insanus est?* Septimò, omnia hæc celat, donec occasio ea perficiendi se offerat. Quàm stultus fuit, qui benedictionem malis medijs, imò peccata peccatis addendo, recuperare tentauit, cùm per hæc magis incurratur maledictio! benefactis enim benedictio Dei accersenda est.

MINATVR] Hebraicè מִתְנַחֵם *mitnachem*, id est consolatur se, quòd te interficiet. VERS.42.

CVR VTROQVE ORBABOR FILIO IN VNO DIE?] Si enim hîc maneas, pugnandum erit cum fratre, & vel mutuis concidetis vulneribus, vel vno cæso, alter profugus erit, itaque vtriusque præsentia & solatio orbabor. VERS.45.

SI ACCEPERIT IACOB VXOREM DE STIRPE HVIVS TERRÆ (Chananæam, aut Hethæam, quales accepit Esau, quæ sua improbitate & contumacia mihi tibique molestæ & inuisæ sunt) NOLO VIVERE] Hebraicè, *ad quid mihi vita?* q.d. Tristis & acerba mihi erit vita, vt mori potiùs optem, quàm viuere. VERS.46.

Prudens Rebeccæ consilium. Nota prudentiam Rebeccæ, vt enim fratricidium impediat, fratrem alterum ablegat: neue alterius crimen & machinationem patri prodat, itaque patri tristitiam, filio patris indignationem conciliet, aliam prætexit ablegandi filij causam, eamque veram; scilicet nolle se Iacobum ducere immo-

immorigeram & improbam aliquam Hethæam, A sed cupere vt ducat cognatam aliquam ex Haran, in qua bene morata erat domus patris sui. Quæ ratio mouit Isaacum, eique persuasit, vt mox cap. seq. Iacobum ablegaret in Haran. Vnde Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 3. *Discamus*, inquit, *à Rebecca, quàm prouidendum sit ne inuidia iracundiam excitet, iracundia in parricidium prorüat. Veniat Rebecca, hoc est patientia, bona custos innocentiæ, suadeat vt ira locum demus. Concedamus aliquò longiùs, donec tempore indignatio molliatur, offensionis subrepat obliuio.*

Imitatus est S. Gregorius Nazianz. Hoc Rebeccæ & Iacobi prudens & sanctum B consilium secutus est S. Gregorius Nazianzenus: cùm enim in Concilio Constantinopolitano simultates quorumdam Episcoporum, & dissidia essent exorta, eò quòd Nazianzenus ipsis inconsultis, ab alijs esset consecratus Episcopus; Nazianzenus loco suo & gradu sponte cessit, atque ita eos allocutus est: *Suppliciter vos per Trinitatem ipsam oro, vt inter vos omnia rectè pacificeq́; constituatis. quòd si ego dissensionis inter vos causa sum, nequaquam Iona vate venerabilior videri debeo: abijcite me in mare, ac turbarum tempestas hæc inter vos sedabitur. Lubens equidem patiar quidquid volueritis, quamquam innocens, vestra concordia causa. eijcite me solio, ab orbe pellite: tantùm veritatem & pacem diligite. Valete pastores sacri, meorumq́; laborum perpetuò recordamini.* His dictis abijt ad Theodosium Imp. dimissionem petens. *Supplex*, inquit, *oro, vt laboribus hisce liberer, esto finis inuidiæ, pacem colant Antistites, idq́; tua opera. hoc ego munus à te flagito, hoc mihi postremum beneficium largire.* Admiratus virtutem viri Theodosius, vix tandem acquieuit, ac Nectarium ei substitui passus est. ita Gregorius presbyter in Vita Nazianzeni.

Allegoricè, Rebecca mittens Iacob in Mesopotamiam, vbi genuit 12. Patriarchas, significat Deum Patrem mittentem Filium in terram, vbi procreauit duodecim Apostolos. Et sicut Iacob missus est solus cum baculo: ita Christus venit solus, pauper & humilis, ac tales voluit esse Apostolos, itaque euangelizare per totum orbem, vt essent instar angelorum nullius indigentes, quasi dij quidam terrestres. ita Irenæus lib. 4. cap. 38. & S. Augustin. serm. 79. de Temp.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob fugiens Esau vadit in Mesopotamiam, ac in via dormiens videt Deum innixum scalæ, per quam angeli ascendebant & descendebant, se consolantem, indeq́; locum vocauit Bethel, ac tandem v. 20. votum vouet Deo. Nota. Hac omnia contigerunt anno ætatis Iacobi 77. vti ostendi c. 27. initio.

1. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan: 2. sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. 3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet: vt sis in turbas populorum. 4. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo. 5. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. 6. Videns autem Esau quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret; & quòd post benedictionem præcepisset dicens, Non accipies vxorem de filiabus Chanaan: 7. quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam: 8. probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus: 9. iuit ad Ismaëlem, & duxit vxorem absque ijs quas priùs habebat, Mahëleth filiam Ismaël filij Abraham, sororem Nabaioth. 10. Igitur egressus Iacob de Bersabée, pergebat Haran. 11. Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco. 12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, 13. & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. 14. Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem: benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ. 15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi. 16. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. 17. Pauensq́; Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. 18. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. 19. Appellauitq́; nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur. 20. Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via,

per

per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, 21. reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & 22. lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

VERS. 1. BENEDIXIT EVM] datam paulò antè benedictionem confirmauit. ita S. August.

VERS. 2. IN MESOPOTAMIAM] in Haran, siue Carrhas vrbem Mesopotamiæ, quæ distabat à Bersabee, vbi habitabat Isaac & Iacob, itinere circiter octo dierum.

DOMVM BATHVEL] quæ fuerat Bathuel, sed eo mortuo, iam erat filij, putà Laban auunculi sui.

VERS. 3. CRESCERE TE FACIAT, ATQVE MVLTIPLICET, VT SIS IN TVRBAS POPVLORVM] crescere te faciat multa prole & familia, vt multæ tribus & turbæ populorum ex te nascantur. Ita reipsa populosæ fuerunt tribus duodecim, descendentes ex Iacob.

VERS. 4. SEMINI TVO POST TE] Hinc S. August. lib. 16. Ciuit. 38. & ex eo Rupert. colligunt, promissiones Dei de terra Chanaan possidenda, de numerosa prole & opibus, de Christo ex se nascituro, &c. Abrahæ & Isaaco factas, appropriatas esse Iacobo eiusque posteris: atque hac ratione Esau, quasi ex semine & familia Abrahæ & Isaaci exclusum externumque censeri, & externæ gentis, putà Idumæorum, patrem & conditorem effectum esse. vnde consequenter conditione & onere in pacto & benedictione Abrahæ incluso, putà, lege circumcisionis obligati non fuerunt Esau & Idumæi; licet spontè & liberè eam acceptarint, vt patet Ieremiæ 9. 25 & 26.

Esau quasi à familia Abrahæ exclusus.

Idumæi circumcisi, non ex lege, sed sponte.

VERS. 5. VENIT IN MESOPOTAMIAM] eo itinere quod fusiùs enarratur v. 10. Est ergo prolepsis; voluit enim Moses simul quasi in synopsi hic ob oculos ponere & opponere gesta, tam Esau quàm Iacob, eiusque à fratre fugam & fugæ terminum; vt eam deinde in sequentibus resumat, & enarret fusiùs. Intendit enim Moses gesta Iacobi, vtpote patris duodecim Patriarcharum, omniumque Israelitarum, ad longum recensere: vnde vt totus ijs incumbere possit, obiter gesta Esau, quæ sub idem tempus contigerunt, præmittit & perstringit.

Moral. S. Ambros. lib. 2. de Iacob & vita beata, docet Iacobum etiam in fuga & exilio fuisse beatum. *An non beatus Iacob, inquit, etiam cùm patriam relinqueret? Imò planè beatus, qui dura exilij suscipit, vt fratris mitigaret iracundiam. Nam si beatus est qui peccatum declinat, vtique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam leuat, crimen auertit. Paratum itaque parricidium declinauit exilio voluntario; eóque facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina vbique comitata est gratia, vt & cùm dormiret, beata vita munus acquireret: videbat enim futurorum mysteria, & diuina audiebat oracula.*

VERS. 8. SYRI] Mesopotamij. vide dicta cap. 25. v. 20.

PROBANS QVOQVE] animaduertens & videns. ita Hebræa. *Probans* ergo hic, non est idem quod explorans, sed q. d. Cùm probatione & experientia didicisset & comperisset. Videtur Esau voluisse accipere tertiam hanc vxorem, quæ parentibus placeret, vel certè minùs displiceret, quàm duæ priores, quæ erant Chananææ. Noluit verò accipere ex domo Nachor, licet sciret id fore gratius parentibus suis: idque ex quadam animositate, quia scilicet eò concesserat Iacob; ne videretur A fratrem sequi & imitari, præsertim cùm ipse illo esset senior.

IVIT AD ISMAELEM] ad Ismaelitas: iam enim quatuordecim annis mortuus erat Ismael. hæc enim, vti dixi initio c. 27. contigerunt anno Iacobi 77. Ismael autem mortuus est anno ætatis 137. qui fuit Isaaci 123. Iacobi verò 63. ita Tostatus. VERS. 9.

TVLIT DE LAPIDIBVS] Ex hisce verbis R. Nehemias, in Midras Tehillim, ad illud psalm. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te*; & liber Rabboth hoc loco, putant Iacobum tres lapides accepisse, eosque conuersos esse in vnum, de quo dicitur v. 18. *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum*; vt eo significaretur mysterium S. Trinitatis, in qua tres personæ coëunt in vnam B essentiam. ideoque Iacobum v. 17. exclamasse: *Quàm mirabilis est locus iste!* Verùm hoc videtur Rabbinicum commentum & fabella; nil enim tale habet S. Hieron. aut vllus veterum, vel nouorum Interpretum. Quod ergo dicitur, *Tulit de lapidibus*, subaudi, vnum grandiorem aptioremque, vti se explicat v. 18. dicens: *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo.* VERS. 11.

SVPPONENS CAPITI SVO] Moral. Nota hîc Iacobum durum sibi sternere lectum & puluinar, scilicet lapidem: quia cæli aulicos durus lectus, durus victus, omnia dura decent. *Vide*, ait S. Chrysost. *pueri robur, qui lapidibus pro puluinari vtitur? vide masculum spiritum: super pauimentum dormit.* Sed C hoc lapide (qui typus fuit Christi) refrigeratur & firmatur. Vnde S. Hieron. in psalm. 133. lapidem istum Iacob vocat lapidem adiutorij: Qui talem, inquit, habebat puluillum, in quo refrigerabat æstum persecutionis, videt scalam, qua, si opus foret, in cælum reciperetur. Christus ergo est puluinar laborantium, in quo suauiter conquiescunt, ac cæli refrigeria capiunt. Ex aduerso lecti aurei & molles, sunt quasi sepulchra somni, mollitiei, torporis & acediæ; cùm duri & lapidei sint gymnasia & palæstræ roboris & virtutis. Quocirca S. Ambros. lib. 2. de Iacob: *Iacob, ait, in somno bonus operarius, quoniam plus negotij cum Deo peregit dormiendo, quàm vigilando.* Nam in somnis magnificas Dei consolationes, visiones, benedictiones & promissiones accepit, iuxta illud Cant. 5. 2. *Ego dormio, D & cor meum vigilat.* Vnde Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogi cap. 9. ita sobriè dormientes exæquat angelis semper vigilantibus, dum vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiunt. Vbi significat animam quasi mori, si cesset à meditatione; viuere verò & æternare, si in continua meditatione se exerceat.

VIDITQVE IN SOMNIS] Fuit ergo hæc visio imaginaria & symbolica. VERS. 12.

SCALAM STANTEM] Septuag. *scalam firmatam.* Censet Alcazar in Apocal. 4. v. 1. Deum ad scalam hanc, non in cælo, sed in terra, ad imos scalæ gradus constitisse, vt eam teneret & firmaret: quia ipse cum Iacobo, in terra, ad scalam dormiente, locutus est: erat ergo ei vicinus. Verùm aptiùs Iosephus & Caiet. censent, Deum in cælo constitisse, summisque scalæ gradibus innixum fuisse. Nam ad Deum per scalam hanc ascendebant angeli, vt

An Deus in terra ad scalam steterit.

vt eius iussa in terram perferrent. nec mirum est Deum è cælo locutum esse Iacobo, in terra existenti: quia locutio hæc, vti & visio, non fuit sensibilis, sed imaginaria vel intellectualis, quæ inter remotissimos fieri potest, sæpeque fit, non tantùm à Deo, sed etiam ab angelis.

Quid scala Iacob ad literam significet.

Quæres Primò, quid ad literam hæc scala Iacob significet?

Respondet Philo & Origenes apud S. Hieron. epist. 161. scalam hanc esse μετεμψύχωσιν, siue migrationem animæ hominis ex corpore in corpus. Censent enim ipsi, animam cuiusque hominis ante corpus exstitisse, & quoties tunc peccauit, atque è cælo quasi in terram descendit, toties illam nunc corpora mutare, ex vno in aliud migrando, donec per illa, quasi per quosdam pœnitentiæ (instar scalæ) gradus in cælum rursum ascendat. Rursum in descensu hoc animæ hos gradus assignat Origenes. Primò, inquit, anima in subtiliora corpora demittitur: deinde, si peccare pergat, in crassiora: ac tandem in terrena corpora detruditur. Porro Philo libr. de Plantatione Noë scribit, per hanc scalam animarum in corpora, dum nascuntur, descensum significari, vel reipsa fieri. Explicans enim hæc verba, *Vidit Iacob scalam*, ait, *Aër instar populosæ ciuitatis, ciues immortales habet, scilicet animas, quæ stellis numero sunt pares: harum alia descendunt illigandæ corporibus mortalibus*, &c. Hinc & Origenes finxit animas hominum fuisse angelos, qui ob peccata in cælo commissa detrusi, per hanc scalam descenderunt gradatim in alia & alia corpora, magis semper vilia. Audi S. Hieron. ad Pammach. contra errores Ioannis Hierosol. *Docet Origenes per scalam Iacob paulatim rationabiles creaturas ad vltimum gradum, id est ad carnem & sanguinem descendere, nec fieri posse, vt de centenario numero subitò quis ad vnum numerum præcipitetur, nisi per singulos numeros, quasi per scalæ gradus ad vltimum vsque perueniat, & tot mutare corpora, quot de cælo ad terram mutauerint mansiones.* Dat exemplum: *Finge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris officia ad tironis vocabulum deuolutum, numquid ex tribuno statim fit tiro? Non, sed antè primicerius, deinde senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tiro.* Sed hæc Pythagoræ & Origenis sunt deliria.

Origenis delirium.

Orig. censet animas esse angelos.

Scala symbolum est diuinæ gubernationis.

Dico ergo cum Theodoreto, Aben Esra, Hebræis & Pererio, scalam hanc, Primò, symbolum esse prouidentiæ & gubernationis diuinæ; vnde Deus illi innititur, quasi prima causa & primum mouens omnium,

——— qui tempus ab æuo
Ire iubet, stabilisque manens dat cuncta moueri.

Secundò, angeli ascendunt & descendunt, quasi ministri & executores prouidentiæ Dei, quibus Deus sigillatim sua munia cuique distribuit.

Tertiò, hæc scala à cælo in terram pertingit, quia Deus inferiora per superiora, homines per angelos gubernat.

Quartò, duo scalæ latera, sunt suauitas & fortitudo. Deus enim sua sapientia mundum gubernans, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Quintò, varij scalæ gradus, sunt varij modi prouidentiæ Dei, & variæ rerum species & perfectiones inde manantes.

Sic Homerus Iliade 9. Dei prouidentiam describit & repræsentat per catenam auream, à Ioue

A è cælo demissam in terras, qua Iupiter omnia comprehendit, constringit, & ad se retrahit.

Angeli descendentes, felicem Iacobi abitum in Haran; ascendentes, felicem eius reditum in Chanaan significant.

Secundò, magis propriè & particulatim Diodorus Tarsensis, per angelos descendentes felicem abitum Iacobi in Mesopotamiam, per ascendentes verò felicem eiusdem reditum in Palæstinam, significari docet. Voluit enim Deus hac visione consolari & animare Iacobum, qui parentes derelinquens, & fratri exosus, profugus, exul & solitarius, mœstus & sollicitus, durè hîc cubabat in saxo. q.d. Noli tristari, noli timere, ô Iacob. Scio, tria te grauant & angunt, patria, parentes, frater: hisce tria quæ te consolentur, oppono, scalam, Deum, angelos. Primò patriam deseruisti, peregrinus in terram alienam tendis; at vide scalam, quæ tibi cælum reserat, quæ viam tibi in cælum paratam ostendit. Secundò, parentes dereliquisti, B & profugus ad incognitos pergis in Mesopotamiam; at scito Deum iter hoc tuum dirigere, tibi adesse, te ducere, protegere, qui pariter sua ope te benedicet & locupletabit. Tertiò, fratri es exosus, & solus peregrinaris; at scito angelos tibi esse comites & duces, qui te saluum ducent in Mesopotamiam, & incolumem reducent ad parentes in Chanaan. Hunc esse sensum literalem, patet ex sequentibus, quæ hæc ita ad amussim euenisse Iacobo enarrant.

Tria grauamina Iacobi leuat Deus per tres consolationes.

Moral. Nota hîc, Deum suos, præsertim virtute insignes & heroës, qualis erat Iacob, tanta cura per se & per angelos curare, ac si ijs totus incumberet, nec quidquam aliud curaret in toto mundo, iuxta illud Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vbi S. Bernard. sermon. 68. in Cant. *Itane, ait, huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio vniuersitatis incumbit? & cura sæculorum ad sola trans-* C *fertur negotia, imò otia amoris? ita planè. Omnia enim propter electos. Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus: curam Dei sola sponsa vendicat sibi.* Talis fuit B. Virgo, quæ in hac scala est summus gradus, cui Deus incumbit, vti mox dicam. vnde S. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2. docet eam præ alijs Sanctis hyperdulia coli: quia sua, ait, operatione fines diuinitatis propinquiùs attigit: in incarnatione enim Christi fecit omne id, ad quod extendere se potest vis naturæ: qua deficiente, successit diuinitas, vt ipsam substantiam operis deinde sola perficeret.

Quid scala hæc significet allegoricè.

Quæres Secundò, quid allegoricè hæc scala Iacob significet?

Respondet Eustathius hanc scalam significare crucem Christi. Sic & S. August. serm. 79. Domi- D nus, ait, scalæ incumbens est Christus in cruce pendens; inde vxorem accepit, id est Ecclesiam sibi sociauit. Aptè: crux enim est scala & via, per quam Christus, omnesque Christiani in cælum conscenderunt & indies conscendunt. Ita legimus in martyrio S. Perpetuæ & Felicitatis 7. Martij, quarum fortitudinem S. August. in psalm. 47. & alibi sæpè celebrat, illas omen & indicium martyrij à Deo accepisse per scalam. Cùm enim in carcere captiuæ tenerentur, vidit S. Perpetua per visionem, scalam auream è terra in cælum se porrigentem, ad cuius gradus affixi erant multi gladij, ijque acutissimi, ita vt videretur nemo posse conscendere, sine graui sui læsione. Infernè erat draco horribilis, volens impedire, ne quis ascenderet. Vidit deinde Satyrum (qui vnus erat è quatuor eius socijs, qui omnes simul anno Domini 205. martyrio cum

ex

ea laureati sunt) magno animo scalam conscendentem, hortantemque alios, vt intrepidè sese sequerentur, nec timerent draconem, eò quòd eos impedire nequiret. Euigilauit deinde, & hanc visionem socijs enarrauit: qui omnes gratias Deo egerunt. Intellexerunt enim se vocari ad martyrium; hoc enim esse scalam illam tot cultris & gladijs acuminatam, per quam Deus illos in cælum gloriosè deducere volebat, nec posse draconem infernalem hoc eorum iter & ascensum impedire.

Scala est incarnatio Verbi ex Iacobi stirpe. Verùm aptiùs & germaniùs Diodorus, Vatablus & Rupert. putant, Spiritum sanctum per scalam hanc repræsentasse incarnationem Verbi, putà generationem Christi, ex Iacob nascituri & descensuri per varios gradus, id est generationes & genitores; quorum vltimus est Ioseph cum beata Virgine, summus est Adam, qui proximè & immediatè à Deo creatus est. Secundo, duo scalæ latera, sunt misericordia & veritas, siue fidelitas Dei de promisso Messia: hæc enim duo fecerunt Verbum ad nos descendere, nostramque carnem suscipere. Tertiò, hæc scala tangit terram: quia Verbum est incarnatum in terra, eamque suo incarnationis tactu benedixit. tangit & cælum: quia Christus, qui incarnatus est, est filius Dei, siue Deus homo: Christus enim cælestia terrenis, ima summis, atque adeò Deum homini in se coniunxit. vnde ipse ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo:* ipse ergo est scala nostra, per quam ad Deum ascendimus. nemo enim venit ad Patrem, nisi per Christum. Quartò, descendunt angeli, vt hoc incarnationis mysterium hominibus annuntient: ijdem ascendunt, vt ardentia Patriarcharum desideria & orationes sursum ferant ad Deum. Hinc B. Petrus Chrysolog. serm. 3. de Annunciat. incarnationem vocat negotium omnium sæculorum, nimirum quia in eo omnibus ætatibus insudatum est, ac per angelos acriter actum cum Deo de communi hoc mundi remedio, donec intra Virginis domum negotium cæleste compleretur. Quintò, gradus huius scalæ sunt variæ Christi virtutes, ac præsertim quatuor, scilicet 1. humilitas in natiuitate, 2. paupertas in præsepio, 3. charitas in progressu vitæ, 4. obedientia in passione. hæc est via in cælum, ambulate in ea.

Denique B. Virgo vocatur scala Iacob in Litanijs suis; itaque eam vocat S. Bernard. (vel quisquis est auctor) serm. de B. Maria p. 394. *Hæc*, inquit, *est scala, rubus, arca, sidus, virga, vellus, thalamus, porta, hortus, aurora. Hæc enim est scala Iacob, quæ duodecim gradus habet, inter duo latera. Dextrum latus est contemptus sui, vsque ad amorem Dei: sinistrum contemptus mundi, vsque ad amorem regni. Adscensiones huius, duodecim humilitatis sunt gradus. Primus, est odium peccati; Secundus, fuga delicti; Tertius, metus odij; Quartus, in omnibus his subesse creatori; Quintus, obedire meliori; Sextus, obedire compari; Septimus, obsequi inferiori; Octauus, subesse sibi; Nonus, finem suum iugiter meditari; Decimus, opera sua semper vereri; Vndecimus, cogitationes suas humiliter confiteri; Duodecimus, per omnia ad manum, ad nutum, ad libitum Domini moueri. Per hos gradus ascendunt angeli, & sublimant homines. Sic disponuntur in corde ascensiones, sensim proficiendo, & pedetentim ascendendo. Sic in domo Patris lucidas percipiunt mansiones. Hi sunt duodecim Apostoli, qui sequuntur in eremo vestigia Iesu Christi.*

A Quæres Tertiò, quid hæc scala significet symbolicè? *Symbolicè scala est anima, basis cōcupiscentia, caput est mens.*

Respondet Philo libr. de Somnijs: Scala, inquit, est anima: basis, est sensus & appetitus terrenorum: caput, est mens purissima, quæ per gradus contemplationis ad Deum ascendit; sicuti è contrario basis iam dicta, per gradus cupiditatum descendit ad terram & terrena. Videat ergo homo, ne basim sequens descendat, sed potiùs, vt caput suum intuens ascendat.

Secundò, idem Philo: Scala, inquit, est huius vitæ inconstantia, in qua alij è summo deijciuntur in imum, alij ex imo euehuntur in summum, idque ad Dei nutum & voluntatem, qui scalæ huic incumbens, eam regit & dirigit. Sic Pittacus apud Ælianum lib. 2. scalam fecit imaginem fortunæ ac vicissitudinis, felicitatis & infelicitatis: felices enim B ascendunt in rota fortunæ, infelices descendunt. Verùm hæc philosophica sunt, nec ad mentem Spiritus sancti hoc loco pertinent. *Scala est inconstantia vitæ, & rota fortunæ.*

Quæres Quartò, quid hæc scala Iacob significet tropologicè? *Tropol. scala sunt virtutes, quibus scandimus in cælum.*

Resp. Tertullianus in fine libri tertij cōtra Marcionem: Scala, inquit, hæc, est via qua iusti ascensiones in corde suo disponunt in cælum. Idem insinuat Spiritus sanctus, Sap. 10. 10. vbi de Iacobo hoc nostro, & visione scalæ huius cælestis loquens, sic ait: *Hæc* (sapientia) *profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Hinc Barlaam ad Iosaphat ait: *Virtutes quasi scala quædam cæli sunt*, teste Damasc. in hist. c. 20. Duo latera huius scalæ, sunt fides & opera, vel verbum Dei & Sacramenta: vel *Sustine & abstine*: quæ duo verba si quis obseruet, vitam viuet sine peccato tran- C quillissimam & sanctissimam, vt dicere solet Epictetus. Gradus sunt variarum legum & virtutum ascensus: rursum hi gradus, sunt incipientium, proficientium, & perfectorum, quibus Deus in vertice se vnit, in ijsque deliciatur & inhabitat. Angeli ascendentes ad Deum, ait S. Gregor. lib. 5. Moral. & ex eo S. Thomas 2. 2. q. 181. a. vlt. significant vitam contemplatiuam; descendentes verò ad humana, significant vitam actiuam.

Vnde aptè Alcazar suprà, per hos angelos accipit Apostolos aliosque prædicatores Euangelij, qui sapientiam, quam à Deo in meditatione hauserunt, in homines prædicando effundunt. Vt ergo concionator ritè concionetur, priùs meditando ad Deum in cælum conscendat, vt ab eo hauriat, quæ dicat. Vidit itaque Iacob, in hisce angelis præsignari suas proles & posteros, putà præcones D Euangelij, ex Christo filio suo nascituros, qui homines docturi erant scientiam Sanctorum; quam proinde Deus Iacobo dedisse & reuelasse dicitur, Sap. 10. 10. *Angeli sunt prædicatores.*

Hinc Secundò, S. Basilius in psalm. 1. Scala, inquit, est ascensus ad perfectionem; culmen, est charitas; gradus, sunt decem gradus abrenuntiationis, quorum Primus est, abdicare terrena, vt cum Apostolis dicat: *Ecce nos reliquimus omnia.* Secundus, eadem obliuisci, ps. 44. *Audi filia, &c. & obliuiscere populum tuum.* Tertius, eadem vt stercora odisse & auersari. Quartus, parentum & cognatorum amorem exuere. Quintus, odisse animam suam propter Christum, *vt ne de vita quidem sua quidquam affectus sit omnino, etiamsi mortis habeat responsum*, ait S. Basilius. Sextus, abnegare suum iudicium & voluntatem. Septimus, semper mortificare suas *Scala perfectionis, eiusque gradus. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus.*

suas cupiditates, vt impleat illud Christi: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie.* Octauus, sequi Christū, & discere ab eo, quia mitis est & humilis corde. Nonus, amare constanter & efficaciter proximos, etiam inimicos. Decimus, in quo Dominus visus est, est adhærere Deo, eique in vno spiritu vniri. ita Pererius.

Octauus. *Nonus.* *Decimus.*

Huc pertinet & illa Zenonis Episcopi Veronensis explicatio, qua censet scalam hanc significare duo testamenta, quæ per quosdam obseruantiæ gadus, hominem à terris ad Deum perducūt. Angeli descendentes, sunt homines qui à spiritualibus ad sæcularia decidunt, & nutriti olim in croceis, nunc stercora amplectuntur: ascendentes verò, sunt homines iusti, qui in corde suo disponunt ascensiones, quærentes quæ in cælis sunt, & non quæ in terra.

Cur nemo in scala subsistit.

Sed cur nemo hîc subsistit? Respondet S. Bernardus epist. 253. quia in hac via, inter profectum & defectum, nihil est medium: vti in rota quæ voluitur, is qui insidet, subsistere nequit, sed vel ascendat, vel descendat necesse est. O monache, satis te laborasse putas, proficere non vis, deficias oportet. quod hîc negligis, per totam æternitatem recuperare non poteris. instar formicæ ergo congere merita in hac vita, vt ijs viuas, & gloriosè viuas in æterna, quæ te expectat. *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* quàm in æternitate gaudebis de modico hoc tempore bene transacto!

Scala est regula Ordinis. *Scala S. Benedicti,*

Denique S. Bernardus serm. in illud, Ecce nos reliquimus omnia: Scala, ait, hæc, est disciplina Religiosa, vel regula Ordinis. v.g. qua dilectus Dei Benedictus ascendit ad cælū: duo latera, sunt mētis humilitas & vitæ asperitas: gradus sunt, variæ regulæ & virtutum actus. Scala enim arcta arctam disciplinæ viam, quæ ducit ad cælum, significat. Nam, vt ait S. August. in Sent. sent. 19. *Angusta est via quæ ducit ad vitam, & tamen per ipsam, nisi dilatato corde non curritur: quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etsi arctum sit infidelium vanitati.* S. Antoninus in Summa Theolog. p. 3. tit. 26. c. 10. §. 11. Bonum, inquit, Religionis significatum est nobili illa scala Iacob, cuius gradus nulli sunt alij, quàm lectionis, meditationis, mortificationis, aliarumque similium exercitationum, quibus Religio constat. In hac ascendunt angeli, ad hæc opera Deo offerenda: ac descendunt, ad deferenda vicissim ad religiosas animas varia sponsi munera ac beneficia. Ei porro incumbit Deus, quia eius gratia & auxilio omnia nostra studia nituntur, quæ eo tenente, cadere non possunt, ipseque est ascendentibus firmamentum, & peruenientibus in fine est præmium. Vnde de ea verè dicitur, *Non est hîc aliud nisi domus Dei & porta cæli.*

Romualdi,

Sic S. Romualdus, vt habetur in eius Vita, visu scalæ, ex ima terra in cælum vertice pertingentis, per quam ascendentes intuebatur descendentesque monachos albenti veste, Religionis perfectionem, eiusque habitum designari mirabiliter agnouit. Quocirca eumdem locum à nobili viro, eius domino, cui nomen erat *Maldulo*, petijt & impetrauit, ibique monasterium sui Ordinis primarium ædificauit, anno Domini 1009. quod exinde *Camaldulum*, quasi campus Malduli, est nuncupatum: situm est iuxta Florētiam in monte Apennino, iam à sexcentis annis sanctorum Eremitarum, angelorum inquam terrestrium, copia florens.

Dominici.

Sic S. Antoninus agens de morte S. Dominici, Prior, ait, Brixiensis eadem hora, qua S. Dominicus obijt, vidit hiatum in cælo, per quem submittebantur duæ candidissimæ scalæ: vnam tenebat beata Virgo, alteram Christus: angeli verò ascendebant & descendebant: & in fine vtriusque scalæ sedes posita erat: & vnus ei insidens similis fratri Prædicatori (is erat S. Dominicus) habens faciem velatam, quasi vadens versus cælum. scalas autem Christus & mater eius sursum, cum sede & sedente trahebant; & tunc hiatus clausus est. Hac visione significata est via, qua S. Dominicus ad superos transiuit. nimirum certum prædestinationis signum, certaque in cælum via est, tum regula & vita Religiosa, quam S. Dominicus, alijque fundatores Ordinum Dei instinctu instituerunt; tum huius vitæ radix & matrix, putà seria imitatio, cultus, & consequenter auxilium & patrocinium beatæ Virginis. Hinc B. Virgo à Patribus, & in Litanijs Lauretanis vocatur *ianua & scala cæli.*

B. Virgo scala cæli.

Quæres Quintò, quid significet hæc scala anagogicè?

Anag. scala significat varios Beatorum gradus & ordines.

Respond. Scala hæc, sunt variæ sedes, gradus & chori Sanctorum & angelorum in cælis. Angeli descendunt, quando ad hominum custodiam mittuntur; ascendunt, quando redeunt, & iustorum animas collocant in gradibus huius scalæ, id est in sedilibus angelorum, qui ciciderunt, & facti sunt dæmones. Huc quoque alludit Sapiens c. 10. 10. vt suprà dixi.

Hinc sæpiùs Sanctis in hac vita certantibus suus in cælis locus, sua corona ostensa est, vti S. Stephano, XL. Martyribus quorum memoria recolitur 9. Martij, S. Nicolao Tolentinati, S. Francisco, S. Vitali. Vitalis enim cùm à persequentibus cogeretur, vt Christum negaret, audaciùs eum confitebatur: quare omni tormentorum genere excarnificatus est, vt non esset in eius corpore sine vulnere locus. Forti autem animo cruciatus perferens Martyr, preces fundens ardentissimas dixit: *Domine Iesu Christe seruator meus & Deus meus, iube suscipi spiritum meum: quia iam desidero accipere coronam, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit.* Hæc dictis euolauit in cælum. testes sunt S. Ambros. & S. Hieron. exhort. ad virgines. Rectè ergo idem Hieron. epist. ad Iulianum to. 1. *Vidit*, inquit, *Iacob scalam, & desuper innitentem Dominum, vt lassis manum porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu.*

TERRAM IN QVA DORMIS] totam Chananæam. VERS. 13.

TIBI DABO ET SEMINI TVO] *Tibi*, id est semini tuo: nam τὸ *&*, hîc est exegeticum, siue explicationis nota, significatque *id est.*

BENEDICENTVR IN TE, ET IN SEMINE TVO CVNCTÆ TRIBVS TERRÆ]*In te*, quasi in origine & parente; sed *in semine tuo*, putà per Christum ex te nasciturum, proximè & immediatè benedicentur, id est iustitia, gratia & salute donabūtur cunctæ tribus terræ, quæ videlicet Christum recipient, illi credent & obedient. VERS. 14.

NISI COMPLEVERO]donec compleam. VERS. 15.

Nota hîc sex ingētia bona, quæ Deus suo seruo Iacob, mœsto & afflicto pollicetur. Primum est, *Terram in qua dormis, tibi dabo.* Secundum, *Erit*

Sex bona Deus hic promittit Iacobo afflicto. *semen tuum* innumerabile, *quasi puluis terra.* Tertium, *Benedicentur in te cuncta tribus terra.* Quartum, *Ero custos tuus quocunque perrexeris.* Quintum, *Reducam te in terram hanc.* Sextum, *Nec dimittam, nisi compleuero vniuersa qua dixi.*

VERS. 17. PAVENSQVE] sacro timore, horrore, & reuerentia perfusus.

QVAM TERRIBILIS!] quàm religiosus, quanta reuerentia, tremore, humilitate colēdus est locus iste, ob Dei & angelorum per scalam ascendentium & descendentium præsentiam!

NON EST HIC ALIVD NISI DOMVS DEI] vbi scilicet Deus scalæ incumbens, cum angelis suis ascendentibus & descendentibus inhabitat. Chaldæus vertit, *quàm terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus in quo beneplacitum est coram Deo, & è regione loci huius est porta cæli.*

Deus certis locis vult coli. Vide hîc, quàm à tempore Iacobi & Abrahæ, Deus certa loca sui apparitione, beneficijs, miraculis illustrarit, ibique coli & inuocari voluerit. Quid ergo Nouantes obstrepunt beatæ Virgini Lauretanæ, Hallensi, Aspericollensi?

Tertull. lib. de Fuga, putat Iacobum in hac visione vidisse Christum, qui est domus Dei & simul porta, per quam intramus in cælum, idque hisce suis verbis intelligere & significare.

ET PORTA CAELI] quia scilicet illinc vidi angelos egredientes, cùm per scalam descendunt; & ingredientes, cùm per eam ad Deum ascendunt.

Bethel est Ecclesia. Allegoricè, Ecclesia est Bethel, id est domus Dei & porta cæli: quia in ea quasi domo sua Deus habitat per præsentiam, tum spiritualem, tum realem & corporalem in Eucharistia; & quia in Ecclesia sunt merita Christi (cuius parens & typus fuit Iacob) quibus porta cæli nobis reserata est: ita Rupert. vide Caietan. Si ergo tam augustus & terribilis fuit locus & lapis hic, quid erit Ecclesia Christianorum, in qua non vmbra, id est arca testamenti, asseruatur, vti fiebat in tabernaculo Mosis, sed omnipotens ipse rerum omnium conditor sub augustissimi Sacramenti candido velamine, ac velut nebula verè habitat? Verè S. Chrysost. hom. 36. in 1. ad Corinth. *Ecclesia*, ait, *est locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum cælum. quòd si non credis, aspice ad hanc mensam*, id est altare.

VERS. 18. EREXIT IN TITVLVM] Lapidem illum, siue saxum in quo dormierat, eleuauit Iacob, rectumq; statuit, vt esset monumentum visionis & apparitionis sibi factæ.

Titulus res quatuor significat. Primam. Secundam. Tertiam. Nota. Titulus dicitur quadrupliciter, quatuorque res significat. Primò, titulus est inscriptio rei: vt titulus libri, titulus crucis. Secundò, titulus est columna, aut pyramis in trophæum victoriæ, aut insignis facinoris erecta. Tertiò, titulus est statua, imago vel idolum erectum ad cultum & adoratione, qualis titulus prohibetur Leuit. 26. 1. *Quartam.* Quartò, titulus est lignum, lapis, vel res alia, posita vel erecta in memoriā & indicium rei alicuius, verbi gratia, visionis angelicæ Iacobo hîc factæ. Erexit enim Iacob hunc lapidem in titulum, vt in reditu ex Haran in patriam, eodem loco hoc Dei beneficium recoleret & veneraretur, vti eum fecisse constat c. 35. 3.

Titulus est altare Iacobi. Hinc etiam eumdem lapidem in altare consecrauit, vt patebit v. vlt. vnde titulus hic non tantùm monumentum, sed etiā altare significat. Atque hinc primi Christiani ad exemplum Iacobi, ecclesias suas vocarūt titulos, à titulo, id est signo, crucis, & à titulo, id est nomine, alicuius Sancti, in cuius honorem intitulabantur, id est nominabātur, consecrabantur & distinguebantur ecclesiæ; vt titulus S. Praxedis, est ecclesia S. Praxedis; titulus S. Laurentij, est ecclesia S. Laurentij. Quæ phrasis crebra est in vitis primorum Pontificum. ita Iac. Gretserus l. 2. de Cruce c. 7. Atque ex hisce titulis Cardinales suos titulos & cognomina sumpserunt, vti docet Hieron. Platus l. de Cardinalis dignit. c. 2. *Titulus est ecclesia, cur?*

FVNDENS OLEVM DESVPER] in signum consecrationis, ait Abulensis, quia res consecratæ oleo vnguntur. Non ergo hæc olei fusio fuit libatio aut sacrificium: nusquam enim solum oleum Deo libatum aut sacrificatum legimus. Itaque Iacob ex hac visione diuina manè euigilans, ex vrbe vicina Luza, quæ postea ab eo Bethel est dicta, oleū attulit, inquit Abulensis, eoq; lapidem, in quo sibi dormienti tam mira visio contigerat, inunxit, eumque inungendo Deo quasi consecrauit. Vnde & postea eodem, quasi altari consecrato vsus est, in eoque sacrificauit, vt patet c. 35. 7. *Iacob oleo consecrauit altare.*

Sic ad Iacobi exemplum, Ecclesia altaria & tēpla sacra vnctione Deo dicat & consecrat, cuius vnctionis moralem significationem vide apud S. Bernard. serm. de dedic. Ecclesiæ. Rursum simili vnctione, ait Theodor. solent piæ mulieres vngere thecas Martyrum, vt tum eorum sanctitatem, tum suam erga eos deuotionem testentur. Vnde & dæmon, quasi Dei & Sanctorum simia, hanc vnctionem in suis sacris imitatus est, quando suis persuasit, lapides Termino inungere & consecrare. Ita S. August. l. 16. Ciuit. c. 38.

Oleum est Chrisma & Christus. Allegoricè, S. Augustinus ibidem, putat hîc significari Christum & Chrisma Christianorum: Christus enim est lapis Ecclesiæ angularis, Ephes. 2. 20. vngens & vnctus oleo exultationis, præ consortibus suis.

Octo analogia olei. Tropologicè, oleum est symbolum gratiarum & virtutum, ob octo quas habet proprietates, analogias & similitudines. Nam *Prima.* Primò, oleum habet virtutem illuminandi: est enim pabulum & alimentum lucis & lucernarum. *Secunda.* Secundò, oleum habet vim condiendi cibos, & ad sanitatem vtiliter, & iucundè ad gustatum. *Tertia.* Tertia olei vis est, supernatandi alijs liquoribus. *Quarta.* Quarta est, fouendi vulnera, doloresque mitigandi. hinc enim apud Lucam cap. 10. ei quem latrones grauissimis plagis impositis semiuiuum reliquerant, Samaritanus ille obligauit vulnera, oleum infundens & vinum. *Quinta.* Quinta est, exhilarandi faciem, lassaque & languida membra recreandi, vnde illud psalm. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo.* *Sexta.* Sexta est, leuandi labores, minuendique molestias: quò spectat illud Isaiæ 10, *Computrescet iugum à facie olei.* *Septima.* Septima est, vegetandi roborandique corpus, & habile reddendi ad luctam & certamen, vt in athletis fieri solebat. *Octaua.* Octaua est, molliendi & impinguandi, iuxta illud psalm. 22. *Impinguasti in oleo caput meum*; ex quo propter mollitiem & pinguedinem, oleum solet esse symbolum misericordiæ. Hæc omnia facile est adaptare gratiæ & virtutibus.

APPELLAVITQVE NOMEN VRBIS BETHEL, QVAE PRIVS LVZA VOCABATVR] Vrbs quæ priùs Luz vel Luza, à nucum vel amygdalorum copia VERS. 19. *Luza dicta à nucum copia.*

copia (luz enim hebraicè nucem significat) dicebatur, inquit S. Hieronymus in Quæstion. Hebraic. à Iacobo dicta est Bethel, id est domus Dei; eò quòd iuxta illam dormiens, vidisset Deum innitentem scalæ.

Bethel ubi sita?

Bethel hæc, non est Ierusalem, nec mons Moria, vti volunt Hebræi, Lyranus & Caietanus; sed, vt rectè Abulensis. Adrichom. & alij, est vrbs à Ierusalem distans plus octodecim milliaribus, in sorte tribus Ephraim sita, iuxta Sichem; in qua, vti & in Dan, quasi in extremis sui regni limitibus, Ieroboam suos vitulos aureos populo adorandos proposuit, abusus ad hoc persuadendum exemplo Iacobi, qui ibidem lapidem hunc in titulum erexit; vnde à Prophetis hæc Bethel per antiphrasin vocatur Bethauen, id est domus idoli, vel iniquitatis, vti vertit Theodotion, Osee 4.5. & 10.

Putant aliqui duas fuisse Bethel, vnam hanc in tribu Ephraim, alteram in tribu Beniamin, iuxta Hai, de qua Iosue 18. v. 22. Verùm id refutat Andreas Masius, probatque vnam & eamdem fuisse Bethel, quæ sita fuerit in agro Luzæ, ita vt ab ipsa Luza dissita fuerit, à qua tamen ipsa Luza subinde dicebatur Bethel. Vtrum horum sit verius, discutiemus Iosue 18. & Iudicum 1.

VERS. 21. ERIT MIHI DOMINVS IN DEVM] Iam erat & fuerat ipsi Iacobo ab ortu Dominus in Deum. Sẽsus ergo est, q. d. Si Deus mihi dederit victum, vestitum, ac felicem reditum in patriam; ego ipsi

Vouit Iacob Deo decimas & sacellum in Bethel.

voueo ac promitto quòd deinceps eum colam speciali & maiori cultu, quàm antè eum coluerim; nimirum quòd dabo ei decimas, tum ad sacrificia, tum ad alium quemlibet eius cultum; quodque post meum ex Mesopotamia reditum locum hunc Deo quasi aram & templum aut sacellum dicabo: ita enim hoc votum suum in sequentibus explicat ipse Iacob, vt rectè aduertit Caietan.

Moraliter Rupert. vrget Iacobi verba, *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem*, aitque: *Hoc tamquam pauper, & verè Dei mendicus dixit. Nec mirum, cùm rex maximus Dauid dicat: Ego autem mendicus sum & pauper. Bonum ergo ex patribus exemplũ nobis filijs prouisum est, vt, quantumcumque diuites simus, dicamus tamen, mendici omnes ante fores diuinæ gratiæ: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* A &c. *vt illum ex dono eius* (Dei) *fateamur nobis esse, qui solus potuit creare non minùs regi in solio fulgenti, quàm viduæ ad molam sedenti, necessarium panis alimentum.* Rursus Iacob panem petit, non carnem, non perdices. Nam, vt docet Nyssen. l. de Oratione: *Quærere iubemur id, quod satis est ad naturam corporis conseruandam: Panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non agros, non gentium præfecturas, non pannos sericos, non musica acroamata, nec quidquam quo anima à diuina ac potiori cura abstrahatur; sed panem.* Et infrà: *Exiguum est quod naturæ debes: cur aduersus temetipsum multiplicas tributa? Est autem venter perpetuus tributorum exactor,* &c. *Dic ei qui educit panem de terra, dic coruos pascenti, qui omni carni cibum dat, qui manum aperit & im-* B *plet omne animal benedictione: A te mihi vita est, à te quoque mihi vitæ subsidium contingat. Tu da panem, id est, vt ex iustis laboribus cibum adipiscar. Nam si Deus iustitia est, non habet à Deo panem, qui ex re fraudulenter & iniustè parta cibum habet.*

Denique ponderat S. Chrysost. hom. 54. τὸ *Et dederit mihi panem.* Præuenit enim reipsa Iacob orationem, quam postea docuit sanxitq; Christus, dicens: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; diei alimentum inquit: ne igitur temporale aliquid ab eo petamus. Indignum enim valdè est, à tam liberali & tanta virtute præstanti huiusmodi petere, quæ in præsenti vita dissoluuntur, & magnam habent vicissitudinem. Id genus sunt humana omnia, siue diuitias dixeris, siue potẽtiam, siue humanam gloriam. Sed petamus* C *semper manentia, sufficientia, vicissitudinis nescia.*

LAPIS ISTE QVEM EREXI, VOCABITVR DOMVS DEI] Est metonymia: locatum enim ponitur pro loco. q. d. Locus in quo est lapis hic, mea applicatione, destinatione, & quasi consecratione, erit & vocabitur sanctus, ac domus siue habitaculum Dei, atque super lapide hoc, quasi super altari Deo sacrificabo. ita Chaldæus, Caietanus, Lipom. & alij. Hunc esse sensum patet ex cap. 35. 7 ibi enim votum hoc suum explet Iacob, redux ex Haran, atque super hoc lapide, quasi ara, Deo sacrificium offert. VERS. 22.

DECIMAS OFFERAM TIBI] Hinc patet contra Caluinum, piè & religiosè voueri posse opus, etiam quod non est præceptum à Deo: tale enim est dare decimas, quod vouet hîc Iacob.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob peruenit in Haran ad Laban. Secundò, v. 18. pro Rachele & Lia seruit ei 14. annis. Tertiò, v. 32. Lia parit Ruben, Simeon, Leui & Iudam.

1. PRofectus ergo Iacob venit in terram Orientalem. 2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. 3. Morisq; erat vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent. 4. Dixitque ad pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: De Haran. 5. Quos interrogans, Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Nouimus. 6. Sanúsne est? inquit. Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. 7. Dixitque Iacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date antè potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. 8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus

lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. 9. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel
veniebat cum ouibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. 10. Quam cùm vidisset
Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui: amouit lapidem quo
puteus claudebatur. 11. Et adaquato grege, osculatus est eam: & eleuata voce fle-
uit, 12. & indicauit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans
nuntiauit patri suo. 13. Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit
obuiàm ei: complexusq; eum, & in oscula ruens duxit in domum suam. Auditis autem
causis itineris, 14. respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt
dies mensis vnius, 15. dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid
mercedis accipias. 16. Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia: minor verò
appellabatur Rachel. 17. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venu-
sto aspectu. 18. Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua mino-
re, septem annis. 19. Respondit Laban: Melius est vt tibi eam dem, quàm alteri vi-
ro, mane apud me. 20. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videban-
tur illi pauci dies præ amoris magnitudine. 21. Dixitq; ad Laban: Da mihi vxorem
meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. 22. Qui vocatis mul-
tis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias. 23. Et vespere Liam filiam suam
introduxit ad eum, 24. dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cùm ex
more Iacob fuisset ingressus, facto manè vidit Liam: 25. & dixit ad socerum suum:
Quid est quod facere voluisti? nónne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi?
26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè trada-
mus ad nuptias. 27. Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque
dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs. 28. Acquieuit pla-
cito: & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem: 29. cui pater seruam Balam
tradiderat. 30. Tandemq; potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætu-
lit, seruiens apud eum septem annis alijs. 31. Videns autem Dominus quòd despi-
ceret Liam, aperuit vuluam eius sorore sterili permanente. 32. Quæ conceptum
genuit filium, vocauitq; nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatẽ meam,
nunc amabit me vir meus. 33. Rursumq; concepit & peperit filium, & ait: Quoniam
audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocauitque nomen
eius Simeon. 34. Concepitque tertiò, & genuit alium filium: dixitque, Nunc quo-
que copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios: & idcirco appel-
lauit nomen eius, Leui. 35. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confi-
tebor Domino. & ob hoc vocauit eum, Iudam: cessauitque parere.

Vers. 1. PROFECTVS ERGO] Hebraicè, *leuauit pedes suos.* q.d. Iacob visione Dei scalæ incumbentis, votoque suo roboratus, excitatus, & alacer perrexit in Haran, non dubius Deum iuxta promissa sibi viæ, vti ducem, ita & reducem fore.

Iosephus hîc & alibi subinde, non satis fideliter sacram historiam enarrat: ait enim, Iacob multos habuisse viæ comites, cùm ipse Iacob asserat se, non socijs, sed vni baculo suo innixum iter hoc confecisse, Gen. 32. 10.

IN TERRAM ORIENTALEM] in Mesopotamiam, quæ Palæstinæ est Orientalis.

Vers. 3. MORIS ERAT] Causa claudendi huius putei, erat raritas aquæ in illis locis, inquit Abulensis, & ne quis aquam inficeret aut sordidaret: simul ergo pastores cum gregibus ad eum conuenientes, amouebant lapidem grandem, quo claudebatur, itaque greges simul adaquabant, & mox rursum lapidem aduoluentes, eo os putei obturabant.

Vers. 4. FRATRES] socij, amici, vt pastor pastores alloquitur.

Vers. 5. FILIVM NACHOR] nepotem Nachor. erat enim Laban filius Bathuelis, filij Nachor. Nominatur ergò hîc Nachor, quia is familiæ erat caput & patriarcha. vnde & Haran vocatur, vrbs Nachor cap. 24. 10.

Vers. 9. ECCE RACHEL] Nota prisci illius æui pudicitiã & simplicitatem: en Rachel puella speciosa, opulenta & nubilis, sine castitatis periculo, & sinistra suspicione inter pastores versatur, pascitque ouis (Rachel enim hebraicè ouem significat) oues.

ET SCIRET] ex verbis pastorum v. 6. Vers. 10.

AMOVIT LAPIDEM] Quod multi pastores simul non poterant, solus efficit Iacob. vnde apparet, eum ingenti fuisse naturæ robore, quod ipse auxit continua temperantia & castitate. Fecit hoc Iacob amore Rachelis, suæ consobrinæ & futuræ coniugis.

OSCVLATVS EST] Fuit hoc osculum amicitiæ, Vers. 11.
quo fratres & cognati abeuntes aut redeuntes, inuicem solent osculari, osculoque salutare aut valedicere. ita S. August. q. 87.

FLEVIT] vti solent cognati flere ex lætitia, dum occurrunt cognatis, quos tenerè diligunt, quosque multo tempore non viderunt.

Hebræi & Lyranus putant Iacob fleuisse, eò quòd non haberet aurum & argentum, quod offerret Racheli: illo enim, inquiunt, spoliauerat Iacobum Eliphaz filius Esau, qui ob præreptam patri primogenituram Iacobo infensus, eum in itinere insecutus comprehendit. Sed hæ sunt fabulæ Iudaicæ.

QVOD FRATER ESSET PATRIS] *Frater*, id est ne- Vers. 12.
pos. erat enim Iacob filius Rebeccæ, quæ erat soror Laban, qui erat pater Rachelis. Laban ergo erat auunculus Iacobi; & consequenter Iacob nepos erat Labani ex sorore: Rachel verò & Iacob erant consobrini.

AVDI-

AVDITIS AVTEM CAVSIS ITINERIS] Hebræa habent, *& narrauit Iacob Labano omnia verba hæc*, scilicet, quomodo ipse fugiens Esau fratrem suũ, missus sit à parentibus suis ad Laban, vt inde peteret vxorem, & quomodo ad puteum inciderit in Rachelem.

VERS. 14. OS MEVM ES, ET CARO MEA] mihi nepos es & consanguineus. vide cap. 2. v. 23. Cùm ad me, quasi auunculum, tum tutelæ, tum coniugij causa confugeris, tibi, vtpote nepoti nihil negare possum: pone ergo metum, ô nepos, apud me mane, vt securus sis, & ex familia mea vxorem delige. domus mea, domus tua esto. Putant aliqui Labanum hac phrasi respexisse ad id, quod plerique veteres philosophi tradiderunt, nimirum ossa ex virili semine in embryone gigni, ex materna verò genitura virili circumfusa carnem ipsam fieri.

POSTQVAM IMPLETI SVNT] post euolutum mensem, quo Iacob gratis seruierat Labano: nolebat enim Iacob in domo auunculi otiosus degere, & panem gratis comedere; itaque statim ad opera domestica, curamque ouium se accinxit. Vnde Laban mox cunctis ouibus eum præfecit, inquit Iosephus.

VERS. 15. FRATER] cognatus.

VERS. 17. LIPPIS ERAT OCVLIS] Hebraicè est: oculi Liæ erant רכות raccot, id est teneri, debiles & infirmi, vt vertunt Septuag. Malè ergo Chaldæus, teneros, interpretatur elegantes, quasi Lia solis oculis fuerit pulchra & elegans: Rachel verò tota facie.

Secundo, alij addunt aleph, & pro raccot, legunt ארכות aruchot, id est longos, quasi Lia longos, ideoq; deformes habuerit oculos: sed hi textum immutant & vitiant, addendo literam א.

Qualis fuit lippitudo Liæ Tertiò, alij putant, Liam lippitudine propriè dicta laborasse: hoc enim videtur velle Noster interpres. Quartò & optimè, lippitudo Liæ videtur fuisse sola debilitas, mollities & teneritudo oculorum, qua fit vt non possint diu in rem aliquam defigi, sed volubiles sint, pronique in lachrymas, ita vt pupillæ suis orbibus quasi innatare videantur. hoc enim significat Hebræum *raccot*.

Tropol. S. Gregor. 1. p. Pastor. c. 11. Lippus, inquit, est cuius oculum, id est ingenij aciem, humor, id est affectus, & opera terrena obscurant.

Pulchritudinem in vxore spectare licet. Nota, licet in vxore quærenda primò spectanda sit virtus & mores, secundariò tamen spectari posse pulchritudinem; tum vt in ea sistat coniugalis tam amor quàm concupiscentia, ne ad alias deflectat; tum vt ex pulchra vegetiores & pulchriores proles procreentur. ita Abulens. Et hoc est quod vult S. Thomas, cùm docet non licere ducere vxorem causa pulchritudinis, vt scilicet sola pulchritudo te à cælibatu auocet ad coniugium, sed tamen posito quòd velis vxorem ducere, licere pulchram eligere præ turpi, idq; ob suauiorem conuictum, & constantiorem amorem: quamquam non rarò verum sit istud Domitiani, *Decore nihil gratius, nihil breuius.*

VERS. 18. SERVIAM TIBI] Nota. Iacob hac seruitute tam longa & dura, more prisco, emit sibi vxorem tam Liam, quàm Rachelem. Moris enim fuit apud Græcos, Romanos & Hebræos, vt viri dato pretio emerent sibi vxorem. ita Dauid coëmit Michol centum præputijs Philistinorum, 1. Reg. 18. v. 25. & 2. Reg. 3. 14. De hac vxorum coëmptione plura dicam Exodi 4. 25.

Veterũ mos emendi vxores.

VIDEBANTVR ILLI PAVCI DIES PRÆ AMORIS MAGNITVDINE] Dices, Amor est moræ impatiens, & paucos dies æstimat plurimos. VERS. 20.

Respondeo, id verum esse affectiuè, non appretiatiuè: quoad affectum enim & desideriũ potiundi Rachele videbantur Iacobo dies seruitutis esse plurimi; verùm appretiatiuè, id est pro re tam pulchra, pretium seruitutis huius ei videbatur exiguum, diesque laboris tam longi videbantur esse pauci & parui, id est labor suus sibi videbatur esse paruus, comparatus cum tãto præmio. Dies ergo hîc ponuntur pro dierum illorum labore, per metonymiam. ita S. Hieron. & August.

FECIT NVPTIAS] nuptiale conuiuium. hoc enim est Hebræum משתה miste. Ex tunc ergo in nuptijs celebrabantur conuiuia, sed à pijs cum timore Dei, vt patet de Tobia c. 9. Causam dat Athenæus l. 5. *Moribus, ait, & legibus scitum est, vt in nuptijs epulum fiat; tum nuptiales deos vt veneremur; tum vt pro testimonio id fit*, conuiuiis scilicet, quòd nuptis placeant suæ nuptiæ. Verùm hæc conuiuia sensim in magnum luxum & abusum excreuerunt, vti fusè hîc ostendit S. Chrysost. VERS. 22.

ET VESPERE] Virgines enim dum nubebant, verecundiæ causa, in tenebris viri thalamum adibant, idque apud Spartanos lege lata sanxit Lycurgus, teste Plutarcho. VERS. 23.

MANE VIDIT LIAM] Peccauit Lia obtemperando parenti. consensit enim in stuprum, imò adulterium & incestum: sciebat enim Iacobum non suum, sed Rachelis sororis suæ esse maritum. Grauiùs tamen peccauit Laban, qui eam sua auctoritate & consilio ad facinus induxit. Iacobum excusat ignorantia, qua bona fide putabat esse Rachelem, non Liam. VERS. 24. *Peccauit Lia se pro Rachele substituendo.*

Symbolicè, Richard. de S. Victore l. de 12. Patriarchis, sic hæc explicat: *Quomodo autem Lia supponitur, dum Rachel speratur, facile cognoscunt, qui hoc quàm sæpè contingat, non tam audiendo, quàm experiendo didicerunt. Quid enim aliud Scripturam sacram, nisi Rachelis cubiculum dicimus, in qua sapientiam diuinam, sub decenti allegoriarum velamine latitare, non dubitamus? In tali cubiculo Rachel toties quæritur, quoties in lectione sacra spiritualis intelligẽtia indagatur. Sed quamdiu adhuc ad sui limina penetranda minimè sufficimus, diu cupitam, diligenter quæsitam Rachel nondum inuenimus. Incipimus ergo gemere, suspirare, nostram cæcitatem non solùm plangere, sed & erubescere; & tum in cubiculo Rachel, non ipsam, sed Liam nos inuenisse non dubitemus. Nam sicut Rachelis est intelligere, meditari, contemplari: sic profectò pertinet ad Liam flere, gemere, suspirare.*

IMPLE HEBDOMADAM DIERVM HVIVS COPVLÆ] quibus Liæ matrimonio & affectu maritali copularis: nam prima copula adulterina fuit, non maritalis. Voluit ergo Laban, vt Iacob cognito errore Liam quam cognouerat, duceret vxorem; idque fecit Iacob, vt pudori & honori Liæ consuleret. VERS. 27.

Sensus ergo est, q. d. Laban; Trãseant, ô Iacob, septem dies festi huius Liæ, quibus de more eius nuptiæ celebrantur; ijs exactis, tradam tibi quoque Rachelem; ea tamen lege, vt pro ea seruias mihi alios septem annos. turpe enim esset & probrosum Liæ, si intra dies eius nuptiales, sororem eius superinduceres coniugem. Hinc apparet festum

festum & conuiuium nuptiale illo tempore agitari solitum per septem dies, vt iam agitur per tres. Idem insinuatur Iudic. 14. 12.

Vers. 28.

Iacob duxit Rachelem post septennium seruitutis.

HEBDOMADA TRANSACTA RACHEL DVXIT VXOREM] Errat ergo Iosephus dum asserit, quòd Iacob Rachelem duxerit post secundum septennium seruitutis, scilicet post quatuordecim annos à Iacobi fuga, & aduentu in Haran, quibus seruiuit Laban. nam ex hoc loco & sequentibus patet, quòd Iacob duxerit Rachelem post exactos septem dies à matrimonio Liæ, ac postea pro eadem seruijsse alios septem annos. Idem patet ex contentione Rachelis sterilis cum Lia fœcunda & pariente v. 31. ita S. Hieron. August. Alcuinus & alij.

Rachel typus est vitæ contemplatiuæ, Lia actiuæ.

Tropologicè, Rachel & Lia sorores, significăt duplicem vitam, scilicet contemplatiuam & actiuam. Primò ducenda est Lia, id est laboriosa (hoc enim hebraicè significat Lia) & lippa, quia terrenis intenta & solicita ac variè distracta, vita actiua: deinde Rachel, id est ouis, scilicet quies contemplationis, quam vtpote pulchram tanto amore prosequi debemus, quanto Iacob amauit Rachelem. vide S. Gregor. l. 6. Mor. 28. & S. Augustinum l. 22. contra Faustum c. 52. Et S. Bernard. l. de Modo bene viuendi ad sororem cap. 53. *Actiua,* ait, *vita in laboribus huius mundi Deo seruit, dum pauperes pascit, recipit, vestit, visitat, consolatur, sepelit, & cætera opera misericordiæ eis impendit. Et tamen Lia est fœcunda in filijs: quia multi sunt actiui, & pauci contemplatiui. Rachel verò ouis, vel videns principium* (vt Rachel dicatur quasi רָאָה חֵיל raa chel, id est, vidit principium) *interpretatur: quia contemplatiui simplices & innocentes sunt sicut oues, & ab omni tumultu sæculi alieni, vt soli diuinæ contemplationi adhærentes, videant illũ qui ait: Ego sum principium, qui & loquor vobis.* Et paulò antè: *Ita vt iam nihil agere libeat, sed despectis omnibus curis sæculi, ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat: ita vt iam nouerit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisq́; desiderijs optare hymnidicis angelorum choris interesse, appetere admisceri cælestibus ciuibus, de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere.* Et inferiùs: *Sicut actiua vita est sepulchrum sæcularis vitæ, ita contemplatiua vita est monumentum actiuæ vitæ. Ad eam enim ascendentes sepeliuntur in quieta contemplationis. Hanc elegit Magdalena, cui proinde dictum est à Christo: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ergo tamquam mortua ab amore præsentis vitæ te separa, sicut sepulta in monumento, non habeas curam de sæculo.*

Contemplatio præstat actioni ob octo causas.

Et S. Thomas 2. 2. q. 182. a. 1. docet Rachelem Liæ, id est contemplationem actioni, præcellere, idque probat octo rationibus. *Prima est, quia vita contemplatiua conuenit homini secundùm id, quod in ipso est optimum, id est, secundùm intellectum, & respectu propriorum obiectorum intelligibilium. Secunda, quia potest esse magis continua, quàm actiua. Tertia, quia plus sanctæ delectationis adfert. Nam, vt ait S. Augustinus serm. 26. de verbis Domini: Martha turbabatur, Maria epulabatur. Quarta, quia in vita contemplatiua homo est magis sufficiens, quoniam paucioribus indiget. Quinta, quia contemplatiua propter se diligitur: actiua ad aliud ordinatur. Sexta, quia consistit in quiete. Septima, quia contemplatiua in diuinis rebus versatur, actiua in humanis. Octaua, quia est secundùm id, quod est magis proprium homini, scilicet secundùm intellectum,* &c. Satius ergo est contemplantem vitam amplecti, dum per obedientiam licet & charitatẽ, quàm agentem sectari. Id quod docuit S. August. l. 19. de Ciuit. Dei c. 19. *Otium* (inquit) *sanctum quærit charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati,* &c. *Felix domus* (ait S. Bernardus serm. 3. de Assumpt.) *& beata semper congregatio, vbi de Maria Martha conqueritur,* &c. hoc est, vbi rerum diuinarum contemplatio ita præualet ac dominatur, vt de illa actio externa veluti conqueratur. Congregatio infelix est, in qua Maria de Martha conqueritur: eò quòd nullum tẽpus Mariæ, id est, contemplationi, totum rebus externis impendatur.

Symbolicè, Richard. de S. Victore l. 2. de 12. Patriarchis, qui inscribitur Beniamin minor, *Rachel,* inquit, *est studium sapientiæ; Lia desiderium iustitiæ. Sed scimus Iacob septem annis pro Rachele seruiuisse, & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Quid miraris? secundùm magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis. Quid enim sapientia dulcius possidetur, ardentiùs diligitur? eius decor omnem superat pulchritudinem, eius dulcor excedit omnem suauitatem. Est enim speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata, inuenitur prior. Hinc quærendum est, cur omnes coniugia Liæ tantopere exhorreant, qui in amplexu Rachel tantum suspirant. Perfecta iustitia iubet inimicos diligere, parentes, propria quaq; relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam vbique declinare. Sed ab huius mũdi amatoribus quid stultius, quàd laboriosius esse reputatur? Hinc est quòd ab eis Lia & lippa creditur, & laboriosa reputatur.*

Secundò, idem inferiùs aliter has duas Iacobi vxores symbolicè explicat. *Omni,* inquit, *spiritui rationali, id est Iacob, gemina quædam vis data est: vna est ratio, altera est affectio: ratio qua discernamus, affectio qua diligamus. Hæ sunt spiritus rationalis geminæ vxores, ex quibus oritur generosa proles. Ex ratione spirituales sensus; ex ista affectus ordinati. Sciendum itaq; est, quòd affectio veraciter Lia esse incipit, quando satagit seipsam ad normam iustitiæ componere: & ratio indubitanter Rachel asseritur, quando vera sapientiæ luce illustratur. Sed quis ignorat quàm illud laboriosum sit, istud iucundum? vtique non sine labore magno, animi affectio ab illicitis ad licita restringitur, & rectè talis vxor Lia, id est laboriosa, nuncupatur. Quid verò iucundius, quàm oculum mentis ad summæ sapientiæ contemplationem erigere? ad quam contemplandam cùm ratio dilatatur, meritò Rachelis nomine honoratur: Rachel enim, videns principium interpretatur.*

Pari modo Pineda noster l. 1. in Salom. c. 4. Iacob & Rachel, inquit, sapientis & sapientiæ symbola sunt. hinc sicut Iacob Rachelem, sic Salomon amauit sapientiam: quod pulchrè per nouemdecim parallela ostendit & deducit.

Vers. 31.

QVOD DESPICERET LIAM] Hebr. Chald. & Græca habent, *quòd odio haberet Liam,* id est, quòd minùs amaret Liam, quàm Rachelem; ita vt Iacob Liam præ Rachele videretur odisse. Odium ergo hoc non fuit positiuum, sed negatiuum, putà defectus amoris, ex eo ortus, quòd Lia esset lippa & deformis, quodque per fraudem se pro Rachele Iacobo substituisset. Similes hebraismi & auxeses sunt Matthæi 10. 37. Iohannis 12. 25. & alibi.

Afr-

APERVIT VVLVAM EIVS] fecundam reddidit dando ei proles: è contrario vuluam claudere, vel concludere, est sterilem efficere. A

Deus nulli dat omnia. Nota hîc, quomodo Deus dona sua distribuat, vt omnibus quidem det aliqua, sed nulli omnia. Sic Racheli dedit pulchritudinem, sed non fœcunditatem: Liæ negauit pulchritudinem, sed dedit quod maius est, scilicet fœcunditatem, & quòd ex ipsius stirpe, putà ex Iuda, natus sit Christus. Rursum Nota hîc, fœcunditatem esse peculiare Dei donum.

VERS. 32. *Quid Ruben?* RVBEN] Hebraicè רְאוּבֵן *reuben*, id est *videte filium*, quē scilicet dedit mihi Deus, oculis suæ misericordiæ aspiciens me, cùm à marito despiceter. Hoc est enim quod subdit Lia: *Vidit Dominus humilitatem meam*, Hebr. עָנְיִי *onij*, id est abiectionem & afflictionem meam. Huc respexit B. Virgo canens: *Respexit humilitatem* (ταπείνωσιν, id est exiguitatem, vilitatem, abiectionem) *ancillæ suæ*: quia dedit mihi filium, non Ruben, sed Iesum Christum. Nō ergo prædicat virtutē suæ humilitatis; hoc enim fuisset superbiæ; sed agnoscit & confitetur suam vilitatem; quod reipsa erat actus humilitatis, quē adamat, respicit & exaltat Deus. vnde *Diabolus nil peiùs odit, quàm humilem & Dei amantem*, ait S. Antonius apud Athanas. Idem per visum vidit mūdum plenum laqueis dæmonum; & rogauit, Quis eos euadet, Domine? respondit Dominus: Humilitas. B

VERS. 33. HABERI CONTEMPTVI] Hebræa, Chald. & Septuag. habent, *me odio haberi*, id est minùs diligi, vt dixi v. 31.

Simeon, id est exauditio. SIMEON] *Simeon* idem est quod auditio, vel exauditio, à rad. שָׁמַע *sama*, id est audiuit, exaudiuit, scilicet Deus afflictionem & orationem meam. C

Matres pie pueros, cùm nascuntur, offerãt Deo. Notent matres, & imitentur pietatem ac gratitudinem Liæ, quæ perennem memoriam beneficij sibi à Deo dati, putà prolis, in nomine ipsius prolis cōstituit, vt quoties prolem videret & nominaret, toties recordaretur, & gratias ageret diuinæ erga se beneficentiæ; idem ageret & proles, compos rationis effecta. *Exempla.* Ita Anna suum Samuelē Deo retulit & obtulit, vocauitque Samuelem, id est postulatum & impetratum à Deo, 1. Reg. 1. 26. Ita B. Virgo suum filium obtulit, vocauitque Iesum. Ita mater S. Bernardi, eum recēns natum obtulit, & deposuit in altari templi. Idem facere solebat singulis suis prolibus recēns natis S. Elisabeth, filia regis Hungariæ, quæ proinde omnes piæ & sanctæ euaserunt, vt habet eius Vita. Ita B. Virgo, S. Iohannes Baptista, S. Gregorius Nazianzenus, S. Dominicus, S. Bonauentura, S. Bernardinus, S. Nicolaus Tolentinas, S. Elzearius Comes, S. Franciscus de Paula, & alij, Deo in ipso ortu à parentibus oblati, sanctitate & miraculis fuerunt illustres.

VERS. 34. *Leui, id est coniunctio.* LEVI] Hic est parēs omnium Leuitarum. Nota. *Leui* idem est quod copula, cohæsio, additio, adiunctio. q. d. Addidi iam pariēdo tres filios marito; igitur deinceps ipse maiori amore mihi adiungetur & agglutinabitur.

VERS. 35. *Iudas, id est confessio.* IVDAM] *Iuda* hebraicè idem est quod confessio, siue laus.

Quo anno hi nati. Nota hîc seriem annorum Iacobi. Iacob fugiēs Esau venit in Haran ad Laban, anno ætatis suæ 77. vt dixi c. 27. initio. post septem annos quibus seruiuit Laban, ducit Liam & Rachelem, putà anno ætatis suæ 84. inde mox ex Lia fœcunda, anno primo à nuptijs, vt videtur, putà anno Iacobi 85. nascitur ei Ruben, deinde Simeon anno 86. mox Leui anno 87. denique Iudas anno 88. Vbi obserua insigne exēplum castitatis in Iacob, qui vsque ad annum ætatis 84. cælebs vixit, eoq; primùm vxorem duxit.

Allegor. de Christo & Christianis. Allegoricè, duodecim patriarchæ figuræ fuerunt 12. Apostolorum. Secundò, Iacob multos habuit filios, sed non ex vna vxore: sic & Christus multos filios habuit, sed non ex vno populo aut regione. Tertiò, Iacob vxores, & liberas, & ancillas habet, è quibus filios suscipit: sic & Christus habet veros pastores & mercenarios; vtrosque tolerat, vt filios sibi generent. Quartò, vxores Iacob inter se certabant, quæ plures filios Iacobo pareret: sic & pastores certatim filios Christo generare student. Quintò, Bala & Zelpha filios Iacobo pariunt, sed ipsæ manent ancillæ: sic mercenarij alijs quidem bona prædicant, sed ipsi manent mercenarij, & sæpè improbi. Sextò, Iacob ad hereditatem suam admisit etiam ex ancillis genitos: & Christus omnes ad se conuersos suscipit, qualiscumque vita præcesserit. Iohan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras.* & Matth. 8. *Multi venient ab Oriente*, &c. *& recumbent cum Abraham*, &c. Septimò, Iacob duas habuit vxores, vnam pulchram, alteram deformem: & Christi sponsa internè quidem pulchra est vt Rachel, propter gratiam & dona Spiritus sancti; sed externè deformis est, propter crucem & aduersitates. Octauò, Liæ nihil obfuit deformitas, sed eo fuit fœcundior: sic Ecclesiæ prodest aduersitas; & tunc vel maximè fructificat, cùm maximè premitur.

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septem aliæ proles nascuntur Iacobo: vnde ipse v. 25. patriam cogitat; sed nouo pacto & mercede à socero retinetur, in quo dolosum socerum v. 37. iusto dolo per decorticationem virgarum decipit, itaq; se ditat.

1. CErnens autem Rachel quòd infecunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. 2. Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? 3. At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios,

4. Deditq; illi Balam in coniugium: quæ, 5. ingresso ad se viro, concepit, & pepe-
rit filium. 6. Dixitq; Rachel: Iudicauit mihi Dominus: & exaudiuit vocem meam,
dans mihi filium. & idcirco appellauit nomen eius, Dan. 7. Rursumq; Bala conci-
piens peperit alterum, 8. pro quo ait Rachel. Comparauit me Deus cũ sorore mea,
& inualui: vocauitq; eum Nephthali. 9. Sentiẽs Lia quòd parere desijsset, Zelpham
ancillam suam marito tradidit. 10. Qua post conceptum edente filium, 11. di-
xit Feliciter. & idcirco vocauit nomen eius, Gad. 12. Peperit quoq; Zelpha alterũ.
13. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres. pro-
pterea appellauit eum, Aser. 14. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in
agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitq; Rachel: Da mihi partem
de mandragoris filij tui. 15. Illa respondit: Parúmne tibi videtur, quòd præripueris
maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum
hac nocte pro mandragoris filij tui. 16. Redeuntique ad vesperam Iacob de agro,
egressa est in occursũ eius Lia, Et ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro
mandragoris filij mei. Dormiuitque cum ea nocte illa. 17. Et exaudiuit Deus pre-
ces eius concepitque & peperit filium quintum, 18. & ait, Dedit Deus mercedem
mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellauitq; nomen eius, Issachar. 19. Rur-
sum Lia concipiens, peperit sextum filium, 20. & ait: Dotauit me Deus dote bo-
na: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eò quòd genuerim ei sex filios: & idcir-
co appellauit nomen eius, Zabulon. 21. Post quem peperit filiam, nomine Dinam.
22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.
23. Quæ concepit & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobriũ meum. 24. Et
vocauit nomen eius, Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. 25. Na-
to autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me vt reuertar in patriam & ad ter-
ram meam. 26. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam:
tu nosti seruitutem qua seruiui tibi. 27. Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conspe-
ctu tuo: experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te: 28. constitue
mercedem tuam quam dem tibi. 29. At ille respondit: Tu nosti quomodo seruie-
rim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. 30. Modicum habuisti an-
tequam venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitq; tibi Dominus ad introi-
tum meum. Iustum est igitur vt aliquando prouideam etiam domui meæ. 31. Dixit-
que Laban, Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum
pascam & custodiam pecora tua. 32. Gyra omnes greges tuos, separa cunctas oues
varias & sparso vellere: & quodcumque furuum, & maculosum, variumque fuerit, tam
in ouibus quàm in capris, erit merces mea. 33. Respondebitque mihi cras iustitia
mea, quando placiti tempus aduenerit coram te: & omnia quæ non fuerint varia, &
maculosa, & furua, tam in ouibus quàm in capris, furti me arguent. 34. Dixitque
Laban: Gratum habeo quod petis. 35. Et separauit in die illa, capras, & oues, hir-
cos, & arietes, varios atque maculosos: cunctum autem gregem vnicolorem, id est, albi
& nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. 36. Et posuit spatium itineris
trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges eius. 37. Tollens
ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decortica-
uit eas: detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant candor apparuit: illa verò
quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est
varius. 38. Posuitq; eas in canalibus, vbi effundobatur aqua: vt, cùm venissent greges
ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. 39. Fa-
ctumq; est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, &
varia, & diuerso colore respersa. 40. Diuisitq; gregem Iacob, & posuit virgas in
canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quæque, Laban: cetera
verò, Iacob, separatis inter se gregibus. 41. Igitur quando primo tempore ascende-
bantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum & o-
uium, vt in earum contemplatione conciperent. 42. quando verò serotina admis-
sura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaq; sunt ea quæ erant serotina,
Laban: & quæ primi temporis Iacob. 43. Ditatusq; est homo vltra modum, & ha-
buit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.

VERS. 1. INVIDIT SORORI SVÆ] Inter fratres & sorores, si vnus præferatur, vel excellat alium, facilè oritur inuidia. Adde, Rachel necdum erat sancta, imò necdum fidelis: colebat enim adhuc idola, vt dicam c. 31. 19.

A DA MIHI LIBEROS] Putant Hebræi Rachel alludere ad Rebeccam & Isaac, Gen. 25. 21. q. d. Effice, ô Iacob, & impetra precibus tuis vt fœcunda fiam; sicut pater tuus Rebeccæ matri tuæ orando impetrauit proles, scilicet te & Esau.

Nvm

Vers.2. Nvm pro Deo ego svm?] Numquid Deus ego sum, aut vice & parte Dei fungor? q.d. Non à me, sed à Deo pete proles. ita Chald. Pulchrè Hebræi dicunt, Deum sibi soli quatuor claues naturæ reseruasse. Primò, clauem pluuiarum, vt eas ad libitum emittat, & effundat ex suis thesauris, Deut.28.12. Secundò, clauem vitæ, id est generationis, vt patet hoc loco. Tertiò, clauem alimoniæ ad famem depellendam, psal.144.16. Quartò, clauem sepulchrorum, id est resurrectionis, Ezech.37.12.

Quatuor claues sibi reseruat Deus.

Vers.3. Vt pariat svper genva mea] vt ego filium ex ea, vtpote ancilla mea, natum excipiam pro meo, vt solent matres in genibus filios suos statuere, Isaiæ 66.12.

Hinc patet, nec Iacob accipiendo ancillas in coniuges, nec vxores eius illas ipsi offerendo & tradendo, peccasse libidine; sed id fecisse desiderio copiosæ prolis, quæ illius temporis erat benedictio, Abrahæ & posteris eius promissa. Vnam ergo vxorem, putà Rachelem, poposcit & accepit Iacob: sed cùm pro ea supposita esset Lia, hanc quoque ducere coactus est: tertiam, putà ancillam suam, ei hîc addit Rachel, vtpote sterilis, vt ex ea saltem filios sibi adoptet; pari modo quartam ei addit Lia, iam parere cessans v.9. ita S. Augustinus.

Symbolicè, Richard. de S. Victor. libr. qui dicitur Beniamin minor, has ancillas sic explicat: *Accepit*, inquit, *vtraque ancillam suam, Lia Zelpham, Rachel Balam, id est affectio sensualitatem, ratio imaginationē. Obsequitur sensualitas affectioni, imaginatio famulatur rationi. Et in tantum vnaquaq; illarum domina suæ necessaria esse cognoscitur, vt sine illis totus mundus nil eis posse conferre videatur. Nam sine imaginatione ratio nil sciret, sine sensualitate affectio nil saperet. Discurrit ergo imaginatio (vtpote ancilla) inter dominam & seruum, inter rationē & sensum: & quidquid exteriùs hausit per sensum carnis, intus repræsentat ad obsequium rationis. Sed & sensualitas satagit, & sollicita est circa frequens ministerium, & ipsa vtique semper & vbique ad domina sua Lia parata obsequiū. Hæc est quæ illi solet carnalium delectationum cibos condire & apponere; & ad earum vsum ante horam inuitare, & vltra mensuram prouocare*, &c.

Vers 6. Ivdicavit mihi Dominvs] q.d. Ego cum sorore, quasi in lite & contentione versabar: contendi enim cum ea de prole & fœcunditate, atq; hactenus, quia sterilis, ea fui inferior, nunc verò superior euasi, causamq́, mihi adiudicauit Deus, vt scilicet nō ampliùs sterilis, sed fœcunda ac prolifica, æquè ac soror mea habear & celebrer. Vnde filium vocauit Dan, id est iudicium, siue lis, scilicet, mihi adiudicata est à Deo.

Dan, id est iudicium.

Vers.8. Comparavit me Devs cvm sorore mea] Hebraicè est, נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים נִפְתַּלְתִּי *naphtule Elohim niphtalti*; quod Chald. vertit, *comparauit me Deus, & comparata sum*; Septuag. *suscepit me Deus, & comparata sum*. Sed planè ad verbum vertas, *colluctationibus Dei* (id est magnis & difficilibus: quæ enim magna sunt, dicuntur esse Dei) *callidè colluctata sum, & praualui*. Est metaphora sumpta à luctatoribus, qui membrorum complicatione nunc in hanc, nunc in illam partem alius alium distorquet, quò eum subuertat & deijciat; quod est calliditatis & versutiæ magis, quàm roboris & virtutis. radix enim פָּתַל *patal*, significat distorquere, idque callidè, vti luctantes astutè & dolosè

A facere solent. inde enim פְּתִיל *petil*, vocatur filum retortum: & נִפְתָּל *niphtal*, vocatur fraudulentus ac dolosus. Dicit ergo Rachel: Ego cum Lia pro fœcunditate & prolis gloria quasi contendi, & colluctata sum, iamque callidè eam ampliùs non parientem vici, dum pro me sterili ingeniosè & astutè ancillam meam fœcundam marito meo surrogaui: inde filium vocauit Nephthali, quasi dicas, colluctantem, concertantem, idque astutè & callidè. vnde Iosephus Nephthali interpretatur *artificiosum*, id est vafrum & callidum; Oleaster verò vertit, *inuolutum*. quod eôdem redit: solent enim callidi suas artes inuoluere & tegere.

Nephthali, id est colluctans.

Felicit er] Hebraicè est, בָּגָד *bagad*, quod B dupliciter legi & verti potest: Primò, diuisim בָּא גָד *ba gad*, id est, venit turma vel exercitus. q.d. Tot iam genui filios, vt ex eis aciem possim instruere. ita Chald. & Aquila. Secundò, coniunctim, vti passim legunt Hebræi codices, בְּגָד *begad*, id est fortuna, fortunatè, feliciter. ita Septuag. & Noster. vnde & R. Salomon vertit, *venit sidus bonū*, seu planeta bonus. q.d. Affulsit mihi benignius astrum, &, vt Seneca loquitur, Fortunæ influentis donum. Vers.11.

Nota. Hebræum *gad* propriè significat accinctum, siue procinctum, scilicet militem vel exercitum: inde significat Martem, militiæ Deum & præsidem: hinc rursum significat fortunam. Nam Gentes credebant Martem præbere bonam fortunam, victoriam, & spolia militibus: & ita pro C *Gad*, quod est in Hebræo, Noster interpres, Pagninus, & Hebræi, fortunam vertunt Isaiæ 65. v.11. Vnde & Arabes, teste Aben Esra, *Gad* vocant Deum: perinde vt Cimbri & Germani Deum vocarunt *God*, ab Hebræo *Gad*, vt videtur (licet Goropius *God*, quasi *goet*, id est bonum, dictum putet.) erant enim ipsi bellicosi; ac proinde Deum colebant *Gad*, id est Martem ac fortunam. Sic ergo Lia vocauit hunc filium *Gad*, id est bonam fortunam, inquit Theodor. & S. August. fortè ex eo, quòd in domo Laban patris sui Gentilis & idololatræ, sæpè *Gad*, id est fortunam, nominari, & fortè coli vidisset. Multi enim Gentiles fortunam pro Deo coluerunt. Sic Oedipus Sophocleus in sua felicitate dixit: *Equidem me fortunæ filium puto.*

Gad, id est accinctus.

Gad & God est Deus Mars & fortuna.

Hoc pro beatitvdine mea] Iam enim beor sexto filio, iam non tantùm ex me, sed & ex ancilla mea Zelpha, æquè ac Rachel soror mea ex D Bala, proles do marito; ac proinde ab omnibus multa prole beata prædicabor: inde filium vocauit Aser, id est beatum. Huc allusit B. Virgo Deipara, cùm cecinit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Quod enim cecinit Poëta de Liuia vxore Cæsaris Augusti, quæ fuit mater Drusi & Tiberij Cæsaris: Vers.13.

Aser, id est beatus.

Nec genitrice tua felicior vlla parentum est,
Tot bona per partus quæ dedit vna duos;

hoc longè veriùs vni partui B. Virginis competit.

Egressvs avtem Rvben] Quinquennis erat tūc Ruben: omnes enim hæ proles duodecim, excepto Beniamin, ex quatuor vxoribus natæ sunt Iacobo, secundo septēnio seruitutis, putà septem annis à coniugio Rachelis & Liæ. Vltimus enim Ioseph natus est finito hoc septennio, v.25. Quare, cùm Lia primis quatuor annis huius septennij, Vers. 14.

nij pepererit quatuor filios Iacobo, putà primum Ruben, secundum Simeon, tertiũ Leui, quartum Iudam, post quem parere desijt: necesse est Ruben iam fuisse quinquennem. nam post hæc Lia rursum 6. anno peperit Issachar, & 7. vltimoque anno partus peperit Zabulon.

MANDRAGORAS] Hebraicè est דודים dodim, id est vbera, per quæ recentiores intelligunt lilia. Verùm longè meliùs & veriùs Noster vertit mãdragoras. habent enim mandragoræ speciem vberum. Secundò, sunt odoratæ & pulchræ. Tertiò, conciliant somnum; vnde dantur ijs, qui à chirurgis secandi sunt, ne dolorem sectionis sentiãt. Quartò à multis dicuntur vim philtri habere, inquit Dioscorides & Theophrastus. Quintò, iuuant fœcunditatem: cient enim menstrua, itaq; matricem purgant & præparant ad conceptum, ait Aristoteles l. 2. de Gener. animalium, & Epiphan. in Philologo c. 4.

Quinque virtutes mandragora.

Dices, Mandragora est frigidissima; ergo obest conceptui. ita S. August. l. 22. contra Faustũ. c. 56. vbi putat mandragoras à Rachele expetitas, non ad conceptum, sed ob pomi raritatem, & odoris iucunditatem. Respondet Læuinus Lemnius l. de Herbis S. Script. c. 1. mandragoram, quia frigidissima est, in frigidis regionibus & vteris, sterilitatem causare; sed in calidis & torridis, qualis est Iudæa & Mesopotamia, in qua habitabat Iacob & Rachel, efficere fœcunditatem: quia æstum & siccitatem vteri temperat & humectat. Plura vide apud Dioscoridem libr. 6. c. 6. & Mathiolum ibidem

Hisce ego de causis expetit mandragoram hanc Rachel, eamque à Lia coëmit, sed frustra & casso euentu: nam, vt ex sequ. patet, mansit adhuc tres annos sterilis, post quos non mandragoræ, sed Dei virtute, siue naturali, siue supernaturali, fœcundata est, peperitque Ioseph.

Mysticè quid mandragora?

Tropologicè, S. Cyrillus l. 11. Mandragora, inquit, id est sopore, & morte crucis, Christus recreauit, sanauit & fœcundauit Ecclesiam. Rursum, mandragora odorata symbolum est bonæ famæ, ait S. August. suprà: hæc enim cuilibet expetenda & procuranda est.

Philo ait mandragorã radices agere sub terra, humano similes cadaueri: vnde à Pythagora anthropomorphon, à Columella semihomo vocatur hæc radix. Fortè etiam tempore Rachelis erant impostores similes nostris: qui ex radice mandragoræ (quamquam Mathiolus non ex mandragora, sed ex brionia id eos facere putet) quæ speciẽ femorum & pedum hominis habet, icunculas excindũt, in quibus per milij semen in tenuissimas secturas insertum, faciunt radiculas instar pilorũ hominis excrescere; easq; mox diuendunt, quasi ipsæ sub terris animatum quid fuerint, quod ipsi cũ vitæ periculo sub patibulo extraxerint, quodque raras & occultas habeat virtutes, v. g. fœcundandi sterilem; vt ex hac persuasione eas tantopere expetierit Rachel.

VERS. 16. AD ME INTRABIS] Solebat Iacob pacis & æquitatis causa, noctes distribuere singulis vxoribus, & cùm ista nox esset Rachelis, ipsa ius suum cedit Liæ pretio mandragorarum: hoc enim pretio Lia à sorore, more prisco, de quo dixi c. 29. 18. videtur sibi coëmere maritum pro ista nocte. ita S. August. indeque prolem vocauit *Issachar*, quasi יש שכר; *ies sachar*, id est, *est merces*, scilicet mandragorarum mearum, quas vendidi Racheli; vel potiùs merces meæ charitatis & liberalitatis, qua ancillam meam tradidi viro meo, vti ait ipsamet Lia. Adde, propriè & simpliciter Issachar idem est, quod *sachar*, id est merces. Iod enim additum & præfixum nominibus proprijs, solet esse heemanticum, siue formatiuum nominis, vt patet in Ismaël, Isaac, Iacob, Iehoua, &c. ita Septuag. S. Hieron. Iosephus.

Issachar, id est merces.

VERS. 20. ZABVLON] Zabulon idem est quod habitaculum, vel cohabitans. q. d. Ob tot proles mea samabit me, & hilariter firmiterque cohabitabit mihi maritus meus.

Zabulon. id est habitaculum.

VERS. 23. OPPROBRIVM MEVM] sterilitatem meam, quæ tunc erat probrum & dedecus.

VERS. 24. ADDAT MIHI DOMINVS] Optat Rachel sibi addi secũdum filium; inde ex hoc suo voto & desiderio, vocat filium Ioseph. Ioseph ergo idem est, quod addens, vel accrescens, vt patet c. 49. 22.

Ioseph, id est addens.

Allegoriam horum vndecim nominum patriarcharum habet S. Cyrillus l. 11. totius verò capitis huius allegoriam vide apud S. August. libr. 22. contra Faustum c. 46. & seq.

Symbolicè, Richard. de S. Victor. l. de 12. Patriarch. per eos, 12. pios animi affectus & virtutes accipit. Audi eum: *Timor, qui & initium sapientiæ, prima virtutum est proles. Qui talem filium habere desiderat, mala quæ fecit, non solùm diligenter, sed & frequenter attendat. Ex tali consideratione timor nascitur, scilicet filius ille, qui iure Ruben, id est filius visionis, vocatur. Quare eo nato rectè mater eius exclamat: Vidit Deus humilitatem meam: eò quòd tunc veraciter incipiat videre & videri; videre Deum per intuitum formidinis, videri à Deo per conspectum pietatis.*

Symbolicè 12. filij Iacob, sunt 12. virtutes. Primus, Ruben est timor Dei.

Primo filio nato secundus subsequitur; quia magnum timorem necesse est vt dolor subsequatur. Verùm cor contritum & humiliatum Deus non despiciet, sed pro benignitate sua exaudiet; ideoq; talis filius Simeon, id est exauditio, vocatur.

Secundus, Simeon est dolor peccatorum.

Sed quæ quæso consolatio potest esse pœnitentibus & verè lugentibus, nisi vna spes veniæ? Hic est ille tertius filiorum Iacob, qui idcirco Leui, id est additus, vocatur. Non datum, sed additum sermo diuinus hũc filium nominat, ne ante timorem & condignum pœnitentiæ dolorem, quis de spe veniæ præsumat.

Tertius, Leui est spes veniæ.

At quemadmodum post crescentem quotidie timorem, necessariò suboritur dolor; sic vtique post spem natam, oritur amor. Hic itaque est ille filius, qui quarto loco nascitur, & Iudas, id est confitens, in sacra Scriptura nominatur. Quia quod amamus, & ore laudamus, & corde confitemur.

Quartus, Iudas est amor Dei.

Hos subsequuntur Dan & Nephthali, filij ex ancilla Rachel: & quia per officium Dan, illecebrosas cogitationes arguimus, damnamus, castigamus; rectè eum Dan, id est iudicium, vocamus. vnde scriptum est: Dan iudicabit populũ suum. Si ergo populum hunc suũ directè custodiat, si iudicium suum diligenter exerceat: fiet vt in ceteris tribubus rarò inueniatur quod damnari debeat.

Quintus, Dan est cõsideratio futurorum malorum.

Nephthali autem æternorum bonorum imaginem ante oculos mentis adducit. Et quia cognitam quamlibet rerum visibilium naturam, conuertere ad spiritalem solet intelligentiam, rectè Nephthali, id est conuersio, nominatur.

Sextus, Nephthali est speculatio futurorum bonorum.

Videns itaque Lia, sororem suam Rachel de adoptiua prole gaudere, prouocatur & ipsa ancillam suam viro tradere: ex qua Gad & Aser prognati, rigor videlicet abstinentiæ & rigor disciplinæ. Gad itaque nascitur prior; quia prius est, vt temperantes simus ad bona pro-

Septimus, Gad est rigor abstinẽtiæ. Octauus, Aser est vigor disciplinæ.

propria, postea etiam fortes ad toleranda mala aliena. Per Gad reprimuntur mala intus exsurgentia; per Aser repelluntur mala exteriùs insurgentia. vnde dicitur: Gad accinctus præliabitur ante eum.

Nonus, Issachar est merces gaudium. *Isti sunt Gad & Aser, qui excludunt gaudium falsum, & introducunt gaudium verum, ideoq; istis natis succedit Issachar, qui merces interpretatur. Quam enim aliam tot tantisq; laboribus mercedem quærimus, quàm verum gaudium? Rectè autem post natiuitatem Gad & Aser, Lia talem filium genuit: quia nisi per abstinentiam & pœnitentiam, mens humana ad verum gaudium non pertingit.*

Decimus, Zabulon est odium peccatorum. *Post Issachar Zabulon gignitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur: quia per gaudij interni degustationem, odium vitiorum generatur, & vera fortitudinis robur acquiritur. Iste est Zabulon, qui irascendo Dei iram placare consueuit, qui piè in hominum vitia sæuiendo, eis quasi non parcēdo, meliùs parcit.* Probat deinde hoc exemplo Mosis, Phinees & Eliæ.

Vndecimus, Ioseph est discretio. At quàm difficile est has omnes Iacob proles, virtutes inquam animæ, sine discretione conseruare! id ex eo coniectari licet, *quòd sine ea nec bona animi acquirere, nec acquisita conseruare possumus. Hic est igitur ille Ioseph, qui serò quidem nascitur, sed à patre plus ceteris diligitur: qui nouit non solùm cum crescentibus virtutibus crescere, cum proficientibus proficere; verùm etiam ex fratrum defectu ad profectū tendere, & ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere. Quare meritò Ioseph, id est augmentum, & filius accrescens, à patre vocatur. hunc adorant sol, luna, stella, id est pater, mater, fratres: quia omnes virtutes discretionem, quasi dominam & rectricem colunt.*

Duodecimus, Beniamin est mētis excessus. Agmen fratrūm claudit Beniamin, matri verus Benoni, id est filius doloris; quia eo nascente ipsa denascitur, *ob quotidiani partus anxietatem, & doloris in pariendo immensitatem. Quid verò est Rachelis interitus? nisi mentis in contemplatione defectus. Nónne Rachel mortua tunc erat, & omnis humana rationis sensus in Apostolo defecerat, cùm dicebat: Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Nemo igitur existimet, se ad illius diuini luminis claritatem argumentando posse penetrare; nemo se credat humana ratiocinatione posse comprehendere. Necesse est Rachel moriatur, vt ecstaticus Beniamin oriatur.*

VERS. 25. NATO AVTEM IOSEPH DIXIT IACOB SOCERO SVO: DIMITTE ME] iam enim expleui quatuordecim annos seruitutis, quibus tibi me obligaui, pro Rachele & Lia, c. 29. v. 18. & 27.

Natus est Ioseph anno 14. seruitutis Iacobi expleto. Hinc patet, Ioseph natum esse in fine secundi septennij, putà finito anno decimoquarto aduentus & seruitutis Iacob in Mesopotamia, putà in domo Laban. Nam cùm se Labano ad 14. annos seruitutis obligasset, non poterat petere libertatem & dimissionem, nisi ijs expletis: cùm ergo hîc nato Ioseph, mox petat dimissionem, sequitur nato Ioseph annos 14. iam fuisse expletos: mansit tamen Iacob adhuc sex annos apud Laban. nam, vt sequitur, nouum mox pactum init cum Laban, vt scilicet sicut hactenus 14. annos seruierat pro Rachele & Lia: ita deinceps pro certa gregis parte eidem seruiret. itaque nato Ioseph seruiuit Labano adhuc sex annos; hoc est vniuersim 20. annos, vt patet c. 31. 41.

Natus est Ioseph anno 91. Iacobi. Rursum, Ioseph natus est anno 91. Iacobi patris sui. Id patet ex eo, quòd, cùm Iacob descendit in Ægyptum, stetitque coram Pharaone annum agens 130. Genes. 47. 9. tunc Ioseph erat 39. annorum: nam Ioseph, cùm à Pharaone factus est princeps Ægypti, erat 30. annorum, Genes. 41. v. 46. à quo tempore mox secuti sunt septem anni vbertatis, prædicti à Ioseph; & deinde septē anni sterilitatis, cuius secundo anno Iacob descēdit in Ægyptum, c. 45. v. 6. & sequ. Iacob ergo descendit in Ægyptum, anno 9. à principatu Ioseph, putà cùm Ioseph esset 39. annorum; eratque Iacob tunc 130. annorum. Iam subduc & subtrahe 39. annos vitæ Ioseph, à 130. annis vitæ Iacobi, habebis 91. annum Iacobi, quo natus est Ioseph. Ex vtroque iam dicto & probato manifestè sequitur, Iacob præripuisse benedictionem Esau, ideoq; fugisse in Mesopotamiam, anno ætatis 77. (vti dixi c. 27. initio) nam post 14. annos aduentus & seruitutis in domo Laban, putà anno 91. natus est ei Ioseph.

VERS. 27. EXPERIMENTO DIDICI, QVIA (quòd) BENEDIXIT MIHI DEVS PROPTER TE] q. d. Tu es fortunatus, & ego propter te; tu bonam fortunam tuam tecum in meam domum induxisti.

Alij fortunati sunt, alij infortunati. Nota. Experientia docet, alios homines esse fortunatos, ita vt quæcumque agunt prosperè eueniant, imò domos subinde ac domesticos fortunatos efficiant. vnde *boni pedis*, & à Pœnis *Namphaniones* appellantur, ait S. August. epist. 44. Alios esse infortunatos, ita vt omnia ferè eis infeliciter cedant, etiamsi prudentissimè ab eis fuerint præcogitata, & dispoſita. hinc in bello & duce belli deligendo maximè examinatur an deligendus felix sit, an infelix. Ita in bellis felix fuit Alexander, qui duodecim annis orbem subegit. Ita felix fuit Polycrates Samiorum tyrannus, de quo Cicero libr. 5. de Finibus: *Polycratem, ait, Samium felicem appellant; nihil acciderat ei quod nollet, nisi quòd annulum quo delectabatur, in mare abiecit* (vt temperaret nimiam suam felicitatem) *ergo infelix vna molestia; felix rursus, cùm is ipse annulus in præcordijs piscis inuentus est.* Verùm in morte fuit infelix; nam à Persarum satrapa Oronte dolo captus ac suspensus est, teste Strabone l. 14. Ita felix fuit Iulius Cæsar, etiam cùm summa temeritate res maximas aggrederetur, adeoque ipse huic suæ fortunæ confidens, omnia pericula superabat. hinc è Macedonia Brundisium nauigans periculosissimo anni tempore, timenti nauarcho, *Noli, ait, timere, Cæsarem fortunatum vehis.* Scitum est illud eiusdem: *Veni, vidi, vici. Quid? Filius huius,* ait Plutarch. libr. de Fortuna Romanor. *is qui primus Augusti cognomentum tulit, & annos 54. imperauit* (quasi monarcha) *nónne cùm nepotem ad gerendum bellum emittens, fortitudinem ei Scipionis, gratiam Pompeij, suam fortunam optaret, sui tamquam insignis operis opificem Fortunam professus est? Hæc scilicet est Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hirtio, M. Antonio imposuit, eorumq; victorijs, manibus, rebus præclarè gestis, classibus, bellis, exercitibus in sublime extulit, istisq; deiectis vnū ijs superstitem fecit eum, qui eorum opera ad hoc fastigium conscenderat. Augusto enim & Cicero rempubl. consilijs gubernauit, & Lepidus militauit, & Pansa vicit, & Hirtius cecidit, & Antonius libidines exercuit: ipsamq; ego Cleopatram Cæsaris fortunæ imputo, ad quam velut vel crepidinem tantus imperator naufragiū fecit atq; elisus est, vt solus esset Cæsar.* Subdit huius rei mirū omen. *Cùm inter se familiarissimè viuerent Antonius & Cæsar, qui deinde Augustus fuit, & per otium sæpè certamen pilæ, tesserarū, animalium, vt coturnicum vel gallorū instituerent, ferunt semper victum Antoniū discessisse, & quemdam amico-*

Fortunatus fuit Alexander.

Iul. Cæsar.

amicorum, qui vaticinandi arte gloriaretur, liberè dixisse Antonio, & monuisse, Quid tibi, mi homo, rei est cum illo adolescente? quin tu eum fugis? gloria ei anteis, maior es natu, pluribus imperas, certamina bellica obiisti, præstas experientia. Sed tuus genius genium illius metuit: & tua fortuna seorsim magna eius fortunæ adulatur, ad eumq́; nisi procul te subducis, transibit. Ita hoc sæculo felix fuit Carolus V. Imperator, & hoc nomine Turcis formidabilis; adeoque milites sub Carolo inuicti, postea à Francisco rege Galliæ conducti, cum principe fortunam mutarunt, ait Paulus Iouius. Ita felix fuit Henricus IV. Galliæ rex in regno adipiscendo, & gubernando, vsque ad mortem. Denique Plutarch. l. de Fortuna Rom. docet fortunam æquè ac virtutem Romanos ad tantum imperij fastigium prouexisse.

Carolus V.

Cur hi fortunati, alij non?

Quæres, quæ huius disparitatis sit causa. Gentiles cæci causam censuerũt esse fortunam deam cæcam, quæ non pro merito, sed fortuitò, etiam impijs & indignis, felicitatem, pijs verò & dignis sæpè infelicitatem afflaret. Genethliaci hominis cuiusq; fato id tribuerunt. Astrologi stellis & horoscopo id assignant: vnde ex eo diuinant de cuiusque sorte & felicitate, vel infelicitate futura. Vulgus casu hæc euenire putat. Seponimus enim hîc industriam & prudentiam humanam, quæ sæpè felicis euentus est causa.

Resp. id à speciali Dei prouidentia prouenire.

Verùm dico, Deum esse causam, cur hi sint fortunati, illi infortunati. Deus enim omniũ est dominus, qui singulis sua prout vult dispensat. itaque sicut huic ingenium, opes, sanitatem, formã, robur, aliaque dona naturæ impertit; alterum verò facit stupidum, pauperem, morbidum, deformem, infirmum: ita pariter speciali sua prouidentia hunc facit fortunatum, illum infortunatum; ad illudque causas secundas flectit & contemperat. Hoc est quod ait Psaltes psalm. 30. 26. *In manibus tuis sortes meæ.* & Sapiẽs Prouerb. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* & Eccli. 33. 11. Dominus *separauit eos* (homines) *& immutauit vias eorum: ex ipsis benedixit, & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit. & humiliauit. quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud & disponere: omnes via eius secundùm dispositionem eius.* Licet ergo hi effectus sæpè casuales sint & fortuiti respectu causarũ secundarũ, à quibus non sunt prouisi; sed præter earum mentẽ & causalitatem, quasi per accidens, & fortuitò eueniunt: tamen respectu Dei non sunt fortuiti, sed præuisi, prouisi, & ordinati in se. vnde S. Augustinus libr. 1. Retract. c. 1. à Christiano ore reijciendum censuit nomen fortunæ, scilicet iuxta sensuum Gentilium: nam alioqui Deus, sicut est natura naturans (vt ita cum aliquibus philosophis loquar) ita est & fortuna fortunans, putà ipse auctor est omnis fortunæ, æquè ac naturæ. vnde ex hisce euentibus colligimus & cognoscimus esse mentem omnibus præsidentem, omnia hæc regentem, esse prouidentiam, esse Deum. Quomodo enim alij constãter in omnibus suis essent fortunati, alij infortunati, nisi quia Deus cõstanter illis felicitatem, his infelicitatem afflat? vti rectè demonstrat Albertus Hero libr. 4. de Prouidentia c. 7.

Deus est fortuna fortunans.

Cur? Causa Prima. Secunda.

Causa, cur Deus ita dispares hac in re homines efficiat, Prima est, vt se absolutum esse omnium dominum ostendat. Secunda, vt in vniuerso dispares sint hominum gradus & euentus. hoc enim

A ad vniuersi varietatem & decorem pertinet. Tertia, vt homines ex hisce Deum agnoscant, eaque non ab alio, quàm à Deo postulẽt. vnde Deus Iudæis, si legem seruarent, hanc felicitatem in bonis terrenis promisit, vt populus rudis hac spe ad Dei legem & cultũ induceretur: rursum patriarchas fecit felices, vt Gentiles spe huius felicitatis allecti, eundem Deum agnoscerent & colerent. Quarta, vt qui felices sunt, sua felicitate ad Dei gloriam, & aliorum auxilium vtantur: infelices in sua infelicitate habeant materiam virtutis, modestiæ & patientiæ. Atque hac de causa Deus maiorem hominum partem facit non planè fortunatam, nec planè infortunatam, sed in aliquibus fortunatam, in alijs infortunatam; atque eorum vitam ex felicitate & infelicitate, mirabili varietate contexit

Tertia.

Quarta.

B & contemperat. Quinta, vt fideles videntes pios subinde esse infelices, impios felices, sciant omnia terrena esse adiaphora, discantque hanc terrenam felicitatem contemnere, atque aspirare ad veram cælestem & æternam, ad quam Christus nos deducit verbo & exemplo. Nam, vt ait S. August. de Vera relig. c. 10. *Tota vita Christi morum disciplina fuit.* Christus enim omnia bona mundi, quæ contempsit, contemnenda docuit: omnia mala, quæ sustinuit, sustinenda monstrauit; vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in his timeretur infelicitas.

Quinta.

Vbi Nota. Licet apud Christianos multi viri boni & pij sint infelices naturaliter, omnes tamẽ felices sunt, & erunt supernaturaliter: quia Deus per hãc infelicitatem eos dirigit ad contemptũ mun-

Pij semper sunt felices, saltem supernaturaliter.

C di, ad veram sapientiã, ad decus patientiæ & fortitudinis, ac denique ad felicitatem æternam. Sic ergo *diligentibus Deum omnia*, etiam aduersa, *cooperantur in bonum*: &, *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum*, &c. *omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Ideoque in rebus pijs & supernaturalibus experimur viros sanctos, præsertim eos qui se totos Deo cõmittunt, & identidem ab eo dirigi postulant, in suis operibus, præter meritum virtutis & laboris, plerumque felices habere successus.

Quare prudens consilium est, vt docturi, concionaturi, confessiones audituri, animas conuersuri, &c. nos Deo in omnibus iungamus, oremusque, vt ipse dirigat mentem, manum, pedes, omnesque vias & actus nostros, dicamusque: *Respice in seruos tuos Domine, & sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos.* Sic Deus direxit & prosperauit Abrahamum, Isaacum, & Iacobum hic.

Prudens consilium.

D Ad introitvm mevm] ad præsentiam meam, putà propter me, vt vertit Chald. Vide quantam viri iusti & sancti prosperitatem domibus herorum, etiam impiorum, inferant. Vers. 30.

Gyra] coge in gyrum oues & capras tuas, vt simul omnes lustremus, & separemus vnicolores à diuersicoloribus: vnde hebr. est, עאבור eebor, id est, transibo, & lustrabo tecum omnes greges. Vers. 32.

Separa cunctas oves] Nota. Ab hoc loco vsque ad finem capitis Hebræa sunt intricata & prolixa, quæ proinde Noster clarè & breuiter, quasi compendio perstrinxit, non tam verbum verbo quàm sensum reddens.

Vnde Nota Secundò, non duo, vt aliqui volunt, sed vnum tantùm pactum Iacobi cum Labano hîc vsque ad finem capitis recenseri: hoc enim exigit connexio pacti & euentus, ipsaque histo-

Quodnam pactum fuerit Labani cum Iacob. historica series totius capitis. Pactum itaque hoc fuit, vt omnes fœtus ouium & caprarum Labani, quas Iacob pascebat, deinceps nasciturі, si essent vnicolores, putà toti albi, vel toti nigri, cederent Labano: sin verò nascerentur sparsi & varij coloris, vel furui, id est subnigri, putà partim albi, partim nigri, cederent Iacobo. ita S. Hieronymus, Lipomanus, Pererius. Atque hac de causa Laban solas oues & capras vnicolores, tradidit pascendas Iacobo, putans ex eis similes fœtus vnicolores nascituros, itaque omnes sibi cessuros, Iacobo autem nihil vel parum, idq; non nisi casu & per accidens; reliquas verò oues & capras diuersicolores à Iacobo abstulit ac separauit, sibiq; tam illas, quàm omnes earum fœtus, siue vnicolores siue diuersicolores nascerentur, reseruauit.

FVRVVM, MACVLOSVM, ET VARIVM] *Furuum* est fuscum siue subnigrum, in quo albedo nigrori mista est, vt partim album, partim nigrum videatur. *maculosum*, hebraicè טלוא *talu*, est quod magnas habet maculas albas vel nigras. *varium*, siue sparso vellere, hebraicè נקוד *nakud*, id est punctatum, est quod paruis maculis albis vel nigris, quasi punctis distinctum & punctatum est.

TAM IN OVIBVS QVAM IN CAPRIS] Putant aliqui ex Hebræo, Laban inter oues & capras distinxisse hoc modo, vt in ouibus sola purè alba Labano cederent, furua verò & varia Iacobo; in capris verò varia & maculosa essent Iacobi, furua verò & alba Labani.

Sed contrarium exigit noster Interpres, scilicet tam in ouibus, quàm in capris vnicolores cessisse Labano, diuersicolores Iacobo; eadem enim caprarum & ouium erat ratio. itaque in Hebræo *furuum*, quod in ouibus solis exprimitur, in capris à pari de more subaudiendum & repetendum est.

VERS. 33. RESPONDEBITQVE MIHI CRAS IVSTITIA MEA] q.d. Tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, nigra ex nigris nascantur; mecum verò erit iustitia mea, mihi respondens, id est me remunerans; cùm Deus, vti certò confido, humilitatem meam respiciet, laboremq; meum iusta mercede, quam tu iniqua pactione à me auertere conaris, remunerabit & compensabit, efficiendo videlicet vt ex vnicoloribus tuis mihi diuersicolores nascantur. ita S. Hieron.

Sic dicitur Isaiæ 59.12. *Peccata nostra responderunt nobis*. q.d. Peccata nostra interrogata quasi à Deo iudice, veritatem professa sunt, scilicet nos ea fecisse; ea proinde testificata sunt nos esse reos supplicij, nosque ad id condemnarunt; ideoque illud nobis irrogatum est, ac clamat nos esse peccatores. & Osee 5.5. *Respondebit* (testificabitur, clamabit, accusabit) *arrogantia Israel in facie eius*, id est publicè, palàm, nihil reuerita suum auctorem. Hinc patet, tam bonas quàm malas actiones hominum, esse testes sanctitatis vel improbitatis eorum, & apertè dicere testimonium suum coram Deo iudice, imò si enormia sint, in cælum clamare. Hæc est ergo consolatio iusti, hæc Martyris, vt cum S. Laurentio dicat: *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*. atque hinc nascitur incredibilis animi lætitia & magnitudo, vt omnia grauia & tormenta despiciat & rideat. Audi animos nostri Martyris Ogilbei, qui hoc anno 1615. in Scotia primus pro fide orthodoxa mortem subiit. Cùm octo integros dies stilis, aciculis & acubus eum assiduè pungendo, iugiter vigilare carnifices coëgissent, ac ocreas crurifragiales & acerbissima quæque minarentur, athleta Christi respondit: *Egregij carnifices; ego vos omnes in hac causa nihili facio. agite pro heretica vestra malitia: vos non curo. rogaui neminem, rogabo numquam spreui semper. possum & volo pro hac causa plura libenter pati, quàm vos vnà cum omnibus inferre potestis. Desinite mihi talia obiicere, hæc lymphatis feminis obtrudite. Me ista accendunt, non consternant: ista non aliter video, quàm crepitus tot anserum.* Dixit & fecit, imò vrsit, exegitque ab eis promissum, vt scilicet tormenta quæ minabantur inferrent. Mirantibus dixit: *Ego glorior causa, & triumpho pœna tali. omnia possumus in eo qui nos confortat.*

CRAS] tempore futuro.

QVANDO PLACITI TEMPVS ADVENERIT] quando iuxta tuum placitum & condictum in fine anni fœtus diuidendi erunt, vt mihi cedant diuersicolores, tibi vnicolores.

FVRTI ME ARGVENT] si videlicet vnicolores fœtus, aliosque quàm diuersicolores apud me, in grege mihi proprio, contra pactum tecum initum, repereris. q.d. Fideliter tibi vnicolores tradam, diuersicolores mihi seruabo, nihil ex vnicoloribus occultè suffurabor vel abscondam.

ET SEPARAVIT] Putant aliqui ex verbis proximè sequentibus, hoc aliud & secundum esse pactum Labani cum Iacob: cùm enim vidisset primum pactum feliciter cessisse Iacobo, fœtusque omnes natos esse diuersicolores, hac de causa putant eum iam mutasse pactum, voluisseque contrarium; vt scilicet sibi cederent diuersicolores, Iacobo verò vnicolores. Verùm hoc non est verisimile: ipse enim contextus historiæ significat, hîc tantùm enarrari executionem pacti primi. VERS. 35.

CVNCTVM AVTEM GREGEM VNICOLOREM TRADIDIT IN MANV FILIORVM SVORVM] Abulens. Lyran. Lipoman. & Caietan. putant hîc nostrum textum esse mendosum, emendandumque esse addita negatione, *non*; quasi Laban non vnicolores, id est diuersicolores, tradiderit filiis suis pascendos, vnicolores verò Iacobo, vt ex iis pariter vnicolores, qui non Iacobo, sed sibi cedere debebant, nascerentur: hoc enim significare videntur Hebræa. Verùm illa implexa sunt, & contrariè verti possunt, adeoque ea cum Nostro rectè sic vertas, *omne in quo fuit albedo, & omne nigrum in agnis* (id est, omnes agnos vnicolores) *tradidit in manus filiorum suorum*.

Secundò, Pererius nostrum Interpretem excusat, dicens esse hîc hysterologiam. q.d. Tradidit Laban suis filiis vnicolores, non iam, sed post partum ouium, qui narratur in fine capitis. Sed & hoc videtur esse durum & distortum.

Dico ergo, Laban tradidisse oues vnicolores pascendas filiis suis, quibus scilicet adesset & præesset Iacob. Iacobo enim v. præced. totum gregem suum crediderat, cui addidit & filios suos de more pastores & custodes, ne Iacob dolo contra pactum oues vnicolores clanculùm subduceret: sic cap. sequenti v. 43. idem Laban familiam Iacob suam vocat. Laban ergo Iacobo cum reliquis suis filiis tradidit oues & capras vnicolores, sperans inde sibi nascituras pariter vnicolores: oues verò diuersicolores separauit, sibique cum famulis pascendas reseruauit, ne Iacob eas pascens, inde sibi omnes fœtus diuersicolores, vt vide-

videbatur, nasciturос ex pacto deposceret.

Nigri velleris] Hebræum חוּם *chum* hîc significat nigrum; opponitur enim לָבָן *laban*, id est albo. Sed v 32. *chum* significat fuscum, siue subnigrum, quia iungitur cum maculoso & variegato.

Vers. 36. Spatium itineris trium dierum] ne oues suæ diuersicolores misceri possent vel aspectu, vel coitu cum vnicoloribus, quas pascebat Iacob, itaque gignerentur fœtus diuersicolores, qui non sibi, sed Iacobo cedere debebant. ita Lipomanus.

Vers. 37. Tollens ergo Iacob virgas populeas virides] Nota industriam & stropham Iacobi, quam ipse ab angelis in somnis edoctus, vt colligitur c. sequenti v. 11. Labani violentiæ & prudentiæ humanæ opposuit.

Dices, Iacob hac arte, quasi fraude, contractum cum Labano initum vitiauit; itaque dolosè & iniustè rem alienam Labani acquisiuit. Contractus enim, vt vnicolores nascituri cederent Labano, diuersicolores Iacobo, ex communi mente contrahentium, intelligebatur de iis quæ talia naturaliter & casu, non autem per artem & fraudem nascerentur.

Respondeo, Verum est contractum hunc communiter ita intelligi solere & debere, itaque à Iacobo & Labano intellectum esse. Iacob ergo alio titulo hac stropha vsus est, nimirum Primò, titulo compensationis: ipse enim à Labano, homine auaro & iniquo, violenter opprimebatur, & iustam laborum suorum mercedem aliter extorquere nequibat, nisi hac arte. inprimis enim Laban grauem iniuriam fecerat Iacobo, pro Rachele ei promissa surrogando Liam deformem, & inuisam Iacobo, atque cogendo Iacobum vt septem alios annos sibi pro ea seruiret. Deinde iniustè post pactum cum Iacobo pro gregibus initum, separauit v. 35. oues vnicolores à diuersicoloribus, solas vnicolores tradens Iacobo, ex quibus naturaliter fœtus vnicolores omnes sibi, & nulli diuersicolores Iacobo nascerentur. Iacob ergo cùm non haberet iudicem ad quem recurreret, ipse sibi ex necessitate iusdixit, suumque hac arte repetiit, vt mercedem sibi debitam hac arte consequeretur.

Iniustitia Labani.

Secundò, fecit hoc Iacob Dei, per angelum, monitu, vti dixi; ergo Deus dedit illi has pecudes Labani hac arte nascituras: sicuti Deus iubens Hebræis spoliare Ægyptum, hoc ipso dedit eis bona Ægyptiorum, Exodi 12.

Imaginatio fœtus quantum in conceptu fœtus valeat.

Quæres, an hæc ars & stropha naturalis fuerit, an verò effectum suum habuerit ex supernaturali Dei cooperatione? Respondeo, naturalem fuisse. in coitu enim phantasiæ vis solet esse maxima; quia tunc anima omnem suam vim exerit, adeò vt aliquæ matres albæ ex imagine & imaginatione æthiopis, æthiopem genuerint. Audi Plinium l. 7 c. 12. *Similitudinum, inquit, in mente reputatio est, in quâ creduntur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoria, haustaq́, imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum subitò transuolans, effingere similitudinem, aut miscere existimatur: ideoq́, plures in homine, quàm in cæteris animantibus differentiæ. quoniam velocitas cogitationum, animiq́, celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit; cùm cæteris animalibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisq́, in suo cuique genere.* Galenus in libro, quem scripsit de Theriaca ad Pisonem,

Exempla.

narrat mulierem quandam intuitu picturæ pulcherrimæ, pulchrum infantem ex deformi marito concepisse: *Visu, inquit, opinor, natura imaginem transmittente.* S. Hieronymus hîc in Tradit. Hebr. *Quintilianus, inquit, in ea controuersia. in qua accusabatur matrona, quòd æthiopem peperisset, pro defensione illius argumentatur, hunc conceptus esse naturam, quam diximus. Et scriptum reperitur in libris Hippocratis fuisse feminam quamdam suspicione adulterij puniendam, quòd pulcherrimum infantem peperisset, vtrique parenti generiq́, dissimilem: nisi memoratus medicus soluisset quæstionem, admonens vt quærerent, si fortè talis pictura fuisset in eius mulieris cubiculo: qua inuenta, mulier à supplicio & suspicione liberata est.*

Idem refert S. August. hîc q. 93. qui & lib. 18. de Ciuit. cap. 5. scribit simile fecisse dæmonem in Api boue, quem Ægyptij adorabant, efformando: debebat enim is priori mortuo esse similis, albisque maculis insigniri. Isidorus quoque lib. 12. Etymolog. c. 1. sub finem: *Hoc ipsum, ait, in equarum grege fieri dicitur, vt generosos obiiciant equos visibus concipientium, quò similes eorum concipere & creare possint. Nam & columbarum dilectores ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quò videlicet rapiente visu, similes generent. Inde est, quòd quidã grauidas mulieres vetãt intueri turpissimos animalium vultus, vt cynocephalos & simias, ne visibus occurrẽtes, similes fœtus parere faciant. Etenim anima in vsu venereo formas intrinsecas intus trãsmittit, earũq́, satiata typis, rapit species earũ in propriam qualitatem.*

Dum ergo biberent hæ oues Iacobi, simulque mares in femellas salirent, species directa virgarum decorticatarum & diuersicolorum in aquis iacentium, reflexæ speciei, siue vmbræ marium ineuntium in aquis mista, vnam quasi speciem variegatam femellis ingerebat, quasi cernerent suos mares pulchrè viridibus maculis & albis variegatos: vnde vi phantasiæ eosdem colores suo fœtui, quem tunc concipiebant, imprimebant. Idem faciebant mares, nimirum similem vim & formam diuersicolorem suo semini imprimebant, ex simili virgarum cum vmbra femellarum permista specie, visione & imaginatione. Ita S. Hieron. Aug. q 93. Abulensis, & optimè Franc. Valesius Sacræ philosophiæ c. 11.

Posset Secundò, quis suspicari, virgis populi, amygdali, & platani, si in aquis ponantur, vim aliquam inesse ad nigrorem, & nigras maculas gignendum: talem enim vim multis aquis tribuunt Aristot. l. 3. Histor. animal. c. 12. Ouidius l. vlt. Metamorph. Solinus, & alij.

Denique sanctitas & preces Iacobi plurimùm hanc rem adiuuerunt: angeli enim fauentes Iacobo, phantasiam ouium vehementissimè applicabant, & incitabant ad hanc diuersicolorem virgarum imaginationem, vti colligitur c. seq. v. 12. Deus etiam volens benedicere & ditare Iacobum, per hanc imaginationem peculiari suo concursu, diuersos colores validè & multipliciter fœtibus in ipso eorum conceptu imprimebat. vnde S. Cyrillus, Chrysost. & Theodor. putant hæc non tam naturaliter, quàm Dei dono & prouidentia obuenisse Iacobo, idque fatetur ipse Iacob cap. seq. v. 7. 8. 9.

Preces Iacobi hunc conceptum iuuerunt.

Dices, cur ex virgis viridibus nulli fœtus facti & nati sunt virides? Respondeo, quia in nullo quadrupede est ea humorum proportio & temperies quæ ad viriditatem est necessaria: loco ergo viridis

Nullũ quadrupes viride.

viridis coloris pingebatur in fœtibus subniger, siue furuus, ait Tostatus. ad quod non parum iuuabat vmbra & nigredo aquarum, quæ viriditatem inumbrabat & fuscabat, vt non virides, sed fuscæ & subnigræ esse viderentur.

Virgæ Iacob variegatæ significant exempla Sanctorum varia.

Tropolog. hæ virgæ variegatæ sunt S. Script. & Sanctorum variorum varia exempla, quæ dum intuemur, iis similes virtutũ & heroicorum operum proles edimus & efficimus. ita S. Ambros. l. 2. de Iacob c. 4. & 6. Gregor. l. 21. Moral. c. 1.

Ex parte] Pars enim virgæ, suo cortice vestita, viridis, pars verò decorticata & nudata alba apparuit.

Vers. 49. *In calore viget imaginatio.*

Vt in ipso calore] quia calore maximè excitatur, viget & operatur imaginatio. Hinc Physici docent, quòd cerebrum requirat Primò, siccitatem, ob ingenium. anima enim sicca est sapientissima. Secundò humiditatem, ob memoriam. humor enim facilè recipit speciem impressam: vnde iuuenes, quia humido sunt cerebro, facilè quidlibet ediscunt, mandantque memoriæ. Tertiò, calorem ob imaginationem. vnde experimur in studiis, capite & corpore calente, conceptus phantasiæ vigere & fluere: capite verò frigente, eosdem retundi, torpere & hebetari. E contrario prudentia, sincerumque iudicium consistit in frigore, vti docet Aristot. sect. 14. problem. 8. eaque de causa senes valent prudentia & iudicio.

In frigore prudentia.

Primo tempore] Sicut in Lombardia, ita & in Mesopotamia ac Syria, oues bis quotannis pariunt: aut certè quædam in vere, quædam in autumno concipiebant. Primum ergo tempus est vernum, serotinum est autumnale. Iacob ergo in vere, cùm & aura & animalia vigent, ponebat virgas diuersicolores, vt diuersicolores fœtus sibi nascerentur, iique, quia verni, erant meliores, vberiores & robustiores: in autumno verò non ponebat: vnde tunc vnicolores, iique debiliores, nascebantur Labano. partem enim hanc illi concessit Iacob, tum ne Laban suspicaretur fraudem, & artem deprehenderet; tum ex æquitate & humanitate sua. Valesius ambas has admissuras, tam primas quàm serotinas, in eumdem diem conicit. Verùm longè meliùs & veriùs S. Hieron. aliique Latini, æquè ac Hebræi, eas in ver & autumnum diuidunt & distribuunt. Vers. 41.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fugit clàm Iacob cum tota familia, ex Haran in Chanaan, insequitur eum Laban: hinc v. 26. iurgantur vtrimque: ac tandem v. 44. cum Iacobo fœdus init in Galaad.

1. POstquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus:
2. animaduertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius, 3. maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum. 4. Misit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges, 5. dixitque eis: Video faciem patris vestri, quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum. 6. Et ipsæ nostis, quòd totis viribus meis seruierim patri vestro. 7. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. 8. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ; pariebant omnes oues varios fœtus. quando verò è contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede; omnes greges alba pepererunt. 9. Tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi. 10. Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios & maculosos, & diuersorum colorum. 11. Dixitque angelus Dei ad me in somnis: Iacob. Et ego respondi: Adsum. 12. Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. 13. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. 14. Responderuntque Rachel & Lia: Numquid habemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri? 15. Nónne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum? 16. Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. 17. Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis ac coniugibus suis super camelos, abiit, 18. Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. 19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui. 20. Noluitque Iacob confiteri socero suo quòd fugeret. 21. Cumque abiisset tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad, 22. nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob. 23. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: & comprehendit eum in monte Galaad. 24. Viditque in somnis dicentem sibi Deum:

Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob. 25. Iamque Iacob extenderat in
monte tabernaculum: cumq; ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem
monte Galaad fixit tentorium? 26. Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me
abigeres filias meas quasi captiuas gladio? 27. Cur ignorante me fugere voluisti,
nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & citharis?
28. Non es passus vt osculárer filios meos & filias: stultè operatus es: & nunc
quidem 29. valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit
mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. 30. Esto, ad tuos ire cupie-
bas, & desiderio erat tibi domus patris tui; cur furatus es deos meos? 31. Respondit
Iacob, quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. 32. Quòd
autem furti me arguis: apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fra-
tribus nostris. scrutare, quidquid tuorum apud me inueneris, & aufer. Hæc dicens,
ignorabat quòd Rachel furata esset idola. 33. Ingressus itaque Laban tabernacu-
lum Iacob & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit. Cúmque intrasset tentorium Ra-
chelis, 34. illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper:
scrutantiq; omne tentorium, & nihil inuenienti, 35. ait, Ne irascatur dominus meus
quòd coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit
mihi sic delusa solicitudo quærentis est. 36. Tumensq; Iacob, cum iurgio ait: Quam
ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, 37. & scruta-
tus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?
pone hîc coram fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. 38. Idcir-
co viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui
non comedi: 39. nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam:
quidquid furto peribat, à me exigebas: 40. die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebat-
que somnus ab oculis meis. 41. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi,
quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem
meam decem vicibus. 42. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac, affuisset
mihi, forsitan modò nudum me dimisisses: afflictionem meam & laborem manuum
mearum respexit Deus, & arguit te heri. 43. Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filij
& greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus
meis? 44. Veni ergo, & ineamus fœdus vt sit inter testimonium inter me & te.
45. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum: 46. dixitque fratribus
suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntq; super eum:
47. quem vocauit Laban, Tumulum testis; & Iacob, Aceruum testimonij, vterque
iuxta proprietatem linguæ suæ. 48. Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter
me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est, Tumulus testis.
49. Intueatur & iudicet Dominus inter nos quando recesserimus à nobis. 50. si
afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas: nullus sermonis nostri te-
stis est absque Deo, qui præsens respicit. 51. Dixitque rursus ad Iacob: En tumulus
hic, & lapis quem erexi inter me & te, 52. testis erit: tumulus, inquam, iste, & lapis
sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum
mihi cogitans. 53. Deus Abraham, & Deus Nachor, iudicet inter nos, Deus patris eo-
rum Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac: 54. immolatisque victimis in
monte, vocauit fratres suos vt ederent panem. Qui cùm comedissent, manserunt ibi.
55. Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis:
reuersusque est in locum suum.

VERS. 1. TVLIT] Hebraicè לָקַח *lacach*, id est accepit, A furatus est. est calumnia: per inuidiam enim Iacob furti arguit, furtumque vocat iustam mercedem, opesque ipsi à Deo datas.

VERS. 3. EROQVE TECVM] *Quid illi deesse queat*, inquit S. Ambros. *cui adest rerum omnium plenitudo*, immò oceanus, putà Deus?

VERS. 7. MVTAVIT MERCEDEM MEAM DECEM VICIBVS] *Decem*, id est multis, vt ponatur numerus certus pro incerto. denarius enim significat multitudinem & perfectionem. ita Origenes, Euseb. Diodor. & Procopius. Sic sæpè diuites agunt cum pauperibus, vt neque pacta, neque promissa seruent, nisi quantum in rem ipsorum sit. hinc Terentius: *Noui*, inquit, *ego vestra illa verba, Volo nolo, nolo volo: quod modò ratum erat irritum fit.*

Secundò, propriè & præcisè, mutauit Laban pactum & mercedẽ Iacobi decem vicibus. idem enim improperat Iacob Labano v. 41. nam, vt patet v. 41. Iacob 20. annis seruiuit Labano, putà 14. annis pro vxore vtraque, & 6. annis pro gregibus & ouibus; bis autem in anno pariebant oues, & qualibet vice ex pacto, per singularem Dei prouidentiam, ditabatur Iacob. Hoc videns Laban, qualibet vice rescindebat & mutabat pactum; quinque ergo annis decies mutauit pactum: vnde anno sexto huius mutationis pertæsus Iacob aufugit. Septuag. pro *decem vicibus*, vertunt, *δεκα ἀμνῶν*, *decem agnis*, id est, decem temporibus quibus agnæ nascebantur, inquiunt nonnulli. sic enim ait Virgilius:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas;

per

per aristas messes, per messes annos significans. A ita S.August.q.95.

Verùm verius est, corruptos esse hîc Septuag. & pro δέκα ἀμνῶν, restituendum esse δέκα μνῶν, id est, decem mnas vel minas. videntur enim Septuag. Hebræum מֹנִים *monim* voluisse retinere, & explicare per minas. ita Eugubinus. q.d. *Decem*, id est multis, *minis* auri, multo pretio fraudauit me pater vester, immutando & inuertendo mercedem meam.

Tropol. Laban est mundus: hic Iacob, id est fideles, affligit, quos antè spe sui commodi, adamauerat & prouexerat: quia ea spe se postea frustrari videt.

VERS.8. OMNES] pleræque. nam pars serotina, scilicet exigua & infirma, cessit Labano, c.præc.v.42.

VERS.12. VIDE VNIVERSOS MASCVLOS VARIOS] Hac visione & symbolo significabat angelus diuersicolores nascituros Iacobo, simulque, vt videtur, modum id faciendi per virgas decorticatas eum docuit, licet id non exprimat hîc Script. contenta narratione totius rei, quam dedit c.præced.

VIDI ENIM OMNIA QVÆ FECIT TIBI LABAN] *Hic discimus*, ait S.Chrysost. homil.57. *quòd quando iniuria nobis fit, nosq; mansueti, mites & tolerantes fuerimus, maiori & largiori auxilio diuino fruimur. Ne ergo obluctemur his qui nos premunt, & calumniari volunt; sed feramus generosè, scientes quòd nos omnium Dominus non despiciet, tantùm nos eius eius beneuolentiam agnoscamus. Mihi enim, inquit, vindicta, & ego retribuam.*

VERS.13. DEVS BETHEL] qui tibi apparui innixus scalæ in Bethel, c.28.

ET VOTVM VOVISTI] Meminit Deus voti Iacobi, vt illud sibi gratum fuisse, seque propter illud Iacobo benedixisse, eumque ditasse significet; vtque eum voti sui prosequendi & perficiendi memorem reddat.

VERS.14. NVMQVID HABEMVS?] Nónne pater nos quasi exheredes fecit. Primò, dum nos indotatas tibi vxores tradidit. Secundò, dum pretium nostrum, quo nos scilicet tibi coëmisti vxores, putà laborem 14. annorum seruitutis tuæ, totum sibi vsurpauit, vt non tam quasi pater nos in matrimonio, consignata dote collocasse, quàm quasi mango vendidisse videatur.

VERS.17. IMPOSITIS LIBERIS] Erant enim teneri: nam maximus Ruben erat 13. annorum, minimus Ioseph erat sexennis.

Tropol. hinc disce, oborta inuidia, iusto illam esse declinandam: melius est enim ei sine lite abire, quàm cum iurgio residere, inquit Ambros.l.2. de Iacob c.5. Rursum, Deus hîc suos aduersis, calumniis, exiliis agitari permittit, vt ad patriam cælestem anhelent, inquit Rupertus: nam mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.

VERS.18. PERGENS AD ISAAC PATREM SVVM] Eò tendebat Iacob, sed in itinere fermè decennium posuit, habitando in Sichem, & in Bethel. ita Abul.

VERS.19. FVRATA EST IDOLA] Quæres, cur id fecerit

Cur Rachel furata sit idola? Rachel? Respondet Primò, Aben Esra, eam furatam esse idola patris, ne pater illa consulendo, vel

Respond. Primò. eorum inspectione augurando, cognoscere posset per quod iter Iacob cum suis abijsset & fugisset; vt scilicet eos insequi non posset.

Secundò. Secundò, S.Basil. initio in Prouerb. Nazianz. orat.2. de Pasch. Theod. & Perer. putant eam id fecisse, vt occasionem idololatriæ patri tolleret.

Tertiò. Tertiò, verisimiliùs S.Chrysost. hom.57. Gennadius, Rupert. Caietan. & Oleaster putant, eam idola non tam patris quàm sua, quasi deos penates secum abstulisse, eò quòd iis dedita esset, ab iisque felix iter, omneque bonum speraret. nam pater Laban, eiusque domus, ac consequenter & Rachel, cum Deo vero etiam idola, more gentis suæ colebat, vt patet cap.35.v.2. vbi demum hæc idola aboleuit Iacob.

Quartò. Quartò, furata est Rachel hæc idola, quia erant pretiosa, putà ex auro; itaque aurum furata est, id est, clanculum accepit; sed iustè, quasi dotem suam, & quasi mercedem marito suo debitam. ita Pererius.

Quid theraphim? IDOLA] Hebraicè est תְּרָפִים *theraphim*, quod significat statuas humanas, siue humanam for- B mam habentes, vt patet 1.Reg.19.13. hinc Aquila vertit, μορφώματα, id est figurationes; Chald. vertit, imagines.

Secundò, nomen *theraphim* vsu appropriatum est iis statuis, quæ opera dæmonum responsa dabant, vt patet Iudicum 18.v.18. vnde interpretes passim idola vertunt. ita Septuag. Noster, & alij, quin & ipse Caluinus. Ineptè ergo idem Caluinus, *Theraphim*, inquit, sunt imagines, quales habent Papistæ: nec enim Papistæ imagines habent & colunt quasi idola, aut quasi deos, vti theraphim hæc habuit & coluit Laban, vt patet v.30. De theraphim plura dicam Iudicum 18.

NOLVITQVE CONFITERI] Hebraicè est, *furatus est Iacob cor Labani. cor*, id est, opes quæ erant quasi cor Labani, quasque vt cor suum amabat, inquit Lipomanus. VERS.20.

C Verùm dico, esse hebraismum: *Furatus est cor Laban*, id est, inscio & ignorante Laban, furtim & clanculùm aufugit, quasi cor, id est scientiam & conscientiam, Laban secum abstulisset. vnde Chald. vertit, *celauit*; Septuag *abscondit*. Sic Seneca in Agamemn ait: Hebr. Furari cor est celare.

Germane vultus veste furabor tuos,

furabor, id est abscondam.

Addit Caietan. Labanum in corde suo statuisse, non pati Iacobum ex Haran auferre opes, quas ibi pepererat. vnde v.42. ait ei Iacob, *Forsitan nudum me dimisisses:* & quia Iacob inde clàm discedens irritum fecit hoc Labani consilium, hinc dici furatum eius cor, in quo consilium illud latebat, illudque clanculum secum tulisse. est metonymia.

AMNE TRANSMISSO] Euphrate, qui Haran & Mesopotamiam circumdat: fecit id Iacob non D per miraculum, vti fingunt Iudæi, sed per nauim ordinariam. VERS.21.

IN MONTE GALAAD] qui postea v.48. dictus est Galaad. est prolepsis. de Galaad vide Adrichom. in Terra sancta. VERS.23.

FRATRIBVS] valida manu cognatorum, famulorum & ciuium. VERS.25.

DIXIT (Laban) AD IACOB: QVARE ITA EGISTI?] Vide hîc rursum in verbis Labani ingenium mundi. nam Primò, licet sciret se perfidia sua causam dedisse iusto fugiendi, id tamen dissimulat, & omnem culpam in iustum reiicit, & cùm deberet deprecari culpam, ac iustum reconciliare, vltrò eum arguit. Sic mundus sua peccata dissimulat, & omnem culpam in pios reiicit. Sic Achab Eliam criminatur, quòd turbaret Israel, cùm ipse impius rex suis peccatis causa esset ma- VERS.26. Ingenium mundi.

lorum. Secundò, Laban fingit se amicum, cùm A esset aduersarius: *Vt prosequerer te*, inquit, *cum gaudio & canticis*, &c. Sic mundus aliter loquitur, aliter sentit. væ duplicibus corde. Tertiò, prodit suam impietatem & stultitiam, cùm ait, *Cur furatus es deos meos?* impietatis est, quòd idola colit; stultitiæ, quòd deos dicit, qui se à furibus custodire nequeunt. Quartò, ait, *Stultè egisti*: sic mundo stultum videtur quidquid pij faciunt. non stultè egit iustus oppressus patriam repetendo, sed stultè agit mundus cælestem patriam contemnendo. Quintò, arrogantiæ est quod dicit, *Valet manus mea reddere tibi malum*: sic mundus semper præsumit de potentia, cùm sciat se nihil contra Deum posse. *Arrogantia eius*, inquit Isaias c.16. *plusquam fortitudo eius*. Demum tamen, velit nolit, confiteri cogitur veritatem, se videlicet à B Domino prohiberi & cohiberi. Vnde S. Chrysost. homil.57. multis exemplis ostendit, quàm Deus Iacobi & aliorum iustorum habeat curam, adeò vt non tantùm homines efferatos, sed feras ipsas domet & cicuret, ne eis noceant: *Dei enim manus*, inquit, *potentior est omnibus, ipsa nos vndequaque munit, & inuictos facit. Id quod & in iusto hoc declaratum est. Nam qui tanto impetu comprehendere Iacob, & pœnam fuga de eo sumere volebat, non solùm nihil asperum contra eum loquitur, sed sicut pater filium blandè compellat, dicens: Quid fecisti? quare clandestinè abscessisti? Vide quanta mutatio. vide quomodo is qui vt bestia insaniebat, ouium imitetur mansuetudinem.*

VT CLAM ME] Hebraicè rursum est, *furatus es cor meum*. de quo dixi v.20.

QVASI CAPTIVAS GLADIO] quasi bello captas, C ideoque seruas, siue mancipia.

Vers. 28. FILIOS MEOS] nepotes ex filiabus.

Vers. 32. SCRVTARE QVIDQVID TVORVM (de tuis rebus) APVD ME INVENERIS, ET AVFER] Mysticè S. Ambros. l.2. de Iacob c.5. *Venit ad eum Laban*, inquit, *id est dealbatus, putà Satanas (quia & Satanas transfigurat se in angelum lucis) & cœpit ab eo sua requirere. Respondit Iacob: Nihil tuorum habeo. Quære si quid agnoscis tuorum vitiorum & criminum. nihil mecum abstuli fraudum tuarum, doliq́; consortia vlla non habeo: omnia tua tamquam contagium refugi. Et quæsiuit Laban, & nihil suum reperit. Quàm beatus vir, in quo inimicus nihil inuenit, quod suum posset dicere; in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret! Impossibile videbatur istud in homine, sed typum gerebat eius qui dixit in Euangelio, Venit huius mundi princeps, & in me inueniet nihil. Nihil est enim quidquid est diaboli, quod nullam potest habere perpetuitatem atque* D *substantiam.*

Vers. 34. SVBTER STRAMENTA] sub clitellis.

Vers. 35. IVXTA CONSVETVDINEM FEMINARVM] q.d. Laboro fluxu menstruorum, ideo præ infirmitate assurgere non possum.

Vers. 36. TVMENSQVE] præ ira & indignatione iusta Iacob, aliàs mitissimus: læsa enim patientia fit furor.

Vers. 39. NEC CAPTVM A BESTIA OSTENDI TIBI] Lex pastoritia est, vt, si sine pastoris culpa pecus à feris necetur, ostensi domino parte aliqua residua, noxæ pastor eximatur: res enim quæque domino suo perit, nisi culpa custodis interueniat. Verùm hanc legem non seruauit durus & iniustus Laban, qui Iacobum volebat non culpam tantùm, sed & casum præstare. Hoc est enim quod ei obiicit Iacob, dicens: *Quidquid furtim peribat, à me exigebas*. Alioqui pastor iure pastoritio tenetur ouem à lupo, vrso, &c. raptam excutere, ouemque tueri, si potest; quòd si negligat, tenetur ad ouis raptæ restitutionem. Ita Dauid pascens oues, leonem & vrsum eas inuadentes occidit, 1. Reg. 17.34. Multò magis Deus à pastoribus qui curam gerunt animarum, illas requiret, si sua negligentia sinant eas à dæmone rapi, agiq́; in præceps, vti docet Ezechiel c.3.17. & toto cap.34. Idem iudicium est de principibus & magistratibus, qui subditorum salutem, corpora & fortunas tueri debent. Horum ergo est iugiter excubare, pro suorum tutela & custodia. *Excubat* (inquit Seneca) *principis cura pro salute singulorum*. Talis fuit Cæsar, de quo idem Seneca lib. de Breuit. vitæ: *Omnium*, inquit, *domos illius diligentia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio*. Tales quoque vult esse principes Plato lib.7. de Legibus.

ÆSTV VREBAR ET GELV] Malè legunt quidam *vrgebar*: nam sicut calor, sic & frigus adurit, id est pungit, cruciat, exsiccat, &, vt Hebræa habent אכלני *acbalani*, id est comedit me & consumpsit, lædit. Causam physicã assignat Hieron. Magius libr.1. Miscellan. c.17. Sic Poëta ait: *Vrebant montana niues*. Et Tacitus lib.15. Annal. *Ambusti multorum artus vi frigoris*. S. Basil. hom de 40. Martyr. *Frigore*, inquit, *toti exusti*. Et Ecclesi. de Aquilone loquens c.43.23. *Exuret*, inquit, *desertum, & extinguet viride ὡς πῦρ*, id est *sicut ignis*. Hinc & pruina à perurendo dicta, quòd herbas & fruges perurat, ait Festus: nimirum munditia mulieribus, labor viris conuenit. Quocirca meritò Iacob à S. Gregor. homil.15. in Ezech. statuitur laboris exemplar, eoque illum meruisse ait victoriam in lucta cum angelo c.32. *Laboriosa*, inquit, *fortitudo vt obtineri debeat quæritur? Iacob ad memoriam deducatur, qui postquam sciuit fortiter seruire homini, ad eam quoque virtutem deductus est, vt non potuisset à luctante angelo superari.*

Vers. 40. Frigus vrit.

FVGIEBATQVE SOMNVS] Pastoris boni est vigilare, noctuq́; inuigilare gregi. Quàm ergo vigil sit Episcopus & pastor oportet, qui pascit oues Dei! inquit S. Damasus epist.4. Iacob ergo archetypus est boni œconomi, quem sic depingit Aristot. in Oeconom. *Expergisci decet prius dominum quàm seruum, & cubitum ire posteriùs, nec vmquam incustoditam esse domum, sicut nec vrbem, quando opus est, neque die, neque noctu: & ante lucem surgere. quod ad sanitatem & ad curam rei familiaris, & ad studium philosophiæ prodest plurimum*. Sic & Cato de Re rustica c.5. & Cicero li.2. de Diuinat. hoc præceptum dant villico: *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat*. Refert Xenophon in Oeconom. barbarum quemdam rogatum, quid equum habilem & vegetum redderet, respondisse, *Domini oculus*. Agesilaus rex Lacedæm. somno moderari nouerat, &, vt ait Xenophon, somno non vt domino, sed vt subdito in negotiis vtebatur. Ita pastores vigilabant, quibus primò ab angelo nuntiata est natiuitas Christi. Ita Paulus ait Timotheo: *Tu verò vigila, in omnibus labora*. Ita Gentiles bonum pastorem comparant Argo, qui pastor erat totus oculatus, imò oculis circumcirca plenus. Homerus Iliade β. canit, Iouem deorum deum, diis hominibusque dormientibus, insomnem fuisse, ac de Achille exaltando cogitasse. Sic de Deo vero canit Dauid psal. 121. *Ecce non dormitabit, neque*

Mor. quàm paterfamilias, & Prælatus, ac princeps debeat esse vigilans.

que dormiet, qui custodit Israel. Persarum rex habebat cubicularium, qui manè regem excitans diceret: *Surge rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Mesoromasdes*, tuus Deus. testis est Plutarch. l. de Doctr. princip. Rectè ergo Homerus loco citato:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.
Non decet tota nocte dormire virum consiliarium,
Cui populi commissi sunt, & tanta curanda sunt.

Si ergo *vita mortalium est vigilia*; multò magis vita Principum & Prælatorum, vigilia sit oportet. Ita S. Dominicus noctu vigil orabat, suorumq; Fratrum cellas, locaque omnia obibat.

VERS. 41. DECEM VICIBUS] Ioseph. vult Laban pacta violasse, fœtusque meliores iam natos, Iacobo ex pacto debitos, abstulisse. sed errat: nam hac ratione adeò ditari non potuisset Iacob. Meliùs ergo Origenes, Euseb. & S. Hieron. censent. Laban pactum B in futurum decies commutasse, sibi deposcendo talia, qualia Iacobo iam nata, & obuenisse videbat.

VERS. 42. NISI DEVS PATRIS MEI ABRAHAM, ET TIMOR ISAAC AFFVISSET MIHI] Quæres, quis sit timor Isaac? Respondet Primò, Aben Esra & Caietan. esse timorem & reuerentiam quo Isaac timuit, coluit & reueritus est Deum. q. d. Merito timoris, id est pietatis, reuerentiæ & deuotionis Isaac, qua scilicet ille supplicabat Deo pro filio suo Iacobo, liberatus à Laban, & prosperatus est Iacob. Hic ergo timor Sanctorum est actus religionis & reuerentiæ, oriturque ex amore Dei; imò est actus charitatis, subinde imperatus, subinde elicitus: quia enim Sancti summè amant Deum, hinc summè timent eum offendere, summeque eum colunt & reuerentur.

Quis sit timor Isaaci? Responsio Prima.

Secunda. Secundò, alij putant hunc timorem fuisse C reuerentiam, qua Iacob prosequebatur patrē suum Isaac, cumque timuit & reueritus est. per hanc enim reuerentiam & pietatem erga patrem suum Isaac, meruit Iacob apud Deum, vt ab eo liberaretur & protegeretur.

Tertia & genuina. Deus est timor Isaaci & Sanctorum. Tertiò & genuinè, Deus qui fuit Deus Abrahæ, vocatur timor Isaac. q. d. Deus quem coluit Abraham, & quem timuit ac reueritus est Isaac, quasi summum numen, summamque maiestatem. Sic Isaias c. 8. 13. Deum vocat terrorem & pauorem Israel, quem scilicet Israelitæ cum metu & pauore coluerunt & reueriti sunt.

Timor ergo hîc metonymicè capitur pro obiecto timoris, putà pro Deo. Sic Iouem Gentiles vocabant timorem hominum, quem scilicet homines testem, iudicem & vindicem metuunt, *cuius D iurare timent, & fallere numen.* Sic enim Iacob v. 43. iurauit per timorem patris sui Isaac, æquè ac Laban per Deum Abrahæ & Deum Nachor. Sic Deus in psalmis dicitur spes mea, patientia mea, id est, in quem spero, propter quem patior. ita Theodor. Chaldæus & S. August.

ARGVIT TE HERI] cùm tibi apparuit, monens ne quid grauius mihi diceres aut faceres, v. 29.

VERS. 43. QVID POSSVM] q. d. Patria pietas & amor non permittūt, vt meis filiabus & nepotibus noceam: sic enim habent Hebræa; noster tamen Interpres vertit, *filiis & nepotibus*, vbi τὸ & significat, *id est*: Laban enim suos nepotes vocat filios, ex eo quòd paulò antè dixit Iacobo: *Filij & greges tui, & omnia quæ cernis mea sunt:* quia scilicet à me, quasi auo & primo possessore descendunt.

VERS. 44. VT SIT IN TESTIMONIVM] in monumentum fœderis inter nos initi. A

IN TITVLVM] in signum & monumentum. de titulo vide dicta c. 28. 18. VERS. 45.

TVMVLVM] aggerem longum latumque & planum: nam in eo quasi in mensa pransi sunt. VERS. 46.

QVEM VOCAVIT LABAN, TVMVLVM TESTIS: ET IACOB, ACERVVM TESTIMONII, VTERQVE IVXTA PROPRIETATEM LINGVÆ SVÆ] Idem nomen quoad significationem & rem, huic tumulo imposuerunt Iacob & Laban, sed diuersum quoad vocem & linguam: nam Laban Syrus syriacè vocauit eum יְגַר שָׂהֲדוּתָא *iegar sahaduta*, id est aceruum, vel tumulum testimonij: Iacob verò Hebræus hebraicè vocauit eum גַּלְעֵד *galed*, id est, tumulum testis. *gal* enim tumulum, *ed* testem significat. Iam in re tumulus testimonij idem est quod tumulus, vel aceruus testis. lapis enim non potest aliter esse testis, quàm si erigatur & ponatur in testimonium rei alicuius: fortè etiam incuria librariorum hîc transposita sunt nomina: vt loco *testimonij* positum sit *testis*, & contrà. nam propriè & præcisè, Laban vocauit hunc tumulum *iegar sahaduta*, id est tumulum testimonij: Iacob verò vocauit eum *galed*, id est aceruum, vel tumulum testis. Quia ergo hic tumulus erectus fuit in testimonium fœderis inter Iacob & Laban initi, hinc vocatus est *galed*, id est, tumulus testis, indeque ipse mons, vrbs & regio tota dicta est Galaad, vel Galaaditis. VERS. 47.

Galaad vnde dicta.

APPELLATVM EST NOMEN EIVS GALAAD, ID EST TVMVLVS TESTIS] In Hebræo tantùm est *Galaad*, sed noster Interpres Hebræum nomen Galaad explicat, addens, *id est, tumulus testis*: Hebræa addunt, *vemitspha*, id est, *& specula: quia dixit* (Laban) *Speculetur, intueatur, & iudicet Dominus inter nos.* Duo ergo nomina huic tumulo imposita sunt, primum *galed*, id est tumulus testis. secundum *mitspha*, id est specula, vel, vt Septuag. vertunt, ὅρασις, id est visio. q. d. Laban: Ego deinceps te tuaque, ô Iacob, speculari & intueri non potero, recedam enim & diuidar à te; Deum ergo time, qui speculator est huius nostri fœderis & iuramenti, vt iudicet & vindicet, si alteruter nostrûm illud violet, nimirum VERS. 48.

Deus est speculator omnium.

Speculator astat desuper
Qui nos diebus omnibus,
Actusq; nostros prospicit,
A luce prima in vesperam.

hic est noster *mitsphe*.

LAPIS QVEM EREXI] In tumuli iam dicti parte vna, quæ Mesopotamiam respiciebat, lapidem suum erexit Laban; in altera parte quæ Chananæam respiciebat, lapidem alterum, suumque erexit Iacob; vt hi duo lapides essent quasi columnæ & termini, quos neutri ad nocendum alteri transire liceret. VERS. 51.

DEVS ABRAHAM, ET DEVS NACHOR IVDICET INTER NOS, ET DEVS PATRIS EORVM] putà Deus Thare, qui fuit pater Abrahæ & Nachor. VERS. 53.

Nota. Laban cum Deo vero Abrahæ coluit idola patris suis Nachor: hinc etiam addit communis abaui, putà Thare, deos, quasi vtrique patrios & hereditarios. Thare enim in Chaldæa cum Abraham coluit Deum verum, in Haran verò cum Nachor coluit idola, vt dixi c. 11. in fine: Iacob verò hos reiicit, & tantùm iurat per timorem Isaac, id est per Deum quem timuit & coluit Isaac & Abraham. vide dicta v. 42.

Nota. Sicut licuit Iacobo à Laban, ita cuiuis fideli licet ab infideli excipere, imò exigere in necessitate iuramentū, etiamsi sciat infidelē iuraturum per falsos deos: sicut in necessitate licet petere mutuum ab eo, quem scis id non daturū nisi cum pacto vsuræ. Sicut enim hic solū exigit mutuum, vsuram verò tantùm permittit & tolerat: ita & ille iuramentum solum exigit, idipsum verò fieri per falsos deos tantùm permittit & tolerat, id- A que ob iustam causam, putà necessitatem.

Immolatisqve victimis] hostiis pacificis oblatis pro pace, reconciliatione & fœdere inito cum Laban socero suo. vnde eidem ex iisdē conuiuium instruxit. Hisce ergo victimis gratias egit Iacob Deo pro pace inita, simulq; petiit, vt Deus eam conseruaret, firmaret & perpetuaret. Vers. 54.

De nocte] summo mane. Vers. 55.

In locvm svvm] in Haran.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob vidit binas angelorum acies, sibi in tutelam à Deo submissas. Secundò, v. 3. metuens fratrem, ad eum munera mittit. Tertiò, v. 24. cum angelo luctando præualet, & vocatur Israel.

1. Iacob quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei obuiàm angeli Dei.
2. Quos cùm vidisset ait: Castra Dei sunt hæc. & appellauit nomen loci illius
Mahanaim, id est Castra. 3. Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrem suum in
terram Seir, in regionem Edom: 4. præcepitque eis dicens: Sic loquimini domino
meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob. Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque in
præsentem diem. 5. Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas: mittoque
nunc legationem ad dominum meum, vt inueniam gratiàm in conspectu tuo. 6. Re-
uersique sunt nuntij ad Iacob dicentes, Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce pro-
perat tibi in occursum cum quadringentis viris. 7. Timuit Iacob valdè: & perterri-
tus diuisit populum qui secum erat, greges quoque & oues & boues, & camelos in
duas turmas, 8. dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia
turma, quæ reliqua est, saluabitur. 9. Dixitque Iacob Deus patris mei Abraham, &
Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam, & in lo-
cum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: 10. minor sum cunctis miserationibus tuis,
& veritate tua quam expleuisti seruo tuo: In baculo meo transiui Iordanem istum: &
nunc cum duabus turmis regredior. 11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia
valdè eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. 12. Tu locutus es
quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multi-
tudine numerari non potest. 13. Cumque dormisset ibi nocte illa, separauit de his
quæ habebat, munera Esau fratri suo, 14. capras ducentas, hircos viginti, oues du-
centas, & arietes viginti, 15. camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadra-
ginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem. 16. Et misit per ma-
nus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me: &
sit spatium inter gregem & gregem. 17. Et præcepit priori, dicens: Si obuium ha-
bueris fratrem meum Esau: & interrogauerit te, Cuius es? aut, Quò vadis? aut, Cuius
sunt ista quæ sequeris? 18. respondebis: Serui tui Iacob, munera misit domino meo
Esau: ipse quoque post nos venit. 19. Similiter dedit mandata secundo, & tertio, &
cunctis, qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cùm inuene-
ritis eum. 20. Et addetis: Ipse quoque seruus tuus Iacob iter nostrum insequitur:
dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan
propitiabitur mihi. 21. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse verò mansit no-
cte illa in castris. 22. Cumque maturè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem
famulas, cum vndecim filiis, & transiuit vadum Iaboc. 23. Traductisque omnibus
quæ ad se pertinebant, 24. mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.
25. Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, &
statim emarcuit. 26. Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Re-
spondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. 27. Ait ergo: Quod nomen est
tibi? Respondit: Iacob. 28. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen
tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines
præualebis? 29. Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Re-
spondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. 30. Vocauitque
Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est
anima mea. 31. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse
verò claudicabat pede. 31. Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel,
qui emarcuit in femore Iacob, vsque in præsentem diem: eò quòd tetigerit neruum
femoris eius, & obstupuerit.

VERS. 1. *Machanaim sunt duæ angelorum acies.*

ANGELI DEI] Duas angelorum acies vidit hic Iacob; inde enim hic locus hebraicè vocatus est מחנים *machanaim*, quod nomen est duale, & significat bina castra, vel binas acies. Vnde & vrbs ibidem postea ædificata, dicta est *machanaim*: nimirum vna acies erat angeli, qui erat custos & præses Mesopotamiæ. hic cum angelis sibi subditis & subordinatis, quasi instructa acie, comitatus fuerat, & securè deduxerat Iacobum à Mesopotamia hucusque, scilicet ad confinia Chananææ: ibi occurrit ei, eumque excepit angelus præses Chananææ, cum sua acie angelorum sibi subditorum, vt eum per Chananæam securè ad patrem perduceret, & ab Esau, aliisque ei infensis tueretur & protegeret. Sicut enim principes externum principem, per suas terras, datis militibus præsidiariis, securè deducunt, & B vicino principi, eiusque præsidiariis vlteriùs deducendum, consignant: ita pariter cum Iacobo faciunt hîc angeli. Vide Dei & angelorum erga suos prouidentiam & curam. vide & quantus, quamque similis, familiaris & charus Deo & angelis fuerit Iacob. Vide Tertiò, quomodo post tentationem & terrorem incussum Iacobo à Laban, sequatur consolatio angelorum: sic de Christo dicitur Matth. 4. *Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Vide Quartò, quomodo tentationi minori Labani, maior succedat, scilicet timor Esau infensi; vtque contra eum Iacobum hîc præmuniant angeli.

Angelorum præsidium circa Iacob & Elisæum.

Sicut ergo Elisæus 4. Reg. 6. v. 17. vallatus ab hostibus, vidit angelorum acies sibi in auxilium & tutelam occurrere: ita & Iacob hîc cōtra Esau, aliosque hostes angelorum præsidio cingitur, vt C discat nec Esau, nec quemquam hominum timere. ita Abulens. Hîc impletum fuit illud psal. 33. 8. *Immittet* (hebraicè חנה *chone*, id est, castra metabitur) *angelus Domini in circuitu timentium eum.*

Sic in Vitis Patrum legimus de Abbate Mose, quòd, cùm valdè à fornicationis spiritu impugnaretur, iuerit ad Abbatem Isidorum, qui eum ad superiora domus deduxit: vbi ad Occidentem vidit ingentem dæmonum turbam inter se concertantem; ad Orientem vidit splendentem angelorum exercitum. tum Isidorus: *Quos*, inquit, *in Occidente vidisti, ipsi sunt qui etiam iustos impugnant: quos verò in Oriente, hi sunt, quos in adiutorium mittit seruis suis Dominus exercituum. Cognosce igitur, quòd plures sunt nobiscum, quàm cum illis, vt dixit Elisæus Propheta.* Ex dictis patet, hanc angelorum D extraordinariam fuisse custodiam: non enim solus angelus Iacobi custos, sed binæ angelorum acies, cum duobus ducibus, apparuerunt Iacobo.

Putat Diodorus Tarsensis, angelum præfectum secundæ aciei, & præsidem Chananææ, fuisse S. Michaëlem: hic enim constitutus est à Deo princeps posterorum Iacob, putà populi Dei, omnium scilicet Israelitarum, vt patet Danielis 10. v. vlt. & Danielis 12. 1.

VERS. 3. AD ESAV FRATREM SVVM IN TERRAM SEIR] quæ & Edom, siue Idumæa dicitur. Nota, dum Iacob moratur in Haran, Deus iniicit cogitationem & mentem fratri eius Esau, indignanti ob parentum voluntatem in Iacob propensiorem, in se verò & vxores suas frigidiorem, vt Chananæam relinqueret, & montes Edom sibi sedes deligeret; vt nimirum hac ratione Chananæa cederet Iacobo eiusque posteris. Iacob in Haran nuntio à matre, vti videtur (hoc enim ipsa promiserat c. 27. v. 45.) accepto, intellexerat Esau in Edom commigrasse; vnde securus ex Haran ad parentes in Chananæam redit.

Nota Secundò prolepsim: hæc enim terra non antè, sed post habitationem Esau, ab ipso Esau dicta est Seir, & Edom siue Idumæa: vti dixi c. 25 v. 25. & 30.

HABEO BOVES] q. d. Tibi ob egestatem non ero oneri, nec parentum opes imminuam: affatim enim opum mihi Deus largitus est. VERS. 5.

CVM QVADRINGENTIS VIRIS] Vt sic & fratri potentiam suam ostentaret, vtque eum hac pompa ampliùs honoraret, eique securum comitatum per iter præstaret. Videtur ergo Esau per nuntios à Iacobo missos, tam humiliter & humaniter eum salutantes, fuisse placatus, pristinaque odia in amorem conuertisse, Deo cor eius immutante, & inclinante in fauorem Iacobi. VERS. 6.

DVAS TVRMAS] Prior turma erat gregum cum pastoribus, in suos ordines aptè distributa; posterior erat vxorum cum liberis, cuius tres erant ordines: primus Zelphæ & Balæ cum suis prolibus: secundus Liæ cum suis: tertius Rachelis & Ioseph, vt patet c. sequ. v. 2. Rachel ergo & Ioseph non tertiam faciebant turmā, sed secundæ agmen claudebant, vtpote charissimi Iacobo. VERS. 7.

Tropologicè, notat S. Augustinus nos exemplo Iacobi ita debere Deo fidere, vt tamen humana præsidia & consilia non negligamus: hoc enim facere, esset tentare Deum. Hinc S. P. N. Ignatius nos docuit, ita omnem spem rerum gerendarum in Deo ponere, vt nobis nostrisque viribus planè diffisi, totos nos in Deum, Deique prouidentiam ingenti fiducia coniiciamus: & tamen in ipsa executione, sedulò adhibere omnia naturalia media & humana præsidia, perinde ac si illis solis niteremur, illisque res omnis conficienda esset: vtrumque enim docet & exigit prudentia pietasque Christiana.

Deo ita fidendum vt humana præsidia nō negligamus.

SALVABITVR] fugiendo saluare se poterit. VERS. 8.

MINOR SVM] exilior, vilior, indignior sum, quàm qui vllam tuam gratiam, vel misericordiam, etiam minimam, mihi præstitam meruerim, aut etiamnum merear. Veræ enim virtutis fundamentum est humilitas; nec tanta est claritas, quam non obscuret elatio. VERS. 10.

Nota. Iacob hîc ita gratias agit Deo, de præteritis beneficiis sibi collatis, vt futuris se dignum reddat, ad eaque Deum sua humilitate & gratitudine prouocet. Docet ergo nos hîc modum efficaciter orandi. nam orditur à Dei reuerentia & laude, allegatque patrum merita, dicens: *Deus patris mei Abraham*, &c. Secundò, admonet Deum promissionum: *Domine qui dixisti mihi, Reuertere.* Tertiò, humiliat se, & suam infirmitatem confitetur: *Minor sum cunctis miserationibus tuis.* Quartò, beneficia accepta recolit, & gratias agit: *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Quintò, orat: *Erue me de manu fratris mei Esau.* Sextò, non tantùm pro se, sed & pro aliis obsecrat: *Ne percutiat matrem cum filiis:* timebat vel maximè ne occiso semine benedicto, Christus non veniret.

VERITATE] fidelitate. q. d. Ego licet indignus, hactenus semper expertus sum, te fidelē in promissis mihi præstitis: quare cōfido & oro, vt in futurū idē experiar, vtq; nunc ab Esau me protegas.

IN

In baculo meo] cum baculo meo. q.d. Solus baculo, seu pedo pastorali innixus, egenus, vt pastor sine grege; imò gregem pascendum quærens, ex patria iui in Haran: nunc Dei dono cum duabus prolium, famulorum & pecudum turmis regredior. ita Iosephus.

Vers. 15. Camelos foetas] quæ recèns pepererant, & pullos lactabant.

Vers. 16. Sit spatium inter gregem et gregem] Vt sic diutiùs munerum à me ei missorum numero, varietate & pompa se pascat & mitescat Esau: sic enim plura ei & splendidiora esse videbuntur.

Vers. 20. Forsitan] id est vtique: est enim τὸ *forsitan*, non dubitantis, sed affirmantis, & continuantis, vti τάχα apud Homerum. Sic & Christus ait Iohannis 8. 19. *Si me sciretis, forsitan* (vtique) *& Patrem meum sciretis.*

Vers. 21. Ipse vero mansit nocte illa in castris] Tum vt dispiceret, num quid per obliuionem relictum esset; tum vt consilium caperet, & cogitaret qua ratione fratrem placare posset; tum maximè, vt ea nocte solus quietè & ardenter supplicaret Deo, vt omne hoc suum cum fratre negotium, iterque dirigeret: vnde post orationem occurrit illi angelus luctator. tum denique vt post curas & labores, aliquid daret somno & necessariæ quieti. Vnde LXX. vertunt, *ipse verò dormiuit in castris*. Hebr. est לן *lan*, id est *pernoctauit*, id est noctem transegit siue dormiendo, siue vigilando & operando.

Moral. S. Ambros. lib. 2. de Iacob c. 6. *Perfecta virtus*, inquit, *habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Ideo Dominus donum eius perfectioribus reseruauit, dicens: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Perfectorum enim est non facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari; sed quasi in littore tutissimo aduersus insurgentes fluctus sæcularium procellarum, mentem immobilem fida statione placidare.* Ex aduerso *ampliùs suis suspicionibus affligitur impius, quàm alienis plerique verberibus, maioresq́; vibices vulnerum in eius animo sunt, quàm in eorum corpore qui ab aliis verberantur.*

Vers. 22. Cumque mature surrexisset] ante auroram, durante adhuc nocte, vt habent Hebræa & Græca: noctu enim postquam sua & suos per vadum Iaboc traduxisset Iacob, luctatus est cum angelo vsque manè.

Vers. 24. *Vir cum Iacob luctans quis fuerit?* Vir luctabatur cum eo] Quæres, quis fuerit iste vir? Theodor. Iustinus, Tertull. Hilarius, Ambrosius, Cyrillus, & alij apud Pererium, videntur dicere, fuisse Filium Dei, putà Verbum, quod futurum erat caro. & probatur: quia ipse Iacob v. 30. eum vocat Deum.

Verùm dico Primò, Hic vir fuit angelus. id patet ex Osee 12. 3. vbi expressè hic vir vocatur angelus. Secundò, quia S. Dionys. Cælestis hierarchiæ c. 4. S. Hieron. Iosephus, Eusebius, Rupertus, & S. August. lib. 16 Ciuit. 39. docent fuisse angelum, adduntque Deum in veteri testamento numquam per se, sed semper per angelos apparuisse: nam celeberrima illa apparitio Dei dantis legem in Sina, facta est per angelos, vt patet Galat. 3. 19.

Dices, Hic vir v. 30. vocatur Deus.

Respondeo, erat angelus personaliter, sed vocatur Deus repræsentatiuè, & auctoritatiuè, vti vicerex vocatur rex; quia scilicet Deum, putà Dei Filium incarnandum, repræsentabat, eiusque vice & auctoritate fungebatur: & hoc tantùm volunt Theodor. Iustinus, & alij Patres citati, qui hunc virum vocant Filium Dei.

Dices Secundò, Concilium Sirmiense can. 14. definit hunc virum fuisse Filium Dei: sic enim habet, *si quis contra Iacob, non Filium tamquam hominem luctatum esse, sed ingenitum Deum aut Patrem eius dixerit, anathema sit.* Respondeo, hoc Concilium tantùm vult dicere, angelum hunc repræsentare Deum, non Patrem, sed Filium. Adde, hoc Concilium fuisse Arrianorum, ac proinde paruæ, imò suspectæ esse auctoritatis & fidei.

Dico Secundò, Angelus hic non fuit malus, in specie Esau apparens, & volens vincere Iacobum, vti fingunt Iudæi apud Lyranum, sed bonus. Patet, quia ab eo benedictionem petit Iacob. Rursum, ab eo locus est vocatus Phanuel, id est apparitio vel facies Dei, ipseque Iacob dictus est Israel, id est præualens Deo. Fuit ergo hic angelus bonus, typus Christi ex Iacob nascituri. Ita Patres & interpretes. Quare quod S. Hieron. in comment. epistolæ ad Ephes. c. 6. v. 12. hunc angelum ait fuisse dæmonem, cum quo, vt ait Apostolus, nobis est colluctatio assidua, id more suo, non ex sua, sed ex Origenis sententia affert. Origenes enim lib. 3. periarchon censuit hunc angelum fuisse diabolum. *Angelus cū Iacob luctās bonus fuit, typúsque Christi.*

Dico Tertiò, Angelus hic non fuit custos Esau, qui nomine Esau voluerit impedire Iacobum ab ingressu terræ sanctæ, vt hac ratione eum cogeret ad restituendum Esau sua primogenita, vti commentus est Franc. Georgius to. 1. sect. 3. problemate 234. Sed fuit hic angelus custos ipsius Iacobi. Patet, quia Iacobi, non Esau, causam egit, ipsique Iacobo, in præiudicium Esau, benedixit. Rursum, quis credat angelum bonum contra Dei voluntatem, iniquam Esau causam suscipere & agere voluisse? Denique id patet ex eo quod ait Iacob v. 29. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Hic ergo angelus, non Esau, sed Iacobi fuit tutelaris & salutifer.

Luctabatur] Hic quæritur Secundò, cur angelus luctatus sit cum Iacobo? Respondeo, vt hac lucta sinens se vinci à Iacobo, illi spem faceret, quòd pari modo, imò multò magis fratrem suum Esau, quem metuebat, mitigaret, vinceret & superaret: hoc enim est quod ait angelus v. 28. *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* ita Patres Græci & Latini. Vnde licet D. Thomas & Rupertus hanc luctam dicant imaginariam, verius tamen est eam realem & corpoream fuisse in corpore ab angelo assumpto, vti communiter docent Patres. Cùm enim angelus apparens Iacobo, eumque confortans ab eo discedere vellet, Iacob timens solus manere adueniente Esau, sancta quadam audacia rogat & retentat angelum, finitque angelus longa & mora & lucta totius noctis se ab eo teneri, vt hac ratione animum ei adderet, & metum Esau depelleret. *Cur luctetur angelus cum Iacob.*

Symbolicè, hæc lucta figurabat statum Israelitarum vsque ad aduentum Christi, qui talis fuit, quòd ob eorum peccata, Deus sæpè ab eis recedere voluit, & dudum recessisset, ni Iacob eiusque similes, vt Moses, Dauid, Elias, Isaias & alij eum retinuissent. Secundò, hæc lucta adumbrauit vitam Christianam, quæ nihil aliud est quàm lucta,

&,

&,vt S.Iob ait, militia super terram; in qua aliquando vincimur, sed armati & generosè luctantes vt Iacob, tandem vincimus. Nam *Philosophi &* militis & Christi *animus, ex eo quod passus est generosior redditur, atque vt candens ferrum frigidâ aspersione, sic ipse periculis obdurescit*, vti ait S.Gregorius Nazianz. orat. 23. in laudem Heronis.

Quid יֵאָבֵק *id est luctabatur.* Nota. Pro *luctabatur* hebraicè est יֵאָבֵק *ieabec*, quod Septuag. vertunt ἐπάλαιεν, id est, luctabatur quasi palæstrita in palæstra.

Primò. *Secundò.* Secundò, Aquila & Symmachus vertunt, ἐκυλίετο, id est versabat, & iactabat se cum illo, vti luctantes sese inuicem iactare & contorquere solent, dum vnus alium detinet, & alius se ab eo expedire & aufugere contendit. vnde patet hanc luctam veram fuisse, & propriè dictam. Pari modo Græcum πάλη, id est lucta, ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, id est à luto, quo se contorquendo conspergunt luctantes, deductum putant: licet Plutarch. à πάλιν, id est iterum; alij à παλεύειν, id est dolo & insidiis deiicere: alij à πλησιάζειν, id est appropinquare; alij ἀπὸ τοῦ παλαιστοῦ, id est à coniunctis simul quatuor digitis, deductum velint.

Tertiò. Tertiò, propriè Hebræum *ieabec*, significat *puluerizabatur*, hoc est, in puluerem & arenam descendebat, vti vertit Vatablus. radix enim אָבָק *abac*, significat puluerem: quia luctantes crebro pedum pulsu, & agitatione celeri ac vehementi puluerem excitant, sicut apud Virgil. taurus ille, *pedibus qui spargit arenam*.

Addit Martinus Roa lib. 6. Singul. c. vlt. in verbo *puluerizandi*, alludi ad morem palæstræ Græcorum & Romanorum, in qua luctantes se inuicem puluere aspergebant, vt faciliùs & firmiùs inuicem prehensos tenerent.

Quartò. Quartò, alij *ieabec* vertunt, luctabatur intorquendo se, conandoque aduersarium vi deiicere & euertere, vt sit metaphora à vento: sicut enim ventus validus puluerem, imò & homines intorquet & euertit; ita & facere nituntur colluctatores: nam radix אָבָק *abac*, significat puluerem, qui vento excitatus vehementer intorquetur, agitatur & dissipatur. Sed hæc metaphora remotior est, & longiùs petita: *abac* enim quemuis puluerem absolutè & simpliciter significat. Huc alludit Sapiens c. 10. 10. vbi agens de Iacobo sic ait: *Certamen forte dedit illi, vt vinceret*, græcè est ἐβράβευσεν. q.d. Deus proposuit Iacobo durum certamen; & simul certaminis præmia & brauia, dum eum obiecit auaritiæ Laban, iræ Esau, aliisque hostibus, & maximè dum obiecit ei angelum, quicum luctans & vincens, vocatus est Israel, id est, dominans Deo.

Nota τὸ *vsque manè*. Docet enim hîc suo exemplo Iacob, noctem non totam somno dare, sed partem orationi. Meritò enim queritur Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. c. 9. somnum velut publicanum dimidium vitæ nobiscum diuidere. Quocirca Ierem. Thren. 2. v. 19. *Consurge*, ait, *nocte, & effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini.* Noctu enim, ait S. Chrysost. *Purior anima leuiorque sublimia videt, astrorum choreas, profundum silentium*, &c. Silentium autem, & *solitudo*, ait Nazianzenus orat. 2. *mater est diuinæ ascensionis*, id est orationis, Deum ex homine faciens: quam paulò pòst vocat suam arcem, ad quam persecutionibus vel tentationibus vexatus, se recipere solebat.

Mysticè S. Ambros. lib. 2. de Iacob c. 6. *Quid est*, ait, *luctari cum Deo, nisi virtutis suscipere certamen, & cum superiore congredi, potioremque, cæteris Dei imitatorem fieri? Et quia insuperabilis erat fides eius atque deuotio, secreta ei mysteria Dominus reuelabat.*

QVI (vir, putà angelus) CVM VIDERET QVOD EVM (Iacobum) SVPERARE NON POSSET] Hinc videtur, quòd, cùm Iacob persisteret in lucta, Deus concursum suum, ac consequenter vires resistendi subtraxerit angelo, vt à Iacobo teneretur & vinceretur. VERS. 25.

TETIGIT] Hebraicè יִגַּע iigga, id est percussit, læsit, luxauit.

NERVVM FEMORIS] Hebraicè est כַּף *caph*, quod significat vertebram, siue cotylen, id est, ossis cauitatem, in qua absconditur summa pars femoris, quod Græcis *ischium* dicitur. Rursum *caph* significat caput illud femoris rotundum & incuruum, quod in ischium inseritur: & ita hîc sumitur. Ipsum enim os femoris quod in cotylen, siue in ischium inseritur, hîc loco suo motum est, non autem ipsa cotyle, vel ischium. q.d. Ipsum femur, ipsa coxendix Iacobi luxata est; quia scilicet angelus neruum, id est tendinem, qui femur, siue coxendicem suæ cotylæ, siue vertebræ, putà ossi superiori connectit, dissoluit atque luxauit; vti optimè quoad sensum vertit noster Interpres.

Nota. Hunc tendinem, quasi primò obuium, interiùs vehementi percussione & collisione læsit & luxauit angelus, eo modo quo luctantes solent, euadendi causa, vbicumque & quocumque modo possunt, aduersarium tangere, collidere, eique plagam inferre, idque vt sciret Iacob, hanc suam luctam cum angelo veram fuisse, seque angelum non suis, sed Dei viribus vicisse: angelus enim qui femur Iacobi luxare poterat, potuisset sanè & reliqua eius membra luxare, totumque Iacobum protererere, nisi Deus impediuisset. ita Theodoretus.

EMARCVIT] Hebraicè תֵּקַע *teka*, id est dissolutus, luxatus, & plus æquo extensus est, ita vt claudicaret Iacob. Septuag. & Noster vertunt, *emarcuit*, quia neruus suo loco motus & luxatus, quasi flaccidus, stupidus & inutilis effectus est, vnde v. vlt. dicitur obstupuisse.

DIMITTE ME: IAM ENIM ASCENDIT AVRORA] VERS. 26.
Petit angelus missionem, quia illucescente die, nolebat se in corpore assumpto clarè ostendere Iacobo, inquit Oleaster, & multò minùs famulis Iacobi, iamiam ad eum venturis, ait S. Thomas. quæ enim diuina sunt & spiritualia, vti est angelus, hæc arcana sunt, & supra hominum captum, ideoque oculos hominum fugiunt.

NON DIMITTAM TE, NISI BENEDIXERIS MIHI] Ingenti affectu & desiderio hoc dixit Iacob. vnde Osee c. 12, 3. ait Iacobum cum lacrymis, hanc benedictionem expetiisse; ideoque eam impetrauit, cum nouo nomine Israel, quod ei angelus indidit.

NON DIMITTAM TE, NISI BENEDIXERIS MIHI] Iosephus ait, Iacobum precatum fuisse ab angelo, vt ex eo fatum suum cognoscere liceret; votique ac deprecationis compotem factum esse: quod sic intellige, non quasi Iacob simpliciter scire optaret quid sibi foret deinceps euenturum: sed vt ei angelus felicia precaretur, vtque præsentia mala, quæ ab Esau imminente metuebat, dispelleret. *Iacobi fatum ex Iosepho.*

NEQVAQVAM IACOB APPELLABITVR NOMEN TVVM, VERS. 28.

TVVM, SED ISRAEL] q.d. Non tantùm Iacob, sed & Israel appellaberis: nam deinceps Iacob quoque appellatus est. vide can. 17.

Etymon nominis Israel Primò. ISRAEL] Quæres, quid significet Israel? Primò, S. Hieronymus Israel exponit, quasi dicas, יָשַׁר אֵל, *iesar el*, id est rectus Dei. sed obstat quòd *iesar* scribitur per *schin* asperum, Israel verò per *sin* lene.

Secundò. Secundò, S. August. lib. 16. Ciuit. Dei c. 39. Philo, Nazianz. Hilarius, Eusebius & Prosper putant Israel dici, quasi אִישׁ רֹאֶה אֵל *is roe el*, id est, vir videns Deum: sed pari modo *is* scribitur per *schin*, Israel verò per *sin*.

Tertiò & genuinè. Tertiò ergo & genuinè, Israel dicitur à שָׂרָה אֵל *sara el*, id est, dominatus est Deo: inde enim *sar* vocatur Dominus & princeps, & *sara* idem est quod domina. Israel ergo idem est, quod dominans, vel qui dominabitur Deo. Potest enim יִשְׂרֶה *iisra*, in Israel, accipi vt futurum; licet aliàs in nominibus propriis *iod* addi soleat, non vt futurum, sed vt heemanticum. Hoc esse etymon Israel, patet ex verbis angeli: ait enim, *Vocaberis Israel*, quia שָׂרִיתָ *sarita*, id est *præualuisti*, & dominatus es *Deo*. ita Septuag. Theodotion, Symmachus, S. Hieron. & Aquila, qui vertit, *regnasti cum Deo*, id est, contra Deum; quia ipsi Deo dominatus es. Deum vocat angelum Deum repræsentantem, Deique legatum. *Israel idem quod princeps cum Deo. q.d. Quomodo princeps ego sum, sic & tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus sum, pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus, hoc est cum Esau? quem propterea formidare non debes*, ait S. Hieron. in Tradit. Hebr.

Quænam fuerit benedictio Iacob ab angelo data. Hæc ergo est benedictio quam Iacobo petenti dat angelus, quòd scilicet deinceps vocandus, & reipsa futurus sit Israel, vt sciat se, qui Deum, id est, angelum Dei vicarium & nuntium tam generosè in lucta superarit, multò magis superaturum Esau, omnesque hostes. q.d. Ne timeas fratrem tuum Esau, ô Iacob. nam tuis violentis precibus apud Deum, licet quasi renitentem & colluctantem, obtinuisti, vt contra Esau omnesque hostes tuos sis infracto animo, insuperabilis & victor. hæc enim est benedictio hîc data Iacobo, inquit S. Thomas & Caietanus.

Nota. Putant aliqui, hîc nomen Israel, tantùm promitti Iacobo, reipsa verò ei imponi c. 35. v. 10. Sed verius est illud hîc ipsi, ob tam memorabilem luctam & victoriam, reipsa imponi, renouari verò & confirmari c. 35. v. 10.

Nota Secundò. Hæc lucta, & hoc nomen Israel, obuenit Iacobo anno ætatis suæ 97. nam anno eius 91. natus est Ioseph: & postea Iacob adhuc mansit in Haran, seruiens pro gregibus, per sex annos, vti ostendi c. 30. v. 25. septimo verò anno, putà anno ætatis 97. fugiens & veniens in Chananæam hanc luctam peregit, & in ea nomen Israelis accepit.

Lucta Synagogæ & Ecclesiæ. Allegor. Alcazar in Apocal. 11. notat. 1. putat hîc significari luctam Esau cum Iacob, id est Synagogæ cum Ecclesia, putà persecutionem Iudæorum in primos Christianos: hi enim cum Iacobo parente suo, in tentatione hac fortes steterunt, ideoque victoriam reportarunt, & à Deo benedicti sunt. Vbi rectè notat Alcazar, Deum tentatis & tribulatis se propitium & familiarem exhi-

A bere, Primò, in temperandis viribus, quibus Iacobum & fideles, per Iudæos aliosque hostes exercet & oppugnat. Secundò, in tribuenda eidem Iacobo & fidelibus fortitudine, qua in hac lucta constantes persistent.

Lucta Iacobi, oratio, eiusque efficaciam significat. Tropologicè, hæc lucta est oratio, in qua cum Iacobo videmus Deum facie ad faciem, & salua fit anima nostra. Rursum, per orationem, quasi Israel dominamur Deo, & consequenter omnibus timoribus, affectibus, perturbationibus & hostibus. exinde femur, id est amor proprius, fiducia suarum virium, & concupiscentia, quæ viget in femore, Dei virtute tacta decrescit, luxatur & languescit: tuncque vno claudicamus pede, alius sanus remanet: quia necesse est vt debilitato amore sæculi, homo conualescat ad amorem Dei, inquit S.
B Greg. hom. 14. in Ezech. & in psal. 6. pœnit. initio.

Arcanum vincendi & obtinendi quiduis. Disce ergo, ô miles Christi, ex hoc loco à Iacobo, in quauis tentatione, tribulatione & persecutione per orationẽ confugere ad Deum: si enim oratione persuadeas & præualeas Deo, præualebis & tuis hostibus, Deusque eos tibi vel amicos, vel subditos reddet: ita enim fecit Israeli, putà Iacobo. Hoc arcanum vincendi, & quiduis obtinendi consilium norunt & vsurparunt, vsurpantque etiamnum viri sancti, Deoque coniuncti, qui in Deo faciunt virtutem. *Omnia*, inquit Paulus, *possum in eo qui me confortat*. Deus enim omnium hominum & regum, etiam ferocissimorum, corda in sua habet manu, & ad nutum quocumque libet, ea inflectit & immutat.

DIC MIHI QVO APPELLARIS NOMINE] Quærit Iacob nomen angeli, vt per hoc eum quasi benedictorem & benefactorem suum prædicare, celebrare, & in quauis aduersitate inuocare possit. VERS. 29.
C

Angelus Iacobi an vocatus sit Peliel. CVR QVÆRIS NOMEN MEVM?] Addunt aliqui, *quod est mirabile*. Vnde Alcazar in Apocal. 11. v. 1. putat angeli huius nomen fuisse Mirabilis; tum vt hoc nomine innueret, in hac lucta admirabile Dei consilium, circa Ecclesiæ persecutiones & victorias figurari: tum vt typus esset Christi, qui vocatur Admirabilis Isaiæ c. 9. v. 6. Idem docent Rabbini nonnulli. Audi Fernelium medicum lib. 1. de Abditis rerum causis c. 11. *Litteris proditum*, inquit, *accepimus, quòd primi parentis custos angelus dictus sit Raziel, Abrahæ Zakiel, Isaac Raphael, Iacob Peliel* (id est, mirabilis Dei) *Mosis Metatton: per hos internuntios plurima illi diuinitus acceperunt*. Verùm hæc Cabalistarum sunt vel coniecturæ, vel commenta. nam hæc verba, *quod est mirabile*, hoc loco delenda sunt, vti ea delent
D Hebræa, Græca & Latina Romana: habentur tamen illa Iudicum 13. v. 18. vnde in hunc locum à sciolo quopiam traducta videntur.

Angelus tacet nomen suum, cur. Noluit angelus indicare nomen suum Iacobo, tum ne posteri eius illud adorarent, aut superstitiosè colerent. Fuerunt enim Iudæi in idololatriam & superstitionem valdè procliues; tum quia angeli puri sunt spiritus & mentes, qui vocalia nulla habent nomina. tum quia hic angelus repræsentabat Verbum incarnandũ, cuius nomen ante incarnationem fuit tacitum & absconditum.

ET BENEDIXIT EI] Implicitè & reipsa, vocãdo eum Israel; benedixit angelus Iacobo v. 28. vti dixi; hîc verò explicitè ei benedixit formans super eum crucem, similéve signum, dicensque: Benedicat tibi Deus, detque tibi benedictionem Abrahæ & semini eius promissam. VERS. 30.

VOCA-

VOCAVITQVE NOMEN ILLIVS PHANVEL] *Phanuel*, vel, vt hebraicè est, *Phaniel*, idem est quod facies Dei. *pane* enim facies, *el* Deum significat. hic postea ædificata vrbs, pariter dicta est Phaniel, quam Strabo gentilis lib. 16. faciem Dei appellat. S. Chrysost. hom. 58. ex Septuag. legit, *vocauit Iacob nomen loci huius, speciem Dei*. Tunc enim Deus speciem hominis, postea ipsam hominis veritatem & naturam assumpsit: *Præsignans*, inquit, *nobis, quòd humanam naturam suscepturus esset. Verùm tunc quidem, quoniam initium & principia erant, in figura vnicuique illorum apparebat, sicut per Osee c. 12. dicit: Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus sum. Quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, non apparentem tantùm carnem, sed veram induit.*

DICENS: VIDI DOMINVM FACIE AD FACIEM] q. d. Vidi Deum in specie corporea, mihi ab angelo repræsentatum. certum enim est, Iacobum hac nocturna & obscura specie, non vidisse diuinam essentiam, imò nec Deum propriè, sed angelum Deum repræsentantem in corpore assumpto.

Secundò & meliùs, *Vidi Dominum facie ad faciem*, id est, cominus cum angelo Deum repræsentante colluctatus sum & depugnaui, manum manui, pedem pedi, latus lateri contuli & conserui. Sic enim ait Amasias rex ad Ioas, *Videamus nos*, id est, bello cominus decertemus, 4. Reg. 14. v. 8. Sic Iosias vidit Pharaonem, cùm in bello à Pharaone occisus est, 4. Reg. 23. 30.

ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA] Nam, vt ait S. Cyril. & Caiet. vetus erat persuasio, eum qui vidisset angelum, moriturum. vnde Manue viso angelo, *Moriemur*, inquit, *quia vidimus Dominum*, Iudic. 13. 22 hinc Iacob gratulatur sibi, se Deum vidisse, & tamen saluum esse.

Secundò & planiùs, S. Chrysost & Lipom. q. d. Hac familiari Dei visione, beneuolentia & amicitia per eius angelum quem vidi, & cum quo luctatus sum, liberatus sum metu fratris, omniq; alio scrupulo & angore. vnde Osee c. 12. vertit, Cōfortatus sum: deinceps enim Iacob non timuit fratrem, sed animosè & fidenter ad illū perrexit.

Discretio spiritus boni & mali. Hinc Cassianus, alijq; rerum spiritualium periti docēt, esse indicium boni angeli, si is qui apparet, primò hominem percellat, sed mox hominē consoletur, mœstitiam, omnesque mentis nebulas abstergat, corroboret, serenum hilaremque relinquat. contrarium prorsus facit diabolus. Ita angelus apparuit Iosue terribili specie, scilicet euaginatum tenens gladium, sed mox eum consolatus est & animauit, dicens: *Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio*, Iosue 5. 13. Sic Gedeon viso angelo perculsus fuit, putauitq; sibi moriendum esse, sed mox audiuit, *Pax tecum, ne timeas, non morieris*, Iudic. 6. 22. Sic Daniel viso angelo augustæ formæ, perculsus corruit, & emarcuit: sed mox ab eodem erectus & confortatus est, Daniel. 10. 8. & seq. Sic mulieres veniētes ad Christi sepulchrum, videntes angelum aspectu fulguris, obstupuerūt; sed mox ab eo audierunt: *Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic*, Marci vlt. v. 5.

CLAVDICABAT] ex nerui icti dolore & luxatione. Gēnadius in Catena putat Iacob deinceps claudum permansisse, & Hebræi tradunt eum à claudicatione tandem curatum esse, cùm peruenit in Sichem, siue Sichar, quæ inde Salem sit dicta, id est perfecta, Gen. 33. 18. eò quòd ibi perfectè incedere cœperit Iacob. VERS. 31.

Verùm meliùs censet Abulensis, Iacobum ab angelo tangente & percutiente ilico curatum esse, antequam postridie perueniret ad Esau: cur enim maneret claudus & impotens, præsertim coram fratre, cui præualiturus erat, iuxta promissionem angeli?

NON COMEDVNT NERVVM FILII ISRAEL] Sub neruo intellige musculum, à quo femur mouetur & contrahitur. neruus enim à multis, etiam Gentilibus, comedi non solet. ita Vatabl. VERS. 32.

Neruus & caro Iacob in luctà lesi quid allegoricè significent. Allegoricè, neruus & caro Iacob significat carnalem sensum legis veteris, qui per luctam angeli, id est Christi, cum Iacob, id est Iudæis, erat resoluendus & luxandus. Hinc claudicare cœpit iudaismus; quia vna eius pars, scilicet verus Israel, iuit sursum ad Christum, per baculum (de quo v. 10.) id est crucem, ait S. August. hæcque est benedicta à Christo: altera, quæ Christo credere noluit, iuit deorsum, gratiæ & gloriæ expers: hinc veri filij Israel non comedunt neruum literæ & intelligentiæ carnalis legis, quæ occidit. ita S. Thomas, & S. August. serm. 80. de Temp.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob sua submissione & muneribus placat & deuincit sibi fratrem Esau. Secundo, v. 17. habitat in Socoth & in Salem, Deoq; liberatori suo altare erigit.

1. ELeuans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros: diuisitq; filios Liæ & Rachel, ambarumq; famularum: 2. & posuit vtramq; ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò & filios eius, in secundo loco: Rachel autem & Ioseph nouissimos. 3. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius. 4. Currens itaque Esau obuiàm fratri suo, amplexatus est eum: stringensq; collum eius & osculans fleuit. 5. Leuatisque oculis, vidit mulieres & paruulos earum, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit: Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo. 6. Et appropinquantes ancillæ & filij earum, incuruati sunt. 7. Accessit quoque Lia cum pueris suis: & cùm similiter adorassent, extremi Ioseph & Rachel adorauerunt. 8. Dixitq; Esau: Quænam sunt istæ turmæ quas obuiàm habui? Respondit: Vt inuenirem gratiam

coram domino meo. 9. At ille ait: Habeo plurima frater mi, sint tua tibi. 10. Dixitq;
Iacob: Noli ita, obsecro: sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de ma-
nibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius,
11. & suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens
omnia. Vix fratre compellente suscipiens, 12. ait: Gradiamur simul, eroq; socius iti-
neris tui. 13. Dixitq; Iacob: Nosti domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & o-
ues & boues fœtas, mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna
die cuncti greges. 14. Præcedat dominus meus ante seruum suum: & ego sequar
paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse, donec veniam ad dominum
meum in Seir. 15. Respondit Esau: Oro te, vt de populo qui mecum est, saltem so-
cij remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc vno tantùm indigeo, vt inueniam
gratiam in conspectu tuo domine mi. 16. Reuersus est itaque illo die Esau itinere
quo venerat in Seir. 17. Et Iacob venit in Socoth: vbi ædificata domo & fixis ten-
torijs, appellauit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula. 18. Transiuitq; in
Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reuersus est de Me-
sopotamia Syriæ: & habitauit iuxta oppidum. 19. Emitq; partem agri in qua fixerat
tabernacula, à filijs Hemor patris Sichem, centum agnis. 20. Et erecto ibi altari, in-
uocauit super illud fortissimum Deum Israel.

VERS. 3. IPSE PROGREDIENS] Hebraicè est, וְהוּא עָבַר לִפְנֵיהֶם *vehu abar lipnehem*, & ipse transiuit vel processit ante illos. vnde patet, Iacobum post primam turmam pecudum & famulorum processisse, quasi patrem & ducem ante secundam turmam vxorum & liberorum, pro ijs se periculo & morti offerendo.

ADORAVIT PRONVS IN TERRAM] Non Deum, vti volunt aliqui, sed fratrem suum Esau. Iacob ergo adorauit, id est, reuerentiam, non sacram, nec diuinam, sed humanam & ciuilem fratri suo exhibuit, inclinando se illi in terram vsq; septies, per modica interualla, donec ad fratrem perueniret. Disce hic superbiam & iram potentium & ferocium, non alia re magis frangi, quàm supplici submissione, scilicet

Ira ferociũ humilitate frangitur.

Ouidius.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.

vide S. Chrysostomum hom. 58.

Ita sanctus ille Episcopus, inquit Sophronius in Prato spir c. 210. alterum Episcopum grauiter sibi suisque offensum vicit, dum *ad pedes eius cum toto suo clero procidit dicens: Ignosce Domine nobis, serui tui sumus. stupefactus enim ille, & cõpunctus in tanta Episcopi humilitate, pedes illius tenuit, dicens: Tu meus & dominus & pater es. Dicebat autem clero suo humilis ille: Numquid non per Christi gratiam vicimus? & vos ergo cùm habetis inimicum, ita facite, & victores eritis.* Simile exemplum habet cap. vlt. & aliud cap. penult. Responsio ergo mollis, blanda & humilis frangit iram, vt inquit Sapiens.

Allegoricè, S. Cyrillus in Glaphyris l. 5. Iacob est Christus. hic primò reconciliatur cum Laban, id est cum Gentibus: deinde cum Esau, id est Iudæis. cùm enim plenitudo Gentium intrauerit, tunc omnis Israel conuertetur ad Christum, & saluabitur.

SEPTIES] Cur septies? Resp. Allegor. S. Ambros. lib. 2. de Iacob c. 6. quia respiciebat in Christum, *qui non solùm vsque septies, sed etiam septuagies septies veniam fratri laxari iuberet*, Matth. 18. *Vt eius contemplatione conuentus Esau, iniuriam quam se accepisse putabat, remitteret fratri, & quamuis læsus in gratiam rediret: quia propterea suscepturus erat carnẽ Dominus Iesus, & venturus in terras, vt multiplicatam nobis donaret veniam delictorum.*

VERS. 8. VT INVENIREM GRATIAM] q. d. Hæc tibi quasi A fratri amantissimo & colendissimo loco muneris præmisi, vt tuam gratiam demererer, quò mihi sis beneuolus, omniumque præteritorum obliuiscaris.

NOLI ITA] abnuere ea quæ offero. VERS. 10.

MVNVSCVLVM] Hebraicè est מִנְחָה *mincha*, id est, munus quod Deo aut principi, in testimonium subiectionis, ad testandam illius excellentiam, defertur.

SIC ENIM VIDI FACIEM TVAM, QVASI VIDERIM VVLTVM DEI] q. d. Mihi timido & anxio, insperata tui vultus clementia & suauitas, cum tanta dignitate & excellentia coniuncta, tam iucunda & reuerenda est, quàm esset vultus Dei, vel angeli, signo aliquo suam opem & præsentiam ostendentis: quod vulgò dicitur, *Deus ex* B *machina apparens.* ita Abulens. & S. Chrysost. hom. 58. *Cum tanta*, inquit, *iucunditate vidi faciem tuam, cum quanta quis videret faciem Dei.* Sic enim vertũt Septuag. Quia Hebr. *Elohim*, tam Deum, quàm angelum significat.

Hac arte Taxiles rex Indiæ sapiens Alexandrum Magnum demulsit, & ex hoste amicum effecit. salutans enim Alexandrum dixit: *Quid bellis inter nos opus est, cùm neque aquam nobis ademptum, neque victum necessarium veneris? pro quibus solis necesse habent sani decertare. Reliquis opibus si ego abundantior sum, impertiar tibi libens; sin inferior, non recuso abs te grato animo accipere beneficium. Delectatus ea oratione Alexander, illumq; complexus: Anne tu, inquit,* C *hac comitate certamen euadere putas? erras: quippe contendam tecum beneficijs, ne me superes beneficentia. Ac muneribus acceptis multis, datisq; pluribus, deniq; mille talenta argenti signati ei propinauit*, inquit Plutarch. in Alexandro.

Idem Alexander clemens & beneficus fuit in vxorem & filias Darij, quas bello ceperat: vnde Darius victus, à dijs petebat sibi imperium restitui, vt Alexandro beneficentiam hanc rependeret; aut, si ijs visum esset Persarum imperium finire, vt illud non in alium, quàm in Alexandrum transferrent. testis est idem Plutarch.

Ecce, inquit S. Chrysost. quàm blandis augustisque verbis Iacob ferocem fratris animum demulcet. *Nil enim*, inquit, *mansuetudine violentius. Nam sicut rogum cùm valdè accenditur, aqua iniecta restinguit; ita & animum camino magis exardescentẽ, verbum*

verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. Et duplex inde nobis lucrũ accrescit, tum quòd mansuetudinem declaramus, tum quòd fratris indignationẽ cessare facimus, & mentem eius à turbatione liberamus. Non potest ignis igne extingui, sic nec furor furore demulceri: verùm quod igni est aqua, hoc iræ est mansuetudo & mititas. Ita Esther ad Assuerũ c.15.16. *Vidi*, inquit, *te Domine, quasi angelũ Dei*: & Miphiboseth ad Dauid, *Tu autem Domine, mi rex, sicut angelus Dei es.*

Esto mihi propitius] Inde colligam te mihi beneuolum & propitium esse, si meam benedictionem & honorarium, quod tibi offero, non asperneris.

Nota. Hebræi munus vel donum vocant *benedictionem*, quam scilicet acceperunt à Deo, quaq; alijs benedicunt, id est donatione sua benefaciunt. vide dicta 2.Cor.9.v.5.& 6.

Vers.12. Gradiamur simul] saltem vsque ad meam Idumææ regionem,

Vers.13. Foetas] lactantes.

Cuncti] multi, plerique. Est hyperbole.

Vers.14. Ad Dominum meum in Seir] Ita nunc proponebat Iacob facere, sed postea mentem mutauit, veritus ne Esau eius præsentia excitatus, rursum pristina reuoluens, pristinas renouaret querelas, irasque resumeret; præsertim si ipse, fratrem aduentantem hospitio & prandio excipiens, mero incaluisset. ita S.August.q.106.

Vers.17. Socoth] Locus hic non iam, sed postea dictus est Socoth, à tabernaculis quæ ibi fixit Iacob, ibique postea ædificata est vrbs dicta pariter Socoth, quæ sita est in tribu Gad, iuxta Iaboc & Scythopolim. ita S.Hieron. in Locis Hebraicis.

Domo] tentorio vel tugurio.

Vers.18. Transivitque in Salem vrbem Sichimorum] Chald. Caiet. & Oleaster τὸ *Salem* accipiũt, non vt proprium, sed vt appellatiuum, vertuntque, *saluus & integer* (hoc enim significat *Salem*) *peruenit in Sichem*. Verùm tam Septuag. quàm noster, *Salem* accipiũt vt nomen proprium loci. Salem enim est vrbs, quæ prius Sichem, & corruptè Sichar est dicta, Iohan.4.5. Hebræi dictam volunt Salem, eò quòd ibi à claudicatione curatus sit Iacob, vti dixi c.32.25.

Habitavit ivxta oppidum] Videtur hic Iacob facilè nouennio habitasse: nam Simeon & Leui cùm huc ex Mesopotamia venerunt, erant circiter 11. annorum, qui postea ob stuprum Dinæ Sichem euerterunt cap. sequ. erant ergo ipsi tunc facilè 20. annorum.

Vers.19. A filiis Hemor] Hemor erat princeps Sichimorum, vnde Sichimitæ vocantur eius filij, id est subditi: verus enim princeps suorum est pater. Sic serui Naaman dominum suum vocant patrem, 4.Reg.5.13. Verùm cùm hic Hemor vocetur pater Sichem, fueritque propriè eius pater, vt patet c.seq.v.2. hinc meliùs propriè dictos hic accipies filios Hemor, putà fratres Sichem.

Patris Sichem] Dices Act.7.16. dicitur *filij Sichem*. Respondeo, fortè ibi pro *filij* reponendum est *patris Sichem*, vti hìc habetur; & sic videtur legisse S.Hieron. ad Pammach. Vel certè, vt vult Beda, duo erant Sichem; vnus pater Hemoris, alter filius Hemoris. vnde Græca indifferenter habent τοῦ Συχὲμ: quod tamen ferè de filio Sichem accipi & exponi solet. Adde, S.Stephanum Act.7. nominare Abraham, ac proinde videri eum loqui de emptione, non Iacobi hic, sed Abrahæ, facta Gen.23.16. Qua de re plura dicam Actor.7.

Centum agnis] Pro *agnis* hebr. est קְשִׂיטָה *kesita*, quod recentiores *nummos*, vertunt. Verùm S.Hieron. Chald. Lyran. Pagn. Vatablus, Oleast. Aben Esra vertunt, *agnos*, vnde & Septuag. vertunt, *ἀμνῶν*: pro quo perperam Eugubinus legit *μνῶν*, id est minas, vel nummos.

Dices, *Kesita* arabicè nummum significat, ergo idem significat hebraicè. *Obiectio prima soluitur.*

Respondeo, nego consequentiam: errant enim Rabbini, cũ à lingua Arabica significationes verborum Hebraicorum indagant & mutuantur, vt rectè annotauit Oleaster.

Dices Secundò, S.Stephanus Actor.7.16. ait hunc agrum emptum esse, non centum agnis, sed pretio argenti. *Secunda.*

Respõdeo, *pretio argenti*, id est pretio iusto. nomine enim argenti vel pecuniæ, significamus omnes opes, quæ olim sitæ erant in ouibus & pecoribus. Vnde & pecunia à pecore, siue pecu dicta est: hinc etiam primùm æs nota pecudis, putà ouis, suis & bouis, signatum fuit, vti testatur Plutarch. in Poplicola, & Plinius l.33.c.3. Pecuniæ ergo nomine (inquit Hermogenianus l. *pecunia*, ff. de verb. signific.) non modò nummi, hoc est numerata pecunia, sed omnes res, tam solidæ quàm mobiles, & tam corpora quàm iura continentur.

Resp. Secundò, posse cũ Pineda per agnos vel oues centum, accipi 100. nummos, qui dicantur agni vel oues, eò quòd ouis effigiem insculptam haberent, vti iam dixi; si tamẽ tam antiqua sit signatura pecuniæ: nam constat priscos ea non signata vsos esse. Adde, S.Stephanum non de hac Iacobi, sed alia emptione Abrahæ loqui, vti dixi.

Dices Tertiò, Genes.48. in fine, dicit Iacob se hunc agrum tulisse in gladio & arcu suo. *Tertia.*

Respondet S.Hieron. arma viri pacifici fuisse mercedem hanc, & pretium centum agnorum: & pulchrè in Hebræo alludit קֶשֶׁת *kesset*, id est arcus, ad קְשִׂיטָה *kesita*, id est agnus. Verùm de hoc loco dicam Gen.48.

Et invocavit svper illvd fortissimvm Devm Israel] Hebr. est וַיִּקְרָא לוֹ אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *vaiicra lo el elohe Israel.* quod dupliciter verti potest, duoq; significat, quorum vtrumque fecit Iacob. Primò, *& inuocauit* (Chald. vertit, sacrificauit) *super illud fortissimum Deũ Israel*; ita enim vertunt Septuag. Chald. Noster: altaria enim propriè ad sacrificiũ & inuocationem eriguntur. Secundò, *& vocauit illud* (altare) *fortem Deum Israel*. hoc enim propriè significat Hebræum לוֹ *lo*. Vnde patet Iacobum non tantùm adorasse & sacrificasse in hoc altari, sed & illud ipsum dicasse, consecrasse & inscripsisse Deo. Hunc ergo titulum inscripsit Iacob altari, *el elohe Israel*, id est, Deus fortissimus Israelis, vel Deo fortissimo Israelis: non quòd ipsũ altare esset Deus, inquit Caietanus, sed quòd dedicatum & inscriptum esset forti Deo Israelis. vocat enim Iacob Deum *el*, propter fortitudinẽ & *elohim*, propter prouidentiam, gubernationem & iustam protectionem sibi à Deo contra Esau, Laban, aliosq; hostes exhibitã. Similem titulum altari Bethel indidit & inscripsit Iacob Gen.35.7. Sic Rubenitæ suum altare vocarunt, *testimonium nostrum, quòd Dominus ipse sit Deus*, Iosue 22.v.vlt. Sic Gedeon suum altare vocauit, *Domini pax*, Iudic.6.24. Sic etiam Gentiles aras dicabant & inscribe- Vers.20. *Titulus altaris Iacobi.*

scribebant Ioui victori, Mineruæ sospitæ, Æsculapio seruatori, &c. Pari modo Iacob in gratiarum actionem hîc Deo liberatori, duci & ductori aram erigit & inscribit.

DEVM ISRAEL] Deum Iacobi, qui dictus est Israel. Secundò, Deum posterorum Iacobi, putà Israelitarum, in quibus ipse quasi *el*, id est fortissimus, & quasi *elohim*, id est iudex & vindex dominabitur protegens & vindicans eos à Chananæis, Philisthinis, alijsq; hostibus, vti Iacobum protexit & vindicauit. Hic Deus, est Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sed maximè, Deus Filius qui ex Iacob nasciturus erat, & futurus homo, itaque regnaturus in domo Iacob in æternum, Lucæ 1. 33. huius enim nomen inter alia est *el*, id est fortis, Isaiæ 9. 6.

Cur Sancti tribulentur. Moraliter, ex hoc capite, adeoque ex tota vita Iacobi, Iosephi, Abrahæ & Isaaci liquet, quòd Deus suos seruos & amicos varijs tribulationibus & persecutionibus exerceat, vt eos ad decus virtutis & gloriæ prouehat. quòd enim est ignis auro, lima ferro, ventilabrum tritico, lixiuium panno, sal carni, hoc viris iustis est tribulatio. Videtur cauterium esse vulnus, sed reuera est remedium vulneris: ita vexatio malum esse videtur, sed reuera malorum est remedium, atque per eam docemur amare meliora, *ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat*, inquit S. August. in Sentent. sent. 186.

Morale Primum, cruces esse signa amoris Dei. Hinc discant fideles Primò, tribulationes esse signa, non odij, sed amoris Dei. Sunt enim symbola electionis & filiationis diuinæ hoc est enim, quod ipse ait Zachar. 13. 9. *Vram eos sicut vritur argentum; & probabo eos sicut probatur aurum* & Apoc 3. 19. *Quos amo, arguo & castigo.* & Apostolus ad Hebr. 12. v. 6. *Quem diligit Deus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* & Sapient. cap. 3. v. 6. *Tamquam aurum in fornace probauit* A *illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos.*

Secundum, non lædere, sed perficere. Discant Secundò, tribulationes non lædere, sed purgare & perficere tribulatos. Hinc Iob 23. 10. *Probauit*, inquit, *me quasi aurum, quod per ignem transit.* Et Dauid psal. 16. 3. *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Et Eccli. c. 26. 6. *Vasa*, inquit, *figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Verè ergo B. Antiochus hom. 78. *Sicut cera*, inquit, *nisi recalescat aut præmolliatur, non facilè in se recipit sigilli impressionem: ita & homo, nisi laborum & multiuariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam sinet insigniri se signaculo diuinæ gratiæ.* B *Ob hoc Paulo respondit Dominus: Sufficit tibi gratia mea; virtus enim in infirmitate perficitur.*

Tertium, esse portam cæli. Discant Tertiò, calamitates eos perdere, qui reijciunt tolerantiam; eos tueri, qui illam amplectuntur. Tribulatio enim patienter tolerata, est porta cæli. Hinc de Christo dicitur Lucæ 24. v. 26. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Paulus ac Barnabas Actor. 14. 21. *Per multas*, inquiunt, *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* E contrario prosperitas & felicitas huius vitæ, est porta gehennæ. Hac de causa impijs eam dat Deus; C pios verò & in virtute robustos per varias cruces exercet, & per acerbas calamitatum angustias ducit ad vitam immortalem: hoc est enim quod ipsi aiunt psalm. 65. 10. *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Et Christus Matth. 5. v. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* &, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ita Patriarchæ, ita Machabæi, ita Martyres, alijque heroës fidei persecutionibus, carceribus, plagis, eculeis, martyrijs, ignibus exerciti, puriores, fortiores & illustriores euaserunt, nomenque suum cælo & immortalitati consecrarunt.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dina rapitur & violatur à Sichem. hinc v. 13. filij Iacob cũ eo dolosum ineunt fœdus, exigentes vt ipse cum suis circumcidatur, itaq; Dinam ducat. vnde v. 25. Simeon & Leui Sichimitas, ex circumcisione laborantes inuadunt & trucidant. Est hæc quarta Iacobi tentatio & crux.

1. EGressa est autem Dina filia Liæ vt videret mulieres regionis illius. 2. Quam
cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam:
& rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. 3. Et conglutinata est ani-
ma eius cum ea, tristemque deliniuit blanditijs. 4. Et pergens ad Hemor patrem
suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem. 5. Quod cùm audisset Ia-
cob, absentibus filijs, & in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. 6. E-
gresso autem Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, 7. ecce filij eius venie-
bant de agro: auditoque quod acciderat, irati sunt valdè, eò quòd fœdam rem opera-
tus esset in Israel, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset. 8. Locutus est i-
taque Hemor ad eos: Sichem filij mei adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi vxo-
rem: 9. & iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, & filias nostras
accipite. 10. Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotia-
mini, & possidete eam. 11. Sed & Sichem ad patrem & ad fratres eius ait: Inueniam
gratiam coram vobis: & quæcunque statueritis, dabo: 12. augete dotem, & mune-
ra postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxo-
rem. 13. Responderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo, sæuientes ob stu-
prum sororis: 14. Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram
homini incircumciso: quod illicitum & nefarium est apud nos. 15. Sed in hoc
vale-

valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus; 16. tunc dabimus & accipiemus mutuò filias vestras ac nostras: & habitabimus vobiscum, erimusque vnus populus: 17. si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus. 18. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius: 19. nec distulit adolescens quin statim quod petebatur expleret: amabat enim puellam valdè, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui. 20. Ingressique portam vrbis, locuti sunt ad populum: 21. Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa & lata cultoribus indiget. filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. 22. Vnũ est, quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. 23. Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt: tantùm in hoc acquiescamus, & habitantes simul, vnum efficiemus populũ. 24. Assensiq; sunt omnes, circumcisis cunctis maribus. 25. Et ecce die tertio, quando grauissimus vulnerum dolor est: arreptis, duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs, ingressi sunt vrbem confidenter: interfectisq; omnibus masculis, 26. Hemor & Sichẽ pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororẽ suam. 27. Quibus egressis irruerunt super occisos ceteri filij Iacob: & depopulati sunt vrbẽ in vltionem stupri. 28. Oues eorum, & armenta, & asinos, cunctaq; vastantes quæ in domibus & in agris erant: 29. paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas. 30. Quibus patratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius. nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. 31. Responderunt: Numquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?

VERS. 1. *Femina domi maneat.*

EGRESSA EST AVTEM] Dinæ lapsus occasio fuit hic egressus. Feminarum enim est domi se cõtinere, ibiq; nendo, texendo, acu pingendo se occupare. Id veteres fecerunt, eaque de causa in nuptijs, cùm sponsa ex domo patris ad domũ sponsi ritu solemni deducebatur, mox eam colus compta cum fuso & stamine comitabatur apud Romanos, vti ex Plutarcho & Plinio docet Brissonius de Ritu nuptiarum. Porro Plinius l. 8. c. 48. huius ritus causam & originem assignat, dum ait: *Lanam cum fuso & stamine Tanaquilis, quæ eadẽ Cæcilia vocata est, in templo Sangli durasse, auctor est M. Varro, factamq; ab ea togam regiam vndulatam in æde Fortunæ, qua Seruius Tullius vsus fuerat; indeq; factum est, vt nubentes virgines comitaretur colus compta cum fuso & stamine.* Dina, quia otiosa colum seposuit, egressa se, & Sichimitas perdidit. De mulierum οἰκουργίᾳ dixi ad Titum 2. 5. Rectè de Læuina casta & tetrica, sed vaga cecinit Martial.

Dum modò Lucrino, modò se cõmittit Auerno, &c.
Incidit in flammas, iuuenemq; secuta relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

Idem, proh dolor, quotidie videmus, virgines quæ cum iuuenibus ambulatum egrediuntur, egredi Penelopes, regredi Helenes; egredi virgines, regredi mulieres, imò meretrices. Prudẽter ergo S. Martinus: *Mulier, inquit, intra murorum munimenta se contineat; cuius hæc prima virtus & consummatio victoria est, non videri,* vti refert Sulpitius dialog. 2.

Dina erat 15. annorũ.

DINA] Erat Dina cùm rapta est, circiter quindecim annorum. Id patet ex eo, quòd Dina penè eodem tempore nata sit quo Ioseph, vt patet Genes. 30. v. 21. & 24. Ioseph autem paulò post hæc venditus, erat sedecim annorum, vt patet c. 37. 2.

Rursum id patet ex eo, quòd Simeon & Leui erant tum circiter viginti annorum, vti mox dicã: hi autem quinquennio seniores erant Dina & Ioseph. Ergo raptus hic Dinæ, & excidium Sichem contigit circiter nouem annis post discessum Iacob ex Haran, & aduentum in Chanaan, cùm Iacob ageret annum ætatis 106. putà vno anno ante mortem Rachelis & natalem Beniamin, de qua c. seq. v. 18.

VT VIDERET MVLIERES] Hebraicè בְּנוֹת *banot*, id est filias, putà virgines sibi coæuas regionis illius, quæ tunc magno numero & ornatæ ad festum solemne conuenerant, si credimus Iosepho. fuit hæc curiositas Dinæ, quam luit sui raptu, & tam infami stupro. Nam, vt, ait Tertull. *Publicatio virginis bona, stupri passio est.*

Moraliter hîc discant virgines, quàm oculos hominum fugere debeant, vt nec videri, nec videre appetant. Refert Sophronius in Prato spir. c. 179 de virgine quadam, quæ fugiens amasium, ne eum scandalizaret, secessit in eremum, ibique vixit ad 17. annos. quæ pro hac fuga duplex à Deo priuilegium accepit: Primum, vt, cùm ipsa omnes videret, ipsa tamen à nemine videretur. Secundum, quòd, cùm pauca infusa secum tulisset in desertum, & ex ijs iugiter comederet, illa tamen non sint imminuta.

Morale de fuga virginum. Exempla & gnome.

Idem c. 60. mirabile refert exemplum de sanctimoniali, quæ fugiens amasium, cùm ab eo per internuntios quæsisset, cur eam ita persequeretur, quid in ea maximè adamaret; illeque respondisset, oculis eius se capi: illa mox effossos sibi oculos ei misit, vt ijs se exsatiaret. Qua re attonitus adolescens, concupiscentiam in pœnitentiam & compunctionem vertit, abdicatisque illecebris monasticam vitam amplexus est. Vis recentiora? audi.

S. Ægidius vnus è primis S. Francisci socijs, in consessu fratrum rogauit eos, Quid vos facitis cõtra tentationes carnis? respondit Ruffinus, Commẽdo me Deo & B. Virgini, & supplex me in terram proijcio. Iuniperus verò ait, Cùm sentio tales cogitationes, statim dico, A longè, à longè, quia captum est hospitium. cui Ægidius, Tecum, inquit, sentio: nam optimum est fugere. castitas enim est speculum clarum, quod solo intuitu & halitu offuscatur.

Ex eadẽ familia F. Rogerius vir sanctus, nullam

lam feminam, ne matrem quidem eamque vetulam, aspiciebat in facie. Rogatus cur? respondit: *Quia quando homo facit quod in se est, Deus vicissim facit quod suum est, hominemque à lapsu præseruat: sin homo se periculo exponat, maximè in materia tam lubrica, Deus eum relinquit suis viribus, quibus diu resistere non potest.* Sicut enim ferrum trahit magnes; ita virum sua trahit Agnes.

S. Xauerius dicere solebat, feminas maiori periculo, vel castitatis, vel famæ adiri, quàm fructu. Hinc illa prouida Societatis nostræ strictaque ordinatio, vt feminas etiam pietatis causa nobis visere non liceat, nisi ægras & moribundas, idque non nisi cum socio, qui omnium quæ geruntur testis esse possit.

Denique audi quid meretrix docuerit S. Ephrem. ex eremo ille in vrbem pergebat, vt ex occursu aliquid piæ instructionis hauriret: occurrit ei meretrix, quæ fixè eum intuita est. causam roganti Ephremo respondit meretrix, Quid mirum si ego te intuear, cùm mulier ex viro facta sit? tu verò in matrem tuam, id est terram ex qua plasmatus es, oculos defige. Plura vide Numer. 25. in fine.

VERS. 2. PRINCEPS TERRÆ] filius principis Hemor.

VERS. 5. CONGLVTINATA EST ANIMA EIVS] vehementer & perditè eam amauit: amantis enim anima magis est vbi amat, quàm vbi animat.

VERS. 7. IN ISRAEL] contra Israel, patrem Dinæ.

VERS. 11. AD PATREM (Dinæ, putà ad Iacobum) ET AD FRATRES EIVS] putà ad Ruben, Simeon, Leui, aliosque Dinæ fratres.

VERS. 12. AVGETE DOTEM] q. d. Non exigo vt Dina quasi sponsa dotem afferat, sed ipse eã dotabo quantum voletis, idque in compensationem iniuriæ illi & vobis à me per raptum illatæ.

VERS. 13. IN DOLO] quia pacem simulant, cùm vltionem & cædem Sichimitarum machinantur.

VERS. 21. VIRI ISTI PACIFICI] Hinc patet, Hemor & Sichimitas se circumcidisse, non amore pietatis & religionis Iudaicæ, sed spe lucri & connubiorum cum Israelitis.

VERS. 23. NOSTRA ERVNT] per mutua connubia & commercia.

VERS. 25. DIE TERTIO, QVANDO GRAVISSIMVS VVLNERVM DOLOR EST] Infidè Iosephus dicit, Sichimitas dolo oppressos esse à Simeone & Leui, cùm conuiuijs & vino indulgerent.

Grauissimus vulnerum dolor die à læsione tertio, & vnde id fiat. Secundò, perperam Caluinus negat, die tertio grauissimum esse dolorem vulnerum: contrarium enim docet, non Simeon & Leui, ex quorum mente & sensu hæc dici putat Caluinus; sed ipse Moses, ipsaque S. Script. hîc: eius enim hæc sunt verba.

Idem docet Hippocrates l. de Fracturis. & ratio est. quia primo die, tantùm in ipso vulnere diuisio sentitur, quæ vix durat: secũdo die ad locum vulneris fluit pituita, qui est humor lenis & placidus: tertio die defluit eòdem bilis, quæ acris & calida dolorem ciet: inde sanguine accurrente sequitur inflammatio, febris, &c. quæ spatio 24. horarum vix mitescunt. ita Franc. Valesius Sacræ Philosophiæ c. 13.

SIMEON ET LEVI] quasi duces cum famulorum turba. cæteri enim fratres huic stragi non interfuerunt, sed post eam factam in spolia irruerunt, vt patet v. 27. Erat tunc Simeon circiter 21. annorum, Leui 20. ita S. Chrysost. Abulens. Caie-

A tan. & Pererius, & colligitur ex dictis v. 1.

Quæres, an hi filij Iacob, edendo hanc stragem Sichimitarum, peccarint? Aliqui eos excusant, eò quòd iusto bello & stratagemate iniuriã sorori sibique illatam vindicarint. Cùm enim essent exteri, habentes quasi rempubl. separatam, nec Hemor & Sichem, vtpote principes populi, ad aliquod superius tribunal protrahere possent, videntur in eos habuisse ius belli; cùm nulla alia ratione, quàm bello & armis iniuriam sibi illatam sarcire possent: in bello autem hoc, cùm pauci essent, dolo quasi stratagemate vsi sunt, dictitantes, Dolus an virtus, quis in hoste requirat? Sed respondeo eos peccasse, quia contra pacta cum Sichimitis inita, v. 15. eos inuaserunt & trucidarunt. *Filij Iacob Sichimitas occidendo peccarunt variè.*

B Peccarunt ergo Primò, mendacio doloso & pernicioso, vt patet v. 13. Secundò, perfidia: iam enim iniuriam condonarant, accepta iusta satisfactione, fidemque dederant fœderis, imò connubij. Tertiò, imprudentia & inobedientia; quòd iuuenes ira feruidi, rem tam arduam & periculosam aggressi sint, sine consilio & auctoritate patris, cui sciebant machinationem hanc omnino displicituram. Hinc peccarunt quoque iniustitia belli: bellum enim hoc intulerunt Sichimitis priuata auctoritate, non publica. hæc enim erat in Iacob, quasi in capite & principe familiæ, non autem in hisce duobus eius filijs. Quartò, sacrilegio: circumcisione enim ad dolum suum, & iniustã cædem abusi sunt. Quintò, crudelitate; quòd die tertio doloribus afflictos, & quasi moribundos inuaserint. Sextò, excessu vindictæ: nam non solùm Sichem, sed & omnes vrbis masculos, in C quibus multi erant insontes, necauerunt; pueros & feminas captiuarunt; agros omnes & greges prædati sunt, imò & mœnia vrbis diruerunt, vti satis insinuatur Gen. 49. v. 6. Septimò, temeritate & impietate; quòd patrem suum Iacob, totamque eius familiam, odio, neci & prædæ Chananæorum exposuerint. ita S. Thom. Caiet. Perer. imò Iacob ipse Genes. 49. v. 5. vbi sic ait: *Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia. in concilium eorum non veniat anima mea; quia in furore occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum: maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* *Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Sextò. Septimò.*

Dices, Iudith c. 9. 2. laudare videtur hoc factũ & zelum Simeon & Leui. ait enim: *Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem* (græcè ἐκδίκησιν, id est vltionem) *alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, &* D *denudauerunt femur virginis in confusionem, & dedisti mulieres eorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem, & prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum.*

Respondeo, Iudith hîc laudat non Simeonis, sed Dei iustitiam, qua permisit trucidari impuros Sichimitas, vsus ad hoc audacia & robore æquè ac scelere & perfidia Simeonis & Leui. Sic enim Deus dicitur dare gladium Chananæis, Turcis & Paganis, cùm eorum viribus & armis vtitur ad puniendum peccata fidelium. Sic Isaiæ c. 10. dicitur, *Virga furoris mei Assur.* Sic Attila dicebat se esse flagellum Dei. Pari ergo modo dedit Deus gladium, id est fortitudinem, Simeoni & Leui ad vltionem raptus Dinæ; sed non tali modo & perfidia peragendam: sic enim ipsi ea abusi sunt. licet enim *Deus impijs vt instrorum flagellis vtitur. Attila flagellum Dei se dicebat.*

Explicantur verba Iudith c. 9. Primò.

enim ipsi id ex zelo fecerint, vt ait Iudith, tamen zelus iste fuit contra iustitiam, quia contra pacta inita. hæc tamen omnia permisit Deus, & ordinauit ad pœnam stupri principis eorum. Dicitur ergo dedisse Simeoni gladiũ vltionis propter duo; Primò, quia dedit illi animos, vires & arma, quibus tamen ipse perfidè abusus est. Secundò, quia hanc perfidiam permisit, & ex proposito ordinauit ad vindictam stupri.

Secundò.

Rursum, hisce verbis insinuat Iudith, populum suo principi in hoc scelere fauisse, eumque in raptu & detentione Dinæ iuuisse, fouisse, laudasse; ac proinde iusto Dei iudicio, omnes hac clade inuolutos fuisse.

Tertiò. Grauissima libidinis & stupri vindicta.

Tertiò. Nota hic diuinam vindictam libidinis & stupri, quã rectè sibi suoque facinori, quo Holophernem obtruncauit, adaptat Iudith.

Quartò.

Quartò, ait Iudith Deum dedisse omnem prædam Sichimorum seruis suis, putà Simeoni & Leui, eò quòd pudicitiæ zelum habuissent, quatenus scilicet hic zelus erat zelus pudicitiæ, non autem quatenus indiscretus fuit, iniustus, mistusque cum perfidia alijsque sceleribus. Sic Deus obstetricibus Ægyptiorum, per mendacium seruantibus paruulos Hebræorum, ædificauit domos, non propter mendacium, sed ob pium affectum, & beneficium paruulis impensum. in vno enim eodemque opere, aliquid subinde est boni, quod præmiat Deus; & aliquid mali, quod odit & detestatur.

OMNIBVS MASCVLIS] Plerique enim applauserant suo principi raptori, eumque in raptu iuuerant.

Stupri vindicta.

Nota, quòd stuprum & raptus ferè numquam sine ingenti parricidio aut bello peracta sunt. Testatur hoc excidium Troiæ, ob raptam Helenam. Testatur hoc strages Amnon perpetrata à fratre Absalone, ob vitiatam Thamar. Testatur hoc strages totius tribus Beniamin, ob corruptam vxorem Leuitæ, Iudic. 20. Testantur denique idipsum nostri hi Sichimitæ. Quocirca sapienter monet parentes & præceptores, eisque dat prudens consilium S. Chrysost. hom. 59. *Refrænemus*, inquit, *puerorum nostrorum impetus, & curemus eorum castitatem, &c. scientes fornacis incendium, priusquam in luxuria implicentur, studeamus eos iuxta legem Dei nuptijs copulare.* Et sub finem: *Ideo oro vt præbeatur manus pueris nostris, vt ne etiam pro his quæ illi peccarunt, pœnas sustineamus instar Heli*, 1. Reg. 4.

VERS. 26. TOLLENTES DINAM] Rupertus ex Philone tradit Dinam postea nupsisse, fuisseq; vxorem Iob, de qua Iob 1. Iob enim natus est paulò post Dinam, vt patebit c. sequenti v. 36. Verùm hoc parum est probabile; nec tale quid in Philone, alijsque antiquis reperitur.

Dina tropologicè est anima curiosa.

Tropologicè, Philo de Migratione Abrahæ, Dina est anima curiosa, quæ à bruta natura rapitur ad sensualia, quæ periculosa sunt; vnde violatur, & mentis puritatem amittit, fitque carnalis & asinina: Sichem enim stuprator filius est Hemor, id est, asini; sed eum trucidant Leui & Simeon, id est, prudentia & fortitudo spiritus, atque ita animæ suam integritatem restituunt.

VERS. 29. VXORES DVXERVNT CAPTIVAS] Cùm Iacob cædem hanc, vtpote perfidam & temerariam improbet, v. 30. non dubium est quin ipse ilicò iusserit captiuos omnes remitti, & bona direpta, quæ supererant, restitui.

TVRBASTIS ME] turbastis meam mẽtem metu VERS. 30. & angore, quia anxium & pauidum me fecistis: valdè enim metuo ne Chananæi pro vindicta suorum Sichimitarum in me & vos insurgant. Secundò, turbastis meam famam, quia eam tam infami cæde maculastis, & quia me odiosum (hebraicè fœtentem) fecistis Chananæis. Tertiò, turbastis quietem familiæ meæ; quia eam periculo necis & spoliationis reciprocæ exposuistis, apud vicinos circumquaque Palæstinos.

Perfidia à Deo vindicatur. Exempla.

Nota. Perfidia, vti & periurium, maximè turbat conuictum & societatem hominum, ideoque tam Deus, quàm homines eam solent persequi & vlcisci. Ita Sedecias violans fœdus cum Nabuchodonosore initum, ab eo captus, regno spoliatus & excæcatus est. Ita Saul affligens Gabaonitas contra fidem eis datam, famis communis, & suorum excidij causa extitit, 2. Reg. 21.

Agathocles tyrannus Syracusanus datum hostibus iusiurandum transgressus est, occisisque captiuis ridens ad amicos dixit: *Cœnati iuramenti religionem euomamus*; sed dirè hanc perfidiam luit.

Tissaphernes Persarum dux fœdus cum Agesilao metu initum violauit, eique bellum denuntiauit: quod libenter arripuit Agesilaus, legatisque dixit, se magnam habere gratiam Tissapherni, quòd periurio suo & deos, & homines sibi infensos reddidisset, aduersæ verò parti propitios, teste Plutarch. in Lacon.

Alexander Magnus Indos quosdam sibi infestos, contra fidem datam in itinere oppressit: hinc labes ei adhæsit, breuisque & tristis exitus, vti omnes sciunt. testis est Plutarch. in Alexandro.

Carthaginensis senatus Saguntum contra fœdus, quod Hasdrubal cum Romanis icerat, excisum ab Hannibale non tantùm probauit, sed & in Romana curia defendit. Verùm hoc cauillum & hæc perfidia, Carthaginis excidio vindicata fuit.

Theodatus Gothorum rex bello vndiq; pressus, ad Iustinianum Imp. misit legatos, pacem petens, eiq; totum Gallorum & Italorum imperium obtulit. posteà verò ex interitu Mundi ducis Iustiniani animatus, fidem fefellit, arma mouit; sed in ijs occubuit, atque à suis interfectus est anno regni tertio. ita Procopius & Blondus.

Aistulphus Longobardorum rex, quia contra datam fidem Gregorio III. Pont. arma inferebat, Pontifex pacis formulam de vexillo crucis suspensam, exercitui præferri curauit, cunctis Deum contra perfidum hominem inuocantibus: vnde à Pipino subactus Aistulphus, miserè tandem perijt.

Carolus Burgundus audax & inuictus, in Lotharingia 250. Heluetios fide circumuentos suspendio necauit, mox alios 300. Gransei occidit anno Domini 1476. sed tertio pòst die Heluetij Carolum aggressi in fugam verterunt; ac tandem sequenti anno eum prorsus ceciderunt & trucidarunt.

Quocirca rectè Valer. Maxim. l. 9. c. 6. *Perfidia*, ait, *tantum incommodi humano generi affert, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quàm illa laudis consequitur.* Subdit exẽplum de Tatio Sabino. *Romulo*, ait, *regnante, Sp. Tarpeius arci præerat: cuius filiam virginem aquã sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, vt Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine*

pactus, qua in sinistris manibus gerebant. Erant autem his armillæ & annuli magno ex pondere auri. Loco positum agmen puellam præmium flagitantem armis obrutam necauit, perinde quasi promissum, quòd ea quoque læuis gestauerant, soluens. Absit reprehensio: quia impia proditio celeri pœna vindicata est. Et Tacitus l. 1. Annal. *Proditores*, inquit, *etiam iis quos anteponunt, inuisi sunt*: amant enim ipsi rem, non reum. Præclarè Augustus apud Plutarch. in Apophth. *Ego*, ait, *proditionem amo, proditores non approbo.* Acutiùs verò Philippus Macedo apud Stobæum serm. 52. dixit, *amare se prodituros, non proditores.*

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IAcob familiam suam idolis expurgat, aram Deo ædificat, rursum à Deo vocatur Israel. Secundò, v. 16. Rachel in partu Benoni, quem pater vocat Beniamin, moritur. Tertiò, v. 27. moritur Isaac.

1. INterea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. 2. Iacob verò
conuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. 3. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo: qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris
mei. 4. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem.
5. Cumque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. 6. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo. 7. Ædificauitque ibi altare, & appellauit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus cùm fugeret fratrem suum. 8. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus. 9. Apparuit autem iterum Deus Iacob postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei, 10. dicens: Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel, 11. dixitque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.
12. Terramque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. 13. Et recessit ab eo. 14. Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum: 15. vocansque nomen loci illius, Bethel. 16. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cùm parturiret Rachel, 17. ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. 18. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater verò appellauit eũ Beniamin, id est, filius dextræ. 19. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.
20. Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. 21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis. 22. Cumque habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui: quod illum minimè latuit. Erant autem filij Iacob duodecim.
23. Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, & Issachar, & Zabulon. 24. Filij Rachel: Ioseph, & Beniamin. 25. Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali. 26. Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. 27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham & Isaac. 28. Et
completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. 29. Consumptusque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob filij sui.

VERS. 1. INTEREA] Cùm mœstus Iacob & anxius timet & expectat Chananæorũ incursum, ob cædem Sichimitarum; mox Deus hunc illi metum adimit, eumque solatur & corroborat. ita S. Chrysost.

FACQVE ALTARE] ex lapide quem vnxisti, & erexisti in titulum, c. 28. 18.

VERS. 2. ABIICITE DEOS ALIENOS] Nulli propriè sunt dij alieni: solus enim Deus fideliũ, est verè Deus; dicuntur tamen dij alieni, alij scilicet à Deo vero; vel potiùs, vt Hebræa habent, אֱלֹהֵי נֵכָר *elohe nechar*, id est, dij alienorum, quos scilicet colunt alienigenæ, putà Gentes idololatræ & Paganæ.

Hinc patet, in familia Iacob fuisse idola & idololatras. Et quid mirum? habitarat enim in domo Laban idololatræ per 20. annos, inde vxores & famulos abduxerat. vnde & Rachel fugiens furata est

est idola patris sui, c. 31. 19. fortè etiam ex recenti præda Sichimorum, idola eorum famuli Iacob abstulerant, vt vult Procopius. Iam per nouennium à discessu ex Haran, Iacob habitarat, vel potiùs peregrinatus erat in Chanaan, nec otium & commoditatem habuerat familiam suam ab idolis & idololatria expurgandi: hanc nunc captat ex metu Chananæorum, quo omnes perculsi erant, ob stragem editam in Sichimis: metus enim docet homines Deum agnoscere, & ad eum confugere. Discant hîc à Iacob præsides & concionatores in publica clade, calamitate & metu captare occasionem per pias leges & exhortationes Rempubl. & populum à vitijs suis expurgandi, vt ita metu hoc & calamitate à Deo liberentur.

Metus ad Deum adducit.

MVNDAMINI, ET MVTATE VESTIMENTA] pro vestibus induite saccum, siue cilicium in signum pœnitentiæ. Secundò & meliùs, q. d. Pro vestibus communibus & sordidis, mundas & festiuas induite, vt ijs animi munditiem & nouitatem profiteamini, vosque comparetis & excitetis ad instans sacrificium & festum, vt ad illud mundo & decenti habitu accedatis: vti iam faciunt fideles in Dominicis & festis. Hoc enim significat τὸ *mundamini*. Fuit ergo hæc munda & noua vestis symbolum pœnitentiæ, resipiscentiæ & religionis, quo protestabantur se abiectis idolis, vnum Deum velle colere, & nouam piamque in vnius Dei cultu inchoare vitam. Sic Exodi 19. 10. iubet Deus, vt Hebræi in pentecoste accepturi legem in Sina vestem communem in mundam & festiuam commutent.

Mutatio vestiũ symbolum renouationis animi.

Tropologiã vide apud Rupertum, & S. Chrysost. hom. 59. Vbi docet exemplo Iacob, parentes potiùs laborare debere vt filios piè educent, quàm vt eis opes congregent. Quare *enim*, inquit, *& tibi ipsi hæc onera spinarum congregas, & filijs tuis materiam malitiæ te relinquere non sentis? nescis quòd Dominus maiorem curam pueri tui gerat? an nescis quòd iuuentus per se ad ruinam procliuis est, quando autem & opum affluentiam acceperit, multò magis ad malum proruit? Sicut ignis cùm fomitem inuenit, validioribus flammis exurgit, ita & quando in iuuenem materia pecuniarum inciderit, tantam accendit fornacem, vt animam iuuenis totam flagrare faciat incontinentiæ & intemperantiæ.*

VERS. 3. SOCIVS FVIT ITINERIS MEI] duxque comesque viæ, dux in itu in Haran, redux in reditu in Chanaan.

VERS. 4. INAVRES] quibus idola, instar hominum, in auribus ornabantur. vnde Secundò, Augustinus vocat eas phylacteria deorum. Idem docet S. Chrysost. hom. 35. in Gen. Lyranus, & vtraque Glossa. Paulò aliter Gaspar Sanchez in Isaiæ c. 44. n. 20. censet enim has inaures fuisse non idolorum, sed famulorum auribus appensas, sed habuisse insculptas effigies vel signa idolorum, quæ antè coluerant, adeoque à Iacob cum idolis fuisse defossas. Sic enim Gentiles in annulis, armillis, gemmis aut laminis è collo pẽdentibus deorum suorum imagines gestabant. vnde hoc postea vetuit Pythagoras, vti & Clemens Alexandr. l. 3. Pædag. c. 11. Sic Osee c. 2. ait: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorum*: quia inter vbera, & supra cor laminam gestabat, aut bullam, in qua adulteria, id est idola, cælata erant. E contrario sponsæ iubet spõsus Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*, scilicet vt sponsa cor & brachium sponsi sui imagine consignet, cælata nimirum in tabula cordis, aut in brachiorum armillis. Hinc Iudæi pij Dei legem, & professionis suæ insignia in annulis, bullis & torquibus circumferebant, iuxta illud Prouerb. 7. *Liga ea in digitis tuis, scribe ea in tabulis cordis tui.*

INFODIT] Priùs confracta, vel liquefacta, prout fecit Moses Exodi 32. 20. & Ezechias 4. Reg. 18. 4. Potuisset Iacob materiam, putà aurum, argentum, æs in vsum alium, etiam sacrum (licet id neget Abulensis) conuertere, sed noluit, ne quod superesset vestigiũ idololatriæ, vtq; suis eius execrationem ingeneraret, discerentque omnes idola abominari, quasi anathemata.

SVPER TEREBINTHVM] Hebræum אלה *ela*, & quercum & terebinthum significat. Andreas Masius in Iosue vlt. v. 26. putat hanc esse *ela*, id est, quercum, vel terebinthum *More*, id est, illustrem, in qua Abraham primò aram Deo erexit, Genes. 12. 6. & iuxta quam Abimelech consecratus est rex, Iudic. 9. 6. ideoq; sub ea, quasi sacra à tempore patrum & auorum, Iacobum idola suorum defodisse. Fuit ergo hæc *ela* Sichem,

Religione patrum multos seruata per annos,

quin & sacrata. nam & Iosue iuxta eam fœdus inter Deum & populum sanxit, Iosue vlt. v. 26.

TERROR DEI INVASIT OMNES] Immisit Deus hunc sacrum, & quasi panicum terrorem in Chananæos, ne ex Sichem abeuntem, & quasi fugientem Iacobum auderent inuadere, & vlcisci stragem Sichimorum. Vide, ait S. Chrysost. quid mereatur timor Isaac & Iacob, quo ipse timuit Deum, scilicet vt vicissim Deus faciat eum omnibus terribilem. *Nam quando Deus nobis bene voluerit, è medio tolluntur terribilia omnia. Sicut enim iusto fiduciam dedit, ita illis dedit metum*, vt licet multi & conglobati, paucos tamen & inualidos aggredi non sint ausi. Idem Dei præsidium sæpè experiuntur viri pij in itineribus, dum in latrones vel prædones incidunt. VERS. 5.

OMNIS POPVLVS] ampla & populosa eius familia. VERS. 6.

APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIVS, DOMINVS DEI] Locus hic priùs à Iacobo vocatus est Bethel, c. 28. 29. hic ergo loco nomen à se inditũ iterat & confirmat, simulq; illud altari ibidem recèns à se ædificato communicat. Altare ergo vocauit, eiq; Hebræum nomen, quasi titulum inscripsit, *el bethel*, id est Deus fortis Bethel, hoc est, altare dicatum Deo Bethel, siue Deo, qui in Bethel, quasi in domo sua habitat, quiq; mihi ibi quasi fortissimus apparuit, suaque fortitudine me contra Esau, Sichimitas, omnesque hostes & terrores corroborauit. vide dicta c. 28. 19. VERS. 7.

Altare inscriptum, Deo forti Bethel.

DEBORA] Fuit hæc nutrix Rebeccæ, matris Iacobi, quæ cum ea ex Haran venit in Chanaan, ad Isaacum. Tradunt Hebræi hanc Deboram à Rebecca remissam esse in Haran, vt inde reuocaret Iacobum, ac in itinere, dum cum Iacobo redit, mortuam esse, vti hîc dicitur. VERS. 8.

AD RADICES BETHEL] Bethel ergo in monte erat sita.

QVERCVS FLETVS] quia Iacob cum suis ibi plauxit mortem Deboræ.

APPARVIT AVTEM ITERVM DEVS IACOB] Paulò antè apparuerat ei, iubens eum pergere in Bethel, nunc cùm in Bethel peruenit, ibi eidẽ rursus appa- VERS 9.

Triplex apparitio Dei & Christi. apparet. ita Septuag. *Hæc est tertia apparitio,* inquit Hugo Card. *qua Dominus apparuit Iacob. Primò enim apparuit fugienti Esau, innixus scalæ. Secūdò, redeūti de Mesopotamia in lucta. Tertiò, hic in Bethel. In quo significatur triplex apparitio Christi. Apparet enim dormientibus in contemplationem: apparet & luctantibus in tribulatione: apparet tandem viuentibus in æterna benedictione. De prima dicit S. Bernard. Christus videri vult, non videre: quasi strenuus dux deuoti militis. vult vultū sustolli in sua vulnera: sua non sentiet: dum illius intuebitur vulnera Christi miles. hoc est videre Christū innixum scalæ. vnde dicit Apostolus Hebr. 12. Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. De secunda dicit idem S. Bernardus, Sustinuit te dilectus: sustine tu dilectum, non illum vicere peccata tua, te quoq; illius flagella non superēt, & obtinebis benedictionem. De tertia dicitur 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: & psalm. 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

BENEDIXITQVE EI] vocando eum Israel, noua promissa, nouos animos, nouum robur, noua gratiæ dona ei indendo.

VERS. 10. NON VOCABERIS VLTRA IACOB, SED ISRAEL] *Cur hic Iacobo secūdò inditur nomen Israel. Resp. Caiet.* Quæres, cur hic nomen Israel, iteratò inditur Iacobo? Respondet Caiet. nomen Israel hîc iterarī alio sensu, ob nouum beneficium Iacobo hîc promissum, sc. quòd posteri sui futuri essent Israel, id est, principes cum Deo, vti vertit Aquila, Symmachus & Theodotion, putà haberent & retinerent suuum regnū & imperium quādiu ipsi manerent Israel, id est, quamdiu ipsorū dominaretur Deus. q. d. Vocaberis *Israel*, id est, *dominabitur Deus*: promitto enim tibi tuisque posteris, quòd, quamdiu in eorum cordibus per veram fidem, religionē & pietatem me dominari sinent, tamdiu erunt Israel, id est, principes cum Deo; quia à Deo obtinebunt suum dominatum, principatum & regnum: quando autem abijcient à se dominiū Dei, nolentq; Deo subesse, tunc pariter perdent quoque suum principatum & regnum terrenum.

Reijcitur. Verùm ex ipsis verbis liquet, nomē Israel non alio, sed eodem sensu hîc indi Iacobo, quo ei inditum est c. 32. 28. & ita passim docent interpretes. & licet aliqui putent ibi hoc nomen tantùm promitti, hîc verò reipsa indi Iacobo: tamē verius est illud ibi indi, hîc verò repeti & confirmari ob nouam rationem & causam.

Resp. vera. Prima causa. Dico ergo, sicuti c. 32. Iacob anxius propter Esau, ita hic anxius propter Sichimitas & Chananæos; ne stragem suorum vlciscerentur, seq; inuaderent, confortatur à Deo, ne timeat, sitq; & dicitur Israel, id est Deo, & per Deum Esau, Sichimitis, omnibusque suis hostibus dominans. *Secunda.* Rursum dicitur Israel, quasi futurus totius terræ, scilicet Chananææ, dominus, gentium & regum pater, vt patet v. 11. & 12. & iuxta hoc admitti potest prior expositio Caietani. Vnde quod ait: *Non vltrà vocaberis Iacob*, sensus est, q. d. Deinceps non eris tantùm Iacob, id est supplantans Esau, sed Israel, id est Deo, & per Deum omnibus dominans & præualens, vt potiùs vocandus sis Israel, quàm Iacob.

Pari modo ob nouam hanc secundam visionē & apparitionem Dei secundò idem nomen loco imponit Iacob, eumq; vocat Bethel, id est domus Dei. Vnde *credit Abulensis eum ex fortitudine & victoriis duo illa nomina sortitum, Iacob & Israel, luctator scilicet, ac videns Deum: nam velut alter Hercules luctatus est cum plurimis laboribus, cum fratris minis, cum ingratitudine Laban: rursum cum timore fratris, cū angelo tota nocte, cum seditionibus liberorum apud Sichimitas, cū nece Ioseph illata, vt putauit, à fera pessima, cum famis acerbitate, cū dolore ob Beniamin ductum pro alimonia, vt omittam alia. Verus planè Iacob, verus luctator: sed nihilominus Israel verus, verus Deum videns; nam, septies Deum, siue angelum vidit. Primò, cùm apparuit ei in scala, Genes. 28. Secundò, in Mesopotamia, cùm demonstrauit fœtutam pecorū, Genes. 30. Tertiò, cùm iussit eum Deus abire è Mesopotamia, Genes. 31. Quartò, cùm castra angelorum vidit ad sui defensionem parata, Gen. 32. Quintò, cùm specie viri luctantem expertus est. Sextò, cùm post cædem Sichimitarum iussit eum Deus abire Bethel, & ibi sacrificare, Gen. 35. Septimò, cùm iterū imposuit illi nomen Israel, Genes. 35. Fuerunt autem huiusmodi visiones, cum specialibus gratiæ fauoribus coniuncta, quibus Deus laborum intermistas amaritudines egregiè temperabat; adeoq; factum est, vt idem homo Iacob simul, & Israel, quasi quadam luctarum visionumq; Dei statera fuerit,* ait Fernand. visione 2.

Tertiò, S. Thomas, Lyranus, & Abul. Iacob, inquiunt, hîc vocatur Israel: quia Deus hîc euexit Iacobum, vt qui hucusq; Iacob, id est supplantator, vitam actiuam & luctantem egerat, contra hostes & vitia dimicando; nunc contemplatiuam agat, sitq; Israel, id est videns Deum, vel regnans cum Deo, vel fortis cum Deo, ita vt eum à Deo, Deiq; contemplatione nulla res abstrahere possit, fiatq; ex ea insuperabilis, & omnium hostium visibilium & inuisibilium victor. Hic sensus verus est & pius, sed tropologicus. *Tertia. Tropol.*

Quartò, S. August. quæst. 114. Iacob, inquit, id est supplantator, significat certamina & labores præsentis vitæ: Israel verò, id est videns Deum, significat præmium futuræ beatitudinis, & visionis Dei. Sed & hoc pariter symbolicum & anagogicum est. *Quarta. Anagog.*

EGO DEVS OMNIPOTENS] qui quod promitto, præstare possum, & præsto: hebraicè est *Saddai*, de quo dixi c. 17. v. 1. q. d. Tibi, ô Iacob, me exhibeo vt Saddai, id est ferens mammam, vt ex ea sugas incrementum & multiplicationem: cresce ergo, & multiplicare. Repetit hîc Deus promissiones, quas c. 28. & 31. & 32. audiuimus, ne propter stragem Sichimorum à filijs perpetratam, Iacob putet eas reuocasse Deum, maximè tres, de quibus dubitari poterat. nam Primò, grauabat Iacob, quòd ipse cum suis pauci essent, & tamen tam multos haberet aduersarios. cōtra hoc audit: *Cresce & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt.* Secundò, grauabat eum, quòd eū finitimis odiosum fecerant filij. contra hoc ei dicitur: *Reges è lumbis tuis egredientur:* non ergo eris odiosus, nec despectus. Tertiò, timebat ne finitimi congregati ipsum è terra pellerent. contra hoc audit: *Terram* (hanc) *dabo tibi.* Verè ergo dicere potuit Iacob: *Secundùm multitudinem dolorum meorū, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Vide ergo quòd iustis omnia subijciuntur, vt & ipsi subijciantur Deo. VERS. 11.

GENTES, ET POPVLI NATIONVM EX TE ERVNT] Duodecim enim tribus ex te proseminandæ ita crescent, vt multis gentibus & populis æquētur.

TIBI ET SEMINI TVO] *Et* est exegeticum, significat- VERS. 12.

ficatque *id est*. non enim Iacobo, sed semini, id est posteris, eius, tradidit Deus Chananæam, sub Iosue.

VERS. 14. *Titulus erat altare.* EREXIT TITVLVM] qui simul esset titulus, id est, monumentum huius apparitionis & promissionis diuinæ, & simul esset altare; vnde super eum Iacob sacrificat & libat, id est effundit in honorem Dei libamina, putà vini aliquot mensuras.

EFFVNDENS OLEVM] ad consecrationem altaris. vide dicta c. 28. 18.

VERS. 16. *Quid hebr. Kibrat?* VERNO TEMPORE] Hebraicè est כִּבְרַת *kibrat*, quod R. Menachem accipit per metathesin, vt sit idem quod *kerab*. id est, quasi multum; q. d. Cum multum magnumque superesset iter Ephratam vsque.

Secundò, R. Salomon vult *kibrat* esse nomen mensuræ, significareque milliare, vel leucam, q. d. Cùm leuca superesset Ephratam vsque.

Tertiò, optimè Noster *kibrat* deducit à בָּרָה *bara*, id est cibare, vel frumentum proferre (inde enim בַּר *bar*, vocatur far, siue frumentum) & *caph* seruili, quod *secundùm*, vel *iuxta* significat. q. d. Iuxta tempus quo terra cibum & segetes effert & profert; quod S. Hieronymus aliquando tempus viridationis, aliquando vernum, aliquando electum vocat, deriuando *kibrat* non à *bara*, sed à בּוּר *bur*, quod eligere significat.

Notat Moses, in morte Rachelis fuisse vernum tempus, vt innuat propter auram veris tepidiorē, non licuisse Iacobo cadauer Rachelis, ne putresceret, Hebronem perferre, vt ibidem in sepulchro Abrahæ & Saræ sepeliretur.

Tradunt Hebræi, Rachelem mortuam esse anno ætatis 36. sed, quia Rachel nubilis erat, cùm primò Iacob ad eam venit, ad puteum in Haran: Iacob autem in Haran mansit 20. annis, & post reditum ex Haran, decennio cum ea huc vsque habitauit in Chanaan; hinc patet, Rachelem in morte ferè quinquagenariam fuisse.

VERS. 18. BENIAMIN] Rachel moriens filium vocauit *Benoni*, id est, filium doloris, sed pater Iacob vocauit eum *Beniamin*, idq; post mortem matris, vt ostenderet se æquo animo illam ferre, vtq; hunc filium

Beniamin filius dexteræ, id est felix & fortis. & fratres ad idem excitaret, hac spe & nomine, quòd futurus esset Beniamin, id est filius dexteræ, hoc est felix ac validus, licet in senectute patris esset genitus: dextera enim symbolum est roboris & felicitatis. Sic Hebræi mulierem, vel virum dexteræ aut virtutis, vocant eum, qui strenuus est, acer & fortis.

Veterum opinio fuit, felices fore proles, quæ matre enecta in lucem prodijssent, & talis fuit Scipio Africanus, & Iulius Cæsar, Cæsarum primus, quem à cæso matris vtero (licet alij à cæsarie, alij aliunde) Cæsarem nuncupatum volunt: talis fuit & Beniamin.

Quàm validi fuerint posteri Beniamin, patet ex bello, quod ipsi soli contra cæteras omnes tribus gesserunt, Iudic. 20. 16.

Secundò, Beniamin, id est, patri charissimus. Secundò, vocatus est Beniamin, id est filius dexteræ, quia fuit patri charissimus: parētes enim maximè diligunt minimos, quos vltimo loco & in senectute sua genuerunt, eosque inter genua, vel ad dextram suam collocant.

Beniamin sedecim annis iunior Ioseph. Natus est Beniamin anno Iacobi 107. fuit ergo Iosepho iunior sedecim annis: hic enim natus est anno Iacobi 91. ac consequēter eodem anno quo

A natus est Beniamin, venditus est Ioseph, putà anno ætatis suæ 16. de quo rursum v 28.

Allegoricè, Rachel est Synagoga: Beniamin est Christus & Apostoli, ac præsertim S. Paulus ex Beniamin prognatus, inquit Cyrillus: huic enim Christiano & Apostolo effecto inuidit & indoluit mater Synagoga, sed Pater cælestis fecit eum Beniamin, vt scilicet omnes hostes fortissimè sibi subigeret, vtque moriens sederet à dextris eius in cælis. ita Rupertus. *S. Paulus est Beniamin.*

VIA QVÆ DVCIT (à Ierusalem metropoli) EPHRATAM. HÆC EST BETHLEHEM] Hæc vrbs primò dicta est Ephrata, ab Ephrata vxore Caleb, 1. Paral. 2. 24. quam Hebræi putant fuisse Mariam sororem Mosis, sed falsò. Hæc vrbs postea dicta est Bethlehē, id est domus panis, à fertilitate quæ B ibi fuit, post famem quæ acciderat tempore Elimelech, vt habetur in libro Ruth, inquit Lyranus. Similiter Ephrata hebraicè significat fertilem, fructiferam, à radice פָּרָה *para*, id est fructificauit. est enim hic locus fertilis. VERS 19. *Bethlehem vocata est à fertilitate.*

Sicut Rachel Beniaminum, ità B. Virgo pepe- rit Christum in Bethlehem: quia Christus panis est & deliciæ hominum & angelorum. Christum, inquam, quasi suum Benoni, id est virum dolorū, peperit in summa vilitate & paupertate; quem proinde Pater cælestis suum fecit Beniamin. ita S. Hieronymus, qui ea de causa cum S. Paula in Bethlehem commigrauit. Audi eum in Epitaphio S. Paulæ. *Iurabat*, inquit, *Paula se in Bethlehem oculis fidei cernere infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepio Dominum, Magos adorantes, stellam* C *fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, mixtisq; gaudio lacrymis loquebatur: Salue Bethlehem domus panis: in qua natus est ille panis, qui de cælo descendit. Salue Ephrata, regio vberrima, cuius fertilitas Deus est. Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis siluæ. hæc requies mea; quia Domini patria est: hîc habitabo, quoniam Saluator elegit eam.* *Beniamin est Christus.* *S. Paula vidit Christū in Bethlehem.*

EREXITQVE IACOB TITVLVM] Borchardus tradit titulum hunc, siue monumentum Rachelis, fuisse pyramidem perelegantem, in cuius basi dispositi erant 12. lapides prægrandes, iuxta numerum duodecim filiorum Israel. VERS. 20.

Vide hîc peruetustum ritum erigendi titulos & epitaphia, in memoriam defuncti iuxta sepulchra, inter quæ primum quod in Scriptura inuenimus, est hoc Rachelis. Ita Simon Machabæus magnificum monumentum erexit super sepul- D chrum patris & fratrum, 1. Machab. 13. 30. S. Hieron. scribit se ad mausolæū Dauidis regis precari solitum, epist. ad Marcellam: de quo & ait S. Petrus, *Et sepulchrum eius apud nos est*, Act. 2. 29. Audi Prudent. in passione Hippolyti:

Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

TRANS TVRREM GREGIS] Putant Hebræi hunc locum esse Ierusalem & Sion, siue locum templi; ex eo quòd Ierusalē à Michea c. 4. 8. vocetur turris gregis. Verùm Micheas eā ita vocat per tropum, ænigmaticè & parabolicè: nam turris Eder, id est gregis, mille tantùm passibus distat à Bethlehem: Ierusalem verò à Bethlehem distat sex millibus passuum. Turris ergo gregis est locus pascuis vberrimus, vbi proinde copia erat gregum, situs inter Hebron & Bethlehem, vbi & Iacob gregem suum pauit. ita S. Hieronymus in epitaphio S. Pau- VERS. 21. *Vbi turris Eder, id est gregis.*

Hic angeli nuntiarũt pastoribus Christi ortum. S.Paulæ, Eucherius, Rupert. vnde S.Hieron. Tostatus, Adrichom. & alij putant, iuxta hanc turrim apparuisse angelum pastoribus, vigilantibus super gregem suum, eisq; nuntiasse ortum Christi. Hinc & S.Helena mater Constantini Magni, apud hanc turrim insigne extruxit templum, sub nomine SS. Angelorum.

VERS. 22. RVBEN DORMIVIT CVM BALA] Hinc pater Iacob spoliauit Ruben sua primogenitura, eiq; moriens maledixit, Gen. 49.4. Balam autem deinceps Iacob deseruit, nec eã ampliùs attigit, vtpote hoc incestu pollutam: sicuti Dauid abstinuit concubinis, quas Absalom incestarat, 2. Reg. 16.22. Sexta hæc fuit crux & afflictio Iacobi: quinta enim fuit mors Rachelis v. 19.

VERS. 26. QVI NATI SVNT EI IN MESOPOTAMIA] Scilicet vndecim nati sunt in Haran, sed vnus Beniamin excipitur: hic enim natus est in Chanaan, iuxta Bethlehem. ita S. August. q. 117. Minùs ergo rectè S. Cyril. Chrysost. Procop. ex hoc loco censent Beniamin conceptum esse in Haran, sed natum in Chanaan: nam natus est Beniamin decennio post exitum Iacobi ex Haran, & habitationem in Chanaan. Recenset hîc Moses posteros Israelis, quasi semen electum, vt eos opponat posteris Esau, quasi reiectitijs, quos recenset cap. sequenti.

VERS. 27. CIVITATEM ARBEE] In Cariatharbe, siue Hebron, vti habitabat, ita pariter mortuus & sepultus est Isaac. Tropol. S. Ambros. ad Irenæum de immolat. Ægypt. *Sequamur*, ait, *S. Iacob vias, vt perueniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, perueniamus ad patientiam* (alludit ad matrem Iacob *Rebeccam*, quod nomen ipse interpretatur *patientiam*) *matrem fidelium; & ad patrem Isaac, id est iucunditatis capacem, lætitia redundantem; vbi enim patientia, ibi lætitia.* q.d. Sicut coniugantur Rebecca & Isaac, sic copulantur patientia & lætitia, vt lætitia quasi fidus maritus patientiam, quasi vxorem, numquam deserat.

VERS. 28. *Chronologia vitæ Iacobi & Isaaci.* COMPLETI SVNT DIES ISAAC CENTVM OCTOGINTA ANNORVM] Nota seriem chronologiæ Iacobi & Isaaci: Iacob fugiens Esau iuit in Mesopotamiam, anno ætatis suæ 77. hæsit ibi 20. annis: inde redijt in Chanaan anno ætatis 97. ibi peregrinatus est per decem annos: idque seorsum à patre Isaaco: quia vterque erat diues, habebatque copiam gregum, quibus vnius eiusdemque loci pacua non sufficeissent. interuisit tamen Iacob subinde patrem, tum per se, tum per famulos, nuntios, & literas. Post 10. annos, putà anno ætatis Iacobi 107. quo anno mortua est Rachel, & natus Beniamin, venit Iacob in Hebron, ad Isaac patrem suum iam senio deficientem, stabiliter cum eo mansurus: mansit cum patre 13. annos, post quos moritur Isaac annum agens 180. qui fuit Iacobi 120. Iosephi 26.

Eodem anno quo mortua est Rachel, venditus est Ioseph. Rursum eodem anno, quo mortua est Rachel, & natus Beniamin, qui fuit Iacobi 107. Ioseph annum agens 16. à fratribus venditus, abductus est in Ægyptum. Moriente ergo Isaaco, anno ætatis suæ 180. Ioseph in Ægypto agebat annum seruitutis 13. ætatis 29. qui fuit annus à diluuio 527. à creatione mundi 2228. Est ergo hîc hysterologia: nam præponitur hîc mors Isaaci, quæ ordine temporis ponenda fuisset post venditionem Iosephi, sub finem c. 40. Gen. ita Abulens. Perer. & alij.

Iacob superuixit Isaaco 27. annis. Tertiò, superuixit Iacob Isaaco patri 27. annis: mortuus est enim Isaac, cùm Iacob ageret annũ vitæ 120. Iacob autẽ mortuus est anno vitæ 147.

Anni climacterici Iacobi. Obiter obserua hîc annos climactericos vitæ Iacobi, scil. 77. exilij in Haran 84. nuptiarum cum Rachele & Lia, 91. nati Iosephi, & 147. mortis. Omnes enim hi anni sunt septenarij, siue septimi, quos medici perhibent magnam homini mutationem afferre, vti Iacobo hîc attulerunt.

CONSVMPTVSQVE ÆTATE] deficiente calore naturali, & exarescente humido radicali, quod calorem naturalem pascit & conseruat, sicut flamma lucernæ pascitur oleo. VERS. 29.

APPOSITVS EST POPVLO SVO] patribus in limbo. Vide dicta c. 25.8. Vixit Isaac 180. annis, nos viuimus 60. aut 70. Vitam breuem esse queruntur homines, quia omnes alijs, pauci sibi viuunt: causa est, quia tamquam semper victuri viuunt. Cogitent saltem illud Senecæ: Tempus vitæ vel est, vel fuit, vel erit. quod agimus, breue est: quod acturi sumus, dubium: quod egimus, certũ. Quid ni ergo ab hoc exiguo & caduco temporis transitu, in illa nos toto damus animo, quæ immensa, quæ æterna sunt; quis animum tuum post vitam locus, quæ sors expectet, vbi post mortem te natura, imò Deus componat?

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribuntur hoc capite posteri, & v. 15. duces, & v. 31. reges prognati ex Esau: tum quia ipse fuit filius Isaaci, & nepos Abrahæ: tum vt ostendatur benedictio Isaaci, illi data c. 27.39. reipsa esse adimpleta: tum quia Idumæos cum Iudæis in vnam gentem coalituros, Deus ab illis pro fratribus haberi voluit, Deuter. 23.7.

1. HÆ sunt autem generationes Esau, ipse est Edom. 2. Esau accepit vxores
de filiabus Chanaan; Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ
Sebeon Heuæi: 3. Basemath quoque filiam Ismaël sororem Nabaioth. 4. Peperit autem Ada Eliphaz: Basemath genuit Rahuel: 5. Oolibama genuit Iehus & Ihelon & Core. hi filij Esau qui nati sunt ei terra Chanaan. 6. Tulit autem Esau vxores suas & filios & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abijt in alteram regionem, recessitq; à fratre suo Iacob. 7. Diuites enim erant valdè, & simul habitare non poterant: nec
sufsi-

sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. 8. Habitauitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. 9. Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir, 10. & hæc nomina filiorum eius: Eliphaz filius Ada vxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath vxoris eius. 11. Fueruntque Eliphaz filij: Theman, Omar, Sepho, & Gatham & Cenez. 12. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filij Esau: quæ peperit ei Amalech. hi sunt filij Ada vxoris Esau. 13. Filij autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza. hi filij Basemath vxoris Esau. 14. Isti quoque erant filij Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, vxoris Esau, quos genuit ei, Iehus & Ihelon & Core. 15. Hi duces filiorum Esau: Filij Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, 16. dux Core, dux Gatham, dux Amalech. hi filij Eliphaz in terra Edom, & hi filij Ada. 17. Hi quoque filij Rahuel, filij Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi autem duces Rahuel in terra Edom: isti filij Basemath vxoris Esau. 18. Hi autem filij Oolibama vxoris Esau: dux Iehus, dux Ihelon, dux Core. hi duces Oolibama filiæ Anæ vxoris Esau. 19. Isti sunt filij Esau, & hi duces eorum. ipse est Edom. 20. Isti sunt filij Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana, 21. & Dison, & Eser, & Disan. hi duces Horræi, filij Seir, in terra Edom. 22. Facti sunt autem filij Lotan: Hori & Heman. erat autem soror Lotan, Thamna. 23. Et isti filij Sobal: Aluan & Manahat & Ebal, & Sepho & Onam. 24. Et hi filij Sebeon: Aia & Ana. iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui: 25. habuitque filium Dison, & filiam Oolibama. 26. Et isti filij Dison: Hamdan, & Esaban, & Iethram, & Charan. 27. Hi quoque filij Eser: Balaan, & Zauan, & Acan. 28. Habuit autem filios Disan: Hus & Aram. 29. Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, 30. dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum qui imperauerunt in terra Seir. 31. Reges autem qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent regem filij Israel, fuerunt hi: 32. Bela filius Beor, nomenque vrbis eius Denaba. 33. Mortuus est autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra. 34. Cumque mortuus esset Iobab, regnauit pro eo Husam de terra Themanorum. 35. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen vrbis eius Auith. 36. Cumque mortuus esset Adad, regnauit pro eo Semela de Masreca. 37. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth. 38. Cumque & hic obijsset, successit in regnum Balanan filius Achobor. 39. Isto quoque mortuo, regnauit pro eo Adar, nomenque vrbis eius, Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. 40. Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, 41. dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 42. dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, 43. dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

VERS. I. ADA FILIAM ELON HETHÆI] Nota, viros & feminas olim fuisse polyonymos, vt dixi can. 19. Sic ergo quæ hîc vocatur Ada, filia Elon Hethæi, Genes. 26. vers. 34. vocatur Iudith, filia Beeri: & quæ hîc vocatur Oolibama, filia Anæ, ibi vocatur Basemath, filia Elon: rursum, quæ hîc vocatur Basemath, cap. 28. vers. 9. vocatur Maheleth.

VERS. 6. ET CVNCTA QVÆ HABERE POTERAT] cunctam possessionem, quam acquisierat in terra Chanaan. ita Hebr.

Esau cessit Chananæā Iacobo. ABIIT IN ALTERAM REGIONEM] in Idumæam. eò iam antè abierat Esau ob offensam parentum, vt patet c. 32. v. 3. sed mortuo patre, cum tota familia rediјt ad patris funus in Hebron, quasi ibidem mansurus. Verùm, cùm gregibus abundaret, nec pascua vtrique, putà sibi & fratri, sufficerent, vltro cessit fratri Chananæam, ipseque redijt in suam Idumæam. ita S. Augustinus quæst. 119. Factum est hoc nutu Dei, qui Chananæam promiserat Iacobo.

VERS. 9. HÆ AVTEM SVNT GENERATIONES ESAV, PATRIS EDOM] patris Idumæorum: patet v. 43. Insulsè & imperitissimè Aben Esra, & Rabbini, Edom putant esse Romam, & Pontificem Romanum vocant monachum Idumæum. longè probabilius dicerent, Idumæos esse Iudæos; vtpote sibi inuicem tam moribus, quàm situ & nomine vicinissimos: vnde Plinius Idumæos vocat Iudæos.

IN MONTE SEIR] in Idumæa habitantis, vel potiùs quasi dicat: Hi sunt filij, id est nepotes, Esau, quos eius filij nati in Chanaan, genuerunt in Seir, id est in Idumæa. Deinceps enim Moses narrat nepotes Esau, illi natos ex suis filijs, iam habitantibus in Idumæa.

AMALECH] Fuit ergo Amalech nepos Esau, ex Eliphaz: ab hoc orti sunt & dicti Amalecitæ. VERS. 12.

HI DVCES FILIORVM ESAV] Hucusque recensuit Moses simpliciter filios & posteros Esau; nunc recenset duces ex Esau prognatos; vnde non mirum, si ijdem iteratò nominentur. priùs enim nominati fuerunt simpliciter vt filij, hîc verò nominantur vt duces. VERS. 15.

Nota. Hîc recensentur duces, v. verò 31. reges, rursum v. 40. duces prognati ex Esau: quia Idumæi primò amplexi sunt aristocratiam, in qua duces singuli suæ tribui & dynastiæ præsidebant, & regebant, non ex sua, sed ex optimatum sententia, *Aristocratia & monarchia Idumæorum.*

 vti

vti facit Dux Venetorum: deinde amplexi sunt monarchiam, in qua regali iure toti Idumææ præerant reges: tertiò iterum amplexi sunt aristocratiam, redieruntque ad suos duces. Porro tam duces, quàm reges habuerunt electiuos; vnde regni successores ponuntur, non defunctorum filij, sed alij, vt annotauit Abulens.

Vers. 20. ISTI SVNT FILII (id est incolæ) SEIR HORRÆI] q.d. Isti sunt incolæ montis, qui postea ab Esau dictus est Seir: incolæ inquam, genere & gente Horræi, qui montem hunc incoluerunt ante Esau, quosque Esauitæ expulerunt, Deuter. 2. 12. Qui ergo in sequentibus nominantur, putà Lotan, Sobal, Sebeon, &c. Horræi fuerunt, non Esauitæ. Meminit Moses Horræorum, tum quia illi primi incolæ fuerunt Idumææ, tum quia ex eis vxores duxerunt Esauitæ. Nam Thamna concubina Eliphaz, filij Esau, fuit soror Lotan Horræi, vt dicitur v. 22. ita S. Hieron.

Vers. 24. ISTE EST ANA, QVI INVENIT AQVAS CALIDAS, DVM PASCERET ASINAS] Pro *aquas calidas*, hebraicè est הַיֵּמִם *iemim*. quod Chald. vertit, *gigantes*. Secundò, Aquila, Symmachus & Septuag. retinent Hebræum nomen, vertuntque *eamim*. Tertiò, *nonnulli*, inquit S. Hieron. in Quæst. *arbitrantur, onagros ab Ana admissos esse ad asinas; & ipsum eiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur qui vocantur iamim. Plerique putant, quòd equarum greges ab asinis ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua, contra naturam animalia nascerentur.* & hoc passim sequuntur Rabbini, Vatabl. & alij, qui *iemim* mulos vertunt, illudque auidè arripit Caluinus & Nouantes, vt Vulgatam editionem criminentur & carpant. Vnde acutè, sed infideliter Robertus Stephanus in Vulgata editione, pro *aquas calidas* impressit *equas calidas*, & ad marginem adit, *id est mulos*, quos scilicet genuerint equæ calidæ cum asinis commistæ. Addunt aliqui, quòd, sicut תְאוֹמִים *teomim*, id est gemelli, seu gemini, ita & *iemim* deriuetur à verbo תָּמַם *tamam*, id est consummare, perficere, quasi *iemim* dicantur muli, quia consummati & perfecti ex gemina, siue duplici animalium specie, putà ex equa & asino prognati.

Quid hebr. iemim?

Hebræi vertunt mulos.

Verùm noster Interpres optimè *iamim* vertit, *aquas calidas*: Primò, quia in lingua Punica (quæ affinis est linguæ Hebrææ) teste S. Hieronymo, *iamim* significat aquas calidas. Secundò, quia Noster non *iemim*, sed alijs punctis *iammim* legit. vnde & Hieron. legit *iamim*: *iammim* autem hebraicè significat aquarum copiam, indeque mare, itaque vertunt hîc & legunt Euseb. Diodor. Theodor. Procop. Tertiò, in Hebræo est הַיֵּמִּים *haiammim*, pro quo legendum videtur חַיַּמִּים *chaiammim*: ח enim in vicinum ה detortum & deprauatum videtur. nam Septuag. retinentes nomen Hebræum, vertunt, *eamim*: solent autem ipsi Hebræum *chet*, reddere per *epsilon*, vnde pro *pesach* vertunt *phase*, pro *Corach Core*, pro *Therach Thare*. Iam *chaiammim* compositum videtur ex חַם *cham*, id est calidus, & יַמִּים *iammim*, id est aquæ. propriè ergo *chaiammim*, significat aquas calidas. quod Nota: nam à nullo, quod sciam, hoc animaduersum est.

Noster optimè vertit aquas calidas.

Responsio. Prima. Secunda.

Tertia.

Inuenit ergo Ana in deserto thermas, quales sunt thermæ Aquenses, quæ calidæ sunt & medicinales, quia per sulphur venasque sulphureas la- A buntur & transeunt, itaque multis morbis præsertim ortis ex pituita, medentur. Quare balneorum inuentor fuit Ana. ita Torniellus.

Ana inuenit thermas.

Tropolog. B. Petrus Damiani lib. 2. epist. 12. ad Desiderium Abbatem Cardin. *Quid est*, inquit, *per figuram, Ana in solitudine patris sui asinos pascere, nisi spiritalem quempiam virum cui Deus pater est, simplices fratres, sub disciplina remotioris studio custodire? Et quid est aquas calidas inuenire, nisi in compunctionis lachrymas, quæ de feruore S. Spiritus eliciuntur, erumpere? Onam siquidem dolor, vel tristitia eorum, siue etiam mussitatio, vel murmuratio interpretatur. Quisquis enim vera compunctionis dolore tristatur, quasi sub quadam querula mussitatione aduersum prauitatem vitæ suæ murmurare compellitur. Sebeon autem interpretatur stans in æquitate. quòd Deo congruere nemo prorsus ignorat. Ipse quippe in æquitate principaliter* B *stat, quia iustitiæ rectitudine, nulla necessitate coactus exorbitat. Onam igitur, dum patris sui Sebeon asinos in solitudine pascit, aquas calidas reperit; quia quisquis se per vitæ rectitudinem Deo filium exhibet, ac de peccatis suis medullitus dolet, dum se reddit in peruigili fratrum cura sollicitum, diuino munere percipit gratiam lachrymarum.*

ANTEQVAM HABERENT REGEM FILII ISRAEL] Vers. 31. Hæc verba videntur addita post Mosen ab eo, qui Mosis diaria digessit: tempore enim Mosis nulla erat mentio regis in Israel. vide dicta in procem. Gen.

IOBAB] Hic est S. Iob speculum patientiæ: licet Vers. 33. enim Hebræi, & S. Hieronym. velint S. Iob natum esse ex Hus, filio Nachor, fratris Abrahæ: tamen verius est S. Iob prognatum esse ex Esau, eiusque fuisse pronepotem. Esau enim genuit Ra- C huel, Rahuel genuit Zaram, Zara genuit Iobab, siue Iob: vnde eius amicus fuit Eliphaz Themanites, primogenitus Esau. Est hæc sententia Septuag. Interpretum in fine libr. Iob, est & Origenis, Philonis, S. Athanas. Chrysostomi, August. Theodor. Gregor. Hippol. Irenæi, Euseb. Tostati, Pererij & Pinedæ in cap. 1. Iob v. 1. nu. 31. Hinc patet, sanctum Iob regem fuisse in Idumæa, eumque ordine secundum.

Iobab est S. Iob pronepos Esau.

S. Iob fuit rex secundus in Idumæa.

Patet Secundò, S. Iob natum esse sub id tempus, quo Iacob descendit ad Ioseph in Ægyptum. Fuit enim Iob tertius ab Esau: Esau autem duxit vxorem, & cœpit generare anno 40. Iacob autem descendit in Ægyptum anno 130. quando tertia erat generatio, qua natus est Iob.

Natus est S. Iob cum Iacob descendit in Ægyptum.

Hinc Tertiò, sequitur, S. Iob vixisse vsque ad D tempora Mosis: vixit enim S. Iob, vt minimùm ducentos annos & decem, vti ostendit Pineda in Iob 45 v. 16. num. 3. Vixit ergo cum Mose vt minimùm annos 75. nam à descensu Iacobi in Ægyptum, qui contigit anno Iacobi 130. sub quod tempus natus est S. Iob, vsque ad exitum Mosis & Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 215. Moses autem tunc erat 80. annorum: ergo, si demus natum esse Iob anno Iacobi 130. atque vixisse 210. annos, consequenter dicere debemus, eum cum Mose vixisse annis 75. & 5. annis ante egressum Mosis & Hebræorum ex Ægypto, esse defunctum.

Vixit Iob 210. annos.

S Iob vixit cum Mose 75. annis.

SAVL DE FLVVIO ROHOBOTH] Hoc est, vt Vers. 37. 1. Paralip. 1. vers. 48. dicitur: *Saul de Rohoboth, quæ iuxta amnem sita est.* Vnde patet, Rohoboth esse vrbem, sitam iuxta amnem. per amnem hunc nonnulli Euphratem fluuium in Scriptura cele-

celebrem, per antonomasiam intelligunt. vnde A Chald. vertit, *Saul de Rohoboth, qua est supra Euphratem.*

Vers.40. Hæc ergo svnt nomina dvcvm Esav in cognationibvs, et locis, et vocabvlis svis] q.d. Hæc sunt nomina filiorum Esau, qui fuerunt duces & capita cognationum & tribuum habitantium in Idumæa, per loca & regiones sibi attributas, quas singuli à suo nomine vocarunt & indigitarunt. ita Vatablus.

CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph narrat sua somnia, inuident ei fratres, eiq; necem machinantur, sed liberat eum Ruben. vnde v.26. suadente Iuda Iosephum Madianitis, & hi eum Putiphari in Aegypto diuendunt.

1. HAbitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est.
2. Et hæ sunt generationes eius: Ioseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: & erat cum filijs Balæ & Zelphæ vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. 3. Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam. 4. Videntes autem fratres eius quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. 5. Accidit quoque vt visum somnium referret fratribus suis: quæ causa maioris odij seminarium fuit.
6. Dixitque ad eos: Audite somnium meum quod vidi: 7. Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare. vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. 8. Responderunt fratres eius: Numquid rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, inuidiæ & odij fomitem ministrauit. 9. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas vndecim, adorare me. 10. Quod cùm patri suo & fratribus retulisset; increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram? 11. Inuidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat. 12. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, 13. dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, 14. Præstò sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem: 15. inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. 16. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. 17. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain.
18. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: 19. & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: 20. venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemusque, Fera pessima deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. 21. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: 22. Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem: sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. 23. Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita: 24. miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. 25. Et sedentes vt comederent panem, viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum, portantes aromata, & resinam, & stacten, in Aegyptum. 26. Dixit ergo Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? 27. Melius est vt venumdetur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim & caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus illius. 28. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Aegyptum. 29. Reuersusque Ruben ad cisternam, non inuenit puerum: 30. & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quò ibo? 31. Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt: 32. mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non. 33. Quam cùm agnouisset pater, ait: Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. 34. Scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. 35. Congrega-

tis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu, 36. Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

Vers. 2. HÆ SVNT GENERATIONES EIVS] Iacobi, q. d. Deinceps enarrabo posteros Iacobi, eorumque casus, euenta & gesta, maximè Iosephi, vt feci Esau cap. præcedenti. hîc enim incipit historia Iosephi innocentissimi, castissimi & patientissimi. vide S. Ambros. lib. de Ioseph.

IOSEPH CVM SEDECIM ESSET ANNORVM] Hebræi, Chaldæi, Septuag. & Iosephus habent *septemdecim*, scilicet expleuerat Ioseph annum 16. & inchoarat 17. vnde Philo: Erat, inquit, circiter 17. annorum. vnde hebr. est: *Ioseph erat filius 17. annorum.* Hebr. enim בן *ben*, id est filius, significat inchoationem, & quasi ædificationem illius rei, à radice בנה *bana*, id est ædificauit, vt patet Exodi 2. 5. q. d. Ioseph adhuc ædificabatur à decimo septimo anno, vel agebat decimum septimum annum.

Hæc ergo contigerunt Iosepho, paulò post mortem matris Rachelis, & natiuitatem Beniamin, scilicet eodem, vel sequenti anno, cùm Iacob esset annorum 107. putà anno mundi 2216.

Nota. Ioseph ab anno hoc 16. ad 30. per integros 13. annos duram & miseram tolerauit seruitutem, anno verò 30. euectus est ad principatum, in eoque vixit felix & gloriosus, vtpote princeps Ægypti, per annos 80. vsque ad obitum: obijt enim anno ætatis 110. itaque Ioseph expressus fuit typus Christi patientis & resurgentis. Vide S. Chrysost. homil. 61. & sequent. & S. Ambros. lib. de Ioseph: *Discite*, inquit Ambrosius, *in Abraham impigram fidei deuotionem; in Isaac sincera mentis puritatem; in Iacob laborum tolerantiam; in Ioseph speculum castitatis*: adde, & patientiæ & constantiæ in tolerandis odijs, persecutionibus, calumnijs, seruitute, carcere, &c.

Ioseph tredecim annos seruiens & 80. dominans, typus fuit Christi patientis & resurgentis.

ADHVC PVER] tum ætate, tum moribus & innocentia.

ERAT, CVM FILIIS BALÆ ET ZELPHÆ] Videtur Iacob diuisisse gregem suum in duos, vnum dedisse pascendum sex filijs Liæ, alterum commisisse filijs Balæ & Zelphæ ancillarum, cum quibus iunxit Iosephum: quia hi facilè patiebantur Iosephum sibi præferri, quod filij Liæ non patiebantur. Sicut enim inter Rachel & Liam fuit æmulatio, ita & inter earum filios: putabant enim filij Liæ, mortua præsertim Rachele, sibi quasi senioribus, seniore matre, eaque adhuc superstite, natis, primas deberi.

ACCVSAVITQVE] Ita habent Hebræa, Chald. Aquila, Symmachus & Theodotion. Verùm Septuag. in editione Romana habent, κατήνεγκαν, id est, accusauerunt, scilicet fratres ipsum Iosephum: & ita legunt Theodor. S. Chrysost. Diodorus & Cyrillus. Verùm corrigendum est κατήνεγκεν, id est accusauit: sic enim habent Septuag. in editione Regia, & hoc exigunt Hebræa, ipsaque historiæ series.

Nota. Ioseph vtpote innocens & sanctus, seruauit ordinem correptionis fraternæ, quem ipsa ratio naturalis dictat, vt scilicet moneatur secretò proximus de suo peccato, antequam ad superiorem deferatur. Monuit ergo Ioseph prius

A suos fratres, sed, cùm monitionem suam ab eis negligi cerneret, detulit eos ad patrem. ita Abulensis.

FRATRES] maximè filios Balæ & Zelphæ, inquit S. Cyrillus, vtpote cum quibus versabatur, & pascebat oues.

CRIMINE PESSIMO] contra naturam, putà de peccato, vel Sodomitico, vt vult Rupertus; vel bestialitatis cum ouibus, quas pascebant, vt vult S. Thom. Abul. & Hugo de S. Victore, quod proinde, quia pudendum, horrendum & infame, noluit hîc Moses nominare: est enim hoc peccatum mutum, ob sui enormitatem silentio premendum. Hebræa habent דבה רעה *dibba raa*, id est infamiam malam. vnde videtur hoc fratrum Ioseph

Quod crimen pessimum.

B peccatum, infandum fuisse, infame & publicum.

Alij, vt Pererius, per crimen pessimum intelligunt rixas & odia mutua: alij intelligunt murmurationem contra patrem, quòd Iosephum iuniorem sibi præferret. Verùm hæc non sunt *dibba*. id est infamia, resque infamis, fœda & infanda. Iudæi nonnulli putant, quòd Ioseph solum Ruben accusauerit de suo incestu cum Bala. Verùm repugnat id, quod hîc dicitur, eum scilicet accusasse, non fratrem, sed fratres, quasi plures eorum accusauerit. ita Abulensis.

ET QVOD IN SENECTVTE GENVISSET EVM] Vers. 3.
Hebraicè est, *eò quòd esset filius senectutis*, id est præditus senili modestia, prudentia & moribus, inquit Theodoret. Iosephus & Burgens. vnde Chaldæus

C vertit, *quia filius sapiens erat ei.* Verùm meliùs magisque genuinè vertit Noster, *eò quòd in senectute genuisset eum.* Licet enim Iacob, intra secundum septennium seruitutis suæ genuerit omnes filios, etiam Iosephum, vno excepto Beniamin: tamen Iosephus omnium erat vltimus & minimus, præter Beniamin, qui hoc anno decimo sexto Iosephi, tantùm infans erat vnius anni. Ioseph ergo vocatur filius senectutis, non absolutè, sed respectu cæterorum filiorum Iacob, qui omnes ante Iosephum sunt geniti, ita vt illorum respectu Ioseph esset filius senectutis, id est, vltima patris generantis ætate, vltimò genitus.

Notat Philo libr. de Abraham, parentes solere diligere filios in senectute genitos, præ alijs filijs,

D quia tales sunt vltimi parentum fructus, post quos non sperant alios. Secundò, quia tales sunt indices bonæ & fortis senectutis parentum. Audi Philon. *Serò natos*, inquit, *impotentiùs parentes amant, vel quia diu desideratos, vel quia natura effæta nullā posteà sperat prolem, vel quia maximè gaudent se in senectute robustos esse ad generandum.* Adde, quia Ioseph similis erat patri, & auo: sicut enim Iacob natus est ex Rebecca sterili, & Isaac ex Sara sterili: sic Ioseph prodijt ex Rachel sterili, & Iacob sene, inquit Rupert. Addit Caietanus, quia per tales, vtpote diutiùs victuros, diutiùs potest parentum nomen & memoria conseruari.

Præter hanc amoris causam, fuit & alia, eaque præcipua, scilicet vitæ morumque innocentia in Iosepho. ita S. Chrysost. homil. 61. Porrò ad hanc physicè non parum adiuuit senilis tum ætas, tum amor patris. Senes enim quia frigidi sunt, maturi,

ri, sapientes, casti, compositi; hinc tales generant, æquè ac educant filios. Exemplum clarum est in illustri familia Anitia (quæ deinde *Frangipani* est dicta) quæ ab anu originem & nomen accepit. Anitius enim eius parens & conditor ita nuncupatus est, quòd à matre anu, id est vetula, genitus esset. Hæc enim familia in lucem edidit S. Paulinum Nolæ Episcopum, S. Benedictum, S. Scholasticam, S. Placidum, Seuerinum Boëtium, S. Syluiam, S. Gregorium Magnum, S. Thomam Aquinatem, aliosque plurimos castitate, sapientia, omnique virtute conspicuos, vti ex Panuino docet Franciscus Zazzera tract. de Familia Anitia: qui tamen addit, nonnullos censere, Anitios origine & nomine esse Græcos, dicique quasi ἀνικήτους, id est inuictos. Longè clarius exemplum est in B. Virgine: Deus enim congruè disposuit, vt ipsa à parentibus senibus & sanctis Anna & Ioachim nasceretur & educaretur: quia ipsam destinabat humilitatis primiceriam, virginitatis iubar, sapientiæ & sanctitatis solem efficere, ac supra Angelos, Cherubim & Seraphim euehere.

Fecitqve ei tvnicam polymitam] Hebraicè פסים *passim*, id est ex frustis & licijs diuersi coloris variegatam. ita Septuag. sicut enim τρίμιτος est trilix, siue trium liciorum vestis, ita πολύμιτος est multilix, siue multorum liciorum vestis. Aquila vertit, *talarem*; Symmachus, *manicatam*.

Polymita est variegatura prudentiæ & virtutum.

Symbolicè hæc tunica polymita, est variegatura virtutum, inquit Rupert. *Meritò ergo variam tunicam fecit ei, quò significaret eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum*, ait S. Ambros. Et, vt ait Philo lib. de Ioseph, seu de viro ciuili & politico, hæc toga polymita est multiformis prudentia principis. Princeps enim, qualis euasit Ioseph, debet esse polymitus: quia alius debet esse in pace, alius in bello, alius cum hostibus, alius cum amicis, &c. adeoque debet esse πολύτροπος, qualem fuisse Vlyssem canit Homerus, qui scilicet pro ratione rerum & personarum, in omnes formas & figuras se vertere & versare possit.

S. Gregor. verò lib. 1. Moral. cap. vltimo, qui cum Aquila, tunicam hanc talarem accipit: Talaris, inquit, tunica est perseuerantia, quæ ad talos, id est ad terminum vitæ, protenditur.

Quatuor causæ inuidiæ fratrum in Iosephum.

Nota hic, Causa odij & inuidiæ fratrum contra Ioseph, fuit Primò, quòd Ioseph plus diligeretur à patre. Secundò, quòd eos apud patrem accusasset de crimine. Tertiò, somnia Iosephi. Quartò, tunica eius polymita assiduè oculos fratrum feriens. Fuit enim hæc tunica dolor oculorum fratribus, quæ Iosepho & patri carò stetit. nam hac eum exspoliarunt fratres, mortem ei machinati sunt, tandemque eum vendiderunt Ismaëlitis.

Filij æqualiter educandi.

Discant hoc exemplo parentes, filios æqualiter amare, vestire, educare, suaque dona & bona æqualiter, quoad fieri potest, partiri, ne, si vnum alteri præferant, hic fiat pusillanimis, ille superbiat, itaque perpetuam inter eos inuidiam & rixas, ac consequenter sibi perpetuum dolorem & tristitiam concilient. Solent enim fratrum & amicorum odia esse acerbissima, cuius rei causam dat Aristot. lib. 7. Politic. cap. 7. tum quòd omnis mutatio fiat ex contrario in contrarium, ideoque summus amor in summum odium conuertatur: tum quòd iniuria à fratre, vel amico illata, videa-

Fratrum odia sunt acerbissima, cur?

A tur esse acerbior: à quibus enim beneficium sibi deberi existimant, ab eisdem non solùm eo priuari, sed insuper se lædi sentiunt, idque acerbum ducunt homines. Audi S. Ambrosium lib. de Ioseph cap. 2. *Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hereditas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter Iacob sancti filios exarsit inuidia?* Excusat tamen Iacobum, *quòd illum plus amabat, in quo maiora virtutum insignia præuidebat, vt non tam filium pater prætulisse videatur, quam propheta mysterium; meritoq́ue variam tunicam fecit ei, quò significaret eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum.*

B Oderant evm] Est hic locus moralis illustris de inuidia. Vnde Nota hîc inuidiæ conditiones & remedia. Primò, inuidia similis est ophthalmiæ, quæ rebus valdè splendidis & lucentibus offenditur & læditur: sic enim inuidia aliorum bonis, virtute & gloria acerbatur & tabescit. Vnde Aristot. rogatus, *quid* esset *inuidia*, respondit, *Est antagonista fortunatorum*. Secundò, quanto magis crescit virtus & gloria, tanto crescit & inuidia. Vndè Themistocles, cùm esset adolescens, dicebat & dolebat, se nullum adhuc præclarum facinus fecisse, Quia, inquit, nemo adhuc mihi inuidet. Tertiò, inuidia neminem lædit nisi seipsam. Sicut enim rubigo ferrum, sic inuidia inuidum conficit & consumit; & sicut vipera dicitur matris ventrem rodere & rumpere, vt nascatur, ita inuidia inuidi mentem rodit & rumpit. vnde C Horatius:

Vers. 4.
Octo proprietates inuidiæ.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Inuidia est vipera & serra animæ.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Tormentum maius.

Vis ideam & formam inuidiæ? Aptè Ouidius lib. 2. Metamorph. inuidiam ita depingit:

Pallor in ore sedet, macies q́ue in corpore toto,
Nusquam recta acies; liuent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitq́ue videndo
Successus hominum, carpitq́ue & carpitur vnà,
Suppliciumq́ue suum est.

Hinc Anacharsis dixit inuidiam esse serram animæ: & Socrates, esse vlcus animæ. Hinc & Euagoras censuit inuidos esse infeliciores alijs homini- D bus, eisque duplo magis miseros esse: eò quòd alij tantùm proprijs malis crucientur; inuidi verò insuper alienis bonis torquentur. Quartò, inuidia plerumque clariorem & feliciorem facit eum, cui inuidet: ita fratres Iosephi per inuidiam eum vendendo, fuerunt causa cur in Ægypto exaltaretur. Quintò, S. Gregor. lib. 5. Moral. in illud Iobi cap. 5. *Paruulum occidit inuidia*, docet inuidum pusilli esse animi, angusti cordis, ingenij vilis atque abiecti: inuidendo namque alijs ostendit se illis minorem & inferiorem esse, suamque paruitatem & paupertatem prodit. quod enim inuidet, hoc ipse non habet, & vehementer concupiscit. Sextò, inuidia etiam corpus exedit & consumit. hinc ait Sapiens Prouerb. 14. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* Septimò, S. Basilius sermone de inuidia docet, efficacissimum remedium contra inuidiam esse contemptum

Quarta.
Quinta.
Sexta.
Septima.
Remedia inuidiæ.

gloriæ, & omnium bonorum temporalium, vtpote fluxorum & caducorum: atque amorem & desiderium bonorum æternorum. qua de re vide S.Gregor.lib.5.Moral.in fine. Sic & Crates Thebanus dicebat, se pro patria habere gloriæ contemptum & paupertatem, in quæ nullum ius exerceret fortuna. Aiebat item, se Diogenis Cynici ciuem esse & discipulum, qui nullis inuidiæ patebat insidijs. Opes enim & honores plerumque conciliant hominum inuidiam. ita de eo refert Laërtius lib.6. Verè quoque ait Nazianzenus in distich. iambicis: *Christo annuente nihil potest linor: Christo abnuente nihil potest labor.*

Octaua. Octauò, Cato senior dicebat, eos qui fortuna moderatè sobrieque vterentur, minimè peti inuidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis quæ nos circumstant, inuident homines; rursum, ij qui bonis insolenter vtuntur, sibi conflant inuidiam. testis est Plutarc. in Rom. Apophthegm. Vnde S.Gregor.Nazianz. cùm per sui æmulos & inuidos turbaretur Ecclesia, cessit, dixitque: *Absit, vt mei causa aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est illa tempestas, tollite & mittite me in mare.* Sic Cleobulus rogatus à quodam, quænam præcipuè cauenda sint, respondit: Amicorum quidem inuidiam, inimicorum autem insidias.

Vide & quatuordecim inuidiæ proprietates apud Pererium hîc n.30.& seq.

Octo inuidiæ remedia assignat noster Vincent. Regius lib.4.Disquisit.Euangel.cap.16.

Vers.6. AVDITE SOMNIVM] Somnium hoc, vti euentus declarauit, non naturale fuit, sed à Deo immissum, quo Deus portendebat & significabat futura, tam Iosepho, quàm fratribus.

Vers.7. PVTABAM NOS LIGARE MANIPVLOS] segetum & frumenti. Aptè hoc symbolo portendebatur fratrum in Ægyptum profectio, ad faciendam frumentationem tempore famis. Rursum, quòd manipuli fratrum adorent manipulum Iosephi, clarè significabat, quòd fratres adoraturi essent Iosephum in Ægypto. ita Theodor.q.93.

Tropologicè, hic manipulus Iosephi est Christus, quem omnes legis & Prophetarum lectiones, omnes Sancti & angeli circumstant & adorant, inquit Rupertus. Et S.Ambros. lib. de Ioseph. c.2. *In quo*, inquit, *vtique futura resurrectio Domini Iesu reuelata est, quem & in Galilæa cùm vidissent, vndecim adorauere discipuli; & omnes Sancti cùm resurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum proferentes, sicut scriptum est: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Vers.9. SOLEM, ET LVNAM, ET STELLAS VNDECIM ADORARE ME] Hic alio symbolo & somnio prior visio à Deo confirmatur. Sol significat patrem, lunam matrem, scilicet Balam; quæ ancilla Rachelis, ea iam mortua, Iosepho fuit instar matris, inquit Lyranus & Abulensis; vndecim stellæ significant vndecim fratres, Iosephum in Ægypto adoraturos. Porrò manipuli visi sunt adorare Iosephum, inclinando se illi, suasque aristas illi incuruando & prosternendo. Sic sol, luna & stellæ ex alto demittentes se ad pedes eius, visæ sunt illum venerari: fortè etiam facie humana vestitæ apparuere (vti eas pingunt pictores) eamque Iosepho submisêre, & prostrauêre in terram.

Hic disce, patres & principes (vti erat Iacob) debere esse in familia & republ. id quod sol est in vniuerso. Simile fuit quod de Æsopo, magno illo mythologo legimus in eius vita, scilicet eum instar legatorū regiorum magnificè exceptum fuisse à Nectenabo rege Ægypti. Rex enim regali paludamento amictus, in capite gestans gemmatam cidarim, procerum corona circumseptus, sublimi sedebat solio. Rogauit deinde eum rex: *Cui me, eosque qui circa me sunt assimilas?* Respondit mythologus: *Te soli verno, hos autem spicis pretiosis assimilo.* Quo dicto rex adeò fuit delectatus, vt hominem admiratione donisque prosecutus sit. Vide ea quæ dicturus sum Isaiæ 45 1. Insigne ergo speculum familiæ est, in qua pater est velut sol, mater quasi luna, filij sicut stellæ ob morum splendorem. Quocirca S.Ambros. lib. de Ioseph cap.2. probat puerum Iesum adoratum à Ioseph & Maria, ex illo psalm.148. vers.3. *Laudate eum sol & luna*: Solis, inquit, instar est Ioseph, lunæ vicem gerit Maria. Sicut enim sol terram: ita pater calefacit fouetque familiam. Sicut luna lumen mutuatur à sole: sic vxor à marito dignitatem & potestatem suam accipit. Rursum sicut luna nunc plena est, nunc vacua: ita mater nunc pleno est vtero, nunc vacuo. Tertiò, luna præest humidis & pueris: sic & mater tota est in educatione & regimine puerorum. Quartò, luna regit noctem, sol diem: sic & vir lucem foris administrat, vxor domi. Maiora hæc lumina in familia, sequuntur minora illa stellarum scintillantium in multitudine filiorum, de quibus Deus Abrahæ: *Suspice cælum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum.* ita Fernand. visione 3. in fine. Allegor. Ioseph hic gerit typum Christi. Audi S.Ambros. loco iam citato: *Quis*, inquit, *est ille, quem parentes & fratres adorauerunt super terram, nisi Christus Iesus, quando eum Maria & Ioseph cum discipulis adorauerunt, Deum verum esse in illo corpore confitentes, de quo solo dictum est: Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen?*

INCREPAVIT EVM PATER] non quòd illi offenderetur, aut somnium hoc contemneret (ipse enim suspicans somnium hoc esse à Deo & futura portendere, rem tacitus considerabat) sed vt hac increpatione Iosephum liberaret inuidia fratrum, eumque in modestia contineret. Vers.10.

PATER VERO REM TACITVS CONSIDERABAT] Vers.11.
Iacob addictus fuit considerationi, æquè ac pater eius Isaac, qui egrediebatur ad meditandum in agro, Genes.24. ideoque in omnibus operibus suis erat circumspectus, compositus & sanctus. Audi S.Bernard. lib.1. de Considerat.cap.7. *Mentem*, inquit, *purificat consideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat: postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis est, alterum prudentiæ.*

Allegor. S.Ambros. lib. de Ioseph cap.2. Ioseph, inquit, à patre missus ad fratres pascentes oues, est Christus à Patre missus in carnem, vt nos, ac præsertim Iudæos, quasi fratres suos saluaret. Vnde ipse ait: *Non veni nisi ad oues perditas domus Israel.*

VENI, MITTAM TE] Hinc patet, Iacobum reuocasse Vers. 13.

uocasse Iosephum à fratribus & gregibus, vt hac eius absentia inuidiam fratrum sopiret. Post aliquod tempus putans esse sopitam, remittit ad eos Iosephum, vt inter eos & inter se sit internuntius, itaque rursum fratrum beneuolentiam sibi conciliet. Deinde noluit pater eum domi desidere otiosum. virtus enim negotijs alitur, segnitie marcescit.

Vers. 14. MISSVS DE VALLE HEBRON] Hinc patet Iacobum, æquè ac Isaac & Abrahamum, habitasse in Hebron, indeque misisse Iosephum ad fratres.

Somniator quid? Primò. Secundò. Tertiò. SOMNIATOR] Hebraicè בַּעַל הַחֲלֹמוֹת *baal bachalomot*, id est, dominus somniorum, id est, habens & possidens somnia: Secundò, peritus fingere somnia: Tertiò, dominus & princeps, sed in somnio. q.d. Erit Ioseph noster dominus & princeps, non reipsa, sed in somnio. somniat se nostrum fore principem: sit ergo princeps, sed per sua somnia. vocemus & creemus eum principem & regem somniorum.

Allegoricè, S. Ambros. libr. de Ioseph cap.3. *Hoc, ait, scriptum est de Ioseph, completum in Christo, quando Iudæi in eius passione dicebant: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deum, liberet nunc eum si vult.*

Vers. 21. NON INTERFICIATIS ANIMAM] id est vitam, cuius causa est anima. Est metonymia. Perperam ergo ex hac phrasi conteudebant Sadducæi, animam esse mortalem, eamque posse interfici & mori. Alij per animam accipiunt carnem, siue corpus, afferuntque simile Leuit.21.v.1.& 11. Verùm ibi, non caro viua, sed cadauer vocatur anima, per antiphrasin.

PROIICITE EVM IN CISTERNAM] Dixit hoc Ruben, vt Iosephum à morte liberaret: cogitabat enim illum secretò ex cisterna extrahere, & ad patrem reducere, vt amissam incestu patris gratiam, hac in fratrem tam patri charum pietate, recuperaret.

Allegoricè, Ioseph mittitur in cisternam, id est, Christus descendit ad inferos: inde eductus venditur Ismaelitis; quia Christus resurgens à Gentilibus omnibus, fidei commercio comparatur, inquit Eucher. lib.3. cap.37.

Vers. 24. MISERVNTQVE] Addit Iosephus, Ioseph à Ruben fuisse fune demissum. Quid hîc Ioseph? erat quasi ouis inter lupos, flebat, gemebat, precabatur. Audi ipsosmet fratres cap.42. *Meritò, inquiunt, hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus.* Patheticè hanc Iosephi ad fratres deprecationem describit S. Ephrem tractatu de Laudibus Ioseph.

Vers. 25. *Quid resina?* RESINAM] Resina dicitur humor tenax ex arbore defluens, eique adhærens, laudatissima est quæ fluit ex terebintho, & terebinthina dicitur.

Stacte. STACTEN] Stacte est lachryma myrrhæ, quæ à myrrha fluit & distillat. vnde dicitur stacte, id est stillatitia, ἀπὸ τοῦ στάζειν, id est, à stillando.

Vers. 26. DIXIT ERGO IVDAS] Metuens Iudas, ne Ioseph in cisterna tandem à fratribus necaretur, hac de causa suadet eum vendi. Notat Seuerianus, aptè auctorem venditionis Iosephi fuisse Iudam, quia per Iudam vendendus erat Christus, cuius typus erat Ioseph. Verùm Iudas hic Iosephum bona mente & fine: Iudas ille Christum mala & sacrilega vendidit.

A VENDIDERVNT EVM] Notat S. Basilius serm. de inuidia, inuidos illis modis, quibus aliorum gloriam conantur obscurare, iisdem magis illustrare. *Ideo*, inquit S. Gregorius lib.6. Moral. c.12. *venditus est a fratribus Ioseph, ne ab eis adoraretur, sed ideo est adoratus quia est venditus. Sic diuinum consilium, dum deuitatur, impletur; sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur.* Nonne verè dixit Sanctus ille? *Persecutores aurifabri sunt, qui nobis & præsentis & æterni regni coronas fabricant.* Vers. 28. *Inuidi suos æmulos magis illustrant.*

Fratribus ergo & mundo miser & infelix videbatur hîc esse Ioseph: reuera tamen non erat. Nam hoc ipso facto incipit Deus erigere manipulum eius, fratrumque manipulos deiicere. Tunc enim Deus exaltare incipit, cùm humiliat: & quo quemque plus exaltare intendit, eo profundiùs eum humiliat. ita fecit in Ioseph, & maximè in Christo.

B Thalamus ergo virtutis & gloriæ est aduersitas & deiectio.

ISMAELITIS] Paulò antè Moses vocauit mercatores hos Madianitas, vel quia habitabant in Madian, cùm essent ex posteris Ismaëlis; vel potiùs, quia partim erant Ismaëlitæ, partim Madianitæ. Sic enim mercatores Flandri & Galli simul ad nundinas proficisci solent. ita Caietan. & Pererius.

VIGINTI ARGENTEIS] Intellige siclis. ita Chald. id est, 20. florenis Brabanticis. ita Pererius, Maldonatus, & alij. licet aliqui, vt Ribera & Suarez, argenteum putent esse dimidium sicli; vt Ioseph venditus sit 10. florenis Brabanticis. Origenes, S. August. & Beda legunt, *triginta argenteis*: quia totidem venditus est Christus. Verùm Hebræa, Chaldæa, Græca & Iosephus constanter legunt,

C *viginti argénteis.* Scilicet, non decebat, ait S. Hieron. famulum tanti vendi quanti dominum, putà tanti Iosephum quanti Christum. Vel potiùs, Christus, quia vir, minoris est venditus quàm Ioseph, vtpote puer. viliùs enim vir emitur 30. florenis, quàm puer 20. Adde, Christus emptus est ad crucem, Ioseph verò tantùm ad seruitutem. vilior ergo & ignominiosior fuit venditio Christi, quàm Iosephi. *Pluris venditus est Ioseph quàm Christus.*

PVER NON COMPARET, ET EGO QVO IBO?] q.d. Cùm Ioseph patri charissimus perierit, vel occisus sit, siue à vobis, siue à bestijs, quid agam? quò me vertam? quò ibo? non enim audeo comparere coram patre nostro. Pater enim à me, quasi seniore filio, suum Ioseph exposcet, & cùm eum illi exhibere nequeam, ingentem illi tristitiam & mihi offensam conciliabo. cùm ergo patrem grauiter

D incestu meo offenderim, sciamque hac Ioseph perditione mihi magis offendendum, non ausim in conspectum eius prodire: quò ergo ibo? Vers. 30.

TVLERVNT AVTEM TVNICAM EIVS, ET IN SANGVINE HOEDI, QVEM OCCIDERANT, TINXERVNT] Allegor. S. Ambros. lib. de Ioseph cap.3. *Illud quoque, ait, quod hœdi sanguine resperserant tunicam eius, videtur significare, quoniam falsis testimonijs appetentes, in inuidiam deduxere peccati, omnium peccata donantem. Nobis agnus est, illis hœdus. Nobis agnus Dei occisus est, quibus abstulit peccatum mundi: illis hœdus, quorum acerbauit errores, delicta cumulauit.* Vers. 31.

SCISSISQVE VESTIBVS] Vetus hic fuit mos, vt in luctu scinderent vestes; eratque hoc symbolum planctus. Scissio enim vestium significabat scissum dolore cor. Septima fuit hæc tribulatio Iacobi. Vers. 34.

Primus ciliciphorus fuit Iacob.

INDVTVS EST CILICIO] Primus qui in luctu saccum, siue cilicium induisse legitur, fuit Iacob hoc loco: vnde postea idipsum eius posteri, putà Israelitæ, in luctu imitati sunt: hinc etiam vestis Christianorum pœnitentium, iam olim erat cilicium, teste Tertull. lib. de Pœnitent. Iacobo ergo patriarcha, quasi antesignano, glorientur ciliciphori, eumque opponant mollibus Nouantibus, qui aspera omnia aspernantur, ciliciumque numquam induerunt, & fortè numquam viderunt.

Ita S. Hilarion, teste S. Hieron. aspero cilicio è palmis confecto corpus edomuit. Ita S. Simeon Stilites, qui 80. annos iugiter in columna stetit, cilicio induebatur, teste Theodoreto. Ita Eremitæ, Monachi, Ascetæ, pœnitentes ciliciis se armabant, teste Palladio, Theodor. Climacho, & aliis.

Sed audi feminas, imò Ducissas & Reginas. B S. Margareta Hungarorum regis filia cilicio corpus macerauit. Idem fecit S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ. S. Clara nobilis virgo, per 28. annos hirsutum ex corio porcino cilicium, pilis & setis aculeatis ad carnem obuersis, eamque pungentibus, gestauit. S. Radegundis Francorum regina purpuram cum cilicio commutauit. Atque vt alias omittam, quas refert noster Gretserus lib. 1. de Disciplin. cap. vltimo, audi memorabile exemplum, quod vetus auctor refert de S. Cunegunde, in eius vita. Erat Cunegundis vxor Henrici Imper. quæ in coniugio virgo permansit, vsque suam virginitatem marito probaret, nudis pedibus super candens ferrum illæsa ambulauit: hæc mortuo marito Imper. ex Imperatrice facta Religiosa cilicium induit, illique iugiter indormire, imò immori voluit: cumque agonizans videret sibi parari re- C gales exequias & aurea feretro obtendi velamina; tum illa pallentes vultus, quos antè vt sponso venienti lætos videres, ad hos retorquere, manu abnuere. *Amictus iste, ait, non est meus, auferte hinc; hic alienus est: his terreno sponso, istis cælesti copulata sum. nuda de vtero matris meæ egressa, nuda regrediar illuc. his vilem miseræ carnis materiam inuoluite, & corpusculum meum iuxta tumulum fratris mei ac D. Henrici Imp. quem me iam vocantem video, in proprio locello reponite.* Atque his dictis virgineum spiritum Christo sponso reddidit. Sic de S. Cæcilia legimus: *Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat*, dicens illud Dauidicum: *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar*: itaque & angeli conspectum ac tutelam, & mariti conuersionem, & illustrem martyrii lauream, & corporis integritatem ac incorruptionem in ho- D diernum vsque diem promeruit. Denique S. Martinus moriens in cinere & cilicio recumbebat, dicebatque: *Non decet Christianum nisi in cinere mori.* testis est Sulpitius. Quod imitatus S. Carolus Borromæus sanxit, vti sui Clerici in morte cilicio & cinere se operirent, eisque suo præiuit exemplo: moriens enim cilicio, quo sanus crebrò vtebatur, & cineri priùs benedicto incubuit, vt habet eius Vita lib. 7. cap. 12.

LVGENS FILIVM SVVM MVLTO TEMPORE] scilicet 23. annis, putà ab anno 16. Iosephi, quo ipse venditus est, vsque ad 39 eiusdem, quo fratres tempore famis in Ægypto eum adierunt, & cum patre eumdem adorarunt: sed sensim luctus huius sensus in Iacobo imminutus fuit. nam *plaga animi quantalibet tempore mitigatur.* Artem ergo obliuionis (quam præ arte memoriæ discere auebat Themistocles) docet tempus.

DESCENDAM AD FILIVM MEVM LVGENS IN INFERNVM] Pro *infernum* aliqui vertunt, *sepulcrum.* ita Caluinus, Eugubinus, Vatablus, Pagninus, quin & Lipoman. Verùm Hebræum שאל *scheol*, propriè infernum significat, non sepulchrum; & ita verterunt Septuag. æquè ac Noster interpres: itaque vertendum esse ratio ipsa conuincit. nam Iacob putabat Iosephum à bestiis deuoratum, ideoque insepultum esse: ergo non putabat, nec optabat ad eum descendere in sepulchrum, sed in infernum, putà in limbum patrum. Adde, animam non sepulchro, sed limbo teneri: Iacob autem Iosephi mortui animam superstitem videre cupiebat. Sensus ergo est, q. d. Ego, ô filii, nullam consolationem admittam, donec Iosephum videam, quem, vtpote iam mortuum, visurus non sum, donec post mortem anima mea animæ illius in limbo coniungatur. Planè enim confido, Iosephi innocentis animam ad maiorum animas accessisse in sinum Abrahæ, quem etiam mihi reseruari spero. Hinc patet, Iacobum ex maiorum instructione & traditione credidisse animæ immortalitatem: rursum, animas iustorum defunctorum ante Christum, descendisse ad limbum patrum, vbi erat sinus Abrahæ. — VERS. 35.

Ethnici sperarunt vitam immortalem. Cercidas.

Idipsum senserunt, & per vmbram viderunt Philosophi Ethnici. Ælian. lib. 13. narrat, Cercidam Megalopolitanum qui morbo laborabat, interrogatum, num libenter migraret è vita, respondisse: *Quidni? Delector separatione animæ à corpore, quoniam ad eos oras ascendam, vbi videbo ex philosophis Pythagoram, ex poëtis Homerum, ex musicis Olympum, & alios viros in omni scientia præstantissimos.*

Socrates.

Socrates priusquam venenum hauriret, dixit: *Quanti æstimatis colloqui in altera vita cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo? quanta voluptate perfundar, cùm Palamedem, cùm Aiacem, cùm alios iudicio iniquorum damnatos conueniam? Equidem sæpè excedere è vita, si fieri posset, vellem, vt quæ dico, possem inuenire.*

Cato. Plato.

Cato legens librum Platonis de Immortal. animæ, seipsum occidit, vt immortalem hanc vitam assequeretur.

Cyrus.

Cyrus apud Xenophontem moriens ait ad filios: *Nolite putare filii, me, tùm ab hac vita migrauero, nusquam, aut nullum fore. Nam nec dum vobiscum communicabam, animum meum intuebamini, sed corpus hoc eius esse domicilium intelligebatis. Eumdem eum esse creditote, etiamsi modò separetur à corpore.*

Cicero. Scipio.

Cicero lib. 6. de Republ. Scipionem Africanum iam vita functum, ita loquentem inducit: *Sic habeto, omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cælo ac definitum locum, vbi æuo sempiterno fruantur.* Et interrogatus, viueretne ipse, & alii, qui putabantur extincti: *Imò verò*, inquit, *hi viuunt, qui ex corporum vinculis, tamquam è carcere euolarunt. Vestra verò quæ dicitur vita, mors est.* Rationes eorum erant:

Rationes. Prima.

Animus hominis concipit, contemplatur, concupiscit cælestia & immortalia: ergo est cælestis & immortalis.

Secunda.

Animus in hac vita non habet satietatem, nec centrum in quo quiescat: ergo illud habebit in altera vita: alioqui esset infelicior aliis creaturis.

Tertia.

Omne quod est corruptibile, aut est corpus, aut accidens. hæc enim, quia habent contraria, possunt corrumpi. Atqui anima hominis non est corporea,

porea, nec accidens: ergo est incorruptibilis. Secùs est de animabus brutorum: hæ enim à corpore per omnia pendent, ideoque corporeæ & corruptibiles censendæ sunt.

Dicat nunc Christianus cum Tobia: *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est ijs, qui fidem suam numquam mutant ab eo.*

VERS. 36. EVNVCHO] id est, regij cubiculi custodi. Nota. Eunuchis, vtpote ad actum venereum impotentibus, olim committebatur custodia reginæ, eiusque puellarum, cubilisque regij. hinc eunuchi erant intimi & proximi regi & reginæ. Hac de causa eunuchi vocati sunt principes aulæ, etiamsi non essent eunuchi, id est exsecti. Vnde Chaldæus pro eunucho hîc vertit, רַבָּא *rabba*, id est princeps, satrapa. nam Putiphar hic propriè eunuchus non erat; habebat enim vxorem. ita Procopius, Gennadius, Abulensis & Lyranus. Sic c.40. v.1. pincerna & pistor Pharaonis vocantur eunuchi, id est ministri regis. Olim enim aulæ regum plenæ erant eunuchis, ijsque reges ad omne ministerium vtebantur: vti de aula Constantij Imperatoris clarissimum est; illam enim implebant & regebant eunuchi.

Eunuchus idem est quod regius minister, & princeps aulæ.

MAGISTRO MILITVM] præfecto custodiæ regiæ. Hebraicè est שַׂר הַטַּבָּחִים *sar hattabbachim*, id est, principi occidentium, vel iugulantium, putà militum. Septuag. vertunt, ἀρχιμαγείρῳ: quod licet S. Ambros. vertat, *principi coquorum*; tamen aptiùs hîc vertas, *principi occidentium*, vel mactantium. μαγειρεύειν enim, teste S. Hieronymo, significat occidere. vnde coci dicti sunt μάγειροι, quòd coquendas pecudes & aues priùs occidant, à voce μάγας, quæ Phauorino idem est quod machæra. talis *sar hattabbachim*, & *archimagirus* fuit Nabuzardan: fuit enim ipse princeps militiæ, quem Nabuchodonosor præfecit bello & excidio Hierosolymitano, 4. Reg. vlt. vers. 11.

Moraliter hoc capite disce, quot persecutionibus & aduersis Deus Iosephum virosque probos exerceat, vt eos in patientia, lenitate, indeque in animi puritate perficiat. Ioseph enim per hanc patientiam adeptus est miram illam castimoniam. Verissimum est illud Cassiani collat. 12. 6. *Quantum quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet. Scriptum est enim: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (sui corporis:) *non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus antè compresserit.* Hinc & quidam Sanctorum ait: *Benigni & corpus, & anima, & mens perpetua fruitur sanitate: gaudet in contumelia, Deum laudat in calamitate, iratos mitigat, sub humilitatis iugo triumphat, affectibus omnibus dominatur,* maximeque choleræ & libidini.

Mor. patientia est mater castitatis.

Denique S. Chrysost. homil. 61. *Magnum,* inquit, *virtutis est robur, & malitiæ infirmitas.* Id in fine declarat per patientiam quam continuò ostendit Ioseph: *Vt sic,* inquit, *quasi athleta fortiter certans redimiatur corona regni, & euentus somniorum impleatur, quo doceantur qui eum vendiderant, quòd nihil commodi ex sua malitia deportent. Tantam enim fortitudinem habet virtus, vt clarior fiat cùm infestatur. Nihil enim ea fortius, nihil validius; sed is qui eam possidet, & supernam gratiam habet, & inde præsidium consequitur, omnibus est fortior, & inuictus, & capi nequit, non solùm hominum insidijs, sed & dæmonum machinationibus. Id scientes ne fugiamus malè affligi, sed malè agere: hoc enim est verè male affligi. Nam qui proximum affligere tentat, illi quidem nihil nocet, sibi autem immortalia tormenta thesaurizat.* quia & fratres persequendo Ioseph, ipsum gloria, seipsos ignominia affecerunt, vt idem docet homil. 62. & sequent.

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVdas generat Her & Onan, quos Deus ob mollitiem & retractum in actu coniugij, occidit. Secundò, v. 16. Thamar dolosè ex Iuda concipit, gignitque Phares & Zaram.

1. EOdem tempore descendens Iudas à fratribus suis, diuertit ad virum Odollami-
tem, nomine Hiram 2. Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo
Sue: & accepta vxore, ingressus est ad eam. 3. Quæ concepit, & peperit filium, &
vocauit nomen eius Her. 4. Rursumque concepto fœtu, natum filium vocauit
Onan. 5. Tertium quoque peperit: quem appellauit Sela. quo nato parere vltrà
cessauit. 6. Dedit autem Iudas vxorem primogenito suo Her nomine Thamar.
7. Fuit quoque Her, primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est.
8. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris
tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. 9. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.
10. Et idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.
11. Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec
crescat Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Quæ
abijt, & habitauit in domo patris sui. 12. Euolutis autem multis diebus, mortua est
filia Sue vxor Iudæ: qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores
ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas. 13. Nuntiatumque est Thamar, quòd socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues.
14. Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu, sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam, eò quòd creuisset Sela, & non eum accepisset

pisset maritum. 15. Quam cùm vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. 16. Ingrediensque ad eam ait: Dimitte me vt coëam tecum: nesciebat enim quòd nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? 17. dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. 18. Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit, 19. & surgens abijt: depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. 20. Misit autem Iudas hœdum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cùm non inuenisset eam, 21. interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix; 22. reuersus est ad Iudam, & dixit ei: Non inueni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi scortum. 23. Ait Iudas: Habeat sibi, certè mendacij arguere nos non potest: ego misi hœdum quem promiseram, & tu non inuenisti eam. 24. Ecce autem post tres menses nuntiauerunt Iudæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas: Producite eam vt comburatur. 25. Quæ cùm duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt, concepi: cognosce cuius sit annulus & armilla, & baculus. 26. Qui, agnitis muneribus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen vltrà non cognouit eam. 27. Instante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: 28. Iste egredietur prior. 29. Illo verò retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius, Phares. 30. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.

Describit hîc Moses genealogiam Iudæ, potiùs quàm aliorum fratrum: quia ex Iuda de Thamar nasciturus erat Christus. Secundò, ne Iudæi Gentiles despicerent; cùm tribus Iuda, quæ erat nobilissima, ex Chananæis, per matrem Thamar, descenderet. ita Gennad.

Vers. 1. Eodem tempore] Putà anno 16. Iosephi, paulò post eius venditionem Iudas duxit vxorem. Erat ergo tunc Iudas 19. annorum; erat enim ipse tribus annis senior Iosepho, nam natus est anno 88. Ioseph verò 91. Iacobi patris sui, vt dixi cap. 30. Hinc sequitur, Hesron & Hamul nepotes Iudæ, ex Thamar & Phares, non potuisse nasci in Chanaan, ante descensum Iacobi in Ægyptum, qui contigit 13. annis à vendito Ioseph, putà anno Ioseph 39. sed eos natos esse post descensum Iacobi, habitante & viuente eo in Ægypto. ita Abulensis. licet S. August. quæst. 128. contrarium sentiat, ex eo quòd putet Iudam, non eodem anno quo venditus est Ioseph, sed duobus aut tribus annis antè duxisse vxorem. Sed prius est verius. Esto enim demus S. Augustino, Her natum esse Iudæ tribus annis ante venditum Ioseph, tamen non potuit Her ducere Thamar ante annum ætatis suæ decimum sextum; post quem Thamar nupsit Onan; deinde expectauit aliquot annis pubertatem Sela; ac tandem prostituens se Iudæ genuit Phares: Phares autem vt minimùm sedecim erat annorum, cùm genuit Hesron & Hamul. quæ omnia non 23. aut 26. sed 34. vt minimùm annos exposcunt, ante quos exactos Iacob iampridem, putà à nouem annis, ex Chanaan descenderat in Ægyptum. Quod enim Iudæi asserunt Phares anno ætatis nono genuisse Hesron, incredibile & impossibile est.

Phares vbi & quando natus.

Vers. 2. Viditque] concupiuit.

Sue] Non est nomen filiæ, sed patris eius, soceri Iudæ, vt patet ex Hebræo.

A Vocavit nomen eius Her] In Hebræo est masculinum וַיִּקְרָא *vaiicra*, id est, & vocauit, scilicet pater Iudas; in reliquis verò duobus est femininum וַתִּקְרָא *vatticra*, id est, & vocauit, scilicet mater, putà vxor Iudæ. Vnde patet patrem primogenito suo Her nomen dedisse; matrem verò alijs duobus postea natis. Sic Rachel filium suum iuniorem vocauit Benoni, quod tamen nomen mutauit pater, vocans eum Beniamin. Vers. 3.

Parere vltra cessavit] Hebraicè est וְהָיָה בִכְזִיב *vehaia biczib*, quod Septuag. Chald. & Vatablus vertunt, *erat in Kesib, quando peperit eum*, quasi כְּזִיב *Kesib* sit nomen proprium vrbis Palæstinæ. Verùm meliùs, teste S. Hieron. in Quæst. in Genes. Noster interpres *Kesib* accepit, non vt proprium, sed vt appellatiuum, quo modo significat *mendacium*, siue *defectum*. q. d. Erat B in defectu pariendi, defecit eam conceptus & partus, destitit parere. vnde & Aquila vertit, *fletit partus eius*. Hunc sensum exposcunt sequentia, quæ planè significant hunc vltimum eius fuisse filium. Vers. 5.

Fuit quoque Her nequam] Consentiunt Hebræi & Christiani, tam Her, quàm Onan, peccasse peccato mollitiei & retractus, quod est contra naturam generationis & matrimonij: perdit enim fœtum & conceptum in suo semine. vnde ab Hebræis hoc peccatum comparatur homicidio, & à Script. vers. 10. vocatur detestabile. Her ergo non peccauit crudelitate, vt vult S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 48. sed libidine, scilicet retrahendo se in actu matrimonij, vt semen extra naturale vas vxoris profunderet; idque fecit ex libidinis intemperantia, ne scilicet puerperia, & liberorum educatio aliquid de pulchritudine suæ vxoris, ac consequenter de sua delectatione venerea decerperet. Onan frater Her eodem peccato peccauit, sed ex alio motiuo, Vers. 7.

Her & Onan peccarunt mollitie & retractu.

motiuo, eoque grauiori & sceleſtiori, putà ex inuidia, ne ſcilicet ſi conſummaret actum matrimonij, filios non ſibi, ſed fratri procrearet. Pulchrè *Her* hebraicè per metatheſin eſt רע *ra*, id eſt malus, peruerſus: qui enim à patre vocatus erat ער *Her*, id eſt vigil, per peccatum conuerſus eſt in רע *ra*, id eſt peruerſum. Onan hebraicè idem eſt quod iniquitas & dolor; hic enim illam quaſi filius matrem indiuiduè comitatur & inſequitur.

Her & Onan occiſi ab Aſmodæo.

ET AB EO OCCISVS EST] Tam Her quàm Onan, ob peccatum mollitiei occiſi ſunt à Deo, per angelum malum, vt videtur, putà per Aſmodæum. hic enim occidit libidinoſos maritos Saræ, Tobiæ 3.7. Rurſum Deus, inquit Abulenſis, occidit eos, immittendo eis terribilem plagam, ita vt liqueret eos non naturaliter, ſed à Deo fuiſſe ſublatos, in pœnam iniquitatum ſuarum.

Notent Confeſſarij hanc Dei vindictam in molles, inque coniuges ſe in actu coniugij retrahentes, eamque ſuis pœnitentibus inculcent. Si enim hoc ſæculo tam rudi, inculto & proiecto, Deus ita puniuit Her & Onan, quomodo puniet in luce hac & lege Euangelij Chriſtianos, qui ſe polluunt?

S. Chriſtina vidit orbem mollitie perditum.

Vidit S. Chriſtina Mirabilis in ſpiritu, mundum hoc peccato pollutionis plenum & obrutum, ideoque Deum toti mundo grauiſſimas intentare plagas, quas vt auerteret ipſa, miris & horrendis modis & pœnis ſeſe excruciabat. Ioannes Benedictus in Summa caſuum, ad ſextum decalogi præceptum, ex Conrado Clingio mirum quid de hoc peccato tradit (penes eos ſit fides) ſiue reuelatione, ſiue experientia acceptum: quòd ſcilicet ij, qui tot annis, quot vixit Chriſtus, putà triginta tribus, in hoc pollutionis peccato perſeuerant, ſint incurabiles, & quaſi deſperatæ ſalutis, ni mira, rara & extraordinaria Dei gratia eis ſuccurrat, eoſque conuertat. Videat ergo qui in hoc peccatum lapſus eſt, vt ſtatim ab eo per pœnitentiam reſurgat, ne habitum contrahat, ad quem natura per ſe propenſiſſima eſt, quem proinde poſtea exuere non poſſit, itaque ſibi nectat & plectat funes libidinis inextricabilis, qui eum in abyſſum pertrahant, ignique gehennæ inſolubiliter aſtringant.

Mollities diutina incurabilis.

VERS. 9. NON NASCI SIBI FILIOS] Nota, ante legem Deuteron. 25. v. 5. fuiſſe in more apud patres, vt frater fratris ſine liberis defuncti vxorem duceret, eique ſemen, id eſt prolem, ſuſcitaret, ne eius nomen & familia interiret; ita ſcilicet, vt primogenitus quem ex fratris vxore procreaſſet, nomine, non ſuo, ſed fratris cenſeretur: reliqui verò deinceps nati, ſui cenſerentur, ſuoque nomine vocarentur. Primogenitus ergo, generandus ab Onan, vocandus erat filius Her: reliqui verò, vocandi erant filij Onan. Sed inuidus & impius Onan, ne fratri luceret, ſibiipſi lucernam exſtinxit, dum ſemen ſuum in terram profudit & perdidit.

Nota Secundò enallagen, *filios*, id eſt filium, ſcilicet primogenitum, vti dixi, &, ſi is moreretur, ſecundogenitum, qui in locum primogeniti ſuccederet.

Nota Tertiò, quædam legalia in vſu fuiſſe ante Moſen; talis enim eſt hæc adoptio & arrogatio filiorum: talia quoque fuerunt obſeruatio ſabbati, diſcretio animalium mundorum ab immundis, circumciſio, & alia quædam, quæ Dei inſtinctu aut præcepto ſeruarunt patres ante Moſen & legem.

ESTO VIDVA] Hinc, & ex v. 8. colligitur, illa VERS. 11. ætate mulierem, quæ nupſerat in aliqua familia, illi deinceps quaſi addictam fuiſſe, vt, ſi maritus eius moreretur, alium eiuſdem familiæ duceret, qui ſemen fratri defuncto ſuſcitaret; quòd ſi talis nullus eſſet, aut ſeſe non offerret, tum poterat ex alia familia maritum capeſſere. Ex hac ergo conſuetudine, Thamar adhæſit familiæ Iudæ, nec de ea in aliam tranſijt.

TIMEBAT ENIM] Hebraicè eſt, *dicebat enim* (ſubaudi, Non dabo tertium filium Sela ipſi Thamar, in maritum) *ne ipſe moriatur*, ſicut duo priores fratres eius, qui fuerunt mariti Thamar, in coniugio cum ea mortui ſunt. Hinc patet, Iudam hoc prætextu & dolo voluiſſe ablegare à ſe & ſua familia Thamaram, cui iam ipſa per duplex matrimonium incorporata fuerat, dicendo, filium ſuum Sela adhuc iuniorem eſſe, itaque moras nectendo eludebat Thamaram; timebat enim ne Thamar, vel ob peccata ſua, vel ob infelicitatem ſuam, eſſet cauſa, aut certè occaſio mortis maritorum ſuorum. hoc enim Saræ vxori Tobiæ, ex ſimili ſuſpicione improperatum eſt, Tobiæ 3. verſ. 9.

Senſit hunc Iudæ dolum Thamar, quæ prolem non aliunde, quàm ex ſtirpe Iudæ & Abrahæ, à Deo benedicta, quærebat, cumque Sela maritum ſibi promiſſum, iam puberem & maturum, ſibi negari cerneret, mirabili ſtropha dolum Iudæ eluſit, cumque in Iudæ caput retorſit.

ASSVMPSIT THERISTRVM] peplo ſe obuoluit, VERS. 14. ne agnoſceretur. Erat theriſtrum velum æſtiuum, inquit Suidas, ita dictum ἀπὸ τοῦ θέρους, id eſt ab æſtate & æſtu quem arcebat. Hebrææ mulieres olim (vti iam Italicæ faciunt) peplo vel velo ſerico operiebant caput & totum corpus, vti dixi Ezech. 16. 10. idque partim honeſtatis, partim ornatus (theriſtrum enim hîc opponitur veſtibus viduitatis & luctus) partim æſtus arcendi gratia.

Quid theriſtrum.

SEDIT IN BIVIO ITINERIS] Hebraicè eſt, ſedit בפתח עינים *bepetach enaim*: quod Septuag. vertunt, *ſedit ad portas enan*. Verùm Nota. Hebræi biuium vocant *petach enaim*, id eſt apertionem, &, vt Chald. vertit, diuiſionem duorum oculorum; quia in biuio ſolemus oculos diuertere in duas partes, putà in duas ſemitas. Ita in biuijs ſedent meretrices, vt vtrimque tranſeuntes venentur & captent: hinc in biuio ſedit Thamar captans Iudam.

INGREDIENSQVE AD EAM] Iudas hîc peccauit VERS. 16. ſimplici fornicatione: non enim agnoſcebat ſuam nurum: & vxor Iudæ iam erat mortua, vt patet v. 12. ac proinde Iudas iam erat viduus & ſolutus: Thamar verò peccauit & fornicatione, & quaſi adulterio (erat enim deſponſa Selæ filio Iudæ, vt patet verſ. 11.) & inceſtu, quia agnoſcebat Iudam ſuum ſocerum. Errat ergo Franc. Georgius ſectione 4. problemate 265. vbi aſſerit Thamar non peccaſſe, quia ad myſterium hoc egit. Grauius errat problemate 267. vti & R. Moſes lib. 3. More cap. 50. dum excuſant fornicationem Iudæ cum Thamar hoc nomine, quòd ante legem Moſis meretricium non fuerit prohibitum, ideoque licitum. Certum enim eſt fornicationem ſimplicem eſſe peccatum contra legem naturæ, ideo-

Iudas peccauit fornicatione, Thamar etiam adulterio & inceſtu.

Error Georgij Veneti & R. Moſis.

ideoque eam omni tempore, etiam ante legem Mosi, fuisse vetitam & illicitam, vti docent S. Hieron. S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, S. Thomas. Lyran. Abulensis, & alij passim.

Dices, S. Chrysost. & Theodor. hîc excusant Thamar & Iudam. Respondeo, Non excusant factum, sed facti intentionem in Thamar: quia Thamar non libidinem, vt Iudas, sed prolem intendebat. Secundò, hoc factum quodammodo excusant, dum illud referunt ad Dei dispositionem, id est, permissionem & ordinationem. Deus enim permisit hoc peccatum, & hanc fornicationem Iudæ, vt ex ea nasceretur Phares, & ex Phares nasceretur Christus; eam ergo ordinauit ad Christum.

Sic S. Ambros. eleuat venditionem Iosephi quasi factam in typum venditionis Christi, cùm tamen constet eam in se fuisse graue peccatum: Deus enim omnia peccata & mala hominum nouit ordinare & dirigere ad bonum finem: vnde semper ex malis bonum aliquod elicit.

Error R. Simeon. Friuolum ergo est, quod ait R. Simeon Iochai, Thamar fornicatam esse Dei instinctu, vt ex Iuda Messiam conciperet: perinde ac Osee Dei instinctu & iussu duxit fornicariam, & ex ea procreauit filios, qui idcirco vocantur filij fornicationum.

Verùm hoc de Osee exprimit Scriptura, nil autem tale exprimit de Thamar. Rursum, hæc fornicaria Dei iussu facta est vxor Osee; constat autem Thamar non esse effectam vxorem Iudæ, imò Iudam deinceps ab ea abstinuisse, vt patet vers. 26.

VERS. 18. ET BACVLVM] scipionem viatorium, quali in via vsus est & Iacob, c. 32. v. 10.

VERS. 23. HABEAT SIBI, CERTE MENDACII ARGVERE NOS NON POTEST] Hebraicè est, *seruet sibi* (meum annulum, armillam, & baculum) *ne fortè simus in confusionem*: si enim eam quæramus, & nostra hæc ab ea repetamus, illa id indignè ferens, publicabit meam fornicationem, itaque magna me confusione & ignominia afficiet; præsertim si ipsa meum annulum ostentet. Ridebunt enim homines meam leuitatem, petulantiam & turpitudinem; quòd annulum meum signatorium meretrici dederim; quodque illa hunc annulum poscendo, sibique seruando me ita deluserit, vt literas quas voluerit meo nomine fingere, meoque sigillo obsignare possit.

Rursum, si annulum repetam, illa, vt eum seruet, iactabit me mercedem pactam ipsi non soluisse. itaque fraudis & mendacij me publicè arguet, meque confundet; licet falsò: ego enim misi ei hœdum, quem promisi. hæc enim omnia in concisa hac oratione Iudæ, more Hebræo, subaudiuntur, & supplenda sunt. Vnde Noster magis Iudæ mentem & sensum quàm verba respiciens, clarè vertit, *certè mendacij arguere nos non potest: ego misi hædum, quem promiseram.*

VERS. 24. PRODVCITE EAM, VT COMBVRATVR] Dicit hoc Iudas, ait S. Thomas, quasi accusaturus Thamar in publico iudicio, vrsurusque, vt iudex eam igni adiudicet. Secundò & verisimiliùs, profert hîc Iudas sententiam combustionis in Thamar, quasi iudex: vnde ea mox executioni mandata est. sequitur enim: *Quæ cùm duceretur ad pœnam.* Erat enim Iudas paterfamilias, qui more prisci illius sæculi erat iudex suæ familiæ: aut potiùs Iudas tamquam fratrum animosissimus, à Iacobo patre constitutus erat quasi prætor totius familiæ, quæ numerosa erat, putà omnium Hebræorum: hi enim à tempore Abrahæ propriam habuerunt rempubl. à republ. Chananæorum distinctam, in qua patriarcha & princeps erat Iacob. Erant enim ipsi peregrini, à Deo selecti & segregati ab alijs populis, erantque quasi respubl. ambulans, donec sub Iosue in Chanaan sedes fixerunt. Iudas ergo quasi prætor nurum suam Thamar ad rogum depoposcit, ob certum & publicum adulterij crimen: erat enim ipsa desponsa Selæ filio Iudæ, ac sponsalia hæc violauit per concubitum cum Iuda, ideoque fuit adultera.

Hinc patet, adulterij pœnam prisco illo sæculo fuisse mortem, eamque ignis: sicuti paulò pòst Deus per Mosen adulteros iussit occidi per lapidationem, Leuit. 20. v. 10. item mulieribus adulteris decreuit aquas maledictionis, quæ vterum earum disrumperent, Num. 5. 27. Ægyptij adulteros virgis cædebant ad mille plagas; adulteras naso truncabant, ad perenne dedecus. testis est Diodorus lib. 1. c. 6. *Adulterij pœna olim erat combustio.* *Adulterij pœna apud Ægyptios.*

Apud Arabes, Parthos, aliasque nationes, adulteris semper pœna capitis fuit: quod plerique Philosophi prodidere, qui adulterium periurio grauius crimen censuerunt. testis est Alexandr. ab Alex. l. 4. c. 1. *Arabes, Parthos,*

Cumani adulteram in foro omnibus ridendam exponebant: deinde asino per totam vrbem circumuehebant, vt tota vita esset infamis, indeque ὀνοβάτις dicebatur, quòd asinum equitasset. testis Plutarch. in Probl. Tenedius rex legem tulit in adulteros, vt vtriusque corpus securi cideretur, eiusque legis exemplum in filium edidit. Plato lib 9. de Legibus, fornicantem mortis supplicio condemnat: adulterum impunè à viro occidi posse asserit. Solon adulterum deprehendenti, permisit occidere, teste Plutarcho in Solone. *Cumanos,*

In adulteros graues pœnas sanxit Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius, Domitianus, Seuerus, & Aurelianus, qui in adulterum id excogitauit, vt duarum arborum inflexis capitibus, ac ad pedes religatis, moxque dimissis, interuulsus vtrimque penderet. testis est Cœlius lib. 10. c. 6. Opilius Macrinus adulteros igne cremabat, teste Alexand. ab Alexand. suprà. *Romanos,*

Saxones adhuc Pagani, adulteram cogebant se suspendio necare, & super bustum illius incensæ & concrematæ, adulterum suspendebant. testis S. Bonifacius apud Guiliel. Malmesbur. l. 1. c. 64. de Anglis. *Saxones,*

Quin & Mahomet, adulterum publicè fustigari ad centum ictus, sanxit. *Turcas,*

Brasilienses adulteras vel occidunt, vel tamquam seruas vendunt. testis Osorius lib. 2. de Gestis Emmanuelis. *Brasilios.*

Nota. Iudas ex ira hîc præcipitat sententiam: damnat enim Thamar inauditam; rursum damnat non tantùm Thamar, sed & fœtum eius innocentem. Iussit enim Thamar grauidam, cum fœtu trimestri iam animato, comburi; itaque fœtum tam corpore, quàm anima interfici. quod est contra omne ius naturæ & gentium. ita Caiet. Quòd enim aliqui sic exponunt, *Producite eam*, scilicet, inquiunt, non proximè ad rogum, sed carcerem, vt illic asseruetur, donec pepererit, & postea combu-

comburatur; non satis cohæret cum textu, qui sic A habet: *Producite eam*, non vt incarceretur, sed *vt comburatur*. Vnde & mox ad ignem protacta fuit Thamar. Subdit enim statim Moses, dicens, *Quæ cùm duceretur ad pœnam.* nam post hæc Thamar demum v.27. parit.

VERS.26. IVSTIOR ME EST] Non ait, sanctior me est, vel castior; sed iustior: quia grauiùs peccauit Thamar quàm Iudas. hic enim sola fornicatione, illa fornicatione, adulterio & incestu peccauit: iustior tamen fuit, id est magis æquè ac iustè egit Thamar cum Iuda, quàm Iudas cum Thamar. Iudas enim promissa & pacta sua illi non seruauit, negando ei matrimonium Sela promissum; itaque prouocauit & adegit eam vt hanc stropham strueret Iudæ, qua prolem, quam ex Sela sperabat, cùm eam iniustè impediret Iudas, ab ipso Iuda repeteret. cùm enim Thamar familiæ Iudæ & B Abrahæ iam addicta, omnino ex ea prolem cuperet, & negaretur ei suus Sela, alium modum vt sui iusti voti compos fieret, non habuit, quàm si astutè, licet per scelus, ex ipso Iuda prolem quæreret: Thamar ergo coram Deo iniquior, sed coram Iuda iustior extitit.

Cur Thamar iustior quàm Iudas?

QVIA NON TRADIDI EAM SELA] Subaudi, idcirco hoc fecit, vt hanc in me fabam cuderet.

ATTAMEN VLTRA NON COGNOVIT EAM] Mansit ergo Thamar deinceps cælebs contenta prole suscepta ex Iuda, inquit Theodor. nam Sela eam, hoc incestu paterno pollutam, non potuit, nec voluit habere coniugem, sed aliam duxit, vt patet Numer. 26. 19. ex qua varios genuit filios, & inter eos vnum, qui stare fecit solem, vt dicitur 1. Paral. 4.22. de quo ibi. C

VERS.27. APPARVERVNT] Obstetrix manu ad vterum admota, cognouit duos intus motitari, & quasi luctari, vter prior exiret.

VERS.28. ISTE EGREDIETVR PRIOR] Hebraicè, *iste egressus est prior.* q.d. Iste est primogenitus, quia prior manum extulit; vnde coccineo filo, vel funiculo eum ligabo & signabo, vt, si oriatur dubium, vel incertitudo aliqua, sciatur ex filo quòd hic prior manum extulerit, sitque primogenitus.

VERS.29. RETRAHENTE MANVM] Hæc omnia Deo dirigente & disponente facta esse docet S. Chrysostomus; nimirum volebat Deus non Zaram, sed Phares primò nasci, esseque primogenitum, quia ex Phares volebat nasci Christum Dominum.

DIXITQVE MVLIER] obstetrix ægrè ferens se deceptam, metuens etiam ne hæc violenta colluctatio & eruptio matri aut gemellis noceret, dixit: D

QVARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA?] Hebraicè est, *quare rupisti super te rupturam*, vel *maceriam*, id est, cur membranam qua operiebaris rupisti, vt prodires ante fratrem tuum? hoc est, cur ruptis secundinis prior egressus es, & anteuertisti fratrem tuum?

Gemelli enim easdem secundinas habent. Audi Fernelium lib.7. Physiologiæ c.12. *Qui gemelli vnius sunt sexus, iisdem secundis inuoluti, simplici dumtaxat membrana* (quam ἄμνιον, id est agninam, vocant) *seiunguntur, suum quisque tamen vmbilicum, propriasq́; tum venas, tum arterias obtinet. Qui verò diuersi sunt sexus, diuersas quoque secundas acceperunt, easq́; prorsus diremptas.* Idem docet Rodericus à Castro libr.3. de Natura mulierum c.13. idemque per experientiam se comperisse nostri medici profitentur.

Gemelli eiusdē sexus easdem habent secundinas.

Nota. Hæc sunt verba obstetricis, ægrè ferentis, vti dixi, præreptum esse Zaræ à Phares exitum ex vtero, & primogenituram. Nota. Pro *maceria* hebraicè est *phares*, id est ruptura, item murus, siue sepes (vt vertunt LXX.) quæ rumpitur. murus hic membrana, qua quasi muro infans in vtero matris cingitur & inuoluitur, quaque perrupta egreditur. Hæc membrana, vocatur secundinæ, eò quòd infantem nascentem sequantur, & ex vtero emittantur. Hinc infans vocatus est Phares, id est diuisio vel diuisor aut ruptor: quia prior rupit & diuisit secundinas, quasi murum sibi obstantem, vt prior nasceretur. *Phares* inquit S. Hieron. *ab eo quòd diuiserit membranulam secundinarum, diuisionis nomen accepit. vnde & Pharisæi. qui se quasi iustos à populo separauerant, Pharisæi, id est diuisi, appellabantur.* hinc & illud, quod Balsasari inscriptum fuit, Daniel. 5.28. *Mane, Tekel, Phares*, id est, *numeratum, appensum & diuisum est regnum tuum*, ac datum Persis & Medis. ita S. Hieron.

Phares est diuisor.

Nota Secundò, Phares habitus fuit primogenitus Iudæ, habuitque iura primogenituræ: vnde stirps Iudæ texitur per Phares: ac Dauid, omnesque reges, & Christus ipse Iudæ promissus Genes. 49.10. ex eo per Phares prognati sunt.

Dices, Sela, filius Iudæ legitimus, senior fuit Phares: proximè enim post Her & Onan genitus est; ergo iis mortuis, ad eum deuolutum est ius primogenituræ, præsertim cùm Sela filios reliquerit, qui nominantur 1. Paral. 4.21. Resp. Her fuisse primogenitum Iudæ, eoque mortuo, debuisse Onan, & deinde Selam ducere eius vxorem relictam Thamar, ac ex ea suscitare semen Her fratri suo, eiusque nomine censere primogenitum, scilicet vocando eum filium Her, vt dixi v.9. Quia verò hoc non fecit Sela, sed Iudas, gignendo ex Thamar Phares, hinc Phares censetur primogenitus, vtpote filius Thamar vxoris Her primogeniti; ac consequenter succedens in locum Her primogeniti, ex vsu & lege illius sæculi. Hac de causa operosè hîc narratur generatio & natiuitas Phares, ante Zaram, quia si Zara fuisset natus ante Phares, fuisset primogenitus Iudæ: hinc in vtero contendit cum Phares vt prior nasceretur. Hic rursum videmus causam, cur Thamar tam ardenter quæsierit prolem ex Sela, & eo negato, ex Iuda; quia scilicet cupiebat ex se nasci primogenitum heredem & principem nobilissimæ familiæ Iudæ. Licet enim lex de suscitando semine fratri demortuo, tantùm nominaret & obligaret fratres, non patres, eò quòd copula nurus cum patre, putà cum socero, esset vetita; tamen si pater filium suum negaret nurui illiberi & viduæ, illi ex lege debitum, illaque proinde ius suũ, licet per scelus, reposceret à patre, putà à socero, vti fecit hic Thamar, tunc proles ex ea primò nascens, censebatur primogenita: quia iuris fictione & interpretatione, censebatur pater fecisse, iusque nurui, æquè ac primogenito suo mortuo debitum reddidisse per se, quod debuisset facere & reddere per filium superstitem. Cùm enim regula Iuris habeat: *Quod quis facit per alium, hoc per se facere videtur*; multò magis, quod quis per alium facere tenetur, si per se faciat, reipsa fecisse censendus est. Addunt aliqui, videri stirpem Selæ in posteris defecisse: nulla enim eius alibi fit mentio: Phares verò stirps durauit vsque ad Christum. Emortua ergo stirpe Selæ, omni

iure primogenitura deuoluta est ad stirpem Phares, vtpote proximam. Verùm hoc incertum est, nec satisfacit. Nam iam inde ab initio, cùm adhuc staret stirps Selæ, Aminadab qui fuit secundus à Phares (Phares enim genuit Esron, hic genuit Aran, hic Aminadab) eiusque filius Naason, fuerunt principes in tribu Iudæ, quasi eius primogeniti; vt patet Numer. 1. 7.

VERS. 30. *Zara est oriens.* ZARA] *Zara* hebraicè idem est quod oriens, quia hic filius cùm prior extendisset manum, prior quoque oriri & nasci debebat naturaliter. Vocatus est, inquit S. Hieron. *Zara*, id est oriens, siue quia primus apparuit, siue quòd plurimi iusti ex eo nati sunt vt patet 1. Paral. c. 2. & seq.

Allegoricè, Zara qui prior manum protulit, est Iudæus, qui prior legem accepit, sed manum coccineo filo ligatam retraxit; quia conscientiam Christi sanguine pollutam, à Deo & salute auertit: vnde ei prælatus est Phares, id est Gentilis populus, qui prior ad lucem fidei venit, & Deo natus est, rupitque maceriam inimicitiarum inter Deum & homines per Christi sanguinem. ita Rupert. & Cyrill. E contrario tamen S. Chrysost. Irenæus, & Theodor. per Zaram Christianos Gentiles, per Phares Iudæos accipiunt.

Mor omnis nobilitas ignobile habuit principium. Moraliter, vide hîc qualis sit origo familiarum nobilissimarum, quidque sit nobilitas. Ecce enim ex hoc incestu Iudæ cum Thamar prognati sunt Dauid, Salomon, omnesque reges Iudæ, ipseque Christus Dominus: hic enim à Iuda per Phares & Thamar descendit. Nam omnes legitimi filij Iudæ, vel nullos, vt Her & Onan; vel paucos & plebeios, vt Sela, posteros habuerunt, vt liquet 1. Paral. 4. v. 21. Pari modo nullus est rex, aut princeps, qui si suos maiores à bis mille annis repetat, inter eos non inuenturus sit multos spurios, multos rusticos aut cerdones, aut his viliores. quinimò permulti ex vilissima prosapia mox ad regnum euecti sunt. Ita Saul ab asinis, Dauid ab ouibus ad regnum euasit. Iephte ex latrone factus est princeps, Arsaces ex latrone factus est rex Parthorum, Gyges ex pastore factus est rex Lydorum. Darius Hystaspis Cyri pharetrophorus fuit. *Exempla.* Valentinianus I. Imper. patrem habuit funes torquentem. Tamberlanes ex bubulco factus est rex Tartarorum. Agathocles Syracusanorum tyrannus patrem habuit figulum. Tullus Hostilius ex pastore factus est rex Rom. Aurelianus & Diocletianus humili genere nati sunt. Maximinus fuit opilio. Maximus Puppienus patrem habuit fabrum ferrarium. Iustinus I. Imper. primò fuit subulcus; secundò bubulcus; tertiò faber lignarius; quartò miles, inde Imperator. Mahometes auctor mahometismi & Alcorani, camelarius fuit. Othomannus primus Turcarum princeps agrariis parentibus ortus est, cuius posteri etiamnum Turcarum sunt Imperatores. Sultanos Ægyptios ex gentis & regni instituto priùs oportebat seruos esse, quàm ad eum honorem conscenderent. Denique omnis nobilitas ignobile habuit principium: & qui in auorum nobilitate gloriantur, non in sua, sed in aliena virtute gloriantur. Et hoc ergo vanitas est. Rectè Poëta:

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.
Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Et meritò Iphicrates cuidam exprobranti ignobilitatem, *Meum*, inquit, *genus à me incipit, tuum in te desinit.* ita Plutarch. in Apophthegm. Idem suis æmulis respondit Cicero: *Ego*, ait, *meis maioribus virtute præluxi.*

CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IOsephi castitas tentatur ab hera; ille relicta ei chlamyde fugit, ideoq; per calumniam hera incarceratur.

1. IGitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat. 2. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens: habitauitque in domo domini sui, 3. qui optimè nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. 4. Inuenitque Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant: 5. benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiam: 6. nec quidquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. 7. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. 8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua. 9. nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? 10. Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. 11. Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: 12. & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras. 13. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, 14. vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum

virum Hebræum,vt illuderet nobis: ingressus est ad me,vt coiret mecum: cumque ego
succlamassem, 15. & audiuisset vocem meam,reliquit pallium quod tenebam,& fu-
git foras. 16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito reuer-
tenti domum, 17. & ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus,quem adduxisti vt illu-
deret mihi: 18. cumque audisset me clamare,reliquit pallium quod tenebam & fugit
foras. 19. His auditis dominus,& nimiùm credulus verbis coniugis,iratus est valdè:
20. tradiditque Ioseph in carcerem,vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.
21. Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu
principis carceris. 22. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia
tenebantur:& quidquid fiebat sub ipso erat. 23. Nec nouerat aliquid,cunctis ei cre-
ditis: Dominus enim erat cum illo,& omnia opera eius dirigebat.

Vers. 1. IGITVR IOSEPH] Redit hîc Moses ad historiam Iosephi, intercisam cap. præcedenti per historiam genealogiæ Iudæ. gesta enim Iosephi & Iudæ præ aliis fratribus prosequitur hîc Moses: quia Iudas & Ioseph diuiserunt primogenituram Rubeni, à qua ipse propter incestum excidit, vt patebit c.49.v.3.& 4.

EMITQVE EVM PVTIPHAR] Tradunt Hebræi, inquit S. Hieron. Putiphar emisse Iosephum ob nimiam eius pulchritudinem, in turpe ministerium, ideoque Deo vindice virilia ei exaruisse, vt fieret eunuchus, eaque de causa electum esse sacerdotem Heliopoleos: & huius filiam esse Aseneth, quam postea vxorem Ioseph accepit. Hanc traditionem probare videtur S. Hieron. eamque sequitur Rupertus. Sed alij passim non immeritò eam habent pro fabula, à Iudæis more suo confictа.

Vers. 2. FVITQVE DOMINVS CVM EO] cum eiusque actiones per omnia dirigendo & prosperando, cumque omnibus amabilem & gratiosum efficiendo. ita S. Chrysost. Vnde sequitur: *Et erat vir* (non ætate, erat enim iuuenis 17 annorum, sed prudentia & grauitate) *in cunctis prosperè agens.* Quàm felix & fortunatus est, cuius actiones omnes dirigit Deus!

Nota, quòd Deum etiam in Ægypto inuenit Ioseph: pius enim & sanctus vbicumque fuerit, inuenit Deum, iuxta illud psalm. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es.* Vide fidelitatem Dei, qui nusquam in aduersis suos derelinquit, vti facit mundus.

Vide rursum, vt omne solum forti patria est. Stilpo à Demetrio captus Megaris, & rogatus numquid amisisset? respondit: *Bellum nulla ex virtute spolia ducit.* Et Bias capta patria profugus: *Omnia mea*, inquit, *mecum porto.* Idem sensit & fecit hîc Ioseph. Addit S. Chrysost. hom. 62. Ioseph in tot tantisque suis calamitatibus non cecidisse animo, nec diffisum esse suo somnio, & Dei de sui exaltatione promisso, multò minùs putasse se à Deo esse derelictum; sed *omnia*, inquit, *tulit fortiter & mansuetè*, sperans à Deo meliorem sortem, nec dubitans se hac via exaltatum iri. *Hic enim mos est Deo*, inquit, *vt non liberet à tentationibus & periculis viros virtute claros, sed in ipsis suam declaret virtutem, vt tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. Propter hoc & B. Dauid: In tribulatione dilatasti mihi*: non ait, Liberasti. sed *dilatasti mihi*, id est me. Audi S. Ambros. libr. de Ioseph c.4. *Seruile*, ait, *est omne peccatum, libera innocentia. Quomodo autem non & ille seruus, qui subditus est libidini? suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorum: vt vnius cupiditate potiatur, fit seruus omnium.* Et mox: *Nónne videtur tibi iste in seruitute dominari, ille autem in libertate seruire? seruiebat Ioseph, regnabat Pharao: bea-*

A *tior huius seruitus, quàm regnum illius. Denique tota Aegyptus collapsa esset fame, nisi regnũ suum serui li cõsilio subdidisset. Habent igitur vnde glorientur originales seruuli: seruiuit & Ioseph habent quod imitentur, vt discant conditionem se mutare posse, non mores; esse & in vernulis libertatem & in seruitute constantiam.*

Vers. 6. NEC QVIDQVAM ALIVD NOVERAT NISI PANEM QVO VESCEBATVR] non Putiphar, sed Ioseph, inquit Hieron. Prado in Ezechiel. cap. 19. pag. 239. q.d. Ioseph nil omnino ex tam locupleti substantia, sibi à domino suo credita, vsurpabat aut vindicabat, præter necessariam vitæ annonam: vt cognoscere hîc idem sit quod sibi vindicare, pro suo agnoscere, sibi asscribere; quasi Ioseph hîc laudetur à rara quadam continentia, siue abstinentia.

Verùm, quia v.13. idem dicitur, non de Ioseph, B sed de custode carceris quòd scilicet nihil de suis nosset, sed omnia credidisset Iosepho: hinc meliùs hîc quoque eamdem phrasin eodem modo accipiemus. q.d. Putiphar ita omnia sua credebat Iosepho, vt de iis nihil inquireret, nihil cognosceret, nullius rei curam gereret, nisi tantùm vt accumberet mensæ, & frueretur eis quæ Ioseph curabat & procurabat. ita Philo & S. Ambrosius.

Vers. 7. POST MVLTOS DIES] anno circiter vndecimo captiuitatis, & seruitutis suæ in Ægypto, cùm iam esset 27. annorum. nam anno ætatis suæ 17. Ioseph ductus est in Ægyptum, & anno 30. liberatus est è carcere, in quo triennium fuerat propter hanc calumniam heræ suæ, vti ostendam cap. 40.4. coniectus est ergo in carcerem anno ætatis suæ 27.

INIECIT DOMINA SVA OCVLOS SVOS IN IOSEPH] Nimirum, oculi sunt in amore duces. Qui vult ergo castus esse, imitetur Iob dicentem c.31. C *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Rursum discant hic, ait S. Ambrosius, iuuenes cauere oculos feminarum: adamantur enim etiam ii qui nolunt amari.

Oculi sunt in amore duces.

Vers. 9. QVOMODO ERGO POSSVM HOC MALVM FACERE?] vt hero meo in me ita propenso, tam ingratus, infidus & iniustus sim?

ET PECCARE IN DEVM MEVM] quem, vt vbique præsentem, intueor & reuereor, quem vt patrem amo, & vindicem timeo.

Piè notat hîc Perer. tria esse vincula, quibus viri sancti fortissimè se constrictos sentiunt, ne possint Deum offendere. Primum est reuerentia diuinæ maiestatis, vbique præsentis, & cuncta cernentis. Sancti enim viri semper in conspectu Dei ambulantes, videntur sibi non posse non omnia castè sanctéque facere, ideoque ne præsens numen vlla re offendant, ab iis omnibus quæ ei displicent, religiosissimè cauent. Contrà faciunt

Tribus vinculis pij cõstringũtur, ne peccent. Primũ est, reuerentia Dei.

impij, de quibus dicitur psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.* Tales fuerunt senes illi Susannæ insidiantes, de quibus dicitur Daniel. 13. 9. *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* A

Secundum est, memoria beneficiorũ Dei.

Secundum est, recordatio beneuolentiæ ac beneficentiæ Dei erga se. Et hoc est quod ait Dominus Osee 11. *In funiculis Adam* (id est iis quibus trahi solent homines, putà amore & beneficiis) *traham eos in vinculis charitatis.* Quis non reputet impossibile sibi esse in Deum peccare, si seriò consideret Dei in se tot & tanta beneficia, præterita, præsentia & futura, quæ suis promisit? & Deum esse eum, in quo viuimus, mouemur & sumus, cuius beneficium est, quidquid boni in corpore animoque habemus? Denique si consideret, Deum in se esse optimum, pulcherrimum, suauissimum, summè amabilem, talemque se nobis exhibere nunc, & magis exhibiturum in cælo, si constanter ei adhæreamus. Vide S. August. serm. 83. de Tempore, vbi de Iosepho hoc nostro loquens, ex S. Ambrosio auream hanc affert sententiam: *Amator Dei, dilectissimi, amore mulieris non vincitur, castum animum incitans adolescentia non permouet, nec diligentis auctoritas magnus planè vir, qui venditus seruire tunc nesciuit, adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, apprehensus aufugit.*

Tertium, timor iudicij diuini.

Tertium vinculum est timor Dei, conceptus ex consideratione seuerissimi iudicij & vindictæ, quam Deus tum in hac vita sæpè, tum certissimè & rigidissimè exercebit in die iudicij, vbi nullum peccatum, etiam minimum relinquet impunitum. vnde Dauid psal. 118. *Confige, inquit, timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.*

S. Basilij exhortatio ad fugam peccati.

Hinc S. Basil. in illud psal. 33. *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos: Cùm te, inquit, appetitus inuaserit peccandi, velim cogites horribile illud Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in excelso throno: astabit autem omnis eius creatura, ad gloriosum eius conspectum contremiscens: adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri: mox illis qui mala perpetrarunt, terribiles quidam & deformes assistent angeli igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes in homines, scilicet impios. Adhæc cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore, vrendiq; vim habentem, sed priuatum lumine: deinde vermium genus, venenum immittens, & carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque vmquam saturitatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infligens. Denique quod omnium grauissimum est, opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hæc time, & hoc timore quasi freno, animam à peccatorum concupiscentia reprime.* ita S. Basil.

Exempla malentium mori, quàm peccare: Susanna,

Iosephum castum imitata est casta Susanna, dum ad scelus sollicitata dixit: *Angustiæ mihi sunt vndique; sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Ita Sancti omnes vsque ad mortem restiterunt peccato. Paulus Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia* &c. *Certus sum, quia neque mors, neque vita,* &c. Ruffinus dixit Theodosio Imp. se curaturum vt Ambrosius vincula ei iniecta laxaret. cui Theodosius: *Noui ego constantiam Ambrosij, & quòd nullo regiæ maiestatis terrore Dei legem transgredietur.* Eudoxiæ Imp. minitanti

Pauli,

Ambrosij,

S. Chrysostomo dixerunt sui: *Frustra illum hominem terres: nihil ille nisi peccatum timet.* S. Ludouicus Franciæ rex, puer à Blancha matre didicit *potiùs mortem oppetere, quàm in peccatum lethale consentire.* Tobias filio suo: *Caue ne aliquando peccato consentias: multa bona habebis, si timueris Deum.* S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus: *Malo insilire in rogum ardentissimum, quàm peccatum vllum sciens admittere in Deum.* Sapiens: *Tamquam à facie colubri fuge peccatum.* S. Anselmus: *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò vni eorum immergi deberem, priùs infernum quàm peccatum appeterem.* ita Machabæi, ita Martyres tormenta prætulerunt peccato.

Chrysost. S. Ludouici, Tobiæ, Edmundi, Anselmi,

Audi & Gentiles: Aristotel. 3. Ethic. *Melius est mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis.* Seneca: *Etsi scirem homines ignoraturos, & Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.* Quid enim est peccatum? est cadauer, est lepra, est cloaca fœdissima: est monstrum naturæ rationalis: est offensa & læsio diuinæ maiestatis: est reatus ignis æterni: est deicidium, est christicidium. Papinianus Iurisconsl. licet Gentilis, mori maluit, quàm parricidiũ Caracallæ Imp. qui occiderat fratrem Getam, defendere. testis est Spartianus in Caracalla. Democles puer in balneo, vt stuprum Demetrij regis euaderet, in aquam feruentem insiliit: ne se pollueret, maluit ille mori. testis Plutarch. in vita Demetrij. B

Gentilium, Aristotel. Seneca, Papiniani, Democlis.

HVIVSCEMODI VERBIS PER SINGVLOS DIES LOQVEBATVR] Nota hîc inuictam Iosephi constantiam. nam etiam ingentes arbores magnis crebrisque percussæ ictibus concidunt; etiam durissima saxa guttis minutissimis assiduè cadentibus excauantur: quanto magis homo magnitudine & assiduitate tentationum superabilis est, cuius caro non est ænea, vt inquit Iob, nec fortitudo eius, est fortitudo lapidum? Ioseph tamen non cessit, nec humanæ naturæ infirmitati, nec iuuenilis ætatis in libidinem procliuitati, non assiduæ sollicitationi heræ suæ, non opibus & promissis, quæ illa offerebat, non minis & periculis grauissimis, quibus se, si facinus recusaret, exponebat. Disce hic nullam tentationem, quantacumque ea sit, esse insuperabilem, teque inexcusabilem fore si ab ea te superare sinas, cùm omnem, æquè ac Ioseph per Dei gratiam superare possis & debeas; præsertim si iugiter memor sis æternitatis & æternæ gloriæ vel gehennæ. certa pro æternitate. VERS. 10. C

Constantia inuicta Iosephi.

STVPRVM] adulterium. D

LACINIA] ora, vel extremitate pallij. Addit Iosephus, illam finxisse morbum, & sollicitasse Iosephum in die festo solemni, quo familia domo aberat. Sed videtur Iosephus hæc, vti & alia, de suo addere præter veritatem. si enim ita est, quomodo ergo mulier v. 13. elapso Ioseph exclamauit, & euocauit domesticos? VERS. 12.

FVGIT] Potuisset Ioseph, vtpote iuuenis in florenti ætate robustus, feminæ hoc pallium suum per vim extorquere, sed noluit: idque Primò, ex reuerentia, nequam vim heræ suæ inferret. Secundò, quia præsentissimum remedium contra tentationes libidinis est, non colluctatio, sed fuga. Vnde Apostolus ait: *Fugite fornicationem.* Vide de fuga hac, deque cauenda familiaritate mulierum, S. August. serm. 250. de Temp. vbi inter

Cur fugit Ioseph? Prima causa. Secunda.

inter cætera sic ait: *Ioseph vt impudicam dominam possit euadere, fugit: ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Inter omnia certamina Christianorum, sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria: hic ergo Christianis quotidiana martyria deesse non possunt. Si enim castitas, & veritas, & iustitia est Christus; si & ille qui eis insidiatur persecutor est; ille qui & in aliis defendere, & in se custodire voluerit, Martyr erit.* Rectè ergo S. Bernar. in Sent. breuior. *Parcitas*, ait, *in vbertate, largitas in paupertate, castitas in iuuentute, martyrium est sine sanguine.*

Tertiò. Mulieris tactus contagiosus est. Tertiò, fugit Ioseph, ne vel mulierem tangeret, vel ab ea tangeretur: quia vel ipse mulieris tactus quasi contagiosus & venenatus, est viro fugiendus, non minùs quàm rabidissimi canis morsus, inquit S. Hieron. lib. I. contra Iouin.

Duplex scutum castitatis. Nota hîc, imitare & apprehende cum Iosepho duplex scutum castitatis. *Primum.* Primum est, præsentis Dei memoria, amor & timor; si nimirum cogites tum Dei præsentiam, Dei iudicium, Dei vindictam & infernum; tum Dei bonitatem, pulchritudinem & delicias, quæ omnem corporum pulchritudinem & voluptatem in immensum superat, de quo dixi v. 9. *Secundum.* Secundum est, fuga occasionum & tentationum, ac præsertim mulierum. Sic enim fugit Ioseph relicta chlamyde.

Sed quid si fugere non liceat? Audi quid fecerit S. Euphrasia Martyr, quæ ad prostibulū damnata, quòd idolis sacrificare nollet, cùm ab improbo iuuene inuaderetur, hac arte eum eludens, & pudori suo consuluit, & martyriū assecuta est. Si, inquit, mihi parcas, docebo te pharmacum, quo perunctus in præliis nullo telo, vel ferro lædi poteris. Ille promisit, si eius rei fidem faceret. tum illa: In me, inquit, cape experimentum; atque cera cum oleo commista inungens collum, Feri, inquit, illud quàm potes validissimè. Fecit iuuenis, & vno ictu ei caput resecuit. In hoc stratagemate æquè calliditatem virginis, atque constantiam admiraberis. testis est Niceph. lib. 7. hist. c. 13. Non enim erat ei tunc aliud remedium seruādæ castitatis, nisi hæc pia fraus, ad quam eam coëgit iuuenis inhians eius pudori, quē vt seruaret mori maluit; vnde iustè iuuenem decepit: qui proinde necis eius auctor censeri debet, tum physicè, tū moraliter. ipsa ergo Martyr est, non sui homicida.

Quinque heroicæ virtutes Iosephi. Nota Secundò cum Ruperto, virtutes heroicas Iosephi: *Prima.* Primò, temperantiam & continentiam, quia iuuenis 27. annorum existens, isq; formosus, & à domina sua pollicente ampla secretò amatus & rogatus, non redamauit, sed constans in sua castitate stetit. *Secunda.* Secundò, iustitiam & fidelitatem: quia heri sui thorum exhorruit. *Tertia.* Tertiò, prudentiam: quia apprehēsus aufugit. *Quarta.* Quartò, fortitudinē: quia furias insanæ amasiæ, carceres, mortemq; ipsam non timuit, & præ sua castitate contempsit. *Quinta.* Quintò, constantiam: quia quotidie ab hera interpellatus, quasi adamas restitit & cōstitit.

Hinc S. Chrysost. ait, magis se mirari factum Iosephi, quàm tres pueros Hebræos in fornace Babylonia illæsos permansisse. *Ioseph in igne illæsus.* Sicut enim illi, sic & Iosephi in mediis ignibus illæsus, non adustus, sed purior, integrior, robustior & clarior effulsit: vt meritò Iosepho acclamari possit, quod S. Dominico (non fundatori Ordinis, sed alteri ex eodem Ordine) in simili tentatione victori acclamarunt dæmones: *Vicisti, vicisti: quia in igne fuisti, & non arsisti.* Hinc & S. Ambros. miratur Iosephum ita dominantem concupiscentiæ, rebusque omnibus. Audi eum lib. de Ioseph c. 5. *Magnus*, ait, *vir Ioseph, qui venditus seruile tamen nesciuit ingenium, adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, apprehensus aufugit. Qui cùm ab vxore domini sui conueniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est: contagium enim iudicauit, si diutiùs moraretur, ne per manus adultera libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit. Ille dominus fuit, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quàm criminosa potentia eligere consortium.* Et S. Gregor. hom. 15. in Ezech. *Conamur*, ait, *carnis illecebram vincere? Ioseph ad memoriam redeat, qui tentante se domina studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire. Vnde factum est, vt, quia membra sua benenouerat regere, regendæ quoque omni Aegypto præesset.*

Allegor. Ioseph, inquit Rupertus, est Christus, mulier Ægyptia est Synagoga, quæ carnaliter Messiam adamat, expectans eius regnum terrenum & carnale; sed Christus relicto ei pallio, id est, cæremoniis legis, fugit ad Gentes, à quibus in spiritu & veritate adoratur. *Ioseph fuit typus Christi.*

Symbolicè, Philo, Ioseph, inquit, est princeps, siue rex: Putiphar herus, est populus, penes quem est ipsum ius regni: vxor est concupiscentia & libido, quo populus sæpè ducitur: huic constanter resistit Ioseph, id est verus princeps; si sincerè publicum bonum amet & tueatur. *Symbolicè Ioseph est princeps.*

Sic tropologicè, herus est ratio, vxor est concupiscentia: huic resistit Ioseph, id est spiritus continens & constans.

CVMQVE VIDISSET MVLIER] Nota hîc ingenium versatile, impudentiam & improbitatem mulieris, nimirum, *Aut amat, aut odit mulier*, nihil est tertium. Secundò, eiusdem nequitiam, audaciam, & dolos, quibus in Iosephum suum crimen intorquet. Tertiò, eiusdem furias, quibus illi antea adamato necem parat, nimirum VERS. 13.

——— mulier sæuissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admouet.

NIMIVM CREDVLVS] Non enim Iosepho locum dedit se purgandi, nec de facto inquisiuit: sed statim damnauit innocentem. Secundò, non aduertit homo zelotypus, hanc ipsam vestem indicium esse violentiæ à muliere profectæ, & innocentiæ ac reuerentiæ Iosephi. nam si ipse (vt sapienter ait Philo) vim dominæ voluisset inferre, facilè vestem suam vtpote femina robustior, seruasset: imò & feminæ extorsisset. VERS. 19.

TRADIDITQVE IOSEPH IN CARCEREM] *Humiliauerunt*, inquit Dauid psal. 104. *in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius*: sed paulò pòst, Deo dirigente, factus est Ioseph sicut inter vinctos liber, imò princeps. Consolatur, inquit Iosephus, se in carcere Ioseph; cogitans potentiorem esse Deum iis qui se vincirent. Deo enim se, suamque innocentiam curæ esse sciebat, nec dubitabat quin Deus eum ex his vinculis cum gloria, vel præsenti, vel futura eriperet. vnde *libens*, inquit S. Ambros. *pro castitate subibat hoc carceris mortisq; martyrium.* Erat enim Ioseph, vtpote ob adulterij calumniam incarceratus, in certo martyrij mortisque periculo. VERS. 20. *Ioseph Martyr.*

Ioseph fuit typus Christi. & Ioseph sponsi B. Virginis.

Allegoricè, Ioseph est Christus, qui innocens à Iuda & Iudæis traditus, compactusque est in carcerem mortis, sed inter mortuos quasi liber à Deo Patre effectus, omnium vinctorum, adeoque inferni potestatẽ & imperium accepit. ita Prosper & Rupertus. Audi S. Ambros. libr. de Ioseph. c. 6. *Considera nunc*, ait, *illum verum Hebræum* (Christum) *illum non somnij, sed veritatis & præclara visionis interpretem, qui de diuinitatis illa plenitudine, de vbertate cælestis gratia in hunc corporeum carcerem venerat; quem non potuit sæculi huius illecebra mutare*, &c. *postremò adulterina quadam Synagoga manu, veste corporis apprehensus carnem exuit, liber mortis ascendit. Calumniata est meretrix, vbi eum cernere non potuit: quem carcer non terruit, non inferna tenuerunt; quin etiam quò veluti puniendus descenderat, inde alios liberauit: vbi ipsi stringebantur mortis vinculis, ibi laxauit ipse vincula mortuorum.*

Rursum Ioseph hic noster patriarcha sua castimonia, innocentia, patientia, gratia adumbrauit Iosephum sponsum B. Virginis, cuius dignitas & sanctitas præ aliis plerisque Sanctis, vel ex eo colligi potest, quòd Christi & Virginis nutritius fuerit, quodque Christi pater dictus sit & creditus. Nam, vt ait S Bernard. homil. 2. super Missus est: *Ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus & ductus in* A *Aegyptum, Christi venditionem præfigurauit: iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens Christum in Aegyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, domina noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, & ipse continens, fideliter custodiuit. Illi data intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit, non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cælo seruandum accepit, tam sibi, quàm toti mundo.*

Nec noverat aliquid] non Ioseph, sed custos carceris, qui vinctos, omniaq; in carcere Iosepho crediderat. vide dicta v. 6. Eleganter S. Chrysost. (vel quisquis est auctor: stylus enim Latinum redolet auctorẽ) hom. de Ioseph vendito to. 1. *Intrat*, ait, *Ioseph sanctissimus custodiam, visitator magis quàm reus, prouisor non socius, medicus nõ ægrotus. Adeò fit cunctorum præpositus, fit in reorum solatium procurator. Gaude innocentia & exulta. Gaude inquã, quia vbique illæsa es, vbique secura. Si tentaris proficis, si humiliaris erigeris, si pugnas vincis, si occideris coronaris. Tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta. Te potentes honorant, suspiciunt principes, magnates exquirũt. Tibi boni parent, mali inuident, zelant æmuli, inimici succumbũt. Nec vmquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines tibi iustus iudex defuerit.* Vers. 23. B

CAPVT QVADRAGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph pincernæ & pistori somnia explicat: explicationem probat euentus.

1. HIs ita gestis, accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, domino suo. 2. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) 3. misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. 4. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. 5. Videruntque ambo somnium nocte vna iuxta interpretationem congruam sibi: 6. ad quos cùm introisset Ioseph manè, & vidisset eos tristes, 7. sciscitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? 8. Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Ioseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. 9. Narrauit prior, præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem, 10. in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere: 11. calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. 12. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhuc dies sunt: 13. post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem iuxta officium tuum sicut antè facere consueueras. 14. Tantùm memento mei, cùm benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere: 15. quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hîc innocens in lacum missus sum. 16. Videns pistorum magister quòd prudenter somnium dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum: 17. & in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. 18. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhuc dies sunt: 19. post quos, auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. 20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. 21. Restituitq; alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum: 22. alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur. 23. Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

VERS. 1. DVO EVNVCHI] duo regij ministri & præfecti; A etiamsi reipsa non essent eunuchi. vide dicta cap. 39. v. 1.

VERS. 2. NAM ALTER] q.d. Iratus est eis Pharao, quia eorum, vtpote præfectorum, peccatum subditis poterat esse scandalo & prauo exemplo. Hebræa non habent *vnam*.

VERS. 3. PRINCIPIS MILITVM] Putipharis, qui fuerat herus Iosephi c. 39. v. 20.

VINCTVS] captiuus: iam enim vinculis erat liber, vt patet cap. præced. v. 22.

VERS. 4. ALIQVANTVLVM TEMPORIS] putà annus vnus. hoc enim significat hebr. ימים *iamim*, id est dies dies in plurali, vt bene probat Franc. Ribera in Amos 4. nu. 8. Post hunc annum somniorum Ioseph adhuc biennio, vt patet cap. sequ. v. 1. fuit in carcere. triennalem ergo passus est carcerem. In B hoc quoque fuit Ioseph typus Christi. sicut enim Ioseph, post triennium carceris, euectus est ad principatum: ita Christus post tres dies passionis & mortis, gloriosus resurrexit. Idem triduum Christi resurgentis significatur per tres dies restitutionis pincernæ Pharaonis v. 13. ita ex Isidoro Lipomanus.

Triennalis carcer Iosephi significat triduū passionis Christi.

VERS. 8. NVMQVID NON DEI EST INTERPRETATIO?] q.d. Deus per me vobis interpretabitur vestrum somnium; mihi ergo illud enarrate: cumque illud ita, vt interpretatus fuero reipsa euenire videritis, tunc scitote me non vanum coniectorem, sed verum ex Dei munere, somniorum esse interpretem, ac consequenter me verum esse, veri Dei cultorem, & amicum: nec enim Deus aliis hæc sua arcana reuelat.

An liceat diuinare ex somniis.

Quæres, an ex somniis liceat diuinare de futu- C ris? Nota. Triplicia sunt somnia: quædam enim proueniunt à Deo: quædam à dæmone: quædam à natura. Rursum tertia hæc quæ à natura oriuntur, bipartita sunt: quædam enim oriuntur ex diurna cogitatione, vel ardenti erga rem aliquam affectu. Hinc sicuti

Somnia triplicia sunt.

Nauita de ventis, de bobus narrat arator:

ita & de iisdem somniat. Sunt enim somnia ex diurna cogitatione, quasi in fidibus cessantis impulsus extremæ quædam motiones, quæ ex impulsu resultant, eoque cessante adhuc aliquamdiu perdurant, vti ait Gregor. Nyssenus tract. de Opificio hominis cap. 31. Quædam verò somnia naturalia oriuntur ex temperamento & humore prædominante. Sic enim biliosi somniant cædes, verbera & ignes: phlegmatici somniant aquas, D voragines, suffocationes, & à rebus noxiis tardam fugam; hæc enim parit lentum plegma: sanguinei somniant de musica, de conuiuiis, de pratis, de auibus, de volatu: melancholici somniant de rebus atris & tristibus, de morte, de sepulchris, de æthiopibus & dæmonibus.

Licet ex somniis diuinare de hominis temperamento:

Dico Primò, ex somniis naturalibus licet diuinare naturaliter, id est coniectare, de hominis temperamento, sanitate, affectu, & morbis imminentibus. ita Hippocrates & Galenus libros scripserunt de præsagiis sumendis ab insomniis. Et ratio est, quia effectus naturaliter indicant suam causam: somnia autem hæc sunt effectus certi temperamenti, & certi humoris in corpore prædominantis.

& ex somniis à Deo immissis, si cui ea Deus reuelet.

Dico Secundò, ex somniis à Deo, vel angelo immissis diuinare licet; sed ei tantùm, qui eorum significationem à Deo, vel angelo accepit. ita Ioseph hîc, & Daniel c. 4. & 5. ex somniis diuinant.

Dico Tertiò, reliqua somnia, & ex iis diuinationes, vel diabolica sunt, vel superstitiosa, vel vana, fallacia & futilia: vnde diuinatio ex hisce somniis prohibita est, Deuter. 18. 10.

Nota. Quia somnia diuina rara sunt, & vix à dæmoniacis aut vanis dignosci possunt; hinc tutissimum est somnia quælibet contemnere, nisi Deus aliud reuelet; hoc autem reuelare solet partim illuminando ipsos somniantes, vt sciant somnium sibi esse à Deo immissum, eosque exstimulando vt somnij interpretationem indagent & inquirant, vti fecit his eunuchis, item Nabuchodonosori, Daniel. 5. & Pharaoni hîc c. 41. partim interpretationem somniorum suis amicis, virisque sanctis suggerendo, vti eam hîc suggessit Iosepho, & Danieli c. 4. & 5. Vide Conimbricens. in lib. Aristot. de Diuinat. per somn.

Quomodo Deus reuelet somnia sua.

RESPONDIT IOSEPH: HÆC EST INTERPRETATIO SOMNII] Vidit hic pincerna per somnium symbolicè sibi suum statum, putà pincernatum, restitui, vt hoc ipso Deus significaret status, dignitates, quin & vitam, omnesque res humanas tantùm esse somnium, omnesque hominum spes tantùm esse somnia vigilantium, vti aiebat Plato. hoc docet interpres Ioseph, id est vir sapiens & prudens, inquit Philo: ideoque actiones suas, resque omnes ex præscripto virtutis dirigit. VERS. 12.

Spes mortalium sunt somnia vigilantium.

TRES PROPAGINES] tres palmites vitis.

TRES ADHVC DIES SVNT] *Sunt*, id est significant. Sicut enim imaginis esse est repræsentare: ita somnij, symboli, siue visionis propheticæ esse, est adumbrare & significare res absentes aut futuras. ita S. August.

DE TERRA HEBRÆORVM] de terra Chanaan, in qua Iacob eiusque filij Hebræi habitabant. VERS. 15.

QVOD PRVDENTER (quòd appositè, congruè, verisimiliter) SOMNIVM EXPOSVISSET] necdum enim constabat de expositionis veritate, quæ postea ipso euentu comprobata est v. 21. VERS. 16.

OMNES CIBOS QVI FIVNT ARTE PISTORIA] ac consequenter placentas, artocreas, pastasque carnium, ad quas aues carniuoræ aduolabat, easque laniabant & deuorabant. ita Iosephus. Portendebant enim hæ carnes & aues, carnes somniantis pari modo ab auibus in cruce laniandas & deuorandas esse. VERS. 17.

POST QVOS] inchoatos: nam ipso tertio die suspensus est pistor, & hoc portendebant aues ex tertio canistro carnes lacerantes & comedentes. ita Iosephus. VERS. 19.

AVFERET CAPVT TVVM] non per gladium te decollando, vt vult Philo: sed per laqueum te suspendendo, itaque te caputque tuum necando. vnde sequitur: *Ac suspendet te.* qui enim vitam homini aufert, hic aufert & caput: quia in capite maximè viuit & viget homo, quæ vita & vigor tam capiti, quàm homini, per laqueum & mortem, æquè ac per gladium aufertur.

ET LACERABVNT VOLVCRES CARNES TVAS] Hinc patet, corpora suspensorum etiam tunc, vti & nunc, in patibulo fuisse relicta, vt ibi vel computrescerent, vel à sole & ventis siccarentur & tabescerent, vel ab auibus lacerarentur. vnde illud:

Non feci furtum; non pasces in cruce coruos.

Iudæis verò iussum est Deuter. 21. v. 23. suspensos eadem die deponere & sepelire.

Tropolog. Tropologicè, Prosper & Rupertus: hi duo eunuchi, inquiunt, quorum alter suo statui restitutus, alter suspensus est, significant duos ordines hominum, putà electorum ex gratia, & reproborum siue damnandorum ex iustitia. Rursum, Ioseph inter duos eunuchos, est Christus inter duos latrones crucifixus, vni promittens cælum, alteri infernum relinquens. Christus enim aperuit somnia & visiones: tum quia prophetias impleuit: tum quia arcana Dei consilia, iudicia, & promissa hominibus reserauit: tum quia sensum dedit Apostolis vt intelligerent prophetias, totamque sacram Scripturam.

Vers. 22. VT CONIECTORIS VERITAS PROBARETVR] Vocula *vt*, hic non finem à Pharaone intentum, vt patet, sed euentum, siue consecutionem signi- A ficat. q.d. Itaque euenit, vt Iosephi diuinatio, somniorumque interpretatio vera sit inuenta, ipsoque euentu comprobata.

Similis fuit diuinatio S. Athanasij, qui Alexandriam ingressus, cùm cornix in aëre volitans crocitaret, rogatus à Gentilibus per scomma, quid cornix diceret, respondit, *Cras insonat, significat autem, cras, quo festum celebratis, vobis luctuosum fore.* ita euenit, testis est Niceph. lib. 9. c. 35. Sic & Christianus ille rogatus à Iuliano Apostata per sarcasmum, Quid facit Galilæus faber vester? respondit: *Loculum tibi parat*, putà feretrum. & verè: nam paulò pòst telo non hominis, sed Christi occisus est Iulianus. Pari modo Isaacius eremita Valenti Imp. Arriano contra Gothos pergenti, cladem & mortem prædixit, teste Nicephoro l. 11. c. 50.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph somnium septem vaccarum & spicarum Pharaoni explicat de septennio fertilitatis & sterilitatis futuræ. hinc v. 40. à rege præficitur Aegypto: & v. 46. sua prouidentia ab Aegypto depellit septennem famem.

1. POst duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluuium: 2. de
quo ascendebant septem boues, pulchræ & crassæ nimis: & pascebantur in lo-
cis palustribus. 3. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ confectæque
macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: 4. deuorauerunt q; eas,
quarum mira species & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, 5. rursum
dormiuit, & vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ at-
que formosæ: 6. aliæ quoque totidem spicæ tenues & percussæ vredine oriebantur,
7. deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao post quietem,
8. & facto manè, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Ægypti, cunctosque
sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur. 9. Tunc de-
mum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum. 10. Ira-
tus rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis mili-
tum: 11. vbi vna nocte vterque vidimus somnium præsagum futurorum. 12. Erat
ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, 13. audi-
uimus quidquid postea rei probauit euentus. ego enim redditus sum officio meo: &
ille suspensus est in cruce. 14. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Io-
seph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei. 15. Cui ille ait: Vidi somnia, nec
est qui edisserat: quæ audiui te sapientissimè coniicere. 16. Respondit Ioseph: Abs-
que me Deus respondebit prospera Pharaoni. 17. Narrauit ergo Pharao quod vi-
derat: Putabam me stare super ripam fluminis, 18. & septem boues de amne con-
scendere, pulchras nimis, & obesis carnibus: quæ in pastu paludis virecta carpebant.
19. & ecce, has sequebantur aliæ septem boues in tantum deformes & macilentæ, vt
numquam tales in terra Ægypti viderim: 20. quæ deuoratis & consumptis priori-
bus, 21. nullum saturitatis dedêre vestigium: sed simili macie & squalore torpe-
bant. Euigilans, rursus sopore depressus, 22. vidi somnium: septem spicæ pullula-
bant in culmo vno plenæ atque pulcherrimæ. 23. Aliæ quoque septem tenues &
percussæ vredine, oriebantur è stipula: 24. quæ priorum pulchritudinem deuora-
uerunt. Narraui coniectoribus somnium, & nemo est qui edisserat. 25. Respondit
Ioseph: Somnium regis vnum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. 26. Se-
ptem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ: septem vbertatis anni sunt: eamdemque
vim somnij comprehendunt. 27. Septem quoque boues tenues atque macilentæ,
quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ: septem
anni venturæ sunt famis. 28. Qui hoc ordine complebuntur: 29. Ecce septem
anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Ægypti: 30. quos sequentur se-
ptem anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia: con-
sumptura est enim fames omnem terram, 31. & vbertatis magnitudinem perditura
est inopiæ magnitudo. 32. Quòd autem vidisti secundò ad eamdem rem pertinens
somnium: firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur.

33. Nunc

33. Nunc ergo prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum terræ
Ægypti: 34. qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem
fructuum per septem annos fertilitatis, 35. qui iam nunc futuri sunt, congreget in
horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetúrque in vrbi-
bus. 36. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum,
& non consumetur terra inopia. 37. Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris
eius: 38. locutúsque est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei
plenus sit? 39. Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es,
numquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero? 40. Tu eris super do-
mum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio
te præcedam. 41. Dixítque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce, constitui te super vni-
uersam terram Ægypti. 42. Tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu
eius: vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. 43. Fecitq;
eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo
genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. 44. Dixit quo-
que rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam ma-
num aut pedem in omni terra Ægypti. 45. Vertítque nomen eius, & vocauit eum
lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. Deditq; illi vxorem Aseneth filiam Putiphare
sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Ioseph ad terram Ægypti. 46. (triginta
autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes
regiones Ægypti. 47. Venítque fertilitas septem annorum: & in manipulos reda-
ctæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. 48. Omnis etiam frugum abundan-
tia in singulis vrbibus condita est. 49. tantáque fuit abundantia tritici, vt arenæ
maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. 50. Nati sunt autem Ioseph filij
duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis He-
liopoleos. 51. Vocauítque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Obliuisci me fe-
cit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. 52. Nomen quoque se-
cundi appellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.
53. Igitur transactis septem vbertatis annis, qui fuerant in Ægypto: 54. cœperunt
venire septem anni inopiæ: quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præua-
luit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat. 55. Qua esuriente clamauit populus
ad Pharaonem, alimenta petens, quibus ille respondit: Ite ad Ioseph: & quidquid ipse
vobis dixerit facite. 56. Crescebat autem quotidie fames in omni terra, aperuit-
que Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames.
57. Omnésque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum ino-
piæ temperarent.

VERS. 1. POST DVOS ANNOS] à liberatione principis pincernarum, cùm is antè cum Iosepho per annum fuisset in carcere, vti ostendi c. 40. 4. Hinc patet, Iosephum per triennium fuisse in carcere, idque Dei nutu. tum vt leues quasdam eius culpas, quibus nec viri sancti carent, expiaret. ita S. August. serm. 82. de Tempore. tum vt eius patientiam & virtutē exerceret & acueret: tum vt typus esset Christi, qui triduo fuit in passione & morte.

Addit ibidem S. August. rem miram, sed notandam, scilicet Iosephum punitum fuisse biennali carcere, eò quòd plus cōfisus fuerit homini quàm Deo, dum in pincernarum magistro posuit spem suæ liberationis, ideoque Deum fecisse, vt is per biennium eius obliuisceretur, q. d. *Ego tibi ostendo, vt magis à me quàm ab homine debeas auxiliū postulare*. Subtilis hîc est oculus S. Aug. subtilior est Dei.

Nili inundatio fœcundat Ægyptum. VIDIT PHARAO SOMNIVM: PVTABAT SE STARE SVPER FLVVIVM] super ripam Nili. Nota. In Ægypto fertilitas oritur ex inundatione Nili (vix enim pluit in Ægypto) qui turbidus & pinguis agros oblimando, itaque eos quasi stercorando, impinguat & fœcundat. vnde quo magis, altiùs & longiùs exundat Nilus, eo maior est fertilitas in Ægypto. Hinc ex altitudine inundationis Nili, præsciunt certò Ægyptij, quanta illo anno futura sit fertilitas. Audi Plinium libr. 5. c. 9. *Aegyptus,* A inquit, *duodecim cubitis* (in altum exundantis Nili) *famem sentit: in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias*. Hac de causa vidit hîc Pharao macras boues pasci in ripa Nili: hæ enim portendebant exiguam Nili inundationem: ac consequenter exigua fore pascua, eáque tantùm ferè in vicinia Nili. è contrario vidit Pharao, pingues boues pasci in remotis à Nilo paludibus: quia hæ portendebant fertilitatem per totam Ægyptum. *Hinc boues visæ pasci in ripa Nili.*

VERS. 4. DEVORAVERVNTQVE EAS] Boues macræ comederunt boues pingues & saginatas.

QVARVM MIRA SPECIES, ET CORPORVM HABITVDO ERAT] quæ erant eleganti forma, crassi-B tie & pinguedine. ita Hebræa. Portentum hoc significabat, septem annos sterilitatis absumpturos omnem annonam præcedentium septem annorum fertilitatis, vt patet v. 30. Solerter S. Ambros. ex septem bobus crassis septem macras secuturas, id est ex abundantia & lasciuia famem nascituram coniectat, libr. de Ioseph. c. 7. *Etsi*, inquit, *non ego Ioseph, clamabam tamen vaccas illas pingues non solùm lasciuiam, sed etiam incuriam diuinæ significare reuerentiæ. De perfidis enim dictum est: Tauri pingues obsederunt me. Et de Iudæorum populo scriptum est: Impinguatus, & incrassatus, & dilatatus est, & dereliquit Deum factorem suum. Et ideo somnium*

nium illud redundantiæ sæcularis perpetuum esse non posse; sed fore tempus quo his fames dura succederet. A

VERS. 5. *Symbolum vaccarum & spicarum explicatur.* SEPTEM SPICÆ] Nota, fertilitatem & sterilitatem hîc duobus somniis portendi & præsignificari: vno spicarum, altero vaccarum; idque appositè, quia fertilitas maximè consistit in his duobus, scilicet in frumento & animalibus. Bona enim agricolatio & terræ cultura (quam denotant crassæ boues, inquit Iosephus) & boni seminis sementis (quam denotant spicæ pulchræ & plenæ) duæ sunt causæ plenæ & adæquatæ fertilitatis. ita Abulensis.

VERS. 6. VREDINE] vento vrente. Euro desiccante.

VERS. 9. CONFITEOR PECCATVM MEVM] ingratitudinis & obliuionis, quo meum vatem Iosephum, qui mihi hæc fausta prædixit, in carcere reliqui & obliuioni tradidi.

Alij accipiunt peccatum eius priscum, ante biennium in regem admissum, ob quod ab eodem in carcerem coniectus fuerat; vt hac confessione peccati sui pincerna quasi aduletur regi, eiusque clementiam in se malè meritum commendet & deprædicet. B

VERS. 12. PVER] iuuenis 28. annorum: tot enim erat tunc Ioseph.

VERS. 14. EDVCTVM DE CARCERE IOSEPH TOTONDERVNT, AC VESTE MVTATA OBTVLERVNT EI] Nota hic tonsum fuisse Ioseph, & mutasse vestes, quia veteres rei in carcere comam & barbam crescere sinebant, quasi lugentes & squalentes, vti de Milone ait Plutarchus. Absoluti verò & liberati comam & barbam deponebant, vestesque mutabant, in signum lætitiæ & felicis sortis ac fortunæ.

VERS. 16. ABSQVE ME DEVS RESPONDEBIT PROSPERA PHARAONI] Putabat Pharao (quod & putauit Iustinus historicus l. 36.) Ioseph naturali sagacitate interpretari somnia, de quali ait Cicero: *Qui bene coniicit, hunc vatem optimum perhibeto.* Amolitur à se hanc opinionem Ioseph, omnemque suam diuinationem & præscientiam, non sibi, nec suæ solertiæ, sed Deo Deique reuelationi attribuit, vt eum agnoscat & colat Pharao. vnde Chaldæus vertit, *non ex sapientia mea, sed à facie Domini respondebitur pax Pharaoni*; & Symmachus, *non ego, sed Deus respondebit prospera Pharaoni*; & Vatablus, *alius est præter me, qui interpretabitur somnium, nempe Deus, qui prospera Pharaoni interpretabitur.* C

VERS. 25. VNVM EST] significatione: quia vnam eamdemque rem vtrumque somnium & symbolum, tam spicarum, quàm vaccarum, significat: nam, vt dixi v. 5. duplex est causa fertilitatis, scilicet agricolatio, quæ fit per vaccas & boues; & seminatio, quæ fit per semen spicarum. è contrario defectus culturæ & seminis, duplex est & adæquata causa sterilitatis: priorem vaccæ macræ, posteriorem spicæ tenues & graciles significant. D

VERS. 26. EAMDEMQVE VIM SOMNII COMPREHENDVNT] *Vim*, id est sensum & significationem. q. d. Idem significant septem vaccæ pingues, & septem spicæ plenæ.

VERS. 29. SEPTEM ANNI VENIENT FERTILITATIS] Continua hæc, inuicemque succedens septennis fertilitas & sterilitas, non astrorum aut naturæ vi, sed Dei, Nilum septennio priori laxantis, posteriori retinentis, operâ effecta est. vnde nec ab astrologis, sed à solo Deo præcognosci & prædici potuit, vt patet v. 16.

VERS. 30. CONSVMPTVRA EST ENIM FAMES OMNEM TERRAM] Ægypti & vicinarum regionum.

VERS. 32. FIRMITATIS INDICIVM EST] q. d. Posterius somnium confirmat prius, quod erat de eadem re. Simul hæc iteratio somnij significat rem somnio significatam mox reipsa adimplendam esse, vti sequitur.

VERS. 34. & 35. QVINTAM PARTEM FRVCTVVM, &c. CONGREGET IN HORREA] scilicet, publica regis, per singulas vrbes diuisa & distributa. Nam alij priuati diuites, pro se quisque proprium frumentum recondere potuerunt: vnde non omnes primis saltem annis sterilitatis, senserunt famem; in fame etiam parciùs viuitur. Suffecit ergo quinta pars fructuum septennij fertilitatis, recondita in horrea regis: ad publicam pauperum & plebeiorum famem quæ secuta est, leuandam. Fuit enim tanta fertilitate, copia frumenti maxima & quasi innumera, vt patet v. 49. Denique in fame aliquæ etiam segetes, præsertim iuxta Nilum, natæ sunt, sed paucæ, quæ proinde ferè pro nihilo reputantur; adeò vt idcirco dicatur c. 45. v. 6. *nec arari, nec seri potuisse.* Omnes ergo Ægyptij hoc septennio fertilitatis, iussu regis compulsi sunt, quintam partem frugum suarum vendere regi, seruandam in septennium sterilitatis; aut certè, vt vult Tostatus, durante isto septennio fertilitatis, vetuit rex frumentum Ægypto efferri & exteris vendi: cumque ingens esset frumenti copia, alij quartam, alij quintam partem frugum suarum vendebant, eamque Iosephus regi coëmebat.

VERS. 35. ET OMNE FRVMENTVM SVB PHARAONIS POTESTATE CONDATVR] Frumentum intellige, non trituratum, nec excussum, sed suis spicis inhærens, vt patet v. 47. idque Primò, vt hac ratione simul iumentis recondatur suum pabulum, putà stramina & paleæ. Secundò, vt ipsum frumentum hac ratione meliùs conseruetur in suo tegmine & culmis: debet enim asseruari in septem annos, ita nimirum, vt quod primo anno fertilitatis reconditum fuit, dispensetur & comedatur post septennium, primo anno sterilitatis; quod secundo anno fertilitatis reconditum fuit, comedatur secundo anno sterilitatis; quod tertio, tertio, & ita deinceps. Sic enim frumenta facilè incorrupta per septennium seruari potuerunt. ita Philo.

OMNE FRVMENTVM] quintæ illius partis iam dictæ, quæ sola asseruanda erat.

VERS. 40. *Osculari est venerari & obedire.* AD TVI ORIS IMPERIVM CVNCTVS POPVLVS OBEDIET] Hebraicè est, *omnis populus ad os tuum osculabitur*, id est oris tui præceptum exosculabitur, & venerabitur, eique statim se subdet, & libenter obediet. Sic psal. 2. v. 12. pro *Apprehendite disciplinam*, hebraicè est, *osculamini filium*; id est, Messiam Dei filium veneramini, eumque reuerenter, amanter & obedienter excipite, ac si illum exoscularemini.

Secundò, Vatabl. vertit, *ad tuum imperium cunctus populus cibum capiet*, vel, *armabitur*. q. d. Constituo te secundum à me principem Ægypti tempore pacis & belli, vt sis dux militiæ. Verùm Hebræum ישק *iissac*, propriè significat osculari: prior ergo sensus genuinus est. Vnde Chaldæus vertit, *ad verbum tuum gubernabitur omnis populus meus.* Septuag. habent vt Noster, *obediet*. Addit Psaltes psal. 104. v. 22. quòd Pharao *constituit eum* (Iosephum) *dominum domus suæ*, &c. *vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.*

Ex

Ex quo loco patet, quòd Ægyptij, qualis fuit Trismegistus, suam sapientiam & prudentiam hauserint à Iosepho & Hebræis. id magis patebit Exodi 2.1.in fine.

Nobilitat non genus, sed virtus.

Vide hîc vt sapientia & virtus euehant ac nobilitent Iosephum. Verè dixit Vrbanus Pontif. cuidam exprobranti generis humilitatem: *Magni viri non nascuntur, sed virtute fiunt.* & Maximilianus Imper. cuidam diuiti offerenti multa aureorum millia, vt nobilis designaretur: *Ditare, ait, te possum, sed nobilitare non nisi te propria virtus potest.*

VERS. 42. TVLITQVE ANNVLVM DE MANV SVA] Annulus ergo hic signatorius erat, quem rex tradidit Iosepho, vt nomine suo quæ vellet decerneret & obsignaret. Annulum gestat rex, tum ad signaturam, tum ad desponsationem; eo enim sibi quasi despondet rempubl. inquit Philo.

Rex annulo despondet rempubl.

TORQVEM AVREAM] Torquis, inquit Philo, symbolicè datur regibus à populo, quasi ei dicat populus: Dono tibi torquem quasi ornamentum in probitate & prosperitate: sed quasi vinculum & catenam, qua vincieris in improbitate & aduersitate.

Quatuor olim regis insignia.

Rursum, notat Philo & Rupertus, quatuor hîc regis insignia & ornamenta prisco illo sæculo, quæ rex Iosepho communicauit. Ioseph enim Primò, pro compedibus carceris, à rege auream catenam accepit. Secundò, pro seruili vinculo annuloque ferreo, regium accepit annulum. Tertiò, pro habitu sordido, indutus est stola byssina. Quartò, pro antri squalore, adeptus est amplum imperij currum. Hæc quatuor allegoricè Christo resurgenti applicat Rupertus.

Mysticè S. Ambros. li. de Ioseph: *Quid sibi vult, ait, annulus digito insertus, nisi vt intelligamus pontificatum eius fidei esse delatum, vt alios ipse signaret? Quid stola, quæ est amictus sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cælestis prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus significat fastigium sublime meritorum.* Vide hîc in Iosepho, quomodo gloriam præcedat humilitas, & quàm verum sit illud axioma Christi: *Qui se humiliat exaltabitur*, nimirum, post nubila Phœbus, & post tenebras lux. Audi Sapientiam c. 10. v. 13. *Hæc* (sapientia) *venditum ipsum* (Iosephum) *non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descenditq; cum illo in foueam* (in cisternam, in quam proiectus est à fratribus) *& in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni & potentiam, aduersus eos qui eum deprimebant, & mendaces ostendit qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Meritò ergo Iosepho hoc detur emblema: *Patiens innocentia ingens gloria.* Præclarè dixit S. Ægidius comes S. Francisci, *Licet lapides & saxa de cælo plueret Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit.* Et S. Chrysost. hom. 63. *Vide, ait, quomodo captiuus* (Ioseph) *repentè constituitur rex totius Aegypti: vidisti quantum sit ferre cum gratiarum actione tentationes? propterea & Paulus dicebat Rom. 5. Afflictio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem: spes non pudefacit. Vide igitur: Afflictiones patienter tulit, patientia probatum eum fecit, probatus factus in magna spe agebat, spes non pudefecit.* Et inferiùs: *Sicut negotiatores qui pecunias colligere volunt, non aliter possunt augere suas opes, nisi multa pericula terra mariq; sustinuerint. Necesse est enim vt ferant latronum & piratarum insidias: attamen omnia magna alacritate suscipiunt, & ob expectationem lucri vix sentiunt amara quæ ferunt. Sic & nos cogitantes diuitias & spirituales merces, quas nobis hîc colligere licet, oportet gaudere & exultare, & non contemplari quæ videntur, sed quæ non videntur.*

Gloriam præcedit humilitas.

VERS. 43. CVRRVM SVVM SECVNDVM] quo secundus à rege vehi solebat. ita Lipoman. Perer. & alij. vnde Vatabl. vertit, *currum secundi*, scilicet viri, id est currum, quo is qui secundus erat à rege, vehi solebat. Hoc ergo curru Ioseph declaratus & effectus est alter à Pharaone, vt scilicet honore & dignitate illi esset proximus. Vide hîc, vt Ioseph prosperis non insolescat, sicut aduersis fractus non fuit. Verè enim S. August. in Sent. sent. 246. *Eum nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit*, & è conuerso.

CLAMANTE PRÆCONE VT OMNES CORAM EO GENV FLECTERENT] Hebr. est, Clamante præcone אַבְרֵךְ *abrech*, quod Aquila, Elias in Tisbi, & Noster hîc vertunt, *flecte genu*; vt *abrech* sit imperatiuus *hiphil* à radice בָּרַךְ *berech*, id est genu, quasi *aleph* ponatur pro *he. aleph* enim & *he* sunt gutturales vicinæ & commutabiles. aut potiùs *abrech* est Ægyptium, non Hebræum: præco enim Ægyptius Ægyptiis, vtique Ægyptiacè, inclamabat *abrech*, id est flecte genu, vti dixi. S. Hieron. in Traditionibus in Genes. explicat *abrech*, quasi sit idem, quod *tener pater*; *ab* enim hebraicè patrem, *rac* tenerum significat. Aliter quoque Chaldæus: *Clamabant, inquit, abrech, id est, hic est pater regis: rec* enim Ægyptiis idem est quod rex, ait Lipom. Hinc & Targumæus ita vertit, *clamabant, Viuat pater regis, qui est princeps in sapientia, & tener in annis.* Philo libr. de Ioseph, miratur subitam metamorphosin, qua vna die ab imo in summum est euectus. *Quis, ait, exspectasset intra vnum diem è seruo dominum, è vincto præstantissimum omnium, è carceris vicario proregem fieri, & regiam inhabitare pro carcere, & ex ignominia extrema in supremum honoris culmen ascendere?*

Abrech quid. Prima sententia & vera.

Secunda.

VERS. 44. EGO SVM PHARAO: ABSQVE TVO IMPERIO NON MOVEBIT QVISQVAM MANVM] q.d. Ego quasi rex tibi promitto & iuro, quòd omnes meos ita tibi subditos efficiam, vt nemo tuis iussis audeat obsistere, imò tuo iniussu vix pedem aut manum audeat mouere. Est hyperbole.

Vnde Pharaones dicti.

Reges Ægypti vocati sunt Pharaones, à primo Pharaone. sicut iidem post Alexandrum Magnum vocati sunt Ptolemæi, à Ptolemæo Lagi, qui post Alexandrum primus fuit rex Ægypti.

VERS. 45. VOCAVIT EVM LINGVA ÆGYPTIACA, SALVATOREM MVNDI] eò quòd orbem ab imminentis famis exitio liberasset. Vides hîc Ioseph esse typum Christi, Saluatoris mundi. Nota. Pro *saluatorem mundi*, hebraicè est צָפְנַת פַּעְנֵחַ *tsophnat paneach*. quòd corruptè in LXX. legitur, ψονθομφανὴχ. Putant aliqui Hebræam esse vocem, & significare *reuelatorem arcanorum*, putà somniorum. ita Iosephus, Philo, Chaldæus, Theodor. S. Chrysost. & Rabbini. Verùm magis credendum S. Hieronymo, qui diu habitauit in Iudæa, dicenti, hanc vocem non esse Hebræam, sed Ægyptiam. vt quid enim Pharao Ægyptius, in Ægypto Iosepho, non Ægyptium, sed Hebræum nomen imponeret? Ergo *tsophnat paneach* ægyptiacè significat *saluatorem mundi*. vnde licet *τὸ lingua Aegyptiaca*, non sit in Hebræo, prudenter tamen rectèque ab Interprete nostro explicationis causa additũ est.

Ioseph saluator mundi, typus Christi.

Iam confer omnes hos honores cum his quæ priùs passus fuit Ioseph, & videbis nihil eum passum

sum esse, quod non (vt notat Rupert.) insigniter ipsi remuneratum sit. nam Primò, pro odio fratrum, acquisiuit gratiam regis & principum eius. Secundò, pro exilio adeptus est exaltationem. Tertiò, pro labore manuum in seruitio, accepit annulum aureum. Quartò. pro pallio, quod illi adultera detraxerat, amictus est stola byssina. Quintò, pro compedibus, cinctus fuit torque aurea. Sextò, pro eo quòd vinctis ministrauerat, nunc princeps constituitur. Septimò, pro carceris humilitate, sedet super currum regium. Octauò, pro eo quòd contemptus fuit, nunc ab omnibus honoratur genuflexione. Nonò, pro nomine serui, accipit nomen regium, vocaturque Saluator mundi. Decimò, pro contempta adultera & turpi voluptate, accipit vxorem prænobilē. Si ita Deus suorum labores & ærumnas remuneratur in hac vita, quid faciet in futura? nimirum. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.*

Allegoricè, Ioseph, id est Christum, exaltauit Pater dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Stola byssina est gloria corporis, qua vestitur eius innocentia. Annulum dedit: quia ipsum signauit Pater. Torquis aurea significat dotes gloriosas corporis. Posuit eum super currum: quia omnia dedit ei in manus. Antecessit præco Iohannes Baptista. Præposuit eum toti Ægypto, id est mundo. Dedit ei iudicium, & nomen, Saluator mundi, ac sponsam Ecclesiam.

DEDITQVE ILLI VXOREM ASENETH, FILIAM PVTIPHARE] Putant Hebræi, Hieron. Rupertus, Abulensis, hunc Putipharem eumdem esse cum primo hero Iosephi, qui pariter Putiphar est dictus, vti dixi c. 39. v. 1. Sed verius est hunc ab illo diuersum esse: hic enim sacerdos erat, illc princeps militiæ; hic Heliopoli, ille Memphi in regia degebat. ita S August. Chrysost. Lyran. Lipoman. Oleaster, Pererius.

Duplex Putiphar.

HELIOPOLEOS] Dicta est Heliopolis, id est vrbs solis, à cultu solis. Græcè à Septuag. vocatur *On*, & à Ptolemæo *Onion*.

Heliopolis est vrbs solis.

VERS. 46. TRIGINTA AVTEM ANNORVM ERAT, QVANDO STETIT IN CONSPECTV REGIS] Nota, hunc numerum consignat Scriptura, Primò, ob chronologiam. Secundò, vt sciamus Iosephum 14 annos seruisse, scilicet ab anno 16. vsque ad 30. Tertiò, vt videamus Deum abundè labores & ærumnas Iosephi compensasse: nam calamitas eius durauit tantùm 14. annis; principatus verò & prosperitas eiusdem durauit annos 80. scilicet ab anno 30. ad 110. quo mortuus est. Quartò, vt sciamus Iosephum virtute superasse annos: nam iuuenis tanta passus est, tanta gessit. ita S. Chrysost. Quintò, vt sciamus hanc ætatem maturam esse, aptamque ad regendum & docendum. Sic Dauid factus est rex anno 30. Ezechiel prophetare cœpit anno 30. Iohannes Baptista & Christus prædicare cœperunt anno 30.

Anno 30. Ioseph factus est princeps: cur annus 30 consignetur. Causa Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Nota pro chronologia. Ioseph 30. erat annorum, cùm factus est princeps Ægypti: mox secuta est fertilitas septem annorum: inde biennium sterilitatis & famis, cùm ad eum venerunt fratres & pater. venerunt ergo anno nono ab eius principatu: pater autem tunc erat 130. annorum, vt patet c. 47. v. 9. Ioseph verò erat tunc 39. annorum, vt patet ex dictis.

Chronologia vitæ Iosephi aptata annis Iacobi.

Hinc sequitur Primò, Ioseph natum esse anno Iacobi 91. deme enim 39. annos vitæ Iosephi à 130. Iacobi, habebis 91.

Ioseph natus anno Iacobi 91.

Sequitur Secundò. Iacob fugientem Esau, ex Chanaan venisse in Mesopotamiam, anno ætatis suæ 77. & inde regressum esse in Chanaan, anno 97. nam Ioseph natus est anno Iacobi 91. & natus est anno 14. postquam venerat Iacob in Mesopotamiam, vt ostendi Genes. 30. Post genitum autem Ioseph, mansit Iacob in Mesopotamia sex alios annos, seruiens pro gregibus Laban, ita vt anno 20. ab aduentu suo inde regressus sit in Chanaan, Genes. 31. Venit ergo Iacob in Mesopotamiam anno ætatis suæ 77. inde verò post 20. annos regressus est in Chanaan, putà anno ætatis suæ 97.

Iacob iuit in Haran agens annum 77.

VT ARENÆ MARIS] Est hyperbole. VERS. 49.

MANASSES] Id est, obliuisci faciens, vel obliuio: radix enim נָשָׁה *nasa*, significat obliuisci. VERS. 51.

Manasses idem quod obliuio.

Nota hic pietatem & gratitudinem Iosephi erga Deum: ne obliuiscatur vmquam misericordiæ à Deo sibi impensæ, eius perenne monumentum, quod perpetuò oculis suis obuerseur, statuit filios. Sic fecit & Moses in exilio felix, cùm filios suos vocauit Gersam & Eliezer, Exo li 2. 22.

EPHRAIM] Id est, fructificans, crescens; vel fructus & incrementum, à radice פָּרָה *para*, id est fructificauit. ita S. Hieron. VERS. 52.

Ephraim idem quod incrementum.

IN VNIVERSO ORBE] id est, in magna parte terrarum & regionum adiacentium Ægypto: quia, si fuisset fames absolutè in vniuerso orbe, ad eam leuandam neutiquam suffecissent horrea, & quinta pars frugum Ægypti. ita Abulens. VERS. 54.

APERVITQVE IOSEPH VNIVERSA HORREA] Ex hoc beneficio & alimentatione Iosephi, putant multi, Ioseph vocatum fuisse Serapin, eumque nomine Serapidis cultum fuisse ab Ægyptiis, nec alium fuisse Serapidem quàm Ioseph. nam Serapis vixit eodem tempore, quo Ioseph & Iacob descenderunt in Ægyptum. Tradit enim Clemens Alexandr. & S. August. lib. 18 de Ciuit. c. 4. & 5. quòd hoc tempore aduentus Iacobi & Iosephi in Ægyptum, Apis rex Argiuorum nauigarit in Ægyptum, ibique mortuus, & in arca sepultus, dictus sit Serapis, quasi σορὸς ἄπις, id est arca in qua sepultus est Apis: quodque hic Apis, siuè Serapis, effectus sit maximus Ægyptiorum Deus; eò quòd eos fame leuasset, eosque varias artes docuisset: vti Isis, vxor Serapidis, eosdem docuit litteras. Hinc Serapidem coluerunt specie bouis, qui symbolum & prognosticum est fertilitatis, vti vidimus v. 2. & 27. Hunc bouem, quamdiu viuebat, delicatissimè alebant Ægyptij, qui proinde ægyptiacè Apis, id est bos, post mortem verò arcæ inclusus, Serapis dicebatur. Mortuo hoc boue, alium ei similem, albis insignitum maculis quærebant & alebant Ægyptij. Bos ergo hic Apis & Serapis dictus, erat Deus Ægyptiorum: quem imitati sunt Hebræi recenter venientes ex Ægypto, cùm in Sina vitulum aureum formarunt & adorarunt, Exodi 32. Tolle ex hac historia Apis & Serapis, quòd ipse fuerit rex Argiuorum, pro quo fortè substituendum est, Hebræorum, reliqua omnia conueniunt Iosepho. Gentiles enim mirè historiam Iosephi, aliorumque Hebræorum corruperunt, suisque fabulis & figmentis miscuerunt & deprauarunt. VERS. 56.

Origo Serapidis videtur fuisse Ioseph. Prob. Primò. Secundò. Tertiò. Quid Apis & Serapis?

Quare Iulius Firmicus, vetus auctor, qui floruit anno Christi 337. lib. de Errore profan. relig. (quem

Quartò.

(quem Constantio & Constanti Impp. dedicauit, quique exstat in Biblioth. SS. Patrum tom. 4.) c. 14. Ruffinus, & ex ijs Baronius tom. 4. pag. 520. & Pierius lib. 3. Hieroglyph. f. 25. lit. F. (qui addit hanc esse traditionem Ægyptiorum) & multi alij opinantur, Iosephum ob tantum beneficium, quo Ægyptijs in fame prouidit de annona, ab eis post mortem Serapin dictum, & diuinis honoribus cultum fuisse: sicuti eadem de causa, Ioseph à Pharaone dictus est Saluator mundi. quod amplius est, quàm Serapis. Vnde S. Chrysost. hom. 67. docet Iosephum id præsagijsse, ideoque iussisse Hebræis, vt exeũtes ex Ægypto ossa sua secum efferrent, scilicet ne Ægyptij in superstitionem proni ea, vtpote saluatoris sui, colerent vt Numen, aut Numinis reliquias.

Quintò. Fauet huic sententiæ, quòd Serapis pingitur quasi iuuenis imberbis, cophinum, scilicet frumẽti & panum capite gestans. inde & bos illi sacer dictus est Apis & Serapis: tum quia septem boues pingues, quos vidit Pharao, Ioseph interpretatus est, esse signum fertilitatis: tum quia bos arando, stercorando, triturando, causa est fertilitatis: qua de causa Moses Iosephũ comparat boui, vel tauro, Deut. 33. 17. hinc & illud Serapidis oraculum,

Sextò. Iosepho dignissimum decantatur:

Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus vnus:
Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

Septimò. Hinc denique varij varias dant Serapis etymologias, quæ omnes Iosepho nostro conueniunt.

Sextuplex etymon Serapis conueniens Iosepho. Primum. Nam Primò, aliqui valdè probabiliter deriuant Serapis, à *Sar*, id est princeps, & *Apis*, id est bos. quasi dicas, Princeps bouis, vel boum, qui scilicet Pharaoni & Iosepho portẽderunt fertilitatem, vt Serapis sit vox cõflata ex Hebræo *Sar*, & Ægyptio *Apis*. Ægyptij enim videtur Iosepho indidisse nomẽ Ægyptium, aut certè Hebræoægyptium. Hebræum enim *Sar*, vnde Ser & Sir, in multas gentes & linguas transijt. Nam & Syri, Chaldæi, & Arabes, & Mosci, & Tartari, & Galli, &, vt videtur Ægyptij, dominum vel principem vocant Sar vel Sir. Ioseph ergo ab Ægyptijs dictus est Apis, deinde Serapis, quasi dicas, Princeps Apis.

Secundum. Secundò, alij deducunt Serapis, à σορὸς & ἄπις, id est, arca, scilicet frumentaria, Apis.

Tertium. Tertiò, Iulius Firmicus, Serapis, inquit, est Saræ Apis, siue Apis princeps prognatus ex Sara vxore Abrahę.

Quartum. Quartò, alij, Ægyptij, inquiunt, Ioseph corruptè vocabant *Aseph*, & per metathesin *Apes*, vel *Apis*: sicuti Hollandi pro *Iacob* dicunt *Iapic*.

Quintum. Quintò, alij: inuerte *abrec*, habebis *Cerap*, purà Cerapis vel Serapis. Præco enim Iosepho præclamabat ad populum, *Abrec*, id est *flecte genu*, v. 43.

Sextum. Sextò, alij: Serapis dicitur quasi שור אפים *schor appaim*, id est bouis facies. hic enim bos, qui hieroglyphicum erat Serapidis, sola bouis facie pingebatur & sculpebatur: non erat enim aliud, quàm bouis aut vituli caput. Hinc & Serapis dictus est Osiris, quasi *schor*, id est bos: licet Eusebius lib. 1. de Præparat. Euang. c. 6. velit Osiridem esse solem, Isidem esse

Osiris, quasi dicas, multioculus, est sol, ait Eusebius.

A lunam, dicique Osirim quasi multioculum: sol enim multos radios, quasi oculos à se diffundit, estque symbolum prouidentiæ Dei, quæ vndique oculata est. vnde & Hebræa radix שור *scor*, significat fixis & intentis oculis aliquid intueri: & quia ita fixis oculis intuetur bos, hinc & *schor* vocatur. Verùm hæc ita posteriores Ægyptij ad solem, quasi mundi oculum nouo hieroglyphico accommodarunt: cùm enim nil certi de Deo haberent, alij suum Serapidem in cælo, alij in terra quæsiuerunt, alij hominis, alij bouis forma eum pinxerunt; itaque aliud & aliud Serapidis & Osiridis hieroglyphicum commenti sunt. Planè enim verisimile est primum Serapidẽ, vti & Iouem, Mercurium, Herculem, aliosque Gentilium deos, homines

B fuisse principes & illustres, qualis fuit hic noster Ioseph, quos ob virtutem, potentiam, aut merita in rempubl. homines retulerũt inter deos, eosque diuinis honoribus coluerunt. Vnde Osiris fertur Ægyptios docuisse artem arandi & agros colendi, quod per boues hic fecisse Iosephũ testatur Script. Et Plutarch. l. de Iside & Osiride, asserit proprium nomen Osiridis, fuisse *Arsaphen*. quod planè alludit ad nomen *Ioseph*. Rursum Osiris, inquit, idem est quod πολυόφθαλμος, id est *multi oculus*: *os* enim Ægyptijs significat *multum*, *Siris oculum*. Annon *multioculus*, id est multiscius Ioseph per sapientiam sibi cælitus inditam, qua Ægyptios prudentissimè gubernauit, eosque docuit non tantùm Astrologiam & Mathesin, sed

Osiris multioculus quis?

C & fidem ac Dei cultum, iuxta illud psalm. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret?* Hinc & templo Serapidis inscripta erat crux, imò pectori Serapidis insculpta erat crux, ait Rhodiginus l. 10. c. 8. Et crux Ægyptijs erat symbolum salutis & vitæ beatæ: quia scilicet Ioseph docuit, & sua passione præfigurauit crucem Christi, à qua nobis est salus & vita beata.

Ita procuratio annonæ apud Roman. non nisi magnis & sapientibus viris credita fuit. Hinc Plinius in Panegyrico: *Procuratio annonæ Pompeio Magno credita, non minus addidit gloriæ, quàm pulsus campo ambitus, exactus mari hostis, Oriens triumphis*

D *Occidensq́; lustratus.* Hæc de Serapide paulò fusiùs discussi, quia ad Iosephum spectant, & quia rara sunt, nec à quoquam pertractata. Hanc sententiam confirmat Auctor de Mirabilibus S. Script. lib. 1. c. 15. *Ioseph, inquit, vt vir propheticus præuidit, quòd Aegyptiorum gens idololatriæ dedita ipsum, quòd terrena munificentia illis auctor fuisset, & ipsos de famis periculo liberasset, aliquando adorare vellet. quod & fecerunt: nam bouis simulachrum iuxta Ioseph sepulchrum statuerunt, eò quòd bos viro in agricultura comparetur. Qua etiam causa filij Israel cùm in deserto idolum fabricare vellent, non aliam aliquam statuam quàm vitulum, id est bouem fecerunt, hac vel maximè causa, quòd ipse in Aegypto iuxta sepulchrum Ioseph adoraretur. ne ergo Ioseph Aegyptiorum succumberet idololatriæ, iussit ossa sua efferri ex Aegypto.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph fratres suos in Aegyptum frumenti causa venientes, agnoscit, & durè tractat, tandemq; v. 25. retento Simeone cæteros dimittit ea lege, vt ad se adducant Beniamin.

1. AVdiens autem Iacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filijs suis: Quare negligitis? 2. audiui quòd triticum venundetur in Ægypto: descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia.
3. Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Ægypto.
4. Beniamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali: 5. ingressi sunt terram Ægypti cum alijs qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. 6. Et Ioseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, 7. & agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos: Vnde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, vt emamus victui necessaria. 8. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis. 9. Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: vt videatis infirmiora terræ venistis, 10. Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed serui tui venerunt vt emerent cibos. 11. Omnes filij vnius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. 12. Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ huius considerare venistis. 13. At illi: Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super. 14. Hoc est, ait, quod locutus sum: Exploratores estis. 15. Iam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. 16. Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis vtrùm vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. 17. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. 18. Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo. 19. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, 20. & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possit vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt vt dixerat, 21. & locuti sunt ad inuicem: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. 22. E quibus vnus Ruben ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me: en sanguis eius exquiritur. 23. Nesciebant autem quòd intelligeret Ioseph: eò quòd per interpretem loqueretur ad eos. 24. Auertitq; se parumper, & fleuit: & reuersus locutus est ad eos. 25. Tollensq; Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis suprà cibarijs in viam: qui fecerunt ita. 26. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. 27. Apertoque vnus sacco, vt daret iumento pabulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, 28. dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique, mutuo dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? 29. Veneruntque ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: 30. Locutus est nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores esse prouinciæ. 31. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec vllas molimur insidias. 32. Duodecim fratres vno patre geniti sumus: vnus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan. 33. Qui ait nobis: Sic probabo quòd pacifici sitis: Fratrem vestrum vnum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite, 34. fratremque vestrum minimum adducite ad me, vt sciam quòd nõ scitis exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licẽtiam. 35. His dictis, cùm frumenta effunderẽt, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisq; simul omnibus, 36. dixit pater Iacob: Absque liberis me esse fecistis, Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. 37. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam.

tuam. 38. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater eius mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei aduersi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

Vers. 1. Frumentū vocatur hebraicè sceber, id est frangenda.

ALIMENTA] Hebraicè est שֶׁבֶר *sceber*, id est, frangenda, id est frumentum, vel panis, qui frangitur & distribuitur. Vnde Ioseph vendens & distribuens frumentū, passim hîc vocatur מַשְׁבִּיר *masbir*, id est frangens siue fragmētans, id est, distribuens & dispertiens frangendam, putà annonam siue frumentum. hinc manauit illa phrasis Christi & Pauli, *Panis quem frangimus*, vti dixi 1.Cor.10.16. nam frangere panem Hebræis idem est, quod diuidere & distribuere panem.

Quid frangere panes?

QVARE NEGLIGITIS] Hebraicè, *vt quid vos ipsi aspicitis?* id est, quid desides cūctamini? solêt enim otiosi & pigri inuicem aspicere, & quisque exspectare vt alter manum operi admoueat, remq; expediat. *Torpor enim animi ex imperfecta voluntate oritur: mox vt bonum velle cœperis, ardor erit atque impetus.* Elapso septennio fertilitatis, agebatur iam secundus annus sterilitatis, vt patet c.45.6.

Ioseph per 23. annos se in Ægypto superesse parentem celauit, & cur?

Quæres, qua ratione Iosephi tam diu incognitus mansit in Ægypto, putà 23. annis (tot enim sunt ab anno eius 16. vsque ad 39 quem iam agebat) ita vt de se nihil vnquam toto illo tempore nuntiarit patri, adeò propter se mœrenti, maximè vltimis nouem annis, quibus ipse princeps fuit in Ægypto?

Respondet S.Thomas & Pererius, Deum noluisse vt Iacobo idipsum nuntiaretur ante tēpus & occasionem à se ordinatam, putà ante hanc famem, qua coacti sunt fratres venire ad Ioseph in Ægyptum. Hanc autem esse Dei voluntatem intellexit Ioseph, tum ex somnio suo, de quo c.37 7. tum ex rerum euentu, tum ex Dei instinctu & reuelatione, vt indicat ipse Ioseph, c.45 8.

Dices, Cur hoc ita fieri & celari voluit Deus? Respondeo Primò, quia Deus hoc quasi purgatorium mœroris voluit dari Iacobo, licèt iusto, ob leuia quædam eius peccata, tum alia, tum quia nimis & cum inuidia fratrum amauerat Iosephū. Solet enim Deus nimios Sanctorum circa rem vel personam aliquam amores hoc modo per aduersa, quasi vinum iniecta aqua, temperare, imò recidere & mortificare. ita S.Augustinus serm. 82. de Tempore.

Deus nimios Sanctorū erga quidpiā affectus per aduersa temperare solet.

Secundò, voluit Deus celare Iacobum vitam & statum Iosephi, vt probaret tam eius, quàm Iosephi virtutem, resignationem, patientiam, amorem erga Deum, vti probauit obedientiam & virtutem Isaaci & Abrahæ, cùm Abrahæ iussit vt immolaret suum Isaac, Gen.22.2.

Variè Sanctos tentat & probat Deus.

Tertiò, quia, si sciuisset Iacob filium suum Ioseph esse captum, quantolibet pretio eum redemisset, itaque Ioseph numquam euectus fuisset in Ægypto ad principatum, quo tamen eius humiliationem remunerari statuerat Deus, Sapientiæ c.10.13. ita Theodoretus.

Quartò, id voluit Deus, vt hac ratione verificaret somnium Iosepho à se immissum, Gen c.37. 7. vt scilicet fratres fame pressi cogerentur ad Iosephum venire, eumque adorare.

Quintò, id voluit Deus, vt hac occasione Iacob cum tota familia sua descenderet in Ægyptum, ibiq; multiplicaretur, vtque ei magna & mira illa obuenirent in Ægypto, quæ c.13.13. auo eius Abrahæ promiserat Deus quæq; enarrat Exodus.

A

ADORASSENT] Ecce hîc fratres nescientes implent somnium Iosephi, eumque adorare coguntur. ita Procopius. *Vers. 6.*

RECORDATVSQVE SOMNIORVM] Videns in hac sui adoratione impleri sua somnia, non ex vltione, sed vt ea eorumque veritatem confirmaret, efficiendo fratres tam malè de se meritos sibi supplices; hac de causa duriùs eos alloquitur, vt ipsi suam impietatem, & somniorum Iosephi veritatem agnoscant. ait ergo: *Vers. 9.*

EXPLORATORES ESTIS] Dices, Mentitur hîc Ioseph; sciebat enim fratres suos non esse exploratores. Respondet Primò, Rupertus, *exploratores*, id est fures, *estis*; quia me patri suffurati estis, & vendidistis. Sed aliud est explorator, aliud fur: intelligit enim Ioseph per exploratorem eum, qui loca minùs munita in prouincia scrutatur, vt ea hosti prodat.

Qua ratione Ioseph exploratores vocet fratres.

B

Secundò, Pererius respondet, Ioseph hîc non mentiri, sed iocari, loquique per iocum & simulationem.

Tertiò & optimè, S.Thomas respondet, Ioseph non assertiuè, sed tentatiuè & probatiuè loqui, vti iudices asserunt crimen, dum reum rogant pertentando, vt veritatem eliciant. Pari modo hîc fratres pertentat Ioseph, vt ita adigat eos, sibi de patre & fratre Beniamin percunctaturo, vera narrare.

Porro nullam iniuriam fecit Ioseph fratribus, eis hanc calumniam obijciendo, metumq; incutiendo, quia illi longè grauiora meriti erant, poteratque Ioseph quasi princeps Ægypti, eos ob parricidium & plagium in se admissum plectere morte. Ruben etiamsi à venditione Ioseph esset innocens, quia tamen commistus erat cum fratribus nocentibus, hinc & affligitur cum eis Si enim eum excepisset Ioseph, agnitus fuisset à fratribus. ita Abulensis. Sic Deus, quin & princeps, communi belli clade insontes cum sontibus inuoluit & plectit.

C

Notent hîc Prælati, quem in correctione modum seruare debeant, eumque discant à Iosepho. Piè & prudenter S.Gregorius hom.21. in Ezech. *Vincebat*, inquit, *mentem* Iosephi *pietas, cùm frater innocens videretur; sed permanebat in ostensione asperitas, vt fratres noxij purgarentur. Scyphus in sacco senioris absconditur, furti post eos quæstio mouetur: in sacco iunioris inuenitur: Beniamin reducitur: afflicti omnes fratres sequuntur. O tormenta misericordiæ! Cruciat, & amat. Sic vir sanctus facinus fratrum & dimisit, & vindicauit: sic in rigore clementiam tenuit, vt delinquentibus fratribus, nec sine vltione pius existeret, nec sine pietate districtus. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, vt culpis & discretè noueris parcere, & eas piè resecare.* Hucusque S.Gregorius.

Quis modus corrigendi.

D

HOC EST, AIT, QVOD LOCVTVS SVM, EXPLORATORES ESTIS] q.d. Fingitis vos esse duodecim fratres, aliumque domi habere fratrem: hinc colligo, vos cætera quoque fingere, esseque exploratores; vt ergo contrarium ostendatis, adducite fratrem vestrum minimum ad me, vt ego eum videam, indeque sciam vos vera dixisse. Rursum hæc non assertiuè, sed tentatiuè dicit Ioseph; idq; vt exploret quid factum sit de Beniamin: timebat enim ne *Vers. 14.*

fratres simile quid in Beniaminum (vtpote fratrem suum vterinum, & Rachelis, quam Iacob præ Lia dilexerat, filium) designassent, quale in se perpetrauerant. ita S. Chrysost.

VERS. 16. *An Per salutem Pharaonis iuramentum sit.*

ALIOQVIN PER SALVTEM PHARAONIS EXPLORATORES ESTIS] Quæres Primò, an, τὸ *per salutem Pharaonis*, sit iuramentum, & an licitum? Caluinus negat esse iuramentū, additque hanc tantùm esse phrasim gentilitiam, quæ sapiat idololatriam Ægyptiacā. Sic enim Romani iurabant per genium Cæsaris, vt hac ratione Cæsari adularentur, eumque dijs quasi æquarent. Secundò, Hamerus respondet, hoc non esse iuramentum, quia non fit expresse per Dei contestationem.

An licitum sit.

Dico Primò, τὸ *per salutem Pharaonis*, est iuramentum. Patet, quia hebraicè est, *viuit Pharao*: quæ apud Hebræos est formula iurandi, perinde ac cùm dicūt, *Viuit Deus*. hoc etiam significat Noster, cùm vertit, *per salutem Pharaonis*: simili enim modo iuramus *per animam*.

Dico Secundò, iuramentum hoc est licitum. Ratio est, quia qui per creaturas iurat, censetur vsu communi gentium, & tacita iurantis intētione iurare per earum creatorem, vti explicat Christus Matthæi 23.21. Ioseph ergo non ioco, vt vult Hamerus, sed seriò iurat per salutem Pharaonis, quasi regis sui benefici, venerandi & redamandi; & quasi in Pharaone venerans Deum, simulque regiam potestatem ipsi à Deo datam. Ergo, *per salutem Pharaonis*, idem est ac si dicat, Per Deum, qui auctor & conseruator est vitæ & salutis Pharaonis. ita S. Thomas, & alij.

Dices, Ioseph videtur hîc peierare: nam licet fratres Beniaminum non adducerent, exploratores tamen idcirco non erant.

Respondeo, Non iurat Ioseph fratres suos esse exploratores, sed ait, *Alioqui exploratores estis*, id est, eritis apud me, habebimini, præsumemini esse exploratores. q.d. Ni Beniamin adducatis, itaque vestra dicta veracia esse ostendatis, ego vos quasi exploratores habebo, tractabo & puniam. ita S. Augustinus.

Quale iuramētū sit, Per salutē Pharaonis.

Quæres Secundò, quale sit hoc iuramentum, *Per salutem* vel *vitam Pharaonis*? Respondeo Primò, Potest esse assertorium, si nimirum sic intelligas, *per salutem Pharaonis*, id est, iuro per Deum, qui vitæ & salutis Pharaonis, regis mei amantissimi, auctor est & custos.

Quid hac formula, Viuit Dominus, toties in sacra Scriptura significetur?

Sic enim cùm dicunt Hebræi, *Viuit Dominus*, sensus est; Testor Deum viuum: ita verum est quod dico, ac verum est viuere Deum, quem in testem voco, & per quem iuro.

Secundò & potiùs, hæc phrasis ex communi vsu loquendi significat execrationem, qua quis se aut suos deuouet. potiùs ergo videtur hoc iuramentum esse execratorium, vt sensus sit, *per salutem Pharaonis*, id est, iuro, testor & rogo Deum, vt Pharaoni regi meo charissimo salutem & vitam adimat, nisi vos quasi exploratores habuero & puniuero, si ad me nō adducatis Beniamin. Simili enim modo & sensu iuramus *per animam*. ita S. Thomas 2.2.q.89.a.6. Sicut enim nostram personam, ita & aliam nobis coniunctam possumus obligare Deo, vt in ea nos puniat si fallimus, dicendo & iurando, *Per vitam patris; Per vitam vxoris; Per salutem regis*.

Iuramentū execratoriū

Dices, Hoc est imprecari malum patri, vxori & regi: hoc autem est contra charitatem. Respon-

A deo, Est contra charitatem, si iuramus falsum; sin verum est quod dicimus, non est contra, sed potiùs secundùm charitatē. ostendimus enim quanti regem, vel patrem faciamus, eumque sic honoramus: neque solùm imprecamur malum, si fallimus, sed etiam bonum, si non fallimus. Itaque, *per salutem Pharaonis*, idē est ac si dicas: Ita Deus saluet, vel non saluet Pharaonē. Saluet, si verum dico, vel si præsto quod dico; non saluet, si fallo. vtrumque enim includitur, vti solerter & doctè aduertit noster Lessius tractat. de iuramento, dub. 2.

quando sit contra charitatem.

VERS. 17. *Cur præcisè tribus diebus custodiæ traditi fratres Iosephi.*

TRADIDIT ERGO ILLOS CVSTODIÆ TRIBVS DIEBVS] Vt ita luerent triplex crimen suum; primò, mortis intentatæ; secundò, proiectionis in cisternam; tertiò, venditionis Iosephi: &, vt sicut i-
B pse triennio fuerat in carcere, sic illi essent triduo, inquit Delrio, & alij.

VERS. 18.

FACITE QVÆ DIXI, ET VIVETIS: DEVM ENIM TIMEO] q.d. Nolite timere: quia nil iniustè, nil infideliter, nil inhumanè vobiscum agam, sed fideliter quæ dixi præstabo: etsi enim sim princeps, Deum tamen principum Principem timeo & revereor, sciens me ab eo iudicandum, omniumque factorum meorum illi redditurum rationem.

VERS. 21.

MERITO HÆC PATIMVR] Ex Hebræo vertas, *verè nos desolati sumus*, putà soli, omnique auxilio destituti, *propter fratrem nostrum*, quem desolauimus, solumque exteris vendidimus. Nota hîc cum S. Chrysost. quanta sit vis conscientiæ, cuius obtutibus peccata omnia ilicò se sistunt & confluunt, cùm Dei manum vindicem videmus & sentimus: nulla enim Iosephi hîc facta est men-
C tio, & tamen eius memoria & iniuria ei ante viginti tres annos facta, statim omnium fratrum mentibus se sistit, cùm ob eam se castigari augurantur. *Sicut ebrius*, inquit, *quando multum vini ingurgitat, nullum sentit à vino damnum, postea autem sentit quantum sit damnum: sic peccatum donec consummetur obtenebrat mentem, & quasi densa nubes ita mentem corrumpit: deinde conscientia insurgit, & quouis accusatore mentem grauiùs arrodit, monstrans absurditatem facti.* nimirum, *oculos, quos culpa claudit, pœna aperit*, inquit S. Gregorius. nimirum, *conscientia mille testes*; &, vt ait S. Gregorius Nazianzenus in plagam grandinis: *Conscientia domesticum & verum tribunal est.* Nam vt ait Sap. c. 17. v. 10. *Semper præsumit sæua, perturbata conscientia.* E cōtrario Eccli. 13. v. 10. *Bona*, inquit, *est substantia cui non est peccatum in conscientia*: & c. 30. v. 17. *Non est
D oblectamentum super cordis gaudium*: & Apostolus 2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei conuersati sumus in hoc mundo.* & S. Hieronymus, *Bona conscientia nullius oculos fugit*, interrita est & impauida ad omnia.

Vis conscientiæ.

Vtilitas tribulationis.

Rursum, fratres hi in plaga ad se redeūt, & crimen agnoscunt. Ita Manasses rex impijssimus in carcere culpā agnouit, 2. Paral. 33. Ita Nabuchodonosor superbissimus, postquam in bestiam est trāsformatus, agnouit suam imbecillitatem, Deique potentiam, *qui gradientes in superbia potest humiliare*, Danielis c. 4. Ita Antiochus rex scelestissimus letali morbo percussus, *Nunc*, inquit, *reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem. Cognoui ego, quia propter ea inuenerunt me mala ista, & ecce pereo tristitia magna in terra aliena*, 1. Machab. 6. 13. Ita fames docuit filium prodigū dicere: *Pater peccaui in*

cælum

cælum, & coram te. Proinde rectè impijs imprecatur Psaltes dicens psal. 18 *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

Tertiò, aduerte hic miram & iustam Dei prouidentiam & vindictā, qua fratres Ioseph insontes punit eadem pœna, scilicet carcere & captiuitate, qua ipsi antea Iosephum insontem afflixerāt. Iustum enim est, ait Rhadamantus, vt quod quis iniustè fecit, hoc ipse iustè patiatur.

Simile exemplum memorabile, imò plura exempla clarissima refert S. Ephrem, quæ ipsimet iuueni petulanti & lasciuo contigerunt, quibus ipse ad frugem, imò ad vitam monasticam conuersus est. Audi eum partim in confessione sua, partim in narratione suæ cōuersionis, Ego, inquit, dubitabam de Dei prouidentia, & an non potius omnia casu & fortuitò acciderent. Hoc dubiū mihi Deus, non verbis, sed factis exemit. Quodam B enim die à parentibus in suburbana missus, iuuēcam grauidam lapidibus insectans & agitās, causa fui, vt ipsa à fera laniaretur: obuium deinde habens pauperem, cuius illa erat, me de eadem interrogantem contumelijs etiā oneraui. Post mensem rursum in Mesopotamia ad suburbana missus, nocte ad pastores diuerto, qua nocte in caulam irruentes feræ gregem dispergunt. Hinc à dominis gregis comprehensus ego, quasi raptores induxissem, Prætori trador & carceri: vbi cùm fuissem diebus quadraginta, dormienti adstans adolescens aspectu terribilis, Quid, inquit, in isto agis carcere? cui cùm casus meos insontis enarrassem: Ego, inquit ille, hoc noui, te culpa vacare; sed præterita cogita. scis enim te pauperculi hominis iumentum agitando necasse. Vt igitur prouidentiam & iustitiam Dei discas, interroga duos illos C viros, quorum alter homicidij, alter adulterij falsò insimulatur, quique in eumdem hunc carcerem compacti sunt; & intelliges, non sine causa eos in vinculis esse: sed neque ipsi scelerum istorum auctores impunè euadent. Quibus dictis euanuit. Manè autem facto, ad viros illos conuersus: Cur, inquam, hic estis? & alter quidem ait: In crimine, de quo accusor, innocens sum; sed nuper virum quemdam, in pugna ab inimico ex ponte deturbatum, vndis & morti, cùm possem, non eripui. Alter verò: Ego, inquit, insons sum; sed nuper à duobus militibus accepi quinquaginta nummos, vt sororem eorum adulteratam fuisse iurarem, atque ita puellæ hereditatem in fratres traijcerem. Peierauiitaque, & misellam adulterio confićto bonis omnibus euerti. Nunc te vicissim adolescens nobis indica. Parui petitioni, & iuuencæ D mortem, causamque captiuitatis meæ declaraui. Tunc cœpi compungi atque resipiscere, & nos meritò pœnas luere intellexi: etsi criminis, ob quod capti eramus, essemus omnes tres ignari & innoxij. Postridie ad iudicem rapimur. Torquentur illi, & cùm innocentes reperti essent, dimittuntur. Ego in carcerem retrudor: vbi cùm solus alios quadraginta peregissem dies, adducuntur vincti tres alij viri, quibuscum triginta rursum dies extraxi. Hinc mihi secundùm quietem adstitit idem, qui antea apparuerat, dicens: Quid est Ephrem? cernis iustum iudicium Dei? vt autem cognoscas, qui tres illi sint hodie tibi adiuncti, scito duos ex illis falsò sororem fornicationis accusasse, ac patrimonio orbasse: alius verò est, qui hominem in flumen præcipitauit, & his dictis recessit. Tum ego manè facto, eos rogaui, vt mihi causam dicerent, ob quam in carcerem coniecti essent: & fratres quidem sororem per nefas à se circumuentam fatebantur, alter verò hominem in aquas deturbatum. Quibus auditis, & ipse quæ mihi acciderant enarrabam, & duorum virorum, quorum alter periurium admiserat, alter pereunti manum negasset, (hi enim in ijs ipsis criminibus, hisce eorum auctoribus consenserant, aut cooperati fuerant) casus exponebam. Inde omnibus nobis diuini iudicij metus, vberes lachrymas excussit. Postridie in quæstionem adducimur, & fratres quidem duo, præter crimina iam dicta etiam se adulterij & homicidij (quæ falsò duobus, paulò antè dictis, imputata fuerant) auctores esse confessi, morte mulctati sunt: & mox alter eadem pœna, ob duas cædes ab eo patratas, afficitur. Pòst iudex & me adduci iubet, amarè flentem, Deumq; his verbis inuocantem: Salua me Domine ex necessitate, vt dignè fieri queam monachus, & tibi inseruiam. Prætor autem mandauit tortoribus, vt me distentum neruis boum cæderent. At Prætoris assessor, Reseruetur, inquit, iste in aliud iudicium, nunc enim tempus est prandij. In carcerem itaque ferro constrictus reducor, vbi solus egi alios 25. dies. Exhibuit autem se tertiò adolescens antea visus, & ait: Certúsne iam es, quòd iusto iudicio Deus mundum gubernet? Imò, inquam, Domine: at tu: oro rogoque, educ me de carcere isto, vt merear fieri monachus, & inseruire Domino Christo. Ipseque subridens, Adhuc semel, inquit, examini subijcieris, tum demum liberandus ab alio iudice: sed scito vnum esse oculum omnia perlustrantem. Post hæc anxius octo dies extraxi, donec nouus iudex me in quæstionem productū agnouit, & falsò accusatum dimisit. Ego verò sine mora in montem ascendi, & me ad venerandi senis pedes proijciens, enarratis cunctis quæ acciderant, in monachum ab eo sum assumptus. Hæc de se aliquanto prolixiùs S. Ephrem fratribus suis enarrauit. Vnde liquet, Deum nullum crimen relinquere impunitum. Secundò, Deum practicare illud Christi: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Matth. 7 5.

Mirum exemplū prouidētiæ Dei, quo conuersus est S. Ephrem.

Moralia pulchra de vtilitate tribulationis, quodque ipsa doceat nos cognoscere Primò, Deum; Secundò, nosipsos, nostramque fragilitatem; Tertiò, vanitatem mundi, omniumque eius operum & bonorum; habet hic Pererius n. 22. & sequent.

En sangvis eivs exqviritvr] Putabant enim fratres Iosephum in tam dira seruitute, præ afflictione & mœrore iampridem esse mortuum; nec enim per viginti tres annos quidquam de eo inaudierant. *Sanguis*, ergo hic metonymicè ponitur pro effusione sanguinis, putà pro nece & morte. quæuis enim occisio & mors violenta, etiamsi fiat suffocatione, submersione, contusione, aliòue modo, vocatur apud Hebræos effusio sanguinis, per synecdochen, & per catachresin; eò quòd violenta mors creberrimè inferri soleat per effusionem sanguinis. Vers. 22.

Sanguis pro violenta morte in Scriptura frequens ponitur.

Simeon] Vnum Simeonem præ alijs ligat Iosephus, quia in Simeone potissimùm venditi Iosephi culpa resedit, inquiunt Philo, Theodoret. & Gennadius. Si enim Simeon secundogenitus cum Rubeno primogenito, & Iuda, qui inter fratres Vers. 25.

tres gratia & dignitate præstabat, se coniunxisset, facilè hi tres sua auctoritate alios fratres compescuissent, & Iosephum liberassent. fortè etiam Simeon inter fratres insolentior & iniquior fuerat in Iosephum: audax enim & insolens eius indoles satis se prodidit in strage Sichimorum, Genes. 34. v. 25.

DATIS SVPRA CIBARIIS IN VIAM] dato præter frumentum viatico, putà panibus, alijsque escis tam hominum quàm asinorum, vt frumentum integrum & intactum domum perferrent, ad patrem in Chanaan.

VERS. 29. NARRAVERVNT EI OMNIA] vltrò & sponte, ne pater animi penderet, vbi mansisset Simeon: nam, vt prudenter ait Philo, *in casibus inopinatis leuior est cognitio, quàm dubitatio: nam re cognita potest inueniri ad salutem aditus; hæsitatio nihil expedit.* Verè poëta:

Peior est bello timor ipse belli.

VERS. 35. EXTERRITISQVE SIMVL OMNIBVS] Filij aperuerant saccos in via, sciebantque eis pecuniam inesse, pater verò nesciebat; sed filij coram patre simulant se quoque idipsum nescire, ne à patre increpentur. Exterriti ergo hìc sunt filij iam antè concepto, vel certè simulato & ficto timore: Iacob autem nouo & vero metu perculsus fuit, timens scilicet ne quid mali propter hanc pecuniam Simeoni, si non redirent; sin redirent, ipsismet infligeretur à Iosepho.

ABSQVE LIBERIS ME ESSE FECISTIS] Dolentis vox ista est, inquit Abulensis, quia dolentes pro re modica faciunt propositiones vniuersales, vt si pauca mala habeant, dicant se omnia habere; & si pauca bona eis desint, dicant sibi omnia deesse: ita Iacob tres tantùm filios absore sentiēs, ex vehementia doloris dicit sibi omnes defuturos, cùm tamen adhuc alij nouem ei superessent. Dolor hic oriebatur ex ingenti amore, quo super omnes diligebat Iosephum perditum, & Beniamin abducendum. VERS. 36.

DVOS FILIOS MEOS INTERFICE] Irrationalis, turbida, & plena passione est hæc oblatio Rubeni: occidere enim auo nepotes non licet, & si licuisset, non hoc eius dolorem mitigasset, sed potiùs auxisset. Verùm voluit Ruben hac incomposita & irrationali propositione significare, se certò certiùs reducturum Beniaminum. VERS. 37.

DEDVCETIS CANOS MEOS CVM DOLORE AD INFEROS] Id est, efficietis, vt ego senex mœrore & mœstitia moriar, quinimo senio meo accelerabitis mortem. ita Abulensis & Vatablus. Octaua fuit hæc crux Iacobi. VERS. 38.

CAPVT QVADRAGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

FRatres secundò cum Beniamin eunt in Aegyptum, vt emant frumentum; Ioseph v. 27. benignè eos & lauto conuiuio excipit.

1. INterim fames omnem terram vehementer premebat. 2. Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum escarum. 3. Respondit Iudas: Denuntiauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. 4. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria: 5. sin autem non vis, non ibimus: vir enim, vt sæpè diximus, denuntiauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam, absque fratre vestro minimo. 6. Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei & alium habere vos fratrem. 7. At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinem nostram progeniem: si pater viueret: si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter iuxta id quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus quòd dicturus esset, Adducite fratrem vestrum vobiscum? 8. Iudas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere: ne moriamur nos & paruuli nostri. 9. Ego suscipio puerum: de manu mea require illum. nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. 10. Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus. 11. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarum. 12. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum: & illam, quam inuenistis in sacculis, reportate, ne fortè errore factum sit: 13. sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. 14. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, & hunc Beniamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero. 15. Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin: descenderunt in Ægyptum, & steterunt coram Ioseph. 16. Quos cùm ille vidisset, & Beniamin simul, præcepit dispensatori domus suæ dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium: quoniam mecum sunt comesturi meridie. 17. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum. 18. Ibique exterriti, dixerunt mutuò: Propter pecuniam,

niam, quam retulimus priùs in saccis nostris, introducti sumus: vt deuoluat in nos ca-
lumniam,& violenter subijciat seruituti,& nos,& asinos nostros. 19. Quamobrem
in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus 20. locuti sunt: Oramus do-
mine vt audias nos. Iam antè descendimus vt emeremus escas: 21. quibus emptis,
cùm venissemus ad diuersorium, aperuimus saccos nostros, & inuenimus pecuniam in
ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportauimus. 22. Sed & aliud attuli-
mus argentum, vt emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia
quis posuerit eam in marsupijs nostris. 23. At ille respondit: Pax vobiscum. nolite
timere: Deus vester,& Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris. nam
pecuniam quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitq; ad eos Simeon. 24. Et
introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes suos, deditque pabulum asinis
eorum. 25. Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie: audie-
bant enim quòd ibi comesturi essent panem. 26. Igitur ingressus est Ioseph do-
mum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: & adorauerunt pro-
ni in terram. 27. At ille clementer resalutatis eis interrogauit eos dicens: Saluus ne
est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit? 28. Qui responderunt:
Sospes est seruus tuus pater noster, adhuc viuit. Et incuruati, adorauerunt eum.
29. Attollens autem Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suum vterinum, & ait:
Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, miserea-
tur tui, fili mi. 30. Festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre
suo & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum fleuit. 31. Rursumque lota fa-
cie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes. 32. Quibus appositis, seorsim Ioseph,
& seorsim fratribus, Ægyptijs quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est e-
nim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & profanum putant huiuscemodi conui-
uium) 33. sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iux-
ta ætatem suam. Et mirabantur nimis, 34. sumptis partibus quas ab eo accepe-
rant: maiorq; pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberuntque &
inebriati sunt cum eo.

VERS. 2. PAVXILLVM ESCARVM] quod huic anno leuandæ fami nostræ sufficiat. Nesciebat Iacob adhuc quinquennium sterilitatis & famis superesse: hæc enim dixit & fecit Iacob anno secundo sterilitatis, vt patet c. 47. 9.

VERS. 3. IVDAS] qui inter fratres animo, prudentia, eloquentia & auctoritate excellebat, inquit Philo.

SVB ATTESTATIONE IVRISIVRANDI] Hebraicè est, *contestando contestatus est nos*, id est denuntiauit nobis adhibito iuramento, dicens; *per salutem Pharaonis.*

NON VIDEBITIS FACIEM MEAM] non permittam vos mecum agere, aut quidquam emere in tota Ægypto, tamquam exploratores vos puniam. ita Abulens.

VERS. 6. IN MEAM HOC FECISTIS MISERIAM] non intendendo, sed occasionem dando vestris sermonibus huic meæ miseriæ, qua meo Beniamino priuor. vide can. 20.

VERS. 7. INTERROGAVIT NOS HOMO, &c. SI HABEREMVS FRATREM] Vera refert Iudas, vt patet c. sequ. v. 19. licet hæc ipsa taceantur cap. 42. 13. ibi enim summatim tantùm res narratur, hîc verò & c. seq. exactiùs & prolixiùs rem totam, reique gestæ ordinem enarrant fratres.

VERS. 8. *Ætas Beniamini cùm in Ægyptũ duceretur.* PVERVM] fratrem natu minimum; alioqui Beniamin iam erat 24. annorum, filiosque genuerat. vt patet c. 46. v. 21. natus est enim Beniamin anno decimosexto Iosephi, quo ipse venditus est in Ægyptum; hæc autem contigerunt anno secundo sterilitatis, quo Ioseph erat 39. annorum, & patet ex dictis, & ex c. 47. v. 9. iam computa ab anno 16. Iosephi ad 39. eiusdem, habebis 24. annos Beniamini.

Ætas Isaaci cùm immolãdus esset. Totidem ferè annorũ, putà 25. erat Isaac, cùm iussus est Abraham eum immolare: ita & Iacob A hîc suum Beniaminum eadem ætate cogitur abdicare & resignare in manus Dei.

NE MORIAMVR] q. d. *Compassio quam exhibemus puero, nobis omnibus erit causa interitus: fame enim peribimus, nisi eum nobiscum mittas*, ait S. Chrysost. hom. 64.

VERS. 9. ERO PECCATI REVS IN TE OMNI TEMPORE] q. d. Quamdiu viuam, hoc mihi peccatum impropera, & quamcumque voles, pœnam mihi inflige.

VERS. 10. SI NON INTERCESSISSET DILATIO] nisi fuisset iniecta ista mora, qua remoratus es nos, negando nobis comitatum Beniamin.

VERS. 11. SVMITE DE OPTIMIS TERRÆ FRVGIBVS] Hebraicè est, *sumite de cantatione terræ.* cantatio hebraicè vocatur res præstans, nobilis, laudabilis & decantanda.

Resina quid. RESINÆ] Id est theriacæ, inquiunt Iudæi; sed perperam. resina enim est succus fluens ab arbore. B Iam variæ sunt arbores quæ resinam dant. In Iudæa & Syria resinam dat arbor, quæ vocatur ferula, cuius succus siue resina vocatur galbanũ, inquit Dioscorid. l. 3. c. 81. & ex eo Abulensis. vide & Piniũ l. 12. c. 25. in fine. fauet & Iosephus; nam in eo pro *βαλάνου*, legendum videtur *χαλβάνου*.

Storax quid. STORACIS] Storax lacryma est arboris, quæ styrax dicitur, de qua Dioscorid. l. 1. c. 78. & Plinius libr. 12. 25. ex ea fit vnguentum styracinum, quod capillos non tantùm bono odore, sed & colore flauo imbuit.

Stacte quid. STACTES] Stacte lacryma est myrrhæ; putà liquor myrrhæ purissimus & subtilissimus.

TEREBINTHI] Terebinthus hîc est resina, vel succus, qui ex arbore terebintho distillat, vulgò termentina vocatur.

VERS. 14. EGO AVTEM QVASI ORBATVS ABSQVE LIBERIS ERO] interea dum vos omnes absentes eritis, vide-

 bor

bor mihi esse orbus;& fortè reipsa nonnullis,aut etiam omnibus vobis in hoc itinere orbabor.

Discant hîc parentes, suas spes & gaudia non non collocare in filijs. Ecce Iacob in senio,cùm liberis frui putabat,ijs orbatur. Adde, dũ filij adolescunt, sæpè cum ætate crescunt simul & eorum vitia,& parentum curæ. Discant Secundò, fideles,nulli rei mundanæ inniti, sed toti à Deo pendere. Ecce Iacobo subtrahitur, quidquid dilexerat,scilicet Rachel,Ioseph, Beniamin, vt ab ijs amorē auocet,& in Deum transferat. Discant Tertiò,aduersis nõ frangi;quia tunc felicitas est proxima,cùm miserrimi videntur. Sic enim Iacob hîc afflictus,mox omnibus malis eripitur. Cùm ergo derelictus & perditus videris, animos sume, scito prosperam fortunam stare ante ianuam, tibique imminere. Ecce enim Dominus ex alto nos aspicit, certantes intuetur & corroborat, atque præmia disponit & præparat, vti ipse dixit S.Antonio à dæmonibus mirè vexato.

VERS. 16. OCCIDE VICTIMAS,ET INSTRVE CONVIVIVM] *Victimæ* vocantur hîc & alibi animalia, putà oues, vituli,capones, pisces iugulati nõ ad sacrificium, sed ad conuiuium: hebraicè enim est טְבֹחַ טֶבַח *teboach tebach*, id est,macta mactationem,hoc est, macta animalia mactanda ad epulum. Adde,hæc animalia vocari quoque victimas, respectu ipsius sacrificij: veteres enim inter epulas sacrificabant. Id de Iudæis patet Exodi 12. vbi in vltima sua cœna,quam peregerunt in Ægypto, immolarunt & comederunt agnum paschalem. Ita fecit & Christus in vltima sua cœna, cuius epulum sacrum,pariter & sacrificium fuit Eucharistia.

Inter epulas sacrificari solitũ apud varios.

De Gentilibus idem patet ex Athenæo, Macrobio,Virgilio, Homero. Erant enim sacrificia quasi sacræ epulæ, in quibus Deus cum hominibus epulabatur: ideoque vocantur victimæ.

VERS. 23. PAX VOBISCVM] ne timeatis, ego securos vos esse iubeo.

DEVS DEDIT VOBIS] per me, cui id, Deo inspirante,iussit Ioseph.

Mor. ne honores mutent mores.

Discant hîc rectores & principes,quomodo in Iosepho honores non mutent mores,sed in summo fastigio pristinam retineant comitatem cum maturitate coniunctam. Discant singuli,vbiq; & in omnibus Iosephum virtutum semina spargere:fuit enim ipse innocens in domo patris,patiens in aduersis,fidelis in seruitio,castus in tentatione, sapiens in occultorum reseratione,prudens in futurorum prouisione,iustus in fratrum castigatione,& nunc pius in ipsorum susceptione.

Exempla.

Ita Villegisus,teste Nauclero,Zieglero,& alijs, patre rhedario natus, ab Othone III.subitò primus inter Electores adoptatus, ne se efferret,sibi crebrò suggerebat: *Vide quis sis, memento quis fueris.* vnde & rotas suo musæo appingi curauit,ijsq; subscribi, *Villegise prioris fortunæ memor,quis nunc sis considera.* Hæc rota postmodum insigne archiepiscopatui Moguntino fuit, atque ab Henrico II. Imp.confirmatum.

Benedictus XI.ex paupere creatus Pontifex, cùm matrem à matronis Romanis splendidiori cultu ornatam,ad se venientem videret,dissimulauit se eam agnoscere, ac monitus adesse matrem; *Egóne*, ait,*matrem tam specioso amictu esse credam? non agnosco. matrem enim & pauperem scio & ignobilem.* Exuit ergo ipsa vestes sericas, ac suas pannosas induit: tum Pontifex eam amplexatus, A *Hoc habitu*,inquit,*matrem reliqui, & talem libenter agnosco recipioq;.*

Franciscus rex captus à Carolo V. scripsit in pariete: *Hodie mihi,cras tibi.* subscripsit Carolus: *Homo sum,nihil humani à me alienum puto.*

Gilimer Wandalorum rex captus & ductus à Iustiniano in triumphum,risit,dixitque: *Rideo fortunæ vicißitudines,vt qui modò rex fuerim,iam seruiã.*

THESAVROS] pecuniam in saccis vestris occultè à me reconditam. hæc enim hebraicè vocatur מַטְמוֹן *matmon*, chaldaicè *mammon* & *mammona*, à radice טמן *taman*, id est,abscondit,recondidit.

PECVNIAM QVAM DEDISTIS MIHI] in pretium frumenti quod à me emistis.

PROBATAM EGO HABEO] Hebraicè est, *Pecunia vestra venit ad me.* q.d. Ego illam accepisse me fa-B teor, & licet eamdem occultè vobis reddiderim, acceptam tamen æstimo & computo, & perinde ac si eam haberem reputo.

LAVERVNT PEDES SVOS] Hinc rursum patet, hospitibus olim ante mensam pedes lauari solitos; idq; tam in prandio,quàm in cœna: fuit enim hoc Iosephi conuiuium prandium, non cœna, vt patet v.seq. Sic seruo Abrahæ hospiti apud Bathuelem loti sunt pedes,suprà c.24.32. VERS. 24.

Hospitibus pedes lauari soliti.

VIDIT BENIAMIN] Viderat priùs, sed obiter & dissimulanter, nunc ex professo eum intuetur & alloquitur. Vnde hic aspectus lacrymas teneri amoris & pietatis illi excussit. VERS. 29.

FESTINAVITQVE] quasi ad aliud negotium euocatus. VERS. 30.

ILLICITVM EST ENIM ÆGYPTIIS COMEDERE C CVM HEBRAEIS] Primò, quia Ægyptij partim ex superbia, partim ex superstitione auersabantur pastores & pecuarios, quales erant Hebræi. Secundò,quia oues,vituli, boues, quibus vescebantur Hebræi, erant dij Ægyptiorum,quæ proinde occidere aut comedere eis non licebat, Exodi 8.v.26. non quòd in hoc conuiuio talia essent apposita; sed quòd scirent Hebræos talibus vesci solere. VERS. 32.

Illicitũ Ægyptijs comedere cum Hebræis, & curi

SEDERVNT] Hinc patet morem sedendi in mẽsa esse antiquissimum: mos enim accumbendi, vel discumbendi,longè posteriùs cœpit. VERS. 33.

Sedere ad mẽsam antiquius quã accumbere.

PRIMOGENITVS IVXTA PRIMOGENITA SVA] q.d. Primogenitus,putà Ruben,primo loco sedit. Secũdogenitus, putà Simeon,sedit secundo loco, tertius tertio; vltimogenitus,putà Beniamin,sedit vltimo. Videtur Ioseph ipse hunc fratribus singulis dedisse ordinem, eosq; per suum œconomum D hoc ordine euocasse & collocasse in mensa; ideoque ipsi mirati sunt vndenam ipse sciret ætatem & ordinem singulorum.

ET MIRABANTVR NIMIS] tum ob ordinem singulis in mensa appositè,iuxta ætatem assignatum; tum ob humanitatem Iosephi,qua è sua paropside singulis mittebat suam partem suumque munus; ita tamen vt Beniamin minimus cæteris amplius acciperet,vti sequitur.

SVMPTIS PARTIBVS QVAS AB EO ACCEPERANT] Hebræa clariùs significant, quòd Ioseph è sua mensa partem suorum ferculorum, honoris causa, miserit ad singulos fratres in alia mensa considentes. VERS. 34.

VT QVINQVE PARTIBVS EXCEDERET] Videtur ergo Ioseph quinq; fercula amplius Beniamino, quàm cæteris misisse; licet Iosephus & Abulensis putent Iosephum singulis fratribus misisse quinq; fercu-

fercula, sed ita vt Beniamin in singulis acciperet A duplam portionem. Alij putant, quòd vna eademque portio data sit singulis, sed Beniamino quintuplo maior & grandior.

Verùm prius quod dixi magis significant Hebræa. Voluit Ioseph hac ratione præ alijs honorare Beniaminum, vtpote fratrem suum vterinũ: cuius rei symbolicam dat causam Alexander Polyhistor, apud Euseb. l. 9. c. vlt. Quia, inquit, Lia septem pepererat proles, Rachel duas tantùm: ne itaque Rachel minor videatur esse Lia, hinc Ioseph in filio eius Beniamin, quinque ei partes addit, vt sic eam Liæ adæquet. Sicut enim Lia quinque prolibus Rachelem, ita Beniamin, & consequenter Rachel suos fratres, ipsamque Liam eorum matrem, quinque partibus, siue missibus superabat in hac mensa Iosephi. B

S. Pauli cũ Beniamino cõparatio. Allegoricè, Beniamin est S. Paulus ex tribu Beniamin oriundus, qui præ alijs Apostolis, sapientia, gratia, facundia, efficacia & zelo à Deo dotatus est. ita S. Ambros. & Prosper. *Deducitur Beniamin*, ait Ambros. l. de Ioseph c. 9. *& bonis odoribus comitatus aduenit portans secum resinam, &c. Talis enim Pauli prædicatio, vt putrem aboleret affectũ, corruptumq; euacuaret humorem disputationis suæ aculeo, vrere magis ægra mentis viscera cupiens, quàm secare. Incensum orationis, & casiam & guttam sepulturæ insignia esse. Dauid nos docuit dicens: Myrrha, & gutta, & casia à vestimẽtis. Venit enim Paulus crucem Domini prædicare.* Et c. 10. *Ideo in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est, quòd haberet superioribus anteferri non solùm mentis prudentia, sed etiam militia corporis & gratia castitatis.*

Et inebriati sunt] satiati sunt, exhilarati sunt, mero incaluerunt, citra tamen crapulam aut temulentiam: hanc enim continens & sanctus Ioseph in sua mensa non permisisset, nec hac recreãtur homines, sed, vt ait S. August. se mergunt diluuio. Audi Plinium lib. 14. c. 22. Ex vino, inquit, & ebrietate oritur *pallor & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, labantesq; pedes, & furiales somni, & inquies nocturna, præmiumq; summum ebrietatis portentosa libido, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœtidi, ac ferè omnium obliuio, morsq; memoriæ, prudentiæ & mentis.* Adde damna temporis, pecuniæ & conscietiæ, de quibus dixi c. 19. in fine. *Ebrietatis incõmoda.*

Præclarè Alfonsus Aragoniæ rex rogatus cur adeò ebrietatem detestaretur, respondit: *Quia scio furorem & libidinem eius filias esse. Scio, quantũ gloriæ Alexandri Magni obfuerit ebrietas.*

Ebrietas ergo hæc fuit læta & largior vini potatio, qua mẽs non obruebatur, sed exhilarabatur. ita S. Hieron. August. & Philo. Vnde Græcum μεθύειν, id est inebriari, dicitur, quasi μετὰ τὸ θύειν, quia post sacra veteres læti indulgebant poculis; vel potiùs ἀπὸ τῆς μεθέσεως, id est, à remissione & relaxatione animi, etiam sapientis, quæ fit per suauitatem & hilaritatem vini paulò copiosiùs hausti. ita Eustathius ex Athenæo.

Appositè dixit Anacharsis, in vite esse tres botros, & tres calices. Primus, inquit, calix bibitur sanitatis, secundus voluptatis, tertius ebrietatis, iniuriæ & insaniæ. Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas: æternas delicias expecta. rumina illud: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* *Apophthegma Anacharsis de vite.*

CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Scyphum suum occultè in sacco Beniamini poni iubet Ioseph. Hinc Beniaminum quasi furem sibi in seruum deposcit. pro eo se Iudas v. 18. in seruitutem offert.

1. Præcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere: & pone pecuniam singulorum in summitate sacci. 2. Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris. Factumque est ita. 3. Et orto manè dimissi sunt cum asinis suis. 4. Iamque vrbem exierant, & processerant paulolum: tunc Ioseph accersito dispensatore domus, Surge, inquit, & persequere viros: & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? 5. Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis. 6. Fecit ille vt iusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est. 7. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint? 8. Pecuniam, quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chanaan: & quo modo consequens est vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? 9. Apud quemcumque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus serui domini nostri. 10. Qui dixit eis: Fiat iuxta vestram sententiam: apud quẽcumque fuerit inuentum, ipse sit seruus meus, vos autem eritis innoxij. 11. Itaque festinatò deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. 12. Quos scrutatus, incipiens à maiore vsque ad minimum, inuenit scyphum in sacco Beniamin. 13. At illi scissis vestibus, oneratisque rursum asinis reuersi sunt in oppidum. 14. Primusque Iudas cum fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt. 15. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia? 16. Cui Iudas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iustè poterimus

mus obtendere? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: en omnes serui sumus domini mei, & nos, & apud quem inuentus est scyphus. 17. Respondit Ioseph: Absit à me vt sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum. 18. Accedens autem propiùs Iudas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur seruus tuus verbum in auribus, & ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem · 19. dominus meus. Interrogasti priùs seruos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? 20. & nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est, cuius vterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua, pater verò tenerè diligit eum. 21. Dixistique seruis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum. 22. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur. 23. Et dixisti seruis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam. 24. Cùm ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia quæ locutus est dominus meus. 25. Et dixit pater noster: Reuertimini, & emite nobis parum tritici. 26. Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. 27. Ad quæ ille respondit: Vos scitis quòd duos genuerit mihi vxor mea. 28. Egressus est vnus, & dixistis: Bestia deuorauit eum: & hucusque non comparet. 29. Si tuleritis & istum: & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. 30. Igitur si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cùm anima illius ex huius anima pendeat) 31. videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. 32. Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. 33. Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis. 34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

VERS. 2. SCYPHVM, &c. PONE IN ORE SACCI IVNIORIS] A Beniamini. Fecit hoc Ioseph, vt hac ratione pertentaret animos fratrum, num inuiderent Beniamino, tamquã Rachelis filio, & tamquam ei, qui quintuplo maiores partes in conuiuio acceperat, vt videlicet, si inuidiam hanc persentisceret, per fratrum silentium, & neglectum Beniamini, eum apud se retineret, ne quid in via fratres contra eum, vti olim contra se fecerant, molirentur. Sin verò amorem fraternum, per anxietatem & curam eum liberandi, ostenderent, eumdem cum eis dimitteret. ita Philo, Iosephus, S. Chrysost. Theodor.

VERS. 5. SCYPHVS QVEM FVRATI ESTIS] Nota. Ioseph iustè potuit suos fratres punire, hunc metum & terrorem eis incutiendo, ob scelus in se commissum; vt hac afflictione in se reuersi, peccatũ suum agnoscerent, vti reipsa fecerunt, inquit S. August. Beniaminum tamen ita affligere non potuit. Vnde leuis hic, & venialis in eum fuit calumnia, qua ei furtum scyphi impegit: verùm ea in bonum Beniamini fuit concinnata, vt dixi v. 2. fuitque ea modici temporis, quam mox se patefaciendo maxima lætitia, maximisque beneficijs compensauit. Fuit quoque hîc mendacium: nam Ioseph hæc non dixit tẽtando & interrogando, vti dixit illa c. 42. 9. sed omnino asserendo. Fuit tamen hoc mendacium iocosum, non perniciosum.

Quod ergo S. August. quæst. 125. conatur Iosephum excusare à mendacio, intellige, de serio & noxio.

Symbolicè, sicut Ioseph lusit cum Beniamin, quem initio quasi furem premere ac vincire velle se simulauit; postea verò totum id ioco factum ostendit, eumque amplexans cæteris fratibus prætulit: ita Deus agit cum humilibus: contemni illos, affligi, vexari; sed si humiliter & patienter ea ferant, blandietur eis, eosque euehet, vt tanto fiant gloriosiores, quanto fuere abiectiores. Ludus ergo Dei est humilitas. *Ludus Dei est humilitas.*

IN QVO AVGVRARI SOLET] Septuag. *in quo augurio auguratur.* Perperam ergo vertit R. Kimchi, *pro quo augures consuluit.*

Tradit Iulius Sirenius l. 9. de Fato c. 18. Ægyptios & Assyrios pelues (sic & scyphos, vt videtur) aqua replere, deinde certis verbis dæmonem aduocare solitos, ac tum dæmonem instar sibili ex aquis edidisse responsa ad ea, de quibus consulebatur. Rursum, dæmon subinde in aqua exprimebat speciem, vel imaginem rei, vel auctoris qui quærebatur, vti & iam diuini nostri auctorem furti, suis incantationibus in aqua repræsentant & exoculant. *Ritus diuinãdi Ægyptiorum & Assyriorũ.*

Dices, Ergóne Ioseph talem hîc se profitetur B magum & diuinum? Affirmat Caluinus, ideoque eum graui simulatione contra religionem peccasse asseuerat. Sed quis hoc credat de Iosepho, qui Propheta fuit pijssimus ac sanctissimus? Respondet itaque S. August. Iosephum hîc loqui non seriò, sed ioculariter; sic enim videtur loqui v. 15. Secundò, Theodor. vult Iosephum loqui interrogatiuè, non assertiuè. Tertiò, D. Thomas vult Iosephum loqui, non ex sua, sed Ægyptiorum opinione, qui Iosephum verè putabant esse augurem. Sed hæc non satisfaciunt huic versui & contextui. *An & qualiter Iosephus hoc scypho solerèt diuinare & augurarit*

Dico ergo, pro *augurari*, hebraicè est נחש *nachas*, quod significat præsagire & diuinare, siue augurio, siue naturali sagacitate, putà coniectare, rimari & indagare. Vnde Chaldæus & Aben Esra vertunt, *probare.* Ioseph ergo hoc scypho, eum vino plenum hospitibus suis propinãdo, naturaliter

diui-

diuinabat & explorabat hospitum suorum temperantiam, prudentiam, & arcana cordis (in vino enim est veritas) & hîc explorabat, quis fratrum in Beniaminum esset animus, vt dixi v.2. Sinebat tamen ipse fratres suos falli, vt putarent se verè & propriè esse augurem, ideoque verbo ambiguo vsus est.

Augurium variè accipi potest. Vnde sternutatio? Sic *augurium* pro coniectatione capit Plinius libr.7. epist. ad Corn. Tacitum, cùm ait: *Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales fore.* Sic Aristot. problem.9. sect.33. sternutamentum vocat sacrum augurium sanitatis capitis: quia scilicet signum est, caput bene valere, posse concoquere, & excernere superfluos & noxios humores; cùm enim capitis calor humorem, spiritumque extraneum crudum & ventosum peruincit & expellit, tunc moueri solet sternutamentum.

VERS.15. QVOD NON SIT SIMILIS MEI IN AVGVRANDI SCIENTIA] *Augurandi*, id est, diuinandi & coniectandi: hoc enim est Hebræum נחש *nachas*, vt dixi v.5. q.d. Cùm Pharao, totaque Ægyptus me vt augurem, id est, prophetam & diuinum, agnoscat & colat, quomodo vos soli in hoc furto putastis vos me meamque diuinationem posse latere?

VERS.16. DEVS INVENIT PECCATVM NOSTRVM] Aliqui cum S. August. intelligunt peccatum venditionis Iosephi. q.d. Quia nos Iosephum in seruitutem vendidimus, hinc iustæ nunc subdimur seruituti. Hoc in corde suo sentire potuit Iudas, verùm exteriùs ipsi Iosepho de hoc peccato non loquitur, sed de peccato furti scyphi: de eo enim accusasabat eos Ioseph; vnde de eodem Iudas respondit, illud agnoscendo. Videtur ergo Iudas putasse, & suspicatus esse, quòd Beniamin verè furatus esset scyphum, præsertim cùm Beniamin deprehensus taceret, nec se defenderet. Aut certè in re ancipiti & dubia maluit Iudas peccatũ fratri ascribere, & humiliter veniam precari, itaque iram Iosephi lenire, quàm eamdem magis concitare Beniaminum excusando, & vel expressè vel tacitè culpam in Iosephum eiusq; famulos retorquendo, eisque fraudem, dolum & calumniam impingendo. Ex eo enim quòd scyphus inuentus erat in sacco Beniamini, præsumptio furti erat de Bẽiamino. ita Abulensis. Verè S. August. sent.118. *Melior est*, inquit, *in malis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.*

Quare rogatus Anachoreta, quam potissimùm ad cælum viam inuenisset, respondit: *Si se homo semper accuset.* testis est B. Dorotheus doctrin.7. Ita S. Catharina Senensis, aliique humiles & illustres Sancti, ad omnia mala, quæ sibi, proximis, aut reipub. eueniunt, dicere solent: *Mea culpa hoc malum accidit.*

IPSVM SOLVM HABET MATER SVA] ipse solus ex matre superest; hebraicè, *remansit solus matris suæ*. quod etiam de mortua dici potest. mortua enim iam erat Rachel mater Beniamini. VERS.20.

PONAM OCVLOS MEOS SVPER ILLVM] benignè eum aspiciam, beneuolus illi ero, fauebo, & fouebo illum. vnde Septuag. vertunt, *curam illius habebo.* VERS.21.

ANIMA] vita patris pendet ex vita filij: si enim moriatur vel auferatur filius, morietur pater præ tristitia. VERS.30.

EGO PROPRIE] ego peculiaris tibi seruus sim, qui & robore & vsu rerum tibi vtilior ero, quàm puer Beniamin. VERS.32.

CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph se fratribus aperit, eosq; v.17. cum muneribus ad patrem remittit, vt eum ad se adducant; ille v.26. præ gaudio vix se capit.

1. NOn se poterat vltrà cohibere Ioseph multis coràm adstantibus: vnde præcepit
vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.
2. Eleuauitq; vocem cum fletu: quam audierunt Ægyptij, omnisque domus Pharao-
nis. 3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit? Non pote-
rant respondere fratres nimio terrore perterriti. 4. Ad quos ille clementer: Acce-
dite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, Ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem
vendidistis in Ægyptum. 5. Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur quòd
vẽdidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægy-
ptum. 6. Biennium est enim quòd cœpit fames esse in terra: & adhuc quinque an-
ni rest[ant] quibus nec arari poterit, nec meti. 7. Præmisitq; me Deus vt reseruemi-
ni super terram, & escas ad viuendum habere possitis. 8. Non vestro consilio, sed
Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vni-
uersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti. 9. Festinate, & ascendite ad
patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Ioseph: Deus me fecit dominum
vniuersæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris, 10. & habitabis in terra Gessen:
erisq; iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armẽta tua, & vniuersa
quæ possides. 11. Ibiq; te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne
& tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides. 12. En oculi vestri, & oculi fratris
mei Beniamin, vident quòd os meum loquatur ad vos. 13. Nuntiate patri meo vni-
uersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum
ad

ad me. 14. Cumq; amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui, fleuit: illo
quoque similiter flente super collum eius. 15. Osculatusq; est Ioseph omnes fratres
suos, & plorauit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. 16. Auditumq; est,
& celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Ioseph: & gauisus est Pha-
rao, atque omnis familia eius. 17. Dixitq; ad Ioseph vt imperaret fratribus suis, di-
cens: Onerantes iumenta, ite in terram Chanaan, 18. & tollite inde patrē vestrum
& cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comeda-
tis medullam terræ. 19. Præcipe etiam vt tollant plaustra de terra Ægypti, ad sub-
uectionem paruulorum suorum ac coniugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, &
properate quantociùs venientes. 20. Nec dimittatis quidquam de supellectili ve-
stra: quia omnes opes Ægypti, vestræ erunt. 21. Feceruntq; filij Israel vt eis man-
datum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra, secundùm Pharaonis imperium: & ciba-
ria in itinere. 22. Singulis quoque proferri iussit binas stolas: Beniamin verò dedit
trecentos argenteos cum quinque stolis optimis: 23. tantumdem pecuniæ & ve-
stium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitijs
Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere panesq; portantes. 24. Dimisit ergo
fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. 25. Qui ascendentes ex
Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob. 26. Et nuntiauerūt
ei dicentes: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo au-
dito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. 27. Illi econ-
tra referebant omnem ordinem ei. Cumque vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat,
reuixit spiritus eius, 28. & ait: Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam,
& videbo illum antequam moriar.

VERS. 3. EGO SVM IOSEPH] Hæc vox inopina, quasi fulmen, ait Rupertus, perculit fratres, eosque attonitos, elingues, & quasi amentes reddidit: à formidabili enim potentia Iosephi, sceleri suo non nisi mortem meritam expectabant.

Ioseph figura Christi. Allegor. S. Ambros. libr. de Ioseph. c. 12. *Quid,* inquit, *aliud tunc clamauit, nisi, Ego sum Iesus, cùm Pilato diceret: Tu Dicis, quia rex sum. Accedite ad me, quia ego ad vos appropinquaui, vt per carnis susceptionem facerem me vestræ consortem naturæ.* Et multò magis cùm post resurrectionem se discipulis ostendit, dicens: *Nolite timere, ego sum. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Hæc S. Ambros. vide & Hugonem Cardinalem.

Summa Iosephi charitas in fratres. Nota hic charitatem Iosephi, qui vsq; ad mortem læsus, vltus est suam iniuriam, tum obliuione & silentio; tum blanditijs, amplexibus, osculis, lacrymis & suspirijs, tum benefica fratrum perpetuaque alimonia. *Osculabatur ergo singulos, & per singulos flebat, & irriguis lacrymis pauentiū colla perfundebat, itaq; odium fratrum charitatis lacrymis abluebat,* inquit S. August. serm. 83. de Tempore. Disce à Iosepho efficacissimum philtrum esse: *vt ameris ama.* Verè S. Chrysost. hom. 13. ad populum: *Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? cede illas priùs alteri.*

Philtrum amoris est amor.

Exemplum & concio S. Greg. Nazianzeni. Hoc philtrum suis Constantinopolitis Catholicis inculcauit S. Gregorius Nazianzenus: dum enim ipsi ab Arrianis, sub Valente Arriano Imperatore, vexati & oppressi, eo mortuo, sub Theodosio orthodoxo Imp. par pari eis reddere, eosq; paribus molestijs afficere cogitarent, hæc ad eos dixit Nazianz. *Non hæc, mi grex, à nobis poscit Christus, neque sic Euangelium nos docet. Opportunitas modò nobis offertur conuertendi eos, qui per errorem seducti sunt. Agnoscant edocti delicta sua, procidant coram Domino, impietatem confiteantur, gregi nostro se immisceant. Hæc mea sit vltio, vt qui nos affecerunt iniurijs, salutem consequantur, ac profiteantur esse præclara, quæ pridem persequebantur. Mites animis estote, filij. Cum animus lenis ac tolerans est, is prudentia valet. Præstate illis beneficia qui vos odio prosequūtur, ac prorsus eis delicta remittite. Quòd si animus vehementer exæstuat, neque coërceri se ira patitur, quod ab hoc alterum est præstate, vt hæc Christo permittatis, ac futuro tribunali reseruetis. Mea enim est vltio, ego rependam, ait Dominus. His dictis populum placauit, & in suam sententiam pertraxit,* vti narrat Gregorius presbyter in Vita Gregor. Nazianz. Ita S. Martinus Brictionem presbyterum, suum calumniatorem noluit officio priuare, dicens: *Si Christus passus est Iudam, cur ego non patiar Brictionem?* testis est Seuerus Sulpit. dialogo 3.

Hoc philtro Martyres sæpè suos carnifices conuerterunt, dum eos à Deo punitos suis precibus sanitati restituerunt, vt patet ex vita S. Agnetis resuscitantis Præfecti filium se inuadentē; ex vita S. Iohannis & Pauli, qui Terentiani Præfecti filium à dæmone liberarunt; ex vita S. Laurentij & Pergentini, qui carnifices suos obrigescentes, orando vigori restituerunt; ex vita S. Sabini, qui Venustianum Præsidem oculorum dolore percussum sanauit; ex vita S. Potamienæ, S. Christinæ, S. Anatoliæ, S. Eugeniæ, Dariæ, & aliorum plurimorum.

Nota Secundò, cum S. Chrysost. Ioseph hîc peccatum fratrum eleuat, non per fatum aut Homericam Aten, id est, deam, quæ mala & noxia inferre credita est à Gentilibus, sed per prouidentiam Dei, qui scelus eorum ordinauit in gloriam Iosephi, & ipsorum publicumque bonum. Vnde Ioseph consolatur & hortatur eos ne doleant, aut se inuicem propter hoc affligant, se non dolente, sed gaudente, vnde ait,

MISIT ME DEVS] q. d. Deus per vestrum scelus, quo me vendidistis, misit & direxit me huc, vt vestræ aliorumque fami prospicerem: quare non tam damnanda est vestra in me iniquitas, quàm diuinæ sapientiæ prouidētia & misericordia prædicanda. ita S. Chrysost. VERS. 5.

NEC ARARI POTERIT] nisi tantùm in paucis agris Nilo adiacentibus; cæteri enim steriles erunt, quia VERS. 6.

quia Nilus, qui Ægypto est instar pluuiæ, more A suo non exundabit, nec fœcundabit agros.

Biennivm est enim] Hinc patet, hæc gesta esse, fratresque & patrem Iacobum in Ægyptum descendisse anno 2. sterilitatis, cùm Iacob esset 130. annorum, Ioseph verò 39. nam anno ætatis 30. Ioseph euectus est ad principatum: successerunt deinde 7. anni fertilitatis, & duo sterilitatis; erat ergo ipse hoc secundo anno sterilitatis 39. annorum, ac consequenter natus est ipse anno Iacobi 91. tolle enim 39. à 130. habebis 91. vt dixi superiùs. Hæc est basis & nodus chronologiæ huius ætatis: vnde sæpè repetenda.

Vers. 8. Non vestro consilio, sed Dei volvntate hvc missvs svm] *Voluntate* scilicet præfiniente exaltationem meam, meique venditionem tantùm permittente, vt per eam exaltarer. ita Suarez, & alij passim. vnde non dicit, *Vos misistis me*, quia vos mittendo peccastis; sed, *Missus sum*, quia Deus est auctor passionis, æquè ac patientiæ meæ, qua vestrum scelus subij & toleraui; non autem est auctor actionis vestræ. hæc enim fuit peccatum. Sic de Christo ait Petrus Actor. 2. v. 23. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Decreuerat enim Deus passionem Christi, non autem crucifixionem Iudæorum. Nam, vt aiunt Theologi, *Actio* (Iudæorum) *displicuit, passio* (Christi) *grata fuit* Deo.

Qvi fecit me qvasi patrem Pharaonis] *Patrem*, id est, rectorem, consiliarium, moderatorem. Ioseph enim ita res omnes Pharaonis suo consilio ac prudentia regebat, ac si eius fuisset pater. ita Vatablus. Rursum curabat frumentum & annonam toti aulæ, imò toti regno Pharaonis, ac si totius regni fuisset paterfamilias. Sic rex Tyri suum consiliarium intimum, putà Hiram, vocat patrem suum, 2. Paralip. 2. v. 13. Et Aman vocatur pater Artaxerxis, Esther 13. 6. Fuit ergo τὸ *pater regis*, titulus honoris & dignitatis primæ, in aulis regum Tyri, Ægypti & Persidis; sicut apud Hispanos, Italos & Gallos est *œconomus*, quem *Mayordomo* vocant, qui aulæ annonam, aliaque necessaria curat, sicut paterfamilias curat domum suam. ita Pineda l. 5. de Salom. pag. 397. Pulchrè S. Chrysost. hom. 64. in persona Ioseph: *Illa*, inquit, *seruitus hunc principatum mihi conciliauit: illa venditio in hanc me gloriam euexit: illa afflictio huius mihi occasio honoris fuit: illa inuidia hanc mihi claritudinem peperit. Hæc nos non solùm audiamus, sed & imitemur, & ita solemur eos qui nos afflixere, non imputantes eis quæ in nos admiserunt, & omnia magna ferentes beneuolentia, sicut ille admirandus.*

Vers. 9. Mandat] significat, nuntiat, optat: nec enim Ioseph potuit, aut voluit propriè imperare patri suo.

Vers. 11. Ne et tv pereas] Hebraicè est פֶּן תִּוָּרֵשׁ *pen tiuuares, ne depauperetis*, id est, ne inopia & inedia labores, itaque pereas. ita Chald. & Vatabl.

Vers. 18. Medvllam terræ] Hebraicè est, *adipem terræ*, id est fruges, & fructus terræ optimos & pinguissimos.

Vers. 22. Binas stolas] Hebraicè est, *vestes mutatorias*: ergo vt minimùm binas, vt scilicet vnam subinde cum altera commutare possent. Pluralis enim numerus apud Hebræos complectitur dualē.

Nota. Vestes mutatoriæ ab Hebræis vocantur pulchræ & præstantes, quales in festis induimus, quando quotidianas viliores cum honestioribus commutamus, vnde Noster *stolas* vertit. *Vestes mutatoriæ sunt festiuæ.*

Trecentos argenteos] trecentos florenos Brabanticos; argenteus enim siclus, siue stater valebat & appendebat quatuor regales Hispanicos. De quo plura Exodi 30. 13.

B

Vers. 24. Ne irascamini in via] Hebraicè est, *ne rixemini*, scilicet alter in alterum crimen in me admissum intorquentes & improperantes. Sicut paulò antè facere cœperat Ruben, dicens: *Numquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum, & non audistis me? En sanguis eius exquiritur*, c. 42. 22. ita S. Chrysost.

Moraliter S. Ambros. lib. de Ioseph c. 13. *Docet*, ait, *maximè in via fugiendam esse discordiam, vbi ipse viandi comitatus debet esse inuiolabilis, & gratia habere consortium.*

Vers. 26. Qvasi de gravi somno evigilans] attonitus & stupens, vt nec loqui, nec rem tantam intelligere, aut concipere posset: tales enim sunt C qui subitò euigilant. hebraicè est, *cor eius elanguit*, id est, tantam consolationem accepit, vt præ lætitia & admiratione, cor penè deficeret, vitalis spiritus cessaret, itaque quasi in deliquium animi incideret.

Vers. 27. Revixit spiritvs eivs] instar ignis lucernæ, qui oleo deficiente emoriens infuso oleo reuiuiscit, ait S. Chrysost. Vnde ipse ex Septuag. legit: *reaccensus est senex* (id est, inquit, *iuuenis ex sene est factus*) *decrepitus terram spectans.* Pari enim modo Iacob, cuius cor priùs tam inopinatæ & incredibilis rei, nuntijs lætissimi admiratione elanguerat v. 26. nunc videns plaustra, omnemque apparatum sibi à Iosepho submissum, ad se rediit, credidit tam lætum de Iosepho superstite nuntium, D itaque quasi reuixit. Chaldæus vertit, *quieuit Spiritus sanctus super Iacob patrem ipsorum*; quia, vt explicant Hebræi, Spiritus sanctus non manet in hominibus tristibus, dolentibus, melancholicis, ideoque torpidis & ignauis, sed in alacribus, lætis, strenuis, expeditis, qualis hic factus est Iacob: ac proinde recepit spiritum propheticum, vt patet cap. sequ. v. 4. quo hactenus mœrens caruerat. Ita ipsi, penes quos sit fides. *Sp. sanctus est in lætis & strenuis, non in tristibus & torpidis.*

Vers. 28. Svfficit mihi] Hebraicè, *multum est mihi*, q. d. Abunde gaudeo, nũtius hic tam lætus superat vota & spes meas, non est quid amplius quod desiderem, vel optem. *Nunc iuuenis ille erexit mentem meam, & fugauit senectutis infirmitatem, & roborauit rationem*, ait S. Chrysost. hom. 65.

CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob cum tota sua prosapia, quæ hic recensetur, proficiscitur in Aegyptum. Secundò, v.29. occurrit & excipit eum Ioseph.

1. Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum iuramenti. & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, 2. audiuit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob. cui respondit, Ecce adsum. 3. Ait illi Deus, Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. 4. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos 5. Surrexit autem Iacob à Puteo iuramenti: tuleruntque eum filij cum paruulis & vxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, 6. & omnia quæ possederat in terra Chanaan: venitque in Ægyptum cum omni semine suo, 7. filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies. 8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui egressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis. Primogenitus Ruben. 9. Filij Ruben: Henoch & Phallu & Hesron & Charmi. 10. Filij Simeon: Iamuel & Iamin & Ahod, & Iachin & Sohar, & Saul filius Chanaanitidis. 11. Filij Leui: Gerson & Caath & Merari. 12. Filij Iuda: Her & Onan & Sela & Phares & Zara. mortui sunt autem Her & Onan in terra Chanaan Natique sunt filij Phares: Hesron & Hamul. 13. Filij Issachar: Thola & Phua & Iob & Semron. 14. Filij Zabulon: Sared & Elon & Iahelel. 15. Hi filij Lia quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua. omnes animæ filiorum eius & filiarum, triginta tres. 16. Filij Gad: Sephoin & Haggi & Suni & Esebon & Heri & Arodi & Areli. 17. Filij Aser: Iamne & Iesua & Iessui & Beria, Sara quoque soror eorum. Filij Beria, Heber & Melchiel. 18. hi filij Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ. & hos genuit Iacob sedecim animas. 19. Filij Rachel vxoris Iacob: Ioseph & Beniamin. 20. Natique sunt Ioseph filij in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses & Ephraim. 21. Filij Beniamin: Bela & Bechor & Asbel & Gera & Naaman & Echi & Ros & Mophim & Ophim & Ared. 22. hi filij Rachel, quos genuit Iacob: omnes animæ, quatuordecim. 23. Filij Dan: Husim. 24. Filij Nephthali: Iasiel & Guni & Ieser & Sallem. 25. Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos genuit Iacob: omnes animæ septem. 26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex. 27. Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, septuaginta. 28. Misit autem Iudam ante se ad Ioseph, vt nuntiaret ei, & occurreret in Gessen. 29. Quò cùm peruenisset, iuncto Ioseph curru suo, ascendit obuiàm patri suo ad eundem locum: videnśq; eum, irruit super collum eius: & inter amplexus fleuit. 30. Dixitq; pater ad Ioseph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. 31. At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui: Ascendam & nuntiabo Pharaoni, dicamq; ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: 32. & sunt viri pastores ouium, curamq; habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum. 33. Cumq; vocauerit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum? 34. Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos & patres nostri. Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen: quia detestantur Ægyptij omnes pastores ouium.

VERS. 1. AD PVTEVM IVRAMENTI] in Bersabée, vt habent Hebræi. Bersabée enim hebraicè significat puteum iuramenti, vti dixi c.21.31.

VERS. 3. NOLI TIMERE] Poterat Iacob timere iter in Ægyptum: Primò, ob incommoda tam longi itineris, néve ipse vtpote senex, in via moreretur antequam Iosephum cerneret. Secundò, ne sui Ægyptiorum vitia imbiberent. Tertiò, ne in Ægypto sedes figerent sui posteri, quibus à Deo promissa erat Chananæa, itaque Dei promissa irritarent, Deumque offenderent. Vnde hunc metum eximit ei Deus v.4. Nona ergo fuit hæc tribulatio Iacobi, sed quam Deus de more, mox sua apparitione & consolatione dispulit.

VERS. 4. EGO DESCENDAM TECVM] ego tibi viæ comes, imò dux ero, ducam te tuosque in Ægyptum; indeque suo tempore reducam, te mortuum, tuos verò posteros viuos. Piè S. Ambros. lib. 2. de Iacob c.9.

c. 9. *Quid igitur, inquit, ei deerat, cui Deus aderat? Quis tam potens in suo domicilio, quàm iste in alieno? Quis tam abundans in vbertate, quàm iste in fame? Quis tam fortis in iuuentute, quàm iste in senectute* (in eo enim, vt idem ait c. 8. *certabant impigra viuacitas iuuentutis, & tranquillitas senectutis.*) *Quis tam æstuosus in negotio, quàm iste in otio? Quis tam velox in curriculo, quàm iste in lectulo? Quis tam latus in flore adolescentia, quam iste in mortis confinio? Quis tam diues in regno, quàm iste in peregrino loco? Denique reges benedicebat. Et quis pauperem dicat, cuius conuersatione dignus orbis terrarum non fuit? & ideo conuersatio eius erat in cælo.* Et, *Quid beatius quàm Deum ipsum habere comitem itineris?* ait S. Chrysostomus hom. 65.

IOSEPH QVOQVE PONET MANVS SVAS SVPER OCVLOS TVOS] q.d. Ioseph tibi morienti oculos claudet, ac consequenter relinques illic Ioseph B superstitem. Hinc patet priscus Hebræorum mos, quo charissimi charissimis suis morientibus oculos claudebant. Idipsum postea imitati sunt Græci & Romani. Vnde queritur Euryali mater apud Virgil. Æneidos 9.

Morientibus charissimis oculos claudere antiquissimum.

Nec te, tua funera, mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera laui.

Illud quoque rogat deos Penelope scribens ad Vlyssem, vt Telemachus filius vtriusque parentis oculos clauderet. sic enim ait apud Ouid.

Di, precor, hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

VERS. 7. FILIAE] Iacob vnicam habebat filiam, Dinam. filias ergo hîc vocat, tum Dinam, tum nurus suas, putà vxores filiorum suorum.

VERS. 8. QVI INGRESSI SVNT IN ÆGYPTVM] Vel pedibus suis, vel pedibus parentum, in quibus adhuc C latebant. Nomine enim *ingressus* hîc continetur omne tempus, quod ab ingressu Iacobi vsque ad mortem Iosephi decurrit, vti iam patebit.

IPSE (scilicet Iacob) CVM LIBERIS SVIS] supple, descendit in Ægyptum. ita Hebræa.

VERS. 12. HESRON ET HAMVL] Hi nati sunt postea in Ægypto, vt patet ex dictis c. 38. dicuntur tamen cum Iacob in Ægyptum descendisse, non in sua persona, sed in lumbis Phares patris sui, in quibus adhuc latebant: Nam, vt rectè annotauit S. Augustinus, descensus hic & ingressus Iacobi in Ægyptũ, complectitur quoque annos 17. vitæ eius in Ægypto; imò & annos reliquos vitæ Iosephi, putà 71. quia vocante & procurante Iosepho, descendit Iacob in Ægyptum.

Nota. Præ filijs Zaræ numerantur hîc filij Phares; quia ex Phares & Hesron descenderunt re- D ges Iuda, & Christus Dominus.

OMNES ANIMÆ FILIORVM EIVS] *Anima*, id est nati, geniti, putà filij & nepotes: nam Hesron & Hamul erant nepotes, non filij Iacobi. est synecdoche.

VERS. 15. TRIGINTA TRES] Computata & ipsa Lia, aut potiùs ipso Iacob cum suis filijs & filia Dina. Lia enim non videtur ingressa in Ægyptum, sed antè fuisse mortua: sepulta est enim in Hebron, vt patet c. 49. v. 31. Ab hoc numero reijciuntur Her & Onan, vtpote mortui.

VERS. 21. FILII BENIAMIN] Numerantur hîc decem filij Beniamin, ex quibus aliquos ipse postea genuit in Ægypto. Nam hoc tempore quo descendit in Ægyptum, Beniamin erat tantùm 24. annorum. vnde non poterat tot genuisse filios. Rursum non A omnes hi fuere filij, sed aliqui nepotes Beniamin: nam expressè Septuag. habent, *Gera autem genuit Arad.* Arad ergo non fuit filius, sed nepos Beniamin, ex filio Gera.

ROS] Theodoretus & Procopius putant à Ros Romanos descendere & nominari; sed errant: nam Romani à Romulo nomen & originem acceperunt.

ARAD] Ab hoc descendunt Aradij, inquit Procopius. Verùm verius est Aradios descendere ab Aradio filio Chanaan, vti dixi c. 10. 18. Aradij enim fuerunt Chananæi, non Iudæi, æquè ac Sidonij, Tyrij, Biblij, alijque Aradijs vicini.

CVNCTÆ ANIMÆ] cuncti homines, omnes proles. est synecdoche. Sic homines viles vocamus viles animas: è contrario Lucanus fortes animas, vocat viros strenuos in bello cæsos, cùm ait: VERS. 26.

Vos quoque qui fortes animas, belloq; peremptas.

Hoc Nota. ne quis ex hoc loco colligat, animas hominum, æquè ac brutorum, nasci ex traduce, putà ex semine & anima parentum, cùm fides doceat animã hominis à solo Deo creari & infundi homini: ideoque immortalis est, vti dixi c. 37. 35.

Anima rationales non ex traduce, putà semine & anima parentum, nascuntur.

EGRESSAE SVNT DE FEMORE] Putà de genitalibus, quæ sunt inter femora. est metonymia. Secundò. propriè *de femore*, quia, vt ait Francisc. Valesius Sacræ Philosoph. cap. 13. verè in femore sunt tres venæ seminales, quæ ortæ ex lumborum venis, antequam in crura descendant, viris per femora in scrotum, mulieribus in vterum recurrunt, & fecundiorem seminis partem subministrant; atque inde Num. 5. v. 21. in maledictione adulteræ, dicitur, *Vtero tumescente putrescat femur tuum.* q.d. Femore quo abusa es puniaris, vt femur quo luxuriata es putrescat, vtque sterilitate & putredine plectaris, quæ filios quæsiuisti ex adulterio.

Femur significat genitalia, & cur?

SEXAGINTA SEX] In hoc numero non continetur Iacob, vtpote parens omnium, nec Ioseph & filij eius, vtpote qui iam erant in Ægypto.

SEPTVAGINTA] Hîc annumeres oportet ipsum Iacobum & Iosephum cum duobus eius filijs: sic enim reperies septuaginta. VERS. 27.

Dices, Quomodo ergo Septuag. & ex eis S. Lucas Actor. 7. 14. numerant 75?

Respondeo, ipsi addunt & annumerant Iosepho Manassis filium Machir, & nepotem Galaad. Rursum Ephraimi filios, Sutalaam & Taam, ac nepotem Edem, qui fuit filius Sutalaam. his enim additis sunt 75. hi autem adduntur, quia hi nati sunt viuente adhuc Iosepho auo, vt patet Gen. 50. v. 22. Nam descensus hic & ingressus Iacobi in Ægyptum, extendit se vsque ad mortem Iacobi & Iosephi, vt dixi v. 8. ita S. August. libr. 16. Ciuit. c. 40.

An 70. an 75. Israelitæ ingressi sint Ægyptum.

Quæres, cur hi potiùs nepotes Iosephi, quàm aliorum fratrum in hoc catalogo numerentur?

Respondet Primò, S. August. quia Ioseph fuit causa descensus Iacobi & fratrum in Ægyptum.

Secundò, sicut Moses cõputat nepotes Iudæ, sic Septuag. computant nepotes Iosephi, quia hi duo successerunt in primogenituram Rubeni; vnde horum posteri obtinuerunt regnum Iuda & regnum Israel. Ex Ioseph enim, putà ex Ephraim, orti sunt reges Israel, ex Iuda reges Iuda.

Tertiò, quia Ioseph princeps fuit fratrum, imò princeps Ægypti.

Quartò, quia Iacob filios Iosephi in suos filios ado-

adoptauit, vti vidimus c.48. Porro numerat hîc stirpem Iacob, vt ostendat quàm illa in Ægypto creuerit, quamque impleta sit Dei promissio, *In gentem magnam faciam te ibi*, v.3. Nam in Ægyptum ingressi sunt tantùm 70. cum Iacob, egressi verò cum Mose sexcenta ferè millia peditum, absque paruulis & mulieribus. Exodi 12.37. ita S.Chrysost.

VERS.34. PASTORES SVMVS] Nota Iosephi modestiam, prudentiam, simplicitatem. Modestiam, quia in aula Pharaonis sciri cupit se esse fratrem pastorum. Prudentiam, quia fratres in aula habere non satagit, ne aulicorum moribus corrumpantur. Simplicitatem, quia fratres ad status non euehit, sed in arte pastoritia, quam callebant, conseruat. Longè aliter faciunt hodie, qui cùm humillimi generis sint, tamen nobiles videri volunt; quique ad status euecti, suos pariter, licet ineptos, euehunt, cum suo, familiæ & reip. damno, dedecore, periculo.

Solos ergo in Gessen fratres suos habitare voluit Ioseph: tum vt ab Ægyptiorum commercio & vitijs essent seiuncti; tum vt inde faciliùs ex Ægypto egredi, & duce Mose in Chanaan regredi possent.

Similis Iosepho hac in parte fuit Phocion, qui cùm à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, saltem vt liberis suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate paternam tueri gloriã, respon- A dit: *Si mei similes erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augeriq́, luxuriã*, vti narrat Probus in eius vita. Idem, munus offerente Menyllo Antipatri præfecto, respondit: *Alexandri magni munera recusaui; Antipater non est præstantior Alexandro.* Instanti Menyllo, vt saltem pro Phoco filio ea caperet, respondit: *Phoco, si mutata vita ad frugem redeat, sufficiet patrimonium. nam, vt nunc se gerit, nihil ei satis est.*

Similior & illustrior fuit Theodosius Imp. qui cùm ad scholam venisset, Arcadiumque & Honorium filios, magnificè sedentes, Arsenium verò præceptorẽ stantem vidisset, illos insignibus principum nudauit, addiditque: si tales se præberent, B vt mores ad disciplinam, Deique leges componerent, propensum se fore, vt eis Imperium traderet ad reip. commodum: sin minùs, conducibilius esse dixit, vt sic priuati vitam exigerent, quàm doctrina nulla, cum periculo imperarent. testis est Nicephorus l.11. hist. c.23.

DETESTANTVR ÆGYPTII OMNES PASTORES OVIVM] Quia pastores solent occidere & comedere carnes suarum ouium & pecudum, quas Ægyptij pro dijs colebant, vt patet Exodi 8.26. Alebant tamen Ægyptij oues & boues, vt patet cap. seq. v.17. non ad esum, sed Primò, ad lanam & lac; Secundò, ad suam oblectationem; Tertiò, ad stercorationem agrorum; Quartò, vt alijs gentibus eas diuenderent. *Ægyptij cur pastores ouium detestentur.*

CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph patrem & fratres Pharaoni sistit; qui eis dat terram Gessen. Secundò, v.15. Aegyptij in fame, pro frumento pecora agrosq́ Iosepho & Pharaoni diuendunt. Tertiò, v.27. Iacob moriens adiurat Iosephum, vt se sepeliat in Chanaan.

1. INgressus ergo Ioseph nuntiauit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oues eorum & armenta, & cuncta quæ possident venerunt de terra Chanaan: & ecce consistunt in terra Gessen. 2. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege: 3. quos ille interrogauit: Quid habetis operis: Responderunt: Pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri. 4. Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum, ingrauescente fame in terra Chanaan: petimusque vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Gessen. 5. Dixit itaque rex ad Ioseph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. 6. Terra Ægypti in conspectu tuo est. in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. 7. Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi, 8. & interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? 9. Respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. 10. Et benedicto rege, egressus est foras. 11. Ioseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco Ramesses, vt præceperat Pharao. 12. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. 13. In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Ægypti & Chanaan. 14. E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis. 15. Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Ioseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? 16. Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. 17. Quæ cùm adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & asinis: sustentauitque eos illo anno pro commuta-

mutatione pecorum. 18. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei: Non ce-
labimus dominum nostrum, quòd deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec
clam te est, quòd absque corporibus & terra nihil habeamus. 19. Cur ergo morie-
mur te vidente? & nos & terra nostra tui erimus: eme nos in seruitutem regiam, & præ-
be semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. 20. Emit igitur Io-
seph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudi-
ne famis. Subiecitq; eam Pharaoni, 21. & cunctos populos eius, à nouissimis terminis
Ægypti vsq; ad extremos fines eius, 22. præter terram sacerdotum, quæ à rege tradi-
ta fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non
sunt compulsi vendere possessiones suas. 23. Dixit ergo Ioseph ad populos: En vt
cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros,
24. vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quattuor reliquas permit-
to vobis in sementem, & in cibum familijs & liberis vestris. 25. Qui responde-
runt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantùm dominus noster, & læti seruie-
mus regi. 26. Ex eo tempore vsque in præsentem diem, in vniuersa terra Ægypti,
regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ
libera ab hac conditione fuit. 27. Habitauit ergo Israel in Ægypto, id est, in terra
Gessen, & possedit eam: auctusque est, & multiplicatus nimis. 28. Et vixit in ea de-
cem & septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem
annorum. 29. Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocauit filium
suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam
sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Æ-
gypto: 30. sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque
in sepulchro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti.
31. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Israel Deum, conuersus ad
lectuli caput.

VERS. 2. EXTREMOS QVOQVE FRATRVM QVINQVE VIROS] Hebraicè est, *de extremitate fratrum suorum accepit quinque viros*. q. d. Ioseph non studiosè selegit inter fratres, hunc illúmve è medio fratrum designando, sed quinque extremos, & maximè obuios accepit. ita Vatabl.

Secundò, Lyranus, Abulensis & Thomas Anglicus, *extremos* interpretantur, præstantissimos.

Tertiò, Hebræi, Oleaster, Hamerus & Pererius, per *extremos* intelligunt viliores & abiectiores quoad speciem: hos enim ostendit Ioseph Pharaoni, non autem speciosiores & elegantiores; ne eos Pharao in aulam aut militiam suam allegeret, quod nolebat Ioseph, ne scilicet fratres sui fide & moribus Ægyptiorum imbuerentur. Primus sensus est simplicissimus, maximeq; respondet phrasi Hebrææ.

VERS. 4. NON EST HERBA GREGIBVS] Si ita erat in Chanaan, cur non & in Ægypto? erat enim hæc communis & publica siccitas & sterilitas. Respondet Abulensis, disparem esse rationem Chananææ & Ægypti; quia Ægyptus fossis multis ex Nilo ductis irrigua est: hisce autem caret Chananæa. Addit S. Augustinus qu. 160. paludes Ægypti per se satis humidas esse; ita vt quo Nilus minùs exundat, eo illæ magis gramine abundent: quo verò Nilus magis exundat, eo illæ minus graminis proferant.

VERS. 6. IN CONSPECTV TVO EST] q. d. Offero tibi totam Ægyptum, elige partem quam voles pro patre tuo.

CONSTITVE ILLOS MAGISTROS PECORVM] Ita reipsa factum esse asseuerant Philo & Iosephus.

VERS. 7. BENEDICENS ILLI] salutans & fausta precatus Pharaoni, dicendo verbi gratia, Rex in æternum viue: Deus te sospitet, tibi benedicat. Simile est v. 10. Vide de hac phrasi Martinum de Roa libr. 1. Singularium capite 9.

DIES PEREGRINATIONIS VITAE MEAE] quia sæpè Iacob mutauit solum. Nam ex Chanaan iuit in Mesopotamiam, inde rediens rursum per Chanaan peregrinatus est, ita vt tota vita eius videatur fuisse continua peregrinatio. Notat S. Augustinus, & S. Hieronymus, iustos in hac vita esse peregrinos, quia patriam habent cælum: è contrario peccatores vocari & esse habitatores terræ. Vide dicta ad Hebræos cap. 11. 13. & hîc cap. 12. 1. in fine. VERS. 9. *Iusti peregrini in hac vita.* *Peccatores habitatores terræ.*

CENTVM TRIGINTA ANNORVM] Hoc anno 130 Iacobi, Ioseph erat 39 annorum, Ruben verò 46. Simeon 45. Leui 44. Iudas 43. vt patet ex dictis cap. 29. & 30. Hinc rursum patet, descensum hunc Iacobi in Ægyptum, contigisse 215. annis post vocationem Abrahæ ex Chaldæa in Chanaan: cùm enim eò vocatus est Abraham, erat 75. annorum: centesimo verò Abrahæ anno natus est Isaac: Isaac anno sexagesimo genuit Iacobum: Iacob descendens in Ægyptum erat 130. annorum. Si ergo ad hos 130. annos Iacobi, addas illos 25. Abrahæ vsque ad natum Isaac, & illos 60. Isaaci vsque ad natum Iacob, habebis annos 215. iam dictos. *Quot annorum tunc erat Ruben, Simeon, Leui, Iudas & Ioseph.* *Erat tunc 215. annus à vocatione Abrahæ.*

PARVI] Hebraicè, pauci sunt, scilicet si comparentur cum longè pluribus annis Isaaci, Abrahæ, Thare & aliorum parentum meorum.

Moraliter disce hîc, quàm breuis sit omnis huius vitæ longæuitas. In vitam enim ea lege omnes nascimur, vt parum in ea commorati, protinus exeamus, illudque Dauidis ad Ethai hic vsurpare liceat: Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi. *Quid aliud*, ait S. Augustinus, *est vita, quàm cursus ad mortem*? & S. Nazianzenus: *Breuitas vitæ.*

Ipsum quod viuo est veluti rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit.

Idem rursum: *A tumulo*, ait, *tumulum peto*, scilicet ab vtero matris ad sepulchrum tendo. quin & Seneca epist. 59. *Quotidie*, inquit, *demitur aliqua pars vitæ, & tum quoque cùm crescimus, vita decrescit: hunc quem agimus diem, cum morte diuidimus: mox vt in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus.* Ite nunc mortales, opes, honores, prædia accumulate. cras morituri.

Nouē præcipuæ ærūnæ & afflictiones Iacobi. MALI] Id est miseri, laboriosi, ærumnosi. Sic Christus ait: *Sufficit diei malitia*, id est miseria, *sua*. Vt enim alia taceam, Iacob Primò, ob iram fratris Esau sibi necem machinantis, coactus fuit, relicta patria, solus, vt pauper, fugere in Haran. Secundò, in Haran per 20. annos durissimè seruiuit Labano, Genes. 31. Tertiò, ingenti metu perculsus fuit, valdeque laborauit, vt placaret Esau occurrentem sibi cum 400. viris, Genes. 32. Quartò, afflictus fuit stupro Dinæ, & strage Sichimis à filijs suis illata, timuitque ne à Chananæis irruentibus opprimeretur, Genes. 34. Quintò, perculit eum mors Rachelis. Sextò, contristauit eum incestus Ruben, cum Bala vxore sua, Genes. 35. Septimò, Ioseph venditus, & perditus per 23. annos, eum mirè afflixit. Octauò, Simeon in carcere detentus, & Beniamin abductus in Ægyptum, animum eius sauciarunt. Nonò, cùm, ob famis necessitatem, iam decrepitus, ex Chanaan sibi suisque promissa, debuit proficisci in Ægyptum, sibi & patribus inuisam, indoluit.

VERS. 10. *Benedicere pro salutare in Scriptura frequēs.* BENEDICTO REGE] salutato rege, & vale ei dicto: benedicere enim hîc est salutare, & valedicere, vti dixi v. 7. Sic Ioab benedixit, id est valedixit, Dauid 2. Reg. 14. v. 21. Sic 4. Reg. 4. v. 29. Elisæus iubet Giezi, vt neminem per viam salutet, vbi Hebræa habent, vt neminem benedicat. cùm enim abeuntes dicimus Vale, hoc ipso valetudinem bonam apprecantes, alteri quasi benedicimus: benedicere enim est bene precari, siue bona & fausta apprecari.

VERS. 11. RAMESSES] in illa regione Gessen, in qua postea Israelitæ extruxerunt vrbem, quam Ramessem vocauerunt. ita S. Hieron.

VERS. 13. TOTO ORBE] magna orbis parte, putà toto Oriente, qui est quasi orbis Chananææ & Ægypti, eam cingens & ambiens. Est hyperbole. Hebraicè est, *tota terra*, quod non benè Vatabl. ad solam Ægypti terram restringit.

VERS. 14. INTVLIT EAM IN ÆRARIVM] nihil inde sibi reseruans, ait Philo. Vide quàm Ioseph alienus fuerit à nostri æui peculatu, quamque non suis, sed publicis commodis studuerit.

VERS. 15. PANES] frumentum, ex quo pinsamus panes.

VERS. 18. ANNO SECVNDO] ab adductis & venditis pecoribus, qui fuit quartus vel quintus ab inchoata fame.

VERS. 19. EME NOS IN SERVITVTEM] Famis enim causâ licet, non tantùm seipsum, sed & proles vendere in seruitutem.

VERS. 22. PRÆBE SEMINA] Ergo aliquid tum seri adhuc poterat. putà in agris Nilo adiacentibus.

PRAETER TERRAM SACERDOTVM] Nota. Hanc immunitatem à tributo suis idolorum sacerdotibus concessit Pharao, vti exprimunt Hebræa, Chaldæa, & Septuaginta, non Ioseph vnius veri Dei cultor, vt vult Theodoret. nisi dicas, Ioseph eam illis concessisse, non quatenus sacer-

A dotes erant idolorum, sed quatenus Philosophi erant, & magistri sapientiæ & astrologiæ, ideoque carne, vino, ouis, lacte, coniugio, omnibusque mundi negotijs tota vita abstinebant, vti ait S. Hieronymus libr. 1. contra Iouinian. Fortè etiam Ioseph eos docuit verum vnius Dei cultum, vti innuit Psaltes psalm. 104. v. 22. Nota hunc locum, pro verorum sacerdotum Christi immunitate à vectigalibus: si enim hanc Gentilibus suis concessit Pharao, quomodo eam non concedet Christianus rex & princeps sacerdotibus Christi? Eorum enim honos vel contemptus ad Deum ipsum pertinet, & quod in eos confertur, Deo confertur, qui vbertim vices rependet, principesque remunerabitur, ait S. Chrysost hom. 65. *Immunitas sacerdotum Christi à vectigalibus iusta & æqua.*

Tropologicè, Origenes, Sacerdotes Dei, inquit,
B amant partem in cælis accipere, terrenam repudiant; Pharaonis verò sacerdotes suam partem habent in terra.

DIXIT ERGO IOSEPH] anno sterilitatis septimo & vltimo, vt sererent in sequentem annum fertilitatis rediturae. ita Philo: qui & addit Iosephum speculatores posuisse, qui viderent, vt sationi ea pars impenderetur, ne quis eam in cibos absumeret. VERS. 23.

SALVS NOSTRA IN MANV TVA EST] Hebraicè est, *tu viuificasti nos* (tu nobis tuâ alimoniâ vitam seruasti) *inueniamus gratiam in oculis domini mei* (in oculis tuis ô Ioseph) *vt simus serui Pharaonis.* quasi dicant: Tu es auctor & seruator vitæ nostræ, tu nos restituisti in vitam; vicissim nos ergo pro hac alimonia & salute, tibi & Pharaoni VERS. 25.
C nos in seruos offerimus; imò & pro magno beneficio reputabimus, si nos in seruitutem, ac consequenter in curam & prouidentiam tuam recipias, tam tu, quàm Pharao, qui nobis per te tam prouidè & benignè in hac fame prouidit; vt satius sit illi seruire, ab illo regi & pendere, quàm nostra libertate frui, nos regere, nos & nostra curare & prouidere; ne rursum in famem similéue malum incurramus.

FACTVM EST QVASI IN LEGEM] Hæc pensio regia constituta à Iosepho vim perpetuæ legis accepit. ita Hebræa, Chaldæa & Græca. q. d. Ioseph induxit consuetudinem, quæ etiam hodie instar legis perdurat, vt regibus Ægyptiorum quinta pars frugum soluatur. Vide quàm æquè & leniter cum subditis agat Ioseph. hodie non desunt tyranni, qui sine titulo plusquam dimidiam partem exigunt & extorquent. Rursum hæc ita dis- VERS. 26.
D posuit Deus, vt Pharaonis remuneraretur beneficentiam, quam in iustum senem Iacobum, eiusque filios contulerat.

Moraliter discant à Iosepho principum consiliarij & præfecti, se non suis, sed reipub. & principum commodis studere debere. Ioseph enim cùm esset princeps Ægypti, noluit ditare se, nec euehere patrem & fratres ad ampla officia, cùm id facilè & sine inuidia facere potuisset, imò Pharao id cuperet; idque vt ostenderet, quàm fideliter rempub. administraret, quamque alienus esset à cupiditate, ac priuato sui & suorum amore. Voluit ergo, vt in eodem officio & gradu, quo consueuerant, permanerent, essentque pastores ouium, ac suo labore & cura victum sibi pararent. Intueantur hoc exemplum Prælati nostri æui illi, qui cùm ex humili in altum tolluntur, secum *Mor. Consiliarij nō se, sed rempub. locupletēt.* *Ioseph noluit fratres euehere.*

cum eodem attollere volunt suos nepotes & A cognatos, vt rem propriam magis quàm publicam agere videantur, ac opes Ecclesiæ non quasi Ecclesiæ, sed vt priuatas administrent, easque in suum & suorum vsum, imò luxum conuertant. Qualem hi Christo Domino rationem reddent villicationis suæ in vltimo & magno mundi die!

Talis fuit apud Romanos M. Attilius Regulus, qui cùm summis rebus præfuisset, adeò tamen pauper mansit, vt se, coniugem, liberosque toleraret agello, qui colebatur per vnum villicum, cuius audita morte scripsit Regulus senatui de successore: destitutis enim rebus morte serui, necessariam esse præsentiam suam. P. Scipionem Africanum iuniorem memorant annis 54. quibus vixit, nil emisse, nil vendidisse, nil ædificasse: libras autem argenti 33. tantùm in magna substan- B tia & auri duas reliquisse, cùm tamen in eius potestate victa fuisset Carthago, ab vnoque imperatorum omnium milites locupletati sint. ita Ælian. libr. 11. Aristides filius Lysimachi, qui multa domi militiæque præclarè gessit, & Græcis tributum imperauit, non tantum post obitum reliquit, vt exequijs celebrandis sumptus esset. ita Ælianus ibidem. Talis prorsus fuit & b. Thomas Morus, vt patet ex eius Vita apud Stapleton. Epaminondæ Artaxerxes magnum auri pondus misit, vt eum in suam traheret sententiam; sed ille legatis dixit: *Nil opus est pecunia. si enim rex ea vult, quæ Thebanis mei sint vtilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri satis. nam totius orbis opes accipere nolo pro patria charitate. Vos qui me incognitum tentastis, vestriq́ similem existimastis, non miror, vobisq́ ignosco. Sed egredimini properè, C ne alios corrumpatis, cùm me non potueritis; alioqui tradam vos magistratui.* Testis est Probus in eius Vita. Idem, cùm legati ferrent munera, vt eum corrumperent, ad prandium eos vocauit: apposita est mensa vilis, vinumq́; acidum. tum Epaminondas: *Abite, ait, & domino vestro mea prandia narrate, quibus me contentum, non facilè fuit muneribus ad proditionem allicere.*

VERS. 27. ISRAEL] Iacob.

VERS. 28. *Periodus vitæ Iacobi.* CENTVM QVADRAGINTA SEPTEM] Nota. Hæc est periodus vitæ Iacobi. Primò, natus est Iacob anno mundi 2109. à diluuio 452. Secundò, Iacob mansit in domo patris vsque ad annum ætatis 77. quo præripuit primogenituram Esau, ideoque timens eius insidias fugit in Haran. Tertiò, in Haran, post septennium quo seruiuit Laban, accepit vxores, Liam & Rachelem, D Ex Lia genuit Ruben anno ætatis 48. Simeonem anno 85. Leui 86. Iudam 87. Ioseph 91. Quartò, post genitum Ioseph, omnesque proles præter Beniamin, seruiuit Iacob Labano alios sex annos pro gregibus; ita vt vniuersim in Haran fuerit & seruierit 20. annis: quibus expletis anno ætatis 97. reuersus est in Chanaan. Quintò, Iacob anno ætatis 107. genuit Beniamin, in cuius partu mortua est Rachel. Sextò, sub annum Iacobi 88. contigit celebre illud diluuium Ogygis, quo terra Attica adeò vastata est, vt per annos 199. vsque ad Cecropem sine rege & penè deserta fuerit, de quo Euseb. l. 10. Præpar. c. vlt. & S. August. l. 18. de Ciuit. c. 18. Vbi & aliud eiusdem temporis portentum addit S. Augustinus, nimirum, quòd stella Veneris visa sit mutare colorem, magnitudinem, figuram & cursum suum. Septimò, Ioseph venditus fuit anno ætatis suæ 16. Iacobi 107. Luxit eum pater quasi mortuum per 23. annos, scilicet ad annum ætatis 130. quo cum filijs à Ioseph euocatus, ex Chanaan descendit in Ægyptum. Octauò, Isaac mortuus est, cùm Iacob ageret annum ætatis 120. Nonò, mortuus est Iacob anno ætatis 147. quo Ioseph erat 56. annorum, putà anno mundi 2256. Decimò, mors Iacobi præcessit 197. annis egressum Hebræorum ex Ægypto, ortum verò Mosis annis 118. Denique Iacobo degente in Ægypto, natus fuit S. Iob patientiæ speculum.

Diluuiū Ogygis quādo contigerit.

Stella Veneris portētum variari visa, quando.

VERS. 26. PONE MANVM TVAM SVB FEMORE] De hoc ritu iurandi dixi c. 24. 2.

FACIES MIHI MISERICORDIAM ET VERITATEM] *Misericordia* significat gratiam & gratuitum beneficium: *veritas* significat fidelitatem, fidelemque beneficij collationem, & executionem. q. d. Præstabis mihi hanc gratiam, vt me non hîc, sed in Chanaan sepelias, illudque fideliter & veraciter exequeris.

VERS. 29. & 30. VT NON SEPELIAS ME IN ÆGYPTO, SED DORMIAM CVM PATRIBVS MEIS] Idem optauit, & mādauit sibi post mortem fieri Ioseph, cap. 50. v. 24. Huius voti causa fuit Primò, quia optabat S. Iacob in terra sancta, in qua sola futurus erat Dei cultus, inter sanctos parentes, putà cum Isaaco & Abrahamo, sepeliri in Hebron. Vide quanta priscis fuerit cura sepulchri, quamque optandum sit sepeliri inter sanctos. Secundò, voluit Iacob sepeliri in Chanaan, vt suorum posterorum animos ab Ægypti opibus & vitijs auelleret, eisque firmam reditus & liberationis ex Ægypto, atque adipiscendæ terræ promissæ, putà Chananææ, spem faceret. ita Theodoret. S. Chrysost. Rupert. Tertiò, id voluit, vt apud posteros suos in Chananæa habitaturos, hæc sua, & patrum sepulcra essent viua fidei, pietatis & virtutis eorum monumenta pariter & incitamenta. Quartò, sciebat Iacob Christum in Chanaan nasciturum, moriturum & resurrecturum: hinc in ea sepeliri optat, vt cum Christo resurgere possit. ita Lyran. Abulens. & alij. Quare ab omnibus Catholicis, inquit Abulensis, creditur, inter alios qui cum Christo in die Paschæ resurrexerunt, etiam Iacob resurrexisse.

Cur Iacob in Chanaan sepeliri voluit. Causa Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Addit Tropologicè, S. August. quòd Iacob desiderabat remissionem peccatorum, tam suorum, quàm totius generis humani, per Christi mortem in Chanaan obeundam; hinc in ea sepeliri voluit. Simili de causa in Chanaan, putà in Bethlehem, viuere & mori voluit S. Hieron. S. Paula, multiq́; alij Sancti. Denique in Chanaan sepeliri voluerūt patriarchæ, vt essent participes precum & sacrificiorum, quæ ibi offerebantur: credebant enim ipsi esse Purgatorium.

Quinta.

Anagogicè, Rupertus, Iacob, inquit, exemplum viuis mortuus dedit, vt in spe patriæ cælestis pignus amarent æternæ hereditatis. q. d. Iacob sepeliri voluit in Chanaan, vt posteri anhelarent ad cælum, cuius typus erat Chanaan.

Sexta. Chanaan typus cæli.

IN SEPVLCRO MAIORVM] in spelunca duplici Hebronis, de qua cap. 23. vers. 17. Hinc fideles ab olim sepeliri solent inter fideles & sanctos, in locis sacris. Audi S. Dionysium Eccles. Hierarch. c. 7. *His peractis, inquit, Pontifex condit in loco dignißimo corpus, cum alijs sui ordinis corporibus*

sacris. Et Clemens Roman. lib. 6. Constit. Apostolic. cap. 30. *Conuenite, ait, in cœmeteria, sacros libros in ijs legentes, & psallentes pro his qui dormierũt.* Ea autem consecrari solere à sacerdotibus docet Gregorius Turonens. de Gloria Confess. cap. 106. Vocantur autem κοιμητήρια, quasi dormitoria, eò quòd fideles in Script. post mortem dicantur in ijs dormire, extremo die iudicij resuscitandi, teste S. Augustino epist. 122. S. Cyprianus libr. 1. epist. 4. arguit Martialem quemdam, quòd filios suos exterarum gentium more, *apud profana sepulcra depofuerit.* Quo ipso indicat, iam tum sacra sepulchra fuisse pro Christianis. In templis autem sæpè sepultos fuisse fideles, testatur S. Ambrosius libr. 1. de Abraham cap. 3. Hieron. in vita Paulæ & Fabiolæ, August. lib. de Cura pro mortuis cap. 1.

VERS. 31. IVRA ERGO] Non diffidit Iacob verbo Iosephi, sed iuramentum exigit, vt Ioseph hoc apud Pharaonem possit prætexere, si Iacobi corpus in Ægypto retinere vellet. ita Rupertus. Addit Abul. Sciebat, inquit, Iacob, quòd Ioseph, nisi eum tam arctè obligasset, intendebat facere ei sepulchrum pretiosum & memorabile in Ægypto. Iuramentum ergo ab eo exigit, vt eo se obligatum sentiẽs, omnino proposito absistat, & in auito patrum sepulchro modestè eum sepeliat in Chanaan. Vbi vide & imitare modestiam Iacob & amorem simplicitatis.

CONVERSVS AD LECTVLI CAPVT] Ita vertunt quoque Aquila & Symmachus. Porro vertit se Iacob ad lecti caput versus Ioseph, quia illud erat ad Orientem, quò se vertere solent adorantes, & cuius rei causa altaria versus Orientem extruuntur; aut, vt vult Lyran. quia caput hoc lecti erat versus terram promissam, ad quam se adorantes conuertebant, cùm extra illam erant, vt patet Daniel. 6. v. 10. 3. Reg. 8. v. 44. ita & Ribera in cap. 11. ad Hebræos, Abulensis & alij hîc.

Adorantes & altaria Orientem spectant.

Dices, Quomodo ergo Septuaginta, & ex ijs S. Paulus vertunt, *adorauit Iacob fastigium virgæ eius*, putà sceptri Iosephi?

Respondeo, Ex eo factum est, quòd Hebræa vox מטה, si legas מִטָּה *mitta*, significat lectulum; sin verò alijs punctis legas מַטֶּה *matte*, tunc significat virgam: vtroque modo hîc legi potest, & vtraque hæc lectio & versio est canonica. Vtrumque ergo fecit Iacob, nimirum ipse voti compos factus, lætusque ob datam sibi à Iosepho promissionem, quòd se sepeliret in Chanaan apud patres suos, illi gratias egit, & *adorauit*, id est, curuando se reuerentiam exhibuit, ac veneratus est sceptrum, id est regiam potestatem, Iosephi, illi à Pharaone, vel potiùs à Deo datam.

Varia lectio mitta & matte variam dat sensum.

Secundò, & magis genuinè, Iacob gratias agens Deo eum adorauit & laudauit, quòd hanc potestatem, & hanc etiam mentem sepeliendi se in Chanaan, dedisset Iosepho. vnde conuertit se ad lectuli caput, vel quia hoc caput erat ad Orientem, vel quia spectabat terram Chanaan, vti dixi. Pluribus hac de re egi ad Hebræos 11. 21.

Vide hîc impletum somnium Ioseph c. 37. v. 9. quòd pater & mater adoraturi essent eum. Dices, Rachel mater eius iampridem erat mortua, scilicet antequam Ioseph à fratribus venderetur, vt patet c. 35. 19. Ergo illa non potuit eum adorare. Respondet S. Chrysost. vxorem censeri cum marito vnam personam ciuiliter, iuxta illud Genes. 2. *Erunt duo in carne vna.* Marito ergo adorante, censeri quoque vxorem, adorare filium. *Si enim pater hoc fecit*, inquit, *multò magis illa, nisi ex hac vita prærepta fuisset, hoc fecisset.* Adde, Rachelem substituisse sibi Balam, quæ adorauit Ioseph, vti dixi cap. 37. 9.

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iacob Ephraim & Manassem sibi in filios adoptat, eisq; v. 14. benedicens, præponit Ephraim Manasse seniori, ac v. 22. partem vnam Iosepho segregat.

1. His ita transactis, nuntiatum est Ioseph quòd ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filijs Manasse & Ephraim, ire perrexit. 2. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. 3. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: Benedixitque mihi, 4. & ait: Ego te augebo & multiplicabo; & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam. 5. Duo ergo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. 6. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. 7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratq; vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. 8. Videns autem filios eius, dixit ad eum: Qui sunt isti? 9. Respõdit: Filij mei sunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. 10. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat. Applicitosq; ad se deosculatus, & circumplexus eos, 11. dixit ad filium suum. Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.

12. Cum-

12. Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram 13. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel. Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitq; ambos ad eum. 14. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse qui maior natu erat, commutans manus. 15. Benedixitque Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: 16. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. 17. Videns autem Ioseph quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit: & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. 18. Dixitque ad patrem: Non ita conuenit. pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. 19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit illo: & semen illius crescet in gentes. 20. Benedixitq; eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. 21. Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetq; vos ad terram patrum vestrorum. 22. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

VERS. 2. CONFORTATVS] tum ex gaudio concepto ex aduentu filij charissimi Iosephi; tum ex speciali dono & confortatione Dei, qui vti corpori spiritum fortitudinis, ita animo Iacobi morituri, suisque valedicturi spiritum prophetiæ indidit, vt patet ex sequentibus.

VERS. 4. DABO TIBI TERRAM HANC] Chananæam. Iacob hîc certus ex Dei promissione Chananæam sibi, id est posteris suis, tradendam, hîc & cap. sequ. eam inter duodecim filios suos partitur & distribuit.

IN POSSESSIONEM SEMPITERNAM] non absolutè, sed respectu tuæ stirpis & gentis. q.d. Quamdiu durabit tua gens, tuus populus, tuorum filiorum respublica & regnum, tamdiu possidebunt ipsi Chananæam; ac consequenter, semper, id est, toto tempore suæ reipubl. & regni possidebunt eam: si enim gens euertatur vel intereat, quid mirum si ampliùs terram suam non possideat? vide can. 4.

VERS. 5. *Iacob Ephraim & Manassen adoptat.* MEI ERVNT] censeo eos meos filios, æquè ac Rubenum & Simeonem. Nota. Iacob hîc duos Iosephi filios, suos nepotes, putà Ephraim & Manassem, sibi adoptat in filios, vt quisque eorum separatam tribum constituat, & propriam hereditatem in Chananæa adeat, æquè ac Ruben, Simeon, alijque sui filij: nam alioqui Ephraim & Manasses, patri Iosepho succedentes, vnam tantùm tribum Ioseph constituissent, vnamque tantùm patris portionē in Chananæa adijssent: nunc verò à Iacobo tribus Ioseph in duas diuiditur, putà in Ephraim & Manasse, vt illi pari iure censeantur & succedant cum Ruben, Iuda, alijsque immediatis suis filijs.

VERS. 6. RELIQVOS AVTEM QVOS GENVERIS POST EOS, TVI ERVNT] tui censebuntur. Nam Ephraim & Manasse à me adoptati, mei censentur. Non legimus Iosephum alios genuisse.

ET NOMINE FRATRVM SVORVM VOCABVNTVR IN POSSESSIONIBVS SVIS] *Fratrum*, putà Ephraim & Manasse. q.d. Si aliquos post hos genueris filios, illi non constituent tribum separatam: sed ad tribum Ephraim vel Manasse aggregabuntur & in diuisione Chananææ, eamdem cum illis portionem hereditatis accipient.

A

VERS. 7. MIHI ENIM QVANDO VENIEBAM DE MESOPOTAMIA, MORTVA EST RACHEL] Pro *enim*, ex Hebræo verti potest, *autem*. ita Vatabl. Inijcit hîc Iacob Iosepho mentionem Rachelis: Primò, quia Rachel erat mater Iosephi, vxorque Iacobi dilectissima: solent enim parentes apud filios sæpè matrum refricare memoriam. q.d. Dixi de filijs tuis, eos me adoptare in meos; nam quod ad Rachelem matrem tuam attinet, illa mihi præmaturè erepta, & mortua est, cùm adhuc plures mihi parere potuisset filios, ideoque eorum loco filios tuos, in meos mihi illique adopto. Secundò, videtur Iacob ex præced. capitis colloquio cum Iosepho, in eo deprehendisse signa aliqua admirationis, cur tantopere pater

B

cum tantis sumptibus cuperet sepeliri in Chanaan, putà in Hebron apud suos maiores, cùm tamen ibidem non sepeliuisset Rachelem suam dilectissimam, sed in Bethlehem. Huic ergo admirationi obuiat hîc Iacob, seque excusat, quòd Rachelem non ad vitandos sumptus vel itineris difficultates, sed ob tempus vernum, quo facilè tabescunt & putrescunt corpora mortua, statim in loco quo consistebat, putà iuxta Bethlehem, sepelire debuerit, nec, vti optabat, eam in Hebron deportare potuerit. ita Lyran. Abulens. & alij. *Cur Rachel sepulta sit in Bethlehem, non in Hebron?*

Addit Tertiò, Glossa, fortè propheticè Iacobum hîc commemorare, Rachelem esse sepultam in Bethlehem; quia ibidem nasciturus erat

C

Christus, quasi idipsum hîc in spiritu præuiderit Iacob.

NON SVM FRAVDATVS ASPECTV TVO] Hebraicè est significantiùs: *Quòd faciem tuam viderem, numquam apud me cogitassem, & ecce Deus ostendit mihi etiam semen tuum* ita Vatablus. VERS. 11.

DE GREMIO PATRIS] Ephraim & Manasse accedentes ad auum Iacobum, præ senio sedentem in lecto, genu flexerant, caputque in gremium eius dimiserant; ne ergo auum grauarent, & vt illis commodiùs benediceret, Ioseph inde amotos vtrimque collocat ad latus patris. VERS. 12.

Nota. Ephraim & Manasse hoc anno 147. Iacobi, qui fuit Iosephi 56. facilè erant 22. annorum; nati enim sunt ante septennium sterilitatis, paulò

paulò pòst principatum patris, qui contigit anno eius 30. vt patet c. 41. v. 50. & seqq.

ADORAVIT] Ioseph tum patrem, illi se reuerenter incuruando; tum propriè Deum, gratias agens pro hoc beneficio & benedictione patris.

Nota hîc humilitatem, obedientiam, pietatem & charitatem Iosephi principis, erga parentem plebeium, & infirmum. Ita b. Thomas Morus Angliæ Cancellarius existens, flexis genibus à patre suo benedictionem petebat, idemque sacerdoti celebranti officiosè ministrabat. Alfonsus Aragonum rex patri Ferdinando obuiàm progressus, equo desilijt, ac pedibus comitabatur. monenti autem patri, aliorum procerum more equo conscenso adequitaret, respondit: *Alijs liberum sit agere quod voluerint, ego numquam adducar quin patrem, quin regem, & eum ægrotum, pedibus sequar.* testis est Panormitan. Salomon rex assurgens processit obuiàm matri suæ Bersabee, eique incuruando se honorem detulit, ac iussit ei poni solium ad dexteram suam, addens: *Pete mater mea; neque enim fas est vt auertam faciem tuam,* 3. Reg. 2. v. 20.

VERS. 14. MANVM DEXTERAM POSVIT SVPER CAPVT EPHRAIM] Iacob hîc prophetìcè præfert iuniorem Ephraim seniori Manassæ. Primò, quia ex Ephraim nasci turi erant reges Israel, putà decem tribuum. ita Eusebius. Secundò, quia hæc tribus & gloriâ & numero superauit tribum Manasse, vti prædicit Iacob v. 19. Tertiò, quia ex Ephraim nasciturus erat Iosue, qui fuit dux Israelis, eumque induxit in Chanaan; vnde & typus fuit Christi, qui nos in cælum inducit. ita S. Hieronymus.

Ephraim iunior Manasse præfertur in benedictione Iacobi. Curt

Iosue typus Christi.

Nota. Iacob hanc prælationem & præeminentiam Ephraim præ Manasse, significat per manuam dexteram, quam ei imponit. manus enim dextera nobilior, potior & robustior est quàm sinistra.

Dextera symbolum variarum rerum in Scriptura. Primò. Secundò. Tertiò.

Vbi Aduerte, dexteram in Scripturis symbolum esse Primò, roboris & fortitudinis, vt psalm. 10. *Dextera tua inueniat omnes qui oderunt te.* & psalm. 43. *Brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua.* Secundò, auxilij & adiutorij, vt Iob 14. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Tertiò, honoris & gloriæ, vt psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* & Matth. 25. dicuntur electi in die iudicij collocandi ad dexteram Christi. & Salomon 3. Reg. 2. matrem suam honorare volens collocauit eam in throno ad dexteram suam. Quartò, eximij amoris, vt Cantic. 2. *Dextera illius amplexabitur me.* Quintò, mirificæ voluptatis ac dulcedinis, vt psalm. 15. *Delectationes in dextera tua.* Sextò, dextera in Scripturis significat id quod bonum, rectum & sanctum est, sicuti sinistra significat id quod malum, prauum & peruersum est, vt Prouerb. 14. *Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus; peruersa verò sunt quæ à sinistris sunt.* Et Eccles. 10. *Cor sapientis, in dextera eius: & cor stulti, in sinistra illius.* Sic vulgò dicimus, sinistra suspicio, sinister oculus, sinistrum iudicium, id est malum. Septimò, dextera significat bona maxima, qualia sunt æterna: sinistra verò, significat parua & exilia, qualia sunt temporalia, Prouerb. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.* Vbi per longitudinem dierum significatur beatæ vitæ æternitas, quam affert sapientia: per diuitias verò & gloriam, significantur humana & temporalia bona præsentis vitæ. ita Pererius.

Quartò. Quintò. Sextò. Septimò.

COMMVTANS MANVS] Hebraicè est, שִׂכֵּל אֶת יָדָיו *sickel et iadaf, fecit intelligere manus suas,* id est spóte, sciens & prudens manus suas transposuit, scilicet decussatim, in modum crucis.

Hinc allegoricè, Rupert. Ephraim, inquit, sunt Gentes, quæ per manuum transpositionem, id est per crucem Christi, cui crediderunt, prælatæ sunt Manassæ, id est Iudæis. Sic & Tertull. l. de Baptismo, & Damasc. l. 4. c. 12. docent cancellatas manus Iacobi præsignasse crucem Christi.

Ephraim typus Gentium. Manasse Iudæorum.

Tropologicè, Theodoret. Disce, inquit, hîc Deum non prima sed nobiliora, vti homines, sed vltima & viliora præeligere & præponere. Sic Deus hominem angelo, Abelum Caino, Isaacum Ismaëli, Iacobum Esau, Iosephum Rubeno, Mosen Aaroni, Dauidem septem fratribus prætulit & præposuit.

IN CVIVS CONSPECTV AMBVLAVERVNT] quem quasi præsentem, seque intuentem semper reueriti sunt, cui quasi famuli astiterunt & seruierunt, coram quo sanctè & reuerenter, iugiter conuersati sunt patres mei. Vide dicta c. 5. v. 22. *Deus qui pascit me ab adolescentia. Hæc,* inquit S. Chrysost. *grata animæ ac piæ, & bene memoris beneficiorum Dei sunt verba.* VERS. 15.

ANGELVS] custos meus; subaudi hîc vocem *quoque.* q. d. Deus benedicat pueris istis; angelus quoque meus benedicat ijsdem. ita Vatabl. & Abulens. VERS. 16.

INVOCETVR SVPER EOS NOMEN MEVM] Id est, vocentur filij mei, ac consequenter filij Isaaci & Abrahæ. ita Theodor. Hoc enim in Scriptura significat, *inuocari nomen alicuius super aliquem,* vt cùm dicitur, *nomen tuum inuocatum est super nos;* sensus est, nos vocamur tuo nomine, putà vocamur tui filij, tuus populus.

Moraliter S. Chrysost. hom. 66. docet parentes, vt instar Iacob, non tam opes quàm Dei benedictionem filijs relinquant. *Ne igitur,* inquit, *operam nostram in colligendas opes collocemus, quas relinquamus filijs. Sed doceamus eos virtutem, & benedictionem Dei illis imprecemur. Ista sunt ineffabiles diuitiæ quæ non absumuntur, quæ quotidie substantiam nostram augent. Nihil enim virtuti par, nihil virtute potentius: nisi hanc habeat qui diadema gerit, quouis panniculoso paupere miserior erit. Hoc igitur nostros filios doceamus, vt virtutem rebus omnibus præferant, nihilq; faciant diuitiarum abundantiam.* Hæc enim iuuentibus sæpè est id quod culter pueris, quem matres ijs adimunt, ne eo se lædant. *Nascuntur enim inde luxus, deliciæ, absurda voluptates, & infinita mala.*

CRESCET IN GENTES] Hebraicè, *erit plenitudo,* vel *multitudo gentium;* id est plenæ, multæ & numerosæ, gentes, familiæ & populi ex eo nascentur, adeoque reges, qui decem tribubus, quasi multis gentibus imperabunt. VERS. 19.

IN TE BENEDICETVR ISRAEL] *In te,* id est instar tui: *bet* enim præpositionis ponitur pro affini *caph* similitudinis. q. d. Dum parentes volent filijs suis Israelitis bene precari dicent: Multiplicet te Deus, sicut multiplicauit Ephraim & Manassem. VERS. 20.

DO TIBI PARTEM VNAM EXTRA FRATRES TVOS, QVAM TVLI DE MANV AMORRHÆI, IN GLADIO ET ARCV MEO] Pars hæc singularis, quam ex diui- VERS. 22.

diuisione Chananææ exemit Iacob, deditque speciali donatione Iosepho, fuit ager vrbis Sichem vel Sichar, vt patet Iohannis 4. 5. & ex Septuag. qui vertunt, *do tibi Sichimam, præcipuam super omnes fratres tuos*, &c. Acceperunt enim ipsi Hebræum שְׁכֶם *sechem*, vt nomen proprium, significans Sichem, vel Sichimam, quod S. Hieron. Chald. & alij acceperunt vt appellatiuum, significans, *humerum*, id est *partem*.

Dices, hunc agrum emit Iacob c. 33. v. 19. & Iosue vlt. v. 32. quomodo ergo dicitur hîc, quòd eum acquisierit gladio? Respondent Primò, Eusebius, & S. Chrysost. quòd Simeon & Leui vrbem & agrum Sichem, ob stuprum Dinæ à Sichimitis illatum, iure belli sibi patrique subegerint. Verùm hanc vim & hoc bellum damnauit ipse pater Iacob non tantùm viuens, sed & moriens, vt patet c. sequ. v. 6.

Quo gladio Iacob obtinuit agrum Sichem.
Resp. Prima.

Secunda. Secundò, Chaldæus, & ex eo Abulensis & Aben Esra vertunt, *quam tuli gladio, id est oratione & precibus*: hæc enim sunt arma & gladij piorum & sanctorum, qualis erat Iacob.

Tertia. Tertiò, S. Hieronymus, *in gladio*, inquit, *& arcu*, id est fortudine, putà in pecunia, quã multo & labore & sudore acquisiui. vnde Hebræum קֶשֶׁת

A *kescet*, quod Noster arcum vertit, si scribatur per thet, קשט significat *nummum*. Ita Latinis *sagittarius* vox est ambigua: nam & hominem significat, & numisma Persicum, à notæ genere ita nuncupatum. Quod genus nummi ijdem erant qui Darici quoque dicuntur, teste Plutarch. in Apophtheg. Ex quo celebre manauit Agesilai dictum, *se ex Asia pulsum triginta millibus sagittariorum*, cùm Persarum rex ea nummorum summa corruptis per Timocratem Atheniensibus, effecisset vt is de prouincia decederet.

Quarta. Quartò, Hebræi aliqui putant esse prolepsim B & enallagen temporis: *quam tuli*, id est, quam auferam & accipiam, putà per nepotes & posteros meos, qui sub Iosue Sichimam totamque Chananæam expugnabunt, sibique subijcient.

Quinta, & genuina. Quintò & optimè, Iacob agrum situm in Sichem priùs emit pecunia ab Hemor, c. 33. 39. Sed cùm post stragem Sichimis à suis illatã, metuens ne Chananæi in se vicissim irruerẽt, inde abijsset, tunc agrum hunc Sichemensem occuparunt vicini Amorrhæi, quos rediens Iacob vi & armis expulit, suumque agrum in gladio & arcu recepit. Hoc enim hîc clarè dicitur, licet alibi res gesta non narretur. ita ex Andrea Masio Pererius.

CAPVT QVADRAGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IAcob moriturus conuocatis filijs benedicit, & prophetizat quæ posteris bona malaq; sint euentura. Secundò, v. 29. iubens se sepeliri in Chanaan moritur. Aliqui caput hoc inscribunt, Benedictiones duodecim patriarcharum. *Alij,* Prophetia de duodecim patriarchis. *Vtrique verè & rectè: vtrumque enim hîc agit Iacob.*

1. VOcauit autem Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini, vt annuntiem quæ
ventura sunt vobis in diebus nouissimis. 2. Congregamini, & audite filij
Iacob, audite Israel patrem vestrum. 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo
mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. 4. Effusus es sic-
ut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. 5. Si-
meon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. 6. In consilium eorum non veniat
anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt vi-
rum, & in voluntate sua suffoderunt murum. 7. Maledictus furor eorum, quia per-
tinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.
8. Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, ado-
rabunt te filij patris tui. 9. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requi-
escens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? 10. Non auferetur sce-
ptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit ex-
pectatio gentium. 11. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam
suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. 12. Pulchrio-
res sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. 13. Zabulon in littore ma-
ris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem. 14. Issachar asi-
nus fortis accubans inter terminos. 15. Vidit requiem quòd esset bona: & terram
quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis ser-
uiens. 16. Dan iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel. 17. Fiat
Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius
retro. 18. Salutare tuum expectabo Domine. 19. Gad, accinctus præliabitur an-
te eum: & ipse accingetur retrorsum. 20. Aser, pinguis panis eius, & præbebit deli-
cias regibus. 21. Nephthali, ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. 22. Fi-
lius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super
murum. 23. Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuideruntque illi habentes
iacula. 24. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & ma-
nuum

nuum illius per manus potentis Iacob:inde pastor egressus est lapis Israel. 25. Deus
patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli de-
super, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vul-
uæ. 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius,
donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph, & in vertice
Nazaræi inter fratres suos. 27. Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam,
& vespere diuidet spolia. 28. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locu-
tus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus proprijs. 29. Et præ-
cepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis
in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi. 30. contra Mambre in ter-
ra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem se-
pulcri. 31. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum
Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. 32. Finitisque mandatis quibus
filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt: appositusque est ad po-
pulum suum.

NOta hîc in Iacobo priscum morem, quo parentes morituri, suis filijs, vel subditis extrema dabant, vel oracula, vel monita salutis, ac deinde eis benedicebant Sic fecit & Moses Deuter. 31. 32 & 33. & Iosue c. vlt. & Samuel 1. Reg 12. & Tobias c. 3. & Mathathias 1. Machab. 2. & Christus Dominus Iohan. 14 & 15.

Extat tomo tertio Bibliothecæ SS. Patrum, testamentum XII. patriarcharum; putà horum duodecim filiorum Iacobi, in quo multa quæ huius sunt capitis, explicantur. Narrantur in eo plurima tum prophetica oracula, tum adhortamenta ad virtutem ac Dei cultum: multa quoque inferuntur vaticinia ex libro Enoch. Vetustum est. nam meminit eius Origenes hom. 15. in Iosue, & Procopius Gazæus in 38. Gen. Transtulit illud ex Græco in Latinum Robertus Lincolniensis Episcopus. Verùm hoc testamentum incerti & suspecti est auctoris. Multa enim mira habet & noua, similia Iudaicis fabulis.

Vers. 1. IN NOVISSIMIS DIEBVS] In futuris temporibus. Hebræum enim אַחֲרִית *acharit*, quod Noster vertit *nouissimum*, significat sequens, posterius, postea futurum: Iacob enim hîc prædicit quædam quæ mox secuta sunt, quædam quæ sub Iosue, quædam quæ sub Iudicibus, quædam quæ sub Christo euenerunt; & quædam quæ sub Antichristo euenient.

Prophetia & benedictio Ruben.

Vers. 3. RVBEN PRIMOGENITVS MEVS] quoad generationem & natiuitatem. nam alioqui Iacob eũ spoliat hîc iure primogenituræ, ob incestum cum Bala. Erat Ruben hoc anno, qui fuit Iacobi 147. & vltimus, annorum 62. Simeon 61. Leui 60. Iudas 59 Ioseph 56. vt patet ex dictis c. 30.

TV FORTITVDO MEA] quem scilicet primò genui in robore ætatis.

ET PRINCIPIVM DOLORIS MEI] Quia nati liberi nouas curas, dolores & anxietates parentibus afferunt, vel potiùs q.d. Tu mihi fuisti præcipua causa doloris & tristitiæ, ob tuum incestum. Hebraicè est, רֵאשִׁית אוֹנִי *rescit oni*, quod Secundò, cum Chaldæo, Vatablo & alijs verti potest, *principium roboris mei*, id est, virtutis meæ generatiuæ. q.d. In te generando primò meum robur virile, vimque generandi ostendi. Vnde LXX. vertunt, *principium filiorum meorum*. Sic vertit etiam Noster interpres Deuter. 21. v. 17. Vnde patet, Iacobum ante matrimonium cum Lia, castè vixisse,

A nec vllam feminam cognouisse.

PRIOR IN DONIS, MAIOR IN IMPERIO] scilicet esse debebas, tamquã primogenitus. quod Chaldæus clarè explicat sic vertens, *tu accepturus eras tres partes, scilicet primogenituram, sacerdotium, & regnum; sed non accipies*, quia peccasti cum Bala. Sacerdotium enim à Ruben trãslatum est in Leui. regnum duarum tribuum datum est Iudæ: decem verò tribuum datum est Ephraim. primogenitura, putà duplex portio hereditatis in Chanaan, ac consequenter duplex tribus, consignata est Iosepho, scilicet eius filius Ephraim & Manasse. Vnde 1. Paral. 5. v. 1. dicitur primogenitura à Ruben, translata esse in Ioseph. Noster hoc ius primogenituræ, item ius sacerdotij intellexit, cùm vertit, *prior in donis*: sicut ius regni intellexit, cùm vertit, *maior in imperio*. Hebræa habent, B יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז *ieter seet veieter os*, quod clarè Pagninus vertit, *excellens dignitate* (aut donis & muneribus) *excellens fortitudine*, supple esse debebas. Potest Secundò, sic verti, *residuum dignitatis, residuum potentia mea*: q.d. In te reliqua, superstes & hereditaria manere debebat tum dignitas, tum potentia mea. tu fratribus & dignitate & robore ac imperio præcellere debebas.

Primogenitura Ruben translata est in Leui, Iudam & Ioseph.

Nota. Rubeno primogenitura spoliato, in eam succedere debuisset Simeon secundogenitus: sed quia hic impius fuit in Ioseph: & quia eius tribus cũ suo duce adorauit Beelphegor, Num. 25. 14. hinc in tertiogenitum, scilicet Leui, nobilior primogenituræ dignitas, scilicet sacerdotiũ: & in quartogenitum, scilicet Iudam, alterum primogenituræ ius, putà regnum, translatum est.

C MAIOR IN IMPERIO] Habebat enim primogenitus quasi regalem quemdam principatum atque dominatum in omnes fratres, vt patet Genes. 27. 29. Octo, inquit Pererius, memorantur fuisse primogenitorum prærogatiuæ in populo Dei, etiam ante legem Mosis. Prima: erant sacerdotes. Secunda: primogenitus sedebat primus in mensa, maiorque portio ei dabatur, Genes. 43. 33. Tertia: benedicebat ille alios fratres, ipsi submittebant se illi, & adorabant eum, Genes. 27. v. 29. Quarta: habebat imperium & dominatum in fratres, ibidem. Quinta: accipiebat duplicem partem hereditatis paternæ, Deuter. 21. 17. Sexta: primogeniti redimebantur quinque siclis, alij verò filij minimè, tamquam illi specialiter essent Deo consecrati & addicti. Septima: vtebantur, inquit, singulari quodam vestitus genere, id est, præ cæte-

Octo prærogatiuæ primogenitis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quarta. Sexta. Septima.

cæteris fratribus delicato & pretioso: quamobrem Iacob ambiens primogenituram Esau, eius *vestes induit*. quamquam hoc non satis concludat.

Octaua. Octaua: primogenitus singulariter benedicebatur à patre iam moribundo. Atque has ferè omnes prærogatiuas perdidit Ruben.

VERS. 4. EFFVSVS ES SICVT AQVA] Libidine & incestû diffluxisti, profusa fuit libido tua. Minùs significanter vertunt Lyran. & Abulens. Depressus es, deiectus es sicut aqua. Longè enim significantiùs vertit Noster. *effusus es sicut aqua*: quia sicut, cùm aqua effunditur, nihil eius in poculo aut situla manet residuum, non color, non odor, non sapor; ita luxuria hominis vires, iudicium, rationem, sapientiam, famam, opes, conscientiam, bonaque omnia cum semine & sanguine sæpè effundit & profundit. *Libidinis profusio quanta sit.*

NON CRESCAS] non cresces: magis enim est prophetia quàm imprecatio. q.d. Quia peccasti incestu, hinc Deus puniet te sterilitate, vt non crescas numero prolium & nepotum, nec etiam excellentia, opibus & gloria. Hinc tribus Ruben fuit vna ex minimis. Idem prædixit Moses Deuter. 33. 6. B

ASCENDISTI CVBILE PATRIS TVI] incestasti Balam vxorem patris tui. Hac de re, deque Rubeni pœnitentia mira, vtinam vera, habet apocryphum testamentum duodecim patriarcharum, cuius memini initio capitis.

Allegor. Allegoricè, Ruben, inquit S. Ambros. est Iudæus, qui humanitatem Christi, quæ est quasi lectus diuinitatis, violauit & occidit, ideoque à Deo est maledictus.

Tropolog. Pari modo Tropologicè, Ruben sunt Eutychiani, Nestoriani, aliique hæretici, inquit Rupertus; rursum mali Prælati & principes, qui effusi in voluptates carnis, Ecclesiam scandalizant, violant & profanant. C

Moral. de vindicta scelerum. Denique disce hîc Primò, seram esse Dei vindictam, sed numquam irritam. Ecce sceleris Ruben, post 30. annos quàm fuerat ab eo patratum, & à Iacob dissimulatum, vindicta & pœna pronuntiata est. Secundò, quàm vili de causa homines maxima bona perdant. Nónne Ruben omnia primogenituræ bona amisit, breuissimæ voluptatis turpissima mercede? nónne eadem amisit Esau per lentis edulium? Tertiò, quantum sit scelus, contumacem & contumeliosum esse in parentes: cuius rei tria sunt illustria exempla in Scriptura; vnum Cham filij Noë, secundum Ruben filij Iacob, tertium Absalonis filij Dauidis.

Prophetia & benedictio Simeon & Leui. D

VERS. 5. SIMEON ET LEVI FRATRES] non tantùm germani natura, sed simillimi & coniunctissimi scelere, putà feritate, audacia, dolo, crudelitate in Sichimitas.

VASA INIQVITATIS] id est instrumenta iniquitatis, & iniquæ cædis ac stragis Sichimorum. Hebræi enim כְּלִי *keli*, id est vas, vocant quoduis instrumentum. Infideliter & perperam vertit Chald. *Simeon & Leui viri fortissimi, in terra peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem*: quasi eos à fortitudine laudet hîc Iacob; cùm eorum furorem & crudelitatem inculcet, vt patet ex sequentibus.

BELLANTIA] Non otiosa fuerunt hæc vasa, siue instrumenta, sed iniustum bellum & cladem A intulerunt Sichimis. Hebraicè est, מְכֵרֹתֵיהֶם *macherotehem*, quod Arias. Oleaster & Vatablus vertunt, *machæra eorum* q.d. Machæræ eorum fuerunt vasa, putà arma iniquitatis. Hoc valdè appositum est, videturque nomen machæra, vti & alia multa Latina & Græca, ab Hebræis descendere, licet id neget Eugubinus.

IN CONSILIVM EORVM NON VENIAT ANIMA MEA] *In consilium*, quo scilicet machinati sunt proditoriè cladem Sichimorum, q.d. Ego hoc eorum consilium & scelus olim auersatus sum, & etiamnum auersor. Secundò, allegoricè præuidit hîc Iacob consilium, quod contra Christum inierunt Scribæ & Pharisæi, qui à Simeone prognati sunt; & Pontifices ac sacerdotes, qui ex Leui descenderunt. Horum ergo consilium, quo Christo necem sunt machinati, itaque parentum suorum Simeonis & Leui scelus sunt imitati, detestatur & execratur hîc Iacob: est enim hîc prophetia. ita S. Ambrosius, Isidorus, Rupertus & alij. VERS. 6. *Ex Simeon prognati Scribæ & Pharisæi.*

ET IN COETV ILLORVM NON SIT GLORIA MEA] q.d. Illi in hac strage, quasi indice fortitudinis suæ, gloriati sunt: absit à me tale decus & gloria. Septuag. vertunt, *in cœtu illorum non contendant iecora mea.* q.d. In cœtu illorum non sit amor meus, non cor, non iecur meum: iecur enim est sedes amoris & desiderij: & Hebræum כבד *cabod*, si aliis punctis legas כָּבֵד *cabed*, significat iecur.

OCCIDERVNT VIRVM] viros, putà Sichimitas, cum suo principe, & mali causa, Sichem. Est synecdoche.

ET IN VOLVNTATE SVA] in sua libidine sæuiendi. Vnde Septuag vertunt, *in sua concupiscentia.*

SVFFODERVNT MVRVM] id est muros q.d. Ipsi euerterunt & vastarunt vrbem muratam Sichem, eiusque muros diruerunt.

Ex hoc ergo loco apparet, quòd Simeon & Leui cum suis, quando furibundi inuaserunt vrbem Sichem, non tantùm ciues eius occiderint, sed & mœnia euerterint.

Sic allegoricè, Scribæ & sacerdotes, ex Simeon & Leui oriundi, per Titum euerterunt Ierusalem: quia occidendo Christum, causam eius excidio dederunt, & quasi in illud euocarunt Titum.

Alij, vt Procopius, per muros intelligunt Hemor & Sichem, principes vrbis, qui eam instar muri sua potentia tuebantur. Hinc & LXX. pro שׁוּר *scur*, id est muro, legentes שׁוֹר *scor*, id est taurum, vertunt, *subneruarunt taurum*. putà ipsum Sichem succiderunt & interemerunt. Vocatur Sichem taurus, tum quia instar tauri in feminas ruebat, tum quia potens & validus erat princeps. tales enim vocantur *tauri* psal. 67 31.

Denique Targum Hierosolymitanum vertit, *vendiderunt Ioseph, qui assimilatus est boui.* quod si verum est, ergo Simeon & Leui fuere choragi in venditione Iosephi; vt meritò solum Simeonem carceri incluserit Ioseph c. 42. v. 25.

MALEDICTVS FVROR EORVM] Hæc maledictio à Leui & Leuitis sublata est per zelum, tum Mosis & Aaronis, aliorumque Leuitarum in cæde adorantium vitulum aureum; tum Phinees Leuitæ, qui Hebræum incestantem Madianitidem occidit; & Beelphegor euertit, Numer. 25 v. 5. & 6. ideoque tribus Leui & sacerdotium & benedictionem à Mose accepit, Deut. 33. 10. In Simeone VERS. 7. *A Leui ablata est maledictio per zelum Mosis & Phinees.*

meone verò remansit hæc maledictio, propter fornicationem & idololatriam Zambri, qui fuit dux tribus Simeonis, quem occidit Phinees Numer. 25. Vnde solus Simeon à Mose non fuit benedictus, Deuter. 33. ita Procopius.

DIVIDAM EOS IN IACOB, ET DISPERGAM EOS IN ISRAEL] ne scilicet rursum capita conferant, & suo consilio aliis perniciem machinentur. Id impletum est in Leui; quia Leuitis nulla sors obtigit in Chananæa, sed fuere per omnes tribus dispersi: in Simeone quoque, quia ei data fuit sors & sedes in medio tribus Iuda, Iosue 19. v. 2. & 9. Rursum cùm tribus Simeon excreuisset, nouas sedes quæsiuit, & pars in Gador, pars in montem Seir abiit, 1. Paral. 4. v. 27. 39. & 42. Denique Scribæ & legisperiti, ex Simeone oriundi, æquè vt sacerdotes, sparsi fuerunt per omnes tribus, vt populum in lege instruerent, Deo pœnam hanc in eorum laudem, & populi bonum vertente. Et hac parte hæc prophetia simul est benedictio Simeonis & Leui; quamquam & prior increpatio, vtpote paterna, benedictio censeri possit & debeat, vti dicam v. 28.

Scribæ oriundi ex Simeon sparsi per omnes tribus.

Prophetia & benedictio Iudæ.

Septem benedictiones & dotes tribus Iudæ.

Iacob commendat tribum Iuda Primò, à nomine. Iudas idem est quod confessio & laus; Secundò, à fortitudine bellica; Tertiò, à dignitate & reuerentia, quòd scilicet Iudam adorabunt fratres; Quartò, a victoriis; Quintò, à regno & sceptro; Sextò, ab opibus & frugum copia; Septimò, à Christo ex ea nasciture. Hæcque omnia prædicit & vaticinatur ab hoc versu vsque ad 12.

VERS. 8. IVDA TE LAVDABVNT] In Hebræo est elegans paronomasia nominis Iuda: יהודה יודוך, *Iehuda iehoducha.* q. d. Rectè vocaris Iuda, id est laus; quia te laudabunt fratres tui. Vocauerat eum mater Lia Iudam cap. 29. v. vlt. quasi gratias agens & laudans Deum ob datam hanc prolem; nunc pater Iacob eum quoque vocat Iudam, alia ratione & allusione, scilicet quòd à fratribus suis laudandus sit. Tribus enim Iuda prima post Mosen, ausa est ingredi mare Rubrum. Hæc mortuo Iosue, dux fuit cæterarum tribuum in præliis, Iudic. 1. Ex hac ortus est rex Dauid potentissimus & gloriosissimus, Salomon, aliique reges vsque ad captiuitatem Babylonicam. Hæc contra Ismaelitas, Idumæos, Moabitas, Arabes, omnesque vicinos maxima bella gessit. Ex hac natus est Zorobabel, dux populi Babylone redeuntis. Denique ex hac ortus est Christus.

Elogia fortitudinis tribus Iuda.

MANVS TVÆ IN CERVICIBVS INIMICORVM] vt eos in fugam agant, insequantur, capiant, trucident. vnde Chald. vertit, *manus tua præualebit contra inimicos tuos.*

ADORABVNT TE FILII PATRIS TVI] En transfertur hìc à Ruben ius primogenituræ, illudque consignatur Iudæ. Primogenitus enim, quasi fratrum princeps, ab eis colebatur & adorabatur, id est, coram eo curuabant se fratres, illique ciuilem reuerentiam exhibebant, qualis exhibetur patri, vel principi.

Rursum significatur hìc regia potestas donanda Iudæ. reges enim à subditis adorantur; dum eis se humiliant & prosternunt, honoris & reuerentiæ causa.

Allegoricè, Iudas est Christus, qui assiduè

A Deum laudauit, adeoque fuit quasi continua laus Dei, quem confessi sunt vsque ad mortem omnes Martyres, quem omnes fratres, id est angeli & homines sancti, laudant & adorant, qui fortissimè nos è faucibus dæmonis eripuit. Vnde *manus eius in ceruicibus* dæmonis, mundi, carnis & peccati, quæ ipse debellauit.

Iudas est Christus, qui totus fuit Dei laus & confessio.

FILII PATRIS] Non dicit *matris*, sed *patris*: quia fratres Iudæ diuersas habuerunt matres, sed eumdem patrem: Iacob autem hìc prædicit omnes fratres, ex quacumque matre natos, Iudam adoraturos.

CATVLVS LEONIS IVDA] Sicut Iudas inter fratres est, ita tribus Iuda inter alias tribus erat instar leonis, primò fortissima, secundò impauida, tertiò bellicosissima, quartò victoriosissima, quintò generosissimi animi. Huc festiuè allusit S. Hilarius, qui, dum quidam per calumniam eum Gallum nuncuparet: *Non sum*, inquit, *natus, Gallus, sed ex Gallia, tu verò Leo es* (erat enim hoc nomine) *sed non de tribu Iuda.* refert Iohan. Selethus cap. 12. VERS. 9.

B

Iudas fuit leo.

Hos leoninos Iudæ animos habeant duces, habeant fideles. Dux fortis adamanti est similis, qui nec ferro infringi, nec igne absumi potest. Fredericus II. Imp. audiens principum minas: *Minarum*, inquit, *strepitus, est asinorum crepitus.*

Exempla fortitudinis ducum.

Ita Leonidas Persæ cuidam minitanti, quòd Spartani die postero ex telorum imbre solem non essent visuri: *In vmbra igitur*, respondit, *commodè pugnabimus.*

Alfonsus Aragon. rex vidit naufragos auxilium implorantes, aliis timentibus, ipse nauim C soluit, dicens: *Satius est vnà cum sociis viris fortissimis occumbere, quàm illos videre* (in tempestate) *extrema pati.* testis est Panormit.

Carolus V. stans in acie intra vallum & stationes, cùm hostis glandium imbres eiacularetur, monitus vt se reciperet, respondit, *Canes qui latrant non sunt extimescendi: neque est quòd timeatis, cùm præsidio Dei satis vallati simus.*

Rursum Carolus V. iuxta Ingolstadium ab hoste crebra iaculatione impetitus: *Confidite*, ait, *nullus vmquam Imperator tormenti ictu periit.* Idem in Hispaniam profecturus, cùm audiret in via pestem grassari: *Eundum*, inquit, *nec prætermittenda tam bona tempestas: pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum vllum numquam attigit.*

Ludouicus XII. pergens Mediolanum, intelligensque oppidulum, vbi hospitari cogitabat, ab D hoste esse interceptum, perrexit, dixitque: *Ego super corpora eorum hospitium accipiam, vel illi in meo.*

Ludouicum Bauarum ceperat Albertus Merchio Brandenburg. multa ab eo petens & minitans. cui Ludouicus: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modò ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meum in tua potestate est; animum verò mihi, non tibi obnoxium inuenies.*

Otho IV. Imp. equitem, qui falsò fuerat accusatus, quòd pudicitiam Imperatricis tentasset, occidi iussit. vxor mariti caput gremio gestans, Imperatorem adit, & qua pœna iniustus iudex mulctandus sit, rogat. Morte, ait Imperator. tum illa: *Tu ergo Imperator, morere, qui maritum meum innocentem occidisti. Innocentem fuisse, ferro ignito quod innoxiè manibus meis contrecto, probo.* Ita Bernardus Corius in Vita Othonis.

Nota. Hebræi leoni plura dant nomina, quibus eius

Leonis nomina quæ eius ætatem distinguunt. eius ætatem secernunt & distinguunt. nam Primò, גּוּר *gur*, vocatur leo, cùm est catulus, & quasi infans. Secundò, vocatur כְּפִיר *kephir*, cùm iam grandescit, fitque adultus, vt ferocire & prædari incipiat. Tertiò, vocatur אַרְיֵה *arie*, vel *ari*, cùm stato est robore, leoque perfectus. Quartò, cùm est confirmato plenoque robore, & ætate, vocatur לָבִיא *labi*, quasi cordatus, à לֵב *leb*, id est cor. Dicitur ergo leo *labi*, ab animositate, generositate & fortitudine animi. Quintò, vocatur לַיִשׁ *lais*, cùm iam senescit, & quasi miles veteranus in prædis exercitatus, viret tamen adhuc, & viget. Dicitur ergo *lais*, eò quòd subigat prædam, à rad. לוּשׁ *lus*, id est subegit.

Iudas triplici ætate fuit leo. Ex hisce nominibus, tria hîc dantur Iudæ, scilicet Primò, *gur*, sub quo complectitur & *kephir*, significat infantiam & adolescentiam tribus Iuda in bellis, tempore Iosue. Secundò, *arie* significat eiusdem robur virile, quod habuit sub Dauide. Tertiò *labi* significat eiusdem confirmatum robur, & imperium sub Salomone, qui fuit *labi*, id est cordatus, in sapientia, fortitudine, liberalitate, magnificentia. Vnde Chaldæus vertit, *dominium erit ei in principio, sed in fine magnificabitur regnum Iuda, quia à iudicio occisionis, fili mi, animam tuam abstinuisti*, ne scilicet occideres Thamar nurum tuam adulteram, & ne consentires neci, quam fratres tui machinabantur Iosepho, imò vt eam impedires.

AD PRÆDAM FILI MI ASCENDISTI] Prò *ad prædam*, Hebræa, Symmachus & Aquila habent מִטֶּרֶף *mittereph*, id est à præda, quo significant assiduam prædarum & victoriarum continuationem. q. d. A præda in prædam ascendisti, assiduè prædaris, iugiter à præda & cum præda redis. quod Noster significantiùs expressit vertens, *ad prædam fili mi ascendisti*. Hoc maximè verum extitit in Dauide, qui tota vita in bellis versatus, assiduas ex hostibus prædas egit, & gradatim à minore præda in maiorem ascendit; putà ab vrsi & leonis discerptione, progressus est ad duellum cum Goliat, eiusque spolia; inde ad præfecturam militiæ, & prædam centum præputiorum, 1. Reg. 18. v. 13. mox è Philisthinis iuges abegit prædas, 1. Reg. 27. postea tribum Iuda quasi diuulsit à Saulis regno, 2. Reg. 2. 7. Denique factus rex omnium tribuum, maximas de Ammonitis, Moabitis, Syris, aliisque gentibus prædas abduxit. ita Delrio.

Ex hac prophetia factum est, vt tribus Iuda, Dauid, Salomon, &c. pro insigni habuerint effigiem leonis: vnde & Preto (vel, vt alij vocant, presbyter) Iohannes rex Abyssinorum, qui ex regina Saba & Salomone, ac consequenter ex Iuda, se descendere iactat (vt patet ex eius titulo, quem describit Ortelius in Theatro tabula 68.) pro insigni, siue stemmate gestat leonem, qui manu tenet erectam crucem. Leo enim prosapiæ ex Iuda; crux christianitatis est insigne.

Mirum est, cur Septuag. verterint, *ex germine fili mi ascendisti*. fortè prophetice per germen intellexerunt beatam Virginem, ex qua ascendit & ortus est Christus.

REQVIESCENS ACCVBVISTI] Aquila, *incuruans recubuisti*; Symmachus, *claudicans consedisti*. q. d. Sicut leo præda potitus, cernuat se in terram, & quasi piger ac claudus recumbit, vt eam deuoret,

A comedentem verò nemo audet lacessere, vel interpellare; ita tu, ô Iuda, postquam per Dauidem tuo sceptro subegisti tribus omnes, regnumque tuum stabiliuisti, securus te paci & quieti tradidisti, & quasi leæna catulos suos lactans, dormienti similis, in strato tuo te collocasti, tamquam bonus pastor populum tuum pascens & fouens, ita vt nemo te bello lacessere audeat. ita Delrio.

Nota. Hæc omnia præterita per futurum exponenda sunt: est enim prophetia.

QVASI LEÆNA] quæ catulos lactans sæuior & fortior est leone. Hebræum לָבִיא *labi* tam leænam, quàm leonem significat: vnde & Vatablus vertit *leænam*. nomina enim animalium apud Hebræos sunt communis generis.

QVIS SVSCITABIT EVM?] quis eum suscitare &
B bello lacessere audeat? quisquis id faxit, non feret impunè, cladem accipiet.

Allegoricè, Christus ex Iuda prognatus, *ascendit ad prædam*, quia eius nomen est, *accelera spolia detrahere, festina prædari*, Isaiæ 8. 3. Hinc requieuit, id est mortuus est, vt leo: quia in morte sua totum mundum commouit, & diabolum ac mortem moriendo destruxit. ita S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. in bened. Iudæ: *Quis*, ait, *suscitabit eum? hic est, quem Dominus suscipiet. Quis est alius qui resuscitet, nisi ipse se sua Patrisque resuscitet potestate? video natum auctoritate propria, video mortuum propria voluntate, video dormientem potestate propria: qui omnia suo fecit arbitrio, cuius alterius vt resurgat egebit auxilio? Ipse igitur suæ resurrectionis auctor est, qui mortis est arbiter.*

C Tradit ex Physicis Eucherius hîc, catulum leonis cùm natus est triduum dormire, tertio die fremitu patris tremefacto cubili excitari: ita Christus tertiò die per suam & Patris potentiam, qua simul terræ motum induxit, resurrexit. Hoc perperam Epiphan. & Eucherius referunt ad mortuos catulos leonis, quos leo pater suo rugitu suscitet & viuificet: hoc enim falsum & fabulosum est. *Catulus leonis triduum dormit.* *Fabula est eum mortuum à patre suscitari.*

Addit S. Epiphan. hæres. 78. quæ est Antidicomarianitarum, leænam tantùm vnum tota vita parere catulum: simili modo B. Virginem vnum tantùm peperisse filium, scilicet Christum. *Aiunt*, inquit, *leænam non parere præterquam semel, & vnum.* Causam subdit quòd per 26. menses fœtum vtero gestet, itaque fœtum suis vnguibus *diuellere & incidere matricem*, ac proinde *vnà cum partu, etiam vterum ac matricem excerni*. Leo ergo est Christus, leæna virgo mater. *Leænæ autem non contingit se-*
D *cundus partus. Ergo non ampliùs partum nouit Maria, non ampliùs coniunctionē corporum S. Virgo.* Verùm hoc fabulosum est. Nam, vt alia omittam, si leæna vnum tantùm in vita pareret catulum, species leonina multiplicari non posset; sed in vno semper capite & catulo consisteret; quòd si is sit mas, aut mox occidatur, intereat species necesse est. Quare cùm sæpiùs tenelli leonum catuli, antequam generare possent, occisi sint, sequeretur iam pridem speciem leonum interiisse. Adde, leænam plures habere catulos, docet Ezechiel c. 19. 2.

NON AVFERETVR SCEPTRVM DE IVDA] Septuag. *non deficiet princeps de Iuda*. q. d. Cùm tribus Iuda acceperit regnum in Dauide, seruabit hunc principatum & ducatum suum, donec veniat Messias siue Christus. VERS. 10. *Quomodo sceptrum in Iuda manserit vsque ad Christū.*

Dices, Dauid eiusque posteri tantùm regnarunt

runt vsque ad captiuitatem Babylonicam: nam A post reditum ex hac captiuitate, duces Iudæorum fuerunt Machabæi, qui prognati sunt non ex Iuda, sed ex Leui: erant enim sacerdotes & pontifices.

Prima sententia. Respondent Primò, S. Iustinus, Euseb. Athanasius, Augustinus, Chrysost. Theodor. Rupert. quos citat & sequitur Pererius, per Iudam hîc intelligi, non solam tribum Iuda, sed omnes Iudæos, putà omnes duodecim tribus. Verùm huic expositioni obstat, quòd Iacob hanc benedictionem non omnibus tribubus, sed vni tribui Iuda appropriat & consignat.

Secunda. Secundò, Lyranus, Abulens. & Dionys. Carthusianus respondent, Machabæos fuisse prognatos ex Iuda; quia licet paterno genere descenderent ex Leui, materno tamen descende- B bant ex Iuda: Leuitæ enim vxores ducebant ex tribu Iuda. Sed hoc de Machabæis incertum est, &, si certum esset, non tamen satisfaceret: hoc enim modo tam de Leui, quàm de Iuda dixisset: Non auferetur sceptrum (ducale) de Leui, donec veniat qui mittendus est. Quod enim Genebrardus respondet, Machabæos non tantùm materno, sed etiam paterno genere oriundos fuisse ex Iuda, repugnat S. Scripturæ 1. Machab. 2. v. 1. Iosepho, aliisque historicis, & omnibus penè interpretibus.

Tertia. Tertiò, Burgensis, Galatinus, Iohannes Annius, & Iohannes Lucidus respondent, regnantibus Machabæis, fuisse summum concilium Sanedrim, septuaginta virorum ex tribu Iuda, quod præerat & regebat, vti regit iam Parlamentum, vel concilium regis in regno. Sed & hoc falsum C est, nimirum concilium Sanedrim fuisse collectum ex sola tribu Iuda: colligebatur enim ex omnibus tribubus.

Idipsum quoque non satisfacit: singuli enim qui erant in hoc concilio, non erant reges aut principes, sed tantùm consiliarij regis aut principis. Adde Parlamentum non esse ducem, nec habere sceptrum regni.

Quarta. Quartò, Melchior Canus lib. 11. de Locis, respondet Machabæos habuisse ducatum, non proprium, sed depostititium, vt nimirum eum per modum depositi fideliter conseruarent, donec surgeret Propheta fidelis, qui Iudæos de Dei voluntate circa regem & regimen instrueret, aut verus & proprius dux, quem de tribu Iuda expectabant. Verùm ex hac sententia sequitur ante Messiam siue Christum, verè defecisse sceptrum D Iuda per annos 165. tot enim regnarunt Machabæi. Rursùm, depositum tot annis poni non solet, nec potest. Tertiò, Iudæi Machabæos habuerunt vt veros & proprios principes, non autem vt depositarios. Denique, si hæc sententia vera est, ergo ex hoc loco contra Iudæos probari non potest, Messiam iam venisse: pari enim modo respondebunt Iudæi, Herodem & quemuis alium, non proprium Iudæorum fuisse regem, sed depositarium, donec veniat proprius eorum rex Messias.

Quinta & vera. Dico ergo, tribui Iuda hîc consignari regnum & principatum, eamque de facto illum obtinuisse vsque ad Messiam, putà Christum, duplici ratione ac titulo. Primò, quia sola tribus Iuda obtinuit regnum à Dauide vsque ad Sedeciam, per annos 470. idque in magna gloria, opibus & fortitudine vsque ad captiuitatem Babylonicam. Rursùm, quia sola tribus Iuda rediit ex hac captiuitate, cum paucis aliis oriundis ex tribu Beniamin, Leui, & aliis tribubus. Hinc tota deinceps gens Iudæorum, nomen à Iuda accepit, omnesque licet ex aliis tribubus descendentes, censebantur esse tribus Iuda; quia cum Iuda erant commisti, atque in tribum & rempubl. Iuda erant insiti & cooptati. Hoc ergo modo, & hac ratione Machabæi, licet essent Leuitæ, censentur tamen tribus Iuda; quia in tribum Iuda cooptati, & à tribu Iuda electi, in eadem regnarunt; atque hoc sensu verum est tribum Iuda hîc includere quoslibet de aliis tribubus tribui Iuda insitos & commistos, solosque excludere alienigenas putà Gentiles, vti dixerunt auctores primæ sententiæ. Sic accipitur Iudas pro omnibus Iudæis, in tota Iudæa habitantibus, Malach 3. 4. & 1. Machab. 15. *Machabæi, quia in Iuda regnarũt, Iudæq; insiti sunt, hinc censentur esse ex Iuda.* Pari modo Romani dicuntur imperasse; & Romani Imperatores vocantur, quicumque Ro- C mæ Romanum Imperium obtinuerunt, etiamsi ex Thracia, Hispania, vel aliunde essent oriundi; quia hi omnes cum Romanis in vnam rempublicam, vnumque imperium coaluerant. Atque hoc, non aliud, videntur voluisse Patres citati in prima sententia, hi ergo omnes pro nobis sunt. ita Francisc. Suarez 3. p. disp. 1. sect. 1.

Secundò & potiùs: præcisè non defecit sceptrum de Iuda vsque ad Christum; quia corona, siue ius & potestas regni propriè pertinuit semper ad tribum Iuda: tum quia hoc ius regni, Dauidi, eiusque familiæ oriundæ ex Iuda, fuit à Deo attributum, vt scilicet Dauidis posteri in illud semper continua serie, iure hereditario succederent: tum quia sedes, ditio & metropolis regni, putà Ierusalem, pertinebat ad tribum Iuda: tum quia post schisma decem tribuum, tribus Iuda adhærens domui Dauidis, eiusque nepoti Roboam, eum sibi proprium regem, suumque regnum Iuda constituit. licet enim tribui Iuda se iunxerit tribus Beniamin; tamen hæc, quia minor erat, tribui Iuda se subdidit, eiq; auitum regnum & sceptrum concessit: adeoque deinceps semper, etiam post reditum è captiuitate Babylonica, corona, siue ius regni, regumque & principum electio pertinuit ad tribum Iuda. Licet ergo apud Iudæos regnarint Leuitæ, putà Machabæi, tamen corona regni semper mansit penes Iuda: tribus enim Iuda Machabæos, ob zelum & fortitudinem, in duces elegit, eosque sibi præfecit. perinde ac regnum Poloniæ semper manet, quamdiu corona & ius eligendi regem ac gubernandi apud Polonos manet, etiamsi exterus regnet, vti nuper rex Poloniæ fuit Henricus Valesius Francus, & post eum Stephanus Battoreus Princeps Transsyluaniæ; hos enim Poloni sibi in reges elegerunt. deficeret verò corona & sceptrum Poloniæ, si eam sibi Turca subigeret, seque regem Poloniæ per vim & tyrannidem constitueret: vti defecit sceptrum Iuda, cùm in illud se Herodes per vim intrusit. ita Perer. *Ratio fundamentalis.*

Ex hoc secundo titulo patet, hanc benedictionem propriè & præcisè spectare tribum Iuda, ita vt Iuda hîc solos ex Iuda prognatos, non verò Leuitas, aliosque cum Iuda commistos complectatur. Idque confirmatur Primò, ex eo, quòd Iacob singulis filiis & tribubus hîc propriam benedi-

nedictionem assignet: sicut ergo sub Leui non comprehendit Iudæos, sic sub Iuda non comprehendit Leuitas, ac consequenter nec Machabæos. Secundò, ex eo, quòd S. Paulus ad Hebr. 7. v. 14. disertè asserat Christum ortum esse ex Iuda, non ex Leui; indeque probet, Christum non potuisse esse sacerdotem Aaronicum & Leuiticum, sed fuisse sacerdotem nouum secundùm ordinem Melchisedec. Hoc enim eius argumentum non concluderet, si sub Iuda comprehenderentur Leuitæ: responderet enim ei quis, Christum licet ex Iuda oriundum, potuisse tamen ex Leui quoque esse prognatum, ideoque sacerdotem Aaronicum creari, ex eo quòd Leuitæ cum Iuda & Iudæis permisti censerentur & vocarentur Iuda, siue Iudæi. Sub Iuda ergo hîc soli posteri Iudæ, ab eo naturaliter prognati intelliguntur. Itaque sensus huius loci est, q. d. Regnum Iudæorum, ex quo semel ex tribu Iuda reges habere cœperit, numquam decidet in potestatem regum, qui non sunt Iudæi; sed tribus Iuda semper retinebit suum ius & coronam regni, ad creandum sibi reges vel duces, quousque promissus Messias adueniat. Id ita reipsa euenisse constat: defecit enim sceptrum de Iuda tempore Augusti Cæsaris: tunc enim senatus Romanus, ipseque Cæsar regnum Iudæorum ademit Hyrcano & Antigono Aristobuli filio, qui eius legitimi erant heredes, vtpote prognati ex Machabæis, siue Assamonæis; illudque contra populi voluntatem, per vim transtulit in alienigenam, putà in Herodem Ascalonitam, quem creauit regem Iudæorum, atque tunc natus est Christus, putà anno Herodis 35. qui fuit ab hac prophetia 1695. nam Iacob hæc dixit anno ætatis 147. quo & mortuus est, qui fuit annus mundi 2255. Christus autem natus est anno mundi 3950. ergo à morte Iacob vsque ad ortum Christi fluxerunt anni 1695.

A Iacob ad Christum sunt anni 1695.

Ex hoc ergo loco conuincimus Iudæos, eisque demonstramus, Messiam iam venisse, eumque natum esse tempore Herodis: tunc enim defecit sceptrum de Iuda; ac consequenter nostrum Christum esse Messiam, à Iacobo hîc prædictum & promissum.

Obiectio I. Dices, Christus natus est anno 35. regni Herodis; ergo per 35. annos ante Christum, iam defecerat sceptrum de Iuda; ergo falsum fuit dicere: Non deficiet sceptrum de Iuda, donec veniat Christus.

Resp. Respondeo, tam paruum interuallum 35. annorum, in tanta serie temporum, hîc pro nihilo reputari. sufficit enim ad veritatem huius prophetiæ, sub eodem rege Herode, in quo defecit sceptrum de Iuda, natum esse Christum. Nam τὸ *donec*, non significat præcisè annum, mensem, vel diem determinatum aduentus Christi; sed tantùm confusè significat, quòd sub illud idem tempus, putà sub eodem rege in quo deficiet sceptrum de Iuda, nasciturus sit Christus.

Obiect. II. Dices Secundò, Tempore captiuitatis Babylonicæ, ac consequenter longè ante Christum, defecit sceptrum de Iuda.

Resp. Respondeo hoc esse falsum: nam tunc rex Iudæorum erat Ioachin, qui licet captus, mansit tamen rex legitimus suorum: imò Euilmerodach eumdem in captiuitate ad solium regni excitauit, vt patet 4. Reg. vlt. A captiuitate verò, mox Zorobabel nepos Ioachin, aliique duces ex Iuda populo præfuerunt, vsque ad Machabæos.

Obiect. III. Dices Tertiò, Ante Herodem Pompeius subegit Iudæos: ergo tunc defecit sceptrum de Iuda.

Resp. Respondeo, Pompeius tantùm Iudæam fecit vectigalem Romanis, idque non ex se, sed aduocatus ab Hyrcano, quem regno eiecerat Aristobulus frater. Aristobulum ergo ac Hierosolymam cepit Pompeius: verùm non exterum, sed legitimum Iudæis principem, putà Hyrcanum, restituit: vnde patet, tunc non defecisse sceptrum de Iuda.

Anagog. sceptrum Christi ab eius Pontifice non auferetur, donec veniat ipse in secundo suo aduentu, ad nos beandum & glorificandum. ita ex S. Ambrosio & Origene Pererius.

ET DVX] Hebraicè est מְחֹקֵק *mechokec*, id est legislator, putà dux siue princeps, cuius est leges sancire, iisque populum regere. Imperitè & fraudulenter Iudæi *mechokec* vertunt, *scribam*. Vocat hîc Iacob, post sceptrum, putà post reges, ducem, id est duces: quia post reges Iuda, qui defecerunt in captiuitate Babylonica, successerunt duces & principes in Iuda, putà Zorobabel & Machabæi.

DE FEMORE EIVS] Femur metonymicè significat partes genitales, quæ sunt inter femora, & inter pedes, vt habent Hebræa.

Dices, Machabæi, qui fuerunt duces Iudæorum, non egressi sunt de femore Iuda, sed Leui. Iam respondi, per Iudam hîc accipi totam tribum Iuda cum Leuitis, aliisque illi insitis, & in eam cooptatis. Iudas enim hîc significat totum populum Iudaicum, qui omnes ex Iuda, & paucos ex Beniamin & Leui cum Iuda ex captiuitate redeuntes, illique adunatos complectitur: Machabæi autem prognati sunt ex populo Iudaico; ergo & ex Iuda: post captiuitatem enim omnes cuiuscumque essent tribus, censebantur & vocabantur filij Iuda, siue Iudæi.

Secundò, magis aptè & genuinè, iuxta secundum titulum paulò antè assignatum respondet Perer. τὸ *donec veniat*, præcisè non referri ad, *dux de femore*, sed tantùm ad *non auferetur sceptrum de Iuda*, cuius quasi appendix & exaggeratio sit τὸ *de femore*. q. d. Donec veniat Messias, non deficiet sceptrum de Iuda, & interim multi erunt duces prodeuntes ex ipsissimo femore Iudæ. Similem enim phrasin vidimus cap. 15. v. 13. Videtur enim hæc verba addere Iacob, vt notet Christum ducem ex ipso femore Iuda nasciturum, de quo §. sequenti.

DONEC VENIAT QVI MITTENDVS EST] Chaldæus clarè vertit, *donec veniat Messias, cuius est regnum*: huius enim nomen tunc erat, *Qui mittendus*, aut *venturus est*. Hebraicè est, *donec veniat* שִׁילֹה *Silo*: quod variè deducunt & explicant, omnes tamen aptè de Christo. Primò, Septuag. pro *Silo* legentes שֶׁלוֹ *Schelo* (quasi ה positum sit pro ו affixi: hæ enim litteræ *ehevi* quiescentes subinde commutantur) vertunt, *donec veniat* (scilicet Christus) *cui repositum est*, nimirum sceptrum & regnum Iuda, vti legunt & intelligunt S. Ignatius, Iren. Hieron. & Ambros. vel, *Donec veniant reposita ei*, putà ampla regna, trophæa & dona Messiæ, quæ Iudæ reposita & reseruata sunt, vsque ad tempus Messiæ, vti legunt & intelligunt S. Cyprianus, August. & Chrysost. Soli enim Christo, & consequenter Iudæ, repositum est Primò, re-

Quid Silo? Prima sententia.

gnum Iuda & Iacob; Secundò, ius saluandi Israelem; Tertiò, omnes promissiones Abrahæ & Dauidi factæ; Quartò, thesauri omnes gratiæ & gloriæ; Quintò, fides & obedientia omnium gentium; Sextò, iudicium viuorum & mortuorum. A

Secunda. Secundò, Leo Castrius lib. 3. Apolog. pro *Silo* aliis punctis legit שַׁיְלֹה *Sailach*, id est *donum* seu *promissum ei*, & sic putat legisse Septuag. q. d. Donec veniat promissum munus illi sceptro Iudæ: hoc est, donec veniat Messias promissus Iudæ, qui ex eo orietur, sceptrumque Iuda dilatabit per omnes gentes.

Tertia. Tertiò, R. Dauid Kimchi putat *Silo* significare *filium eius*, putà Iudæ, & potiùs Dei: *scil* enim significare filium, quasi *Silo* sit ille, cui dicit Deus Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, psal. 2.

Quarta. Quartò, Galatinus & Hamerus pro *Silo* legunt שֶׁלָּה *Schela*, id est, *qui eius*, putà mulieris & virginis est filius, carens patre; vt *Silo*, vel potiùs *Schela* sit ille, de quo dicit S. Paulus Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere.* B

Quinta. Quintò, Vatablus & Oleaster putant *Scilo* per metathesin dici quasi, שְׁלִיחַ *scalia*, id est pacificus, auctor pacis, à radice שָׁלָה *scala*, id est quietus, pacificus fuit. Christus enim natus est ad hoc, vt pacem faceret inter Deum & homines, vtque pacem relinqueret, & pacem suam nobis daret.

Vnde à *scala* deducitur שַׁלְוָה *scalua*, id est pax, quies, abundantia, faustitas, & fortè etiam Latinorum *salue* ac *salus*, quam apud S. August. in expos. epist. ad Rom. ducebat Valerius Episcopus à Punico Hebræoque שָׁלֹשׁ *scalos*, quod tria significat, quasi occultè insinuatum esset, à SS. Trinitate veram expectandam salutem.

Sexta & vera. Sextò, verosimillimum est pro *Silo* per *he* legendum esse שִׁילוֹחַ *Sciloach* per *chet*, id est legatus, missus vel mittendus, à radice שָׁלַח *scalach*, id est misit: ita enim vertit noster Interpres, hocque iam olim fuit commune nomen Messiæ, vt patet Exodi 4. v. 13. Vnde ad hoc suum nomen *Siloach* allusit Christus, cùm cæcum illuminaturus misit eum ad piscinam *Siloë*, quæ hebraicè dicitur *Siloach, quod interpretatur Missus*, vt ait S. Iohannes cap. 9. 7. Hac etiam de causa Christus apud S. Iohannem, contra Pharisæos disputans de sua persona, nomine, officio & dignitate, passim vocat se *eum quem misit Pater*, vel *missum à Patre*. Proprium enim officium Christi fuit, agere legatum Dei apud homines: ergo proprium eius nomen fuit *Siloach*, id est *legatus*, vel *missus*. Quare impiè & in-

Error R. Salom. fulsè per hunc *Silo*, siue legatum Dei, R. Salomon intelligit Ieroboam, qui fuit primus rex Israel, siue decem tribuum.

& Iuliani Apostata. Æquè impiè Iulianus Apostata per *Silo* intellexit Nabuchodonosorem, eò quòd in ipso defecisset regnum & reges Iuda. Nabuchodonosor enim non fuit expectatio, sed flagellum omnium gentium, maximè Iudæorum. Omnes ergo Hebræi, Chaldæus, Græci & Latini per *Silo*, siue legatum hunc, intelligunt Messiam, siue Christum.

Nota. Hisce verbis: *Non deficiet, &c. donec veniat qui mittendus est*, implicitè prædicit Iacob, quòd ex Iuda nascetur Christus. Iacob enim hîc, vti singulis filiis propriam benedictionem, ita Iudæ Christum, Christique generationem, quasi eximiam benedictionem assignat. ita hanc prophetiam intellexerunt omnes Hebræi. vnde Paulus ad Hebræos 7. 14. *Manifestum*, inquit, *quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster.*

Obiectio. Dices, Apostolus ibidem probat, Christum esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, non autem Leui, ex eo, quòd natus sit ex Iuda, non ex Leui: ergo opponit Iudam & Leui. Iacob verò hîc non opponit, sed comprehendit Leui, putà Machabæos sub Iuda, vti dixi superiùs in titulo primo.

Resp. Respond. Primò, id iuxta ibi dicta, probabiliter verum esse ex ea parte, qua Iacob asserit expressè non defecturum sceptrum de Iuda, donec veniat Christus: tunc enim sub Iuda comprehendi possunt Leuitæ. Idipsum verò falsum est ex ea parte, qua implicitè Iacob hisce verbis significat, ex Iuda nasciturum esse Christum. Hoc ipso enim quo Iacob inter filios soli Iudæ assignat Christum, satis significat ex solo Iuda, non ex Leui aliisve nasciturum esse Christum. Hac etiam de causa addit *τὸ & dux de femore eius*, vt scilicet notet Christum ducem ex femore Iudæ nasciturum. Ita prophetiæ huius & Iacobi mentem intellexerunt & explicarunt omnes Hebræi. In prophetiis enim multa sunt obscura, indistincta & conuoluta, quæ per partes euolui, distingui, secerni & explicari debent. Ex Iuda enim præcisè, non ex Leui natum esse Christum, patet ex eo, quòd Christus natus sit ex Dauide: Dauid enim fuit ex genere & tribu Iuda. Dauidi autem promissum esse Christum nemo ignorat. id enim patet 2. Reg. 7. v. 12. & 13.

C Sensus ergo huius loci est, quasi dicat Iacob: Tibi, ô Iuda, tuisque posteris consigno regnum & principatum inter fratres, illumque ex Ruben in te transfero; hac nimirum ratione, vt, cùm in Dauide cœperis obtinere regnum, illud in tua stirpe obtineas per 470. annos, vsque ad Sedeciam: inde verò duces obtineas partim ex tua stirpe, partim ex Machabæis qui tuæ stirpi inserentur & incorporabuntur, donec veniat Christus, qui regnum Dauidis tuumque collapsum restituet, illudque augustius & diuinius efficiet, ita vt in Christo primùm quasi monarcha regnare incipias: ac proinde ratione Christi ex te nascituri, quem quasi finem & scopum specto, intendo & promitto, maximè hoc regnum tibi, ô Iuda, promitto & assigno. Et hoc est quod Prophetæ passim promittunt, scilicet Christum restituturum regnum Dauidis & Iuda. Ex hoc sensu apparet, D hanc benedictionem propriè solum Iudam spectare, quoad regni initium, propagationem & finem. Cœpit enim regnum Iuda in Dauide, propagatum est per Dauidis posteros, & finitur in Christo; quorum vterque propriè natus est ex Iuda. inter hæc duo extrema aliqui aliunde, putà ex Leui, Machabæi scilicet, immiscentur, qui cum Iuda erant permisti, sicut tritico nonnulla grana hordei permiscentur; sed horum non habetur ratio: hæc enim vtpote pauca, in tanto cumulo non computantur.

Respond. Secundò, verius esse, per Iudam hîc, æquè vt Hebr. 7. 14. propriè solum Iudam & Iudæos, non autem Leuitas comprehendi, siue regni initium, siue medium, siue finem, siue quid aliud spectes, eo modo & sensu quem superiùs posteriore loco, putà titulo secundo, assignaui.

Falsa

A Falsa est ergo altera pars antecedentis in argumento, siue obiectione proposita; adeoque hoc argumentum maximè persuadet, Iudam hîc propriè accipi debere pro solis Iudæis exclusis Leuitis & Machabæis, vti superiùs dixi. Hæc ergo secunda responsio solida est & genuina.

ET IPSE] *Silo*, putà Messias.

ERIT EXPECTATIO GENTIVM] Imperitè, falsò & fraudulenter Iudæi vertunt, *ipse* (scilicet Dauid; cùm hîc non de Dauide, in quo non defecit, sed incepit sceptrum Iuda, verùm de Messia siue Christo agatur) *vastabit, confringet*, vel *obtundet Gentes*.

Quid hebr. iickehat? *Expositio prima.* Vnde Nota. Hebraicè pro *expectatio* est יִקְּהַת *iickehat*, quod Primò, aliqui deducunt à radice נָקָה *naka*, quod in Piel habet נִקָּה *nicka*, significatque innocentem, mundum & purum efficere; vnde vertunt ipsi sic, *ipse purgabit Gentes*, scilicet à peccatis eorum; vt huc alludat Gabriel, cùm de Christo nascituro dicit, *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1.

B *Secunda.* Secundò, alij *iickehat* deducunt à radice יָקָה *iaka*, quam Arabes magis quàm Hebræi vsurpant, significatque obedire. Vnde Kimchi, Pagninus & Chaldæus vertunt, *ipsi obedient populi*; & Ionathan, *ipsi seruient vniuersa regna terræ*.

Tertia. Tertiò, alij *iickehat* per metathesin deducunt à radice קְהִלָּה *kehilla*, id est ecclesia, congregatio, aggregatio: à *kehilla* enim per anastrophen, si videlicet retrogrado ordine legis, fit לַהֲקָה *lahaka*, quod aggregationem significat, 1. Reg. 19. v. 20. Simili metathesi videtur hîc *iickehat* (absorpta litera *lamed* per punctum dages, infixum in littera *kuph*) positum pro יִלְּקְהַת *iilkehat*, & *iilkehat* pro *lakahat*, vel *kahalat*, id est ecclesia, aggregatio. Vnde vertunt ipsi, *& erit ipsi congregatio* vel *ecclesia Gentium*. ita Vatabl. Iarrius, Forsterus.

C Addit Forsterus, *iickehat* pro *iilkehat* & *kahalat* positum, posse accipi pro concione, siue prædicatione: à *kahalat* enim fit *cohelet*, id est ecclesiastes, concionator, vt patet Ecclesiast. 1. 1. *Verba Ecclesiastæ* (hebraicè *cohelet*) *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: vt sensus huius loci sit, q. d. Messias erit concionator & doctor Gentium, Messias Gentibus prædicabit suum Euangelium.

Quarta & vera. Quartò & optimè, *iickehat* vertas *expectatio*: ita enim vertit Noster, Septuag. Aquila, Symmachus & Theodotion, à radice קָוָה *kaua*, id est sperauit, expectauit. Vnde ad verbum ex Hebræo ita vertes, *ipsi* (*Silo*, putà Messiæ) *erit expectatio Gentium* q. d. Messias expectabit fidem, obedientiam, dominium, & regnum omnium Gentium, D quia hanc quasi hereditatem ei promisit Deus, vti dicitur psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hæc ergo fuit expectatiua, & expectatio *Silo*, putà Christi.

Itaque in nostra versione pro *ipse*, fortè legendum est *ipsi*: sic enim habent Hebræa. quamquam si legas *ipse*, eòdem redit sensus: Christus enim expectauit fidem & obedientiam Gentium; quia vicissim Gentes expectaturæ erant Christum ducem, magistrum & saluatorem. Sensus enim est: *ipse erit expectatio Gentium*. q. d. Non tantùm Iudæi, sed & Gentes Messiam, quasi expectatissimum, auidissimè recipient, illi credent & obedient; in eo salutis suæ spem, cor & amorem deponent & defigent. Est catachresis. Dicitur ergo Christus *expectatio Gentium*, actu, postquam natus fuit, cognitus & creditus à Gentibus: ante natiuitatem verò Christus fuit *expectatio Gentium*, virtute tantùm, aut potiùs interpretatiuè. *Quomodo Christus fuerit expectatio Gentium.* q. d. Gentes postquam Christum audierint & cognouerint, ita auidè eum amplectentur, ac si semper eum expectassent. Simili prosopopœia dicitur terra promissionis *pluuias expectare de cælo*, Deuter. 11. 14. quia si foret animata, inde pluuias expectaret. Illud enim dicimur naturaliter desiderare, quo maximè indigemus, quodque nobis optimum & vtilissimum est. Iam sicut terra indiget pluuia, ita Gentes eguerunt Christo, Christusque eis summa attulit bona. Meritò ergo hîc, & Aggæi 2. v. 8. Christus vocatur *desideratus cunctis gentibus*: & hoc cap. v. 26. vocatur *desiderium collium æternorum*. Itaque Christus fuit *expectatio*, id est expectabilis, & *desiderium*, id est desiderabilis cunctis gentibus.

LIGANS AD VINEAM PVLLVM SVVM, ET AD VITEM, O FILI MI, ASINAM SVAM. LAVABIT IN VINO STOLAM SVAM, ET IN SANGVINE VVÆ PALLIVM SVVM. PVLCHRIORES SVNT OCVLI EIVS VINO, ET DENTES EIVS LACTE CANDIDIORES] *Vers. 11.* *Vers. 12.*

Ligans ad vineam pullum. *Prima expositio Vatabli.* q. d. Terra Iuda, siue sors quæ illi in Chanaan obueniet, erit tam ferax vini, vt vir aliquis possit ligare asinum suum ad palmitem vnum, & ex eius fructu onerare asinum (*ligans* enim idem est quod onerans: iumenta enim dum ligantur, onerantur. est metalepsis.) tanta, inquam, vini copia erit, vt in eo possint lauare vestimenta sua. Rubescent etiam oculi virorum Iuda ab ipso vino, tam largiter vinum proferet terra illa: quin & lactis in ea tribu tanta erit copia, vt dentes ipsius, ex frequenti eius esu sint albicaturi. ita Vatabl. Lipom. & Oleaster.

Verùm hæc expositio frigida est, terrena, Iudaica; atque illi obstat, quòd hæc omnia dicuntur, non de Iuda, sed de *Silo*, siue Messia. Vnde Iudam Iacob alloquens in secunda persona, ab eo in tertiam, putà Messiæ, transit, dicens *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi* (ô Iuda) *asinam suam*. Si enim de Iuda hæc diceret, dixisset: *ligans pullum tuum, & asinam tuam*. Rursum non fuit tantus excessus fertilitatis tribus Iuda præ aliis tribubus, quantus hîc dicitur.

Secunda Chaldæi. Secundò, vterque Chaldæus, putà Onkelos & Ionathan, hæc partim ad Iudam, partim ad Messiam referunt. Vnde & hæc partim spiritualiter accipiunt, partim carnaliter: fuerunt enim & ipsi Iudæi, vnde subinde iudaizant, atque hoc nomine versio Chaldaica nonnullis Catholicis displicuit, vt eam à Bibliis Regiis arcendam & amouendam censerent. Onkelos enim per *vineam* intelligit Ierusalem, per *vitem* templum, per *pullum* factores legis, per *asinam* iustos, per *vinum album* & *rubrum* serica vestimenta alba & rubra, per *oculos* montes vuis & vino rubeos, per *dentes* agros frumento & ouibus albicantes. Ionathan verò subliniùs per has vites & vina accipit sanguinem hostium, quem tam abunde fusurus erat Christus, vt eo vestem suam lauare & purpurare posset. Rursum tempore Messiæ rubescent, inquit, montes vineis & torcularibus vini: colles verò candescent copia tritici & ouium. Verùm & hæc imperfecta, nec satis connexa, atque ex parte Iudaica sunt.

Tertia & vera Patrum.

Dico ergo, omnes penè Patres, præter vnum A Diodorum, hunc locum explicant ad litteram de Christo, putà Tertull. S. Ambros. August. Hieron. Chrysost. Clemens, Cyprian. Theodor. & alij, quos citat Pererius: quibus sanè magis credendum est, quàm Caluino eos subsannanti. Non Iudas ergo, sed Christus est *ligans* funiculo fidei, spei & charitatis, *ad vineam*, id est, ad Ecclesiam primæuam ex Iudæis collectam, *pullum suum*, id est populum Gentium, qui iugum legis nondum tulerat, cùm eum Iudæis in vna Ecclesia coniunxit & adunauit: *& ad vitem*, id est, ad seipsum (Christus enim est vitis vera & fructifera, Iohannis 15 1. à qua tota vinea pendet & enascitur) (*ô fili mi*, ô Iuda) ligabit idem Christus *asinam suam*, id est populum Iudæorum iugo legis assuetum & attritum. B

Rectè, inquit S. Chrysost. Ambros. & Hieron. dicitur Christus *asinam ligasse ad se*, quia per seipsum prædicauit Iudæis: *pullum* verò alligasse *vineæ*, quia Gentibus per Iudæos, putà Apostolos, prædicauit, per eosque Gentes sibi aggregauit.

Nota. Pro *vitem* hebraicè est שׂוֹרֵקָה *soreca*, quod est genus vitis optimæ & electæ, vt vertit Symmachus, vuas proferens pulcherrimas & nobilissimas, teste S. Chrysost. & Cyrillo. Septuag. vertunt, τῇ ἕλικι, quod S. Cyprian. epist. 63. ad Cæcilium vertit, *ad helicem*; S. August. verò libr. 12. contra Faustum c. 42. vertit, *ad cilicium*, refertque ad pœnitentiæ prædicationem,

Verùm dico, ἕλιξ propriè est tenuis ille surculus, siue clauicula vitis, qua vitis suo stipiti, vel palo se astringit, & circumuoluit quasi cincinnus, vt sese erectam teneat & confirmet. C

Stola est caro Christi.

LAVABIT (Christus) IN VINO sanguinis sui, summa charitate pro hominibus effusi, STOLAM, id est carnem, SVAM] candidissimam & innocentissimam, vt eo non tantùm rubricata, sed & dealbata, id est purior effecta, ablutis omnibus mortalitatis vitæq; huius miseriis gloriosa resurgat. ita ex Tertull. S. Ambrosius libr. de Benedictione patriarch. c. 4. Vide Isaiæ 64. v. 1. & seq.

Pallium Christi est Ecclesia.

ET IN SANGVINE VVÆ PALLIVM SVVM] *Sanguis vuæ* est vinum sanguinis Christi iam dictum. *Pallium* Christi est Ecclesia, quia Christus Ecclesia quasi pallio amicitur. Vnde S. Iohannes Apocal. 1. vidit Christum vestitum podere. Christus enim Ecclesiam sanguine suo lauit in cruce, & indies lauat eam nascentem in baptismo, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Vide S. Ambros. loco iam citato: *Bona stola*, inquit, *est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vniuersos induit veste iucunditatis. Lauit hanc stolam in vino, quando cùm baptizaretur in Iordane, descendit Spiritus sanctus sicut columba, & mansit super eum. Lauit ergo Iesus stolam suam, non vt suam, quæ non erat; sed vt nostram, quæ erat, sordem ablueret. Et in sanguine vuæ ambaladium, id est pallium suum, hoc est, in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. Et bene vuam dixit, quia sicut vua pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse est vua. vitis ligno adhærens: vua, quia lancea militis apertum latus emisit aquam & sanguinem. Aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis nos redemit.* D

VERS. 12. PVLCHRIORES] Hebraicè חַכְלִילִי *chachlile*, id est rubicundiores, ardétiores, magis radiantes & fulgentes sunt *oculi* tui (ô Christe) quàm vinum: quia loti per passionem, perque splendidissimam resurrectionis tuæ gloriam, quæ maximè in facie, ore, dentibus & oculis effulget; emicant & radiant, mireque omnium Sanctorum intuentium oculos lætificant, magis quàm vinum cor hominis recreet & lætificet. ita Diodorus, Cyrillus, Theodor.

ET DENTES EIVS LACTE CANDIDIORES] Significatur tota hac phrasi pulchritudo Christi, maximè resurgentis. Hæc enim potissimùm in genis, oculis & dentibus spectatur.

Oculi symbolum prouidentiæ: dentes prædicationis.

Symbolicè tamen, per oculos acutissima & efficacissima Christi scientia & prouidentia, qua Ecclesiam regit & tuetur; per dentes verò candidos præ lacte, eiusdem doctrinæ & prædicationis Euangelij suauitas, integritas, puritas & splendor significatur.

Vnde allegoricè, oculi Christi sunt Apostoli & Prophetæ: hi *pulchriores* sunt per claritatem suæ sapientiæ, prædicationis, vitæ, zeli & miraculorum, quibus totum mundum illuminarunt, *vino*, hoc est acrimonia & asperitate legis veteris. ita S. Ambros. August. Eucherius, Rupertus. *Dentes* verò sunt doctores & concionatores, qui quasi dentes escam doctrinæ & exhortationis fidelibus præmandunt & diuidunt, eorumque vitia præmordent, resecāt & abiiciunt. Hi candidiores sunt lacte, id est doctrina veteris legis, quæ fuit quasi lac & cibus paruulorum. ita Patres citati.

Nota. Ex Hebræo verti potest cum Vatablo, *rubicundi sunt oculi eius à vino, & dentes candidi à lacte.* Rectè enim Christi & Apostolorum zelus comparatur vino, ob ardorem & feruorem spiritus. quo quasi musto ebrij, ad prædicandum, ad labores, ad cruces & martyria ferebantur. Secundò, eorumdem in dicendo suauitas, candor & innocentia rectè comparatur lacti.

Verùm meliùs, significantiùs & efficaciùs Noster & Septuag. vertunt, *rubicundiores sunt oculi eius vino* (quàm vinum) *& dentes eius lacte candidiores.* מִן *min* enim Hebræis comparationem & præeminentiam significat.

Prophetia & benedictio Zabulon.

In Zabulon prædicauit Christus.

Præponit Iacob Zabulon, licèt iuniorem (erat enim decimus Iacobi filius) aliis seniotibus, quia Christus, de quo proximè in Iuda egit, in sorte & terra Zabulon conceptus & conuersatus est. in sorte enim Zabulon est Primò, Nazareth, vbi Christus conceptus est; Secundò, mons Tabor, in quo transfiguratus est; Tertiò, Capharnaum, vbi maximo tempore prædicauit, & conuersatus est Christus. In Zabulon ergo cœpit prædicatio Euangelij, Isaiæ 9. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon*, &c. Et ex Zabulon plerique Apostoli prognati sunt. Vnde Zabulon & Issachar benedicens Moyses, ait de eis, id est eorum posteris, putà Apostolis: *Populos vocabunt ad montem* (templi & Sion) *ibi immolabunt victimas iustitiæ.*

Ex Zabulon Apostoli.

ZABVLON IN LITTORE MARIS HABITABIT] VERS. 13. putà iuxta mare Mediterraneū & mare Galilææ, siue stagnum Genezareth: huic enim adiacet Capharnaum celebre emporium, Bethsaida, Tiberias, aliæque vrbes quæ erant in sorte Zabulon.

IN STATIONE NAVIVM] Ex Hebræo vertas, *in portu nauium habitabit.* ita Vatabl. q. d. Zabulon optimos habebit portus, per quos omnes merces inferantur, itaque ditescet.

PERTIN-

PERTINGENS VSQVE AD SIDONEM] non immediatè, sed mediante tribu Aser, quæ interiacet. Vnde hebraicè est, *Latus eius ad Sidonem*; vel *versus Sidonem*, supple spectat & prospicit. q.d. Zabulon obuersus est & contiguus Sidoni; Zabulon in Chanaan erit vicinus Sidoniis, qui maritimi fuerunt mercatores; ac proinde per eos ex Sidone quasuis merces & rerum omnium copiam accipiet. ita Andreas Masius in Iosue c. 19. 10.

Allegoricè, Zabulon, id est habitaculum, est Ecclesia diues, quieta, & mercaturæ animarum dedita. Ex Zabulon enim Christus & Apostoli prædicando vsque ad Sidonem, Tyrum, aliasque gentes progressi sunt. ita S. Ambros. lib. de Benedict. patriarch. c. 5.

Prophetia & benedictio Issachar.

VERS. 14. ISSACHAR ASINVS FORTIS] Hebraicè est, *Issachar asinus osseus*, id est robustus & fortis instar ossis, ad labores agriculturæ, & ad suas fruges fructusque deportandum ad mare, vbi illos cariùs diuendat, & distrahat per alias vrbes & gentes. Erat enim sors Issachar amœna, & fertilis olei, vini & frumenti. ita S. Hieronymus. Vnde Chaldæus vertit, *Issachar diues in substantia*; LXX. verò vertūt, *Issachar pulchrum concupiuit*. fortè Septuag. pro חֲמֹר *chamor*, id est asinus, legerunt חָמַד *chamad*, id est concupiuit: valdè enim vicinæ sunt literæ ר & ד. Rursum, tribus Issachar fuit ossea & fortis in bello; vti patuit in bello contra Sisaram, Iudic. 5. 14. & in bellis quæ pro Dauide gesserunt Zabulonitæ, 1. Paralip. 12. 33.

ACCVBANS INTER TERMINOS] q.d. Issachar non vacabit nauigationi, vt Zabulon; sed forte & rure suo se pascens, domi versabitur, ibique quietè habitabit inter limites & confinia aliarum tribuum. Vnde Moses Deuter. 33. *Lætare*, ait, *Issachar in tabernaculis tuis*. q d. Issachar suis sedibus se continebit, suis copiis contentus vicina nec metuens, nec concupiscens.

VERS. 15. VIDIT REQVIEM QVOD ESSET BONA] q.d. Issachar cognouit, ideoque prætulit & amplexus est commoda vitæ quietæ & rusticanæ. In vita enim quieta viget sapientia, virtus, pax, agricultura, indeque agrorum fruges & opes: quæ omnia fugat vel impedit, non tantùm bellum, sed & mercatura, putà curæ mercatoriæ ac nauales.

Hinc Issachariani, vtpote quieti, studiis sapientiæ fuere dediti, vt patet 1. Paralip. 12. 32. Pulchrè & verè Horatius:

Agricolarū felicitas.

Beatus ille qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore.

Audi Ciceronem in Catone Maiore de agricolatione: *Mea quidem sententia haud scio, an vlla beatior vita esse possit: neque solùm officio, quòd hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris, sed oblectatione etiam quam dixi, & saturitate copiaq́, rerum omnium, quæ ad victum hominum, & cultum etiam deorum pertinent. Agro bene culto nihil potest esse, nec vsu vberius, nec specie ornatius*, &c. Paulò antè: *Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector*. Vide dicta c. 2. v. 15. & c 9. v. 20.

ET TERRAM QVOD OPTIMA] Septuag. *quòd pinguis*; Chald. *quòd fructifera*, putà fertilissima frumenti, vini & olei, quæ Moses Deuter. 33. 19. vocat thesauros absconditos arenarum.

SVPPOSVIT (quasi asinus osseus) HVMERVM AD PORTANDVM] onera rustica iam dicta.

FACTVSQVE EST TRIBVTIS SERVIENS] q.d. Maluit Issachar agere vitam quietam cum tributo, quàm ab eo immunis bellis agitari, vel allegi in militiam Salomonis, aliorumque regum. ferè enim rustici præ aliis grauantur vectigalibus, à quibus milites sunt immunes.

Allegoricè, per Issachar S. Ambros. intelligit Christum, S. Hippolytus Apostolos. *Issachar*, inquit Ambros. *merces dicitur, & ideo refertur ad Christum, qui est merces nostra, quòd eum nobis ad spem salutis æternæ non auro, non argento, sed fide & deuotione meremur.* Et mox: *Itaque vt ad resurrectionis suæ gratiam vocaret gentes (ipsa est enim pinguis & fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus centesimos & sexagesimos) subiecit humerum suum ad laborandum, subiiciens se cruci, vt nostra peccata portaret.*

Tropologicè, Issachar est Christianus quietus & pacificus, ac maximè is qui agit vitam Religiosam. Hic enim Primò, iugum & labores Religionis, putà austeritatis, disciplinæ, humilitatis, abstinentiæ, & obedientiæ Religiosæ alacer subit, dicereque potest Deo cum Dauide: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Secundò, hic mitis est, iugique animi pace ac quiete fruitur. Tertiò, hic vacat agriculturæ spirituali animę suæ, ex eaque ingentes virtutum fruges colligit. Quartò, inde roborescit, fitque fortissimus ad omnia vel dura toleranda, vel ardua capessenda. Quintò, hic triplex soluit tributum. Primò, religiosi cultus, obedientiæ, & amoris Deo; Secundò, dilectionis, Iustitiæ, compassionis & misericordiæ proximo; Tertiò, continentiæ, & mortificationis sibi ipsi. ita Pererius. Vnde Petrus Chrysologus serm. 29. in Matth. *Sicut Issachar*, inquit, *ita & vir bonus æterna præmia cælestemq́, quietem contemplatus, alacriter humerum suum labori subiicit, fitq́, tributis seruiens, dum operum bonorum tributa persoluit Deo.*

Issachar est Religiosus ob quinque analogias. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Piè & appositè Abbas Nestero in vitis Patrum l. 5. c. 15. rogatus, quomodo tam pacificè in cœnobio vixisset, atque in quauis tribulatione didicisset seruare silentium & patientiam, respondit: *Quando initio intraui in congregationem, dixi animo meo: Tu & asinus vnum estote. Sicut enim asinus vapulat, & non loquitur: iniuriam patitur, & non respondet; sic & tu: sicut & in psalmo legitur, Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Audi sententias Patrum Ægyptiorum ibidem, de mediis quibus paratur quies, & sanctitas animæ religiosæ.

Prima virtus est oris custodia. *Prima.*
Beatus qui sustinet laborem cum gratiarū actione. *Secunda.*
Non est fortior virtus quàm nullum spernere. Vnde & Pimenius Abbas ibidem lib. 7. cap 39. petenti modum quietè & piè viuendi, hunc dedit: *Neminem*, inquit, *despicias, nullum diiudices, de nullo malè loquaris: & Deus dabit tibi requiem, & statuet sessionem tuam sine conturbatione.* *Tertia.*
Humiliare seipsum & despicere, murus est monacho. *Quarta.*
Constitue tecum nulli vmquam homini malefacere, sed purum habere cor ad omnem hominem. *Quinta.*
In omnibus sibi vim facere; hæc est via Dei & opus monachi. *Sexta.*

Abbas Pastor ibidem libr. 5. ait: *Vbi vides aduersum te aliquorum zelum, ibi non subsistas: quia non proficies.* *Septima.*

Prophe-

Prophetia & benedictio Dan.

VERS. 16. DAN IVDICABIT] Hebraicè est יָדִין דָּן *Dan iadin.* q.d. *Iudex iudicabit.* Vocatus est enim à Rachele *Dan*, quòd Deus sibi cum Lia de fœcunditate contendenti, per natiuitatem Dan causam quasi adiudicasset, Genes. 30. 6.

Hic Iacob filio suo nomen Dan confirmat; sed aliam ob causam, nimirum quòd Dan per Samsonem ex se nasciturum, sit iudicaturus, id est vindicaturus & liberaturus, Israelem à seruitute Philisthinorum. Fuit enim Samson iudex, id est vindex, sui populi: sic enim omnes qui in libro Iudicum vocantur Iudices, fuerunt vindices Israelis. ita S. Hieron. Procop. Gennadius, Rupert. & Chaldæus.

SICVT ET ALIA TRIBVS] quæ suum Israeli dedit iudicem. non enim omnes tribus dederunt iudices: nam verius est Ruben, Gad, Simeon, & Aser nullum iudicem dedisse. Nam quos quidam adducunt Iephte & Barac; hic ex Nephthalim, ille ex Manasse fuit. ita Pererius.

VERS. 17. FIAT DAN COLVBER IN VIA, CERASTES IN SEMITA] Gennadius τῷ *Dan* putat esse datiui casus, sensumque esse, q.d. Fiat Dalila ipsi Dan, putà Samsoni ex Dan nascituro, instar colubri, quia eum decipiet astu serpentino.

Verùm in Hebræo & Græco, *Dan* caret articulo datiui, poniturque absolutè, est ergo nominatiui casus. itaque sensus est, quasi dicat: Fiat, id est fiet, vel erit, Dan, id est Samson Danita, quasi coluber & cerastes. nam Primò, sicut serpentes in viis & semitis sub frondibus, vel arenis latitantes, ex latebris & inopinatò hominem aggrediuntur & mordent; ita Samson occultè per artes & dolos, Philisthæos aggressus vastauit & occidit, vt patet in trecentis vulpibus, quarum caudis titiones ardentes alligans Samson, segetes Philisthiim succendit: rursum in collisione columnarum domus, qua secum duces eorum obruit, itaque plures occidit moriens quàm viuens. Sic & Danitæ astu ceperunt Lais, quæ postea ab eis Dan est vocata, Iudic. 18. v. 27. Secundò, serpens nisi aurem obturet, incantatur; ita Samson, quia contra Sirenis, putà Dalilæ suæ, blanditias, cum Vlysse, qui occlusa aure pertransiit, ipse quoque aurem non obturauit, hinc ab ea captus, & in pistrinum mortemque detrusus est.

Samson fuit coluber & cerastes.

CERASTES IN SEMITA, MORDENS VNGVLAS (calcaneum vngulatum) EQVI, VT CADAT ASCENSOR EIVS RETRO] Cerastes, inquit Plinius lib. 8. c. 29. serpens est, quadrigemina habens cornua, simillima arietum, (vnde & cerastes dicitur, id est cornutus, à κέρας, id est cornu) qui cùm equitem nequit attingere, equi calcaneum mordet. vt equum & consequenter equitem deiiciat; itaque deiectum inuadat & occidat. Pari modo Samson non tantùm sua fortitudine, sed & dolis ac insidiis, Philisthæos inuasit, supplantauit & occidit, vti dixi.

Nota Iacob ad litteram hæc prædixit de Samsone; allegoricè de Antichristo Samsonis antitypo: aut potiùs Iacob hæc tam de Antichristo, quàm de Samsone ad literam dixit & intellexit; vt sit hîc duplex sensus litteralis, vnus de Samsone, alter, ad quem occasione Samsonis assurgit Iacob, de Antichristo (nec enim Samson typus fuit Antichristi, sed potiùs Christi) nam ex Dan nasce-

A tur Antichristus, vti communiter tradunt Patres. Quare temerè Oleaster & Abulensis hanc traditionem, quasi fabulam rident. Adhuc enim Iudæi, licet dispersi, seruant suas diuisiones & origines tribuum, vt hic dicat se esse ex tribu Iuda, ille ex Leui, iste ex Dan, &c. siue verè hoc dicat, siue fallatur. vide dicta Apocal. 7.

Antichristus nascetur ex Dan, eritque coluber.

Ipse tamen Antichristus, licet priuatim inter suos Danitas, dicet se esse ex Dan, publicè tamen fortè profitebitur & mentietur se non ex Dan, sed ex Iuda descendere, vt suis persuadeat se esse Messiam Iacobo & Iudæ hîc promissum v. 10. Antichristus ergo habebit cornua & mores colubri ac ceraſtæ; quia suis dolis, artibus, blanditiis, hypocrisi, scientia, eloquentia, fictis miraculis, potentia & tormentis plurimos hominum quasi coluber & cerastes decipiet, deiiciet, mordebit &

B occidet. ita S. Augustinus, Irenæus, S. Ambros. Prosper, Hippolytus, Rupertus, Aretas, Haymo, Richardus, & Anselmus, quos citat & sequitur Pererius. Vide S. Gregorium lib. 31. Moral. c. 18. Imò Theodoretus vult hæc ad litteram non de Samsone, sed de solo Antichristo dici. Certè hæc de colubro & ceraste, potiùs Antichristo conueniunt, quàm Samsoni, qui leoni similior fuit quàm colubro.

SALVTARE TVVM EXPECTABO DOMINE] Pro *salutare tuum*, hebraicè est יְשׁוּעָתְךָ *iesuatecha*, id est salutem tuam, quam scilicet afferet Saluator noster Silo, putà Christus, vnde Septuag. & noster Interpres, passim per σωτήριον, id est *salutare*, intelligunt Christum Saluatorem. VERS. 18.

C Nota. Iacob præuidens exiguam & parui temporis fore liberationem Israelis per Samson futuram, post quam rursum à Philisthæis subigendi essent Israelitæ: rursum per hunc colubrum & cerastem præuidens, vel maximè significari Antichristum, stragemque quam Danitis omnibus, totique mundo ipse inferet; medullitus indolescens & exhorrescens, exclamat, *Salutare*, id est saluatorem, *tuum expectabo Domine.* q.d. Non Samson, sed Christus, verus, constans & perpetuus erit Israelis mundique saluator, cuius Samson tantùm typus & vmbra fuit. Hunc ergo expectabo, tum nascentem in mundo, tum secundò, redeuntem ad pugnam cum Antichristo, vt eum occidat, ab eoque reducat & saluet reliquias Israelis. Vnde Chaldæus vertit, *non expecto salutare Gedeon, filij Ioas, cuius salus est temporalis; neque salutare Samson filij Manue, quæ salus est transitoria; sed*

Samson typus Christi.

D *expecto redemptionem Christi filij Dauid, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israel, cuius redemptionem desiderat anima mea.* Ita quoque hæc explicant Procopius, S. Gregorius homil. 21. in Ezechiel. Origen. tract. vlt. in Matth. Ambros. in prologo lib. 2. de Spiritu sancto, & August. serm. 107. de Tempore: apud quos vide quàm Samson, vindex & saluator Israelis, pulcher fuerit typus Christi vindicis & saluatoris mundi.

Prophetia & benedictio Gad.

GAD, ACCINCTVS PRÆLIABITVR ANTE EVM, ET IPSE ACCINGETVR RETRORSVM] *Ante eum*, putà ante *Israelem*, de quo præcessit in præcedenti benedictione v. 16 In Hebræo est continua paronomasia & allusio ad etymon nominis *Gad*, גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ יָגֻד *gad gedud iegudennu iagud.* VERS. 19.

Gad

Gad dicitur quasi gedud, id est accinctus. Gad enim dicitur à גדוד gedud, id est accinctus, vti dixi c. 30.11. q. d. Tribus Gad iuxta suum nomen accincta erit, armata & bellicosa; idque patebit, tum aliàs (vt liquet 1. Paralip. 5. v. 18. & 19.) tum quando ipsa armata Israelem, putà reliquas tribus, quasi dux præibit, easque per Iordanem ducet in Chananæam. Ipsa deinde *accingetur retrorsum*, quando fratribus, putà aliis tribubus, in sua sorte rite collocatis, eaque quietè fruentibus, ipsa post decimum quartum annum sui ducatus, & bellorum pro fratribus gestorum, accincta rursum, & spoliis onusta gloriosè domum in suam sortem trans Iordanem redibit. Vide historiam in lib. Iosue, c. 22 ita Chaldæus, S. Hieron. & Procopius.

Secundò, Caietanus putat hîc describi prælia Iephte, Qui, inquit, fuit oriundus ex Gad. Verùm B melius Pererius & alij sentiunt, Iephte non ex Gad, sed Manasse prognatum.

Alleg. Gad est Martyr. Allegoricè, Gad accinctus est Christus, & Ecclesia quasi castrorum acies ordinata, atque quiuis fidelis, maximè Martyr, ait Rupert. qui contra mundum, carnem & dæmonem generosè decertat, ideoque in cælo gloriosus & felicissimus erit. Gad enim hebraicè & accinctum, & felicem significat. *Exempla fortitudinis Martyrum.* Talis fuit S. Laurentius, qui affatus ad Decium: *Versa*, inquit, *& manduca.*

Iohannes Fischerus Episc. Roffensis ab Henrico Octauo, quòd eius primatum Ecclesiasticum confiteri nollet, capitis damnatus, cùm ad locum supplicij accederet, abiecto cui senex innitebatur baculo: *Eia*, inquit, *pedes officium facite, parum itineris iam restat.* testis est Sanderus.

S. Agatha ad Quintianum: *Non te pudet*, inquit, *dire tyranne in me mamillas amputare, quas in matre suxisti? at nihil proficis: habeo quas auellere non potes, interiores fidei spei*q*, mamillas, quarum alimento in me reparatur sustinendi virtus.* C

S. Agnes ad carnificem: *Quid moraris? pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo.* Stetit, orauit, ceruicem inflexit, & ita vna hostia duplex martyrium subiit, pudoris & religionis. ita S. Ambros.

Macedonius & Theodolus affati ad Amachium præfectum: *Amachi, assum desideras? conuertito nos in alia latera, ne semiassati palato tuo minùs sapidi videamur.*

Ita accincti fuere Martyres Africani, cùm iubente Hunerico, in exilium & eremum ducerentur. Pædore enim carceris & sordibus oppleti, alacres canebant: *Hæc est gloria omnibus Sanctis eius.* Accurrit ad eos anus manu ducens paruulum, quem ita adhortabatur: *Age, propera puer. vides quanto studio festinet vniuersus Sanctorum exercitus ad percipiendas gloriæ coronas: acceleremus & nos vt illis coniungamur.* testis est Victor Vticens. lib. 2. Wandal. D

Ita accincta fuit S. Eulalia virgo Lusitana, sub Maximiano Imp. primùm vngulis laniata, deinde flammis cremata. nam cùm audiret Christianos torqueri, sponte longa via procurrens ad tribunal Daciani, hisce verbis, teste Prudentio hymno 3. lib. de Coronis, eum lacessiuit:

Ergo age, tortor, adure, seca.
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem facile est.
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.

Mox duo carnifices pectus ei dilacerant, & latus vsque ad ossa secant vngulis. illa autem numerans notas dicebat:

Scriberis ecce mihi, Domine.
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua, Christe, trophæa notant!
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.

Tandem igni tradita iussu Daciani, ibi

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.

Talis quoque Gad, id est accincta & felix, fuit S. Felicitas, quæ sub Antonino Pio cum septem filiis martyrium obiit. Cùm enim Publius præfectus vellet, vt deos coleret, & minas precibus adderet, respondit: *Nec blandimentis his moueor, nec terroribus & minis frangor. Spiritum sanctum habeo, qui mihi suggerit vires, vt pro fide quiduis perpeti velim.* Et ad filios conuersa: *Filij*, inquit, *charissimi in fidei confessione persistite; vos iam expectat Christus cum Sanctis suis; pugnate pro animabus vestris, & fideles vos exhibete Christo.* ita filij coram matre, & tandem mater necata est. de qua S. Gregorius: *Felix quæ octuplici patientia octies Martyr, octo donanda coronis ad cælum ascendit.*

Prophetia & benedictio Aser.

ASER PINGVIS PANIS EIVS, ET PRÆBEBIT DELICIAS REGIBVS] *τὸ eius* more Hebræo redundat, aut certè ponitur pro *erit*. Sic enim pronomen, אוה id est *ipse*, sæpè ponitur pro *est*. Significat hic Iacob, & prædicit opes & fertilitatem, fructusque tribus Aser adeò sapidos & delicatos, vt regibus Iudæ, Israel, Tyri, aliisque sint futuri in deliciis: idque partim ex soli bonitate, partim quia sita erat iuxta mare, partim quia vicina erat Tyriis & Sidoniis, & consequenter omni mercium genere abundabat. Idem de Aser prædicit Moses Deuter. 33. cùm ait: *Tingat in oleo pedem suum, ferrum & æs calceamentum eius.* Fuit enim sors Aser, alibi frumenti, vini & olei; alibi, putà in Sarepta, æris & ferri ferax. VERS. 20.

Allegoricè, Aser est Christus nos lætificans, impinguans, & beatificans deliciis Eucharistiæ. *Quid enim bonum*, ait Zacharias c. 9. 17. *& quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* ita Procopius, Eucherius, Rupertus. Pulchrè S. Ambros. *Paupertas Christi*, inquit, *nos ditat, infirmitas sanat, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat.* *Alleg. Aser est Christus in Eucharistia.*

Prophetia & benedictio Nephthali.

NEPHTHALI CERVVS EMISSVS, ET DANS ELOQVIA PVLCHRITVDINIS] Pro *ceruus* hebraicè est אילה aiala, quod & ceruum & ceruam significat. Vnde Vatablus vertit, *Nephthali cerua missa*, vel *cerua celeris*, sicque explicat, q. d. Tribus Nephthali erit formosissima, elegantissima & agillima, qualis esse solet cerua quæ ad aliquem principem mittitur. Secundò, *dabit eloquia pulchritudinis*, id est, erit facundissima. VERS. 21. *Cur Nephthali vocetur ceruus? Prima expositio.*

Secunda. Secundò & meliùs, Andreas Masius in Iosue c. 19. n. 32. sic explicat. q. d. Sicut ceruus emissus & liber, in herbosa & fertili terra exultim ludit, ita & in sua fertili sorte ludet & exultabit Nephthali. Secundò, *dabit eloquia pulchritudinis*, id est, comis erit, blandus & humanus, suaque vrbanitate omnes sibi conciliabit. Hoc enim est quod

quod de Nephthali prædixit Moses Deuter. 33. A *Nephthali abundantia perfruetur, & erit in benedictione Domini.*

Tertia & genuina. Tertiò, propriè & directè respicit & prædicit hic Iacob victoriam Barac & Deboræ contra Sisaram, Iudic. 4. fuit enim Barac dux exercitus Israel, oriundus ex Nephthali, qui rectè comparatur ceruo, qui per se timidus est, sed vbi venatoribus hostibusque se circumsessum, & de vita sua agi videt, animos & cornua attollit, atque furenti similis per medias hostium acies, ingenti impetu & cursu perrumpit & euadit: sic enim Barac initio instar cerui timuit, nec nisi cum Debora bellum aggredi ausus fuit; at ea comite animatus, quasi leo cum paucis in innumeras instructissimasque hostium copias irrupit, perrupit, easque perrumpendo strauit & cecidit, idque celerrimè, instar cerui & instar fulguris (Barac hebraicè significat fulmen) vt cum Cæsare dicere posset: *Veni, vidi, vici.* licet enim Zabulon & Issachar, in hoc bello tribui Nephthali se adiunxerint, victoria tamen ascribitur Nephthali; quia dux exercitus & belli, putà Barac, erat ex Nephthali; & quia Iahel, quæ Sisaram clauo occidit, habitabat in Nephthali.

Barac Iudex fuit ceruus.

Alludit Iacob ad etymon Nephthali: Nephthali enim significat colluctantem, & in lucta cum antagonista conuolutum. q. d. Nephthali quasi cerua timida, & laqueis Sisaræ circumsessa, per oracula & promissa Deboræ, resumptis animis duce Barac, perrumpet cuneos Sisaræ, itaque cum eo colluctabitur, commiscebitur & conuoluetur; sed victor euadet, hostiumque castra penetrabit & dissipabit. ita Caietanus & Lipomanus. C

Hinc *dabit eloquia pulchritudinis*, id est, edet pulcherrimum gratulatorium & eucharisticum carmen Deo victoriæ auctori, putà insigne illud canticum Barac & Deboræ, quod habetur Iudic. 5.

Nephthali est Christus, & curs Allegoricè Nephthali est Christus, qui quasi ceruus exsiliens in virtute spiritus, Lucæ 4. v. 14. iuxta Genezareth, qui lacus est in Nephthali, alacriter & celeriter perrupit castra diaboli, putà Pharisæorum & Iudæorum, infidelium & impiorum, deditque eloquia pulchritudinis, dicens in suo Euangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, &c. ibique collegit Apostolos, qui hæc eloquia Euangelij pulcherrima toto orbe prædicarunt, tuncque impletum est illud sponsæ de Christo: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* ita S. Hieronymus, Procop. Ambros.

Prophetia & benedictio Ioseph.

VERS. 22. Filivs accrescens Ioseph] Hebraicè est, בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף *ben porat Ioseph*, hoc est, *filius fructificationis*, id est *fructificans, Ioseph.* Alludit Iacob ad nomen Ephraim, qui fuit filius Ioseph. Ephraim enim dictus est quasi fructificans, ab eadem radice פָּרָה *para*, id est fructificauit, Genes. 41. 52. fuit enim tribus Ephraim fœcundissima, numerosissima, fortissima & regia. Rursum alludit ad etymon Iosephi: Rachel enim mater vocauit eum Iosephum, quia optauit & dixit, *Addat mihi Dominus filium alterum*, Genes. 30. v. 24. Ioseph ergo idem est quod augescens, accrescens. Iam Ioseph fuit accrescens, siue fructificans, ob duos quos genuit filios, putà Manassem & Ephraim, qui duas constituerunt tribus in Israel: vnde bis repetitur hic τὸ *accrescens.* Successit enim Ioseph cum Iuda in primogenituram Rubeni; vnde sicut Iudas regnum Iuda, sic Ioseph duplicem tribum duplicemque hereditatem in Chanaan, ac regnum in Israel obtinuit. Ex Ephraim enim orti sunt Ieroboam, aliique reges Israel. Rursum tribus Ephraim accreuit, vti numero, ita robore, victoriis & gloria, vt meritò propter eam Ioseph vocetur *filius accrescens.*

Decorvs aspectv] Hebraicè est, עֲלֵי עָיִן *ale ain*, quod dupliciter verti potest: Primò *super fontem.* q. d. Ioseph est eritque filius fructificationis, id est fœcundus instar arboris sitæ & fructificantis iuxta fontem. ita Chald. Vatabl. & alij.

B Secundò, verti potest *super oculum.* q. d. Ioseph ita pulcher erat, vt dominaretur oculis intuentium, eosque in sui amorem raperet. vti rapuit oculos heræ suæ Ægyptiæ. Hoc secutus est noster Interpres, dum vertit, *decorus aspectu*, & Septuag. dum vertunt, ζηλωτὸς, id est *desiderabilis.* vnde sequitur:

Filiæ (scilicet Ægyptiæ) discvrrervnt svper mvrvm] super muros domorum & vrbium, vt viderent te, ô Ioseph, tam formosum iuuenem cultu regio insignem, quasi patriæ mundique saluatorem, & vt vicissim à te viderentur. ita Caietanus & Lipoman. Rupertus tamen hoc restringit ad heram amasiam Iosephi; sed nimis arctè. nam non dubium est, quin multæ aliæ Iosephi pulchritudinem videre desiderarint, eamque admiratæ sint.

Allegoricè, Ioseph est Christus speciosus forma præ filiis hominum, quem proinde videre gestierunt Abraham & patriarchæ.

Sed exasperavervnt evm] amaritudine affecerunt fratres Iosephum, licet ita speciosum & amabilem. VERS. 23.

Et ivrgati svnt] dicẽtes, *Numquid rex noster eris?* &. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.*

Habentes iacvla] cùm verborum, putà mordacium irrisionum, mendaciorum & calumniarum, de quibus dicitur psal. 54. v. 22. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* tum verberum: cùm enim eum spoliarunt, protruserunt, in cisternam proiecerunt, ac denique in Ægyptum vendiderunt, quot iaculis verborum & verberum eum confixerunt!

Allegoricè, Ioseph est Christus, in quem Iudæi omnes suas sagittas linguarum, clauorum & flagellorum intorserunt, clamantes, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Vide S. August. in psal. 63.

D Sedit in forti arcvs eivs] *Arcus*, id est, robur & præsidium. q. d. In tantis fratrum odiis & persecutionibus, in seruitute, in carcere Ægyptio, Ioseph non cecidit animo, non elanguit, sed stetit, imò sedit constans & fortis, in fortissimo Deo spe tota defixus. q. d. Arcum suum quo se ab hostibus defendebat, commisit Ioseph Deo fortissimo sagittandi peritissimo, vt ab eius manu dirigeretur; non aliter quàm Elisæus 4 Reg. 13. v. 16. dixit ad regem Israel: *Pone manum tuam super arcum: & cùm posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis.* vnde sagittæ emissæ erant sagittæ *salutis.* Sic fecit & Iob, qui proinde dicebat cap. 29. v. 20. *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* VERS. 24.

Nota.

Etan, id est fortis, est Deus.

Nota. Deus hebraicè vocatur הֵיתָן אֵל *el*, vel הֵיתָן A *etan*, id est fortis, robustus per excellentiam, imò per essentiam. Ioseph ergo per spem in Deo, quasi in arce fortissima & inexpugnabili, sedit & conquieuit. nam, vt ait Sapiēs Prou. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini: ad illā currit iustus, & exaltabitur.*

Hebræum iaphotsu quadrupliciter exponitur.

DISSOLVTA SVNT VINCVLA BRACHIORVM ET MANVVM ILLIVS] Hebræum יָפֹזּוּ *iaphotsu* deducitur à radice פָזַז *pazas*, cuius propria & genuina significatio incerta & incognita est. Vnde variè hic vertunt interpretes. Primò, Kimchi, Pagninus, Vatabl. & alij vertunt, *roborata*, vel *consolidata sunt brachia manuum eius.* Secundò, Chaldæus vertit, *tunc positum est aurum optimum super brachia eius*, quasi *pazas* significet deaurare, vel auro ornare, à פָּז *pas*, vel *ophas*, quod significat aurum optimum & præstantissimum. vnde & Arabes aurum vo- B cant *Fes*. hinc vrbs Fessa dicta est ex eo, quòd, cùm vrbis iacerentur fundamenta, *fes*, id est auri, cumulus ibi inuentus sit: indeque vrbs & regnum Fessæ, ita potens in Mauritania, nomen accepit, si credimus Ioanni Leoni in descriptione Africæ lib. 3.

Primò. Secundò.

Tertiò. Tertiò, Oleaster vertit, *extenderunt se brachia manuum eius.* q. d. Sicut qui arcu tenso telum parant eiaculari, brachia sua distendunt: ita Ioseph vinculis solutis, manum misit ad regni gubernacula pariter & ornamenta.

Quartò. Quartò, Noster & Septuag. vertunt, *dissoluta sunt brachia*, id est vincula (erant enim brachia Iosephi vinculis astricta) brachiorum & manuum eius. Hæ omnes versiones ad eumdem sensum & scopum tendunt: hæc tamen vltima videtur maximè genuina; Hebræum enim *pazaz* propriè significat, non *roborare*, vt volunt Rabbini; sed *mollescere, lentescere, & dissolui instar auri optimi*, vti doctè C ostendit Pineda noster in Salomon. l. 4. c. 18. En quàm spes in Deum fortem, Iosephum non fefellit. Audi Sapient. c. 10. *Hæc* (Sapientia æterna & increata, quæ est Deus ipse) *venditum iustum non dereliquit in vinculis, donec afferret illi sceptrum*, &c.

PER MANVS POTENTIS IACOB] Pro *potentis* hebraicè est אֲבִיר *abbir*, quod vnum est ex Dei nominibus, licet participatiuè illud, vti & alia Dei nomina, hominibus communicetur.

Deus vocatur hebraicè Abbir, cur.

Tradunt Hebræi, hoc nomen plenum esse mysterijs: nam prima littera *aleph* significat אַב *ab*, id est Patrem. Secunda *bet* significat בֵּן *ben*, id est Filium. Tertia *res* significat רוּחַ *ruach*, id est, Spiritum sanctum: sicut enim hæ tres literæ in vno sunt nomine *abbir*, ita hæ tres personæ sunt in vna es- D sentia diuina.

Rursum, *bet* est medium inter *aleph* & *res*: quia Filius est medius inter Patrem & Spiritum sanctum: procedit enim à Patre Filius, & à Filio Patreque procedit Spiritus sanctus. Denique ipsi *bet* coniungitur *iod*, quæ est litera nominis Iesu, quia solus Filius factus est homo, & vocatus Iesus, id est saluator hominum. Hæc illi.

INDE PASTOR EGRESSVS EST, LAPIS ISRAEL] Vox *inde* non locum, sed causam significat, idemque valet quod *ideo*, vel *idcirco*. q. d. Quia Ioseph vallatus fuit ope *abbir*, id est Dei potentis, quem coluit Iacob, & in quem omnem suam spem defixerat Ioseph venditus & captus, ideirco *egressus est pastor*, id est effectus est rector & princeps Aegyptiorum, & *lapis*, id est firmamentum, sui populi *Israel*. ita explicat Ecclesiasticus c. 49. v. 17. Ioseph enim tam patrem suum Israel, quàm fratres eorumque familias, æquè ac Aegyptios in septennio famis pauit & aluit, itaque firmauit & stabiliuit ne inedia interirent.

Mor. de Dei præsidio.

Ecce quàm valida est fiducia & auxilium potentis Dei. S. Martinus in Alpibus inciderat in latrones, è quibus vnus vibrata in caput eius securi, mortem minabatur, sed socius ictum auertit. Rogatus postea Martinus, num timuisset: *Minimè*, inquit; *numquam eram securior: sciebam enim Dei misericordiam maximè in tribulatione affuturam.* Sic & S. Franciscus à latronibus rogatus quis esset, intrepidè respondit: *Præco sum magni Dei.* Martinus Martyr vocandus ad iudicem, à Theotecno Episcopo audiens: *Tene & adhæresce Deo: sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est certò assequeris*; id ipsum præstitit. itaque constanter tribunal adijt, Christumque confessus martyrio laureatus est, teste Eusebio lib. 7. histor. cap. 14. Legimus Principem quemdam prudentem & pium, cùm rogaretur cur munitas arces in suo regno non construeret, respondisse: *Vnica mihi arx est, eaq́; munitissima, ea videlicet de qua Salomon ait, Turris fortissima nomen Domini, ad quam confugiens iustus liberatur.*

Princeps debet esse pastor & lapis, id est firmamentum populi.

Nota. Bonus princeps populi debet esse pastor & lapis, populum firmans, roborans & sustentans.

Secundò, alij sic vlteriùs explicant: *inde*, id est ex Ioseph, prodibunt lapides & pastores, id est duces, iudices & reges Israel, putà Iosue, Debora, Gedeon, Iephte, Iair, Abimelech, Ieroboam, & reges decem tribuum. hi enim omnes prognati sunt ex Ioseph.

Tertiò, aliqui pro אֶבֶן *eben*, id est lapis, legentes diuisim אַב בֵּן *ab ben*, id est, pater & filius, vertunt, *Ioseph egressus est pastor patris & filij Israel*, id est, Ioseph in fame pauit & cibauit tam patrem suum Israel, quàm eius filios. Vnde Chaldæus hæc non ad Ioseph, sed ad *abbir*, id est, Deum potentem Iacobi, referens, ita vertit, *cuius* (Dei) *verbo gubernantur patres, & filij tribuum Israel.* Verùm primus sensus maximè est literalis & genuinus.

Allegoricè, Ioseph pastor, inquit Rupertus, est Christus, qui est pastor & petra lapisque angularis Ecclesiæ. Rursum, pastor & petra Ecclesiæ est S. Petrus aliique Pontifices vicarij Christi. Petro enim dixit Christus: *Pasce oues meas.* &: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

DEVS PATRIS TVI] Deus qui per omnia direxit patrem tuum Iacobum, hic & ob Iacobi merita ac sanctimoniam, quam tu imitaris, iuuabit quoque & diriget te, vtpote Iacobi filium, eiusque fidei & pietatis heredem. VERS. 25.

BENEDICET TIBI BENEDICTIONIBVS CÆLI] dando tibi è cælo oportunam tum pluuiam, tum rorem, tum niuem, tum aëris serenitatem, benignumque solis cælique influxum, quibus terra tua fœcundetur, vt optimas & copiosas tibi, putà tuis posteris, in Chanaan proferat fruges & fructus.

Quæ sit abyssus iacens deorsum?

BENEDICTIONIBVS ABYSSI IACENTIS DEORSVM] Vatablus per abyssum, mare accipit. q. d. Dabit tibi Deus tempestiuam pluuiam, quæ oritur è nubibus & vaporibus, ex abysso, id est mari, ascendentibus: verùm hæc non est benedictio abyssi, sed cæli, vt præcessit.

Alij per abyssum, accipiunt globum conflatum ex terra & mari.

Verùm dico, abyssus propriè est illa vorago aqua-

aquarum, quæ sub terra latet, quæque cum mari coniungitur; atque per suas venas & riuos terram irrigat & fœcundat, de qua dixi c.1.v.9.& cap.7. v.11. vnde Chaldæus vertit, *benedictionibus quæ ascendunt de profundis terræ.* Optat ergo hîc Iacob Iosepho terram irriguam & fertilem, ex aquis infernè ex abysso prodeuntibus.

BENEDICTIONIBVS VBERVM ET VVLVAE] vt scilicet habeas copiosum lac, fœturam, ac proles, tum animalium, tum hominum. Hæc benedictio propria quasi Ephraim, ab eo ob peccata & ingratitudinem fuit reuocata & ablata, Osee 9.v.11.vbi dicitur: *Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu: da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.*

Allegor. benedictio Iosephi competit Christo.

Allegoricè, Ioseph est Christus, quem omnia superna & inferna, omnes angeli & Sancti in cælo, ac patres in limbo benedicunt & adorant, B quemque in terris laudant omnes fideles dicentes cum Elisabeth, *Benedictus fructus ventris tui*;& cum altera, quæ in turba exclamauit, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Rursum in *cælo*, id est in anima & mente, benedictus fuit Christus: quia à primo instanti conceptionis suæ plenus fuit gratia & gloria, fruens Deo, ipsaque visione Dei beatus: benedictus quoque fuit *in abysso deorsum*, id est in carne mortali quam assumpsit, qua se profundissimè humiliauit & exinaniuit: quia carnem habuit peccato concupiscentiaque liberam, & post resurrectionem gloriosam, viuificam, & dantem immortalitatem in Eucharistia.

Benedictiones Christi vndequaque.

Secundò, habuit Christus benedictionem *vuluæ*, id est, Ecclesiæ parientis: hæc enim Christo pulcherrimos & plurimos generat filios, Isaiæ 49. & 60. atque *vberum*: quia verbo Dei & Sacramentis, C quasi duplici vbere suos fideles & filios nutrit. ita Rupert. & ex eo Perer.

VERS. 26. *Quadruplex huius loci expositio.* *Prima.*

BENEDICTIONES PATRIS TVI CONFORTATAE SVNT BENEDICTIONIBVS PATRVM EIVS] Primò, *benedictionibus*, id est *præ benedictionibus*, vel, vt hebraicè est, *super benedictiones patrum meorum.* q.d. Ego Iacob præ patribus meis Abraham & Isaac, fui tum à patre meo Isaac, tum à Deo benedictus, itaque ego vicissim tibi, ô Ioseph, benedico, ac consequenter tu & patribus meis, & meipso magis eris benedictus. quia non tantùm patrum, vti ego, sed & meam benedictionem nancisceris. ita Lyranus, Abulens. Perer.

Secunda.

Secundò, Rupertus sic explicat, q.d. Mea benedictio robur habet à benedictione, quam ego à patribus accepi, super illam enim quasi fundatur, illique innititur. hunc sensum facilè patiuntur D Hebræa.

Tertia.

Tertiò, Burgensis, & Vatabl. valdè accommodè sic vertunt & explicant, q.d. Maior est mea benedictio, qua ego te, ô Ioseph benedico, quàm ea qua ego à patribus meis fui benedictus. q.d. Eris me felicior, magisque benedictus. eris enim princeps Ægypti tota reliqua vita tua, posterique tui erunt iudices & reges Israel.

Quarta.

Quartò, aliqui sic explicant: *confortatæ*, id est firmatæ, adiunctæ & adauctæ sunt benedictionibus patrum. vnde Chaldæus vertit, *benedictiones patris tui addentur super benedictiones, quibus benedixerunt me patres mei.* q.d. Ego tibi, ô Ioseph non tantùm meam, sed & omnium patrum meorum benedictionem impertior & addo, precorque quod illi mihi precati sunt, scilicet, vt ego cum posteris

A meis essem felicissimus Hic sensus amplior est; sed tertius, vti & primus, simplicior, vtpote magis respondens Hebræo. nam verbum גָּבַר *gauar*, præsertim quando cum עַל *al* construitur, significat præualere, superare, dominari.

DONEC VENIRET] id est, donec veniat, vti habent quidam codices manuscripti. est enallage modi.

DESIDERIVM COLLIVM AETERNORVM] putà Christus, qui omnium benedictionum & promissionum vltima est & maxima, omniumque clausula, quem proinde omnes homines, imò omnes creaturæ irrationales, putà terra, mare, colles & montes, à sui initio, quasi hominum redemptorem, & totius vniuersi reparatorem & reformatorem auidissimè expectant, & affectu, non rationali, nec sensitiuo, sed naturali intimè desiderant Est prosopopœia, similis illi, qua Apostol. Rom. 8.22. ait omnem creaturam ingemiscere & parturire, donec per Christum liberetur à seruitute corruptionis, & transferatur in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sensus ergo est, q.d. Iacob: Mea hæc benedictio, ô Ioseph, maior est benedictione patrum, durabitque vsque ad Christum, qui maximam tibi totique mundo benedictionem afferet.

Christus est desiderium collium, omniumque creaturarum.

Secundò, symbolicè Christus est desiderium collium æternorum, id est Patriarcharum, Prophetarum, & illustrium Sanctorum, qui cæteris hominibus sapientia, virtute & sanctitate eminent, & in æternum in cælo eminebunt, perinde ac colles vallibus eminent. ita Rupert. Caietan. & Lipom.

Ita Christum desiderauit Iacob dicens: *Salutare tuum expectabo Domine.* & Dauid: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis* & Moses: *Mitte Domine quem missurus es*; & Isaias: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* & Habacuc, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* & Daniel, qui inde *vir desideriorum* est dictus. & sponsa in Canticis: *Circuiui vicos & plateas, quæsiui quem diligit anima mea.* Multò magis Christum iam natum desiderarunt Christiani. S. Paulus: *Cupio dissolui, & esse cũ Christo.* S. Petrus vbertim flebat: rogatus cur? respondit, *desiderio Domini.* S. Diaconus Martyr de genere, domo, patria percunctanti tyranno, in medijs tormentis nihil aliud respondit, quàm, *Christianus sum hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina: aliud nihil sum.* q.d. Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam: mihi viuere Christus est, & mori lucrum. testis est Euseb. lib. 5. c.1. S Ignatius vinctus: *Nunc, ait, incipio discipulus esse Christi, nihil de iis quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam.* Lege totam eius epistolam ad Romanos. S. Bernardus: *Nil canitur suauius, auditur nil iucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Iesus Dei filius. Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* Dionysius Martyr dum Romæ à Diocletiano comprehensus lætus ad supplicium duceretur, nil aliud toto itinere ingeminabat, quàm: *Et si millies occidi possem, tamen Dominum meum Iesum Christum confiteri non cessarem.* Ecquis non dicat: *Iesus amor meus, cor meum, & omnia?* Dixit S. Cyprianus in tribunali, damnandus ad mortem: *Salus mea & virtus mea Christus Dominus est, cui sine fine seruire desidero.* cumque Proconsul subderet: Vicem tuam doleo, & vellem consulere tibi; respondit Cyprianus: *Consultum mihi meliùs non esse quæro,*

Exempla desiderantium Christum.

quaero, quàm vt Deum meum adorans, ad ipsum tota mentis auiditate festinem: quia non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam. ita Pontius in Vita S.Cypriani.

Nota. Hebraicè est תַּאֲוָה *taaua*, quod propriè *desiderium* significat, à radice אָוָה *aua*, id est concupiuit, desiderauit; Iarrius tamen, Kimchi, & R.Salomon vertũt, *terminum* à radice תָּאָה *taa*, id est terminauit, vertuntque, *vsque ad terminum collium saeculi* q.d. Hae benedictiones meae durabunt, quamdiu durabunt colles saeculi, putà vsque ad finem saeculi: vel, vt explicat R.Salomon, q d. Hae meae benedictiones ad omnes terminos collium, montium & terrarum diffundentur. Denique per *terminum* accipias Christum, qui terminus est siue vertex in vertice montium. Verùm Hebraeum *taaua* propriè non terminum, sed desiderium significat, vti dixi, itaq; vertit Noster, Chaldaeus, & alij.

FIANT] omnes hae benedictiones confluant in caput Ioseph, in eoque firmiter quiescant. Pendet enim τὸ *fiant*, à voce *benedictiones*, quae praecessit, ibique inserendum est pronomen *quae*. tunc enim clara erit connexio, & sensus hoc modo: *Benedictiones patris tui, quae confortatae sunt benedictionibus patrum eius, fiant in capite Iosephi.*

Nazaraeus tria significat, 1. separatum; 2. consecratũ; 3. coronatum; talis fuit Ioseph & Christus.

ET IN VERTICE NAZARAEI INTER FRATRES SVOS] Nota. Ioseph vocatur hîc *Nazaraeus*, id est *separatus*, vt vertit Chaldaeus, *coronatus & consecratus.* נֵזֶר *nezer* enim & separationem, & coronam, & consecrationem significat. Fuit enim Ioseph à fratribus separatus, Primò, moribus & innocentia; Secundò, loco & conuersatione: fratres enim oderant & fugiebant Iosephum. Rursum, Ioseph venditus in Aegypto, per 23. annos separatus fuit à patre & fratribus in Chanaan habitantibus. Tertiò, carcere, vbi Ioseph intonsis fuit crinibus, solique Deo relictus, addictus & consecratus, instar Nazaraeorum, qui se suamque abstinentiam, aequè ac comam, Deo deuouebant, Numer.6. Quartò, corona regni, siue principatus in Aegypto. Rursum, corona regni Israel, quam posteri eius adepti sunt: hac enim coronatus, & à fratribus separatus fuit Ioseph: ideoque Nazaraeus dicitur. Vnde Septuag. pro *Nazaraeus* vertunt praefectum, siue ducem & principem fratrum. Atque ex hoc loco aliqui putant, Christum, vtpote Iosephi antitypum, vocari Nazarenum, Matth.2. v.23. ita S Ambros. de Benedictionibus Patriarch. cap.11. & Rupert. Vt vt sit, certè Ioseph Nazaraeus expressus fuit typus Christi Nazaraei, id est, à Iudaeis, & communi hominum vita separati, Deoque consecrati, ac coronati in summum orbis regem & pontificem.

Prophetia & benedictio Beniamin.

VERS.27. BENIAMIN LVPVS RAPAX, MANE COMEDET PRAEDAM, ET VESPERE DIVIDET SPOLIA] R.Chaldaeus haec sic vertit & explicat: *In terra Beniamin habitabit templi maiestas, & in possessione eius aedificabitur sanctuarium* (Ierusalem enim, in qua fuit templum, propriè pertinebat ad sortem tribus Beniamin) *manè & vespere offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident residuum.* quasi altare hîc vocetur lupus rapax, eò quòd hostias, quasi praedas raperet, easque igne consumeret. Sic quoque explicant Hebraei & Lipoman. Verùm haec expositio impropria, dura & indecora est: quis

Lupus rapax non significat templum:

A enim altare Dei audeat vocare lupum rapacem?

sed rapacitatem & bellicositatem tribus Beniam, n.

Secundò ergo & genuinè, ad literam Iacob hîc praedicit, tribum Beniamin fore instar lupi rapacem & bellicosam, quae suum ius in viribus & armis collocet. Sic enim Romani iactabant suum Romulum rapacem, pugnacem & fortem in bellis euasisse, eò quòd lacte lupae esset nutritus. Haec expositio patet, & reipsa confirmata est in bello Gabaa; quod soli Beniaminitae ob stuprum à se vxori Leuitae illatum, cum reliquis tribubus omnibus gesserunt, & vsque ad internecionem sustinuerunt: ac tandem rapuerunt filias Silo, Iudic.20. ita Procop. Euseb. Theodor. Abulens. & alij.

Rursum, alludit & praedicit hîc Iacob praedas & victorias Saulis primi Iudaeorum regis; item Estheris & Mardochaei: hi enim omnes prognati fuerunt ex Beniamin. Ita S.Lupus Trecensis Episco-
B pus cum clero occurrens Attilae à pugna Catalaunica, reliquas Galliae vrbes euersuro, rogauit eum, quisnam esset, qui tot regibus deuictis cuncta vi sibi subderet. cui Attila: *Ego*, inquit, *sum rex Hunnorum, flagellum Dei.* Tum Lupus ingemiscens: *Et ego*, inquit, *sum Lupus vastator gregis, dignus flagello eius, cui quis resistet, quo minùs in quos volet saeuiat? Veni igitur, Dei mei flagellum, quolibet proficiscere. Omnia tibi, vt Dei ministro, me non repugnante patebunt.* Iubet inde portas vrbis reserari, ac Attilam (fraenum equi honoris causa tenens) summa veneratione introduxit. Qui siue humanitate Episcopi victus, siue Dei voluntate, sine vllius caede & detrimento, per vrbem mediam cum omnibus suis copijs progressus, altera vrbis parte egressus est. ita habet Vita S.Lupi, & Olaus in Attila c.9.

C Nota. Idem est *comedere praedam*, & *diuidere spolia*, nimirum praedari, praedas diuidere & comedere. Est metalepsis: ex comestione enim praedae, praeuiam praedationem intelligit. q.d. Beniamin vt lupus rapiet, id est, superabit inimicos, eisque praedas abripiet, lacerabit, diuidet, comedet, omniaque faciet, quae victores victis solent facere. ita Vatablus.

Paulus oriundus ex Beniamin fuit lupus rapax.

Allegoricè, quidquid hîc ogganniat Caluinus, omnes ferè Patres Latini, putà S. Hieron. Ambros. Rupert. Eucher. Beda, & S.Augustinus serm. 1. de conuersione S.Pauli, inter nouos hîc Louanij editos, per lupum hunc accipiunt sanctum Paulum, qui ex Beniamin oriundus, dictúsque Saul vel Saulus, primo mane, id est, in iuuentute sua, quasi lupus saeuijt in Christum & Christianos, viros & feminas raptando ad carceres, Stephanum
D manibus aliorum lapidando, spirando in omnes minas & caedes: verùm à Christo conuersus, & mutatus è Saulo in Paulum, ex lupo diaboli in lupum Dei, *vespere*, id est, iam senior effectus, spolia Gentium diabolo detracta, Christo & Ecclesiae diuisit. q.d. Sicut Beniamini, ita & Pauli indoles lupina, semper sui similis, fuit rapax, bellicosa, spolijs praedisque assueta: vnde manè & vesperè; putà ante conuersionem & post conuersionem, non aliud egit, quàm praedari. sed ante conuersionem iniquus & impius, post conuersionem verò iustus & sanctus fuit praedo, qui non tantùm spolia antea à se diabolo allata, rursum eidem eripuit; sed & omnes penè Gentes ex ore & vnguibus eius extorsit, illisque eum exspoliauit, easque Christo & Ecclesiae restituit. Sicut ergo leo nunc in bonum, nunc in malum capitur, &

tam Christus vocatur leo de tribu Iuda, quàm diabolus, qui circuit vt leo quærens quem deuoret: ita pariter & lupus tam in bonam quàm in malam partem accipi potest. *Paulus*, inquit S. Ambros. *lupus erat, cùm deuoraret oues Ecclesiæ; sed qui lupus venerat, pastor est factus. Ideo Rachel cùm pareret Beniamin, vocauit nomen eius, Filius doloris mei, futurum prophetans ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesiæ, & graui matrem dolore vexaret: sed tamen idem postea escam diuisit, euangelizans Gentibus, & plurimos ad fidem prouocans. Dilectus à Domino, quia vas electionis est factus: habitabit confidenter, & Deus obumbrabit super eum omnibus diebus, & inter humeros requiescet.* Deuter. 33.

VERS. 28. OMNES HI IN TRIBUBUS ISRAEL DUODECIM] Hebraicè est, *omnes istæ tribus Israel sunt duodecim*. q.d. Ab his duodecim filijs Iacob descenderunt & denominatæ sunt duodecim tribus Israel. Numerantur enim hîc singuli Iacobi filij (qui numero fuerunt duodecim) ac consequenter numerantur & Leui & Ioseph: ita vt quisque Iacobi filius vnam tribum constituat. In diuisione verò terræ sanctæ non numeratur Leui, quia nullam eius partem habuit: pars enim Leui erat Dominus, id est, victimæ & primitiæ Domino oblatæ. nec numeratur Ioseph, sed duo eius filij, putà Ephraim & Manasse: hi enim in locum Leui & Ioseph surrogati, duplicem tribum, & consequenter duplicem sortem in Chanaan acceperunt.

BENEDIXITQUE SINGULIS BENEDICTIONIBUS PROPRIIS] Hinc videtur, quòd hactenus non tam benedictiones, quàm prophetiæ fuerint Iacobi, quibus expletis ipse hîc vltimam cuique addidit & impertijt benedictionem, licet quænam ea fuerit, Scriptura non exprimat.

Verùm contrarium est verius: itaque sensus est, *benedixit singulis*, &c. id est, benedictiones hactenus enarratas, cuique proprias edixit & assignauit. Licet enim Simeon & Leui propriè non benedixerit, sed corripuerit; hæc tamen eius paterna correptio, reuera fuit benedictio. ita S. Chrys. Caiet. Lipoman. Si enim aliæ à iam dictis & enarratis fuissent hæ benedictiones à Iacobo filijs datæ, eæque singulis propriæ, sanè eas enarrasset Moses.

VERS. 31. IBI ET LIA CONDITA IACET] Hebraicè est, *& ibi sepeliui Liam*: vnde patet, Liam mortuam esse in Chanaan, ibique à Iacobo sepultam, non autem mortuam esse in Ægypto, indeque cum mariti corpore translatam esse in Chanaan, vt volunt aliqui. Hebræi tradunt Liam mortuam anno ætatis 44. sed ex dictis c. 35. v. 19. videtur senior fuisse.

VERS. 32. FINITISQUE MANDATIS] Tradunt Hebræi, Iacob morientem mandasse suis mutuam pacem & concordiam, atque vnius veri Dei timorem, obedientiam & cultum, fugamque idololatriæ Ægyptiorum.

COLLEGIT PEDES SUOS SUPER LECTULUM] Iacob prophetans, & benedicens filijs erexerat se, sedebatque in lecto pedibus dependentibus; nunc finito sermone suis valedicens, pedes in lectum colligit, sensimque expirat.

Vide hîc quàm placida sit mors iustorum. Ita S. Lucius Martyr morti adiudicatus ab Vrbicio præfecto gratias egit dicens: *A malis dominis liberor, & ad Deum patrem optimum transeo.* testis est Eusebius l. 4. c. 16. Babylas Martyr, cùm ceruicem feriendam præberet, dixit: *Reuertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi. Eripuit animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Ambulabo coram Domino in terra viuentium.* Nam mors, ait S. Chrysost. est portus tranquillus, vera requies, somnus, ad meliora migratio, à malis liberatio, migratio à terra ad cælum, ab hominibus ad angelos, & ad ipsum angelorum Dominum. Hinc Sapore rege Persarum Christianos trucidante, cùm Pusices præfectus omnium regis artificum videret Ananiam, cui cædes iam parabatur, contremiscentem: *Paulisper*, inquit, *ô senex, oculos occludito, & bono animo esto; nam statim lumen Dei videbis.* qua de causa lingua ei extracta est, direque excarnificatus gloriosum obijt martyrium. testis est Sozom. lib. 2. hist. c. 9. & 10. E contrario quàm anxia, perturbata & tumultuosa sit mors impiorum, patet ex morte Antiochi, Herodis, Herodiadis, Chrysaorij, & aliorum.

Mors iustorum placida.

APPOSITUS EST AD POPULUM SUUM] mortuus est, & quoad animam descendit ad patres & iustos in limbo sinuque Abrahæ degentes. ita loquitur Scriptura, vti significet animas Sanctorum post mortem non solitariam & tristem, sed socialem lætamque vitam agere: malorum verò animas, licet in igne coniungantur, perpetuis tamen odijs & rixis dissidere, atque maledictis & blasphemijs sese inuicem, more canum lacerare.

Nota periodum vitæ Iacobi: Iacob natus est post diluuium anno 451. Fugiens Esau iuit in Haran ad Laban, anno ætatis suæ 77. inde post 20. annos, putà anno 97. redijt in Chanaan. Post 10. annos, putà anno 107. mortua est Rachel, & natus est Beniamin, atque Ioseph venditus est in Ægyptum. Inde mansit adhuc Iacob in Chanaan per 23. annos. Nam anno ætatis centesimo trigesimo euocatus à Iosepho, cum tota familia profectus est in Ægyptum, ibique vixit annis 17. ac mortuus est anno ætatis 147. qui fuit annus mundi 2256. Plura de his dixi cap. 47. 28. Denique epitaphium & elogia Iacobi vide apud Sapientem c. 10. 10. & Eccli. c. 44. 25.

Periodus vitæ Iacobi.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioseph cum fratribus & Aegyptijs plangit patrem defunctum, eumque sepelit in Hebron. Secundò, v. 15. fratres ob scelus pauidos consolatur. Tertiò, v. 22. moritur, cupitque sepeliri in Chanaan.

1. QUod cernens Ioseph, ruit super faciem patris, flens & deosculans eum.
2. Præcepitque seruis suis medicis vt aromatibus condirent patrem. 3. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum. fleuitque eum Ægyptus septuaginta diebus. 4. Et expleto planctus tempore, locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini

quimini in auribus Pharaonis: 5. eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens: En
morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igi-
tur, & sepeliam patrem meum, ac reuertar. 6. Dixitque ei Pharao: Ascende & sepeli
patrem tuum sicut adiuratus es. 7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes do-
mus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti: 8. domus Ioseph cum fratri-
bus suis, absque paruulis & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.
9. Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica. 10. Ve-
neruntque ad aream Atad, quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu
magno atque vehementi, impleuerunt septem dies. 11. Quod cùm vidissent habita-
tores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est Aegyptijs. Et idcirco vocatum est
nomen loci illius, Planctus Aegypti. 12. Fecerunt ergo filij Iacob sicut præceperat
eis: 13. & portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici,
quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra
faciem Mambre. 14. Reuersusque est Ioseph in Aegyptum cum fratribus suis, &
omni comitatu, sepulto patre. 15. Quo mortuo timentes fratres eius, & mutuò col-
loquentes: Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum
quod fecimus, 16. mandauerunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam
moreretur, 17. vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro vt obliuiscaris sceleris
fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus
vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph. 18. Ve-
neruntque ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram dixerunt: Serui tui sumus.
19. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? 20. Vos
cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsen-
tiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. 21. Nolite timere, ego pascam vos
& paruulos vestros, consolatusque est eos, & blandè ac leniter est locutus. 22. Et ha-
bitauit in Aegypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annis. Et vidit
Ephraim filios vsque ad tertiam generationem. Filij quoque Machir filij Manasse nati
sunt in genibus Ioseph. 23. Quibus transactis, locutus est fratribus suis: Post mortem
meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit
Abraham, Isaac, & Iacob. 24. Cumque adiurasset eos atque dixisset: Deus visitabit
vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto: 25. mortuus est, expletis centum de-
cem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto.

VERS. 2. MEDICIS, VT AROMATIBVS CONDIRENT PATREM] Putà balsamo, myrrha, cassia, alijsque aromatibus, quæ & cadauer à putrefactione seruant, illique gratum odorem conciliant. Singulares in hac arte condiendi corpora fuerunt Aegyptij: testantur id etiamnum hodie *caromomia*, id est cadauera ante multos centenos annos sepulta, quæ iam eruuntur, & venduntur, atque pharmacopœis ad pharmaca seruiunt: hæc enim ex Aegypto aduehuntur. Morem conditutæ Aegyptiæ tradit Herodotus l.3. & Diodorus lib.1.

Caromomia.

Anagogicè, Rabanus, *Felix*, inquit, *illa anima, quæ virtutum aromatibus condita, in loculo corporis degens, perenni vita reseruatur.*

VERS. 5. QVOD FODI] *Fodi*, id est emi. Sic Osee fodit, id est emit, sibi vxorem, Osee 3. v. 2. vnde hæc phrasis manarit, ibi dixi.

Fodere subinde significat emere.

Dices, v. 13. dicitur, non Iacob, sed Abraham emisse hanc speluncam sepulchralem. Respondeo, Abraham eam emit, sed cùm postea Iacobo de eadem ab Hethæis lis moueretur, coactus fuit Iacob secundò eam emere. Alij sic explicant: *quod fodi*, siue emi, id est quod emit Abraham, auus meus, cuius ego sum filius & heres.

Verùm dico, simpliciter hic accipi *τὸ fodi*: nam in spelunca hac duplici & ampla, varia effodi poterant sepulchra; suum ergo sibi effodit Iacob. ita Vatabl. Perer. & alij.

VERS. 10. AREAM ATAD] Dicta est hæc area hebraicè *Atad*, à spinarum multitudine. Situs est locus hic, ait Procop. iuxta Hierichuntem, nunc ei nomē est

A *betagla*, id est domus circuli. nam cùm ibi lugerent Iacob defunctum, in modum circuli & coronæ circumsteterunt cadauer. ita S. Hieron. nisi quòd dicat eos circuisse cadauer, qui mos veterum fuit Gentilium, vt patet ex Homero & Virgilio; tuncque defunctis Salue & Vale inclamabant, eisque terram leuem, pacem & quietem imprecabantur, vti docet Kirchmannus lib. 3. de Funer. c. 3. & 9.

TRANS IORDANEM] venientibus ex Chananæa: nā venientibus ex Aegypto Atad est cis Iordanem.

Nota. Ioseph cum suis planctum hunc fecit in Atad, non in Hebron vbi sepeliendus erat pater; ne, si in Hebron, putà in intimis Chananææ, tamdiu consisterent, Chananæis suspicionem aliquam proditionis mouerent, aut cum eis rixas aliquas B bellúmue contraherent. in Atad ergo Ioseph cum toto suo comitatu, planxit patrem septem diebus, inde perrexit in Hebron, ibique sepulto patre ilicò domum reuersus est. ita S. Augustinus.

MANDAVERVNT] submiserunt nuntium, vel legatum, fortè Beniamin insontem, & Iosephi fratrem vterinum, qui nomine non tam suo, quàm patris defuncti, hæc à Iosepho postularet. Videntur mentiri hîc fratres, & nomine patris abuti, vt malè sibi conscij eo se protegant. Pater enim de Iosephi virtute, mansuetudine & charitate fratribus ostensa per experientiam certus, nil mali fratribus ab eo metuebat; & si metuisset, viuens id Iosepho dixisset, plenamque eis veniam, & præteritorum obliuionem impetrasset. VERS. 16.

VT SERVIS (ita legendum cum Hebræis, Græ- VERS. 17.

cis, & Romanis, non *seruo*) DEI PATRIS TVI] Vt nobis scilicet, qui sumus serui Dei, Dei inquam, veri & auiti, quem coluit pater tuus, dimittas iniquitatem, quam in te exercuimus.

FLEVIT IOSEPH] dolens fratres anxiari, & reconciliationi suæ diffidere. Infidè hæc narrat Iosephus. vlcisci se noluit Ioseph: sciebat enim, quòd vltionis momentanea est delectatio, misericordiæ sempiterna.

VERS.19. NOLITE TIMERE: NVM DEI POSSVMVS RESISTERE VOLVNTATI?] Ergo, inquit Melanchthon, tam est opus Dei proditio Iudæ, & venditio Ioseph, quàm vocatio Petri. ita & Caluinus.

Respondeo, imprimis Septuag. vertunt, *nolite timere, Dei ego sum*, scilicet seruus; & Chaldæus, *nolite timere, à facie Dei timeo*. q.d. Absit à me qui sum seruus & imitator Dei, vltionis appetitus, & vindictæ cupido. ita S. Chrysost. & Bellarm. lib.2. de amiss. gratiæ c.11. Sic & Suarez nostram versionem explicat: *num Dei possumus resistere voluntati*, ei scilicet, qua vult vt vobis parcam?

Verùm pro intelligentia nostræ versionis Nota. Deus absoluta voluntate ante omnia decreuerat Iosephum in Ægyptum mittere. siue per se, siue per suos fratres, cumque ibi exaltare, & per eum fami communi consulere Deinde præuidit aptum ad id fore medium fratrum malitiam, si eam permitteret exequi odium suum, quod in Iosephum conceperant. Eam ergo Deus sapienter permittere, & ad finem iam dictum ordinare decreuit.

Duplex Dei voluntas & prouidentia circa peccata. Nota Secundò. Deus circa peccata duplicem habet voluntatem, & prouidentiam. Primò, permissiuam, non autem immissiuam peccati, vt vult Caluinus. Secundò, ordinatiuam, qua peccatum ordinat ad iustam pœnam, vel aliud commune, aut priuatum bonum: neutri voluntati Dei homo propriè potest resistere. Vtraque enim est in solo Deo, & Dei libertate sita.

Perperam ergo Cicero, vt libertatem humani arbitrij tueretur, illud Deo subijci; & ab eo regi negauit. hinc meritò de eo dixit S. August. lib.5. de Ciuit. c.9 *Cicero vt nos faceret liberos, fecit sacrilegos.*

Dices, Ergo etiā peccato homo resistere nequit: hoc enim necessariò sequitur ex permissiua voluntate Dei. Respondeo, Ex hac Dei voluntate peccatum non sequitur necessariò, sed infallibiliter, perinde ac sequitur ex præscientia Dei: peccatū enim voluntatem Dei non sequitur, sed antecedit: est enim eius obiectum. Itaque antequam Deus vult permittere peccatum, præuidet illud, videtque illud futurum, si ipse id velit permittere. Nam causa per se, & positiua peccati est voluntas hominis: Dei autem voluntas tantùm est causa peccati permissiua, quæ tantùm est causa *sine qua non*.

Peccatum voluntatem Dei antecedit.

Nota Tertiò, Ioseph hic, vt iniuriæ fratrum se oblitum ostendat, vtq; eam eleuet, & fratres consoletur, more piorum & sanctorum, ad vtramque Dei voluntatem hoc fratrum peccatum refert. vnde hebraicè est, *num pro Deo ego?* id est, an Deus sum ego? qui scilicet hæc omnia dixerim & ordinarim tam commodè & congruè. q.d. Cùm Deus omnia suo nutu gubernans & coordinans, (hoc enim hebraicè est *Elohim*) decreuerit me mittere in Ægyptum, eique me præficere, tam ad meum, quàm ad vestrum, imò commune omnium bonum, scilicet ad publicam famem leuandam; atque ad hoc permiserit vestrum scelus, quo me vendidistis in Ægyptum, eoque quasi medio vsus sit ad hanc meam

Sensus Iosephi.

A præfecturam; absit vt pœna afficiam eos, quorum scelus mihi in summum bonum cessit, quosque Deus vult esse saluos: quin potiùs de tam felici euentu, qui Dei voluntate & prouidentia ex vestro scelere mihi & vobis accidit, gaudendum est, Deique voluntati hæc omnia tam permittenti, quàm ordinanti asscribenda & submittenda sunt. Hunc esse sensum patet ex seq. & ex c.45. v.5. & 8. Ita interpretes & Doctores, ac præsertim S. Chrysostomus homil.64. & Ambrosius lib. de Ioseph c.12. & ex ijs Ludouic. Molina 1.p. quæst.19. art.6. disp.2. Sic Apostolus ad Romanos 11. vt Gentes moueat ad compassionem, qua non indignentur, sed condoleant incredulitati Iudæorum, dicit eorum incredulitatem & delictum esse salutem Gentium: quia scilicet prædicatio Euangelica, ipsique præcones Euangelij, putà Apostoli, re-

B pulsi à Iudæis deflexerunt ad Gentes, easque ad fidem, salutem & gratiam adduxerunt. Additque Apostolus, Deum conclusisse, id est concludi permisisse, omnia sub peccato, vt omnium misereretur. q.d. Ergo & vos ô Gentes, Deum imitamini, & vt Deus vestri misertus est, ita & vos Iudæorum misereminі.

Ita Sancti in voluntatem Dei omnia resignantes excusarunt vitia & afflictiones sibi ab alijs illatas, easque animo quieto & sereno exceperunt: vt Dauid, qui maledictionem Semei retulit ad voluntatem Dei, volentis punire sua peccata, ideoque noluit eum puniri. Et Machabæi, qui suos cruciatus acceptos tulerunt Deo, & diuinæ castigationi. Sophronius memorat Abbatem, cui discipulus per imprudentiam in mensa olera peramara

Resignare se Deo, etiam in ferendis peccatis aliorum, magna est perfectio.

C apposuit. dissimulauit rem Abbas: gustans ex eisdem postea discipulus, errorem agnouit, & veniam precatus est. cui Abbas; *Voluntas*, inquit, *Dei fuit, vt talia mihi apponeres. Si enim Deus aliud voluisset, effecisset vt alia proponeres.* Est enim hic actus magnæ humilitatis, resignationis, & conformitatis cum voluntate diuina, in qua consistit perfectio humana & angelica. Vidit hoc per vmbram Gentilis Pythagoras, qui inter aurea suæ ethices carmina & præcepta, hæc inter prima ponit:

Mortales quæcumque dijs mittentibus angunt,
Vt tua sors tulerit. patiens ne ferte recuses.
Non spernenda medela tamen.

VOS COGITASTIS DE ME MALVM] *Cogitastis* tantùm, quia vestras, vtpote hominum contra me machinationes, Deo me protegente, non potuistis perficere. VERS.20.

BLANDE ET LENITER] Hebraicè est, *locutus est* VERS.21.

D *ad cor eorum*. Videant hic fideles, videant & imitentur principes clementiam & mansuetudinem Iosephi, imò Christi, qui ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Clemens erat Alexander Seuerus Imper. obijciebant hoc illi mater & vxor, dicebantque: *Molliorem tibi, magisq; contemptibilem Imperij dignitatem fecisti*; ille, *Sed securiorem*, respondit, *& diuturniorem*.

Exempla clementiæ principum.

Constantius Imperator raptores cuiusdam virginis in exilium relegarat: parentes indignabantur, eos non esse morte mulctatos. Tum ille: *Hactenus*, inquit, *incusent iura clementia: sed Imperatorem, mitissimi animi legibus, cæteris præstare decet.*

Sic Carolus Magnus filiam, quòd cum Eginharto secretario fornicata esset, vtrumque mortis reum, non morte puniuit, sed coniugio copulauit. Rem fusè narrat Lipsius l.2. Mon. Polit. c.12. n.12.

Rudol-

Rudolphus Imper. Austriacus, ex seueriore mitior factus. *Seuerum*, inquit, *& immitem fuisse me aliquando pœnituit: lenem & placabilem numquam.*

A Ludouico XII. quidam postulauit bona ciuis cuiusdam Aurelianensis, qui acerrimus Ludouici fuerat hostis, eo tempore, quo Ludouicus Dux tantùm erat Aurelianensis, & à Carolo VIII. rege Franciæ diffidebat. cui Ludouicus animo planè regio: *Tu*, inquit, *aliud à me pete & merito tui gratia erit. De isto omitte: nam rex Galliæ non vlciscitur iniurias Ducis Aurelianensis.* q.d. Rex factus nolo vlcisci iniurias mihi in Ducatu illatas.

Alfonsus Aragonum rex, teste Panormit. rogatus cur ergo omnes etiam malos, ita mitis esset, respondit: *Quia bonos iustitia conciliat, malos clementia.* Cumque sui de nimia eius lenitate quererentur: *Quid ergo*, inquit, *vultis vrsos & leones regnare? hominum clementia, belluarum feritas propria est. Malo multos mea clementia seruare, quàm paucos mea seueritate perdere.* Quidam ei obiecit: Caue ne tua hæc clementia in perniciē cedat. cui ille: *Imò verò*, inquit, *multa mihi perferenda sunt, ne in inuidiam cadam.* Idem rogatus, quid maximè aduersarios flecteret, respondit: *Placabilitatis & mansuetudinis nomen.*

Idem contra Venetos instructa acie procedens, cùm illi occurrerent, humiliterque pacem peterent, atque sui quiduis ab eis extorquere cuperent; Alfonsus respondit: *Nullum aliud dare pacis pretium existimo, quàm hostibus, genibus ad me aduolutis, pacem dare.* Rectè Ouidius:

Conueniens hominum est hominem seruare voluptas:
Et melior nulla quæritur arte fauor.

Videmus id nunc in Belgio.

VERS. 12. *Periodus vitæ Iosephi.* VIXITQVE CENTVM DECEM ANNIS] Hæc est periodus vitæ Iosephi: Ioseph à fratribus venditus est anno ætatis suæ 16. Iacobi 107. mundi 2216. Seruitutem & carcerē tolerauit 13. annis. E carcere eductus, factus est princeps Ægypti anno ætatis suæ 30. patris 121. mundi 2230. Patrem Iacobum in Ægyptum vocauit, eumq; ibi excepit anno ætatis suæ 39 patris 130. mundi 2239. qui fuit ab exaltatione & principatu suo nonus, post obitum Isaac decimus. Obijt Ioseph anno ætatis suæ 110. ab exaltatione sua 80. ab obitu patris 54. mundi 2310. ante exitum Mosis & Hebræorū ex Ægypto 144.

Moral. S. Chrys. homil 67. & vltima: *Vidisti, ait, quomodo maiora sint præmia quàm labores, retributionesq; multipliciores. Tredecim annis seruitutem & carcerem sustinuit, octoginta annis regnum administrauit.*

FILII QVOQVE MACHIR] Filij, id est filius: vnum enim tantùm genuit Machir. est enallage numeri. ita S. August.

NATI SVNT IN GENIBVS] q.d. Ioseph filium Machir, mox vt natus est, sibi in filium adoptauit, ideoque in genibus suis eum statuit & excepit, vti fecit Rachel c. 30. v. 3.

VERS. 24. ASPORTATE OSSA MEA VOBISCVM] vt cum patre, auo & abauo sepeliar in Chanaan, terra nobis à Deo promissa. Vide dicta c. 47. v. 29. & 30. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 11. v. 21. *Fide Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Hoc autem*, ait S. Chrys. *non temere faciebat. duo enim agebat: vnum, ne Aegyptij memores beneficiorum eius, cùm pro more suo facilè ex hominibus deos appellent, corpus iusti haberent in impietatis occasionem. Alterum, vt securi & certi omnino sint se redituros. Et videre licebat rem nouam & admirabilem, eum qui omnem Israel in Aegypto pascebat, illum & du-* A *cem reditus, & in terram Israel inducentem.* Promissis Iosepho factis steterunt Israelitæ, cùm exeuntes ex Ægypto secum extulerunt ossa Ioseph, eaque intulerunt in Chanaan, sepelieruntque in Sichem, vt habetur Iosue 24. 32.

Anagogicè, Rabanus: *Ioseph*, inquit, *incolatum terræ Aegypti detestans, terram repromissionis desiderabat, vt quamdiu sumus in hac peregrinatione, veram patriam, terram viuentium, iussu promissam desideremus, & in eam transferri post mortem velimus:* ideoq; cum Psalte crebrò suspiremus, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitaui cum habitantibus Cedar. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* *Anagogia.*

Similia Iosephi & Iacobi, putà pia & cælestia, fuerunt aliorum Patriarcharum, & Sanctorum morientium monita & vota; vt Mosis, Deuter. 31. & 32. Iosue, c. 24. Dauidis, 2. Reg. 22. & 23. Elisæi, 4. Reg 13. Mathathiæ, 1. Machab 2. Ita S. Basilius B moriens suos ad se confluentes doctrina sacra instruxit, dicensq;: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, animam lætus exhalauit. testis est Nazianz. orat. 20. *Pia Sanctorum morientium verba vltima.*

S. Ambrosius moriens ait, *Non sic vixi, vt pudeat me inter vos viuere. Sed nec mori timeo; quia bonum Dominum habemus.*

S. Augustinus moriens, *Non est mirum*, inquit, *quòd cadunt ligna & lapides, & mortales moriuntur.*

S. Chrysost. exul in magna afflictione paulò ante mortem scribens ad Innoc. Pontif *Nos*, inquit, *tertium iam annum in exilio versamur, expositi pestilentiæ, fami, bello, continuis incursionibus, solitudini inenarrabili, quotidianæ morti, & Isauricis gladijs.* His ce confectus tandem, & moriens dixit; *Gloria tibi Domine de rebus omnibus*, vti refert Nicephor. lib. 13. c. 37.

S. Martinus moriens oculis ac manibus in cæ- C lum semper intuens, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat; & cùm à presbyteris rogaretur vt corpusculum lateris mutatione releuaret: *Sinite*, inquit, *me cœlum potiùs respicere quàm terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Hæc locutus diabolum vidit assistere; cui ille: *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Abrahæ me sinus recipiet*, inquit Sulpit.

S. Fulgētius acerrimo morbo correptus: *Domine*, inquit, *da mihi modò patientiā & postea indulgentiam*, petensq; à suis seruatorū veniam, ac quod reliquum erat pecuniæ pauperibus distribuens, emigrauit.

S. Gregor. sub mortem scribens ad Rusticanam patriciam: *Me*, inquit, *amaritudo animi, & assidua exacerbatio, atque podagra molestia afficit, vt corpus meum tamquam in sepulchro siccatum sit: vnde peto vt* D *pro me oretis, quatenus de hoc carcere citiùs educar.*

S. Hilarion teste S. Hieronymo moriens dicebat: *Egredere, quid times anima mea? quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times?*

S. Bernardus moriens, Hæc tria, ait, in vita seruaui, quæ vobis commendo. *Primò, minùs sensui meo quàm alterius credidi. Secundò, læsus de lædente vindictam non expetiui. Tertiò, nemini scandalum facere volui: & si quando incidit, sedaui vt potui.*

Gerardus S. Bernardi frater moriens ait: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.*

Fernandus Castellæ rex moriens: *Domine*, inquit, *regnum quod à te accepi, tibi restituo: colloca me quæso in æterna luce.*

Carolus Siciliæ rex moriens, *O vanas*, inquit, *hominum cogitationes! quid mihi iam regnum prodest? quàm præstaret iam pauperem fuisse, non regem?*

SYNOPSIS HISTORIÆ ET CHRONOLOGIÆ TOTIVS GENESEOS.

1. Adam creatur. PRIMO anno mundi, die sexto, qui fuit dies Veneris, creauit Deus Adam & Euam. Gen. 1. v. 26.

2. Seth nascitur. Anno 130. Adæ & mundi natus est Seth. Gen. 5. v. 3.

3. Adam moritur. Anno suo & mundi 930. mortuus est Adam. Gen. 5. v. 5.

4. Henoch rapitur. Henoch raptus est in paradisum anno mundi 987. ætatis verò suæ 365. Gen. 5. v. 23.

5. Mathusalem nascitur. Natus est Mathusalem anno mundi 687 vixitque annos 969. ac consequenter mortuus est anno mundi 1656. qui fuit annus diluuij. Gen. 5. v. 27.

6. Noe nascitur. Noë natus est anno mundi 1056. putà 126. annis post mortem Adæ; cùmque esset 500. annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth. Gen. 5. v. 30.

7. Diluuium. Anno sexcentesimo Noë, qui fuit annus mundi 1656. factum est diluuium, quod durauit annum integrum. Gen. 7. v. 11. & c. 8. v. 14.

8. Turris Babel. Anno 170. à diluuio, Nemrod cum suis ædificat turrim Babel, ibique Deus confundit linguas, & dispergit homines in varias terras & gentes. Genes. 11. vers. 9. vt ibi ostendi.

9. Abrahā nascitur. Anno 292. à diluuio nascitur Abraham, qui fuit annus mundi 1949. Gen. 11. v. 26.

10. Noë moritur. Anno 350. à diluuio, cùm Abraham ageret annum ætatis 58. moritur Noë. Gen. 9. v. 29.

11. Abraham vocatur à Deo. Anno ætatis suæ 75. Abraham à Deo ex Chaldæa euocatur in Chanaan. Gen. 12. v. 4.

12. Victori Abraha occurrit Melchisedec. Inter vocationem Abrahæ, & natiuitatem Ismael, quasi medio tempore, putà sub annum Abrahæ 80. videtur contigisse victoria Abrahæ contra Chodorlahomor, & occursus, benedictio ac sacrificium Melchisedec, de quo Genes. 14.

13. Ismael nascitur. Inde post quinque annos, putà post decem annos à vocatione sua, Abraham ducit Agar ancillam suam, ex qua sequenti anno, qui fuit octogesimus sextus vitæ Abrahæ, gignit Ismaëlem. Gen. 16. v. 16.

14. Circumcisio instituitur. Inde à nato Ismaël anno decimo tertio, cùm Abraham esset 99. annorum, à Deo accipit Sacramentum circumcisionis, seque & Ismaëlem circumcidit. Gen. 17. v. 24.

15. Isaac concipitur. Hoc eodem anno 99. Abrahæ, qui fuit mundi 2048. promittitur ei, & reipsa concipitur Isaac. Gen. 18. v. 10.

16. Sodoma conflagrat. Hoc eodem anno 99. Abrahæ, imò & eodem die, quo angeli Abrahæ promiserunt filium Isaac, contigit incendium Sodomæ, conuersio vxoris Lot in statuam salis, Lot ebrietas & incestus cum filiabus. Genes. 18 vers. 22 & Gen 19. v 1 & seq.

17. Isaac nascitur. Anno sequenti, qui fuit centesimus Abrahæ, mundi verò 2049. nascitur Isaac. Genes 21. v. 4.

18. Isaac immolatur. Abraham immolat Isaac agentem annum vigesimum quintum, anno ætatis suæ 125. si credimus Iosepho. Genes. 22.

19. Sara moritur. Sara vxor Abrahæ moritur anno ætatis 127. qui fuit Abrahæ 137. Gen. 23. v. 1.

20. Rebecca nubit. Isaac ducit Rebeccam anno ætatis suæ 40. qui fuit Abrahæ 140. Gen. 25. v 20.

21. Abraham moritur. Abraham moritur anno ætatis 175. qui fuit annus mundi 2124. Gen. 25. v. 7.

22. Ismael moritur. Ismaël moritur anno 48. post mortem Abrahæ, cùm esset 137. annorum. Gen. 25. v. 17.

23. Iacob nascitur. Isaac gignit Iacob & Esau, anno ætatis 60. qui fuit à diluuio annus 452. mundi 2109. Gen. 25. v. 26.

24. Moritur Sem. Anno 502. à diluuio, cùm Iacob ageret annum ætatis quinquagesimum, moritur Sem filius Noë. vidit ergo Iacob suum auum vndecimum Sem: à Sem enim vndecima generatione descendit Iacob: vixit enim Sem annis 602. Gen 11. v. 11.

25. Iacob fugit. Iacob fratri Esau præripit benedictionem patris, ideoque fugit in Haran, anno ætatis 77. ibique seruit Laban per viginti annos, quibus expletis redit in Chanaan anno ætatis 97. Gen 31. v. 41.

26. Ioseph nascitur. Iacob cùm esset 91. annorum, gignit Ioseph, putà anno mundi 2200. Genes. 30. vers. 24. & 25. iuncto cum Genes. 31, vers. 41.

27. Isaac moritur. Moritur Isaac anno ætatis 180. qui fuit Iacobi 120. * * Gen. 35. v. 28.

28. Ioseph venditur. Ioseph venditur in Ægyptum anno ætatis decimo sexto, cùm iam paulò antè mortua esset eius mater Rachel, & natus Beniamin. Paulò ante mortem Rachelis contigit stuprum Dinæ, & excidium Sichimorum. Genes 37. v. 2.

29. Ioseph seruit. Ioseph seruit in Ægypto tredecim annos, putà vsque ad annum ætatis trigesimum, ex quibus tres vltimos annos egit in carcere. Genes. 40. v. 4. iuncto cum Genes. 41, v. 1.

Ioseph

30. *Ioseph fit princeps.* Ioseph anno ætatis trigesimo educitur è carcere, fitque princeps Ægypti. Gen. 41. v. 46.

31. *Iacob it in Ægyptum.* Post annum 30. Iosephi eiusque principatum, mox secuti sunt septem anni fertilitatis, & duo sterilitatis, cuius anno secundo, qui fuit nonus à principatu Iosephi, Iacob descendit in Ægyptum agens annum 130. Iosepho tunc agente annum ætatis 39. Gen 45. v. 6 iuncto cum Gen. 47. v. 9.

32. *Iacob moritur.* Iacob septemdecim annos vixit in Ægypto, moriturque anno ætatis 147. mundi 2256. Gen. 47. v. 28.

33. *Ioseph moritur.* Ioseph ab anno ætatis trigesimo dominatur in Ægypto vsque ad mortem, per 80. annos, moriturque anno ætatis 110. Atque si horum omnium breue compendium cupias, accipe: Diluuium cōtigit anno mundi 1656. à diluuio anno 292. nascitur Abraham. anno Abrahæ centesimo nascitur Isaac. anno Isaaci sexagesimo nascitur Iacob. anno Iacobi 91. nascitur Ioseph, qui vixit 110. annis. mortuus est ergo Ioseph anno à diluuio 653. à creatione mundi 2310. quo anno finitur historia & chronologia Geneseos. Gen. 50. v. 25.

Vbi iam Adam? vbi Cain? vbi Seth? vbi Mathusalem? vbi Noë? vbi Sem? vbi Heber? vbi Abraham? vbi Iacob? vbi Ioseph? vixerunt: fuimus Troës. Sic transit vita, sic transit gloria mundi. O ros! ô vanitas! quid ambis? quid longa speras? breue est, quidquid hîc vides. In ictu oculi clauduntur omnia. *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.*

ÆTERNITATEM COGITA;
ÆTERNANTES POENAS,
ÆTERNANTIA GAVDIA.



DOXO-

DOXOLOGIA DEI CREATORIS EX FACTIS IN GENESI.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: consideraui enim opera sapientiæ & potentiæ tuæ, & expaui.

Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundùm opera tua.

Cælum & terra. *In principio cælum, terram, & abyssum ex nihilo creasti: non tibi, nec angelis, qui loco corporeo non egent, sed filijs hominum.*

Æternitas Dei. *O rex sæculorum, habitans æternitatem, ante mundum per æterna sæcula, omnibus bonis in teipso fruebaris: iucundissiméq; viuebas cum Vnigenito tuo, & sancto Spiritu, beatus & gloriosus.*

Initio temporis te tuaq; bona voluisti communicare angelo & homini: ideoq; creasti omnem hanc mundi machinam.

Angeli. *Tunc creasti angelos spiritus: & ministros tuos ignem vrentem.*

Tunc te laudarunt astra matutina: & iubilarunt omnes filij Dei.

Omnia enim in numero, pondere & mensura disposuisti, singula singulis sapienter & aptè associasti: diuisisti lucem à tenebris, & angelos à dæmonibus.

Quis enarrabit cælorum rationem: & concentum cæli dormire quis faciet?

Quis posuit fundamenta terræ? quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt? quasi pila pendet in aëre, quæ centrum & basis est mundi.

Tu es Domine, qui tribus digitis appendis & firmas pensilem globum terræ: tu super maria fundas & fulcis eum.

Tui sunt cæli, tua est terra, tua sunt quæ cæli & terræ ambitu continentur: Dominus vniuersorum tu es.

Cæli clamor. *Cæli & terra clamant, vt colamus & amemus te: inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Cæli & terra clamant: Ipse fecit nos, & non ipsi nos: creatorem vniuersorum agnoscite, & adorate omnes filij Dei.

Terram quasi palæstram dedit filiis Adæ: cælum, quasi regnum gloriæ adornauit timentibus se.

O Israel, quàm magna est domus Dei: & ingens locus possessionis eius!

Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid seruitis creaturæ, non creatori? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Vt quid creaturæ Dei vobis fiunt in tentationem: & in muscipulam pedibus insipientium?

Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Lux. *Qui de tenebris fecit lucem splendescere: qui ortum præcepit diluculo, & ostendit auroræ locum suum.*

Aqua. *Qui separauit aquas à terra, dixit: Germinet terra herbas & arbores; vt habitent & viuant in ea homines, & pecora campi.*

Quis conclusit ostiis mare: quando erumpebat quasi de vulua procedens?

Cùm poneret nubem vestimentum eius: & caligine illud, quasi pannis infantiæ, inuolueret?

Circumdedit illud terminis suis, & posuit vectem & ostia, & dixit: Vsque huc venies, & non procedes ampliùs; & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Qui ingressus est profunda maris: & in nouissimis abyssi deambulat.

Fecit vt in eo luderent cete grandia: pisces, & reptilia, quorum non est numerus. Pisces.

Domine, Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!

Posuisti in vertice mundi duos oculos, solem & lunam: vt vicissim illuminent diem & noctem. Sol & luna.

Dum totum orbem obeunt, ab Oriente ad Occidentem: indeq; per Antipodes gyrant ad Orientem.

In omnem terram exit fulgor & sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuisti tabernaculum tuum: & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius.

Et occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.

Confiteantur cæli mirabilia tua Domine: celebrent magnalia tua in ecclesia sanctorum.

Deus noster est, qui emittit lumen, & vadit: & vocat illud, & obedit ei in tremore.

Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, & lætata sunt, & vocata dixerunt, Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Stellæ.

Decora valdè in acie, & fulgore suo incedunt astra: quàm pulcher ergo & decorus est creator eorum; quàm speciosus est præ filiis & filiabus hominum!

Inuisibilia tua Domine, per visibilia tua opera clarè conspiciuntur: sempiterna quoque tua virtus, & diuinitas; vt qui ea non vident, sint inexcusabiles.

Deus noster est, qui firmauit æthera sursum: & infernè librauit fontes aquarum.

Aperuit thesauros suos sursum: & euolauerunt nebulæ, & niues sicut aues. Nix, tonitru, grando.

Vox tonitrui eius verberabit terram: vt concutiantur cardines orbis.

Gelu sicut salem effundit: è nubibus confringit lapides grandinis.

Mittet fulgura, & subitò ibunt ad extrema terræ: & reuertentia dicent ei, Adsumus. Fulgur, pluuia, ros.

Ipse est pluuiæ pater: ipse generat stillas roris.

Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Qui sedet in throno regni sui super Cherubim: qui ambulat super pennas ventorum.

Benedicite angeli Domini Domino: benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino.

Benedicite imber & ros Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicite maria & flumina Domino: benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino. Pisces, aues, pecora, homo.

Benedicite omnes volucres cæli Domino: benedicite omnes bestiæ & pecora Domino.

Et vos ô filij hominum, benedicite Domino: vos enim creauit ad imaginem & similitudinem suam.

Quid est homo, quòd memor es eius Domine? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia

Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.
Benedicite Adam, Noë, Abraham Domino: omnes Patriarchæ, omnes sancti benedicite Domino.
Henoch. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum: vt det Gentibus pœnitentiam.
Noë. Noë inuentus est iustus & perfectus: hinc in tempore iracundiæ, factus est reconciliatio.
Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: qui terribilis es super peccantes filios Adæ.
Diluuium. Diluuio perdidisti peccatores: Noë iustus per arcam enatauit, & factus est noui mundi parens.
Testamenta sæculi posita sunt apud illum: ne deleri possit diluuio omnis caro.
Iris. Vide iridem, & benedic eum qui fecit illam: valdè enim speciosa est in splendore suo.
Babel. Nemrod & Meropes Babel superbam turrim moliti sunt: in cælum voluerunt conscendere.
Irrisit eos Deus, & diuisit linguas eorum: vt subsannantes inuicem, dispergerentur in omnes regiones terræ.
Abraham. Abraham ex Vr vocatus à Deo obediuit, exiens in locum quem accepturus erat: & nesciebat, quò iret.
In terra Chanaan moratus est, tamquam in aliena: in casulis habitando cum Isaac & Iacob.
Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor est Deus.
Hinc factus est pater multarum gentium: & non est inuentus similis illi in gloria.
Qui conseruauit legem Excelsi: & fuit in testamento cum illo.
Percussit quatuor reges: decimas dedit Melchisedec.
Hic obtulit panem & vinum, in typum Christi: qui est sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.
Circumcisio. In carne Abrahæ stare fecit Deus pactum circumcisionis: & in tentatione inuentus est fidelis.
Obtulit Isaac vnigenitum suum: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.
Sodomæ conflagratio. Iudica Domine nocentes & scelestos: perde execrabiles Sodomitas.
Pluit Deus ignem & sulphur in Pentapolim; consumpsit impios vsque ad pecus: solus Lot iustus, fugiens seruatus est.
Dilectus Deo & hominibus Isaac: factus obediens vsque ad mortem. Isaac.
Patri iugulum fortiter obtulit: hinc benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.
Iacob iustus fugit iras Esau: deduxit illum Dominus per vias rectas. Iacob.
Ostendit illi regnum Dei in Bethel: dedit illi scientiam Sanctorum.
In fraude Laban circumuenientis affuit illi: & honestum diuitemq; fecit eum.
Quàm bonus Israel Deus: his qui recto sunt corde!
Certamen forte dedit illi, vt vinceret: ideo dedit & diuisit illi hereditatem in tribubus duodecim.
Hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt: facti sunt exempla sæculorum omnium.
Cum semine eorum permanent bona: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.
Ioseph iustus, à fratribus venditus est: sed astitit ei Deus, & à peccatoribus liberauit eum. Ioseph.
Descendit cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum.
Donec afferret illi sceptrum regni: & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant.
Mendaces ostendit, qui maculauerunt eum: dedit illi claritatem æternam.
Quia præ hera herum & Deum dilexit: benedictiones collium æternorum factæ sunt in capite Ioseph Nazaræi.
Iacob moriens singulis filiorum benedixit: prænuntiauit eis ventura in diebus nouissimis. Benedictio 12. Patriarcharum.
Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum.
Fecit eis magna qui potens est: & sanctum nomen eius.
Et misericordia eius à progenie in progenies: diligentibus eum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA IN EXODVM.

ARGVMENTVM.

Libri titulus.



LIBER hic, ex præcipuo operis argumento, à Græcis primùm, deinde à Latinis vocatus est Exodus, id est egressus (enarrat enim egressum Mosis & Hebræorum ex Ægypto, versus terram promissam Chanaan.) perinde ac vocata est à Græcis & Latinis Genesis, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, ex argumento quod singuli hi libri pertractant. Apud Hebræos enim nulla his titulis nomenclatura respondet: sed ipsi quemque librum à sui exordio indigitant; vti Exodum vocant וְאֵלֶּה שמות *veelle scemot*, id est, *& ista sunt nomina*: quia ita incipit Exodus.

Auctor. Auctor est Moses; qui vti in Genesi, descripta creatione ac propagatione mundi, mox relicta historia aliarum gentium, sui tantùm populi Hebræi, putà populi fidelis ex Abraham, Isaac & Iacob prognati historiam, originem & propagationem descripsit: ita hîc in Exodo eamdem prosequitur.

Historia. Historiam ergo Patriarcharum & Hebræorum, à morte Iosephi, in qua Genesim finierat, resumens hîc Moses, eamdem pertexit vsque ad annum alterum abegressu Hebræorum ex Ægypto: vt patet Exodi vlt. v. 1. & 15.

Gesta 145. annorum enarrat Exodus. Complectitur ergo Exodus gesta annorum 145. id ita esse patet, nam à morte Iosephi vsque ad natiuitatem Mosis fluxerunt anni 64. Moses verò anno ætatis suæ 80. eduxit populum ex Ægypto, & anno sequenti erexit tabernaculum, in cuius erectione finitur Exodus; iunge enim 64. cum 80. his adde vnum annum insequentem, habebis annos 145. iam dictos.

Chronologia Exodi. Pro qua re, adeoque pro tota chronologia Exodi Nota, Hebræos habitasse in Ægypto, non 430. vti aliqui volunt, sed tantùm ducentis & quindecim annis: ita vt à descensu Iacobi in Ægyptum, qui contigit anno Iacobi 130. Iosephi 39. vsque ad exitum Mosis & Hebræorum ex Aegypto, fluxerint tantùm 215. anni. Id ita esse ostendam c. 12. v. 40. Ab hoc descensu, vsque ad mortem Iosephi fluxerunt 71. anni. contigit enim hic descensus anno Iosephi 39. Ioseph autem vixit vsque ad annum ætatis 110.

Ioseph 64. annis mortuus est ante natiuitatem Mosis. Rursum, à natiuitate Mosis, vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto, fluxerunt anni 80. Vnde sequitur medium tempus, quod fluxit à morte Iosephi ad natiuitatem Mosis, fuisse 64. annorum. si enim 64. annos addas annis 80. Mosis, & 71. Iosephi, qui fluxerunt à descensu Iacobi in Ægyptum vsque ad mortem Iosephi, habebis & explebis dictos annos 215. qui fluxerunt ab hoc descensu vsque ad exitum.

A

Error Iustini & Iosephi. Errat ergo Trogus Pompeius, siue Iustinus lib. 36. qui tradit Mosem fuisse filium Ioseph. Errat & Iosephus, qui lib. 1. contra Apionem asserit, Ioseph esse defunctum ante Mosen quatuor ætatibus, siue 170. annis; corrigendum enim est 64. annis, vti dixi.

Ex dictis sequitur, Exodum complecti historiam ab anno mundi 2310. quo mortuus est Ioseph, vsque ad annum mundi 2454. quo contigit egressus Mosis & Hebræorum ex Ægypto: imò ad annum sequentem 2455. quo erectum est tabernaculum.

Argumentum. Moses igitur in Exodo enarrat Primò, Patriarcharum, putà filiorum Iacobi, mortem, secutamque duram Hebræorum ab Aegyptijs oppressionem & seruitutem. Secundò, Mosis natiuitatem, gesta, & plagas Aegypti. Tertiò, transitum Hebræorum per mare rubrum, mersis in eo Aegyptijs. Quartò, pluisse Hebræis manna in deserto, in eoque aquarum copiam inuenisse, atque Amalec cecidisse. Quintò, Deum eis dedisse legem in Sina, fœdusque cum eis inijsse. Sextò, Hebræos fœdus rupisse & vitulum adorasse, ideoque Mosen tabulas legis confregisse, & fœdifragos trucidasse. Septimò, describitur fabrica tabernaculi, eiusque varia supellex. quare periocha Exodi est, Primò decem plagæ Aegypti. Secundò, decalogus cum præceptis iudicialibus & cæremonialibus. Tertiò, fabrica tabernaculi.

B

Finis Exodi quadruplex. Porro hæc omnia eo fine facta sunt & scripta, Primò, vt Deus præstaret id quod promiserat Abrahæ, Genes. 17. v. 7. & 8. *Statuam pactum meum inter me & te, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te, daboque tibi & semini tuo terram Chanaan.* Secundò, vt populo suo ex Aegypto & idololatris educto, ex eo sibi Ecclesiam formaret in Sina. Tertiò, vt ostenderet quantam Ecclesiæ & suorum habeat curam, quamque sit omnipotens & terribilis in puniendis eorum hostibus. Quartò, vt typum daret Ecclesiæ nouæ & Christianorum: qui ex gentilitate per baptismum, & per multas tentationes & luctas, perque multa miracula, duce Christo tendunt in terram promissam in cælis. Sicut ergo in Genesi mundi creationis, ita in Exodo eiusdem redemptionis historia & typus consignatur: vt iure Rabanus scripserit, omnia penè Sacramenta præsentis Ecclesiæ, in Exodo adumbrata & expressa esse.

C

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

NOuus Pharao ignorans Ioſeph, timenſq́; Hebræos ita creſcentes, eos conatur opprimere. Primò, onerum impoſitione: ſed ex ea illi magis creſcunt. Secundò, v.15. iubens obſtetricibus, vt necent maſculos Hebræorum, ſed illa facinus detrectant. Tertiò, v.22. iubens eoſdem ſubmergi.

1. HÆc ſunt nomina filiorum Iſrael qui ingreſſi ſunt in Ægyptum cum Iacob:
ſinguli cum domibus ſuis introierunt: 2. Ruben, Simeon, Leui, Iudas,
3. Iſſachar, Zabulon & Beniamin, 4. Dan, & Nephthali, Gad, & Aſer.
5. Erant igitur omnes animæ eorum qui egreſſi ſunt de femore Iacob, ſeptuaginta:
Ioſeph autem in Ægypto erat. 6. Quo mortuo, & vniuerſis fratribus eius, omniq́;
cognatione illa, 7. filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt: ac
roborati nimis, impleuerunt terrã. 8. Surrexit interea rex nouus ſuper Ægyptum,
qui ignorabat Ioſeph: 9. & ait ad populum ſuum: Ecce, populus filiorum Iſrael
multus, & fortior nobis eſt. 10. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè mul-
tiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque
nobis egrediatur de terra. 11. Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, vt affligerent
eos oneribus: ædificaueruntq́; vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom & Rameſ-
ſes. 12. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſce-
bant: 13. oderantq́; filios Iſrael Ægyptij, & affligebant illudentes eis: 14. atque
ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omniq́; fa-
mulatu, quo in terræ operibus premebantur. 15. Dixit autẽ rex Ægypti obſtetrici-
bus Hebræorum: quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, 16. præcipiens eis:
Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit, in-
terficite eum: ſi femina, reſeruate. 17. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non
fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, ſed conſeruabant mares. 18. Quibus ad
ſe accerſitis, rex ait: Quidnam eſt hoc quod facere voluiſtis, vt pueros ſeruaretis?
19. Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſte-
tricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt. 20. Bene ergo
fecit Deus obſtetricibus: & creuit populus, confortatuſq́; eſt nimis. 21. Et quia ti-
muerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos. 22. Præcepit ergo Pharao omni
populo ſuo dicens: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite: quid-
quid feminini, reſeruate.

VERS. 1. A HÆC SVNT NOMINA] וְאֵלֶּה שְׁמוֹת *veelle ſcemot, & iſta ſunt nomina*: vbi τὸ & videtur copulare hanc Exodi hiſtoriam cum fine Geneſeos, eamq́ue continuare. Olim enim Pentateuchus, vnus continuus fuit liber: quem poſteri deinde in quinq; ſectiones ſiue libros diuiſerunt. Adde ו *vau* Hebr. ſæpè per pleonaſmum redũdare, & tantùm ornatui ſeruire, præſertim initio orationis vel ſententiæ. Vnde & Ezechiel ita incipit: *Et factum eſt in anno triceſimo*. ergo τὸ &, apud Hebræos, ſæpè tantùm eſt nota initij ſermonis, inchoatq́ue orationem.

B SINGVLI CVM DOMIBVS SVIS INTROIERVNT] *Domibus*, id eſt filijs & nepotibus: *domus* enim Hebræis ſæpè ſignificat ſobolem, quòd ea ſit quaſi fabrica patris: ſic Dominus promiſit Dauidi ſe ei domum, id eſt ſobolem regiam, daturum, 2. Reg. 7.11. Achab verò domum, id eſt ſtirpem regiam, euerſurum, 3. Reg. 21.29. Sic Rachel & Lia ædificarunt domum, id eſt proſapiam, Iſrael, Ruth 4. v.11. Sic domum ſumunt quoque Græci, Latini, Galli, Flandri, Hiſpani, Itali. hinc poëta: *Domus eſt ſoboles.*

Cùm domus Aſſaraci victis dominabitur Argis.

Secundò, rectè domus per metonymiam accipitur pro familia, & re tota familiari quæ domo cõtinetur, quomodo ferè accipit domum Ariſt. l.1. Politic. cap.1. cùm ait: *Domus eſt œconomica communicatio, ex viro, vxore, filijs, ſeruis, boue, alijſq́; animalibus conſtans.* Vnde Chaldæus vertit, *ſinguli introierunt cum viris domus ſuæ*, putà cum filijs & ſeruis, eorumq́ue ſupellectile & re domeſtica. hoc enim re ipſa ita factum eſſe, liquet Gen. 46.8. ita Procop. Beda, & S. Auguſt. hic locutione 1. *Domus eſt familia.*

RVBEN, SIMEON, &c. BENIAMIN] Non eſt iſte ordo natiuitatis; ſic enim Beniamin, vtpote natu minimus, deberet eſſe vltimus: ſed eſt ordo coniugalis thori. Primi enim ſex primæ vxoris Iacobi, putà Liæ, ſunt filij: ſeptimus, putà Beniamin, eſt filius ſecundæ vxoris Iacobi, putà Rachelis: duo ſequentes filij, ſunt tertiæ vxoris, putà ancillæ Balæ: duo vltimi, ſunt filij quartæ, putà Zelphæ. VERS. 2. & 3.

ERANT IGITVR OMNES ANIMÆ EORVM, QVI EGRESSI SVNT DE FEMORE IACOB, SEPTVAGINTA] *Anima*, id eſt homines. eſt ſynecdoche. Septuag. vertunt, *erant omnes animæ egreſſæ ex femore Iacob ſeptuaginta*. vbi clarum eſt animas pro hominibus accipi. Certum eſt enim hominis animam non egredi ex femore, nec oriri ex traduce parentum: VERS. 5.

quod vt innueret noster Interpres, clarè vertit, *animæ eorum qui egressi sunt*, &c. Hebræa vtrouis modo. sed meliùs hoc posteriore, cum Nostro & Chaldæo vertas.

Initur hîc numerus Hebræorum ingredientium Ægyptum, quòd scilicet fuerint 70. vt mirabilis illa fœcunditas multiplicandi seminis, Abrahæ auo promissa Gen. 13. v. 16. & Gen. 15. 5. à Deo verissimè adimpleta cernatur, quando 215. annis, quibus in Ægypto vixerunt, ita numero aucti sunt, vt præter paruulos & vxores, sexies centena millia peditum in egressu numerata sint, cap. 12. v. 37.

SEPTVAGINTA] si Ioseph cum duobus filijs annumeres: vt patet Genes. 46. Quare quod statim hîc subdit Moses: *Ioseph autem in Aegypto erat*, exceptionem continet, non ab eo quod immediatè B præcessit, sed ab eo quod paulò antè dixerat v. 1. *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum*. Hebræi enim nō semper proximè præcedentia, sed superiora sæpè & remotiora respiciunt. Sensus autē est, q. d. Moses: Versu 1. inter filios Iacobi ingredientes in Ægyptum, nôn numeraui Ioseph; quia Ioseph iam antè fuerat & erat in Ægypto.

VERS. 6. QVO MORTVO OMNIQVE COGNATIONE SVA] *Cognatione*, scilicet filiorum, tam suorum quàm fratrum, putà nepotum suorum ex fratribus: quæ proxima & maxima est cognatio. q. d. Mortuo Ioseph & fratribus, eorumque filijs; putà in secunda eorum generatione, siue in nepotibus eorum. Vnde hebr. pro cognatio est דוֹר *dor*, id est generatio vel sæculum. q. d. Mortua illa generatione siue sæculo, putà mortuis illis 70. qui cum Iacob C ingressi erant in Ægyptum; tunc statim mirè creuerunt, & multiplicati sunt filij Israel, qui erant filij & posteri illorum primorum 70.

VERS. 7. *Pisces sunt fœcundi; cur?* QVASI GERMINANTES] Hebr. est יִשְׁרְצוּ *ijsretsu*, id est ebullierunt instar ranarum & piscium, quorum mira est fœtura & multiplicatio, præ auibus & animalibus terrestribus; idque tum ob humoris luxuriem, vt vult Plinius l. 9. c. 2. tū quia cunctis anni temporibus generant, vt docet Aristot. l. 6. de Animal. c. 17. Nota hîc Interpretē nostrum subinde adhibere alias similitudines & metaphoras quàm sint in Hebræo, quando res est eadem, idemque sensus: præsertim si familiarior nobis aut clarior sit sua, quàm ea quæ est in Hebræo, vti est hæc germinis præ illa ranarum & piscium. Hoc enim permittitur, imò decet fidum D interpretem. Porrò *τὸ germinantes*, significat eos instar germinis multiplicatos esse, & quasi terræ filios è terra turmatim prodijsse, &, vt Aquila vertit, *erepsisse*. Vnde Septuag. vertunt, *filij autem Israel creuerunt, & multiplicati sunt, & effusi facti sunt*: ita creuerunt, vt per vniuersam illam terram diffunderentur, ait Theodor. græcè χυδαῖοι ἐγένοντο. quod interpres Origenis vertit, *in multitudine magna effusi sunt, & inualescebant valdè valde, multiplicabat autem illos terra*. Appositè: nam sicut ex vno seminis grano succrescunt multi culmi, ex vno culmo multæ aristæ, ex vna arista multa grana, ita vt ex vno grano sæpè nascantur trecenta, & plura: ita ex vno patriarcha, putà ex Iuda, nascebantur plures filij, ex vno filio plures nepotes, ex vno nepote plures abnepotes, &c. ita vt ex vno patriarcha, intra centum annos, aliquot non centenæ, sed millenæ proles progignerentur, A possitque patriarcha ex solis filijs & nepotibus, exercitum instruere, eumque in aciem contra hostes educere.

ROBORATI NIMIS] aucti multitudine, quæ exercitus aut populi ingens est robur. Vtitur hîc Moses anadiplosi, vt significet innumeram gentis suæ propagationem.

IMPLEVERVNT TERRAM] Intellige accommodè, suam vel sibi attributam; putà terram Gessen. Quæres, vnde tanta Hebræorum multiplicatio, an ex natura, an ex miraculo? Resp. Primò, eam non esse propriè asscribendam miraculo: naturaliter enim 70. homines si continuè generent, & hi alios, & illi alios semper per 215. annos, immensum producent filiorum numerum. *Hebræorum multiplicatio partim naturalis fuit.* Vnde Diodorus Siculus docet l. 3. c. 2. Ninū, qui regnare cœpit sub annum 250. à diluuio, contra Bactrianos eduxisse peditum decies septies centena millia, & equitum ducenta millia. Vide quantum 250. annis, ex tribus tantùm Noë filijs propagati sint homines. Pari ergo modo idem hîc fieri potuit; idq; Primò, quia naturaliter fieri potuit, vt omnes mulieres Hebrææ essent fœcundæ & singulis annis parerent. Secundò, fieri potuit, vt præmaturè inciperent parere, & serò admodum desinerent. Tertiò, tradunt Hebræi, nec repugnat Abul. eas binas, ternas, quin & quaternas proles, simul peperisse, imò Aristoteles l. 7. Histor. animal. c. 4. asserit id in Ægypto esse vulgare. sic enim ait: *Cùm animalia quædam singulos pariant, alia plures: genus humanum in ancipiti est: nam vt plurimum, mulieres singulæ singulos pariunt. Verùm sæpè, & locis plerisque geminos etiam edunt, vt in Aegypto fieri certum: pariūt enim in Aegypto & tres & quatuor, idq; locis nonnullis sæpè fit: sed cùm plurimum, quinque nascuntur, & quædam quatuor partubus viginti edidit, quinos singulis partubus enixa; maiorq; eorum pars enutriri & adolescere potuit*. ita Aristoteles. *In Ægypto matres pariunt tres vel quatuor proles simul.*

Respondeo Secundò, hanc Hebræorum fœcunditatem & propagationem, non esse asscribēdam soli naturæ, sed singulari Dei prouidentiæ, auxilio & concursui, qua naturam adiuuit, fouit, vegetiorem & fœcundiorem effecit. *Partim miraculosa fuit fœcunditas Hebræorum.* Probatur, quia Hebræi ita creuerūt, cùm essent in summis & continuis laboribus & afflictionibus, tam corporis quàm animi, imò quo magis opprimebantur, tanto magis crescebant; hæc autem oppressio & afflictio contraria est fœcunditati, & sterilitatem affert. & hoc est quod ait S. August. l. 18. Ciuit. c. 7. *Creuerunt Hebræi diuinitus fœcundata eorum multiplicatione.*

Allegor. Allegoricè, Iacob cum duodecim filijs ingrediens Ægyptum, significat Christum cum 12. Apostolis ingredientem orbem, eoque toto prædicantem Euangelium; ex quo post mortē Ioseph, id est Christi, propagata est innumerabilis credētium multitudo. ita S. August. serm. 84 de Temp.

VERS. 8. *Quis nouus Pharao affligens Hebræos?* SVRREXIT INTEREA REX NOVVS] Quis hic? Caietan. putat fuisse origine non Ægyptium, sed Assyrium. Probat ex eo quod ait Isaias 52. 4. *In Aegyptum descendit populus meus, & Assur calumniatus est eū*. Verùm alius illius loci est sensus, vt ibi dixi. *Sentent. Prima.* Secundò, alij cū Euseb. putant fuisse Mephrē, *Secunda.* quem Eusebius quartum regem facit ex dynastia 18. quæ est Politanorum: additque in anno primo eius regni, mortuum esse Ioseph, & cœpisse afflictionem Hebræorum. Verùm hoc repugnat Scripturæ hîc, quæ asserit hanc afflictionem cœpisse post

post mortem Ioseph, & omnium fratrum ac nepotum eius. Iam diu post Ioseph vixit Leui, alijque fratres & nepotes: ergo diu post mortem Ioseph cœpit hæc Hebræorum afflictio. Tertiò, alij putant fuisse Ramessem, ex eo quòd ab eo, vt videtur, vocata sit vrbs Ramesse, quam in hac afflictione eius iussu ædificarunt Hebræi. Verùm Euseb. Cyril. & alij tradunt, Ramessem diu post Mosem regnasse. Quartò, Gerardus Mercator regem hunc vocat Armesesmianum, quem ait regnasse annos 66. & cœpisse regnare quinque annis ante ortum Mosis. Quintò, Abul. Perer. Torniellus, alijque probabiliùs putant fuisse Amenophim, qui in 18. dynastia Politanorum fuit septimus, quem quidam Memnonem putant lapidem loquẽtem; quippe cuius statua vsq; ad Christum vocem dedit: cùm enim radius Solis circa eius exortum statuam hanc attigisset, & ad os eius peruenisset, tunc illa more modoque hominum loquebatur: huius enim anno 18. natum esse Mosem tradit Euseb. hæc autem Hebræorum afflictio cœpit paulo ante ortum Mosis. Hic dicitur Rex nouus, non quòd esset ex alia dynastia, sed quòd esset ex alia familia, quàm superiores reges qui Ioseph coluerant, inquit Iosephus: vel dicitur Rex nouus, ratione diuersi & noui ingenij, consuetudinis, morum & gubernationis: diuersi, inquam à regibus præcedentibus, qui Ioseph & Hebræos benignè tractauerant.

Tertia. *Quarta.* *Quinta, & vera fuisse Amenophim.* *Statua Memnonis loquens.*

Allegoricè, rex vetus est Deus, rex nouus est diabolus, qui fideles afflixit tripliciter. Primò, violenter per decem Imperatorum Rom. persecutiones; Secundò sapienter per philosophos & hæreticos; Tertiò, astutè & blandè per illecebras & voluptates, vti iam facit, parta Ecclesiæ pace. vide Rupert. & S. August. serm. 84. de Temp. Ita Abbas ille apud Iohannem Moschum in Prato spir. c. 144. dicebat: *Non appetamus Aegyptijs seruire voluptatibus, quæ Pharaoni perniciosi tyranno obnoxios faciunt.* Qui ergo voluptati seruit, Pharaoni, id est dæmoni, se subdit.

Rex nouus est diabolus, qui fideles tripliciter afflixit.

QVI NON NOVERAT IOSEPH] Chald. vertit, *qui non seruabat decreta Ioseph*, sed nouas leges & mores inducebat, iuxta illud, Nouus rex noua lex.

VERS. 10. VENITE, SAPIENTER OPPRIMAMVS EVM] Hebræa habent, *agite sapiamus in eum*, vel contra eum; Septuag. κατασοφισώμεθα αὐτούς, *callidè agamus contra eos*: sapientia enim & prudentia alia de sursum Dei est, alia mundi terrena & diabolica (qualis hæc fuit) Iacobi 3. 15. Vtique non hac lege, fine & mente, Pharao Hebræos in regnum suum admiserat.

Quæres, quando cœperit hæc oppressio Hebræorum? Primò, Euseb. in Chronico putat eam cœpisse statim à morte Ioseph, ac consequenter durasse 144. annis; tot enim sunt à morte Ioseph vsque ad exitum ex Ægypto. sed hic est error: ait enim hîc Moses, eam cœpisse post mortem Leui, omniumque fratrum & totius cognationis, è qua multi diu vixerunt post Ioseph. Secundò, Hebræi in *Seder olam*, putant eam cœpisse in morte Leui, ac durasse 116. annis. sed & hi tam in primo, quàm in secundo errant: à morte enim Leui, vsq; ad exitum ex Ægypto, fluxerunt anni non 116. sed 121. Tertiò, Torniellus putat eam cœpisse initio regni Amenophis, ac durasse 106. annis. Quartò, Pererius putat eam durasse 87. annis.

Quãdo cœperit, & quãdiu durarit hæc Hebræorum afflictio. Sententia Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

A Resp. & dico, eam cœpisse paulò ante natiuitatem Mosis, ac durasse 90. plus minùs annis; scilicet 10. annis ante Mosem, & 80. annis viuente Mose; nam 80. anno vitæ suæ, Moses ex ea, & ex Ægypto Hebræos eduxit. Id patet Primò, ex eo, quòd illa cœperit post mortem Ioseph, fratrum, omnisque illius primæ generationis; constat autem de Leui, qui 4. tantùm annis senior erat Iosepho, vixisse eum annis 137. vt patet c. 6. 16. vixit ergo Leui 23. annis post mortem Ioseph: à morte autem Ioseph ad ortũ Mosis fluxerunt anni 64. à morte ergo Leui ad Mosen fluxerunt anni 41. Rursum Caath filius Leui vixit 133. annis, vt patet c. 6. 18. qui si ponatur natus anno 20. Leui, sequitur eum Leui patri suo superuixisse annis 16. ita vt à morte Caath ad Mosen tantùm fluxerint anni 25. B Rursum post Caath vixisse & defuncti videntur Phares & alij, qui pueri erant cùm ingressi sunt Ægyptum. hæc autem afflictio cœpit post mortem Leui, Caath & cæterorum 70. qui ex Chanaan descenderant cum Iacobo in Ægyptum; imò post horum mortem, cœpit primùm illa Hebræorũ multiplicatio, de qua v. 7. quæ hãc inuidiam & odium noui regis concitauit, vt eos affligeret. Post Caath ergo 15. anni circiter fluxisse videntur, quibus partim defuncti sunt reliqui è primis 70. partim multa prole aucti sunt Hebræi: ita vt inuidia & persecutio Ægyptiorum contra Hebræos, cœperit decennio circiter ante ortũ Mosis. Id Secũdò, probatur ex eo, quòd hæc persecutio cœperit sub ortum Mariæ sororis Mosis, quæ inde dicta est Maria, id est amaritudo: vti tradunt Hebræi; Maria autem decennio circiter fuit senior Mose. C Nam illa Mosen infantem expositum custodiuit, & curauit ali & educari: vt patebit c. 2. erat ergo tum ipsa facilè decennis.

Quinta, auctoris, cœpisse sub ortum Mosis, & durasse 90. annis.

Cœpit Hebræorũ afflictio in ortu Mariæ, quæ inde Maria, id est amaritudo, est dicta.

Vide hîc, quã citò mortalibus surrepat obliuio & ingratitudo. Iosepho seruatam in fame Ægyptũ debebat rex & Ægyptij: rursum Ioseph quintam partem prouentuum totius Ægypti, regiiure perpetuo in fame populum alendo, coëmerat: sed *celeriter non visum*, & (vt Pindarus ait) *vetus beneficium obliuioni, & quasi somno traditur*. homines enim beneficia pulueri, maleficia marmori inscribunt, imò insculpunt; vt dicere solebat b. Thomas Morus. Quàm & hodie in vrbibus, regnis, congregationibus sæpè experimur illud: *Surrexit rex nouus qui ignorabat Ioseph!* Disce ergo quod aiebat idem Morus: *Bene ac laudabiliter facta pro merito compensare mundus hic nec ingratus solet, nec gratus potest.* D Qui ergo gratiam principum captatis, audite illud Volsæi, qui Henrico VIII. Angliæ regi diuortij cum Catharina fuit causa, & postea summam regis indignationem incurrit: *Ego*, inquit, *quia non Dei, sed regis fauorem quæsiui, hinc Dei gratiam amisi, & regis non acquisiui.*

Mor. quàm fragilis & infidus sit principum fauor.

Nouimus nuper in Belgio aulicum primarium, qui Principi cuidam vicino per multos annos intimus, & in summis fuerat delicijs: postea verò leui de causa omni eius gratia excidit. Is ex aula secedens altiùs philosophari, Deoque & animæ suæ vacare cœpit; tumque dictitare solebat, Experientia didici, quantum intersit inter obsequia delata principi, & delata Deo: rursum, quantum intersit inter gratiam principum & gratiam Dei. Didici enim & vidi, obsequia magna & multa principi delata, citò obliuioni tradi, & parum remunerari; sin principem vel leuiter offendas, vidi,

quòd manet alta mente repostum, quodque seuerè vindicatur: obsequia verò, etiam parua, Deo delata, didici in æterna eius memoria seruari, magnisque & æternis præmijs ab eo remunerari; offensas autem in eum, etiam graues, leui pœnitentia ita deleri, vt ipse protinus omnis iniuriæ obliuiscatur, pœnamque vltro condonet. Hoc est quod ait Comicus:

Si quid bene facias, leuior pluma est gratia:
Si quid peccatum sit, plumbeas iras gerunt.

Iure ergo exclamat S. Bernard. epist. 107. *O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias inimicos! Inuenit Aman gratiam apud regem Assuerum, hæc illi gratia crucem peperit. inuenit gratiam apud Absalonem Achitophel; hæc illi suspendium attulit.*

Cur Deus permisit ita durè & diu affligi Hebraeos? Quæres Secundò, cur tam dura & diutina seruitute, permisit Deus Hebræos opprimi in Ægypto? Resp. Rupert. iustè eos in illud ergastulum compactos esse, in quod fratrem Iosephum præmiserant. sed illud patrum, non autem filiorum eorum fuit peccatum. *Causa prima.* Respondeo ergo Primò, quia nonnulli eorum imbiberant impios mores & idololatriam Ægyptiorum; Hebræos enim coluisse Apin & idola in Ægypto, docet Ezech. c. 23. 8. illudque ibidem expressè docet S. Hieron. & Theodor. Hinc & paulò pòst vitulum, quasi Apin Ægyptium, in Sinà conflarunt: hinc & toties Moses in Pentateucho idololatriam vetat & dānat. ita Aben Esra. Fuit ergo hæc seruitus pœna peccati. *Secunda.* Secūdò hac seruitute quasi stimulo, voluit eos excitare Deus, vt auersarentur Ægyptum & Ægyptios; atque in Chanaan, eis à se destinatam, contenderent. *Tertia.* Tertiò, vt hac seruitute daretur Hebræis occasio, & iustus titulus spoliandi Ægyptum, itaque se ditandi. *Quarta.* Quartò, vt per eamdem daretur occasio plurima & maxima edendi portenta, putà 10. plagas Ægypti, quibus Deus toti orbi volebat patefacere suam potentiam, & vindictam in impios Ægyptios, ac clementiam curamque paternam erga suos Hebræos. *Quinta.* Quintò, vt per eam Hebræos purgaret, perficeret & illustraret. quo enim magis opprimebātur, eo magis crescebant. *Sexta.* Sextò, vt hoc quasi felle mel & delicias Ægypti, Hebræis ad illas anhelantibus, insipidas redderet; vt egressi nunquam in Ægyptum regredi cuperent. quàm enim Hebræi ollas Ægypti adamarint, & repetere optarint, patet Num. 11. v. 5. & c. 14. v. 3.

NE FORTE MVLTIPLICETVR ET, SI INGRVERIT CONTRA NOS BELLVM, ADDATVR INIMICIS NOSTRIS, EXPVGNATISQVE NOBIS EGREDIATVR DE TERRA] *Tres causæ quæ mouerunt Ægyptios, vt affligerent Hebraeos.* Nota hìc tres causas mouentes Ægyptios ad oppressionem Hebræorum; scilicet metum, inuidiam & odium. *Prima.* Primò, metum, ne ingruente bello se iungerent hostibus Ægyptiorum, iisque victis & spoliatis exirent in terrā sibi à Deo promissam, putà Chanaan. Hoc enim quasi Abrahæ & sibi à Deo promissum, iactabant Hebræi, ideoque eos timebant Ægyptij. *Secunda.* Secundò, inuidiam, quia videbant se ab exteris Hebræis sobole numerosa, pulchra, robusta, solerti, alijsque animi & corporis dotibus instructa & præstanti superari. *Tertia.* Tertiò, odium conceptum ex diuersitate religionis, indolis & morum: Ægyptij enim suum Apin, siue bouem, aliaque animalia; Hebræi vnum Deum verum colebant: hinc boues & oues sacrificabant & comedebant Hebræi, quod abominabantur Ægyptij. ita Iosephus, qui quartam odij causam addit, hanc scilicet, quòd vates quidam Ægyptius prædixerat, breui nasciturum quemdam ex Hebræis, qui si adolesceret, imperium Ægyptiorum euerteret, res autem Hebræorum mirè augeret & prosperaret: hic fuit Moses. *Quarta.*

PRÆPOSVIT EIS ITAQVE MAGISTROS OPERVM] Hebr. magistros מִסִּים *missim*, id est tributorum, non pecuniæ, sed laterum; vt scilicet quisque suum indies pensum operis persolueret. Rectè ergo Noster interpres vertit, *magistros operum*: vnde & Septuag. ἐπιστάτας τῶν ἔργων, id est *præfectos operum*, verterunt. Erant enim hi, non vt architecti fabricam dirigentes; sed vt imperiosi exactores, ait Philo, opus vrgentes, idque ad eneruandas vires Hebræorum, adque exterminandam exhauriendamque labore nimio eorum generandi, seque propagandi facultatem: scilicet vt pressos angustiis viuere dum tædet, voluptatis coniugalis non libeat. En quàm ipse fidelium hostis Pharao & dæmon scit verum esse illud: *Vers. 11.*

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Labore & vexatione vincitur tentatio libidinis. Quàm verè iuuenis ille apud S. Hieron. epist. ad Rusticum, libidine tentatus, falsò commissi criminis & fornicationis in dies (procurante id secretò Abbate ad tentationis victoriam) accusatus, dixit: *Viuere non licet, fornicari libeat?* Audi Philonem lib. 1. de Vita Mosis acerbam hanc Hebræorum seruitutem describentem: *Rex, inquit, cogebat ad opera seruilia homines, non solùm ingenuos, sed hospites. Secundò, imperabat eis grauiora quàm ferre possent, alios super alios labores cumulans. Tertiò, si quis labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa iudicabatur. Quartò operibus præerat immitissimus & crudelissimus quisque, quos proinde exactores vocabant.* *Sex afflictiones Hebraeorum in Ægypto.* Quintò, ex nimio labore & æstu, plurimi corripiebantur & moriebantur peste; quos insepultos projiciebant Ægyptij, ait Philo. Sextò, addit Eupolemus apud Euseb. l. 9. de Præpar. Euang. regem iussisse, Hebræos diuersa quàm Ægyptios veste indui; vt ita risui & vexationi omnium eos exponeret, ideoque regem illum à Deo punitum esse, & elephantiaco morbo cruciatum interijsse.

OPERVM] Quænam hæc opera Hebræis imposita ab Ægyptijs? Respond. *Quatuor opera & onera Hebraeorum.* Primum opus fuit formate lutum in lateres. patet v. 14. Secundum, ædificare vrbes Phithom & Ramesses: vt hìc dicitur. Tertium. Nilum in multas fossas diducere, ad irrigandum singulorum agros & prata, fossasque aggeribus cingere. ita Iosephus, qui Quartò, pyramidum insanas substructiones tribuit Hebræis. Denique v. 14. ait Script. eos seruiisse in omni famulatu in operibus terræ.

Moral. S. Bernard in Sent. *Magistri, ait, operum Pharaonis tres sunt: fœtidus ardor æstuantis luxuriæ, anxius furor sæuientis auaritiæ, noxius appetitus inanis gloriæ.*

ÆDIFICAVERVNTQVE VRBES TABERNACVLORVM] Sic & Aquilam vertisse auctor est Procopius. Chaldæus vertit, *vrbes thesaurorum*, vt Hebræum סכן *sachan*, vnde מסכנות *miskenot*, idem sit quod Latinum *censere* & census, per metathesin. Septuag. vertunt πόλεις ὀχυράς, id est, *vrbes munitas*; Oleaster, *vrbes conclusas*, vel *vrbes ad includendum*, scilicet *arma*, vel quid aliud. Hebræum *miskenot*, propriè significat granaria, apothecas, repositoria, vti vertit Vatabl. & alij. Erant ergo hæ vrbes *Vrbes tabernaculorum erāt granaria regni.*

vrbes quasi granaria (vnde Noster vertit tabernacula) regni, in quibus recondebantur publica frumenta, oleum, vinum, &c. hæc enim erant opes & thesauri Ægyptiorum; ideoque hæ vrbes erant munitæ & conclusæ, vti vertunt Septuag. & alij.

Pharaones vnde dicti. Prima sententia. Secunda.

PHARAONI] Nota. Omnes reges Ægypti vocantur Pharaones, sicut omnes Romani Imp. vocantur Cæsares. Quæres, vnde? Primò, aliqui putant Pharaones dici à Pharo insula Ægypti. Secundò, alij. Pharao, inquiunt, hebr. idem est quod liber, nudatus, expeditus (à rad. פָּרַע *para*, id est nudauit, expediuit) indeque videtur dictum Latinum *Baro*; reges ergo dicti sunt Pharaones quasi Barones, id est, liberi principes & dominantes. Verùm Pharao, Ægyptium est nomen, non Hebræum.

Tertia.

Tertiò, alij reges Ægypti dictos putant Pharaones, à primo eorum rege Pharaone, sicuti postea ijdem dicti sunt Ptolemæi à primo Ptolemæo, filio Lagi, cui Alex. Magnus Ægyptum attribuit. Verū quia de primo rege, qui proprio nomine Pharao sit dictus, nusquam legimus; hinc,

Quarta, & verior. Pharao Ægyptium est nomē, significās regem & principē.

Quartò, verius videtur, Pharao nomen esse dignitatis, vti apud nos est nomen Augustus. ita Eusebius in Chronico: & Iosephus, qui disertè docet l. 8. Antiq. c. 6. quòd Pharao ægyptiacè regem significet: *Pharao ergo*, inquit Iosephus, *honoris & principatus est nomen, quo vocati sunt omnes reges Aegypti, à Minao illo qui Memphim condidit, quiq; multis annis Abrahamum præcessit, vsque ad Salomonis tempora, per mille trecentos annos; nam post Salomonis socerum Pharaonem, nemo Aegyptiorū regum amplius hoc nomine est vocatus.* Hactenus Iosephus; qui in hoc vltimo suo dicto hallucinatur: constat enim ex libris Regum, Ezechiele & Ieremia, post Salomonis tempora, Pharaonē Nechao extitisse, qui occidit Iosiam, & Pharaonem Ephree, aliosq́; reges Ægypti passim vocari Pharaones vsque ad captiuitatem Babylonicam.

PHITHOM ET RAMESSES] Erant hæ vrbes in regni limitibus. nam de Ramesse egressi narrantur Hebræi in Socoth c. 12. 37. Ramesses fortè dicta est à Ramesse terra in Gessen, quam Hebræis incolēdam dedit Pharao Gen. 47. 11. ita S. Hieron. (vel quisquis est auctor: nam in Smyrna citatur ipse S. Hieron.) in Locis Hebraicis; vel certè, vt vult Abul. ab hac vrbe Ramesse tota regio dicta est Ramesses; vt Gen. 47. 11. vocetur Ramesse per prolepsin terra, quæ postea ab hac vrbe dicta est Ramesses: hanc Abul. & alij postmodum vrbem Heroū dictam volunt. vnde Gen. 46 v. 28. & 29. vbi Ioseph dicitur occurrisse patri Iacobo in Gessen, siue Ramesse, Septuag. habēt, ad Heroum ciuitatem.

Ramesse esse Thebaida aliqui censent.

Eamdem deinde dictam esse pagum Arsenoitarum, ac denique Thebas & Thebaida, tot Monachorum incolatu & monasterijs celebrem, ijdem censent: quamquam Adrichomius hæc omnia distinguat, tresque ponat ciuitates diuersas, scilicet Ramesses, Thebas, & Heroum ciuitatem. Perperam Thargū Hierosolymit. pro *Phithom & Ramesses*, vertit *Tanis & Pelusium*. Tradūt Hebræi, Iudæos in hisce vrbibus ita segniter laborasse, vt ipsæ in prouerbium abierint. dicunt enim de pigro: *Iste est Phithom & Ramesses.*

Addunt Septuag. Hebræos ædificasse Heliopolim. Suspectum id est S. Hieron. in Locis Hebraicis: eò quòd Heliopolis iam antè fuerit exstructa, vt patet Gen. 41. v. 45. Sed responderi po-

A test, aliam hanc fuisse Heliopolin; aut, si eadem fuit, casu aliquo fuisse euersam & ab Hebræis reædificatam, aut ita adauctam, vt noua videretur esse ciuitas.

Tropol.

Tropol. *Phithom* hebr. idem est quod os deficiēs, vel os abyssi. Ramesse est commotio vel conculcatio tineæ. Hæc ædificare iubet Pharao, id est dæmon, vt peccator in morte audiat cum Lucifero illud Isaiæ 14. 11. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* vide Orig. & Rupert. Vnde & S. Bernard. in Sent. *Triforme*, ait, *est impiorum refugium: deceptricis documentum fallaciæ, quæ est Phithom: sæcularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesse: simulatricis figura iustitiæ, quæ est ciuitas Solis. Has ædificari iubet Pharao.*

Vers. 12.

QVANTOQVE OPPRIMEBANT EOS, TANTO MA-
B GIS MVLTIPLICABANTVR] Notat S. Aug. l. 18 Ciu. 6. hoc non naturaliter, sed diuina virtute accidisse: natura enim nimio labore & angore desiccata, arctata & suppressa, tot prolibus generandis, humidum, spiritumq́; vitalem suggerere nequibat: itaq́; quo maiori opere & molestia tam corpus, quàm anima opprimebatur, eo ad generandum erat ineptior. Fidē suam Abrahæ datam, liberat hîc Deus; etiamsi immutandus sit, quem fixit semel, rerum ordo, vt in altissimam eius prouidentiam, fortissimam spem Israelitæ omnes collocare discant.

Crescit aduersis agitata virtus.

Rursum vide hîc quàm crescat aduersis agitata virtus, quæ in prosperis languet & marcescit. Id clariùs significāt Hebræa, quæ pro *multiplicabantur*, habent יִפְרֹץ *iiphrots*, id est *erūpebant*. perinde enim ac aqua, siue fluuius, quo magis ar-
C ctatur & concluditur, eo maiori vi & copia eluctatur, aggeres obicesque perfringit & erumpit: ita & hîc filij Israel, pressi ab Ægyptijs maiore vi & copia eluctabantur & erumpebant.

Seruus bonus est liber.

Moraliter disce hic, seruitutem pijs & fidelibus non nocere, sed prodesse; adeoque eos qui Deo seruiunt, eiq́; curæ sunt, esto sint serui, liberos tamen esse. Ita Bion dicebat, *Bonos seruos esse liberos, improbos autem libertinos multis cupiditatibus seruire.* & Sophocles: *Etsi*, ait, *corpus seruū sit, mens tamen libera est.* Diogenes in seruum venditus, rogatus quid sciret? respondit: *Noui hominibus liberis imperare.* At ille eum manumisit, filiosq́; ei tradens: *Accipe*, inquit, *liberos meos quibus imperes.* testis est A. Gell. l. 2. vnde Seneca epist. 28. *Qui seruitutem*, inquit, *contempserit, in qualibet turba dominantium liber est.* Terentius seruus fuit, & didicit haud serui-
D li ingenio, & comœdias scripsit haud seruili stilo, quo & libertatē, & inter poëtarum duces meruit locum. Plato in seruitutem delatus, quia Philosophus, maior emente se fuit. Fortuna qualibet maior est animus, & in seruo corpore libera mēs habitat. Curia seruum respuit, at non virtus, non industria, nō fides. Tiro Ciceronis seruus fuit, sed his artibus libertatem adeptus, elegantem de patroni iocis librum posteris reliquit. Inter fideles, nobilis fuit Serapion eremita, qui paruo pretio se vendidit, vt seruus factus sua virtute & sapientia dominum suum conuerteret, atque à peccati seruitute absolutum ad veram traduceret libertatē. Nobilior fuit S. Paulinus Nolanus Episc. qui pro filio viduæ in seruum se tradidit Wandalis, suaq́; virtute & prophetia à rege ciuibus suis omnibus libertatem impetrauit. Malchus ille, cuius vitam scripsit S. Hieron. seruus fuit, cuius in coniugio castitas à leone vindicata, & in libertatem asserta

fuit. Leo enim herum Malchum in fuga insequẽtem occidit, itaque Malchus liber effugit. Denique Catonis fuit ea vox, quam celebrat Cicero: *Solus sapiens liber est.*

VERS. 13. ODERANTQVE FILIOS ISRAEL ÆGYPTII] Quasi diceret, Hinc, vel idcirco oderant, quia videlicet eos cernebant adeò crescere. hebr. est יָקֻצוּ *iakutsu*, id est compungebantur (inde enim *kots* significat spinam, eò quòd pungat) scilicet dolore, inuidia, angore, tristitia, fastidio & odio: &, vt Chald. tribulabantur & angebantur propter filios Israel. Hinc patet, Ægyptios inuidisse Hebræorum incremento & prosperitati; odiumque eorum non tantùm ex metu, sed & ex inuidia ortum habuisse. Id disertè docet Iosephus, & Dauid psal. 104. v. 24. & 25.

ET AFFLIGEBANT ILLVDENTES EIS] Hebr. est, *& seruire fecerunt filios Israel in duritia*, vel *sæuitia*, hoc est, tyrannicè eos quasi mancipia tractarunt & exercuerunt: nam summa tyrannis & sæuitia est, ei quem opprimis illudere. rectè ergo vertit Noster, *illudentes eis*.

VERS. 14. OMNIQVE FAMVLATV, QVO IN TERRÆ OPERIBVS PREMEBANTVR] Hebr. est, *in omni opere agri*, id est in omni opere rustico, *erat seruitus eorum dura & sæua, inclemens & tyrannica*. Hinc videtur quòd Pharao Hebræos per totam Ægyptũ distribuerit, vt in agris & villis passim quasi rustici & serui facerent omnia opera rustica; eaq; grauissima eis imponeret, ac cogeret eos quasi asinos laborare.

VERS. 15. DIXIT AVTEM REX OBSTETRICIBVS HEBRÆORVM] Hæc est secunda tyrannis & tyrannica calliditas, priore seruitute, labore & oppressione maior, qua Pharao conatur sobolem gentis Hebrææ extinguere, idq; obstetricum opera, quarum arte solet prolis vita seruari, ait Orig. hîc hom. 2. Has obstetrices Hebræas fuisse, opinãtur Hebræi, & S. August. l. contra mendac. c. 15. Sed verius videtur eas fuisse Ægyptias. ita Iosephus, Hugo Victor. Abul. Oleaster & alij. Neq; enim Hebræis in suam sæuire gẽtem tam facilè persuaderi posse, credidisset tyrannus. Rursum ipsæmet sat indicant, se Ægyptiorũ seruiisse puerperis, fuisseq; Ægyptias, cùm aiunt: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: priusquam veniamus ad eas*, Hebræas scilicet, *pariunt*. hinc laudabilior fuit earum pietas.

Obstetrices Hebræorum erãt Ægyptiæ.

VNA VOCABATVR SEPHORA, ALTERA PHVA] Hæ duæ celebriores erant, & quasi principes aliarum, per quas Pharao reliquis hoc suum mandatum significari curauit. Tradunt Iudæi, & ex ijs Lyranus, has duas fuisse Iochabed, eiusque filiam Mariam, scilicet, sororem Mosis; ideoque Deum ædificasse eis duas domos, scilicet sacerdotalem & regiam: de Iochabed enim nati sunt sacerdotes, putà Moses & Aaron de Maria verò nati sunt reges; quia Maria nupsit Caleb principi domus Iuda, in qua fuit sceptrum & familia regia. Verùm hæ sunt fabulæ & commenta Iudæorũ; nam, vt alia taceam, Maria tum erat tantùm puellula sex vel septem annorum ad summùm, quî ergo poterat esse obstetrix?

Fabulãtur Iudæi has obstetrices fuisse Iochabed & Mariam.

VERS. 16. ET PARTVS TEMPVS ADVENERIT] Hebr. est, *cũ videritis super* אָבְנָיִם *obnaim. Obnaim* vel est sella parturientis, vti communiter explicant Hebræi: vel potiùs, quia est duale, & à rad. בָּנָה *bana*, id est ædificare, descẽdit, significat duos ventris cardines, in quibus primò formatur embryo, sicut

A formatur vas testaceum in rota figuli, quæ inde voce affini vocatur אָבְנַיִם *ophnaim*. Secundò, quibus quasi ostijs, in lucem egreditur & prodit infans: venter enim est quasi ædificium, vel domus embryonis. Sensus autem est: cùm infantem videritis super *obnaim*, id est super ostia vteri, hoc est, cùm infantem matris vtero prodeuntem masculum videritis. vnde Septuag. vertũt, ὅταν μαιοῦσθε τὰς Ἑβραίας, καὶ ὦσι πρὸς τὸ τίκτειν, *quando obstetricabitis Hebræas, & fuerint ad pariendum*; & clarè Vatablus, *cùm videritis eas in partu filium parturire*. Hinc patet, has obstetrices iussas esse occidere masculos Hebræorum non post partum, sed in ipso partu: occultè eos suffocando, comprimendo, strangulando, vt ita rem matres celarent; quasi ipsæ mortuos vel morientes enixæ fuis-

B sent. callido sanè consilio, ne matres insidias persentiscerent, & cauere possent. ita Abulens. & Lipom.

Porro certum est, antequam perfectè prodierit infans, sexum in eo discerni posse, cùm & multò antè signis quibusdam id conijci posse doceãt medici, v. g. si in vtero multæ & fortes sint motiones fœtus, signum est esse marem: rursum, si mater sit bene colorata; si ad dexterum latus sit infans; quia ea pars calidior est & fortior ob vicinitatem hepatis, &c. ita Galenus & Hippocrat. l. 5. aphorism. 42. & 48.

Sexus in vtero discerni potest, quibus signis.

En quibus gradibus crescat regis impietas: voluit Primò, conceptum labore & oppressione parentum impedire, nunc hîc partum elidere conatur; Tertiò, v. 22 prolem iam natam submergere molitur.

C Ita Tropol. dæmon, Primò, heroicum opus, ne fiat, diuertere solet: Secundò, si hoc non possit, illud cùm fit vitiare conatur: Tertiò, si nec hoc valeat, ipsum postquam factum est interuertere satagit.

Tropolog.

SI MASCVLVS FVERIT, INTERFICITE EVM] Facilè & secretò, id facere potest obstetrix. Nã vt ait Aristot. l. 7. Histor. animal. c. 10. *Obstetrices peritæ reprimunt intro in vterum pueri sanguinem: quo facto statim infans, qui iam deficiebat, recreatur, & vita restituitur. Earum officium est deligare & secare vmbilicum infantis, & contra ea quæ accidunt protinus ingeniosè agere*, malisq; occurrere si quæ hæc negligat, aut sinistrè faciat, occidet infantem.

Quæres, cur Pharao iussit occidi mares Hebræorũ, feminas verò reseruari? Resp. Primò, quia à maribus sibi timebat, ne suis quandoq; se iunge-

D rẽt hostibus, v. 10. Secundò, quia feminæ Hebræorum, vti imbelles, ita pulchræ erant: ijs ergo abuti volebat libidinem. Tertiò, volebat eas seruari in famulatum suarum vxorum, essentque famulas Ægyptiorum. Quartò, Hebrææ præstabant in lanificio, textura, tinctura, alijsq; artibus, ideoq; perutiles erãt Ægyptijs, qui indole sua in lucrum intenti sunt, quod Plato tribuit climati loci. Audi eum apud Cælium Rhodigin. l. 18. c. 18. *Inter Platonis placita illud obseruatur, ex varijs cæli locis aspectibúsve diuersas ingenerari morum χαρακτῆρας, siue contemperationes. Quo argumento, in Græciæ tractu in adipiscendis disciplinis videri aptiores multò, quàm alicubi homines. At qui in Phœnicem vergant Ægyptúmve, cumulandæ pecuniæ mirè credi sagaces, ingenio ad id præcipuè facto. In furorem verò vtramq; procliues, quorquot barbarorum innutriti bellis comperiuntur. Et qui exustas à sole mundi partes incolunt, ad timiditatem dege-*

Cur Pharao iussit mares occidi, feminas reseruari.
Prima causa.
Secunda.
Tertia.
Quarta.

degenerare, & effeminatiorem naturam. Dilabitur enim intimus calor meatibus corporis laxatu, & quodammodo hiantibus sideris propinqui intẽperantia. Argumento est cutis nigricans, educti forinsecus insiti caloris copia. At qui frigida & rigentia mundi loca incolunt, nimio plus audacia praecellunt, candentibus corporum extimis. Ceterùm meridiana regiones hinc calore, hinc frigore contemperata, tum prudentiora promunt ingenia sapientioraq́; tum imperijs praecipuè adnata factaq́; cuiusmodi ferè Italia situm videri Vitruuius opinatur.

Quinta. Quintò quia, vt ait Euripides: στῦλοι οἴκων οἱ παῖδές εἰσιν ἄρσενες, *columnae domorum sunt filij masculi*: masculus enim familiam & gentem suam multiplicat, propagat & roborat.

Tropol. mares sũt praediti virtute mascula. Tropol. feminae sunt opera carnis, mares sunt opera mentis & spiritus. Rursum feminae sunt animae molles, infirmae & imperfectae; mares sunt fortes, generosi & perfecti. *Per feminam*, inquit S. Hieron. in c. 2. Ecclesiast. *fragilior sexus & materia significatur; nullus Sanctorum, nisi perrarò feminas genuisse narratur; solusq́; Salphaad qui in peccatis mortuus est, omnes filias genuit. Iacob inter 12. filios, vnius filia, putà Dina, pater, ob ipsam periclitatur.* vide & S. Ambros. l. de Cain & Abel cap. 10.

Virtus à viro dicitur *Virtus*, inquit Cicero Tusc. 2. *ex viro appellata est. Viri autem propria maximè est fortitudo, cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorisq́; contemptus.* Et Lactant. de Opific. Dei c. 12. *Vir*, ait, *dicitur ex eo, quòd maior vis est in eo, quàm in femina. & hinc virtus nomen accepit.* Et S. August. epist. ad Macedon. *Virtus*, ait, *est diligere quod diligendum est. Id diligere, prudentia est: nullis inde auerti molestijs, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est.* hinc Ouidius:

> —*Tendit in ardua virtus.*

& Virgilius 6. Æneid.

> — *Facilis descensus Auerni,*
> *Sed reuocare gradum, superasq́; euadere ad auras,*
> *Hoc opus, hic labor est, pauci quos aequus amauit*
> *Iuppiter, aut ardens euexit ad athera virtus,*
> *Dijs geniti potuere.*

Aristot. hymn. in laud. virt. *O virtus*, inquit, *ardua laboriosaq́; generi humano, pulcherrima vita inuentio! Tuam, ô virgo, ob venustatem etiam mori, optabilis in Graecia habetur mors, ac labores vehemẽtes & indefessos perpeti. Talem pectori fructum immortalem inseris, auro potiorem. tua gratia Hercules Ioue satus, Ledaq́; filij multa perpessi sunt, suis factis quid possent declarãtes.* Et Socrates, *Statua*, inquit, *in sua basi, virtutum autem studiosus in bono proposito immotus esse debet.* Et Plin. l. 36. c. 9 *Vt ingentes*, ait, *obelisci magno negotio statuuntur ob pondus, sed collocati semel infinitis durant saeculis: ita & virtus.* Pharao ergo, id est diabolus, inquit Orig. Cyrill. Aug. Rupert. maximè mares, id est heroës & perfectos, conatur euertere, per duas obstetrices, id est per carnem & mundum, putà per voluptates carnis, & per mundanas opes & honores, quas vt superemus, debemus timere Deum, & timore Dei configere carnem nostram. Ægyptiae indigent obstetricum auxilio, quia imperfecti, vel spe honoris & lucri, vel metu damni & dedecoris, mouẽtur ad opera virtutum: his non indigent Hebraeae, id est perfecti, quia robore Spiritus S. aguntur ad omnia bona & sancta, quantumuis ardua, ex puro amore Dei, studioque illi soli placendi.

VERS. 17. TIMVERVNT DEVM] Hebraicè est, *timuerunt Elohim*, id est, Deum iudicem, omnia gubernãtem,

A punientem, praemiantem; hic enim est *Elohim*, idcoque summè timendus & colendus.

VERS. 19. IPSAE ENIM OBSTETRICANDI HABENT SCIENTIAM] Hebr. est חיות *chaiot*, quod viuaces, vel viuificantes significat, idque triplici sensu; Primò, quasi dicerent: Quia ipsae viuaci & sagaci sunt ingenio, &, vt Chald. vertit, *quia ipsa sapientes sunt*, ideoque ex se suaque solertia obstetricandi habent scientiam, vti vertit Noster. Secundò, quia ipsae viuaces & vegetae sunt, ideoque priusquam ad eas veniat obstetrix, pariunt foetum, cumque viuidum & validum. ita Vatabl. vnde Targum Hierosol. vertit, *quoniam viuificant ipsa antequam veniat ad eas obstetrix: orant coram Patre suo caelesti, & exaudit eas, atque ita pariunt.* Tertiò, quia ipsae sunt viuificatrices, id est obstetrices: harum enim est iuuare parturientes, vt infans vitam accipiat, B itaque ipsae Hebraea phrasi infantem viuificare dicuntur. Rabbini aliqui crassè vertunt, *ipsa similes sunt bestijs* (has enim significat quoq; Hebr. *chaiot*) quae dum pariunt, non egent obstetricibus. Nimirum crassae obstetrices crassis Ægyptijs crassum hoc, quasi eis connaturale potuere dare responsum. Sic enim crassum vulgus Iudaeis infensum naturaliter diceret: *Iudaea pariunt vt animalia & equa.*

PRIVSQVAM VENIAMVS AD EAS, PARIVNT] Mentiuntur; nam ipsae conseruarunt mares Hebraeorum, vt dicitur v. 17. Censet Rupert. hoc earum mendacium fuisse licitum: tum quia ex charitate processit, tum quia Deus illud remuneratus est, aedificando eis domos. Sic Cassian. coll. 17. à c. 17. ad 25. docet, licere mentiri vel mali vitandi, vel lucri acquirendi causa: verbi gratia, ad acquiren- *Licere aliquãdo mentiri censuit Cassianus, Orig. Plato, & alij.* C dam humilitatem. Idem docet Beda in 1. Regum 21. & Clemens libr. 7. Strom. & Origenes libr. 4. cont. Cels. qui hunc errorem hausisse videntur ex schola Platonis, cuius haec est sententia, libr. 3. de Repub. *Mendacio, licet re mala, vtendum tamen est quandoque, tamquam elleboro & medicamine: ergo & principes vrbium, & si quibus alijs hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria & ciuibus. ab alijs verò qui mendacio vti nesciunt, auferendum est omne mendacium.* Idem videtur sentire S. Chrysost. hom. 53 in Gen. & S. Hieron. in cap. 2. ad Galat. sed hi duo piè excusandi sunt, quòd per mendacium intelligant simulationem, vel dissimulationem. Certum enim iam, adeoq; de fide est, omne mendacium esse peccatum & illicitum: patet id Prou. 12. 22. *Abominatio est Domino labia mendacia.* *Omne mendacium esse illicitum probatur.* Imò S. Scriptura saepè per D mendacium, significat omnem impietatem & praeuaricationem: vt Ierem. 8 6. & 10. Osee 7. 1. sicuti è contrario per veritatem, significat omne officium & debitũ virtutis, vt patet Iohan. 8. 44. Ephes. 4. 15. psal. 118. v. 30. 86. 160. Secundò, quia haec sententia definita est ab Innoc. III. tit. de vsuris c. *Super eo.* Ratio est, quia mendacium est intrinsecè malum; tum quia repugnat veritati, aut potiùs veracitati; tum quia in se turpe est homini, fallere, & contra mentẽ suam loqui. Vide S. Aug. l. de Mend. & l. contra mendac. quem constanter omnes Theologi sequuntur.

Dices, Mendacium hoc processit ex charitate. Respondeo, Charitas numquam dictat esse malefaciendum, ac consequenter nec esse mentiẽdum, vt prosis proximo; charitas enim & veritas sorores sunt: mendacium ergo hoc non ex vera

charitate,sed ex inordinato obstetricum amore, vel timore processit.

Dices Secundò, Deus præmiauit hoc earum mēdacium,ædificando eis domos. Respondet S. Aug.l.contra mend.c.19.& sequ. hoc præmiū eis datum esse,*non quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerūt:non est itaque in eis remunerata fallacia,sed beneuolentia;benignitas mentis,non iniquitas mentientis:& propter illud bonū Deus etiam huic malo ignouit.* Idem dico de Raab Iosue 2.5. Idem docet S.Gregor.l.18.Mor.c.2. vbi addit,ob hoc mendacium,præmium earum æternum conuersum esse in temporale. Verùm hoc parum est probabile: peccatum enim veniale, quale erat hoc mendacium officiosum,non potest inuertere charitatis actum,& meritum vitæ æternæ.

Obstetrices remuneratus est Deus, non quia mentitæ,sed quia misericordes fuerunt.

Blasphemia Caluini.

Errat ergo,imò blasphemat Caluin.dum hinc docet,Deum virtutes,licet aliqua sordium mixtura inquinatas,in pretio habere, & mercede ornare,ac si puræ essent:quod ex altero suo principio, non minùs impio,deducit,nullum ita sanctum & absolutū esse opus, cui non adhæreat aliquid maculæ. neque enim hîc actum mendacij vitiosum probauit, aut remuneratus est Deus. quod blasphemum est cogitare;imò & impossibile,& contra naturam rerum, vt scilicet virtus vitio inquinata sit,aut à lucidissimo illo Dei oculo iudicetur habeaturque virtus. Præmiauit ergo Deus non mendacium,sed alios pietatis,misericordiæ timorisque Dei actus: vt expressè ait Moses v.20.qui à priore actu mendacij planè distincti erant; multos enim hæ obstetrices in hac infantium tutela elicuêre actus,alios bonos,alios malos.

Instabis, Quid ergo faciendum erat his obstetricibus; quid Pharaoni vrgenti respondendum? Respond. Aut à facie eius fugiendum erat & latendum;aut artificio aliquo tegenda erat veritas, non neganda; aut certè, quod ait S.August.c.17. l.contra mend.*liberrimè recusandum,& moriendum erat potiùs pro innocentissima veritate.*

VERS.21. ÆDIFICAVIT EIS DOMOS] Ita Hebr.Chald.& Latina,quin & LXX. habent enim ἐποίησεν αὐταῖς, (sic enim legendum videtur, non ἑαυταῖς) οἰκίας. Perperam ergo olim legebatur ἐποίησαν, id est fecerunt, quomodo legit August.vertens, *fecerunt sibi ipsis domos*; munitas scilicet, in quibus ab incursu Ægyptiorum, quorum mandata contempserant,se tuerentur: hoc enim eas fecisse non est probabile. *Ædificauit* ergo,non Pharao,sed Deus quem timuerunt, *eis*,non Hebræis,vt vult Caluinus,sed obstetricibus,quæ timuerunt Deum: hoc enim exigit series orationis, quæ in obstetricum mercede describenda occupatur;ac LXX.qui vertunt ἑαυταῖς,& Chaldæus,qui vertit לְהֶן *leben*,femininè: licet enim in Hebræo sit pronomen masculinum לָהֶם *labem*, tamen illud per enallagen Hebræis familiarem,ponitur pro feminino לָהֶן *laben*,vti fit & c.15.20.& alibi.sic vice versa,femininum ponitur pro masculino Ruth 1.v.13. & 2.Reg 4.6. Vtitur autē Moses hîc masculino pro feminino; quia feminæ & familiæ à viris nomen accipiunt,inquit Vatabl.

Quas domos dedit Deus obstetricibus? Sentent. Prima.

Quænam hæ domus? Hebræi,vt dixi v.15 putant Mariam nupsisse Caleb,& accepisse domum regiam, Iochabed verò accepisse domum sacerdotalem; sed insulsè. Iosephus enim ait Mariam nupsisse non Caleb, sed Hur, & domus regia fuit in familia Dauidis,quæ non ex Caleb, sed aliunde descendit Secundò,R.Kimchi,*Fecit eis domos,* id est,inquit, abscondit eas à Pharaone,& in tuto collocauit. Tertiò,Lyran.*Fecit eis domos*:id est,iunxit eas matrimonio primarijs Hebræis, & inter eos illustres dedit eis proles & familias. Verū hoc gratis & coniectando dicitur:non enim ait Scriptura Deum fecisse eis domos Hebræorum, vel inter Hebræos,sed absolutè domos. Quartò,Rupertus & S.Hieron.in 65.Isaiæ, per domos mansiones in cælis accipiunt: de quibus ait Christus Iohan.14. *In domo Patris mei mansiones multa sunt.* Censent ergo hi Patres, has obstetrices meruisse præmium vitæ æternæ:idem sētit D.Thomas 2.2. q 110.a.vlt.Habuerunt enim verum actum timoris Dei,quo Deum sunt reueritæ, & pro Deo, se mortis periculo exposuerunt,hic autem actus timoris,est supernaturalis & meritorius vitæ æternæ. Hoc verum est; sed huic loco impertinens: nec enim *ædificare domos*, significat in Script.dare præmium vitæ æternę Quintò,probabiliùs S.August.& Theodor.sic explicant:*ædificauit eis domos*, id est, auxit eis rem familiarem, dedit eis opes & rerum temporalium abundātiam: sic enim Iacob ait ad Laban Gen.30. *Iustum est vt aliquando prouideam domui meæ.* pro quo Hebræa habent,*quando faciam & ego mihi domum?*

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sextò & optimè, *ædificauit eis domos*, id est,dedit eis prolem & progeniem numerosam, diuitē, honoratam, insignem, longæuam & diuturnam. Hæc enim quinque maximè nobilitant proles: hebr enim filius vocatur בֵּן *ben*, à rad. בָּנָה *bana*, id est, ædificauit, quòd filius sit quasi fabrica & domus patris,quodque filij per se,perque suos filios quos generant,patris familiam, instar domus ædificent.vide dicta v.1.Nota.Congrua fuit hæc merces, vt quæ proles Hebræorum seruauerant, prolibus bearentur.

Sexta & genuina, domus sunt proles & familia insignis.

Rursum meruerunt hæ obstetrices etiā vitam æternam, vti dixi: sed in veteri testamento Deus illud cæleste præmium non solet exprimere; quia Iudæis rudibus & carnalibus ferè tātùm proponit præmia temporalia,eaq; quinque; Primò,longitudinem vitæ;Secundò,amplam & claram posteritatem;Tertiò,opulentiam;Quartò,potētiam & dominium;Quintò,victoriā inimicorum. Expressa enim regni cælestis & vitæ æternæ promissio, propria est noui testamenti & Euangelij Christi,ait S Hieron.ad Dardanum.

Quinq; bona Iudæis promisit Deus.

PRAECEPIT ERGO OMNI POPVLO] Præceptum hoc infanticidij, tantùm latum est in masculos Hebræorum;vt patet ex præcedentibus.vnde mirum est Caiet.illud ad Ægyptios quoq; extendere.Tertius hic tyrānidis,publicè iam in Hebræos grassantis,fuit gradus.Verisimile est hoc edictum tam inhumanum exhorruisse Ægyptios, ac proinde vix vsu receptum, ac paulò pòst neglectum abolitumq; fuisse. Torniellus censet illud reuocatum fuisse statim post Amenophis, qui illud statuerat,mortem;quam cum Eusebio consignat anno Mosis quarto. VERS.22.

Tropolog.Origen hom.1.& ex eo S.August. serm.84 de Temp. *Anima* inquit,*nostra aut à legitimo rege regitur, aut à tyranno vastatur.* Regem designat Pharao, qui Iosephum & Israelitas fouit;tyrannum designat Pharao, qui non nouerat Ioseph, quique Hebræos in operibus lateris & luti afflixit. *Si enim Deo adiuuante piè viuimus, si de charitate, de misericordia, de patientia, pœnitentia, &c.*

Tropol.

&c. cogitamus, licet adhuc in Aegypto, id est in carne, simus, tamen a Christo rege gubernamur: & ipse regit nos in luto, latere, sed non consumit, nec nos curis terrenis, vel nimijs sollicitudinibus atterit & affligit. Si verò anima nostra cœperit declinare à Deo, inhonesta sectari, tunc subdit colla tyranno (dæmoni) *qui alloquitur gentem suam, id est corporis voluptates, vt mares Hebræorum occidant, feminas reseruent. Vult enim diabolus in nobis sensum rationabilem, ac Deum videntem extinguere, & quæ ad concupiscentiam carnis pertinent, reseruari. Hic ergo Pharao cogit te ad opera sua, non iustitiæ, sed iniquitati seruire: ipse faciet laterem sibi operari & lutum: ipse te sub præpositis magistris & compulsoribus, ad opera terrena & luxuriosa plagis & verberibus aget: ipse est qui te facit discurrere per sæculum, maris ac terræ elementis pro cupiditate* A *turbari: ipse est rex Aegypti, qui te forum pulsare litibus facit, & pro exiguo terræ cespite propinquos iurgijs fatigare: ipse est qui tibi persuadet luxuria castitati insidiari, decipere innocentiam; in domum tuam quæ sunt fœda, foris quæ sunt crudelia, intra conscientiam quæ sunt flagitiosa committere. Si ergo tales videris esse actus tuos, scito te regi Aegypti militare, id est, non Christi, sed diaboli spiritu agi.*

Allegor. de SS. Innocentibus ab Herode cæsis, quæ quasi pretiosa grana dum sata sunt & mortua, seges multa surrexit Ecclesiæ, habet Prosper de Promis. & prædic. Dei p. 1. c. 32. *Allegor.*

Denique Anagog. Rupert. Crucis, ait, vexillo & tribulatione, fortiores simus dæmone, addimur angelis, egredimur de terra; quia cælum nos expectat. *Anagog.*

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses nascitur, exponitur, assumitur & adoptatur à filia Pharaonis. Secundò, v. 11. occidit Aegyptium, fugitq; in Madian, vbi ducit Sephoram, & ex ea gignit Gersam & Eliezer.

1. Egressus est post hæc vir de domo Leui: & accepit vxorem stirpis suæ. 2. quæ
concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abscondit tribus mensi-
bus. 3. Cumq; iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bi-
tumine ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eam in carecto ripæ fluminis,
4. stante procul sorore eius, & considerante euentum rei. 5. Ecce autem descen-
debat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidi-
nem aluei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, &
allatam 6. aperiens, cernensq; in ea paruulum vagientem, miserta eius, ait: De in-
fantibus Hebræorum est hic. 7. Cui soror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem ti-
bi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? 8. Respondit: Vade. Perre-
xit puella, & vocauit matrem suam. 9. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe,
ait, puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nu-
triuit puerum: adultumq; tradidit filiæ Pharaonis. 10. Quem illa adoptauit in lo-
cum filij, vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum. 11. In die-
bus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem
eorum, & virum Ægyptium percutientem quemquam de Hebræis fratribus suis.
12. Cumq; circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Æ-
gyptium abscondit sabulo. 13. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos ri-
xantes: dixitque ei qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? 14. Qui
respondit: Quis te constituit principem & iudicem super nos? num occidere me tu
vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, & ait: Quomodo palàm factum est
verbum istud? 15. Audiuitq; Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moy-
sen: qui fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.
16. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam a-
quam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. 17. Superuene-
re pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis adaquauit oues
earum. 18. Quæ cùm reuertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas: Cur velo-
ciùs venistis solito? 19. Responderunt: Vir Ægyptius liberauit nos de manu pasto-
rum: insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ouibus. 20. At ille: Vbi
est? inquit Quare dimisistis hominem? vocate eum vt comedat panem. 21. Iurauit
ergo Moyses quòd habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam eius vxorem.
22. quæ peperit ei filium, quem vocauit Gersam, dicens: Aduena fui in terra aliena.
Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor
meus eripuit me de manu Pharaonis. 23. Post multum verò temporis mortuus est
rex Ægypti: & ingemiscentes filij Israel, propter opera vociferati sunt: ascenditq; cla-
mor eorum ad Deum ab operibus. 24. Et audiuit gemitum eorum, ac recorda-
tus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. 25. Et respexit Domi-
nus filios Israel, & cognouit eos.

EGRES-

VERS. 1. *Amram fuit pater Mosis.*

EGRESSVS EST POST HÆC VIR DE DOMO LEVI] vir Leuita, vir de posteris Leui: fuit hic Amram filius Caath, nepos Leui, pronepos Iacob, pater Mosis. Alexander Polyhistor apud Euseb. lib. 9 de Præpar. Euang. c. vlt. tradit, Amram natum esse 14. annis ante mortem Ioseph, id est 57. post ingressum Iacob in Ægyptum; ac consequenter anno ætatis 77. genuisse Mosen; obijsseque annis 20. ante egressum Hebræorum ex Ægypto: vixit enim ipse 137. annis, vt patet c. 6. Eusebius tamen in chronico ait Mosen natum anno Amram 70. non 77.

Iochabed mater Mosis an fuerit filia an neptis Leui?

ET ACCEPIT VXOREM STIRPIS SVÆ] Hebr. est, *accepit filiam Leui.* Fuit hæc Iochabed mater Mosis, quæ pariter Numer. 26 59. vocatur filia Leui. Vnde Abul. putat Iochabed, verè & propriè fuisse filiam Leui, & amitam Amram mariti sui; ita vt Leui agens 110. annum, genuerit in Ægypto B Iochabed; hæc autem cùm esset annorum 68. genuerit Mosen: qui 80. vitæ suæ anno eduxit populum. Lege enim naturæ matrimonium amitæ cum nepote non est absolutè vetitum, sed tantùm lege positiua, quæ tum necdũ erat lata, sed postea Leuit. 18. Sic ergo Moses per matrem fuit nepos, per patrem pronepos Leui.

Verùm verius est, Iochabed non fuisse filiam, sed neptem Leui; nec amitam, sed consobrinam Amram: id enim expressè docet noster Interpres c 6. 20. vbi eam vocat patruelem Amram, & Setuag. ibidẽ, qui eam vocant patrui Amram filiam, & Chald. qui eam vocat amitæ Amram filiam. Quòd ergo hîc & Num. 26. vocatur filia Leui, intellige fuisse Leuitidem, siue oriundam è stirpe Leui, vt vertit noster Interpres: sic enim vocantur filiæ Iuda, quæ ex Iuda sunt oriundæ: ita Vatabl. C Perer. & alij Addit enim hoc Moses, tum vt constet Mosen & Aaron tam materno, quàm paterno genere fuisse Leuitas, tum vt significet, Hebræos iam tum cœpisse contribules suas ducere; itaque Deum suauiter tribuum distinctionem iam tum inchoasse.

Facessat ergo Caluini conuitium, Mosen incestuoso matrimonio prognatum esse.

VERS. 2.

QVÆ CONCEPIT ET PEPERIT FILIVM] Mosen. Addit Iosephus, Amram patrem Mosis, de Mose iam concepto & breui nascituro anxium fuisse, ob Pharaonis infanticidę edictum, & cùm Deum instanter pro puero oraret, adstitisse illi Deum, dixisseque: *Scito mihi esse cordi & publicam vestram incolumitatem, & priuatam tuam gloriam: puer enim iste, cuius natiuitatis metu Aegyptij vestros fœtus ad necem damnauerunt, tibi nascetur.: qui gentem suam ex* D *Aegyptia seruitute liberabit. Mox fidem oraculo fecit mulieris partus, qua præter morem puerperarum tam facilè est enixa, vt obseruatores fefellerit.* Fauent huic oraculo verba S. Stephani Actor. 7. 25.

Vaticinium de Mose nascituro.

Natus est Moses anno mũdi 2374.

Natus est Moses anno mundi 2374. à diluuio anno, non 714. vt habet codex Pererij, sed 717. ab ortu Abrahæ 425. (errauit ergo Porphyrius, qui Mosen vixisse fingit tempore Semiramidis, quæ successit Nino, cuius anno 43. natus est Abraham) post ingressum Iacob in Ægyptum anno 135. Id patet; nam diluuiũ contigit anno mundi 1656. durauitque vnum annum: inde à diluuio anno 292. natus est Abraham. Abraham autẽ anno ætatis 75. accepit repromissionẽ à Deo, à qua vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, & datam legem in Sina, fluxerunt anni 430. qui ita A diuiduntur, vt 215. fluxerint à repromissione facta Abrahæ vsque ad descensum Iacobi in Ægyptum: rursum alij 215. fluxerint à descensu Iacobi in Ægyptum vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto; Moses autem natus est 80. annis ante exitum.

Secundò, Moses natus est annis 5:6. ante regnum Dauidis: ante fabricam templi Salomonis annis 560. nam ab egressu Hebræorum ex Ægypto vsq; ad fabricam templi fluxerunt anni 480. vt patet 3. Reg. 6. 1. his adde annos 80. vitæ Mosis vsque ad egressum, habebis annos 560.

Natus est Moses ante Christum annis 1576.

Tertiò, natus est Moses ante captiuitatem Babylonicam annis 985. ante Christum annis 1576. ante initium Olympiadum, siue ludorum Olympicorum annis 802. ante Romam conditam annis 825. Vide tabulam chronologicam quam initio Gen. proposui.

Ætas Homeri aliorumq́; sapientũ Græciæ.

Quartò, natus est Moses non 900. vt vult Lactant. lib. 4. cap. 5. sed 430. annis ante bellum Troianum, ac proinde longè antecessit Homerum, qui minimùm centum annis fuit bello Troiano posterior. hinc consequenter Moses longiùs antecessit septem Græciæ sapientes; hi enim longè Homero fuerunt posteriores, vixeruntque sub tempora Cyri: quos diu pòst secuti sunt Socrates, Plato, Aristoteles sub tempora Alexandri Magni.

Atlas astrologus vixit tẽpore Mosis.

Quintò, tempore Mosis, sub annum Mosis 35. ait Torniellus, primus in Attica fuit rex Cecrops, qui condidit Athenas; post quem ferè omnia contigerunt quæcumque Græci narrant de suis heroibus, dijs, bellis, alijsque memorabilibus. ita Euseb. in Chron. & Cyrill. lib. 1. contra Iulian. Denique natus est Moses eo tempore quo claruit Atlas celeberrimus astrologus, quem ideo finxerunt cælum suis humeris sustentare; qui fuit frater Promethei Physici, quem fingunt lapides in homines transformasse; fuitque hic Atlas auus maternus Mercurij senioris, cuius Mercurij nepos fuit Mercurius iunior cognomento Trismegistus. ita Euseb. in Chron. & S. August. lib. 18. Ciuit 8. Longè ergo Trismegisto senior fuit Moses. quare & Trismegistus & Plato cæterique Gentilium sapientes, suam sapientiam hauserunt à Mose & Hebræis, vti Euseb. & alij docent. vide Gen. 41. v. 40.

VERS. 2.

VIDENS EVM ELEGANTEM ABSCONDIT MENSIBVS TRIBVS] Erat, inquit Iosephus, infans hic tam speciosus, vt aspicientium oculos in se raperet, defixosque teneret. S. Stephan. Actor. 7. v. 20. pro *elegans,* vertit, *fuit gratus Deo.* vnde patet, hanc elegantiam fuisse plusquam naturalem, Mosique à Deo inditam, significasse eũ Deo placere, illi cordi & curæ esse: itaque per hanc elegantiam Mosis, non tam humanam quàm diuinam, in oraculo quod de Mose acceperant, eiusque fide confirmati sunt parentes, & animati ad eum occultandum; nec dubitarunt hac ratione eum ab aquis, Deo tutore, incolumem euasurum. & hoc est quod ait Apost. Hebr. 11 23. *Fide Moses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.* vide ibi dicta. S. Ephrem in oratione de transfiguratione Christi, cẽset Mosen sanctificatum fuisse in vtero matris: hoc enim hæc corporis eius elegantia, ex animæ elegantia promanans, indicare videtur. Verùm hæc coniectura est tenuior, quàm

Mosis elegãtia plusquam naturalis.

vt

vt hoc ei priuilegium, & à communi lege peccati originalis, in quo omnes nascimur, exemptionem stabilire possit, præsertim cùm nemo alius hoc asseruerit.

Scitè Marsilius Ficinus in Platonis Symposiũ, pulchritudinẽ vocauit bonitatis florem, & Pacatus in Panegyr. Theodosij, *Augustissima, ait, quæque species plurimum creditur trahere de cælo. Virtus tua meruit imperiũ; sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit vt oporteret te principem fieri, hæc vt deceret.* Addit Theoph. in Hebr. 11. 23. parentes voluisse Mosen exponere cùm natus est, sed puerum blandè arrisisse, & ob id seruatum. Adeò, inquit, in ipso omnia diuina erant.

VERS 3. CVMQVE IAM CELARE NON POSSET] feruente rursus inquisitione & infanticidio. Nam plures infantes euasisse, remittente se tyrannide, ex Aarone eiusque coæuis liquet.

SVMPSIT SCIRPEAM FISCELLAM] id est arculam iunceam, siue ex iuncis quasi viminibus contextam, & exteriùs ad aquam arcendam pice & bitumine oblitam; cui impositum infantem mater in iunceto seu carecto, vbi incertus euentus certiorem vitæ dabat spem quàm domi, vbi certa erat mors inferenda ab assiduis inquisitoribus, exposuit, dura quidem, sed necessaria, & in Dei prouidentiam fidente misericordia. Perperam ergo Caluinus hos Mosis parentes ignauiæ & ferinæ immanitatis, ob hanc prolis expositionem arguit; nam non poterant aliter vitam Mosis conseruare, nisi eum exponendo. Exposuerunt autem eum quàm tutissimè potuerunt; nimirum in arca bene munita, & in loco tuto, dederunt & ei custodem sororem, quæ eum vtcumque posset adiuuaret. Vnde & Apostolus fidem & animositatem horum parentum dilaudat. Videntur ergo parentes, oraculum quod narrat Iosephus, de Mosis ortu & salute accepisse, ideoque non ex timore, sed ex certa in Deum fiducia eum exposuisse.

Allegor. Moses in cunis delineauit Christum: vterque ergo expositus, ille fortunæ arbitrio, hic saluti hominum: ille in fiscella scirpea, hic in vimineis cunis & præsepio: ille in carecto fluminis, hic in specu viæ publicæ: ille ab Ægyptia exceptus nutritusque pro filio, hic à gentilitate per Magos adoratus, & muneribus diuinis regijsq; pro Deo ac rege vniuersorum declaratus.

EXPOSVIT EVM IN CARECTO] Pagninus, *in iunceto.* Carectum, est locus in quo nascuntur carices. Carix est herba alta, in speciem gladij, & sub finem acuminata. Hinc patet Mosen expositum fuisse in loco palustri, & stagnante ex Nili aquis, densis tamen iuncis & caricibus septo, ita vt arca, & infans in ea expositus, aquarum impetu abripi non posset. Errat ergo Iosephus, dum narrat, arcam hanc Mosis proiectam esse in medium flumen, & deportatam esse ab aquis; filiam verò regis, missis natatoribus iussisse arcam ex aquis extrahi, & ad se adferri.

Porro voluit Deus Mosen hæc pati, vt disceret suorum contribulium eadem patientium misereri, eosque ex hac miseria liberaret & educeret. Disce hic Morale: Ideo nos Deus fecit miseros, vt ex nostra miseria discamus qualiter misereamur proximo. Nam, vt ait S. Bernard. de gradibus humilit. *Æger ægro, & ieiunus ieiuno quanto propinquiùs, tanto familiariùs compatiuntur. sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris veriùs misero corde sentitur. sed vt ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet tuã priùs agnoscas, & proximi mentem in tua inuenies, vt ex te noueris qualiter illi subuenias. Exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret, & disceret ex his quæ passus est misericordiam.*

Allegoricè, Moses hic domo exulans & expositus in fiscella & in carecto, fuit typus Christi pueri, Primò, reclinati à matre in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Secundò, expositi furori Herodis, eumque fugientis in Ægyptum. Vnde S. Paulinus docet, Christum in Mose & Sanctis omnibus fuisse passum; scribens enim ad Aprum, qui mundum contemnens, ab eo pariter contemnebatur, ita ait epist. 1. *Meritò gloriaris & in exultatione dicis, hinc teipsum tibi credere quòd Christianus sis, quia te odisse cœperunt qui diligebant, & despicere qui timebant. Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur & triumphat. In Abel occisus à fratre, in Noë irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Iacob famulatus, in Ioseph venditus, in Mose expositus, in Prophetis lapidatus & sectus, in Apostolis terra mariq; iactatus, & multis beatorum Martyrum crucibus frequenter occisus. Ipse in te patitur opprobria, & ipsum in te odit mundus.*

Idem docet S. Cyprianus l. de Laude martyrij; *Praedurantibus,* inuit, *licet costis resultans vngula recurrat in vulnus, & euntibus flagris cum auulsa corporis parte, rediens habena ducatur; stat immobilis tamen pœnis suis fortior, hoc solùm secum ipse conuoluens, quòd in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur Christus, quàm ipse patiatur;* &, vt inferiùs loquitur, *velut socio Christi cruore decoratus.*

STANTE PROCVL SORORE] Maria puella grandiuscula, 10. aut 11. annorum, submissa à matre, ait Iosephus. Mater eam instruxerat, quid agere, quid dicere deberet, nimirum vt, si quem Ægyptium transeuntem pueri expositi misericordia tangi, vti sperabat, contingeret, qui pueri seruandi modum quæreret, illi nutricem matrem propriam offerret; vti eam fecisse patet ex sequentibus. VERS. 4.

FILIA PHARAONIS] Thermut nomine, ait Iosephus, & ex eo alij passim: addit Philo eam vnicam fuisse Pharaonis heredem, & sine prolibus, licet diu nupta fuisset. VERS. 5.

VT LAVARETVR IN FLVMINE] iuxta palatium, loco & septo & secreto; vel, vt ait Philo, inter opaca condensaque iuncorum & arundinum sito: neque enim feminam regiam in propatulo lauari voluisse credibile est.

PER CREPIDINEM ALVEI] per ripam fluminis hebr. est, *ad manum,* id est ad latus, *fluminis.*

QVÆ CVM VIDISSET FISCELLAM IN PAPYRIONE] id est, id carecto caricibus, iuncis & papyris referto: in Ægypto enim nascitur papyrus, vti apud nos iunci, in locis palustribus vel marginalibus fluminum. Est autem papyrus, arbuscula vel frutex, iuxta Nilum nascens, obliqua radice, triangulis lateribus, decem cubitis longa, & in gracilitatem fastigiata. ex folijs papyri tenui phyllura, acu diducta faciunt chartam ad scribendum, quæ hinc papyrus dicitur; indeq; chartæ nostræ, licet ex contritis linteis factæ, quia tamen eumdem scribendi vsum præbent, papyrus vocantur: ex ligno verò papyri fabricant naues. vnde illud Lucani lib. 4. *Papyrus arbor, ex qua fit charta.*

Cùm

Cùm tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
& Ouidius lib. 15. Metamorph.
Perq; papyriferi septemflua flumina Nili.

Quin & Herodotus l. 2. scribit Ægyptios suas naues ex iunco fabricare. vide Plinium l. 13. 11.

Vers. 6. De infantibus Hebræorum] Suggessit hoc filiæ crudele patris edictum, de perdendis Hebræorum infantibus; vt verò puerum circumcisum intuita est, dubitare non potuit, quin esset Hebræus: tunc enim necdum circumcisionem amplexi erant Ægyptij: quam postea acceptarunt, vti docet Ierem. c. 9. 25. & Theodor. hîc, ac Diodor. Sicul. libr. 1. Antiqu. cap. 2. atque Herodot. lib. 2.

Vers. 8. Matrem suam] Hebr. matrem pueri, sed eadem erat mater sua quæ pueri fratris, scilicet Iochabed. hæc nutriuit, hebr. *lactauit*, Mosen.

Vers. 10. Quem illa adoptavit in locum filii] Quomodo id permisit pater Pharao, infestus Hebræorum hostis? Resp. cor regis esse in manu Dei, & ab eo inflexum fuisse in amorem pueri tam elegantis, inquit Iosephus. Addit Philo, Thermutem, cùm illiberis esset, finxisse se esse grauidam, & genuisse Mosen, quasi Moses non ascititius, sed naturalis eius esset filius. Id è videtur innuere Apostolus Hebr. 11. 24. cùm ait, Mosen grandiorem factum, negasse se esse filium filiæ Pharaonis; ergo antè habebatur genuinus eius filius. Cur ergo Pharaoni mortuo, non Moses, sed alius (vt dicam v. 11.) in regno successit? fortè quia matris fraus, & Mosis adoptio detecta fuit.

Educatur Moses in omni sapientia.

Hinc & regio more educatus est Moses in omni sapientia Ægyptiorum, ait S. Stephanus Actor. 7. v. 22. Nam, vt ait Plato, *Potentatui perutilis ac necessaria est sapientia, vt in illo quidem corpus, in hac verò animus principis constet & decoretur.* Rursum idem Plato:

Platonis placita de educatione.

Qualis, inquit, *in arbusculis plantandis & formandis, talis & in liberis gignendis instituendisq; cura esse debet: sed hîc labor est, illic voluptas. Cauendum autem ne in hac sopiti, in illa verò plusquam vigiles esse videamur.* Idem roganti, *quænam hereditas filijs sit relinquenda*: respondit, *Ea quæ non grandinem, non vim, non ipsum denique Iouem extimescit.* Hinc ipse ad iuuenes, quos ad beatè viuendum animare numquam desinebat, crebrò dicebat: *Otio laborem anteponite, ni rubiginem splendori præstare putatis.* Rursum: *Aduertite contrariam virtutis ac voluptatis naturam. huius enim momentaneæ dulcedini perpetua pœnitentia, dolor & cruciatus affigitur; illi contrà post breues dolores, æternæ, etiam post mortem, delectationes adiunguntur.* Quare discipulo cuidam lautiùs cutem curanti: *Quousque*, ait, *ô miser, tibi carcerem ædificare pergis?* Aliàs: *Sapientes*, inquit, *primo loco collocant animum, secundo corpus, tertio pecuniam: ita in Rep. primus locus detur virtuti, secundus viribus corporis, tertius pecuniæ, quæ virtutis & corporis est administra.* Hac de causa suadebat vigilias, quasi sapientiæ & castitatis amicas; somnum verò diuturniorem detestabatur, vt malarum illecebrarum delictorumq; parentem, & morti perquàm similem: vetabat quoque bis in die comedere, fierique saturum.

Porrò sapientia Ægyptiorum erat duplex, ait Philo, & Iustinus qu. 25. ad Orthodoxos. Prima, aperta ac omnibus exposita; nimirum Geometria, Arithmetica, Astrologia & Musica. Secunda, hieroglyphica, quæ per symbola, grauissima

A Physices, Theologiæ & politicæ facultatis mysteria edocet, hæc ergo omnia, quin & medicinam, inquit Clemens, didicit Moses. Hinc & idem Clemens libr. 6. Stromat. ait, Mosen in suis ritibus & legibus vti subinde hieroglyphica Ægyptiorum ratione; vt scilicet tradat eas per symbola & ænigmata: idque patet maximè in vestibus sacerdotum, Cherubim, arca & fabrica tabernaculi. vide dicta can. 27. M. Varro apud S. August. 18. Ciuit. 4. docet Ægyptios primùm didicisse literas magistra Iside, paulò plus duobus annorum millibus ante suam ætatem. Non dubium quin Iacob, Ioseph & Hebræi habitantes in Ægypto per 215. annos, plurima eos docuerint; hinc de Ioseph principe Ægypti dicitur psal. 104. *Vt erudiret principes eius, & senes eius prudentiam doceret.* vt mirum non sit, in doctrinis & legibus Ægyptiorum multa Hebræorum doctrinæ & legi simillima, inueniri apud Herodotum & Diodor. Siculum.

Isis docuit Ægyptios literas.

B

Addit rursum Philo, magnis præmijs, Mosi accitos fuisse præceptores ex Græcia, qui liberales artes; Chaldæos, qui sideralem scientiam, præsertim quæ futurorum prædictiones continet; Assyrios, qui suas literas eum docerent: vtpote spe omnium destinatum successorem auiti solij, & regem iuniorem appellatum: Mosen verò edomandis animi affectibus plurimū studuisse, secutumque non Ægyptiorum, sed maiorum suorum instituta patria. Vbi Nota, Philonem vti hîc amplificatione quadam: nam Moses prior fuit & antiquior non tantùm omnibus Græciæ sapientibus,

C sed etiam omnibus qui apud Græcos aliquid scripserunt. Quippe Cadmus, à quo Græci litteras acceperunt, multò posterior Mose fuit, vti docet Euseb. l. 10. de Præpar. Euang. cap. 3. quomodo ergo ait Philo Mosi accitos esse præceptores ex Græcia?

Aliud insuper de Mose narrat Iosephus, penes quem sit fides, quòd scilicet Pharao Mosi infanti diadema in caput imposuerit, Moses verò illud detraxerit in terram, & pedibus cōculcarit; quod cùm quasi malum omen acciperent Ægyptij, quasi infans hic Ægypto futurus esset exitialis, atque diuinus ille qui talem puerum nasciturum prædixerat, asseueraret Mosen hunc esse illum ipsum puerum, velletque eum interficere, Thermutis Mosen eripuerit & seruarit.

Voluit Deus Mosen ducem populi futurum, in aula Pharaonis educari, vt regiam vrbanitatem, morum elegantiam, animi magnitudinem,

D liberalitatem, aliasque regias virtutes, quasi rector populi futurus, addisceret & imbiberet. Secundò, vt postea legatus Dei, pro populo apud Pharaonem futurus, maioris esset apud eum auctoritatis, præsertim accedentibus tot eius signis, portentis & plagis.

Vocavitqve nomen eivs Moyses, dicens: qvia de aqva tvli evm] Putant Philo, Iosephus, Clemens Alex. l. 1. Strom. Procop. & Rabanus, quòd Moyses sit nomen Ægyptium: *mos* enim ægyptiacè significare aquam, vel, vt ait Iosephus, aquam Ægyptij vocant *mo*, *ises* verò seruatos; vt Moyses idem sit quod seruatus ex aqua. Verùm dico *Moses* esse nomen Hebr. & significare tractum vel extractum, putà ex aquis: radix enim eius est Hebræa, scilicet מָשָׁה *masa*, quæ significat trahere vel extrahere. Hebræum ergo

Moses est nomen Hebræum, q. d. extractus ex aqua.

Hebræo

Hebræo infanti nomen in dit adoptans eum ma- A
ter Ægyptia: id clarũ est ex Hebr. textu, qui sic habet: ותקרא שמו משה ותאמר כי מן המים משיתהו *vatticra sciemo Mose vattomer: ki min hammaim mesciitihu*, id est, *Et vocauit nomen eius Moses, & dixit: Quia ex aquis extraxi eum*. vbi clarè patet, vocatum esse Mosen, ab Hebræo *mesciitihu*, quod significat *extraxi eum*, scilicet ex aquis.

Nota Primò, genuinè dicendum esse Moses, corruptè verò dici Moyses; sic & alia nomina propria Hebræorum apud Græcos & Latinos corrupta sunt. Secundò, tradunt Hebræi משה, id est Moses, reuolutum per anastrophen, idem esse quod השם *hasscem*, id est ipsum nomen, scilicet celebre, magnum, potens & terribile Pharaoni & Ægyptiis. Rursum, *nomen*, id est virtus, efficacia, & potentia admiranda quæ data est Mo- B
si. Tertiò, Clemens Alexandr. suprà tradit Mosen, antequam exponeretur à parentibus, vocatum esse Ioachim: postea verò à filia Pharaonis vocatum esse Mosen: tertium etiam habere nomen, postquam in cælum assumptus est, & vocari Melchi. Rursum Aben Esra & R. Abraham aiunt, Mosen ab Ægyptiis vocatum esse Monion. Perer. quoque censet, Mosi à filia Pharaonis Ægyptium inditum esse nomen, idem significãs quod Hebr. Moses; ac Mosis nomen postea ab Hebræis ipsi impositum esse. Verùm hæc omnia incerta sunt: nec enim S. Script. nec Iosephus, nec Philo aliud nomen pandunt quàm Mosis, cuius & etymon reddunt, quasi eo appellatus sit tam ab Hebræis, quàm ab Ægyptiis: in sequentibus enim capp. Pharao & Ægyptij, non aliter eum compellant quàm Mosen; sed & Gentium historici, C
Tacitus, Trogus, Iustinus & alij, Mosen eum semper nominant. Ab euentu ergo felici extractionis ex aquis, Moses nomen est sortitus, idque fausto omine & significatione; quòd scilicet ipse pariter aquis afflictionum extracturus & liberaturus esset filios Israel, eosque per mare rubrum sicco pede duceret. *Competens*, ait S. August. serm. 89. de Temp. *fuit diuina vindicta, vt suis affectibus puniatur parricida*, (Pharao per Mosen) *& filiæ prouisione pereat, qui genitrices interdixerat parturire.*

Allegoria. Allegoricè, Cyrill. mater, inquit, quæ filium (Mosen) in fiscella conclusit, est Synagoga, quæ Christum ex se natum segregauit, vt alienum; sed Pharaonis filia, id est Ecclesia Gentium, illum suscepit, idque apud aquas baptismi. & Prosper: *Dum descendit*, inquit, *filia Pharaonis ad Mosen, id est, doctrina huius mundi ad Christum abluta spiritali* D
vnda deposuit superbiam, suscipiensq; quasi grandis paruum, per humilem gratiam Ecclesiæ sociata quæ filia fuerat, Christi mater efficitur. Addit Theodor. mater rursum à Gentili Ægyptia filium educandum suscepit, quia Israel ab Ecclesia Gentium fidem Christi nouissimis temporibus accipiet. Moses ergo natus in persecutione Pharaonis, id est Christus natus in persecutione Herodis & diaboli, qui totum mundum suo iugo premebat. Moses occultatus mẽsibus tribus, significat Christum in lege vetere occultatum triplici tempore, scilicet Iudicum, Regum & Pontificum. Moses proiectus in flumen à parentibus, significat Christum in aquas passionis & mortis à Iudæis immersum, quem Ægyptia, id est Gentilitas, suscepit, & magnificè ac splendidè tractauit, videns eius elegantiam in cælesti sapientia, vita & moribus.

Tropolog. Tropologicè, Hugo de S. Victore in alleg. in Exodi 1. Moses, inquit, est, quisquis in fluuio præsentis est sæculi; filia regis est gratia Dei, quæ nos fluxu sæculi erutos in filios Dei adoptat, & Hebrææ, id est transeunti in cælum matri Ecclesiæ, tradit nutriendos.

In diebvs illis (cùm Moses ageret annum ætatis 40. vt ait S. Stephan. Actor. 7. 23.) postqvam creverat Moses] Iosephus & plurimi eius sequaces narrant, Mosen à Pharaone bello Æthiopico præfectum, Æthiopes profligasse: regiam Sabam, quæ postea à Cambyse, nomine sororis Meroë est appellata, cepisse traditione Tharbis, filiæ regis Æthiopum; quam Moses deinde, iuxta pacta in vxorem acceperit. Hoc Mosis bellum Torniellus consignat anno Mosis 30. cùm iam pridem Amenophis, sub quo natus est Moses, obiisset, ac regnaret Orus, si credimus Eusebio. Sanè quidquid de hoc bello sit, quod Theodor. & alij fabulosum vocant, non dubium est, Mosen multa de se humilitatis studio præteriisse: nec enim his 40. annis, quibus in aula vixit quasi princeps, deses vel otiosus fuit. Addit auctor histor. Scholast. & alij Tharbis hanc, esse Æthiopissam illam, ob quam contra Mosen murmurarunt Maria & Aaron Numer. 12. Rursum Mosen, parta victoria, cùm redire vellet in Ægyptum, nec dimitteret eum Tharbis, ipsum, vt qui peritissimus esset astrorum, duas imagines sculpsisse in gemmis, eius virtutis ac potestatis, vt altera memoriam afferret, altera obliuionem; cumque paribus annulis eas inseruisset, alterum, scilicet memoriæ, sibi reseruasse; alterum, scilicet obliuionis, dedisse Tharbis: quem illa induens, mox Mosis oblita fuit, sicque ille in Ægyptum redire potuit. Sed hæ sunt fabulæ & næniæ.

Vers. II.

Moses conficit bellum Æthiopicũ, si credimus Iosepho.

Fabula de annulis memoriæ & obliuionis.

Egressvs est ad fratres svos] Hebræi fratres vocant omnes eos, qui sunt eiusdem familiæ vel gentis.

Viditqve afflictionem eorvm] Addit Philo, Mosen sæpiùs visisse suos Israelitas laborantes & afflictos, eosque consolatum esse, ac præfectos operum lenitatis admonuisse; itaque purpuratos sensim eum suspectum habere cœpisse, ac tandem ad regem, tamquam ab eo diffidentem, resque nouas molientem, detulisse, eiusque aures calumniis impleisse. En fortitudinem Mosis, profitentis se Israelitam, magisque eligentis affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, Hebr. 11. v. 25. Moses ergo contempsit regnum Ægypti, fassus se Hebræum, eoque negans se filium filiæ Pharaonis. Ob hoc, ait Ambros. in psal. 118. factus est à Deo Pharaonis Deus, id est eo superior, eique terribilis. Ob hoc quoque Philo Mosen vocat miraculum naturæ: nam ambire non dico regiam dignitatem, sed amicitiam, ordinarium in natura opus est: at hæc ipsa spernere, imò detestari, planè extraordinarium est; ideoque miraculum, eoque magis, quo ea non sui commodi, sed publici boni, & suæ gentis causa despexit. ita Philo. Hæc vera est animi celsitudo, regnum pietati posthabere: hæc summa dignitas, quæ eum regia dignitate digniorem effecit. Maior est enim qui dignitatem despicit, quàm qui suspicit & suscipit. Nam ille honore superior, hic inferior est: ille pompæ herus, hic seruus: hic gloriam esurit vt mendicus, ille contemnit vt dominus.

VIRVM ÆGYPTIVM PERCVTIENTEM QVEMDAM DE HEBRÆIS] Philo ait, hunc Ægyptium fuiſſe vnum ex præfectis, qui iniuſto onere oppreſſos Hebræos tam iniquè pulſare conſueuiſſet. S. Stephan. Actor. 7. percuſſionis vice, iniuria eum affeciſſe dicit. Tradunt Hebræi, hunc Ægyptium adulterium commiſiſſe cum vxore huius Hebræi, ideoq; orta rixa eum percuſſiſſe. ſed hoc eorum de more eſt figmentum. Certum eſt, hanc percuſſionem fuiſſe grauem & enormem, vel in ſe vel ob circumſtantias, vel ob ea quæ præceſſerant, vt ait Philo, ita vt percuſſor mereretur plecti morte: aliàs enim Moſes non habuiſſet poteſtatem & ius, nec voluntatem eum occidendi.

VERS. 12. PERCVSSVM ÆGYPTIVM ABSCONDIT SABVLO] *Percuſſum*, id eſt occiſum; ſepeliuit enim & abſcondit eum in ſabulo.

B

An iuſtè Moſes occiderit Ægyptium? Quæres, an iuſtè & rectè cædem hanc fecerit Moſes? videtur enim Moſes, vtpote agens vitam priuatam, nullam ad hoc auctoritatem vel à Deo, vel ab homine accepiſſe.

Prima ſententia. Primò, Hebræi, etiam priſci, teſte Clem. Alexandr. libr. 1. Stromat. excuſant Moſen, eò quòd Ægyptium occiderit non gladio, ſed pronuntiando in eum nomen tetragrammaton Iehoua; quomodo S. Petrus ſolo verbo occidit Ananiam & Sapphiram. ſed hoc eſt commentum: percutere enim eſt, non verbo, ſed gladio aliiſúe armis ferire. Rurſum, tunc nomen Iehoua necdum erat Moſi reuelatum. Deus enim illud ſibi primò indit, illudque Moſi reuelat Exodi 6. 3.

Secunda. Secundò, S. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 70. hoc factum Moſis culpat, quaſi factum præter poteſtatis & iuſtitiæ ordinem; illudque tribuit eius zelo, ſed nimio & inculto, qui vitioſa quidem, inquit, ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat. ſignificabat enim hic zelus nimius, Moſen, vbi excultus foret, zelumque hunc ratione regere & temperare didiciſſet, fore inſignem & animoſum populi ducem. Hinc & Oecumen. in epiſt. Iudæ, tradit diabolum in altercatione cum Michaële de corpore Moſis, dixiſſe, Moſen non eſſe dignum ſepultura, eò quòd iniuſtè occidiſſet Ægyptium, cumque non in ſepulchro, ſed in ſabulo ſepeliuiſſet.

C

Tertia. Tertiò, S. Ambroſ. lib. 1. Officior. 36. S. Thomas & Burgenſ. hoc Moſis factum tribuunt iuſtæ defenſioni, qua Hebræum iniuſtè inuaſum defendere tenebatur ex charitate. ***Qui enim ſocium non defendit ab iniuria cùm poteſt, tam eſt in vitio quàm ille qui facit***, ait S. Ambroſ. Nam, vt ait Toletus in Lucæ 12. annot. 27. tunc non erat iudex, qui poſſet iniuriam auertere, & iniuria erat præſens, nec moram temporis patiebatur: vnde Moſis erat tunc ſubuenire.

Addit Caietanus, hoſce præfectos operum fuiſſe publicos hoſtes & oppreſſores Hebræorum: ideoque licuiſſe Hebræis eos occidere ſi poſſent. perinde ac in bello iuſto licet hoſtem & inuaſorem vbiuis occidere.

Quarta & vera. Quartò, planiſſimè & ſolidiſſimè, fecit id Moſes, ex inſpiratione diuina auctoritatem adeptus: mouebat enim Deus Moſen ad hanc cædem, vt vindicem ſui populi agere inciperet, & publicum hoſtem occideret. hoc enim eſt quod ait S. Stephanus Actor. 7. 25. *Fecit vltionem percuſſo Aegyptio; exiſtimabat autem fratres intelligere, quoniam* Deus *per manum ipſius daret ſalutem illis.* Sciebat ergo Moſes, adeoque alios paſſim ſcire putabat, ſe iam à Deo deſignatum eſſe ducem & vindicem Hebræorum, Deumque velle vt ad hunc ducatum per hanc cædem, & vindictam iuſtam ſe compararet; adeoque S. Stephanus hîc videtur confirmare hiſtoriam Ioſephi, qui narrat oraculum patri Amram factum, de filio ſuo Moſe vindice & liberatore Hebræorum futuro. ita S. Auguſt. hîc, Rupert. S. Thom. & alij.

Symbol. notat S. Ambroſ. lib. de Cain & Abel, Moſen aptum fuiſſe interfectorem Ægyptij, quia in ſeipſo priùs interfecerat ambitum honoris & regni. ***Ille, ait, velut quaſdam in ſe manus iniicit, qui interficit voluptates corporis ſui. Interfecit ergo Moſes Aegyptium hominem; ſed non interfeciſſet, niſi priùs in ſe Aegyptium ſpiritalis nequitia interemiſſet, honorem regalium voluptatum.***

Allegor. Moſes percuſſo Ægyptio liberauit Hebræum, id eſt Chriſtus fracta diaboli potentia liberauit genus humanum. Ægyptius abſconſus eſt ſabulo, quia diabolus, eiuſque tentamenta abſconduntur in bonis temporalibus, quæ inſtar ſabuli vilia, imbecilla & inſtabilia ſunt. ita Perer. *Allegoria.*

AIT] intra ſe, id eſt cogitauit. ſicut enim eſt verbum linguæ, ita eſt & verbum mentis. VERS. 14.

QVOMODO PALAM FACTVM EST VERBVM ISTVD?] Hebr. *verè notum factum eſt verbum.* noſter Interpres profundiùs Moſis pathos intellexit, illudque per notam admirationis expreſſit; quaſi diceret, Itáne vel veréne notum factum eſt verbum iſtud? ſed eòdem res redit. Nota. *Verbum* metonymicè vſurpant Hebræi pro facto, aut re cuius verbum eſt index & ſignum. ſic dicitur: ***Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum***, id eſt omnis res: & paſtores dicunt Luc. 2. ***Videamus hoc verbum quod factum eſt***, Chriſtum iam natum.

Vide hîc quàm aulæ honores ſint inconſtantes, quàm mundi felicitas ſit inſtabilis & varia. En Moſes adoptatus in filium regis, pellitur in exilium. Verè dixit Philo libro, *quòd Deus ſit immutabilis: Sicut affluxum maris ſequitur paulò pòſt refluxus. ſic rerum caducarum affluentiam ſequitur mox refluentia.* Audi & Senecam: *Notiſſima, ait, vox eſt eius qui in cultu regum conſenuerat, cùm eum quidam rogaret, Quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet ſenectutem: Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias ſæpè agendo.*

QVI FVGIENS] opportuno tempore, quando Deo viſum, rediturus, ſuiſque conſulturus. Hinc Apoſtolus ad Hebræos 11. v. 27. ait de Moſe: ***Fide reliquit Aegyptum, non veritus animoſitatem Regis.*** quaſi diceret, Etſi Moſes fugerit, non tamen concidit animo, nec ſpem liberandi Iſraelis abiecit; ſed certò ſibi perſuaſit, ſe ſuo tempore rediturum & liberaturum Iſraelem; quamquam & alius magis genuinus illius loci eſt ſenſus, vt dixi Hebr. 11. VERS. 15.

D

Ita S. Athanaſius, cùm Iuliani Apoſtatæ iuſſu Alexandria in exilium pelleretur, & circa ſe Chriſtianos illachrymantes videret, dixit: ***Bono animo eſtote. nebula enim eſt, quæ breui euaneſcet.*** ita Sozomen. lib. 5. cap. 14 ita factum eſt. nam paulò pòſt Iulianus monachus in ſpiritu præuidens Iuliani interitum, ſuis dixit: ***Aper ſilueſtris, hoſtis vineæ Domini, debitas ſcelerum in Chriſtum dedit pœnas, & mortuus iacet, ne ampliùs Chriſtianis inſidias ſtruat.*** mox compertum eſt id verè accidiſſe eodem momen-

momento, quo monachus loquebatur, teste Theodor. lib.3.c.19. A

Sanctus nusquam est exilium; quia Deum vbique inueniunt. Vbi Nota. Fidelis & sanctus in exilium pelli nequit. Nam vbique excipitur à Deo, qui illius & pater & patria, & omne bonum est. Ita S.Cyprian. epist.56. ad Thibaritanos: *Solus*, inquit, *non est, cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei seruans, vbicumque fuerit, sine Deo non est.*

Ita S.August. serm. de S.Cypriano: Arbitraris, inquit, tyranne, de patria sua in alienam te excludere hominem Dei? falleris: ille in Christo nusquam est exul, in carne vbique est peregrinus. ita S.Nazianz. *Mihi*, inquit orat.28. *omnis terra, & nulla terra patria est*: quia scilicet mihi patria cælum est; & quia totam terram pro patria duco, sumque cosmopolita, id est ciuis mundi.

Ita S.Basilius, *Exilium*, inquit, *non cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum; ac nec terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco: imò vt rectiùs loquar, vniuersam terram Dei esse scio, cuius aduena sum & peregrinus.* testis est Nazianz. orat.20. quæ est de laudibus S.Basilij. B

Hugo Victor. l.3. Didascal. c.vlt. *Delicatus*, inquit, *ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis iam, cui omne solum patria est: perfectus, cui mundus totus exilium est. Ille mundo amorem infixit, iste sparsit, hic extinxit.*

MADIAN] Madian vrbs fuit condita à Madian filio Abrahæ ex Cetura. vnde & tota regio dicta est Madian. Quàm verum illud Eccli.2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem?* Ecce quot hîc tentamenta Mosen vocationem Dei sequentem, aulamque egressum glomeratim inuadunt; paupertas, ignominia, contemptus, nō ab Ægyptiis tantùm, sed & ab ingratis, quorum causa hæc omnia subibat, Israelitis, insidiæ regis, pericula mortis, fuga, exilium: sed nullis, ne ingratorum quidem malis vincitur Mosis destinata pietas, quæ non homines, sed Deum intuita, inuisibilem tamquam videns sustinuit, ad Hebr.11.27. Vide hîc quàm verum sit illud S.Marci Anachoretæ: *Deus conscius infirmitatis nostra, non solet alicui quid magni conferre, nisi prauia calamitate.* *Tentationes Mosen Deū sequentem inuadunt.* C

Allegor. Allegor. notat Rupert. S.Stephanum asserere Act.7. patres Iudæorum negasse Mosen, Samuelem, Dauidem, in exemplū & typum Iudæorum Christum negātium: qui idcirco fugiens vxorem alienigenam duxit, scilicet Ecclesiam Gentium.

Mose agēte in Madian contigit diluuiū Deucalionis: Nota. Mose agente in Madian (anno Mosis 67. inquit Torniellus, qui fuit Cecropis Atheniensium regis primi 31.) contigit celebre illud apud Gentiles diluuium Deucalionis in Thessalia. dicitur Deucalionis, quia Deucalion tunc ibidem regnauit, ipseque cum paucis aliis hoc diluuium, in parua rate appellens ad Parnassum montem, euasit; vnde fertur ipse genus humanum reparasse. ita S.August. lib.18. Ciuit.10. D

item Phaëthontis incendium. Tunc etiam contigit Phaëthontis incendium; perinde ac si ignis & aqua in perniciem hominum tunc coniurassent; tantus enim fuit æstus Solis, vt vniuersum orbem torruisse videretur: ex quo orta est fabula Phaëthontis, quòd scilicet Phaëthon Solis filius, malè regens solis currum, terram exusserit. ita Euseb. Cyrill. Orosius lib.1. c.10. & ex his Torniellus.

VERS.16. SACERDOTI MADIAN] Chald. *principi Madian*, Cornel. in Pentateuch. quin & Artapanus apud Euseb. lib.9. de Præp. Euang. c.vlt. hunc Raguel vocat regem Arabiæ: eius enim pars est Madian. Hebræum כהן *cohen* propriè sacerdotem significat: sed quia sacerdotium, quasi nobilissima & diuina functio, tum ferè principibus aut primariis familiarum, vti Melchisedec, Noë, Abraham, competebat; & quia princeps ac magistratus in primis cultum Dei, & quæ ad gloriam illius faciunt, promouere debet; hinc *cohen* principem quoque significat, vt patet 2.Regum 8.18. vbi filij Dauid dicuntur fuisse sacerdotes, hoc est, vt Septuag. vertunt, αὐλάρχαι, id est principes aulæ. Potuit ergo Raguel sacerdos esse & princeps, sacerdos, inquam, tum quidem idolorum; quia Madianitæ erant idololatræ: postea autem videns mira quæ faciebat Deus per Mosen, Deum verum agnouit & coluit, vt patet Exodi 18. licet S.Cyrillus lib.3. de Adorat. in spiritu fol.54. & Abul. putent eum ex nunc coluisse vnum Deum altissimum, sed cum eo multos etiam alios deos suæ gentis. *Cohen vocatur sacerdos & princeps.* *Iethro fuit sacerdos idolorum.*

Demetrius historicus, inquit Euseb. suprà, tradit quòd Abraham ex Cetura genuit Iecsan, ex quo natus est Adam, (vt potiùs Dadan, vt patet Genes.25.3.) à quo Raguel pater Iethro, cuius filiam Moses accepit vxorem; additque Mosen fuisse statura longum & flauum, prolixiore capillo & barba, ac denique statura & facie permagnæ dignitatis. *Mosis statura & forma.*

ADAQVARE CVPIEBANT GREGES] Nobilis tum erat ars pastoritia, quidquid occlamet Caluin. quam etiam tum nobiles exercebant virgines mirabili temporum illorum castimonia, vti in Gen. vidimus fecisse Rachel & Liam.

EIECERVNT EAS] ad haustum à puellis, paratumque potum agentes sua pecora, fruituri inertes alienis laboribus, inquit Philo. VERS.17.

DEFENSIS PVELLIS] Hugo Victorinus putat Mosen comites duxisse secum, quibus adiutus pastoribus restitit. Vbique charitatis semina sparsit Moses, innocentum, oppressorum & iustitiæ vindex. ita sibi Raguelis gratiam & Sephoram coniugem conciliauit. Hoc prudens, hoc Christianum est, beneficentiâ sibi omnes deuincire. Sic Christus *transiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo*, Actor.10.v.38. Vidit & hoc per vmbram gentilis Scipio, qui seruabat Polybij præceptum, ne è foro discederet, quin aliquem sibi amicum aut beneuolum magis efficeret, inquit Plutarchus.

AD RAGVEL] Tradunt Hebræi, Lyranus & Abulens. Raguel fuisse quadrinomium; Primò, enim vocatur hîc *Raguel*. Secundò, cap. sequenti vocatur *Iethro*, id est addens; quia ipse addidit vnum caput legi, de ordinatione populi per tribunos, centuriones, quinquagenos & decanos, Exodi 18. Tertiò, vocatur *Cinæus*, Iudic.4.v.11. Quartò, vocatur *Hobab*, id est amans, quia dilexit legem Dei, & ad iudaismum est conuersus, vt patebit Exodi 18. Verùm alij probabiliùs putant Hobab non esse Raguel, sed Raguelis filium, de quo Numer.10.29. VERS.18. *Iethro tria habuit nomina.*

VIR ÆGYPTIVS] Talis Moses ex veste & habitu videbatur. fortè etiam se venire ex Ægypto sciscitantibus puellis responderat. VERS.19.

VT COMEDAT PANEM] cibum sumat, conuiuetur nobiscum. *Panis* enim Hebræis, per synecdochen, quemlibet cibum significat. VERS.20.

VERS.21. IVRAVIT ERGO MOYSES QVOD HABITARET CVM EO] Scriptura hîc breuitati studens, multa intelligenda relinquit, scilicet filias ad fontem reuersas esse, indeque Mosen, patris verbis persuasum, domum deduxisse, amanter ab eo salutatum esse, exploratâque statim eius indole, post multa vltrò citroque verba, tandem ad pactum habitandi cum eo descendisse, illudque iuramento firmasse, ac denique eius filiam Sephoram vxorem duxisse. Nota. Pro *iurauit*, hebraicè est, יֹאֶל *ioel*, quod licet propriè significet, voluit, consensit, acquieuit, & ita hîc vertant Septuag. Chald. Vatabl. & alij, tamen subinde per metathesin, & per commutationem litterarum *ebeui*, idem est quod אָלָה id est iurauit, vt patet 1. Samuel. 14. 25. *Et adiurauit Saul populum*, hebraicè est יֹאֶל *ioel.*

VERS.22. QVEM VOCAVIT GERSAM, DICENS] Hebraicè, *quia dixit*: dat enim rationem cur eum vocet *Gersam*, quòd scilicet ipse Moses, aduena & peregrinus fuerit in Madian. גֵר *ger* enim *peregrinum*, שָׁם *scam illic* significat.

Nota. Hi filij Mosi nati sunt, non statim vt venit in Madian, anno eius 40. sed diu pòst; scilicet paulò ante reditum ex Madian in Ægyptum, qui contigit anno eius 80. id patet ex eo, quòd in hoc reditu vxorem cum filiis hisce imposuerit asino, vt dicitur cap. 4. v. 20. erant ergo tunc adhuc paruuli.

ALTERVM VERO PEPERIT] Noster Interpres cum Septuag. secundi filij Mosis nomen hîc interserit, vt filios Mosis simul enumeret; licet illud non habeatur in Hebræo hoc loco, sed Exodi 18. v. 4. vnde illud transcripserunt Septuag. & Noster: vel potiùs illud ex Hebræo hîc excidit. Hebræa enim subinde mutila sunt, vti ostendit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 2. Nomen ergo secundo filio Moses imposuit Eliezer, id est Deus meus adiutor, idque vt doceret fideles Primò, exilia & aduersa quæque, Deo nixos, fortiter ferre. Secundò, liberos suos intueri, non vt iritamenta auaritiæ, sed vt monumenta diuinæ largitatis; quibus ad gratiarum actionem & Dei obedientiam incitentur. Tertiò, Dei semper esse memores, prolesque Sancto vel Sancti alicuius nomine nuncupare. Quartò, nomine suo proles admonere voluit, vt cogitent vnde, & quomodo sint nati, quidue Deo debeant, denique quos imitari teneantur.

Moses vocauit filium Eliezer, curi Prima causa. Secunda. Tertia. Quarta.

VERS.23. POST MVLTVM VERO TEMPORIS MORTVVS EST REX ÆGYPTI] Is videlicet sub quo natus Moses, adoptatus, & ad necem quæsitus fuit: hoc enim series historiæ videtur exposcere. Quæ ratio coëgit Gerardum Mercatorem, vt non Eusebium, sed Manethonem secutus, hæc omnia quæ hucusque narrauit Moses, contigisse censeat sub Armesesmiano, siue Ramesses rege, quem diutissimè, scilicet 66. annos regnasse tradit.

Verùm quia certiorem hîc chronologum Eusebio non habemus, quem passim Catholici sequuntur, hinc cum iis solidiùs dicemus, hoc tempore non tantùm mortuum fuisse Pharaonem illum, sub quo natus est Moses; sed & duos alios, eum in regno sequentes, qui eiusdem cum eo erant genij & odij in Iudæos. Hæc enim facta videntur paulò antè, &, si Torniello credimus, vno anno ante ducatum Mosis, & liberationem Hebræorum ex Ægypto; cùm Moses ageret annum ætatis 79. ad quem nec Ramesses, nec quis alius rex Ægypti regnauit. Dicit ergo Moses hîc, instante iam Hebræorum liberatione, quòd rex eos affligens, cum suis asseclis sit mortuus; vt indicet iis, vtpote tyrannis, mortuis, Hebræos ingemuisse, & inclamasse Deum, vt eis mitiorem Pharaonem crearet; aut potiùs, liberatorem mitteret qui eos ex Ægyptia seruitute exciperet. Sensus ergo est, q. d. Mortuo rege, aliisque tyrannis, Hebræi seriò inuocarunt Deum pro sua liberatione; Deusque eos exaudiuit, ac sequenti anno, qui fuit 80. Mosis, misit Mosen qui eos liberauit.

VOCIFERATI SVNT] Hebræi hîc, flagello hoc seruitutis exciti, redeuntes ad cor, acriùs post mortem tyrannorum, quasi maior iam libertatis sperandæ detur occasio, vociferantur ad Deum, vtpote qui solus eos liberare poterat: ita tribulatio docet Deum inuocare. vulgò dicitur: Qui nescit orare, eat ad mare: ibi enim fluctus & pericula docebunt eum precari, Deumque & cælites inclamare.

ASCENDIT CLAMOR EORVM AD DEVM AB OPERIBVS] Chald. propter opera. Hinc Theologi docent, oppressionem pauperum esse peccatum clamans in cælum, quod sui enormitate Deum prouocet ad celerem opprimentium vindictam, & oppressorum liberationem.

VERS.24. AC RECORDATVS EST FOEDERIS] Anthropopathῶs hîc & alibi, Deo memoria & recordatio tribuitur: quia si Deus esset homo, qui hactenus permisisset Hebræos affligi, rectè eorum oblitus diceretur; iam verò eos liberare destinans, diceretur recordare fœderis initi cum patriarchis, quo promisit se Deum fore eorum, seminisque eorum; peculiari vtique & eximiâ circa eos prouidentiâ.

VERS.25. ET RESPEXIT DOMINVS FILIOS ISRAEL] ita Romana & Hebr. Respexit autem, & cognouit (vti addunt Hebræa) Deus populum suum, cogitando eum citò liberare, eique clementem se exhibere.

Nota τὸ *audiuit, recordatus est, respexit, cognouit*: hæc enim omnia repetunt & inculcant miram Dei in suos curam, amorem, prouidentiam, magnamque & celerem breui affore eius opem & misericordiam. Septuag. vertunt, *& cognitus est eis*, scilicet liberans eos: quasi diceret, Cognita eis fuit Dei erga se cura & prouidentia, cùm per Mosen cœpit & aggressus est eos liberare. vnde Noster vertit, *& liberauit eos*, τὸ enim *liberauit* hîc actum inchoatum, non consummatum significat.

Est hoc capite, & præced. illustris locus moralis de fructibus aduersitatis & patientiæ, eiusque exemplum in Mose & Hebræis, qui per aduersa creuerunt, factique sunt populus, Ecclesia & regnum Dei. Scripsit Tertull. (quem S. Cyprian. & alij secuti sunt) insignem librum de Patientia, in quo c. 5. ostendit diaboli & omnium hominum peccata, impatientiæ esse asscribenda; sequentibus demonstrat, quàm eximium sit vitæ antidoton patientia, idque contra quæuis aduersa; ac Primò, aduersus opum & facultatum iacturam c. 8 hæc dat patientiæ pharmaca.

Aurea patientia documenta ex Tertull.

Primum, *Omni*, inquit, *penè in loco de contemnendo sæculo Scripturis Dominicis commonemur. Vnde & Dominus ipse in nullis diuitiis inueuitur.*

Secundum, *Dominus semper pauperes iustificat, diuites*

diuites prædamnat. radix enim omnium malorum est cupiditas.

Tertium, *nihil est nostrum: quoniam Dei sunt omnia cuius ipsi quoque nos sumus.*

Quartum, *qui damni impatientia concitatur, terrena cælestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Libenter ergo terrena amittamus, cælestia tueamur: totum licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.*

Quintum, *patientia in detrimentis exercitatio est largiendi; facit enim nos faciles ad communicandum, & dandum eleëmosynam. non piget donare eum, qui non timet pendere.*

Sextum, *gentilium est, omnibus detrimentis patientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortassis animæ anteponunt. nos verò non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere conuenit, seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo.*

Septimum, *ipsam animam & corpus, in sæculo isto expositum omnibus ad iniuriam gerimus, eiusq; iniuriæ patientiam subimus. absit à seruo Christi, vt patientia maioribus tentationibus præparata, in friuolis excidat.*

Secundò, aduersus acria verba & verbera, eodem cap. hæc dat patientiæ remedia.

Primum, *Dominus monet: Verberanti te in faciem, etiam alteram genam obuerte. Fatigetur aliena improbitas patientiâ tuâ.*

Secundum, *plus improbum illum cædis sustinendo. ab eo enim vapulabit, cuius gratia sustines.*

Tertium, *respice dictum Domini: Cùm vos maledixerint, gaudete.*

Quartum, *Dominus ipse maledictus in lege, & tamen solus est benedictus. igitur Dominum serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus.*

Quintum, *alioqui cruciabor, saltem impatientia muta.*

Sextum, *idcirco quis te lædit, vt doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est. ergo cùm fructum eius euerteris, non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus ibis, sed insuper & aduersarij tui frustratione oblectatus, & dolore defensus.*

Tertiò, aduersus dolorem in morte charorum, cap. 9. hæc dat patientiæ dulciaria.

Primum, *lege Apostolum 1. Thess. 4. De dormientibus non contristemini, &c.*

Secundum, *credimus resurrectionem mortuorum. vacat ergo dolor mortis, vacat & impatientia doloris.*

Tertium, *cur doleas, si perisse non credis: cur impatienter feras subductum, quem credis reuersurum?*

Quartum, *profectio est, quam putas mortem, idq; ad beatam vitam.*

Quintum, *non est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus. cur immoderatè feras abiisse, quem mox subsequêris?*

Sextum, *impatientia in huiusmodi & spei nostræ malè ominatur, & fidem præuaricatur.*

Septimum, *Christum lædimus, cùm euocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus.*

Octauum, *Apostolo resistimus dicenti: Cupio dissolui & esse cum Christo. optimum ergo illud est votum Christianorum, pariter & nostrum.*

Quartò, aduersus vltionis appetitum, cap. 9. & 10. hæc dat pœnitentiæ placamenta.

Primum, *hæc vlciscendi libido negotium curat, aut*

A *gloria, aut malitia: sed gloria vbique vana est; & malitia Domino odiosa, hoc quidem loco maximè: quia malum duplicat, quod semel factum est. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior?*

Secundum, *vterque læsi Domini reus est, qui omnem nequam prohibet, & damnat, quiq; præcipit malum malo non rependendum.*

Tertium, *quem honorem litabimus Domino, si nobis arbitrium defensionis* (id est vltionis) *arrogauerimus?*

Quartum, *quid credimus iudicem illum, si non & vltorem? hoc se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi: & ego vindicabo, id est patientiam mihi, & ego patientiam remunerabor.*

Quintum, *qui vindicat se, honorem vnici iudicis,* B *id est Dei, abstulit.*

Sextum, *post vindictam sequitur pœnitentia, fuga, & reatus, vt pari modo plectamur.*

Septimum, *nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi nouit: quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corruit, aut præceps abiit.*

Octauum, *si leuiùs defendaris, insanies: si vberiùs, oneraberis.*

Nonum, *quid mihi cum vltione, cùius modum regere non possum, per impatientiam doloris?*

Decimum, *si patientia incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlcisci non desiderabo.*

Quartò, contra Satanæ insultus c. 11. hæc dat patientiæ roboramenta.

Primum, *paruula Satanæ iacula de sua mediocritate contemnas: maximis pro sua exuberantia cedas.*

Secundum, *vbi minor iniuria, ibi nulla necessitas* C *impatientiæ: at vbi maior iniuria, ibi necessarior est iniuriæ medela, patientia.*

Tertium, *certemus igitur quæ à malo infliguntur sustinere, vt hostis studium æmulatio nostra æquanimitatis eludat.*

Quartum, *si verò quædam ipsi in nos aut imprudentia, aut sponte etiam superducimus, æquè patienter obeamus, quæ nobis imputemus.*

Sextò, ad cruces à Deo immissas, hæc dat patientiæ sustentamina.

Primum, *si à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis quàm Domino patientiam præbeamus?*

Secundum, *gaudere, & gratulari nos decet dignatione diuinæ castigationis: Ego, inquit, quos diligo, castigo.*

Tertium, *Dominus patientes felices prædicat, dicens: Beati pauperes spiritu, beati flentes, beati mites,* D *beati pacifici. gaudete cùm vos maledicent, & persequentur: merces enim vestra plurima est in cælo.*

Septimò, c. 12. hos patientiæ fructus assignat: *Patientiæ fructus.*
Primus est pax & reconciliatio cum proximis.

Primò, *patiens implet legem Christi, iubentis ignosci fratri, non septies, sed septuagesies septies. item, vt remittamus fratri offensam, si à Deo veniam & remissionem cupimus.* *Primus.*

Secundò, *& Apostoli dicentis: Sol non occidat super iracundiam vestram. non licet ergo nobis vna die sine patientia manere.*

Tertiò, *coniugatos dissidentes patientia conciliat: alterum adulterum non facit, alterum emendat.*

Quartò, *prodigum filium patientia patris recipit, vestit, pascit, & apud impatientiam irati fratris excusat.*

Secundus patientiæ fructus, est dilectio, siue charitas. *Secundus.*

Dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus S. commendat, cuius nisi patientia disciplinis eruditur?

Primò, *Dilectio*, inquit, *magnanimis est. ita patientiam sumit.*

Secundò, *benefica est. malum patientia non facit.*

Tertiò, *non æmulatur. id quidem patientiæ proprium est.*

Quartò, *nec superbum sapit. modestiam de patientia traxit.*

Quintò, *non inflatur, non proteruit. & hoc ad patientiam pertinet.*

Sextò, *non irritatur, omnia sustinet, omnia tolerat. vtique, quia patiens est.*

Septimò, *meritò ergo numquam excidet. exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ. permanent fides, spes, dilectio. fides, quam Christi patientia induxit: spes, quam hominis patientia expectat: dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.*

Tertius. Tertius est, quòd patientia suggerat pietatis exercitia cap. 13.

Quæ est negotiatio patientiæ in corpore?

Primò, *afflictatio carnis, hostia Domino placatoria.*

Secundò, *ieiunia cum cinere & sacco coniuncta.*

Tertiò, *precationes & deprecationes.*

Quartò, *continentia carnis.*

Quintò, *constantia sub cruce.*

Exempla sunt. *Secatur Isaias, patientiæ viribus armatus, & de Domino non tacet: lapidatur Stephanus, & veniam hostibus suis postulat: Iob omnem patientiæ speciem, aduersus omnem diaboli vim expungit, quem non abacti greges, non filij vno ruinæ impetu adempti, non corporis cruciatus à patientia exclusit. quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum gloriæ, cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias. quid? ridebat Deus. quid? dissecabatur Sa-* A *tan. Hinc omnia duplicia recuperauit.*

Quartus est, quòd patientia cæteras virtutes parit, cap. 14. Quartus.

Primò, *humilitatem instruit.*

Secundò, *pœnitentiam expectat.*

Tertiò, *exomologesin assignat.*

Quartò, *carnem regit.*

Quintò *spiritum seruat.*

Sextò, *linguam frænat.*

Septimò, *manum continet.*

Octauò, *tentationes conculcat.*

Nonò, *scandala pellit.*

Decimò, *martyrium consummat.*

Vndecimò, *pauperem consolatur, diuitē temperat.*

Duodecimò, *seruum domino, dominum Deo commendat.*

Decimotertiò, *feminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene:* B *in omni sexu, in omni ætate formosa est.*

Octauò, patientiæ effigiem ita ad viuum depingit, cap. 15. Patientiæ effigies.

Primò, *vultus illi tranquillus & placidus.*

Secundò, *frons pura, nulla mæroris aut iræ rugositate contracta.*

Tertiò, *supercilia in lætum modum remissa.*

Quartò, *oculi humilitate, non infelicitate deiecti.*

Quintò, *os taciturnitatis rubore signatum.*

Sextò, *color qualis securis & innoxiis.*

Septimò, *motus frequens capitis in diabolum, & minax risus.*

Octauò, *amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur.*

Nonò, *sedet in throno spiritus eius mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Elias. nam vbi Deus, ibi & alumna eius, patientia scilicet: cùm ergo spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum.*

CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses pascens oues Iethro, vocatur à Domino in rubo ardente, & incombusto; ab eoq; mittitur ad Pharaonem, vt liberet Hebræos. Secundò, v. 13. rogat nomen Dei; qui ait: Ego sum qui sum.

1. MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. 2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. 3. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. 4. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum. 5. At ille: Ne appropies, inquit, huc: solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. 6. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum. 7. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus: 8. & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi. 9. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. 10. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel, de Ægypto. 11. Dixitque Moyses ad Deum: Qui sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto? 12. Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis

habebis signum, quòd miserim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immo-
labis Deo super montem istum. 13. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios
Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod
est nomen eius? quid dicam eis? 14. Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait:
Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. 15. Dixitque iterum Deus ad Moysen:
Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac,
& Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale
meum in generationem & generationem. 16. Vade, & congrega seniores Israel, &
dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus
Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis
in Ægypto: 17. Et dixi vt educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi,
& Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi, ad terram fluentem lacte &
melle. 18 Et audient vocem tuam: ingredierisque tu, & seniores Israel, ad regem
Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium
dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. 19. Sed ego scio quòd
non dimittet vos rex Ægypti vt eatis, nisi per manum validam. 20. Extendam enim
manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum
in medio eorum: post hæc dimittet vos. 21. Daboque gratiam populo huic coram
Ægyptiis: & cùm egrediemini, non exibitis vacui: 22. sed postulabit mulier à vicina
sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios & fi-
lias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

VERS. I. MOSES AVTEM PASCEBAT OVES IETHRO] A Per 40. annos quibus in Madian vixit, Moses fuit pastor ouium; totidem deinde annis fuit pastor & dux populi. *Est enim pastoralis ars* (inquit Philo) *præludium ad regnum, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi. Solus potest esse rex vsquequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam; & curando minora animalia, didicit quomodo præesse debeat præstantioribus.* Sic Saul pascens asinas, à Samuele vnctus est in regem: sic & Dauid ab ouibus ad regnum est vocatus: hinc & Homerus Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, pastorem populorum.

Ars pastoritia est preludium regni.

Triplici hoc quadragenario quasi consecrata est vita Mosis. vixit enim in aula Pharaonis 40. annis; inde fuga lapsus, pauit oues Iethro in Ma- B dian 40. rursum annis, vt patet Actor. 7. 30. tertiò ex Madian rediens in Ægyptum, dux fuit populi in deserto per 40. vltimos vitæ suæ annos. ita Eusebius. Mortuus est enim Moses, anno ætatis 120. Deuter. vlt.

In Madian 40. annis quid egerit Moses?

Quæres, quid his 40. annis egerit Moses? Respondet Philo, Primò, eum pascendo oues didicisse pascere & regere populum. Secundò, eum se exercuisse in philosophia & sapientia. Tertiò, studuisse virtutibus, & edomandis animi affectibus. *Vana est* enim *philosophia, nisi in actionem emanet: vti vana est medicina, ni morbos curet, ita & philosophia, ni vitia animæ,* inquit Plutarch. Quartò, Moses hisce annis vacauit orationi & contemplationi; qua præparabatur à Deo ad tanti populi C regimen, vti mox patebit. Addit Quintò, Pererius. Creditur, inquit, Moses tunc scripsisse librum Iob, & librum Geneseos, vt Hebræos in Ægypto oppressos solaretur & confirmaret, tum exemplo patientiæ Iob, & consecutæ consolationis & felicitatis eius; tum exemplis patrum Abrahæ, Isaac, Iacob, tum promissis iisdem factis de liberatione ex Ægypto, & possidenda terra Chanaan. sed de hac re alibi dixi.

IETHRO SOCERI SVI] Hæc vera est lectio: sic enim habent Hebr. Chald. Septuag. & Roman. tam hic quàm c. 4. v. 18. & S. Hieron. contra Heluid. Malè ergo alij legunt: *Iethro cognati sui.* Hinc ergo apparet, quòd Sephora vxor Mosis fuerit filia Iethro; cumque eadem c. 2. v. 21. dicta sit filia Raguel, sequitur eumdem esse Raguel & Iethro.

CVMQVE MINASSET GREGEM] Minare est verbum Latinum, & proprium pastorum baculo oues dirigentium. hinc grammaticus:

Pastor oues baculo minat, lupus ore minatur.

AD INTERIORA DESERTI] Hebr. *post desertum*, id est, sequens desertum in posteriora, id est, interiora eius. ita Chald. Septuag. Vatablus, & alij. Secessit Moses in intimam eremum, orationis & contemplationis silentioris studio, vtque vota pro suis Hebræis liberiùs & ardentiùs nuncuparet; vtque se exerceret in virtutis stadio sub ratione magistra: quò se ad vtrumque vitæ genus, B actiuum scilicet & contemplatiuum, compararet, ait Philo.

Moraliter, hîc disce solitudinem aptissimam esse orationi, culturæ mentis, quieti & perfectioni. vnde Dauid psalm. 54. ait, *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* & Osee 2. Dominus ait: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Hîc discimus pascere & regere tres greges: putà Primò, corpus & corporis membra & motus: Secundò, animam, putà omnes sensus, & affectiones animæ; Tertiò, spiritum, putà intellectum, voluntatem, memoriam, omnesque cogitationes & affectiones animi, depurare ab omni errorum & vitiorum fæce, easque ad normam veritatis & legis diuinæ componere & conformare. Atque hæc C est beatitudo huius vitæ. *Summum* enim *bonum est, animus fortuita despiciens, virtute lætus, extra metum & cupiditatem sana mens, & in perpetua possessione sanitatis suæ.* Atque vt ait S. Cyprianus ad Donatum: *Vna placida & fida tranquillitas, vna solida & perpetua securitas est, si quis ab inquietantis sæculi turbinibus extractus, Deo suo mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam iacere conscientiam glorietur. nihil appetere iam, nihil desiderare de sæculo potest qui sæculo maior est.* Quin & Seneca epist. 84. *Relinque,* inquit, *diuitias; aut periculum possidentium, aut onus: relinque corporis voluptates; molliunt & eneruant: relinque ambitum; tumida res est, vana, ventosa, nullum*

Tres greges cuique pascendi.

Felix & celsa anima, omnia sub se despiciens, in cælo fixa.

habet terminum; tam sollicita est, ne quem ante se videat, quàm ne se post alium; laborat inuidia, & quidem duplici. Ad sapientiam te dirige, tranquillissimas res, & simul amplissimas pete. Si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna submisit, omnia quidem sub te, quæ pro excelsissimis habentur, aspicies.

Solitudinis bona. Hac de causa olim tot millia Sanctorum in eremum concesserunt. Ita Paulus primus Eremita in eremo 79. annis; Onufrius 70. incogniti vixerunt, sed in morte cogniti sunt, cùm à solitudine terrena ad celebritatem cælestem transferrentur. Dicebat Arsenius, *non posse se cum Deo simul & hominibus habitare.* S. Antonius à Constantino Imp. vocatus, ire noluit, dicens: *Si ad Imperatorem venero, Antonius ero: sin minùs, Abbas Antonius.* Idem suis dicebat: *Non expedit Christi seruis, sæcularium domos frequentare: sicut enim pisces de aqua educti languescere & emori solent; ita monachus extra cœnobium confabulationi vacans, ad cordis tepiditatem redigitur, & circa spiritalia exercitia efficitur tardior.*

Suatocopius rex Bohemiæ victus ab Arnulpho Imper. fugit in eremum, cumque eremitis incognitus vixit. Moriens eos vocauit, dixitque: *Ego sum rex Bohemorum, qui prælio victus ad vos confugi: & regiam vitam & priuatam expertus morior. nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præferenda. Hic securus somnus dulces herbarum radices efficit: ibi cura & pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vita mihi Deus dedit apud vos, felix peregi: in regno quidquid eius transactum est, mors veriùs quàm vita fuit.* ita Æneas Siluius hist. Bohem. cap. 13.

Ita & Carolus V. Imp. dicere solebat, *se resignato imperio plus voluptatis in sua monastica solitudine percepisse vno die, quàm ex omnibus suis victoriis & triumphis*, quibus præ cæteris felix fuit.

Audi S. Hieron. in eremo: *Sicubi*, inquit, *concaua vallium, aspera montium, prærupta rupium cernebam, ibi meæ orationis locus: & vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, & lætus gaudensq; cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* ita ipse ad Eustochium de virgin.

Qui ergo Deo & angelis frui cupit, dicat in cella sua: *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* ibi audiet Deum sibi loquentem: *Ducam eum in solitudinem, & loquar illi ad cor.* Rectè ergo S. Hieron. ad Rusticum monachum: *Quamdiu*, inquit, *in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso, varia Scripturæ poma decerpe, his vtere deliciis.* Et S. Bernardus: *Cella*, inquit, *est cælū terrestre.* Denique S. Hieron. ad Heliodorum: *O desertum*, inquit, *floribus Christi vernans! ô solitudo in qua nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas regis magni extruitur! ô eremus familiariùs Deo gaudens!*

VENIT AD MONTEM DEI HOREB] Dicitur hic *mons Dei* per prolepsin: nam non tunc, sed postea hic mons à Dei gloria ibi reuelata (vt vertit Chald.) dataque ibidem lege Exodi 19. dictus est *mons Dei.*

Sinai dicitur à ruborum copia. HOREB] Hic est Sina mons: qui dicitur *Horeb* à siccitate vel solitudine. Idem dicitur *Sina* à ruborum copia. סְנֶה *sene* enim hebr. rubum significat. Notat tamen Adrichomius & alij, *Horeb* propriè esse partem, vel iugum eminens montis Sina. Nota in Sina facta sunt octo mirabilia. Primò, Deus hîc apparuit Mosi in rubo. Secundò, *Octo mirabilia in Sina facta sunt.*

A Moses ibidem percutiens petram, aquas ex ea dedit populo, vt patet cap. 17. v. 6. Tertiò, Moses ibidem orans & leuans manus obtinuit vt Iosue vinceret Amalec, c. 17. v. 10. Quartò, ibidem data est lex à Deo, Exodi 19. Quintò, ibidem Moses quadraginta diebus sine cibo vixit colloquens cum Deo, tabulasque legis accepit. Sextò, ibidem Hebræi adorarunt vitulum aureum; ideoq; Moses tabulas legis confregit, & multos è populo trucidauit. Septimò, ibidem Elias vidit Deum in sibilo auræ tenuis, 3. Reg. 19. Octauò, in hoc monte corpus B. Catharinæ per angelos sepultum est. Denique in Sina erectum est nobile illud asceterium, siue monasterium, in quo viri religiosi mirè se exercebant ad omnes labores pœnitentiæ, orationis & virtutum omnium, cui præfuit B. Iohannes Climacus, qui ibidem quasi alter Moses tabulas legis diuinæ, putà institutiones vitæ monasticæ & religiosæ perfectionis, orando & meditando à Deo accepit, quas & posteris scripto reliquit in insigni illo libro, qui vocatur Climax, siue scala paradisi.

B

APPARVITQVE EI DOMINVS] Facta est hæc apparitio Mosi, cùm 40. annis habitasset in Madian, anno vitæ eius octogesimo, vt patet Actor. 7. v. 30. nam mox ab hac visione missus est à Deo in Ægyptum, ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum: hoc autem contigit anno Mosis 80. vt patet Exodi 7. 7. VERS. 2.

Causam huius rei mysticam insignè dat S. Gregorius lib. 23. Moral. c. 10. vel iuxta aliam editionem 12. quòd scilicet voluerit Deus, per 40. annos Mosen abstrahere ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus, & quasi obdormire; vt
C sic internam Dei vocem mereretur percipere. *Vnde & viri sancti* (inquit) *qui exterioribus ministeriis deseruire officij necessitate coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt.*

DOMINVS] Hebraicè, *angelus Domini*, sic & Septuag. & Chald. Quæres, quisnam hic fuerit? Theodoretus putat fuisse Filium Dei: hic enim angelus v. 14. vocat se Deum; erat ergo & angelus & Deus; erat ergo Filius Dei: hic enim solus est angelus, id est nuntius & legatus missus à Patre. vnde Isaiæ 9. vocatur *magni consilij angelus.*

Verùm dico fuisse hunc verum angelum. Probatur Primò, quia simpliciter hîc vocatur angelus. Secundò, quia Actor. 7. v. 30. S. Stephanus disertè asserit eum fuisse angelum. Tertiò, quia communis est Theologorum cum S. Dionysio c. 4. Cælestis hierarch. sententia, omnes Dei ap- *Non Deus, sed angelus apparuit Mosi.*
D paritiones in veteri testamento factas esse per angelos. vnde & celeberrima illa apparitio Exodi 19. qua data est lex, facta est per angelos, vt patet Galat. 3. 19.

Dices, Quomodo ergo hic angelus se vocat Deum? Resp. Quia licet obsequio esset angelus, inspiratione tamen, repræsentatione & auctoritate erat Deus. sustinebat enim & repræsentabat personam Dei à quo missus erat, quique ei inspirabat ea quæ diceret, & per eum loquebatur.

Porro angelus hic gerebat personam & vicem secundæ personæ SS. Trinitatis: nam quod dicit v. 8. *Descendi vt liberem eum*, populum scilicet Hebræorum, allegoricè significabat, Filium Dei quandoque descensurum ad nos, nostramq; carnem, vt nos peccatis liberaret: sicut & angelus ille, qui viam in deserto Hebræis præiuit in Chanaan,

naan, obibat personam Christi, qui nos è terris A ducit in cælum. Hinc & multi Patres censent, in omnibus apparitionibus veteris testamenti repræsentatum fuisse Filium, non Patrem, non Spiritum S. ita S. Iustin. contra Tryphon. Tertull. l. 2. contra Marcion. Hilar. l. 4. de Trinit. Ambros. l. 1. de Fide, Chrysost. in 7. Actorum.

S. Michael hic apparuit Mosi. Angelum hunc fuisse S. Michaelem probabile est: Michael enim olim erat custos Synagogæ, vti iam Ecclesiæ; hic autem angelus apparuit Mosi, non vt priuato, sed vt futuro duci populi, & principi Synagogæ, eumque vt talem instruxit, & misit ad Pharaonem. vndè idem apparuit Iosue inducenti populum in terram promissam: rogatus enim quis esset Iosue 5. v. 14. respondit: *Sum princeps exercitus Domini*, qui non est alius quàm Michael.

Michael ergo è medio rubi lucidiore flamma oculis, voce auribus Mosis se prodebat: nam nullam hic certam angeli formam, verbi gratia humanam, vidisse Mosen satis indicant sequentia. *Nullam angeli formam vidit Moses.* Rationem dat Moses Deuter. 4. ne Hebræi in idola procliues, eius sibi idolum effingere possent. Apparuit ergo in igne & rubo tantùm, eò quòd nec illorum, nec ex illis statua, vel idolum formari possit, inquit Anast. in Quæst. S. Scripturæ q. 20. Quare non videtur verum phantasma quod Philo hic comminiscitur, dum ait: *è medio rubi promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, diuinum planè simulachrum, luce fulgens clarissima, vt Moses suspicari posset Dei esse imaginem; vocemus eam angelum.* Deus itaque hic Mosi nullam aliam sui speciem exhibuit, nisi ignis; in eoque solo, siue quasi solio suo, siue potiùs quasi symbolo & hieroglyphico, quo repræsentaretur & adumbraretur, apparuit.

IN FLAMMA IGNIS DE MEDIO RVBI] Erat hæc non species vel similitudo ignis, sed verus ignis; alioqui enim deceptus fuisset Moses, putans verum esse ignem. Et quod quæso fuisset miraculum, si simulatus vel laruatus ignis non combussisset rubum? potiùs miraculum fuisset si combussisset.

Nota. Hic ignis fuit productus à Deo, vel potiùs ab angelo ex aëre, aliâue materia vicina rubo; illique materiæ subiectiuè inhæsit, non autem rubo: si enim ignis subiectiuè fuisset in rubo, rubus fuisset in ignem conuersus, ac proinde corruptus & consumptus. *Ignis rubo non inhæsit, sed adhæsit.* Angelus ergo qui de more fuit hic administer Dei, ignem hunc naturaliter applicando actiua passiuis produxit, vel aliunde attulit; eumque apposito sulphure, aliâue materia & fomite aluit, & fouit; simulque impediuit ne ageret in rubum, inducendo rubo liquorem, aut succum aliquem viscosum & frigidissimum, qui igni vel potiùs flammæ tenui resisteret: qua ratione aliqui circumforanei putantur naturaliter manus suas immittere in plumbum liquefactum, eò quòd manus antè liquore tali qui calori plumbi liquati resistat, imbuerint. aut id fecit angelus alio modo & causa naturali. Faciliùs tamen dici potest Deum hic actionem ignis suspendisse, vti mox explicabo.

ET VIDEBAT QVOD RVBVS ARDERET, ET NON COMBVRERETVR] Propriè non ardebat rubus, sed quisquis eum vidisset, ardere dixisset: ardere enim est flammam ex se spargere. rubus verò flammam non spargebat, cùm hoc ignis sit solius qui rubum non peruaserat, vt esset ignitus; sed rubo tantùm contiguus, ita proximè ramos & folia eius ambiebat, vt ignitus flammas vomere videretur. S. Scriptura enim sæpè, præsertim in phænomenis, rebusque apparentibus, loquitur de iis non vt in se à parte rei sunt, sed prout apparent, siue prout homines vulgò de iis censent & loquuntur. Ita ergo hic rubus ardere dicitur, quia hominibus rem, causamque rei secretam ignorantibus, ardere videbatur, omnesque videntes, eum ardere dixissent. Adde, posse esse synecdochen, rubus enim arsisse dicitur, quia pars rubi, putà folia sicca rubi, aërque rubo mixtus ardebant. Rubus enim, æquè ac silua, vocatur totum complexum, putà totum aggregatum vepríum, fruticum, & arborum, cum aëre, omnique alia materia, quæ illi inserta & immista est. Iam autem B in hoc aggregato, esto pars vna, scilicet rami, & folia viridia, non arderent; altera tamen, putà aëris hinc inde immisti, stipularum, stirpium, & foliorum siccorum ardebat. Illustre hoc fuisse videtur Dei miraculum: Deus enim hic conseruabat ignis substantiam, sed actionem & vstionem eius impediebat (subducendo concursum & influxum suum) ne ageret in rubum, vel virentia eius folia minimum affligeret, aut desiccaret. *Deus suum concursum subduxit igni, ne rubum aduteret.* Deo enim cum igne nolente concurrere vt vrat, ne infernus totus vel stupam adusserit: nam certum est illud Theologorum axioma; nullam rem creatam posse operari absque actuali Dei concursu cum alia re. Simili modo Deus tres pueros in fornace Babylonica illæsos seruauit. & hoc est, inquit S. Basilius in psalm. 28. quod ait Psaltes: *Vox* C *Domini intercidentis flammam ignis.* cùm apud pios, putà tres pueros iam dictos, illi lucendi vim tribuit, non vrendi; apud impios verò & damnatos, illi vrendi vim tribuit, non lucendi: ignis enim inferni damnatos non illuminat, sed vrit, ait S. Basilius. Hinc rectè, inquit Philo, rubus hic in se cremabilis, non à flamma vri, sed potiùs ipsam flammam vrere & consumere videbatur: flamma verò quæ solet vrere rubum, hîc non vrere, sed potiùs à rubo vri & consumi videbatur.

Quæres, quid ad litteram significet hic ignis, & rubus ardens & incombustus?

Respondeo, Hic ignis significabat Deum, per Ægyptios rubum, id est Iudæos, incendentem & affligentem, sed non consumentem; quin potiùs eos splendidiores & fortiores efficientem: rubus enim frutex debilis est & senticosus, & vel solo *Rubus in igne sunt Iudæi in afflictione illæsi.* D contactu vulnerans; hic autem illæsus ab igne mansit, eoque fuit superior. quæ res significabat præsentem infirmitatem Hebræorum conuertendam in magnum robur, quodque ipsi per graues & multas plagas, quasi per spinas rubi, puncturi & valdè vulneraturi essent Ægyptios, à quibus tunc vexabantur (inquit Philo & Theodor.) Rubus ergo hic tacitè, inquit Philo, tam Hebræis afflictis, quàm Ægyptiis affligentibus inclamabat: *Nolite succumbere, ô Hebræi. hæc vestra infirmitas, est potentia quæ punget & verberabit Aegyptios. qui delere cupiunt vos, inuiti seruabunt; tot mala illæsi euadetis, & cùm maximè vastari videbimini, tunc maximè enitescet gloria vestra. Vos quoque crudeles, & igni voraci similes innocentium oppressores (Aegyptij) ne nimiùm confidite viribus vestris; cogitate inuictissimas, quas putatis, opes vestras aliquando deletum iri. ecce flamma suapte natura vrens, vt lignum vritur;*

tur; lignum verò cremabile, vrit in modum ignis. A

Quæres Secundò, quid hic rubus ardens & incombustus significet allegoricè?

Alleg. ignis in rubo est Deus in carne. Respondeo, Ignis in rubo, est Deus in carne, siue Verbum caro factum. Rubus enim spinosus, asper, humilis & vilis significat Christi humanitatem, quam ipse sponte multis ærumnis & laboribus subiectam, pauperem, humilem & despicabilem salutis nostræ causa suscepit. iam sicut ignis rubum, ita deitas humanitatem, eiusq́, mortalitatem & infirmitatem non consumpsit. *Per succensum rubum*, inquit S. Gregorius lib. 28. Moralium c. 2. *Mosen alloquens Deus, quid aliud ostendit nisi quòd ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis nostra dolores, quasi rubi spinas, susciperet; & inconsumptā humanitatis nostræ substantiam etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret?* Hinc & Cyrillus contra Eutychetem probat, duas naturas in Christo B mansisse integras, illæsas & inconfusas, sicut in rubo hoc integer mansit tam rubus, quàm ignis.

Ignis in rubo est Deus in B. Virgine cōceptus. Rursum ignis in rubo, quidquid obganniat Caluinus, est Deus in B. Virgine conceptus, & natus illæsa eius virginitate. ita Theodoretus, Rupertus, S. Bernardus serm. de B. Maria, in illud Apocal. 12. *Signum magnum apparuit.* & Greg Nyssenus orat. de Christi natiuitate, *Vt frutex*, inquit, *incendit ignem, & non crematur: itidem etiam Virgo, & lumen parit, & non corrumpitur.* Hinc tota Ecclesia canit: *Rubum quem viderat Moses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix.* Vbi Nota aptè virginitatem comparari rubo; quia per humilitatem & asperitatem vitæ cōseruari debet: in deliciis enim, æquè ac in superbia, castitas est in periculo.

Virginitas est rubus, cur?

Porro S. Hieron. serm. de Assumpt. *B. Virgo*, ait, C *est lana candidissima, ad quam cùm accessisset Spiritus sanctus, vt lana infecta conchylio vertitur in purpuram, versa est & ipsa in matrem Dei, vt non sit quod iam erat.* Ardebat igitur diuino quasi accensa murice, ac radiis vallata candentibus, rubus factus est ardens incombustus. Et S. Leo serm. 1. de Natiuit. *Meritò*, ait, *virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.*

Quapropter Abbas ille qui Porphyriam meretricem conuertit, suspicionemque sceleris cum ea commissi incurrit, ab ea moriens se purgauit veste illæsa ignem ferens, ac dicens: *Credite, fratres, quia sicut Deus rubum custodiuit incombustum ab igne; sicut nec tunicam hanc meam incenderunt prunæ istæ: ita nec ego agnoui peccatum mulieris, ex qua* D *natus sum.* ita habetur in Vita S. Iohannis Eleëmosynarij. Sic & S. Cunegundis castitatem suam probauit coram marito Henrico Imp. ambulando illæsè nudis pedibus super candens ferrum. Insuper Verbum Dei in rubo est Verbum Dei in cruce, quia vtrobique inter spinas. Audi Clem. Alexandr. lib. 2. Pædagog. c. 8. *Vt quod primum per rubum visum fuerat Verbum, per spinam rursus assumptam ostenderet, omnia esse vnius potentiæ, cùm sit vnus Patris Filius principium & finis sæculi.*

Deus est ignis ob quinque analogias. Primò. Nota Secundò, ignem aptè significare diuinitatem, ideoque Deum in veteri testamento passim apparuisse specie ignis; idque Primò, quia ignis est elementum subtilissimum; Deus, autem est purissimus spiritus. *Secundò.* Secundò, quia ignis est lucidissimus; Deus autem est lux immensa, Beatos illuminans, affectum delectans, actusque omnes Sanctorum dirigens. Tertiò, quia ignis est calidissimus; Deus autem suo calore omnia viuificat, purgat, animat, imò & cùm vult irascitur, punit, adurit & deuastat zelo iræ suæ. *Tertiò.* Quartò, quia ignis est leuissimus, Deus autem in altissimis habitat. *Quartò.* Quintò, quia ignis est immistus, & simplicissimus; *Quintò.* talis est & Deus. Vide S. Dionysium Cælestis hierarch. c. 15. & S. Thomam in Isaiæ 10. Hinc Persæ ignem coluerunt quasi Deum, & Chaldæi *Vr*, id est ignem, adorarunt: Romani quoque ignem sacrum, quasi Vestam coluerunt. De hoc ignis symbolo plura dicam Leuit. 9. in fine.

Quæres Tertiò, quid tropologicè significet hic ignis in rubo?

Tropolog. ignis in rubo est tribulatio in homine sancto, cur? Respondeo, Ignis in rubo, est tribulatio in homine sancto, humili & mortificato: talem enim tribulatio non vrit, non lædit, sed illustrat & roborat. Vbi Nota. Rubus, quia frutex est vilis & asper, aptè significat virum humilem & mortificatum, in quo ignis, id est Deus, habitat, & se suaque arcana manifestat. sicut rubus sepit vineam, sic humilitas & mortificatio sepiunt virtutes: & sicut nemo audet contrectare rubum, ita dæmon verè humilem & mortificatum formidat & refugit, inquit Perer.

Huc facit quod scribit Philo in vita Mosis, nimirum per Dei potentiam rubum incorruptibilem factum in medio ignis, immò perinde ac si flamma fonte desuper manante rigaretur, viridiorem visum. Hæc est enim, inquit S. Chrysost. omnipotentiæ Dei vis, vt per contraria operetur contraria, scilicet calorem per aquam, frigus per ignem. Itaque Deo, quando ipse vult, torrens flamma torrentis est instar, & aqua refrigerans vicem habet incendij. Sic & Nyssen. Cùm medio, ait, die alia præstantior quàm solaris lux circa oculos effulsisset, vidit arbustum ardens, cuius tamen rami continua quasi irrigatione virescebant. Ita viret, viget & splendet aduersis agitata virtus.

Rursum hic rubus significat hominem perfectum, in quo iungitur ignis, id est charitas, & rubus, id est humilitas & austeritas vitæ. Perfectus enim, instar ignis, austera & dura non tantùm amplectitur & suscipit, sed etiam ambit & inuadit. Scribit Seneca de seipso epist. 65. *In quacumque positione mentis sim, cùm lego Sextium, libet omnes casus prouocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere, paratus sum: illius animum induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat,*

Spumantemq́, dari, pecora inter inertia, votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exercear. Quid hîc dicat Christianus? quid Religiosus? dicat sanè: Cùm Christum in cruce intueor, & lego, *cernis vt in toto corpore sculptus amor?* libet exclamare cum Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?* veniat tribulatio, veniat angustia, veniat fames, nuditas, contemptus: certus sum quia neque mors, neque vita, &c. poterit me separare, &c. Dicat cum S. Ignatio: *Ignis, crux, bestiæ, ossium confractiones, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantùm vt Christo fruar.*

Anagog. ignis in rubo, est lumen gloriæ in homine beato. Anagogicè, ignis in rubo, est lumen gloriæ, ipsaque beatitudo & gloria in anima & carne humana. Ita S. Ambros. in psal. 43. *Ideo*, ait, *rubus vrebatur & non exurebatur, quia terram istam quæ nobis spinas* ...

ſpinas peccatorum germinat, diſponebat vrere per continentiæ diſciplinam. Reuelauit ergo in hoc futurum quoddam corporei ſplendoris indicium, quo per reſurrectionem caro noſtra fulgeret. Quid enim ſignificat ignis innoxius, niſi lumina reſurgentium?

Symbolicè, eſt concupiſcentia in iuſto.

Quæres Quartò, quid ſymbolicè ſignificet ignis in rubo?

Reſp. Primò, Ignis in rubo, eſt concupiſcentia remanens in iuſto. hoc enim igne, quaſi magna tentatione & tribulatione (hanc enim ſignificat hic ignis) circumdatus eſt iuſtus; verùm ab eo non vritur, quia manet in eo fomes peccati, ſed non regnat in eo peccatum.

Secundò, rector debet eſſe ignis per charitatē, & rubus per ſeueritatem.

Secundò, ignis in rubo ſignificat qualis debeat eſſe Moſes, id eſt, rector populi; ſcilicet quòd debeat eſſe ignis, per ſapientiam, qua ſciat populum docere & regere: & per charitatem & compaſſionem, qua norit populi neceſſitatibus ſubuenire, vitia tolerare, infirmitatibus condolere. Rurſum rector debet eſſe rubus, id eſt ſapientiæ & charitati coniunctas habere ſpinas iuſtitiæ & ſeueritatis ad puniendum & caſtigandum errantes; maximè inobedientes & rebelles.

Tertiò, ignis in rubo, eſt cognitio Dei in cognitione ſui.

Tertiò, ignis in rubo ſymbolum eſt conſummatæ ſapientiæ, quæ conſiſtit in cognitione Dei (hic enim eſt ignis) & noſtri (homines enim ſunt rubus.) vnde orabat S. Franciſcus: *Quis tu Domine, quis ego? nouerim te, nouerim me*: tu es abyſſus ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, virtutis, omnis boni, & totius entis; ego ſum abyſſus ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, vitiorum & nihili: *Abyſſus* ergo miſeriæ meæ *inuocat abyſſum* miſericordiæ tuæ, *in voce cataractarum tuarum.*

VERS. 4. ET AIT] Angelus hanc vocem in aëre formauit, eum certa ratione & modulo ita collidendo, vt planè referret veram locutionem vitalem & humanam.

MOYSES, MOYSES] Oſtendit hîc Deus ſe ſuos ita curare, vt eos ex nomine norit, vocet & dirigat: repetitione autē hac nominis, acriùs Moſis aures animumque pulſat, eumque ad attentionem excitat.

ADSVM] præſtò ſum vt obſequar, da quod iubes, & iube quod vis.

VERS. 5. SOLVE CALCEAMENTVM DE PEDIBVS TVIS]

Cur Moſes iubetur exuere calceos? Prima ſententia.

Quæres cur hoc Moſi iuſſerit Deus? Reſpondet Primò, Diodor. vt Moſes, terram hanc nudis pedibus calcando, eam ſua ſanctitate ſanctificaret: ſed obſtat id quod ſequitur, *Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* non ergo erat terra hæc ſanctificanda à Moſe; ſed iam ſancta, potiùs ſanctificatura erat Moſen.

Secunda.

Secundò, alij ſic explicant, ſolue calceos, vt hoc ſymbolo cedas ouibus & pecudibus tuis, eaſque tecum in Deum transferas; vt totus deinceps in Dei ius & obſequium tranſeas. olim enim cùm quis iure ſuccederet, illudque in propinquum, fratrem, vel cognatum transferret, exuebat calceos, vt patet Ruth 4.7. ita Lipoman. Sed hic ritus & cæremonia, poſt hæc tempora, & poſt datam legem incepit.

Tertia & verior.

Dico ergo ad litteram, Moſes hîc, cùm per modum naturæ audacter, curioſè ac parum religioſè ad ſcrutandum hoc myſterium ignis in rubo vellet accedere, prohibitus eſt ab angelo, iuſſuſque calceos exuere, vt reuerentiam exhiberet diuinæ maieſtati, quæ in loco hoc præſentiam ſuam exhibebat; vtque magna animi ſubmiſſio-

A ne ac veneratione, ad percipiendum indidem Dei oraculum accederet. ita Euſebius, Hugo Victor. Rupertus, Caietanus. Hac enim eadem de cauſa Ioſue quoque cap. 5. v. 15 iuſſus fuit exuere calceos. Hic ritus deſcendit à mancipiis: hæc enim nudis pedibus incedebant, quaſi quæ ſubiecta eſſent dominis, illoſque reuererentur & timerent: hinc nudare pedes ſignum erat ſeruitutis & reuerentiæ. Oppoſitum huius, ſcilicet herilem poteſtatem & dominatum, ſignificabat calceus. Hinc dicitur pſal 59.10. *In Idumeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt.* Hinc etiam Iohannes Baptiſta, vt Chriſti excellentiam & maieſtatem declararet, illum inducit calceatum, ſe verò quaſi ſeruum, qui nudis pedibus incedens, vix audet corrigiam cal-
B ceamentorum eius ſoluere. Vide hîc quanta reuerentia templis locisque Deo dicatis debeatur. vide & quàm cæremonias externas probet, imò exigat Deus. Hinc & ſacerdotes Aaronici in tabernaculo, nudis pedibus ſua munia obibant, vt dicam c. 30. v. 19. Idem factitaſſe Gentiles Græcos idolorum ſacerdotes, teſtatur hîc Procop. Similiter ex reuerentia, ſacerdotes Dagon non calcabant limen templi Dagon, vt dicitur 1. Reg. 5. v. 5.

Sacerdotes Aaronici & Gentiles nudis pedibus miniſtrabant in templo.

Quin & Pythagoræ fuit dogma. *Nudis pedibus ſacrifica*: quod tum alij, tum Lacedæmonij ſuſceperunt. Scribit & Ioſephus lib. 2. Belli c. 15. Berenicen regis Agrippæ ſororem cùm Hieroſolymam profecta eſſet voti cauſa, rem ſacram facturam idem feciſſe, atque nudipedem ante Flori præſidis tribunal ſtetiſſe. Hinc illa quoque diui
C Leonis ſerm. de ieiunio vox: *Habeant illi* (Iudæi) *nudipedalia ſua, & in triſtitia vultuum oſtendant otioſa ieiunia.* Nunc quoque Mauri & Saraceni templa in quibus ſacra facturi ſunt, non ingrediuntur niſi calceis depoſitis. Ergo Pythagoram hac ſententia monuiſſe puto, vt inter ſacrificandum mundanis relictis curis, & à ſcelerum inquinamentis expiati, rei diuinæ operam darent. Nam & lauare pedes myſticè expurgare mentem dicimus, qua de re & noſtri Theologi mandatum Domini de pedum lotione exponunt; & ſimul illud, excutiendos pulueres de pedibus. Euthymius quoque pedes pro cogitationibus in pſalmo 72. exponit. Per pedes (inquit) cogitationes intelligit, veluti quæ animæ noſtræ religionem, pedum inſtar regunt ac ſuſtinent.

D Symbolicè, calceamenta fiunt ex pellibus animalium mortuorum: depoſitione ergo calceamentorum ſignificauit Deus Moſi, vt depoſito mortis metu, aggrederetur fidenter munus liberandi populi Hebræi, quod ei tunc Deus volebat iniungere, vtq; corpus & vitam tam facilè quàm calceum exuere diſceret, pro Dei amore & reuerentia, proque ſpe æternæ vitæ. corpore enim ad obſequium Dei tantùm, non autem ad propriam voluntatem aut voluptatem vtendum eſt. ita S. Ambroſ. lib. 7. in Lucam c. 10.

Corpus pro Deo, tam facilè quàm calceum exuere debemus.

Addunt aliqui, iuſſum Moſen excalceare ſe, vt ſimilis eſſet Hebræis, qui quaſi ſerui nudipedes in Ægypto incedebant calcantes lutum & paleas, q. d. Habitu aſſimila te tuis, quorum te ducem deſtino, porta eorum probrum, imò improperium Chriſti, Hebr. 11. 26.

Tropol. calceus eſt affectiones

Tropol. depoſitio calceorum ſignificabat Primò, futuro duci & doctori populi Dei omnes curas,

terrena exuende sunt duci, eiꝰ qui ad Deū accedit. curas, cogitationes, affectiones & sollicitudines A terrenas, & mortali vitæ adhærentes prorsus abiiciendas esse; nil enim in eis mortale vult esse Deus, inquit S. Ambros. Hac enim de causa angeli pinguntur nudis pedibus, & discalceati: *Hoc enim significat, quòd liberi, absoluti & expediti, atque ab exterioris omnis adiectionis labe sint puri, & ad diuinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant*, inquit S. Dionysius Cælestis hierarch. cap. 15. Quocirca Nyssenus tradit Mosen postquam hîc calceos exuit, numquam ampliùs eos induisse. *Postquam*, ait, *ex diuino mandato semel cadauerosô pellium tegumento pedes exoluit, quo tempore in solo sacro incedebat, numquam deinceps calceamentis pedes cinxisse traditur.*

Secundò, ei qui accedit ad diuina mysteria Deique contemplationem, deponenda esse calceamenta, id est, passiones & affectiones, simul B & rationes humanas & terrenas. hinc & Christus ante Eucharistiam lauit pedes discipulorum, vt hac re significaret, communicaturis purificandos esse affectus animi, & sæculares cupiditates curasque abiiciendas esse. Denique Nyssenus, *Moses*, inquit, *accedens ad Deum in rubo calceos soluit, vt disceret, nil earum rerum quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente, præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, & è qua omnia pendent, verè subsistere.*

VERS. 6. EGO SVM DEVS ABRAHAM, DEVS ISAAC, ET DEVS IACOB] q.d. Egò sum Deus quem olim coluerunt, & nunc quoque colunt Abraham, Isaac & Iacob: quibus proinde suorum posterorum salutem desiderantibus, & pro ea assiduè in limbo orantibus, fidem, quam olim dedi de vestra liberatione, iam præstabo.

Ex hoc loco Christus Matth. 22. v. 33. contra C Sadducæos probat animæ immortalitatem, & consequenter resurrectionem mortuorum: hæc enim tam ex sententia Sadducæorum, quos impugnat ibi Christus, quàm naturaliter à parte rei connexa sunt. Sadducæi enim, vti & alij plerique, negarunt resurrectionem ex hoc capite, quòd negarent animæ immortalitatem, vt patet ex Iosepho lib. 2. de Bello 7. & Actor. 23. 8. Hinc Christus eis ait: *Non est Deus mortuorum*, quem scilicet mortui colant, aut qui de mortuis glorietur, *sed viuentium*: viuunt ergo etiamnum tres hi patriarchæ apud Deum, qui animas eorum viuas conseruat, breuique eas rediuiuo corpore vestiet.

Cur vocetur Deus Abraham, Isaac & Iacob? Prima causa. Quæres cur Deus hîc, & deinceps sæpè, se vocet Deum Abraham, Isaac & Iacob, potiùs quàm Abel, Noë & aliorum? Resp. Primò, quia hi tres D fuerunt proximi parentes & conditores populi Hebræi, cuius dux futurus erat Moses, & ad quem refertur totum vetus testamentum.

Secunda. Secundò, quia Abraham fuit pater credentium, populique fidelis, cum quo Deus fœdus iniit, in quo Abrahæ successit Isaac & Iacob.

Tertia. Tertiò, quia Abrahæ, Isaac & Iacob promissa fuit Chanaan, in quam per Mosen Hebræos inducere volebat Deus.

Quarta. Quartò, quia hisce tribus familiaris & mirè beneficus fuerat Deus, eorumque posteris se benefacturum promiserat.

Quinta. Quintò, quia in his tribus eximiæ eluxerunt virtutes: in Abraham fides & obedientia: in Isaac puritas animi & innocentia: in Iacob laborum & ærumnarum patientia & constantia, vnde horum trium acta ferè sola enarrat Moses in Genesi. Hinc & Hebræi in afflictione soliti sunt Deum inuocare, sibique veniam & gratiam petere per merita Abrahæ, Isaac & Iacob, vt patet Daniel. 3. v. 25. Horum ergo trium nomina, æquè ac virtutes, tamquam sibi gratissimas & iucundissimas, posteris eorum obiicit Deus, vt ipsi eas imitentur: domesticum enim virtutis exemplum miram habet vim ad aliorum animos eòdem incitandos. Narrat Plutarch. de Themistocle, quòd ipse adolescens existens symposiis & scortis vacaret, sed mox vt audiuit Miltiadis victoriam apud Marathonem, ista relinquens, alia prorsus cogitare cœpit. Mirantibus mutationem dixit: *Non finit dormire me, aut socordem esse trophæum Miltiadis.* Hinc Christus Iudæis iactantibus, *filij Abrahæ sumus*: *Si*, inquit, *estis filij Abrahæ, opera Abrahæ facite.*

Quæres Secundò, cur hîc ter, putà ad singulos, repetatur nomen Dei dicendo: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob?* Resp. Primò, vt ostendat Deus quantam singulorum habeat curam, quòd scilicet singulorum sit Deus, id est prouisor & benefactor. *Cur nomen Deus ter repetatur, Prima causa.*

Secundò, vt ostendat intimam suam amicitiam & beneficentiam in hos tres patriarchas, quantique singulos eorum faciat: scilicet quòd singulorum sit Deus, id est singulorum sit totus. sicut enim cùm dico, Hic ager est Petri, significo totum agrum esse Petri: ita & hîc, cùm dicit Deus, se esse Deum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Iacob, significat se singulorum esse totum, inquit Origen. hom. 22. in Matth. non sic aliorum est Deus. vnde v. 18. se vocat Deum Hebræorum in genere, non autem Deum Aaron, Deum Caleb, Deum Iosue in particulari. *Secunda.*

Tertiò, significatur hîc mysterium SS. Trinit. siue trias in monade, inquit S. Basil. & Seuerian. in catena. Nomen enim *Deus* ter repetitum, significat vnitatem essentiæ in tribus personis. Rursum Abraham repræsentat Deum Patrem, Isaac Filium, Iacob Spiritum S. qui ex Abraham per Isaac, id est ex Patre per Filium, procedit. *Tertia.*

ABSCONDIT MOYSES FACIEM SVAM: NON ENIM AVDEBAT CONTRA DEVM RESPICERE] Hinc patet, Mosen ex reuerentia diuinæ maiestatis præsentis & loquentis ad se ex rubo, faciem suam abscondisse.

VIDI] Hebraicè, *videndo vidi*, id est omnino & certissimè vidi, licet hactenus siluerim. VERS. 7.

DESCENDI VT LIBEREM EVM] Loquitur Deus anthropopathῶs, siue humano more. Si enim hominis res ageretur in cælo positi, si cui is in terris succurrere vellet, descenderet vtique. *Descendi* ergo, nō loci mutatione, qui vbique sum, sed operatione, & celeris liberationis Hebræorū apparatu. VERS. 8.

EDVCAM DE TERRA ILLA IN TERRAM BONAM ET SPATIOSAM] S. Hieron. ad Dardan. asserit Iudæam paruam esse, & tantùm continere 160. milliaria in longitudine à Dan ad Bersabee, in latitudine tantùm 46. milliaria à Ioppe ad Bethlehem. est ergo Iudæa minor Belgio nostro: dicitur tamen spatiosa non absolutè, sed respectu terræ angustæ Gessen, ex qua Hebræos eduxit Deus, vti hic ipse ait. Secundò, spatiosa erat respectu gentis Hebrææ, quæ hoc tempore minor erat illa terra. Tertiò, spatiosa erat respectu vbertatis soli; nam, vt ait Hecatæus Abderita apud Ioseph. libr. 1. contra Apionem, *Iudæi penè decies trecenta* *Iudæa longitudo est 160. milliarium, latitudo 46.* *Iudæa dicitur spatiosa respectu tam Iudæorum, quàm fertilitatis terræ.*

trecenta millia iugera terrarum optimarum vberrima prouincia poßidere noscuntur. Iudæa namque huius est amplitudinis. Iugerum enim spatium terræ est quantum par boum vno die arare potest: vnde iugeri longitudo est 240. pedum, latitudo 120. Iudæa ergo licet esset parua, tamen ob vbertatem, innumerabilem hominum multitudinem commodè alebat.

QVAE FLVIT LACTE ET MELLE] Est hyperbole Hebraica, significans terram fertilem lactis & mellis, optimisque quibusque frugibus, fructibus & delicijs abundantem. sic Virgil. eclog. 3.

Mella fluant illis, ferat & rubus asper amomum.

Et eclog. 4. *Et duræ quercus sudabunt roscida mella.*

Et Ouid. 1. Metamorph.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.

Vbertas Iudææ partim fuit naturalis, partim ex dono Dei. B Hæc vbertas terræ promissæ fuit partim ex dono Dei, eiusque beneficentia in Hebræos, vt patet Deuter. 11. 13. Leuit. 25. 20. & 21 Leuit. 26. 3 partim fuit illi naturalis, vti patet Deuter. 8. 7. idque fusè ex Hecatæo, Iosepho & Borchardo ostendit hîc Pererius disp. 11.

VERS 9. CLAMOR ERGO FILIORVM ISRAEL VENIT AD ME] Vox *ergo* nō dat causam, nec est rationalis, sed expletiua & continuatiua sermonis. Hinc Theologi docent, pupillorum & pauperum oppressionem, esse peccatum clamans in cælum. *Pauperum oppreßio est peccatum clamans in cælum.*

Vide hîc, quid faciat extrema afflictio & calamitas, scilicet compellit inuocare Deum, qui inuocatus adest & succurrit. Plutarch. refert Themistoclem dixisse, *Perieramus, nisi periissemus.* nimirū perire multis est saluti. multi enim malè perierāt, nisi bene à Deo perditi, bene perijssent. Sic bene perierunt Martyres in hoc sæculo, ne perirent C in futuro. Bene ergo & nos pro Deo hîc pereamus, ne pereamus in orco: afflictio hîc perdat nos, ne perdat nos gehenna.

VERS. 10. SED VENI ET MITTAM TE AD PHARAONEM] Deus hîc Mosem, numinis in rubo apparentis reuerētiâ & timore perculsum, familiariori vicinioríque congressu ad se inuitans erigit. Ita sanè illius, coram Deo faciem suam velantis, efferri humilitas meruit, vt deinceps ore ad os, & palàm cum Deo confabularetur.

VERS. 11. DIXITQVE MOSES AD DEVM: QVIS SVM EGO?] q. d. Ego nullus sum, & planè ineptus ad hanc legationem. est confessio infirmitatis propriæ modesta & humilis. Sciebat Moses, se iā olim ad hoc munus à Deo delectum esse, vti ostendi c. 2. v. 12. Non ergo hîc vocationē Dei detrectat, sed suam D infirmitatem, aut potiùs ineptitudinem illi obsequēdi, & satisfaciendi humiliter Deo cōfitetur; vt ille vel aliū deligat, vel vires & aptitudinē donet.

Moraliter hinc disce, cunctanter & cum tremore, & nonnisi vocante Deo, suscipiendum esse munus regendi pascendique alios; minimè verò ambiendum. de quo vide S. Gregorium 1. parte Pastoralis.

VERS. 12. ET HOC HABEBIS SIGNVM QVOD MISERIM TE: CVM EDVXERIS POPVLVM MEVM DE ÆGYPTO, IMMOLABIS DEO SVPER MONTEM ISTVM] super Sina. Hugo Victor. sic explicat, quasi diceret: Illius quod dixi, videlicet quòd sim futurus tecum in liberatione Israelis, hoc habeto signū; scilicet quòd te ad hoc destinaui, misi, & etiamnum mitto. Secundò, aliter quoque hæc interpungit Abulens. signumque intelligit rubum ardentem, de quo v. 2. Verùm Noster textus exigit, vt hoc signum referatur non ad præcedentia, sed sequentia. Sensus ergo est, quasi diceret: Accipe, ô Moses, signum missionis tuæ, promissionem & assecurationem meam; quòd tu, cum populo quem ex Ægypto me duce educes, sacrificabis mihi in monte hoc Sina, in gratiarum actionem tam felicis exitus & liberationis ex Ægypto; atque in monte hoc ego tum vobis rursum apparebo. τὸ enim *in monte*, tam ad Deum existentem in monte, ibique se ostensurum, quàm ad immolationem referri potest: Deus ergo hîc promissione noua & expressiore, Mosis missionem stabilit, & tamquam certiore signaculo consignat, Mosemque confirmat & animat: plus enim est promittere quàm mittere; rursum plus est promittere & mittere, quàm tantùm mittere. Signum ergo hoc quoad promissionem præsens erat, quoad executionem verò pendebat à futuro euentu, quem Deus certissimè futurum prædicit & promittit. Simile signum datur Ezechiæ 4. Regum 19. 29. & Dauidi 1 Reg. 16. 13.

IMMOLABIS] tu videlicet tamquam dux vice totius populi: vnde aliqui legunt, *immolabitis*. Hebr. est, *seruietis*, cultu videlicet latriæ, cuius vnicus actus exterior est immolare, siue sacrificare. hoc autem ita reipsa euenisse patet c. 24 3.

SI DIXERINT MIHI, QVOD EST NOMEN EIVS? QVID DICAM EIS?] Satisfactum iam à Deo erat Mosi, per signū immolationis paulò antè datum; nunc Moses laborat quomodo satisfaciat populo, rogatque nomen se legantis, quod dictis suis præferat, quoque maximè appellari velit Deus apud Israelitas, vt illi credant. VERS. 13.

Nota. Deus non eget nomine proprio: tū quia vnus est, tum quia ineffabilis est. Vnde Attalus Martyr per contēptum rogatus à tyranno, quod nomen haberet Deus? respondit: *Qui plures sunt, nominibus decernuntur: qui autem vnus est, non indiget nomine.* ita Euseb. lib. 6 hist. c. 3. Euagrius verò Episcopus cùm de diuinitate quæstio incideret: *Ego quidem*, ait, *diuinitatem definiendam non esse assero, ideoq; silentij tantùm oratione adorandam; quia ineffabilis est.* ita Socrates. Vide ergo hîc dignationem Dei, qui ad nomen nostrum, vti & colloquium, se dimittit.

EGO SVM QVI SVM] Hugo Victor. sentit Deum hîc non declarare, sed potiùs, cum quadam maiestate silere suum nomen, vt si grauis aliqua persona rogata de nomine, responderet, Sum qui sum. quasi dicat, Vocor vt vocor. Verùm hoc est improbabile. Nam paulò pòst iubet Mosi, vt hoc nomen, *Qui est*, quasi Dei legantis se proprium nomen & titulum missjoni suæ præferant, lege v. 15. Hebraicè est: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *eie ascer eie. Ero qui ero.* quod R. Salomon & Burgens. sic exponūt; *ego ero*, supple vobiscum in hac tribulatione, vos ea liberans, *qui ero*, supple deinceps semper vobiscum in omni vestra afflictione. sed hoc arctius est & frigidius. VERS. 14.

Dico ergo, *ero qui ero*, id est, sum qui sum; vnde & Septuag. vertunt, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *ego sum ille ens*: quod S. Iustinus in exhortat. ad Gentes putat dici ad differentiam idolorum; q. d. Idololatræ colunt idola, id est deos qui non sunt, ego verò sum ille ens, id est verè existens Deus, quem vos ô Hebræi colitis Sed & hoc arctius est. Vnde dico Secundò, Sensus est, *Ego sum qui sum.* q. d. Ego Deus

nomen proprium me ab alijs discriminans non habeo, sed quod generalissimum est, *ens*, mihi est proprium.

Dei nomen est, sum qui sum, id est ens, ob nouẽ rationes. Prima.

Primò, quia ego sum inuolucrum totius entis, quodque in alijs certis distinctum est gradibus, à me ceu vniuersali fonte dimanat. τὸ ergo *ego sum qui sum*, significat essentiæ pelagus immensum & interminum, ait Nyssenus & S. Bernardus l. 5. de Consid. ad Eugen. *Deus*, inquit, *est quod est*, id est, *est suum ipsius & omnium aliarum rerum esse. ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo solus est*. Et nonnullis interiectis docet τὸ *esse*, omnia Dei rerumque attributa complecti. *Si bonum*, inquit, *si magnum, si sapientem dixeris, in hoc verbo instauratur, Qui est: nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si plura dixeris, nibil addidisti: si non dixeris, non minuisti.* Hoc est quod ait Pindarus in Pythijs hymno 2. *Deus est, qui principium, medium & finem rerum omnium continet.* Et Plato: *Deus est, qui vniuersitatem rerum omnium complectitur.*

Secunda.

Secundò, *Sum qui sum*, id est, sum immutabilis, constans & stabilis. nam id quod mutatur, propriè non tam est, quàm desinit esse quod fuit, & incipit esse quod non fuit. ita S. Gregor. hom. 2. in Ezech.

Tertia.

Tertiò, *Sum qui sum*, id est sum æternus, sum qui sum in præsenti, carens præterito & futuro; hinc hebraicè est, *ero qui ero*. nam futurũ Hebræi vsurpant pro præsenti, vbi consuetudo, continuatio, aut perduratio & constantia rei significatur. Itaque *ero qui ero*, Hebræis idem est, quod Latinis *sum qui sum*: nam, vt ait Nazianz. τὸ *erat & erit*, nostri temporis fluxæq; naturæ segmenta sunt, Deus autem semper est. vnde *sum qui sum*, significat æternitatem Dei, opponiturque volubilitati temporis, quæ per futurum, præsens & præteritum extensa est & distincta: æternitatis enim proprium est, semper immutabiliter esse. Hinc S. Iustin. suprà, τὸ ὢν inquit, tria tempora complectitur. vnde & Plato ait: *Deus, qui vt vetus est verbum, principium, finem, mediaq; omnium habet.* Hanc nominis huius vim expressit S. Iohannes Apocal. 1. 8. cùm ait: ἀπὸ ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. quod Noster vertit, *Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Ita Thales Milesius rogatus, *quid esset antiquissimum? respondit: Deus: ortu enim caret. quid maximum? locus. quid pulcherrimum? mũdus. quid sapientissimum? tempus: id enim alia inuênit, reliqua inueniet. quid communissimum? spes. quibus enim cætera desunt, spes adest. quid vtilissimum? virtus. quid damnosissimum? animi vitium. quid validissimum? necessitas. ea enim sola est insuperabilis. quid facillimum? quod est natura consentaneum.* ita refert Plutarchus in Conuiuio septem sapientum. Idem Thales, teste Laërtio in eius vita, rogatus quid esset Deus? respondit: *quod principio & fine caret.* Hac de causa apud Ægyptios hieroglyphicum Dei erat circulus: quia hic non habet principium nec finem, inquit Pierius hieroglyph. 39. *Deus*, inquit S. Dionys. c. 5. de Diuin. nomin. *est æuum æuorum, & rex sæculorum: quia ipse est esse existentibus, & ipsum esse existentium, & existens ante sæcula.* De nobis dicitur: *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, omnes tamquam aqua dilabimur.* De Deo verò: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient: tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem*, psal. 101. In quẽ locum S. Aug. conc. 2. *Æternitas*, inquit, *est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile. ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit: quia non est ibi, nisi Est.*

Deus est æuum æuorum.

Deus est de quo dicitur: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Hic est ille antiquus dierum, cuius capilli, ait Daniel, ob canitiẽ candidi erant quasi lana munda. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* S. Thomas 1. p. qu. 10. ibique Theologi distinguunt hæc tria: æternitatẽ, æuum & tempus, hoc modo. Primò, quòd tẽpus sit mensura durationis hominum, & rerum corruptibilium: æuum sit mensura durationis angelorũ: æternitas autem sit duratio propria Deo. Secundò, quòd tempus habeat principium & finem: æuum habeat principium, sed non finem: æternitas nec principium, nec finem habeat. Tertiò, quòd tempus sit mensura rerum earum quæ actu corrumpuntur & intereunt: æuum sit mensura rerum incorruptibilium, quæ tamen absolutè desinere & interire possunt: æternitas autem sit Dei, qui desinere, variari aut mutari nequit. Quartò, quòd tẽpus habeat successionẽ; æternitas permanentiam; æuum partim successionẽ, partim permanentiam. Licet enim angelus naturaliter in suo æuo semper sit stabilis suiq; similis: tamen continuò à Deo pendet, & influxu iugiter continuato à Deo sustentatur, quem Deus singulis momentis subtrahere potest: & si eum subtraheret, angelus æquè ac creatura quæuis alia statim euanesceret, & in nihilum, ex quo venit, relaberetur. Deus ergo est ascensor & Dominus æternitatis, temporum & æuorum omnium; atq; huius beatæ æternitatis suæ tam angelos, quàm homines sanctos participes efficit. Hic proinde nobis colendus est, amandus & metuendus. Ita S. Fructuosus Martyr à Galieno Imperat. compulsus idola venerari, aliàs morte mulctandus, respondit: *Nolo sacrificare dijs Galieni, sed æternum Deum, ac ipsius Cæsaris creatorem colo veneroq;.* Ad quod alludens Prudentius ita canit:

Comparantur æuum, tempus & æternitas.

Iussum est Cæsaris ore Galieni,
Quod princeps colit, vt colamus omnes.
Æternum colo principem, dierum
Factorem, Dominumq; Galieni.

Quartò, S. Hieron. in cap. 3. ad Ephes. *Ego sum qui sum*, id est, ego solus sum, quia solus à meipso habeo esse: solus sum qui non sum productus vel genitus ab aliquo, cætera verò ex se & natura sua non sunt, sed ex voluntate mea habent esse, quantum, quemadmodum, & quousque ego volo. *Quarta.*

Quintò, *Ego sum qui sum*, quia quidquid in me est non est accidens, sed est meum esse, siue idem cum mea essentia: bonitas enim, sapientia, potentia mea, sunt idẽ cum essentia mea. Vnde S. Bernard. libr. 5. ad Eugen. *Deus*, inquit, *amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas: quæ omnia faciunt & angeli, facimus & nos; sed longè inferiori modo, non vtique bono quod sumus, sed quod participamus; Deus autem hoc ipso quod est, ait enim: Ego sum qui sum.* *Quinta.*

Sextò, *Sum qui sum*, id est sum factus purissimus & simplicissimus: si enim essem compositus, essem posterior partibus me componentibus, & ab illis haberem esse; iam autem à me solo habeo meum esse. *Sexta.*

Septi-

Septima. Septimò, *Sum qui sum*, id est habeo esse vniuersalissimum, illimitatum & infinitum. nam cùm habeam esse à me, non potuit mihi determinari ipsum esse; hinc sum ipsum esse subsistens, incomprehensibile, innominabile & infinitum.

Octaua. Octauò, *Sum qui sum*, id est sum causa omnis esse quod res creatæ participant: nam quod ex se, & per se est tale, hoc est causa eorum quæ sunt talia per participationem. ex illo ergo esse Dei increato & immenso, sequitur posse omnia. Hoc est quod canit Boëtius lib. 3. de Consolat. metr. 6.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum cœliq́ sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq́ manens das cuncta moueri;
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verùm insita summi
Forma boni, liuore carens.

& Horat. lib. 1. Carm.

Qui res hominum & deorum,
Qui mare & terras, variisq́ mundum
Temperat horis.

Nona. Nonò, *Sum qui sum*, id est vnus sum, quia habeo esse ex me. Rectè ergo dixit Iob c. 23. *Ipse solus est*; si enim esset quis alius, habens simile esse independens & infinitum, is esset Deus alius, habēs aliam naturam, aliud esse independens & immensum, & consequenter noster Deus verus & vnus non haberet naturam, nec esse alterius illius Dei; ideoque non haberet omne esse, ac consequenter non esset Deus. Hinc S. Dionys. c. 5. de Diuinis nominib. docet Deum vocari ens, vel esse potiùs quàm quidlibet aliud. Primò, quia esse, primò aduenit cuilibet rei, & vltimum ab ea recedit. Secundò, quia esse est maximè intimum cuiuis rei. Tertiò, est maximè independens. Quartò, est maximè necessarium. Quintò, est vniuersalissimum. Sextò, est simplicissimum. Septimò, est quodammodo infinitum. Octauò, cætera sunt participatio entis & esse, ens verò nullius est participatio. Nonò, est perfectissimum, quia eminenter & virtute continet alias perfectiones. Ex quibus rectè colligas, proprium nomen Dei esse, *Ego sum qui sum*. Significat enim ipsam Dei essentiam, putà essendi pelagus immensum, ex quo nostro modo concipiendi (nam in se, putà in ipsa Dei essentia, omnia sunt vna res simplicissima) omnia Dei attributa ordine suo manant & profluunt, sicut ex essentia angeli, hominis, equi, omnes eius dotes & proprietates ordine suo emanant. Igitur quia Deus est ipsum esse, siue plenitudo entis, hinc necessariò sequitur eum esse vnum, perfectissimum, simplicissimum, infinitum, independentem, vniuersalissimum, immutabilem, æternum, omniscium, omnipotentem, sanctum, optimum, prouidentissimū, causam rerum omnium non tantùm existentiū & futurorum, sed & possibilium. Ideo enim res possibilis est, quia Deus eam facere, eique suum esse communicare potest, siue quia Dei esse ab ea participari potest. Radix enim possibilitatis creaturæ est in Deo, non in ipsa creatura. Radix enim hæc est diuinæ essentiæ imitatio, commendatio & participatio, quòd scilicet diuina essentia creaturæ se tali modo communicare, & ab ea tali modo participari possit, vtpote quæ illam eminenter in se contineat. Si enim Dei essentia tali modo participari nequeat, res est planè impossibilis. Quod enim Deus facere nequit, siue cui se communicare non potest, hoc prorsus est impossibile: sic homo est possibilis, quia Dei essentia ab homine participabilis est, Deusque hominis habet ideam practicam in sua essentia, iuxta quam eum formare, eique suum esse communicare potest: chimæra verò est impossibilis, quia Dei essentiam participare nequit, nec Deus eius habet ideam, iuxta quam eam formet, eique suum esse communicet; quia scilicet Dei essentia chimæram in se non continet, nec formaliter, nec eminenter. Quare nonnulli Theologi τὸ *Ego sum qui sum*, omnis Theologiæ principium, imò summam & compendium statuunt.

(Margin: Esse propriū esse Dei nomen rationibus ostendit S. Dionysius. — Deus est causa cur creatura sit possibilis. — Qua ratione.)

Nota. Sicuti nomen Dei est *esse*, ita è contrario creaturarum nomen est *non esse*; vt si rogetur homo, lapis, angelus, Quis es? quî vocaris? respondere possit & debeat, Meum nomen est non esse; ego vocor, Non sum. idque Primò, quia omnis res creata priusquam crearetur, habuit æternum non esse. Secundò, si corruptibilis est, habebit rursum æternum non esse: sin incorruptibilis est, vti est angelus, potest semper habere non esse; quia ipsius esse, est in potestate Dei liberè ipsum conseruantis, & potentis omni momento illud annihilare. Tertiò, quia dum est, variabilis & mutabilis est, ac proinde admixtum habet non esse: in omni enim mutatione, ratio quædam ipsius non esse includitur. Quartò, quia quælibet res creata, ait Plato in Theæteto, plus habet non entis quàm entis, v.g. homo tantùm habet esse hominis, sed habet non esse cæli, terræ, lapidis, angeli, aliarumque rerum omnium. Itaque homo habet tantùm vnum esse, & innumera non esse. Quam sapiens est qui se, & suum non esse cognoscit? Ita S. Ioannes Baptista rogatus: Es tu Christus? es tu Propheta? respondit, Non sum. Iactant se homines, & volunt esse quod non sunt, dicuntque, Ego sum diues, ego sum nobilis, ego sum sapiens. qui verò humiles sunt & sapientes, qui se & Deum cognoscunt, dicunt, Deus est bonus, est diues, est sapiens, est sanctus, ego non sum; & per hoc merentur diuinæ sapientiæ, bonitatis, sanctitatis, omnisque boni & esse participes fieri. Quocirca Christus Dominus apparens B. Catharinæ Senensi, eidem dixit: *Nostin' filia quis sim ego, qua tu beata eris si id scias. Ego sum is qui sum: tu es illa quæ non es.* Et rursum: *Filia cogita de me, & ego cogitabo de te, semperque curam tui geram.* fecit id ipsa humilians se, & annihilans, habitansque in suo nihilo, itaque eleuabatur ad pelagus immensum esse diuini, omniumque eius perfectionum, totaque accendebatur in eius amorem & laudem continuam.

(Margin: Proprium creaturarū nomen est non sum, idq́ ob quatuor causas. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Homo habet vnum esse, sed innumera nō esse.)

Pulchrè & fusè idipsum *non sum*, pertractat D. Henricus Suso serm. 2. *Deus*, inquit S. Basilius, *fecit mundum: vt bonus, vtilem: vt sapiens, pulcherrimum: vt potens, maximum. Si hæc didicerimus, nos ipsos agnoscemus, Deum cognoscemus, conditorem adorabimus, Domino seruiemus, patrem glorificabimus, nutricium diligemus, benefactorem reuerebimur, auctorem præsentis & futuræ vitæ colere numquam desinemus.*

Hanc Dei notionem & Theologiam ab Hebræis, vt videtur, hauserunt & cognouerūt Gentiles. Refert Eugubin. in templis Ægyptiorum illud Dei emblema inscriptum fuisse: *Ego sum quod fuit, quod est, quodq́ futurum est, velum meum nemo vmquam reuelauit.* Sic & Plutarchus libr. de Iside refert in Ægypto signum, quod Sai est Mineruæ, quam eamdem putat Isin esse, inscriptionem habere eiusmodi: *Ego sum vniuersum quod fuit, quod* fuit,

(Margin: Gentiles docuerunt solū Deum esse.)

fuit, quod est, & quod est futurum; flammeumq́, meum nullus mortalium aperuit vmquam. vide Goropium in Hermathena lib. 5. fol. 106. vbi contendit ex Plutarcho per Isidem diuinam Sapientiam intelligi, Isidisque nomen idem sonare, quod, *est est.* Thales quoque rogatus quid esset Deus? respondit: *Quod semper est, neque principium habens neque finem.* Hoc & spectasse videtur Parmenides cùm ait, *omnia esse vnum ens immobile.* Hinc etiam in Apollinis Delphici templi foribus inscriptum erat, Primò, *γνῶθι σεαυτὸν, cognosce teipsum*, quo Deus templum intrantes quasi salutans admonebat, vt seipsos noscerent. Secundò, *εἶ*, id est, *tu es*, qua voce ingredientes templum, quasi Deum ipsum resalutantes, solum ipsum verè esse confitebantur. De qua re vide ex Plutarcho Eusebium libr. 11. de Præpar. Euang. cap. 7. vbi inter cetera docet solum Deum esse: cætera enim cùm in fluxu sint, continuè mutari, magisque corrumpi quàm esse. *Corrumpitur enim*, ait, *iuuenis in virum, vir in senem, puer in iuuenem, infans in puerum: & qui heri fuit, in eum qui est hodie; quiq́, hodie est, in crastinum: manet autem nullus idem. Nullus enim est idem: sed omni momento circa phantasmata commutatur. Quomodo enim si sumus ijdem, alijs nunc quàm antea gaudemus? Alia modò amamus atque odimus, alijs passionibus mouemur, non eandem figuram, non eandem de rebus sententiam habentes?* Denique Plato in Timæo docet solum Deum propriè esse; cætera verò quæ oriuntur & commutantur, veriùs non esse quàm esse.

Qvi est, misit me ad vos] Hebraicè, rursum est אֶהְיֶה *ehie*, id est, *ero*, siue sum, *misit me ad vos.* Noster & Septuag. personam primam in tertiam commutando, clariùs vertunt, *qui est.* Huic nomini Deus mox aliud addit, quod ceu notam Hebræis tesseram Moses afferat, dum subdit:

Vers. 15. Dominvs Devs patrvm vestrorvm] Pro *Dominus*, hebraicè est nomen tetragrammaton יְהוָה *iehoua.* pro *Deus* hebraicè est אֱלֹהִים *elohim.* prius nomen est naturæ, posterius gratiæ, curæ & prouidentiæ. q. d. Ego Deus, qui ita sum ipsum esse (quod est *Iehoua*) vt nolim hominibus deesse, sed velim iis adesse, præesse & prodesse (quod est *Elohim.*) ita S. Augist. tract. de hoc Dei nomine, *Ego sum qui sum.* Hinc probabiliter colligit Eugubin. Caietanus, Genebrard. Bellarm. & alij nomen tetragrammaton esse idem cum eo. *Ego sum qui sum.* Primò quia Deus, qui antè filijs Israel

Ego sum qui sum idem est quod Iehoua.

per Mosen dici iusserat, *Qui est misit me*; iam iisdem dici iubet *Iehoua misit me.* Certum autem videtur, vno & eodem nomine iussisse se vocari; ergo nomenclaturam suam, quam priùs per verbum expresserat Deus, dicens, Sic dices filijs Israel, *Qui est misit me*, hîc per nomen exprimit dicens, *Iehoua misit me.* Secundò quia hoc cap. Moses studio semper Deum vocauit *Elohim*, donec Deus ipse nomen, *Ego sum qui sum*, sibi indat; deinceps verò vsurpat tetragrammaton Iehoua, quasi Deo iam inditum, idemque cum *Ego sum qui sum.* Idem magis patebit cap. 6. v. 3.

Prob. Primò.

Secundò.

Hoc nomen mihi est in aeternvm, et hoc memoriale mevm] quo scilicet memorabuntur mei, inuocabunt & laudabunt me filij patriarcharum secundùm carnem, & post eos Christiani, qui sunt veri Israelitæ, & filij Abrahæ secundùm fidem & spiritum, quibus per Christum veritas fœderis icti cum Abraham est exhibita; ita vt per Christum non deleta, sed renouata potiùs & illustrata videatur Abrahæ, Isaac & Iacob memoria.

In generationem et generationem] Hebraicè, *in sæculum sæculi*, id est per omnia sæcula, quouis sæculo.

Visitans visitavi vos] respexi & vidi vos. ita vertit Noster cum Septuag. meliùs quàm Chaldæus, qui vertit, *recordatus sum vestri.* nam præsentium malorum non tam est memoria quàm visio: hîc Deus visitat in bonum, aliàs in malum, vt psalm. 88. *Visitabo* (id est castigabo) *in virga iniquitates eorum.* Vers. 16.

Et dixi] mecum statui & decreui. Vers. 17.

Et avdient vocem tvam] tam læta & optata de eorum liberatione nuntiantem; memores compleri iam hoc liberationis tempus Abrahæ prædictum, Genes. 15. v. 16. ibi enim dicitur, *Generatione autem quarta reuertentur huc*; iam autem exinde est generatio quarta. Vers. 18.

B

Vocavit nos] Hebraicè est, *occurrit nobis*, id est, sponte se obtulit & apparuit nobis vocans nos, videlicet ad sacrificiū. Alieniùs vertit Chald. *inuocatus est super nos.* Hanc speciem sacrificij voluit Deus Hebræos apud Pharaonem prætexere celandæ fugæ; ne Pharao abitum populi palàm factum, & apertè postulatum statim abnueret. Vt ergo Moses populum educat, ad idque veniam à Pharaone impetret, iubetur ei dicere, Deum velle ab Hebræis coli extra Ægyptum in deserto; quod verum erat. dixerat enim Deus v. 12. *Immolabitis Deo super montem istum* (Sina.)

Ibimvs] Hebraicè, *& nunc eamus quæso*, id est liceat ire nobis.

C

Viam trivm dierum] moderata petitio. nam si longius iter & tempus peteret, excusari meritò videretur rex negans abitum, tamquam qui iure de fuga Israelitarum suspicaretur & metueret. Nec mendacium hîc, sed silentium integræ veritatis interuenit: ituri enim erant itinere trium dierum, & hoc dixerunt; sed longiùs deinde ituri erant in Chanaan, & hoc tacuerunt.

Mysticè, via trium dierum est via fidei, spei & charitatis. Rursum via contritionis, confessionis & satisfactionis, quibus præparamus nos, & tendimus ad sacrificium Eucharistiæ. Tropolog.

Anagogicè, via trium dierum in cælum est via Christi, cuius Prima dies, est dies passionis & mortis eius; Secunda dies, est descensus ad inferos; Tertia, est dies resurrectionis eiusdem. ita S. August. serm 90. de Temp.

D

Sed ego scio qvod non dimittet vos] Præmunit Mosen & Hebræos Deus, ne repulsam apud Pharaonem passi animis concidant, cœptisque desistant. Vers. 19.

Nisi per manvm validam] per decem plagas, & maximè per cædem primogenitorum, quā ego ijs inferam. Chald. vertit, *nisi per timorem fortem*, quem ego ijs hisce plagis incutiam.

A vicina sva et ab hospita sva] Hinc patet, Ægyptios fuisse permistos Hebræis in terra Gessen. Vers. 22.

Spoliabitis Ægyptvm] Chald. ותרוקנון *& euacuabitis Aegyptum*: radix enim ריק *ric* hebraicè & chald. significat esse vacuum.

Nota. Hebræi abeuntes Ægypto, eam spoliarunt non rapina, sed iusto donationis Dei (qui omnium est dominus) titulo. Donauit eis hæc spolia

Deus iussit Hebræis spoliare Aegyptum tribus de causis. spolia Deus, Primò, vt castigaret luxum & iniustitiam Ægyptiorum. Secundò, vt Hebræis, qui gratis seruierant Ægyptijs, hæc spolia loco pretij redderet. Tertiò, vt eis daret materiam, quam postea in tabernaculi fabricam offerrent Hinc Sapientiæ 7. v. 7. de Hebræis dicitur: *Reddidit iustis mercedem laborum suorum.* vnde & Tertull. libr. 4. contra Marcion. c. 24. *Instincti sunt*, inquit, *Hebræi non ad fraudem, sed ad mercedis compensationem, quã aliàs à dominatoribus exigere non poterant.* Licet enim regis vnius imperantis, & Hebræos opprimentis hæc fuerit tyrannis, multorum tamen ei obsequentium, & abblandientis ei plebis iniuriam A sensere Hebræi; & verò, etiamsi solus rex vim fecisset, iustè tamen, iustoque bello eius subditi fuissent appetiti.

Tropol. Tropologicè, spolianda est Ægyptus, id est, ea quæ in Ethnicis Philosophis & Oratoribus elegantia sunt, tamquam ab iniustis possessoribus, in nostrum vsum sunt vindicanda. ita S. August. li. 2. Doctrin. Christ. 40. Rupert. Nyssenus & Prosper libr. 1. de Promiss. & prædic. cap. 37. *Nonne aspicimus quanto auro, argento & veste suffarcinatus de Aegypto exierit Cyprianus doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius?* inquit S. Augustinus.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses accipit à Deo suæ missionis tria signa triplicis conuersionis. Primum, virga in colubrum; Secundum, manus in lepram; Tertium, aqua in sanguinem. Secundò, Moses ab hac missione variè se excusat; tandem irascente Deo acquiescit, reditq; in Aegyptum cum vxore & filiis. Tertiò, v. 24. angelus minatur Mosi mortem: hinc vxor circumcidit filium: mox angelus Mosen dimittit. Denique v. 27. Aaron Dei monitu fratri Mosi occurrit.

1. RESpondens Moyses ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed
dicent: Non apparuit tibi Dominus. 2. Dixit ergo ad eum: Quid est quod
tenes in manu tua? Respondit: virga. 3. Dixitque Dominus: Proijce eam in terram.
Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses. 4. Dixitque Dominus:
Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est
in virgam. 5. Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum,
Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. 6. Dixitque Dominus rursum:
Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam
instar niuis. 7. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit
iterum, & erat similis carni reliquæ. 8. Si non crediderint, inquit, tibi, neque
audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. 9. Quòd si nec
duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam
fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem.
10. Ait: Moyses: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius:
& ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.
11. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est murum
& surdum, videntem & cæcum? nónne ego? 12. Perge igitur, & ego ero in ore tuo:
doceboque te quid loquaris. 13. At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem
missurus es., 14. Iratus Dominus in Moysem, ait: Aaron frater tuus Leuites, scio
quòd eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde.
15. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in
ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis. 16. Ipse loquetur pro te ad populum,
& erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. 17. Virgam
quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. 18. Abijt Moyses, & reuersus
est ad Iethro socerum suum, dixitque ei: Vadam & reuertar ad fratres meos in
Ægyptum, vt videam si adhuc viuant. Cui ait Iethro: Vade in pace. 19. Dixit ergo
Dominus ad Moysen in Madian: Vade, & reuertere in Ægyptum: Mortui sunt
enim omnes qui quærebant animam tuam. 20. Tulit ergo Moyses vxorem suam,
& filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusque est in Ægyptum, portans
virgam Dei in manu sua. 21. Dixitque ei Dominus reuertenti in Ægyptum: Vide
vt omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor
eius, & non dimittet populum. 22. Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius
meus primogenitus Israel. 23. Dixi tibi: Dimitte filium meum vt seruiat mihi; &
noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. 24. Cumque
esset in itinere, in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.
25. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque
pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. 26. Et dimisit eum post-

quam dixerat: Sponsus sanguinem, ob circumcisionem. 27. Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiàm ei in Montem Dei, & osculatus est eum. 28. Narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. 29. Veneruntque simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel. 30. Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen: & fecit signa coram populo, 31. & credidit populus. Audieruntque quòd visitasset Dominus filios Israel, & quòd respexisset afflictionem illorum: & proni adorauerunt.

VERS. 1. NON CREDENT] populus & plebs Hebræorum: quia inter eos multi sunt duræ ceruicis. Nam de senioribus prædixerat Deus c.2. v.18. eos credituros, cui sine dubio Moses fidem habebat. Tertia est hæc Mosis excusatio ob populi incredulitatem: hinc Deus ad signa descendit.

VERS. 2. QVID EST QVOD TENES IN MANV TVA?] Deus rogat Mosen, non quasi ignorans, sed vt ei det occasionem respondendi eius, quod volebat ab eo audire.

RESPONDIT, VIRGA] pastoralis, qua oues regebat. In Hebræo pulchra est paronomasia: quæsierat Deus מַה־זֶּה *mazze, quid hoc?* respōdet Moses מַטֶּה *matte, est virga.*

Quæres, quid ad litteram significet hæc virga? Respondet R. Abraham, virga est Pharao, qui tempore Iosephi erga Hebræos fuit instar virgæ mollis, & ad nutum Iosephi flexilis; sed mortuo Iosepho versus est in colubrum insidiando Hebræis, eisque exitium machinando; verùm in fine rursum factus est quasi virga, dum per plagas Mosis domitus, Hebræos Ægypto exire permisit, imò compulit.

Virga conuersa in colubrum significabat tres Hebr. status.

Verùm dico, hac virga eiusque metamorphosi, significabantur vices & vicissitudo Hebræorum, siue tres eorum status in Ægypto. Hebræi enim virgam, id est sceptrum & principatum, tenebant viuente & regente Iosepho: eo vita functo virga hæc in terram proiecta est & versa in colubrum; quia Hebræi priùs cari, post mortem Ioseph exosi fuere Ægyptijs, ac si essent colubri, qui insidias & necem machinarentur Ægyptijs: rursum hic coluber in virgam reuersus est in manu Mosis, vt habent Hebræa, quia Moses populo suo rursum sceptrum, libertatem & dominationem attulit. ita Lyran. Abulens. Perer.

Symbolicè virga significabat ducatum Mosis, qui Aegyptios momordit vt coluber.

Symbolicè, hac virga significabatur ducatus & summa potestas, quam Mosi mox daturus erat Deus, qua Ægyptios percussit & puniuit; Hebræos verò texit, duxit & gubernauit. virga enim hæc fuit Mosi instar sceptri, quod Ægyptijs formidabile fuit & exosum instar serpentis; Hebræis verò amabile instar virgæ & baculi pastoralis. Mittitur ergo à Deo Moses armatus, non lancea, sed baculo, verùm thaumaturgo, eoque debellat Ægyptum. Hic est typus Christi mittentis Apostolos cum baculo, eosque armantis potestate patrandi miracula, quibus orbem sibi subigant, Marci vltim. v.17. Vnde S. Bernard. *Insonat, ait, tuba salutaris, coruscant miracula, & mundus credit: citò persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur ostenditur.* Huius virgæ Mosaicæ partem inuentam esse anno Christi 1008. ad eamque ex Gallia, Italia, alijsque prouincijs confluxisse plurimos narrat ex Glabro Baron. anno iam dicto.

Alleg. virga est crux Christi.

Allegoricè, virga est crux Christi lignea, quæ in serpentem est versa Iudæis & impijs: hi enim crucem quasi supplicium malefactorum exhorrescunt; sed per caudam, id est in fine mundi, eam apprehendent, scientque non colubrum esse, sed virgam, id est Dei virtutem & sapientiam, ita S. Cyrill. Origen. homil. 4. August. serm 86. de Temp.

Secundò, virga est humana natura, quæ per peccatū quasi versa est in colubrum.

Rursum Cyrillus in Collectan. in Exodum: Virga, inquit, est humana natura, quæ recta à Deo condita est, & posita in paradiso, vbi erat in manu Mosis, id est in cura & protectione Dei: per peccatum hæc virga proiecta est in terram, cùm ei dictum est, *Terra es & in terram reuerteris*: hìc versa est in colubrum, quia serpenti tentanti credidit, consensit & cohæsit; &, sicut serpens innatum habet venenum, ita nos peccatum originale ab Adamo per naturalem propaginem contrahimus, per quod quasi serpentes humi serpimus, & non nisi terrena sapimus: Christus hunc serpentem apprehendit, non in capite vbi habet venenum, sed in cauda, quia humanam naturam sine peccato assumpsit. Rursum *in cauda*, id est in vltima ætate mundi, humanam naturam assumpsit, itaque eam sibi & Deo vniuit, imò pulchriorem & augustiorem effecit. ita Pererius.

Anagogicè virga in colubrum versa & reuersa, est Christus moriens & resurgens.

Anagogicè, idem Cyrill. l. de Incarnat. cap. 14. Virga, inquit, est Christus, qui est potentia Patris, quique tenet virgam siue sceptrum regni & æquitatis. Hæc in serpentem versa est in incarnatione; humana enim natura per peccatum Adæ facta est maligna vt serpens: peccatoris autem naturam & similitudinem induit Christus: hinc serpens in deserto exaltatus, significabat Christum in cruce exaltatum, vt dicitur Ioan. 3.14. Serpens hic per resurrectionem rursum factus est virga, id est dominus, rex, iudex, triumphator, & princeps cæli & terræ.

Pari modo Cyrill. ibidem cap. 15. sequens signum lepræ Mosis, de Christo nato, passo & resurgente interpretatur.

Tropol. virga est disciplina, quæ primò horrida est vt serpens, sed tandem apparet esse virga paterna.

Tropologicè, virga est disciplina, correctio & castigatio; quæ initio pueris, imperfectis & immortificatis horrida videtur vt serpens; sed in fine, cùm eius fructum experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam & pastoralem: nam, vt ait Apostolus Hebr. 12. 11. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur, non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitia.*

ITA VT FVGERET MOYSES] Erat enim hic coluber ex magna virga productus magnus horridusque: vnde Philo eum vocat draconem serpentum principem. VERS. 3.

VT CREDANT] Subaudi, hoc signum virgæ facies coram eis; vt scilicet eam mutes in colubrum, ac rursum in virgam; hoc fine, vt credant te à me esse missum. VERS. 5.

QVAM CVM MISISSET IN SINVM, PROTVLIT LEPROSAM] Secundum est hoc signum manus leprosæ & sanatæ. VERS. 6.

Sym-

Symbolicè ad literam, Moses manum mittens in sinum, significabat se habere curam populi, eumque quasi sinu suo gestare, Num. 11. 12. Manus enim significabat populum Hebræũ, vnde in sinu Mosis manus facta est leprosa: quia cũ viderent Ægyptij, populum habere ducem Mosen, ab eoque foueri, erigi & defendi, cœperunt eum duriùs tractare & affligere; sed Moses eam secundò mittens in sinum, id est plenam & perfectam populi curam suscipiens eum per plagas Pharaoni immissas vindicando, manum reduxit sanam & integram; quia populum ex Ægypto saluum eduxit.

Manus leprosa significabat populum sub Mose afflictum.

Symbolicè & tropologicè, hoc signo significabatur causa afflictionis Hebræorum: manus enim in sinu, sunt Hebræi in cultu ac religione, & consequẽter in cura & sinu quasi Dei. hîc manus facta est leprosa, quia Hebræi prolapsi sunt ad idola & vitia Ægyptiorum; sed hæc eluit Deus, manumq; à lepra expurgauit, cùm rursum Hebræos per Mosen, in sinu suo condidit, acceptans eos in suum populum, suamque Ecclesiam. ita S. Cyrillus & Theodor.

Symbolicè manus leprosa significabat vitia Hebr.

Addit Theodor. Deum voluisse hoc signo Mosem admonere perpetuæ humilitatis, quãdo manum eius futuram thaumaturgam, & ipsa etiam elementa commutaturam, priùs lepra infecit.

Allegoricè, S. August. serm. 86. de Temp. Manus, inquit, leprosa est Synagoga Iudæorum; quæ lepra, id est infidelitate in Christum, infecta, reiecta fuit à Deo; huic successit manus nitida, id est Ecclesia fidelis Gentium, à Deo electa.

Alleg. manus leprosa est Synagoga incredula Iudæorũ.

Secundò, Pererius, Manus Mosis, inquit, est Christus Filius Dei, qui est quasi manus Patris: per ipsum enim Pater fecit omnia. Hic erat ab æterno in sinu Patris, sed cùm foras prolatus est per incarnationem, visus est leprosus, id est laboribus doloribusq; obrutus vnde Isaias c. 53. ait: *Non est species ei, neque decor, & nos putauimus eum quasi leprosum.* Sed retractus rursus per resurrectionem & ascensionem, in sinum Patris, sedensque ad dexteram Dei, gloriosus apparuit.

Secundò, manus leprosa est Christus moriens & resurgens.

VERS. 8. NEQVE AVDIERINT VOCEM SIGNI PRIORIS] id est vocem signo priore confirmatam; signum enim muta voce loquebatur, sermonem Mosis esse sermonem Dei, huiusque rei signum hoc sigillum erat.

VERS. 9. SVME AQVAM FLVMINIS] Nili.

ET VERTETVR IN SANGVINEM] Tertium hoc signum, quo Moses vertit aquam in sanguinem, appositum fuit: eo enim Ægyptijs infanticidium Hebræorum quasi exprobrauit, eorumque sanguinem hoc sanguine vindicauit, portenditque illorum in aquis & mari rubro suffocationem, qui paruulos Hebræorum aquis mersetant. *Dignum enim fuit vt ij fluuius, cui paruulos Hebræorum crudeli nece mergendos tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cade maculatant, potando sentirent*, inquit Origenes homil. 4. & ex eo S. August. serm. 87. de Temp. Putat Iosephus, Mosen hoc tertium signum, æquè vt duo priora, expertum esse, & fecisse hîc coram Domino. Verùm meliùs Philo censet. Mosen tantùm duo priora signa hîc coram Domino expertum esse, tertium verò hoc signum distulisse, & reseruasse vt illud faceret coram Pharaone. hoc enim significat hîc Scriptura.

Aqua versa in sanguinem significat literaliter infanticidiũ, & suffocationem Aegyptiorum in mari rubro.

Tertullianus libr. de Resurr. carnis cap. 28. per

A tria hæc signa, mysticè accipit trinam virtutem Dei. hæc enim Primò, colubrum, id est diabolum, subegit: Secundò, carnem leprosam, imò corruptam, de sinu mortis in resurrectione extrahet: Tertiò, omnem sanguinem, inquit, exsequetur iudicio, id est iusto iudicio à morte vindicabit, & suscitabit omnem sanguinem in martyrio aut morte effusum, per communem omnium resurrectionem.

Tria signa Mosis, sunt trina virtus Dei.

OBSECRO DOMINE] Subaudi, parce mihi, noli me mittere. Hoc enim intelligitur per aposiopesin. VERS. 10.

NON SVM ELOQVENS] Symmachus, *non sum* ἔλαλος, id est disertus; Hebr. *non sum vir verborum*, qui scilicet multa facundè loquar, vt Pharao oratorem tam ieiunum non sit auditurus.

B AB HERI ET NVDIVSTERTIVS] à superiori tempore. est hebraismus.

ET EX QVO] Hebræa, *etiam ex quo mecum locutus es.* q.d Nec alloquio tuo euasi facundior, vt ex verbis meis nosse potes quare minùs est consona expositio Philonis, quæ talis est: Cùm meam eloquentiam tuæ ô Domine, comparo, me mutum & elinguem agnosco. alia enim est mens Mosis, vti mox demonstrabo.

IMPEDITIORIS ET TARDIORIS LINGVÆ SVM] Nota. Hæc verba pendent à præcedentibus; q.d. Etiam ex quo mecum locutus es Domine, impeditioris linguæ remansi, nec euasi eloquentior, cùm tamen tu linguas infantium facias sæpè disertas. Malè ergo Biblia Regia hæc dirimunt per hypocolon, positum post *seruum tuum*, vt noua deinde sententia incipiat, hæc scilicet, *impeditioris & tardioris linguæ sum.* Ex priori lectione,

C quæ germana est, putant aliqui defectum hunc linguæ in Mose fuisse auctum ex visione & colloquio Dei, propter summam diuinæ maiestatis admirationem, & reuerentiam Mosis. Verùm contrarium innuunt Hebræa, sic enim habent: *Mi Domine ego non sum eloquens, etiam ab heri, etiam à nudiustertius, etiam ex eo tempore quo locutus es ad seruum tuum: quia grauis oris, & grauis linguæ sum ego.* q.d. Numquam fui eloquens, ne quidem ab eo tempore quo tu mecum locutus es, quia à natura impeditam & tardam habeo linguam. Chald. vertit. *quia grauis loquela & profunda lingua ego sum*, q.d. Difficulter & tardè loquor, ita vt videar ex profundo & imo pectore verba attrahere. Impedimentum aliud gracilitatis exprimunt Septuag. dunt vertunt, *ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι*, gracili voce & tarda lingua ego sum: idque

D de gracili voce secuti sunt Origenes homil. 3. S. Hieronymus Ierem. 1. Philo, Theod August. quæst. 10. & 16. vbi ait: *Fortè fastus regius nõ permittebat accedentes de proximo loqui*, vt meritò timeat Moses, se ob gracilitatem vocis à Pharaone non audiendũ.

Est hæc quarta Mosis excusatio, qua missionẽ ad Pharaonem detrectat, petita ab impedimento linguæ. Vbi Nota quintuplex illud in Mose fuisse. Primum, quòd, vt indicant Hebræa, esset homo paucorum verborum, id est dicendi ieiunus & inops; Secundum, quòd in dicendo non esset eloquens, sed rudis, inconditus & inelegãs; Tertium, quòd in sermone non esset promptus, sed tardiloquus; Quartum, quòd voce esset gracili & exili; Quintum, quòd lingua esset impedita, vt aliquas litteras & voces benè pronuntiare non posset; fortè etiam quòd esset balbus, vel blæsus.

Quintuplex linguæ vitium in Mose.

Ob hosce defectus Moses cap. 6. vocat se incircumcisum labijs.

Nota hîc humilitatem Mosis, qua sua vitia cōfitetur, legationem tam honorificam detrectat; hinc meruit, vt per vocem eius infirmam, Deus confunderet eloquentes & sapientes Ægyptiorum, ait Theodor.

An vitium linguæ in Mose fuerit à natura? Prima sententia. Quæres, an hoc vitium linguæ Mosi fuerit naturale, an ex accidente ei obuenerit? Aliqui apud Hugonem Victor. putant, hoc tantùm linguæ vitium in Mose fuisse, quòd scilicet per 40. annos quibus vixerat in Madian, oblitus esset linguam Ægyptiacam. Verùm non hoc idiomatis, sed aliud linguæ vitium, imò vitia in Mose ponit hîc Script.

Secunda. Secundò, Hebræi tradunt, quòd Moses cùm esset triennis prunas candentes ori admouerit, & extremam linguam adusserit, indeque linguæ hoc vitium contraxerit. sed hæc Iudæorum est fabella.

Tertia. Tertiò, Origen. hom. 3. S. Gregor. hom. 8. in Ezechiel. & Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 18. putant Mosen per se fuisse disertum, sed postquam cœpit colloqui cum Deo, comparatione diuinæ sapientiæ & eloquentiæ, visum sibi se esse infantem & mutū; idque *ab heri & nudiustertius*, id est ab hoc triduo quo tecum Domine locutus sum: hinc enim patet, hæc inter Deum & Mosen non vno, sed tribus diebus esse acta & dicta.

Verùm hæc expositio refellitur ex eo, quòd Moses post hoc colloquium cum Deo manserit infacundus & tardiloquus, &, vt ipse ait c. 6. v. 12. Incircumcisus labijs: vnde ibidem ei Deus socium & interpretem addit Aaronem, qui pro Mose loquatur ad populum.

Quarta, & vera fuisse à natura. Dico ergo, hoc vitium linguæ naturale fuisse Mosi, & à natura ei insitum, non autem ex accidenti ei obuenisse. Mosen ergo ita indisertum elegit Deus ad hanc legationem, tum vt Mosen in humilitate per hunc defectum contineret, tum vt Hebræorum liberatio non eloquentiæ Mosis, sed Dei potentiæ tribueretur: infirma enim mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Pari modo elegit Deus rudes & indisertos Apostolos, per quos orbem conuertit. ita Theodoret.

Nota. Moses infacundus fuit exteriùs apud homines; sed interiùs facundus fuit apud Deum: quia efficacia suæ orationis & sanctitatis impetrauit à Deo quidquid voluit, vt patet Exodi 32. v. 11. & 14.

VERS. 11. QVIS FECIT OS HOMINIS? AVT QVIS FABRICATVS EST MVTVM ET SVRDVM? NONNE EGO?] q. d. Ego sum qui sensus, sensuumque vsum do & adimo, cùm mihi libuerit, vt & balbis linguam expediam, & lingua agiles cùm placet constringā: cùm ergo te nunc mittam, & legatum meū designem, os quoque & facundiam tibi dabo.

Disce hîc, facundiam & gratiam sermonis esse donum Dei, vel naturale, vel supernaturale. Hinc Platoni, cùm adhuc infans dormiret in cunis, apes mellis copiam in os instillare sunt visæ: quod præsagium erat, ex Platonis ore, Dei dono, fluxuram orationem melle suauiorem. Hinc & Xenophon ab elegantia sermonis, vocatus est Musa Attica. Sic & in S. Ambrosij, cùm adhuc infans esset, ore examen apum consedit, quod diuinam viri eloquentiam præmonstrabat, inquit Paulinus in eius Vita. S. Dominici mater grauida, sibi visa est in quiete continere in aluo catulum ore præferentem facem, qua, editus in lucem, orbem terrarum incenderet. quo somnio significabatur, fore, vt S. Dominicus sua concione facunda & feruida, piaque cunctos ad Dei amorem inflammaret. Simile quippiam contigit matri S. Bernardi, qui verè fuit mellifluus. Mirum verò est, quòd subinde videmus, homines, tetricos aliàs & inficetos, facundia à Deo donari, multaque gratiosè & eleganter proloqui. Ita cùm Xenocrates natura durus & tetricus, gratiosè & festiuè loqueretur, ac mirarentur audientes, dixit Plato: *Quid miramini? nónne inter carduos & vrticas lilia plerumq; & rosas enasci cernitis?*

OBSECRO DOMINE, MITTE QVEM MISSVRVS ES] q. d. Alium mitte, quem te missurum præsciuisti. Hebraicè est, *mitte quæso per manum* (scilicet alterius) *quem mittes*. q. d. Ad legationem hanc tantam alio, meque aptiore vtere instrumento: hoc enim Hebræis est manus. VERS. 13.

Quintuplex excusatio Mosis. Notat Caietanus quintam hanc esse excusationem Mosis; Prima enim fuit c. 2. v. 11. ex sua inhabilitate, quòd ad tantum munus esset ineptus & impar. Secunda, c. 2. 13. ex ignoto Dei nomine. Tertia, cap. 3. v. 1. ex incredulitate Hebræorum. Quarta, c. 3. 10. ex suo linguæ vitio. Cumque videret has excusationes non acceptari à Deo, quintam hanc addit interpellationem & supplicationem, qua omnino conatus est à se excutere, & in alium reijcere hanc missionem, obsecrans, *mitte quem missurus es*. q. d. Mitte quemcumque volueris, modò ne me mittas inidoneum ad tantum munus. ita Vatablus.

Moses non petijt mitti Aaronem, nec Iosue. Quare non rectè Lyranus putat, his verbis Mosen orasse Deum, vt definitè Aaronem fratrem suum mitteret; vtpote qui se esset eloquentior, quique, vt addunt vel fingunt aliqui Rabbini, hactenus Prophetam egerat in Israel. Non rectè etiam R. Salomon putat, Mosen petijsse mitti Iosue, de quo sibi reuelatum erat, quòd post mortem suam induceret Hebræos in Chanaan. Verba enim Mosis generalia & indefinita sunt.

An Christum? Secūdò, multi Patres, vt S. Iustinus, Tertull. Cyprian. Euseb. scribentes contra Iudæos, & Rupert. putant, Mosen hîc petijsse aduētum Messiæ; huius enim nomen erat *missus* vel *mittendus*, vt patet Gen. 49. 10. q. d. Quandoquidem, ô Domine, statuisti mittere Messiam, eumque vt nos peccato liberet aliquando missurus es, cum nunc potiùs mitte, vt populum tuum eadem opera ex Ægypto liberet. Hic sensus valdè probabilis & accommodatus est, quidquid obijciat Abulens. & audacter nimis tantis Patribus obstrepat Eugubinus. Ita enim olim alij patriarchæ in grauibus causis, semper ad Christum promissum respiciebant, & ad eum suspirabant, vt patet de Iacob Gen. 49. v. 10. & 18.

An Moses peccarit toties se excusando. Prima sententia. Quæres, an Moses peccarit toties renitendo vocationi & missioni Dei? Aliqui Hebræi censent Mosen peccasse mortali incredulitate, diffidentia & inobedientia; ideoque punitum esse in eo, quòd Hebræos non induxerit in terram promissam. Sed hæc nimis dura, & fundamento carens est censura; nec ob hanc, sed ob aliam diffidentiam ad aquas contradictionis, Moses exclusus est terra sancta, vt patet Num. 20. Magis insulsum est quod ait R. Salomon, Mosen ob hoc peccatum priuatum esse sacerdotio, illudque translatum esse ad Aaron.

Secunda. Secundò, S. Basilius, Gregor. Hieron. eosque citans Perer. omnino excusant Mosen

Mosen, eiusque excusationem quasi ab humilitate profectam laudant; tum quia Moses sciebat cor peruicax & inexorabile Pharaonis, atque duram ceruicem Hebræorum, ait Basilius, quam se putabat frangere non posse; tum quia veri obedientis est, honorifica (qualis erat hæc missio) refugere & detractare; ad dura verò & aspera se vltrò & alacriter offerre, vti docet S. Gregor. 35. Moral. c. 13. Pari modo Saul se quasi indignum excusauit à regno, 1. Reg. c. 9. & Ieremias c. 1. à prophetia & prædicatione. *Moyses*, inquit S. Gregorius, *quia apud se mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit. Paulus verò cùm ab Agabo, quanta se aduersitas in Hierosolymis maneret, audiuit; protinus respondit: Ego non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum pro nomine Iesu. Præeunte ergo vtrorumque ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sæculi ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus.*

Tertia & vera, peccasse venialiter.

Verùm dico cum Caietano & Abulensi, Mosen peccasse veniali pusillanimitate & inobedientia: cùm enim suam infirmitatem perpenderet, illi nimis inhæsit; arbitrans se infirmiorem esse quàm qui tantum onus à Deo impositum sustinere posset; non cogitans, Deum qui se vocabat, sibi quoque vires & animos suppeditaturum. Licet ergo Moses directè non repelleret, nec detrectaret voluntatem Dei, cupiebat tamen Deum aliud velle, aliumque mittere; & ad hoc nimis, adeoque quintò Deum vrsit. quare meritò ei, quasi nimis tergiuersanti iratus est Deus: vel, vt hebraicè est, יחר *iichar*, id est subitò excanduit, salua tamen amicitia cum Mose: vnde mox hanc iram clementia temperauit, Mosenque iam acquiescentem ad Pharaonem misit, addens ei socium Aaronem.

Dices, Moses sciebat iam antè se electũ à Deo ad hoc munus; ideoque tam animosè, quàm periculosè Ægyptium illum occidit, vti ex S. Stephano ostendi cap. 2. 12. quomodo ergo hîc factus est pusillanimis, vt hoc munus iam detrectet?

Periculum præsens magis percellit quàm futurum.

Resp. Id ex eo accidit, quòd res ardua eminus ostensa, & diu pòst futura, quasi absens, mentem non feriat, nec percellat; eadem tamen cùm præsens est, & executioni mandanda, tunc hominem percellit, vt trepidet & sudet: tunc enim longè viuaciùs apprehenditur rei moles, difficultates omnes & pericula, quàm antè. Id in nobis, nostrisque militibus belli inexpertis experimur: qui cùm extra teli iactum sunt, leones videntur, quidquid ausuri; sed vbi cominus cum hoste pugnandum est, clangentibus tubis, & aciebus vtrimque conclamantibus, tunc pallent, pauent & palpitant, & vt ille ait, in pace leones, in prælio sunt cerui. Ita ergo Moses, cùm oraculum de futuro suo ducatu acciperet, non timuit; cùm verò illum sibi imponi vidit, eiusque onera & difficultates cominus perspexit, tunc trepidare, omniaque effugia quærere cœpit; salua tamen amicitia & obedientia Dei. vnde cùm vidit Deum absolutè id velle, nec excusationes vllas admittere, sed irasci, statim paruit, onusque acceptauit.

VERS. 14. AARON FRATER TVVS LEVITES] τὸ *Leuites*, additur nomini Aaron, quasi cognomen ex tribu petitum, more Iudæorum: illi enim à sua tribu cognominabantur, vti Hollandi à parente, & alij passim à familia cognominantur. Porrò *Leuites*, erat cognomen honorabile, ob sacerdotium addictum tribui Leui, in quo primus & princeps futurus erat Aaron.

EGO ERO IN ORE TVO] Ex Hebræo verti potest, *ego ero cum ore tuo*. q.d. Ego ero moderator oris tui, suggeram, moderabor & dirigam linguam & sermones tuos. *Domini enim est gubernare linguam*, vt ait Sapiens Prouerb. 16. v. 1. idque cum Sanctis, assiduè à Deo efflagitandum est, præsertim ei qui alijs præest. sic Esther c. 14. 13. orat ad Deum: *Tribue*, inquit, *sermonem compositum in ore meo*. & Apostolus Ephes. 6. 19. cupit orari pro se, *vt detur*, inquit, *mihi sermo in apertione oris mei.* VERS. 15.

Philo putat balbutiem Mosi naturalem, hîc à Deo fuisse curatam & sublatam. q.d. ei Deus: *Meo nutu articulatè omnia edisseres, facundia mutata in melius, nec aliter cogitationes promente, quàm manant fontes limpidissimi.* Sed hoc non videtur verum; nam ob Mosis infacundiam, & facundiam Aaronis, hunc Mosi socium addit, vt sequitur. Rursum c. 6. 12. Moses disertè ait, se adhuc esse incircumcisum labijs.

ERIT OS TVVM] Aaron erit interpres tuus. q.d. Tu mandabis & ordinabis ea quæ agenda sunt, tamquam intellectus concipiens; Aaron verò eadem loquetur, tamquam os exequens, & eloquens. VERS. 16.

Moses fuit quasi intellectus concipiens, Aaron quasi os eloquens.

Moraliter disce hîc, quantum sit bonum socius & societas. cùm enim omnis homo defectus habeat, alter alterius defectus supplet: quia in adiutorium mutuum homo generatus est, hinc tantopere celebratur à sapientibus Græcis factum illud cæci pedibus integris, qui sublatum in collum ferebat truncum pedibus, bene oculatum: ex quo vterque vtriusque auxilio fruebatur; alter pedum, alter oculorum socij commodum percipiens, quo carebat. vnde illud Ausonij epigramm. 123.

Societatis commoda duo.

Quo caret alteruter, sumit ab alterutro.

Sic Moses ab Aarone eloquentiam, Aaron à Mose sapientiam accepit. Prudenter ergo Sapiens: *Frater*, inquit, *qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, Prouer. 18. 19. Eccles. 4. 10. *Melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. væ soli: quia non habet subleuantem se. Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Hac de causa Religiosi vadunt bini, & Christus binos misit discipulos euangelizare, tum vt socium laborum, tum vt vitæ testem habeant. Hinc S. Thomas Aquinas dicere solebat, *Monachum solum esse dæmonem solitarium.* Nam, vt ait Seneca epist. 25. *Omnia nobis mala solitudo persuadet.* Et epist. 11. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Iustinianus Imper. Nouel. const. 133. monachos clam testibus viuere, scelus ducit; vult ergo eos *inuicem testes esse mutuæ honestatis* & castitatis. nam, vt ait Theodorus Studita in suo testamento §. 15. *Vnius facilis est calumnia.* Ita Ioseph ab hera passus est calumniam stupri, quia solus erat; ita & Susanna calumniam senum subijt, quia sola. Meritò ergo S. August. in regul. c. 12. ita sancit: *Quando simul estis in ecclesia, & vbicumque feminæ sunt, inuicem pudicitiam vestram custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.* Audiant Religiosi soli sententiam D. Thomæ Cantiprat. l. 2. c. 11. §. 1. audiant & timeant: *Quàm vera*, inquit, *sit hæc sententia,*

Væ

Va soli, ego noui, qui triginta annis vices Episcopi in diuersis prouinciis habui: qui in hoc articulo, quo Religiosi soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala horrenda scandala, horrendaq; pericula frequenter audiui; qua numquam sustinuissent adiuncto socio, vel fecissent.

Tv avtem eris ei in his qvæ ad Devm pertinent] tu eris ei internuntius Dei: hebraicè est, *tu eris ei* לאלהים *lelohim, in Deum*, pro Deo, vice Dei, vt scilicet ex te Dei, putà meam, voluntatem intelligat, & te quasi me consulat & audiat. nam, vt ait Christus Apostolis, *Qui vos audit, me audit*; & Psaltes principibus & iudicibus, *Ego dixi, Dii estis*. Chaldæus vertit, *tu eris ei in principem*; sed hoc frigidum est, & improprium. *Elohim* enim propriè Deum significat.

Vers. 18. Vadam et revertar ad fratres meos in Ægyptvm, vt videam si adhvc vivant] Visionem Dei celat socerum suum Moses, modestiæ studio, aliamque veram & iustam abeundi causam ei obiicit, vt vrbanè ab eo discedendi veniam impetret.

Vers. 20. Imposvit eos svper asinvm] R. Salomon dicit hunc eundem esse asinum, cum eo qui ligna Abrahæ tulit ad immolandum Isaac Genes. 22. v. 3. Eodem quoque asino vehendum esse Messiam, iuxta prophetiam Zachar. c. 9. 9. Quia hebraicè, inquit, hic asinus habet *he* demonstratiuum, quasi illustris sit & celebris; & quia, nisi mirus & insolitatus fuisset, non potuisset ferre matrem cum filiis iam grandioribus. Quis non videat & rideat hanc fabellam? & tamen huic R. Salomoni, quasi suo Pythagoræ, credunt per omnia Iudæi, hasque fabellas pro certis habent traditionibus. Vide hic iustum Dei iudicium in Iudæos: *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio*, inquit S. Paulus 2. Thessal. 2. v. 10. Tales enim sunt hæ nugæ & fabellæ, quibus scatet R. Salomon; vt mirum sit, Lyranum tantum illi & illis subinde tribuere. Ad argumentum eius superiùs respondi, filios hos natos esse sub hoc tempus, ac proinde paruulos fuisse, non autem grandiores.

Asinus Rab. Salomon longæuissimus.

Portans virgam Dei in manv sva] Virga hæc fuit baculus Mosis pastoralis, quo pascebat & minabat oues Iethro, quæ versa fuit, & rursum coram Pharaone, vertenda erat in colubrum; per quam Moses fecit omnia portenta, & plagas Ægypti: hinc vocatur *virga Dei*. Addunt, vel fingunt Hebræi, hanc virgam fuisse quadrilateram, atque in ea fuisse inscriptum nomen Dei tetragrammaton, siue quadriliterum, ita vt singulis virgæ lateribus vna nominis littera esset incisa.

Virga Mosis thaumaturga fuit baculus pastoralis eiusdem.

Artapanus apud Eusebium libr. 9. de Præpar. c. vlt. ait, hanc Mosis virgam postmodum ab Ægyptiis in veneratione habitam esse, atque in eius memoriam in templo Isidis baculum poni & coli. Isidem enim putant illi terram esse, quæ baculo Mosis percussa tot prodigia produxit.

Baculus Isidis quis?

Vers. 21. Vide vt omnia ostenta qvæ posvi in manv tva, id est in potestate tua: scilicet illa tria portenta, quæ hoc cap. tibi assignaui, & alia quæ deinceps tibi assignabo: vide & cura, vt ea omnia facias coram Pharaone.

Ego indvrabo] quomodo induret Deus dicam c. 7 v. 3.

Vers. 22. Filivs mevs primogenitvs Israel] filius per adoptionem, non per naturalem generationem. q.d. Ego Deus Israelitas quasi Abrahæ, Isaaci & Iacobi posteros, mihi in filios adoptaui, illos mihi in populum elegi, vt mihi seruiant, me colant, ego vicissim eis sim pater, protector & prouisor.

Nota *τὸ primogenitus*, id est dilectus præ cæteris gentibus & electus, habitusque vt primogenitus; adhæc primus inter populos Dei fide & cultu adunatus, in eaque fide genitus & nutritus: talis enim fuit populus Israel.

Ecce ego interficiam filivm tvvm] Vltimam tantùm ponit comminationem & plagam: quia eousque obduratum mansit cor Pharaonis; per illam autem emollitum fuit, vt dimitteret Hebræos. Vers. 23.

Occvrrit ei Dominvs] angelus, humana forma gerens Dei personam. vnde Septuag. vertunt, *occurrit illi angelus*. Vide dicta c. 3 v. 2. Vers. 24.

Et volebat occidere evm] vel præfocatione, vt vult Tertull. vel potiùs, vt Theodoret. & Diodor. gladio euaginato mortem intentans, non puero, siue filio Mosis incircumciso (vt vult Tertullian. lib. contra Iudæos cap. 3. & S. August.) hic enim infans non peccarat, nec mortem erat meritus; culpa enim omissæ circumcisionis non in ipso, sed in parentibus residebat. Mosi ergo mortem hanc intentat angelus: pronomen enim *eum*, designat Mosen, de quo hactenus continuus fuit sermo.

Nugatur R. Salomon, angelum hunc apparuisse specie draconis, & hianti ore Mosen absorbuisse vsque ad membrum quod circumcidendum erat: id videns Sephora intellexit id Mosi accidisse, eò quòd filium non circumcidisset; quocirca illa mox eum circumcidit, statimque draco Mosen reuomuit.

Fabella R. Salomon.

Quæres, cur angelus voluerit Mosen occidere? Resp. Primò, S. August. serm. 86. de Tempore, & Eusebius vterque, scilicet Emissenus & Cæsariensis, eò quòd secum duceret vxorē, quæ Mosi, eiusque missioni impedimento erat futura; quæque, ait Euseb. Hebræis suspectam eius missionem fecisset: dixissent enim Mosi; Si venis vt nos educas ex Ægypto in Chanaan, cur non reliquisti vxorem & proles, vtpote tot remoras, in Madian? per Madian enim (putà per Sina montem, cui adiacet Madian) nobis eundum est in Chanaan. Sed rectè Mosen hic excusat Theodor. quòd non potuerit relinquere vxorem in Madian, sine graui soceri sui offensione, & suspicione quòd eam vellet repudiare. Verùm aliam causam mortis intentatæ Mosi suggerit Scriptura.

Cur angelus voluit Mosen occidere

Prima sententia.

Secundò, Theodor. & Diodor. putant, angelum comminatum esse mortem Mosi, vt hoc timore ex animo eius metum Pharaonis, quasi clauum clauo pelleret. q.d. Tu ô Moses nimis formidas Pharaonem; atenim me timere magis deberes, quippe qui, vt vides, possum te subitò nullo negotio occidere.

Secunda.

Verùm dico, angelum voluisse occidere Mosen, eò quòd non circumcidisset filium, vti iusserat Deus Genes. 17. v. 12. ipse enim futurus erat legislator populi; debebat ergo ipse primus legem seruare: hanc enim causam intelligens vxor Mosis, statim filium circumcidit, moxque angelus, quasi sibi iam satisfactum esset, Mosen dimisit. ita Isidorus Pelusiota, Rupert. Lyran. Abulens. Caietanus.

Tertia & vera, eò quòd filium non circumcidisset.

Quæres

Cur Moses filium non circūcidit Prima sententia. Quæres Secundò, cur Moses vir sanctus secundùm legem filium suum non circumcidit? Resp. Rupert. & Chald. eò quòd Iethro socer & Sephora vxor, vtpote Gentiles & Madianitæ, non permitterent puerum eo dolore & vulnere affici. Verùm obstat, quòd seniorem filium iam circumciderant: vnum enim, putà minorem, tantùm circumcidit Sephora, quia nimirum senior iam erat circumcisus: alioqui enim & hunc circumcidi coëgisset angelus. Rursùm obstat, quòd Sephora statim ex se, & per se circumcidens infantem, satis indicauit se istius ritus esse peritam, illumq́; peregisse in seniore filio circumcidendo.

Secunda, & vera, quia minor erat & tenellus adhuc. Hinc veriùs censent Hebræi, Lyran. Abulensis & Perer. quòd minor hic filius, Eliezer scilicet, recens iam esset natus, cui proinde vel Moses, vel potiùs mater grauia damna itineris metueret, si eum circumcideret: distulit ergo rem Moses, donec veniret in Ægyptum. hac enim eadem de causa Hebræi peregrinantes in deserto, per 40. annos non sunt circumcisi, vt patet Iosue 5. cap. Verùm, angelus mortem minitans Mosi, hunc nimium timorem illi excussit, idque ne Moses legislator futurus, remissior in lege seruanda fuisse videretur. Moses enim quasi dux, cæteris perfecto in lege implenda exemplo præire debebat. Vidit ergo Sephora angelum minitantem mortem Mosi marito, propter puerum incircumcisum, eumque fortè digito ostendentem.

Vnde Sephora hanc causam intellexit. Intellexit ergo Sephora Mosen esse in vitæ periculo, ob neglectam filij circumcisionem, partim ex eo quòd angelus phantasiam eius regens hanc speciē & causam ei obijceret & suggereret; partim ex eo quòd angelus vel vultu, vel digito puerum incircumcisum notaret; partim ex eo, quòd Moses eam docuerat præceptum circumcisionis, à Deo latum sub interminatione mortis. Addit Quartò, Caietan. intercessisse sermonem angeli de incircumciso filio, licet eum hîc non exprimat Scriptura.

VERS. 25. *Cur petrino cultro circumcidit Sephora filium.* TVLIT ILICO SEPHORA ACVTISSIMAM PETRAM] non quòd cultro petrino necessariò fieri deberet circumcisio, vti sensit S. August. sed quia consternatæ & festinanti matri talis culter primus occurrit; præsertim quia hæc circa Arabiam Petræam, vbi est Sina & Madian, contigerunt, in qua maior petrarum quàm ferri est copia & vsus. vnde petras ibi exacuunt instar ferri, ex eisque cultros efficiūt acutissimos; nam alioqui Genes. 17. vbi lex de circumcisione fertur; nulla petræ fit mentio. qua de re plura dicam Iosue 5. interim vide D. Thom. 3. p. q. 70. a. 3. ad 2.

ET CIRCVMCIDIT PRÆPVTIVM FILII SVI] id est filiorum suorum, ait Caiet. putat enim vtrumque Mosis filium hîc à Sephora circumcisum esse. Secundò, Hugo de S. Victore putat vnum filium hîc tantùm esse circumcisum; quia mater, inquit, vtpote Gentilis, vnum sibi filium, quasi proprium & incircumcisum retinuerat, alterum verò Mosi circumcidendum reliquerat; vel vnum tantùm filium ducebat secum Moses, alterum verò apud socerum quasi obsidem amoris & beneuolentiæ suæ, reliquerat. Sed hisce obstat S. Scriptura, quæ expressè v. 20. ait Mosen reuertentem duxisse secum filios suos; hîc verò v. 25. ait filium, putà alterum tantùm è duobus, esse circumcisum.

Solus Eliezer hîc fuit circūcisus. Hinc ergo apparet, solum Eliezer, vtpote recens natum, esse circumcisum: seniorem verò

A Gersam iam antè fuisse circumcisum, vti dixi.

TETIGITQVE Sephora (vt patet ex Hebræo, quasi deprecabunda pro vita mariti Mosis, PEDES EIVS] Septuag. vertunt. *procidit ad pedes eius*, scilicet angeli inuadentis Mosen, inquit Caiet. vt supplici prece eum placaret. Secundò, Chaldæus vertit, *proiecit præputium filij ad pedes angeli*, q. d. Si propter incircumcisum puerum irasceris Mosi, en tibi pueri præputium circumcisum; quare placatus desine persequi virum meum. Tertiò, alij, *pedes eius*, id est pueri, inquiunt. q. d. Pueri pedes mater, vel sanguine fuso, vel ipso præputio proiecto, tetigit vel tinxit.

Verùm dico, Sephora *tetigit pedes eius*, scilicet Mosis: huic enim dixit id quod sequitur, *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Tetigit ergo ipsa mariti pe-
B des, eosque aspersit sanguine & præputio filij coram angelo; vt hoc quasi pretio eum à morte seruaret & redimeret, dicens: *Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem.* quasi dicat, Ego te ô marite certæ morti destinatum ab angelo, rursum sanguine filij mei, quem circumcidendo eum effudi, mihi sponsum coëmo.

Malè ergo Rupert. sic explicat: tetigit pedes eius, id est importunè supplicauit Mosi, vt se domum ad patrem redire permitteret; exterrita enim erat visione angeli. vnde sequitur, *Et dimisit eum.* Verùm sic dicendum fuisset, Et dimisit eam, putà Moses Sephoram.

Tangere genua priscis fuit symbolum adorantis. Nota. Tangere pedes inter Iudæos tum amoris, tum reuerentiæ & adorationis erat signum; præsertim mulierum erga viros. Sic Sunamitis orans Eliseum pro filio iam mortuo, pedes eius tangit 4.
C Reg. 4. 27. Sic Magdalena, aliæque piæ mulieres post resurrectionem tenuerunt Christi pedes, Matth. vlt. v. 9. Sic (vt ex antiquis Concilijs liquet) moris fuit in Ecclesia vetere, vt qui Episcopos salutarent, eorum genua manu tangerent. Hic etiam fuit Gentilium mos: vnde illud apud Homer. Iliad ά. v. 499.

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων.

Sic Sidon. Apollinar. lib. 1. epist. 5. *Apostolorum*, inquit, *liminibus affusus*: & carmine 7. *Genibus primùm est affusa Tonantis*, qui à Plinio lib. 9 epist. 21. *aduolutus genibus* dicitur. Qui verò delicti veniam precabantur, supplices pedibus aduoluebantur. Vnde Petrus Chrysolog. serm. 93. *Ad pedes*, ait, *tendat, citam veniam qui requirit.* Saluian. Massil. epist. ad Hypatium & Quietam: *Aduoluor vestris, ô parentes charissimi, genibus: illa ego vestra Palladia.* Filijq́; supplices parentum pedibus affusi pedes osculaban-
D tur, ait idem Saluianus. Causam huius ritus naturalem dat Plinius l. 11. c. 45. *Hominis*, inquit, *genibus quadam religio inest, obseruatione gentium: hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant; fortè quia eis inest vitalitas. Antiquis Græcis in supplicando mentum attingere mos erat.*

Genibus inest vitalitas

Secūdò, sunt symbolum misericordiæ: Secunda causa est, quia genua misericordiæ dicata sunt. Seruius in illud Æneid. 3.

Dixerat, & genua amplexus, genibusq́; volutans
Harebat;

Physici, inquit, *dicunt esse consecratas numinibus singulas corporis partes, vt aurem Memoria, frontem Genio, dexteram Fidei, genua Misericordiæ.* Et Pierius hierogl. 35. *Genu*, inquit, *misericordiæ sedem esse, antiqua omnis superstitio confitetur, vti memoria auris, irrisionis nasus habetur.* Facientes ergo vota tenebant genua, vt de illorum misericordia, cuius illa sunt

sedes

sedes, sibi quæ poscerent, polliceri significarent. De dijs Gentium ait Arnob. l. 6. *Ita enim non videtis hac signa, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes?* Inde mos signandi vota, & incerandi deorum genua. Votum enim quisque suum ceratis inscriptum tabulis, deorum genibus affigebat. Iuuenal. sat. 10.

Genua incerare.

Propter quæ fas est genua incerare deorum.

Tertiò, potentia: Tertia causa est, quòd in genibus posita sit motus & progressionis virtus; quodque ipsa, roboris & vigoris integri symbolum sint. Nam vti flectere genua, professio est imbecillitatis & indigentiæ. ita non flectere, dignitatis & potentiæ. vnde elephas Ægyptijs symbolum erat regiæ potentiæ, quòd genua non flectat, id est alterius ope nō egeat, nec habeat necesse alteri supplicare. tangere ergo genua, nihil est aliud quàm agnoscere alterius robur atque potentiam, qua ferre opem possit, si velit, & confirmare labantem.

Quartò, vita. Quartam causam dat Goropius libr. 5. Origin. Antuerp Olim, inquit, supplices ad genua prouoluebantur, vt femur oscularentur, quasi vitam sibi inde quærere significarent, vnde accepissent: semen enim, & consequenter proles & posteritas, è lumbis & femore ortum habent. Sic ergo Sephora tangendo pedes mariti, amorem & reuerentiam illi, ac consequenter angelo, quem hac ratione placare, & marito conciliare volebat, exhibuit, eiusque misericordiam & potentiam implorauit, vt vitam marito impetraret. pro angeli enim pedibus (quos tangere non audebat) mariti pedes amplexa est.

SPONSVS SANGVINVM TV MIHI ES] Mirum cur Septuag. verterint, *stetit sanguis filij mei.* Clarè Chaldæus vertit, *obtulit*, Sephora, *præputium coram eo*, angelo, *& ait, Propter sanguinem circumcisionis huius* (scilicet neglectum & non effusum) *condemnatus erat ad mortem sponsus meus.*

Spōsus sanguinum quadrupliciter à variis accipitur. R. Abraham hæc verba refert ad puerū circumcisum, quasi ei iam circumciso applaudens mater dixerit: Tu es mihi sponsus sanguinum. tradunt enim Hebræi, moris fuisse Hebræis matribus, vt filios cùm erant circumcisi, vocarent sponsos suos.

Secundò, Rabanus putat Sephoram hæc dixisse ex ira; q d. Tu, ô marite, causa es cur fundere debuerim sanguinem filij mei, vnde meritò indignor, & te voco sponsum sanguinum.

Tertiò, alij sic explicant, quasi dicat; Video te mihi fore sponsum laboriosum & sanguinarium, multoque maiora mihi tecum perpetienda esse in Ægypto: dimitte ergo me, vt redeam domum ad parentes. vnde putant Sephoram hoc loco cum filiis domum rediisse.

Quartò & optimè, quasi diceret; Nisi ego sanguinem filij mei in circumcisione effudissem, tu ab angelo interfectore periisses; te igitur ego mihi denuò sponsum acquisiui & coëmi, non dote pecuniaria, sed profusione sanguinis filij mei, vti versu sequ. pleniùs explicabo.

Sponsi olim sponsas dato pretio coëmebant. Nota. Nuptiæ tam apud Hebræos quàm Romanos, fiebant coëmptione: maritus enim pecunia datatum vxori, tum parentibus eius, ab eis illam sibi vxorem coëmebat; vicissim subinde vxor maritum sibi dato pretio coëmebat. Sic Dauid centum præputijs Philistinorum emit à Saule filiam eius Michol sibi in vxorem, 2. Reg. 3. 14. Sic Osee fornicariam sibi in vxorem emit quindecim argenteis, Osee 3. 2. Sic olim Saxones & Burgun-

A diones trecentis solidis sibi vxores à parentibus coëmebant. hinc & illud Poëtæ:

Teq; sibi generum Thetys emat omnibus vndis. &:
Rex tibi coniugium, & quæsitas sanguine dotes
Abnegat. Vide Riberam in Osee 3. v. 2.

ET DIMISIT EVM] Putà Sephora Mosen reliquit, reditque in patriam, ait Lyran. Verùm obstat Hebræum ירף iireph, quod non significat remittere in alium locum, sed quiescere, cessare, dimittere in pace, non vexare alium. VERS. 26.

Tertiò, alij, *dimisit eum*, scilicet Mosen morbus, quo eum percusserat angelus.

Quartò & genuinè, *dimisit eum*, scilicet angelus Mosen, nec ampliùs ei mortem intentauit, cùm vidit filium eius iam esse circumcisum; vnde LXX. vertunt, *& abijt angelus ab eo.* ita S. August.

B SPONSVS SANGVINVM tu mihi es, OB CIRCVMCISIONEM] Aliqui sic explicant: Tu, ô marite vel sponse, reus eras sanguinis & mortis, erasque occidendus ob omissam filij circumcisionem. Verùm dico, sensus est, Ob circumcisionem, id est, ob sanguinem filij mei, quem in eius circumcisione effudi, tu ô Moses es mihi sponsus sanguinum: quia hoc sanguine, te morti addictum à morte redemi. q. d. Ante circumcisum filium. tu eras mihi sponsus sanguinum, cædis & interfectionis, inquit R. Dauid Kimchi, quia eras occidendus, sanguisque tuus effundendus erat ab angelo; iam verò circūciso filio es mihi sponsus sanguinis circumcisionis; quia sanguine circumcisionis filij mei, tuam vitam teque mihi sponsum coëmi. *Moses erat Sephoræ sponsus sanguinū dupliciter.*

Symbolicè, Moses iunctus alienigenæ, est Doctor Christianus deditus humanæ philosophiæ. hæc gignit proles, id est dogmata vera, sed vanis & C falsis commista; quæ nisi circumcidantur, mortē afferunt homini Christiano. v g. dogmata Philosophorum sunt Deum esse primum motorem, sed non esse omnipotentem: non posse aliquid facere ex nihilo, sed tantùm ex materia sibi coæterna: non agere liberè, sed fato & ex necessitate naturæ. Hæc omnia circumcidenda sunt per cultrum petrinum, id est per fidem Christi. *Symbolica circumcisio quæ?*

Rursum disce hîc, non esse satis patrifamilias si ipse sit religiosus & sanctus, sed debere curare, vt & filij & familia tota talis sit. Audi quàm rectè & piè familiam suam instituerit S. Elzearius Comes Ariani, ex Vita eius c. 18. *Primò enim constituit, vt omnes è domo sua, quotidie Missam integrè audirent. Secundò, vt viuerent castè & purè: qui secùs facerēt, eos domo sua expellebat. Nolebat enim, vt quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implica-* D *tum, ne alios inficeret, & ne eius peccatum fouere videretur. Tertiò, vt nobiles & milites, itemq; virgines & matronæ semel in hebdomade confiterentur, & semel in mense communicarent. Quartò, vt eædem virgines & matronæ manè vsque ad prandium precibus & piis exercitiis vacarent: à prandio manuariis operibus sese occuparent. Quintò, vt nemo auderet blasphemare Deum, B. Virginem, aut aliquem Sanctorum, vel iurare temere, vel inhonesta proferre. corrumpunt enim bonos mores colloquia praua: cum qui secùs fecisset, in pane & aqua ieiunare cogebat. Sextò, vt nemo luderet tesseris aut alio lusu turpi & inhonesto. Septimò, vt omnes pacem, amicitiam & concordiam colerent: si quis alium offendisset, mox cum offenso rediret in gratiam. Octauò, vt quotidie à prandio aut vespere inter illos, ipso præsente, fieret collatio & collocutio de rebus piis & salutiferis.* Lege & Tobiam cap. 4 vbi ipse filium instruit ad omnem *Mira S. Elzearij institutio familiæ.*

omnem virtutem. Hoc quoque sæculo b. Thomas Morus Angliæ Cancellarius & Martyr, ita proles & familiam suam in litteris, quàm in virtute & pietate Christiana instituit, vt de ea scribat Erasmus: *Domum Mori scholam esse & gymnasium Christianæ religionis.* testis est D. Staplet. in Vita Mori.

Allegoricè sponsus sanguinum nobis est Christus, cur. Allegoricè, hoc dicat Christo verus Christianus præsertim Religiosus: *Sponsus sanguinum tu mihi es ò Christe*; tum quia tuo sanguine animam meam tibi coëmisti & desponsasti: vnde S. Agnes dicebat tyranno, *Sanguis Christi sponsi mei tinxit genas meas*: tum quia à me vicissim, vt sim sponsa te digna exigis sanguinem meum, imò carnem & vitam meam, dum doces iis qui te sequi, tibique placere volunt, circumcidendas & mortificandas esse concupiscentias carnis & sanguinis. dum ais: Nemo potest meus esse discipulus, nisi qui abnegat semetipsum, & tollit crucem suam; nisi qui odit & perdit animam suam in hoc mundo; nisi qui carnem suam crucifigit cum vitiis & concupiscentiis; nisi qui diabolo, carni & mundo resistit vsq; ad sanguinem, vsq; ad mortem & martyrium. atque hæc est *circumcisio cordis in spiritu, non littera*, non Iudaica, sed Christiana, non exterior, sed interior, *cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, Roman. 2. 29. Martyri ergo Christus est sponsus sanguinum. vnde S. Cyprian. de Laude martyrii: *Sanguini*, inquit, *nostro patet cælum. ingreditur miles vulneribus suis gaudens.* Idem lib. 2. epist. 4. *Vos*, ait, *de vinea Domini racemi pingues, & iam* A *maturis fructibus botri, pressura sæcularis infestatione calcati, torcular nostrum sentitis. vini vice sanguinem funditis: ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis.*

Deniq; non sufficit Mosi vnum circumcidere filium seniorem, nisi & secundum circumcideret: ita Prælato, & cuivis Christiano non sufficit, circumcidere intellectum ab errore, nisi & affectum circumcidat à cupiditate. ita Perer.

IN MONTEM DEI] in montem Sina. Videtur Moses, cùm comitatus iam fratre suo Aarone, planè se accingeret ad suam legationem tam arduam obeundam, remisisse in Madian vxorem cum filiis, vt liberior esset & expeditior: nam Sephoram à Mose recessisse ad suos, patet ex eo, B quòd illa postmodum ad Mosen ex Ægypto cum Hebræis egressum, in Sina redierit, vt dicitur c. 18 v. 2. VERS. 27. *Moses liberaturus suos remittit vxorem in Madian.*

LOCVTVSQVE EST AARON] Ecce Aaron hîc est os & interpres Mosis, vti prædixerat Deus v. 16. VERS. 30.

ET FECIT SIGNA CORAM POPVLO] *Fecit*, non Aaron, sed Moses qui immediatè præcessit: ita enim partita erant à Deo munia Mosis & Aaronis, vt Moses suo imperio mandaret & faceret signa, Aaron mandata Mosis & Dei eloqueretur, tamquam dux verbi.

SIGNA] tria illa, de quibus initio capitis.

VISITASSET] respexisset ad eos liberandum & educendum ex Ægypto: hoc enim posterius verbum explicatio est prioris. VERS. 31.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses cum fratre legationem Dei apud Pharaonem obit; contemnit ille, graviusq; Hebræos premit; qui hac de causa cum Mose expostulant; Moses denique ad Deum recurrit.

1. POst hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto. 2. At ille respondit: Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam. 3. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis aut gladius. 4. Ait ad eos rex Ægypti: Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. 5. Dixitq; Pharao: Multus est populus terræ: videtis quòd turba succreuerit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? 6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi, dicens: 7. Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs: sed ipsi vadant, & colligant stipulas. 8. Et mensuram laterum, quam priùs faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, idcirco vociferantur, dicentes: Eamus & sacrificemus Deo nostro. 9. Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquiescant verbis mendacibus. 10. Igitur egressi præfecti operum & exactores ad populum dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas: 11. ite, & colligite sicubi inuenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro. 12. Dispersusq; est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. 13. Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus vestrum quotidie, vt priùs facere solebatis quando dabantur vobis paleæ. 14. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Quare non impletis mensuram laterum sicut priùs, nec heri, nec hodie. 15. Veneruntque præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra seruos tuos? 16. Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum. 17. Qui ait: Va-

catis otio,& idcirco dicitis: Eamus,& sacrificemus Domino. 18. Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis,& reddetis consuetum numerum laterum. 19. Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eò quòd diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. 20. Occurreruntq; Moysi & Aaron, qui stabant ex aduerso, egredientibus à Pharaone: 21. & dixerunt ad eos: Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius,& præbuistis ei gladium, vt occideret nos. 22. Reuersusq; est Moyses ad Dominum,& ait: Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? 23. Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum:& non liberasti eos.

Vers. 1. Post hæc ingressi svnt Moses et Aaron] cum senioribus populi, inquit Lyran. ita enim præceperat Dominus c.3.18. Meliùs censet Tostat.& Pererius, solum Mosen cum Aarone hanc legationem obijsse: illi enim soli nominantur hîc, & v.4. Pro senioribus enim, quos initio Mosi timido addidit Deus, substituit postea Aaronem, qui Mosi comes esset,& dux verbi, vt patet c.4.14.

Nota hîc, alium geniũ & spiritum fuisse Mosis quàm sit Caluini, qui obtẽtu religionis reformatæ, populum ad arma & rebellionem contra suos principes concitando, suum Euangelium propagat: Moses enim nil tale facit, sed iussu Dei regem ipsum adit, monet & obsecrat, vt Deo iubenti pareat, populumque dimittat.

Vbi Nota Secundò, insignem fortemque Mosis, tum obedientiam erga Deum, tum charitatem erga populum: iustè enim metuere poterat, ne à tyranno exploderetur, & tamen eum adit, Dei iussa pandit, populique missionem petit.

Vt sacrificet] Hebraicè וְיָחֹגּוּ *veiachoggu*, id est vt festum celebret, putà solemniter sacrificando: sacrificijs enim solemnibus vel maximè festa celebramus.

Vers. 2. Qvis est Dominvs] Superbam diaboli contumaciam exprimit Pharao, inquit Raban. cæca enim superbia ita mentem eius excæcarat, vt diceret insipiens, Non est Deus, non est me potentius, præsertim alienæ precariò huc admissæ, & abiectæ Hebreæ gentis numen, quod me cogat Hebræos dimittere, vt illi obsequi debeam.

Nescio Dominvm] nescio Deum vestrum, ô Moses & Hebræi. Rursum nescio Deum quemlibet, qui mihi tanta auctoritate imperet vt Hebræos dimittam. Fuit ergo Pharao hic superbissimus, ideoq; atheus. ita Perer. Licet enim Deum esse per se notum sit, si rem in se spectemus, non tamen nobis id per se notum est, sed ex effectis id nobis demonstrari debet: alioquin enim non tam multi essent pagani & athei. ita D.Thom.1. p.q.2.a 9.

Vers. 3. Devs Hebræorvm vocavit nos] Addit Artapanus apud Euseb.libr.9.de Præpar.c.vlt. quatuor miracula Mosi adeunti Pharaonem contigisse. Primò, ignem è terra erupisse cum voce quę diceret, breui ab ipso liberandos esse Hebræos,& in patriam antiquam reducendos. Secundò, Mosen à Pharaone carceri inclusum fuisse, sed inde nocte, custodibus mortuis, ianuisque confractis exiuisse ad ipsum regem. Tertiò, ipsum regem, pronuntiato in aurẽ eius nomine tetragrammato à Mose, mutum factum esse, sed mox à Mose sanatum esse. Quartò sacerdotes Pharaonis omnes ad idem nomen spasmo exspirasse. Sed hæc Iudæorum commenta esse videntur.

Quatuor miracula Mosis ex Artapano.

A Ne forte accidat nobis pestis avt gladivs] Hebr. *ne forte incurrat in nos* (Deus) *peste aut gladio*; si videlicet ei non pareamus, vt exeamus Ægypto,& in deserto ei sacrificemus. Vnde patet explicationem B.Cyrilli l.1.de Adorat in spir.& ver.fol.21. non esse genuinam. sic enim explicat, q.d. Moses: Sacrificandum est nobis in deserto, nõ autem in vrbibus aut agris, ne fortè ibi occurrat nobis cadauer peste gladióue occisum, quod apud vos aliosque idololatras, in sacrificando tãquam impurum caueri solet. Hebraicè enim non est ne fortè occurrat nobis pestis, sed incurrat in nos peste, id est, ne peste nos feriat, Deus.

Sollicitatis] Hebraicè, cessare facitis. Vers. 4.

Dixitqve Pharao] ad suos præfectos operum. Vers. 5.

Videtis qvod tvrba svccreverit] Hinc patet, infanticidij legem vt infamem & execrabilem, iampridem fuisse abrogatam. ita Caietanus.

B Neqvaqvam vltra dabitis paleas popvlo ad conficiendos lateres] Paleæ adhibentur ad lateres, non vt ignem accendant quo lateres coquantur, vti explicat S.Bernard. mox citandus: sed concisæ luto immiscentur, vt lutum contineant, sibique astringant & vniant. itaque lateres tenaciores & firmiores sint, ait Lyranus. ideo enim miscentur paleæ argillæ, qua incrustantur parietes argillacei, & fortè Ægyptia terra minùs cohæret, minusque coagula est quàm sit nostra, vt proinde paleis iungi & consolidari debeat in lateres. Vers. 7.

Symbol. S.Bernardus serm.34 inter paruos: *Sub iugo, inquit, Pharaonis fiunt opera lutea, id est dissoluta & sordida; ab ipso dantur paleæ, id est leues cogitationes. palearum est leuiter accendi, & in momento consumi; sic & malæ cogitationes à diabolo immissæ, citò in mentibus nostris accenduntur, carnis mollitie consentiente: sed si viriliter studeamus resistere, Deo* C *iuuante protinus extinguuntur. paleis accensis coquebatur lutum, & solidabatur in lateres; similiter praua cogitationes, quæ sunt quasi lutum* (vt docet S.Gregorius lib.34.Moral.9) *paleis delectationis accenduntur: quæ cùm transeunt in actum, tunc decoquuntur; cùm verò ducuntur in consuetudinem, tunc tamquam in lateres solidantur.*

Symbol. lutum, lateres & paleæ quid.

Et mensvram laterum, qvam privs faciebant, imponetis svper eos] q.d. Cogetis eos persoluere quotidie solitum demensum laterum & pensum, siue quoad numerum, siue quoad struem & molem; vnde Septuag. vertunt, σύνταξιν τῆς πλινθείας, vt constructionem, siue struem laterificij solitam reddatis. Vers. 8.

Vacant enim] pigri sunt & remissi, otio torpent. ita Hebræa.

Vt non acqviescant verbis mendacibvs] Ecce non audit Pharao Mosen, nec credit eum à Deo Vers. 9.

à Deo esse missum, sed vel hoc mentiri, vel hoc somniasse, vti prædixerat Dominus cap. 3.v.19.

Vers. 10. Non do] non dabo vobis paleas. est enallage temporis. En subtilem hîc Pharaonis tyrannidem, qua Hebræos grauat, & penè ad restim ac desperationem adigit, vt de exitu deque Deo eos euocante cogitare non libeat. Sed vehementissima ingruente tentatione, proxima erat salus: ita facere solet Deus. Vnde mysticè notat Procopius, Pharaonem, id est diabolum, peccatoribus, qui se Deo dare student, negando paleas commoditatum, difficilem præbere malitiam, ne eius satietas fastidium pariat suo cultori: nam nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Vers. 11. Dispersusque est populus] Pars enim miscebat terram formabatq; lateres, pars eos disponebat, pars coquebat, pars colligebat paleas: pensum enim laterum non à singulis viritim (hoc enim longissimæ fuisset operæ, & ad hoc opus fuisset magna præfectorum turba) sed in communi & generatim à præfectis Hebræis exigebatur; quorum erat suos vrgere ad opus & pensum præstandum, quique, si quid penso deerat, luebant apud præfectos Ægyptios.

Vers. 16. Iniuste agitur] Ne regem offendant, eius iniuriam aliorum, putà præfectorum, culpæ & crudelitati tribuunt: vnde non aiunt, Iniustè agis, sed, Agitur. hebraicè est, *Peccator in populum tuum.*

Vers. 17. *Mor. de otio vitando.* Vacatis otio] Hebraicè, otiosi vos otiosi, vel pigri pigri, id est pigerrimi estis. *Otium*, inquit ille, *corpus, mentem necat socordia: exercitatio vtrumque pulcherrimum facit.* S. Chrysost. homil. 15. in Genesim: *Graue*, inquit, *malum est otium, facitq; vt facilia omnia videantur difficilia: sicut studio & vigilantia etiam ardua & difficilia, facilia nobis sunt.* & hom. 54. in Acta, *Curæ*, inquit, *ac solicitudines gymnasium & schola sunt philosophiæ, &c. ferrum si iaceat, corrumpitur; si exerceatur, splendet: similiter se habet anima quæ mouetur & laborat.* S. Bernard. de Consid. l. 2. *Cauendum est*, inquit, *otium in otio; fugienda otiositas mater nugarum, nouerca virtutum.* S. Ambros. serm. 11 in psal. 118. *Tentant*, inquit, *otia, quos bella non fregerant: periculosa igitur & pacis otia.* Idem de seipso dicebat epist. 41. ad Sabinam: *Numquam minùs solus sum quàm cùm solus esse videor; nec minùs otiosus quàm cùm otiosus.* Vide S. August. libr. de Opere monachorum. Solitudinis tædio affectus S. Antonius exclamabat: Seruari cupio Domine, & cogitationes meæ mihi aduersantur. Mox vbi de cella prodijt, conspexit hominem (erat is angelus) monachali habitu succinctum, nunc calathos texentem, nunc ad orandum procumbentem, qui ad eum dixit; Sic & tu age Antoni, & tentationes vinces. Quare otium auersabatur S. Antonius, & qui præclarè vitam esset acturus, tum ad laborandum hortatus est, tum ad secum considerandum sedulò, quid noctu, quid interdiu egerit, inquit Sozomen. lib. 1. histor. cap. 13. Idem censuit Theodosius monachus apud Theodoret. in histor. SS. Patrum cap. 10. Quin & Alexander Magnus dixit; *Regium est laborare, seruile est otio & luxui vacare.* Denique priscorum monachorum hæc erat sententia: *Operans vno dæmone, otiosi multis pulsantur*, testis est Cassian. cap 23. lib. 10. Instiiut.

A Videbant se in malo] in malis, in angustijs. Hic expressus est typus vocationum & illustrationum Dei, quas statim comitatur tentatio, sed fortiter persistentibus liberatio est proxima. Primò ergo à Deo ex Ægypto per Mosen euocantur Hebræi. Secundò, vocationi credunt, & statim crudelissimè flagellantur. Tertiò, paulò pòst admirandis portentis liberat & educit eos Deus. Refert Æneas Siluius in histor. Bohem. Capnionis hoc fuisse dictum: *Quando duplicabantur lateres, tunc venit liberator Moses.* quo significabat, Dei auxilium præstò esse, cùm res aduersæ ingruunt. Eadem Ecclesiæ totius Christianæ fuit ratio & progressio; eadem est & vocationis cuiusque; vt qui in secundo versatur gradu, de vocatione sua non dubitet, sed sciat B potiùs se recto ordine à Deo statuto progredi, tertiumque certissimò exspectet. Ita S. Gregorius 29. Moralium cap. 14. *Cùm lux*, inquit, *diuina cor humanum illustrat, mox à diabolo consurgunt tentamenta, vt plus tentationibus se vrgeri sentiant, quàm dum lucis internæ radios non videbant.* Et Origen. hîc homil. 3. *Nisi buccinet*, inquit *tuba verbi Dei, non committitur bellum; vbi verò signum belli tuba prædicationis insonuit, ibi omnis tribulationum pugna consurgit. Hinc quotidianis discimus experimentis*, ait S. Bernardus, *eos qui conuerti deliberant, tentari acriùs à concupiscentia carnis; & vrgeri grauiùs in operibus luti. qui Pharaonis imperium effugere moliuntur.* Ita ipse de Conuersione ad cleric. cap. 18.

Vers. 19. *Typus & ordo vocationum Dei.*

Qui conuerti cupiunt grauius tentantur, vnde?

C Cassianus quoque collat. 21. cap. 28. tradit seniores Patres in eremo exploratè obseruasse, in diebus Quadragesimæ, quibus solent homines ad meliora, & monachi ad perfectiora conuerti; tunc solito acriùs & molestiùs infestari à dæmonibus monachos, & incitari ad egrediendum è monasterijs, deserendamque solitudinem.

In Quadragesima monachi grauius tentantur, cur?

Nota Secundò. Vult Deus in beneficijs ab ipso promissis, paratos nos esse ad tentationes: ideoque cùm magnam cuipiam spem dat, mox eum tentat per illa quæ videntur afferre desperationem, & videtur spem quam dedit demoliri velle, aut dubiam & incertam facere. Ita Deus Abrahæ per Isaac promisit prolem numerosissimam, & mox iussit ipsum Isaac sibi immolari. Ita iussit Hebræos pugnare cum Beniaminitis, & mox permisit eos ab illis secundò cædi, Iudic. 20. D Sic Mosi hîc & Hebræis promisit liberationem à Pharaone, & mox permisit eos ab eodem grauiùs affligi.

Deus cùm dat spem, mox tentat per desperationem.

Vers. 20. Occurreruntque Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientes a Pharaone] τὸ *egredientes*, non ad Mosen & Aaronem, sed ad *occurrerunt* referendum est, & ad præfectos Hebræorum, quos Pharaonem adeuntes & ab eo reuertentes, certo loco exspectabat Moses, auidus scire quid responsi tulissent. Hoc & noster Interpres satis insinuat cùm ait, Mosen & Aaronem stetisse; egredientes enim stare in rigore est impossibile. Sensus ergo est, præfecti Hebræorum post suam querelam egredientes à Pharaone, occurrerunt Mosi & Aaron, qui stabant ex aduerso, vt totam rem spectarent & cognoscerent.

Vers. 21. Videat Dominus et iudicet] Hebraicè addi-

additur: *Super vos*, id est, vindictam sumat de vobis. ita Chald. Hebræi enim sæpè per metonymiam, iudicium sumunt pro termino & fine iudicij; vt iudicare idem sit quod vindicare, & iudicium idem sit quod vindicta. En infirmam ingratamque populi fidem: Mosen & Aaronem, quos paulò antè liberatores crediderat, iam homicidas calumniatur.

A

FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRVM CORAM PHARAONE] inuisos & abominabiles nos fecistis Pharaoni. est metaphora. Eadem phrasis est Genesis 34. v. 30. in Hebræo. 2. Corinth. 2. v. 15. *Christi*, inquit, *bonus odor sumus*, quia videlicet bonam Christi & christianismi famam spargimus, vt homines bene de nobis deque Christo sentiant & loquantur. *Habent enim mores suos colores, habent & odores; colorem in conscientia, odorem in fama*, inquit S. Bernardus sermone 71. in Cantica.

Mores habet odorem in fama, colorẽ in conscientia.

B

ET PRAEBVISTIS EI GLADIVM VT OCCIDERET NOS] occasionem ei dedistis, vt nos oneribus opprimeret, cùm eum furentem in nos concitastis. Vbi Nota. *Gladius* in Script. vocatur omne quod pungit, percutit, torquet aut cruciat, inquit S. Hieronymus in Isaiæ 66. Hinc Amos 9. 10. dicitur: *In gladio morientur omnes peccatores populi mei*. & psalm. 7. v. 13 *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit.*

Gladius in Script. est omne quod cruciat.

C

Disce hoc cap. quàm dura fuerit seruitus Hebræorum in Ægypto, ac consequenter quantum beneficium eis fecerit Deus, cùm eos inde eduxit; quod proinde passim eis inculcat, vt grati sint Deo, eumque ament & colant: *Ego*, inquit, *Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti*, Leuit. 26. v. 13. Est enim seruitus mors quædam, putà amissio vitæ ciuilis, scilicet libertatis: hinc pro ea pugnant gentes, maluntque mori quàm seruire. Philippus rex irrumpens in agrum Spartanum, dixit cuidam Spartano: Quid nunc facietis Lacones? respondit eis: *Quid aliud, quàm moriemur fortiter? soli enim Græcorum nos liberi esse, & non obedire alijs didicimus.*

D

Post cladem duce Agide acceptam, cùm Antipater obsidum loco posceret 50. pueros; Eteocles tum Ephorus se eos daturum negauit, ne malè educarentur, & ab institutis patriæ desciscentes ciuitati incommodi fierent: senum autem aut mulierum duplum, si vellet, numerum obtulit. Cumque Antipater atrocia minaretur nisi darentur, publico nomine respondit: *Si difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori*. Hinc Laco interrogatus quid sciret, ait: *Scio liber esse*. ita Plutarch. in Lacon.

REVERSVSQVE EST MOYSES AD DOMINVM] VERS. 22. Septuaginta vertunt, *conuersus est ad Dominum*; quia enim Moses præfectos Hebræorum durè à Pharaone exceptos, afflictos, & passione nimia agitatos, ideoque correptionis incapaces vidit; hinc tacuit, & in secretum suum sese recepit, atque ad Deum vnicum in arctis præsidium, suo more se orando conuertit. Hinc prudenter S. Basilius sermone de gratijs Deo agendis, modum consolandi afflictos præscribit, dicens: *Eum quem consolari cupis, priùs parumper queri finas. Deinde dolore paululùm per lachrymas eiulatumq; sedato, tunc leniter & humaniter castigabis; itaque ad patientiam & animi tranquillitatem sensim reuocabis. Nam & equorum domitores equos fræno minimè audientes, non statim habenis compescunt, aut calcaribus impellunt: sic enim sessores exagitare & excutere discunt; sed eis obtemperando ab initio, ac minimè resistendo, postquam iram & impetum paulatim consumptum deficere viderint, tunc arte quadam obtemperantes & ad omnia dociles reddunt.*

Modus consolandi afflictos.

Rursum vide hîc, quàm Mosis patientia & constantia inuicta vicerit Hebræorum murmura, eosque sibi obsequentes reddiderit. Audiant fideles monitum S. Augustini sermone 18. de Verbis Domini: *Cùm quisque*, inquit, *Christianus cœperit bene viuere, feruere bonis operibus, mundúmque contemnere; in ipsa nouitate operum suorum, patitur reprehensores & contradictores frigidos Christianos. Si autem perseuerauerit, & eos superauerit perdurando, & non defecerit à bonis operibus; ijdem ipsi nobis obsequentur, qui antè prohibebant.*

DOMINE CVR AFFLIXISTI POPVLVM ISTVM?] cur ei occasionem afflictionis dedisti, mittendo me ad Pharaonem, nec tamen ab eo liberando populum, sed potiùs permittendo eum grauiùs onerari?

QVARE MISISTI ME?] Caluinus Mosen hîc grauiter culpat, quasi ab officio desciuerit, & amarulento tædio missionem & absolutionem ab officio petierit. Durus itaque criticus: mitior censor est S. Augustinus quæst. 14. dum ait: *Hæc non contumaciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis & orationis.* idque ita esse patet ex responso Domini, qui non arguit infidelitatem Mosis, sed eum quid facere oporteat, instruit. Sciebat Moses iam antè à Deo doctus, Pharaonem obduraturum cor, neque dimissurum populum; tamen de hac afflictione populi nihil à Deo cognouerat, sperabatque Pharaonem monitum, licèt non dimitteret populum, mitiùs tamen cum eo acturum, contra verò iam accidisse videt, vnde piè cum Deo expostulat.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

D*Eus animat Mosen, eiq́; reuelat nomen suum* Iehoua. *Secundò, v.14. recensetur genealogia Ruben, Simeon, & Leui vsque ad Mosen & Aaron.*

1. DIxitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni: per
manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta eijciet illos de terra
sua. 2. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Ego Dominus 3. qui appa-
rui Abraham, Isaac & Iacob, in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non in-
dicaui eis. 4. Pepigiq́; fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram pere-
grinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. 5. Ego audiui gemitum filiorum Israel,
quo Ægyptij oppresserunt eos: & recordatus sum pacti mei. 6. Ideo dic filijs Is-
rael: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute:
ac redimam in brachio excelso, & iudicijs magnis. 7. Et assumam vos mihi in po-
pulum, & ero vester Deus: & scietis quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxe-
rim vos de ergastulo Ægyptiorum: 8. & induxerim in terram, super quam leuaui
manum meam vt darem eam Abraham, Isaac & Iacob: daboque illam vobis possiden-
dam, ego Dominus. 9. Narrauit ergo Moyses omnia filijs Israel: qui non acquie-
uerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum. 10. Locutusque est Do-
minus ad Moysen, dicens: 11. Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægy-
pti, vt dimittat filios Israel de terra sua. 12. Respondit Moyses coram Domino: Ec-
ce filij Israel non audiunt me: & quo modo audiet Pharao, præsertim cùm incircum-
cisus sim labijs? 13. Locutusq́; est Dominus ad Moysen & Aaron, & dedit manda-
tum ad filios Israel, & ad Pharaonem regem Ægypti, vt educerent filios Israel de ter-
ra Ægypti. 14. Isti sunt principes domorum per familias suas. Filij Ruben primo-
geniti Israelis: Henoch & Phallu, Hesron & Charmi. 15. hæ cognationes Ruben.
Filij Simeon: Iamuel & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis.
hæ progenies Simeon. 16. Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes suas:
Gerson & Caath & Merari. anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta septem.
17. Filij Gerson: Lobni, & Semei, per cognationes suas. 18. Filij Caath: Amram,
& Isaar, & Hebron, & Oziel. anni quoque vitæ Caath centum triginta tres. 19. Fi-
lij Merari: Moholi & Musi. hæ cognationes Leui per familias suas. 20. Accepit au-
tem Amram vxorem Iochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron & Moysen.
Fueruntq́; anni vitæ Amram centum triginta septem. 21. Filij quoque Isaar: Core,
& Nepheg & Zechri. 22. Filij quoq́; Oziel: Misael, & Elisaphan, & Sethi. 23. Ac-
cepit autem Aaron vxorem Elisabet, filiam Aminadab sororem Nahason, quæ pepe-
rit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 24. Filij quoque Core: Aser, & Elcana,
& Abiasaph. hæ sunt cognationes Coritarum, 25. At verò Eleazar filius Aaron ac-
cepit vxorem de filiabus Phuthiel: quæ peperit ei Phinees. hi sunt principes familia-
rum Leuiticarum per cognationes suas. 26. Iste est Aaron & Moyses, quibus præ-
cepit Dominus vt educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas. 27. Hi
sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regẽ Ægypti, vt educant filios Israel de Ægypto;
iste est Moyses & Aaron, 28. in die qua locutus est Dominus ad Moysen, in terra
Ægypti. 29. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus: loquere
ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi. 30. Et ait Moyses co-
ram Domino: En incircumcisus labijs sum, quomodo audiet me Pharao?

VERS. I. DIXITQVE DOMINVS AD MOYSEN] orantem & inuocantem Deum, vt patet c. præc. v. 22. Dixit, inquam, vel per angelum visibili specie apparentem, & sonora voce loquentem: familiariter enim agebat Deus cũ Mose, vt patet Num. 12. vel per occultam & internam inspirationem, vti Prophetis loqui & respondere solet. Idq́ue verius videtur: tum quia nulla species, forma, aut symbolum Dei hîc exprimitur, vti fit c. 3. v. 2. & c. 4. v. 24. tum quia non est credibile, Deum hîc toties, putà in singulis plagis, visibiliter apparuis-

Deus locutus est Mosi hîc vel per angelũ, vel potiùs per internam inspirationẽ.

A sa Mosi: tum quia Deus hîc respondit Mosi, eo modo quo Moses dicitur adijsse & consuluisse Dominum cap. præced. v. 22. Moses autem non adijt Dominum visibiliter apparentem, sed vel in cubiculo & oratorio suo Deum spiritaliter adijt & consuluit.

NVNC VIDEBIS] q. d. Non morabor, en accingo me ad opus, vt liberem vos à Pharaone.

QVÆ FACTVRVS SVM PHARAONI] quæ mala, quas plagas ei illaturus; hinc ipse *in manu robusta*, id est, per manum robustam Dei coactus, *eij-*

ciet, non tantùm dimittet, sed exire compellet Hebræos, idque festinatò, vt à se manum Dei vindicem amoliatur.

Vers. 2. & 3. EGO DOMINUS QUI APPARUI ABRAHAM ISAAC ET IACOB IN DEO OMNIPOTENTE] Hebraicè est בְּאֵל שַׁדָּי *beel saddai*, id est, *in Deo robusto & largo*, siue *liberali*. iàm *in Deo*, est instar Dei, vel tamquam Deus liberalis; *bet* enim Hebræi sæpè sumunt pro affini *caph*, quod est nota similitudinis.

Deus dicitur Saddai, id est, primò abundans; secundò, vastans.

Nota. *Saddai* significat Deum quasi mammeum, qui omnem sufficientiam & abundantiam quasi omnipotens tribuat, vti fusè dixi Gen. 17. v. 1. Quibus adde, Saddai Secundò, posse deriuari à שָׁדַד *scadad*, id est prædari, vt Deus dicatur Saddai, id est prædans & vastans quodcumque ei libuerit. quò alludit Isaias cap. 13. v. 6 cùm ait: *Quasi vastitas ab omnipotente* (hebr. quasi שׁוֹד *scod à Saddai*, id est, quasi vastitas à Deo vastante) *veniet*; & Iob c. 23. 16. cùm ait in Hebræo. *Saddai conturbauit me.* Iam sensus huius loci est, q. d. Ego Deus cum patribus vestris, putà Abraham, Isaac & Iacob, egi, & conuersatus sum tamquam Deus *saddai*, id est omnipotentem & munificum me eis exhibui, ostendi eis mihi abunde esse diuitiarum vt illos ditarem: abstuli enim opes Chananæis, Geraritis, Sodomitis, Labano, Esau & alijs, easque dedi Abrahæ, Isaac & Iacobo, vti patet ex Genesi.

Decem nomina Dei.

Notat S. Hieron. epist. 136. ad Marcellam apud Hebræos decem esse nomina Dei. Primum est אֵל *el*, id est fortis, vt vertit Aquila. Secundum est אֱלוֹהַּ *Eloha*, quod Deum qua prouidentem, gubernantem, iudicantem & vindicantem significat, vt dixi Gen. 1. 1. Tertium est אֱלֹהִים *Elohim*, quod est plurale nominis *Eloha*. Quartum est צְבָאוֹת *Sabaoth*, id est exercituum vel copiarum, vti vertit Aquila: hoc non est nomen, sed cognomen Dei; vnde semper cum alio Dei nomine cōiūgitur. Dicitur enim אֲדֹנָי צְבָאוֹת *Adonai sabaoth*, id est, Dominus virtutum vel exercituum. Quintum est עֶלְיוֹן *Elion*, id est excelsus Gen. 14. 22.

Celsitudo triplex in Deo, prima entis, secūda causalitatis, tertia perfectionis.

Triplicem porro celsitudinem ac sublimitatē veneramur in Deo: primam Entis; quia Deus est primum & summum ens. secundam causalitatis, quia Deus est prima causa, à qua omnes ceteræ causæ dependent. tertiam perfectionis; quia Deus est summa & infinita perfectio. Sextum nomen est אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ehie ascer ehie*, id est sum qui sum, vel, qui est. vnde Exodi 3. dicitur, *Qui est misit me.* Septimum est, אֲדֹנָי *Adonai*, id est Dominus. Octauum est יָהּ *ia*, quod est abbreuiatum *Iehoua*, sonatque in Halleluia. *Halleluia* enim est compositum ex *Hallelu*, id est laudate, & *ia*, id est Deum. Nonum est, שַׁדַּי *Saddai*, id est munificus, liberalis, omnipotens. Decimum est tetragrammaton & ineffabile quod vulgò *Iehoua* pronuntiant.

Mysticè, Deus Saddai apparet Sanctis, quos facit sua sorte, etiam misera, esse contentos, quosque sua gratia & donis spiritualibus cumulat, ac præsertim quos facit esse liberales in alios. S. Ægidius socius S. Francisci rogatus quis esset beatus, respondit: *Qui amat, & non desiderat amari: qui seruit, & seruiri sibi non cupit: qui se bene erga alios gerit, non tamen eo fine, vt se erga illum vicissim bene gerant.* Hic enim imitatur Deum Saddai, de quo ait Psaltes psalm. 15. 2. *Dixi Domino: Deus meus es*

A *tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deus enim omnibus se suaq; communicat, & à nemine quidquam recipit, vel expectat.

ET NOMEN MEUM ADONAI NON INDICAVI EIS] In Hebræo non est *Adonai*, sed nomen tetragrammaton, יהוה constans quatuor litteris, scilicet, *iod*, *he*, *vau* & *he*. quod quia est ineffabile, hinc Interpres more veterum pro eo substituit nomen *Adonai*; nam alioqui Deus in Genesi patriarchis reuelauit nomen *Adonai*, & se vocat *Adonai*. Obiter hìc Nota, *Adonai*, esse trisyllabum, non quadrisyllabum; vltima enim est diphthongus *ai*, ac proinde hoc nomen sic pronuntiandum est *A, do, nai*, non autem *A, do, na, i.*

Quæstio I. Cur nomen tetragrammaton vocetur ineffabile?

Quæritur hìc Primò, cur nomen tetragrammaton à veteribus & S. Hieronymo vocetur ἀνεκφώνητον, id est ineffabile, à Theodoreto ἄφραστον, id est indicibile, & à Damasceno ἄρρητον, B id est ineloquibile. Putant aliqui, hoc nomen verè fuisse ineffabile, eò quòd solis quatuor consonantibus constet, careatque vocalibus, sine quibus litteras consonantes pronuntiare & effari non possumus. Verùm hoc est improbabile, nam Deus hìc nomen hoc suum pronuntiauit, cùm illud reuelauit, & effatus est coram Mose. Rursum Moses illud ipsum effatus est coram Israelitis, & coram Pharaone, ipseque Pharao sæpiùs hoc nomen à Mose prolatum, respondendo repetijt. Denique frustra hoc nomen quatuor litteris distingueretur, nisi illæ sua tacita haberent puncta, siue vocales, vt ijs legi, efferri, pronuntiari posset; perinde vt fit in alijs nominibus Dei, hominum & angelorum.

Nomen tetragrammaton fuit ineffabile, non reipsa, sed ſua majestate & reuerentia.

C Dico ergo, hoc nomen dici ineffabile, eò quòd ab Hebræis haberetur sacratissimum, & summè venerabile, tamquam nomen Dei primarium, proprium & essentiale, quod esset fundamentum & radix aliorum omnium nominum Dei, eò quòd hoc nomen significat ipsam immēsam essentiam & maiestatem Dei incomprehensibilem & ineffabilem, à qua cætera omnia promanant. Qua de causa & Plato, teste Eusebio l. 11. de Præpar. cap. 8. dixit, nomen Dei non esse effabile. Deus enim, ait Plato, est ἀσώματος, καὶ ἄῤῥητος, καὶ ἀνωνόμαστος, id est *incorporeus, indicibilis, & innominabilis.* Rursum Plato in Parmenide: *Deo, ait, nullum inditum est nomen, Deus non potest definiri, non scientia capi, non in sensus nostros incurrere, nulla de eo haberi opinio: quocirca neque nominari, neque dici, neque cogitatione comprehendi, neque cognosci, neque ab vllo ente sentiri potest.* Et S. Dionysius: *Deus, ait, est omni sermone ineffabile, super omne verbum, bonum.*

D

Philosophorum varia de Deo sententia.

Hinc tot fuerunt Philosophorum de Deo sententiæ & errores. Anaximander stellas & astra deos esse putauit. Anaximenes Deum putauit esse infinitum aërem. Democritus: Deus, ait, est mens ignea & mundi anima. Prodicus quatuor elementa deos statuit. Diogenes Apolloniates: Deus, ait, est aër compos diuinæ rationis. Chrysippus censuit Deum esse fatum siue necessitatem diuinam. Parmenides putauit Deum esse coronam, siue orbem qui cingit cælum. Xenophanes: Omne, inquit, infinitum mente præditum, Deus est. Straton naturam dixit esse Deum. Epicurus ex atomis deos suos constituit, eosque corporeos & humanæ figuræ. Heraclides terram & cælum deos esse dixit. M. Varro mundum censuit esse

Deum.

Deum. Plinius vel solem vel nullum putauit esse Deum Heraclitus deos ex igne esse credidit: vnde Anaxagoram, quòd solem dixisset esse lapidem ignitum, morte mulctarunt Athenienses. Cleanthes æthera posuit esse summum Deum. Denique hac de causa, inquit Pierius hierogl. 17. ciconia Dei est hieroglyphicum: ciconia enim lingua carens significat Deum omnia tacito perficere silentio, nec debere nos super eo loqui, quem nulla humani ingenii vis sat queat admirari. Eadem est ratio, cur Deus per crocodilum fuerit adumbratus, inquit idem hierogl. 29. Verè ergo meritoq; Chrysost. hom. 28. in Matthæum: *Sicut*, inquit, *qui innauigabilem oceanum nauigare vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est per eamdem viam redeat, vbi ingressus est: sic antiqui Philosophi de Dei natura quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone, in vltimo nihil se amplius inuenire potuisse confessi sunt, nisi quòd Deus sit incognoscibilis.*

Hinc ergo factum est, vt Hebræi religionis & reuerentiæ causa nomen Dei effari & pronuntiare non auderent; excipe sacerdotes siue pontifices, qui in sacris, putà in sacrificijs, & in solemni benedictione populi & maximè in ingressu in sancta sanctorum, illud pronuntiabant, ait Philo libr. de Vita Mosis. Vnde & Iosephus ait, sibi hoc nomen eloqui, nec ius, nec fas esse. Cùm ergo in Scriptura legentibus hoc nomen occurreret, Hebræi pro illo legebant *Adonai*, vel, si cum *Adonai* concurreret, pro eo legebant *Elohim*. Hinc factum est, vt Massoretæ qui Biblijs Hebraicis puncta, siue vocales subiecerunt, nomini tetragrammato יהוה subiecerunt puncta aliena nominis Adonai (vti quatuor rationibus demonstrat Bellarminus in exercitat. grammatica psal. 33. ad v. 1.) scilicet *sceua* (quod in nomine *Adonai* est compositum cum *patach*, ob gutturalem aleph) *cholem & cametz*, vt indicarent ex reuerentia non tetragrammaton, sed *Adonai* legendum & pronuntiandum esse. quem morem suorum temporum secuti sunt, non tantùm Septuag. vertentes κύριος, & noster Interpres, æquè ac Origenes in suis tetraplis & hexaplis, pro tetragrammato substituens hîc nomen Adonai; sed & Christus & Apostoli, qui quoties citant Scripturam Hebræam, in qua habetur nomen tetragrammaton, pro eo nomen *Dominus* substituunt. Vnde factum est, vt Iudæi ignorent quomodo illud nomen pronuntiandum sit, siue quomodo illud pronuntiarint Deus, Moses & sacerdotes; traduntque vltimum sacerdotem, qui hoc nomen Dei pronũtiauit, fuisse Simeonem iustum, qui Christum in templo in vlnas accepit, postea à nemine hoc nomen pronuntiatum esse, seque ignorare quomodo pronuntiari debeat: sed cùm venerit Messias, ab eo edocendos esse veram illius pronuntiationem, ita ipsi. Ob hanc huius nominis reuerentiam & religionem, summus pontifex illud in tiara sua, in lamina aurea insculptum gestabat; quod Alexander Magnus occurrens Iaddo pontifici, procumbens humi reuerenter adorauit, teste Iosepho. Hinc etiam Lucanus agens de Deo Hebræorum, ait, *Incerti Iudæa Dei*, quòd scilicet Deum incognitum coleret, cuius nomen nesciret.

Pro tetragrammato legebant Adonai vel Elohim.

Puncta nominis tetragrammati sunt puncta nominis Adonai.

Nomen tetragrãmaton gestabat pontifex in tiara.

Vide hîc quanta Hebræis olim fuerit reuerentia nominis diuini, quod multi Christiani per A iuramenta temeraria passim nominando profanant; quin & moderni Iudæi numquam audent expressè iurare per nomen tetragrammaton, sed hac formula per illud iurant, idque raró & nonnisi adacti: *Iuro per iod, he, vau, & iod* (quæ sunt 4. litteræ nominis tetragrammati) quod iuramentum apud eos summum & sacratissimum habetur: sic Gentilibus non licebat nomen falsi sui dei, Demogorgonis nominare; quod si quis fecisset, numen, vel potiùs dæmon, se offensum, per terræ tremorem ostendebat, vti testatur Lucanus libr. 6. & Bocacius libr. 1. de Geneal. deorum c. 2.

Formula iurandi Iudæorũ modernorum.

Quæritur Secundò, quomodo hoc nomen pronuntiari debeat, siue quæ illi vocales substituendæ sint?

Quæstio II. quomodo pronuntiandum sit nomen tetragrammatũ

B Græci quidam, inquit S. Hieronymus ad Marcellam, in Græcis libris hoc nomen Hebræum legentes, iuxta Græcas litteras, quibus hæ quatuor Hebrææ litteræ similes sunt, *pipi* legerunt. Secundò, S. Iustinus contra Tryphonem fol. 58. pro nomine tetragrammato nomen Iesus legit & intelligit. Tertiò, Isidorus hoc nomen pronuntiat *Iodiod*; ait enim hoc nomen confici ex duplici littera *iod*. Verùm hi omnes à litteris Hebraicis nominis tetragrammati vel abeunt, vel aberrant. Quartò, Irenæus illud effert *Iaoth*; quod, inquit ipse, significat præfinitam mensuram, vel, si per omicron scribatur, eum qui dat fugam malorum. Sic & Gentiles hoc nomen pronuntiasse videntur. vnde Diod. Siculus l. 3. ait Mosen legem accepisse à Deo *Iao*: & Apollo Clarius rogatus quis esset Deus *Iao*? respondit:

Prima sententia.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Summum cunctorum diuũm tu dicito IAO.

C Testis est Macrobius libr. 1. Saturnalium cap. 18. Quintò, Theodor. hîc quæst. 15. Nomen tetragrammaton, inquit, à Samaritis vocatur *Iaue*, ab Hebræis autem *Ia*. Sextò, recentiores aliqui à centum annis, hoc nomen iuxta puncta ei à Massoretis subiecta, pronuntiant *Iehoua*. Verùm hæc puncta, vt superiùs dixi, non sunt puncta nominis tetragrammati, sed nominis Adonai: vnde & ipsi Massoretæ, omnesque Hebræi pro nomine tetragrammato legunt *Adonai*. Errant ergo qui à *Iehoua* siue *Ioua* (per crasin) Iouem summum Gentilium deum deducunt: hic enim Latinum habet nomen, non Hebræum, & à iuuando dicitur. Errauit & Varro, qui teste S. Augustino li. 1. de Consensu Euangelist. cap. 22. putauit Iudæos coluisse Iouem deum Romanorum; putauit autem id Varro, non quòd ab Hebræis audisset Deum appel- D lari Iehoua, vel Iouem; sed quia censuit à Iudæis coli summum Deum, quem ipse non alium esse putabat, quàm Iouem.

Quinta.

Sexta.

Iehoua à Ioue. *Iehoua alius est à Ioue.*

Dico ergo, verisimillimum est hoc nomen pronuntiandum esse יַהְוֶה *iaue*, vel יֶהְוֶה *ieheue*, id est *est* vel *erit*. Probatur, quia hoc nomen est idem cum eo quod Deus sibi imposuit c. 3. v. 14. dicens, *Sic dices filijs Israel, Qui est misit me ad vos.* atqui, *qui est*, hebraicè dicitur *iie* siue *iiue*, vel *iehue*, ergo illud idem est nomen tetragrammaton. non enim est credibile, Deum sibi duo hîc dedisse nomina, sed vnum tantùm; ac proinde illud, *qui est*, sibi inditum cap. 3. hîc repetere, vt Mosen animet, vtque eum doceat illud præferre legationi suæ ad Pharaonem, & ad Hebræos. ita censent Bellarm. suprà, Genebrardus præfatione in psalmos, & Pererius hîc, idque magis patebit ex quæstione

Septima, & vera: pronũtiandum esse Ieheue.

sequenti. Noster tamen Alcazar in Apocal. c. 1. 4. A multus contendit *Iehoua* esse conflatum ex quatuor litteris, quarum singulæ integram dictionem significant. *Iehoua* ergo idem est, ait, quod יִהְיֶה הֹוֶה וְהָיָה *ihie, hoie, vehaia*, id est, *qui erit, qui est, qui fuit*. Vnde *Iehoua* idem est cum eo quod dicit Iohannes Apoc. 1. 4. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*, ideoq; vocatur hoc nomẽ tetragrammaton & ineffabile: quia singulæ eius litteræ non possunt effari integram dictionem, quam repræsentant. Verùm hoc etymon non litterale est, vti ipse contendit, sed symbolicum, aut potiùs cabalisticum, de quo plura Apoc. 1. 4.

A nomine *Iehoua* detractum esse nomen Iouis, censent Marinus in dictionario, Masius in epistola ad Ariam Montanum, ipsius Ariæ Psalmis præfixa, & Marianus Victorius in scholijs ad S. Hieron. epist. 136. Verùm ab hac coniectura abhorret S. August. l. 6. de Ciuit. c. 6. & l. 7. cap 5 & Galatinus l. 2. c. 10. B

Notandum tamen, nomen *Iehoua*, non tam esse verbum, quàm nomen à verbo deductum: est enim *Iehoua*, nomen proprium Dei. sicut ergo passim in alijs nominibus à verbo, putà à tertia futuri, formatur nomẽ significans qualis sit, siue qualis sit futurus ille, cui hoc nomen inditur; vt Iacob significat supplantatorem, eumque qui supplantabit Esau; Israel significat dominantem, eumque qui dominabitur Deo; Isaac significat ridentem, eumque qui ridere faciet parentes: ita & *Iehoua* est nomen, habens eamdem terminationem cum futuro cal, verbi הָיָה *haia*, significatq; *ens, eumq; qui est & erit*. Est enim littera *iod*, prima in nomine *Iehoua*, heemantica, siue formatiua nominis, vti est in nominibus iam dictis alijsque pluribus: licet enim idem *iod* sit littera *etan*, siue characteristica verbi in futuro, tamen in nominibus est heemantica, id est formatiua nominis, adeoque futurum verbi transfert in nomen. C

Idipsum confirmatur ex eo, quòd nomen vel verbum *Iehoua* præcisè non c. 3. 14. sed hoc capite reperiatur in Hebræo. Nam c. 3. 14. vbi nos habemus, *qui est misit me*; hebraicè non est *Iehoua*, sed אֶהְיֶה *eie*, id est *sum*. q. d. Cuius nomen est *sum qui sum*, hic misit me. Hinc rursum sequitur, potiùs dicẽdum esse *Iehoua*, quàm *Iehoue*: sic enim nomen distingui solet à futuro verbi per punctum camets, vt patet in nomine *Israel*, quod distinguitur à futuro יִשְׂרֶה *isre*, id est dominabitur, per camets. nomina enim non in segol, sed in camets terminari solent. D

Potiùs dicendum Iehoua quàm Iehoue, cur?

Quæritur Tertiò, quid significet nomen tetragrammaton?

Quæstio III. quid significet Iehoua?

Oleaster illud deducit à radice הָוָה *haua*, id est conterere. vnde הֹוָה *houa* est contritio quasi *Iehoua*, idem sit quod contritor, scilicet Pharaonis & Ægyptiorum. Hæc allusio nominis est, sed non origo: ad hoc enim etymon alludit Moses c. 15. 3 cùm ait: *Dominus* (hebraicè est nomen tetragrammaton *Iehoua*) *quasi vir pugnator: omnipotens nomen eius.*

Alij verò passim & rectè & genuinè hoc nomen deducunt à radice הָיָה *haia*, id est, *est* vel *fuit*, vt *Iehoua* sit idem quod *qui est*, sed vario sensu. Primò, R. Salomon, Lipomanus & Vatablus sic exponunt; *qui est*, scilicet constans, seruans fidei,

Iehoua significat qui est, idq; variè. Primò.

verax in promissis. q. d. Ego iam sum *Iehoua*, id est, iam faciam esse quod promisi, vt nimirum vos educam ex Ægypto in Chanaan; vnde sequitur. *Pepigiq; fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan.* Secundò, Rupertus & Burgensis sic explicant, *qui est*, scilicet terribilis, gloriosus, & miracula patrãs. *Secundò.* Tertiò, Hieron. Prado in Ezech. c. 1. pag. 47. censet nomẽ *Iehoua*, id est *qui est*, non significare essentiam Dei: hanc enim cognouit Abraham alijque Patriarchæ; sed operationem Dei ad extra, scilicet liberationem Hebræorum ex Ægypto. q. d. Ego sum qui sum, id est, qui futurus sum, scilicet redemptor Israelis, ego sum quem iam experiemini vestræ libertatis vindicem; hoc enim est quod sequitur v. 6. *Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum.* Similia sunt Isaiæ 52. 3. & psalm. 67. 5. *Tertiò.*

Verùm dico, hoc nomen tetragrammaton *Iehoua* significare essentiam Dei, ipsamque essentiæ diuinæ abyssum, & pelagus immensum. hoc enim significat nomen, *qui est*, vti dixi c. 3. quod idem est cum nomine tetragrammato. *Iehoua* ergo, ait Masius, idem est quod, *qui ab æterno existit, ipseq; sibi essentia est, & à quo pendet rerum omnium essentia.* Sic Aristoteles lib. 1. de cælo, Deum vocat αἰῶνα, quasi ἀεὶ ὄντα, id est semper entem & existentem; quia Deus est pelagus essentiæ, & principium omnis essentiæ, quod omnibus dat esse. Et Trismegistus: *Deus*, inquit, *vnus nomine non eget. est enim ὁ ὢν ἀνώνυμος*. id est, *ens sine nomine.*

Quartò, & genuinè, Iehoua significat ipsam essentiã Dei immẽsam.

Notat Vilalpando in cap. 28 Ezechiel. nomen *Iehoua* vel *Iehoua* significare essentiam Dei in se, siue ad intra, sicut *Adonai* significat eamdem ratione operum ad extra. hac de causa vtrumque hoc nomen coniungere solent Prophetæ, dicentes: *Hæc dicit Dominus Deus*; hebraicè, *Adonai Iehoua. Iehoua*, id est Deus, scilicet Dei in se maiestas: *Adonai*, id est Dominus ac sustentator omnium quæ creauit.

Rogabis an nomen tetragrammaton significet essentiam Dei, sicuti est in se? Scotus & Gabriel in 1. sent. dist. 22. censet, quòd homines, præsertim docti & acuti, possint cognoscere Deum in se sicuti est, ac consequenter possint eidem imponere nomen significans eum sicuti est, ac tale esse nomen tetragrammaton, quod proinde propriũ, essentiale & adæquatum sit Deo. Verùm meliùs D. Thomas 1. p. qu. 13. censet homini in hac vita impossibile, Deum in se cognoscere & nominare. Ratio est, Primò, quia in hac vita nemo potest Deum cognoscere intuitiuè: ergo nemo potest eum cognoscere in se sicuti est, plenè & perfectè. Secũdò, etiamsi quis cognosceret Deum in se sicuti est; hoc ipsum tamen tantùm cognosceret in ipso Deo, videndo & intuendo eum: nomen autem quod eidem inderet esset extra Deum Deiq; essentiam, qui nullo creato signo cerni, nominari, significari & cognosci potest sicuti est in se. Verum tamẽ est, quòd inter omnia nomina Dei quæ habemus, nullum tam proprium, tamque substantiale ei sit quàm *Ens*, siue *Iehoua*, id est, *qui est*, vti docet Damascenus l. 1. de Fide cap. 12. & D. Thomas 1. p. q. 13. ac S. Dionysius lib. de Diuin. nom. c. 1.

An Iehoua significet essentiam Dei sicuti est in se. Affirmat Scotus. Negat meliùs D. Thomas. Prob. Primò. Secundò. Deo nullum nomen tam proprium quàm Iehoua.

Quæritur Quartò, quis sit sensus huius loci, *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis?*

Quæstio IV. quomodo nomẽ Iehoua primò Mosi indicarit Deus.

Primò,

Prima. Sentent. Primò, Beda legit interrogatiuè, *non indicaui eis?* q. d. Omnino indicaui eis hoc meum nomen: sed hoc dissentit à communi lectione omnium codicum Hebræorum, Græcorum & Latinorum, qui carent nota interrogationis, & assertiuè hæc legunt, quòd scilicet asserat Deus, se non indicasse eis hoc suum nomen.

Secunda. Secundò, alij sic explicant, *non indicaui eis nomen meum Adonai*, id est Dominus. q. d. Non ostendi eis plenum & altissimum meum in res omnes dominium, quo possum res omnes ad libitum vertere & conuertere per miracula & prodigia, in res alias quascumque voluero; hoc autem iam per te, ô Moses, ostendam in plagis quas inferam Ægypto. Verùm hi errant, Primò, in nomine Adonai, id est Dominus: hebraicè enim non est Adonai, sed nomen tetragrammaton Ieheua. Secundò, quia hoc suum dominium Deus ante Mosen, patribus satis ostendit in diluuio, in euersione Sodomæ, in dispersione Babel.

Tertia. Tertiò, R. Salomon, Vatabl. & Lipoman. hunc dant sensum, Patribus non indicaui nomẽ meum tetragrammaton, *Ieheua*, id est, sum qui sum, putà sum constans & verax in promissis; quia patribus non exhibui mea promissa, de Chananæa eis tradenda, sed ea iam tibi, ô Moses, tuisque præstabo; vnde tibi ostendam re ipsa me esse *Ieheua*, id est, me esse fidelem in promissis. Verùm nomen tetragrammaton non significat fidelitatem, sed ipsum esse Dei.

Quarta. Quartò, Rupert. & Burgensis sic explicant: *non indicaui patribus nomen Adonai*, quantæ scilicet illud sit potentiæ & virtutis, quàm terribile, quàm gloriosum, quàm miraculosum, & plagarum sit operatiuum, vti iam indicabo & ostendam per te, ô Moses, multiplicando prodigia & plagas.

Quinta. Quintò, Oleaster: Nomen tetragrammaton, inquit, *Ieheua* idem est quod contritor. q. d. Patribus non ostendi me esse *Ieheua*, id est, contritorem Pharaonis & Ægyptiorum, hoc autem iam tibi, ô Moses, ostendam.

Sexta. Sextò, Lyranus secutus S. Augustinum censet Mosen in raptu Exodi 33. vidisse Dei essentiam, tuncque reuelatum & declaratum ei esse nomen tetragrammaton; hoc enim significat Dei essentiam: sed verius est, Mosen non vidisse Dei essentiam, vt dicam cap. 33. Adde, illa visio posterior fuit reuelatione nominis tetragrammati: hoc enim hîc, & cap. 3. reuelatum fuit Mosi: Moses autem si vidit Dei essentiam, non vidit eam nisi cap. 33.

Septima, & genuina. Moses primò cognouit nomen Ieheua, simulq; clarius quàm Abraham diuinitatē perspexit. Dico ergo, planus & genuinus huius loci sensus est hic; Ego Deus cognitus & cultus fui à patribus, tamquam *El saddai*, id est, Deus fortis & liberalis; nomen verò proprium meum *Ieheua* non indicaui eis, sed illud primùm tibi, ô Moses, reuelo, simulque cum nomine clariorem rei significatæ, putà essentiæ meæ & diuinitatis, tibi cognitionem communico; idque facio hoc fine, vt te & populum à Pharaone afflictum, in spem erigam auxilij mei iam-iam affuturi; vtpote qui iam me tibi & Hebræis tam familiarem, & ex nomine proprio compellandum noscendumque exhibeam, vt sciatis vos mihi iam magis curæ & cordi esse quàm antè.

Hinc patet, nomen tetragrammaton Primò, reuelatum esse Mosi. Patet Secundò, Mosen clariorem diuinitatis cognitionem hîc accepisse, quàm acceperint Abraham, Isaac & Iacob. Sensus ergo est, quasi diceret: Ego Deus patribus cognitus vocatusque fui *Adonai, Elohim, El, Saddai*, id est dominus, gubernator, fortis, liberalis, omnipotens (quæ nomina significant certam aliquam formam & perfectionem instar qualitatis in Deo) tibi verò, ô Moses, nomen meum essentiale reuelo, quod significat ipsam meam substantiam in se, & essentiæ meæ quæ omnium rerum fons est & causa, & pelagus immensum. Hunc esse sensum Probatur Primò, quia hoc nomen tetragrammaton est idem cum illo cap. 3. *Ego sum qui sum*, vti iam ostendi. Loquitur enim hîc Deus de hoc nomine, non quasi hoc loco primùm indito; sed de eo quasi iam Mosi cognito ex prima apparitione cap. 3. v. 14. & 15. ergo hoc nomen non significat Deum vt veracem, vindicem aut contritorem, sed vt continentem omnem entis plenitudinem, siue vt ipsum esse subsistens, immensum, immutabile, æternum & infinitum. Prob. primò

Probatur Secundò, quia falsum est, Deum non apparuisse patribus vt contritorem in diluuio & Sodoma; aut vt veracem: verax enim apparuit Deus Noë, cùm impediuit deinceps diluuium, vti Noë promiserat Genesis c. 9. v. 15. verax item apparuit in tutela Abrahæ, Genes. 17. v. 7. & 10. in partu Saræ, ibidem v. 16. & 21. in benedicendo Isaac, Genes. 28. v. 15. Secundò.

Probatur Tertiò, quia aliàs idem videbitur dici, ideoque posterior pars sententiæ pugnabit cum priori, si sic exponas; Apparui patribus vt fortis, sed non vt conterens; apparui patribus vt liberalis, sed non vt fidelis & verax: si enim Deus est liberalis, multò magis est fidelis, & promissi tenax. Tertiò.

Probatur Quartò, quia ex hac reuelatione Moses ita euasit cupidus deitatis cognoscendæ, aut etiam videndæ, vti videbimus cap. 33. vers. 18. Hinc etiam ex hac peculiari nominis huius reuelatione Mosi facta, nomen hoc augustissimum & sanctissimum semper est habitum, quod in Scriptura nulli nisi Deo vero, vel tali æstimato tribuitur. Vnde hoc nomen passim in Scriptura soli Deo tribuitur, cùm cætera Dei nomina etiam angelis & hominibus principibus tribuantur. Quartò.

Probatur Quintò, quia hæc est simplicissima & planissima interpretatio; vnde & Patres hunc locum de clariore diuinitatis & essentiæ diuinæ reuelatione, siue aperta, siue ænigmatica, Mosi facta explicant. ita S. Gregor. hom. 16. in Ezech. Procopius, Theodor. Cyrillus, Philo, Abulens. Caiet. Pererius, & alij hîc. Quintò.

Dices, Multò ante Mosen hoc nomen patribus fuit reuelatum; nam in Genesi sæpissimè iteratur, & patres hoc nomine Deum inuocarunt, vti fecit Henoch Gen. 4. 26. & Abraham Gen. 15. 8. Obiectio.

Respondent aliqui, vt Caiet. Lyran. & Perer. hoc nomen quidem quoad vocem & litteras patribus fuisse reuelatum, sed quoad claram & plenam significationẽ, primò illud fuisse reuelatum Mosi. Verùm Scriptura hîc planè significat, hoc nomen non tantùm quoad significationem, sed etiam quoad ipsam vocem & nomen, primò reuelatum fuisse Mosi, idq; clariùs significant Hebræa, quæ sic habent, *Et nomine meo Ieheua non fui cognitus eis.* Respons.

Respon-

Respondeo ergo, patres ante Mosen non sciuisse, nec vsos fuisse, nomine *Iehoua*, sed Deum nominasse *Adonai, Elohim, Saddai*, quemadmodum etiamnum Iudæi pro *Iehoua* vbique legunt *Adonai* vel *Elohim*: Mosen verò, qui Genesim conscripsit, post acceptum hoc nomen, eo vsum esse in Genesi, quia eumdem Deum significat, estque Deo quasi proprium: non enim verba, sed sensum precum Henoch & Abrahæ reddidit Moses. Sic vrbs Bala vocatur Segor, quæ non tunc, sed postea dicta est Segor; & Dan vocatur vrbs, quæ postea vocata est Dan, tunc autem vocabatur Lais. vide canon. 3.

Quæstio V. quid symbolicè significet Iehoua?

Quæritur Quintò, quid symbolicè hoc nomen *Iehoua* significet, adeoque cur sit tetragrammaton?

Resp. Mysterium SS. Trinitatis & incarnationis Verbi.

B Respondent Hebræi, hoc nomine significari SS. Trinitatem, simulque Verbi incarnationem. Prima enim littera *iod*, quæ est index & principium numeri denarij, significat primam personam, scilicet Patrem. Secunda *he*, significat secundam, scilicet Filium: *he* enim significat essentiam & substantiam (à radice היה *haia*, quæ esse significat) quam Filius habet communem cum Patre: est enim Patri consubstantialis. rursum per Filium omnes res creatæ sunt, suamque essentiam acceperunt. Tertia *vau*, significat tertiam, scilicet Spiritum sanctum. est enim *vau* apud Hebræos copula significans, *&*, *atque*: sicuti Spiritus sanctus est copula, vnio & amor notionalis Patris & Filij. Vnde Græcus Scholiastes pro eo quod habemus, *Et nomen meum Adonai non indicaui eis*, vertit, *non indicaui eis nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Hinc etiam Hebræi nomen tetragrammaton scribunt per triplex iod, cui subijciunt camets intra circulum, hoc modo [...]: cùm enim iod significet principium, & tota Trinitas sit vnum principium rerum extra se, in vna essentia & natura; hinc trinitas personarum repræsentatur triplici iod; vnitas verò essentiæ repræsentatur tum vno eodemque iod, tum vnica vocali camets. Rursum, secunda littera *he*, geminata in hoc nomine significat duas naturas in Filio, diuinam & humanam; vnde & hæc littera *he*, quæ Filij est index in nomine tetragrammato, addita fuit Abrahæ & Saræ, cùm ille pro Abram dictus est Abraham; hæc pro Sarai dicta est Sarah; quia ex Abraham & Sara prognatus & incarnatus est Christus.

Cur Iehoua est quadrilitterum?

D Sed cur hoc nomen est quadrilitterum? Respondeo, grammaticalis & propria causa est, quòd Hebræa nomina perfecta sint quadrilittera; habent enim tres litteras thematis, cui addunt quartam heemanticam, siue formatiuam nominis.

Symbola quaternarij.

Symbolica causa est, quòd quaternarius sit primus numerus perfectus par, qui constat principio, medio & fine. Secundò, hic numerus constituit quadrum & quadratum geometricum, quæ est figura solidissima: vnde de ciuitate cælesti ait S. Ioannes Apocal. 20. v. 16. quòd in quadro sit posita. Tertiò, hic numerus virtute est omnia, putà omnis numerus, omnis musica, omnis quantitas, omnia elementa, omnis virtus. hinc sacer est in Scriptura, vt patet in quatuor Cherubim, Ezech. 1. & quatuor animalibus, Apocal. 4. Hæc & plura habet Philo de plantatione Noë libr. 2. post medium, & libr. 3. de Vita Mosis post initium, atque Macrobius libr. 1. in somnium Scipionis c. 6.

A vbi inter cætera ait: Pythagoræi adeò ad perfectionem animæ quaternarium inter arcana venerantur, vt ex eo & iurisiurandi religionem sibi fecerint, scilicet hanc:

οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
Non equidem per eum, qui animæ nostræ tradidit quaternarium.

Pleræque gentes Deo nomē quadrilitterū tribuunt.

Instar huius nominis tetragrammati, pleræque aliæ gentes quadrilitterum nomen Deo indiderunt: sic enim Ægyptij Deum vocant Θωὺθ, Persæ συρὴ, Hetrusci ἐσάρ, Arabes ἀλλά, Assyrij ἀδάδ, Turcæ ἀγδί, Græci Θεὸς, Latini *Deus*, Germani *Godt*, Galli *Dieu*, Hispani *Dios*, &c. ita Gyraldus de Dijs Gentium syntagm. 1. Plura de hoc nomine vide apud Angelum Caninium, & Galatinum lib. 2. c. 10. & lib. 3. fusè.

Denique omnes hæ quatuor litteræ nominis tetragrammati, sunt Hebræis litteræ quiescentes, ad innuendum, quòd in Deo solo vera & solida quies, ipsaque æterna felicitas & beatitudo consistit ac conquiescit. Ipse enim est alpha & omega, principium & finis: ipse est centrum cordis nostri: ipse est saties & gaudium omnium angelorum & Beatorum.

Iehoua fuit typus Iesu.

Allegor. *Iehoua* redemptor Israelis ex Ægypto, fuit typus Iesu, qui fuit redemptor mundi à captiuitate & tyrannide diaboli; hinc nomen Iesu in *Iehoua* continebatur & repræsentabatur, & hoc illius erat quasi ænigma, ipsumque nomen Iesu est quasi declaratio nominis *Iehoua*: hinc rursum nomen Iesu sanctius & venerabilius est nomine *Iehoua*, vti ex Abulensi demonstraui Philip. 2. 10. C Imò noster Prado in Ezech. contendit nomen *Iehoua*, potissimùm referri ad incarnationis & redemptionis humanæ mysterium, illudque à futuro Verbi facinore deriuari asserit. *Iehoua* enim, ait, idem est cum, *Ero qui ero*, scilicet homo & redemptor mundi, hoc est Iesus, id est Saluator hominum. Hoc verum est, sed allegoricum, non litterale, vt patet ex dictis:

EGO DOMINVS, QVI EDVCAM VOS DE ERGASTVLO ÆGYPTIORVM] Hebraicè, *de suboneribus Aegyptiorum*. benè ergo & clarè Noster vertit, *de ergastulo*: ergastulum enim locus est, in quo capti aut serui laborare coguntur; dicitur enim ergastulum ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι, id est, ab operando & laborando. Vers. 6.

AC REDIMAM IN BRACHIO EXCELSO] Hebraicè, *in brachio extento*, ad feriendum videlicet, subigendumque hostes vestros Ægyptios. Anthropopathôs tribuitur Deo brachium, significatque Dei potentiam & robur, hoc enim homo solet ostendere in brachio.

Mysticè brachium est Filius, digitus est Spiritus S.

Mysticè, brachium quod à corpore promanat, est Filius à Patre procedens, sicut digitus à corpore & brachio procedens, est Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens. ita S. Hieronym. in cap. 52. Isaiæ.

ET IVDICIIS MAGNIS] magnis plagis, magna vindicta. Iudicium enim metonymicè sumitur pro effectu iudicij, scilicet pro iusta pœna & plaga, per iudicium & iudicem inflicta.

ET ERO VESTER DEVS] Hebr. *ero vester Elohim*, id est vester prouisor, gubernator, protector, conductor. Vers. 7.

SVPER QVAM LEVAVI MANVM MEAM] quam me vobis daturum iuraui: iurantes enim solent iurare sublata in altum manu. eadem phrasis est Vers. 8.

Genes.

Genes. 14. v. 22. 2. Esdræ 9. 15. Alibi *leuare manum* gestus est orantis, alibi percutientis, alibi operantis.

VT DAREM EAM ABRAHAM, ISAAC ET IACOB] vt darem eam posteris Abrahæ qui per Isaac & Iacob, non autem ijs qui per Ismael & Esau descendunt.

VERS. 9. QVI NON ACQVIEVERVNT EI PROPTER ANGVSTIAM SPIRITVS] Septuag. vertunt, ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας, *præ pusillanimitatè*. ita enim opprimebantur oneribus, vt vix liceret respirare, vt spiritus eis intercludi videretur; ac proinde non licebat, nec libebat eis aliud aliquid cogitare, sperare aut machinari.

VERS. 12. QVOMODO AVDIET PHARAO PRÆSERTIM CVM INCIRCVMCISVS SIM LABIIS?] cùm laborem vitio linguæ, cùm tardioris & impeditioris sim linguæ. Hebræi incircumcisum vocant corde, mente, vel lingua eum, qui vitio aliquo cordis, mentis aut linguæ laborat. sicut enim Hebræis circumcisio primum & summum erat Sacramentum; ita esse incircumcisum, summum erat vitium & dedecus: vnde per incircumcisionem, siue per præputium, quoduis vitium significant. Huic querelæ Mosis respondebit Dominus initio capitis 7. Nã quæ hoc capite deinceps sequuntur, aliò spectant, & intertexuntur ad hoc, vt viam sternant ad genealogiam Mosis.

Hinc patet, hoc vitium linguæ mansisse in Mose post eius colloquium cum Deo, in ipsa legatione sua ad Pharaonem; idque ad exercitium humilitatis, & vt Deus ostenderet se infirmis & ineptis instrumentis vti, ne gloria instrumentis, sed soli Deo detur.

Allegoricè, Moses quasi mutus, vsus fuit interprete Aarone, vt significaret legem veterem quasi tacitam & mutam, esse vmbram ac figuram legis nouæ, quæ clarè prædicat Deum & Christum.

VERS. 13. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN ET AARON, ET DEDIT MANDATVM AD FILIOS ISRAEL] Est hîc generalis epilogus, siue omniũ antè dictorum collectio, quam hîc subnectit Moses, vt per eam transeat ad suam & Aaronis genealogiam; idque ad hoc, vt certior historiæ Exodi, & impletæ à Deo promissionis, de liberandis ex Ægypto Hebræis, fides constet, cùm non ab extero quopiam, sed ab eo qui ex posteris Abrahæ, Isaac & Iacob, quibus facta est promissio, putà à Mose, rem gestam & confectam esse, certissimò liqueat.

VERS. 14. ISTI SVNT PRINCIPES DOMORVM PER FAMILIAS SVAS] q.d. Isti sunt principes familiarũ Israeliticarum: domus enim vocantur familiæ, quæ alibi vocantur cognationes. Hebraicè est, *isti sunt principes domus patrum suorum*, id est, isti sunt principes, qui præerant familijs maiorum, siue patrum suorum; quisque enim 12. patriarcharum filius habebat & constituebat peculiarẽ familiam, in qua ipse erat princeps, & post eum filius eius primogenitus, v.g. filij Ruben erant quatuor, scilicet Henoch & Phallu, Hesron & Charmi; hi singuli suas habebant familias, in quibus ipsi erant principes.

VERS. 16. ET HAEC NOMINA FILIORVM LEVI] Sistit Moses in genealogia Leui, quia ex Leui prognati sunt Moses & Aaron; quorum prosapiam præcipuè hîc pertexere intendit Spiritus sanctus, eò quòd hi fuerint liberatores & duces Israelis. ita S. Augustinus quæst. 15. Vbi Nota. Primus filius Iacobi fuit Ruben, secundus Simeon, tertius Leui, horum trium tantùm genealogiam pertexit hîc Moses, tum ob causam iam dictam, tum quia his maledixisse videbatur Iacob, Genes. 49 v. 3. & 5. vnde ne putarentur tres istæ tribus à Deo reiectæ, voluit Moses illorum trium filiorum Iacob multas atque illustres familias commemorare.

PER COGITATIONES SVAS] Hebraicè, *per generationes*, id est familias, *suas*. Hæc ergo tria idem sunt, generatio, familia, cognatio; ideoque vna generatio est vna familia, quia ab vno generante descendit.

ANNI AVTEM VITÆ LEVI FVERVNT CENTVM TRIGINTA SEPTEM] Ex dictis Genes. 30. constat Leui quatuor annis fuisse seniorẽ Iosepho. Hinc sequitur Primò, quòd Leui erat 43. annorũ quando cum Iacob descendit in Ægyptum, quia tunc Ioseph erat 39. annorum, vt ostendi Gen. 41. Sequitur Secundò, Leui obijsse 23. annis post mortem Iosephi; hic enim mortuus est anno ætatis 110. Leui autem 137. Sequitur Tertiò, Leui post ingressum Iacobi in Ægyptum, vixisse in Ægypto annos 94. Sequitur Quartò, Leui obijsse 121. annis ante egressum Hebræorũ ex Ægypto: nam ab ingressu Iacobi in Ægyptum vsque ad exitum Hebræorum, fluxerunt anni 215. sed Leui post ingressum Iacobi in Ægyptum, vixit inibi annis 94. ergo post mortem Leui vsque ad exitum Hebræorũ ex Ægypto, reliqui fuerunt anni 121. Sequitur Quintò, Leui obijsse annis 41. ante ortum Mosis; hic enim 80. annorum erat in egressu Hebræorum ex Ægypto.

Leui Iosepho superuixit 24. annis.

Leui obijt 41 annis ante ortum Mosis.

VERS. 20. IOCHABED PATRVELEM SVAM] cognatam, non amitam, vt dixi c. 2. 2.

FVERVNTQVE ANNI VITAE AMRAM CENTVM TRIGINTA SEPTEM] Eusebius in Chronico tradit Amram, qui fuit pater Mosis, genuisse Mosen anno ætatis suæ 70. vnde sequitur eum obijsse cùm Moses esset sexaginta septem annorum, putà 13. annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto; licet Alexander Polyhistor apud Eusebium velit Amram obijsse 20. annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto.

Tradunt Hebræi, vt refert Genebrard. lib. 1. Chronol. septem viros metiri omnem sæculorum cursum à principio mundi vsque ad finem. Adamum enim vidit Mathusalem, hũc vidit Sem, Sem vidit Iacob, Iacob vidit Amram, Amram vidit Ahiam Silonitem, Ahias vidit Eliam, qui viuit & viuet vsque ad finem mundi. Sed errant in Amram: hic enim, vt dixi, obijt 13. annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto; ergo non potuit videre Ahiam Silonitem, qui post mortem Salomonis Propheta inducitur 3. Reg. 11. nam ab egressu Hebræorum ex Ægypto vsque ad annum 4. Salomonis, quo ædificatum est templum, fluxerunt anni 480. vt patet 3. Reg. 6. 1. Breuiùs & veriùs duobus hominibus metirentur omne sæculum: nam Adam vidit Henoch, Henoch raptus redibit, & videbit finem mundi.

Tradunt Hebræi septem homines metiri omnia sæcula, sed errãt in Amram.

Adam & Henoch metiuntur omnia sæcula.

Vide hîc quàm exile sit omne hoc tempus nostrum, quàm fugax totum hoc sæculum. Audiat Christianus verè philosophantem Lælium apud Senecam libr. 6. Natur. quæst. cùm enim quidam ei diceret: Sexaginta annos habeo; elegantèr

Exilitas & fugacitas temporis.

ganter respondit, Hosne dicis sexaginta annos, quos nondum habes? præteritos annos, horas & ætates non habemus; neque etiam habemus futuros. per momenta, punctaque temporis fugientis viuimus. ex die vitæ & horis pūcta habemus quędam. Ac rursum: *Neque illud quod futurum est, meum est; nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo.* Rectè enim dixit philosophus ille, nos propriè non habere tempus, sed punctum temporis, putà ipsum nunc: nam præteritum, non est, sed fuit: futurum, non est, sed erit: ergo solum habemus ipsum præsens, putà momentū nunc. Vide quàm exile sit tempus nostrum, quàm exilis voluptas, & vita hæc præsens.

VERS. 23. ACCEPIT AVTEM AARON VXOREM ELIZABETH, FILIAM AMINADAB SOROREM NAHASON] Hic Nahason in egressu ex Ægypto fuit princeps tribus Iuda, vt patet Numer. 1. 7.

Nota. Moses vir humilis hîc studiosè genealogiam Aaronis pertexit, suam penè negligit, nisi quatenus ad Dei vocationem, & missionem certæ personæ cognoscendam erat necessaria.

VERS. 25. HI SVNT PRINCIPES FAMILIARVM] Hebræa, *hi sunt principes patrum*, qui scilicet inter patres fuerunt principes, & capita familiarum.

VERS. 26. ISTE EST AARON ET MOYSES] qui scilicet missi sunt ad Pharaonem.

VERS. 28. IN DIE QVA LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN IN TERRA ÆGYPTI] In Hebræo & Chaldæo hîc incipit noua sententia, hoc modo: *Et factum est in die qua locutus est Dominus ad Moysen in hunc modum: Ego Dominus, loquere ad Pharaonem.* Vnde & Latini codices hinc incipiunt v. 28.

Vnus homo instar mille. Ille est ergo *Aaron & Moyses*, qui duces fuerunt tanti facinoris, qui quasi duo fulmina belli Pharaonem omnesq; hostes prostrauerunt, qui quasi sol & luna Israelem illustrarunt. Ecce quantum potest vnus alterue homo, vnus insignis populi dux. Ita vnus Epaminondas Thebanos ad imperium euexit, vt eum videns Agesilaus, licet hostis, meritò exclamarit: *ô virum magnificum!* Ita vnus Scipio longum Roman. & Carthaginensium de imperio duellum diremit, illudque Romanis asseruit, vt meritò de eo adhuc milite dixerit Cato: *Iste sapit solus, reliqui velut vmbra vagantur.* & Metellus gratias egerit dijs Romæ causa, quòd alibi non exstiterit Scipio. Quin & Numantini hostes Roman. rogati cur iam Romanos duce Scipione fugerent quos antea fugarant, responderunt: *Oues quidem eadem sunt: sed alium iam habent pastorem.* testis est Plutarch. in Apophtheg. Roman.

Inter fideles quid nō effecit vnus Moyses, vnus Iosue, vnus Dauid, vnus Iosias, vnus Elias, vnus Eliseus, vnus Daniel, vnus Paulus, vnus Gregorius, vnus Athanasius, vnus Chrysostomus, vnus Hieronymus, vnus Benedictus vnus Franciscus, vnus Dominicus, vnus Bernardus, vnus Xauerius? & nos quid facimus? numerus sumus. Multiplicasti Domine gentem, non magnificasti lætitiam. Flebat Iulius Cæsar legens gesta Alexandri, dicebatque: *Ea ætate qua Alexander Darium deuicit, ego adhuc nihil præclarum gessi.* Quot annos nos viximus? quid præclari gessimus?

LOQVERE AD PHARAONEM] Hîc Moses narrationem v. 14 cœptam, & per genealogiæ suæ descriptionem interruptam, resumit & prosequitur. VERS. 29.

ET AIT MOYSES CORAM DOMINO] ait Domino, qui erat coràm, siue coram quo stabat & agebat Moses. VERS. 30.

INCIRCVMCISVS SVM LABIIS] impeditæ sum linguæ, rudis in loquendo & ineptus, vt dixi c. 4 v. 10.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mittit Dominus Mosen ad Pharaonem, eiq; dat signa quæ edat. virgam ergo suam Moses coram Pharaone in colubrum vertit, deinde v. 17. aquas omnes Aegypti conuertit in sanguinem: similia faciunt malefici Pharaonis v. 22. hinc obdurat se Pharao ne Hebræos dimittat.

1. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. 2. Tu loquêris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israel de terra sua. 3. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Ægypti, 4. & non audiet vos: immittamq; manum meam super Ægyptum, & educam exercitum & populum meum filios Israel de terra Ægypti per iudicia maxima. 5. Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum. 6. Fecit itaque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt. 7. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. 8. Dixitq; Dominus ad Moysen & Aaron: 9. Cùm dixerit vobis Pharao, Ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam; & proijce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. 10. Ingressi itaque Moyses & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus. tulitque Aaron virgam Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum. 11. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter. 12. Proiecerunt que singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. 13. Induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. 15. Vade ad

ad eum manè, ecce egredietur ad aquas: & stabis in occursum eius super ripam flumi-
nis: & virgam, quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua. 16. Dicesque ad
eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum vt
sacrificet mihi in deserto: & vsque ad præsens audire noluisti. 17. Hæc igitur dicit
Dominus: In hoc scies quòd sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea
est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem. 18. Pisces quoque, qui sunt in fluuio,
morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis.
19. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende
manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos ac paludes, &
omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni terra Ægypti,
tam in ligneis vasis quàm in saxeis. 20. Feceruntque Moyses & Aaron sicut præce-
perat Dominus: & eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis
eius: quæ versa est in sanguinem. 21. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt:
computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis; & fuit san-
guis in tota terra Ægypti. 22. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incan-
tationibus suis; & induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Do-
minus. 23. Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac
vice. 24. Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam vt bibe-
rent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. 25. Impletique sunt septem dies,
postquam percussit Dominus fluuium.

VERS. I. DIXITQVE DOMINVS AD MOYSEN] Respondet hîc Deus timiditati & querelæ Mosis, quam ipse proposuit cap. præced. v. 12.

ECCE CONSTITVI TE DEVM PHARAONIS] *Deum* non natura, neque vnione hypostatica: talis enim non constituitur, præsertim is qui iam antè subsistit, vti subsistebat hîc Moses; sed participatione eminentiæ & potestatis diuinæ contra Pharaonem: q. d. Noli, ô Moses timere sæuitiam & fastum Pharaonis, quia ego te feci quasi Deum Pharaonis, non quem ille fideliter adoret, sed seruiliter timeat punientem, atque medentem obsecret; &, vt ait Rupertus, *Quoniam tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teq; deprimis, ecce ego sustollam te, faciamq; te Deum Pharaonis; vt imperes aquis pro potestate Dei, vt ranas crees, vt imperes terræ ac cineri, faciasq; in rege & exercitu eius ciniphes & vesicas, vt imperes aëri, & pestem generet; vt imperes igni, & cum grandine mixtus feratur super peccatores: imperando elementis Deus eris Pharaonis. ecce quàm gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cælum volare consueuit.* Hactenus Rupertus. Vnde Chald. vertit, dedi te רַב *rab*, id est principem Pharaonis.

Humilitas Mosen fecit Deum Pharaonis.

Simili modo S. Basilius factus est Deus Valentis Imp. S. Ambrosius Iustinæ Imp. S. Athanasius, Hilarius, Hosius & Lucifer Constantij Imp. dum eos liberrimè coarguerunt, imò Neroni, Decio, Diocletiano & Antichristo compararunt, vti patet ex eorum verbis, quæ citaui 2. Timoth. 1. 7. Sic S. Bernardus ad Eugenium Pontif. *Considera*, ait, *oportere te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, fidei defensorem*, &c. *virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, sal terræ, vrbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis.* Sic Elias fuit Deus Achabo regi per suas minas & plagas: vnde 3. Reg. 18. v. 17. cùm ei diceret rex: *Túne es ille qui conturbas Israel?* respondet intrepidè, *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquisti Dominum.* Vide hîc, quid mereatur humilitas, quamque ipsa Mosen exaltarit, faciens eum Deum Pharaonis. Sicut Moses vicit Pharaonem, ita humilis vincit diabolum.

Sola humilitas exaltat, vincitq; diabolum.

Legimus in Vitis Patrum lib. 7. c. 23. diabolum occurrisse S. Macario, ac voluisse eum percutere falce acuta, sed non valuisse, ideoque exclamasse, ac dixisse: *Magnam vim à te patior, Macari, qui cùm cupio tibi nocere, non valeo: dum quæcumque tu facis, ego magis exuperem. Tu enim interdum ieiunas, ego numquam vllo cibo reficior. Tu sæpè vigilas, me verò numquam sopor oppressit. Sed vna re me vincis ipse fateor.* Cumque ab eo rem ipsam requisisset Macarius, ait: *Humilitas tua sola me vincit.* quo dicto, orante Macario, inter auras euanuit.

Ibidem alius Abbas ait: *Quantumcumque se deposuerit homo in humilitate, tantum proficit in altum. Sicut enim superbia, si ascenderit in cælum, vsque ad infernum deducitur: ita & humilitas, si descenderit ad infernum, tunc exaltabitur vsque ad cælum.*

Ibidem alius comparat humilitatem S. Iohanni Baptistæ, charitatem Christo. *Omnis labor*, inquit, *sine humilitate vanus est. Humilitas enim est præcursor charitatis. Sicut Iohannes præcursor erat Iesu, omnes trahẽs ad eum: ita & humilitas attrahit ad charitatem, id est ad ipsum Deum, quia Deus charitas est.*

Ibidem c. 15. S. Antonio in meritis præfertur coriarius quidam mirè humilis, qui iugiter dicebat, *Omnis hæc ciuitas ingreditur in regnum Dei propter iustitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam sempiternam ingrediar.*

Hinc S. Hilar. l. 7. de Trinit. docet aliter Christum in Script. dici Deum, scilicet non constitutione, sed Primò, nomine, quia simpliciter & præcisè vocatur Deus, vt Iohan. 1. *Deus erat Verbum.* Secundò, natiuitate; quia vocatur Deus non per adoptionem, sed per generationem, vocatur enim Filius Dei à Patre genitus. Tertiò, natura; quia ipse dixit, *Ego & Pater vnum sumus.* Quartò, potestate; ipse enim dixit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quintò, professione; quia profitebatur coram Iudæis se persequentibus, se consubstantialem & æqualem esse Patri, vt Iohan. 5. *Patrem suum dicebat Deum, æqualẽ se faciens Deo*, hancq; suam professionem miraculis comprobauit, atque morte & martyrio suo obsignauit. ita S. Hilar.

Christus vocatur Deus quintupliciter.

Nota. Pro *Deum*, hebraicè est *Elohim*, quòd aliis à Deo, putà angelis & hominibus, iis præsertim quibus Deus suam potestatem iudiciariam, aut principatum communicauit, tribuitur. Sic Exo-

Elohim vocatur Deus, item angeli & principes.

di 22.28. dicitur, *Diis* (iudicibus) *non detrahes, & principi populi tui non maledices*. psalm. 8.6. *Minuisti eum paulò minùs ab angelis*, hebraicè *ab Elohim*, psalm. 138.1. *In conspectu angelorum* (hebr. *Elohim*) *psallam tibi*.

A

Vbi Nota. Hoc nomen *Elohim* ex adiunctis tunc solet limitari, ne Deus verus intelligatur: nam quando absolutè ponitur, soli Deo vero tribuitur. sic psal. 81 1. dicitur: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat*: *deos*, id est iudices; nam Deus verus, qui est summus omnium iudex, à nemine iudicatur. & v. 6. *Ego dixi, Dij estis*. q.d. Non re vera, sed communicatione & nuncupatione mea dii estis. hinc Christus hunc locum citans Iohan. 10.35. ait: *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est*.. q.d. Si illi vocantur dij, qui sola participatione & nuncupatione sunt dij, quanto magis ego sum Deus, qui per naturam sum Deus? Vide hîc, quantum amicos suos extollat Deus. Verè Philo l. 1. de Vita Mosis: *Cùm amicorum*, inquit, *omnia sint communia, Deus potestatem & opes suas cum Sanctis communicat*. Hinc Moses ob virtutes suas, & ob ostenta sua ab Ægyptiis vocatus est Deus, vti tradit S. Cyrill. lib. 1. contra Iulian. & S. Iustinus oratione parænetica ad Gentes post initium, & Euseb. lib. 9. de Præparat. Euang. ante finem, additque, eum fuisse appellatum Mercurium, ob sacrarum litterarum intelligentiam & interpretationem. Idem tradit eum etiam vocatum fuisse Musæum. Vide hîc in Mose quàm verum sit vetus dictum: *Princeps probus est animata Dei in terris imago*.

Moses ab Ægyptiis vocatus est Deus & Mercurius.

B

Devm Pharaonis] Perperam in Theodoreto legitur *Deum Aaronis*: sic enim iam apud eum legimus quæst. 17. *Quomodo Moses fuit Deus ipsius Aaron?* ac respondet, *Sicut Deus imperabat Mosi, ita Moses ipsi Aaroni; vnde & Aaron appellatus est propheta Mosis*. Verùm manuscriptus codex Theodor. pro Aarone legit Pharaonem, & ita omnino scripsisse videtur Theodor. Sciolus verò aliquis ex eo quòd Aaron propheta Mosis subiungitur, in præcedentibus quoque pro Pharaone Aaronem substituit, sed perperam.

C

Nota. Moses fuit Deus, non tantùm Pharaonis, sed etiam Israelis; verùm diuersimodè: Pharaonis enim Deus fuit, eum castigando; Israelis, eum protegendo, deducendo, regendo, sustinendo. quod enim de Elia dicit Eliseus 4. Reg. 2.12. *Pater mi, currus Israel, & auriga eius*; hoc ipsum veriùs de Mose dicas. Sicut ergo Deus insidens currui Cherubico Ezech. 1. auriga est mundi; ita Moses fuit auriga Israelis, Numer. 11.11. Ita legimus in Vitis Patrum, in Sentent. eorum, sent. 107. S. Macarium vocatum fuisse Deum monachorum. *Dicebant*, inquit, *de Abbate Macario maiore, quia, sicut Deus protegit totum mundum, & portat peccata hominum: ita & ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta illorum, & ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns & non audiens*. Pari modo esto & tu angelus, imò Deus inter fratres & socios tuos.

D

Disce hîc vanam esse gloriam quæ ab hominibus, veram quæ à Deo quæritur & accipitur. Vnde S. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Titum: *Non prohibeo*, inquit, *appeti gloriam, sed illa volo ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Vnum intueamur solum, ad id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intentè inspiciamus, humana semper omnia nihili æstimabimus. Non laudat te ille aut ille, nihil inde amittis: & si vituperet quispiam, nihil omnino te læsit. Siue enim laus siue vituperatio, ex Deo tantùm, aut emolumentum habet, aut detrimentum*. Deinde docet contemptum humanæ laudis nos Deo similes reddere. Sicut enim ab æterno fuit gloriosus, & in immensum semper glorificatus à Patre, Filio, & Spiritu sancto; ac proinde non indiget laude hominum, quæ per æternitatem antequam mundum conderet, nulla fuit: sic etiam gloriæ contemptor. vnde concludit: *Quoties*, inquit, *difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum animo versa: Si hanc despexero, Deo æqualis*, id est similis, *efficiar, protinusq; subibit gloriæ contemptus ex animo*.

Et Aaron frater tvvs erit propheta tvvs] Sicut tu iam à me constitutus es Deus non natura, sed participatione; ita similem habebis prophetam Aaronem, non qui propriè propheta sit, id est, cui immediatè futura reuelet Deus, sed cui tu ea, quæ à me intelligis, reueles, vt eo seu interprete illa coram Pharaone proloquaris, vti antè explicatur: vt Hebræum נָבִיא *nabi*, id est propheta, alludat ad rad. נוב *nub*, quæ loqui significat. Sic Apostolus 1. Corinth. 14. v. 4.5.12.22.29.30.39. prophetas vocat præcones verbi Dei, & prophetiam vocat prædicationem, vti ibi dixi, vbi & varias nominis *propheta* significationes adduxi. Ex hoc ergo loco colligi non potest, Aaronem propriè fuisse prophetam, licet idipsum ex aliis locis colligatur, scilicet ex cap. 4.27. vbi Deus ei reuelauit Mosis reditum dicens, *Vade in occursum Mosi*: & 1. Reg. 2.27. dicit Dominus Heli pontifici, prognato ex Aarone: *Numquid non apertè reuelatus sum domui patris tui?*

Aaron fuit propheta, id est interpres & orator Mosis.

Aaron verò quoque fuit propheta.

Pulchrè Rupertus: *Quoniam*, inquit, *non est dignus Pharao tecum, ô Moses, qui Deus eius es constitutus, loqui, Aaron erit tuus propheta, plagas quas tu facies pronuntiaturus, siue tamquam minister tuus illaturus: exemplo videlicet mei, qui hominibus non loquor per me, sed per prophetas meos mando ea, quæ illis vel denuntianda, vel à me facienda sunt. & isti duo homines ita profectò egerunt, alter potestatem in sermone habens, alter potestatem in faciendis coram Pharaone signis exercens*.

Vbi Nota, Aaronem non tantùm fuisse prophetam Mosis, quia fuit eius interpres apud Pharaonem, sed etiam quia eius iussu faciebat signa, & plagas inferebat Ægypto, vt patet de virga versa in colubrũ hoc cap. v. 10. vnde c. 19. ait Dominus Mosi: *Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegypti*, &c. *vt vertantur in sanguinem*. Et c. 8.5. *Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluuios*, &c. *& educ ranas*. Et v. 16. *Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & sint sciniphes*. Ergo colubros, sanguinem, ranas, & sciniphes Ægypto induxit Aaron, sed præcepto Mosis; quasi Dei sui mandantis. Vnde & Moses, non Aaron, plagas hasce orans Deum reuocauit & stitit, vt iisdem locis subditur. Porrò plagas sequentes, vtpote grauiores, putà vlcerum c. 8.9. pestis c. 8. v. 15. grandinis, tonitruorum & fulgurum c. 8.23. locustarum c. 10.12. tenebrarum c. 10.22. non Aaron, sed solus Moses extendendo manus Ægypto inflixit.

Tropologicè, hæc appositè duobus fratribus, scilicet S. Basilio & Gregorio Nysseno adaptat Nazianz.

S. Basil. & Nyss. fratres cõparantur

Moses & Aaroni à Nazianzeno. Nazianz. orat. 22. & eius Scholiastes Nicetas. *Moses*, inquit, *fuit legislator Hebraeorum; sic Basilius legislator fuit monachorum, Nyssenus verò sanctissimus fuit instar Aaronis. Basilius princeps fuit sacerdotum, Nyssenus fuit illi proximus, & quasi illius lingua alios instans: ambo decem plagis peccatum affecerunt, mare vitiorum sciderunt; Aegyptios, id est hæreticos & dæmones, depresserunt; Amalec, id est Iulianum, typica crucis manuum extensione fugarunt; Israelitas verò pane cælesti, & aqua cælestis doctrinæ pauerunt, atque ad regnum cæleste perduxerunt.*

Vers. 3. EGO INDVRABO COR EIVS] Caluin. hoc loco quasi ariete, suam, de Deo actiuè & propriè obdurante, hæresim ita propugnat, vt eo se omnes sophistas prosternere glorietur. itaque vertit ipse, *ego constringam cor eius*. Caluini ergo hæc est mens & sententia, licet, vt tam infame virus occulat, vel potiùs honestet, implexa, Deum obdurasse Pharaonem, non ei immittendo duritiem; sed tum satanæ eum addicendo & mancipando, vt cor eius durum obduraret magis; tum quòd arcano quodam motu, qui captum nostrum superet, cor eius gubernarit, & ad peruicaciam obdurarit: neque tamen peccati auctorem fuisse Deum, eò quòd iusto iudicio idipsum fecerit: duritiem enim Pharaonis peccatum fuisse, obdurationem verò fuisse Dei iudicium. ita ipse. *Caluinus docet, Deū propriè & actiuè obdurasse Pharaonē.*

Refellitur hæc blasphemia. Verùm hæc sæculis omnibus inaudita est hæresis, & execranda blasphemia, quam tum alibi passim, tum hîc redarguit ipsa S Scriptura: quòd enim Pharao non à Deo, sed à se ipso, suaque malitia propriè & directè sit obduratus, demonstratur, *Primò.* Primò ex eo, quòd Deus misso Mose Pharaoni decies præcepit dimissionem populi Iudaici: ergo voluit, vt missum faceret populum; non ergo eum obdurare voluit, vt eum retineret. hoc enim propriè velle, est velle efficaciter, vt Pharao nolit populum dimittere: velle autem vt dimittat, idque præcipere; ac rursum efficaciter id nolle, ideoque obdurare, manifestè inter se pugnant. Rursum, si Dei voluntas erat obdurare Pharaonem, ergo Pharao ei se conformans non peccabat: Dei enim voluntas omnis bonæ voluntatis mensura est.

Secundò. Secundò, Deus reluctantem Pharaonem grauissimè puniuit; atqui Deus non est auctor eorum quorum est vltor, inquit S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum c. 3.

Tertiò. Tertiò, Pharao ipse paulatim Deo, Mosi & Hebræis cessit, dum Primò eos sine prolibus & armentis, Secundò cum prolibus, sed sine armentis, Tertiò omnino cum suis abire permisit: ergo ipse se flectebat & obdurabat quin verò Pharao ipse non tam impius fuit, vt duritiei suæ causam in Deum euomeret; sed sibi eam tribuit Exodi 10. 16. *Peccaui*, inquit, *in Dominum*.

Euasio Caluini insulsa duritiē esse peccatum, non obdurationem, vtpote quæ sit iudicium Dei. Quòd enim Caluinus Deum culpa liberare contendat, peccatum Pharaoni, obdurationem Deo tribuendo, tam impiè quàm imperitè id facit. Si enim durities Pharaonis peccatum est, cur pariter peccatum non sit obduratio, quæ duritiei est causa? Causa enim ad peccatum impellens, vtique peccat, Iohan. 8. 34. Rom. 1. 32. & vel maximè tunc, cùm efficaciter impellit, vt ei alter resistere nequeat.

At instat Caluinus, obdurare in Deo non esse culpam; quia iustum hoc Dei iudicium est. sed friuola est & inanis hæc larua: si enim durities

A culpa est, quocumque fine, quocumque iudicio ad eam impellas, culpam admittis. quod enim in se malum est & culpa, nullo fine licet: ideoque non iustum est hoc, sed impium Caluini iudicium, tantumque est dicere ac si apertè pronunties, Deus peccati auctor est, sed hoc fine vt iudicium suum, & præcedentium peccatorum vindictam exerceat.

Quartò, non Pharao tantùm sibi, sed & Scripturæ culpam & obdurationem eidem tribuit, cùm iam immunem & liberum à pœna, ad ingenium sponte rediisse narrat, Exod. 8. v. 15. *Videns*, inquit, *Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum*. & c. 9. 34. *Videns Pharao quòd cessasset pluuia, auxit peccatum, & ingrauatum est cor eius*, id est, vt habetur in Hebræo, יַכְבֵּד לִבּוֹ iachbed libbo, id est, *Quartò.*

B *aggregauit ipse cor suum*. Idem patet c. 8. v. vlt. in Hebræo vnde quoties noster Interpres in Exodo vertit, *ingrauatum est*, accipe *ingrauauit se cor*, id est voluntas, *Pharaonis*: sic enim Hebræa vbique vertas. Ipse ergo Pharao propriè & positiuè se indurauit; Deus verò permissiuè & indirectè, vti dicam quæst. 2. Ita censent & explicant passim Patres omnes & Interpretes Catholici.

Obiicit Caluinus, Primò, multum interest inter agere & pati, inter agere & permittere; obdurare autem est agere, ergo non tantùm est permittere obdurari, sed est efficere ipsam duritiem. *Obiicit Caluin. obdurare est agere, non tantùm permittere.*

Resp. phrasi Hebræa & Latina permissio, imò & occasio, sæpè vocatur actio: vnde illud tritum, *Resp. permissio hebr. vocatur actio.*

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

sicque vulgò loquimur Rursum, agere apud Hebræos latissimum est, & amplissimè sumitur, vt

C de Iosepho Gen. 41. 13 in Hebræo, dicit pincerna, Ioseph me reddidit (scilicet per suum vaticinium, id est, reddendum me prædixit) officio; & illum, pistorem scilicet, suspendit, id est suspendendum prædixit. sic hîc c. 5. v. 22. Moses dicit Domino, *Cur afflixisti populum tuum*? id est, cur ei afflictionis occasio fuisti mittendo me ad Pharaonem, eumque hac ratione magis exacerbando contra Hebræos? Potiori ergo ratione Deus prouidentia sua claudens omnia, modum, tempus, gradumque & limitem vltra quem non progrediantur, omnibus omnino hominum actibus definiens, dum sinit malos malè agere, seque obdurare, eisque concursu suo assistit, vt agere possint quod lubet, agere dicitur.

Instat Caluinus, permissio, vti & aliæ negationes & priuationes, non est iudicium, non est vin-

D dicta, non est pœna; hæc enim positiuè à iudice infligitur. Atqui obduratio est iudicium, vindicta & pœna præcedentium peccatorum: ergo non tantùm permissiuè, sed & positiuè à Deo infligitur. *Instantia Caluini, obduratio est pœna, ergo positiuè infligitur.*

Resp. Resp. maiorem esse falsam: licet enim sententia iudicis debeat esse positiua, pœna tamen per eam irrogata sæpè est priuatiua, vt cùm iudex punit aliquem priuatione bonorum, inhabilitate ad officia & dignitates, &c. Sic lex Iulia plectit adulteras, dum eas à parentibus impunè occidi permittit. Pari modo decretum permittendi hunc illúmve obdurari, in Deo est positiuum, & actio positiua; ipsa tamen permissio obdurationis non positiua actio, est nihilominus ingens pœna. quis enim non videt magnam esse peccatorum pœnam, cùm Deus eis permittit impunè quidlibet agere, & in profundum malorum ac gehennæ

 ruere?

rueret? Adde, in hac obduratione non tantùm esse permissionem, sed & alias actiones positiuas Dei, vt dicam quæst. 2.

Obiectio secunda Caluini. Obiicit Secundò, Non semel, sed crebrò hîc dicitur, quòd Deus obdurarit Pharaonem, non autem quòd Pharao obdurarit seipsum: atqui non videtur probabile Script. toties improprio sermone vti.

Resp. Respondeo, Pluries hîc dicitur quòd Pharao obdurarit seipsum, vt patet ex dictis, rariùs quòd Deus eum obdurarit, videlicet tantùm in 6. 8. & 9. plagis, & cùm Hebræos Ægypto egressos insecutus est. idque hîc prædixit Mosi, vt videlicet illi animum adderet, vtpote experturo tantam regis contumaciam, itaque non percelleretur Moses, cogitans non sine Dei prouidentia & prædictione indurari Pharaonem, sciretque cor regis esse in manu Dei, & ab eo tandem emolliendum esse, vt dimitteret Hebræos; vti & fecit post vltimam plagam primogenitorum.

Obiectio tertia. Obiicit Tertiò, Deus cap. 10. v. 1. dicit se indurasse Pharaonem, vt signa, plagas & potentiam suam in eo ostenderet: ergo signis & flagellis suis non obdurauit Pharaonem, sed potiùs obdurauit eum hoc fine, vt occasionem haberet eum flagellandi, & iustitiam potentiamque suam in eo ostendendi.

Resp. Resp. Potentiam suam ostendit Deus in Pharaone, non eum obdurando, sed obduratum flagellando & puniendo, de quo plura suis locis: alioqui enim si liberè Pharao se non obdurauit, sed Deus eum obdurauit, quæ pugna fuit inter Pharaonem & Deum? sic enim Deus omnia, Pharao nihil effecit. Quamnam quæso in lapide obdurato Deus ostendit potentiam; aut quæ potest esse cum lapide pugna?

Quæstio II. quibus modis Deus obdurauit Pharaonem? Quæres Secundò, Si non directè & positiuè, quibus ergo modis Deus dicitur indurasse Pharaonem?

Resp. Primò, permittendo. Resp. Primò permissiuè. vbi Nota. Aliter & longè potentiùs permittit peccata Deus quàm homo, v.g. princeps, eadem permittat: Deus enim omnium hominum voluntates in sua habet manu, vt eas quaquauersum flectere possit; voluntas verò hominis sine Dei nutu in nullum omnino opus, siue bonum siue malum exire potest, nisi Deus illi permissionis suæ laxet habenas, imò cum illa positiuè concurrat & cooperetur, ad actum & opus hoc producendum. Sicut ergo is qui leonem fune constrictum tenet, si eum laxet & dimittat, leoque solutus aliquem occidat, dicitur tenens leonem hominem illum occidisse, non per se, sed per leonem quem dimisit: ita & Deus sinens voluntatem peccare & in peccatis se obdurare, dicitur ipse eamdem obdurare; præsertim quia suo concursu ad hunc actum obdurationis concurrit.

Secundò, dando illi constantiã & duritiem quamdam naturalem. Secundò, Pineda in Iob 8. v. 20. n. 3. sic explicat: indurabo, &, vt hebraicè est, aggrauabo, aut confortabo cor Pharaonis, id est cor Pharaonis, durum, forte, potens resistere, minimeque timidum aut molle efficiam. hæc enim naturalis constantia & animositas, qua fiebat, vt Pharao propositi sui esset tenax, nec facilè illud mutaret, erat à Deo auctore naturæ; sed ipse Pharao illa quasi armis, vt suo conditori resisteret, abutebatur. Hæc expositio vera est, sed non plena: nam hæc durities Pharaonis, non tantùm erat constantia quædam naturalis, sed insuper pertinacia, proteruia, & peruicacia superbi animi; quorum vitiorum Deus non erat auctor, sed vel ipse Pharao, vel innata illi concupiscentia, & corruptæ naturæ indoles.

Tertiò, indurauit Deus Pharaonem, subtrahendo illi gratiam suam, quæ cor eius molliret; sicut sol indurat lutum, non positiuè efficiendo duritiem, sed exsugendo humorem, qui temperabat & molliebat lutum; sic & Deus, inquit S. August. *indurat cor non apponendo gratiam, non autem impellendo ad malitiam.* intellige *gratiam*, non omnem, sed copiosam, potentem & efficacem: relinquit enim Deus obduratis aliquam gratiam, qua subinde eos mouet & pulsat; alioqui essent ipsi omnino desperatæ salutis, & quasi damnati; sed gratia hæc rara est, tenuis & modica. *Tertiò, subtrahendo gratiam.*

Quartò, dando ei opes, animos, imperium, gloriam, quibus ille se in sua tyrannide obfirmauit. *Quartò, dando opes & imperiũ.*

Quintò & aptissimè, Deus dicitur obdurasse Pharaonem, quia cùm videret eum durum & obstinatum, quædam circa illum egit, ex quibus ille sumpsit occasionem magis obdurandi se. Pro quo Nota. Pharao dominandi cupidus planè obfirmarat animum retinere Hebræos, vt eis dominari posset, vtque gentem tam insignem & industriam operibus publicis regni applicaret; ingens enim ab eis percipiebat emolumentum. Hinc factum est, vt, cùm Deus illos ab eo abstrahere & educere vellet, ille eo magis eos detinere cuperet, magisque animum suum in hac voluntate, ambitione & tyrannide obfirmaret. *Quintò, per flagella & miracula.*

Deus ergo obdurauit Pharaonem, Primò, suis plagis & flagellis, idque ea immittendo non simul & excessiuè, sed paulatim, moderatè & per interualla; ita vt requiem ei daret subtracto flagello ad tempus, quo fiebat vt hæc flagella minora essent eius tyrannide & duritie, nec mollire aut frangere possent eius animum, ita libidine dominandi Hebræis accensum & obfirmatum, sed potiùs magis eum in illa accenderent & obfirmarent: cor enim eius erat durum instar adamantis, qui quo magis tunditur, eo magis indurescit. durus enim & deprauatus affectus omnia in suam duritiem & prauitatem conuertit. & licet durante flagello videretur subinde molliri (prout alternantibus animi affectibus, subinde ad tempus molliuntur homines duri) tamen eo cessante, mox ad ingenium & duritiem suam redibat. Vnde Exodi 8. v. 15. dicitur: *Videns Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum.* ita S. August. hîc q. 36. & Anast. Nicenus qu. 29. Itaque sicut pueri nequam & peruicaces verberibus fiunt duriores, sic & Pharao verberibus Dei. Vnde sicut præceptor flagellando puerum peruicacem, dicitur eum flagellis suis obdurare, magisque peruicacem efficere: ita Deus suis plagis dicitur indurasse, & durius reddidisse cor Pharaonis, non immittendo illi duritiem, sed obiiciendo illi flagella, quibus ipse magis seipsum obdurauit, fortiusque Deo restitit. *Adamas tundendo indurescit, ita & Pharao.*

Secundò, obdurauit Deus Pharaonem per miracula, Primò magorum: cùm enim Pharao vidit magos suos eadem portenta facere quæ faciebat Moses, contempsit portenta Mosis & Dei; vnde tunc non tam Deus, quàm magi dicuntur obdurasse Pharaonem. Postquam verò magi à Mose victi sunt, ab eoque vlceribus percussi, amplius

ampliùs coram Pharaone consistere, eumque obdurare non potuerunt; tunc demum dicitur Deus eum obdurasse c.9.v.12. ibi enim primò dicitur, quòd Deus indurarit Pharaonem; quia scilicet hæc Dei miracula simul erant plagæ & verbera, quæ animum Pharaonis durum tundentia, non molliebant, sed duriorem efficiebant. Adde Tertiò, Deus post plagas obiiciebat Pharaoni hasce aut similes cogitationes: Vult Deus vt illi cedas & te humilies; vult vt animum superbum & durum deponas; vult vt populum Hebræum, quem tyrannicè opprimis, dimittas. esto ille tibi magno sit honori, vtilitati & gloriæ. Quibus cogitationibus iritatus superbus Pharaonis animus, magis intumescebat, indurescebat, excandescebat & reluctabatur Deo; dicebatque, Quis mihi imperabit? ego sum Pharao rex magnus. Quis est Deus Hebræorum qui hanc prædam mihi eripiat? non cedam, non dimittam populum. Et hoc propriè videntur significare verba Scripturæ, quibus post plagas plerasque statim subditur: *Indurauitq; Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos.* Et hoc sensu ait S. August. libr. 5. contra Iulian. c.3. Deum non tantùm sua patientia, sed & potentia (id est potenti imperio, plagis & flagellis) Pharaonem obdurasse. Obdurauit ergo Deus Pharaonem, id est illo prouidentiæ modo in miraculis & flagellis tum immittendis, tum reuocandis, in magorum artibus permittendis, in rigore rigidaque petitione Mosis, & aliis circa illum vsus est Deus, quibus Pharao obduruit magis, quibusque Deus eum se ex propria malitia, proprioque voluntatis arbitrio magis obduraturum præsciebat, non autem quibus ipse eum obdurare intēdebat.

Cogitationes Pharaonis quæ eum obdurarūt.

Quæst. III. quid sit durities cordis, & qui eius effectus?

Quæres Tertiò, Quid sit durities cordis, & quæ illius sint proprietates & effectus?

Resp. S. Bernard. lib. 1. de Consid. ad Eug. *Cor durum, inquit, est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina: præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futurorum improuidum. ipsum enim est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit. futurorum nulla est, nisi fortè ad vlciscendum prospectio: & vt breui cuncta horribilis mali mala complectar; cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines reueretur.*

Proprietates duri cordis. Prima.

Iam proprietates duri cordis sunt, Primò, indurati corde nolunt intelligere vt bene agant, oculos & aures claudunt salutaribus monitis, nolunt audire ea quæ sunt virtutis & salutis. Qui, vt ait Iob c.21.14. *dixerunt Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Sic Pharao Exodi 5. v.2. *Quis est, inquit, Dominus vt audiam vocem eius? nescio Dominum.* hinc Iob c.24. ait, tales esse rebelles lumini.

Secunda.

Hinc Secundò, tales vicissim relinquit, proiicit & despicit Deus. Prouerb. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.*

Tertia.

Tertiò, tales, vt ait Sapiens Prouerb. 2. *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis; quorum viæ sunt peruersæ, & infames gressus eorum.* & c. 12. *Quasi per risum stultus operatur scelus.*

Quarta.

Quartò, indurati venerunt in profundum malorum, Deumque & homines contemnunt. Prouerb. 18. *Impius, inquit, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia & opprobrium.*

Quinta.

Quintò, peccatum eorum dicitur indelebile, & vulnus insanabile; quia ægrè & vix remittitur. hinc Ierem. 17. *Peccatum Iuda, inquit, scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* & c.30. *Insanabilis fractura tua.*

Sexta.

Sextò, non pudet illos scelerum etiam turpissimorum, sed, vt ait Ieremias c.3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.*

Septima.

Septimò, tales sunt penè incorrigibiles: vnde de iis ait Sapiens Ecclef. 7. *Considera opera Dei quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* & Sap. 12. *Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum.*

Octaua.

Octauò, tales percussi à Deo non sentiunt. Ierem. 5. *Domine percussisti eos, & non doluerunt.* tales etiam non sentiunt stimulos & remorsus conscientiæ, quia eam quasi exstinxerunt.

Nona.

Nonò, ob inueteratam & roboratam peccandi consuetudinem, fit istis quasi impossibile bene agere, & non peccare. Ierem. 13. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Et S. Augustinus libr. 6. Confess. *Suspirabam, ait, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat. Ex peruersa enim voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibusdam annulis sibimet annexis tenebat me strictè dura seruitus.*

Decima.

Decimò, S. Paulus Roman. 1. & 2. ait tales thesaurizare sibi iram, & traditos esse in reprobum sensum; & alibi vocat eos filios perditionis & diffidentiæ, & vasa apta in interitum, qui desperantes se tradiderunt in omnem operationem immunditiæ.

Vndecima.

Vndecimò, isti peccata peccatis cumulant, & indies in peius proficiunt, & vt dicitur Apoc. 22. qui in sordibus sunt, sordescunt adhuc. *Tunc est consummata infelicitas,* ait Seneca in Prou. *vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent; & definit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores fiunt.* Talis fuit Cain Genes. 4.18. filij Heli 1. Reg 2.22. Saul 1. Reg. 17.18. Sedecias 2. Paralip. 36.13. Iudæi Ierem. 2.20. principes sacerdotum Matthæi 27.4.

Quæstio IV. quomodo Deus tractet obduratos? Resp. Primò.

Quæres Quartò, quomodo Deus tractet obduratos, & quomodo se erga eos gerat?

Respondeo, in pœnam peccatorum quæ admiserunt, Primò, permittit eos sequi suas cupiditates & libidines, nec ab illis remouet earum illecebras, occasiones & tentationes. Psal. 80. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Et Paulus Rom. 1. ait Deum eos tradidisse in desideria cordis eorum. hinc & psal. 72. dicitur, *Transierunt in affectum cordis;* id est, quidquid corde affectarunt & concupierunt, hoc assecuti sunt, omniaque eis ex voto successerunt.

Secundò.

Secundò, dat eis Deus affluentiam rerum temporalium, & prosperos successus, quibus illi excæcati ruunt in omnia scelera suumque exitium. Psal. 72 *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum;* id est, ex corde adipato & pingui, ob abundantiam rerum temporalium, iniquitas eorum processit.

Tertiò.

Tertiò, aufert ab eis Deus tribulationes, quibus

bus castigati peccatores redeunt ad sanam mentem. Psalm. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* aut si eos flagellat, minora eis immittit, quàm vt eorum durities flecti aut frangi possit, quo fit vt ipsi flagellis Dei magis se obdurent.

Quartò. Quartò, Deus vetat Sanctos orare pro talibus. Ierem. 7. *Tu noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* & c. 15. *Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

Quintò. Quartò, amouet Deus ab eis bonos monitores, confessarios, doctores, & angelos sanctos. Ierem. 51 *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus ergo eam, quoniam peruenit vsque ad cælum iudicium eius.* & Paulus Actor. 13. ad Iudæos: *Quoniam repellitis illud* (verbũ & regnum Dei) *ecce conuertimur ad Gẽtes: sic enim præcepit nobis Dominus.*

Sextò. Sextò, aufert ab eis prædicationem verbi sui, qua animus illuminatur, pascitur, flectitur, excitatur ad pœnitentiam. Amos 8. *Emittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.*

Septimò. Septimò, Dei permissu tales incidunt in adulatores, & malos cõsiliarios, qui eos in mala suamque ruinam impellant. Sic Roboam stultorum iuuenum consilium sequens, magnam regni partem perdidit. Sic Absalon neglexit vtile consilium Achitophel, prætulitque consilium Chusai, quod sibi fuit exitio.

Octauò. Octauò, permittit Deus enasci falsos doctores & prophetas, qui suis signis, hypocrisi, blandiloquentia, induratos seducant, vti fecerunt magi apud Pharaonem, itaque faciet Antichristus, 2. Thessal. 2. 12.

Nonò. Nonò, laxat Deus habenas diabolo, ampliorem dans ei facultatem insidiandi & nocendi talibus hominibus, qua ille accepta, eos mirè exagitat & tentat, tum seducendo eorũ mentes vanis & falsis opinionibus, tum obiiciendo varia obiecta voluptatum, variasque illecebras vitiorum, tum etiam turbando phantasmata, & inflammando affectus, tum pseudoprophetas mittendo qui eos seducant. de qua re mira extat visio Michææ Prophetæ 3. Reg 22. 19.

Decimò. Decimò, aufert ab eis bona exempla, bonos præsides & principes, bonos socios, omniaque penè salutis subsidia, & contraria eis obiici permittit, quæ eos incitent ad omne malum, quo fit vt nusquam non offendant & cadant. quod pulchra similitudine vineæ declarat Isaias c. 5. ita Pererius.

Denique obstinatæ voluntatis merces est obstinatũ & perpetuum gehennæ incendium. Audi S. Bernard. epist. 253. *Ob hoc inflexibilis & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate; ita vt si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret; imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset.*

Vers. 4. Immittamque manum] percutiam, affligam, puniam.

Per ivdicia maxima] per maximas plagas. vnde Septuag. vertunt, σὺν ἐκδικήσει μεγάλῃ, *cum vltione magna*, quæ omnibus iustissimum Dei iudicium in Ægyptios ostendat.

Vers. 6. Ita egervnt] Est pleonasmus Hebraicus. Iam enim dixit eos ita fecisse.

Vers. 7. Erat avtem Moses octoginta annorvm] Ergo cùm Moses 40. annis præfuerit populo in deserto, Deuter 8 2. mortuusque sit anno ætatis 120. Deuter. 34. 7. hinc sequitur, cum statim hæc signa & has plagas coram Pharaone inchoasse, easque omnes breui tempore complesse, cùm inchoaret annum ætatis 81. eodemque anno sub initium veris, populum ex Ægypto eduxisse. ita Rupert. & Abulens.

Dixitqve Dominvs ad Mosen et Aaron] Vers. 8. ad Aaron mediatè; nam immediatè soli Mosi loquebatur Deus. vnde subdit, *Dices ad Aaron.*

Ostendite signa] Hebraicè est, *date pro vobis signum*, id est, signo probate ea quæ dicitis, scilicet Deum velle, vt ego Hebræos ex Ægypto dimittam. Vers. 9.

Tolle virgam tvam] Eadem virga nunc Mosis, nunc Aaronis, nunc Dei dicitur; quia horum omnium fuit instrumentum ad patranda miracula & plagas Ægypti.

Fecervnt sicvt præceperat Dominvs] Vers. 10. Ergo priùs Moses & Aaron rogarunt Pharaonem ex parte Dei, vt dimitteret Hebræos ad tres diætas sacrificij causa: sed cùm hoc abnueret Pharao, & peteret signum, mox Aaron protulit virgam, quæ versa est in colubrum: Deus enim non volebat hæc signa vltro obtrudi Pharaoni, sed tantùm ea fieri illo petente, vt patet v. 9.

Tvlit] Hebr. chald. & græcè est *proiecit*.

Vocavit avtem Pharao sapientes et maleficos] Vers. 11. *Sapientes* hic vocantur rerum arcanarum, vel artis admirabilis periti, qui & malefici & incantatores erant. Pro *maleficos* hebraicè est מכשפים *mecassephim*, quod propriè præstigiatores significat, sed extenditur ad quoslibet magos. Septuag. vertunt, *sophistas, & pharmacos*, id est veneficos; Onkelos vertit, *magos*; Aquila κρυφιαστάς, id est, occultorum cognitores & patratores.

Principes horum fuerunt Iannes & Mambres, vt patet 2. Timoth. 3. v. 8. de quorum sepulchro mira narrat Palladius in Vita beati Macarij ab eo visa & comperta; scilicet sepultos eos esse in hortis, in quibus ipsi dum viuerent, omnis generis arbores plantauerant, sperantes fore, vt post mortem in illo quasi paradiso deliciis fruerentur; hic autem locus tenebatur à dæmonibus, qui proinde beatum Macarium eum ingredientem inuaserunt, sed ab eo signo crucis fugati sunt. Macarius autem singula lustrans, inuenit fructum malorum punicorum, quæ nihil intus habebant, erant enim arefacta à sole; plurima item aurea donaria. *Magi Pharaonis fuerunt Iannes & Mambres: eorum sepulchrũ.*

Nota. Plinius, Iustinus, S. Augustinus, & alij passim tradunt, inuentorem magiæ fuisse Zoroastrem, qui eodem die quo natus est risit, vixitque tempore Nini & Abrahæ, ferè 600. annis ante Mosen. hunc Zoroastrem nonnulli volunt esse Cham filium Noë. *Inuentor magiæ Zoroastres,*

Apud Cassianum verò Serenus Abbas collat. 8. cap. 21. originem magiæ priorem diluuio facit: ait enim illam cœpisse eo tempore, quo filij Dei permisti sunt filiabus hominum Genes. 6. nec periisse magiam diluuio, eò quòd Cham illam didicerit ante diluuium, & promulgarit post diluuium. *& Cham.*

Fecervnt similiter] Quæres, quot modis possint magi & dæmones mira sua efficere? *Quot modis mira efficere possint magi & dæmones*

Suppono, nec dæmones, nec magos posse vera miracula efficere. Miraculum enim est id, quod omnem

omnem naturæ vim, omnemque causarum naturalium ac hominum & angelorum facultatem superat: possunt tamen facere nonnulla, quæ hominum aliarumque rerum naturalium vim superant, quæ proinde hominibus mira sunt, non miracula.

Dico Primò, mira pleraque quæ facit dæmon, non sunt res veræ & reales, sed tantùm præstigiæ. Potest enim dæmon phantasiam, vel oculos ita perstringere & ludificare, vt videre se putent quod reuera non existit, idque Primò, phantasiam hominum ita validè commouendo, vt imaginentur se videre id quod non existit, quomodo somniantes putamus nos mira videre, quæ reuera non sunt. Mira huius rei exempla affert Galenus & alij, vt de illo qui per vitiatam imaginationem putabat, se nasum habere ingentem instar vlnæ; & altero, qui nolebat tangi, eò quòd se diceret habere corpus vitreum; & tertio, qui edere nolebat, eò quòd diceret se esse mortuum. Secundò, organum visus turbando, quomodo ophthalmici mira se videre putant quæ reuera non sunt, nec videntur. Tertiò, exterius medium immutando, quomodo in aquis baculus rectus videtur fractus vel reflexus. Hoc modo, per præstigias scilicet, Apollonius Tyanæus mortuum resuscitauit; nam ope dæmonis illusit oculis hominum, vt viuum putarent qui erat mortuus. Hoc modo & Circe maga Vlyssis socios in varias bestias transformauit. Sic & veneficæ illæ Italæ, quarum meminit Augustinus 18. Ciuit. cap. 18. viatores transformabant in iumenta quæ sua onera baiularent. Sic & hodie lycanthropi per præstigias se in lupos transformant, ouesque, quin & homines inuadunt & laniant. Sic etiam dæmon sagis dat aurum, argentum, & cibos subinde, non veros, sed phantasticos; vnde cùm ad se redeunt esuriunt, ac si nihil comedissent.

Resp. Primò, perstringendo oculos vel phantasiā.

Odyss. x.

Dico Secundò, dæmones mira possunt facere per motum localem: sunt enim celerrimi & fortissimi. Sic Primò, Satan igne è cælo demisso oues & pueros Iob consumpsit Iob 1. Sic hisce annis per ventos validissimos domos & turres subuertit. Sic Secundò, sustulit Simonem Magum in aëra vt volaret: sic & hodie volant sagæ nostræ. Sic ait Albertus Magnus aliquando boues pluisse, quos videlicet aliunde dæmones, vel angeli priùs in aëra sustulerant. Tertiò, potest dæmon subitò hominem, vel rem aliam è conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere inuisibilem. Sic Apollonius ex oculis Domitiani euanuit. Sic Gyges per annulum faciebat se præsentibus inuisibilem. Non potest autem dæmon facere, vt vnum corpus sit in duobus locis, aut duo corpora in vno loco, aut vt corpus de extremo in extremum transeat, non pertranseundo spatium medium. Rursum, *Cùm dæmon*, inquit S. Thomas 1. p. q. 114. art. 4. ad 2. *possit formare corpus ex aëre, cuiuscumque formæ & figuræ; vt illud assumens in eo visibiliter appareat: eadem ratione cuicumque rei corporeæ potest circumponere quamque formam corpoream, vt in eius specie videatur.* Quartò, potest facere dæmon vt statuæ moueantur, ambulent & loquantur: quia ipse eas mouet, & iuxta eas sermonem humano similem in aëre efformat. Simili modo effecit, vt Claudia Vestalis Romana in testimonium pudicitiæ, nauem in Tiberi hærentem zona sua extraheret, & duceret quò vellet: Tuccia verò eamdem ob causam, aquam Tiberi haustam in cribro, ad capitolium perferret. Quintò, potest dæmon cadauera aut laruas hominum, leonum & aliorum animalium induere, per eaque quasi viua essent, ludificare & terrere homines, vti conatus est facere S. Antonio. Sextò, miros affectus amoris, odij, iræ, tristitiæ, mira etiam phantasmata in homine excitat, commouendo humores in corpore, præsertim bilem atram & flauam.

Secundò, per motum localem.

Dico Tertiò, potest dæmon mira efficere applicando actiua passiuis, eaque commiscendo per causas naturales; rerum enim naturalium miras virtutes ipse penitissimè cognoscit. Si enim theriacam & pharmaca faciunt medici, quorum miras virtutes experimur: multò maiora facere potest dæmon, qui longè meliùs vires herbarum, gemmarum, animalium, aliarumque rerum cognoscit; quique eas ex India, alioue orbe celerrimè afferre, & cum aliis permiscere potest. nullam verò formam substantialem, vel accidentalem immediatè producere potest dæmon: imò non potest animal perfectum producere sine semine, aut ex semine subitò perfectum & iustæ magnitudinis efformare: denique non potest quiduis in quoduis transformare, nec suspendere actionem causarum naturalium.

Tertiò, applicando actiua passiuis.

Hoc tertio modo mira posse efficere dæmones, patet, tum ex eo, quòd hoc modo res nonnullas mira agere videamus, vti de remora pisciculo narrat Plinius lib. 31. c. 1. quòd ingentes naues si eis adhæreat, etiamsi ventis validissimis agitentur, remoretur & sistat: tum quòd homines hoc modo mira agant, vti de Archimede narrat Plutarchus in Marcello, quòd ipse solus per machinas mathematicas ingentem nauem onerariam ad se adduxerit, & ingentem stragem in classe Romanorum ediderit. Hoc modo & Seuerinus Boëtius in epistola quadam siue à Cassiodoro, siue à Theodorico ad eum scripta, dicitur quasi miracula quædam fecisse, scilicet vt metalla mugirent, æneus anguis sibilaret, aues simulatæ canerent dulcissimè, homines aërij in aëre buccinarentur. Plura vide apud Delrium de Magia.

PROIECERVNTQVE SINGVLI VIRGAS SVAS, QVÆ VERSÆ SVNT IN DRACONES] Aliqui putant magos hos non veros exhibuisse dracones, sed per præstigias suas illusisse oculis spectantium, vel eis obiecisse tantùm laruas & simulachra quædam draconum; quomodo nostri ludiones & agyrtæ præstigiatores, per cortinam mira populo exhibent simulachra rerum quæ non sunt. ita Nyssenus, Prosper 1. p. de Promiss. c. 15. Iustinus in Quæst. orthodox. q. 26. Rupert. & Tertull. libr. de Anima, vbi ait: *Solent dæmones phantasmata præstare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniunt: sed Mosis veritas mendacium eorum deuorauit.*

VERS. 12. An dracones magorum veri?

Negat Nyss.

Verùm verius est, quod censent S. Augustinus, Theodor. Lyran. Abulens. Burgens. Caietan. & alij, veros hos magorum fuisse dracones.

Affirmat S. August. idq; verius est.

Probatur Primò: nam S. Scriptura æquè hos magorum, atque illos Aaronis & Mosis, dracones vocat. Secundò, quia draco Aaronis deuorauit dracones magorum; quæ sanè deuoratio vera fuit. Neque enim in diuinis his Mosis portentis vlla fuit illusio: sic enim vanis spectris lusisset Ægyptios Moses. fuerunt ergo veri dracones, qui à magis producti à dracone Aaronis sunt deuorati. Tertiò, quia in tertio signo ciniphum defe-

cerunt magi, quia non potuerunt eos producere; A ergo priora duo signa verè fecerunt, alioqui etiam in ipsis defecissent. Quartò, si non fuissent veri serpentes, Moses detexisset hanc fallaciam, itaque eos confudisset. Denique dæmon hîc omnem suam vim & industriam exseruit, ergo veros hic exhibuit dracones: verebatur enim ne si fictos exhiberet, Moses fraudem detegeret, magna sua & magorum ignominia & ludibrio.

Quomodo magi produxerint dracones? Resp. Primò, Caiet. per agentia naturalia.

Quæres, Quomodo hos dracones produxerint magi?

Caietanus putat dæmones has virgas magorum per res aliquas naturales nobis ignotas, sed efficacissimas, sensim iam antè disposuisse ad formam draconum; ita vt, cùm magi virgas in terram proiicerent, illæ iam vltimam haberent dispositionem ad formam draconum, quæ proinde tunc statim sit inducta, productique sint veri B dracones.

Refellitur.

Verùm hoc parum est probabile, tum quia dracones cùm sint animalia perfecta, non possunt nisi ex semine parentis (quod hic non fuit) generari: tum quia nulla causa naturalis, potest virgam immediatè in draconem conuertere: longissimè enim distant virga & draco. sed priùs virgæ corrumpi, & in alias aliasque res, ac tandem in dracones conuerti debent. Hîc autem virgæ cùm magi eas proiicerent, erant veræ virgæ, ac statim pro virgis apparuerunt dracones: ergo non potuerunt illi tam citò & immediatè ex conuersione virgarum effici. inter formas enim est ordo quidam naturalis, qui nec à dæmone, nec ab angelo, sed à solo Deo immutari potest. Tertiò, quia dracones hi non erant teneri & parui, sed magni, perfecti & longi instar virgarum; erant enim æ- C quales virgis: alioqui non fuissent visæ, virgæ mutari in dracones.

Resp. Secundò, Caluin. Deum dracones magorum produxisse.

Secundò, Caluinus censet Deum virgas magorum mutasse in serpentes, eos scilicet creando, quos magi pro virgis supponerent: Deum autem id fecisse iusta vindicta, vt scilicet Pharaonem & Ægyptios impios & incredulos mendacio irretiret & obduraret. Sed apage blasphemiæ monstrum.

Refellitur.

Scriptura enim v. 11. disertè ait, hæc non per Deum, sed per incantationes magorum, quibus vtique inuocatus dæmon aderat, effecta esse: & si Deus hîc vtrobique, scilicet tam apud Mosem, quàm apud magos, fuit opifex draconum; ergo secum ipse pugnauit, & tam mendacij magorum, quàm veritatis apud Mosen testis fuit: tam enim hoc, quàm istud per opus supernaturale, perque sigillum sibi proprium, putà per mi- D raculum, obsignauit & confirmauit.

Resp. Tertiò & verò, dæmones aliunde hos dracones duxisse.

Dico ergo, dæmones aliunde hos dracones adduxisse, eosque virgis subitò & imperceptibiliter subductis, earum loco substituisse: ita vt quicumque hæc videret, magiæ & fraudis ignarus, putaret magos æquè ac Aaronem, virgas suas in serpentes conuertisse: & hac ratione Scriptura, quæ more vulgi loquitur, dicit magos fecisse similiter ac fecerat Aaron. simili enim modo dicit c. 3. v. 2. rubum arsisse, quia intuentibus videbatur ardere, cùm reuera non arderet. sic angelos ait comedisse, quia videbantur comedere, cùm reuera non comederent.

Idem dico de secundo & tertio signo, nimirum de aqua in sanguinem versa, & de ranis à magis productis: videlicet tam sanguinem, quàm ranas non fuisse à dæmone producta, sed aliunde adducta. Naturaliter enim verus sanguis nec alibi generari potest, quàm in animali, nec aliter, quàm virtute animæ, & per calorem naturalem qui est in animali. Moses verò supernaturaliter Dei virtute aquam in sanguinem vertit, & ranas subitò ex aquis produxit. Hinc hebr. hi magi vocantur *mecassephim*, id est præstigiatores, non quoad rem productam, vel potiùs adductam, sed quoad modum operandi. Videbantur enim virgam in draconem conuertere, cùm re ipsa non conuerterent, sed draconem aliunde adducerent, & latenter pro virga substituerent.

Sex causæ ob quas Deus permisit magos mira hæc efficere.

Quæres, Cur permisit Deus magos hæc mira efficere?

Respondeo Primò, vt ostenderet quantum ars magica possit, quamque sensibus hominum imponat. Secundò, vt in hisce miris magi superarentur à Mose, nec magus putaretur esse Moses, sed potiùs appareret magorum antagonista, victor & domitor; ac consequenter verus magnusque magni Dei seruus & Propheta. ita S. Chrysost. hom. 46. in Acta Apostolorum. Tertiò, vt ostenderet impios piis, pseudoprophetas Prophetis semper aduersari & obluctari: ita Michaeli restitit Lucifer; Abelo Cain; Isaaco Ismaël; Iacobo Esau, Iosepho fratres; Mosi Dathan & Abiron; S. Petro Simon Magus; Paulo Iudæi; Apostolis philosophi, magi & hæretici. Quartò, vt ostenderet dæmonem esse veluti simiam Dei; sicut enim Deus, sic & dæmon Dei æmulus vult habere suos Prophetas, sua templa, sua sacrificia, sua miracula, suos Religiosos. Quintò, ad probādam fidem & constantiam Mosis & Hebræorum, num per hæc magorum signa in veri Dei cultu, eiusque promissis sibi factis titubarent & dubitarent. Sextò, ad maiorem excæcationem & punitionem Pharaonis.

Diabolus est serpens, cur.

Denique permissus est dæmon efficere serpentem: quia ipse est serpens antiquus, qui Euam decepit, & etiamnum multos decipit. Audi S. Cyprianum tract. de Simplic. clericor. *Diabolus est serpens: quia cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit (vnde nomen serpentis accepit) ea est eius astutia, ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia, vt asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt, dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. nam transfigurat se in angelum lucis.* Hucusque Cyprianus, vel potiùs Origenes. Origenis enim hunc tractatum esse, & à Cypriano, vel ab alio ea ætate ex Græco in Latinum esse conuersum, tum ex phrasi & græcismis, tum plurium Doctorum auctoritate docet Pamelius in præfatione illius libri. Et S. Gregorius lib. 31. Moral. c. 20. *Diabolus,* ait, *dicitur iumentum, draco & auis. Homines enim tentat tribus vitiis, luxuria, malitia & superbia. In eis igitur quos ad luxuriam excitat, iumentum est: ad nocendi malitiam, draco est: ad superbiam, auis est.* Et S. Leo serm. 8. de Natiuit. Diabolus est vafer serpens: quia *nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas*

causas quærit nocendi, vbi quemque viderit studiosius A *occupari.*

SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORVM] *Virga*, id est serpens in quem virga erat conuersa, *deuorauit virgas*, id est serpentes siue dracones, in quos virgæ eorum erant conuersæ. Iam enim non virga erat, sed serpens; nec virgæ, sed serpentes habent os, quo alia deuorare possint. est metonymia: res enim sæpè appellantur ex eo quod fuerunt, siue nomine rei ex qua sunt conuersæ. ita Philo, S. Augustinus, Prosper suprà, Ambros. lib. 3. Offic. c. 14. Caiet. & alij. Simili, sed potiori ratione (quidquid hîc Caluinus obstrepat) caro Christi in Venerabili Sacramento dicitur panis, 1. Corinth. 11. 26. & Iohannis 6. 31. nam Hebræi quemlibet cibum, etiam carnem, vocant panem; præsertim cùm in Eucharistia accidentia panis remaneant & videantur, ita vt homines ex oculis & sensu iudicantes, rectè panem nominent, quia panis species vident & tangunt. Hinc patet, quòd Deus permiserit magos tam mira operari eo fine, vt illustrior foret victoria sua, id est Dei veri contra deos, vel dæmones potiùs, Ægyptiorum, ipse enim vero miraculo falsa eorum oppressit.

Virga, id est serpens, cur.

Nota hîc. Solet Deus detegere, aut dare indicia sufficientia fraudis & imposturæ, cùm magi, hæretici vel infideles faciunt mira, quæ pro miraculis venditant. Hoc enim pertinet ad Dei prouidentiam curamque quam circa homines, præsertim fideles & bonos, gerit, ne illi inuiti & inscij in errorem inducantur. Fuit ergo hîc Pharao inexcusabilis.

Octo modis vera miracula à falsis secernuntur.

Quæres, quibus modis soleat Deus vera miracula à falsis discernere.

Tria signa & discrimina in magis his assignat Theodor.

Primò. Primò, *Mutabant*, inquit, *illi quidem virgas in serpentes, sed virga Mosis virgas illorum deuorauit: mutabant aquam in sanguinem, sed sanguinem in priorem naturam reducere non poterant: produxerunt illi ranas, sed molestiam & incommoda ranarum Aegyptiis auferre non poterant, sicut fecit Moses. Concessit itaque Deus magis talia facere, vt etiam per ipsos castigaret Aegyptios: non tamen concessit eis, vt illatam plagam auferre possent. Non ergo fuit contentus Deus plagis à Mose illatis, sed eas per magos adauxit, q. d. regi: Quia puniri te delectat, tuorum etiam seruorum opera te castigabo, & grauiùs plectam.*

Secundò. Secundò, *cùm videt regem ob id magis indurari, magorum facultatem cohibuit, vt qui maiora animalia, putà ranas, produxerant, paruos ciniphes producere non possent, coëgitq́ eos confiteri suam imbecillitatem, ac dicere, Digitus Dei est hic*, c. 8. v. 19.

Tertiò. Tertiò, *magorum corpora pustulis afflixit*, c. 9. v. 11. *vt tum illi, tum fatuus eorum rex euidenter cognoscerent, quòd non solùm plagas à Deo immissas auferre non possent, sed etiam ipsi cum reliquis plecterentur.* hucusque Theodoret.

Quartò. Quartò, his addit S. Augustinus q. 79. inter 83. vera miracula à falsis discerni iure, id est, auctoritate & potestate qua fiunt. *Magi*, inquit, *mira faciunt per priuata commercia cum dæmone: Sancti verò ea faciunt publica administratione, & iussu eius cui omnis creatura subiecta est. Magi ergo per priuatos contractus; Sancti verò per publicam iustitiam hæc operantur.*

Quintò. Adde Quintò, qui faciunt vera miracula sunt fideles, probi & sancti vt plurimùm; qui verò falsa faciunt sunt improbi, flagitiosi & sæpè malefici.

Sextò, quæ faciunt magi, sæpè sunt tantùm phantastica & simulata, ideoque non sunt diuturna; sed mox retegitur eorum falsitas & vanitas: vel sunt planè inutilia, imò etiam perniciosa. vera autem miracula sunt opera vera & solida, & vtilia hominibus, nec nisi magna quapiam vtilitate aut necessitate facta. *Sextò.*

Septimò, magi in suis vtuntur multis præstigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, variisque signis & figuris, v. g. litteris & verbis, vel nihil vel absurda significantibus, aliisque superstitiosis cæremoniis, miscentque sacra profanis, itaque ea profanant & contaminant: nihil tale faciunt Sancti, sed per preces, signum crucis, aliasque res sacras miracula operantur. *Septimò.*

B

Octauò, magi & dæmones mira faciunt malo fine, putà ob lucrum, vanam ostentationem, gloriam, vel honorem, vt diuinum nomen & cultum sibi concilient; vel vt peruertant veram fidem, falsamque hominibus persuadeant; vel ad patranda maleficia & scelera, vti sunt furta, adulteria, neces hominum & animalium: Sancti verò ea faciunt, vt Deum honorent & glorificent; vtque sanctam Ecclesiam ædificent & illustrent, atque homines tum in corpore, tum magis in animo & spiritu adiuuent. *Magi*, inquit S. Augustinus suprà, *faciunt quæ videntur miracula, quærentes gloriam suam: Sancti verò faciunt miracula quærentes gloriam Dei.* Magi ergo hi vanæ ostentationis causa sua signa promebant; Aaron verò causa iustæ vindictæ & increpationis. Sciebat enim Pharao iniustè se premere Hebræos, iusteque ideo vindicem Dei manum sentire. Ergo magi arcano carmine at ritu, qui satis principem tenebrarum inuocari monstraret, sua signa edebant: Aaron verò Dei iussu & publica manuum elatione, quasi Dei nomine, aquis, aliisque rebus imperans; quem verum esse Deum facilè agnosci poterat, tum quia natura docet primum ens, siue ens entium à quo manat omne ens, quod significat nomen Iehoua à Mose semper signis prælatum, esse ipsummet Deum: tum quia ex præcedentium sæculorum historia facilè scire poterant, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, &c. Deum verum coluisse, ab eoque mirè semper adiutos esse. Eumdem autem inuocabat hîc Moses quasi Deum patrum suorum. *Octauò.*

C

Allegor. Origenes: *Virga Mosis*, inquit, *est crux Christi, hæc postquam in terram proiecta est, id est postquam ad credulitatem & fidem hominum venit, conuersa est in sapientiam, & tantam sapientiam, quæ omnem Aegyptiorum, id est huius mundi, sapientiam deuoraret.* Et S. Ambros. libr. 3. Offic. c. 14. *Proiecit Moses*, inquit, *virgam, & serpens facta deuorauit serpentes Aegyptiorum, significans quòd Verbum caro fieret, quæ serpentis diri venena vacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum. Virga enim est verbum directum, regale, plenum potestatis, insigne imperij. Virga serpens facta est, quoniam qui erat Filius Dei, ex Deo Patre natus, filius hominis factus est, natus ex Virgine, qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Vnde & ipse Dominus ait: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Similia habet Rupertus & Prosper in Catena Lipomani. Ibidem S. Hieron. *Sicut virga Mosis*, inquit, *deuorauit virgas mago-*

D

magorum, ita mendacium Antichristi Christi veritas deuorabit. Isidorus verò, *Virga Mosi*, inquit, *in draconem conuersa, magorum absorbuit virgas: & Christus postposita gloriæ suæ dignitate, factus est obediens vsque ad mortem, & per ipsam mortem carnis consumpsit aculeum mortis, attestante Propheta: Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne.*

Vers. 13. INDVRATVMQVE EST COR PHARAONIS] quia vidit magos suos similia signa fecisse ac fecerat Moses, parum cogitans de deuoratione; quòd scilicet serpens Mosis deuorasset dracones magorum.

Vers. 15. STABIS IN OCCVRSVM] præuenies eius aduentum ad ripam fluminis Nili, vt veniens in te incurrat.

Vers. 17. PERCVTIAM VIRGA] Iam ergo serpentem ex virga factum, rursum in virgam cōuerterat Deus, vt per eam alia deinceps miracula patraret.

QVÆ IN MANV MEA EST] Verba sunt Dei, & tamen Moses virgam manu sua tenebat, non Deus; videlicet, quia Deus Mosen fecerat Deum Pharaonis, suamque ei potestatem dederat, vt iuberet Aaroni percutere Nilum, itaque eum in sanguinem conuertere. Hi ergo tres, scilicet Deus, Moses & Aaron, quasi vnus censentur, sicuti causa principalis & instrumentaria, vocantur vna causa efficiens. Deus enim hic fuit causa prima, Moses fuit mandans, Aaron exequens.

Vers. 18. PISCES MORIENTVR] Pisces enim extra aquam viuere nequeunt, maximè in sanguine, qui crassus & calidus repugnat complexioni piscium.

COMPVTRESCENT AQVÆ] morticinis piscium inficientur & corrumpentur. Aquas vocat, quæ fuerant aquæ, iam autem erant sanguis. Septuag. vertunt, ἐποζέσει ὁ ποταμὸς, feruebit vel efferuescet fluuius: quia pro בָּאַשׁ *baas*, id est putrescet, aliis punctis legerunt בְּאֵשׁ *bees*, id est in igne scilicet erit; hoc est feruebit fluuius, ita vt videatur in igne vel igni impositus esse.

AFFLIGENTVR ÆGYPTII] Hebraicè נִלְאוּ, *nilu*, id est laborabunt, vt bibant. q.d. Abhorrebunt à potu sanguinis, sitique cruciabuntur.

Vers. 19. ET OMNES LACVS AQVARVM] Hebr. *omnem congregationem aquarum.* sic & Septuag. Vnde patet omnem omnino aquam, etiam puteorum, fontium & cisternarum in sanguinē esse versam, idque sequentia indicant: nam alioqui non fodissent terram ad aquam eliciendam; quod tamen fecisse dicuntur v. 24.

ET SIT CRVOR IN OMNI TERRA ÆGYPTI] Ergo & in terra Gessen aquæ in sanguinem sunt versæ, inquit Abulensis, sed Ægyptiis tantùm. Nam Hebræis aquæ erant dulces & potabiles, inquit Iosephus. Ægyptij enim in terra Gessen hac plaga erant dignissimi, vtpote qui Hebræos maximè oppresserant.

Aquæ Ægyptiorū versæ sunt in sanguinē, quia ipsi iis merserant infantes Hebræorum.

Quæres, cur hac prima Ægypti plaga omnes eius aquæ sint versæ in sanguinem? Respondeo, Quia ipsi aquas suas sanguine infantium Hebræorum infecerant, submergendo eos, c. 1. v. 22. iustè ergo puniuntur in aquis, in quibus peccarant. Secundò, quia in Ægypto vix pluit; vnde ibi vix alias habent aquas quàm Nili, qui exundando fœcundat totam Ægyptum. De Nilo ergo plurimùm gloriabantur Ægyptij, seque beatos iactabant. Hinc & Nilo multas superstitiones, & penè diuinos honores adhibebant, vti testatur Solinus c. 35. & Plinius libr. 8. c. 46. Vtramque hanc causam affert Theodoret. *Fluuius*, inquit, *ille mutatus in sanguinem, velut conquerebatur de cæde puerorum per Aegyptios commissa.* & vt dicitur Apocal. 16. 6. *Iustus es Domine: quia sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.*

Quæres Secundò, Quanta & quàm acerba fuerit hæc plaga. Respondeo Primò, omnis omnino aqua Ægyptiorum versa est in sanguinem, totusque Nilus, quàm longus est ab Æthiopia vsque ad mare. Vbi Nota, non vnum hîc fuisse miraculum, sed multa, vel potiùs vnum continuatum, per continuam aquarum Nili affluentium in sanguinem conuersionem, idque per septem dies. Nam Nilus in Æthiopia puras ferebat aquas, vbi verò attingebat fines Ægypti, mox vertebatur in sanguinem, idque assiduè & continuò per septem dies. Secundò, aquis sublatis homines & iumenta siti cruciabantur. Tertiò, pisces emortui sunt. Hinc Quartò, computrescente fluuio & piscibus, pestilentia exorta est, ex qua, & ex siti adeò multi enecti iacebant in triuiis, vt domestici non sufficerent ad eos sepeliendos, ait Philo. Quintò, aquæ non tantùm colorem, sed & naturam habebant sanguinis, erantque verus sanguis. Vnde si quis siti coactus inde gustasset, confestim acri dolore corripiebatur, ait Iosephus.

In conuersione aquarum in sanguinē multa fuerunt miracula.

FECERVNTQVE SIMILITER MALEFICI] Quæres, vnde malefici habuerint aquam quam verterunt in sanguinem? nam omnis aqua iam à Mose conuersa erat in sanguinem. Vers. 22.

Vnde magi habuerunt aquas quas verterunt in sanguinem?

Respondet S. Iustinus q. 26. ad Orthodoxos, Ægyptios fodisse puteos circa flumen, & ex eis hausisse aquam. *Resp. Primò.* Secundò, Theodor. respondet, hanc aquam à mari vicino fuisse allatam: non enim aquæ marinæ, vt voluit Genebrard. in psal. 114. sed tantùm dulces & potabiles, teste Scriptura, conuersæ fuerunt in sanguinem, vt scilicet siti cruciarentur Ægyptij. *Secundò.* Tertiò, alij respondent, per Dei prouidentiam aliquid aquæ pro magis fuisse asseruatum, vt aquæ omnes, id est penè omnes, fuerint conuersæ in sanguinem: exiguum enim tantæ moli nil demere videtur. *Tertiò.* Quartò, Hebræi putant, solas aquas Nili versas fuisse in sanguinem: ergo ex fontibus eos habuisse aquas. sed hi errant, vt dixi. *Quartò.* Quintò, Caietan. censet eos habuisse aquas eas, quæ seruatæ erant in vasis testaceis & metallicis. Nam Scriptura solùm dicit, aquas eas quæ erant in vasis ligneis & lapideis, versas esse in sanguinem. *Quintò.* Sextò, Tostatus & Lyran. putant, hanc aquam celerrimè à dæmone aliunde fuisse asportatam in Ægyptum. *Sextò.* Septimò, S. Augustinus aquam hanc putat fuisse allatam ex terra Gessen. *Septimò.* Octauò, facillimè dici potest, à Mose aquam fuisse Magis oblatam; Mosi enim & Hebræis erat non sanguis, sed aqua solita, dulcis & potabilis, vti dixi. *Octauò.*

Nota, sanguinem hunc magorum non fuisse præstigiosum, vt vult Iustinus; nec rursum, verè ex aquis conuersum, vt vult S. Augustinus; sed aliunde à dæmone adductum, & latenter pro aquis suppositum, vti dixi v. 12.

Moraliter vide hîc quomodo diabolus cum Deo, magi cum Prophetis, hæretici cum orthodoxis decertent, imitando eorum dicta & facta. Sed frustra: illa enim in ipsosmet retorquentur. Nostra ætate, vti testatur Martyrolog. Anglic. Richardus Vitus disputabat cum impio Anglo Caluinista,

uinista, potentiore ad bibendum quàm disserendum, de clauibus Ecclesiæ: cumque sibi eas datas peruicaciter hæreticus assereret, lepidè & ingeniosè respondit Vitus: *Credo tibi perinde ac Petro eas esse datas; verùm hoc discrimine, quòd huic regni calestis, tibi verò cereuisiaria cella. hoc enim rubicundum tui nasi promontorium indicat.* Ita aquas in sanguinem vertunt hæretici. Hoc est eorum miraculum.

A

VERS. 23. NEC APPOSVIT COR ETIAM HAC VICE] non adiecit animum vt crederet & obediret Mosi & Deo, iubenti dimittere populum. Mira fuit hæc Pharaonis durities, cui tamen ita mens manusq; à Deo ligantur, vt nil grauius in Mosen & Aaronem machinetur.

VERS. 24. FODERVNT AVTEM OMNES ÆGYPTII PER CIRCVITVM FLVMINIS AQVAM, VT BIBERENT] vt scilicet sanguis fluminis terra percolatus, in fossas illas defluens fieret liquidior & potabilior, sicuti nautæ per vas cæreum percolant & dulcorant aquam marinam, vt eam bibant. Foderunt ergo, vt inuenirent aquam quam biberent: verùm non aquam, sed sanguinem, percolatum tamen, & quasi aqueum inuenerunt: ex quo permulti siti suæ succurrerunt, mortemque euaserunt. alioqui enim septem dierum siti fuissent enecti. Pauci enim vini, & pauci lactis, quo sitim depellerent, copiam habebant. Addit Philo, è venis nouis fossione apertis quasi sanguinem è vulnere emicasse, ac proinde partim siti, partim potu hoc plurimos enectos esse. Vbi Nota alterum & aduersum miraculum: Hebræi enim ex eodem fluuio vel puteo haurientes, aquam hauriebant puram, cùm ex eodem Ægyptij haurirent sanguinem, vti superiùs ex Iosepho dixi.

B

Hebræi hauriebant aquam ex eodem puteo, ex quo Ægyptij sanguinem.

C

VERS. 25. IMPLETIQVE SVNT SEPTEM DIES] Non quasi plaga hæc sanguinis durarit septem dies, sed quòd post primam hanc plagam, quæ vno die durauit, vsque ad secundam ranarum fluxerint septem dies, inquit Eusebius in Catena. Verùm Philo & alij passim censent, hanc plagam durasse septem dies: pro vno enim die non fodissent Ægyptij nouas fossas & puteos. Est ergo hebraismus, *Impleti sunt septem dies*, id est septem dies perdurauit sanguis in fluuio: post septimum verò diem in naturam aquæ reuersus est sanguis, idque non rogatu Pharaonis & deprecatione Mosis, vt vult Philo; nihil enim tale habet Scriptura: sed voluntate Dei volentis Ægyptios nouis aliisque plagis punire. Inflictio ergo secundæ plagæ ranarum, fuit finis primæ plagæ sanguinis.

Tropol. decem plagæ Ægypti decalogo adaptantur.

D

Tropologicè, S. Augustinus fecit tractatum de conuenientia decem plagarum Ægypti cum decem præceptis decalogi, qui extat tomo eius 9. Prima ergo hæc plaga, ait ipse, aqua vertitur in sanguinem, id est Deus in idolum commutatur: homines enim carnales & insipientes indignè sentientes de maiestate Dei, eius gloriam attribuerunt animalibus & lapidibus, vti fecerunt Ægyptij: circumfodiunt puteos Philosophi, qui suo ingenio & studio parum aquæ, id est doctrinæ de Deo, adepti sunt; sed sanguineæ, id est admixtis erroribus conspurcatæ. Hinc Orosius lib. 7. Histor. cap. 27. docet has decem plagas allegoricè adumbrasse decem Ecclesiæ nascentis persecutiones, id est decem plagas decem Imperatoribus Ecclesiam persequentibus immissas.

item decem persecutionibus primitiua Ecclesia.

Quæres, quot & quænam fuerunt plagæ, Ægypto à Mose & Deo inflictæ?

Respondeo, fuisse decem. Prima, fuit hæc sanguinis. Secunda, fuit ranarum c. 8. v. 3. Tertia, ciniphum c. 8. v. 17. Quarta, muscarum cap. 8. v. 24. Quinta, pestis & interitus animalium cap. 9. v. 3. Sexta, vesicæ turgentes & vlcera, tam in hominibus, quàm in animalibus c. 9. v. 10. Septima, tonitrua, grando & fulmina c. 9. v. 23. Octaua, locustæ omnia depascentes c. 10. v. 13. Nona, triduanæ tenebræ c. 10. 22. Decima, cædes primogenitorum c. 11. v. 5. in qua Pharao permisit Hebræos egredi, sed facti pœnitens eos insequens, in mari rubro cum omnibus suis mersus est: quæ non tam plaga, quàm Pharaonis & Ægypti fuit excidium.

Recensentur decem plagæ Ægypti.

Sed cur fuerunt decem? Respondet Philo, quia denarius symbolum est perfectionis: sicuti ergo plena & perfecta erat mensura peccatorum, sic fuit & pœnarum Ægypti. Decem enim sunt peccata primaria; quæ totidem, putà decem, decalogi præceptis aduersantur. Vnde totidem plagis puniuit Deus impios Ægyptios, quot daturus erat populo suo mandata, quorum auctoritatem hac punitione præuia sancire voluit.

Cur fuerint decem.

Vbi Nota Primò. Ægyptij per omnes ferè creaturas puniti sunt, scilicet per terrã, aquam, aërem & ignem: per mixta, grandinem & sanguinem: per animalia, ranas, muscas, ciniphes, locustas: per solem & astra, cùm se subducendo tenebras induxerunt: per homines, Mosen & Aaron, per angelos & Deum.

Ægyptij per omnes creaturas puniti sunt.

Secundò, in omnibus penè bonis puniti sunt, scilicet in fructibus agri, in animalibus, in filiis suis primogenitis, in auro & argento, in corporibus per vlcera.

Secundò, in omnibus bonis.

Tertiò, in omnibus sensibus puniti sunt. in visu, per tenebras & spectra; in auditu, per tonitrua; in gustu, per sitim & potum sanguinis; in odoratu, per fœtorem ranarum; in tactu, per dolorem vlcerum & morsum ciniphum; denique in phantasia & mente, per continuum mœrorem ac multiplices terrores. Hæ plagæ Ægypti fuerunt præludium & typus pœnarum gehennæ. Omnes enim hæ decem plagæ vel in se, vel in sui similibus excruciabunt Pharaonem, aliosque damnatos in inferno, cui facile est singulas adaptare. Et si ita Deus puniuit Ægyptios in hac vita, quomodo puniet damnatos in gehenna? Hinc rursum *easdem plagas*, inquit Irenæus lib. 4. c. 50. *in fine mundi vniuersaliter accipient gentes, quas tunc particulatim accepit Aegyptus*, easque præuidit & prædixit S. Iohannes Apocal. c. 8. & 9.

Tertiò, in omnibus sensibus.

Hæ plagæ fuerunt præludium gehennæ.

Symbolicè, Deus punit peccatores decem plagis. Primò, sanguine, id est discordia: aquæ enim potabiles Ægyptiis in sanguinem conuersæ significant discordiam in intima reipub viscera ac venas serpentem. Secundò, ranis, id est rixis & tumultibus, qui ex discordia manant. Tertiò, culicibus, id est curis & sollicitudinibus, quæ peccatores mundo & carni deditos pungunt & discruciant. Quartò, muscis caninis, id est iris & odiis, quibus æstuant, & inuicem mordent ac laniant. Quintò, peste animalium, vt scilicet in rebus terrenis oblectamenta, quæ quæsierant, non inueniant, sed potiùs in iis fastidia, damna, dolores & tormenta sentiant. Sextò, vlceribus vesicarum, id est stimulis conscientiæ, quæ quasi vlcera dolorem simul & pudorem ac horrorem afferunt.

Septimò,

Septimò, grandine, id est obstinatione in suis sceleribus. Octauò, locustis, id est tyrannide & inquietudine concupiscentiæ. Nonò, tenebris, id est cæcitate mentis. Decimò, morte primogenitorũ, id est damnatione animæ. Sicut enim primogenitus in paterna domo est princeps, sic animus est in vtroque homine. ita Alcazar in Apocal. 11. not. 8. sed de singulis agam sigillatim inferiùs suis locis.

Quæst. II. vbi & quando hæ plagæ sint factæ? Resp. in Tani, anno 81. Mosis.

Quæres Secundò, Vbi & quando hæ plagæ sint factæ? Respondeo Primò, factæ sunt in campo Taneos, psalm. 77. 12. Tanis enim erat ciuitas regia, & caput Ægypti, in qua Pharao habitabat. Plaga ergo quælibet primò feriebat Tanim, in qua erat scelerum colluuies, deinde per vniuersam Ægyptum diffundebatur, vt tradunt Hebræi. Secundò, contigerunt hæ plagæ anno 81. Mosis, id est anno mundi 2454. post diluuium verò 797. ante bellum Troianum, quod incidit in tempora Samsonis & Heli, annis 350. ante Romam conditam annis 745. Addit Paulus Orosius libr. 1. Historiarũ c. 9. & 10. plagas has contigisse sub idem tempus quo contigit diluuium, non Ogygis, vt vult Africanus, sed Deucalionis; & incendium quod vocant Phaethontis.

Quæst. III. quanto tempore durarint? Resp. per vnũ mensem.

Quæres Tertiò, Quanto tempore hæ plagæ durarint? Respondet Torniellus & Pererius, omnes vno mense peractas esse, scilicet 27. diebus: nam post primam plagam vsque ad secundam transierunt dies septem; die 9. ablata est secunda plaga ranarum; die 11. immissa est tertia plaga cinipnum; die 10. Moses minatus est muscas, & die 12. immisit eas, & die 13. remouit eas: die 15. minatus est & inflixit quintam plagam; die 16. inflicta est sexta plaga; die 17. minatus est plagam septimam, quæ inflicta est die 18. & sublata 19. die 20. minatus est octauam plagam, & die 21. inflixit eam, & die 22. remouit; sequentibus tribus diebus, putà 23. 24. 25. durauit plaga tenebrarum; die 26. Pharao à se expulit Mosen, & media nocte sequente inflicta est decima plaga cædis primogenitorum, sub initium diei 27. Vnus ergo ferè mensis lunaris fluxit à prima plaga vsque ad vltimam. Iam cùm vltima plaga contigerit 15. die primi mensis Nisan, qui respondet nostro Martio, hinc sequitur, primam plagam factam esse circa medium vltimi mensis qui Hebræis dicitur Adar, & respondet nostro Februario. Errant ergo Hebræi, quos sequitur Genebrardus in psal. 104. dicentes has plagas spatio 12. mensium, per interualla esse factas.

Quæst. IV. quis fuerit auctor harum plagarum? Resp. Deus per angelos non malos, sed bonos.

Quæres Quartò, Quis fuerit auctor harum plagarum? Respondeo, Fuit Deus, vtens tamen subinde ministerio angelorum, de quibus dicitur psal. 77. *Misit in eos iram, & immissiones per angelos malos.* Vbi licet Genebrardus putet, has plagas inflictas esse per dæmones; tamen verius est id factum esse per angelos bonos: tum quia Moses & Deus certabat hic cum magis & dæmonibus: ergo eorum opera non vtebatur; tum quia sic Sodomitas puniuit per angelos bonos: dicuntur tamen hi angeli mali, id est noxij & inferentes mala, siue supplicia. Vnde hebr. est. *per angelos malorũ*, scilicet opifices. Ministerium ergo suum Deo hîc exhibuerunt angeli, peregeruntque plagam quintam pestis, & sextam vlcerum, & septimam tonitruorum, & nonam tenebrarum, & decimam cædis primogenitorum, fortè & tertiam ciniphum, & quartam muscarum: reliquas, vtpote subitaneas & miraculosas conuersiones & productiones rerum solidarum & perfectarum, vt sanguinis & ranarum, fortè & locustarum, per se operatus est Deus.

Finis harũ plagarum.

Porrò finis harum plagarum fuit, vt Deus per eas ostenderet, tum suam curam & prouidentiam erga Hebræos, tum terribilem potentiam & vindictam aduersus Pharaonem & Ægyptios, eosque cogeret Hebræos dimittere; vtque omnes gentes sui metu & reuerentia percelleret. Id ita contigisse fatentur Chananæi Iosue 2. 9.

Ab hisce plagis immunes fuerunt Hebræi & aduenæ:

Hinc patet, Hebræos in Ægypto ab his plagis fuisse immunes, vt patet c. 8. 22. & c. 9. v. 4. & 26. & c. 10. 23. immunes quoque fuisse aduenas & peregrinos, probabile est. Solis enim Ægyptiis hæ plagæ infligebantur. Vnde verisimiliter censet Pererius aduenas, cùm tam atroces pœnas Ægypto infligi cernerent, dubitantes de totius regionis exitio, quamprimùm ex Ægypto abiisse. Addit Pererius, immunes quoque fuisse Ægyptios eos, qui nihil in Iudæos peccauerant: sed hoc valdè incertum est. solet enim Deus ob publica regum & regni peccata omnes punire, communiq; clade etiam innoxios cum noxiis inuoluere. Denique S. August. q. 44. putat ab hisce plagis, excepta vltima, immunes fuisse Ægyptios habitantes cum Hebræis in terra Gessen: hæc enim terra à plagis immunis fuit, ob Hebræos in ea habitantes. Verùm probabiliùs censet Tostatus & alij, Ægyptios æquè in Gessen, ac alibi, fuisse plagis hisce percussos: quia Ægyptij omnes innato quasi odio persequebantur Hebræos, maximè autem illi qui in Gessen eos opprimebant: tum quia ea re putabant illi maximam se inire gratiam apud Pharaonem, tum quia perniciem Hebræorum ingenti bono futuram sibi sperabant.

non verò Ægyptij habitantes in Gessen.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribitur secunda plaga Aegypti, quæ fuit ranarum; & v. 16. tertia, quæ fuit sciniphum; & v. 21. quarta, quæ fuit omnis generis muscarum, quodq́; post singulas induratus sit Pharao.

1\. DIxit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi: 2. sin autem nolueris dimittere, ego percutiam omnes terminos tuos ranis. 3. Et ebulliet fluuius ranas: quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum: 4. & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ. 5. Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluuios, ac super riuos & paludes, & educ ranas super terram Ægypti. 6. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq; terram Ægypti. 7. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas simili-

similiter, eduxeruntq; ranas super terram Ægypti. 8. Vocauit autem Pharao Moysen & Aaron,& dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me & à populo meo:& dimittam populum vt sacrificet Domino. 9. Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te,& à domo tua,& à seruis tuis,& à populo tuo: & tantùm in flumine remaneant. 10. Qui respondit,Cras. At ille: Iuxta,inquit, verbum tuum faciam: vt scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster. 11. Et recedent ranæ à te, & à domo tua,& à seruis tuis,& à populo tuo: & tantùm in flumine remanebunt. 12. Egressique sunt Moyses & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. 13. Fecitque Dominus iuxta verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. 14. Congregauerúntque eas in immensos aggeres,& computruit terra. 15. Videns autem Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. 16. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ: & sint sciniphes in vniuersa terra Ægypti. 17. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus,& in iumentis: omnis puluis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti. 18. Feceruntq; similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes, & non potuerunt: erantque sciniphes tam in hominibus quàm in iumentis. 19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic. induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. 20. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas:& dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. 21. Quòd si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in seruos tuos,& in populum tuum,& in domos tuas, omne genus muscarum: & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in qua fuerint. 22. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ:& scias quoniam ego Dominus in medio terræ. 23. Ponamque diuisionem inter populum meum & populum tuum: cras erit signum istud. 24. Fecitque Dominus ita. Et venit musca grauissima in domos Pharaonis & seruorum eius,& in omnem terram Ægypti; corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. 25. Vocauitque Pharao Moysen & Aaron,& ait eis: Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac. 26. Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. quòd si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij, coram eis,lapidibus nos obruent. 27. Viam trium dierum pergemus in solitudinem: & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. 28. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: verumtamen longiùs ne abeatis rogate pro me. 29. Et ait Moyses: Egressus à te,orabo Dominum:& recedet musca à Pharaone,& à seruis suis, & à populo eius cras: verumtamen noli vltrà fallere,vt non dimittas populum sacrificare Domino. 30. Egressusque Moyses à Pharaone orauit Dominum. 31. Qui fecit iuxta verbum illius: & abstulit muscas à Pharaone,& à seruis suis,& à populo eius: non superfuit ne vna quidem. 32. Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

VERS.2. PERCVTIAM OMNES TERMINOS TVOS RANIS] A *Terminos*, id est,regiones tuas vsq; ad vltimos limites & terminos earū.est metonymia. post primam plagam sanguinis quæ durauit 7.dies, mox sequēti,scilicet 8.die,secuta est secunda hæc plaga ranarum plurimarū & molestissimarum, quas Deus clementi sua iustitia ita in supplicium sontium armauit, vt ijsdem etiam illos pœnitentiæ admoneret.Iustè puniuntur ranis aquatilibus, earumque coaxatione, qui infantes Hebræorum aquis merserant, eorumque vagitum contempserant.Infantes enim ranis tam incessu,quàm vagitu assimilantur; manibus enim & pedibus repunt quasi ranæ.ita Theodor.

Infantes repunt & vagiunt vt ranæ.

VERS.3. ET EBVLLIET FLVVIVS RANAS]Hebræum ישרץ *scarats*, significat prolificare,fœtumque multiplicare instar piscium & ranarum, quod Noster aptè vertit, *ebulliet*. q.d.Ranæ plurimæ instar bullarum è Nilo nascentur & prodibunt.

QVÆ ASCENDENT ET INGREDIENTVR DOMVM TVAM] En immutatur hîc Deo vindice aquatilium,putà ranarum,locus,vt instinctu naturæ suæ contrario,diuinitus sibi insito,in diuersi elementi,putà aëris & terræ,coloniam ferantur,ita vt nullus in terra Ægypti locus ranis esset occlusus aut imperuius, angelis ranas quaquauersum propellentibus,aut etiā transferentibus.Grauior hæc ranarum fuit pœna priori sanguinis. Prior enim solas aquas ademerat Ægyptijs, vini lactisque vsu intacto:ranæ verò vndique diffusæ, non tantùm sua vocali & incondita musica aures eis obtundebant, sed etiam cibos omnes, vasa,ollas,lances,sedes, mensas, domos, apothecas, penuaria,cubicula,lectos, vias, cunctaque occupabant & fœdabant; multæque ex eis emorientes sua sanie & putore, tam aquas quàm vias & do-

Ranæ omnia loca occupabãt.

mosinficiebant, ait Iosephus. Audi Scriptur. *Ingredientur*, inquit, *domum tuam, & cubiculum lectuli tui, super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos, intrabunt ranæ.* Audi & Philonem: *Ranæ*, inquit, *fora complebant, & cuncta ædificia tam sacra quàm profana, tam priuata quàm publica; itaq; cùm nec foras progredi possent homines vijs popletis, nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationem redacti sunt.* Porro immensam fuisse earum multitudinem significat Scriptura, cùm orante Mose ranis emortuis, subdit v. 14. *Congregaueruntq; eas in immensos aggeres, & computruit terra.* Hæ ergo ranæ omnes sensus cruciabant, primò, visum sua magnitudine & deformitate: secundò, auditum sua assidua & molesta coaxatione: tertiò, gustatū, quia esculentis & poculentis omnibus insidentes ea conspurcabant, & cum cibis in ora comedentiū prosiliebant: quartò, odoratum teterrimo fœtore, quem exhalabant, præsertim mortuæ: quintò, tactum; conscendebant enim mensas, sedes, lectos, ibique sedentium vel cubantium corpora, pedes, manus, facies inuadebant & occupabant. Addit Pererius plures ex ranis fuisse noxias & venenatas. Addūt, vel potiùs fabulantur Hebræi, ranas has intrasse corpora & viscera Ægyptiorum, per os apertum dormientiū, & per alios meatus. Sic ranæ sæpiùs regiones integras vastarunt, populosque inde expulerunt, vti Abderitas à ranis sua patria pulsos esse docet Orosius l. 3. c. vlt.

Ranæ omnes sensus cruciabant.

Et in reliqvias ciborvm tvorvm] Rectè vertit Noster Hebræum בְמִשְׁאֲרוֹתֶיךָ *bemisarotecha*, quod tamen Secundò, significat farinam cōspersam. vnde Septuag. vertunt, ἐν τοῖς φυράμασί σου, id est in massis, vel pastis tuis, Chaldęus vertit, *in panarijs tuis*, id est in pistrino, & locis quibus panis conficitur.

Vers. 5. Extende manvm tvam] cum virga quam tenes; virgam enim exprimunt Hebræa: illa enim fuit effectrix, & causa moralis horum omnium. hoc enim signo extensionis virgæ, ceu imperio, ex aquis & earum potentia obedientiali, euocatæ à Mose & Deo sunt ranæ.

Allegoricè, virga est crux, siue lignum crucis. Crux enim omnibus mirandis redemptionis nostræ operibus interuenit.

Vers. 6. Et extendit Aaron manvm svper aqvas] *Super*, id est, versus, vel contra aquas: non enim tetigit eas, vtpote longè ab eis remotus, & existens in aula Pharaonis. Extēdit ergo eminus virgam, hac extensione significans se Ægyptios ferire, suoque mandato plagam ranarum infligi.

Tropologicè, ranæ sunt garruli & clamosi. hi enim quietis amatoribus sunt molesti, vt ranæ, turbantq; pacem domus aut collegij. Vnde Pythagoras dixit, *hirundinem in domum non esse suscipiendam*, id est, garrulos & verbosos homines in familiam non esse admittendos, vti explicat S. Hieron. in Apol. contra Ruffinum. Maximè verò ranæ sunt loquaces philosophi & hæretici, qui, ait S. Augustin. libr. de Conuenient. decem præcept. cum 10. plagis, *superbiam & inanes contentiones quasi strepitum vocum habere possunt, sed doctrinam veræ sapientiæ non possunt insinuare: qui enim Christianæ veritati contradicunt, & in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium quidem afferentes auribus, nullos autem præbentes cibos mentibus:* atque, vt ait Tertull. lib. contra Hermog c. 1. tales *loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam deputant, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ iudicant.* Rursum, sicut ranæ face nocte accensa obmutescunt, ita & sophistæ ac hæretici visa veritatis luce. vnde poeta:

Ranæ sunt loquaces philosophi & hæretici.

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce sophista tacet.

Idem August. serm. 87. de Tempore, Origenes, Raban. & Rupert. per ranas intelligunt inflata, modulata, fabulosa & impura carmina poëtarum, quæ multis fuerunt exitio. Secundò, Gregor. Nyssenus, Ranæ, ait, typus sunt voluptuosæ & luxuriosæ vitæ: nam Primò, rana animal est ancipitis vitæ, in aquis & in terra viuens, in cœno & luto commorans: sic homo voluptuosus ambiguus est inter hominem & bestiam: figuram enim hominis gerit, sed vitam bestiæ agit. Secundò, rana deformis est aspectu, & tetri fœtoris, quæ aquis non mundatur, sed magis inquinatur; sic fœdi & fœtentes sunt ventri & Veneri addicti: nam gula & libido omnia eorum cogitata, dicta & facta, mentem corpusque commaculant. Tertiò, ranæ sunt loquaces: sic libidinosi turpia exhalāt. Quartò, ranæ hæ omnia penetrabant & conspurcabant: sic gula & libido omnia penetrat & fœdat; in mensis gulosorum abundat, in lectulis & penetralibus assidet, muros & aulas eorum obscenis imaginibus, vasa fœdis sculpturis, corpus putredine, mentem corruptione obducit & inquinat. ita Nyssenus.

Ranæ sunt impuri poëtæ.

Ranæ sunt voluptuosi & luxuriosi ob quatuor analogias.

Fecervnt avtem et malefici per incantationes svas similiter] Nimirum non tot quot Aaron, quæ scilicet operirent omnes vrbes & villas; sed paucas aliquas ranas ex aquis eduxerunt, quas priùs aliunde occultè eò transtulerunt dæmones, vel etiam quas naturaliter produxerant ex aquis, applicando actiua passiuis: ita enim naturaliter ex aquis ranas gigni videmus. Vers. 7.

Orate Dominvm, vt avferat ranas] Hinc patet, grauiorem hanc fuisse plagam ranarum priore sanguinis. Hæc enim compulit Pharaonem orare Mosen pro liberatione, quod prior non fecerat. Vers. 8.

Constitve mihi, qvando deprecer pro te] Hebraicè est, *Gloriare super me quando orem pro te* q. d. Hunc tibi honorem defero, vt tempus cōstituas & definias, quo orem, vt ranis libereris tu cum tuis Ægyptijs. Nota τὸ *quando*. q. d. Ne me certum & naturale tempus cessationis ranarum ex horoscopo, id est, ex inspectione horę, vel ascēdentis noui sideris, venari & rimari quasi astrologum, vel magnum autumes, ipse tu tempus definito. Sciebat Moses se datū esse Deum Pharaonis, liberatoremq; Israelis: itaque de signis ad liberationē hanc necessarijs ex Dei fiducia & promissione certus audacter promittit Pharaoni, se quolibet tempore ranas ablaturū; maximè quia nitebatur tanta sua cum Deo familiaritate, & occultis à Deo agebatur stimulis ad hoc audendum, quasi Deus assisteret, certoque succurreret, vt quolibet tempore posset plagam hanc ranarum auferre. nulla ergo hîc fuit Dei tentatio; fuit tamen hoc opus magni animi & virtutis. Vnde Chald. vertit, *pete tibi potentiam*, id est rem magnam, ad quam conficiendam opus est magna vi & potentia. Vers. 9.

Qvi

VERS. 10. QVI RESPONDIT, CRAS] non statim hoc die & momento, tum vt tibi spatium dem orandi pro amouendis ranis, tum vt experiar, an naturaliter per se deficiant ranæ, quasi casu huc illatæ, au potiùs tamquam diuina virtute inductæ, non sine eadem tuis precibus implorata amoueri possint.

VERS. 12. CLAMAVIT] non voce, sed desiderio, & magna animi in Deum eleuatione & contentione: sic c. 14. v. 15. Deus dicit ad Mosen tacentem: *Quid clamas ad me?*

VERS. 14. CONGREGAVERVNTQVE EAS (ranas) IN IMMENSOS AGGERES] Non statim orante Mose euanuerunt ranæ, ne præstigiæ fuisse putarentur, neúe flagelli huius obliuisceretur Pharao. Vnde Philo & Iosephus tradunt, ex ranis mortuis fœtorem intolerabilem exhalasse.

VERS. 17. PERCVSSITQVE PVLVEREM TERRÆ, ET FACTI SVNT CINIPHES IN HOMINIBVS ET IN IVMENTIS] Tertia est hæc plaga ciniphum, per quam in terra & puluere puniti sunt Ægyptij, qui Hebræos in luto & lateribus oppresserant.

Nota. Hæc plaga fuit in omni terra Ægypti, non simpliciter, sed vbicumq; erant Ægyptij, vel eorum iumenta: ad hæc enim tantùm crucianda missi sunt ciniphes. vnde quando dicitur, *Omnis puluis terræ versus est in ciniphes* intellige, per hyperbolen, *omnis*, id est plurimus, quasi omnis, qui erat apud homines & iumenta. idque ita esse patet ex v. 21.

Nota Secundò. Hæc animalia noua dicuntur ciniphes, & græcè à Septuag. & Philone σκνῖπες (quod in singulari dicitur σκνὶψ vel κνὶψ) à voce Hebræa כִּנִּים *kinnim* nonnihil immutata, vel potiùs à Græco κνίζειν, id est pungere, pruritum excitare; hoc enim faciunt ciniphes, qui & sciniphes vocantur.

Quæres, Quales fuerint hi ciniphes? Iosephus, Hebræi, Caietan. & Oleaster Hebræum *kinnim* vertunt pediculos: sed errant; tum quia pediculi non è puluere, sed è corpore generantur; tum quia Septuag. Noster, & Philo vertunt, *ciniphes*, non pediculos.

Secundò, Torniellus vult ciniphes fuisse pulices: quia, si fuissent culices, fuissent producti non hac, sed sequenti plaga, quæ fuit omnis generis muscarum. Verùm pulices non inuolant in oculos, & pulices vocantur, non ciniphes. Adde, culices propriè non esse muscas, cùm alioqui varia sint genera muscarum. est enim musca, alia canina, alia equina, alia bouina; alia communis, alia Hispanica; alia nigra, alia aurea, alia flaua, &c.

Ciniphes sunt culices. Dico ergo, ciniphes fuisse culices (κνὶψ, ait Etymologicum Græcū, εἶδ κωνωπώδης, cnips est culicis speciem gerens) eorumq; infinita examina (vt velut extensa nubes, totam obumbrarent Ægyptum, ait Philo) qui & corpora aculeatis stimulis terebrarent, &, vt ait Philo, nares etiam auresque peruaderent, & in oculos inuolarent. Quare hoc animal licet minutissimum sit, est tamen molestissimum. Vnde S. Iacobus Nisibites in Saporem regem Persarum, Nisibim obsidentem, execrationem ciniphum iaculatus, mox ijs equos & elephantos eius disiecit, teste Theodoret. in Philotheo.

Hinc Albertus Magnus lib. 16. de Animalibus, ciniphes ait corpore esse vermes, capite autem &

A alis esse muscas, habere in ore aculeum, quo pungunt & sugunt, palustribus nasci locis, & animantium spiritus, sed maximè humanos consectari. Hi autem Mosaici acriores, & quasi miraculosi fuerunt: neque volabant girando in aëre, vti faciunt culices, sed homines & iumenta inuadebāt.

Trop. ciniphes sunt sophismata hæreticorū. Tropol. ciniphes sunt sophismata dialectica hæreticorum, quæ minutis & subtilibus verborum & argumentorum stimulis animas terebrant, & tanta calliditate circumueniunt, vt deceptus nec videat, nec intelligat. ita Origen. & ex eo S. August. serm. 87. de Tempore.

Rectè Diogenes sophistam retudit: cùm enim ille suis argutationibus colligeret, quòd Diogenes haberet cornua; Diogenes fronte & tempora manu contrectans, Atqui, inquit, ergo illa non video. Idem alteri sic colligenti, Quod ego sum, tu

B non es: ego sum homo: ergo tu non es homo; respondit, A me incipe, & rectè collegeris: Quod Diogenes est, hoc non est sophista: Diogenes est homo: ergo sophista non est homo. Quare meritò Ariston dicebat, Dialecticorū argutias similes esse telis aranearum, quòd plurimum haberent artificij, minimum vtilitatis.

S. Augustinus in conuen. decem præcept. cum 10 plagis, docet hanc plagā opponi tertio præcepto, quo iubemur sabbatū sanctificare, id est requiem habere mentis: ciniphes enim significant homines inquietos, contentiosos & rixosos, qui pacem suam & alienam interturbant.

FECERVNTQVE SIMILITER MALEFICI] *Fecerunt*, id est facere conati sunt per suas incantationes. ita S. August. VERS. 18.

C ET NON POTVERVNT] Cur magi, qui ranas & maiora fecerant, non potuerunt paruos ciniphes producere? Respondet Hebræi apud Lyran. causam esse, quòd dæmones non possint producere animal minus grano hordei, minores autē esse ciniphes. Sed hæ sunt næniæ: licet enim arte subinde possint fieri maxima, non minima; tamen per naturā, & per causas naturales (per quas agūt dæmones) faciliùs fiunt minora & viliora animalia, quàm maiora: hæc enim pluribus rebus egent, vt experientia patet. *Cur ciniphes efficere non potuerunt magi. Respondeo Primò.* Secundò, Rupertus putat magos effecisse ciniphes, non tamen veros, qui scilicet pungerent, essentque aculeati. Sed vnde hoc didicit Rupertus? imò repugnat Scripturæ, quæ simpliciter ait, eos non potuisse efficere ciniphes. *Secundò.* Tertiò, Caiet. hanc causam dat, quòd incantationes illæ non essent appropriatæ ad talem effectum, scilicet ad ciniphes producendos: certum *Tertiò.*

D enim est, dæmones posse ciniphes producere. Verùm non dubium est, quin dæmon, qui hîc omnem suam vim contra Mosen exserebat, incantationes proprias & accommodatas suggesserit suis magis.

Dico ergo, à Deo impeditos fuisse dæmones, ne ciniphes possent efficere; hoc enim ipsi magi fatentur dicentes, *Digitus Dei est hic*; idque, vt sic Dei potētia, & dæmonum imbecillitas magis appareret. quodque non dæmon, sed Deus nobis timēdus sit, qui dæmonis vires cohibet, vt etiam in rebus paruis nocere non possit, nî Deus id ei permittat. Denique hîc impotentiæ arguuntur mendaces magi & dæmones; atque omnibus patuit, eorum mira, quæ priùs fecerant, non fuisse vera miracula, eosque à Mose victos & prostratos esse: ac consequenter Mosen verum veri Dei Prophe- *Quartò, & genuinè.*

tam & seruum, ipsos verò magos esse & dæmonis seruos.

Alleg. causa. Allegoricam causam dat S. August. qu. 25. in Exod. In tertia, ait, ciniphum plaga defecerunt magi, vt significaretur quòd Philosophi Gentium non agnouerint mysterium SS. Trinitatis. Licet enim Plato & alij de Patre & Filio non tacuerint, tamen non agnouerunt Spiritum sanctum, qui digitus est Dei.

Dæmon cinìphe est imbecillior, si ei resistas. Moraliter hinc disce, si fortiter & constanter cũ Mose reluctēris dæmoni, maximè eum reddes imbecillem, ita vt nec ciniphem possit efficere.

VERS. 19. DIGITVS DEI EST HIC] qui scilicet Mosi assistit, eumq; iuuat, sed nos inuadit & compescit, cogitque ei cedere. Hîc Deus, & Moses ab hostibus etiam inuitis veram verorum, & à Deo manantiũ signorum Mosis confessionem extorquet.

Digitus Dei quis? Quæres, quid significet hîc, digitus. Respondent aliqui, digitum significare plagam, quam Deus leui motu, & quasi digito suo inflixit: & sicut decem digitos habet homo, ita decem fuerunt plagæ Ægypti: vnde Chaldæus vertit, *à facie Dei plaga hac est.*

Resp. est Dei virtus & operatio. Secundò, & aptiùs, digitus Dei est Dei potentia, virtus & operatio: brachio enim & digitis, quæ actionis sunt instrumenta, potentiam actionemque significant Hebræi. Licet enim in Deo vna sit virtus operatiua, eadem tamen multiplex est & multiformis, ratione multorum effectuum, vnde vocatur digitus vel digiti. Hinc Isaiæ 40. dicitur Deus tribus digitis appendere molem terræ. & psal. 8. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum* ita Rupert. Caiet. Lyran. Lipoman. Rursum τὸ *Dei* significat ingentem potentiam. q. d Virtus, qua operatur Moses, est eximia & insuperabilis. sic enim vocantur montes Dei, cedri Dei, id est, maximæ.

Mysticè digitus Dei est Spiritus S. ob tres analogias. Mysticè, ex mente non magorum, sed Dei, digitus Dei est Spiritus sanctus: nam Primò, sicut digitus à brachio & manu, ita Sp. sanctus à Patre & Filio procedit. Secundò, sicut multi sunt digiti, ita multa sunt dona Sp. sancti. Tertiò, tot sunt digiti dextræ manus, quot sunt sinistræ; quia pari fortitudine & gratia Spiritus sancti indigemus ad sustinenda prospera, atque aduersa. ita S. August. Hieron. & Nyssenus. hinc quod Lucæ 11. v. 20. Christus dicitur in digito Dei eijcere dæmonia, Matth. c. 12. 28. id explicat, dicens, eum id facere in Spiritu Dei.

DEI] Perperam Lyran. per Deum hîc dæmonem superiorem intelligit, qui per magiam impediebat magorum, & inferiorum dæmonum operationem. Si enim, inquit, magi cognouissent verum Deum adesse Mosi, non ausi fuissent illi ampliùs resistere: atqui restiterũt illi post hæc c. 9. 11. Verùm hoc est contra omnes Interpretes, & cõtra ipsa plana Scripturæ verba Neque mirũ magos postea ad ingenium redijsse, & restitisse Mosi. Sic enim Pharao subinde pœnitens, mox ad ingenium redijt. Adde. sicut dæmones Deo resistũt, licet eum cognoscant, sic resistunt & magi, alijque maximi peccatores.

INDVRATVM EST COR PHARAONIS] Tum ex eo, quòd magi similia ac Moses se posse & scire dicebant, similiaque facturos nî à Deo impedirentur: tum etiam quia maiora iam eos fecisse viderat.

VERS. 21. IMMITTAM IN TE, &C OMNE GENVS MVSCARVM] A Hebraicè est ערוב *arob*, quod, si radicem spectes, significat mixtum siue miscellaneum, quod aliqui determinant ad feras, quasi variarum bestiarum genera mistim in Ægyptios hac quarta plaga immiserit Deus. ita Iosephus. Vnde Chald. vertit, *mixtura bestiarum noxiarum*; Pagninus, *omne genus ferarum*; R. Salomon, *turbam serpentiũ & scorpionum*; Aben Esra, *incursionem leonum, & pardorum & luporum.* Meliùs S. Hieron. Septuag. & Aquila interpretantur *arob*, miscellam muscarum, siue turbam variarum muscarum: Aquila enim vertit, παμμυῖαν, id est omnis generis muscam; Septuag. quoque vertunt κοινομυῖαν, id est communem muscam, putà omne genus muscarum. Vnde & Latinus Interpres retinens nomen Græcũ *cœnomyiam* (sic enim legendum cum Romanis, non *cynomyiam*) vertit psal. 77. 45. & psal. 104. 31. *Cœnomyia quid?*

B Vnde S. Hieron. epist. ad Suniam & Fretellam, putat vitiosè legi in Septuag. κυνομυῖαν, per υ, id est, caninam muscam, pro κοινομυῖαν, per οι, id est, communem muscam. κυνομυῖαν tamen legunt Origen. Aug. & Theod. quin & Philo, qui κυνομυῖαν, vocari dicit à duobus impudentissimis animalibus, scilicet cane & musca. q. d. Moses, Musca hæc instar canum fuit impudentissima, audacissima, mordacissima. Ita Ægyptij impudentiã indicantes pingebant muscam, quæ licet crebrò abacta, identidem tamen inuerecundè redit. ita Horus Apollo l. 1. hierogl. 48. *Cynomyia quid?*

Mysticè, S. August. hanc quartam plagam opponit quarto præcepto, quod est de honorandis parentibus: qui enim parentes non honorant, puniuntur per muscam caninã, id est per nequitiam diaboli: caninum enim est parentes suos non agnoscere. Vnde canum catuli cæci nascuntur.

C Secundò, S. August. serm. 87. & Origen. per cynomyiam accipiunt sectam cynicorum, ob publicum & inuerecundum libidinis vsum. *Cynomyia sunt cynici*

Alij accipiunt hæreticos, qui initio piè blandiuntur, sed deinde ringunt & mordent, vt canes. Verissimè enim dixit b. Thomas Morus: *Hæretici nostri hypocrisin sustulerunt, sed impudentiam substituerunt; vt qui antè religionem simulabant, nunc in impietate glorientur.*

Tertiò, Pererius cynomyiæ comparat causidicos, aliosque homines litigiosos, qui tamquam canes se inuicem mordent & lacerant. *& causidici litigiosi.*

Rursum cynomyiæ sunt maledici. nam, vt ait Plutarch. in moral. sicut amici detestantur canem incurrentem, qui eos dirimat; sic execrari deberent homines caninos, qui maledicentia sua diri-

D munt amicorũ beneuolentiam. Hinc Alcibiades canem ingentem abscissa cauda per vrbem dimisit: hoc cùm multis stultũ & ineptum visum esset, monentibus eum amicis, ac sermones qui de eo circumferebantur enarrantibus, ridẽs Alcibiades: Sic, inquit, res vt intenderam successit. Hoc enim Atheniensibus loquendi argumẽtũm præbere volui, vt eos à peioribus, quæ de me & alijs cõuiciosè loquuntur, nouis his auerterem. testis est Plutarch. in Alcibiade.

Quartò, S. Gregorius per omne genus muscarum, accipit inquietas & insolentes desideriorum carnalium curas, quibus agitantur & feriuntur mundi & voluptatum sectatores. Vide eum l. 18. Moral. cap. 28.

FACIAMQVE MIRABILEM IN DIE ILLA TERRAM GESSEM] Potest Hebr. הפלתי *hiphleti* cum Chald. VERS. 22.

Chald. verti, *diuidam terram Gessen*, vt scilicet illa sola in Ægypto sit immunis ab hac plaga muscarum. Vnde Tertiò, *biphleti* sic verti potest, miraculosè agam cum terra Gessen. Radix enim *pala* significat, separauit, vel mirabile fecit, q.d. Faciam terram Gessen *pele*: id est mirabilem, & orbis miraculum. Sic Angelus apparens Manue patri Samsonis, roganti, quo nomine vocaretur? *Cur*, ait, *quæris nomen meum, quod est pele*, id est, *mirabile?* Iudic. 13.14. Sic Christus Isaiæ 9.6. vocatur *pele*, id est *admirabilis*. Simili modo appositè in excidio Hierosolymæ per Titum, cùm Christiani Dei moniti exierunt & euaserunt in vrbem Pellam, teste Eusebio lib. 3. cap. 5. appositè vrbs illa, vel anteriùs, vel posteriùs, putà ex mira hac euasione, à Christianis dicta est Pela, vel Pella, id est mirabilis separatio. quia sicut olim Deus terram Gessen fecit *pele*, id est mirabilem, ac separauit eam à plagis Ægypti: ita pariter separauit in Pella Christianos à plagis Iudæorum in Ierusalem excisorum à Tito. ita Alcazar Apocal. 7. sub initium pag. 468. A B

Et scias qvoniam ego Dominvs in medio terræ] id est, dominans in terra lata & ampla. Sic Hebræi medium, vel cor maris, vocant ipsum mare latum & profundum; adde, sicut rex in medio regni residens, circumquaque totum regnum circumspicit & administrat: ita & Deus anthropopathῶs dicitur in medio terræ, quasi rex residere, & quaquaversum latissimè dominari.

Vers. 23. Ponamqve divisionem] Hebr. est ponam פדות *pedut*, id est redemptionem. q.d. Redimam, eximam & liberabo meos Hebræos à communi plaga, quæ totam Ægyptum affliget. C

Vers. 24. Et venit mvsca gravissima] Quartam hãc plagam muscarum sine sensili signo, sine extensione virgæ, se solo inflixit Deus, ne quis suspicaretur quid numinis virgæ inesse, aut non esse Deum, qui hæc patraret.

Mvsca gravissima] *Grauissima*, id est plurima. Sic enim per metalepsin, & per enallagen quantitatis continuæ pro discreta, sumunt Hebræi τὸ *graue* pro multus, copiosus. Sic psal. 34.18. dicitur: *In populo graui*, id est multo, *laudabo te*. 1. Machab. 1.18. *Intrauit Antiochus Aegyptum in multitudine graui*, id est copiosa. Nahum 3.3. *Vox grauis ruina*, id est vox multæ cædis: nam præcedit *vox multitudinis interfecta*. Sic & Latini vsurpant *grauis*, vt Varro apud Nonium Marcellum, cùm ait: *Vbi graues pascantur & alantur pauonum greges: graues*, id est multi. & Sallustius, *Cœpit per omnem prouinciam graue pretium frugibus esse*. graue, id est magnum & multum. D

Grauis, id est multus.

Secundò, *grauissima*, id est molestissima & nocentissima, tam hominibus quàm iumentis. Vnde sequitur, *corruptaq; est terra ab huiusmodi muscis*. Hinc Abulens. putat has muscas morsu suo venenatas fuisse. Sic olim muscas gentes & regiones integras perdidisse, tradit Plinius l. 10 cap. 28. ideoque, ait, Elæi Deum myiodem, siue myiagrum, quasi Iouem muscarium coluerunt ad abigendam pestem muscarum: sicuti Accaronitæ coluerunt Beelzebub, id est deum muscam, quem multi putant eumdem esse cum myiode siue myiagro, id est Ioue muscario.

Abominationes enim Ægyptiorvm immolabimvs Domino Deo nostro?] Interrogatiuè noster Interpres vertit ad emphasim, vti vertit & Chaldæus & Pagninus. q.d. Nullo modo expedit, vt in Ægypto coram Ægyptijs mactemus & sacrificemus oues & boues: hæc enim ipsi colunt. Vnde, si ea iugulemus, lapidabunt nos. Patet ex sequentibus. Vers. 26.

Quæres, quæ sint abominationes Ægyptiorũ? Nota, abominationem poni pro re abominabili, vel abominata. Vide can. 21. Iam Primò, aliqui sic accipiunt, vt *abominationes* vocentur ea quæ dijs suis sacrificabant Ægyptij, quæ Hebræis erant abominanda: apud veteres enim porcus immolabatur Cereri, anser Veneri, asinus Priapo, Dianæ canis, Phœbo equus. Hæc vero animalia Hebræis immolare erat nefas.

Abominationes Ægyptiorũ quæ? Respondeo Primò.

Secundò & genuinè, vt patet ex Hebræo & ex sequentibus, abominationes hic vocãtur pecudes sacræ, quarum cædem quasi sacrilegam Ægyptij abominabantur, vtpote qui eas colerent quasi numina, vel quid numinis habentia. Vnde quæ hic vocantur *abominationes*, paulò pòst vocãtur *ea quæ colunt Aegyptij*. Sic enim Iouem Hammonium colebant ipsi in ariete, Apin in vitulo & boue. ita Philo. Hanc etiam ob causam pastores ouium detestabantur Ægyptij, quia scilicet ipsi iugulare solent oues, quas colebant Ægyptij, vti dictum est Genes. 46. Licet enim lex Leuitici de victimis necdum esset lata, sciebat tamen Moses partim ex traditione & exemplo maiorum, partim Dei instinctu, Deum velle sibi oues & boues immolari, non porcos, aliaque animalia immunda. Quod Nota contra Rupert. qui hic literalem sensum excludere, & pro eo tropologicum substituere conatur.

Secundò & genuinè.

Tropologicè, abominationes Ægyptiorum sunt fides, iustitia, pietas, pœnitentia, mortificatio carnis & cupiditatum, aliæque virtutes, quarum sacrificium Deo est gratissimum, quas impij horrent & auersantur. *Tropol.*

Audi S. Gregor. 10. Moral. 23. *Quid hic peccator totis cogitationibus sperat, nisi vt potestate cæteros trãseat, cunctos rerum multiplicitate transcendat, aduersantes dominando subijciat, obsequentibus mirandus innotescat, iræ ad votum satisfaciat; benignum se cùm laudatur, ostendat; quidquid gula appetit, offerat. Bene ergo spes illorum abominatio dicitur: quia ea quæ carnales ambiunt, spiritales quique iudicio rectitudinis auersantur; & quod illi voluptatem æstimant, hi pœnam putant: quia vt caro mollibus, sic anima duris nutritur; & sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant. Spes itaque carnalium abominatio animæ dicitur: quia inde in perpetuum spiritus interit, vnde ad tempus caro suauiter viuit.* & cap. 27. *Quod abominantur Aegyptij, hoc Israelita Deo offerunt: quia simplicitatem conscientiæ, quam iniusti quique despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, & excolentes recti puritatem ac mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant.*

Et ingravatvm est] Hebraicè, *& aggrauauit Pharao cor suum*. sic & Septuaginta. Vers. 32.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribitur quinta plaga pestis, & sexta vlcerum v. 8 & septima grandinis, tonitruorum & fulminum, v. 23. quibus emollitus Pharao missionis Hebræorum spem dat, sed plagis cessantibus rursus se obdurat.

1. DIxit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad
eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum vt sa-
crificet mihi. 2. Quòd si adhuc renuis, & retines eos: 3. ecce manus mea erit
super agros tuos: & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis val-
de grauis. 4. Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israel, & possessiones
Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel. 5. Con-
stituitque Dominus tempus, dicens, Cras faciet Dominus verbum istud in terra.
6. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Æ-
gyptiorum: de animalibus verò filiorum Israel nihil omnino periit. 7. Et misit Pha-
rao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingraua-
tumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum. 8. Et dixit Dominus ad Moy-
sen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in
cælum coram Pharaone. 9. Sitque puluis super omnem terram Ægypti: erunt
enim in hominibus & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes in vniuersa terra Ægypti.
10. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum
Moyses in cælum: factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumen-
tis. 11. nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera quæ in illis erant, &
in omni terra Ægypti. 12. Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit
eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen. 13. Dixitque Dominus ad Moysen: Ma-
nè consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus He-
bræorum: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. 14. Quia in hac vice mit-
tam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum:
vt scias quòd non sit similis mei in omni terra. 15. Nunc enim extendens manum
percutiam te & populum tuum peste, peribisque de terra. 16. Idcirco autem posui
te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.
17. Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum? 18. En pluam cras
hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die qua funda-
ta est vsque in præsens tempus. 19. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua
& omnia quæ habes in agro: homines enim & iumenta, & vniuersa quæ inuenta fue-
rint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur. 20 Qui
timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos & iumenta
in domos: 21. qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos & iu-
menta in agris. 22. Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum,
vt fiat grando in vniuersa terra Ægypti, super homines, & super iumenta, & su-
per omnem herbam agri, in terra Ægypti. 23. Extenditque Moyses virgam in cæ-
lum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram:
pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. 24. Et grando & ignis mi-
sta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta antè numquam appa-
ruit in vniuersa terra Ægypti ex quo gens illa condita est. 25. Et percussit grando
in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum:
cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.
26. Tantùm in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grando non cecidit. 27. Mi-
sitque Pharao, & vocauit Moysen & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc:
Dominus iustus: ego & populus meus impij. 28. Orate Dominum vt desinant to-
nitrua Dei, & grando: vt dimittam vos, & nequaquam hîc vltrà maneatis. 29. Ait
Moyses: Cùm egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessa-
bunt tonitrua, & grando non erit: vt scias quia Domini est terra. 30. noui autem,
quòd & tu, & serui tui, necdum timeatis Dominum Deum. 31. Linum ergo & hor-
deum læsum est, eò quòd hordeum esset virens, & linum iam folliculos germina-
ret: 32. triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant. 33. Egressusque
Moyses

Moyses à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum; & cessauerunt tonitrua & grando, nec vltrà stillauit pluuia super terram. 34. Videns autem Pharao quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum: 35. & ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimis: nec dimisit filios Israel, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

VERS. 3. ECCE MANVS MEA ERIT SVPER AGROS TVOS] *Manus*, id est flagellum meum, siue, vt posteà per appositionem explicatur, *pestis valdè grauis*. quam ego manu & potestate mea sola, non Mosis, nec Aaronis, vti & præcedentem plagam, immittam, inficiendo aërem & corpora. Est enim pestis venenosus quidam vapor in aëre concretus, vitali spiritui inimicus, qui omnem humorem inficere potest; sed potissimùm sanguinem, secundò choleram, tertiò phlegma, quartò melancholiam: ideo priùs sanguinei periculo contagij pestis subijciuntur, deinde cholerici, postea phlegmatici, denique melancholici; quia humor frigidus & siccus ad inflammationē & putredinem ineptus est, & strictos habet meatus, inquit Marsil. Ficinus Epidemiar. antidot. cap. 3. & seq. vbi & remedia pestis assignat, scilicet fugam aëris infecti, recreationem & lætitiam, cibum solidum, potumque roborantem cor & spiritus, cauere à cibis qui facilè corrumpuntur & putrescūt; purgare sæpè humores putrescētes per aloën, myrrham & crocum; vti theriaca, zedoaria, citro; suffumigare iuniperium, terebinthinam, thus; vestes crebrò mutare, & mundas induere; os & manus sæpè abluere aceto, & aliquando vino potente.

Causa pestis & remedia.

SVPER AGROS TVOS ET SVPER EQVOS] τὸ *&* significat, id est, q.d. Plaga hæc erit pestis super agros tuos, id est, super equos, oues & boues tuos, qui sunt in agris: nec enim ipsos agros pestis hæc tetigit. ita Hebr. Chald. & Septuag. Hinc patet, hac peste percussa esse, & perijsse non homines, sed animalia, non quidem omnia, sed ea tantùm, quæ erant in agris.

Trop. pestis. Tropologicè, quinta hæc pestis plaga significat, quinti præcepti, *Non occides*, transgressoribus, quales erant hi infanticidæ. Deum solere pestem, aliaq; mortis genera infligere. ita Rupert. & Prosper lib. 1. de Promiss. c. 36.

OVES ET BOVES] quos nutriebant Ægyptij non ad mactationem & esum, sed ad seruitia, lanam & mercimonia. Nam bobus arabant, ex ouibus lac & lanam accipiebant.

Notat Origenes, Ægyptios in suis animalibus puniri, quia ea pro dijs colebant, vt dementiæ suæ admonerentur, cùm videbant ea interire.

VERS. 4. INTER POSSESSIONES] inter pecora quæ possident Hebræi, & Ægyptij.

VT NIHIL OMNINO PEREAT EX HIS QVAE PERTINENT AD FILIOS ISRAEL] Ecce hîc mira Dei prouidentia circa Hebræos & Ægyptios, vt, cùm mista sint vtrorumque animalia, sola tamē Ægyptiorum, peste tangantur, & nulla vicini pecoris contagia lædant ea quæ sunt Hebræorum. Vnde liquet in terram Gessen, in qua multi Ægyptiorum habitabant, hanc quoque plagam fuisse immissam, ita tamen vt Hebræos non tangeret. Idem de cæteris omnibus plagis censent Philo, Iosephus, & Abulens. videlicet aquas in Gessen quoque fuisse versas in sanguinem, & ranas ibidem fuisse, sed Ægyptios tantùm exagitasse: similiter & ciniphes & muscas, ideoque c. 8. 22. signanter dici: *Faciam mirabilem terram Gessen, in qua populus meus est*. q.d. Vbi populus meus est, inde arcebo muscas; vbi verò Ægyptij erunt, faciam vt eò cōuolent: hoc enim valdè fuit mirabile. sic de nona plaga tenebrarum dicitur c. 10. 23. *Vbicumque habitabant filij Israel, lux erat*. q.d. In eadem domo in cubiculis Ægyptiorum erant tenebræ, in cubiculis verò Hebræorū erat lux. Sic vltima plaga primogenitos Ægyptiorum, etiam in terra Gessen occidit, illæsis ibidē Hebræis. Et ratio est, quia par erat vt illi Ægyptij vel maximè plecterentur, qui Hebræos oppresserant. Tales autem erant incolæ Gessen, maximè præfecti operum.

In eodem cubiculo Hebræis erat lux, Ægyptiis tenebræ.

Dices, Cur ergo Pharao non antè in præcedētibus plagis, sed iam tantùm in hac quinta misit exploratores in Gessen, ad hanc discriminationem Hebræorum & Ægyptiorum in hac plaga cognoscendam?

Respondeo, quia antè viæ erant imperuiæ ob ranas, muscas & ciniphes omnia occupantes, & Pharao istis flagellis ita distinebatur, vt de exploratione hac non cogitaret, ne quidem in præcedenti plaga, qua tamen Hebræos discriminandos fore ab Ægyptijs, illi prædixerat Moses, c. 8. 22.

VERS. 6. MORTVAQVE SVNT OMNIA ANIMANTIA] scilicet quæ tum erant in agris, vt patet ex dictis v. 3. idque exprimitur in sequenti plaga grandinis v. 19. Ibi enim reliqua Ægyptiorum animalia, quæ nunc erant in stabulis, ideoq; intacta manserant; tunc verò exierant pabulatum ad agros, ibidem grandine percussa interierunt.

VERS. 7. INGRAVATVMQVE EST COR PHARAONIS] Non orat hîc Pharao vt plaga cesset, sicut antè fecerat, quia iam mortua erant animalia, ideoq; cùm nulla ei esset spes amouendæ plagæ, cor eius durum hac plaga magis induruit. nimirum, tantus Hebræis imperitandi, suasque per tyrannidem opes augendi amor, animo Pharaonis insederat, vt flagella iam præterita, flagella non duceret; aut ob tyrannidem ea sibi immissa non cogitaret, malletq; incertæ Dei vindictæ deinceps se exponere, quàm certam prædam relinquere.

VERS. 8. DIXIT DOMINVS AD MOYSEN (immediatè) ET AD AARON] mediatè, scilicet per Mosen, soli enim Mosi loquebatur Deus, vti superiùs dixi.

TOLLITE PLENAS MANVS CINERIS DE CAMINO] Hebraicè est, *accipite vobis volas plenas fornacis*, id est cineris, qui in camino & fornace ex igne & carbonibus defluxit, propriè autem Hebraicum פיח *piach*, significat albam illam fauillam, quæ necdum planè versa est in cinerem, qua semimortui carbones conteguntur. Appositè fauilla hac ardētes pustulæ demonstrantur: hæc enim instar cineris fiunt ex calore. Apteque factum est, vt Ægyptij qui Hebræos fornace lateritia torserant, acerbissimè eadem torquerētur. qua de causa de Ægyptia seruitute loquens Moses, Deuter. 4. 20. ait, *Eduxit vos de fornace ferrea Aegypti*.

Sexta plaga vesicarum & vlcerū.

Fauilla fuit symbolum ardentium pustularū.

ET SPARGAT ILLVM MOYSES] Nota. Vterque, scilicet tam Moses, quàm Aaron iubetur ferre cinerem è camino, sed solus Moses eum spargere in aërem; Aaron enim in aquis producendo sanguinem & ranas, atque è terra educendo ciniphes

sua signa iam ediderat: hîc verò & deinceps Mosi maiora seruantur, quæ in igne, cælo & aëre patret miracula, vt ait Philo. Spargit ergo hîc Moses cinerem in cælum, vt significet hanc plagam cælitus à Deo euocari & immitti, vtq; cinis hic sparsus, & in puluerem conuersus partim per ventum, partim per angelos delatus in homines & animalia, vertatur in vesicas & vlcera.

VERS. 9. SITQVE PVLVIS SVPER OMNEM TERRAM ÆGYPTI] *Sit puluis*, id est, fiat puluis, vertatur in puluerem. ita Hebræa, Chald. Septuag.

Quis hic puluis Nota. Fauilla hæc sparsa versa est in puluerem, non talem, qualis est puluis terræ; hic enim non habet vim vrendi aut gignendi pustulas, sed qualis ex fauilla resoluta generari solet. Puluis ergo hic est cinis ardens. Secundò, non plus fauillæ sparsit Moses quàm manibus suis hauserant, & attulerant ad Pharaonem Moses & Aaron, quod fuit exiguum; sed Deus ipsum sparsum in aëre multiplicauit, vt in modum densæ niuis, vel pruinæ iugiter caderet super Ægyptios eorumque animalia. Tertiò, huic cineri Deus impressit vim igneam & adustiuam, vt per ventum & angelos in omnem Ægyptum delatus, & hominibus iumentisq; inspersus, vlcera pustulasque noxio suo calore cogeret & generaret.

ERVNT ENIM IN HOMINIBVS ET IVMENTIS] non omnibus, sed plurimis, ait Caietan. nam reliqua sequenti grandinis plaga percussa perierunt.

Vesicæ hæ fuerunt aqueæ. VLCERA ET VESICÆ TVRGENTES] Vesicæ, inquit Pererius, sunt quidam tumores excitati in cute à calore eleuante ac resoluente, qui continēt humores aqueos resolutos à calore ignis ex partibus carnis subtilioribus & delicatioribus: deinde calore magis siccāte cutis hominum & animalium consumebatur & contrahebatur, ac deniq; rumpebatur: quæ ruptio carnis aperta dicebatur vulnus; post rupturam autem cutis caro illa aperta & hians, paulatim putrescens & consumpta fiebat vlcus. Verùm tales vesicæ aqueæ paruum afferunt dolorem, & paruæ sunt pœnæ. Rursum hæ vesicæ Ægyptiorum non generarunt vlcera, sed potiùs vlcera generarunt vesicas, vt patet ex Hebræo textu, qui sic habet: *Erit vlcus vel apostema germinans* vesicas, vel *inflationes*, vel *efferuescentias*, id est, erit vlcus vel apostema inflatum, turgidum & efferuescens. Vnde Noster paulò pòst vertit, *vlcera vesicarum turgentium*. Vesicæ ergo hæ non erant aliud, quàm ipsa vlcera ardore & sanie turgida & tumentia, quæ magno dolore cruciabant Ægyptios. Vnde Iosephus ait, exulcerata fuisse intus in cute corpora Ægyptiorū. hinc & Script. ait hîc v. 11. *Nec poterant malefici stare coram Mose propter vlcera, quæ in illis erant*. Addit Philo: *Videbatur*, inquit, *vnum vlcus à vertice vsque ad fines pedis, his, quæ membratim sparsa erant continua serpigine in vnum coëuntibus*. Hinc Moses Deut. 28. hanc plagam quasi grauissimam violatoribus legis intētat, dicens: *Percutiat te Dominus vlcere Aegypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque ac prurigine, ita vt curari nequeas*.

Secundò, & veriùs fuerunt vlcerosæ.

Tropol. Tropol. hæc plaga, inquit Origenes, habet vlcera & vesicas cum feruore. in vlceribus, arguitur dolosa malitia: in vesicis, turgens & inflata superbia: in feruore, iræ ac furoris insania.

Verè enim superbia turgidus & furens, insanus est. Sapor rex Persarum vocauit se regem regum, participem siderum, fratrem solis & lunæ, teste Herodoto lib. 2. & Plinio lib. 2. nónne stolidus fuit? Menocrates medicus hanc vnam ab eis quos curabat mercedem petebat, vt liberati se ipsius seruos faterentur, eumque Iouem dicerent. Hinc scripsit ille ad regem hoc titulo: *Iupiter Menocrates Agesilao regi salutem*; cui rescripserit ipse hac forma: *Agesilaus rex Menocrati sanam mentem*. Nestorius hæreticus factus Præsul Constantinopolit. postero die habuit orationem ad populum arrogantiæ plenam, qua cælum se vnicuique daturum promittebat: orthodoxi stultitiam eius exploserunt. Primus Domitianus Imper. Dominum & Deum se appellari iussit, inquit Euseb. riserunt Romani hominis fastum. Meritò Æsopus rogatus à Chione, *quid faceret Iupiter*? respondit, *Excelsa deprimit, extollit humilia*. Et Innocent. III. Pont. l. de Vilit. homin. *Superbia*, inquit, *turrim Babel euertit, linguam confudit, prostrauit Goliat, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, Sennacherib interemit. Heu vnde iste hominis fastus? cuius vitam laboriosa deuoluit pœnalitas, cuius pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas; cui esse momentum, vita naufragium, mundus exilium est, cui mors aut instat, aut minatur instantiam.*

Secundò, S. Prosper 1. part. Promiss. cap. 36. & Rupertus, Qui violant, inquit, sextum præceptum, *Non mæchaberis*, ardentque libidine, hi & igne sulphureo ardentes & vlcerosi, æternum in anima & corpore portabunt incendium. *Omnes enim adulterantes sunt quasi clibanus succensus à coquente*, ait Oseas c. 7. S. August. verò hanc plagam adaptat homicidis, qui ira ardent, sed ipse inuertit hîc ordinem præceptorum Decalogi. *Non occides* enim non sextum, sed quintum est præceptum Decalogi.

NEC POTERANT MALEFICI STARE CORAM MOYSE PROPTER VLCERA] Tertia est hæc victoria Mosis contra magos. Primò enim vicit eos, cùm eius serpens deuorauit serpentes eorum. Secundò, cum produxit ciniphes, quos magi producere non potuerunt. Tertiò, hîc vlceribus cruciando eos omnino superauit. ita Rupertus. Hinc videtur quòd magi licet victi, hucusque tamen verbis & calumnijs, omnique conatu suo restiterint Mosi, itaque Pharaonem magis magisque semper obdurarint: licet enim Deum in tertio signo agnouerint, non tamen eum sicuti Deum glorificauerunt aut coluerunt. Addit Caluinus, magos omnia signa, quæ fecerat Moses, hucusque suis incantationibus pariter effecisse, scilicet sanguinem, ranas, ciniphes; vel, vt Caluinus mauult, pediculos, cœnomyiam, pestem & vlcera. Vnde hoc dicit Caluinus, nisi ex suo vertiginis spiritu? contrarium enim prorsus asserit Scriptura, scilicet eos defecisse in tertio signo, nec potuisse ciniphes producere. quo satis insinuat eos nullum signum vlteriùs efficere aut producere potuisse. VERS. 11.

Mosis trina victoria de magis.

Caluini temeraria opinio.

INDVRAVITQVE DOMINVS COR PHARAONIS] Hîc primùm Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, cùm scilicet magi, qui eum hucusque animauerant & indurauerant, iam planè victi & afflicti defecissent. vide dicta c. 7. 3. VERS. 12.

IN HAC VICE MITTAM OMNES PLAGAS MEAS SVPER COR TVVM] q.d. Cœpi te ô Pharao vrgere, pergam iam; fixum enim apud me est non desistere, sed alteram post alteram in te immittere pla- VERS. 14.

plagam, vsque dùm te magis semper rebellem & A reluctantem aquis mergam in mari rubro.

Omnes plagas] non quas possum, sed quas destinaui immittere ad te perdendum.

Svper cor tvvm] q.d. Præcedentia te non pupugerunt; age, telis meis ipsum cor tuum petam, eaque immittam quæ cor tuum saucient, tangant & angant.

Vers. 15. Nvnc extendens manvm percvtiam te et popvlvm tvvm peste] *Peste*, qua occidam in vltima plaga primogenita tua, inquit Pererius. Verùm incertum est an primogenita hac peste occisa sint, & illa plaga non nunc, sed post tres alias contigit. Adde, Pharaonem hac plaga non periisse. hoc autem hîc dicitur: sequitur namque, *Peribisq; de terra.*

Secundò, alij ex Hebræo vertunt, *& quidem si voluissem, potuissem te occidere peste* (qua occidi pecora tua) *& perisses de terra, verùm ideo posui & seruaui te, vt ostendã in te fortitudinem meam.* ita Chaldæus. Verùm Hebræa non habent τὸ *si*, & assertiuè, non autem conditionatè minantur Pharaoni pestem & interitum. Dico ergo, pestis hîc significat omne excidij genus, quod deinceps in Pharaonem immisit Deus. q.d. Plagas plagis addam, donec excidaris à terra. Patet ex præcedentibus, quibus hæc connectit vocula causalis *enim:* præcessit enim v. 4. *In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum: peste* ergo, id est exitio & morte: ita enim Hebræum דֶּבֶר *deber*, id est pestem, vertit Noster interpres psal. 77. v. 50. cùm ait, *Iumenta eorum in morte* (hebraicè in peste) *conclusit.* & Osee 13. v. 14. *Ero mors* (hebraicè *deber*, id est pestis) *tua ò mors.* Sic vulgò proditores vocamus pestes Reip. sic Terentius in Adelphis, lenonem illum vocat *adolescentum pestem.* Simili modo *gladius* Hebræis significat quodlibet exitij & mortis genus, vt dixi c. 5. 21.

Peribisqve de terra] Hebræa hæc omnia habent in præterito, *Ecce nunc extendi manum, percussi, & periisti.* q.d. Ita certò te perdere decreui, ac si iam percussissem te, tuq; perisses. En quàm graui comminatione durissimum Pharaonis cor tentat & tundit Deus, vt emolliatur; sed frustra: quasi enim esset adamas, ita tunsione magis obduruit.

Vers. 16. Idcirco avtem posvi te, vt ostendam in te fortitvdinem meam] Nonnulli sic explicant, idcirco obduraui te, vt occasionem haberem te assiduè puniendi, itaque ostendendi potentiam meam. Verùm hæc est hæresis blasphema Caluini.

Dico ergo, pro, *posui te*, hebraicè est הֶעֱמַדְתִּיךָ *heemadtícha*, id est, feci te stare. quod duo significat. Primò, statui te. vnde Noster vertit, *posui te*, & Paulus Rom. 9. 17. *excitaui te.* Secundò, *sustentaui te.* qui enim alium sustentat, eumdem stare facit & statuit, vt firmus consistat. Vnde Chald. vertit, *sustinui te*; & Septuag. *seruatus es.* vtrouis modo legit S. Augustinus hîc q. 32. & S. Ambrosius in c. 9. ad Rom. Et vtraque lectio vera est. posterior enim priorem complet hoc modo: Primò *posui & statui te*, regem videlicet. Secundò, *sustinui te*, scilicet regem, vt in regno tuo perdurares. Sensus ergo est, q.d. Ego Deus te, ô Pharao, regem constitui, sustinui, conseruaui, permisique, vt in populum meum tyrannus insurgeres: vt ego vicissim in te quasi hostem tot plagis potentissimis insurgerem, tandemque te mergerem in mari rubro, vt sic omnes meam iustitiam ac potentiam agnoscant, timeant & colant. ita S. Chrysost. & Photius in c. 9. ad Roman.

Vt ostendam in te fortitvdinem meam] Nota. Hæc non prima & præcipua, sed vna inter alias, eaque vltima causa fuit, cur Deus Pharaonem regem statuerit. Prima enim causa fuit, vt Pharao bene ageret, & bene regeret populum, itaque bene agendo præmijs præsentibus & æternis ornaretur: ad hæc enim creatus est omnis homo. Vnde & Pharaonem peccantem Deus sustinuit in multa patientia, vt suam duritiem, vitam & mores corrigeret. nam, vt ait Apostolus Roman. 2. *Patientia & benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, id est adducere conatur. Ideoergo Deus Pharaonem flagellauit, vt ille flagellis hisce mollesieret, B & se flecteret ad Dei obsequium. Verùm, quia ipse per duritiem suam obluctatus est Deo, idcirco Deus plagis plagas addere decreuit, & tandem mergere eum cum suis in mari rubro, ad hoc, vt hæ plagæ & clades Dei potentiam omnibus ob oculos ponerent, atque impijs & rebellibus Dei metum incuterent, sicuti illæ hunc metum incusserunt Chananæis, Iosue 2. 9. & Philistæis 1. Regum 4. 8. Numquam enim tantam & tam longam Pharaonis pertinaciam passus fuisset Deus, nisi ex eius malitia tantum vindictæ bonum cogitasset elicere. nam, vt ait Boëtius li. 4. de Consolat. prosa 6. *Sola est diuina vis, cui mala quoque bona sunt, cùm competenter eis vtendo, alicuius boni elicit effectum. ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in prouidentia regno liceat temeritati.*

Cur Deus Pharaonem regem statuit.

In regno prouidentiæ nihil licet temeritati.

C Nota. Deus diu sustinuit Pharaonem aliosque obduratos, & indies sustinet Primò, vt ostendat in ijs quantum malum sit obduratio, quamque illi ad omnia sint duri & inflexiles. Secundò, vt longius det eis spatium resipiscendi, Rom. 2. 4. Tertiò, vt ostendat suam in eis patientiam & longanimitatem, Sapientiæ 12. 10. Quartò, vt eorum comparatione appareat mira Dei misericordia erga electos, Rom. 9. 22.

Quatuor causæ cur Deus sustineat obduratos.

Adhvc retines?] Hebraicè, *adhuc calcas*, id est, vt Chald. subiectum retines, tam iniquè fixeque illi insides, illumque arctas, vt ne ad triduum laxare velis? Vers. 17.

En plvam cras hac ipsa hora] Non differt Deus supplicium peccati. En tibi hora vindictæ horam culpæ excipit. horaria ergo est omnis peccati voluptas: horaria est & vita nostra: horaria est D & occasio tempusque merendi æterna præmia. Hinc Hora Gentilibus fuit dea prouidentiæ, quæ negligentes socordesque esse non pateretur: indeque ab hortando & incitando dicta est & Horta. Horta enim dea, cùm viueret, Hersilia nuncupata, fuit vxor Romuli. Huius deæ ædem numquam claudi solitam, tradit Plutarch. ea scilicet causa, quòd semper aliquid præclari fieri hortaretur, numquamque cessandum esse admoneret. ita Girald. syntag. 1. Vers. 18.

Grandinem mvltam nimis (id est plurimã) qvalis non fvit in Ægypto, a die qva fvndata est] qua habitari cœpit à Mesraim (inde enim Ægyptus hebraicè vocatur *Mesraim*, & hodie à Turcis & incolis vocatur *Mesra*,) filio Cham primo conditore, vel potiùs colono Ægypti. ita enim explicatur v. 24. vbi dicitur, *Ex quo gens*

gens illa condita est, putà à 627. annis: nam Ægyptus habitari cœpit mox à dispersione gentium facta in Babel, Genes. 11. illa autem dispersio facta est sub annum 170. à diluuio, vt ibi dixi: putà 122. annis ante ortum Abrahæ: natus est enim Abraham anno 292. à diluuio. anno 100. Abrahæ natus est Isaac: ab ortu Isaac ad exitum Hebræorum ex Ægypto fluxerunt 405. anni, vt dixi Genes. 15. v. 13. Ergo à dispersione in Babel, quando habitari cœpit Ægyptus, vsque ad hunc annum, quo Hebræi exierunt ex Ægypto, fluxerunt anni 627. Adde enim annos 122. à Babel ad Abraham, & centum ad Isaac, & 405. ad exitum, habebis 627. Apposité ad Ægyptios addit hoc Moses: Ægyptij enim suam antiquitatem iactabant, & fabulosè tredecim millium annorum ætatem sibi arrogabant, adeoque, vt ait Diodorus Siculus l. 1. c. 2. venditabant primos homines creatos esse in Ægypto, ob Nili fertilitatem & commoditatem.

Aliqui sic exponunt: numquam fuit talis grando in illa terra, ex quo illa vocata est Ægyptus, & incolæ Ægyptij; sed errant. nam terra illa vocata est Ægyptus ab Ægypto Danai fratre & filio Beli Ægyptij, cui defuncto successit ille in regnum eiecto fratre suo Danao, qui concessit in Græciam, qui inde dicti sunt Danai. quod Euseb. & S. August. 18. Ciuit. 11. contigisse tradunt imperante apud Hebræos Iosue, qui successit Mosi, id est 800. annis post diluuium. ergo non iam, sed post hæc tempora vocata est Ægyptus.

Ægyptus vnde dictæ.

Nota. Alibi, & post hæc tempora non minor subinde, sed maior fuit grando. Ludouicus Clauitellius fol. 260. narrat anno Domini 1514. die 5. Augusti, Cremonæ pluisse grandinem magnitudine oui gallinacei. In Septemtrionalibus regionibus pluere subinde grandinem instar humani capitis, docet Olaus Magnus l. 1. c. 22. & Conimbric. in Meteora cap. de grandine. Rursus Clauitellius scribit, in agro Bononiensi, anno Domini 1537. mense Augusto, pluisse grandinem sanguine mistam, ex qua grana ponderata, inuenta sunt librarum 28.

Exempla magnæ grandinis.

Historia Tripartita l. 7. c. 22. narrat anno Domini 369. quarto Calendas Iunias, Constantinopoli grandinem pluisse magnitudine saxorum.

Sic anno Domini 406. vltima Septembris, cùm S. Ioannes Chrysost. actus est in exilium, terribilis grando in Constantinopolim depluit. ita Tripar. lib. 10. c. 20.

In fine mundi depluet grando magna sicut talentum, quod continet 1500. vncias, Apocal. 16. 21. Sic lapidibus grandinis Amorrhęi oppressi sunt tempore Iosue, c. 10. v. 11.

VERS. 19. CONGREGA IVMENTA TVA] Ecce clementiam Dei, qui etiam irascens iram clementia diluit, eaque pœnam temperat & mitigat, ita S. Aug. q. 33.

VERS. 23. DOMINVS DEDIT TONITRVA] *Dominus* non per se, sed per angelum: suauis enim prouidentiæ diuinæ dispositio suo gaudet ordine, vt administratorijs vtatur spiritibus, putà angelis, quantum illorum vires ferūt, scilicet vbi quid fieri vult quod naturæ limites non transcendit, quale erat hoc tonitru, grandinem & fulgura efficere per causas naturales, siue applicando actiua passiuis. Cùm enim exhalatio calida & sicca in nubibus occurrit humidæ & frigidæ, illam violenta eruptione perrumpit, atque ex hac collisione fragor oritur, qui tonitru dicitur; atque accensio & in-

Causa tonitrui & fulguris.

A flammatio exhalationis, quæ fulgur nominatur. ita Aristot. l. 2. Meteor. c. 1. & 8.

ET GRANDINEM AC DISCVRRENTIA FVLGVRA SVPER TERRAM] Septima hæc fuit in Ægypto plaga grandinis: nam vt dicitur psalm. 148. *Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* & licet illa naturalibus causis proueniant, sæpè tamen numine irato causas illas ordinante & acuente, grassantur acriùs.

Septima plaga Ægypti, fuit grando.

Nota. Pro *fulgura*, hebraicè est אש *es*, id est, ignem, per quem intellige ignitas exhalationes, etiam fulgura, quæ coruscando, vrendo, liquando, diuidendo, diruendo obuia quæque, noxam grauissimam dederunt Ægypto: hinc Ouidius fulgura vocat trifida & trisulca, quasi tres habeant acies quibus omnia secent & scindant, vt Meta-
B morph. 2.

Fulgura cur trisulca.

Ille pater rectorū, Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

VERS. 24. ET GRANDO ET IGNIS MISTA PARITER FEREBANTVR] Hebraicè est, *erat ignis recipiens se*, vel *receptus in grandine*; Septuag. *erat autem grando & ignis ardens in grandine.* Hoc ergo fuit insigne prodigium, quod simul cum grandine & pluuia, vt dicitur v. 34. ignis permisceretur. Vnde Sapientiæ 16. de eo dicitur, *Mirabile erat, quòd in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, & supra virtutem ignis exardescebat: nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant.*

In hac ergo plaga tria elementa sæuierunt in Ægyptios, aër per tonitrua, aqua per grandinem, ignis per fulgura, vt vel inuiti cogerentur Ægy-
C ptij agnoscere, se obluctari præpotenti elementorum & mundi domino. nam iuxta dictum Sap. c. 5. orbis terrarum pugnabat pro Deo aduersus insensatos, & omnis creatura armabat se aduersus impios. Deus ergo hîc ostendit, non esse alios deos cælestes, alios aëreos, alios aquaticos, alios terrenos, vti Gentiles putabant, & Syri, dicentes Deum Israel esse Deum montium, non conuallium: sed se verum esse creatorem, & Dominum omnium, inquit Theodor.

Nota quinque mira & horrifica in hac plaga.

Primò, quòd in Ægypto hæc facta sint, vbi rarò & modica est pluuia, tonitru & grando.

Quinque miranda in hac plaga grandinis.

Secundò, quòd hæc grando inusitatæ fuerit magnitudinis, instar lapidum, ait Philo, & densa instar pluuiæ, vt patet hîc v. 18.

Tertiò, quòd, vt ait Philo, grando intermixta erat ignibus, quibus tamen nec ipsa liquescebat,
D nec exstinguebat fulmina, sed vtraque simul eodem deferebantur impetu.

Quartò, tonitrua hæc insolita erant & horrifica, quæ mirè percellebant Ægyptios. Grando segetes, fruges & fructus, quin & animalia non quæ domi, sed quæ in agris erant, sternebat & elidebat; fulmina arbores, & duriora quæque, atque animalia & homines feriebant. Ex quibus, ait Philo, si quæ supererant, combusta circumferebant vulnera ad terrorem videntium. Sed hoc non videtur verum: nam Dominus v. 19. prædixit omnia esse moritura. Vnde & v. 25. dicitur, *Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum, cunctamq; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.*

Quintò, quòd terra Gessen sola ab hac plaga fuerit immunis.

Mysticè,

Mysticè grando est furtum. Mysticè, S. August. *Septimum, inquit, praeceptum est, Non furaberis, & plaga septima fuit grando in fructibus: quod per furtum contra Dei praeceptum subducis de caelo perdis. nemo enim habet ininstum lucrum sine iusto damno. qui furatur acquirit vestem, sed caelesti iudicio perdit fidem: vbi lucrum, ibi damnum, visibiliter lucru, inuisibiliter damnum. lucrum sua caecitate, damnum quia viuit sine aequitate. ergo, qui suo iudicio forinsecus furantur, iusto iudicio Dei intrinsecus grandinantur: quia scilicet reatu mortis aeternae in anima feriũtur.* *Nemo habet iniustũ lucrum sine iusto damno.*

Grando infernalis Sãctis fuit horrori. Vnde Secundò, grando haec ignea, siue ignis hic grandinans typus fuit ignis infernalis, qui grandinabit & afflabit damnatos. Quis non timeat hunc ignem, hanc grandinem? Eum horrebat S. Hieronym. ideoque omnes voluptates abiecit, & in eremum veluti portum salutis se recepit. *Ille ego*, inquit ipse epist. 22. ad Eustoch. *qui ob gehennae metũ, tali me carcere damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum.* Eum horrebat Cyrill Alex. in orat. de exitu animae: *Gehennam*, inquit, *timeo, quippe interminatam: exhorreo tartarum, vt cui nimium insit caloris: paueo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis: formido pestiferum vermem, quoniam est perennis.* Meritò ergo pueris nos confert Chrysost. qui laruas timent, non ignem: ita enim nos laruas malorum, putà temporalia damna & aerumnas, timemus; ipsum verò malum, id est peccatum, ignemque aeternum quò nos ducit, non formidamus. ita ipse homilia 5. ad popul.

Falsum est. in Aegypto numquam pluere. TANTAE QVE FVIT MAGNITVDINIS, QVANTAE ANTE NVMQVAM APPARVIT IN VNIVERSA TERRA AEGYPTI] Hinc colligas falsum esse quod quidam fabulantur, numquam in Aegypto visam esse pluuiam, numquam grandinem. Si enim recta hic sit comparatio, inferre licet; ergo visa est aliquando grando, & multò magis pluuia in Aegypto, sed non tanta quanta haec. Hinc & Diodorus Siculus l. 1. c 2. in Aegypto docet esse pluuias, sed rarissimas. & Philo: *Aegyptus, inquit, hiemem nescit, hiemalesq́ tempestates: hac circa brumam irroratur paruis rarisq́ pluuiis, in locis dũtaxat maritimis: supra Memphim autem nullas omnino sentit.* & causam subdit: *Quòd Aegyptus non longè absit à zona torrida* (tantùm enim abest 25. gradibus ab aequinoctiali) *ac consequenter aestuet, quodq́ restagnationes Nili arua satis foecundent, vt natura de imbribus Aegypto prouidere non sit opus.* Mirum verò est & quasi incredibile, quod addit Philo, Nilum inundantem nubes è quibus fit pluuia, absumere: neque enim ad nubes intumescit Nilus, nisi velit dicere Nilum exundantem sua violentia impedire, quò minùs vapores ascendant, & densentur in nubes, aut quòd occulta sympathia eas ad se attrahat.

Nota. Nili exundatio incipit solstitio aestiuo, deficit aequinoctio autumnali, iuuatque agros tum inundando, tũ oblimando & pinguefaciendo. Addit Seneca l. 4. Natur. quaest. ca. 2. naturam ita disposuisse, vt eo tempore Nilus inundet Aegyptum, quo terra maximo aestu vsta aquam profundiùs haurit & imbibit; vt tantum tunc hauriat, quantum annuae siccitati sufficere possit.

Exundationis Nili causa. Prima. Secunda. Huius exundationis causam varij variam dant: Solinus eam tribuit soli & astris. Secundò, Ephorus eam tribuit terrae & rarae & aridae & in Aegypto desudanti. Tertiò, Herodotus eam tribuit naturae Nili, quasi hic natura sua aquas ad se attrahat, itaque exundet. Quartò, alij eam tribuunt subterraneis finibus, qui pleni aquis in Nilum se effundant. Quintò, Thales & Aelianus eam tribuunt Etesiis, qui ex aduerso flantes descendenti Nilo resistant, eumque reuerberent, vt exundet. Verùm experientia compertum est augmentum Nili effici non ex aduerso, sed ex paludibus, ex quibus Nilus descendit. *Tertia. Quarta. Quinta.*

Dico ergo, causam exundationis Nili esse immensam pluuialis aquae vim (adde & niuium colliquationem) quae ad paludes, & loca illa superiora è quibus Nilus fluit, stato anni tempore colligitur & in Nilum influit, eumque ita adauget, vt exundet magis minúsve, pro imbrium & riuulorum in Nilum influentium copia vel raritate. Ideò verò haec inundatio in Aegypto aestate accidit; quia paludes illae & fontes, vt nostro hoc saeculo compertum fuit, in ea mundi parte sunt, vbi hiems est eo tempore, quo Alexandriae, & in Aegypto est aestas; vnde imbribus tunc abundant, concurrente fortè ad idipsum caelesti vi alicuius sideris inibi dominantis, vti vult Scaliger exercit. 47. in Cardanum. & Conimbricens. in Meteora tract. 9. cap. 10. *Sexta, & genuina est pluuia & niues colliquata.* *Cur fiat in aestate?*

TANTVM IN TERRA GESSEN, VBI ERANT FILII ISRAEL, GRANDO NON CECIDIT] q d. Tota Aegyptus percussa est grandine, excepta Gessen in qua multi fuere ab ea immunes, scilicet Hebraei, cum suis iumentis & agris. Nam Aegyptios aequè ibi ac alibi grandine tactos esse, dixi v 6. VERS. 26.

NOVI AVTEM, QVOD ET TV, ET SERVI TVI NECDVM TIMEATIS DOMINVM] timore scilicet pietatis, ex reuerentia & religione in Deum manantis. ita S. August. q 35. vel etiam timore seruili poenarum, tali videlicet, vt eo permanente cessantibus flagellis dimittatis populum. Vnde hebr. est, *noui quòd non timebitis Dominum.* nam alioqui eos ad tempus, quo plagae durabant, timuisse Dominum, omnes hae eorum preces testantur; quae ita eorum cor ad breue saltem tempus immutarunt, vt seriò cogitarent populum dimittere. ideo enim paulò pòst Pharao liber à poena ad ingenium rediens, rursum induratus dicitur. VERS. 30.

TRITICVM AVTEM ET FAR NON SVNT LAESA] Hebraei, & Lyranus per *far* accipiunt speltam, quae extra aristam thecis etiam includitur, cùm triticum sola arista claudatur. VERS. 32.

QVIA SEROTINA ERANT] Hebr. *quia erant tenebrosa*, id est, quia nondum prodibant, & latebant adhuc sub terra, vel tenui gramine. nam circa finem Februarij haec contigerunt, vt patet ex dictis c. 7. sub finem quaest. 3.

ET INGRAVATVM EST COR EIVS] Toties ictum cor Pharaonis, tot editis signis, tot plagis immissis non est mollitum, sed induruit semper, ideoque durius indies euasit. hebr. est, *aggrauauit Pharao cor suum.* VERS 35.

PER MANVM MOSI] per Mosen. manus enim est organum organorum, ait Aristoteles. est hebraismus.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur octaua plaga Aegypti, quæ fuit locustarum, & v. 21. nona, quæ fuit densissimarum tenebrarum, quibus mollitus Pharao Hebræos abire permittit; sed omnium, etiam pecorum, missionem vrgente Mose, se rursus obdurat, Mosiq; mortem minatur.

1. ET dixit Dominus ad Moysem: Ingredere ad Pharaonem: ego enim indurau
cor eius, & seruorum illius: vt faciam signa mea hæc in eo, 2. & narres in
auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa mea fe-
cerim in eis: & sciatis quia ego Dominus. 3. Introierunt ergo Moyses & Aaron ad
Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequò non vis
subijci mihi? dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. 4. Sin autem resistis, &
non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: 5. quæ ope-
riat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fu-
erit grandini. corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. 6. Et implebunt
domus tuas, & seruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt
patres tui, & aui, ex quo orti sunt super terram, vsque in præsentem diem. Auertitque
se, & egressus est à Pharaone. 7. Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum: Vsque-
quò patiemur hoc scandalum: dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo.
nónne vides quòd perierit Ægyptus? 8. Reuocaueruntque Moysen & Aaron ad
Pharaonem: qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri
sunt? 9. Ait Moyses: Cum paruulis nostris & senioribus pergemus, cum filijs & fi-
liabus, cum ouibus & armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri. 10. Et re-
spondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quo modo ego dimittam vos, & paruulos
vestros. cui dubium est quòd pessimè cogitetis? 11. Non fiet ita, sed ite tantùm
viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis. Statimque eiecti sunt de con-
spectu Pharaonis. 12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam su-
per terram Ægypti ad locustam, vt ascendat super eam, & deuoret omnem herbam
quæ residua fuerit grandini. 13. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti:
& Dominus induxit ventum vrentem tota die illa & nocte: & mane facto, ventus v-
rens leuauit locustas? 14. Quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti: & se-
derunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non
fuerant, nec postea futuræ sunt. 15. Operueruntque vniuersam superficiem terræ,
vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus
fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis & in herbis
terræ, in cuncta Ægypto. 16. Quam ob rem festinus Pharao vocauit Moysen &
Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos. 17. Sed nunc di-
mittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt aufe-
rat à me mortem istam. 18. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, orauit
Dominum. 19. Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & arre-
ptam locustam proiecit in Mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis fini-
bus Ægypti. 20. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel.
21. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, & sint tene-
bræ super terram Ægypti, tam densæ vt palpari queant. 22. Extenditque Moyses
manum in cælum: & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus
diebus. 23. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat: vbicumque
autem habitabant filij Israel, lux erat. 24. Vocauitque Pharao Moysen & Aaron: &
dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oues tantùm vestræ & armenta remaneant, paruuli
vestri eant vobiscum. 25. Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta dabis nobis,
quæ offeramus Domino Deo nostro. 26. Cuncti greges pergent nobiscum: non
remanebit ex eis vngula: quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: præser-
tim cùm ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus.
27. Indurauit autem Dominus cor Pharaonis: & noluit dimittere eos. 28. Dixit-
que Pharao ad Moysen: Recede à me, & caue ne vltrà videas faciem meam: quocum-
que die apparueris mihi, morieris. 29. Respondit Moyses: Ita fiet vt locutus es, non
videbo vltrà faciem tuam.

Ecce

Vers.1. EGO ENIM INDVRAVI] eò modo quo dixi cap. 7.v.3. A

VT FACIAM SIGNA MEA HÆC IN EO] non quasi captans supplicij materiam, putà culpam, sed positam iam eius culpã iustissimè ordinans ad meritam pœnam,& iustitiæ meæ gloriã. Captare enim puniendi materiam alienum est Primò, à diuina bonitate;triste enim est, & dedecus principi multa exercere supplicia,æquè ac Reipublicæ est, multa videre ciuium funera,ait Seneca.Secundò, à Dei veritate, quæ toties Pharaonem ad pœnitentiam hortata est, tot intentatis plagis, quæ significabant Deum seriò, & ex animo eius resipiscentiam & salutem cupere. Tertiò,à iustitiæ ordine,qui habet, vt pœna non infligatur, nisi præuia culpa, vtque pœna sit propter culpam, non contrà.

Captare puniendi materiam repugnat Dei bonitati, veritati & iustitiæ.

Vers.2. ET NARRES] tu & gens tua,cuius tu dux es,caput & liberator.

Vers.4. INDVCAM CRAS LOCVSTAM] locustarum multitudinem. Hebræum enim ארבה *arbe* & locustã, & locustarum multitudinem significat: dicitur enim *arbe* à multitudine.nam radix רבה *raba* significat multum esse.

Octaua plaga locustarũ quanta.

Octaua fuit hæc plaga Ægypti, scilicet locustarum plurimarum, quæ ita terram operuerunt, vt nihil terræ appareret. *Ecce*, inquit Rupertus, *quales acies instruxit Dominus,pugnando pro Israel in Aegyptios,putà ranas,ciniphes muscas,locustas:à locusta victus est fortis rex, sed in sua infirmitate superbiẽs; qui ceruicem erexerat contra Deum, eam nunc pulici subijcit.* Hæ enim locustæ deuorarũt quidquid erat virens in terra, vt dicitur v.15.scil.omnes fructus, frondes,germina,herbas,semina,ligna etiã tenera: quin & domos ingressæ eas impleuerunt, vt dicitur v.6 in oculos & corpora insilientes, hominesque morsu suo necantes, vt dicitur Sap.16.9. Vnde Plinius l.11.c.29. ait locustas esse deorum pestem. *Nam & grandiores*,inquit,*cernuntur,& tanto volant pennarum stridore, vt aliæ alites credantur, solemq́; obumbrant, sollicitè spectantibus populis,ne suas operiant terras: longinqua maria transeunt,continuata plurium dierum fame, vt externa pabula petant:dira messes contegunt nube, multa contactu adurentes,omnia verò morsu erodentes.* Hæc plaga locustarum etiamnum frequens est in Æthiopia,siue Abyssia, quæ Ægypto adiacet. Illud enim clima locustarum est ferax.

Hæ ergo locustæ domos,lectos,cibos, omniaque Ægyptiorum inuadebant, & fœdabant; in vijs quoque conculcatæ, & in saniem conuersæ horrorem & fœtorem excitabant.

Mysticè locustæ mendaces & adulatores.

Tropol. octaua hæc locustarum plaga significat culpam & pœnam eorum, qui violant octauum præceptũ, *Non dices falsum testimonium*: Lingua enim mendax & detractoria dente locustæ est nocentior,tum alijs,tum sibi:vti in gehenna patebit. Vnde Apoc.9.7. mendaces hæretici comparantur locustis.ita August.Prosper,Rupert.& alij.

Rursum S.Gregor.31.Moral.c.20.(vbi multa habet de locustis) per locustas intelligit linguas adulantium, quæ omnem virorem virtutum sua adulatione corrumpunt,dum ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant.

Vers.7. VSQVEQVO PATIEMVR HOC SCANDALVM?] Hebr.quamdiu erit hoc nobis in scandalum,quia scilicet detinendo Hebræos in durissima mala continuò impingimus?

NONNE VIDES QVOD PERIERIT ÆGYPTVS?] Hebræa hic dupliciter vertit Vatablus. Primò,& planissimè sic,*visne priùs experiri Aegyptum esse perditam?* q.d.Numquam dimittes populum hunc, quin tota Ægyptus perierit.aut,dimitte populum istum,alioqui actum est de tota Ægypto. Secundò sic:*nondũ scis quòd perijt Aegyptus?* aut,vt Chald. *adhuc non scis, quòd perierit Aegyptus?* Hebræum enim טרם *terem*, non tantùm *antequam*, sed etiam *adhuc non* significat, vt patet c.9.30. de quo enim dicitur *antequam*,illud adhuc non est.

QVINAM ITVRI SVNT] q.d.Non est opus omnes ire:pauci enim ad sacrificium sufficiunt,saltem ad id feminis & pueris non est opus; eos ergo mihi obsides relinqui volo, vt certus sim vos non fugituros,sed redituros in Ægyptum. Vides hîc Pharaonem ex parte se emollijsse, quando dimidiâ quasi pactione cum Mose decidit;poterat ergo etiam omnino se emollire, vti & obdurare. Plagæ enim hæ à Deo immissæ, non tantùm ad dimidium, sed ad totum eum emolliendum satis erant efficaces. Vers.8.

B

EST ENIM SOLEMNITAS] quam omnes omnino Hebræos celebrare par est, ideoque omnes oues & armenta nobiscum ducere debemus: nescimus enim quæ, & quot Deo nostro sacrificare oporteat, quæue & qualia Deus delecturus & postulaturus sit. Verum dicebat Moses: euocabantur enim à Deo Hebræi ad agendam celebritatem in monte Sina, vbi multas immolarunt victimas in confirmatione legis, dedicatione tabernaculi, & sacerdotum consecratione,vt patet c.24.& 29. multa tamen hîc subticet Moses, quæ silere erat prudentiæ. Vers.9.

C

SIC DOMINVS SIT VOBISCVM] Est mycterismus,id est,sermo cum naso & sanna;siue simulatus risus,sed tamen non latens, putà subsannatio cum suspensione nasi. iam sensus est: Sic Deus vos adiuuet, sicut ego dimittam vos. q.d.Nullo modo vos adiuuabit, vel adiuuare poterit Deus vester: vti nullo modo vos dimissurus sum cum paruulis & pecoribus vestris. Vers.10.

Mycterismus Pharaonis.

CVI DVBIVM EST QVIN PESSIME COGITETIS?] Videmini enim machinari seditionem & rebellionem,vt ficta sacrificij specie,populum Hebræum mihi subditum à me abducatis, eumque contra me concitetis.

HOC ENIM PETISTIS] Hic Pharao mentitur, sed regia licentia,cui nemo contradicere ausit. Vers.11.

STATIMQVE EIECTI SVNT] Intelligitur per hebraismum historicum,quòd & Moses iterũ Pharaoni roganti,vt soli viri irent ad sacrificium,idipsum negarit,volueritque omnes etiam paruulos missos fieri, atque inde exacerbatum regem iussisse eos expelli. D

Discant hîc confessarij,consiliarij aliique monitores principum,gratiam principum non aucupari,sed parare se ad opprobria,exilia,atque cum Mose ex aulis expelli, vt fideles sint Deo & iustitiæ.

Rursum vide hîc miram patientiam & longanimitatem Dei & Mosis,dum toties & tanto tempore, leniter & patienter ferunt dura, perfida & minacia responsa Pharaonis tyranni,eumq́; nunc per preces, nunc per minas, nunc per plagas ad æquitatem flectere conantur.Sanè Moses hîc angelus fuit potiùs,quàm homo. Legimus in Vitis Patrum l.7.c.19. de Iohanne Thebæo discipulo

Abbatis Ammonis, quòd seni huic infirmāti duodecim annis studiosè seruierit: senex autem numquam ei blandum aut placidum verbum locutus sit. *Senex ergo moriturus coram alijs senibus tenuit manus eius, & dixit ei tertiò: Salueris, salueris, salueris. Et tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo est, sed angelus, qui tot annis mihi infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia.* Si seruiens patienter vni ægro & morososeni est angelus, quid erit Moses, qui Pharaoni, & moroso & duro ac minaci, toties tam leniter & blandè obsecutus est, deprecando, & auferendo plagas ei à Deo immissas? qui tres milliones Hebræorum, hominum durorū, rebellium & intractabilium, per 40. annos solus sustinuit, pauit, rexit, duxit, protexit? sanè ipse & angelus, & Deus fuit, tam Pharaonis, quàm Hebræorum, vt dixi c. 7. 1.

Angelus est qui patienter seruit agro.

Patientia ergo iuncta clementiæ hominem efficit sapientem, excelsum, angelicum, diuinū. Viderunt id quoque per vmbram Gentiles. Ita Plato in dialogo cui nomen *Crito*, Socratē differentem inducit: *Nullo modo iniuriandum est, neque vlciscendum, quidcumq; ipse passus fueris.* Et Plutarch l. de Vtilitate ab inimicis capienda: *Oblata*, inquit, *occasione vlciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est: qui verò & miseratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, hunc omnes amant & laudant, ob animi humanitatem & bonitatem.* Hinc Diogenes rogatus, Quomodo vlciscar inimicum? respondit paucis, sed appositè: *Probus esto.*

Clementia in hostes gnome.

Quid, quòd laudare etiam inimicum maiorem sæpè conciliat laudanti laudem, quàm laudato? Tullium de Cæsare dixisse affirmant: *Cæsar cùm statuas Pompeii euerti vetuit, suas stabiliuit.*

Graues auctores referunt, S. Elisabetham Hūgariæ regis filiam, aliquando orasse Deū, vt quoslibet qui eam iniuria aliqua affecissent, afficeret ipse peculiari aliquo beneficio, ita vt iniuriæ beneficium responderet; tuncque de cælo significatum illi esse, numquam se suis precibus adeò Deo placuisse atq; tunc: in eius verò tam propensæ in inimicos dilectionis compensationem, omnium ei peccatorum condonationem fieri.

VERS. 12. ET DEVORET (locusta) OMNEM HERBAM QVÆ RESIDVA FVERIT GRANDINI] Grando enim summam ferè tantùm herbam percusserat, tenuia verò germina, siue tū, siue si quæ postea ex hordeo, lino, tritico & farre enata, locustæ seruata sunt: quæ eo maior Ægypto fuit plaga, quo illa fertilior mundi pars, adeoque orbis horreum olim habita fuit.

VERS. 13. VENTVM VRENTEM] Hebr. ventum Orientalem, qui calidus est & vrens. hic enim contrarius est Occidentali, scilicet Fauonio, frigido & humido: qui locustas has ex Ægypto eiecit in mare rubrū. ita Abulens. Verùm Septuag. & Philo Austrū vertunt. hic enim calidus & humidus, imperfectis animalibus, vti sūt ranæ, generādis est aptissimus: atq; locustas Austro, non Borea; calore, non frigore enasci docet S Hieronymus in Ioël, 2. Sed dico Austrum, licet à Meridie flātem, Orientalem vocari. Solemus enim mundum in duas tantùm plagas aliquando, videlicet Orientem & Occidētem, diuidere, sicut & Cosmographi faciunt, quādo gradus longitudinis penes illas tantùm assignant: qua ratione Meridies & Auster Orienti, Septētrio & Aquilo Occidenti annumeratur. Posset Secundò, dici hunc ventum Euronotum, id est, partim Orientalem, partim Australem, fuisse. En quomodo omnis creatura contra insensatos insurgit, obeditque vindici creatori suo.

Auster generat ranas & locustas.

TOTA DIE ILLA ET NOCTE] vt calore suo fotuque locustas produceret, & productas in Ægyptum perflaret. Vbi duplex rursum fuit prodigium, vel miraculum. Primū, quòd subitò Deus tantum tamque calidum ventum produxerit, qui totam perflaret Ægyptum. Secundum, quòd singulari suo concursu cum eo innumerabilem locustarum multitudinem produxerit & afflarit. Vnde sequitur, *Et manè facto ventus vrens leuauit locustas*; manè enim ad hoc aptius est tempus, quando quæ inter locustas alatæ sunt, & nocturno frigore torpuerunt, matutino calore excitatæ, factæque viuidæ & vigorosæ, auolare solent etiam naturali instinctu.

QVALES ANTE ILLVD TEMPVS NON FVERANT, NEC POSTEA FVTVRÆ SVNT] Dixit hoc Moses spiritu non historico, sed prophetico. VERS. 14.

Dices, Post Mosen Ioëlis 1. v. 2. & 4. dicitur, Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & bruchi rubigo: additque Ioël, numquam visum fuisse simile exemplū.

Respondeo, Ioëlē metaphoricè per hæc quatuor, scilicet erucas, locustas, bruchum & æruginem significare exercitum Chaldæorū, qui quater Ierusalem vastarunt: Primò, dum Ioakim regem, cum quo captus est & Daniel, ceperunt. Secundò, cùm eius filiū Ioachin abduxerunt. Tertiò, cùm Sedeciam captiuarunt. Quartò, cùm tēplum in cineres redegit Nabuzardan: quæ vastatio proinde rectè rubigini cōparatur. ita S. Hieronymus, quem passim Catholici omnes, præter Theodoretum & Lyranum sequuntur. ita enim se explicat Ioël v. 6. cùm ait: *Gens enim ascendit fortis & innumerabilis.* vide ibidem Riberam.

Locustæ fuerūt Chaldæi.

OPERVERVNTQVE VNIVERSAM SVPERFICIEM TERRÆ] cultæ scilicet, & vestitæ germine. quid enim pascerent locustæ, quidue vastarent in terra arenosa & glabra? Hebr. est, obtenebrata est terra, id est, occultata est, ita vt non videretur. VERS. 15.

QVIDQVID POMORVM IN ARBORIBVS FVIT] Pomum vocant Hebræi fructum omnē, tam qui tenero, quàm qui duro est cortice: poruisse enim tum esse fructus, licet necdum fortè planè maturos, in Ægypto regione ita calida, non mirum est: agebatur enim iam tum Martius. nam in frigido hoc climate Maius sæpè eos nobis exhibet. Possunt Secundò, poma hîc accipi metonymicè pro gemmis, siue baccis in poma protuberantibus. Sic enim vulgò florente arbore dicere solemus: In hac arbore poma (id est gemmæ) sunt plurima, florem pro fructu spe æstimantes.

VT AVFERAT A ME] Hebr. additur, tantùm. q. d. Tantùm hac vice parcat Deus, ampliùs non offendam. VERS. 17.

MORTEM] plagam hanc, videlicet locustam, quæ plantis omnibus mortem affert, ac consequenter hominibus omnibus mortem afferet: hi enim fame morientur, si seges omnis quæ in germine est, lædatur.

VENTVM AB OCCIDENTE] Hebr. ventum maris. quia enim mare Mediterraneum est ad Occidentem terræ Sanctæ, vt & Ægypti; hinc Hebræi per mare significant Occidentem. VERS. 19.

ET ARREPTAM LOCVSTAM PROIECIT IN MARE

Mare rubrum unde dicatur. Prima sententia.

RE RVBRVM] Quæres, vnde dicatur mare rubrum, A & an verè sit rubrum? Primò, Strabo, & Vranius, quem citat Stephanus libr. de Vrbibus, vult mare hoc rubrum dici & effici ex repercussu solis; quòd scilicet vicinorum montium ruborem, quem radiorum solis obiectu reciprocatum vndæ excipiunt, repræsentare videatur. Secundò, alij volunt talem illius aquæ & maris esse naturam, vt rubrum sit. Tertiò, Ctesias Gnidius putat hoc mare rubrum effici ex fonte quodam, qui aquam rubicundam & minio plenam in illud mare emittat. Vnde & Solinus c. 36. Varro, inquit, in littore maris rubri ait esse fontem, ex quo si oues bibant, mutant colorem, vt ex albis fuluæ fiant & subnigræ. Quartò, mare hoc, inquit Plinius lib. 6. c. 23. græcè dicitur Erythræum, id est rubrum, à rege Erythra B Persei filio, cuius sepulchrum in Tirina insula maris rubri ostendi ferunt. idem sentit Peret. in fine capitis 14. ita & Q. Curtius, & Philostratus libr. 3. Vitæ Apollonij, qui mare ipsum ait in se non rubrum, sed cæruleum esse. quin & Arrianus l. 8. gestorum Alexandri, Rubrum, ait, hoc mare dicitur à Rubro, primo ibidem rege.

Secunda. *Tertia.*

Quinta, & vera, mare rubrū dicitur ab arena rubra, quæ est in fundo eius.

Verùm dico, hoc mare non esse in se rubrum, sed rubrum dici ab arena rubra, quæ est in fundo huius maris. Id ita esse docuit experiētia: nam nautæ ex eo aquam haurientes hoc sæculo, non rubram, sed pellucidam viderunt; & planè intellexerunt rubrum colorem in hisce aquis repræsentari ex arenis rubeis, seu corallijs (corallium enim in hoc sinu gigni docet Plinius lib. 32. c. 2.) quibus maris illius fundus scatet. ita ex Ioanne Barrio Conimbricenses tract. 8. in Meteora c. 2. & Andr. C Masius in Iosue c. 2. & alij.

Cur vocatur hebr. mare suph.

Nota. Hebr. hoc mare dicitur סוף *suph*, id est termini, quia Ægyptum ab Arabia, & terra Sancta disterminat. Secundò, alij *suph* vertunt turbinosum, alij algosum & iunceum: est enim caricum & iuncorum ferax. ita Vatablus, & S. Hieron. epist. 127. ad Fabiolam.

PROIECIT] Hebraicè defixit, id est aceruatim deiecit & mersit.

VERS. 21. SINT TENEBRÆ SVPER TERRAM ÆGYPTI TAM DENSÆ, VT PALPARI QVEANT] Loquitur vulgari hominum more Script. ita enim in tenebris palpitantes incedimus, ac si tenebrosus aër crassissimus appareret, palparique posset. Addunt Abulensis, Burgensis & Pererius, has tenebras verè fuisse palpabiles; quia ipsæ erant nebula crassissima. Secundò, alij vertunt, *sint tenebræ, vt noctis tenebras auferant*, id est, obruant & obscurent. Tertiò, D Chaldæus vertit, *sint tenebræ, etiam postquam recessit caligo noctis.* Hebraicum enim ימש *iamos* potest deduci à מוש *mos*, id est recedere, remouere: sed Noster, & Septuag. deducunt à משש *masas*, id est palpare.

Nona plaga fuit tenebræ palpabiles, quomodo?

Cur?

Est hæc nona plaga, scilicet tenebrarum, eaque congrua. Primò, quia Ægyptij Hebræos filios lucis arctando ergastulis, ad opera dura concluserant. Tenebris ergo & carcere iustè puniuntur, qui alios iniustè eodem concluserant. Secundò, eis immissa fuit plaga tenebrarum, vt agnoscerent se luce hac indignos esse, & vt præsentiscerent in hac quasi imagine tenebras infernales. Vtramque hanc causam dat Sapiens toto cap. 17. maximè v. vlt. & c. 18. v. 4. ita & S. Bernardus serm. 72. in Cantica.

Quæ causa earum.

Quæres, quæ fuerit causa harum tenebrarum?

Respondet Philo fuisse eclipsin. Sed hæc solē, non autem stellas obscurat; hæcque non triduum, sed horam tantùm perdurat. Secundò, Iansen. in c. 17. Sapientiæ, innuit tenebras illas non esse factas in aëre, sed in oculis tantùm Ægyptiorum, hos enim, æquè vt Sodomitas, percussos esse cæcitate, siue ἀορασίᾳ: sed repugnat Script. quæ tenebras has ait fuisse palpabiles, cùm lux esset Hebræis. Tertiò, verisimiliùs Caietanus putat, causam harum tenebrarum fuisse subtractionem radiorum solis, aliorumque siderum, ita vt versus Ægyptios vbiuis locorum manentes, radios suos non emitterent, sed tantùm versus Hebræos.

Prima sententia. *Secunda.* *Tertia.*

Quarta causa tenebrarū fuit nebula.

Quartò & optimè, Philo, Burgensis, Abulens. & Perer. censent causam tenebrarum fuisse nubes & nebulas densissimas, constipationemque aëris tantam, vt nullo lumine, ne radijs quidem solis esset penetrabilis. hoc enim est quod dicitur Sap. 17. *Nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.*

Nota. Hæ tenebræ cœperunt, non 10. vt vult Torniellus, sed 11. die mensis primi. durarunt enim triduum, scilicet vsque ad 14. diem, quo Moses euocatus à Pharaone, ei prædixit cladem primogenitorum proxima nocte futuram, vt patebit cap. 11. v. 4. Decimo ergo die Hebræi compararunt agnum paschalem, vt iussit Deus cap. 12. 3. sequenti verò die, putà vndecimo, inflicta est plaga tenebrarum Ægyptijs: cessauit ea die 13. postero die 14. Moses minatus est Pharaoni cædem primogenitorum, eamque proxima nocte diei 15. (putà in paschate) inflixit Deus.

VERS. 22. Octo horribilia in hisce tenebris.

TENEBRÆ HORRIBILES] Hebraicè *tenebræ caliginis*, id est maximè caliginosæ & densissimæ, ideoque horribiles. nam Primò, erant tantæ, vt essent palpabiles. Secundò, durarunt tres dies & noctes. Tertiò, fuerunt in vniuersa terra Ægypti. Quartò, in eis non viderunt sese inuicem Ægyptij, nec mouerunt se lecto vel loco suo, quasi essent vinculis in carcere constricti, vt ait Sapiens cap. 17. 16. cùm interim reliqui homines toto orbe, quin & Hebræi in Ægypto, clarissima luce fruerentur. Quintò, non audebant præ pauore Ægyptij loqui, comedere, aut è cubili surgere, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, nisi vt præsens malum sentirent, ait Philo. Sextò, audiebant Ægyptij horribiles sonitus, & videbant per flammas intermicantes spectra & monstra terrifica, quæ illos tantùm-non exanimabant: *apparebat enim illis subitaneus ignis timore plenus: & timore percussi illius, quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur*, vt dicitur Sap. 17. v. 6. Septimò, ex conscientiæ malè sibi consciæ remorsu omnia pauebant & horrebant, ait Sapiens, siue sonum auium, siue mugitum bestiarum, siue strepitum arborum, siue fragorem aquarum, lapidum aut montium audirent, putabant omnia hæc in necem suam coniurasse: *Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti tremebundi peribant*, vt dicitur Sap. 17. v. 9. Vide hîc, quàm pauida, quàm anxia sit mala conscientia. nam, vt ait ibidem Sapiens: *Semper præsumit sæua perturbata conscientia.* Et Cicero in Pisonem: *Sua*, inquit, *quemque fraus, suū facinus, suū scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.* Et Macrobius l. 1. in Somniū Scipionis c. 10. *Vulturem*, inquit, *iecur immortale rodentem nihil aliud* intel-

Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum.

intelligi voluerunt (sapientes Poetæ) *quàm tormenta malæ conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperq́; curas, si requiescere fortè tentarint, excitantis, tamquam fibris renascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis lege hac, qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam.* Sententiam intellige, arguentis & condemnantis conscientiæ. *Octauum.* Octauò, addunt Septuag. cum tenebris fuisse turbinem, procellam & tempestatem.

Vers. 23. NEMO VIDIT FRATREM (proximum) SVVM, NEC MOVIT SE DE LOCO IN QVO ERAT] Hebr. *& nō surrexit vir de subter se*, q.d. De sede, vel loco, cui insidebat; Septuag. *& non surrexit vllus ex cubili suo*: nimirum attoniti tanto prodigio, præsertim in tenebris tam horrendis positi, omnia formidabant, vt se loco mouere non auderent. Metuebant enim, ne, si se mouerent, in spectra & monstra, aut præcipitia incurrerent; nam ex tam insolitis tenebris putabant totum mundi ordinem peruerti & dissolui. *Ægyptij in tenebris fuerūt quasi vincti.* Vnde Sap. 17. & 18. dicitur Ægyptios fuisse tunc quasi catena quadam vinctos, & in carcere reclusos, ideoque miserabiles tunc emisisse voces, quæ ab Hebræis audirentur: omni enim solis, cæli, ignis, candelæ, omnique omnino lumine orbati erant. Vnde Philo, ignis, ait, quo vtimur, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à crassissimis tenebris. Et Sapiens cap. 17. ait, *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere.*

Ægyptij omni omnino lumine orbati fuerunt. Quare errat Caietanus, dū ait, Ægyptios fuisse tantùm lumine cælesti, non autē domestico ignis aut candelæ priuatos. hoc enim refellit Scriptura, cùm ait has tenebras fuisse palpabiles: rursum, neminem vidisse alium, neminem mouisse se loco, solos Israelitas fruituros esse luce. Et verò parua alioqui fuisset hæc pœna: nam multi, qui ad polum vergunt, lumine cælesti naturaliter ad multos menses, imò ad dimidium annum orbantur, natura eis aliud lumen domesticum ex ligno oleato, quod ardet instar candelæ, subministrante. Ecquid curo, siue lumine solis, siue ignis aut candelæ videam, dummodo videam?

Addit Burgensis, tantam tunc fuisse nebulam & crassitiem aëris, vt non modò aspectum omnem lucis auferret, sed & motum progressiuum impediret. Verùm hoc videtur incredibile; sic enim nebula hæc debuisset esse densa, solida, & resistens instar lapidis aut ferri.

VBICVMQVE HABITABANT FILII ISRAEL, LVX ERAT] Hebraicè est, *in sedibus suis.* q.d. Non tantùm in vicis, plateis, vel domibus vicinis, sed in eadem domo, Hebræi in suis cubiculis luce gaudebant, in qua Ægyptij in Gessen habitantes, suis in locis, cimmerijs tenebris inuoluebantur, Deo radios solares porrigente ad Hebræos, non ad Ægyptios, & crassissimam nebulam offundente Ægyptijs, non Hebræis. Sap. 18. dicitur Hebræos hoc triduo audiuisse quidem voces Ægyptiorum, sed neminem eorum vidisse. *In eadem domo Hebræis erat lux, Ægyptijs verò tenebræ.*

Mysticè tenebræ quid. Tropol. hæ tenebræ significabant cæcitatem mentis Pharaonis & Ægyptiorum, ait Origenes,

A qui tot plagas experti Deo tamen credere & obedire noluerunt. Diabolus enim excæcabat corda eorum, qui in hac re facit vt aquila. Aquila enim, vt tradit Plinius l. 10. c. 4. vt ceruum supplantet & deuoret, solet collectum volutatu puluerem, in oculos cerui cornibus insidens excutere, ac pennis ora verberare, donec eum quasi excæcatum & furentem præcipitet in rupes: ita facit dæmon, terreno puluere homines excæcat, itaque quasi furentes in rupes tartari præcipitat. Secundò, hæ tenebræ significabant idololatriam & errores eorum: annon enim tenebræ sunt adorare vitulum? Tertiò, significabant obscurissimas & inscrutabiles esse diuinæ prouidentiæ rationes. Deus enim *posuit tenebras latibulum suum*, psal. 17.

B Quartò, nona hæc plaga, ait S. August. respondet nono præcepto, *Non concupisces vxorem proximi tui*: qui enim eam concupiscit, in magnis versatur tenebris incontinentiæ & immūditiæ. Hinc Quintò, tenebræ hæ erant imago tenebrarum inferni, de quibus S. Bernar. l. serm. 16. in Cant. *Pauco gehennam, contremisco à dentibus bestiæ infernalis, horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem & sulphur, & spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt praeueniam fletibus fletum, & stridorem dentium?* Quis hîc non paueat? Si pauet, cur non cauet? *Tempus breue est*, inquit Paulus, *præterit figura huius mundi.* Ergo ita viue in mundo, ac si non esset mundus: mox enim præteribit & euanescet. E conuerso, ita viue, vt in æternum viuas. vt æternas pœnas mortemque euadas. In gehenna enim *miseris erit mors sine morte, finis sine fine: quia ibi mors viuit, & finis semper incipit*, inquit S. Gregor. l. 9 Moral. c. 48. *Tenebræ æternæ metuendæ.*

C VOCAVITQVE PHARAO MOYSEN] triduo tenebrarum expleto: nam eo durante nullus ausus fuit se loco mouere. quod & ex verbis Pharaonis patet: neque enim, vti solet, plaga liberari rogat; vtpote quæ iam cessasset: sed timens ditiora, *ite*, inquit, *sacrificate* Deo. ita Lyran. Abulens. Perer. Vers. 24.

OVES TANTVM VESTRÆ ET ARMENTA REMANEANT] pignoris vice, ne fugiatis, & non redeatis.

HOSTIAS QVOQVE DABIS] Das vt abeamus, sed oportet des & hostias, scilicet oues & pecora nostra ad immolandum. & hoc sequentia indicant: sequitur enim: *Cuncti greges pergent nobiscum.* Vers. 25.

D INDVRAVIT AVTEM DOMINVS COR PHARAONIS] tum amouendo plagam tenebrarum; tum petendo per Mosen non tantùm Hebræos, sed & omnia eorum pecora dimitti; tum non dando ei gratiam mollientem, quam toties demeritus erat Pharao. Vnde hoc capite post tot plagas maximè hac phrasi vtitur Scriptura, scilicet, quòd Deus Pharaonem indurarit, vt significet indurationem eius fuisse pœnam peccati. Vers. 27.

NON VIDEBO VLTRA FACIEM TVAM] sponte te non accedam, non vrgebo, sed tu potiùs me videre desiderabis, quando in proxima & vltima plaga primogenitorum nos exire compelles, cap. 12. v. 31. Vers. 29.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædicit, & describit vltimam plagam Aegypti, scilicet stragem primogenitorum, ante quam Hebræi v.2. monentur à Domino vt spolient Aegyptum: spoliatio tamen hæc non antè (vt volũt aliqui) sed post stragem primogenitorum peracta est, vt patet c.12.v.35. & hoc c.v.1. & 2.

1. ET dixit Dominus ad Moysen: Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet. 2. Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea & aurea. 3. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptijs. Fuitque Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti, coram seruis Pharaonis & omni populo. 4. Et ait: Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum: 5. & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum. 6. Eritq; clamor magnus in vniuersa terra Ægypti, qualis nec antè fuit, nec postea futurus est. 7. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Ægyptios & Israel. Descendentq; omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui subiectus est tibi: post hæc egrediemur. 9. Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in terra Ægypti. 10. Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

VERS.1. ET DIXIT DOMINVS] Dixit hæc Dominus Mosi, cùm Moses adhuc consisteret coram Pharaone cap. præc. in fine: nam Moses hanc vltimã plagam primogenitorum, ex Dei reuelatione hîc acceptam, ipsi Pharaoni prædixit, & denuntiauit: deinde iratus ab eo exijt, vt patet hîc v.9. constat autem ex fine capitis præced. Mosen numquam ampliùs Pharaonem adiisse. Hinc patet, Deum non corporali, sed imaginaria, vel potiùs intellectuali locutione hæc Mosi dixisse, cum eoque toties antè simili modo locutum esse, vti dixi cap.6. initio; neque enim dignum aut decens erat, vt Deus Mosi coram Pharaone corporali specie se videndum exhiberet.

DIMITTET vos] Hebr. additur כָּלָה *cala*, id est consummatè, siue omnino. q.d. Nullam rem iam excipiet, vti hactenus fecit, sed oues & omnia vestra vobiscum plenè dimittet.

VERS.2. POSTVLET] cùm scilicet post plagam primogenitorum, Pharao vos Ægypto ad sacrificium exire compellet. *postulet* autem non dono, sed mutuo quasi mutuaturus, verùm numquam redditurus, sed mutuum ex donatione mea retenturus: hoc enim mutuum ego vobis dono & condono.

AB AMICO SVO] à proximo, vicino, aut socio suo: hoc enim est Hebræum רֵעַ *rea*. hinc patet nõ solos Hebræos, sed & Ægyptios habitasse in Gessen. Vnde & c.12. iubentur Hebræi sanguine agni tingere domos suas, vt eas angelus vastans discernat ab Ægyptijs. Petierunt ergo Hebræi hæc vasa à suis vicinis, ab amicis, ab heris: multi enim ex eis erant serui & seruæ Ægyptiorum.

VASA ARGENTEA ET AVREA] quasi ijs indigeatis ad sacrificium, quod molimini, in iisque sanguinem hostiarum, similam, sal, ignem, thus, aliaque quæ ad sacrificium pertinent, sitis excepturi. Addunt Septuag. ex ca.12.v.35. *& vestes*, quasi ijs ornandi sitis in tanta solemnitate & sacrificio.

DABIT GRATIAM] vt Hebræi hæc vasa & vestes petentes ab Ægyptijs, ijs placeant, videanturque rem æquam, congruam, quæque eis concedi debeat, petere. corda enim hominum in manu Dei sunt, vt hostes qui antè oppresserant, iam non tantùm repentè cicures & comes, sed & liberales reddat. VERS.3.

FVITQVE MOYSES VIR MAGNVS] q.d. Ideo eum tam liberè loquentem & minantem tangere aut lædere non est ausus Pharao. rursum, ideo faciliùs Ægyptij vasa sua commodarunt Hebræis.

ET AIT] Moses inspiratus à Deo dixit Pharaoni. Redit ad id quod factum est in fine cap.10. vt dixi v.1. VERS.4.

MEDIA NOCTE] proxima nocte, quæ scilicet secuta est decimam quartam diem mensis primi Nisan. Illa enim decimaquarta die ad vesperam celebrarunt pascha, in quo cæsis noctu primogenitis, Hebræis liberi Ægypto egressi sint. Dixit ergo hæc Moses decimaquarta die Nisan manè, antequam egrederetur ex aula Pharaonis. Monemur hîc, ait Rupert. non dormire, sed sobrij esse, & vigilare: quia pari modo ex improuiso, cùm minimè putamus, veniet Dominus ad iudicium. Nam, vt dicitur Matth.25. *Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Proinde per os Dauid Ecclesia dicit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Quinimò verè Iesum Christum venturum nocte ad iudicium, vt perdat Ægyptios, id est reprobos, ex hac figura, & ex Matth.25.6. docent S.Chrysostom. Theophyl. Hieron. ibidem, qui addit hanc esse Apostolicam tradiditionem. Alij tamen Christum putant venturum manè. Sed de hac re alibi dicendum est. *Media nocte Christus veniet ad iudicium.*

EGREDIAR IN ÆGYPTVM] non locum mutans, sed actionem: quos enim hactenus in viuis seruaui, perdam & occidam. qui ergo vt vltor ab Ægypto abfui, iam vt victor ingrediar, eosque visitabo vindicta mea. Licet enim inter eos plerique paruuli innocentes sint, nocentium tamen sunt filij, ideoque quasi pars aliqua sunt patrum noxiorum & rebellium, quos filiorum morte plectere decreui. Deus enim est sontium & insontium, vitæ & mortis dominus, vt in sontibus non iniustè vitam adimat, vt dominus; sontibus verò iustissimè etiam eripiat, vt vindex malorum.

VERS. 5. ET MORIETVR OMNE PRIMOGENITVM A PRIMOGENITO PHARAONIS, QVI SEDET IN SOLIO EIVS] qui simul cum patre regnat, vel post patrem in solio sessurus & regnaturus est.

VSQVE AD PRIMOGENITVM ANCILLÆ QVÆ EST AD MOLAM] quæ molas, putà trusatiles, B versat in pistrino. quasi dicat, Clades hæc in omnes, & à nobilissimo vsque ad vilissimum peruadet. Iustè cæde primogenitorum puniuntur, qui Hebræos primogenitum Dei populum oppresserant, & proles eorum masculas intceremerant, ait Theodor.

VERS. 6. ERITQVE CLAMOR MAGNVS] Generalis enim hæc plaga omnes tetigit: nam, cùm posteà mersus est Pharao cum suis, plaga illa non omnes tangebat domos, sed tantùm militum Pharaonis: neque valdè Pharaonem sublatum doluerunt Ægyptij, vtpote cuius culpa tantas incurrerant clades & calamitates.

VERS. 7. APVD OMNES AVTEM FILIOS ISRAEL NON MVTIET CANIS AB HOMINE VSQVE AD PECVS] Est prouerbium Hebræum, q.d. Nemo hominum, nullum pecus mutiet aut mugiet, ne canis quidem, C qui minimo strepitu allatrat: sed apud omnes erit summa pax.

Verùm quia *τὸ ab homine* in Hebræo habet articulum datiui, & quia non rectè canis numeratur inter homines; hinc Secundò, & genuinè cum Chaldæo & Vatablo sic explices: neque hominibus, neque iumentis filiorum Israel allatrabit vllus canis: quia apud eos nulla erit plaga mortis, ac consequenter nullus luctus & planctus, in quo præ alijs bestijs eiulare & latrare solent canes. sed summa erit apud eos quies.

VERS. 8. DESCENDENTQVE SERVI TVI] imò & tu, ô Pharao, quod tamen tuo deferens honori subticeo, vt patet c. 12. v. 31.

Decima plaga fuit cædes primogenitorum, eaque acerbissima ob quinque causas.

Decima hæc fuit plaga, nimirum cædes primogenitorum, tam hominum, quàm iumentorum omnium, inflicta c. seq. v. 29. fuitque acerbissima. D Primò, quia primogeniti summè cari & pretiosi sunt parentibus, præsertim quia inter hos primogenitos multi erant vnigeniti, vniciique parentum heredes. Secundò, quia singulæ familiæ hac plaga afflictæ luxerunt. Tertiò, quia & Pharao hac plaga primogenitum suum perdidit. Quartò, quia media nocte hæc cædes contigit. vnde hæc plaga permouit Pharaonem, vt absolutè Hebræos dimitteret, qui eadem ipsa nocte suâ conuasantes egressi sunt. Quintò, simul cum hac plaga Apis, alijque dij Ægyptiorum euersi sunt, vt patet c. 12. vers. 12.

An primogeniti cæsi sint per angelum bonũ? Negat Rupert.

Quæres, An hæc cædes facta sit per angelum bonum, an per malum. Per malum eam factam esse putant Lyranus & Abulens. probant ex cap. 12. v. 23. vbi dicitur: *Non sinet* (Dominus) *percussorem* A *ingredi domos vestras, & lædere*: hic ergo percussor fuit malus: voluit enim lædere Hebræos qui erant populus Dei (quod angelus bonus non fecisset) sed Deus id non permisit.

Affirmat Perer. idq; verius est.

Verùm Pererius, & alij probabiliùs censent, eam factam esse per angelum bonum: per hunc enim reliquæ plagæ inflictæ sunt, vt dixi cap. 7. sub finem quæst. 4. Ad argumentum Respondeo, pro *non sinet*, hebraicè est *non dabit*. q.d. Deus hæc omnia ordinans & præscribens angelo, iubebit illi, vt Ægyptios feriat, vestras autem domos, ô Hebræi, pertranseat: itaque non dabit illi potestatem vos lædendi. vnde non sequitur angelum hunc voluisse lædere Hebræos, sed tantùm eum non accepisse à Deo ordinationem illos lædendi. ita Caiet. Adde, inter Hebræos fuisse aliquos impuræ & improbæ vitæ, quos angelus iustè ferire potuisset & voluisset, si Deus permisisset.

Nota, non vnum, sed plures fuisse angelos, qui hanc cædem peregerunt, vt patet psalm. 77 v. 49. hæc enim cædes eodem instanti facta est vndique in singulis vrbibus & pagis per totam Ægyptum: idem autem angelus non poterat eodem instanti esse in tot locis, ibique tantam stragem tam discretè operari. secùs fuit in exercitu Sennacherib, in quo, vtpote coniuncto, vnus angelus, vna nocte occidit 185. millia, 4. Regum 19. Vnde Pererius probabiliter putat, in qualibet ciuitate fuisse vnum angelum, qui occiderit primogenita Ægyptiorum.

Quinam hic vocētur primogeniti.

Quæres Secundò, qui intelligantur hîc primogeniti. Respondeo, omnes illi, qui primò nati erant ex suis parentibus, siue haberent filios, siue non, & siue viuerent eorum parentes, siue non: quare omnes patresfamilias qui erant primogeniti, hîc cæsi sunt, rursum eorum parentes, quin & filij, si erant primogeniti. Vnde, quia Pharao hîc non fuit cæsus, hinc liquet, eum non fuisse primogenitum, sed primogenito mortuo, vel præterito in regnum successisse. Addit Abulens. primogenitos hîc intelligi tam feminas quàm mares, idque siue primogeniti essent respectu vtriusque parentis, siue vnius tantùm. Quo posito, fieri poterat, vt in vna domo plures essent primogeniti, verbi gratia, vt paterfamilias esset primogenitus parentibus suis, & vxor primogenita esset suis, & vtriusque filius primogenitus: &, si pater ille plures haberet vxores, atque ex singulis liberos, respectu cuiuslibet vxoris erat vnus primogenitus, ita vt in vna familia quinque, & plures subinde essent primogeniti, quos omnes in hac plaga cæsos esse censet Abulens. atque ita facilè fieri potuit id quod ait Script. cap. 12. 30. *Neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus*. Deus tamen pro hisce primogenitis Hebræorum hîc seruatis, solos eorum mares primogenitos sibi offerri depoposcit, c. 13. v. 12.

Audi de hac cæde Sapientem c. 18. *Cùm quietum*, inquit, *silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terrã prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat stans in terra.* Hinc videtur quòd angelus non peste, sed gladio occiderit hæc primogenita. Verùm *gladius* in Script. omne instrumentum, omnia arma, omne genus mortis significat, vt alibi dixi: nec angelus

angelus indiget gladio. facillimè enim frangendo cor, aut collidendo partes vitales, aut suffocando, alijsq; similibus modis se solo potest homines occidere, perinde vt nos pulices digito comprimimus & occidimus.

Mysticè cædes primogenitorum, quid? Resp. primò

Tropol. S. August. in l. de Conuenientia decem præcept. cum 10. plagis Ægypti: qui peccant, ait, contra decimum præceptum, *Non concupisces*, per fraudes, rapinas, aliasque iniustitias, hi puniuntur morte primogenitorum; quia non relinquunt heredes bonorum malè partorum, ac non rarò eorum filij & heredes, etiam primogeniti emoriuntur; nam malè parta malè dilabuntur, & *de malè quæsitis non gaudet tertius heres*.

Secundò.

Secundò, primogenita Ægyptiorum sunt diabolus, & angeli eius, quos Christus aduentu suo perdidit. Rursum sunt hæresiarchæ, & inuentores falsarum religionum, quas Christi veritas cum suis extinguit auctoribus. ita Origen. & S. August. serm. 87. de Tempore.

Tertiò.

Tertiò, Pererius, Ægyptij, inquit, sunt hostes fidelium, putà diabolus & mundus. Diaboli primogenita sunt peccatum, maximè originale, ait Rupertus, & mors. Primus enim parens peccati fuit Lucifer & serpens in paradiso, eiusque inuidia mors introiuit in orbē terrarum. Hæc occidit

A Christus, cùm mortē nostram moriēdo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Mundi primogenita sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: hæc occidit Christi gratia per munditiam carnis & cordis, paupertatem spiritus, ac humilitatem mentis. Nónne mundi primogenita sunt diuitiæ, honores, voluptates, inanis gloria? hæc percussit Christus cōcubia nocte nascendo. Diuitias enim admirabili paupertate præsepij, honores inaudita humilitate tenebrarum, voluptates ipsius stabuli asperitate contriuit. Vnde iam paupertas diuitiarum nomen sibi vendicat; diuitiæ, inopia appellantur; ignominiæ,

B ludibria & opprobria, quæ Christi causa tolerantur, honores dicuntur; crux, gloria; mors, vita; carcer, libertas nominatur.

Et exivit a Pharaone iratvs nimis] tantæ tergiuersatioui, peruicaciæ & rebellioni Pharaonis. Vers. 9.

Dixit avtem Dominvs ad Moysen] Est epilogus & summa præcedentium capitum. q.d. Dixerat autem Dominus ad Moysen, putà ante plagas Ægyptijs immissas, c. 3. 19.

Nec dimisit filios Israel] hucusque scilicet, vsque ad decimam plagam: nam in decima eos dimittet, vti videbimus cap. seq. v. 30. Vers. 10.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribitur hic ritus immolandi & comedendi agnum paschalem. Secundò, v. 29. angelus vastans percutit primogenita Aegyptiorum, intactos relinquens Hebræos. Tertiò, v. 33. Hebræi exeunt Aegypto cum spolijs & opibus Aegyptiorum.

Nota. De agno paschali sex hîc pertractat Moses. Primò, de qualitate agni v. 5. Secundò, de tempore illum immolandi v. 6. Tertiò, de sanguine eius illinendo postibus ad euadendum percussorem angelum v. 7. & 13. Quartò, v. 8. de ritu & modo illum comedendi. Quintò, de nomine tam agni, quàm festi, quod est phase vel pascha v. 11. Sextò, de personis ad edendum agnum idoneis v. 43.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti: 2. Mensis i-
ste, vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. 3. Loquimi-
ni ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat v-
nusquisque agnum per familias & domos suas. 4. Sin autem minor est numerus vt
sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui iunctus est domui
suæ, iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. 5. Erit autem
agnus absque macula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hœdum.
6. Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam mensis huius: immolabitq; eum v-
niuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. 7. Et sument de sanguine eius, ac
ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus come-
dent illum. 8. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis a-
grestibus. 9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm as-
sum igni: caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis. 10. Nec remanebit quid-
quam ex eo vsque mane. si quid residuum fuerit, igne comburetis. 11. Sic autem
comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenē-
tes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (id est transitus) Do-
mini. 12. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne primogeni-
tum in terra Ægypti ab homine vsque ad pecus: & in cunctis dijs Ægypti faciam iudi-
cia, ego Dominus. 13. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis:
& videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando per-
cussero terram Ægypti. 14. Habebitis autem hunc diem in monumentum: & ce-
lebrabitis eam solemnē Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. 15. Se-
ptem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris:
quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die vsque ad

diem septimum. 16. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. 17. Et obseruabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. 18. Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. 19. Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel, tam de aduenis quàm de indigenis terræ. 20. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. 21. Vocauit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase. 22. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem: nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ vsque manè. 23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumq; viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere. 24. Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque in æternum. 25. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis vt pollicitus est, obseruabitis ceremonias istas. 26. Et cùm dixerint vobis filij vestri: Quæ est ista religio? 27. dicetis eis: Victima transitus Domini est quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incuruatusque populus adorauit. 28. Et egressi filij Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron. 29. Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. 30. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. 31. Vocatisq; Pharao, Moyse & Aaron nocte ait: Surgite & egredimini à populo meo, vos & filij Israel: ite immolate Domino sicut dicitis. 32. Oues vestras & armenta assumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. 33. Vrgebantq; Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. 34. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, posuit super humeros suos. 35. Feceruntq; filij Israel sicut præceperat Moyses; & petierunt ab Ægyptijs vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. 36. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptijs vt commodarent eis: & spoliauerunt Ægyptios. 37. Profectiq; sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis. 38. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oues & armenta & animantia diuersi generis multa nimis. 39. Coxeruntq; farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant: & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. 40. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. 41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. 42. Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis. 43. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena nõ comedet ex eo. 44. Omnis autẽ seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet. 45. Aduena & mercenarius non edent ex eo. 46. In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. 47. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud. 48. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit: eritq; sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. 49. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos. 50. Feceruntq; omnes filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron. 51. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

VERS. I. DIXIT QVOQVE DOMINVS] eodem mense primo, putà Nisan, id est Martio, aliquot diebus ante exitum ex Ægypto & ante cædem primogenitorum, hæc enim contigit 15. die mensis, hîc verò iubentur die decimo mensis eiusdem tollere agnum, 14. die immolandum. Ergo ante

A cædem, adeoque ante decimum diem hæc dicta sunt à Deo, & promulgata à Mose. Quare & ante vltimum Mosis cum Pharaone colloquium, de quo in fine cap. 10. & initio cap. 11. hæc dicta sunt. Est ergo hîc hysteron proteron. voluit enim Moses omnium signorum & plagarũ Ægypti historiam

riam simul priùs pertexere; ac deinde enarrare egressum Hebræorum ex Ægypto, cui præmittit ritum phase siue agni paschalis, qui egressus & liberationis fuit symbolum & tessera.

VERS. 2. MENSIS ISTE, VOBIS PRINCIPIVM MENSIVM: PRIMVS ERIT IN MENSIBVS ANNI] Hic Mensis est Nisan, qui Martio nostro respondet, vel partim Martio, partim Aprili: Iosephus eum à Græcis Xanticum, ab Ægyptijs Pharmuti appellari asserit. Vtebantur enim mensibus lunaribus Hebræi, putà, quos luna suo cursu describit. hic autem cursus lunæ non est peragrationis Zodiaci; hunc enim peragrat luna 27. diebus: nec illuminationis; nam hic peragitur 28. diebus. sed coniunctionis lunæ cum sole: numerando enim dies, qui ab vna coniunctione lunæ cum sole interfluunt vsque ad aliam coniunctionem, quando luna rursus relicta à sole apparere incipit, facitque neomeniam siue nouilunium, qui primus mensis est dies, efficitur mensis lunaris, qui constat 29. diebus, & 12. insuper horis, quæ 12. horæ alternis mensibus iunguntur, vt integer dies conflетur. v. g. si huic mensi dentur 29. dies, sequenti dabuntur 30. tertio rursus 29. quarto 30. & ita consequenter. Hinc fit, vt annus lunaris constans duodecim lunationibus siue mẽsibus, habeat dies 354. sitque minor anno solari vndecim diebus. Quare vt annum lunarem solari æquarent, nunc tertio, nunc secundo anno decimum tertium addebant mensem, geminando vltimum Adar, id est Februarium, quem proinde *Veadar*, quasi secundum Adar vocabant, perinde ac annus ille vocabatur embolismalis siue excrescens: ita fiebat vt singulis 19 annis, planè idem esset exordium anni solaris & lunaris. nam septies geminato Adar, videlicet anno tertio, sexto, octauo, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, & decimonono, dies 209. qui in anno solari supra lunarem per 19. annos supercreuerant, ad vnum omnes reddebantur per septem hosce menses insertos, vt facilè videbis, si numeros subducas, & sex mensibus, qui intercalantur, tribuas 30. dies, septimo verò mensi & vltimo anni decimi noni des dies 29. ita Beda libr. de Rat. temporum cap. 43. & Abulens. in 23. Leuitic. quæst. 19. Vide Riberam lib. 5. de Templo cap. 2.

Vtebantur Hebræi mẽsibus lunaribus.

Nouiluniũ erat primus dies mensis.

Annus lunaris solari est minor vndecim diebus.

Annus embolismalis quis?

Vnde Hebræorum hic est canon embolismi siue intercalationis: ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis, q. d. Mensis intercalandus est anno tertio, & sexto, & octauo, & 11. & 14 & 17. & 19. ergo annis 19. inserebant septem menses intercalares. cadebat ergo embolismus tertio quolibet anno vel secundo: itaque annos lunares suos æquabant annis solaribus, quibus aliæ gentes communiter vtebantur, vt ijs se & sua tempora accommodarent.

PRIMVS ERIT] Ergo antè non fuerat primus, itaque ante phase, & ante hanc liberationem Hebræorum ex Ægypto, primus mensis erat Tisri, (quæ vox apud Chaldæos significat initium, ait Iosephus) qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet. idq; clarè colligitur ex c. 23. 16. vbi loquens Dominus de festo tabernaculorum, quod in mense septimo, putà Tisri, celebratur, ait: *Custodies solemnitatem quæ in exitu anni.* atqui vbi exit & desinit annus præcedens, ibi sequens incipit: ergo in Tisri, putà in Septembri, desinebat & incipiebat olim annus. Vnde & c. 24. v. 22. eam-

A dem vocat solemnitatem, qua vel *quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Hinc & S. Hieron. in 1. Ezech. scribit mensem Octobrem apud omnes Orientales esse primum.

Vbi obiter Nota. Athenienses inchoabant annum à solstitio æstiuo, Asiani ab æquinoctio autumnali, Arabes & Damasceni ab æquinoctio verno, à quo etiam Romani ante Numam Pompilium initium anni faciebant, 10. tantùm mensibus annum definientes; Numa verò addidit Ianuarium & Februarium: vnde Ouidius 1. Fast.

Auspicium anni variũ apud varias gentes.

Qui Ianum sequitur, veteris fuit vltimus anni.

Post Numam verò Iulius Cæsar redegit annum ad eum computum, quo iam vtimur, vt scilicet inchoetur annus mox à solstitio hyberno, putà à Ia-B nuario. vide Solinum Polyhist. libr. de diebus intercalaribus cap. 1.

Cœpit ergo hìc in exitu Hebræorum distingui annus vulgaris siue communis à sacro: vulgaris incipiebat à Tisri, siue Septembri, seruiebatque iubileo, vt patet Leuitici 25. v. 9. 10. item contractibus & negotijs sæcularibus, vt docet Ioseph. 1. Antiqu. 4. Sacer verò à Nisan, id est Martio (hoc enim mense tam Iudæi, quàm Christiani celebrant pascha) vt incipiat, hìc instituitur & præcipitur, ad hoc vt festis seruiat, idque in memoriam salutis acceptæ, & liberationis ex Ægypto. Voluit enim Deus initium anni esse initium salutis & beneficiorum suorum. sicut enim noui post Noë & diluuium sæculi auspicium, voluit esse iridem, quæ perenne esset monumentum fœderis, misericor-C diæ & gratiæ diuinæ, quòd numquam deinceps diluuio orbem obrueret; sic & nunc à circumcisione Christi, putà ab inchoata eius redemptione, annum ordimur.

Scriptura autem semper vtitur anno sacro, vt patet Zachar 7. v. 1. 1. Machab. 4. 52. Esther 3. 7. vide Riberam Aggæi 2. initio.

Script. vtitur anno sacro.

Nota elogia mensis Nisan. Primum est, quòd in Nisan celebratur pascha festum celeberrimum. Secundò, in Nisan Hebræi ingressi sunt terram promissionis, vt patet Iosue 4. Tertiò, in Nisan mundus creatus est. Quartò, in Nisan Christus conceptus est. passus est, & resurrexit. Quintò Nisan vocatur mensis nouarum frugum: eò quòd circa Martium in Palæstina segetes, maximè hordei, maturescere incipiant. Atque hæ sunt causæ, cur in vere, putà in Nisan, phase celebrari voluerit Deus. Audi S. Ambrosium de Paschæ myster. D c. 2. *Est, inquit, pascha in vere anni principium, primi mensis exordium, nouella germinum reparatio, ac terra hiemis nocte discussa, primi veris restituta iucunditas. Hoc tempore visibilium & inuisibilium conditor Deus, defixa humo cæli machinam suspendens, diem solis ardore radiauit,* &c.

Elogia primi mensis Nisan siue paschalis.

Quæres, vnde cognosci & discerni possit, quis sit primus mensis siue Nisan, in quo celebrandum est pascha.

Vnde cognoscatur mẽsis primus siue paschalis?

Respondeo, Mensis primus & paschalis est is, cuius 14. dies, siue plenilunium, incidit vel in ipsum æquinoctium vernum, vel primò post ipsum, quo fit vt nouilunium primi mensis, nec ante diem octauum Martij, nec post 5. diem Aprilis esse queat æquinoctium vernum. tempore Nicenæ Synodi incidebat in diem 15. Martij, vbi etiamnum nunc post Gregorianam Calendarij correctionẽ locũ habet: hinc fit, vt Nisan numquam possit

possit esse totus intra Martium, sed semper in Aprilem excurrat; licet fieri possit, vt aliquando totus sit extra Martium, numquam tamen potest esse totus extra Aprilem, potest tamen aliquando totus esse intra Aprilem: vt plurimùm tamen partim cum Martio, partim cum Aprili concurrit, & interdum in Maium excurrit, si nimirum sit annus embolismalis, siue vno mense *Veadar*, qui Nisan antecedit, adauctus. ita ex Clauio Pererius. Denique audi S. Ambros. epist. 83. ad Episcopos Æmiliæ: *Si, inquit, inciderit decimaquarta dies in diē Dominicā; quia neque die Dominica ieiunare debemus, neque decimatertia luna, die sabbathi, incidente, ieiunium soluere, quod maximè die passionis Christi est exhibendum; in alteram hebdomadā celebritas pascha est differenda. Siquidem sequitur decimaquinta luna, qua passus est Christus, & erit secunda feria: tertia quoque feria erit decimasexta luna,* B *qua caro Domini in sepulchro quieuit; cùm quarta eius feria decimaseptima luna futura sit, qua Dominus resurrexit.*

Nomina 12. mensiū Hebræorū. IN MENSIBVS ANNI] Nota. Primus mensis Hebræorum est Nisan, qui congruit Martio; Secundus Iiar, qui cum Aprili conuenit; Tertius Siuan, qui cum Maio; Quartus Tammus, qui cū Iunio; Quintus Ab, qui cum Iulio; Sextus Elul, qui cum Augusto; Septimus Tisri, qui cum Septembri; Octauus Marchesuam, qui cum Octobri; Nonus Kislu vel Kasleu, qui cum Nouembri; Decimus Teuet, qui cum Decembri; Vndecimus Shebet, qui cum Ianuario; Duodecimus Adar, qui cum Februario congruit.

VERS. 3. Nota. Hæc nomina, Nisan, Iiar, Siuan, & cætera, non esse Hebræa, sed Chaldæa, quæ Hebræi à Chaldæis acceperunt in captiuitate Babylonica; C vnde non nisi in libris post captiuitatem scriptis, putà in Zacharia, Esdra, Esther, & Machabæis reperiuntur: nā antè vocabantur ordine numerali, Mensis primus, secundus, tertius, & cetera, incipiendo à Martio; sicut & Romani vocant Quintilem, Sextilem, Septembrem, Octobrem, Nouēbrem, mensem quintum, sextum, septimum, octauum, nonum à Martio, qui olim apud Romanos quoque fuit primus anni mensis.

LOQVIMINI AD VNIVERSVM COETVM FILIORVM ISRAEL] Loquimini vos senioribus, vt ipsi sigillatim cuique è populo illud idem edicant. nam cœtum omnem Hebræorū congregari numquam passus fuisset Pharao: secretò verò eo inscio cœtum hunc congregare erat impossibile. Sic cap. 4. v. 29. dicitur Moses congregasse seniores Israel, & mox tamen v. 30. dicitur locutus po- D pulo, videlicet quem referebant seniores: quod enim senioribus dicebat, hoc toti populo censebatur dicere.

DECIMA DIE MENSIS HVIVS TOLLAT VNVSQVISQVE AGNVM] Putà quatuor diebus ante agni immolationem, quæ fieri debebat 14. die. Iussit hoc Deus Primò, vt hisce quatuor diebus vitium, si quod esset in agno, se proderet; debebat enim esse anniculus, integer, omnis maculæ expers. Secundò, quia ipsa decimaquarta die toti ad exitum se comparantes Hebræi, non habuissent otium agnum conquirendi. Tertiò, vt agni aspectu & voce monerentur comparare sese ad eius sacrificium & epulum, simulque ad exitum ex Ægypto. *Quoties enim agnus balatum emittebat, toties quasi tuba sonitus exituras castrorum acies ex-*

Decimo die quærebatur agnus ob quatuor causas.

A *citabat*, ait Rupert. Quartò, vt ex frequenti aspectu agni, occasionem haberent inter se sermocinandi de redemptione sua ex Ægypto, Deoque pro ea gratias agerent, in eumque spe tota defixi non formidarent Ægyptios. Addit S. Epiphanius hæresi 50. Iudæos ab hac decima die vsque ad decimamquartam, per quinque dies ieiunare solitos.

Porrò non tantùm hoc primo egressus anno, vt vult Perer. sed deinceps singulis annis, hoc decimo die comparari solere agnum hunc à Iudæis, indicat Epiphan. iam citatus, S. Chrysost. in catena, S. Thomas & Lyran. in Iohan. 12. Rupert. in c. 10. & 11. Iohannis, Anselmus in 21. Matthæi, Beda hom. in Dominica palmarum. Vnde & hac die decima, putà, Dominica palmarum, Christus hoc agno figuratus, ingressus est Ierusalem cum ramis palmarum, immolandus post quartum diem, putà, die Veneris, vt Toletus in c. 12. Iohannis, & alij obseruarunt. *Alleg. de Christo.*

TOLLAT VNVSQVISQVE] paterfamilias, nisi tam exigua sit familia, vt alteri iungi debeat, eò quòd non sufficiat ad totum agnū comedendum: nil enim ex agno relinqui poterat. Tradunt Rabbini, & Iosephus lib. 7. Belli c. 17. non pauciores quàm decem adhiberi solere ad esum vnius agni. Vnde ex agnis 256500. in paschate immolatis tempore Cestij Præsidis, sub quo Romanis rebellare cœperunt Iudæi, colligit Iosephus tunc Hierosolymæ fuisse Iudæorum trigesies centena & septuaginta millia, præter impuros. hi enim esu agni arcebantur.

AGNVM] Hebr. שה *seh*, significat pecudē tam ouinam quàm caprinam, id est, tam hœdū quàm agnum: tam ergo hœdus, quàm agnus poterat immolari, & esse phase, vti dicam v. 5. & 21. idque vt significaret Christum, qui in se est agnus, sed nobis est hœdus, quia nostra peccata in se luenda suscepit. ita Rupert. *Christus sibi est agnus, nobis hœdus.*

Quæres, Cur agnum vel hœdum potiùs quàm vitulum aut porcam elegit Deus ad phase? Respondet Lyranus, vt destrueret idololatriam Ægyptiorum, ab eaq; Hebræos auocaret: Ægyptij enim colebant Iouem in figura arietis. iussit ergo Deus agnum siue arietem paruum occidi & immolari. Verùm sic potiùs vitulum elegisset; Ægyptij enim colebant maximè Apim in specie bouis aut vituli. *Cur agnum voluit Deus, non vitulum?*

Dico ergo Deum elegisse agnum, quia is parui erat pretij, & à qualibet etiam paupere familia emi poterat. Secundò quia agnus est animal mūdum & simplex: hinc Festus Pompeius, *Agnus*, inquit, *dicitur à Græco ἁγνὸς, quòd significat castum; eò quòd agnus sit hostia pura & immolationi apta.* vnde & S. Cyprian. tract. de Liuore: *Christus*, inquit, *plebem suam agnos vocat, vt agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur.* Tertiò, quia agnus expressus erat typus Christi, qui in paschate quasi agnus mansuetus, innocens & purissimus immolatus est, pro nobis, Isaiæ 53. 7. & Ierem. 11. 19. Vnde & Iohannes Baptista Iohannis 1. *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Denique apposité immolarūt agnum in Nisan, cùm sol est in ariete: aries enim animal respondet arieti sideri in cælo. aries autem animal parens est agni. ita Burgensis. *Respond. primò. Secundò. Tertiò.*

PER FAMILIAS ET DOMOS] In eadem enim domo poterant esse plures familiæ, quarum quælibet,

libet, si erat magna, suum habebat & comedebat A agnum.

VERS. 5. *Agnus debebat esse sine macula.*

ERIT AVTEM AGNVS ABSQVE MACVLA, MASCVLVS, ANNICVLVS] *Absque macula*, non coloris, sed deformitatis, claudicationis, scabiei, alteriusve vitij aut morbi: debet enim esse תמים *tamim*, id est integer, vt habent Hebræa. hoc enim est quod de victima qualibet dicitur Leuit. 22. *Omnis macula non erit in eo: si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.*

Tropolog. victima Dei debet esse pura & innocens. *Nihil*, inquit Lactantius lib. 6. Diuin. instit. *sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè religioseq; litauit.* Piè S. Gregor. libr. 2. Moral. *Sic vixi*, ait, *vt accusatorem exteriùs* B *non timerem: vtinam sic vixissem, vt intra me ipsum accusatorem conscientiam non haberem.* Socrates ad mortem damnatus Apollodoro comploranti, dicentique, *Innocens morieris? Quid*, inquit, *num me nocentem mori malles?* Ea igitur mors libenter subeunda est, in qua criminis innocentia homo excusatur. testis est Xenophon in Apolog. pro Socrate. Sic enim innocentes moriuntur agni. *Christus*, inquit S. Cyprianus suprà, *suos oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur.* & S. Laurent. Iustinianus de Discipl. monast. cap. 7. *Delectatur*, inquit, *Dominus Iesus in grauitate vitæ, in cordium puritate, & imperfectione seruorum suorū.* & S. Chrysost. homil. 6. in Matth *Sicut*, inquit, *in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda.* Quin & Xistus Pythagoricus: *Templum*, inquit, *sanctum est Deo, mens pij; & altare est optimum ei cor mundum & sine peccato.* Et Titus Imper. *Nemo*, ait, *me iniuria aut contumelia afficere potest: quia nihil ago quod alios lædere possit.* Agis rex ad mortem damnatus lictori comploranti ait: *Omitte pro me has lacrymas: nam iniustè moriens melior sum ijs qui me morte damnarunt.* Et Phocion socio comploranti, *Non tibi*, inquit, *Euippe satis est cum Phocione mori?* scilicet innocentem cum innocente.

Innocentia sacrificium & exempla.

Masculus.

Secundò, debet esse masculus, quia hic præstantior est femella; præstantiora autem Deo sunt immolanda. Rursum quia est typus Christi Domini, qui masculus est ille inuisus draconi, Apoc. 12. hic enim nihil habet feminei, id est molle, fluxum & instabile. Vnde dicitur recturus gentes in virga ferrea, inquit Rupert.

Mascula opera sunt victima Dei.

Tropol. masculos animos, & mascula opera offerri sibi vult Deus: tales victimas sibi deposcit, D viros optat, non feminas. *Vir*, inquit Cassiodor. in psalm. 1. *vocatus à viribus est, qui nescit in aduersis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua eleuatione se iactare, sed animo stabili defixus, & cælestium rerum contemplatione firmatus manet semper impauidus.* Et S. Gregorius lib. 5 Moral. *Fortitudo, ait, non nisi in aduersitate ostenditur. tanto enim quisque ad fortitudinem profecisse se demonstrat, quanto aliena mala robustiùs tolerat. Nam minùs in se conualuit, quem aliena iniquitas strernit, qui in eo quod ferre non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus iacet.* Idem rursum: *Fortes, ait, facti sunt Sancti, carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cælestia appetunt; occidi possunt, flecti autem nequeunt; nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi vnquam à veritate conticescunt.*

Addit Moses masculum agno, licet enim agnus ab agna apud Grammaticos genere distinguatur, tamen apud Rhetores sæpè agnus non sexum, sed speciem animalis discriminat, vt, cùm dicimus, Agnus est, non vitulus, id est, est speciei agninæ, siue agnus sit siue agna, maximè, quia Hebræum שה *seh* vtrumque sexum, & tam agnam quàm agnum significat.

Anniculus.

Tertiò, hic agnus debet esse anniculus, hebr. *filius anni*, id est, habens vel agens annum, putà talis, vt non excedat annum ætate, etiamsi annum non compleuerit: poterat enim post octauum à natiuitate diem immolari, vt patet Leuit. 22. 27. Exigit Deus agnum vnius anni, quia, vt ait Nicetas in Nazianzen. orat 2. de pascha, agni vnius anni spatio in perfectam ætatem adolescunt, ita vt generare possint, ait Hesychius in Leuit. 14.

Mysticè.

Symbolicè, sicut sol per annum cursum suum absoluit, omnia progignit, & ad sui exordium redit; ita Christus, qui est sol iustitiæ, sui semper similis, in se rediens, virtutum orbem progignit. ita Nazianz. ibidem.

Tropol. anniculi sunt, qui à pueritia se dicant Deo.

Tropol. vult Deus nos à teneris sibi seruire, sibique primam ætatem dicare, vti fecit Christus, B. Virgo, S. Ioannes Baptista, S. Nicolaus, S. Agnes, & alij illustres Sancti. Audi Hugon. Victor. lib. 3. de Claustro animæ cap 10. *In illa ætate quando flauescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, iuuenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior: qui in hac ætate se domant & Deo sociant, præ-* C *mium Ioannis expectant.* Et rursum: *Tales, ait, offerunt hostiam viuentem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, &, vt cuncta breuiter perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed, vt ita dicam, porcum curatum. Sicut enim porcus in immunditijs, sic senex iacens in vitijs: & sicut porcus siliquis pascitur, sic senex fabulis & rumoribus delectatur.*

Nota. Iudæi in paschate adhuc hoc nostro tempore vescuntur azymis, sed non immolant agnū. quia agnus secundùm legem Deuter. 16. vers. 2. immolari debet Hierosolymæ, vbi erat templum: iam autem Iudæi & templo & Hierosolyma carent.

Quæ cæremonialia seruent adhuc Iudæi, quæ non.

Vbi aduerte, Iudæos non seruare ea cæremonialia, quæ iussit Deus in templo fieri, seu quæ ordinem dicunt ad templum: tales sunt oblationes, sacrificia, decimæ, annus iubilei, purificationes & purgationes, immolatio primogenitorum, eorumque redemptio. hæc enim omnia debebant fieri in templo: cùm ergo templo careant Iudæi, non possunt ea modò præstare. Alia verò quæ non sunt iussa fieri in templo, illa etiam hodie seruant Iudæi; talia sunt circumcisio, esus azymorum, ieiunia, quies sabbati & aliorum festorum: festa enim seruant Iudæi, quoad quietem, non autem quoad sacrificia, quæ ex lege illis festis fieri deberent: hæc enim non nisi in templo fieri possunt. Iudiciaria etiam præcepta obseruarent Iudæi, sicubi ex sua gente haberent tribunal & iudices, qui secundùm legem Mosis iudicarent & punirent.

IVXTA

IVXTA QVEM RITVM TOLLETIS ET HOEDVM] Si nimirum desit agnus, tunc loco agni tolletis hœdum instar agni immaculatum, masculum, anniculum; neque enim iubet Deus vt agnum accipiant simul & hœdum (neque hoc vnquam fecerunt Hebræi) sed vel agnum, vel hœdum. Id patet ex Hebræo, qui sic habet: *erit pecus mascula, ex agnis, &* (id est *aut*) *ex capris accipietis eam*. & ex Septuag. qui sic habent: πρόβατον τέλειον, ἄρσεν, ἄμωμον, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, καὶ ἀπὸ τῶν ἐρίφων λήψεσθε. id est, *agnus erit perfectus, masculus, immaculatus, ab agnis &* (id est *aut*) *hœdis accipietis eum*. Neque enim vnum eumdemque agnum poterant ab hœdis simul & ab ouibus accipere. ita Theodor. Rupert. Hugo, Abulens. Caiet. Lipoman. Errant ergo Primò, Hebræi nonnulli, qui in magnis familijs putant pro agno immolari potuisse vitulum, idque probant ex illo Deut. 6. *Immolabis Domino phase de ouibus & de bobus*. Sed alius illius loci est sensus, vt ibi dicam.

Pro agno nō poterat accipi vitulus,

sed hœdus.

Errat Secundò Burgensis, qui negat pro agno immolari potuisse hœdū. Hebræa, inquit, sic habent, *ex arietibus & capris accipietis eum*, q.d. Agnū accipietis è grege, in quo de more sunt arietes & capræ associati. Hoc enim refellit noster Interpres disertè hîc, cùm vertit, *iuxta quem ritum tolletis & hœdum*: omnesque Interpretes tam Latini quàm Hebræi id ipsum confutant.

Errant Tertiò, alij, qui putarunt agnum à singulis familijs decimaquarta die, hœdum verò à toto populo decimaquinta die debuisse immolari: quos pluribus refutat Abul. & Lyran.

VERS. 6. IMMOLABITQVE EVM VNIVERSA MVLTITVDO FILIORVM ISRAEL AD VESPERAM] Ergo agnus fuit victima, eiusque immolatio fuit sacrificium, vt patet c. 13. 5. & Num. 9. 7.

Nota Primò. *Immolabit*, scilicet decimaquarta die, vti præcessit. Iudæi ergo ipsa 14. luna, in quamcumque diem incideret, immolabant suum phase; Christiani verò post Cōcilium Nicenum non decimaquarta luna, sed Dominica illam proximè sequente suum pascha celebrant, in honorem resurrectionis Christi. Pascha enim nostrum non est transitus de vita ad mortem, qualis erat agni veteris, sed de morte ad vitam, qui sacrificij Christi in cruce fuit terminus. *Pascha enim nostrum non passionis, sed lætitiæ est & resurrectionis*, ait S. Ambrosius epist. 83.

Christiani pascha celebrant in Dominica ad honorem Christi resurgentis.

Nota Secundò. Traditio fuit apud priscos Hebræos, Messiam eodem die illaturum plenam libertatem Hebræis, quo ipsi per phase liberati erant ex Ægypto, vti refert Andr. Masius in Iosue 5. 10. Sicut ergo illo die fuit plenilunium, quo luna opposita soli toti lucebat orbi, ita Christus tūc moriens toti illuxit orbi; vnde etiamnum Iudæi, teste Eugubino hîc, Messiam suum eodem die venturum putant, ac redempturum Israel.

Allegor. de Christo.

Allegoricè, Rupert. agnus immolatur in plenilunio, id est, Christus venit, & immolatus est in plenitudine temporum, ad Galat. 4. 4. Secūdò, agnus immolatus est post æquinoctium vernū, cùm lux & dies crescunt, noctemque & tenebras superant, id est ab immolatione Christi cœpit iustitiæ lux, peccatorum tenebras superare. Tertiò, *ipse mensis Nisan, id est, Aprilis verna temperies, cùm tellus reflorescit, totusq; post hiemem, quasi post senium rursus iuuenescit orbis, nónne sensatum hominem docet, quatenus spiritu mentis suæ renouatus, & fide viridis, spe lætus, & charitate floridus, spiritualibus agni paschalis intersit epulis?* inquit Rupertus.

VNIVERSA MVLTITVDO] Hinc patet, sacerdotes non immolasse hos agnos paschales in templo, vti sensit Claudius Sainctes 1. repetit. Eucharist. c. 7. Abulens. in Exodi 16. & ex eo Serarius in Iosue 5. q. 22. sed quemque patremfamilias nomine totius familiæ, domi suæ agnum immolasse: hoc enim tempore necdum legales sacerdotes Aaronici eorumque sacrificia erant instituta. Idque expressè docet Philo libr. 3. de vita Mosis, & Iosephus, quos sequitur Franc. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 40. sect. 2. & licet postea instituti sint sacerdotes Aaronici, tamen patresfamilias in antiquo suo iure & ritu immolandi phase permanserunt, eaque ex parte priscum ius sacerdotij, quod primogenitis vel patribusfamilias competebat, retinuerunt. Id confirmatur ex eo, quòd plures erant familiæ, & consequenter plures agni paschales quàm Leuitæ. nam sub Cestio, vti iam dixi, agni paschales numerati sunt 256500. clarum autem est Leuitas longè pauciores fuisse.

Dices, 1. Esdræ 6. 20. dicuntur sacerdotes & Leuitæ purificati, ad immolandum pascha vniuersis filijs transmigrationis.

Respondeo, *Pascha* ibi sumitur pro omni sacrificio paschali, tam agni, quàm aliarum victimarum: alias enim victimas soli sacerdotes immolabant, etiam in paschate; agnum verò paterfamilias immolabat, nisi immunditia legali pollutus foret: tum enim videtur Leuitis id negotij ab Esdra datum fuisse, vti & ijsdem idipsum datum est 2. Paral. 30. v. 17. & 18.

AD VESPERAM] *ad solis occasum*, vt dicitur Deuter. 16. 6. Hebr. est, *inter duas vesperas*, chald. *inter duos soles*. Nota. Vespera propriè est tempus diei, quod est post occasum solis, & ante principium noctis. Vnde Iudic. 19. dicitur: *Considera quòd dies ad occasum decliuior sit, & propinquet ad vesperam*. Hinc Leuit. 23. v. 32. præcipitur, vt festos dies agant à vespera in vesperam, id est, à solis occasu ad alterum solis occasum. Verùm vulgari & communi vsu vespera non tantùm tempus post solis occasum, sed etiam tempus ante occasum, cùm sol iam ad eum vergit, significat.

Quæres ergo, quod sit tempus *inter duas vesperas*, quo immolandus erat agnus, vt habent Hebræa?

Agnus immolabatur inter duas vesperas, quando?

Primò, Lipoman. respondet tempus inter duas vesperas esse noctem, quæ inter vesperam diei decimæquartæ, & inter crepusculum matutinum (quod dici potest vespera) diei decimæquintæ interiecta est. Verùm sic agnus non vespere, sed nocte pertinente non ad decimamquartam, sed ad decimamquintam diem immolatus fuisset. quod repugnat S. Scripturæ.

Prima Sentent.

Secundò, Hebræi, Chald. Lyran. & Abulens. Prima vespera, inquiunt, est declinatio solis à meridie versus occasum: secunda est, ipse solis occasus: inter has duas immolandus erat agnus. Verùm insolens est totum tempus pomeridianum vocare vesperam.

Secunda.

Tertiò, Oleaster, Aben Esra & alij putant primam vesperam esse solis occasum, secundam esse initium noctis siue tenebrarum; inter has enim intercedit crepusculum, putà aliquid temporis quo lumen aliquod solis post eius occasum in aëre adhuc apparet, perinde vt fit manè ante solis ortum

Tertia.

ortum (quod proinde dicitur crepusculum matutinum.) Verùm hoc tempore non immolandus, sed comedendus erat agnus: nam, vt patet Leuit.23.5.& Num.28.16. agnus immolandus erat decimaquarta die ad vesperam, sed comedendus cum azymis decimaquinta, quæ incipiebat à solis occasu, quo finiebatur decimaquarta: idem patet hîc v.6.& 8.

IV. Et genuina. Prima vespera est, cùm sol declinat; secunda, cùm occidit.

Dico ergo, primam vesperam esse cùm iam sol declinat ad occasum, secundam esse ipsum solis occasum; & hoc voluit Chaldæus, cùm vertit, *inter duos soles*, scilicet declinantem, & occidentem. Idem disertè docet Iosephus, qui libr.7. de Bello Iudaico c.17.& libr.16. Antiquit. c.10. docet Hebræos immolare solere paschales hostias ab hora nona vsque ad vndecimam; nona autem respondet nostræ tertiæ pomeridianæ. & Caietanus, *Inter duas vesperas*, inquit, id est inter occasum solis, quæ est vna vespera; & inter declinationem solis ad occasum, quæ est prior vespera: ita vt tempus hoc circiter duas horas contineret ante solis occasum. ita & Masius in cap.5. Iosue v.10. Iansenius c.145. Concordiæ, Pererius, Ribera, & alij. Duabus ergo horis circiter ante occasum solis immolabatur agnus & assabatur: post occasum verò noctе cùm iam inciperet decimaquinta dies, comedebatur, ita vt ante mediam noctem esus agni, & cœna omnis absolueretur.

An agnus prima vespera diei 14. an secunda sit immolanus? Aliqui putant.

Quæres Secundò, An agnus immolari debuerit priore vespera decimæquartæ diei, an posteriore?

Aliqui neoterici in Hispania, quos fusè refellit Ribera l.5. de Templo c.3. & Suarez in tractatu de Eucharistia in azymo conficienda, senserunt agnum immolari debuisse priore vespera diei decimæquartæ (quæ erat posterior vespera diei decimætertiæ, siue decimatertia luna ad vesperam) non autem posteriore, quæ erat pridie siue initium decimæquintæ diei, putà festi azymorum: ita vt inter paschæ vesperam & primam diem azymorum integer intercesserit dies, quo Hebræi ex Ægypto egressi sint, quo an comederint azyma, incertum est, ac proinde incertum etiam esse, an Christus eos sequens in azymo agnum cœnarit, & in azymo Eucharistiam instituerit, an verò in fermentato, vti volunt Græci.

Refelluntur Primò.

Verùm hæc sententia planè falsa est. Probatur Primò, quia *τὸ ad vesperam* finem diei significat, non principium; ergo decimaquarta luna ad vesperam, de decimaquarta finiente in secunda vespera, non inchoante à priore vespera intelligenda est. Antecedens patet Genesis 30.16 Exodi 18.14. Leuit.23.32.

Secundò.

Secundò, Numer.33.3. dicuntur Hebræi decimaquinta die, & altera paschæ profecti de Ramesse, id est, exijsse ex Aegypto; ergo pascha incidebat in vesperam præcedentem, putà secundam decimæquartæ diei: alioqui enim non altera paschæ, sed tertia die à paschate fuissent profecti ex Ramesse & Aegypto.

Tertiò.

Tertiò, ipse historiæ contextus hoc capite omnino conuincit, Hebræos eadem nocte qua comederunt agnum, fuisse egressos ex Aegypto, neque potuisse diem interijci: nam statim ab esu agni cæsis primogenitis Aegyptij coëgerunt Hebræos egredi, ita vt panem coquere ipsis non liceret. Vnde subdit Moses: *Hæc nox obseruabilis.*

Quartò.

Quartò, Scriptura tantùm numerat septem dies azymorum, eosque integros, videlicet à decimaquinta die vsque ad vigesimam primam ad vesperam, ita vt primus dies esset is, quo agnus paschalis immolabatur. ita enim ait S. Marcus cap.14.1. *Erat pascha & azyma post biduum.* & Matth.c.26. & Lucas cap.22. *Primo die azymorum quando pascha immolabant.* idque expresse dicitur hoc cap.v.18.& 19. Imò, vt Talmudici narrant tractat. *pesachim* (de paschate) nocte agni immolati Hebræi lumine lucernæ scrutabantur fermentum, ne quid eius in domo remaneret. Atqui iuxta priorem neotericorum illorum sententiam, non septem, sed octo forent dies azymorum, & agni immolatio non incideret in primum diem azymorum, sed vno die præcurreret. hoc autem repugnat Scripturæ.

Dices, Iosephus numerat 8. dies azymorum.

Respondeo, Iosephus diem incipit à manè, ita vt decimaquinta dies ad vesperam festa, sola & seorsim loco vnius computetur: inde mox incipiat decimaquinta, & post eam decimasexta, & ita consequenter: tunc enim sunt octo.

Quintò, Christus Dominus decimaquinta die in plenilunio, id est, primo azymorum die festo passus est, vt habet communis Patrum sententia: atqui certum est ex Euangelio, Christum pridie passionis vltimum celebrasse pascha, & eius loco instituisse Eucharistiam: ergo id fecit decimaquarta die ad vesperam posteriorem, siue secundam; Christus autem seruauit tempus à lege præscriptum; ergo lex præscripsit vespera non prima, sed secunda immolandum esse phase. *Quintò.*

Sextò, idem probari potest ex pentecoste: hæc enim celebrabatur 50. die à secundo die & festo tam paschæ, quàm azymorum: pluribus id probat Ribera, & Suarez suprà. *Sextò.*

Dices, Scriptura numerat dies festos incipiendo à prima vespera, vt patet Leuit.23.32. sic numerat & dies creationis mundi, cum ait Genes.1. *Factum est vespere & manè dies vnus*: ergo pariter hîc vespera prima, non secunda intelligi debet. *Obiectio prima.*

Resp. Primò, neg. antecedens. Licet enim dies festi post legem in Leuitico datam, celebrarentur à vespera in vesperam; Scriptura tamen dies etiam festos iam inde ab initio mundi, à mane in mane numerat, primusque dies mundi ita intelligitur, vt vespere finiente diurnam lucem, & mane finiente noctem præcedentem, factus sit dies primus, vti dixi Genes.1. Vides ergo, & ibi vesperam accipi non principium, sed finem diei. Resp. Secundò, etiamsi ibi vespera præcedens accipienda esset, inde tamen non concludes eamdem hîc accipi debere. aliud enim est dicere à vespera incipere festa, aliud phase incipere decimaquarta die ad vesperam. *Soluitur.*

Dices Secundò, Iosephus hîc ait, instante, vel, vt Gelenius vertit, illucescente decimaquarta luna, Hebræos sacrificasse agnum: ergo id fecerunt non in fine, sed in initio, putà prima vespera diei 14. *Obiectio secunda ex Iosepho.*

Respondeo, Græcè in Iosepho est ἐνστάντος in aoristo, non ἐνισταμένης in præsenti, ac proinde vertendum est, Astante, presente, vel postquam adfuit decimaquarta dies. Deinde etiamsi verteres, Instante decimaquarta die; intelligendum id esset iuxta legem, ad vesperam secundam iam dictam: nam de mente Iosephi dubium non potest esse legenti lib.3.c.10. Aliam obiectionem soluam v.42. *Soluitur.*

Dico ergo hanc vesperam fuisse posteriorem decimæquartæ lunæ, siue decimaquarta die iam desinente, & decimaquinta inchoante, ita vt ritus hic agni fieret partim decimaquarta, partim decimaquinta die; immolatio enim agni fiebat decimaquarta, comestio verò præcisè fiebat decimaquinta die. Vespera enim hæc erat confinium decimæquartæ & decimæquintæ diei, & vna sui parte ad decimam quartam, altera ad decimamquintam spectabat. Vnde Iudæi & Christus dicuntur immolasse pascha nunc decimaquarta, nunc decimaquinta die, vti mox dicam.

Vbi Nota. Licet cætera festa à vespera in vesperam per diem integrum celebrarentur, pascha tamen solùm celebrabatur in fine, putà in vespera decimæquartæ diei, non autem decimoquarto die inchoante. Ergo dies decimusquartus non erat sacer, nec festum, sed tantùm eius vespera secunda, siue finis.

Alleg. plenilunij paschalis. Allegor. vergente mundi vespere in consummatione sæculorum oblatus est Christus, ait Hesychius in cap. 23. Leuitici, idque in plenilunio, quando luna recepta sui luminis plenitudine, sole iam occidente, in Oriente exoritur; quia moriente Sole iustitiæ, Ecclesia quæ in luna intelligitur, caliginem peccati discutiens noua luce exoritur, & ad vitam consurgit. ita Rupert. & Radulphus in Leuit. 10. Tertiò, sicut Hebræi noctu agnum comederunt, sic & Christus Sacramentum corporis sui eadem nocte nobis manducandum dedit. Quartò sicuti sequenti luce, id est primo azymorum solemni die, holocausta immolabantur, ita & Christus in cruce Deo Patri viuam hostiam se obtulit: vno ergo die, nimirum, primo paschali vtrumque obtulit sacrificium, cruentum videlicet, & incruentum. Hinc Patres docent immolationem agni non minùs exhibuisse typum sacrificij Eucharistici, quod fit in Missa, quàm sacrificij crucis. ita S. Leo serm. 7. de passione, Cyprian. serm. de cœna, Gregor. homil. 22. in Euangelia, Nazianz. orat. 2. de pascha, Chrysostomus homil. de proditione Iudæ, Rupert. & alij. *Agnus fuit typus sacrificij tam Eucharistici, quàm crucis.*

Anagogicè, S. Hieron. in Marci cap. 14. *Vespera diei*, inquit, *finem mundi indicat: circa vndecimam namque horam venient nouissimi, qui primi denarium vitæ æternæ accipient.*

VERS. 7. ET SVMENT DE SANGVINE EIVS, AC PONENT SVPER VTRVMQVE POSTEM, ET IN SVPERLIMINARIBVS DOMORVM, IN QVIBVS COMEDENT ILLVM] vt viso hoc sanguine agni, angelus percutiens domos illas Hebræorum pertranseat, nec percutiat eorum primogenita, vt patet v. 23. S. Hieron. in Isaiæ 66. agens de signo crucis, ait: *Hoc & postes domorum in Aegypto signabantur, quando pereunte Aegypto solus Israel mansit illæsus:* quasi sanguis agni postibus illitus fuerit in formam crucis.

Nota *τὸ domorum, in quibus comedent illum.* Hinc enim videtur, quòd illi qui alteri domui se iunxerant, eò quòd pauciores essent numero, in eaque comederant agnum; in eadem quoque domo pernoctarint: nam si redissent ad domum propriam, quæ non erat tincta sanguine agni, in ea percussi fuissent ab angelo. Tales autem erant ferè Hebræi illi, qui in domibus Aegyptiorum habitabant: hi enim omnes ad Hebræorum domos iuerunt. si qui verò Aegyptij primogeniti erant tunc in domibus Hebræorum, hi ante noctem foras emissi sunt: alioqui enim vel omnes primogeniti Aegyptij non fuissent percussi, vel aliqui fuissent percussi in domibus Hebræorum sanguine agni tinctis: quorum vtrumque erat contra Dei decretum & mandatum.

Narrat Epiphan hæres. 18. Ægyptios memores illius diei, quo à cæde angeli liberati sunt Israelitæ, qui agni sanguine postes domorum illinierant, solitos esse intrante æquinoctio vernali, accipere rubricam, & illinere omnes arbores domosque, clamantes: *Quia in tempore hoc ignis vastauit omnia;* contra quam luem remedium putant ignicolorem sanguineum rubricæ.

ET EDENT CARNES NOCTE ILLA ASSAS IGNI, ET AZYMOS PANES CVM LACTVCIS AGRESTIBVS] VERS. 8. Nota. Agnus hic repræsentabat duplex beneficium liberationis, Primò, ab angelo percutiente; Secundò, ex Aegypto, ex qua Aegyptij timentes maiores plagas, festinanter exire compulerunt Hebræos. Rursum in esu agni duo repræsentabantur Iudæis. Primò, dura seruitus, qua seruierunt in Aegypto; huius symbola erant panes azymi, ideoque insipidi; assatio agni, & lactucæ agrestes. Secundò, festinatio qua egressi sunt: huius symbola erant Primò, panis azymus, quia non habebant tempus eum fermentandi; Secundò, assatio agni; Tertiò, quòd non poterant eius ossa frangere (festinantibus enim non vacabat id facere) ad exugendam medullam; Quartò, quòd comederent agnum accincti, tenentes baculos in manibus; Quintò, quòd non possent residuum seruare, sed illud igne comburerent. *Agni esu duo repræsentaban.*

Nota hic Primò, nocte comedendum fuisse agnum: hæc autem nox erat 15. diei. Secundò, per carnes accipe quoque neruos, viscera, & quicquid in agno erat comestibile.

ASSAS IGNI] Nota. Hic erat ritus immolationis agni. Primò, iugulabatur agnus; Secundò, sanguine eius aspergebantur postes & superliminare; Tertiò, detracta pelle intestina vel exempta ex agno, & mox reposita, vt vult Abulens. vel relicta in ipso agno, vt vult Caiet. lauabantur, vt possent cum agno & in agno torreri. Omnia enim tosta comedenda erant præter fel, & ilia fæces continentia quæ abijciebantur. Quartò, integer agnus, non dissectus (ne os aliquod læderetur) cum capite & pedibus torrebatur. Quibus adde, non potuisse comedi agnum, nisi à circumcisis, vt patet v. 48. & non nisi certo loco vbi erat tabernaculum, & posteà templum, putà Hierosolymæ, Deuter. 16. 6. Denique eo ritu qui sequitur. *Ritus immolationis agni.*

CVM LACTVCIS AGRESTIBVS] Hebr. עַל מְרֹרִים *al merorim*, id est, *cum amaris*, scilicet herbis quibuslibet amarulentis. ita Chald. Lyran. Pagnin. Verùm Septuag. certam speciem vertunt, nimirum πικρίδες: quod Theodorus Gaza nunc amaraginem, nunc lactucam agrestem vertit (ita ipse in lib. 9. Aristot. de histor. animal. cap. 6.) quæ, teste Dioscoride, amaro est gustu. vnde licet Ruellius lib. de Herbis S. Script. putet hanc lactucam esse endiuiam, tamen verius videtur propriè fuisse hanc lactucam siluestrem, quæ, inquit Abulens. est instar lactucæ hortensis, minor tamen illa, & asperi amarique saporis. hunc enim amarorem significat vox Hebræa & Græca: nam endiuia non est amari, sed potiùs suauis & grati saporis. Iussit Deus has lactucas amaras cum agno adhiberi, vt per eas recordarentur Hebræi, inquit Theodor. amarissimæ in Aegypto seruitutis, ex qua eos *Lactuca agrestis non est endiuia.*

Agnus comedendus cum amaritudine cur?

eos educebat; quò sic excitarentur ad Dei laudem, & gratiarum actionem. Vnde S. Ambrosius legit, *cum amaritudine.* quasi præceptum esset Hebræis, vt agnum ederent cum amaritudine quadam animi: & sic hunc locum explicat Oleaster.

Vt significaretur pœnitentia præmittenda Eucharistiæ in paschate.

Tropol. præcepit Dominus amaros mandatorum Christi sermones, cum ipso Sacramento Dominicæ passionis deuorari (ait S. Ambrosius serm. 2. de grano sinapis) ac nominatim contritionem & pœnitentiam præmittendam esse Eucharistiæ, præsertim in ipsa hebdomade sancta paschali. De qua S. Epiphan. hæresi 70. *In diebus,* inquit, *paschatis, quando apud nos fiunt humi cubationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ ieiunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones.* & S. Chrysostom. homil. 30. in Genes. *Nunc,* ait, *fideles & ieiunium intendunt, & vigilias, & pernoctationes sacras, & eleemosynas faciunt, vt hebdomadæ huic honorem habeant.* & S. Bernardus serm. feriæ quartæ hebdomadæ pœnosæ: *Vniuersi,* inquit, *Christiani hac septimana, aut præ solito, aut præter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt grauitatem; vt Christo patienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, vt non humilietur? quis tam iracundus, vt non indulgeat? quis tam deliciosus, vt non abstineat? quis tam malitiosus, vt non pœniteat his diebus?*

VERS. 9. NON COMEDETIS EX EO CRVDVM QVID, NEC COCTVM AQVA, SED ASSVM TANTVM IGNI] *Crudum,* ita vertunt & Septuag. & passim Hebræi ac Latini: temerè ergo Oleaster Hebr. נא *na* vertit *fractum* vel *dissectum.* Vetat Deus crudum agnum comedi, tum quia hoc inhumanum est: horret enim homo comedere carnes crudas; tum quia cruda caro insalubris est, & vix ab homine digeri potest; tum ne posteà inter edendum carnem crudam fastidientes abijcerent. Est enim in aliquibus, licet paucis, hominibus & gentibus, ferus & barbarus hic appetitus comedendi carnem crudam, quem Deus hîc vult frænari & aboleri: rudibus enim Hebræis quasi pueris, singula etiam vulgaria, solita & obuia minutim & exactè præscribit.

Tropol. qui crudum comedant agnum?

Tropol. cruda caro, inquit S. Gregor. homil. 22. in Euang. est, inconsiderata & irreuerens diuinæ bonitatis & excellentiæ consideratio, aut potiùs obliuio: sic crudum comedunt in Eucharistia, qui non considerant excellentiam tanti Sacramenti, & dignationem, ac præsentiam Dei Domini nostri, qui nos suo corpore & sua deitate pascit.

Agnus cur assandus?

NEC COCTVM AQVA, SED ASSVM TANTVM IGNI] Tum quia citiùs assantur carnes, quàm lixantur. assatio ergo festinationis Hebræorum, parantium se ad exitum, fuit symbolum; tum quia assatio significabat Hebræos in Aegypto in æstu, latere & luto fuisse quasi assos & tostos, iamque inde per esum agni huius assi liberari; quia assæ carnes solidioris sunt nutrimenti, ideoque magis roborant laborantes, quales erant Hebræi iter ingens facturi: carnes enim elixæ resoluuntur in humorem iurulentum, ideoque multum substantiæ ex se in eum emittunt & deperdunt.

Agnus in formâ crucis expansus assabatur.

Allegorica & potissima causa fuit, vt assus agnus significaret Christum amore nostri in cruce tostum. nam agnus in crucis formam expansus assabatur: alter enim rectus paxillus ab imo vsque ad caput traijciebatur, alter verò transuersus armos agni assandi distendebat, inquit S. Iustin. contra Tryphon. Christus enim in cruce nihil habuit aquæ, id est nihil mitigationis, nihil solatij in pœnis, sed tam dolore, quàm amore nostri fuit assus & tostus. Rursum Iudæi negantes Christi deitatem, & crudè accipientes, quæ de Messiæ regno & gloria tradit Scriptura, comedunt Christum crudum. Hæretici Christum comedunt aqua coctum, quia omnia eius mysteria suo ingenio & humana ratione (hæc enim est aqua) scrutari & comprehendere volunt: itaque per humanam sapientiam sacramenta humanitatis & deitatis euacuant. Catholici verò sobriè & piè mysteria Christi meditátes, & per ea fidem & charitatem accendentes, Christoque feruenter seruientes, comedút Christum assum. ita ex S. Gregorio Pererius.

Christus amore nostri in cruce assatus.

CAPVT CVM PEDIBVS EIVS ET INTESTINIS VORABITIS] Id exprimit Deus, quia caput, intestina & pedes, vtpote ossea & cartilaginosa, vulgò assare non solemus: in agno verò hæc assari voluit Deus; tum quia Hebræi festini non habebant tempus ea lixandi; tum quia Deus agnum integrum manere voluit; tum quia significabat Christum, in quo hæc maximè assa sunt, nimirum viscera compassione & amore nostri, pedes clauis, & caput spinea corona.

NEC REMANEBIT QVIDQVAM EX EO VSQVE MANE: SI QVID RESIDVVM FVERIT, IGNE COMBVRETIS] quia festini summo manè discedetis. Hinc ne agni reliquijs comedendis, aut conuasandis occupemini, aut ne illas à profanis profanè extra tempus sacrificij comedi contingat, vel à canibus vorari, vel etiam putrescere; eas igne in Dei honorem consumi volo, sicut igne Deo assatæ fuerunt: idque sequentibus deinceps annis eodem modo obseruari volo; vt primi huius exitus & festinationis iugem recolatis memoriam. VERS. 10.

SIC AVTEM COMEDETIS EVM: RENES VESTROS ACCINGETIS, ET CALCEAMENTA HABEBITIS IN PEDIBVS, TENENTES BACVLOS IN MANIBVS, ET COMEDETIS FESTINANTER] Omnia hæc festinationem indicant, suntque viatorum ad iter longum & laboriosum accinctorum: hinc calceos induere iubentur. Adde, calceus erat signum libertatis, vti dixi ad Ephes. 6. 15. Hactenus enim Hebræi quasi mancipia in Ægypto nudis iuerant pedibus ad agros, & opera sua durissima: nunc iubentur calceati incedere, instar ingenuorum & liberorum. Nota hypallagen Hebræam, *habebitis calceamenta in pedibus,* id est, habebitis pedes in calceamentis, siue calceatos. sic dicunt Hebræi, Miserunt ciuitatem in ignem, id est, miserunt ignem in ciuitatem, eam succendendo. VERS. 11.

Cur calceati comederent phase?

Addunt aliqui, veteres olim non assedisse mensæ, sed discubuisse, vt patet Esther 1. vers. 6. Tobiæ 2. 3. 1. Regum 19. 22. vtque thoros non macularent, & commodiùs cœnarent, cœnatique quiescerent in suis thoris, siue lectulis cœnatorijs, calceos exuebant, quin & pedes lauabant, vt patet Iudicum 19. vers. 21. Vnde & Magdalena Christo accumbenti lauit pedes. Hebræi verò hîc, quia non ad quietem, sed ad exitum parantur, hinc calceare se iubentur. Verùm, an hoc tempore vsus accumbendi in mensa fuerit in vsu, incertum est: imò Pererius contendit, vsum sedendi antiquiorem esse vsu accumbendi. nam in mensa Ioseph fratres sedebant, non accumbebant Genes. 43. v. 33.

Stantes comedebant phase, cur?

Nota. Ex eo quod dicitur, *Tenentes baculos in manibus*, videtur quòd Hebræi stantes, vtpote festini, agnum comederint, idque disertè docet Philo libro de Caini & Abelis sacrificio, & innuit Nyssenus, licet id neget Ribera lib. 5. de Templo c. 5. in fine. quorsum enim baculos tenentes manibus, succincti lumbos, & calceati, si non ad iter expediti stabant? Huc sanè allusisse, vel, potiùs allegoricum huius loci sensum dedisse videtur Apostolus Ephes. 6. 14. cùm ait: *State succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in preparationem Euangelij pacis.*

Dices, Matth. 26. v. 20. Christus celebrans pascha discubuisse dicitur; ergo non stetit. Respondet Maldonatus ibidem, discumbere significat mensæ adesse, quouis situ, siue sedeas, siue stes, siue accumbas: nam quia olim discumbendo prandebant, hinc mansit vsque hodie illa phrasis, vt accumbere mensæ dicamur, cùm illi assidemus.

Verùm, quia disertè de Christo dicitur Ioan. 13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* & paulò post, *Cùm recubuisset iterum, dixit eis*; hinc aptiùs dici potest, Christum de more stetisse in cœna agni, sed discubuisse in cœna communi, quæ cœnam agni secuta est, indeque surrexisse ad lotionem pedum, atque ea peracta, mox iterum recubuisse. Denique multi putant, hanc & alias agni cæremonias in primo tantùm hoc Hebræorum paschate, non autem deinceps seruatas esse. Verùm quid in hac re sit verius, dicam inferiùs v. 13.

Symbolicus agni esus.

Symbolicè, Philo: Qui tendunt, inquit, ad culmen virtutum, sint accincti lumbos, id est, expediti ad Deo ministrandum, & in virtutum exercitio laborandum, sintque induti calceis, quibus carneam molem ratione contineant: stentque recti firmatis pedibus; & disciplinam habeant, quasi virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia, atque festinent in hoc virtutis studio.

Tropolog. de Eucharistia.

Tropologicè, S. Gregorius homil. 22. in Euangelia, qui vult phase Christianum comedere, accingat renes, id est voluptates edomet, carnem à luxuria restringat, calceos habeat in pedibus, id est, Sanctorum mortuorum vitam & exempla conspiciat, vt sua vestigia à peccati vulnere custodiat: tertiò, teneat baculum in manu, id est, pastoralem curam gerat eorum, qui sibi commissi sunt: quartò, comedat festinanter, id est, ad solemnitatem patriæ cælestis anhelet. Audi quoque B. Algerum l. 1. de Sacramento altaris c. 22. *Lex, ait, dedit in calceamentis cautelam, ne à vitijs fallamur: in baculo disciplinam, qua perpetrata corrigamus: in lactucis compunctionem: in festinatione desiderij ardorem, quo ad cælestia suspiremus: in accinctis renibus continentiam & castitatem; quia Christo agno immaculato, & Virginis filio crucifixo, eiusq; vnitioni nihil ita aduersatur, vt voluptas, & fornicaria societatis vnitas.*

Denique calceus continentiam significat, cingulum modestiam, baculus spem, ait Nyssenus in vita Mosis. *A spinis, inquit, peccatorum calceus defendat continentissima, tenuis ac dura vita: talaris vestis & effusa, hoc est voluptuosa viuendi ratio, cingulo quodam, id est modestia, coarctanda est, qua moneat ad necessitatem, non ad voluptatem rebus vti: baculus verò, quo & feras hæreticorum repellimus, & sustentamur, spes est.*

VERS. 12. EST ENIM PHASE, ID EST TRANSITVS, DOMINI. ET (id est quia) TRANSIBO PER TERRAM ÆGYPTI NOCTE ILLA, PERCVTIAMQVE OMNE

A PRIMOGENITVM] q. d. Comedetis agnum festinanter, quia hic esus agni significat celerem & præproperum transitum angeli, vt percutiat primogenita Ægypti.

Pesach, phase, phasec, pischa, pascha idem sunt.

Nota Primò. Pro *phase*, hebraicè est, *pesach*; Theodotion vertit, φασὲχ; Syri & Chaldæi more suo addentes aleph, vertunt *pischa*, vel *pascha*: hoc secuti sunt Septuaginta vertentes *pascha*, vel vt Hebræo nomini Græcam terminationem darent, vel quia populus Babylone rediens, Chaldæum nomen *pascha*, præ Hebræo *pesach*, vsu vulgari terebat. Noster vertit *phase*, quia vltima gutturalis *chet* in Hebræo *pesach*, cùm sit difficilioris pronuntiationis, apud Græcos & Latinos supprimi solet. Vnde Septuaginta, Noster, & alij *chet* in dissyllabis in e vertunt, vt pro Hebræo Noach, vertunt Noe; pro Corach, Core; pro Therach,

B Thare; pro Iephtach, Iephte; sic & pro pesach, phase.

Phase, id est transitus, vel potiùs transultus, scilicet angeli percutientis.

Nota Secundò. *Pesach, pascha & phase*, significat transitum, vel magis propriè transultum: radix enim פסח *pasach* significat transilire, vti vertit noster Interpres, v. 23. & 3. Reg. 18. 26. Vnde & פסח *pisseach*, vocatur claudus, eò quòd quasi saltitans incedat. Hinc & Symmachus ac Iosephus pascha vertunt ὑπέρβασιν, id est transcensum, & S. Hieron. in Nominib. Hebræis transgressum, transcensionem. Noster hîc generaliùs transitum vertit, vt angeli duplicem transitum, primum per Hebræos, eis parcendo, secundum per Ægyptios, eos percutiendo, significaret. Dicitur ergo *pascha*, id est transultus, quia pascha significabat, quòd angelus transiliret domos Hebræorum, eas intactas relinquendo, & insiliret in domos Aegyptiorum,

C eorum primogenita occidendo.

Tertull. pascha à Græco πάσχειν deducit, vt pascha idē sit quod passio Christi.

Dices, Tertullianus lib. contra Iudæos videtur dicere pascha non esse Hebræum, sed Græcum nomen; illud enim ἀπὸ τοῦ πάσχειν, id est à patiendo, deducit: & quod hîc dicitur, *Est enim pascha* (iuxta Septuag) *Domini*, putat propheticè esse dictum, quasi dicat, *Est enim passio Domini*, quia scilicet eodem hoc die patietur Christus. Idem indicant Irenæus lib. 4. cap. 23. & Nazianz. orat. 2. de pascha: idque probat Nazianz. ex eo, quia si paschà esset Hebræum, non Græcum, dicendum esset phascha, non pascha. Veteres enim Hebræi non habebant *pe* durum, sed *phe* molle, siue Arabicum, vti testatur S. Hieron. in c. 11. Daniel. hinc enim dicimus Phares, Pharao, Pharisæus, non autem Pares, Parao, Parisæus.

Prisci dicebant phase & phascha, iam dicunt pesach & pascha.

D Respondeo, Patres hos non ad litteram, sed mysticè loqui, & symbolicè hunc locum explicare: volunt enim, non sine Dei consilio hanc vocem *pascha* inuentam esse, quæ tam græcè, quàm hebraicè etymologiam habet rei maximè consentaneam. Argumentum Nazianzeni exile est; nam non tantùm Græci, Syri & Chaldæi, sed & ipsi Hebræi posteriores pro *phe* initio dictionis semper vsurpant *pe*: semper enim *pe* initiali infigunt *dages* durum, vt patet ex eorum Grammatica.

Triplex transitus paschatis.

Nota Tertiò. Triplex hîc fuit transitus. Primò, angeli vastatoris; Secundò, Hebræorum ex Aegypto in Chanaan; Tertiò, eorumdem per mare rubrum: hunc tertium significari nomine *pascha* putat S. August. tract. 55. in Ioann. Secundò, Philo, Iosephus lib. 17. Antiqu. & Nazianzenus suprà putant pascha significare transitum Hebræorum ex Aegypto, idque innuitur Deuter. 16. v. 1. Verùm

Verùm dico, pascha Primò & proximè significare transitum angeli vastatoris: id enim hîc dicitur; mediatè tamen & finaliter significare transitum Hebræorum ex Ægypto. ad hunc enim quasi ad finem, dirigebatur hic transitus angeli. ita S. Hieronymus & Iosephus hîc lib. 2.

Pascha Primò, est transitus; Secundò, agnus pro transitu; Tertiò, festum;

Nota Quartò. Phase vel pascha propriè significat transitum, vel potiùs transultum. inde Secundò, significat metonymicè agnum immolatum pro hoc transitu: sic sæpè in Scriptura dicitur immolari vel comedi pascha, id est agnus paschalis. Tertiò, inde traductum est ad festum paschale: festum enim, quo immolabatur hic agnus paschalis, vocatur pascha: imò & septem dies azymorum illi contigui, vocantur pascha, Actor. 12. 4. quià solemnitas hæc septem dierum cum paschate incipiebat, eratque propter ipsum pascha. Quartò, pascha signifieat victimas quaslibet ouium & boum, quæ illis septem diebus immolabantur, de quibus Numer. 28. hæc enim à præuio paschate phase, siue pascha dicebantur. quæ Iudæi in passione Christi comesturi, ingredi noluerunt Pilati (vtpote Ethnici) prætorium, ne contaminarentur, vt patet Ioan. 18. 28.

Quartò, victima qualibet paschalis.

Allegoricè, agnus est Christus, qui de morte transiuit ad vitam, de terra in cælum, vt nos à peccato ad gratiam, ab inferno ad cælum transiremus. Vnde tropologicè, phase, id est transitum, celebrat anima, cùm egreditur à cogitationibus Ægypti, id est à molimine peccati, inquit S. August. tract. 55. in Ioann. *Pascha*, inquit S. Ambrosius lib. 1. de Cain cap. 8. *transitus est à passionibus ad exercitia virtutis.* & clariùs libro 1. Hexaëmeron c. 8. *Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est animarum transitus à vitijs ad virtutem, à passionibus carnis ad gratiam sobrietatemq́, mentis, à malitiæ nequitiaq́, fermento ad veritatem & sinceritatem regenerationis.* Et S. Gregorius homil. 10. in Euangel. *A regione*, inquit, *nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus: sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur: quoniam qui à paradisi gaudijs per delectationem recessimus, ad hac per lamenta reuocamur.*

Argum. Zuinglij: agnus est phase, id est typus trãsitus: ergo, hoc est corpus meum, est figura corporis mei.

Hinc Quintò, argutatur Zuinglius: Si hæc propositio est vera, *Agnus est phase*, in eaque admittenda est metonymia iam dicta; ergo eadem admittenda est in hisce Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, vt sensus sit, Hoc est figura corporis mei. additque Zuinglius hoc argumentum sibi reuelatum esse à spiritu, qui an ater an albus fuerit ignorat, eoque se conuicisse Heluetios, vt in Eucharistia non reuerà, sed typicè tantùm esse corpus Christi faterentur.

Respons. Primò.

Sed Respondeo Primò, antecedens esse falsum; agnus enim dicitur phase, id est hostia paschalis, propriè, non metonymicè: agnus enim hoc nomen sibi à Deo impositum, proprium possidet; vnde sic propriè in vsu communi loquebantur Iudæi, vt agnum vocarent phase: licet hæc impositio, & hic vsus originem habuerit à metonymia, quia hostia pro transitu immolata dicta est *phase*, id est transitus: nusquam autem vsus habet, & proprietas sermonis, vt corpus passim vocetur ipsa figura corporis.

Secundò.

Respondeo Secundò, negando consequentiam. agnus enim non potest propriè esse phase, id est transitus: quia transitus & agnus sunt duæ res prorsus disparatæ, quarum vna non potest esse alia: cùm autem dico, *Hoc est corpus meum*, *hoc* & *corpus* non sunt disparata; sed pronomen, *hoc*, in confuso idem significat quod determinatè significat *corpus*: in hac ergo propositione, *Agnus est phase*, id est transitus, necessariò admittenda est metonymia, non autem in hac, *Hoc est corpus meum.*

Nocte paschali Apis, & alia idola Ægypti contrita sunt.

Et in cunctis diis Ægypti faciam iudicia] Septuaginta, *faciam vltionem.* Hinc videtur, ait Caietanus, quòd Apis siue Serapis, omniaque alia deorum simulacra in Ægypto nocte paschali deiecta & comminuta sint, vel terræ motu, vel fulminibus; vti ex traditione Hebræorum asserit S. Hieronymus ad Fabiol. de 42. Mansion. in prima. Idem factum esse docet Artapanus antiquus historicus apud Eusebium lib. 9. de Præparatione cap. vlt. & huc alludit Isaias c. 19. v. 1. Sic ab arca Dei deiectus fuit Dagon 1. Reg. 5. Tradunt insuper Hebræi, idola Ægypti lapidea fuisse tunc comminuta in puluerem; lignea esse putrefacta, vel in cinerem redacta; metallica verò esse resoluta & liquefacta.

Mendaciũ Iustini historici.

Mentitur ergo Iustinus historicus, qui lib. 36. ex veteri Aegyptiorum fabula scribit, Mosen idola Aegypti furatum ea secum exportasse.

Vers. 13.

Erit autem sanguis vobis in signum] q. d. Sanguis hic vobis vestræ salutis erit signum & tessera, quòd non percutiet vos angelus vastator: non quòd angelus hoc signo corporeo indigeat; ipse enim per se satis videt, quæ sint domus Hebræorum, in quibus comeditur phase, quæ Aegyptiorum; sed quòd vos hoc signo tutelam, custodiam & salutem expectare velit, idque ob typum agni eius, qui sanguine suo liberabit vos ab ira ventura, & morte æterna. Per hunc ergo ritum implicitè profitebantur Hebræi, ab æterna morte se liberatum iri per sanguinem Messiæ; vnde & postes cum superliminari, quod vtrique posti superius incumbit (quæ omnia sanguine agni tingenda erant) typum & formam crucis exhibebant; vti docet S Cyprianus l. 2. testimon. contra Iudæos c. 22 Sic Ezech. 9. angelus iubetur omnes occidere præter eos, qui signati erant signo Tau, quod figuram gerebat crucis.

Crucis typus in postibus.

Iubentur ergo Hebræi hîc, non tantùm in primo hoc paschate suæ liberationis & exitus, sed & in alijs deinceps quotannis celebrandis postes & superliminare sui ostij sanguine agni aspergere, vt recordentur, quòd iam olim simili aspersione liberati sint à vastante angelo: nam non tantùm in primo hoc paschate, sed & in alijs deinceps hunc ritum seruatum esse, patet ex vers. 25. vbi dicitur: *Cùm introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, obseruabitis cæremonias istas*: putà vt 10. die quæratis agnum, quem decimoquarto die immoletis, eumque comedatis tenentes baculos, accincti, calceati, sanguine eius aspergentes postes, &c. Licet enim alibi horum expressa non fiat mentio, hîc tamen fit, idque sufficit. alibi enim Scriptura huc lectorem remittit, vt phase cæremonias hinc petat, & discat. Hæ ergo cæremoniæ sicùt in primo paschate, ita & in alijs deinceps præscriptæ, & à Iudæis obseruatæ sunt: adeoque azyma septem dierum, aliaque quæ à v. 14. & deinceps præscribuntur, non tam pro primo hoc paschate, quàm pro futuris à Deo præscripta esse, satis patet ex v. 14. vti dicam v. 15.

Cæremoniæ agni pro annis futuris præscripta sunt.

Et dies septima eadem festivitate venerabilis] Tunc enim erat festum cœtus, siue collectæ, de quo dicam Leuitici 23. 36.

Vers. 17. Cvstodietis diem istvm in generationes vestras ritv perpetvo] quamdiu scilicet vestræ generationis & gentis Iudaicæ ritus, cultus & religio, putà iudaiſmus, perdurabit: cùm enim ille ab alia Christi superueniente religione abolebitur, tunc & ritus phase abolebitur. vide can.4. Durauit ergo hic ritus per annos 1530. tot enim sunt ab exitu ex Ægypto vsque ad passionem Christi, qui ritum hunc, aliosque veteres impleuit & aboleuit. Vnde S.Iustinus contra Tryphon. *Præceptum*, inquit, *agni paschalis fuisse temporaneum ex eo appatet, quòd Deus non permiserit eum immolari, nisi in loco in quo innocatur nomen eius*, putà Hierosolymæ, vbi erat templum: *nimirum quia sciuit dies venturos post passionem Christi, quando Hierosolyma tradenda esset hostibus, cessantibus simul omnibus victimis.* Aliter respondet Abulens.& S.Augustin. phase & cæremonias veteres dici æternas, non quòd ipsa signa rerum, sed quòd res, quæ signis illis significatur, putà Christus, Christique mysteria æterna essent futura. Verùm ista responsio mystica est, non litteralis.

Errant ergo Armeni Christiani, qui agnum sacrificant, eius sanguine limina inungunt, ossa exurunt, cinerem cum sanguine seruant ad expiationem, vti refert S.Nicon libro de Erroribus Armenorum.

Superstitiosi erant & illi Christiani, qui agni carnes in paschate iuxta altare ponentes, propria benedictione consecrabant, & in die paschæ ante alios cibos de agni carnibus comedebant, vti refert Walfridus Strabo de Rebus Eccles.c.18 nam, vt ipse ait, pascha nostrum immolatus est Christus: hinc Paulus vult nos epulari, non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

Tropolog. septem dierum azymorum. Tropol. qui signatus est agni sanguine, id est, baptizatus est in sanguine Christi, & vult celebrare pascha, id est Christum colere, eumque sumere in Eucharistia, vt tendat ad terram promissam in cælis; hic debet per septem dies, id est, ætates vitæ suæ (quæ sunt infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, ætas virilis, senilis & decrepita) in azymis, id est, in puritate viuere, & abstinere à fermento peccati. Primus dies azymorum, id est conuersionis à peccato, est festus & celebris coram Deo & angelis, Matth.18.v.13.& 14. similiter & vltimus, cùm ex hac vita mortali transit pœnitens ad æternam in cælis. *Beati enim mortui qui in Domino moriuntur.* ita Rupertus, & Apostolus 1.Corinth.5.& seqq.

Vers. 20. In cvnctis habitacvlis vestris edetis azyma] Nota *τὸ habitaculis*, quia in itinere constituti non poterant semper habere, ac consequenter nec edere azyma. ita Caietanus.

Vers. 21. Tollentes animal] Hebr. *extrahite pecudum*, scilicet ex ouili; ecce non solus agnus, sed & hœdus (hic enim hebraicè vocatur שה *seh*, æquè vt agnus) immolari poterat loco agni.

Vers. 22. Fascicvlvmqve hyssopi tingite in sangvine, qvi est in limine] Septuag. *qui est ad ianuam*. Debebat ergo agnus, ait S.August. vel occidi iuxta ianuam domus, vel potiùs ad ostium deferri eius sanguis, vt eo recenti & liquido intingerent hyssopum, quo aspergerent postes & superliminare. Hyssopus enim erat hîc loco aspergilli, vti dicam Leuit.14.4. Hebræum סף *saph* non tantùm limen, sed & peluim significat. vnde aliqui cum Chaldæo vertunt, *cum sanguine, qui est in vase*, vel *pelui*, qua scilicet exceptus est, cùm agnus iugularetur. Meliùs tamē Noster *saph* vertit *limen*; hoc enim communiter significat, à rad. סף *soph*, id est finire: haud secùs quàm Latinis limen dicitur, quasi luminis limes, id est finis & terminus, atque vmbræ causa; quamuis Festo limen dicatur à limus, id est obliquus, seu transuersus, eò quòd ingredientibus quasi ex obliquo stet. *Limen dicetur quasi luminis limes.*

A

Nvllvs egrediatvr vsqve mane] vel certè donec constet angelum percussorem transisse: monuit enim hoc Moses, vt cauerent egredi, ne in percussorem hunc inciderent. itaque postquam Ægyptij percussionem & cædem hanc ab eo factam sua comploratione testati sunt, vrseruntque Hebræos ad exitum, mox ipsi eadem nocte egressi sunt, vt patet v.31. scilicet post mediam noctem, ante manè.

B

Vers. 23. Et non sinet percvssorem] Hinc putant aliqui hunc percussorem angelum fuisse malum: dicitur enim, *non sinet* Deus, quasi angelus hic vellet etiam Hebræos occidere, si Deus sineret; hoc autem alienum erat à bono angelo: hic enim Dei populum amabat & tuebatur. Vnde Rupert. *Rectè percussori traduntur angelo malo, postquam subijci noluerunt per semetipsum corripienti, & decem plagis ad pœnitentiam inuitanti Deo.* Verùm æquè probabile, vel probabilius est hanc plagam, vti & præcedentes inflictam fuisse per angelos bonos. Vnde pro, *non sinet*, hebraicè est *non dabit*, scilicet ordinem, vel ordinationem, non ordinabit. non præscribet illi Deus vt percutiat Hebræos, sed tantùm Ægyptios. Vide dicta c.7. in fine quæst.4.

C

Vers. 26. Qvæ est ista religio?] Hebræa, *quis est iste cultus*: ad quid, quare celebratis pascha hoc?

Vers. 29. Factvm est avtem in noctis medio, percvssit Dominvs omne primogenitvm] Media enim nocte vel ipsa cæca silentia terrent, eo ergo terribilior fuit hæc pœna; talis erit & aduentus Christi ad iudicium, vti dixi c.11.5.

Omne primogenitvm] quod primò natum est, etiamsi sit vnigenitum, etiamsi annosum. hinc in vna domo plures subinde cæsi sunt, putà auus, pater, filius, vxor, si omnes erant primogeniti: idem dico de seruis & iumentis. vide dicta c.11.v.8.

A primogenito Pharaonis] Punitur hîc in filio Pharao, sed ipse maiori dolori & vindictæ seruabatur, mergendus cum suis omnibus in mari rubro.

D

Vsqve ad primogenitvm captivæ] ancillæ captiuæ ad pistrinum damnatæ, vt patet c.11.v.5.

Vers. 30. Svrrexitqve Pharao, &c. vocatisqve Moyse et Aarone nocte ait: Svrgite et egredimini] Verisimile est, ipsummet Pharaonem tanta strage perculsum, timentemque peiora surrexisse, vt Mosen adiret, quem suauiter quiescentem domi suæ inueniens vocando excitarit, dixeritque, Surgite, egredimini: id clariùs significant Hebræa.

Vers. 32. Benedicite mihi] orate pro me, vt vertit Chald.

Dura mens duro verbere frangenda. Moral. disce hîc, dura & obstinata corda non blanditijs, non minis, non flagellis, sed morte, dirisque cladibus frangi & molliri: sicut adamas non mollescit nisi hircino sanguine, ita strage primogenitorum omnium fractus & flexus est Pharao,

claudum, in recessu alatum esse fingunt: quia diuitiæ claudis velut pedibus lentè accedunt in vita, in morte aquilinis auolant alis. Saladinus magno labore imperium Aegypti & Syriæ pepererat: is moriens interulam suam hastæ præfixam per castra circumferri iussit, atque per præconem proclamari: *Hæc vna tunica Saladino principi ex tantis opibus imperioq; superest.*

Et spoliavervnt Ægyptios] Dices, Ergo spolium, id est furtum & rapinam, commiserunt Hebræi.

Spolium Hebræorum licitum triplici titulo, Primò, donationis Dei; Secundò, mercedis; Tertiò, belli.

Resp. Spolium iussu Dei admissum, iustum & sanctum est. Deus enim iubens tibi aliquem spoliare, hoc ipso tibi ius & dominium in eius bona largitur. ita S. August. Rupert. S. Thom. Abulens. & alij.

Secundò, secluso Dei iussu poterant Hebræi bona Aegyptiorum per spolium accipere, tum titulo mercedis: seruierant enim eis laboriosissimè. tum titulo iusti belli: hostes enim publici Hebræorum erant Aegyptij, qui eos vsque ad mortem persecuti fuerant, & miris modis diuexauerant: poterant ergo eos tamquam publicos suos hostes spoliare Hebræi. Vnde Sap. 10. dicitur, *Reddidit Deus iustis mercedem laborum suorum.* ita Philo. Addit S. August. libr. 22. contra Faustum c. 71. *Aegyptij, inquit, sacrilegi & iniqui erant, qui & auro illo, hoc est, Dei creatura, malè vtentes ad creatoris iniuriam, suis idolis seruiebant, & homines peregrinos labore gratuito iniustè & vehementer afflixerant. digni ergo erant & Hebræi, quibus talia iuberentur; & Aegyptij, qui talia paterentur.*

Dices, Saltem mentiti sunt Hebræi petentes commodato ea, quæ rapere & numquam reddere intendebant.

Resp. non esse mentitos, quia commodatum, in quantum commodatum erat, reddere intendebant; sed quia illud commodatum simul erat donatum eis à Deo, hinc illud idem retinere intendebant, non titulo commodati, sed donati. Astutè ergo titulo commodati vsi sunt, illumque prætenderunt suæ iustæ spoliationi; alioqui enim illud ipsum, quod sibi debitum, & à Deo donatum erat, assequi nequiuissent. numquam enim sua commodassent Aegyptij, si Hebræos illa retenturos sciuissent.

Secundò, respondent alij: qui inter Hebræos erant boni, cogitabant bona fide hæc reddere Aegyptijs; sed cùm illi contra fidem datam abeuntes hostiliter sunt insecuti, censuerunt Hebræi se officio reddendi ea solutos esse, & Aegyptios esse indignos, quibus ea redderentur.

Verùm ex dictis verius videtur, Hebræos primitùs, antequam eos persequerentur Aegyptij, ea commodato accepisse cum animo numquam reddendi, & spoliandi Aegyptum. Hoc enim eis prædixerat & concesserat Deus, vt patet hic v. 2.

Tertul. noua traditio de hoc spolio.

Tertiò, addit Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 20. quasi antiqua traditione acceptum, quòd Aegyptij miserint ad Mosen & Hebræos iam transgressos mare rubrum legatos, qui hæc bona repeterent: respondisse Hebræos, se id facturos, dummodo ipsi sibi tam duræ & longæ seruitutis in Aegypto, totque laborum mercedem persoluerent: cumque ab Aegyptijs mercedis persoluendæ computatio fieret, subducta ratio in tantam summam euasit, vt satius esse duxerint Aegyptij, bona illa remittere Hebræis, quàm debitam illis mercedem persoluere. Cuius traditionis fides sit penes Tertull. certè mihi suspecta est: Aegyptijs enim mari rubro mersis, & Hebræis illud transgressis omnis eorum societas omneque commercium diuulsum fuisse videtur.

Tropol. Doctores Christiani spoliant gentilismum.

Tropol. Patres & Doctores Catholici spoliarunt Aegyptum, cùm sapientiam & eloquentiam ab Ethnicis haustam, transtulerunt ad fidem & Ecclesiam Christi illustrandam. Hinc Porphyrius hostis Christianorum dictitabat, Origenem diuitias omnes Græcorum ad locupletandam Iudaicæ & Christianæ sectæ paupertatem contulisse. testis est Eusebius lib. 6. histor. c. 13. Et sanè videmus iam omnem eloquentiam, scientiam, sapientiam apud Ethnicos, Turcas, Saracenos defecisse, & ad Christianos transisse, qui soli iam in toto orbe florent in omni arte, scientia, eloquentia, disciplina.

Profectiqve svnt filii Israel de Ramesse in Socoth sexcenta fere millia peditvm] *Profecti* sunt Deo duce, iterque monstrante per columnam nubis de die, & columnam ignis de nocte, vt patet c. seq. v. 21. Vers. 37.

Nota. Hebræi ex Aegypto tendentes in Chanaan, egerunt 42. stationes siue mansiones in deserto, de quibus tractatum scripsit S. Hieron. ad Fabiolam. Prima mansio vel statio fuit in Ramesses: illuc enim ex tota Aegypto conuenerunt Hebræi exituri; vnde aptè Ramesses hebraicè significat tonitruum gaudij, ait S. Hieron. Miro enim, nouo & insolito ibi gaudio perfusi sunt Hebræi, quòd iam ex dura seruitute Aegypti in libertatem se euasisse viderent. Valerius Maximus l. 4. cap. 8. *Philippo,* inquit, *Macedonum rege superato, cùm ad insigne spectaculum tota Græcia conuenisset, Q. Flaminius per præconem iussit edici: Senatus populusq; Rom. omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione Philippi regis fuerunt, liberas & immunes esse iubet: quibus auditis maximo & inopinato gaudio homines perculsi, primò veluti non audisse se quæ audierant credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronuntiatione præconis, tanta cælum clamoris alacritate compleuerunt, vt certè constet, aues quæ superuolabant, attonitas pauentesq; concidisse.* Quanta ergo fuit Hebræorum exultatio, ex ergastulo & fornace ferrea in campum hunc plenæ libertatis exeuntium? *Libertatis,* inquit Iustinianus, *incomparabile est pretium.* nam Iure ciuili serui pro nullo habentur, nec caput habent. Etenim quid miserius, quàm addici alicui, qui vitæ & necis in te habeat potestatem? Vnde Cicero, *Mors,* ait, *est seruitute potior.* & Homerus Odyss. 7. & 10. docet dimidium ei perire virtutis, quem seruilis obuallarit necessitas: hinc serui fuerunt furciferi.

In Socoth] Secunda ergo mansio fuit in Socoth, quæ sita erat inter mare rubrum, & Aegyptum tunc cultam; nam omnia ab Aegypto vsque ad mare rubrum, olim pertinuisse videntur ad Aegyptum, licet inculta essent & deserta. Dicta est *Socoth,* id est tabernacula, quòd prima ibi Hebræi exeuntes Aegypto fixerint tabernacula, ait S. Hieron. ad Fabiol.

Sexcenta fere millia peditvm] *Ferè,* id est plus minus. Hebræa, quasi sexcenta millia. vnde Iosephus ait eos explesse numerum 600. millium.

Nota. Hæc sexcenta millia erant peditum armatorum, siue militum, qui scilicet attigerant vel excesse-

excesserant annum 20. ab anno enim vigesimo & supra solent Hebræi suos conscribere ad militiam. Abulensis putat hîc non numerari Leuitas, qui à trigesimo anno, quo incipiebant seruire tabernaculo, numerantur octo millia, quingenti, octoginta; Numer. 4.48. Sed videtur falli: nam tribus Leui necdum erat secreta ab alijs, & addicta sacerdotio. videtur ergo ipsa hîc cum alijs numerari; postea verò, cùm sacerdotium accepit, tunc non fuit numerata inter alias tribus, vt patet Num. 2.33. Non numerantur hîc ergo paruuli & adolescentes, qui necdum attigerant annum vigesimum, nec mulieres, nec decrepiti, qui omnes simul soleat alteram & insuper dimidiam populi partem efficere. solent enim bellatores ad totum populum se habere, sicuti se habent quadraginta ad centum; quô computu totus populus Hebræorum hîc habuisset decies & quinquies centena millia B hominum. Quin & Hebræi tradunt fuisse decies & octies centena millia, quibus accessit Ægyptiorum vulgus innumerabile, qui Iudæis adhærentes, vel ad iudaismum conuersi comitari voluerunt; ita vt multi putent vniuersim egredientium fuisse tricies centena millia, siue tres milliones hominum, quos omnes Deus aluit manna cælesti in deserto per 40. annos. Hi omnes vna die non confusè, sed ordine per turmas suas dispositi, quasi instructo agmine exierunt, quod v. 41. instar miraculi notat & celebrat Moses.

Egressi ex Ægypto fuerunt quasi tres milliones hominum.

Ægyptij suos Ægyptios Hebræis permistos exire permiserunt, quia morte suorum consternati, vel nôn aduertebant, vel non curabant eorum egressum.

Absqve parvvlis] Septuag. πλὴν τῆς ἀποσκευῆς, id est, *præter supellectilem* non tantùm motam, sed C etiam se mouentem, putà paruulos & mulieres, inquit S. August. q. 47.

Vers. 39. Qvam dvdvm de Ægypto conspersam tvlerant] *Dudum*, nam plusquam die integro conspersa fuerat, nec fermentata.

Nec pvlmenti] Pulmentum est obsonium, putà caro, pisces, olera, & quidquid cū pane comeditur; veteres enim pulte pro pane vtebantur.

Vers. 40. Habitatio avtem filiorvm Israel qva manservnt in Ægypto, fvit qvadringentorvm triginta annorvm] Certum est, & consentiunt omnes doctores Hebræi & Latini, excepto Eugubino & Genebrardo, Hebræos non habitasse in Aegypto totos 430. annos. Id patet vel ex eo; nam cùm primitus Iacob, pater Hebræorum, cum suis descendit in Aegyptum, descendit pariter cum eo & Caath, filius Leui. Caath autem vixit tantùm annos 133. cuius filius Amram vixit D tantùm annos 137. Amram genuit Mosen, qui Moses anno 81. ætatis suæ cum Hebræis egressus est ex Aegypto. quæ omnia patent Exodi 6. & Exodi 7.7. nunc adde hos singulorum annos, etiam integros, putà 133. 137. 81. non conficies 430. sed tantùm 351. Quod enim respondet Genebr. aliquos annos Caath, vel Amram desiderari, aut aliquos nepotes inter eos medios subticeri, gratis omnino dicitur, aut potiùs fingitur.

Quæres ergo, vnde hi 430. anni inchoandi, & quomodo computandi sint?

Dico breuiter cum S. Augustino quæst. 47. in Exod. cum Athanasio, vel potiùs Anastasio in Synopsi S. Scripturæ in Exodo, cum Eusebio in Chronico, cum Saluiano l. 1. antikimenon, cum A Rupert. Abulens. Caietan. in Exodi 12. eosdem esse annos, quos Moses hîc numerat, cum ijs quos Paulus computat Galat. 3. 17. ac vtrosque inchoandos esse non à descensu Iacobi in Aegyptum, sed ab anno 75. Abrahami, quo anno Abraham euocatus à Deo, cœpit à domo ac patria sua, Haran scilicet, peregrinari versus terram Chanaan: hoc enim anno benedictiones & promissiones illas, de quibus ad Galat. 3. agit Apostolus, accepit, vti habetur Genes. 12. v. 4.

Hebræi habitarunt in Ægypto non 430. sed 215. annis.

Patet hoc Primò: nam clarum est Hebræos à descensu Iacobi, non habitasse 430. annos in Aegypto, vti iam ostendi ex annis Caath, Amram, & Mosis: quos annos si simul omnes iungas, non summam 430. sed 351. tantùm conficient; ab hisce verò annis demendi sunt anni Caath, quibus vixit, postquam genuit Amram; & anni Amram, quibus vixit, postquam genuit Mosen: illi enim anni Caath in annis Amram, & reliqui illi anni Amram in annis Mosis, quibus patri suo Amram conuixit, continentur. Hinc sequitur, hos annos 430. non à descensu Iacob, sed longè anteriùs, à peregrinatione scilicet Abrahæ ex Haran versus Chanaan arcessendos & inchoandos esse. idque disertè exprimunt LXX. hoc loco, cùm vertunt, *At habitatio filiorum Israel quam habitarunt ipsi & patres eorum in terra Aegypti & Chanaan, fuit 430. annorum.*

Prob. Primò.

Secundò, quia Apostolus Galat. 3. post 430. annos non à Iacobi, sed ab Abrahæ vocatione, peregrinatione, promissione numerandos, factam ait legem; atqui lex eodem anno est data, quo egressi sunt Hebræi ex Aegypto, mense videlicet tertio post egressum, vt dicitur Exodi 19 v. 1.

Secundò.

Tertiò, quia sic commodissimè numerum hunc inibimus, si ab egressu Abrahæ ex Haran incipiamus: nam erat ipse tum 75. annorum, Genes. 12. 4. Hinc ad natiuitatem Isaac 25. anni interfluxerunt, Genes. 21. 4. centenario enim Abrahæ natus est Isaac; ab Isaac ad natiuitatem Iacob sunt anni 60. Genes. 25. v. 26. Iacob verò 130. ætatis anno in Aegyptum descendit, Genes. 47. 9. Iam collige 25. 60. 130. habebis 215. annos. mediam scilicet partem annorum quos quærimus, ita vt totidem, id est 215. ab ingressu Iacob, ad egressum Hebræorum ex Aegypto supersint (vti disertè numerat S. Athanasius in Catena Franc. Zephyri initio Exodi.) quos facile est adaptare; si enim ponas Caath esse natum eodem anno quo ipse cum Iacob descendit in Aegyptum, & genuisse Amram 65. ætatis suæ anno, vti tradit Epiphan. in Ancorato, accipies ex annis Caath 65. Rursum des Amram genuisse Mosen anno ætatis suæ 70. vti vult Epiphan. adde alios 80. vitæ Mosis (80. enim annorum erat Moses, cùm eduxit Hebræos ex Aegypto) explebis annos 215. quibus iunge priores 215. colliges 430. quot numerat tam Moses, quàm Apostolus. Ita passim interpretes. Vnde sequitur, minùs rectè Hebræos, Lyranum, & Caietanum ab ingressu Iacobi in Aegyptum vsque ad exitum Hebræorum numerare annos 210. cùm numerandi sint anni 215. vti patet ex dictis.

Tertiò.

Dices, Quo sensu ergo hîc Moses asserit Hebræos in Aegypto habitasse 430. annis? Respondeo, quia potiorem partem in Aegypto fixè habitantes transegerunt, vbi & dirissima sunt passi: deinde quia prima peregrinatio Abrahæ fuit in Aegy-

Ægyptum, Genes. 12. 10. & vltima pariter Hebræorum fuit in Aegypto; à principio autem & fine denominatio sumitur, quia cætera hæc interijciuntur; hos enim annos 430. numerat Scriptura, vt indicet totidem interfluxisse à data promissione Dei, de terra Chanaan possidenda, vsque ad eam expletam & præstitam. nam post 400. annos peregrinationis & seruitutis, simili modo numerandos à natiuitate Isaac, Deus promisit Abrahæ terram Chanaan, Genes. 12. v. 13. & 14. hîc autem idipsum præstat & explet: nam 430. anno (numerando à vocatione Abrahæ) quo Hebræi legem acceperunt in Sina, fuerunt redacti in populum & Ecclesiam Dei, cœperuntque tendere in Chanaan Abrahæ promissam, in eamque statim inducti fuissent à Deo, nisi ipsi Deo obmurmurassent: ob murmur enim 40. annis vagati sunt per desertum Arabiæ, quod interiacet inter Aegyptum & Chanaan. Adde, non dici hîc habitasse eos 430. annos in Ægypto, sed habitationem fuisse 430. annorum: quod commodè accipias hoc sensu, vt dicere velit Moses, habitationem eorum peruenisse ad 430. annum peregrinationis Abrahæ, videlicet de Haran. quem sensum meliùs Hebræa patiuntur, vt rectè aduertit Caietanus. Sic Iudith c. vlt. v. 28. dicitur mansisse in domo viri sui annos 105. id est vsque ad ætatis suæ annum 105. Non enim verisimile est, Iudith annos 105. peregisse post matrimonium in domo viri sui. Similia ostendi in chronologia Iudicum & Regum.

430. anni sunt à vocatione Abrahæ ad egressum Hebræorum ex Ægypto.

Chronologia exitus Hebræorum ex Ægypto.

Nota. Contigit exitus Hebræorum ex Aegypto anno mundi 2454. à diluuio anno 797. à natiuitate Abrahæ anno 505. à descensu Iacobi in Aegyptum 215. à morte Ioseph 144. ante ædificationem templi Salomonis anno 480. ante Christum anno 1496. ante bellum Troianum anno 356. Plura vide in tabula chronologica, quam initio Geneseos proposui.

Falluntur ergo Iustinus Martyr, Clemens & Africanus, qui hunc exitum consignant tempore Inachi regis, & diluuij Ogygis; hoc enim contigit tempore Iacobi patriarchæ. Rursum sub hoc tempus, putà 15. annis ante exitum Hebræorum ex Aegypto, putà anno 65. Mosis condita est Troia: primus eius rex fuit Dardanus, qui regnauit 64. annis, ita Eusebius. Denique audi S. Augustinum 18. Ciuit. 11. *Eduxit*, inquit, *Moses ex Aegypto populum Dei, nouissimo tempore Cecropis Athenienſium regis, cùm apud Assyrios regnaret Ascatades, apud Sicyonios Marathus, apud Argiuos Triopas.* Cecrops enim primus Athenis regnare cœpit anno vitæ Mosis 35. & regnauit 50. annos, vti docet Euseb. in Chronico, & ex eo Torniellus.

Troia condita est anno 65. Mosis.

VERS. 41. EADEM DIE] qua ante 430. annos Abraham cœpit peregrinari in Aegyptum. ita aliqui. Secundò & genuinè, *eadem die*, paschæ scilicet, de qua v. 17. nisi malis hoc ad totum Hebræorum exercitum referre, q. d. Omnes simul, licet essent tanto numero, eadem die ordinata acie ex Aegypto egressi sunt. ita Abulensis. Hoc enim miraculi instar fuit.

Hebræi die Veneris egressi sunt ex Ægypto.

Nota. Dies hæc paschæ, siue prima azymorum, qua Hebræi egressi sunt ex Aegypto, fuit dies Veneris, Deo ita disponente, vt congruè significaret diem Veneris, quo Christus, phase nostrum, immolatus est, nosque peccato & inferno eduxit & liberauit. Id ita esse patet ex eo, quòd trigesimo-

A primo die ab egressu Hebræorum ex Aegypto cœperit eis pluere manna: ille autem dies fuit Dominicus, vt patebit c. 16. v. 1. & 5. Iam si trigesimus primus dies fuit Dominicus; ergo primus (scilicet paschæ, quo egressi sunt) fuit dies Veneris, vt patet retro ascendenti & computanti. ita Torniellus. Vnde sequitur, Hebræos primum hoc suum phase typicum immolasse pridie, putà die Iouis, perinde ac Christus suum phase & Eucharistiam die Iouis paulò ante mortem celebrauit.

NOX ISTA EST OBSERVABILIS DOMINI, QVANDO EDVXIT EOS DE TERRA ÆGYPTI] Hebr. ליל שמורים *lel scimmurim*, id est *nox custodiarum*, hoc est custodienda, quam omnes custodire, id est, obseruare & celebrare debent: *quando eduxit eos*, id est quando fecit vt educerentur, cùm videlicet Pharaonem per cladem primogenitorum

B coëgit Hebræos dimittere. noctu enim ad omnes Hebræos missi sunt nuntij, vt egrederentur, tumque ipsi supellectilem iam paratam & collectam conuasantes, compararunt se ad exitum, ita vt sub auroram ad Ramesses ciuitatem omnes, vti edictum erat, conuenirent: iam enim antè, vt ait Iosephus, præmonuerat eos Moses, vt essent parati ad exitum; vnde ipsi ex tota Aegypto sub diem 14. congregarunt se circa vrbem Ramesses, ibique per turmas & sodalitia à præfectis & patribus familias distributi sunt, indeque signo dato statim ordinata acie manè profecti sunt, exeuntes ex Aegypto. nam manè, non autem noctu eos exisse clarè dicitur Numer. 33. 3. *Profecti sunt*, inquit, *de Ramesse mense primo, decimaquinta die mensis primi, altera die phase* (paschatis) *videntibus cunctis Aegyptijs & sepelientibus primogenitos.* quod

C vtique manè, non noctu factum est: noctu ergo exierunt inchoatè, id est, exire cœperunt, ad exitum se compararunt; manè verò reipsa completè egressi sunt.

Mysticè, hac nocte significabatur, quòd Christus populum Dei transferret ex regno noctis & tenebrarum, id est peccati & mortis, in regnum lucis vitæ æternæ.

In Ramesses ergo omnes Hebræi 15. die peruenerunt, ibique aliquot horas substiterunt. Vnde ibi à S. Hieron. prima ponitur mansio, vel statio. Deinde eadem die 15. inde egressi sunt in Socoth, Numer. 33. 5.

Habuerunt ergo abunde temporis, vt eadem die qua agnum immolarunt, & sua conuasarent, & in Ramesses conuenirent, & inde egrederentur, vt frustra ideò nonnulli permoti sint ad ponendam agni immolationem decimatertia luna

D ad vesperam, siue inchoante vespera decimæquartæ lunæ.

Dices Deuteron. 6. v. 6. dicitur: *Immolabis vespere phase ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto*: ergo non noctu, nec manè, sed sole occidente sunt egressi. *Obiectio.*

Resp. τὸ *quando* confusè sumitur, scilicet pro eodem tempore ampl è accepto, ideoque significat noctem eiusdem vesperæ decimæquartæ diei. noctu enim egressos esse Hebræos dixerat vers. 1. Vnde vers. 6. tantùm rationem reddit, cur vespere immolaretur agnus: hoc enim factum est, vt per agnum hunc egressus Hebræorum noctu procuraretur hoc primo egressus anno, sequentibus verò significaretur; neque enim subitò eadem noctis hora hæc omnia fieri poterant, scilicet agnus occi- *Responsio.*

di,

di, excoriari, lauari, assari & comedi, &c. itaque A vespera hîc & nox, tamquam idem sint tempus, confusè sub vocula *quando* intelliguntur, vt rectè dici possint Hebræi eodem tempore mactasse agnum, cumque comedisse, eoque seruatos à nece primogenitorum iussos esse Aegypto egredi, statimque egredi cœpisse: ad hunc enim egressum immolatio agni, & reliqua omnia quasi præambula dirigebantur; itaque censebatur exitus hic Hebræorum inchoari in immolatione agni, putà in vespera decimæquartæ diei.

VERS. 43. DIXITQVE DOMINVS] aliquanto post egressum tempore.

HÆC EST RELIGIO] hic est ritus phase: ità Chald. vel, vt Septuag. hæc est lex phase.

OMNIS ALIENIGENA] qui est alterius gentis, qui non est Hebræus. Chald. hîc iudaizat: vertit enim, *omnis filius destructus*, id est omnis Christianus. Destructos enim Iudæi vocant eos, qui à iu- B dais mo ad Christum conuertuntur.

NON COMEDET EX EO] nisi per circumcisionem in vestram coloniam & gentem transeat, fiatque proselytus; hic enim comedere poterat phase, vt patet v. 48.

Nota. Sicut Eucharistia non datur nisi baptizato, ita phase nemo comedebat, nisi circumcisus; erat enim phase primarium Sacramentum Iudæorum, sicut Eucharistia est Christianorum: vnde, sicut hæc non datur nisi Christianis per baptismum christianismo initiatis, ita illud non dabatur, nisi Iudæis iudaismo per circumcisionem initiatis: per phase enim recolebant magnum illud beneficium redemptionis Aegyptiacæ suæ genti collatum. Hinc, qui sequenti anno ab egressu celebrarunt phase, Num. 9. hi omnes iam C antè circumcisi erant in Aegypto. inde verò per 39. annos peregrinantes in deserto non celebrarunt phase, quia omnes deinceps nati manserunt incircumcisi, donec peruenirent in Chanaan, ibique in Galgalis circumcisi sunt, & comederunt phase, vt patet Iosue 5. Excipe feminas: hæ enim non circumcidebantur, & tamen cum viris comedebant phase. Quare Paulus Burgensis putat, quòd, antequam primus hic paschalis agnus comederetur, generalis facta sit circumcisio Hebræorum, qui ob negligentiam, vel aliam causam non fuerant circumcisi: & hanc vocari primam circumcisionem, secundam verò illam quæ facta est Iosue 5. v. 4. vt ibi dicitur. de qua re ibidem agendum erit.

VERS. 44. OMNIS SERVVS EMPTITIVS CIRCVMCIDETVR] id est circumcidi debet, iubeo vt circumcidatur; D itaque comedat ex agno. Id ita esse patet: nam Script. hîc seruum distinguit ab aduena & mercenario, vt rectè notauit Abulens. licet id neget Pererius; statuitque vt seruus edat ex agno, non autem mercenarius: ergo iubet seruum circumcidi, non autem aduenam, vel mercenarium. nam si serui arbitrio relinqueretur circumcidi (vt vult Pererius) & consequenter agni esse participem, nulla differentia foret hic inter seruum & aduenam ac mercenarium. nam & hi, si volebant, fieri poterant proselyti petendo circumcidi, itaque poterant agno vesci, vt patet vers. 49. Deinde quia Genes. 17. 12. id disertè exprimitur, maximè in Hebræo textu, qui sic habet: *Omnis vernaculus & emptitius, qui non est de semine vestro, circumcidendo circumcidetur.* neque id mirum: Deus enim

Serui Iudæorum debebant circumcidi & comedere phase.

omnium dominus, qui Hebræis hosce ritus præcepit, potuit & eorum seruis, siue mancipijs eosdem præcipere præsertim cùm seruus sit, vt ait Aristoteles lib. 5. Ethicor. possessio domini, &, vt Hebræa hîc habent, pretium aut possessio pecuniæ domini, quasi qui pecunia emptus possideatur à domino, vti pecunia. vide dicta Genes 17. 12. Circumcisio ergo seruis siue mancipijs Hebræorum non fuit libera & arbitraria, vt volunt aliqui sed præcepta, & necessariò subeunda; idque non tantùm quatenus ipsa erat abscissio præputij, & signum distinctiuum populi Dei, putà Iudæorum ab alijs gentibus, vt vult Caiet. sed etiam, quatenùs erat Sacramentum, & professio iudaismi; nec enim hæc duo reipsa diuidi aut secerni possunt, quæ nimis subtiliter Caietan. diuidere & secernere conatur.

ADVENA (Gentilis, mercator, verbi gratia, Chananæus, qui inter vos commoratur) ET MERCENARIVS (famulus, vel operarius, qui suam vobis operam locat) NON EDENT EX EO] nisi circumcidi velint. his enim circumcisio est libera & arbitraria. VERS. 45.

IN VNA DOMO COMEDETVR, NEC EFFERETIS DE CARNIBVS EIVS FORAS] Hinc patet, agnum non in templo, sed in domo immolatum fuisse, tum hac prima vice, tum deinceps. Debebat ergo agnus in ea domo totus comedi, in qua erat immolatus & assatus, nec eius pars mitti poterat ad eos, qui erant in alijs domibus, idque in signum, quòd nocte illa transeunte angelo percutiente, nullus domo egressus sit, vti docet Scriptura. VERS. 46.

Allegoricè verò, vt significaretur agnum verum, putà Christum in Eucharistia, comedendum esse in vna Ecclesia, nec fas esse eis, qui sunt extra Ecclesiam, vel ab ea per schisma, aut excommunicationem sunt separati, hac sacra synaxi vesci & frui. ita S. Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ post init. Procop. Raban. Rupert.

NEC OS ILLIVS CONFRINGETIS] Ad litteram accipe *os*, vel ossa agni, non Christi Domini, vti quidam voluerunt: de agno enim ad litteram est omnis hic sermo.

Dices, Ioan. 19. 36. de Christo crucifixo dicitur: *Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo*; ergo hæc verba ad litteram significant ossa & crura Christi non fore frangenda in cruce.

Resp. hanc Exodi Scripturam impletam dici in Christo, sensu & significatione non litterali, sed typica & allegorica, quo modo Christus dicitur omnes veteris legis typos implesse.

Vbi Nota. Iussit Deus in agno nullum os confringi, ad litteram, vt per hoc festinatio, & festinatus angeli transitus significaretur, qui festinare cogeret Aegyptios, vt Hebræos festinatò exire compellerent, quasi idcirco Hebræi in esu agni ita essent festinabundi, vt tempus non haberent ossa agni contundendi ad medullam eius ex[illegible]dam. Mystica verò causa fuit, vt significaretur sacrosanctum Christi Domini corpus infractum & integrum in passione mansurum, nec milites ipsius, vti aliorum crucifixorum, crura de more fracturos. quod quia præcipuè intendebat significare hac figura Spiritus sanctus, hinc Ioan. 19. 36. in Christi passione hæc Scriptura impleta dicitur: typus enim & figura propriè ipsa rei veritate impletur, cùm scilicet illud fit, quod figura futurum præsignabat.

Ossa agni non licuit frangere, cur?

Tropo-

Tropologiam vide apud S.Bernardum serm. de cute, carne & ossibus animæ.

VERS. 47. FACIET ILLVD] id est, sacrificabit illud per suum patremfamilias, ritúque hîc præscripto illud comedet & celebrabit.

Allegor. vt summatim omnia simul complectar, immolatio agni apertus fuit typus Christi in cruce immolandi, per quem à captiuitate Pharaonis, id est diaboli, liberati sumus, & per eius sanguinem ac crucem (quam significabant postes & superliminaria sanguine agni tincta) vindictam diuinam effugimus, & liberamur ab angelo percutiente. hoc enim est, quod ait Apostolus 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Nam Primò, vespere immolabatur agnus: quia diu exspectatus tandem in consummatione sæculorum immolatus est Christus. Hinc & multi ægri à Christo sanati sunt vespere, quando immolabatur agnus, & quo Christus passus expirauit, vt patet Matth 8.16. & Marci 1.32. Secundò, tota multitudo filiorum Israel eum immolat: quia omnes Iudæi à Pilato petierunt Christum crucifigi. Tertiò, die 14. cùm plenilunium est, immolatur agnus: quia Christus occisus totam illuminauit Ecclesiam. Quartò, Christus fuit quasi agnus ob puritatem, mansuetudinem, patientiam plusquam agninam, vnde dicit Isaias cap. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Quintò, masculus est ob fortitudinem; anniculus, quia in flore erat ætatis; immaculatus, ob innocentiam. Sextò, Christus fuit etiam quasi hœdus, quia inter iniquos reputatus est; hœdus enim peccatorem significat. deinde, quia ipse hostia pro peccato fuit. denique, quia peccata nostra suscepit. Septimò, hunc agnum immolamus & manducamus in Eucharistia. Vnde S. Andreas Ægeæ Proconsuli Achaiæ crucis supplicium minanti, nisi idolis sacrificaret, respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes: sed immaculatum agnum, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.* Octauò, sanguine agni tingitur postis vterque, cùm memoria passionis Christi in corde per fidem, & in ore per professionem imprimitur; *corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: tingitur & superliminare, cùm cor nostrum ad spem cælestium per meritum passionis Christi eleuatur. Nonò, sanguis postibus illitus ab exterminatore liberat: quia omnes, qui Christi meritis non saluantur, mors æterna condemnat. Decimò, carnes eius nocte comeduntur: quia Christum in Eucharistia non videmus, sed in fidei obscuritate credentes quiescimus. Vndecimò, non comeduntur crudæ aut lixæ, sed assæ. crudas carnes comedit, qui Christum solum hominem credit; lixas aqua, qui humana ratione & sapientia mysteria passionis & Eucharistiæ examinat, vt, qui in Eucharistia verum Deum & hominem latere non credit; assas comedit, qui igneam charitatem, qua Christus pro nobis tostus est, considerat & amplectitur. Christus enim, vt canit D.Thomas,

Se nascens dedit socium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Duodecimò, si quid remanserit ex eo vsque mane, igni comburitur: quia, quod de Christi mysterijs intelligere non possumus, potestati Spiritus sancti humiliter reseruamus, inquit S.Gregorius homil. 22. in Euangel. Decimotertiò, totus agnus comedi debet, quia totus Christus cum omnibus, quæ de eo docet Ecclesia, credi debet, nec vllus fidei articulus reijci potest. Decimoquartò, soli Hebræi & circumcisi, id est Christiani & baptizati, ex eo comedunt; & qui peccati præputium contraxit, debet illud circumcidere, antequam eo vescatur. Decimoquintò, agnus comedi debet cum azymis panibus & lactucis agrestibus: sic Eucharistia cum animi puritate, & dolore de peccatis sumenda est: rursum Christi passio cum magna mentis puritate & compunctione ruminanda est. Audi S. Ambros. in orat. ante Missam dicenda: *Quanta cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate illud diuinum & caleste mysterium celebrandum est, Domine Deus, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima, humanis diuina iunguntur? vbi adest sanctorum præsentia angelorum, vbi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter? Quis dignè hoc mysterium celebrare potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum?* Decimosextò, caput cum pedibus & intestinis vorandum est: caput, Christi diuinitatem; pedes, humanitatem; interiora, secretiora mysteria significant. quæ omnia debemus vorare, id est credere. *Sacramentum Dei altissimi*, inquit S. Bernard. in epist. *suscipiendum est, non discutiendum; venerandum, non diiudicandum: fide sortitum, non innatum; traditione sancitum, non adinuentum.* Et serm. 20. in Cantic. *Christus, ait, tangi potest; sed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non sensibus. Tangis manu fidei, desiderij digito, deuotionis amplexu, tangis oculo mentis.* Decimoseptimò, agnus in multis domibus comeditur: quia in multis ecclesiis Christus immolatur & sumitur. Decimooctauò, non licet particulam agni extra domum efferre: quia Eucharistiam non licet dare infidelibus, schismaticis, & alijs, qui sunt extra Ecclesiam. Decimononò, os non confringitur: quia crura Christo in cruce pendenti frangenda non erant, sicut latronibus, Iohannis 19.36. rursus os, id est, fortitudo virtutis & excellentiæ Christi passione non erat frangenda, sed tantùm caro eius infirma. Vicesimò, qui comedit agnum, renes accingat; qui comedit Christum in Eucharistia, libidinem & delectationes carnis restringat, inquit S.Gregorius. Vicesimo primò, idem teneat baculum, quasi viator tendens in cælum. est enim Eucharistia viaticum peregrinantium & morientium: rursum baculo iter peragat, id est, bonis operibus & laboribus insistat, & in virtutibus crescat. Ita de S.Ambrosio narrat Paulinus in eius Vita, eum iam moriturum ab Honorato Vercellensi Episcopo, diuinitus monito, Eucharistiam tamquam viaticum accepisse. Audi & S.Chrysost. libr. de Sacerdot. *Quidam, inquit, mihi narrauit, qui id viderat & audierat, quòd qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacramentum, hinc recta in cælum abducuntur.* Hac de causa Eucharistia à Patribus vocatur *Pharmacum immortalitatis*: quia eius virtute non tan-

Vicesima-secunda. tantùm anima beatur, sed & corpus à morte resurget ad gloriam. Vicesimosecundò, calceatus sit, vt per lapides & spinas, id est difficultates omnes, inoffenso pede in cælum penetret. *Vicesima-tertia.* Vicesimotertiò, cum festinatione comeditur agnus; quia in Eucharistia non tam quæritur voluptas, quàm nutrimentum & vires ad labores in via Dei perferendos, & ad festinandum in patriam cælestem. A Vicesimoquartò, primogeniti Ægyptiorum, quia de agno non comederunt, mortui sunt: sic qui Eucharistiam neglexerit, morte æterna peribit. *Vicesima-quarta.* Vnde ait Christus Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* ita ex S. Gregorio, Beda, & alijs Abulensis quæst. 50. & Ribera lib. 5 de Templo cap. 4.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus sibi offerri primogenita hominum & pecorum. Secundò, v. 17. Deus educit Hebraos non per Philisthaam, sed per viam deserti. Hebrai secum deferunt ossa Ioseph. Tertiò, v. 21. describitur columna ignis & nubis, qua fuit dux itineris.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Sanctifica mihi omne pri-
mogenitum quod aperit vuluam in filijs Israël, tam de hominibus quàm de iu-
mentis: mea sunt enim omnia. 3. Et ait Moyses ad populum: Mementote diei huius
in qua egressi estis de Ægypto & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit
vos Dominus de loco isto: vt non comedatis fermentatum panem. 4. Hodie egre-
dimini mense nouarum frugum. 5. Cumque introduxerit te Dominus in terram
Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Heuæi & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis vt
daret tibi, terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense
isto. 6. Septem diebus vesceris azymis: & in die septimo erit sollemnitas Domini.
7. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum,
nec in cunctis finibus tuis. 8. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est
quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto. 9. Et erit quasi si-
gnum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos: & vt lex Domini semper
sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto. 10. Custodies
huiuscemodi cultum statuto tempore à diebus in dies. 11. Cumque introduxerit te
Dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam:
12. separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum est in peco-
ribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. 13. Primoge-
nitum asini mutabis oue: quòd si non redemeris, interficies. Omne autem primoge-
nitum hominis de filijs tuis, pretio redimes. 14. Cumque interrogauerit te filius
tuus cras, dicens: Quid est hoc? Respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus
de terra Ægypti, de domo seruitutis. 15. Nam cùm induratus esset Pharao, & nol-
let nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primo-
genito hominis vsque ad primogenitum iumentorum: idcirco immolo Domino om-
ne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum re-
dimo. 16. Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recor-
dationem, inter oculos tuos: eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.
17. Igitur cùm emisisset Pharao populum, non eos eduxit Deus per viam terræ Phi-
listhiim quæ vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella
consurgere, & reuerteretur in Ægyptum. 18. Sed circumduxit per viam deserti, quæ
est iuxta mare rubrum: & armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti. 19. Tulit
quoque Moyses ossa Ioseph secum: eò quòd adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit
vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. 20. Profectique de Socoth castrameta-
ti sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. 21. Dominus autem præcedebat
eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna
ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore. 22. Numquam defuit columna nubis
per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

VERS. 2. SANCTIFICA MIHI OMNE PRIMOGENITVM] q. d. Separa à communi vsu omne primogenitum, vt mihi dicetur & offeratur.

Nota. Non præcipit hîc Deus, vt id fiat hoc tempore, quo omnes occupati erant in egressu, sed vt fiat postea, cùm oportunum fuerit, videlicet, cùm possederint terram Chanaan, vt patet v. 11. B subnectit tamen Deus hanc legem præcepto de agno: quia, sicut agni immolatio, ita & primogenitorum oblatio, Hebræis iugiter refricare debebant memoriam suæ liberationis ex Ægypto: hanc enim effecit & procurauit Deus per cædem primogenitorum totius Ægypti. quia ergo tunc cecidit Deus primogenita Ægypti, vt Hebræos quasi-

quasi primogenitos suos inde liberaret: & quia tunc intacta seruauit primogenita Hebræorum habitantium in Ægypto; hinc hac lege eadem sibi offerri, ac quasi sua, & à se conseruata sibi reddi depoposcit. vnde hæc agni æquè ac primogenitorum oblatio sunt primæ legis veteris, siue Mosaicæ cæremoniæ.

Omne primogenitum, quod aperit vulvam] quod primò vuluam matris reserando, naturali more in lucem hanc egreditur, quodque principium est generationis maternæ. Vnde Cyril. Hierosol. hom. de occursu Domini, negat hoc Christo conuenire: Christus enim nascens non reserauit vuluam matris, sed clausum matris virginis vterum penetrando, prodijt in lucem, ideoque hac lege non tenebatur, licet sponte sua illi se subiecerit, eamque seruarit. ita Cyrillus & Hormisda Papa epist. 1. cap. 3. quamquam contrarium doceant Rupert. Abulens. Iansen. qui putant aperiri vuluam non significare aliud, quàm primò nasci, & sic Christum quoque aperuisse vuluā matris suæ. Verùm plus significat apertio vuluæ, vti patet ex terminis. Tertiò, planè ex aduerso Origenes, S. Ambros. S. Chrysost. S. Hieron. Theoph. Euthym. in Lucæ 2. putant hac lege solum Christum comprehendi, eò quòd ipse solus natus sit ex virgine, ideoq; solus in partu matris vterum aperuerit, id est, ex eo hactenus clauso prodierit; nam in alijs mulieribus vterus aperitur primò, non in partu, sed in congressu maritali ante conceptum. Verùm hic sensus subtilior est, & litteram videtur euertere. Præcipitur hic enim Hebræis, vt singuli suos primogenitos Deo offerant: non ergo lex hæc Christum solum spectat, sed potiùs eum excludit.

Itaque dico, τὸ *quod aperit vuluam*, hic additur primogenito: Primò, vt ab hac lege excludatur Christus. Secundò, ne quis patris solius primogenitos offerendos putaret: nam in pecoribus manifestum est primogenitum matris, non patris, debere spectari & offerri: idē est in hominibus. Vnde notat S. August. q. 23. primogenitum hic à Septuag. vocari πρωτότοκον à primo matris partu, nō autem πρωτογενῆ à prima patris generatione. Hinc vice versa Script. cùm de æterna & increata Filij à Patre generatione loquitur, eum vocat non μονότοκον, sed μονογενῆ, id est vnigenitū Patris. Quare ex hac lege primogenitus non erat, si pater virgo viduam aliunde iam habentem proles duxisset, ex eaque primum sibi filium generasset; hic enim primus eius filius nō primò aperuisset matris vuluam, vtpote ex qua alij iam antè prodijssent. E diuerso, qui plures habebat vxores, singularum primogenitos ex hac lege Deo offerre debebat. vnde Hebr. Chald. & Septuag. habent, *aperiens omnem vuluam*. & S. Lucas cap. 2. 23. *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*. Hinc & Christus quasi matris suæ primogenitus Deo oblatus est; esto hac lege non teneretur, vt dixi.

Primogenitum nō patris, sed matris Deo offerendum erat.

Rursum primogenitus hic aperiens vuluam matris Deo consecrandus, debebat esse masculus (vt patet v. 12.) qui primò ex ea nascebatur: nam si femina primò ex ea fuisset nata, deinde masculus, is masculus non censebatur hac lege primogenitus; quia is non primò aperiebat vuluam matris, vtpote quæ per sororem feminam iam antè fuerat aperta.

A Discant hic parentes noui testamenti, non obsistere filijs, etiam primogenitis, si Religionem ingredi, Deoq; se consecrare velint; in veteri enim lege parentes omnes ex Dei lege primogenitos, etiamsi vnigeniti essent futuri, Deo offerre tenebantur. Si id fecerunt Iudæi, Deo iubente, quid ni idem faciant Christiani Deo consulente & vocante? Libenter parentes primogenitos suos offerunt regibus & principibus, vt ijs in aulis ipsorum seruiant: quidni libentiùs offerant eos Regi regū, & Domino dominantium, vt sint ciues Sanctorum, domestici, imò aulici Dei? Imitentur B. Annam, quæ suum Samuelem Deo tam libenter obtulit, ideoque quinque proles pro vno Samuele, à Deo remuneratore recepit.

Si Iudæi, ergo magis Christiani primogenitos offerant Deo.

B Allegoricè, Christus primogenitus omnis creaturæ Deo sanctificatus & consecratus est; & per eum omnis creatura.

Tropol. primogenita damus Deo, cùm ipsi primordia operum nostrorum offerimus, vt cedant in eius laudē & honorem, vtque ab eo prosperentur & benedicantur; quod sanè non tantùm manè, sed & per diem sæpè in initio operis cuiusque viri sapientes & pij faciunt. ita Rabanus. Rursum, primogenitum nostrū est cor: quia illud ante alia membra primò in embryone formatur. Accipitribus dati solet cor auium, quas prædātur. Christus è cruce prædatus est cor nostrū: ipsi ergo illud offeramus. ipse illud nobis reddet purum, sanctum, quietū, lætum & beatum. Socrati (ait Seneca l. 1. de Benefic. c. 7.) cùm multa multi pro suis quisq; facultatibus offerrent, Æschines pauper auditor, *Nihil*, inquit, *dignum te, quod dare tibi possim inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod vnum habeo, me ipsum: hoc munus rogo qualecunque est, boni consulas, cogitesq, alios cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Cui Socrates, *Quidni tu*, inquit, *magnum munus dederis? nisi forte paruo te æstimes. curabo ergo, vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi.* Hæc Seneca. Tu verò Æschinem imitare, non Socrati, sed Deo totum dona teipsum. Si donaueris, multò te tibi meliorem redder.

Tropol. primordia operum Deo offerenda sunt.

Item cor nostrum.

C

In filiis] inter filios. Secundò, littera בּ *bet*, id est *in*, ponitur pro בֵּין *ben*, id est inter.

Mea svnt enim omnia] non tantùm titulo creationis & dominij, quod in omnia à me creata habeo & possideo; sed etiam, & vel maximè, titulo liberationis & redemptionis, qua ab exterminatore primogenita vestra tutatus, ea quasi à morte redemi, eaque vobiscum ex Ægyptiaca seruitute eduxi. hinc Tertiò, mea sunt, titulo iusti huius præcepti, quo ea à vobis æquissimè exigo, imò repeto.

Primogenita Dei sunt triplici titulo: primò, creationis; secundò, liberationis; tertiò, præcepti.

D

Egressi estis] egredimini. est enallage temporis, eaque huic loco congrua; non enim possumus meminisse, nisi præteritorum. Vers. 3.

In manv forti] magno robore & potētia suis plagis affligens Pharaonem, itaque potenter eum cogens vos missos facere; per hanc ergo potentem suam vindictam eduxit vos Deus.

Hodie egredimini mense novarvm frvgvm] Ita Hebr. Chald. & Septuag. vnde mirum est Pagninū vertere, *hodie egredimini mense Iulio*. nam pascha, quo Iudæi egressi sunt, non in Iulio, sed semper in Nisan, id est Martio, celebratū est. Fefellit Pagninum, quòd ipse בְּאָבִיב *abib*, pro אָב *ab* acceperit: hæc enim licet voce sint affinia, re tamen & significatione plurimùm differunt. Vers. 4.

 Ab

Ab enim certum mensem, scilicet Iulium, significat: *abib* verò non proprium mensis, sed appellatiuum est nomen, significans *virens*, siue culmus id sit, siue spica. ita enim noster Interpres alibi vertit, vt patet Exodi 9.31. Extenditur *abib* etiam ad segetes in grana maturescentes, necdum tamē planè maturas, vt patet Leuit. 2.14. Illarum enim manipulus altera die azymorum offerebatur, tostis primùm granis, deinde in farinam contusis, vocaturque *abib*: vnde vlteriùs translatum est *abib*, vt significet mensem, quo primæ hæ fruges hordeaceæ progignebantur, & Deo offerebantur: qui erat mensis pascha, siue Nisan. qua de causa Septuag. passim vocant *mensem nouorum*, & Noster *mensem nouarum frugum*, vel, *primum verni temporis*, quia continebat æquinoctium vernum, Deut. 16.1.

Hebr. abib quid.

VERS. 5. CVMQVE INTRODVXERIT TE DOMINVS IN TERRAM CHANANÆI] Hinc patet, hanc legem comedendi phase & azyma, vti & præcedētem de offerendis primogenitis, non obligasse Hebræos totis 40. annis quibus vagabantur in deserto instabiles, & rebus omnibus incompositis: idem de sacrificijs in Leuitico præscriptis dicendum est. idem patet Deuter. 12. v. 1. & 9. vbi quoque causam huiusce rei dat Deus dicens: *Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem & possessionem quam Dominus Deus daturus est vobis.*

Dices, Num. 3. v. 10. 11. 12. in Sinai sub finem anni huius, quo egressi erant Hebræi ex Ægypto, Deus exigit ab eis primogenita.

Resp. nouum id esse præceptum, & diuersum ab hoc, quod tamen ab hoc occasionem & originē accepit. Vnde & noua ibidem oblationis primogenitorū fuit forma: nam ibi v. 43. Moses iussu Domini recensuit primogenitos filiorum Israel, inuenitque eos esse numero viginti duo millia & 273. quorum loco Deus asciuit sibi & suo cultui Leuitas omnes; qui inuenti sunt penè totidem, scilicet viginti duo millia. cæteros 273. primogenitos, qui in populo supererant, & numerum Leuitarum superabant, iussit Deus redimi persolutis in singula capita quinque siclis; primogenita verò pecorum voluit Deus dari Leuitis, qui iam sui erant, suoque cultui addicti. Ibi ergo non præscribitur propriè oblatio, sed tantùm numeratio primogenitorum Israelis, idque eo fine vt eorum vice substituantur Leuitæ, qui totidem erant, ad seruiendum Deo in Tabernaculo. Tunc ergo primò hæc lex impleta, & in Leuitas commutata est: deinceps verò singuli primogeniti Deo offerri, & quinque siclis redimi debuerunt Num. 18.16.

Leuitæ substituti sunt primogenitis.

VERS. 9. ET ERIT QVASI SIGNVM IN MANV TVA, ET QVASI MONIMENTVM ANTE OCVLOS TVOS] Corrige cum Biblijs Roman. Hebræis & Chald. *inter oculos tuos*; Septuag. tamen vertunt, *ante oculos tuos*; sed eòdem res redit.

Iudæi hæc crassè accipiunt, vtque huic Dei præcepto satisfaciant, legem decalogi membranulis inscriptam brachio, frōti, fimbrijs, aut ostijs domus affigunt: & hæc sunt phylacteria ac fimbriæ, quæ dilatabant Pharisæi, quæq; carpit Christus Matth. 23.5. non enim hoc voluit hîc Deus, nec loquitur de lege decalogi, sed paschatis & azymorū. Præcepit ergo tantùm hac phrasi Deus Hebręis, vt iugem beneficij & legis iam dictæ seruent memoriam, vt illa tanquam res pendula inter oculos ijs perpetuò obuersetur, idque ad hoc vt eius intuitu & consideratione ad Dei reuerētiam, amorem, gratitudinem accendantur. hunc sensum significat τὸ *quasi* cùm ait, *Erit quasi signū, & quasi monimentum.* Vnde S. Hieron. in Matth. 23 sic explicat, *Præcepta erunt in manu tua, vt compleantur; erunt ante oculos tuos, vt die & nocte mediteris in eis.*

Phylacteria Pharisæorū quæ.

A DIEBVS IN DIES] id est, ab anno in annum. q.d. Certa & continua annorum serie. Hebræum enim יָמִים *iamim*, id est dies in plurali, significat annum. VERS. 10.

CHANANÆI] Sub hoc cæteras intelligit gentes, in terra promissa habitantes; harum enim omnium pater fuit Chanaan, Gen. 10.5. VERS. 11.

SEPARABIS] Hebr. הַעֲבַרְתָּ *haabarta*, id est transire facies, ad Dominum scilicet, hoc est, offeres Domino omne quod aperit vuluam tam in hominibus, quàm in iumentis. VERS. 12.

ET QVOD PRIMITIVVM EST IN PECORIBVS TVIS] Hebr. est בְּהֵמָה *behema*, q.d Iumentis tuis; iumēta propriè sunt animalia baiula, quæ homines, vel sarcinas portāt, vt equi, asini, cameli: pecora sunt, quæ pastum & cibum præbent, vti sunt oues, boues, capræ. Verùm Scriptura nō semper hoc discrimen obseruat, sed subinde hæc confundit. Hinc putant aliqui, lege hac primogenita non tātùm pecorum, sed & iumētorum omnium, putà, equorum, mulorum, camelorum, debuisse Deo offerri. idque docet Philo initio libr. de Sacerdotum honoribus; vbi addit primogenita equorum, asinorum, camelorum redimenda esse pretio, idque iure diuino. vnde aliqui putant ea quinque siclis æquè ac primogenitos hominum, fuisse redempta. Verùm nil tale exprimit Scriptura, siue ius diuinum: imò primogenitum, v.g. capræ, vel ouis, non valebat illo tempore quinque, sed tantùm duos, vel tres siclos.

Dico ergo, hîc tantùm præcipi oblationē primogenitorum pecorum, id est ouium, caprarum & boum, non autem iumentorum, putà equorū, camelorum, &c. Id patet: nam v. 15. significat omnia hæc primogenita iumentorum, id est pecorum, Deo immolari & vt Hebræi habent, sacrificari solere; atqui Hebræi poterant tantùm sacrificare oues, capras & boues, non autem equos, mulos, camelos, vt patet Leuit. 1. v. 2. & 10. Ergo ouium tantùm, caprarū & boum primogenita Deo erant offerenda; offerebantur enim ad sacrificium. Adde, de solo primogenito asini statuit Deus v. sequenti, illum cum oue commutandum esse; ergo equorum, camelorum, aliorumque iumentorum primogenita hîc neglexit & exclusit. Obijci hîc posset aliquid ex v. 15. sed illud ibi dissoluam.

Primogenita pecorum, non iumentorum exigit Deus.

Rursum obijci posset id quod dicitur Num 18 15. *Omne animal immundum redimi facies.* sed benè respondet Abulens. animal immundum ibi vocari non id quod tale est secundùm speciem, vti est equus, camelus, &c. sed quod tale est ex accidente, putà quod immūdum est, quia cæcum, claudum, morbidum, vt proinde Deo immolari non possit, iuxta legem Leuit. 22.22. Hinc sequitur, quinque tantùm animalium, putà ouis, bouis, capræ, hominis, & asini primogenita debuisse Deo offerri, vti docet Abulensis. Plura vide apud Franc. Suarez, & Sebast. Barradium tractat. de Purificat. B. Virginis.

Quinque tantū animaliū primogenita Deo offerebantur.

QVID-

QVIDQVID HABVERIS MASCVLINI SEXVS CONSECRABIS DOMINO] Masculi enim digniores sunt feminis.

Mentis proles mascula, feminaque.

Tropol. S. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 10. *Mentis*, inquit, *generationes & proles alia sunt feminea, vt malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, aliaq; huiusmodi vitia, quibus animi nostri quadam eneruatur virilitas, aliæ sunt masculinæ, vt castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, quibus mens nostra & caro ipsa firmatur, & ad impigrè obeunda virtutis munia erigitur, & ideo ait Isaias, In vtero accepimus, & peperimus spiritum salutis. masculum ergo parturiuit & peperit, qui spiritum salutis effudit.*

VERS. 13. PRIMOGENITVM ASINI MVTABIS OVE] *Asini*, id est asinæ: huius enim aperitur vulua, & asinus tam mas est quàm femina: vnde agno paschali additur τὸ *masculus*, vt dixi c. 12. 5.

Cur Deus solos asinos è iumentis exegerit? Respondeo Primò.

Quæres, cur præ cæteris iumentis voluit Deus asinum, putà primogenitum asini, sibi offerri, vt scilicet pro eo offerretur ouis?

Resp. Quia ita ipsi placuit: causa tamen motiua videtur fuisse, quòd Hebræi in Ægypto ferè tantùm habuerint boues & oues & capras è pecoribus, & asinos è iumentis (ita Hebræi & Abulens.) quorum primogenitis pepercit Deus, quæque ipsi ex Ægypto salua eduxerunt: itaque horum omnium primogenita, titulo quasi compensationis postulauit sibi Deus, vt quibus tam familiaris esset asini vsus, quibusque primogenita asinorum conseruasset Deus, ab eis eadem deinceps reciperet. Secundò, voluit fortè Deus sibi dari asinum, vt Hebræos hac ratione absterreret à cultu Priapi; huic enim immolabatur asinus. hinc illud Ouidij de asino, Fastor. 1.

Secundò. Priapo immolabatur asinus, cur?

Hellespontiaco victima grata Deo.

idque ob genitalia asinina, & ingentia, de quibus ait Propheta, *Quorum carnes sunt vti carnes asinorum*: quam ob causam & Commodus Imp. ὄνος, id est asinus, est dictus. Verùm quia stupidũ hoc animal indignum erat quod Deo immolaretur, hinc iussit Deus, vt illud cũ oue commutaretur.

Tertiò.

Tertiò, noluit Deus asellos à matre auelli, ne matrem affligeret: nullum enim animal ita amat proles suas, vt asinus & simia.

Quartò. Tropol.

Tropol. S. Gregor. lib. 27. Moral. c. 15. Asini, inquit, primogenita oue mutare, est immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatem conuertere. ita & Rupertus.

Iudæi vtebantur asinis, non equis.

Nota. Asinis (qui in Palæstina veloces & fortes sunt, vt equi) vti solent Iudæi præ equis & camelis. Hinc principes eorum asinis inequitabant, vt patet Iudicum 10. v. 4 & c. 12. v. 14. vnde & Christus rex Sionis asino vectus ingressus est Ierusalem: quin & equorum vsus, vti volunt aliqui, vel veriùs equorum copia Iudæis vetita fuit, vt patet Deut. 17. 16. psal. 71. 7. Isaiæ 2. 8. idque in Isaiæ 2. scribentes S. Hieron. Basilius & Procopius disertè docent.

Gentiles finxerunt Iudæos & Christianos colere asinum, vnde?

Atque hæc Gentilibus fabulæ occasionem dederunt, vt asinos in deserto Iudæis aquam ostendisse, & Iudæos asinũ adorare affinxerint. Horum Gentilium antesignanus fuit Apion, contra quem scribit Ioseph. l. 2. c 10. Apionẽ secuti sunt Corn. Tacitus l. 5. & Plutarch. in Sympos. l 4. q. 5. Rursum, quia à Iudæis prodiere Christiani primi, hinc in eos eadem calumnia deriuata est, vt de onony-chite, id est asino vngulato pictoris illius refert Cornel. in Pentateuch.

A Tertull. Apolog c. 16 erat is, inquit, auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus, cum hac inscriptione, Deus Christianorũ.

Onony-chites.

Idem apud Minutium Felicem Cæcilius exprobrat Octauio. Quamquam Christianis calumnia hæc atque probrum ex Gnosticis sit conflatum: Gnostici enim teste Epiphanio hæresi 62. dicebant Dominum sabaoth asini formam habere, eò quòd Iudæ dictum & promissum sit, *Ligabit ad vitem asinam suam*, Genes 49. 11. & Num. 22. asina Balaam pro Iudæis, & Dei populo steterit; & cùm equos ab hostibus captos subneruari iussisset Deus, Iosue 11. 6. asinas tamen præcepisset seruari, Num. 31. 28.

Gnostici Deum esse instar asini finxerunt.

QVOD SI NON REDEMERIS, INTERFICIES] Si vilior sit primogenitus asini, quàm vt eũ pretio stato, putà oue, redimere velis, tunc eum non immo-

B labis quidem, de ceruicabis tamen, & ceruice præcisa interimes. hoc enim significat Hebr. ערף *araph*, vt vel sic primogenitorum Ægypti, tui gratia interemptorum, habeas monumentũ. Mirum est in Septuag. pro *interficies*, legi *redimes*. Sic enim habent, ἐὰν ἢ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσῃ αὐτὸ, id est, si verò non commutaueris, redimes illud: fortè voluerunt, si ouis, cum qua commutandus erat pullus asini, non esset ad manum, tunc pullum hunc redimendum esse pretio ouis. Ita videtur exponere S. Ambros. lib. 2. de Cain c. 2. sed tunc deest altera conditionis pars, scilicet hæc: Si nec oue, nec pretio ouis, pullum hunc asini redimere volueris, tunc eum interficies, vti habent Hebræa, Chald & noster Interpres.

OMNE AVTEM PRIMOGENITVM HOMINIS IN FI-

C LIIS TVIS PRETIO REDIMES, quinque siclis, vt patet Num. 18. 16 Voluit Deus eos sibi oblatos iterum redimi, Primò, vt hæc redemptio refricaret eis memoriam redemptionis primogenitorum, cùm hæc ab angelo & morte liberata sunt. Secundò, quia solos Leuitas suo tabernaculo & cultui Deus destinauerat: alioqui enim nimis magna fuisset turba sacerdotum & ministrorum Dei, qui proinde otiosi sæpè fuissent, & tamen ali debuissent à populo: quod ingens fuisset grauamen populi.

CRAS, futuris temporibus, est synecdoche. VERS 14.

VSQVE AD PRIMOGENITVM IVMENTORVM] Omnia enim primogenita, etiam iumentorum, putà equorum, asinorũ, camelorum, cæsa sunt in Ægypto. in cuius rei memoriã Deus non iumentorum omnium, sed pecorum tantùm primogenita sibi VERS. 15.

D ab Hebræis offerri depoposcit; idque quia sola pecora sibi ad sacrificium delegit in Leuitico. Pari modo licet in Ægypto feminæ quoque, quæ erãt primogenitæ, sint cæsæ, Deus tamen ab Hebræis solos exigit masculos primogenitos, vt dignior sexus Deo dicaretur.

ERIT IGITVR QVASI SIGNVM IN MANV TVA, ET QVASI APPENSVM QVID] Pro *appensum*, alij vertunt *frontale*. Iudæi hoc rursum crassè accipiunt de scheda, fronti super oculos affixa, & ab aure vna ad aliam porrecta, cui inscriptum erat: *Sanctifica omne primogenitum*. &: *Audi Israel, Deus tuus vnus est*, &c. In hoc frontali mira est Iudæorum superstitio: dicunt enim eius membranulam accipi debere ex corio animalis mundi, debere verba iam dicta illi inscribi ea parte qua carni animalis adhæsit, idq; manu dextera, lineis rectissimis, charta integra non habente vllum foramen: si ea sit in VERS. 16.

Frõtale Iudæorum superstitiosum.

 cubili,

cubili, non licere coniugio vti, nisi illa intra tertium scrinium recludatur, &c. Denique signa hæc, quæ ipsi inter suos singulis diebus cùm capiti, tum sinistro brachio alligant, vt admoneantur

Tephillin *Iudæorum.*

præceptorum Dei, vocant תְּפִלִּין *tephillin*, à rad. תָּפַל *taphal*, id est coniungere, alligare, appendere; vel à תְּפִלָּה *tephilla*, id est oratio, q.d. Oratoria, quia ipsi in suis precibus ijs quotidie vtuntur, ijsq; se ab omni malo tutos putant. ita referunt P. Fagius, Oleaster, Lipom. & alij. Verùm huius versus genuinum sensum dedi v. 9.

VERS. 17. NON EOS DVXIT DOMINVS PER VIAM TERRÆ PHILISTHIIM, QVÆ VICINA EST] Hoc iter à Chanaan in Ægyptum per Philisthinos, communiter dicitur esse decem dierum; Philo ait esse trium dierum.

NE FORTE POENITERET EVM, SI VIDISSET ADVERSVM SE BELLA CONSVRGERE] Dices? Etiam

B

alia via pugnandum fuit cum Amalec, cap. 17. Resp. illud prælium fuit vnicum, post 40. dies ab exitu ex Ægypto initum, quod non tam Hebræorum armis, quàm Dei singulari ope confectum est: si autem transissent Hebræi per Philisthinos, statim & assiduè eis pugnandum fuisset cum hostibus bellicosissimis. tales enim erant Philisthini.

Deus nouitios primò mulcet, deinde tentat, demum roborat & perficit.

Spiritualiter, inquit Rupert. *hoc Deus agit in omnibus electis suis in Aegypti exitu, id est, in principio conuersionis; vt nouitijs pacatam à vitijs paret viam, vt tranquillè & delectabiliter egrediantur, ne subitis tentationibus pulsati à sancto proposito vix incepto deterreantur.* Pulchrè quoque S. Gregorius l. 24. Moral. c. 13. *Tres*, inquit, *modi sunt hominũ conuersorum ad Deũ, inchoatio, medietas atque perfectio. in inchoatione, inueniunt illi blandimenta dulcedinis: in medio tempore, certamina tentationis: ad extremum verò, perfectionem plenitudinis. Priùs ergo illos dulcia suscipiunt, quæ consolentur; postmodum amara, quæ exerceant; & demũ suauia atque sublimia, quæ confirment. nam & sponsam suam vir quisque priùs dulcibus blandimentis fouet: quam tamen iam coniunctam asperis increpationibus probat: probatam verò securis cogitationibus possidet. Vnde & plebs Israelitica cùm desponC dente se Deo, ad sacras mentis nuptias ex Aegypto vocaretur, quasi arrharum vice priùs accepit blandimenta signorum: coniuncta autem, probationibus exercetur in eremo: probata verò, in repromissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. ita quoque vitam vniuscuiusque conuersi, & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, & plena pòst perfectio roborat* Subdit S. Gregorius: *Sæpè tam diutina sunt tentationũ certamina, quàm longa inchoationũ fuerant blandimenta: sæpè etiam non; numquam tamen laborem tentationis dispar sequitur perfectio firmitatis: quia iuxta summam certaminis, remuneratur quisque plenitudine perfectionis.*] Additque nouitios in eo plerumque labi, quòd, dum initio aliqua dona & consolationes à Deo accipiunt, mox se perfectos putant: vndedum subita tentationis procella tanguntur, cõsternantur & penè se perditos putant; qui si primæ dulcedini non nimis tribuissent, didicissentq; in prosperis cogitare de aduersis, præuidissent hęc ita futura, nec fuissent turbati, cogitantes hunc esse Dei morem & ordinem.

Nouitiorũ tentatio ex inexperientia.

VERS. 18. ET ARMATI ASCENDERVNT FILII ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI] Pro *armati*, hebr. est חֲמֻשִׁים *chamuschim*, id est quini & quini. Vnde Caluinus carpit nostrũ Interpretem, qui vertit, *armati*, ver-

Hebr. Chamuschim quid.

A

tique vult, dispositi. Verùm passim Hebræi, vt R. Abraham, Aben Esra, Andr. Masius in Iosue 1. 14. & alij *chamuschim* accipiũt pro חֲלוּצִים *challutsim*, id est armati, vel succincti lumbos. Aquila quoque & Symmach. vertunt, καθωπλισμένοι, id est armati: itaq; rectè versum esse ab Aquila, consonant vniuersa synagogarum subsellia, ait S. Hieron. ad Damasum q. 2. quia enim quini incedunt in acie milites armati, hinc *chamuschim*, id est quini, idem est, quod armati, per metalepsin Hebræis vsitatam.

Aliter Caiet. *Chamuschim*, inquit idẽ est, quod quintati, id est armati, siue accincti gladijs & armis in loco quinque costarum: ibi enim solemus gladiũ appendere. Negat Caluinus Hebræos hîc habuisse arma. vnde enim, inquit, ipsi inopes tot & tanta sibi comparassent? Resp. honestiores iam antè ea domi suæ habuisse; alios iam antè præmonitos de egressu, ea sibi comparasse; alios ab Ægyptijs ea commodatò accepisse. nam eos habuisse arma, patet ex bello, quod paulò pòst cum Amalecitis gesserunt.

Septuag. pro *armati* vertunt, *quinta generatione*. *Chamuschim* enim significat quintam, scilicet generationem, vti subaudiunt Septuag. Estque id quoque verum, si generationes tribus Iudæ computes. Iudas enim genuit Phares, Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naason, qui fuit princeps tribus Iuda in deserto. Alioqui si generationes Leui supputes, inuenies tantùm quatuor: nam Leui genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, qui cum patre egressus est ex Ægypto. Et hoc computu promisit Dominus Abrahæ, generatione quarta Hebræos exituros ex Ægypto, Gen. 15. 16 ita S. Hieron. ad Damasum. Aliter S. August. q. 49. Generatio, inquit, est sæculum, putà spatium centum annorum: iam quarta generatione, id est, quarto centenario annorum completo, & quinto inchoato, Hebræi egressi sunt ex Ægypto, vti promiserat Deus Abrahæ, Gen. 15. 16.

Nota τὸ *armati*: hactenus Hebræi inermes seruierant Ægyptijs, lateres & lutum tractauerant: tunc liberi exituri Ægypto armantur ad bella.

Sic tropol. qui è seruitute & regno mundi & diaboli eripere se cupit, armare se debet ad prælia. memẽto ô Christiane, te Christi esse militem, ad bellum vocari, arma tractare debere. Paulus Æmilius militibus res non necessarias curantibus, iussit vt quiescerent, nec aliud facerent, quàm enses acuere, cætera sibi curæ fore. Idem

Morale de militia Christiana.

D

militi dicebat hæc tria esse curanda; corpus vt quàm validißimum & pernicißimum habeat; arma apta; animum ad subita imperia paratum: reliqua dijs & imperatori curanda relinqueret. testis est Liuius l. 4. C. Crassus militem videns sine gladio currentem: *Hem*, inquit, *commilito, pugno vteris pro gladio?* Multis Othonem Imper. rogantibus ne deposito imperio exercitum ac remp. desereret, quidam è gregarijs militibus sublato ense dixit: *Scito Cæsar, sic pro te omnes animatos esse*; moxque seipsum iugulauit. testis est Suetonius in Othone. Cùm Antonius pararet classem cum Cæsare conflicturus, quidam tribunus militum, vir fortis & in armis exercitatus, Antonio prætereunti corpus suũ multis cicatricibus insignitum ostendit, dicens: *O imperator cur his vulneribus, aut huic gladio parum fidis,*

fidis, inq́, lignis fragilibus spem reponis? Sine Phœnices & Aegyptij classe pugnent, nobis Romanis terram da, in qua consueuimus vel hostem vincere, vel mortem oppetere. testis est Plutarchus in Antonio. Præclarè Cicero l. 3. Tuscul. *Necesse est,* ait, *qui fortis sit, eumdē esse magni animi; qui magni animi, inuictum; qui inuictum, eum humanas res despicere, atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest, nisi fortis. Ex quo efficitur, fortem virum ægritudine numquam affici: omnes autem sapientes, fortes esse.* Applicet sibi hæc miles Christianus.

VERS. 19. TVLIT QVOQVE MOYSES OSSA IOSEPH SECVM] Historia Scholastica narrat, quòd Nilus exundans eo anno quo Hebræi egressi sunt, operuerit loculum Ioseph; cùm ergo eum inuenire non posset Moses, scripsit nomen Dei tetragrammaton in lamina aurea: illa autem mox enatauit ad loculum Ioseph, eumque detexit. Alij hunc loculum per ouem ostensum tradunt, ouem inquam, quæ Hebræos & loculum hunc comitata sit per desertum, illudque significari putant psalm. 79. vers. 1. *Qui deducis velut ouem Ioseph.* Sed hæ sunt fabellæ Thalmudicorum.

Nota. Verisimile est Mosen etiam aliorum patriarcharum, putà fratrum Ioseph, ossa secum extulisse. Nam Actor. 7. 16. constat eos omnes in Palæstinam translatos esse, & sepultos in Sichem; neque apparet, quo alio tempore, quàm hoc, trāsferri potuerint. Hîc tamen tantùm ossium Ioseph fit mentio, quia Ioseph adiurarat Hebræos, vti id facerent, ipseque hunc eis egressum prædixerat. Voluit autem Hebræos sua ossa efferre: quia cura pij inter suos sepulchri eum tangebat, & vt posteri horum ossium intuitu vaticinij memores, certa fide & spe iter in terram promissam capesserent. vide dicta Genes. 47. v. 29. & 30.

VERS. 20. PROFECTIQVE DE SOCOTH CASTRA METATI SVNT IN ETHAM] Hebræi castra secunda fixerunt in Etham, sicuti prima fixerant in Socoth. Etham situm erat in vltima solitudine, vicina mari rubro, & montibus prærupta: vnde fortè & nomen accepit. Etham enim hebr. fortem, indeque asperum & præruptum significat.

Quatuor miracula data Hebrais per 40. annos in deserto. Primum. Nota hîc quatuor miracula, Hebræis data & continuata per 40. annos. Primum fuit, quòd in tanta eorum turba nemo esset æger aut debilis, vt vellet aut deberet remanere in Ægypto; sed omnes essent sani ac valentes ad iter alacriter & constanter peragendum: Deus enim omnibus illis robur & alacritatem suggerebat, ne laborem itineris grauatè ac molestè ferrent. & hoc est quod dicitur psalm. 104. *Et non erat in tribubus eorum infirmus,* hebraicè כושל *chosel,* id est nutans, vacillans. q. d. Inter eos nullus erat æger, imò ne debilis quidem aut imbecillis, sed omnes erant alacres & expediti. *Secundum.* Secundum, quòd calcei & vestes eorum cum pueris creuerint, & per quadraginta annos non fuerint attrita, nec consumpta, vti dicitur Deuter. 8. 1. & c. 29. 5. *Tertium.* Tertium fuit manna. *Quartum.* Quartum fuit columna ignis & nubis, de qua iam sequitur.

VERS. 21. DOMINVS AVTEM PRÆCEDEBAT EOS AD OSTENDENDAM VIAM PER DIEM IN COLVMNA NVBIS] *Præcedebat eos* non in ipsa castrorum metatione; ibi enim sistebat, sed in profectione: eduxit enim eos ex Ægypto, & deinceps semper proficiscentes deduxit & præcessit. Vnde sequitur,

A columnam hanc itineris ducem, primò apparuisse non in Etham, sed in Ramesses; inde enim primò egressi sunt Hebræi. *Columna dux viæ.* S. Hieron. videtur contrarium dicere, scilicet quòd columna hæc primò visa sit in Etham: sed vult dicere, quòd S. Scriptura primò huius columnæ faciat mentionē in Etham, sic & in Etham tantùm facit mentionem ossium Ioseph asportatorum, cùm tamen constet ex Ramesses ea esse exportata.

Rursum hæc columna præcedebat castra Hebræorum, mota non motu circulari cælorum; ita enim in orbem raptata fuisset: non etiam ventorum flatu; sed ducente eam angelo, qui erat quasi motor & auriga columnæ, vt patet c. 14. 19. *Angelus auriga fuit columna ignis & nubis.* Angelus ergo impellebat eam, vt primam tribus Iudæ aciem proficiscentem præiret, quando castra B erant mutanda & mouenda; quando verò erant locanda & figenda, angelus eam super castra, putà supra primam aciem tribus Iuda, vti volunt aliqui, vel potiùs supra medium castrorum, vt volunt alij, quasi defixam detinebat: fabricato autem postea tabernaculo, illi incumbere faciebat, vt patet c. vlt. v. 34.

Nouem proprietates huius columnæ. Nota nouem proprietates huius columnæ. Primò, hæc columna Hebræos præcessit per 40. annos, eosque ex Ægypto in Chanaan deduxit. Secundò, hæc columna viam ostendebat, vt scirent, qua esset eundum per deserta auia & inuia. Tertiò, columna hęc iam mouebatur, iam quiescebat: cùm mouebatur, mouebant se castra Hebræorum; cùm quiescebat, & incubabat tabernaculo, quiescebant & castra. Quartò, columna hæc erat in- C gens, longa, lata, & crassa instar magnæ turris, vt à tantis castris vbilibet videri posset, putà à tricies centenis millibus hominum, quæ facilè occupabant locum decem milliarium Italicorum, inquit Pererius. Quintò, motor & stator columnæ erat angelus. Sextò, per diem apparebat, vt columna nubis per noctem, vt columna ignis ad illuminandum castra; idque vicissim & assiduè singulis diebus & noctibus. Septimò, in hac columna sæpè Deus apparebat ac loquebatur Mosi & Hebræis, suamque ostendebat gloriam & magnificentiam. Octauò hæc columna nubis tota obumbrabat castra, eaque ab æstu solis protegebat, vti dicam inferiùs Nonò, hæc nubes dispescuit Hebræos ab Ægyptijs, hos obtenebrando, illos illuminando, atque Dominus per eam prospiciens interfecit exercitum Ægyptiorum, c. 14. v. 24.

Hinc Sapient. 10. v. 17. de hac columna duce D viæ dicitur: *Deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.*

Allegoricè columna est Christus, Ecclesia & Sancti, sunt Primò. Allegoricè, hæc omnia facile est adaptare Christo, & Spiritui sancto; Christus enim est columna propter rectitudinem & stabilitatem, & quia ipse fulcit Ecclesiam, & infirmitates nostras, facitque vt & ipsa Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, ipsique Sancti sint columnæ. Hinc Apocal. 3. dicitur: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei.* Rursum Christus est columna ob crucem. *Est enim crux Christi humani generis columna,* inquit S. Hieron. in psal. 95. *Secundò.* Secundò, Christus est nubes, quà homo; est ignis, quà Deus: nam, vt ait S. Ambr. in psal. 118. nubes est nebula corporis nostri, sed in Christo leuis, id est, cælesti Spiritus sancti operatione sancta, nullaque sorde grauis, Isaiæ 19. 1. Sol ergo, vt tolerari posset, venit in nube, id est, Deus, vt cum hominibus

versaretur, venit in carne, qua deitatem suam vel-A lauit & vestiuit. Tertiò, Christus instar columnæ huius fideles suos obumbrat, protegit, & ad terram viuentium, quam electis suis promisit, deducit: ipse enim est dux noster, qui de se ait, *Ego sum via, veritas, & vita.*

Tertiò.

Sed cur est hæc columna ignis per noctem, nubis per diem? Resp. S. Gregorius homil. 21. in Euang. vt significetur Christum in die, id est in vita iusti, esse nubem, id est blandum: sed in nocte, id est vita peccatoris, quasi igneum, id est terribilem, apparere. Rursum Christus in die, id est in hac vita, ostendit se lenem, vt nubes, sed in nocte, id est in morte, & altera vita, putà in iudicio & gehenna, se quasi ignem formidabilem ostendet. *Infulgure*, inquit S. Gregorius, *terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris: hinc in resurrectione* B *Christi angelus talis apparuit, vt sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios. Vnde Hebræos per deserta gradientes columna ignis in nocte, & colũna nubis præibat in die. in igne enim terror est, in nube visionis lene blandimentum: dies autem vita iusti, & nox accipitur vita peccatoris. in die igitur columna nubis monstrata est, & in nocte columna ignis, quia Deus in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinem blandè iustos demulcebit, peccatores autẽ per iustitiæ districtionem terrebit.*

Columna nubis est Spiritus sanctus.

Potest Secundò, columna ignis Christum, qui lux est mundi; columna verò nubis Spiritum sanctum, eiusque obumbrationem & sanctificationem significare: Christus enim, & Spiritus sanctus sunt vna columna, id est, vna deitas. ita S. Ambrosius lib. 2. de Sacram. c. 6. & ex eo multi interpretes in 1. Corinth. 10. v. 1.

Rectè S. Gregor. *Spiritus sanctus*, inquit, *monet, mouet & docet: monet memoriam, mouet voluntatem,* C *docet rationem: nec minimam paleam intra cor quod possidet residere patitur, quam non igne circumspectionis & compunctionis exurat. contra stultitiam suggerit sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiem pietatem, contra superbiam Dei timorem.*

Et S. Bernardus serm. 2. de pentecoste: *Spiritus sanctus*, inquit, *dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. pignus salutis, vt ipse reddat testimonium spiritui tuo, quòd sis filius Dei: robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius non solùm possibile, sed & facile fiat: lumen scientiæ, vt, cùm omnia bene feceris, te seruum inutilem putes, & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas à quo omne bonum est. In his tribus Spiritus sanctus docebit te omnia quæ pertinent ad salutem.* Et serm. 5. *Ad feruorem in cordibus perfecto-* D *rum vehementiùs spirans, validum ignem charitatis accendit, vt non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumelia gloriam reportantes.*

Et S. Basilius de Spiritu sancto: *Sicut*, inquit, *corpora illustria perlucidaq́ꝫ, contacta radio solis, fiunt & ipsa splendida, & alium fulgorem ex se profundunt: sic & anima Spiritu sancto afflata & illustrata, fiunt & ipsa spirituales, & in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præsentia, arcanorum intelligentia, occultorum comprehensio, donorum distributiones, cælestis conuersatio, cum angelis chorea: hinc gaudium numquam finiendum, hinc in Deo perseuerantia, hinc similitudo cum Deo, & quo nihil sublimius expeti potest, hinc est vt Deus fias.*

Vtinam hanc columnam in cælum nos ducentem quotidie intueamur, & studiosè sectemur! S. Carolus Borromæus cuidam è suis petenti documentum aliquod, qua ratione ad cælum peruenire & Deo placere posset, hoc dedit: *Qui quotidie in via Dei progredi cupit, oportet* Primò, *vt incipiat quotidie, hoc est quotidie debet conari, vt Deo seruiat eo feruore, ac si eo die primùm inciperet*; Secundò, *ambulet actualiter in præsentia Dei*; Tertiò, *solum Deum statuat sibi finem omnium & singularum actionum suarum.* Hisce tribus complexus est totam vitam spiritualem, totumque statum & progressum interioris hominis. Ita refert auctor Vitæ eius lib. 8. c. 18. in fine.

Tropologicè ergo, columnæ lucis sunt fortes & illustres Sancti. *Venit aliquando Abbas Hilarion ad Abbatem Antonium, & dicit ei Abbas Antonius: Bene venisti Lucifer, qui manè oreris. Et respõdit Abbas Hilarion: Pax tibi, columna lucis, quæ sustines orbem terrarum.* vti habetur in Vitis Patr. lib. 5. tractat. 17. n. 4.

Talis columna lucis fuit quoque Simeon Stilites, qui vt omnes à terra traheret ad cælum, stetit in columna per octoginta annos, vix comedens & dormiens, semperque vel orans, vel accedentibus dans monita salutis. Et angelus Apocal. 10. v. 1. habebat pedes quasi columnas ignis.

Sic Petrus, Iacobus, Ioannes in Ecclesia *videbantur esse columnæ*, ait Paulus Galat. 2. 9.

Hac de causa Christus Apocal. 3. 12. angelo, id est Episcopo, Philadelphiæ promittit: *Qui vicerit*, ait, *faciam illum columnam in templo Dei mei.*

AD OSTENDENDAM VIAM. Licet enim via communis ex Ægypto in Chanaan trita esset, & vulgò cognita: nemo tamẽ nouerat eam viam, qua Deus Hebræos per deserta Arabiæ volebat deducere in Chanaan. Addit Genebr. in psal. 104. v. 39. Deum ostendisse eis viam, eò quòd in Saracenicis illis desertis nulla extent viarum vestigia, ob arenas leui ventorum flabello mobiles & delebiles: ideoque viatores in illis, vt nautæ in mari, vti coguntur instrumentis quibusdam, quasi nauticis quadrantibus, ad indicandas mundi plagas, & iuxta eas dirigunt suas profectiones.

Quæres, an hæc columna tantùm ostenderit viam, an verò etiam castra obumbrarit & ab æstu protexerit? Caietan. & Abulens. quæst. 13. censent eam tantùm ostendisse viam. ratio est, quia vna columna, vtpote parua & gracilis, non poterat obumbrare tota & tanta castra. Secundò, si castra tota obumbrasset, ademisset eis aspectum aëris, cæli & luminis cælestis, quod hominibus est iucundissimum.

An colũna hæc castra ab æstu protexerit. Negat. Abulens.

Verùm alii probabilius censent, hanc columnam non tantùm ostendisse viam, sed etiam castra ab æstu solis protexisse: nam, cùm Hebræi iter facerent per Arabiam, quæ radijs & caloribus solis torretur, præsertim in vallibus, in quibus oppositorum montium obiectu radii solis reflexi, magnos calores excitant; habuissent iter molestissimum, ni Deus hos calores temperasset, radijs solis opponendo hanc nubẽ columnæ. Probatur, nam id dicitur psal. 104. *Expandit*, inquit, *nubem in protectionem eorum.* & Psaltes psalm. 120. huc alludit dicens, *Dominus custodit te, Dominus protectio tua: per diem sol non vret te, neque luna per noctem.* Sapient. 10. *Deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei.* & cap. 19. *Castra obumbrabat nubes.* & cap. 18. *Solem sine læsura boni hospitij præstitisti eis:* q. d. Fecisti, vt columna illa Hebræis esset dux, &

Affirmant alij, idq́ꝫ verius est.

Probatur.

& quasi sol præfulgens ad peregrinationem,& bona hospitia,id est,bonas & commodas stationes in deserto per 40.annos indicandas,sol, inquam sine læsura,id est innocuus,non lædens,non vrens Hebræos. Hinc denique Apostolus 1.Cor.10.1. ait patres omnes sub nube fuisse.Ita B.Nyssenus.Ambros.in psalm.118. Iustinus contra Tryphon. Lyranus,Perer.& alij.

Dices,Quomodo parua columna poterat obumbrare tota castra?

Columna ex se spargebat nubē castra obūbrantem.

Respondeo, Columna hæc,cùm iter agerent Hebræi,præibat castra,& simul expandebat se, & quasi aliam nubem,quæ castra obumbraret,ex se spargebat. Vbi Nota, nubem hanc in sublimiore parte aëris fuisse soli è regione obiectam, eique, quocumque mouebatur, oppositam, ita vt eius obtẽtu solis ardor,& radij in ea refracti & repressi ita modici peruenirent ad Hebræos, vt Hebræis lucem, non autem æstum afferrent: id ita esse patet Numer.14.14 vbi sic dicitur: *Nubes tua protegat illos,& in columna nubis præcedas eos.*vbi manifestè nubes à columna castra præeunte distinguitur, diciturque protexisse eos, ab æstu scilicet; orat enim Moses, vt Deus hanc suam protectionem

A continuet. Idipsum significatur quoque Numer. 10.34. vbi sic dicitur, *Nubes quoque Domini super eos erat per diem cùm incederent.* Vbi Septuag.vertunt, καὶ ἡ νεφέλη κυρίου ἐγίνετο σκιάζουσα ἐπ᾽ αὐτοῖς, id est,*& nubes Domini fuit obumbrans super eos.* Vnde sequitur, nubem hanc soli oppositam, ingentem & immanem fuisse.Erat enim maior totis castris,quæ,vt superiùs dixi,extendebant se ad decem milliaria Italica: ad totidem ergo milliaria extendi debebat & nubes, vtpote tota castra velans,obumbrans,& à radijs solis protegens.

B Rursum cùm castra consisterent, nubes hæc quadrata erat. Castra enim fixa erant quadrata, vt patet Numer.2. cùm verò castra mouerentur, & Hebræi longo agmine se expandentes, per tribus singulas ordinata serie proficiscerentur, tunc nubes hæc, quæ antea quadrata fuerat, pariter se in longum supra omnia agmina expandebat, illisque in longitudine æquè ac in latitudine æquabatur. Ambulabant enim omnes Hebræi sub nube hac quasi sub velamine, vel vmbella, ideoque Deus dicitur eos deduxisse in via mirabili, Sapient.10.17.Plura de hac columna dicam Numer.9.15.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PHarao cum suis insequitur Hebræos; illi timent, roborat eos Moses. Secundò, angelus in columna nubis interponit se inter Hebræos & Aegyptios v.19. Tertiò,v.21. Moses sua virga diuidit mare,transeunt Hebræi. Quartò,v.20. Aegyptij insequentes, tum ab angelo, tum ab aquis recurrentibus obruuntur.

1. LOcutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel: Reuersi castrametentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon: in conspectu eius castra ponetis super mare. 3. Dicturusque est Pharao super filiis Israel. Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. 4. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, scientque Ægyptij quia ego sum Dominus. Feceruntque ita. 5. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quòd fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis & seruorum eius super populo, & dixerunt: Quid voluimus facere vt dimitteremus Israel,ne seruiret nobis? 6. Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. 7. Tulitq; sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit: & duces totius exercitus. 8. Indurauitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in manu excelsa. 9. Cumque persequerentur Ægyptij vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelsephon. 10. Cumq; appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos,viderunt Ægyptios post se:& timuerunt valdè:clamaueruntque ad Dominum, 11. & dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti,vt educeres nos ex Ægypto? 12. Nónne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs? multò enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine. 13. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: state, & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vsque in sempiternum. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. 15. Dixitq; Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filijs Israel vt proficiscantur. 16. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum. 17. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum vt persequantur vos: & glorificabor in Pharaone,& in omni exercitu eius,& in curribus & in equitibus illius. 18. Et scient Ægyptij quia ego sum Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone,& in curribus

ribus atque in equitibus eius. 19. Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra
Israel, abijt post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum
20. stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illumi-
nans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. 21. Cú-
que extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento ve-
hementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisaq; est aqua. 22. Et ingressi
sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum &
læua. 23. Persequentesq; Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pha-
raonis, currus eius & equites, per medium maris. 24. Iamque aduenerat vigilia ma-
tutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis &
nubis, interfecit exercitum eorum: 25. & subuertit rotas curruum, ferebanturque
in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat
pro eis contra nos. 26. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super
mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus & equites eorum. 27. Cum-
que extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad prio-
rem locum: fugientibusq; Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in
mediis fluctibus. 28. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cun-
cti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem su-
perfuit ex eis. 29. Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ
eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris: 30. liberauitque Dominus in die illa
Israel de manu Ægyptiorum. 31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus ma-
ris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus
Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.

VERS. 2. CASTRAMETENTVR E REGIONE PHIHAHIROTH, QVÆ EST INTER MAGDALVM ET MARE, CONTRA BEELSEPHON] Quarta est hæc Hebræorum statio, siue mansio, in qua à sinistris vallati erant mari; à tergo exercitu Ægyptiorum eos persequentium; antè, & à dextris præruptis montibus. Vnde eos ibi velut mures in muscipula comprehendere cogitabat Pharao.

Pro è *regione Phihahiroth*, Septuag. vertunt, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, quod Origenes interpretatur, *è regione ascensionis tortuosæ*. Non bene alij vertunt, *è regione suburbiorum* aut *villarum*, quasi Septuag. in *Phihahiroth* literam *chet* pro *ain* acceperint, nomenq; hoc deriuarint ab עִיר *ir*, id est vrbs. ad verbum *Phihahiroth* hebraicè idem est, quod os foraminum, פֶּה *pe* enim significat os, חור *chur* foramen, vt Phihahiroth idem sit, quod ingressus in speluncam rupibus inclusam, & arctam; *os* enim innuit *angustias ingressus*.

Sic *Magdalum* hebraicè turrim sonat: fortè fuit arx monti imposita. *Beelsephon* hebraicè idem est quod dominus speculæ: quæ omnia indicant loca hæc fuisse prærupta & inaccessa. Vide chorographiam horum locorum in tabulis Adrichomij.

R. Salomon, & Hebræi fabulantur Beelsephon fuisse canem æneum, qui latratu prodebat fugientes Hebræos, qualem in Hispania Numantiæ fuisse testatur Abulens.

Tropologicè, à vitijs ad virtutem, à terra in cælum enitentibus ardua calcanda est via. ita Origenes.

VERS. 3. SVPER MARE] ad mare, versus mare, iuxta mare.

DICTVRVSQVE EST PHARAO] postquam ab exploratoribus Hebræos fugere intelligens, & dimissionis eorum pœnitens, eos insequi cogitabit, vt reducat.

SVPER FILIIS ISRAEL] de filijs Israel. Sic Virgil.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

COARCTATI SVNT] Hebraicè נְבֻכִים *nebuchim*, id est perplexi sunt, vel confusi sunt; quia videlicet in arctis constituti, & circumquaque rupibus, mari & armatis conclusi, exitum non inuenient: itaque vel fame, vel gladio eos conficiam, aut potiùs ad deditionem & seruitutem pristinam eos redigam.

VERS. 4. ET INDVRABO COR EIVS, AC PERSEQVETVR VOS] Sat patet ex consultatione præuia v. 3. & 5. Pharaonem liberè se obdurasse & obfirmasse, vt persequeretur Hebræos; dicitur tamẽ etiam Deus eum indurasse, vt dixi c. 7. v. 3. quia sine Dei permissu & certa prouidentia, numquam se obdurasset Pharao: Deus enim, cui omnes rerum omnium ordines subiacent, hoc Pharaonem ordine, cursuque rerum statuerat, quo his quæ se obtulerunt, obiectis, eum liberè & sponte sua obdurandum præsciebat. Quidquid enim à Dei prouidentia quouis modo manat, Hebræa phrasi Deus agere dicitur: vtiturque subinde hac phrasi Scriptura, vt altissimam latissimamque rerum omnium prouidentiam (cui omnes etiam impiorum voluntates subiacent, & à qua reguntur & diriguntur, quocumque ipsi libuerit) in Deo commendet.

Hic verò accessit alia peculiaris Pharaonem obdurandi ratio in Deo, videlicet, quòd Deus Hebræos in loca hæc arcta adduxerit, eo quidem proprio fine, vt omnem suam spem in Deum conijcerent Hebræi, sed vnde Pharaonem eos insequendi occasionem & voluntatem firmam ex pristina sua malitia, tyrannide & obstinatione concepturum præuidebat: quam eius voluntatem malam non intendit Deus, sed solùm positiuè voluit permittere; idque ad hoc, vt Pharaonem hac ratione pertraheret ad mare rubrum, ibique pro anteactis suis sceleribus & rebellionibus eum puniret atque mergeret. Simili stratagemate bellico milites, vt hostem eliciant, & ad insidias latentes pertrahant, pauci exeunt, hostique se ostentant: insequitur eos turmatim hostis: cedunt illi sensim, hostemque ad insidias pertrahunt: inde prodit agmen instructum, quod hostem cingit & conficit. sicuti ergo pauci illi elicientes hostem cum

Sicut dux hostes pellicit ad insidias, ita Deus Pharaonem pellexit ad mare rubrum.

eũm fallere dicuntur eumque pertrahere ad insidias, cùm tamen propriè neque pertrahant ad insidias, neque fallant eum, sed tantùm dent occasionem, qua illecti hostes eos persequantur, itaque sua culpa fallantur, & ipsi se fallãt; simili modo cum Pharaone fecit hîc Deus, ideoque dicitur eum obdurasse ad persequendum Hebræos.

Obdurauit ergo hîc Deus Pharaonem eo præcepto quod Mosi dedit v. 2. nimirũ, vt castra metaretur ad mare rubrum, è regione Phihahiroth inter rupes & montes, vnde τὸ *& obdurabo* tantundem est, acsi dicat, *itaque obdurabo cor eius:* sciebat enim Deus Pharaonem, vbi audisset Mosen & Hebræos iam non ad tres diætas ad sacrificium abijsse, sed absolutè fugisse, eosque iam esse conclusos mari & rupibus; statim rediturum ad suum ingenium, & pristinum propositum dominandi Hebræis, ideoque obdurato & obfirmato animo eos persecuturum, eò quòd certò sibi persuaderet se eos obtenturum, nec ipsos posse manus suas effugere.

Secundò, hanc occasionem obiecit Deus Pharaoni tam per nuntios, quàm per seipsum, obijciẽdo eius phãtasiæ circa rem præsentem cogitationes ex se indifferentes de Hebræorum amplitudine, fuga & facilitate eos reducẽdi, ex quibus sciebat eum se obduraturum ad persequendum Hebræos; idque permisit Deus, quia statuerat eum hac ratione pellicere ad mare rubrum, ibiq; eum submergere. iam enim omnino conclusum erat apud Deum de Pharaone puniẽdo, & morte mulctando, & apud Deum lata iam erat in eum sententia mortis, quam vt commodè Deus exequeretur, vsus est occasione iam dicta qua eum pertraxit ad locum supplicij. hoc ergo loco obduratio in Deo non significat aliud, nisi iudicium & vindictam Dei in Pharaonem, qua eum pellexit ad carnificinam maris rubri.

Obdurare hîc est pellicere ad locum supplicij.

Vide hîc in Pharaone, quàm vera sit sententia 42. in Sent. S. Augustini: *Nihil infœlicius est felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur.*

Et glorificabor in Pharaone] quando eum ad mare rubrum pellectum aquis mergam cum vniuerso exercitu: tunc enim omnibus apparebit gloriosa mea potentia, iustitia & vindicta.

Scientque Ægyptii] & præsentes mergendi, vt patet v. 25. & reliqui, qui in Ægypto manserunt, qui ita attoniti & perculsi fuerunt suorum strage, & Dei Hebræorum metu, vt quisque opera sua quibus distinebatur eo die, ne Pharaonem sequeretur, itaque cum eo mergeretur, Deum suum vocaret, ait Apollonius Abbas apud Palladium in Lausiaca c. 52.

Vers. 5. Immvtatvm est cor (id est voluntas & sententia) Pharaonis svper (contra) popvlvm] Hebræorum, præsertim iram accendente exspoliatione Ægyptiorum: videbant enim iam se spoliatos ijs quæ commodato tantùm dederant Hebræis.

Vers. 7. Tvlitqve sexcentos cvrrvs] Olim enim curribus falcatis, & in curribus depugnabant: currus enim sua falce demetebant homines, animalia, segetes; milites verò in ipsis curribus præliantes ferebantur & decurrebant in hostem: antiquissimi & primi currus, de quibus legimus, sunt hi Pharaonis.

Tropologicè, currus Pharaonis sunt currus A vitiorum. de quibus vide S. Bernard. serm. 39. in Cantica, vbi comparans Pharaonem cum diabolo, Ægyptum cum sæculo: *Ibi*, ait, *populus eductus est de Aegypto; hic homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao; hic diabolus. Ibi subuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & sæcularia desideria, quæ militant aduersus animam, subruuntur. Illi in fluctibus; isti in fletibus. Marini illi; amari isti. Puto & nunc clamare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam, Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo.* Deinde Pharaonis, id est diaboli, principes & currus, ita describit: *Habet namque malitia currũ suum quatuor rotis consistentem, sæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Valdè enim velox est, currus iste ad effundendum sanguinem; qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec in-* B *hibetur pudore; trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratis, terrena potentia & sæculari pompa; præsident duobus his equis aurigæ duo, tumor, & liuor; & tumor quidem pompam, liuor verò potentiam agit.* Pari modo luxuriæ, inquit, rotę quatuor sunt, otium, mollities vestium, ingluuies, & libido; equi duo sunt prosperitas vitæ, & rerum abundantia; auriga sunt ignauiæ torpor, & infida securitas. Simili modo auaritiæ rotæ quatuor sunt, pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio; equi duo sunt tenacitas, & rapacitas, cum suo auriga, qui est habendi ardor: sola siquidem auaritia, quoniam conducère plures non patitur, vno contenta est seruitore. hactenus S. Bernardus. Idem in Sentent. *In Scriptura*, ait, *inueniuntur tres currus. Primus est elatio potentiæ temporalis: cuius auriga est tumor præsumptionis & audaciæ, habens equum propriæ confidentiæ.* C *Rotæ eius sunt præceps mobilitas vanitatis, & felix successio prosperitatis. Hic est currus Pharaonis, in quo moritur. Secundus est altitudo conuersationis & vitæ. Auriga eius est sermo commonitionis diuinæ, habens equum votum perseuerantiæ. Rotæ eius sunt horrenda terribilitas tormentorum. & mira delectabilitas præmiorũ. Hic est currus in quo legit cum Philippo Eunuchus, Actor. 8. Tertius currus est celsitudo contemplationis & gratiæ. Auriga eius est amor cælestis patriæ, habens equum desiderium beatitudinis & vitæ. Rotæ eius sunt, improbatio gloriæ mundialis, & diuina reuerentia maiestatis. Hic est currus igneus in quo Elias rapitur in cælum.*

Currus Pharaonis sunt currus vitiorum; qui?

Dvces] Hebraicè שָׁלִישִׁם *schalisim*, id est, triumuiros. vnde & Septuag. Tristatas vertunt; hinc apparet, quòd prisco illo tempore tres solerent præfici, essẽque præfecti in exercitu & in aulis principum. vnde S. Hieron. in Ezech 23. *Tri-* D *statæ, ait, qui & terni statores vocantur, nomen est secundi gradus post regiam dignitatem; de quibus scriptum est, 2. Reg. 23 19. Ad tres primos non perueniit* (tres enim fortissimos milites & duces habuit Dauid.) *qui principes equitum peditumq; erant, pariter & tributorum, quos nos magistratus vtriusque militiæ, & præfectos annonarij tituli nominamus.* Aliter Gregorius Nyssenus in canticum Mosis, & Græcus Scholiastes: Antiqui, inquit, magnos faciebant currus, vt tres homines caperent, quorum vnus erat auriga, duo reliqui milites pugnantes; hi dicũtur tristatæ: vel tristatas vocat robustos, & eos, qui aduersus tres possent consistere. Hesychius verò, Tristata, inquit, est satelles regius, quia tria vibrabat hastilia: alij, tristata, inquiunt, idem est, quod triarius.

Tristatæ qui.

Tropologicè, tristatæ, vel terni statores sunt dæmo-

dæmones, qui stant in omnibus vitæ huius vijs, vt vel in factis, vel in verbis, vel in cogitationibus homines ad peccatum impellant. ita Origenes.

VERS. 10. ET TIMVERVNT VALDE] Non enim erant assueti bello & gladijs, sed oneribus & iugo; esto essent sexcenta millia armatorum: sic enim centum millia rusticorum facilè à decem millibus exercitatorum militum conficiuntur.

CLAMAVERVNTQVE AD DOMINVM] in voces desperabundas eruperunt; vnde increduli tam durè cum Mose expostularũt, nil enim nisi mortem, vel seruitutẽ expectabant, vti sequitur. Quare non videtur verum, quod ait Ioseph. Hebræos parasse se ad prælium, vt confligerent cũ Ægyptijs. Nimirum talia ipse subinde historiæ affingit, quæ faciunt ad honorem suæ gentis.

VERS. 13. NOLITE TIMERE] Moses duro & incredulo populo mansuetè respondet, memor vocationis Dei, & salutis populi potiùs, quàm iniuriarum. Iosephus ait Mosen populum tumultuantem placasse & animasse hac oratione: Deus vos in arctum hunc locum concludi voluit, vt hîc suam in vos curam & potentiam ostenderet: hic ergo locus magis vos ad spẽ excitare debet. Deus enim maximè adest in arduis, quando spei superest minimum. Ille vos ex Ægypto vocauit, ille viam & exitum dabit: ipse potest hosce montes in planitiem, & hoc mare in terram vertere.

Oratio Mosis ad populum ex Iosepho.

MAGNALIA] Hebr. ישועה iescua, id est salutem.

VERS. 14. DOMINVS PVGNABIT PRO VOBIS, ET VOS TACEBITIS] vos quiescetis, otiosè & iucundè hanc Dei pro vobis pugnam & prælium spectando.

Moraliter in arctis adest Deus sperantibus in se.

Moraliter vide hîc, quàm fortiter in arctis sperare in Deum, eumq; inuocare debeamus, quamque intrepidè eum vocantem, per auia & inuia sequi debeamus, ac contra spem in spem cum Abrahamo credere, quòd ipse nos tutabitur, & ad felicem exitum perducet. Ita Psaltes psal. 26.3. *Si consistant*, inquit, *aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* & Iob c. 13.15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Rectè S. August. in Soliloq. cap. 15. In arduis & arctis *constanter Deo crede, eiq; te totum committe, quantum potes: ita enim ipse te ad se subleuare non desinet, nihilq; tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Ita Psaltes psal. 4.v.10. *In pace*, ait, *in idipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Spes enim non confundit: quia Deus, qui iubet magna à se sperari, fidelis est, maiorque & liberalior omni spe nostra. Hinc Ecclesiast. c. 2.11. asserit: *Scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.* & Isaias cap. 40.31. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & nõ deficient.* & Habacuc cap. 3.v.18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Deus enim quia magnificus est, non vult spe nostra vinci, sed eam superare: hinc merita supplicum excedit & vota.

Huius autem spei cos & basis est bona consciẽtia: *quoniam si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo*, ait S. Iohan. epist. 1. c. 3.21.

Gratiarum actio elidet omnes tentationes.

Rursum solerter hîc aduerte, & disce, singulare remedium contra omnes tentationes & tribulationes esse, si quis in ijs non fiat pusillanimis, nec murmuret, sed Deo generosè se resignet, eique gratias agat. Audi Abbatem Sanctum in Vitis Patrum, tractatu de fortitudine: *Frater*, inquit, *quidam erat in cella, & venit super eum tentatio, & si quis eum videbat, nec salutare eum volebat, neque in cellam recipere, & si opus habebat panem, nemo mutuabat ei; & si de messe veniebat, nemo eum, sicut erat consuetudo, vt reficeret, inuitabat. Venit autem semel de messura per cauma, nec panes habuit in cella sua; & in his omnibus gratias agebat Deo. Videns autem Deus patientiam eius, abstulit bellum tentationis ab eo. Et ecce quidam statim ostium pulsabat, trahens camelum onustum pane; quod cùm vidisset frater ille, cœpit flere, dicens: Domine non sum dignus vel modicè tribulari. Et cùm transisset tribulatio eius, tenebant eum fratres in cellis suis, & repausabant eum.* Qui ergo despiceris, odia pateris, rideris, angustiaris, tribularis, sequere & experire hanc praxim, Deo gratias age: Deus animos mutabit, omnesque tibi beneuolos efficiet, ac tentationem auferet. Noui qui reipsa idipsum experti sunt non semel. Meritò ergo S. Chrysost. tomo 5. scripsit homiliam hoc argumento: *quòd maximum lucrum in tribulationibus est gratiarum actio.*

A patiente bellum tentationis aufert Deus.

Denique vide hîc in Hebræis, quàm verum sit illud Isaiæ 30.15. *In spe & silentio erit fortitudo vestra.* Quid est silentium? quanti est taciturnitas? Audi Iohan. Climacum gradu 11. *Taciturnitas est mater orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obseruatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, lachrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, iudicij indagatrix, quietis coniux, scientiæ adiectio, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.* De silentio plura dicam Isaiæ 30.

DIXITQVE DOMINVS AD MOYSEN: QVID CLAMAS AD ME?] Subticet Scriptura more Hebræo factum præuium, videlicet Mosen feruenti mentis in Deum eleuatione coram eo orasse, esseque prolocutum ea, quæ paulò antè v. 13. & 14. dixerat Hebræis; quę proinde Deus exaudiens dicit, *Quid clamas ad me?* non reprehẽdens eius orationẽ, sed blandiendo eum consolans, docens, & excitans ad miraculi sequentis, putà transitus maris rubri, spem & aggressum. Hanc enim vim sæpè apud Hebræos habet interrogatio: vti illa Christi ad matrem, *Quid mihi, & tibi est mulier?* non castigatio, sed spei est probatio eã exacuens. Sic Gen. 47.19. dicunt Ægyptij Iosepho: *Cur moriemur te vidente?* & Dominus ad Mosen Exodi 4.2. *Quid est quod tenes in manu tua?* VERS. 15.

Porrò *clamor*, inquit S. Bernard. serm. 16. in psal. 90. *in Dei auribus est desiderium vehemens*: contrà remissa intẽtio est vox submissa. Sic & S. August. q. 51. & S. Hier. in psal. 5. & S. Chrysost. hom. de muliere Chananæa, vbi pulchrè docet, quomodo viuis, etiam dũ cum alijs versamur, mẽte ad Deum clamare nos oporteat. Verè dixit ille: *Apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor.* Et Cassiodor. in psal. 16. *Ipsum est oratio perfecta, cuius & causa clamat, & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio.* Et S. August. in Serm. *Cùm oras*, ait, *clama non voce, sed mente. Nam & tacentes exaudit Deus, nec quæritur locus, quantum sensus. Ieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiãt, Iob nudus in sterquilinio triũphat, paradisum latro de cruce inuenit: non est locus, vbi non sit Deus.* Iose-

Clamor in auribus Dei est desiderium vehemens.

Oratio Mosis ad Deũ. ex Iosepho. Iosephus Mosen ita orasse tradit: *Tuum est Domine hoc mare, tuus est hic mons, qui nos claudit: si vis, & potest hic te iubente aperiri, & illud in terram verti: possumus & per aërem sublimes effugere, si ita seruare nos tibi placeat.* A

VERS. 16. VT GRADIANTVR FILII ISRAEL IN MEDIO MARI] per ipsum mare altum & vastum. medium ergo hic non præcisè medium significat; sic ille ait, *Medijs sitiemus in vndis.*

VERS. 17. EGO AVTEM INDVRABO COR ÆGYPTIORVM, VT PERSEQVANTVR VOS] Obijciam enim oculis & menti eorum vestra vestigia (vosque sicco pede mare transeuntes) quæ ipsi fidenter & audacter insequentur, nescientes ibi sibi laqueum parari. Rursus, Deus hic ademit Ægyptijs apprehensionẽ & timorem incedendi per alueum maris rubri; vnde per illum, æquè ac per terram, animosè ingressi sunt, vt persequerentur Hebræos. Sic ergo excæcauit & obdurauit eos Deus, vt eos in hanc muscipulã illiceret, caperet & opprimeret.

VERS. 19. TOLLENSQVE SE ANGELVS DEI, QVI PRÆCEDEBAT CASTRA ISRAEL, ABIIT POST EOS, ET CVM EO PARITER COLVMNA NVBIS] *Angelus*, scilicet in columna nubis delitescens, in eaque se ostendens: neque enim angelum in sua essentia, aut humana aliaúe indutum forma, sed tantùm nubis specie mouentem se viderunt Hebræi. ita Rupertus. Vnde Hebræa habent, *profectus est angelus, & cum eo profecta est columna nubis.*

Hinc colligas cum Caietano de die hæc contigisse: columna enim nubis per diem tantùm apparebat, sicuti columna ignis tantùm per noctem.

Porrò spectro hoc, putà quòd angelus cum columna præiens castra, transferret se ad finem castrorum, eaque sequeretur, itaque se interponeret inter castra Hebræorum & Ægyptiorum, significabat Deus, se sollicitam populi sui curam & tutelam gerere, adeoque claudere agmen Hebræorum, vt eos omnes ab Ægyptijs tutaretur, eo modo qui sequitur.

Nota. Licet columna hic sequeretur castra à tergo, tamen simul ex se radios quosdam emittebat eminus ante primam aciem, qui viam ostenderent, qua pergerent ad mare rubrum; proficiscebantur enim continuò Hebræi, vti iusserat Deus v. 15.

Simili modo angelus deduxit acies Christianorum in terra Sancta in inuio errantes. Anno enim Domini 1144. cùm exercitus Christianorum insidijs circumuentus, & in extremas angustias coniectus, ab obsidendo Bostro metropoli Arabum recederet, duce cælesti nuntio incolumes omnes ad propria redierunt. Cùm ergo in ineuitabilia incidissent discrimina, & errarent omnes in inuio & non in via, & angustiis locorum interclusi essent, ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberent ducem, qui agmina præiret, & locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam; ecce subitò cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum baiulans, lorica indutus, curtis ad cubitos manicis antecedebat exercitum. Hic tamquam angelus Domini exercituum viarum sequens compendia, ad aquas priùs incognitas congruis & commodis stationibus castrametari docebat; qui illis deductis Hierosolymam vsque, illo admirabili perfunctus ministerio ab omnium mox euanuit oculis. Ita Guiliel. Tyrius lib. 16. Belli sacri c. 12. & ex eo Baron. anno Christi 1144.

B

ET ERAT NVBES TENEBROSA, ET ILLVMINANS NOCTEM, ITA VT AD SE INVICEM TOTO NOCTIS TEMPORE ACCEDERE NON VALERENT] VERS. 20.
q. d. Columna hæc nubis ea parte, qua Ægyptios respiciebat, ita densabatur, itaque se instar crassæ nubis expandebat, vt Ægyptij Hebræos neque cernere, neque accedere possent; sequerentur tamen precedentem se columnam nubis: eadem tamen columna ea parte, qua Hebræos respiciebat, habebat speciem ignis castra eorum illuminans, vt possent proficisci, & transire mare rubrum. assiduè enim hac nocte proficiscebantur Hebræi, vti iam dixi. Vnde Chald. vertit, *erat nubes, & obscuritas Aegyptiis: Israeli autem erat lux tota nocte.* *Columna illuminans Hebraeos, & obnubilans Ægyptios.*
En quomodo eadem columna Deus suos protegat, & hostes plectat. Sic Tropologicè, ait Rupert. eadem virtus, quæ pijs lucet, impios excæcat: sic crux Christi virtus est credentibus, Iudæis verò scandalum. *Sic virtus piis lucet, impios excæcat.*

CVMQVE EXTENDISSET MOSES (inuocato priùs numine, ait Iosephus.) MANVM SVPER MARE, ABSTVLIT ILLVD DOMINVS FLANTE VENTO (cùm simul eodem tempore afflaret ventus) VEHEMENTI ET VRENTE TOTA NOCTE, ET VERTIT IN SICCVM] Putant aliqui, vti S. Basilius in Catena, hanc maris diuisionem factam esse per ventum vrentem, vel propellentem & extrudentem aquas, vel easdem siccantem & absumentem. sed hoc parum est credibile: neque enim idem ventus aquas impellere, aut siccare, & simul easdem sistere, ne in alueum vacuum defluerent, potuisset. Secundò, vt demus id fieri potuisse, tamen mox vt cessabat ventus, aquæ maris eleuatæ refluxissent in alueum suum pristinum, & tam profundum: cessauit autem ventus dum transirent Hebræi; quia alioqui molestissimũ eis fecisset transitum. VERS. 21. *Ventus non diuisit mare rubrum,*

C

Igitur Mose extendente virgam super mare, mox, non ventus, sed angelus diuisit mare, ita vt vtrimque in modum muri intumescens consisteret, relicta in medio via, qua Hebræi transirent; ventus verò à Deo immissus est tantùm ad hoc, vt alueum iam diuisum, aquisque vacuatum planè siccaret & solidaret, auferendo quicquid in eo reliquum erat humidi & lutulenti. *sed angelus.*

Diuisio ergo maris in tanta latitudine, subitò facta est ab angelo: exsiccatio verò fundi maris per ventum, successiuè facta est, inquit Caietan. ita & Abulensis & Pererius.

D

Nota, hanc maris diuisionem ingentem fuisse, tum quoad latitudinem (mare enim rubrum habet spatium sex leucarum in latitudine, vt docet Adrichomius:) tum quoad longitudinem. nam per eam transire debebant spatio vnius noctis, imò mediæ tantùm noctis, omnia castra Hebræorum, quæ præter currus & iumenta, facilè constabant tribus millionibus hominum. ergo longitudo huius scissuræ maris debebat esse ingens, vt per eam simul incedere & transire possent plurimi hominum & animalium ordines: si enim vnus post alium transisset, impendissent in transitu plures, non solùm dies, sed & septimanas. Hanc Mosis fiduciam imitatus S. Hilarion, simile in mari miraculum patrauit. Nam circumdatus à piratis, cunctis trepidantibus subrisit: *Modica*, ait, *fidei quare trepidatis? Numquid plures sunt quàm* *Quanta diuisio facta sit in mari rubro*

Pharaonis exercitus? tamen omnes Deo volente submersi sunt: ac porrecta manu contra venientes, Husque venisse sufficiat: statimq́; pirata, quantúmque remigarent, retrò ad littus repulsi sunt, ait S. Hieronymus in eius vita.

FLANTE VENTO VEHEMENTI ET VRENTI] Hebraicè est, *cùm vento Orientali forti*. Orientalis autem calidus est & vrens. Septuaginta & Philo putant fuisse Austrum, & consequenter per contrarium, putà Aquilonem, reductum fuisse mare, cùm obruit Ægyptios; nimirum sicuti Meridies annumeratur Orienti, ita & Auster Euro Orientali. Vide dicta c. 10. 13.

Ordo historia diuisionis maris rubri. Nota. Hebræi accesserunt ad mare sub initium noctis, & primæ vigiliæ: mox Moses percussit mare, illudque statim diuisit angelus, ac statim induxit ventum validum & vrentem, qui ab initio noctis vsque ad mediam noctem & vltra iugiter flans siccauit alueum: siccato alueo, & cessante vento, Hebræi post mediam noctem in tertia vigilia ingressi sunt maris alueum, & circa medium quartæ vigiliæ euaserunt omnes ad alterum littus. Ægyptij verò circa finem tertiæ vigiliæ Hebræos insequentes, ingressi sunt mare, sed manè appropinquante in quarta vigilia, cùm iam Hebræi essent mare transgressi, Ægyptij verò omnes essent in medio mari, id est maris alueo, mox Mose per virgam percutiente aquas, illæ in pristinum alueum redeuntes operuerunt & oppresserunt Pharaonem omnesque Ægyptios.

Hoc Mosis miraculum imitari se velle finxit Pseudomoses Cretensis, tempore Theodosij Imper. sub annum Domini 433. Audi Socratem l. 7. hist. cap. 37. *Iudaus, inquit, quidam veterator se Mosen esse simulauit, deq́; cælo demissum dixit, vt Iudaos qui Cretam insulam incolebant, per mare in continentem in terram promissionis traduceret: se namque eumdem esse, qui olim Israelem per mare rubrum ducens, conseruasset. Vbi dies ab eo prastituta aduenit, ille pracedere, subsequi omnes cœperũt. Eos ergo ad promontorium mari imminens deducit: ex eo se in mare pracipitare iubet. Primi ita faciunt: ac pars pracipitio obtriti, pars aqua demersi perierunt; ac multò plures interiissent, nisi Christiani piscatores & mercatores eos extraxissent, & alios se pracipitare volentes prohibuissent. Pseudomoses requisitus non comparuit: vnde opinio fuit, eum dæmonem fuisse: inde multi Iudai ad Christum conuersi sunt.*

TOTA NOCTE] Non quòd tota nocte, sed quòd maiori eius parte flauerit hic ventus, scilicet vsque ad ingressum Hebræorum in mare, qui factus est post mediam noctem: nam ipsi ante lucem non tantùm ingressi, sed & transgressi sunt maris alueum cessante iam vento: postquam enim Hebræi mare transgressi sunt, mersi sunt Ægyptij eos insequentes in vigilia matutina.

An in 12. sectiones diuisum sit mare? Affirmant Hebræi. DIVISAQVE EST AQVA] Tradunt Hebræi, quos sequitur Origenes hîc homil. 5. & Genebrardus in psalm. 135. mare rubrum diuisum esse in 12. sectiones, siue partes, ita vt pari gressu per illud incederent 12. tribus: quælibet enim in sua sectione incedebat. Probantque hoc ex psal. 135. v. 13. vbi dicitur: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* plures ergo erant, nimirum 12. tot enim erant tribus.

Negant Latini, idq́; verius est. Verùm incerta est hæc traditio, cuius nulla est mentio in Script. quæ rem tam memorabilem non tacuisset; imò vnicam tantùm fuisse maris sectionem docent Philo, Theodoretus, Abulensis, Lyranus, & Euthym. in psalm. 135. & alij: atque satis innuit Scriptura, cùm diuisam ait esse aquã, vbi Hebræa habent יִּבָּקְעוּ הַמָּיִם *iibbakeu hammaim*, & Septuag. διεσχίσθη τὸ ὕδωρ, *diffissa est aqua*, sicuti findimus ligna, dum ea in duas partes dissecamus. Deinde v. 22. ait murũ fuisse aquæ à dextra Hebræorum, & à sinistra, eosque per medium alueum incessisse: ergo vna fuit sectio, non duodecim. Fauet etiam huic sententiæ id, quod dicitur psalm. 105. 9. *Deduxit eos in abyssos* (græcè ἐν ἀβύσσῳ, in abysso) *sicut in deserto*, id est via latissima, quales sunt in deserto, verbi gratia in myricis Campiniensibus: vna ergo tantùm maris fuit, eaque latissima sectio.

Ad illud psalm. 135. Respondeo, diuisionem vnam vocari diuisiones, tum propter amplitudinem, quia vna erat instar plurium, inquit Lyranus, tum quia diuisiones ponuntur pro rebus, vel partibus diuisis; hæ autem erant plures, id est duæ. nam Hebræi eumdem habent pluralem, & dualem numerum: vnde plura vocant duo. Diuisiones ergo hic vocantur duo latera maris diuisi, quæ quasi duo muri vtrimque consistebant, medium præbentes transitum Hebræis. Has diuisiones explicat hic Moses, dum dicit, quòd Deus ita diuisit mare, vt aquæ essent Hebræis pro muro à dextris, & à sinistris.

ET INGRESSI SVNT FILII ISRAEL PER MEDIVM SICCI MARIS] præeunte Mose, ait Iosephus. Hebræorum traditio est tribum Iuda, eiusque ducem Aminadab cæteris trepidantibus, primum ingressum esse mare, ideoque tribum Iuda deinceps fuisse primam & ducem aliarum, meritamque esse regnum: & huc alludi Cantic. 6. v. 11. *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Et Oseæ 11. vers. vltimo, *Iudas autem descendit testis cum Deo, & cum sanctis fidelis*; licet S. Hieronym. ibidem hanc traditionem fabulam vocet. VERS. 22. *Moses primus, secundus Aminadab ingressus est mare.*

Nota τὸ *sicci*: non enim ita siccus erat maris fundus, vti sicca est arena, sed vti siccus est campus, per quem siccopede amœnè transeunt viatores. Hoc enim est quod ait Sapiens cap. 19. v. 7. *In mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* quod licet Iansenius ibi figuratè explicet, q. d. Ita iucundè transierunt Hebræi per alueum maris, ac si transissent per campum frondibus & floribus vernantem: tamen meliùs noster Ioan. Lorinus ibi, & Pineda in Iob 26. v. 5. propriè accipiunt. Tradit enim Plinius lib. 13. cap. 25. rubri maris alueum herbidum esse, oleæ laurique feracem. Addit noster Gaspar Sanchez in Isaiæ c. 63. n. 55 Deum, vti miraculo siccauit & complanauit Hebræis alueum maris rubri, ita & miraculo effecisse vt idem alueus subitò germinaret & vernaret instar amœnissimi campi ad Hebræorum consolationem & oblectationem. Celebrat enim ibi Sapiens opera non naturæ, sed miraculosa Dei.

Vide hîc Dei in suos bonitatem & potentiam: *Si voluntati eius obtemperes, si legem eius sequaris, ipse tibi elementa, etiam contra naturam suam seruire compellet*, ait Origenes. Ita seruire fecit ignem tribus pueris in fornace Babylonia, vt eis immitteret suauem auram, & quasi ventum roris refrigerantem, impios verò Chaldæos combureret. ita seruire fecit aquas diluuij Noë, cum in arca vectando *Sanctis seruiunt omnes creatura.*

do & conseruando, impios verò submergendo. ita seruire fecit leones Danieli in lacu; solem Iosue ad prosequendam victoriam, Iosue 10.13. Iordanem Hebræis ad transeundum in Chanaan, Iosue 3.16. tonitrua Samueli, 1. Reg. 12.18. coruos Eliæ, vt panem ei afferrent; vrsos Elisæo, vt pueros ei cõuiciantes punirent & laniarent. ita Christo & Apostolis seruiuit ignis in pentecoste; aër & venti, cùm eo iubente siluerunt; mare, cùm super illud ambulauit, & cùm eo iubente Petro piscanti copiam piscium dedit; terra & saxa, cùm in passione scissa sunt; angeli, cùm stellam Christi nati indicem Magis dederunt, cúmque cecinerũt, *Gloria in excelsis Deo.* ita seruierunt pisces & aues S. Francisco, cùm ei concionanti applauserunt & cantillarunt, eoque rursum iubente siluerunt. ita Satyri & Fauni iter ad S. Paulum ostenderunt S. Antonio; & leones vnguibus effoderunt sepulchrum, in quo S. Paulum sepeliret. ita Gregorio Thaumaturgo seruiuit mons, dum loco cessit, vt ecclesiam ædificaret; item Lycus fluuius, dum se contraxit, ne in agros exundaret. ita Theodosio Imper. pio seruierunt venti, dum tela hostium in ipsosmet retorserunt, in pugna contra Eugenium tyrannum. ita araneæ seruierunt S. Felici Nolano, dum eum subitò sua tela texerunt, ne à persequentibus inueniretur. Memoria eius agitur 14. Ianuarij.

Vestigia huius ingressus & transitus Hebræorum, ac tractus curruum, rotarumque orbitas manere, & diuinitus semper reparari, tum in littore, tum in ipso mari rubro tradit Orosius lib. 1. c. 10. (vbi addit circa hoc tempus contigisse quoque Phaëthontis incendium.) Idem insinuat Diodorus in Catena, qui fuit præceptor S. Chrysostomi, qui & addit Gentiles hunc transitum Hebræorũ sicco pede per mare, asscripsisse non miraculo, sed reciprocationi maris. Idem dixerunt Memphitæ teste Eusebio li. 9. de Præpar. cap. vlt. quin & Iosephus dubitat, an diuisio hæc maris miraculosa fuerit, an naturalis. *Nam & Alexandri Magni ductu*, inquit, *mare Pamphylium cessit, & iter aperuit, cùm Deus eius opera, ad destruendum Persarum imperium, vti decreuisset.*

Diuisionem maris rubri reciprocationi naturali tribuerunt Gentiles.

Refelluntur.

Verùm clarissimum est, hanc diuisionem maris fuisse ingens miraculum: nulla enim maris reciprocatio mare findit, ita vt in medio eius fiat via amplissima ad transeundum, vti hîc factum est; refluxus enim maris nudat tantùm aquis littora, vel littoribus vicina loca. Rursum nullus refluxus maris efficit, vt vtrimque aquæ instar muri assurgant, & consistant immobiles, donec transeat populus, & mox reuoluantur in hostes eum persequentes.

Quod de mari Pamphylio ait Ioseph. illud Alexandro cessisse, fabula est; nam, vt docet Strabo li. 14. Alexander non illud penetrando & peruadendo, sed illius littus obliquando tantùm, cum suis transiuit vmbilico tenus; prospera tamen in hac sua audacia vsus est fortuna in eo, quòd in hieme illud transiens, fluctibus illius redeuntibus, ab ijs non sit oppressus.

Diuisio maris rubri & Iordanis in quatuor rebus discrepant. Primò.

Nota. Huic diuisioni maris similis fuit diuisio Iordanis, facta sub Iosue, per quam Hebræi penetrarunt in Chanaan: eadem tamen illi dissimilis fuit; Primò, in eo, quòd diuisio maris facta est per Mosen, extendentem in illud suam virgam; diuisio verò Iordanis facta per præsentiam arcæ Do-

A mini. Secundò, in mari diuiso aquæ vtrimque quasi muri constiterunt; in Iordane verò inferior pars defluxit in mare mortuum, superior substitit & intumuit assiduè aquis affluentibus: cùm verò transissent Hebræi, non subitò, sed sensim detumuit & defluxit, ne ripas & campos obrueret, & hac parte mirabilior fuit diuisio Iordanis, quàm maris rubri. Tertiò, in mari submersi sunt Ægyptij; nullus verò mersus est in Iordane. Quartò, in mari Deus immisit ventum ad fundum limosum siccandum; id verò non fecit in Iordane, quia eius alueus est paruus & arenosus Hinc patet longè maiorem & mirabiliorem fuisse diuisionem maris, quàm Iordanis. Vnde Chananæi alijque Gentiles illa audita obstupuerunt & elanguerunt, vt patet Iosue 2. v. 11. & Iudith 5. v. 12.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

B Allegoricè, Apostolus 1. Corinth. 10. *Patres*, inquit, *nostri in Mose baptizati sunt in nube, & in mari. Baptizati sunt*, scilicet typicè, & in figura, vt ibidem ait Apostolus; nam transitus Hebræorum per mare rubrum significabat, Christianos per baptismum & sanguinem Christi baptismo contentum, transire in nouam vitam gratiæ; nubes significabat sanctificationẽ Spiritus sancti, Moses Christum, virga crucem, Pharao diabolum & peccatum, manna Eucharistiam. ita Theod. Origen. & Ambr. l. 2. de Sacram. c. 6. August. serm. 90. Prosper 1. p. Prædic. c. 38 Tertul. li. de baptismo c. 9. Cyprian. epist. 76. ad Magnum, & alij.

Allegoricè transitus maris rubri significat baptismum.

C Tropologicè, pulchrè docet Nyssenus in vita Mosis, quomodo vitia cum armis suis mergere debeamus. *Aegyptiorum enim equites*, inquit, *pedites & currus, sunt animi passiones, quibus seruituti homo subijcitur. Quid enim ab illo Aegyptiorum exercitu ira effusa, voluptas effrænata, dolor immoderatus, auaritia fœditas differt? nónne quasi hasta trement ira impetus est? nónne quasi effrænati equi huc & illuc currum trahentes, nimiæ voluptates animum vexant? Erant etiam Tristata in curribus, tres videlicet in singulis bellatores, quibus tripartitam animi potestatem intelligi credimus, rationalem scilicet, concupiscibilem, irascibilem, has tres potentias deprauatas.* Deinde docet hæc omnia, baptismo mergi, &, cùm ex eo emergimus, nihil ex ijs attrahendum esse, sed omnia in aqua submersa relinqui debere.

IAMQVE ADVENERAT VIGILIA MATVTINA, ET ECCE RESPICIENS DOMINVS SVPER CASTRA ÆGYPTIORVM PER COLVMNAM IGNIS] *τὸ respiciens* significat columnam nubis quasi se aperuisse, vt angelus in ea latens per lumen coruscum se ostenderet, & intueretur castra Ægyptiorum, D ac mox in ea eiacularetur tonitrua, fulmina, lapides, aut ignita tela, quibus rotas & equites curribus excussit, vt hîc dicitur. Vnde & Ægyptij dixerunt: *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* ita Lyranus & alij. Audi & Iosephum, *Accesserunt*, inquit, *& imbres de cælo, & aspera tonitrua fulguribus simul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur: nihilq́; omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. nox quippe caliginosa nimis ac tenebrosa eos comprehendit, atque ita totus ille exercitus est deletus, vt ne nuntius quidem cladis domum reuerteretur.* Vnde & hîc v. 28. dicitur, *Nec vnus quidem superfuit ex eis.* Ecce hîc quàm verum illud: *Fortuna vitrea est; dum splendet, frangitur.*

VERS. 24.

Deus fulmina eiaculatus est in Ægyptios.

Omnes Ægyptij ad vnum in mari perierunt.

INTERFECIT EXERCITVM] partem exercitus. est synecdoche: nam alia pars hac cælesti suorum

ſtrage tertia, dum fugam parat, ab aquis recurrentibus eſt abſorpta.

Vbi Nota. hanc cladem è cælis ab angelo illatam contigiſſe, antequam reuolueretur mare per Moſen; nam poſt angeli cladem territi fugerunt Ægyptij fugientibuſque occurrerunt aquæ maris ad ſuum alueum redeuntes, iam à Moſe reuolutæ, quibus reliqua à priore clade exercitus pars abſorpta eſt & ſubmerſa, vt patet v. 26. & ſequent.

Ægyptiorũ 250 millia perierunt in mari rubro.

Ioſephus ſcribit hac clade vniuerſim periiſſe in mari rubro, Ægyptiorum ſcutatorum peditum ducenta millia, & equitum quinquaginta millia. Perijt & ipſe Pharao, ſed vltimus, ſi credimus Hebræis & Abulenſi, vt nimirum priùs omnium ſuorum ſpectaret cladem, antequam eadem ipſe periret, itaque longiùs & grauiùs cruciaretur. Euſebius in Chronico hunc Pharaonem vocat Cenchrem.

B

VERS. 25. ET SVBVERTIT ROTAS CVRRVVM] Septuag. vertunt, συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων, impediuit, vel colligauit rotas curruum. vnde videntur ipſi pro וַיָּסַר *vaiaſar*, id eſt amouit, abiecit, euertit, legiſſe וַיָּצַר *vaiatſer*, id eſt conſtrinxit, vt ſcilicet progredi non poſſent. vnde & Vatablus vertit, *conſtrinxit rotas curruum, & duxit eos grauiter*, vel *difficulter*. q. d. Agebant ægrè currus ſuos Ægyptij, vti ſolent magna difficultate agi, cùm conſtrictæ vel detractæ ſunt rotæ. Verùm Hebræa habent *vaiaſar*, & ita legit Chald. Noſter, & alij.

FEREBANTVRQVE IN PROFVNDVM] Currus enim priùs elati per rotas, iam rotis excuſſis ſimul cum rotis deprimebantur in profundum, id eſt in ipſum maris alueum iam aquis vacuatum, & mox iis rurſus replendum. Hebraicè eſt, *duxit eas*, ſcilicet rotas, *in grauitatem*, id eſt, in profundum. eſt metalepſis; quia grauia tendunt in imum & profundum, hinc grauitas vocatur ipſa profunditas.

Moralit. Omnis potentatus vita breuis.

Moraliter diſce hîc Primò, quàm verum ſit illud Sapientis: *Omnis potentatus vita breuis* & maximè, *omnis tyrannidis vita breuis*. En tibi Pharao à Moyſe monitus, monitaque contemnens, cùm acerrimè Hebræos opprimit in latere & luto, poſt menſem vnum vita & regno ſpoliatur. Iulius Cæſar inuaſor imperij, poſt triennium in curia à ſenatoribus confoſſus interijt. Cyrus à monarchia ſua, putà à capta Babylone, triennium dumtaxat regnauit, atque à Thomyri regina Scytharum cæſus, capiteque amputato, ac in culeum ſanguine plenum coniecto, ab ea inſultante audiuit: *Satia te Cyre ſanguine, quem tantopere ſitiuiſti*. Alexander Magnus ſex annos tantùm à cæſo Dario vt monarcha imperauit. Quare Apelles pinxit eum quaſi fulgur, quod vti ſubitò apparet, ita & citò diſparet.

Tyrannorũ mors eſt violenta.

Secundò, quàm verum ſit illud Poëtæ:

> *Ad generum Cereris* (ad Plutonem, ad Orcum) *ſine cæde & ſanguine pauci*
> *Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.*

Excubat enim in tyrannos iuſta Dei vindicta, vt qui alios vita & bonis ſpoliarunt, iiſdem violenter ab alijs ſpolientur. Ita Pharao, ita Cæſar, ita Cyrus, ita Alexander violenta morte ſublati ſunt. Ita Diocletianus & Maximianus tyranni iurarunt ſe, Chriſtianos omnino deleturos, aut imperium depoſituros: quare cùm Chriſtianos delere non poſſent, indignantes eodem die imperium depoſuerunt; & paulò pòſt Maximianus imperium re-

A cipere volens, à Conſtantino Imper. ad laqueum Maſſiliæ adactus eſt; Diocletianus tabe & putredine à Deo immiſſa conſumptus eſt. Ita Aurelianus Imp. perſecutor Chriſtianorum, poſt annum à rege Perſarum captus, factus eſt orbis ludibrium: rex enim eo pro ſcabello vtebatur, cùm equum eſſet conſcenſurus. idem Baiazeti Turcarum tyranno fecit Tamberlanes rex Tartarorum. Ita Iulianus Apoſtata poſt biennium imperij, cæleſti telo confoſſus occubuit. Ita Valens Arrianus orthodoxorum perſecutor, in paludibus à Gothis in caſa, ad quam victus confugerat, combuſtus eſt. Ita Anaſtaſius hæreticus impiuſque Imp. à Deo fulmine percuſſus, in tartara deiectus eſt. Ita Nero, cùm ſibi manus præ debilitate inferre non poſſet, à ſuo ſpadone interemptus eſt. Ita Decius, Maxentius, Domitianus, Otto, Galba, Vitellius, aliique plurimi tyranni celeri & violenta morte perierunt.

Vanitas regnorum.

Tertiò, diſce hîc vanitatem regnorum pomparumque mundi? Quid eſt vita humana? eſt comœdia, in qua vnus perſonam regis, alius perſonam militis, alius ruſtici, alius conſiliarij, alius ciuis agit. in morte finitur hæc comœdia; tum quiſque ſuam perſonam, quam geſſit, ſuas veſtes, ſuos titulos ponit. M. Antonius, vt refert Seneca lib. 6. de Beneficijs c. 3. cùm fortunam ſuam aliò, ad Cæſarem, tranſire videret; & ſibi nihil relictum præter ius mortis, dixit: *Hoc habeo, quodcumque dedi*. Auguſtus ipſe Cæſar, qui 52. annos in tanta felicitate & gloria regnauit, moriens vocauit amicos, atque eos rogauit: *Satiſne bellè perſonam meam egi?* vtique in imperio, quaſi in comœdia; cumque illi annuerent: *Valete ergo*, inquit, *& plaudite*: atque reductis cortinis animam exhalauit infelix, iturus ad tartara.

C

Vbi iam currus, equites & aquilæ Auguſti? vbi pompæ, vbi triumphi? vbi voluptates, vbi libidines? ô quàm iam mallet Auguſtus, numquam fuiſſe Auguſtus: quàm mallet pauper fuiſſe ruſticus Chriſtianus! *Remanent in ſæculo*, inquit S. Ambr. in Luc. 12. *cuncta quæ ſæculi ſunt: ſola virtus comes eſt defunctorum*. Quære ab impio in morte: Regna & opes quæ paraſti, cuius erunt? reſpõdebit: Heu non mea ampliùs erunt, ſed aliorum. Quære à iuſto: Quæ paraſti, cuius erunt? reſpõdebit: Mea erunt in ſempiternum. *Opera enim illorum ſequuntur illos*. caduca bona per virtutem, per pauperes in cælum tranſtuli, ex temporaneis reddidi ſempiterna. Audi denique epitaphium Pharaonis.

Epitaphiũ Pharaonis.

D Vbi nunc Pharao tua ſceptra, tui currus, tua caſtra? vbi tuus faſtus draco magne, qui habitabas in medio fluminum tuorum, & deuorabas alias gentes? vbi tua vox: *Non cognoſco Dominum: meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum?* quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? ſpoliaſti Hebræos, nunc ipſi ſpoliant te: merſiſti infantes eorum, nunc ipſe mergeris in mari rubro, mergeris in ſanguine tuo: deuoraſti eos, nunc piſces vorant te, factus es eſca coruis & populis Æthiopum. Sed hæc temporanea & exilia ſunt: audi æterna, & in æternum lugenda. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: ſubter te ſternetur tinea, operimentum tuum erunt vermes*. deſcendiſti in profundum laci cum damnatis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Occurrerunt tibi gigantes, reges & tyranni, dicentes & gratulantes: *Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri*

ſimilis

similis effectus es. Numquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concussit gentes? ecce iam solus est, nudus & miserabilis, vti nos. Dæmones acclamarunt tibi: Veni Pharao, habita nobiscum cum igne deuorante, cum ardoribus sempiternis; vbi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.

Audite hæc reges, audite principes;
Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

VERS. 27. REVERSVM EST PRIMO DILVCVLO AD PRIOREM LOCVM] Hebraicè est, reuersum est ad fortitudinē suam, vel ad robur suum, hoc est, vt Chaldæus vertit, reuersum est ad suum vigorem, id est ad statum & locum naturalem, in quo quasi viuit & viget mare.

Nota. Deus, id est angelus vice Dei, aut potiùs angeli plures (nec enim vnus per sex milliaria, quibus latum erat mare rubrum, se extendere, ibique aquas omnes suspendere potuisset) qui aquas maris hucusque, donec scilicet transirent Hebræi, suspenderant & detinuerant; nunc ijs transgressis, & Ægyptijs ingressis, eas rursum dimittunt, vt violento impetu in pristinum alueum proruerent, serie tamen ordinata: nam primò ab eis dimissæ sunt aquæ, quæ erant iuxta littus, illæque primò coierunt, deinde sequentes sensim vlteriùs; vndè fugientibus Ægyptiis, & ad littus suum recurrentibus, eminus occurrerunt aquæ hoc ordine coëuntes: vt scilicet tanto terribilior esset eorum pœna & submersio, quanto longiore pauore & exspectatione erat formidabilior, cùm eminus aquas vltrices, quibus mergendi erant, sensim coire & aduentare, diutino intuitu conspicerent: nam sępè *peior est bello timor ipse belli.*

VERS. 29. FILII AVTEM ISRAEL PERREXERVNT PER MEDIVM SICCI MARIS] Est anacephalæosis. iam enim, antequam mergerentur Ægyptij, mare hoc pertransierant Hebræi; in altera enim ripa Moses consistens, manusque super & contra mare extendens, quasi hoc signo aquas reuocans, eas iam reduxerat, cùm Hebræi iam agerent in tuto littore, Ægyptij verò in mari mergerentur. Recapitulat ergo hîc Moses anteriùs dicta, vt inculcet Hebræis memoriam tantæ liberationis, & tam felicis mirique transitus per mare, vt illi iugiter illud recolant, Deoque gratias agant.

An Hebræi transiuerint totum mare penetrando ad littus oppositum?

Quæres, an Hebræi transierint mare transuersum, ita vt in partem aduersam, siue littus oppositum penetrarint?

Negant Rabbini, Abulens. & Burgens. putantque Hebræos in hoc transitu fecisse semicirculū, scilicet circuisse eos montem, siue scopulos deserti Etham, qui directum in Chanaan iter per terram impediebant, & in mare rubrum procurrebant; ita vt per mare circumgressi sint hos scopulos, redierintque reflexo itinere ad idem littus Ægyptum spectans, per quod ingressi fuerant mare, non tamen ad eumdem littoris locum. Probant Primò, quia tam vastum mare (quod Adrichomius asserit habere, vbi est latissimum, spatium sex leucarum in latitudine) non potuerunt Hebræi tantillo tempore, putà tribus vel quatuor horis, penetrare ex vno littore in aduersum peruadendo, præsertim cùm inter eos essent pueri, senes, oues, aliaque impedimenta plurima. Secundò, quia Hebræi post transitum viderunt Ægyptiorum cadauera fluitantia: Ægyptij autem non tam profundè ingressi fuerant mare, vt in aduersum littus eijci possent. Tertiò, Numer. 33. 7. Hebræi post transitum maris dicuntur venisse in solitudinem Etham: Etham autem non trans, sed cis mare erat. nam ibi fuit tertia Hebræorū mansio, vti iam antè vidimus c. 13. v. 20.

Affirmat Ioseph. Philo & alij, idque verius est.

Verùm contraria sententia est communis, scilicet Hebræos totam maris latitudinem transisse ab vno littore in aliud oppositum peruadendo. hoc enim discertè tradit Iosephus, Philo, & Nyssen. Idem innuit Scriptura, cùm narrat aquas maris esse fissas, & Hebræos per medium maris transisse; nam iuxta Rabbinorum sententiam hic non tam transitus, quàm circuitus aut gyratio maris fuisset. Deinde id patet ex chorographia, vt enim ex Ægypto & mari rubro perueniatur in Sina, transiri debet mare rubrum; hoc enim interiacet inter Sina & Ægyptum; licet enim ex Ramesses in Sina, & magis in Chanaan pedestris sit via directa, quæ ad latus relinquit mare rubrum; tamen via hæc rupibus vndique in longum ita est obsepta, itaque prærupta, vt castra Hebræorum per illam transire non potuerint, sed Deo duce flexerint iter per mare rubrum, quod necessariò peruadendum erat, vt videre est in tabulis Adrichomij pag. 116. errant ergo qui aliter sentiunt.

Ad primum Respondeo, Hebræos in transitu hoc impendere potuisse quinque horas; nam statim à media nocte mare ingredi cœperunt, & sub auroram in littus aduersum penetrarunt. Rursum, potuerunt transire mare ea parte & loco, vbi est angustius, minusque latum. Adde, angelum eos roborasse, & incitasse ad accelerandum. Hinc enim dicitur psal. 104. 37. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Et sanè, vt verum fatear, tam celer transitus tot millionum hominum & animalium, tam breui tempore naturaliter, sine miraculo fieri non potuit. Vbi enim tot alia, tam aperta & illustria miracula videmus, mirari non debemus si & in celeritate transeundi miraculum fuerit.

Miraculo Hebræi transierunt mare tam breui tempore.

Ad secundum Respondeo, Ægyptiorum cadauera in aduersum littus fuisse propulsa & eiecta, eò quòd mare ex altera parte eis fugientibus & redeuntibus occurreret, itaque in aduersam partem eos propelleret: addit Philo & Iosephus vi ventorum id effectum esse. Non dubium angelum siue per se, siue per ventum, siue per mare Ægyptios ad littus aduersum, in quo erant Hebræi, impulisse, idque ad maiorem Hebræorum exultationem & consolationem, vtque ipsi hostibus spolia detrahere, ijsque se ditare possent.

Ad tertium Respondet Caietan. desertum Etham fuisse vastissimum. Nam eodem c. 33. Num. dicuntur Hebræi tribus diebus in eo iter fecisse; extendit se ergo Etham tam cis mare, quàm vltra.

Aliter respondet Lyran. scilicet desertum hoc aliud fuisse ab illo Numer. 33. vtrumque tamen dictum esse Etham. Sic enim plures vrbes & pagi eadem habent nomina.

Denique tradunt Hebræi, in hoc egressu Hebræorum ex Ægypto, & transitu maris rubri montes vicinos, partim quasi admirantes tantum prodigium, partim gratulantes populo Dei, exiliisse & quasi tripudiasse: & hoc velle Psaltem psalm. 113. 4. cùm canit: *Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt* (græcè ἐσκίρτησαν, id est, *moti sunt de loco*) *vt arietes, & colles sicut agni ouium. Quid est tibi mare quòd fugisti*

fugisti? Montes exultastis sicut arietes? Sicut enim maris fuga, sic & montium exultatio, hoc est exilitio & saltus, propriè non metaphoricè accipienda videtur. Ita Hebræi, quos sequitur Caietan. & Genebrardus in psalm. 113. v. 5. & 6. & noster Sanchez in cap. 64. Isaiæ vers. 1. Alij tamen cum A Iansenio illum locum psalmi 113. exponunt de terræ motu qui contigit in Sina cùm ibi daretur lex, Exodi 19. 18. Solet enim Psaltes varia miracula varijs locis & temporibus facta quasi perstringendo coniungere. Fides ergo huius miraculi sit penes Hebræos.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses & Hebræi canunt epinicion Deo: idem facit Maria cum feminis v. 20. Secundò, veniunt Hebræi in Mara, vbi Moses amaras aquas in dulces vertit, v. 23. inde pergunt in Elim, quæ fuit sexta mansio Hebræorum in deserto.

1. TVnc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.
2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. 3. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. 4. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro. 5. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. 6. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum. 7. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam. 8. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. 9. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. 10. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus 11. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? 12. Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra. 13. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. 14. Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim. 15. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. 16. Irruat super eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti. 17. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ. 18. Dominus regnabit in æternum & vltrà.
19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris: filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius. 20. Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris. 21. Quibus præcinebat, dicens, Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius deiecit in mare. 22. Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. 23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ: vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est amaritudinem. 24. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus?
25. At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. ibi constituit ei præcepta atque iudicia, & ibi tentauit eum,
26. dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo, feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: ego enim Dominus sanator tuus.
27. Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt iuxta aquas.

VERS. 1. TVNC CECINIT MOYSES ET FILII ISRAEL CARMEN HOC] quo exultantes de tam felici maris transitu, & Ægyptiorum submersione, gratias agunt Deo, eiusque magnificentiam & potentiam celebrant: deinde introductionem sui in B Chanaan prophetant. Est ergò hoc carmen epinicium, propheticum & eucharisticum.

Quali metro conscriptum sit hoc carmen & canticum omnium antiquissimũ (nam Lini, Musæi & Orphei hymnos & carmina plus trecentis annis

annis antecessit) modernos Hebræos & Latinos A latet: perijt enim prisca Hebræorum poësis. Iosephus asserit hoc carmen hexametro versu compositum esse, sed qui eius sint pedes, quæ dimensiones, non explicat. Tantùm iam in hoc carmine animaduertere possumus in Hebræo stylum alium & venam, ac schemata poëtica; ita enim paronomasiis, anaphoris, similiter cadentibus, aliisque figuris abundat, ita spiritu exultante plenum est, vt chorum subsilientem ad festinum carmen non tam audire, quàm videre videaris.

Alleg. Christiani, maximè Beati, qui per baptismum & sanguinem Christi vicerunt peccatum & diabolum, ac penetrarunt in terram promissam, in cælis cantant hoc canticum. hoc est enim, quod ait S. Ioannes Apocal. 15. *Vidi, inquit, tamquam mare vitreum mixtum igni, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem illius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Mosi serui Dei, & canticum agni, dicentes: Magna & mirabilia opera tua, Domine Deus noster omnipotens.* O quàm gloriosum, quàm iucundum est & erit nobis canere hoc canticum in omnem æternitatem!

CANTEMVS] Hebr. est אָשִׁירָה *ascira*, id est cantabo: nam Moses hoc carmen Spiritu sancto suggerente composuit, nomine non tam suo quàm totius & vnius populi; totusque populus cum Mose præcinente quasi vna Republica & Ecclesia illud decantauit. Vnde loquitur in singulari, dicens, *Fortitudo mea* (non nostra) *& laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus*, &c.

Tradit Philo Mosen singulos versus dictasse & præcinuisse, quos deinde populus succinuit, vti fit in choris & tripudijs. Addit Abulens. Hebræos hoc carmen à Mose edoctos, postea sæpiùs illud ipsum cecinisse. Auctor libr. 1. de Mirab. S. Script. apud S. August. c. 21. notat hìc apertum miraculum, quòd scilicet pueri, senes, viri, iuuenes tanto numero, vno quasi ex ore, eodem inspirati flamine, easdem voces & sententias decantarint: licet enim Moses præcineret, is tamen in tanta turba à plurimis audiri non poterat. Idem accidit in feminis, quæ Maria præcinente toto cœtu suo idem succinuerunt.

Sancti accepto beneficio prorumpunt in hymnos & laudes Dei.

Nota hìc, & imitare priscorum Sanctorum pietatem, qui acceptis à Deo beneficijs statim in laudes & hymnos Dei prorumpere solent. ita fecit Dauid toto psalterio: ita fecit Anna nato Samuele: ita fecit Debora cæso Sisara: ita fecit Iudith trucidato Holoferne: ita fecit Zacharias nato S. Ioanne: ita fecit B. Virgo concepto Christo: ita fecit Simeon viso Christo cycnæum illud canens, *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.*

GLORIOSE ENIM MAGNIFICATVS EST] Hebr. כִּי גָאֹה גָּאָה *ki gao gaa*, quia magnificando magnificatus est, id est mirè magnificatus est; quia magnam potentiam & vindictam exercuit.

EQVVM ET ASCENSOREM DEIECIT IN MARE] q. d. Equum, & equites Ægyptios, & præsertim Pharaonem ipsum deiecit in mare. Ita S. Hilarion audiens luporum, leonum, aliarumque bestiarum rugitus, quos effingebant dæmones vt eum percellerent, signo crucis se armans, optabat eos videre quorum voces audiebat; mox vidit rhedam terribilem super se irruere, sed eo inclamante Iesum euanuit: tunc ille: *Equum*, ait, *& ascensorem proiecit in mare*, inquit S. Hieron. in eius vita.

Tropologicè, equus est homo carnalis, superbus, iniustus; ascensor est dæmon. *Si ergo te impius persequitur, scito, quia equus est, sed eques est diabolus: ille currit, hic lancea sua percutit: ille ducitur calcaribus, & inuitus insanit; hic agit, & stimulat*, inquit S. Hieron. in psalm. 75. Origenes & Rupertus hìc. *Equus est homo carnalis, sessor est dæmon.*

Rursum Philo: Equi, inquit, sunt furor & concupiscentia; ille mas, hæc femina. Auriga est intellectus, qui si equis hisce laxet habenas, equi hi tam se, quàm aurigam, totamque animam in præceps agunt.

B FORTITVDO MEA] non formalis, sed causalis, id est, fortificans me, est Dominus. q. d. Non nostræ fortitudini, sed Dei hanc victoriam asscribimus: hoc enim est, quod dicitur psalm. 19. *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* VERS. 2.

ET LAVS MEA DOMINVS] Pro *laus* hebr. est זִמְרָת *simra*, id est canticum, hoc est, materia & obiectum cantici. q. d. Deus est quem laudare, cui hymnum canere debeo. Pro *Dominus* hebr. est יָהּ *ia*, quod vnum est ex decem nominibus Dei, & annectitur in *halleluia*, estque ipsum nomen tetragrammaton, sed abbreuiatum: eius enim prima & vltima littera constat. imò Theodor. quæst. 15. asserit Iudæos nomen tetragrammaton pronuntiare *Iah*, scilicet per abbreuiationem & compendium. *Ia est abbreuiatum Ieheua.*

C Nota. Deum assiduè laudare debemus, tum lingua, tum mente, tum moribus, adeoque vita nostra non aliud esse debet quàm continua Dei laus. Primò, quia Deus est immensa & infinita maiestas, liberalitas, iustitia, pulchritudo, &c. Secundò, quia innumera beneficia in nos contulit, & indies confert. Tertiò, quia omnes creaturæ irrationales sua pulchritudine, ordine & numero testantur creatoris sui gloriam, hominesque ad eum cognoscendum & laudandum inflammant. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Rom. 1. 20. & *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Quartò, quia hoc est opus piorũ, estque nobilissimum. Ita Dauid fecit psal. 144. *Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculũ sæculi. Laudationẽ Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius.* Ita fecit S. Iob in D afflictione serenus & laudans Deum: *Dominus*, ait, *dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.* Ita tres pueri in camino ignis omnes creaturas inuitant, vt secum laudent Deum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, &c. Daniel. 3. Nam, vt ait Lactant. l. 6. Diuin. instit. c. vlt. *Summus colendi Dei ritus est, ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa vt Deo sit accepta, humilitate & timore & deuotione maxima opus est.* Quintò, quia est propria angelorum, & Beatorũ in omnem æternitatem Deum collaudantium. Vnde in in ortu Christi cecinerunt, *Gloria in altissimis Deo.* Apocal. 19. 5. *Vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum, pusilli & magni.* Idem faciunt 24. seniores, Apocal. 4. 10.

Moral. Deum semper esse laudandum. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò.

Nota. Magis vita pia quàm voce, putà charita-

te, humilitate, puritate, confessione suæ infirmitatis, &c. laudatur Deus. S. August. in psal. 34. 28. *Suggero*, ait, *remedium, vnde tota die laudes Deum si vis. Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum.* Hæc ergo est lætitia, & perfectio Christiani, in omnibus tam aduersis, quàm prosperis laudare Deum, qui suis omnia operatur in bonum.

ET FACTVS EST MIHI IN SALVTEM] q.d. Laudabo Deum, quia factus est mihi saluator, quia saluauit me in mari rubro. Nota. τὸ *&*, est causale significans *nam, quia*. Tale est & Gen. 14. v.19. in Hebræo: *Et ipse sacerdos Dei altißimi*, id est, nam ipse erat sacerdos. Isaiæ 64.5. *Ecce tu iratus es, &* (id est quia) *peccauimus*. Sic sæpè & alibi sumitur vocula *&* pro *quia*.

Et pro quia.

ISTE DEVS MEVS] Pronomen *iste*, ait S. Basil. demonstrat Deum verum. q.d. Iste Deus, qui nos saluauit in mari rubro, est verus Deus: illum ergo vnum glorificabimus, huic soli seruiemus, non Api, non idolis, falsisque dijs, quos antea coluimus in Ægypto. Addunt Hebræi, τὸ *iste* designare visibilem formam, & speciem militis & bellatoris, in qua Deus tunc apparuit Hebræis in mari rubro, ita vt ipsi vniuersi perfectiùs tunc viderint Deum, quàm postea viderunt eum Prophetæ, adeoque digito eum ostenderint, dicentes, *Iste est Deus meus*.

Sed hæc sunt eorum fabulamenta: pronomen *iste* non alium designat, quàm Deum per angelum prospicientem in columna, super castra Hebræorum & Ægyptiorum, qui hos perdidit, illos seruauit c. 14. v. 24.

Nota. Pro *Deus* hebr. est אל *el*, id est fortis, quod vnum est ex decem Dei nominibus. q. d. Dij Ægyptiorum infirmi sunt, sed iste Deus noster est Deus fortis. Rursum hunc Deum vocat Deum patris sui, scilicet Abrahæ patriarchæ, qui est pater credentium, & pater circumcisionis, putà Hebræorum.

ET GLORIFICABO EVM] Hebr. ואנוהו *veanuehu*, quod Chald. vertit, *ædificabo ei sanctuarium*, in quo scilicet eum colam: vnde hanc de Pharaone victoriam, perpetuò in arca & Cherubim, quasi in curru suo triumphali, repræsentari, & in templo conseruari voluit Deus, vti dicam cap. 25. vers. 18. Caietan. vertit, *habitabo eum*, id est, assistam ei mente, votis, laudibus, affectibus & operibus. Tertiò, Vatablus vertit, *decorabo eum*. Hebræum enim נוה *naua*, & decorare, & glorificare, & habitare, & habitaculum construere significat: nam radix נוה *naue* significat tabernaculum speciosum & decorum.

EXALTABO EVM] eum altissimum palàm confitebor, &, quantum potero, prædicabo.

Deus est altissimus quintupliciter.

Nota. Deus est altissimus. Primò, altitudine substantiæ, quia omnes essentias rerum in immensum transcendit, easque omnes eminenter in se continet. Secundò, altitudine scientiæ: hæc enim in Deo est incomprehensibilis. Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Tertiò, altitudine potestatis, quia omnia, quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra. Quartò, altitudine maiestatis & dominationis, eò quòd omnia eius imperio sint subdita, ipsumque omnes adorare & venerari debeant: *Mihi*, inquit, *curuabitur omne genu*, Isaiæ 45. Quintò, altitudine habitationis, quia habitat in cælo empyreo, quasi throno gloriæ suæ, vbi eum celebrant omnes angeli & Beati. Hinc monet Ecclesiasticus c. 43. 32. *Glorificate Dominum, quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis: maior enim est omni laude. exaltantes eum replemini virtute. ne laboretis: non enim comprehendetis.*

Secundò. *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.*

DOMINVS, QVASI VIR PVGNATOR, OMNIPOTENS NOMEN EIVS] Chald. vertit, *Dominus est victor bellorum, Adonai est nomen eius.* Hebraicè est nomen tetragrammaton, *iehoua*, vel potiùs *iebeua, vir belli* (maximè bellicosus est) *iebeua nomen eius.* Alludit hîc *iebeua*, ad radicē הוה *houa*, quæ contritionem & confractionem significat. vnde Septuag. vertunt, *Deus conterens bella.* q. d. Vere Deus est *iebeua*, id est, cōtritor Pharaonis & Ægyptiorum. Alludit rursum ad dictum Pharaonis, c. 5. v. 2. *Quis est iebeua, vt audiam vocem eius?* q d. Quid potest vester iebeua? quibus armis me coget, vt illi obsequar? Sic Hebræum *Saddai*, quod Deum quasi mammeum & liberalissimum significat, alibi alludit ad שדד *sadad*, id est vastare. ita Oleaster: imò ipse vult hoc proprium & genuinum esse significatum & etymon nominis tetragrammati *iebeua*, vti dixi c. 6. v. 3. Vers. 3.

Deus est Iebeua, id est, contritor Pharaonis.

EXERCITVM EIVS PROIECIT IN MARE] Pro *proiecit*, hebr. est ירה *iara*, id est eiaculatus est. q. d. Tam facilè & validè Deus deiecit Ægyptios, quā facilè & validè sagittarius sagittam emittit. Vers. 4.

ABYSSI (aquarum voragines) OPERVERVNT EOS, DESCENDERVNT IN PROFVNDVM QVASI LAPIS] q. d. Ægyptij aquis maris recurrentibus, sibique obuiantibus, cùm ascendere & enatare conarentur, vi fluctuum reiecti in profundum maris descenderunt. Vers. 5.

DEXTERA TVA MAGNIFICATA EST IN FORTITVDINE] palàm omnibus factum est tuam dexteram, id est robur & potentiam, esse magnam, ex fortitudine fortiq; contritione Ægyptiorum quam exercuit. Vnde Vatablus vertit, *excellenti virtute eminuit dextera tua.* Vers. 6.

ET IN MVLTITVDINE GLORIÆ TVÆ DEPOSVISTI ADVERSARIOS TVOS] *Gloriæ*, id est fortitudinis, per quam gloriosè glorificatus es. est metonymia: ponitur enim effectus pro causa. Ornatus & poëseos causa, vario schemate idem effert, idem dicit Moses, inquit Euthymius. Pro *deposuisti* hebr. est תהרוס *tabaros*, id est subuertisti, dissipasti. Vers. 7.

MISISTI IRAM TVAM] putà supplicia ac pœnas, quæ iræ tuæ, id est diuinæ iustitiæ vindicis, sunt effectus. est metonymia. ita Euthym. Appositè iram, siue ardorem & ignem (inde enim Hebræis ira dicitur) iungit stipulæ; hanc enim consumit ignis.

ET IN SPIRITV FVRORIS TVI CONGREGATÆ SVNT AQVÆ] *In spiritu*, id est, in impetu, in impulsu, vel in indignatione: sic enim accipitur subinde spiritus, vt psalm. 138. *Quò ibo a spiritu tuo?* Isaiæ 30. v. 28. *Spiritus eius velut torrens inundans.* Zachar. 6. v. 8 *Requiescere fecerunt spiritum meum*, iram scilicet meam. Spiritus ergo furoris est indignatio furibunda, vt hac phrasi grauem & acrem Dei iram, id est, vlciscendi iustissimam voluntatem, significet; ideo enim Deus diuisit, & in cumulum collegit, siue congregauit aquas maris, vt Hebræis transgressis Ægyptios ijs, quasi molibus & montibus obrueret. Vers. 8.

Potest

Poteſt Secundò verti, *in ſpiritu naſi tui congregata ſunt aquæ.* Naſus enim Hebræis eſt ſymbolum iræ, quia illius eſt index: vnde illud, *Iras naribus efflant.*

Nota *congregata ſunt aquæ*, ſcilicet quæ priùs à Moſe diuiſæ fuerant: vnde hoc ſubſtituunt hîc Septuag. vertuntque, διέστη τὸ ὕδωρ, id eſt diuiſa eſt aqua: deinde aquæ iam diuiſæ in aceruos, & quaſi muros binos vtrimque aggregatæ ſunt.

Stetit vnda flvens] In Hebræo additur, *Sicut aceruus.* vnde pſal. 77. 13. dicitur, *Statuit aquas, quaſi in vtre.*

Nota τὸ *fluens*, quæ ſcilicet natura ſua defluxiſſet in decliuiorē alueum, nî à Deo detenta fuiſſet.

Congregatæ, Hebr. קָפְאוּ *kapeu*, hoc eſt coagulatæ, svnt abyssi] id eſt, vaſta illa & profunda aquarum moles inſtar muri erecta, quaſi glacies coagulata ſtare eſt viſa. Septuag. vertunt, ἐπάγη τὰ κύματα, id eſt compacti, vel conglutinati ſunt fluctus.

Vers. 9. Implebitvr anima mea] deſiderium meum ſaturabitur. Sic enim ſæpè *anima* capitur pro deſiderio, ſpe, voto. Vnde *leuare animam* eſt deſiderare, vel ſperare, vt Ierem. 22. 27. *In terram, ad quam leuant animam ſuam* (quam ſperant, ad quam anhelant) *non reuertentur.* pſal. 142. 8. *Ad te leuaui animam meam*, q.d. In te ſperaui.

Leuare animam eſt ſperare, anhelare.

Interficiet eos manvs mea] Hebr. eſt תּוֹרִישֵׁמוֹ *toriſcemo*, id eſt *expellet, exterminabit*, &, vt Vatabl. *perdet*, &, vt Chald. *conſumet eos*: hic enim eſt actus gladij. quare frigidè Caietan. vertit, *depauperabit.* Neque dubium eſt, quin Pharao tyrannus, licet Hebræos in ſeruitutem reuocare conaretur, primo tamen furoris ſui impetu & inſultu plurimos eorum neci daturus fuiſſet.

Vers. 10. Flavit spiritvs tvvs, et operuit eos mare] Caietan. ſemper per ſpiritum hîc accipit ventum, quo putat diuiſas, & rurſum reuocatas eſſe aquas. Verùm iam dixi c. 14. v. 21. nullo vento, ſed virga Moſis protenſa ſtatim per angelum fiſſum eſſe mare. Idem ergo, quod antè v. 8. dixerat, hîc per anaphoram poëticam repetit & inculcat Moſes; Deum ſcilicet immiſiſſe ſuam vindictam, qua merſit Ægyptios: ſpiritum quippe ſuum potentiam vltionis nominat, ait S. Hieron. in Prouerb. c. 2. de qua dicitur Iob 4. v. 9. impios *flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.* Quamquam veriſimile eſt, Deum cum fulminibus, tonitruis & procellis ventum quoque validum excitaſſe, quo horribiliore & validiore impetu aquæ impellerentur, vt obruerēt Ægyptios; hoc enim ſignificat verbum *flauit.*

Myſticè, S. Auguſt. q. 55. & Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſancto c. 4. per ſpiritum intelligunt Spiritum ſanctum, vt myſterium Trinitatis hîc inſinuetur; nimirum Filius in dextera Dei, id eſt Patris, Spiritus ſanctus in ſpiritu.

Vers. 11. Qvis similis tvi in fortibvs Domine?] Id eſt, vt Septuag. *quis ſimilis tui in diis Domine.* nomen enim Dei eſt אֵל *el*, id eſt fortis: inde *elim*, id eſt fortes, vocantur dij, id eſt, qui habentur dij, licet reuerà non ſint dij, vt dicitur 1. Cor. 8. v. 5. q.d. Quis inter idola & deos Gentium tibi, ô Domine, in fortitudine comparari poteſt? ſanè nullus. & ratio eſt, quia tu magnificus es in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, id eſt, vt Symmachus vertit, *neque in ſanctitate, neque in poteſtatibus quiſquam æquiparandus eſt tibi*; ſanctitate enim & A poteſtate ita decoraris, ita præcellis, vt obſtupeſcant omnes homines & angeli.

Tradunt Hebræi, Machabæos hunc verſiculum vſurpaſſe, quaſi inſigne belli & victoriæ, eumque caſtris & prælijs in vexillis prætuliſſe, eoque hoſtes fortiſſimos & numeroſiſſimos parua manu proſtrauiſſe, indeque eos dictos eſſe hebraicè מַכַּבִּי *machabi*, id eſt Machabæos: nimirum à litteris Hebraicis, quæ ſunt initiales ſingularum dictionum huius verſiculi, qui in Hebræo ſic habet: מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *mi camocha baelim iehoua*; ſi enim à prima dictione *mi* capias primam literam *m.* à ſecunda primam *ch.* à tertia primam *b.* à quarta *i.* eaſque coniungas, facies *machabi*, id eſt Machabæus. ita tradit R. Iſaac ben Hole, Reuchlinus lib. 3. Cabalæ, Mercerus in abbreuiaturis Hebraicis, Sixtus Senenſis lib. 1. B Biblioth. & Genebrardus in chronologia. Simili craſi Hebræi *R. Moſen ben* (id eſt filium) *Maeon*, quatuor initialibus literis in vnam dictionē conflatis, vocant *Rambam.*

Machabæi vnde dicti.

Terribilis atqve lavdabilis] Hebraicè נוֹרָא תְהִלֹּת *nora tehillot*, id eſt *terribilis laudibus*; quia laudes, eius formidini ſunt non ſolùm hominibus, ſed & angelis: omnium enim laudantium vires, linguas & mentes ſuperant, ideoque magno cum timore & tremore eum laudant omnes angeli & Sancti; vnde quaſi explicans quod dixerat, dictique cauſam aſſignans ſubdit, *faciens mirabilia.* ita Caietan. Vatablus. Lipoman. Hinc Dei nomen eſt פֶּלֶא *pele*, id eſt admirabilis, Iudic. 13. 18. Inuocent ergo Deum *pele*, qui magna cogitant & moliuntur, vt per eos Deus faciat magna & mirabilia.

Dei nomen eſt pele, id eſt admirabilis.

C Devoravit eos terra] *Terra*, id eſt, mare terræ immiſtum, putà alueus maris; terra enim & aqua vnum conficiunt globum, & ſolet Scriptura mundum cum omnibus elementis exprimere nomine cæli & terræ. ita Auguſt. q. 54.

Secundò, Vatablus propriè accipit, ſicque explicat: *Non ſolùm abſorpti ſunt* (Ægyptij) *aquis, ſed etiam terra ſe aperuit, & abſorbuit eos.* quod ſi verum eſt, nouum fuit hîc prodigium, quo non tantùm mare, ſed & terra Ægyptios abſumpſit.

Tropolog. Origenes: *Impios, inquit, etiam hodie terra deuorat: qui ſemper de terra cogitant, terrena faciunt, de terra loquuntur, litigant, terram deſiderant, & in ea ſpem ſuam ponunt; ad cælum non reſpiciunt, futura non cogitant, iudicium Dei non metuunt, nec promiſſa eius deſiderant. talem cùm videris, dicito, Quia deuorauit eum terra: & ſi quem videris luxuria & vo-* D *luptatibus corporis deditum, in quo nihil animus valet, ſed totum libido poſſidet, dicito, Quia deuorauit eum terra*; & mox deuorabit eum infernus.

Peccatores deuorat terra.

Popvlo qvem redemisti] quem liberaſti ex ſeruitute Ægyptiaca. Vers. 13.

Et portasti evm in fortitvdine tva ad habitacvlvm sanctvm tvvm] Hinc incipit altera carminis pars; nimirum prophetica, quę protenditur vſque ad v. 16. qua prædicit & pertexit victorias Hebræis contra Idumæos, Moabitas & Chananæos obuenturas, eorumque ingreſſum felicem in Chanaan. Hinc vtitur præterito pro futuro more prophetico, ob futurorum certitudinem. ita Euthym. in hoc canticum.

Nota. *Habitaculum ſanctum*, vocat terram Chanaan, quia illa olim habitata fuit à ſanctis patriarchis, Abraham, Iſaac & Iacob. Secundò, quia eorum

Iudæa dicitur terra ſancta ob quinque cauſas.

eorum ſemini fideli & ſancto fuit promiſſa. Tertiò, quia in ea futurum erat templum, ſanctuſque Dei cultus Quartò, quia in ea naſciturus & moriturus erat Chriſtus, qui eſt Sanctus ſanctorum. Quintò, quia in ea victuri erant B. Virgo, Apoſtoli, omneſque primi Chriſtiani, totaque Eccleſia primitiua, quæ fuit ſanctiſſima; vnde etiamnum Iudæam vocamus Terram ſanctam.

VERS. 14. ASCENDERVNT POPVLI, ET IRATI SVNT] Hebr. *audierunt populi, & fremuerunt*, id eſt, audient hunc tranſitum Hebræorum per mare, & Ægyptiorum ſubmerſionem, ideoque frement contra Hebræos; necdum enim præſens & recens factũ gentes remotæ audiſſe poterant. Noſter pro *audierunt*, vertit, *aſcenderunt*, vt vnico verbo omnia perſtringat; audierunt enim hæc populi, conſultarunt, & tandem aſcendernnt, ſiue egreſſi ſunt in prælium contra Hebræos: prophetice hæc omnia dicuntur, ideoque præterita pro futuris accipienda ſunt.

VERS. 15. OBRIGVERVNT] ſpiritu vitali, & viribus ex pauore euaneſcentibus ſimiles effecti ſunt ſtupentibus, & rigidis apoplecticis: hoc enim ſignificat Hebræum נמגו *namoggu*, id eſt, diſſoluti ſunt, liquefacti extabuerunt inſtar ceræ igni admotæ.

VERS. 16. FIANT IMMOBILES] Hebr. *ſileant vt lapis*; Septuag. ἀπολιθωθήτωσαν, id eſt, *lapideſcant*, fiant ex timore & ſtupore immobiles, vt lapides, qui ingreſſu terræ promiſſę nos arcere non poſſint, quique in prælijs nos impetere, ſeque defendere nõ valeant. ita Lyran. Orat Moſes, ne hoſtes Hebræorum moueantur; plus præſtitit Deus, quando eos Hebræi ope Dei vicerunt, & ceciderunt penè ad internecionem.

DONEC PERTRANSEAT POPVLVS TVVS] in terram promiſſam Chanaan.

VERS. 17. INTRODVCES EOS, ET PLANTABIS (vt ſtabilem, firmam, & naturalem inſtar plantarum & arborũ fixis radicibus ibi figant fidem) IN MONTE HEREDITATIS TVÆ] putà in monte Sion ſiue Moria, in quo Moſes ſpiritu prophetico præuidebat extruendum eſſe Deo templum, ideoque eum vocat hereditatem Dei. vnde Chald. vertit, *locum domus maieſtatis Dei*: vnde & ſequitur, *ſanctuarium tuum Domine*, ſcilicet eſt, vel erit hoc habitaculum, de quo loquor.

Nota. Moſes hic montem Sion & Ieruſalem, ac conſequẽter totam Iudæam vocat Primò. *habitaculum Dei*, quia in eo, putà in populo ſuo, quaſi in Eccleſia ſua Deus erat habitaturus. Secundò, *montem hereditatis Dei*, quia templum in Sione ædificandum futurum erat domus & hereditas Dei. Tertiò, *ſanctuarium Dei*, quia in eo peragenda erant omnia ſacrificia, omnis populi ſanctificatio, omniſque ſacer Dei cultus.

Rurſum præterita hic ponuntur pro futuris: *quod operatus es*, id eſt, quod operaberis: *quod firmauerunt*, id eſt quod firmabunt, *manus tuæ*: ſtetit enim templum à Salomone ædificatum in Sion per mille & ampliùs annos: tot enim ſunt anni à Salomone ad Titum & Veſpaſianum qui templum cum vrbe euerterunt.

Anagogicè, meliùs hæc conueniunt Sioni & Ieruſalem cæleſti, in qua eſt domus Dei beata & glorioſa à Deo fundata & firmata in æternum, de qua dicitur: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.*

VERS. 18. DOMINVS REGNABIT IN ÆTERNVM, ET VLTRA] Dices, Nil eſſe aut fingi poteſt vltra æternitatem. Reſpondeo Primò, æternum ſæpè vocatur ſæculum longiſſimum, cuius finis & terminus non peruidetur, etiamſi ipſum verè & propriè æternum non ſit. hoc enim ſignificat Hebr. עולם *olam*, vt dixi can. 4. Quando ergo Hebræi volunt ſignificare abſolutam æternitatem, vt omne tollant dubium, æterno addunt ועד *vaed*, id eſt, *& vltrà*, vel, vt Chald. vertit, *in ſecula ſeculorũ*, &, vt Septuag. *in ſæculum & adhuc*; &, vt Pagninus, *in ſæculum, & vſque in perpetuum*, id eſt, in omnem æternitatem. ita Lyran. Caiet. Lipoman. & alij. vnde & aliqui ſic explicant, Dominus regnabit per totum præſens ſæculum, & vltrà, ſcilicet per ſæculum futurum poſt diem iudicij, putà per omnem æternitatem. *In æternũ & vltrà, quid? Reſpondeo Primò.*

Secundò, ſi quis per æternum, abſolutè æternum intelligere velit, dicat cum Abulenſi, *τὸ vltrà* addi per hyperbolen, ex abundantia cordis, & ingenti deſiderio deſiderantis planè perennem, immenſam & interminam Dei durationẽ, regnum, gloriam & laudem. quaſi dicat. Opto, vt Deus regnet in æternum, & ſi dari aut fingi poſſit vlterior duratio, per illam vlteriùs ſemper, & vlteriùs ſine fine regnet. quia enim homines æternitatem concipiunt per modum alicuius finiti (infinitũ enim definitè concipere nequeunt) quaſi æternitas ſit duratio aliqua limitata, ideoque à mente noſtra comprehenſibilis. concipimus enim æternitatem quaſi durationem maximam, quæ plurimos annorum milliones complectatur; hinc vt oſtendatur æternitatem omnem noſtram comprehenſionem & conceptum tranſſcendere, additur τὸ *& vltrà*. q. d. ait Origenes: *Putâſne in ſæculum ſæculi Deum regnaturum? regnabit adhuc, vel vltrà: & quodcumque dixeris, illud de regni eius ſpatiũ ſemper tibi Propheta dicet, Et adhuc, ſiue vltrà.* *Secundò.*

Vide hic, quanta, quàm longa ſit æternitas. quamdiu regnabit Deus & Sancti? quamdiu ardebunt damnati in gehenna? in æternum. Quantum eſt æternum? cogita centum millia annorũ, nihil cogitaſti reſpectu æterni: cogita decies centena millia annorum, imò ſæculorum; nihil adhuc ex æternitate decerpſiſti: cogita mille milliones annorum, æquè integra adhuc reſtat æternitas: cogita mille cubos millionum annorum, necdum inchoaſti æternum: cogita tot milliones cuborum, quot ſunt guttæ in mari, necdum ad principium æternitatis perueniſti, æquè æterna reſtat æternitas gaudiorum Sanctis, & tormentorum damnatis. Si Deus diceret damnatis: Impleatur terra arena minutiſſima, ita vt totus orbis hiſce arenæ granulis repleatur à terra vſque ad cælum empyreum; & milleſimo quoque anno angelus veniat, dematq; ex hoc arenæ cumulo vnum granulum, cumque poſt tot millenarios annorum quot ſunt granula, ea exhauſerit; liberabo vos à gehenna: ô quàm exultarent damnati! damnatos ſe non æſtimarent. nunc autem poſt omnes hos millenarios, reſtant alij & alij millenarij in infinitum, in æternum & vltrà. Hoc eſt pondus graue æternitatis, quod opprimit damnatos. cogita ô peccator hoc pondus tibi imminere, niſi reſipiſcas. Sanctos verò hoc pondus quàm recreat & dilatat! regnabunt enim cum Deo, cum Chriſto, cum B. Virgine, cum angelis, in omni gloria & lætitia, in omnibus delicijs & honoribus, in ſæcula *Æternitatis longitudo.*

ſæcu-

A sæculorum, in æternum & vltrà. O felix æternitas, ô æterna felicitas, quî fit quòd tam rarò, tam modicè, tam obiter de te cogitemus? quî fit quòd de te non magis laboremus, non magis simus solliciti? stupor hic noster est, hebetudo nostra est. Si enim te penetraremus, diceremus cum S. Paulo: *Momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Tertiò.

Tertiò, S. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. ad 2. respondet, Deum dici vltra, vel supra æternitatem esse & regnare; quia habet æternitatem sine principio, & quia habet eam à se, & quia totum esse suum habet simul sine vlla varietate. Audi eum: *Dicitur*, inquit, *Deus vltra æternum regnare, quia licet aliquid aliud semper esset, sicuti motum cæli quidam philosophi faciunt æternum, nihilominus tamen Deus vltrà regnat; in quantum eius regnum est totum simul. Similiter auctor lib. de causis dixit Deum esse ante æternitatem, intelligentias esse cum æternitate, animam verò nostram esse post æternitatem, & supra tempus. nam licet poneremus intelligentias ab æterno, tamen, quia Deus habet in se omne & totum esse simul; intelligentiæ verò habent suum esse limitatum, & participatum à Deo: idcirco verè Deus diceretur esse ante æternitatem participatam videlicet à creaturis.* Sed hæc responsio acutior est & subtilior, quã germanior.

Deus est ante æternitatem, angeli sunt cum ea, anima post eam.

Nota. Pulchro hoc epiphonemate, *Dominus regnabit* (cùm inter Ægyptios aliosque populos, tum maximè inter Hebræos, aliosque fideles, idque tum in terra, tum maximè in cælo) *in æternũ & vltrà*, carmen hoc claudit Moses. quod enim sequitur: *Ingressus est enim*, &c. tantùm est repetitio materiæ carminis, quam vti primo versu proposuit, ita eamdem hoc v. vlt. repetit.

VERS. 20. SVMPSIT ERGO MARIA PROPHETISSA] Nota τὸ *ergo*, quasi dicat, Quia Maria videbat viros Deo psallentes, hinc ne feminæ ad deuotionem ferè proniores, viris quidquam de Dei laudibus concederent, ipsa eis carmen præcinuit, quod ipsæ succinerent.

MARIA] Circa hoc nomen Nota Primò, Massoretas corrupisse puncta. legunt enim *Miriam*, cùm tam Septuag. quàm S. Hieron. Syrus, & omnes veteres legerint *Mariam*, per, a non per, i. Secundò, hoc nomen in Hebræo esse dissyllabum, atque habere litteram m in fine, dicique *Mariam*. sic enim habent Hebr. Chald. & Septuag. Sed Græci & Latini posteriores hoc nomen ad suæ linguæ idiotismum deducentes, literam m omiserunt, & ex dissyllabo *Mar iam* fecerunt trisyllabum *Ma ri a*, vti & in alijs multis nominibus fecerunt, quæ communis omnium iam terit vsus.

Maria idẽ est quod exaltata, ait Caninius.

Tertiò, Angelus Caninius in Nomin. Hebr. noui testamenti censet m initiale in Maria esse seruile, non radicale. Radicem enim nominis Maria esse רום *rum*, id est exaltare, vt Maria idem sit, quod exaltata, excelsa. Verùm sic litera *resch*, quæ est prima radicalis verbi *rum*, in nomine Maria diuelleretur à sua radice, & coniungeretur cum m seruili: dicunt enim Hebræi, *Mar iam* dissyllabè, quæ radicalium, præsertim quiescentium, diuulsio hiulca est & insueta Hebræis.

Dico ergo, Nomen *Maria* compositum est ex מור *mor*, id est myrrha, vel potiùs ex מורה *mora*, id est magistra & domina, & ים *iam*, id est maris. m enim initiale hîc posse esse radicale (quod sine ratione negat Caninius) patet ex alijs nominibus, vt Mara, Melcha, Messias, Moses, Machir, Melchisedec, in quibus patet m esse radicale. Maria ergo idem est quod myrrha maris; eò quòd, vt tradunt Hebræi, dum nasceretur Maria, cœperit amara tyrannis Pharaonis præcipientis mergi infantes Hebræorum. Vel potiùs Maria idem est, quod magistra vel domina maris: hoc enim nomen fuit quasi prognosticum in mente Dei (licet parentes in ortu Mariæ nil tale de ea scirent vel cogitarent.) Primò, quòd Maria hæc futura esset dux feminarum Hebræarum, eisque præiret tum in transitu maris rubri, tum in hoc carmine epinicio Deo decantando: vnde hoc loco primùm ipsa Maria vocatur: nam c. 2. v. 4. & 7 non Maria, sed soror Mosis vocatur. q. d. Congruè vocata est soror Mosis Maria, id est domina & magistra, quia

Secundò & meliùs Maria idem est quod myrrha maris. Tertiò & optimè, Maria idem est quod domina maris.

B talem iam eam experimur. Secundò, quòd Maria hæc virgo typus foret (vti docet S. Ambros. exhort. ad virgines) virginis matris, putà B. Mariæ Deiparæ, quæ magistra & domina est maris huius sæculi. *Mara* enim hebr. & syriacè *Mara*, tam dominam, quàm magistram significat, maximè apud Syros. Hinc enim descendit illud *Maran atha*, id est, Dominus noster venit: Syri enim magistrum vocant Dominum. Sic & Hebræi Dominum vocant Rab, Rabbi, Rabboni, quæ communiter magistrum significant.

Mara syriacè est domina.

Hanc esse veram etymologiam nominis Maria, vt dominam significet, patet Primò ex eò, quòd ita nomen Maria interpretatur Epiphan. serm. de laudibus Virginis, Damasc. li. 4. de Fide c. 15. Eucher. l. 2. Instruct. Chrysologus serm. 146. Beda in c. 1. Lucæ. Secundò, quòd R. Haccados doctrina & sanctitate celeberrimus ante Chri-

Probatur Primò.

Secundò.

C stum Hebræorum doctor, Messiæ matrem (scilicet B. Mariam) dominam nuncupandã prædixit. Tertiò, quòd liturgiæ S. Iacobi, Basilij, Chrysost. ad etymon Mariæ alludẽtes, eam δέσποιναν ἡμῶν, id est dominam nostram indigitãt. Quartò, quòd Christiani omnes B. Virginem omni lingua, Dominam nostram, *nostre Dame, nuestra Señora. onse Lieue Vrouvve*, quasi proprio nomine, compellant. Est enim ipsa mater Christi, qui est primogenitus, & dominus omnis creaturæ; vnde & R. Haccados ipsam primam creaturarum, & primum hominem appellat.

Tertiò. Quartò. Omni lingua B. Maria vocatur Domina nostra. B. Virgo est prima creaturarum, & primus homo.

Quare perperam Victorinus Mariam interpretatur miseram, imperitissimè verò Lutherus Mariam interpretatur guttulam aquæ. vide Canisium initio Marialis, & Matth. Galenum in suis catechesibus, fol. 48. & 119.

D PROPHETISSA] quia Deus cum ea collocutus, ei arcana pandebat, vt patet Num. 12. 2. Secundò, *prophetissa*, id est doctrix, magistra. Tertiò, *prophetissa*, id est præcentrix. vide dicta 1. Corint. 14. initio.

Fuit Maria soror Mosis prophetissa tripliciter.

SOROR AARON] & consequenter Mosis, dicitur tamen soror Aaron, non Mosis; quia Aaron Mose erat senior, & proximè post Mariam natus. Hinc Gregor. Nyssen. l. de Virg. ca. 6. Mariam hanc virginem fuisse docet: nam si fuisset coniugata, à marito, non à fratre agnominaretur, vocareturque non, soror Aaron, sed vxor talis vel talis mariti. Secundò, quia nusquam mariti eius, vel liberorum meminit Scriptura. idem docet S. Ambros. exhort. ad virg. & Apponius 6. comment. in Cantica. Fuit ergo hæc Maria typus B. Virginis Mariæ, & sicut hæc cecinit, *Cantemus Domino:* ita

Fuit virgo.

ita B. Virgo cecinit, *Magnificat anima mea Dominũ.* A Iosephus tamen contrarium ſentit, dicitq́ue Mariam hanc nuptam fuiſſe Hur, cuius fit mentio Exodi 24. 14. ſed Ioſephus, vti & Iudæi in veteri teſtamento, paucis exceptis, virgines & virginitatem non cognouerunt.

Egressæqve svnt omnes mvlieres cvm tympanis et choris] cum pijs ad numeros tympani tripudijs; hi enim ſunt chori. Chorus enim eſt multitudo canentium aut ſaltantium, deduciturq́ue à χαρᾶ, id eſt lætitia, ait Plato li. 2. de Legibus: aut, vt Feſtus, à corona. Hunc puellarum in decantandis Dei laudibus apud Hebræos fuiſſe morem pſallendi, & choros ducendi, patet ex pſalm. 67. v. 26. *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum* (hebr. virginum) *tympaniſtriarum.* Sic 1. Eſdræ 2. v. 65. inter Hebræos Babylone redeuntes fuerunt cantores & cantatrices ducenti, ad itineris videlicet moleſtiam leuandam, & reducum captiuorum animos exhilarandos. Sic Salomon, *Feci,* inquit, *mihi cantores & cantatrices,* Eccleſ. 2. 8. Sic Lacedæmonij trichoria vtebantur ſaltatione, inſtituto Lycurgi. Conſtabat autem ea ſaltatio triplici choro, ſenũ, puerorum, iuuenum. Senum prima erat cantio: *Nos fuimus olim ſtrenui iuuenculi.* Secunda puerorum: *Præſtantiores nos futuri olim ſumus.* Tertia iuuenum: *At nos ſumus, vel experire ſi velis.* Teſtis eſt Plutarchus comment. de Laude ſuiipſius.

Porrò contra laſciuas ſaltationes & choreas vide S. Baſil. ſerm. de ebrietate & luxu, Chryſoſt. hom. 49. in Matth. Ambroſ. l. 3. de Virg. Auguſt. in pſal. 32. Aptè dixit quidam: *Chorea eſt circulus cuius centrum eſt diabolus, & circumferentia omnes angeli eius.* Hinc Conc. Laodicenum ſub annum C Domini 364. can. 53. ita ſancit: *Non oportet Chriſtianos ad nuptias euntes vel balare, vel ſaltare; ſed caſtè cœnare, vel prandere, ſicut competit Chriſtianis.*

Nota hîc, quomodo & cur egreſſa ſit Maria eiuſq́ue ſociæ, ſcilicet non ad leues choreas, non ad popinas, ſed ad modeſtos pioſq́ue choros ac laudes Dei. Audiant virgines aureum dogma S. Chryſoſt. ſerm. quòd regulares feminæ viris cohabitent, in fine tomi 5. *Cùm in publicum,* inquit, *ſe virgo recipit, oportet vt & omnis philoſophiæ ſpecimen præ ſe ferat, & omnes in ſtuporem conuertat. Sicut angelus ſi nunc è cælo deſcenderet, & ſicut Cherubim aliquis, ſi in terris appareret, omnes homines in ſtuporem conuerteret: ſic virginem, omnes qui vident, adducere in admirationem & ſtuporem ſua ſanctimonia oportet.* Si taliter egredi & progredi debet virgo; qua modeſtia, qua morum grauitate, qua pudicitia, inſtar angeli de cælo delapſi, incedere debet Eccleſiaſticus, ac præſertim Religioſus? D

Virgines in publicum prodeant vt angeli.

Cvm tympanis] Caluinus hîc tympana, organa, aliaq́; muſica inſtrumenta inter legales veteris teſtamenti cæremonias adnumerat, quæ proinde Chriſtus aboleuerit quaſi ſimplicitati Euangelicę repugnantia. Verùm hæc tympana & chori Mariæ & Hebræorum fuerunt ante legem cæremonialem à Deo datam; & ſi tunc ijs vti licuit, cur non & modò liceat?

Caluinus damnat instrumenta muſica, quaſi Iudaica. Refellitur Primò.

Secundò. Secundò, ſi cantus inſtrumenta pertinent ad legem cæremonialem; ergo pari iure & cantus ipſe ac pſalmodia, qua adeò gloriantur Caluiniſtæ, ad eamdem pertinebit.

Tertiò. Tertiò, eſto daremus hæc cæremonialia fuiſſe: potuit Eccleſia eamdem cæremoniam ſuis etiam vſibus ſeruientem ſibi aſciſcere, vti ſibi aſciuit ornamenta pontificum & ſacerdotum, vſum luminum, templa, oblationes, & alia, quæ erant cæremonialia in lege veteri, idq́ue ad decorem & maieſtatem ſacrorum legis nouæ. Sic quædam iudicialia legis veteris reuocauit, & in lege noua ſanxit. templa enim noſtra, quibus tremenda illa myſteria peraguntur, potiùs quàm vetera illa vmbratica, omni decore, omni iubilo & concentu digniſſima ſunt: niſi Caluinus ruſticus in templo videri velit, & domi aulicus, malitq́ue muſica ad ſuam libidinem, quàm ad Dei laudem vti.

Tropol. tympanum quod fit ex corio, ſignificat carnis mortificationem, ſine qua nulla anima poteſt ſe probam Deo exhibere cantatricem. hinc dicitur: *Laudate Deum in tympano & choro;* tympanizant enim Deo, qui carnem caſtigant & pulB ſant cum S. Paulo. ita Origenes, Rupert. & S. Ambroſ. ad virgines.

Tympanizant Deo, qui carnem caſtigant.

Qvibvs præcinebat dicens: Cantemvs Domino; gloriose enim magnificatvs est] Vers. 21.
Heb. eſt וַתַּעַן לָהֶם *vattaban labem,* id eſt, & reſpõdebat illis, ſcilicet Moſi aliiſq́ue viris (*labem* enim eſt maſculinum) præcinentibus. ita Vatabl. & Hebræi. vnde Philo l. de Agricultura, putat hîc factos eſſe duos choros, vnum mulierum, alterũ virorum ex aduerſo ſtantes, & alternis carminibus ſibi inuicem reſpondentes. & Oleaſter putat, viros Moſe præcinente ſingulos cantici verſus ceciniſſe: deinde Mariam cum feminis ad ſingulos verſus reſpondiſſe ſuccinendo & iterando intercalare hoc carmen: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.* illud enim ſolum hîc Mariæ & mulieribus C tribuitur. hoc enim fiebat in alijs ſubinde canticis, vt pſalm. 135. chorus canebat, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius;* & deinceps proſequebatur alios verſus: cœtus verò ad ſingulos verſus ſuccinebat & repetebat, *Quoniam in æternum miſericordia eius.* ita & Genebrard. in pſal. 67.

Duo chori canentium 1. virorum, 2. mulierũ.

Hæc ſententia valdè probabilis eſt: illi enim fauet maſculinũ לָהֶם *labem,* & verbum תַּעַן *taan,* quod propriè ſignificat reſpondere, reſponſoriè ſiue alternatim canere. q. d. Viris præcinentibus reſpondebãt & ſuccinebant feminæ Maria quaſi duce præeunte, & inchoante idem carmen, quod Moſes & Hebræi præcinuerant: ſi enim ſeorſim à viris chorum feciſſent, & ceciniſſent feminæ, non repetiiſſent carmen virorum, ſed aliud occurrens ceciniſſent.

D Alij tamen putant, Mariam cum feminis ſeorſim à viris (hoc enim innuere videtur τὸ *egreſſæ ſunt*) & poſt viros ceciniſſe illud idem carmen totum à capite ad calcem, quod viri cecinerant: ita vt Maria prima illud didicerit, vel à Moſe, vel à Spiritu ſancto (erat enim prophetiſſa) illaq́ue præcinente cæteræ ſuccinuerint, vti in choro fieri ſolet. Hæc ſententia etiam eſt probabilis.

Tvlit avtem Moyses Israel de mari rv- Vers. 22.
bro] *Tulit* hebr. יַסַּע *iaſſa,* id eſt proficiſci fecit, mouit, duxit: *Iſrael,* id eſt populum Iſrael, filios Iſrael, putà Iacobi poſteros. Noſter interpres verbo *tulit,* prouidam Moſis erga Hebræos curam, quaſi matris filios ſuos ſinu fouentis, indicat. de qua vide Numer. 11. 12.

Et egressi svnt in desertvm Svr] in Vers. 23.
quo angelus inuenit Agar ancillam Abrahæ errantem,

rantem, inter Cades & Barad, Gen. 16.7. ita S. Hieron. Atque hinc fortè, scilicet ab Agar, desertum hoc *Agra* vocatur à Chaldæo hîc. desertum hoc Sur alio quoque nomine vocatur Etham, Num. 33.7 de quo dixi c. præced. v. 19.

ET VENERVNT IN MARA] Est hæc quinta Hebræorum mansio in deserto, quæ dicta est *Mara*, ab amaritudine aquarum, quæ erant מָרִים *marim*, id est amaræ. Hinc patet hunc locum per anticipationem vocari *Mara*. non enim vocabatur *Mara*, cùm eò primùm venerunt Hebræi; sed à Mose, postquam aquas eius amaras gustauit, dictus est *Mara*, vt hîc dicitur.

VERS. 25. *Lignũ dulcorãs aquas in Mara.* QVI (Dominus) OSTENDIT EI LIGNVM, QVOD CVM MISISSET IN AQVAS, IN DVLCEDINEM VERSÆ SVNT] Hebr. est, *docuit eum lignum*. hinc apparet, hoc certum ligni genus fuisse, arcana & mirifica vi dulcorandi præditum, præsertim si copiosè aquis inspergeretur, illudq; eas actu dulcorasse, tum salsuginem ex aquis exsugendo, tum eis dulcedinem sibi innatam suggerendo: sic enim glycerizam hordeato, vel aquæ ad potum dulcorandum adhibent medici; sed huius ligni longè celerior & efficacior fuit vis, quàm sit glycerizæ. ita Caietanus.

Vis dulcorãdi aquas ligno huic fuit naturalis. Hinc sequitur, vim hanc dulcorandi in ligno hoc naturalem fuisse, qualis est in melle & cannis saccari; sed longè maior & efficacior fuit in ligno hoc. si enim vna gutta olei vitrioli, vel sulphuris integrum vitrum aquæ acore & sapore suo inficit, quid ni idem facere potuerit in dulcorãdis aquis hoc lignum efficacissimæ virtutis, nobis licet incognitum, Deo tamen notissimum? Si lignum vitæ innata sua vi poterat homini prorogare vitam in æternum. quid ni lignum aliquod dare possit Deus, quod innata sua vi ingentem aquæ copiam dulcorare possit? Idque sat clarè significat Ecclesiasticus c. 38.4. *Altissimus*, inquit, *creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam: nónne à ligno indulcata est aqua amara?* scilicet hoc loco Exodi, quò sine dubio alludit Ecclesiasticus: loquitur autẽ ipse de naturali proprietate & virtute, quam habent herbæ, ligna & pharmaca ad medicandum hominibus. ita Lyran. Caiet. & alij.

Licet R. Salomon, & ex eo Abulens. secùs sentiant: hoc lignum, inquiunt, est adelpha vulgò nominata, quæ ex se amara est & mortifera: voluit ergo eam Deus adhibere ad dulcorandum aquas, vt eò maius esset miraculum, quo amaritudo eius dulcori magis est contraria, vtque expressior esset typus crucis & passionis Christi amarissimæ, de qua mox dicam.

Sic Abbas Besarion ambulans iuxta mare cùm discipulus eius Dulas sitiret, orans salsam maris aquam in dulcem conuertit, qua sitim discipulus restinxit, vt habetur in Vitis Patrum l. 3. n. 215. Simili miraculo Elisæus aquas steriles sanauit per sal, quod siccare & consequenter sterilia facere solet, 4. Reg. 2.20. Verùm prius quod dixi, verius est.

Lignum hoc fuit typus crucis Christi, per quã Sanctis omnia aduersa dulcescunt. Allegoricè, hoc lignum significat lignum crucis Christi: illius enim virtute, memoria & meditatione Sanctis omnis labor & dolor dulcescit. ita Origenes, Theodor. Nyssen. Rupert. Ambros. l. de ijs qui myster. initiantur c. 3. Cyrillus (vel potiùs Clictouæus: hic enim octo medios libros Cyrilli, qui interciderunt, ex suo ingenio reparauit, vt opus Cyrilli mutilum compleret & perficeret)

A in Iohannem l. 8. c. 17. vbi varias sanctæ crucis figuras conglobatè enumerat: & Cyprianus libr. de zelo & liuore in fine; vbi docet, quomodo cruce Christi ira & amarulentia sit lenienda & dulcoranda. *Venena*, inquit, *fellis euome, discordiarum virus exclude: purgetur mens, quam serpentinus liuor infecerat; amaritudo omnis, qua intus insederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis & cibum sumis & potum, lignum quod apud Mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendi pectoris lenitatem. Ama eos quos antea oderas, dilige illos, quibus iniustis obtrectationibus inuidebas.*

Audi & Cassiod. in psal. 4. *Crux*, inquit, *est humilium tuitio inuicta, superborum deiectio, victoria*
B *Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum: de qua S. Chrysost. crux est Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conuersorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ.*

Et Damasc. l. 4. de Fide 12. *Crux Christi clauis est paradisi: hæc infirmorum baculus, pastorum virga: se conuertentium manuductio, proficientium perfectio, salus animæ & corporis, omnium malorum auersio, bonorum omnium datrix.*

Et Rabanus de Laude crucis: *Tu sancta*, ait, *crux peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, infirmorum remedium, lassorum refugium, sanorum incolumitas, desperatorum securitas, infortunatorum felicitas.*

Meritò ergo S. Bernardus, *Circumire*, inquit, *possum, Domine, cælum & terram, mare & aridam, &*
C *nusquam te inueniam, nisi in cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cuius latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profunditas timor. In hac cruce te inuenit, quicunque inuenit: in hac cruce suspenditur anima, & dulcia poma de ligno decerpit.*

IBI CONSTITVIT EI PRÆCEPTA ATQVE IVDICIA] Deus dedit Israeli in Mara aliquas leges cæremoniales & iudiciales: quænam hæ fuerint, Script. non exprimit. quòd enim Rabbi Salomon dicit hæc præcepta fuisse duo, primum de sabbato seruando, secundum de vitula rufa comburenda, vt ex eius cinere fieret aqua lustralis, qua expiarentur immũdi, de qua Num. 19. hoc, inquam, figmentum planè fabulosum & erroneum est, vti rectè ostendit Abulens.

ET IBI TENTAVIT EVM] Populum scilicet Israel
D tentauit Deus, leges iã dictas ferendo & sanciendo, quibus obedientiam populi tentare & experiri statuerat. patet ex sequentibus.

CVNCTVM LANGVOREM] ex vlceribus, siti, peste, alijsque plagis Ægyptiacis manantem. VERS. 26.

EGO ENIM SVM DOMINVS DEVS SANATOR TVVS] Hebr. אֲנִי רֹפְאֶךָ *ani ropheécha*, id est ego sum medicus tuus. Disce hîc in morbis ad Deum, quasi archiatrum recurrendum, ipsoque maximè nitendum esse. Rursum Deum sæpè languores & morbos ob peccata immittere, vti hîc dicitur, quę si cessent cessabunt sæpè & morbi. *Deus est archiatrus.*

VENERVNT AVTEM IN ELIM, VBI ERANT DVODECIM FONTES AQVARVM, ET SEPTVAGINTA PALMÆ] q.d. Venerunt in Elim, vbi erat tum mira amœnitas arborum & fontium; tum copiosus potus & cibus: palmæ enim suos dactylos ad cibum præbent. Est hæc sexta mansio in Elim. VERS. 27.

Tropol. S. Hieron. ad Fabiolam, *Pulcher*, inquit, *est hic ordo virtutum: post maris rubri victoriam sequitur tentatio; post tentationem refectio: de Mara, id est amaritudine, venimus in Elim, id est, ad arietes & robustos principes gregis Christiani, vbi duodecim fontes doctrinæ Apostolicæ, & septuaginta palmæ victricis fidei septuaginta discipulorum Domini nos recreant.* Sic & Tertull. l. 4. contra Marcion. cap. 24. per 12. fontes duodecim Apostolos, per septuaginta palmas 70. discipulos Christi intelligit.

Duodecim fontes sunt 12. Apostoli: 70. palmæ sunt 70. discipuli.

Palma non cedit oneri, non flectitur pondere, sed aduersus pondus sursum nititur: hinc symbolum est viri fortis, qui non cedit oneribus, irrisionibus, detractionibus; non flectitur in inferiora, sed ad superiora enititur atque exurgit, suaque patientia vincit omnia.

Sancti quotidie proficiunt in virtute.

Rursum Nota hîc, vitam fideliũ esse assiduam profectionem, eosq; ire debere de virtute in virtutẽ, vt ad terram promissam in cælis perueniant, donec videant Deum deorum in Sion. Vidit Iacob scalam è terra in cælum porrectam: hac nobis ascendendum est itinere longo & molestò. festinemus ergo: grandis enim nobis restat via ad perfectionem, ad beatitudinem. Ad hoc egregiâ praxi vsus est S. Carolus Borromæus nuper Cardin. cùm enim delicatè esset enutritus, contenderetque ad insignem sanctimoniam, cœpit se in paruis mortificare & vincere, faciles pœnitentias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire. Deinde quotidie vlteriùs ad grauiores & difficiliores progrediebatur: habebatque hoc fixum animo non cessare, non sistere, sed quotidie progredi, donec summum virtutis culmen attingeret; v. g. vna septimana abstinebat vino, alia carne, tertia pisce, quarta ouis, &c. itaque eò tandem peruenit, vt vltimis vitæ annis quotidie solo pane & aqua viueret, exceptis festis, quibus aliquid obsonij addebat, non tamen carnem, nec piscem, nec oua, nec vinum. his enim semper abstinebat. In Quadragesima etiam pane abstinebat, tantumque ficubus & fabis viuebat. In hebdomade sancta non nisi lupinis (genus est pisorum amarorum) victitabat. Lectus eius erat saccus stramineus, aut sedes. aiebat enim, Episcopum super gregem vigilare debere, ac proinde parcè & sedentem dormire, vti faciunt strenui duces in bello. Cilicio duro vtebatur, quod etiamnum seruãt Mediolanenses: rudi disciplina corpus castigabat: labores cõtinuos & maximos iugiter capessebat. Dicebãt enim animi generosi & inuicti esse, semper maiora aggredi, & in vita spirituali magnis passibus progredi. Sicut enim mercatores intenti lucro, illi quotidie aliquid adijciunt: & sicut hortulani quotidie hortum excolunt: pictores quotidie imaginem quam pingunt, expoliunt & perficiunt: ita multò magis quotidie virtuti aliquid adijcere debet, qui eius est studiosus. Ita fecit ipse, donec eò perueniret, vt vix vlteriùs quid superesset, quò progrederetur, nisi vt diceret cum S. Paulo, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*: vnde & paulò pòst hac vita defunctus est. ita narrat auctor Vitæ eius l. 8. c. 21.

Praxis S. Borromæi.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deficiente pasta famentes Hebræi murmurant. Deus eis mittit coturnices, & v. 14. ningit siue grandinat manna, eoq; eos quotidie alit per 40. annos.

1. PRofectiq; sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai: quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. 2. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine. 3. Dixeruntque filij Israel ad eos: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? 4. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: vt tentem eum vtrùm ambulet in lege mea, an non. 5. Die autem sexto parent quod inferant: & fit duplum quàm colligere solebant per singulos dies. 6. Dixeruntq; Moyses & Aaron ad omnes filios Israel: Vesperè scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: 7. & manè videbitis gloriam Domini. audiuit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? 8. Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vesperè carnes edere, & manè panes in saturitate: eò quòd audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum. nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. 9. Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic vniuersæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino: audiuit enim murmur vestrum. 10. Cumq; loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube. 11. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 12. Audiui murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Vesperè comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietisque quòd ego sum Dominus Deus vester. 13. Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra: manè quoque ros iacuit per circuitum castrorum. 14. Cumq; operuisset superficiem terræ,

ræ apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super
terram. 15. Quod cùm vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod si-
gnificat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis,
quem Dominus dedit vobis ad vescendum. 16. Hic est sermo, quem præcepit Do-
minus. Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula
capita, iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo sic tolletis.
17. Feceruntque ita filij Israel: & collegerunt, alius plus, alius minus. 18. Et mensi
sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus pa-
rauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.
19. Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. 20. Qui non audie-
runt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque manè, & scatere cœpit vermibus, atque
computruit. & iratus est contra eos Moyses. 21. Colligebant autem manè singuli,
quantum sufficere poterat ad vescendum: cumq; incaluisset sol, liquefiebat. 22. In
die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines:
venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moysi. 23. Qui ait
eis: Hoc est quod locutus est Dominus: Requies sabbati sanctificata est Domino cras.
quodcumque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt coquite; quidquid autem
reliquum fuerit, reponite vsque in mane. 24. Feceruntque ita vt præceperat Moy-
ses, & non computruit, neq; vermis inuentus est in eo. 25. Dixitque Moyses: Come-
dite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non inuenietur hodie in agro. 26. Sex
diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est Domini, idcirco non inuenietur.
27. Venitque septima dies: & egressi de populo vt colligerent, non inuenerunt.
28. Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsquequo non vultis custodire mandata mea,
& legem meam? 29. Videte quòd Dominus dederit vobis sabbatum, & propter hoc
die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus e-
grediatur de loco suo die septimo. 30. Et sabbatizauit populus die septimo. 31. Ap-
pellauitque domus Israel nomen eius Man: quod erat quasi semen coriandri album,
gustusque eius quasi similæ cum melle. 32. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem
præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes: vt
nouerint panem; quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti.
33. Dixitq; Moyses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest cape-
re gomor: & repone coram Domino, ad seruandam in generationes vestras, 34. sic-
ut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum.
35. Filij autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram
habitabilem: hoc cibo aliti sunt vsquequo tangerent fines terræ Chanaan. 36. Go-
mor autem decima pars est ephi.

VERS. 1. VENIT OMNIS MVLTITVDO FILIORVM ISRAEL IN DESERTVM SIN] Est hæc octaua mansio Hebræorum in deserto; nam septima, quæ fuit ad mare rubrum, reflexo ad illud itinere, vt patet Num. 33. 10. hîc omittitur, quia nihil peculiare in ea contigit.

Hoc desertum Sin est inter mare rubrum & montem Sinai, estque diuersum à deserto Sin (quod & Cades dicitur) de quo Num. 20. 1. & c. 34. 3. vbi mortua est Maria, & petra percussa à Mose dedit aquas. nam nostrum Sin hîc per *samech*, illud verò in Numeris per *tsade* scribitur: in illo fuit 33. mansio, in hoc verò octaua.

Sin hebraicè odium sonat, & symbolicè significat, quòd cùm Deum vocantem in desertum sequimur è mundo exeuntes, grande odium in nos concitemus inimici, putà diaboli & mundanorum hominum. ita S. Hieron. ad Fabiol.

QVINTO DECIMO DIE MENSIS] Putà trigesimo die ab egressu ex Ægypto. egressi enim sunt decimoquinto die mensis primi: decimo verò quinto die mensis secundi (qui Iiar dicitur, & respondet nostro partim Aprili, partim Maio) in Sin venerunt. Pro quo Nota, Hebræos habuisse menses lunares: lunaris autem mensis habet dies 29. cum dimidio. vnde Hebræi primo mensi dabant 29. dies: secundo verò mensi dabant dies 30. quia

A duo dimidij dies, qui vtroque hoc mense excreuerant, faciebant vnum diem, putà tricesimum. Iam si primus mensis habebat 29. dies; ergo à 15. die ad 29. & vltimum sunt 15. dies: his adde dies 15. mensis secundi, præcisè peruenies ad diem tricesimum, quo Hebræi peruenerunt in Sin; & postridie, putà tricesimoprimo die, cœpit pluere manna, vt patet v. 8. & 12. ita Torniellus & Iosephus, vt patebit v. 2.

ET MVRMVRAVIT OMNIS CONGREGATIO FILIORVM ISRAEL] cùm iam farina subacta, siue pasta, quam ex Ægypto tulerant, deficeret; illa enim durauit ad triginta dies, ait Iosephus. VERS. 2.

VTINAM MORTVI ESSEMVS PER MANVM DOMINI] scilicet morte à Domino irrogata, siue naturaliter, siue violentè. VERS. 3. B

QVANDO SEDEBAMVS SVPER OLLAS CARNIVM] Alij vertunt, *iuxta ollas carnium*: meliùs noster Interpres vertit, *super ollas*. Notat enim hîc Script. voracem ingluuiem crassæ plebis, quòd, vt pecora herbis, ita hi ollis incumberent. Intuere hîc exemplum & schema apostatantium: Primò enim tentatione pulsante, gratiæ, etiam per miraculum acceptæ obliuiscuntur, vti hîc omnium plagarum & prodigiorum Ægypti obliuiscuntur Hebræi. Secundò, pœnitet eos se Deum vocantem ex Ægypti, id est mundi, illecebris secutos esse. Ter- *Schema apostatantium.*

tiò, de liberali Dei potestate desperant, ac demum, si possint, ollas suas repetunt.

Cvr edvxistis nos in desertvm istvd, vt occideretis fame?] cur educendos nos in has angustias deserti coniecistis, vt ibi moriamur fame? non enim aliter poterat eos Moses fame occidere. Hinc patet, verba actiua Hebræorum, quale est, occidere, non semper actionem physicam significare.

Exempla & gnome illustres de silentio & patientia. Vide hîc silentium & patientiam iugem Mosis. hæc virtus Sanctos omnes exercuit & perfecit. Primò, Christum, qui in cruce pro suis crucifixoribus orauit: *Pater*, inquit, *ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt*. Secundò, Iob qui à dæmone & Chaldæis ac vxore, extrema passus dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.* Tertiò, Dauid, qui persecutionem Saulis, Semei & Absalonis æquissimè tulit. Quartò, S. Stephanum, qui pro se lapidantibus orauit, dicens, *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Quintò, S. Paulum, qui ait: *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus.*

Audi & Martyres. Busiris Ancyræ sub Iuliano Apostata in eculeo suspensus, manibus ad caput sublatis sua nudauit latera, & ad Præsidem dixit: *Non opus est, vt lictores me in eculeum tollendo laborent: ego enim absque ipsorum opera, quo voles modo latera mea tortoribus præbere paratus sum.* Dixit & fecit. nam cùm latera eius vnguibus lacerarentur, manibus in cælum sublatis Deo gratias egit. testis est Sozom. lib. 5. c. 10.

Gensericus Christianos ligatis pedibus post terga quadrigarum currentium, per saxa & spinas raptari iussit, qui vale sibi inuicem dicentes, aiebant: *Vale frater, ora pro me. impleuit Dominus desiderium nostrum. taliter peruenitur ad regnum cælorum.* ita Victor lib. 1. Wandal.

Audi & Confessores. Dæmon Iacobi eremitæ magnanimitatem non ferens, minatus est se eum virga percussurum. Tum Iacobus: *Si tibi*, inquit, *permissum est à Deo, percute, & plagam libenter accipiam, vt qui ab illo feriar. Si autem non fit tibi permissum, non percuties, licet millies insanias.* testis est Theodoret. in Vitis SS. Patrum vita 21.

Irene à Nicephoro seruo suo imperio deiecta inquit: *Ego Deo acceptum fero quòd me orphanam & indignam ad imperium euexit; quòd verò iam me deijci permittit, meis peccatis ascribo. in cunctis autem bonis & malis sit nomen Domini benedictum.* ita Paulus Diacon. lib. 23.

Alfonsus Aragonum rex, à quodam qui in via præcedebat, ramo arboris dimisso, grauiter in oculo læsus, dixit, *Nihil profectò doleo, nisi percussoris dolorem ac metum.* ita Panorm. l. 4. Vitæ eius.

Tertull. lib. de Patientia c. 9. & 10. sic ait: *Si patientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlcisci non desiderabo.* & c. 15 *Sequester patientiæ est Deus. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorē, medicus est: si mortem, resuscitator est.*

Vers. 4. Plvam vobis panes de caelo] *Panes*, id est manna: ex eo enim contuso tortulas panis faciebant, vt patet Numer. 11. 8. Pro carne verò & ollis, ad quas anhelabant Hebræi, dedit eis Deus coturnices v. 8. & 13.

Vt tentem evm, vtrvm ambvlet in lege mea] Humano more loquitur Deus. ipse enim homines tentat eos probando, & arcana eorum, ipsamque veritatem palàm eliciendo. Verùm non eo fine, quo homines: hi enim tentant ad hoc, vt sciant quod ignorant; Deus verò cardiognostes omnium conscius, imò præscius tentat, non vt ipse, sed vt alij vel se, vel alios noscant. Tentauit ergo hîc Deus obedientiam & temperantiam Hebræorum, solum manna eis dando: tentauit & spem eorum, dum eis diurnum in singulos dies alimentum admensus est. præcepitque ne manna in sequentem diem reconderent (ad hanc enim legem, quæ immediatè præcessit, maximè in hac tentatione respexit Deus) idque vt continuò & iugiter à Dei prouidentia pendere discerent, de accumulanda annona non solliciti: quomodo & nos Christiani panem quotidianum in dies à Deo petere iubemur. *Aliter tentat Deus, aliter homo.*

Vers. 5. Die avtem sexto parent qvod inferant] putà die Veneris: die enim septimo, putà sabbato, iussit eos Deus quiescere; vnde in sabbato non pluit manna. Hinc colligit Origen. S. Ambros. in 1. Corinth. 10. August. serm. 251. de Tempore, & Synodus Cæsareensis, quam refert Beda epist. de celebr. paschæ, diem, quo primò pluit manna, fuisse Dominicum: ab hoc enim dies sexta est parasceue, siue dies Veneris; sex ergo integris diebus continuò pluebat manna, scilicet incipiendo à die Dominico vsque ad feriam sextam inclusiuè. Quò mysticè & tacitè significatum est diem Dominicum à Christo & Christianis præferendum esse sabbato, ac die Dominico panem cælestem in Eucharistia, Deique gratiam ad fideles descensuram. *Manna primùm pluit die Dominica.*

Nota τὸ *parent quod inferant*. q.d. Die Veneris condant partem mannæ in tabernaculis suis qua vescantur sequenti die sabbati: sabbato enim à labore colligendi, molendi & coquendi manna cessandum est. Vnde & feria sexta dicta est parasceue à præparatione ciborum, quæ illo die fiebat pro sabbato. *Parasceue vnde dicta.*

Tropologicè, sex diebus vitæ nostræ cibaria comparanda sunt in septimum diem æternitatis. vt ijsdem in æterna quiete cælesti viuamus. ita Origen. Rupert. & Cyrill. lib. 4. in Ioan c. 51.

Vers. 6. & 7. Vespere scietis, qvod Dominvs edvxerit vos de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam Domini] quia vespere Deus dabit vobis coturnices, & manè manna, vti patet v. 12. & 13. per quod agnoscetis Dei gloriam, id est, gloriosam potentiam & prouidentiam.

Vers. 7. Avdivit enim mvrmvr vestrvm contra Dominvm] contra se. honoris causa repetit Moses nomen Domini, ponitque absolutum pro reciproco.

Nota hîc, quàm graue peccatum sit murmur populi contra magistratus; est enim contra Deum, qui eos constituit: hinc Deus alia peccata Hebræorum in desertò ferè dissimulauit, murmur autem penè semper ilicò puniuit. Vide S. Gregor. lib. 12. Regist. epist. 31. *Murmuris peccatum quantum.*

Vers. 9. Accedite coram Domino] accedite ad columnam nubis, qua se Dei præsentia vobis exhibet; necdum enim fabricatum erat tabernaculum (cui columna hæc postea incubuit) quod accessuri ad Dominum postea adire consueuerunt.

Nota. Tribus locis Mosi, & subinde Hebræis solitus est Deus loqui: Primò, in tabernaculo intra Sancta sanctorum, postquam illa fabricata sunt *Tribus locis Mosi loqui solet Deus.*

sunt, idque Mosi, vel Aaroni soli, vt patet Exodi 25.22.

Secundò, apud ostium tabernaculi iuxta altare holocaustorum, vt patet Exodi 29.42.

Tertiò, in columna nubis, vbicumque illa foret, vt patet psalm. 98.7. Exodi 33.9. ita Abulens. in Leuit. 1.1.

VERS. 10. RESPEXERVNT AD SOLITVDINEM] extra castra.

ET ECCE GLORIA DOMINI APPARVIT IN NVBE] Gloria hæc Domini erat splendor & augustū radiansque iubar, quo se quasi spectandā per angelum exhibebat maiestas diuina: splendor hic erat in nube, id est in columna nubis, quæ in medio castrorum quiescebat, sed iusta ex causa subinde motitabat se angelo impellente, vti fecit c. 14. 19. cùm se inter castra Hebræorum & Ægyptiorum interposuit. ita & hîc angelus in columna, quasi indignās manere cum populo ita murmurante, fugit extra castra ad solitudinem, eoque ad se euocauit & abduxit Mosen, ibique cum eo collocutus est, dicens, *Audiui murmurationes filiorum Israel*, &c. Fecit hoc Deus, vel potiùs angelus vice Dei, vt populum murmurātem terrore & fulgore sui numinis compesceret; vtque eum induceret ad Mosi credendum & parendum, vtpote quem cum Dei maiestate colloquentem, ab eaque edoceri & instrui cernebant. ita Lyran. Abulens. & alij.

VERS. 11. LOCVTVS EST AVTEM DOMINVS AD MOYSEN] solum. nam Aarone populum alloquente, solus Moses Dominum oraturus (ab eo tacitè euocatus) ad suum secretum extra castra, scilicet ad columnam nubis, se receperat.

VERS. 12. VESPERE COMEDETIS CARNES (coturnices) ET MANE SATVRABIMINI PANIBVS] manna. Alleg. significabatur hîc vespera, id est, obscuritas legis carnes animalium immolans, transitura manè in panem cælestem, id est Christum, qui lux & manna est mundi. ita Cyrillus lib. 3. in Ioannem c. 34. & Rupert.

Vespera mystica quæ

Secundò, vt Orig. & S. August. q. 60. significabatur, quòd ad vesperam mundi Verbum caro fieret, moreretur, & sepeliretur ex infirmitate: manè verò resurgeret ex virtute, suisque appareret discipulis cum eis vescens, eosque pascens.

VERS. 13. FACTVM EST ERGO VESPERE, ET ASCENDENS COTVRNIX OPERVIT CASTRA] *Ascendens*, id est veniens & aduolans, *coturnix*, id est, coturnicum turba, idque flante vento, vt dicitur psal. 77. & v. 26. & 27. qui & eas deijciebat, vt caderent in medio castrorum, vt patet v. 28. psalmi 77. Hæc coturnicum missio non durauit, vti manna, per 40. annos (vt dicitur v. 35) sed tantùm hoc vno vespere contigit, quo tamen in plures dies coturnices colligere & asseruare poterant Hebræi. Post hanc ergo vesperam sequentibus diebus, nullæ coturnices ad castra Hebræorum aduolarunt.

Nota. Bis dedit Deus coturnices Hebræis, primò hîc: secundò Num. 11. v. 31. ad Sepulchra concupiscentiæ.

MANE QVOQVE ROS IACVIT PER CIRCVITVM CASTRORVM] Hebr. est, *manè fuit cubatio*, aut *stratum roris*. q. d. Manè tota planicies strata fuit & cooperta rore, ita vt ros illi quasi lecto incubaret. Ros hic erat manna, quod ros dicitur, quia rori & crystallinæ guttæ in coriandri seminis formam conglobatæ erat simile. ita Nyssen. Philo, Ioseph. Neque enim manna simile erat humori rorulento & liquido, sed coagulo & conglaciato; vnde v. 14.

A in similitudinem pruinæ fuisse dicitur. erat ergo manna simile rori concreto, id est, granis grandinis, vel pruinæ, quæ frigore nocturno densante & diuidente in paruula grana formatur: sic & nostrum manna (licet ab hoc cælesti longè diuersum sit) quod multis in locis hodie in folijs virgultorum coalescit, & à medicis studiosè colligitur, atque à Galeno drosomeli & aëromeli, id est, mel roscidum & aëreum dicitur (quod non est aliud, quàm halitus aquæ terræque, solis calore exactè attenuatus & coctus, ac frigore secutæ noctis in vnum coactus densatusque;) antequam sole calente liquescat, speciem habet pruinæ.

Manna nostrū, quid?

Aliter, scilicet propriè, rorem hîc accipiunt Hebræi, Lyran. Vatablus, Oleaster, & Caietan. putant enim ipsi rorem simul descendisse cum manna, qui manna operiret, cumque manè ros ad radios solis euanesceret, detegebat, & solum relinquebat manna colligendum ab Hebræis: manna ergo tam supernè quàm infernè rore, quasi theca erat inclusum. Quam rem Iudæi adhuc hodie mensæ suæ quodam indicio repræsentant, ponentes scilicet panem inter duo mensalia. Huic sententiæ fauet versio Chaldæi & Vatabli, qui vertunt, *fuit operimentum roris, cumque ascendisset*, id est, à sole absumptus fuisset & disparuisset (&, vt Septuag. κατα παυομένης, id est, cùm quieuisset, hoc est, cessasset, inquiunt aliqui) *ros, ecce in superficie deserti minutum quiddam & orbiculare apparebat.*

An ros cum manna descenderit, illudque texerit

Affirmant Hebræi.

B

Ex hac sententia, quæ probabilis est, pulchram licet colligere allegoriam de Eucharistia: sicut enim ros hic tegebat manna, ita species panis tegunt corpus Christi: & sicut rore euanescente apparebat manna, ita speciebus panis in Eucharistia per fidem abstractis, mens fidelis ascendit ad videndum & gustandum ipsum corpus Christi.

Pulchra alleg. roris in Eucharistia.

C

Verùm huic sententiæ repugnare videtur nostra versio v. sequenti, vbi planè hunc rorem explicat, dicitque fuisse ipsum māna: nam Hebræum ותעל vattaal, id est, ascendebat, quod alij interpretantur, In vaporem euanescebat ad radios solis; Noster interpres vertit, *cumque operuisset superficiem terræ* ascendebat enim operiendo terram. similiter enim modo paulò antè dixit ascendisse coturnices & cooperuisse castra.

Negāt alij, & veriùs. Resp. primò

Secundò, sole calente liquescebat & euanescebat manna, vti euanescere solet ros: vnde ante solem primo mane manna colligere debebant Hebræi. ergo non videtur verum, quod Hebræi dicunt, solem calentem absumpsisse rorem; & intactum reliquisse manna.

Secundò.

D

Tertiò, ad quid hic ros texisset manna? manna enim in se mūdum erat, nec supernè à pluuia, niue & grādine (vtpote Deo illa continente & auertente) inquinari poterat: longè ergo verius est, rorem hunc non fuisse quid aliud à manna. ita Abulens.

Tertiò.

Dices, Num. 11.9 dicitur: *Cùm descenderet noctu super castra ros, descendebat pariter & manna.*

Respondeo, rorem ibi pro pruina sumi, quæ non operiebat manna, sed illi substernebatur, ne manna terræ tactu fœdaretur: vnde Hebræa, Chald. & Septuag. habent, *descendebat & man super eum*, scilicet rorem, putà concretum, id est pruinam iam dictam.

Notat Abulens. quòd verisimiliter sic Deus depluebat manna, primò mittebat ventum, qui purgaret ab aquis, vaporibus, & similibus rebus superficiem,

ficiem terræ, ita vt nullæ in eo aquæ aut ſordes A manerent, quæ manna maculare poſſent. deinde depluebat pruinam gelidam, & in granula formatam. denique ſuper pruinam depluebat ipſum manna, vt patet Num. 11. 9.

Mãna cubabat in pruina quaſi in linteamine.

Terra ergo erat quaſi lectus, pruina ſiue ros cõglaciatus erat quaſi linteamen mundum, cui incubabat manna. Vnde in Hebræo manna hîc & Numer. 11. dicitur cubare in terra & in rore, ita vt pruina hæc ſiue ros infernè eſſet ipſi manna quaſi velamen, ſicut ſpecies panis in Euchariſtia ſunt velamen corporis Chriſti.

VERS. 14. APPARVIT IN SOLITVDINE MINVTVM] Hinc patet, manna non pluiſſe in caſtris Hebræorum, quia illa ſordida erant; ſed extra caſtra in deſerto, ſiue in agro, vt dicitur v. 25. Vnde v. 27. dicuntur Hebræi caſtris egreſſi, vt illud inuenirent, & B colligerent in deſerto.

MINVTVM, ET QVASI PILO TVSVM, IN SIMILITVDINEM PRVINÆ SVPER TERRAM] Non quaſi manna, cùm è cælo deſcenderet, pilo tuſum, & in pulueres aut farinam redactum eſſet, hoc enim poſtmodum faciebant Hebræi, terentes illud in mortario aut mola, cùm ex eo tortas facerent, vt patet Numer. 11. verſ. 8. ſed *quaſi pilo tuſum*, id eſt, quaſi pili tunſione decorticatum, & folliculis ſuis exutum. quaſi dicat, Manna erat album inſtar tritici, cui vel pilo, vel mola cortex eſt ablatus: ſemper enim colore albo Scriptura commendat manna. Vnde Numer. 11. 7. dicitur fuiſſe coloris bdellij. Hinc & Septuag. pro *pilo tuſum* vertunt, λευκὸν, id eſt album, & Chald. vertit, *quaſi decorticatum*, & hoc Hebræo מְחֻסְפָּס *mechuſpas*, C conſonat. Licet enim nuſquam alibi hæc vox reperiatur, tamen quia quadriliteram radicem habet, hinc de more ad triliteram reducenda eſt, ſcilicet ad חָשַׂף *chaſaph*, id eſt, denudare, decorticare; vnde mirum eſt recentiores *mechuſpas* vertere, rotundum, quaſi cæcè diuinare malint, quàm S. Hieron. Septuag. & Chald. aliiſque veteribus & doctiſſimis Hebræis aſſentiri.

Porrò Numer. 11. manna in colore dicitur fuiſſe ſimile bdellio. bdellium porro eſt genus gũmi, ſiue lacrymæ pellucidæ. Vnde LXX. ibi vertunt, *ſimile cryſtallo*, q. d. Mãna erat albicans vt cryſtallus.

Candidum manna ſignificabat candidas ſpecies, & candidum corpus Chriſti in Euchariſtia.

Hebræum בְּדֹלַח *bedolach*, id eſt bdellium; Pagninus, margaritam; alij, onychen vertunt: quaſi manna colore fuerit ſimile margaritæ, vel onychi, id eſt, colore vnguis. tale enim eſt bdellium, præſertim Bactrianum, quod inter omnia eſt laudatiſſimum. auctor eſt Plinius libr. 12. c. 9. & Dioſco- D rid. lib. 1. cap. 69. Candidum ergo manna ſignificabat Euchariſtiam, in qua ſpecies panis albæ candidum & immaculatum corpus Chriſti repræſentant, & reipſa exhibent.

VERS. 15. *Man ſiue manna quid? Prima ſententia.*

DIXERVNT AD INVICEM, MANHV? QVOD SIGNIFICAT, QVID EST HOC?] Hinc hebraicè vocatum eſt *man*, & chaldaicè *manna*. Hebræum *man* Vatablus vertit, *donum*. Cùm enim, inquit, Hebræi proprium illi nomen indere non poſſent, genericum *man*, id eſt donum, illi indiderunt, quaſi dicãt *man hu*, id eſt, hoc ingens & cæleſte eſt donum, nobis à Deo promiſſum v. 4.

Secunda.

Secundò, Oleaſter *man* vertit, numeroſum: radix enim מָנָה *mana* ſignificat numerare, vnde *mane, tekel, phares*, Daniel. 5. v. 25. magno enim numero & copia, inſtar niuis depluebat manna.

Tertia.

Longiùs abit & aberrat Caluinus, qui *man* vertit, paratum; & Aben Eſra, qui *man* vult eſſe vocem, non Hebræam ſed Arabicam; non enim ab Arabibus; ſed ab Hebræis hîc in deſerto vocatum eſt *man*.

Quarta & genuina. man hu, id eſt, quid eſt hoc?

Verùm Septuag. Chald. & Noſter, Philo, Ioſephus, Origenes, Theodoretus, Cyrillus libr. 3. in Ioannem cap. 34. & paſſim tam veteres quàm recentiores τὸ *man hu*, optimè & genuinè vertunt, *quid eſt hoc?* nam res tam inſolita in Hebræis ciebat admirationem, vt rogarent, Quid eſt hoc? idque ſequentia indicant, *Ignorabant enim quid eſſet*, vbi pro, *quid eſſet*, in Hebræo eſt מַה הוּא *ma hu*: vnde factum eſt *man hu*, addito *nun* paragogico. Similis paragoge litteræ *lamed* in eodem *ma* interrogatiuo, eſt Iſaiæ cap. 3. v. 15. מַלָּכֶם *mallachem*, quid eſt vobis? paragoge verò *nun* eſt vſitatior; *nun* enim paſſim nominibus Hebræis additur, vt patet in *corban, iſchon ſculchan, nechuſtan*. Denique Chaldæi pro *ma* dicunt *man*, id eſt, quis, quæ, quid, vt patet Daniel. 3. & 4. Sic etiam Hebræi euphoniæ cauſa pro *ma* vſurpant *man*, vt patet pſalm. 60. v. 8. Idem conuincit reſponſio Moſis. Moſes enim Hebræis interrogantibus *man hu*, id eſt, *quid eſt hoc?* reſpondet: *Iſte eſt panis quem Dominus vobis dedit ad veſcendum.*

COLLIGAT VNVSQVISQVE EX EO] *Vnuſquiſque*, qui ſcilicet pane & ſolido cibo veſcitur: neque enim lactentes & vbera ſugentes comedebant manna. ita Caiet. VERS. 16.

Gomor quid?

GOMOR PER SINGVLA CAPITA] *Gomor* eſt chœnix, putà menſura, quæ per diem cuique, ad victum ſufficit; vnde dicitur *gomor*, quaſi עֹמֶר *gomer*, id eſt manipulus, putà victus diurni, inquit Arias Montanus: vel, vt Vilalpando in Appar. templi par. 2. lib. 3. c. 12. *gomor* idem eſt quod vſualis, à rad. עָמַר *amar*, id eſt vti alicuius miniſterio, eò quòd per quadraginta annos in deſerto, hæc menſura gomor maximè fuerit in vſu, ad metiendum manna. Erat gomor decima pars ephi (vt dicitur v. 36.) vel epha, id eſt, trium modiorũ: ephi autem erat decima pars cori, ſiue homer (homer aliud eſt à gomor; gomor enim per *ain*, homer per *chet*, ſcribitur) vt patet Ezech. 45. 11. corus autem, ſiue homer continebat 30. modios: ita enim Noſter interpres vertit Leuit. 27. 16. & alibi. Sic & Septuag. qui Ezech. 45. pro *homer* vertunt, ſex artabas: artaba autem, teſte Galeno lib. de Menſuris, capit modios, id eſt, menſuras Italicas 5. ſex ergo artabæ ſunt 30. modij.

Nota hîc obiter. Tres amphoræ, tres modij, tres menſuræ, tria ſata, vnus batus, vnum ephi, hæc omnia vnum & idem ſunt, inquit Lipomanus.

Gomor cõtinet 63. vncias, iuxta Ioſephum.

Ioſephus gomor vocat aſſaronem, id eſt, decimam, ita vt hæc tria, ſcilicet gomor, aſſaron & decima idem ſint. Aſſaron autem, vt Ioſephus ait lib. 3. Antiqu. 7. ſeptem continebat cotylas: cotyla verò 9 continebat vncias apud Atticos, inquit Thucydides apud Athen. libro 11. quo computu gomor fuiſſet menſura continens 63. vncias, id eſt, quinque libras & tres vncias: ſed in fine libri in tract. de menſuris oſtendam, gomor cõtinuiſſe 8. libras, ſiue 96. vncias. Quæ ſanè ingens erat portio, & cuique quantumuis auaro & edaci ſtomacho, etiam priſco illo & valido ſæculo, ſufficiens ad victum diurnum. Verùm, vt notat Vilalpando,

do, manna leuioris erat ſubſtantiæ, ſed latioris magnitudinis, quàm ſit frumentum: vnde ipſe gomor manna plenum cenſet tantum panis præſtitiſſe, quantum plenus frumento cabus: cabus autem continebat 4. ſextarios. de quibus in fine libri. Sic ergo gomor manna erant 4. circiter libræ. A

Sex præcepta & ſex miracula in manna.

Nota Deus hîc de manna ſex dat præcepta, totidem & aſſignat miracula.

Primum præceptum: ſinguli colligant gomor.

Primum præceptum eſt hoc verſu, quo iubet vt Hebræi in ſingula capita colligant ex manna ſingulis diebus menſuram gomor, id eſt tantum, quantum veriſimiliter putant ſufficere ad gomor complendum: vnde alij alijs plus collegerunt, opinantes necdum ſe gomor collegiſſe: alij minus collegerunt, putantes ſe gomor collegiſſe, cùm necdum illud integrum collegiſſent.

B Aliqui putant (quod etiam probabile eſſe cenſet Abulenſ.) id quod hîc dicitur, de colligendo gomor pro ſingulis, non eſſe præceptum datum Hebræis, ſed ordinationem circa ipſum manna, vt ſcilicet ſinguli ex eo quotidie haberent, & cōcederent vnum gomor: putant enim ipſi Hebræos, prout erant edaciores, vel minùs edaces, plus vel minus collegiſſe ex manna, v.g. cui ſufficiebat medium gomor, colligebat medium gomor; qui indigebat vno, vel duobus gomor, colligebat vnum vel duo: ſed cùm quiſque poſtea id quod collegerat menſuraret; omnes inueniebant vnum tantùm gomor, quia illis qui minus collegerant, Deus id quod collegerant, rareſaciebat & eleuabat, vt impleret gomor; ijs verò, qui plus quàm gomor collegerant, condenſabat & conſtipabat, vt gomor non excederet.

C Hæc ſententia quoad poſteriorem ſui partem de rarefactione & condenſatione manna ex parte vera eſt, vti mox dicam: ſed priori eius parti, quòd ſcilicet aliqui ſtudio colligerent medium tantùm gomor, alij duo gomor, videntur aduerſari verba Script. hoc verſ. *Colligat*, inquit, *vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita.* Vbi τὸ *colligat*, eſt præcipientis, pertinetque ad *gomor*: præcipit ergo colligi pro quolibet gomor, non plus vel minus. Vnde ſubdit *ſic tolletis*, ſcilicet gomor in ſingula capita. Ergo quiſq; tantum colligere debebat quotidie, quantum ſufficere putabat ad gomor implendum: die ſexto verò pro eo, & pro ſabbato, colligenda erāt duo gomor in ſingulos homines, vt dicitur v. 5. & 22. *Et menſi ſunt ad menſuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus.* Putant Dion. Carthuſ & Emmanuel Sa ex Hebræis conſtitutos fuiſſe præfectos, qui collectum à quolibet manna metirentur, & cuique ex eo admetirentur gomor, ita vt ei, qui plus collegerat quàm gomor, illud plus adimerēt, darentq; ei, qui minus quàm gomor collegerat. Verùm hoc parum eſt probabile: nulla enim præfectorum hîc fit mentio: illique ſuum hoc munus obeundo, Hebræis, præſertim tenacioribus, adimendo partem ſuæ collectæ, magnam murmuris & iurgiorum cauſam dediſſent. Deinde Script. diſertè ait eum, qui minus parauerat, non reperiſſe minus; quaſi occultè, aut caſu, non autem à iudicibus & præfectis datum ſit illi aliquod additamentum: aliàs enim dixiſſet, Ei, qui minus parauerat, præfecti ſuppleuerunt & compleuerunt ſuum gomor.

Cēſent aliqui, præfectos diſtribuiſſe cuiq; gomor ex manna. Refellũtur.

D

Primum miraculū: omnes ex manna colligebant gomor, angelo vel addēte vel demente reſiduū.

Dico ergo, hoc eſſe primum, illudque ingens miraculum in manna, nimirum quòd & tanta copia quotidie deplueret, quæ tribus hominum millionibus alendis ſufficeret, & quòd ſinguli domum venientes, cùm manna à ſe collectum metirentur, ſiue plus, ſiue minus collegiſſent, omnes tamen vnum idemque gomor reperirent: angelo ſcilicet inuiſibiliter addente, ſi minus, quàm gomor; demente, ſi amplius collegiſſent. hoc enim exigunt expreſſa hîc & diſerta Script. verba, & S. Paulus 2. Corinth 8. citans hæc ex Septuag. *Vt fiat æqualitas*, inquit, *ſicut ſcriptum eſt, Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit.*

Eadem mēſura cibi, ſcilicet gomor, erat viris & paruulis.

Hinc ſequitur, omnes tunc quotidie ex manna comediſſe vnum gomor, ac conſequenter vnam eamdemque cibi menſuram, ſcilicet gomor, tunc fuiſſe paruulis, viris, feminis, robuſtis, ſenibus, omnibuſq; Hebræis: Deus enim cuique in ſtomacho & corpore ita cōcoquebat & diſpertiebat ſuum manna, ſuumque gomor, vt illud attemperaret vi nutritiuæ & nutritioni, ac viribus cuiuſque, vt æqualiter omnes ſatiaret; atque ex altera parte ſuppleret, ſi quid calori naturali, ac vi nutritiuæ cuiuſpiam deerat ad conſumendum gomor, aut certè efficeret, vt manna in debili ſtomacho eſſet leuis & facilis digeſtionis, in ſtomacho verò valentiore eſſet validius: ſic enim, vt poſtea videbimus, manna cuique ſuum variabat ſaporem: quiſque enim ſapiebat in manna id, quod volebat. Pari ergo modo videtur feciſſe Deus, vt manna ſtomacho valenti ſaperet & ageret vt caro robuſta porcina, bouina, &c. in debili verò ſaperet & ageret vt caro vitulina, agnina, vel vt caro piſcium, vt oua, vt lac, &c. ita Nyſſen. Lyran. Abulenſ. Oleaſter, Caietan. Vatabl. & S. Chryſoſt. Theophyl. Anſelm. in 2. Cor. 8. 15. Quin & Hebræi, teſte Genebr. in pſal. 77. 29. tradunt manna fuiſſe cibum corporeum, qui in ipſis membris digerebatur. (nedum in ſtomacho) vnde non onerabat ſtomachum grauedine, nec caput fumis, non creabat excrementa, eratque facilis digeſtionis, ideoque erat typus cibi iuſtorum in futuro ſæculo.

Manna pro ſtomacho cuiuſq; erat leuius aut validius.

Manna qualis cibus?

Angelus cōdenſabat & rarefaciebat manna.

Crediderim tamen angelū in edacioribus condenſaſſe ac conſtipaſſe manna in gomor; in ſenibus verò paruulis & debilibus illud rarefeciſſe & extendiſſe: ita vt gomor horū minus haberet ex manna, illorū verò haberet amplius; itaque angelum cuiuſq; ſtomacho & viribus menſuram hanc gomor accommodaſſe & attemperaſſe. hoc enim magis naturale eſt: Deus autem parcit miraculis, vtiturque natura, cùm ea ſufficit. atque hoc videtur eſſe, quod ſubdit hîc Moſes:

SINGVLI IVXTA ID, QVOD EDERE POTERANT, CONGREGAVERVNT] q.d. Quiſque pro ſua edacitate maius, vel minus æſtimabat eſſe ſuum gomor, ideoque magis vel minus colligebat: ſed cùm poſtmodum id, quod collegerant, metirentur, ſinguli inueniebant vnum gomor, quod ſingulis ſufficiebat; ita tamen, vt angelus in his condenſaret, in illis rarefaceret manna; quin & in ijs, qui nimis multum collegerant, occultè ſubtraheret; in alijs, qui nimis parum collegerant, adderet partem manna. Rarefactio enim ſola poterat quidem implere gomor, ſed non ventrem, ſi is plus cibi caperet & appeteret. Vt ergo quantitas mannæ cuiuſque ſtomacho commenſuraretur, opus VERS. 18.

erat subinde, vt angelus ex ea vel demeret aliquid, si quis nimis multum; vel adderet aliquid, si quis nimis parum collegisses.

Causa, cur Deus singulis præscripserit idem gomor. Prima. Secunda. Tertia.

Porrò causa, cur Deus singulis præscripserit idem gomor, fuit Primò, vt auaritiam, gulam, nimiamque cibi rerum terrenarum curam hac ratione compesceret, ait S. Chrysost. & Theoph. in 2. Cor. 8. Secundò, vt doceret, quantum bonum in communitate sit æqualitas, putà æqualis cibus, vestitus, labor, onus, &c. Tertiò, testari hoc continuo miraculo voluit Deus, suam cuique sufficiẽtem victus mẽsuram à Domino paratam esse, etiamsi ex laboribus suis minus consequi posse videatur: vt, cùm assidemus mensæ, cogitemus Deũ nobis pluere manna è cælo: sic enim & hodie non diuitibus modò, sed & pauperibus, ægris etiam & debilibus, insuperque multa prole oneratis quotidianam tamen annonam, quæ satis sit vitæ omnium tuendæ, Deus suppeditat, quæ res consideranti mirabilis & incredibilis videtur, si censum & lucrum exiguum, quod faciunt, cum sumptu tanto, expensis tot capitum familiæ conferat; vt vel ex hoc solo experimento colligere liceat suauem & miram Dei in omnes prouidentiam. vnde S. Chrysost. hom. 40. in 1. ad Cor. *Auarus*, inquit, *diues à paupere tantùm differt, curis, neglectu Dei, corporis inquinatione, & animi perditione: nam ventrem vterque æquè satiant*. Plura de hoc versu dixi 2. Corinth. 8. 15.

Cùm assidemus mẽsæ, cogitemus tibi Deũ pluere mãna.

Mira Dei prouidentia in alendis pauperibus.

Alleg. idem gomor est idẽ Christus in Euchar.

Allegorica causa fuit, vt idem gomor significaret eumdem Christum, quem totum, quantus quantus est, omnes comedimus in Eucharistia.

Anag. idem gomor est eadẽ deitas qua Beatos satiat.

Anagog. idem gomor significat eamdem deitatem, qua in solidum pascemur & fruemur singuli in cælo, sed alij plus, alij minus saporis, dulcedinis gratiæ & gloriæ ex ea haurient, sicuti ex eodem manna tunc, & ex eodem cibo nunc alij plus, v. g. pueri & iuuenes; alij minùs, vti senes & debiles, nutriuntur & reficiuntur.

VERS. 19. *Secundum præceptum: manna non seruetur in crastinum. Secundum miraculũ: manna seruatum scatuit vermibus.*

NVLLVS RELINQVAT EX EO IN MANE] Est hoc secundum præceptum, ad incredulam auaritiam cohibendam eorum qui contra Dei voluntatem & iussum, de crastino sibi prouidere volebant: vnde & posteà puniti sunt. cœpit enim mãna seruatum in sequentem diem scatere vermibus. Atque in hac vindicta fuit pariter secundum miraculum: neque enim hanc fuisse naturam manna, vt postridie putresceret, quis dixerit, cùm sabbato illæsum seruaretur id quod pridie collectum erat: sanè nullum est granum aut farina, quæ tam citò putrescat. ita Theodor.

VERS. 21. *Tertium præceptum: colligatur manna manè.*

COLLIGEBANT AVTEM MANÈ SINGVLI] Innuitur hîc tertium præceptum, vt scilicet quisq; manè antequam sol incalesceret, colligeret manna; quia sole calente liquescebat: idque vt discerent Hebræi, non stertere, sed manè surgere ad orandum Deum, & ad parandum sibi victum. hoc est enim quod ait Sapiens, loquens de manna ad solem liquescente cap. 16. 28. *Vt notum omnibus esset quoniam oportet præuenire solem, ad benedictionem illam* (ad te benedicendum & laudandum) *& ad ortum lucis te adorare.*

Tertium miraculũ: manna sole calente liquescebat. cur?

CVMQVE INCALVISSET SOL, LIQVEFIEBAT] Est hoc tertium pariter miraculum, quòd scilicet id, quod ex mãna manebat in agro, inquit Chald. liquescebat, cùm sol incalesceret, id est, magis calefaceret, (per hebraismum enim *cal* ponitur pro *biphil*, scilicet verbum neutrum, vel passiuum

A pro actiuo;) cùm tamen idem manna collectum iam, ita durum esset domi, vt pilo & mola tunderetur, & igne non liquesceret, sed in tortulam formaretur, vt patet Num. 11. v. 8. Simile dat Caiet. in ouo: *Sicut enim ouum*, inquit, *quamdiu est in gallina, tenerum habet corticem, qui statim genito ouo exsiccatur, & fit durus: ita grana illa manna in loco, in quo formata erant, obnoxia erant liquefactioni; segregata autem durescebant adeò, vt non essent ampliùs liquescentis natura: ita quòd sicuti sustinebant postea ignem, sustinuissent etiam solem, si fuissent iterum exposita soli.*

Voluit Deus liquescere manna in agro, ne cælestis ille cibus manens in terra putresceret aut calcaretur, itaque dehonestaretur & vilipenderetur. Rursum aliam causam dat Sapiens c. 16 27.

B *Quod*, inquit, *ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem, ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

Huic manna Hebræorum simile est mãna Polonicum, quod in Polonia (Polonis omnibus attestantibus) mense Iunio & Iulio noctu depluit, herbisq; instar roris incũbit. Hoc enim ante solis radios cribro colligunt, excutiunt, tundunt, aqua miscent, pultesque conficiunt, vti fiunt pultes ex farina panici, vel tritici. Si enim sol incalescat, folliculum dissoluit, itaque granum manna eo inclusum in terrã decidit & deperditur. quod sanè nouum est & memorabile. Vidi ego grana, suntque instar milij, sed longiora & rubicunda: pultesque inde confectas gustaui. sapor est, qualis est pultis ex panico. Verùm in eo manna hoc

Polonicum manna prodigiosum.

C à manna Hebræorum differt, quòd istud non omnino ad solem liquescat, sed tantùm soluatur, vt granum vel semen in eo inclusum, quod durum est instar milij, decidat; mãna verò Hebræorum totum ad solem liquescebat, & euanescebat. Adde, manna Polonicum folliculo includitur, Hebræorum verò erat sine folliculo quasi pilo tusum, vt dicitur v. 14.

IN DIE AVTEM SEXTA COLLEGERVNT CIBOS DVPLICES] Est hoc quartum præceptum latum v. 5. vt feria sexta duplum colligant manna, scilicet gomor vnum pro feria sexta, & alterum pro sabbato, idque ad quietem & religionem sabbati commendandam. VERS. 22.

Quartum præceptum: feria sexta colligatur duplum manna.

Quartum pariter fuit hoc miraculum, quòd scilicet feria 6. deplueret duplũ manna, quasi duplum annonæ, quodque à collectione manna do-

Quartum miraculũ: feria sexta duplũ manna depluebat.

D mum rediens quisque æqualiter duo gomor apud se inueniret.

ET NARRAVERVNT MOYSI] se die 6. collegisse duplum manna, idque ad hoc, vt audirent & intelligerent, quorsum hoc eis fuisset iussum: nec enim huc vsque declarauerat Deus, se ob sabbati religionem id præscripsisse.

REQVIES SABBATI SANCTIFICATA EST DOMINO CRAS] q. d. Cras est sabbatum sanctum, & dicatum cultui Domini: vnde tunc ab omni opere quiescendum, Deoque vacandum est, ideoque iussi die sexta vos colligere & parare manna in sabbatum. VERS. 23.

Hîc primò videtur sabbati cognitio & religio renouata & restituta: vnde & Philo asserit Hebræos, ignoratum à suis maioribus mundi natalem, quo hoc vniuersum absolutũ est, didicisse hoc miraculo, quo scilicet pridie sabbati depluebat duplum

Sabbati restitutio in manna.

duplum manna, durabatque in biduum, contrà ac fiebat cæteris diebus.

Renouata dico: nam sabbatum ab initio mundi institutum & cultum fuisse ostendi Genes. 2. 3. Ab origine ergo mundi institutum fuit festum & cultus sabbati: sed illud in Ægyptia seruitute & idololatria Hebræorum planè fuit obliteratum; vnde hîc à Deo reuocatur & restituitur.

QVIDQVID RELIQVVM FVERIT, REPONITE VSQVE IN MANE] Scilicet vnum gomor seruate in sequens manè sabbati, putà, seruate panem vnius gomor, quem die sexta ex manna tuso & cocto confecistis: neque enim in sabbato manna tundere aut coquere licebat; poterant tamen integrum & incoctum māna seruare & comedere sabbato, si vellent, vti comeduntur grana sacchari. docet hoc contra Eugubinum Lorinus noster in c. 16. Sapientiæ.

VERS. 31. APPELLAVITQVE DOMVS ISRAEL NOMEN EIVS MAN, QVOD ERAT QVASI SEMEN CORIANDRI, ALBVM, GVSTVSQVE EIVS QVASI SIMILAE CVM MELLE] Semen coriandri non est album, sed nigrum: ergo τὸ *album*, non ad coriandrum referendum est, sed seorsum per se sumi debet.

Figura, color & sapor māna. Tria enim de manna hîc dicuntur, Primò, quòd quantitate & figura fuerit simile coriandro; quia scilicet minutum & rotundum erat granum instar coriandri. ita Iosephus. Secundò, quòd colore esset lucidum & album. Tertiò, quòd sapore esset melleum, saperetque vt simila mellita aut oleata.

GVSTVSQVE EIVS, QVASI SIMILÆ CVM MELLE] Erat ergo manna simile granis sacchari, tum quoad colorem, tum quoad saporē, tum quoad figuram. Hic sapor ipsi manna erat quasi congenitus & naturalis, itaque sapiebat, si comedens nullam alium cibum vel saporem desideraret: si enim ipse aliud quid desideraret, mox id sapiebat in māna. Manna enim Dei dono & magno miraculo, omnem saporis suauitatem cuique exhibebat: hoc est enim, quod dicitur Sap. 16. 20. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suauitatem. Substantiam enim tuam* (sc. manna, quo sustentasti Hebræos) *& dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Vndè & c. 19. 20. Sapiens in Græco manna vocat ambrosiam, quæ quasi delicatissima, fingitur à poëtis deorum esse cibus. Aliqui putant id tantùm viris pijs & iustis datū fuisse tamquam priuilegium, vt scilicet manna saperet id, quod ipsi volebāt. quòd enim impijs & iniustis id non acciderit, sed ijs sapuerit manna tantùm, vt panis mellitus, vel oleatus; probatur ex eo, quòd alioqui ipsi postmodum non murmurassent contra manna, nec petijssent carnes, porros & pepones, Num. 11. 4. si hæc omnia gustassent in ipso manna. ita docet S. August. l. 2. Retract. c. 19. Abulens. Lipom. & alij.

Manna sapiebat cuiq; id quod volebat.

Māna erat ambrosia.

An solis iustis manna sapiebat id quod volebant? Affirmat S. August.

Negant alij, & veriùs. Verùm, quia Script. nullam hîc facit distinctionem piorum & impiorum, sed absolutè asserit manna exhibuisse cuiq; saporem, quem volebat; & quia cætera Dei beneficia, putà columna, coturnices, aqua ex petra, &c. in deserto tam impijs, quàm pijs erant communia; & quia per hunc saporem Deus volebat tam impios, quàm pios auocare ab ollis Ægypti; hoc est enim quod subdit

A Sapiens, *Vt scirent filij tui* (populus tuus) *quos dilexisti, Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conseruat:* hinc verius videtur, māna omnibus tam impijs, quàm pijs sapuisse id, quod quisque sapere volebat. ita docent Hebræi, S. Chrysost. Nazianzen. & alij, quos citat & sequitur Lorinus in Sap. 16. v. 21.

Dices, Cur ergo nausearunt Hebræi super māna Num. 11? Respondet Lorinus, nauseam hanc & murmur prouenisse, non ex nimia dulcedine manna, non etiam ex tædio vnius eiusdemq; per 40. annos cibi, sed ex eo, quòd color, odor, forma, tenuitas, & similes aliæ qualitates eædem semper perseuerabant in manna, quarum qualitatum iucunda quædam diuersitas allicit magis gustatū: sic enim pueri, alijque gulosi non tantùm ventrem, sed & nates, & oculos, & manus cibis implere satagunt: & hoc est, quod aiunt murmurantes, *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man.* Petebant ergo varietatem & soliditatem ciborum aliorum. Addunt aliqui, manna non tantùm saporem, sed & substantiam ad votum comedentium mutasse: ita vt si quis vellet comedere ouum, gallinam, saccharum, manna mox verteretur vel in ouum, vel in gallinam, vel in saccharum, illudque putant significari illis verbis Sapientiæ 16. *Ad quod quisque volebat, conuertebatur*, græcè μετεκιρνᾶτο, id est, transtemperabatur, quasi in hoc, manna fuerit expressus typus transsubstātiationis panis in corpus Christi in Eucharistia. ita censent Gregor. de Valētia to. 4. disp. 6. q. 3. punct. 2. §. 4. Claudius de

Murmur ob manna vnde.

B

Māna mutasse substātiam ad votum comedētium, vt esset typus transsubstantiationis, censent aliqui.

C Sainctes de Euchar. repet. 7. c. 3. Thomas Bozius l. 13. de Notis Eccl. c. vlt. & Nicol. Villagagnon l. 3. contra Caluinum c. 52.

Refellitur. Verùm hæc sententia noua est, & solido caret fundamento. verba enim Scripturæ loquuntur non de substantiali, sed de accidentali saporis cōuersione; alioqui enim non murmurassent Iudæi ob manna, Num. 11. Atque hac parte manna fuit typus Eucharistiæ, non quoad transsubstantiationem, sed quoad accidentium remanentium vim & efficaciam: ostendit enim sapor manna, quo pacto possint accidentia panis & vini remanere & nutrire sine illorum substantia: itaque implicitè & consequenter sapor alius in manna typus quoque fuit transsubstantiationis. Sapor enim alius aliam substantiam comitari & indicare solet.

D Nota, Sapiens, vti & Dauid psal. 77. 25. manna vocat panem angelorum, non comedentium, sed producentium manna ex materia ad id in nubibus disposita. Vnde & *panem cæli*, id est nubium, vocant; quia manna in nubibus formabatur, & è nubibus depluebat. Rursum manna vocatur *panis angelorū*, id est, panis delicatissimus, ita vt si comederent angeli, non alio pane quàm manna vescerentur: sic linguæ angelorum, vocantur pulcherrimæ & elegantissimæ 1. Cor. 13. 1. Pro *angelorum* hebr. est אבירים *abbirim*, id est, fortium, siue robustorum, quod est epithetum angelorum, qui fortitudine & virtute præcellunt hominibus. Secundò, *fortium*, quia per manna validi & fortes fiebant, sicut Eucharistia confirmat corda nostra in vitam æternam, Iohan. 6.

Māna erat panis angelorum, quomodo?

Māna erat cibus fortium.

IMPLE GOMOR EX EO, ET CVSTODIATVR IN FVTVRAS RETRO GENERATIONES] Est hoc quintum VERS. 32.

præ-

Quintum præceptum: manna seruetur in monumentum. præceptum, quo iubet Deus seruari manna, in perpetuum diuinæ alimoniæ monumentum. Sic manna pluit Atrebati, quod etiamnum ibi asseruatur & ostentatur, vti ipse vidi. Hinc eorum rhythmus:

Atrebati manna, Romæ pluit vnctio sacra,
Ierusalem sanguis: hæc sunt tria dona salutis.

Quintum miraculū: Deus seruauit mānā tot sæculis. Quintum pariter est hîc miraculum, quòd scilicet, Deus tot sæculis manna hoc incorruptum seruarit.

VERS. 33. REPONE CORAM DOMINO] coram tabernaculo & arca, cùm illa ædificata fuerint. est ergo prolepsis: in Sancto enim sanctorum repositum fuit manna in vrna aurea, vti ait Apostolus Hebr. 9. 4.

VERS. 34. SICVT PRÆCEPIT DOMINVS MOYSI] putà mihi. est enallage personæ: loquitur enim Moses de se, quasi de alio in tertia persona.

POSVITQVE ILLVD AARON IN TABERNACVLO ASSERVANDVM] non iam primo hoc egressus ex Ægypto anno, sed multò pòst, fabrefacto tabernaculo: hoc ergo hîc per anticipationem ponitur, vt omnia quæ manna tangunt, simul iungantur. Rursum, posuit Moses manna in tabernaculo paruo, quod habebant Hebræi, antequam illud magnum & operosum iussu Dei construerent. tale enim tabernaculum eos iam tum habuisse, patebit cap. 33. v. 7. ita Lyranus & alij.

VERS. 35. *Sextū præceptum: colligatur māna quotidie per 40. annos.* FILII ISRAEL COMEDERVNT MAN QVADRAGINTA ANNIS] Sextum hîc innuitur præceptum colligendi manna in singulos dies & annos, idque continuò per 40. annos. Sextum item hîc exstat miraculum, quòd tam vere, quàm autumno, tam æstate, quàm hieme, singulis diebus per 40. continuos annos manna depluerit, donec Hebræi venerunt in Chanaan, ibique de frugibus terræ comederunt. *Sextū miraculum: quòd quotidie pluerit manna per 40. annos.* Angeli ergo manna quotidie in nubibus, è materia ad id dispositа naturaliter efformabant, quomodo in nubibus nix, grando, imò & lapides generantur, quomodo & generatur manna medicum, quod tamen ab hoc nostro longè differt & distat: nostrum enim fuit miraculosum, vt patet ex dictis. Quare quod Iosephus ait, suo tempore in eadem regione adhuc pluere manna, vel fabulosum est, vel de manna medico accipi debet.

An Hebræi in deserto alios cibos præter manna comederint, dicam Deuter. 2. 6.

Manna significabat Christum in Eucharistia, ob 14. analogias. Nota. Manna allegoricè significabat Christum in Venerabili Sacramento, vt patet Ioan. 6. v. 49. & 50. maximè verò manna significabat rem contentam, & effectum Sacramenti, vt fusè in citatū locū Ioannis docet S. Chrysost. Theophyl. & Cyril. Vnde & Apostolus 1. Cor. 10. ait: *Omnes eamdem escam spiritualem manducauerunt, & eumdem potum spiritualem biberūt.* quod de sacra cœna etiā Caluinus accipit, dicitque manna fuisse typum corporis Christi. ex quo rectè colligas, in Ven. Sacramento verè esse carnem Christi; siquidem manna rei verè existentis, non autem chimericæ fuerit symbolū. alioqui enim tam nos, quàm Iudæi escam spiritalem, id est carnem typicam & symbolicā, manducabimus, neque plus veritatis significatæ habebimus, quàm ipsi Iudæi, imò longè minus: manna enim sapidius erat nostro pane, & longè clariùs repræsentabat Christi corpus, quàm aridus panis. *Ex manna colligitur in Eucharistia non esse panē, sed corpus Christi.* Consequentiam hanc vtpote claram, quidam nuper ex nouo hoc grege Minister concessit: sed quis

A non videt id repugnare & S. Scripturæ, & rationi? lex enim noua præstantior est lege veteri; ergo Sacramenta noua præstant veteribus. vnde Apostolus ait, *Hæc in figura facta sunt nostri*: res autem figurata sua figura nobilior est, sicut corpus suâ vmbra, ac homo sua imagine nobilior est; ergo Sacramenta legis nouæ, & præsertim Eucharistia, quasi res figurata, nobilior esse debet Sacramentis legis veteris, ipsoque manna, quod tantùm typus fuit & figura Eucharistiæ nostræ. Rursum Ioannis 6. Christus disertissimè corpus suum in Eucharistia præfert ipsi māna v. 48. & 58. *Hic est,* inquit, *panis qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem* (scilicet diuinum, consecratum, & transsubstantiatum in corpus Christi) *viuet in*
B *æternum.* Quòd autem manna clariùs repræsentet Christi corpus, quàm panis, quis non videt? id enim multis ostendi potest.

Vnde Nota Secundò. Aptissimè congruit mānacum corpore Christi in Eucharistia, illudque pulcherrimè adumbrauit. *Analogia prima mānæ & Eucharistiæ.* Primò, idem est color specierum Eucharistiæ & manna. *Secunda.* Secundò, sapor dulcis vtriusque. Rursum sicut dulcedo in manna erat abscondita, ita & sub speciebus panis absconditur Christus. *Tertia.* Tertiò, nonnisi relictis ollis Ægyptiacis, & carnis voluptatibus inuenitur aut sapit vtrumque. *Quarta.* Quartò, infidelibus & auaris in vermem & iudicium vertitur vtrumque. *Quinta.* Quintò, māna non datum est nisi post transitum maris, Eucharistia non datur nisi post baptismum. *Sexta.* Sextò, post manna Hebræi cum Amalec pugnarūt, cùm antè solus pro eis Deus pugnasset contra Ægy-
C ptios; pugnarunt, inquam, & vicerunt: sic vitæ cælestis impedimenta & tentationes, quas non nisi solidioribus obijci patitur Deus, Eucharistiæ virtute superantur. Quare S. Bern. serm. de baptismo in cœna Domini habito, ait: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, &c. gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Et S. Cyrillus libr. 4. in Ioan. c. 17. *Eucharistia,* inquit, *sedat, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis simus considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu.* *Septimā.* Septimò, manna panis erat absque semine, abs-
D que aratione, aut alio humano opere, ab angelis factus: sic Christi corpus ex sola Virgine, & Spiritus sancti irroratione natum est. *Octaua.* Octauò, manna Hebræis omnem saporis varietatem dabat. Vnde Sapientiæ 16. dicitur de manna, *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habētem, & omnem saporis suauitatem:* ita & Christus paruulis est lac, infantibus olus, perfectis solidus cibus, ait Nyssenus. *Christus paruulis est lac, viris solidus est cibus.* Et S. Cyprianus tract. de cœna Domini, *Hic,* inquit, *panis omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsuperat dulcedinem voluptates. Vide, quomodo his qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quasdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur; quantam suauitatem anima inquirenti vbi*

sit

sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Vnde sequitur, inquit, *vt deinceps peccatorum pocula horreat, & omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum, radensq́; palatum acuta mordacitatis acetum.* Inde sequitur mentis iubilus & ebrietas, *vt Christum,* inquit, *ferat in pectore, ipsumq́; gerat in mente & omni tempore habitatori suo dicta & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Hac ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum. Cùm sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.* Chrysost. homil. 24. in 1. ad Corinth. *Hæc mensa,* inquit, *animæ nostræ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, spei, salus, lux, vita nostra.* Nonò, manna erat minutum: Christus parua hostia est circumscriptus. Decimò, manna pilo tusum fuit: Christus pilo crucis mortalitate exutus est. Vndecimò, fideles admirabundi *man hu!* quid hoc vt nobiscum sit Deus? exclamant. Duodecimò, omnes de manna æqualem mensuram, nimirum gomor vnum, colligebant: sic totum Christum æqualiter omnes recipiunt, etsi species, siue hostia maior sit, aut minor. Ita Rupertus. Decimotertiò, sex diebus tantùm colligebatur in deserto manna: sic in sabbato æternitatis, & in terra promissionis velamen Sacramenti cessabit, Christoque facie ad faciem in summa quiete perfruemur. Decimoquartò, sole liquescebat manna: sic resolutis calore speciebus Sacramentum dissoluitur. Denique S. Ambros. serm. 3. per manna putat figuratam fuisse B. Virginem: hæc est enim mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra.

Nona. *Decima.* *Vndecima.* *Duodecima* *Decima tertia.* *Decima quarta.* *Manna est B. Virgo.*

Mãna sunt cõsolationes spirituales. Tropol. manna significat consolationes spirituales dulcissimas, quæ percipiuntur in rerum cælestium contemplatione, & in victoria tentationum & concupiscentiarum, de quibus dicitur psal. 30. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* & Apocal. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum.* Est enim hæc consolatio præludium & prægustus quidam æternæ beatitudinis. Hoc manna non datur, nisi exeunti ex Ægypto, & ollas carnium relinquenti, ac vincenti suas concupiscentias: vincenti enim promittitur à S. Ioanne, & à Christo Domino. Vnde solet securturæ consolationis, tentatio præcedens esse signum: nam tentatione probatis cælestis promittitur consolatio. Experientia constat, neminem heroicè vincere aliquam tentationem, infirmitatem, contemptum sui, concupiscentiam, curiositatem, morbum, tædium, &c. quin mox sentiat miram animi voluptatem & gaudiũ; quod

A longè tristitiam aduersam, æquè ac delicias concupiscentiæ superat. Experiatur quisque in seipso, & sentiet ita esse.

Ita S Ioannes, qui Theodosio Imp. victoriam contra tyrannos prædixit, seipso abnegato & sui oblitus, scrutabatur cælestia, vni Deo assistens, cum eo versans, eumque assiduis hymnis celebrans, vt in cælo esse videretur. Vnde ipse de se loquens apud Palladium in Lausiaca cap. 46. *Noui,* inquit, *ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustauit, sed & angelus tertio quoque die cælestem cibum ad eum afferebat* (en manna.) *& ei in os iniiciebat, isq́; erat ei instar cibi & potus.* Rursum Palladius de alio Ioanne cap. 16. ita scribit: *Ioannes primùm stans tres annos sub quadam rupe, orãs perpetuò, non sedens omnino, non dormiens, nisi quantum somni stans suffurabatur, & Dominica solùm*

B *sumens Eucharistiam* (en manna.) *afferente ei presbytero, nihil aliud comedebat.* Et c. 58. Abbas Anuph de se ait: *Ex quo Seruatoris nomen professus sum, humani cibi nihil sumpsi, alente me quotidie angelo: nullius alterius cupiditas in cor meum ascendit, præterquam Dei: nihil ex rebus terrenis occultauit mihi Deus: omnem petitionem à Deo accepi. Vidi sæpè assistentes Deo myriades, vidi choros iustorum, vidi Martyrum congeriem Deum laudantium, vidi iustos lætantes in æternum.* Hæc & multa alia narrans, tertio die tradidit animam Deo; quam Abbas Paulus eiusque socij viderunt ab angelis hymnos canentibus, atque à Martyribus in cælum sustolli.

Anagog. manna significat ambrosiam Beatorum, & inenarrabilem eorum in cælis felicitatem, iucunditatem, gaudium & dulcedinem. Gloriosa *Anag. manna est gaudium Beatorum.*

C enim dicta sunt de te, ô ciuitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te. *Ibi,* inquit S. Gregor. in psal. 7. pœnitent. *est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Perfecta viget in omnibus charitas, vna omnium lætitia, vna iucunditas.* Et S. August. *In ciuitate Dei,* ait, *rex est veritas, lex charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas.* Et S. Bernard. de præmio patr. cælest. *Præmium est videre Deum viuere cum Deo, viuere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus. Et vbi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas: ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo. Ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & dulcis concordia.*

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INsiti murmurat populus: vnde Moses iussu Dei percutiens petram in Raphidim, ex ea elicit aquas. Secundò, v. 8. Amalec inuadit Hebræos, sed cædit eum Iosue orante Mose.

1. IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas, iuxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo. 2. Qui iurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum? 3. Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros ac iumenta

ta siti? 4. Clamauit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo
huic? adhuc paululùm, & lapidabit me. 5. Et ait Dominus ad Moysen: Antecede
populum, & sume tecum de senioribus Israel: & virgam qua percussisti fluuium, tolle
in manu tua, & vade. 6. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus
Israel: 7. & vocauit nomen loci illius, Tentatio, propter iurgium filiorum Israel, &
quia tentauerunt Dominum, dicentes: Est ne Dominus in nobis, an non? 8. Venit
autem Amalec, & pugnabat contra Israel in Raphidim. 9. Dixitque Moyses ad Iosue: Elige viros: & egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. 10. Fecit Iosue vt locutus erat Moyses, & pugnauit
contra Amalec: Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis.
11. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululùm remisisset,
superabat Amalec. 12. Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur lapidem,
posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis.
13. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo
enim memoriam Amalec sub cælo. 15. Ædificauitq; Moyses altare: & vocabit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens: 16. Quia manus solij Domini, & bellum
Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.

VERS. 1. PER MANSIONES SVAS] Hebr. *per suas profectiones*, vel *itinera*, id est, terminos itinerum, hoc est, mansiones siue stationes, quæ in deserto vniuersim fuerunt 42. eæque omnes ordine recensentur Num. 33. nam alioqui tota Exodo, Numeris (excepto cap. 33.) & Deuteronomio tantùm numerantur quindecim mansiones: Mosi enim non fuit animus in historia sua eas omnes enumerare, sed eas tantùm, quæ aliquo casu vel regesta fuerunt memorabiles. Sic omittit hîc duas mansiones, scilicet nonam, quæ fuit in Daphca, & decimam, quæ fuit in Alus: nam vndecima fuit in Raphidim, de qua hîc sequitur. has ergo duas fuisse interiectas, easque hic omitti insinuat Moses, cùm ait eos per mansiones suas venisse in Raphidim.

IVXTA SERMONEM DOMINI] Hebraicè *iuxta os Domini*, indicantis scilicet non voce sonora, sed motu columnæ nubis, quando & quò mouenda essent castra. Id patet Exodi vlt. in fine, & Num. 9. 18. vbi Hebræi *ad imperium Domini*; vel, vt hebraicè est, *ad os Domini*, profecti dicuntur, quia ad motum columnæ proficiscebantur, vti ibidem explicatur.

CASTRAMETATI SVNT IN RAPHIDIN] Vndecima hæc mansio fuit iuxta montem Sinai, in qua petra dedit aquas, & victus est Amalec: hic locus dictus quoque est *Massa*, id est, tentatio, ex tentatione & murmure Hebræorum v. 7.

VERS. 2. CVR TENTATIS DOMINVM?] cur diffisi de Dei protectione & ope, quam toties experti estis, rursum per miraculum discere vultis sitne Deus in vobis? vt patet v. 7. q. d. Non murmurando, sed orando, & firmiter sperando in Deum, ab eo cum humilitate poscite aquas, nec dubitate quin ipse de more succurret siti vestræ.

VERS. 5. SVME VIRGAM, QVA PERCVSSISTI FLVVIVM] per manum fratris tui Aaronis, cùm fluuium Nilum vertit in sanguinem, cap. 7. v. 20. ita S. August. q. 64. Alij per fluuium intelligunt mare rubrum, quod Moses virga sua diuisit. Verùm mare non est fluuius.

VERS. 6. EN EGO STABO IBI CORAM TE SVPRA PETRAM HOREB] *Stabo*, scilicet in columna nubis quam de-

A figam supra petram Horeb. q. d. Ego ero præsens per columnam nubis, atque educam aquas ex petra Horeb, vt ex ijs bibat populus sitiens, itaque cesset à murmure. Septuag. vertunt, *ego sto priusquam tu*, vel *anteqnam tu venias*. Hebræum enim לְפָנֶיךָ *lephanecha*, verti potest tam, *ante te*, quàm, *coram te*. q. d. Antequam tu venias ad petram, ego iam ibi consisto paratus ad tuam opem, & ad miraculum, vt scilicet ex ea vobis aquam eliciam.

PETRAM HOREB] Horeb est Sinai, erat ergo petra hæc in deserto Sinai, vnde dicitur petra Horeb, vel Sinai: erat tamen eadem vicinior Raphidim, quàm monti Sinai. nam in Raphidim hæc contigerunt, vt patet v. sequenti. necdum enim peruenerant Hebræi ad montem Horeb, vel Sinai;
B sed eò peruenerunt mansione seq. quæ fuit duodecima: illa enim fuit in Sinai.

ET EXIBIT EX EA AQVA] Petram hanc adhuc perdurare, & assiduè fundere aquas tradunt Cosmographi, inquit Abul. de quo plura Num. 20 v. 8. & 11. imò addit Abulen. in Numer. c. 20. quæst. 3. Arabiam ex hac aqua & petra Mosis perennante, factam esse habitabilem, cùm antea ob nimiam siccitatem esset inhabitabilis. Idem censet Gaspar Sanchez in Isaiæ c. 43. n. 28.

Allegor. petra est Christus, 1. Cor. 10. 4. virga percutiens petram est crux, qua percussus Christus vulneratusque aquam, id est sanguinem, pro nobis dedit, & in Eucharistia omnibus bibendum reliquit. ita Theodor. Et S. Ambros. l. 5. de Sacramentis c. 1. *Vide*, ait, *mysterium: Moses, hoc est Propheta: virga, hoc est verbum Dei: sacerdos verò Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice, & salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui gratiam Dei consecutus est.* Secundò, Tertull. lib. de Baptism. cap. 9. per aquam intelligit baptismum, cuius virtus manat ex cruce Christi. Tertiò, Isidorus & Rupert. per aquam intelligunt gratiam & Spiritum sanctum, eiusque dona.

Alleg. petra est Christus, virga est crux, aqua est sanguis.

C

Pulchrè de hac petra mystica S. Bernardus serm. 61. in Cant. ad illud Cant. 2. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ. Hoc*, inquit *audit sponsa, quòd in Christi vulneribus tota deuotione verse-*

versetur, & iugi meditatione demoretur in illis. Inde martyrij tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum: non est quòd vereatur Martyr exanguem nudamq́; leuare ad eum faciem, cuius liuore sanatus est; enimuerò sua non sentiet vulnera, dum illius intuebitur. stat Martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore; & rimante latera ferro non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu. In petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? neque hoc facit stupor, sed amor; submittitur enim sensus, non amittitur: nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra est Martyris fortitudo, iucunda non minùs imperatori spectanti, quàm militi triumphanti.

Fortitudo Martyrum est ex vulneribus Christi.

Idem Bernard. serm. 66. inter paruos: *Quòd, inquit, de ipso fonte virtutis (id est, de spiritu Dei) hauriantur aquæ præsidij in tormentis, ostendunt & illi tres pueri in fornacis æstuantis incendio positi, quibus ipsa flamma refriguit; & præcipuè inclytus ille Martyr Vincentius, qui cùm grauiter torqueretur, non solùm tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter prouocasse fertur, his verbis: Insurge, & toto malignitatis spiritu debacchare: videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques.*

VERS. 7. ET VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIVS TENTATIO] Hebr. *vocauit nomen loci illius, massa vmeriba*, id est, tentatio & contentio, siue iurgium. Huius ingratitudinis Hebræorum pariter, ac loci crebra est mentio in Script. ostendens quantum ea Deo displicuerit, vt Deut. 6.16. psal. 77.15. psal. 98.8. & psal. 105.14. Porro hæc non est aqua contradictionis, de qua Numer. 33. illa enim post transitum Sinai in 33. mansione apud Cades fuit.

VERS. 8. VENIT AVTEM AMALEC, ET PVGNABAT CONTRA ISRAEL IN RAPHIDIM] Amalec, id est Amalecitæ, quorum rex, vel princeps dicebatur Amalec; quia prognatus erat ex Amalec filio Eliphaz, & nepote Esau, Genes. 36.16. sicut reges Aegypti dicti sunt Ptolemæi, à primo rege Ptolemæo, Lagi filio.

Amalec fuit filius Eliphaz, nepos Esau.

Amalecitarum regio fuit in deserto, ad meridiem Iudææ, trās Petram vrbem euntibus Ailam, ait S. Hieron. in Locis Hebraicis.

Causa belli Amalec videtur fuisse antiquum & paternum odium Esau & posterorum eius contra Iacob eiusque posteros, ob prærepta sibi fuisse primogenita, & ob præreptam patris benedictionem. Timebant enim sibi Amalecitæ à tanto exercitu Iacobæorum, verebanturque, ne iam impleretur illa benedictio, quam Iacob fratri suo Esau parenti ipsorum eripuerat Genes. 27.29. Videbant enim Iacobæos cum tanta armatorum manu ad terram promissam tendere, occurrunt ergo illis, vt transitum eorum impediant, belloque rem decernant.

Causa belli Amalec fuit auitum odium Esau contra Iacob.

Tropolog. Amalec hebraicè idem est, quod populus lingens: hic primò occurrit Israeli, quia ijs, qui ex carne & mundo ad Deum egrediuntur, primi hostes occurrunt carnis illecebræ & blandimenta; ab his enim primæ oriuntur tentationes, cum quibus cominus cum Iosue, id est, cum Iesu Christo, eius & Sanctorum abstinentiam & continentiam intuendo, atque cum eo reipsa carnem macerando, corporis castigatione & mortificatione pugnandum est: eminùs verò oratione certandum est, quam sustineat montanus Aaron (Aaron hebraicè montanum significat) id est Christus, &

Trop. Amalec sunt tentationes carnis.

heros Hur, id est robur Spiritus sancti. ita Rupert. & S. Gregor. lib. 6. in lib Regum, cap. 2.

VERS. 11. CVMQVE LEVARET MANVS MOYSES, VINCEBAT ISRAEL: SIN AVTEM PAVLVLVM REMISISSET, SVPERABAT AMALEC] Hoc symbolo significabat Deus, Hebræis victoriam hanc non imbelli suorum turbæ, sed Deo in cælis habitanti tribuendam esse: ideò enim in cælum manus porrigebat Moses, vt Deum victoriæ datorem inuocaret. *Stabat*, ait S. Chrysost. homil. de Mose (si tamen is est auctor tam Latini sermonis) *Moses in monte proximus iam cælo, iam vicinus sideribus. Et quanto eum sublimitas montis extulerat, tanto oratio Deo proximum exhibebat. Oratio in vltionem inimici dirigitur, cuius scelera iam interitum prouocabant, &c. Quis enim iustorum non orando pugnauit? Quis hostem non orando deuicit? Orationibus Danielis visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ hebescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur. Licet colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari cùm velis, licet precibus mercari quod optas. Et quamuis vocem eius audire non possis, tamen dum id quod petis accipis, colloqui tecum etsi non verbis, tamen beneficijs dignatur.*

Secundò, voluit hoc symbolo Deus significare vim orationis. Nam *oratio*, inquit S. August. *oranti est præsidium, Deo sacrificium, dæmoni flagellum.* Eleuatio enim manuum contentionem orationis, remissio manuum remissionem orationis adumbrabat. Et verò Moses vegetus & alacer eleuans manus, cum ijs pariter & mentem eleuabat & intendebat in Deum: cùm verò lassus & fessus remittebat manus, cum ijs pariter remittebat animum & orationem. Cur orantes leuent manus septem causas assignaui 1. Timoth. 2.8. Videtur autem Moses leuasse & extendisse manus iunctas, ita vt vola vna alteram, qua virgam tenebat, complecteretur. nec enim virgam, vtpote pastoritiam & grandem vnica manu tamdiu in altum eleuatam tenere potuisset. Virga hæc significabat crucem Christi: vnde Patres docent Mosen hic crucis Iesu habitum & typum gessisse. ita Tertul lib. 3. contra Marcion. c. 18. Cyril. in Collectan. c. 16. Cyprian. lib. 2. Testim. 21. Iustin. contra Tryphon post medium, Prosper 1. p. Prædic. c. vltim. Denique de hac oratione & victoria Mosis, pulchram habet homiliam S. Chrysost. serm. de Mose tom. 1.

Moses leuans & remittens manus quid significet?

Moses gessit typum Christi crucifixi.

Mosis exemplū secutus est S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsareensis. Sæuiente enim persecutione, ipse pro suis ciuibus & Martyribus cum tyranno depugnantibus oraturus, in montem cum diacono ascendit, ibique extensis manibus orarunt. Insecuti sunt eos persecutores, sed eos videntes non agnouerunt: putarunt enim se non duos homines, sed duas arbores videre. Testis est Nyssenus in eius vita, qui post hæc subdit dicens: *Sicut Moses cùm procul abesset ab acie Amalecitarum, per orationem popularibus vires contra hostes iniecit: ita ille* (Gregorius) *quasi animi oculis intueretur ea quæ fiebant, diuinum auxilium pro ijs qui nomine fidei decertabant, inuocabat.* Narrat deinde orationis fructum, eiusque illustre exemplum: *Cumq́;, inquit, aliquando Deum precaretur, repentè angore percelli, & velati sono quodam ad aures eius pertingente, aures admonere videbatur; ac postquam ita multo tempore erectus & immotus permansisset, deinde quasi propositum spectaculum bonum euentum habuisset, ad statum pristinum redijt, & clara voce Deum pro victoria laudauit, dicens: Benedictus*

S. Gregor. Thaumaturgus alter Moses.

Deus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Cumq; familiares rogarent, quid vidisset, dixit, magnam se in illa hora vidisse ruinam, diabolo ab adolescente quodam nobili, in certaminibus pro pietate susceptis deuicto. Adiecit & nomen, Troadium eum nominans: & quòd post multa tormenta, quæ fortiter tolerauisset, martyrij corona redimitus esset. Obstupefactus his auditis diaconus, cùm deinde in vrbem perrexisset, rem prorsus eodem momento & modo, quo narrauerat Gregorius, euenisse comperit.

Moses symbolum est vitæ contemplatiuæ, Iosue actiuæ.

Symbolicè, Moses hîc typus fuit vitæ contemplatiuæ, Iosue actiuæ; quodque hæc ab illa dirigi, omnemque suam vim & energiam, ac victoriam contra passiones, cunctosque hostes trahere & haurire debeat: sic enim Iosue vires pugnandi & vincendi hausit ab oratione Mosis.

In Vitis Patrum libr. 7. c. 18. simile datur schema in duobus sanctis monachis, quorum vnus B erat Arsenius, solitarius, taciturnus & contemplatiuus: alter Moses, familiaris, benignus & beneficus in omnes. Cumque quidam Deum rogaret, vt sibi reuelaret vter esset sanctior & perfectior: *Ecce in ecstasi duæ illi naues per fluuium ostensa sunt, & in vna quidem vidit Spiritum sanctum cum silentio & requie, vnà cum Abbate Arsenio nauigantem: in altera verò naui vidit Abbatem Mosem & angelos Dei, mel & fauum in os & in dentes eius inserentes.*

Vers. 12. Manvs avtem Moysi erant graves] q.d. Manus Mosis vtpote senescentis tum per se erant graues, tum extensione diuturna in altum lassatæ degrauabantur: ideo Mosen super lapidem sedere fecerunt, eiusque manus sustentarunt Aaron & Hur. non dubium, quin & hi eum Mose precante precati sint. Iosephus hunc Hur tradit fuisse maritum Mariæ sororis Mosis: sed Scriptura magis C innuit Mariam virginem fuisse, quàm nuptam, vt dixi c. 15. 20.

Et factvm est vt manvs illivs non lassarentvr vsqve ad occasvm solis] Hebraicè est, *fuit manibus eius firmitas* siue *stabilitas*, id est, vt Chald. *fuerunt manus eius firmiter extensæ in oratione*, quia, vt Septuag. vertunt, *fuerunt manus eius sustentata*, scilicet ab Aaron & Hur.

Symbolicè, Philo, *Hominis*, inquit, *mali actiones subuentanea leuesq; sunt; Mosis verò, id est sapientis, graues sunt & inconcussa, ideoq; fulciuntur ab Aarone, id est, à ratione, & ab Hur, id est, à lumine, hoc est à veritate: quasi dicat, Sapientis actiones fulciuntur ratione & veritate*, præsertim ea quæ attentè considerat res diuinas & æternas.

Addit Philo, non natura, sed prodigio immissam fuisse manibus Mosis nunc leuitatem, nunc D grauitatem, additque: *Quoties*, inquit, *degrauabantur manus Mosis, prævalebat hostilis acies, Deo significante, quòd alterorum propria hæreditas sit terra, mundi pars infima; alterorum æther sacratissimus: & sicut in rerum vniuersitate cælum est terra potius, sic etiam populum suum bello superaturum aduersam aciem.* Denique concludit: *Cùm igitur aliquantisper manus bilancis in morem, nunc sursum tollerentur, nunc deorsum vergerent, certareturq; marte dubio; tandem repentè velut pennas habentes pro digitis, sublatæ volitabant per aërem manentes in sublimi, donec Hebræis certa victoria contigit, hostibus internecione deletis.* Verùm hæc non satis consonant narrationi S. Scripturæ, quæ non miraculo, sed per Aaron & Hur manus Mosis sustentatas fuisse asserit.

Vers. 13. Fvgavitqve Iosve Amalec, et popvlvm A eivs, in ore gladii] Pro *fugauit*, hebr. est ויחלש *iachalos*, id est, debilitauit, deiecit, prostrauit, profligauit, hos occidendo, illos in fugam agendo. inde enim חלוש *chalus* lassum, debilitatum, deiectum significat.

Narrant, vel potiùs more suo fabulantur Iudæi, Amalecitas incantationibus suis voluisse volare, itaque inuolare & irruere in castra Hebræorum; sed Iosue ostenso Dei nomine tetragrammato eos prostrauisse. Iosephus asserit planè incruentam Hebræis fuisse hanc victoriam, nemine ex ipsis desiderato. Hic primùm inuenitur nomen Iosue, vnde eum hoc loco ex hac victoria, pro Hosee vocatum esse Iosue, q.d. *Saluator populi*, censent Origen. Lactant. & alij, de quo plura Numer. 13. 17.

In ore gladii] in acie gladij: ita enim vertit Noster interpres ad Hebr. 11. 34. vnde gladius biceps dicitur *δίςομος*, quasi habens duo ora, id est duas acies, ad Hebr. 4. 12. Hinc, quia acies gladij, vtpote acutissima, quidquid percutit, id penetrat, secat vel occidit, ideò, cùm in Script. dicitur, *Percussit eos in ore gladij*, communiter significatur, quòd eos deleuerit vsque ad internecionem: sic enim & Galli de strage internecina dicunt, *Il les a mis au fil de l'espée*. ita Vatablus. *Os gladij est acies gladij.*

Secundò, *in ore gladij*, id est, in deuoratione, vel consumptione gladij: vnde Septuag. vertunt, *ἐν φόνῳ μαχαίρας*, in occisione gladij: vt sit duplex figura, prior, qua os ponitur metonymicè pro comestione, quæ ore fit; posterior, qua comestio animalis metaphoricè tribuitur rei inanimæ, scilicet gladio interimenti. sicut enim nos comedimus panem; ita bellum & gladius deuorant homines. vnde Hebræi bellum vocant מלחמה *milchama*, id est, comestionem. q.d. Fugauit Iosue Amalec per occisionem gladij, siue gladio occidente hinc inde eum persequens. *Secundò, os gladij est deuoratio gladij.*

Tertiò, Franc. Ribera in Osee 10. num. 37. Os, inquit, in Scriptura sæpè pro voluntate accipitur; sic *metere in ore misericordiæ*, id est metere ad voluntatem misericordiæ, quantum misericordia voluerit, id est, metere largissimè. Sic *percutere in ore gladij*, est omnes occidere, & nemini parcere, quod est, percutere quantum gladius percutere velit. quasi dicat, Percussit eos in ore (in voluntate gladij, id est, percussit eos ad satietatem, ad libitum, ad voluntatem, ad imperium gladij; tot percussit, quot libuit gladio & gladiatori percutere. *Tertiò, os gladij est voluntas vel libitum gladij.*

Scribe hoc ob monvmentvm in libro, et trade avribvs Iosve] q.d. Scribe in chronicis, & indica Iosue, vt ipse sequentibus se populi ducibus & Iudicibus, & hi sequentibus indicent voluntatem & decretum Dei de peragenda vindicta, deque delendo Amalec; idque, donec surgat ille ipse dux, vel rex Saul, qui hanc vindictam reipsa exerceat. Iosue enim destinatione Dei futurus erat successor Mosis, & dux populi: vnde & hoc bello contra Amalec electus ipse dux, quasi præludium futuri sui principatus dedit. Deinde indicari hoc Iosue iubet Deus, ne subacta terra promissa, ipse fœdera cum Amalecitis iungeret, vel admitteret. Vers. 14.

Delebo enim memoriam Amalec svb cælo] Hebraicè est *delendo delebo*, id est, funditus & omnino delebo. hæc mihi stat fixa & certa voluntas, quam Samuel refricauit Sauli 1. Reg. 15. vbi Saul ob neglectam, & non plenè impletam hanc Dei

Dei voluntatem reiectus à Deo, regno & vita excidit. Quare perperam Iudæi aliqui Saulem excusant per ignorantiam, eò quòd Hebræum זכר, si puncta cametz ei substituantur, vt fiat זָכָר zachar, significet masculum: si verò segol, vt fiat זֶכֶר zecher, significat memoriam Amalec delendam & abolendam esse.

Commentum Iudæorum de zachar & zecher.

Porrò tulit Deus in Amalec tam seueram sententiam, eò quòd Amalecitæ tam immani bello appetijssent innoxios vacillantesque Hebræos, & in vocatione sua nouitios, vt eos à Dei ductu in Chanaan sequendo absterrerent, quodque, vt dicitur Deuter. 25.18. extremos agminis lassos, & fame laboreque cõfectos ceciderint. Vt hinc discamus, quàm grauis sit offensa Dei, teneros recentesque Dei asseclas ab eius vocatione & sequela, putà, à vera fide, vel Religione statuque perfectionis auertere. qua de re vide Hieron. Platum lib. 3. de Bono status religiosi cap. 35.

Quàm graue sit Nouitios à Deo auertere.

VERS. 15. ÆDIFICAVITQVE MOYSES ALTARE, ET VOCAVIT NOMEN EIVS, DOMINVS EXALTATIO MEA] Hebr. est יְהוָה נִסִּי adonai nissi, quod Primò, Noster vertit, *Dominus (est) exaltatio mea.* Secundò, verti potest, *Dominus est vexillum meum*, id est, Dominus fuit mihi loco vexilli, ipse signa victricia in hostem intulit. Vnde Iosephus ait, Mosen hanc aram Deo victori posuisse, vti Romani ponebant Ioui victori. Tertiò, verti potest, *Dominus est signum*, vel *miraculum meum*; quia hanc miraculosam victoriam, torque alia miracula mihi contulit. ita Chald.

Altaris Mosis nomẽ triplex.

Hoc trophæo omnem victoriæ laudem Deo assignauit Moses; neque enim altare dumtaxat sacrificij causa erexit, sed & trophæi, idque nomenclatura hæc conuincit. Caluinus omne imaginum & statuarum nomen, quasi mortis vmbras & laruas perhorrescens; metuensque, ne hinc telum pro imaginibus in ipsum torqueamus, altari inditum esse hoc nomen impudenter negat, cõtra S. Script. expressam fidem, quæ altare hoc nomine vocatum esse asseuerat, tamquam victoriæ trophæum: trophæis enim & titulis propriè nomina imponuntur, & nomen hoc non nisi trophæo conuenire potest. Non enim, quod metuit Caluinus, Dei nomen hic altari communicatur, quasi ipsum sit Deus. sed sensus est, quasi dicat, Altari hoc quasi trophæo testor, hoc significo, quòd Deus sit exaltatio mea, qui me hostibus Amalecitis superiorem fecit, ideoque illi, vt signo, rei signatæ do nomen, illudque voco, *Dominus exaltatio mea*; vti solemus de effigie Cæsaris aut Regis dicere, Iste est Cæsar, hic est Rex: quia ista imago est Cæsaris, hæc Regis. Similes nuncupationes in Script. passim sunt obuiæ. Sic enim Isaac Genes. 26.20. puteum ab euentu vocauit Calumniam, & alium v. 21. vocauit Latitudinem. Sic Gedeon Iudic. 6. 24. suum altare vocat *Domini pax.* Similia sunt 1. Reg. 7. 12. 2. Reg. 18. v. 18.

Nota hic, victoriam in bellis à Deo pendere, esseque singulare donum Dei. Ita Iudith conopæum Holophernis, quasi anathema, Deo victoriæ auctori consecrauit, Iudith 16. v. 23. Ita Iahaziel propheta, cùm insignem victoriam Iosaphat regi contra Moabitas esset pollicitus, subiecit: *Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos: nolite timere. Cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum.* 2 Paralip. 20.17.

Victoria est donum Dei. Exempla.

Ita Iudas Machabæus. cùm sui timerent, vtpote pauci, animans eos ait: *Facile est concludi multos in manu paucorum; & non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est*, &c. 1. Mach. 3. 17.

Ita Traianus dux belli missus à Valente Imp. contra barbaros, cùm succubuisset, ideoque à Valente ignauiæ argueretur, generosè respondit: *Non ego, ô Imperator, victus sum; sed tu ipse prodidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desinis, & ita eius auxilium barbaris concilias. Nam abs te oppugnatus, se illis adiungit. Atqui Deum sequitur victoria, & ad eos accedit quibus Deus se ducem præbet. Non nosti quos viros Ecclesiis expuleris, & quibus eas tradideris?* ita Theodor. lib. 4. histor. c. 19.

Ita Theodosius Imp. cùm ei victoria de Ioanne tyranno in ludis Circensibus renuntiaretur, ad populum vociferans: *Agite*, inquit, *ludicro hoc omisso in ædem hanc precatoriam eamus, & carmina gratiarum auctori victoriæ Deo concinamus.* Dixit & fecit. ita Nicephor. lib. 14 c. 7.

Ita Clotharius rex Francorum cum Chramno filio rebelli dimicaturus: *Respice*, inquit, *Domine de cælo, & iudica causam meam. Quia à filio iniustè iniurias patior. Respice, & iudica iustè, illudq; impone iudicium, quod quondam inter Absalonem & patrem eius Dauidem posuisti.* Ergo prælio inito Chramnus à Clothario captus & occisus est. ita Gregor. Turon. lib. 4. c. 16. & 17.

Alfonsus Aragonum rex ad filium Ferdinandum, contra Florentinos in bellum euntem: *Noli*, ait, *ô fili, tantum tuæ, aut commilitonum audaciæ tribuere, vt putes absque Dei auxilio victoriam vllam haberi posse. Victoria enim non hominum disciplinis aut industria paratur, sed Dei opt. max. benignitate & arbitrio. Deum igitur cole, & tibi concilia: quòd si quando eum tibi iratum suspicaberis, caue contendas; & quidquid ab eo tibi accidisse videbitur, boni consule, & patientia ac pœnitentia eum placa.* ita Panorm. in eius Vita.

DICENS: QVIA MANVS SOLII DOMINI, ET BELLVM DOMINI ERIT CONTRA AMALEC A GENERATIONE IN GENERATIONEM] Hebr. est, *quia manus super solium Domini est*, id est, quia extendit Deus manum super solium suum, hoc est, extensione manus super solium suum iurauit, *&*, id est *quòd*, bellum ipsi & Hebræis contra Amalec erit æternum, hoc est, quamdiu Amalec superstes erit. q.d. Erit Hebræis cum Amalec ἄσπονδος πόλεμος, id est, bellum irreconciliabile & internecinum. VERS. 16.

Nota Primò. τὸ *quia* non est causale, sed encliticum; respondet enim Hebræo כִּי ki, quod sæpè redundat. vnde Vatabl. vertit, *& dixit*, *Sublata manu per solium Dei iuro.* Moses enim hic altari nomen indidit, simulque iurauit bellum æternum cum Amalec: sunt enim hæc disparata, nec vnum est causa alterius. Secundò, manus hæc iurantis est vel Mosis, vt vult Vatablus, vel potiùs Dei: Noster enim vertit, *manus solij Domini*: idem clariùs habet Chald. & Septuag. Tertiò, τὸ *&*, vocula est non copulantis, sed confirmantis, & materiam iuramenti designantis, significans, *quòd*, *quia*. Hinc pulchrè Chaldæus vertit, *cum iuramento dictum est hoc à facie terribilis, cuius maiestas est super solium gloriæ, vt committatur prælium à facie Domini contra viros domus Amalec, vt consumat eos à generationibus sæculi.*

Septuag. manum super solium interpretantur A manum occultam, vel potiùs, vt alij legunt, excelsam: sic enim habent, ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ (Eugubinus legit κορυφαίᾳ, id est excelsa, & hoc magis respondet Hebræo) πολεμεῖ κύριος, id est, quia in manu occulta & excelsa præliatur Dominus, quasi manus Dei in solio eius licet abscondita, excelsa tamen operetur.

Quæres, cur olim & etiamnum iuretur manu sublata in cælum? Resp. Quia hoc ritu testamur Deum in cælis, quasi in solio suo residentem. Secundò, quia hoc ritu significamus, quòd sicut stant & perdurant cæli, sic firma erit res quam iuramento promittimus. Sic ergo iurat hîc Deus per thronum suum, quasi per rem sempiternam & immutabilem. ita docent Hebræi.

Hinc S. August. lib. 22. contra Faust. cap. 74. Mosen contra Fausti calumnias defendit, conuincitque contra eum (& contra nostros Anabaptistas & Enthusiastas) fidelibus bellum esse licitum, eò quòd illud Domini voluntate Moses susceperit, dicaturque hic bellum Domini fore contra Amalec in æternum.

Bellum Christiano contra Amalec, id est, carnem & mundum, est æternum.

Tropologicè, dicamus & nos tamquam resoluti milites Christi: Bellum Domini mihi erit, καὶ ἄσπονδος πόλεμος, contra Amalec, id est, contra carnem & mũdum in æternum: hoc enim est bellũ Domini, quod scilicet Dominus nobis imperat, quodq́; ipse per nos gerit. cogita illud S. Francisci:

Modica hîc voluptas: sed postea pœna immensa.
Modicus hic labor: sed postea gloria æterna. Elige.
Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.
Æternitatem cogita.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iethro socer Mosis, vxorem Sephoram cum filijs ad eum reducit, eiusq́; monitu v. 13. Moses cum alijs partitur regimen populi, creatq́; magistratus & iudices, qui minora diiudicent.

1. Cvmque audisset Iethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat
Deus Moysi, & Israeli populo suo, & quòd eduxisset Dominus Israel de Ægy-
pto: 2. tulit Sephoram vxorem Moysi quam remiserat: 3. & duos filios eius, quo-
rum vnus vocabatur Gersam, dicente patre: Aduena fui in terra aliena. 4. Alter ve-
rò Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.
5. Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & vxor eius, ad Moysen in desertum,
vbi erat castrametatus iuxta montem Dei. 6. Et mandauit Moysi, dicens: Ego Ie-
thro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filij tui cum ea. 7. Qui egressus in
occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum: salutaueruntque se mutuò verbis
pacificis. Cumque intrasset tabernaculum, 8. narrauit Moyses cognato suo cuncta
quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptijs propter Israel; vniuersumq́; laborem,
qui accidisset eis in itinere, & quòd liberauerat eos Dominus. 9. Lætatusque est Ie-
thro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli, eò quòd eruisset eum de ma-
nu Ægyptiorum, 10. & ait: Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Ægy-
ptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti. 11. Nunc
cognoui, quia magnus Dominus super omnes deos: eò quòd superbè egerint contra il-
los. 12. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo: veneruntq;
Aaron & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Deo. 13. Al-
tera autem die sedit Moyses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à manè vsque
ad vesperam. 14. Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in po-
pulo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstola-
tur de manè vsque ad vesperam? 15. Cui respondit Moyses: Venit ad me populus
quærens sententiam Dei. 16. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad
me vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. 17. At ille: Non
bonam, inquit, rem facis: 18. stulto labore consumeris & tu, & populus iste qui te-
cum est: vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. 19. Sed audi
verba mea atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum per-
tinent, vt referas quæ dicuntur ad eum: 20. ostendasque populo ceremonias & ri-
tum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.
21. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit ve-
ritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinqua-
genarios, & decanos, 22. qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem
maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi, par-
tito in alios onere. 23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius pote-
ris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace. 24. Quibus au-
ditis,

dictis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. 25. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. 26. Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò iudicantes. 27. Dimisitque cognatum suum: qui reuersus abijt in terram suam.

VERS. 1. CVMQVE AVDISSET IETHRO SACERDOS MADIAN] Chald. vertit, *princeps Madian*. Hebræum enim כהן *cohen* & sacerdotem & principem significat; quia olim, qui princeps erat, erat & sacerdos. A

COGNATVS MOYSI] socer Mosi: eius enim filiam Sephoram duxerat Moses c. 3. v. 1. Hebræum חתן *choten* cognatum, siue affinem in genere (qualis est socer) significat. Vnde à *choten* fit התחתן *hitchatten*, id est affinitate per matrimonium iungi.

VERS. 2. TVLIT SEPHORAM VXOREM MOYSI QVAM REMISERAT] cùm scilicet Moses ex Madian in Ægyptum rediens, cum Pharaone decertaturus tantam, tamq; periculosam negotiorum molem susceperat, vt vxori & liberis vacare non posset; vnde eam sibi à Pharaone timentem, libentem & volentem cum filijs remisit in Madian, vti dixi cap. 4. 27. B

Epiphanius hæresi 78. tradit Mosen, ex quo prophetare cœpit, vxorem non cognouisse: neque enim aliter, inquit, potuisset Deo tam esse familiaris & coniunctus.

VERS. 5. IVXTA MONTEM DEI] putà Horeb, siue Sinai, vt patet c. 3. 1. Hinc patet non in Raphidim, sed in Sinai, de qua cap. seq. venisse Iethro, ac proinde hæc per prolepsim interseri; fortè quia Iethro excitus, vel maximè vicina victoria Hebræorum contra Amalec, de qua cap. præced. veniebat ad Mosem.

Iethro quando venit ad Mosen. Vnde probabiliter contra Lyranum docet & censet Abulens. Iethro post legem datam in Sina, sub finem primi anni exitus ex Ægypto, venisse ad Mosen: illudque colligit ex Deut. 1. v. 6. 7. 9. 15. vbi dicitur Moses creasse magistratus paulò antequam mouenda essent castra ex Sinai: mota sunt autem castra ex Sina anno secundo, mense secundo, vt patet Num. 10. 11. Atqui hi magistratus hoc c. 18. dicuntur creati cùm Iethro venit ad Mosen, Mosique suggessit & persuasit eorum creationem; ergo ipse venit ad Mosen sub finem anni primi, paulò antequam castra mouenda essent ex Sinai. Vnde idem Abulens. censet hoc caput referri, & inseri debere ante Num. 10. 11. Ibidem enim v. 29. Hobab (qui secundùm Abulensem & alios est Iethro) rogatur à Mose, vt velit esse dux viæ Hebræorum per desertum: vnde & mox Numer. 12. ortum est iurgium & murmur Aaronis & Mariæ, cùm viderent vxorem Mosis Æthiopissam, putà Sephoram Madianitidem, quæ simul cum patre suo Iethro ad Mosen maritum suum venerat. C

VERS. 7. QVI EGRESSVS IN OCCVRSVM COGNATI (soceri) SVI, ADORAVIT] scilicet incuruando se; hoc enim significat Hebræa radix שחה *scacha*. Moses socero suo Iethro reuerentiam more gentis exhibuit, quæ reuerentia & adoratio est participatio quædam reuerentiæ & adorationis Deo debitæ: parentes enim, principes & viri eminentes aliquid de potestate Dei & honore participant. Simili modo Abraham adorauit filios Heth, Genes. 23. 12. Iacob adorauit Esau, Genes. 33. 3. fratres adorauerunt Ioseph, Genes. 43. 26. D

SALVTARVNT SE VERBIS PACIFICIS] Hebr. *rogarunt de pace*, vel *an pax*, id est, an salua & prospera sunt omnia. hoc enim significat Hebræa salutatio *pax tecum*.

LABOREM] difficultatem & molestiam. Nota hîc, qualia, & quàm pia sint Sanctorum colloquia. talia fuerunt inter S. Antonium & S. Paulum primum eremitam; inter S. Benedictum & Scholasticam sororem; inter Essenos, aliosque veteres eremitas & cœnobitas. VERS. 8.

LÆTATVS EST] Septuag. ἐξέστη, obstupuit, in ecstasin quasi raptus est. VERS. 9.

NVNC COGNOVI QVIA MAGNVS DOMINVS SVPER OMNES DEOS] q. d. Ego Iethro habui olim aliquam notitiam Dei vestri & veri, neque omnino fidem Abrahæ proaui mei abieci, quam Madian Abrahæ filius, noster verò auus ab eo hausit, & nobis tradidit; fuit tamen hactenus ea infirma, & simulacrorum mixtione & cultu polluta: nunc verò audiens eius prodigia, quæ fecit pro vobis in Ægypto & in mari rubro, agnosco credoque firmiter, hunc solum, qui vobis adfuit, esse verum Deum, optimum, iustissimum & potentissimum; vtpote qui tam potentem iustamque vindictam in impios & tyrannos Ægyptios exercuit. Hanc fidem & pietatem Iethro in posteros propagauit. Ab eo enim orti sunt Rechabitæ, vt patet 1. Paral. 2. 55. quos ab abstinentia & obedientia ita laudat Ieremias c. 35. de quibus plura ibid. VERS. 11.

Vide hîc, quid faciat vnius patris & principis pietas. Ita Constantinus hoc nomine magnus fuit, quòd magni animi & pietatis eximiæ fuerit; atque inter omnes Imperatores primus, non solùm Christi fidem amplexus sit, sed Christianos etiam Imperatores reliquerit.

Theodosius iunior aui sui nomen & pietatem referens, instituit aulam suam velut scholam, in qua ad pietatem se suosque exercuit, habens ordine distributa tempora lectionum, psalmorum, ieiuniorum & vigiliarum, ait Socrat. lib. 7. 22 & Theodor. lib. 5. c. 36. qua in re comes, imò dux & incentrix ei fuit soror Pulcheria, & Eudocia vxor. Vide Aulam eorum sanctam, quam edidit noster Raderus.

Tiberius excubitorum Comes sub Iustino II. ob pietatem erga Deum, & liberalitatem erga pauperes in tanta fuit gratia, vt à Iustino Imp. successor declararetur.

Honorius Imper. veræ religionis perstudiosus fuit: vnde Deus eum à multis vndique insurgentibus tyrannis liberauit, vti ex Socrate, Sozomeno, & alijs docet Baronius.

EO QVOD SVPERBE EGERINT CONTRA ILLOS] Est ellipsis, sed pleniore & perfectiore sensu, quàm sit in Hebræo. sic enim est hebraicè, *quia in quo superbierunt contra eos* (Hebræos) subaudi; in eodem puniuit eos Deus, putà, in aquis & mari. nam sicut ijs merserant infantes Hebræorum, ita ijsdem ipsis à Deo remensum est, vt aquis mergerentur & ipsi. Vnde Chald. ellipsin supplet: vertit enim, *quia eadem re, qua cogitarunt Aegyptij*

iudicare (punire & affligere) *Israel*, *iudicati sunt* A (puniti sunt.)

VERS. 12. OBTVLIT] Hebr. est, *accepit*, scilicet à Mose & Hebræis hostias, quas non idolis, vt olim, sed vero Hebræorum Deo offerret.

VT COMEDERENT PANEM CVM EO CORAM DEO] Nota hîc. Hostiæ Deo dicatæ, & in gratiarum actionem oblatæ (quales hîc obtulit Iethro) magna parte in solemne epulum cedebant, quod proinde coram Domino fieri dicebatur, quasi ille hostijs sibi oblatis, illarumque epulo præsens adesset, maximè si epulum fieret iuxta altare, in quo immolatæ erant hostiæ Deo. Si tabernaculo iam facto & erecto in fine anni, venit Iethro ad Mosen, vti vult Abulens. tunc *coram Deo*, id est coram tabernaculo, quod erat quasi domus Dei, factum est hoc epulum.

Coram Deo quid.

Secundò, nonnulli Hebræi *coram Deo* dici sentiunt, propter sanctos, pios & diuinos homines, B qui in isto conuiuio præsentes fuerunt, iuxta illam veterum sapientum sententiam: *Qui fruitur conuiuio, in quo sapientes accumbunt, perinde est ac si fruatur gloria diuinæ maiestatis.*

Tertiò, S. August. q. 66. *coram Deo*, inquit, id est, in honorem Dei; sed vterque hic sensus paulò remotior est. Hinc patet, hoc Iethro sacrificium fuisse purum, veroque Deo oblatum: aliàs enim Moses, ceterique seniores ex eo non comedissent, ne idolothytis pollueerentur.

Tropologia. Tropol. Sancti, inquit Origenes, omnia sua opera faciunt coram Deo, tamquam qui Deum præsentem spectent, & ab eo spectentur; iugiter enim in cõspectu Dei versantur, operãtur & ambulant.

VERS. 13. VT IVDICARET] vt ius diceret.

VERS. 15. VENIT AD ME POPVLVS QVÆRENS SENTENTIAM DEI] Hebr. *quærens Deum*; Chald. *quærens doctrinam à Deo*; Septuag. *quærens iudicium à Deo*, hoc est, à lege Dei æterna (inquit S. August. quæst. 67.) quæ fuit ante omnem legem scriptam, quam Moses Spiritu sancto plenus clariùs quàm cæteri omnes Hebræi, intuebatur, & in omnibus consulebat tum cogitando & meditando, tum orando.

VERS. 17. NON BONAM, INQVIT, REM FACIS] Facis quod minùs est aptum minusque conueniens: quia quod facis, vt singula solus velis facere, tibi nimis molestum est, & populo minùs vtile.

VERS. 18. STVLTO LABORE CONSVMERIS] Hebræum נבל *nabal*, significat stultum esse, item defluere, decidere consumi. vtrumque significatum hîc reddidit Interpres.

Voluit Deus Mosen, virum alioqui sapientissimum, ab alienigena & Gentili, putà à Iethro, instrui, vt ostenderet nemini datum esse, vt in omnibus semper æquè sapiat, ac proinde humiliter audiendos quoque esse inferiores, qui saniora consilia suggerunt.

Doctor sit docilis.

Sæpe etenim est olitor verba oportuna locutus: nemo enim *est bonus doctor qui non est docilis: quia & ille meliùs docet, qui quotidie crescit & proficit discendo meliora*, inquit S. Cyprianus ad Pompeium in fine. ita & S. August. quæst. 68. Quin & Plato obijcienti sibi cuidam, *Túne qui doctor es, simul es discipulus? & quamdiu disces?* respondit, *Tamdiu, donec me sapientiorem fieri non pœnitebit.* testis est Plutarch. in Platone.

Allegor. significabatur quòd Iethro Mose, id est populus Gentilis Iudaico foret sapientior, inquit Cyrill. in collectan. in Numer. c. 9.

ET ERIT DEVS TECVM] erit Deus tibi auxilio, VERS. 19. vt tot administris adiutus, parteque oneris in eos deriuata leuatus, commodiùs omnia feras & perficias.

ESTO TV POPVLO IN HIS, QVÆ AD DEVM PERTINENT] Hebr. *esto tu populo ante Deum*, vel *coram Deo*. q. d. Esto tu populi causidicus, aduocatus & internuntius apud Deum, *vt referas quæ dicuntur ad eum*, scilicet, populi dicta, vota, postulata & necessitates. τὸ enim *eum* Deum respicit, vt patet ex Hebræo, non populum, vti censuit Abulens.

OSTENDASQVE POPVLO CÆREMONIAS, ET VERS. 20. RITVM COLENDI, VIAMQVE PER QVAM INGREDI DEBEANT] q. d. Sicut dixi te, ô Moses, debere esse populi aduocatum apud Deum, ita vicissim hîc dico, te pariter debere esse interpretem Dei apud populum, vt eum doceas quomodo Deum colere, recteque viuere debeat: alios verò constituas iudices & arbitros ad lites & iurgia eorum dirimenda.

Morale. Hinc moraliter S. Greg. 2. p. Pastor. c. 7. docet qualis debeat esse rector: *Sit rector*, inquit, *internorum curam externorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam interiorum occupatione non relinquens: ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat.* Hinc & S. August. q. 68. *Docemur*, inquit, *hic à Iethro, nimis intentum humanis actionibus animum Deo vacuare.*

PROVIDE AVTEM DE OMNI PLEBE VIROS PO- VERS. 21. TENTES] Ita legunt Hebr. Chald. Septuag. & Latina Romana; non *sapientes*, vti habent Plantiniana: hebraicè enim est *viros virtutis*, id est viros valentes animo, strenuos & magnanimos, qui ma- C gnorum & magnatum vultum non timeant, vt personas in iudicio accipiant, & iudicium peruertant: sed vnum timeant Deum Iudicem iudicum, & Regem regum. Ita Fridericus tertius Imper. rogatus, quos è suis haberet charissimos? respondit, *eos qui non magis me, quàm Deum timent.* Talis iudex fuit Iob cap. 29. *Conterebam*, inquit, *molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Hoc est quod monet Eccles. c. 7. v. 6. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Quin & Epictetus iudicem ita compellat: *Vti nec anser clangore, nec ouis balatu perterretur, ita nec te stolida multitudinis vox perterrefaciat.* Quare Traianus Imper. magistratum & iudicem constituens, illique de more porrigens gladium: *Illo*, inquit, *pro me, quamdiu æqua mandauero; sin iniqua,* D *contra me vtere.* Ita aulici & duces Christiani suis Imperatoribus, idolorum cultum & sacrificia mandantibus, restiterunt vsque ad mortem & martyrium. Ita S. Sebastianus restitit Diocletiano, S. Eustachius Adriano, S. Theodorus Licinio, S. Gallicanus Iuliano, Mauritius & Thebæi Maximiano.

Magistratus sit fortis.

& sapiens, Sapientes etiam iudices exegisse Mosen, patet Deuter. 1. 13. non enim omnes, quas Iethro posuit, conditiones iudicum hîc enarrantur; nec vlli dubium est tam scientiam & prudentiam, quàm virtutem animique constantiam in iudice requiri. Verè enim dixit Carolus V. audita nece Thomæ Mori, qui vir sapientissimus, Angliæ Cancellarius fuit & Martyr: *In Moro Henricus rex VIII. totius Angliæ caput præcidit.*

& veri amans. IN QVIBVS SIT VERITAS] non tam doctrinæ,

aut

aut etiam vitæ, quàm iustitiæ (de ea enim præcipuè est hîc sermo) id est, iustos. ita Septuag. qui scilicet neminem decipiant, sed faciant quod promiserunt, quodque æquum est & legibus præscriptum. vnde sequitur, *Odientes auaritiam*, qui scilicet munera non capiant ne ijs capiantur, vt ius violent. Ludouicus XI. Galliæ rex aiebat, se in aula omnibus rebus abundare, excepta vna. togatus quænam ea esset, dixit: Veritas.

Hippocrates epist. ad Philopœmenem veritatem depingit, quasi mulierem pulchram, magnam, simpliciter ornatam, illustrem ac splendidam, cuius oculorum orbes puro lumine nitebant, vt astrorum ac stellarum fulgorem imitari viderentur. Rursum veritas temporis filia, & virtutis mater est habita. Plutarc. in Quæst. ait quòd Romani veritatis parentem ac Deum habuerunt Saturnum; subdit causam; *An, inquit, quòd, vt Philosophi, putant*, Κρόνον χρόνον, id est, *Saturnum tempus esse? veritas verò tempore inuenitur: an illud potiùs, quòd Saturnus iustissimus fuerit, & veritatem imprimis coluerit?* Hinc & Democritus scripsit veritatem in putei fundo delitere: & prouerbium est, *Veritatem in lucem agit & adducit dies.* Giraldus syntagm. 1. testatur iudices olim defunctos exsculptos fuisse ita, vt ex eorum collo ad pectus penderet suspensa veritas, subnutans oculis.

Quinque præsidum & Rectorū virtutes. Notat Caietanus, has quinque dotes maximè spectare & requirere debere principes in ijs, quos alijs præficiunt, scilicet Primò, magnanimitatem; Secundò, timorem Dei; Tertiò, sapientiam; Quartò, iustitiam; Quintò, abstinentiam à muneribus.

Ita Plato dicere solet: *Principibus nullum præstantius prædiorum genus esse, quàm eorum familiaritates qui cauponari nescirent.* Hinc & Isaias cap. 1. 23. arguens Hierosolymitas postquam dixit, *Principes tui infideles, socij furum*; mox causam subijcit: *Omnes diligunt munera.* E contrario Samuel optimus iudex ita cum suis libera fronte disceptat: *Si de manu cuiusquam munus accepi, loquimini, & contemnam illud hodie, restituamq́ vobis.* 1. Reg. 12. 3. & Paulus Actor. 20. 33. *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis.* Ita Alcamenes Telecri filius Spartanus, rogatus cur munera à Messenijs oblata non accepisset, respondit: *Quia si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem*; significans munera non esse accipienda, A quæ legibus & Reipubl. obesse solent. testis est Plutarch. in Laconic. Hasce iudicum dotes habeant Confessarij, qui sunt iudices in foro animæ. In huius rei signum, sacerdos vetus, qui erat iudex, inscriptum habebat in pectore: *Doctrina & veritas.* vnde & iudices apud Ægyptios sapphirum è collo gestabant, cui inscripta erat veritas, de quo cap. 28. v. 30.

SI HOC FECERIS, IMPLEBIS (implere poteris. VERS. 23 est enim hoc futurum potentiale) IMPERIVM DEI, ET PRÆCEPTA EIVS POTERIS SVSTENTARE] id est, sustinere hebraicè est: *præcipiet tibi Deus, & poteris stare*, id est, poteris satisfacere Dei præceptis circa totius populi regimen.

Sequantur hoc sapiens Iethro consilium, quicumque rectè gubernare volunt, vt nimirum onus *Morale.* B cum alijs partiantur, minoraque negotia alijs committant, quò ipsi grauioribus, totique communitati inuigilare, ac simul Deo & orationi vacare possint. ipsi enim sunt quasi Atlantes, qui Deo nixi onus totius populi suis humeris sustinere debent: præpostetum enim est & insipiens ac iniquum, si rector ita minoribus, vel alienis, vel externis se occupet, vt maiora, propria & domestica negligere, vel perfunctoriè obire debeat.

MOYSES FECIT OMNIA, QVÆ ILLE SVGGESSERAT] Elegit ergo Moses inferiores magistratus VERS. 24. idoneos rebus diiudicandis; sed cum consensu populi, eosque seriò officij sui admonuit. vide Deuter. 1. à v 9 ad 19. vbi hæc fusiùs enarrantur.

ET ELECTIS VIRIS STRENVIS, CONSTITVIT VERS. 25. EOS PRINCIPES POPVLI, ET TRIBVNOS] *Tribunos*, *Tribuni qui.* C hebraicè *chiliarchas*, siue principes mille, familiarum videlicet: ita enim pulchro ordine hi magistratus ad leuamen Mosis instituti sunt, vt decani quinquagenariis, hi centurionibus, centuriones tribunis, siue chiliarchis subessent; sic vt tribunus quisque sub se decem haberet centuriones, centurio sub se haberet duos quinquagenarios, quinquagenarius præesset quinque decanis: ita vt à decanis ad quinquagenarios, ab ijs ad centuriones, ab his ad tribunos, à tribunis demum ad Mosen appellaretur. Vocat verò Noster chiliarchas *tribunos*, quia hic summus olim erat magistratus (tribuni enim plebis erant pares consulibus, erantque quasi consules plebis) in plebe Romana, vti & in militia: sed & colonnellos nostros siue chiliarchas exercitus rectè vocamus Tribunos.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HEbræi veniunt in Sina, ascendit Moyses in montem; Deus iubet populum sanctificari, & præparari ad legem Dei reuerenter excipiendam: ideoq́ v. 16. Deus montem igne, fumo, tonitruis, fulguribus, terræ motu, & buccinæ clangore replet, vt Hebræos sui metu & religione percellat.

1. MEnse tertio egressionis Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. 2. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibiq; Israel fixit tentoria è regione montis. 3. Moyses autem ascendit ad Deum, vocauitq; eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filijs Israel: 4. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptijs, quo modo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. 5 Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. 6. Et vos eritis mihi in regnum sacer-

dotale, & gens sancta. hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. 7. Venit Moyses: & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus. 8. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumq; retulisset Moyses verba populi ad Dominum, 9. ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nuntiauit ergo Moyses verba populi ad Dominum. 10. Qui dixit ei: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua. 11. Et sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. 12. Constituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur. 13. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet. cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. 14. Descenditq; Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eum. Cumque lauissent vestimenta sua, 15. ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. 16. Iamq; aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat: & timuit populus qui erat in castris. 17. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. 18. Totus autem mons Sinai fumabat; eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis. 19. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. 20. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius. Quò cùm ascendisset, 21. dixit ad eum: Descende, & contestare populum: ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. 22. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. 23. Dixitque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, & iussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. 24. Cui ait Dominus: Vade, descende: ascendesque tu, & Aaron tecum. sacerdotes autem & populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. 25. Descenditque Moyses ad populum, & omnia narrauit eis.

VERS. 1. MENSE TERTIO EGRESSIONIS ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI, IN DIE HAC VENERVNT IN SOLITVDINEM SINAI] *In die hac*, id est in die eadem, siue eiusdem numeri cum mense tertio, putà tertia die mensis tertij. *τὸ* enim *hic* vsurpari pro *idem*, varijs exemplis docet Franc. Ribera lib. 5. de Templo cap. 7. & ita hoc loco accipiendum esse patebit v. 11. Quare non rectè Patres aliqui putant, Hebræos venisse in Sina die prima mensis tertij, vti doctè ostendit Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 13.

Nota. Hebræi venerunt in Sina die tertio mensis tertij, anni primi exitus ab Ægypto; discesserunt verò ex Sina anno secundo, mense secundo, die vigesimo, vt dicitur Numer. 10. vers. 11. Hæserunt ergo in Sina annum integrum, exceptis tredecim diebus. Omnia ergo, quæ ab hoc capite deinceps toto Exodo totoque Leuitico, & in Numeris vsque ad cap. 10. v. 11. describuntur, gesta sunt in Sina. *Hebræi manserunt in Sina annum penè integrum.*

Vnde S. Hieron. *In Sina, ait, fuit duodecima mansio, vbi media pars Exodi, & totus Leuiticus, & Numerorum præcepta; & populi per singulas tribus distributio & oblatio principum descripta sunt.*

VERS. 3. MOYSES AVTEM ASCENDIT AD DEVM] in montem Sina, in quo sciebat olim Deum sibi apparuisse Exodi 3. iussisseque, vt post egressum ex Ægypto sibi in eodem sacrificaret: qua de re vt Deum cōsuleret, Moses iam ascendit in eumdem.

VERS. 4. QVOMODO PORTAVERIM VOS SVPER ALAS AQVILARVM] Sicut enim aquilæ pullos suos non transferunt vnguibus & pedibus, sed eos super alas imponunt, & vectant adeò altè, vt nullus eas vel telo petere possit: sic & Deus alis prouidentiæ suæ sustulerat Hebræos, quando eos ab omnibus hostibus tutissimos reddidit, & paterna sollicitudine fouit. *Omnes enim reliquæ aues*, inquit R. Salomon, *pullos suos ponunt inter pedes suos; eò quòd timeant sibi ab auibus, quæ supra se volitant. Verùm aquila non timet sibi, nisi ab homine, ne fortè petat eam iaculo. Cùm enim nulla auis altiùs ipsa volet, propterea collocat pullos suos in alis, cogitans, Satius est vt in me penetret iaculum, quam in pullos meos. Ita & ego feci, inquit Deus, iuxta illud c. 14. 19. Tollensq; se angelus, &c. stetit inter castra Aegyptiorum & castra Israel: cumq; Aegyptij mitterent iacula & lapides, ipsa nubes, in qua latebat angelus, excepit ea.* hactenus ille. Aquila ergo se quasi clypeum opponit pro pullis: ita & facit Deus pro fidelibus & iustis. Rursum, sicut aquilæ fœtus suos per ardua extollunt & assuefaciunt ad solis intuitum, ita & Deus Hebræos per maxima obstacula perduxerat ad tam claram & familiarem Dei cognitionem & cultum. *Aquilæ pullos alis vectant.*

Historicè Nota, Dei prouidentiam & beneficentiam rectè comparari aquilæ. nam aquilæ singularis est amor tum in pullos, tum in hominem, præsertim si is virgo sit aut beneficus. Narrat Plinius lib. 10. c. 5. in Sesto educatam à virgine aquilam, eamque libertate donatam, hanc ei duplicis bene- *Aquilæ in pullos, & in virgines ac homines amor. Exempla profana.*

beneficij gratiam retulisse, primò vt aues, mox etiam vt venatus virgini aggereret. Quid, quòd cùm virginem diem obijsse, iamque rogum exurendæ extructum vidisset, in accensam pyram sese iniecit, & simul conflagrauit; quippe quæ pari leto interire, quàm altrici dominæ superuiuere satius habuerit.

Ptolemæum Soterem Arsinoæ filium ferunt Macedones expositum, & ab aquila nutritum. Hæc sublimis super infantem expansis alis, ab eo & æstum solis & pluuiam auertebat, aues gregales arcebat, & coturnicum sanguine tamquam lacte infantem alebat. testis est Suidas in Lago.

Aristomenem miro modo ab aquila ex alta fouea liberatum scribit, modumque fusè narrat Pausan. lib. 4.

Plutarch. in parallelis: *Cùm pestis, inquit, Sparta grassaretur, oracula monuerunt mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immolassent. Forte euenit vt Helena sors obtigerit: quæ cùm mactanda duceretur, aquila deuolans sacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatum super iuuencam demisit. cuius prodigij argumento hac virginum immolatio, quam diu Spartani ex oraculo obseruarant, sublata est.*

Pari prorsus pacto apud Valerios virgo, cui nomen Valeriæ Lupercæ erat, sacrificio fortè destinata, aquilæ beneficio seruata est.

Scribit ex Philarcho Athenæus, pullum aquilæ à puero alitum, eum quasi fratrem adamasse, ægrotanti mœstum astitisse; cùm non ederet, ipse pariter cibum non admittebat: eo mortuo funus prosecutus, cùm cremaretur, in rogum se pullus iniecit.

Scribit Ælianus lib. 17. c. 37. agricolam hausturum aquam, aquilam cum serpente pugnantem, eo falce dissecto, victorem effecisse, moxque aquam hausisse, ex qua vtpote veneno à serpente infecta, socij eius bibentes paulò pòst expirarunt: cumque ipse inde bibere pararet, aduolauit aquila, poculum euertit, aquam effudit, itaque eum veneno & morte liberauit.

Idem lib. 12. 21. narrat Tilgamum regem Babylonis, cùm puer esset, iussu aui præcipitatum, ab aquila subuolante quæ puerum dorso excepit, liberatum, & in hortum quemdam leniter depositum. *Hoc, inquit, si cui fabula videtur, me quoque non approbare illi fatebor. Audio tamen Achamenem Persam quoque, à quo nobilis Persarum prosapia descendit, aquilæ alumnum fuisse.*

Sacra. Hæc profana sunt, audi sacra. Deus enim Sanctos mirè sæpè per aquilas iuuit.

S. Medardum, cùm puer esset in campo pluuiæ expositus, ab aquila alas & corpus super eum expandente, immunem seruatum esse, habet eius Vita.

S. Benedicti à latronibus occisi corpus in aquam proiectum, ab aquila demonstratum est.

S. Stanislai Cracouiensis Episcopi à Boleslao rege occisi corpus, quatuor aquilæ à canibus & feris defenderunt toto biduo, donec sacerdotes disiecta membra collegerunt, quæ subitò coaluisse dicuntur.

Ven. Beda de S. Cuthberto Episcopo Linsfardiensi refert, quòd aquila miraculosè piscem acceperit è flumine, eumque S. Cuthberto, ne fame periret, detulerit.

Sancti quasi aquilæ in cælis habitant. Tropolog. Sancti, præsertim illustres, in cælis habitant quasi aquilæ, ibique eos Deus sibi assumit, quasi suos familiares & aulicos. Vnde S. Gregor. 31. Moral. 34. explicans illud Iob 39. *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?* S. Paulum & Sanctos comparat aquilæ. *Videamus*, inquit, *aquilam nidum in arduis sibi construentem, qui ait: Nostra conuersatio in cælis est. Et rursum: Qui conresuscitauit, & consedere fecit nos in cælestibus. In arduis habet nidum: quia profectò in supernis figit consilium, non vult mentem in ima deijcere, non vult per abiectionem conuersationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cùm se consedere Christo in cælestibus testaretur: sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat; non illic, vbi illum necessariò pigra adhuc caro retinebat.* Deinde in sequ. hanc mentis in cælo positæ altitudinē ostendit esse signum diuinæ prædestinationis & electionis ad gloriam. Hoc est enim quod ait Isaias c. 58. 14. *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob.*

Meritò ergo S. August. serm. 2. de omnibus Sanctis, ita fideles exstimulat: *Ad hanc in cælis palmam libenter ac promptè certemus, omnes in agone iustitiæ Deo & Christo spectante curramus: & qui sæculo & mundo maiores esse cœpimus, à cursu nostro nulla sæculi cupiditate retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currentes dies vltimus inuenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator.*

Hac de causa Gentiles in funere Imp. aquilam è rogo emittebant, quæ animam defuncti ferret in cælum. Audi Spartian. in funere & apotheosi Adriani Imper. *E fastigio simul cum subiecto igne ascensura in cælum aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam principis animam deferre.* Idem de Augusto testatur Dio in eius funere lib. 56. testantur & nummi, qui vna parte habent effigiem Diui Imp. in altera verò aquilam, cum his verbis: *Consecratio S.C.* Quin & principes post mortem aquilæ insidere, ab eaque vehi fingebantur pingebanturque. Audi Artemidorum in suis Diuin. som. l. 2. c. 20. *Aquila vehi regibus & opulentis viris obitum prædicit. Vetus enim mos est hos mortuos fingere & pingere aquilæ insidentes.*

Ita Imper. Seuero signa mortis attulerunt aquilæ quatuor, à quibus sibi visus est per nocturnam imaginem in cælum abripi. In nummo autem cuius inscriptio est, *Diuus Pert. Pius pater*, aquila est pilæ insidens, quasi ipsum supra cælum sublatum esse velit innuere. Denique epigramma in Platonis sepulchro aquilam appingit, quasi eius specie anima Platonis in cælum euolarit. sic enim habet:

Cur aquila ad tumulum hunc volitas? dic. numquid ab astris
Hic habitare Deum fortè aliquem intuita es?
Imò anima extincti sum diua Platonis, olympum
Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.

SI ERGO AVDIERITIS VOCEM MEAM, ET CVSTODIERITIS PACTVM MEVM, ERITIS MIHI IN PECVLIVM] q. d. Licet sitis pusillus grex, pusilla gens, eritis tamen totum pecus meum, id est, omnis substantia, totæ opes meæ. olim enim omnis substantia veterum erat in pecore, indeque dictum est peculium: peculium ergo est peculiaris & propria hereditas. hoc enim est quod dicitur Deuter. 32. 9. *Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius*, id est pars hereditaria eius; olim enim funiculis solebant hereditates inter heredes diuidere & dimetiri. VERS. 5. *Peculium quid?*

Pro

Segulla quid.

Pro *peculium* hebr. est סְגֻלָּה *segulla*, id est, pars siue portio electa & dilecta, qualis est thesaurus. q.d. Licet meus sit vniuersus orbis, omnesque populi, vos tamen eritis mihi chari & pretiosi instar cimelij, vel thesauri; vnde Septuag. & ex ijs S. Petrus & Paulus vertunt, *eritis mihi λαὸς περιούσιος*, id est *populus peculiaris*, exquisitus & eminens; vnde & Symmachus vertit, *eritis mihi λαὸς ἐξαίρετος*, id est *populus selectus*, egregius, eximius. Lyranus vertit, *eritis mihi amicabilitas*, id est, eritis mihi ita amici, ac si essetis ipsa mea amicabilitas. vide dicta ad Titum 2.

MEA EST ENIM OMNIS TERRA] Cùm tota terra sit mea iure creationis & conseruationis, possum & volo vos ex ea mihi in peculium asciscere: ita vt tota terra mea sit hereditas, vos verò sitis meum peculium, meum segulla.

VERS. 6. *Regnum sacerdotale quid.*

ET VOS ERITIS MIHI IN REGNVM SACERDOTALE] Hebr. *in regnum sacerdotum*, id est sacerdotale. Hebræi enim genitiuum substantiuum vsurpant pro epitheto adiectiuo, q.d. Vos eritis regnum meum, at non laicum & profanum: sed sacrum, meoque cultui & sacrificijs addictum. Septuag. inuertunt verba, *Eritis mihi regale sacerdotium*; quos sequitur S. Petrus epist. 1. c. 2. sed idem est sensus: vtramque enim dignitatem, quæ in rep. est summa, scilicet regni & sacerdotij sui, hic Deus Hebræis præ ceteris gentibus tribuit. Chald. vertit, *eritis mihi reges & sacerdotes*. q.d. Vos non singuli, sed ex vobis aliqui deputati erunt reges, per quos regnabitis, & aliqui erunt sacerdotes, per quos sacrificia offeretis Deo. Potest tamen Secundò, hoc de singulis accipi, quasi cuique in particulari, non autem soli reip. hoc promittat Deus. q.d. Singuli eritis quasi reges, quia Chananæis, alijsque gentibus dominabimini; quomodo Pyrrhi legatus dixit se Romæ tot reges, quot senatores vidisse. Eritis & sacerdotes, quia inter alias gentes soli eritis meo cultui meisque cæremonijs addicti. Porro regnum & reges tam actiuè quàm passiuè accipio. q.d. Vos eritis reges, ita tamen vt ego in vobis regnem.

Quærunt hic aliqui, cur Moses Iudæis promittat regnum sacerdotale; S. Petrus verò epist. 1. c. 2. inuersè Christianis spondeat sacerdotium regale? Ac respondent Primò, quia regalis dignitas, quæ apud Iudæos perfecta erat, apud Christianos imperfectior reddita est: sacerdotium verò, quod apud eos imperfectum erat, apud Christianos perfectissimum, regnisque & regibus prædominans euasit. Secundò, quia lex Mosis erat lex iustitiæ, iuxta illud: *Ego Deus zelotes*, siue *æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios*, Deuter. 5. 9. Lex verò Christi est lex misericordiæ. Regalis auctoritas iustitiam tuetur; ideo enim gladium portat: sacerdotalis autem misericordiam. Talis enim, vt ait S. Paulus Hebr. 7. decebat vt nobis esset pontifex, qui possit condolere ijs, qui ignorant & errant, ac compati infirmitatibus nostris. Appositè ergo iustitiæ tempore, putà in lege veteri, regalis præeminebat auctoritas: misericordiæ verò tempore sacerdotalis dignitas effecta est præstantior; quia à regia potestate iustitia, à sacerdotali pietas & misericordia expectanda est. ita Ascanius Martinengus in Genes. tomo 1.

Alludit ad historiam Genes. 47. 22. vbi redditur ratio, cur soli sacerdotes in Ægypto non fuerunt in communi fame compulsi vendere possessiones suas; nimirum quia terra sacerdotalis tradita fuerat à rege sacerdotibus, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Itaque ingens erat honos & gratia quam rex Ægypti sacerdotibus deferebat, magnaque priuilegia, immunitates & exemptiones, quibus sacerdotes Ægypti fruebãtur. Porrò fames, labores & ærumnæ, quæ ceteros affligebant, sacerdotes ne minimùm quidem perstringebant, singulari regis in ipsos beneuolentia & beneficio. Hæc enim notissima erant populo Israel ex Ægypto egredienti. q.d. Faciam vos meum peculium, vti vidistis in Ægypto sacerdotes esse peculium regis. Sic in Hispania militares ordines, vt S. Iacobi, atque alij, sunt peculium regis. Porrò sacerdotes Ægypti vocantur Reges, id est regis amici; & quia erant iudices populi, atque summus sacerdos erat summus iudex, vt tradit Ælianus l. 14. c. 34. ita Alcazar in Apoc. 1. v. 5.

Omnes probi Christiani sunt reges.

Mysticè, omnes Christiani probi & sancti sunt reges, inquit S. Gregor. 26. Moral. 26. *Nam dominantes cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æstum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis deprimunt, modò suggestionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt: reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo, non succumbere; sed dominando & regendo, præesse nouerunt.* hinc in cælo accipient regnum: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei sedere mecum in throno, sicut ego vici, & sedi cum Patre in throno eius.* tunc dicent illud Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram*, imò super cælum & cælos cælorum.

GENS SANCTA] separata ab alijs gentibus profanis & idololatris, mihique soli mea vocatione & electione addicta, & quasi consecrata.

CVMQVE RETVLISSET MOYSES VERBA POPVLI AD DOMINVM] q.d. Cùm Moses eadem die redijsset ad Dominum, & obedientiam verbaque populi ad Dominum referre cogitaret & inciperet; præuenit eum Dominus, & ait, *Iam nunc veniam ad te in caligine*. nam post ea Domini verba Mosen nuntiasse & retulisse Domino promptam populi obedientiam, & ad eam respondisse Dominum, sequentia verba docent. id clarius est in Hebræo, vbi post populi verba, Moses ea retulisse ad Dominum dicitur, sed indefinito tempore. Nota. Hebræi factum dicunt id, quod fit, & incipit. vide can. 22. Retulit porrò Moses, non quòd ea nesciret Deus, sed vt obsequentem populi voluntatem Domino offerret: quomodo angeli hominum vota ad Deum referunt, cum ijs & sua iungentes. VERS. 8.

IAM NVNC VENIAM AD TE IN CALIGINE] vt te legislatorem Hebræorum constituam, qui eis des legem non humanam, sed diuinam: quod vt sciat credatque populus, hac de causa de cælo loquar tecum, daboque tonitrua, fulgura, &c. coram populo. Sic enim & Gentiles legislatores, vt Zeleucus, Zoroastres, Minos, (sic & Mahomet) auctoritatem aucupantes, cum Deo se collocutos, ab eoque leges se accepisse finxerunt. Ita Lycurgus legislator Lacedæmoniorum, Delphos profectus consuluit oraculum: respondit Pythia, eum dijs charum, magisque Deum quàm hominem esse; quærentique de bona legum latione dixit dari ac sponderi à Deo eum reipubl. statum, qui omnium longè esset præstantissimus. Quare Lycurgus leges suas vocauit ῥητρα, quasi VERS. 9.

Legislatores prisci è cælo se leges accepisse finxerunt.

dicas,

dicas, oracula. Ita Numa Pompil. legislator, & secundus rex Roman. cum dea Egeria se colloqui finxit. Ita Pythagoras aquilam cicuratam vocibus sistere & deducere solebat, quasi per eam è cælo sua dogmata acciperet. testis est Plutarch. in Numa & Lycurgo. Mercurius, qui primus Ægyptijs leges dedit, Theologus habitus fuit diuinus, ideoque Trismegistus, id est ter maximus, cognominatus.

VERS. 10. SANCTIFICA ILLOS HODIE ET CRAS, LAVENTQVE VESTIMENTA SVA] q.d. Edic & iube, vt hodie & cras Hebræi separent se ab omni immunditie, vtque corporalem sui & castrorum munditiem, lauando & purgando procurent. Vnde Philo lib. de Decalogo asserit, eos per triduum lauacris fuisse purificatos, idque vt hac ratione rudis ille populus excitaretur, ad diuinæ legis tertio die accipiendæ reuerentiam. Vnde Chald. vertit, *prapara eos*. Hinc & iussit Moses quemque suas lauare vestes, vt hæc exterior lotio eos interioris lotionis & purificationis admoneret, vt pura mente Deo occurrerent. Sanctificatio ergo hæc & præparatio Primò & potissimùm sita erat in continentia, vt scilicet abstinerent ab vxoribus. sic [illegible] eam explicat Moses v. 15. Secundò, in lotione corporum & vestium; Tertiò, in purgatione castrorum; Quartò, in reuerenti expectatione Dei, promulgaturi suam legem.

Sanctificatio Hebræorum in quatuor rebus sita.

VERS. 11. ET SINT PARATI IN DIEM TERTIVM; IN DIE ENIM TERTIA DESCENDET DOMINVS CORAM OMNI PLEBE, SVPER MONTEM SINAI] Dies hic tertius fuit quinquagesimus à paschate, & ab egressu ex Aegypto, fuitque pentecoste, qua legem à Deo acceperunt in Sina; nam in memoriam datæ legis hoc 50. die à paschate, quotannis celebrabant Hebræi pentecosten, vt docet S. Hieron. ad Fabiol. & S. Augustinus quæst. 70. & passim alij.

Pentecoste est festum datæ legis.

Hic tertius dies fuit sextus mensis tertij, qui dicitur Siuan, & Maio respondet: nam tertio die Siuan venerunt Hebræi in Sina, vt patet vers. 1. inde ab aduentu suo die tertia, quæ erat sexta mensis Siuan, legem acceperunt. Vnde Hebræi in suis Calendarijs, teste Genebrardo, pentecosten consignant die sexta Siuan; & patet, quia sexta Siuan est quinquagesima ab egressu, & paschate exclusiuè. Hi enim 50. dies à paschate ad pentecosten ita numerandi sunt, vt pascha, siue primus dies azymorum excludatur, & primus dies horum quinquaginta sit secundus dies azymorum, qui fuit alter à paschate, & ab egressu, vt patebit Leuit. 23. vers. 11. Numera ergo à secundo die azymorum, putà à decimosexto die mensis primi, reliquos 14. dies eiusdem mensis, & 30. dies mensis secundi (Hebræorum enim menses, vtpote lunares, alterni erant 29. & 30. dierum) habebis dies 44. his adde sex dies mensis tertij, complebis 50. siue pentecosten. Errat ergo Abulensis hic quæst. 10. dum asserit legem datam esse die non 50. sed 48. ab egressu: idque ex eo, quòd putet Hebræos venisse in Sina die prima mensis tertij, ac tertio pòst die accepisse legem. Dies enim prima mensis, inquit ipse, vocatur *dies hac* vers. 1. Verùm ibi ostendi, quòd *dies hac*, vocetur non prima, sed tertia.

Pentecoste erat sexta dies mensis tertij, quia eo die data est lex.

DESCENDET DOMINVS] descendam ego. Est enallage personæ crebra apud Hebræos. Descendam, inquam, non motu locali, sed reuelatione gloriæ meæ, vti indicat Chald. vide vers. 18.

A CAVETE, NE ASCENDATIS IN MONTEM, NEC TANGATIS FINES ILLIVS] tamquam curiosi scrutatores præsentiæ & maiestatis diuinæ: sed potiùs eam reuerentes continete vos castris & iumenta vestra. VERS. 12.

Tropolog. S. Gregor. lib 6. Moral 27. *Bestia, ait, montem tangit, cùm mens irrationabilibus desiderijs subdita, ad contemplationis alta se erigit: sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur.*

OMNIS, QVI TETIGERIT MONTEM, MORTE MORIETVR: MANVS NON TANGET EVM, SED LAPIDIBVS OPPRIMETVR] Quia hic, qui contra præceptum meum audacter & irreuerenter tangit montem, Dei præsentia iam sacrum, censendus est sacrilegus, adeoque pollutus & immundus, vt tamquam anathema vitandus sit, nec tangendus, ne B quam eùm attrectantibus labem affleт; non ergo cominùs eum feriri, sed eminùs lapidari iubeo. ita Rupertus. VERS. 12. & 13.

Tangens Sina iubetur lapidari.

CVM COEPERIT CLANGERE BVCCINA, TVNC ASCENDANT IN MONTEM] Hebr. est, *cùm traxerit*, vel *protraxerit buccina*, id est, vt noster Interpres vertit Iosue 6. 5. *Cùm insonuerit sonus longior & concisior buccinæ*. Verùm quia Hebræi nulla habent verba composita, sed ea per simplex exprimunt, hinc Septuag. & Chald. *abstrahere* vel *subtrahere* vertunt contrario sensu: *Cùm subtractus fuerit, cessaueritq́; sonus buccinæ, tunc ascendite in montem*. Sed noster Interpres vsitatius verbi significatum secutus est, cùm vix in altera, quam habent Septuag. significatione reperiatur. vnde & passim ita vertunt recentiores. atque ad vocem tubæ, non autem ad cessationem tubæ Hebræos ascendisse in mon- C tem, patet v. 16. & 17. ex communi omnium interpretum versione & consensu. VERS. 13.

Buccina hæc, inquiunt Iudæi, fuit cornu arietis immolati pro Isaac: sed hæ sunt nugæ. buccina ergo hæc non fuit cornea, sed aërea: angelus enim aërem collidens, vt sonum ederet similem inflatæ buccinæ, quasi per buccinam hîc buccinare dicitur. Angelus ergo clangens de monte Sina, vt habent Chald. Septuag. & indicant sequentia, hoc clangore populum euocabat ex castris à monte dissitis, vt veniret ad radicem montis, ibique legem decalogi, angelo, quasi præcone Dei proclamante, audiret.

Buccina angeli aërea.

Mysticè, sonitus buccinæ significabat grauitatem præceptorum Dei, quæ vt impleantur, homini indicitur bellum contra seipsum, inquit S. Thomas in cap. 12. ad Hebr. lect. 4.

significant grauitatem legis Dei.

D ASCENDANT IN MONTEM] ascendant versus montem, vsque ad terminos à Mose iussu Dei præfixos, in ipsa montis radice. vide v. 17. nam v. 12. iussi sunt sub pœna mortis montem ipsum non tangere. Iubentur ergo hîc tantùm castris egredi, & ad radices montis Sina propiùs accedere. ita Rupertus, Hugo, & alij. Adde, totus hic mons igne fumabat, vt patet Deuter 5. 4. ergo non poterant ad eum propiùs accedere Hebræi.

SANCTIFICAVIT EVM] eo modo, qui iam dictus est, quique sequitur, scilicet iubendo lauari vestimenta, & abstinere ab vxoribus, atque comparare se per munditiem, & reuerentem expectationem Dei eiusque legis, in diem tertium, quo futura erat decalogi promulgatio. VERS. 14.

TOTVS AVTEM MONS SINAI FVMABAT; EO QVOD DESCENDISSET DOMINVS SVPER EVM VERS. 18.

in

A IN IGNE, ET ASCENDERET FVMVS EX EO, QVASI DE FORNACE] Deuter. 4. v.11. dicitur mons Sina arsisse vsque ad cælum. Sicut ergo in fornace partim flamma & ignis, partim fumus necdum accensus, sed cum igne conuolutus conspicitur: ita pariter ignē fumo mistum in Sina angelus vice Dei produxit, idque siue ex aëre, siue ex fumosa quapiam materia, quæ facilè ignem concipit, putà ex thure, resina, sulphure, &c.

Fumus Sina vnde.

Nota. Ignis est insigne diuinæ ac regiæ maiestatis: hinc Deus in rubo Mosis, in columna, in mōte Sina, in templo, & alibi, cùm eius regia aut iudiciaria potestas exprimitur, in igne apparuit. Ignis enim præit illum, tamquam verum regem & iudicem maximum. Psalm. 49. *Deus manifestè veniet,* &c. *ignis in conspectu eius exardescet,* id est, prælucebit regi vero. psalm. 96. agens de Christi iudicio, *Ignis,* inquit, *ante ipsum præcedet.* B Ita Imperatoribus olim præferebatur ignis, teste Herodiano, quia ignis est symbolum tum principatus, vt qui primus ac princeps inter elementa virtute ac splendore emineat: tum vitæ, doctrinæ, felicitatis, potentiæ & gloriæ, quibus rebus Deus Diuique pollent, & post eos principes, reges ac iudices. Hinc Varro, ignis, ait, dicitur à gignendo & nascendo, quòd ab igne omnia nascantur, & ignis animantibus vim indat mirificam.

Symbol. Cyprianus libr. 3. Testimon. ad Quirinum, hoc igne, vti & igne rubi, Exodi 3. & linguis igneis in pentecoste Actor. 2. significatum putat Spiritum sanctum. Porrò ignis hic fumans, ipseque fumus, minax erat incendij, si legem Dei violarent, vti de facto ob legis violationem, vrbs & templum primò à Chaldæis, deinde à Tito & C Romanis incensa, & in fumum cineresque redacta sunt.

ERATQVE OMNIS MONS TERRIBILIS] Bene vertit Noster si alijs punctis in Hebræo legas in hiphil ויחריד *vaiachared,* id est, & terruit, siue perterrefecit Hebræos hic mons. Iam alijs punctis in cal legunt ויחרד *vaiecherad,* id est, vt Chald. *& contremuit totus mons,* ideoque pariter erat terribilis.

Terra motus Sina.

Terræ motu fuisse hic concussum montem Sina, patet quoque psal. 67. 9. *Terra mota est; etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.* Vnde patet, simul cum terræ motu, inter ignes & fulgetra, de quibus v.16. hic, extitisse pluuiam, quod & Iosephus testatur. Septem ergo fuerunt terribilia in Sina, cùm ibi daretur lex. Primò, totus mons tremebat. Secundò, totus mons igne & fumo ardebat. Tertiò, horrenda erant tonitrua & D fulgura. Quartò, erat caligo densissima. Quintò, erat pluuia & procella, vt ait Apostolus Hebr. 12. 18. Sextò, sonus buccinæ perstrepebat. Septimò, angelus è Sina voce tubali & horribili decalogum proclamabat. Omnia hæc eò spectabant, vt Hebræos sacro quodam horrore, timore & reuerentia tum numinis, tum legis, quam accepturi erant, obseruandæ percellerent. Aptè quoque pluuia legem, quasi doctrinam è cælis descendentem significabat. vnde illud Mosis Deuter. 32. v.2. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam.*

Septem terribilia in Sina cùm daretur lex.

Allegor. tonitru significabat terrorem prædicationis Euangelij. vnde Paulus à S. Hieronymo vocatur tonitru Gentium; fulgura significabant claritatem miraculorum; vox buccinæ fortem prædicationem Apostolorum. Dominus descendit in igne & fumo; quia fideles suæ claritatis & Euangelij ostensione illuminat, & infidelium oculos fumo & caligine erroris obscurat, inquit Isidorus.

Allegor. tonitrui, fulgurū, buccinæ, &c.

DEVS RESPONDEBAT EI] Hebraicè additur *per vocem,* q.d. Non per phantasmata aut visiones, sed exteriùs clara voce Deus respondebat Mosi, vt Hebræi Deum cum Mose legislatore suo loquentem audirent. VERS. 19.

Nota. Qui hîc passim cum Mose loquitur, quique sequenti cap. decalogum ex Sina proclamauit, fuit angelus, vt patet Actor. 7. 38. & Galat. 3. v.19. vbi disertè dicitur legem datam esse per angelos: dicitur tamen hic angelus Deus, quia Dei personam gerebat, eiusque legem tradebat, tamquam Dei præco & legatus.

DESCENDITQVE DOMINVS SVPER MONTEM SINAI IN IPSO MONTIS VERTICE, ET VOCAVIT MOYSEN] Descenderat iam Deus per angelum v.18. super montem in igne, sed quasi sursum adhuc eleuatus super montem, & in aëre consistens; hoc enim innuit τὸ *super*: hîc verò vlteriùs descendit ad ipsum verticem, eoq; Mosen euocat. Moses enim infra verticem consistebat, ibique cum Deo, audiente populo vicino, & ad radices montis consistente, colloquebatur: vnde hîc iubetur à Deo cacumen montis ascendere, ad quod pariter Deus densiore nube, & maiore gloria descendit. Perperam ergo Caluinus hîc carpit nostrum Interpretem, dum vult vertendum esse, non, *descendit,* sed, *descenderat autem,* scilicet iam antè v.18. VERS. 20.

NE FORTE VELIT TRANSCENDERE TERMINOS] Hebraicè est, *ne destruant, ne dissipent,* subaudi terminum à me statutum. vnde colligi videtur, limitem hunc & terminum sepe aliqua, vel palis obductum fuisse, quæ accedenti ad montem disijcienda foret. VERS. 21.

SACERDOTES QVOQVE, QVI ACCEDVNT AD DOMINVM, SANCTIFICENTVR, NE PERCVTIAT EOS] Necdum Aaron eiusque filij creati erant sacerdotes: sacerdotes ergo hîc intelligit eos, qui ante Aaronem in populo, ex lege naturæ erant sacerdotes, quos multi putant fuisse primogenitos familiarum. ita Caietan. Lipoman. & alij. Tales sanè fuisse videntur iuuenes illi, quos Moses c. 24. 5. misit immolare holocausta. VERS. 22.

Nota τὸ, *qui accedunt ad Dominum,* q.d. Quorum munus est accedere ad Dominum, vt orando & sacrificando sint mediatores inter Deum & populum. Iubet ergo Deus sacerdotes cum cæteris, imò præ cæteris sanctificari, id est, se emundare ab omni sorde & macula, vestimenta lauare, abstinere ab vxoribus, & reuerenter expectare Deum decalogi promulgatorem.

DIXITQVE MOYSES, NON POTERIT VVLGVS ASCENDERE IN MONTEM] q.d. Non præsumet populus id, quod scit à te vetitum sub pœna mortis. consuetudinis & colloquij diuini auidior Moses deprecatur, & excusat se, ne iubeatur redire ad populum. VERS. 23.

TESTIFICATVS ES] protestatus es.

SANCTIFICA ILLVM] q.d. Montem Sina termino, vel sepe aliqua separa ab accessu populi, vt mihi soli mons hic quasi dicatus videatur.

VADE, DESCENDE] vt sacerdotibus etiam denunties, ne transeant terminos montis, à me præstitutos: de sacerdotibus enim priore præcepto v.21. nihil attigi. Deinde *descende,* vt seueriore interdicto & pœna idipsum firmes & sancias, videlicet VERS. 24.

Descendit Moses de Sina quatuor de causis.

videlicet non à populo, sed à me Deo vestro eum, qui secùs faxit, terminosque montis transierit, interficiendum esse. Tertiò, *descende*, vt Aaron destinatum iam sacerdotem, tecum in monte ad me adducas, idque hoc fine, vt hac ratione eius sacerdotium à me populo commendetur, illique fiat venerabile & reuerendum, cùm hunc à me honorem Aaroni deferri videbit, vt eum mea vocatione & præsentia digner. Quartò & maximè, *descende*, vt tu, ô Moses, sub vertice montis penè cum populo constitutus, velut vnus ex eo legem meam, putà decalogum (quem cap. sequ. ex Sina proclamabo) cui tu quoque subiectus es, audias; sed hanc rationem subticet hîc Deus.

Allegor. datæ legis in Sina. Allegor. promulgatio legis veteris significabat promulgationem legis nouæ: vtraque enim facta est die quinquagesimo à paschate, putà in pentecoste. ibi terræ motu contremuit mons: hic domus discipulorũ. ibi inter flãmas ignium & micantia fulgura fragor tonitruorũ personabat: hîc cum ignearũ visione linguarũ sonitus pariter de cælo tãquam A spiritus vehementis aduenit. ibi clangor buccinæ verba legis perstrepebat: hîc tuba Euãgelica Apostolorum ore insonuit. ita Beda in homilia vigiliæ pentecostes, & S. Hieron. ad Fabiol. quin & Apostolus Heb. 12. 18. *Non enim accessistis*, inquit, *ad tractabilem montẽ, & accensibilem* (accensum) *ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum; sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, &c. videte, ne recusetis loquentem.*

B Descenditque Moyses ad popvlvm] vt præceptum de non transgrediendo limite montis populo promulgaret: quo facto statim rursus cum fratre Aarone, vti ei iusserat Deus v. 24. ascẽdit aliquousque, ita vt à populo ad radices montis stante distaret, vt patet cap. 20. 19. ibique Moses stans audiuit decalogum proclamari ab angelo, indeque postea euocatus in verticem ascendit, cap. 20. 21. accepturus ibidem à Deo leges alias cæremoniales & iudiciales, tumque Aaronem & populum ad castra remisit, vt patet Deuter. 5. 30. Vers. 25.

CAPVT VICESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus ex Sina toti populo Hebræorum proclamat, & promulgat decalogum. Secundò, v. 21. Moses ascendit ad Deum in caligine verticis Sina latentem, iubeturq́; ab eo facere altare ex terra, vel lapide infecto.

1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: 2. Ego sum Dominus Deus
tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. 3. Non habebis deos
alienos coram me. 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est
in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.
5. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me:
6. & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.
7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.
8. Memento vt diem sabbati sanctifices.
9. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.
10. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas.
11. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.
12. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.
13. Non occides.
14. Non mœchaberis.
15. Non furtum facies.
16. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.
17. Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.
18. Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul,
19. dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.
20. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.
21. Stetitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.
22. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel: Vos vidistis quòd de cælo locutus sim vobis.
23. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.
24. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oues vestras & boues in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi.
25. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.
26. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.

VERS.1. LOCVTVSQVE EST DOMINVS CVNCTOS SERMONES HOS] Buccina, quæ hactenus confusum buccinæ sonum dederat, iam angelo voces distinguente, articulatum dedit sonum verborum sequentium, putà decalogi. Decalogum enim hic angelus Deum repræsentans, quasi legislator tubali voce, quæ à toto populo, (à tribus millionibus hominum) exaudiri posset, promulgauit. ita Nyssen. Philo, & alij.

Angelus loquitur vt Deus. Angelus ergo dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus,* &c. quia loquitur in persona Dei; perinde vt Prorex Neapolis in suis edictis dicit & scribit: *Nos Philippus Rex mandamus,* &c. quia nomine Regis Philippi edicit & imperat.

Iudæi dicti quasi ius Dei, ait Prosper. Hinc Prosper libr. 1. Promiss. vlt. Iudæos inde dictos putat, quòd receperint ius Dei, id est legem Dei. Verùm hæc tantùm apta est allusio ad nomen Latinum; nam alioqui certum est Iudæos hebraicè vocari & denominari à Iuda patriarcha, Genes. 49. 8.

VERS.2. EGO SVM DOMINVS] Hîc incipit decalogus, quem totum commodiùs explicabo Deuter. 5. v. 6. ibi enim totus repetitur meliori ordine.

VERS. 18. CVNCTVS AVTEM POPVLVS VIDEBAT VOCES] *Videbat*, id est, percipiebat non visu, sed auditu, id est audiebat. Hebræi enim sæpè sensum vnum cum altero commutant, ac præsertim visum pro quolibet sensu sumunt, quia visus est omnium sensuum præstantissimus & certissimus, inquit S. August. qu. 72. vide canon. 5. Videre ergo voces hîc idem est, quod voces cognoscere: nam, vt ait Philo libr. de Decalogo, vox hæc Hebræis tam clarè & sonorè se ingerebat, vt videre magis eam quàm audire se putarent.

ET LAMPADES] fulgura lucentia & flammantia instar lampadum. Vide cap. 19. 16.

ET SONITVM BVCCINÆ] Buccina, quæ ante decalogi promulgationem quasi tuba clanxerat, & euocauerat Hebræos ad legem Dei audiendam; illa, angelo decalogum voce articulata proclamante, siluerat: sed peracta decalogi promulgatione, mox rursum quasi tuba clangere & strepere cœpit. Vnde timens populus, ne rursus Deus voce sua sonora & terribili loqueretur, rogauit Mosen, vt ipse foret internuntius, & vice Dei loqueretur, Deique iussa ac voces ad populum perferret: quin & hoc buccinæ sonitu & timore perculsus populus retrocessit à Sina, eminusque stetit, vti hîc dicitur.

VERS.20. VT PROBARET] vt experiretur vestrum timorem, reuerentiam & obedientiam.

VERS.21. STETITQVE POPVLVS DE LONGE] Intellige ex cap. præcedenti v. 24. Mosen cum Aarone ascendisse vltra radices montis Sina: populumque siue principes populi voce Dei perterrefactos, ad Mosen vociferatos esse ac rogasse, vt Deus eis non loqueretur, sed Moses. quod audiens Dominus probauit petitionem populi, iussitque eum redire ad tentoria sua cum Aarone, Mosen verò iussit manere in monte, & in eius cacumen conscendere, vt ibi alia, quæ sequuntur, Dei mandata audiret, eaque ad populum referret. vide Deuter. 5. 23. & sequent.

MOYSES AVTEM ACCESSIT AD CALIGINEM, IN QVA ERAT DEVS] Significabatur hac caligine Deus & natura diuina, quæ cognitionem omnem hominum & angelorum in immensum transcendit. Deus ergo sibi ipsi est summa lux, nobis

Deus sibi est lux, nobis caligo.

A autem est summa caligo: sicut sol in se lucidus est, idem tamen oculo noctuæ infirmo & debili opacus est, caliginosus & inuisibilis. Vide S. Dionys. de Mystica Theolog. cap. 1. Nyssen. hîc, & D. Thom. in illud 1. Timoth. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem*. Ita Ægyptij diuinæ naturæ immēsam obscuritatem significantes, dictitabant primum omnium principium tenebras esse, super omnem intellectum positas. Adhæc in sacris Deum ter vocabant *incognitam caliginem*, vti ex Damascio Platonico docet Nicol. Caussinus in Polyhistore Symbolico l. 1. cap. 1. Verè Psaltes psal. 17. 12. *Posuit* (Deus) *tenebras latibulum suum. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt.*

NON HABEBIS DEOS ARGENTEOS] Hebr. additur *mecum*, quos videlicet vnà mecum colas. Refricat Deus primum decalogi præceptum hîc, & alibi sæpè, vnumque Deum inculcat; quia Hebræi in Ægypto idolis assueti, ad idola valdè erāt procliues. Docet Lactantius lib. 1. 15. veteres retulisse in deos homines de Republ. bene meritos, tum vt eis se gratos ostenderent, tum vt hoc exemplo & præmio acuerent aliorum virtutem. Hinc Apollinem cithara, Æsculapium medicina, Saturnum & Cererem agricultura, Liberum siue Bacchum vitis & vinum, Vulcanum fabrica deos fecit. Hinc Ægyptus Isidem, Athenæ docta vrbs Mineruam coluere: quòd illa lini, hæc olei vsum artemque lanificij reperisse feratur. Idem c. 22. apud Romanos auctorem huius superstitionis tradit fuisse Sabinum, qui vt eam populo persuaderet, finxit se cum dea Egeria nocturnos habere congressus. Vide S. August. l. 4. de Ciuit. & seq. VERS. 23.

B

Tropol. dij aurei & argentei auaris sunt opes & nummi aurei: vnde auaritia ab Apostolo vocatur idolorum seruitus. Nam, vt ait Innocent. III. Pont. libr. de Vilit. cond. humanæ: *Sicut idololatra seruit simulacro, sic auarus seruit thesauro. Nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum diligentia colit simulacrum, & iste cum omni cura custodit thesaurū. Ille spem ponit in idololatria, & iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulacrum, & ille timet minuere thesaurum.*

C

ALTARE DE TERRA FACIETIS MIHI] q. d. Non facietis altare ex auro vel argento, ex quo faciunt gentes suos deos & suas aras, sed ex terra, siue rudi, siue potiùs cocta & formata in lateres. q. d. Altare non elegans, non aureum, non pretiosum, sed simplex & lateritium facietis mihi. ita Caietanus. & hoc innuit vox Hebræa; in Hebræo enim non est ארץ *erets*, sed אדמה *adama*, quod terram rufam & luteam significat, ex qua fiunt lateres. *Altare de terra exigit Deus.*

D

Talia fuere & prisca Romanorum altaria, de quibus Tertull. in Apologetico: *Nam etsi à Numa concepta religio est, nondum tamen aut simulacris aut templis res diuina apud Romanos constabat, & nulla Capitolia cælo certantia, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & deus ipse nusquam.* At postea, qualia Romæ templa! quales aræ! audi Silium, apud quē Iupiter prædicit de illo Domitiani:

Aurea Tarpeia condet Capitolia rupe,
Et iunget nostro templorum culmina cælo.

Quæres, cur altare ex terra, vel ex lapide impolito, non autem ex marmore, auro vel argento sibi erigi voluerit Deus? *Cur?*

Respondet Primò, R. Abraham, Deum lapides altaris leuigari, aut poliri, & omnino attingi ferro

ferro vetuisse, quia nefas, inquit, erat, eorum lapidum qui ad rem tam sacram erant adhibendi, particulas scalpello abrasas in terram aut sterquiliniū decidere. *Secunda.* Secundò, R. Moses Maimonius causam dat hanc, ne scilicet ex frustis sacrorum lapidum simulacra sibi formarent idololatræ, ad superstitiosos cultus, aut magicas artes. *Tertia.* Tertiò, R. Simeon, & R. Moses Gerundensis, quin & Diodorus, atque ex eo Theodoret. q. 44. hanc dant causam: Altare, inquiunt, comparatum est ad salutem, & ad extendendam prorogandamque hominis ætatem; at hæc ferro amputatur: ferro enim multi hominum trucidantur. ferrum ergo, quod tantam perniciem hominibus affert, non decuit adhiberi; hinc & in templo Salomonis nullus ferri fuit vsus siue pro materia, siue pro instrumento, adeò vt ne claui quidem ferrei sint adhibiti, sed ænei, cæteroqui ex ferro aptiores futuri. Vnde & Cicero l. 2. de Legibus, æs & ferrum arcet à delubris, vt duelli instrumenta, non fani. *Quarta.* Quartò, Latini aliqui hanc dant causam. Iussit, inquiunt, Deus ea altaria, quæ interea fierent, dum ipse habitaret in tentoriis, id est, ante ædificatum à Salomone templum, loco in perpetuum electo, vel ex terra congesta, vel rudibus tantùm lapidibus construi; vt vel citò dilaberetur, vel temerè accumulatæ moles potiùs, quàm altaria viderentur, ne religionum confusio scilicet ex diuersis altaribus, in quibus maiores sacrificassent, consequeretur apud posteritatem: cuiusmodi malum metuebant Israelitæ, cùm audissent Rubenitas ingens altare erexisse apud Iordanem, Iosue 22. Hæc expositio vera est, sed non plena, nec adæquata. Quis enim dubitet in politissimo Salomonis templo, vbi secti & politissimi erant cæteri lapides, sectos & politissimos quoque fuisse lapides altaris? præsertim cùm de ipso templi pauimento expressè dicat Scriptura: *Strauit quoque* (Salomon) *pauimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo,* 2. Paralip. 3. 6. ac de ipso atrio dicatur, *Aedificauit atrium interius lapidum politorum,* 3. Reg. 6. 36. & c. 7. v. 12. *Et atrium maius rotundum trium ordinum de lapidibus sectis.* Si atrium fuit ex lapide scito & polito, multò magis altare. *Quinta.* Quintò, Andr. Masius in Iosue 8. nu. 13. Veteres, inquit, tam Iudæi, quàm Christiani simplicissima faciebant altaria, vt in ijs nihil nisi hostiam, putà corpus & sanguinem Christi à Christianis oblatum, à Iudæis verò adumbratum admiraremur. vnde, inquit, & detestabantur, si imago vlla in altari poneretur. *Masii error de imagine non ponēda in altari.* Verùm hic vnus est locus è duobus, quos censores Masii notarunt, & censuerunt corrigendos & castigandos. Certum enim est olim in templis & altaribus Christianorum fuisse imagines. id enim docet Prudentius in hymno de S. Cassiano, vbi scribit se in templo Cassiani vidisse super altare eius imaginē. Sic Valentinianus iunior admonitus à Sixto Papa (vt habet Anastasius in vita Sixti, Platina, & alij) posuit in ecclesia S. Petri supra tumulum, id est, supra altare B. Petri, imaginem auream Saluatoris. Similia habent S. Basil. orat. in Barlaam circa finē, Nyssen. orat. in Theodorum, Paulinus in Vita Felicis, Lactantius in carmine ad crucifixum, Euodius lib. 2. de miraculis S. Stephani, Athanasius ad Antiochum qu. 6. Citat Masius pro se S. August. & Optatum, sed perperā, vt patet loca ipsa intuenti. vide Bellarm. l. 2. de imagin. c. 9. Masium tamen interpretatur & excusat Serarius in Iosue 8. q. 16.

A Dico ergo, vera causa, cur Deus altare sibi fieri voluerit ex terra, vel lapide insecto & impolito, fuit, vt Hebræos ad idola pronos quàm longissimè ab idolorum sculpturis & picturis, atque à Gentium cultu rituque auocaret. *Sexta, & vera.* Gentes enim ex marmore aut metallis solebant splendida & magnifica construere idolis suis altaria (quale fecit Achaz rex idololatra 4. Reg. 16. 10. & 15. semoto & sublato altari Salomonis:) in ijsque sculpere vel pingere imagines, aut symbola, aut characteres suorum idolorum. Ab his ergo hac lege Hebræos auocare voluit Deus; hæc enim lex est appendix pertinens ad primum decalogi præceptum, de non faciendis idolis & sculptilibus: vnde & illi immediatè subnectitur, vt patet v. 23. & 24. B Ne ergo Hebræi crassi putarent, vel in ipsis sculpturis altaris affabrè factis, vel in ipsa materia pretiosa, putà auro vel argento, latere aliquid numinis, idcirco voluit Deus altare fieri rude ex terra, vel ex lapide insecto: hac enim de causa Baruch cap. 6. tam impensè eleuat & vilipendit materiam, elegantiam & ornamenta idolorum & altarium, quæ Hebræi captiui visuri erant in Babylone, ne ijs abrepti deflecterent ad ea veneranda & colenda. ita S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 7. Abulens. Caiet. Lipoman. & alij.

Huic adde quinque alias. Huic causæ alias probabiles addit Serarius in cap. 8. Iosue qu. 16. Deus, inquit, rectè voluit altare fieri ex terra, vel ex rudi lapide: *Prima.* Primò, vt significaret veteris testamenti sacrificia & victimas rudes ac informes fuisse: typos nimirum & figuras vnici Christi Iesu sacrificij, quod in crucis ara semel cruentè factum, incruentè quotidie repeti solet. C *Secunda.* Secundò, vt ostenderet, quàm rudis ac impolita & dura futura esset eiusdem Christi Domini ara, ipsa inquam crux, vt indicat Procopius. *Tertia.* Tertiò, vt altarium veterum nullum fore perpetuum innueret; sed sicut ex terra & scabris lapidibus facilè construerentur, ita & facilè destructum iri. *Quarta.* Quartò, vt subitò & vbique, cùm voluisset Deus, occasio esset altaris ipsi erigendi, cùm minimè operosum artificiosumúe postularet. *Quinta.* Quintò, vt se victimas potiùs quàm altaria intueri, magisque illarum puritate ac sanctitate, quàm horum pretio & arte oblectari, monstraret Dominus.

Symbolica causa. Symbolicè, R. Leui ben Gerson censet in templo & altari tam Mosis, quàm Salomonis vetita esse scalpra ad hoc, vt ex eo homines intelligerent, Deum suapte natura perfectum optimumque esse, neque ad sui absolutionem perfectionemque limam, vel externum aliquid accipere, D sicuti Dei altare nullo opere, lima vel artificio, sed suapte materia perfectum erat: altare enim Deum ipsum repræsentabat.

Allegorica. Allegorica causa datur à Gregorio lib. 3. Moral. 10. & Rupert. Per terram, inquiunt, incarnatio Dominica designatur: quidquid enim offerimus Deo, in altari terreo, id est, in fide Dominicæ incarnationis solidamus. Idem significat altare ex lapide natiuo & insecto. Itaque *altare de terra Deo facere, est incarnationem mediatoris expectare. In altari ergo de terra allatum munus offerimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus,* ait ex S. Gregorio Ansber. l. 5. in Apocal. sub initium.

Tropolog. Tropologicè, Isidorus, Lapides insecti, inquit, sunt fideles in fide, morumque integra & sancta vnitate solidati, ac nullo schismate scissi & diuisi:

de quibus dicit Apostolus, *Vos estis lapides viui, qui coædificamini in domos spirituales.* A

ET OFFERETIS SVPER EO HOLOCAVSTA, ET PACIFICA] *Pacifica* sunt hostiæ oblatæ pro pace & incolumitate domus aut reip. de quibus Leuit. 3.

IN OMNI LOCO, IN QVO MEMORIA FVERIT NOMINIS MEI] Hebr. *in quo memorari fecero nomen meum:* ipse enim Deus certum sibi locum templi, altaris & sacrificij delegit, ne, si passim vbilibet liceret cuique sacrificare, facilè schisma, noua religio, idololatria, aut superstitio inter Hebræos surreperet.

Locus sacrificij erat is, vbi erat arca vel tabernaculum.

Locus ergo altari & sacrificio à Deo deputatus erat is, vbi illo tempore arca vel tabernaculum consistebat; aliquando autem & alibi per Dei dispensationem & instinctum, vel ob grauem aliquam causam erecta sunt à nonnullis Prophetis, vel regibus altaria ad sacrificandum. Sic enim Samuel sacrificauit in Maspha, 1. Reg. 7. 9. & in Ramata, ibidem v. 17. & in Bethlehem, 1. Reg. 16. v. 5. Sic & Absalon sacrificauit in Hebron, 2 Reg. 15. v. 7. & 12. cùm tamen arca tunc non esset in Hebron, Maspha, Ramata, vel Bethlehem, sed in Cariatiarim, 1. Reg. 7. 1. tabernaculum verò esset primò in Silo, deinde in Nobe, 2. Reg. 21. v. 4. & 7. destructa verò per Saulem Nobe translatum est tabernaculum in Gabaon; vnde à Salomone aduectum est ad templum ab eo exstructum, ibique vnà cum arca repositum, vt dicitur 2. Paralip. 1. 3. 5. & 13. & c. 6. v. 11.

VENIAM AD TE, ET BENEDICAM TIBI] Rectè hoc præcedentibus annectemus cum Chaldæo, qui hæc sic interpretatur: *In omni loco, in quo habitare fecero gloriam meam* (putà in tabernaculo, siue templo, arca & altari) *ibi mittam benedictionem meam, & benedicam tibi,* preces scilicet tuas exaudiens, tuisque dubijs & quæstionibus respondens, ac docens quid in hac illáve re faciendum sit: loquitur Deus hic non Mosi, sed populo.

VERS. 25. QVOD SI ALTARE LAPIDEVM FECERIS MIHI, NON ÆDIFICABIS ILLVD DE SECTIS LAPIDIBVS] Est hic exceptio à v. 22. ibi enim iussit Deus altare fieri ex terra, hic verò excipit lapidem insectum, iubetque altare fieri vel ex terra, vel ex lapide insecto & impolito: verùm hunc lapidem, vel terram, putà ipsum altare, ære obduci iubet Exodi 27. 2. vnde & altare, quod fecit Salomon, Scriptura vocat æneum.

Intus ergo altare vetus plenum erat vel terra, vt vult Abulensis in Exodi 29. q. 6. Hugo & Richard. libr. de Tabernac. cap. 11. vel (quod verisimilius est) lapidibus insectis. nam 1. Machab 4. 47. Iudas Machabæus reædificans altare ab Antiocho destructum, prout fuerat priùs, dicitur reposuisse in eo lapides integros secundùm legem: lex autem hîc insectum iubet accipi lapidem, siue intonsum, vt habet Hebræa, id est impolitum, quem Machabæorum liber vocat integrum. Sic & Sancti, qui præter ordinem alibi altaria Dei instinctu erexerunt, ea fecerunt ex lapide impolito, vti patet de altari Eliæ 3. Reg. 18. v. 31. & 32. & de altari Manue Iudicum 13. 19. vnde & idem de reliquis intelligendum est. ita Ribera lib. 2. de Templo cap. 20. D

SI ENIM LEVAVERIS CVLTRVM SVPER EO (super illud,) POLLVETVR] Per *cultrum* intelligit limam, vel aliud quoduis instrumentum aptum ad lapidem scindendum, dolandum, poliendum: cultrum enim Hebræi vsurpant pro quolibet instrumento ferreo, ait Vatablus. *Polluetur,* id est contaminabitur ob præceptum, & causam iam dictam. vers. 24. ac proinde ad victimas & sacrificia ineptum erit.

NON ASCENDES PER GRADVS AD ALTARE MEVM, NE REVELETVR TVRPITVDO TVA] ne scilicet in ascensu verenda tua, inquit Vatablus, vel ipsa etiam subligacula tua linea (hæc enim sola gestabant sacerdotes, eaque vsque ad genua tantùm protendebantur: pedibus ergo nudis erat sacerdos sacrificans, vt patet Exodi 28. 42.) ô sacerdos, conspici possunt, vt per hoc tum populus, tum sacerdos admoneatur castitatis, & castissimæ reuerentiæ, quæ in sacris est adhibenda. Igitur cùm sacerdotes communes sub tunica linea extima, de qua c. 28. 29. tantùm induerentur subligaculis lineis, facilè in ascensu graduum videri potuissent eorum subligacula, aut etiam ijs apertis vel passis, ipsa verenda. hac de causa hosce gradus vetat hîc Deus. VERS. 26. B

Huius contrarium fiebat in impuris sacris Priapi, ad quæ Iudæi valdè fuerunt procliues, vt patet 3. Reg. 15. v. 12. & v. 13. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. & ex eo Lyranus, putant hîc vetari gradus in altari, ad excludendam idololatriam. nam in sacris, inquiunt, Priapi sua pudenda Gentiles populo denudabant. Hanc causam fusè prosequitur Vilalpando lib. 4. de Templo c. 79.

Imò ipse hæc verba: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua,* sic explicat, q. d. *Non ascendes per gradus,* more Gentilium, *ne,* id est, hoc fine & modo, vt ex altis gradibus altaris reueles & ostendas tuam turpitudinem, putà genitalia, vt faciebant incesti & nefandi Ithyphalli in sacris Priapi, teste Athenæo libr. 14. c. 8. Verùm sic, pro *ne reueletur,* dicendum fuisset, ne reueles. Hæc enim duo opposita videntur: hoc enim est affirmatiuum; illud negatiuum. Porrò huius fœditatis æquè ac Priapi cultus, proximum hoc Mosis tempore erat Hebræis periculum, eaque de causa hac sanctione vetatur & cauetur. Nam transituri erāt Hebræi cum Mose per Moabitidem, vbi impensè colebatur Beelphegor, id est Priapus, ipsique à Moabitis sollicitandi erant ad eius cultum. Sic enim legimus Numer. 25. Hebræos à puellis Moab, pellectos ad fornicationem, initiatos fuisse Beelphegor, id est, coluisse Priapum: qua de causa plaga in eos deſæuit, quam ſtitit Phinees occiso principe tribus Simeon, huius sceleris chorago. C

Dices, 2. Paral. 4. 1. dicitur de Salomone: *Fecit quoque altare æneum decem cubitorum altitudinis:* atqui ad hanc altitudinem ascendenti necessarij erant gradus, ergo Salomon fecit hosce gradus, qui tamen hîc vetantur.

Respondet Abulensis & Ribera lib. 2. de Templo cap. 20. in fine, in altari Salomonis non fuisse gradus ligneos aut lapideos, sed continuum ascēsum de terra, qui paulatim vniformiter tollebatur in altum: itaque non erant ibi aliqui gradus, in quorum ascensione posset sacerdotis turpitudo nudari, & videri à populo. Caietanus verò putat hîc non omnes omnino gradus prohiberi in altari, sed multos & altos, per quos scilicet videri possit turpitudo sacerdotis: paucos ergo hîc permitti, præsertim si sensim & modicè ascendebant. itaque Deus vetando gradus in altari, simul

mul vetuit, ne nimis altum & excelsum facerent altare; debebat tamen altare mediocrem habere altitudinem, vt sacrificia in eo oblata à populo conspici possent.

Verùm Respōdeo, hoc præceptum fuisse temporaneum, & durasse tantùm tempore tabernaculi Mosaici; quando scilicet Deus cum Hebræis habitabat in tentoriis, id est, ante ædificatum à Salomone stabile templum, loco in perpetuum electo. Cùm enim Moses cum Hebræis continuò peregrinaturus esset per desertum quadraginta annis vsque in Chanaan, ideoque Deo fabricaturus esset, non solidum templum, sed mobile, & quasi castrense tabernaculum; voluit pariter Deus altare esse mobile, ideoque paruum, altum scilicet tres cubitos, vt gradu & ascensu ad illud opus nō esset. Salomon verò in summa reip. pace ædificans Deo magnificum templum, sicut illud longè maius & magnificentius ædificauit, quàm Moses tabernaculum: ita pariter maius & magnificentius ædificauit altare, altum decem cubitos, ad quod proinde gradibus ascendere oportebat. Id ita esse patet Ezechiel. 43. v. 17. quod loco de templo Ezechielis, quod adinstar Salomonici expressum est, dicitur, *Gradus eius* (altaris) *versi ad Orientem*, vbi licet R. Dauid & R. Salomon respondeant, gradus hosce fuisse planos, putà accliuitatem planè & æquabiliter ascendentem ad similitudinem pontis; alij verò dicant gradus hos fuisse extra atrium, fuisseque ipsos gradus atrij, quibus ad illud ascendebatur: tamen alij passim veros & magnificos censent hos fuisse gradus, non atrij, sed altaris magnifici, & decem cubitos alti, idque liquet ex textu. Videre est eos egregiè expressos in effigie apud Vilalpan. pag 388. Sicut ergo templum Salomonis in Cherubinis, porticibus, atriis, columnis, mari æneo, mensis, candelabris, & multis alijs; ita & in altari, eiusque gradibus diuersum fuit à tabernaculo, & altari Mosaico, eoque longè præstantius, licet adinstar Mosaici, quantum fieri potuit, seruata debita fabricæ proportione, templum suum, altare, &c. ædificarit Salomon.

Similia temporalia præcepta dedit Christus primitiuæ Ecclesiæ, id est Apostolis, cùm eos primùm misit euangelizare per Iudæam, scilicet vt irent bini, vt irent ad Iudæos, non ad Gentes, nec

A ad Samaritanos, vt non ferrent virgam, &c. Matt. 10. v. 5. & sequent. quæ Christo mortuo constat eos non seruasse, nec seruare potuisse, cùm missi sunt euangelizare omnibus gentibus per totum orbem.

Porrò verisimile prorsus est Salomonem ita latos, vicinos & appositos fecisse hos altaris gradus, vt sacerdoti nullum in eis esset cadendi periculum; & si quo casu cecidisset, non tamen reuelanda fuisse eius verenda, nec à populo cerni potuisse graduum amplitudine eum obtegente, & visum populi excludente. Denique nonnulli hæc loca ita conciliant, vt dicāt altare Salomonis pręcisè sumptū trium tantùm fuisse cubitorū altitudinis, vti fuit Mosaicum; ideoque nullos habuisse

B gradus, quibus ad illud ascenderetur. Dicitur tamen in Paralipom. octo fuisse cubitorum altitudinis, si videlicet altare mensures cum suis substructionibus, quibus quasi basibus incumbebat, & supra quas magnificè eminebat. Quare ad ipsas substructiones per gradus ascendere oportebat. ex substructionibus verò ad ipsum altare præcisè sumptum gradibus non erat opus. Sed vt hoc verum sit, hæc responsio non euitat difficultatem causæ. Nam in gradibus substructionis potuissent videri verenda sacerdotis, æquè ac in gradibus altaris. *Substructiones altaris.*

Hinc altare dicitur ab altitudine, ait Festus, *Altare quasi alta ara.* Veteres enim dijs superis sacra faciebant in ædificijs à terra exaltatis, diis verò ter-

C restribus sacra faciebant in terra, dijs denique infernalibus sacra faciebant in effossa terra.

Allegor. in SS. Trinitate nulli inæqualitatis gradus sunt constituendi, vti fecit Arrius, docens Filium esse minorem Patre, ac Macedonius, negans diuinitatem Spiritus sancti: hi ergo per gradus ascenderunt ad altare, id est, ad Deum, ideoque à Deo reiecti & reprobati sunt. *Allegor.*

Tropol. *In altari cordis tui non facias gradus, id est, non extollaris de tuis profectibus, alioqui reuelabitur turpitudo tua: quia superbiam mentis comitatur contumelia carnis,* inquit Rupert. Solet enim Deus superbiam punire per lapsum carnis & libidinis, vt per eam tam pudendam & probrosam, se suāque infirmitatem agnoscant, & humilientur qui nimis alta de se sapiebant. *Deus superbiam punit per lapsum carnis.*

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses in Sina à Deo accipit præcepta iudicialia circa seruos & ancillas; circa furta, homicidia, parentum maledicta & rixas: ac v. 24. & sequ. fert talionis legem tam homini lædenti, quàm boui cornupetæ.

Nota. Sicut cap. præcedenti sanxit Deus præcepta moralia, putà decalogum, ita hoc cap. & duobus sequentibus sancit præcepta iudicialia: capite verò 25. & quinque sequentibus sancit cæremonialia, putà fabricam tabernaculi, & cætera quæ eò spectant.

1. HÆc sunt iudicia quæ propones eis. 2. Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. 3. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat: si habens vxorem, & vxor egredietur simul. 4. Sin autem dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo. 5. Quòd si dixerit seruus: Diligo dominum meum & vxorem ac liberos, non egrediar liber: 6. offeret eum dominus diis, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem eius subula: & erit ei seruus

in sæculum. 7. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueuerunt. 8. Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreuerit eam. 9. Sin autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. 10. Quòd si alteram ei acceperit prouidebit puellæ nuptias & vestimenta: & pretium pudicitiæ non negabit. 11. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. 12. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. 13. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius: constituam tibi locum in quem fugere debeat. 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo euelles eum, vt moriatur. 15. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. 16. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. 17. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. 18. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo: 19. si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen, vt operas eius, & impensas in medicos restituat. 20. Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. 21. Sin autem vno die vel duobus superuixerit, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est. 22. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. 23. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, 24. oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, 25. adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. 26. Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. 27. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. 28. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes eius, dominus quoque bouis innocens erit. 29. Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. 30. Quòd si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. 31. Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit. 32. Si seruum ancillamque inuaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos verò lapidibus opprimetur. 33. Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, 34. reddet dominus cisternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. 35. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter se dispertient. 36. Sin autem sciebat quòd bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius, & non custodiuit eum dominus suus: reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

VERS. 1. *Iudicialia praecepta quae* — *Caeremonialia quae*

HÆC SVNT IVDICIA QVÆ PROPONES EIS] *Iudicia* vocat præcepta iudicialia, quæ Deus hisce tribus capp. putà 21. 22. 23. præscribit ad populum iustè & pacificè gubernandum, atque ad lites inter Hebræos dirimendas; sicut cæremonialia præcepta vocantur ea, quæ populo ad Deum ritè colendum per sacrificia, aliosque sacros ritus & cæremonias, à Deo præscripta sunt. In duobus ergo propriè consistit ratio iudicialium præceptorum, inquit S. Thomas 1. 2. q. 104. art. 1. Primò, vt pertineant ad ordinationem hominum ad inuicem. Secundò, vt non habeant vim obligandi ex sola ratione, sed ex institutione Dei.

Nota, inter hæc iudicialia præcepta, quædam etiam moralia, quæ sunt iuris naturæ, permisceri, maximè quæ ad iudices spectant, quæ idcirco etiam rectè *iudicia* vocantur: tale est illud cap. 23. 1. *Non suscipies vocem mendacij*; & v. 2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum*, & v. 7. *Mendacium fugies*; & v 9. *Peregrino molestus non eris*, &c.

Denique in fine, putà cap. 23. v. 14. adiungit quædam cæremonialia præcepta, putà de tribus

A primarijs festis celebrandis, de phase, de fermento, de primitijs, &c.

SI EMERIS SERVVM HEBRÆVM, SEX ANNIS SERVIET TIBI] *Seruum* vocat, non mercenarium, sed mancipium: ille enim conduci, hoc emi & vendi solet. q. d. Si emeris Hebræum, vt sit tibi quasi mancipium, hic sex tantùm annis tibi seruiet, nec vltrà seruire poterit: nam septimo anno (ita me volente, & dicente hic) liber dimittendus est. VERS. 2.

IN SEPTIMO (anno) EGREDIETVR LIBER GRATIS] Nota, hunc septimum annum non esse numerandum ab emptione serui, sed vnum atque eumdem omnibus fuisse annum remissionis, sicut vnus & idem dies erat sabbatum omnibus Hebræis; ergo statum fuit septennium libertatis, cōtinuò vnum alteri succedens (sicut vnus iubileus continuò succedebat alteri) ita vt septimo quolibet anno hoc recurrente, omnes serui Hebræorum manumittendi essent, quapropter Hebræus, qui primo anno septennij huius vendebatur in seruum, ille sex annos seruire debebat; qui verò sexto anno huius septennij vendebatur, ille sequenti anno, vtpote septimo, exibat liber: simile erat

Septimus annus libertatis erat status & communis.

B

erat in iubileo, vti dicam Leuit.25. Mysteria ſeptenatij recenſebo Deuter.5.v.12.

Egredietvr liber] vt ſcias eum non tam ſeruum eſſe, quàm liberum, vtpote liberatum à me ſeruitute Ægyptia, meæque ſeruituti addictum. vide Leuit.25.39.

Vers. 3. Cvm qvali veste intraverit, cvm tali exeat] Septuag. Chald. Vatabl. & recentiores paſſim vertunt, *ſi cum corpore*, id eſt, ſolus & ſolutus, *venerit, cum corpore ſuo*, id eſt ſolus, *exeat*. illudque aptè opponitur ei quod ſequitur: *Si habens vxorem, & vxor egredietur ſimul.*

Verùm S.Hieron. hebraicè peritiſſimus, rectiùs & pleniùs vertit, acutiuſque vidit, non vnum, vt priores volunt, ſed duo hîc præcipi, ſcilicet ſeruum non lacerum aut nudum, nec ſine vxore dimitti debere, ita vt & vxor cum eo fiat libera, & veſtis ipſi exeunti tam honeſta detur, quàm habuit dum intraret: hoc enim planè decens erat & congruum. Adde, in Hebræo non eſſe גוף *gupb*, id eſt corpus, ſed גף *gaph*, id eſt *ala*, hoc eſt veſtis, quæ inſtar alæ corpus tegit; quales metaphoræ Hebræis ſunt vſitatæ.

Vers. 4. Sin avtem dominvs (herus) dederit illi vxorem, et pepererit filios et filias: mvlier et liberi eivs ervnt domini svi, ipse vero exibit cvm vestitv svo] q.d. Vxor manebit ſerua hero, à quo vxor data fuerat ſeruo: conſequenter hero manebunt & proles eius; partus enim ſequitur ventrem, vti habet axioma Iuriſtarum in hac materia. ita Oleaſter, Caietan. Lipoman.

Seruus anno ſeptimo exibat liber, & ab hero, & ab vxore. Videtur hîc inter ſeruum & ſeruam diſſolutum fuiſſe matrimonium; tum quia ſeruus faciebat diuortium ab vxore & prolibus: ſeruus enim exibat liber, ſerua verò cum prolibus manebat ſerua domini ſui; tum quia ſubditur: *Quòd ſi dixerit ſeruus, Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos* (nolo ab ijs per diuortium diuelli) *non egrediar liber, offeret eum dominus dijs* (iudicibus) qui ſcilicet perforent aurem eius ſubula, itaque fiat ſeruus in perpetuum.

Hinc patet, in lege veteri valdè imperfecta fuiſſe matrimonia, quando coniuges tam facilè ſeparabantur, marito exeunte libero, ſoluto & expedito à cura vxoris & liberorum; vxore verò manente ſerua eiuſdem domini: cui domino proinde tam ſeruæ, quàm prolium eius educatio & cura incumbebat. nec id mirum: tum enim matrimonium non habebat rationem Sacramenti, ob quā maximè iam in lege noua eſt planè indiſſolubile, ex ſanctione Chriſti, Matth.19.v.5.& 9.

Vers. 6. Diis] Hebr. אֱלֹהִים *Elohim*, quod Deum quà iudicem & gubernatorem omnium; indeq; angelos ac iudices, qui iudiciariam & gubernatoriam hanc Dei poteſtatem participant, ſignificat. Sic dicitur Exodi 22.28. *Dijs* (iudicibus) *non detrahes, & principi populi tui non maledices.* & pſalm.81.1. Deus ad iudices ait: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Cogitent hoc iudices, ſciantque ſe eſſe deos, vt homines non timeant, ſed vnum Deum, cuius vices obeunt, & cuius auctoritate funguntur.

Applicabitvr ad ostivm et postes] ſcilicet domus heri: ibi enim, non autem in portarum vrbis oſtio, vbi conſidere ſolent iudices, id fieri debere, patet Deuter.15.12. Per hanc applicationem ſerui ad oſtium & poſtes heri ſignificabatur, ſeruum hunc domui heri quaſi iugiter & fixè mancipari, vt numquam domo illa exire poſſet ſine venia heri. ita Theodoret. Addunt D.Thom. & Caietan. hanc applicationem auriſque perforationem ſtatutam eſſe ſeruo huic in pœnam & ignominiam neglectæ libertatis, ideoque eum perpetuæ ſeruituti addici.

Seruus applicatur ad oſtium heri, cur?

Perforabitqve (dominus) avrem eivs svbvla] vt hoc ſymbolo admoneatur ſeruus perpetuæ obedientiæ, qua heri mandata excipere & exequi debet. ita Theodor. Rurſum hoc ſymbolo monebatur ſeruus, ſe multa dura, grauia & moleſta heri imperia teneri audire & obire, quæ non ſecùs ac ſubula terebrarent aures eius. Idem de ancilla ſtatutum eſt Deuter.15.12.

Seruo perforantur aures, cur?

Et erit ei servvs in saecvlvm] *Sæculum* non tantùm æternitatem, ſed etiam ſpatium longiſſimum ſignificat, quod Hebræis erat 50. annorum. *Erit ergo ſeruus in ſæculum*, id eſt, erit ſeruus vſque ad annum 50. iubilei: in iubileo enim omnes ſerui Hebræi manumittebantur, vt patet Leuit.25.40. ita S.Hieron. in cap.1. ad Galatas, vbi addit עלם *olam*, id eſt ſæculum, hîc ſine *vau* ſcribi, vt ſignificetur ſæculum iubilei: nam quando cum *vau* ſcribitur, ſæpè ſignificat æternitatem.

Tropolog. ſeruus hîc eſt, qui in actiua vita manere vult in hac vita, vt liber fiat in anno ſeptimo, & in iubileo cæleſti: huius auris ſubula perforatur, dum mens illius timoris Dei ſubtilitate à prædicatore percutitur. qua de re vide plura apud S. S.Gregorium homil.3. in Ezech.

Tropol.

Vers. 7. Si qvis vendiderit filiam svam in famvlam] ſcilicet cum promiſſione deſponſationis, qua herus filiam Hebræum emens in famulam, promiſit ſe eam ducturum in vxorem, ſaltem ſecundariam.

Non egredietvr sicvt ancillæ exire consvevervnt] putà, ſicut ſeruæ ex Gentilibus, v.g. Moabitis vel Idumæis, natæ. hæ enim ſemper manebant ſeruæ, nec ſeruitute liberabantur in iubileo, niſi pretio redimerentur; vt patet Leuit. 25.46. aut certè niſi illi ab hero excuſſus eſſet oculus aut dens: tunc enim ob iniuriam & læſionem illi illatam libera exibat, vti hîc dicitur v.26. Hebræa verò filia, licet empta eſſet in ſeruam, tamen, niſi ab hero, vel heri filio duceretur in vxorem, dimitti debebat libera: hoc enim hîc ſancit Deus in fauorem fidei & gentis Hebræorum, vt ita filiabus Hebræis pauperculis de nuptijs & ſtatu prouideret.

Seruarum Hebræarū & Gentiliū diſpar conditio.

Vers. 8. Si displicverit ocvlis domini svi cvi tradita fverat] Hebraicè eſt, *qui ſibi eam deſpōderat*. Recentiores prorſus contrariè vertunt, *qui non deſponderat eam*, quia hebraicè eſt לא *lo*, per *aleph*, quod eſt aduerbium negandi. Verùm familiaris eſt literarum *ehevi*, ac conſequenter *aleph* cum *vau*, commutatio: & Maſſoretæ plura, puta quindecim, Script. loca notarunt, in quibus לא *lo* per *aleph* poſitum dicunt pro לו *lo* per *vau*, id eſt *ei*, vel *ſibi*: & ex illis hunc locum eſſe vnum, conſentiunt Chald. & Septuag. quin & Vatabl. ac doctiores Rabbini. Senſus ergo eſt, quaſi dicat: Si dominus qui emit filiam Hebræam, eam ſibi deſponderit, ſed poſtea ei diſplicuerit; tunc dominus dimittere eam debet gratis, vel, vt habent Hebræa & Septuag. debet eam redimere, id eſt ſeruitute eximere, ſi quidem ea vſus ſit quaſi coniuge: ſin autem, redimi faciet eam, id eſt, vendet vel tradet eam alteri Hebræo, ea tamen lege vt ipſe

eam ducat: nec enim populo alieno, id est Gentibus, eam vendere poterit, vt sequitur. ita Abulens.

VERS. 10. QVOD SI ALTERAM ET (filio suo vxorem) ACCEPERIT, PROVIDEBIT PVELLÆ NVPTIAS, ET VESTIMENTA, ET PRETIVM PVDICITIÆ NON NEGABIT] q.d. Si pater præter filiam quam emit filio, tum in famulam, tum in vxorem aliam insuper filio vxorem dederit, tum prouidebit vt priori filiæ, scilicet seruæ, ius suum constet in coniugio; itaque prouidebit illi Primò, nuptias, id est vsum matrimonij sic enim subinde auctores distinguūt nuptias à matrimonio, easque metonymicè sumūt pro actu nuptiali vel matrimonij. q.d. Prouidebit pater, vt filius huic suæ vxori seruæ non negetius copulæ coniugalis, sed reddat ei debitum coniugij. patet ex Hebræo. Secundò, prouidebit illi vestes congruas. Tertiò, prouidebit pretium pudicitiæ, id est victum & sustentationem vxori debitā. vnde Hebræa, Chald. & Septuag. clarè habent: *Victum, vestitum & concubitum ei non minues.* Iubet enim Deus, vt licet secunda ab hero, filio suo superinducatur vxor, priori tamen suæ vices, suumque ius constet, in hisce tribus coniugij bonis iam dictis. quòd si nolit illa tria præstare, tunc gratis dimittet eam, vt sequitur.

VERS. 11. SI TRIA ISTA NON FECERIT (non tam herus, quàm heri filius,) EGREDIETVR (filia Hebræa empta ab eo in famulam) GRATIS ABSQVE PECVNIA] Coniunctim hæc tria accipe. Itaque si filius alimoniam & vestitum præberet filiæ Hebrææ seruæ, negaret tamen eidem tertium, libera dimitti debebat filia quam emerat, idque gratis. similiter si secundum & tertium præstaret, negaret verò primum; aut dato primo recusaret secundum, pari modo filiam debebat dimittere liberam.

VERS. 12. QVI PERCVSSERIT HOMINEM VOLENS OCCIDERE, MORTE MORIATVR] Hebræa pleniùs habent, *qui percusserit hominem ita vt moriatur, morte plectatur.* Statuitur enim hîc pœna talionis & mortis in homicidam voluntarium. Nota. *Percutere* passim in libris Regum, alijsque historicis accipitur in actu consummato, iuxta can. 22. pro percussione lethali, idemque est quod occidere. Nota Secundò, *τὸ hominem*, scilicet tam Gentilem quàm Iudæum: falsum enim est quod ait R. Salomon, eum solum qui occidit Iudæum, legis huius & mortis reum esse; nam & qui seruum occidebat, reus erat mortis, vt patet v. 20.

VERS. 13. QVI AVTEM NON EST INSIDIATVS, SED DEVS ILLVM TRADIDIT IN MANVS EIVS, CONSTITVAM TIBI LOCVM IN QVEM FVGERE DEBEAT] Egit v. 12. de homicidio voluntario, hîc agit de casuali. imò Abulensis putat agi de planè casuali, quod scilicet sine occisoris culpa euenit. Verùm hoc non satis consentit antecedentibus & sequentibus.

Dico ergo, hîc agi de casuali homicidio, in quo tamen aliqua culpa vel negligentiæ, vel imprudētiæ, vel etiam vindictæ interuenit: huic enim dabatur ius asyli. Similem in locis sacris asyli legem & gratiam homicidæ casuali Canones apud Christianos sanxere, vti & vice versa eamdem negarunt homicidæ voluntario, eumque de altari extrahi iusserunt, vti hîc iubetur v. 14. vt patet c. *Inter alia*, tit de immunit Eccles.

Nota. Pro *Deus illum tradidit in manus eius*, hebraicè est, *Deus fecit illum occurrere in manus eius*, quasi illo qui occidit non cogitante, fecerit Deus impium in manum aut telum eius incurrere, vt meritas scelerum suorum daret pœnas. Sermo enim est hîc de homicidio casu, aut ex occasione improuisa admisso, vbi priùs machinata non fuit cædes aut intenta: tunc enim Scriptura more suo cædem quæ contigit, refert in altissimam Dei prouidentiam, quæ omnes res humanas ordinat ad iustam vel pœnam vel præmium. vnde consequens fit, in eiusmodi casibus iustam Dei vindictā, præsertim in lege veteri, excubare solitam, ac procurare vt in noxios & sceleratos casus hic & cædes incideret. Rectè ergo hæc cædes tribuitur, non tam occidenti, quàm Deo; quia effectus non solet tribui causæ per accidens, sed causæ per se, id est non casui, fortunæ, aut casuali agenti, qui hunc effectum, putà cædem, non intendit; sed Deo, qui omnes causas, etiam fortuitas, dirigit, quique cædem hanc quasi pœnam intendit, & per casum hunc irrogauit impio. ita Abulensis.

Deus excubat in casibus hominum dirigendis ad iustam vindictam.

QVI PERCVSSERIT PATREM SVVM, AVT MATREM (etiam non lethaliter, ob atrocem impietatem in parentem) MORTE MORIATVR. VERS. 15.

Post hanc legem nonnulli codices & interpretes subdunt immediatè legem de maledicente parentibus. Verùm Hebræa anteponunt legem de plagio: ita & Chald. & Latina Complutens. & Romana. Neque mirum in hisce legibus non tam cōgruum seruari ordinem: id enim in multis alijs fieri videmus, vti patet in Prouerbijs, Ecclesiaste, Ecclesiastico. scriptæ enim sunt hæ leges miscellaneè, & quasi stylo castrensi.

QVI FVRATVS FVERIT HOMINEM, ET VENDIDERIT EVM, CONVICTVS NOXÆ, MORTE MORIATVR] Hæc est pœna plagij, id est furti hominis, siue is liber sit, siue seruus; præsertim si is sit Hebræus. serui enim, æquè ac liberi, cædes morte vindicabatur; ergo & plagium, maximè quia Hebræi tantùm ad tempus erant serui: nam vel anno septimo, vel 50. iubilei fiebant liberi. VERS. 16.

Plagij pœna erat mors.

LAPIDE VEL PVGNO] id est, quouis telo, vel modo: communiter enim rixantes lapide, quem obuium habent, vel pugno feriunt. VERS. 18.

SI SVRREXERIT ET AMBVLAVERIT FORIS SVPER BACVLVM SVVM, INNOCENS ERIT QVI PERCVSSERIT] *Innocens*, id est, immunis & liber à talione & pœna mortis; quia hoc indicio, quòd percussus post acceptam plagam foris ambulauerit, præsumitur mors eius non ex percussione, sed aliunde obuenisse. VERS. 19.

ITA TAMEN VT OPERAS EIVS, ET IMPENSAS IN MEDICOS RESTITVAT] Hebraicè est שִׁבְתּוֹ *scibto*, id est *sedere eius*, id est cessationem, & operas perditas, putà lucrum laborum quod læsus perdidit, *soluet*, *& curabit eum sanari.* Hebræum enim *scibto* est infinitiuus cum affixo, à radice יָשַׁב *iasçab*, id est sedit. Pagninus tamen *scibto* vertit cessationem, à radice שָׁבַת *scabat*, id est cessauit: sed sensus eòdem redit; sedere enim est cessare.

QVI PERCVSSERIT SERVVM, &c. CRIMINIS (homicidij, ac consequenter pœnæ mortis) REVS ERIT. VERS. 20.

SIN AVTEM VNO DIE VEL DVOBVS SVPERVIXERIT, NON SVBIACEBIT POENÆ, QVIA PECVNIA ILLIVS EST] q.d. Quia possidetur ab hero percutiente, tamquam seruus pecunia emptus. Misera erat seruorum & seruarum conditio, præsertim apud duros heros: vnde lex percussionis pœnam hîc moderatur, vt si herus non tam enormiter VERS. 21.

ter percusserit seruum, vt certa statim sequatur A mors, pœnæ non subiaceat, quia occidit suũ mancipium, quod ipse possidet sicut bouem, vel equũ. Hinc & modò Iura ciuilia corpus serui, perinde vt corpus animalis, dicunt esse pretio æstimabile: corpus autem liberum nullam recipere æstimationem, vt patet l. vlt. ff. de his qui effud. vel deiec.

Corpus serui pretio est æstimabile, liberi non.

VERS. 22. SI RIXATI FVERINT VIRI, ET PERCVSSERIT QVIS MVLIEREM PRÆGNANTEM] quæ inter rixãtes intercedere, vel maritũ suum adiuuare voluit.

VERS. 23. SIN AVTEM MORS EIVS (mulieris prægnantis) FVERIT SVBSECVTA, REDDET ANIMAM PRO ANIMA (vitam suam pro vita mulieris, quam occidit) OCVLVM PRO OCVLO, DENTEM PRO DENTE, &c.] Idem erat iudicium, si percutiens non occidisset prægnantem, sed illi prolem iam animatam excussisset, itaque eam necasset. Hic enim, vtpote infanticida; perinde reus erat mortis atq; matricida. Id disertè significant Septuag. qui pro Hebræo אסון *ason*, quod Noster *mortem* vertit, videntur legisse אישון *ischon*, id est virunculus, (vti flandricè puerum vocamus *manneken*) vertunt enim, ἐὰν ἐξεικονισμένον ᾖ, scilicet τὸ παιδίον, id est, *si effigiatus* vel *efformatus sit puer.* quasi dicant, Si proles perfecta habeat membra, ita vt sit plenè effigiatus, & quasi paruus quidam vir, siue virunculus; tunc qui illam matri prægnanti sua percussione excutit, animam dabit pro anima, id est, vitam suam, cuius anima est causa, dabit pro vita prolis, vt, sicut eam excussit & occidit, ita occidatur & ipse. Ex hisce verbis Septuag. patet, fœtum simul atque formatus est animari: ideo enim censetur & punitur hîc vt homicida, qui eum excusserit. idem docent medici.

Tropolog. de doctoribus rixosis, qui per suas quæstiones & lites Ecclesiam & fideles lædunt & scandalizant, vide apud Origen. & Ambros. in cap. 22 Lucæ.

Ex hac lege à pari, deinceps generalem in cæteris omnibus infert Deus talionis legem, dicens: *Oculum pro oculo*, &c. q.d. Si quis alteri oculum effoderit, exoculetur & ipse; qui dentem excusserit, dentem perdat; qui manum, &c. quæ lex, ait S. August. lib. 12. contra Faust. cap. 25. *vindictæ & furoris non fomes, sed limes est iustus.* nam, vt ait Tertul. l. 2. contra Marc. c. 18. *Licentia retributionis prohibitio erat prouocationis.* iustum enim pronuntiat Rhadamantus apud Aristot. lib. 5. Ethicor. *Si quæ quis fecit iniustè, eadem & patiatur*; si videlicet personæ sint eiusdem sortis, & æqualis conditionis. nam alioqui si rex rusticum percutiat, non potest iustè ab eo repercuti. Vnde & hac lege proximè v. 26. excipitur percutiens seruum. Sic inter leges 12. tabularum erat & hæc: *Si membrum rupit meum, ex pacto talio esto.* vide Gellium lib. 20.

Lex talionis est iusta.

VERS. 26. ET LVSCOS EOS FECERIT] scilicet eruto altero oculo coclites, vel vnoculos fecerit. vnde Septuag. vertunt, ἐκτυφλώσῃ, id est *excæcarit.* idem significant Hebræa. Quare aliter hîc capitur luscus, quàm capiatur vulgò, & in vulgari hoc carmine:

Luscus in obliquum, sed strabo cernit in altum,
Orbe carent orbi, priuantur lumine cæci.

VERS. 28. SI BOS CORNV PERCVSSERIT VIRVM AVT MVLIEREM, ET MORTVI FVERINT, LAPIDIBVS OBRVETVR] non ob bouis culpam (hæc enim esse non potest in bruto) sed ad terrorem & exemplum hominum, vt eo scilicet homines magis ab homicidio absterreantur. vnde etiamnum hodie porci aliæque bestiæ si pueros hominésue occidant, suspenduntur aut necantur. Similem legem statuit Deus Genes. 9. 5. Eadem de causa vetuit Deus hoc versu, ne carnibus bouis homicidæ vescerentur, ne videlicet animali cæde hominis polluto aut fœdarentur, aut feritatem eius esu induerent. Porrò quod de boue hîc & in seqq. dicitur & sancitur, idem de ariete cornupeta, equo calcitroso, omnique bestia, quæ hominem occidisset, intellige: hîc B enim valet argumentum à pari & proportione.

VERS. 29. AB HERI ET NVDIVSTERTIVS] à præcedenti tempore: est synecdoche. ita S. August. locut. 95.

CONTESTATI SVNT] bouem esse cornupetam. q.d. Edixerunt bouem esse cornupetam, itaque periculi herum admonuerunt, vt bouem hunc recluderet, ne is aliquem feriret. Romani, teste Plutarch. in Quæst. Roman. ad cornua boum cornupetarum fœnum alligabant, quo obuii monebantur vt sibi ab eo cauerent: idque quia ob satietatem luxuriant, petulantesque sunt boues & equi. vnde prouerbium: *Fœnum habet in cornu, cornu ferit ille, caueto.* quod dicitur de homine parato ad vlciscẽdum, & oppugnatu difficili, qualis fuit M. Crasſus, antequam Cæsar ei se opponeret. C

NEC RECLVSERIT] Hebr. *nec custodierit.*

VERS. 30. QVOD SI PRETIVM FVERIT EI IMPOSITVM] à iudice, qui causa cognita ob leuem eius negligentiam vel culpam, illi non capitis, sed pecuniæ mulctam imponat, maximè quia parentes & cognati talem mulctam desiderant; tunc herus hic bouis homicidæ, dabit & soluet hanc mulctam, sibi à iudice impositam.

VERS. 33. SI QVIS APERVERIT CISTERNAM ET FODERIT] Hebr. est *aut foderit*: perinde enim reus est, qui fossam tectam retegit & aperit, atque qui recenter eam fodit, si eam rursus non operiat. Hæc vti & aliæ leges huius capitis & sequentis transscriptæ sunt in Ius canon. vt patet lib. 5. Decret. tit. 36. D de iniurijs & damno dato. sunt enim consentaneæ iuri & æquitati naturali.

VERS. 35. SI BOS ALIENVS BOVEM ALTERIVS VVLNERAVERIT, ET ILLE MORTVVS FVERIT, VENDENT BOVEM VIVVM, ET DIVIDENT PRETIVM, CADAVER AVTEM MORTVI INTER SE DISPERTIENT] Nota. Hæc lex loquitur tantùm eo casu, quo bos bouem occidisset, non autem eo, quo bos ouem aut vitulum occidisset: tunc enim non erat æquum, bouem diuidi pro oue aut vitulo, qui minoris est pretij, quàm bos. vnde tunc iudices mulctam decernebant pro rata damni illati. Quod hîc de boue dicitur, idem à pari de ariete, equo, & quouis animali intellige.

Tropologiam vide apud Rabanum, qui hæc omnia de discipulo malo eiusque magistro, vel negligente vel insonte interpretatur.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit sancire leges iudiciales de furto v.1. de deposito v.7. de commodato v.14. de fornicatione v.15. de maleficijs v.18. de charitate erga peregrinos, viduas & pupillos v.21. de vsura & pignore v.25. de decimis & primitiis v.29.

1. SI quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet, & quattuor oues pro vna oue. 2. Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. 3. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venumdabitur. 4. Si inuentum fuerit apud eum quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis: duplum restituet. 5. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suum vt depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. 6. Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. 7. Si quis commendauerit amico pecuniam aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint: si inuenitur fur, duplum reddet. 8. si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui, 9. ad perpetrandam fraudem, tam in boue, quàm in asino, & oue ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest: ad deos vtriusque causa perueniet: & si illi iudicauerint, duplum restituet proximo suo. 10. Si quis commendauerit proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit: 11. iusiurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. 12. Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. 13. Si comestum à bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet. 14. Qui à proximo suo quidquam horum mutuò postulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur. 15. Quòd si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui. 16. Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem. 17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt. 18. Maleficos non patieris viuere. 19. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. 20. Qui immolat dijs, occidetur, præterquam Domino soli. 21. Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti. 22. Viduæ & pupillo non nocebitis. 23. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: 24. & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. 26. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. 27. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius; nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. 28. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. 29. Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 30. De bobus quoque & ouibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi. 31. Viri sancti eritis mihi, carnem, quæ à bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus.

VERS. I. SI QVIS FVRATVS FVERIT BOVEM AVT OVEM, ET OCCIDERIT VEL VENDIDERIT: QVINQVE BOVES PRO VNO BOVE RESTITVET, ET QVATVOR OVES PRO VNA OVE] Quæres, cur fur bouis quinque boues, fur autem ouis non quinque, sed quatuor tantùm oues restituere iubetur? Respondet Theodor. quia maius furtum maiori pœna & mulcta plectendum est: maius autem est furtum bouis quàm ouis, quia bos maioris est pretij, quàm sit ouis. Cui adde, furem bouis iustè adigi

Fur bouis quinque restituat, ouis quatuor, cur?

A ad quintum bouem reddendum, vt per illum sarciat damnum, quod bouis dominus ob eius furtum passus est in agricultura: ad hanc enim nõ seruit ouis, sicuti seruit bos & equus. Huc allusit Strabo in Glossa, & ex eo S. Thomas 1.2.q.105.ar.2. ad 9. Iubet Deus, inquit, vt fur quinque boues pro vno reddat, quia bos quinque habet vtilitates; nam Primò, immolatur: Secundò, pascit sua carne: Tertiò, arat: Quartò, dat lac: Quintò, dat corium. Ouis verò quatuor tantùm affert commoda;

Bouis quinque commoda, ouis quatuor.

moda; nam Primò, immolatur: Secundò, pascit sua carne: Tertiò, dat lac: Quartò, dat lanam. Hæc congruentia est non causa.

Mysticè, bos doctorem plebis, ouis auditorem & discipulum significat: hinc qui auferr aut peruertit doctorem, grauiùs plectitur, quàm qui auditorem. vide Rabanum.

Vers. 3. QVOD SI ORTO SOLE HOC FECERIT (furem occiderit) HOMICIDIVM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETVR] Nota. Hîc sancit Deus, vt is qui diurnum furem occidit, reus sit mortis; qui verò nocturnum occidit, minimè: hunc ergo licebat occidere, non illum. Ratio disparitatis est, quia nocturni furis incerta est vis & intentio, nescitur enim an ad furandum tantùm, an verò etiam ad occidendum veniat. Rursum, quia noctu fur agnosci non potest, vt dominus rem suam ab eo ablatam iudicio repetere possit. Tertiò, quia fur nocturnus non potest tam securè repelli aut apprehendi, quàm diurnus: de die enim paterfamilias auxilia domestica & vicinorum ad manum habet, eaque statim aduocare potest. Eadem distinctio furis diurni & nocturni, quoad eius occisionem, habetur in Iure canonico, extrau. de homicidijs, c. *si perfodiens*, ex S. August. quæ ex hac Dei sanctione deriuata est.

Diurnum furem occidere non licet, nocturnum licet, cur?

Intellige hæc, si fur tantùm agat furem, si enim vlteriùs gladio aut armis furtum tueretur, æquè occidi poterat diurnus fur ac nocturnus. Ita August. q. 84. quod etiam sanxit lex ciuilis, vti videre est l. *furem*. ff. ad legem Cornel. de sicarijs.

ET IPSE MORIETVR] scilicet qui furem diurnū occidit. hebr. est, *sanguines ei reddendo reddet*: q. d. Sanguinem suum dabit pro fuso à se sanguine furis: cæso enim (ob iniuriam per cædem illi factam) quodammodo sanguis cæsoris debetur. Chald. hæc ad furem refert, vertitque, *soluens soluet fur*, id est furtum suum restituet. Verùm meliùs Noster & Septuag. hæc referunt non ad furem, sed ad furis percussorem.

SI NON HABVERIT (scilicet fur) QVOD PRO FVRTO REDDAT, IPSE VENVNDABITVR] Hebræi enim suppositum (quale hîc est τὸ *fur*) sæpè subticent, & ex antedictis quasi notum intelligendum relinquunt.

Vers. 4. SI INVENTVM FVERIT APVD EVM QVOD FVRATVS EST, VIVENS, SIVE BOS, SIVE ASINVS, SIVE OVIS, DVPLVM RESTITVET] Nota τὸ *viuens* & *apud eum*, Nam si bouem vel ouem occidisset aut vendidisset, pro vno boue non duos, sed quinque, pro vna oue quatuor restituere debebat, vti dictū est v. 1. Sin autem viuens animal apud furem reperiebatur, tūc fur pro vno duo tantùm restituere debebat. Ratio disparitatis erat, quia in priore casu maior erat culpa & iniuria, tum quia in eo fur animal non tantùm furatus erat, sed & illud occiderat aut vēdiderat; tum quia nulla apud eū erat restitutionis spes. quorū vtrumque secùs erat apud furem, qui animal furto ablatum viuēs adhuc detinebat: facilè enim multisque modis illud domino restitui, & ad eum redire poterat. Iam verò apud Christianos, vtpote quibus maius est crimen furari, ad coërcendam furandi licentiam, atque ad necessariam reipublicæ pacem, fures etiamsi rem furatam viuentem, aut integram seruent, iustè suspendio plectuntur.

Alexandri Imp. in fures seueritas.

Alexāder Seuerus Imp. adeò vindex furti fuit, vt, si quem talium videret, paratum haberet digitum, quo ei oculum erueret: imò quemdam ex honoratis in furto deprehēsum, mox ex lege crucifigi iusserit. Idem per præconē edixit: *Nemo salutet principem qui se furem esse noscit*. Idem furti suspicione infames nec intueri sustinebat: adeò vt, cū Septimus Arabinus, qui famosus crimine furtorum sub Heliogabalo fuerat liberatus, inter senatores principem salutatū venisset, exclamarit: *O numina, ô Iupiter, ô dij immortales! Arabinus non solùm viuit, sed etiam in senatum venit. Fortassis de me sperat? tam fatuum, tam stultum me esse iudicat?* testis est Lamprid. in eius Vita. Diogenes apud Laërt. l. 6. vidēs duci furem qui phialam ex ærario sustulerat, dixit: *Magni fures paruum ducunt*. Vtinam hoc non possit verè dici in magistratus aliquos Christianos, à quibus interdum ad laqueum adigitur, qui decem drachmas sustulit; ipsi impunè magnis furtis, vel peculatu potiùs ditescunt!

Nota, quòd dicitur, *siue bos, siue ouis*: sub his enim à paritate rationis omnia pecora & pecudes, omniaque animalia, tam magna quàm parua, intelligenda sunt, inquit Caiet.

SI LÆSERIT QVISPIAM AGRVM VEL VINEAM, ET DIMISERIT (id est, ita vt dimiserit, siue dimittendo, vt patet ex Hebræo) IVMENTVM SVVM, VT DEPASCATVR ALIENA, QVIDQVID OPTIMVM HABVERIT IN AGRO SVO, AVT VINEA, RESTITVET. Vers. 5.

SI EGRESSVS (proserpendo) IGNIS INVENERIT SPINAS, ET COMPREHENDERIT ACERVOS FRVGVM, SIVE STANTES SEGETES IN AGRIS, REDDET DAMNVM QVI IGNEM SVCCENDERIT] Nota τὸ *spinas*. ita enim legendum est, non *spicas*, vt patet ex Hebr. Chald. Septuag. & Roman. Iubet enim hæc lex, vt, si quis negligentia sua igni à se excitato malè aduigilarit, nec cauerit ne proserperet, itaque factum sit vt ignis spinas quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno. par iudicium erat, si ignis corripuisset linum, aut canabem, vel arbores, &c. Vers. 6.

SI LATET FVR (qui furatus est commendatum, id est depositum,) DOMINVS DOMVS (in qua depositum fuit furto sublatum) APPLICABITVR AD DEOS (ad iudices) ET IVRABIT, QVOD NON EXTENDERIT MANVM IN REM PROXIMI SVI] q. d. Si fur aliquis depositum surripuerit, depositarius apud quem res deposita, & cui commendata erat, vocatus in ius veniet ad iudices, & iuramento purgabit se, probabitque suam à furto innocentiam. Vers. 8.

Lex depositi.

ET QVIDQVID DAMNVM INFERRE POTEST] Hebr. est, *super omni re perdita quam dixerit, quia ipsa est*, scilicet quam ego per depositarium perdidi, quasi dicat, Super omni culpa quam depositario imponit. Vers. 9.

AD DEOS (id est iudices) VTRIVSQVE (tam deponentis qui rem suam perdidit, quàm depositarij apud quem fuit res furto sublata) CAVSA PERVENIET. ET SI ILLI IVDICAVERINT, DVPLVM RESTITVET PROXIMO SVO] Hebr. est, *is quem iudices damnauerint, duplum restituet proximo suo*. quod Caietanus & alij nonnulli intelligunt de alterutro. quasi dicat, Alteruter, putà vel depositarius qui est reus, vel deponens qui est accusator, si condemnetur, debet luere duplum: depositarius quidem, quia malignè & fraudulenter rem depositam custodiuit, imò eam vel furatus est, vel

vel cum fure diuisit;deponens verò (si is cōdemnetur) quia calumniam furti & infidelitatis falsò irrogauit depositario, cùm is esset innocens.

Verùm Noster interpres meliùs de solo depositario, qui reus agitur, hunc locum explicat. q.d. Depositarius qui à iudicibus fuerit furti, vel collusionis cum fure condemnatus, soluet duplum eius quod sua culpa perditum, & furto sublatum est. Agitur enim hîc de depositario qui reus est, eius enim est restituere rem depositam, vti hîc dicitur: de deponente verò hîc non agitur, illi enim si accusator sit, falsòque depositarium calumnietur, eamdem ex lege talionis subeundam esse pœnam, non hîc, sed Deut. 19. 19. sancitur.

VERS. 10. NVLLVSQVE HOC VIDERIT] qui cauere posset, nullus etiam qui testis esse posset. q.d. Si testibus suam innocentiam probare non possit, purget se iuramento, finisque controuersiæ sit iuramentum per sanctissimum Dei nomen. hebraicè enim additur nomen Dei tetragrammaton.

VERS. 11. SVSCIPIETQVE DOMINVS (herus vel possessor, vt habent Hebræa, ouis, vel animalis perditi) IVRAMENTVM.

VERS. 12. QVOD SI FVRTO ABLATVM FVERIT, RESTITVET DAMNVM DOMINO] Si nimirum eius, putà depositarij, culpa aut negligentia, res furto ablata sit. Vnde hebr. additur: *si de cum ipso*, id est, si ipso sciente vel vidēte, vel cùm ipse facilè scire aut videre & cauere posset (sic enim accipitur *τὸ cum ipso* v. 15. vti omnes ibidem vertunt & explicant;) res furto ablata sit, tunc rem furto sublatam restituere tenebitur. opponitur hic versus præcedenti, in quo addebatur, *nullusq; hoc viderit*. loquebatur enim de eo, cui sine culpa res ablata erat; is enim erat insons.

Triplex depositi casus & lex. Triplex ergo hîc circa depositum est casus, & lex. Primò, si depositarius per fraudem rem depositam interuerterit, reddet duplum, vti decernitur v. 9. Secundò, si non admiserit fraudem, sed per eius negligentiam res deposita sublata sit furto, reddet simplum; putà rem ipsam, aut pretium rei restituet, vti decernitur hoc v. 12. Tertiò, si sine eius scitu & negligētia, res secretò furtim sublata sit, censebitur innocens, nihilque restituet, vti decernitur v. 10. & 11.

VERS. 13. SI COMESTVM A BESTIA, DEFERAT AD EVM QVOD OCCISVM EST, ET NON RESTITVET] Hebraicè hæc est sententia, *si rapiendo raptum, aut rapiendo laniatum sit, adducet ipsissimum testem, videlicet id quod laniatum est, & non restituet*. ita Chald. & consentiunt Septuag. vnde Noster breuissimè & optimè vertit.

VERS. 15. *Lex commodati.* QVOD SI IMPRÆSENTIARVM DOMINVS FVERIT, NON RESTITVET] Quia domino animalis præsente, minuitur cura & vigilantia commodatarij (de eo enim hîc est sermo) qui animal *mutuò*, id est, vt iuridicè & distinctè loquar, commodatò accepit ad vsum: quia dominus præsens suæ rei curam habere debet: si ergo ipse perire eam sinat, id ei imputetur. quòd si ipse omni sua cura & conatu non possit rem seruare, sed ipsa casu pereat, huiusce casus ipse sit testis, videatque commodatarium esse innocentem: sin denique commodatarij culpa, quam ipse impedire non valeat, res pereat, iudices diiudicent, an, & quantum restituere teneatur. hoc enim æquitas & iustitia postulant.

MAXIME SI CONDVCTVM VENERAT PRO MERCEDE OPERIS SVI] Hebr. est, *si mercenarium*, id est *conductum fuerit, veniens pro mercede sua*, id est, si commodatarius, vel potiùs conductor non gratis acceperit animal, sed eius vsum mercede conduxerit, & moriatur animal præsente domino, ad nihil tenebitur. Sin gratis erat animal commodatum in fauorem commodatarij, fieri poterat vt is teneretur ad restitutionem: leuior enim culpa obligasset commodatarium, saltem ad partem aliquam rei pereuntis præstandam, quæ non obligasset conductorem, qui non suo solius, sed alterius etiam, putà locātis, commodo contractū talem inijt, quemadmodum & iam leges ciuiles grauiorem in conductore, quàm in commodatario culpam requirunt, vt is ad restitutionem teneatur: in illo enim leuem, in hoc tantum leuissimam culpam requirunt. Quamquam ius hoc nostrum veteri illi non respondeat per omnia; sunt enim hîc multa merè positiua illius temporis, vt quod hîc passim ingeritur de præsentia domini, cùm res perit; illa enim nunc est impertinens, nec quidquam iuuat commodatarium aut conductorem. *Lex conducti.*

Tropologiam superiori similem vide apud Rabanum.

REDDET PECVNIAM IVXTA MODVM DOTIS, QVAM VIRGINES ACCIPERE CONSVEVERVNT] q.d. Dabit virgini quam vitiauit tantam dotem, quantam ipsa à patre iuxta suam conditionem accepisset: ditioribus enim maior dos erat assignanda, quàm pauperibus. VERS. 17.

Dices, Deut. 22. 29. qui vitiauit virginem ad 50. siclos, id est florenos, præcisè damnatur, ergo æqualis omnibus dos erat danda.

Respondeo, Deut. de alio casu loquitur, nimirum si iniuria & vis illata esset puellæ, ac per consequens patri eius: tunc enim ob iniuriam parenti illatam, 50. siclos non puellæ, sed parenti pendere debebat stuprator, atque insuper tenebatur vitiatam ducere, eamque retinere sine vlla repudij spe, vti ibi dicitur. ita Abulens. ibi ergo de stupro & vi, hîc de simplici fornicatione agitur.

MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE] Hebr. *maleficam non viuificabis*, id est, viuere non fines, vel in vita non conseruabis, sed vitam ei adimes. sexus enim femineus magis maleficijs siue veneficijs est obnoxius, quàm virilis; à pari tamen per maleficam intellige & maleficum. VERS. 18. *Lex de maleficis.*

SI PECVNIAM MVTVAM DEDERIS POPVLO MEO PAVPERI QVI HABITAT TECVM, NON VRGEBIS EVM QVASI EXACTOR, NEC VSVRIS OPPRIMES] Hebr. *non eris ei vt exactor* vel *fœnerator, & non pones super eum morsum*, id est, vsuram: Hebræi enim vsuram vocant נשך *nesech*, id est *morsum*, quia vsura magis quàm canis mordet & rodit pauperes. VERS. 25. *Vsura hebr. vocatur morsus, cur?*

SI PIGNVS A PROXIMO TVO ACCEPERIS VESTIMENTVM, ANTE SOLIS OCCASVM REDDES EI] Pro *vestimentum* hebr. est *operimentum*: maximè enim videtur loqui lex de cooperculis nocturnis, siue vestes eæ sint, siue stragula. Est hæc lex non iustitiæ, sed caritatis & misericordiæ, iubetque, vt creditores pauperum debitorum misereantur, vt vesperi pignus ab eis acceptum reddant, vt eo noctu vti, seque cooperire possint, manè, si libeat, illud pro pignore relaturi. ita Caietan. VERS. 26. *Lex pignoris.*

Tropolog. S. Gregor. li. 16. Moral. 2. Pignus, ait, ante solis occasum reddere iubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol iustitiæ occidat, *Tropolog.*

cidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, à quo confessionem accepimus culpæ.

Vers. 28. Diis non detrahes] Hebr. *Elohim*, id est iudices, *non vilipendes*, aut viles tuis verbis reddes. ita Chald. Ita Eccles. 10. 20. *In cogitatione*, ait, *tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti*: quia magnatibus nihil est occultum: *quia*, inquit, *& aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam*. q. d. Fama perferet tua maledicta ad eius aures: facilè enim hæc emanant. Nam, vt ait Iuuenal. satyra 9.

— Secretum diuitis vllum
Esse putas? Serui vt taceant iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora.

Multa, inquit Xenophon lib. 8. Pædiæ Cyri, *principis sunt aures, multi oculi; & vbique dicere metuunt ea quæ principi non expediunt, quasi ipsus audiret; & metuunt facere ei non conducentia, quasi ipsus adesset.*

Et Veget. lib. 2. c. 5. *Imperatori*, ait, *cùm Augusti nomen accipit, tamquam præsenti & corporali Deo fidelis est præstanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus, vel militans seruit, cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore.*

Vers. 29. Decimas tvas et primitias tvas non tardabis reddere] Clarè expressit Interpres quod hebr. generatim & confusè dicitur: *ne tardes offerre plenitudinem tuam & lacrymam tuam*, id est spicas tuas plenas, & vinum tuum, omneq; liquidum, quod pressum lacrymam, id est liquorem, distillat; hoc est, vt Chald. Septuag. & Noster vertunt, *Offeres decimas & primitias tuas*. non enim iubet Deus offerri omnes fruges, sed tantùm earum decimas & primitias, vti alibi textus Hebræus exprimit, idque hac de causa, ait Philo lib. de Sacerdotum honoribus: vt, dum Hebræi assuescunt semper alimenti sui partem Deo decidere, numquam in eius obliuionem veniant, sed recordentur hæc sibi à Deo donata esse, vtq; hoc testentur, dent, imò reddant Deo frugum eius decimas & primitias.

Primitiæ danda Deo, cur.

Vers. 30. Septem diebvs sit cvm matre sva: die octava reddes illvm mihi] Iubet hic Deus primogenita boum & ouium sibi offerri, octauo die à natiuitate eorum, non antè; quia ante octauum diem fœtus nimis est tener, & quasi immaturus ac imperfectus, nec satis plenè formatus. ita D. Thom.

Anagogicè, septem diebus manemus in hac vita cum matre Ecclesia, sed in octaua die resurrectionis sistemur Domino, remunerationem bonorum ab eo accepturi. ita Raban.

Viri sancti eritis mihi] tum animo, tum Vers. 31. corpore, sanctè videlicet seruando præcepta mea, & cauendo ab omni inquinamento, etiam carnis à bestijs deuoratæ, vti sequitur.

Carnem qvæ a bestiis fverit praegvstata, non comedetis] Iubet hoc Deus Primò, vt Hebræos decentiam & sanctitatem quamdam externam & corporalem doceat. Secundò, vt illos vitam ex ratione degere doceat, quæque nihil feritatis aut barbariei præ se ferat, ait Theodor. Tertiò, vt illos à cæde & furto longiùs arceat, eorumque auersionem & horrorem eis ingerat. ita Caiet. Vnde S. Ambros. serm. 12. citans & mysticè explicans hanc legem: *Tetrior*, ait, *bestia est, quisquis sumit quod bestia superauit. Dic igitur mihi tu Christiane, cur prædam relictam à prædonibus præsumpsisti?* &c. *Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia; scilicet vt rabiem suam rapina satient aliena, & quod leonũ saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur: sic & isti auaritia lupi, prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitati superauit, horum cederet feritati.*

Caro à bestijs prægustata vetita tres ob causas.

Tropolog. carnem à bestijs prægustatam edere non licet, id est conuersationem & doctrinam animalem, hæretico vel diabolico opere laniatam, Christiano imitari non licet. ita Raban. Rursum, homo captus à diabolo, vel hominibus qui ferinis sunt moribus, & à cultu pietatis extranei, comedendus non est, id est, non est imitandus, sed arguendus. Ita Radulphus in cap. 3. Leuit. & Raban. *Tropol.*

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit sancire leges iudiciales, præsertim de personarum & munerum acceptione. Secundò, v. 11. subdit cæremoniales de sabbato septimi anni, deq; tribus præcipuis anni festis. Tertio, v. 20. promittit eis angelum ducem & custodem, aliaq; bona, si legibus suis obediant.

1. Non suscipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. 3. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. 4. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. 5. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. 6. Non declinabis in iudicium pauperis. 7. Mendacium fugies. Insontem & iustum non occides: quia auersor impium. 8. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. 9. Peregrino molestus non eris. scitis enim aduenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. 10. Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. 11. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea, & in olìueto tuo. 12. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. 13. Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro. 14. Tribus vicibus per singu-

ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. 15. Solemnitatem azymorum cuſtodies. Se-
ptem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi, tempore menſis nouorum, quando e-
greſſus es de Ægypto: non apparebis in conſpectu meo vacuus. 16. Et ſolemnita-
tem meſſis primitiuorum operis tui, quæcumque ſeminaueris in agro. ſolemnita-
tem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. 17. Ter
in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo. 18. Non im-
molabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps ſolemnitatis
meæ vſque manè. 19. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.
Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui
præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locũ quem paraui. 21. Obſerua eum,
& audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaueris, &
eſt nomen meum in illo. 22. Quòd ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ lo-
quor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. 23. Præcedetq́; te Ange-
lus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæum-
que, & Heuæum, & Iebuſæum, quos ego conteram. 24. Non adorabis deos eorum,
nec coles eos: non facies opera eorum, ſed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum.
25. Seruietiſque Domino Deo veſtro, vt benedicam panibus tuis & aquis, & auferam
infirmitatem de medio tui. 26. Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua: nume-
rum dierum tuorum implebo. 27. Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, &
occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum
coram te terga vertam: 28. emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, &
Chananæum & Hethæum, antequam introeas. 29. Non eijciam eos à facie tua an-
no vno: ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. 30. Paulatim
expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram. 31. Ponam au-
tem terminos tuos à Mari rubro vſque ad Mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad
fluuium: tradam in manibus veſtris habitatores terræ, & eijciam eos de conſpectu ve-
ſtro. 32. Non inibis cum eis fœdus, nec cum dijs eorum. 33. Non habitent in ter-
ra tua, ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſeruieris dijs eorum: quod tibi certè erit in
ſcandalum.

Vers I. NON SVSCIPIES VOCEM MENDACII] Hebr. *non ſuſcipies auditionem falſitatis*, vt videlicet audias calumniatorem, conantem te in partem & teſtem calumniæ pertrahere.

A

Vatabl. vertit, *ne aſſumas rumorem vanũ* vel *falſum*. q.d. Ne ſis auditor falſi rumoris contra proximum tuum, aut fingas in corde tuo quippiam, quo illius fama lædi poſſit: rurſum non audias, nec admittas talem rumorem.

Dicunt Hebræorum ſapientes, non minùs peccare eum qui falſo delatori auſcultat, quàm qui falsò aliquem defert. Vnde eorum hæc eſt ſententia: *Omnis qui malignè traducit aliquem, & quicumque recipit delatorem, omniſq́; qui falſum teſtimonium dicit contra proximum ſuum, dignus eſt vt canibus proijciatur.*

NEC IVNGES MANVM TVAM] non confœderaberis, non aſſociabis te ei, vt ſis teſtis iniquitatis & calumniæ, dicendo falſum teſtimonium. ita Hebræa.

B

Sic Pericles amico falſum à ſe teſtimonium, quod iureiurando erat ſanciendum, exigẽti, *amicum ſe vſque ad aram eſſe* reſpondit. Teſtis eſt Plutarch. in Lacon. Et Phocion iniuſtum quid poſtulanti: *Non potes*, inquit, *Antipater, Phocionem amicum habere & adulatorem.*

Teſtis falſidicus, inquit Iſidorus l. 3. de Sũmo bono, *tribus perſonis eſt obnoxius: primò Deo, quem peierando contemnit: conſequenter iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit.* Talis falſus teſtis contra Dauidem fuit Doëg, 1. Reg. 22. 9. & contra Miphiboſeth Siba, 2. Reg. 16. 3. contra Naboth duo ſubornati, 3. Reg. 21. 13. contra Ieremiam Ierias, Ierem. 37. 12. contra Suſannam duo ſenes, Daniel. 13. 54. contra Chriſtum duo illi Matth. 26. 61. contra Stephanum illi Actor. 6. 11.

NEC IN IVDICIO PLVRIMORVM ACQVIESCES SENTENTIÆ, VT A VERO DEVIES] Hebr. eſt pulchra paronomaſia: *& non reſpõdebis in lite, vt declines poſt multos, ad declinandum* ſiue *torquendum*, intellige iudicium verum & rectum.

Socrates, inquit Laërt. l. 2. c. 5. eos qui multitudini imperitæ fidem habent, aiebat perinde facere, ac ſi quis tetradrachmum vnum contemnens reijceret, & aceruum è ſimilibus congeſtum probaret reciperetque. Cui non fideres ſoli, ei nihilo magis fidendum eſt in turba ſimilium: nec enim refert quàm multi ſint, ſed quàm graues. Nummus adulterinus etiam in quamuis magno aceruo, adulterinus eſt.

Vers. 3. PAVPERIS QVOQVE NON MISEREBERIS IN IVDICIO] Hebr. *non decorabis pauperem in lite ſua*, id eſt non proteges pauperẽ, ex præpoſtera erga eum miſericordia, in cauſa iniuſta, vel cùm ipſe reuera reus eſt criminis. Bona enim eſt miſericordia, ſed non debet illa euertere iudicium: vtrumque enim diligit Dominus. vnde ait Pſaltes: *Miſericordiam & iudiciũ cantabo tibi Domine*; &, *Honor regis iudicium diligit*. vnde & de Chriſto rege iuſtitiæ prędictum eſt, eum venturum *iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio*, pſal. 71. 2. ita S. Aug. q. 88. & Hieron. in pſal. 32.

Vers. 5. SI VIDERIS ASINVM ODIENTIS TE IACERE SVB ONERE, NON PERTRANSIBIS, SED SVBLEVABIS CVM EO] Hebræa hîc obſcura ſunt, & variè à varijs vertuntur: ſed omnium ſenſus eòdem recidit, & cum eo quem reddidit Noſter coincidit. Ad verbum genuinè Hebræa ſic vertenda videntur: *ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, num ceſſabis relinquere*

quere ei? (onus videlicet, eum pertranseundo, q.d. Minimè, quin verò) *relinquēdo relinquēris ei.* q.d. Apud eum subsistes, eique ad eum subleuandum, & in pedes erigendum assistes.

Posset etiam quis suspicari in Hebræo mendosè legi לו *lo* per *vau*, pro לא *lo* per *aleph*, tumq; clarior esset sensus hic: *num cessabis relinquere?* (eum gementem sub onere) *relinquendo non relinques cum ipso*, onus scilicet, sub quo gemit. Vides hic, dilectionem inimicorum non tantùm Christianis, sed & Iudæis fuisse præceptam.

Vers. 6. Non declinabis in ivdicivm (id est condēnationem: est metonymia) pavperis] Hebr. est, *non declinabis* (peruertes) *iudicium pauperis in causa eius*; vbi *iudicium* propriè sumitur. Deus ergò qui priùs pauperis personam, contra æquitatem in iudicio accipi vetuit, hîc pariter æquam eius causam iudicio iniquo peruerti prohibet.

Vers. 7. Mendacivm fvgies] Hebr. *à verbo mendacij procul eris.*

Insontem et ivstvm non occides] Hinc rectè colligunt doctiores Theologi, iudicem non posse occidere eum quem scit esse innocentem, qui tamen in iudicio per falsos testes probatur esse nocens. Alij tamen contrarium docent atque sic exponunt: *Non occides innocentem & iustum*, qui scilicet in foro tuo est iustus, quia iuridicè probatur esse innocens, vel saltem non probatur esse nocens. quibus Chald. fauet dum vertit, *& eum qui fuerit iustificatus, & exierit iustus à iudicio, non occides.*

Qvia aversor impivm] Hebr. est, *quia non iustificabo impium*, id est, *quia condemnabo & auersabor impium*, qualis est qui insontem occidit. est liptote, cui similis est Exodi 20.7. q.d. Si impiè iustum & insontem occideris, licet hominibus videaris esse iustus, mihi tamen eris impius, teque auersabor vt impium.

Vers. 8. Nec accipies mvnera, qvæ etiam excæcant prvdentes (hebr. videntes, qui scilicet apertos habent oculos mentis, id est sapientes) et svbvertvnt verba ivstorvm] Hæc verissima & vsu probatissima est sententia, vnde ænigma:

Mutnegra cum murna faciunt rectissima curua.

Iudice t abstineat muneribus. lege retrogradè, & videbis *mutnegra* esse argentum, *murna* esse aurum.

Idipsum censuerunt Gentiles. Audi poëtam:

Vincta est etiam sapientia lucro.

Apophthegmata & exempla. Et Plutarch. l. de Iside: Thebis, inquit, iudicum imagines visuntur absq; manibus, & summi iudicis oculi conniuent; eò quòd iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Et Themistium: Verus, inquit, princeps est, qui auro est inexpugnabilis. Hinc & Bion dixit, oportere principem magistratu discedentem, non ditiorem, sed clariorem euadere.

Memorabile exemplum præbuit Martius Curius Dentatus, senator Rom. cui ad focum sedenti cùm Samnites ingens auri pondus attulissent, eo repudiato, liberè asseruit: *Mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse: neque enim præclarum est aurum habere, sed ijs qui aurum habent imperare.* testis est Cicero in Catone, & Plutarch. in Apophtheg. qui & addit, Curium tunc cùm legati venerunt rapa coxisse, illisque demonstratis dixisse, se auro opus non habiturum, quamdiu tali cibo contentus vixerit.

Huic similes fuerunt Fabij, qui legati ad Pto-

A lemæum regem missi, munera quæ ab eo priuatim acceperant, in ærarium priùs quàm legationem referrent ad senatum, detulerunt.

Inter fideles illustres fuit Samuel iudex populi, vt patet 1. Reg. 12. 3. E contrario filij eius *declinauerunt post auaritiam, acceperuntq̨ munera, & peruerterunt iudicium*, 1. Reg. 8. 3. ideoque officio priuati sunt, iudiciumque & regnum in Saulem translatum est.

Hoc sæculo eminuit b. Thomas Morus, iudex æquissimus, munerū & opum contemptor Quadam vice vidua, cui litem adiudicarat, obtulit ei poculum aureum: ille accepit quidem, sed vino replens ei præbibit, & reddidit, atque vt alia omittam quæ c. 3. & 8. vitæ eius narrantur, illud admirabile est, quòd, cùm à prima ætate magnis in rep.

B muneribus esset perfunctus, adeoque totius regni fuisset Cancellarius, cumque amplam haberet familiam, tamē tota vita annuum censum non auxit vltra septuaginta aureos annuos. Quid hîc dicent illi, qui paucis annis augent ad decem, imò viginti millia?

Peregrino molestvs non eris: scitis enim advenarvm animas] quis scilicet animus, quis affectus sit peregrino, cùm se à suis destitutum, inter exteros & ignotos inuenit, quàm scilicet arcto, timido, deiecto, pauido, suspenso, verecundo, tristi sit animo; vt proinde afflicto afflictionem addere non debeatis, cui satis pœnæ est quòd sit peregrinus. Vers. 9.

Qvia et ipsi peregrini fvistis in terra Ægypti] quia scilicet experti estis quàm sit miseranda conditio peregrini: nemo enim ita misero

C succurrere paratus est, quàm qui fuit miser. hinc aiebat Dido,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Sex annis seminabis terram tvam, et congregabis frvges eivs: anno avtem septimo dimittes eam, et reqviescere facies] à messe, non autem à semente, inquiunt aliqui. q.d. Anno septimo seminabis agrum, sed non metes. ita S. August. q. 89. Verùm dico, vtrumq; hîc vetari anno septimo, scilicet tam seminationem quàm demessionem terræ: hoc enim clarè dicitur Leuit. 25. 4. *Septimo*, inquit, *anno agrum non seres.* itaque obseruatum fuisse apud Hebræos, testantur Iosephus & Hebræi. idem indicant hîc Hebræa. Erat enim hic annus septimus sabbatum terræ, id est plena quies terræ, vti septima dies erat sabbatum, id est quies hominum. Vers. 10. & 11. *Annus septimus erat sabbatum terræ, curi*

D Sanxit hoc Deus, vt scilicet annus septimus esset sabbatum terræ. Primò, ad hoc, vt Hebræos clementiæ admoneret etiam erga inanima, quales sunt agri, vtque à nimia huius vitæ cura, & auaritia eos abduceret. Secundò, vt terra hoc septimo quietis anno, quasi resumpto vigore, deinceps feracior foret; illa enim de causa etiam nostri rustici, statis temporibus quiescere sinunt agros, vt postea maiori cum fœnore fruges referant. Tertiò, vt septimus ille quietis annus esset Symbolum & memoriale creationis terræ rerumq; omnium, vti erat & dies septimus, purà sabbatum, Gen. 2. 3. vtque ipsa vacatio terræ esset velut merces habitationis, & quasi redemptio ab eo cuius est, id est, ab eius creatore Deo, inquit S. August. q 83 in Leuit. Sicut enim feudatarius pro feudo domino feudi hommagium & stata iura persoluit, ita Hebræi quasi pro feudo terræ suæ, Deo hommagiū hoc *Prima causa.* *Secunda.* *Tertia.*

Quarta. hoc sabbati terræ persoluebant. Quartò, vt pauperes septimo illo anno agri fructibus gauderẽt: eo enim anno fructus agrorum erant communes, vt patet hoc versu. A

Dices, Si anno septimo nihil licebat serere, quid metere poterant pauperes?

Resp. Metebant id quod ex granis deciduis, sexti anni segetis succreuerat, & quidquid olerũ & herbarum per se terra profert: vnde Leuit. 25. 5. *Quæ sponte*, ait, *nascuntur non metes*, id est non omnino resecabis, idq; ad hoc, vt & seruus & peregrinus, & animalia, vt ibi dicitur, & pauperes, vti hîc dicitur, partem eius colligant. ita Abulens. Atque hac parte lex hæc sabbati terræ aliàs cæremonialis, erat & iudicialis: ordinabatur enim ad commodum pauperum.

Tropologia anni septimi eadem est quæ sabbati, de qua Deut. 5. 12.

VERS. 13. ET PER NOMEN EXTERNORVM DEORVM NON IVRABITIS, NEQVE AVDIETVR EX ORE VESTRO] Iubet non vt eos non nominemus, sed ne eos deos vocemus, & quasi deos in testes inuocemus iurando per eos, inquit Tertull. libr. de Idololat. cap. 19.

Iudæi hîc superstitiosi, imò blasphemi sunt. nolunt enim legere aut pronuntiare nomen Saluatoris nostri *Iesu*. quòd si fortè casu illud vel legere, vel sonare contingat, seipsos mulctant, colaphumque ori impingunt: aut si sonant, legunt, vel scribunt, dicunt ישׁוּ *Iiscu*. illudq; per literas initiales ita exponunt: יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ *immach schemo vzichro*, id est, deleatur nomen eius & memoria eius. Hoc est odium istorum cæcorum & miserorum in Iesum Christum, quod proinde meritò luunt perenni exilio & excidio.

VERS. 15. *Festum Azymorum.* SEPTEM DIEBVS COMEDES AZYMA, TEMPORE MENSIS NOVORVM] putà in mense Nisan, quo egressus es ex Ægypto, quando in terra sancta & Ægypto nouæ fruges hordeaceæ maturescunt. vide suprà cap. 13. 4.

NON APPAREBIS IN CONSPECTV MEO VACVVS] Præcipit hîc Deus oblationem cuique accedenti ad tabernaculum vel templum, tamquam religionis actum, pertinentem tum ad cultum sibi debitum, tum ad Leuitarum sustentationem. Verùm quia Iudæa erat vasta, & multi remoti à Ierusalem & templo habitabant, tradit Lyran. cum remotis dispensatum aliquando fuisse in pentecoste, & in festo tabernaculorum. Vide Istellam in Exodi 34. vbi ait: lex hæc solos viros obligabat, nõ feminas, vt patet ex τῷ *omne masculinum*: ergo & filios & seruos. Vnde Christus duodennis ascendit ad templum, vt hanc legem seruaret, Lucæ 2. v. 42.

Tropolog. accedentes ad Deum plenos misericordiæ, & virtutum aliarum manipulos afferre decet, ita exaudientur. vide S. Chrysost. in 2. ad Timoth. 1. hom. 1.

VERS. 16. ET (custodies, celebrabisque) SOLEMNITATEM MESSIS PRIMITIVORVM OPERIS TVI, QVÆCVMQVE SEMINAVERIS IN AGRO] id est, vt Vatabl. *Pentecostes.* *seruabis diem festum messis præcocium fructuum operis tui, quos seminasti in agro.* hoc est, celebrabis festum pentecostes, illoq; panes ex prima messe triticea factos mihi offeres, sicut in paschate obtulisti spicas hordei maturescentes; in pentecoste ergo exigit Deus primitias omnium frugum, id est, totius messis triticeæ. de quo plura Leuit. 23. 17.

Panis primitiarum allegor. significabat Eucharistiam, inquit S. Iren. l. 4. contra hær. 32.

SOLEMNITATEM QVOQVE IN EXITV ANNI, QVANDO CONGREGAVERIS OMNES FRVGES TVAS DE AGRO] Hæc solemnitas ea est quæ postea dicta est scenopegiæ, qua tabernacula figebant, in iisque habitabant per septem dies in memoriam & gratiarum actionem protectionis diuinæ, qua Deus Hebræos duxerat & protexerat in deserto peregrinantes, & habitantes in tabernaculis per 40. annos. *Tabernaculorum.*

Celebrabatur hoc festum 15. die mensis septimi, durabatque per septem dies.

Ex hoc loco patet, aliud fuisse anni sacri, aliud verò anni vulgaris ante egressum ex Ægypto initium, quo deinceps etiam vsi sunt Hebræi in rebus ciuilibus, vt dixi c. 12. 1.

B Cœpit ergo annus vulgaris à mense vel nouilunio, quod proximum erat æquinoctio autumnali (sicut annus sacer incipiebat à Nisan, putà à mense æquinoctij verni.) quòd si septimus mensis, qui Tisri dicebatur, proximior erat æquinoctio huic autumnali, tunc ille erat anni principiũ: sin autem octauus mensis qui Marchesuan dicebatur, proximior esset illi æquinoctio, is erat primus anni mensis. hoc autem facilè fieri poterat: v. g. si æquinoctium vernum incideret in plenilunium, vel paulò ante illud, tũc Nisan, siue primus mensis erat illa eadem lunatio, & 14. dies Nisan erat in æquinoctio pariter & plenilunio. iam quia menses lunares minores sunt solaribus, hinc in multis mensibus (putà 32.) solaribus excrescit insuper vnus lunaris; cùm ergo sol sex mensibus suis ab vno æquinoctio ad aliud decurrat, hinc casu iam posito fiebat, vt mensis septimus solaris, in quem incidebat æquinoctium, concurreret cum mense octauo lunari. *Initiũ anni sacri & vulgaris quodã* C

Vnde dicit, *in exitu anni*, id est, circa exitum anni: poterat enim scenopegia ante finem anni vulgaris celebrari, si nimirum annus inciperet ab octauo mense; poterat & post finem anni veteris, & sub initium noui anni celebrari, si videlicet annus inciperet à mense septimo.

Maluit autem dicere Moses *in exitu*, quàm, in principio anni (quod vtiq; dicere potuisset: quod enim finis est anni præcedẽtis, illud & initium est anni sequẽtis) vt causam festi indicaret, quæ erat gratiarum actio pro omni frugum genere, tam ex agris quàm hortis & vineis percepto, anno illo elapso. Accessit posteà & alia causa, videlicet memoria protectionis diuinæ in deserto, vbi in tabernaculis habitauerant; vnde & posteà nomen tabernaculorum festo est inditum. de quo plura Leuit. 23. 42. D

TER IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCVLINVM TVVM CORAM DOMINO] nimirum tribus iã dictis solemnioribus anni festis, putà in paschate, pentecoste, & festo tabernaculorum, Deut. 16. 16. VERS. 7.

Allegoricè, S. Basil. in c. 1. Isaiæ, Fidem, inquit, SS. Trinitatis exigit Deus: nam, vt ait Glossa, in paschate immolatur Filius, in pentecoste datur Spiritus sanctus, in collecta frugum potentia creatoris Patris signatur.

Tropologiam pete à Rabano.

CORAM DOMINO] id est coram arca, vel coram tabernaculo, si arca ab eo separata esset, vti factum est cùm Philisthini tempore Heli arcam ceperunt: & post reductam arcam, multo deinceps

ceps tempore arca fuit separata à tabernaculo, tumque Hebræi non coram arca, sed coram tabernaculo sacrificabant, suaque festa celebrabant. A

Vers. 18. Non immolabis svper fermento] cum fermento, sed cum azymis tantùm, vt purum & infermentatum sit sacrificium. de quo plura in Leuitico.

Nec remanebit adeps solemnitatis meæ vsqve mane] *Adeps solemnitatis mea*, id est adeps sacrificij in honorem meum, vel in solemnitate mihi dicata oblati: illa enim mea est solemnitas quæ mihi sacrificatur. iubet ergo hîc Deus, vt cùm sacrificatur & mactatur victima, simul statim quod in ea præcipuum & pinguissimum est, adeps videlicet recens, sibi adoleatur & comburatur.

Vers. 19. *Non coques hœdum in lacte matris, quo sensu* Non coqves hoedvm in lacte matris svae] Chald. vertit, *non comedes carnem cum lacte*: vnde & aliqui Hebræi teste Georgio Veneto problem. 441. more suo sic vertunt, *non comedes caseum post carnem*, quia carnium in caseo mala est concoctio. *Primus.*

Secundus. Secundò, alij apud Vatabl. per hypallagen sic interpretantur, q.d. *Non coques, nec comedes hœdum cum matre lactante*: q.d. Satis tibi sit comedere hœdum, abstineas à matre; hoc enim videtur crudele, sic præcepit Deus comprehendenti pullos in nido dimittere matrem, Deut. 22.6.

Tertius. Tertiò, Abulensis, Lyran. Caietanus & S. Thomas 1.2. quæst. 102. a. 6. ad 4. simpliciter hoc præceptum vt sonat accipiunt, vt scilicet prohibeatur hœdus coqui, siue, vt hebraicè est, lixari in lacte materno, ne quod hœdo erat in delicijs, vertatur in tormentum.

Quartus & genuinus, in lacte, id est tenerum & lactentem. Quartò & optimè, Vatabl. & Oleaster sic exponunt: ne coquas hœdum in lacte matris, id est ne occidas & coquas hœdum lactentem, quãdiu sugit lac matris: hoc enim significat ille hebraismus. Probatur hæc expositio: nam nusquam cõsuetudo fuit, hœdos propriè in lacte materno lixare, vt Iudæis hoc prohibẽdum foret: ergo hæc verba eo sensu quem iam dedi, accipienda sunt. Secundò, quia hic sensus optimè respondet allegoriæ, vti mox dicam. Tertiò, quia ita intelligunt S. Chrysost. hom. de Innocentib. S. August. q. 90. Ad litteram ergo vetuit Deus occidi ad esum teneros hœdos vel agnos. (agnum enim vertunt Septuag. & par videtur esse ratio hœdi & agni) vt Hebræos doceret humanitatem & benignitatem erga homines, quando etiã circa bruta eam præcipiebat, iubebatq; eos compati pecudibus suis, & auersari ac horrere crudelitatem in eas, præsertim in tenellos agnos & hœdos, qui sui commiserationem omnibus mouent, dum iugulantur.

Dico *ad esum*: nam Leuit. 22. 27. dicitur, quòd octauo die poterat hœdus, agnus & vitulus offerri Domino; atq; omnino loqui videtur de oblatione per iugulationem & immolationem: in sacrificijs enim victimarum etiam tenellarum, Deo per sacerdotes immolatis, nulla erat species crudelitatis; hanc enim purgabat & excludebat religio.

Iudæi ita superstitiosè hanc legem obseruant, vt in eadẽ olla carnes & lac coquere nolint; imò nec eodẽ cultro carnes & caseum scindere sibi licere putant, sed diuersis vtuntur: atq; de hac cæremonia iustum librũ conscripserunt, quo docent quid liceat, quid non liceat in esu carnis & lactis.

Allegorica, & præcipua causa huius legis fuit, vt significaretur Christum infantem & lactentem non posse occidi, siue ab Herode, siue à Iudæis, ante ætatem maturam, & tempus præfinitum à Patre. ita S. August. & Chrysost. suprà. Moraliter docet hæc lex teneris & infirmis compati, eorumque infirmitatem tolerare.

Tropologicè, hæretici coquunt hœdos in lacte matris. Lac enim capræ fœtidæ, id est hæreseos, est eorum impia doctrina: in hac coquunt illi hœdos, id est discipulos suos, æternis postea ignibus in inferno recoquendos. Lac enim hoc vertitur eis in æternum tormentum. Ita aliqui: quamquam hæc tropologia non satis consonet allegoriæ iam datæ.

B Ecce ego mittam angelvm mevm, qvi præcedat te] Per angelum hunc Primò, Caiet. intelligit ipsum Mosen. Secundò, alij intelligunt Iosue, quia hic introduxit Hebræos in terrã promissam. ita Iustinus contra Tryphonem folio 58. & Eusebius l. 4. Demonstr. euang. cap. 28. & Raban. Tertiò, Rupertus hîc, & S. Athanas. l. de Communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti, ante finem, & Hesychius l. 7. in Leuitici cap. 26. fol. 653. putant Filium Dei hîc angelum vocari, quia additur: *Et est nomen meum* (putà Dei) *in illo*; q.d. Æquè dicitur Deus vt ego. Sed hæc allegorico potiùs sensu quàm literali dixit Rupert. vti solet, æquè ac Hesychius, & Athanas. Quartò ergo & genuinè, angelus hic verus fuit & merus angelus, præses nimirum exercitus Hebræorum; ille enim præibat eis viam in columna nubis per diem, & ignis per noctem; ille etiam nomine Dei præcipiebat Mosi & Hebræis; ille denique puniebat rebelles. Hunc angelum probabile est fuisse Michaelem, qui Daniel. 10. v. vlt. vocatur princeps populi Israel. Hic enim olim præerat Synagogæ Iudæorum, vti nunc præest Ecclesiæ Christianorum. Vers. 20. *Angelus Hebr. quis. Prima sententia. Secunda. Tertia. Quarta & vera, fuisse S. Michaelem.* C

Et cvstodiat in via] Nota hîc nomen angeli custodis totius populi, eiusque quinque officia: Primum est, *præcedet te*; Secundum, *custodiet in via*; Tertium, *introducet in locum quem præparaui*, putà in Chanaan; Quartum, *non dimittet cùm peccaueris*, q.d. Si pecces puniet te; Quintum, *est nomen meum in illo*. Eadem applicari possunt angelo custodi cuiusuis hominis. *Angeli custodis officia quinque.*

Vis rara exẽpla custodiæ & opis angelicæ? Accipe omnia S. Scripturæ suo ordine. Primò, Cherubim custodiunt paradisum, eiecto Adamo peccatore, versantẽq; gladium flammeum Gen. 3. 24. angeli enim purissimi summè vel fugiunt, vel fugant impuros peccatores. *Sicut fumus apes, & fœtor columbas fugat: sic miserabile & putidum peccatum repellit vita nostra custodem angelum*, inquit S. Basilius, & ex eo Maximus serm. de peccato. Secundò, angelus profugam Agar reduxit ad Saram heram suam, Gen. 16. v. 7. Tertiò, angeli tres Abrahæ promiserunt filium Isaac, Gen. 18. v. 10. Quartò, duo angeli eduxerunt Lot ex Sodomis, & Sodomitas igne cælesti concremarunt, Gen. 19. Quintò, angelus cõsolatus est Agar, & Ismaeli siti morienti puteo ostenso, vitam seruauit, Gen. 21. 17. Sextò, angelus stitit gladium Abrahæ, volentis immolare Isaac, Gen. 22. v. 11. Septimò, Iacob vidit ascendentes angelos & descendentes per scalam, ad suam opem, Genes. 28. 12. Octauò, angelus docuit Iacob modum, per vir- *Exempla custodiæ angelorũ.* D

gas varicolores producendi fœtus sibi ex pacto debitos, Gen. 31. 11. Nonò, angeli deduxerūt Iacob ex Mesopotamia in Chanaan, Gen. 32. 1. Decimò, angelus interposuit se inter castra Hebræorum & Pharaonis, illa illuminans & deducens per mare rubrum, hæc obtenebrans & submergens, Exodi 14. 19. Vndecimò, angelus deduxit Hebræos per desertum in Chanaan, Exodi 23. 20. Duodecimò, angelus locutus est per os asinæ, & corripuit Balaam, Num. 22. 22. Decimotertiò, angelus consolatus est Hebræos ab hostibus afflictos, Iudic. 2. 1. Decimoquartò, angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madian, Iudic. 6. 11. Decimoquintò, angelus promittit Manue filium Samsonem nazaræum Iudic. 13. 3. Decimosextò, angelus percussit Ierusalem peste, ob numeratum à Dauide populum, 2. Reg. 24. 16. Decimoseptimò, angelus confortauit Eliā pane, vt ambularet per quadraginta dies ad montē Dei Horeb, 3. Reg. 19. 5. Decimooctauò, angelus misit Eliam ad Ochoziam regem, vt ei prædiceret mortem ob cultum Beelzebub, 4. Reg. 1. 3. Decimonono, angelus percussit 185. millia Assyriorum, 4. Reg. 19. 35. Vigesimò, Raphael Tobiam deduxit & reduxit, curauitque ei Saram vxorem, vt patet ex Tobia. Vigesimoprimò, angelus Iudith custodiuit, & direxit ad cædem Holophernis, Iudith 13. 20. Vigesimosecundò, angelus tres pueros in fornace Babylonia abigne defendit, Daniel. 3. 49. Vigesimotertiò, angelus conclusit ora leonum, ne deuorarent Danielē, Daniel. 6. 22. Vigesimoquartò, angelus Gabriel ostendit Danieli, 70. hebdomade occidendum esse Christum, Daniel. 9. 21. idem varia futura circa reges Syriæ & Ægypti eidem reuelauit, c. 11. Vigesimoquintò, angelus tutatus est, & vindicauit pudicitiam Susannæ, Dan. 13. v. 55. & 59. Vigesimosextò, angelus rapuit Habacuc, vt ferret prandium Danieli in lacu leonum, Dan. 14. 33. Vigesimoseptimò, angelus Zachariæ c. 2, 3. 4. 5. 6. 12. varia mysteria reuelauit. Vigesimooctauò, angelus hastam vibrans præcessit castra Iudæ, deditque victoriam, 2. Machab. 11. 8.

Iam in nouo testamento angeli Christo nato cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo*, suaserunt fugā in Ægyptum, indeq; reditum, ministrarunt Christo post tentationem, confortarunt Christum in agonia, Christi resurrectionem nuntiarunt: angelus Petrum è carcere eduxit, rapuit Philippum apud eunuchum, Cornelio iussit vocare Petrū, Paulum cum suis naufragio liberauit, denique S. Iohanni crebrò apparens Apocalypsin reuelauit.

VERS. 21. NEC CONTEMNENDVM PVTES] Hebraicè, *nec eum ad amaritudinem prouoces*, vel, ne amarus sis, inobediens & rebellis in eum.

ET EST NOMEN MEVM IN ILLO] Hebr. *in medio eius*. q. d. Angelus hic meū nomen, personā, auctoritatē, & voluntatem præfert; vnde Chald. vertit, *quoniam in nomine meo est verbum illius*. q. d. Quidquid angelus hic præcipit, hoc nomine meo præcipit. Meritò ergo Abbas ille in Vitis Patrum l. 7. c. 44. rogatus, quænam esset quotidie eius exercitatio, respondit: *Ego angelum meum assistentem mihi iuxta me expecto, & custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi ne commouear. Timeo ergo eum, vt custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum, & insinuantem actus meos & verba.*

NON FACIES OPERA EORVM] Hebr. *non facies secundùm opera eorum*, vt nimirum excites ijs lucos, fana, aras, statuas, ad instar eorum quæ inuenies & videbis in Chananæa, sed ea inuenta destruas. VERS. 24.

BENEDICAM PANIBVS TVIS ET AQVIS] q. d. Affatim cibi & potus vobis præbebo; tales enim erant promissiones veteris testamenti, ait S. August. quæst. 91. VERS. 25.

NVMERVM DIERVM TVORVM IMPLEBO] q. d. Faciam vt sanam longamque habeatis senectam, & moriamini saturi & pleni dierum: è contrario de impijs dicitur psalm. 54. v. vlt. quòd *non dimidiabunt dies suos.* VERS. 26.

EMITTENS CRABRONES PRIVS, QVI FVGABVNT HEVÆVM] Per *crabrones* S. August. locut. 101. & Euseb. Cæsar. intelligunt aculeos formidinis & timoris quibus prostrati sunt Chananæi, aduentantibus Hebæis, tam facilè, ac si vespæ & crabrones eos deiecissent. Verùm quia timoris hic aperta mentio præcessit, hinc distinctiùs & meliùs per *crabrones*, veros crabrones accipiemus, quia ita etiam vocantur Deut. 7. 20. & tales immissos fuisse Chananæis, docet Iosue c. vlt. 12. Idem patet Sap. 12. 8. vbi sic ait Sapiens: *Misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos* (Chananæos) *paulatim exterminarent: non quia impotens eras bestijs sæuis eos exterminare.* Præmisit ergo Deus ante Hebræos crabrones, qui infestarunt, debilitarunt & attriuerunt Chananæos, vt ipsi postea ab Hebræis faciliùs vincerentur & delerentur. VERS. 28.

Crabrones immisit Deus in Chananæos.

NON EIICIAM EOS A FACIE TVA ANNO VNO, NE TERRA IN SOLITVDINEM REDIGATVR] Hinc patet amplam & fertilem fuisse Chananæam, vtpote quæ à sexcentis millibus Hebræorum ita coli non potuerit, quin magna adhuc restaret eius solitudo bestijs implenda, & feris hominibus nocituris, ni Chananæi in ea multis in locis remansissent. VERS. 29.

Chananæi aliqui relicti cur.

Fuit & alia causa, cur non statim gētes illæ exterminatæ sint à Deo: videlicet quòd Deus voluerit in eis erudire Israelem, vt dicitur Iudic. 3. 1. ne scilicet Israel otio torperet, sed bellum assiduè gerens non diffluerét luxu, idolorum cultura, & societate cum Gentibus; disceretque Deum colere metu hostium, illi soli seruire, & in eum vt victoriæ datorem sperare. Sed hanc causam tacet hîc Deus, ne imbellem populum, pacique assuetum hoc belli timore deijciat.

Allegoriam horum omnium de Ecclesia Gentium domitrice, vide apud Rupertum.

PONAM AVTEM TERMINOS TVOS A MARI RVBRO VSQVE AD MARE PALÆSTINORVM, ET A DESERTO VSQVE AD FLVVIVM] Deus hîc secundùm quatuor mundi plagas, terram promissionis Hebræis à se dandam limitat: nam ipsa ad Meridiem habet mare rubrum, quasi limitem; ad Occidentem habet mare Palæstinorum, siue cuius accolæ sunt Philistini, quod est mare Mediterraneum: vnde & Occidentem Scriptura, sæpè per mare significat. versus Orientem habet deserta Arabiæ, quæ inter eam & Ægyptum interiacent. ad Septemtrionem denique habet fluuium Euphratem, qui per antonomasiam dicitur fluuius. VERS. 31.

Termini Chananææ ad quatuor plagas mūdi.

Ponit Deus hos terminos Hebræos, vt sciant amplitudinem terræ promissæ, & ad eam anhelent: quamquam sua culpa & demerito ea tota potiti non sint, nisi pauco Salomonis regni tempore, quo

quo tamen non fuerunt ab eis cultæ & habitatæ, sed tantùm subactæ & vectigales factæ illæ regiones eorum, quæ ab hostibus iam pridem fuerant occupatæ & inhabitatæ.

Vers.33. Si servieris diis eorum] Moraliter dij siue idola cuiusque, sunt eius cupiditates. Ergo disce hinc, peccatores seruire peccato miseram seruitutem. Audi Claudianum:

Si metuis, si praua cupis, si duceris ira;
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interiùs leges. tunc omnia iura tenebis
Si poteris rex esse tui.

Et alium:

Solus peccator seruit malè. qui licet amplo
Vtatur regno, fat miser est famulus:
Cùm mens carnalis, nimiùm dominante tyranno,
Tot seruit sceptris, dedita quot vitijs.

Et Senecam epistola 47. *Alius*, inquit, *libidini, alius auaritiæ, alius ambitioni seruit, omnes timori. nulla seruitus turpior est quàm voluntaria.*

Et S.Hieron. epist. ad Simplician. *Stultus*, ait, *esto imperet, seruit proprijs passionibus, seruit suis cu-*
A *piditatibus, quarum dominatio nec nocte, nec die fugari potest: quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile.*

Et S.Ambros. de Iacob & vita beata l.2. *Seruit*, ait, *quicumque me frangitur; vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deijcitur. Seruilis enim est omnis passio.*

Et S.Augustinum l.4. de Ciuit.3. *Bonus*, ait, *etiamsi seruiat, liber est: malus autem, si regnat, seruus est; nec vnius hominis, sed, quod grauius est, tot domi-*
B *norum, quot vitiorum.*

Qvod tibi certe erit in scandalvm] quod scilicet peccare, siue peccatum idololatriæ Chananæorum erit tibi in scandalum, hebr. *in laqueum*, id est in ruinam & interitum: erit enim causa tuæ ruinæ & excidij.

Potest etiam pronomen *quod*, referri more Hebræo ad id quod præcessit, videlicet *non habitent in terra tua*: hoc enim propriè Iudæis erat scandalum culpæ, non pœnæ; quia erat eis occasio idololatriæ.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses leges Domini ad populum refert, eas acceptat, ijsq; se obligat populus. Hinc Moses sancit fœdus inter Deum & populum, asperso sanguine victimarum in populum. Rursum v. 12. iubetur Moses in montem ascendere, vt tabulas legis à Deo accipiat: ascendit ille, manetq; in monte quadraginta diebus.

1. Moysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & se-
ptuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul. 2. Solusq; Moyses ascen-
det ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo. 3. Ve-
nit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: responditque
omnis populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. 4. Scri-
psit autem Moyses vniuersos sermones Domini: & manè consurgens ædificauit altare
ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. 5. Misitque iu-
uenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas
Domino, vitulos. 6. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in
crateras: partem autem residuam fudit super altare. 7. Assumensque volumen fœ-
deris, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus,
& erimus obedientes. 8. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, &
ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermoni-
bus his. 9. Ascenderuntq; Moyses & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de se-
nioribus Israel: 10. & viderunt Deum Israel: & sub pedibus eius quasi opus lapidis
sapphirini, & quasi cælum, cùm serenum est. 11. Nec super eos qui procul recesse-
rant de filijs Israel, misit manum suam, videruntq; Deum, & comederunt, ac biberunt.
12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboq;
tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi: vt doceas eos. 13. Surrexerunt
Moyses & Iosue minister eius: ascendensq; Moyses in montem Dei, 14. senioribus
ait: Expectate hîc donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid
natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.. 15. Cumque ascendisset Moyses, operuit
nubes montem, 16. & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex
diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. 17. Erat autem species
gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel.
18. Ingressusq; Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta
diebus, & quadraginta noctibus.

Vers.1. Ascende ad Dominvm] Ascenderat iam Moses ad Dominum in Sina, & ab angelo vice Dei mandante præcepta capitis 21.22.&23.
C audierat: sed descendere iussus fuit, vt leges has populo proponeret. quod licet hîc taceat more Hebræo Scriptura; innuit tamen v.3. vnde rursum

iubetur hîc aſcendere, poſtquam ſcilicet habuerit reſponſionem & aſſenſum populi de lege Dei obſeruanda, idque ad hoc, vt in monte Sina legis tabulas, tamquam ſignum fœderis inter Deum & populum, eiuſque quaſi inſtrumentum & obſignationem accipiat. multa ergo hîc præterit & ſilet Scriptura ſtudio breuitatis, quæ interpreti aliunde ſupplenda ſunt.

Tv et Aaron, Nadab et Abiv] Hi duo vltimi erant filij ſeniores Aaronis, qui poſtea ignem alienum ſacris & ſacrificijs adhibentes, eo exuſti ſunt à Deo vindice, Leuit. 10. 1.

Et septvaginta senes ex Israel] Putant aliqui hos ſeptuaginta eſſe illos, in quos Moſes ſuum regendi onus & ſpiritum partitus eſt, quoſque præfecit populo, qui proinde & prophetabant: è quibus Eldad & Medad etiã abſentes ſpiritum eumdem acceperunt. Sed hoc ab hiſtoria ſacra eſt alienum: nam illi in Sepulchris concupiſcẽtiæ diu poſtea, non verò in Sinai delecti ſunt, vti videre eſt Num. 11. 16. Non etiam hi ſeptuaginta fuerunt decuriones, aut chiliarchæ omnes conſilio Iethro conſtituti, de quibus Exodi 18. ſed ex hiſce (ſi tamen illi iam erant conſtituti) vel ex alijs etiam populi primoribus à Moſe euocati ſunt, vt eum in Sina comitantes, tabularum legis acceptionem ſua præſentia decorarent.

Et adorabitis procvl] Deum in caligine in cacumine montis Sina, per angelum ſe oſtendentem & loquentem cum Moſe.

Vers. 2. Solvsqve Moyses ascendet ad Dominvm] ad caliginem verticis Sina. Solus inquam Moſes comitatus vno ſuo famulo Ioſue: ſeptuaginta autem ſeniores cum Aarone, iuſſi ſunt remanere infernè cum populo, ad eum gubernandum.

Vers. 3. Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini] Sanè ſine miraculo fieri non potuit, vt vox Moſis à tot centenis millibus populi audiretur & intelligeretur; quod idem certiùs liquet in iterata promulgatione legis Deuter. 1. & Deuter. 29 v. 10. & 11. Voluit autem Deus hæc præcepta ſigillatim populo, id eſt Hebræis omnibus, proponi, antequam cum eis fœdus iniret & tabulis firmaret, vt oſtenderet quàm humaniter cum eis ageret, neque velle ſe eis legem ferre niſi aſſentientibus; deinde vt firmiùs eam retinerent, quam tam liberè amplexi eſſent, neque vllam deinceps detrectandi haberent anſam.

Vox Moſis ab omnibus audita per miraculũ.

Ivdicia] leges iudiciales c. 21. 22. 23.

Vers. 4. Ædificavit altare ad radices montis, et dvodecim titvlos per dvodecim tribvs Israel] q. d. Moſes duodecim rudia ſaxa in titulos & ſtatuas erexit; vt ſacrificia hæc, quibus fœdus inter Deum & populum ſanciebatur, pro duodecim tribubus offerri ſignificaret. Vnde & aliqui probabiliter putant, ex duodecim hiſce lapidibus ipſum altare fuiſſe conſtructum. ita Abulenſ. & Caiet. licet Andr. Maſius in Ioſue 8. nu. 31. & alij contrarium ſentiant.

Vers. 5. Misitqve ivvenes de filiis Israel, et obtvlervnt holocavsta] Chald. *miſit primogenitos filiorum Iſrael:* hi enim in lege naturæ erant ſacerdotes, necdum enim Aaron ordinatus erat ſacerdos. Ergo principum Iſraelis filij primogeniti hæc ſacrificia offerebant; licet S. Auguſt. q. 20. in Leuit. hos putet fuiſſe filios Aaron, qui poſteà creati ſunt ſacerdotes.

A Vitvlos dvodecim] Expunge τὸ *duodecim* cum Rom. Hebr. Chald. & Septuag. cùm enim plures eſſent primogeniti, nihil obſtat quo minùs plures victimas eos obtuliſſe dicamus. Apoſtolus Hebr. 9. v. 19. addit hircos quoque tum oblatos fuiſſe.

Vers. 6. Tvlit itaqve Moyses dimidiam partem sangvinis, et misit in crateras partem avtem residvam fvdit svper altare] Nota Solebant veteres fœdera victimis & ſanguine ſancire. Vnde Liuius l. 1. loquens de fœdere inter Romanos & Albanos inito: *Poſitis, inquit, fœderis legibus, aiebat fecialis, Populus Romanus prior non deficiet: ſi prior defexit, publico conſilio, dolo malo; tu illo die, Iupiter, populum Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam; tantoq́ magis ferito, quanto magis potes, polleſq́*: & Virgil. 8. Æneid. de Romulo & Tatio:

Fœdera ſanciebantur ſanguine victimarũ.

Ritus fœderis Roman.

B

Armati Iouis ante aram, paterasq́ tenentes
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.

Vnde & putant nonnulli fœdus dictum à fœdo, ſcilicet animali, putà porco, qui in fœdere mactabatur, indeque phraſim manaſſe, qua fœdus ferire, percutere, icere dicimus. Idem & multò antè inter fideles, & veri Dei cultores vſu receptũ fuit. Hinc Gen. 15. v. 9. 10. 17. Dominus in ſignum & confirmationem fœderis cum Abraham initi, iuſſit immolari bouem, arietem & capram, diuidiq́; per medium; quo facto lampas Deum ſignificans per medias diuiſiones tranſiit, indicans ita diuidendum fore qui fœdus rumperet. vide Ierem. c. 34. v. 18. vnde ברית *berit*, id eſt fœdus hebraicè, pleriq; à בתר *batar*, id eſt diuidere, per metatheſin deducunt. Hinc Cyrillus l. 10. cõtra Iulianum ſub finem, ex Sophocle docet apud poſteriores id ſeruatum, ſcilicet vt euntes per medium ignem, & ferrum manibus ferentes facerent iuramenta. Idem factum eſt in hoc fœdere Dei cum Moſe & Iudæis: ſanguis enim victimarum diuiſus eſt, vt ſignificaretur eũ, qui pactum violaret, ſimili modo ſanguine violatã fœderis fidem luiturum. quia verò pactum feriebatur inter Deum & populum, oportebat vt tam Deus, quàm Iſrael ſanguinem diuiderent, eoque aſpergerentur; & cùm Deus ſit incorporeus, vt ſanguine aſpergi non poſſit, hinc altare ſacrificiorum eius vice ſanguine tinctum fuit.

Ritus fœderis Hebræor.

C *Ritus fœderis Gentilium.*

Simili modo Chriſtus Dominus nouum fœdus & teſtamentum ſanciuit ſe ipſo, & ſanguine ſuo quaſi victima, & ſanguine victimæ fœderalis; D præſertim quia hac victima & ſanguine promeruit nobis redemptionem, gratiam, hereditatem, & omnia bona quæ in hoc fœdere ſuo nobis promiſit, ad Hebræos c. 9. 15. & ſeq. idque expreſſit in inſtitutione Euchariſtiæ, dicens: *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti.* Vnde contra Sacramentarios validum pro veritate corporis Chriſti intorqueas argumentum: ſi enim vero ſanguine vetus ſancitum eſt fœdus, iſque intelligitur cùm dicitur hîc v. 8. *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit vobiſcum Deus*; vtiq; & vero ſanguine ſancitum eſt fœdus nouum, iſque intelligitur, cùm dicitur, *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti.* hic enim vetus, noui & veri erat typus, ad quem certum eſt Chriſtum in verbis iam dictis reſpexiſſe.

Ritus fœderis Chriſti.

Vero ſanguine ſancitum vetus, ergo & Chriſtus nouum fœdus in Euchariſtia, ergo is verus ibi fuit & eſt.

Dices, Chriſtus vocat ſanguinem noui teſtamenti, non fœderis, vti ſuum vocat Moſes hîc; ergo diſſimilis eſt hæc ſanguinis luſtratio.

Reſpon-

Respondeo, Christus testamentum vocat fœdus testamentarium, adeoq; fœdus & testamentum in Script. sæpè idem sunt, vt ostendi 1. Cor. 11.25. vide & dicta Hebr. 9.19.

Vers. 7. Assvmensqve volvmen foederis, legit avdiente popvlo] *Volumen* hoc erat libellus, quem recenter Deo dictante Moses in Sina scripserat, de quo v. 4. qui continebat iam dicta Dei præcepta, vniuersosq; sermones Domini à c.: 0. vsque ad hoc c. 24. Legit ergo Moses hoc volumen continens præcepta Dei (hæc enim erant conditiones fœderis ineundi cum Deo) populo: populus deinde promisit se ea seruaturum: Moses denique quasi fecialis, fœdus inter Deum & populum sanciens & confirmans, sanguine victimarum populum respersit.

Moses fecialis.

Vers. 8. Ille vero svmptvm sangvinem respersit in popvlvm] Sanguis in populum aspersus significabat sanguinem Christi in nos aspersum. Addit Apostolus Hebr. 9.19. nonnulla quæ hic subticet Moses. sic enim habet: *Accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit.* Succinctè enim hæc narrat Moses, quæ Paulus partim instinctu Spiritus sancti, partim ex cõsuetudine ritus legalis, quem in lustrationibus eiusmodi vsurpari solitum, tum ex S. Scriptura, tum ex ipsa praxi didicerat, hæc ipsa suppleuit & expressit. nam aquam sanguini misceri solitam in sacris aspersionibus, patet Exodi 12.22. Idem patet de cocco, siue de lana coccinea, atque hyssopo, Num. 19. v. 6. & 18. Rursum, cum vitulis oblatos quoque fuisse hircos, patet, quia hircus, vtpote suo fœtore aptè peccatum repræsentans, offerri solet pro peccato, vt patet Leuit. 9. v. 3. & 15. vnde aptè figurabat Christum, qui nostra peccata in se luenda suscepit.

Aqua sanguini adhibebatur in lustrationes, cur?

Nota. In priscis Hebræorum lustrationibus aqua sanguini adhibebatur, ne sanguis concresceret, sed fieret liquidior & sparsilis, adeoque aspersioni in tantum populum idoneus. Rursum allegoricè hæc aqua & sanguis victimarum figura erant & typus sanguinis & aquæ ex latere Christi effluentis, ac consequenter typus erant baptismi & Eucharistiæ: aqua enim baptismum, sanguis Eucharistiam repræsentat.

Item lana coccinea & hyssopus, cur?

Secundò, in lustrationibus adhibebatur lana coccinea & hyssopus, vt ex eis fieret aspergillum, ad hoc enim peridonea sunt tum ob suam densitatem, tum ob vim retentiuam quam habẽt: sunt enim humoris bibula æquè vt spongia. Rursum allegoricè, lana significabat candorem & innocentiam Christi, siue carnem Christi per se candidam, sed ob peccata nostra coccineam, id est sanguine passionis rubricatam.

Hyssopus est symbolum caritatis & humilitatis.

Hyssopus verò typus erat, Primò, charitatis & gratiæ Christi. est enim hyssopus natura sua calida: vnde seruit mysterio, suoque calore & feruore Spiritus sancti ardẽtissimos æstus, quibus ignescunt piorum mentes, denotat. Secundò, hyssopus typus erat humilitatis & humanitatis Christi, per quam Deus nostram superbiam, aliaque peccata sanauit. est enim hyssopus herba humilis, &, vt docet Dioscorid. l. 3 c. 28. medetur pulmonis tumori, qui superbiæ est symbolum, vt annotauit Rupertus.

Vers. 10. Et viderunt Devm Israel] non per essentiam, sed per vmbram, id est in specie aliqua sensibili, quam Dei voluntas elegit, & humana fragilitas ferre potuit. Vnde Chaldæus vertit, *& viderunt gloriam Dei Israel.* Longiùs abeũt Septuag. qui nomen aliud remotius subaudiunt, scilicet *locum*: *Et viderunt locum*, inquiunt, *vbi stetit Deus Israel.* idque vt obuoluant hanc Dei visionem, ne putentur hi seniores Deum in sua essentia & forma diuina vidisse.

Quæres, in qua forma hîc se videndum Deus, id est angelus vice Dei, senioribus exhibuerit? Resp. Abul. Deum hîc apparuisse in forma nubis lucidæ, intra quam Dei maiestas latere videbatur, ita vt rudes Iudæi putarẽt in huius nubis infima parte consistere pedes Dei, in parte verò superiori versus cælum cæterum corpus, & hoc respectu dici hîc sub pedibus Dei, id est sub infima parte nubis, in qua credebantur esse pedes Dei, fuisse quasi opus lapidis sapphirini. quòd enim forma hominis, aut animalis, alteriúsve rei hic Deus non apparuerit, patet ex Deut. 4.15. vbi dicitur: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus de Horeb, in medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem*, &c.

Qua forma apparuerit Deus senioribus.
Resp. Abul. forma nubis lucidæ.

Alij tamen, vt Lyran. Caiet. Prado in Ezech. 1. veriùs censent, Deum hîc humana forma, nimirum specie magnifici principis & regis legislatoris sese ostendisse; vnde in Hebræo pro *Deum*, non est nomen Dei tetragrammaton, sed est *Elohim*, quod Deum qua principem & iudicẽ significat. hinc & visus est Deus hîc habere pedes, & sub pedibus habere scabellum sapphirinum; voluit enim Deus hac specie & legislatoris maiestatem & timorem senioribus, & per hos populo demonstrare & imprimere. Addit Hieron. Prado in c. 1. Ezech. & alij nonnulli, Deum hîc apparuisse tam senioribus, quàm Mosi specie humana currui Cherubim, quẽ quatuor animalia, putà quatuor Cherubini, bouis, aquilæ, leonis & hominis speciem habentes, stipabant, insidentem: qua specie Deum vidit Ezechiel c. 1. & S. Iohan. Apocal. 4. ita vt ad huius speciei & visionis exemplum ac formam Moses fabricarit arcam, & Cherubim quasi currum gloriæ Dei. non est enim dubium, quin horum typum Mosi in Sina ostẽderit Deus, vt secundùm illum illa fabricaretur: hoc enim est quod dicitur cap. 25. v. vlt. *Fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Sed de hoc pleniùs dicam c. 25. 18.

Alij forma hominis, idq; verius est.

Allegoricè, species hæc humana Dei legislatoris veteris, significabat incarnationem Verbi legislatoris noui. ita Lyran. & alij.

Ad argumẽtum Abulens. Respondeo, Deut. 4. sermonẽ esse non de hac visione secreta & priuata, quæ facta est Mosi & senioribus, sed de publica quæ facta est toti populo, cùm Deus illi ex Sina promulgaret decalogum, c. 19. v. 18. & c. 20. 18. populus enim pronus erat ad idololatriam, vnde noluit illi Deus se exhibere specie aliqua hominis vel animalis, ne illius formaret idolum: hoc autẽ periculum non erat in Mose & senioribus, vtpote viris sapientibus & selectis. Vnde constat ex c. 25. v. vlt. Deum de facto Mosi exhibuisse ideam arcæ, Cherubim, totiusque tabernaculi.

Et svb pedibvs eivs] Deus enim apparebat hic quasi homo & princeps magnificus. Nota. In Scriptura tribuuntur Deo membra hominis, non quòd reuera Deus habeat corpus, vt voluerunt Anthropomorphitæ, sed vt hominum phantasiæ

tasiæ & sensibus se accommodet; vtq; mysticum & spiritale quid, eis aptè respondens, significet. Vnde S. August. epist. 111. quæ est de vidēdo Deo, sic ait: *Alas cùm in Deo audimus, protectionem intelligimus: cùm manus, operationem: cùm pedes, præsentationem: cùm oculos, visionem: cùm faciem, notitiam qua innotescit.* Et ibid. citat S. Hieron. in psal. 93. dicētem: *Deus totus oculus est quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia vbique est. Ergo videte quid dicat: Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculos, non considerat? Et non dixit: Qui plantauit aurem; ergo ipse aurem non habet: qui finxit oculos; ergo ipse oculos non habet. Sed quid dixit? Qui plantauit aurem, non audiet? qui finxit oculos, non considerat? membra tulit, efficientias dedit.* De his fusè agit in l. de Essentia diuinitatis, & D. Thom. 1. p. q. 3. a. 1.

Et svb pedibvs eivs qvasi opvs lapidis sapphirini, et qvasi caelvm cvm serenvm est] q. d. Sub pedibus Dei apparebat quasi pauimentum ex sapphiro constratum. Signabatur hoc symbolo splēdidissima & præstantissima Dei maiestas, quæ omnem cæli & gemmarum fulgorem & splendorem longè transcendit, & pedibus premit. Est enim *sapphirus gemma gemmarum*, inquit Abulens. *vnde apud Gentiliū deos in magna fuit sapphirus reuerentia; quòd sine eo responsa non dabantur.* Et Pierius hieroglyph. 41. *Sapphirus, ait, apud veteres magna semper in veneratione fuit: siquidem per eū imperium & summum sacerdotium significari manifestum est.* Vnde Ælianus l. 14. 34. docet, apud Ægyptios summum sacerdotem (qui & supremus erat iudex) gestare solitum collo appensam imaginem è sapphiro, quæ appellabatur *Veritas*. Modò quoque summus Pontifex cuilibet Cardinali, recèns creato sapphirum mittit. Et Rueus, qui asserit, *Supremam olim sapphirum apud homines auctoritatem habuisse: & apud Diuos gratiam, ipsa perhibet antiquitas.* Sapphirus enim pulcherrimus est; quia aureis punctis quasi stellis collucet. vnde hebr. vocatur ספיר *sappir*, à ספר *sepher*, id est à numero, scilicet stellarum; vel, vt S. Hieron. à שפיר *scaphir*, id est pulcher. Rursum, sapphirus valet *contra melancholiam, & quartanam, & humores melancholicos*, teste Auicenna, Alberto Magno, & Mathiolo l. 5. 66. Denique sapphirus, ait Galenus & Dioscorides, *percussis à scorpione haustus prodest, & contra intestinas exulcerationes bibitur, & ruptas membranas cogit, & excrescentia in oculis pustulasq; inhibet.* Sapphirus ergo vigoris & lætitiæ diuinæ est symbolum.

Sapphirus symbolum est splendoris & maiestatis Dei.

Anagogicè, hæc regni cælestis, in quo nobis Deus promittitur, soliditatem, puritatē & altitudinem adumbrabant. ita Rupert. & S. August q. 102. Sapphiri enim color est cæruleus, aureis stellulis conspersus, ita vt cæli ipsius speciem referat. Iam cæruleus color, quem in cælo suspicimus, nihil est aliud, quàm altissimæ lucis profunditas: hic ergo aptè immensum deitatis, quasi lucis incomprehensibilis pelagus, in cuius conspectu & cogitatione, humanæ mentis acies videtur planè euanescere, significat. Rursum significat beatitudinis diuinæ serenitatem & æternitatem.

Allegoricè, scabellum hoc Dei sapphirinum significabat claritatem purissimam B. Virginis, in qua quasi in scabello sedere dignatus est Dei Filius, dū in ea conceptus & natus est. ita R. Moses & R. Haccados apud Galatin. l. 7. c. vlt.

A In Hebræo & Septuag. pro *lapidis* est *lateris*; habēt enim, *& sub pedibus eius quasi opus lateris sapphirini.* Verùm later hîc pro lapide sumitur; vnde Vatabl. Chald. R. Dauid, & alij hîc vertunt, *quasi opus lapidis sapphirini.* Hic ergo later erat lapis, id est gemma, quoad naturam & splendorem; idem verò erat & later, quoad formam quadratam, vel potiùs quadrangulam; erat enim hîc imago propitiatorij futuri.

Adde, lapis hic apparebat esse later, quoad cādorem; inde enim *later* hebr. vocatur לבנה *lebena*, id est albus, eò quòd in fornace coctus albescat. Deniq; per laterem, inquit R. Salomon, significabat Deus, se memorem esse afflictionis Hebræorum in latere & luto Ægyptio, eamq; iam in sapphirum commutasse. Deniq; ex hoc loco tradunt vel conijciunt Hebræi, tabulas lapideas, quibus Deus legem inscripsit, fuisse ex sapphiro, vti dicam c. 31. v. vlt.

B Nec svper eos qvi procvl recesserant de filiis Israel, misit manvm svam, viderv ntqve Devm, et comederv nt ac biberv nt] Ita legunt Romana, omniaq; alia exemplaria, præter Complutensia, quæ perperam legunt: *Nec non super eos*, &c. contrario sensu. Sēsus est, Super seniores qui à plebe recesserant, & cum Mose ascenderant in montem, non misit Deus manū suam, id est, Deus non percussit, non læsit principes Israel qui illum viderant; biberunt enim & comederūt posteà, quasi læti & exultantes hac augusta & delectabili visione Dei. quod argumentum fuit, illos non fuisse à Deo occisos, aut læsos, cùm tamen scriptum sit: *Non videbit me homo, & viuet.* Vnde olim communis fuit sensus & timor, eū qui Deum videret, à Deo morte percutiendum esse; cuius rei exemplū est in Manue Iudic. 13. 22. & in populo audita lege, Deut. 5. 24. Rectè ergo dicit hîc Moses, seniores hos Deum vidisse, & tamen non esse mortuos aut læsos. Vnde Chald. vertit, *principibus autem filiorum Israel nullum fuit incommodum.* vox enim Hebræa אצילי *atsile*, significans separatos & procul recedentes, significat etiam magnates & principes, qui à plebe honore & gradu separati sunt. Iam *mittere manum* super aliquem significat percutere, vel lædere aliquem. Chaldæum sequitur Vatabl. & passim recentiores. q. d. Moses. Plebi, & ijs qui cum plebe erant non fuit fas videre Deum in effigie aliqua sensibili, ne eius idolum sibi fabricarent; senioribus verò à plebe separatis, &, vt Septuag. vertunt, *electis filiorum Israel*, fas fuit ita Deum videre: hi enim erant viri prudentes, fideles, constantes, & timentes Deum. Aliter hæc explicat Abulens. videlicet sic: Seniores populi viderunt Deum Israel, nec tamen Deus ipse misit manum suam super eos qui longè recesserant; id est, nec à populo longè remoto occultauit se, sed potiùs ei se manifestauit, vti & senioribus. *ponere* enim *manum* subinde apud Hebræos significat occultare, vti patet Exod. 33. 22. Verùm hic sensus remotior est & obscurior: prior ergo est genuinus.

Vers. 11.

C

D

Ascendens Moyses in montem Dei] putà, in altiora montis Sina: vnde posteà ad ipsum eius cacumen, tabulas legis accepturus, septimo die euocatus est. ita Hugo. Vers. 13.

Et Iosve minister eivs] Vide hîc Mosen vno ministro contentum. Igitur Moses populi princeps, dux, legislator & pontifex in principatu pau-

Moses vno ministro contentus.

pauperem egit vitam, vno ministro vtens Iosue. noluit ergo famulorum, equorum, rhedarum turbam. Eodem quoque cibo, imò eadem portione cibi qua cæteri Hebræi, putà vno gomor manna, dietim vixit, vt daret posteris & principibus exemplum modestiæ, frugalitatis, continentiæ, qua populo se æquarēt, quoad possent, nec eos grauarent tributis ad proprium luxum; neque inter eos ambitiosè se extollere, eisque superbè dominari satagerent.

Vers. 14. Senioribus ait, Expectate hic] Hîc, scilicet cum populo. τὸ enim *hîc* amplè accipitur & fortè digito ostendebat Moses ipsa castra populi. q.d. Suffecerit, ô senes, vos huc vsq; me comitatos esse, & adorasse Dominum: hîc subsistite, ne ascendatis mecum, sed redite ad castra, vt populo præsitis, eumque in officio contineatis. in castris enim paulò pòst Aaron vitulum populo cōflauit, ideoque à Mose, qui solus cum Iosue descendebat de monte, inuentus & increpitus est.

Si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos] Hebr. *vir verborum*, id est causarum vel litium, qui videlicet causam aliquam vel litem habet, hic *accedet coram eis*, putà coram Hur & Aaron, vt illi causam decidant: populus ergo è castris ad seniores, hi ad Hur & Aaron, quæstiones exortas Mose absente referre hîc iubentur.

Vers. 16. Et habitavit gloria Domini super Sinai] *Gloria*, id est maiestas Domini patefaciens se per spectra admiranda, putà caliginem & ignem.

Tegens illum nube sex diebus] Voluit Deus per hos sex dies Mosen abstrahi, & emundari ab omni terrena cogitatione & cura, speque & oratione eleuari ad supernorum contemplationem, itaque ad Dei, vel angeli potiùs, colloquium præparari.

Vers. 17. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens] τὸ *quasi*, hîc non similitudinem, sed rei veritatem significat. vti & Iohan. 1. 14. *Vidimus eum quasi vnigenitum*. & 1. Cor. 3. 15. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. & 1. Petri 2. 13. *Siue regi quasi præcellenti*. hîc ergo erat vera species ignis, verusque ignis.

Alia est hæc visio ab ea seniorum v. 10. hîc enim omnis populus speciem tantùm ignis vidit, vti & c. 20. 18. nubes ergo totum tegebat montem; sed in eius cacumine ignis species, quæ Dei erat index, eminebat, mansitque hæc visio integros 40. dies, quibus in monte fuit Moses, idque ne Israelitæ de eius reditu desperarent.

Vers. 18. Ingressusque Moyses medium nebulæ ascendit in montem] Relicto Iosue in monte, Moses altiùs in cacumen montis adscendit, cum angelo Dei vices gerente collocuturus, & tabulas legis accepturus.

Tropol. Tropologicè, qui Deum quærit, & cum eo colloqui cupit, ad nebulam, id est ad cordis secretum se recipiat, omnia quæ videntur contemnat, alta petat, mentem ad inuisibilia transferat. ita Nyssenus & Rupertus.

Ita in Vitis Patrum l. 6. sub finem, dicunt seniores: *Quando intrabat Moses in nube, cum Deo loquebatur; quando autem exibat de nube, cum populo: sic & monachus, quando in cella sua est, cum Deo loquitur; egrediens autem de cella, cum dæmonibus est*. Rursum l. 5. c. 7. n. 38. dicit senex: *Cella monachi est caminus ille Babylonius, vbi tres pueri Filium Dei inuenerunt; sed & columna nubis est, ex qua locutus est* A *Deus Mosi*. Aurea verò est illa B. Nili, qui fuit discipulus S. Chrysostomi, sententia: *Imperforabilis manet à sagittis inimici, qui amat quietem: qui autem miscetur multitudini, crebra suscipiet vulnera*.

Et fuit ibi quadraginta diebus] Additur Deut. 9. 9. Mosen quadraginta illis diebus nihil comedisse, nihil bibisse: viuebat enim Moses tunc verbo & colloquio Dei, atque Dei virtute eum sustentante. Totidem diebus expectans reditum Mosis, mansit Iosue in suo illo loco (vnde ad cacumen euocatus discesserat ab eo Moses) contemplationi, vt par est credere, Mosis exemplo, deditus: sed an Iosue, similiter ac Moses, sine cibo & potu quadraginta diebus vixerit, incertum est. Censet Abulens. Iosue manna inibi cadente, & torrente, qui Deuter. 9. 21. de monte descendere B dicitur, alitum fuisse. *Iosue cum Mose an sine cibo vixerit 40. diebus in Sinai*

Putant aliqui, Mosen præter sex dies, de quibus v. 16. insuper alios quadraginta dies in monte cum Deo fuisse, ita vt vniuersim ibi fuerit quadraginta sex diebus. Sed verius est, eum omnino tantùm quadraginta diebus in monte fuisse, idque colligitur ex Deut. 9. v. 9. 11. & 18. Sex ergo dies, de quibus v. 16. comprehenduntur inter hos quadraginta.

Nota. *quadraginta* numerus in Scriptura frequens & sacer est ieiunio Mosis, Eliæ, Christi: rursum 42. mãsionibus, siue stationibus Hebræorum in deserto. adhæc 40. annis peregrinationis in eodem, quibus iugiter cibo terreno carentes, cælesti manna sunt aliti, vsque dum venerunt ad terram promissionis: sicuti Christiani 40. diebus ieiunij ad resurrectionem tendunt, qui ieiuniorum dies, ob veterem illam peregrinationis C & stationum Hebræorum in deserto figuram, stationes etiam à Patribus appellantur, vti à Cassiano collat. 21. cap. 28. & 29. vbi & Quadragesimam vocat anniuersariam decimam; quia scilicet ipsa est decima pars anni, itaque per eam quasi decimas anni Deo dependimus. Ita etiam vocantur ab Herma, qui & Pastor dicitur, lib. 3. cap. 5. *Quid est*, inquit, *ieiunium? est statio*: quia est quasi status dies ad ieiunandum; & ab Ambrosio serm. 25. *Stationes*, inquit, *vocantur ieiunia, quòd stantes & commorantes in eis, inimicos insidiantes repellimus*; & à Tertull. libr. de Orat. in fine, vbi ait, *Statio soluenda est accepto corpore Domini* (olim enim pænè quotidie conueniebant Christiani vespere ad orationem, quasi ad stationem, in eaque ieiuni cœnam Christi peragebant, ac communicabant: ieiunabant enim vsque ad vesperam, putà vsque ad cœ- D nam Eucharistiæ.) *Quòd si statio de militari nomen accipit (nam & militia Dei sumus) vtique nulla tristitia aut lætitia castris obueniens, stationes militum rescindit. nam lætitia libentiùs, tristitia sollicitiùs administrabit disciplinam*. ita Tertull. Idem lib. de Ieiunio, *Quarta*, inquit, *sextaq; feria stationes*, id est ieiunia. vide notationem Pamelij in librum Tertulliani de Oratione in fine. *Symbola numeri 40.* *Quadragesima ieiunium vocatur statio. vnde?* *Quadragesima est anniuersaria decima.*

Ita Simeon Stilites, qui perdius & pernox octoginta annos in columna stetit, viginti octo Quadragesimas integras sine vllo cibo aut potu transegit, vt meritò portentum orbis, nec tam homo quàm angelus esse visus sit. Sed plures audi, eosque homines. Lucianus in Philopatro testis est, Christianos sic solitos seruare ieiunium Quadragesimæ, vt decem soles sine cibo transigerent. Gregor. Nazianzen. ad Hellenium scribit plures *Exempla pristini rigoris ieiunij Quadragesimæ.*

ex

ex monachis in Ponto fuisse, qui totos viginti dies & noctes cibo abstinerent, dimidium Christi & Mosis ieiunium imitantes, ex eisq; vnum sibi subditum fuisse testatur. S. Aug. epist. 86. ad Casulanũ, tradit se aliquos nouisse, qui vltra hebdomadam perpetuum seruarẽt ieiunium, additque: *Ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quemdam, à fratribus fide dignis nobis asseueratum est.* S. Hieron. epist. 7. ad Lætã de institutione filiæ, prohibens in tenella ætate onera abstinentiæ: *In Quadragesima tamen*, inquit, *continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus.* Idem scribens ad Marcellam de Asella; *Cùm*, inquit, *per omnem annum iugi pasceretur ieiunio, biduo triduoq; sic permanens; tum verò in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomades vultu lætante coniungens; itaque ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur iniuria.* Iustinianus Imperator duram agebat in Quadragesima vitam: *Per duos dies cibis abstinebat: cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit: brassicam solùm, & agrestes herbas sale & aceto maceratas edebat: in potu aqua erat sola. neque his ad saturitatem vtebatur; sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto qui naturæ satis erat*, inquit Procopius l. 1. de Ædific. Iustiniani Imp. atque ita ieiunio armatus Persas, Gothos, Wandalos, & alios barbaros superauit. Prisci monachi in Quadragesima in eremum secedebant, toti ieiunijs & contemplationibus intenti, vti narrat Zozymas in Vita S. Mariæ Ægypt. S. Franciscus præter Quadragesimam paschalem, duplicem aliam ieiunabat, vnam ante festum Assumptionis, in honorem B. Virginis; alteram post illud festum in honorem SS. Angelorum: vnde in fine huius ieiunij præmij loco, sacra Christi stigmata, per Seraphim sibi impressa, accepit. ita S. Bonauentura in eius Vita.

Quadragesimam transigebant monachi Tabennesiotæ cibis igne non coctis; Paulus Abbas Galata cum sextario lentis & vasculo aquæ; Adolius post quinque tantùm dies comedens; Macarius Alexandrin. nihil comedens præter pauca cruda crambes folia die Dominico, numquam genu flectens, numquam accubans, semper stans. Ita habetur in Vitis Patrum.

Symbolicè Beda, Fuit, inquit, Moses cũ Domino quadraginta diebus; vt hoc numero disceret, quòd illi tantùm decalogũ implere possint, quos Euangelicæ gratia veritatis, quatuor describenda libris (Euangelijs) iuuaret: quater enim ducta in decem faciunt quadraginta. Rursum, hoc numero quadraginta significabantur decem præcepta, quæ hisce quadraginta diebus Moses à Deo accepit, in quatuor mundi plagas, id est omnes gentes, tempore Euangelij diuulganda.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Trãsit Moses à moralibus & iudicialibus ad cæremoniales leges.

IVbet Deus fieri arcam, v. 10. & propitiatorium cum duobus Cherubim, v. 17. Secundò, mensam panum propositionis, v. 23. Tertiò, candelabrum septiceps ex talento auri, v. 31.

Nota. Triplices fuerunt leges veteris testamenti, scilicet morales, iudiciales, & cæremoniales. morales præscripsit Deus cap. 20. iudiciales c. 21. 22. 23. cæremoniales hic incipit præscribere.

Hoc ergo capite cum tribus sequentibus, describitur forma tabernaculi cum suis vasis, suaq; supellectile. De tabernaculo hoc vide Abulensem hic. Bedam & Richardum Victorin libr. de Tabernaculo, & exactè Riberam l. 5. de Templo, ac Vilalpando in descriptione templi.

1. LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias ab omni homine qui offeret vltroneus, accipietis eas. 3. Hæc sunt autem quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs, 4. hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, 5. & pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas, & ligna setim: 6. oleum ad luminaria concinnanda: aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris: 7. lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale. 8. Facientque mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum: 9. iuxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum, in cultum eius: sicq; facietis illud: 10. Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos: latitudo, cubitum & dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem. 11. Et deaurabis eam auro mundissimo intus & foris: faciesque suprà, coronam auream per circuitum: 12. & quattuor circulos aureos, quos pones per quattuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere vno, & duo in altero. 13. Facies quoque vectes de lignis setim, & operies eos auro. 14. Inducesq; per circulos qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis: 15. qui semper erunt in circulis, nec vmquam extrahentur ab eis. 16. Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi. 17. Facies & propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac semissem latitudo. 18. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. 19. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. 20. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, 21. in qua pones testimonium quod

quod dabo tibi. 22. Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel. 23. Facies & mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem. 24. Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum per circuitum, 25. & ipsi labio coronam interrasilem altam quattuor digitis: & super illam, alteram coronam aureolam. 26. Quattuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quattuor angulis eiusdem mensæ per singulos menses. 27. Subter coronam erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & possit mensa portari. 28. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & circumdabis auro ad subuehendam mensam. 29. Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. 30. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. 31. Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, scyphos & sphærulas ac lilia ex ipso procedentia. 32. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero. 33. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul & lilium: & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul & lilium. hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili: 34. in ipso autem candelabro erunt quattuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, & lilia. 35. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili vno. 36. Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erunt, vniuersa ductilia de auro purissimo. 37. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. 38. Emunctoria quoque & vbi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. 39. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi. 40. Inspice, & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.

VERS. 2. TOLLANT MIHI PRIMITIAS] Quia prima fuit hæc communis Hebræorum oblatio, quæ facta est pro fabrica tabernaculi. A

Aliter Theodor. q. 70. & Abulens. *primitias*, inquiunt, id est prima & præstantissima; hæc enim Deo offerenda sunt.

QVI OFFERET VLTRONEVS] Hebr. *quem spontaneum & liberalem fecerit cor suum.*

VERS. 4. *Hyacinthus tria significat.* HYACINTHVM] Propriè hyacinthus est genus violæ: inde gemmam significat violæ colore similem; hæc enim hyacinthus dicitur. Tertiò, significat lanam hyacinthini, id est violacei & cælestis, coloris, quæ lana veteribus in deliciis fuit. vnde Homerus Odyssea 4. loquens de Helena sic ait:

At super ipsum colus extensa est ἰοδνεφὲς,

id est *violaceam lanam habens.* Hîc passim hyacinthus lanam hanc violaceam significat.

Tropologicè, hyacinthus cælestem mentem & conuersationem repræsentat. Hinc Ecclesia, & sancta quælibet anima, calceatur calceo violaceo, id est cælesti. Ezech. 16. 9. *Calceaui te ianthino*, vel, vt Septuag. *hyacinthino*, id est violacei & cælestis coloris, calceo; vt hoc symbolo significaret Deus, Sanctorum, qui in Ecclesia sunt, conuersationem esse cælestem. Ita calceatus ianthino S. Paulus, ac mentis pedibus cælos & sidera calcans, dicebat: *Nostra conuersatio in cælis est.* Ita calceatus S. Hieron. dicebat illud Socraticum: *Aethera conscendo, & solum hoc calũq; despicio.* Nam, vt ait Apostolus, *iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Et iterum: *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum*, Hebr. 12. v. 22. Quare S. Martinus, vti in vita, ita & in morte cælum assiduè suspiciens, cùm in ardente B febri supinus vultu in cælum erecto iaceret, rogarentque discipuli, vt conuerso corpore tantisper, dum vis morbi remitteret, pronus conquiesceret: *Sinite*, inquit, *me cælum potiùs quàm terram aspicere, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Oculis ergo ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Quare meritò de eo canit Ecclesia: *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur; Martinus hîc pauper & modicus, cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.*

Parimodo S. Stephanus inter crepitantium saxorum turbines interritus: *Video*, inquit, *cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* & mox exclamans: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, ad eum in cælum coronandus euolauit.

ET PVRPVRAM] Purpura piscis est, vel potiùs concha, cuius sanguine tingunt lanam, quæ hoc rubeo colore nigricante infecta, inde pariter purpura dicitur: ex qua olim fiebant, & etiamnum fiunt regiæ vestes; vnde & eius vsus fuit hic in tabernaculo. *Purpura quid?*

Cabalistæ, vt refert Valuerdius in alphabeto Salomonis, notant אַרְגָּמָן *argaman*, id est purpura, ex quatuor primis litteris esse compositum, à quibus quatuor angelorum nomina initium sumunt; nempe Raphael, Gabriel, Michael, Nuriel: quæ asserunt eorum animalium esse nomina, quæ vidit Ezechiel cap. 1. Eo enim splendore, veluti regali purpura, amiciebatur Deus, iuxta illud, *Amictus lumine sicut vestimento.* Vide quàm facilè angelos suos hi nugarum textores ex purpura contexant, faciliùs vtique quàm aranea suam telam pertexat.

COCCVMQVE BIS TINCTVM] Coccus est granum tinctorium, (vnde & granum subinde vocatur) nascens ex frutice fullonia, quæ ilici similis est: hoc granum intra se progignit vermiculum rubei coloris, eius sanguine rubricantur lanæ, *Coccus quid?*

quæ idcirco coccus, & hebr. vermis, vel vermiculus vocantur. De hoc vermiculo, siue cocco, dicitur Isaiæ 1.18. *Si fuerint peccata vestra rubra quasi vermiculus.* Solebat autem lana, vt magis ruberet, bis hoc sanguine vermiculi imbui, scilicet primò, cùm adhuc tantùm esset lana; & secundò, cùm nendo in fila esset deducta: vnde dicebatur bis tincta, & hebraicè שני תולעת *tolaat scani*, id est coccus vel vermiculus iteratus. Hinc etiam τὸ *scani* nudè positum, coccum bis tinctum seu dibaptum significat, quem Septuag. διπλοῦν, id est duplum, vocant.

Byssum veterum fuisse gossypium censet Prado.

ET BYSSVM] Byssus, inquit Hieron. Prado in Ezech. 16.10. pag. 186. est linum candidissimum & mollissimum, siue est lanugo arboris, quæ medium quid est inter lanam & linum. nam origine est linum, mollitie verò est lana, & texta linum refert, ait Pollux: est inquam, lanugo arboris nuci inclusa, quam vulgò gossypium vel xylon, Flandri & Galli *coton*, vocant, ex qua fiebat tela gossypina siue byssina, in Ægypto & Palæstina; & etiamnum fit in Creta, Sicilia & Hispania. ita ex Polluce & Plinio libr. 10. cap. 1. Prado loco iam citato.

B

Vnde notat Secundò, Prado ibidem, hanc lanuginem, putà gossypium, siue byssum, tinctam fuisse colore aliquando purpureo, illamque vocari hîc purpuram; aliquando ianthino, eamque vocari hîc hyacinthum; aliquando coccineo, eamque vocari hîc coccum; byssum verò esse & vocari, cùm nullo colore tingitur, sed natiuo suo candidissima æquè ac mollissima est.

Prob. Primò.

Probat id ipse ex Deuter. 22. v. 11. vbi vetatur, ne tela fiat ex lana & lino; ergo hîc in cortinis & vestibus tabernaculi, non potuit lana lino intexi; ac consequenter byssus hæc tabernaculi non fuit linum, sed lana siue gossypium iam dictum.

Secundò.

C

Secundò si byssus fuit linum, lana inde confecta non fuisset tersa & pura: nec enim fila ex lino ita bibunt succum hyacinthi, vel purpuræ vt luceant; ita autem bibit lana siue gossypium, quod colore saturatum splendescit.

Byssum non fuisse gossypium ostenditur. Primò. Secundò.

Verùm, byssum à gossypio distinguit Plinius lib. 19. c. 1. vbi cùm primùm egisset de lino gossypino, posteà agit de lino byssino, tamquam de re diuersa; ergo byssus hæc non fuit lanugo gossypij. Rursum, byssus hîc vocatur linum, vt patet c. 39. 28. in Hebræo: coccus autem, hyacinthus & purpura fuerunt lana, vti omnes interpretes docent; imò Script. ipsa planè byssum ab hyacintho, cocco & purpura distinguit; ergo alia byssi, alia trium reliquorum fuit materia; putà byssi materia fuit linum, aliorum verò materia fuit lana.

D

Byssus erat linum candidissimum & subtilissimum.

Dico ergo, byssum hîc non esse bombycinum, quod à vermibus, putà bombycibus, netur, quod vulgus iam byssum & sericum vocat: non etiam esse gossypium, vti iam ostendi; sed esse genus candidissimi & subtilissimi lini, adeoque optimum linum esse byssum. optimum autem linum est, ait Plinius, in quo est Primò, eximius candor & splendor; Secundò, mira tenuitas; Tertiò, æqualis fili densa neruositas & constantia. Huiusmodi linum quacumque ex prouincia fit, byssus erit, inquit Alcazar in Apocal 1.13. notat. 11. hoc enim pretiosum est: vnde Achaica byssus auri pondere vendebatur: & Iudaica byssus Achaica fuit præstantior, inquit Pausanias. Byssus ergo hæc erat linum nascens in Ægypto & Palæstina,

A

in plantæ cuiusdam folliculis (qui similes sunt folliculis papauerum) indeque ferunt fieri telam, quæ instar amianti igne non consumitur, sed purgatur (vnde & Plinius byssum hanc comparat asbesto lapidi, qui ardet & non comburitur) quæ etiamnum hodie Venetis nota est, similisque est candore & subtilitate telæ nostræ Cameracensi. ita Delrio in Genes. 43.42. & alij.

Hinc hebraicè byssus hæc vocatur שש *ses*, id est candidissima: vnde & marmor vocatur *ses*, Esther 1.6. quia est candidissimum; latinè verò & græcè vocatur byssus, ab Hebræo בוץ *buts*. Hinc etiam byssus hæc, quia erat subtilissima, fuit retorta & duplicata, vt habent Septuag. hîc & Hebræa, & noster Interpres in sequentibus.

Ad argum. Prado.

Ad argumenta Prado Respondeo. Deuter. 22. tantùm priuatis vetari, ne faciant vestem ex lana & lino; non autem sacerdotibus ad publicum Dei cultum. Rursum vetari, ne in tela vel panno misceantur fila lanea & linea in subtegmine: hîc autem illa non miscebantur in subtegmine; nam stamen erat byssinum, subtegmen verò erat laneum, putà hyacinthinum, coccineum & purpureum.

Quæres, quid hæc quatuor, putà byssus, coccus, purpura & hyacinthus, ex quibus factum est tabernaculum, symbolicè & mysticè significent?

Symbol. byssus significat terrã, purpura mare, hyacinthus aërem, coccus ignem.

Resp significant quatuor elementa, totumque mundum, huius enim typus erat tabernaculum. nam byssus significat terram, quia ex ea gignitur: purpura significat mare, quia maris cochleolis tingitur: hyacinthus significat aërem, quia aërij est coloris: eadē de causa coccus significat ignem & ætherem. omnia enim hæc maiestatem Dei repræsentant, & monent qua reuerentia & puritate tabernaculum & templum sit adeundum. Secundò, hæc omnia significant, sacerdotem creatoris esse ministrum, eumque in tabernaculo pro vniuersa creatura, totoque mundo supplicare. ita S. Hieron. ad Fabiolam de vestibus sacerdotum, Philo, Iosephus, Theodoretus & Beda.

Tropol. coccus est charitas, purpura est mortificatio, byssus est castitas, hyacinthus est contẽplatio.

Tropol. in nostro tabernaculo, id est Ecclesia, alij afferunt coccum bis tinctum, id est geminam charitatem; alij purpuram, id est mortificationem corporis; alij byssum, id est castitatem; alij hyacinthum, id est contemplationem cælestium; alij pilos caprarum, id est habitum pœnitentiæ & patientiæ; alij pelles ianthinas, id est spem supernorum; alij pelles arietum rubricatas, id est fortitudinem & martyrium, vti fecerunt Apostoli & Martyres; alij ligna setim, id est munditiem cordis; alij oleum misericordiæ; alij thymiama boni & pij exempli vide Bedam in c. 27.

Origenis tropol.

Audi & Origenem hîc homil. 9. Fides, inquit, auro conferri potest, sermo prædicationis argento, patientia æri, lignis imputribilibus scientia, bysso virginitas, cocco confessionis gloria, purpuræ charitatis vigor, hyacintho spes regni cælorum.

E pilis caprarum fiunt telæ camelota.

PILOS CAPRARVM] è quibus fiunt telæ, camelotæ dictæ, imbribus ferendis accommodæ: neque enim citò aquam imbibunt. ita Arias tract. de arca Noë. Hæ telæ, quia è pilis erant, hinc cilicinæ dicebantur: erant tamen pulchræ & concinnæ exteriùs; vnde & mulieres peritæ nendi hos pilos neuisse dicuntur, c. 35 25. ita Caietan.

VERS. 5.

ET PELLES ARIETVM RVBRICATAS, PELLESQVE IANTHINAS] Pro *ianthinas* hebraicè est תחשים *tachas*, quod quid sit, incertum est; Iudæi putant

Melis animal quod? putant esse melim. Melis, qui & taxus dicitur, animal est asperum, mordax, mellis auidum, magnitudine vulpis, aluearibus infestum. Sed quis non videt, eos Hebræam vocem *tachas* Latinam facere, & ex litteris tantùm diuinare esse taxum, cùm pelles taxorum siue melium sint colore felino, non hyacinthino? Quare magis credendum est Septuaginta, qui *tachas* vertunt, hyacinthinas; & S. Hieron. qui vertit, *ianthinas*, id est violaceas; & Iosepho, qui ait tam has pelles, quàm præcedentes non melium, sed arietum & ouium fuisse, partim hyacinthino, partim rubro colore tinctas. *Pelles ianthinæ quæ?* sicut enim eadem lana tingebatur hyacinthino colore, & dicebatur hyacinthus; vel purpureo, & dicebatur purpura, vti dixi v.4. ita pelles arietum aliæ erant rubricatæ; aliæ hyacinthinæ, quæ hebraicè dicebantur *techascim*.

ET LIGNA SETIM] Kimchi, aliique Rabbini per *setim* intelligunt cedrum; sed errant. nam S. Hieron. in 41. Isaiæ: *Setim*, inquit, *est genus arboris nascentis in eremo* (in deserto Arabiæ, & fortè in loco qui dictus est Setim, vbi filij Israel fornicati sunt cum Beelphegor, Numer. 25.1.) *spinæ albæ habens similitudinem, ex qua omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta sunt instrumenta*; estque lignum imputribile, vt vertunt Septuag. & leuissimum, omniaque ligna tam in fortitudine & soliditate, quàm in nitore & pulchritudine superat. *Setim arbor qualis?*

Dixi, lignum setim esse spinæ albæ simile, putà, quoad folia & colorem, vnde & factum est vt setim à Latinis & Græcis vocetur spina. hinc & Theodotion, & S. Hieron Isaiæ 41.19. & Ioëlis 3. v.18. *setim*, spinam transtulit: nam alioqui *setim* differre à spina magnitudine, patet ex eo, quòd setim sint grandes arbores, ex quibus tabulæ latæ cæduntur, vt patet hîc in fabrica tabernaculi: spina verò alba pollicari tantùm est crassitudine, altitudine verò bicubitali, vti experientia patet, & docet Dioscor. lib.3. c.12.

Fabulatur R. Salomon, dum ait apud Lyran. *Iacob vidit in Spiritu S. quòd filij sui erant facturi tabernaculum in deserto, & secum portauit semina in Aegyptum, & radices arborum setim, & ibi plantauit, & nutriuit, præcipiens filiis suis, vt exeuntes de Aegypto secum portarent.* Nam, vt dixi ex S. Hieron. setim sponte nascitur in deserto.

Allegoria. Allegoricè & anagog. tabernaculum factum ex lignis setim imputribilibus significat Ecclesiam, tum militantem, tum magis triumphantem; quæ omni sui parte incorruptibilis est, & æterna. ita Beda. Augustus Cæsar, Pisone domum à fundamentis vsque ad tectum accuratè exædificante: *Animum*, inquit, *meum exhilaras, ita ædificans, ac si Roma sit futura sempiterna.* Ita verissimè Deus Ecclesiam ædificauit, quæ futura esset æterna. Septuag. addunt vel potiùs anticipant, lapides sardios. Verùm de iis audiemus inferiùs.

VERS.7. GEMMAS AD ORNANDVM EPHOD] Hebr. *lapides* מִלֻּאִים *milluim*, id est plenitudinum, qui scilicet, vt ait Chald. cælaturas ephod & Rationalis impleant, vti gemma palam annuli implere solet.

VERS.8. FACIENTQVE MIHI SANCTVARIVM] Putà tabernaculum, quod sit quasi templum sanctum, in quo mihi sacra & sacrificia peraguntur; quod sit quasi domus mea, in qua solemni & publico omnium cultu colar, quærar & inueniar.

VERS.9. IVXTA OMNEM SIMILITVDINEM TABERNACVLI, QVOD OSTENDAM TIBI] Hinc & ex versu vlt. patet, Deum Mosi in monte Sina ostendisse ideam tabernaculi, vt secundùm illam tabernaculum construeret.

Moral. de reuerentia templorum. Primum. Disce hic, quanta reuerentia debeatur templis, locisque Deo dicatis. Primò, ex eo quòd Deus iusserit Mosi & Salomoni templum sibi erigi & dicari, cumque à Babyloniis esset incensum, iussit per Aggæum & alios illud reædificari: perinde vt B. Virgo à Iohanne Patricio, tempore Liberij Pontificis, voluit institui heres, ædificato templo in loco, quem illa quinta Augusti, cùm Romæ magni sunt calores, per miraculum niue contexerat, quæ modò Ecclesia S. Mariæ Maioris dicitur.

Secundum. Secundò, quòd templum sit domus Dei habitantis inter homines: sicut cælum est domus Dei habitantis inter angelos & Beatos. Sicut ergo Deum, ita & templum eius reuereri oportet, & dicere: *In conspectu angelorum psallam tibi.* Vnde Psaltes ait psal. 64.5. *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Et hoc loco dicit Deus: *Facient mibi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* In templo ergo coram Deo simus quasi angeli.

Tertium. Tertiò, quòd templum sit domus orationis, ibique orationes exaudiat Deus. Illud enim Salomoni oranti, templumque dedicanti promisit, 3. Regum 8.

Quartum. Quartò, quòd in templis reis & fontibus constitutum sit asylum. Vnde Ioiada pontifex vetuit Athaliam in templo occidi, sed iussit eam foras educi, 4. Reg. 11.15. Sic & Banaias occisurus Ioab, iussit illum è tabernaculo Domini egredi, 3. Reg. 2.30. Sic & S. Chrysostomus Eutropium confugientem ad templum, à morte tutatus est.

Quintum. Quintò, quòd templum vocetur sanctuarium, *Sanctuarium meum metuite, ego Dominus*, Leuit. 19. v.31. Rursum hebr. vocatur Hechal, id est basilica, palatium augustum, potens, splendidum, in quo habitat Omnipotens.

Sextum. Sextò, quia Deus polluti & violati templi acer est vindex. Hinc ipse ait Isaiæ 31.9. *Dixit Dominus, cuius ignis est Sion, & caminus eius in Ierusalem*; vt scilicet è templo ab hostibus violato, in eos quasi ignis insiliat, eosque comburat. Sic Christus è templo vendentes & ementes columbas flagello eiecit, mensasque euertit, nec aliàs tantum zelum ostendit, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum*, Matth. 21.14. & Paulus, *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*, 1. Corinth. 3.17.

Septimum. Septimò, quòd in templo constituit oraculum & propitiatorium, ex eoque consultus à Mose & pontifice dabat responsa, vt patet hîc v.22. Vnde admirans Salomon aiebat: *Ergóne credibile est, vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista quam ædificaui?* 2. Paralip. 6.18.

Octauum. Octauò, quòd Gentiles magna religione sua fana & templa coluerint. Templum enim eis erat locus notatus ab augure vel in cælo, vel in terra. *Templum dicitur à tuendo.* Vnde templũ dicitur à tuendo, id est conspiciendo, quòd ex omni parte, vel quòd ex eo omnis pars aspici possit, vt ait Donatus. Primò autẽ cælum ipsum dixerunt templum: quia ipsum primo aspectu intuemur. In terris templum dictus est quilibet locus inauguratus religiosi cultus gratia. *Fanum à fando.* Rursum templum vocarunt fanum, à fando, quòd in

in eo Apollo, aliúsve eorum deus consultus fare- A tur, daretque responsa.

Nonum. Nonò, id patet exemplis Sanctorum & regum. Primò, Dauid ait: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*, psal. 5. 8. Et, *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*, psal. 131. 7. Secundò, Iacob de Bethel Genes. 28. 17. ait: *Quàm terribilis est locus iste! verè non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli*. Tertiò, Isaias c. 2. 3. ait: *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius*. Quartò, Constantinus Magnus, & S. Helena tam Romæ, quàm Hierosolymis & alibi, plurima magnificentissima ædificarunt templa: ipséque Constantinus deposito diademate, & humi iacens, vimque lachrymarum profundens, accepto ligone B terram eruit, indeque 12. terræ cophinis in honorem duodecim Apostolorum ablatis, loco basilicæ Principis Apostolorum designato, ecclesiam miri operis ædificauit, quam S. Siluester dedicauit, cuius memoria nunc agitur in Ecclesia 18. Nouembr. Quintò, Constantinum hac in re imitati sunt Theodosius, Carolus Magnus, Pulcheria, aliique christianissimi Imperatores & Principes. Vt alios omittam, audi Crantzium lib. 3. Metropol. c. 8. Erat, inquit in Mindensi episcopatu nobilis matrona, nomine Hilburgis, quæ dum maritum ex voto in Palæstinam profectum, inde rediturum desperaret, totam substantiam vni cœnobio & nouem ecclesiis ædificandis insumpsit. Reuertitur non ita diu pòst maritus, eúmque placatura, obuiàm procedit, ac salute C præuia: *Nouem*, ait, *filias tibi absenti pepererat nondum in Christo renata sunt*. Intellexit vir pius nouem ecclesias exstructas, necdum tamen consecratas, factúmque vxoris gratum & ratum habuit. Sextò, S. Ambrosius pro templo Dei stetit vsque ad mortem & martyrium. Cùm enim Arriani per Iustinam Imperatricem Arrianam illud sibi dari deposcerent, idque Iustina persuasisset Valentiniano Imp. filio suo, in faciem ei restitit Ambrosius dicens: *Ad Imperatorem palatia pertinent & mœnia; ad Episcopum Ecclesia*. Vide eum fusè hac de re scribentem ad Marcellinam sororem. Septimò, S. Chrysostomus, cùm Imperator ab eo postularet, vt Gainæ duci Arriano vnum è Catholicis templis concederet, respondit: *Ne Imperator hoc ei pollicere, neque sanctum dari canibus mandes. Numquam enim patiar eos qui Deum nocturnis diurnisque hymnis laudant, templo expelli, illudque eis tribui, qui contra eum loquuntur blasphemias*.

VERS. 10. ARCAM DE LIGNIS SETIM COMPINGITE] Nota D Primò. Arca erat instar paruæ cistæ quadratæ, vel potiùs quadrangulæ. Erat enim arca alta cubitum cum dimidio, & lata cubitum cum dimidio: longa verò duos cubitos cum dimidio. Secundò, arca erat facta ex lignis setim auro obtectis, ad hoc vt in ea reponerentur tabulæ decalogi, à Deo datæ Mosi. Has enim solas in arca fuisse repositas, patet 3. Regum 8. 9. ideoque summa erat religio & veneratio arcæ, indeque dicta est arca fœderis, vel testamenti, vt dicam v. 16 ideoque reposita fuit arca in Sancto sanctorum. Erat enim arca gloria Israel: vnde vxor Phinees ait 1. Reg. 4. 21. *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*. Rursum arca vocatur virtus & pulchritudo Israel psal. 77. 61. *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem in manus inimici*, scilicet arcam in manus Philistinorum tradidit.

Arcæ descriptio. Primò, arca erat quasi cista. Secundò, in arca erāt tabulæ legis.

Tertiò, arca supernè patebat, sed supra se habebat propitiatorium, quasi operculum, factum non ex lignis setim, sed ex solido auro. Quartò, duo Cherubini erant supra propitiatorium, ita vt per alas suas expansas & coniunctas exhiberent quasi sedem Deo; propitiatorium verò cum arca esset quasi scabellum pedum eius. Quintò, arca supernè cingebantur corona circumcirca, de qua dicam v. 11. ad latera verò vtrimque habebat duos circulos aureos, per quos inserebantur duo vectes aurati, quibus portabatur arca à sacerdotibus in humeris, cùm mouenda essent castra. Sextò, arca posita erat in pauimento Sancti sanctorum; verisimile tamen est, pauimentum hoc fuisse instratum peristromate aliquo: vel potiùs arca hæc habuit suos pedes, putà quatuor globulos, siue sphærulas in quatuor angulis, quibus quasi quatuor rotis incumbebat. ita enim verti potest ex Hebræo v. 12. Vnde arca erat quasi biga Dei, siue currus regalis & triumphalis Dei, de debellatis Ægyptiis: & hunc currum vidit Ezechiel c. 1. ita Hieron. Prado ibid. de quo plura v. 18.

Tertiò, arca tegebatur propitiatorio. Quartò, Cherubim erant supra propitiatorium. Quintò, arca habebat coronã, & duos vectes. Sextò, arca habuit quatuor globulos, quasi rotas.

Atque hac de causa arca vocatur gloria Domini, quia in ea Deus Hebræis suam præsentiam, opem & triumphum gloriosum exhibebat: atque hoc est quod dicitur Deuter. 4. 7 *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. & psal. 25. *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ* Hinc & Heli non gemina filiorum morte, non tanta populi clade, sed arcæ captæ nuntio perculsus corruit, nurúsque eius parturiit dicens: *Translata est gloria de Israel*. Septimò, hæc arca postea ædificato à Salomone templo, in eo reposita est in Sancto sanctorum, in eoque mansit quamdiu illud stetit, scilicet vsque ad captiuitatem Babylonicam. Tunc enim Ieremias arcam & tabernaculum extulit in montem Nebo, è quo Moses vidit terram promissionis, & abscondit eam cum altari thymiamatis in spelunca quadam, vt dicitur 2. Machab. 2. v. 4. & seq. dicens: *Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi*. Vnde Epiphanius in vita Mosis, Dorotheus in Synopsi cap. de Ieremia, & alij tradunt, arcam non fuisse in secundo templo, quod ædificarunt Iudæi post reditum è Babylone, sed eam occultandam fore vsque ad finem mundi, tumque manifestandam esse ad conuersionem Iudæorum. Certè Iosephus suo tempore, cùm templum euersum est à Romanis, disertè asserit lib. 6. de Bello cap 6. in Sancto sanctorum nihil omnino fuisse. verba Iosephi sunt: *Intima templi pars viginti cubitorum erat. Discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum.* ergo nec arca, nec Cherubim: *inaccessa verò & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur, Sanctumque sanctorum vocabatur*. Errant ergo, qui arcam à Tito in triumphum ductam, & Romæ etiamnum in templo Lateranensi seruari putant ex eo, quòd Romæ in arcu Titi triumphali depicta videatur arca in pompa triumphi. illa enim non est arca, sed mensa panum propositionis, vti asserit Iosephus, qui triumphi Titi fuit spectator. Denique Epiphan. in vita Ieremiæ hæc habet de arca: In resurrectione, inquit, primò resurget arca, & prodibit è saxo, atque in Sina monte

Septimò, arca fuit in templo Salomonis, inde à Ieremia trãslata est in montem Nebo.

Arca non fuit in secundo templo.

te

te locabitur: reserabit eam Moses; & omnes San- A ∂ti ad eam confluent, vt illic suscipiant Dominum, & fugent inimicum. Saxum hoc est in solitudine, vbi primitus fabricata est arca, in medio montium, in quibus iacent Moses & Aaron sepulti, ibique in noctibus nubecula nitet instar ignis. Horum fides sit penes S. Epiphan.

Arca mysticè quid significet

Quæres, quid allegoricè significarit arca. Respondet Rupert. arcam significare Christi humanitatem, & S. Gregor. homil. vlt. in Ezech. *Arca*, inquit, *intra velum est redemptor noster in cælo.* sic & Cyrillus lib. 4. in Iohannem c. 28.

Significat Beatos in cælo, maximè B. Virginem. Primò.

Verùm dico, propriè & genuinè arca, quæ erat in Sancto sanctorum, quod cælum repræsentabat, significabat Beatos in cælo, inter quos eminet B. Virgo. hinc non incongruè ipsa à S. Benardo serm. de B. Maria, & ab aliis vocatur arca testamenti. Audi eumdem in Sentent. *Auctor*, inquit, B *mirabilium Deus tria quædam mirabilia operatus est in Maria. Primum, integritatem munditiæ mirabiliter suscitauit, vt arca testamenti auro purissimo tegeretur. Secundum, puritatem virgineam potentialiter fecundauit, vt rubus ardens non combureretur. Tertium, ima supernis ineffabiliter copulauit, vt scala Iacob mediante terrena cælestibus vnirentur.* Longitudo arcæ, est longanimitas & sapientia Sanctorum; latitudo, charitas; altitudo, contemplatio & desiderium æternorum bonorum. Hæc habent mensuram cubiti quæ perfecta est, quia in Beatis omnia quaquauersum integra & perfecta sunt.

Secundò.

Secundò, arca facta erat ex lignis setim; quia Beati post resurrectionem habebunt corpora immortalia: auro erat obtecta, quia & animæ Sanctorum ineffabili diuinæ visionis claritate, & corpora admirabili splendore fulgebunt. In ea sunt C tabulæ legis, quia Sancti olim meditati sunt in lege Dei die & nocte, in eaque nunc iugiter delectantur. Audi S. Hieron. ad Eustochium de virg. *Sponsa Christi*, inquit, *est arca testamenti, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ testamenti, ita in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatorium, quasi super Cherubim, sedere vult Dominus.* Et S. Gregor. l. 7. regist. epist. 30. *Quid est*, inquit, *sacerdotale cor, nisi arca testamenti? in qua quia spiritalis doctrina viget, proculdubio tabulæ legis iacent.*

Tertiò.

Tertiò, arca supra se habebat propitiatorium: quia Sancti supra se habent Christum redemptorem, Rom. 3. 21.

Quartò.

Quartò, arca vallatur Cherubinis: quia Beati cinguntur sanctis angelis.

Quintò.

Quintò, corona arcæ significabat coronas San- D ctorum, quasi qui victores sint, triumphatores, reges & sacerdotes Dei: item aureolas Virginum, Martyrum & Doctorum. Annuli & vectes arcæ significabant dona Spiritus sancti, quibus anima sancta fit mobilis & agilis ad omne bonum. quatuor ergo annuli aurei sunt quatuor dona, quæ ad intellectum pertinent, putà sapientia, intellectus, scientia & consilium: duo vectes sunt reliqua tria, putà pietas, timor & fortitudo, quæ ad voluntatem pertinent. Vectes annulis debent inseri; quia nisi voluntas moueatur, parum iuuat motus & illuminatio intellectus.

Denique coram arca erat vrna cum manna: quia Beati semper meminerunt cælestis panis Eucharistiæ, quo aliti sunt in deserto huius vitæ. Ante arcam erat virga Aaron, quæ frondens Aaroni consignauit sacerdotium; quia Beati semper meminerunt sacerdotij Christi, qui sui corporis sacrificio sustulit peccata mundi, pro eoque iugiter Christum & Deum laudant. hæc & plura Ribera l. 2. de Templo c. 3.

Quin ergo ad hanc arcam, ad hasce coronas anhelamus? *Patriam nostram*, inquit S. Cyprian. tract. de Mortal. *paradisum computamus, parentes patriarchas habere iam cœpimus. magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus, triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis continentiæ robore subegerunt.*

Et S. Bernard. de præmio cælest. patr. *Videbit Beatus Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, requiescendi felicitatem. Ciuis siquidem erit sanctæ illius ciuitatis, cuius angeli ciues sunt, Deus Pater templum est, Filius eius splendor, Spiritus sanctus charitas est.* Idem in serm. *O beata regio paradisi, ô beata regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lachrymarum! vbi sapientia sine ignorantia, vbi memoria sine obliuione, vbi intellectus sine errore, vbi ratio sine obscuritate fulgebit. Beati qui habitant ibi: laudabunt Deum in sæcula sæculorum, Amen. Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur: conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, percipitur in glorificatione.* Et S. August. *Ibi*, inquit, *hymnidici angelorum chori, ibi societas ciuium supernorum, ibi dulcis solemnitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium, ibi festiuitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube.*

Symbolicè arca significat tria attributa Dei,

Symbolicè, S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. Tria, inquit, quæ erant in arca, vel iuxta arcam, significabant tria Dei attributa, scilicet tabulæ legis sapientiam, virga potētiam, manna bonitatem Dei. Rursum arca, id est Ecclesia & respubl. eiusque

& rectoris.

præses habeat tabulas legis, virgam disciplinæ & correctionis, manna dulcedinis in gubernatione. ita S. Gregor. epist. 25. libr. 1. Hinc Samaritanus, inquit, vulnerato infundit oleum & vinum, *vt per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Sit ergo amor, sed non emolliens: sit vigor, sed non exasperans.* Vide eumdem 2. p. Past. c. 6. & lib. 20. Moral. 8. Habent apes mel, habent & aculeum, quo defendant aluearia. Sic qui regit rempub. habeat mel, id est clementiæ dulcedinem: habeat & aculeum iustitiæ, quo aduersus sceleratos remp. tueatur. Hoc prudentissimus ille rex indicauit, qui insigne sibi esse voluit gubernationis punicum malum, quod dulcedinem habet acori permixtam. *In regimine*, ait S. Gregor. *miscenda est lenitas seueritati; quatenus arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nimia lætitia vilem non reddat, aut immoderata seueritas odiosum.* Nunc ad textum redeamus.

CVIVS LONGITVDO HABEAT DVOS ET SEMIS CVBITOS] Cubitus hîc accipi debet, non maior, siue regius, qui 27. digitos continet, teste Herodoto lib. 1. multo minus maximus, id est geometricus, qui sex communes cubitos continet, vti docet ex Orig. S. August. 15 Ciuit. 27. sed vulgaris, qui

Cubitus mensura erat 24. digitorum transuersorum.

qui est ea longitudo quæ à flexu brachij porrigitur vsque ad extremum digiti, qui index vocatur; continetque 24. digitos, siue duas spithamas; spithama autem est spatium, quod distenta manu inter pollicem & indicem interiacet, continetque 12. digitos transuersos. Patet hoc ex Iosepho lib.3. Antiq.6. & Beda lib.1. de Tabern. c.4. *Longitudo arcæ*, ait Iosephus, *erat quinque palmorum, altitudo verò & latitudo trium palmorum*. pro palmo græcè est σπιθαμή, quam dixi 12. continere digitos. ita vt duo cubiti cum dimidio quinque palmos, vel spithamas efficiant.

VERS. 11. ET DEAVRABIS EAM AVRO] laminis aureis, non verò foliis aureis. id satis patet ex eo quòd in Hebræo pro *deaurabis*, est abscondes, cooperies & vesties eam auro: idque *intus & foris*, vt tropol. significet animam iusti tam interiùs, quàm exterius debere esse sanctam, & vndequaque auro charitatis circumdari. Ruffino obiicit S. Hieron. quòd *intus sit Nero, foris Cato*, quòd priuatim viuat in deliciis, publicè verò seueritatem in habitu & incessu ostentet. hæc est hypocrisis Deo & hominibus displicens. Sanctus tam intus, quàm foris, sit non Cato, sed Paulus, sed Iohannes, sed angelus.

FACIESQVE SVPRA CORONAM AVREAM PER CIRCVITVM] Corona hæc arcæ non erat rotunda, sed quadrata. quadrata enim erat ipsa arca, quam hæc corona circumcirca instar limbi ambiebat. ita Hugo. Hic ergo limbus exterior erat, surgebatq; & attollebatur supra arcam. Septuag. vertunt, *facies & cymatia aurea versatilia*, vel potiùs *tortilia*. quod miror interpretem in Complutens. vertere, *facies & vndulas aureas*: nam cymatia non tantùm paruas vndas & fluctus, sed &, metaphora ab vndis ducta, significant apud Vitruuium supremam in columnis epistilij, siue capitelli partem. quod significatum appositè hîc imitati Septuag. limbum arcæ eminentem vocauerunt cymatia, eaque tortilia, id est fixa quidem, sed tortili opere, veluti tortiles torques elaborata. ita S. August. qu.104. & hoc fortè voluit Complut. interpres, noua vndularũ metaphora Latina, Græcam vsitatam in cymatiis affectans.

VERS. 12. ET QVATVOR CIRCVLOS AVREOS] Erant hi circuli ad quatuor angulos arcæ, iisque inserebantur vectes, vt iis arca humeris quatuor sacerdotum ad magnificentiã gestari posset. non enim decebat arcam plaustro trahi aut vectari. Porrò vectes secundùm longitudinem arcæ extensos fuisse, non verò secundùm latitudinem; arcamq; in longum gestatam & portatam fuisse, non verò in latum siue transuersum, vt Caietan. vult, satis significat Iosephus, cùm ait, *Ex vtroque longiori latere iutrant annuli*, per quos scilicet vectes immittebantur ad gestandam arcam. Cauit autem Deus v.15. ne vectes vmquam his circulis extraherentur, ne vmquam sacerdotes se arcæ ferendæ cura & onere liberatos esse putarent, inquit Arias.

QVOS PONES PER QVATVOR ARCÆ ANGVLOS] Pro *angulos* hebr. est פַּעֲמֹתָיו *paamotaf*. quod propriè gressus & pedes significat; vnde videtur quòd arca non fuerit humi, sed habuerit quatuor pedes, id est globos & sphærulas, quibus insisteret, quæque haberent speciem rotularum: erat enim arca currus gloriæ Dei, vti dicam v.18.

VERS. 16. PONESQVE IN ARCA TESTIFICATIONEM] id est legem, siue tabulas legis: lex enim sæpè dicitur *testimonium* aut *testificatio*: quia attestationem continet voluntatis diuinæ, eaque Deus testatum reliquit quid velit ab hominibus fieri.

Arca dicta est testimonij vel testamenti, cur.

Hinc dicta fuit *arca testimonij*, id est legis, & *arca testamenti*, id est fœderis: continebat enim legem, quæ erat conditio fœderis inter Deum & Hebræos initi: consequenter tabernaculum ab arca quam continebat, vocatum est *tabernaculum fœderis*, & *tabernaculum testimonij*. imò hinc & ipsa arca vocatur *testimonium*, cap.30.6. Numer.17.4. Leuit.24.3. idque metonymicè: quia scilicet arca in se continebat testimonium, id est tabulas legis.

In arca tantùm erant tabulæ legis.

Porrò solas legis tabulas in arca illa, cuius tanta apud Hebræos erat religio, fuisse, non autem vrnam cum manna, aut virgam Aaronis, expressè docet Script. 3.Reg.8.9. & 2.Paralip.5.10. & Iosephus 8.Antiqu.2. Hinc tam vrna cum manna, B quàm virga Aaron in Pentateucho non in arcam, sed in tabernaculum coram Domino, id est ante arcam, deposita narrantur, vt patet Exodi 16.33. Num.17.4. Vide dicta ad Hebr.9.4.

VERS. 17. FACIES ET PROPITIATORIVM DE AVRO MVNDISSIMO] Nota Primò. Propitiatorium erat arcæ operculum, siue tabula operiens & tegens arcam, vt patet v.20. vnde paris cum arca erat longitudinis & latitudinis: hinc & à Septuag. vocatur ἐπίθεμα, id est superpositum, putà supra arcam, hoc est arcæ operculum, quod arcæ per cardines aureos iungebatur, vti docet Iosephus l.3. Antiq.6. *Habebat*, inquit, *arca tegmen aureis cardinibus coaptatum, nulla ex parte prominens.*

Propitiatorium Primò, erat tabula tegens arcam.

Secundò, propitiatorium erat tabula facta, non ex lignis setim auro obductis, vti erat arca, sed ex puro auro.

Secundò, erat ex puro auro.

Tertiò, propitiatorium hebr. dicitur כַּפֹּרֶת C *capporet*, quod tam propitiatorium, quàm operculum arcæ significat. Vnde Septuag. vertunt ἱλαστήριον ἐπίθεμα, id est placatorium, siue propitiatorium operculum.

Tertiò, dicitur hebraicè capporet, id est placatorium.

Quartò, dictum est propitiatorium, quasi locus placationis, eò quòd ibi Deus Mosi apparens, & cum eo loquens, placabatur & propitiabatur populo: in propitiatorio ergo erat oraculum Dei, vt patet v.18. & c.37.6. & Num.7.v.vlt. *Cùmque*, inquit, *ingrederetur Moses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim*; atque ideo Deus dicebatur sedere super Cherubim: nam hi tegebãt propitiatorium. Hinc illa pars templi, siue Sancti sanctorum, in qua erat propitiatorium, dicta est oraculum, quia inde Deus dabat oracula.

Quartò, erat oraculum.

D Quintò, propitiatorium cum duobus Cherubim erat quasi sedes & thronus Dei; arca verò erat scabellum pedum eius. id patet psal.98. vbi dicitur, *Adorate scabellum pedum eius*: id est, adorate arcam, procidite coram arca. Vnde probabiliter censent aliqui, ut D. Thom. Caietan. Delrio, & à Castro in Thren. 2.1. propitiatorium fuisse eleuatum, & in altum à Cherubinis sublatum supra arcam: alioqui enim non potuisset esse sedes Dei; ita vt arca esset scabellum pedum eius. Ratio etiam & dignitas propitiatorij hunc situm exposcere videtur: erat enim ipsum totum aureum, quasi thronus Dei, ideoque longè nobilius erat ipsa arca lignea, & rem longè nobiliorem repræsentabat.

Quintò, erat quasi sedes Dei.

An propitiatorium fuerit eleuatum altè supra arcam.

Verius tamen censent Abulens. Alcazar, Ribera & alij, propitiatorium immediatè & proximè impo-

Resp. negatiuè.

impositum fuisse, tetigisse & texisse ipsam arcam: tum quia id docet Iosephus 3. Antiq. c. 6. tum quia Script. v. 20. disertè propitiatorium vocat operculum & tegumentum arcæ: tum quia alioqui arca fuisset aperta & hiasset. non decebat autem eam patere, seque, & ea quæ in ea erant nuda ostentare, præsertim cùm arcæ & cistæ nostræ claudi soleant, ne pulueribus impleantur; tum quia alioqui fulcris, v.g. columnis aut cardinibus longis debuisset sustineri propitiatorium supra arcam, & per illos arcæ coniungi (ad hoc enim non sufficiebant alæ paruæ & graciles Cherubinorum.) horum autem fulcrorum non meminit vspiam Script. cùm tamen exactè arcam cum propitiatorio describat. Fictitia ergo sunt hæc fulcra & cardines.

Dices, Quomodo ergo arca dicitur scabellum Dei sedentis in propitiatorio?

Arca erat scabellum Dei, quomodo? Resp. id dici, quatenus propitiatorium includebat Cherubinos, in quorum alis sedebat Deus: alioqui enim propitiatorium præcisè non erat thronus, sed scabellum throni Dei. De quo plura inferiùs.

Alleg. propitiatorii est Christus. Allegor. propitiatorium significat Christum: *quem proposuit Deus propitiationē per fidem in sanguine ipsius*, Roman. 3. 25. vbi pro *propitiationem*, alij legunt *propitiatorem*. Vtrumque significat Græcum ἱλαστήριον, quo nomine Septuag. semper hîc vocant propitiatorium: vnde non dubium est, quin Paulus, qui solet sequi Septuag. huc alluserit. *Primò.* Primò, ergo propitiatorium erat supra arcam: quia Christus omnes Beatos gratia & gloria transcendit; illi tamen iungitur arca per cardines, quia omnis Sanctorum gratia & gloria à Christo, *Secundò.* Christique meritis descendit. Secundò, totum erat ex auro: quia Christi humanitas non per se, sed in deitate, putà in Verbo, subsistit: ideoque in ea *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* &, vt ait S. Iohannes: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* *Tertiò.* Tertiò, Christus est operculum arcæ: quia gloria & coronis Sanctorum cingitur, inquit Origen. ipsique Sancti coronas subiiciunt & offerunt Christo, perinde ac arca suam coronam quasi *Quartò.* offerebat propitiatorio. Quartò, Christus est oraculum Patris, enarrans ea quæ vidit in sinu *Quintò.* Patris abscondita à constitutione mundi. Quintò, humanitas Christi fuit quasi sedes & thronus, imò scabellum diuinitatis Verbi. *Christus*, inquit S. Bernaadus serm. 22. *factus est nobis sapientia in prædicatione, iustitia in peccatorum absolutione, sanctificatio in conuersatione, redemptio in passione.* Et S. Gregor. homil. 4. in Ezech. *Redemptor*, ait, *noster factus est homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo.* Hæc sunt quatuor stemmata Christi, quæ ei præferunt Cherubini, vt patet Ezech. 1. 10. Quare S. Ambros. *Omnia*, ait, *habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si indiges auxilio, virtus est: si mortem times, vita est: si tenebras fugis, lux est: si cælum desideras, via est: si cibum quæris, alimentum est.* Hinc & Claudianus:

Christe potens rerum, redeuntis conditor æui,
Vox summi sensusq; Dei, quem fudit ab alta
Mente Pater, tantiq; dedit consortia regni,
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ.



Christus enim fuit verus Noë, qui nos requiescere fecit à laboribus, & oneribus nostris.

Meritò ergo S. Bernardus serm. 20. in Cantic. *Super omnia*, ait, *reddit te mihi amabilem bone Iesu, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis: hoc enim amorem nostrum sibi vendicat. Hoc inquam nostram deuotionem blandiùs allicit, iustiùs exigit, arctiùs stringit, & vehementiùs afficit.* Propitiatorium ergo nostrum, ad quod in omni difficultate confugere debemus, est Christus patiens & crucifixus. *Passio Christi cælum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit: in ea confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici: stabiliuntur subsistentia, animantur viuentia, consentiunt sentientia, illustrantur intelligentia*, ait Rabanus de laude crucis.

Itaque spes nostra, amor noster, refugium nostrum semper & vbique sit Christus. ita Theodorus Martyr Publio roganti: *Mauisne esse cum tuo Christo, an verò nobiscum?* respondit, *Cum Christo meo & sum, & fui, & ero: ideoq; non timeo tormenta tua.* Ita Carolus Quintus illud Iulij Cæsaris, *Veni, vidi, vici*, inuertit dicens, *Veni & vidi, sed vicit Christus.* Ita Paulus: *Mihi*, inquit, *viuere Christus est, & mori lucrum.*

DVOS QVOQVE CHERVBIM AVREOS ET PRODVCTILES FACIES EX VTRAQVE PARTE ORACVLI. VERS. 18.

Quæritur Primò, quid fuerint Cherubim. Quæritur hîc Primò, quidnam fuerint hi duo Cherubini? Nota. Moses vix exprimit, vel significat speciem horum Cherubim, idque ne Iudæi in idola proni illorum idolum facerent & colerent. Primò ergo Philo lib. de Cherubim ait, Cherubim esse symbola vel signa, quæ extimam vniuersi cæli circumferentiam significant & repræsentant, in qua eodem modo semper diuinas choreas fixæ stellæ agitant: vbi videtur Philo sensisse, octauam sphæram, siue cælum stellatum esse extimum & vltimum, significatum per Cherubim; ac proinde Cherubim esse symbola potestatis & bonitatis diuinæ. sed quænam hæc signa fuerint, qua specie & forma, silet Philo. *Prima sententia Philonis.* Philonem sequitur Theodor. in Genes. quæst. 40. vbi docet nomine Cherub in Scriptura semper significari horribilem potentiam. Hoc, si etymon Cherubim spectes, falsum est; si rem ipsam, verum: quia Deus Cherubinis, vtpote summis ferè suæ aulæ principibus, non vtitur nisi ad res excelsas & arduas.

Secunda Iosephi. Secundò, Iosephus libr. 3. Antiqu. 6. *Cherubim*, ait, *animantia sunt volucria, noua specie, nec vmquam cuiquam hominum visa, qua Moses in Dei solio viderat figurata.*

Tertia & vera, fuisse specie humana. Verùm dico Primò, duos hosce Cherubim habuisse humanam speciem & formam. Ita docent communiter Hebræi & Christiani: idque patet 2. Paral. 3. 13. vbi de Cherubim dicitur: *Ipsi autem stabant erectis pedibus.* Secundò, quia Cherubini Ezechielis c. 1. qui facti sunt ad instar horum Cherubim, habuerunt speciem hominis, siue alati iuuenis: nam habebant manus hominis, quibus accipiebant ignem, vt dicitur cap. 10. Ezech. v. 7. Id fusè & eruditè ostendit Hieron. Prado in c. 1. Ezech. scilicet quatuor illa Ezech. animalia habuisse formam quidem quatuor animalium; sed maximè toto corpore & facie hominem repræsentasse, indeque dici Cherubim, siue alatos iuuenes, putà angelos. Tertiò, quia Cherubini hi habebant facies hominis. nam de eis

eis hîc dicitur in Hebræo, *Et facies viri versa erat ad fratrem suum.* Erant ergo Cherubini effigies aureæ, specie alati & imberbis iuuenis, vt scilicet hac specie repræsentarent vigorem, viuacitatem & æternitatem angelorum, qui sunt quasi principes semper stipantes & astantes Deo: sicut eadem de causa Imperatores olim pingebantur imberbes, quasi dij quidam terrestres qui numquam senescerent.

Quasi alati iuuenes.

Dico Secundò, Verisimile est hosce Cherubim præter speciem hominis, etiam aliam aliorum animalium habuisse. Prob. Primò, quia & Iosephus, & S. Hieron. in 10. Ezech. & epist. 13. ad Marcellam, hisce Cherubim animalium formam attribuunt. Secundò, quia disertè Ezechiel c. 1. docet Cherubim habuisse speciem quatuor animalium, scilicet hominis, aquilæ, leonis & vituli. Idem c. 10. v. 14. faciem Cherub, vocat faciem vituli. illi autem Cherubini Ezechielis fuerunt similes, imò iidem cum hisce Mosaicis, vti communiter docent Doctores, quos citat Viegas in Apocal. 4. sect. 12. & Vilalpando in 41. Ezechiel. c. 41. pag. 318. Vnde Ezechiel c. 10. 20. loquens de quatuor animalibus, quæ viderat c. 1. *Intellexi*, inquit, *quòd essent Cherubim*, scilicet illi vulgò celebres apud Iudæos, quos Moses iussu Dei fecit in tabernaculo. Hæc sententia verisimilior videbitur, si dicamus cum Hieron. Prado, quatuor facies Cherubim apud Ezech. non fuisse facies propriè dictas. Hebræum enim פָּנִים *panim*, & Græcum μορφὴ vel σχῆμα, significat speciem, formam, habitum: ita vt facies propriè dicta Cherubinorum fuerit tantùm humana; facies verò impropriè dicta, id est species, fuerit quadruplex. Prima enim & præcipua facies & species totius penè corporis, fuit hominis. Secunda fuit aquilæ, quia habebant alas aquilæ. Tertia fuit leonis, quia habebant iubas leonis. Quarta fuit vituli, quia habebant pedes, id est vngulas, vituli.

Cherubim habebant speciem quatuor animalium.

An habuerint facies quatuor animalium.

Verùm Sebast. Barradius, Alcazar, & passim alij hanc sententiam, quasi nouam & difficilem reiiciunt, censentque hasce quatuor facies Cherubim apud Ezech. fuisse facies propriè dictas. Id enim verba Script. planè significant, cùm distinguunt facies ab alis siue pennis, & à pedibus, Ezech. 1. 6. *Quatuor*, inquit, *facies vni, & quatuor pennæ vni. Pedes eorum recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Et v. 11. *Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper.* Rursum, quòd vnam faciem dicat fuisse à sinistris, aliam à dextris. Et ita hosce Cherubinos per quatuor facies, sat commodè & concinnè depingit Alcazar in Apocal. 4. pag. 392.

Quidquid sit de hac re, de qua pleniùs disseram Ezech. 1. videntur hi Cherubini Mosis habuisse speciem illorum Ezechielis: quia illorum videntur fuisse typus & exemplar. Vnde tam ab Ezech. quàm à Mose non aliter quàm Cherubim vocantur, quasi iidem, & ex eodem nomine noti. Adde, Cherubim tam hîc quàm Ezech. 1. quadruplici sua specie, debuisse significare quatuor stemmata Dei sedentis in propitiatorio, vti mox pleniùs explicabo. Hinc rursum S. Iohannes Apocal. 4. 7. hosce Cherubim quatuor animalium specie describit. Hinc etiam Apostolus Cherubim vocat *obumbrantia propitiatorium*, in genere neutro, quia respicit ad animalia illa Ezech. quorum speciem habebant Cherubini. Hinc Tertiò, in Script. *opus*

A *Cherubim* vocatur opus varium, & variè depictū, sicuti hi Cherubini variam quatuor animalium habebant speciem & formam. Hinc denique, scilicet ab hisce Cherubim Hebræorum, *Aegyptij mutuati sunt suos sphingas*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, *eosq; in suis sacris posuerunt; quippe quòd de Deo oratio sit ænigmatica & obscura, fortè autem quòd oporteat Deum amare & timere: amare quidem, vt sanctis benignum & propitium: timere autem, vt qui impiis sit iustus inexorabiliter: fera enim, simul & hominis imaginem sphinx significat.* hactenus Clemens. ex quo liquet sphinges Ægyptiorum fuisse simias Cherubinorum. Sicut enim Cherubini, ita & sphinges, diuinam & arcanam rerum obscurarum & sublimium cognitionem repræsentabant. Vnde Hortensio oratori, qui ac-

Spinges triformes erant simiæ Cherubim.

B cepta mercedis loco à Verre sphinge aurea, sibi obscurius aliquid dicenti, se ænigmatum soluendorum imperitum esse dicebat, falsè respondit Cicero: *Atqui sphingem domi habes.* testis est Plutarch. in Cicerone. Erat denique sphinx multiformis æquè ac Cherubim. vnde poëta:

Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella:
Sphinx ergo alata est volucris, leo, virgo, triformis.

Addit R. Salomon, duos Cherubim fuisse sexu distinctos, vnumque fuisse marem, alterum feminam: idem censet Arias Montanus lib. de Noë, titulo de propitiatorio. Verùm hoc tam ridiculum est, quàm indecorum & inhonestum: nam angeli sexu carent. Nostri Cherubinos vestiunt talaribus tunicis, eosque zonis cingunt: sed hæc affinxerunt eis pictores ad ornatum; nam nulla hîc fit vestis mentio. nudi ergo erant hi Cherubini, alis

Cherubim sexu caruerunt.

C tamen ex parte se velabant. vnde & à nemine conspiciebantur: nemo enim ingredi poterat Sanctum sanctorum, nisi pontifex, idque semel tantùm in anno, tumque nebula & fumus incensi tegebat Cherubinos, vt videri non possent.

Quæritur Secundò, quis & qualis esset horum Cherubim situs circa arcam & propitiatorium.

Quæritur Secundò, quo situ fuerint Cherubim.

Dico Primò, Hic erat eorum situs, vt partim alis, partim corpore suo totum propitiatorium tegerent. nam vnus Cherub erat ad Meridiem propitiatorio, alter ad Septemtrionem, ita vt crassitudine corporum suorum tegerent latera illa latitudinis propitiatorij: latus verò Orientale & Occidentale, quæ erant latera longitudinis propitiatorij, tegebant & velabant alis suis expansis ad inuicem; sicuti si duo homines sese inuicem aspiciant, & manibus teneant: sic enim & hi duo

Tegebant propitiatorium.

D Cherubim facies habebant versas ad inuicem versus propitiatorium, & ala sua expansa vnus alam alterius expansam, ab vtroque latere contingebat. Alius erat situs & dispositio Cherubim, quos in templo fecit Salomon: illi enim non erant sibi obuersi, sed contigui & laterales, vnus enim erat ad latus alterius positus: hinc Secundò, non habebant facies versas ad se mutuo, sed vterque faciem habebat ad Orientem, tergum verò ad Occidentem. Tertiò, non ambiebant arcam & propitiatorium, vti faciebant hi Mosaici, sed expandebant alas per totam latitudinem Sancti sanctorum, ita vt vnus Cherub extremitate vnius alæ suæ tangeret parietem Meridionalem, alter verò ei contiguus extremitate vnius alæ suæ tangeret oppositū parietem Septemtrionalem Sancti sanctorum. Denique Salomon duplices fecit Cherubim, scilicet primos in Sancto sanctorū iam dictos: Salomonis.

Situs Cherubim Salomonis.

Triplices Cherubim in templo Salomonis.

dictos: secundos ad altare thymiamatis, similes A prioribus, qui altare velarent, vti priores velabant arcam, vt patet 1. Paral. 28. v. 18. quibus adde tertios hos Cherubim quos fecit Moses, & quos Salomon cum arca intulit in suum templum, & Sanctum sanctorum. Triplices ergo Cherubim, iam dicti, fuerunt in templo Salomonis.

Cherubim sunt producti ex propitiatorio. Dico Secundò, Hi duo Cherubini non fuerunt affixi propitiatorio, sed ex ipso propitiatorio per malleationem fuerunt producti. hoc enim significat *τὸ productiles*, & clariùs Hebræa quæ habent, *ex propitiatorio facies eos*. vnde sequitur Cherubim fuisse factos ex solido auro; ex tali enim auro factum erat propitiatorium.

Quis situs Cherubinorum. Sed dubium est, an hi Cherubim in aëre fuerint penduli, an limbo arcæ insistentes; an supra propitiatorium, an verò in terra pedibus constiterint? B

Primò, aliqui putant fuisse pendulos in aëre. Primò, ii qui putant propitiatorium fuisse altè supra eleuatum, illique per longos cardines affixum cohæsisse, censent Cherubim ex propitiatorio prodeuntes in aëre fuisse pendulos, specie genuflectentium, & adorantium Deum sedentem in propitiatorio. Ratio est: quia hic situs decet angelos respectu Dei; & quia, si propitiatorio ita altè eleuato, Cherubini in terra constitissent, nimis longi & alti fuissent: erexissent enim se à terra supra propitiatorium, itaque cum eo, & cum arca, quæ parua erant, iustam non habuissent proportionem. adde, tam vastos difficile fuisset malleatione produci ex propitiatorio.

Hæc sententia, posito illo fundamento de propitiatorio ita altè supra arcam eleuato, satis probabilis est: verùm alij hoc fundamentum reiiciunt, vti superiùs dixi. C

Secundò, alij, insistisse arcæ. Secundò, alij censent Cherubinos vno vel vtroque pede institisse limbo arcæ, itaque sinuato nonnihil corpore eleuasse se, & suis dumtaxat manibus vel alis, sine cardinibus sustentasse propitiatorium. Sed hoc parum probabile est. Primò, quia Script. expressè dicit, Cherubim non ex arca, sed ex propitiatorio prodiisse. Secundò, ille situs Cherubim sinuatus indecens fuisset, molestus & incommodus. Tertiò, manus paruæ Cherubinorum ita curuatorum, non suffecissent ad tantum pondus propitiatorij (quod erat ex solido auro, & habebat in longitudine duos cubitos cum dimidio, in latitudine verò cubitum cum dimidio) sine cardinibus, aliisve fulcris sustentandum.

Tertiò, alij, stetisse in pauimento Sancti sanctorum. Tertiò, S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Caiet. Ribera, & alij putant, Cherubinos stetisse in pauimento Sancti sanctorum: inde enim erigebant se, ita vt alis suis sustinerent propitiatorium. Probatur, quia alij situs indecentes, vel incommodi fuissent, vti iam dixi. Secundò, quia sic Cherubini qui erant in templo Salomonis, stabant in pauimento. Tertiò, quia Cherubini Ezechielis erant stantes, imò ambulantes. vnde Vilalpando in suis ideis templi, stantes Cherubinos tam tabernaculi, quàm templi depingit. Verius ergo videtur, Cherubim stetisse in terra, indeque erigentes se sustentasse propitiatorium: quia scilicet, manibus suis illud tenebant, & alis suis illud velabant. Hosce enim Cherubinos præter alas habuisse manus, patet ex eo, quòd habebant speciem hominis, quodque Ezechiel c. 10. v. 7. expressè eis tribuat manus. D

Vbi Nota, hos Cherubinos non tantùm habuisse speciem stantium, sed & volantium. habebant enim alas expansas: quia hisce significabant angelos, qui celerrimè volant, de quibus ait Psaltes, & S. Paulus, *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*. Hinc etiam dicitur Deus volare super Cherubim, psal. 17. v. 11. Rursum, hi Cherubim licet vultibus sibi inuicem essent obuersi, vultus tamen demittebant ex reuerentia, non audentes respicere propitiatorium, nec Deum in eo sedentem; sed alis suis eum quasi velabant. Erant ergo hi Cherubini inferiore sui parte, scilicet à pectore deorsum, sub propitiatorio; capite verò, humeris & alis erant supra propitiatorium, vt ait hîc Scriptura, præsertim in Hebræo, quia iis Deum, vt dixi, quasi velare debebant.

Verùm in hac sententia difficile est explicare, quomodo arca, vtpote proximè subiecta propitiatorio & Cherubinis, fuerit scabellum Dei sedentis in eis. Rursum quomodo Deus potuerit sedere in propitiatorio, alis Cherubim elatis sustentato. hæ enim alæ altiores erant propitiatorio (illud enim velabant) ac proinde in alis hisce, non in propitiatorio, sedebat Deus.

Quartò & verè Cherubim stabant supra propitiatorium. Dico ergo, verius videtur Cherubinos non tetigisse, nec sustentasse propitiatorium, sed illi pedibus institisse: ita vt alis suis expansis partim tegerent propitiatorium, instar tecti vel vmbraculi, vnde ab Apostolo vocantur *obumbrantia propitiatorium*, Hebr. 9. 5. partim vt iisdem alis sedem præberent Deo, qui inde dicitur sedere super Cherubim; ita vt arca cum suo operculo, putà propitiatorio, esset scabellum pedum Dei. Id ita esse probatur Primò, ex Iosepho, qui, vtpote Hebræus & sacerdos doctissimus, Hebraicarum rerum fuit peritissimus: ipse enim disertè hoc asserit libr. 3. Ant. 6. *Erant*, inquit, *operculo* (arcæ. id est propitiatorio) *impositæ effigies duæ, quas Hebræi Cherubos vocant*. Secundò, ex eo quòd psal. 79. 2. Daniel. 3. 55. & alibi, Deus dicitur sedere, non in propitiatorio, sed super Cherubim. rursum, quòd Cherubim alis suis supernè texerint & velarint arcam, ac cõsequenter ipsum propitiatorium, quod erat arcæ operculum. Ideo enim v. 22. & alibi, Cherubim dicuntur fuisse super arcam, & vicissim arca dicitur fuisse subter alas Cherubim, 2. Paral. 5. v. 7. & 8. licet enim ibi sit sermo de Cherubim quos fecit Salomon, non Moses, tamen hoc ipsum rem hanc confirmat: suos enim Cherubim fecit Salomon adinstar Mosaicorum. Tertiò, ex eo quòd psal. 98. 5. dicitur arca fuisse scabellum pedum Dei: si arca, ergo & propitiatorium (vtpote arcæ operculum) fuit scabellum pedum Dei. Quartò, quia hic situs videtur maximè concinnus: tum quia hoc modo arca erat instar currus velati, & instar domus suum habens quasi tectum, putà alas Cherubim: tum quia sicut propitiatorium & arca significabant Christum hominem, eiusque Sanctos; ita Cherubim significabant angelos, quibus insidet & præsidet Deus. Sicut ergo natura tam angelica quàm diuina, præeminet naturæ humanæ Christi & Sanctorum, ita Cherubim cum suis alis eminebant insistentes arcæ & propitiatorio, positi in eius summitate, vt dicitur c. 37. 8.

Prob. Primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

Obiectio. Dices, Propitiatorium vocatur oraculum Exodi 25. 18. & c. 37. 6. ergo erat quasi thronus Dei loquentis, & oracula dantis.

Re-

Responsio. Respond. Propitiatorium erat oraculum, non A se solo præcisè, sed quatenus cōplectebatur Cherubinos cum alis suis. Hi enim toti aurei erant æquè ac propitiatorium, erantque ex eo malleatione producti: vnde cum eo vnum quid in genere artis esse videbantur, putà vnus thronus Dei. Thronus enim Dei integer, & vndique, scilicet tam infernè quàm supernè perfectus, erant Cherubim cum propitiatorio. Nam alæ Cherubim insistentium propitiatorio erant quasi sedes Dei: propitiatorium verò erat quasi scabellum eiusdem. Vnde Deus propriè & præcisè dicitur sedere super Cherubim, quasi thronum suum, indeque loqui & dare oracula. Hoc enim est quod dicitur v. 22. *Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam.* Et Numer. 7. v. vlt. *Audiebat* (Moses) *vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.* Loquebatur ergo propriè Deus ex alis Cherubim, quibus insidebat, ac consequenter dicebatur loqui ex propitiatorio, quasi oraculo, quia hoc erat basis & sustentaculum Cherubinorum, & consequenter throni Dei, eratque scabellum pedum Dei. ita Abulens. Alcazar, & alij.

Quæritur Tertiò, quo fine & qua significatione facti sint Cherubim. Quæritur Tertiò, quo fine positi sint Cherubini cum arca & propitiatorio, quidque significarint?

Resp. vt essēt quasi currus gloriæ & victoria Dei. Respondeo, hæc omnia ad hoc fuisse posita, vt essent currus gloriæ, id est belli, victoriæ & triumphi, quem Deus egit de Amalec, aliisque hostibus, & maximè de Pharaone & Ægyptiis. Hoc enim curru suo diuino & angelico quasi processit Deus in aciem contra Pharaonem, Habacuc 3. 8. & psal 67. v. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex.* & psalm. 76. v. 19. *Vox tonitrui tui in rota.* eoque currus Pharaonis subuertit in mari rubro, Exodi 14. v. 25. Vnde post hanc victoriam de Pharaone, mox hunc currum Cherubim Mosi Deus in Sina ostendit, eumque fabricari, & in tabernaculo quasi trophæum poni iussit; vt scilicet esset æternum monumentum, tum victoriæ & liberationis Hebræorum ex Ægypto, tum per illam parti regni & populi, id est institutæ Ecclesiæ veteris; quòd scilicet Deus in Sina Hebræos à se ex Ægypto redemptos sibi in populum, Ecclesiam & regnum adoptasset. vnde consequenter, currus hic significabat Synagogam ipsam, siue Hebræos, qui erant hoc regnum. Arca ergo erat quasi currus; habebat enim quatuor globos siue sphærulas, quasi quatuor rotas, vt dixi v. 12. Propitiatorium erat quasi solium, aut potiùs scabellum Dei triumphantis. Stipant eum angeli, putà Cherubini, gestantque insignia victoriæ Dei, scilicet Primò, speciem vituli: vitulus enim repræsentat symbolicè sacrificium agni, cuius immolatione Hebræi liberati sunt ex Ægypto, Exodi 12. Secundò, species hominis in Cherubinis significat ipsos Hebræos agnum immolantes. Tertiò, species aquilæ symbolum est agilitatis, æternitatis (diutissimè enim viuit aquila) & sublimis spiritus, putà angeli percutientis Ægyptum. Quartò, species leonis significat Deum quasi regem, fortitudine sua sæuientem in Ægyptios. Est enim leo lex ferarum, & princeps animalium omnium.

Symbola quatuor animalium.

Currus Cherubim Id ita esse patet Primò, ex eo quòd Salomon Cherubim templi faciens adinstar Cherubim tabernaculi, fecerit eos quasi quadrigam, vt dicitur 1. Paral. 28. 18. Secundò, ex eo quòd Ezechiel c. 1. viderit quatuor animalia, scilicet Cherubim stipantes currum Dei, adinstar Cherubim templi & tabernaculi, huncque currum vocet currum gloriæ Dei. Tertiò, quia *Cherubim* per metathesin dicuntur quasi *recubim*, id est currus: quia stipant currum Dei, vti mox dicam.

Cherubim sunt angeli stipatores Dei. Dico Secundò. Hi Cherubini significant angelos, qui sunt quasi stipatores Dei. Hinc gestant quatuor stemmata, & insignia Domini Dei sui: species enim aquilæ significat Dei sapientiam; species hominis significat Dei bonitatem, mansuetudinem & clementiam; bos significat Dei iustitiam, religionem & cultum illi debitum, quòd scilicet bobus, aliisque victimis, illa summa maiestas sit colenda & adoranda: leo significat B Dei fortitudinem & potentiam. Hæc attributa à Deo ipsi Cherubini, id est angeli, in se participant & repræsentant. Illi enim sunt aquilæ per celeritatem & contemplationem; sunt leones per fortitudinem; sunt homines per mansuetudinem; sunt boues per patientiam & labores. ita S. Dionys. Cælest. hierarch. c. 15. Hinc patet, Cherubim hic significare non tantùm secundùm ordinem angelorum primæ hierarchiæ, qui propriè dicitur Cherubim; sed etiam omnes alios angelorum ordines. Vnde Patres subinde hos Cherubim vocant Seraphim, vti ostendit Vilalpando libr. 4. cap. 96. pag. 132. vbi pro hac re citat Cyrillum vtrumque, Clement. Alexandr. & Tertull. quin & S. Thomam.

Significant quatuor stemmata Dei.

Cherubim sunt quiuis angeli, etiam Seraphim.

Alleg. Cherubim est currus Christi, putà Ecclesia. Dico Tertiò. Allegor. hic currus Cherubim, & gloriæ Dei triumphatoris & redemptoris Hebræorum ex Ægypto, significat currum trium- C phantem Christi redemptoris hominum; qui currus est Ecclesia, de qua dicitur Cant. 1. v. 4. *Equitatui meo*, id est quadrigæ vel carrucæ meæ, *assimilaui te.* Quatuor rotæ sunt Apostoli, Pastores & Doctores, qui currum Euangelij & Ecclesiæ fortiter & velociter, instar fulguris agunt, & propagant per totum orbem. Hinc Cherubini gestant quatuor insignia Christi: species enim hominis significat Christi incarnationem; species vituli significat Christi mortem & immolationem in cruce; species leonis significat Christi fortitudinem, quam ostendit in resurrectione; species aquilæ significat Christi ascensionem in cælum: hæcque suis Christianis & Sanctis communicat, vti paulò antè dixi Deum angelis sua stemmata communicare.

Quatuor stemmata Christi.

Anagog. quatuor stemmata regni cælestis. D Anagogicè, hæc sunt quatuor stemmata Ecclesiæ triumphantis, & regni cælestis, vbi Deus regnat in solio gloriæ. nam aquila significat visionem Dei; homo mutuum Sanctorum amorem & concordiam; leo potentiam & immortalitatem; vitulus oblationem, Deique adorationem; rotæ æternitatem eorumdem.

Tropolog. S. Gregor. homil. 6. in Euang. *Vnusquisque, ait, si in quantum sufficit proximum à prauitate reuocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cùm verba sancta annuntiationis impendit, angelus existit.* Idem homilia 34. *Qui secretorum cælestium summa capere præualent, & nuntiare, isti in Archangelorum numero deputantur. Et sunt nonnulli qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, vt Cherubim iure nominentur. Quia enim Cherubim plenitudo scientiæ dicitur:*

dicitur: & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas; omnes qui Dei & proximi charitate cæteris ampliùs pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli qui superna contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abiiciunt, temporalia cuncta mente transcendunt, amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt; & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt: hi inter Seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt.

Quæritur Quartò, cur Cherubim positi sint ad oraculum? Deus sedet super Cherubim, quo sensu?

Quæritur Quartò, quare hi Cherubini positi sint ad oraculum, siue propitiatorium; & quo sensu Deus dicatur sedere, vel vehi super Cherubim.

Respondeo, Deus dicitur sedere super Cherubim, quia ipsæ alæ Cherubim iunctæ, speciem quamdam sedis exhibebant. Illius enim throni species hæc erat: aurea tabula (quæ propitiatorium appellatur) erat pro pedum scabello: duo Cherubim parui, pro sella. Nam è regione positi, & inuicem oppositi, extentas alas, & inter se vicissim collatas habebant; perinde ac si duo homines sibi inuicem obuersi, brachia vtrimque extenderent, & coniungerent, vt sedem cuipiam efficerent qua ille consideret. itaque Cherubinorum capita erant veluti sellæ latera, alæ verò extensæ erant sedes. Iam hoc symbolo, & hac phrasi, qua Deus dicitur vehi & sedere super Cherubim, significatur

Primò. Primò, Deum sapientissimos spiritus angelicos longè præscientia, & futurorum præuisione & prædictione, omnique scientia & sapientia transscendere, eosque quasi pedibus suis premere. Solet enim Scriptura Dei potentiam & sapientiam maximè commendare ex eo, quòd sit Deus exercituum, putà angelicorum; quia ei millia millium ministrant, quòd faciat angelos suos spiritus, &c.

Secundò. Secundò, hi Cherubini respiciunt partim Deum suis alis insidentem; partim propitiatorium: quia angeli non sibi, sed Deo suas alas, id est, vires & virtutes, omneque bonum quod habent, attribuunt. ita S. August. qu. 105. Rursum, hoc ipso significant Deum esse finem legis, legemque, quæ in arca erat, seruandam esse propter Deum.

Tertiò. Tertiò, duo Cherubini in Sancto sanctorum, qui versis ad se mutuo vultibus, inuicem (demisso licet vultu) semper respiciebant, significabant Deum beatis tam angelis, quàm hominibus, summa inter se charitate flagrantibus (quod binario, & faciebus ad se inuicem versis significatur) videndum se exhibere, hacque gloriosa sui visione eos beare. ita S. August. & S. Thom.

Deum vehi, & sedere super Cherubim, qui differant?

Dico Secundò, Tempore Mosis quo Deus habitauit, non in templo, sed in tabernaculo, quasi proficiscens, & armata manu ducens populum suum per medios hostes in Chanaan, dicebatur Deus vehi & equitare super Cherubim, tamquam dux belli & victoriæ Hebræis contra Chananæos, aliosque hostes; postquam verò populum suum collocauit in Chanaan, cum eoque pacificè habitauit in templo, dictus est Deus sedere super Cherubim, vt patet Isaiæ 37.16. quia in iis parta iam victoria & quietè, quasi victor & triumphans residere videbatur, iisque imperium, quod sua scientia & prouidentia asseruerat, ea-

A dem conseruare. Nam, *non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.* Vnde Augustus Cæsar audiens Alexandrum annos natum 32. pleraque subegisse, ideoque anxium fuisse de materia, quid scilicet deinceps esset acturus: *Miror*, inquit, *Alexandrum non existimasse, maioris esse operæ imperium partum bene constituere, quàm parare.* testis est Plutarch. in Augusto.

Symbol. Symbolicè, Sanctum sanctorum repræsentabat cælum, duo Cherubim duo hemisphæria, sex alæ (tot enim sunt, si duas manus pro duabus alis capias, vti dixi Ezech. 1.) in vnoquoque, id est 12. in duobus, significabant 12 signa Zodiaci, & tempus quod per illa describitur & decurrit; arca significabat quietem, quam habent Cherubim, id est spiritus cælestes, in Deo. ita Clemens libr. 5.

B Stromatum. Rursum satis concinnè Barrad. to. 1. lib. 5. c. 31. Sicut, inquit, arca testamenti est B. Virgo, propitiatorium Christus; ita Cherubinus est Ioseph, tum quia Christi fuit tutor & protector in pueritia, tum quia brachia eius sæpè fuerunt sedes Dei, scilicet Christi, iuxta illud psal. 79 *Qui sedes super Cherubim*: tamquam pater enim & nutricius cum Christo agebat.

Allegor. S. Gregor. homil. 26. in Euang. Duo, ait, angeli quos vidit Magdalena in sepulchro Christi, & duo Cherubim arcæ sunt duo testamenta: propitiatorium est Christus incarnatus. *Et dum testamentum vetus hoc faciendum denuntiat, quod testamentum nouum de Domino factum clamat, quasi vtraque Cherubim se inuicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt: quia dum inter se positum incarnatum Dominum vident, à suo aspectu*

C *non discrepant, quæ dispensationis eius mysterium concorditer narrant.* hactenus S. Gregor.

Quæritur Quintò, vnde dicantur Cherubim.

Quæres Quintò, vnde dicantur Cherubim, & quid hebr. significet Cherubim. Respondeo, Dicuntur Cherubim, non à Chaldæo *rub*, vel *rabio*, id est *puer*, quasi *cherub* idem sit, quod כְּרוּב *kerub*, id est tamquam puer, vt vult R. Kimchi, & noster Alcazar Apocal. 4. pag 383. vbi sic explicat, *Cherub*, ait, id est *quasi puer*, hoc est *quasi filius*, vel, *quasi minister* iugiter astans Deo, paratus ad omne eius obsequium: constat enim Cherubim non Chaldæum, sed Hebræum esse nomen. Sed dicuntur Cherubim à multitudine roboris, gloriæ, scientiæ & sapientiæ, vti docet S. Dionys. cap. 7. Cælest. hierar. & ex eo S. Hieron. & passim alij in Ezech. 28. Philo lib. de vita Mosis, Origenes homil. 5 & 11. in Numer. Anastas. sermone de Dei-

D para, August. in psal. 17. & 89. Theodoret. in Ezech. c 10. v 20. Philastrius hæresi 102. Sophronius in encomio angelorum, tomo 2. Biblioth. SS. Patrum, Isidorus, Beda, aliique passim, tam Patres quàm S. Scripturæ interpretes, æquè ac Doctores Scholastici communi omnium consensu. Hi enim secundum angelorum ordinem à scientia dictum esse Cherubim, constanter asseuerant. Id ipsum satis insinuat sacra Scriptura Ezech. 28. v. 17. vbi alloquens regem Tyri, eumque appellans *Cherub*, ait: *Perdidisti sapientiam tuam.* & v 3 irridens eius fastum, quo sibi *Cherub* arrogabat scientiam: *Ecce*, inquit, *sapientior tu es Daniele, omne secretum non est absconditum à te. In sapientia & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem*, &c. Porrò *Cherub* significat multitudinem scientiæ, à radice, vt vult Pagninus, נכר *nachar*, id est sciuit vel cognouit, & רב *rab*, id est multum.

Vnde

Vnde Abbas Besarion moriens dicebat: *Debet monachus totus oculus esse, sicut Cherubim & Seraphim.* A Vel potiùs & simpliciùs à כְּ רַב *ke* & *rab*, id est, sicut rabbi, hoc est, sicut sapiens, potens, honoratus & gloriosus. *Rab* enim, siue *Rabbi* significat virum magnum, qui pollet opibus, viribus, scientia, gloria. Vnde de rege Tyri dicitur Ezech. 28. v. 16. *Tu Cherub extentus*, q.d. Tu ô rex Tyri, qui es rab, & gloriosus vt Cherubim, quique alis potentiæ & ditionis tuæ extentis plurimos populos subditos protegis, sicuti Cherubini protegunt arcam & propitiatorium.

Cherub est ke rab, id est, quasi rabbi, sapiens, potens.

Alludit quoque nomen Cherub per metathesim, ad radicem כַּבִּיר *cabbir*, id est multiplex, scilicet scientia, robore, forma & figura: habebãt enim Cherubini quatuor facies, vt dixi Ezech. 1.

Cherub alludit ad cabbir, id est multiplex:

Tertiò, per metathesin alludit Cherub ad רֶכֶב B *recheb*, id est currus: Cherubim enim stipabant & decorabant currum gloriæ Dei. & ad רוֹכֵב *rocheb*, id est equitans, hoc est princeps, moderator & gubernator. Hi enim olim equis vehebantur, & sicut equum habenis regimus, sic hi populum suis legibus gubernant. Tales sunt angeli, qui mundum regunt, cumque quasi currum diuinæ prouidentiæ moderantur, mouent & agunt. Ita Mercerus, Goropius Becanus, & post eos noster Hieron. Prado in Ezech. 1. imò ipsi censent hoc primarium & genuinum esse Cherubim etymon.

& ad recheb, id est currus:

& ad rocheb, id est princeps, moderator:

Quartò, Cherub per metathesin, & per commutationem litterarum affinium *beth* & *pe*, alludit ad *caphar*, & *capporeth*, id est ad propitiatorium: huius enim pars, & quasi vmbella erãt Cherubim. Denique alludit Cherub ad quatuor animalia in Cherub expressa, scilicet ad leonem, vi- C tulum, hominem & aquilam. *Cherub* enim per metathesin, & per commutationem litteræ *beth* in affinem *pe* (vtraque enim est labialis, & eiusdem penè soni) idem est quod כְּפִיר *kephir*, id est leo; idemque est quod כְּפַר *kepar*, id est sicuti vitulus, vel similis vitulo; idemque est quod כְּרַב *kerab*, id est sicuti vir potens, & princeps. Denique, per anagrammatismum Hebraicum *ethbas* (quo litteræ alphabeti inter se ordine retrogrado commutantur, putà *aleph*, quæ prima est ab initio, commutatur cum *tau*, quæ prima est à fine; & *beth*, quæ secunda est ab initio, commutatur cum *schin*, quæ secunda est à fine: quomodo Ieremias c. 51. v. 41. *Sesach* vocat ipsam *Babel*.) *kerub* idem est quod כְּשֶׁר *kescer*, & *kescer* per aphæresin litteræ *nun*, quæ solet esse in verbis incipientibus à *nun*, idem est quod כְּנֶשֶׁר *kannescer*, id est sicut aquila. D Sic ergo Cherub, vti sua forma, ita & suo nomine, quatuor animalium species in se includit & exprimit.

& ad capporeth, id est propitiatorium: hoc enim tegebant.

Cherub significat quatuor animalia per metathesin.

Moral. Cherubim sunt symbolum sapientiæ, quæ ceteris rebus præstat, & sola apta est ad regimen. Sapientia enim Dei, in gubernando hoc vniuerso, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Hæc est forma optimi regiminis. Vis optimè regere? rege vt Deus fortiter & suauiter. Vnde hanc sapientiã impensè postulat Salomon à Deo Sap. 9. Audi Horat. l. 1. epist. 1.

Moral. Quis est Cherubim, quis sapiẽs.

Ad summum sapiens vno minor est Ioue: diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Beatas fore respubl. dixit Plato, si vel sapientes eas regerent, vel earum rectores sapientiæ studerent. Et Aristot. ait: *sapere principantis est.* Vis ergo esse Cherubim? vis esse sapiens, vt te & alios regere possis? audi Primò, Apuleium: *Sapiens*, inquit, *nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis.* Et Senecam epist. 60. *Sapiens*, ait, *ad omnem incursum munitus & intentus est: non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus contra illa ibit, & inter illa. Sapiens plenus est gaudio, hilaris, placidus & inconcussus, cum diis ex pari viuit.* Et epist. 72. *Sapiens vincit virtute fortunam.* Et epist. 77. *Præcogitati mali mollis ictus venit. Sapiens assuescit futuris malis, & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando.*

Resp. Primò.

Secundò, Isocrates ad Nicoclem de regno: *Sapientes, ait, sunt qui & negotia dextrè obire, & inter homines versari commodè possunt: nec in vita mutationibus perturbantur: moderatè ferre norunt tam aduersa, quàm prospera.*

Secundò.

Tertiò, Lactantius lib. 3. c. 30. *Qui vult*, inquit, *sapiens & beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ noscat, humana contemnat, diuina suspiciat, vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Summa ergo sapientia est in hoc vno, vt homo Deum cognoscat & colat.*

Tertiò.

Quartò, S. Gregor. Nazianz. in Apolog. *Prima*, ait, *sapientia est vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur.*

Quartò.

Quintò, Apollo Delphicus, & Cicero lib. 1. de Legibus, *Sapientia*, inquit, est γνῶθι σεαυτόν, *nosce teipsum.*

Quintò.

Sextò, Cicero libr. 1. de Finib. *Sapientia*, ait, *est ars viuendi, quæ mœstitiam pellit ex animis, quæ exhorrescere metu non sinit: qua præceptrice in tranquillitate viui potest, cupiditatum ardore restincto.* Item, *Sapientia est vincere iram, vincere seipsum.*

Sextò.

Septimò, Cicero 3. Tuscul. *Sapienti*, ait, *nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo.* Vis ergo esse sapiens? tempus & temporalia despice, æterna & æternitatem cogita. Idem Cicero paradox. 4. *Sapiens animus*, ait, *magnitudine consilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus vt mœnibus septus, vinci aut expugnari non potest.* Et Tuscul. 4. *Vir temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine libidine, is est sapiens.* Rectè Poëta: *Virtus cui sapit, ille sapit.*

Septimò.

Octauò, Architas: *Sapientia*, ait, *est cognitio rerum diuinarum, & prudentia humanarum rerum, & eorum quæ ad vitam spectant.*

Octauò.

Nonò, S. Gregor. 10. Moralium c. 27. *Iustorum*, ait, *sapientia est, nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc iustorum simplicitas deridetur. Quid namque stultius videtur mundo, quàm mentem verbis ostendere? nihil machinatione callidè simulare? nullas iniurias contumeliis reddere? pro maledicentibus orare? paupertatem quærere? possessa relinquere? rapienti non resistere? percutienti maxillam alteram præbere?*

Nonò.

Iam vis exempla sapientiæ? Alexander Magnus videns Diogenem in dolio recumbentem: *O vas*, ait, *sapientia refertum!* Diogenes verò sapienti nihil deesse, hoc syllogismo colligebat: *Amicorum omnia sunt communia. Diis nihil deest: sapientes sunt eorum amici: ergo sapientibus nihil deest, sed eorum,*

Sapientia exempla.

rum, æquè ac deorum, sunt omnia. Sed eodem syllogismo reijci poterat petens aliquid: Cur petis habens omnia? at respondisset, *Non peto sed repeto.* ita Laërt. lib. 6.

Aristoteles dicebat sapientem sibi sufficere, eò quòd omnia quæ sunt aliorum, sunt & huius, qui cum omnibus habet amicitiam & communionem.

Alfonsus Aragonum rex aiebat se pluris facere sapientiam, quàm opes & regnum: illam enim esse Dei filiam, solamque rerum omnium immortalem, atque ex omni genere animantium soli homini concessam. Testis est Panorm. in eius Vita.

Thales rogatus, *quomodo quis sapienter & optimè viueret? Si,* ait, *quæ in aliis reprehendit, ea non faciat ipse.* Ita Laërt. lib. 1.

Carolus V. felix & sapiens, in bellis pietate & Deo nitebatur, addebatque neruos belli esse pecuniam, commeatus, milites: verùm si ex ijs aliquo carendum esset, se militem veteranum electurum esse, cuius industria & fortitudine reliqua duo ex hoste se comparaturum confideret. Hinc ipse in comparando exercitu se caput sumere ab Italis, brachia & manus ab Hispanis, pectus à Germanis, ventrem & pedes à reliqua gentium turba dicebat.

Socrates aiebat, *mentem sapientis esse templum, eiúsque os ostium.* Sicut enim templi ostio aperto pulcherrima simulacra perspiciuntur; sic ex ore sapientis animi simulacra illustria peruidentur.

Philo libr. de Abraham: *Sicut*, ait, *gubernator in naui, magistratus in ciuitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima: sic reuera primus est sapiens in humano genere,* estque quasi sol in mundo.

Documenta & indicia sapientiæ. Porro documenta ac indicia sapientiæ, accipe. *Primum.* Primò, sicut mundus vndique teres ac rotundus sibi constat: ita sapiens nihil extra se quærit, seipso contentus. Rursum, vt alcyones teste Plinio l. 10. c. 32. media etiam hieme mare tranquillum præstant, non sibi solùm, sed alijs quoque: ita sapiens turbatissimis rebus, non solùm ipse tuebitur animi tranquillitatẽ, sed & alios concitatos componet ac sedabit.

Secundum. Secundò, sicut teste Plinio li. 11. c. 2. in culice non minùs admiranda vis est, quàm in elephante: ita sapientia in maximis pariter ac minimis negotijs magnum virum ostendit: ingenij enim vis etiam in ludicro ac humili argumento elucet. Vti enim bonus artifex è quauis materia simulacrum fingit: ita sapiens quamuis fortunam sapienter administrat.

Tertium. Tertiò, vt cochleæ, teste Plinio l. 9. c. 32. lentè ingrediuntur, nec quidquam attingunt, aut vsquam se mouent, nisi cornibus prætentarint: ita sapientem oportet esse cunctabundum, minimeque præcipitem, & pedetentim aggredi, gustu quodam priùs sumpto. Sicut enim Aquilo initio vehemens, desinit lenior; contrà Auster initio lenior, desinit vehementior: ita qui præcipites magno impetu aliquid aggrediuntur, frigescunt in processu; contrà, qui consilio aliquid suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu.

Quartum. Quartò, sicut quo directiùs nos ferit sol radijs suis, hoc minor est vmbra nostri; quo verò obliquiùs, hoc magis increscit vmbra corporis: ita quanto plus quisque assecutus est veræ sapientiæ,

A hoc minùs magnificè de se sentit; quo longiùs abest ab ea, hoc se magis dilatat stultissima persuasione sapientiæ.

Quintum. Quintò, *Vti indomita*, ait Plinius lib. 37. c. 4. *vis est adamanti, vnde & nomen accepit, adeò vt nec calescat igni, nec ferro cedat, quin & ictum ita respuit, vti ferrum simul & incudes dissiliant*: sic sapientis animus aduersus omnem fortunæ sæuientis impetum inuictus est. Vt grando illisa tectis dissultat magno quidem fragore, sed nulla noxa: sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem. Hinc veteres sicut fortunam rotundo lapidi insistentẽ pinxerunt; ita sapientiam in quadrato statuerunt: ex hoc hieroglyphico volubilem illam, hanc verò firmam & inconcussam significantes. ita Pierius hieroglyphico 39.

Sextum. Sextò, vt Deus plurimum sapiens & intelligens
B minimum loquitur: ita sapiens nonnisi necessaria loquetur. Gentiles, vt vides lector, subinde cito, *Gentiles quomodo citandi.* non tam meo, quàm aliorum nonnullorum præsertim sæcularium, qui libris & tempore carent, sensu & desiderio: quia Plato & Stoici, quos secuti sunt Aristoteles, Seneca, Cicero, Philo, cæterique Philosophi, suam sapientiã hausere à Mose. Vnde Plato dictus est Moses Atticus. Mosi ergo reddantur gnomæ Gentilium, quasi ab eo acceptæ, ideoque illi debitæ. Concionatores tamen, & qui res sacras tractant, cum grano salis discretè & sobriè iis vtantur, ne sacra profanis temerè miscendo eadem vilipendant & profanent.

IN QVA PONES TESTIMONIVM] Hoc est legem, putà tabulas legis. Vide dicta v. 16. VERS. 21.

INDE PRÆCIPIAM ET LOQVAR AD TE SVPRA VERS. 22.
C PROPITIATORIVM] Hinc patet, Mosen ducem & legislatorem populi sæpiùs intrasse in Sancta sanctorum, vt Deum de dubijs consuleret, vel inibi audiret Deum monentem & præcipientem, vt hîc dicitur. Quare quod Leuit. 16. præcipit Deus, vt pontifex semel tantùm in anno ingrediatur in Sanctum sanctorum, hoc Mosen non tangit, qui non erat pontifex, sed legatus & internuntius Dei.

FACIES ET MENSAM DE LIGNIS SETIM] Nota. Hæc mensa facta erat, vt exciperet 12. panes VERS. 23.
Deo proponendos, hinc hæc mensa erat ante Sancta sanctorum, in Sancto, iuxta altare thymiamatis. nam Sanctum hæc tria habebat, scilicet altare thymiamatis, quod ad latus Septemtrionale siue sinistrum habebat hanc mensam; ad latus verò Meridionale siue dextrum habebat candelabrũ. *Descriptio mensæ panum propositionis. Primò.*
D vnde & mensa hebraicè dicitur שלחן *sculchan*, *Mensa heb. dicitur sculchan, quasi dicas missa.* quasi missio vel emissio, quòd in ea panes hi immitterentur Deo. Consimili fortè agnominatione, inquit Vilalpando, mensam quasi missam vocarunt Latini, eò quòd in mensa fercula mitterentur; vnde primam dicebãt, & secundam mensam; sed & fercula singula *missus* vocabant. licet Varro mensam dictã putet quasi mesam, eò quòd inter duos media poneretur. Secundò, erat hæc *Secundò.* mensa facta ex lignis setim auro obductis. Tertiò, *Tertiò.* longa erat duos cubitos, lata vnum cubitum, alta cubitum & dimidium: hinc patet mensam fuisse non rotundam, sed quadrangulam. Quartò, mensa *Quartò.* hæc habebat labium, id est limbum aureum per circuitum; in ipso labio erat corona interrasilis quatuor digitorum, cui alia corona minor imponebatur ad ornatum, & vt altior esset corona, vtque meliùs panes contineret ne deciderent.

Quintò, mensa hæc habebat quatuor pedes, & in summitate pedis cuiusque habebat circulum aureum, ita vt per quatuor circulos positos in lateribus, non longitudinis, sed latitudinis, duo immitterentur vectes, quibus portaretur mensa humeris quatuor sacerdotum. ita ex Iosepho Ribera.

Alleg. mensæ, altaris, & candelabri. Allegor. Sanctum est Ecclesia in terris militans, tendensque ad Sanctum sanctorum, id est, ad cælum, in qua alij se dedunt eleëmosynis & operibus charitatis, hos significat hæc mensa panum; alij se dedunt doctrinæ & vitæ sanctæ, hos significat candelabrum; alij se dedunt orationi, laudi Dei & contemplationi, hos significat altare thymiamatis: coronam habet mensa, vt significet misericordes & eleëmosynarios non tantùm in cælo, sed etiam in terra à Deo benedici, gloria & honore coronari. Vide Riberam li.2. de Templo cap.11. Sicut mensa hæc erat in Sancto iuxta Sanctum Sanctorum, in quo erat thronus Dei, sic *eleëmosyna*, inquit S. Chrysostom. homil.9. in Matth. *amica Deo consistit, & semper ei propinqua est: pro quibuscumque voluerit, facilè munus impetrat, vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem: huic cum multa fiducia porta cæli aperiuntur, & veluti regina intrante nullus ianitorum, nullus custodum qui assistunt, audent dicere: Quæ tu es, vel vnde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circumscripta per omnia venustate, sed succincta, vultum habens candidum atque mansuetum, pennata est & leuis, & semper ante solium regale consistit.* Rectè poëta:

O quæ stultitia est! Deus emit sanguine seruos:
Mercari exiguo nos piget ære Deum.

Amadæus Sabaudiæ Dux rogatus à quibusdam legatis, num haberet canes venaticos? annuit vt postera die redirent. Cùm verò iam adessent, Amadæus è pergula ingentem mendicorum copiam eis ostendit vnà discumbentium. Atque *Hi sunt*, inquit, *canes mei quos alo quotidie, quibusq́; cælestem gloriam me spero venaturum.* De eleëmosyna plura dicam Deuter.26. in fine.

Mensa Eucharistia. Rursum mensa hæc significat mensam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. ita Rupert. & S. Hieronymus in 1. Malach. & Damasc. lib.4. cap.14. & Cyrill. catech.4. mystagogica. De hac mensa canit Psaltes psalm.115.4. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Et psal. 22.5. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est?* Et Zachar. c.9.17. *Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentū electorum, & vinum germinans virgines?*

VERS.24. FACIESQVE ILLI LABIVM AVREVM] *Labium*, id est limbum circumcircà.

VERS.25. ET IPSI LABIO CORONAM INTERRASILEM ALTAM QVATVOR DIGITIS] Hebr. *ipsi labio*, siue *limbo facies clausuram*, id est limbum alium qui claudat limites mensæ, ne ex ea panes decidant, & cuius vna pars claudat aliam; quod Noster interpres exprimit per *interrasile*: in opere enim interrasili quædam plana sunt, quædam verò exsculpta sunt opere tornatili, vt ea quæ plana sunt ambiant. *Opus interrasile quod?* Opus hoc interrasile, triplicemq́; hunc limbum, siue coronam ita describit Vilalpando: Si ponas, inquit, tabulam crassam quatuor digitos, ex quibus duo medij ad interiora retrahantur, & varijs cælaturis asperiores reddantur, est opus interrasile: reliqui verò duo digiti, scilicet vnus infernè, alter supernè cymatium erit ipsi tabulæ. quod Vitruuius vocat opus Lesbium, cùm scilicet ipse limbus interrasilis vtrimque, putà infernè & supernè, cymatio quasi corona cingitur.

ET SVPER ILLAM, ALTERAM CORONAM AVREOLAM] Tertius erat hic mensæ limbus, secundo impositus, vt secundus impositus erat primo & imo, idque ad ornatum magis quàm ad necessitatem. Noster interpres hanc coronam vocat *aureolam*, non quasi non esset ex puro auro (Hebræa enim vocant eam coronam auream) sed quia parua erat, ideoque minus auri quàm cæteræ continebat, q.d. coronulam. *Aureola vnde?* Hinc Scholasticos sumpsisse nomen aureolæ, vt per illud dotes quasdam accidentales beatitudinis significarent, quæ propriæ erunt virginum, Martyrum & doctorum, censet Ribera, & alij.

VERS.27. VT MITTANTVR VECTES PER EOS] Verisimile est vectes hosce fuisse annulis insertos & protensos, non secundùm longitudinem, sed secundùm latitudinem mensæ, vt scilicet ferri posset mensa grauis à quatuor viris in humeris; nam alioqui si secundùm longitudinem mensæ protensi fuissent hi vectes, cùm mensa tantùm esset lata cubitum vnum, non potuisset commodè ea parte duorum baiulorum humeris inseri. secùs erat in arca; hæc enim lata erat cubitum & dimidium. ita Abulens.

VERS.29. PARABIS ET ACETABVLA, AC PHIALAS, THVRIBVLA ET CYATHOS, IN QVIBVS OFFERENDA SVNT LIBAMINA EX AVRO PVRISSIMO] *Acetabula quid?* *Acetabula*, hebr. scutellas; Septuag. τρυβλία, id est paropsides, patellas vel catinos; putà ad excipiendam & continendam similam, quando illa offerri debebat; item ad excipienda sacrificia sartaginis & clibani, de quibus Leuit. 2.

PHIALAS] Vasa sunt parua & concaua, in conuiuijs nobilioribus nota; hebr. vocantur כַּפּוֹת *capoth*, à curuitate volæ manus, quam imitantur. Septuag. vertunt θυΐσκας, id est mortaria; vnde & S. Hieron. sæpè eas vocat mortariola. Erant hæ phialæ paratæ ad vinum, aliaque libamina in sacrificijs fundenda; ad idem parati erant cyathi. Vasa hæc allegoricè mensuram prædicationis significant, vt scilicet singulis iuxta capacitatem indolis & ingenij illa attemperetur & conferatur. Rursum S. Gregorius homil.6. in Euang. per phialas, doctiores; per cyathos, minùs doctos & sapientes accipit. *In tabernaculo*, inquit, *non solùm phialæ, præcipiente Domino, sed & cyathi facti sunt. Per phialas quippe doctrina exuberans; per cyathos verò parua atque augusta designatur scientia. In Dei ergo tabernaculo, id est in Ecclesia, positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minimè potestis: inquantum pro diuina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date. Etiam vobiscum alios trahite, in via Domini socios habere desiderate: si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli perueniatis.* *Mysticè, phialæ sunt concionatores, cyathi catechistæ.* Nimirum, qui concionari nequit, catechizet, confessiones audiat: si nec hoc potest, proximum consoletur, moneat, hortetur ad confessionem, ad eleëmosynas, ad virtutem.

THVRIBVLA] scilicet ad asseruandum tum thymiama quod adolendum erat, tum thus quod panibus propositionis imponendum erat, vt dicitur Leuit. 24.7. Noster alibi, *crateras*; Septuaginta,

ginta, *libatoria* vertunt; quia, vt videtur, sua cauitate seruire poterant vtrique, scilicet tam thuri, quàm libamini suscipiendo.

Nota. Hæc vasa facta sunt, vt subseruirent partim altari holocaustorum (in quo non commodè, neque nitidè reponi potuissent hæc vasa. vnde reposita sunt in mensa hac) partim altari thymiamatis, videlicet vt pro eo ex thuribulis his thus acciperet sacerdos in thuribulũ aliud, quod plenum igne ex altari holocaustorum acceperat, vt in eo thymiama adoleret in altari thymiamatis.

Dices, Exodi 37. 16. dicuntur hæc vasa facta esse in vsus mensæ.

Respondeo, duplicem fuisse mensæ vsum; primum, vt contineret panes propositionis; secundum, vt esset quasi repositorium vasorum mundorum, & ita subseruiret altari vtrique, atque in hunc vsum mensæ dicuntur facta esse hæc vasa Exodi 37. non autem quasi ijs libaretur, aut thus adoleretur in mensa. ita Abulens. Hæc vasa in tabernaculo erant pauca, vnde omnia vna mensa capi poterant. Salomon verò eorum numerum auxit: solas enim phialas fecit centum, easque aureas; ideoque vti decem candelabra, ita & decem mensas fecit, quinque à dextris, quinque à sinistris. Ioseph l. 8. Antiq. 2. ait has mensas habuisse phialas & pateras aureas viginti millia, argenteas quadraginta millia.

Aliter Respondet Vilalpando li. 4. de Templo c. 57. hæc vasa soli mensæ seruiuisse. nam per acetabula intelligi crateres aureos, quibus singuli panes imponebantur; per thuribula eorum opercula, ne panes à pulueribus vel à muscis fœdarentur. ita & Vatablus per phialas accipit vasa, quibus imponebatur thus supra ipsos panes: per cyathos vasa, in quibus vinum pro panibus libabatur, de quo Leuit. 24 5. Itaque hæc vasa, & hæc panum libatio fuerunt typus calicis & libationis sanguinis Christi, cum eiusdem corpore, sub specie panis, in Eucharistia: de quo rursum paulò pòst dicam. Hæc responsio valdè probabilis est: tum quia magis satisfacit verbis S. Script. tum quia mensa erat parua & panes magni, Ita vt iis planè tecta fuisse videatur: tum quia alia vasa ad altare holocaustorum, & alibi reponi potuerunt.

Vers. 30. ET PONES SVPER MENSAM PANES PROPOSITIONIS IN CONSPECTV MEO SEMPER] Nota *panes propositionis*, qui scilicet proponantur, siue ponantur ante Dominum, vel coram arca & propitiatorio, in quo se præsentem exhibet Deus: hinc hebr. vocantur לחמי פנים *Lachme panim*, id est panes faciei. & græcè Septuag. eos vocant ἄρτους ἐνωπίους, id est panes faciales, qui scilicet positi essent ante faciem & conspectum Dei, siue, vt Septuag. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, id est coram Deo. Perperam ergo Iudæi putant hos panes facierum vocari, eò quòd duas haberent facies, id est superficies, similes, putà superiorem & inferiorem, vti fit in libis nostris & hostijs: aut quòd quatuor haberent angulos, quos ipsi vocant *facies*. De his panibus plura dicam Leuit. 24. v. 5.

Panes propositionis qui.

Nota. Sicut candelabro Mosaico in templis Christianorum respondent candelabra & lumina, ac præsertim lampas accensa ante Vener. Sacramentum (hoc est enim nostrum Sanctum sanctorum) & sicuti altari thymiamatis respondent nostra thuribula, & thurificatio in sacrificio Missæ: ita mensæ panum propositionis respondet mensa Spiritus sancti, quam vocant, quæ in templis diebus Dominicis, multis in locis proponitur plena panibus, vt ij in pauperes distribuantur. idque ex prisco Ecclesiæ ritu. Nam S. Paulus 1. Corinth. 16. v. 2. iubet in Ecclesia die Dominica collectam fieri eleemosynarum, quæ in pauperes erogentur.

Vers. 31. FACIES ET CANDELABRVM DVCTILE DE AVRO MVNDISSIMO] Nota Primò. Candelabrum hoc erat vnum ex tribus quæ erant in Sancto, eratque ad dextram altaris thymiamatis. Hoc candelabrum ductile erat, id est malleatione productum, & efformatum ex vno auri talento: erat enim concauum & paruum, vti & mensa & altare. Secundò, hastile medium candelabri vtrimque habebat tres calamos, siue ramos, id est vniuersim sex, qui omnes cum hastili æqualiter in altum assurgebant: hinc septifidum erat candelabrum; & in summitate tam hastilis quàm cuiusque calami habebat lucernam: habebat ergo septem lucernas. Hæc autem omnia non erant inserta vel affixa, sed ductilia, putà ex vna auri massa & talẽto malleatione producta. Tertiò, calami ornati erant triplici, hastile verò quadruplici ordine scyphorum, sphærularum siue globulorum, & liliorum vicissim sibi succedentium ter in calamis, quater verò in hastili. Hastile enim infra calamos vnum habebat ordinem scyphorum & sphærularum, vti dicam v. 35. Quartò, lucernæ hæ tabernaculũ siue Sanctum, altare thymiamatis & mensam panum propositionis illuminabant, sed noctu tantùm, vti pluribus dicam c. 27. v. 21. Quintò, candelabrũ habebat sua emunctoria, item thuribula siue vasa, in quibus ea quę emũcta erant extinguebantur. Sextò, candelabrum in Sancto positum erat obliquè, ita vt lucernæ ad Meridiem & Orientem respicerent. ita Iosephus. Septimò, in tabernaculo vnum tantùm erat candelabrum: in templo verò Salomonis fuerunt decem candelabra, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, vt patet 3. Reg. 7. 49. Vnde corrigendus est Iosephi codex l. 8. Antiq. 2. vbi ait in templo fuisse decem millia candelabrorum: corrigendum enim est, decem candelabra.

Descriptio candelabri. Primò, erat ductile ex talento auri. Secundò, erat septifidum. Tertiò, habebat tres ordines scyphorum, sphærularum & liliorum. Quartò, illuminabat Sanctum noctu. Quintò, habebat sua emunctoria. Sextò, positum erat obliquè. Septimò, vnum erat.

Symbolicè, candelabrum hoc imago erat cælestis sphæræ septilustris, siue septem planetarum. Tabernaculum enim typum gerebat mundi; Sanctum sanctorum verò cæli empyrei Beatorum. ita Philo & Iosephus.

Candelabrum septifidum typus erat septem planetarum.

Allegoricè, candelabrum est Christus, vel potiùs Ecclesia, Apocal. 1. vlt. quæ lux est doctrixque veritatis. Tertiò, & aptissimè, candelabrum est fides, & doctrina Ecclesiæ toti mundo prælucens, eumque illuminans. Secundò, septem eius lucernæ sunt omnes doctores, qui tota nocte præsentis sæculi lucent vita & doctrina. hæc omnia facta sunt ex talento auri, quod pondus plenum est & perfectum; quia eorum doctrina & vita perfecta est in sapientia & charitate. Tertiò, scyphi significant sitim ad Deum & res diuinas, sphærulæ contemptum terrenorum (sphæra enim siue globus terram tantùm tangit in puncto;) lilium pulchritudinem virtutum & odorem bonæ vitæ, quę tria doctores habere debent. Sic Virgilius dixit virum bonum esse instar sphæræ rotundum, ne in angulis sordes resideant, cùm de eo ait:

Alleg. candelabrum est Christus, Christi doctrina & doctoris. Primò. Secundò. Tertiò.

Hic mundi instar habens totus teres atque rotundus.
Externæ ne quid labis per leuia sidat.

Hæc omnia facta sunt ex auro, quia virtutes iam dictæ ex charitate manare debent. Rursum candelabrum ductile est, non fusile: quia doctores multis tentationibus & persecutionibus tundi & poliri debent, antequam ad culmen virtutis perueniant, vt cæteris præluceant. *Quartò.* Quartò, hoc candelabrum illuminabat mensam, altare, totumque Sanctum noctu, quia fides & doctrina Ecclesiæ debet illuminare & dirigere orationes, opera misericordiæ, omniaque sancta opera fidelium in hac vita. nam in cælo ea opus non erit: ibi enim omnes erunt docibiles Dei & theodidacti. *Quintò.* Quintò, emunctoria sunt disputationes & explicationes, quibus errores auferuntur, & sua veritati lux redditur. *Sextò.* Sextò, in tabernaculo erat vnum candelabrum, in templo decem; quia maior est lux doctrinæ, & cognitio mysteriorũ diuinorum in Ecclesia, quàm fuerit in Synagoga: in templo quinque candelabra erant ad dextram, & quinque ad sinistram; quia Ecclesia tam in prosperis quàm in aduersis semper est luce plena, nec successibus erigitur, nec persecutionibus deijcitur. ita ex S. Gregorio homil. 6. in Ezech. & Beda, Ribera de Templo li. 2. c. 13.

Moral. sex documenta & leges doctorũ. Moraliter ergo doctores & doctrina sunt lux & candelabra Ecclesiæ. Eorum hæc sit prima lex: *Doctor*, ait S. Bernardus, *sit concha, non canalis*, hoc est, priùs scientiam recipiat, eaque se impleat, vt plenus eam deinde in alios effundat, priùs se doceat quàm alios.

Secunda:

Quidquid præcipies, esto breuis; vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.

Tertia: non tantùm intellectum, sed & affectum imbuat. nam *doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit*, inquit S. Bernard.

Quarta: priùs doceat facto quàm verbo. Sic enim Iesus priùs cœpit facere, deinde docere. *Doctrina*, inquit S. Gregorius, *cum omni imperio docetur, quando priùs agitur quàm dicatur: nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam.* Et S. Chrysost. homil. 23. in Matth. *Si bene*, ait, *vixeris, & bene docueris, omnium index eris; si malè vixeris, & bene docueris, tui solius: nam bene docendo populum instruis, sed malè viuendo doces Deum, quomodo debeat te condemnare.* nam, vt idem ait serm. de compunctione: *Grandis est condemnatio componenti sermonem suum, vitam verò suam negligenti.*

Quinta: ita doceat vt delectet, itaque influat in animum audientis:

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Sexta: *quæ nosti, sine arrogantia postulanti impertias: quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postula impertiri*, ait Seneca 4. de Virtut.

Exempla. Vis exempla & dicta sapientum? Thales rogatus, *quis esset felix? Qui corpore*, inquit, *sanus est, animo verò eruditus*. ita Laërt. lib. 1.

Socrates rogatus, *quodnam esset pulcherrimum animal? Homo*, ait, *doctrina ornatus*. Demades aiebat doctos ab indoctis tantum differre, quantum dij ab hominibus. Socrates videns diuitem indoctum: *Ecce*, ait, *aureum mancipium*. Et videns alium similem: *Hic*, ait, *equus est argento ornatus*. Democritus dicebat, doctrinam auro pretiosiorem esse. Aristoteles rogatus, *qua re differrent docti ab indoctis? Qua viui*, ait, *à mortuis*. Idem: *Visus*, ait, *lumen accipit ab aëre; anima verò à disciplinis & doctoribus*. Glycon aiebat, *doctrinam esse sacrum asylum omnium hominum*. Cleanthes dicebat, *homines imperitos sola forma differre à bestiis*.

Theodosius Imperat. cùm Arsenio filios in disciplinam traderet, ait: *Si tales se præbeant, vt mores ad disciplinam legesq́; Dei componãt, imperium eis tradam: sin minùs, vtilius erit vt priuati vitam agant, quàm doctrina nulla cum periculo imperent.*

Carolus IV. in scholam Pragensem aliquando ingressus, cùm disputantes liberalium artium magistros per horas quatuor audiuisset, idque purpurati molestè ferrent, ac tempus cœnæ adesse dicerent: *Mihi*, inquit, *tempus est minimè. nam cœna mea hæc est.* testis est Æneas Syluius lib. 4. comment. de gest. Alfonsi.

Alfonsus rex Aragonum asserebat malle se perdere omnia, quàm studia & libros, seque ex libris arma & armorum ius didicisse. Idem diuitem indoctum vocabat *vellus aureum*.

Diogenes captus à latronibus, & rogatus quis esset, quid sciret? respondit: *Philosophus sum, & hominibus præesse scio.* Idem dicebat, eruditionem iuuenibus afferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum: propterea quòd ætatem suapte sponte lubricam coërceat ab intemperantia, senectutis incommoda honesto solatio mitiget, pauperibus sit pro viatico, diuitum fortunas ornet. testis est Laërt. lib 3. cap. 31.

Dionysius iunior pulsus regno, & rogatus, quid illi Plato & Philosophiæ studium profuisset? *Vt tantam*, inquit, *fortunæ mutationem æquo animo feram.* testis est Plutarch.

Illustris verò fuit S. Cyprianus, qui doctrinæ & prædicationi vsque ad mortem insistere immorique voluit, & vsque ad martyrium plebem suam docuit, & exhortatus est ad omnem virtutem. testis est Pontius in eius Vita.

Zeugmatius monachus, quamuis cæcus esset, sedulò tamen circuibat docens, corripiens & confirmans vnumquemque, ait Theodoret. lib. 4. cap. 28.

Similis ei in doctrinæ copia & facilitate fuit Asclepius Afer, Episcopus, sub annum Domini 440. sub Theodosio iuniore, teste Gennad. in Catal.

TRES SCYPHI QVASI IN NVCIS MODVM PER CALAMOS SINGVLOS] *Vers. 33.* *Scyphos* vocat partes candelabri prominentes instar nucum, vel, vt hebraicè est, amygdalorum (amygdalus enim est nucis species) quoad flexum laterum. Iosephus loco nucum & scyphorum habet mala punica: *Distinctum*, inquit, *erat globulis, liliis, & malis punicis.* Sed Vilalpando aliter hæc ex Græco Iosephi codice vertit sic, *erat distinctum globulis & cytinis*, id est, *floribus malorum punicorum quæ est species lilij*: hanc enim exprimunt erumpentes calyculi malorum punicorum. Alcazar tamen in Apocal. 1. v. 11. censet præter lilia, fuisse quoque cytinos in candelabro. Hi enim sunt præcipui flores, qui in Cantic. libro celebrantur, hique appositè figurant purpureos Martyres, qui mirè Ecclesiam decorarunt, eiusque fœcunditatis fuerunt indices & prænuntij. Candelabrum enim fuit instar arboris pretiosæ, & valdè frugiferæ, vti mox dicam.

SPHÆRVLAQVE SIMVL ET LILIVM] Pro *sphærula*, hebraicè est כַּפְתֹּרִים *caphtorim*, id est poma, globuli vel sphærulæ instar pomorum. Vnde videtur,

detur, quòd in hoc candelabro fuerit aliqua arboris similitudo, vtpote quod brachia & ramos vtrimq; expandebat, & floribus ac pomis erat onustum. Hinc Secundò, licet Vilalpando & alij passim, scyphos à sphærulis & liliis seiungant; probabile tamen valdè est quod docet Alcazar, hæc tria fuisse coniuncta, ita scilicet, vt scyphis siue calyculis inserta essent poma, cum lilijs & cytinis; sicut glandes suis calyculis insertæ sunt. Tales enim scyphi, pleni pomis ac lilijs, pulchriores erant in candelabro, quasi in arbore: & hoc significat vox *simul*, q. d. Singulæ sphærulæ ac lilia erunt cum singulis scyphis, quibus inserentur. Verùm, quia contraria sententia est communis, hinc secundùm eam sequentia explicabo.

A

Et lilium] Lilia hæc in summitate calamorum fuisse, liliísque hisce impositam fuisse lucernam tradit Philo libro, Quis rerum diuinarum heres. post medium. Vide horum speciem in idea & imagine candelabri affabrè expressam apud Vilalpando pag. 388. Denique vt dicitur v. 31. hæc omnia erant *ex ipso procedentia*, nam ex trunco seu hastili candelabri malleo cuncta ducebantur & fingebantur; nullæ verò partes aliunde factæ incrustabantur.

B

Ordo scyphorum, sphærularum & liliorum. Hoc erit opus sex calamorum] in singulis calamis primò erat scyphus amygdalatus, secundò sphærula siue globulus, vltimò lilium, post quod sequebatur pars calami continua: post hanc rursus scyphus, deinde sphærula, tertiò lilium, ac consequenter iterùm pars calami continua: post eam tertiò redibant scyphus, sphærula & lilium; ac denique in summitate erat lucerna, seu vas ad excipiendum oleum. vide Abulens. q. 29. Vilalpando verò li 4. de Templo c. 60. alium ordinem ponit: censet enim lilium fuisse interiectum vbique inter scyphum & sphærulam. Hoc foret concinnius & commodius pro dispositione scyphorum, liliorum & sphærularum in ipso hastili, vt illa esset vniformis & pariformis cum calamis; nisi hic ordo inuerteret ordinē quem ponit S. Script. hæc enim primò ponit scyphum, secundò sphærulam, tertiò lilium.

C

Vers. 34. In ipso autem candelabro] in ipso hastili siue trunco candelabri, vnde calami prodeunt, erunt quatuor ordines scyphorum, sphærularum & liliorum.

Vers. 35. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui (calami) simul sex fiunt, procedentes de hastili vno] q. d. In hastili erunt tria loca, ex quibus tres ordines duorum calamorum orientur, & sub quolibet loco & ordine duorum calamorum erit sphærula, ita vt post quamque sphærulam sequatur vnus ordo calamorum. *Ordo scyphorum, sphærularum, & liliorum in hastili.* Quod vt clarè cernas, ecce hic erat ordo quatuor scyphorum, sphærularum, & liliorum in ipso hastili: infernè in pede hastilis erat primus scyphus, & deinde prima sphærula, post hanc duo vtrimque ascendebant calami longissimi, vt possent cæteris, qui sursum, ideoque breuiores erant, æquari, idque vt æquum, id est æquale, esset opus, vt dicitur cap. 37. v. 19. Post primos hos duos calamos infimos, ascendendo in hastili, sequebatur primum lilium, post hoc secundus scyphus, & secunda sphærula: post hanc sphærulam sequebantur duo calami medij. vnus ab vno, alius ab alio latere. Post hos erat secundum lilium; post hoc tertius scyphus cum tertia sphærula;

D

post quæ duo vltimi calami breuissimi. Post hos tertium lilium, ac denique quartus scyphus, quarta sphærula, & quartum lilium, cum lucerna in summitate.

Tropolog. post sphærulas sequitur calamus: *Tropologia.* quia sanctus doctor est sphærula, id est rotundo & æquali semper statu & vultu in lætis & tristibus; vnde quasi calamus in altum erigitur, vt alijs præluceat.

Vt luceant ex adverso] versus mensam *Vers. 37.* panum propositionis, quæ in aduersa, putà in Aquilonari, erat parte tabernaculi; hæc enim mensa erat mensa Dei, in qua Deus quasi cœnabat. in cœna autem nocturna ponitur candela, vel lucerna illuminans mensam, vt comedentes videant quid comedant.

Vbi quæ emuncta sunt extinguantur] *Vers. 38.* Putà, vasa quæ fauillas elychniorum emunctas recipiant, vt ibi extinguantur, ne sparsæ per tabernaculum illud fœdent, & prauo odore inficiant. Chald. vasa hæc vocat thuribula.

Omne pondus candelabri, &c. habebit *Vers. 39.* talentum auri] Talentum, inquit Iosephus li. 3. c. 7. erat pondo minarum 100. quod Ribera intelligit de mina Hebræa, quæ sexaginta continebat siclos, Ezech. 45. v. 12. hoc est drachmas 240. cùm Atticum talentum 60. minas, centum tantùm drachmarum, contineret. Talentum ergo Hebræum hac ratione continuisset sex millia siclorum, id est, viginti quatuor millia aureorum. Verùm c. 38. v. 25. demonstrabo, Hebræum talentum tantùm cōtinuisse tria millia siclorum, cumque siclus, vt dicam cap. 30. v. 13. contineret 4. drachmas Atticas, id est 4 aureos, sequitur talentem Hebræum continens tria millia siclorum, appendisse & valuisse duodecim millia aureorum. loquor de talento auri, nam talentum argenti paris erat ponderis, sed imparis pretij, vt patet. Ex talento fieri poterat candelabrum, quia ipsum paruum erat & cauum; vt significaret internum Dei Spiritum, qui se Ecclesiæ eiusque Doctoribus intimè insinuat.

Inspice, et fac secundum exemplar *Vers. 40.* quod tibi in monte monstratum est] *Fac secundùm exemplar*, hebraicè additur *eorum*, scilicet candelabri & tabernaculi cum suis vasis, quod tibi hisce 40. diebus in monte Sina viua voce à Deo describitur, & simul idea aliqua sensibili intuendum proponitur. De illo enim tabernaculi veteris typo, hæc verba ad literam esse accipienda, docet S. Stephanus Actor. 7. v. 44. & patet ex promissione quam fecit hîc Deus Mosi v. 9. Secundò, ex Apostolo Hebr. 8. v. 5. liquere videtur, *Vidit Moses caleste tabernaculum.* hîc etiam à Deo ostensum fuisse exemplar anagogicum, res videlicet cælestes & tabernaculum spirituale, quod hoc materiali significabatur; quasi secundùm hoc iubeatur hîc Moses fabricare suum materiale tabernaculum, videlicet vt illi spirituali quasi suo antitypo respondeat, illudque aptè significet & repræsentet; quamuis Script. res illas cælestes & spirituales hîc non explicet. ita sentit Beda hîc. Hinc S. Iustinus orat. parænet. ad *Ideas accepit Plato à Mose.* Gentes ante finem, censet Platonem ex hoc loco Mosis accepisse suam opinionem de ideis.

Tropolog S. Gregorius in lib. 1. Reg. c. 10. Hæc *Tropolog.* est, inquit, forma electæ obedientiæ, vt in omni quod foris agimus, ad potentiam creatoris, eiusque sapientiam, quasi ideam vbique præsentem,

tem, aspiciamus. Rursum, inspice exemplar obedientiæ, patientiæ, fortitudinis, charitatis, humilitatis, contemptus mundi, omniumq; virtutum, quod tibi in monte Caluariæ à Christo ostensum est, quodque Moses per suum altare holocaustorum & thymiamatis, perque tabernaculum, sacras vestes & victimas adumbrauit, illudque exprime & imitare: ita tabernaculum virtutibus omnibus adornatum & perfectum Deo in anima tua construes. Nam, vt ait S. August. lib. de Vera religione c. 16. *Tota vita Christi morum disciplina fuit. Satellites voluptatum diuitias perniciosè appetebant: pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant: rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant: tale coniugium prolemq; contempsit. Contumelias superbissimè horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Iniurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ maior iniuria quàm iustum innocentemq; damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit; omnia quæ vitare cupientes à studio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit.*

Hoc Christi crucifixi exemplar assiduè inspexit S. Franciscus, vt illud in se exprimeret, ideoque non tantùm in mente, sed & in corpore sacra eius stigmata diuinitus impressa accepit. Audi S. Bonauenturam in eius Vita l. 1. c. 13. *Excreuerat*, inquit, *in eo insuperabile amoris incendium boni Iesu in lampades ignis atque flammarum. Cùm igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in*

A *Deum, & compassiua dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi; quodam manè circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph vnum sex alas habentem tam ignitas quàm splendidas de cælis descendere. Cumq; volatu celerrimo peruenisset in aëris locum viro Dei propinquum; apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus & pedes extensos habentis, & cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius eleuabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ verò totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumq; mœrore gaudium cor eius incurrit.* Et paucis interpositis: *Intellexit tandem ex hoc, Domino reuelante, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde eius reliquit ardorem: sed & in carne non* B *minùs mirabilem expressit signorum effigiem. Statim namque in manibus eius & pedibus apparere cœperunt signa clauorum, sicut paulò antè in effigie illa viri crucifixi conspexerat: manus enim & pedes in medio clauis confixa videbantur. dextrum quoque latus quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductũ erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam & femoralia respergebat.*

Denique S. Bernardus tractatu de Vita solitaria: Domus, inquit, decoris Dei cuilibet ædificanda est, quæ ei in altitudine mentis & pia meditatione, quasi in idea, ostenditur, vt ædificet secundùm formam paupertatis, non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, vt sic in se excitet contemptum omnium exteriorum, & amorem interiorum atque cælestium.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribitur fabrica tabernaculi; nimirum Primò, quatuor eius tegumenta, scilicet primum decem cortinarum polymitarum: secundum v. 7. vndecim sagorum cilicinorum: tertium ex pellibus arietum rubricatis: quartum ex pellibus ianthinis. Secundò, v. 15. describuntur tabernaculi tabulæ cum suis basibus; & v. 26. vectes stringentes hasce tabulas. Denique v. 31. describitur velum oppansum Sancto sanctorum, & v. 36. velum oppansum sancto.

1. TAbernaculum verò ita facies: Decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies. 2. Longitudo cortinæ vnius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Vnius mensuræ fient vniuersa tentoria. 3. Quinque cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt. 4. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, vt possint inuicem copulari. 5. Quinquagenas ansulas cortina habebit in vtraque parte, ita insertas, vt ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari. 6. Facies & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum tabernaculum fiat. 7. Facies & saga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi. 8. Longitudo sagi vnius habebit triginta cubitos: & latitudo, quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium. 9. E quibus quinque iunges seorsum, & sex sibi mutuò copulabis, ita vt sextum sagum in fronte tecti duplices. 10. Facies & quinquaginta ansas in ora sagi vnius, vt coniungi cum altero queat: & quinquaginta ansas in ora alterius, vt cum altero copuletur. 11. Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus iungantur ansæ, vt vnum ex omnibus operimentum fiat. 12. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, vnum sagum quod amplius est, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi. 13. Et cubitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, vtrumque latus tabernaculi protegens. 14. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus. 15. Facies & tabulas

bulas stantes tabernaculi de lignis setim, 16. quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem. 17. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. 18. Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad Austrum. 19. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, vt binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur. 20. In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, 21. quadraginta habentes bases argenteas. binæ bases singulis tabulis supponentur. 22. Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas, 23. & rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. 24. Eruntque coniunctæ à deorsum vsque sursum, & vnà omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur. 25. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per vnam tabulam supputatis. 26. Facies & vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, 27. & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam: 28. qui mittentur per medias tabulas à summo vsque ad summum. 29. Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis. 30. Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. 31. Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum: 32. quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas. 33. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonij, quo & Sanctuarium, & Sanctuarij sanctuaria diuidentur. 34. Pones & propitiatorium super arcam testimonij in Sancto sanctorum: 35. mensamque extra velum: & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis. 36. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarij. 37. Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

Tabernaculi descriptio. Primò diuidebatur in Sanctum & Sanctum sanctorum.

ACCIPE hîc breuem synopsin totius tabernaculi, & atrij, & vasorum vtriusque. Tabernaculum longum erat 30. cubitos, latum 10. altum 10. diuisum erat in duas partes, scilicet in Sanctum, quod 20. cubitos in longitudine habebat, & Sanctum sanctorum, quod reliquos decem cubitos longitudinis tabernaculi continebat. erat ergo Sanctum quadragulum; quia erat longum 20. latum 10. cubitos: Sanctum sanctorum verò erat quadratum, quia latum erat 10. cubitos, & longum erat totidem. Sanctum diuidebatur per velum à Sancto sanctorum, de quo versu 31.

Secundò, factum erat vtrimque ex viginti tabulis setim inauratis.

Secundò, hoc tabernaculum factum erat ex 20. tabulis lignorum setim inauratis, in longum porrectis ad Meridiem, & totidem ad Septemtrionem; ad Occidentem verò quæ erat pars latitudinis tabernaculi, connectens vtramque partem longitudinis, scilicet meridionalem & septemtrionalem, 8. habebat tabulas; ad Orientem verò patebat, tantumque habebat 5. columnas ex lignis setim inauratis, quæ velo tegebantur v. 37. hac enim parte erat ingressus in tabernaculum eleuato velo. Singulæ verò tabulæ habebant duas bases argenteas: porrò per tabulas hasce à quolibet eius trium laterum, 5. immittebantur vectes, qui tabulas continerent.

Tertiò, tegebatur vndique quatuor veliś, vnde non habebat fenestram.

Tertiò, tabernaculum hoc tam supernè quàm ad latera tegebatur, Primò, decem cortinis factis ex cocco, purpura, hyacintho ac bysso, quarum quæque habebat 28. cubitos longitudinis, & 4. latitudinis. Vnde hæ cortinæ vocantur hîc tentoria, quia erant in modum tentorij tensæ & expansæ. Secundò, tegebatur 11. sagis, siue stragulis ciA licinis, quorum quodque longum erat 30. cubitis, latum 4. cubitis. Tertiò, tegebatur pellibus arietum rubricatis. Quartò, pellibus ianthinis contra pluuias & procellas. Vnde hæ pelles vocantur hîc *tectum*, id est operculum tegens tabernaculum, de quibus v. 14. Hinc sequitur, tabernaculum vndequaque tectum & velatum fuisse, nec habuisse fenestram, sed lumē anteriùs per ostium admisisse, vti dicam in fine capitis.

Quartò, ante se habebat atrium.

Quartò, ante tabernaculum erat atrium longum centū cubitis, & latum quinquaginta, quod pariter suis tabulis & cortinis cingebatur ad latera, supernè verò patebat, eratque sub dio.

Quintò, atrium erat duplex: Primum laicorum, Secundum sacerdotū.

Quintò, atrium hoc erat quasi templum laicorum; laici enim numquam ad tabernaculum accedere, nec illud ingredi poterant. Rursum, atriū B hoc erat diuisum in exterius laicorum, de quo iam dixi, & interius sacerdotum, in quo erat tum labrum æneum, tum altare holocaustorum: illud enim debebat esse in atrio sub dio propter ignem, fumum & euaporationem, ac nidorem victimarum, quæ in hoc altari cremabātur. Porrò atrium hoc sacerdotum exiguo septo, vel muro trium cubitorum altitudinis, distinguebatur ab atrio laicorum, ita vt laici ex suo atrio prospicere possent vltra murum in atrium sacerdotum, ibique videre holocausta & victimas, quæ offerebantur in altari holocaustorum.

Sextò, in Sancto erat altare thymiamatis, mensa & candelabrum: in

Sextò, in parte priore tabernaculi, putà in Sancto, erat altare thymiamatis obuersum Sancto sanctorum & propitiatorio, ita vt eò, per hiatum in pariete, siue in velo diuidente relictum, ascenderet fumus thymiamatis, quod Deo adolebatur in hoc altari: ad latus dextrum huius altaris erat can-

Sancto sanctorum area, vrna cum manna & virga Aaron: in atrio altare holocaust. & labrum.

candelabrum, ad sinistrum mensa panum propositionis. In Sancto sanctorum verò erat arca, habens intra se tabulas legis, supra se propitiatoriũ, quod velabant duo Cherubini. Rursum, in Sancto sanctorum erat vrna cum manna, & virga Aaron quæ fronduerat. In atrio autem, vt dixi, erat altare holocaustorum, & labrum æneum, vt ex eo lauarentur tum sacerdotes, tum victimæ.

Septimò, in Sanctum quotidie intrabant sacerdotes, in Sanctum sanctorum solus pontifex semel in anno. Tres partes templi Salomonis.

Septimò, Sanctum sanctorum, id est sanctissima pars tabernaculi, erat quasi chorus, in quem solus pontifex ingredi poterat, idque semel in anno tantùm, putà in festo expiationis, Leuit. 16. In Sanctum verò quotidie ingrediebantur sacerdotes manè & vespere, vt adolerent thymiama, & vt vespere accenderent lucernas, manè easdem extinguerent. Atrium verò erat locus populi. Simili ratione in tres partes distribuit postea templum suum Salomon: nam prima pars respondens huic atrio erat sub dio, dicebaturque *vlam*, id est porticus Salomonis, eratque locus & templum plebis: secunda pars propriè dicebatur templum, hebraicè היכל *hechal*, respondens Sancto; in quo erat altare thymiàmatis, cum mensa & candelabro: tertia pars omnium intima erat דביר *debir*, id est oraculum, seu sanctum sanctorum. Totius tabernaculi descriptionem vide apud Ioseph. lib. 3. c. 5. & Abulensẽ hic in c. 27. & Riberam li. 1. de Templo cap. vlt.

Tropol. tabernaculũ est Ecclesia, atrium sunt incipientes, labrum est pœnitẽtia, altare holoc. est mortificatio.

Accipe nunc totius tabernaculi & singularum eius partium ac vasorum appositam & connexam tropologiam. Tabernaculum hoc cum suo atrio significabat Ecclesiam & fideles Christi. 1. Timoth. 3. 15. qui per velum fidei Deum in terris contemplantur: in hoc Aaron, id est Christus Dominus, est summus Pontifex; itaque Primò, atriũ significabat incipientium rudimenta, & communem Christianorum vitam: vnde in eo erat altare holocaustorum, quod vitiorum enecationem & mortificationem in Dei obsequium significabat; item labrum siue lauacrum æneum, id est pœnitentiæ Sacramentum, quo communes Christiani maximè indigent. Secundò, Sanctum significabat Christianos perfectiores; vnde in eo erat altare thymiamatis significans iugem orationem, laudem & contemplationem Dei; & candelabrũ significans doctores, qui sua sancta vita & doctrina Ecclesiæ præfulgent; & mensa panum propositionis significans eos, qui dediti sunt operibus misericordiæ. Atque hac de causa candelabrum erat ad dextram, mensa ad sinistram; quia doctrina præstat eleẽmosynæ, & doctores eleẽmosynarijs. Sapientia ergo vtpote specialis, pertinet ad dextram, temporale autem nutrimentum mensæ, ad sinistram, iuxta illud Prouer. 3. *In sinistra illius diuitiæ & gloria.* Altare verò erat in medio, tum quia contemplatio dirigit doctrinam & eleẽmosynam; tum quia sacerdos, cuius est altare, mediator est inter Deum & populum; tum quia potestas sacerdotalis, media est inter temporalem & spiritalem sapientiam: quia per eam & spiritalis sapientia, & temporalia dispensantur, inquit D. Thom. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. Vbi & physicam, vel potiùs mathematicam causam addit, quòd scilicet candelabrum septem habens calamos, repræsentabat septem planetas, quibus totus mundus illuminatur, & ideo ponebatur ex parte Australi; quia ex illa parte est nobis planetarum cursus; Australis enim pars est dextera pars mundi; Aquilonaris sinistra, vt dicitur lib. 2. de Cælo textu 15.

Secundò, Sanctum sunt perfectiores: hi habent altare thymiamatis; id est, donũ orationis; Secundò, candelabrum, id est sapientiã; Tertiò, mẽsam, id est eleẽmosynam.

A Rursum, alij per Sanctum intelligunt statum perfectionis & vitam Religiosam, triaque Religionis vota, scilicet per altare obedientiam, per mensam paupertatem, per candelabrum castitatem. Tertiò, Sanctum sanctorum significat cælum, siue Ecclesiam triumphantem: vnde in eo erat arca testamenti, id est cœtus Beatorum; & propitiatorium aureum, id est humanitas Christi gloriosa; denique Cherubini, id est angeli sancti, quibus Deus gloriosus eminet, insidet & præsidet, atque Beatis omnibus, tam angelis, quàm hominibus in cælo clarè videndum se exhibet, itaque eos beat. Rursum, in Sancto sanctorum est vrna cum manna; quia in cælo est abundantia diuinæ suauitatis, satietatis & consolationis. Denique ibi est virga Aaron, quæ sicca reuixit, & protulit frondes,

Tertiò, Sãctum sanctorum est cælum: hic est arca, id est cœtus Beatorum; & propitiatorium, id est Christus, & Cherubim, id est angeli.

B flores & fructus; quia in resurrectione & gloria cælesti corpus resurget, gloriaque cum anima donabitur, atque proferet quatuor dotes, scilicet agilitatem, subtilitatem, claritatem, impassibilitatem. ita Beda hic in c. 25. & alij.

Tabernaculum Dei est anima sancta.

Hæc omnia proportionaliter accommodari possunt cuilibet animæ Christianæ & sanctæ, quæ per pœnitentiam, charitatem, aliasque virtutes fit & est tabernaculum & templum Dei. 1. Cor. 3. v 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Simile est Ephes. 3. v. 17. Rom. 8. v. 9. de quo vide Origenem hom. 9.

Huc spectat illud Philonis lib. de Cherubim: *Etiamsi*, inquit, *tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, repentè fieret, moxq́ue per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, adesq́ue sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei posset fieri: di-*

C *gnum tamen eo domicilium anima est, modò sit idonea.*

Quapropter S. Bernardus laudat Theobaldum Comitem, quòd suis Religiosis monasteria & templa ædificaret, in quibus viua & immortalia Dei templa, putà viri religiosi, habitarent, Deoque seruirent. testis est auctor Vitæ eius l. 2. c. 8.

Isidorus verò monachus: *Præstabilius est*, inquit, *ægrotorum fidelium corpora, quæ veriùs templa Dei cogitare possumus, & ob quæ pecuniæ quæruntur, conuenienti cura restaurare, quàm templa lapidea ædificare.* ita Sozom. lib. 8. c. 12.

Vasa templi in egentes erogarunt Sancti.

Simili ratione motus Acacius Amidæ Episcopus, vasa aurea & argentea Ecclesiæ vendidit, vt pauperes captiuos redimeret & aleret. ita Socrat. li. 7. cap. 21.

Sic & S. August. secutus S. Ambrosium *de vasis Dominicis propter captiuos, & quamplurimos indigen-*

D *tes frangi & conflari iussit, atque indigentibus dispensari*, inquit Possidon. in Vita S. August. c. 24.

Hoc ergo animæ tabernaculum in introitu habet lauacrum pœnitentiæ, & altare mortificationis. In Sancto tria habet vasa pretiosa, candelabrum, mensam, altare thymiamatis. Tria enim sunt in appetitu nostro, quæ ijs indigent vasis mala: tenebræ ignorantiæ, esuries & inopia cibi salutaris, pestiferi halitus sordidæ cogitationis & cupiditatis. Candelabrum, id est sapientia, hasce tenebras dispellit: mensa panum, putà mensa Eucharistiæ, gratiæ & influxus Dei, hanc esuriem satiat: altare thymiamatis, putà pia cogitatio & oratio, hos pestiferos halitus absumit: itaque ex Sancto, id est ex Ecclesia, imus in Sanctum sanctorum, id est in cælum.

Atque hac de causa, scilicet ob tropologiam paulò

Templa Christianorum similia erāt tabernaculo Mosis. paulò antè datam, ecclesiæ Christianorum ita olim ædificabantur, vt maximam haberent similitudinem cum tabernaculo Mosis & templo Salomonis. continebant enim porticum, atrium, Sancta, ac demum Sancta sanctorum. in porticu erant eiecti ex Ecclesia & infideles; in atrio erant pœnitentes; in Sancto populus; in Sancto sanctorum sacerdotes, ibique offerebant Deo sacrificia. Rursum, vti in templo Salomonis, ita & in ecclesijs olim erat separatus locus mulierum à loco virorum, illique præerat diaconissa. Denique, sicut labrum erat in tabernaculo & templo; ita & in ecclesiis pro foribus erat lauacrum, quo omnis populus ingressurus templum manus ablueret. ita Baronius tomo 1. anno Christi 57. pag. 533. & 546.

Secundò, tabernaculum alleg. est corpus Christi. Potest Secundò, tabernaculum hoc allegoricè significare corpus Christi. Christus enim & Ecclesia quasi vnum sunt; quia Christus est quasi caput & anima Ecclesiæ. ita Nyssenus & Hugo, & colligitur Ioan. 2. 19. & 21. quod pulchrè prosequitur Cyrillus l. 4. in Ioannem c. 28. vbi tum tabernaculum, tum omnia quæ erant in tabernaculo, Christo adaptat. Licet enim vnus sit Christus, multifariam tamen operatur & concipitur. Christus, inquit Cyrillus, est tabernaculum propter carnis tegumentum: Christus est arca habens legem Dei reconditam, prout est Verbum Patris: Christus est mensa, quia nobis est cibus & vita in Eucharistia: Christus est candelabrum, quia est lux spiritualis animæ: Christus est altare incensi, quia est odor suauitatis in sanctificatione: Christus est altare holocausti, quia est hostia pro totius mundi vita in cruce immolata: rursum est altare, quia super Christum & Christi merita offerimus Deo preces, vota & victimas nostras. Tabernaculum ergo repræsentabat corpus Christi, tum naturale, putà humanitatem Christi; tum mysticum, quod est Ecclesia. Iam textum percurramus & explicemus.

VERS. 1. *Tabernaculum erat templum mobile.* TABERNACVLVM VERO ITA FACIES] Tabernaculum ad hoc factum est, ait Iosephus, vt esset quasi templum mobile & portatile, ambulans cum Hebræis per desertum, eratque quasi tentorium castrense, quod per partes solui poterat & conuasari, cùm mouenda essent castra. Tabernaculum ergo erat quasi domus Dei, in quo Deum colebant Hebræi, eoque Deus vicissim significabat, se eis esse vmbraculum & protectorem, psalm. 26. 5.

DECEM CORTINAS DE BYSSO RETORTA] *Retorta*, id est torquendo duplicata, cuius videlicet fila bina torquentur, itaque duplicantur; idque ad hoc vt fortior sit: erat enim hæc byssus stamē totius texturę, cui coccus, purpura & hyacinthus, tamquam subtegmen intexi debebant.

VARIATAS OPERE PLVMARIO FACIES] Hebraicè. *cherubim opere cogitantis facies eas; cherubim*, id est figuratas, & multiplici filo & imagine variatas.

Hinc putant Rabbini, & ex ijs Pagninus, Ribera & alij, *cherubim* hebraicè idem esse quod pictum, figuratum, sicut picti & effigiati erant Cherubini supra arcam. vnde S. Hieron. vel quisquis est auctor, libr. de Nomin. Hebr. ait *cherubim* aliquando non significare aliud quàm vermiculatam picturam. Verùm cap. præcedenti v. 18. qu. 5. docui ex communi Doctorum consensu, *cherubim* significare multitudinem scientiæ, artis & industriæ. *opus* ergo *cherubim* est opus magnæ artis, ingenij & industriæ, qualia sunt opera phrygionū, pictorum, sculptorum, &c.

Nota. *Opus cogitantis* hebraicè est id quod græcè πολύμητον, id est ingeniosum, multæ cogitationis, industriæ & curæ dicitur: quale est quod Hebræi *opus cherubim*, Græci πολύμιτον, id est multilix, à multis & variis liciis & coloribus vocant, quod & ab inuentoribus Phrygium nuncupatur, taleque est siue acu pingatur, siue varia insertione pertexatur, vti in nostris tapetibus fit: Phryges enim apud Gentiles hunc texturæ modum & variegationem inuenerunt, primique cœperunt acu pingere, & vestes auro intexere. Sic enim in cortinis hisce tabernaculi, bysso quasi stamini supertexebant fila varia, putà hyacinthina, purpurea & coccea. Idem opus dicitur plumarium, quasi pluma pictum, vel quòd esset varium & diuersicolor, vti sunt plumæ auium: licet S. August. plumarium putet dici à pluma, id est acu, inquit, qua fila aurea inseruntur panno. Hæc ergo sex sunt idem, scilicet opus חשב *choseb*, id est cogitantis, πολύμητον, cherubim, πολύμιτον, phrygium vel phrygionicum, plumarium, quod hebraicè vocatur רקם *rekem*, vnde & Itali illud *recamato* vocant. Itaque opus plumarium non est topiarium, vt aliqui putarunt, sed est opus variè acupictum vel intextū, quod scilicet æmulatur picturas ex plumis diuersicoloribus auium factas. Sic enim Mexicani vestes, pileos, scuta, imagines, &c. è plumulis psittacorum, & phœnicopterorum, & aliarum diuersicolorum auium elegantissimè intexunt. *Opus plumarium quod.*

Subinde tamen noster Interpres polymitariū à plumario siue phrygione distinguit, & polymitarium vocat eum, qui textura; plumarium vel phrygionem eum, qui acu varia pingit & effigiat, vt patet c. 38. v. 23. & c. 35. v. 35.

Addit Prado & Alcazar Apocal. 4. pag. 381. initio (vbi nullam aliam vocis *cherubim* significationem admittit) hoc opus vocari *cherubim*, quia verè imagines Cherubim vario colore expictæ & intextæ erant hisce cortinis, vti easdem expictas fuisse in velo & parietibus templi, patet 2. Paral. 3. v. 7. & 14. idque ad hoc, vt significarent trophæa victoriæ, quæ è bello Ægyptiaco merso Pharaone, sponsæ suæ, putà Synagogæ, liberandæ gratia, Deus sponsus reportauerat; vt scilicet ea gestaret sponsa tam in cyclade sacerdotum variè picta, quàm in tabernaculo, tamquam insignia sui regni & sacerdotij, vt ijs in admirationem & amorem tam strenui ducis & tam amantis coniugis, putà Dei optimi maximi, suam vestem suumque tabernaculum intuens, accenderetur. Iosephus tamen in hisce cortinis, non hominum aut animalium, sed herbarum, arborum, & aliarū rerum effigies pertextas fuisse dicit. *Cherubim cortinis intexti.*

TENTORIA] id est, cortinæ ad modum tentorij tensæ. VERS. 2.

QVINQVE CORTINAE SIBI IVNGENTVR MVTVO] q.d. Ex decem cortinis quinas & quinas vel assutura, vel alio modo coniunges, vt sint instar duarum magnarum cortinarum, quæ rursum in vnam maximam cortinam 50. ansulis copulabuntur; quo fiet vt longitudine omnium cortinarum manente eadem, videlicet 28. cubitorum, latitudo secundùm quam nectuntur, fit 40. cubitorum. quater enim decem faciunt 40. quælibet enim cortina ex decem, lata erat cubitos 4. longa 28. VERS. 3.

Hinc

Hinc facile est videre, quomodo hæ 10. cortinæ commensæ fuerint tabernaculo, illudque totum, excepta parte Orientali qua patebat ingressus, operuerint tam supernè, quàm quoad tria reliqua latera. Quod vt clarè videas, Nota Primò, tabernaculum (putà tabulas tabernaculi) ab Oriente vsque ad Occidentem longum fuisse 30. cubitis; à Meridie verò ad Septemtrionẽ latum fuisse decem cubitis. Secundò, tabulas tabernaculi altas fuisse decem cubitis ex omni latere. Tertiò, cortinas hasce connexas habuisse 28. cubitos longitudinis, & 40. latitudinis, vti dixi; nunc

Expansio decem cortinarum circa tabulas tabernaculi secundum longitudinem.

Dico Primò, Velum hoc 10. cortinarum secundùm longitudinem transuersim fuit dispositum, hoc est extensum fuit à latere Aquilonari ad latus Meridianum; ita vt vtrumque hoc latus, & simul superiorem partem, siue aperturam, qua hæ tabulæ superiùs ab inuicem in latitudine distabant, instar tecti tegeret & operiret. Id ita fuisse patet; nam duo hæc latera, putà Aquilonare, & Meridianum, habebant singula decem cubitos altitudinis, quæ simul iuncta faciebant 20. cubitos: latitudo verò superna, vti & inferna, erat 10. cubitorum. Ergo totum hoc spatium trium horum laterum, putà altitudinis tabularum vtrimque, & latitudinis supernæ, erat 30. cubitorum, quod cortinæ longæ 28. cubitos ita cooperiebant, vt vtrimque, siue hinc & hinc, cubito abessent à terra, quem explessent vsque ad terram, si non 28. sed 30. cubitorum fuissent, vti erat ipsum spatium tabernaculi.

Expansio earundem secundùm latitudinẽ.

Dico Secundò, Velum hoc decem cortinarum secundùm latitudinem expansum fuit ab Oriente in Occidentem. Id patet: nam longitudo tabernaculi, quæ accipiebatur ab Oriente in Occidentem, erat triginta cubitorum; altitudo verò lateris Occidentalis, vti & cæterorum, erat 10. cubitorum, qui iuncti cum 30. cubitis longitudinis iam dictæ faciunt, cubitos 40. qui numerus est latitudinis huiusce veli: velum enim hoc 10. cortinarum iunctarum latum erat 40. cubitos, vti dixi. Sic ergo omnia latera tabernaculi hoc velo tegebantur, excepto latere Orientali, quo patebat ingressus. ita Abulensis quæst. 4.

Simili modo dispositum fuit sagum cilicinum, de quo v. 7. sed quia illud constabat non decem sed 11. cortinis, quarum quæque, non 28. vt priores, sed 30. habebat cubitos longitudinis; hinc fiebat vt hoc sagum, propter 30. hosce cubitos, vtrimque ad terram pertingeret; & propter vndecimam cortinam, latitudo vnius cortinæ ante, & latitudo alterius cortinæ retro, media sui parte reflectenda esset.

Tropol. cortinarum siue velorum tabernaculi.

Tropol. in tabernaculo, id est Ecclesia, decem cortinæ sunt 10. præcepta charitatis, siue decalogi; sunt quinæ, & quinæ, quia tam nouo quàm veteri testamento congruunt singulæ: latæ sunt 4. cubitos, charitas enim ad 4. cardinales virtutes se distendit: longæ sunt cubitos 28. qui numerus ex quatuor in septem (qui sabbati est numerus) ductus consurgit, estque numerus compositus plenus: solus enim primis suis omnibus numeris, quasi partibus conflatur & integratur. nam si iungas 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. efficies 28 quia charitas legis diuinæ longissimam & perfectam nobis parit æternitatem; vnde & ansulæ 50. extantes hyacinthinæ, id est cælestis coloris, significant spem cælestium cælestisque iubilei, in quo plenissimam ha-

A bebimus libertatem & lætitiam: circuli aurei perpetuam claritatem, & claram Sanctorum charitatem, siue amorem mutuum significant. Vide Bedam li. 2. de Tabern. c. 2.

Aliter S. Greg. hom. 19. in Ezech. *Cortina*, ait, *tabernaculi, Sancti omnes sunt, qui ex diuersis virtutum coloribus in sancta Ecclesia ornamento proficiunt. Qui & interiora velant, & exteriora omnimodo exornant: quia eorum vita in quantum videtur, ornamentum est, & eorum intellectus intus absconditus, dum cælestia quæ in mente seruant, edicere non possunt, in eis aliquo modo velatur. Rectè autem decem cortinæ sunt: quia per decalogi studium, ipsa sanctorum corda profecerunt. Hyacinthinæ verò ansulæ cortinarum fieri quinquaginta præcepta sunt. Hyacinthus cæli speciem habet. Ansulæ ergo cortinarum sunt præcepta cælestia, in quibus ligantur animæ, vt ab inferioribus subleuatæ*
B *superiùs pendeant. Quæ videlicet ansulæ habent & circulos aureos, intellectum scilicet veræ sapientiæ fulgentem. Qui intellectus quia esse debet per omnia circumspectus, & tanta solicitudinis vigilantia munitus, rectè per circulos designatur. Et notandum quòd à latere & summitate iubentur ansulæ, vel circuli in cortinis fieri: quia præcepta cælestia, & intellectus spiritalis, non solùm debet nos sursum in Dei amorem suspendere, sed etiam proximo in charitate sociare. In eo enim quòd conditorem nostrum diligimus, quasi per superiores ansulas in aëre pendemus: in eo verò quòd sicut nosmetipsos proximos amamus, ansulas & circulos à latere habemus, vt cortinæ tabernaculi, id est fidelium animæ per charitatẽ coniunctæ sint, & non per discordiam diuisæ.*

Facies et qvinqvaginta circvlos] putà circulares fibulas, vt hæc duo cortinarum quinarum vela per eos coniungi, & rursum solui & Vers. 6.
C disiungi possint, quando proficiscendũ est; vnde Noster interpres hos circulos v. 11. vocat *fibulas*, & Hebræum קַרְסֵי *karse* significat circulum & fibulam circularem, à curuitate.

Facies et saga cilicina vndecim] Hebraicè, *facies & cortinas è pilis caprarum vndecim*: nam è pilis caprarum vestes contextæ cilicinæ dicebantur, de quibus c. 25. v. 4. Hæc saga siue vela eodem modo iungebantur, & spargebantur per tabernaculum, quo 10. cortinæ, vti dixi v. 3. Vers. 7.

Tropol. sagum cilicinum est pœnitentia.

Tropolog. S. August. serm. 15. in Matth. Vndecim, inquit, est symbolum peccati, quia transgreditur denarium decalogi, quod hîc cilicio, siue sago cilicino plangitur: hoc ergo sagum symbolum fuit pœnitentiæ. *Pœnitentia*, inquit Isidorus l. 3. de Summo bon. *est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam prouoca-*
D *tur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus & lacrymarum, qua omnis cruciatur & mortificatur caro.* Et Hugo Victorinus l. 3. de Myster. Eccles. *Pœnitentia, ait, dicitur, quasi punientia* (aut potiùs pœnæ tenentia) *eò quòd ipse homo in se pœnitendo punit, quod malè admisit. Tria enim quæ sunt in percussione pectoris, id est pectus, sonus & manus, significant quòd pœnitentia est de his, quæ mente, voce & opere peccauimus.*

Ad operiendvm tectvm tabernacvli] tectum vocat tegumentum, putà velum decem cortinarum, iam dictum, quod tegebat tabernaculum instar tecti.

Mysticè.

Mysticè hæc saga significant sanctos prædicatores; vnde ter denos, id est 30. habent cubitos, qui numerus est perfectus: qui tamen sint humiles, quique, ceu numerus vndecimus, decalogum quãdoque

doque se transgredi fateantur, ideoque cilicium & lugubrem pœnitétiæ statum, quin & habitum subinde, instar S. Ioannis Baptistæ, amplectuntur, vt sic populum ad pœnitentiam permoueant. ita Beda.

Vers. 12. Ex medietate eius operies posteriora tabernaculi] q. d. *Operies*, id est replicabis, cortinam vnam ad altitudinem duorum cubitorum, vt ita fiat duplicatum operimentum, quod operiat posteriorem partem tabernaculi ad altitudinem duorum cubitorum. ita Abulensis.

Vers. 14. Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: et super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus] Tectum hîc rursum vocatur operimentum primum tabernaculi, putà velum decem cortinarum, quod hebr. vocatur אהל *obel*, id est tabernaculum, quia erat totius tabernaculi proximum tegumentum.

Quatuor operimenta tabernaculi. Nota. Quatuor erant operimenta siue tegumenta tabernaculi. Primum erat velum decem cortinarum ex bysso, purpura, cocco & hyacintho, de quo v. 1. Secundum erat stragulum ex vndecim sagis cilicinis, vel caprinis, de quo v. 7. Tertium ex pellibus arietum rubricatis. Quartum ex pellibus ianthinis. An autem hæc duo vltima solum tabernaculi tectum texerint, vti volunt Beda, Caietanus & Lipoman. an verò etiam latera tabernaculi, incertum est. nam quod v. 14. dicitur illa operuisse tectum, nil facit pro Beda: ibi enim tectum idem est quod tabernaculum; hoc enim vndique tegebatur. & quæ ratio fuit tegendi tecti propriè dicti hisce duobus operimentis, eadem militat & pro toto tabernaculo; videlicet ne læderetur imbribus, ne cortinæ delicatiores, & tabulæ auratæ fœdarentur aut corrumperentur. Vnde & Iosephus ait, tabernaculum tali colore, specie & decore fuisse venustum exteriùs, vt intuentes mirarentur, & cælum esse putarent. quod vel maximè de quarto operculo ianthino latera cingente & tegente accipiendum videtur: nam tectum tabernaculi, cùm planum & altum esset, videri non poterat. Similiter decem cortinæ polymitæ, cùm essent infimæ, & sagocilicino vndique tegerentur, nulla sui parte videri poterant ita Abulensis q. 10.

An duo vltima operuerint tantùm tabernaculū?

Tropol. pelles arietum sunt Martyres, ianthina sunt virgines. Tropol. operimentum ex pellibus arietum rubricatis significat Apostolicos viros, qui sanguine suo Ecclesiam operuerunt, eiusque fidem stabiliuerunt, contra omnes ingruentes infidelium procellas. Hi ergo rubricati sunt, quia sanguine suo vitam beatam, tam suam quàm Ecclesiæ emerũt. Narrant historiæ Rom. de C. Mario, quòd castra opposuerit contra Cimbros & Teutones loco arido, militique sitienti & aquam petenti demonstrans amnem iuxta vallum hostium: *Isthinc*, inquit, *peti à vobis potest potus sanguine venalis.* mox orauerunt milites, vt eos eò duceret. Idem Christus dixit Martyribus & Ecclesiæ Operimentum verò ianthinum significat virgines, qui colore cælesti, mortui carni & mundo, mortalem tantùm pellem secum deferunt, animo in cælis defixi: hi in Ecclesia eminent, eamque meritis & orationibus tutantur. Vnde virgines dicuntur quasi virtute insignes, & cælibes quasi cælites, & cælo beati, id est cæli ciuium vitam in terris imitantes, inquit Beda l. 2. de Tabern. c. 3. & 4. *Quanta*, inquit S. Ambros. li. 1. Offic. *est virginitatis gratia, quæ me-*

A *ruit à Christo eligi, vt esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam vniuersorũ.*

Et S. Gregorius, *Flos est virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo.*

Et S. Cyprianus l. de Virgin. *Virginitas est soror angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio bonorum omniũ: flos est Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi.*

Et S. Hieron. *Esse angelum, felicitatis est; esse verò virginem, virtutis; dum hoc obtinere nititur ex gratia, quod habet angelus ex natura.*

Vers. 15. Facies et tabulas stantes tabernaculi] Hæ tabulæ erant quasi parietes tabernaculi, erecti à tribus eius lateribus. Secundò, hæ tabulæ in latere Meridiano erant 20. & totidem in latere
B Aquilonari, quæ duo latera erant latera longitudinis tabernaculi. vnde sequitur, tabernaculum longum fuisse 30. cubitis, quælibet enim tabula sesquicubitalis erat; 20. ergo tabulæ efficiebant 30. cubitos. distabāt tabulæ Aquilonares à Meridionalibus decem cubitis, quæ erat latitudo tabernaculi; altæ erant 10. cubitis. Tertiò, ad Occidentem erant tabulæ sex integræ & duæ dimidiæ, ita vt omnes octo iunctæ facerent 10. cubitos (quæ rursum erat latitudo tabernaculi) iungebant enim hæ tabulæ latus Meridianum & latus Aquilonare tabernaculi. Quartò, hæ tabulæ singulæ duas habebant bases, quasi duos cardines, qui in duobus foraminibus duarum basium argentearum suscipiebantur, idque ad hoc vt basibus hisce argenteis iniiterentur tabulæ, & firmiùs consisterent.

Tabulæ tabernaculi quales & quantæ? Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

C Allegoricè, tabulæ hæ significant dilatationem Euangelij per Apostolos, & eorum successores in vniuerso mundo. bases erant oracula Prophetarum, quibus prædicatio Euangelij nitebatur. ita Beda & Isidorus. Verùm Nyssenus per tabulas & bases angelorum multitudinem, quæ Sanctos & electos custodit, intelligit.

Allegor. de Apostolis.

Verè S. August. in serm. Apost. Petri & Pauli: *Petrus*, inquit, *pauper in mundo, factus est diues in Christo, cui reges & nationes famulantur in sæculo. Paulus verò dum vrget gladiis sanctos, fidei suscepit iugum, & magister factus est Gentium, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum.* Et S. Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli: *Paulus terram simul atque mare, Græciam simul atque Barbariam, omnemque prorsus quanta est sub sole regionem,*
D *quasi volitans circumiuit; non simplici labore velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter euellens, verbumque pietatis vbique seminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens, quinimò ipsos homines quasi ex dæmonibus in angelos prouehens.* Et rursum: *Paulus cæli ciuis, Ecclesiarum columna, angelus terrestris, homo cælestis. Sicut enim missum in ignem ferrum, totum ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus effectus est charitas.* Idem rursum: *Misit Christus Apostolos, quasi sol radios suos, quasi rosa suauitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas: nam sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscebatur.*

Vers. 17. In lateribus tabulæ duae incastraturae fient, quibus tabula alteri tabulae con-

CONNECTATVR] q.d. Singulæ tabulæ duabus sui A partibus excauabuntur, vt vicina in eas per partem sui prominentem, quasi per manum, vt habent Hebræa, subintrare possit, itaque illi connecti. Hæ incastraturæ, vel commissuræ tabularum significant humilem charitatem, qua Apostoli & Sancti eorum sequaces inuicem iuncti & deuincti sunt. ita Beda.

VERS. 22. & 23. AD OCCIDENTALEM VERO PLAGAM TABERNACVLI FACIES SEX TABVLAS, ET RVRSVM ALIAS DVAS, QVÆ IN ANGVLIS ERIGANTVR POST TERGVM TABERNACVLI] q.d. Tabernaculum ad Occidentem habebit octo tabulas, vti dicitur v. 25. ita tamen vt sex integræ sint, scilicet sesquicubitales, duæ verò reliquæ sint tantùm semicubitales. nam cùm latitudo tabernaculi deberet esse 10. cubitorum, 6. autem tabulæ tantùm darent nouem cubitos; hinc illis sex additæ sunt duæ aliæ minores. videlicet vtrimque vna medium habens cubitum, vt ita decimus cubitus latitudinis tabernaculi per eas compleretur; quæ proinde in angulis erectæ dicuntur, quia vna latus Meridianũ, altera Aquilonare tangebat: ipsæ denique cum sex reliquis dicuntur fuisse post tergum tabernaculi, id est ad latus Occidentale tabernaculi, quod tegebat Sanctum sanctorum. nam pars anterior & Orientalis tabernaculi nullas habebat tabulas, sed patebat, quia ibi erat ingressus in tabernaculum.

Octo tabulæ Occidēt. tabernaculi.

Anagogia. Anagog. octo hæ tabulæ post Sanctum sanctorum significant octo beatitudines, quæ post hanc vitam merentibus, easque hîc prosequentibus succedent & obuenient. ita Rupertus.

VERS. 24. ERVNTQVE CONIVNCTÆ] sex scilicet tabulæ æquales, & quasi gemellæ sorores. nam de alijs duabus minoribus paulò pòst loquitur.

ET VNA COMPAGO RETINEBIT] Hebraicè, *eruntq, omnes perfecta*, id est omnino æqualiter nexæ, *ad caput*, id est sursum, *ad annulum vnum*, id est, quasi vno annulo retinerētur. non enim verè annulo, sed incastraturis, vt dixit v. 17. quasi annulis nectebantur. quod noster Interpres clarè vertit, *vna omnes compago retinebit*.

VERS. 26. FACIES ET VECTES DE LIGNIS SETIM QVINQVE AD CONTINENDAS TABVLAS] Hîc agit de vectibus, qui ex omni, putà ex triplici, latere erant quini, vt tabulas stringerent & continerent: hinc sequitur hos vectes vniuersim fuisse 15. ter enim quinque faciunt 15. quindecim, inquam, integri & commensi longitudini vel latitudini tabularum; sed quisque integer ex pluribus partialibus constabat, præsertim in vtroque latere longitudinis tabernaculi. nam cùm longitudo esset 30. cubitorum, debuisset vectis vnius ligni esse pariter triginta cubitorum; quantæ longitudinis vectes aut ligna vix reperiuntur. Vnus ergo vectis hic ex multis partialibus constabat, videlicet ij qui erant ad vtrumq; latus longitudinis, quod erat 30. cubitorum; hi singuli sex partialibus integrabantur: nam quilibet partialis erat 5. cubitorum, ait Iosephus. Partiales ergo hi inuicem iungebantur, & inserebatur caput vnius cauo alterius, vti ossa in humano corpore inuicem innectuntur in modum pyxidis, inquit Iosephus.

Vectes tabernaculi.

VERS. 28. QVI MITTENTVR PER MEDIAS TABVLAS, non per ipsam spissitudinem tabularum, sed per dorsa earum transuersim: nam in earum dorsis erant annuli, per quos hi vectes immittebantur, A SVMMO VSQVE AD SVMMVM] id est, ab extremo vsque ad extremum. ita Hebræa, quæ sic habent: *Et vectis quisque medius*, supple ibit vel transibit, *in medio tabularum, transiens ab extremo vsque ad extremum.* quod Noster clarè vertit, *qui mittentur per medias tabulas ab extremo ad extremum.* Septuag. Chald. Vatabl. & alij hæc accipiunt de alio vecte medio transeunte ipsam crassitiem tabularum: de eo accepit & Noster c. 36. 33. vbi in Hebræo pænè eadem verba sunt quæ hîc. de quo ibi dicam.

Allegor. quinque hi vectes facti non ad portandum, sed ad tabulas continendas & astringendas, significabant Pentateuchum siue quinque libros Mosi, quibus tam Iudæi olim, quàm Christiani nunc in præsenti vita ad fidem & virtutem, & ad spem remunerationis futuræ accenduntur. ita Beda lib. 2. c. 7.

Myst. quinque vectes sunt quinque libri Mosis.

B FACIES ET VELVM] Describitur hîc velum diuidens *Sanctuarium* & *Sanctuarij sanctuaria*, id est diuidens Sanctum à Sancto sanctorum. erat hoc velum oppansum Sancto sanctorum factum ex bysso, cocco, purpura & hyacintho, eratque appensum ad quatuor columnas factas ex lignis setim inauratis, quæ columnæ habebant capita aurea & bases argenteas. Secundò, quo spatio velum hoc sit constitutum Script. hîc subticet: sed si ex templi, quod ad instar tabernaculi ædificatum est, velo conijcere licet, Sanctum sanctorum tertiam tabernaculi partem occupabat, ita vt velum hoc tertiam hanc partem à reliquis dirimeret. Sanctum ergo sanctorum vndique quadratum erat: tam enim in latitudine & longitudine, quàm altitudine habebat decem cubitos. Huc alludens S. Ioannes Apocal. 21. 16. loquens de cælo empyreo C significato per Sanctum sanctorum: *Ciuitas*, inquit, *illa in quadro posita est.*

VERS. 31. *Velum diuidens Sanctum à Sancto sanctorum.*

Sanctum sanctorum erat quadratum.

Mysticè, hoc velum significabat, nos, qui sumus hîc in atrio & Sancto, id est in Ecclesia militante, per fidem & ænigmaticam cognitionem speculari Deum & futura bona, quæ sunt in Sancto sanctorum, id est in cælo. Vnde in Christi passione hoc velum scissum est: quia Christus sua morte nobis aditum ad cælum, & claram Dei visionem aperuit.

Mysticè velum Primo, est fides

S. August. serm. 18. super Ioan. *Ambula*, inquit, *per fidem, vt peruenias ad spem: spes non ædificabit in patria, quem fides non consolatur in via.* Idem rursum: *Quid est fides, nisi credere quod non vides? Vnde, & quomodo capitur Trinitas? rectè ô homo interrogas: ideo bene creditur, quia citò non capitur: nam si citò caperetur, non esset opus vt crederetur, quia videretur.* D Hoc est quod ait Apost. Hebr. 11. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Hinc rursum S. August. in li. de Trinitate: *Aufer*, ait, *argumenta, vbi fides quæritur, in ipsis gymnasijs suis iam Dialectica taceat: piscatoribus credunt, non Dialecticis.* Et S. Bernard. in Cant. *Quid*, ait, *non inueniat fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit.*

Hinc rursum Apost. Hebr. 10. v. 20. per velamen accipit carnem Christi, quæ eius diuinitatem velabat, quæque instar veli in passione scissa, viam in cælum patefecit. Velum hoc factum est ex hyacintho, purpura, bysso, coccoque bis tincto, opere plumario: quia caro Christi ex purpureo Deiparæ Virginis sanguine, operâ Spiritus sancti

Secundò, humanitas Christi.

sancti pulcherrima membrorũ varietate est composita. Vnde psal. 138.15. quod nos habemus, *Substantia mea in inferioribus terræ*; hebr. est, *acu pictus sum*. hoc est, vt Pagninus exponit, varijs membris formatus sum, scilicet instar vestis phrygionicæ, *in inferioribus terræ*, id est in matrice matris, quasi in loco recondito & subterraneo. Campensis exponit, *velut tapetium è neruis & venis contextus sum in vtero matris*. Loquitur Psaltes de formatione hominis cuiuslibet, siue embryonis in ventre matris. Si corpus cuiusuis hominis velut phrygionica vestis acu pingitur, quid de Christi corpore dicemus, cuius phrygio fuit Spiritus sanctus? quid verò de anima? quid de tota humanitate? quàm pulchra cælestium charismatum varietate contexta, velut holoserica vel aurea vestis splendescit? Pinxit enim in ea summus artifex, Primò, omnes scientias & veritates. habuit enim anima Christi triplicem scientiam, scilicet, beatam, infusam & acquisitam; Secundò, omnem prudentiam & sapientiam; Tertiò, omnes virtutes, naturales & supernaturales & theologicas; Quartò, omnes gratias gratis datas; Quintò omnem gloriæ varietatem, omnesque dotes gloriosæ beatitudinis.

VERS. 33. INSERETVR AVTEM VELVM, &c. QVO ET SANCTVARIVM ET SANCTVARII SANCTVARIA DIVIDENTVR] q.d. Velum hoc diuidet Sanctum à Sancto sanctorum, cuius deinceps vasa describit. Sanctum sanctorum expressum erat symbolum cæli empyrei, vitæque æternæ, quam pulchrè describit Vigilantius, in Vita Epicteti presbyteri & Astionis monachi Martyrum, Astionis matri adhuc Gentili. Cùm enim diceret mater, *Quæ dicitur regio illa, quò perrexit dulcissimus meus & vnicus Astion?* Vigilantius respondit: *Regio robustorum, seu fortium virorum.* & mater: *Sunt aliqui homines ibidem commorantes?* Vigilantius respondit: *Plures, & valdè nobiles habentur, quorum possessio paradisus dicitur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, & conuersatio immortalis existit: quorum vestes sanguine sunt respersæ, & in capite corona ex auro purissimo cum gemmis varijs fabricata habentur. Sed & Rex nimiùm potentissimus, ac metuendus est in eadem regione, cuius nomen Deus deorum, & Dominus dominantium appellatur: cuius nuntij Angeli dicuntur iustitiæ, quorum vestis vna est omnibus, & tactus eorum igni assimilatur vrenti. Sed & senatus huius Imperatoris valdè clarus habetur: & media pars Prophetæ nuncupatur, alij verò Apostoli pronuntiantur.* Deinde ipsam ciuitatem ita describit: *Sed & ciuitas istius Regis valdè est præclara, nomenque eius Christicolis pronuntiatur, cuius murus ex auro purissimo est constructus, habens portas duodecim, & in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex senatoribus per singulas sedent indesinenter. Et prima quidem porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreæ, quarta Ioannis, quinta Iacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octaua Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, vndecima Simonis, duodecima Matthiæ.* Denique eius templum & Sancta sanctorum ita depingit: *Sed & templum mirificum est in ea, habens Sancta sanctorum & altare aureum, ante cuius conspectum vir quidam astat mirificus tenens decem chordarum psalterium, ac iugiter ibi degentes ad laudem Regis illius cohortatur dicens: Laudate Dominum de cælis, laudate eum omnes angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaque nomen, Dauid filius Iesse pronuntiatur. Sed & platea huius ciuitatis ex auro purissimo sunt strata: cuius fluuius vitam æternam emanat, cuius pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, & folia eorum ad medicamentum procedunt animarum: cuius lumen inenarrabile est, & porta numquam clauduntur, eò quòd numquam ibi nox erit, nec vllæ tenebræ habentur: sed semper gaudium, & perpetua lætitia ibidem iugiter commoratur.*

Vita æterna pulchra descriptio.

Apoc. 21.

Psal. 148.

Quare meritò S. Antonius suos hortabatur dicens: *Hoc sit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit; præsertim cùm humanæ vitæ spatia æternitati comparata, breuissima sint ac parua.* Ita exorsus paululùm siluit, & admiratus nimiam Dei largitatem, rursum adiecit, dicens, *In præsenti hac vita æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec maiora recipit ab emente qui vendit. promissio autem vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim: Dies vitæ nostræ septuaginta anni; si autem multum, octoginta: quidquid reliquum est, labor & dolor est. Quando ergo octoginta, aut centum, vt multum, annis laborantes, in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro: sed pro annis prædictis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur. Non terram hereditabimus, sed cælum: corpus quoque corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Non sunt enim condigna passiones huius temporis, ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Concio S. Antonij ad discipulos.

Vili pretio vita æterna cõparatur. Psal. 89.

S. Maria d'Oignies, teste Cardinali Vitriaco in eius vita, cùm vixisset vitam angelicam, accepit reuelationem suæ salutis & gloriæ, hisce verbis: *Ibis in sancta sanctorum.* Cumque illa rem intelligeret, non verba, vtpote Latina, dicebat assiduè iubilans ancillæ suæ: *Ibimus in sancta sanctorum, dulcissima Clementia* (hoc erat ancillæ nomen.) *Et quid sunt sancta sanctorum?* nec aliud dicere poterat ebria gaudio, noctes & dies, nec comedere, nec bibere.

Hinc monasteria olim, in quibus agebant monachi, semoti à rebus terrenis, vitam cælestem, cælo inhiantes, vocabantur Sanctuaria, vt patet ex Vita S. Euphraxiæ. Ita S. Arsenius pannum habebat in sinu, ad tergendum iuges lacrymas, quæ ob desiderium vitæ æternæ ex oculis eius defluebant.

Monasteria sunt Sanctuaria.

Vnde S. Hieron. S. Paulam quinque monasteriorum in Palæstina fundatricem, imò monacham, & monacharum ductricem, recensitis miris eius & cælestibus virtutibus, ita in cælum vsque prosequitur: *Ceterùm illa impleuit cursum suum, fidemque seruauit, & nunc fruitur corona iustitiæ, sequiturque Agnum quocumque vadit. Saturatur, quia esuriuit; & læta decantat: Sicut audiuimus, ita & vidimus, in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! Fleuit, vt semper rideret. Despexit lacus contritos, vt fontem Dominum reperiret. Vestita cilicio est, vt nunc albis vestimentis vteretur, & diceret: Scidisti saccum meum, & induisti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabat, & potionem suam cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, vt in æternum pane angelorum vesceretur, & caneret: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. &, Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.*

2. Timot. 4. Apoc. 14. Psal. 47.

Psal. 29. Psal. 101. Psal. 41.

Psal. 33. Psal. 44.

Ita S. Euphraxia tempore Theodosij Imper. imperiali sanguine prognata, spreto mundo, monasticam vitam amplexa, cùm in ea mira humilitate, obedientia & sanctitate vixisset, tricennis vocata

S. Euphraxiæ vita & transitus in sancta sanctorum.

cata est ad hæc sancta sanctorum. Vidit enim Abbatissa duos viros sibi dicentes: *Assumens tecum Euphraxiam, deduc eam ante Dominum*: *quam mox*, inquit, *assumens properaui cum eis. Et cùm venissemus ad quamdam portam, cuius gloriam enarrare non valeo, sponte nobis aperta est. Et ingressæ sumus, & vidimus ibi inenarrabile palatium cæleste, in quo est solium nuptiale non manu factum. Ego quidem interiùs appropinquare non potui, Euphraxiam verò assumentes obtulerunt Domino: & procidens, osculata est pedes eius immaculatos. Vidi ibi dena millia angelorum, ac multitudinem Sanctorum innumerabilem, & omnes stabant respicientes: & vidi, & ecce mater Domini assumens Euphraxiam adduxit eam ad thalamum nuptialem, in quo decoris coronam parabat: & audiui vocem ad Euphraxiam dicentem, Ecce merces tua. Nunc itaque perge, post decem dies veniens, fruere his in sæculis infinitis: & ideò quia hodie nona dies est, ex quo visionem vidi, cras morietur Euphraxia.* Sequenti ergo die Euphraxia cum Abbatissa vita functa, abijt in sancta sanctorum. ita habet eius Vita.

Huc per crucem præcessit & præiuit nobis Christus, qui *per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta*, vt ait S. Paulus ad Hebr. 9 v. 12.

VERS. 36. *Velum Sancti.* FACIES ET TENTORIVM IN INTROITV TABERNACVLI] Describitur hîc secundum velum, quod oppansum erat Sancto, sicut prius v. 31. oppansum erat Sancto sanctorum. Velum hoc vocatur tentorium: quia quasi aulæum & tentorium castrense expansum erat pro quarta, Orientali videlicet, parte tabernaculi, siue pro eius introitu, eratque quasi ianua tabernaculi quinque columnis distincta, vt quatuor vijs, inter quinque columnas interceptis, pateret ingressus. Sicut enim octo tabulæ v. 22. latus aduersum Occidentale tabernaculi claudebant, ita quinque hæ columnæ cum hoc suo velo claudebant latus Orientale, qua patebat ingressus.

Nota Primò. Hoc velum factum erat vti & prius v. 13. ex bysso, cocco, purpura & hyacintho, eratque appensum quinque columnis, factis ex lignis setim inauratis. *Veli descriptio. Primò.*

Secundò, velum hoc quod erat in ingressu tabernaculi, vti & velum quod erat in ingressu atrij, de quo c. 27. v. 16. mobile erat, cùm atrij ipsius vela reliqua essent immobilia: essentque ex bysso tantùm, hæc verò in ingressu tabernaculi & atrij erant polymita, vti iam dixi. *Secundò.*

Tertiò, asserit Iosephus velum hoc in ingressu tabernaculi, à summo non vsque ad terram, sed tantùm, vsque ad dimidium columnarum dependisse, ibique annulis sustentum & retentum fuisse, idque vt accessum & introitum daret sacerdotibus, per illud subintrantibus in tabernaculum, vtque lumen solis per hanc partem vacuam & apertam in tabernaculum admitteretur: nam in tabernaculo nullæ erant fenestræ. erat enim ipsum vndique tectum, tum decem cortinis, tum sago cilicino. *Tertiò.*

Quartò, addit idem Iosephus, huic velo penè contiguum fuisse aliud velum, magnitudine par, sed è lino contextum, annulis à funiculo per transuersum pendens, quod aliquando adducebatur, aliquando, festis præcipuè diebus, reducebatur, vt populus in tabernaculum prospicere posset: tum enim reducto velo patebant auratæ tabulæ tabernaculi, inquit Lipoman. in c. 36. Reliquis verò diebus, & maximè cùm plueret, ningeret aut grandinaret, hoc velum extimum & lineum obiectu suo velum alterum interius, & picturatum à tempestatibus & aëris iniurijs protegebat. *Quartò.*

ET QVINQVE COLVMNAS DEAVRABIS] Hoc est, aureis, non laminis, sed circulis ornabis, vt patet ex cap. 36. v. vlt. in Hebræo. VERS. 37.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur altare holocaustorum cum suis vasis, craticula, & vectibus. Secundò, v. 9. describitur atrium tabernaculi cum suis columnis, & velis quibus circumcircà cingebatur. Tertiò, v. 20. describitur oleum lucernarum, earumq; accensio.

1. FAcies & altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id est quadrum, & tres cubitos in altitudine. 2. Cornua autem per quattuor angulos ex ipso erunt: & operies illud ære. 3. Faciesque in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas, & ignium receptacula, omnia vasa ex ære fabricabis. 4. Craticulamque in modum retis æneam: per cuius quattuor angulos erunt quattuor annuli ænei, 5. quos pones subter arulam altaris: eritq; craticula vsque ad altaris medium. 6. Facies & vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis: 7. & induces per circulos, eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. 8. Non solidum, sed inane & cauum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est. 9. Facies & atrium tabernaculi, in cuius australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine. 10. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea. 11. Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & bases æneæ eiusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea. 12. In latitudine verò atrij, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, basesque totidem. 13. In ea quoque atrij latitudine, quæ respicit ad orien-

orientem, quinquaginta cubiti erunt. 14. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur, columnæque tres & bases totidem: 15. & in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem. 16. In introitu verò atrij fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarij: columnas habebit quattuor, cum basibus totidem. 17. Omnes columnæ atrij per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & basibus æneis. 18. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de bysso retorta, & habebit bases æneas. 19. Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus & ceremonias, tam paxillos eius quàm atrij, ex ære facies. 20. Præcipe filijs Israel vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum, vt ardeat lucerna semper, 21. in tabernaculo testimonij, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque manè luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filijs Israel.

Vers. 1. Descriptio altaris holocaustorum.

FACIES ET ALTARE DE LIGNIS SITIM] Nota. Duplex erat altare; vnum thymiamatis, quod erat in Sancto, ad adolendum in eo manè & vespere thymiama Deo; alterum holocaustorum, in quo holocausta & quæuis sacrificia Deo immolabantur & cremabantur. Vnde hoc altare non erat in tabernaculo, sed ante illud, in atrio sub dio positum, propter ignem, fumum & nidorem victimarum.

Primò, erat sub dio.

Secundò, erat ex lignis setim.

Secundò, hoc altare factum erat de lignis setim, quæ æneis tabulis interiùs & exteriùs tegebantur, ne ab igne læderentur.

Tertiò, longum & latum erat quinque cubitos, altum tres.

Tertiò, altare hoc longum erat cubitos quinque, totidem latum, altum tres, vt sacerdotes facilè ad illud possent pertingere. Salomon verò in templo maius fecit altare: nam, vt dicitur 2. Paral. 4. *Fecit altare aneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Rursum ex quatuor altaris huius ænei angulis prodibant quatuor cornua ænea, & prominebant instar obelisci.

Quartò, interiùs cauum erat.

Quartò, altare hoc interiùs cauum erat, sed tamen vel terra, vt vult Abulens. & Richar. vel potiùs lapide insecto & impolito, vt vult Ribera, implebatur vsque ad sui medium: sic enim iusserat Dominus Exodi 20. 24. itaque Mosen & Salomonem fecisse, patet 1. Machab. 4. 56. In altari ergo hoc alto tres cubitos, lapidum structura ad dimidium, id est ad cubitum cum dimidio, ascendebat, deinde illi superponebatur arula craticulæ, de qua iam dicam, circumcirca verò ambiebatur tabulis setim ære obductis.

Quintò, tegebatur craticula.

Quintò, altare hoc habebat supernè craticulam æneam, in modum retis foraminibus plenam. craticula hæc totam latitudinem & longitudinem altaris supernè occupabat: erat proinde longa penè quinque cubitos, & lata totidem: hæc enim erat longitudo & latitudo altaris. Huic craticulæ victimæ imponebantur, vt à subiecto igne in altari (erat enim cauum, vt dixi) cremarentur, & eorum cinis per foramina craticulæ sub altare decideret. vnde ex craticula hac pendebat arula ænea, siue foculus æneus interiùs in medio altaris, putà super lapidum structuram, de qua paulò antè dixi. In hac arula per catenulas appensa ad quatuor cornua altaris, ponebantur ligna & ignis ad cremandas carnes, quæ in superiori craticula ponebantur.

Arula vel foculus craticulæ.

Sextò, habebat fenestellam, per quam ligna immittebantur.

Sextò, verisimile est altare hoc ad latus Orientale habuisse fenestram, per quam cineres extraherentur, & ligna super arulam siue focum ponerentur, & ad hoc aliosque vsus habebat forcipes, fuscinulas, lebetes, & ignium receptacula. ita Beda, de quo plura suo loco v. 4.

Septimò, habebat quatuor annulos & duos vectes.

Septimò, altare hoc habebat quatuor annulos æneos, per quos duo vectes, ex lignis setim ære coopertis, inserebantur ad portandum altare. Totidem annulos & vectes, distinctos ab annulis & vectibus altaris, habebat ipsa craticula altaris: eximebatur enim & separabatur craticula ab altari, vt seorsim portari posset.

Octauò, in eo quotidie immolabatur iuge sacrificium.

Octauò, in hoc altari manè & vespere quotidie, primò immolabatur agnus, quasi iuge sacrificium. Deinde aliæ victimæ vel votiuæ, vel spontaneæ, vel ex lege ob festum incidens præceptæ. Hinc Deus ignem de cælo misit, quem voluit in hoc altari à sacerdotibus, lignis appositis iugiter ali & foueri, ne vmquam extingueretur, vt semper paratus esset ad victimas cremandas. Leuit. 6. Denique altaris huius figuram expressam vide apud Vilalpando lib. 4. de Templo cap. 75.

Allegor. altare ligneũ est crux Christi. Primò.

Allegoricè, hoc altare ligneum significabat crucem Christi, in qua quasi in ara Christus est immolatus: vnde altare hoc erat extra tabernaculum in atrio; quia Christus extra castra, vt ait Apostolus Hebr. 13. putà extra Ierusalem, passus est.

Secundò.

Secundò, factum est ex lignis setim, quia tam crux, quàm caro Christi, non vidit corruptionem. Rursum, ære obducitur, quia æs sonorum significat prædicationem crucis Christi: est etiam æs symbolum fortitudinis crucis Christi, quæ omnes dæmonis, mundi & peccati vires contriuit.

Tertiò.

Tertiò, habet quatuor cornua, quia crux Christi per quatuor plagas, toto orbe prædicata ab Apostolis & diffusa est: *In omnem enim terram exiuit sonus eorum.*

Quartò.

Quartò, altare hoc intus vacuum erat, sed terræ vel lapidi impositum, quia crux Christi defixa est & imposita monti Caluariæ.

Quintò.

Christus in cruce dolore & amore tostus.

Quintò, craticula, in qua igne supposito carnes victimæ cremabantur, significat acerbissimos Christi dolores, quibus in cruce pro nobis tum dolore, tum amore tostus est, iuxta illud psalmi 101. *Ossa mea sicut cremium aruerunt:* quod S. Hieron. vertit, *ossa mea quasi frixa contabuerunt;* S. August. *ossa mea tamquam in frixorio confrixa sunt;* alij, *ossa mea tamquam focus aut torris adusta sunt.*

Sextò.

Sextò, in latere Orientali altaris erat fenestra, per quam ligna & fomenta ignis in arulam immittebãtur: quia à parte Orientali, in qua situs erat paradisus terrestris, peccatum Adæ prouenit, quod doloribus & cruciatibus Christi materiam & fomenta ministrauit.

Septimò. Septimò, quid sint annuli & vectes, dicam in tropologia.

Octauò. Octauò, in hoc altari immolabatur quotidie agnus: quia in cruce immolatus est Christus, qui est agnus occisus ab origine mundi. In hoc altari ardet iugiter ignis diuinus: quia charitas Christi in cruce non fuit exstincta, sed magis adaucta exarsit, omnesque Martyres & fideles ad crucem & mortem cum Christo, & pro Christo subeundam accendit.

Tropolog. altare holocausti est cor per mortificationem se Deo immolans. Primò. Tropolog. altare holocausti est cor hominis, se per pœnitentiam macerans, vitiaque sua mortificans, & Deo immolans. altare hoc est in atrio: quia priùs exercenda est mortificatio, & passionum compressio, quàm ad altare thymiamatis, quod est in Sancto, id est ad Dei amorem & vnionem, possis accedere. Rursum, ignis quo thymiama in altari aureo incendebatur in Sancto, deferebatur ex altari holocausti: quia orationis feruor & ardor, ex carnis & passionum iugi mortificatione promanat. Quare qui orationi incumbit, & negligit mortificationem, perinde facit atque si quis sine igne vellet aromata incendere.

Pœnitentiæ æquè ac mortificationis exemplar fuit S. Magdalena, quæ, vt ait S. Gregor. homil. 33. in Euang. *quot habuit in se oblectamenta, tot de se inuenit holocausta: conuertit ad numerum virtutum numerum criminum; vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.*

Secundò. Hinc Secundò, altare hoc factum est de lignis setim, id est de puri cordis desiderio. ære obducitur: quia mortificatio non aurea est & fulgens, sed ænea, dura, tinniens: quia tales non sunt adhuc plenè mortui; vnde percussi subinde sonant & murmurant.

Tertiò. Tertiò, tres cubiti altitudinis sunt fides, spes, charitas: quinque cubiti longitudinis sunt extensio patientiæ; quinque cubiti latitudinis sunt extensio charitatis ad coërcendos quinque sensus, vt seruiant patientiæ & charitati. Quatuor cornua sunt quatuor cardinales virtutes.

Quartò. Quartò, cauum est, id est terræ contagio vacuum, vt sanctum Dei ignem recipiat; sed lapidi, id est duritiei & austeritati vitæ, cõstanter incumbit.

Quintò. Quintò, arula sunt mentis penetralia igne, id est charitate, flagrantia. ligna arulæ imponuntur, cùm pias cogitationes mente concipimus; ignis additur, cùm per gratiam sancti Spiritus illis excitamur & inardescimus. Craticula in modum retis significat mortificationem debere esse iugem, & ex varijs generibus connexam & contextam. Hæc namque iugis & omnimoda mortificatio, viros magnos & cælestes, heroës & duces efficit. Laudant Gentiles Agesilaum regem Lacedæmoniorum, quòd cibo & somno dominaretur, frigori æquè ac æstui se assuefecisset; quodque assiduè in ore haberet, *ducem non mollitie & luxu, sed tolerantia ac fortitudine debere subditis anteire.* Itaque cuidam interroganti, quid boni leges Lycurgi Spartanis attulissent, respondit, *Contemptum voluptatum.* Admiranti eius & Spartanorum in vestitu & victu frugalitatem: *Hac*, inquit, *è semente metimus libertatem.* Hortanti vt aliquid de seueritate victus remitteret, fortè non habiturum eum aliàs occasionem molliùs viuendi, respondit: *Ego verò me assuefacio, vt in nulla mutatione mutationem quæram.* Senior etiam factus, eamdem viuendi tenuit rationem, rogatusque cur in frigore sine tunica obambularet, *Vt*, inquit, *iuuenes imitentur exemplum seniorum & principum.* Thasij offerebant ei farinam, anseres, bellaria, placentas, &c. ipse tantùm farinam accepit, reliqua in seruos distribuit, quærentibusque causam, dixit, *Qui virtutem colunt, non admittunt tales gulæ delicias; aliena enim à liberis ea sunt, quibus seruorum ingenia alliciuntur.* Idem dicebat, *malle se vincere cupiditates, quàm hostium exercitum: melius est enim conseruare libertatem, quàm eam aliis adimere.* Testis est Plutarchus in eius vita.

Quid iam faciat Christianus? dicat cum S. Paulo 2. Corinth. 4. *Propter quod non deficimus; sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* & alibi: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*, siue *iugulationis*, vt legit Tertul. Imitetur magnum illum Arsenium, qui rogatus, cur aquam rariùs mutaret, cùm fœtore totam cellulam inficeret, respondit: *Lubens fœtorem hunc excipio, in locum odoramentorum, quibus in palatijs regum fui olim oblectatus; vt in die iudicij de inenarrabili illo gehennæ fœtore liberet me Dominus.* Audiat S. Bernardum in Sermon. *Quod*, inquit, *martyrium grauius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? propterea pauperibus & pariter Martyribus regnum cælorum promittitur: quia paupertate quidem emitur; sed in passione pro Christo absque dilatione percipitur.*

Sextò, lebetes cinerum sunt memoria passionis & mortis Christi ac Martyrum, qui exemplo suo hanc viam crucis & mortificationis præiuerunt: fuscinulæ, forcipes & ignium receptacula, sunt præcones & sancti Doctores, qui hunc sacrum mortificationis ignem in nobis assiduè fouent & accendunt. *Sextò.*

Septimò, annuli & vectes sunt dona Spiritus sancti, quibus omnis labor & dolor pœnitentiæ dulcescit, vt ijs ad dura & ardua quasi vehi & impelli videamur. *Septimò.*

Octauò, victimæ hic immolatæ sunt concupiscentiæ variæ, ad quas cremandas iugiter ignem charitatis in corde fouere oportet. ita Beda lib. 2. de Tabernaculo cap. 21. *Octauò.*

Audi & S. Gregor. homil. 22. in Ezech. *Quid est*, inquit, *altare? nisi mens benè viuentium, qui peccatorum suorum memores lacrymis se lauant, carnem per abstinentiam macerant; vbi ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur, iuxta illud Apostoli Rom. 12. Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. hostia viuens est, corpus Domino afflictum: hostia, quia iam huic mundo est mortuum; viuens, quia cuncta quæ præualet bona operatur: sed alia compunctio est quæ per timorem nascitur, alia quæ per amorem.* *Tropolog. S. Gregor.*

Deinde adaptans hæc vtrique altari, scilicet holocaustorum & thymiamatis, sic pergit: *Vnde & in tabernaculo duo altaria fieri iubentur, vnum exterius, alterum interius: vnum in atrio, aliud ante arcam: vnum ære coopertum, aliud auro: in æreo cremantur carnes, in aureo incenduntur aromata. Multi enim plangunt mala quæ fecerunt, & incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur; quid isti nisi altare sunt æreum? in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur. Alij verò à carnalibus vitijs liberi, amoris flamma in compunctionis lachrymis inardescunt, supernis iam interesse*

tereſſe ciuibus concupiſcunt, regem in decore ſuo videre deſiderant, & flere quotidie ex eius amore non ceſſant; quid iſti niſi altare ſunt aureum? in quorum corde aromata incenſa ſunt, quia virtutes ardent: ſed hoc altare aureum eſt ante velum, quia Sanctorum corda per ſanctum deſiderium in illum ardent, quem adhuc reuelata facie videre non poſſunt.

Ita S.Franciſcus rogatus, *quanam preces Deo eſſent gratiores?* *Illa*, ait, *quas propria carnis comitatur mortificatio.* Pulchrè Billius in Emblem.

At tua ne fructus pede claudo vota ſequantur,
Fac tua cum vitijs vt caro morte cadat.
Ara duplex templi quondam hoc fine voce docebat,
Thus vna, at caſas altera habebat oues.
Obtulit hic caſas pecudes qui membra necauit:
Qui pia vota facit, thus dedit ille Deo.

De lignis setim] quoad tabulas ambientes. Nam interiùs in imo, altare hoc vſque ad ſui medium, plenum erat lapide inſecto: ſuperiùs verò pertotum craticula ænea tegebatur. quare hoc altare ex ſetim ſimile erat ciſtæ quadratæ, quæ fundo & operculo caret, & interiùs vacua eſt.

B Porrò tabulæ hæ ſetim denſis laminis æneis operiebantur, ne ab igne vicino læderentur. imò non improbabiliter cenſet Lipomanus, per miraculum tam tabulas ab igne, quàm ſacrificia à muſcis illæſa ſeruata fuiſſe. Vnde & idololatræ, qui in ſuis ſacrificijs à muſcis vexabantur, ad eas abigendas colebant Deum Beelzebub. S. Hieron. in Ezech.41. & alij apud Bedam cenſent ex paradiſo terreſtri allatum fuiſſe hoc lignum ſetim, fuiſſeque ſimile amianto lapidi, qui igne non læditur, ſed purior euadit. de quo dixi ſuperiùs.

Vers.2. Cornva avtem per qvatvor angvlos ex ipso ervnt] *Cornua*, id eſt anguli prominentes inſtar cornuum, ad ornatum altaris, non aliunde, ſed ex ipſo altaris ære continuo opere ducentur. C

Vers.3. Faciesqve, &c. forcipes] Hebr. יָעִים *iaim* Septuag. *cooperimenta*; alij *ſcopas* vertunt. radix יָעָה *iaa* ſignificat remouere: vnde *iaim* inſtrumenta ſunt quibus aliquid accipimus aut remouemus, vti ſunt forcipes & batilla, id eſt palæ; quo modo noſter Interpres vertit Num.4.14. Putat Pagninus noſtrum Interpretem, putà S.Hieron. hoc nomen *iaim* in libris Regum & Paralip. nunc vertere ſcutra, nunc trullas, nunc creagras, nunc tridentes.

Verùm non ſatis perſpexit mentem & morem S.Hieronymi, & S.Script. quæ neque hîc, neque alibi, omnino ſimul vaſa tabernaculi aut templi diſtinctè enumerat: vnde paſſim omittit opercula ollarum & lebetum; ſed iam hæc, iam illa ponit. D Quod videns S.Hieron. in verſione ſua non reddidit verbum verbo, neque ſe aſtrinxit Hebrææ vaſorum enumerationi præſentis loci, præſertim ſi eius alio loco meminiſſet; ſed indifferenter aliqua vaſa quæ tabernaculi eſſe ſciebat, expreſſit, reliqua generali clauſula complexus, dicendo, *& cætera vaſa*.

Porrò hoc loco phialas omiſit, quæ in Hebræo exprimuntur, quia eas nominarat cap.25.29. vbi proprius erat earum locus: neque enim in altari holocauſtorum, ſed in menſa panum propoſitionis hæ phialæ reponebantur, vt inde efferrentur quando ijs opus erat, ad libandum in altari holocauſtorum.

Atqve fvscinvlas] quibus caro olla extra-

A hitur. Vnde Septuag. vertunt, *creagras* à capienda carne, ſiue tridentes eſſent, ſiue vnius dentis. Vnde noſter Interpres nomen Hebræum מִזְלָגֹת *mizleget*, vertit, *fuſcinulas, tridentes*, & *vncinos*, id eſt fuſcinulas tam trium dentium, quàm vnius.

Et ignivm receptacvla] putà vaſa ad capiendas prunas. Vnde aliqui vertunt, *thuribula*; Septuag *focum*. ſeruiebant hæc vaſa inter alia ad hoc, vt in illis ignis ſanctus ex altari holocauſti hauſtus, ad altare thymiamatis veſpere & manè, ad incenſum in ijs adolendum, deferretur. nam, vti dicam c.30. incenſum non immediatè in ipſo altari, ſed in hiſce thuribulis altari impoſitis adolebatur. ita Beda lib.2.c.11.

Craticvlamqve in modvm retis æneam] Vers.4. Hebræi, Abulenſ. & Lyranus, putant hanc craticulam non immitti ſolitam intra altare, ſed fuiſſe per eius circuitum, tamquam zonam quamdam eleuatam cubitum vnum cum dimidio, vſque ad altaris medium, idque ad altaris dumtaxat decorem & pulchritudinem. Verùm hæc ſententia repugnat textui S.Scripturæ, quæ hanc craticulam non intra, ſed ſupra altare ponit.

Craticula non ambiebat, ſed tegebat altare ſupernè.

Dico ergo, craticula hæc tegebat ſuperiorem partem, ſiue ſuperficiem altaris, ita tamen vt commodè poſſet intra altare inferri & extrahi, cùm opus eſſet. In hac craticula victimarum carnes comburendæ imponebantur, ac proinde ipſa tota erat ænea, factaque in modum retis. ab hac craticula pendebat arula, eiuſdem & longitudinis & latitudinis, cuius erat craticula. Arula hæc perlongos æneos clauos, vel potiùs virgas aut laminas, ſuperiori craticulæ erat annexa; ita vt inter craticulam & arulam interiectum eſſet ſpatium cubiti cum dimidio: erat enim hæc craticula in medio altaris, vt dicitur cap.38.4. altaris autem altitudo erat trium cubitorum. vnde & craticula ad medium altaris pertigiſſe dicitur hîc v.5. non per ſe, ſed per arulam hanc ſibi annexam, erat enim hæc arula quaſi fundus craticulæ, in quo quaſi finiebatur corpus ipſum craticulæ.

Arulæ ſiue foculi deſcriptio.

Hæc arula erat tamquam focus, in quo ignis ardebat, lignaque ei imponebantur ad comburenda ſacrificia craticulæ impoſita; ac proinde erat tota ænea, vti & ipſa craticula. Hinc & veriſimile eſt feneſtram, ſiue oſtiolum in latere altaris fuiſſe, per quod ligna immitterentur, & cineres ac carbones extraherentur, vti ex Caſſiodori deſcriptione tradit Beda lib.2.cap.11. & Richardus de S.Victore, licet Ribera hoc oſtiolum neget: Quia, inquit, poterat craticula ſurſum extrahi, & tunc arulæ eius ligna imponi. Sed hoc difficile & moleſtum fuiſſet, præſertim cùm craticulæ iam impoſitæ erant victimæ: ſæpiùs enim ijſdem victimis ſubijcienda erant ligna, vt illæ totæ cremarentur: vnde & ſæpiùs in eadem victima oportuiſſet craticulam eximere.

Rurſum, in arula hac erant quatuor annuli ænei, quibus duo vectes inſerebantur, ad eam cum craticula ſeorſim à tabulis altaris portandam. Erant autem hi annuli in quatuor infimis arulæ extremitatibus, ideoque hîc v.5. dicuntur eſſe ſubter arulam.

Ligna partim arulæ, partim craticulæ imponebantur.

Hinc patet non eſſe verum quod cenſuit Abulenſis & Vilalpando lib.4. de Templo cap.81. ſcilicet, ligna ipſa non arulæ ſeu foculo quem ipſi negant, ſed altari ſiue craticulæ ſupernè imponi, eiſque carnes victimæ cremandas ſuperponi debuiſſe.

buisse. Ex dictis enim constat ligna fuisse imposita igni, qui erat sub altari in arula: non tamen nego, ligna etiam ipsi altari siue craticulæ imposita fuisse; præsertim si victima esset magna, eaque ob victimarum multitudinem citò cremanda & consumenda esset. nec enim ignis per rete craticulæ refractus & retusus sat habebat virium, ad victimas maiores statim comburendas: satis autem virium habebat ad holocaustum iuge vespertinum consumendum; hoc enim tota nocte lento igne cremari debebat, vti patet Leuit. 6. 9.

Denique, circa altare hoc erat maxima multitudo sacerdotum & Leuitarum, præsertim in festis, cùm multæ immolandæ essent victimæ. Alij enim eas mactabant, alij excoriabant, alij secabant, alij lauabant, &c. sed miro omnes silentio & reuerentia. Audi Aristæam lib. de Septuag. interpretibus: *Silentium verò tantum inest, vt, cùm septingenti ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina multitudo sit ingens, nec vnum quidem hominem in loco versari putes: summa namque veneratione cuncta & magna Dei pietate perficiuntur.*

Silentium & reuerentia sacrificantium.

VERS. 8. CAVUM INTRINSECUS FACIES] Vt scilicet in hac altaris cauitate, interiùs sit locus pro igne & lignis, ad cremandas carnes craticulæ superpositas. Intellige altare hoc fuisse cauum vsque ad sui medium: nam inde vsque ad pauimentum plenum erat terra, vel potiùs lapide insecto, vti iam dixi.

VERS. 9. FACIES ET ATRIUM TABERNACULI] Nota. Atrium hoc factum est, vt vndequaque ambiret tabernaculum & altare holocaustorum, tum ornatus, tum reuerentiæ causa. Tabernaculum ergo consistebat in medio atrij, quasi habitaculum gloriæ Dei inter homines conuersantis, eosque exaudientis & dirigentis, vt hac præsentia & prouida gubernatione inuitati Hebræi, solum Deum verum colerent, & ab idololatria abstinerent.

Atrij tabernaculi descriptio. Primò, atrium ambiebat tabernaculū.

Secundò, hoc atrium supernè non erat tectum, sed sub dio, quale cauædium vocat Daniel Barbarus in Vitruuium lib. 6. c. 5. vnde Vilalpando l. 3. de Templo cap. 25. pag. 201. atrium dictum putat à Græco αἴθριον, quasi dicas, aëreum, in aëre, sub dio: licet alij atrium dici velint, eò quòd à terra oriatur, quasi aterreum vel aterium: alij verò, quòd Atriæ in Etruria primùm atria ante ædes constructa fuerint. Hoc tamen atrium à lateribus per circuitum ambiebatur tentorijs, id est velis vel aulæis, ex bysso retorta factis, hæcque vela erant instar murorum, vel parietum ipsi atrio. Porro suspensa erant hæc vela ex columnis æneis, quæ vestitæ erant argenteis laminis, & capitibus argenteis, basibus verò æneis.

Secundò, erat sub dio.

Atriū quasi αἴθριον.

Vela atrij.

Tertiò, atrium erat quadratum, vel potiùs quadrangulum. erat enim longum 100. cubitis, latum 50. altum 5. vt patet v. 18. cingebatur sexaginta columnis æneis, putà 20. à latere Meridiano, 20. ab Aquilonari, 10. ab Occidente, & 10. ab Oriente: vna verò columna distabat ab alia 5. cubitis. Porrò in columnis eminebant paxilli, id est claui, è quibus tentoria, id est vela, suspendebantur, vti dixi.

Tertiò, atrium longum erat cubitos 100. latum 50. altum 5.

Quartò, atrium in ingressu habebat, inquit Philo & Abulensis, 50. cubitos longitudinis vsque ad tabernaculum, & totidem latitudinis, vt caperet populum. Erat enim hoc atrium locus orationis populi: vnde ab Euangelistis & à Iosepho vocatur templum. In hoc enim atrio versatus est & docuit Christus, ex eoque vendentes & ementes eiecit: nec enim Christus vmquam ingressus est

Quartò, atrium erat templum populi.

A tabernaculum, vel Sanctum. hoc enim solis sacerdotibus Aaronicis ingredi licebat. In hoc ergo atrio laici orabant, offerebant sacerdotibus suas victimas, spectabant sacrificia, & ex ijs epulabantur, comedentes victimas pacificas coram Domino, id est coram tabernaculo, quod erat quasi domus Dei, vt patet Deuter. 12. v. 7. & cap. 16 v. 11. numquam enim laici accedere poterant ad atrium sacerdotum, ac consequenter nec ad altare holocaustorum quod in eo erat. Denique ad ostium huius atrij puerperæ, leprosi, alijque immundi lustrabantur & expiabantur.

Quintò, in atrio hoc erat labrum æneum & altare holocaustorum, in quo omnes victimæ immolabantur.

Quintò, in atrio erat labrum & altare holocaust.

Sextò, tabernaculum vnum tantùm habebat B atrium, in quo tamen verisimile est sacerdotibus & Leuitis proprias stationes fuisse assignatas, iuxta altare holocaustorum. Vnde in templo Salomonis, vbi hæc omnia pulchriùs fuerunt ordinata, duplex erat atrium, vnum interius iuxta tabernaculum, vbi erat altare holocaustorum, labrum æneum, & statio sacerdotum: secundum exterius laicorum; quod à priori atrio sacerdotum Salomon distinxit muro alto tres cubitos, ita vt laici ex suo atrio vltra hunc murum prospicere possent in atrium sacerdotum, ac videre sacrificia quæ ibi peragebantur in altari holocaustorum, non tamen illud ingredi.

Sextò, atrium erat duplex: Primum sacerdotum, secundum laicorum.

Septimò, nulli Gentilium vel immundorum licitum erat hoc atrium intrare sub pœna mortis: erat enim atrium quasi templum populi. vnde pro Gentilibus & immundis Herodes aliud atrium C extimum ædificauit & addidit, vt ipsi eminùs possent interesse sacris & sacrificijs. Addit Vilalpando in Ezech. tom. 2. pag. 243. in templo Salomonis altare holocaustorum constitutum fuisse è regione trium portarum atrij: quia erat, inquit, in medio atrio, ita vt aperta qualibet porta, Orientali, Meridionali, Aquilonari, ipsum altare & holocausta conspicerentur à populo per tres hasce portas, & consequenter à Gentilibus ex suo atrio, quod habebat tres portas, tribus portis atrij sacerdotum & populi ex æquo respondentes.

Septimò, immundi atrium ingredi non poterant.

Mysticè, atrium significabat fideles incipientes Deo seruire, Sanctum proficientes, Sanctum sanctorum perfectos & beatos. vnde in atrio erat labrum siue lauacrum, id est pœnitentia; & altare holocausti, id est mortificatio vitiorum. ita Beda. vide dicta c. 26. 1.

Mysticè, atrium sunt incipientes viam virtutis: hi egent labro pœnitentiæ & altari mortificationis.

Atrium ergo hoc, est stadium & studium virtu- D tis. *In hac vita*, ait S. August. epist. ad Macedon. *virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id diligere, prudentia est: nullis inde auerti molestijs, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est.* & S. Ambros. in psal. 118. *Nulla*, ait, *sine labore virtus est: quia labor est processus virtutis.*

Morale de stadio & studio virtutis.

Stimulus est, quem dat Seneca: *Vna*, inquit, *res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, & pares dijs facere.* Virtutis ergo præmium est beata vita: nec sine virtute aliquem posse effici beatum, docuerunt Stoici. Vnde Horatius lib. 3. ode 2.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.
Virtus recludens immeritis mori
Cælum, negata tentat iter via.

Et Ouidius lib. 4. Trist. eleg. 3.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple,

Ardua

Ardua per praeceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Via ad virtutem. Via ad virtutem est exercitatio. vnde Hesiodus:
Ante virtutem Dij sudorem posuerunt:
Longa & ardua via ad ipsam, atque aspera primùm:
Postquam ad summum perueneris, facilis deinde erit.

Et Aristotel 2. Ethic. 1. *Non à natura*, inquit, *neque praeter naturam in nobis insunt virtutes: sed nati facti q; sumus ad eas, & percipiendas natura, & efficiendas consuetudine.* & cap 3 *Virtus moralis omnis inhaeret voluptatibus ac doloribus*; hisce tolerandis illis moderandis. Et lib 1. cap. 10. *Nulla* ait, *in re mortalium tanta inest firmitas, vt in iis rebus quae virtute geruntur. Multò enim scientijs ipsis sunt firmiores & stabiliores; quarum vt quaque praestantissima est, ita stabilis maximè.*

Pythagorae vox est: *Optima vita nobis est deligenda, quam mox suauem efficiet ipsa consuetudo. Diuitiae anchora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores: omnia haec imbecilla sunt, & viribus destituta. Quae ergo anchora sunt firma? Prudentia magnanimitas fortitudo: eas nulla tempestas agitat. Haec Dei est lex, virtutem solam esse, quae potens solidaq; sit; caetera omnia nugas esse & ineptias.* Tacitus lib. 4. Annalium: *Virtus*, ait, *est proprium hominis bonum.* Curtius lib. 7 *Nihil*, ait, *tam altè natura constituit, quò virtus non possit eniti.* Stoicorum dogma est, *nihil esse expetendum praeter virtutem, nihil fugiendum praeter vitium.*

Theodota meretrix Socrati insultans: *Ego*, ait, *multùm te antecello. Nam cùm tu neminem ex meis à me possis abalienare: ego cùm libitum est, tuos omnes ad me voco.* Cui Socrates: *Non mirum est hoc: tu siquidem ad decliuem tramitem omnes rapis: ego vrò ad virtutem cogo, ad quam arduus & plerisque insolitus est ascensus.*

Idem respondit Thomas Morus Luthero iactanti suorum assectarum copiam.

Antisthenes aiebat, virtutem esse rem operum, non verborum.

Virtus ex viro appellata est, ait Cicero. Virilis ergo animus viros & virtutem decet.

Agapetus Diaconus apud Iustinianum: Sicut, ait, qui scalas conscendere coeperunt, non priùs desistunt ab ascensu, quàm supremum attigerint gradum: sic virtutis studiosus semper altiùs scandere conabitur.

Philo libro de plant. Noë Sicut, ait, oriens sol totum caelum radijs illustrat sic etiam virtutes suis in homine radijs, vbi mentem totam penetrarint, eam efficiunt lucidissimam. Idem libr. 1. Allegor. Sicut, ait, in animali prima pars est caput, secunda, pectus tertia, inguen: & in anima prima pars est rationalis; secunda, irascibilis; tertia, concupiscibilis: ita virtutum prima est prudentia, quae caput & rationem dirigit; secunda, fortitudo, quae iram componit, & pectus stabilit; tertia, temperantia, quae circa inguen & partem concupiscibilem occupatur.

Haec Gentiles & Iudaei de virtute morali & naturali: quid Christianus iam dicet de virtute diuina & supernaturali, quae opus est gratiae Dei? sine hac enim nemo tendere potest ad Sanctum sanctorum in caelis.

Iam ad textum veniamus, & difficultates quae in littera occurrunt, explicemus.

TENTORIA] ita passim hîc vocantur vela vel aulaea, quibus circumquaque tegebatur hoc atrium. vnde Septuag. vertunt *aulaea*.

A ET COLVMNAS VIGINTI CVM BASIBVS TOTIDEM AENEIS] Hebraicè, *& columnas viginti, & bases viginti ex aere*, scilicet facies. Nam columnae atrij erant non ligneae sed aeneae vti & bases. Vnde non exprimitur hîc alia earum materia, quàm aes: in columnis verò tabernaculi exprimitur alia earum materia, scilicet ligna setim, vt patet cap. 26. v. 32. & 37. Adhaec, aeneas fuisse atrij columnas, non ligneas, expressè docet noster Interpres in fabrica tabernaculi, c. 38 v. 10. & 12. Fallitur ergo Philo, qui ait has columnas factas esse ex cedro, sic & tabulas tabernaculi ex cedro factas esse asserit. putat enim ipse setim esse cedrum. VERS. 10.

Sicut ergo inter Sanctum & Sanctum sanctorum, erant quatuor columnae de lignis setim inauratis, sustinentes velum tegens Sanctum sanctorum, rursum, sicut in ingressu Sancti siue tabernaculi, erant quinque similes columnae, sustinentes
B velum tabernaculi: ita circum tabernaculum & atrium fieri hîc iubentur 60. columnae aeneae, putà 20. à latere Meridiano & 20. ab Aquilonari, 10. ab Occidente, & 10. ab Oriente quibus vela suspendantur, quae atrium instar murorum ambiant & sepiant. *Columnae atrij sexaginta.*

QVAE CAPITA CVM CAELATVRIS HABEBVNT ARGENTEA Hebr. & Chald *argentea erunt capita columnarum cum cincturis* vel *circulis*, qui scilicet circa columnas filis argenteis ducetur. nam Hebraeum וו *vau* clauum capitatum, vel caput claui significat, vnde & literae *vau* nomen est inditum. Nec repugnant Septuag. qui vertunt: καὶ οἱ κρίκοι αὐτῶν, καὶ αἱ ψαλίδες τῶν στύλων περιηργυρωμέναι ἀργυρίῳ. quod mirum est Complutensia Biblia vertere: *& fibulae earum, & forcipes earum erunt deargentata argento.* κρίκος enim circulus est, quem Noster
C vocat caelaturam. ψαλίδες verò apud Vitruuium sunt prominentes seu frontati lapides, seu id quod in fornice aut domo prominet; quomodo à simili forma prominentia columnarum capita vocant Septuag. Sic ergo verto Septuag. *& circuli columnarum, & prominentia earum capita deargentata erunt argento.* quod idem est cum eo quod habent Hebraea, Chaldaea & Noster. Caelaturae ergo hae non erant incisiones aut insculpturae, sed laminae tenues, aut fila ambientia & gyrantia tum capita columnarum, tum corpus earum & bases. Hoc enim significat Graecum κρίκοι, & Hebraeum חשוקים *chasukim*, vt patet cap. 38 v. 10. & 12. ita Abulensis.

SIMILITER ET IN LATERE AQVILONIS (quod est latus longitudinis atrij, aequè vt latus Meri-VERS. 11.
D dianum illi oppositum) PER LONGVM ERVNT TENTORIA (vela ex bysso) CENTVM CVBITORVM] Longitudo enim atrij erat centum cubitorum: vnde vela eius extendebantur 100. cubitis in longum, tam parte Australi, quàm Aquilonari. Ea enim parte spectabatur eius longitudo, sicut latitudo eius spectabatur à parte Orientali & Occidentali fuit ergo atrium quadrangulum: nam longitudo eius erat dupla ad latitudinem. Erat enim longum 100. cubitis latum verò 50. Asserit Iosephus tabernaculum in medio atrij fuisse collocatum, quod aliqui praecisè de medio geometrico intelligunt, ac proinde censent tabernaculum à parte longitudinis habuisse ante se, putà ad Orientem, 35. cubitos atrij; post se ad Occidentem habuisse totidem cubitos ex atrio. bis enim 35. faciunt 70. quae addita ad 30. cubitos,

quibus longum erat ipsum tabernaculum, faciunt cubitos 100. quæ erat longitudo totius atrij.

Verùm quia 35. cubiti post tabernaculum ferè fuissent frustra, & accidissent valdè spatium anterius atrij, quò ferè confluebat populus ad sacra & sacrificia, quæ fiebant ante tabernaculum in hac anteriori siue Orientali parte atrij: nec enim spatium 35. cubitorum capere poterat tantum populum; hinc verisimilius est quod ait Philo, Abulensis & alij, tabernaculum æquali spatio distasse à tribus atrij partibus, videlicet à duobus atrij lateribus, & à tergo. Id spatium erat 20. cubitorum: ergo à parte anteriori habebat tabernaculum ante se atrium non 35. sed 50. cubitorum, quod ingentem capiebat populum. Adde enim ad hos cubitos 50. atrij, 30. cubitos longitudinis ipsius tabernaculi, ac denique 20. cubitos atrij post tabernaculum, complebis cubitos centum, quæ erat longitudo totius atrij.

Atriū ante tabernaculum habebat 50. cubitos in longitudine.

Rursum, tabernaculum in latere Aquilonari distabat ab atrij columnis & ambitu viginti cubitis, & totidem in Australi. Adde enim his 40. cubitis atrij, qui vtrimque ex vicenis consurgunt, 10. cubitos latitudinis ipsius tabernaculi, complebis 50. cubitos, quæ erat latitudo totius atrij.

Nota. Quælibet columna atrij cum suo velo alta erat quinque cubitos, vt patet v. 18. tabernaculum verò erat duplo altius: erat enim altum decem cubitos, idque vt esset in conspicuo, & eminus extra atrium conspici posset.

Tropolog. columna est laboris constantia.

Tropolog. Rupertus, Sexaginta, inquit, atrij columnæ, putà 20. ab Austro, 20. ab Aquilone, 10. ab Oriente, & 10. ab Occidente significant laborem assiduum & constantem in obseruandis Dei præceptis, quibus ad cælum tendimus. Sex enim significant tempus præsentis vitæ, 10. decalogum (sexies autem decem faciunt 60. qui est numerus columnarum atrij) cuius perfecta obseruatione per totam vitam nostram, ad futuram in cælis gloriæ perfectionem perueniemus.

Qui ergo eò, & ad apicem virtutis contendit, laboret & sit constans vt columna, iuxta illud Horatij lib. 3. Carm.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida,
Nec fulminantis magna manus Iouis.

Constantia enim opus est ad vincendam, Primò, innatam nobis animi mollitiem, & pronitatem ad voluptuosa: Secundò, ad superanda ardua, difficultates & tentationes, quæ in operibus virtutum, præsertim heroicis occurrunt. Tertiò, requiritur constantia ad perseuerantiam. Multi enim bene incipiunt, sed sensim languescunt.

Diogenes, teste Laërtio l. 6. cuidam monenti, vt iam senex quiesceret à laboribus: *Quid*, inquit, *si in stadio currerem, vtrum oporteret, an meta vicinum cursum remittere, an magis intendere?* q. d. Non debeo refrigescere, cùm ad finem vitæ & agonis accedo, sed magis accendi.

Constantiæ speculum fuit Cato Vticensis, quem cùm rebus deploratis amici hortarentur, vt ad Cæsaris clementiam confugeret, respondit: *Eorum qui victi sunt, & qui deliquerunt, est supplicare; Cato nec victus, nec captus est, qui se per omnem vitam inuictum præstitit, ac Cæsarem honestate & iustitia longè superauit.*

A Et Socrates, qui ad mortem damnatus, ad iudices conuersus: *Parendum*, ait, *magis est Deo immortali, quàm vobis. Itaque quamdiu spirabo, à philosophando, & vos admonendo non desistam.* Eius hæc erat sententia: *Sicut statua vel columna basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoueri debet.* Vnde Xantippe vxor Socratis de eo prædicabat, quòd semper vidisset illum eodem vultu reuertentem domum, quo exierat.

Theodorus Lysimacho minitanti mortem crudelissimam: *Minitare*, ait, *hæc purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humine an in cruce putrescat.*

Seneca, *Bonus*, ait, *vir est, qui eousque perducit affectu animum, vt non tantùm peccare non velit, sed etiam non possit.*

Anaxarchus, cùm à Nicocreonte Cypri tyranno, in saxo concauo tunderetur, infracto animo
B ait, *Tunde, tunde, Anaxarchi vasculum; at Anaxarchi constantiam non teres.*

Zeno dicebat, *facilius esse vtrem inflatum mergere, quàm quemuis probum virum inuitum ad aliquid agendum cogere. Nam inuictus animus rectæ rationis placitis confirmatus, cedit nemini.*

Capta ab Alarico Roma, Gothus mulierem valdè pulchram ad sui obsequium & amorem inuitauit. Vbi verò eam studio pudicitiæ libidini suæ reluctari conspexit, strictum gladium iugulo intentauit, ac demum etiam ferijt. Cùm virgo tota sanguine perfusa, ne sic quidem de sententia cederet: tum constantiam admiratus, ad basilicam S. Petri adduxit, ac datis sex alimoniæ causa nummis aureis, eam templi custodibus commendauit. ita Sigon. lib. 10. Imper. occid.

Nota est constantia S. Vincentij, Laurentij,
C Ambrosij, Athanasij, Antonij, Hilarionis, Luciæ, Agnetis, Mathathiæ, Machabæorum, &c.

S. Chrysost. homil. 77. in Matth. *Semper*, ait, *stare, & numquam cecidisse, diuinum est atque mirabile.*

S. Nazianzen. orat. de seipso: *Ego*, ait, *ille idem sum, nec immutor, vti polypi à petris quibus adhærent.*

S. Cyprianus l. 4. epist. 2. *Decet graues viros, semel super petram robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento, nec turbine commoueri.*

S. Anselmus in Similitudin. cap. 173. *Quadratus*, ait, *lapis sex æqualia habet latera; in quod horum ceciderit, firmiter stabit. Sic prouidendum est viro iusto, vt in suo persistat proposito. Huius autem latera sex hæc sunt, prosperitas, aduersitas, sui libertas, subiectio, in secreto esse, & in publico: in quibus singulis, si à diabolo impellatur, stet, nec à proposito moueatur.* Nunc redeamus ad columnas atrij.

D Idem quod columnæ, significant 50. cubiti latitudinis atrij; significat enim quinquagenarius numerus initia credentium, quæ in remissione peccatorum & spe futuræ beatitudinis celebrantur. Idem significant centum cubiti longitudinis atrij: nam centenarius, qui ex denario in se ducto consurgit (decies enim decem faciunt centum) qui duplus est ad 50. vitæ cælestis habet figuram. Vnde Noë centesimo anno perfecit arcam, centenario Abrahæ nascitur filius promissionis Isaac, Abraham centenarius peregrinatur in terra promissionis, Isaac centuplum seminis in Geraris, id est in peregrinatione, iacti accepit: sic Christus relinquentibus temporalia promisit centuplum, id est gaudium amplum ex fraterna societate, & ex spe vitæ cælestis nunc: & tunc, putà in cælo, gaudium immensum ex possessione regni

Centenarius symbolum est vitæ cælestis.

regni cælestis. Centum ergo cubitos habet atrium: quia qui Ecclesiæ filij sunt, necesse est vt pro æterna in cælis vita, laborem in se patientiæ & continentiæ temporalis assumant. ita Beda.

Ita S. Franciscus rogatus, quomodo tam tenui veste hiemale frigus & gelu toleraret, respondit: *Si superna patria flamma per desiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur.* Et S. Dorothea à Fabricio præfecto torta, cùm ad capitale supplicium duceretur: *Gaudeo*, ait, *me ad sponsum pergere, cuius paradisus omnium florum ferax amœnitiis vernat, quàm duci possit.* Vnde & ex hoc paradiso, post mortem rosas, Theophilo eas poscenti, in Februario misit, itaque eum ad Christum conuertit. Vis esse perfectus? vis esse cælestis? cælestia cogita, quæ sursum sunt sapias, Dei voluntatem adimple. Porro *voluntas Dei, quam Christus & fecit & docuit, est humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere: amare in illo quod pater est, timere quod dominus est: Christo nihil omnino præponere; quia nec nobis quidquam ille præposuit*, inquit S. Cyprianus tract. de Orat. Domin.

Vers. 13. In ea quoque atrii latitudine quæ respicit ad Orientem quinquaginta cubiti erunt] Sensus huius versus & sequentium vsque ad 17. hic est: Sicut longitudo atrij erit centum, sic latitudo erit 50 cubitorum, idque vndique, tam ad Occidentem, vt dixi versu præced. quàm ad Orientem, vti hic dico. Hi 50. latitudinis cubiti in atrio ante tabernaculum, putà in Orientali parte atrij, per suas columnas & vela quæ illam cingunt, ambiunt & terminant, ita distribuentur, vt 20. medijs cubitis pateat ingressus & aditus ad atrium & tabernaculum: reliqui triginta ita diuidentur vtrimque, vt 15. ad Austrum, totidem ad Aquilonem cum tribus vtrimque columnis & basibus relinquantur. Hinc sequitur, inter singulas columnas 5. cubitos, seu velum 5. cubitorum fuisse interiectum. Erant enim decem columnæ in latitudine atrij: quinquies autem decem faciunt quinquaginta, quæ erat latitudo atrij.

Vers. 16. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta: columnas habebit quatuor] Hic describitur introitus & quasi porta atrij, quæ proinde splendidior erat. Habebat enim velum picturatum ex bysso, purpura, cocco & hyacintho, cùm reliqua atrij vela essent ex nuda bysso. Hic ingressus habebat quatuor columnas, in quibus hoc velum appendebatur, ac proinde erat 20. cubitorum: quæque enim columna ab alia distabat 5. cubitis, vt dixi: inter has quatuor columnas, tres, vt patet, interceptæ erant viæ, quibus reducto vel eleuato velo, patebat ingressus in atrium.

Introitus tabernaculi descriptio.

Vers. 17. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis] Non quasi hisce laminis totæ columnæ operirentur, vti arca, mensa, & tabulæ tabernaculi aureis laminis omnino tegebantur; sed quòd tenuibus argenti laminis, instar filorum, columnæ hæ circumdarentur in gyrum, spatio medio inter gyros vacuo relicto, quod est quasi opus interrasile, diciturque cælatura, vti passim hic noster Interpres illud nominat. hoc enim significat Hebræũ חשק *chascuc*, quo nomine non est vsus Moses in laminis arcæ, mensæ & tabularum. ibi enim vsus est verbo צפה *tsippa*, quod tegere vel obtegere significat. ita Abulensis.

Et habebit bases æneas] Iosephus lib. 3. c. 5. ait, has bases æneas fuisse mucronatas, imæ hastæ similes, itaque per hanc suam aciem fuisse in terram defixas. Vers. 18.

Et cæremonias] Hebraicè, *in omnem cultum*, siue *ministerium cæremoniale ad colendum Deum*. Sic Noster accepit nomen *cæremonia* cap. 38. v. 21. aliàs ferè hoc nomen *cæremoniæ* significat præcepta cæremonialia, quæ ritum colendi Deum ex placito ipsius Dei præscribunt. Vers. 19.

Tam paxillos eius, quam atrii, ex ære facies] Paxilli, id est claui, qui ad hoc tam in atrio, quàm in tabernaculo facti sunt, vt infixi columnarum summitatibus foras eminerent, & impositis sibi velorum vel cortinarum funibus, sic ea leuantes à terra suspenderent. Addit Iosephus, factos etiam esse annulos, quibus innecterentur funes, qui clauis æreis cubitalibus humi confixi columnas firmarent, & contra ventorum vim tabernaculum munirent.

Afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum] Nota τὸ *contusum*, q. d. Non molitum, quod amurca & fæce plenum est, sed vel sponte fluens, vel certè pili tunsione ex oliuæ sola carne, vel pulpa expressum. Vers. 20. *Olei lucernarum descriptio.*

Vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii] Pro *testimonij*, hebr. est מועד *moed*, quod Primò, testimonium significat, sicut עוד *heid*, à quo deducitur, testari significat. Secundò, propriè & genuinè *moed* significat conuentum, congregationem, cœtum, ecclesiam, à radice יעד *iaad*, id est conuenire. Dicitur ergo tabernaculum *moed*, id est conuentus, eò quòd ibi Deus conueniret Mosen, & cum eo loqueretur, vt patet c. 25. 22. & c. 29. 42. Noster interpres verò *moed* vertit *testimonium*, vocatque *tabernaculum testimonij*, eò quòd tabernaculum contineret legem, quæ erat testimonium voluntatis & fœderis diuini. Vers. 20. & 21. *Tabernaculũ moed, id est testimonij, vel conuentus.*

Extra velum quod oppansum est testimonio] *Testimonio*, id est arcæ continenti testimonium, id est legem, siue tabulas legis. Hinc Oecumen. in cap 9. ad Hebræos, & Elias Cretensis in orat. 3. de Theologia Gregor. Nazianzeni post initium, tria numerant tabernacula; Primum extimum, putà atrium, quod clausum erat cortinis per latera, sed supernè patens, de quo hoc capite egit Moses; quod ab Apostolo Hebr. 9. 1. putant vocari *Sanctum sæculare*, siue, vt græcè est, *κόσμικον*, id est mundanum, eò quòd omnibus commune erat, inquit Chrysostomus: in hoc erat æneum altare holocaustorum sub dio. Secundum tabernaculum erat Sanctum, quod erat quasi templum sacerdotum, quod Apostolus vocat tabernaculum primum: hoc vndique clausum erat, & nexum Sancto sanctorum: in hoc erat candelabrum, altare thymiamatis, & mensa panum propositionis. Tertium tabernaculum erat Sanctum sanctorum, soli pontifici patens: in illo erat arca cum propitiatorio & Cherubim, item vrna cum manna & virga Aaronis. Verùm hac de re dixi Hebr. 9. vers. 1. Vers. 21. *Tabernacula tria, quæ.*

Vsque

VSQVE MANE LVCEAT CORAM DOMINO] Hinc A patet de die non arsisse lucernas in candelabro, licet id putent Caietan. & Lipoman. sed tantùm de nocte. quare quod paulò antè dixit, *Vt ardeat lucerna semper*, id hîc explicat, vt *semper* idem sit quod singulis noctibus. vespere ergo accendebant sacerdotes lucernas, vt tota nocte arderent; manè verò eas extinguebant, mundabant, componebant, & oleum infundebant. Id ita esse patet tam ex hoc loco, quàm Leuit. 24. 3. & 2. Paralip. 13. v. 11. & 1. Regum 3. 3. ita Abulensis, Oleaster, & alij.

Nocte ardebant lucernæ, manè extinguebantur.

Iosephus tamen lib. 3. Antiqu. c. 9. asserit, sacerdotem manè extinxisse quatuor lucernas, & permisisse tres reliquas ardere: vesperè verò rursum quatuor quas manè extinxerat, accendisse, ita vt omnes septem lucerent per noctem. Fauere videtur huic sententiæ, quòd tabernaculum tam per B diem, quàm per noctem vndique obuelatum erat, nec haberet fenestram, per quam lumen admitteret: ergo videtur opus habuisse etiam per diem lucerna aliqua ardente.

Verùm hoc non adeò certum est: nec enim Iosephus vidit hoc tabernaculum, sed templum; & Scriptura tribus quatuórve locis iam citatis, nullam lucernæ alicuius per diem lucentis facit mentionem, sed simpliciter & constanter asserit lucernam vespere fuisse accensam, & luxisse vsque ad manè; quo satis innuit manè fuisse extinctam, & per lucernam intelligit non vnam, sed omnes septem, vt videtur, quæ erant in candelabro. Iam enim antè dixi tabernaculum admisisse lumen per velum anteriùs reflexum, & aliquousque eleuatum. hoc enim velum erat loco ostij in tabernaculo.

Dices, Iosephus lib. 8. Antiqu. cap. 2. ait Salomonem fecisse candelabrum vnum quod interdiu arderet.

Respondeo, Græcè pro *interdiu*, est *καθ' ἡμέραν*, quòd verbotenus significat *per diem*, id est, quotidie. quod verũ est: quia quotidie per noctẽ ardere debebat lucerna. alioqui enim Iosephus Scripturæ omninò foret contrarius, cùm dicat ex legis præscripto id fieri debuisse: Script. enim nusquã præcipit vt per diem accendatur lucerna: imò hîc & alibi tantùm per noctem eam accendi iubet.

In Sancto ergo tantùm nocte ardebant lucernæ, eæque omnes ad mysterium, vt scilicet significaretur, quòd lucernæ viuæ, id est doctores & sacerdotes, sola nocte huius sæculi, id est in Ecclesia hac, rudiores illuminent. (Hinc dixit Plato, *viros bonos non longa vita, sed clara & illustri opus habere.*) nam in die æternitatis, cùm erimus in Sancto sanctorum, nulla erit lucerna, non sol, non luna, sed lucerna eius est agnus, Apocal. 21. 23. Qua de causa etiam in Sancto sanctorum positum non erat candelabrum, sed omnia ibi erant obscura, vt Deum ibi loquentem tegerent, & significarent nos futuram in cælo gloriam hîc per tenebras & ænigmata tantùm contemplari. ita Beda lib. 3. de Tabern. c. 1. & Radulphus lib. 17. in Leuit. 4.

Mysticè.

PERPETVVS ERIT CVLTVS] Ritus hic accendendi vespere lucernas erit perpetuus, intellige in lege & religione vestra, quia omni tempore legis & iudaismi durabit. vnde additur, *per successiones eorum*, scilicet sacerdotum Aaronicorum, qui à filijs Israel iugiter recipiant oleum ad accendendas quotidie lucernas.

Mysticè, populus offert oleum, id est, conscientiam puram, fœcundam & deuotam, vt eam sacerdotes igne charitatis, & lumine cælesti accendant, ita Beda.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur vestes pontificis, & v. 40. minorum sacerdotum, scilicet Primò, ephod, v. 6. Secundò, rationale cum 12. gemmis, v. 15. in quo erat doctrina & veritas, v. 30. Tertiò, tunica hyacinthina, in qua erant mala punica & tintinabula, v. 31. Quartò, tiara cum lamina aurea, cui inscriptum erat, Sanctum Domino, *v. 36. Quintò, tunica linea cum baltheo, v. 39. Sextò, femoralia, v. 42.*

1. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar. 2. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. 3. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. 4. Hæc autem erunt vestimenta quæ facient: Rationale, & superhumerale, tunicam & lineam strictam, cidarim & balteum. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron & filijs eius, vt sacerdotio fungantur mihi. 5. Accipientque aurum & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum. 6. Facient autem superhumerale de auro & hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta opere polymito. 7. Duas oras iunctas habebit in vtroque latere summitatum, vt in vnum redeant. 8. Ipsa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta. 9. Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: 10. sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. 11. Opere sculptoris & cælatura gemmarij, sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos: 12. & pones in vtroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumque humerum, ob recordationem. 13. Facies & vncinos ex auro,

14. &

14. & duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi inuicem cohærenres,quas inſeres vncinis.
15. Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxra rexturam ſuperhumeralis, ex auro,hyacintho,& purpura,coccoq; bis tincto, & byſſo retorta. 16. Quadrangulum erit & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine.
17. Poneſq; in eo quattuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis ſardius, & topazius,& ſmaragdus: 18. in ſecundo carbunculus, ſapphirus, & iaſpis: 19. in tertio ligurius, achates, & amethyſtus: 20. in quarto chryſolitus, onychinus & beryllus. incluſi auro erunt per ordines ſuos. 21. Habebuntque nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. 22. Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo:
23. & duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis ſummitate: 24. catenaſque aureas iunges annulis,qui ſunt in marginibus eius: 25. & ipſarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis quod rationale reſpicit. 26. Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis, in oris,quæ è regione ſunt ſuperhumeralis,& poſteriora eius aſpiciunt. 27. Nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali, 28. & ſtringatur rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina,vt maneat iunctura fabrefacta, & à ſe inuicem rationale & ſuperhumerale nequeant ſeparari. 29. Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. 30. Pones autem in rationali iudicij Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino: & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper. 31. Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam, 32. in cuius medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facilè rumpatur.
33. Deorſum verò, ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, 34. ita vt tintinnabulum ſit aureum & malum punicum, rurſumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum. 35. Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. 36. Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere cælatoris Sanctum Domino. 37. Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram, 38. imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obrulerunt & ſanctificauerunt filij Iſrael, in cunctis muneribus & donarijs ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte eius, vt placatus ſit eis Dominus. 39. Srringeſque tunicam byſſo; & tiaram byſſinam facies, & balteum opere plumarij. 40. Porro filijs Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem: 41. veſtieſq; his omnibus Aaron fratrem tuum,& filios eius cum eo. Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos,vt ſacerdotio fungantur mihi. 42. Facies & feminalia linea,vt operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus vſque ad femora: 43. & vtentur eis Aaron & filij eius quandò ingredientur tabernaculum teſtimonij, vel quando appropinquant ad altare vt miniſtrent in Sanctuario,ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini eius poſt eum.

VERS. I. APPLICA QVOQVE AD TE AARON FRATREM TVVM CVM FILIIS SVIS] Hebr. *accedere fac ad te fratrem tuum cum filijs*, vt ſcilicet eos ſacerdotes conſecres, & veſtibus ſacerdotalibus induas. Vide hîc vocationem diuinam ſacerdotum Leuiticorum ad miniſteria Dei: & quàm nemo præſumere debeat tale officium, niſi qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Nouatores vertiginis ſpiritu exciti non Deo vocante, ſed ſponte ſe ingerunt ſacris.

Quòd autem Moſes fratrem ſuum ſacerdotem ordinat,quid aliud myſticè commendat,niſi quòd omnes qui Aaron, id eſt ſacerdotes & doctores eſſe volunt, tanto ſtudio & amore debent meditationi diuinæ legis (hanc enim repræſentat Moſes legiſlator) inhærere, vt quaſi germana videantur ei coniunctione deuincti?

Allegor. Allegoricè, Aaron fuit typus Chriſti, qui eſt A frater Moſis, quia Chriſtus & Moſes, id eſt teſtamentum vetus & nouum, quaſi fratres ſibi aſſimilantur,conueniunt & reſpondent.

FACIESQVE VESTEM SANCTAM] Veſtes ſanctas, putà ſacerdotales. eſt enallage numeri. Nota. Veſtis ſacerdotum dicitur ſancta,quia oleo erat conſecranda, Deique cultui dicanda,& à profanis vſibus remouenda, atque à ſolis ſanctis, id eſt ſacerdotibus Deo ſanctificatis, id eſt conſecratis,in loco ſancto vſurpanda. VERS. 2.

Porro, hîc inuerſo ordine numerantur & deſcribuntur veſtes ſacerdotales: ſic enim veſtiebatur pontifex, vt patet Leuit. 8 Primò induebat femoralia: ſuper hæc inijciebat tunicam lineam, eamque zona ſtringebat: huic ſuperinduebat tunicam hyacinthinam: ſuper quam ephod cum rationali accingebat ſecunda zona: capiti imponebat tiaram, cui affixa erat lamina aurea, *Ritus veſtiendi pontificem.*

aurea, cum hac inſcriptione, *Sanctitas Domino.*

In gloriam et decorem] ſacerdotum & ſacerdotalium munerum; vti in nouo teſtamento ornamenta ſacerdotalia (fremant licet hæretici) eadem de cauſa rectè cultui diuino adhibentur. Nam, vt rectè argumentatur B.Iuo Carnotenſis epiſt.114 ſi in lege veteri ita ornatus fuit ſacerdos; ergo multò magis in lege noua, oportuit ſacerdotem vti ſacris veſtibus ad diuinum cultum, ac præſertim ad conſecrandum corpus & ſanguinem Domini. hoc enim poſtulat decentia, æquitas & reuerentia naturalis; & ſecùs facere eſſet inciuile, profanum, ruſticum & barbarum. Fuit, & eſt alius quoque harum veſtium vſus, ſcilicet Primò, vt ſacerdos populi memoriam ſemper animo, vt veſtibus, inſcriptam gereret, pro eoque Dominum inſtanter deprecaretur. Secundò, vt per eas ſacerdos iuſtitiæ & ſanctitatis, æquè ac doctrinæ & ſtudij legis, atque omnis officij ſui admoneretur. vide Bedam.

Veſtium ſacerdotaliũ cauſa.

Vers.3. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron] Sapientes corde hic vocantur periti artifices, putà ſartores, phrygiones, gemmarij, &c. vt patet c.36.1. Sapientia enim & prudentia confunduntur apud Hebræos, & latiſſimè accipiuntur, vt etiam artem & peritiam mechanicam ſignificent. Porro erant hi artifices Beſeleel & Ooliab, eorumque adminiſtri, de quibus cap.35.30.

Spiritus in Script. quid?

Spiritu prudentiæ] id eſt prudentia à me aſpirata. Spiritus enim hebraicè cuiuis habitui, actioni & rei vitali tribuitur per metaphoram, & ferè connotat rem aliunde eſſe acceptam & aſpiratam. Sic ſpiritus lenitatis, eſt ipſa lenitas à Deo aſpirata, Galat.1.6. ſapientiæ & intellectus, eſt ipſa ſapientia & intellectus, Eccli.15.5. Sic Iſaiæ 11. ſeptem dona Spiritus ſancti vocantur ſpiritus conſilij, fortitudinis, timoris, pietatis. &c. id eſt conſilium, fortitudo, timor, pietas donata & aſpirata à Spiritu ſancto. ita S.Cyprian.l.1.contra Iudæos cap.20. Hilar.in Matth. can.15. Nazianz.orat.in Pentecoſten, Baſil.contra Eunom.ſerm.5.cap.14. Auguſt.contra Fauſt.l.12.c.15.

Porro *prudentia* hîc artem ſignificat. *Spiritu* ergo *prudentiæ*, id eſt arte fabricandi vel conficiendi has veſtes ſacras; quæ ars eſt donum Dei naturale, vti ſunt & cæteræ artes: aliquando tamen eſt donum ſupernaturale infuſum à Deo, vti hic accidiſſe ſatis innuitur c.35.30. vti dicitur de Beſeleel: *Impleuitq́ue eum* (Deus) *ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento & ære, ſculpendiſq́ue lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eius*, &c.

Vers 4. Tunicam] ſcilicet hyacinthinam, quæ hebr. מְעִיל *meil*, & latinè abſolutè tunica dicitur: alia verò tunica vocabatur כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ *ketonet tasbets*, id eſt, tunica linea ſtricta. ita Hebræi, Chald. & Septuag. radix enim Hebræa שָׁבַץ *ſcabats* ſtringere ſignificat: hæc enim tunica inſtar interulæ ſtringebat corpus. Alij Hebr. *tasbets* vertunt tunicam incluſionis, in qua videlicet incluſæ erant 12. gemmæ. Alij, teſte S.Auguſt. vertunt tunicam cum cornibus, id eſt cirris. Alij, tunicam ocellatam, id eſt opere phrygionico ocellis pictam. Hi omnes per hanc tunicam, accipiunt hyacinthinam, non lineam: verùm dum ab antiquis deuiant, in plurima incerti abeunt.

Tunica hyacinthina.

Magis credendum eſt vni S.Hieron. ad Fabiolam de veſt. ſacerd. vbi diſertè *meil* interpretatur tunicam hyacinthinam, *ketonet* verò tunicam lineam. idque ita eſſe patet Exodi 39.v.22.& 27.& Leuit.8.7. in Hebræo.

Facient autem superhumerale de auro et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito] Prima hæc eſt ſacerdotis veſtis, quæ dicitur *ſuperhumerale*, ſiue, vt Septuag. ἐπωμίς, &, vt Aquila, ἐπένδυμα. hebr. dicitur אֵפוֹד *ephod*, id eſt pallium, ſiue extima veſtis, quæ alijs ſuperinduitur, à radice אָפַד *aphad*, id eſt ſuperinduit, ſuperinduxit. Ephod autem erat veſtis propria pontifici, quæ tam pectus quàm humeros eius tegebat, eratque ferè inſtar interulæ pertextæ vndique, ſed supernè, vti & infernè, omnino patentis. Nulla ergo pars ephod vel in pectore, vel in dorſo, vel ad latera patebat, nulla quoque erat nodis aut fibulis connexa, vt ijs amotis aperiri poſſet: erat enim ephod continua & vniformi textura vndique contextum & pertextum. Vers.6.

Prima veſtis pôtificia ephod, ſiue ἐπωμίς, id eſt ſuperhumerale deſcribitur. Primò.

Secundò, ephod porrigebatur vſque ad cingulum: eo enim cingebatur. *Secundò.*

Tertiò. in ephod circa pectus patebat locus rationali inſerendo. hinc licet ephod à Philone vocetur pectorale, potiùs tamen à Septuag. Noſtro, & alijs vocatur ſuperhumerale: quia in humeris integrè pertextum erat, cùm in pectore locus eſſet patulus pro rationali. *Tertiò.*

Quartò, ephod in humeris habebat duos lapides onychinos, in quibus inſculpta erant 12. nomina filiorum Iſrael, vt patet v.9. *Quartò.*

Quintò, ephod contextum erat & variegatum ex filis aureis hyacinthinis, purpureis, coccineis & byſſinis opere polymito, vt patet hoc verſu. *Quintò.*

Sextò, putant Abulenſ. & Sixtus Senenſis l.3. Biblioth.cap.12 ephod caruiſſe manicis, fuiſſeque inſtar ſcapularis monaſtici. Sed verius eſt ephod habuiſſe manicas: id enim diſertè docet Ioſephus. Ioſephi verba ſi ea rectè vertas, hæc ſunt: *Ephod fit ex varijs coloribus auro intermiſto: ita contexitur deorſum cubitali menſura, vt circa medium pectus lacuna relinquatur* (rationali inſerendo) *& cum manicis fabricatus, omniq́ue figura in modum tunicæ factus eſt.* *Sextò.*

Denique Philo l.2.de Monar. docet pectorale ſiue ephod fuiſſe inſtar thoracis. thoraci etiam ſimile fuiſſe ephod aſſerit Ioſephus lib.6. Belli c.6. Sicut ergo milites ornantur & muniuntur thorace, ita ſacerdotes ephod: ipſi enim ſunt milites Dei & templi, vti alibi dixi.

Ephod erat inſtar thoracis.

Opere polymito] Id eſt, opere variorum colorum & liciorum. vnde Septuag. vocant opus textile variegatoris. Nam ephod textum erat ex ſtamine byſſino, & ſubtegmine tricolori, videlicet hyacinthino, coccineo & purpureo, ait S.Hieron. intermiſtis filis aureis. Tale erat hoc ephod, quo ſolus vtebatur pontifex. Erat enim aliud ephod lineum, ſiue byſſinum & toto candore puriſſimum, quo vtebantur inferiores ſacerdotes & Leuitæ, quin & laici qui quoquo modo cultui diuino deſeruiebant, vti docet Abulenſ. in 1.Reg.22.q.27. Tale fuit ephod Samuelis 1.Reg.2.18. & ſacerdotum à Saule occiſorum 1.Reg.22. v.18. tali etiam vſus eſt Dauid ſaltans ante arcam 2 Reg.6.14. ita S.Hieron. ad Fabiol. de veſt. ſacerd.

Duplex ephod.

DVAS

Vers. 7. DVAS ORAS IVNCTAS HABEBIT IN VTROQVE LATERE SVMMITATVM, VT IN VNVM REDEANT] Hebraicè est, *duo humeri iuncti erunt ad extremitates eius, & sic coniungetur.* q.d. Ephod non sub axillis ad latera, vti putat Abulensis & alij, sed supra vtramque humeri partem duas habebit oras, vt per eas commodiùs pontifex possit caput inserere, itaque ephod induere: cùm autem induisset pontifex ephod, tunc hæ oræ nectebantur fibula. Addit Ioseph. duos lapides onychinos in humeris, de quibus v.9. vice fibularum fuisse.

Ora ephod.

Hinc noster Interpres has duas oras vocat oras summitatum, quia non in latere ephod, sed ad caput & humeros erant, cùm reliquum corpus in ephod esset textura continua, vti dixi. hinc ephod dicitur ab אפד *aphad*, quod non tantùm superinduere, sed & cingere vel arctare significat, vt patet Exodi 29 5. Leuit 8. v. 7. in Hebræo, eò quòd ephod laxiores vestes inferiores arctaret, & omnino cingeret arcta & continua sua pertextura. ita Oleast. Caiet. & Arias in Aarone.

Septuag. has duas oras vocant duas epomides, id est duas partes, putà anteriorem & posteriorem, epomidis.

Vers. 9. SVMESQVE DVOS LAPIDES ONYCHINOS] Ita vertunt & alij passim. Soli Septuag. vertunt, *sumes duos smaragdos.* Iosephus hos onychinos vocat sardonyches, siue à patria, quòd scilicet Sardis allati essent, siue à colore, quòd colore sardio ruberent, inquit S.Hieron. Addit Iosephus onychinum qui à dextris erat, quoties pontifex sacrificabat, tanto fulgore micasse, vt etiam eminùs conspiceretur.

Onychini ephod.

Vers. 9. 10. ET SCVLPES IN EIS NOMINA FILIORVM ISRAEL: SEX NOMINA IN LAPIDE VNO, ET SEX RELIQVA IN ALTERO, IVXTA ORDINEM NATIVITATIS EORVM] Sex seniorum filiorum Iacob nomina, putà Ruben, Simeon, Iudas, Dan, Nephthali & Gad, insculpta erant onychi dextro, ait Ioseph. sex reliqui insculpti erant sinistro, putà Aser, Issachar, Zabulon, Ephraim, Manasses & Beniamin. vide de his filijs Genes. 29. & 30. Leui enim inter 12. tribus non numeratur, licet eum numeret Abulensis hîc: sed eius loco & loco Ioseph, duo filij Ioseph, scilicet Ephraim & Manasses, successerunt adoptati in filios ab auo Iacobo, Gen. 48. v. 5. ita Iosephus lib. 3 11. Ipse enim sacerdos, vtpote Leuita, per se suam tribum Leui repræsentabat; vnde non fuisset congruum inscribere Leui vesti sacerdotis.

Mysticè, significabatur sacerdotem ex officio, debere orare pro singulis populi tribubus, easque quasi humeris suis portare, vt esset velut Atlas populi.

Vers. 11. CÆLATVRA GEMMARII] Hebr. *apertionibus*, id est sculpturis, *sigilli.* q.d. Ita exsculpes hos duos onychinos, eisque insculpes nomina filiorum Israel, sicut sigillum solet exsculpi & insculpi literis & insignibus heri sui.

INCLVSOS AVRO ATQVE CIRCVMDATOS] Hebraicè est, *circumdatos clausuris*, vel *palis aureis.*

Vers. 12. ET PONES IN VTROQVE LATERE SVPERHVMERALIS, MEMORIALE FILIIS ISRAEL] Hebraicè est, *pones in vtroque latere ephod lapides memoriæ filiis Israel*, vel *filiorum Israel*, siue, vt Chald. *lapides memoriales filijs Israel*; idque tripliciter. nam, vt docet Beda l. 3. de Tabern. c. 4. tres ob causas Aaron pontifex nomina patriarcharum inter sacrificia sem-

Ephod insculpta erãt nomina 12. patriarcharũ, cur?

A per in humeris, æquè ac in pectore portabat. Prima erat, vt ipse fidei, probæque vitæ duodecim patriarcharum semper meminisset, eamque imitaretur. Secunda, vt 12. tribuum, quæ ex his patriarchis prognatæ sunt, in orationibus & sacrificijs memor existeret. ita & S.Hieron. Tertia, vt populus videns nomina patrum scripta in veste præsulis sui, curaret sedulò ne ab illorum meritis desciscens, ad errorum contagia declinaret. ita S. Hieron. Quarta, vt sciat pontifex populum & subditos sibi portandos esse non tantùm in pectore, sed & in humeris. in pectore portantur, cùm amantur; in humeris, cùm illorum onera feruntur, iuxta illud Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Gemit sub onere paupertatis proximus, onus eius eleëmosynis

Prima causa. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

B subleua: sub onere ægritudinis decumbit, erige: sub fasce peccati iacet, attolle: cholericus est, melancholicus, pusillanimis, fer & porta eum humeris tuæ patientiæ, charitatis, consolationis: sic adimplebis legem Dei & Christi.

Hinc allegoricè, ephod significabat obedientiam charitatis Christi, qua ipse humeros suos pro peccatis nostris cruci supposuit, inquit Rupert. vnde duo lapides onychini significabant duo hemisphæria, inquit Philo, & S.Hieron. putà totum mundum, pro quo passus est Christus. Ita Abbas ille in Vitis lib. 5. c. 10. in fine, habitum priscorum monachorum explicans, ait: *Cucullum, quo vtimur, signum est innocentiæ: superhumerale, quo humeros & ceruicem alligamus, signum est crucis: zona verò qua cingimur, signum est fortitudinis. Conuersemur ergo iuxta id quod habitus noster significat: quia omnia cum*

Alleg. ephod erat typus obedientia Christi.

C *desiderio facientes, numquam deficiemus.*

Tropologicè, ephod significabat onus euangelicum & iugum Domini. In huius enim susceptione & obedientia, consistit perfectio & felicitas Christiani. Ita & Gentilis Agesilaus rogatus, quare Spartani alijs feliciores & potentiores essent: *Quia*, inquit, *plus quàm alij exercent se in imperãdo & obediendo.* Et Agis rex rogatus, quænam disciplina maximè exerceretur Spartæ: Peritia, inquit, imperandi & obediendi. Pressiùs verò veriusque Theopompus, cùm quidam diceret, Spartæ salutem inde proficisci, quòd reges haberet ad imperandum idoneos; respondit, non eam esse caussam, sed quòd ciues obedire nossent. ita Plutarch. in Lacon.

Tropolog. ephod est iugum Domini.

Quid colores varij significarint dixi c. 25. v. 3. Duæ oræ nexæ tam sinistra, quàm dextra parte,

D idque superiùs ad humeros, significabant opus externum & sanctam operationem piæ intentioni iungendam esse, tam inter aduersa, quàm inter prospera. Manicas habebat ephod: quia onus à Deo Deique vicarijs iniunctum, statim vtraque manu complectendum est. Ephod hoc cingendum est zona, id est voluntate Dei. ita Beda. per hanc enim omnia ardua & aduersa, quæ Deus nobis quasi ephod imponit, facilè sustentantur & superantur Audi S.Hieron. ad Paulam de obitu Blesillæ: *Bonus est Deus, & omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit: sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius, durum quidem, sed tolerabile: quia sustulit ille qui dederat. Si cæcus fuero, amici lectio me consolabitur. Si auditum quoque surdæ aures negauerint, vacabo à vitijs: nihil aliud, nisi Dominum cogitabo. Imminebit super hæc & dura paupe-*

finistra, implexa, vel potiùs innexa & cōtexta erat suis circulis, vel ansulis, vti fieri solet in catenis. Vnde hebraicè est: *facies eas opere plectili*; & Septuag. *facies eas commixtas in floribus*, id est, instar florum, vt scilicet sicut flos flori in serto & corona innectitur & implectitur, ita implectas hos annulos catenularum sibi inuicem, vt fiat catena.

Hebræa addunt, *terminatas* vel *conterminas*, hoc est æquales, *facies has catenulas*, vt scilicet æqualiter in fine rationalis terminentur, eiusque annulis extremis inserantur; sed hoc satis explicatur in ipsius rationalis descriptione v. 24. & 25. vnde Noster interpres id omisit, vt vitaret hāc repetitionē.

VERS. 15. RATIONALE QVOQVE IVDICII FACIES OPERE POLYMITO] Hæc est secunda vestis pōtificis, quæ sacratissima erat pars ipsius ephod, id est superhumeralis, omniumque vestium sacerdotalium. Dicta est ab Hebræis חשן *chosen*, à Græcis λόγιον, à Latinis rationale, idque Primò, quia pontificem, & consequenter populum admonebat eorū, quæ summa prudentia & ratione ipsis in suo officio, sacrificijs & sacerdotio consideranda erant, quæque significabantur per nomina filiorum Israel, perque *vrim* & *tummim*, id est, per doctrinam & veritatem, quæ rationali inscripta erant.

Secūda vestis ora rationale, vnde dictum? Primā expositio.

Secunda. Secundò, quia rationale hoc dabat oracula, quasi mente aut ratione prouida & prophetica præditum foret: vnde rationale posset & vocale & verbale vocari. vtrumque enim significat Græcum λόγιον, inquit S. August. q. 116. vtrumque etiam significat Hebræum *chosen*. Nam à radice חשה *chasa*, id est tacuit, dicitur *chosen* per antiphrasin, quasi minimè tacens, vel quòd tacens licet, daret tamen oracula per sacerdotem.

Hebr. vocatur chosen, vnde? Primò.

Secundò. Secundò, alludit *chosen*, ad חסן *chosen* per *samech*, id est fortitudo & protectio; quia rationale hoc muniebat & protegebat pectus sacerdotis instar loricæ.

Tertiò. Tertiò, alludit *chosen*, per metathesin ad נחש *nachas*, id est diuinauit, oraculum dedit.

Rationale iudicij, dicitur, vnde? Primò. Hinc dicitur *rationale iudicij*; *iudicij* inquam, partim humani, hoc est debiti (hoc enim Hebræis significat iudicium) & officij sacerdotis, & populi Israel, cuius, vt dixi, eos admonebat; partim diuini, quo scilicet Deus sententiam suam dicebat per pontificem: pontifex enim rationali indutus de rebus dubijs consulebat Dominum, & ab eo de ijsdem erudiebatur, tamquam fungens munere pontificio nomine totius populi, ac mox ipse Dei iudicium, id est sententiam & oraculum, populo enuntiabat.

Secundò.

Tropol. rationale est prudētia & examen operum. Tropolog. rationale iudicij significat munditiam cogitationum, item prudentiam & circumspectionem, atque rationem examinis nostri tam interni quàm externi, putà tam conscientiæ quàm operum externorum, quæ maximè sacerdotem ornant. vide Bedam l. 3. de Tabern. c. 5. & Gregor. 2. p. Pastor. c. 2. & seq. Ita Abbas ille in Vitis Patr. l. 5. c. 11. n. 39. dicebat, *Debet monachus quotidie manè & serò cogitare in semetipso, quid fecit eorum quæ vult Deus, & quæ non fecit. Et ita tractantem omnem vitam suam pœnitentiam agendo, monachum esse oportet: sic enim Abbas Arsenius vixit* Idem examen manè & vespere magno sensu & spiritu compunctionis faciebat S. Ephrem, vti ipse fatetur in Vita S. Mariæ meretricis, in fine.

VERS. 16. QVADRANGVLVM ERIT] non geometricè, sed physicè. q. d. Quadrum erit: neque enim rationale hoc erat altera parte longius, sed omnibus suis partibus erat æquilaterum: nam habebat palmum siue spithamam, hoc est duodecim digitos in longitudine, & totidem in latitudine.

ET DVPLEX] putà duplicatum, & duplici tela constans, ad hoc vt sustinere possit lapides, siue gemmas in eo collocandas.

VERS. 17. PONESQVE IN EO QVATVOR ORDINES LAPIDVM] Ad mysteria hos lapidum ordines expressit & descripsit ipse Dominus. Hos lapides, inquit S. Hieron. legimus in diademate principis Tyri, Ezechiel. 28. (licet ibi tātùm nouem legantur lapides, qui significant nouem angelorū ordines, inquit S. Hier. ex singulis enim aliqui cum Lucifero, quē rex Tyri repræsentat, ceciderūt) & in Apoc. S. Ioannis c 21. sed alio ordine. in Apocal. enim duodecim lapides significant duodecim Apostolos, qui fundamenta sunt Ecclesiæ militantis & triumphantis: vnde sub horum lapidum nominibus & specie, virtutum vel ordo vel diuersitas indicatur, ait S. Hieron.

Duodecim gemmæ rationalis.

Vbi Nota, in nominibus horum lapidum, vti & herbarum, arborum, auium & animalium, cæcutire & diuinare recentiores Hebræos; proinde ne fallamur, tutissimum erit sequi S. Hieron. Septuag. & Chald. qui mirè hîc consentiunt.

Tropol. Tropolog. quatuor ordines gemmarum sunt quatuor virtutes cardinales, ait S. Hieron. ad Fabiol. quæ dum inuicem miscentur, duodecim efficiunt combinationes, vt patet si quis singulas ordine cum alijs tribus combinet, verbi gratia Primò, prudentiam cum fortitudine; Secundò, prudentiam cum temperantia; Tertiò, prudentiam cum iustitia; rursum Quartò, fortitudinem cum prudentia; Quintò, fortitudinem cum temperantia; Sextò, fortitudinem cum iustitia. & ita consequenter temperantiam & iustitiam combinet cum alijs tribus.

Tres lapides in singulis ordinibus sunt tres virtutes theologicæ, ait Beda.

Alleg. duodecim gemmæ sunt duodecim Apostoli. Allegoricè, Tertull. libr. 4. contra Marc. cap. 13. hisce duodecim gemmis docet significatos esse duodecim Apostolos: iisdem enim significantur Apostoli Apocal. 21.

Quæres, cur in 12. hisce gemmis omittatur adamas, qui inter gemmas primatum tenet? Primò, Alcazar in Apoc. 21. 19. disputans de calcedonio, censet calcedonium S. Ioannis esse carbunculum Mosis hîc, & carbunculum Mosis esse adamantem: sunt enim, inquit, carbunculi candicantes, ideoque adamantini, qui scilicet in adamantes transeunt, sicuti carbones (ex quorum similitudine carbunculus nomen accepit) dum nimis ardent, non rubent, sed candent, vti apparet in ferro candenti, quod vbi maximè ignitum est, candet: vnde à fabris ferrarijs vocatur argentum. Verùm hoc refutaui Apocal. 21. 19.

Secundò, alij censent Deum hîc in rationali pontificis omisisse adamantem, quia adamas, vtpote durus & intractabilis, symbolum est hominis præfracti & tyranni. Verùm & hoc refutaui Ezech. 3. 9. ibi enim Ezechiel à Deo comparatur adamanti, fitque adamas.

Dico ergo, genuinam huius rei causam literalē esse duplicem. Prior, quia adamas nimij est pretij. Videmus enim paruos adamantes, instar fabæ Romanæ, æstimari 40. aut 50. millibus aureorum. Quare adamas tantæ magnitudinis, vt in eo inscribi posset nomen *Iehuda*, aut alterius tribus, con-

eminens, imperturbatus, intrepidus consistat, quem A *nulla vis frangat, quem non attollant fortuita, nec deprimant. Talis animus virtus est: hæc est eius facies.* Et rursum: *Nihil,* ait, *magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Cyrus,* inquit Xenophon l. 1. *& forma fuit pulcherrimus, & animo humanissimus, & discendi adipiscendiq́ honores cupidissimus: adeóque nullum non laborem pertulit, nullum non periculum laudis gratia sustinuit.* Quid iam faciet Christianus pro laude & gloria æterna?

Tertia, smaragdus est Iudas, & S. Ioannes ob virentem virginitatem.

Tertius est smaragdus, qui maximè viret, ita vt res alias, quin & aërem suo virore inficiat; vnde hebr. vocatur בָּרֶקֶת *bareket*, id est fulgurans: hinc & à Symmacho, teste S. Hieron. vocatur Ceraunius. Smaragdus congruit Leui, inquit Abulens. sed fallitur: Leui enim nō computatur inter duodecim tribus, vti suprà ostendi. Ergo smaragdus B est Iudas, qui, si Leui excludas, fuit tertius Iacobi filius: smaragdus enim significat Iudæ fortitudinem, & sceptrum perenne, semperque virens vsque ad Christum, Genes. 49. 10.

Tropolog. smaragdus significat virginitatem. hinc Apoc. 21. tribuitur S. Ioanni, qui semper virgo mirè viruit sua virginitate. Vnde Pierius hierogl. 41. *Sunt,* ait, *qui smaragdi perpetuum clarumq́ virorem, signum virginitatis esse velint: idq́ insuper argumento addunt, in patranda re venerea, si quis lapidē attingat, eum sponte frangi.* Hoc posterius falsum esse, per experientiam asserunt matronæ coniugatæ. multæ enim annulos habent cum smaragdo, quos nec die nec nocte deponunt; qui tamen integri semper & illæsi, etiam post copulam perdurant. Sic Catullus virginem comparat flori vernanti:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro:
Sic virgo dum intacta manet, &c.

VERS. 18. *Quarta, carbunculus est Dan, & S. Iacobus frater S. Ioannis ob ardentē charitatē.*

IN SECVNDO CARBVNCVLVS, SAPPHIRVS ET IASPIS] In secundo ordine primus est carbunculus, græcè ἄνθραξ, id est carbo ignitus; huius enim speciem refert: vnde & ignem non sentit, qua de causa apyrotus dicitur à Plinio l. 37. Hic congruit Dan & Danitis, qui sua fortitudine exusserunt Laïs, Iudic. 18. 27. & Samsoni Danitæ, qui ignitos titiones alligans caudis vulpium, ijs succendit segetes Philisthijm, Iudic. 15. 5.

Tropolog. carbunculus significat ardentem charitatem: carbunculo in Apocal. respondet chalcedonius, qui carbunculo colore est similis, tribuiturque Iacobo fratri S. Ioannis, qui ardens charitate Christi, primus Apostolorum pro Christo Martyr occubuit.

Martyrium, inquit S. Cyprian. *est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, iter patientiæ, magister domus vitæ. Magna sublimitas est, ante ora Domini, aspectumq́ Christi, potestatis humanæ tormenta cōtemnere.* Rursum Laur. Iustin. de Ligno vitæ c. 4. *Charitas,* ait, *est impenetrabilis lorica, respuit gladium, iacula excutit, periculum insultat, mortem irridet, postremò vincit omnia.* Egregiè S. Aug. de laude charitatis: *Hæc,* ait, *in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris, in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos sapientissima. In Abel per sacrificium læta: in Noë per diluuium secura: in Abraha peregrinatione fidelissima: in Mose inter iniurias lenissima: in Dauid tribulationibus mitissima. In tribus pueris blandos ignes fortiter tolerat: casta in Susanna super virum, in Anna post virum, in Maria*

præter virum: libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum: humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum. Ipsa est fidei fructus, diuitiæ pauperum, vita morientium.

Quinta, sapphirus est Nephthali, & S. Andreas ob cæleste fortitudinē.

Secundus est sapphirus, qui cæruleus est, id est cælestis coloris, & aureis punctis collucet, qui que radijs solis percussus ardentem emittit fulgorem. Hic congruit Nephthali, à quo plerique Apostolorum prognati, aurea & cælestis Euangelij verba, & (vt Iacob vaticinatus est, Genes. 49. 21.) eloquia pulchritudinis orbi dederunt.

Tropol. sapphirus significat eos qui corpore in terris, mente & vita in cælis versantur. vnde in Apocal. tribuitur S. Paulo, vt vult Aretas; vel potiùs S. Andreæ, qui amore cæli & radijs Christi (biduo apud eum manens) percussus, in eius amorem exarsit, & terrena omnia, prospera æquè ac aduersa calcauit. Virilis ergo Andreas iuxta nomen suum fuit ἀνὴρ, id est vir. *Vir,* inquit Cassiodor. in psal. 1. *vocatus à viribus, est qui nescit in aduersis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se iactare: sed animo stabili defixus, & cælestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impauidus.* Et S Greg. l. 7. Mor. *Iustorum,* ait, *fortitudo est carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare.*

Sexta, iaspis est Gad, & Petrus ob robur fidei.

Tertius est iaspis, gemma firmissima & virens, ideoque smaragdo subsimilis, ait Isidor. l. 16. c. 7. Iaspis congruit Gad: tribus enim Gad fortissima præiuit alias tribus ad terram promissam, fortissimeque pro ijs dimicauit, Num. 32. 25. & Iosue 4. 12. vnde & Gad hebraicè idem est quod instructus, C accinctus, armatus, felix, Gen. 48. 19. in Hebræo.

Tropolog iaspis significat fortitudinem fidei: vnde in Apocal. tribuitur S. Petro, qui est petra & fundamentum Ecclesiæ post Christum, ideoq; feliciter hæc petra in suis successoribus Pontificibus perdurat & perdurabit. Augustus Cæsar Caio Cæsari, Iuliæ filiæ suæ filio, cùm eum in Armeniam mitteret, precatus est à dijs *gratiam Pompeij, audaciam Alexandri, fortunam suam concedi,* inquit Plutarch. Christus suam gratiam, fortitudinem & felicitatem apprecatus est, & apprecando contulit S. Petro, eiusque imò suis heredibus.

VERS. 19. *Ligurius quid.*

IN TERTIO LIGVRIVS, ACHATES, ET AMETHYSTVS] In tertio ordine primus est ligurius, quē alij vocant lyncurium, putantque esse gemmam ex vrina lyncis coagulam. λύγξ enim est lynx, οὖρον est vrina: sed id reijcit Plin. l. 37. c. 3. potiusque, si D tali materia coalescat, succinum fit, quàm gemma, & ita Franciscus Rueus ligurium ait esse succinū, non ex vrina lyncis, sed ex pino arbore distillans. Alcazar quoque in Apocal. 21. notat. 31. censet ligurium esse electrum, vel succinum durius, pretiosius & rarius. Verùm hîc non succini, sed gemmarum ponuntur ordines.

Est hyacinthus.

Incertum ergo est quis sit ligurius: verisimile tamen est esse hyacinthum. Primò, quia ita interpretatur S. Hieron. Secundò, quia hyacinthus est lapis pretiosissimus; vnde non est verisimile eum solum hîc esse prætermissum. Tertiò, quia Apoc. 21. 20 pro ligurio ponitur hyacinthus. Quartò, λιγύριον eum primò vocauere Septuag. inde Iosephus & S. Hieron. λιγυρὸν autem Græcis suaue, iucundum significat: hyacinthus verò, teste Plinio l. 37. 9. fulgore suo violaceo ita pascit oculos rapitque,

pitque vt euanescat antequam satiet, adeoque non implet oculos, vt penè nō attingat. Iosephus quoque ligurium ab admiranda pulchritudine commendat. Quid mirum ergo si ab etymo ligurius dicatur antonomasticè, qui propriè hyacinthus? Hic congruit tribui Aser, quæ cæteris ditior fuit & delicatior, Gen. 49. 20. Hinc & Rueus scribit persuasionem fuisse quorumdam, hyacinthos diuitias afferre; quod tamen vir sapiens non facilè credet.

Septima, ligurius est Aser, & Simon Chananæus ob suauissimos mores.

Tropologicè, hyacinthus significat contemptū terrenorum, & amorem cælestium: hinc in Apocalypsi congruit Simoni Chananæo, qui cælestibus & suauissimis fuit moribus. Est enim hyacinthus violaceus, & cælestis coloris instar sapphiri, & instar floris qui dicitur hyacinthus.

Titus Imp. ob suauitatem & beneuolentiam, dictus est *deliciæ orbis*. hic admonitus ab amicis, quòd plura polliceretur, quàm præstare posset, respondit: *Non oportet quemquam à Cæsaris colloquio tristem abscedere.* ita Sueton. in eius Vita.

Hadrianus Imp. teste Dione, in colloquijs etiam humillimorū mirè ciuilis erat, eosque detestari solebat, qui hanc humanitatis voluptatem ipsi inuiderent, hoc prætextu, quòd dicerent principis maiestatem vbique seruandam.

Illustre est exemplum Religiosi, qui fratrem diuagantem, & in apostasiam procliuem suo obsequio & suauitate seruauit. in Vitis Patrum l. 5. cap. 5. n. 28.

E contrario Dionysius tyrannus ab Aristippo interpellatus pro amico, preces non admisit: Aristippus prostratus cœpit amplecti pedes regis & impetrauit. Id factum cùm quidam velut abiectius, quàm vt philosophum deceret, reprehenderet: *Non ego*, inquit, *sed Dionysius est in culpa, qui aures habet in pedibus.* testis est Laërt. l. 2. c. 8.

Octaua, achates est Issachar, & Iudas Thadæus acer in hæreticos.

Secundus est achates, ita dictus ab Achate fluuio Siciliæ, iuxta quem primò est repertus, ait Plinius: aut, vt alij, dictus est ἀχάτης, id est sociabilis, quia multæ in eo figuræ, & colores varij associantur. Nam, vt tradit Isidorus l. 16. c. 11. niger est habens circulos nigros & albos iunctos & variatos, similisque est hæmatiti: eius species est corallachates, qui aureis guttis inspersus est. Scribit Anselmus Boëtius insignis medicus, & gemmarius Rudolphi II. Imp. l. 2. de Gemmis cap. 97. *Omnem achatem venenis pestiferis, viperarum atque scorpionum ictibus aduersari. Cor enim recreat, ac aduersus omne genus contagij tuetur. Sitim achates ore contenta, manuq; detenta febrientium æstus non obscurè compescit* (omnes enim gemmæ frigidæ sunt & siccæ, vti idem ait c. 66.) *Narratur aquilam nido suo achatem imponere, vt pullos contra venenatorum animaliū morsus tueatur. Scribunt aliqui rubram achatem visum acuere.* Ex achate faciunt coronas precatorias. Hic significat tribus Issachar inter medios peccatores fitæ, sanctitatem, quam proinde laudat Moses Deut. 33. 19 In Apoc. achati respondet chrysoprasus, ita dictus, quòd porri succum colore suo referat; idem pallore suo ad nigredinem accedit, aureis interuenientibus guttis, vnde corallachati affinis est, tribuiturque in Apocal. Iudæ Thadæo: cuius aurea sapientia & acrimonia (hanc enim symbolicè & tropol. significat chrysoprasus) in hæreticos, patet ex eius epistola.

S. Pachomius ex fœtore teterrimo agnouit Origenistas, eisque minatus est gehennam ni resipiscerent, & libros Origenis in flumen demergerent. vt patet ex Vita eius c. 44. Sic Aphraates monachus eremo exijt in vrbem vt Arrianis resisteret; cumque Valens Imper. eum argueret dicens monachi esse solitudinem, respondit: *Teipsum reprehende, qui flammam in domum Dei iniecisti, non me, qui egressus sum vt eam extinguam.* testis est Theodoret. in Philotheo. Sic acer in hæreticos fuit S. Hieron. S. Hilarius, S. Athanasius & alij.

Nona, amethystus est Zabulō, & Matthias humilis.

Tertius est amethystus, qui purpureus est, roseus & violaceus, sculptura facilis, leniterq; flammulas fundit. Dictus est amethystus, ἀπὸ τοῦ μεθύειν, id est inebriari, & α priuatiuo, eò quòd non inebrietur, id est vini colorem nō integrè accipiat, aut quòd ebrietati resistere credatur. ita Isidor. & Plinius. Differt ab hyacintho, quòd fulgor violaceus in hyacintho sit dilutus: in amethysto verò sit micans, ait Plin. l. 37. c. 9. Amethystus congruit Zabulon, ex quo nonnulli Apostoli prognati sunt, cælesti virtutum splendore radiantes.

Tropologicè, amethystus significat humilitatem: vnde in Apocal. datur Matthiæ, qui nomine (Matthias enim significat hebr. donum Dei) & in oculis suis paruus, numquam superbia inebriatus fuit. hinc diuina sorte & vocatione, in Apostolum loco Iudæ electus, magnus euasit.

Quæ sit via humilitatis.

Interrogatus est quidam senex: Quid est humilitas? & respondens dixit: *Humilitas magnum opus est & diuinum: via autem humilitatis hæc est, vt labores corporales assumi debeant, & adscribat seipsum homo peccatorem, & ponat se subiectū omnibus.* Et dixit frater: *Quid est esse subiectum omnibus?* Respōdit senex: *Hoc est esse subiectū omnibus, vt non attendat quis aliena peccata, sed sua semper aspiciat, & deprecetur sine intermissione Deum.* in Vit. Patrum l. 5. c. 15 n. 82.

Quid subiici omnibus.

Magnum contumeliam pati.

Interrogauit quidam frater senem, dicens; Dic mihi vnā rem quam custodiā, & viuam per eam. Et dixit ei senex: *Si potueris contumeliā pati & sustinere, magnum est hoc, & super omnes virtutes.* ibid. n. 83.

VERS. 20.

IN QVARTO CHRYSOLITVS, ONYCHINVS, ET BERYLLVS] In quarto ordine primus est chrysolitus, qui partim aurei, partim marini est coloris: vnde hebraicè vocatur tharsis, id est marinus, inquit S. Hieron. Hic congruit tribui Ephraim, quæ regiam potestatem in Ieroboam adepta, eam diutissimè tenuit.

Decima, chrysolitus est Ephraim, & Matthæus pœnitens.

Tropologicè, chrysolitus significat pœnitentiam; vnde in Apocal. tribuitur Matthæo, qui pœnitens fuit, & feruens amore Christi.

Præclarè S. Gregor. *Plerumque*, ait, *gratior est Deo feruens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.* Hoc verum esse patet in S. Matthæo, Petro, Paulo, & alijs. Narrat Pallad. in Lausiaca c. 140. de quadam virgine lapsa, quæ pœnitens per 30. annos mancipauit se obsequio ægrotorum, mancorum ac mutilatorū, itaque placuit Deo, vt cuidam sancto presbytero reuelaretur, illam magis placuisse Deo in pœnitentia quàm in virginitate.

Vndecima, onyx est Manasses, & Philippus ob morū candorem.

Secundus est onyx, ita dictus ab vnguis humani similitudine. Hic significat Manassem, ob morum candorem & humanitatem: vnde & in Apocal. datur Philippo. De onyche ita scribit Ansel. Boëtius l. 2. de Gemmis cap 91. 92. & 93. *Sardonyx est, dum onychi sardius adiunctus est. Calcedonius, dum abest rubicundus & niger color distinctus. Onyx, dum adest niger, & abest rubicundus. Varia enim sunt onychum genera. Alia enim nigra prorsus, alia cum albedine, cum fusco, flauo, lacteo, subcæruleo corneoq; colore miram varietatē ostentant: omnes zonas, vel lineas habent,*

bent, quibus colores à ſeſe mutuo diſtinguuntur. Tanta interdum eſt magnitudinis, vt columnula inde fieri poſſint. Romæ enim in baſilica S. Petri ſex columnulæ onychinæ conſpiciuntur. Appianus teſtatur Mithridatem Ponti regem, duo millia poculorum ex onyche in ſuo theſauro habuiſſe. Sub onyche & ſardonychem & chalcedoniū intellige. Nam & hi apud veteres, pro onyche habebantur. Onychina pocula apud Romanos, myrrhina vocabantur. Onyx ceram non recipit, ideo ad ſigilla aptiſſima eſt. Onyx & ſardonyx hodie à gemmarijs *nicolus* vocantur.

Tropol. onyx ſignificat candorem & innocentiam. Rectè Chryſoſt. hom. 6. in Matth. *Sicut*, ait, *in conſpectu hominum gratioſa eſt facies pulchra: ſic in oculis Dei ſpecioſa eſt conſcientia munda.* Et S. Bernar. *Nō mediocris eſt titulus virtutis inter prauos viuere bene, & inter malignantes retinere innocentiæ candorem, & morū lenitatem.* Et Lactant. l. 6. *Nihil*, ait, *ſancta & ſingularis illa maieſtas aliud ab homine deſiderat, quā ſolam innocentiam: quam ſi quis Deo obtulerit, ſatis piè religioſeq; litauit.* Quin & poëta Horat. l. 1. oda 22.

Integer vitæ, ſceleriſq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce pharetra.
Siue per Syrtes iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Duodecima, beryllus eſt Beniamin, & Thomas variè tentatus & probatus.

Tertius eſt beryllus, qui inſtar aquæ ſolis fulgore percuſſæ, rubicundus eſt & decorus, ſed non fulget, niſi in ſexangulas formas poliatur: repercuſſione enim angulorum fulgor acuitur, tenentiſque manum adurere dicitur. affertur ex India, vnde in Apocal. tribuitur Thomæ, Indiæ Apoſtolo, qui tentationibus & aduerſitatibus in fide probatus, & roboratus mirè refulſit. Hîc verò tribuitur tribui Beniamin, quæ primum Hebræis dedit regem Saulem, ſed ſtatim eo mortuo regno priuata eſt: rurſum tempore Michæ acciſa eſt ad ſexcentos viros, Iudic. 20. 47. vnde poſtea ex afflictione reſurgens, & propagata fulgere cœpit, ſolaque adhæſit tribui Iudæ tempore ſchiſmatis ſub Ieroboam, ipſa denique dedit Paulum Apoſtolum ita inter labores & aduerſa fulgentem & triumphantem.

Tropologicè, beryllus ſignificat animum fortem & heroicum, aduerſa quæque vincentem, qui dicat:

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Sicut fumus, inquit S. Chryſoſt. in Matth. hom. 49. *ante ignem præcedit, ante victoriam pugna: ſic & ante gloriam Chriſti, tentatio Antichriſti.* Ita S. Thomas tentatus & nutans in fide, per Chriſtum cōfirmatus, ſolidior quàm antè euaſit, adeoque præ aliis Apoſtolis, per plurimas & maximas gentes, perque multa aduerſa fidem Chriſti propagauit, vti docet Thomas Staplet. in eius Vita. Alexander Magnus audiens Darium Perſarum regem, multas parare militum myriades, reſpondit, *Vnus lupus non timet multas oues.* Beniamin fuit lupus rapax: ita S. Thomas Indos aliaſque gentes, quaſi oues non timuit, ſed rapuit eas Chriſto & Eccleſiæ.

Chriſtus per duodecim gēmas adumbratus, cur.

Nota. Hæ duodecim gemmæ non minùs ſunt pontificis eas in pectore geſtantis, quàm 12. tribuum eis inſcriptarum. Quare ſicut tribuum, ita & pontificis dotes & virtutes quas habet, vel habere debet, ſignificant. Vnde allegoricè, Chriſtus per pontificem veterem adumbratus Primò, eſt ſardius, quia timores expellit, & Apoſtolos ac fideles dæmonibus terribiles facit. Secundò, eſt topazius, quia cæleſti & infracta charitate mundo irradiauit. Tertiò, eſt ſmaragdus, quia viſum delectat tam angelorum, quàm Sanctorum. Quartò, eſt carbunculus, quia lux mundi, eum illuminās & inflammans. Quintò, eſt ſapphirus, quia cæleſtis eſt eius doctrina & vita. Sextò, eſt iaſpis, quia petra Eccleſiæ fortiſſima, & quia iuuat ad partum bonorum operum. Septimò, eſt hyacinthus, quia mitis & humilis corde, & quia infirmitati animi reſiſtit, eamque à ſuis expellit. Octauò, eſt achates, quia acer in infideles & impios, & quia abortiuum peccati per confeſſionem nos expellere facit. Nonò, eſt amethyſtus, quia reſiſtit ſomno, ebrietati, omnemque acediam fugat. Decimò, eſt chryſolitus, quia venit vocare non iuſtos, ſed peccatores ad ſalutem. Vndecimò, eſt onyx, quia moribus candidus, & quia bellum mouet in vitia. Duodecimò, eſt beryllus, quia in omni tentatione & paſſione ac cruce conſtans permanſit, imò clarior effulſit. ita ferè Salmeron tom. 7. tract. 11.

VERS. 21.

HABEBVNTQVE NOMINA FILIORVM ISRAEL; DVODECIM NOMINIBVS CÆLABVNTVR, SINGVLI LAPIDES NOMINIBVS SINGVLORVM PER DVODECIM TRIBVS] Hebr. eſt, *ſculpes eos ſculptura ſigilli ſecundùm nomen ſuum*; & Chald. *ſculpes eos ſculptura diſtincta, ſicut ſculptura annuli, vel ſigilli, ſingulos iuxta nomen ſuum.* Idem clariùs dicitur de onychinis in ephod v 10. in Hebr. Chald. & Septuag. ſcilicet nomina filiorum Iſrael in iis ſculpta eſſe ſculptura ſigilli, עַל שְׁמוֹת *al ſcemoth*, id eſt ſecundùm nomina, vel pro nominibus filiorum Iſrael. Vnde cenſet Hieron. Prado in Ezechiel 1. pag. 45. tam in duobus onychinis, quàm in duodecim gemmis rationalis, duodecim nomina filiorum & tribuum Iſrael inſculpta fuiſſe, non per literas, ſed per notas & ſigna hieroglyphica more Ægyptio: ſcilicet ijs fuiſſe inſculpta inſignia (quæ Galli vocant *les armoiries*) repræſentantia ſtemma cuiuſque tribus, eiuſque principem & caput. Sicut ergo nobiles in ſuis annulis & ſigillis ſculpunt inſigne ſuæ nobilitatis, vt clypeum, galeam, leonem, &c. ita tribus Iudæ ſignabatur per leonem, Dan per aquilam, Ephraim per bouem, Ruben per caput humanū, &c. hæc enim cuiuſque tribus erant inſignia, vti dicam Num. 2. Id ita factum eſſe probatur Secundò, ex Sap. 18. 24. vbi dicitur, *Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.* pro *magnalia* græcè eſt δόξαι, id eſt gloriæ, excellentiæ, victoriæ, trophæa, nobilitatis inſignia, ſtemmata parentum, de quibus iure gloriabantur. ergo ſtemmata hæc, non autem ipſa nomina tribuum inſculpta erant hiſce gemmis. Sic Cicero poculum aureum diis dedicans, prænomen ſuum nomenq; literis inſculptis, cognomen verò Ciceronis cicere cælato indicauit. cicer enim erat inſigne & ſtemma Ciceronis. ita Plutarch. in Cicerone.

An gemmis inſculpta fuerint ſtemmata, an nomina tribuum?

Reſp. nomina, nō ſtemmata.

Hæc ſententia in ſpeciem probabilis & plauſibilis eſt: verùm ſi quis ſolidè rimetur verba Script. apparebit non eſſe vera; nam diſertè tam Hebr. quàm Septuag. Chald. & Noſter dicunt, ipſa nomina fuiſſe inſculpta gemmis, vt patet v. 9. 10. 11. 12. 21. 29. vnde quod dicitur in Hebr. Chald. Septuag. *ſculpes eos ſculptura ſigilli*, nihil aliud eſt, quàm quod Noſter vertit, *opere ſculptoris, & cælatu-*

xisse, sicut in opido Lusitaniæ Santareno assiduo A miraculo in pellucida crystallo visitur Christus, pro cuiusque deuotione nunc puer tenellus, nunc duodecim annorum, nunc triginta, nunc crucifixus, nunc iudex rigidus.

Sexta. Sextò, Christ. à Castro Comm. in Minores Prophetas l.3.c.3. Prolegom. censet *vrim & tummim* fuisse *theraphim*. nam Osee 3.14 Septuag pro *theraphim* vertunt δήλωσιν & ἀλήθειαν, quo modo vertunt *vrim & tummim*, Exodi 28 v.30. *theraphim* autem erant imagunculæ, seu idola, quæ interrogata dabant responsa, voce manifesta. Erant ergo, inquit ipse, *vrim & tummim* duo paruula simulacra affabrè facta, vel Dei manu, vel artificum, quæ ferebat sacerdos intra plicas Rationalis, & quoties aliquid erat interrogandum, efferebat, & per illa Deus, vel angelus nomine Dei, clarè & per- B spicuè quid agendum esset, vel non agendum respondebat: & propter sermonis perspicuitatem, quo manifestabantur responsa, vnum vocabatur *vrim*, id est illuminationes, perspicuitates: & propter veritatem dicti aut promissi certò complendi, alterum vocabatur *tummim*, id est consummationes, completiones, veritates. Dum autem sacerdos ea idolula ostenderet, verisimile est ea coruscare solita, ad captandam populi attentionem & admirationem. Verùm quis credat Deum hostem idolorum, idola inseruisse rationali apud populum tum in idola maximè procliuem?

Septima. Septimò, & cæteris verisimiliùs Lyranus, Abulens. Lipoman. & Ribera censent, *vrim & tummim* non fuisse aliud quàm 12. lapides rationalis, qui dicti sint *vrim & tummim*, id est illuminatio & perfectio, siue veritas: quia per hosce lapides Deus C perfectissimè illuminabat pontificem, & per eum populum, respondebatque consulentibus de rebus agendis, quid facto esset opus. si enim hæ gemmæ splendorem emitterent, significabant Deum Hebræis esse placatum, eisque adfore, ac daturum felicem belli aliarumque rerum euentum; si non fulgerent, sed obscurarentur, significabant Deum Hebræis iratum esse, sinistrumque fore rei euentum.

Addunt Hebræi & R.Salomon, literas duodecim tribuum hisce lapidibus insculptas prominuisse, vel coruisse, ita vt sacerdos ex illis dictiones concinnare, & quæsitis respondere posset: vt cùm Dauid rogaret 2.Reg 2. Num ascendam in vnam ciuitatum Iuda? respondit ei Dominus: עֲלֵה *ale*, id est ascende. ibi dicunt istas tres literas prominuisse, *ain* ex nomine Simeon, *lamed* ex nomine D Leui, *he* ex nomine Iehuda. Ingeniosum videtur hoc figmentum.

Vt in re tam obscura aperiam id quod sentio, Dico Primò, satis patet ex Scriptura, Deum per *vrim* consultum solere respondere, & dare oracula, vel potiùs *vrim* hoc alibi non vsurpari, nisi vbi Dei responsum sciscitantur per pontificem, vestibus pontificalibus & rationali, maximeque *vrim* indutum: ita enim Numer 27.21. dicitur: *Eleazar consulet Dominum*, hebr. est, *Eleazar interrogabit Dominũ in iudicio vrim* Similia sunt 1.Reg.21.15. in Hebræo, & c.23.v.2.& 4.& c.28.v.6.& 1.Esdræ 2.63.& 2 Esdræ 7.65.& alibi. Sicut enim Deum consulebant per Prophetas, ita & per pontificem pontificalibus vrimque vestitum.

Octaua & genuina: Dico Secundò, mihi verisimilius videtur, hæc duo nomina *vrim & tummim*, id est doctrina & veritas, inscripta fuisse rationali, ita vt cùm dicit Script. *Pones in rationali doctrinam & veritatem*, sensus sit; Inscribes in rationali hæc duo nomina, Doctrina & veritas, sicuti tiaræ pontificis inscripta fuerunt duo verba, *Sanctitas Domino*, vti vidimus v.36. *vrim & tummim inscripta fuerunt rationali.*

Prob. Primò. Hæc sententia probatur Primò, quia hic planus & simplicissimus est sensus verborum Script. quæ vix alium patiuntur: nam cùm fusè descripsisset Moses duodecim gemmas rationalis, & immediatè ante hoc præceptum de ponendo vrim & tummim in rationali, rursus duodecim gemmarum clarè meminisset; quorsum quæso paulò pòst, easdem tam obscurè nominibus *vrim & tummim* inculcaret?

Obijcitur. Dices, eas denuò per vrim inculcari, vt vsus & finis harum gemmarum significetur, videlicet quòd illæ erunt instar oraculi, per quod Deus consultus respondebit. quasi dicat, Pones vrim & tummim in rationali, id est pones oraculum in rationali.

Respondeo Primò. Sed contrà: Primò, hoc satis significatum est nomine rationalis iudicij, vti dixi v 15. idque clariùs vel æquè clarè, quàm nomine *vrim & tummim*. ergo si Scriptura rationale iudicij volebat exponere, alijs & clarioribus vsa fuisset verbis, quàm *vrim & tummim*.

Secundò. Secundò. Mosis nõ erat facere, vel ponere oraculum in hisce lapidibus, sed Dei: ergo non bene dicitur, *pones*, vel, vt hebraicè est, *dabis in rationali*, doctrinam, id est oraculum, sed dicendum erat: *Ego ponam, ego dabo per lapides hosce oraculum.*

Tertiò. Tertiò, *τὸ autem*, cùm ait, *Pones autem in rationali vrim*, id est doctrinam, planè significat hîc nouum quid, & omnino diuersum præcipi ab eo quod præcessit, pu à fabrica 12. gemmarum.

Dices Secundò, Hæ duodecim gemmæ vocantur מִלֻּאִים *milluim*, id est plenitudines, Exodi 25. v.7. ergo non mirum, si eædem vocentur *vrim*, id est illuminationes.

Respondeo, Gemmæ istæ Exodi 25 non vocãtur *milluim*, id est plenitudines, sed אַבְנֵי מִלֻּאִים *abne milluim*, id est lapides plenitudinum, hoc est, quibus impleretur & ornaretur rationale, per phrasin Hebræis vsitatam, quam omnes ibidem explicant eo modo quem iam dixi. vnde tam Chald. quàm Noster ibidem vertunt, *ad ornandum rationale*. hîc verò non vocantur *lapides illuminationum*, sed illuminationes siue lux & doctrina: ita enim Hebræum *vrim* Noster, & alij omnes vertunt. Vnde

Probatur secundò. Secundò, hanc sententiam suadent Septuag. qui *vrim & tummim* vertunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, id est manifestationem & veritatem; & Noster interpres, qui *veritatem*: quis enim non videt, planè detortè 12. gemmas, licet ad oraculum positas in rationali, vocari *doctrinam & veritatem*? si id voluit Spiritus sanctus, cur id non expressit in Hebræo, aut saltem cur per aliquem interpretum id non explicauit, dicendo, *Pones vrim & tummim*, id est, pones oraculum, *in rationali*? Iam verò dum passim vertunt, *Pones in rationali doctrinam & veritatem*, quid aliud significant, quàm hæc ipsa inscripta fuisse rationali? idque sat significat *he* demonstratiuum, quòd in Hebræo additur, & præponitur *vrim & tummim*. q.d. *τὸ vrim & τὸ tummim* pones & scribes in rationali.

Probatur tertiò. Tertiò, quia hanc sententiam alijs præfert S. August.

vrim gestat, alijsque Archiepiscopis gestandum communicat pallium; hoc enim significat plenitudinem auctoritatis & potestatis. ita Alcazar Apocal. 11. pag. 586.

Veritas est sol pulcherrimus. Christi ergo & Christianorum pectus ornet veritas, quasi monile diuinum & speciosissimum. Nam, vt ait S. Augustin. epist. 9. *incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortiùs Martyres nostri aduersus hanc Sodomam, quàm pro illa mille heroës aduersus Troiam dimicauerunt.* Est enim veritas quasi sol mundum illustrans. *Simulacrū Fidij.* Erat apud Ethnicos Fidij simulacrum, quo honor forma viri expressus, veritati, quæ virginis specie effingebatur, manum porrigebat; in medio autem locabatur amor. Qua effigie significabant Primò, veritati honorem deberi & amorem. Secundò, Fidium, id est fidem, niti veritate, amore & honore. Nam *hominum fidem* (vt quidam ait) *veritas parit, honor sustinet, amor nutrit.*

Symbolicè, honor est Deus Pater, veritas est Filius, amor est Spiritus sanctus: hæc tria conspirant in vnum, gignuntque in nobis fidem, gratiā & salutem. Dixit Pythagoras, *veritatem post Deum colendam esse, vtpote qua homines Deo proximos facit.* testis est S. Hieron. contra Ruffinum.

Tropol. Tertiò, moralis causa fuit, vt sacerdos gestans *vrim & tummim*, id est illuminationē, siue doctrinam; & veritatem atque perfectionem, admoneretur iugiter sui officij, videlicet eum debere habere Primò, *vrim*, id est illuminationem & doctrinam, tum studio, tum magis pietate & oratione acquisitam, Deuter. 17. 9. & Malachiæ 2. v. 7. Rursum, *vrim*, id est inflammationem & zelum, quo populum ad Dei legem & amorem accendat. *Vrim* enim hebraicè & lucem & ignem lucentem significat: vnde Abraham dicitur eductus de Vr, id est de igne, Chaldæorum. Hinc ab Hebræo Vr deducunt aliqui Latinum *vro*: lux enim illuminat, calefacit & vrit. Talis *vrim* erat S. Ioannes Baptista: erat enim ipse *lucerna ardens & lucens.*

Secundò, eum debere habere *tummim*, id est veritatem, tum in corde, tum in ore, tum maximè in vita, putà integritatem & perfectionem vitæ: hanc enim significat *tummim.* Sicut enim os cordi, ita vita ori & cordi respondere debet: perinde ac Verbum Dei (quæ æterna est veritas) est imago Patris; sic hominis verbum & vita debet esse imago cordis in quo gignitur, ita vt id indicet ac repræsentet quod in corde est, non aliud quippiam fallax ac diuersum. Hinc veteres, teste Pierio libr. 54. veritatem pingebant quasi malum persicum cui folium vnum adhærebat. Pomum enim persicum simile est cordi: folium simile est linguæ. Sicut ergo pomo folium adhæret: ita cordi adhæreat lingua & vita, idque tantùm proferat sermone & operibus, quod continetur corde, non aliud quippiam falsum & ementitum.

Denique eum debere esse interpretem & tutorem veritatis publicæ, id est iustitiæ: ea enim magis Remp. conseruat, quàm fortitudo. Vnde Agesilaus princeps rogatus vtra virtutum harum esset præstantior, respondit: *Nullus vsus est fortitudinis nisi adsit iustitia: omnibus autem iustitiam colentibus nihil opus est fortitudine.* Pontifex ergo sit Melchisedec, id est rex iustitiæ.

Tropolog. quomodo in sacerdotibus nostris requiratur tam *vrim* quàm *tummim*, id est tam doctrinæ splendor, quàm veritas & integritas vitæ, vide apud S. Hieron. de vestibus sacerd. & Gregor 2. p. Pastor. c. 3.

Caueant ergo pastores & doctores, æquè ac principes, ne vitiorū exemplo populum inficiant. Nam vt ait Quintilianus declam. 3. *Hæc est superiorum conditio, vt quidquid faciunt præcipere videantur: & perniciosissimus est, mala rei quisque maximus auctor:* vtque ait Claudianus panegyr. 4. Honorij, *Rectorum vita à subditis trahitur in exemplum.*

Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Et Horat. satyra 14.

Velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos auctoribus.

Altera ex parte, vt ait S. Greg. homil. 26. in Euang. *durum est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat alienæ.* & vt ait S. Ambr. epist 76. *Quid tam diuinum quàm ista sententia, vt is peccata puniat, qui peccati exors sit. quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defensorem?* Quare rectè Cassiod. li. 6. Var. hanc formam rectori præscribit: *Esto*, inquit, *vita continens, vt possis in alios esse iudex. Prima æquitas est, à se Præsules inchoare, vt debeant criminosi metuere, quem nequeunt similem reperire. Nullas in se culpas timet reus, quas in se habere perspexerit cognitorem. O quale est, liberum tribunalibus insidere!*

ET GESTABIT IVDICIVM FILIORVM ISRAEL] *Iudicium*, id est rationale iudicij. de quo v. 15. est metonymia. Sic cap. 27. 21 & alibi *testimonium* vocat ipsam arcam, in qua erat testimonium, id est lex, siue tabulæ legis.

FACIES ET TVNICAM SVPERHVMERALIS TOTAM HYACINTHINAM] Hæc est tertia vestis pontificis. Prima enim erat ephod, secunda erat rationale, tertia est hæc tunica, quæ proinde tunica ephod, id est superhumeralis, dicitur, quia ipsi proximè incumbebat ephod cum rationali, ita vt ephod immediatè supra hanc tunicam indueret pontifex. ita S. Hieron. VERS. 31. *Tertia vestis pontificis, tunica hyacinthina describitur.*

Primò. Nota Primò. Hæc tunica erat laxior quàm tunica stricta, siue linea, de qua v. 40. atque ad talos vsque descendebat. Vnde à Septuag. vocatur ποδήρης, ἀπὸ τοῦ ποδός, quòd vsque ad pedes esset promissa.

Secundò. Secundò, erat hæc tunica hyacinthina, id est facta ex lana hyacinthina, siue violacei coloris: significabat enim sacerdotis vitam debere esse cælestē, idque vsque ad finem. ipsa ergo monebat sacerdotem, vt ipse hoc suo colore conspecto, mentem in cælestia subleuaret, ait Theodor. ac proinde curaret corpus habere leue & aëreum ex sobrietate & victus tenuitate, inquit Nyssenus.

Tertiò. Tertiò, tunicam hanc manicas habuisse, docet S. Hieron. nec repugnat Iosephus, si benè examinetur.

Quartò. Quartò, hæc tunica infernè in limbo, qui erat iuxta pedes, habebat 72. mala punica, & totidem tintinnabula, vt horum pulsu vocalis incederet pontifex, ingrediens Sancta sanctorum, alioqui moriturus. de quibus v. 35.

Quintò. Quintò, habebat capitium cum ora, siue limbo textili, de quo iam sequitur.

IN CVIVS MEDIO SVPRA ERIT CAPITIVM] *Capitium*, id est apertura. hebr. *ost*, *os capitis*, id est foramen in summo, per quod caput transmittatur. VERS. 32. *Capitiū tunica quod*

Erat,

Erat, inquit S.Hieron. *hæc tunica in superiori parte qua collo inducitur, aperta, quod capitium dicitur.*

ET ORA PER GYRVM EIVS TEXTILIS] *Ora* hæc erat fimbria vel limbus aperturæ iam dictæ, siue capitij latera, ne rumperentur, tegens & firmans per circuitum. Vnde hebr. est, *sicut limbus loricæ erit ei, ne rumpatur.* q.d. Muniet eam instar limbi loricæ, ne rumpatur.

Erat hæc *ora textilis*, id est facta non acu, sed opere textili. Septuag vertunt, *opus textorij, copulationem textam ex ipso.* Vnde S.Aug.q.118.& S.Hieron. docent hanc oram vel fimbriam attextam fuisse capitio vnica contextura, non verò fuisse illi assutam: Iosephus tamen eam assutam dicit; sed fortè tantùm vult dicere, eam fuisse annexã. quod tam de textura, quàm de sutura accipi potest.

VERS. 33. DEORSVM VERO AD PEDES EIVSDEM TVNICÆ, PER CIRCVITVM QVASI MALA PVNICA FACIES, EX HYACINTHO, ET PVRPVRA, ET COCCO BIS TINCTO, MISTIS IN MEDIO TINTINNABVLIS] Iosephus hæc sic describit: *Ima*, inquit, *vestis ornabatur limbo, effigie malorum punicorum distincto, à quo & tintinnabula aurea sic dependebant, vt medium esset quodque malum punicum inter duo tintinnabula situm, & vicissim tintinnabulum inter duo mala punica:* erant ergo alternatim sita malum punicum & tintinnabulum. Ecclesiasticus cap 45. 10. plurima ea fuisse dicit. S Hieron. & Isidorus lib.1. Etymol.21. præcisè numerant 72. mala punica, & totidem tintinnabula.

Mala punica & tintinnabula.

VERS. 35. VT AVDIATVR SONITVS QVANDO INGREDITVR, ET EGREDITVR SANCTVARIVM IN CONSPECTV DOMINI, ET NON MORIATVR] id est, vt non moriatur propter inobedientiam. volo enim & iubeo sonitum pontificis, putà pulsum tintinnabulorum eius audiri in ingressu & egressu tabernaculi, ad excitandam in eo & in populo reuerentiã mihi debitam, videlicet ne domum meam intret nisi præuio pulsu, non quem ego audire cupiam, sed quem ipse vti & populus audiens, admoneatur maiestatis meæ, cuius templum ingreditur, simul & reuerentiæ officijque sui.

Hinc ait Sapiens c.18.24. *In veste poderis* (in tunica hac hyacinthina, sub qua cum Lyrano, Dionys.& Hugone omnes alias pontificis vestes intellige per synecdochen) *totus erat orbis terrarum.* Nam Primò, femoralia linea figurabant terram, ex qua linum nascitur. Secundò, zona figurabat oceanum, qui quasi zona terram cingit. Tertiò, tunica hyacinthina figurabat aërem, in qua sunt mala punica, id est fulgura; & tintinnabula, id est tonitrua. Quartò, ephod varium figurabat cælum sidereum: duo onychini erant duo hemisphæria, vel sol & luna: duodecim gemmæ in pectore erant duodecim signa in Zodiaco. Quintò, tiara figurabat cælum empyreum: lamina tiaræ aurea habens inscriptum nomen tetragrammaton, figurabat Deum omnibus præsidentem. Idque Primò, vt hoc suo vestitu & ornatu pontifex ostenderet, se creatoris mundi esse ministrum, & indicaret omnem creaturam Dei misericordia indigere, ipseque pro ea tam habitu & veste, quàm voce & mente precaretur. Secundò, vt considerata vniuersi, quam gestat, imagine, vitam præstaret à natura non degenerem, sed, sicut elementa aliaque creata Deo per omnia obediunt, ita obediret & ipse. ita Philo. Tertiò, vt operando sacris totum mundum, quem in veste quasi gestat, deprecatorem secum apud Deum allegaret. Hæc omnia penè ex Iosepho & Philone habet S.Hieron. & breuissimè S.Thomas 1.2.q.102. art.5. ad 9. qui & Tropologiam addit pari breuitate. Feminalia, inquit, significant castitatem: tunica linea significat vitæ vniuersæ puritatem & innocentiam: zona moderationem discretionis: tiara rectam intentionem. & hæc communia sunt omnibus sacerdotibus. Põtifici verò insuper propria erat lamina aurea cum nomine *iehoua*, significans iugem Dei memoriam in contemplatione, quam debet habere pontifex. Secundò, ephod, id est compassio, qua suis quasi humeris ferat infirmitates populi. Tertiò, tunica hyacinthina, id est conuersatio cælestis. Quartò, rationale, id est cura & charitatis viscera erga subditos.

In veste põtificis erat totus orbis, quomodo?

Cur Prima causa.

Secunda.

Tertia.

Tropolog. vestiũ pontificis.

Vbi Nota. Totus mundus est quasi templum quoddam sanctissimum, & Deo dignum, vt aiebat Diogenes, & Philo l.2. de Monarchia, & Lactan. l. de Ira Dei c.14. Hinc & Baruch ait c.3.24. *O Israel quàm magna est domus Dei!* scilicet hic mundus, in quo quasi diuini templi antistes, sacerdotio functurus pro vniuersis creaturis homo est constitutus: ideoque Hebræorum pontifex in sua veste totum repræsentabat orbem.

Mundus est quasi templum Dei.

Sed vt ad tintinnabula reuertamur, hæc Allegor. prædicationem Christi, mala verò punica eiusdem miracula significabant. Ita Rupert. quem vide reliqua omnia Christo accommodantem. Prosper hæc Pentecostæ attribuit, in qua fuerunt tintinnabula (quæ Prosper numerat 50 in tunica hac Aaronis) & mala punica, id est linguæ igneæ Apostolorum personantes magnalia Dei.

Tintinnabula significabãt prædicationem Christi, mala punica miracula Christi.

Tropolog. S.Hieron. *Tanta*, ait, *debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt & gressus eius, & motus, & vniuersa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu; vt quidquid agit, quidquid loquitur doctrina sit populorum: absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis floribusq, punicorum, nec sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere.*

Pontificis omnia debent esse vocalia.

Et S.Chrysost. homil.73. in Matth. *Sicut*, inquit, *homo vbicumque fuerit, cæteris animantibus præstat: ita doctorem decet, siue loquatur, siue sileat, siue in conuiuiis, siue alibi sit, cæteris hominibus praecellere: adeò vt incessu & aspectu & habitu, omnibusq, simpliciter alijs in rebus præstantior esse videatur.* Nam, vt idem ait hom.3. in 1. ad Corinthios: *Hæc est ratiocinatio cui contradici non potest, quæ fit per facta.* Quare, vt idem ait hom.5. in 2. ad Thessal. *Magis debet esse doctor vita, quàm sermonis.* Et S. Augustinus lib.4. de Doctrina Christiana c.27. *Vt obedienter*, inquit, *audiatur concionator, quantacumque granditate dictionis, maius pondus habet vita dicentis.*

Rursum, tintinnabula sunt aurea, vt significetur omnem sermonem pontificis debere esse aureum, de charitate, sanctitate, rebusque diuinis.

Eodem modo hæc non tantùm de Pontifice, sed & de quouis sacerdote nostro (qui sanctior esse debet pontifice Iudaico, eò quòd sanctiora tractet & consecret mysteria) accipiunt S. Augustin. q.119. & S. Gregorius libr 1. Regist. epist. 24. *Ideo, inquit, in incessu sacerdos habet tintinnabula, vt vita viam cum lingua sonitu, ipsa quoque bona opera sacerdotis clament: dicitúrque, Mala punica iungite, quasi dicat, Per omne quod dicitis vnitatẽ fidei teneatis.*

Nam

Nam malum punicum, quod vno cortice multa grana complectitur, vnitatem fidei designat; vel, vt ait Beda, multifariã virtutum operationem vno charitatis munimine tectam. Vide Bedam hæc omnia simili ratione adaptantem.

Exempla. Tale tintinnabulum, talis gratia & efficacia dicendi resonabat in S. Antonio. nam, S. Athanasio teste, *Sermo eius sale conditus consolabatur mæstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadens nihil amori Christi anteponendum: proponebatq́; ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementiam, & beneficia retexebat indulta.* Postea declarans effectus secutos: *Quis non, ait, tristitiam apud Antonium mutauit in gaudium? quis non iram vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad eius temperauit adspectum? quis non mærore paupertatis, quo premebatur, abiecto, statim & diuitum despexit opulentias, & in sua lætatus est paupertate? quis post lassitudinem monachus, non eius est innatus hortatu? quis adolescentis ætatis accensus ardoribus nõ ex eius admonitu pudicitiæ amator fuit? quis vexatus à diabolo sine medela rediit? quis inimici cogitationibus distractus, cæca tempestate sopita sereno non regressus est animo?*

Nec S. Martinus Antonio fuit inferior. De eo, præter alia, scripsit in genere Sulpitius l. de Vita S. Martini c. 26. *Iam verò in verbis & in confabulatione eius, quanta grauitas, quanta dignitas erat? quàm alacer, quàm efficax, & quàm in exsoluendis Scripturarum quæstionibus promptus ac facilis? & quia multos ad hanc partem incredulos scio; quippe quos viderim, me ipso etiã inferente, non credere; Iesum testor, spemq́; communem, me ex nullius vmquam ore tantum scientiæ, tantum ingenij, tam puri & tam boni sermonis audisse. Quamquam in Martini virtutibus, quantula est ista laudatio? nisi quòd mirum est homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse.* Hæc Sulpitius.

Eminebat hoc idem donum in S. Iohanne Chrysostomo, summo concionatore, qui animos etiam priuato sermone permouebat. Audi in eius Vita Georgium Alexandrinum: *Subinde*, inquit, *commeminit vitæ sanctorum Patrum, & Anachoretarum, eorumq́; conuersationis & virtutis; ita vt eiusmodi sermonibus compungerentur non pauci, atque ex eorum oculis eliscerentur vberrimè ac defluerent lacrymæ, & ingenti desiderio caperentur solitariam exercendi vitam.*

Non defuit eadem gratia S. Fulgentio, de quo discipulus eius Vitæ scriptor, c. 9. 17. 21. hæc prodidit: *Et reuera sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, non tantùm aliquos reconciliandi, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis inuitando: cuius sermo dulcis & rectus; quia dura quoque corda molliebat.* Et postea: *Cùm verbo loqui quippiam, cogente interdum ratione, voluisset, in ore eius omnis turba pendebat, ex locutione familiari considerans qualis esset spiritualis magistri futura doctrina.* Paulò pòst: *Tanta fuit B. Fulgentio facundi sermonis suauitas, tanta in vultu eius micabat hilaritas, vt certatim fideles vniuersos sancta charitas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire, quoties ad interrogata responderet.* Hæc ille. Vnde colligas integrum fuisse B. Fulgentio conuersandi talentum, quando cum gratia priuati sermonis, alacritatem vultus, doctrinarum copiam, morum suauitatem, atque vim trahendi coniungebat.

Posterioribus sæculis habuimus B. Platonem Abbatem eodem dono locupletatum, de quo B.

A Theodorus Studita orat. fun. in B. Platonem hæc habet: *Quamdiu cum iis qui in vrbe Byzantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam vitæ formam mutauit, & ad virtutis statum cõuertit. Quidnam est hoc, quod dico? sua, inquam, lingua admonitionibus, iurandi consuetudinem ab eius loci hominibus abstulit, nimios ornandi corporis cultus modesta sua doctrina repressit: sæpiùs de morum probitate disserens, vt charitatem exercerent in pauperes, hominibus persuasit. Quare factum est, vt abunde pecuniæ conferrentur, & in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publicè distribuerentur: eosdem ad lectionem compositè exercendam instituit, atque ad quoduis aliud bonum induxit.* Eamdem gratiã & efficaciam mouendi, & accendendi animos ad pietatem habuit noster fundator S. P. Ignatius, vt patet ex eius gestis, & ex Vita quam

B scripsit noster Ribadeneira.

Denique notat Origenes hom. 9. pontificem in ora & fine vestis habere hæc tintinnabula, vt de extremis temporibus & fine mundi numquam sileat, sed inde semper sonet, inde loquatur, inde disputet, secundùm eum qui dixit: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Illud sanè efficiunt præstantissimi & efficacissimi concionatores, vt nullam habeant concionem, in qua nouissimi alicuius comminatione, vel terrore, auditores non percellant. *Tintinnabula est cõcio de nouissimis:*

Hinc & Gregorius Nyssenus videtur per hæc tintinnabula accipere nouissimã tubam Archangeli, quæ canet: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Ideoque, inquit, per hæc sua tintinnabula monetur sacerdos, vt corpus habeat leue & aëreum ex cibi potusq́ue tenuitate, vt exiliat ad nouissimam tubã, feraturq́ue sublimis per aëra obuiàm Christo venturo ad iudicium. Videant ergo sacerdotes, ne ipsorum corpora vmquam grauentur crapula & ebrietate. *item tuba Archangeli:* Surgite mortui.

C

FACIES ET LAMINAM DE AVRO PVRISSIMO, IN QVA SCVLPES OPERE CÆLATORIS, SANCTVM DOMINO.] Lamina hæc erat affixa tiaræ in fronte pontificis, vt sequitur. Pro *Domino*, hebr. est nomen tetragrammaton. Fuit ergo illud nomen laminæ inscriptum, vt docet S. Augustinus, Hieron. Beda, & patet ex Hebræo: *Sculpes*, inquit, קֹדֶשׁ לַיהוָה *codes laiheua* (vt ita dicã) id est, *sculpes, sanctitas Iehoua.* q. d. Insculpes laminæ hoc emblema: Deus sanctissimus est, & ipsa sanctitas Deo propria & essentialis est, vt scias sanctis eum sacrificijs & actibus à te coli oportere. Rursùm, vt nomen Dei pontificis pulchritudinem coronet & protegat, inquit S. Hieron. Tertiò, vt pontifex sit typus Christi, cuius nomen in fronte gerit, ideoq́ue instar Christi portet omnes omnino iniquitates, etiam in ipsa oblatione commissas, easq́ue expiet inuocato nomine Dei, vnde sequitur: *Portabitq́; iniquitates eorum*, &c. Vers. 36 *Tiara ascriptũ erat* sanctitas Domino. *cur? Prima causa. secunda. Tertia.*

D

Nota. Præcipuum Dei attributum est sanctitas. *Sanctitas* enim, vt ait S. Dionys. *est ab omni inquinatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas.* vnde & Spiritus sanctus à sanctitate nomen accepit: quia sanctitas omnia superat, non quidem in Deo, in quo attributa omnia sunt æqualia, imò vnum & idem, sed in nobis. Summum enim bonum & perfectio hominis & angeli est sanctitas. Hinc Seraphim Isaiæ 6. ter sanctum Deum inclamant, dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.* Sic & sancta illa quatuor animalia Apocal. 4. *requiem*

non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus, Deus omnipotẽs. Sic & Deipara canit: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Sic Trisagion puero in sublime rapto traditum fuit sub Theodosio Iuniore Imp. anno Christi 446. Cùm enim Constantinopolis ingenti terræ motu quateretur, Imperator, Patriarcha, & populus vrbe egressi in campo degebant, supplicesque Deum orabant; & ecce puer quidam è plebe in sublime raptus ab angelis didicit hunc hymnum: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* cumque ad suos depositus redijsset, atque id quod didicerat retulisset, totus populus eumdem hymnum cecinit, atque ita terræ motus cessauit, puerque statim vita defunctus est. ita habent Græcorum menologia 24. Septem. Damascen. libr. 3. de Fide c. 10. Nicephor. Baron. & alij.

B

VERS. 38. PORTABITQVE AARON INIQVITATES EORVM, QVÆ OBTVLERVNT ET SANCTIFICAVERVNT FILII ISRAEL] q.d. Ideo pontifex in fronte nomen Dei sanctum, in lamina sculptum præferat & portet, vt quasi in humeros suos tollat & auferat per nomen, virtutem & auctoritatem sanctitatis diuinæ, quã hoc ornatu tacitè inuocat, iniquitates earum rerum, id est in ijs rebus admissas, quas offerent, & offerendo sanctificabunt filij Israel. Patet hic sensus ex Hebræo.

Vide hîc quàm sacerdotes & viri pij humiles esse debeãt, verecundi & pudibundi coram Deo, quòd in ipsis etiam precibus & sacrificijs distractiones, curiositates, aliasque indecentias & culpas admittant, quas inibi confiteri & agnoscere, veniamque pro ijs petere debent inuocato nomine Domini.

C

ERIT AVTEM LAMINA SEMPER IN FRONTE EIVS, VT PLACATVS SIT EIS (ita legendum est cum Hebr. Septuag. Chald. & Rom. non *ei*, vti legunt Plantiniana) DOMINVS] q.d. Sacerdos præferens in lamina τὸ *Sanctum Domino*, hac quasi protestatione laudis & sanctitatis Dei, hocque actu latriȩ & obedientiæ, vel maximè exorabit Deum, vt populo reconcilietur, & hoc modo portabit & auferet peccata populi.

VERS. 39. *Quarta vestis põtificis erat tunica linea.* STRINGESQVE TVNICAM BYSSO] Est hæc quarta vestis sacerdotis, scilicet tunica linea & stricta. hoc enim significat τὸ *stringes*. vnde & Septuag. vertunt κορύμβους. κόρυμβοι autem sunt vincula, ait Suidas, & succingula, ait Hesychius. Perperam ergo R. Abraham, Rabbi Salomon, R. Sahadias, Vatablus, alijque recentiores Hebræum שִׁבַּצְתָּ *scibbatsta*, id est *stringes*, vertunt *oculabis*, id est ocellis, siue oculorum figuris tamquam scutulatam vestem ornabis. Sed oculos hos non viderunt oculatissimi Interpretes Septuag. Chald. S. Hieron. Philo & Iosephus, qui tamen, vtpote sacerdos, sæpè hac tunica induebatur. hi enim omnes constanter τὸ *scibbatsta*, vertunt *stringes* vel *cinges*, itaque alibi hoc vertunt ipsi quoque Iudæi; solo hoc loco nouitate abrepti, cæcam hanc oculorum significationem ei affingunt. Denique, tunicam hanc lineam zona accinctam fuisse, patet Leuitici 8.7. vnde liquet, pontificem duplicem habuisse zonam, vnam qua tunicam hanc lineam, alteram qua hyacinthinam cingeret, vt patet Leuit. 8.7. *Quinta erat zona. Pontifex duas habebat zonas.*

D

Zona descriptio. Iubet ergo hîc Deus, tunicam hanc lineã stringi bysso, id est zona byssina, quam Iosephus ait latam fuisse quatuor digitos, & intus inanem fuisse, ita contextã vt serpentis exuuium videri posset; floribus quoque puniceis, purpureis, hyacinthinis & byssinis picturatam fuisse; denique stamen eius fuisse ex sola bysso.

TVNICAM] Tunica hæc iam dicta interior erat, quæ hebr. כְּתֹנֶת *ketonet* dicitur. vnde & à Septuag. græcè vocatur χιτών, quasi dicas linea. nã, docet Iosephus & S. Hieron. *chiton*, siue *ketonet* hebr. linum significat, licet in Biblijs ea significatio non reperiatur.

Hanc tunicam Iosephus ita describit: *Super feminalia*, inquit, *induit sacerdos linteam interulam, byssinam, ex duplicata tela confectam, ea est tunica talaris* (ποδήρης, de qua paulò pòst) *corpori astricta, habens manicas circa brachia, & ipsas strictas, qua accingitur circa pectus paulò axillis inferiùs, zona lata quatuor digitos. tunica hæc nusquam sinuatur* (id est, nullas habet rugas; erat enim corpori astrictissima.) *habetq́; circa collum amplam aperturam, cuius ora vinculis à pectore & tergo committuntur.* *Tunica linea descriptio.*

Vnde patet tunicam hanc lineam fuisse eam, quam proximè super femoralia induebat sacerdos. *Primò.*

Secundò, eam factam fuisse ex lino præstantissimo, quod Scriptura byssum vocat, de quo c. 25. v. 4. *Secundò.*

Tertiò, eã nullas habuisse rugas, nullos sinus, rursum suam habuisse zonam qua cingeretur. *Tertiò.*

Quartò, arctissimè eã strinxisse corpus, idque ad hoc, ait S. Hieron. vt sacerdotes essent expediti ad ministeria sua. Nam minores sacerdotes, qui quotidie & vbique in tabernaculo ministrabant, hac sola tunica vtebantur. *Quartò.*

Hinc Quintò, eam ad crura tantùm pertigisse tradit S. Hieron. fuisseque instar camisiæ qua milites vtuntur, vt sint expediti ad cursum, ad pugnam, omneque opus. Vnde mirum est eamdem à S. Hieronymo & Iosepho vocari poderem: sed videntur ipsi per poderem intelligere vestem non talarem, sed vsque ad pedes, id est ad crura, demissam. *Quintò.*

Tropolog. Beda, Tunica, ait, linea vel byssina corpori proxima castitatem sacerdoti adeò necessariam significat; ideo totum pectus, ventrem & femora stringit. Zona cæteras virtutes castitatem incitantes, & ne superba sit comprimentes, prudentiam insuper significat & fortitudinem: armata enim debet esse castitas gladio pudicitiæ, inquit S. Hieron. ad Principiam. ita D. Thom. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 9. *Tropol. tunica linea est castitas.*

Hinc etiam apud Gentiles, præsertim Ægyptios, tunica byssina, vel linea, erat religionis symbolum, eratque vestis sacerdotum. vnde Apuleius in Apologia de lineo textu, *Sacerdotalis*, inquit, *est vestitus & amictus.* Et Herodotus libr. 2. num. 46. *Sacerdotes Aegyptij vestem tantùm lineam gerunt, nec aliam eis induere fas est.* Linum enim aptè significat sanctimoniam sacerdotum. nã Primò, est mundissimum, tum quia multo meliùs detergit sordes, quàm lana, tum quia lauari sæpè potest. Secundò, quia lanea & serica tingi & fucari possunt: at linum simplicitatis amans, tincturã omnem & fucum respuit. est ergo symbolum animi simplicis & candidi, qui omnem fictionem respuit; qualis debet esse in sacerdote. Tertiò, linũ, licet tenue, neruosum tamen est & robustũ, adeò vt apros, in eius retia se induentes, concidat. tale debet *Linum est symbolum sanctitatis. Primò. Secundò. Tertiò.*

debet esse robur & nerui sacerdotis. Quartò, *linum*, ait Plinius, *semper iniuria fit melius*: sic vera sanctitas sacerdotum aduersis augetur. Iniuriæ quas linum tolerat, donec ad optatum candorem & splendorem perueniat, plurimæ sunt; scilicet *euelli, siccari, macerari fluuio, iterum siccari, tūdi malleo stuparto, decorticari, scindi spatha lignea, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebrò in silice ex aqua, texi, & tundi clauis.* Hinc linū est optimum patientiæ, & consequenter sanctitatis (quæ illustris in sacerdote esse debet) symbolum. Has ob causas Apostoli lineam albam in sacris Aaronis imitatione retinuerunt.

Item patientia.

Porrò sicut linea tunica totum corpus ambiebat; ita patientia sacerdotis & cuiusuis fidelis, qui spiritalis est sacerdos, totam hominis vitam, omnesque actus & difficultates complecti & superare debet. Hoc enim est opus Philosophi Christiani, quem ad viuum depingit Nazianzen. orat. 28. vbi ait fidelem quemque ex ignobili genere, putà ex luto, esse prognatum; nobilitatem verò eius consistere in virtute, & præsertim in quieta & constanti vbique patientia. vnde ait: *Morbo laborat? pugnabit. quòd si victus fuerit, vincet: hos scilicet affectus, vt iam non ampliùs pugnet. Pauper est? pro diuitijs Deum habebit: diuites irridebit. vt qui, licet facultates suas quotidie augeant, semper tamen pauperes sint, quia pluribus indigent, bibuntq; vt maiori siti inflammentur. Fame vexatur? cum auibus aletur, quibus victus sationis & arationis expers est. Siti angitur? fontes ei & flumina potum suppeditabunt, & quidem potum non inebriantem, nec dimensum. Algebit? idem quoque Paulo accidit: est quoddam cauerna indumentum. Maledictis lacerabitur? vincet maledicta non regerendo. Persecutionem patietur? sustinebit. Blasphemabitur? obsecrabit. Calumnijs premetur? orabit. Percutietur in dexteram maxillam? prabebit & alteram, tertiam etiam (si haberet) obiecturus, quo magis lenitatem percussorem erudiat, opere docens quæ sermone non potest. Probris impetetur? & Christus quoque afflictionis societate cruciabitur. quamuis etiam Samaritanus vocetur, quamuis hoc ei obijciatur quòd dæmonis intemperijs agitetur, cum Deo omnia suscipiet. Multa adhuc, quamuis multa pertulerit, restabunt, acetum, fel, corona spinea, sceptrum arundineum, chlamys coccinea, crux, claui, latrones simul cruci affixi, prætereuntium contumelia. Superiora enim Deum habere oportet, eo nomine in contemptum venientem, quòd plures cruciatus ferat. Omnia priùs cedent, quàm vt manus det philosophus Christianus.*

Effigies philosophi Christiani.

ET TIARAM BYSSINAM FACIES] Tiara est ea quæ cidaris & mitra dicitur. hanc ita ex Iosepho describit S. Hieron. *Quartum*, inquit, *vestimenti genus est pileolum rotundum, quale pictum in Vlysse conspicimus, quasi sphæra media sit diuisa, & pars vna ponatur in capite. hoc Græci & nostri tiaram, nonnulli galerum vocant, Hebræi mitsnephet nominant: non habet acumen in summo, nec totum vsque ad comam caput tegit, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta constrictum est, vt non facilè labatur ex capite. est autem byssinum, & sic fabrè opertum linteolo, vt nulla acus vestigia extrinsecus appareant.*

Sexta pontificis vestis erat tiara.

Tiara descriptio.

Addit Beda, tiaras has siue galeros habuisse coronulas, idque patet ex Exodi 39.27. eæ autem coronulæ in tiara pontificis erant aureæ, in tiara verò aliorum sacerdotum erant byssinæ, & quasi orbes quidam byssini, siue quasi vitta linea sæ-

Tiara habebant coronulas.

A pè in orbem replicata, vti insinuat Iosephus Rursum tiara pontificis habebat laminam auream annexam, cui insculptum erat nomen tetragrammatum, quam non habebant tiaræ aliorum sacerdotum.

Tiara ergo pontificis differebat à tiaris aliorū sacerdotum. vnde & in Hebręo nomine discriminatur: tiara enim pōtificis vocatur מִצְנֶפֶת *mitsnephet*, ab inuolutione: tiaræ verò aliorum sacerdotum vocantur מִגְבָּעוֹת *migbaot*, ab altitudine.

Audi Iosephum tiaram pontificis describentem, & ab aliorum sacerdotum tiaris discriminantem: *Pileolo*, inquit, *quali & ceteri sacerdotes vtebatur, super quē alius extabat ex hyacintho variatꝰ. hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectantur calyculi* (folliculi florum) *aurei, quales videmus in herba quæ hyosciamus* (iam corruptè iusquiamus) *dicitur.*

Tiaræ descriptio ex Iosepho.

B Vilalpando in c. 44. Ezech. putat tiaram siue cidarim pontificis non fuisse pileum, sed fasciā seu vittam, qua sacerdotes & reges olim coronabantur. olim enim Imperatorum diadema non erat aliud quàm fascia byssina cingens & stringēs caput, & à tergo in dorsum dependens: vti videre est in imaginibus veterum Impp. Rom. nā pileus ipse sacerdotalis, ait Vilalpando, dicebatur *migba*, quasi colliculus, galea, galerus: quia formatus erat in modum collis vel galeæ. huic verò pileo circūuoluebatur fascia byssina propria pontificis, quæ *mitsnephet*, id est inuolucrum, & פְּאֵר *pear*, id est ornatus, dicebatur.

Diadema Imper. non erat corona, sed fascia.

C Verùm hæc non consentiunt cum verbis Iosephi iam citatis: ille enim in tiara pontificis, præter pileum communem alijs sacerdotibus, agnoscit alium pileum consutilem ex hyacintho, qui erat proprius pōtificis. Iosephus autem hæc optimè sciuit, vtpote qui quotidie pontifices cum suis tiaris spectabat.

Crediderim tamen tiaram pontificis habuisse diadema, siue fasciam byssinam circumuolutā & dependentem, vti habent infulæ nostrorum pontificū. inde enim videtur vocari hebr. *mitsnephet*, id est inuolucrum. Vnde Pagninus: *mitsnephet*, inquit, erat instar turbāti siue pilei Turcici, qui longa fascia inuoluitur; nisi dicas tiarā pontificis vocari *mitsnephet*, eò quòd in ea pileus vnus communis, alteri pileo pontificio quasi esset inuolutus, vti innuit Iosephus.

D Tropolog. tiara monebatur pontifex omnes sensus consecrare Deo, illique per vittam, id est per continentiam, suique abnegationem deuinctos astringere. Lamina Dei nomine inscripta significabat Dei cognitionem & professionem fidei crucisque Christi. vide Bedam & Orig. hom. 6. in Leuit.

Tropol. tiara significat primò, vnionem cum Deo; secundò, prudentiam; tertiò, puram intentionem.

Rursum tiara roborās & coronās pontificem, significabat sapientiam & prudentiam (huius enim symbolum est tiara) eumdem roborare & decorare. Vera enim prudentia maximam affert fortitudinem & gloriam. Vnde Agesilaus in pugna ad Mantineam hortatus est Lacedæmonios; vt omissis reliquis in solum pugnarent Epaminondam, *Solos*, inquiens, *prudentes esse fortes*, & illo necato facilem fore de reliquis victoriam, vtpote fatuis & nullius pretij hominibus. idque consilium exitus probauit: Epaminonda enim læso, instare cœperunt Lacedæmonij, cedere Thebani: ac

moriens Epaminondas (quasi moriente Thebanorum prudentia, æquè ac fortitudine & gloria) suasit Thebanis, vt pacem cum hostibus facerent. ita Plutarch. in Lacon.

Tertiò, tiara monebat pontificem puræ intentionis, vt omnes actiones suas in Deum dirigeret: sic enim fiunt ipsæ vtiles, sanctæ, diuinæ, meritoriæ, quæ aliàs sæpè inutiles sunt & vanæ (quod vtinam scirent & aduerterent omnes Christiani!) *Vani*, inquit Sapiens c. 13. 1. *sunt omnes homines* (pariter & actiones) *in quibus non subest sciētia Dei*, putà Dei cognitio, intentio, amor & cultus. Vnde S. Gregorius l. 28. Mor. c. 6. *Per bona*, inquit, *intentionis radium merita illustrantur actionis*. Et Richard. Victor. l. 1. de Statu inter homin. c. 7. *Quod*, inquit, *est corpus sine vita, hoc opus sine intentione bona*. Et S. August. in psal. 31. *Non valde*, ait, *attendas, quid homo faciat, sed quid aspiciat cùm facit*. Et S. Bernard. serm. 13. in Cant. *Fidelis*, ait, *Dei seruus es, si de multa gloria Domini tui transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat*; sed ei eam reddas à quo manauit, & cuius est omne bonum.

Triplex corona tiaræ quid significabat. Triplex corona significabat pontificem esse eminentiorem omnibus regibus, ait Philo: tria enim vniuersitatem significant. nam tria sunt omnia (scilicet prima omnia) vt ait Aristoteles lib. 1. de Cælo c. 1.

Rursum, fuit hæc typus triplicis coronæ Christianorum & Rom. Pontificum, quali vsus est S. Petrus & cæteri deinceps post eum. Petri enim effigies triplici corona in ipsis capillis insignita, antiquissima seruatur Romæ in eius templo, estque illa quam Siluester Pontifex Constantino Imperatori ostendit.

Et balthevm] putà zonam extimam, quæ rationale, & consequenter omnes alias vestes cingat.

Alleg. zona est amor Christi in nos. Allegor. Christus Pontifex induit tunicā hyacinthina cum ephod & rationali, in quo depictæ sunt omnes tribus Israel, id est omnes gētes Christianæ, tunicā inquam carnis nostræ assumpsit, atque eam, & in ea omnes Christianos arctissimè & inseparabiliter sibi astrinxit, idq; renibus & lumbis suis (hi enim cingūtur zona) vbi sedes est amoris & concupiscentiæ, id est, ardentissimo amori & affectui suo. Sic Ieremias c. 13. v. 1. populum Israel vocat *lumbare*, id est cingulum, Dei; eò quòd Deo per fidem & religionem intimè copulatus adhæreret quasi cingulum.

Hinc Apoc. 1. 13. vidit S. Iohānes Christum vestitum podere, & præcinctum zona aurea, quæ charitatem Christi repræsentat, quā paucis neruosè describit S. August. serm. 18. in Matth. *Dicit*, inquit, *Christus homini ægro: Bibe calicem tentationum & tribulationum, vt saneris & viuas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero, non bibo; prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audiuit, cùm dæmones expelleret, Dæmonium habet; & quòd in Beelzebub eijcit dæmonia. Vnde vt & ipse cōsolaretur ægros, ait: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? si dolores amari sunt, ligatus, flagellatus, crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis.*

Tropol. Tropol. S. Gregor. l. 34. Moral. 8. *Zona aurea*, inquit, *cingi est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius amoris vincula restringere*. Iā duplex zona pontificis, putà vna qua cingebat tunicā lineam, alia qua cingebat hyacinthinam, significabat duplicem charitatem, duplicemque virtutum congeriem, scilicet internā pro conscientia, & externam pro aliorum auxilio & ædificatione. ita Orig. hom. 6. in Leuit. Moralia plura de zona congessi Ephes. 6. 14. & Ierem. 13. 1.

Opere plvmarii] opere polymito variorum colorum & liciorum, videlicet eorum quibus ephod erat contextum, vti Exodi 38. v. 28. explicatur. Addit Iosephus huic baltheo fuisse additas aureas fistulas, ambientes vtramque eius orā. Vnde & hoc c. & sequ. v. 5. baltheus hebr. vocatur *ingeniosa textura*.

Porro filiis Aaron tvnicas lineas parabis] Hic numerātur vestes minorum sacerdotum. Ipsi enim non omnes illas habebāt quas summus pontifex, sed aliquas tātùm. Minores ergo sacerdotes 4. tantùm habebant vestes, scilicet Primò, feminalia: Secundò, tunicam lineam: Tertiò, zonā: Quartò, tiaram. carebant ergo tunica hyacinthina, ephod, rationali, & lamina aurea cum nomine tetragrammato, quæ habebat pontifex, vti dixi initio capitis. VERS. 40. *Vestes 4. minorum sacerdotū.*

Nota. Sacerdotes has vestes induebāt cùm ingrediebantur tabernaculum sacrificaturi, vel alio munere sacerdotali functuri, non autem cùm tabernaculum adibant, vt illud deponerent, ob castrorum metationem: tum enim tā pontifex, quàm alij sacerdotes illud intrabant suis vestibus vulgaribus induti. Rursum, cùm pontifex aliquod munus sacerdotale obibat, octo iā dictis vestibus, alij verò quatuor tantùm vestiebātur. Excipe festum expiationis: tum enim pontifex ingrediens Sancta sanctorum, vt omnia expiaret, induebatur vt communis sacerdos quatuor eius vestibus: erat enim ille dies afflictionis, vti apud nos fit in die parasceues, Leuit. 16. v. 4. Ex dictis liquet, sacerdotes in templo non nudo capite, sed tiara tecto orasse & sacrificasse, idque ornatus & maiestatis causa. Idem fecerunt Romani Gentiles, teste Plutarch. in Quæst. Rom. ex institutione & imitatione Æneæ. vnde Virgil.

Et capita ante aras Phrygio velatus amictu.

Tria munia sacerdotū. Nota Secundò. Munia communia pontifici & alijs sacerdotibus erāt tria. Primum, ponere nouos panes propositionis, & tollere veteres, quolibet die sabbati, Leuit. 24. 8. Secundū, aptare lucernas cādelabri quotidie manè & vespere, Exod. 27. v. vlt. Tertium, ponere incensum in altari thymiamatis quotidie manè & vespere, Exod. 30. 7. Sed, vt dixi, vestibus differebant: pontifex enim suis octo, alij verò sacerdotes suis quatuor tantùm vestibus induebātur. Proprium verò erat pontificis, semel in anno in die expiationis ingredi in Sācta sanctorū; alia verò sacerdotum communia munia, ordinariè alijs inferioribus relinquebat, sed tamē, vt ait Iosephus l. 6. Belli c. 6. ascendebat ipse in templum sabbato, calendis, vel si quādo patria festiuitas atque annua ab omni populo ageretur. *Quartum pontifici proprium.*

Facies et feminalia linea] ex lino non quouis, sed byssino, eoque retorto, & duplicato firmitatis causa. ita disertè Iosephus. Feminalia hæc femora tegebāt: causam adfert S. Hieron. scilicet reuerentiā & decentiā sacerdotalem; ne, si sacerdotem labi in labore mactandi, & offerendi victimas contigisset, passa tunica linea, nuditas eius VERS. 42. *Femoralia ad quid.*

eius videretur. Simili de causa iussit Deus, ne sacerdos per gradus ad altare ascenderet, Exodi 20 26.

Significant castitatem. Tropolog. feminalia, ait Beda & alij passim, significant castitatem vnicè in sacerdote requisitam. vnde & hebr. vocantur מִכְנָסַיִם *michnesaim*, à radice כנס *canas*, id est collegit. quasi dicas, constrictoria duorum lumborum & femorum. ita Iosephus. hinc fiunt è lino variè carminato & præparato: quia castitas gignitur & conseruatur per iugem carnis & sensuum mortificationem. Rursum fiũt ex lino byssino retorto: quia castitas mollis & delicata est: vnde magis quàm aliæ virtutes muniri & conduplicari debet, vt sit firma. Feminalibus ergo lineis, à renibus vsque ad femora tecti erant sacerdotes, vt significaretur, debere sacerdotes noui testamenti, aut virgines esse, aut contracta cum vxoribus fœdera dissoluisse, inquit Beda.

A RENIBVS VSQVE AD FEMORA] inclusiuè. Feminalia enim, vti docet S. Hieron. à lumbis pertingebant vsq; ad genua, & à contegendo femur siue femen, vocabantur feminalia, vel femoralia. Nulla hîc caligarum vel tibialium fit mentio: vnde videtur quòd sacerdotes ijs caruerint, nudisq; pedibus ministrauerint tabernaculo, de quo c. 39. 19. *Ne iniquitatis* (inobedientiæ contra hoc meum præceptum) *rei moriantur.*

VERS 43. LEGITIMVM SEMPITERNVM ERIT AARON, ET SEMINI EIVS] q.d. Volo vt hoc statutum de vestibus sacris seruet Aaron, & posteri eius in perpetuum: quamdiu scilicet durabit sacerdotium Aaronicum, & lex hæc vetus typica.

Allegor. lex veteris sacerdotij fuit sempiterna, quia significauit res sacerdotij Christi, quæ in æternum durabunt. Sic ergo lex illa fuit sempiterna, non in se, sed in veritate Christi, quam adumbrauit. ita S. August. q. 124.

Morale in sacerdote nihil debet esse plebeiũ. Moraliter, hic omnis ornatus exterior sacerdotum significat qualis debeat interior esse eius ornatus, quamque præ populo eminere & effulgere

A eũ oporteat. Idipsum docet S. Ambros. epist. 6. ad Irenæum, vbi iuxta illud Pythagoræ mandatum, quo discipulos suos communem atque vsitatam populo prohibuit ingredi viam: *Vides*, inquit, *nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine? sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vẽdicat dignitas sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat? si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat? Supregrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quadam gregalis conuersationis, &* B *quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium.* Et infrà: *Sit nostra via angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, semita recta sit egressus ad superiora.*

S. Chrysost. l. 2. de Sacerd. *Prodeant*, inquit (ad functionem pastoralem ad episcopatum) *qui longè omnibus præstant, quiq; virtute animi tantum reliquos excellunt, quantũ corporis magnitudine Saul Hebræorũ gentes excelluit, seu potiùs multò etiam magis.* Auctor imperfecti hom. 43. *Audiant*, inquit, *te hominis parua mandantem, & grandia videant facientem.*

S. Gregorius 1. p. Pastor. c. 3. *Sit pastor*, inquit, C *operatione præcipuus, vt vita viam subditis viuendo denuntiet: & grex, qui pastoris vocem moresq; sequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur. Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: & optima ouium pascua sunt exempla pastoris.*

Talis fuit S. Malachias Archiepisc. Hiberniæ, qui S. Bernardo teste dicere solebat suis: *Non recuso mori, vt vos vita mea teneatis exemplum.* Erat enim ipse, inquit Bernard. *regula Fratrum, legebant in vita eius quomodo conuersarentur. Sibi pauper, sed diues erat pauperibus: pater erat orphanorum, maritus viduarum, pius ad compatiendum, ad corripiendum liber*, &c.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus vt Moses Aaronem & filios eius consecret sacerdotes hoc ritu. Primò, lauet eos. Secundò, induat eos vestibus sacerdotalibus. Tertiò, offerat vitulum pro peccato & duos arietes, vnum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam cum panibus azymis. Quartò, vt per dies septem quotidie vngat, tam ipsos, quàm altare, v. 35. Quæ omnia mysticè rectè exponas, & adaptes consecrationibus & primitijs sacerdotum noui testamenti. Denique v. 38. præscribit sacrificium agni tam manè quàm vespere quotidie immolandi.

1. SEd & hoc facies, vt mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, 2. panesq; azymos, & crustulam absq; fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila triticea cuncta facies. 3. Et posita in canistro offeres: vitulum autem & duos arietes. 4. Et Aaron ac filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumque laueris patrem cum filijs suis aqua, 5. indues Aaron vestimentis suis, id est linea & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo. 6 Et pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, 7. & oleum vnctionis fundes super caput eius: atque hoc ritu consecrabitur. 8. Filios quoq; illius applicabis, & indues tunicis lineis cingesq; balteo. 9. Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntq; sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaueris manus eorum, 10. applicabis & vitulum corã tabernaculo testimonij. Imponentq; Aaron & filij eius manus super caput illius, 11. & mactabis eũ in

conspectu Domini, iuxta ostium tabernaculi testimonij. 12. Sumptumque de san-
guine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fun-
des iuxta basim eius. 13. Sumes & adipem totum qui operit intestina, & reticu-
lum iecoris, ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super al-
tare: 14. carnes verò vituli, & corium & fimum combures foris extra castra, eò
quòd pro peccato sit. 15. Vnum quoq; arietem sumes, super cuius caput ponent Aa-
ron & filij eius manus. 16. Quem cùm mactaueris, tolles de sanguine eius, & fun-
des circa altare. 17. Ipsum autem arietem secabis in frusta. lotaque intestina eius
ac pedes pones super concisas carnes, & super caput illius. 18. Et offeres totum a-
rietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suauissimus victimæ Do-
mini. 19. Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron & filij eius po-
nent manus. 20. Quem cùm immolaueris, sumes de sanguine eius, & pones super
extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & super pollices manus eorum ac
pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. 21. Cumque tuleris
de sanguine qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius, &
filios & vestimenta eorum. Consecratisque ipsis & vestibus, 22. tolles adipem de a-
riete, & caudam, & aruinam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, at-
que adipem, qui super eos est, armumque dextrum, eò quòd sit aries consecratio-
nis: 23. tortamque panis vnius, crustulam consperfam oleo, laganum de canistro a-
zymorum, quod positum est in conspectu Domini: 24. ponesque omnia super ma-
nus Aaron & filiorum eius, & sanctificabis eos eleuans coram Domino. 25. Susci-
piesque vniuersa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem
suauissimum in conspectu Domini, quia oblatio eius est. 26. Sumes quoque pectu-
sculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud eleuatum coram Do-
mino, & cedet in partem tuam. 27. Sanctificabisque & pectusculum consecra-
tum, & armum quem de ariete separasti, 28. quo initiatus est Aaron & filij eius, ce-
dentque in partem Aaron & filiorum eius iure perpetuo à filijs Israel: quia primitiua
sunt & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino. 29. Vestem autem
sanctam, qua vtetur Aaron, habebunt filij eius post eum, vt vngantur in ea, & conse-
crentur manus eorum. 30. Septem diebus vtetur illa qui pontifex pro eo fuerit con-
stitutus de filijs eius, & ingredietur tabernaculum testimonij vt ministret in Sanctua-
rio. 31 Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes eius in loco san-
cto: 32. quibus vescetur Aaron & filij eius. Panes quoque qui sunt in canistro, in
vestibulo tabernaculi testimonij comedent, 33. vt sit placabile sacrificium, & san-
ctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt.
34. Quòd si remanserit de carnibus consecratis, siue de panibus vsque manè, com-
bures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt. 35. Omnia, quæ
præcepi tibi, facies super Aaron & filijs eius. Septem diebus consecrabis manus eo-
rum: 36. & vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Munda-
bisque altare cùm immolaueris expiationis hostiam, & vnges illud in sanctificatio-
nem. 37. Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis, & erit Sanctum sancto-
rum. omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur. 38. Hoc est quod facies in altari: A-
gnos anniculos duos per singulos dies iugiter, 39. vnum agnum manè, & alterum
vespere, 40. decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensu-
ram quartam partem hin; & vinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno vno.
41. Alterum verò agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis, &
iuxta ea quæ diximus, in odorem suauitatis. 42. Sacrificium est Domino, oblatio-
ne perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonij Domino, vbi
constituam vt loquar ad te. 43. Ibique præcipiam filijs Israel, & sanctificabitur al-
tare in gloria mea. 44. Sanctificabo & tabernaculum testimonij cum altari, & Aa-
ron cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mihi. 45. Et habitabo in medio filiorum
Israel, eroq; eis Deus, 46. & scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos
de terra Ægypti, vt manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

VERS. 2. CRVSTVLAM] tortam, collyridam, vel placentam. hoc enim est Hebr. חַלּוֹת *challot*.

QVÆ CONSPERSA SIT OLEO] Hebræa, *quæ commista sit oleo*, putà cùm pinseretur farina, oleo subigebatur, idque ad innuendam vnctionem Aaronis. hoc enim significat Græcum πεφυραμένας, apud Septuag.

A LAGANA QVOQVE OLEO LITA] *Lagana* sunt liba tenuia. hæc enim significat Hebræum רְקִיקֵי *rekike*. lagana hæc aqua erant commista cùm pinserentur, sed cùm offerrentur, oleo frigebantur. hoc enim significat Hebr. מְשֻׁחִים בַּשָּׁמֶן *mescicbe scemen*, id est oleo lita vel vncta, putà vt eo frigantur. ita Abulens. & Oleaster.

VITV-

Vers. 3. Vitulum autem et duos arietes] scilicet offeres, id est sistes & applicabis ad tabernaculum, vt postea v. 10. immolentur. In vitulo siue tauro, inquit Lipoman. notatur ceruix superbiæ, in ariete ducatus gregum signatur. Sacerdotes ergo qui futuri sunt populi rectores, iubentur immolare taurum & arietem, vt per hoc symbolicè admoneantur interficere quidquid tumidum de superbo ducatu sapiebant; atque sanctificari per 7. dies, vt moneantur in sanctitate per omnem vitam persistere.

Vers. 5. Indues Aaron, &c. linea (quæ hebraicè *ketonet* dicitur) et tunica] scilicet hyacinthina. Feminalium nulla hîc fit mentio, quia ea iam induerat Aaron & filij, vt honestè lauarentur. ita Beda.

Quod constringes balteo] Hebræa, *stringes illud ingeniosa textura ipsius ephod*. Vbi Nota. Balteus vocatur textura, aut opus ingeniosum ipsius ephod; quia balteus hic ipsum ephod stringebat, eratque eiusdem materiæ cum ephod. ita Vatabl.

Vers. 6. Et laminam sanctam] Hebr. *coronam sanctitatis*. ita vocatur lamina aurea, cui inscriptum erat *Sanctum Domino*. hæc enim frontem instar coronæ cingebat & ornabat.

Vers. 7. Et oleum unctionis (oleum quo quis vngitur. est pleonasmus.) fundes super caput eius] Hoc oleum, ait Cyprianus tract. de vnctione Chrismatis, significabat Primò, spiritualem sacris mysterijs inesse pinguedinem. Secundò, quòd, sicut oleum liquidis omnibus supernatat, ita sacerdotalis dignitatis excellentia omnes status & gradus transcendat, atque regimen & munimen tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ obtineat. Tertiò, hoc oleum consecrationis sacerdotum, typus erat Sacramenti Ordinis, in quo spiritus pinguedo datur ordinatis.

Olei tria mysteria. Primum. Secundum. Tertium.

Postquam initiaveris (Hebræa, *postquam impleueris oleo*, id est vnxeris, & vngendo consecraueris) manus eorum] Per *manus* significatur potestas res alias consecrandi, quam hac vnctione manuum accipiunt hîc nouelli sacerdotes. ita S. August. qu. 125. Manibus enim victimas, resque alias tractare, Deo offerre & consecrare debebant. Hinc moraliter sciat sacerdos se manus debere habere sanctas, id est castas & puras, tum à Venere, tum à sanguine, tum ab auaritia. Audi Philonem libr. de Victimis: *Postulat*, inquit, *Deus à sacrificante primùm bonam mentem, sanctam, & in pietate exercitam. Deinde vitam benefactis* (præsertim eleëmosynis) *ornatam; vt dum manus imponit, possit libera conscientia dicere: Manus hæ nec muneribus corrupta, nec innocenti sanguine polluta sunt, noxam, iniuriam, vulnus, vim intulerunt nemini, nulli rei turpi præbuerunt ministerium; sed rebus honestis ac vtilibus, quæ viris iustis, honestis, sapientibusq; probantur.*

Igitur sacerdotum omnium manus inungebantur: pontifici verò erat peculiare vt & caput eius vngeretur v. 7. vt significaretur quòd ab ipso quasi à capite deriuaretur potestas offerendi & consecrandi ad alios: hoc autem mysticè figurabat pontificale munus legis nouæ. ita D. Thomas 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 8. Hinc dicitur psalm. 132. 2. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

Vers. 10. Imponentque Aaron, et filii eius manus

A super caput illius] Vt hoc ritu contestentur se peccatores, & peccata sua vitulo imponere, illumque vt victimam pro suis peccatis offerre, vt sic emundati digni reddantur, qui pro aliorum peccatis intercedant & sacrificent. De hoc ritu plura dicam Leuit. 1. 4.

Et mactabis eum in conspectu Domini] Vers. 11. *Mactabis*, tu scilicet, ô Moses. Fungebatur ergo hîc Moses munere sacerdotali, adeoque sacerdotes, ipsumque pontificem quasi hierarcha consecrabat. Vnde Nazianzenus orat. 22. Mosem vocat sacerdotem sacerdotum. sic & S. August. qu. 20 in Leuit. vnde psalm. 98. 6. dicitur: *Moses & Aaron in sacerdotibus eius.* Vide Leuit. 8. Moses ergo primus populi tam pontifex, quàm dux & princeps fuit. Verùm postquam Moses sacerdotium consignauit Aaroni & posteris, deinceps Mosis posteri non inter sacerdotes, sed inter Leuitas annumerati sunt, vt patet 1. Paralip. 23. v. 14.

Moses fuit pontifex & princeps populi.

B

Sumes et adipem, ac duos renes, &c. et offeres incensum super altare] q. d. Hæc omnia instar thuris accendes & adolebis, vt euaporent in fumum, & incendantur in honorem Dei. adeps ergo & renes hîc vocantur *incensum*, id est victima incensa. patet ex Hebræo. Vers. 13.

Notant Hebræi, Deum potissimùm exigere pro suo sacrificio animalia illa & membra, quæ concupiscentijs subijciuntur. requirit renes, quæ concupiscentiæ prima sunt officina; vult habere hepar, quod roborat libidinem; & adipes, qui effrænem faciunt concupiscentiam, iuxta illud, *Impinguatus est Israel, & recalcitrauit.* Hæc omnia Dominus vult habere in suo sacrificio; non quòd illum delectent renes, sed quòd hæc significent, mortificanda esse membra nostra super terram, idque tum cuilibet, tum maximè sacerdoti, Prælato & principi faciendum esse. de quo rursum v. 22.

Deus cupit renes, hepar, &c. cur.

C

Alfonsus Aragonum rex dicebat, *Nihil inconuenientius esse, quàm si quis alijs imperaret, qui suis affectibus proprijs imperare non potest.* quomodo enim alienos coërcebit, qui à suis vincitur, ijsque indulget? Demosthenes aiebat esse sapientis, numquam animo conniuere, neque affectibus quoquo modo licentiùs indulgere, ne effrænati rationis imperium deserant. Thales rogatus, *quis esset felix? Qui corpore*, inquit, *sanus est, & animo castus.* Libido enim & concupiscentia sunt animi morbi. Cato, teste Plutarcho, dicebat optimum esse imperatorem, qui suis affectibus imperare posset. Cicero in orat. pro Sylla: *Regium, ait, est ita viuere, vt non modò homini, sed ne cupiditati quidem vlli seruias: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere: populi vtilitati magis consulere, quàm voluntati: nemini cedere, multis obsistere.*

D

Carnes vero vituli, et corium, et fimum combures foris extra castra; eo quod pro peccato sit] *Extra castra*, ad significandam magnitudinem peccati sacerdotum (vtpote qui sanctissimi esse, aliosque verbo, exemplo & sacrificijs sanctificare debent.) ad eius ergo detestationem, cremabantur carnes victimæ eorum extra castra. Similiter pro sacerdotum peccatis solùm, immolabatur vitulus; pro peccatis verò principum & plebeiorum immolabantur minora animalia, putà capræ, arie- Vers. 14.

tes vel aues. Tertiò, eadem de causa fimus vituli cremabatur, in alijs verò victimis, etiam pro peccato, id non fiebat, excepta vitula rufa, quæ pro peccatis omnibus totius populi offerebatur, Numer. 19. Vide de his plura Leuit. 4. & 5. & sequent. Hinc & Christus extra castra, id est extra Ierusalem, passus est. vide dicta ad Hebræos 13. 11.

VERS. 16. QVEM CVM MACTAVERIS, TOLLES DE SANGVINE EIVS, ET FVNDES CIRCA ALTARE] vt significetur, quòd Deus, qui altari repræsentatur, hunc sanguinem pecoris pro peccato hominis suscipiat, eoque placetur.

VERS. 18. OBLATIO EST DOMINO] Hebraicè עוֹלָה *ola*, id est holocaustum est Domino. holocaustum dicitur *ola*, id est ascensio, eò quòd in illo tota victima per ignem & fumum ad Deum ascendat.

ODOR SVAVISSIMVS VICTIMAE DOMINI] Hebraicè est, *odor quietis*, in quo scilicet suauissimè & iucundissimè odoratus conquiescit; quod Deo hîc tribuitur metaphoricè, quia sacrificium hoc Deum placatum reddebat (vnde Chaldæus vertit, *vt suscipiatur cum beneplacito*) & peccata expiabat per fidem in Christum; cuius sacrificium hoc suo, suisque victimis, putà vitulo & ariete, adumbrabant. Erat ergo hoc eorum sacrificium Deo gratum & iucundum, non ex opere operato, vti est sacrificium legis nouæ; sed ex opere operantis: erat enim actus latriæ & obedientiæ.

VICTIMA DOMINI] Hebraicè, *ignitio*, id est oblatio ignita, *est Domino*, putà est holocaustum, in quo omnia comburuntur & consumuntur.

Nota. In consecratione hac Aaronis & filiorum in sacerdotes, oblatum fuit omne genus sacrificiorum, scilicet holocaustum, pacificum, & pro peccato: ad illa enim offerenda ordinabantur & consecrabantur ipsi. Nam aries vnus primariò oblatus est in holocaustum, licet & comitanter pro pecatis offerretur; alter aries oblatus est in hostiam pacificam; vitulus denique oblatus est pro peccato. Simili ratione in lege noua, in ordinatione & consecratione sacerdotum & pontificum celebratur & offertur sacrificium Missæ, tamquam actus & oblatio ad quam ordinantur sacerdotes.

Allegor. Allegoricè, Radulphus in Leuit cap. 9. Moses, inquit, significat legem, vitulus significat Christum, Aaron & filij eius significant doctores & prædicatores Euangelicos. Moses ergo, id est lex, coram Aarone eiusque filijs, vitulum pro peccato mactat, cùm doctorum scientiam de Christi passione informat. Offert Secundò, arietem in holocaustum; quia docet eosdem offerre se in holocaustum perfectæ conuersationis, vt alijs fidei & bonorum operum sint duces. Offert Tertiò, arietem in victimam pacificam; quia docet eos Christi vitam fidelibus passim imitandam proponere.

VERS. 19. TOLLES QVOQVE ARIETEM ALTERVM] Est hæc victima ordine tertia. Prima enim erat pro peccato, putà vitulus. Secunda erat in holocaustum, putà aries. Tertia hîc est aries alter, qui offertur in victimam pacificam, vt scilicet prosperè sacerdotium nouelli sacerdotes susciperent, vtque illud eis & populo pacificum, id est faustum & fortunatum, foret.

A QVEM CVM IMMOLAVERIS] quem cùm iugulando sacrificaueris Deo. Nam postea aries hic ad plenam sacrificij consummationem, comburendus erat. VERS. 20.

ET PONES (sanguinem arietis) SVPER EXTREMVM AVRICVLAE DEXTRAE AARON, ET FILIORVM EIVS, ET SVPER POLLICES MANVS EORVM, AC PEDIS DEXTRI] Sicut Isaiæ vaticinaturo c. 6. os tactu carbonis igniti, per angelum mundatum est, quasi deinceps Spiritu sancto assistente mundissima & sanctissima locuturo; ita hîc sacerdotibus aures, manus & pedes sanguine tinguntur, vt innuatur hæc in eis purissima, & optimè composita esse debere: atque ad id à Deo vocante eos gratiam petere, & orationibus sacrificijsque obtinere oportere. *Vnctionis symbola.*

B Porrò extremum auriculæ dexteræ tingitur sanguine, vt teneras habeant aures, promptissimamque obedientiam ad legem & doctrinam (tum veterem, tum nouam & Euangelicam, quæ sanguinem Christi, quasi lustralem nobis propinat) audiendam & implendam. Rursum, vt significetur obedientiam hanc perpetuam esse, & ad finem vsque porrigi debere. Hoc enim significat תְּנוּךְ *extremum*, ait S. Cyrillus libr. 11. de Adorat. in spirit. & verit. fol. 229.

Pollex verò manus dexteræ (singulis enim ille solus aspergebatur sanguine) sanguine tingitur ad firmam obedientiæ legis executionem: item & pollex pedis dextri, ad celerem motum exequendi eam, in eaque ambulandi, ait Radulphus in c. 8. Leuitici.

C Dextera autem auris & pollex vnguntur, non sinistra: tum quia dextera præstantior est sinistra, tum vt hoc symbolo tacitè petatur, vt hæc vnctio, omniaque eis sint dextra, fausta & felicia.

FVNDESQVE SANGVINEM SVPER ALTARE PER CIRCVITVM] Putà per parietes altaris circumcirca, ab omnibus quatuor eius lateribus. non ergo fundebatur sanguis hic super cornua altaris supernè, quia hoc in nullis fiebat hostijs pacificis, vt patet Leuit. 3. non etiam super pauimentum iuxta altare: sed per quatuor eius parietes; hoc enim peculiare habebat hæc hostia pacifica, vt significaretur hoc sacrificio peti, vt contactus altaris nouellis hisce sacerdotibus foret prosper & salutaris.

D DE OLEO VNCTIONIS (de cuius compositione dicetur cap. 30. 23.) ASPERGES AARON ET VESTES EIVS] Sanguine ergo & oleo, siue seorsim quolibet eorum, siue, quod verisimilius est, inter se commistis, lustrabantur tam sacerdotes quàm eorum vestes, itaque quasi consecrabantur, vt essent accommodatæ eorum functionibus, & expiationi peccatorum; sicuti & modò vestes sacerdotales ab Episcopo benedicuntur. Fuit ergo hoc oleum cum sanguine vestibus inspersum, itaque leuis macula vestibus aspersa fuit, vt significaretur, sacerdotem istis vestibus indutum emaculaturum & expurgaturum sordes & peccata populi. Eadem vnctio adhibenda fuit, quando aliæ nouæ vestes sacerdotales, veteribus hisce detritis, postea confectæ fuerunt. VERS. 21.

TOLLES ADIPEM DE ARIETE ET CAVDAM] Hæc enim sunt pinguiora & delicatiora in animali. Vult ergo hîc Deus omnia pinguia, & quidquid VERS. 22.

quid operit vitalia, vt dignissima & optima, sibi adoleri.

Tropologicè, S. Gregorius libr. 1. Moralium cap. 40. *Cauda*, ait, *iubetur adoleri Deo, vt omne bonum quod incipimus, etiam perseuerantia fine compleamus.* Rursum, adeps significat gulam, renes significant libidinem, fibra iecoris significat bilem & vim irascibilem, iecori in corpore iunctam. Hæc omnia emori, Deoque per mortificationem à sacerdote consecrari debent. ita Theodoret. & S. Basilius lib. de Vera virgin.

Huc plurimùm iuuat crebra mortis meditatio. *Caro*, inquit S. Gregorius 18. Moralium, *cùm concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligetur quid ametur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt quisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset.* Ita in Patrum libr. 5. cap. 1. num. 7. Abbas Iohannes ait: *Manè de omni virtute cogita, deq́; omni vitio mortificando, includens te sepulchro tamquam iam mortuum, vt videatur tibi proxima esse mors omni die.* Ibidem c. 10 nu. 63. Abbas Moses rogatus, *qualis homo mortificat se?* ait: *Nisi posuerit homo in corde suo, quia triennium habet in sepultura, non peruenit ad hoc verbum.*

EO QVOD SIT ARIES CONSECRATIONIS] putà oblatus in consecratione sacerdotum, pro eorum prosperitate. q. d. In hostijs pacificis armus dexter, vti & pectusculum, cedit sacerdoti. vt ergo hæc hostia consecrationis sacerdotum habeat aliquid peculiare præ alijs, volo vt præter caudam, armus quoque mihi adoleatur, solum verò pectusculum tibi, ô Moses, quasi sacerdoti & consecratori cedat, vt illud cum tua familia comedas: reliqua verò caro cedat Aaroni offerenti, vti fieri solet in oblatione hostiæ pacificæ. ita Hugo.

VERS. 23. QVOD POSITVM EST IN CONSPECTV DOMINI] putà, coram altari holocaustorum.

VERS. 24. PONESQVE OMNIA SVPER MANVS AARON ET FILIORVM EIVS, ET SANCTIFICABIS EOS ELEVANS CORAM DOMINO] Hæc ergo sacerdotum sanctificatio non erat aliud, quàm eleuatio manuum eorum cum muneribus, facta per Mosen: qua eleuatione vel oblatione significabatur, munera illa ad Deum pertinere, ac deinceps similia Deo sanctificanda esse, & offerenda per manus sacerdotum. Cùm enim hîc Moses obtulit manus sacerdotum Deo, consequenter obtulit quoque Deo ea, quæ ipsi suis manibus tenebant. Hinc rursum sanctus habebatur sacerdos, & ad Dei, qui est ipsa sanctitas, familiam ac possessionem, tamquam ei dicatus & oblatus, pertinens.

Nota. Sanctificare passim hîc idem est quod offerre, de quo rursum v. 27. Hebraicè est, *pones omnia super manus Aaron & filiorum eius, & eleuabis ea eleuatione coram Domino.* Hebræum enim נוף *nuph*, significat eleuare, vel agitare. vnde תנופה *tenupha*, vocatur eleuatio; indeque ipsa oblatio. ab hoc ritu eleuandi, dicitur *tenupha*. Tradit R. Salomon & Hebræi, certam fuisse eleuationis & oblationis huius *tenupha* cæremoniam & ritum; quòd videlicet Moses supponebat manus suas manibus sacerdotum nouellorum, & eleuabat eas sursum, ac deinde deprimebat deorsum, mox ab Oriente in Occidentem, ac demum à Meridie ad Septemtrionem easdem ducebat, itaque formam exprimebat trinæ crucis, quasi indicaret, Deum cui sacrificabat, cæli & terræ vniuersæ esse Dominum (hinc & נוף *noph*, vnde descendit *tenupha*, regiones & climata mundi significat) simulque sacrificium crucis Christi præsignaret.

Ritus tenupha in offerendo victimas, quis?

Eamdem cæremoniam *tenupha*, ac ritum eleuandi hostiam, adhibitam fuisse in sacrificio zelotypiæ, patet Numer. 5. v. 25. & in sacrificio Nazaræi, Numer. 6. v. 20. & in quauis alia hostia pacificorum, Leuit. 7. v. 30. vbi noster Interpres vertit, *cùm ambo oblata Deo consecrauerit*; hebraicè est, *cùm ambo Deo eleuauerit.* imò Hebræi ipsam oblationem vocant *teruma*, vel *tenupha*, de quo v. 27. Denique S. Hieronymus ad Fabiol. *tenupha*, id est eleuationem, etiam ad rem sacrificatam refert. q. d. Offeres Deo rem eleuatam, eminentem, egregiam, primam & præcipuam, quæ proinde meritò eleuanda & offerenda sit Deo solemni ritu.

VERS. 26. QVO INITIATVS EST AARON] q. d. Qui aries scilicet, immolatus est pro felici consecratione Aaron. Hebræa & Septuag. habent, *qui Aaronis est*, quasi dicant, Qui deinceps in sacrificando cedet in ius Aaronis.

VERS. 27. SANCTIFICABISQVE PECTVSCVLVM] Id est, offeres pectusculum Deo. Omnia enim quæ Deo offerũtur, non physicè, sed moraliter sancta sunt, & offerendo sanctificantur; quia Deo dicantur, & omnino deputantur.

SANCTIFICABISQVE ET PECTVSCVLVM CONSECRATVM, ET ARMVM QVEM DE ARIETE SEPARASTI] Statuitur hîc lex generalis de sacrificio pacifico, non eo, quod hîc offertur pro consecratione sacerdotum; sed de omni eo quod in posterum oblaturi erant filij Israel, vt videlicet ex eo pectusculum & armum dent sacerdotibus: sicut ipsi sacerdotes in suo hoc sacrificio vtrumque dederunt Deo. *Sanctificabis* ergo, id est segregabis, dicabisque mihi ac meis ministris pectusculum victimæ, ideoque ipsum sanctum erit, & sanctificatum hac oblatione sacerdotibus facta. Hebraicè est, *sanctificabis siue consecrabis mihi pectusculum* תנופה *tenupha, & armum* תרומה *teruma, quod agitatum est, & qui in altum sublatus est propter Aaron & filios eius.*

Vbi Nota. Oblatio vel victima *tenupha* est illa, quæ certo ritu Deo eleuabatur agitatione manuum versus omnes mundi plagas, vti tradere Hebræos dixi v. 24. oblatio verò *teruma* à nonnullis ita distinguitur à *tenupha*, vt *teruma* sit oblatio à sursum vsque deorsum descendens & agitata; *tenupha* verò sit oblatio versus quatuor mundi plagas. Verùm S. Hieronymus hæc duo non distinguit, & *teruma* semper separationem vertit; qua videlicet victima separabatur ab vsibus profanis, Deoque offerebatur. Sic & Septuag. *teruma* vertunt ἀφαίρεμα, & Chald. אפרשותא *aphrascuta*, id est separationem, à radice פרש *peras*, id est separauit. quamquam ad verbum, *teruma* idem est quod eleuatio, à radice רום *rum*, id est eleuauit: inde enim dicitur *teruma*, quasi dicas, oblatio, vel leuanda, quæ leuatur, tollitur & offertur Deo. Sensus ergo est, pectusculum eleuationis, & armum eleuationis, quæ mihi solemni ritu eleuasti & obtulisti, eadem

Ritus teruma & tenupha an differant.

eadem (non numero, sed specie) recipies à filijs Israel, cùm illi per se suas victimas pacificas mihi offerent.

Tropol. offerat sacerdos pectus & brachium Deo. Tropol. S. Gregor. 2. p. Pastor. c. 3. Recipit, inquit, sacerdos à populo pectus & armum dextrū, vt meminerit se Deo debere reddere pectus suum, vt non nisi quæ recta sunt cogitet; & armum, id est brachium, dextrum, vt fortissimè prospera & aduersa omnia contēnendo, generosè ea quæ Dei sunt exequatur, vt in eo verum sit illud Iulij Cæsaris apud Sallustium in Catilin. *In maxima fortuna, minima est licentia.*

Exempla. Ita fecit inter alios S. Carolus Borromæus, qui nulli labori, nulli austeritati, nulli periculo parcebat, pro Dei gloria, & suorum salute promouenda; adeoque talibus immori optabat, talem mortem in lucro reponens. Vnde ad Archiepiscopum Valentinum, qui eum monebat, vt sibi parceret, nec nimijs laboribus & pœnitentijs vitam abbreuiaret, ita rescripsit: *Quòd si etiam, dum Ecclesia, pro qua Christus acerbissimam mortem pertulit, opera nauatur, virium quas debilitari, vita quam interire necesse est, iactura fiat; id verò maximi lucri atque emolumenti loco ponendum est: Nimis delicati hominis, nedum Episcopi est, à muneris sui, quo nullum amplius, nullum præstantius est, administratione & cura, aut valetudinis studio retardari, aut mortis formidine deterreri.* testis est auctor Vitæ eius libr. 8. c. 21.

S. Siluerius Pontifex & Martyr, ab Augusta Eutychiana per Belissarium eiectus in Pontiam insulam, ita scribit ad Amatorem Episc. *Sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ, nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum.* Vnde ibidem coacto Concilio Eutychetem damnauit, & ærumnis confectus Martyr occubuit.

S. Iohannes Chrysostomus in exilium, ob vitia carpendi libertatem, pulsus, cùm & itineris nocturni molestias, & Isaurorum incursus, & febrim validam, vomitus, capitis dolores, cibi fastidia, aliaque dirissima pateretur, sic scribit epist. 130. *Nec obsidione, nec latronum incursibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum aduersorum casuum turba deijcior aut conturbor, sed ingenti securitate & otio fruor.*

Rursum, laicus sacerdoti, inferior suo superiori offerre debet pectusculum, id est voluntatem humilitate & obedientia plenam; atque armum, siue humerum, ad portanda onera ab eo imposita paratissimum. Obedientiæ ergo debetur tam pectus, quàm armus: nec vnum sine altero sufficit; quia non sola voluntas, nec sola executio operis iniuncti, sed vtrumque offerendum est, scilicet prompta voluntas ad opus præceptum currens & prosiliens.

VERS. 28. CEDENTQVE IN PARTEM AARON ET FILIORVM EIVS, QVIA PRIMITIVA SVNT ET INITIA DE VICTIMIS EORVM PACIFICIS, QVAE OFFERVNT DOMINO] q.d. E victima pacifica primo loco cedet sacerdoti pectus & armus dexter: quia hæ sunt partes primæ, quæ initio è victima pacifica separantur Deo, Deique nomine offeruntur sacerdoti: ideoque hæ partes nobilissimæ sunt. Maxima enim earum est nobilitas & dignitas, quòd primò Deo separentur, & vice Dei sacerdoti offerantur: deinde, secundò is qui è populo offert victimam pacificam, accipiat ex ea portionem reliquam.

VESTEM QVOQVE SANCTAM, QVA VTETVR AARON, HABEBVNT FILII EIVS POST EVM, VT VNGANTVR IN EA, ET CONSECRENTVR MANVS EORVM] q.d. Vestes pontificis sanctis vsibus deputatas, mortuo patre pontifice, accipiet filius senior, qui patri in pontificatu succedet, vt ijs indutus vngatur & consecretur pontifex: Ne quis putet, pontificem cùm moritur, in suis pontificalibus sepeliendum esse, nouasque vestes pontificales filio successori conficiendas esse. Ita vestibus Aaron, eo mortuo, indutus est Eleazar eius filius, Num. 20. v. 26. & 28. VERS. 29.

Nota. Vnctio hæc & consecratio noui pontificis, post mortem Mosis fiebat ab aliquo è minoribus sacerdotibus: neque enim erat maior aliquis qui eum consecraret. Sic apud nos Pontifex Romanus consecratur ab Episcopo Ostiensi. ita Abulensis. *Minor sacerdos consecrabat pontificem.*

B

SEPTEM DIEBVS VTETVR ILLA (veste sacra) QVI PONTIFEX PRO EO FVERIT CONSTITVTVS] Numero septenario, vtpote pleno, consummabatur consecratio sacerdotis: illis enim septem diebus fiebant vnctiones quotidianæ, item oblationes atque expiationes altaris, tamquam ceremoniæ consecrationis, vt patet v. 35 & sequ. nec poterat sacerdos consecrandus illis 7. diebus à tabernaculo recedere, Leuit. 8. 33. Hæc omnia ad hoc fiebant, vt illustrior esset sacerdotij auctoritas & sanctitas. VERS. 30.

ARIETEM AVTEM CONSECRATIONIS TOLLES, ET COQVES CARNES EIVS IN LOCO SANCTO, QVIBVS VESCETVR AARON ET FILII EIVS] q.d. Huius victimæ pacificæ, putà arietis in consecratione sacerdotum oblati, carnes reliquas (nam armus eius Deo erat incēsus & combustus, pectusculum verò iusserat Deus dari Mosi, tamquam consecratori) *coques in loco sancto*, non in altari, sed iuxta illud in atrio sancto, quod erat ante tabernaculum, vbi carnes hostiæ pacificæ coqui solebant igne ex altari sumpto. ita Caiet. VERS. 31. & 32.

C

PANES QVOQVE QVI SVNT IN CANISTRO, IN VESTIBVLO TABERNACVLI COMEDENT] q.d. Iidem nouelli sacerdotes comedent panes, & lagana quæ reliqua sunt in canistro: nam crustula cum panibus & laganis, quæ imposita sunt manibus sacerdotum, cremata iam erant v. 25. itaque non omnes panes qui erant in canistro, impositi fuerunt manibus sacerdotum, sed in eo remansit portio offerentium, quæ iam ab eisdem comedi iubetur. VERS. 32.

VT SIT PLACABILE SACRIFICIVM] Hebr. *quibus*, scilicet panibus, *propitiatum est*, id est, quibus expiatus est Aaron, & placatum est numen. Noster ad finem sacrificij, qui in Hebræo intelligitur, respexit: ideo enim iubentur nouelli sacerdotes, qui hîc sunt offerentes, carnes pacificas, quibus propitiatum est, comedere, vt sit placabile sacrificium, seu vt Deus ostendat se hoc sacrificio placatum esse, quandoquidem eos tam benignè ad mensam suam, putà ad suas victimas, inuitatos admittat. VERS. 33.

D

ET SANCTIFICENTVR OFFERENTIVM MANVS] Scilicet, vt ex contactu huius sancti cibi, & ex hac cæremonia, sanctoque conuiuio, magis quodammodo consecrentur & sanctificentur manus eorum.

ALIENIGENA (qui non est de stirpe Aaron, etiamsi sit de stirpe Leui) NON VESCETVR EX EIS: QVIA

QVIA SANCTI SVNT] quia scilicet hi panes Deo oblati sunt pro consecratione, non Leuitarum, sed sacerdotum.

VERS 34. QVOD SI REMANSERIT DE CARNIBVS CONSECRATIS, SIVE DE PANIBVS VSQVE MANE, COMBVRES RELIQVIAS IGNI: NON COMEDENTVR, QVIA SANCTIFICATA SVNT] Rationem hîc dat Deus, cur lege hac cæremoniali statuat, ne altero die comedantur ea quæ sibi sanctificata, id est oblata, sunt. q.d. Sancta vt à profanis distent, peculiarem exigunt cæremoniam; quod discrimen vt aliqua obseruantia congrua designem & definiam, volo & sancio, vt carnes & panes sancti eodem die, quo Deo oblati sunt à sacerdotibus, iisque solis comedantur: si quid restet secundo die, id non comedatur, sed comburatur. neque enim decet eas canibus dari aut profanis hominibus: neque etiam è dignitate mea, aut carnium sanctarum est, si illæ secundo die iam marcidæ sacerdotibus, qui præcedenti die recentibus vsi sunt, cum nausea aliqua, vel certè cum minori reuerentia apponantur. Secùs statutum fuit in plebeiorum sacrificijs: poterant enim carnes illorum secundo die comedi, sed non tertio, Leuit. 7. v. 16. Verùm quia hæ sacerdotum carnes sanctiores habebantur, atque ad maiorem sacerdotum sanctimoniam commendandam; hinc ne quidem secundo die eis vesci permittit Deus. Simile dictum est de agno paschali c. 12. 10.

Anagog. Anagog. S. Cyrillus l. 11. de Adorat. in spiritu, f. 130. Ex sacrificijs, inquit, nihil seruatur in secundum diem: quia in futuro sæculo alium, quàm per sacrificia, modum habebimus nos offerendi & vniendi Deo, cùm Christus nobiscum erit, & euacuabitur id quod ex parte est: tunc enim erit Deus omnia in omnibus.

VERS. 35. *Cæremoniæ quatuor in cõsecratione sacerdotum.* SEPTEM DIEBVS CONSECRABIS MANVS EORVM, &c.] Præcipitur hîc, vt in consecratione sacerdotum per 7. dies, hæc quatuor quotidie fiant. Primò, vngantur manus sacerdotum; Secundò, immoletur vitulus; Tertiò, mundetur altare; Quartò, altare vngatur. Hæc sanxit Deus tum ad sacerdotum consecrationem complendam, tum etiam ad initiandum & quasi consecrandum nouum altare holocaustorum.

Addit Iosephus, hisce septem diebus factas fuisse iteratas aspersiones vestium sacerdotalium, tabernaculi item & vasorum sacrorum, per oleum & per sanguinem taurorum & arietum, qui alternis diebus mactabatur. Verùm hæc non satis consonant Scripturæ hîc, quæ singulis diebus vitulum solum, non autem alternis taurum & arietem immolari præcipit.

VERS. 36. VNGES ILLVD IN SANCTIFICATIONEM] vnges illud vt sit sanctum, & Deo consecratum.

VERS. 37. ET ERIT SANCTVM SANCTORVM] erit sanctissimum.

OMNIS, QVI TETIGERIT ILLVD, SANCTIFICABITVR] Hoc est, sanctificari debet, ne profanus res tam sanctas attingat. Nam quod aliqui dicunt altare sanctificasse ea quæ ipsum contingebat, vniuersaliter falsum est: imò res polluta si rem sanctam tangeret, eam polluebat; non verò è contrario, res sancta rem pollutam tangens, suo contactu eam sanctificabat. Vide Num. 19. v. 13. 14 & 22. vbi præscribitur aqua lustrationis ex cinere vitulæ rufæ, qua expiare & sanctificare se de- A bebant immundi, antequam res sacras tangerent vel tractarent.

VERS 38. HOC EST QVOD FACIES IN ALTARI] q.d. In hunc maximè vsum erigi volo hoc altare holocaustorum; vt scilicet in eo *facias*, id est immoles (hoc enim Hebr. עשה *asa* significat, vti & Latinum *Facio* subinde, vt, *Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito*) perenne & iuge sacrificium siue holocaustum duorum agnorum quotidie, putà vnius mane, & alterius vespere: vnde à digniori & frequentiori hoc sacrificio, dictum est altare holocaustorum, licet in eo aliæ etiam victimæ, tum pacificæ, tum pro peccato immolarentur.

Iuge sacrificiũ quod, & cur. Describitur hic ergo sacrificium, quod quotidie immolabant Hebræi, videlicet agnum mane & agnum vespere, de quo Numer. 28. v. 3. vt B tam manè quàm vespere hac victima Deum colerent, eique tam primitias quàm finem diei offerrent: indeque sacrificium hoc vocatur matutinum & vespertinum, cuius sæpè meminit Psaltes & Prophetæ.

Primò. Nota Primò. Agnus hic debebat esse similis agno paschali, putà esse anniculus & immaculatus, vt patet Num. 28. 3.

Secundò. Secundò, cum agno offerebatur decima pars ephi similæ conspersæ oleo, quod oleum debebat esse quarta pars mensuræ hin. eadem mensura vini, putà quarta pars hin, cum agno libanda, id est effundenda, erat in honorem Dei. Erat enim hoc sacrificium quasi iuge quotidianum conuiuium Dei constans carne agni, pane ex simila & vino: in conuiuio enim tam potus, quàm cibus C requiritur.

Tertiò. Tertiò, hoc iuge sacrificium publicis expensis offerebatur, inquit Iosephus l. 3. Antiqu. 10.

Quartò. Quartò, nullo die intermittebatur, etiamsi illo die festum aliquod, vt neomenia, sabbatum, pascha, &c. incideret, quo pro ratione festi aliæ victimæ immolandæ erant, vt patet Numer. 28. 9.

Vbi Nota. Quotidie primò immolabatur sacrificium iuge matutinum, post illud verò immolabantur alia. Iuge verò vespertinum vltimò post alia omnia immolabatur; vnde tota nocte cremabatur in altari, vti sancit Deus Leuit. 6. 9.

Alleg. iuge sacrificium est Eucharistia. Alleg. iuge sacrificium significabat iuge sacrificium Christi in Eucharistia, quod omnibus diebus offertur & offeretur vsque ad Antichristum, D qui illud auferet, saltem ne publicè fiat in regnis sibi subditis, vt patet Daniel. 11. 31.

Primò. Primò ergo, Christus est agnus hic iugis, sed qui tollit peccata mundi, quod facere non potuit agnus iugis & legalis. Hinc Christus ab Isaia, Ieremia & alijs Prophetis vocatur agnus. *Agnus eligitur*, ait S. Augustinus, *vt simplicitas & innocentia designetur; masculus quæritur, vt virtus comprobetur; immaculatus, vt sine crimine.*

Secundò. Secundò, Christus est agnus, qui manè mundi, id est ab ipsa mundi origine, occisus est pro peccatis veterum patrum; & qui vespere, ab aduentu scilicet Christi vsque ad finem sæculi immolatur, tamquam in sacrificium, pro filijs noui testamenti.

Tertiò. Tertiò, cum agno offerebatur simila & vinum: quia Christus non solùm occidi voluit pro nobis, sed etiam in ipso sacrificio reliquit nobis Sacramentum corporis & sanguinis sui sub specie pa-

nis

nis & vini, quo mirificè animæ nostræ aluntur, confirmantur & recreãtur. Simila hæc mixta est oleo, quia Christus hoc Sacramentum Eucharistiæ ex suauissima charitate & misericordia instituit. olei & vini par erat mensura, quia tanta est Christi misericordia, quanta est virtus sanguinis eius pro nobis effusi.

Allegoria S. Bernard. S. Bernardus serm. 2. & 4. de Purific. per agnũ matutinum intelligit Christum infantem in templo præsentatum & oblatum in festo purificationis: per agnum verò vespertinum intelligit Christum iã virum, in fine vitæ immolatum in cruce. Ita S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, docet vespertinum agnum figurasse, non tantùm Christi mortem in cruce, sed & tempus mortis: sub vesperam enim Christus mortuus est.

Tropol. iuge sacrificium est matutina & vespertina oratio, quam quilibet fidelis quotidie Deo offerre debet: item sacrificium Missæ, quam quotidie audiant, qui possunt; vt in ea Christum, verum agnum, immolatum Deo Patri offerant. Ita S. Clemens libr. 2. Constit. Apost. c. 36. monet Christianos, vt tam manè, quàm vespere ecclesiã oraturi adeant. *Ab Ecclesia*, inquit, *Christi ne absis: surgens ad eam manè, antequam vllum opus aggrediaris; & rursus adi ad eam vespere, vt gratias agas Deo de ijs, propter quæ vitam tibi largitus est.* Id etiamnum Christiani religiosiores obseruant, qui manè statim vt surrexerint, antequam opus aggrediantur, ad ecclesiam adeunt, & si possint Missam audiunt. Idem quotidie factitabat S. Monica, vti habet eius Vita ex S. August. desumpta.

Missæ auditio quotidie quàm vtilis. Quinque huius rei fructus paucis assignat noster Toletus lib. 6. Summæ c. 10. *Primus*, inquit, *est gratiæ augmentum. qui enim in gratia est, Sacrum audiendo, gratiæ augmentum consequitur, tum quia offert, tum quia pro ipso etiam Sacrum offertur. Secundò, consequitur pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, remissionem. Tertiò, quod petit faciliùs impetrat: nam Deo Patri oblationem acceptissimam, putà Christum, offert. Quartò, actus virtutum exercentur, & præcipuè trium, quæ sunt magni meriti, scilicet Fidei, Charitatis, & Religionis. Quintò, comparet homo in præsentia Christi; & eo quo potest modo, putà per fidem, præsentem videt Christum, & habet atque impetrat, quod impetraret, si videret, si debito modo petat, vt cæcus impetrauit.* Eosdem fusiùs tradit noster Suarez tomo 3. in 3. p. disp. 79. sect. 8. §. 4. qui præterea piè & probabiliter opinatur, assistentes Missæ (quos & offerentes esse censet) ex opere operato consequi proprium fructum suum; etiam si sacerdos intentione sua nullum illis talem fructum applicet.

Exempla. Hisce de causis S. Anselmus Cantuar. Archiepiscop. cùm ob senium facere Missam non posset delatus in oratorium quotidie Missam audiebat, ait Edmerus in eius Vita libr. 2. S. Thomas Aquinas in summis etiam studijs quotidie Missam faciebat, & alterã audiebat, & eidem sæpè ministrabat. In Chronicis Hispaniæ celebris est capitaneus Paschalis Viuas, qui tempore prælij contra regem Cordubæ Maurum, dum audiret Missas in templo S. Martini, visus est in prælio fortiter pugnare, & vexilliferum occidere, esseque causa victoriæ; cùm tamen pugnæ non interfuisset, angelo sub eius forma pugnante. Multos à periculis, à morte, à paupertate liberatos, quòd Missam quotidie audirent, collegit Pinellus noster libr. de

A Fruct. Miss. Ecquid mirum? ipsi angeli Missæ assistunt & ministrant. vnde in Canone orat sacerdos: *Iube hæc perferri per manus sancti angeli tui.* Vidit S. Chrysostom. teste B. Nilo eius discipulo, presbyteris Eucharistiam distribuentibus, angelos auxilium ac robur ferre. Scribit Cyrillus in Vita S. Euthymij, sæpè ab eo visam terribilem angelorum multitudinẽ vnà secum Deo ministrantem, & sacra contrectantem. Vnde S. Bonauent. *Ad Missas*, inquit, *libenter ministra, quia hoc est officium angelorum: ipsi enim Deo suo ministrant deuotissimè.* Et S. Ephrem: *Angeli mundi*, inquit, *cum tremore ministrant, faciemq́, obtegentes non audent respicere.* S. Ambros. in c. 1. Lucæ: *Non dubites*, ait, *assistere angelum, quando Christus immolatur.* S. Chrysost. l. 6. de Sacerdot. ait altare angelorum choris plenum esse qui clamores excitant, dum Christus
B immolatur.

Decimam partem (ephi, vti additur Numer. 28, 5.) similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum eiusdem mensuræ, in (id est cum) agno vno] Repete *facies*, id est offeres & sacrificabis. Vers. 40.

Decima pars ephi est gomor, vti dixit c. 16. v. vlt. quod in frumento Palæstinæ erat 8. librarum, in farina verò circiter 4. librarum. Secundò, simila hæc debebat esse conspersa, id est subacta, oleo loco aquæ, vel simul cum aqua, qua subigi solet farina. Tertiò, oleum hoc debebat esse non attritu molæ expressum, quod impurius est, sed pilo bene tusum, vel certè sponte defluens, quod purius & limpidius est. Quartò, mensura hin, in- *Oleum addebatur agno, quale.*
C quit Ioseph. cõtinet duos choas atticos: duo choæ faciunt sextarios 12. Hebræi dicunt quartam partem partem hin esse mensuram 18. ouorum; ita vt hin contineat 72. oua, siue 12. *logim. log* enim est mensura 6. ouorum, scilicet Palęstinæ, quæ maiora sunt nostris. quarta ergo pars hin erant tres libræ olei circiter.

Alterum vero agnum offeres ad vesperam] Hebr. *inter duas vesperas*, scilicet vnam solis occidentis, alteram tenebrarum & noctis post solis occasum, quo tempore immolandus quoq; erat agnus paschalis, vt dixi c. 12. 6. Vers. 41.

Ad ostium tabernaculi testimonii] Putà super altare holocaustorum, quod erat ante ostium tabernaculi, & iuxta illud, ad partem eius Aquilonarem ita Abulens. Vers. 42.

Coram Domino] in altari Domini, vel coram
D tabernaculo Domini, vbi videtur esse quasi domus Dei. ita Abulensis.

Vbi constituam vt loquar ad te] Hinc patet, Deum non tantùm respondisse ex propitiatorio, quod erat in Sancto sanctorum, sed etiam ad ostium tabernaculi. q. d. Æquum est vt vbi ego præsentem me exhibeo, & vbi loquor, ibi mihi offeratur iuge sacrificiũ, vt ibidem quasi fructum sacrificij assignem meã præsentiã & colloquium. Sic ante oraculum & Sanctum sanctorum, iussit Deus adoleri iuge thymiama, scilicet semel manè, & semel vespere, idque quotidie; quia in Sancto sanctorum præsens esse, & residere videbatur super arcam, indeque dabat oracula. ita Caiet.

Ibique præcipiam filiis Israel] scilicet per te internuntium meum. Pro *præcipiam* hebr. idem est verbum, quod paulò antè noster Interpres vertit, *constituam*, scilicet יעד, *iaad*, quod signi- Vers. 43.

significat Primò, conuenire, & constituere locũ vel tempus ad conueniendum: Secundò, testificari & præcipere. Hinc patet tabernaculũ, quod hebr. vocatur *moed* (à radice *iaad*) quod Noster vertit *testimonij*, alludere tam ad conuentum Dei cum hominibus, quàm ad testificationem & legem, quæ in tabernaculo, putà in publico populi conuentu, legebatur & proponebatur. Dicitur ergo tabernaculum Primò עֵדֻת *edut*, id est *testimonij*; quia in eo erat testimonium, id est lex, & tabulæ legis, vt patet Exodi 25. 21. Secundò, מוֹעֵד *moed*, id est conuentus, ad quod scilicet populus ad statuta festa & solemnitates, quasi ad Deum orandum & celebrãdum, Deique legem audiendam conueniebat. Vel *moed*, id est testimonij, id est legis, vti iam dixi. Rursum *testimonij*, quia Dei præsentia & oraculis, quasi testimonio confirmatum & stabilitum erat. In tabernaculo enim, & maximè in Sancto sanctorum, siue in oraculo, Deus ostendebat & testabatur se esse præsentem, præsidem & tutorem suæ Ecclesiæ, suique populi, eius vota audiendo & exaudiendo, eum protegendo, eum instruendo, tum interiùs, tum exteriùs per vocem sacerdotum, & per vocem suam ex oraculo, &c. ita Alcazar in Apocal. 15. v. 5. Vbi tamen perperam priorem expositionem *testimonij*, id est legis, reiicit, solamque posteriorem hanc stabilire conatur, cùm expressè Script. docet in tabernaculo & arca, positum fuisse testimonium, id est legem, siue tabulas legis, indeque dici arcam testimonij, Exodi 25. 21. & 22. & c. 31. 18. tabulas legis vocat *tabulas testimonij*. Et clarum est arcam testamenti (æquè ac testimonij) siue fœderis dici, non à conuentu populi, sed quia continebat tabulas legis, quæ erant conditio fœderis inter Deum & populum initi.

ET SANCTIFICABITVR ALTARE IN GLORIA MEA] Hoc est, sanctum declarabitur altare, cùm gloria mea circa illud apparuerit, ac præsertim cùm ignem de cælo in illud immittam octauo die consecrationis sacerdotum, ad consumenda sacrificia mea, Leuit. 9. vers. 24. Sic *mundare*, pro mundum declarare; & *contaminare* vel *polluere*, pro contaminatum & pollutum iudicare, sumitur sæpè in Leuitico, vt Leuit. 13. v. 6. 11. 20. 25. 27. 34. 59.

SANCTIFICABO ET TABERNACVLVM] sanctum illud declarabo, & quasi sanctum à profanis tuebor, quando miraculosa eruptione ignis vetabo in illud inferri ignem alienum, Leuit. 10. 2. Tunc etiam sanctificabo *Aaron cum filiis suis*, putà Ithamar & Eleazar, deputando & designando eos mihi in sacerdotes, eosque conseruando ab incendio, quo consumam Nadab & Abiu, fratres eorum & sacerdotes, sed reprobandos à me, quia offerent ignem alienum. VERS. 44.

ET HABITABO IN MEDIO FILIORVM ISRAËL] scilicet, habitabo in tabernaculo meo, quod est inter filios Israel, in eoque quasi in domo mea versabor, ibique præsentem me exhibebo, dirigens & protegens populum meum quem eduxi ex Ægypto. Chald. vertit, *ponam præsentiam diuinitatis meæ*, scilicet in tabernaculo & propitiatorio. hoc enim ipse & Hebræi vocant שְׁכִינָה *schina*, id est quietem; quòd in eo quasi in sede sua Dei maiestas quiesceret & resideret. VERS. 45.

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur altare thymiamatis. Secundò, v. 12. in censu populi iubetur quisque soluere dimidium siclum. Tertiò, v. 18. iubetur fieri labrum æneum pro lotione sacerdotum. Quartò, v. 23. describitur compositio vnguenti, quo vngendi sunt sacerdotes & vasa sacra. Quintò, v. 34. describitur compositio thymiamatis, quod adolendum erat in altari thymiamatis.

1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis setim, 2. habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine Cornua ex ipso procedent. 3. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum & cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum, 4. & duos annulos aureos sub corona per singula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. 5. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & inaurabis. 6. Ponesque altare contra velum quod ante arcam pendet testimonij, coram propitiatorio quo tegitur testimonium, vbi loquar tibi. 7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrans, manè. Quando componet lucernas, incendet illud: 8. & quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. 9. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina. 10. Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. 13. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. 14. Qui habetur in numero, à viginti annis & supra, dabit pretium. 15. Diues non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. 16. Susceptamq; pecuniã, quæ collata est à filiis Israel, trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit

monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 18. Facies & labrum æneum cum basi sua ad
lauandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonij & altare. Et missa aqua,
19. lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas ac pedes, 20. quando ingressuri
sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, 21. ne fortè moriantur. legitimum sempiternum erit ipsi; & semini
eius per successiones. 22. Locutusq; est Dominus ad Moysen, 23. dicens: Sume
tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est,
ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, 24. casiæ
autem quingentos siclos in pondere sanctuarij, olei de oliuetis mensuram hin: 25. faciesq; vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij, 26. &
vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, 27. mensamq; cum vasis suis, candelabrum, & vtensilia eius, altaria thymiamatis, 28. & holocausti, & vniuersam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. 29. Sanctificabisque omnia, & erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea sanctificabitur. 30. Aaron & filios
eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi. 31. Filijs quoque Israel
dices: Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. 32. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. 33. Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo. 34. Dixitque Dominus ad Moysen:
Sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia: 35. faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. 36. Cumq; in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij,
in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. 37. Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino. 38. Homo quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

VERS. I. FACIES QVOQVE ALTARE AD ADOLENDVM THYMIAMA] Describitur hîc altare thymiamatis, in quo nullæ victimæ, sed solũ thymiama Deo incendebatur, non tantùm à pontifice, sed etiam à minoribus sacerdotibus, qui ordinariè hoc munere fungebantur, idque quotidie bis, scilicet manè & vespere, instar iugis sacrificij. A

Altare hoc erat in Sancto obuersum Sancto sanctorum.

Nota Primò. Altare hoc factum erat ex lignis setim inauratis, eratque longum cubitum vnum, latum cubitum vnum. & altum cubitos duos.

Nota Secundò. Altare hoc erat in Sancto, in medio candelabri & mensæ, eratque obuersum propitiatorio siue oraculo, quod erat in Sancto sanctorum supra arcam, sustentatum à duobus Cherubim. hinc vocatur hoc altare oraculi: erat enim ita obuersum oraculo, vt per aperturam, quæ erat supernè in pariete diuidente Sanctum à Sancto sanctorum, fumus aromatum incensorũ in altari thymiamatis ascenderet, & euaporaret in ipsum oraculum, vt scilicet hoc suffitu honoraretur Deus residens in oraculo.

Deus voluit sibi adoleri thymiama, cur?

Tertiò, voluit Deus hos odores sibi adoleri, non quòd odoratu thymiamatis delectetur, cùm nullum habeat odoratum, vti nec nares, nec corpus: sed quia magnus inter homines censetur honor, suaues cuipiam apponere vel suffumigare odores: hinc Deus, qui cum hominibus humano more agit, voluit eosdem ad sui cultum coram se adoleri. Sic omnium gentium consuetudine & ritu, thuris & odorum incensio attributa est Deo. hinc poëtæ *thuris honores* vocant honores diuinos, & tres Magi hæc tria munera dederunt Christo, scilicet *Aurum regi, thura Deo, myrrhamq; sepulto.* Vnde & nos Christiani thurificamus Deo. Inde ergo altare hoc vocatum est thymiamatis, siue, vt hebraicè est, altare suffitus incensi.

Altare hoc habebat quatuor cornua, coronam auream, & craticulã.

Quartò, altare hoc habebat quatuor cornua, & coronam auream per gyrum: in medio habebat craticulam reticulatam, per quam fauillæ & cineres aromatum incensorum deciderent sub altare, indeque suis temporibus eximebantur.

Item quatuor annulos & duos vectes

Quintò, habebat hoc altare quatuor annulos, per quos duo inserebantur vectes, quibus ferebatur & baiulabatur à sacerdotibus per desertum.

Tropol. altare hoc significat perfectos.

Tropol. *Altare hoc*, ait Beda, *significat perfectorum vitam, qui quasi in vicinia oraculi sunt positi: quia desertis infimis delectationibus, de solo regni cælestis ingressu curam omnem impendunt. Vnde bene in hoc altari non carnes animalium, sed sola incendebantur thymiamata; quia tales nõn adhuc peccata carnis, & illecebras cogitationum in se mactare opus habent, sed tantùm ferè orationum spiritualium, & cælestium desideriorum odoramenta, per ignem interni amoris in conspectu sui conditoris offerunt.*

Singula proprietates altaris perfectis applicantur. Primò. Secundò.

B Hinc altare hoc est de lignis setim: quia tales decet esse pulchros virtutibus, & ad vitia imputribiles. est etiam quadratum: quia tales sunt firmi & immobiles, vt dicant, Quis nos separabit à charitate Christi? Secundò, est deauratum: quia tales debent fulgere insigni charitate. Nouem, teste Plinio li. 33. cap. 3. sunt excellentiæ & dotes auri, scilicet *mira generatio, splendor, pondus, facilitas materia* (est enim aurum ductile in tenuissimas quasi superficies, lineas & puncta) *constantia, munditia, medicina, miracula, pretium*: quæ fusè persequitur, & charitati sigillatim adaptat Alcazarius in Apocal. 1. v. 13. notat. 12. Tertiò, hi habent cubitum longitudinis & latitudinis: quia æquam seruant longanimitatem in quibusuis aduersis vndecumque immissis; quia in omnibus vnum cogitant, id est Deum, à quo sibi hæc immitti sciunt, & pro cuius honore & voluntate omnia libenter per-

Tertiò.

perpetiuntur. habent & duos cubitos in altitudine: quia tam corpore quàm mente in cælestia feruntur, dicuntque cum Psalte psal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quartò, hi quatuor habent cornua, id est quatuor virtutes cardinales ex altari, id est ex ipso cordis sinu & habitu, manantes. Quintò, craticula est cor eorum, in quo aromata illa Deo incenduntur, in quibus si quid fit cineris terreni decidit, vt pura sit oratio & laus Dei, puraque sint cordis desideria. Sextò, corona aurea significat coronam illis præparatam in cælis. Septimò, quatuor annuli cum vectibus dona sunt Spiritus sancti, quibus ab eo iusti facilè mouentur, & ad præclara facinora excitantur. Octauò, eodem tempore offerebatur thymiama quo & iuge sacrificium: quia hæc duo, scilicet mortificatio, quam repræsentat iuge sacrificium siue immolatio agni, & contemplationis ardor, quem repræsentat thymiama, iungenda sunt: vnum enim sine altero esse nequit. vnde Cant. 5. ait sponsus: *Messui myrrham cum aromatibus meis.* vbi per myrrham mortificatio, per aromata diuinus amor & contemplatio intelligitur. quo loco

Quartò, *Quintò,* *Sextò.* *Septimò.* *Octauò.*

Nota, Christum se in passione comparare messori, tum vt significet animi lætitiam qua patiebatur, tum vt indicet copiosum passionis suæ fructum, quem iam tunc patiendo quasi metere & colligere videbatur: itaque ipsa Christi passio velut quædam fuit messis, fructuumque collectio. Vtinam cor nostrum sit altare thymiamatis, quod iuge thymiama, putà pia & crebra vota, desideria ac suspiria ad Deum exhalet! Ita S. Ioannes vidit angelum accipere ignem de altari thymiamatis, & Deo offerre phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, Apoc. 8. v. 3. & 5. Hinc Vrbanus IV. Pontifex explicãs illud psal. 50. *Tunc imponent super altare tuum vitulos: Hæc est ara,* inquit, *templi sancti tui, quod sum ego, iuxta quam stat angelus ad custodiam deputatus, habens thuribulum aureum in manu sua, vt cum incenso multo orationes coram te Domine fusas cum lachrymis repræsentet. Hoc est altare concauum & inane, à cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum, quod tibi fieri mandauisti, ad reponendum cineres memoriæ nostræ mortis.*

Christus patiens comparat se messori, cur?

Multi, ait S. August. in psalm. 65. *languescunt in orando, & in nouitate conuersionis suæ feruenter orant, postea languidè, postea frigidè, postea negligenter, quasi securi sint: vigilat hostis, dormis tu?* Idem ad Probam: *Dicuntur,* ait, *fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas breuissimas, & raptim iaculatas; ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio.* Idem rursum: *Oratio,* ait, *est animæ sanctæ præsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, & pœnitentiæ ac religionis laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta.* Idem ad Dioscor. *Hoc,* ait, *negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.* Nam, vt ait S. Chrysost. *Deus non est vocis, sed cordis auditor.*

Morale de orationis fructu, miraculis, & exemplis.

Et S. Hieron. in epist. *Egredientes,* ait, *de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat: sessione priùs corpusculum ne requiescat, quàm illa animam pascat.*

Et S. Isidorus lib. 3. de Summo bono c. 8. *Qui,* ait, *vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur.* Et mox: *Hoc est remedium eius qui vitiorũ tentamentis æstuat, vt, quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat: quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit.* Et rursum: *Duobus,* ait, *modis oratio impeditur, ne impetrare valeat postulata, si aut orans adhuc mala committit, aut si delinquenti in se debita non dimittit.*

Quærit S. Basilius li. 1. Hexam. *Quomodo obtinebit quis, vt in oratione sensus eius non vagetur?* ac respondet, *Si cogitet se assistere ante oculos Domini.*

Oratio, inquit Cassiodor. *serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, sublenat ad cælestia, reddit cor capacius & dignius ad accipienda bona spiritualia.*

Abbas Ioannes dicebat, Sicut vir videns feras fugit, scanditque in arborem: ita cùm veniunt prauæ cogitationes, fuge per orationem ad Dominum, & saluaberis. nam sicut aqua extinguit ignem, ita oratio extinguit tentationem. in Vitis Patr. li. 3. c. vlt. n. 208.

Alius aiebat, Orandum est purgata à peccatis & passionibus anima: quia sicut in aqua turbida nihil conspicitur; ita anima turbata videre nequit Deum.

Vis exempla orantium & impetrantium? Notæ sunt orationes Mosis, Eliæ, Dauidis & aliorum in Script.

Ruffinus in Vitis Patr. li. 3. num. 194. narrat de Religioso psallente, quòd, cùm psalleret, ex eius ore per singulos versus fax ignis egressa ascendebat ad cælum.

S. Antonius & Arsenius sæpè totas noctes orabant, & manè inueniebantur stantes in eodem vestigio, quo vespere stare cœperant, intendentes in cælum: per orationem omnes diaboli tentationes & insidias superarunt.

Abbas Besarion orauit per 14. dies continuos, manibus in cælum extensis. vnde aquam maris dulcem reddidit, vt habet Ruffinus lib. 3. in Vitis Patr. n. 215. & li. 5. c. 12. n. 3.

Iacobus Nisibites oratione Nisibim vrbẽ contra Saporem defendit, omnesque eius molitiones irritas reddidit, teste Theod. in eius Vita.

Publius oratione stitit diabolum emissum à Iuliano Apostata, vt habetur in Vitis Patrum lib. 6. cap. 2. num. 12.

Simeon Stilites oratione aquam impetrauit, plurimaque miracula patrauit, teste Theodor.

Theonas Abbas oratione latrones reddidit immobiles, Zachæus pestem Cæsarea auertit, S. Hilarion dæmones eiecit.

Oratione & ieiunio septem dierum, Macarius Ægyptius eiecit dæmonem gulosum, vt habet eius Vita.

Est ergo oratio cum Deo colloquium, futuræ beatitudinis præludium, angelorum opus, omnium difficultatum victoria, infirmo in via Dei medicina, mentis correctio, animæ fœcunditas, spiritus ignitio, gaudium & iubilus.

QVADRANGVLVM] id est, quadratum erit. habebat enim cubitum tam in longitudine, quàm in latitudine. Noster ergo quadratum vocat *quadrangulum*; quia 4. habebat cornua & angulos. VERS. 2.

CORNVA EX IPSO PROCEDENT] Hæc ergo cornua non erãt addititia, sed ex tigillis quatuor angularibus, officio pedum fungentibus, surgebant in obelisci modum affabrè elaborata. Erant ergo quasi quatuor quidam radij elegantes, sursum erecti

Cornua altaris thymiamatis qualia

recti super quatuor angulos altaris, ita vt è tignis quatuor quæ altare sustinebant, prodirent & erigerentur. ita Caietan. Lipoman. Ribera, & Vilalpando, apud quem vide eorum figuram & ideam pag. 336. in fabrica templi. Lyranus tamen & Hebræi putant hæc cornua fuisse quædā pomella, in quatuor illis angulis collocata, ad pulchritudinem & decorē altaris. sed hęc pomella non sunt cornua.

Notat Abulensis quæst. 2. in hisce cornibus nihil fuisse appensum; sed omnia vasa pertinentia ad altare thymiamatis, fuisse apud altare holocaustorum reposita, illique appensa.

Vers. 3. *Craticula altaris.* CRATICVLAM EIVS] Ita & Septuag. vertunt Hebr. גג gaggo, id est tectum vel operimentum eius. Craticula hæc erat reticulata, vt per eius foramina thymiamatis, siue aromatum incensorum cinis decidens in humum, sub altare delaberetur. Craticula ergo hæc, cui ignis imponebatur cum B thymiamate, aurea erat; reliqua pars mensæ altaris, etsi lignea esset, erat tamen crassioribus auri laminis ita obducta, vt nullus igni ad tabulas ligneas pateret accessus: licet S. Hieron. in cap. 41. Ezech. dicat tabulas has fuisse ex ligno allato ex paradiso, quod igne non læditur, sed eo fit purius instar amianti. Sed quis ex paradiso hoc lignū attulit, Adamne? an postea quis alius, venia impetrata à Cherubinis paradisi custodibus?

Nota. Thymiama cum igne non immediatè ponebatur super hac craticula (sic enim aurum igne fuisset liquefactum, & cinere obscuratum) sed in thuribulo æneo, quod ipsi craticulæ imponebatur, vti patet Leuit. 10. v. 1.

FACIESQVE EI CORONAM] limbum, vel circulum similem illi, quem habuit mensa panum propositionis, de quo dixi c. 25. 25. Corona hæc qua- C drata erat, vti & ipsum altare: dicitur tamen corona, quia totum altare per gyrum ambiebat.

Vers. 6. PONESQVE ALTARE CONTRA VELVM (quod dirimit Sanctum à Sancto sanctorum) QVOD ANTE ARCAM PENDET TESTIMONII (putà ante arcam testamenti) CORAM PROPITIATORIO QVO TEGITVR TESTIMONIVM] id est, quo tegitur arca testimonij siue testamenti. est metonymia. Hinc patet altare thymiamatis non fuisse in Sancto sanctorum, vti putauit S. August. sed in Sancto, vti pluribus ostendam c. 40. v. 4. & 5.

Vers. 8. VRET THYMIAMA SEMPITERNVM] Non quòd toto die accendatur vel ardeat thymiama, sed quòd singulis diebus manè semel, & semel vespere adolendum sit iugiter. Porro hîc erat oblationis thymiamatis modus & ritus, vti rectè docet

Ritus adolendi thymiama. Abulens. q. 7. Primò ibat sacerdos ad altare ho- D locaustorum, ex cuius cornibus pendebant thuribula, igniumque receptacula, indeque capiebat vnum thuribulum, atque in eo prunas ignis, quas ex altari holocaustorum accipiebat, reponebat. Deinde intrabat Sanctum, ibique accipiebat thymiama ex thuribulis, quæ erant supra mensam panum propositionis, illudque imponebat suo thuribulo & igni: mox hoc suum thuribulū cum igne & thymiamate ponebat super altare thymiamatis, atque ibidem adolebatur & cōburebatur thymiama: quo consumpto tollebat sacerdos suum thuribulum, atque egrediens extra castra illud euacuabat, cineresque loco mundo effundebat: ac denique referebat thuribulum ad altare holocaustorum, suspendebatque rursum ex cornibus illius, vnde illud sustulerat.

A NON OFFERETIS SVPER EO THYMIAMA COMPOSITIONIS ALTERIVS] *Alterius*, scilicet quàm præscribam vobis v. 34. In altari ergo thymiamatis non licebat offerre victimam, nec libare libamen, nec etiam offerre thymiama aliud, licet pretiosissimum, hominis industria compositum, sed tantùm illud quod cōponi iubet Dominus v. 34. Vers. 9.

ET DEPRECABITVR AARON SVPER CORNVA EIVS SEMEL PER ANNVM] Transit hîc Moses, inquit Caietan. ab officio quotidiano altaris huius, ad officium anniuersarium super idem altare peragendum, quod non ad minores sacerdotes, sed ad solum Aaronem, id est pontificem, spectabat; peragendum, inquam, in die expiationis, qui celebrabatur decima die mensis septimi. Illo enim die pontifex post expiationem Sancti sanctorum, inde regrediens ad Sanctū & altare thymiamatis, ibi precabatur pro peccatis suis, atque tingebat cornua altaris sanguine, quem ferebat secum in vasculo, quo etiam iam asperserat Sancta sanctorum, Leuit. 16. 18. & hoc est quod hîc ait, *Deprecabitur in sanguine* (id est, per sanguinem, vel tingendo cornua altaris sanguine eius, scilicet animalis, putà vituli & hirci) *quod* (animal) *oblatum est pro peccato*. Fiebat enim hæc altaris lustratio per sanguinis aspersionem ad hoc, vt per eam expiaretur altare, tamquā peccatis totius populi, in cuius medio erat, per totum annum commissis contaminatum, ideoque lustrandum & reconciliandum hac lustratione & expiatione. Vers. 10. *Lustratio altaris thymiamatis in die expiationis.*

ET PLACABIT] putà Aaron pontifex Deum.

SANCTVM SANCTORVM ERIT DOMINO] q. d. Sanctissimus erit hic ritus expiationis: sanctissimum etiam erit altare, quod sic expiatur. tam enim ad altare, quàm ad ritum expiationis referri potest τὸ *Sanctum sanctorum*. ita Abulensis.

Nota. Hebræi exaggerationem, vel gradum superlatiuum exprimunt per nomen abstractum, vel per concretum geminatum, vt, Sanctitas est, vel Sanctum sanctorū est, id est sanctissimum est.

QVANDO TVLERIS SVMMAM (hebr. *caput*, id est capita, id est summam capitum) FILIORVM ISRAEL IVXTA NVMERVM, DABVNT SINGVLI PRETIVM PRO ANIMABVS SVIS DOMINO: ET NON ERIT PLAGA IN EIS, CVM FVERINT RECENSITI] q. d. Quoties numerum inibis populi, non ex vanitate vel superbia (vti fecit Dauid, cuius proinde numeratio siue census populi fuit peccatum, grauiterque à Deo punitum) sed vel me iubente, vel publicæ necessitatis, vt tributi, belli, aliáue iusta de causa; toties singuli numerati pendent pretium pro animabus suis, quo scilicet animam, id est vitam, suam à Deo quasi redimant, vt videlicet Deus eos in vita conseruet, nec eis pestem plagámve aliam immittat, ex hac quasi lege & condicto: nam si non redemeris te, ô Hebræe, pretio, cùm recensitus fueris, Dominus te quasi præuaricatorem huius legis & pacti plaga aliqua puniet, vti fecit tempore Dauidis, cùm scilicet ille recensuit populum, nec tamen censum ab eo hîc præscriptum accepit. Quamquam ibi & alia, videlicet superbiæ, fuerit culpa, vti iam dixi. Hoc ergo census pretio, ex lege hac & quasi pacto cum Deo, redimebant Hebræi suam vitam, vt pestem aliasque letiferas plagas euaderent, in quas incurrebant ij, qui pretium hoc census Deo & templo subtrahebant. Sic & hodie qui decimas suffurantur templo & Deo, in graues non rarò incidunt plagas Vers. 12. *In censu pretio redimenda erat vita à Deo.*

plagas & calamitates, quibus depauperantur vel A consumuntur.

Cur? Prima causa. Voluit Deus in censu pretium hoc sibi à quolibet Hebræo solui, Primò, ad hoc, vt scirent & meminissent Hebræi illam populi sui multiplicationem esse à Deo, & ex promissione patribus facta; Deumque curam populi sui gerere, eumq; quasi sibi in numerato velle habere. Hoc enim significatur tributo, quod templo pendebatur.

Secunda. Secundò, vt doceret neminem sui capitis, suæque vitæ esse dominum, sed omnes vnum habere dominum, scilicet Deum, inquit S. Cyrillus lib.2. in Ioannem c.92.

Tertia. Tertiò, vt per hoc temporale significaretur spiritale tributum legis nouæ, quod est adorare Deum in spiritu & veritate, quod quilibet à Deo numeratus, id est Christianus, illi pendere debet. ita S.Cyrillus.

Vespasianus Imperator idem pretium Iudæis deuictis indixit; *Stipendium*, inquit Iosephus li 7. Belli c.27. *Iudæis vbicumque degerent, indixit; binasq; drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit, ita vt antehac Hierosolymæ templo pendebant.*

Anagogicè, Beda li.3. de Tabern. c.13. Summa, ait, filiorum Israel significat summam omnium electorum, qui pretio decem obolorum, id est obseruatione decalogi, redimunt animas suas, & merentur denarium vitæ æternæ, vespere, id est in fine vitæ, accipiendum.

VERS.13. HOC AVTEM DABIT OMNIS QVI TRANSIT AD NOMEN, DIMIDIVM SICLI IVXTA MENSVRAM TEMPLI] *Omnis qui transit ad nomen*, hebr. *omnis qui transit ad numeratos*, id est omnis qui numeratur, siue cuius nomen recensetur, putà à vigesimo anno & suprà, vt patet v.14 ab ea enim ætate censebantur & numerabantur Iudæi, quasi apti ad bellum. vnde noster Interpres cap.38.25. vbi primum populi censum enumerat, pretium hoc census oblatum dicit à sexcentis millibus *armatorum*, licet τὸ *armatorum* in Hebræo non habeatur: rectè enim intellexit Interpres eos tantùm censeri, qui armis ferendis essent idonei, ac consequenter essent armati in exercitu hoc, & acie Hebræorum.

Siclus quid DIMIDIVM SICLI] *Siclus* moneta fuit olim vsitatissima Hebræis, quæ & stater dicebatur. *siclus* hebr. dicitur שֶׁקֶל *sekel*, id est appensum, ponderatum. Radix enim שָׁקַל *sakel* appendere & ponderare significat. Prisci enim Iudæi, vti & Romani, rudem massam æris, argenti vel auri ad certum pondus, vice pretij & pecuniæ adhibebant: postea etiam consignarunt conflaruntque pecuniam signatam, sed quam iusto semper appenderent pondere. ita testatur Plinius lib.33. c.3. Romanos primùm argento signato vti cœpisse post Pyrrhum deuictum, quod fuit anno Vrbis 585. ideoque ante primum bellum Punicum: aureum deinde nummum post annos 62. cusum fuisse.

Argentum quando signari cœperit.

& æs. Æs verò priùs signatum est, scilicet apud priscos à Saturno, apud Latinos à Numa Pompilio secundo rege Roman. qui illud imaginibus notauit, & titulo nominis sui inscripsit, indeque à Numa numus, siue nummus nomen accepit, ait Isidorus lib.16. c.17. Cedrenus, & Epiphan. lib. de Ponder. in fine.

Sicli pondus. Pondus sicli erat 4. drachmarum Atticarum, siue semunciæ, teste Iosepho lib.3. Antiqu.9. Argenteus ergo siclus appendebat & æquiualebat 4. regalibus Hispanicis, putà volebat vnum florenū Brabanticum. Erat & æreus & aureus siclus, paris omnes ponderis, sed prò materia inæqualis pretij. Nam drachma vna auri valet 10. vel 12. drachmas argenti: pretium enim auri est decuplum vel duodecuplum ad pretium argenti. Siclus ergo aureus valebat decem siclos argenti. *materia.* Sicli consignationem describit Arias Montanus libro de Mensuris: scilicet siclum in vno latere habuisse vrnam cum manna, cum hac inscriptione (per literas priscas Samaritanas) שֶׁקֶל יִשְׂרָאֵל *sekel Israel*, id est siclus Israel: in altero verò latere habuisse virgam Aaronis floridā, cū hac inscriptione יְרוּשָׁלַם קְדֻשָּׁה *Ierusalem kedesca*, id est Ierusalem sancta. *figura.*

Vide hîc, quàm exiguum tributum, scilicet medium siclum, eumque rarò pendendum, sibi B deposcat Deus. Id imitentur Principes.

Constans Imper. teste Eutropio dicere solebat, *Opes publicas meliùs à priuatis pluribus haberi, quàm intra vnum principis claustrum reseruari.*

Traianus Imperator fiscum vocabat lienem, quòd eo crescente reliqui artus omnes tabescerent. Fabricius Roman. Cineæ Epirotarum legato magnam vim auri offerente, recusauit accipere dicens, *se malle aurum habentibus imperare, quàm aurum habere.*

IVXTA MENSVRAM TEMPLI] Multi putarunt siclum sanctuarij differre pondere & pretio à siclo communi. Alij enim censuerunt eum fuisse minorem communi. ita R. Salomon & Lyran. communi siclo dant 24 obolos, sacro verò 20. Alij verò opinati sunt siclum sacrum esse maiorem communi. ita Pagninus siclo sanctuarij dat 40. obolos, communi verò 20. Vatabl. verò, & ex eo C Lipoman. & Couarru. li. de Monetis c.2. n.9. communi siclo dant 10. obolos, sacro verò 20. *An siclus sacer idem fuerit cum communi.*

Resp. fuisse eumdem. Verùm hæc distinctio sicli sacri & communis veteribus, putà Iosepho, S. Hieron. & alijs fuit incognita; imò æquales fuisse hos siclos, patet Ezech.45 12. ibi enim dicitur siclus communis habere 20. obolos, quot dicitur hîc habere sacer. Ezechielem enim loqui de communi laicorum, diuitum & pauperum siclo, patet ex antecedentibus. ita Ribera in Amos 8 n.15. & sequent. Vilalpando p.2. de Apparatu templi li.2. c 28.

Obiectio. Dices, Septuag passim hic, Leuit. 27. Num.3. & alibi siclum interpretantur didrachmum; ergo hic siclus sacer minor erat siclo communi: hic enim teste Iosepho appendebat quatuor drachmas. Vnde Epiphan siclum sacrum vocat dimi- D dium stateris, id est sicli communis. *Siclus*, inquit Epiphan. *qui & quadrans dicitur, quarta pars est vnciæ, dimidium stateris, habens drachmas duas.* & paulò antè: *Libra est duodecim vnciarum, vncia habet stateres duos: stater dimidium est vnciæ, habet autem duo didrachma.*

Responsio. Respondeo, Septuag. didrachma accipiunt more Hebræo, non Attico. didrachmum autem Hebræum fuit tetradrachmum Atticum: vna enim drachma Hebræa faciebat duas Atticas. Septuaginta ergo didrachmum vocant duos argenteos Hebræos, quorum quisque duas pendebat drachmas Atticas, teste Budæo lib.5. de Asse: licet argenteus etiam alius fuerit maior, eiusdem cum siclo & statere valoris & pretij, scilicet valens didrachmum, vt patet ex versione Septuag. collata cum nostra Genes. 20. 16. ibi enim Noster vertit, *mille argenteos*; Septuag. verò, *mille didrachma*. E con-

contrario Matthæi 17.24. tributũ exterum quod A publicani petebant à Christo, didrachma Atticum erat, videlicet media pars sicli: soluit enim ibi Christus vnum siclum siue staterem, scilicet dimidium pro se, & dimidium pro Petro.

Dices, Si idem erat siclus sacer & communis, cur ergo hîc & alibi Script. siclum limitat, vocatque siclum sanctuarij?

Cur dicitur siclus sanctuarij. Respondeo, id ideò fieri, quòd in sanctuario, quasi in loco sacro & tuto, seruaretur siclus iustissimi ponderis, ad quem appendi possent & examinari reliqui omnes, ne fraudi, putà decurtationi & diminutioni, locus pateret: sicut apud Romanos publica extabat pedis mensura, velut prima & certissima reliquorum: & amphoræ mensura publica extabat in Capitolio, de qua Priscianus:

Amphora fit, cuius vim ne violare liceret,
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Vocat ergo Script. hîc siclum *iuxta mensuram templi*, siclum iustissimi ponderis. id patet Leuit. vlt. v. 25. vbi dicitur: *Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur*, (non, computabitur, quomodo tamen dicendum fuisset, si siclus hic sacer pluris valuisset) vbi Septuag. vertunt, *& omne pretium erit mensuris sanctis*. q.d. Omnis siclus, & omne pondus ac pretium ponderabitur siclo, & mensura iustissima, quæ seruatur ad hoc in sanctuario. Ad Epiphan. Respondeo, eum memoria esse lapsum, vel in codicem eius irrepsisse mendum: nam apertè Epiphan. contradicit Septuag. qui didrachmum vocant staterem vel siclum.

SICLVS VIGINTI OBOLOS HABET] Iudaicos scilicet: nam Atticos habebat 24. tot enim obolos efficiunt 4. drachmæ Atticæ, quas valet siclus. Erat ergo obolus vigesima pars sicli, id est floreni *Obolus erat stuferus.* Brabantici, qui valet 20. stuferos. obolus ergo erat stuferus, & siclus valens 20. obolos, valebat 20. stuferos.

Tropologia. Tropol. Radulphus l. 3. in Leuit. c. 8. dimidium sicli, ait, siue denarius obolorũ significat integritatem fidei. Hic debet habere mensuram templi, quia non hæreticorum, sed sanctorum Patrum doctrinæ conformis sit oportet. Est dimidium, quia licet totum habeat quod humanæ saluti necessarium est, tamen ad plenitudinem visionis Dei non pertingit: in hac nec pauperi, nec diuiti quicquam detrahere licet.

VERS. 15. DIVES NON ADDET AD MEDIVM SICLI] Vt scilicet ex siclis constet populi numerus. Secundò, vt diuiti non detur occasio superbiæ, ac despiciendi pauperem contribulem suum. Tertiò, quia vna est anima omnium hominum, siue Crœsus fueris siue Irus. Quartò, quia apud Deum non pluris sunt diuitiæ quàm paupertas. Quintò, quia æquè pretiosa est Deo vniuscuiusque vita & anima, vtpote pro quibus singulis redimendis, Dei Filius pretiosum sanguinem in ara crucis effudit. Sextò, quia homo, quicumque ille sit, æquas Deo quantum in se est, agere debet gratias, siue diuitias ab eo acceperit, siue laboret inopia. cuius æquitatis speculum fuit S. Iob, qui è ditissimo factus pauperrimus, gratias Deo rependens: *Dominus, inquit, dedit*, munificum se & liberalem ostendens: *Dominus abstulit*, quod suum erat, cùm mihi minus proficuum fore iudicasset. ob vitam ergo & animam, ab eo inter tot mortis pericula seruatam, dabo ei didrachma sacrum, pretium animæ meæ, scilicet laudem & gratiarum actionem, dicens: *Sit nomen Domini benedictum.*

Pretium æquale in censu soluebant diuites & pauperes, cur. Prima causa. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Æquales gratias agere Deo debent diuites & pauperes cum S. Iob.

SVSCEPTAMQVE PECVNIAM TRADES IN VSVS VERS. 16.
TABERNACVLI] Magni erant sumptus tabernaculi, & maiores fuerunt templi, in fabrica tam ampla, in alendis & vestiendis tot millibus sacerdotum & Leuitarum, in victimis, in comportandis lignis, aqua, &c. Vnde tradunt Hebræi, singulis annis in festo expiationis factam esse hanc medij sicli à singulis collectionem. ita Lipoman.

VT SIT MONVMENTVM (memoriale) CORAM DOMINO] q. d. Dabitis hoc census pretium, putà dimidium sicli, templo & Deo, vt per hoc Deus vestri recordetur, sitque vobis propitius.

FACIES ET LABRVM ÆNEVM CVM BASI SVA VERS. 18.
AD LAVANDVM] Pro *labrum*, hebr. est כיור *kiior*, id est concha: Septuag. λυτὴρ, quasi dicant lauatorium, ἀπὸ τοῦ λύειν, id est à lauando. Erat enim hoc vas factum ad aquam continendam, qua lauarentur primò sacerdotes, antequam ad sacra accederent: secundò, partes victimarum quæ immolabantur. ita Abulens. & Lipoman. Hinc labrum hoc positum erat inter tabernaculum siue Sanctum, & altare holocaustorum, vti sequitur: tam enim in Sancto, quàm in altari holocaustorum sacra sua munia obire debebant sacerdotes, quod facere non poterant nisi priùs lauarentur.

Labrum æneum quod, & cur.

Huic simile vas ad eumdem finem fabricauit Salomon, sed maius multo, quod à capacitate ingenti, *mare æneum* est appellatum. erat enim quasi semisphæra ingens, cuius peripheria siue ambitus superior & latior erat triginta cubitorum, ita vt totum hoc vas contineret tria millia metretarum: metreta autem continet 72. sextarios siue congios 12.

Porrò concham hanc, seu labrum fabricauit Moses de speculis æneis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi, Exodi 38.8.

Mysticè, aliqui per hoc labrum & lauacrum intelligunt baptismum: sed quia hoc lauacrum erat in atrio, quod Ecclesiam significabat, non verò ante atrium vel in eius ingressu, cui assimilatur baptismus: hinc meliùs cum S. Gregor. homil. 17. in Euang. & Beda lib. 3. de Tabern. cap. vltim. per labrum hoc accipiemus pœnitentiam, vel pœnitentiæ Sacramentum. Primò enim labrum hoc fit ex speculis mulierum, id est ex intuitu nouissimorum, & ex præceptis Dei, in quibus se aspiciunt fideles animæ, & maculas suas deprehendunt ac corrigunt.

Mysticè labrum est pœnitentia, idq; Primò.

Audi S. Gregor. *Labrum æneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lauari debeant, & Sancta sanctorum ingredi: quia lex Dei priùs nos lauari per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam non sit indigna.* Subdit deinde, cur labrum hoc factum sit de speculis mulierum: *Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sancta anima semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt, & quasi renitentes vultus, velut ex reddita imagine componunt: quia dum præceptis Dominicis solertes intendunt, in eis proculdubio, vel quid in se cælesti viro placeat, vel quid displiceat agnoscunt.* Addit cur mulieres hæ excubent ad ostium tabernaculi; *Quia sanctæ animæ etiam cùm infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus obseruant. Moyses ergo labrum sacerdotibus de speculis mulierum fecit.*

fecit, quia lex Dei lauacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ anima superno sponso placuerunt, intuenda nobis cælestia præcepta præbet. Quibus si diligenter intendimus, interna nostra imaginis maculas videmus: videntes autem maculas in pœnitentiæ dolore compungimur: compuncti verò, quasi in labro de speculis mulierum lauamur. Est autem valdè necessarium, vt, cùm de nobis compunctione afficimur, etiam commissorum nobis vitam zelemus.

Lysimachus rex cùm exercitum obsitum hosti tradidisset, postquam captiuus aquam accepit, & bibit: *Proh*, inquit, *Deûm fidem, quàm exigua voluptatis gratiâ, quantũ bonum, quantum regnum perdidi, meq; ex rege seruum effeci!* hoc dicat pœnitens: Bone Deus, pro gula, pro venere vnius quadrantis horæ, quantum bonum, quantas cæli delicias perdidi, meque diaboli, mortis & inferni mancipium effeci, idque in perpetuum!

B

Secundò. Secundò, in hoc labro lauari debent sacerdotes nostri oblaturi sacram hostiam, & alij fideles, qui etiam quadamtenus sacerdotes sunt, offeruntque vitulos labiorum & manuum, laudes videlicet & sancta opera, participesque fiunt sacræ hostiæ.

Tertiò. Tertiò, ponitur hoc labrum inter altare holocaustorum, & inter tabernaculum siue Sanctum, in quo erat altare thymiamatis; quia, vt ad altare interius, putà thymiamatis, introeatur, non sufficit mortificatio exterior, sed etiam requiritur interior pœnitentia, qua affectus ipsos expurgemus. Vide Riberam li. 2. de Templo c. 17. minutim singula adaptantem.

VERS. 19. ET MISSA AQVA LAVABVNT IN EA] Ita legendum, non *in eo.* Nec enim in labro lauabant se sacerdotes (sic enim illud fœdassent) sed in aqua ex labro per fistulam, quæ epistomio aperiri & claudi poterat, defluente. Quod ergo hebr. est *lauabunt ex eo*, intellige ex aqua quæ ex labro per fistulam defluit. ita Caietan. Sic dicimur bibere vinum ex vase, id est ex poculo, quod ex vase depromptum est.

C

Sacerdotes nudis pedibus ministrabant in tabernaculo. MANVS SVAS AC PEDES] Hinc probabiliter censent Caietan. Lipoman. & Ribera, sacerdotes nudis pedibus in tabernaculo ministrasse (quod bis faciebant in die, scilicet manè & vespere, vti superiùs dixi.) Ad hoc enim videntur lauisse pedes, ne ijs sordidis tabernaculum fœdarent. Si enim postea rursum pedibus induissent calceos & caligas, quid opus erat eos lauare? lotio enim hæc tantùm fiebat ad munditiem & decorem tam pedum, quàm tabernaculi. Huius rei symbolo iussus fuit Moses in Sina, quasi in loco sancto, collocuturus cum Deo, deponere calceamenta, Exod. 3. v. 5.

D

Cur? prima causa. Nimirum voluit Dominus hac cæremonia nudipedum, sacerdotes docere, decorum & reuerentiam in cultu diuino, etiam exteriùs seruandam esse.

Secunda. Secundò, per hoc voluit eosdem admonere internæ puritatis, vt meminissent sacerdotes sibi deinceps non humi, sed per æthera incedendum esse, ait Philo libro de Victimis. Id imitati sunt Gentiles in suis profanis sacris. Vnde illud Hesiodi: *Illotis manibus sacra tractare est nefas.* Hinc & sacerdotes nouæ legis in Missa lauant manus. quin

Christiani intraturi ecclesiam olim lauabant manus, cur? & omnes Christiani olim ingressuri ecclesiam, & communicaturi lauabant manus, tum vt puritatis internæ admonerentur, tum quia manibus excepturi erant sacram Eucharistiam: eaque de caussa pro foribus ecclesiæ positum erat vas aquæ, ad purificationem: cuius loco postea remansit vasculum aquæ benedictæ, positum in ingressu ecclesiæ, vti ostendi 1. Timoth. 2. Quin & Pythagoræ fuit dogma, *Nudis pedibus sacrifica:* quod tum alij, tum Lacedæmonij susceperunt.

Scribit & Iosephus Berenicem regis Agrippæ sororem, cùm Hierosolymam profecta esset voti caussa, rem sacram facturam idem fecisse, atque ita nudipedem ante Flori præsidis tribunal stetisse. Hinc illa quoque D. Leonis in quodam de ieiunio sermone exclamatio de Hebræorum ieiunio loquentis: *Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia.*

Nunc quoque Mauri & Saraceni templa, in quibus sacra facturi sunt, non ingrediuntur nisi calceis depositis. Ergo Pythagoram monuisse puto, vt inter sacrificandum mundi, & mundanis relictis curis, & à scelerum inquinamentis expiati, rei diuinæ operam darent.

Nam & lauare pedes mysticè, expurgare mentem dicimus. Qua de re & nostri Theologi mandatum Domini de pedum lotione exponunt, & simul illud, excutiendos pulueres de pedibus. Euthymius quoque *pedes* pro cogitationibus in psal. 72. exponit. *Per pedes*, inquit, *cogitationes intelligit, veluti quæ anima nostra religionem, pedum instar, regunt ac sustinent.*

Nostri tamen sacerdotes celebrant calceati, non nudipedes; tum ob castitatem & verecundiam; tum quia sunt milites & duces (quos decet esse calceatos, imò ocreatos,) Christi, parati semper ad bellum contra dæmones, & ad euangelizandum vbique: hinc debent esse *calceati pedes in preparationem euangelij pacis*, vt ait Apostolus Ephes. 6. 15. Vide ibi dicta.

NE FORTE MORIANTVR] ne puniam eos morte (si hanc lotionis cæremoniam à me præceptam negligant) tamquam inobedientes & irreligiosos. Idem putà, si alias quasuis omitterent cæremonias à Deo præceptas, maximè si id fieret ex contemptu. VERS. 21.

LEGITIMVM] Id est, lex hæc vobis erit æterna, vt iugiter eam obseruetis.

SVME TIBI AROMATA, PRIMÆ MYRRHÆ ET ELECTÆ] Ita & Chald. & Septuag. sed recentiores Hebræi suos codices aliter distinguunt, leguntque hoc modo, *Sume tibi aromata capitis*, id est prima & præstantissima, putà *myrrha electa.* S. Hieron. verò Chald. & Septuag. sic interpungunt & vertunt, *Sume tibi aromata, caput myrrha libera*, id est liberè fluentis vel distillantis. Porro *caput myrrha libera* est stacte, quæ est flos myrrhæ (vti vertunt Septuag. & S. Hieron. ad Principiam) id est lachryma myrrhæ, putà liquor sponte à myrrha defluens & distillans, quæ myrrha est purissima, electissima & præstantissima. Vnde hebr. vocatur *caput myrrha*, id est id quod in myrrha est primum & præstantissimum. VERS. 23.

Describitur hîc compositio vnguenti, quo vngendi & consecrandi erant sacerdotes, item tabernaculum, eiusque vasa. iubeturque illud confici ex stacte, cinnamomo, calamo, casia & oleo oliuarum, certa mensura hîc præscripta inter se commistis. *Vnguentũ quo consecrandi erãt sacerdotes.*

CALAMI] Calamum hîc odoratum, siue aromaticum intellige, vt patet ex Hebræo, Chald.

& Septuag. de quo Theophrastus lib. 9. histor. plant. c. 7. Plinius lib. 12. c. 22. Galen. lib. 8. Medicam. simplic. Dioscorid. li. 1. c. 17.

VERS. 24. CASIÆ QVINGENTOS SICLOS IN PONDERE SANCTVARII] q.d. Siclum hîc accipio illius ponderis cuius erat siclus sanctuarij, siue siclum qui tanto sit pondere, quantum appendit siclus sanctuarij; non quòd is communi siclo sit maior, sed quòd ipse iustissimæ sit mensuræ, vti dixi v. 13. Neque enim necesse est ponere cum Aria Montano, alium hîc siclum ponderis, diuersum à siclo monetæ, quasi siclus hic fuerit genus ponderis, quod monetæ sicli non fuerit æquilibre, sed diuersum ab eo pondus habuerit: nam Script. huius diuersitatis sicli nullam dat significationem. Quare verisimilius est Hebræos pondus monetæ sicli ad alias etiam res transtulisse, vt & nos subinde in familiari phrasi facimus, dum res raras & pretiosas dicimus appendere duos, tres aut quatuor regales; præsertim quia prisci vtebantur moneta, verbi gratia, siclo non cuso, sed ad pondus appenso, eoque merces & res suas appretiabant, vt dixi v. 13. Siclus ergo sui origine, vti & etymo, mensura erat ponderis, æquè ac monetæ.

An alius fuerit siclus ponderis, alius monetæ.

VERS. 26. ET VNGES EX EO TABERNACVLVM TESTIMONII] Hebr. *moed*, id est conuentus vel testimonij, de quo dixi cap. præced. v. 43.

VERS. 29. ERVNT SANCTA SANCTORVM] erunt sanctissima ex hac consecratione.

QVI TETIGERIT EA, SANCTIFICABITVR] q.d. Contactu vasorum sanctorum sanctificabitur ille qui ea tangit, inquit R. Salomon: sed hoc falsum esse ostendi c. 29. 37. *Sanctificabitur* ergo, id est sanctificari debet, ita vt si sit immundus, expiet se aqua lustrationis, de qua Leuit. 14. & Num. 19. antequam altare vel alia vasa sancta tangat, inquit Abulens.

VERS. 33. HOMO QVICVMQVE TALE COMPOSVERIT, ET DEDERIT EX EO, ALIENO, EXTERMINABITVR DE POPVLO SVO] *Alieno*, id est alicui qui non est sacerdos, vel generis sacerdotalis: vti enim priùs vetuit, ne quis in suum vsum tale vnguentum sacerdotale componat, ita hîc vetat ne id fiat in vsus alienos. ita August. q. 135.

VERS. 34. SVME TIBI AROMATA, STACTEN, &c.] Sicut v. 23. descripsit compositionem vnguenti, quo vngendi erant sacerdotes, & vasa sacra: ita hîc describit compositionem thymiamatis, quod adolendum erat in altari thymiamatis. Iubet ergo thymiama hoc confici & commisceri ex stacte, onycha, galbano & thure. Sicut enim Deus pasci voluit victimis anthropopathῶs, ita voluit & recreari odoribus, itaque placari: quia iræ & indignationis indicium est in naribus. vnde Iob 41. v. 11. dicitur: *De naribus eius procedit fumus*: nares autem mulcentur suaui odore. vnde hic placationis aptum est symbolum. ita Arias Montan. & Alcazar in Apocal. 5. v. 8. not. 3.

Thymiamatis compositio.

Quid stacte. Nota Primò. Stacte est lachryma myrrhæ, vti dixi v. 23.

Galbanũ. Secundò, *Galbanum succus est*, ait Dioscor. li. 3. c. 81. *ferulæ nascentis in Syria, quem nonnulli metopium vocant: maxime laudatur cartilaginosum & pingue* (vnde fortè hebr. vocatur חֶלְבְּנָה *chelbana*: חֵלֶב *cheleb* enim significat pinguedinem.) *galbanum menses & partum trahit vel appositu, vel suffitu; aduersatur toxicis, necat serpentes, deuoratur ad tussim veterem, difficultatem spirandi, aliaśq; sedandas.* De galbano scribit & Plinius li. 12. 25. & lib. 24. 5. & Galen. lib. 8. Simplic. medicam. Addit Script. & requirit, vt galbanum sit *boni odoris*, hebr. סַמִּים *sammim*, id est aromaticum, vt selectum significet & odoratum. Nam Dioscor. asserit galbanum esse grauis odoris: & Plinius ait galbanum fœtere, & castoreum olere; quòd fortè intelligit de partibus galbani magis terrestribus, non verò de subtilioribus, vti statim dicam de onycha, ideoque noster Interpres addit τὸ *boni odoris*.

Tertiò, onycha, inquit Glossa, est ostreola parua redolens instar vnguis humani. equidem puto onycham esse illam, quam Dioscor. vnguem odoratum vocat, lib. 2. c. 8. dicitque esse conchylij tegumentum in nardiferis Indiæ paludibus, ideoque suauem spirare odorem, eò quòd conchylia inibi nardi pabulo vescantur. odoris gratia suffitur onycha, sed nonnihil castoreum olet; intellige cum Mathiolo, si partibus eius tenuibus odoratis exhalatis, testa relicta cremetur: nam alioqui de onycha sic canit Propert. *Onycha.*

Et crocino nares myrrheus vngat onyx.

Onycham pharmacopœi vocant blattum Byzantium, teste Amato & Mathiolo in Dioscoridem.

Tropolog. S. Greg. lib. 1. Moral. 39. *Thymiama*, ait, *ex aromatibus compositum facimus, cùm in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus.* Atque commodè per thus religionem orationemq́; acceperis. per stacten mortificationem, per galbanum (vtpote calidum & pingue) charitatem & misericordiam, per onycham (vtpote colore similem vngui, & odore nardo) castitatem. *Mystice, thymiama, quid.*

Hinc Symbolicè, S. Basilius in cap. 1. Isaiæ ante medium: Thymiama hoc, inquit, est corporis sanctimonia per temperantiam, & frænum rationis in corpus, quod quatuor elementis constat; stacte ad aquam refertur, thus ad aërem, onyx ad terram ob ariditatem, galbanum ad ignem ob calorem præferuidum. Hæc ergo inter se contemperat & moderatur sanctimonia, quasi thymiama sanctum. Maximè verò thymiama est oratio. *Symbol.*

Ad hoc thymiama alludens S. Iohan. Apocal. 5. 8 ait, sanctis illis quatuor animalibus datas fuisse *phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* & cap. 8. v. 3. *Data*, ait, *sunt illi incensa multa.*

Vbi Nota. Orationes Sanctorum comparantur hîc suffitui non cuiuis, sed odoramentorum. Primò, quia oratio instar thuris sursum ascendit, psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Secundò, quia, sicut thus est odoratum, ita orationes Sanctorum Deum oblectant. Tertiò, vti thus fœtorem, ita oratio peccatum abigit, Deique iram mitigat. Quartò, thymiama fiebat ex aromatibus contusis: sic oratio ex animo mortificato & humili procedere debet. Quintò, thymiama in igne adolebatur: ita oratio in igne tribulationũ exardescit. vnde Cantic. 4. ait sponsa: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

FACIESQVE THYMIAMA, &c. MISTVM DILIGENTER, ET PVRVM, ET SANCTIFICATIONE DIGNISSIMVM] Hebr. *in sanctificationem.* q. d. Facies thymiama tam bene, purè & diligenter commistum & compositũ, vt dignum sit quod Deo sanctificetur, id est adoleatur, offeratur, incendatur. VERS. 35.

CVMQVE IN TENVISSIMVM PVLVEREM VNIVERSA CONTVDERIS] vt perfectior fiat commistio, indeque odoratius thymiama. VERS. 36.

Tro-

Tropolog S. Gregor. in fine lib. 1. Moral. *In tenuissimum*, inquit, *puluerem aromata vniuersa conterimus, cùm bona nostra, quasi in pilo cordis, occulta discussione tundimus, & si veraciter bona sint, subtiliter retractamus.* Hinc apud veteres, cor in thuribulo positum hieroglyphicè significabat orationes precesque puro, humili, contrito & ardenti corde prolatas ad Deum, inquit Pierius hieroglyphico 34.

PONES EX EO (thymiamate) CORAM TABERNACVLO TESTIMONII] putà in altari thymiamatis, quod est coram vel ante tabernaculum testimonij, id est ante Sanctum sanctorum. Duplex enim erat quasi tabernaculum, ob duas eius partes: vnum vocabatur Sanctum, alterum Sanctum sanctorum. de secundo hic loquitur Scriptura.

IN QVO LOCO (putà in tabernaculo iam dicto, id est in Sancto sanctorum) APPAREBO TIBI. SANCTVM SANCTORVM (id est sanctissimum) ERIT HOC THYMIAMA.

VERS. 38. HOMO QVICVMQVE FECERIT SIMILE (thymiama) VT ODORE ILLIVS PERFRVATVR, PERIBIT DE POPVLIS SVIS] Hebr. est, *exscindetur de populo suo*: quia scilicet Deus illum vt inobedientem & sacrilegum, occidet plaga aliqua huius vitæ, aut certè in gehenna æternaliter illum puniet. Sic enim è contrario *aggregari ad populum suum*, significat iungi consortio Sanctorum & Beatorum. Vetuit Dominus sub tam graui pœna, ne quis in vsus profanos adhibeat compositionem thymiamatis, ad hoc, ne res sacræ & res templi profanarentur, aut Ecclesiasticum ministerium vilesceret & contemneretur.

Insuper voluit eos mollitiem vnctionis dedocere; hæc enim sacra non ad mollitiem, sed ad symbolum & significationem sacram, atque ad reuerentiam sacerdotij adhibebatur.

Idem monuerunt Gentiles. Socrates aiebat, vnguenta relinquenda feminis, in iuuenibus nullum vnguentum meliùs olere, quàm oleum, quo inter exercendum vtebantur. Nam amaracino, aut foliato, protinus idem olent seruus & ingenuus. Rogatus quid senes olere deceat, Probitatem, inquit. Rogatus vbi hoc vnguentum venderetur? recitauit Theognidis carmen:

Ε'σθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεται.

Qui bonus est, ab eo bona discito.

Huius generis quædam congerit Xenophon in conuiuio. Erasm. l. 3. Apophth.

Idem, quum taxaret vnguentis delibutos, Phædon interrogatus quisnam adeò vnguentis delibutus esset? respondit Aristippus: *Ego*, ait, *infelix: sed me multò infelicior Persarum rex. At te vide*, inquit, *vt quemadmodum hac parte nullo cæterorum animalium est superior, ita nec hominum vllo sit præstantior.* Quo dicto sensit, vnguentis & odoribus hominem nihil fieri meliorem: cùm & equus balsamo oblitus, idem oleret quod rex: & mendicus vnguento simili delibutus non minùs benè oleat quàm summus Pontifex. Laërt li. 2.

Anacharsis oleum dicebat esse venenum insaniam gignens, eò quòd athletas videret vnctos in se inuicem insanire. Nec olei vsum, vt arbitror, nouerant Scythæ: vt quod nec apud illos prouenirет, nec aliundè importaretur. Athletæ non pugnant nisi vncti; putant enim corpus fieri robustius; ac Scytha simulabat se credere illis oleum esse causam insaniæ. Laërt. l. 1. c. 9.

Diogenes nactus vnguentum, eo pedes inunxit præter morem publicum. Id demirantibus dixit, quoniam vnguentum capiti infusum exhalatur in aërem, à pedibus autem ascendit ad nares. Similiter alius reprehendit publicam consuetudinem, qua coronas capiti imponunt; cùm magis conueniat infra nares ponere, quòd fragrantiæ vapor non tam descendat, quàm ascendat. Laërt. lib. 6.

Idem, cuidam habenti capillos vnguento delibutos: *Caue*, inquit, *ne capitis suaueolentia vitæ maleolentiam adducat*: nam Græcarum vocum iucundam affinitatem vtcumque reddere studuimus, εὐωδίαν & δυσωδίαν. Vnguentum enim in viro arguit vitæ mollitiem; fama porro velut odor est hominis. Simile quiddam dixit Martialis:

Postume, non bene olet, qui bene semper olet.

ita Laërt. lib 6.

Idem aiebat, faciles esse deos ad donandum hominibus vitam: ceterùm hanc ignorari ab his qui quærunt vnguenta. Laërt. ibid.

Lycurgus vnguenta eiecit è repub. tamquam olei corruptelam ac perniciem. Nam oleum, inquit, odoribus vitiatum nullum habet vsum, nec ad esum, nec ad membrorum vnctionem; atque dum rem necessariam ad delicias corrumpunt, fit vt minor sit copia. Plutarchus in Lacon. apophthemat.

Fl. Vespasiano quum adolescens quidam gratias ageret pro impetrata præfectura, quoniam vnguento fragrabat, & nutu contemptus est, & grauiter increpitus: *Mallem*, inquit Vespasianus, *allium oboluisses.* Mox & literas concessas reuocauit. Suetonius in eius vita.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Beseleel & Ooliab designantur à Deo architecti tabernaculi. Secundò, v. 13. Deus iterat & inculcat cultum sabbati. Tertiò, v 18. Deus Mosi dat duas tabulas legis lapideas.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: 2. Ecce, vocaui ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur, de tribu Iuda, 3. & impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, in omni opere, 4. ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, 5 marmore & gemmis, & diuersitate lignorum. 6. Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam vt faciant cuncta quæ præcepi tibi, 7. tabernaculum fœderis

deris,& arcam testimonij,& propitiatorium,quod super eam est, & cuncta vasa tabernaculi, 8. mensamq; & vasa eius,candelabrum purissimum cum vasis suis, & altaria thymiamatis, 9. & holocausti,& omnia vasa eorum,labrum cum basi sua, 10. vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti,& filiis eius,vt fungantur officio suo in sacris.
11. oleum vnctionis,& thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient.
12. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:
13. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Videte vt sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris:vt sciatis quia ego Dominus. qui sanctifico vos.
14. Custodite sabbatum meum. sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur:qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.
15. Sex diebus facietis opus: in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino. omnis qui fecerit opus in hac die,morietur.
16. Custodiant filij Israel sabbatum,& celebrent illud in generationibus suis.Pactum est sempiternum
17. inter me & filios Israel, signumque perpetuum. sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in septimo ab opere cessauit.
18. Deditq; Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.

Vers. 2. VOCAVI EX NOMINE BESELEEL] q.d. Ego Deus nominatim præ cæteris omnibus delegi & designaui Beseleel, vt ipse fabricet tabernaculum, omnemque eius supellectilem. per catachresin ponitur *vocaui* pro *designaui*: qui enim ab hominibus designantur magistratus vel præfecti, solent ad hunc statum nominatim euocari, vnde Hispani eos vocant *criados*.

Hur auus Beseleel, quis. BESELEEL FILIVM HVRI, FILII HVR] Hur hic auus Beseleel, videtur fuisse ille de quo c. 17. v. 14. & cap. 24. 14. Erat enim ille ex senioribus Israel, & proximus dignitate Aaroni fratri Mosis,ideoque in eo Moses sistit genealogiam Beseleel, quasi ipse ab auo Hur, cuius superiùs mentionem fecit,sat sit cognitus; potuitque facilè fieri, vt Beseleel etiam grandæuus simul cum Hur auo suo vixerit, verbi gratia, si demus Beseleel annos 60. Hur verò centum, vel centum & decem. Negat hoc Abulensis, censetque Beseleel hoc tempore fuisse 92. annorum. sed quis credat tam senem ad tantam & tam laboriosam fabricam fuisse delectum?

Porro Hur hic fuit filius Caleb (non exploratoris illius celebris, qui solus cum Iosue murmurantibus restitit,vt vult R. Salomon; ille enim hoc tempore non attigerat annum 40. vt patet Iosue 14.10.) sed alterius multò senioris, filij videlicet Esron,filij Phares, filij Iudæ patriarchæ. vide 1. Paral. 2. v. 6. 9. 19.

Symbol. Symbolicè, Strabus, siue Glossa ordinaria: *In constructione*, inquit, *tabernaculi mysterium Trinitatis ostenditur, sicut in baptismo & transfiguratione Christi. in baptismo enim voce sonuit Pater, & Filius baptizatus est, atque in specie columbæ Spiritus sanctus apparuit. Pari modo hic Ooliab, qui interpretatur protectio mea Pater, Patris personam significat. Beseleel, qui idem est quod in vmbra Dei, significat Spiritum sanctum, de quo dicitur: Virtus Altissimi, id est Spiritus S. obumbrabit tibi. Iussio autem, id est verbum, quo tabernaculum fieri iussum est, est Filius, per quem Pater in virtute Spiritus sancti omnia operatur.* Sancta enim Trinitas tam tabernaculum hoc materiale,quàm eius antitypum Ecclesiam, & animas sanctas sibi in templum ædificat & efformat.

Tropolog. Tropolog. *Hur* hebraicè *candorem* significat, lucemque candidam,qualis est fides. *Vri* significat *ignem*,qualis est charitas. *Beseleel* significat *in vmbra Dei*,qualis est spes: hæc enim in ope Dei, quasi in vmbra securè requiescit. Iam hæc tria, putà fides,

A spes,charitas, ædificant tabernaculum, id est domum animæ, vt sit templum Dei.

ET IMPLEVI EVM SPIRITV DEI] putà spiritu meo. Loquitur enim Deus more Hebræo, de se tamquã de aliquo tertio. Similis enallage personę est v. vlt. & Gen. 19. 25. & Num. 12. v. 6. & 8. Amos 4. 11. & alibi. Porro spiritus Dei est qui sequitur, videlicet sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere fabrili, à Deo data & aspirata. est enim appositio: *Spiritu Dei* (qui est) *sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere*. vide dicta c. 28. v. 3. Vers. 3.

DEDIQVE EI SOCIVM OOLIAB FILIVM ACHISAMECH] *Ooliab* hebraicè idem est quod *tabernaculum meum*, vel *protectio mea est Pater*, scilicet cælestis. *Achisamech* idem est quod *frater coniungens*. Hic ergo significat Apostolos virosque Apostolicos,qui per spem in Deum, Deiq; opem & protectionem,quam significat Ooliab, perque opem mutuam & fraternam, quam significat Achisamech, ædificarunt Ecclesiam, quæ est tabernaculum Dei. Ac nominatim, inquit Glossa, *Beseleel & Ooliab sunt Petrus & Paulus, qui duo post Christum ædificauerunt Ecclesiam Iudæorum & Gentium. Beseleel enim, qui interpretatur vmbra Dei, significat Petrum: nam ad tactum vmbræ eius virtute diuina sanabantur infirmi, Actor. 5. Ooliab, qui interpretatur protectio vel habitatio mea Pater, est Paulus, qui mente habitabat in Deo Patre omnium. vnde ait ipse Philip 3. Nostra conuersatio in cælis est.* Vers. 6. B *Beseleel & Ooliab sunt Petrus & Paulus.*

ET IN CORDE OMNIS ERVDITI POSVI SAPIENTIAM, VT FACIANT CVNCTA QVÆ PRÆCEPI TIBI] q.d. Peritis artificibus minoribus & C inferioribus dedi etiam industriam suam & peritiam, vt ipsi iuuent Beseleel & Ooliab in fabrica tabernaculi.

Disce hinc, artes omnes, etiam mechanicas, esse dona Dei, saltem naturalia, neque in ijs vt suis, suaque industria inuentis aut partis, homini gloriandum esse, sed illas Deo adscribendas, ab eoque petendas, & in eius obsequium expendendas esse. ita Rupert. in c. 35. Exod. in fine. *Mechanicæ artes sunt dona Dei.*

VIDETE VT SABBATVM MEVM CVSTODIATIS: QVIA SIGNVM EST INTER ME ET VOS] Abulens. & Lipoman. putant hîc interiici mentionem sabbati hac de causa, ne scilicet Hebræi putarent licere sibi tabernaculum fabricare die sabbati. Verùm hæc ratio angustior est, & Scriptura nullam eius dat significationem. Vers. 13.

Dico ergo, solius sabbati præceptum hîc repetit

tit Deus, illudque adiecta pœna mortis denuò sancit, tum quia præcipua erat cæremonialis lex hæc sabbati, recurrens singulis hebdomadis; tum quia sabbatum erat cultus Dei maximè publicus & solemnis. vnde subdit: *Quia signum est inter me & vos.* q. d. Quia sabbatum signum est quòd vos mihi sitis populus, & ego sim vobis Deus, vtpote in cuius honorem, & ob cuius obedientiam colitis septimum diem, putà sabbatum, sacro otio quasi protestantes me creatorē esse omnium, quæ sex diebus facta sunt, meque septimo hoc die ab omni opere meo cessasse; ideoque vobis annitendum est, vt illo die mens per orationem, aliaque pia exercitia in Deo quiescat, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

VT SCIATIS QVIA EGO DOMINVS, QVI SANCTIFICO VOS] qui scilicet vos ad cultum meum applico, mihique quasi dico & consecro per hanc festiuitatē meā sabbati, vt in ea me sanctè colatis.

VERS. 14. SANCTVM EST ENIM VOBIS] q. d. Sabbatum vobis est solemne festum, sancto Dei cultui dicatum. vide Deuter. 5. 12.

QVI FECERIT IN EO OPVS, PERIBIT ANIMA (id est vita) ILLIVS DE MEDIO POPVLI SVI] q. d. Qui laborando violat quietem sabbati, morte plectatur per sententiam iudicis, si crimen, putà sabbati violatio, constet: si non constet, tum homo ille aliis modis vindicante Deo, siue per homines quasi fortuitò, sed fortuitum hoc intendente & dirigente Deo, vti dixi c. 21. 13. siue per alias creaturas Dei administras morte punietur, &, quod maximum est, peribit in æternum in gehenna, tamquam reus maximi criminis.

Violans sabbatum mulctatur morte.

VERS. 15. SABBATVM EST REQVIES, &c.] Hebr. est, *sabbaton est sabbat.* Hebræi per *sabbaton*, id est sabbatulum, accipiunt paruum additamentum ad subbatum. quia enim ipsi non sciunt præcisè momentum, quo incipit sabbatum, vt illi satisfaciant, horam vnam citiùs illud auspicātur, & horam vnam tardiùs finiunt, & hoc tempusculum putant vocari *sabbaton*, id est sabbatulum. Verùm hæc nimis arcta & anxia est religio. Optimè ergo vertit & dispunxit Noster interpres, quem passim alij sequuntur.

VERS. 17. PACTVM EST SEMPITERNVM INTER ME ET FILIOS ISRAEL] Sabbatum vocat pactum, id est conditionem pacti. Septuag. vertunt, *testamentum siue fœdus æternum est in me & filiis Israel*, vt scilicet filij Israel in me, putà in Deo, Deique visione & fruitione, per requiem æternam, quam eis promisi, quiescant, inquit S. August. q. 139. Sed hic sensus non respondet Hebræo, in quo non est *in*, sed, *inter*; & ita præpositio *in*, quam habent Septuag. exponenda est per *inter*.

IN SEPTIMO AB OPERE CESSAVIT] Hebr. וינפש *iinnaphes*, id est respirauit à labore, & respirando quieuit. loquitur Scriptura de Deo anthropopathōs.

A

VERS. 18. DEDITQVE DOMINVS MOYSI, &c. DVAS TABVLAS TESTIMONII (id est decalogi siue legis, quæ testimonium est voluntatis diuinæ, quid scilicet Deus velit à nobis fieri) LAPIDEAS SCRIPTAS DIGITO DEI] digito suo, hoc est à se, non ab homine vel angelo. est enallage, de qua dixi vers. 5. Nota τὸ *dedit*, non quasi Deus antè non dederit decalogum: inseuit enim omnibus cum natura hanc legem, vti docent S. Irenæus li. 4. 30. Cyrill. li. 1. in Ioan. c. 11. S. Hieron. in c. 24. Isaiæ, Ambr. de Fuga sæculi c. 3. Sed *dedit* eam denuò scriptam tabulis lapideis, idque ad obliuionem, quæ ex illius neglectu & socordia hominum irrepebat, auertendam, atque ad acuendas mentes hoc signo ad legis firmam & arctam custodiam; ideoque eam non chartæ, sed lapidi inscriptam dedit.

B

Porrò lapidem hunc pretiosum fuisse, vtpote adeò nouè ad diuinam hanc scripturam formatum & destinatum, coniicere licet. Hebræi censent, fuisse sapphirum, teste Lyrano in Exodi 24. 12. Vbi idem de iisdem testatur Abulens. recteque confutat eosdē dicentes, Mosen fractis sapphirinis hisce tabulis ob peccatum populi, fragmenta earum collegisse, indeque se ditasse. Ex sapphiro quoque fuisse has tabulas disertè docent Suidas verbo *Moyses*, S. Epiphan. l. de 12. Gemmis, Anastasius Nicænus quæst. 38. in S. Script. & Nilus Metropolita de Lapidum theorica. Fauet, quòd Deus legem Mosi daturus apparuerit cum suppedaneo sapphirino cap. 24. 10. Vidè quæ de sapphiro notaui ibidem, & Apocal. 21. 21. Verùm hac de re nihil certi statuere licet, cùm Scriptura speciem lapidis non exprimat. Porrò quòd Chaldæus & Rabbini tradunt, sapphirum tabularum legis excisum fuisse è throno sapphirino Dei, Exodi 24. 12. crassa eorumdem est fabella.

Tabulæ legis ex sapphiro.

C

Mysticè, hæ tabulæ significabant tabulas cordis, in quibus scribenda sunt Dei mandata, 1. Corinth. 3. v. 3. & sequent.

Notant Isidor. Abulens. Hugo, Lipoman. Hebræi, & alij passim, in prima tabula fuisse scripta præcepta, quæ Deum Deique dilectionem & cultum spectant, quæ Hebræi numerāt quatuor: diuidunt enim primum præceptum in duo, scilicet, Vnum Deum cole, &, Non facies sculptile vel idolum; Catholici verò hæc duo in vnum coniungunt, tantumque numerant tria primæ tabulæ præcepta, de quo Deuter. 5. In secunda verò tabula scripta fuisse præcepta, quæ spectant proximum proximique dilectionem, quæ Hebræi numerant sex: coniungunt enim duo vltima præcepta de concupiscentia vxoris & rei alienæ, in vnum; Catholici verò meliùs ea diuidunt, ac consequenter numerant septem secundæ tabulæ præcepta. Compendium ergo vtriusque tabulæ totiusque legis est: *Dilige Deum, & dilige proximum*, vti docet Christus.

Duæ tabulæ legis dupli cis charitatis præcepta continebāt, scilicet primæ Dei, secundæ proximi.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HEbræi Mose absente vitulum aureum conflant & adorant: hinc Deus vult eos disperdere. orat pro eis Moses, ac v. 15. descendens de monte tabulas legis frangit, vitulum comburit, idololatras occidit, Deumq; iteratò pro populo precatur, dicens v. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.

Videns

1. VIdens autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.
2. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. 3. Fecitq; populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. 4. Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. dixeruntque: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 5. Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est. 6. Surgentesq; manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. 7. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende: peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. 8. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 9. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: 10. dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. 11. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? 12. Ne quæso dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. 13. Recordare Abraham, Isaac, & Israel, seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. 14. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. 15. Et reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, 16. & factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. 17. Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris. 18. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. 19. Cumq; appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros: iratusq; valdè, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis: 20. arripiensq; vitulum quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel. 21. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? 22. Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus: tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum: 23. dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. 24. Quibus ego dixi: Quis vestrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egressusq; est hic vitulus. 25. Videns ergo Moyses populum quòd esset nudatus, (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat) 26. & stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui: 27. quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. 28. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. 29. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. 30. Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominũ, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro. 31. Reuersusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, 32. aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. 33. Cui respondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo: 34. tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. 35. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

VERS. I. SVRGE, FAC NOBIS DEOS, QVI NOS PRÆCEDANT] *Deos*, id est Deum. vnum enim aliquem tantùm petierunt. vnde & Aaron eis satisfaciens vnum tantùm fecit vitulum. Sed in Hebræa lingua nomina Dei, putà *Elohim*, *Adonai*, A *Saddai*, pluralia sunt, eisque modò singularia verba & adiectiua, modò pluralia iungunt Hebræi, vti videre est Iosue 24.19. Deut. 5.26. in Hebræo.

Hebraismum imitatus est hic Latinus interpres vertens *deos*, non deum; idque vt clariùs idolola-

triam populi ob oculos poneret. idololatræ enim præter vnum Deum verum, credunt & colunt alium, ita vt secundùm illos plures ponendi sunt dij: & quia ipsi, sicut ab vno Deo ad secundum deflexerunt, ita facilè ab hoc in multos alios deuoluuntur. Notauit hoc S. Hieron. in Daniel. 3. *Hanc, ait, dicunt S. Scripturæ consuetudinem, vt vnum idolum appellet pluraliter.* A

Nota hîc miram populi erga Mosen & Deum ingratitudinem, pariter & cæcitatem. nam Mosen ducem suum tam benignum & beneficum, moræ impatientes contemnunt: deos quærunt duces, sed eos qui nondum sunt, quosque faciat Aaron: aspernantur Deum verum, qui eos per tot tantaque miracula, è dura Ægypti seruitute liberauerat, qui eos ducebat in Chanaan, quicum paulò antè solemne fœdus inierant, c. 24. qui illis spolia Ægyptiorum dederat, illaque nunc secum, contempto Deo, idolo, putà vitulo, consecrant. B

Dices, Hebræi columnam habebant ducem viæ, ad quid ergo quærunt alios duces, putà deos qui eos præcedant?

Respondeo, Columna hæc fixa steterat toto tempore, quo Moses fuerat in monte, neque mouebatur, vt Hebræis viam præiret; ipsi autem castra mouere, & in terram promissam festini tendere cupiebant. Petunt ergo non mortales duces, qui vt Moses ab eis auferantur, sed deos, quales in Ægypto viderant, vt videlicet Aaron fabricet eis simulachrum vituli aut bouis, putà Apis, in quod se numen insinuet, detque responsa, & præeat in Chanaan.

MOYSI ENIM HVIC VIRO] Loquuntur Hebræi de Mose contemptim, quasi de incognito viro. Iosephus asserit aliquos eorum putasse Mosen à bestiis comestum esse, alios eum à Deo raptum esse. C

Fabulatur R. Salomon, dæmonem pheretrum Mosis in aëre ostendisse Hebræis, vt putarent eum esse mortuum.

VERS. 2. TOLLITE INAVRES] Hebraicè, *frangite inaures.* aptè; *amissuri enim erant, in iudicium sibi, vera ornamenta aurium Dei voces,* scriptas in tabulis legis, ait Tertull. Scorpiaci c. 3. Et S. Ambros. ad Romulū, explicans hunc locum: *Congruè, ait, inaures auferuntur mulieribus, ne iterùm Eua vocem serpentis audiret. Et ideo quia sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus conflata est imago sacrilegij:* similiter & annulis; *quia nec fidei signaculum habere poterant.*

DE VXORVM, FILIORVMQVE ET FILIARVM VESTRARVM AVRIBVS] Facinus hoc, putà idolum, recusare omnino non audebat Aaron, ne occideretur à tumultuante plebe: sed hac postulatione diuertere conatus est, flagitando inaures vxorum & filiarum aureas, quas ægerrimè auaras & ornatus studiosissimas feminas sibi detracturas, idoloque daturas putabat. sed vicit hæc omnia earum improbitas & præpostera liberalitas, aliàs auarissimarum. ita Theodor. Abulens. Caietan. Lipoman. Similes subinde videmus Christianorum mores, vt in carnis voluptates, pompam & luxum censum omnem profundant, Christo verò teruncium ægrè largiantur: ideoque sæpè quod non capit Christus, hoc rapit fiscus. D

VERS. 4. FORMAVIT OPERE FVSORIO] Plastes ergo formam vituli composuit è terra, argilla, aut simili materia, in eaque stylo (vt habent Hebræa) efformauit oculos, aures, os & cætera membra vituli: deinde in hanc formam infudit aurum inaurium liquefactum, & sic ex ea expressus est aureus vitulus.

ET FECIT EX EIS VITVLVM] Hinc patet vanitas fabellæ Rabbinorum, qua ipsi Aaronem suum à crimine idololatriæ liberare conantur, dicentes vitulum hunc non arte ab Aarone conflatum esse, sed operâ magorum Ægyptiorum, quorum multi in tanta colluuie secuti erant Hebræos Ægypto exeuntes. Aaronem enim coactum à populo tantùm iniecisse aurum in ignem; ita enim se coram Mose excusat Aaron v. 24. magos verò ope dæmonis illud in vituli formam effinxisse. Placuit ex parte hæc opinio Monceio, qui ingeniosè nuper Aaronem ab idololatria excusare contendit in suo Aarone purgato: sed liber hic eius (vti præmonueram) Romæ notatus, & in classem librorum prohibitorum relatus est. *An Aaron ab idololatria possit excusari?*

Hæc enim sententia disertè repugnat Scripturæ hîc, quæ asserit Aaronem fecisse vitulum, id est fieri curasse per aurificem. Sic enim habet: *Quas cùm ille* (Aaron) *accepisset formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Rursum v. 5. *Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo* (vitulo,) *& præconis voce clamauit, dicens: Cras solemnitas Domini* (vituli) *est.* Non ergo idolum tantùm, putà vitulum, sed & altare eidem ædificauit, dedicauit, festumque indixit Aaron. Quid clariùs? Denique Moses Deuter. 9. 20 fratris crimen confitetur dicens: *Deprecatus sum Dominum pro fratre meo, quia volebat eum conterere.* Cessit ergo Aaron timori & populo furenti, nec ausus fuit illi obluctari ex metu mortis. Veriùs & cordatius R. Moses Gerundensis apud Lipomanum, non Ægyptios, sed Aaronem & suos Hebræos accusat dicens: *Non accidit tibi ô Israel vltio aliqua, in qua non sit vel vncia de iniquitate vituli.*

VITVLVM] Fuit hic vitulus Apis Ægyptius bos, alio nomine Serapis dictus. ita Clemens lib. 6. Const. 20. & Lactant. lib. 4. c. 10. quem ita depingunt, Apis, inquiunt, erat nigro corpore, candida fronte, & in tergo albæ notæ insignis, quem certos vitæ annos excedere non licebat, atque ideo demersum in lacum defunctumque plangebant, & alio inuento mirificè lætabantur. vide Alexandr. ab Alexand l. 6. Genial. c. 2. *Apis fuit vituli Ægyptij forma.*

Porrò Hebræos hîc non integrum vitulum conflasse, sed tantùm vituli caput, expressè tradit S. Cyprian. lib. de Bono patientiæ sub finem, vbi eum vocat *bubulum caput.* Ambros. epist. 62. Lactant. lib. 4. 10. August. psal. 73. Hieron. in Amos 5. & alibi sæpè: indeque aliqui dictum putant hebr. *serapim,* quasi bouis faciem. *schor* enim hebr. bouem, *appaim* vel *appim* faciem significat. Quare & vitulos, quos Ieroboam fecit & cõstituit in Dan & Bethel, contra quos ita detonant Prophetæ omnes, cùm ad huius vituli Aaronici imitationem facti sint, vt patet 3. Regum 12. 28. verisimile est vitulorum tantùm capita fuisse, ideoque nunc vituli, nunc vitulæ nominantur: nam è capite sexus vix discerni potest. *Hebræi non vitulum, sed vituli caput conflarunt.*

Quamquam, si quod sexus indicium dederit hoc vituli caput, verisimile est vitulæ potiùs dedisse, quàm vituli. nam Herodotus lib. 2. boues feminas maximè, docet sacras fuisse Isidi apud Ægyptios. vnde & Iosephus libr. 8. 3. vitulos Ieroboam vitulas fuisse dicit: vitulas quoque vocant Septuag. 3. Reg. 12. v. 28. & seqq. Vitulus ergo hic *An vitulus fuerit an vitula?*

non mas, sed femina accipitur; si quidem sexum prodiderit, vt dixi. Sic enim bos tam femina, quàm mas dicitur. ita Ribera in Osee 10. n. 12. Altum huius vituli silentium est apud Iosephum; nimirum noluit ipse apud Ethnicos, quibus gentem suam commendare volebat, eam tam stolido idololatriæ crimine infamare.

Vitulum hunc fuisse animatum fingit R. Salomon. CONFLATILEM] Hîc rursum explodas nugas R. Salomonis, qui fingit, vitulum hunc fuisse animatum, ambulasse & comedisse; quod cùm vidisset Aaron, ædificasse ei altare. Probat hoc ex psal. 106. vbi dicitur: *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Sed homo insulsus non aduertit, non dici, *in vitulum*, sed *in similitudinem*, id est idolum, *vituli comedẽtis fœnum.* Erat enim hoc idolum vituli conflatum ex auro, vti hîc dicitur: erat ergo aureum & inanime, non animatum & viuens. ita Lyranus, & Abulens. qui multis & operosè eum confutat.

HI SVNT DII TVI ISRAEL] Chald. *hi sunt timor tuus Israel.* q. d. Isti sunt dij tui, quos timere & colere debes. ita stolidi aurũ & saxa timent, Deum non timent, qui habet flatum eorum & animam in manu suã, vt eam præcipitet in tartara, aut ad cælum sustollat.

VERS. 5. QVOD CVM VIDISSET AARON] Scilicet non vitulum ambulantem, vti exponit R. Salomon, sed turbam ita congratulantem acclamantemque vitulo, *Hi sunt dij tui Israel.*

ÆDIFICAVIT ALTARE CORAM EO] idolo vituli. Mirus hic fuit Aaronis lapsus, vt ad fauorem plebis, & fortè quia absente Mose principatum & ducatum populi ambiebat, non iam metu, sed sponte sua altare ædificet vitulo, eiusque dedicationem & festum decernat: quin & vitulo nomen tetragrammaton (hoc enim est in Hebræo) quod incommunicabile est, & soli vero Deo proprium, attribuat & imponat. *Aaron vitulum vocat Iehoua.* Quis sibi & suæ sanctitati fidat? quis non cum metu & tremore suam salutem operetur, cùm videt Aaronem, Origenem, Tertullianum, similesque cedros Libani cadentes, & tam turpiter ac profundè cadentes?

Obiiciunt hæretici: Ergo tota Ecclesia cum suo capite potest deficere & apostatare à Deo: ita enim defecit hic Aaron pontifex, & totus populus.

Respond. Aaronem necdum creatum fuisse pontificem: Moses ergo erat populi caput & pontifex, qui non defecit: etiam Leuitæ non defecerunt, vt patet v. 26. Ergo nec caput, nec corpus Ecclesiæ defecit. Adde, Aaronem non defecisse in fide, sed in professione fidei: sicut Petrus, negans Christum, non perdidit fidem, sed peccauit contra eius confessionem.

VERS. 6. SEDIT POPVLVS MANDVCARE] ex hostiis pacificis vitulo immolatis, vt ita eius festum & solemnitatem communi & sacro conuiuio celebraret.

ET SVRREXERVNT LVDERE] saltando, canendo, choros agendo; hos enim descendens è monte vidit Moses v. 19. Vide hîc quàm gulæ filia sit inepta & impura lætitia, vti docet S. Gregor. I. Moral. 5. Eumdem abusum sacrificiorum apud Gentiles deplorat Epicharmus apud Athenæum libr. 2. *Ex sacrificio*, inquit, *epulum, ex epulo facta est potatio, ex potatione comus, ex comο ludus, ex ludo iudicium, ex iudicio condemnatio, ex condemnatione compedes, sphacelus & mulctatio.* Inde ebrietates vocarunt μέθας, quòd μετὰ τὸ θύειν, id est post sacrificia, genio & ebrietati indulgerent. S. Ambros. epist. 36. ad Sabinum: *Vbi cœperit*, ait, *quis luxuriare, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis & mentis sacrilegia*, &c. *qui se ingurgitauerit atque immerserit eiusmodi voluptatibus, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare, & bibere, & fieri sibi deos poposcit.*

Porrò hunc lusum impurum fuisse colligunt nonnulli ex eo, quòd in honorem vituli (quod maximè lasciuum & libidinosum est animal) lusisse videantur. Pro vitulo ergo & cum vitulo vitulati sunt. ita Tertull. lib. de Ieiunio, quem contra Psychicos (id est animales; ita rigidus ipse & seuerus vocabat Christianos & Catholicos, quasi laxiùs viuentes) iam hæreticus & Montanista existens conscripsit: sic enim ait, *Surrexerunt ludere: intellige*, inquit, *S. Scriptura verecundiam, lusum nisi impudicum non denotasse* (vnde & Rabbini crassè exponunt *ludere*, id est fornicari.) Sic enim Gentiles Romani & Græci in honorem deorum suorum ludos agebant, & quidquid libuisset, ac obscænissima quæque dicebant & agebant. Edebant & spectacula, quæ, vtpote idolis dicata, æquè ac idolothyta, Christianis adire illicitum esse, docet Tertull. libr. de Spectaculis, quem hac de causa conscripsit.

Vide hîc carnalium hominum cæcitatem, qui in peccatis suis securi deliciantur, ludunt & exultant, cùm eis imminet vindicta Dei. Ita deliciabatur securus Balsasar, cùm vidit manum scribentem in pariete, *mane, thekel, phares*: quæ eadem nocte exitium ei attulit. Vis recentius exemplum? Audi memorabile. Vgolinus factionis Guelphorum princeps, cùm Gibellinis vel pulsis, vel perculsis, omnia regeret, die suo natali omnes suos ad conuiuium inuitauit, vbi se suamque fortunam prædicans, vnum ex suis rogauit, num quid sibi deesset? ille quasi præsagus respondit: *Sola ira Numinis procul diuq; abesse à tam secundis rebus non potest.* Itaque Guelphorum viribus consenescentibus, Gibellini armis correptis ædes eius circumsistunt, oppugnant, vnum ex filiis, vnumque nepotem vim arcere conatos occidunt; ipsum & duos filios, tres nepotes in turrim includunt, obseratis foribus, clauibusque in Arnum flumen deiectis. Ibi fame in oculis suis, in gremio suo, charissima pignora, parens moriens morientia vidit. Vociferanti exposcentique, vt humanis suppliciis hostes essent contenti, sacræ confessionis & sancti viatici potestas facta non est, vt refert Paulus Æmil. lib. 8. hist. Francor.

Ita S. Ambrosius Mediolano Romam proficiscens, cùm in hospitem impium incidisset, qui inter alia affirmabat, aduersam fortunam numquam se esse expertum, ad comites conuersus ait: *Properè hinc discedamus, ne diuina vindicta hic nos obruat. Deus enim non moratur in hisce ædibus.* Cumque paululùm cum suis progressus esset Ambrosius, terra dehiscens ædes istas cum hospite, & tota eius familia absorpsit.

LOCVTVS EST AVTEM DOMINVS AD MOSEN] VERS. 7. Satis patet ex fine præcedentis capitis, hæc contigisse post acceptas legis tabulas cùm Moses iam descenderet de Sina; atque in ipso descensu hæc ad eum locutum esse Dominum. ita Caietan.

PECCAVIT POPVLVS TVVS] *Tuus*, non iam meus, qui tam grauiter in me peccauit, qui me relicto ad

ad vitulum accessit. ita S.Hieron. in c.9.Daniel. A Pro *peccauit* hebr. est שִׁחֵת *scichet*, id est corrupit, infregit, scilicet fœdus meum, ac consequenter fidem, viam, vitamque suam.

VERS.10. DIMITTE ME, VT IRASCATVR FVROR MEVS CONTRA EOS] Quæres, cur, si irasci & punire plebem volebat Deus, Mosi id impedituro reuelat? Iulianus Apostata ex hoc loco calumniatur, Deum Hebræorum varium esse, inconstantem, & pœnitentem sui consilij. Verùm ei bene respondet S.Cyrill.libr.5.contra eum, & Theodor. hic, ac S.Gregor.libr.9. Moral.11.& 12. id fecisse Deum non mutabilitate animi, sed Primò, vt ostenderet quanti faciat Sanctos suos & preces eorum: *sententia enim Dei Sanctorum precibus frangitur*, ait S.Hieron. in 13.Ezechiel. Hoc significat τὸ *dimitte me*, id est, vt Chald. vertit, *intermitte deprecationem*, quæ scilicet mihi ligat manus. B Secundò, vt ostenderet immensam clementiam suam; non enim absoluta & efficaci voluntate decreuerat delere Hebræos, sed conditionata, si videlicet nullus se sequestrum & deprecatorem pro eis interponeret: quam conditionem ipse poni voluit, vt clementiam suam patefaceret, ideoque Mosi reuelauit peccatum populi, vt Moses oraret pro eo, ipseque exoratus populo parceret. *Quid est aliud*, ait S.Gregor. *Dimitte me, quàm deprecandi ansam prabere*. &, vt Theodor. *dicere, Prohibe me?*

Voluit hîc nos docere Deus, vt in ira nihil præcipitanter agamus, cuius nos postea pœniteat, sed sinamus eam subsidere, animumque ad quietem & clementiam componamus, antequam aliquid dicamus vel agamus. Ita Athenodorus ob senium valedicens Augusto Cæsari, hoc ei monitum reliquit: C *Cùm irasceris Auguste, nihil antè vel dixeris vel feceris, quàm tecum vigintiquatuor litterarum elementa repetieris.* Mox Augustus manu eius arrepta, *Etiamnum*, inquit, *tua mihi opus est præsentia*, ac per totum porro annum eum secum detinuit, dicens, *Silentij tutum est præmium*. Testis est Plutarch. in Apophtheg.Roman.

Dei sententia an mutetur? Non ergo mutatur hîc Deus, sed res ab eo dispositæ mutantur, iuxta ipsius prouidam dispositionem: neque rursum mutatur Dei sententia, in peccatores lata, in ipsomet Deo, cùm illa in Deo æterna sit, ipsique essentialis; sed mutatur ipsa in ipsis peccatoribus, putà in eorum à pœna, ad quam eos damnauerat, absolutione: idque fit non vanitate vel leuitate iudicij, sed deprecatione Sanctorum, vel conuersione eorum in quos lata fuit hæc sententia. ita S.Hieron. in 5.Daniel. D & S.Gregor.l.20. Moral.c.24. *Consilium*, inquit Gregor. *Deus non mutat, sed rem.*

Nota. Ira, furor, indignatio, aliæque passiones cùm in Scripf. tribuuntur Deo, non significant vllam perturbationem, sed puram Dei operationem & energiam. Ita S.August.l.1.contra aduers. legis c.20. *Pœnitentia*, inquit, *non est post errorem: ira Dei non habet perturbati animi ardorem: misericordia Dei non habet compatientis miserum cor; vnde in Latina lingua nomen accepit: zelus Dei non habet mentis liuorem. sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in eius potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio: ira Dei, est vindicta peccati: misericordia Dei, est bonitas opitulantis: zelus Dei, est prouidentia, qua non finit eos quos subditos habet, impune amare quod prohibet.*

FACIAMQVE TE IN GENTEM MAGNAM] non tam ex te nascituram, quàm tibi subiiciendam, & te duce gubernandam. Id patet Numer.14.12. vbi similis promissio iteratur Mosi, vt patet ex Hebræo. ergo *in gentem*, idem est quod *super gentem*. ita Abulens.

MOYSES AVTEM ORABAT] *Tales*, inquit S.Chrysost.homil.12.in c.1.S.Iohan. *esse oportet eos, quibus animarum cura commissa est, vt perire malint cum his qui sibi crediti sunt, quàm sine illis salui esse.* VERS. 11.

Mosis mansuetudo & charitas. S. Ambros. quoque lib.2.Offic.cap.7. miratur mansuetudinem Mosis. Primò, absorbentis, deuorantis & obliuiscentis omnes iniurias sibi à populo illatas; Secundò, respuentis ducatum alterius gentis maioris à Deo sibi oblatum; Tertiò, orantis tam enixè pro ingratis Hebræis. idque factum ait, vt Hebræi eum plus ob mansuetudinem diligerent, quàm ob facta & portenta admirarentur. nam, vt ait S.Gregor.27.Moral.7. *Charitas in sancto eius pectore ex persecutione ignescebat magis*, ac velut per antiperistasin magis se acuebat, sicut se acuit & intendit calor cùm à frigore cingitur & oppugnatur.

Similis fuit charitas Abraamis monachi & Episcopi, qui pro affligentibus se infidelibus intercessit & fideiussit, vti refert Theodor. in Philotheo cap.17. Et Religiosi insontis, qui vt fratrem sontem lucrifaceret, cum eo pœnitentiam egit, de quo Ruffinus lib.3.in Vitis Patr.n.12. Et alterius, qui, vt fratrem à lapsu præseruaret, ei mira lenitate per omnia obsecutus est, de quo ibidem libr.5. c.5.n.28. Et Serapionis Sindonitæ, qui teste Pallad.in Lausiac.c.83. Manichæo cuidam nobili in seruum se vendidit, vt eum cum tota familia ab hæresi conuerteret, quod & intra biennium præstitit. Et sancti illius monachi, qui vt fratrem lapsum, & assiduè fornicantem converteret, longam pro eo subiuit pœnitentiam, de quo Iohannes Moschus in Prato spirit.c.97.

CALLIDE (hebr. *cum malitia* aut *malignitate*, id est callidè & dolosè) EDVXIT EOS] vt scilicet eis malefaceret, eosque disperderet in deserto. VERS. 12.

ESTO PLACABILIS] Hebr. *pœniteat te super malo*, id est muta & reuoca sententiam, qua decreuisti Hebræis malum inferre, eosque ob idololatriam punire.

PLACATVSQVE EST DOMINVS] ne scilicet deleret populum, vti destinarat; sed vt alia plaga eum castigaret, de qua v.vlt. Vide quid vnius Mosis preces hîc apud Deum effecerint, quæ totius populi salutem impetrarunt. Augustus Cæsar, teste Plutarcho, capta Alexandria, cùm ciues extrema expectarent, vrbi se parcere dixit, Primò, propter eius magnitudinem & pulchritudinem; Secundò, propter conditorem Alexandrum; Tertiò, propter Arium amicum. Præclariùs longè hîc Deus toti populo pepercit, propter vnum Mosen, amicum suum. VERS.14.

ET REVERSVS EST MOYSES DE MONTE] Hebraicè, *& respexit*, vel *& vertit se, descenditque de monte.* Vnde videtur, quòd Moses priùs colloquens cum Deo, impetrata iam populo venia & finito colloquio, ad montem & populum respexerit, verteritque faciem ad descensum. VERS.15.

PORTANS DVAS TABVLAS TESTIMONII IN MANV SVA, SCRIPTAS EX VTRAQVE PARTE] Hebr. *scriptas à duobus lateribus hinc & hinc.* erant enim paruæ tabulæ, vtpote quas Moses manu gestaret, &

& quæ in arcâ testamenti exigua depositæ, neque A magnæ, neque graues esse poterant; aliàs perfregissent eam sensim suo pondere. litteræ verò tabularum erant magnæ, vt eminus legi possent à populo, ideoque ab vtraque parte tabularum scribendum fuit, vt in iis integer decalogus scriberetur. ita Abulens. Alij putant in tabulis hisce bis scriptum fuisse decalogum, scilicet ab vtroque latere semel, vt decalogus in tabulis scriptus ab vtraque parte, à consistentibus vtrimque legi posset. ita Lipoman.

Tabulæ legis scriptæ erant ab vtraque parte.

VERS. 18. NON EST CLAMOR ADHORTANTIVM AD PVGNAM, NEQVE COMPELLENTIVM AD FVGAM] Chald. *non est vox clamandi Fortiter, neque clamandi Debiliter*; vel, *neque robustorum eorum, qui vincunt; neque debilium eorum, qui vincuntur, clamor est.* Qui enim prælio vincunt, lætas instantis, aut plenæ iam victoriæ voces edunt: qui vincuntur, tristes, inconditos & lugubres eiulatus, dum alij vulnerantur, alij animam agunt, alij pedibus proteruntur, alij alios in fuga protrudunt. vnde clarè R. Salomon vertit, *vox hæc, non est virorum clamantium, Victoria, victoria; neque debilium vox, vociferantium, Væ, væ:* aut, *fugite, fugite;* Septuag. *non est vox præcinentium pugnam, nec præcinentium fugam;* Oleaster, *non est vox respondentium fortitudinē,* id est iactantium suas vires, *neque respondentium succisionem,* id est se esse succisos. Qualis ergo vox est? *sed vocem,* ait, *cantantium;* Chald. *ludentium;* Septuag. *præcinentium vinum ego audio.*

VERS. 19. IRATVSQVE VALDE PROIECIT DE MANV TABVLAS, ET CONFREGIT EAS] Fecit hoc Moses incitatus sancto zelo aduersus publicam impietatem, absurdum ratus si legem Dei populo ebrio, legemque tam nefariè per suum idolum infringenti afferret. ita S. Chrysost. Hieron. lib. 2. contra C Iouin. & Ambros. lib. de Elia & ieiunio c. 6. *Tabulas,* inquit, *legis quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas.* Mysticè significabatur priorem legem, veterem videlicet, abolendam esse, succedente alia, putà lege Euangelica. ita S. Ambros. in psal. 28. August. q. 144. & alij.

Ieiunium ob fractas tabulas.

Ob hanc tabularum legis confractionem indictum postea Iudæis statumque fuit ieiunium 17. die quarti mensis, quo hæc confractio contigit; vti patet ex calendario Hebræorum, quod Genebrardus in Latinum transtulit, suisque comment. in Psalmos præfixit. quòd enim illo die hæc confractio contigerit, patet ex eo, quòd Moses statim à promulgatione legis, quæ per angelum in Sina facta est sexto die mensis tertij, vti ostendi c. 19. v. 11. & 16. ascenderit in montem, ibique manserit D 40. diebus; vnde sequitur eum descendisse de monte ad populum, ac consequenter tabulas confregisse 17. die mensis quarti: numera enim 40. dies à die sexta mensis tertij, peruenies ad decimumsextum diem mensis quarti, postero autem die, putà 17. descendit Moses, tumque confregit tabulas.

Hinc S. Hieron. Rupert. Ribera & alij, illud Zachar. 8. 19. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda,* ita interpretantur, vt ieiunium quarti mensis fuerit id, quod Iudæis indictum est ob tabulas legis confractas: ieiunium quinti indictum fuerit, eò quòd quinto mense Hebræi iussi sint montem non ascendere, sed per 40. annos longis ad terram sanctam circuire dispendiis, vt omnes qui murmurarant in solitudine morerentur, Numer. 14. Ieiunium septimi fuerit id, quod indictum est ob cædem Godoliæ, de qua 4. Reg. 25. v. 25. Ieiunium decimi indictum fuerit, eò quòd illo mense Ezechiel & cæteri, qui erant in captiuitate Babylonica, audierint Ierusalem esse captam, templumque incensum.

ARRIPIENSQVE VITVLVM QVEM FECERANT, COMBVSSIT] coniecit vitulum in ignem certis admistis herbis, vt liquaretur in massam, & quasi in carbonem redigeretur. VERS. 20.

ET CONTRIVIT] Hebr. *& moluit vsque ad tenuitatem,* q. d. Moses carbonem illum, vel massam igne extractam contudit, & contriuit in minutum puluerem.

QVEM SPARSIT IN AQVAM, ET DEDIT EX EO POTVM FILIIS ISRAEL] Moses puluerem vituli aurei sparsit in torrentem qui descendebat de Sina, B & transibat per castra Hebræorum, eo tempore quo veniebant Hebræi vt inde haurirent aquam, adeoque in ipso aquæ haustu; quin vt videtur, etiam coëgit eos inde bibere. Fecit id Moses ex zelo, vt idolum suum vorent apostatæ, & vt contemnere discant quod in secessum proiici vident, ait S. Hieron. ad Fabiolam.

Vitulum suum biberunt Iudæi, cur?

Mysticè, S. August. l. 22. contra Faustum c. 93. Vitulus, inquit, est idololatria Gentium, quæ per ignem zeli Christi Domini, & aciem verbi, & aquam baptismi, ab eis potiùs quos absorbere conatur, putà à Gentibus ipsis absorpta est. *Mysticè.*

TV ENIM NOSTI POPVLVM ISTVM, QVOD PRONVS SIT AD MALVM] Septuag. σὺ γὰρ οἶδας τοῦ λαοῦ τούτου τὸ ὅρμημα, id est, tu nosti populi huius impetum, auiditatem, & quasi furentem impulsum, cui scilicet ego vnus resistere non potui. VERS. 22.

PROIECI ILLVD IN IGNEM. (vt inde liquefactum flueret in formam fusoriam vituli) EGRESSVSQVE EST HIC VITVLVS] Non ergo negat Aaron crimen, sed verbis extenuat, vt leniat fratris iram. VERS. 24.

VIDENS ERGO MOYSES POPVLVM QVOD ESSET NVDATVS] Targum Hierosolym. sic vertit, *videns Moses quòd Hebræi denudati erant corona aurea, quæ fuerat in capitibus eorum cum nomine tetragrammato,* quasi libertatis & obedientiæ insigne. Videntur enim Hebræi, maximè principes, post legem acceptam in Sina, in signum fidei & obedientiæ Deo promissæ, ornasse capita sua coronis decoris, cum nomine tetragrammato illis inscripto, quod anno sequenti cùm erectum est tabernaculum, soli Aaroni concessum est, vti præceperat Dominus Mosi in monte, Exodi 28. 39. ita R. Salomon, & Hieron. Prado in 24. Ezech. p. 312. *Nudatum,* inquit, id est excæsariatus, spoliatus sua cæsarie, priuatus sua corona & diademate, quam gestarat quasi libertatis insigne. VERS. 25.

Hebræi acceptâ lege incesserunt coronati, inquit R. Salomon.

Verùm hoc est diuinare, inquit Abulens. Script. enim harum coronarum, habentium nomen tetragrammaton, nullam facit mentionem; imò nomen tetragrammaton soli pontifici consignat in lamina, illique soli hoc nomen tribuerunt Hebræi omni tempore. Secundò, ornatus hic quo nudati fuerunt Hebræi, fuit ablatus ab Aarone, vti sequitur. ait enim: *Spoliauerat enim eum Aaron.* Aaron autem non abstulit Hebræis coronas, sed inaures ad vitulum efformandum. Tertiò, Hebræi post peccatum non deposuerunt suum ornatum, ergo nec coronas si quas habuerunt: nam

Refellitur Primò. Secundò. Tertiò.

nam ornatum hunc demum iubente Deo deponunt cap. seq. v. 6. Rursum Vatablus vertit, *videns Moses quòd detectus esset populus*, id est quòd detecta esset eius infamis idololatria, qua Deum suum eductorem & protectorem deseruerant, apud gentes vicinas, quæ proinde Hebræos inuadere & opprimere potuissent. Verùm & hæc expositio minùs congrua est, minusque respondet Hebræo פרע *para*, quod non detegere, sed nudare, eneruare, imbellem & infirmum efficere significat.

Vatabli versio reiicitur.

Vera expositio nudationis populi.

Dico ergo nudatum fuisse populum tum suis inauribus, quas dederat Aaroni ad faciendum vitulum, tum consequenter & potiùs (inaurium enim parua erat iactura) honore suo, atque ope & auxilio Dei, quem per hoc scelus suum deseruerat: ita vt si hostes in eum tunc irruissent, Deo irato subducente suum patrocinium, prostratus sine dubio, & cæsus fuisset populus, vti accidit Num. 14. v. 45. Atque facilè id fieri poterat, cùm vicini hostes scirent Hebræos iam per hunc vitulum deseruisse suum Deum, ac proinde ab eo vicissim esse desertos, à quo tam miraculosè educti & protecti semper fuerant, ideoque facillimè eos à se posse prosterni, vinci & deleri.

SPOLIAVERAT ENIM EVM AARON (tum inauribus, vt dixi, tum ope Dei) PROPTER IGNOMINIAM SORDIS] Hebr. *in ludibrium hostibus suis*. Hebr. enim vox שמצה *scimtsa* significat sibilum, susurrum, irrisionem, ludibrium. ita Septuag. Noster Interpres vtrumque malum quod populo ex vitulo Aaronis obuenit, distinctiùs explicat, dicitq; Primò, quòd propter sordē, id est idolum hoc suum vituli (Hebræi enim idola vocant גלולים *gillulim*, id est stercora, quia vt sordes & stercora abominanda sunt, vti dicitur Deut. 7. v. vlt.) spoliatus erat populus honore pristino, qui erat, quòd populus hic esset & haberetur populus Dei. Honor enim ille iam per vitulum versus erat in ignominiam, ita vt Hebræi iam ludibrio forent vicinis hostibus. Dicit Secundò, quòd populus hic desertus à Deo, quasi nudus & inermis inter tot & tam diros hostes consisteret. vnde ait, *Et inter hostes nudum constituerat.*

VERS. 26. STANS IN PORTA CASTRORVM] in ingressu castrorum: nec enim castra Hebræorum erant muro circumdata instar vrbis, vt propriè dictas haberent portas.

AIT, SI QVIS EST DOMINI, IVNGATVR MIHI] q. d. Qui non est vituli, sed *Iehoua*, id est Domini, seruus & cultor, quiquę zelum habet Domini, vt iniuriam illi per hunc vitulum illatam vlciscatur, hic mihi societur.

An Leuitæ adorarint vitulum?

CONGREGATIQVE SVNT AD EVM OMNES FILII LEVI] Hinc videtur, quòd plerique Leuitæ non consenserint in populi peccatum, & cultum vituli, quodque ille eis displicuerit. Imò R. Salomon & Abulens. putant nullum ex tribu Leui consensisse huic idololatriæ. Sed hoc falsum est: nam Aaron consensit, fecitque vitulum: Aaronem autem quasi caput tribus Leui, multi ex Leuitis secuti sunt. Rursum multi Leuitæ hîc à suis occisi sunt; ergo fuerant illi participes criminis & vituli. Antecedens patet v. 29. vbi Moses Leuitis vltoribus dicit: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.*

Dices, Quomodo ergo hîc dicuntur congregati ad Mosen omnes filij Leui, si aliqui ex eis occisi sunt?

Respondeo, Dicuntur *omnes*, id est plerique omnes, penè omnes, permulti congregati sunt ad Mosen. Vox enim *omnis* in Scriptura subinde non absolutè omnes, sed magnam multitudinem significat, vt patet Iudic. 20. 11. vbi dicitur vniuersus Israel congregatus, cùm tamen deessent viri Iabes Galaad, vti dicitur cap. seq. v. 8. Simile est 2. Reg. 16. & c. 17. 14.

Zelus militum sub Iuliano Apostata.

Nota hic zelum Mosis & Leuitarum pro gloria Dei, contra idolum & idololatras. Similis fuit, sed in modo dispar, zelus militum Christianorum, quos Iulianus Apostata dolo ad idololatriam voluit inducere. Cùm enim eos inuitaret, vt de manu sua munus acciperent, vtque recedentes thuris grana quædam, honoris grátia, in focum coniicerent, coram se & suis, qui cæremoniam hanc vt idolis factam, & christianismi abiurationem tacitam interpretabantur: milites hi mente Imper. & fraude post factum comperta, frementes Iulianum adierunt, exclamaruntque: *Non dona accepimus Imperator, sed morte damnati sumus: non honoris causa vocati, sed ignominia notati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis: Christo nos macta atque obtrunca, cuius vnius imperio subiicimur. Ignem igni repende: pro illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas scelerate porreximus; pedes, quibus malè cucurrimus. Alios auro dona, quos recepisse postea non pœniteat. Nobis satis superq; est Christus, quem instar omnium habemus.* Iulianus ira accensus, inuidensque eis martyrij gloriam, eos exilio mulctauit. Rem fusè narrat Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum. Simili zelo Gedeon euertit altare Baal, Iudic. cap. 6. 31. Gedeonem imitatus est Wolfredus Martyr Sueciæ, qui concionatus ad populum, *Si*, inquit, *potens est Deus vester Tostan, se vindicet*: & arrepta securi simulacrum in frusta concidit: quare ab astantibus mille confossus gladiis, occubuit. ita Crantzius Metropol. libr. 4. cap. 8.

HÆC DICIT DOMINVS DEVS ISRAEL] Habebat Moses vti populi rector & dux, potestatem gladij in eum, idque à Deo: ab eo enim, non autem à populo constitutus erat dux. sed accedit hîc voluntas & iussio Domini, vt ea magis incitet Leuitas ad offensam Dei vindicandam. VERS. 27.

OCCIDAT VNVSQVISQVE FRATREM, &c.] q. d. Occidat quisque quemlibet occurrentem, etiamsi arctissimè sibi coniunctum: plerique enim omnes in populo rei & conscij erant idololatriæ vituli, idque satis tum voce, tum ornatu, tum choreis, tum ebrietate, aliisque modis prodebant. Alij apud Rupert. & Abulens. volunt nocentes ab innoxiis fuisse discretos potu cineris vituli: inde enim noxios auream barbam, vel aurea labra, alios etiam morbum contraxisse. Sed hæc Iudæorum sunt fabulamenta.

Rector instar Mosis seueritatem misceat cū misericordia.

Ecce quomodo Moses mansuetissimus mortalium, pro Deo seueritatem & iram induit, vt paucorum pœna Deum toti populo reconciliet. Hæc est enim sancta ira, quæ irascitur peccato. *Ira enim est cos virtutis: &, mentem non habet, qui iram non habet.* Ita Archidamus laudanti Charilaum, quòd ex æquo omnibus esset mitis: *Qui potest*, inquit, *iustè laudari, qui etiam malis se mitem præbet?* vide S. Basil. serm. de Ira, & Gregor. 20. Moral. 6. & p. 3. Pastor. cap. 13. *Ecce*, inquit Gregor. (Moses) *qui vitam*

omnium cum sua morte petiuit, paucorum vitam gladio extinxit: intus ignibus amoris, foris accensus est zelo seueritatis: vtrobique legatus fortis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegauit. intus amans diuina ira supplicando obstitit, foris sauiens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citiùs omnibus in offensa paucorum: sed idcirco Deus eum citiùs audiuit agentem pro populo, quia vidit quid super populum acturus esset pro Deo. In regimine ergo populi vtrumque Moses miscuit, vt nec disciplina deesset misericordia, nec misericordia disciplina.

Tropolog. S. Ambros. ad Romulum: *Ille*, ait, *est verus Leuita, Dei vltor & vindex, qui carnem, & passionum ac vitiorum corpus interimit, vt seruet animam, vt iam non sit caro peccati, sed Dei. Quis enim magis frater aut proximus est anima, quàm caro?* & paulò antè: *Sanctiora cæteris ad hoc eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam Sanctis omnia Deus est.*

VERS. 28. CECIDERVNT IN DIE ILLA QVASI VIGINTITRIA MILLIA HOMINVM] Ita constanter legunt Biblia Romana, & passim antiquiora Latina, item S. Gregor. in 1. Regum 14. Rupert. & omnes pænè post S. Hieron. veteres commentatores. ita quoque legit S. Paulus 1. Corinth. 11. vnde verisimile est & Septuag. (hos enim sequi solet Paulus) ita legisse, videlicet εἴκοσι τρεῖς χιλιάδας, pro εἰς τρισχιλίας, vti iam legitur. & certè in tanta turba peccantium pauca sunt tria millia, præsertim cùm alibi, vt Numer. 25. ob similem idololatriam cæsa sint 24. millia.

E contrariò *tria millia*, non autem 23. *millia*, legunt Hebr. Chald. Latina Complutens. & Regia, Tertull. Scorpiaci 3. S. Ambros. epist. 56. ad Romulum, Isidor. Rabanus & Philo. Vnde varietas aut error inciderit incertum est. Lyranus putat, quòd noster Interpres complexus sit eos, qui v. 35. dicuntur à Domino percussi, eosque fuisse viginti millia. Sed hoc est diuinare; neque Interpres noster hîc illum locum vertit, sed hunc præsentem, in quo Hebræa iam habent tantùm tria millia. illi enim v. 35. non hac die, sed postea percussi sunt. Fortè in Hebræo primitus inde error acciderit, quòd scriba aliquis pro *viginti* scripserit per compendium litteram כ *caph*, quæ est nota vicenarij apud Hebræos, quod *caph* alij postea quasi notam similitudinis, acceperint pro *quasi*.

Vide hîc quid possit vnus dux magnanimus. Verè dixit Chabrias: *Terribilior est exercitus ceruorum duce leone, quàm leonum duce ceruo.* Instar cerui timidus Aaron cessit idololatris, castraque perdidit populi fidelis & fortis instar leonum: instar leonis interritus Moses castra inuadit, subigit, & 23. millia trucidat, itaque iræ Dei restitit, & ex ceruis rursum leones effecit. Ita Thebani quasi cerui timidi, ante & post Epaminondam semper seruierunt, sed quamdiu vixit Epaminondas dux eorum leoninus, aliis dominati sunt; vt vnus Epaminondas pluris fuerit quàm tota resp. Thebanorum, inquit Plutarchus in eius Vita. Talis fuit apud Aragones Alfonsus rex, cuius hæc erat vox: *Non abhorreo pericula quantacumque, sine quibus nemo vmquam gloriam consecutus est.* ita Panormit. in eius Vita. Hinc & Heraclius Patriarcha Hierosol. veniens ad Henricum regem Angliæ, vt eum incitaret ad bellum pro terra sancta, cùm rex ad id ingens ei auri pondus offerret, respondit: *Non pecunia, sed imperatore nobis opus est:* itaque regi suasit, sed non persuasit, vt ipse quasi dux belli præiret cæteris in terram sanctam. ita P. Æmil. lib. 6. hist. Francor.

VERS. 29. CONSECRASTIS MANVS VESTRAS HODIE DOMINO] Hinc Leuitæ meruerunt benedictionem & sacerdotium. audi Deuter. 33. 9. *Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierũt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel: ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.* Sic & Phinees ob similem zelum, quo occidit fornicantes & colentes Beelphegor, meruit summum sacerdotium, Num. 25. 15.

Leuitæ ob zelum meruerunt sacerdotium.

VERS. 30 & 31. FACTO AVTEM ALTERO DIE, &c. REVERSVSQVE AD DOMINVM] Hinc colligitur Mosen altero die à suo descensu de monte, in quo fuerat per 40. dies, rursum ascendisse in montem, ibique mansisse alios 40. dies, vt secundas legis tabulas acciperet, vti patebit cap. 34. v. 28.

VERS. 30. SI QVOMODO QVIVERO DEPRECARI] Nam quod v. 14. dictum est, *Placatus est Dominus*, intellige ad hoc, vt non vnica cæde & clade vniuersum deleret populum, vti cogitarat. Igitur iure metuebat Moses, ne Deus tantæ offensæ memor, carptim per partes populum disperderet; quod ne faciat, oraturus & deprecaturus rursus ascendit in montem. Nota. Moses suæ orationi præmittit iustitiam, iustamque vindictam peccati: hæc enim est efficax dispositio ad exorandum Deum, vti ex S. Gregorio docui v. 27.

VERS 31. & 32. AVT DIMITTE EIS HANC NOXAM, AVT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO TVO QVEM SCRIPSISTI] Quæres, quo sensu optarit Moses de libro vitæ deleri? & an hoc votum sit licitum & sanctum?

Quo sensu optarit Moses deleri de libro vitæ.

Primò, Caietanus intelligit de libro, id est decreto principatus. q.d. Moses, Aut dimitte, aut dele me de libro tuo, quo me designasti principem alterius gentis, si hanc meam perdis.

Prima expositio.

Secundò, S. Hieron. ad Algas. & Gregor. 10. Moral. 7. accipiunt de libro viuentium, non in cælo, sed in præsenti vita. q.d. Aut dimitte, aut occide & tolle me de hac vita.

Secunda.

Tertiò, Hugo Victorin. respondet Mosen hoc dixisse non ex ratione, sed ex impetu humanæ affectionis: nec enim quis deleri potest de libro vitæ.

Tertia.

Quartò, alij librum legis vel potiùs legislaturæ accipiunt. q.d. Aut dimitte, aut dele & tolle me de hoc officio, ne scilicet sim legislator populi.

Quarta.

Verùm hæc non satisfaciunt incensæ charitati & petitioni Mosis, neque verbis hisce ac sequentibus, ipsique responsioni Domini, qui respondet se non Mosen, sed eos qui peccauerint deleturum de libro suo, vtique libro æternæ vitæ & regni cælorum. Nam liber vitæ aut liber Dei, vbique in Script. significat conscriptionem eorum, qui electi sunt vel absolutè, vel inchoatè ad vitam æternam, conscriptionem inquam & consignationem in mente & memoria diuina, qui est liber æternæ prædestinationis. Id patet Daniel. 12. 1. Apoc. 13. 8. & c. 17. 8. & c. 21. 27. Philip. 4. 3. Ita docet S. August. 20. Ciuit. 15. S. Ambros. in psal. 68. Ansbertus & Haymo in Apocal. 3. Rupert. hîc, S. Bernar. serm. 12. in Cantica.

Refelluntur.

Liber vitæ est liber diuinæ prædestinationis.

Quintò, ergo S. August. qu. 147. Lyran. Abul. Lipoman. & alij probabiliùs censent hîc esse hyperbo-

Quinta.

perbolen, quæ tantùm significet vehemens desiderium salutis populi in Mose: perindeque esse, ac si filius videns seruum sibi charissimum iuste domo eiici, dicat patri: Noli hunc eiicere, aut si eum eiicis, me quoque eiicito. sic enim & Moses ait: Aut dimitte populo, aut dele me. non quòd verè deleri optet (illud enim erat impossibile) sed vt hac phrasi desiderium suum ingens aliqua ratione patefaciat, quod aliter efficaciter patefacere non poterat. Vnde non ait Moses: Dele me modò illis dimittas, quasi cuperet commutationem sui facere pro populo, populique absolutione: sed, Si id non facis, dele me. Hinc & S. Augustinus q. 147. ait Mosen hoc dixisse securum. q. d. Aut dimitte populo, aut dele me de libro tuo: sed scio quòd me non delebis; ergo restat vt dimittas & parcas populo.

B Verùm pulchrè Rupert. Non debemus, ait, nos seriò & grauissimè à Mose dicta in sensum exilem coarctare, eò quòd inopes & frigidi nos, diuitias animi Mosis charitate flagrantis ignoremus; nec oportet excessum hunc charitatis Mosis ad nostras ordinarias charitatis & prudentiæ leges exigere. Dico ergo, Verba Mosis explicitè significant hoc quod quinta expositione recensui: implicitè tamen plus continent. Sensus itaque est, Si non dimittis populo, dele me de libro tuo. q. d. Si non dimittis, nolo scribi in libro tuo: malo enim deleri quàm populo non dimitti. aut ergo dimitte, aut dele me. nam intolerabile mihi est scribi in libro tuo, & populum meum ex eo deleri: populum enim pluris facio, plus diligo, quàm meipsum. Itaque implicitè cum Paulo opto fieri anathema pro populo, & deleri de libro tuo, vt C illi, remissione à te accepta, in eo scribantur: malo enim vt ego vnus delear, quàm vt tot hominum milliones deleantur. Hic sensus magis ex Hebræo elici potest; sic enim habet: *Si dimittis, & si non, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quæ verba ob vehemens pathos abrupta & concisa, sic expleri possunt, *si dimittis, dele me de libro tuo.* q. d. Opto deleri vt eis dimittas, puni me vt illis parcas, offero me in lytrum & piaculum pro populo meo: *& si non* dimittis, rursùm oro & dico, *dele me de libro tuo*: quia non possum videre me scriptum in libro, & populum meum ex eo deleri, vt scilicet ego saluer & populus meus pereat. aut ergo vtrumque scribe & salua; aut si alterutrum vis delere & perdere, me vnum potiùs dele & perde quàm totum populum. Malo enim vt tua gloria à toto populo celebretur, quàm à me solo: malo vt tot millia D præsentium & futurorum ex eis gignendorum te colant, laudent, ament, quàm ego solus per te sim felix: malo etiam totum populum saluari & beari, quàm me solum. Hoc enim quasi dilemmate vrget Moses & pænè cogit Deum vt populo dimittat. Vnde S. Chrysost. in c. 9. ad Roman. docet Mosen & Paulum transscendisse cogitatione, non tantùm omnes præsentis vitæ agones & mortes, sed etiam pro Deo, quem magis quàm seipsum diligebant, cælos & angelos supergredientes omnia inuisibilia spreuisse, ac pro Dei amore ab ipsa Dei fruitione, beatitudine & ineffabili gloria (hanc enim significat liber vitæ, vel liber Dei) excidere non tantùm petiisse, sed reuera & seriò optasse. q. d. Moses: Dele me de libro tuo, vt scilicet non perueniam ad æternam beatitudinem, ad quam me conscripsisti: inde inquam dele me potiùs, quàm populum hunc tuum & meum deleas & perdas. ita S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. in c. 9. epist. ad Roman. Cassian. collat. 23. c. 6. S. Bernard. serm. 12. in Cantica.

Dices, Optare priuari æterna beatitudine est contra charitatem, estque peccatum; ergo id non optauit Moses. Antecedens probatur, quia optare carere beatitudine & visione Dei, est implicitè optare carere amore beatifico, seu optare minùs amare Deum, minusque ei placere, minùs eum laudare: hæc enim sequuntur ex carentia visionis Dei; nam charitas patriæ excedit omnem charitatem viæ. Adde, charitas valdè inclinat ad præsentiam, & fruitionem sui amati, putà Dei; ergo hoc votum Mosis fuit præter vel contra inclinationem charitatis, ergo fuit inordinatum. *Obiectio.*

Respondeo, Mosen hîc tantùm comparasse suam gloriam, vt sua propria erat beatitudo & bonum, cum gloria Dei & salute tanti populi, maluisseque sua carere quàm Dei gloriam periclitari, tum apud Gentiles, qui populo & Deo obtrectassent, si Deus populum suum in deserto deleuisset: tum apud ipsos Hebræos, qui omnes in æternum periissent, blasphemassentque Deum in inferno. neque vlteriùs quid spectauit Moses, sed totus abreptus charitate Dei & gloriæ ipsius, non considerabat alia huic suo voto annexa. vel certè si id quod obiicitur considerabat, cogitabat charitatem in via eamdem esse quæ in patria, neque illic essentialiter fore perfectiorem aut intensiorem quàm sit hîc: accidentalem autem charitatis perfectionem ex Dei fruitione manantem, vti & inclinationem ad Deo fruendum seponebat, eaque se hoc voto suo excidere permittebat, vtpote pro qua reponeretur tum sibi maior gratia, & charitas essentialis, per istum actum tam heroicum, quo tantopere Deum diligebat; nec dubitabat quin Deus eum per alias gratias copiosissimè remuneraretur; tum etiam reponeretur maior gloria Deo, per tot millia hominum spargêda, quam proinde à Deo feruidè desiderabat; vt ad illius, & simul populi, cuius pro Deo dux erat constitutus, incolumitatem, à Deo impetrandam, cuperet sua beatitudine priuari, imò, vt ait Chrysost. homil. de cruce & latrone, particeps esse cuperet supplicij idololatriæ populo irrogandi, perdique cum iis optaret, vt idem ait homil. de amore erga persequentes. q. d. Moses: Aut dimitte populo, aut si eum à te domoque tua eiicis, eiice me simul cum ipso: non enim possum à populo hoc meo & tuo auelli aut separari, videre non possum vt populus hic meus & tuus pereat, quin si perit, cum eo peream & ego, vt ita tester charitatem quam erga populum tuum, & consequenter erga te ô Domine, in pectore meo incensam gero. Hoc ergo Mosis votum manauit ex charitate, putabatque Moses charitatem tam Dei quàm populi, hoc votum à se quasi efflagitare. Moses enim hoc votum suum dirigebat ad hoc, vt per illud veniam populo impetraret, itaque magis Dei gloriam in populo promoueret, ideoque illud ipsum ipsimet Deo placiturum non ambigebat. Itaque nullum hîc fuit peccatum: licet enim Moses petierit implicitè carere amore beatifico, non tamen amicitiæ cum Deo aut charitatis imminutionem petiit; quin verò hæ eius preces maximæ charitatis indicium, & incensum desiderium ostendunt. Aliqui tamen huc quoque, scilicet ad gratiæ imminu-

Responsio.

minutionem, vel priuationem, votum Mosis extendunt. Dicunt enim licuisse ei optare priuari sua vnius gratia, vt per hoc tot millia populi gratia donarentur. Charitas enim inclinat ad maiorem Dei gloriam petendam, & procurandam. Maior autem Dei gloria est si multa millia Dei gratia potiantur, Deumque ament & colant, quàm si ego solus id præstem. Ergo si alterutrum eligendum sit, prius eligendum videtur. Verùm quidquid de hac re, an licita sit nec ne, sit; liber vitæ in Scriptura non est liber gratiæ, sed gloriæ, putà prædestinationis ad æternam felicitatem. Gloriæ ergo, non gratiæ priuationem optauit hîc Moses.

Obiectio secunda. Dices Secundò, Moses hîc petiit rem impossibilem: impossibile enim est aliquem scriptum in libro Dei, ex eo deleri.

Responsio. Respondeo Primò. Qui inchoatè tantùm scriptus est in libro Dei, potest ex eo deleri. Sic omnes iusti scripti sunt in libro vitæ, quia inchoant viam ad beatitudinem, in qua si perseuerent, reuera ad eam peruenient: sed quia multi non perseuerant, hinc ex eo delentur. Vnde dicitur psal. 68. *Deleantur de libro viuentium.* Verùm quia Moses videtur loqui de scriptione absoluta & perfecta in libro vitæ; hinc

Respondeo Secundò, formaliter neminem sic scriptum posse deleri de libro vitæ; sic enim præscientia & prædestinatio Dei falleretur, aut mutaretur; materialiter tamen siue obiectiuè aliquem ex eo deleri posse. Sensus ergo est, q.d. Aut dimitte, aut priua me æterna beatitudine, ad quam me consignasti & conscripsisti: seposita enim præscientia & prædestinatione Dei, à qua abstrahebat Moses, absolutè possibile erat Mosem priuari sua beatitudine; quod est deleri de libro vitæ.

Obiectio tertia. Dices Tertiò, Hoc votum Mosis videtur inordinatum & imprudens: nam priuatio beatitudinis suæ non erat medium ordinatum ad remissionem peccati, & salutem populi.

Responsio. Respondeo, Moses tantùm rei, putà medij huius naturam in se spectauit, non autem considerauit, an medium illud esset congruum & aptum secundùm ordinem & dispositionem iam à Deo constitutam: hoc enim positiuum erat ex libera electione Dei, quæ rerum naturam non mutat. Licet ergo carentia beatitudinis neque ex se, neque ex Dei dispositione esset medium ordinatum ad gratiam populo impetrandam, non tamen in se suaque natura erat illicitum, aut impossibile, aut peccatum. vnde Moses illud optauit non vt medium connaturale & ordinarium, sed quod ei libera pietas & arcta necessitas, amorque populi suggerebant. Necessarium enim putabat summa vi conniti apud Deum: videbatur enim salus populi apud eum in summo esse discrimine, cumque aliud efficacius medium ad eam tuendam non occurreret, hoc vsus est, excessu summi amoris ac cæcæ cuiusdam charitatis, qui communes ordinariæ prudentiæ leges transscendit. Hoc autem non erat peccatum, sed maximè heroica virtus. Hinc patet quàm gloria Dei nostris commodis, ipsique beatitudini nostræ anteferenda sit, quamque peccatum quoduis letale ipsi è diametro repugnans, magis detestandum sit, quàm priuatio beatitudinis, aut ipse etiam ignis infernalis. Rursum, quanti cum Mose facienda & procuranda sit animarum salus. Sic simili modo ac motiuo quo Moses, optauit Paulus pro Iudæis fieri anathema à Christo, Rom. 9. 3. Ex dictis sequitur, licitum, pium ac sanctum fuisse hoc votum Mosis, ac consequenter licere cuique illud ipsum concipere & imitari, vti docet Lud. Molina. vide dicta ad Rom. 9. 3. sub finem.

Dele me de libro tvo qvem scripsisti] in quo scilicet me cum aliis electis, absolutè & perfectè scripsisti: hoc enim significabat illa iteratio & inculcatio, *quem scripsisti.* Vnde videtur quòd Moses acceperit reuelationem de sua electione & beatitudine; atque hac de causa tam fidenter cum Deo, tamquam amicus cum amico expostulat. *Moses accepit reuelationem suæ salutis.*

Mosis charitatem & zelum imitati sunt heroës Gentilium, sed eam minimè assequi & adæquare potuerunt: quia corpus tantùm pro populo & patria ad temporalem mortem deuouerunt. Ita se deuouit Codrus rex Atheniensium: cùm enim oraculum edixisset eos victores fore cōtra Thraces, si rex caderet; Codrus vili amictu incognitus ad hostes venit, falcem gerens, & vno interfecto, mox ab alio occisus est: itaque vicerunt Athenienses. Ita P. Decius Romanus contra Albanos belligerans, per quietem imaginatus est, se sua morte Romanis vires additurum. itaque in medios hostes irruit, multisq; occisis interfectus est. Eodem modo filius eius Decius bello Gallico rem Romanam conseruauit. Ita Iunius Brutus duos suos filios securi percuti iussit, quòd cum Tarquiniis contra patriam & libertatem Romanam conspirassent. Ita tergemini Horatij pro patria duello se offerentes, in eoque tergeminos Curiatios Albanos trucidantes, imperium Romæ in Albam asseruerunt. Idem prorsus fecerunt tergemini Tegeatæ pugnantes in tergeminos Pheneatas. Ita Curtius Rom. in hiatum armatus iuxta oraculum insiliens, patriam calamitate liberauit. Idem prorsus apud Græcos fecit Anchurus. Ita Horatius Cocles solus impetū hostium sustinuit, dum sui pontem in Tiberi rescinderent, hostemque transitu prohiberent. Ita trecenti Fabij duce Fabio Maximo in castra Hannibalis irruerunt, multisque cæsis occubuerunt. Ipse dux in Hannibalem irruit, diadema ei detraxit, cum eoque mortuus est Ita Leonidas cum trecentis Spartanis in innumerabilem exercitum Xerxis irruit, atque in ipsum Xerxem contendit, eique diadema auellit, cum eoque hastis confixus occubuit. Agesilaus Themistoclis filius se pro patria deuouit, ac castra Xerxis ingressus Mardonium interfecit, putans esse Xerxem: errore cognito, manum igni imposuit, cruciatumque absque vllo pertulit gemitu. Vinculis proinde solutus, dixit; *Tales sunt omnes Athenienses: quòd si non credis, etiam sinistram imposuero.* Xerxes metu concepto, eum in custodia iussit asseruari. Idem pro Romanis fecit Mutius Scæuola apud Porsenam regem Etruscorū. Hæc omnia enarrat Plutarch. in Parallelis. Verùm quid hi ad Mosen, qui non corpus tantùm, sed & animam pro populo deuouit, cupiuitque deleri de libro vitæ, ac in æternum affligi? Similis Mosi fuit S. Paulus, optans anathema fieri pro fratribus; & beatus Iacoponus, qui ex amore Christi desiderabat sustinere in hac vita omnes labores, ærumnas, angores & dolores, qui verbis exprimi, aut animo concipi possunt: quinimò post hanc vitam trudi in infernum, vt ibi sua, & hominum, etiam damnatorum, & dæmonum *Exempla Gentilium deuouentium se pro patria.*

monum (si fieri posset) peccata lueret & expiaret. Quid nos ad hæc?

Laudamus veteres, nos nostris vtimur annis.

VERS. 34. TV AVTEM VADE] q.d. Non cures de eo quod petiisti pro populo, sed obtempera huic mandato meo. Hinc videtur non omnino populo reconciliatus fuisse Deus hac vice, cùm adhuc se vlturum minetur: sed in fine 40. dierum, quibus Moses cum Domino secundò fuit in monte, cumque pro venia orauit, placatus fuit Dominus, vt patet Deuter. 9. 19. & hic cap. seq. v. 14.

ANGELVS MEVS PRÆCEDET TE] in columna ignis & nubis, quam mouet, quaque vobis quasi dux viam præit & ostendit.

EGO AVTEM IN DIE VLTIONIS VISITABO ET HOC PECCATVM EORVM] *In die vltionis*, non captiuitatis Babylonicæ, aut Romanæ sub Tito, non A etiam in die iudicij, aut aliàs quando alia Hebræorum peccata Deus puniuit; non etiam hoc ipso die quo hæc dixit Deus: sed eo die de quo proximè sequitur, dum ait:

PERCVSSIT ERGO DOMINVS POPVLVM] Hinc verisimile est, Deum paulò pòst ob idolum vituli, Hebræis consistentibus adhuc in Horeb, plagam aliquam, v.g. pestem, immisisse. Hæc enim est vltio, quam ipsis v. præcedenti comminatus est, & sic optimè respondet hic versus præcedenti, tamquam executio suæ sententiæ & comminationi. nam alioqui rumpitur hîc series orationis Domini: quæ enim cap. sequenti de colloquio Mosis cum Domino narrantur, eadem serie cum colloquio Mosis & Dei, quod hîc recensetur, vti contigerunt, pertexenda & connectenda sunt. ita R. Salomon & Abulens. VERS. 35.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur adhuc Deus populo, ille luget, Moses orans tandem omnino Deum populo reconciliat, impetratq; vt non angelus, sed Deus ipse sit viæ dux. Secundò, v. 18 petit Moses videre gloriam Dei, auditq;: Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, &
populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham,
Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam: 2. & mittam præcursorem tui angelum,
vt eiiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Heuæum, &
Iebusæum, 3. & intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es: ne fortè disperdam te in via. 4. Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo. 5. Dixitq; Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi. 6. Deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum à monte Horeb. 7. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocauitque nomen eius, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra castra. 8. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. 9. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturq; cum Moyse, 10. cernentibus vniuersis quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum. 11. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reuerteretur in castra, minister eius Iosue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. 12. Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis vt educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum. præsertim cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. 13. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc. 14. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. 15. Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. 16. In quo enim scire poterimus ego & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram: 17. Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine. 18. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. 19. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te: & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. 20. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. 21. Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram. 22. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam: 23. tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

LOCV-

VERS.1. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN] scilicet, quando iam secundò Moses ascenderat in montem Sina, vt dictum est c.32.v.31. in quo mansit continuè totidem diebus quot manserat priùs, videlicet 40. petens veniam pro peccato populi,& in fine horum secundorum 40.dierum accepit secundas tabulas legis (priores enim iam confregerat c.32.19.) vt patet cap.34.28.& Deuter.9.18.& c.10.1. A

VADE,&c. IN TERRAM QVAM IVRAVI ABRAHAM, ISAAC ET IACOB] Soli Abraham expressè iurauit Deus, se daturum ei Chanaan; Isaac verò & Iacob tantùm eam promisit, sed simili forma qua Abrahamo, seu remittendo se ad id quod cum Abrahamo gestum erat: ergo promittendo eis idem quod Abrahæ promiserat, illudque ratificando & confirmando, implicitè iurabat eis idem quod iurauerat Abrahamo. B

VERS.2. MITTAM PRÆCVRSOREM TVI ANGELVM] Est apostrophe Dei ad populum. nam paulò antè Mosi locutus erat Deus: hic verò se conuertit ad populum, loquiturque Mosi quasi internuntio populi, eiusque personam sustinenti.

PRÆCVRSOREM ANGELVM] qui te præeat in columna nubis & ignis, quique ante te præcedens exterreat Chananæos, & tibi contra eos viam sternat ad victoriam; ita scilicet vt angelus hic non Dei, vti hactenus fecit, sed suam personam repræsentet, voceturque angelus non Deus, ac consequenter angelico tantùm modo,& simplici custodia te comitetur, vt custos tuus; non autem illustria illa patret miracula, quæ hactenus Dei virtute & potestate patrauit, tamquam Dei nomen & personam sustinens & repræsentans. C

VERS.3. NON ENIM ASCENDAM TECVM] non comitabor te, non ero tibi præsens vti hactenus fui, videlicet per singulare illud patrocinium, perque operationem tot signorum & miraculorum. Res enim spirituales maximè præsentes esse sentiuntur per operationem sibi propriam & commensuratam. ita Abulens. & colligitur ex Chaldæo v.16.

POPVLVS DVRÆ CERVICIS ES] q.d. Es populus ceruicosus, inobediens, refractarius: hinc ne ad iram me concites, nolo te comitari, sed mittam angelum qui te ducat. Hæc enallage personarum & commutatio sermonis, apud Hebræos passim est obuia.

NE FORTE DISPERDAM TE] ne vindicem maximam tuam ingratitudinem,& irreuerentiam in me meamque maiestatem, vt habet Chald. admissam, si videlicet ego, per tot miracula me tibi præsentem, & tam clementem, tuique amantem & curam gerentem ostendens, tamen à te negligar, spernar, & idolis postponar, vti iam vitulo postpositus fui. D

VERS.4. AVDIENSQVE POPVLVS SERMONEM HVNC PESSIMVM (tristissimum) LVXIT: ET NVLLVS EX MORE INDVTVS EST CVLTV SVO] Quæ hîc de populo dicuntur, ordine non suo inserta sunt. Abrumpunt enim continuum Dei cum Mose colloquium, quod fuit secundis illis 40. diebus in monte. Itaque Moses hîc more suo, colloquio Dei historiã verbis Dei consonam interiicit, videlicet quid ad Domini verba dixerit & fecerit populus, quando ea audiuit: quod factum est non eodem die, quo hæc Mosi dixerat Dominus, sed post 40. dies colloquij Mosis cum Deo in Sina, quando videlicet iis euolutis Moses de monte descendit, & narrauit populo quid cum Domino egisset, quidque dixisset Deus. Hisce enim auditis cognoscens populus, Deum adhuc sibi esse infensum ob idolum vituli, luxit,& deposuit ornatum suum,&,vt Septuag. vertunt: κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς, id est, *luxerunt in lugubribus*, scilicet vestibus. Est ergò hîc hysteron proteron. Moses enim integros 40. dies mansit in monte cum Domino, nec inde descendit nisi die 39. vt tabulas legis dolaret, ac mox eodem die rursum in montem ascendit, ac sequenti die 40. Deus tabulis decalogum inscripsit, vti patebit cap. sequenti. ita Abulens.

DIXITQVE DOMINVS AD MOYSEN] Eadem scilicet vice, qua v.1.2.3. locutus est ad Mosen, vnde & eadem quæ ibi dixerat hîc repetit & inculcat Deus, vt ad pœnitentiam Hebræos magis inflectat. patet ex dictis v.4. VERS.5.

SEMEL ASCENDAM ET DELEBO TE] Est grauis obiurgatio. q.d. Si semel in te irruam, omnino delebo te.

IAM NVNC DEPONE ORNATVM TVVM] Hinc patet Hebræos paulò antè v.4. non deposuisse ornatum suum, sed illud per anticipationem ibi dici; alioqui enim postea hoc versu non iuberentur ornatum suum deponere, si eum iam deposuerant. Ornatus hic fuerunt vestes mundæ & festiuæ, quas accepturi legem in Sina induerant, cap.19.v.10. & huc vsque non deposuerant, vtpote Deo adhuc cum illis per Mosen loquente. Vnde Septuag. vertunt, *auferte stolas gloriarum vestrarum*. ita Oleaster & alij. Chaldæus tamen sic explicat: *depone ornatum tuum*, id est tua arma bellica.

Addit Hieron. Prado in Ezech. 24 pag. 312.& alij, vti dixi c.32.v.25. per ornatum hîc accipi aureas byssinasue corollas, quas sibi in Sina Hebræi imposuerant, vt essent symbolum suæ desponsationis cum Deo. vnde Hebræum עדי *adi*, *stolas*, vela, pepla serica, monilia, coronas, similemque ornatum, qui vestibus affigitur & applicatur, magis significat quàm ipsas vestes ornatas, id est elegantes, pretiosas & festiuas.

Nota. Sicut herus seruum peccantem quem verberare constituit, nudari præcipit: sic hîc voluit Deus, vt Israel se quasi nudaret, & nudum Deo flagris cædendum præsentaret, vt hoc humilitatis & pœnitentiæ habitu, veniam impetraret. Sic qui olim pœnitentiam publicam agebant in Ecclesia, posito ornatu ciliciis induti, sacerdotibus quasi reos ad pœnam & disciplinam se offerebant.

VT SCIAM QVID FACIAM TIBI] vt visa tua pœnitentia decernam qualem pœnam, an leuem, an grauiorem vlteriùs tibi infligere debeam.

DEPOSVERVNT ERGO FILII ISRAEL ORNATVM SVVM] tum ex spontaneo suo luctu, tum præcepto Domini incitati. Rursus hîc interrumpitur colloquium Dei cum Mose, per historicam narrationem eius quod præceperat Deus: nam hæc depositio ornatus contigit post 40. dies, cùm Moses à monte & Deo rediit ad populum. VERS.6.

A MONTE HOREB] ad montem Horeb. (est enallage præpositionis) putà consistentes iuxta Horeb siue Sinai, vbi Deus propter vitulum offensus apparebat.

MOYSES QVOQVE TOLLENS TABERNACVLVM,

LVM, TETENDIT EXTRA CASTRA] Nota, hæc quoque & sequentia vsque ad v.12. per anticipationem dici, & suo ordine inserenda esse post c.34. Id ita esse patet Primò, ex eo quòd hæc præcedenti ornatus depositioni annectantur, quasi simul hæc facta sint: ornatus autem depositio contigit post 40. diem, cùm videlicet Moses iam descendisset de monte. Voluit enim Moses hæc simul narrare & iungere, tamquam pœnitentiæ signa, quibus se idoli sui pœnitere ostendit populus. Nam hoc ipso quo tabernaculum extra castra figebatur, castra summo suo decore spoliabantur, videbanturque esse quasi excommunicata. Idem Secundò, patet ex eo quòd dicitur hîc eo tempore vocatum fuisse hoc tabernaculum fœderis, putà à secundis tabulis legis, quibus fœdus denuò sancitum est, quas Moses in hoc tabernaculo, tamquam Dei domicilio deposuit. Nam has B secundas tabulas fœderis confirmatrices, certum est Mosen non accepisse ante 40. diem iam dictam. Tertiò, quia Moses ascendit secundò in montem ca. præc. v.31. ibique mansit per 40. dies continuos, vti patet cap. sequ. v.28. Ergo quæ hîc interiiciuntur, post hosce 40. dies, cùm Moses iam de monte descendisset, contigerunt; nisi dicas hosce 40. dies fuisse interruptos per vnum diem, quo Moses de monte descendit, egitque cum populo ea quæ hîc enarrantur à v.4. ad 11. Verùm hoc non est verisimile: nam Moses cap. seq. v.28. indicat satis se continuis 40. diebus & noctibus fuisse cum Deo in monte. ita Abulens.

TABERNACVLVM] Tabernaculum hoc non fuit illud, quod iussit Dominus fieri cap.26. quodque post hæc factum & erectum narratur c.40. in quo vrna cum manna, arca & Cherubim deposita C fuerunt: nihil enim horum hoc tempore fabricatum erat. sed erat hoc tabernaculum paruum tentorium Mosis, quatenus ipse erat dux populi: vnde eò conuenire solebant seniores, acturi concilium cum Mose. huic etiam tabernaculo incubabat columna nubis, quæ erat dux itineris. Denique Deus ad ostium huius tabernaculi se per nubem videndum exhibebat, ibique colloquebatur cum Mose spectante populo, ac dabat responsa, vti hîc dicitur. Quando tabernaculum hoc factum sit, incertum est. Ex dictis credibile est factum esse sub idem tempus, quo columna nubis à Deo data est castris Hebræorum, c.13.21. Cessauit vsus huius tabernaculi fabricato altero illo splendido, quod Dominus iussit fieri cap.26. quodque factum & erectum est c.40.

VERS.8. CVMQVE EGREDERETVR MOYSES AD TA- D BERNACVLVM, SVRGEBAT VNIVERSA PLEBS] quasi surgendo & stando reuerentiam exhibens Deo, & Mosi Dei vices gerenti, suoque capiti & rectori.

VERS.9. LOQVEBATVRQVE CVM MOYSE] scilicet columna nubis quæ præcessit, id est angelus qui columna nubis tegebatur, & hîc vices Dei gerebat. Vnde v.11. dicitur Dominus locutus, putà non per se, sed per angelum hunc columnæ præsidem. Id autem fiebat ad hoc, vt populus Mosen reuereretur, sciretque eum non sua, sed Dei mandata promere.

VERS.10. ADORABANT PER FORES TABERNACVLORVM SVORVM] q.d. Adorabat quisque Deum stans, vel potiùs procumbens in genua in ostio tabernaculi sui, conuertendo se ad tabernaculum Mosis, in quo angelus vice Dei cum Mose, per columnam nubis loquebatur.

LOQVEBATVR AVTEM DOMINVS AD MOYSEN FACIE AD FACIEM] Chald. *verbum ad verbum*; Septuag. ἐνώπιος ἐνωπίῳ, *præsens præsenti, facialis faciali.* Quare verisimile est, angelum hunc specie corporea & humana apparuisse Mosi, & cum eo collocutum esse, quem tamen Moses agnoscens non hominem esse, sed angelum Dei vices gerentem, summa humilitate & reuerentia audiuit, eique respondit. VERS.11.

Tropolog. S.Hieron. in psal.133. Habet, inquit, Dominus Iesus qui quasi ad faciem suam sibi ministrant, putà monachos & virgines: habet alios quasi in agris sibi seruientes, putà sæculares.

MINISTER EIVS IOSVE, FILIVS NVN, PVER, NON RECEDEBAT DE TABERNACVLO] Iosue vocatur hîc *puer*, non ætate; iam enim præfuerat bello contra Amalec c.17. sed obedientia, innocentia & disciplina: erat enim discipulus Mosis, ab eoque erudiebatur tamquam futurus eius in regimine populi successor. Sic passim in Script. discipuli & famuli vocantur pueri; quia minores & inferiores sunt magistro vel hero: & vice versa heri & magistri vocantur patres. Sic Elisæus Eliam vocat patrem dicens, *Pater mi, currus Israel* (tu es) *& auriga eius.* sic serui Naaman eum vocant patrem, 4.Reg.5.v.13. sic Abrahæ seruus vocatur puer, Genes.18.7. sic Giezi vocatur puer Elisæi. sic Dauid loquitur pueris, id est famulis suis, & passim in libris Regum famuli vocantur pueri.

Iosue ergo non recedebat de tabernaculo, vt locum sacrum quasi custodiret absente Mose, vtque seruaret legis tabulas, simul interim vacabat orationi & contemplationi.

De recessu Mosis à tabernaculo ad castra tropologiam vide apud S.Gregorium p.2. Pastor. c.5. *Qui*, inquit, *præsunt aliis, Dominum sæpè consulant oportet; neque ita tamen Dominum contemplando appetant, quin deorsum quoque ad membra illius miserando descendant.* Vnde Chaldæus hoc tabernaculum vocat domum doctrinæ, quia in eo à Deo docebatur Moses in negotiis & causis, de quibus eum consulebat. Tropolog.

DIXIT AVTEM MOYSES AD DOMINVM] Redit Script. ad intercisã narrationẽ colloquij Domini cum Mose. igitur hæc connectenda sunt cum v.5. VERS.12.

PRÆCIPIS VT EDVCAM POPVLVM ISTVM, ET NON INDICAS MIHI QVEM MISSVRVS ES MECVM] Dixerat Dominus Mosi, *Angelus meus præcedet te*, sed certum aliquem non designauerat. verùm Moses ductu & comitatu angeli non contentus, volebat vt Deus ipse comitaretur, essetque dux castrorum. hoc hîc verecundè, ideoque ambiguè & in terminis generalibus petit Moses, dicens, *Non indicas mihi quem missurus es*: idque crescente sermone simul & animo ac libertate clariùs explicat cùm subdit v.13. *Ostende mihi faciem tuam.* q.d. Illam mitte nobiscum, facies tua nos ducat, iterque præeat. Rupert. & Lipoman. putant Mosen petere vt Deus mittat Christum: hic enim est ille qui mittendus est. Sed hoc non est litterale.

PRÆSERTIM CVM DIXERIS: NOVI TE EX NOMINE] Septuag. *noui te præter omnes*, q.d. Præ omnibus te elegi & diligo, mihique places.

OSTENDE MIHI FACIEM TVAM] Hebr. *Ostende mihi viam tuam*, vt scilicet tu teipso & facie tua viam nobis præeas, & ostendas: hæc enim est via tua. VERS.13.

tua. Vnde Septuag. vertunt, *ostende mihi teipsum manifestè*, aut *cognoscibiliter*. Quare immeritò Eugubinus hic carpit Septuag. & Interpretem nostrum. Hinc patet, non petiisse hîc Mosen visionem Dei, vel essentiæ diuinæ, vti videtur velle S. August. epist. 112. & l. 2. Trin. 16. & S. Gregor. 18. Moral. 36 & D. Thom. in 2. Corinth. 12. nam paulò pòst Moses clariorem petet Dei visionem, quam eidem Deus negabit, cùm prioribus hisce eius petitionibus annuat.

VT SCIAM TE] vt cognoscam te mihi & populo placatum, propitium & præsentem.

VERS. 14. DIXITQVE DOMINVS: FACIES MEA PRÆCEDET TE] id est, ego ipse præcedam te. hoc enim petierat Moses v. 13. scilicet vt non angelus, sed Deus ipse adesset, & præcederet castra Hebræorum. illud hîc Mosi annuit Deus. vnde Chald. vertit, *maiestas mea præcedet te.*

Aliena ergo à mente Script. est expositio Ruperti & Abulens. qui per *faciem* intelligunt angelum aliquem primarium, qui dicatur *angelus facierum*, eò quòd proximè assistat Deo.

Vtitur verò Deus faciei nomine; non enim dicit *ego*, sed, *facies mea præcedet te.* Primò, quia, vt ait S. Gregor. 18. Moral. 2. per faciem designatur notitia & familiaritas. q. d. Ego facie mea te præibo familiariter & iugiter per quæuis ardua, iterq; quamuis inuium videatur, facile & patens ostendam. Secundò, quia nomine faciei respectus gratiæ designatur, quæ Hebræos in terram promissam feliciter erat perductura. Hîc ergo Deus Mosi annuit id quod petierat, atque adeò hîc omnino se populo reconciliatum ostendit, conceditque pristinam suam præsentiam ad victorias illustres, & ad opera magnifica & miraculosa ac diuina pro Hebræis patranda. hæc autem præstitit Deus non immediatè per se, sed per angelum præsidem columnæ, ducemque exercitus Hebræorum, cui suas vices delegauit, quemque ita sua potentia & auctoritate instruxit, vt non angelus, sed Deus castra præire dicatur & videatur. hoc enim solùm petiit Moses, hoc & impetrauit.

ET REQVIEM DABO TIBI] vt inter medios hostes mea nixus præsentia, signis & miraculis, in mea ope securus quiescas, tandemque ad terram promissam victor peruenias, eamque quietè possideas.

VERS. 15. ET AIT MOYSES: SI NON TV IPSE PRÆCEDAS, NE EDVCAS NOS DE LOCO ISTO] Pro *si non tu ipse præcedas*, Hebr. Chald. & Septuag. habent, *Si facies tua non præcedat*: vnde patet Mosen hîc non aliud petiisse quàm confirmationem eius quod Dominus iam concesserat; sed id fusiùs & vrgentiùs hîc explicare, tum quia illectus colloquio diuino, eo diutiùs frui cupiebat. de quo vide S. Ambros. lib. 3. epist. 11. ad Irenæum, piè & pulchrè disserentem; tum quia ad hoc incitabat eum vehementia desiderij salutis populi. verebatur enim Moses ne quo modo Dominus rursum iritatus negaret & reuocaret id quod promiserat: vnde & c. seq. v. 9. rursus idem petit; tum denique quia Moses parturiebat aliam petitionem v. 18. cui vt viam sternat, hinc huic insistit diutiùs.

VERS. 16. IN QVO ENIM SCIRE POTERIMVS, INVENISSE NOS GRATIAM IN CONSPECTV TVO, NISI AMBVLAVERIS NOBISCVM] Chaldæus vertit, *in quo sciemus quòd inuenimus gratiam coram te, nisi cùm ambulauerit maiestas tua nobiscum, vt fiant nobis miracula, & diuidamur ab omni populo terræ?* Vides hîc Mosen per *faciem Dei* non aliud petiisse quàm illustria miracula & opera Dei: vnde & sequitur:

VT GLORIFICEMVR AB OMNIBVS POPVLIS] Hebr. נפלינו niphlinu, tripliciter verti potest. Primò, vt glorificemur; Secundò, vt diuidamur; Tertiò, vt mirificemur. vnde aptè & pulchrè Chald. vertit, *vt fiant nobis miracula.* ad hoc enim petebat Moses non angelum, sed Deum ipsummet ducem viæ: idque ei concessit Deus dans ei angelum, qui non angeli, sed Dei nomen, personam & potestatem gereret & exerceret.

ET VERBVM ISTVD QVOD LOCVTVS ES FACIAM] VERS. 17. q. d. Expressiùs hîc confirmo quod expressiùs petebas & repetebas, licet tacitè idem concesserim antè, videlicet vt glorificem vos per signa & miracula, in conspectu omnium gentium, idque ex nunc, vt non discedatis ex hoc loco nisi me duce, directore & protectore, sed per angelum, cui meas vices demando.

Moraliter discant hîc principes & Prælati, singulique fideles quàm in omnibus Dei ducatum & directionem exposcere debeant, vti facit hîc Moses: sic enim eis omnia prosperè cedent. Ita Dauid orat psal. 118. 133. *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum*: & psal. 24. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* vnde 1 Reg. 18. 14. de eo dicitur: *In omnibus quoque viis suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* Saule verò eum persequente multos composuit psalmos, quibus à Deo protegi & dirigi postulat: itaque Saulis manus euasit, rex creatus est. Syros, Philistinos, Ammonitas, omnesque hostes suos felicissimè debellauit.

Moral. in omnibus Dei directio postulanda.

Exempla.

Ita Salomon à Deo dirigi postulat: *Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam: quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus*, &c. Sap. 9. 4. Idem monet dicens: *In omnibus viis tuis cogita illum* (Deum) *& ipse diriget gressus tuos*, Prouerb. 3. v. 6. & c. 16. v. 9. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.*

Ita Iosaphat rex cinctus ab hostibus orat: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*: itaque insignem à Deo victoriam impetrauit, 1. Paral. 20. 12. Hunc imitemur in periculis, in arctis, in dubiis & perplexitatibus positi, totoq; corde ad Deum recurramus, & similem Dei opem, lumen & directionem experiemur.

Hac de causa Tobias docet filium dicens c. 4. v. 20. *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*: itaque faciens filius Raphaelem angelum viæ ducem, Saram vxorem, opes amplas, omniaque prospera impetrauit: quin & patri visum restituit.

Hinc & Cassianus monet vt ante singulas actiones oremus: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* vnde illud ipsum orat Ecclesia initio singularum Horarum canonicarum: atque manè quotidie ad Primam cum Dauide orat: *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarū dirige.* Atque ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, recitat psal. 118 quo orat Psaltes vt Deus vias nostras in lege sua dirigat.

Ratio est, Primò, quia, vt ait Salomon Sap. 9. v. 14. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouiden-*

uidentia nostra: ergo à suprema prudentia Dei dirigendæ sunt, eiusque directio efflagitanda est.

Secundò, quia ad Dei prouidentiam spectat, omnium creaturarum, præsertim hominum, actiones dirigere: hocque eius est obiectum. Quare Dei munus inuadit, eique iniuriam facit, qui hoc sibi arrogat, quasi sine Deo solus sapere, seque & suas actiones sapienter dirigere possit.

Tertiò, quia solus Deus nouit euentus futuros, tam absolutè, quàm conditionatè, quid scilicet eueniet, si hoc vel illud egero, aut non egero: quid ego in hac illaue re, hoc aut illo loco, tempore, statu, conditione essem acturus, ac præsertim an bene victurus, perseueraturus, & saluandus; an malè victurus & damnandus. Ergo qui sapit, ad Deum recurrat, oretque assiduè: Domine qui omnium habes præscientiam & prouidentiam, dirige me recta ad salutem, per illas vias quæ peccati non habent scandalum, per illas semitas quibus præscis me certò peruenturum ad gloriam, ad quam me creasti: atque diuerte & arce à me vias illas, quas si ingrediar, præscis me peccaturum & damnandum: in hoc enim cardo salutis vertitur, inde pendet mea electio vel reprobatio, mea gloria vel damnatio. Sic directus fuit à Deo pius Abraham, per omnes peregrinationis suæ vias sospes & felix. Sic directus fuit Iacob. vnde de eo ait Sapiens cap. 10. *Hæc* (sapientia Dei) *iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei* (in Bethel) *& dedit illi scientiam sanctorum, & honestauit* (id est ditauit) *illum in laboribus, & compleuit labores illius.* Sic directus fuit à Deo Ioseph, de quo eodem cap. dicitur: *Hic venditum iustum non dereliquit,* &c. *donec afferret illi sceptrum regni,* &c. *& dedit illi claritatem æternam.* Sic directus fuit Moses cum Hebræis per mare rubrum, per desertum duce angelo columnæ præside 40. annis, donec peruenirent in terram promissam. Sic directus fuit Iosue in omnibus bellis, quibus Chananæos deleuit. Sic directus fuit Iudas Machabæus cum paucis contra plurimos dimicans, semperque vincens, quia Dei ductum ante prælium semper implorabat, excepto vltimo in quo occubuit. Sic directus fuit Gregorius Thaumaturgus, qui fide in Deum nixus, omnia quæ aggrediebatur feliciter perficiebat, idque sæpè per miracula: ideoque cùm Neocæsaream ad episcopatum veniens 17. tantùm fideles inuenisset, moriens 17. tantùm in ea infideles reliquit. Sic directus fuit Theodosius, Carolus Magnus, Carolus V. aliique pij reges & principes in bellis, quæ contra Ecclesiæ suosque hostes felicissimè gesserunt.

VERS. 18. QVI AIT: OSTENDE MIHI GLORIAM TVAM] Petierat Moses v. 13. dicens, *Ostende mihi faciem tuam.* concessit hoc ei Deus: hìc vlteriùs petit dicens, *ostende mihi gloriam tuam;* sed hoc abnuit & recusat Deus,

Quam gloriam Dei videre petijt Moses?

Quæres, quam Dei gloriam videre petit hìc Moses? Philo de monarchia per gloriam intelligit ideas & potestates quæ sunt in Deo & mente Dei. *Prima Sententia.* Secundò, Tertul. intelligit gloriam humanitatis Christi, quam ipse ostendit in transfiguratione, in monte Thabor coram Mose & Elia, de quo paulò pòst plura. *Secunda.* *Tertia.* Tertiò, alij per gloriam intelligunt essentiam diuinam, quasi hanc videre petierit Moses. ita S. Hieron. vel quisquis est auctor comment. in S. Marcum, capite vlt. Rupert. Lipoman. ac S. August. l. 12. de Genes. ad lit. c. 27. &

A Suarius de Deo trino & vno l. 2. c. 30. num. 13. Imò S. Ambr. in psal. 118. serm. 8. videtur sentire, quòd Moses petierit Dei essentiam videre oculis corporeis. *Norat, inquit, sanctus vates Domini, quòd inuisibilem Deum facie ad faciem videre non posset; sed deuotio sancta mensuram supergreditur. Putauit ergo Deo etiam hoc esse possibile, vt corporeis oculis faceret, id quod est incorporeum comprehendi. Grata cupiditas atque inexplebilis, quod Dominum suum manu tenere, & obtutu oculorum videre cupiebat.* Verùm S. Ambr. videtur loqui de visione essentiæ diuinæ, non in se, sed in aliqua idea, specie vel figura corporata. Videtur enim ipse sensisse, Dei substantiam à nemine, ne à Beatis quidem, immediatè vt in se est videri posse, sed tantùm mediante aliqua luce, vmbra, velo, vel specie. quod etiam videntur sensisse S. Chrysost. contra Anomæos, & S. Basilius l. 1. contra Eu-
B nomium: reprehendit enim eum, quòd doceret Dei substantiam vti in se est, ab homine videri posse: licet aliqui hoc limitent, addantque *viribus naturæ, & in hac vita.* Hoc enim volebat Eunomius, nimirum se, similesque viros sapientes sua acie ingenij, & suis viribus in hac vita posse videre, imò comprehendere Deum vti est in seipso. quod meritò impugnant S. Basil. Chrysost. & Ambros.

Verùm dico, Mosen hìc tantùm petijsse, vt Dominus, id est angelus Domini personam sustinens, *Quarta & genuina.* qui caligine tectus cum eo loquebatur, illam amoueret, vt clarè gloriam eius, id est speciem exteriorem gloriæ illius, videre posset; idque ad hoc, vt clariorem diuinæ maiestatis cognitionem ex hac visione perciperet, vtque populo gloriam hanc Dei referre & deprædicare posset. Sic vidimus c. 3. v. 13. eumdem Mosen petijsse à Deo reuelari
C sibi nomen Dei, vt illud populo proponeret. Loquebatur enim Dominus cum Mose voce corporea, sed ab eo ob caliginem non videbatur: cupiebat ergo Moses formam eius, qui secum loquebatur, videre. Id tantùm Mosen petijsse, patet ex responsione Domini dicentis: *Non poteris videre faciem meam,* scilicet gloriam meam, quam tantopere tu, ô Moses, videre postulas. *Gloria* ergo est facies gloriosa, vel corpus gloriosum Dei, quod Moses non potuit videre in facie, sed tantùm in tergo, vti mox dicam. ita Abulens. Oleaster & alij.

RESPONDIT: EGO OSTENDAM OMNE BONVM TIBI] Hebr. *ostendam bonum meum.* Multi per hoc *VERS. 19.* *bonum* intelligunt diuinam essentiam (hæc enim est omne bonum) quam Mosen in hac vita vidisse putant. ita sentiunt S. August. epist. 112. c. 12. & 13. Basil. homil. 1 Hexam. qui tamen illud reuocat
D lib. 1. contra Eunom. Ambros. 1. Hexam. c. 2. Lyran. Abulens. Beda, Hugo, S. Thom. 2. 2. q. 134. art. 3. Durand. in 4. d. 46. q. 6. Sixtus Senensis l. 5. c. 41. Verùm, vt in fine capitis ostendam, ex hoc loco nihil pro hac eorum sententia colligi potest. vnde

Dico, Deus hìc concedit Mosi id quod ipse petierat, dicens, *Ostende mihi gloriam tuam:* hanc enim hìc vocat *bonum Dei,* vel *omne bonum. bonum* ergo hìc idem est quod præstantia, excellentia & pulchritudo, hoc est gloria Dei apparens in corpore assumpto, quæ Dei maiestatem aliquo modo referat, quæque sit tanta, quantam capere possit mortalis Mosis oculus. q. d. Petis ô Moses videre corpus meum gloriosum; ego illud tibi ostendam, non in facie, sed in tergo. Vnde Chald. vertit, *ego transire faciam omnem gloriam meam super faciem tuam;* Hebr. habent, *transire faciam omne bonum*

meum ante faciem tuam. quod sine dubio non est A aliud quàm illud quod paulò pòst subditur: *Cùm transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea.* ita Abulens. Oleaster, & Molina, qui sic explicat: *ostendam tibi omne bonum*, id est perfectissimum & excellentissimum quiddam.

Et vocabo in nomine Domini] Aliqui legunt, *& vocabor*, id est, & vocari me faciam vestrum Deum & ducem ex miraculis, quæ pro vobis faciam, inquit Hugo. Verùm Hebr. Chald. Septuag. & Romana Latina habent, *& vocabo*, hæcque est vera lectio. q.d. *Ego vocabo in nomine Domini*, id est, ego inclamabo nomen Domini; cùm videlicet transibo ante te, in petra tectum & absconditum; inclamabo, vt scias me transire, ac respicias, meaque posteriora videas; inclamabo inquam epitheta nominis Dei, dicendo, vt dicitur c.34 6 *Dominator, Deus misericors & clemens, patiens* B *& verax*, &c. idque vt doceam te modum inuocandi & deprecandi me, meque his epithetis compellandi. Id patet ex Septuag. qui vertunt, *vocabo, Dominus coram te*: & ex c.34. v.6. vbi Dominus præstat Mosi id quod hîc ei promittit. quod maximè liquet in Hebræo, in quo vtrobique eadem est phrasis. *Vocabo* ergo *in nomine Domini*, id est vocabo & inclamabo epitheta iam dicta nominis Domini, & vocando eadē inuocare te tuosq; docebo.

Miserebor cui voluero] Hebr. Septuag & ex ijs S Paulus Rom. 9. 15. habent, *Miserebor cui miserebor*, id est miserebor cui voluero, cui mihi placuerit vel libuerit. Hoc Primò, sic exponit Abulensis, Vatabl. & Lipoman. q.d. Ostendam tibi omne bonum, non ob tua merita, sed ex liberali mea clementia & misericordia. Secundò, S. Chrysost. Theoph. Theod. Oecum. in c.9 ad Rom. sic C exponunt, q.d Ego vituli adoratores, quos volo, per Leuitas vel meipsum mactabo, alijs verò, quibus volo condonare, miserebor & parcam.

Verùm dico. genuinus huius loci sensus est hic: Ego Deus transiens ante te, ô Moses, vocabo & inclamabo nomen Domini, dicendo: *Dominator Domine*, aliaque Dei epitheta, sed maximè hoc, *Miserebor cui voluero*, id est, ego & clemens & misericors sum, sed liberrimè; misereor enim ei cui voluero. hoc enim epithetum clementiæ pluribus vocibus exprimitur in hoc Dei transitu c.34. v.6. vbi hæc vox siue vocatio Dei enarratur: ibi enim impletur id quod hîc promittitur. Vult enim Deus maximè hoc nomine clementiæ à nobis inuocari, vtque illa nitamur, non autem nostris meritis. Principem enim, regium & diuinum animum maximè decet & ornat clementia. τὸ ergo *& mise-* D *rebor cui voluero. & clemens ero in quem mihi placuerit*, technicè siue materialiter accipiendum est: pendet enim quasi obiectum à verbo *vocabo*.

Moral. clementia decet Deum & principes.

Moral. Nota hîc magnum & diuinum quid esse clementiam. *Nullum magis decet clementia, quàm principem*, ait Seneca lib. de Clementia, apud quem vide multa præclara de hac re. Et Cicero lib. 1. Offic. *Nihil*, ait, *est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.* Et Ouidius lib. 3. Trist. eleg. 5.

Quo quisque est maior, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

A Iulius Cæsar tanta clemētia erga hostes & rebelles vsus est, vt Marius non semel dixerit: *Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant; qui non audent, humanitatem & clementiam.*

Augustus Cæsar Cinnam necem sibi machinantem, vocans: *Ego*, ait, *te seruaui in castris hostium repertum, ego tibi patrimonium omne concessi, ego te ornaui sacerdotio, cur me occidere voluisti?* Perturbato Cinna sic finit orationem: *Vitam tibi Cinna iterum do, priùs hosti, nunc insidiatori & parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia: contendamus, vtrùm ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas.* Et consulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuò amicissimum, solus ille Cinnæ fuit heres. ita Sueton. in vita August.

Alexander Magnus tam clemens victor, quàm acer bellator fuit, ait Plutarch.

B Nero Imp. initio imperij ita clemens fuit, vt cùm sententiæ cuiusdam capite damnati subscribere deberet, exclamarit: *Vtinam literas nescirem!*

Titus Imper. fratrem Domitianum insidias molientem non est vltus, sed his verbis admonuit: *Quid opus te parricidio petere, quod me volente obuenturum est, imò quod iam habes imperij particeps?* Nónne rectè ait Claudian. *Cum vincamur ab omni*
Munere, sola Deos æquat clementia nobis?

Aurelianus Imper. teste Vopisco, cùm Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit: *Canem in hoc oppido non relinquam.* Hac voce erecti milites in spem prædæ. vrbe autem capta, militibus respondit: *agite, canem me negaui relicturum, canes omnes occidite.* & sic promissis satisfecit, & clementer hostes suos tractauit.

C Galieni iunioris Imp. vxori quidam gemmas vitreas pro veris vendiderat. re comperta mulier flagitauit vindictam. Cæsar iussit hominem corripi, quasi leoni obiecturus. Dein in arenam, dum impostor & populus expectant terribilem leonem, prosilijt caper. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per præconem dici iussit: *Imposturam fecit, & passus est.* Eâdem operâ refellit impostorem, & derisit vxorem. ita Trebel. Pollio.

Alexander Seuerus Imper. cùm vxor Memmia, & mater Mammæa ei obijcerent, *quòd nimia clementia eius potestas vilesceret*; respondit, *Sed securior sit & diuturnior.* Idem Ouinium Camillum senatorem rebellantem, & tyrannidem affectantem, consortem imperij fecit, Cæsaremque creauit, ait Lamprid.

Rudolphus Imp. cùm post morum mutationem clementior æquo suis videretur, ait: *Seuerum & immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem & placabilem numquam.* ita Æneas Syluius lib. 2. comment. de gestis Alfonsi.

Alfonsus rex, teste Panorm. dicebat: *Malo multos mea clementia seruare, quàm paucos mea seueritate perdere.* Et rigidioribus, *Vultisne*, ait, *vt leones & vrsi regnent?* Idem, *Mali*, ait, *citiùs beneuolentia quàm seueritate in viam virtutis reuocantur. Ego*, inquit, *iustitia bonis gratus sum, malis autem clementia.* Sigismundus Cæsar, teste Ænea Syluio in eius Vita, *eos reges beatos dicebat, qui eiectis ex aula superbis mansuetos sibi asciscerent.*

Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo et viuet] Loquitur de facie corporea & assumpta (hanc enim videre petebat Moses, vti dixi) qua se aliquatenus maiestas & gloria Dei repræsentat, & videndam exhibet. Vers. 20.

bet. De ea enim, non autem de facie, id est essentia, deitatis hîc sermonem esse, patet ex eo quod sequitur: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Sensus ergo est q.d. Cupis ô Moses videre fulgorem faciei meæ, vt in facie videas eum qui tecum loquitur, cuiusque voces audis: verùm scito id fieri non posse. nam fulgor hic faciei meæ, licet corporeus & assumptus, quia tamen aliquo modo fulgorem essentiæ & maiestatis meæ referre, adumbrare & repræsentare debet; hinc talis tantusque est, vt illum ferre non possit mortalis oculus, quin protinus hoc fulgore homo excæcetur, imò exanimetur & moriatur. hoc enim est quod ait: *Non videbit me homo & viuet.* ita Abulens.

Symbol. Symbol. Nyssen. *non videbit me homo & viuet,* quia cognitio præsens, inquit, est finita, Deus autem est infinitus.

Tropol. Tropolog. S. Gregor. 18. Moral. 37. nullus vmquam Deum spiritualiter videt, & mundo carnaliter viuit: non enim possumus simul Deo frui & mundo. Quomodo videatur Deus à castis mentibus in hac vita, vide S. Bernard. serm. 31. in Cant. & Ambros. lib. de Bono mortis c. 11.

VERS. 21. 22. & 23. ECCE, INQVIT, EST LOCVS APVD ME, ET STABIS SVPRA PETRAM. CVMQVE TRANSIBIT GLORIA MEA, PONAM TE IN FORAMINE PETRÆ, ET PROTEGAM DEXTERA MEA, DONEC TRANSEAM: TOLLAMQVE MANVM MEAM, ET VIDEBIS POSTERIORA MEA: FACIEM AVTEM MEAM VIDERE NON POTERIS] S. August. quæst. 154. in Exod. negat hîc corporalem Dei, vel angeli speciem promissam fuisse à Deo, aut visam à Mose, sed meram fuisse prophetiam, eò quòd postea Mosen reipsa corporaliter vidisse Deum non legamus. Posteriora ergo Dei visa à Mose, censet esse mysteria Christi post eius ascensionem credita à Iudæis. Prædicante enim Petro dixerunt: Quid faciemus? & baptizati sunt, & acceperunt Spiritum sanctum, Actor. 2.37. Denique in fine mundi omnis Israel saluus fiet. S. August. sequitur Caietan. dicens: Non promittitur res gerenda, sed parabola est: petra significat erectam ac fixam mentem, qua eleuatus est Moses, vt intelligibiliter cognosceret Deum: manus Dei apposita petræ, significat quædam attributa ei velata fuisse, & tantùm ea ostensa quæ Deus voluit, per manum transparente quasi luce sua, ei demonstrare. Verùm hic mysticus est sensus. Certum est ad literam promitti Mosi visionem Dei, id est angeli vicarij Dei in corpore assumpto, eamque illi reipsa obtigisse patebit cap. sequ. v. 5. & 6. Porrò hanc petram esse illam ipsam, è qua Moses iussu Dei aquam populo elicuit, Exodi 17.6. censet S. August. hîc quæst. 154. ita vt aqua ex petra in Sina, per quatuor milliaria fluxerit in Raphidim, vbi erant castra Hebræorum. Idem censet Fernand. visione 7. sect. 2. qui & addit, petram hanc comitatam esse Hebræos in deserto per 40. annos, aut per se, aut per fluxum aquæ. Verùm hæc incerta sunt.

Allegoricè, petra est Ecclesiæ fideique soliditas, sine qua nemo Deum cognoscere potest, de qua Christus Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* ita Theodor. & S. Gregor. 35. Moral. c. 6. Nyssenus verò: *Christus,* inquit, *currentibus est locus & via, infirmis lapis, domus quiescentibus.* Insuper S. Thom. 2.2. qu. 171. art. 2. per applicationem manus ad foramen, putat significari modum quo Prophetæ communicatur lumen propheticum, tantum scilicet, quantum Deus vult. Vnde sæpè Prophetæ dicunt: Facta est super me manus Domini; quia lumen propheticum non est permanens, nec plenum, sed transiens, & manu Dei attemperatum. Hoc mysticum est, vti paulò antè dixi in expositione Caietani, qui eam à S. Thoma hausisse videtur. Rabbini fingunt in tergo Dei scripta fuisse eius epitheta, *Dominator, Domine Deus, misericors,* &c. quæ recensentur c. 34. v. 6.

Dicit ergo Deus: In Sina est petra caua, in cuius cauitate latere potes ô Moses, quæque tegi potest anteriùs; ego igitur in ea te collocabo, nubeque contegam, donec transeat facies mea gloriosa, tuncque nubem amouebo, vt possis videre posteriora, id est tergum meum: nam faciem meam videre non poteris, quin protinus vibrantibus ex ea maiestatis meæ splendoribus exanimeris. Id ita factum esse patet c. 34. v. 5. & 6.

PROTEGAM DEXTERA MEA, DONEC TRANSEAM] q.d. Dextera mea nubem, vel corpus aliud opacum apponam, & opponam cauernæ, in qua latebis ô Moses, idque ne videas gloriam faciei meæ, transeuntis ante te, & moriaris. VERS. 22.

TOLLAMQVE MANVM MEAM, ET VIDEBIS POSTERIORA MEA] q.d. Cùm facies mea transierit, amouebo nubem quæ tegit te in cauerna, vt tergum meum intuearis. Hinc videtur, corpus hoc in quo Deus apparuit Mosi, non ab angelo, sed à solo Deo fuisse compositum, ornatumq; tanto lumine anteriùs, vt solem longè vinceret: in tergo verò ita fuit lux hæc attemperata, vt eam Mosis aspectus ferret, eaque mirificè recrearetur; ita tamen hac luce aspersa & perfusa fuit facies Mosis, vt ex ea radiare, & cornuta esse cœperit, vti dicam cap. seq. VERS. 23.

Dico, à solo Deo formatum esse hoc lucidum corpus, non ab angelo; quia non est verisimile angelos posse per se immediatè lucem producere, aut tantum luminis coaceruare quod solari æquipararetur.

Nota. Hoc corpus lucidum à Deo ita compositũ subijt & ingressus est angelus, illudque mouit, vt transiret ante cauernam in qua latebat Moses.

Secundò, angelus hic idem fuit cum eo, qui Hebræos ex Ægypto eduxit, præiuitque in columna nubis, quiq; præerat tũc populo & Synagogæ, nunc autem præest Ecclesiæ, putà S. Michael.

Hunc esse literalem huius loci sensum, tota series orationis loquitur, item quòd c. seq. v. 5. & 6. Dominus adimplens id quod hîc promittit Mosi, reuera & corporaliter transeat ante Mosen, ostendens ei tergum suum. Simili quodam modo S. Pachomius corporeis oculis vidit gloriam Domini, vt habet eius Vita.

Allegor. tamen sensus hîc est potior, & magis intentus à Spiritu S. Vnde S. August. q. 154. dicit hîc esse prophetiam de Christo: facies enim Domini significat diuinitatem Christi: hanc non viderunt Iudæi cùm Christum crucifixerunt, sed postquam Christus transiuit per mortem & resurrectionem ad Patrem, tunc multi eorum posteriora hæc eius viderunt, & crediderunt. *Allegor.*

Tropol. Nyssen. In hac, inquit, vita Deum videre non possumus; iste tamen videt posteriora Dei, qui supra petram, id est Christum, stat, quique corde & animo semper Deum sequitur, quocumque ducat. Iuxta illud Psaltis: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* & Christi: *Si quis* *Tropol.*

vult venire post me, abneget semetipsum. Rursum: *Veni, sequere me.* Sequi enim Deum mente, voluntate & actione, semper & vbique quocumque ducat, idipsum est Deum videre.

Symbol. Symbolicè, posteriora Dei sunt effectus & creaturæ Dei, è quibus solis Mosi & nobis in hac vita, Deum speculari conceditur. ita Philo, Anastas. in Quæst. S. Scrip. quæst 23. Irenæus lib. 4. 37. Hilar. in psalm. 113. *Ex perpetuitate*, ait S. August. *creaturarum intelligitur creator æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus.*

Symbolicè quoque alij putant, hîc præsignatam & promissam esse Mosi visionem humanitatis Christi in transfiguratione, in monte Thabor, humanitas enim inferior & posterior est Christi pars, diuinitas verò est prior & potior. ita Tertul. li. 4. contra Marc. c. 22. Nazianz. orat. 2. de Theologia, Origen. hic homil. 12. & homil 7. in Numer. de quo vide S. August. l. 2. de Trinitate cap. 17. & Bernard. serm. 61. in Cantica.

Rursum S. Ambros. in psalm. 43. v. 24. Moses inquit, vidit posteriora Christi; vidit splendorem A eius vt homo est, vidit eius gloriam passionis, per quam regnum nobis cæleste reparauit. Vnde colligit Fernandius visione 7. sect. 3. Mosen vidisse Christum flagellis cæsum, & spinis coronatum, qualem Pilatus populo exhibuit, dicens: *Ecce homo*: item vidisse eum cruci affixum. Vnde exclamauit cap. 34. 6. *Misericors, clemens, multæ miserationis*, &c. Et huc allusisse S. Petrum epist. 1. c. 1. v. 11. cùm Prophetas Spiritu Dei prænunciasse ait eas, *quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias*; vbi & significat *id est*, q. d. Passiones Christi sunt posteriores eius gloriæ, quæ scilicet in tergo Domini glorioso ostensæ sunt Mosi. Verùm hoc symbolicum est & mysticum, non literale, ideoque incertum & coniecturale.

Ex dictis patet, nullo modo ex hoc capite colligi posse quòd Moses viderit diuinam essentiam: neque enim Moses hoc petijt, neque si petijt impetrauit. nam Dominus ei disertè respondet, dicitque, *Faciem meam videre non poteris*; estque hæc aliorum Patrum penè omnium sententia, quos citat L. Molina, Valentia & alij 1. p. quæst. 12.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses reparatis tabulis redit in montem: Deus coram eo transit; videt Moses Dei posteriora siue tergum. hinc Secundò, v. 10. renouat Deus fœdus cum Hebræis, legesq. suas iterat. Tertiò, v. 28. tabulis à Mose allatis Deus decalogum inscribit. Quartò, v. 29. Moses cornuta facie cum tabulis ad populum redit, timet ille & fugit: hinc Moses velat faciem, itaq. ipse velatus cum populo, & populus cum eo loquitur.

1. AC deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. 2. Esto paratus manè, vt ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis.
3. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boues quoque & oues non pascantur econtrà. 4. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas. 5 Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, inuocans nomen Domini. 6. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax,
7. qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filijs ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem. 8. Festinusque Moyses, curuatus est pronus in terram, & adorans 9. ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum (populus enim duræ ceruicis est) & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. 10. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ numquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. 11. Obserua cuncta quæ hodie mando tibi: ego ipse eijciam ante faciem tuam Amorrhæum & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque & Heuæum, & Iebusæum. 12. Caue ne vmquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: 13. sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide:
14. noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen eius, Deus est æmulator.
15. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cùm fornicati fuerint cum dijs suis, & adorauerint simulachra eorum, vocet te quispiam vt comedas de immolatis.
16. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos. * 17. Deos conflatiles non facies tibi. 18. Sollemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vescêris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis nouorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. 19. Omne quod aperit vuluam generis masculini, meum erit. de cunctis animan-

animantibus, tam de bobus, quàm de ouibus ;meum erit. 20. Primogenitum asini redimes oue: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. 21. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare & metere. 22. Sollemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum messis tuæ triticeæ. & sollemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. 23. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. 24. Cùm enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. 25. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit manè de victima sollemnitatis phase. 26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. Non coques hœdum in lacte matris suæ. 27. Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus. 28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. 29. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. 30. Videntes autem Aaron & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere. 31. Vocatique ab eo, reuersi sunt tam Aaron quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, 32. venerunt ad eum etiam omnes filij Israel: quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai. 33. Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam. 34. Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. 35. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

VERS.1. AC DEINCEPS] supple locutus est Mosi Deus, atque sermonem suum prosequens, cum tandem compleuit inscriptione secundarum tabularum.

PRÆCIDE (hebr. dola) TIBI DVAS TABVLAS LAPIDEAS] Priores tabulas dederat Deus, easque inscripserat decalogo: verùm quia eas Hebræi violarant & infregerant fabricando vitulum aureum; hinc in pœnam peccati iubet hic Deus, vt secundas has ipsimet comparent, easque Deo inscribendas offerant, supplicesque postulent in ijs sibi denuo scribi legem à Deo.

VERS.2. ESTO PARATVS MANE, VT ASCENDAS STATIM IN MONTEM SINAI] Hinc videtur, quòd Deus Mosi hæc pridie ascensus dixerit sub tempus matutinum, quodque tum statim descenderit Moses de monte ad castra, ibique præciderit & dolauerit per artifices duas tabulas lapideas. atque edixerit populo, ne quis ad montem accederet, deinde sequenti nocte rursus in montem conscenderit, vt manè proximo se Deo cum tabulis sisteret, vt eis Deus sua manu decalogum inscriberet: quod & mox eodem die, qui fuit quadragesimus ab ascēsu Mosis in montem, Deus fecit. vnde sequitur, præcedenti die, qui fuit trigesimus nonus, Mosen descendisse de Sina, vt tabulas legis præcideret, & ad Deum afferret, vti ei hîc præcipit Deus. ita Abul.

VERS.3. BOVES QVOQVE ET OVES NON PASCANTVR E CONTRA] è regione montis. Voluit hæc omnia Deus, vt duro & rudi populo sui timorem & reuerentiam incuteret.

VERS.5. CVMQVE DESCENDISSET DOMINVS PER NVBEM, STETIT MOYSES CVM EO] *Stetit*, scilicet Moses inclusus cauernæ, tectusque nube in qua descendebat Deus, vt eum tegeret dum transiret, ne Moses videret faciem, sed tergum Domini, vti in fine cap. præcedentis Deus Mosi promiserat.

VERS.5. & 6. INVOCANS NOMEN DOMINI. QVO TRANSEVNTE AIT, DOMINATOR DOMINE DEVS, MISERICORS, &c.] *Ait*, quis incertum est, an Moses, an Dominus. Hebræa vtrique aptari possunt: sic enim habent ad verbum, *Et descendit Dominus in nube, & stetit cum eo, & inuocauit nomen Domini* (quod noster Interpres de Mose accepit. vertit enim, *stetit Moses cum eo inuocans nomen Domini*) *& transiuit Dominus ante faciem eius; & clamauit, Domine, Domine*, &c.

Verùm meliùs hæc aptentur Domino, vt Dominus ipse clamarit, dicens, *Dominator Domine*, &c. Vnde in Hebræo & Septuag. verba sunt tertiæ personæ, non autem secundæ, licet Noster interpres in secunda transtulerit, claritatis causa. Quòd enim Dominus hæc clamarit & dixerit, patet ex cap. præced. v. 19. vbi dixit Dominus, *Vocabo in nomine Domini*, id est inclamabo nomen Domini, dicens, *Dominator Domine*, &c. Idem patet Numer. 14. 17. vbi dicitur: *Sicut iurasti dicens, Dominus patiens, & multa misericordia*. Vbi hoc dixit Deus, nisi hîc? vnde & Moses hîc v. 8. demum post hæc Domini verba corruens in terram, orare cœpit Dominum. ita Abulens. Oleaster, Vatablus, Caietan. & Lipoman.

Quare quod Noster interpres vertit, *quo transeunte ait*; *ait*, intellige Dominus, idque ex Hebræorum more, qui suppositum verbi non semper accipiunt substantiuum illud, quod proximum est, sed sæpè remotius reuocant, vti videbimus hoc cap. v. 28. & alibi.

Dominus ergo inclamauit Mosi, dicens, *Dominator Dominus*, vt vertunt Septuag. vel, vti clariùs vertit Noster, *Dominator Domine*, nō quasi seipsum inuocaret aut oraret Deus, sed vt formulam inuocandi se Mosi traderet: sicut fecit Christus Apostolis, cùm dixit, *Sic ergo orabitis, Pater noster qui es in cælis*, &c. Pari modo fecit hîc Deus Mosi, q. d. Sic me tu cum tuis inuocabis, sic me deprecaberis: *Dominator Domine, qui custodis misericordiam in millia*, &c. ita Abulens.

Secundò, si verba nostri Interpretis de Mose velis accipere, tamquam ab eo prolata, dicito, Deum transeuntē coram Mose hæc verba primò protulisse,

lisse, deinde Mosem Deum secutum secundò illa pronuntiasse, vt ab eo hæc Dei verba iterata fuerint. vnde dixi c. præced. τὸ *vocabo in nomine Domini*, sic intelligendum esse, q.d. Vocando nomen Domini, illud idem inuocare te docebo. itaque noster Interpres vtrumque significare voluit, scilicet & Deum protulisse hæc verba, idque capite præcedenti satis expressit versu illo 19. & deinde Mosen ex Dei doctrina eadem repetijsse & recitasse: idque hoc loco dicit. Qua fortè de causa Hebræa hîc ambigua sunt, vt vtrique, scilicet tam Mosi quàm Deo aptari possint. Simile est Matth. 21.41. vbi principes sacerdotum & seniores dixisse narrantur, *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis*, cùm tamen Marci 12.9. & Lucæ 20.16. Dominus ipsemet hæc verba dixisse narretur; vbi Matth. & Marcus ita conciliandi sunt, vt dicamus verba ista priùs dicta esse à senioribus, vt ait Matth. deinde Christum eadem repetijsse, vt eos suo responso coargueret, quod aiunt Marcus & Lucas. ita Lipoman.

Duodecim epitheta Dei, quibus inuocandus est.

DOMINATOR DOMINE] Duodecim nomina quasi epitheta hîc Deus sibi dat, quibus vult à nobis compellari & inuocari; quia, vt aiunt Hebræi, hæc epitheta in Deo dicunt ordinem ad homines, hominumque salutem. Primum est, *dominator Domine*, pro quo hebraicè est, *iehoua*, vel potiùs *iehoua*, quod est nomen tetragrammaton. Secundum, *Deus*. Tertium, *misericors*. Quartum, *clemens*. Quintum, *patiens*. Sextum, *multæ miserationis*. Septimum, *verax*, scilicet in promissis. Octauum, *qui custodis misericordiam in millia*. Nonum, *qui aufers iniquitatem*. Decimum, *nullus apud te per se innocens est*. Vndecimum, *qui reddis iniquitatem patrum filijs*; Duodecimum, *ac nepotibus in tertiam & quartam generationem*. de quo dicam Deuter. 5. v. 9.

Misericordia Dei multiplex.

MISERICORS ET CLEMENS] Hanc Dei misericordiam deprædicat S. Chrysost. homil. in psalm. 50. *Impius*, inquit, *es? Magos tibi propone*: hos enim infideles Christus per stellam ad se vocauit. *raptor es? publicanum cogita. impurus es? animo tuo meretrix sese obijciat. sicarius es? latro ille ante oculos tuos versetur. flagitiosus es? in mentem tibi veniat Paulus, qui priùs blasphemus erat, postea Apostolus; priùs persecutor, postea Euangelista; priùs lupus, postea pastor. peccasti? resipisce. millies peccasti? millies resipisce.*

Et S. Bern. serm. de triplici misericordia: *Magnus*, inquit, *peccator magna misericordia opus habet; vt vbi abundauit delictum, superabundet & gratia. Huius tres sunt gradus. Primus, cùm tardat ferire Deus, ignoscere paratus. Secundus, quando dat gratiam resipiscentiæ. Tertius, quando peccati iugum a conscientia excutit.*

Idem de Euang. septem panum serm. 2. & 3. *Misericordias*, inquit, *Domini in æternum cantabo*, maximè septem. Primò, à multis peccatis adhuc in sæculo positum me custodiuit. fateor & fatebor, nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs cecidisset in omne peccatum anima mea. Secundò, ego peccabam, & tu dissimulabas: non continebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas: prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam. Tertiò, visitauit cor meum, & immutauit vt amara fierent quæ malè dulcia priùs erant. Quartò, pœnitentem misericorditer suscepit. Quintò, emendatiùs viuendi præstitit virtutem, ne recidiuum paterer, & esset nouissimus error peior priore. Sextò, odium creauit in me præteritorum malorum, contemptum præsentium bonorum, & desiderium futurorum. Septimò, spem dedit obtinendi vitam æternam.

Prima misericordia consistit in occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Secunda cōplectitur longanimitatem quam Deus exhibuit, electionem prædestinationis suæ quam impleri voluit, & immensam charitatem qua nos dilexit. Tertia, Deus concussit cor meum, excitans illud, vt aduerteret suorum vulnera peccatorum, & vulnerum sentiret dolorem: terruit, deducēs ad portas inferi, & præparata iniquis supplicia monstrans: mihi consolationem inspirans spem indulgentiæ dedit. Quarta, Deus non damnat vlciscendo, non confundit improperando, nec minùs diligit imputando. Quinta, Deus tuetur nos aduersus carnis, mundi, Satanę insidias omnes. Sexta exposita est. Septima, nulla penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis, me ab altitudine spei deijcere possit in ea firmiter radicatum. Hæc & plura sparsim S. Bernardus loco citato.

Idem serm. 52. inter paruos: Quando, inquit, ad Deum conuertimur, pedes Domini osculamur. Duo sunt autem pedes Domini, misericordia & veritas. Et serm. 6. in Cantic. Alterum, inquit, sine altero osculari non licet: quia & recordatio solius iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.

Latinares sunt placidiores

PATIENS] Hebr. est אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*, *longus*, id est latus, *naribus*, hoc est tardus ad iram, siue μακρόθυμος & longanimis. nam qui angustis sunt naribus, fumos ex corde ascendentes & choleram citiùs concipiunt, ac tardiùs efflant ob meatuum angustias, ideoque in bilem sunt procliuiores: è contrario qui latis sunt naribus, meatus habent amplos, quibus choleram & fumos expirant, quibusque multum frigidi aëris admittunt, quo temperatur ille æstus & bilis: vnde hi placidiores sunt, magis patientes & longanimes. ita Ribera in Nahum 1. n. 9.

Moral. qui patiens est, potens est.

Moraliter disce hîc, Deum summè potentem, summè quoque esse patientem. nam impatientia magna est animi impotentia: patientia verò est potentia. Audi Boëtium lib. 3. metro 5.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœda submittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua iura tremiscat,
Et seruiat vltima Thule:
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Diogenes adolescenti conquerenti, quòd à multis turbaretur: *Desine*, inquit, *& tu perturbationis indicia præ te ferre.* Idem, cùm aliquis ei dixisset, Vituperant te multi: *Oportet*, inquit, *sapientem ab insipientibus feriri: esse meliorem indicat lingua quem carpit.* Xenophon, teste Seneca, maledicenti sibi cuidam: *Tu*, inquit, *maledicere didicisti, ego conscientia teste didici maledicta contemnere.* Antisthenes dicebat, *virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec vllare opus haberè nisi robore Socratico.* Socrates autem ad omnium rerum patientiam obduruerat.

NVL-

NVLLVSQVE APVD TE PER SE INNOCENS EST] A q.d. Ergo omnes egent tua, ô Domine, misericordia, venia & gratia. Numer. 14. v. 18. noster Interpres eadem verba quæ hîc sunt in Hebræo, ita vertit, *nullumq́, innoxium derelinquens*, id est qui omnes censes noxios, reos, tibique reatu aliquo obnoxios & obstrictos, ob culpam originalem, vel mortalem, aut venialem. intellige per se, seu quantum est ex parte hominis: nam si aliquem Deus sua gratia præseruet (vti de B Virgine piè credit Ecclesia) innocens omnino quis esse poterit. ita Abulens. Posset Secundò, ex Hebræo sic verti, *nullumq́, innoxium*, id est impunitum, *derelinquens*. Hebr. enim נָקָה *naka* significat & innocentem esse, & impunitum esse hoc enim ex illo sequitur.

VERS. 9. OBSECRO VT, &c. AVFERAS INIQVITATES NOSTRAS] Præuidebat Moses Iudæos ceruicosos deinceps sæpiùs Deum offensuros; rogat ergo eum B vt illis propitius sit, nec eos omnino deserat aut abijciat propter peccata futura; sed eos, tamquam hereditatem suam, vt habent Hebræa, firmiter possideat & tueatur. vnde hîc Iudæos docet eodem nomine Deum compellare, inuocare, & crebrò ab eo veniam peccatorum petere.

VERS. 10. RESPONDIT DOMINVS: EGO INIBO PACTVM VIDENTIBVS CVNCTIS, SIGNA FACIAM QVÆ NVMQVAM VISA SVNT] Hebr. est, *ego ferio fœdus coram omni populo*, qui scilicet videt te hac (fœderis) causa ascendere in montem, & iam scit te hîc mecum in monte eadem de causa versari, & nubem, atque alia forsan signa, similia illis quæ edita sunt in priori fœdere, c. 24. 17. intuetur, intuebiturque faciem tuam cornua lucis vibrantem, quando fœderis conditiones, videlicet has meas leges, & tabulas digito meo inscriptas ei propones. C

Rursum, *inibo pactũ videntibus cunctis*, scilicet sequentibus temporibus continuè pactum hoc confirmando signis admirandis, quæ deinceps ea de causa in populi tutelam edam; vti maximè patuit tẽpore Iosue in eius bellis, & victorijs portentosis.

Fœdus porrò Dei cum populo hîc renouatum, fuit idem cum priori fœdere, vt scilicet Deus esset populi dominus & protector: populus vicissim soli Deo seruiret & obediret, quorum vtrumque significabatur datione & acceptione, siue acceptatione legis: Deus enim dabat tabulas legis, populus verò eas accipiebat & acceptabat.

Nota. Moses die 40. ab ascensu suo in montem, summo manè vidit illam visionem & gloriam Dei transeuntis, sed à tergo, de qua hic v. 6. & cap. præced. v. 19. & 22. inde Deus rursum nube se tegens, collocutus est cum Mose, ac fœderis conditiones, D putà leges suas, ei v. 11. & seq proponit, atque hoc ipso fœdus cum Mose & populo init, ac tandem dat Mosi tabulas decalogi à se inscriptas, quasi symbolum & confirmationem fœderis: quibus acceptis Moses eodem die quadragesimo, ex monte ad populum cum tabulis descendit.

VERS. 11. OBSERVA CVNCTA QVÆ HODIE MANDAVI TIBI] *Tibi*, ô popule meus. loquitur enim hîc Deus Mosi, vt internuntio populi, eiusque personam sustinenti.

VERS. 14. DOMINVS ZELOTES NOMEN EIVS] *τὸ eius*, per hebraismum redundat, & eius loco substituendum est *τὸ Dominus* in genitiuo, vt dicas: *Domini nomen est zelotes*, id est, vt sequitur, Dominus est zelotes, æmulator honoris sibi debiti, nec patitur suum populum ad idola, quasi ad amasios deflectere.

Nota hebraismum, habere nomen vel vocari, significat esse, vt iure hoc nomine vocari possit. sic de Christo dicitur, *Et vocabitur nomen eius Emmanuel, admirabilis, consiliarius, fortis*. item, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, Isaiæ 8. & 9. hoc est, Christus erit Emmanuel, id est nobiscum Deus, erit consiliarius, erit fortis, celeriter spolia detrahet, festinè prædabitur. vide can. 18.

NE CVM FORNICATI FVERINT CVM DIIS SVIS] VERS. 15. *Fornicati fuerint*, id est, deos siue idola coluerint. Sæpè Script. maximè in Prophetis, idololatriam vocat fornicationem, eò quòd homines diuitiarum, voluptatum & licentioris vitæ spe ac libidine cæci, à Deo recedentes, idolis quasi amatoribus se corrumpendos subijcerent & traderent. vide c. 2. & 3. Ieremiæ, & c. 16. Ezech. *Idololatria est fornicatio animæ.*

E contrario Apostolus 2. Corinth. 11. 2. fidelibus ritè Deum colentibus ait: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

VT COMEDAS DE IMMOLATIS] itaque alliciaris ad immolandum. nam comedere idolothyta non est per se malum, nisi fiat eo modo, v.g. inter ipsa sacrificia in idolijs, vt censeatur quis hoc ipso consentire ipsi sacrificio idolis immolato. est tamen malum & illicitum per accidens, videlicet propter periculum, aut conscientiam errantem, aut scandalum: quod maximè locum habebat apud Iudæos. vide de idolothytis dicta initio c. 8. epist. 1. ad Corinth. Reliquæ leges hîc summatim iterantur ex c. 23. vbi eas explicui.

DIE SEPTIMO CESSABIS ARARE ET METERE] VERS. 21. q.d. Etiamsi tempus messis aut arationis sit, quod præ alijs maximè operosum esse solet, sabbato tamen cessabis, nec eo metes vel arabis. patet ex Hebræo.

SOLEMNITATEM HEBDOMADARVM FACIES TIBI IN PRIMITIIS FRVGVM] q.d. Celebrabis festum pentecostes post hebdomadem hebdomadarum, id est post 7. hebdomadas, putà post 49. dies, quinquagesimo die à paschate, in eoque offeres primitias panum Deo. VERS. 22.

ET SOLEMNITATEM, QVANDO REDEVNTE ANNI TEMPORE CVNCTA CONDVNTVR] scilicet festum collectæ in mense 7. quo annus priscus & vulgaris incipiebat, de quo c. 23. v. 16.

CVM DILATAVERO TERMINOS TVOS] cùm latos quos promisi tibi dedero terminos: quod factum est statim tempore Iosue post primam quietem à bellis itaque, vt hinc colligitur, ante hanc quietem non obligabantur Hebræi hoc præcepto, eundi ter in anno ad tabernaculum, idque quia iter periculosum erat, & quia ipsi adhuc bellis cum indigenis distinebantur. VERS. 24.

NVLLVS INSIDIABITVR TERRÆ TVÆ, ASCENDENTE TE, ET APPARENTE IN CONSPECTV DOMINI DEI TVI TER IN ANNO] Hebr. est, *nullus concupiscet terram tuam*, vt videlicet eam te absente inuadat, eique insidietur; q.d. Ne metuas hostes cùm obedis legi meæ, vt ascendas, id est eas ad Sanctuarium meum, quasi illi te absente vrbes, masculis & bellatoribus vacuas inuasuri sint: ego enim illos frænabo & diuertam, vt eam nec concupiscant, nec cogitent. ita Abulens.

NON IMMOLABIS SVPER FERMENTO] cum fermento. vide dicta cap. 23. v. 18. VERS. 25.

NEQVE RESIDEBIT MANE DE VICTIMA SOLEMNITATIS PHASE] q d. Non remanebit quidquam ex agno paschali in crastinum, siue in po-

ſterum manè, ſed eodē die quo agnum immolabitis, eumdem totum comedetis. vide dicta c.12.20.

Vers. 27. Scribe verba hæc] hæc præcepta cæremonialia iam à me repetita, cùm deſcenderis de monte, ſcribe in libro quopiam, in perpetuam memoriam cultus mei & fœderis. ita ſcripſit ea Moſes hîc in libro Exodi.

Qvibvs] Hebr. *iuxta quorum os*, id eſt tenorem & rationem, inij tecum & cum populo tuo fœdus, vt videlicet illi ſint populus mihi deuinctus hoc cultu, & his cæremonijs; ego viciſſim ſim eorum Deus, tutor & prouiſor.

Vers. 28. Fvit ergo ibi cvm Domino qvadraginta dies] Eſt ſecunda hæc Moſis manſio & ſtatio in monte Sina per 40. dies Prima enim totidem dierum fuit, c.24.v.vlt. in qua dicta & geſta ſunt ea, quæ narrantur à c.24.v.vlt. ad c.31.v.15. Secunda verò hæc cœpit poſtridie quàm Moſes ex prima deſcenderat: poſtridie enim rurſus aſcendit in Sina, ibique manſit 40. dies. Hæc ſecunda Moſis ſtatio continet dicta à v.31. cap.32. hucuſque. colloquia ergo præcedentia Dei cum Moſe, quæ hactenus narrata ſunt, contigerunt ſpatio horum 40. dierum, quibus ſecundò Moſes manſit in monte, vt ex hoc loco patet.

Chronolog. 40. dierum quibus ſecundò Moſes fuit in Sina.

Nota. Moſes primò aſcendit in montem, ſtatim à data lege in pentecoſte. putà poſtera die (vti colligitur Exodi 24. v.12.) quæ fuit ſeptima menſis tertij. data eſt enim lex die ſexta menſis tertij: inde Moſes manſit cum Deo in monte 40 dies, mox deſcendit cum tabulis legis, quas à Deo acceperat, eaſq; viſo vitulo confregit 17 die menſis quarti: poſtera, ſcilicet 18. die rurſum aſcendit ad Deum in Sina, vt patet c.32.v.30.& 31. ibique rurſum manſit alios 40. dies, vt patet c.34.28. quibus euolutis accepit à Deo ſecundas legis tabulas, cum iiſque cornutus deſcendit ad populum 28. die menſis quinti.

Panem non comedit, et aqvam non bibit] id eſt, nihil omnino cibi ſumpſit, ſola oratione & Dei alloquio viuens. Solent enim Hebræi duabus partibus, ſiue rebus neceſſarijs & ſufficientibus ad famem & ſitim leuandam, videlicet aqua & pane, ſignificare omnem cibum. ita S.Auguſt. q.165.& S.Hieron in Iſaiæ 3. Ieiunauit ergo Moſes bis 40. dies, videlicet ſemel ante primam, & ſecundò ante ſecundam tabularum legis conſcriptionem & acceptionem: de qua ieiunij diſpoſitione & virtute, vide S.Maximum homil.3. de ieiunio Quadrageſimæ, S.Hieron. l.2. contra Iouin. Chryſoſt. ſerm.1. de ieiunio, Cyprian. tract. de ieiunio & tentationibus Chriſti, & præ omnibus S Baſil. ſerm.1. de ieiunio, & ex eo S.Ambroſ. l. de Elia & ieiunio. Audi pauca è multis.

Ieiunium, ait S.Hieron. ad Demetriad. *non ſolùm perfecta eſt virtus, ſed & cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio, & pudicitia atque prudentia, ſine qua nemo videbit Deum.* S.Ambr. ſerm. de Quadrageſ. *Fames*, ait, *amica eſt virginitati, inimica laſciuiæ: ſaturitas verò prodigit caſtitatem, nutrit illecebram.* Et rurſum: *Ille*, ait, *quadrageſimam facit, qui ieiunando & vigilando aſcendit ad paſcha. Nam ſicut reliquo anno ieiunare præmium eſt, ita in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt ieiunia, iſta neceſſaria: illa de arbitrio veniunt, iſta de lege: ad illa inuitamur, ad iſta compellimur.* Nota præceptum ieiunij quadrag. tempore S.Ambroſij. Chryſoſt. in c.6. Matth. *Sicut*, ait, *nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite: ita nec oratio ſine ieiunio,*

A *nec ieiunium ſine oratione.* S.Baſil. *Ieiunium*, inquit, *eſt ſimilitudo hominum cum angelis.* Rurſum Chryſoſt. *Ieiunium eſt alimentum animæ.* S. Auguſt. *Ieiunium*, ait, *purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis lumen accendit.* S.Athanaſ. tract. de Virginitate: *Vide*, inquit, *quid faciat ieiunium, morbos ſanat, diſtillationes exſiccat, dæmones fugat, malas cogitationes expellit, mentem reddit nitidiorem, cor purgatius, & corpus ſalubrius.* S.Ambroſ. de Elia & ieiunio: *Ieiunium*, ait, *eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis, hoc gradu tamquam curru Elias aſcendit.* Petrus Rauennas ſerm. de ieiunio: *Ieiunium*, ait, *ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtrum, murum Spiritus ſancti, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum.*

B S.Gregorius: *Quoniam*, inquit, *à paradiſi gaudio per cibum cecidimus, quantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus.* Exempla & præmia ieiunantium attuli Geneſ. 9.21 & hîc c.24.v.18.

Et scripsit in tabvlis verba foederis decem] Putà, 10. præcepta decalogi in tabulis lapideis ſcripſit, non Moſes, vti voluit S.Cyprian. tract. de Spiritu S.& S.Auguſt. qu.116. ſed Deus. Nam licet de Moſe proximus præceſſerit ſermo, hîc tamen de Deo eſt. quod licet Latinis nouum videatur, tamen Hebræis non eſt, qui ſæpè vel intelligunt verbi ſuppoſitum, vel remotius aliquod aſſciſcunt, maximè ſi id notum ſit, aut aliàs nominatum. Sic hîc ex eo quòd v 1. dixit Dominus, ſe ſcripturum in tabulis hiſce legem, manifeſtum relinquitur, id quod hîc dicitur *Scripſit ergo*, de Domino, non de Moſe accipiendum eſſe. Deinde id

C ita eſſe omnino patet Deut. 10. v.1.2.3 4 vbi eadem hæc hiſtoria repetitur, diciturque Dominus ſcripſiſſe legem, non Moſes.

Cvmqve descenderet Moyses de monte Sinai tenebat dvas tabvlas, et ignorabat qvod cornvta esset facies sva ex consortio sermonis Domini] Nota Primò Deus Moſi & Hebr. tabulas legis daturus, & cum Moſe hac de re in Sina colloquens, quaſi ſol radiantiſſimus Moſi ſuam gloriam, id eſt radios ſuæ lucis afflauit adeò fulgidos, vt Hebræi in faciem Moſi, quaſi in alterum ſolem intueri non poſſent, ſed ab eo facies ſuas auertere cogerentur. Hinc Moſes, vt cum eis loqui poſſet, velo faciem & gloriam ſuam velabat. vnde ait, *Ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua.* Vers. 29.

Moſes ex colloquio Domini accepit cornua, id eſt radios lucis.

Vbi Nota Secundò. Bene Interpres noſter vertit, *cornuta*. verbum enim קרן *karan*, ſignificat pro-

D priè cornutum eſſe; non verò radiare, vt quidam confingunt: ſicuti nomen קרן *keren*, ſignificat tantùm cornu, idque penè in omnibus linguis.

Nota Tertiò. cornutum hîc metaphoricè accipitur: non enim cornua habebat in fronte Moſes, vti ei affingunt pictores; ſed ita lucida erat facies eius, vt radios luminis vibraret, eiuſque quaſi cornua emitteret. vnde Chaldæus non verba, ſed ſenſum reddens ait: *Ignorabat Moſes quòd multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui.* & Septuag. οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος, vel, vt alij legunt, χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, id eſt, *non ſciebat Moſes quòd glorificatus fuerat aſpectus coloris*, vel *cutis faciei ſuæ*. Septuag. ſequitur S.Paulus 2 Cor.3.7. qui hæc cornua vocat *gloriam vultus Moſis*. Ex iiſdem Septuag. in Officio Eccleſiaſtico transfigurationis Chriſti canitur: *Glorificata eſt facies Moſis*. vnde conij-

coniicias, priscam editionem S. Scripturæ, qua vsa fuit Ecclesia ante S. Hieron. fuisse Septuag. interpretum. Porro hi radij Mosis vocantur *cornua*: quia ita perstringebant & siderabant oculos Hebræorum, vt quasi cornibus feriri & transfigi viderentur. Adeò enim ijs percellebantur, vt præ terrore retrocederent, & radijs hisce quasi repercussi, vim eorum non sustinentes, diffugerent. Idque hoc fine, vt Mosen legislatorem legemque ei à Deo datam reuererentur & formidarent, nec eam ampliùs transgredi auderent. Cornua enim sunt symbolum, Primò, principatus & regni, iuxta illud psal. 131.17. *Illuc producam cornu* (id est robur & regnum) *Dauid*. Et de Iosephi posteris, putà regibus nasciturís ex Ephraim, eius filio, ait Moses Deuter. 33.17. *Cornua rhinocerotis cornua illius, in illis ventilabit gentes*. Hisce ergo cornibus Deus Mosen in ducem & legislatorem auctorauit, & quasi principatus insignibus decorauit,

Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Gestantemq; sacris iura superna libris.

Hinc & cornua hæc fuere non ossis, sed lucis; quia *lex* quam ex Deo quasi legislator daturus erat, est *lux*, eaque cælestis & diuina. Prou. 6.23.

Secundò, cornua Mosis significarunt legem eius minacem fore & terribilem, quasi Moses cornutus, cornibus suis impetiturus esset eos, qui legem violarent, infligendo eis pœnam mortis. Lex enim vetus fuit rigoris & terroris; sicut noua è contrario est gratiæ & amoris.

EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI] Hinc patet hæc lucis cornua, id est hos radios afflatos esse Mosi ex consortio Dei, maximè quando transiuit gloria Dei ante foramen petræ, & inclamauit: *Dominator Domine*, hoc c. v. 6. Petierat enim Moses videre faciem Domini, secum loquentis per nubem; sed respondet Deus, *Posteriora mea* (id est dorsum meum in corpore per angelum assumpto) *videbis: faciem autem meam* (vtpote nimis radiantem) *videre nō poteris*. Posuit ergo Deus, vel potiùs angelus Dei vices gerens; Mosen in spelunca, eamque nube texit, sicque coram Mose transiuit in corpore glorioso & lucidissimo à se assumpto; & cùm iam transisset, amouit nubem, vt Moses Domini, vel potiùs angeli tergum (in quo lux erat temperatior quàm in facie) conspiceret; tunc ergo tergum Domini mirificè radians, Mosen intuentem ita perstrinxit, vt quasi cornua luminis ei affixerit. Nam inde vel maximè radiasse faciem Mosis patet, quòd prima vice, quando totidem diebus collocutus cum Domino accepit primas tabulas, Exodi 31.15. nihil de eiusmodi radijs legamus: similiter nec in secundo hoc colloquio proximè ante illam Dei visionem, cùm Moses descenderet de monte tabulas ad Deum allaturus v. 3. & 4. quod contigit die 39. mansionis secundæ in Sina, nihil tale narretur. Verisimile est ergo in splendidissima & eminentissima illa iam dicta visione, Mosen eos contraxisse, eique afflatos fuisse, scilicet vltimo & 40. die quo cum Deo fuit in Sina, quoque ab eo secundas legis tabulas accepit. idque Primò, vt amorem suum erga Mosen declararet Deus, amoremque amori rependeret. Secundò, vt legem Israelitis promulgandam, certissimo hoc charactere diuinam, & à Deo manantem ostenderet, terroremque incuteret, ne eam deinceps violare auderent; hanc causam assignat Apostolus 2. Corinth. 3.7. Tertiò, vt auctoritatem Mosi apud populum conciliaret.

Cur Mosi cornua affixit Deus? Prima causa.

Secunda.

Tertia.

A Quartò, vt vim & fructum orationis ostenderet. *Quarta.*

Quamdiu durarit hic vultus eius splendor, Script. non exprimit. Abulens. iisdem rationibus iam dictis putat ad mortem Mosis perdurasse, ideoque Mosen post primum cum populo colloquium, deinceps vsque ad mortem velasse faciem suam cùm populum alloqueretur. Sic etiam sentit Ambr. in ps. 118. qui & allegoricā prosequitur causam: Moses, inquit, id est lex vetus, semper habuit velamen; Iesus, seu Iosue, eius successor nullum habuit: Christus enim abstulit omne legis velamen, vt ait Apostolus 2. Cor. 3.14. Hanc sententiam innuit quoque Illustriss. Bellarm. l. 2. de Reliq. Sanct. c. 4.

Cornua hæc Mosis an fuerint perpetua?

Moral. Nota. Deus est lux immensa & increata, fons omnis lucis & luminis. hinc lux nobilissima & cælestis est qualitas, qua Deus cùm apparuit, suam maiestatem repræsentauit. *Lumen*, ait S. Dionys. de B Diuin. nom. *ex ipso bono est, & bonitatis imago. Ideò ipsum bonum luminis cognomento laudatur, tamquam imagine quadam exemplar expressum.* Hinc qui cum Deo versantur, & orātes cum eo sæpè colloquuntur, instar Mosis radijs Dei afflantur, fiuntq; lucidi in anima, & subinde in facie & corpore. Ita Christus in oratione transfiguratus est, & resplenduit facies eius sicut sol, ita vt suis radijs collustraret nō tantùm Eliam & Mosen, sed & Petrum, Iacobum & Ioannem. Petrus enim hoc splendore & gaudio exultans, & quasi ebrius clamabat: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Mosi vnam, & Eliæ vnum.* Ita S. Antonij in oratione pernoctantis facies assiduè splendebat, vt ex sola vultus luce & lætitia, inter tot millia monachorū agnosceretur Antonius: videbatur enim esse quasi quidam sol inter stellas. Ita S. Franciscus oratione C feruenti sublatus in aëra, radiabat & feruebat, adeoque ex se flammas & ignes vibrare videbatur. Ita S. P. N. Ignatius à S. Philippo Nerio, & alijs sæpè visus est vultu supra humanū augusto & fulgido. Ita radiabat facies augusta B. Virginis, ex assidua conuersatione cum Deo, & Verbo incarnato, vt dea quædam esse videretur, teste S. Dionysio. Porrò hi lucis radij habebant speciem cornuum, vt significarent, per orationē Sanctos luce diuina, non tantùm collustrari, sed & fieri cornutos, id est constantes, fortes, robustos, inuictos ad toleranda omnia dura, æquè ac ad aggrediendum ardua quælibet. Ita per orationem roborata fuit S. Anna mater Samuelis, de qua dicitur 1. Reg. 1.18. *Vultusq; illius non sunt ampliùs in diuersa mutati.* q. d. Eodem sibi semper constanti vultu deinceps excepit tam laudes Helcanæ, quàm sannas Phenennæ; tam dura, quàm dulcia; tam aduersa, quàm prospera. D

Moral. oratio facit lucidos.

VIDENTES AVTEM AARON ET FILII ISRAEL CORNVTAM MOYSI FACIEM, TIMVERVNT PROPE ACCEDERE] quia scilicet non valebant figere aciem oculorum, in vultum eius ita fulgidum, siue in iubar hoc faciei eius, & quia reuerebantur Mosen, quasi diuinum iam hisce radijs effectum: latebant verò hi radij ipsum Mosen, quia ipse absorptus erat visione & colloquio Dei, nec poterat intueri vultum suum nisi in speculo, quod si intuitus fuisset, vidisset vtique & hos sui vultus radios. Vers. 30.

ET POSTQVAM LOCVTVS EST AD EOS (putà Moses ad Aaron & principes populi) VENERVNT AD EVM ETIAM OMNES FILII ISRAEL] iam ex timore confirmati, cùm vidissent Aaronem & principes cum Mose colloqui. Vers. 31. & 32.

IMPLETISQVE SERMONIBVS POSVIT VELAMEN Vers. 33.

MEN SVPER FACIEM SVAM] Ex hoc loco colligitur, quòd Moses præcepta Dei populo promulgauit, primo colloquio aperta facie & radiante, ob maiestatem, reuerentiam & testimonium legis: sed post primam illam promulgationem, deinceps quando loquebatur cum populo, velabat faciem, vt colloquij liberioris daretur copia: quando verò tabernaculum adibat, de quo c. 33. v. 8. collocuturus cum Domino, velum auferebat.

Allegor. Allegoricam huius velationis causam dat Apo- A stolus 2. Cor. 3. v. 14. 15. 16. Iudæis enim vetus testamentum est velamine obductum, vt non videant internam eius lucem noui testaměti & Christum, eo contenta & repræsentata. hoc velamen nobis in lege noua Christus abstulit, & auferet in fine sæculi à Iudæis, ad fidem Christi conuertendis.

Tropolog. Tropolog. S. Gregorius p. 3. Pastor. c. 5. vt prædicator, inquit, auditori se attemperet necesse est; alta enim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri.

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Refert Moses ad populum mandata Dei de sabbato, primitijs, & maximè de oblatione & fabricatione tabernaculi. Hinc v. 20. Israelitæ liberaliter offerunt omnem materiam tabernaculo necessariam. Denique v. 30. designantur artifices tabernaculi Beseleel & Ooliab.

1. IGitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt quæ iussit
Dominus fieri. 2. Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus,
sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur. 3. Non succendetis
ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati. 4. Et ait Moses ad omnem
cateruam filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens: 5. Separate
te apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domi-
no: aurum & argentum & æs, 6. hyacinthum & purpuram, coccumq; bis tinctum,
& byssum, pilos caprarum, 7. pellesque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna setim,
8. & oleum ad luminaria concinnanda, & vt conficiatur vnguentum, & thymiama
suauissimum, 9. lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & ratio-
nalis. 10. Quisquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperauit:
11. Tabernaculum scilicet, & tectum eius, atque operimentum, annulos, & tabulata
cum vectibus, paxillos & bases: 12. Arcam & vectes, propitiatorium & velum, quod
ante illud oppanditur: 13. Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus:
14. Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutri-
menta ignium: 15. Altare thymiamatis, & vectes, & oleum vnctionis & thymiama
ex aromatibus: Tentorium ad ostium tabernaculi: 16. Altare holocausti, & craticu-
lam eius æneam cum vectibus & vasis suis: labrum & basim eius: 17. Cortinas atrij
cum columnis & basibus, tentorium in foribus vestibuli, 18. paxillos tabernaculi &
atrij cum funiculis suis: 19. Vestimenta, quorum vsus est in ministerio sanctua-
rij, vestes Aaron pontificis ac filiorum eius, vt sacerdotio fungantur mihi. 20. Egres-
saque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, 21. obtulerunt mente
promptissima atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testi-
monij. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat, 22. viri cum mu-
lieribus præbuerunt, armillas & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in do-
naria Domini separatum est. 23. Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coc-
cumque bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas,
24. argenti ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignaq; setim in varios vsus. 25. Sed
& mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac
byssum, 26. & pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes. 27. Principes
verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale & rationale,
28. aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum,
ac thymiama odoris suauissimi componendum. 29. Omnes viri & mulieres mente
deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera quæ iusserat Dominus per manum Moysi.
Cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicauerunt. 30. Dixitque Moyses ad filios
Israel: Ecce, vocauit Dominus ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur de tribu Iuda.
31. Impleuitque eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia & omni doctri-
na, 32. ad excogitandum, & faciendum opus in auro & argento & ære, 33. sculpen-
disque lapidibus, & opere carpentario. quidquid fabrè adinueniri potest. 34. dedit
in corde eius: Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan: 35. ambos erudiuit
sapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij, de hyacintho ac purpura,
coccoque bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac noua quæque reperiant.

SEPTI-

VERS. 2. SEPTIMVS DIES ERIT VOBIS SANCTVS, SABBATVM ET REQVIES DOMINI] Disce hîc quanta fuerit sabbati cura & religio, quam toties hîc inculcat Deus, quantaque Dominicæ & festorum religio debeat esse Christianis.

QVI FECERIT OPVS IN EO, OCCIDETVR] Hebr. יומת *iumat*, id est morietur, scilicet per sententiam iudicis, vel per Deum, qui occulto vel casuali modo illi mortem asciscet.

VERS. 3. *Sabbato non licebat accendere ignem ad coquendum, sed bene ad se calefaciendum.* NON SVCCENDETIS IGNEM IN OMNIBVS HABITACVLIS VESTRIS PER DIEM SABBATI] *Non in omnibus*, id est nullis. Tanta religio & quies erat sabbati, vt eo ne vel ignem struere & accendere liceret, intellige ad coquendum cibos. nam in paschate & alijs festis licebat cibos coquere, ideoque ignem accendere, vt patet cap. 12. v. 16. hoc autem non licebat in sabbato. ita Abulens. Caietan. & R. Abraham ben Esra, contra quem alij Rabbini librum scripserunt, quem vocarunt Sabbatum, eò quòd sabbati contra eum loquentis, eumque quasi hæreticum damnantis personam inducant. censent enim Rabbini, sabbato non licuisse accendere ignem vlla de causa, etiam frigoris, ad se calefaciendum. Sed hi nimis religiosi vel superstitiosi videntur. Vnde addunt ipsi, non solùm non esse struendum ignem die sabbati, sed neque ex lapide aut metallo eliciendum, neque fouendam lampadem, nisi fortè propter infirmum. & vt nunquam nugari desinant, interpretantur si propter vim frigoris ignis accendi debeat, non esse folle, sed arundine sufflandum. Vide hîc quàm lex vetus seruorum fuerit dura & rigida, lex verò noua filiorum sit blanda & facilis.

VERS. 5. SEPARATE APVD VOS PRIMITIAS DOMINO] *Primitias*, id est primam vestram oblationem (nullam enim publicam & communem hactenus fecistis) & prima vestra dona, quæ Domino oblaturi estis pro fabrica tabernaculi. Horum donorum omnium tropologiam pete à S. Gregor. 30. Moral. 10. & Origene homil. 13. Vide dicta c. 25.

Nota. Deus hîc ab oblatione sua, & ab obsequio tabernaculi neminem, quantumuis pauperem vel miserum, excludit. Qui enim non poterat aurum, argentum, coccum, poterat saltem pelles, vel pilos caprarum offerre: qui nec hoc, poterat saltem eos nere, afferre & referre, alijsque modis artificibus & fabris tabernaculi subseruire. Pulchrè B. Ægidius socius S. Francisci: *Si gratiam*, inquit, *in precibus sentis, ora vt augeatur: si non sentis, ne cesses idcirco à precibus. gratos enim habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ei iuxta præceptum legis offerebantur.*

VERS. 8. ET VT CONFICIATVR] Subaudi, offerat quilibet materiam cap. 25. præscriptam, putà aromata, vt hîc dicitur in Hebræo, & Noster exprimit vers. 28. ad conficiendum vnguentum consecrationis sacerdotum, & ad thymiama componendum. nam thymiama non fiebat ex oleo, sed ex stacte, onycha, galbano & thure. Erat ergo oleum pro lucernis: erat & oleum in vnguento consecrationis sacerdotum & tabernaculi. hoc enim vnguentum fiebat ex myrrha, cinnamomo, calamo, casia & oleo oliuarum. Vide Exodi 30. v. 23. & sequent.

QVISQVIS SAPIENS EST] quisquis peritus & industrius artifex. VERS. 10.

ET FACIAT QVOD DOMINVS IMPERAVIT; TABERNACVLVM SCILICET, ET TECTVM EIVS, ATQVE OPERIMENTVM] *Tabernaculum* vocat ipsum Sanctuarium cortinis decem, factis ex bysso, purpura, cocco & hyacintho, obuelatum & obtectum. quod hebr. dicitur מִשְׁכָּן *miscan*. *Tectum* verò, quod hebr. dicitur אהל *ohel*, vocat secundum velum, siue sagum cilicinum, quod factum erat ex pilis caprinis. Denique *operimentum*, quod hebr. dicitur מִכְסֶה *michse*, vocat tertium velum ex pellibus arietum rubricatis, & quartum ex pellibus ianthinis. ita Caietanus & Lipoman. VERS. 10. & 11.

TABVLATA] tabulas connexas instar tabulati, idque à triplici latere tabernaculi. in longum enim erat tabulatum, siue connexio tabularum ad triginta cubitos, in latum verò erat tabulatum ad decem cubitos. VERS. 11.

PAXILLOS] Hebr. *columnas*, quæ hîc à Nostro vel paxilli vocantur, quia paruæ erant, & acuminatas habebant bases instar paxillorum, vt possent terræ infigi: vel certè eas sub paxillis comprehendit. columnis enim affixi erant paxilli, & ex paxillis vela suspendebantur.

TENTORIVM] id est velum. VERS. 17.

SED ET MVLIERES DOCTÆ, QVÆ NEVERANT, DEDERVNT] *Doctæ*, id est nendi peritæ & sapientes artifices, putà netrices & textrices. hæc enim est doctrina & sapientia mulierum. VERS. 25.

HYACINTHVM] netum seu filatum hyacinthi, putà lanæ violaceæ. Sic & purpuram, vermiculum & byssum intellige, non lanam, vel linum, sed netum, siue stamen talis lanæ vel lini.

VOLVNTARIA] vltronea & spontanea dona. VERS. 29.

DEDIT IN CORDE EIVS] Hoc est, docuit eum, vel *dedit in corde eius*, intellige scientiam, aut potiùs artem & cognitionem, ac praxin artificialem fabricandi, suendi, texendi, &c. Hebraicè est, *& ad docendum dedit in corde eius*, id est tam perfectè docuit eum, vt & alios posset docere. Alij vertunt, *facilem & propensum eum fecit ad docendum alios.* contrà ac faciunt plerique insignes artifices, qui suas artes & praxes ægerrimè alijs communicant, easque secum intermori sinunt, itaque & se merito ac gloria, & remp. suis commodis & ornamentis priuant. VERS. 34.

OOLIAB QVOQVE] Intellige quod de Beseleel socio eius dixit, videlicet, vocauit & impleuit sapientia.

VT FACIANT OPERA ABIETARII] Hebr. *vt faciant opera fabri*, scilicet lignarij, vt superiùs dixi. VERS. 35.

POLYMITARII AC PLVMARII] Hîc distinguit hæc duo, quæ superiùs indifferenter vsurpauit, vt scilicet phrygio vel plumarius sit, qui acu variè pingit: polymitarius, vel, vt hebraicè est, *cogitans cogitationes*, fit, qui textura ingeniosa varia intexit & efformat, vt fit in tapetibus. ita Abul. & Lipom.

CA-

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PLus offerunt Hebræi quàm opus sit ad tabernaculum: vnde vetat Moses plura offerri. Secundò, v. 8. fabricatur tabernaculum, putà decem cortinæ polymitæ, saga cilicina, operimenta ex pellibus, & v. 20. tabulæ, v. 31. vectes, v. 35. vela ante Sanctum sanctorum & ante Sanctum.

1. FEcit ergo Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum, vt scirent fabrè operari quæ in vsus Sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus. 2. Cumq; vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, 3. tradidit eis vniuersa donaria filiorum Israel. Qui cùm instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat. 4. Vnde artifices venire compulsi, 5. dixerunt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est. 6. Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat vltrà in opere Sanctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, 7. eò quòd oblata sufficerent & superabundarent. 8. Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita: 9. quarum vna habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor, vna mensura erat omnium cortinarum. 10. Coniunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque sibi inuicem copulauit. 11. Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinæ vnius ex vtroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter, 12. vt contra se inuicem venirent ansæ, & mutuò iungerentur. 13. vnde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, & fieret vnum tabernaculum. 14. Fecit & saga vndecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi: 15. vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor: vnius mensuræ erant omnia saga: 16. quorum quinque iunxit seorsim, & sex alia separatim. 17. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibi inuicem iungerentur. 18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, vt vnum pallium ex omnibus sagis fieret. 19. Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamentum de pellibus ianthinis. 20. Fecit & tabulas tabernaculi de lignis setim stantes. 21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius: & vnum ac semis cubitum latitudo retinebat. 22. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, vt altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. 23. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrum, 24. cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub vna tabula ponebantur ex vtraque parte angulorum, vbi incastraturæ laterum in angulis terminantur. 25. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas, 26. cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas. 27 Contra Occidentem verò, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas, 28 & duas alias per singulos angulos tabernaculi retrò: 29. quæ iunctæ erant à deorsum vsque sursum, & in vnam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex vtraque parte per angulos: 30. vt octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis. 31. Fecit & vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi, 32. & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. 33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum perueniret. 34. Ipsa autem tabulata deaurauit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent: quos & ipsos laminis aureis operuit. 35. Fecit & velum de hyacintho & purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum: 36. & quatuor columnas de lignis setim quas cum capitibus deaurauit, fusis basibus earum argenteis. 37. Fecit & tentorium in introitu tabernaculi, ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarij: 38 & columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

Vota

VERS. 3. VOTA (voluntaria munera) POPVLVS OFFEREBAT] Ita Chaldæus.

VERS 6. IVSSIT ERGO MOYSES PRÆCONIS VOCE CANTARI] Hebr. *transire fecit Moses vocem per castra*, id est præconis tuba & voce edixit.

VERS. 14. AD OPERIENDVM TECTVM TABERNACVLI] id est, ad fabricam tecti, siue ad integrandum tectum, quod operiret & tegeret tabernaculum: nã, vt dixi cap. 35. v. 11. *miscan*, id est tabernaculum, præcisè vocatur hic infimum tabernaculi, putà cortinarum polymitarum, velum: secundum verò è pilis caprinis, quod primum polymitum operiebat, vocatur tectum, hebr. *ohel*. sicut tertium vocatur *michse*: quod erat operimentum è pellibus.

Est hîc Hebraica repetitio minuta & particularis omnium quæ Dominus iussit fieri c. 25. 26. 27. 28. 30. vt ea hic facta & perfecta esse doceat. Similis repetitio vsitata est apud Orientales, aliosque populos, vt videre est apud Moscouitas, qui quoties Ducem vel principem alloquuntur, toties seriatim longo ordine omnes eius titulos iterant & repetunt.

Nota. Noster Interpres in hac repetitione non reddit verbum verbo, sed sensum, repetitionemque Hebræam breuiter complectitur, quædam etiam per explicationem è suprà dictis accersit. hoc enim permittitur libertati, ingenio & dispositioni interpretis.

VERS. 18. QVIBVS NECTERETVR TECTVM] *Tectum*, id est secundum velum, siue sagum cilicinum tegens tabernaculum, vti dixi v. 14.

VERS. 33. FECIT QVOQVE VECTEM ALIVM] Huius vectis nullam mentionem fecit Interpres noster c. 26. 28. Septuag. tamen & alij eius mentionem ibi fecerunt. nã in Hebræo eadem penè sunt verba ibi, quæ hîc, nisi quòd ordo verborum nonnihil sit immutatus, & hîc addatur articulus אֶת *et*, quasi certum alium designans vectem.

Est ergo hic alius à præcedentibus vectis, qui transibat per ipsas tabulas, scilicet earum crassitiem interiùs penetrando. erant enim hæ tabulæ crassiores: vnde Septuag. eas vocant columnas. ita Lyran. Hugo, Abulens. Carthus. Reliqui enim vectes non interiùs, sed exteriùs dorsa tantùm tabularum transibant, per annulos ad hoc dorso tabularum affixos. Fuit autem hic vectis, vt rectè aduertit Abulens. à latere Occidentali tabernaculi, quod tegebat Sanctum sanctorum, illud enim latus solùm habebat angulos. positus ergo est hic vectis, vt omnia latera tabernaculi firmiùs simul astringeret sibi. Huius vectis meminit & Iosephus libr. 3. c. 5. vbi enumeratis tabernaculi vectibus, ait præterea post tergum vnum fuisse ordinem vectium, putà qui per omnes tabulas iret, quo per vncinos vtriusque parietis latera continebantur.

IPSA AVTEM TABVLATA (id est tabulas, quæ connexæ erant instar tabulati) DEAVRAVIT. VERS. 34.

QVAS CVM CAPITIBVS DEAVRAVIT] Ita vt columnæ tantùm obducerentur auro, siue laminis aureis, capita verò essent aurea, vti Deus iusserat Mosi c. 26. 32. VERS 36.

FECIT ET TENTORIVM] *Tentorium* hîc & in seq. idem est quod velum. VERS. 37.

QVAS OPERVIT AVRO] Intellige similiter ex eodem c. 26. 37. ita vt columnæ tegerentur aureis laminis, capita verò essent aurea, nimirum vt claui vel capita columnarum essent ex auro, columnæ verò tegerentur cælaturis, siue circulis aureis in gyrum euntibus: sicuti columnæ atrij argenteis eiusmodi gyris circumdabantur. Patet ex Hebræo: atque sic iusta erat omnium proportio, cùm scilicet columnæ atrij argenteis spiris ornarentur, tabernaculi aureis; Sancti sanctorum verò (vtpote quæ intimæ & viciniſſimæ erant oraculo) aureis, non spiris, sed laminis tegerentur. VERS. 38.

Regia Biblia in fine habent hæc vltima capitis verba: *Quas & operuit auro*. verùm hoc redundat: neque enim bases columnarum æneæ deauratæ fuerunt. reliqua vide c. 26.

CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fabricatur arca, propitiatorium, Cherubim. Secundò, v. 10. mensa, & v. 17. candelabrum, & v. 25. altare thymiamatis, ac pro eo thymiama componitur.

1. FEcit autem Beseleel & arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, & cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque vnius cubiti fuit & dimidij: vestiuitque eam auro purissimo intus ac foris. 2. Et fecit illi coronam auream per gyrum, 3. conflãs quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius: duos annulos in latere vno, & duos in altero. 4. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestiuit auro, 5. & quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam. 6. Fecit & propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidij in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine. 7. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex vtraque parte propitiatorij: 8. Cherub vnum in summitate vnius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorij, 9. extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seq; mutuò & illud respicientes. 10. Fecit & mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine vnius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem. 11. circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum, 12 ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eamdem, alteram coronam auream. 13. Fudit & quattuor circu-

circulos aureos, quos posuit in quattuor angulis per singulos pedes mensæ 14. contra coronam: misitq; in eos vectes, vt posset mensa portari. 15. Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim, & circumdedit eos auro. 16. Et vasa ad diuersos vsus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. 17. Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo De cuius vecte calami, scyphi, sphærulæq; ac lilia procedebant: 18. sex in vtroque latere, tres calami ex parte vna, & tres ex altera: 19. tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæq; simul & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæq; simul & lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. 20. In ipso autē vecte erant quattuor scyphi in nucis modū, sphærulæq; per singulos simul & lilia: 21. & sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte vno. 22. & sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant, vniuersa ductilia ex auro purissimo. 23. Fecit & lucernas septem cum emunctorijs suis, & vasa vbi ea quæ emuncta sunt extinguantur, de auro mundissimo. 24. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. 25. Fecit & altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos, & in altitudine duos: è cuius angulis procedebant cornua. 26. Vestiuitque illud auro purissimo, cum craticula ac parietibus & cornibus. 27. Fecitq; ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub corona per singula latera, vt mittantur in eos vectes, & possit altare portari. 28. Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, & operuit laminis aureis. 29. Composuit & oleum ad sanctificationis vnguentum, & thymiama de aromatibus mundissimis, opere pigmentarij.

VERS. 7. DVOS ETIAM CHERVBIM] Hinc patet duos tātùm fuisse Cherubim iuxta arcam, non quattuor, videlicet vnum ab vno latere, alium ab alio. vnde & Salomon in suo templo duos tantùm fecisse legitur. 3. Reg. 6. 23. Quod ergo hîc dicitur, duos Cherubim in singulis summitatibus, id est extremitatibus (hoc enim significat Hebræum קָצֶה katse) propitiatorij esse positos, intellige ex A eo quod præcessit, in singulis vnum, non duos fuisse positos. Id patet ex Hebræis quæ habent, *ex propitiatorio fecit Cherubim à duobus eius lateribus.* ita Abulensis.

VECTE] hastili, seu scapo candelabri. VERS. 17.

ÆQVVM ERAT OPVS SEX CALAMORVM] scilicet calamis, vel brachijs candelabri omnibus in eamdē altitudinem surgentibus. reliqua vide c. 25. & 30. VERS. 19.

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fabricatur altare holocausti, & v. 8. labrum æneum ex speculis mulierum, & v. 9. atrium cum suis columnis & velis. denique v. 24. numerantur talenta auri & argenti & æris, in fabricam tabernaculi oblata & insumpta.

1. Fecit & altare holocausti de lignis setim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine: 2. cuius cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis. 3. Et in vsus eius parauit ex ære vasa diuersa, lebetes, forcipes, fuscinulas, vncinos, & ignium receptacula. 4. Craticulamq; eius in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam, 5. fusis quattuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immitendos vectes ad portandum: 6. quos & ipsos fecit de lignis setim, & operuit laminis æneis: 7. induxitq; in circulos, qui in lateribus altaris eminebant Ipsum autem altare non erat solidum, sed cauum ex tabulis, & intus vacuū. 8. Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. 9. Fecit & atrium, in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum, 10. columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. 11. Æquè ad septemtrionalem plagam tentoria, colūnæ, basesq; & capita columnarū eiusdē mensuræ, & operis ac metalli, erant. 12. In ea verò plaga, quæ ad Occidentē respicit, fuerunt tentoria cubitorū quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, & capita columnarū, & tota operis cælatura, argentea. 13. Porrò contra Orientē quinquaginta cubitorū parauit tentoria: 14. è quibus, quindecim cubitos columnarū trium, cum basibus suis, vnū tenebat latus: 15. & in parte altera (quia inter vtraq; introitum tabernaculi fecit) quindecim æquè cubitorum erant tentoria, columnæq; tres, & bases totidem. 16. Cuncta atrij tentoria byssus retorta texuerat. 17. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed & ipsas columnas atrij vestiuit argento.

18. Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat, iuxta mensuram, quam cuncta atrij tentoria habebant. 19. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum & cælaturæ argenteæ. 20. Paxillos quoque tabernaculi & atrij per gyrum fecit æneos. 21. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonij, quæ enumerata sunt iuxta præceptum Moysi in ceremonijs Leuitarum per manum Ithamar filij Aaron, sacerdotis: 22. quæ Beseleel filius Vri, filij Hur, de tribu Iuda, Domino per Moysen iubente compleuerat, 23. iuncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui & ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo & bysso. 24. Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs, viginti nouem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum, ad mensuram Sanctuarij. 25. Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum à viginti annis & suprà, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta, armatorum 26. Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases sanctuarij, & introitus vbi velum pendet. 27. Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis. 28. De mille autem septingentis & septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas & ipsas vestiuit argento. 29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti suprà sicli, 30. ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonij, & altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa quæ ad vsum eius pertinent: 31. & bases atrij tam in circuitu quàm in ingressu eius, & paxilli tabernaculi atque atrij per gyrum.

VERS. 8. FECIT ET LABRVM ÆNEVM CVM BASI SVA DE SPECVLIS MVLIERVM] Pro *de speculis*, hebr. est בְּמַרְאֹת *bemarot*, id est in visionibus, vel in speculis. q.d. Fecit labrum ita tersum & politum, vt esset in speculum; quo scilicet intueri se possent mulieres, alijque conuenientes ad tabernaculum. ita Caiet. Verùm Hebræum ב *beth*, id est *in*, sæpè sumitur pro מ *min*, id est *ex*, *de*. vnde alij passim vertunt, *de speculis*. quod Primò, sic aliqui exponunt, non quòd labrum factum esset ex speculis, sed quòd haberet specula circum se pendentia, in quibus se specularentur & intuerentur sacerdotes, an maculis essent aspersi. Alij censent labrum factum esse ex speculis, id est ex integumentis æneis speculorum. ita Abulens. Sed inania sunt hæc omnia. nam Septuag. vertunt, ἐκ κατόπτρων, & Chaldæus, alijque passim per *marot* accipiunt specula, ex eisque propriè factum esse hoc labrum lauatorium censent. Neque mirum videri debet specula hæc facta fuisse ex ære: nam Plinius l. 33. c. 9 & l. 34. c. 17. docet olim optima specula fuisse Brundusina ex stãno & ære, diligentissimè terso & polito, sed postea prælata fuisse argentea. Aliqui probabiliter censent, specula hæc non confecisse totum labrum, sed ei circumcirca affabrè fuisse inserta, & quasi intexta. quod satis facile, concinnum videtur & elegans, dummodo fateamur ex his speculis constitisse labrum, non autem illa labro appensa fuisse dumtaxat vel annexa: simili enim modo calices aurei intexuntur adamãtibus, alijsque gemmis magno tum pretio, tum ornatu & elegantia. de ijs enim verè dici potest, quòd facti sint vel constent adamantibus, esto maiori ex parte constent auro.

Labrum factũ ex speculis mulierum.

Specula olim fiebant ex ære.

Nota hîc priscam deuotionem & ritum, quo sanctæ mulieres, præsertim cùm se totas Dei obsequio dicabant, sua specula & ornamenta, per quæ antè vanitati & mundo seruierant, iam conuersæ, secum pariter Deo consecrabant.

Matronæ piè olim sua ornamenta dicabant Deo.

Ita Sophia socrus, & Constantina vxor Mauritij Imp. coronam in ecclesia Deo obtulerunt.

Exempla.

A

Ita S. Ludgardis matrona sanctissima, iuxtà ac castissima, præter patrimonium, totum etiã mundum muliebrem, quem in diuite copia possidebat, ecclesiæ obtulit, vt diuinus cultus inde promoueretur.

Ita Pulcheria Arcadij filia, è patrimonio suo Virgini Deiparæ nobile templum ædificauit, in quo B. Virginis vestes cultu magnificentissimo asseruari curauit, easque gemmis, monilibus, ac etiam vestibus proprijs adornauit; itaq; ipsa tam sua, quàm se, suamque virginitatem B. Virgini deuouit, atque in aula religiosam egit vitam, cum sororibus regiis, & cum fratre Theodosio Imper. ac postea cum Marciano marito Imp. illæsa semper

B

virginitate; indeque ipsa imperium sub vtroque pijssimè & felicissimè administrauit. tanti dux femina facti. testis est Cedrenus, & alij.

De Paula Romana scribit S. Hieron. in eius epitaphio, eam vbi primùm se Deo dicasset, ornamenta sua omnia, atque adeò totum mundum muliebrem, in supellectilem sacram commutasse.

Idem fecit S. Elisabetha, filia Andreæ regis Hungariæ, & vxor Lantgrauij Thuringiæ, miræ sanctitatis matrona, pauperum mater & ancilla, vti videre est in eius Vita.

Audi & Gentiles. Liuia Augusti in Capitolio crystallum librarum circiter 50. dicauit: testis Plinius l. 37. c. 2. Cùm Romani pro decima prædæ

C

parte, craterem aureum Delphos mittere decreuissent, nec aurum eis ad manum esset, statim matronæ vltro aurea ornamenta corpori suo detracta, omnia octo talentorum pondere, ad donum accommodauerunt. Ideoque à senatu decretum est, vt in earum laudibus, funebris haberetur oratio. testis est Plutarchus in Camill.

Virgines ergo & feminæ Deo se dicantes abijciãt sua specula, quæ inseruiunt vitreæ carnis pulchritudini, eaque quasi anathêmata Deo deuoueant. Rectè virginitas apud Nazianz. in carmine ita suum habitum depingit:

Sordida cæsaries decor est mihi, vilis amictus.

Hinc S. Paula teste S. Hieron. si vidisset virginem aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitia arguebat errantem, dicens: *Munditiam corporis atque vestium, animæ esse immunditiam.* Quare virgines aliud sibi proponant speculum, quo mentem moresque suos imitando comant, videlicet B. Virginem, in qua, vt ait S. Ambros. l. 2. de Virgin. *velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis.* Verè S. Bernard. epist. 113. *Filiæ Babylonis*, inquit, *induuntur purpura & bysso, conscientia pannosa iacet; fulgēt monilibus, moribus sordet. Contrà tu Sophia virgo, foris pannosa, intus speciosa resplendes, sed diuinis aspectibus, non humanis. intus est quod delectat: quia intus est quem delectat.* Sileni imagines erant, quæ foris clausæ, ridiculam tibicinis speciem; apertæ, numen ostendebant. Talis fuit Socrates, inquit Alcibiades. Talis sit & virgo, foris vilis, intus formosa & diuina.

Virginum ornamentanō in veste, sed in mēte.

QVAE EXCVBABANT IN OSTIO TABERNACVLI] Pro *quæ excubabant*, Septuag. vertunt, *quæ ieiunabant*; Chaldæus, *quæ orabant*; Caiet. vertit, *exercituantes*. Hebræum צֹבְאֹת *tsoboth* propriè significat *quæ militabant*, vel *excubabant*. Erant ergo, inquit R. Abrahã, in Israel mulieres Deum colentes, quæ spreta mundi vanitate, soli Deo placere studentes, sua specula Domino offerebant, veniebátque per singulos dies ad ostium tabernaculi, vt orarent, & audirent Dei præcepta. quod postea fabricato solemni hoc tabernaculo, & præsertim extructo templo magis in vsu fuit: tunc enim certa ad ostium, vel in atrio tabernaculi habitatio constructa fuit huiusmodi pijs mulieribus, deditis orationi, ieiunio & seruitio tabernaculi: qualis fuit Anna prophetissa, Lucæ 2.37. & de hisce loquitur Script. 1. Reg. 2.22. & 2. Machab. 3.20. Inter has vixit & educata fuit B. Virgo, postquam triennis præsentata fuit in templo. Erat hic quasi cœtus religiosus feminarum deuotarum illius temporis, qui quasi typus erat & vmbra nostrarum Religiosarum, quæ meritò ab hisce originem & antiquitatem suam arcessere possunt. Quin & Gentiles similem instituerunt cœtum virginum, quæ excubarent in fanis, & sacrum Vestæ ignem custodirent: vnde & Vestales dicebantur.

Mulieres excubantes in tabernaculo quales?

Ergo militantium exercitus est, virginum religiosarũ multitudo, quæ in cœnobijs templisq; in ipso ætatis flore præsentatæ, Deiparæ Virginis vexillum sequũtur. Nã, vt ait S. Chrysost. hom. 8. in Matt. *Cõmunis feminis & viris aduersus diabolũ pugna est, sæpeq; in huiusmodi acie fortiùs viris feminæ decertarunt, ac tropheis insignibus claruerunt.* Atque vt alia taceã, femina infirma in se maiorẽ habet hostem, putà inconstantiã & petulantiam mentis æquè ac carnis, quã vir: victoria ergo feminæ nobilior est, quàm viri. Quis nõ miretur Theclã, Agnetem, Catharinã, Vrsulam? *Hac*, inquit S. Ambr. l. 1. Virg. *est militia illa cælestis, quam laudantiũ exercitus angelorum promittebat in terris.* Hinc illud Cant. 7. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorũ?* Castris similes sunt virginum cõgregationes, quia bellum cum hoste gerunt; choris, quia diuinas laudes canunt, inquit Theod. vnde S. Ambros. suprà: *Quid*, ait, *de virginibus Bononiensibus loquar, quæ relicto parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis; nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent?*

Chori virginum sunt exercitus & milites Dei.

VERS. 9. TENTORIA] Ita vocat passim hîc velaatrij v. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 18.

VERS. 17. BASES COLVMNARVM FVERE AENEAE, CAPITA AVTEM EARVM CVM CVNCTIS CAELATVRIS SVIS ARGENTEA] *Capita*, rectè: hoc enim Hebræum וו *vau*, significare bene docet Oleaster ex c. 27. v. 10. & 11. ibi enim omnes *vauim*, vertunt capita. Verùm quia hîc alia in Hebræo vox ponitur, quæ caput significat, ideo Septuag. & Chald. *vauim*, hîc vertunt vncinos. vtrique rectè: nã *vau* clauum significat, eiusque caput, qualis est character litteræ Hebrææ, *vau*, quem Septuag. & Chald. vocant vncinum: & verisimile est talia fuisse columnarum capita, vt instar claui inferiùs in cuspidem, superiùs in tuber desinerent, quod tuber erat capitum horum, siue vncinorum caput. Hebræa ergo sic vertas, *fixit columnarum capita cum suis cælaturis argentea*, *& operimentum*, seu *tuber capitum argenteum*. Sic intellige & versum 19.

VERS. 21. HAEC SVNT INSTRVMENTA TABERNACVLI, &c. IN CAEREMONIIS, (id est *in ministerium*, vt habent Hebr. & Septuag.) LEVITARVM] Leuitæ enim deseruiebant tabernaculi dissolutioni & translationi, cùm mouenda essent castra; & rursus eiusdem compositioni, quando castra erant figenda. & his præerat Ithamar iunior Aaronis filius, cui proinde singulorum tabernaculi instrumentorum annumerandus erat computus: sicut Leuitis alijs ipsa vasa, & supellectilem tabernaculi deferentibus, qui soli erant Caathitæ, siue posteri Caath, filij Leui, præerat Eleazar frater Ithamar senior. de his plura Num. 4.

VERS. 25. & 26. OBLATVM EST AVTEM AB HIS QVI TRANSIERVNT AD NVMERVM (qui numerati sunt) A VIGINTI ANNIS ET SVPRA, DE SEXCENTIS TRIBVS MILLIBVS, ET QVINGENTIS QVINQVAGINTA, ARMATORVM FVERVNT PRAETEREA CENTVM TALENTA ARGENTI] *Oblatum est*, non aurum quod præcessit: illud enim iam dixit non ex censu populi, sed ex spontaneis donarijs fuisse collectum; sed id quod in censu ex lege c. 30. 13. iussum erat offerri, videlicet medius siclus argẽti à singulis capitibus; ita vt oblata fuerint argenti cẽtum talenta & 1775. sicli à sexcentis tribus millibus & 550. Hebræis (tot enim censebantur & numerabãtur.) sed noster Interpres id intelligendũ reliquit ex c. 30. 13. & ne eadẽ toties repeteret, omisit, vt solet, maximè cùm sequatur proximè illa argenti per censum collecti distributio. quod ergo vertit, *fuerunt præterea centum*, &c. idem est ac si dicat, *fuerunt ergo*, vel *vnde fuerunt præterea*. q. d. Oblatum fuit in censu à sexcentis tribus millibus & 550. id quod erat præceptũ, videlicet medius siclus à quolibet capite: vnde factũ est vt *præterea*, id est præter illa 29. talẽta auri, de quibus dixi v. 24 collecta fuerint ex censu populi argenti talenta centũ. Hoc ita esse, huncq; esse sensum patet ex Hebræo, qui sic habet ad verbum, *& argenti*, scilicet numerus & põdus, quod oblatum fuit *à numeratis synagogæ*, fuit *centum talenta, mille septingenti septuaginta quinque sicli, iuxta pondus sanctuarij; dimidium sicli in singula capita*, vel *à singulis capitibus*, scilicet oblatum fuit. Pari modo habent Septuag. & Chald. sed noster Interpres multa ex ijs, ob causam iam dictam omisit. ita Abulens. Lipom. & Hebræi.

Hinc manifestò colligitur (vti rectè aduertit Vilalpando, & pauci alij) talentum Hebræũ continuisse tria millia siclorum. Id demonstro. nã Hebræa, Chald. & Septuag. hîc dicunt Primò, eos qui fuerunt hîc censi, & obtulerunt census pretium, fuisse

Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum. Probatur.

fuisse sexcenta & tria millia cum 550. cumque quisque eorum obtulerit dimidium siclum, sequitur summam oblatam, siue summam siclorũ fuisse dimidium numeri offerentium; ita vt tot fuerint integri sicli quot erant offerentes dimidia ex parte. itaque cùm offerentes medium siclũ, fuerint sexcenta & tria millia & 550. sequitur, siclos integros ab eis oblatos fuisse ad trecenta millia & 1775. Secundò, Hebræa, Chald. & Septuag dicũt summam ab eis oblatam fuisse 100. talentorum & 1775 siclorum: summa autem oblata fuit, vti iam dixi, trecenta millia siclorum & 1775. sicli: ergo trecenta millia siclorum & 1775. sicli faciũt 100. talenta & 1775. siclos. Iam tolle 1775. siclos vtrimque communes, ecce tunc remanent 100. talenta æquiualentia trecentis millibus siclorũ. diuide ergo trecenta millia siclorum per 100. talenta, habebis pro quolibet talento tria millia siclorum. Hîc ergo clara demonstratione arithmetica concluditur, talentum Hebræum continuisse tria millia siclorum, siue argenti, si argenteum esset; siue auri, si aureum esset talentum.

Obiectio. Dices, Iosephus talẽto assignat sex millia siclorum. nam l. 3. c. 7. ait candelabrum (quod erat factum ex talento auri) fuisse pondo minarum 100. mina autem habebat siclos 60. vt patet ex Ezech. 45. 12. & ex Iosepho l. 14. Antiq. c. 12. Iã multiplica centum minas per sexaginta siclos, inuenies sex millia siclorũ pro 100. minis, & consequenter pro talento. Aliqui, vt Arias Montanus, Didacus Couarruuias, Torniellus, Robert. Cenalis l. de Mẽsuris, & alij ob hoc argumentum putãt fuisse duplex talentum apud Hebræos, vnũ minus & commune iã dictum trium millium siclorum, alterum maius & sacrum sex millium siclorum, ex quo factum sit candelabrum. Verùm ex Script. hæc diuersitas & varietas talenti probari nequit: neque verisimile est, Mosen æquiuocè & variè sumere talentũ. Adde, Mosen siclos oblatos hîc à populo iussisse appendi ad siclum sanctuarij, Exodi 30. 24. ergo & talentum ad talentũ sanctuarij appendit: talẽtum autem sanctuarij magnum erat, & secundùm illos qui duplex ponunt, maius fuit profano & vulgari. maius ergo hîc accipi debet, non minus. id ipsum pluribus demonstrat Vilalpando in Apparatu vrbis & templi p. 2. l. 2. disp. 4. c. 33 fol. 409.

An Hebræi habuerint duplex talentum?

Responsio. Ad Iosephum Respondeo, vel in numeris eius hîc, vti & alibi sæpè, irrepsisse errorem; vel Iosephum minam hîc minorem accipere, scilicet quæ non 60. sed 30. tãtùm siclos contineat: tunc enim 100. minæ facient tria millia siclorum. Cùm ergo talentum Hebræum continuerit tria millia siclorum: siclus autem cõtinuerit 4. drachmas, hoc est appenderit 4. regales Hispanicos 5. stuferorum in argento, & 4. coronatos Franciscos in auro; sequitur quòd talentum auri continuerit & valuerit 12. millia coronatorum Francicorum; talentum verò argenti continuerit & valuerit tria millia florenorum.

Talentum auri valebat 12. millia coronatorũ Franc. *Argenti, tria millia florenorum.*

Corol. primum. Hinc sequitur Primò, talentum Hebræum maius fuisse Euboico, quod 400. aureos, & Attico quod 600. valebat.

Secundum. Sequitur Secundò, talentum Hebræum appendisse nonaginta tres libras auri, cũ duodecim vncijs. librã hîc accipio maiorem sedecim vnciarum. Id patet, nã siclus continebat quatuor drachmas, siue semiunciam (octo enim drachmæ faciunt vnciam) quare 32. sicli (qui faciunt 128. coronatos Franciscos) faciunt vnã libram auri; ergo per multiplicationem, talentum continens tria millia siclorum continebat 93. libras auri cum 12. vncijs. Si verò libram accipias minorem, siue vulgarem duodecim vnciarum, tunc talentum continebat 125. libras.

Talentum auri continebat 125. libras auri.

Tertium. Sequitur Tertiò, facilè ex vno talento, id est ex 93. libris maioribus fieri potuisse cãdelabrum tẽpli, Exodi 25. 39. Rursum, Dauidem coronã Melchom vnius talenti non potuisse gestasse, sed tantùm ex ea, id est ex eius parte, fecisse sibi diadema, vti exponitur 1. Paral. 20. 2. nõ enim decuisset regem sanctum ipsam idoli coronam gestare.

Quartum. Giezi duobus talentis emit agros, vineas, &c. Sequitur Quartò, Giezi duobus talentis argẽti facilè potuisse emere agros, vineas, pecora & ancillas, vt dicitur 4 Reg. 5. v. 23. & 26. nã talentum argenti erãt tria millia siclorum argenti, id est tria millia florenorum: duo ergo talenta argenti valebant sex millia florenorum.

Quintum. Sequitur Quintò, cùm mina continuerit 60. siclos Ezech. 45. 12. quòd talentũ continuerit 50. minas. mina ergo ferè cõtinebat duas libras. quare peltæ 300. minarũ quas fecit Salomon 3. Reg. 10. 17. sexcentarum ferè erant librarum, ac proinde ab vno homine vix ferri poterant, erantque magis magnificentiæ causa quàm vsus, vnde alia scuta fecit ipse 600. siclorum.

Sextum. Dauid Salomoni pro templo reliquit 1400. milliones auri. Sequitur Sextò, cùm Dauid Salomoni pro tẽplo reliquerit, vt habetur 1. Paral. 22. 14. centũ millia talenta auri, & argenti mille millia talẽta, cum reliquisse ipsi bis mille & quadringentos milliones auri; millionem voco decies cẽtena millia aureorum. nã centum millia talenta auri faciũt mille ducentos milliones auri: tãtumdem præcisè in auro efficiunt mille millia talenta argenti. nã argenti ad aurum proportio est decupla: vnus enim siclus auri valet 10. (& hoc tempore 12) siclos argenti. Quæ summa auri vix iã in tota Europa reperiretur. quare Dauid eã non tam sua industria, quàm Dei benedictione comparauit, vt discãt reges si Deo seruierint, se cum Dauide & Salomone gloriosos & diuites fore. Modum ea colligendi ex Ophir, ex tributis, ex bellis & spolijs, ex muneribus colligit Vilalpãdo & Pineda tract. de Salomone. Vndecumq; ea habuerit, certũ est è Scriptura tãtum auri & argenti illum habuisse: vnde & Scriptura ait tempore Salomonis tantã fuisse auri copiã in Ierusalem, quanta est lapidum, & argentum non fuisse æstimatum. Sed de talento & ponderibus plura dicam in fine Pentateuchi.

ARMATORVM] Hæc vox non est in Hebræo, sed intelligitur: soli enim apti ad bella, & qui ferre poterant arma, censebantur, vt dixi c. 30. 14. VERS. 25.

CENTVM BASES] Erant enim 40. ad Austrum, 40. ad Aquilonem, 16 ad partem Occidentalem, 4. sub quatuor columnis diuidentibus Sanctum à Sancto sanctorum, vti præceptum erat c. 26. v. 19. & 36 ita Abulens. Caiet. & alij. VERS. 27.

DE MILLE AVTEM SEPTINGENTIS ET SEPTVAGINTA QVINQVE] Intellige, siclis, vti exprimunt Septuag. & Chald. & patet ex præcedentibus. VERS. 28.

FECIT CAPITA COLVMNARVM, QVAS ET IPSAS VESTIVIT ARGENTO] q. d. Id quod supra 100. talenta argenti, ex censu collecta, reliquum erat, putà 1775. siclos, impendit Moses capitibus columnarum & columnis inaurandis; non quasi hi 1775. sicli ad hoc sufficerent, sed quòd ij ad hoc expensi fuerint; reliquum verò quod deerat, sup-

pletum fuerit ex pecunia alia sponte à populo oblata, quæ hîc non numeratur, cuius meminit Script. c. 35. 24. tantùm enim voluit Moses hîc recensere, in quem vsum expensa fuerit pecunia ex censu collecta.

Nota. Pro *fecit capita*, hebr. est. *texit capita*, q. d. Tuber capitum fecit ex argento; Septuag. vertũt, *deaurauit capita earum*; sed planè videtur in eis mendum irrepsisse, vt pro κατηργύρωσεν, id est deargentauit, irrepserit illi affine κατεχρύσωσεν, id est deaurauit: nam deargentata, non verò deaurata, fuisse hæc columnarum capita, docent Hebræa, Chald. & Noster, & patet v. 19.

Nota Secundò. Pro *vestiuit*, hebraicè est חשק *chissac*, id est circulauit, gyrauit, id est vestiuit per circuitum & gyrum.

VERS. 29. ÆRIS QVOQVE OBLATA SVNT TALENTA SEPTVAGINTA DVO MILLIA, ET QVADRINGENTI SVPRA (vlteriùs) SICLI] Hebr. & Chald. sic habent: *æs oblatum fuit septuaginta talenta, & duo millia, & quadringenti sicli*. Quod Septuag. vti nunc eos habemus, sic accipiunt, vt duo millia non ad talenta, sed ad siclos referant: eos sequuntur Caiet. Lipoman. Vatablus, & alij recentiores. Verùm sic plura fuissent argẽti talenta oblata & expensa, quàm æris. Adhæc, tam pauco ære non potuerunt fieri 60. columnæ æneæ, de quibus dixi c. 27. 10.

A item bases, altare, ollæ, paxilli, &c. cùm solæ bases argenteæ tabularum singulæ talentum continerent, vt vidimus c. 27. Quare optimè omnia consentient, si sic distinguas & interpungas: *oblata sunt æris talenta septuaginta, duo millia* (supple talenta: neque mirum maiorem numerum hîc postponi minori. hoc enim solemne est Hebræis) *& quadringenti sicli*; ita vt fuerint duo millia talentorum æris, & 70. talenta, & 400. insuper sicli. Porrò in Septuag plurimos irrepsisse errores in numeris nemo nescit, vti & hîc trecenta supra alios numeros irrepserunt.

Nota. Duo millia talentorum cum 70. talentis

B & 400. siclis, faciunt 258766. libras. quare hæc omnia non potuerunt vehi sex plaustris, datis Gersonitis & Meraritis ad subuehenda vasa tabernaculi, Num. 7. 3. Nam vnum plaustrum cum duobus bobus, non potest vehere tria millia librarum; sed vt summum duo millia cum medio, vti aurigæ testantur: quare ad 258766 libras subuehendas opus fuit centum plaustris. Ergo quæ sex plaustris imponi non potuerunt, partim alijs imposita sunt, partim ab ipsis Leuitis portata sunt: denique pars æris, quæ in vasa tabernaculi insumpta non fuit, sed superfuit, vtpote profana, non à Leuitis, sed à laicis aliarum tribuum curribus deuecta fuit.

CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vestes sacerdotales conficiuntur, completurq́ tota fabrica tabernaculi cum sua supellectile.

1. DE hyacintho verò & purpura, vermiculo ac bysso, fecit vestes, quibus indueretur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.
2. Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, 3. opere polymitario, inciditque bracteas aureas, & extenuauit in fila, vt possent torqueri cum priorum colorum subtegmine, 4. duasq; oras sibi inuicem copulatas in vtroque latere summitatum, 5. & balteum ex ijsdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi. 6. Parauit & duos lapides onychinos, astrictos, & inclusos auro, & sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israel: 7. posuitq; eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moysi. 8. Fecit & rationale opere polymito iuxta opus superhumeralis ex auro, hyacintho purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta: 9. quadrangulum, duplex, mensuræ palmi. 10 Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus. 11. In secundo, carbunculus, sapphirus, & iaspis 12. In tertio, ligurius, achates, & amethystus. 13. In quarto, chrysolitus, onychinus, & beryllus, circumdati & inclusi per ordines suos. 14. Ipsiq; lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum. 15. Fecerunt in rationali & catenulas sibi inuicem cohærentes, de auro purissimo: 16. & duos vncinos, totidemq; annulos aureos. Porro annulos posuerunt in vtroque latere rationalis, 17. è quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt vncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant. 18. Hæc & antè & retro ita conueniebant sibi, vt superhumerale & rationale mutuò necterentur, 19. stricta ad balteum, & annulis fortiùs copulata quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerẽt, & à se inuicem mouerentur, sicut præcepit Dominus Mosi. 20. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, 21. & capitium in superiori parte contra medium oramq; per gyrum capitij textilem: 22. deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta: 23. & tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum: 24. tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quan-

quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi. 25. Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron & filijs eius: 26. & mitras cum coronulis suis ex bysso: 27. feminalia quoque linea, byssina: 28. cingulum verò de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moysi. 29. Fecerunt & laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini: 30. & strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi. 31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonij: feceruntq; filij Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moysi. 32. Et obtulerunt tabernaculũ & tectum & vniuersam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases, 33. opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de ianthinis pellibus, 34. velum: arcam, vectes, propitiatorium, 35. mensam cum vasis suis & propositionis panibus: 36. candelabrum, lucernas, & vtensilia earum cum oleo: 37. altare aureum, & vnguentum, & thymiama ex aromatibus: 38. & tentorium in introitu tabernaculi: 39. altare æneum, retiaculum, vectes, & vasa eius omnia: labrum cum basi sua: tentoria atrij, & columnas cum basibus suis: 40. tentorium in introitu atrij, funiculosq; illius & paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, & in tectum fœderis iussa sunt fieri. 41. Vestes quoque, quibus sacerdotes vtuntur in Sanctuario, Aaron scilicet & filij eius, 42. obtulerunt filij Israel, sicut præceperat Dominus. 43. Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

VERS. 4. DVASQVE ORAS] supple fecit. De his oris vide c. 28. 10.

VERS. 29. SCRIPSERVNTQVE IN EA OPERE GEMMARIO (id est in lamina insculpserunt, vti gemmarij insculpere solent in sigillis) SANCTVM DOMINI.

VERS. 31. TECTI] tegumenti ex sagis cilicinis, quod hebr. *ohel* vocatur, de quo c. 26. 7.

VERS. 43. BENEDIXIT EIS] scilicet Moses filijs Israel, qui tam liberaliter sua obtulerãt Domino, & qui tam studiosè operi tabernaculi insudarant, obedientes promptissimè voci Domini. Patet ex Hebræo. Non rectè ergo Abulens. sic explicat: *Benedixit illis*, scilicet instrumentis tabernaculi, quasi hæc benedictio fuerit eorum consecratio, nam illa non hîc, sed postea c. 40. 9. in tabernaculi erectione per vnctionem consecrata sunt.

A Tropol. qui in anima sua tabernaculum Dei, per humilitatẽ, charitatem, orationem, aliasq; virtutes ædificant, eo completo benedicentur à Domino, quia gratia & gloria cumulabũtur: *Benedictio super caput iusti: os autem impiorũ operit iniquitas*, inquit Sapiens Prou. 20. Sic benedictus fuit Abrahã: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rẽ, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gẽtes terræ*, Gen. 22. 16. Hinc Eccles. c. 11. 24. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat*. Et c. 39. 27. *Benedictio illius quasi fluuius inundabit*, præsertim in die iudicij, cùm suis electis dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

CAPVT QVADRAGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

MOses erigit tabernaculum, illudq; per omnes partes & membra aptè disponit. Secundò, v. 32 nubes gloriæ Domini operit tabernaculum, illiq; deinceps incumbit.

1. LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Mense primo prima die mensis eriges tabernaculum testimonij, 3. & pones in eo arcam, demittesque ante illam velum: 4. & illata mensa, pones super eam quæ ritè præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, 5. & altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi pones, 6. & ante illud altare holocausti: 7. labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aqua. 8. Circumdabisq; atrium tentorijs, & ingressum eius. 9. Et assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur: 10. altare holocausti & omnia vasa eius: 11. labrum cum basi sua omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint Sancta sanctorum. 12. Applicabisq; Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua 13. indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. 14. Fecitq; Moyses omnia quæ præceperat Dominus. 15. Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatũ est tabernaculum. 16. Erexitq; Moyses illud, & posuit tabulas ac bases & vectes, statuitque columnas, 17. & expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperauerat. 18. Posuit & testimonium in arca, subditis infrà vectibus, & oraculum desuper. 19. Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante

eam velum, vt expleret Domini iussionem. 20. Posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam septemtrionalem extra velum, 21. ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Mosi. 22. Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonij è regione mensæ in parte australi, 23. locatis per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini. 24. Posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum, 25. & adoleuit super eo incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moysi. 26. Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonij, 27. & altare holocausti in vestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, vt Dominus imperauerat. 28. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonij & altare, implens illud aqua. 29. Laueruntque Moyses & Aaron ac filij eius manus suas & pedes, 30. cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare sicut præceperat Dominus Moysi. 31. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi, & altaris, ducto in introitu eius tentorio. Postquam omnia perfecta sunt, 32. operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. 33. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. 34. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filij Israel per turmas suas: 35. si pendebat desuper, manebant in eodem loco. 36. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

VERS. 1. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN] hoc eodem primo anno egressus Hebræorum ex Ægypto, cùm adhuc Hebræi morarentur in Sina, cumque iam quasi completa esset fabrica tabernaculi, putà sub finem anni primi, & instante anno secundo. ita Abulens.

VERS. 2. MENSE PRIMO] Intellige secundi anni egressus ex Ægypto, vt patet v. 15.

ERIGES TABERNACVLVM TESTIMONII] Hebr. eriges *miscan obel*, id est tabernaculum tentorij testimonij. *miscan* enim, id est tabernaculum, vocatur infimum aulæum picturatum, quod supra se habebat *obel*, id est tentorium, siue sagum è pellibus caprinis.

Allegor. tabernaculũ erectum est, cùm corpus Christi in vtero B. Virginis efformatum, & post 33. annos rursum à mortuis excitatum est, inquit S. Cyril. l. 4. in Iohan. 28. Rursum, cùm Ecclesia Christi formata & collecta est. vide dicta c. 26. 1.

VERS. 4. CANDELABRVM STABIT CVM LVCERNIS SVIS] Pro *stabit* hebr. est הַעֲלִית *baaleta*, id est ascendere facies, quod Septuag. & Noster vertunt, *eleuabis*, vt stet erectum in altum. Secundò, Chald. & recentiores vertunt, *accendes*. id quoq; aptum est, si intelligas, *accendes*, scilicet vespere, iuxta id quod præceptum est c. 27. 11. vtrumque enim factum est à Mose. sic & mensa posita est cum suis panibus, vide Num. 4. initio.

VERS. 5. TENTORIVM (id est velum) IN INTROITV TABERNACVLI PONES] putà ante Sanctum, de quo c. 26. 36. passim enim hîc tentoria vocantur vela, vt v. 8. 26. 31.

VERS. 18. VNCTIO EORVM IN SACERDOTIVM SEMPITERNVM PROFICIAT] q. d. Ista consecratio faciet eos sacerdotes quamdiu viuent: sicut in nouo testamento sacerdotes per characterem Ordinis, quem semel in consecratione acceperunt, permanent sacerdotes in æternum. ita Abulens. vnde Septuag. & Hebræa pro *proficiat*, habent *erit*; Chald. vertit, *vnges eum, sanctificabisq; illum, vt ministret coram me.*

VERS. 15. *Septẽ mensibus laboratũ est in fabrica tabernaculi.* MENSE PRIMO ANNI SECVNDI, PRIMA DIE MENSIS COLLOCATVM EST TABERNACVLVM] Nota. Moses descendit de monte cum tabulis legis die 28. mensis quinti anni primi egressus ex Ægypto, vti ostendi c. 34. 28. ab illa ergo die vsque ad

A finem anni per septem menses fabricauit Moses tabernaculum cum suis vasis, ita vt initio sequentis anni, putà primo die, erexerit tabernaculum.

Nota Secundò. In hac collocatione siue erectione tabernaculi finitur Exodus: vnde patet, Exodum finire & terminare historiã Hebræorum in anno secundo, mense primo, egressus eorum ex Ægypto, cùm ipsi versarentur in 12. mansione in Sina, quod fuit an. mundi 2455. à diluuio an. 798.

TECTVM] secundum aulæum caprinum, quod hebr. vocatur *ohel*, & super istud strauit tertium tabernaculi operimentum ex pellibus, quod hebr. vocatur מִכְסֵה *mithse*. VERS. 17.

POSVIT ET TESTIMONIVM (id est legem, putà tabulas legis) IN ARCA. VERS. 18.

B POSVIT ALTARE AVREVM SVB TECTO TESTIMONII] sub tecto continente arcam, in qua erat testimonium, id est lex, siue tabulæ legis. VERS. 24.

CONTRA VELVM] Grauis hîc est quæstio, vbinã situm fuerit altare hoc aureum, putà thymiamatis, an intra Sanctum sanctorum, an extra? nã fuisse intra Sanctum sanctorum censet Orig. hom. 9. in Leuit. S. August. q. 173. & alij, quos sine nomine refert Theoph. in c. 9. ad Hebr. vnde S. Aug. *contra velum* ita accipit, ac si dictũ esset, *intra velum*. Et probatur Primò ex eo quod c. 30. 10. dicitur, *Et deprecabitur Aaron super cornua eius* (altaris thymiamatis) *semel per annum in sanguine*: hoc autem videtur accipiendum de Sancto sanctorum: nã in illud semel tantùm in anno ingrediebatur pontifex, in Sanctũ verò quotidie. Secundò, quia

An altare thymiamatis fuerit in Sancto sanctorum? Affirmant Origen. & S. August. Prob primò

C 3. Reg 6. 22. dicitur: *Sed & totum altare oraculi texit auro*, quod non aliud esse potest, quàm altare thymiamatis: erat ergo hoc altare oraculi, id est intra oraculum, & Sanctum sanctorum. Tertiò, Hebr. 9. 3. Sancta sanctorum dicũtur habuisse aureum thuribulum; hoc autem non videtur aliud esse quàm altare thymiamatis. nã Apostolus huius altaris alio nomine non meminit, cùm describit ea quæ erãt in tabernaculo; nec Moses thuribuli istius meminit, quod ab altari thymiamatis distinctum, positum fuerit intra Sanctum sanctorum.

Secundò. *Tertiò.*

Accedit & ratio: altare enim illud factum erat ad thymiama corã Deo adolendum: ergo ponendum erat intra Sancta sanctorum ante arcam, vbi maximè Deus suam præsentiam exhibebat. *Quartò.*

Verùm

Resp. altare thymiamatis fuisse in Sancto. Verùm dico cum S.Hieron.Theoph.in Hebr. 9.Beda l.3. de Tab. c.11. & 12. S.Thom.1.2. qu. 102.art.4.ad 6. Lyran. Abulenf. Caiet. Lipom. Ribera, & alijs, altare thymiamatis fuisse extra Sanctum sanctorum, ideoque inter illud & altare hoc medium fuisse velum. Est hæc expressa sententia Iosephi 3.Ant.7.& 8.cap.2. Probatur *Prob. primò* Primò, ex eo, quòd c.30.v.6. dicitur: *Pones altare contra velum, quod ante arcam pendet*, vbi hebraicè est, *coram velo*, vel *ante velum*, non autem, intra velum.

Secundò. Secundò, quia hoc c.40.v.4.& 5. vbi ordo tabernaculi describitur, dicitur quòd Moses posuit arcã in tabernaculo, & appendit ante eam velum, deinde posuit mensam in tabernaculo, & candelabrum, & altare thymiamatis contra velum: ergo non erat hoc altare post velum, intra Sanctum sanctorum; sed ante, videlicet cum mensa & B candelabro.

Tertiò. Tertiò, quia, vt c.30.v 8. dicitur, quotidie debebat adolere sacerdos incensum in hoc altari; Sanctum verò sanctorum tantùm semel in anno ingredi poterat: ergo hoc altare non erat intra Sanctum sanctorum. Vnde Leuit.16.18. loquens de die expiationis (de qua & c.30 v.10. loquitur Moses) quando sacerdos post ingressum in Sanctum sanctorum, expiabat altare thymiamatis, sic ait: *Cùm autem exierit* (Sancto sanctorum) *ad altare quod coram Domino est*; ergo egredi debebat ex Sancto sanctorum ad altare thymiamatis: non ergo altare hoc erat intra Sanctum sanctorum.

Quartò. Quartò, in Sanctum sanctorum ingredi tantùm licebat summo sacerdoti: atqui ad altare incensi ingrediebantur, & apponebant incensum C minores etiam sacerdotes, vt patet de Zacharia Luc.1.8. qui cùm esset de vice Abia, quæ erat octaua sors sacerdotum, 1.Paralip.24. de qua non erat summus sacerdos, sorte exijt vt poneret incensum. Quod enim dicunt aliqui semel introisse pontificem in Sanctum sanctorum cum effuso sanguine, aliàs verò sæpè introiisse, sed eo non effuso, planè repugnat Apostolo ad Hebr.9.v.6 & 7.& Leuit.16 2.

Ad Primũ Resp. Ad Primum Respond. nõ loqui Dominum de incenso quod adolebatur quotidie, sed de expiatione altaris thymiamatis, quod, vt dixi argumento tertio, semel in anno cum vniuerso tabernaculo, post ingressum in Sanctum Sanctorum, à sacerdote expiabatur.

Ad Secundum Resp. Ad Secundum Respond. dici altare oraculi, quia factum erat ad hoc, vt incensum euaporaret D versus oraculum: vnde & velum, quod interpositum erat inter Sanctum sanctorum, & Sanctum, non pertingebat à deorsum ad tectum omnino, sed supernè aliqua pars relinquebatur vacua, qua fumus aromatum ingrediebatur oraculum: quãquam & altare oraculi dici possit, quia cõtiguum erat oraculo. non verò dissitum ab eo, vti erat altare holocaustorum, imò altare hoc thymiamatis planè respondens erat oraculo, soloque velo ab eo dissidebat. clariùs id Hebræa insinuant, quæ habent, *altare ad oraculum*; quod LXX. vertunt, *altare ante faciem oraculi*.

Ad Tertiũ Resp. Ad Tertium, interpretes multi, vt Anselmus, S. Thom.& Lyran. in 9. ad Hebr. thuribulum, de quo Apostolus, esse volunt illud, quo pontifex intrans Sanctum sanctorum adolebat incensum: A sed S. August.& Orig hom.9. hic, bene docent thuribulũ hoc non aliud fuisse quàm altare thymiamatis; idque validè confirmat Abulens. qu.6. nam præter illa quæ argumentum proposuit, si illud thuribulum pontificis intrantis Sanctum sanctorum erat in Sancto sanctorum; ergo ter vt minimùm ingrediebatur pontifex Sanctum sanctorum, videlicet Primò; vt efferret thuribulum; Secundò, quando cum eo thure & igne impleto redibat, vt adoleret incensum, & suffumigaret in Sancto sanctorum; Tertiò, cùm rursum egrediendum illi erat ad cineres & ignem exponendum, & regrediendum ad reponendum thuribulum; cùm tamen tantùm semel illi licuerit ingredi Sanctum sanctorum, idque non nisi cum thuribulo & suffitu; nam moriturus alioqui erat pontifex, qui sine his ingrederetur, vt patet Leuit.16. v.12.& 13.

Resp. ergo, thuribulum hoc esse idem cum altari thymiamatis: neque mirum altare thuribulũ dici, quia magni thuribuli instar erat, nec alium habebat vsum, quàm thuribulum, videlicet vt cõtineret ignem & incẽsum. Clarius hoc est in Græco ad Hebr.9. nam ibi hoc thuribulum dicitur θυμιατήριον, quo prorsus eodem nomine, Iosephus altare thymiamatis nominat libr.3. Antiq.7.& 6. Belli 6.&, si etymon spectes, suffumigatorium sonat: quod tam de thuribulo propriè dicto, quàm de altari accipi potest. Simili terminatione θυσιαστήριον altare dicitur, quasi sacrificatorium. *Altare thymiamatis Paulus vocat thuribulum, cur?*

Ad argumentum Respondeo, quod dicit Apostolus Sanctum sanctorum habuisse aureum thuribulum, id est altare thymiamatis, intellige, non intra se, sed extra velum habuisse illud sibi obuersum, & ob sui cultum & reuerentiam erectum: vnde & altare oraculi dicitur, vt dixi in responsione ad secundum. Varij enim sunt habendi modi, ait Aristot. in Postprædicamentis. sic domus habet atrium; flumen habet ripam; templum habet turrem, non vtique intra se. vide Riberam l.de Templo c.7. Erat ergo hoc altare coram velo directè vergens ad propitiatorium, ait Caiet. ac consequenter erat in medio latitudinis tabernaculi, ita vt sacerdos super illud incendens thymiama & orans, faciem suam directè haberet ad propitiatorium, intercedente tamen velo, vt sic se quasi Deo obuerteret. vide Vilalpando p.341.

Ad Quartum Respondeo, erectum esse hoc altare ad adolendum thymiama corã Deo, sed nõ à *Ad Quartum.* Beatis in cælo in clara Dei præsentia, qui significabãtur Sancto sanctorum; sed ab Ecclesia militãte, quæ per Sãctum significabatur: hæc enim per velum in ænigmate Deum cognoscit, colit & adorat. vnde in Sancto, id est Ecclesia militante, non verò in Sancto sanctorum, id est in cælo, constituendum fuit hoc altare.

POSTQVAM OMNIA PERFECTA SVNT, OPERVIT NVBES TABERNACVLVM TESTIMONII, ET GLORIA DOMINI IMPLEVIT ILLVD] *Gloria Domini* vocatur augusta illa nubes, quæ licet esset densa, erat tamen lucida & coruscans, Deique maiestatem quasi velabat & significabat. ita S. August. q.173. Sic *gloria* pro luce, claritate & splendore sæpè accipitur, vt Exodi 24.17.& c 33.18.& 22. Leuit.9.23. Num.4.10. 3.Reg.8.11. Ecclesiastici 45.3. Ezech.44.4. VERS.31.

NEC POTERAT MOYSES INGREDI TECTVM FOE- VERS.33.

FOEDERIS] tum ob reuerentiam maiestatis Domini, inquit Caiet. tum quia nubes illa densa omnia operiebat, ita vt Moses videre non posset. Simile accidit in dedicatione templi, 3. Reg 8. 11. Idque prima tantùm vice factum est, cùm dedicaretur tabernaculum: nam aliàs illud ingressus est Moses.

Allegoricam causam dat S. August. & Raban. Moses enim Iudęorum personam gerebat, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, id est gratia Christi quæ in Ecclesia est, tamquam nubes opponitur, vt eam non intelligant, non credant, ac proinde nec capiant, nec in eam intrent.

VERS. 34. PROFICISCEBANTVR FILII ISRAEL PER TVRMAS SVAS] Hebr. *per profectiones suas*, quibus scilicet turmatim siue per turmas proficiscebantur.

SI QVANDO NVBES TABERNACVLVM DESEREBAT, PROFICISCEBANTVR FILII ISRAEL] Hebr. est. *si quando ascendebat, & eleuabatur supra tabernaculum*: tum enim ipsa nubes, putà columna nubis, prima iter inibat, illudque Hebræis præibat, vt ipsi eôdem sequerentur. de quo plura Num. 9.

Mysticè, columna hæc dux viæ, non in Chanaan, sed in cælum, est fides, gratia & illuminatio A Spiritus sancti: hanc fixè intueamur, hanc studiosè nocte & die sequamur, vt ea nos illustres in cæleste & æternum Dei regnum deducat. Zeuxis celebris pictor, rogatus cur tam morosè & exactè suas imagines quaquauersum depingeret, respondit: Pingo æternitati. Et nos ergo studiosè & exactè per omnia vitam nostram depingamus. Pinge, imò viue, Deo, viue cælo, VIVE ÆTERNITATI.

O stupor, ô amentia, ô insania filiorum Adæ! Ad æternorum infinitorumque bonorum possessionem conditi estis; vt quid vos tanto affectu ad fugaces vanissimasque reculas abijcitis? B Deus vos cæli heredes, æternitatis possessores scripsit, quid tam auidè terram, temporanea & caduca affectatis? Sapite, sapite, VIVITE ÆTERNITATI.

Vos ô præcones verbi Dei, satores inquam æternitatis, clamate, quasi tuba exaltate vocem, vocate omnes ad æternitatem, insonate cum Christo: Pœnitentiam agite, appropinquat regnum cælorum, appropinquat ÆTERNITAS, & vita æterna: vt quid diligitis vanitatem? VIVITE ÆTERNITATI.



DOXO-

DOXOLOGIA
DEI SALVATORIS
Ex gestis, & epitome Exodi.

Lauda Ierusalem Dominũ: lauda Deum tuum Sion. Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius?

In exitu Israel de Aegypto: domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudaea sanctificatio eius: Israel potestas eius.

Intrauit enim Israel in Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Auxit ibi Deus populum suum vehementer: & firmauit eum super inimicos eius.

Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius: & dolum facerent in seruos eius.

Moses. *Misit ad Pharaonem Mosen seruum suum: & Aaronem electum Domini.*

Posuit in eis verba signorum suorum: & prodigiorum in terra Cham.

Plaga Aegypti. *Conuertit aquas eorũ in sanguinẽ: & occidit pisces eorũ.*

Edidit terra eorũ ranas: in penetralibus regũ ipsorum.

Dixit, & venit cœnomyia: & cinyphes in omnibus finibus eorum.

Posuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.

Dixit, & venit locusta: & bruchus, cuius non erat numerus.

Et comedit omne fœnum in terra eorum: & omnem fructum terrae eorum.

Misit tenebras, & obscurauit: perculit eos igne, & spectris in nocte horrenda.

Percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

Eduxit Hebraeos cum argento & auro: quibus spoliauerunt Aegyptum.

Egressus est populus Dei in exultatione: & electi eius in laetitia.

Laetata est Aegyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.

Columna nubis. *Expandit Dominus nubem in protectionem eorum: & ignem, vt luceret eis per noctem.*

Audiuit Pharao eos concludi mari rubro, dixit: Persequar, & interficiet eos manus mea.

Mare rubrum. *Ingressus est post eos cum curribus, & equitibus suis in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris.*

Filij autem Israel ambulauerunt per siccum: in medio eius, quasi in deserto.

Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare.

Beatus es tu Israel, quis similis tui? popule, qui saluaris in Domino.

Ascensor caeli auxiliator tuus: ipse est scutum auxilij tui, & gladius gloriae tuae.

Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen eius.

Pharao mergitur. *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro.*

Abyssi operuerũt eos: descẽderũt in profundũ quasi lapis.

In spiritu furoris tui Domine congregatae sunt aquae: stetit vnda fluens vtrimque instar murorum: donec pertransiret populus tuus, quem possedisti.

Flauit spiritus tuus, & operuit Aegyptios mare: submersi sunt quasi plumbum, in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia.

Maria dux chori. *Maria prophetissa duxit chorum mulierum, eisq́; cum tympano praecinuit: Cantemus Domino gloriosè.*

Praelusit illa B. Maria Deipara, matri Iesu, qui nos inferno liberauit: quam proinde beatam dicent omnes generationes.

Manna. *Petierunt Hebraei carnes, & venit coturnix: dedit eis Deus manna, & pane caeli saturauit eos.*

Panem angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia.

Aqua è petra. *In Raphidim eduxit aquam de petra: & adaquauit eos, velut in abysso multa.*

Amalec vincitur. *Venit Amalec, pugnans contra Israel: orante Mose, contriuit eum Iosue.*

Lex in Sina. *In Sina descendit Deus in igne, fumo, procellis & buccina: voce tubali decalogum promulgauit.*

Dedit Mosi praecepta, iudicia, & caeremonias: quibus fœdus sanxit cum Hebraeis.

Arca & tabernaculũ. *Iussit fabricare arcam fœderis, Cherubim, & propitiatorium: mensam panum propositionis, & candelabrum aureum.*

Tabernaculum, cortinas, vectes, atrium: & in eo altare holocaustorum, cum labro aeneo.

Aaron pontifex. *Altare quoque thymiamatis, cum incenso: Aaroni dedit sacerdotium gentis.*

Circumcinxit eum zona: & induit eum stolam gloriae.

Rationale *Femoralibus, tunica, humerali, & rationali vestiuit eum: posuit in eo duodecim gemmas, quasi stemmata, & magnalia duodecim tribuum Israel.*

& Vrim. *Vrim & tummim insculpsit ei: vt veritas doctrinae, & perfectio vitae conderentur in pectore sacerdotis.*

Poderis. *In veste poderis totus erat orbis terrarum: cinxit illum tintinnabulis aureis, plurimis in gyro.*

Dare sonitum in incessu suo, auditum facere pulsum in templo, in memoriam filijs gentis suae.

Tiara. *Coronam auream dedit super mitram eius: expressam signo sanctitatis, & gloria honoris: sanctũ Domino.*

Haec omnia operati sunt Beseleel, & Ooliab: quos impleuit Dominus spiritu sapientiae, ad fabricandum ea.

Vitulus aureus. *Tardante Mose in Sina, Hebraei fecerunt vitulum aureum: & adorauerunt sculptile.*

Et mutauerunt gloriam suam: in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto: mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Et dixit, vt disperderet eos: si non Moses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius.

Dicens, Dimitte eis hanc noxam: aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.

Stetit Moses in petra: vidit tergũ, & gloriam Domini.

Mosis cornua lucis. *Cornua lucis afflauit ei Dominus: dedit ei duas tabulas inscriptas decalogo.*

Tabula legũ Dei. *Fecit Moses tabernaculum cum vasis suis: erexit illud in templum Domino.*

Laudate Dominum de caelis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

COM-

COMMENTARIA IN LEVITICVM.

ARGVMENTVM.

Leuita qui? Leuiticus idem est quod sacerdotalis. Cur Deus sacrificia vetera instituit? Prima caussa. Secunda. Tertia. Quarta.

DICITVR hic liber hebraicè וַיִּקְרָא *vaiicra*, id est, *& vocauit*, à suo exordio: Græcis & Latinis vocatur Leuiticus, à materia quam tractat. tractat enim de sacrificijs alijsque munijs Leuitarum. Nam Leuitæ, id est, qui erant prognati ex patre & tribu Leui, electi fuerunt à Deo ad munus sacerdotale, & ad ministrandum ei in tabernaculo: sed hac partitione, vt Amramitæ, siue posteri Amram, hoc est Aaron eiusque filij, sacerdotio fungerentur, solique sacrificarent; cæteri, putà posteri Caath, Merari & Gerson (qui omnes fuerunt filij Leui,) hisce subseruirent, vti sacerdotibus nostris diaconi. Vide c.3.& 4.Numer. Quo factum est vt priores, sacerdotes: posteriores, Leuitæ, nomine communi inferioribus appropriato, vocarêtur: solet enim species imperfectior sibi nomen generis appropriare. sic brutum vocamus animal. Hîc tamen contrarium accidit; nomen enim generis datur hîc dignioribus. Nam per Leuitas hîc sacerdotes intelliguntur, cùm Leuiticum vocamus hunc librum.

Leuiticus ergo idem est quod sacerdotalis, aut sacrificatorius: continet enim præcepta cæremonialia, quibus propriè Israeliticus populus Deo, Deique familiæ & cultui allectus est, circa oblationes & sacrificia, qui excellentissimi sunt cultus quos exteriùs Deo deferimus.

Quare Prima caussa sanciendorum horum sacrificiorum, fuit debitus Deo exterior cultus & veneratio. Secunda, vt à pernicioso otio & idololatria hac ratione Iudæos, piè occupatos semper Deus auocaret. Hanc caussam dat S. Clemens l.1. Recognit. sub medium, Chrysost. hom.6. in Matt. Hieron. in 1. Isaiæ, & Tertull. l.2. contra Marcion. c.18. vbi sic ait: *Per sacrificiorum onera, & operationum ac oblationum negotiosas scrupulositates, religioni suæ voluit eos Deus astringere, ne simulacbris faciendis delinquerent.* Tertia, vt varijs typis dignitatem, variamque rationem sacrificij Christi in cruce peracti, adumbrarent. Omnia enim hæc sacrificia Christum adumbrasse, Christiq; immolationem, docet S. August. l.1. contra aduersar. legis & Prophet. c.18. & l.17. de Ciuit. c.2. Euseb. l.1. Demõst. 10. Concil. Trident. sess. 22. c.1. in fine, & S. Leo serm.8. de Passione, vbi sic ait: *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis Domini implet oblatio: vt, sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de omni gente sit regnum.* Vnde & in Collecta Ecclesiæ dicitur: *Deus qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti.* Quarta, vt significarent ea quæ nos agere conue-

A nit, itaque mores nostros instruerent, vti docent S. Aug. 10. Ciuit. 5. Clemens Alexand. l.5. Strom. Theodor. lib. de Sacrificijs, ante medium, & alij. Hinc patet, vetera hæc sacrificia fuisse bona & sancta, Deoque placuisse, vtpote ab eo instituta, & in honorem illius oblata; erant enim actus religionis & latriæ.

Sacrificia vetera placuerũt Deo, erant enim actus latriæ. Obiectio. Responsio. Sacramenta vetera iustificabãt ex opere operãtis; noua, ex opere operato. Leuitici tres partes. Leuiticus à Deo dictatus est in Sina.

Dices, S. Cyrill. l.9. contra Iulian. ante finem, S. Hieron. Rupert. in c.1. Isaiæ, Tertull. l.2. contra Marcion. c.18. & 21. Chrysost. orat. 1. contra Iudæos, & alij, videntur dicere, hæc sacrificia non fuisse grata Deo, nec eius destinatâ voluntate fuisse instituta, sed tantùm ad vitandum maius malum, ne scilicet Hebræi in Ægypto sacrificijs assueti, ad ea relaberentur, eaque Api alijsque idolis offerrent.

Respond. Isti Patres tantùm dicere volunt, ea B non fuisse grata Deo secundùm se, siue quatenus externa erant sine cultu interno: opponunt enim ea sacrificio Christi, & actionibus virtutum, quæ secundùm se Deo placent. Atque hoc est quod aiunt Theologi, sacrificia & Sacramenta nouæ legis Deo placere, nosque iustificare ex opere operato; vetera verò id fecisse ex opere operantis. vnde displicebant illa Deo, si impuro corde à sceleratis offerrentur. Et hoc est quod ait Deus Isaiæ 1.11. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui: incensum abominatio est mihi*: quia scilicet à vobis impijs impio corde mihi adoletur. vos enim in externis illis sacrificijs omnem sanctitatem ponitis, itaque internam sanctitatem quæ vera est negligitis, & rapinis, stupris, alijsque sceleribus vos inquinatis.

C Leuiticum in tres sectiones partiri possumus. Prima agit de ipsis sacrificijs, eorumque varietate & distinctione, à c.1. ad 8. Secunda agit de personis offerentibus, earumque præparatione & dispositione, à c 8. ad 23. Tertia agit de temporibus oblationi destinatis, putà de festis, à c.23 ad fin. cui nonnulla de votis eorumque redemptione iunguntur.

Porrò hæc omnia acta & dicta sunt in duodecima mãsione Hebræorum in deserto, putà in monte Sinai, vti dicitur in fine huius libri. In Sinai enim gesta sunt omnia quæ narrantur à c.19 Exodi ad finem Exodi, quæque toto Leuitico & Numeris vsq; ad c.10. narrantur. Numer. enim 10.11. ex Sina mouerunt Hebræi castra: præcepta tamen hæc Leuitici, non in ipso monte Sina vti decalogus, sed in tabernaculo recens fabrefacto, Mosi data sunt à Deo, vt patet c.1.1.

Hinc

Idq́ anno secundo egressus ex Ægypto, id est anno mundi 2455.

Hinc sequitur, Leuiticum Mosi à Deo dictatum esse anno secundo egressus Hebræorum ex Ægypto, quod fuit anno mundi 2455. à diluuio 798. (quod fuit ante natiuitatem Christi 1496. annis) imò totus Leuiticus vno mense, putà primo anni huius secundi, dictatus est à Deo. quod clarè videbis si Leuitici initium & finem conferas cum cap. vlt. Exodi v. 15. & cum cap. 1. Num. v. 1. Ex quo patet Numerorum librum, qui Leuiticum sequitur, incipere à die primo mensis secundi. Certè non potuisse Leuiticum dictari post vigesimum diem mensis secundi, certum est; nam vltra illum diem non fuerunt Hebræi in Sinai, vt patet Numer. 10. v. 11. Nota, hæc Leuitici præcepta non fuisse simul vno die data, sed successiuè per varios mensis primi dies, vt patet cap. 9. v. 1. c. 10. v. 1. & 2. c. 16. v. 1.

Orig. Isych. Cyrill. & Radul. mystice explicant Leuiticum.

Leuiticum mysticè explicarunt Primò, Origenes, cuius in Leuiticum extant sedecim homiliæ. Eædem reperiuntur inter opera S. Cyrilli, & non A homiliæ sed libri vocantur. Verùm eas non esse Cyrilli, sed Origenis, patet tum ex stylo, tum quia in quibusdam redolent errores Origenis, tum quia ab olim Origeni semper asscriptæ sunt. Secundò, scripsit in Leuitic. Isychius presbyter Hierosolym. S. Gregorij Nazianz. discipulus. Claruit hic sub Honorio Imp. sub annum Domini 400. Tertiò, scripsit in Leuiticum S. Cyrillus libr. 17. de Adoratione in spiritu & veritate, quibus pleraque Leuitici mysteria interpretatur, & Christianis tropologicè adaptat. Edidit eos nuper Romæ Antonius Agellius anno Domini 1588. Quartò, egregiè in Leuiticũ scripsit Radulphus monachus Flauiacensis, vel, vt alij volunt, Fuldensis, sub annum Domini 910. Fuit vir solidè doctus, imitatur phrasin S. Gregorij, apteque singula explicat sensu mystico & tropologico. Hoc sæculo in Leuiticum scripsit tam mysticè quàm literaliter Petrus Serranus Canonicus Complutensis.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribit Deus Mosi ritum holocausti triplicis, scilicet Primò, boum, v. 3. Secundò, ouium & caprarum, v. 10. Tertiò, auium, putà turturum & columbarum, v. 14.

Pauca hic de sacrificio eiusq́ speciebus præmittenda sunt.

Sacrificij definitio.

Vnde Nota Primò. Sacrificium est oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro facta Deo, per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium & nostram subiectionem. *Dico per* realem immutationem: *quia in hoc distinguitur sacrificium ab oblatione, quòd in hac res integra offerebatur Deo, vti patet in oblatione decimarum & primitiarum; in sacrificio verò res oblata occidebatur, si esset animata; sin esset inanima, conscindebatur, conterebatur, comburebatur, vel effundebatur; itaq́ immutabatur & interimebatur.*

In sacrificio victima debet immutari, cur?

Hinc sacrificare græcè dicitur θύειν, hebraicè זָבַח zabach, *quorum vtrumque significat occidere, mactare.* zabach *enim nomine & significatione consentit cum* טָבַח tabach, *id est mactare: & Latinum sacrificare, licet dicatur à re aliqua sacrificanda, tamen sæpissimè accipitur pro occidere, quod signum est sacrificium vel in ipsa rei interemptione fieri, vel cum ea coniunctum esse.*

Ratio est, quia cùm res perimitur, eripitur vsibus humanis, & perfectiùs videtur tota in honorem Dei cedere, & significare supremum eius in omnia dominatum, omniaq́ ab ipso pendere, ac præsertim ipsum esse vitæ necisq́ omnium dominum; hæc enim omnia significamus & protestamur ipso sacrificio.

Quomodo immolabantur liquida, quomodo solida.

Vbi Nota Secundò. Res inanimæ quæ sacrificabantur, vel erant liquida, vt sanguis, vinum, oleum; hæc effusione offerebantur: vel erant solida, vt panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum; hæc leuabat sacerdos in altum, varieq́ conficiebat & immutabat: in qua immutatione consistebat ratio sacrificij. nam panis in frusta dissecabatur, simila sartagine, clibano vel craticula coquebatur, sal vrebatur, thus adolebatur, manipulus spicarum torrebatur, triticum conterebatur.

Octo animalia immolabilia.

Nota Tertiò. Ex animalibus sola munda iussit sibi Deus offerri, eáque octo tantùm, scilicet, ouem, capram, hœdum, bouem, vitulum, columbam, passerem & turturem, nec aliud animal licuit Iudæis Deo sacrificare.

Sacrificij species tres.

Nota Quartò. Sacrificiorum tres erant species. prima, erat holocaustum; secunda, victima pacifica; tertia, hostia pro peccato; quibus adde quartam, scilicet mincha, seu sacrificium ex simila aut pane. quæ omnia in se continet sacrificium Christi, quod hisce figurabatur. Hæc eo ordine prosequitur Moses, vt de holocausto agat cap. 1. de mincha cap. 2. de victima pacifica c. 3. de hostia pro peccato cap. 4. 5. & 6.



1\. VOcauit autem Moysen, & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij, dicens: 2. Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ouibus offerens victimas, 3. si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi

Dominum: 4. ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. 5. immolabitq; vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi, 6. detractaq; pelle hostiæ, artus in frusta concident, 7. & subiicient in altari ignem, strue lignorum antè composita: 8. & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, 9. intestinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum & suauem odorem Domino. 10. Quòd si de pecoribus oblatio est, de ouibus siue de capris holocaustum, masculum absque macula offeret: 11. immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem verò illius fundent super altare filij Aaron per circuitum: 12. diuidentque membra, caput, & omnia quæ adhærent iecori: & ponent super ligna, quibus subiiciendus est ignis: 13. intestina verò & pedes lauabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum & odorem suauissimum Domino. 14. Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, 15. offeret eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: 16. vesiculam verò gutturis, & plumas proiiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, 17. confringetq; ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est & oblatio suauissimi odoris Domino.

Vers. 1. OCAVIT AVTEM MOYSEN, ET LOCVTVS EST EI DOMINVS] *Locutus est*, non imaginaria, sed sensibili voce, ex tabernaculo prodeunte, & formata in aëre ab angelo, Dei vice loquente: quæ locutio non propria, aut vitalis humanáve erat locutio, cùm angelus corpore & corporeis organis, putà ore, lingua & dentibus ad loquendum necessarijs careat, sed erat ei similis. Vnde analogicè locutio dicitur. *Dominus*, id est angelus, Domini personam sustinens, vt dixi Exodi 3. v. 2.

DE TABERNACVLO TESTIMONII] id est de tabernaculo in quo erat testimonium, id est lex siue tabulæ legis. vide dicta Exodi 27. v. 20. Potest Secundò, verti, de tabernaculo conuentus, aut constitutionis, quod scilicet erat quasi locus statutus conuentioni populi & Mosis cum Deo. ita Vatablus. vtrumque enim significat Hebræum מועד *moed*.

Vers. 2. LOQVERE FILIIS ISRAEL] omnibus, etiam Leuitis. Nota. Quando in Scriptura nominantur filij Israel, si sit sermo de re temporali, excluduntur Leuitæ; si de spirituali, comprehenduntur, vt patet Deuter. 27. 12. Apocal. 7. 7. vbi tribus Leui numeratur inter signatas à Deo. Leuitis enim & personis sacris incumbit, non temporalia curare & sapere, sed spiritualia.

HOMO QVI OBTVLERIT] supple sponte; erant enim aliæ oblationes non spontaneæ, sed præceptæ, ideoque necessariæ. talis erat oblatio primogenitorum, de quo Exod. 22. 29. & oblatio pro peccato, de qua hîc c. 4. & 5. atque hæc quæ necessaria erant, non poterant à quoquam transferri ad alium modum oblationis, vt patet c. 27. 26. *Primogenita, inquit, quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit & vouere.*

Iure gentium soli Deo sacrificatur. HOMO QVI OBTVLERIT EX VOBIS HOSTIAM DOMINO] Soli enim Deo est sacrificandum, idque omnium gentium vsu receptum est, vt scilicet nulli sacrificarēt, nisi qui Deus esset, aut Deus ab ijs haberetur, quemque scirent, putarent, vel fingerent esse Deum, ait S. August. l. 10. Ciuit. 4. idque ob causam, quam initio cap. dedi.

DE PECORIBVS] Interpres noster non distin-

A guit inter pecora & pecudes, perinde vt grammatici faciunt, qui pecudes vocant animalia minora, pecora maiora. Interpres enim omnia animalia, tam minora quàm maiora, vocat tam *pecudes* quàm *pecora*.

DE BOBVS ET OVIBVS OFFERENS VICTIMAS] Sub ouibus & capras intellige: his enim communis est Hebræa vox צאן *tson*. Seligit sibi hîc Dominus in sacrificium, ex animalibus terrestribus bouem, ouem & capram, ex volucribus columbā & turturem; nullum verò piscem. Cuius prima ratio, est libera Dei voluntas, quæ ita sanxit. Secunda, quia hoc congruum erat: illa enim animalia magis sunt in communi hominum vsu, præ- *Nullus piscis poterat Deo immolari, cur.*

B bentque homini sua carne & lacte cibum, suo vellere & corio vestitum: boues etiam arant & triturant. Rursum hæc animalia sunt mansueta, ideoque mundiora. ita Theod q. 1. & Philo lib. de Victimis. In piscibus etiam hoc peculiare fuit, quòd vix viuentes adduci, ideoque nec immolari potuissent. vtrimq; enim verum est illud S. Antonij: *Quod piscis est extra aquam, hoc monachus est extra cellam.* Adde, pisces, quia humore & semine abundant, symbolum esse ignauiæ & luxuriæ. Pierius verò hierogl. 31. ait pisces esse hieroglyphicum innocentiæ, cùm omnino sint innocui, nec elementum suum ad insidias alijs inferendas transgrediantur: ideoque Pythagoram cauisse, abstinendum esse piscibus, ne insontes persequerentur. Idem docet Lilius Giraldus in symbolis *Pisces symbolum sunt ignauiæ & luxuriæ.*

C Pythagoræ. Quocirca Pythagoras, teste Plutarcho, à piscatore retis iactū emisse fertur, vt quidquid piscium eo iactu caperet, statim emitteret; quod & fecit.

Tertia caussa est, quòd pisces valdè imperfecta & ignobilia sunt animalia. Audi Philonem lib. de Constit. mundi. Primi inter cætera animalia pisces creati sunt, quòd eorum videlicet sit anima ignobilissima, vt hominis est acutissima. *Animarum, inquit, aliqua quidem est tardissima, & minùs expressa, quæ generi piscium obuenit: aliqua verò acutissima, quæ hominis est. Quæ autem ambarum est intermedia, terrestribus & volucribus data est. Magis enim hæc sensilis, quàm in piscibus; hebetior verò, quàm quæ in hominibus. Quamobrem Deus inter animantes*

pisces

pisces primos condidit, magis corporis substantia, quàm animæ participes, & quodammodo animalia & non animalia, ac mobilia inanima: atque ad ipsam solam corporis conseruationem, Deus illis indidit spiritum animalem: ceu (vt dicitur) sal carnibus inspergitur, ne facilè putrescant. Quocirca Ægyptij, teste Herodoto, piscibus quasi impuris & inquinatis abstinebant. Quin & cùm nefas inquinamentumque ijdem significare volunt, piscem pingunt, quòd pisces mutua carne vescantur, & inter se esca sint, vt Horus Ægyptius scribit. Sanè præter Ægyptios, & Syros etiam piscibus abstinuisse legimus. Vnde apud eos Atergatis dea celebratur, quæ interpretatur sine pisce: quippe Syrorum lingua, *Ater*, priuatiua est dictio, & *Gatis* piscem significat.

Alias tamen gentes de thynno, & de anguilla rem sacram fecisse tradit Athenæus lib. 7. Quin & M. Varro lib. 3. Rei rusticæ, de certis piscibus rem sacram apud Lydios fieri scribit.

Quartam causam dat Abulens. *Voluit*, inquit, *Deus sibi immolari bouem, ne Hebræi putarent Apim, bouem Aegyptium, esse Deum: arietem, ne Hammonem Aegyptium, habentem cornua arietis, censerent esse Deum: hircum, quia dæmones culti ab Aegyptiis, hirci specie sæpè se videndos exhibebant*, vti etiamnum exhibent.

Hinc sequitur, omnia animalia munda ad sacrificium, fuisse quoque munda ad cibum, potuisseque comedi; non tamen è conuerso. nam ceruus, pygargus, & cætera erant munda ad cibum & esum, vt patebit c. 11. non tamen ad sacrificiū; nec enim ea licebat immolare. ita Abulens.

Allegor. omnes victima significabant Christum, quomodo?

Allegor. causa fuit, quia hæc animalia aptissimè significabant Christum, qui est vnica victima legis nouæ, ad quam significandam præcipuè erant instituta, Hebr. 10. v. 1. Bos enim significabat Christi fortitudinē & labores; ouis innocentiam; hœdus formam peccatoris; turtur arctam cum Deo coniunctionem; pipiones siue pulli columbarum, mansuetudinem. ita S. Cyril. li. 15. de Adoratione in spiritu & veritate p. 304. Procop. in c. 4. Leuit. & Beda hîc.

Tropolog.

Idem significant hæc eadem tropol. nam, vt ait Origen. hom. 2. *offert Deo vitulum, qui carnis superbiam labore vincit; ouem offert, qui irrationales iræ motus insipientesque corrigit (nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore deposito, mitem intra te & simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem vel agnum puta.) hœdum offert, qui lasciuiam superat; par turturum, qui mentem suam verbo Dei vt coniugi sociat; pullos, qui oculos columbinos sponsa imitatur.* ita & Isychius, & Radulphus.

Hinc Philo lib. de Victimis ait animalia hæc immolanda debuisse esse integra, illæsa partibus omnibus, vitijs næuisque carentia; ideoque sacerdotes solere ea diligenter ante immolationem scrutari, à capite ad pedes vsque, num quam labem haberet victima; idque vt per hoc monerentur offerentes, nitidam & immaculatam in conspectu Dei producere animam, eamque cum victima sua Deo offerre.

Vers. 3. Holocaustum quod, & vnde dictum?

SI HOLOCAVSTVM FVERIT EIVS OBLATIO] Holocaustum vox Græca est, q. d. ὁλοκαυστὸν, id est, totum combustum; quòd in eo tota victima Deo combureretur. Vnde hebr. vocatur כָּלִיל *calil*, id est totum, vel consummatum; quia totum in Dei honorem igne consumebatur. vocatur &

A עוֹלָה *ola*, id est, ascensio, quòd in eo tota hostia per ignem & fumum ascenderet ad Deum. Hinc rursum græcè vocatur ὁλοκάρπωμα, quòd totum in Dei fructum cederet. Holocaustum ergo erat sacrificium Deo oblatum purè ad laudem Dei, & honorem supremæ maiestatis eius, atque amorem summæ bonitatis eiusdem, etsi ab ea nihil expectaremus gratiæ, ait Philo.

In holocausto tota victima excepta pelle cremabatur, cur?

Hac enim de causa in holocausto tota victima, excepta pelle, cremabatur, vt per hoc significaretur summum Dei dominium in res omnes, omniaque referenda ad ipsum, ipsiusque gloriam. Secundò, offerentes per hoc protestabantur se totos esse Dei, seque quasi cum holocausto totos Deo consecrabant, vt quasi corpore pessumdato, animum cum hostiæ suæ fumo in cælum B sustollerent, atque in Deum transferrent. Hinc Gentiles Græci, si cælestibus diis immolarent, ita caput victimæ statuebant, vt cælum spectaret: si verò inferis, vt despiceret terram, ait Gyraldus syntagm. 17.

Ritus & ordo immolandi holocaustum.

Nota Primò. Victima holocausti debebat esse mascula & immaculata. Diuites offerebant bouem, vel vitulum: alij qui vitulum habere non poterant, offerebant agnum aut hœdum: denique pauperes qui nec agnum nec hœdum, offerebant turturem aut pullum columbę. Secundò, debebat adduci ad ostium tabernaculi. Tertiò, offerens imponebat capiti victimæ manus. Quartò, sacerdos eam mactabat & iugulabat, sanguinem phiala excipiebat, eumque fundebat per altaris circuitum, mox pellem detrahebat, deinde victimam in frusta concidebat, eaque altari imponebat, ac supposito igne & lignis comburebat. In hisce autem C sacerdos sacrificans aliorum sacerdotum & Leuitarum operâ iuuabatur; nec enim hæc omnia vnus sacerdos præstare potuisset, præsertim cùm simul multæ victimæ essent offerendæ.

Holocaustum tropol. quid & quotuplex.

Tropolog. holocaustum, inquit Radulphus, efficitur qui corde & corpore iugiter diuinis mancipatur obsequiis; estque triplex, Primò, bouis, id est, corpore robustorum, qui labores suos fraternis substernunt commodis. Secundò, ouium, id est eorum qui imbecilles corpore operum innocentia, & morum simplicitate alios pascunt. Tertiò, auium, id est, eorum qui scientiæ & contemplationi vacant, vt Deum agnoscant. sic ferè Isychius, & Rupert. qui primos comparat cum Iob: secundos cum Noë, Noë enim inter peccatores effulsit innocentia: tertios cum Daniele mortalium sapientissimo. Secundò, apposite D Ribera li. 4. de Templo c. 3. per holocaustum vituli accipit Christum, *qui*, vt ait Paulus, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.* Secundò, per holocaustum agni vel hœdi, accipit oblationem & mortem Martyrum, quæ dignitate fuit proxima victimæ Christi. Tertiò, per holocaustum turturis & columbæ accipit eos, qui per iugem carnis macerationem, & voluntatis abnegationem, se quasi hostias viuas Deo immolant, Rom. 12. 1.

Holocausti vituli est Christus, agni sunt Martyres, turtures sunt continentes.

Tropol. victimum holocausti.

Iam Primò, hi omnes sunt masculi per fortitudinem; immaculati per sanctitatem. Secundò, Christus ad ostium tabernaculi, id est iuxta & extra vrbem, immolatus est. Tertiò, Christus qui simul offerens est & victima (seipsum enim obtulit) Christus, inquam, offerens manus super caput hostiæ imposuit, quia peccata generis humani im-

imposuit super caput suum, ait Origen. Quartò, Christus offerendo se Patri, sanguinem fudit in circuitu altaris, id est crucis, vt sciremus omnes orbis terræ nationes participes fore crucis & sanguinis Christi: pellis detracta est hostiæ, cùm vestibus omnibus spoliatus est Christus: artus in frusta sunt concisi, cùm Christi corpus flagris & clauis concisum, in cruce ita distentum est, vt ossa suis locis emota sint, iuxta illud psalm. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Ignis quo immolatus, & mysticè crematus est Christus, fuit ignita eius charitas: ligna, miseriæ nostræ, quæ eius amorē excitarūt. De reliquis, putà de oue & auibus, dicam inferiùs suis locis.

DE ARMENTO] de bobus. ita habent Hebræa. aut vitulis. nam ij soli è maioribus animalibus immolabantur.

MASCVLVM] quia holocaustum erat nobilissimum sacrificium, quod directè Deo ad eius honorem & laudem tantùm offerebatur; vnde nobilissimam decebat in eo adhiberi victimam; talis autem est mascula. Secùs erat in sacrificio pacifico, quod pro salute alicuius offerebatur: in eo enim, vt pote minùs nobili, offerri poterat femina. ita Abulens.

IMMACVLATVM OFFERET] bouem, siue vitulum. Victimam immaculatam vocat, quæ nullas habet maculas, non coloris (bos enim maculosus, id est, nigro vel varicolori vellere, censebatur immaculatus, poteratque immolari) sed deformitatis & vitij: maculam enim hanc explicat Leuit. 22. 22. dicens, *Immaculatum offeret, vt acceptabile sit; omnis macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, aut impetiginem.* & talis macula intelligitur Cantic. 1. cùm de sponsa dicitur, *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Vnde pro *immaculatum* hebraicè est תמים *tamim*. id est, *perfectum*, vt vertit Aquila; & integrum, vt Symmach. Has maculas perscrutari solebant sacerdotes, vti superiùs dixi ex Philone. Gentiles verò cornua victimæ inaurabant. vnde Ouid.

Victima expers erat macula, cuius.

Indutaq; cornibus auro
Victima, vota facit. & Virgil.
Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

vbi Seruius, *Si minor*, inquit, *bestia esset immolanda, illam de fronde coronabatur, cui sacra fiebant, laneaq; infula & candida vitta circumdata, ante aras nullo vinculo ligata sistebatur.*

Tres partes tabernaculi quasi tria templa

OFFERET AD OSTIVM TABERNACVLI TESTIMONII] Dixi Exod. 26. tres fuisse partes tabernaculi & templi: primam intimam, scilicet Sanctum sanctorum: secundam ei coniunctam, scilicet Sanctum. hæ duæ propriè erant ipsa fabrica tabernaculi; tertiam extimam, videlicet atrium quoddam vndique cingens tabernaculum. erantque hæc quasi tria tabernacula, primum pontificis, secundum sacerdotum, tertium laicorum: in hoc enim atrio quasi in templo suo conueniebant laici, in eoque comedebant victimas pacificas.

Atrium tabernac. duplex.

Porro atrium erat bipartitum: anterior enim pars erat atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum; posterior pars septo ab anteriore diuisa, erat atrium laicorum. Laici ergo offerentes victimam in holocaustum, eam adducebant ad ostium tabernaculi, id est ad introitum atrij sacerdotum; ibi enim illi eam excipiebant, ducebantque ad altare holocaustorum, vbi eam im-

A molabant: nec enim ad hoc altare, vel atrium sacerdotum ingredi poterant laici.

AD PLACANDVM SIBI DOMINVM] Proprius holocausti finis erat colere & honorare Deum, non autem eum placare; hoc tamen ex illo sequebatur, etsi offerens nihil de placatione cogitaret. Hebr. est לרצנו *lirtsono*, quod recentiores vertunt, *secundùm voluntatem suam*. q.d. Offeret id quod ei libuerit: sed meliùs *lirtsono*, vertas, *ad fauorem eius* coram Domino. q.d. Offeret ad fauorem Domini sibi conciliandum. nomina enim & affixa Hebræorum sæpè passiuè capiuntur, iuxta can. 15. sic hic vocatur *fauor eius*, scilicet non qui faueat, sed cui faueatur, quod Noster vertit, *ad placandum sibi Dominum*; & Septuag. *acceptabile erit ei ad propitiandum pro eo.* hinc sequitur:

PONETQVE MANVM SVPER CAPVT HOSTIÆ] *Vers. 4.*
B Primò, vt hoc ritu offerens significet, se victimā è sua manu & potestate in Dei ius transferre Simili cæremonia prisci Romani seruis se abdicabant, eosque manu mittebant: nam tenentes caput, dicebant: *Hunc hominem liberum esse volo*, & mittebant eum manu sua. Vnde & ea cæremonia adhibita est in oblatione & consecratione Leuitarum, Num. 8. 19 Secundò, vt hac cæremonia significet offerens se peccata sua imprecari, & quasi imponere victimæ immolandæ, eamque pro se offerre. per manus enim significantur actiones & peccata, quæ manibus fiunt, ait Theod. & Euseb. 1. Demonst. Euang. c. 10. *Manuum impositio*, ait Euseb. *symbolum oblationis erat, & testimonium reatus in hostiam transflati.* Licet enim holocaustum primariò offerretur ad honorem Dei, secundariò tamen offerebatur pro peccatis ad placandum Deum, vti dixi. Sic Ægyptij Gentiles capiti victimæ imprecabantur, si quid fortè esset, quod vel sacrificantibus, vel Ægypto nociturum esset, vt id omne in caput hoc cōuerteretur; moxque caput victimæ resecabant, & in flumen abijciebant, vt refert Girald. syntagm. 17. Tertiò, vt hoc ritu significet offerens, se totum semetipsum cum victima in holocaustū offerre Deo, totumq; se impendere velle Dei obsequio. His de causis & nostri sacerdotes in sacrificio Missæ, manus superponunt hostiæ, vt annotauit Durand. in Rationali diuinorum Officiorum, Suarez, & alij.

Victimæ offerens manum imponebat, cuius Prima causa.

Secunda.

C

Tertia.

Hac eadem de causa sanxit Numa apud Romanos, *adorantem in orbem sese circumagere debere*; vt hoc gestu significet, in humanis nihil esse stabile, ideoque conueniens esse vt, quocumq; modo vitam nostram torqueat Deus atque reuoluat, boni consulamus, inquit Plutarch. in Numa.

D ET ACCEPTABILIS ERIT] Hebr. est ונרצה לו *nirtsalo*, id est, *placebit*, vel *accepta erit ei*, scilicet Deo. Secundò, verti potest, *accepta erit pro eo*, scilicet offerente Id signo externo ostendisse Deum docet Ioseph. li. 3. Antiq. cap 9. *Nam ex duobus*, inquit, *onychinis, qui in humeris pontificis positi erant, dexter micabat, quoties litabatur, eo fulgore vt procul etiam videretur.* Simili modo micasse lapides rationalis, idem asseuerat.

Fulgebat onyx in rationalidum sacrificabatur.

IN EXPIATIONEM PROFICIENS] Ex hoc loco, & ex c. 4. Caluinus infert, per hæc sacrificia vetera modo sacramentali reconciliatos fuisse Israelitas, solutosque culpa & reatu in Dei iudicio, sicut hodie abluimur & soluimur per baptismum. Hæc sententia sequitur ex alio principio Caluini, quo docet Sacramenta legis nouæ non conferre gratiam

Caluini error, vetera Sacramēta æquè iustificasse atque noua.

gratiam ex opere operato; sed fidem quam Sacramenta excitant, gratiam conferre, at Sacramenta tantùm esse sigilla gratiæ collatæ per fidem. quia ergo tam vetera quàm noua Sacramēta & sacrificia non iustificāt nisi per fidem, quam pari modo excitant; hinc secundùm Caluinum par est modus iustificandi vtrorumque.

Refellitur Primò. Verùm hic est error manifestus, & clarè repugnat S. Scripturæ psalm. 50. 18. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.* Psal. 39. 7. *Sacrificium & oblationem noluisti.* Gal. 4. 9. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa?* vt expressè refutatur à Paulo Hebr. 10. 4. & seq. *Secundò.* Secundò, hic error aduersatur Concil. Flor. tract. de Sacram. & damnatur à Trid. sess. 7. can. 2. idque meritò. nam hæc hæresis ita legis nouæ gratiam & Sacramenta extenuat, vt Iudæos Christianis, & legem veterem nouæ æquet, vtque secundùm eam tam optabile fuerit esse Iudæum, quàm Christianū. vt meritò Hunnius & alij librum scripserint in Caluinum hoc titulo, *Caluinus iudaizans.* *Tertiò.* Vnde Tertiò, refellunt eum S. Clemens li. 6. Constit. 22. Irenæus li. 4. 32. Hieron. in c. 5. Matth. & in Isaiæ c. 1. & 60. Chrysost. hom. 9 in Matth. & alij.

Obiectio. Dices, Quomodo ergo hîc dicitur vetus hostia proficere in expiationem?

Responsio. Resp. Primò, Quia valebat ad expiationem pœnæ temporalis, & ad punitionem huius vitæ, quam Deus aliàs eis irrogasset, auertendam. Secundò, quia tollebat ex se immunditiem legalem siue carnis, qua censebantur immundi inter suos, & arcebantur sacris: quæ immunditia figura erat peccati. sic ergo hæc hostia conferebat iustitiam quamdam legalem & externam, quæ figura erat veræ iustitię & renouationis internę. Tertiò, quia auferebat culpam & pœnam æternam, non vi sacrificij aut ex opere operato (hoc enim ne sacrificio quidem legis nouæ, sed tantùm eius Sacramentis concessum est) verùm ex opere operantis; putà ex contritione & charitate offerentis. neque enim alia sacrificijs & Sacramentis veteribus annexa fuit spiritualis promissio.

VERS. 5. IMMOLABITQVE VITVLVM CORAM DOMINO] *Immolabit*, offerens scilicet, per eum cuius est immolare, putà per sacerdotem, siue summum siue inferiorem; omnes enim & soli hi sacerdotes poterant sacrificare, vti & adolere thymiama, vt patet cap. 10. 1.

Victimæ iugulabantur expansæ in modum crucis, cur. *Prima caussa.* Notat Vilalpando li. 3. de Templo c. 37. pag. 232. tam Iudæos, quàm Gentiles victimas suas iugulasse expansas, videlicet diuaricatis cruribus & toto earum corpore expanso: idque Primò, quia talis expansio victimæ super lapidibus, demisso collo & erecto corpore, commoda erat ad faciliorem & copiosiorem sanguinis effusionem. *Secunda.* Secundò, vt per hanc victimæ compositionem externam, significaretur internus offerentis animus quasi totus coram Deo effundi. *Tertia.* Tertiò, vt significaretur Christus, qui quasi victima expansus, mactatus est in cruce pro redemptione hominum. in qualibet ergo hostia ita distenta quasi in imagine viua repræsentabatur Christus crucifixus, & in cruce pari modo distentus.

VITVLVM] Hebr. *filium bouis*; bouem quem v. 3. offerri iussit, hîc vocat vitulū. Bouem ergo Deus delegit alijsque prætulit, non annosum, sed iuuenem; quia is tenerior est & delicatior: optima enim Deo sunt offerenda. hac de causa eumdem masculum & immaculatum esse voluit. Licet & alia mystica huius rei, eaque potior fuerit causa, quam dat S. Cyrill. li. 15. de Adoratione in spiritu & veritate, pag. 300. videlicet Primò, quòd masculus simul & immaculatus, iuuenisque fuerit filius hominis, Emmanuel noster, hisce victimis præsignatus; in flore enim iuuentutis immolatus est Christus. *Vitulus signat Christi iuuentā.* Secundò, quòd Deus à nobis requirat animum masculum, robustum, & à vitiis liberum: mollities enim & muliebris animus, atque interior mentis atque intellectus debilitas prorsus à Deo respuitur, ait Cyril. *Masculus animus Deo offerendus, quia mollis & muliebris ei displicet.* Sic & apud Ægyptios feminas immolare non licebat, teste Herodoto lib. 2. Ex aduerso aliæ gentes feminas præferebant maribus in sacrificio, ait Seruius in li. 8. Æneid. Nota. In solo holocausto Deus requirit victimam masculam, quia hoc præcisè offerebatur ad laudem & honorem Dei, qui cùm perfectus sit, perfectam poscit victimam, ideoque masculam, qua eius perfectionem protestemur & repræsentemus, inquit Abulens. Quare in sacrificio pacifico victima poterat esse femina, vt patet c. 3. 1. Idem videtur de hostia pro peccato. Nam c. 4. lex non requirit in eo hostiam masculam. ita Radulph. & Abulens.

CORAM DOMINO] coram altari & tabernaculo, vbi singulariter præsens est Deus, auditque vota, & sacrificia offerentium excipit. Ex hoc loco, & clariùs ex v. 11. vbi dicitur, *Immolabitq; ad latus altaris*, colligitur animalia non fuisse iugulata super altare, sed iuxta illud, siue ad latus eius: *Occidebatur victima non supra altare, sed iuxta, cur.* altare enim igne erat plenum, neque potuisset sacerdos eleuare bouem super altare tam altum. Vnde & aspergebatur altare sanguine victimæ, postquam illa alibi esset immolata: membra verò victimæ iugulatæ concisa imponebat sacerdos super altare, vt in eo cremarentur. ita Abulens.

ET OFFERENT FILII AARON SACERDOTES SANGVINEM EIVS, FVNDENTES PER ALTARIS CIRCVITVM] *Filij Aaron* vocantur hîc quilibet sacerdotes, qui sacerdoti sacrificanti ministrant, etsi alioqui illi dignitate pares sint. tunc enim non erant alij sacerdotes, qui Aaroni pontifici sacrificanti ministrarent, quàm eius filij. Sola enim familia Aaron à Deo electa & euecta est ad sacerdotium.

SANGVINEM EIVS FVNDENTES] Nam, vt ait Apostolus Hebr. 9. v. 22. *sine sanguinis effusione non fit remissio*: holocaustum autem secundariò ad remissionem peccatorum referebatur. Itaque quia peccata faciebant homines dignos morte, & sanguinis effusione: anima enim, id est vita, consistit in sanguine, Leuit. 17. 14 hinc ipsi vice sanguinis sui, fundebant sanguinem victimarum, in quas manuum impositione, sua peccata protestando quasi transtulerant: fundebantq; sanguinem circa altare, quia Deus altari repræsentabatur. Vnde hoc signo se ei offerre sanguinem bestiæ pro suo testabantur, petentes vt eum loco proprij reciperet Deus, eoque tamquam peccatoris, & hostis sui supplicio iustæ eius vindictæ satisfieret. Vide ca. 17. v. 11. & Abulens. c. 3. q. 3.

Censet Abulens. per miraculum continuum omnem sanguinem victimarum mox exhalasse, idque ad decentiam & reuerentiam sacrificiorū; alioqui enim intolerabilem fœtorem induxisset, præsertim cùm multæ victimæ simul mactabantur. *Miraculo exhalabat sanguis victimarum.*

tur. Huic incommodo occurrit Salomon in templo suo: fecit enim piscinas, meatus & canales subterraneos, per quos sanguis emitteretur, & aqua superfusa abstergeretur, vti testatur Aristæas tractat. de LXXII. Interpr.

VERS. 6. DETRACTAQVE PELLE HOSTIÆ] Pellis detrahebatur, tum ob munditiam sacrificij, tum quia sacrificium erat quasi cibus Dei. pellis autem comedi non solet. Excipe vitulam rufam, & sacrificia pro peccato, in quibus comburebatur pellis, fimus, & cornua victimæ extra castra: idque ad indicandam & inducendam peccati detestationem, de quo c. 4. Porrò sacerdotum erat detrahere pellem: vnde & pellis sacerdoti cedebat, vt patet c. 8. 7. Intellige, nisi necessitas vrgeret: tunc enim etiam Leuitæ huic excoriationi seruiebant, vt patet 2. Paral. 29. 34. ita Caietan. Oleaster. & alij.

ARTVS IN FRVSTA CONCIDENT] Hebraicè, *& incidet* (scilicet sacerdos) *eam iuxta incisiones* vel *partes suas*: & Septuag. μελιεῖ αὐτὸ κατὰ μέλη, *concident eam membratim*. Iosephus addit frusta hæc sale fuisse conspersa, itaque aræ imposita.

Symbolicè, hac membrorum concisione significabatur, ait Philo, quòd oporteat Deum laudare, eique gratias agere pro cælo, sole, luna, terra, mari, aëre, & omnibus vniuersi partibus. Hæc enim sunt quasi frusta & membra orbis, qui est quasi integra Dei victima.

Orbis est quasi integra victima Dei.

Tropolog. diligenter inspicitur vnumquodque membrum eius, qui Deo dicatus est, à sermone Dei, qui pertingit vsque ad diuisionem animæ & spiritus compagum & medullarum, cui omnia nuda & aperta sunt, inquit Procop. Radulphus, & S. Gregor. 1. Moral. vlt. *Pellem*, inquit Gregor. *bestia detrahimus cùm à mentis nostra oculis superficiem virtutis amouemus: cuius artus in frusta concidimus, cùm distinguentes subtiliter eius intima membratimq́; cogitamus*, &c.

VERS. 7. SVBIICIENT IN ALTARI IGNEM] facient vt ignis sit subiectus; ergo in primo sacrificio subdent ignem, quem postea iugiter fouebunt sub altari, vt dicetur cap. 6 v. 13

Nota τὸ *in altari*. id est *sub altari*. altare enim erat cauum interiùs, ad ignem & ligna recipienda, vt dixi Exodi 27. 8. sed tegebatur craticula cancellata instar retis, cui victimæ comburendæ imponebantur, vt patet ibidem v. 4. Hebraicè est, *dabunt super*, vel *ad altare ignem*. Vnde infert Abulens. ignem & ligna non fuisse sub, sed super altare. Verùm Respondeo, *Dabunt ignem ad altare*, id est ad locum sub altari constitutum, vel *super altare*, vt vertunt Septuag. id est super partem altaris internam, putà super lapides à terra eleuatos, qui pertingebant ad medium altaris interiùs, quibus foculus cum igne & lignis imponebatur.

Altare dicitur quasi alta ara: ara, ab ardore victimarum.

Hinc *altare* dictum est quasi *alta ara*, ait Isidor. lib. 15 Origin. c. 14 *ara* verò dicta est ab ardendo, quòd in ea arderent victimæ. Ara, inquit Varro, dicitur quòd areæ in vrbe puræ sint, vel ab ardore victimarum. Alij aras dictas putant à precationibus, quas Græci ἀρὰς vocant.

VERS. 8. CAPVT VIDELICET, ET CVNCTA QVÆ ADHÆRENT IECORI] Nominat partes de quibus poterat esse dubium; nam de reliqua carne manifestum est, eam omnem in holocausto comburi debuisse patet ex Septuag. Hebr. & Chald.

Mysticè, maximè Deo offerre debemus partes

A vitales, caput & iecur, id est intellectum & affectum; iecur enim est sedes amoris. Hinc Gentiles, putantes singulas in homine partes & membra singulos deos obtinere, Ioui caput, Mineruæ oculos, Iunoni brachia, Neptuno pectus, Marti lumbos & cingulum, Veneri renes & inguina, Mercurio pedes attribuerunt, vti ex Democrito & Placiade docet Girald. syntagm. 1.

IN HOLOCAVSTVM ET SVAVEM ODOREM DOMINO] Anthropopathôs hoc de Deo dicitur. Sensus est, vt Chaldæus vertit, *holocausti oblatio est, qua suscipitur cum beneplacito coram Domino*. Vnde pro *odorem suauem* vel *suauitatis*, hebraicè est, *odorem quietis*, in quo scilicet suauiter quiescit & delectatur Deus, tamquam in sacrificio sibi accepto. Abulens. vti sanguinis, ita carnium nidorem & fœtorem censet diuinitus fuisse sublatum, eisque inditum fuisse suauem odorem: alioquin enim in continuis sacrificijs fuisset grauissimus odor, & intolerabilis fœtor. VERS. 9.

Miraculo nidor victimarum sublatus.

B

Tropologiam omnium iam dictorum affert Radulphus: Altare, inquit, est cor nostrum: ligna sunt sanctæ cogitationes: offertur hostia ad ostiū tabernaculi, id est, ad, & prope ingressum cæli: manus impositio est deuotio offerentis: sanguinis effusio est prauarum cupiditatum expulsio: pellis detractio est interioris voluntatis examen: membrorum concisio est operum charitatis discreta distributio: ignis est charitas: caput est operis intentio: intestina, id est, animæ interiora, & pedes, id est actiones externæ, lauanda & purgāda sunt, vt victimæ simus dignæ Deo. Hæc tropologia seruit quoque holocausto ouium, auium, alijsque sacrificijs, ideoq́; eam deinceps in alijs non repetam.

Tropol. totius immolationis.

C

QVOD SI DE PECORIBVS OBLATIO EST] *Pecora* vocat pecudes, siue greges ouium & caprarum; has enim significat Hebræum צאן *tson*. Transit enim hîc Moses à prima specie holocausti, putà à bobus, ad secundam, scilicet ad oues & capras. VERS. 10.

Agnum MASCVLVM ABSQVE MACVLA OFFERET] Pro *masculum* Biblia Plantiniana habent *anniculum*. Verùm legendum esse, *masculum*, patet ex Hebr. Chald. Septuag. & Roman. Et licet Iosephus dicat, *agnum & hædum anniculos, bouem verò licet mactare etiam grandiorem*; tamen Scriptura & lex diuina nil tale habet. forte Iudæi, interpretati sunt talem oportere esse agnum in holocausto, qualis erat paschalis, qui debebat esse anniculus, Exodi 12. 5.

IMMOLABITQVE AD LATVS ALTARIS QVOD RESPICIT AD AQVILONEM] Iussit id Deus ad hoc, vt mactatio & immolatio hæc fieret coram ostio tabernaculi, siue Sācti quod erat quasi templum & domus Dei nam altare holocaustorum erat ostio huic ad Meridiem: ergo vt immolatio fieret coram ostio, debebat eadem fieri ad latus Aquilonare altaris. ita Isychius. Causam allegoricam dat S. Cyrillus li. 16. de Adoratione, scilicet vt significaretur Christi passionem Gentibus profuturam; quia enim Iudæa erat ad Austrū hinc Gentes Iudæis oppositæ per Aquilonē significantur. VERS. 11.

D

SANGVINEM VERO ILLIVS FVNDENT SVPER ALTARE] super latera altaris, seu super parietes altaris circumcirca, vt dixit vers. 5. nam si super craticulam reticulatam fusus fuisset sanguis, extinxisset ignem illi subiectum.

ET PONENT SVPER LIGNA] vel immediatè, VERS. 12.

vel

vel mediante craticula, vti dixi Exodi 27.4.

Tropolog. Ribera hæc omnia quæ spectant holocaustum ouium, sigillatim adaptat Martyribus. vide eum lib. 4. de Templo, cap. 3.

Exempla Martyrũ, qui se Deo obtulerunt in holocaustum.

Talis ouis, imò aries gregis & Martyrum Christi fuit S. Polycarpus, qui cùm in stadium martyrij ingrederetur, vox cælitus audita est: *Confortare Polycarpe, ac vir esto.* Quocirca constanter pro fide Christi decertans coram Præside, ab eo damnatus, ductusque ad rogum, *manibúsque post tergum ligatis, instar insignis arietis, holocaustum Deo omnipotenti acceptum obtulit: dicens: Pater dilecti ac benedicti filij tui Iesu Christi, per quem cognitionem tui accepimus: Deus angelorum ac virtutum, omnisq́; creaturæ, & omnis generis iustorum, qui viuunt coram te; tibi gratias ago, quòd hac me die & hora dignatus es, vt partem accipiam in numero Martyrum, in poculo Christi, ad resurrectionem vitæ æternæ, animæ simul & corporis, in incorruptione Spiritus sancti: in quibus suscipiar in conspectu tuo hodie in sacrificio pingui & accepto, sicut præparasti, iam antea patefecisti, & adimplesti, qui mentiri nescis, Deus verax. Quapropter & de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per æternum Pontificem Iesum Christum filium tuum dilectũ, per quem tibi vnà cum ipso & Spiritu sancto, sit gloria nunc & in futuris sæculorum sæculis. Amen.* Ita narrant Smyrnenses oculati testes, apud Euseb. li. 4. historiæ c. 15. Vis non vnum, sed plures?

Imperante Diocletiano Christiani Nicomediæ in templum die Christi natali conuenerant: tyrannus misit eò qui templum clauderẽt, & ignem circumcirca accenderent. mox per præconem proclamari iussit, vt qui viuere vellet, ex templo exiret, & in proxima Iouis ara thura adoleret; alioqui nisi hoc fecisset, cum templo conflagraturus. Tum verò vnus è templo pro omnibus liberè respondit: *Omnes nos Christiani sumus, vnum eúmque solum Deum & regem credimus esse Christum: & ipsi, Patriq́; eius, & Spiritui sancto sacrificare, atque nos omnes vnà offerre parati sumus.* Vix hæc ille dixerat, cùm ignis succenditur, qui quasi in momento templum omne complexus, illos omnes (erant autem viginti hominum millia) quasi holocausta combussit. & in cinerem redegit, vti refert Niceph. li. 7. hist. c. 6. Audi & tres pueros martyres in camino ignis: *Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi* Domine, Daniel. 3. 40. Audi & heroinam inter feminas.

Illustris fuit matrona & Martyr sub Dunaan tyranno Homeritarum, quę cùm ei blasphemiam & periurium exprobrasset, ab eo audiuit: Ego te audacissima mulier discerpam, & canibus deuorandam tradam: videbo an Nazarenus tuus possit tibi auxiliari. Quæ verba non ferens prima filiarum Martyris, annum iam agens duodecimũ, tyranni oculos consputauit: mox astantes tyranno eam cum sorore ense cõfodiunt, sanguinemq́; matri offerunt. Illa verò eum gustans, & in cælum suspiciens: *Tibi*, inquit, *Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, & tibi Martyres exhibeo castas virgines, quæ egressæ sunt ex vtero meo, cum quibus quoque me connumeratam introduc in tuum thalamum, &, vt dicit diuinus Dauid, ostende matrẽ propter filias lætantem.* quare rex eam ad mortẽ damnauit. ita ex Procopio narrat Baronius anno Christi 522. pag. 91.

Denique S. Ambrosius iussus à Iustina & Va-

A lentiniano eius filio Imper. Ecclesiam tradere Arrianis, recusauit, dicens: *Quæ Dei sunt, imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, inuadite: si corpus, accurrite: vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est: non ego me vallabo stipatione populorum, nec altaria tenebo vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo.* vide eum epist. ad Marcellinam sororem.

SI AVTEM DE AVIBUS HOLOCAVSTI OBLATIO FVERIT DOMINO, DE TVRTVRIBVS AVT PVLLIS COLVMBÆ.] Est hæc tertia species holocausti, scilicet auium, putà turturum, vel pullorum columbarum. Turtures enim maiores selegit Deus; quia hi sunt meliores: ex columbis verò selegit pullos; quia in columbis pulli sunt meliores & pinguiores. ita Philo. Adde, columbas maiores cæteris auibus esse salaciores: singulis e- VERS. 14.

B nim mensibus generant. ita Theodor.

Nota. Ab Hebræo *tor* geminato dicitur *turtur*. Sic ab Hebr. *rab* Chald. *rabrabbim* vocantur principes. Sic à Syro *bar*, id est extra, geminato, dicitur *barbar* siue *barbarus*.

Hoc erat holocaustum pauperum, vt patet Leuit. 12. 8. Vnde Num. 7. vbi principum victimæ enumerantur, nullæ memorantur aues.

Mysticè turtures & columbæ sunt Confessores & Virgines.

Tropol. Ribera, tertium holocaustum auium ait significare Confessores & Virgines, qui per carnis macerationem & mundi contemptum, per scientiam & contemplationem, perque orationem in cælum euolant. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* inquit Psaltes psal. 54. columba enim velocis ac diuturni volatus est; rursum fœcunda est, mansueta & felle carens. Turtur castitatem & solitudinem amat, &

C gemit. Vnde poëta:

Nec gemere aërea cessabit turtur ab vlmo.

Sic iusti volant celeriter, nec labore defatigantur, & fœcunditatem bonorum operum habent, mansueti sunt, felle carent, vicem in iniurijs referre nesciunt, castitatis studiosi sunt, solitudinem ad orationem & ad vacandum Deo quærunt: pro cantu gemitum edunt, quia dum alij lætantur in suis voluptatibus, ipsi pœnitentiæ gemitibus sua & aliorum peccata deflent; de quibus dicitur, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Hoc est quod ait S. Hieronym. in psal. 95. *Virginitas hostia Christi est.* & S. Ignatius epist. ad Tharsenses, virgines vocat sacerdotes Christi: *Eas*, inquit, *quæ in virginitate degunt, in pretio habete, tamquam Christi sacerdotes.*

Virgo est holocaustũ & sacerdos Christi.

RETORTO AD COLLVM CAPITE, AC RVPTO VVLNERIS LOCO] Hinc apparet Primò, in holocausto non amputatum, sed retortum fuisse collum turturis; Secundò, illud ipsum non ferro vel cultro, sed vngue apertum fuisse. ita Abulens. Ribera & Vatablus. VERS. 15.

D

Allegor.

Allegor. S. Gregor. homil. 1. in Ezechiel. *Caput*, inquit, *turturis incisum olim inhæsit corpori: quia pro nobis quidem passus est Christus, sed à nobis per passionem separatus non est, quin imò nos sibi coniunxit.*

Tropolog.

Tropol. A voluptate carnis mens sublimis incisa sit oportet, & tamen non sit abscissa: fouere enim carnem debemus vt viuat, non vt luxu diffluat. ita idem Gregor.

DECVRRERE FACIET SANGVINEM SVPER CREPIDINEM ALTARIS] id est, super summitatem parietum, vt inde ad terram decurrat. Vnde hebraicè est, *super parietem altaris.*

VERS. 16. VESICVLAM VERO GVTTVRIS, ET PLVMAS PROIICIET PROPE ALTARE, AD ORIENTALEM PLAGAM, IN LOCO IN QVO CINERES EFFVNDI SOLENT] Pro *vesiculam* hebraicè est מֻרְאָה *mura*, quod Vatablus vertit *ventriculum*.

Verùm tam Septuag. quàm Chald.& Noster vertunt, *vesiculam gutturis*; ita & Theodotion, qui vertit φύσαν, id est folliculum; & Aquila, qui vertit σιτίζουσαν, id est alimentarem partem, quæ recipit cibum, eumque reliquis corporis partibus suppeditat. Hinc Septuag. vertunt πρόλοβον. πρόλοβος dicitur hæc vesicula gutturis, ἀπὸ τοῦ λόβου, id est à sinu siue folliculo, qui primus cibum à gutture comestum excipit.

Theodor. pro πρόλοβον legit πρόβολον. πρόβολος, inquit, dicitur hæc vesica, quasi προλαμβάνουσα τὴν τροφήν, id est quæ prima cibum assumit. Eadem hebraicè dicitur *mura*, quasi *conspicua*, à rad. רָאָה *raa*, id est *vidit*: est enim hæc vesica gutturis protensa omnibus conspicua.

Cur vesica & pluma abiiciuntur?

Quæres, cur in holocausto auium, vesicula gutturis & plumæ non fuerunt crematæ in altari cum ipsa aue?

Respondet R. Salomon, Quia aues, inquit, plumis volant ad segetes alienas, easque rapiunt & vastant: quia ergo plumæ sunt rapiendi instrumentum, hinc noluit eas Deus sibi adoleri: Deo enim non placent oblationes de rapina. Sed hac ratione nec rostrum, nec pedes, nec stomachus auium debuisset cremari.

Dico ergo, noluit Deus sibi adoleri vesicam gutturis, quia immunda est: nec plumas, quia hæ non comeduntur, ideoque sacrificio, quod est quasi cibus Dei, inutiles sunt. voluit itaque ea proiici in locum iuxta altare, in quo cineres seruabantur: sacri enim censebantur, quia ex sacris carnibus supererant. In eodem loco vesica hæc, & plumæ turturis comburebantur, eorumque cineres à sacerdote extra castra efferebantur, vt patet Leuit. 6. v. 11. ita Abulens. Ribera & alij.

Tropol. Doctoribus abiicienda est vesica, id est tumor, & pluma, id est leuitas & curiositas. Secundò, vesica est ingluuies.

Tropol. In auibus, id est in scientia & contemplatione doctorum & sanctorum, abijcienda est vesica, id est tumor & fastus. Item plumæ, id est leuitas & curiosa superfluorum inquisitio, mensque defigenda est in puluerem & cinerem ex quo orti & in quem reuersuri sumus. ita Isychius & Radulphus.

Aptiùs S. Cyrillus li. 16. de Adorat. fol. 324. & Ribera per vesicam gutturis accipiunt ventris ingluuiem: cibi enim voluptas non sentitur, nisi in ore & in hac vesica gutturis; cùm eam transijt cibus, transijt & voluptas. Vnde Philoxenus optabat sibi collum & guttur gruis, vt longiùs & diutiùs cibi voluptatem sentiret. Hæc ergo quasi immunda, & peccatorum stercora conseruans, proiicienda est sapientiæ studiosis. Plumæ molles significant vestes pretiosas & delicatas, quas abijcere debet qui holocaustum Dei fieri vult. ita fecit S. Ioannes Baptista Matth. 3. 4.

Philoxenus optabat sibi collũ gruis.

AD ORIENTALEM PLAGAM] Id est, versus atrium, non autem versus tabernaculum siue Sanctum. has enim sordes versus Sanctum proijci, indecens planè fuisset. id ita esse patet ex eo, quòd altare erat ad Orientem tabernaculo siue Sancto: erat enim ante tabernaculum, siue inter tabernaculum & inter ingressum in atrium. Atrij autem introitus erat ad Orientem, vti Moses dixit Exodi 27. 13. Vt ergo hæ sordes proijcerentur

A versus introitum in atrium non autem versus Sanctum, debebant proijci versus Orientem.

CONFRINGETQVE ASCELLAS EIVS] Hebraicè, *& scindat, vel findat illam in alis suis, & non separabit*. q.d. Alas eius ita findat siue confringat, vt tamen eas non resecet, aut abrumpat. ita Oleast. Caietan. Vatablus. VERS. 17.

Cuius rei litteralis ratio est congrua compositio victimæ; sic enim confringuntur & intorquentur ascellæ nostrorum altilium, dum assantur vel lixantur.

Ascellas confringere mysticè quid?

Tropologica causa est, vt significetur virtutem altæ & sublimis scientiæ ac contemplationis, non omnino resecandam, findendam tamen eam, itaque retorquendam & reprimendam esse, vt altiora non præsumat, suæ infirmitatis semper memor. ita Radulphus. *Ascellas*, inquit, *frangere est acumen ingenij non sibi tribuere, sed sub diuino munere*

B *humiliter infirmitatem propriam cogitare.*

HOLOCAVSTVM EST ET OBLATIO] Hebraicè, *holocaustum est & ignitio*, id est ignita oblatio, qua totum per ignem purè in honorem Dei consumitur, ideoque suauissimi odoris est, & summè Deo placens.

Moral. de silentio & religione in sacris.

Quare tam sacerdotes quàm populus, mira religione & silentio hisce sacrificiis aderant, vti testatur Aristæas lib. de 72. interpretibus. Sic apud Roman. Numa sanxit, vt sacrificia præco ingenti voce præcedens clamaret, *Hoc age*, animos scilicet sacrificio adhiberi iubens. Atque vt scribit Cicero lib. 1. de Diuin. & Seneca libr. de Vita beata, clamando, *fauete linguis*, indicebatur silentium, vt ritè peragеretur sacrificium, nulla mala voce obstrepente. Quid nunc faciant nostri sacerdotes & Christiani? cùm & Virgilius poëta indicat *fida silentia sacris*, & mysteria à

C μύειν τὸ στόμα, id est ab occludendo ore, sint dicta.

Audiant in ecclesia garruli, audiant immodesti S. Ambrosium lib. 3. de Virgin. *Estne quidquam*, inquit, *indignius quàm oracula diuina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur? circumsonare Sacramenta confusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cùm Gentiles idolis suis reuerentiam tacendo referant? vnde illud exemplum proditur: Alexandro Macedonum rege sacrificante, puerulum barbarum, qui ei lumina accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentia, vt naturam vinceret. Atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat.* Deinde aliud fidelium affert exemplum. *Frequens*, inquit, *sermo*

D *est, cùm plurima ranarum murmura religiosa plebis auribus obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, vt conticerent, ac reuerentiam sacræ deferrent orationi: tunc subitò circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt?*

Si cælum est templum, vt S. Chrysost. ait, vide quid in cælo agant angeli. In ipso templo hæc audis, si Sacro auscultas: *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: cæli cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant.* Id ipsum & tu in templo age, lauda, ora Deum, iuxta illud psal. 28. *In templo eius omnes dicent gloriam.* & psalm. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion*, id est in templo. hebr. est: *Tibi silentium est laus, ô Deus, in Sion.* silentium enim laus est quædã, tum interna animi Deum venerantis,

tum

tum externa; quia alios excitat ad Dei laudem, dum in sacris vident tantā modestiā & religionē.

S. Cyprianus, lib. de Orat. Domin. *Sacerdos*, inquit, *parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda. Et dum respondet plebs, Habemus ad Dominum. admoneatur se nihil aliud quam Deum cogitare debere.*

B. Cassius Narniensis Episc. quotidie cum lachrymis Missam celebrans, à Deo per visionem cuiusdam presbyteri audiuit: *Age quod agis, operare quod operaris.* Dicat ergo sibi sacerdos: *Ad quod venisti, hoc age*: dicat idem populus assistens.

Praeparatio ad sacrificium. Ob hanc sacrificiorum religionem & reuerentiam, sacerdotes sacrificaturi ad ea se præparare debebant, *Primò.* Primò purificando se, & lauando se aqua cinerali vitulæ rufæ, de qua Num. 19. si essent immundi. Idem fecerunt Gentiles. vnde Æneas sacrificare noluit, *Donec me flumine viuo abluero*, *Secundò.* inquit ipse 2. Æneid. Secundò, abstinendo à vino & omni potu qui inebriare potest, iuxta legem Leuit. 10. v. 8. Sic apud Gentiles, initiandi sacris Isidis per decem dies carnibus & vino abstinebant. *Tertiò.* Tertiò, abstinendo ab vsu coniugij omnique libidine. *Plus placet Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm cantus clericorum luxuriantium*, ait S. August. Sic Numa Pompilius, cùm pro frugibus sacrificaret, esu carnium & venere abstinebat. Constat sacerdotes Matris deorum Samia testa sibi virilia amputasse; atque illos qui maxima sacra obibant, vt in casta religione manerent, & procul à contagio mulierum vitam agerent, herbis quibusdam se euirasse, vt toti Deo rebusque diuinis intenderent. Hinc illa sanctio: *Ad diuos adeunto castè, pietatem adhibento, opes amouento: qui secùs faxit, Deus vindex erit.* Hinc Agesilaus rex aiebat, *deos non minùs religiosis operibus, quàm castis sacrificiis delectari.* Hierophantæ Atheniensium post sacerdotium, vt castè sanctéque sacrum facerent, cicutæ sorbitione se castrabant. Ægyptij sacerdotes negotijs omissis, mulieribus numquam indulgebant, carnibus & vino abstinebant. Gymnosophistæ ita erant continentes, vt pomis solùm, oriza & farina alerentur. Quin etiam ab antiquis obseruatum inuenimus, eum qui rem diuinam facturus esset, ad suas leuandas culpas, se inprimis reum dicere solitum, & noxæ pœnituisse, & admissa fassum, vultusque submisisse, & ad omnem modestiam finxisse. *Quartò.* Quartò, nudis pedibus ad sacrificia accedebant, ijsque, æquè ac manibus, lotis, vt dixi Exodi 30. 19. Insuper pura & religiosa veste induebantur. Idem imitati sunt Gentiles. Audi Platonem: *In sacrificiis pulchra veste, aureisque coronis ornatus sacerdos rem diuinam facit.* Eratque in pura veste & candida, plerumque in textili tela, nonnumquam in purpura & auro. Triumphales viri & qui magistratum gesserant, in triumphi ornatu, aut in prætex- A ta, lotis manibus, & fronde coronati, sancti & venerabiles nudis pedibus adorabant & sacrificabant, teste Plutarcho. Addit Virgil.

Fontemq́, ignemq́, ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Sic & Ægyptij sacerdotes vocabantur erantque linigeri. Apud Græcos sacerdos sacrificaturus prætabatur: *quis hic?* qui sacris intererant respondebant, πολλοὶ κἀγαθοί, id est *multi & boni*. vnde Virgil. *Procul hinc, procul este profani.*

Porrò inter sacrificandum Leuitæ canebant & ludebant organis, cymbalis, psalterijs, &c. Sic apud Gentiles tibicines & citharœdi sacrificijs *Ritus sacrificandi apud Romanos.* præcinebant, mox sacerdos Romanus lanea infula velatus, & fronde coronatus, puraque veste indutus, aram manibus tenens, manè, versus ad Orientem, meditato carmine, priscisque verbis, numina precabatur, votaque effundebat; quam precem ter repetebat. Deinde se ad dexteram volue- B bat & circumuertebat, manumque ori admouebat, ac sedebat, velut diis ratas preces habentibus. tum setas inter cornua victimæ excerpens in ignem mittebat: ac tandem obliquum cultrum ferreum à fronte ad caudam victimæ ducebat, & se ad Orientem vertebat. Interim alij vasa cadenti hostiæ supponebant, vt cruorem exciperent, quæ σφάγια dicebantur: alij victimam decoriabant. mox aruspex, flamen, aut sacerdos cultro ferreo viscera & exta rimabatur, & extispicium faciebat, id est per exta deos consulebat, & an perlitatū esset attentè explorabat: & tunc exta reddi dicebantur, cùm probata aræ supponebantur. Prima enim sacrificij pars erat libare, secūda immolare, tertia reddere, quarta litare. Litare enim erat ritè sacrificare & impetrare. Exta verò vocabant, quæ in victimis interiora extant; vt cor, pulmo, lien, iecur. Extis porrò inspectis, ex omni C viscere & membro primitias partesque desectas farina farris inuoluebant, & in calathis sacrificanti offerebant: & tunc hostia perfecta dicebatur. has sacerdos aris imponens accensis, igne comburebat, addito thure, costo, aliisque odoramentis. Ex reliquis autem hostiæ partibus cœnam apparabant, quibus vescebantur ij qui sacris interfuerant: licebat & ad domesticos portiunculam afferre, extraneos adhibere erat nefas. vescebantur verò stantes, cum panibus rotundis, in deorum honorem adhibitis. Inter vescendum canebant laudes & hymnos diis, quibus sacrificatum erat, quod apud Virgil. de Hercule diligenter obseruatum videmus. Re diuina peracta sacerdos proclamabat, *ilicet*, q.d. Abire licet Græcis verò & Ægyptijs, teste Apuleio, concinebatur, λαοῖς ἄφεσις, hoc est, *populis missio*. Sic Christiani sacrificio peracto audiunt: *Ite, Missa est.* Hæc omnia fusè tradit Girald. syntagm. 17.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur secunda species sacrificij, scilicet mincha, id est sacrificium farreum, illudq́, triplex, scilicet Primò simila, v. 1. Secundò panum, illudq́, rursum triplex, scilicet panum clibani, sartaginis, & craticulæ, v. 4. Tertiò spicarum, versu 14.

1. Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus, 2. ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum vnus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memo-

memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino; 3. quod autem reliquum
fuerit de ſacrificio, erit Aaron & filiorum eius. Sanctum ſanctorum de oblationibus
Domini. 4. Cùm autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de ſimila, panes
ſcilicet abſque fermento, conſperſos oleo, & lagana azyma oleo lita. 5. Si oblatio
tua fuerit de ſartagine, ſimilæ conſperſæ oleo & abſque fermento, 6. diuides eam
minutatim, & fundes ſuper eam oleum. 7. Sin autem de craticula fuerit ſacrificium,
æquè ſimila oleo conſpergetur: 8. quam offerens Domino, trades manibus ſacer-
dotis. 9. Qui cùm obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper
altare in odorem ſuauitatis Domino; 10. quidquid autem reliquum eſt, erit Aaron,
& filiorum eius, Sanctum ſanctorum de oblationibus Domini. 11. Omnis oblatio,
quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adole-
bitur in ſacrificio Domino. 12. Primitias tantùm eorum offeretis ac munera: ſuper
altare verò, non imponentur in odorem ſuauitatis. 13. Quidquid obtuleris ſacrifi-
cij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione
tua offeres ſal. 14. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino
de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres
primitias tuas Domino, 15. fundens ſuprà oleum, & thus imponens, quia oblatio
Domini eſt. 16. De qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris, partem farris fra-
cti, & olei, ac totum thus.

VERS. I. A ANIMA CVM OBTVLERIT OBLATIONEM SACRIFICII DOMINO, SIMILA ERIT EIVS OBLATIO] *Anima*, id eſt homo per ſynecdochen. ita capitur anima c.4. & 5 & ſæpè alibi. Simili figura *caro*, quæ eſt altera pars hominis, ſæpè totum hominem ſignificat, vt Geneſ. 6. *Omnis caro*, id eſt homo, *corruperat viam ſuam*. Ioannis 1. v.14. *Verbum caro*, id eſt homo, *factum eſt*. Iſaiæ 40.5 & 6. *Omnis caro*, id eſt homo, *fœnum*. Vbi Nota, Scripturam vti nomine *anima*, cùm actuum animæ, vel dignitatis humanæ habetur ratio: *carnis* verò, cùm hominis vilitatem ſpectat.

Mincha eſt ſacrificium ex ſimila aut pane. OBLATIONEM SACRIFICII] Hebraicè eſt, *oblationem mincha*. quod Aquila, teſte Iſychio in c.10. vertit, *donum de frumento*; Vatablus vertit, *ſacrificium cibarium*; B Andreas Maſius in c.21. Ioſue verſu 23. vertit, *fertum*. Mincha enim Hebræis propriè eſt ſacrificium, quod ex farre aut ſimila fit, ſiue pura ſimila ſit, ſiue cocta clibano, ſartagine aut craticula. Et quia alia ſacrificia peculiare habent nomen; hinc noſter Interpres paſſim per Leuiticum ſacrificium ex ſimila, ſiue *mincha* vocat abſolutè *ſacrificium*. quod diligenter obſerua.

Cur mincha inſtituit Deus. Quæres, Cur hoc ſacrificium *mincha*, id eſt farreum, inſtituit Deus?

Prima cauſa. Reſp. Primò, propter pauperes; non enim omnium erat emere & offerre animalia. Ita Lycurgus legiſlator Spartanorum rogatus, cur ita parca & tenuia ſacrificia inſtituiſſet, reſpondit; Ne vnquam deorum apud nos cultus deficiat. teſtis eſt C *Secunda.* Plutarch in Lycurgo. Secundò, vt ſacerdotibus de pane & annona prouideret. magna enim pars *Tertia.* huius ſacrificij cedebat ſacerdotibus. Tertiò, vt, ſicut animalibus Deum colebant Hebræi, eique gratias agebant, ita & colerent frugibus terræ, diſcerentq; in omni egeſtate & alimonia ad Deum *Quarta.* reſpicere. Quartò, quia ſacrificium erat quaſi conuiuium, quo Deus epulabatur cum hominibus, victimæque erant quaſi cibus Dei: panis autẽ, cuius materia eſt far aut ſimila, neceſſarius eſt hominum cibus. Vnde ſimilam vel panem in ſuo ſacrificio pariter exegit Deus. *Sacrificium erat quaſi prandium Dei: hinc conſtabat carne, pane, vino & ſale* Id ita eſſe, patet *Probatur Primò.* Primò, ex eo quòd victima vocatur panis, id eſt cibus Dei, Leuit.21. v.21. & c.22. v.25 *Secundò.* Secundò, ex eo quòd altare vocatur menſa Dei, Malach. 1. v.7. & 12. Voluit enim Deus, cuius deliciæ ſunt

A eſſe cum filijs hominum, hac ratione dignationem ſuam erga homines oſtendere, exhibendo ſe ijs tam familiarem, vt eamdem cum ipſis habeat menſam & prandium. Hinc apud Gentiles Romanos in epulo Iouis, quod in Capitolio ſeptemuiri Epulonum celebrabant, Iupiter in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabantur: ex quo illud colligit Valerius Maximus, quòd viri antiquitus in lectulis dumtaxat, mulieres verò in ſellis diſcumberent. Tertiò, ex eo quòd Septuag. paſſim ſacrificium vocent κάρπωσιν, vel κάρπωμα, id eſt fructus, quo ſcilicet veſcitur & fruitur Deus. Vnde ὁλοκάρπωμα vocant holocauſtum, eò quòd totum cedat in fructum & eſum Dei. *Tertiò.* B Quartò quia hac de cauſa iuſſit Deus, in omni ſacrificio animalis offerri ſimilam & vinũ, vt patet Num.15. v.4. 7. & 10. item ſal, vt patet hoc c. v.13. vt ſcilicet plenum & perfectum eſſet Dei conuiuium: nam in omni conuiuio requiritur caro & panis ad cibum, vinum ad potum, ſal ad condimentum. *Quartò.*

Idem imitati ſunt Gentiles in ſuis ſacrificijs, qui farre molito (quod proinde *molam ſalſam* vocabant) toſto & ſale conſperſo victimæ caput aſpergebant: à qua mola & ritu deductum eſt verbum *immolo*, id eſt ſacrifico. huius molæ teſtis eſt Lucanus lib.1. *Mola ſalſa quid? à mola hac dictum eſt immolo.*

Iam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoq; molas inducere cultro.

C Et Virgil. ecloga 8. *Sparge molas.* & Horat. libr.2. Serm. ſatyr.3.

Tu cùm pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſq; mola caput improbe ſalſa.

Et Plautus Amphit. *Aut mola ſalſa hodie, aut thure comprecatum oportuit* Idque ab olim. Numa enim Pompilius, qui Romulo in regno Romano ſucceſſit, ſanxit *non litandum eſſe ſine farina*, cauſamque ſymbolicam addidit; vt, inquit, hoc ſymbolo ſignificem, *non minimam pietatis partem in moribus cicurandis, & ad manſuetudinem componendis ſitam eſſe*. Farina enim mollis & tractabilis, ſymbolum eſt manſuetudinis. ita Plutarch in Numa. Plura vide apud Plinium libr.12. c.18. & Ciceronem lib.2. de Diuinat. Ab hoc ritu deductum eſt verbum *mactare*, id eſt magis augere, & victima *macta*, id eſt magis aucta. quoties enim farina, *Mactare quid?*
vinum,

vinum, aut thus super victimam fundebatur, dicebant: Mactus est taurus thure vel vino, hoc est, cumulata est hostia & magis aucta thure vel vino. ita Isidor. l. 10. & Girald. syntag. 17.

Mincha fuit typus Eucharistiæ.

Allegorica causa huius sacrificij farrei fuit, vt significaretur Christi carnem & sacrificium, etiam panis, vti & vini, rationem habuisse & habere in Eucharistia. Vnde & caro Christi vocatur *panis*, Ierem. 11. 19. Ioannis 6. v. 35. 47. 51. 58. Hoc est enim sacrificium mincha, quod à Gentibus Christianis in omni loco, totoque orbe offerendum prædixit Malachias c. 1. v. 11. Sicut enim victimæ animalium iugulatorum significabant sacrificium Christi in cruce occisi; ita sacrificium mincha significabat sacrificium Christi in Eucharistia, sub speciebus panis & vini.

Mincha fuit sacrificium.

Hinc sequitur, oblationem hanc mincha, siue panis aut similæ, fuisse verum & propriè dictum sacrificium: quod licet neget Abulens. conuincit tamen vox *mincha*, quam tam Malachias, quàm Septuag. & noster Interpres vertunt *sacrificium*. Et patet ex ritu mincha, quo panis aut simila cremabatur, aut alio modo immutabatur ad Dei honorem; hoc enim planè arguit, mincha fuisse verum sacrificium, non tantùm simplicem oblationem: in hac enim res non destruebatur aut consumebatur, sed integra offerebatur, verbi gratia integræ fruges, poma, nuces, panes fermentati & pulmenta, vt patet Numer. 15. 19. & Leuit. 19. 24.

Dices, Mincha non erat holocaustum, nec sacrificium pacificum, nec sacrificium pro peccato: ergo non erat sacrificium. ita Abulens.

Sacrificij plena diuisio.

Respondeo negando consequentiam; nam illa tria, scilicet holocaustũ, pacificum, & pro peccato, sunt tantùm diuisio & species victimæ animalis, siue animatæ, non autem inanimæ. Itaque sacrificium in genere diuidendum est in animatum & inanime: animatum deinde diuidendum est in holocaustum, pacificum, & pro peccato. inanime verò aliud erat solidum, putà farris & panum; aliud liquidum, putà libamen olei & vini.

Addo tamen, similam illam quæ cum victima carnea semper offerri debebat, non fuisse distinctum ab ea sacrificium, sed fuisse quasi libamen, siue additamentum & ornamentum sacrificij, de quo Numer. 15.

SIMILA ERIT EIVS OBLATIO] q. d. Similam puram sine furfuribus offeret, si, vt præcessit, sacrificium quod dicitur *mincha*, offerre voluerit.

Simila est puritas cõscientiæ.

Tropol. simila est puritas conscientiæ, ait Radulp. hæc enim est sacrificium Deo gratissimum.

Cur oleum addatur minchæ.

FVNDETQVE SVPER EAM OLEVM] Similæ infundi iussit Deus oleum, velut quoddam saporis condimentum; oleatus enim panis est sapidior: sapidissimus autem & lectissimus cibus Deo est offerendus.

Oleum fuit typus misericordiæ Christi.

Allegorica causa fuit, vt oleum significaret charitatem & misericordiam Christi, quam ipse in suo sacrificio, tum crucis, tum Eucharistiæ, nobis exhibuit. ita S. Bernardus in illud Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum.*

Tropologicè, eadem est nobis imitanda cum hilaritate (oleum enim faciem exhilarat:) non enim tristes & lugentes, sed lætos & hilares decet nos inhærere Christianæ conuersationi, ait Cyrillus li. 11. de Adoratione, fol. 233. & l. 15. fol. 315. Est enim olea & oleum symbolum Primò, reconciliationis; Secundò, misericordiæ; Tertiò, pacis & fœderis; Quartò, hilaritatis, vti dixi Genes. 8. v. 11. Id imitati sunt Gentiles, & dij siue dæmones eorum. Nam, vt ait Plutarch. in parallelis in fine: *Cùm Hegesistratus Ephesius ciuili nece perpetrata Delphos fugisset, sciscitatus est Deum, vbinam locorum sedem poneret. Respondit Apollo, ibi, vbi rusticos visurus esset choreas ducere frondibus oliuæ coronatos. Quod cùm ille in quadam Asiæ regione deprehendisset, vrbem ibi condidit, & ab oleis Eleuntem* (ἔλαιον enim Græcis est oleum) *appellauit: perinde ac Vlysses iuxta oraculum condens vrbem in Italia eo loco, vbi colonos ramis ilignis coronatos viderat, eam Prinistum* (quæ iam vocatur Præneste) *vocauit. πρῖνος enim Græcis est ilex.* ita Plutarch.

Refert Leontius in Vita S. Ioannis Eleëmosynarij, quòd ipsi noctu in somnis apparuerit Misericordia, specie puellæ ornatissimæ & sole splendidioris, quæ coronam de ramis oliuarum in capite gestabat, dixitque ei: *Ego sum prima filiarum regis. Si me possederis amicam, ego te ducam in conspectu imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & saluare homines.* Ad hæc refert vidisse Sabinum monachum, quòd eadem puella ita splendens & olea coronata, morientem Ioannem exceperit, & ad Deum deduxerit, indeque cognouerit Ioannem eadem hora esse defunctum, & propter eleëmosynas ad superos translatum.

ET PONET THVS] Similæ offerendæ iubet Deus thus superponi, vt in hoc Dei quasi conuiuio non tantùm gratus sapor, sed & suauis adsit odor. Secundò, quia thus ex communi hominum sensu Deo, eique penè soli adoleri solet, ideoque totum illud hîc sibi adoleri præcipit Deus. Hinc Ouidius lib. 14. Metamorph. *Mincha imponitur thus, cur?*

Templa tibi statuam, soluam tibi thuris honores,

putà diuinos. q. d. Thure te vt Deum colam & honorabo. Hinc etiam nonnulli *thus* à θύειν, id est à sacrificando, deducunt, quòd thus Deo sacrificari, & inter eius sacrificia adhiberi soleat. Ita tres Magi Christum adorantes Matth. 2. v. 11. thure Christo puero oblato, eius diuinitatem significarunt & professi sunt, vti docent S. Ambros. Basil. Gregor. Hieron. & Iuuencus dum canit: *Thus iure gentium Deo dicatum esse.*

Thus, aurum, myrrham regiq; hominiq; Deoq;
Dona ferunt.

Censent nonnulli, olim à priscis hominibus in sacrificio oblatam fuisse Deo odoratarum arborum euaporationem, quam Græci thymiasin vocant: vnde deriuata sit θυσία, id est sacrificium, eò quòd prima θυσία siue primum sacrificium, fuerit thymiasis, id est thurificatio & odorum incensio. *An prima θυσία fuerit θυμίασις, id est, thurificatio.* Verùm thus à vetustissimis adhibitum fuisse in sacris, negat Arnobius; nam heroibus Hetruscis, Romulo & Numæ thurificationem ignoratam, sed exta obseruata, deinde assa vel elixa diis cremari solita legimus, idque ex Apuleio docet Giraldus syntagm. 17. *Romulus & veteres ignorarunt thurificationem.* Neque id mirum, cùm tam longè distarent ab Arabia, quæ sola thuris est ferax. Ergo inuentum thuris Deo offerendi Mosi, imò Deo hîc præcipienti est ascribendum: versabatur enim Moses cum Hebræis in Arabia. ita Hieron. Prado in Ezech. 8. pag. 119. *Thurificationis auctor fuit Moses hic.*

Nota. Thus cum simila & mincha colore & luce consentit: est enim thus candidum, vnde ab Hebræis vocatur לְבֹנָה *lebona*, & à Græcis λίβανος, id est album & candidũ: hinc Scriptura thus vocat

A vocat purum & lucidissimum, Exodi 30.34. indeque tum ob euaporationem, tum ob lucem, aptissimum est quod adoleatur Deo, cui lucidissima quæque grata sunt.

Thuris generatio.

Notat Secundò, Plinius li. 12. c. 14. thus nasci in Arabia Felice, illudque quasi parturiri & coqui in æstate æstiuis caloribus, colligique in autumno iam concoctum, candidum & purissimum. Nam quod hyeme colligitur, aut vere, ex corticibus arboris thuriferæ incisis, rufum est, nec priori, quod ex æstus calore emanauit, comparandum.

Thus symbolum est Primò, charitatis;

Hinc Tropologicè, thus & thurificatio significat opera sancta, feruore charitatis quasi liquefacta & fumigantia, quæ in igne eiusdem charitatis adolentur Deo, ideoque odorem emittunt suauissimum Deoque gratissimum.

Secundò, orationis;

B Secundò, thus significat virtutem religionis & orationis, psalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Vnde in sacris adhibetur thurificatio, vt præsentes moneantur deuotionis & orationis internæ. ita Isychius, Radulphus, Beda, & alij.

Tertiò, bonæ famæ.

Tertiò, thus significat odorem bonæ vitæ: *Thus*, ait S. Cyrillus li. 12. de Adoratione, *& simila oleo madens, odoratā illam nitidamq́; vitam innuunt.*

VERS. 2.

TOLLET PVGILLVM PLENVM SIMILAE ET OLEI] putà plenum similæ oleo conspersæ, siue similæ oleatæ. est hendyadis.

ET PONET MEMORIALE SVPER ALTARE] Hebraicè est, *incendet* siue *adolebit memoriale eius*, id est, pugillum similæ quem accepit, cum toto thure cremabit, vt sit hoc velut memoriale & signū, similam hanc quasi mincha, id est sacrificium farreum, non sacerdoti, sed Deo esse oblatam. Secundò, vt hæc mincha similæ Deo renouet memoriam offerentis, impetretq́; ab eo id quod ipse petit: ita enim hanc phrasin explicat Interpres noster c. 5. 12. Pugillus ergo hic ex simila cremabatur Deo: reliquum verò similæ cedebat sacerdoti. Vnde sequitur:

VERS. 3.

QVOD AVTEM RELIQVVM FVERIT DE SACRIFICIO (mincha siue similæ) ERIT AARON ET FILIORVM EIVS, SANCTVM SANCTORVM DE OBLATIONIBVS DOMINI] Hebraicè est, *sanctitas sanctitatum erit de ignitionibus*, id est de oblationibus ignitis Domino. q. d. Reliquum similæ Deo oblatæ erit & habebitur sanctissimum, quia pars est rei, puta similæ per ignem Deo sacrificatæ. Vnde non poterat comedi nisi à personis sacris, putà à familia sacerdotis, vt patet Leuit. 22. 10. & 11.

VERS. 4.

CVM AVTEM OBTVLERIS SACRIFICIVM COCTVM IN CLIBANO, DE SIMILA] supple, offeres illud. ita Vatabl. Huc vsque descripsit Moses mincha, siue sacrificium ex simila pura & incocta: hîc describit mincha ex simila subacta & cocta, quæ secunda erat species mincha. Vbi Nota. Quot modis coquitur simila & panis, totidem modis sibi illum sacrificari voluit Deus: sicut ergo panis tripliciter coquitur, scilicet clibano, sartagine & craticula; ita & mincha panum erat triplex: scilicet clibani, sartaginis & craticulæ.

Mincha triplex, clibani, sartaginis & craticulæ.

Mincha triplex est caro Christi frixa in cruce.

Allegoricè, mincha est caro Christi primò in clibano, id est vtero B. Virginis in incarnatione, cocta: secundò, in sartagine, id est passione crucis, frixa: tertiò, in craticula eiusdem crucis mortua, vt percoctum nobis in Vener. Sacramento Eucharistiæ, præbeat panem & alimentum. ita Isychius. Secundò, mincha siue similago est Ecclesia Christi, inquit Beda, quæ est corpus illius ex multis membris, velut ex multis granis collectum; per legis & Euangelij molam comminutum, per aquam baptismi tinctum, chrismatis oleo perunctum, Spiritu sancto solidatum. Vnde idem Beda & Origenes homil. 5. per craticulam, sartaginem, clibanum intelligunt tres S. Scripturæ sensus, scilicet litteralem, moralem, mysticum; quibus coquitur hic Ecclesiæ panis.

Secundò, mincha est Ecclesia.

Tropolog. clibanus est pressura huius mundi, putà afflictio & persecutio tyrannorum. Vnde Deus Hebræos liberasse dicitur de fornace ferrea, id est seruitute & afflictione Ægypti. qui clibano hoc coquuntur, panes Christi fiunt. Talis fuit S. Ignatius, qui audiens leones ad se deuorandum præparatos, rugientes: *Frumentum*, inquit, *Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus efficiar.* Secundò, sartago est mentium frixura, & zelus Sanctorum ob peccata hominum, vel ærumnas proximorum, quæ eos per compassionem frigunt & excruciant. Tertiò, craticula est quotidiana cuiusque crux, cui superpositus vir iustus lento, sed assiduo æstu cruciatur: verùm oleum, id est charitas erga Deum & proximum, hæc omnia fortiter excipit, offertque inde Deo sacrificium, dicens cum Paulo Philip. 2. 17. *Sed etsi immolor super sacrificium, & obsequiū fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.* & 1. Cor. 15. 31. *Quotidie morior per vestram gloriam fratres.* ita Radulphus, Beda & S. Gregor. homil. 12. in Ezech. *Simila*, inquit, *in sartagine, est munda mens iusti in zeli spiritalis afflictione, quæ per sollicitudinem animarum frigitur, & non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur.*

Tropol. sartago est mentium frixura & zelus, craticula est quotidiana crux, clibanus est persecutio tyrannorum.

C Porro victimæ sartaginis ad literam fuerunt septem fratres Machabæi, ab Antiocho pro fide & lege Dei in sartagine frixi, 2. Machab. 7. Victimæ clibani fuerunt tres pueri, in fornacem Babyloniam propter vnius Dei cultum à Nabuchodonosore iniecti, Daniel. 3. Item S. Eustachius in bouem æneum candentem immissus, quod fuit tormentum Phalaridis tyranni. Item Antipas Episcopus Pergami, cuius meminit S. Ioannes Apocal. 2. 13. qui sub Domitiano Imper. in bouem æneum similiter coniectus gloriosum obijt martyrium, cuius memoriam recolit Ecclesia die vndecima Aprilis. Item Martyres trecenti, qui in fornacem calcariam pro Christi fide insilierunt, Carthagine sub Valeriano, indeque dicti sunt

D Massa candida, in Martyrol. 24. Augusti. Victima craticulæ fuit S. Laurentius, qui castus & purus instar similæ, oleo misericordiæ & amoris diuini accensus, viua fuit ardensque hostia Deo, vt iure in eum intuens Psaltes dixerit: *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*, psalm. 16. 3. Durum sanè examen & acre, sed ignito Laurentij animo leue & suaue. Nam, vt ait S. Leo serm. de S. Laurentio, *Superari charitatis Christi flamma non potuit: segnior fuit ignis, qui foris vssit, quam qui intus accendit.* imò quod prodigij est instar, externus ignis internum in mente Laurentij accendit, internus externum restinxit. Magis enim sitiebat hunc ignem Laurentius, quàm ceruus anhelus sitiat aquam; imò magis quàm Valerianus sitiret eius cruorem & incendium. O quàm potens est flamma Christi! *Adhæsit anima mea post te, quia caro mea igne cremata est pro te Deus meus.*

Con-

CONSPERSOS OLEO] subactos oleo vice aquæ. hoc enim significat Hebræum בְּלוּלֹת *belulot*.

Lagana sunt liba tenuia.

ET LAGANA AZYMA LITA OLEO] *Lagana* sunt liba non crassa, sed tenuia & extensa, qualia sunt liba nostra ex panico: hoc enim significat Hebræum רְקִיקֵי *rekike*, alibi vocantur חַלּוֹת *challot*, quasi primitiæ vel initia massæ subactæ, vti matres dum pinsunt, ex pasta solent primò, antequam panes conficiant & coquant, pueris liba conficere, quæ coquant super prunas. ita Oleast. & Ribera.

Nota. Lita oleo vocat, non mixta oleo, sed desuper inuncta oleo. Ita enim hæc distinguit Scriptura, vt alia vocet conspersa, id est subacta, oleo instar aquæ; alia vocet vncta vel lita oleo, quæ non subacta, sed supernè delibuta sunt oleo. ita Abulen. & Ribera, & patet ex Hebr. Chald. & Septuag.

VERS. 5. & 6. SI OBLATIO TVA FVERIT DE SARTAGINE, DIVIDES EAM MINVTATIM, ET FVNDES SVPER EAM OLEVM] *Minutatim*, vt scilicet partes ita diuisæ, meliùs oleum eis superfundendum imbibant. Secundò, vt aliquot ex illis Deo sacrificentur.

VERS. 8. QVI CVM OBTVLERIT EAM] Hebr. *accedere faciet*, vel *adducet eam ad altare*, scilicet ipse offerens, vt patet ex Hebræo, & maximè ex Septuag.

TOLLET MEMORIALE DE SACRIFICIO] Tollet, scilicet is cuius est tollere, putà sacerdos. Tollet autem de omnibus sacrificijs iam dictis, putà clibani, sartaginis & craticulæ. Rursum *memoriale* passim hîc vocatur, pars illa sacrificij farrei, quæ Deo comburebatur & sacrificabatur, per quam testabantur totum mincha Deo esse oblatum; totum enim per hanc sui partem censebatur Deo sacrificari. Vide dicta v. 2.

VERS. 11. OMNIS OBLATIO QVÆ OFFERTVR DOMINO, ABSQVE FERMENTO FIET] Licet panis fermento conditus, ob acorem quem habet, sit sapidior, & digestu facilior, eo tamen vti Hebræos in sacrificio non voluit Deus, sed azymo. Primò, ob puritatem sacrificij: azymus enim panis est purior. Secundò, vt Hebræi perpetuam haberent memoriam liberationis suæ ex Ægypto, quando ob festinationem azymis sunt vsi, Exodi 12. 34. quare azyma Deuter. 16. 3. vocantur *panis afflictionis*.

Fermentũ in sacrificio vetuit Deus, cur?

Tropolog. fermentum significat vetustatem, nequitiam, & omne vitium ac corruptelam, quæ procul debet abesse à sacris Dei, 1. Cor. 5. 3. Hinc & apud Plautum, iacens in fermento, vocatur mulier inflata & irata.

Mysticè fermentum est vitium & corruptela.

Secundò, S. Cyrill libr. 15. de Adoratione fol. 302. per fermentum intelligit astutiam, quæ indifferens est ad bonum & ad malum. Ideoque fermentum offerri poterat, sed non adoleri, aut incendi & sacrificari: quia probæ animæ astutia, ait Cyrillus, licet à Deo non repudietur, si opportunè pietatis causa adhibeatur, non tamen pro spirituali sacrificio, & odore suauitatis censetur.

Secundò, fermentum est astutia.

NEC QVIDQVAM FERMENTI, AVT MELLIS ADOLEBITVR IN SACRIFICIO] Mel hîc, æquè ac fermentum vetatur in sacrificio. sed cur? R. Salomon per mel intelligit fructus dulces, vti sunt ficus & dactyli: sed hoc alienum est & contortum. Philo libr. de Victimis, mel putat in sacris esse vetitum à Deo, eò quòd apis collectrix mellis sit animal impurum, natum ex putribus boum cadaueribus: sed hoc absolutè verum non est. Constat enim apes ab apibus in aluearibus progigni, idque purè & castè sine concubitu.

Mel vetitũ fuit in sacrificio, cur?

Prima causa.

Dico ergo, mellis vetiti eadem est causa, quæ fermenti; est enim mel pani instar fermenti: nam mel coctum acorem contrahit, panemque cui miscetur fermentat. Secundò, mel stomacho est inimicum, tum quia flatulentum, tum quia bilem auget. nam, vt ait Horat. *Dulcia se in bilem vertunt.* E contrario absinthium stomacho prodest: omnem enim intestinorum fæcem expurgat.

Secunda. Mel est flatulentũ & bilẽ auget.

Tertiò, mel vetatur Iudæis, quia Gentiles Baccho offerebant mel & dulcia: audi Ouidium lib. 3. Fast.

Tertia. Baccho offerebatur mel.

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Adde ex Plutarcho lib. 5. Sympos. quæst. 5. mellis admixtione vinum corrumpi; quòd mel vino maximè aduersam naturam habeat: vnde & gustato melle vinum desipit. vino autem vtendum erat in sacrificijs, eoque libandum: erat enim vinum quasi potus Dei; ergo par erat vt mel ab ijs arceretur.

Allegorica & præcipua causa fuit, vt significaretur in sacrificio crucis Christi omne mel, id est omnis suauitas & lætitia defutura.

A Christi sacrificio abfuit mel, id est lætitia.

Tropologica causa fuit, vt significaretur ab sacris debere abesse mel, id est voluptatem vanam & carnalem, tamquam Deo displicentem, quodque resoluti blandimentis deliciarum, aut dulcedine voluptatum, non possint mysteriorum Dei esse participes. Vnde phase comedi debebat cum lactucis agrestibus, vel, vt hebraicè est, amaris, *quia semper austera est districtio veritatis*, ait Eucherius. nam, vt ait Psaltes psal. 50. 19. *sacrificium Deo* (est) *spiritus contribulatus*. Est enim mel symbolum Primò, hominis voluptuarij; Secundò, adulatoris, qui mel in ore habet, sed in occulto caudæ gerit spiculum, quod ferit & vulnerat. Vnde Sapiens labia meretricis comparat fauo mellis, Prouerb. 5. 3. ita Procop. Eucher. Radulph. Rupert. Beda & Cyrillus lib. 15. de Adorat.

Mel symbolum est, primò, voluptuarij; secundò, adulatoris.

PRIMITIAS TANTVM EORVM OFFERETIS AC MVNERA] Hebraicè est *munus*, id est oblationem, *primitiarum offeretis*; ex fermento putà & melle, idque in cibum sacerdotum, vt dicetur Numer. 15. Cuius mystica causa est, quia sacerdotum est peccata populi per confessionem comedere, coquere, digerere, vt pro ijs deprecentur, ijs consulant, eos per Sacramentum pœnitentiæ absoluant. ita Serranus, qui per primitias fermenti & mellis, accipit confessionem peccatorum, restitutionem bonorum malè partorum, pœnitentiam, &c. Peccata enim ipsa sunt mel & fermentum, quia melleam ingerunt homini voluptatem, quæ in fel & fermentum mox conuertitur. Huc alludit & Radulphus. VERS. 12.

Typus Sacr. pœnitentiæ.

Peccatũ est mel, quod mox in fel conuertitur.

QVIDQVID OBTVLERIS SACRIFICII (mincha, vt est in Hebræo) SALE CONDIES] omnis enim cibi condimentum est sal. Itaque vt sacrificium, quod est quasi Dei conuiuium, ritè sit instructum, iubet Deus, vt panes & simila non insulsa, sed sale condita offerantur. Sic & Gentiles nulla sacra faciebant sine mola salsa, vt dixi v. 1. Sine sale enim vita humana consistere nequit. Nam sal carnem seruat, ne putrescat; vinum, ne stupescat, aut in acetum degeneret: defuncta ac putrescentia corpora ita à corruptione vindicat, vt durent per sæcula: cibum reddit sapidum & gratum. Vnde veterum axioma: *Corporibus nihil vtilius est sale & sole.* VERS. 13.

In omni sacrificio aderat sal, cur?

Rursum, *sal est vita artificialis carnium exsanguium.*

guium. nam eas corrodendo & exsiccando præseruat à corruptione; & mysticè aptè significat vitam spiritus, quæ respectu vitæ animalis est aduentitia. Hinc & Ouidius in Fastis:

Antè Deû homines quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica salis.

Sanè ebrios & delirantes oleo & sale perungere solebant antiqui, quod in Nebulis Aristophanes innuit.

Sal primò, symbolū est discretionis.

Tropolog. sal symbolum est sapientiæ, prudentiæ & discretionis, quæ in omni sacrificio omnique opere, etiam pœnitentiæ & mortificationis, quod ad Dei obsequium fit, est adhibenda. Hinc Apostolus Roman. 12. 1. monet, vt rationabile sit obsequium nostrum: & Christus Marci 9. v. 48. *Omnis,* inquit (victima spiritualis & Deo grata) *igne salietur, & omnis victima sale salietur,* nimirum igne tribulationis & sale sapientiæ. ita Theodor. Procop. Radulph. Beda, Rupert. Eucher. & Cyrill. lib. 15 de Adoratione: nam, vt ait S. Bernard. serm. 49. in Cantica, *Discretio est moderatrix & auriga virtutum, affectuum, morum: omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem: tolle hanc, virtus vitium erit.*

Discretio est auriga virtutum.

Secundò, sal symbolū est doctrinæ Apostolicæ.

Hinc Secundò, sal symbolum & typus fuit doctrinæ Euangelicæ & prædicationis Apostolicæ: hæc enim summa est sapientia, qua omnes nostras actiones & oblationes condire debemus. Omnis enim actio nostra huic sapientiæ, quasi normæ respondeat, illique per omnia conformetur oportet. Hinc Christus Apostolis dixit, *Vos estis sal terræ.*

Tertiò, sal symbolū est incorruptionis & æternitatis.

Tertiò, sale significatur æterna durabilitas: sal ergo est symbolum tum æternitatis Dei, quam per salem protestabantur offerentes victimas salitas, tum integritatis & incorruptionis animæ & corporis, quam Deus in offerente exigit. Nam, vt ait Philo lib. de Victimis: primus conseruator corporum est anima, secundus est sal. sal enim corpora diutissimè tuetur, redditque quodammodo immortalia: ideo, inquit Philo, altare vocatur θυσιαστήριον, ἀπὸ τὸ διατηρεῖν τὰς θυσίας, id est, à conseruandis victimis. atqui carnes victimarum igne consumuntur: vnde colligitur, victimam hanc sale condîtam & conseruatam, mysticam accipi debere, scilicet offerentis mentem, & alacritatem virtutibus confirmatam: hæc enim animæ puritatem & incorruptionem tuetur & conseruat. ita Philo.

Primus cōseruator corporū est anima, secundus est sal.

Hinc allegor. & anagog. cælestis sal est Christus, qui sua gratia & gloria tam corpora, quàm animas condit & seruat æternitati, vt resurgant ad vitam immortalem.

Vers. 13. Nec avferes sal foederis Dei tvi de sacrificio tvo] Cur vocetur *sal fœderis,* insulsam & stultam causam dat R. Salomon, scilicet hanc. aquæ, inquit, terrestres in principio creationis rerum omnium, ægrè tulerunt se ab aquis cælestibus separari per interpositum firmamentum: vt ergo Deus illas placaret, promisit se effecturum, vt aquarum sacer vsus esset in tabernaculo fœderis: deinde vt sal quod ex aquis fit, sacrificijs perpetuò adhiberetur. Ita iste ludio, qui hîc nec micam salis habet, & carens cerebro indiget elleboro.

Sal fœderis quid?

Dico ergo, vocatur *sal fœderis,* id est sal legis huius, qua sal in *mincha* adhiberi præcipio. Lex enim erat ratio, conditio & conciliatio fœderis & pacti inter Deum & Hebræos. Vnde tabulæ legis vocabantur *tabulæ fœderis*: & sæpè alibi lex ipsa vocatur *fœdus.* Dicitur autem peculiariter de lege hac salis, quòd sit sal fœderis; quia sale significabatur firmitas legis & fœderis: ideoque in fœderibus sal adhiberi solebat. nam victimæ cum mola salsa immolabantur ad sanciendum fœdus. Et verisimile est, ita factum esse in fœdere Hebræorum cum Deo, Exodi 24. 5. vnde 2. Paralip. 15. 5. & Numer. 18 v. 19. vocatur *pactum salis,* pactum firmum & stabile. Sicut enim sal à putrefactione carnes conseruat; ita pactum salis metaphoricè significat pactum alienum à corruptione & violatione, pactum firmum & perpetuum. *Sal* ergo *fœderis* idem est, quod sal firmatiuum fœderis, aut symbolum fœderis firmi & stabilis.

In fœdere adhibebatur sal ad firmitatem.

Pactū salis est pactum firmum.

Eadem de causa olim hospitibus, ante alios cibos apponi solebat sal, vt scilicet sale significaretur amicitiæ firmitas ac perseuerantia. quare multi Gentiles ominosum habebant, si sal in mensam profundi contigisset, quasi per hoc amicitiæ euersio, vel rescissio portenderetur. ita Pierius in hieroglyph. salis.

Hospitibus olim primò apponebatur sal, cur?

Nota. In omni carneo sacrificio, quo immolabatur v g. bos, ouis aut capra, adhibebatur & sacrificium farreum: sed non è conuerso; poterat enim mincha, siue far & simila offerri sola sine carne. In omni ergo sacrificio carneo adhibendum erat oleum, thus, simila & sal; nullum verò fermentum aut mel adhiberi poterat in sacrificio, siue illud carneum esset, siue farreum.

Ritus ergo sacrificiorum carneorū erat hic: Sacerdos carnes victimæ cremandæ imponebat altari; deinde ex simila oleo & sale condita & commista, pugillum tollebat, eumque victimæ cremādæ imponebat, simulque super victimam vinum effundebat; denique thus similæ imponebat, mox subijciebat ignem, & victimam cum hisce suis libaminibus Deo adolebat & concremabat, vti patebit Num. 15. v. 4. & seq.

Ritus & ordo sacrificandi.

Si avtem (cùm autem) obtvleris mvnvs primarvm frvgvm tvarvm (adhuc in spica existentium, vt patebit ex sequent.) Domino de spicis adhvc virentibvs, torrebis igni, et confringes in morem farris] Est hæc tertia species mincha siue sacrificij farrei. prima enim species erat oblatio similæ, secunda erat oblatio panum, tertia hæc erat oblatio spicarum virentium. Vers. 14.

Tertia species minchæ erat oblatio spicarum.

Loquitur hîc Deus de primitijs frugum, siue messis hordeaceæ, cuius manipulus offerebatur in paschate secundo die azymorum: nec enim Hebræi quidquam hordei, aut segetum demetere poterant, nisi priùs hunc manipulum spicarum, quasi primitias Deo obtulissent.

Nota. Triplices primitias debebant Hebræi offerre Deo. Primò, has spicarum in paschate; Secundò, primitias panum ex messe triticea in pentecoste, vt patet c. 23. v. 15. & 17. Tertiò, primitias omnium frugum in festo tabernaculorum, vt patet Exodi 23. v. 16. & 19.

Triplices frugum primitias exegit Deus.

Nota Secundò, spicas has fuisse virentes, non omnino, sed simul albicantes & maturescentes; alioqui non potuissent in far confractum comminui, vtpote cùm nulla adhuc farris grana essent formata. Septuag. pro *virentes,* hîc & alibi vertunt *νέα,* id est *noua.*

Confringes in modvm farris] Hebraicè est, גרש כרמל *geres carmel.* quod Vatabl. vertit, *quas pro-*

quas profudit fertilißimus ager: hic enim hebraicè vocatur *carmel*. Verùm meliùs Noster interpres, Septuag. & Chald. vertũt, *contusionem vel confractionē spicæ*, aut frumenti, id est contusum frumentũ, vel far, supple offeres, vt sequitur. non enim poterat esse farina, cùm spicæ adhuc essent virentes.

Nota. Hæc omnia faciebat non sacerdos, sed laicus offerens. Ipse enim primitias spicarum suarum conterebat instar farris, inde super eas fundebat oleum, ac denique thus eis imponebat, itaque offerebat eas sacerdoti, vt is partem earum adoleret Deo, & reliquum sibi seruaret: vnde sequitur,

VERS. 16. DE QVA ADOLEBIT SACERDOS IN MEMORIAM MVNERIS, PARTEM] vt scilicet pars hęc Deo cremata memoriale sit & signum, totũ hoc munus, id est sacrificium, oblatum esse Deo. vide dicta versu 2.

Primitiæ est Christus resurgens. Allegoricè, primitiæ frugum in paschate, est Christus resurgens in paschate, quasi primogenitus mortuorum. ita Cyrillus lib. 17. de Adoratione cap. 23.

Tropolog. Primitiæ sunt neophyti. Tropologicè, oblatio spicarum virentium, significat neophytos in Dei obsequio, & perfectionis via: hi torrent spicas igne, cùm corpus macerant, & spiritui subigunt: confringunt eas in far, cùm voluntatem propriam abnegant; imponunt oleum, id est cordis hilaritatem; & thus, id est preces: denique memoriale Dei, id est timorem Dei, semper animo gestant, ideoque ad eum omnia referunt. ita Radulphus.

Cassianus libr. 4. de Institut. Renuntiat. cap. 8.

A Nouitius *renuntiaturus sæculo, in monasterio*, inquit, *primitus docetur suas vincere voluntates, & ea illi sæpiùs imperare student, quæ senserint animo eius esse contraria. Pronuntiant enim nullatenus posse monachum præualere iræ, vel tristitiæ, aut spiritui fornicationis, nisi priùs didicerit mortificare per obedientiam suas voluntates: sed nec humilitatem quidem cordis veram, nec cum fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in monasterio diutiùs permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare.* *Nouitij documenta. Primum.*

Rursum nouitij, ait Ruffinus, est studere puritati cordis, eique quod ait Psaltes psalmo 45. *Vacate & videte, quia ego sum Deus*: denique conari vt ad infantiam, & primam innocentiam redeat. *Secundum.*

B Pachomius ex regula sibi ab angelo tradita iussit nouitios operari manibus, & opera sua facere simpliciter, eosque à studijs sacratioribus arceri. *Tertium.*

Pinufius Abbas apud Cassianum lib. 4. de Instit. cap. 32 nouitium docet, eum debere imitari & induere Iesum crucifixũ, vt timor Dei sit ei iugis crux, qua crucifigat suos appetitus, præsertim excellentiæ & superbiæ, per veram & assiduam humilitatem & humiliationem. *Quartum.*

Cassianus lib. 4. c. 41. nouitium docet, vt in monasterio iuxta Psalmistæ sententiam, *sit tamquam surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suũ, nihil discernens, nihil diiudicans ex his quæ ei fuerint imperata. Ergo*, ait, *patientiam tuam non debes sperare de alterorum virtute, id est, vt tunc tantùm eam possideas, cùm à nemine fueris irritatus.* *Quintum.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribitur tertia species sacrificij, scilicet hostia pacifica: eaq́; triplex. Primò, bouis, v. 1. Secundò, ouium, v. 6. Tertiò, capræ, v. 12. Denique versu vltimo, omnem adipem & sanguinem sibi deposcit Deus.

1. QVòd si hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem siue feminam, immaculata offeret coram Domino. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij, fundentque filij Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. 3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus: 4. duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis. 5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito: in oblationem suauissimi odoris Domino. 6. Si verò de ouibus fuerit eius oblatio, & pacificorum hostia, siue masculum obtulerit, siue feminam, immaculata erunt. 7. Si agnum obtulerit coram Domino, 8. ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij: fundentque filij Aaron sanguinem eius per circuitum altaris. 9. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam totam 10. cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque vniuersa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe qui est iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis. 11. & adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini. 12. Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, 13. ponet manum suam super caput eius: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonij. Et fundent filij Aaron sanguinem eius per altaris circuitum. 14. Tollentque ex ea in pastum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit vniuersa vitalia: 15. duos renunculos cum reticulo, quod est super eos iuxta ilia, & aruinam iecoris cum renunculis: 16. adolebitque ea super altare sacerdos, in alimoniam ignis, & suauissimi odoris. Omnis adeps, Domini erit 17. iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

VERS. 1. QVOD SI HOSTIA PACIFICORVM FVERIT EIVS OBLATIO] *Hostia pacificorum*, subaudi animalium, hoc est eorum quæ offeruntur pro pace, id est salute, incolumitate & prosperitate (hoc enim est Hebræis pax) siue iam obtenta, siue obtinenda: erat enim duplex hostia pacifica, vna quæ offerebatur in gratiarum actionem pro prosperitate obtenta; altera quæ offerebatur ad prosperitatem, vel beneficium alicui impetrandum, vel homini, vel familiæ, vel Reipublicæ. Septuag. vertunt, θυσία σωτηρίου, id est *hostia salutaris*, id est *salutis*, hoc est, hostia oblata pro salute; Chald. vertit, hostia sanctificationum. Hebraicè hæc hostia vocatur זֶבַח שְׁלָמִים *zebach scelamim*, quod Primò, verti potest, *hostia pacificorum*, id est pacifica, ob causam iam dictam; & quia hæc hostia pacem quasi faciebat inter Deum, sacerdotem & offerentes, eò quòd in ea sua victimæ pars cuique tribuebatur. Secundò, verti potest, *victima tranquillorum*, id est victima oblata pro quiete & tranquillitate. Tertiò, verti potest, *victima retributionum*, id est victima gratiarum actionis, vt vertit Iosephus. Quartò, verti potest, *victima perfectorum*, id est victima oblata pro integritate & perfectione, vel hominis, vel domus & familiæ. Hebræum enim שָׁלַם *scalam* significat Primò, pacificare; Secundò, esse quietum & tranquillum; Tertiò, retribuere; Quartò, finire, complere & perficere.

Victima pacifica quæ.

Zebach scelamim *quatuor res significat.*

Nota. Hæc hostia pacifica non ex præcepto, sed vel ex voto, vel sponte offerebatur; vnde ad libitum offerentis poterat esse masculus, vel femina. Si quis tamen vouisset pecus è grege suo melius, ideoque masculum, offerre debebat, iuxta illud Malachiæ 1.14. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.*

Hostia pacifica in tres partes diuidebatur.

Nota Secundò. Hostia pacifica diuidebatur in tres partes. Prima, putà adeps & sanguis, Deo adolebatur. Secunda, putà pectus & armus dexter, cedebat sacerdoti sacrificanti. Tertia, putà reliqua caro cedebat laicis eam offerentibus, de quo c.7. In holocausto verò tota victima cedebat Deo. In hostia pro peccato pars cedebat Deo, pars sacerdoti, nihil verò offerenti, vt patet c.7. v 6.

Hinc Nota Tertiò. Hostia pacifica, vti & pro peccato, debebat esse bos, ouis aut capra, non autem aues, putà turtur aut columba: quia hæ minores sunt, quàm vt in tres portiones commodè diuidi possint. Aues tamen offerebantur in holocaustum; quia hoc totum Deo cremabatur.

Tropol. Radulphus & Isychius: In holocausto, inquiunt, perfectorum vita, in hostijs pacificis mediocrium conuersatio designatur; qui licet summa bona non expleant, mala tamen summa deuitant. Hi quædam distribuunt altari, nonnulla sacerdotibus; reliqua ad corporis vsum concedunt, inquit Theodor. quæst. 1.

Bouem ergo immolat, ait Radulphus, *quisquis in sæculari vita mundi actibus deditus, de ipsis laboribus suis Deo ministrat. Ouem offert, qui laborare non sufficiens, & infirmitate ac ætate, seu paupertate à misericordiæ actibus reuocatus, per solam innocentiam Deo placet. Capram litat, quisquis veterem conuersationem, melioris propositi castigatione immutat. Auium nulla hic fit mentio, quia contemplationis virtus perfectioribus tribui solet.*

Secundò, Rupert. hîc cap. 27. per hostiam pro A peccato, accipit fidem; per hostiam pacificã, spem; per holocaustum, charitatem, quæ maior est omnium. sed hoc non tam tropologicum, quàm accommodatitium est.

Hostia ergo pacifica est continentia & misericordia. *Verè continens est, qui perturbatione superior est, & nullum voluptatis irritamentum admittit: sed animo est sobrio, & nusquam cedente voluptati*, inquit S.Basil. & ex eo Maximus serm. de continentia.

Anacharsis statuis suis inscribi iussit: *Lingua, ventri & pudendis temperandum*; quòd maximorum malorum causa sit lingua effrænis, luxu nil turpius, libido ex homine pecudem reddat, inquit Laërt. lib. 1. cap. 9.

Moral. exempla continentiæ.

Socrates rogatus quo pacto quis diues euaderet? *Si*, ait, *continens, & cupiditatum fuerit exsors.*

B Archidamus, cùm ei quispiam promisisset suauissimum vinum. *Quorsum*, inquit, *opus est? nam quo melius est, eo plus absumetur; & ad ea quæ fortes decent viros, reddet inutiliores.* testis est Plutarch. in Lacon.

Alcamenes diues cùm parciùs viueret, mirantibus alijs dixit: *Decet eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere.* significans perniciosas esse opes, nisi adsit animus eis superior. Plutarch. ibidem.

Alexander Magnus inuitatus vt Darij filias pulcherrimas captas viseret, noluit ire, dicens, *Non committam, vt qui viros vici, à mulieribus vincar.*

Idem in Iouis ara mulieris effigiem pulcherrimam spectans, cùm Hephæstion diceret, æquum esse vt ipse amatam caperet: *Annon*, inquit, *hoc indignissimum esset, vt qui in aliorum incontinentiam animaduertere volumus, ipsi incontinentiæ seruire ab C cæteris deprehendamur?* Refert Maximus serm. 3.

Menedemus, adolescente quodam dicente, magnum esse si quæ quis concupiscat, assequatur: *Multo*, inquit, *maius est, nihil eorum quæ non decent concupiscere.*

Audi Christianos. S.Ephrem in Vita S.Abrahæ, *Continentia*, ait, *est vita spiritalis fundamentum.*

Abbas Isaac in Vitis Patr. ita studuerat continentiæ, vt diceret quadraginta annos esse, ex quo sentiret quidem motum in mente sua, numquam tamen concupiscentiæ aut iræ consentiret. Ibidem, Pior iussus à S.Antonio sororem suam salutare, id præstitit; sed clausis oculis. ita continens erat oculorum. Et Marcus clausis oculis matrem salutauit. Simeon Stilites matrem videre renuit. Eusebius, teste Theodoreto, nec vicinos campos, D nec cælum videre voluit, sed ferro degrauatus, curuus & terram spectans incedebat. Nota est continentia Arsenij, qua nec fami satisfacere, nec mulierem vllã videre sustinuit. Dorotheus apud Pallad. in Lausiac. c. 2. labore & æstu se macerabat: rogatus, cur? *Occidendum* (mortificandum) ait, *est corpus, ne illud nos occidat.*

Abbas Pambo rogauit Abbatem Antonium, *Quid faciam vt saluer? Esto*, inquit, *continens ventris & linguæ.* Continentes ergo sunt victimæ pacificæ sibi & Deo.

IMMACVLATA] Hebraicè תָּמִים *tamim*, id est *integra*, perfecta, vide dicta cap. 1. v. 3.

OFFERET CORAM DOMINO] coram altari, quo colitur & repræsentatur Deus.

PONETQVE MANVM SVPER CAPVT VICTIMAE] VERS. 2. Huius ritus causas dedi cap 1. v. 4.

QVAE IMMOLABITVR IN INTROITV TABERNACVLI

NACVLI TESTIMONII] Hebraicè, *qua immolabitur apud ostium tabernaculi testimonij*, putà apud altare holocaustorum (quod erat iuxta tabernaculum, in quo erat testimonium, id est lex siue tabulæ legis in arca) scilicet ad latus altaris quod respicit Aquilonem. vt patet c. 1. v. 11.

A

FVNDENTQVE SANGVINEM PER ALTARIS CIRCVITVM] Tropol. sanguinem circum altare fundunt, qui vitiosos affectus & cupiditatem, circa crucem Christi (dum videlicet Christi virtutes mente reuoluunt) à se eijciunt. altare enim nostrũ est Christus, cui quidquid Patri gratum futurum est imponimus, & per eum offerimus.

VERS. 3. ET OFFERENT DE HOSTIA PACIFICORVM IN OBLATIONEM DOMINO, ADIPEM QVI OPERIT VITALIA] *Vitalia*, hebr. *interiora*, putà cor & præcordia, quæ maximè faciunt ad vitam tuendam, & quibus læsis vita excidimus.

B

VERS. 4. ET RETICVLVM IECORIS] Hoc *reticulum* est pinguedo, quæ instar retis hepar circumdat. Vnde v. 15. vocatur *aruina iecoris*.

Allegor. Origenes, & Beda: adeps tegens vitalia est anima Christi, tegens eius diuinitatemq; renes sunt caro Christi. Christus enim est omnis hostia nostra, tam pacifica, quàm holocaustum & pro peccato.

Tropol. Tropologicè, Radulph. *Adeps, ait, qui operit vitalia, significat affectum quem habemus ad hanc vitam; pinguedo quoque qua intrinsecus est, eorum innuit amorem qua in hac vita possidentur, vt est domus, ager, pecunia, pater, mater & propinqui, qua omnia si in hac vita abundent, beatos facere videntur: verùm Deus hac sibi offerri & adoleri pracipit*; quamuis id fiat ægrè & cum dolore, vt scilicet quis malit illa perdere, & ab illis auerti, quàm à Deo & pietate recedere. *Qui enim amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, ait Dominus.

C

CVM RENVNCVLIS] cum renibus iam nominatis hoc eodem versu. Est pleonasmus, siue Hebraica repetitio eiusdem rei: nam per renunculos hîc semper intelligi renes duos, qui in lumbis sunt, adeoque renes lumbares hîc Deum sibi adoleri velle, patet ex Hebr. Septuag. Iosepho & Philone, qui constanter hîc & alibi vertunt νεφρὲς, id est renes. ita legit & S. Basilius libr. de Vera virginitate, Origenes hic homil. 3. Theodoret. hîc, & q. 61. in Exod. Isychius, Radulph. Beda, Vatabl. & alij, imò & interpres Noster, qui quos hoc versu vocauit *renes* & *renunculos*, versu 10. & 15. tantùm vocat *renunculos*. Iidem ergo sunt renes & renunculi.

Renes sunt symbolum appetitus concupiscibilis. Tropolog. iidem, putà S. Basilius, Theodoretus, Isychius, Radulphus, per renes intelligunt appetitum concupiscibilem, maximè libidinis: renes enim sunt vasa genituræ, ait Philo. vnde Ecclesia orat: *Vre igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.* Iidem per reticulum iecoris intelligunt vim & appetitum irascibilem: hepar enim est fons sanguinis, id est crudelitatis. hæc, ait Radulph. offerentes victimam pacificam, id est mediocres & coniugati, non omnino abijcere debent, sed partim Deo offerre, rebusque diuinis impendere, partim mortificare & restringere, vti docent S. Basil. & Theodor. *Iecur irascibilis.*

D

VERS. 8. IN VESTIBVLO TABERNACVLI] in introitu tabernaculi, vt dixit v. 2. putà ante Sanctum, apud altare holocaustorum.

VERS. 9. & 10. ET CAVDAM TOTAM CVM RENIBVS] Rectè interpres Noster Hebræa vertit, quidquid recentiores cum Chaldæo aliter vertant. nam sic ad verbum habent Hebræa; *caudam integram ad oppositum spina dorsi auferent*; id est, ita auferent caudam & eousque, vt simul renes oppositos spinæ dorsi auferant. nam spina dorsi illa parte quà caudæ coniungitur, renes sustinet. ita Caietan. Et hoc videntur voluisse Septuag. hîc, & cap. 8. v. 25. qui pro cauda habent lumbum: sic enim vertunt, καὶ τὴν ὀσφὺν ἄμωμον σὺν τῷ ψόαις. quod interpres Bibliorum Regiorum non benè vertit, *& lumbum immaculatum cum ilibus*: vertendum enim est, *& lumbum immaculatum cum musculis* (hi enim vocantur ψόαι) *internis*, vel carne interna, cui nimirum adhærent renes. quod idem est ac si diceret, Lumbum cum renibus auferant & offerant Deo. In hostia ergo pacifica ouis, putà agni & arietis, vt patet Leuit. 9. v. 19. peculiare erat quòd cauda adolebatur Domino. hoc enim non fiebat si hostia pacifica esset bos aut capra. Cuius rei causam tropologicam dat Radulph. Cauda, ait, quia finis est corporis, symbolum est consummationis & perseuerantiæ in sanctis & bonis operibus; hanc in oue sola offerri præcipit Deus, quia reuera ouibus, id est simplicibus, incogitantibus & desidiosis de inconstantia timendum est; non autem victimis caprarum, id est peccatoribus pœnitentibus; nec victimis boum, id est laboriosis, qui videntes fructum laborum suorum, voluptate magna saginantur, itaque acuuntur & roborantur ad labores. Hinc S. Gregorius homil. 25. in Euangel. *Pracepto, inquit, legis cauda hostia in sacrificio iubetur offerri: in cauda quippe finis est corporis. & ille benè immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debita perducit actionis.* *Cauda ouis est perseuerantia simplicium.*

Perseuerantia, inquit S. Bernardus epist. 129. *nutrix est ad meritum, mediatrix ad premium, soror patientia, constantia filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculũ. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est, cui aternitas redditur, vel potiùs qua aeternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

OMNIS ADEPS DOMINI ERIT IVRE PERPETVO IN GENERATIONIBVS, ET CVNCTIS HABITACVLIS VESTRIS] ita scilicet, vt nulla generatio nullaque domus ab hac lege sese excipere possit. VERS. 16. & 17.

NEC SANGVINEM, NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS] Nota. Iudæis vetitus fuit omnis sanguis, non tantùm immolatitius, putà sanguis victimæ, de quo propriè hîc agitur, vti mox patebit ex adipe, sed etiam quiuis alius, v. g. ouis, capræ, cerui, quem domi ad esum mactabant. Eorum enim sanguinem non edere, sed in terram effundere debebant, vt patet Deuter. 12. v. 16. & hîc c. 17. 13. vbi & v. 11 ratio huius legis insinuatur: videlicet, quia anima carnis in sanguine est: id est, quia sanguis est vehiculum, nutrimẽtum & tutela vitæ, vitaliumque spirituum; vita autem solius est Dei: ergo par est & sanguinem soli Deo cedere, etiamsi non sit sanguis victimæ. nam si sit victimæ, clarum est iustissimum esse, vt is omnis in sacrificio Deo auctori vitæ libetur. ita Theodoret. Secunda causa est, quia voluit Deus Iudæos mansuetudinem docere, & longissimè auocare à cru- VERS. 17. *Sanguinis esus Iudeis fuit vetitus ob duas causas. Prima. Secunda.*

crudelitate in homines exercenda. Itaque vetuit esum sanguinis bestiarum, in quo vita animalis consistit, concessit autem esum carnis exanguis & exanimis. ita Isychius & Abulens. Vide dicta Genesis 9. v. 4. & sequ. Hinc & Apostoli primis Christianis Actor. 15. v. 29. vetuerunt esum sanguinis, vt sic faciliùs Iudæi cum Gentibus consuescerent, in vnamque Ecclesiam coalescerent. Iudæi enim auersabantur Gentes quasi barbaras, eò quòd sanguinem comederent.

Sic & esus adipis.

NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS] Omnem adipem hîc edi vetat, eumq; sibi deposcit Deus. adipem intellige, non eum qui carni adhæret, eique immistus est, sed qui seorsum in intestinis confertus & condensatus est. Rursum adipem intellige hostiæ immolatæ, aut quæ poterat immolari. Nullum ergo adipem ouis, capræ, bouis, etsi is domi mactatus ad esum esset, poterant comedere Hebræi; quia hæc animalia munda erant ad sacrificium, Deoque immolari poterant: adipem verò aliorum animalium mundorum, quæ Deo nō immolabantur comedere poterant Hebræi. itaque poterant comedere adipem capræ, cerui, bubali, tragelaphi, pygargi, orygis, camelopardi: hæc enim munda erant ad esum, sed non ad sacrificium, vt patebit cap. 7. ita S. August. hic q. 2. Iudæi tamen vt exactiùs legem hanc seruarent, omni omnino adipe, etiam cerui, bubali, &c. abstinebant, eumque abijciebant, vti etiamnum facere perhibentur. Verùm lex hoc non præcipit.

Cur?

Ratio huius legis erat, quia adeps igni est aptissimus, estque optima portio hostiæ: hanc ergo Deo cedere par erat, si esset adeps victimæ immolatæ: sin autem esset adeps victimæ non immolatæ, sed quæ immolari poterat, par erat vt ob Dei reuerentiam, adipe hoc etiam non immolato abstinerent; quia adeps hic erat ex hostijs quæ Deo immolari poterant. Idque voluit Deus, vt sic semper haberent Hebræi religionis & cultus Dei exercitium, vtque eum etiam domi iugiter hac ratione colerent & venerarentur. Ex adipe hoc Deo sacro manauit illa Scripturæ phrasis, vt sacrificium Deo gratum & dignum vocet sacrificium pinguium, oretque vt holocaustum nostrum pingue fiat. Victimæ enim carnosæ & bene saginatæ, abundant pinguedine & adipe.

Mysticè, adeps est deuotio & intentio, quæ in omni opere ad Deum est dirigenda.

Tropologicè, vt Isychius & Radulph. adeps animæ est animæ desiderium, affectus, deuotio & A intentio, quæ in omni opere quo Deo placere, Deique gratiam demereri cupimus, ad Deum est dirigenda. quisquis ergo in bono opere quod agit, gloriam non Dei sed suam, aut lucrum temporale quærit, hic adipem Domino subtrahit & comedit. Mediocres ergo & coniugati (qui per hostiam pacificam significantur) in suis negotiosis operibus hunc saltem adipem, putà hanc sinceram intentionem Deo offerre debent: per eam enim opera indifferentia, vt fabricare, arare, fodere, &c. fiunt sancta & meritoria, actusque religionis, charitatis, &c. Hoc pauci milites, rustici, mechanici sciunt, vel aduertunt: hinc pro lucro multa tolerant, multum laborant, sed frustra: quia apud Deum mercede carebunt, cùm ad eum labores suos non retulerint. Hoc ergo doceant B eos Pastores & Catechistæ, vt vno eodemque opere, ob hanc piam intentionem qua opus Deo offerunt, illudque suscipiunt ob Dei honorem & amorem, lucra tam æterna quàm temporalia acquirant. *Sicut fabrica*, inquit S. Gregorius, *columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.* Et rursum: *Si semel*, ait, *cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido securè possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus seruiens mens, reproba intentione polluatur.* Et S. Bernardus tractat. de Præcept. & dispensat. *Vt interior*, inquit, *oculus verè* C *simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, & veritatem in electione. quomodo enim simplex erit oculus, qui ex ignorantia veritatis malum nesciens agit? Huius enim bonus est oculus, quia pius: non tamen simplex, quia cæcus. Et est qui bonum & libenter agit, & prudenter intelligit. Illius oculum simplicem dixerim, vtpote cui neutrum bonum desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia. ille verò oculus nequam est, qui peruersus, pariter cæcus, bonum agit, & malum credit.*

Tropologias horum trium primorum capitum etiam sequentibus applica.

Denique Nota. Sicut in holocausto, ita & in hostia pacifica adhibebatur libamen thuris, salis, olei, vini & farinæ, idque certa mensura, atque eo ritu quem dixi cap. præcedenti v. 13. de quo plura Num. 15. v. 4.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribitur quarta species sacrificij, scilicet hostia pro peccato, eoq; per ignorantiam commisso. hæc hostia erat quadruplex. Prima, pro peccato pontificis, quæ erat vitulus, v. 3. Secunda, pro peccato populi, quæ erat vitulus, v. 13. Tertia, pro peccato principis, quæ erat hircus v. 22. Quarta, pro peccato plebeij, quæ erat capra, v. 27. vel ouis, v. 32.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filijs Israel: Anima,
quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit: 3. si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit,
delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino: 4. & adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, ponetque manum super caput eius, & immolabit eum Domino. 5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij. 6. Cumque intinxerit

digitum

digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarij.
7. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Do-
mino, quod est in tabernaculo testimonij. omnem autem reliquum sanguinem fun-
det in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi. 8. Et adipem vituli auferet
pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quàm omnia quæ intrinsecus sunt: 9. duos
renunculos, & reticulum quod est super eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renun-
culis, 10. sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare
holocausti. 11. Pellem verò & omnes carnes, cum capite & pedibus & intestinis &
fimo, 12. & reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, vbi cineres
effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cine-
rum cremabuntur. 13. Quòd si omnis turba Israël ignorauerit, & per impetitiam
fecerit quod contra mandatum Domini est, 14. & postea intellexerit peccatum
suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi.
15. Et ponent seniores populi manus super caput eius coram Domino. Immolato-
que vitulo in conspectu Domini, 16. inferet sacerdos, qui vnctus est, de sanguine
eius in tabernaculum testimonij, 17. tincto digito aspergens septies contra velum.
18. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in
tabernaculo testimonij: reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris ho-
locaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonij. 19. Omnemque eius adi-
pem tollet, & adolebit super altare: 20. sic faciens & de hoc vitulo quomodo fe-
cit & priùs: rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. 21. Ipsum au-
tem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulū: quia est pro
peccato multitudinis. 22. Si peccauerit princeps, & fecerit vnum è pluribus per
ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, 23. & postea intellexerit peccatum
suum; offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. 24. Ponetque
manum suam super caput eius: cumque immolauerit eum in loco vbi solet mactari
holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, 25. tinget sacerdos digitum
in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fun-
dens ad basim eius. 26. Adipem verò adolebit supra, sicut in victimis pacifico-
rum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.
27. Quòd si peccauerit anima per ignorantiam, de populo terræ, vt faciat quid-
quam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, 28. & cognouerit
peccatum suum, offeret capram immaculatam. 29. Ponetque manum super ca-
put hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti. 30. Tol-
letque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, re-
liquum fundet ad basim eius. 31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri so-
let de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suauitatis Domino: ro-
gabitque pro eo, & dimittetur ei. 32. Sin autem de pecoribus obtulerit victi-
mam pro peccato, ouem scilicet immaculatam; 33. ponet manum super caput
eius, & immolabit eam in loco vbi solent cædi holocaustorum hostiæ. 34. Sumet-
que sacerdos de sanguine eius digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reli-
quum fundet ad basim eius. 35. Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri so-
let adeps arietis, qui immolatur pro pacificis; cremabit super altare in incensum Do-
mini: rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

VERS. 1. LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN] Incertum est an eodem tempore, quo locutus est ea quæ præscripta sunt cap. 1. 2. & 3. an alio: nam quòd verbum *locutus est* hic repetatur, arguere potest tantùm nouitatem materiæ, non autem temporis. ita Abulens.

VERS. 2. ANIMA] homo. vide dicta cap. 2. v. 1.

CVM PECCAVERIT PER IGNORANTIAM] siue legis & iuris, siue facti, eamque crassam & culpabilem. Pro *ignorantiam* hebr. est שְׁגָגָה *segaga*, quod receptiores vertunt errorem & lapsum ex passione v. g. ex vehementi cholera. Verùm *segaga* propriè significat ignorantiam, & ita vertit Chald. Philo, S. Hieron. & alij.

ET DE VNIVERSIS MANDATIS DOMINI, QVÆ PRÆCEPIT VT NON FIERENT, QVIPPIAM FECERIT] *De vniuersis*, ergo tam naturalibus, quàm cæremonialibus & iudicialibus: tam affirmatiuis, A quàm negatiuis mandatis. ita Ribera contra Abulens. qui de solis cæremonialibus hîc agi putat. Ratio est, quia in omnia omnino cadere potest error, saltem facti, qui sacrificio expiandus erat. Si enim quis, non per ignorantiam, sed scienter violasset ea quæ in decalogo mandantur, idque publicum fuisset; hic culpam non sacrificio, sed pœna & mulcta à iudice inflicta luisset, vt patet Deuter. 19 12. & vltimo, & alibi. vnde sequitur hîc agi de peccato occulto, non publico, vti docet Iosephus lib. 3. c. 10. & ex eo Ribera; publicum enim per iudicem punitum fuisset. iudex enim non admisisset excusationem ignorantiæ: nam in iudicio cùm agitur de crimine, præsumitur reus sciuisse legem, & facti sui speciem, nisi ipse contrarium doceat.

MANDATIS] Id est, mandato aliquo prohibitis. Vnde sequitur, *Quæ præcepit vt non fierent*: sicut

enim Hebræi sæpè actus ponunt pro obiecto, vt amorem pro re amata, timorem pro re timenda (quomodo Deus dicitur amor & timor noster. vide can. 21.) ita pariter legem vt mandatum ponunt pro re, quæ lege vel mandato vetatur. ita Caietan.

QVÆ PRÆCEPIT VT NON FIERENT] Hebr. est, *quæ non fient*, id est, quæ ex Dei lege fieri non debent. q. d. Qui fecerit aliquid lege prohibitum, siue qui contra legem aliquid fecerit, & peccauerit, vel commissione vel omissione. nam non tantùm præcepta negatiua, sed & affirmatiua, sicuti præcipiunt rem quam mandant: ita contrarium eius eiusque omissionem prohibent. verbi gratia, cùm dicitur *Honora patrem*, præcipitur honor patris, & simul prohibetur contumelia, & omissio honoris patri debiti.

VERS. 3. SI SACERDOS QVI VNCTVS EST, PECCAVERIT] *Sacerdos*, id est pontifex: nam Septuag. habent ἀρχιερεὺς, & Chald. *sacerdos magnus*. illius enim peccatum ob personæ dignitatem erat maximum. Vnde primo loco hîc ponitur, & hostia maxima, putà vitulo, expiari iubetur.

QVI VNCTVS EST] postquam consecratus est. Ita Septuag. qui vertunt, ὁ κεχρισμένος. nam si designatus pontifex peccasset antequam consecraretur, tunc victima plebeij aut principis expiabat se. ita Ribera.

DELINQVERE FACIENS POPVLVM] Hebr. *si peccet ad peccatum populi*, vt scilicet suo peccato scandalizet, & peccare faciat populum. Potest Secundò, verti, *si peccet secundùm peccatum populi*, vel sicut populus peccare solet: quo tacitè significat lex, pontificis non esse peccare, sed populi. pontificis enim est intercedere pro peccatis populi.

VERS. 4. ET IMMOLABIT EVM DOMINO] Putà ipsemet pontifex qui peccauit, vti præcessit: neque enim alius hîc nominatur sacerdos inferior qui id faciat, sicuti nominatus est ca. 1. v. 5. in sacrificio laici, de quo tamen minùs erat dubium, quin per Aaronem & filios eius fieri deberet. Rursum pontifex qui peccauerat, debebat imponere manus suæ victimæ, vti sequitur, & eamdem immolare: omnia enim hæc eòdem spectant, & eumdem pontificem qui peccauit respiciunt. ita ex Philone Ribera contra Abulens.

Moraliter, Origenes, Admonetur, inquit, hîc pontifex infirmitatis suæ, vt humiliter agnoscat & intelligat peccatum suum. numquam enim se emendat, qui peccasse se non putat. Simul docetur facilè indulgere peccantibus. nam vt aiebat Dido:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

VERS. 6. ASPERGET EO (sanguine vituli à se & pro se immolati) SEPTIES CORAM DOMINO CONTRA VELVM SANCTVARII] Putà, contra velum Sancti sanctorum, vbi præsentiam suam exhibet Deus in propitiatorio. Aspergendo ergo sanguinem coram velo Sancti sanctorum, dicebatur eum aspergere coram Domino.

Nota, *asperget septies*, vt scilicet perfecta fiat expiatio. Septenario enim significatur perfectio, sic septem peccata capitalia, omnia peccata comprehendunt.

Nota, multa fuisse peculiaria in sacrificio hoc, vti & in sacrificio pro peccato totius populi, sicut patet textum legenti & conferenti; idque ad hoc, vt per ea significaretur grauitas peccati tum sacerdotis siue pontificis, tum totius populi.

IN BASIM (iuxta basim, patet ex v. 18) ALTARIS, quod est IN INTROITV (iuxta introitum) TABERNACVLI. VERS. 7.

ET ADIPEM VITVLI OFFERET] Corrige *auferet*, scilicet à vitulo, vt offerat & adoleat eum Deo. ita Hebr. Chald. Græca, Romana. VERS. 8.

TAM EVM QVI VITALIA OPERIT, QVAM OMNIA QVÆ INTRINSECVS SVNT] q. d. Auferet & offeret adipem omnem, tam eum qui operit vitalia, putà cor & præcordia, quàm eum qui est intra ipsa vitalia & viscera. ita Hebræa.

SICVT OFFERTVR] Corrige *aufertur*, iuxta ea quæ dixi v. 8. VERS. 10.

PELLEM VERÒ, ET OMNES CARNES, CVM CAPITE ET PEDIBVS ET INTESTINIS ET FIMO, ET RELIQVO CORPORE EFFERET EXTRA CASTRA IN LOCVM MVNDVM, VBI CINERES EFFVNDI SOLENT, INCENDETQVE EA] Nota. Hic erat ritus hostiæ pro pontificis peccato. Primò, pontifex ipse adducebat ad altare suam hostiam, scilicet vitulum, eique suas manus imponebat, quasi imprecans & imponens ei peccatum suum. Secundò, ibidem eam iugulabat & immolabat. Tertiò, cratere eius sanguinem excipiebat, quem inferebat in tabernaculum, septies eo aspergens velum oppositum Sancto sanctorum, eodemque tingens cornua altaris thymiamatis, reliquum verò sanguinem referebat in atrium, eumque effundebat iuxta basin altaris holocaustorum. Quartò, in altari holocaustorum cremabat adipem & renes huius hostiæ, putà vituli. Quintò, reliquum hostiæ, putà totum vitulum, cum pelle, intestinis & fimo ferebat extra castra, eaque omnia cremabat in loco mundo, vbi cineres victimarum effundi solebant. VERS. 11. & 12. *Ritus sacrificij pro peccato pontificis.*

Quæres, Cur iussit Deus hunc vitulum oblatum pro peccato pontificis, vti & vitulum oblatum pro peccato totius populi, totum cum pelle comburi, non in altari, sed extra castra? *Victima pontificis tota crematur extra castra, cur?*

Resp. Literalis causa huius cæremoniæ fuit, Primò, vt illa excitaret in Iudæis ingens peccati odiũ & horrorem: tacitè enim significabat, quòd, sicut victima pro peccato extra castra cremabatur; ita multò magis peccatum ipsum, & peccatores extra mundum cremandi essent in inferno. Secundò, Nemo, inquit Philo lib. de Victimis, est pontifice, aut toto populo præstantior, qui pro eo peccante deprecator apud Deum allegari possit, vt hac ratione ex lege quæ hîc 6. v. 26. præscribitur, eorum victimas pro peccato comedat: restat ergo, vt illæ extra castra crementur. Addit Theodoret. qu. 3. totam hostiam cum pelle comburi, vt demonstretur sacerdotem siue pontificem non aliquatenus, sed totum se omniaq; sua dedicasse Deo vniuersorum, cumque per peccatum aliquid sui Deo subtraxerit, hinc pro se totum vitulum Deo consecrare & immolare. Tertiò & propriè, hæc cæremonia tacita erat oratio, qua pontifex rogabat Deum, vt peccata ista pontificis, vel totius populi, id est pœnæ peccatis eorum debitæ, ipsum populum non tangerent nec læderent, sed cum victima hirci & vituli quasi extra castra populi efferrentur, cremarentur & abolerentur. *Prima causa.* *Secunda.* *Tertia.*

Vbi Nota, peccata pontificis, vtpote personæ communis, & principis totius populi, æquari peccatis totius populi: nam tam victima pro peccato pontificis, quàm victima pro peccato populi cremanda erat extra castra; vt significaretur peccatum *Peccatum pontificis æquatur peccato totius populi.*

tum

tum pontificis,quasi principis, tota populi castra contaminare. alia enim peccata priuatorum hominum expiabantur,victima immolata in ipsis castris,& in ipso atrio tabernaculi, neque censebantur tota castra cōtaminare, maculare aut polluere.

Allegorica causa.

Causam allegoricam huius cæremoniæ dat Apostolus Hebr.13.12. scilicet hac cæremonia significatum fuisse,quòd *Christum extra castra*, id est extra portam vrbis Ierusalem(castra enim habebant suas portas, erantque quasi vrbs cum suo tabernaculo & templo ambulans & mobilis per desertum)torrendus erat in cruce, & abolito castrorum Iudaicorum tabernaculo & templo , Ecclesiam Gentium per totum orbem diffundendam morte sua erat instituturus. hoc est enim quod ait S.Leo serm 9.de passione, *Nec intra septa ciuitatis ob meritum sui sceleris diruendæ,sed foris & extra castra crucifixus est Christus, vt veterum victimarum cessante mysterio,noua hostia nouo imponeretur altari, & crux Christi nō templi esset ara,sed mūdi.* Vnde & S.Iohānes c.11.v.53. ait Christum morti destinatum esse *pro gente* Iudaica, *& non tantùm pro gente , sed vt filios Dei qui erant* toto orbe inter Gentes *dispersi, congregaret in vnum.* Denique sanguis victimarum expians Sanctum & Sanctum sanctorum,vt patet c.16.v.15. significabat Christum sanguine suo expiaturum Ecclesiam, & cælum ipsum : non quasi cælum in se immundum sit, sed quòd legaliter & symbolicè censeretur immundum. & quasi aspergine quadam peccati(peccatum enim morali quadam æstimatione censetur, & in Scriptura dicitur contaminare ipsam terram,cælum,totumque mundum.) maculatum, ideoque clausum, perinde ac templum pollutum clauditur. Christus ergo suo sanguine peccata nostra expians,etiam cælum ipsum peccatis nostris quasi contaminatum, quodammodo expiasse & reconciliasse censetur, dum illud nobis aperuit & reserauit.ita Radulph. hîc in cap.16.

Crux Christi ara est non templi, sed mundi.

Tropologica causa. Christiani exire debent extra castra mundi.

Tropologicam causam huius cæremoniæ dat Apostolus Hebr.13.v.13. scilicet hanc cæremoniam significasse, nos omnes qui ad Christum & altare Eucharisticū accedere cupimus, exire debere *extra castra* pompæ,voluptatum,luxus & legum tabernaculi,id est mundi huius caduci & mobilis, vt portemus improperium crucis Christi, imitando scilicet & voluntariè amplectēdo Christi ignominiam,paupertatem,abstinentiam,humilitatem, contemptum, persecutiones, tormenta & martyriū. hisce enim verbis Apostolus excitat Hebræos, vt Iudæorum persecutiones, contumelias, & dira quæq; pro Christi fide fortiter sustineant, & in iis glorientur tamquam qui cum Christo extra castra iudaismi,& mundanæ felicitatis egrediantur portantes improperiū crucis ipsius. Sic *Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniā digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Exeamus ergo & nos cumulati opprobrijs, consputi,milleque probris oppleti, portantes crucem nostrā cum Christo :exeamus inquam, læti, fidentes & animosi, tanto duce Christo nobis præeunte , dicamusque cum Paulo, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* ita Procop.& Cyrill.lib.15.de Adoratione,atque Theodor.S.Thomas,Anselmus,& Theophyl. in cap.13.ad Hebræos.

Anagogica causa.

Anagogicam causam dat ibidem Paulus v.14. scilicet hac cæremonia adumbratum fuisse,quòd in hac vita & mundo non habeamus manentem ciuitatem,sed quòd in eo degamus quasi in castris & tabernaculis, vt sciamus nos hîc esse peregrinos & milites, qui futuram ciuitatem in cælis inquirere,& pro ea generosè contra carnem,mundum & dæmonem dimicare, ad eamque omnibus viribus tendere & conniti debeamus. Addit Beda, Christus, inquit, in cælo oblatus est pro munere angelorum & Beatorum, quos visione suæ humanitatis & diuinitatis beat ;in terris verò oblatus est pro peccato,id est passus est extra castra angelorum & Beatorum, de quibus dixit Iacob, *Castra Dei sunt hæc*,Genes 32.2.

EFFERET EXTRA CASTRA IN LOCVM MVNDVM] VERS.12.
Licet enim hoc sacrificium esset pro peccato pontificis, ideoque victima cremaretur extra castra, tamen quia sacrificium hoc expiatorium , sanctum & mundum erat; hinc locus mundus debebatur ei,victimæque cineres, quasi reliquiæ sacrificij, mundo loco erant reponendi , ne à populo calcarentur, vel irreuerenter tractarentur.

VBI CINERES EFFVNDI SOLENT]Nota.Cineres victimarum primò in atrio iuxta altare holocaustorum effundebantur, indeque ad locum mundum,de quo hîc agitur, extra castra efferebantur, in quo vitulus hic pro pontificis peccato iugulatus,iubetur cremari.

Tropol.

Tropologicè,significatur hîc non licere peccata sacerdotum in publicum iactare, neque in locū immundum,id est in detractorum conuenticula, & in profanas ac maledicas linguas; sed curandum esse vt taceantur,& omnes eorum reliquiæ charitatis igne consumantur, ac perpetuo silentio contegantur , vtque nihil remaneat,quod trahi possit in exemplum. ita Ribera libr.4.de Templo cap.7. qui cætera omnia tropologicè applicat , & sigillatim adaptat.

QVOD SI OMNIS TVRBA ISRAEL IGNORAVERIT] VERS.13.
q.d.Si totus populus Iudæorum, vel certè maxima eius pars peccauerit per ignorantiam. Est hæc secunda hostia pro peccato, scilicet totius populi.

Secunda hostia pro peccato, scilicet populi, erat vitulus.

Nota. Eadem præscripta est hostia in peccato populi,quæ præscripta est in peccato pontificis, putà vitulus. Idemque erat ritus immolandi vtriusque , quem descripsi v 11. nisi quòd in peccato populi, non pontifex,sed seniores populi pro toto populo manus hostiæ imponebant.

IMMOLATOQVE VITVLO IN CONSPECTV DOMINI , INFERET SACERDOS QVI VNCTVS EST] putà VERS.15. & 16.
pontifex. nam peccatum totius populi erat valdè graue: hinc illud solus expiabat pontifex; maximè quia hoc sacrificium pro peccato populi, typus erat expiationis culpæ totius generis humani , quam solus potuit facere Christus Pontifex noster.

ALTARIS QVOD EST CORAM DOMINO] putà al- VERS.18.
taris thymiamatis, quod in Sancto obuersum erat propitiatorio, in quo residebat Deus.

QVOD EST IN OSTIO (*in*,id est iuxta ostium) TABERNACVLI.

ROGANTE PRO EIS SACERDOTE (pontifice) VERS.20.
PROPITIVS ERIT EIS DOMINVS] q.d. Dominus placatus hoc sacrificio, non inferet populo pœnam in hac vita , quam alioqui inflixisset. nam quoad culpam & pœnam alterius vitæ, hæc non tollebatur sacrificio aut prece sacerdotis,sed contritione eorum qui peccauerant: cuius contritionis signum & protestatio erat hoc sacrificium, quod pro peccato suo offerebant.

IPSVM

VERS. 21. IPSVM AVTEM VITVLVM EFFERET EXTRA CASTRA, ATQVE COMBVRET: QVIA EST PRO PECCATO MVLTITVDINIS] q.d. Si hæc victima fuisset oblata pro peccato principis, aut priuatæ personæ, non cremaretur extra castra, sed de more in altari holocaustorum. Rursum, non inferretur eius sanguis in tabernaculum, vt eo aspergeretur altare thymiamatis: hæc enim duo tantùm fiebant in peccato pontificis, & totius populi. Et hoc est quod ait Apostolus Hebr. 13. v. 11. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Vide dicta v. 11.

VERS. 22. *Tertia hostia pro peccato, scilicet principis, erat hircus.* SI PECCAVERIT PRINCEPS] Est hæc tertia hostia pro peccato, scilicet principis. *princeps* hic vocatur is, qui erat dux, caput & primus in familia, aut tribu, aut exercitu. hunc enim significat Hebr. נשיא *nasi*, id est eleuatus, qui dignitate inter suos eminet, vt patet Numer. 1. v. 4. & c. 7 v. 2.

Principis peccati & hostiæ legem specialem Deus hic sanxit, vt sciant principes se homines esse, errare & peccare posse, dicantque: Homo sum, humani à me nihil alienum puto; ac proinde si quid malè promiserint, fidem rescindant: si quid mali imperarint, retractent, nec mordicus in eo quod semel statuerunt, persistant, siue fas sit, siue nefas. Ita Agesilaus rex Lacedæm. vrgenti verbum regis, dicentique Assensus es: *Omnino*, inquit, *assensus sum, si res iusta est; sin minùs, dixi, Sanè, verùm assensus non sum.* inferentique, At verò *reges par est implere quod capite annuerint*, respondit: *Non magis, quàm æquum est vt qui regem accedunt, petant dicántque iusta. considerato quid occasio & decorum regis ferat.* Ita Cato Maior aiebat: *Malo nullam ob beneficium collatum gratiam adipisci, quàm ob delictum non dare pœnam: omnibusque peccantibus, me vno excepto, ignosco.* Ita Agesipolis Cleombroti filius. obijcienti, quòd cùm rex esset datus fuisset obses: *Quia*, inquit, *iustum rectumque est, nosmetipsos nostra peccata luere.* ita Plutarch. in Apophtheg.

VERS 23. OFFERET HOSTIAM DOMINO HIRCVM DE CAPRIS] Hebr. *hircum caprarum*, id est hircum filium alicuius capræ. Vbi duplex est hebraismus: prior, quòd numerus pluralis ponatur pro singulari, putà *caprarum* pro *capra*; posterior, quòd hac phrasi Hebræi significent hircum nouellum, & *Nota canonem.* adhuc matrem sequentem: quando enim animali cuipiam additur genitiuus femininus pluralis, tūc significatur animal illud tenerum esse, ita vt necdum à matre sit auulsum. Vnde Alexander Macedo, quia iuuenis erat, vocatur *hircus caprarum*, Daniel. 8. v. 21. Similia sunt Genes. 38. 17. 1. Esdr. 6. 17. psal. 113. 4. Ezech. 45. 23. in Hebræo. *Alexander Magnus vocatur hircus caprarū, cur?*

Septuag. pro *hirco* & *capra*, vertunt *chimarrus* & *chimarra*, id est fœtus caprarum chimerini, hoc est hyberni: bis enim in anno pariunt capræ, semel in æstate, semel in hyeme. Per hyemem ergo & capram hybernam, videtur significari pœnitentia. ita Isychius & Radulph.

Tropol. Rursum princeps, id est vir sanctus & heroicus, pro peccato offert hircum, id est fortem & duram subit pœnitentiam: anima verò de populo terræ, id est homo infirmus, qui est ex grege vel fæce hominum, pro peccato offert capram, id est leuem, remissam & quasi femineam, quam sustinere possit, obit pœnitentiam. ita Radulph.

VERS 24. & 25. CVMQVE IMMOLAVERIT (non princeps, sed sacerdos ad quem spectat immolare) QVIA PRO PECCATO EST, TINGET SACERDOS DIGITVM IN SANGVINE HOSTIÆ PRO PECCATO, TANGENS CORNVA ALTARIS] q.d. Si non esset hostia pro peccato, non tingeret sacerdos sanguine cornua altaris. illa enim tinctio tantùm fiebat in sacrificijs pro peccato: altare enim Deum repræsentabat, itaque tingebat illud sanguine sacerdos, quasi significans se sanguinem peccatoris Deo debitum, in hac victima illi dare, itaque placari Deum.

Nota Hoc versi. & v. 3. 25. 26. *hostia pro peccato*, vocatur hebr. חטאת *chattat*, græcè *ἁμαρτία*, id est *peccatum*, metonymicè: peccatum enim hominis, impositione manus in hostiam, morali æstimatione quasi transferebatur. Sic Paulus 2. Corinth. 5. v. vltimo, *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum* (Christum) *pro nobis peccatum* (id est hostiam pro peccato) *fecit; vt nos efficeremur iustitia* (iusti) *Dei in ipso* (per ipsum)

QVOD SI PECCAVERIT ANIMA PER IGNORANTIAM DE POPVLO TERRÆ] *Anima de populo terræ*, est homo plebeius, vulgaris & gregarius. Est hæc quarta hostia pro peccato, scilicet plebeij: huius hostia erat capra. VERS. 27. *Quarta hostia pro peccato, scilicet plebeij, erat capra.*

Tropologicè, Beda: Anima, inquit, quæ peccat, est de populo terræ, quia terrenis bonis inhiat: nam ea quæ non peccat, est ex ijs de quibus dicitur, *Nostra conuersatio in cælis est.*

SI AVTEM DE PECORIBVS] de pecudibus (vide dicta c. 1. v. 10.) putà de ouibus; nam de capris iam præcessit. Vnde Hebræa clarè habent, *Si ouem adduxerit oblationem pro peccato, femellam, integram adducet eam.* VERS. 32.

Notat Philo, principem pro peccato offerre hircum; plebeium capram, quæ minoris pretij est victima, quia mas magistratui, femina plebeio competit: minus enim virilitatis & sapientiæ habet plebeius, quàm princeps. Rursum capra & ouis tacitè admonebat offerentes, vt in posterum innocentiæ studerent, darentque operam, vt quibus iniuria aliqua, aut exemplo nocuerant, omni ratione prodessent; sic enim oues & capræ suo lacte, lana, carne, corio omnibus prosunt. *Cur?*

IMMOLABIT EAM (per sacerdotem) IN LOCO, &c. HOLOCAVSTORVM] scilicet iuxta altare, vbi immolari solent holocausta. ita Septuag. VERS. 33.

CREMABIT SVPER ALTARE INCENSVM DOMINI] id est, vt Hebræa habent, *adolebit sacerdos ea ad incensa*, vel incensa, *Domini*, vt scilicet sint incensa Domini. Itaque sicut in victimis pacificis, sic & in hostia pro peccato, solus adeps cum renibus & sanguis Deo cedebant. Quid faciendum sit de carnibus huius hostiæ pro peccato plebeij, vti & hostiæ pro peccato principis, dicet Moses cap. 6. vers. 26. VERS. 35.

Nota. In sacrificio pro peccato, vti & in quolibet alio, victimæ imponebatur sal, vti præscriptū est c. 2. v. 13. non verò alia libamina vini, olei & farris; hæc enim tantùm addebantur holocausto, & victimæ pacificæ: cuius differentiæ causam assignabo Num. 15. v. 3. Hinc sequitur, nec thus impositum fuisse victimæ pro peccato. Thus enim non victimæ, sed eius libamini, putà farri, imponebatur, vt patet Leuit. 2. v. 1. Sacrificium autem pro peccato non habebat libamen farris, vti iam dixi: ergo nec thus; imò si deficiente victima, offerenda esset simila, siue far pro peccato, illi non imponebatur thus, vti disertè præcipit Deus cap. 5. v. 11. *Hostiæ pro peccato imponebatur sal, non thus, nec libamina.*

Deni-

Decem miracula Iudaica in sacrificiis.

Denique audi hic decem miracula in sacrificijs, quæ recensent Iudæi. Primum, inquiunt, erat, quòd, cùm statis festis innumera vis hominum ad templum conflueret, nulli vmquam defuerit hospitium. Secundum, cùm in templo stabant, se inuicem comprimebant: cùm verò in terram procumberent confessioné peccatorum facturi, omnes satis spatij habebāt, quod, ne alius aliū sua delicta confitentem audiret, quatuor cubitorū esse oportebat. Tertium, ignis sacrificiorum cùm esset sub dio, numquam à pluuia fuit extinctus. Quartum, fumum victimarum nulli venti dimouere poterant, quin semper recta in cælum ascenderet. Quintum, numquam malus casus aliquis accidit summo sacerdoti in die expiationis. Sextum, nullum vmquam vitium inuentum fuit in panibus propositionis, vel primitiarum. Septimum, nulla vmquam mulier grauida abortijt, ob odorem carnium sanctificatarum. Octauum, numquam fœtuit caro sanctificata. Nonum, nulla musca visa fuit in eo loco, vbi mactabantur victimæ. Decimum, nullus vmquam læsus fuit à serpente, vel à scorpione. Verùm hæc crassa miracula illis fabulonibus relinquamus.

Moral. de compunctione.

Mysticè, sacrificium pro peccato est pœnitentia & contritio. Psalm 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Baruch 2.18. *Anima quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes* (lachrymis, ieiuniis & vigilijs) *& anima esuriens dabit tibi gloriam & iustitiam Domino.* Daniel.3. *In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, &c. sic fiat sacrificium nostrum. Ad pœnitentiam*, ait S. Augustinus lib. de Pœnitent *agendam non sufficit mores immutare in melius, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleëmosynis.* Notent hoc Lutherus & Nouantes, qui pœnitentiam aliam non agnoscunt, quàm resipiscentiam & nouam vitam. Adijcit S. Augustinus: *O humilis lachryma, tuum est regnum, tua est potentia. aspectum iudicis non vereris: inimicis accusantibus silentium imponis. Sola intras ad regem, sed sola non recedis: vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem.* S. Gregorius lib. 21. Moral. *Quo vberiùs*, ait, *culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia, lachrymis baptizata renouatur.* Et mox: *Vis compunctionis poros cordis aperit, & pennas virtutum fundit: cumq; se studiosè mens de pigra vetustate redarguit, alacri nouitate iuA uenescit.* Idem lib. 3. Dialogorum docet compunctionem hanc primùm ex timore gehennæ, deinde ex amore Dei & regni eius promanare: *Qui priùs*, ait, *flebat, ne duceretur ad supplicium; postea amarissimè flere incipit, quia differtur à regno.*

S. Bernard. in Cant. serm. 10. *Vnguentum*, ait, *est contritionis, est vnguentum deuotionis, est vnguentum pietatis: primum pungitiuum, dolorem faciens: secundum temperatiuum, dolorem leniens: tertium sanatiuum, morbum expellens.*

S. Chrysost. libr. de Compunctione cordis: *Sola*, ait, *compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. Sicut impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est compunctionem vigere in delicijs. Illa enim mater est fletus, hæc risus: illa cor constringit, ista dissoluunt.*

B Scimus quàm Christo gratum fuerit sacrificium compunctionis Magdalenæ, S. Petri, S. Pauli, S. Matthæi, S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Pelagiæ pœnitentis, & S. Thaidis, quæ pœnitens triennio cellæ se inclusit, dixitque: *Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, & flebam semper illa conspiciens.* Vnde Paulus discipulus S Antonij vidit lectum pretiosum in cælo illi præparatum, quem tres virgines clara facie fulgentes custodiebant. Hoc meruit eius humilis pœnitentia. qua ex institutione B. Paphnutij, non audebat Deum nominare, nec manus in cælum expandere, sed vna eius vox hæc erat: *Qui plasmasti me, miserere mei.*

Meritò dixit Abbas ille sanctus: *Vt vmbra corpus, sic compunctio te vbique comitetur.* Et alius: *Filij C Israel post quadraginta annos intrauerunt in terram promissionis. Lachrymæ sunt terra promissionis, ad quas si perueneris, iam non timebis bellum.*

Nota est contritio Arsenij assiduè lachrymantis, & Fabiolæ publicè pœnitentis, apud S. Hieronym. & alterius apud Ruffin. libr. 2. cap. 1. qui sepulchro se inclusit, & tamquam viuens sepultus, de inferno mugitum cordis gemitumque assiduè edebat: vnde audiuit dæmones clamantes: *Vicisti, vicisti.* Verè ergo ait Damascen. in Vita Barlaani, contritio & *fons lachrymarum est baptismus.* Narrat Palladius in Lausiaca c. 46. de quodam monacho lapso; qui in se reuersus speluncæ se inclusit, sibique saccum & cinerem substrauit, nec priùs è terra surrexit, nec cessauit flere, quàm angelum audiuit dicentem: *Accepit Deus pœnitentiam tuam, & tui misertus est: vide ne deinceps decipiaris.*

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite & initio sequentis specificantur aliqui casus circa peccata aliena, ne quis propria putet dumtaxat expianda sacrificio. Censet Benedictus in suis Bibliis hoc cap. agi de expiatione peccati ex passione commissi: capite verò praced. de expiatione peccati ex ignorantia: & cap. sequenti, putà 7. de expiatione peccati ex certa scientia facti. Verùm repugnant verba Scriptura, v. 3. 4. 15. 17 18. ex quibus patet, hoc capite agi etiam de expiatione peccati ex obliuione, errore & ignorantia admissi.

1. Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quòd aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. 2. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum à bestia est, aut per se mortuum,

tuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deli-
quit: 3. & si tetigerit quidquam de immunditia hominis, iuxta omnem impurita-
tem qua pollui solet, oblitaq; cognouerit postea, subiacebit delicto. 4. Anima, quæ
iurauerit, & protulerit labiis suis vt vel malè quid faceret, vel benè, & idipsum iura-
mento & sermone firmauerit, oblitáque postea intellexerit delictum suum, 5. agat
pœnitentiam pro peccato, & 6. offerat de gregibus agnam siue capram, orabítque
pro ea sacerdos, & pro peccato eius: 7. sin autem non potuerit offerre pecus, offerat
duos turtures, vel duos pullos columbarum, Domino, vnum pro peccato, & alterum
in holocaustum, 8. dabítque eos sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, re-
torquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo hæreat, & non penitus abrumpatur.
9. Et asperget de sanguine eius parietem altaris. quidquid autem reliquum fuerit,
faciet distillare ad fundamentum eius, quia pro peccato est. 10. Alterum verò ado-
lebit in holocaustum, vt fieri solet: rogabítque pro eo sacerdos & pro peccato eius, &
dimittetur ei. 11. Quòd si non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos
pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam, non mit-
tet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est. 12. tradetque
eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare, in moni-
mentum eius qui obtulerit, 13. rogans pro illo & expians, reliquam verò partem i-
pse habebit in munere. 14. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 15. Ani-
ma si præuaricans ceremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, pec-
cauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest
duobus siclis, iuxta pondus Sanctuarij: 16. ipsúmque quod intulit damni resti-
tuet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens
arietem, & dimittetur ei. 17. Anima si peccauerit per ignorantiam, fecerítque
vnum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem
suam, 18. offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram
æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei,
19. quia per errorem deliquit in Dominum.

Vers. 1. SI PECCAVERIT ANIMA] eo modo quo sequitur. Casus & leges huius capitis & sequentis ad omnes, etiam pontifices, pertinere videntur; nulla enim hic fit personarum distinctio, vti facta est cap 4.

Iurantis, id est adiurãtis. ET AVDIERIT VOCEM IVRANTIS] *Iurantis*, hoc est, vt Chald. Vatablus & alij vertunt, *adiurantis*, putà iudicis. Vnde & nonnulla Biblia manuscripta legunt *adiurantis*: quin & Radulph. vtramque lectionem, scilicet *iurantis & adiurantis*, adfert & exponit. Vilalpãdo quoque in c. 17. Ezech. pag. 3. *iurantis*, inquit, id est iudicis præuio iuramento interrogantis. q. d. Si quis testis à iudice adiuratus, vt verè dicat id quod vidit, aut scit de re in iudicio controuersa; si is eam non indicet, sed palliet vel neget, dicatque se nihil de illa re scire, hic portabit iniquitatem suam.

Secundò, Iurantis, id est iuramento confirmantis. Secundò, τὸ *iurantis* simpliciter & propriè accipi potest. Hebraicè enim est אָלָה *ala*, id est *iuramenti*, præsertim execratorij. q. d. Si quis audierit vocem iurantis, id est iuramento aliquid confirmantis, putà promittentis rem aliquam, aut contractum aliquem ineuntis, aut quid aliud asserentis & stabilientis iuramento (Hebræi enim iuramento suos contractus & promissa firmabant) huiusque rei testis citatus sit in iudicio, vt dicat id quod de re vidit aut cognouit; si is iuridicè requisitus ad testandum veritatem, eam non indicet, hic portabit iniquitatem suam. ita S. August. q. 1. Procop. Isychius, Origen. Radulphus & Abulens. Aliter exponunt Rabbini aliqui, quasi hic loquatur Script. de eo qui audit aliquem deierantem, execrantem, maledicentem & abutentem nomine Dei, & non indicat illud magistratui, vt is puniatur: illũ enim reum fieri, & debere pro hoc suo silẽtio, quasi delicto, offerre oblationẽ hic præscriptã.

A Nota hic cæcitatem & peruersitatem Iudæorum, qui nullam sibi iuramenti & periurij conscientiam faciunt, nisi iurent manu imposita super librum legis: quòd si alio ritu iurent, audacter iurabũt falsum. Quare imprudenter cum magna Christianorum iniuria faciunt magistratus, qui Iudæos in rebus forensibus ad iusiurandum contra Christianos admittunt. Quam perfidiam cùm Norinbergenses, aliæq; Resp. olim intellexissent, Iudæos ad nullum admiserunt iuramentum, nisi admota manu ad librum legis suæ Synagogæ iurarent. Adde, quòd ipsi in die expiationis à Rabbinis suis ab omnibus votis & iuramentis, si quæ maligniùs fecerunt, absoluuntur. Denique Iudæus licitum sibi putat, Christiano homini, quacumque ratione possit, damnum inferre. Vnde & quidam eorum magnus Rabbi sic scribit: *Optimus qui inter gentes est, dignus est, vt caput illi conteratur tamquam serpenti.*

B PORTABIT INIQVITATEM SVAM] *Iniquitas* hic ponitur metonymicè, pro pœna iniquitatis: quasi dicat, Talis punietur à Deo, etiamsi scelus perpetuò lateat homines: talis sustinebit pœnam iniquitatis suæ, quam tamen amoliri poterit pœnitentia, & sacrificio quod præscribitur v. 6. Illa enim sanctio quæ habetur v. 6. ad omnes casus præcedentes referenda est: Deo enim per hoc sacrificium satisfiebat: proximo tamen si læsus esset, nihilominùs damnum omne sarciendum erat.

ANIMA QVÆ TETIGERIT ALIQVID IMMVNDVM, &c. AVT QVODLIBET ALIVD REPTILE (omnia enim reptilia ex lege Leuit. 11. vers. 42. erant immunda) ET OBLITA FVERIT IMMVNDITIÆ SVÆ (ac consequenter neglexerit eam tollere per sacrificium à lege statutum) REA EST] Vers 2.
Hebr.

Hebr. *immunda* vel *polluta est*, quia videlicet rem immundam tetigit, ideoque *rea est*, quia contra legem Leuit.11.vers.43.quæ vetat tangi immundum, fecit.

ET DELIQVIT] quia immunditiam hanc per sacrificium, siue lustrationem lege præscriptam, non expiauit. ita Abulens.

Theodotion & Aquila vertunt, *anima quæ se inquinarit verbo impuro*, id est re impura vel immunda, *rea est*. *Verbum* enim sæpè pro re sumitur metonymicè.

Tropolog. Procop. qui alium quàm Dei sectatur sermonem (hic enim solus purus est, cæteri sunt impuri) reus est & deliquit.

VERS.3. ET SI TETIGERIT QVIDQVAM DE IMMVNDITIA HOMINIS, IVXTA OMNEM IMPVRITATEM QVA POLLVI SOLET (id est, de omnibus illis in quibus homines ex lege Mosis pollui solent, sicut v.5. legaliter polluebatur is, qui tangebat morticinum) SVBIACEBIT DELICTO] Hebr. *deliquit*, ideoque pœnæ, vti & culpæ, rea est & subiecta, ac consequenter tenebitur ad sacrificium vers.6. præscriptum, vt se expiet.

VERS.4. ANIMA QVÆ IVRAVERIT, &c. VT VEL MALE QVID FACERET] *Malè facere* Hebr. est affligere. Vnde ipsi per *malè facere* hìc intelligunt ieiunare. Ita & S.Gregor. Caietan. Vatablus & alij; ieiunium enim est carnis afflictio. Verùm quia *malè facere* hìc opponitur benefacere; hinc meliùs hæc non ad ipsum iurantem, sed ad tertium referas. q.d. Homo qui iurauerit aliquem affligere, intellige iustè, vt cùm parentes iurant se castigaturos filios; loquitur enim Deus hìc de malo pœnæ, non culpæ. nam malum culpæ non est materia iuramenti, quod tamen hìc requiritur, vt patet ex Hebræo, qui sic habet, *ad omne quod loquetur homo in iuramento*, vel *effutierit*. בָּטָא *bata* enim effutire, vel temerè & inconsideratè proloqui significat.

OBLITAQVE (ita vt non impleuerit iuramentum) POSTEA INTELLEXERIT DELICTVM SVVM] iuramenti sui obliti & neglecti. Hebr. est, cùm cognouerit quòd deliquerit in aliquo horum. Vnde patet, sacrificium quod sequitur, ad omnes præcedentes casus referendum esse, idque docet S.August.q.1.

VERS.5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO] vt scilicet illud agnoscat, de eo doleat & conteratur: alioquin enim sacrificium quod offert parum ei proderit, sed vt ei prosit, ex contritione procedat necesse est. Vnde idem intellige in omnibus alijs sacrificijs, etiamsi non exprimatur. Hebræus & Chald. habent, *confiteatur peccatum in quo peccauit*. Vnde Hebræi tradunt, specialem hìc requisitam fuisse peccati confessionem; istam videlicet, vt offerens manus suas habens inter victimæ cornua diceret: *Obsecro Domine, peccaui, iniquè egi, præuaricatus sum, sic & sic feci, ecce pœnitet me, & pudet me operum meorum, numquam reuertar ad rem istam.* Traduntq; nihil profuisse sacrificia, nec expiasse peccata, nisi תְּשׁוּבָה וִידּוּי *tescuba veiddui*, id est pœnitentia & confessio hæc accessissent, iuxta id quod præcipitur Numer.5.vers.7. *Confitebuntur peccatum suum quod fecerunt.* Hebræi etiamnum hanc specialem peccatorum confessionem faciunt in die expiationis, & loco satisfactionis sibi plagas infligunt, vti ex ipsismet audiui. Vide ergo quàm particularis fuerit Iudæorum confes-

Ritus confessionis particularis Iudæorum.

sio, quam hæretici apud Christianos generalem esse volunt.

OFFERAT DE GREGIBVS AGNAM SIVE CAPRAM, &c. SIN AVTEM NON POTVERIT OFFERRE PECVS (pecudem, hebr. est, *si manus eius non potuerit tangere sufficientiam ouis*, id est, si tam pauper sit vt non suppetat ouis) OFFERAT DVOS TVRTVRES, VEL DVOS PVLLOS COLVMBARVM DOMINO, VNVM PRO PECCATO, ET ALTERVM IN HOLOCAVSTVM. VERS.6. & 7.

Nota. Priùs debebat offerri turtur vnus pro peccato; deinde alter in holocaustum, quia non est speciosa laus Dei in ore peccatoris. Carnes turturis immolati pro peccato, cedebant totæ sacerdoti, nihil Deo, vti fiebat in alijs sacrificijs pro peccato, vt patet Leuitici 6.v.26. ita Abulens.

Tropolog. S.Gregor. Isychius & Radulphus per ouem, turturem, columbam varios pœnitentiæ modos accipiunt. *Si pecus*, inquiunt, *offerre, id est pœnitere in carnis afflictione nequeas, da turturem, id est contritionem & gemitum, quòd non possis digna satisfactione peccatum abluere: da duos pullos columbarum, id est consecra mentem tuam contemplationi, & cælesti conuersationi, ac plenissimè te Deo trade: retorque caput vt collo hæreat; quia qui vitam in delicijs egit, si morte vicina & ætate fessa vanitatem studiorum suorum intelligit, si iam scit plangere quòd vitam perdidit, caput à corpore secernat, mentis scilicet intentionem à procurandis carnis voluptatibus auertat: nec tamen caput ipsum penitus abrumpendum est; quia cura quæ carnis desiderijs negatur, sustentandis necessitatibus debetur*, inquit Raduloh.

Tropol. de varijs pœnitentiæ modis.

Paulò aliter hæc accommodat S.Gregor.l.32. Moral.2. *Iuramentum, ait, proferre, est nos voto diuinæ seruitutis alligare; & cùm bona opera promittimus, nos benè facere spondemus: cùm verò abstinentiam cruciatumq́, carnis nostræ vouemus, malè ad præsens nos nobis facere iuramus; sed quia nullus quamlibet deuotus est, qui inter ipsa pia vota non peccet, pro peccato agnam, id est actiua vita innocentiam, offerat, aut capram quæ in rupibus pascitur, id est ad pastum contemplationis se accingat. Si hæc non possit, det duos turtures, vel duos pullos columbarum, id est duplicem pœnitentiæ gemitum, quia scilicet & recta non fecit, & praua operatus est.*

Alia S. Gregorij.

QVOD SI NON QVIVERIT MANVS EIVS OFFERRE TVRTVRES, &c. OFFERET PRO PECCATO SVO SIMILÆ PARTEM EPHI DECIMAM] Decima ephi est gomor, quæ erat mensura quotidiani victus & manna, vt dixi Exodi 16.v.vlt. Hæc omnia ad omnes præcedentes hoc capite casus pertinent, vti superiùs dixi. VERS. 11.

Allegor. Christus est decima ephi, seu trium modiorum: quia Christus habet in se SS.Trinitatis plenitudinem, sed vt decima, quia humanitas multò minor & inferior est deitate. Rursum vt decima; quia Christus perfectissimè decalogum adimpleuit, inquit Isychius.

Christus est decima ephi, cur?

Tropologicè, Radulph. per decimam ephi accipit integram peccatorum confessionem: denarius enim est numerus plenus & perfectus.

NON MITTET IN EAM OLEVM] quod de more ex lege Leuit.2.v.1. in mincha, id est sacrificium similæ, immitti solet. Vetatur ergo hìc oleum in sacrificio pro peccato: cuius sanctionis, vti & aliorum cærimonialium causa prima fuit, voluntas & electio Dei. Secunda causa mystica fuit, vt scilicet significaretur peccatorem expertem esse lætitiæ &

Hostia pro peccato caret oleo, id est luce & lætitia.

lucis: oleum enim lætitiæ & lucis est symbolum. ita Theod. Procop. & Cyrill. lib. 15. de Adoratione in spiritu. nam, vt ait Cyprian. serm. 5. de lapsis: *hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.* Et S. Martialis epist. ad Burdegal. *Peccata*, ait, *sunt spinæ, quæ per multas amaritudines, inuidias & dolositates, non finunt gaudium & oleum Spiritus S. in vobis dominari.* Aliter Isychius & Radulph. *Peccator*, inquit, *non debet se mulcere oleo*, id est non debet præsumere de peccati venia & indulgentia, sed anxiari & timere ne fortè eam non assequatur.

NEC THVRIS ALIQVID IMPONET, QVIA PRO PECCATO EST] Thus hîc vetatur in victimis pro peccato, vt per hoc designetur peccatum non benè vt thus, sed pessimè olere, & esse abominabile coram Deo. ita S. Cyrillus lib. 15. de Adoratione, Procop. & Theodor. Secundò, deest hîc thus, id est oratio: quia, vt inquit Radulph. *peccator libera fronte veniam petere non debet, cùm dignam non exhibeat satisfactionem: petat, quasi non petendo: speret, sed quasi desperando, dum & se indignum veniæ confitetur, & tamen sola Dei misericordia fieri posse credit, vt saluetur. Vnde Ecclesia orare Deum nos docet, vt dimittat quæ conscientia metuit, & adijciat quæ oratio non præsumit.* Et Isychius, Thus, ait, *hîc non apponitur; quia nescit peccator vtrùm boni odoris sit eius oratio, quam frequenter præuaricatus est.* Vnde Ioël c. 2. *Conuertimini*, inquit, *ad Dominum, quia benignus est. quis scit si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?*

caret & thure, id est bono odore.

Vers. 12. IN MONVMENTVM EIVS QVI OBTVLERIT] vt scilicet Deus recordetur offerentis. Vide dicta cap. 2. v. 2.

Vers. 13. ROGANS ET EXPIANS] rogans vt remittatur ei. patet ex Hebræo.

RELIQVAM VERO PARTEM (ex simila oblata pro peccato) IPSE (sacerdos offerens) HABEBIT IN MVNERE] Hebr. *Sicut munus*, quo scilicet eum vult remunerari Deus, pro labore & ministerio tabernaculi. *mincha* enim hebr. subinde quamuis oblationem, & quoduis donum significat. Septuag. vertunt, *reliquum erit sacerdoti; sicut sacrificium similæ*, quod scilicet ex lege ei cedere debet, de quo c. 6. v. 16.

Vers. 15. ANIMA SI PRÆVARICANS CÆREMONIAS PER ERROREM] Nam si scienter eas præuaricata esset, non expiabatur per sacrificium arietis quod hîc præscribitur, sed morte puniebatur, vt patet Numer. 15. 3. Vnde v. 18. hîc dicitur: *Orabit pro eo, quia nesciens fecit.* Pari modo Gentilium hæc erat sanctio: *Sacrum, sacróve commendatum qui clepserit rapseritúe, parricida esto*, vti refert Cicero lib. 2. de Legibus.

IN HIS QVÆ DOMINO SVNT SANCTIFICATA] v. g. si laicus comedat de carnibus Deo immolatis, vt dicitur c. 22. v. 14.

OFFERET PRO DELICTO SVO ARIETEM, QVI EMI POTEST DVOBVS SICLIS] Hebr. *iuxta æstimationem*, vel *pretium argenti siclorum*. putà minimum duorum. ita Vatabl. Adde, verisimile esse, in Hebræo non legendum esse in plurali שְׁקָלִים *scekalim*, id est siclorum, sed in duali שִׁקְלַיִם *scekalaim*, id est duorum siclorum. Siclus continebat 4. regales Hispanicos: duo ergo sicli argentei faciebant 8. regales Hispanicos, id est duos florenos Brabanticos. Radulphus asserit Septuag. vertisse arietem pretij 50. siclorum, idque ad mysterium inquit, vt scilicet significaretur confessionem fidei quam siclus significat, qua aries, id est Christus, acquiritur, per quinquagesimam, id est Spir. sanctum in pentecoste effusum, hominibus dari. Verùm Græca, Regia & Romana carent iam omni numero; & certum est τὸ 50. irrepsisse. nil enim tale habent Hebræa, Chald. & Latina: & constat 50. siclis non arietem, sed bouem tunc emi solitum. Aries enim duobus siclis emi poterat, vti dicitur hoc vers.

IVXTA PONDVS SANCTVARII] id est iusti ponderis, vt siclo qui in sanctuario asseruatur, tamquam iustissimi ponderis, æquiponderet, vti dixi Exodi 30. 14 & patet Leuit. vlt. v. 25. vbi dicitur: *Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur.*

IPSVMQVE QVOD INTVLIT DAMNI RESTITVET, ET QVINTAM PARTEM PONET SVPRA] vt scilicet hæc quinta pars superaddita, sit in compensationem iniuriæ, quam præter damnum irrogauit Domino, eiusque sacris. Hinc patet, si quis per errorem vsurpasset res sanctificatas & oblatas Deo, putà carnem vel adipem, qui soli Deo in victima cedebat, hic debebat Primò, offerre arietem in sacrificium: Secundò, restituere rem vsurpatam, & insuper quintam, vt, v. g. si quinque vsurpasset, restitueret sex; Deus enim hic priuatæ personæ vicem subit: hæc enim sanctificata Deo specialiter, quasi priuatæ personæ erant propria, erantque quasi peculium Dei. Vnde restitutio eorumdem eidem erat debita. Hæc ergo præscribitur hîc, addita insuper mulctæ loco quinta parte. Vers. 16.

Restitutionem hîc exigit Deus.

Nota Hæc restitutio facienda erat in pecunia, quæ cedebat sacerdotibus (hi enim Dei vices in terra gerunt.) idque insinuatur hîc: nam alioqui ij qui holocausti partem per errorem comedissent, debuissent integrum animal restituere, quod Deo offerretur in holocaustum; nec enim pars animalis offerri poterat in holocaustum, sed totum animal: ergo ne totum animal restituere cogerentur, partis vsurpatæ pretium persoluebant sacerdoti. ita Abulens. Græcè pro *quintam partem*, est ἐπίπεμπτον, *quod nos*, inquit Origen. *possumus dicere Superquintas, nisi diceretur istud specialis cuiusdam numeri apud illos esse vocabulum, quo indicaretur pro quinque alios quinque dandos, & vnum super: vt, verbi gratia, intelligatur, qui furatus sit vel vsurparit in necessitate quinque numos de sanctis, ipsos quinque restituere & insuper alios quinque, vno etiam superaddito.* Verùm meliùs τὸ ἐπίπεμπτον exponas iuxta Hebr. Chald. & Latina, quæ habent, *quintam partem*; loquitur enim Moses de pœna non furti, de quo Exodi 22. v. 1. sed abusus sanctificatorum.

ANIMA SI PECCAVERIT PER IGNORANTIAM, FECERITQVE VNVM EX HIS QVÆ DOMINI LEGE PROHIBENTVR] omittendo in sacris cæremoniam aliquam nulli damnosam: de hoc enim casu hîc agi, patet ex eo quod subditur, *Deliquit in Dominum*; & ex eo, quòd peccans iuxta mensuram peccati iubetur arietem maioris, vel minoris pretij offerre. ita Caietan. Hæc ergo lex distinguitur à præced. vers. 15. quòd illa agat de sanctificatis siue oblatis Deo; hæc agat de ipsis sacris & cæremonijs. Distinguitur etiam ab illa cap. 4. vers. 27. quia illa generalis est, agitque de quibuslibet peccatis contra præcepta Dei commissis: hæc verò specialis est. Vers. 17.

IVXTA MENSVRAM ÆSTIMATIONEMQVE PECCATI] Vers. 18.

CATI] q.d. Pro maiori peccato meliorem & pretiosiorem offeret arietem; pro minori verò minorem & vilioris pretij. Aliter Abulens. q.d. Tantus erit valor istius arietis qui offertur, quanta fuit æstimatio, vel mensura posita in ariete pro peccato, id est duorum siclorum. Sed non aduertit Abulens. vbi pretium duorum siclorum constituitur, non addi, *Iuxta mensuram æstimationemq́, peccati*: quia iam per legem certum pretium definiebatur: hic verò, vbi dicit, *Iuxta mensuram æstimationemq́, peccati*, non constitui, nec definiri pretium duorum siclorum, sed illud arbitrio & æstimatio- A tioni sacerdotis relinqui, vt ipse pro maiori peccato maioris pretij arietem, pro minori minoris pretij iniungat. ita Ribera. Vnde hebraicè est, *iuxta æstimationem tuam*, scilicet ô Moses, & consequenter tuam ô Aaron & sacerdos; hæc enim sacra spectant ad Mosen, quatenus ipse erat princeps sacrorum & sacerdos. Vnde in ijs Aaron & sacerdotes ei successerunt.

. ORABIT PRO EO QVIA NESCIENS FECERIT] q.d. Orabit pro eo, dicens: Parce Domine huic, qui deliquit in adhibendis cæremonijs à te præscriptis, quia nesciens id fecit.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur hostia pro peccato iniuria in proximum. Deinde quid ex singulis hostijs cremandum sit, quid comedendum, vnde v.9. describitur in hac re lex & ritus holocausti, & ignis perpetui: v.14. ritus mincha: v.20. ritus hostia in consecratione sacerdotum: v.25. ritus hostia pro peccato.

1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Anima quæ peccauerit, & contempto Domino, negauerit proximo suo depositum quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, 3. siue rem perditam inuenerit, & inficians insuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, 4. conuicta delicti, reddet 5. omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem domino cui damnum intulerat.
6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti, iuxta æstimationem mensuramque delicti: 7. qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccauit. 8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 9. Præcipe Aaron & filijs eius: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte vsque manè: ignis ex eodem altari erit. 10 vestietur tunica sacerdos & feminalibus lineis: tolletq; cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens iuxta altare, 11. spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque alijs, efferet eos extra castra, & in loco mundissimo vsque ad fauillam consumi faciet. 12. Ignis autem in altari s mper ardebit, quem nutriet sacerdos subijciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. 13. Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari. 14. Hæc est lex sacrificij & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino, & coram altari. 15. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suauissimi Domino: 16. reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filijs suis, absque fermento: & comedet in loco sancto atrij tabernaculi. 17. Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.
18. Mares tantùm stirpis Aaron comedent illud Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificijs Domini. omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur.
19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 20. Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium eius manè, & medium eius vespere: 21. quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suauissimum Domino 22. sacerdos, qui iure patri successerit: & tota cremabitur in altari. 23. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. 24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 25. Loquere Aaron & filijs eius: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. 26. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. 27. Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto.
28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. quòd si vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua. 29. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia sanctum sanctorum est. 30. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

Vers.1. ANIMA QVAE PECCAVERIT, ET CONTEMPTO DOMINO NEGAVERIT PROXIMO SVO DEPOSITVM] Et, significat, *id est*, vt & v.14. & c.5.1. & Matth.13.41. vbi dicitur: *Colligent de regno eius omnia scandala, & (id est) eos qui faciunt iniquitatem.* Et Coloss.2.8. *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam.* q.d. Non damno veram philosophiam, quae nil falsum docet, sed eam quae sit captiosa & inanis fallacia, damno erroneam, damnò errores philosophorum aduersantium veritati.

Nota *τὸ contempto Domino*, q.d. Qui falsò negat depositum occultum & secretum, hic peccat in Dominum, qui solus vidit illud deponi, eò quòd res ageretur sine testibus. Contemnit enim Domini praesentiam, omniscientiam, iudicium & vindictam. Non ergo agitur hic de eo, qui formaliter contemnit Dominum, dicendo per superbiam, Nolo obedire Deo; talis enim occidendus erat, iuxta legem Numer.15.30. Vide Abulens. ibidem quaest.43.

AVT CALVMNIAM FECERIT] putà per calumniam & fraudem aliquem laeserit (ita Septuag.) damnum videlicet dando, & bona alterius fraude occupando. Vnde Aquila, Symmachus & Theodotion, teste Isychio, vertunt, *si calumniatus est aliquid.*

Vers.3. ET QVODLIBET ALIVD] Hebr. additur *ex illis*, scilicet quibus solet fieri fraus, aut damnum aliud irrogari proximo, vti fit in omnibus casibus hîc enumeratis.

Caluinus vult hic elidi opera satisfactoria. Caluinus vult hoc sacrificium, de quo hîc loquitur Scriptura, per synecdochen etiam ad alia peccata sponte & scienter admissa extendi: adeoque nullam peccati cuiuspiam expiationem fuisse apud Iudaeos nisi per sacrificium, idque ad hoc, vt ea ratione opera satisfactionis elidat & eneruet. *Vnde*, ait ipse, *refellitur diabolicum figmentum de satisfactionibus, quibus se à Dei iudicio redimi imaginantur Papistae. In hunc finem fabricantur opera supererogationis, quae meritoria sint ad poenam redimendam: inde & Purgatorium emersit.*

Refellitur. Verùm id falsum esse apertè conuincitur (vt alia taceam) ex hac clausula, quae pro similibus iniurijs & damnis proximo illatis tantùm, hoc sacrificium praecipi apertè docet. Vnde pro idololatria voluntaria, diuinatione, schismate, caede parentum, &c. nulla particulatim erant indicta sacrificia: similiter pro peccatis internis nullae hîc statuuntur victimae, sed tantùm pro externis; certum tamen est omnia haec actu contritionis potuisse expiari, ad quem omnes prophetae peccatores adhortantur, eis veniam promittentes. Porro haec nihil faciunt ad satisfactionem, quae pro poena tantùm temporali redimenda valet; imò hinc argumentum pro satisfactione retorqueo: Sacramenta illa vetera non valebant ad expiationem culpae per se, sed tantum poenae temporalis, vt ostendi c.1.v.4. ergo valebant per modum satisfactionis. Satisfactionem enim Catholici Doctores vocant, redemptionem poenae temporalis, quae manet remissa culpa. vide Bellarminum, & Suarez in illa materia.

Pro idololatria, parricidio, &c. nulla praescribitur victima.

Vers.4. CONVICTA DELICTI] Hebr. est *cùm deliquerit*, sic & Septuag. sed *delinquere* accipiunt ipsi abusiuè, pro eo quod est *delictum suum agnoscere*. ita Vatabl. ita & Chald. exponit c.5.v.vltimo. Pari abusione *delinquere* significat delictum expiare, & *de-*

A *lictum* ipsum passim hîc vocatur ipsa hostia delicti expiatrix: sic *mundare* significat mundum declarare, c.13.v.14.25.27. Pari modo intellige quod vertit Noster, *conuicta delicti*; scilicet non à testibus, sed à seipsa & sua conscientia, qua pungente sacerdoti delictum istud confitetur. Id clariùs exprimitur Numer.5.v.7. vbi idem hic casus repetitur; nam de occulto peccato hîc agi, patet ex eo, quòd de publico peccato iam egerit, legesque sanxerit Moses toto cap.22. Exodi, ac nominatim v.8. vbi fraudator conuictus de fraude, iubetur soluere non simplum, vti hîc dicitur, sed duplum. Idem patet ex Iosepho, qui cùm esset sacerdos, optimè haec scire potuit. Ipsius haec sunt verba lib.3. Antiq.c.10. *Qui sciens peccauit nemine conscio, arietem offert lege ita iubente*: ergo is qui sciens peccat, licet occultè, iubetur hîc adire sacerdotem, &
B peccatum illi detegere, vt pro eius arbitrio aries deligatur, & ipse pro peccatore oret. Sic & Philo: *Si quis, inquit, mentitus fuerit de societate, aut deposito, aut rapina, aut inuentione rei perditae: deinde ad vitandam suspicionem iurare non recusarit; & tandem arguente se intus conscientia, periurium suum abnegationemque ipse damnans, confessus fuerit, ac veniam petierit, merebitur delicti obliuionem.*

Vnde videas hîc rursum confessionis sacerdotalis legis nouae typum & figuram, vti & satisfactionis, in eo quod subditur: *Iuxta mensuram aestimationemque delicti*, vt scilicet si delictum esset graue, daret offerens arietem meliorem; sin esset leue, daret viliorem & minoris pretij, pro sacerdotis, cui confitebatur delictum, iudicio & arbitrio, vt ait Iosephus: nam verba illa non patiuntur alium sensum nisi torqueantur. vide dicta c.5.v.18. Erat er-
C go sacerdos hîc quasi iudex, peccator erat reus & sui accusator, aderat eius satisfactio, aderat & oratio sacerdotis, quae erat vice absolutionis.

Typus confessionis & absolutionis.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur, ait Sapiens Prouerb.28. S.August. in illud psalm.31.5. *Delictum meum cognitum tibi feci: Non operui, ait, sed aperui, vt operires: non celaui, vt tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit; cùm homo celat, Deus nudat; cùm homo agnoscit, Deus ignoscit. Gehennam*, inquit Tertullian. libr. de Poenitent. *exomologesis extinguit.* Et infrà: *Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, praeteribit illam, quae Babylonium regem in regna restituit? Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras.* Audi quid de S. Ambrosio confes-
D siones suorum priuatim audiente scribat Paulinus in eius Vita: *Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret: videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* S.Pacianus in Paraenesi ad poenitent. *Vos fratres*, ait, *appello, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri. Rogo vos per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudenter aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam perusturos.*

Morale de confessionis necessitate & fructu.

S.Chrysost. hom.33. in Ioan. *Vos, ait, hortor, dilectissimi, vt, etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda vniuerso orbi ea manifestè patere.*

Ioan-

Ioannes Climachus gradu 4. *Ante omnia*, ait, *culpas nostras præclaro iudici nostro soli confiteamur; omnibusq́, si ille iusserit, confiteri simus parati.* additq́ue, sine confessione quæ fit homini, nullum posse consequi remissionem.

Vis fructum confessionis & exempla? Astion Martyr, vt habet eius Vita, per confessionem curatus fuit à turpi cogitatione, & diabolus ab eo in specie pueri nigri cum ignea facula recessit, dicens: *Confessio tua, ô Astion, magnas meas vires contriuit, & inermem me reddidit.*

S. Macarius Theopemptum verecundantem confiteri sua peccata, ei confitendo, ad confessionem impulit, atque à blasphemiæ tentatione, & diabolo liberauit. Idem fecit S. P. Ignatius. Nam Parisijs confitendo peccata iuuentutis suæ cuidam sacerdoti impuro, magna contritione, multisq́ue lacrymis, eum pariter ad lacrymas & confessionem impulit.

Serapion apud Cassianum collat. 2. c. 11. solitus furari paximatium ad explendam gulam, publicè hoc ipsum confessus, omni tentatione gulæ & furti in perpetuum liberatus est. Dæmon enim specie lampadis de sinu eius egredi visus, miro fœtore totam cellam repleuit. *Nihil ergo*, inquit Cassian. *sic noxium est monachis, & lætificat dæmones, quàm si patres spirituales celent suas cogitationes.*

Alius tentatus fornicatione per 14. annos, cùm assidua abstinentia eam superare non posset, publicè tandem confitendo eam, superauit. *Confessio*, ait S. Isidorus lib. 2. c. 12. *sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat. Nulla tam grauis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam.* Quin & Hugo libr. de Claustro animæ, audet dicere: *Si veniret dæmon ad capitulum confessionis* (si videlicet seriò pœnitere, conteri & confiteri posset) *impetraret indulgentiam remissionis. Satan expulsus est à capitulo cæli, Adam à capitulo paradisi, Iudas à capitulo Christi. In primo fuit culpa superbiæ, in secundo inobedientia, in tertio auaritiæ,* quam nemo eorum agnoscere & confiteri voluit.

Exempla Gentilium. Audi & Gentiles. Seneca libro de Moribus: *Vbi, ait, est confessio, ibi est remissio.* Pythagoras dicebat peccata non esse verbis tegenda, sed detegenda, vt reprehensionibus curentur. Aristoteles dicebat, non multùm ab impeccabili distare eum, qui peccatum, vt decet, confiteretur. Testis est Maximus serm. de confess.

Attila rogatus à S. Lupo Trecensi Episcopo, quis esset, qui tot regibus deuictis cuncta sibi subderet, confessus est, dixitq́ue: *Ego sum Attila Hunnorum rex, Dei flagellum.*

Creüsa apud Euripidem in Ione, vt flagellantis conscientiæ stimulos confessione leniret, detexit occultum suum stuprum.

VERS. 4. & 5. REDDET OMNIA QVAE PER FRAVDEM VOLVIT OBTINERE] *Obtinere*, id est retinere. si enim tantùm voluit & concupiuit rem alienam, nec obtinuit, non tenetur ad restitutionem: pro actu enim interno nulla est restitutio facienda, aut vnquam fuit; sed tantùm pro re aliena sublata, vel damno alteri reipsa illato. patet ex Hebr. Imperatur hîc alieni restitutio, ne quis putet se posse solo sacrificio placare Deum, eoque facto alienum retinere, seque ex præda locupletare: qui fuit error Græcorum aliquorum, teste Guidone Carmelita.

VERS. 5. ET QVINTAM INSVPER PARTEM] Hanc addere A iubetur peccans, tum pro iniuria, tum pro damno, quod ex absentia rei suæ interim passus est dominus.

PRO PECCATO AVTEM SVO OFFERET ARIETEM] Nota. Moses in peccatis per ignorantiam admissis, plebeio iussit offerre capram, hic verò eidem in peccatis scienter admissis, iubet offerre arietem, qui melior & pretiosior est capra; sicut peccatum ex scientia admissum maius est peccato ex ignorantia facto. Non meminit autem Moses hîc pontificis, aut principis, aut populi totius; quia præsupponit hos ex scientia non peccaturos. Sic Solon rogatus, cur non constituisset pœnam parricidio: respondit se id neminem facturum putasse, ne non tam prohibere quàm admonere videretur. Si tamen pontificem, principem, aut totum B populum ex scientia peccare contigisset, voluit Deus eos infimorum quoque hominum pœnis affici, & eadem atque illos offerre sacrificia, vt pares essent pœna ijs, quibus virtute non erant superiores. ita Ribera lib. 4. de Templo cap. 6. VERS. 6.

HAEC EST LEX HOLOCAVSTI] iugis scilicet: iussit enim Deus quotidie sibi duos agnos iugiter offerri in holocaustum, vnum manè, alterum vespere, vt patet Num. 28. 3. Vnde vnum dictum est matutinum, quia manè primo loco ante omnia sacrificia alia offerebatur; aliud vespertinum, quia vespere & vltimo loco offerebatur; illud pro diurnis, hoc pro nocturnis Dei beneficijs, ait Philo. Vide dicta Exodi 29. 38. VERS. 9.

Nota. Sicut cap. 1. 2. 3. 4. descripsit Moses ritum immolandi, Primò, holocaustum; Secundò, mincha; Tertiò, hostiam pacificam; Quartò, hostiam pro peccato: ita hoc cap. describit quid de C victima qualibet sit faciendum, scilicet quid cremandum sit, quid comedendum. hoc ergo versu id describit in holocausto; v. 14. verò id describit in mincha; v. 25. in hostia pro peccato; cap. seq. v. 11. in hostia pacifica.

Tropolog. Isychius, Sacerdos, inquit, & qui perfectè sapere vult, iuge & continuum debet esse perfectionis holocaustum, vt à perfecta sapientia incipiens in mane ætatis & iuuentutis, in eadem vesperam senectutis & vitæ suæ finiat. *Sacerdos debet esse iuge holocaustum.*

CREMABITVR IN ALTARI TOTA NOCTE VSQVE MANE] *Cremabitur*, scilicet vespertinum iuge holocaustum, ideoque necesse erat holocausti huius partes successiuè imponi altari, vt sacrificium duraret à vespera vsque manè. Hebraicè enim est, *hoc holocaustum erit ad adustionem*, vel *in adustione super altare tota nocte.* Quare necesse erat D sacerdotem in tabernaculo vigilare tota nocte, qui hasce holocausti partes vicissim poneret, & disponeret in altari, vt sic sensim tota nocte cremaretur: idq́ue ad hoc, vt hac ratione iugiter hisce sacrificijs, tam die quàm nocte tota coleretur & honoraretur Deus, indeq́ue vocatum est iuge sacrificium. Cæteris ergo dormientibus inuigilare sacris debebat sacerdos, vti iam Religiosi in canendis Matutinis, Deiq́ue laudibus peruigilant. Secùs erat in matutino holocausto: hoc enim sequebatur legem communem, ideoq́ue sicut alia holocausta, totum simul cremabatur; post illud enim alia holocausta & sacrificia erant offerenda & cremanda. ita Abulens. & alij. Quin & nonnulli quod hîc dicitur de iugi sacrificio vespertino, à pari vel simili intelligunt de matutino, vt similiter tota die lento igne cremetur vsque ad tem- *Sacerdos tota nocte vigilabat ad cremandum lentè holocaustū.*

Altare semper fumabat victimis. pus sacrificij vespertini, nisi scilicet alia holocausta iugi matutino succederent: tunc enim illa lento igne cremata, totum diem vsque ad tempus sacrificij vespertini occupabant. Idque congruum videtur, nimirum vt tota die & nocte altare fumaret, & sacrificium euaporaret, quo scilicet perenni eius crematione & suffitu coleretur summa Dei maiestas, semper à nobis adoranda, perpetuisque victimis honoranda. Quod si verum est, duplici titulo hoc sacrificium erat iuge. Primò, quia iugiter, id est per totam diem & noctem in altari ardebat, vel in se, vel in victimis sibi succedentibus iuxta modum iam explicatum. ita Lyran. Dionys. Caietan. & noster Lorinus, ac insinuant Septuag. qui iuge sacrificium Exodi 29.38. vocant κάρπωμα ἐνδελεχισμοῦ, id est oblationem assiduitatis siue continuationis, quæ assiduè & continuè Deo adoleretur. Rursum licet per holocaustum propriè hîc intelligatur iuge, vti docet Hesychius, Abulens. & Hugo Victor. tamen Radulphus lib. 4. c. 1. quodlibet accipit, vultque sanciri hic, vt cuiuslibet holocausti qualibet hora, etiam matutina oblati incensique caro, tota sequenti nocte super altare relinquatur, vt sensim euaporans in fumum & cinerem abeat. Nimirum hoc ritu monebat Deus fideles, vt mysticis charitatis, orationis, aliarumque virtutum victimis, iugiter illi succedentibus Deum colerent, nec vllum tempus, imò nec vllum momentum hac victima Deique cultu vacuum esse debere. Vnde S. Bernard. *Omne tempus,* inquit, *quo de Deo non cogitas* (cum amando, laudando, inuocando) *te perdidisse existima*: ac S. Dominicus, & ex eo S. Thomas Aquinas, *Religiosus,* inquit, *semper cum Deo aut de Deo loquatur.*

Tropologicè, *Vir perfectus tota nocte huius sæculi & præsentis vitæ, ignis sui, id est charitatis & feruoris sui, flammam illustrem seruare debet; vt vero mane* (æternæ gloriæ) *illucescente, sub Dei præsentia in æternum fulgeat,* inquit Radulphus.

VERS. 10. IGNIS, quo scilicet comburetur iuge holocaustum iam dictum, IN (ita legendum non *ex*, vti legunt Biblia Plantini) EODEM ALTARI ERIT] q.d. Ignis hic erit ipsius altaris, non alienus, non aliunde illatus. Vnde hebr. est, *ignis altaris ardebit* vel *accendetur in eo,* scilicet altari; q.d. Aliunde non inferetur ignis in altare, sed in ipso iugiter erit ardens. Hoc Gentiles imitati sunt impulsu dæmonis, qui est simia Dei & diuini cultus. nam in sacrificijs religioso igne ex certa materia vtebantur. Vnde in ijs ignem ex olea, lauro, vel crassioris corticis quercu, aut cuius caudex cauus fungosusque foret, accendere, vel adolere nefas erat. hæc enim ligna habebant vt ominosa & detestata. Porro hunc ignem victimarum subdita face accendebant, & eum partim ex fumo quos globos volueret, quantumue se attolleret: partim ex flamma, si lucidior, aut obtusior, & qua specie foret, ij qui Capnomantes dicebantur, obseruabant, indeque diuinabant, teste Giraldo syntag. 17. Hinc rursum apud Persas & Romanos sacer ignis iugiter ardebat, cuius cura demandata fuit virginibus Vestalibus. de hoc igne plura c. 9. v. 23. & 24.

Tropol. ignis est charitas. Tropologicè, altare est cor, fidelis Christianus est sacerdos, ignis lucens & ardens, inquit Origen. homil. 4. est lucerna fidei & charitatis, de qua dicitur Lucæ 12.35. *Lucernæ ardentes* (sint) *in manibus vestris.* Hic ignis, inquit S. Gregor. 25. Moral. 7. lignis, id est exemplis Patrum, & præceptis Dominicis, quotidie fouendus & excitandus est, idque *manè*, id est matutina oratione & meditatione (quod quàm vtile sit, vtinam intelligant & reipsa in praxi experiantur omnes, præsertim Ecclesiastici) estque in cordibus electorum inextinguibilis. nam etiam post hanc vitam feruor charitatis eorum mentibus accrescet. quisque huic semet quotidie holocaustum imponit; quia omne vitium quod in se malè viuit, exurit: imponit & adipes pacificorum; quia interna nouæ charitatis impinguatio, pacem inter nos & Deum faciens, odorem de nobis suauissimum reddit. ita & Rupert.

SPOLIABITVR PRIORIBVS VESTIMENTIS] Quia licet ablatio cinerum ex altari, esset functio sacra in loco sacro, tamen elatio eorumdem extra castra non erat sacra. Vnde eos efferens sacerdos, vestes sacras quas sacrificans induerat, exuebat, easque relinquebat in loco sancto siue tabernaculo, & induebat vestes suas vulgares. VERS. 11.

ET IN LOCO MVNDISSIMO VSQVE AD FAVILLAM CONSVMI FACIET] non cineres, sed cineribus mistas partes lignorum, necdum omnino in cinerem resolutas, & si quæ partes adipis, carnium, vel ossium, igne non omnino consumptæ remanserint; quæ omnia sub cineribus comprehendit hic Moses: hæc enim extra castra iterum comburenda erant, vt nil nisi cineres superesset; in cineres enim meros redigendum erat holocaustum. *In cineres redigenda erat victima holocausti.*

Hæc minima etiam à sacris hominibus fieri vult lex, vt ostendat nil eorum quæ ad Dei cultum pertinent, exiguum æstimari debere, inquit S. Cyrill. lib. 12. de Adoratione.

ET IMPOSITO HOLOCAVSTO DESVPER ADOLEBIT ADIPES PACIFICORVM] putà adipes cum renibus, quæ ex hostia pacifica iussit Deus sibi offerri & cremari, cap 3. vers. 3. Sensus ergo est: manè compone struem lignorum in altari, & impone illi omnes carnes holocausti, & si quæ præterea sint hostiæ pacificæ offerendæ, accipe ex ijs adipes earum, eosque pone super iuge holocaustum, vt simul cum eo crementur. Nolo enim seorsim solum adipem cremari. VERS. 12.

HÆC EST LEX SACRIFICII ET LIBAMENTORVM] *Sacrificij*, scilicet farrei, non carnium. hebr. enim est *mincha*, de quo c. 2. Vnde Noster se explicans subdit, *Et libamentorum. &*, hîc significat *id est*. Libamenta enim hîc vocantur non à libando, sed à libis & panibus qui ex libamentis, id est ex simila & farre conficiuntur vel confici possunt. Vnde quæ hic libamenta, versu sequ. similam vocat. VERS. 14.

RELIQVAM AVTEM PARTEM SIMILÆ COMEDET AARON CVM FILIIS SVIS] Intellige, nisi polluti essent & contaminati: hi enim arcebantur sacris tam epulis, quàm locis, vt patet cap. 22.6. VERS. 16.

Nota. Ex mincha, id est sacrificio farreo, poterant comedere soli masculi, scilicet soli sacerdotes, eorumque filij, vt patebit v. 18. Ex hostia verò pacifica pars illa quæ cedebat sacerdoti, poterat comedi ab omnibus qui de familia erant sacerdotis, etiam feminis & seruis emptitijs, non tamen mercenarijs, vt patet c. 22.11. Vnde filia sacerdotis quæ nupserat viro alterius tribus, non poterat ea vesci, nisi mortuo marito redisset ad domum & familiam patris, vt patet cap. 22.13.

Denique hæ sacræ epulæ comedi debebant *in loco sancto*, putà *in atrio tabernaculi*, vti habent hic

hîc Hebræa, Græca, Chald. & Latina Romana. A male enim legitur in Plantin. *In loco sanctuarij tabernaculi.*

VERS. 17. IDEO AVTEM NON FERMENTABITVR, QVIA PARS EIVS IN DOMINI OFFERTVR INCENSVM, q.d. Pars similæ Deo oblata fermentari non potuit, iuxta legem Leuitici 2.v.11. ergo nec decet reliquam eius partem, quæ sacerdotibus comedenda cedit, fermentari, quia hæc etiam pars est sacrificij Domino oblati, & censetur illi oblata per sui partem seu pugillum, qui Domino incensus est: ideoque SANCTVM SANCTORVM ERIT, id est, sanctissimum erit ac separatum à profanis, cedetque solis sacerdotibus: SICVT PRO PECCATO ATQVE DELICTO] q.d. Sanctissimum erit, sicut sanctissimum est sacrificium pro peccato, & pro delicto: hoc enim peccata expiat, & sanctificat offerentes. Grauis hîc est difficultas, quomodo distinguatur B delictum à peccato, quam resoluam c.7.v.1.

VERS. 18. MARES TANTVM STIRPIS AARON COMEDENT ILLVD] Putat Abulens. Mosen hîc loqui de mincha, siue sacrificio pro peccato, illud enim à solis masculis debuisse comedi. Verùm hoc arctius est; Moses enim loquitur in genere de mincha, sicut locutus est de holocausto v.9. nam de hostia pro peccato agit v.25. Rursum minchæ pro peccato non poterat imponi thus, quod tamen hîc minchæ imponi iubetur; ergo non agitur hîc de mincha pro peccato. quælibet ergo mincha, id est simila Deo oblata, habebatur admodum sancta, perinde ac sacrificium pro peccato & delicto, ideoque non poterat comedi nisi à sacerdotibus eorumque filijs masculis. ita Caietanus. Vnde mincha, vtpote puræ similæ sacrificium, purius & sanctius erat hostia pacifica: hæc enim comedi poterat etiam à feminis, & à seruis familiæ sacerdotis C vti dixi v.16.

LEGITIMVM SEMPITERNVM ERIT] quasi dicat, Hæc lex & sanctio erit sempiterna, id est tamdiu durabit quamdiu durabit lex vestra; durabit semper, siue toto tempore legis veteris, donec ei lex noua succedat.

OMNIS QVI TETIGERIT ILLA, SANCTIFICABITVR] id est sanctificari debet & mundari, ne immundus sacra contingat & fœdet. Futurum ergo hoc accipiendum est imperatiuè, non indicatiuè; alioqui enim falsam redderet sententiam, vt patet Aggæi 2.14. ita Abulensis.

VERS. 20. HAEC EST OBLATIO AARON ET FILIORVM EIVS] id est, pontificis & minorum sacerdotum. sic sæpè inferiùs Aaron appellatiuè sumitur, pro pontifice quolibet. Nam de Aaronis persona hæc D accipi non possunt, vtpote qui iam erat consecratus pontifex, antequam Leuiticus à Deo dictaretur, vt patebit c.8.v.1. ita aliqui.

Verùm nihil prohibet, Aaronem hîc simpliciter capi pro ipso Aarone, eiusque successoribus; nam valdè probabile est in eius consecratione, non tantùm victimas carnium præscriptas Exodi 29. sed etiam mincha hîc præscriptum, fuisse Deo oblatum: in omni enim victima adhibebatur mincha, vt dixi c.2.

Deinde consecratio Aaronis fuit perfectissima, & exemplar consecrationis aliorum pontificum illi succedentium: ergo hoc mincha alijs adhibitum, multo magis Aaroni adhibitum fuit.

Dico ergo, hîc esse hysterologiam, atque hanc legem latam esse ante consecrationem Aaronis, & ante Leuiticum: hoc tamen loco reponi, quia Moses hoc loco simul pertractare voluit, quid de qualibet hostia esset faciendum, an illa cremanda esset an comedenda, vt dixi c.6.v.9.

DECIMAM PARTEM EPHI OFFERENT] putà vnum gomor similæ, quod totum igne comburebatur; nam, vt dicitur v.23. *Omne sacrificium sacerdotum igne consumetur.* secùs erat in mincha laicorum: in illa enim tantùm pugillus Deo adolebatur, reliquum verò cedebat sacerdoti, vt dixit Moses v.15. & 16.

SACRIFICIO SEMPITERNO] quod semper deinceps in consecratione sacerdotum offerri debeat.

OFFERET AVTEM EAM SACERDOS QVI PATRI IVRE SVCCESSERIT] putà sacerdotis filius primogenitus, nisi is deformitate aliqua impediente munus pontificium, ab eo arceatur, de qua c.21.v.18. tunc enim eius loco succedebat secundogenitus, & eo deficiente tertiogenitus. Apud Hebræos enim pontificatus ad seniorem pontificis filium, sacerdotium ad reliquos eius filios iure hereditario deuoluebatur. VERS. 21. & 22.

TOTA CREMABITVR] Hebr. erit כָּלִיל *calil*, id est holocaustum, vt vertunt Septuag. & vt holocaustum tota cremabitur. Holocaustum ergo fieri hîc idem est, quod totum cremari; nec enim mincha propriè erat holocaustum: holocaustum enim erat victima, putà animal, mincha verò erat simila. VERS. 22.

OMNE ENIM SACRIFICIVM SACERDOTVM IGNE CONSVMETVR] *Sacrificium*, scilicet similæ, vel farreum. hebr. enim est *mincha*. nam de victimis suis pacificis potuisse sacerdotes comedere, patet Exodi 29.28. VERS. 23.

SANCTVM SANCTORVM EST] quasi dicat, Hostia pro peccato valdè sancta est: est enim peccati legalis expiatrix, ac propterea eam immolari volo eodem loco quo holocaustum, scilicet ad Septemtrionalem plagam altaris holocausti, ac comedi in loco sancto; id est in atrio tabernaculi: denique sancio sanctum esse, quicquid eam tetigerit. Hinc latinè *sanctum* à sancio venit. sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ, vndè *sanctum* dicitur quasi sanguine consecratum, & *sanctio* propriè vocatur lex quæ suo decreto terrorem pœnæ adiungit. sic sanctæ erant victimæ pro peccato; quia pro sanguine peccatoris suum sanguinem Deo offerebant. VERS. 25.

Mysticè, voluit significare Deus, hostiam pro peccato, id est contritionem & pœnitentiam (qua peccator se totum, suamque vitam & sanguinem Deo offert) sacrificium esse sanctissimum, sibique gratissimum instar holocausti. ita Isychius.

SACERDOS QVI OFFERT COMEDET EAM] Ergo hostia pro peccato pertinebat ad solum offerentem, illique soli iure cedebat, ab eoque & filijs eius masculis comedenda erat: poterat tamen offerens & alios sacerdotes, eorumque filios masculos ad eius esum aduocare, vt patet vers. 29. Et hoc est quod dicitur Osee 4. de sacerdotibus, *Peccata populi mei comedent: peccata*, id est *hostias pro peccatis oblatas.* est metonymia. ita Cyrill. Theoph. & Theod. ibi: idque vt significaretur muneris sacerdotum esse, vt precibus & oblationibus suis peccata populi deleant, & comedant, id est consumant. ita Alexander Papa epistol.2. & habetur 1. quæst.1. c. *Ipsi sacerdotes.* Anastas. Nicen. lib. Quæst. in Script. sub finem, Ruffin. in Osee 4. VERS. 26. *Peccata populi comedunt sacerdotes, quomodo?*

 Theo-

Theodor. hic q. 10. hæcque causa affertur cap. 10. A vers. 17.

Auerso & contrario sensu hæc accipiunt, & in malos sacerdotes intorquent S. Hieron. Gregor. homil. 17. in Euangel. Bernard. serm. 77. in Cantic. *Sacerdotes*, inquiunt, *praui peccata populi comedunt, quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia stipendia amittant.* Verùm hoc est præter mentem Scripturæ: sic enim Patres subinde ludunt in verbis Scripturæ, dum ea alijs etiam contrarijs rebus accommodant.

Vers. 27. QVICQVID TETIGERIT CARNES EIVS, SANCTIFICABITVR] Id est, aliquo modo sanctum habebitur, vt non possit nisi certa præmissa cæremonia ad vsum profanum rursus conuerti; vt si vestis erat, debebat lauari priùs: non tamen transfundebat suo contactu similem sibi sanctitatem in res alias quas tangebat, vt patet Aggæi 2. v. 13. quia sic processus fuisset in infinitum.

Tropol. Radulph. *Carnes*, inquit, *hostiæ pro peccato tangentem sanctificant, quia pœnitentium gemitus imitantem emundant.*

SI DE SANGVINE ILLIVS VESTIS FVERIT ASPERSA, LAVABITVR IN LOCO SANCTO] putà in atrio tabernaculi, vt sic lota ad profanos vsus redire, & à profanis hominibus indui possit. Abulensis pulchram hic dat regulam; *Si res*, inquit, *sacra, quæ contingebatur, talis erat, vt per contactum aliqua eius pars, humor, vel succus adhæreret rei tangenti, tunc res tangens aliquo modo sanctificabatur, aliàs non.* verbi gratia, si sanguinem hostiæ, si carnes Deo oblatas tangeret, sanctificabatur, non autem si tangeret altare, vasa sacra, aut vestes sanctas.

Canon de contactu sanctificatorum.

VAS AVTEM FICTILE, IN QVO COCTA EST (hostia pro peccato) CONFRINGETVR] quia vas fictile cùm sit porosum, facilè humorem aliquem carnium sanctificatarum imbibit: quare illud confringi iubeo, ne deinceps profanis vsibus seruiat, itaque caro sancta, vel humor sanctus profanis rebus misceatur indecenter & irreuerenter. Aliam causam dat Theodoretus quæst. 12. *Vasa*, inquit, *viliora, vtpote fictilia, conteri præcipit Deus: alia verò quæ pretiosiora sunt lauari iussit, vt illa viliorum confractione legem immunditiæ sanciret, doceretq́; quantum malum sit peccatum, quod hac hostia figuratur.* Hostia enim pro peccato licet sancta sit, tamen B quia pro peccato est, aliquid habet abominabile & adolendum. Vers. 28.

QVOD SI VAS ÆNEVM FVERIT, vel metallinum, à quo omnis caro sancta defricari possit, & effundi in locum mundum, DEFRICABITVR.

OMNIS MASCVLVS DE GENERE SACERDOTALI VESCETVR DE CARNIBVS EIVS] Hostia ergo pro peccato à solis masculis, iisque sacerdotibus, aut eorum filijs comedi poterat. Vers. 29.

HOSTIA ENIM QVÆ CAEDITVR PRO PECCATO, CVIVS SANGVIS INFERTVR IN TABERNACVLVM (quod fiebat in hostia pro peccato pontificis, & totius populi, vti dictum est cap. 4. vers. 6. & 18.) NON COMEDETVR, SED COMBVRETVR IGNI] Talis enim tota cremanda erat extra castra, vti iussit Deus cap. 4. v. 12. & 21. quod etiam notat & citat Apostolus Hebr. 13. v. 11. vti dixi cap. 4. Vers. 30.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribitur lex & ritus hostiæ pro delicto: & versu 11. hostiæ pacificorum, scilicet à quibus, & quando vtraque comedi debeat. Deinde versu 23. vetat Deus esum adipis victimarum, omnisq́; sanguinis. Denique versu 30. ex hostia pacifica pectusculum, & armum dextrum consignat sacerdoti sacrificanti.

1. HÆc quoque lex hostiæ pro delicto, sancta sanctorum est: 2. idcirco vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto: sanguis eius per gyrum altaris fundetur. 3. Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia: 4. duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia est, reticulumque iecoris cum renunculis. 5. & adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto. 6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia sanctum sanctorum est. 7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: vtriusque hostiæ lex vna erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius. 9. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis à quo offertur: 10. siue oleo conspersa, siue arida fuerint, cunctis filijs Aaron mensura æqua per singulos diuidetur. 11. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino. 12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admistione conspersas: 13. panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: 14. ex quibus vnus pro primitijs offeretur Domino, & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. 15. cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam vsque manè. 16. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: 17. quidquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet. 18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potiùs quæcumque anima tali se edulio contamina-

minauerit, præuaricationis rea erit. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non
comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea. 20. Anima pol-
luta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de
populis suis. 21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, siue omnis
rei quæ polluere potest, & comederit de huiuscemodi carnibus, interibit de populis
suis. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: 23. Loquere filijs Israel:
Adipem ouis, & bouis, & capræ, non comedetis. 24. Adipem cadaueris morticini,
& eius animalis quod à bestia captum est, habebitis in varios vsus. 25. Si quis adipem,
qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. 26. San-
guinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de auibus quàm de pecori-
bus. 27. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. 28. Locu-
tusque est Dominus ad Moysen, dicens. 29. Loquere filijs Israel, dicens: Qui offert
victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.
30. tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum: cumque ambo oblata Domino
consecrauerit, tradet sacerdoti, 31. qui adolebit adipem super altare, pectusculum
autem erit Aaron, & filiorum eius. 32. armus quoque dexter de pacificorum hostijs
cedet in primitias sacerdotis. 33. Qui obtulerit sanguinem & adipem, filiorum Aa-
ron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua. 34. Pectusculum enim eleua-
tionis, & armum separationis tuli à filijs Israel de hostijs eorum pacificis, & dedi Aaron
sacerdoti, & filijs eius lege perpetua, ab omni populo Israel. 35. Hæc est vnctio Aa-
ron & filiorum eius in cæremonijs Domini die qua obtulit eos Moyses, vt sacerdotio
fungerentur, 36. & quæ præcepit eis dari Dominus à filijs Israel religione perpetua
in generationibus suis. 37. Ista est lex holocausti, & sacrificij pro peccato atque deli-
cto, & pro consecratione & pacificorum victimis: 38. quam constituit Dominus
Moysi in monte Sinai, quando mandauit filijs Israel vt offerrent oblationes suas Do-
mino in deserto Sinai.

VERS. 1.

Quomodo differant peccatū & delictum.

HÆC QVOQVE LEX HOSTIÆ PRO DELICTO] A Grauis hic est difficultas, quomodo distinguantur sacrificium pro peccato, & sacrificium pro delicto. *Peccatum* hebraicè vocatur חַטָּאת *chattat*, LXX. *ἁμαρτία*: *Delictum* verò hebr. vocatur אָשָׁם *ascam*, Septuag. vertunt *πλημμέλεια*. Hebræi *peccatum* interpretantur esse illud, quod est contra præcepta affirmatiua, quæ ipsi in S. Scriptura tot esse asserunt, quot sunt ossa in corpore humano, nempe 248. *Delictum* verò esse illud quod est contra præcepta negatiua, quæ ipsi tot numerant quot sunt dies in anno, videlicet 365. Vtraque sigillatim enumerat Genebrard. in fine chronologiæ vlt. editionis. Secundò, è conuerso S. Augustin. hic quæst. 20. per *peccatum* intelligit culpam commissionis, per *delictum* culpam omissionis. ita & S. Gregorius homilia 21. in Ezech. *Hoc, ait, inter peccatum & delictum distat, quòd peccatum est mala facere; delictum verò est bona derelinquere, quæ summopere tenenda sunt*. Addit S. Gre- B gor. *Vel certè peccatum in opere est, delictum in cogitatione*. Ita & plerique recentiores, vt Lyranus, Abulensis, Isidorus Clarius, Petrus Serranus. Alij aliter hæc distinguunt. Verùm dico, *peccatum* cùm à delicto distinguitur (nam sæpè hæc duo pro eodem accipiuntur, vt patet cap. 4. 5. 6.) esse illud quod prudenter & scienter committitur; *delictum* verò quod ignoranter fit, putà per imprudentiam obliuionem, vel etiam inscientiam, maximè iuris: vti fit cùm quis legem ignorat, vel eius est oblitus.

Peccatum est, quod scienter fit; delictum, quod ignoranter.

Prob. Primò.

Probatur Primò, quia ita ea distinguunt Procopius hic, & S. Hieronymus in cap. 40. Ezech. vers. 39. imò & Septuag. ibidem; nam hi omnes *delictum* vertunt, *ἄγνοιαν*, id est, *ignorantiam*.

Secundò.

Secundò, quia ita vertit Noster interpres cap. 5. v. vlt. dicens: *Quia per errorem deliquit* (hebr. אָשָׁם *ascam*) *in Dominum*.

Tertiò.

Tertiò, quia LXX. hic *delictum* vertunt *πλημμέλειαν*, quod idem est ac si dicas *πλὴν μέλειαν*, id est *præter curam*, vel *ἀμέλεια*, id est *negligentia*, vti hîc nonnulli vertunt; vti fit, cùm quis per negligentiam ignorat, vel obliuiscitur id quod lex præscribit, quodque ipse facere debet.

Quartò.

Quartò, quia hanc sententiam etiam affert S. Augustinus, eamque probat ex psalm. 18. 13. & psalm. 68. 6. Iacobi 4. 17. Quæ sanè loca videntur peccatum tribuere scientiæ, delictum ignorantiæ.

Obiectio.

Dices, Quomodo ergo Moses cap. 6. v. vlt. hostiam pro culpa pontificis, vel totius populi vocauit hostiam pro peccato, cùm tamen cap. 4. v. 2. 3. & 13. dixerit hanc culpam esse ignorantiam.

Resp. delictum pontificis habetur peccatum.

Resp. Id fecit, vt ostenderet peccati pontificis, & totius populi grauitatem, ignorantiamque illorum qui legem scire debent, & facilè possunt, quique alios eam docere tenentur, non habendam esse ignorantiam, sed scientiam. Adde, tam hic quàm alibi sæpè peccatum cum delicto confundi, ac pro eodem sumi.

Aliter respondet Ribera l. 4 de Templo cap. 6. scilicet in peccato pontificis & populi, de quo c. 4. interuenire ignorantiam facti dumtaxat, vt cùm quis nescit, alienum esse quod capit, aut sacrum esse quod edit, aut pollutum esse quod tangit: in delicto verò interuenire ignorantiam iuris, aut potiùs delictum vocari iuris & legis obliuionem; verbi gratia, cùm quis facit aliquid quod nescit lege esse prohibitum, aut certè legis non recordatur. Hæc responsio subtilis & probabilis est, sed probatu difficilis.

OFFERENT EX EA (hostia pro delicto) CAVDAM] Hac cauda Tropologicè monetur peccator, *qui lubricos affectuum motus corrigere cupit, vt huic proposito suo perseuerantiæ finem iungat*, ait Radulphus. VERS. 3.

OMNIS MASCVLVS DE SACERDOTALI GENERE IN LOCO SANCTO VESCETVR (vesci poterit) HIS CAR- VERS. 6.

CARNIBVS] Propriè hostia pro delicto erat sacerdotis offerentis, vti & hostia pro peccato. Eadem enim vtriusque est ratio & lex, vt dicitur v.7. Poterat tamen offerens, partem hostiæ comedendam dare alijs sacerdotibus, eorumque filijs masculis, non autem feminis.

Tropologicè, in agenda pœnitentia nihil decet esse femineum, sed forti opus est sensu & virili intentione, inquit Isychius. Viriles & heroicas veterum pœnitentias lege apud Climachum gradu 5. qui est de pœnitentia.

VERS. 8. SACERDOS QVI OFFERT HOLOCAVSTI VICTIMAM, HABEBIT PELLEM EIVS] quia ex holocausto, quod totum Deo comburitur, nil aliud est reliquum, quod sacrificanti rependatur, nisi pellis.

Pellis symbolum est patientia, quæ sacerdotis propria est vestis.

Tropologicè, pellis est symbolum patientiæ, vt patet Iob 2.4. & Iob 19.20. quæ sacerdotis propria est virtus & vestis. ita Isychius. *Si mens*, ait S Gregorius lib. 5. Moral. *forti intentione in Deum dirigitur, quidquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat.* Vnde patiens est perfectus, qualis debet esse sacerdos. *Ille enim*, inquit S. Gregor. lib. 5. c. 14. *verè perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis est, quòd perfectè necdum profecit. Hinc in Euangelio Veritas dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Patiens ergo animam possidet, quia cunctis mentis motibus ex virtute dominatur. Et quo se laudabiliter vincit & frangit, infractum se fortiter exserit: quia cùm in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria inuictum parat.*

VERS. 10. SIVE OLEO CONSPERSA, SIVE ARIDA FVERINT, CVNCTIS FILIIS AARON MENSVRA ÆQVA PER SINGVLOS DIVIDETVR] id est, æqualiter per singulos diuidetur, vt habent Hebræa, Chaldæa, Septuaginta. Ita videlicet, vt cuique suus dies, suæ vices obtingant, quibus ministrans & fungens sacerdotio omnia quæ offeruntur, sibi vendicet, perinde vt faciunt alij sacerdotes suis vicibus. Ita optimè hæc cohærent cum versu præcedenti, quo iussit Deus mincha cedere sacerdoti offerenti. ita Radulphus, Lyranus, Abulens.

Alij, vt Isychius, hunc versum accipiunt de simila non cocta, quasi illa fuerit omnibus sacerdotibus æqualiter diuidenda: versum verò præcedentem accipiunt de simila cocta, siue libis & panibus, qui omnes cedebant offerenti. Verùm hanc distinctionem difficulter patitur nostra versio, & ipsa rei natura: nam iuxta eam contrarium est conuenientius, scilicet panes, ne arescant, statim in singulos æqualiter distribui: similam verò crudam à singulis offerentibus ad pinsendum asseruari.

VERS. 12. COCTAMQVE SIMILAM ET COLLYRIDAS] *&*, hîc sumitur pro, *id est*: nam simila conspersa & subacta cùm est cocta, hoc est, vt habent Hebr. *frixa in sartagine*, est collyrida, siue libum frixum. ita Chald. & Septuaginta. noster Interpres collyridam, alibi *crustulam* vocat.

VERS. 13. PANES QVOQVE FERMENTATOS] non vt ex ijs aliquid inferatur altari: hoc enim vetitum est cap. 2. 11. sed vt ij sacerdotibus offerantur, tamquam donaria quibus ipsi vescantur.

CVM HOSTIA GRATIARVM, QVÆ IMMOLATVR PRO PACIFICIS] Hebræa, *cum hostia gratiarum actionis pacificorum eius*: id est, cum hostia quæ immolatur in gratiarum actionem pro pace, id est salute & beneficijs à Deo obtentis. Hostia enim pacifica erat duplex, vna pro pace, id est salute, impetranda; altera pro ea impetrata, quæ proinde vocatur תודה *toda*, id est confessio, laus, gratiarum actio. vnde Græci vertunt θυσίαν αἰνέσεως, id est sacrificium laudationis, quo Deus, Deique maiestas & beneficentia laudatur & celebratur: vtrauis harum rursum erat spontanea vel votiua.

EX QVIBVS (panibus fermentatis) VNVS PRO PRIMITIIS OFFERETVR DOMINO] vt scilicet cedat non Deo in sacrificium, sed sacerdoti vicem Dei gerenti in cibum. Cæteri panes per hunc vnum primum, etiam Domino oblati censebantur. VERS. 14.

SI VOTO VEL SPONTE QVISPIAM OBTVLERIT HOSTIAM, EADEM SIMILITER EDETVR DIE] Cuius legis causa prima fuit, ne quid sacri cibi corrumperetur, ne, si rancidæ aut putridæ fierent hæ carnes, vilesceret religio victimarum. Secunda, quia sacer cibus non est in penum retrudendus, sed omnibus indigentibus proponendus, inquit Philo & Theodor. quæst. 7. VERS. 16.

Sed cur victima pro gratiarum actione oblata eodem die comedi debebat, ex voto verò vel sponte oblata comedi poterat die secundo?

Respond. Quia prior gratiarum actionis dignior erat, quàm secunda ex voto vel sponte oblata, hoc nomine, quòd hæc eliciebatur ex voti necessitate, vel ex spe impetrandi aliquod beneficium; illa verò ex animo grato, liberali, pio, & in laudes Dei effuso prorumpebat.

Allegorica causa fuit, vt per varias figuras & obseruantias idem significaretur, videlicet eodem die huius vitæ consummanda & peragenda esse omnia fidei & bonorum operum sacrificia, nihilque in tertium diem resurrectionis & æternitatis seruandum esse. Hoc enim significat id quòd hîc dicitur: *Quidquid tertius dies inuenerit, ignis absumet.* Idipsum est quod monet Sapiens Eccles. 9. v. 10. dicens, *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* ita Procop. Beda, Radulph. Origen. Aliquando enim omne tempus, omnisque duratio diuiditur in duos dies, vnum præsentis vitæ, alterum futuræ: aliquando in tres, per allusionem ad passionem & resurrectionem Christi, vt duo sint dies præsentis vitæ, tertius dies sit æternitatis & resurrectionis. Rursum Origenes & Beda per duos dies accipiunt duo Testamenta, nouum & vetus, putà tempus legis Mosaicæ & Euangelicæ, per tertium diem accipiunt æternitatem.

SI QVIS DE CARNIBVS VICTIMÆ PACIFICORVM DIE TERTIO COMEDERIT, IRRITA FIET OBLATIO] q.d. Per posteriorem hanc præuaricationem legis huius, qua reseruat carnes sacras in tertium diem, perdet gratiam quam priore sacrificio, & hostia pacifica promeruit apud me. Vnde Hebræa habent, *non placebit mihi offerens.* VERS. 18.

CARO QVÆ ALIQVID TETIGERIT IMMVNDVM, NON COMEDETVR, SED COMBVRETVR IGNI] *Caro*, scilicet oblata Deo, quæ post immolationem aliquo modo polluitur, non comedetur, sed comburetur; idque ob reuerentiam sacrificiorum, igne non sacro, sed profano; quia iam ampliùs non est caro victimæ & sacrificij, cùm ab eo ob immunditiem reijciatur. Dico, *caro Deo oblata*; nam alia carne non sacra, etiamsi quid immundi teti- VERS. 19.

tetigisset, licebat vesci, vt patet Deuter. 12. v. 15. & 22. Dico, *post immolationem*; nam si ante eam cùm deferretur ad altare, polluta fuisset caro victimæ, non licebat quidem eam offerre & immolare; poterat tamen ipsa in quosuis profanos vsus conuerti.

QVI FVERIT MVNDVS, VESCETVR EX EA] non carne immunda iam dicta: hæc enim iussa est comburi, sed hostia pacifica, videlicet si non sit polluta, sed munda & talis qualis oblata est. de hostia enim pacifica egit à v. 11. hucusque.

VERS. 20. ANIMA POLLVTA (homo pollutus) QVAE EDERIT DE CARNIBVS HOSTIAE PACIFICORVM, QVAE OBLATA EST DOMINO, PERIBIT DE POPVLIS SVIS] q.d. Homo pollutus si ausus fuerit carnes Deo sacras comedere, Deo vltore in mortem incurret, vel in hac vita præsentem, vel in futura æternam, si videlicet sciens id fecerit: sin ignorans comederit, expiabitur sacrificio quod præscriptum est c. 5. v. 3.

VERS. 21. ET QVAE TETIGERIT IMMVNDITIAM HOMINIS] putà fæces & stercora: hic ergo homo tam pollutus in se, quàm si quid pollutum tetigerit, arcetur esu pacificorum.

VERS. 23. ADIPEM OVIS, ET BOVIS, ET CAPRAE NON COMEDETIS] quia hæc tria sunt quæ Domino immolantur: vnde eorum adipem mihi deposco, etiamsi illa domi mactetis ad esum. patet ex v. 25.

VERS. 24. ADIPEM CADAVERIS MORTICINI, ET EIVS ANIMALIS QVOD A BESTIA CAPTVM EST, HABEBITIS IN VARIOS VSVS] Loquitur hîc de adipe animalis immundi ad sacrificium, sed mundi ad esum.

Pro quo Nota. Animalia munda ad sacrificia erant tria tantùm iam dicta, videlicet ouis, capra & bos: animalia verò munda ad esum, præter hæc tria, erant alia septem, scilicet bubalus, ceruus, caprea, tragelaphus, oryx, pygargus & camelopardalis, de quibus c. 11. Iam adipe animalium mundorum ad sacrificium, etiamsi illa non sacrificarentur, vesci omnino erat illicitum, vt dixi v. præced. Adipe verò aliorum, quæ munda tantùm erant ad esum, si illa morticina erant, id est sponte mortua, vel capta & occisa à bestia, vesci quoque erat illicitum, vt patebit c. 11. 31. eo tamen ad alios vsus vti licebat, vti hîc dicitur: aliàs eorum adipe vesci licitum fuisse videtur, vt dixi c. 3. 17. ita Abulens.

VERS. 25. SI QVIS ADIPEM QVI OFFERRI DEBET] putà adipem capræ, ouis & bouis, quæ sola offerri debent; nulla enim alia offerre licet. Patet ex Hebr. & Chaldæo, qui habent: *si quis comederit adipem pecoris, ex quo offertur oblatio coràm Domino, exterminabitur de populo suo.* nullum enim adipem animalis immolabilis, etiamsi actu non immolaretur, comedere poterant Hebræi, sed is totus Deo adoleri debebat, si animal occideretur Hierosolymæ, vbi erat templum, de quo Deuter. 12. v. 21.

VERS. 29. QVI OFFERT VICTIMAM PACIFICORVM DOMINO, OFFERAT SIMVL ET SACRIFICIVM, ID EST LIBAMENTA EIVS] putà, offerat mincha siue libamen ex simila, vt ita Deo plenum ex carne & simila, vel pane exhibeat conuiuium, vti dixi c. 2.

VERS. 30. TENEBIT MANIBVS ADIPEM HOSTIÆ ET PECTVSCVLVM: CVMQVE AMBO OBLATA DOMINO CONSECRAVERIT (non sacerdos, sed laicus offerens) TRADET SACERDOTI] Laxius enim erat sacrificium pacificorum præ alijs: vnde & magna

A eius pars partim sacerdotibus, partim offerentibus cedebat.

Oblationis hostiæ pacificæ hic erat ritus, vti tradit R. Salomon & Hebræi. Primò, sacerdos iugulabat animal, & in partes conscindebat. Secundò, accipiebat pectusculum animalis occisi, & adipes eius, eaque ponebat super manus laici offerentis. Tertiò, manibus hisce suas manus supponebat sacerdos, iisque eas eleuabat, mox deprimebat, ac rursum transuersim ducebat à dextra in sinistram in modum crucis, versus quatuor mũdi plagas, vt significaret Deũ totius mundi esse dominum. Hic enim est ritus *tenupha*, de quo dixi Exodi 29. 26. Quartò, adipem cum renibus in altari Deo cremabat; mox armum dextrum & pectusculum sibi accipiebat sacerdos offerens. Denique reliquam carnem reddebat laicis eam offerentibus, qui eam comedebant in atrio tabernaculi. Erat enim hæc comestio complementum & consummatio sacrificij pacifici, perinde ac sumptio Eucharistiæ est consummatio sacrificij Eucharistici. Similì modo quælibet alia victima, vtpote Deo sanctificata, comedenda erat in atrio templi, vt patet c. 6. 16. & c. 7. v. 6. Idem significat hæc lex & phrasis crebrò repetita: *Epulaberis coram Domino*, id est in atrio templi, vt patet Deuter. 12. v. 12. & 18. & cap. 14. 26. & cap. 16. v. 11. & 14. epulum enim hoc sacrum maximè fiebat ex hostijs pacificis. Audi clarum hac de re textum Deuter. 27. 7. *Immolabis hostias pacificas, comedesq́; ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.* *Ritus immolationis hostiæ pacificæ.*

B

PECTVSCVLVM ENIM ELEVATIONIS, (quod scilicet per eleuationem *tenupha* iam dictam, in altum est Deo oblatum) ET ARMVM SEPARATIONIS (Deo scilicet separatum, vt sacerdotibus vice Dei detur) DEDI AARON SACERDOTI ET FILIIS EIVS] Cur ex hostia pacifica pectusculum, & armus dexter cesserint sacerdoti, symbolica caussa fuit, quòd pectusculum significet fidem, sanam doctrinam, & cordatam sapientiam: armus siue brachium dextrum significet constantem secundùm fidem & virtutem operationem; quibus vtrisque fulgere, & populum erudire debet sacerdos. ita Isychius, Radulph. & aptissimè Origenes homil. 5. in fine, vbi sic ait: *Quod ergo sacerdotis pectus, aut quale? plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni diuina intelligentia, imò plenum Deo. quale brachium? multa sollicitudo, labor, vigilia, quibus conuertat peccatorem, qui proinde offerat hostiam salutaris, Deo gratias agat: in quâ hostia pars sacerdotis efficitur pectusculum, vt sit indicium quòd pectus & cor, quod antè mala cogitabat, sacerdotis labore conuersum, recepit bonas cogitationes, & ita mundatum est, vt Deum possit videre; similiter & brachium indicium est, quòd mala eius opera & sinistrâ conuertit in dextram, vt essent secundùm Deum.* Et S. Gregorius 2. p. Pastoral. c. 3. *Diuina*, inquit, *lege armum sacerdos dextrum in sacrificium accipit & separatum, vt non solùm sit eius operatio vtilis, sed & singularis; nec inter malos tantùm quæ recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat: cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, vt quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de seipso discat immolare, & non solùm pectore quæ recta sunt cogitet, sed & spectatores suos ad sublimia arma operationis inuitet: nulla prospera præsentis vitæ appetat, nulla aduersa pertimescat.* Quin & Gentilis Persius sat. 2. pontifices vult dare superis. VERS. 34.

C *Armus dexter & pectus hostiæ cedunt sacerdoti. cur?*

D *Pectus symbolum est sapientiæ, armus fortitudinis & laboris.*

Compo-

Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Vers. 35. Haec est vnctio Aaron et filiorvm eivs in caeremoniis Domini] Hebraicè est, *de* (id est *in*, & *in*, id est *cum*) *ignitionibus Domini*, id est oblationibus ignitis, siue igne crematis Domino, iuxta ritum & cæremoniam præscriptam cap. 6. 20. & fusiùs Exodi 29. Est hic epilogus omnium præcedentium.

Vers. 36. Religione perpetva] Hebraicè, *sanctione*, siue, *lege perpetua*.

Vers. 37. Ista est lex holocavsti] Sex hîc sacrificiorum genera iam descripta enumerantur, videlicet Primò, holocaustum; Secundò, mincha siue sacrificium farreum; Tertiò, sacrificium pro peccato; Quartò, sacrificium pro delicto; Quintò, sacrificium pro consecratione sacerdotum; Sextò, sacrificium pacificum. Verùm, vt dixi c. 2. propriè tantùm erant quatuor species sacrificij: nam sacrificium pro delicto refertur ad sacrificium pro peccato; sacrificium verò pro consecratione sacerdotum ad omnia refertur; nam in ea omnis generis sacrificia offerebantur.

Quam constitvit Dominvs Moysi in monte Sinai] id est in deserto montoso, & iuxta montem qui propriè Sinai dicitur. Nam non in hoc monte, sed in tabernaculo Deum dedisse has leges Mosi, dixi cap. 1. v. 1. Vers. 38.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aron consecratur à Mose pontifex. & filij Aaronis consecrantur sacerdotes; hinc Primò, lauantur, & induuntur vestibus sacerdotalibus, v. 6. Secundò, v. 14. offertur vitulus pro peccato, & v. 18. aries in holocaustum; & v. 22. aries alter in hostiam pacificam. Tertiò, v. 24. vngitur eorum auris dextra & pollices. Quartò, v. 33. iubentur per septem dies manere in tabernaculo.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Tolle Aaron cum filijs suis, vestes eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis, 3. & congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. 4. Fecit Moyses vt Dominus imperauerat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi, 5. ait: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri. 6. Statimque obtulit Aaron & filios eius. Cumque lauisset eos, 7. vestiuit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, 8. quod adstringens cingulo aptauit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas. 9. Cidari quoque texit caput: & super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus. 10. Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua. 11. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius, labrumque cum basi sua sanctificauit oleo. 12. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum, & consecrauit: 13. filios quoque eius oblatos vestiuit tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras, vt iusserat Dominus. 14. Obtulit & vitulum pro peccato. cumque super caput eius posuisset Aaron & filij eius manus suas, 15. immolauit eum: hauriens sanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum. quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius. 16. Adipem verò qui erat super vitalia, & reticulum iecoris, duosque renunculos cum aruinulis suis, adoleuit super altare: 17. vitulum cum pelle & carnibus, & fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus. 18. Obtulit & arietem in holocaustum: super cuius caput cùm imposuissent Aaron & filij eius manus suas, 19. immolauit eum, & fudit sanguinem eius per circuitum altaris. 20. Ipsumque arietem in frusta concidens, caput eius, & artus, & adipem adoleuit igni, 21. lotis priùs intestinis & pedibus, totumque simul arietem incendit super altare, eò quòd esset holocaustum suauissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. 22. Obtulit & arietem secundum, in consecratione sacerdotum: posueruntque super caput eius Aaron & filij eius manus suas. 23. quem cùm immolasset Moyses, sumens de sanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis. 24. Obtulit & filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum: 25. adipem verò, & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque iecoris, & duos renes cum adipibus suis & armo dextro separauit. 26. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam consperfam oleo, laganumque posuit super adipes, & armum dextrum, 27. tradens simul omnia Aaron, & filijs eius. Qui postquam leuauerunt ea coram Domino, 28. rursum suscepta de manibus eorum,

rum, adoleuit super altare holocausti, eò quòd consecrationis esset oblatio, in odorem suauitatis sacrificij Domino. 29. Tulitque pectusculum, eleuans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus. 30. Assumensque vnguentum, & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron & vestimenta eius, & super filios illius, ac vestes eorum. 31. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens: Aaron & filij eius comedent eos: 32. quidquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet. 33. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, vsque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. septem enim diebus finitur consecratio: 34. sicut & impræsentiarum factum est, vt ritus sacrificij compleretur. 35. Die ac nocte manebitis in tabernaculo obseruantes custodias Domini, ne moriamini. sic enim mihi præceptum est. 36. Feceruntque Aaron & filij eius cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

A

HOc caput idem est cum c. 29. Exodi. ritus enim consecrationis Aaronis & sacerdotum qui ibi præscribitur, hîc factus & completus narratur. Repetit ergo Moses hæc in Leuitico, vt omnes sacrificiorum cæremonias, & maximè in sacerdotum consecratione adhiberi solitas, simul hoc libro complectatur. Itaque paucis notis caput hoc expediam, reliqua vide c. 29. Exodi.

Vers. 2. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN] Verisimile est, hæc omnia quæ hoc cap. narrantur, per anacephalæosin siue recapitulationem hîc recenseri: nam tabernaculum iā antè erat erectum, vt patet Exod. vlt. v. 16. simul autem cum erectione tabernaculi facta est hæc Aaronis & sacerdotum consecratio, vt patet ibidem v. 12.

Vers. 5. ISTE EST SERMO, QVEM IVSSIT DOMINVS FIERI] Narrat Iosephus, Israelitas voluisse Mosen creare pontificem, sed eum se excusasse præcepto hoc Domini, iubentis Aaronem consecrari pontificem. eò quòd ipse occuparetur colloquio Domini, & regimine populi.

Vers. 6. STATIMQVE OBTVLIT AARON ET FILIOS EIVS] Pro *obtulit* hebr. est ויקרב iacreb, id est *accedere fecit*; Septuag. *adduxit*; Chald. *applicauit*. sic & vertit Noster Exod. 29. 4. dicens: *Applicabis Aaron & filios eius ad ostium tabernaculi*, sistendo videlicet eos Domino, offerendoque eos ad Dei ministerium. sic enim solemni ritu Domino oblati sunt Leuitæ in sua consecratione, Num. 8. v. 11. & 21.

Vers. 7. *Octo vestes pontificis.* VESTIVIT PONTIFICEM] Octo vestibus hoc ordine vestiebatur pontifex.* Induebat Primò, femoralia linea; Secundò, super ea tunicam lineam; Tertiò, hanc tunicam cingebat cingulo; Quartò, huic tunicæ lineæ inijciebat tunicam hyacinthinam; Quintò, huic superinducebat ephod cum rationali; Sextò, ephod cingebat cingulo polymito; Septimò, caput operiebat tiara; Octauò, tiaræ appendebat laminam auream, cui inscriptum erat, *Sanctitas*, vel *sanctum Domino*. Minores verò sacerdotes quatuor tantùm induebant vestes, scilicet Primò, femoralia; Secundò, tunicam lineam; Tertiò, zonam; Quartò, tiaram. carebant ergo ipsi tunica hyacinthina, ephod cum rationali, eiusque cingulo, ac lamina aurea inscripta nomine tetragrammato. Vide dicta Exodi 28.

Quatuor vestes sacerdotum.

Nota. Aaron quasi pontifex & vicarius Dei, vestibus pontificalibus indutus repræsentabat tabernaculum, id est Ecclesiam, & consequenter Deum tabernaculi præsidem, & in eo quasi in dolmino sua residentem. Nam Primò, pectorale, siue rationale iudicij repræsentabat arcam: sicut enim arca tabulas lapideas continebat; ita rationale continebat 12. gemmas. Secundò, sicut arca in tabulis continebat legem scriptam: ita rationale continebat scripturam vrim & tummim: nam in eo scripta erant *doctrina & veritas*. Tertiò, ephod rationalis repræsentabat propitiatorium arcæ. Quartò, arca habebat duos Cherubim: sic tunica pontificis duos habebat onychinos. Quintò, lamina pontificis cui inscriptum erat, *Sanctitas Domini*, repræsentabat gloriam Domini quæ habitauit in tabernaculo. Sextò, tunica pontificis significabat velum & cortinas, quæ totum interiùs tabernaculum claudebant. Septimò, sicut tabernaculum repræsentabat cælum omniaque elementa: sic in veste poderis totus erat orbis terrarum, inquit Sapiens.

B

Nota Secundò. Pontifex ab alijs sacerdotibus differebat quinque prærogatiuis. Primò, pontifex erat primogenitus, vel senior Aaronis, eiusque successorum filius: alij ætate erant inferiores. Secundò, ille per totam vitam vnus erat: alij plures erāt. Tertiò, in sanctuarium, putà in Sanctum sanctorum, solus semel in anno, putà in die expiationis, ingrediebatur: alijs illud numquam licebat. Quartò, alias vestes & ornatum maiorem habebat pontifex, quàm alij. Quintò, moriente pontifice homicidæ fugitiui redibant ad suos: quod non fiebat in morte aliorum sacerdotum.

SVBVCVLA LINEA] quæ Exodi 28. vocatur tunica linea & stricta.

C

LAMINAM AVREAM CONSECRATAM IN SANCTIFICATIONE] q.d. Laminam auream olei vnctione consecratam ad vsus sanctos. Hebraicè est נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ *nezer haccodes*, id est *coronam* vel *diadema sanctitatis*, id est sanctum. Vers. 9.

CVMQVE SANCTIFICANS] scilicet tabernaculum & supellectilem eius, vngendo illa oleo sancto. Sanctificatio ergo hæc non erat aliud, quàm vnctio tabernaculi & vasorum eius, qua consecrabantur Deo. Vers. 11.

OBTVLIT ET VITVLVM PRO PECCATO] Exodi 29. v. 35. & 36. iubetur quotidie per 7. dies offerri vitulus; ergo id ita factum est, licet hîc non exprimatur, satis tamen innuitur v. 34. Vers. 14.

QVO (altari) EXPIATO ET SANCTIFICATO FVDIT RELIQVVM SANGVINEM AD FVNDAMENTA EIVS] Hebraicè est, *ita expiauit altare, & sanguinem fudit ad fundamentum altaris, & expiauit illud ad* Vers. 15.

sanctificandum in eo, hoc est, vt Septuag. *ad propitiandum super eo*, vt videlicet deinceps altare hoc eo ritu consecratum seruiret hostijs, quibus propitiatur & placatur Deus. Ergo hac cæremonia consecratum est altare.

Vers. 30. ASSVMENSQVE VNGVENTVM ET SANGVINEM QVI ERAT IN ALTARI, ASPERSIT SVPER AARON] Nota. Vnguentum hoc erat compositum ex myrrha, cinnamomo, calamo, casia, & oleo oliuarum, vt patet Exod. 30. v. 23. & 30. Vnctio ergo, vel potiùs effusio vnguenti in capite, erat consecratio pontificis, vt patet hîc v. 12 & Exod. 29. 7. Vnctio verò communis pontifici & minoribus sacerdotibus, erat aspersio vnguenti sanguine misti super eos, & vestes eorũ: adhæc vnctio auris dextræ & pollicũ, vt patet Exod. 29. 20. In pontificis ergo consecratione triplex erat lustratio: scilicet effusio, vnctio, & aspersio, tã olei, quàm sanguinis: in minorum verò sacerdotum consecratione tantùm erat duplex, scilicet vnctio & aspersio. Effusio enim denotans plenitudinem gratiæ, spiritus & potestatis propria erat pontifici. Voluit Deus hîc docere in Ecclesiastica hierarchia debere esse ordinem, siue subordinationem cum mutuo respectu & concordia. Aptè S. Hieron. ad Nepotianum: *Esto*, ait, *subiectus Pontifici tuo, & quasi parentem anima ama. Sed Episcopi sacerdotes sciant se esse, non dominos: honorent clericos quasi clericos; vt ipsis Episcopis quasi Episcopis à clericis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: Cur ego, inquit, te habeam vt principem, cùm tu me non habeas vt senatorem?*

Vnctio pontificis & sacerdotum qualis.

Moral. de vnctione. Primò.

Secundò. Secundò, hæc vnctio monebat pontificem, quàm misericordia (cuius symbolum est oleum) charitate, alijsque virtutibus pollere, & cæteris antecellere debeat. *Lux gregis*, inquit S. Gregorius, *est flamma pastoris. Decet enim Dominicum Pastorem, & sacerdotem moribus & vita clarescere, quatenus in eo tamquam in vita sua speculo, plebs sibi commissa & eligere quod sequatur, & videre possit quod corrigat.* Idem in Pastoral. *Ab imperitis*, inquit, *pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur? cùm sit ars artium regimen animarum. Hoc est magisterium disciplina, vt culpis discretè nouerit parcere, & piè resecare.* Et rursum: *Tantum*, ait, *debet populi actionem actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris.* Nam vt ait Claudian. 1. Stilicon.

Scilicet in vulgus manant exempla regentûm;
Vtq; ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Idem Honorium Imp. ita monet Consul. 4.

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palàm, nec posse dari regalibus vsquam
Secretum vitijs.

Mysticè. Mysticè de vnctione & oleo triplici, primo cõpunctionis, secundo deuotionis, tertio pietatis, vide S. Bernardum serm. 10. in Cant. Vnguentum, ait, contritionis bonum est, quo vnguntur pedes Domini: vnguentum deuotionis melius, quo vngitur caput: vnguentum pietatis optimum, quo totum vngitur corpus Domini. Vnguentum contritionis est in peccatorum recordatione; deuotionis, in beneficiorum Dei consideratione; pietatis, in proximorum subleuatione.

A Idem serm. 22. in Cant. Quatuor, ait, vnguenta Christi Pontificis sunt, sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio. sapientia, in prædicatione: iustitia, in absolutione peccatorum: sanctificatio, in conuersatione: redemptio, in passione. Ibidem, quatuor vnguenta Christi ait esse quatuor virtutes cardinales: hisce enim imbui & roborari contra aduersa & prospera debet Pontifex & quiuis fidelis qui Deo militat, eiusque obsequio se addicit.

Idem toto serm. 2. in Cant. tractat. de vnctione & oleo misericordiæ, & inter alia ait: *O quæcumq; es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta tibi ipsi tamquam vas perditum, vt cæteris præstò vbique semper occurras atque succurras:* B *sic denique mortua tibi, vt viuas omnibus: tu planè tertium optimumq; vnguentum felix possides, & manus tua distillauerunt totius suauitatis liquorem. Memor erit Deus omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pinguescet.*

Adfert deinde exempla. *Talis erat Paulus, cùm ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Et Iob dicens c. 29. & 31. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum, conterebam molas iniqui. Si comedi buccellam meam solus, &c. Et Ioseph, qui postquam vniuersam Aegyptum post se fecit currere in eodem vnguentorum suorum, etiam suis venditoribus eamdem demum fragrantiam propinauit. Et Samuel lugens Saul qui se quærebat occidere. Et Moses dicens: Dimitte populo huic: sin autem,* C *dele me de libro tuo quem scripsisti. O vere hominem [tinctum] vnctione misericordiæ! Et Dauid: Memento, ait, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Et Ieremias, de quo dicitur 2. Machab. 15. Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate. Hoc vnguento pietatis Magdalena vnxit Christum.*

SEPTEM ENIM DIEBVS FINITVR CONSECRATIO] Vers. 33. Hebr. *septem diebus implebit*, supple oleo, id est consecrabit per vnctionem olei manus vestras; ita Septuag. idque Primò, ad hoc, vt per septem hosce dies discãt nouelli sacerdotes obliuisci rerum terrenarum, & cum Deo versari in tabernaculo, id est atrio tabernaculi. Secundò, ad hoc, vt per septem hosce dies admoneantur, se in totam vitam consecratos esse Deo, & in eius familiam & domum transisse. Septem enim dies sunt omnes dies D septimanæ. ita Cyril. l. 2. de Adorat. *Septem diebus*, inquit, *id est semper & perpetuò.*

Vnctio durat per septem dies, cur

SICVT IMPRÆSENTIARVM FACTVM EST, VT RITVS SACRIFICII COMPLERETVR] q. d. Sicut sanguine victimæ aspersi estis vos, & vestes vestræ hac die, ad complendum ritum sacrificij pro consecratione oblati; ita oportet facere, hancque aspersionem iterare per septem dies, quibus perficitur sacerdotum consecratio. Vers. 34.

FECERVNTQVE CVNCTA QVÆ LOCVTVS EST DOMINVS PER MANVM MOYSI] id est per Mosen, quasi per instrumentum & manum suam. Est enim manus organum organorum, ait Aristot. l. 2. de Anima. Hic hebraismus passim occurrit in Scriptura. Vers. 36.

CAPVT

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aron celebrat primitias. Vnde Primò, v. 8. offert vitulum pro peccato suo, & arietem in holocaustum. Secundò, v. 15. offert victimas populi, scilicet hircum pro peccato, vitulum & agnum in holocaustum, bouem & arietem in hostiam pacificam. Tertiò, v. 23. populo benedicit, ac mox ignis de cælo descendit, omnesq; eius victimas deuorat.

1. Facto autem octauo die, vocauit Moyses Aaron & filios eius, ac maiores natu
Israel, dixitque ad Aaron: 2. Tolle de armento vitulum pro peccato, & arie-
tem in holocaustum, vtrumque immaculatum, & offer illos coram Domino. 3. Et
ad filios Israel loquêris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum annicu-
los & sine macula, in holocaustum; 4. bouem & arietem pro pacificis: & immolate
eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. ho-
die enim Dominus apparebit vobis. 5. Tulerunt ergo cuncta quæ iusserat Moyses
ad ostium tabernaculi: vbi cùm omnis multitudo adstaret, 6. ait Moyses: Iste est
sermo, quem præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria eius. 7. Et dixit
ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & depre-
care pro te & pro populo. cumque mactaueris hostiam populi, ora pro eo, sicut præce-
pit Dominus. 8. Statimq; Aaron accedens ad altare, immolauit vitulum pro pec-
cato suo: 9. cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui: in quo tingens digitum, tetigit
cornua altaris, & fudit residuum ad basim eius. 10. Adipemq; & renunculos, ac re-
ticulum iecoris, quæ sunt pro peccato, adoleuit super altare, sicut præceperat Domi-
nus Moysi: 11. carnes verò & pellem eius extra castra combussit igni. 12. Immo-
lauit & holocausti victimam: obtuleruntq; ei filij sui sanguinem eius, quem fudit per al-
taris circuitum. 13. ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite, & mem-
bris singulis obtulerunt. quæ omnia super altare cremauit igni, 14. lotis aqua priùs
intestinis & pedibus. 15. Et pro peccato populi offerens, mactauit hircum: expiato-
que altari, 16. fecit holocaustum, 17. addens in sacrificio libamenta, quæ pari-
ter offeruntur, & adolens ea super altare, absque ceremonijs holocausti matutini.
18. Immolauit & bouem atque arietem; hostias pacificas populi: obtuleruntque ei fi-
lij sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum. 19. Adipem autem bouis,
& caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, & reticulum iecoris 20. po-
suerunt super pectora. cumq; cremati essent adipes super altare, 21. pectora eorum &
armos dextros separauit Aaron, eleuans coram Domino, sicut præceperat Moyses.
22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostijs pro pec-
cato. & holocaustis, & pacificis, descendit. 23. Ingressi autem Moyses & Aaron in
tabernaculum testimonij, deinceps egressi benedixerunt populo. Apparuitque gloria
Domini omni multitudini: 24. & ecce egressus ignis à Domino, deuorauit holo-
caustum, & adipes qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudauerunt Do-
minum ruentes in facies suas.

VERS. 1. FACTO AVTEM OCTAVO DIE] à consecratione Aaronis & tabernaculi, vt patet ex cap. præced. v. 33. qui dies octauus fuit mensis primi, anni secundi exitus ex Ægypto, qui fuit annus mundi 2455. à diluuio 748. Hoc ergo anno & die Aaron suas quasi primitias celebrauit.

Allegoricè, dies octaua est tempus legis Euangelicæ quo octauam resurrectionis Christi colimus, & ad eamdem tendimus, & quo apparuit gloria, id est magnifica & gloriosa gratia Christi Saluatoris nostri; qui se obtulit pro peccato suo, id est hominum, in se suscepto; obtulit & victimas Ecclesiæ suæ, putà hircum, id est pœnitentiam; agnum, id est innocentiam; bouem & arietem, id est labores & patientiam populi sui Christiani. ita ex S. Gregor. Radulph.

VOCAVIT MOYSES AARON ET FILIOS EIVS] vt hi nouelli sacerdotes sua prima sacrificia offerrent; hac de causa conuocati sunt & maiores natu populi, ad honorãdas videlicet sui pontificis primitias, & vt victimas suas per eũ Deo sacrificarẽt.

TOLLE DE ARMENTO VITVLVM PRO PECCATO] Licet enim paulò antè Moses hostiam pro peccato tuo, ô Aaron, obtulerit; tamen & te iam recèns creatum pontificem omnis generis victimas, ac consequenter etiam hostiam pro peccato offerre volo, tum vt hoc symbolo doceam, neminem sibi certò persuadere debere peccata sibi esse remissa, vel ita esse remissa, vt nihil pœnæ pro ijs luendum supersit; tum vt vsquequaque incipias exercere tuum quasi characterem ordinis, id est potestatem offerendi quamuis victimam. VERS. 2.

AD FILIOS ISRAEL LOQVERIS] *Loqueris*, scilicet tu ô Aaron nouelle pontifex. Nam tibi iam incumbit auctoritas pontificia, vt præcipias victimas populo. VERS. 3.

TOLLITE HIRCVM PRO PECCATO] Licet enim pro certo & determinato populi peccato, iusserit Deus immolari vitulum c. 4. v. 14. hîc tamen, quia interminatè pro peccato populi in communi fit sacrificium; præcipitur immolari non vitulus, sed hircus, ideoque nec sanguis eius inducitur in Sanctum; ad aspergendum altare thymiamatis, vti in vitulo præceptum est c. 4. v. 12. & 16.

ANNICVLOS] Ita legendum est cum Hebr. Septuag. & Roman. ita vt tam vitulus, quàm agnus præcipiatur esse anniculus.

VERS 4. IMMOLATE EOS (adducite ad me, vt ego eos immolem pro vobis;) CORAM DOMINO] coram altari holocaustorum, siue coram ostio tabernaculi.

IN SACRIFICIO] putà farreo. Hebr. enim est, *in mincha.* ad omnem enim victimam adiungebatur mincha, id est sacrificium farris vel panis, vt patet Numer. 15. quia sine pane aut farre non prandetur.

HODIE DOMINVS APPAREBIT] mittens ignem de cælo, qui sacrificia vestra comburet.

VERS. 5. TVLERVNT ERGO CVNCTA] postquam Aaron iussus à Mose id præcepit, vti dixit v. 3.

VERS. 10. ADIPEMQVE ET RENVNCVLOS AC RETICVLVM IECORIS, QVAE SVNT (partes hostiæ, putà vituli) PRO PECCATO, ADOLEVIT] id est, adolenda & cremanda imposuit altari: nam igne cælesti hæc, & sequentes victimæ postea consumptæ sunt, v. 24.

VERS. 11. CARNES VERO ET PELLEM EIVS EXTRA CASTRA COMBVSSIT IGNI] iuxta legem latam cap. 4. 12.

VERS. 15. EXPIATOQVE ALTARI] per hoc sacrificium pro peccato, cuius sanguine vnctum & aspersum est altare. Vnde hebraicè est, *& expiauit eo,* scilicet hirco, id est, vt Chald. *in sanguine hirci,* vti antè fecerunt sanguine vituli v. 9.

Nota. Peculiariter sacrificio pro peccato tribuitur expiatio & consecratio altaris, quia per illud altare expiabatur, id est aspergebatur per cornua sua sanguine, itaque dedicabatur ad expianda deinceps peccata, per sacrificia in eo offerenda.

Nota Secundò, hîc subintelligi, in hoc sacrificio facta esse illa quæ solent, quæque præscripta sunt c. 3. v. 2. 3. 4. videlicet adipes esse Deo incensos, & reliquum sanguinis fusum fuisse ad basim altaris.

VERS. 17. ADDENS IN SACRIFICIO (mincha) LIBAMENTA] olei & vini, de quibus Num. 15. 4. quam legem iam fuisse latam, ex hoc loco patet; licet posteriùs, Num. 15. referatur.

ABSQVE CÆREMONIIS HOLOCAVSTI MATVTINI] id est, absque eo quòd omitteretur, vel impediretur iuge sacrificium, matutinum & vespertinum.

VERS 19. & 20. ADIPEM, CAVDAM, &C. POSVERVNT SVPER PECTORA] non sua, sed pecorum iam immolatorum, quæ postea separauit Aaron, adipem & caudam Deo comburens, pectusculum verò & armos eleuans coram Domino, vt dicitur v. seq. Patet ex Hebr. Pectusculum enim & armus dexter non cremabantur, sed eleuata & oblata Domino cedebant sacrificanti, vti dictum est c. 7. v. 31. & 32.

VERS. 22. ET EXTENDENS MANVS AD POPVLVM, BENEDIXIT EI] Aaron scilicet nouellus pontifex. Forma

A benedictionis fuit illa quæ habetur Num. 6. 24. scilicet: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Huius benedictionis exemplum & fructus exstat 2 Paralip. 30. 27 cuius figuræ veritas in Christi benedictione tum aliàs, tum in ascensione ad cælos patuit.

Nota. Videtur hîc duplex fuisse benedictio: Aaron enim videtur bis benedixisse populũ; primò, cùm ipse composuisset hostias super altare: secundò, post egressum ex tabernaculo, tum enim cum Mose benedixit populo v. 23.

SICQVE COMPLETIS HOSTIIS, id est hostiarum iugulatione, concisione & impositione in altare, DESCENDIT] Aaron sacrificans: restabat
B enim hostiarum crematio, quæ postea facta est per ignem cælitus missum. Quare quæ v. 10. 13. 17. 20. de ea dicuntur, per anticipationem accipienda sunt, vt patet v. 24. Hic ergo videtur fuisse ordo & series rei: Primò, Aaron iugulauit, & immolauit omnes hasce victimas: Secundò, compositis simul holocaustis, & adipibus pacificorum & victimæ pro peccato super altare holocaustorum, Moses & Aaron ingressi sunt tabernaculum, oraturi Deum vt mitteret ignem de cælo, qui hasce hostias consumeret, (id enim futurum sciuit & prædixit Moses, vt patet v. 4. (simul vt incensum adolerent super altare thymiamatis. Tertiò, post eorum preces aduenit ignis diuinus è cælo, victimasque consumpsit. Quartò, hoc videns populus laudauit Deum, cui deinde Moses & Aaron benedixerunt, eumque domum
C dimiserunt. Quintò, vitulus oblatus pro peccato Aaronis, elatus est extra castra, ibique totus cum pelle combustus est, vti dicitur v. 11.

Ordo & series primitiarum Aaron.

ET DEINCEPS EGRESSI] Ita legendũ cum Hebr. Chald. Septuag. Roman. malè ergo in alijs, etiam Plantinianis, legitur *ingressi.* VERS. 23.

APPARVITQVE GLORIA DOMINI] putà *ignis egressus,* id est productus & emissus, *à Domino,* qui deuorauit holocaustum & adipes pacificorum, vt sequitur. Hunc ignem in victimas Aaronis misit Deus, vt ordinem sacerdotalem legis veteris à se institutum, & suas de sacrificijs leges hoc miraculo confirmaret, & quasi obsignaret; atque vt populi reuerentiam erga sacerdotes & sacrificia accenderet. Sic ignis è cælo descendens probauit sacrificium & religionem Eliæ certantis contra Baal, eiusque sacerdotes. 3. Reg. 18. v. 24. & 38. Idem ignis probauit sacrificia Sa-
D lomonis in dedicatione templi, 2. Paral. 7. 1. vide dicta Exodi 3. v. 2. Sic Gentiles fabulati sunt de simili suo igne diuino: sicut de Seleuco proditum est, qui cùm Ioui in Pella victimam immolaret, ligna aris imposita vltrò arsisse feruntur. Et Seruius in illud Æneid. 12. *qui fœdera fulmine sancit.* Quia, inquit, apud maiores aræ non incendebantur, sed ignem diuinum precibus eliciebant, qui incendebat victimas: indeque Iupiter Elicius appellatus est. Sed hæc vel fabulosa sunt, vel dæmonis arte & ope peracta.

Ignis à Deo missus deuorauit hostias Aaron, cur?

Nota Primò. Ignis hic octauo die ab erectione tabernaculi, & consecratione sacerdotum, missus fuit à Deo in altare, eiusque victimas; nam primis septem diebus consecrationis sacerdotum, Moses in sacrificijs suis communi vsus est igne: post diem verò octauum & ignem hunc è cælo lapsum,

lapſum, deinceps eo vſi ſunt ſacerdotes in ſacrificijs; quem quia Nadab & Abiu non adhibuerunt, ſed externum & profanum intulerunt in altare, idcirco igne Domini afflati & conſumpti ſunt, vt dicetur c.10.

Ignis hic iugiter ali debuit à ſacerdotibus. Nota Secundò. Hic ignis debebat à ſacerdotibus ſumma cura, appoſitis lignis, aliiſq; fomentis iugiter foueri & conſeruari, vt patet Leuit. 6. 12. vnde deinceps ab eis ſemper in tabernaculo, & deinde in templo ſeruatus eſt, vſque ad tempus captiuitatis Babylonicæ, & conflagrationis templi. *Ignis huius hiſtoria.* ea enim imminente, ſacerdotes ignem hunc diuinum ex altari & templo extulerunt, atque in puteo abſconderunt: quem ſoluta captiuitate requirentes iubente Nehemia, non ignem, ſed loco ignis aquam craſſam repererunt, quæ in eumdem ignem rurſum, ſacrificante ſacerdote eſt conuerſa. quo igne poſtmodũ vſi ſunt ſacerdotes in ſecũdo tẽplo Zorobabelis, atq; in huius rei & miraculi memoriã, inſtituerunt feſtũ dati, vel potiùs redditi ignis. *Feſtum dati ignis.* hæc omnia patet 2. Machab. 1. 19. & ſeq.

Fabulæ Hebræorum de hoc igne. Tradunt Hebræi, in igne iſto ſacrificia abſumente leonis faciem conſpectam fuiſſe, vt repræſentaretur Chriſtus, qui eſt leo de tribu Iuda, quique immenſæ charitatis ſuæ igne pro nobis in cruce hoſtia factus, omnia noſtra peccata abſumpſit, noſque Deo Patri reconciliauit. Addunt & alia multa, ſcilicet Primò, quòd ignis hic non poterat extingui aquis, etiamſi flumina inciderent & obruerent eum. Secundò, quòd non indigebat nutrimento; Deus tamen volebat vt ſacerdos illum nutriret. Tertiò, quòd ſeruabatur panno purpureo inuolutus. Sed hæ ſunt fabulæ Iudaicæ; cur enim tanta cura iuſſit ignem hunc nutriri Deus; niſi quia non tantùm aquis, ſed & deficiente fomite & lignis, extinctus fuiſſet? Errant Secundò, Iudæi, dum cenſent ignem hunc cæleſtem in ſecundo templo ſemper defuiſſe; contrarium enim patet ex 2. Machab. 1. 19. Hallucinatur Tertiò, Abulenſ. dum cenſet ignem hunc poſt octauum diem defeciſſe, eò quòd deinceps in deſerto per 38. annos non ſacrificarint Hebræi; ac proinde eos in Chanaan, cùm rurſum ſacrificare cœperunt, ignem non è cælo, ſed è ſilice naturaliter elicuiſſe, eoque ſacrificia cremaſſe. *Ignis hic non defecit in deſerto.* Ignem enim hunc numquam defeciſſe, patet tum ex loco Machab. iam citato, tum ex eo quòd iuſſit Dominus eum perpetuò nutriri & conſeruari, c. 6. 13. ita Ribera l. 5. de Templo c. 17. & alij paſſim. Pari modo iuſſit Deus in menſa panes propoſitionis iugiter, etiam in deſerto ſibi apponi, vt patet Num. 7. 7.

Myſticè ignis eſt caſtitas & puritas. Myſticè, ignis ſymbolum eſt caſtitatis & puritatis diuinæ, quam homines, maximè ſacerdotes, imitari debent. *Hinc Veſtales virgines erant cuſtodes ignis ſacri.* Hinc Romæ virgines Veſtales, pari obſeruantia ignem ſacrum & pudicitiã conſeruabant; ſed & ignem ipſum, vitæ pariter & caſtitatis ſymbolum, Veſtam vocabant: ſic enim de ea canit Ouidius in Faſtis: *Veſta quid.*

Nec tu aliud Veſtam, quàm puram intellige flammã,
Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit; & comites virginitatis amat.

De hoc igne ſacro, eiuſque cuſtodibus canit & Virgil. 4. Æneid.

Vigilemq; ſacrauerat ignem,
Excubias diuûm æternas.

Hunc ignem dum ſeruauerint & auxerint Chri-

A ſtiani, non metuent ignem illum, de quo ſcriptum eſt Deuter. 32 *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.*

Secundò, ignis eſt Spiritus ſanctus, qui in die pentecoſtes ſpecie ignis deſcendit in Apoſtolos & Eccleſiam, ſemperque cum ea permanet, vti iam antè deſcenderat in Chriſtum, Iohan. 1. 33. ita Iſychius & Radulph. quomodo hic ignis nutriri debeat, dixi c. 6. 11.

Secundò, ignis eſt Deus, Spiritus S. & charitas ob ſeptẽdecim rationes. Porrò quàm ignis Dei, Spiritus ſancti, & charitatis aptum ſit ſymbolum, audi. Primò, ignis eſt quaſi omnipotens, quia ferrum emollit, & omnia metalla liquefacit. Talis eſt Deus, & charitas. *Prima.* Secundò, ignis ſi hoſtis eſt, terribilis eſt ac formidãdus. vt patet in incendijs & fulminibus; ſin verò amicus, ſummè beneficus eſt: ignis enim cibos coquit, & omnia etiam duriſſima homini emollit. *Secunda.*
B Tertiò, ignis in tenebris ducatum præſtat, & perfugium. *Tertia.* Quartò, ignis contrectantem adurit, aſtantem calefacit: ita eminus & reuerenter cum Deo agendum eſt. *Quarta.* Quintò, ignis numquam eſt otioſus ac lãguens, ſed viuidus & actiuus. *Quinta.* Sextò, ignis in abſtruſis ſilicis venis deliteſcit: ita Deus in rebus creatis intimus eſt & abditus *Sexta.* Septimò, ignis eſt clarus & fulgidus, præſertim in caligine. *Septima.* Octauò, ignis ab omni alia re ſecretus & puriſſimus eſt, nec in eo quicquã eſt, quod non ſit ignis: quinimo aurum, argentum, & alia metalla purificat. *Octaua.* Nonò, ignis alijs ſe communicat, & integer in ſe perſiſtit, imò eo magis augetur. *Nona.* Decimò, ſummæ Dei ſapientiæ, bonitatis & potentiæ coniunctio, in ignis luce, calore & efficacitate mirificè exprimitur. *Decima.* Vndecimò, ignis alia conſtringit & obdurat; alia laxat & reſoluit: ſic Deus *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, Rom. 9. v. 18. *Vndecima.*
C Duodecimò, ignis plura inter ſe diuiſa liquefaciendo vnit & coagmentat: ita Deus gentes omnes in ſua fide & ſpiritu vnit. *Duodecima.* Decimotertiò, ignis aquam etiam ſibi contrariam, calefacit: ſic Deus, etiam ſuis hoſtibus benefacit. *Decimatertia.* Decimoquartò, ignis ſurſum tendit, q. d. Cæleſtis ſum; hinc maior ei efficacitas ineſt ſurſun, quàm deorſum. *Decimaquarta.* Decimoquintò, ignis alia liquefacit, alia non calefacit, vt adamantem & carbunculum; alia in fumum, alia in fauillam, alia in cineres, alia in calcem conuertit: ita varia eſt Dei, & Spiritus ſancti operatio. *Decimaquinta.* Decimoſextò, ſicut ab igne manat lux & calor, ita à Patre Filius & Spiritus ſanctus, ait Damaſc. l. 1. de Fid. 9. *Decimaſexta.* Denique, ignis hic altaris tam victimas, quàm offerentes, quaſi conſecrabat & ſanctificabat. Rectè ergo dixit Heraclitus, Deũm eſſe ignem intelligibilem. *Decimaſeptima.*

D Denique notent hic ſacerdotes quantæ dignitatis ſint ſacrificia, vtpote quibus ſe inſinuat & oſtẽdit gloria Domini, ac conſequenter quàm reuerenti, ſublimi & cæleſti mente ea offerre debeant. *Viſiones angelorum in ſacrificijs.* Audi S. Chryſoſt l. 6. de Sacerdotio: *Per id tempus (ſacrificij) angeli ſacerdoti aſsidẽt, & cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus eſt. Vidit enim ſenex quidam admirabilis, eo tempore angelorum multitudinem fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdãtium, atque ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente rege ſtantes videat.*

Ita S. Euthymius Abbas ſub annum Chriſti 503. ſacrificans ſæpè vidit angelos, ſecum Deo miniſtrantes, & ſacra contrectantes. Aliàs vidit ignem,

ignis. ignem, & lucem immensam desuper descendentem, quæ ipsum cum ministro vsque ad finem sacrificij complectebatur. testis est Cyrillus in eius Vita. Ita Spiritus sanctus ignis specie S.Anastasium sacrificantem circumdedit, vt habetur in Vita S.Basilij.

Ita S.Basilius sacrificium non peragebat, nisi diuina visio ei ostenderetur: quæ cùm quadam vice ob lasciuum diaconi aspectum ei negaretur, eum ab altari amouit, ac mox visione redeunte sacrificium consummauit. Aliàs visus est sacrificans candidissimo lumine & candidatis angelis circumdari. testis est Amphiloch. in eius Vita.

Ita S.Gudvvalus ante annos 500. Archiepiscopus existens, assiduè præmissis ieiunijs, vigilijs & precibus, celebrans, cælos vidit aperiri, angelos descendere, laudes Deo canere cum ingenti reuerentia: ipse verò ceu splendida lucis columna stabat, sancta sanctorum tractans, & agnum Dei immolans.

Ita super caput S.Martini, dum sacrificaret, A globus igneus apparuit, teste Seuero. & Christi.

Ita S.Plegilus presbyter sacrificans vidit Christum instar pueri in hostia consecrata, offerentem se illi ad amplexus & oscula. testis est Paschasius Corbeiensis libr. de Corp. & sang. Domini cap. 40.

Mira quoque sunt, quæ refert S.Gregor. homilia 37. in Euang. de S.Cassio Narniensi Episcopo celebrante assiduè.

Iohannes Moscus in Prato spirituali cap. 199. B commemorat senem, qui sacrificans videbat angelos dextra læuaque sibi assistere. Idem c. 4. refert, Abbatem Leontium vidisse angelum stantem ad dextrum altaris cornu, eique dicentem: *Ex quo sanctificatum est altare illud, ego iugiter illi astare iussus sum.* Idem prorsus vidit & audiuit Barnabas Abbas. ibidem c. 10.

Palladius in Lausiaca c. 72. scribit, Ammonam vidisse angelum signantem eos, qui dignè accedebant ad S.Synaxin, & eos qui fuerant ab eo deleti, post triduum obiisse.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nadab & Abiu igne alieno thurificantes, à Deo igne afflantur & occiduntur. Plangi eos à sacerdotibus vetat Deus. Secundò, v. 8. vetat Deus vinum & siceram sacerdotibus tabernaculum ingressuris. Tertio, v. 12. reliquias sacrificij à sacerdotibus comedi iubet.

1. ARreptisque Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incen-
sum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum. quod eis præce-
ptum non erat. 2. Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt co-
ram Domino. 3. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc ait Dominus: Sanctificabor in
ijs qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens
tacuit Aaron. 4. Vocatis autem Moyses Misaële & Elisaphan filijs Oziel, patrui
Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarij, & asporta-
te extra castra. 5. Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut iacebant, vestitos li-
neis tunicis, & eiecerunt foras, vt sibi fuerat imperatum. 6. Locutusque est Moy-
ses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios eius. Capita vestra nolite nudare, & ve-
stimenta nolite scindere, ne fortè moriamini, & super omnem cœtum oriatur indi-
gnatio. Fratres vestri, & omnis domus Israel, plangant incendium quod Dominus sus-
citauit: 7. vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum
quippe sanctæ vnctionis est super vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moysi.
8. Dixit quoque Dominus ad Aaron: 9. Vinum, & omne quod inebriare potest,
non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini:
quia præceptum est in generationes vestras. 10. Et vt habeatis scientiam discernen-
di inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum: 11. doceatisq; filios Israel
omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. 12. Locu-
tusq; est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios eius, qui erant residui: Tolli-
te sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermen-
to iuxta altare, quia sanctum sanctorum est. 13. Comedetis autem in loco sancto:
quod datum est tibi & filijs tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.
14. Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in lo-
co mundissimo tu & filij tui, & filiæ tuæ tecum. tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de
hostijs salutaribus filiorum Israel: 15. eò quòd armum & pectus, & adipes qui cre-
mantur in altari, eleuauerunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos, lege
perpetua, sicut præcepit Dominus. 16. Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro pec-
cato, cùm quæreret Moyses, exustum reperit: iratusq; contra Eleazar & Ithamar filios
Aaron, qui remanserant, ait: 17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco
sancto, quæ sancta sanctorum est, & data vobis vt portetis iniquitatem multitudinis, &
rogetis pro ea in conspectu Domini, 18. præsertim cùm de sanguine illius non sit illa-
tum

tum intra Sancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? 19. Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem accidit quod vides. quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in ceremonijs mente lugubri? 20. Quod cùm audisset Moyses, recepit satisfactionem.

VERS. I. ARREPTISQVE NADAB ET ABIV FILII AARON THVRIBVLIS] Hebr. *& acceperunt thuribula*, videlicet quæ suspensa erant ad altare holocaustorum, vt ea implētes incenso ingrederentur Sanctuarium, & adolerent super altare thymiamatis, vti præceptum erat Exod. 30. v. 8. & 20.

Nadab & Abiu primitia.

Videntur hi seniores & digniores Aaronis filij voluisse suas etiam, post patrem, ministerij sui primitias inire, & pro gratiarum actione adolere incensum. Vnde videntur hæc contigisse octauo die, putà eodem die quo Aaron celebrauit suas primitias, aut certè paulò pòst: nam sicut primum sacerdotis munus erat immolare, quod iam fecerat Aaron; ita secundum erat adolere thymiama, quod hi iam facere cogitabant; tertium erat accendere lucernas.

OFFERENTES CORAM DOMINO IGNEM ALIENVM] Erat in atrio tabernaculi, putà in altari holocaustorum, ignis sacer è cælo lapsus, quem Deus iusserat foueri, vt eo solo vterentur ad sacrificia & thymiamata, vti dixi cap. præced. v. 24. Erat in eodem atrio ignis profanus & communis, quo vtebantur ad coquendas carnes hostiæ pacificæ, & hostiæ pro peccato, quibus vescebantur in atrio partim sacerdotes, partim laici offerentes. Eodem vsi fuerant ad domesticos vsus Aaron, Nadab & Abiu, septem diebus consecrationis suæ, quibus continuò in tabernaculo versati sunt. Hoc ergo igne profano, qui à sacris debebat esse alienus, pro sacro in thurificatione sua vsi sunt Nadab & Abiu, *coram Domino*, id est, coram altari holocaustorum, & coram ostio tabernaculi. Secundò & veriùs, *coram Domino*, id est, in altari thymiamatis (in hoc enim per thuribula adolendum erat thymiama,) quod erat coram Domino residente in propitiatorio & Sancto sanctorum.

In atrio erat duplex ignis, sacer & profanus.

Cur igne alieno vsi sunt Nadab & Abiu? Respond. Primò.

Quæres, vnde contigerit hic Nadab & Abiu lapsus, vt igne profano vterentur ad adolendum thymiama?

Hebræi putant id eos fecisse ex temulentia, eò quòd ebrij nescirent quid facerent. ita R. Simeon, R. Moses, R. Salomon. Huic sententiæ fauet, quòd Dominus post necem Nadab & Abiu, mox v. 8. Aaroni & sacerdotibus ingressuris tabernaculum vinum & omne quod inebriare potest, prohibeat. Hæc enim cautio & lex suspicionem mouet, eos fuisse temulentos, non tamen omnino ebrios: hoc enim non tacuisset Scrip: & si planè fuissent ebrij, impotes & inepti fuissent ad concinnandum & adolendum thymiama.

Secundò. Secundò, dici posset id eos fecisse ex inconsideratione & perturbatione: sic enim videmus nouellos sacerdotes inexpertos, timidos & turbatos, in suis primitijs multos errores committere.

Tertiò, & genuinè. Tertiò & probabilissimè, dici potest, eos, cùm vi subitì ignis è cælo labentis, victimas cap. præced. v. 24. deuoratas conspicerent; nouitate miraculi partim exultantes, partim perculsos & perturbatos, non ausos fuisse accedere ad altare, vt inde ignem sacrum acciperent, sed aliunde festinanter rapto igne, incensum Domino pro gratiarum actione obtulisse: ad hanc enim incitabat eos gaudium ex dato cælitus igne, sed metus terrebat eos, vt eum attingere non auderent. hoc enim significat *τὸ arreptisq;*, quod hanc historiam cum historia ignis diuini cap. præcedenti connectit. Vnde hi Aaronis filij inobedientiæ quidem non caruerunt reatu, crimen verò damnabile magis significauerunt, quàm admiserunt, inquit Radulph. Iuuentus enim vti feruens est, ita præceps est & inconsiderata, vt rectè rogatus Socrates, quænam sit iuuenum virtus, dixerit: *Nihil nimis.*

Mysticè ignis alienus, Primò, est hæresis.

Tropolog. ignis alienus significat hæreses, & aliena à fide dogmata Nouantium. ita Isych. Beda, & S. Cyprianus libr. de Vnitate Ecclesiæ. Vnde Nadab hebraicè significans *spontaneum*, & Abiu significans *patrem eius*, eos notant, qui non vocante Deo, sed sponte se sacris ingerunt; vel carnalis posteritatis obtentu, aut propinquorum potentium commendatione, sacerdotale munus vsurpant. ita Radulph.

Secundò, concupiscentia.

Secundò, ignis alienus est quæuis cupiditas, quæ igni sacro, id est charitati, est contraria. Charitas enim est ignis è cælo missus, & animæ à Deo inditus; ignis verò alienus est, cùm anima ardet ira, auaritia, luxuria, inquit Radulph. hæc enim non Deus, sed caro, vel dæmon animæ suggerit & indit.

QVOD EIS PRÆCEPTVM NON ERAT] Id est, *quod eis vetitum erat*: alioquin enim non peccassent, nec morte puniti fuissent. est liptote. vide can. 26. Hinc constat legem de non vtendo igne alieno in sacris, à Deo fuisse latam, etiamsi hactenus Scriptura eam nusquam expresserit. Satis tamen eam insinuat c. 6. v. 9. cùm ait: *Ignis in eodem altari erit*, vti ibidem dixi. Licet enim ea lex disertè tantùm de victimis loquatur, tamen à pari, aut potiùs à maiori, ad thus & thymiama extendenda videtur. Hoc enim *Sanctum sanctorum* vocatur Exodi 30. 36. vnde & victimæ in atrio ante Sanctum; thymiama verò in Sancto ante Sanctum sanctorum adolebatur.

EGRESSVSQVE IGNIS A DOMINO] q. d. A Domino ex altari holocaustorum in eos immissus est ignis, cùm ipsi tenderent ad Sanctuarium & ad altare thymiamatis: nam antequam eò peruenirent & adolerent, occisi sunt ante tabernaculum, siue Sanctum, in eius atrio: hoc enim significat *τὸ*, *mortui sunt coram Domino*, id est, coram ostio tabernaculi. VERS. 2.

Secundò & veriùs, Abulens. & Vilalpando, *à Domino*, inquiunt, id est altari thymiamatis, quod erat obuersum propitiatorio (quod erat quasi thronus Dei) egressus est ignis, qui deuorauit Nadab & Abiu; ipsi enim cum thuribulis iā ingressi erāt Sanctum, & in altari thymiamatis obtulerant & adoleuerant ignem alienum, vt dicitur v. 1. vnde ex eodem altari vltor in eos ignis erupit. puniti enim sunt ob sacrilegium, non mente destinatum, sed opere perpetratum.

Ignis vltor ignis alieni erupit ex altari holoc. vel potiùs thymiamatis.

Vbi Nota. Ignis de cælo lapsus, ex altari holocaustorum in thuribulis deferebatur ad altare

re thymiamatis, quotidie manè & vespere, ad adolendum thymiama; vnde idem ignis cælestis censebatur tam esse altaris thymiamatis, quàm holocaustorum, & fortè iam actu delatus erat ad altare thymiamatis, vt thymiama vespertinum adoleretur: hæc enim peractis omnibus Aaronis sacrificijs, quæ totum diem octauum facilè occuparunt, sub eius vesperam contigisse videntur, quando tempus erat adolendi thymiama. Ex hoc ergo altari ignis sacer, non ferens consortiū ignis alieni, prosilijt, eumque cum offerentibus absorbuit. Aduerte, iustè puniuntur igne, qui igne peccauerant: in quo enim quis peccat, per hoc & punitur.

Hinc patet figmentum esse quod aiunt Rabbini, scilicet Nadab & Abiu igne esse consumptos, eò quòd manus & pedes non lauissent iuxta præceptum Exodi 30.19. quòd non omnes vestes sacras induissent, sed tantùm tunicas, quòd vxores accipere noluissent, quòd contra Mosen ipso præsente de lege docuissent.

Mysticè, ignis vltor est vindicta Dei, & excōmunicatio Ecclesiæ.

Mysticè, ignis hic, est ignis diuini examinis & vindictæ, 1. Cor. 3. 13. ita Radulph. Rursum ignis hic est excommunicatio Ecclesiæ, ait Isychius.

DEVORAVIT EOS] non omnino eos concremando & consumendo; sed instar fulminis affligēdo & occidendo: nam postea eorum integra corpora sepulta sunt; idque fecit Deus ad consolationem Aaron, & vt pœnā eorum mitigaret. Voluit Deus recentem legem, & sacerdotij religionem tam seuera vindicta sancire, in posterorum exemplum. Simile exemplum statuit S. Petrus Christianis, puniens Ananiam & Sapphiram, Actor. 5. Vnde probabiliter opinatur Abul. Deum Nadab & Abiu morte præsenti punisse, vt æternā euaderent: itaque eos vel venialiter tantùm peccasse, vel si mortaliter peccarant, antequam efflarent animam, illud contritione delesse. cuius rei signum est Primò, quòd corpora eorum manserint illæsa; Secundò, quòd Moses iusserit eos in vestibus sacris tumulari; Tertiò, quòd Deus iusserit toti populo, vt eos plangeret. vnde Radulph. *Mors*, ait, *eorum æterna mortis figuram potiùs, quàm veritatem exhibuit.*

Nadab & Abiu non damnati, sed saluati videntur.

Deus punit subinde morte peccata venialia.

Vbi Nota. Iustè Deus potest peccata venialia, etiā cessante scandalo, punire morte, quod facere nequit iudex inter homines. Est enim Deus absolutus omnium Dominus, qui summum in vitā & necem omnium ius habet & imperium. Cuius rei illustre exemplum est 3. Reg. 13. 24. vbi vir Dei & propheta sanctus occisus est à leone iussu Dei, quia deceptus ab alio propheta in eius domo cibum sumpserat, quod Deus illi vetuerat. Simili modo Deus occidit Ozam, eò quòd arcam labentem suffulcijsset & tetigisset, 2. Reg. 6. 6.

VERS. 3. HOC EST QVOD LOCVTVS EST] Vbi & quando dixerit Deus id quod sequitur: non constat, quia nusquam expressum aut scriptum est. Simile notaui v. 1. Hinc patet multa à Deo dicta & iussa esse Mosi & Hebræis, quæ non sunt scripta, sed tradita per manus.

SANCTIFICABOR IN IIS QVI APPROPINQVANT MIHI] Id est, in sacerdotibus, qui ad mea sacra accedunt, ostendam me esse sanctum, ac proinde & eos ministrantes mihi sanctos esse, me velle declarabo, puniendo profanos & sacrilegos. Punitione ergo & iustitia, æquè vt clementia sanctificatur, id est, sanctum se ostendit Deus. Hinc S. Au-

A gustinus q. 31. *Sanctificatus est*, inquit, *Deus in eis, quia alijs per hanc vindictam commendatus est timor eius.* Hac de causa Numa Pompilius apud Romanos instituit, vt sacrificantibus aliquis inclamaret: *Hoc age.* quo monerentur ipsi & astātes, vt summa attentione & reuerentia interessent rei diuinæ; ne Dei offensam & vindictam incurrerent.

FRATRES] cognatos. erant enim in tertio gradu consanguinitatis. Simile est Genes. 13. 8. vbi Abraham vocat Lot fratrem, id est nepotem ex fratre. VERS. 4.

CAPITA VESTRA NOLITE NVDARE] Septuag. vertunt, τὰς κεφαλὰς ὑμῶν οὐκ ἀποκιδαρώσετε, *capita vestra non decidarabitis*, id est, *cidara non nudabitis.* q. d. Non plangetis mortem fratrum vestrorum Nadab & Abiu, nec dabitis signa luctus, nec B ad funus eorum prodibitis. Mirum est, Chaldæum vertere contrario sensu, *non multiplicabitis*, vel *non nutrietis comam capitis vestri*; fortè ipse Hebræum תִפְרָעוּ *tiphrau*, accepit in contraria significatione, vt significet *comare*, vel *comā alere*, ex eo quòd פֶּרַע significet *comam.* Sic & in alijs vacillat subinde versio & fides Chaldæi, dum ipse cum Talmudicis rabbinizat. VERS. 6.

Lugentes scindebant vestes, & caput puluere aspergebant.

Vetatur id hic Aaroni, cur.

Mos erat lugentium vestimēta scindere, & capitibus nudatis puluerem aspergere, vt patet Iob 1. 20. 1. Reg. 4. 12. ergo cùm hîc vetatur ne vestes scindāt, & capita nudent, vetatur ne mortem fratrum plangāt. In recenti enim eorum cōsecratione, maximè ipsorum & publico honori ac sanctificationi consulendum & parcendum fuit, ne aut sacras vestes nouas scinderent, aut pontifex capiti suo, quod sacro perfuderat vnguento (puluere C forsitan, præ doloris nimietate, illud aspergendo) tiaræ ornatum detraheret, itaque festum hoc funestarent. hanc causam dat ipse Deus v. 7.

Tropol.

Mysticè, cùm ignis alienus, id est hæresis, exsurgit, non oportet nudare caput intelligibili cidare, id est non oportet fidem integram de Christi diuinitate (hæc enim Christi est caput) seponere, neque vestimenta scindere, id est stolam humanitatis Christi, eiusque gesta infirmare aut resecare: huc enim omnes ferè tendunt hæreses, scilicet vt vel diuinitatem, vel humanitatem Christi oppugnent. ita Isychius.

NE FORTE MORIAMINI] τὸ *fortè* non est dubitantis: certò enim morituri erant, si facerent quod hîc vetatur, scilicet si fratres suos plangerent. Vtitur tamen Scriptura subinde in rebus certis phrasi D hac dubitationis, vt ostendat homines esse liberi arbitrij, & euentum esse liberum ac dubium: licet enim conditionalis hæc propositio esset certa, *Si plangatis moriemini*; euentus tamen, putà mors erat dubia: quia dubium erat an essent facturi planctum, ob quem morte erant puniendi. ita S. Gregor. hom. 9. in Ezech. Chrysost. & Hieron. in 21. Matthæi.

ET SVPER OMNEM COETVM ORIATVR INDIGNATIO] q. d. Ne populus puniatur à Deo, propter pontificis & sacerdotum peccatum, tamquam principum & capitum suorum.

VOS AVTEM NON EGREDIEMINI FORES TABERNACVLI] putà fores atrij tabernaculi; in atrio enim manebant sacerdotes, non autem in ipso tabernaculo, siue Sancto: sic sæpè in Leuitico & alibi, tabernaculum sumitur pro atrio tabernaculi; hoc enim erat quasi tabernaculum & templum, tam sacerdotum, quàm laicorum. VERS. 7.

OLEVM

OLEVM QVIPPE SANCTÆ VNCTIONIS EST SVPER VOS] q.d. Recenter iam inuncti & consecrati estis sacerdotes, & in reuerentiam huius nouæ consecrationis, volo vos abstinere ab omnibus inquinamentis, etiam funerum: item à planctu & puluere. quia, vt ait Radulph. *indignum est vt terrena dispendia immoderatiùs defleant, quibus cælestium gratiarum compensatio tanta refusa est.* Vnde populo hîc permittitur plangere, non autem sacerdotibus necem fratrum suorum. Notent hoc sacerdotes, & Religiosi noui Testamenti.

VERS. 9. VINVM ET OMNE QVOD INEBRIARE POTEST (hebraicè כל שכר *col sechar, omnem siceram*, id est omne inebriatiuum, NON BIBETIS, TV ET FILII TVI, QVANDO INTRATIS IN TABERNACVLVM TESTIMONII, NE MORIAMINI] Sub pœna mortis vetatur hîc sacerdoti sacris operaturo vinum & sicera, vt scilicet ipse effugiat pigritiam, obliuionem, somnum, amentiam: hæ enim sunt proles & partus vini & siceræ, inquit Philo l.2. de Monarchia. vtque sui compos habeat scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, vt dicitur v.10. q.d. Vt inter ministrandum non erret, sed secernat sacrum à profano; idque doceat filios Israel. Hinc aliqui suspicatur, Nadab & Abiu punitos esse, quòd non cauissent sibi à nimio potu, ex eoque pro igne sacro profanum accepissent. cur enim alioqui hæc vna lex abstinentiæ à vino, hîc mox à morte eorum ingereretur & sanciretur? cur alioqui iuberentur secernere sanctum à profano?

Sacerdoti sacrificaturo vetatur vinum, cur?

Audi Petrum Chrysologum: *Vini odor odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis flammas prouocarat altaris. Vnde, quia alienati vino, alienum portauerunt ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium.* Hinc & S. Hieron. ad Nepotianum: *Numquam vinum redoleas. Hoc non est osculum porrigere, sed vinū propinare. Vetus lex dicit, Qui altario deseruiunt, vinū & siceram non bibant.* & infrà: *Facilè contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat. Numquam petentes, rarò accedamus rogati. Nescio enim quomodo ipse etiam qui deprecatur vt tribuat, cùm acceperis, viliorem te iudicat, & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posteriùs veneratur.*

Mor. de abstinentia à vino.

Denique clericus vino & gulæ deditus, sacerdos est non Dei, sed Bacchi: tali enim, vt ait Tertull. l. de Ieiunijs, *Deus venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & Spiritus sanctus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia, &c. cui agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet.*

Audi Gentiles: Apud Trœzenios qui ad Aridalicarum rem diuinam faciebant, & deorum responsa expetebant, per integrum diem cibo, à vino autem per triduum abstinebant, teste Alexandro ab Alex. l.6. c.2.

Ampharatus summus vates iussit sacerdotes, qui responsa clara accipere, & sincerè reddere vellent, integrum diem à cibo, triduum à vino abstinere, inquit Volaterr. l.13. c.4.

Qui volebant sacris Isidis initiari, illis ieiunium 10. dierum indicebatur, teste Apuleio l.11.

Quin & laici Christiani olim, ante & post sumptionem S. Eucharistiæ ieiunijs & abstinentijs sese exercebant, teste S. Chrysost. in c.11. 1. ad Cor. Ludouici Pij Imper. ægrotantis cibus per quadraginta dies non erat alius, quàm Dominicum

A corpus. testis est Aimoin. lib.5. cap.29.

Zeno Imper. in electione Episcopi Constantinopolitani toti populo ieiunium quadraginta dierum indixit, teste Niceph. l.16. 18.

Porrò de vino extat Alciati emblema 24. *Prudentes vino abstinent:*

Quid me vexatis rami? sum Palladis arbor,
Auferte hinc botros, virgo fugat Bromium.

Et Homer. 1. epigram.

Vinum & balnea & circa venerem amor,
Per velociorem viam mittit in infernum.

Et Horat. 1. epist 5.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

Putat S. August. q.31. Aaronem, & quemlibet pontificem ei succedentem, numquam potuisse bibere vinum & siceram, eò quòd pontifex, inquit, singulis diebus debebat intrare tabernaculum, vt adoleret incensum. Sed nititur falso fundamento: putauit enim S. August. altare thymiamatis fuisse in Sancto sanctorum, in quod solus pontifex ingredi poterat, ac consequenter putat ipse solum pontificem potuisse adolere thymiama.

B

Censet S. Aug. pontificem veterem numquam bibisse vinū, verè ne?

Verùm Exodi vlt. demonstraui, altare thymiamatis non fuisse in Sancto sanctorum, sed in Sancto, ac consequenter quemlibet sacerdotem potuisse in eo offerre thymiamata, vti expressè dicitur 1. Paral. 6.49. & 2. Paral. 26.18. ita Radulph.

PER MANVM MOYSI] per Mosen. VERS. 11.

TOLLITE SACRIFICIVM] farreum. Hebr. enim est *mincha*, quod Aquila teste Hesychio vertit, *donum de frumento*, vide dicta c.6. v.16 & 17. VERS. 12.

C

QVOD DATVM EST TIBI ET FILIIS TVIS DE OBLATIONIBVS] Hebr. *de ignitionibus*, id est de victimis ignitis, vel igne crematis Domino. VERS. 13.

EDETIS IN LOCO MVNDISSIMO] Hebr. *mundo*, id est *sancto*, vt vertunt Septuag. & sacrificijs dicato, videlicet in atrio tabernaculi iuxta altare holocaustorum. VERS. 14.

TIBI ENIM AC LIBERIS TVIS REPOSITA SVNT (hebraicè *data sunt*, scilicet à Deo, qui ita sanxit) DE HOSTIIS SALVTARIBVS] id est de hostijs pacificis, quæ pro pace, id est salute & prosperitate, offeruntur.

EO QVOD ARMVM ET PECTVS, ET ADIPES QVI CREMANTVR IN ALTARI, ELEVAVERVNT CORAM DOMINO] q.d. Quia ex hostia pacifica sacerdotes speciali cæremonia eleuarunt mihi armum, & pectus cum adipibus, (hebr. *cum ignitionibus*, id est cum oblationibus adipum, qui igne Deo cremandi sunt) ita vt hæc tria mea sint, cùm reliquæ carnes hostiæ cedant ipsis laicis offerentibus: hac de causa volo, vt propter hanc eleuationem, & ministerium sacerdotum, hæc tria nobis vtrisque cedant; sed ita vt adipes mihi adoleantur, armus verò & pectus cedant sacerdotibus in cibum. VERS. 15.

D

INTER HÆC, HIRCVM QVI OBLATVS FVERAT PRO PECCATO (populi, c.9 v.15.) CVM QVÆRERET MOYSES, EXVSTVM REPERIT] eò quòd Aaron & filij eius, recenti suorum clade perculsi & mœsti, hircum hunc pro peccato comedere non possent, vti debebant iuxta legem latam c.6.26. ideoque censerent hircum comburendum esse, vti & carnes alias Deo oblatas ipsis residuas Deus comburi iusserat c.7.17. VERS. 16.

IRA-

IRATVSQVE CONTRA ELEAZAR ET ITHAMAR] A Aaron parentem omittit, quia magis eum quàm fratres tangebat mors filiorum, videbatque eum mœrore absorptum.

VERS. 17. CVR NON COMEDISTIS HOSTIAM PRO PECCATO IN LOCO SANCTO, QVÆ SANCTA SANCTORVM (valdè sancta) EST, ET DATA VOBIS VT PORTETIS INIQVITATEM MVLTITVDINIS?] vt scilicet cum hostijs populi pro peccato simul etiam populi peccata in vos quasi recipiatis, vt illa expietis, & pro eorum venia Deum deprecemini.

VERS. 18. PRÆSERTIM CVM DE SANGVINE ILLIVS NON SIT ILLATVM INTRA SANCTA] Vox *præsertim*, hic non est exceptiua, sed expositiua & rationalis. Patet ex Hebr. Chald. Septuag. q.d. Omnino oportuit vos, ô sacerdotes, comedere hircum pro peccato oblatum: nam de sanguine illius non est illatum intra sanctuarium, nec aspersum altare thymiamatis. Talis enim hostia comedi debebat à sacerdotibus; illa verò cuius sanguis inferebatur intra Sanctum, non comedebatur, sed tota comburebatur extra castra, vt dictum est c. 6. 30.

VERS. 19. QVOMODO POTVI COMEDERE EAM?] Hebr. *si comedissem hodie sacrificium pro peccato, an bonum fuisset?* id est an placuisset in oculis Domini? q.d. Minimè placuisset, si hoc tempore hanc cæremoniam comestionis seruassem: nam in tanta meorum strage & ira Dei, potiùs tempus est mœroris & ieiunij, quàm lætitiæ & epuli, vel conuiuij. quam excusationem & satisfactionem vt iustam probauit & acceptauit Moses. Rectè enim Agesilaus, cùm subitò nocte mouens castra cogeretur amicum ægrum à tergo relinquere, dixit: Tali casu *difficile est simul misereri & sapere.*

Moraliter, discamus hic à Mose in ira & iniuria facilè excusationem admittere, misereri, animumque lenire, & ad indulgentiam componere. Est enim hæc iræ victoria, mansuetudo & clementia animi principis & regij. Ita Seneca l. 2. de Ira c. 30. hortatur, vt si quid ab aliquo patimur, excusemus. *Puer*, inquit, *est? ætati donetur: nescit an peccat. Pater est? aut tantum profuit, vt illius iam iniuria ius sit; aut fortassis ipsum hoc meritum eius est, quo offendimur. Mulier est? errat. Iussus est? necessitati quis nisi insipiens succenset? Læsus est? non est iniuria pati quod priùs feceris. Iudex est? plus illius credas sententiæ, quàm tuæ. Rex est? si nocentem punit, cede iustitiæ: si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto: imitaris illud, si irasceris. Morbus est, aut calamitas: ergo leuiùs transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis operam si irasceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui iniuriam fecit? noli credere: malus? noli mirari.* — *Principis est in ira facilè excusationem admittere.* — B

Symbol. S. Ambros. ad Simplicianum, explicãs hoc Aaronis dictum, docet errati excusationem esse pronam, pœnitentiam verò difficilem. *Nihil*, inquit, *peccare, solius Dei est: pœnitentiam gerere peccati, sapientis est. Id tamen difficile est. repugnat enim natura, repugnat verecundia.* Et mox: *Præponderant enim futuris præsentia, & violenta moderatis, & plura paucioribus, & iucunda serijs, & asperis mollia, & tristibus læta, & illecebrosa rigidioribus, & præpropera tardioribus. Velox enim est iniquitas: quia opere cogitationem anteuertit: Lenta autem virtus, & diuturna cunctatrix: quia adorienda inspicit, & priùs examinat quid decorum & honestum. Pigra igitur & verecunda est pœnitentia: solis enim intendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus.*

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SAncit Deus legem de animalibus mundis, quibus vesci licet, & immundis quæ comedi vetat. Primò ergo terrestria munda esse decernit ea tantùm, quæ vngulam habent diuisam, & simul ruminant. Secundò, v. 9. ex piscibus mũdos vult haberi eos solos, qui pinnulas habent & squamas. Tertiò, v. 13. designat viginti aues immũdas; locustas verò, quia saliunt, mundas esse statuit. Quartò, v. 29. reptilia omnia immunda esse, eorumq; morticina tangentẽ contaminare decernit.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Dicite filijs Israel:
Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. 3. O-
mne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis. 4. Quid-
quid autem ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut camelus &
cetera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. 5. Chœrogrillus qui
ruminat, vngulamque non diuidit, immundus est. 6. Lepus quoque: nam & ipse
ruminat, sed vngulam non diuidit. 7. Et sus: qui cùm vngulam diuidat, non rumi-
nat. 8. horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda
sunt vobis. 9. Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne quod
habet pinnulas & squamas, tam in mari quàm in fluminibus & stagnis, comedetis.
10. Quidquid autem pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis mouentur
& viuunt, abominabile vobis 11. execrandumque erit: carnes eorum non comede-
tis, & morticina vitabitis. 12. Cuncta quæ non habent pinnulas & squamas in a-
quis, polluta erunt. 13. Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda
sunt vobis: Aquilam, & gryphem, & haliæetum, 14. & miluum ac vulturem iuxta
genus suum, 15. & omne coruini generis in similitudinem suam, 16. struthio-
nem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus suum: 17. bubonem, & mer-
gulum, & ibin, 18. & cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem, 19. herodio-
nem

nem & charadrion iuxta genus suum, vpupam quoque & vespertilionem. 20. O-
mne de volucribus quod graditur super quattuor pedes, abominabile erit vobis.
21. Quidquid autem ambulat quidem super quattuor pedes, sed habet longiora
retrò crura, per quæ salit super terram, 22. comedere debetis, vt est bruchus in
genere suo, & attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula iuxta genus suum.
23. Quidquid autem ex volucribus quattuor tantùm habet pedes, execrabile erit
vobis: 24. & quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus
vsque ad vesperum: 25. & si necesse fuerit vt portet quippiam horum mortuum,
lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad occasum solis. 26. Omne ani-
mal quod habet quidem vngulam, sed non diuidit eam, nec ruminat, immundum e-
rit: & qui tetigerit illud, contaminabitur. 27. Quod ambulat super manus, ex cun-
ctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit mortici-
na eorum, polluetur vsque ad vesperum. 28. Et qui portauerit huiuscemodi ca-
dauera, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum: quia omnia hæc
immunda sunt vobis. 29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ mo-
uentur in terra, mustela & mus & crocodilus, singula iuxta genus suum, 30. myga-
le, & chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa: 31. omnia hæc immunda sunt. Qui
tetigerit morticina eorum, immundus erit vsque ad vesperum: 32. & super quod
ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum & vestimentum,
quàm pelles & cilicia: & in quocumque fit opus, tingentur aqua, & polluta erunt vs-
que ad vesperum, & sic postea mundabuntur. 33. Vas autem fictile, in quod horum
quidquam intrò ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est. 34. Omnis cibus
quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod
bibitur de vniuerso vase, immundum erit. 35. Et quidquid de morticinis huius-
modi ceciderit super illud, immundum erit: siue clibani, siue chytropodes, de-
struentur, & immundi erunt. 36. Fontes verò & cisternæ, & omnis aquarum con-
gregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. 37. Si cecide-
rit super sementem, non polluet eam. 38. Si autem quispiam aqua sementem
perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, ilico polluetur. 39. Si mortuum fue-
rit animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vs-
que ad vesperum: 40. & qui comederit ex eo quippiam, siue portauerit; lauabit
vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum. 41. Omne quod reptat su-
per terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. 42. Quidquid super pectus
quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, non comede-
tis, quia abominabile est. 43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis
quidquam eorum, ne immundi sitis. 44. Ego enim sum Dominus Deus vester:
sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod
mouetur super terram. 45. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægy-
pti, vt essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. 46. Ista est lex ani-
mantium ac volucrum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aqua, & reptat in
terra, 47. vt differentias noueritis mundi & immundi, & sciatis quid comedere &
quid respuere debeatis.

VERS. 2. HÆC SVNT ANIMALIA QVÆ COMEDERE DEBETIS] quæ comedere licet. patet ex Hebr. Chald. Septuag.

Cur cibos mundos ab immundis discreuit Deus? Prima causa. Quæres, Cur hanc ciborum obseruantiam, & animalium mundorum ab immundis discretionem sanxit & præcepit hîc Deus.

Respondeo, Prima causa fuit, vt in ijs populus iste rudis haberet continuum exercitium, tum temperantiæ, tum obedientiæ, tum religionis & latriæ; mundis vescendo, immundis abstinendo ob honorem & reuerentiam Dei ita iubentis, itaque semper Deum coleret: nam vt ait Tertull. libr. de Cibis Iudaicis cap. 4. *Multa à Iudæis ciborum genera sublata sunt, non vt illa damnarentur; sed vt isti coërcerentur seruituri vni Deo: quia ad hoc assumptos frugalitas decebat, & gula temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina, imò (vt ita dixerim) consanguinea potiùs atque cognata; sanctitati enim inimica luxuria est.* *Secunda.* Secunda, vt corporali munditiei populus iste assuescens, ab im- A munditijs idololatrarum, & immundis eorum sacrificijs epulisque longiùs auocaretur. *Tertia.* Tertia, vt per hæc ad munditiem mentis excitatus assurgeret, & Christo ex se nasciturо purissimè se compararet. *Quarta.* Quarta, quia hæc immunda tropologicè vitiorum, à quibus cauere debemus, erãt symbola. Hanc causam Eleazarus pontifex dedit legatis Ptolemæi Philadelphi, petentis sibi mitti LXXII. Interpretes, qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum conuerterent, vti dixi can. 27. Hanc causam passim quoque Patres assignant, vt Tertull. vel potiùs Nouatianus libr. de Cibis Iudaicis, quem ipse adhuc Catholicus existens scripsit, in quo fusè & minutim animalia hîc vetita, per vitia eis significata explicat. afferam eius verba v. 30. Clemens Alexandr. l. 2. Pædag. 10. Cyrill. libr. 9. contra Iulian. ante finem, Origen. hîc homil. 7. Euseb. lib. 8. de Præpar. Euang. c. 3. & S. August. lib. contra Adimantum cap. 15. Cùm enim Adimantus, vtpote Manichæus, oppu-

oppugnaret vetus Testamentum, tamquam à Deo malo datum, ac nominatim hanc abstinentiæ legem argueret ex illo Matth. 15. *Quod intrat in os non coinquinat hominem*, respondet S. August. hos cibos Iudæis non fuisse vetitos, quòd per se mentem coinquinent: sed hæc de eis præcepta populo carnali fuisse posita, ad significationem humanorum morum, & vt futuram disciplinam spiritualis populi Christiani prophetarent. Hinc etiam, vt notat S. Cyrill. l. 14. de Adoratione, quædam hîc vetantur quæ comedi non solent, quæque omnes naturaliter respuimus & abhorremus, vt stellio, mustela, mus, &c.

Animalia immunda hic vetita sunt praua complexionis & nutrimenti.

Porrò hæc omnia appositè ad naturam sancita & discreta sunt. nam animalia hîc immunda censentur, edique vetantur, quæ natura sua vel sunt venenosa, vti sunt omnia reptilia, quæ semper humi repunt, itaque ex terra humiditatem viscosam, fœtidam & noxiam imbibunt, eamq; in cute demonstrant: vel quæ immundis cibis vescuntur, vt porci & vpupæ, quæ inter stercora viuunt; & ciconiæ, quæ serpentes comedunt: sic & vespertiliones, noctuæ, bubones; quæ omnia immundis aluntur alimentis: vel quæ distemperatæ sunt complexionis, vt pisces hîc vetiti, qui omnes mali sunt nutrimenti: vel quæ feræ sunt & rapaces, vti gryphes, milui, vultures. Sic Pythagoras suis interdixit ne faba vescerentur, eò quòd is cibus magnam habeat inflationem, ideoque stomachum ac caput distendat, & tranquillitatem mentis interturbet, ait Cicero l. 1. de Diuin.

Hæc ergo immunditia horum animalium duplex est; putà formalis iam dicta, qua ipsa animalia in se aliquid immundi & distemperati continent: altera causalis, qua immunditiam similem causant in homine. quia cùm in se sint malæ complexionis, maliq; & noxij alimenti; hinc si comedantur, in homine intemperiem humorum generant, morbos creant, imò aliquando enecant.

Potissima tamen causa fuit symbolica, vt nimirum hæc animalia immunda significarent immunditiem peccatorum & vitiorum, quorum ipsa appositè sunt symbola, vti dixi.

Immunditia hæc erat legalis, non spiritalis.

Nota. Hæc animalium immunditia erat corporalis & legalis, quæ animam non inquinabat (nisi quis per inobedientiam, sciens contra legem ea comedisset) sed tantùm arcebat Iudæos à ministratione & oblatione sacrificiorum, atque ab introitu Sanctuarij. ab his enim abstinere debebat, qui cibos hîc vetitos etiam inscius comedisset, donec se expiasset: perinde ac lepra arcebat leprosos à conuictu hominum, totisque castris.

Vers. 3. Animalia quæ ruminant & habent vngulam fissam, sunt munda, cur?

OMNE QVOD HABET DIVISAM VNGVLAM, ET RVMINAT IN PECORIBVS, COMEDETIS] Vt ergo animal sit mundum quo vesci licuerit Iudæis, debebat habere hæc duo: Primò vngulam, eamque diuisam & bisulcam. nam quæ non habent vngulam, nimis humidæ sunt complexionis: quæ habent vngulam, sed eam non habent fissam, vti sunt equi, asini, cameli, nimis sicci & duri sunt temperamenti & alimenti, nec corpori humano nutriendo conueniunt: quæ verò vngulam habent eamque diuidunt, vti oues, boues, capræ, homini alendo congruunt, quia temperatæ sunt complexionis, ideoque munda censentur. ita Abulens. Secundò, debebat ruminare. nam quæ ruminant melioris sunt digestionis, ideoque & melioris sunt complexionis. quòd si alterum ho-

A rum desit, putà si animal non habeat vngulam fissam, aut non ruminet, censetur immundum. Vnde immundorum exempla subijcit, camelum, leporem, suem, &c.

Tropolog.

Tropologicè, ruminant sancta animalia, putà viri sancti, qui verbum Dei quod aure percipiũt, in ventrem memoriæ recondunt, hocque sæpiùs quasi ad os cordis reuocantes, frequenti retractatione comminuunt. ita S. Gregor. in c. 7. Cantic. S. Cyrillus verò lib. 9. contra Iulian. docet ruminare esse prudentiæ symbolum. Pedem diuidunt, qui in actione bonum à malo secernunt. Vtrumque ergo requiritur ad munditiem & sanctitatem, videlicet & ruminare verba Dei, & ea opere explere. ita Radulph. Isychius, Eusub. l. 8. de Præpar. c. 3. Cyril. libr. 14. de Adoratione, qui &

Ruminare est symbolũ prudentiæ.

B addit aliam tropologiam: bifidus, ait, vnguis perspicua figura est, qua significatur posse nos in vtramque partem rectè incedere, videlicet quoad nos & quoad alios.

Ruminare ergo symbolum est prudentiæ. prudens enim est cogitabundus, & singula mente ruminans, videt quid in quaque re expediat, quomodo Deo & hominibus, etiam impijs satisfaciat.

Narrat Plutarch. in Lacon. de Acrotato viro prudente, quòd parentibus postulantibus eius operam in re iniusta, negarit, cumque ij vrgerent, dixerit: *Vos me educastis ad iustitiam, patriæq; legibus tradidistis; conabor ergo his potiùs, quàm vobis obsequi. ac quoniam vultis me optima agere; optimum autem est cùm priuato, tum multò magis principi, id quod est iustum: agam quæ vultis, quæ verò dicitis de-*

C *trectabo.* Ita prudenter & suauiter rem illicitam negauit, simulque intentioni & voluntati parentum satisfecit. Ruminatio enim mille modos & media ad quiduis, ac præsertim ad odia declinanda, & gratiam hominum conciliandam, suggerit. Idem narrat, quòd Aristo audiens Cleomenis dictum, quo rogatus, quod esset regis boni officium? dixerat: Amicis bene, inimicis malè facere; illud ruminans correxerit dicens: *Quanto, mi homo, rectius erat amicis benefacere; inimicos autem amicos efficere?*

IN PECORIBVS] in quadrupedibus animalibus.

SICVT CAMELVS] Camelus immundus est, quia vngulam habet, sed eam non diuidit. Moses, inquit Cyrill. libr. 14. de Adorat. ponit exempla camelum & leporem, id est maximum & mini-

D mum, vt media inter hæc non ruminantia, vel non diuidentia vngulam, immunda & vetita intelligamus.

Vers. 5. Chœrogryllus, quod animal?

CHOEROGRYLLVS] Quod & quale animal est est chœrogryllus? Primò, Clemens Alexand. l. 2. Pædag. 10. intelligit hyænam. Secundò, Abulens. Lyran. Caietan Oleast. & alij recentiores intelligunt cuniculum.

Nota. Hebræa vox שפן *saphan* tria significat, Primò, chœrogryllum; Secũdò, leporem; Tertiò, hericium. ita ex Philone S. Hieron. in Nominib. Hebraicis in Ierem. שפן *saphan* enim per ש vel צ *tectum, absconditum* & *latitans* significat. Vnde *saphan* generale est nomen, & cõmune multis animalibus fugacibus, & in latebris degentibus: sicut & pleraq; alia Hebræa animalium vocabula multis competunt, vti demonstrat Ribera in c. 5. Zachar. n. 21. Idque patet ex eo, quòd idem nomen à varijs,

variis, putà à Septuag. Chald. & Nostro variè, imò & à Nostro aliter hîc, aliter ibi vertatur: sic *saphan* hîc & Deuter. 14. v. 7. Noster vertit *chœrogryllum*, vti & vertunt Septuaginta. alibi vertit *leporem*, vt Prouerb. 30. 26. alibi vertit *herinacium*, vt psal. 103. 18.

Chœrogryllus est animal Palæstinæ instar cuniculi. Chœrogryllus ergo, vel herinaceus est animal magnitudine mediocrium cuniculorum, de cauernis petrarum gregatim procedens, pascensque in Palæstina iuxta mare mortuum, inquit Eucherius lib. de Nomin. Hebraic. c. 12. atque inde fortè græcè dictus est chœrogryllus à χοιρὰς, id est *rupe*, & χοῖρος, id est *porcus*, quasi dicas *porcellus rupium*. ita ferè & S. Hieron. vel quisquis est auctor commentariorum in Prouerb. cap. 30. nam hæc comment. non esse S. Hieronymi ex eo colligitur, B quòd hoc ipso loco auctor citet S. Hieronymum. Potiùs videntur esse Ven. Bedæ, cui ea attribuit Trithemius. Hic ergo auctor sic ait: *Pro lepusculo antiqua translatio chœrogryllum posuit. Est autem hoc animal non maius hericio, habens similitudinem muris & vrsi cuius in Palæstina regionibus magna est abundantia, semperq; in cauernis petrarum & terræ foueis habitare consueuit.*

Vnde & Origenes hîc pro chœrogryllo vertit *herinaceum*. Chœrogryllus ergo distinctũ est animal à cuniculo & hericio, licet id neget Petrus Serranus. quorsum enim Septuag. & Noster vocaret eum chœrogryllum, tam obscura & ignota voce, si esset cuniculus vel hericius? hæc enim nomina & animalia nobis notissima sunt. Vnde & Eucher. ac S. Hieron. distinguit herinaceos siue chœrogryllos ab hericiis siue echinis, qui spinosos vndique habent aculeos, vt vix contingi pos- C sint, quos ad libitum exserunt, vel remittunt & contrahunt, iisque pomis se in hortis onerant, quæ ad latibula sua deferunt.

Vers. 6. Lepvs qvoqve (immundus est:) nam et ipse rvminat, sed vngvlam non dividit] Nam *Lepus immundus, cur?* lepus non habet vngulam, seu basin pedum osseam & continuam quam diuidat, sed loco eius habet vngues varios & aculeatos. Sub lepore cuniculum intellige: nam cuniculus est lepus paruus, vt ait Plinius lib 8 55. Clemens Alexandr. leporem vetitum putat ob libidinem, cui valdè obnoxium est hoc animal. Vnde & tot fœtus simul concipit & parit.

Lepores multi habent vtrumque sexum. Hac etiam de causa leporibus multis vterque inest sexus. Audi Gesnerum varia ex variis more suo colligentem tomo de Quadrupedibus, in lepore: *Lepus quadrupes hebraicè* אַרְנֶבֶת *arnebet vo-* D *catur, voce feminini generis, eò quòd lepores omnes (vti doctissimi plerique testantur) vtrumque sexum habeant. Archelaus de leporibus scribit vtramque vim, & vtrumque sexum singulis inesse, ac sine mare æquè gignere. Quòd idem lepus aliquando mas, aliquando femina fit, & naturas transmutet, & quandoque velut masculus generet, quandoque velut femina pariat, manifestum esse Democritus tradit in Geoponicorum 19. 4. Ideoq; à physicis, ait Donatus, lepus dicitur incerti sexus, ac esse modò mas, modò femina. De lepore ait Niphus: Illud verum est, quòd sit mas & femina, & ad alterum incubus, & ad alterum succubus. vnde tradunt venatores, in genere leporum inueniri eum, qui est femina tantùm; sed nullum esse marem qui non sit femina. quod sensibus subiacet: nam inuentus est lepus testibus atque metula præditus, qui lepusculos ferebat in vtero, nec non & lepus ferens lepusculos, testibus carens & mentula.*

A *quæ contra aduersariorum obiectiones dilutio manifestissima est. Nos verò testamur, vidisse leporem solum marem, & leporem tantùm feminam, & leporem vtriusque sexus, idq; apud nostros venatores probatissimum habetur. Hæc Niphus.* & iisdem penè verbis Ælianus, qui idem se vidisse testatur. Idem docent Patres, quos citabo v. 30. in fine. Hæc iure & more Iudæorum. Nam Gentilibus lepus in deliciis fuit, & mensæ decus. Audi Martialem lib. 13. Epigram.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet;
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Tropologicè, hisce quatuor animalibus significantur quatuor vitia, quatuor virtutibus cardinalibus contraria. Primò, camelus gibbosus symbolum est superbi & superbiæ, quæ prudentiæ & sapientiæ est contraria. Vera enim sapientia est humilis: è cõuerso camelus gibbosus est & stolidus. Nota est fabula: camelus petebat à Ioue, vt cornibus armaretur; cuius ille stolidis precibus irrisis, etiam aures mutilauit, vt non solùm inermis, sed etiam deformis de cætero esset. Secundò, lepus timidus significat acediam & pusillanimitatem, quæ formidini & constantiæ repugnat. Tertiò, chœrogryllus, qui vastat & depascitur agros alienos, significat iniustitiam, iustitiæ contrariam. Quartò, sus sordida significat gulam & libidinẽ, quæ temperantiæ aduersatur. horum ne morticinis quidem, id est malis actionibus externis, communicare licet. ita Isychius. *Tropolog. camelus est superbia, lepus acedia, sus gula, chœrogryllus iniustitia.*

Et svs (immundus est,) qvi cvm vngvlam dividat, non rvminat] Per suem porcum accipe, tam marem quàm feminam: hoc enim est Vers. 7. C Hebræum חֲזִיר *chasir*; omnis enim porcina caro vetita fuit Iudæis: vnde etiamnum omni porcina abstinent Iudæi. Pari modo *sus* apud Priscianum & Latinos communis est generis, & tam porcum quàm porcam significat. hinc illud Virg. 3. Georg. *Sus immũdus tam mas quàm femina.*

Ipse ruit, dentesq; Sabellicus exacuit sus.

Ridiculè nonnulli apud S. Polycarpum epist. ad Philippens. suis esum hîc vetari putarunt, eò quòd sus cùm comedit ita vorat, vt non agnoscat dominum suum, quodque cùm esurit grunnitum edat ad dominum: hæc enim est natura & naturalis musica suis. Veriorem causam dat Cicero l. 2. de Natura deorum: *Sus, inquit, quid habet præter escam? cui quidem ne putresceret, animam pro sale datam esse, dicit Chrysippus.* Hinc sanctus ille Abbas in Vitis Patr. lib 6. cap. 1. n. 8. *Sicut, ait, oculi porci semper intendunt in terram, ita anima delapsa in voluptatum & luxuriæ cœnum, vix potest respicere ad cælum, aut sapere aliquid dignum Deo.* Porrò errat Plutarch libr. 5. Sympos. quæst. 5. vbi docet Iudæos abstinere suilla ex reuerentia: eos enim suem reuereri; eò quòd sus fuerit sationis & arationis magistra, præsertim in Ægypto. sus enim rostro terram effodiens, vestigium arationis impressit, & vomeris opus submonstrauit. Similiter errat, dum ait Iudæos abstinere lepore, *eò quòd æmulatione Aegyptiorum ducti, velocitatem leporis diuinam reputant, itemq; sensus instrumentorum subtilitatem. Nam leporum oculi adeò sunt indefessi, vt etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem videndi videntur cæteris anteire: cuius admiratione ducti Aegyptij in suis sacris literis, picto lepore auditum significant.* Probabilior causa est quam subdit: *Suillam abominantur Iudæi, quòd abhorrent à vitiligine & lepra, quas putant esu harum carnium adsciscì.* *Sus animam habet pro sale.*

Alij porcum immundum putarunt, ex eo quòd terram suffodiat, itaque semina & messem subuertat. qua de causa Romani immolabant porcum Cereri mense Aprili, cum lampadibus & tædis accensis in vestibus albis. Audi Ouidium:

——— Prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro spemq; interceperit anni.

Et alibi:

Prima Ceres grauida gauisa est sanguine porcæ,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.

Denique Hadrianus Imper. vt Iudæos sua vrbe abigeret, porcum insculpsit Hierosolymæ, eamque ex suo nomine Eliam nuncupauit. Audi Euseb. in Chron. *Aelia ab Aelio Hadriano condita & in fronte eius porta qua Bethlehem egredimur, sus sculptus in marmore significans Romana potestati subiacere Iudæos*; vt hoc simulacro quasi titulo significaret, Iudæos propria ciuitate, patrioque solo esse interdictos, ac Ierusalem iam non esse Iudaicam, sed Gentilitiam & Romanam. Romani enim porcum ob infractum animi robur, in vexillis præferebant, teste Festo in verbo *porcus*. Quocirca Iudæi Vitellium iturum contra Arabes deprecati sunt, ne castra & signa effigie porci insignita, per Iudæam traduceret, teste Iosepho lib. 5. Belli c. 1. Denique hac sculptura porci significabat, Iudæos esse hominum scelestissimos. Nam, vt ait Horus, & ex eo Pierius Hierogl. lib. 9. porcus symbolum est hominum veritatem spernentium, profanorum, perniciosorum, & eorum qui à Deo penitus sunt auersi. ita Baron. anno Christi 137.

Vers. 8. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis] Vnde nec adipem eorum eximere, eóve vti poterant: secùs erat de animalibus mundis, illa enim mactare, & mactata tangere, ex iisque adipem eximere, eoque vti licebat; nisi essent morticina sponte mortua, vel diu occisa, vel laniata à bestia: tum enim etiam hæc immunda erant & vetita.

Vers. 9. Omne quod habet pinnulas et squamas tam in mari, quam in fluminibus et stagnis, comedetis] Pro *pinnulas*, Biblia Regia legunt *pennulas*: vnde & Septuag. vertunt πτερύγια, id est *alas*: Tertull. libr. de Cibis Iudaicis legit *remigia*. omnia hæc eôdem recidunt: pisces enim qui pinnulas habent, eas gestāt quasi pennulas & alas, vt iis natent & librent se in aquis, sicut aues in aëre. Vt ergo pisces sint mundi quibus vesci liceat, duo debent habere, Primò, pinnulas; Secundò, squamas, quæ totum penè corpus contegant: quòd si alterutrum desit, immundi censentur. pisces enim carentes pinnulis vel squamis, vti anguillæ, nimis humidi, viscosi, & insalubres sunt: squamæ enim & pinnulæ siccitatis sunt indices. vnde caro talium densior, albior & sanior est: ideoque tales mundi censentur: pisces enim humiditate abundant, eaque facilè nocent stomacho & corpori humano; vnde sale conditi vel siccati saniores sunt recentibus.

Pinnula sunt piscibus, quod pennula quibus.

Pisces habentes pinnulas & squamas sunt sicciores, ideoq; mundi.

Tropologicè, squamæ grauitatem morum & firmitatem bonæ conuersationis in medio sæculi significant; pinnulæ significant sensus superna cogitantes. Pisces namque qui pinnulas habent, saltus dare super aquas solēt, ait S. Gregor. Squamas ergo habent, qui rigore virtutis muniti, sæcularis occupationis appetitum non admittunt; pinnulas verò habent, qui subinde secretum contemplationis petunt, & vndis sæcularium curarum supernatant, quique mentis saltibus ad superna conscendere sciunt, vt eos amoris summi, quasi liberi aëris, aura contingat, inquit S. Gregorius lib. 5. Mor. 6. Radulphus, Beda, Cyrillus l. 9. contra Iulian. ante finem, & Tertullianus, vel potiùs Nouatianus lib. de Cibis Iudaicis.

Tropolog. squama firmitatem, pinnula contemplationem significant.

Quidquid autem pinnulas et squamas non habet, abominabile vobis execrandumque erit] Quasi dicat, Ab iis abhorrebitis & fugietis, quasi à re immunda & fœtida. Quare peccabant Iudæi aliter facientes, non quòd animal immundum, sed quòd inobedientia mentem pollueret, quæ culpa non expiabatur lustratione externa: per eam enim tantùm immunditia legalis & corporalis eluebatur; sed contritione & pœnitentia. Hinc Machabæi ditissima pati, ac martyrium grauissimum subire maluerunt, quàm carnē suillam hîc vetitam comedere, 2. Machab. 7. Hinc etiam S. Petrus eadem ita exhorruit, vt diceret Act. 10. v. 10. *Numquam manducaui omne commune & immundum.* Vers. 10. & 11.

Machabæi mori maluerunt quàm suillam comedere.

Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: aquilam, et gryphem, et haliæetum] Egit Moses Primò, de mundis & immundis quadrupedibus, v. 3. Secundò, de piscibus, v. 9. Tertiò, de auibus hîc agit. Has auium species ex Hebræo aliter & variè vertunt Hebræi: verùm nostro Interpreti tum hîc, tum Deuter. 14. 12. per omnia consentit Chald. & Septuag. excepto eo quòd pro *onocrotalo* Septuag. substituunt *pelicanum*, de quo v. 18. Vers. 13.

Aquila est immunda, quia in alias aues pugnax & rapax est auis. Vnde Cicero, audiens in Pharsalica pugna fugisse Pompeium, cùm Nonius diceret, septem adhuc adesse aquilas, ideoque bene sperandum: *Rectè*, inquit, *moneres, si aduersus graculos esset pugnandum: at iam Cæsar est hostis & victor.* ita Plutarch. in Cicerone. Aquila ergo Iudæis vetatur: quia, vt ait Isidorus, *qui aquilam, miluum & accipitrem odit, odit raptores & scelere viuentes.* vnde S. Augustinus in psal. 123. docet aquilam esse symbolum dæmonis: hic enim est prædo animarum, qui circuit quærens quem deuoret. Rursum aquila vocatur Nabuchodonosor similesque tyranni, vti dicam Deuteron. 28. v. 49.

Et gryphem] Quæres, an & quid sit gryps siue gryphus? Gryphes existere docent è Græcis Herodotus, Pausanias, Ctesias, Ælianus: è Latinis Mela, Solinus, Apuleius, & alij; ponuntque eos in Scythia Asiana, vel in montibus Riphæis. Ctesias ait gryphes esse aues quadrupedes lupi magnitudine, cruribus & vnguibus leoninis, pennis in pectore rubris, in collo cæruleis, in reliquo corpore nigris, oculis igneis. Addit Leonicenus, equo similem esse auem: Volaterranus, vultu non multùm ab humano distare. Abulensis hic, & Iohannes de Monteuilla aiunt, gryphem antrorsum aquilæ speciem præ se ferre, leonis retrorsum; magnitudine æquari octo leonibus, tantarum esse virium, vt duos boues, aut equum cum equite in aëra asportet. Hæcque vulgò multorum est opinio.

Gryphes an sint, & quid.

Gryphum idea ex veteribus.

E contrario gryphes non existere, sed esse fabulosos contendit Plinius, qui penè phreneticos vocat eos, qui aues tales esse asserunt. Item Origenes,

Gryphes esse negat Plinius.

genes, qui nimis temerariè Mosen reprehendit, quòd gryphes manducari Hebræis vetuerit. Item Matthias Michonius & Perottus Decembrius in Sarmatia Asiana, qui nec auem inueniri in Septemtrione, nec in montibus Riphæis, ait experientia constare.

De fide est gryphes esse, esseq; aues. Dico Primò, De fide est gryphes esse, esseque aues. patet ex hoc loco Scripturæ: Hebræum enim פרס *peres gryphum* significat, vti vertunt Septuag. Chald. & Noster. *Peres* enim auem significat curuas & ingentes habentem vngulas (à פרסה *parsa*, id est *vngula*) vti & rostrum. Talis est ergo gryphus, indeque *gryphus* Græcis & Latinis aduncum, curuum, vngulatum significat. Inde Antiochus Gryphus, & alij ab adunco & aquilino naso, dicti sunt *gryphi*.

Gryphes veterum fabulosi sunt. Dico Secundò, Gryphes, vti à veteribus iam dictis describuntur, fabulosi sunt: experientia enim constat auem nullam reperiri, quæ partim sit auis, partim leo vel equus; hinc & veteres gryphes pingendo, eos iungebant sphingi: constat autem sphingem esse fabulam.

Dico Tertiò, Qui sint gryphes, certò definiri nequit. Probabilis tamen est sententia Vlyssis Aldrouandi lib. 10. cap. 1. & Goropij; Mosen per *Gryphes sunt aquilæ maximæ & rapacissimæ.* gryphem hîc significare aues, &, vt videtur aquilæ genus maximum, quod maximè aduncum habet rostrum & vngues, estque fortissimum & rapacissimum, cuius magnitudo, robur & rapacitas occasionem fabulæ veteribus dedisse videntur.

Prob. Primò. Probatur id Primò, quia id significat Hebræum פרס *peres*. Rursum, quia gryphus hîc ponitur post aquilam, ante haliæetum; sicut ergo haliæetus est *Secundò.* species aquilæ, ita videtur esse & gryphus. Secundò, quia Aristophanes gryphem speciem aquilæ ponit, vocatque χρυσαίετον, quasi dicas, *gryphem aquilam*; sicut *haliæetos* vocatur, quasi dicas *aquila marina*. Gryps ergo est grypæetos, hoc est aquila rapacissima, quæ grypho, id est maximè *Tertiò.* adunco, est rostro & vnguibus. Tertiò, quia Sigismundus Heberstainius legatus Cæsaris ad Ducem Moscouiæ, scribit apud Moscos aquilis similes aues, sed multo maiores esse, quas Mosci *Quartò.* *kreutzel* vocant. Quartò, quia aquilæ quædam in maximam quantitatem excrescũt. Narrat Georgius Fabricius anno 1550. inter Misniam & Dres- *Aquilarum magnitudo.* dam Germaniæ oppida, inuentum esse aquilæ nidum per tres quercus extensum, in eo vitulorum & ouium coria reperta, & hinnulum recèns allatum. Pullus vnus habebat alas septem vlnis longas, cùm per transuersum erant expansæ, vngues erant digitis viri magni æquales, crura leoninis maiora. Aldrouandus narrat in Æthiopia aquilas esse tam magnas & fortes, vt bouem vel equum integrum pedibus abripiant.

Paulus Venetus de auis ruc magnitudine mira narrat. Paulus Venetus scribit, se vltra Madagascar de aue *ruc* dicta frequenter ab incolis audiisse, quæ alas tantas habebat, vt pennæ duodecim passus lõgæ essent; ipsa autem tam fortis, vt elephantem eleuet & asportet, aitque se putasse quòd gryphus esset: sed audiisse, quòd bipes esset, nec vlli bestiæ similis: quamquam gryps reuera, si auis est & aquila, bipes est.

Symbol. gryphes sunt principes rapaces. Exempla. Tropologicè, gryphes sunt principes auari, iniusti & rapaces, *Remota iustitia*, ait S. August. lib. 4. de Ciuit. cap. 4. *quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi parua regna? hoc malum tantum crescit, vt & loca teneat, sedes*

A *constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, & euidentius regni nomen assumit. Quod etiam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita impunitas. Ideo eleganter & veraciter Alexandro Magno quidam pirata comprehensus respondit, cùm ab eo interrogaretur, quid sibi, vt mare haberet infestum? ille libera voce, Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed ego quia exiguo nauigio facio, vocor latro: quia tu magna classe, imperator.*

Nero numquam cuipiam officium delegauit, nisi hæc adiiceret: *Scis quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat.* Vox prædone, quàm principe dignior.

Flau. Vespasianus quoniam rapacissimum quemque promouere solebat, vt mox ditatos condemnaret, vulgò dictus est officiarios suos habere pro spongiis: quòd (veluti spongias) & B siccos madefaceret, & humentes exprimeret. ita Suetonius.

Batto Dalmata à Tiberio rogatus, cur toties cum suis à Romanis defecisset, eisquè tantam cladem intulisset? respondit: *Vos in causa estis, qui ad greges vestros custodiendos, non canes dedistis aut pastores, sed lupos.* ita Dion in Augusto.

C. Caligula, cùm eum Antonia auia moneret, vt quædam secùs ageret: *Memento*, ait, *mihi omnia in omnes licere.*

Ludouicus XII. rex Franciæ dicere solebat, vt habent Annales: *Plebem & rusticos esse pascua tyrannorum & militum: tyrannos autem & milites esse pascua diabolorum.*

Phalaris dicere solebat: *Ego qui expertus sum vtrumque, tyrannidi malim subesse, quàm præesse. Subditus enim aliorum malorum securus, vnum tyran-* C *num metuit: tyrannus autem & eos qui fosis insidiantur, & illos per quos seruatur.*

HALIÆETVM] Græcè ἁλιαίετος, idem est quod *Haliaetus est aquila marina, qualis?* *aquila marina*, à mari & piscatoribus sic appellata. ἅλς enim est *mare*, & ἁλιεὺς est *piscor*; ἀετὸς verò est *aquila*: de qua Plinius lib. 10. c. 3. *Haliaetus*, inquit, *est species aquilæ clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, visoq; in mari pisce præceps in eum ruens, & discussis pectore aquis rapiens.*

IVXTA GENVS SVVM] iuxta species suas, per species suas: multæ enim sunt vulturum & miluorum species. VERS. 14.

IN SIMILITVDINEM SVAM] id est secundùm similitudinem suam. q. d. Omnes aues similes coruo vel coruinas, quasi immundas habeo & censeo, edique veto. id patebit v. 19. VERS. 15.

LARVM] Larus siue gauia, vt eam vocat Aristo- VERS. 16. D tel. natat in aquis, & volat in aëre, ait Isych. pisciumque est præda. Ita Oppianus lib. de Aucu- *Larus auis immunda, qua?* pio, putà in Ixeuticis, id est in viscatoria, siue in arte capiendi aues visco. Vnde prouerbium, *larus hians*, pro rapace & furace. Hinc & orta est fabu- *Lari fabula.* la: laros olim fuisse homines, qui primi venationem & prædam marinam exercuerint: deinde à diis in aues mutatos, iuxta vrbes & portus volitantes, veteris etiamnum artis & prædationis meminisse. ita Oppianus. Larus quoque est symbolum gulæ. vnde Alciatus in emblemate gulæ, gulosum ita depingit:

Gulosi emblema & gnoma.

Gurgulione gruis, tumida vir pingitur aluo,
Qui larum aut manibus gestet onocrotalum.

Verè Iuuenalis sat. 1.

Sunt quibus in solo viuendi causa palato est.

Et Socrates: *Alij*, ait, *viuunt, vt comedant: ego comedo* vt

vt viuam. Et Seneca 10. Rhetor. *Quidquid*, inquit, *auium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. quære nunc cur subitò moriamur? quia mortibus viuimus.*

Audi S. Hieron. contra Iouinian. & in epist. *Semper saturitati iuncta est lasciuia: vicina sunt venter & genitalia, pro membrorum ordine est & ordo vitiorum.* Et rursum: *Cor habet in ventre gulosus, lasciuus in libidine, cupidus in lucro.* Et rursum: *Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleuerunt, nisi citò ablatione sanguinis minuantur, in paralysin & pessima morborum genera erumpere. Non enim in vno statu manere naturam corporum, sed aut crescere aut decrescere; non posse viuere aliàs, nisi crescendi capax sit. Et Galenus ait, quorum vita & ars sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse; animasq; ita nimio sanguine & adipibus, quasi luto inuolutas nihil tenue, nihil celeste, sed semper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare.*

Hugo Victorin. tract. de Claustro animæ: *Superstitiosum nimis*, inquit, *quidam in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum & condimentorum genera excogitantes; modò mollia, modò dura; modò frigida, modò calida; modò cocta, modò assa; modò pipere, modò allio, modò cymino condita, secundùm consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes; ita vt eis desudent cocorum artes, quæstiones, & solicitudo. Isti videntur colere ventrem tamquam Deum.*

Et rursum: *Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: ita Deo ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coci, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incensorum ordo saporum.*

Audi & D. Alanum tract. de Complanctu naturæ: *Hæc*, ait, *pestilentia non vulgari humilitate contenta, profundiùs se porrigit in Prælatos, qui salmones, lucios, cæterosq; pisces variis decoctionum cruciatos martyriis, baptismi adulterantes officium, sacro piperis fonte baptizant, vt ex tali baptismate multiformem saporis gratiam consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, auis eiusdem viscositate ligatur, dumq; tot animalium genera vno ventris ergastulantur in carcere; aquatile animal secum pedestre aëreumq; genus in eodem sepulchro intumulari miratur: quibus si detur licentia exeundi, egressis vix porta sufficiet amplitudo.*

Alius: *Est calicum remex, & nauita symposiorum.*

VERS. 17. *Ibis auis quæ docuit clysterem.* IBIN] Ibis, Ægyptia est auis, serpentibus & scorpiis infesta, iisque vescens, quæ rostri aduncitate salsuginem adhibens, per eam partem se perluit, qua reddi ciborum onera maximè est salubre. quod aduertentes Ægyptij clystere sunt imitati. Ibis ergo homines docuit clysterem. ita Plinius lib. 8. c. 27. & Plutarch. dialog. An bestiis aliquid rationis insit; meritò ergo ibis ex lege immunda erat auis.

Coruum & ibin ore generare fabula est. Solinus tradit, ibin ore generare & concipere. idem de coruo nonnulli putarunt & putant. Sed hæc est fabella, quam validè refutat Aristoteles lib. 3. de Generat. animal. 6. vnde enim semen ex ore in matricem permearet? deberet enim priùs transire stomachum: ibi autem concoqueretur. Fabula inde nata est, quòd corui rarò videantur vti venere, sed sæpè rostris iungi.

VERS. 18. ONOCROTALVM] Septuag. vertunt *pelicanum*. Fortè eamdem intelligunt auem. Nam & Oppianus in Ixeuticis onocrotalum vocat eumdem

A quem pelicanum; & Gesnerus libr. de Auibus, in onocrotalo, speciem onocrotali recenset pelicano congenerem: quin & S. Hieronymus psal. 101. v. 7. cum Septuag. Hebr. קאת *kaa* pelicanum vertit, & in comment. eiusdem loci, asserit pelicanum vocari onocrotalum. Porrò onocrotalus dicitur ab ὄνος, id est *asinus*, & κρόταλον, id est *crepitaculum*: eò quòd absona voce crepitando rudentem asinum referat. *Onocrotalus est auis quæ rudit instar asini.* Dicitur à nonnullis *gutturosa*, ab ingluuie, quæ in gutture eius, instar strumæ propendet, atque in nonnullis tanta est, vt quinquilibres viuos pisces vorent sorptu vno: imò ex Francisco Sanctio narrat Aldrouandus Ornith. l. 19. c. 2. in onocrotalo quodam, cùm præ grauedine cecidisset, & captus esset, paruulum puerum Æthiopem inuentum esse. Hebraicè vocatur קאת *kaa*, à vomitu, tum quia aquam quam *Hebr. vocatur kaa, id est vomens, cur.*

B ingluuie illa continet, reuomit, vt prædam ex ea seligat & comedat, teste Plinio lib. 10. c. 47. tum quia conchas deuoratas, & calore gurgulionis, vel stomachi sui apertas reuomit, vt ex eis carnem ab ostreis seligat & deuoret. Meritò ergo hæc Iudæis immunda fuit auis: quin & Christiani ea abstinent, quia carnem habet duram, excrementitiam, & vix ferendi odoris, maximè cùm annosior est, ait Aldrouandus.

Ob alias tamen eius proprietates, hæc auis in bonum capitur. nam ob rudem & lugubrem eius vocem, pœnitentes & gementes assimilantur pelicano, siue onocrotalo, psal. 101. 7. Sic & aquilæ, herodij, milui, pro diuersis earum qualitatibus nunc in bonum, nunc in malum capiuntur. Sic leoni comparatur tam Christus, ob fortitudinem Apocal. 5. v. 5. quàm diabolus, ob crudelitatem,

C 1. Petr. 5. 8. ita Radulph. & Isychius.

PORPHYRIONEM] Porphyrio auis est in capite habens veluti cristam, magnitudine par gallinis, sed crura ei longiora. à colore nomen inuenit; rostrum enim habet rubicundum, vti & crura. hinc græcè dicitur porphyrio, id est purpureus. ita Oppianus in Ixeuticis, Gesnerus & Aldrouandus. Rapinæ piscium inhiat, ait Procopius, & solus morsu bibit, omnem cibum aqua subinde tingens, deinde pede ad rostrum velut manu afferens. Ita Plinius l. 10. 46. & Aristot. lib. 8. Histor. animal. c. 6. *Porphyrio auis morsu bibit, ideo est immunda.* Addit ex Polemone Aldrouandus, porphyrionem indocilem esse, nec vnquam mansuescere, & ex Æliano ac Callimacho, eum nullius aspectum pati dum comedit; itaque secedere & in occulto comedere. His de causis immundus habitus est. Alia tamen ex parte mirè eius pudicitia

D laudatur. Refert ex Polemone Athenæus l. 9. de Cœnis sapientum c. 12. porphyrionem in domibus nutritum, mulierum pudicitiæ esse custodem, earumque adulterium sagacissimè deprehensum, suo suspendio & nece indicare ac prodere. *Porphyrio adulterium prodit.* Sed quomodo per se auis laqueo se suspendat? Quare rectiùs per abstinentiam à cibo, & per inediam se necando, eum id facere dixit Polemon, & ex eo Aldrouandus, qui & ex Tzetze addit, eum tam esse pudicum, vt viso scorto expiret.

HERODIONEM] Huius auis Aristoteles, Plinius, Oppianus, & alij non meminerunt: quis ergo est herodius vel herodion? *VERS. 19. Quæ auis herodius? Prima sententia.* Primò, S. Augustinus in psal. 103. 18. intelligit fulicam. Secundò, Albertus Magnus tract. de Auibus, putat esse aquilæ speciem nobilissimam, quæ chrysaëtos & stellaris dicitur, quasi herodius sit heros, id est rex & dux, *Secunda.*

auium,

Tertia. auium, vti vocatur psal.103.18. Tertiò, Radulphus, Lyranus, Gesnerus, & alij multi, putant herodium esse falconem, adeoque præstantissimam eius speciem, quæ hierosalco, vulgò *girfalco* dicitur. Vnde & S. Hieron. in psal.103. dicit herodium aquilas vincere, eisque dominari: ita & Glossa ibidem. *Quarta.* Quartò, Theod. Gaza in lib.9. Aristot. de Histor. anim. cap.1. & 18. & alij censent esse ardeam. Eadem enim quæ ibi Aristoteles de herodio, Plinius scribit de ardea, lib.10.c.60. *Quinta & vera esse ciconiam. Probatur Primò.* Quintò, probabilius videtur, herodium esse ciconiam. ita Suidas, R. Dauid, & passim Hebræi. Probatur Primò, nam herodius hebraicè vocatur חסידה *chasida*, à pietate: חסד *chesed* enim est pietas; ciconiæ autem pietas in parentes vbique celebratur.

Dices *chasida* significat etiam *miluum*. Respondeo, Miluus vocatur *chasida* per antiphrasin, quasi minimè pius, sed rapax & vorax. B

Secundò. Secundò, quia Suidas herodium dici ait, quasi ἑλώδιον, id est palustrem (ἕλος enim est palus) in paludibus autem versatur ciconia, ibique ranas & serpentes depascitur. *Tertiò.* Tertiò, quia psal.103. herodius vocatur dux auium, scilicet cicurum, talis autem est ciconia; nam licet aquilæ & falcones superent ciconiam, tamen eorum nidi (de quibus agitur psal.103.) & hominibus, & auibus aliis incogniti sunt.

Charadrius auis immunda, quat CHARADRION] Charadrius dicitur à charadris, id est præruptis & cauernosis riparum locis, in quibus degit. ita Aristot. lib.9. Histor. animal. c.11. Auis hæc est stupida quæ mures venatur, noctisque est amica instar noctuæ. Vnde prouerbium *Charadrium imitans*, de eo qui latet & lucem fugit. hinc immunda Hebræis est habita: quin & Aristoteles eam vocat prauam auem. C

Viginti aues immundæ, cur. Nota. Viginti auium species hîc, quasi immundæ nominantur, & comedi vetantur; quia omnes ferè sunt rapaces; quædam etiam quia lucifugæ sunt & nocturnæ, vti bubo, charadrius, vespertilio; quædam quia amphibiæ sunt, vt larus & mergulus; quædā quia sordidæ, vt vpupa, ibis, noctua; quædam quia bestiæ potiùs sunt quàm aues, vt struthio; quædam quia melancholicæ sunt, vt herodius siue ciconia; multæ etiam ingluuiosæ sunt, vnde longiore sunt collo, cibumque de profundo aquarum limo exquirunt & expiscantur; quædam denique quia intemperie sunt nimis calida, vt coruus & cygnus, cuius plumæ licet albæ sint & molles, caro tamen est dura, neruosa & nigra: vnde & excrementa habet albiora. Aues enim calidæ suum phlegma per album stercus eiiciunt; bilem verò retinent. contrarium faciunt eæ quæ frigidæ sunt. Ex quibus patet, has aues parum esui esse aptas, meritoque ex lege censeri immundas. D

Tropol. Viginti hæ aues sunt viginti vitia potentium. Tropolog. Radulphus, Viginti hæ aues, inquit, notant viginti vitia potentium, & eorum qui sublimes habent spiritus. Primò, aquila notat potentium superbiam. Vnde Ezech.17.7. Nabuchodosor comparatur aquilæ grandi magnarum alarum. Secundò, gryphes significant potentium crudelitatem. Tertiò, haliæetus, qui non est tantis viribus, sed tamen prædo, significat violentos in pauperes. Quartò, miluus significat potentium insidias. Quintò, vultur castra & cadauera affectans, significat eos qui quasi vultures principum & aularum sunt asseclæ, ad hoc vt eorum ope alios exspolient, quos Alfonsus rex Aragonum solebat vocare Harpyias aulæ suæ. Sic & Seneca epist.96. *Qui*, inquit, *amico ægro assidet hereditatis causa, vultur est, cadauer expectat.* Rursum vultures sunt voraces & gulosi. nam, vt scribit Epiphanius in Physiol. *vultur cunctis auibus voracior est: quadraginta enim diebus cibo abstinet, quem cùm inuenit, totidem sese ex illo liberè ingurgitat; itaq, quadragenariam abstinentiam quadragenaria ingluuie compensat.* Vultures ergo sunt, qui post ieiunium quadragesimæ à paschate ad pentecosten se infarciunt & ingurgitant. Sextò, corui sunt, qui mortibus pascuntur alienis. Septimò, struthio, qui herodio similis est pennis, sed non volatu, Iob 39.v.16. notat hypocritas, qui sub religionis specie aliis nocent. Qui intus est Nero, foris Cato, inquit S. Hieronymus, monstrum est simile illi poëtico, *Apophth. de hypocrisi.*

Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra.

Tales sunt,

qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt.

Diogenes apud Laërt. libr.6. c.2. cuidam sibi placenti, quòd leonis exuuio tectus ingrederetur: *Non tu desines*, inquit, *virtutis stragula pudefacere?* indecorum enim esse censuit, quòd homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret.

Alexander nonnullis Antipatri frugalitatem laudantibus, quòd austeram vitam ageret: *Foris*, inquit, *Antipater albus est, intus verò totus est purpureus*: notans fictam illius parsimoniam, cùm esset alioqui ambitiosissimus. ita Plutarchus in Apophth. Reg.

Achilles apud Homerum Iliad.1 sic ait:

Is mihi iuxtà inuisus, vt atri limina Ditis,
Qui verbis aliud prodit quàm mente volutat.

Troianus equus à Græcis concinnatus Troianos fefellit, quia Mineruæ formam mentitus est, inquiebat Diogenes: ita facit & hypocrita.

Qui muscum redolentem circumferunt, iis anima fœtet: sic & hypocritæ qui plurimam pietatis speciem exhibent, intus fœdissimè sordent. Rectè ergo comparantur struthioni. Nam, vt ait S. Gregorius 7. Moral.1. *Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: sic hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat.*

Octauò, noctua noctu acutum cernens notat sapientes in malo. Vnde S. Ambros. serm. in Malachiam Proph. in fine to.2. *Nolo*, inquit, *te imitatorem esse noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit: illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Illud animal hæreticorum figura est atque Gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De his ait Dominus psal. 113. Oculos habent, & non videbũt. Et psal 81. In tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad superstitiosa, hebetes ad diuina.*

Nonò, larus amphibius significat milites, qui in terra quasi aridi & cælibes, vtpote vxore carentes, vagæ tamen luxuriæ aquis & fluxu voluntantur. Decimò, accipiter rapax, qui vbi mansuefactus est, possessoribus ad prædas & rapinas seruit, significat famulos ad dominorum nutum pauperes deprædantes. Vndecimò, bubo significat eos, qui fœdissimis sceleribus oppleti, lucem & homines fugiunt. Duodecimò, mergulus significat eos, qui voluptatibus carnis absorbentur. Decimo-

cimotertiò, ibis significat eos, qui in se, id est corpora & animas suas, iniqui & crudeles sunt. Decimoquartò, cygnus significat eos, qui de solis vestibus & terrena affluentia gloriantur. Decimoquintò, onocrotalus significat auaritiam inexplebilem. Decimosextò, porphyrio significat contumaces, qui nihil nisi tinctum aqua propriæ voluntatis & delectationis suscipiunt. Decimoseptimò, ciconia significat stoliditatem ad capienda cælestia. Decimooctauò, charadrius auis garrula significat loquacitatẽ. Decimonono, vpupa gemitum in cantu inter stercora simulans, significat tristitiam sæculi; in hanc enim, atque in sordes & dolores, sæculi deliciæ & lætitia desinunt. Vigesimò, vespertilio significat sæcularem scientiam, sola naturalia & terrena sapientem. ita Radulph. & S.Thom. 1.2.q.102.art.6.ad 1.

IVXTA GENVS SVVM] iuxta speciem suam. quasi dicat, Omnes species harum auium veto: sunt enim multæ accipitrum species, sicut & aliarum auium. Septuag. vertunt, *& his similia*. Hebr. enim מין *min*, etiam similitudinem significat, & ita vertit Noster v.15. vna enim, verbi gratia, accipitrum species alteri speciei accipitrum similis est.

VERS. 20. OMNE DE VOLVCRIBVS QVOD GRADITVR SVPER QVATVOR PEDES, ABOMINABILE ERIT VOBIS] quia quatuor pedes signum sunt, illud non tam esse volucre, quàm in terrestre animal degenerare: ideoque illud immundum haberi volo.

VERS. 21. HABET LONGIORA RETRO CRVRA PER QVÆ SALIT] Quia tale non omnino terreum est, sed ignei aliquid se habere, per saltum ostendit. Vnde mundum censeri volo.

Tropologicè, hi sunt Sancti, qui in carne & pompa sæculari constituti, non secundùm illam militant, sed à sæculi sordibus resiliunt, & in æternitatis cogitationem & desiderium exsiliunt. ita Isych. & Radulph.

VERS. 22. VT EST BRVCHVS IN GENERE SVO (hæc munda sunt quia saliunt) ET ATTACVS, ATQVE OPHIOMACHVS, AC LOCVSTA] Probabile est hæc quatuor esse locustarum species, vti Rabbini & Catholici plerique consentiunt; Abulensis ita illa distinguit, vt locustam dicat esse & dici bruchum, quando nascitur; attacum, cùm incipit habere alas; locustam, cùm iam omnino perfecta est. Hinc etiam ophiomachus, non est ciconia, aut pelicanus, vel auis alia, cùm hîc dicatur esse quadrupes, sed est certa locustarum species, vti sunt præcedentes. hanc enim significare videtur vox Hebræa הַרְגֹּל *hargol*. ita Vatablus, Oleast. & alij: alioqui lacerta à Græcis vocatur *ophiomachus*, eò quòd cum serpentibus pugnet; verùm lacerta nominatur & vetatur v.30. Porro ophiomachum, esse locustæ speciem, æquè ac bruchum, & attacum (vel attelabum) disertè asserit Suidas & Isychius in lexicis, ac Aldrouandus libr. de Insectis, c. de locusta, pag. 408. qui & addit ex Aristot. Plinio, & alio quodam oculato teste, locustas quasdam pugnare cum serpentibus, indeque vocari *ophiomachos*. Sic & Isychius hic, qui & tropolog. addit, ophiomachum significare viros strenuos, qui sepes difficultatum transiliunt, mentem attollentes ad cælestia, pugnantque cum serpente infernali, cogitantes illud Pauli: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitia in cælestibus.* Hinc Ægyptij, ait Pierius hierogl. 28. per ophiomachum denotabant modestiam, temperantiam & continentiam; quippe quæ virtutes nequitiæ oppositæ sunt. Illæ siquidem serpentem oppugnant, dum voluptatem prorepentem terræ allidunt, per meditationem saliendo ad res diuinas, easque degustando per affectum & desiderium.

Locustas comederunt Iudæi & aliæ gentes. Nota. Locustas comederunt Iudæi, vti & multæ aliæ gentes, vt Æthiopes, Libyi, Parthi, aliique Orientales, qui inde ἀκριδοφάγοι, id est *locustiuori*, sunt dicti, teste Diodoro Siculo lib.3.cap.3. & Plinio lib.6.30. & Hieron. lib.2. contra Iouin. Ita S.Iohannes Baptista locustas comedit. porrò locustas comedebant vel elixas, vel tostas & in pollinem redactas, immò etiam sale & fumo duratas in totum annum seruabant. Quomodo, & quale homini alimentum sit locusta, docet Hieron. Mercurialis libr.2. Variarum lectionum cap.20. vbi inter alia docet, locustas cibum esse siccum; qui vitam abbreuiet, pediculos gignat, & morbos creet. *Locusta qualis cibus?*

QVIDQVID AVTEM EX VOLVCRIBVS QVATVOR TANTVM HABET PEDES, EXECRABILE VOBIS ERIT] Pedes intellige æquales, nam si posteriores habet longiores quibus saltat, mundum erit, vt dictum est v.21. VERS. 23.

ET QVICVMQVE MORTICINA EORVM TETIGERIT, POLLVETVR, &c. ET SI NECESSE FVERIT, VT PORTET QVIPPIAM HORVM MORTVVM (verbi gratia, vt illud efferre debeat ex vrbe aut via, ne aërem inficiat) LAVABIT VESTIMENTA SVA, &c. VERS. 24. & 25.

OMNE ANIMAL QVOD HABET QVIDEM VNGVLAM] Est anacephalæosis, & repetitio præcedentium. vnde subdit: *Qui tetigerit illud*, cadauer, vel morticinum illius, vti explicuit v.24.25.27. *contaminabitur*; nam viua animalia immunda, vt equos, camelos, asinos, tangere, iisque inequitare poterant Hebræi. ita Vatablus, Abulensis, & alij. VERS. 26.

QVOD AMBVLAT SVPER MANVS (q.d. Animal, cuius pedes anteriores sunt quasi manus, vt simia & vrsus) IMMVNDVM ERIT. VERS. 27.

Tropologicè, notantur hîc ii, qui quæstûs causa citò manus aliis, etiam indignis, imponunt. ita Isychius.

QVI TETIGERIT MORTICINA EORVM, POLLVETVR VSQVE AD VESPERVM] Vespera enim aptissimum est tempus ad discriminandam & obliterandam quasi immunditiem.

Vespera Tropolog. pœnitentiam significat: *ad vesperam enim demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* ita Isych.

Allegoricè, vespera siue solis occasus significat necem Christi, qua omne peccatum, omnisque immunditia ablata est in mundi vespera, id est in nouissima mundi ætate. ita Abulensis in c.22. quæst.8.

HÆC QVOQVE INTER POLLVTA REPVTABVNTVR, MVSTELA, ET MVS, ET CROCODILVS, MYGALE, ET CHAMÆLEON, ET STELLIO, ET LACERTA, ET TALPA] Hæc hîc vetantur Iudæis, quia gentes nonnullæ, & Barbari hisce & similibus vescebantur. Ita Stuckius lib.2. Conuiualium c.9. docet, quòd Germani milites olim comederint bombyces frixos, Itali mustelas, Hispani testudines domiportas; quin & hodie multi fungos, ostrea & conchylia, etiam cruda comedunt, quæ tamen ex putre- VERS. 29. & 30.

Mustela immunda & mus, cur?

putredine procreari scimus. Vetatur ergo hîc Iudæis *mustela*, quia furax est, & naturam habet muris, videturque esse longus mus; mus autem immundus est, quia terreus & fœtidus.

Tropolog. mustela sunt pauperes fraudulenti.

Tropologicè, mus & mustela significant pauperum fraudes, & pauperes fraudulentos. ita Radulph. vnde & Cyrillus n.9. contra Iulian. *Mustela*, inquit, *& mus designant timida & minùs virilia, obstreperaq́; furum genera.* Quare Brasidas murem in caricis à se deprehensum morsus ab eo dimisit, addens: *Nihil ita est exiguum, quod saluum esse non possit si se tueri, vel vim inferentes vlcisci audeat.* testis est Plutarch. in Lacon.

Crocodilus immundus est, quia amphibius est, durus & rapax.

Tropologicè, crocodilus latrones publicos significat. ita Radulph.

VERS. 30. *Mygale est mus araneus.*

B MYGALE] Est mus araneus, qui muris est magnitudine, mustelina specie, ore oblongo, cauda gracili, vt inquit Aëtius. Abundat his insula Britannia. dicitur mygale, quasi μῦς, id est *mus*; & γαλῆ, id est *mustela*; quia ex vtroque animali participat & quasi componitur mygale, ex quibus vtrumque pariter trahit vitium edacitatis & furti. ita Isychius & Radulph.

Demochares furem ab vndecim viris abduci videns: *Vah miser*, inquit, *cur tantula furatus es, & non potiùs magna, vt tute etiam abduxisses alios?* indicans à paruis furtis debere nos absterreri paruitate & vilitate rei, cui tanta coniuncta est infamia: à magnis enim scelus ipsum & furca satis absterrent.

Quæsitum est à Socrate, *cur rideret?* respondit: *Video magnos latrones ducentes paruum ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia, inquit, minima puniuntur, sed magna in triumphis feruntur.* ita Valerius Maximus lib. 7.

C

Zeno seruum in furto deprehensum cædi iussit: cumque is se excusaret, vt diceret, *sibi fuisse in fatis vt furaretur*: *Et cædi*, inquit, *in fatis erat.* ita Laërtius lib. 7. c. 1.

Chamæleon quis, & vnde dictus.

CHAMÆLEON] Græcè χαμαιλέων dicitur, quasi *humilis*, siue *paruus leo*. animal est figura & magnitudine lacertæ, colorem sæpè toto corpore mutans. nam ad colores quos videt conuersione facillima variatur, præterquam ad rubrum & album. Hinc parœmia: *Chamæleonte mutabilior*, significans versipellem, inconstantem, & pro tempore sese vertentem in omnem habitum. vnde

Tropologicè, chamæleon significat parasitos, qui os & verba omni vento accommodant, ait Radulphus.

D

Iulianus chamæleon.

Hinc Gregor. Nazianz. scribens in Iulianum apostatam, eum comparat chamæleonti: sicut enim chamæleon, inquit, facilè variatur, omnesque assumit colores præter candidum; ita & ille ex Christiano factus est Ethnicus: ineratque ei humanitas, sed inhumana; suadelaq; eius nil aliud erat quàm violentia, & immanitatis excusatione probitas, vt videretur iure ad violentiam confugere, cùm persuadendo nil proficere posset. Rectè Seneca in Prouerb. *Maximum*, inquit, *indicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum & amorem vitiorum assidua iactatio.*

Rursum chamæleon rostrum habet simile suillo, cauda est prælonga, vngues habet aduncos, motum tardiorem vt testudo, corpus asperum vt crocodilus, ipse celsus hianti semper ore, solus ani-

A malium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento, inquit Plinius l. 28. 8. Aristot. l. 2. de Animal. c. 2. Solinus & alij.

Chamæleon mutat colorem, quomodo?

Vbi Nota Primò. Abulens. in c. 14. Deut. censet chamæleontem propriè non mutare colorem, sed speciem; color enim rei obiectæ non potest producere in eo colorem, sed sui speciem: itaque chamæleontis colorem ex se speciem emittere, sed debilem & tenuem: eumdem verò in se suscipere fortiorem speciem coloris, ex re obiecta, eamque reflectere ac si esset speculum; ita vt eius proprius videatur esse color. Veriùs alij censent chamæleontem mutare colorem, per contractionem sanguinis & spirituum: vnde Aristoteles ait quòd inflatus mutet colorem, sicut nos in pudore, metu, vel lætitia mutamus colorem; cùm enim chamæleon colorem obiectum videt, illum ita phantasiæ suæ imprimit, vt per dilatationem vel contractionem sanguinis & spirituum iam dictam, eumdem in corpore suo exprimat. vide Simonem Portium lib. de Coloribus, qui extat inter opera Aristotelis.

Resp. per contractionem sanguinis & spirituum.

An chamæleon sine cibo ex aëre viuat?

Nota Secundò. Quod Plinius & alij tradunt, chamæleontem sine cibo ex solo aëre viuere, absolutè non est verum: nullum enim est animal quod sine cibo ex aëre viuat.

Resp. negatiuè.

Vnde Theophrastus docet chamæleontem ex rore viuere, & sæpè deprehensum esse muscas comedere: atque hinc fortè orta est illa vulgi opinio, eum ex aëre viuere, scilicet ex eo, quòd chamæleon cùm sit tardæ digestionis, diu sine cibo viuat, cumque eum sumit, tenuem & leuem sumat, vti rorem, muscas, &c. ita Augustinus Niphus, Gesnerus & alij. Pari modo quod de salamandra falsò iactatum est, eam in igne viuere, eoque non comburi, inde ortum habuit, quòd salamandra propter frigiditatem & crassitiem pellis, non tam citò consumatur igne, quin & eum subinde si paruus sit, extinguat.

Salamandram in igne viuere, fabula esse videtur.

Moral. chamæleontes sunt, qui rebus vanis pascuntur.

Hinc symbolicè chamæleontes sunt, qui vento honoris & muscis deliciarum se pascunt. Domitianus Imperator, teste Suetonio, solebat quotidie per duas horas oblectare se captando muscas; vt in prouerbium abierit, *ne musca quidem*: quia ipse solus nec muscam reliquam sinebat. Domitiane, totius orbis negotia geris & regis, quid ergo captas muscas? Quàm multi Christiani stolidiores sunt Domitiano; qui cùm salutē suam & æternitatem procurare debeant, quotidie non duabus, sed omnibus horis captant muscas? Ambis opes, muscam ambis. ambis sponsam diuitem & speciosam, muscam ambis. ambis vina & delicias, muscas ambis, quæ carnem, quæ palatum titillant, non satiant, quæ breui in sordes & cadauera versæ, fœtorem & nauseam parient. ambis præbendam, ambis officium, muscam ambis, rem exilem ambis, quæ breui à te ad successorem auolabit. vis honorari, vis præcellere, vis amari, vis coli, muscam ambis, quasi chamæleon populi auram captas, ventum hauris, vento viuis, vento delicia ris. O curas hominum, ô quantum est in rebus inane! Miseri, cæci mortales curritis quasi gallinæ sine capite, sine cerebro ad escam, ad vermes, ad papiliones, ad muscas; curritis ad præbendas, ad dignitates; curritis ad mensas, ad conuiuia, ad pocula; curritis ad merces & opes; & non semel cogitatis, Et quid tandem? quò hæc omnia? quid post hæc erit? cur hîc sum? cur à Deo animam

 rationa-

rationalem & immortalem accepi? cur solem cælumque suspicio? quis locus, quis status animam meam, post hæc omnia breui finienda, excipiet? Ito nunc adolescens, salta, lætare, inebriare, ventri & veneri indulge; sed scito quòd pro his omnibus adducet te Deus in iudicium, quòd ibis in domum æternitatis tuæ. Viue ergo, non vt chamæleon muscis, sed vt leo escis solidis, viue Deo, VIVE ÆTERNITATI: esto aquila: *Aquila non capiat muscas. noli ambire primas inter graculos, cùm aquila esse possis.*

Stellio quis, vnde dictus? STELLIO] Animal est non dissimile lacertæ, multò tamen minùs, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum. vescitur rore & araneis. morsus eius hominem semistupidum facit, varieque afficit. nullum animal stellione homini fraudulentiùs inuidet: cutem enim quam quotannis exuit, protinus deuorat, vt præripiat homini præsentissimum comitialis morbi remedium. Vnde stellio significat fraudulentum, & crimen stellionatus vocatur crimen doli & imposturæ. ita Plinius lib. 30. c. 10. Stellionis vox erat illa Lysandri, qui cùm culparetur, quòd multa per dolum ageret, respondit: *Vbi leonina pellis non sufficit, ibi assuenda est vulpina.* testis est Plutarch. in Apophth.

Stellio est schema fraudis.

Numerantur hîc septem reptilia; quia licet omnia reptilia sint immunda, vt patet v. 41. hæc tamen præ reliquis. ita Isychius.

Verùm cur lex hæc comedi vetat? præter literalem causam datam v. 29. symbolica est quam assignat Nouatianus lib. de Cibis Iudaicis c. 3. vbi sic ait: *Quis mustela corpus cibum faciat? sed furta reprehendit. quis lacertam? sed odit vita incertam varietatem. quis stellionem? sed maculas execratur prædam de aliena morte quærentes. quis coruum? sed versutas execratur voluntates. quis passerem:* (ita enim ipse vertit, quod habent Septuag. στρουθόν, sed malè: constat enim ex Hebræo, Chaldæo, & Nostro vertendum esse struthionem: nam passer non immundum, sed mundum erat animal, aptumque etiam ad expiationem, vt patet hîc c. 15. v. 5.) *cùm eum interdicit, intemperantiam coarguit: quando noctuam, odit lucifugas veritatis: quando cygnum, ceruicis alta superbos: quando charadrium, garrulam nimis lingua intemperantiam: quando vespertilionem, quærentes tenebras noctis simul & erroris: sic in camelo vitam damnat eneruem, & criminibus tortuosam: cùm suem, vitam reprehendit bonum suum in sola carne ponentem: cùm leporem, accusat reformatos in feminam viros.* Tradunt enim Physici, lepori vtrumque inesse sexum, vti & hyænæ. ita & Cyrillus l. 9. contra Iulian. Radulph. & Isychius iam sæpiùs.

Immundorum animaliũ symbola ex Nouatiano.

Lepus vtrũque habet sexum, hinc significat effeminatos.

Potest quoque lepus esse symbolum vsurarij. nam, vt ait Plutarch. lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfœtat: ita fœnerator æs alienum, priusquam conceperit, parit. Nam dans mutuum, statim petit fœnus, illudque tollens, rursum fœnerat quod pro fœnore accepit.

Peccata ergo & vitia bestiarum sunt, hominemque quasi in bestiam commutant.

Præclarè Boëtius lib. 4. prosa 3. *Quem*, inquit, *transformatum vitiis vides, hominem æstimare non potes; sed fuisse hominem, adhuc ipsa humana corporis relicta species ostentat. Auaritia feruet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus, linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? cerui similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum viuit. Leuis atque inconstans studia permutat? nihil ab auibus differt. Fœdis immundisq́; libidinibus immergitur? sordida suis voluptate detinetur. ita homo probitate deserta vertitur in belluam.*

OMNIA HÆC (reptilia) IMMVNDA SVNT] non tantùm quoad esum, sed etiam quoad tactum, ita vt ea tangere non liceat, vt patet v. 41. & 43. & cap. 5. v. 2. vbi reptile æquatur morticino, quia venenosum est vtrumque. VERS. 31.

CILICIA] Hebr. est שק *sac*, id est *saccus*, per quem Hebræi significant vestes è pilis duras, quales sunt rusticorum, mendicorum, pœnitentium. VERS. 32.

IN QVOCVMQVE FIT OPVS] q. d. Vas quodcumque, quo ad opus aliquod vtimur.

ET POSTEA MVNDABVNTVR] id est erunt munda. non enim alia lotione vel mundatione erat opus, sed adueniente vespera expirabat hæc legalis immunditia, vt rursum censerentur munda. patet ex Hebr. Chald. Septuag.

VAS AVTEM FICTILE, IN QVOD HORVM QVIDQVAM INTRO CECIDERIT, POLLVETVR] Hebr. *omne quod est in eo*, scilicet vase tali, *polluetur, & idcirco frangendum est*, quia scilicet fictile est: nam si foret ligneum aut metallinum, non esset frangendum, sed abluendum, vt dixit v. præc. Simile audiuimus de vase fictili, in quo coquitur caro sacrificij pro peccato, c. 6. 28. VERS. 33.

OMNIS CIBVS, &c. SI FVSA FVERIT SVPER EVM AQVA, IMMVNDVS ERIT] *Aqua*, intellige immunda, vel fluens ex immundo vase. vnde Chald. vertit, *aqua quæ aliquid horum*, putà pollutorum iam dictorum, *tetigerit*. VERS. 34.

Tropol. aqua immunda mollitiem animi significat: est enim hæc aqua cupiditatis, quæ inficit illud cui miscetur. Sicut ergo tentatio immũda tali aqua madidos molles & lãguidos necat; sic aridos & fortes exercet, roborat & coronat. ita Radulph.

ET OMNE LIQVENS QVOD BIBITVR DE VNIVERSO VASE, IMMVNDVM ERIT] *Vase*, intellige immundo. Nota. Tantùm de liquidis dicitur, quòd ea polluantur; vnde videtur, quòd sicca, v. g. panis in tali vase immundo positus, non fuerit pollutus: cuius ratio congrua est, quòd sicca non tam facilè sordes recipiunt, vt humida.

ET QVIDQVID DE MORTICINIS HVIVSCEMODI CECIDERIT SVPER ILLVD (vas) IMMVNDVM ERIT] scil. illud vas, in quo aliquid de morticinis cecidit. VERS. 35.

SIVE CLIBANI, quibus panes coquuntur, SIVE CHYTROPODES] id est ollæ habentes pedes, vt sunt dipodes, tripodes, &c. quia fictiles sunt & lutei, iuxta dicta v. 33.

Tropologicè, clibanus est patientia Martyrum, chytropodes sunt Doctores, in quibus cibi sanæ doctrinæ, supposito igne operationis Spiritus sancti coquuntur; quia hæc nihil prosunt, nisi omnia immunda declinent. ita Isychius & Radulph. *Tropolog.*

FONTES VERO, ET CISTERNÆ, ET OMNIS AQVARVM CONGREGATIO MVNDA ERIT] Intellige, etiamsi quid immundum in ea ceciderit: ita statuit Deus ob necessitatem aquarum, quibus carere nequit homo. Eadem ratio est de semine, vt sequitur v. 37. nisi illud esset aqua perfusum; tunc enim, quia humidum, faciliùs sordes contrahebat, ideoque censebatur immundum, dandumque erat bestiis; quia nulla expiationis hîc fit mentio. VERS. 36.

Tropo-

Tropologicè, fonte & semine significatur doctrina veritatis, quæ etiam de morticinis, id est vitiis, disputans aut differens, non polluitur, neque polluit, nisi animam aqueam & mollem, quæ turpia per consensum attrahit & imbibit. ita Radulph.

VERS. 40. QVI COMEDERIT EX EO (morticino) QVIPPIAM, SIVE PORTAVERIT, intellige nesciens, IMMVNDVS ERIT VSQVE AD VESPERAM] nam si sciens comedisset quis, grauiter peccasset, & supplicio fuisset dignus.

VERS. 41. OMNE QVOD REPTAT SVPER TERRAM, ABOMINABILE ERIT] quia terrestre, fœdum, & venenosum est, vt dixi v. 31.

Reptilia sunt homines terreni. Tropol. reptilia sunt & reptant, qui cælum & cælestia negligunt, qui corpus & mentem per terram trahunt; quorum omnia desideria sunt terrena, quorum mens non est in æthere, sed in ære, quorum Deus venter est, aut mammona, aut ambitio. Similis tropologia est sequentium.

VERS. 42. QVIDQVID SVPER PECTVS QVADRVPES GRADITVR, (quia pedes habet breues: vnde necesse est vt in motu innitatur ventri & terræ, vti serpentes. Tropolog. significantur gastrimargiæ, siue gulæ dediti; ita Isychius) ET MVLTOS HABET PEDES, vt vermes; SIVE PER HVMVM TRAHITVR, vti sunt reptilia, NON COMEDETIS, QVIA ABOMINABILE EST.

VERS. 43. NOLITE CONTAMINARE ANIMAS VESTRAS] id est vos ipsos, contrahendo immunditiem legalem, per esum animalium hîc vetitorum: quamquam poterant contaminare animam etiam peccato, si scilicet scienter, contra præceptum hoc ea comedissent.

NEC TANGATIS QVIDQVAM EORVM] quæ proximè præcesserunt: nam alia saltem tangere licebat, verbi gratia, camelis insidere poterant, vti dixi v. 26. Hinc patet, ex hac lege non licuisse Iudæis tangere reptilia, ita vt si ea scientes tangerent, peccarent.

Iudæis non licebat tangere reptilia, si ea tangebant, peccabant. Iudæi ergo per reptilium contactum, non tantùm incurrebant immunditiam legalem, vt vult Abulens. sed & spiritalem, putà peccatum. violabant enim hoc præceptum Dei: *Nec tangatis quidquam eorum*; & rursum, *Ne polluatis animas vestras in omni reptili.* Iubet enim hîc Deus, ea quasi immundissima nec comedi, nec tangi, *Ne*, ait, *immundi sitis*, scilicet tam legaliter, quàm spiritaliter. ratio est quæ sequitur:

SANCTI, id est mundi, ESTOTE (sic *sanctus* pro mundo capitur Deuter. 23. 14. vbi dicitur, *Vt sint castra tua sancta*, id est munda:) QVIA EGO SANCTVS, id est mundus, SVM] qui detestor immunditiem Gentilium in sacrificiis & epulis, de quibus S. August. libr. 6. & 7. de Ciuit. quique volo, vos sanctitatem meam spiritalem hac corporali vestra imitari & repræsentare. VERS. 44.

Nota. Temperantia & abstinentia à cibis vetitis, vocatur hîc sanctitas, id est puritas, quia cibi vetiti censebantur immundi, polluti & execrabiles, ac comedentem polluere & contaminare, vti sæpiùs hîc inculcat Deus. Audi S. Bernard. serm. 22. in Cant. *Vsitatum*, ait, *in Scriptura sanctificationem pro continentia, seu munditia poni. Denique quid illa apud Mosen tam crebra sanctificationes aliud erant, quàm quadam purificationes hominum temperantium se à cibo, à potu, à concubitu, hisque similibus? Sed audi Apostolum: Hac est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, & non in paßione desiderij. Item: Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Liquet quòd sanctificationem pro temperantia ponit.* Notent id hæretici, discantque hîc, ieiunia & abstinentiam lege Dei & Ecclesiæ sancitam, vocari & esse sanctitatem.

NE POLLVATIS ANIMAS VESTRAS IN OMNI REPTILI] Audiant hoc & intelligant tropologicè Christiani, vt iis quæ humi repunt, quæque ima terræ sunt bona, non se polluant, sed animam sanctam Deo & cælo conseruent.

EGO ENIM SVM DOMINVS (Hebr. *ego sum iehoua*, scilicet in meipso per essentiam, & *elohim*, scilicet vobis per prouidentiam, imperium & gubernationem;) QVI EDVXI VOS DE TERRA ÆGYPTI, VT ESSEM VOBIS IN DEVM] q.d. Ideo eduxi vos, vt essetis mihi populus separatus ab aliis gentibus, earumque ritibus, & peculiariter cultui meo addictus. Hoc beneficium, quia primum, maximum, & fundamentum cæterorum, passim inculcat Deus. VERS. 45.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribitur purificatio, & oblatio facienda puerperæ 40. die à partu expleto, si masculum; 80. die, si feminam pepererit: videlicet vt offerat agnum in holocaustum, & pullum columbæ vel turturem pro peccato: sin pauper sit, offerat duos pullos columbarum, vel duos turtures.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ. 3. Et die octauo circumcidetur infantulus: 4. ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. 5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. 6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro pecca-

peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti, 7. qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui. ista est lex parientis masculum aut feminam. 8. Quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

VERS. 2. MVLIER SI SVSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASCVLVM, IMMVNDA ERIT SEPTEM DIEBVS] Pro *suscepto semine*, hebraicè est תַזְרִיעַ *tazria*, quod Oleaster, Caietanus hic, & Iansenius in Concord. Euangel. c. 10. vertunt, *si fecerit semen*, id est prolem, hoc est, si generarit. Est enim *tazria* in hiphil actiuum; & *semen* passim in Script. capitur pro prole.

Lex purificationis fertur iis tantùm, quæ suscepto viri semine concipiunt. Probatur Primò. Secundò.

Verùm meliùs vertisse nostrum Interpretem, *suscepto semine*, patet Primò, ex eo quod sequitur, *Et pepererit*; inde enim patet תַזְרִיעַ *tazria* quod præcedit, vertendum esse, *si susceperit semen*, siue conceperit, formaritque fœtum: alioqui enim idem diceretur, essetque tautologia dicendo, Si generarit, & pepererit.

Secundò, quia cum nostro Interprete consentiunt Septuag. qui vertunt, ἐὰν σπερματισθῇ, *si susceperit semen*; & Chald *si conceperit*; & Hebræi, Lyranus ac Vatablus, qui vertit, *si suscepto semine marem pepererit*.

Tertiò.

Tertiò, quia Hebræum *tazria*, propriè significat, si *seminificauerit, si semen fecerit & emiserit*, more scilicet naturali & ordinario, hoc est, si suscepto viri semine, suum quoque emittens, conceperit. Mulier enim in conceptu viri semen suscipiens, suum quoque emittit in matricem, *quod mox à virili semine retinetur, coagulatur, atque fortificatur, itaque crescit, & tandem in membra consurgit: sicq; concipitur embryo, siue infans*, inquiunt Hebræi & Vatablus, qui addunt: *Ex virili semine formantur nerui & ossa, ex mulieris verò semine producuntur caro, sanguis, & pili infantis*. Sed hoc vltimum negant medici, asseruntque membra omnia mistim formari ex semine, tam mulieris quàm viri.

Hinc B. Virgo cōcipiens Christum ex Sp. sancto hac lege, nō fuit obligata.

Hinc communis Patrum & Doctorum olim, vno excepto Abulensi, fuit sententia, Beatam Virginem parientem Christum hac lege non fuisse comprehensam; eò quòd ipsa non ex suscepto viri semine suum emittens, sed ex Spiritu sancto, Christi corpus ex purissimis eius sanguinibus efformante, Christum conceperit; quasi singulari Spiritus sancti prouidentia, hanc Virginem excipere volentis, factum sit, vt Moses hoc loco non sit vsus verbo הָרָה *hara*, quod absolutè concipere: sed *tazria*, quod suscepto viri semine suum emittere, itaque concipere significat. Ita docent

Ita docent Patres,

Origenes, Rupert. & Radulph. hîc, atque Euseb. Emissenus, S. Ildefonsus, S. Eligius, Laurent. Iustinian. serm. de Purificatione B. Virginis, S. Bernard. de eadem serm. 3. Euthymius, Theophyl. Anselm. Beda in Lucæ 2. Chrysost. homil. de occursu Domini; grauissimè verò S. Cyrillus Alexandr. lib. 2. de Fide ad Reginas sub initium, contra Arrianos idipsum confirmat. *Clarè patet*, ait, *in quantam impietatem prolabantur Arriani, qui Deiparam Mariam iis sacrificiis, quæ pro puerperiis ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt.*

quin & hæretici.

Vnde & nostri hæretici Melanchthon, Artopœus, Sarcerius, & alij, aliàs in Beatam Virginem iniqui, idipsum confitentur, vti ostendit Petrus A Canisius libr. 4. Marial. c. 11. Simili modo Exodi 13. 2. ex Patribus ostendi, lege illa primogenitorum non fuisse comprehensum Christum; eò quòd Christus non aperuit vuluam matris, sed ea clausa ex Virgine natus est.

Dices. Hæc lex purificationis statuitur puerperis propter fluxum sanguinis, qui eis naturaliter contingit in puerperio, vt dicitur v. 4. ob hunc enim immundæ censebantur puerperæ, & purificari debebant: atqui iste fluxus fuit etiam in B. Virgine: ergo & illa hac lege comprehensa fuit, debuitque purificari, ita Abulens.

Partus B. Virginis fuit purissimus sine sorde & fluxu sanguinis.

Respondeo, minorem esse falsam, esseque contra communem Patrum sententiam, qui asserunt partum B. Virginis fuisse purissimum, omnisque B sordis & fluxus sanguinis expertem. Ita disertè Sophronius in VI. Synodo actione 2. *Partus*, ait, *Virginis fuit incorruptibilis, quia sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est* Ita & Epiphan. lib. 3. contra hæres. in fine, S. Cyprian. serm. de natiuitate Christi, S. August. lib. de Quinque hæres. hæres. 5. *Stulte*, inquit, *vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?* ita & Synodus Trullana plusquam 200 Patrum can. 70 partum Virginis absque secundinis (licet alij vertant, absque dolore) fuisse definit. Voluit ergo Spiritus sanctus excellentiam Virginis hic indicare, quò magis eluceat eius humilitas & obedientia, qua licet legi huic non obnoxia, eam tamen adimpleuit, vti vna ceterarum C puerperarum immundarum. *Esto*, ait S. Bernardus serm. 3. de Purificatione, *ô Virgo inter mulieres tamquam vna earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum.*

Hæc lex purificationis est iam abolita, nec obligat Christianas.

Nota. Hæc lex purificationis iam est abolita, vti & reliquæ cæremoniales veteris testamenti; nostræ ergo puerperæ ea non obligantur, possuntque sine peccato statim à partu gratias acturæ templum ingredi, vti respondit Innocent. III. c. vnic. de purific. post partum: tamen ob venerationem imitationemque Beatæ Virginis, multæ ab ecclesiæ introitu 40. diebus post partum abstinent, inquit Radulph. l. 8 c. 6. sub initium. Vnde & Innoc. addit: *Si tamen ex deuotione aliquamdiu voluerint abstinere ab ecclesia, deuotionem earum non ducimus improbandam.*

Dices, In Missa Æthiopum dicitur in benedi- D ctione puerperæ: *Tu Domine docuisti Mosen constitutionem mundam, &c. quæsumus ergo pro ancilla quæ seruauit constitutionem tuam*: ergo hæc Mosis constitutio etiam Christianas obligat.

Respondeo, *quæ seruauit constitutionem tuam*, intellige, quo ad ipsam cæremoniam purificationis, non autem quo ad ipsam rationem & obligationem legis, siue constitutionis; nostræ enim puerperæ huic constitutioni se conformant, non quia illa obligantur, sed sponte & ex deuotione sua iam dicta.

Moral. purificatio est pœnitentia.

Tropol. hæc purificatio symbolum erat pœnitentiæ, qua puritatem animi recuperamus.

Præclarè

Præclarè Nazianz. orat. 6. Nihil, ait, Deus purus tanto in pretio habet ac puritatem, aut purgationem. Et Barlaam moriturus discipulo suo Iosaphat commendat animi puritatem, quasi ingentis pretij thesaurum, teste Damasceno. Hinc ad purgandas criminum sordes balneum ex sanguine suo nobis Christus præparauit. Nam, vt ait S. Iohannes Apocal. 1. *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et Paulus ad Titũ 2. *Dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.* Quare Tertull. lib. de Pœnit. docet statim esse pœnitendum; & animam peccato læsam statim curandam & purificandam esse ostendit exemplo brutorum. *Ceruus enim transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam?* Idem habet Pacianus Exhort. ad pœnitent. vnde subdit Tertull. *Pœnitentiam tu peccator ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem: hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.*

S. Ephrem l. de die iudicij, *Compunctio*, ait, *sanitas animæ est, illuminatio mentis est; compunctio remissionem delictorum nobis acquirit.* S. Hieron. in epitaphio Fabiolæ, agens de eius contritione: *Quæ peccata*, ait, *fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?* Et infrà: *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos!* S. Ambros. l. 2. de Pœnitent. *Euidentissimè*, ait, *Domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis si ex toto corde, & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cælestis refundendam gratiam.* S. Chrysost. serm. de pœnit. *O pœnitentia*, ait, *quæ peccatum miserante Deo remittis, & paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras, vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, reformas vires, gratiamq́; abundantiorem refundis! O pœnitentia, quid de te noui referam. Omnia ligata tu soluis, omnia soluta tu reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet! Pœnitentia respuit auaritiam, horret luxuriam, &c. O pœnitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum! magna opera tua, quibus reos resoluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos. Per te subitò rapuit latronem Christus ad regnum; per te Dauid post flagitium, felix iterum recepit Spiritum sanctum, &c.*

Rursum S. Ambros. libr. 2. de Pœnitent. *Facilius*, ait, *inueni qui innocentiam seruarint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Si quæras, Quam ergo, Ambrosi, congruam vocas pœnitentiam? respondet ibidem: *Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minùs indulgendum quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus: viuendum est ita, vt vitali huic moriamur vsui, seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur, sicut quemdam adolescentem fabula ferunt post amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ: quæ vbi non interpellatam se mirata, putauerat non recognitam, rursus occurrens dixerit, Ego sum; responderit ille, Sed ego non sum ego. Vnde benè Dominus ait, Qui vult venire post me, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Loquitur Ambrosius de exacta & perfecta pœnitentia, quam pauci agunt: communem enim, quæ, præsertim accedente Sacramento pœnitentiæ, sufficit ad remissionem peccatorum & ad salutem, multi amplectuntur & agunt.

IMMVNDA ERIT SEPTEM DIERVM] ita vt nemini, ne marito quidem, cum ea versari liceat per septem dies: reliquis deinde 33 diebus, qui supersunt vsque ad 40. arceatur quidem sanctuario, sed tamen cum ea loqui, vesci & versari (non tamen copulam habere, inquit Abulens. erat enim instar menstruatæ) liceat: idcirco hisce septem diebus dicebatur separata, eräntque hi dies separationis, reliqui verò 33. erant dies purificationis.

IVXTA DIES SEPARATIONIS MENSTRVÆ] q. d. Hisce septem diebus tam immunda erit, quàm mulier menstruata, & eodem modo se separatam & immundam gerere debebit, ac menstruata, de qua c. 15. v. 19.

IPSA VERO TRIGINTA TRIBVS DIEBVS MANEBIT IN SANGVINE PVRIFICATIONIS SVÆ] id est, in sanguine quo assiduè purgatur, inquit Iansen. in c. 10. Concord Euang. Secundò, per hypallagen; q. d. Manebit in purificatione sanguinis sui, donec scilicet à fluxu sanguinis purgetur, de quo plura v 5 Similis hypallage est Exodi 12. 11. Ierem. 1. 19. & alibi. *Vers. 4.*

Tropol. in sanguine purificationis manere, est ærumnã mortalitatis sustinere, in quam peccando lapsi sumus, per quam tamen ab his quæ commisimus emundamur: vt quadragesimo die resurrectionis, Domino in templo cælesti immortales & gloriosi sistamur. ita Radulph. *Tropolog.*

Rursum symbolicè & propriè, sanguis hic & sordes puerperij, effectus, pœna & indices erant libidinis, quam habuit femina in coniugali copula & conceptu. Quod enim concipitur turpi cum amore, hoc paritur cum dolore, purgatur cum fœtore. ita iusta & æterna Dei lege sancitum est. Voluit ergo Deus hac purificatione significare, castitatem coniugij non accedere ad cælibatũ, sed impuram esse; & coniuges in coniugio egere purificatione. Rectè Cassianus collat. 21. c. 33. *In lege*, ait, *in qua coniugiorum iura seruantur, quamuis cohibita luxuriæ euagatio, vni tantùm feminæ tamen mancipatur. Hinc nequaquam possunt carnalis concupiscentiæ aculei non vigere, & difficile est vt ignis, cui etiam studiosè pabula suggeruntur, ita præfixis terminis includatur, vt non etiam extrà vagatus amburat quidquid attigerit.* Plena ergo puritas est in castitate & continentia, cuius candorem, decus & elogia ita depingit S. Cyprianus lib. de Bono pudicitiæ: *Pudicitia*, inquit, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, cõcordiæ caput. Pudicitia solicita non est cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda, dum innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur solo pudore, benè sibi tunc conscia de pulchritudine si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa, & beatos efficiens apud quoscumque habitare dignatur: quam numquã accusare possunt, nec qui eam non habẽt: venerabilis etiam hostibus suis, dum illã multò magis mirãtur, qui eam expugnare nõ pssũt.* *Moral. de puritate & castitate.*

S. Ephrem serm. de castitate: *O castitas mater dilectionis, & angelicæ vitæ ratio! O castitas quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilarisq́; aspectu! O castitas quæ*

qua homines angelis similes reddis! O castitas qua Dei A *amicum ita exaltasti in patria externa, vt & eos qui emerant ipsum redimeret! O castitas donum Dei, benignitatis, disciplina cognitionisq́, pœna! O castitas, portus tranquillus, in summa pace ac securitate constitutus*, &c. Et auctor libri de Singular. clericorum apud S. Cyprianum (hunc enim librum non esse Cypriani patet ex stilo:) *Castitas*, inquit, *munimen inuictum est sanctimonia, & expugnatio fortis infamia: fortitudinis firmitas, & lasciuia petulantis infirmitas: probitatis præsidium, & improbitatis excidium: anima victoria, & corporis præda: vbertas gloriarum, & sterilitas criminum: pronuba sanctitatis, & repudium turpitudinis: sinceritatis indicium, & abolitio scandalorum: exercitium continentia, & euacuatio tota luxuria: pax secura virtutum, & debellatio inquieta bellorum: puritatis culmen, & libidinis carcer: honestatis portus, & ignominia naufragalis locus: virginitatis mater, & hostis immunditia: lorica pudoris, & spolium probrositatis: corruptionis exitium, murus rigoris, & destructio vulgaritatis: seueritatis gladius, triumphator & dissolutionis occisor: armatura virium, & exarmatura fluxorum: integritatis dignitas, & fornicationis addictio: claritatis fastigium, & dedecoris præcipitium: voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum: refrigerium pudicitia, & pœna petulantia: acquisitio triumphorum, & facinorum detrimentum: requies salutis, & perditionis exilium: vita spiritus, & carnis interitus: status qualitatis angelica, & funus humana substantia. Huius retinaculis omnis obscœnitas frænatur, & compedibus eius calces furentis libidinis statuuntur.*

S. Ephrem serm. de Castitate: *O castitas oculorum frenum, qua à tenebris ad lucem totum corpus transfers! O castitas qua carnem castigas, & in seruitutem redigis, & ad caelestia velocißimè penetras! O castitas qua cor poßidentis te lætificas, & anima ad caelestia alas adiungis! O castitas qua spiritale gaudium paris, & mœrorem aufers! O castitas qua paßiones minuis, & animum à perturbationibus liberas! O castitas, qua iustos illuminas, & diabolo tenebras offundis! O castitas qua pigritiam depellis, & patientiam affers! O castitas currus spiritalis poßessorem suum in sublime euehens? O castitas qua rosa instar in medio anima & corporis flores, vniuersamq́, domum odoris fragrantia reples! O castitas præcursor atque cohabitator Spiritus sancti!* Vt hanc puritatem assequerentur coniuges nonnulli illustres, continentiam in coniugio ex mutuo consensu seruarunt. Ita fecerunt S. Ammon cum vxore, Euphraxia ex familia Theodosij Imp. oriunda cum Antigono marito, Anastasius cum Theognia, Eucharistus cum Maria, Magna cum marito, Olympia cum Nebridio, vt patet ex eorum Vita. Plures citaui 1. Corinth. 7. 6.

Quare hoc tantum castitatis donum nemini sine peculiari Dei gratia, & multa oratione obtingit. Testis est S. August. de seipso 10. Confess. 19. *Tota spes, ait, mea non nisi in magna valdè misericordia tua. O amor qui semper ardes, & numquam extingueris charitas, Deus meus, accende me. Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Hinc etiam solet Deus virgines & castos tueri, vt instar amianti sint ab igne inuiolabiles. Nec enim ignis in eis inuenit viscus aut sordes, quas adurat. Ita S. Cunegundis vxor Henrici Imper. vt suam virginitatem marito probaret, nudis & illæsis pedibus super ferrum candens ambulauit. Ita Theognia iussu S. Basilij excipiens in sinum carbones ignitos, illæso sinu eos gestauit, eò quòd in coniugio cum Anastasio marito continentiam seruaret. testis est Amphiloch. in Vita S. Basilij. Ita & Abbas ille qui Porphyriam meretricem conuertit, cùm in suspicionem fornicationis cum ea venisset, ab ea se purgauit igne, quem in veste illæsa portauit, vt habetur in Vita S. Iohannis Eleëmosynarij.

SI AVTEM FEMINAM PEPERERIT, IMMVNDA ERIT DVABVS HEBDOMADIS, IVXTA RITVM FLVXVS MENSTRVI (putà 14. diebus, quod erat duplum dierum separationis, si peperisset masculum, v 2.) ET SEXAGINTA SEX DIEBVS MANEBIT IN SANGVINE PVRIFICATIONIS SVÆ] ita vt additis prioribus 14. diebus, quibus omnino fuit separata, fiant 80. dies purificationis, qui sunt duplum purificationis in partu masculi: in eo enim tantùm statuti sunt 40. dies, v. 4. VERS. 5.

B Quæres, cur in partu masculi tantùm 40. in partu verò feminæ statuantur 80. dies purificationis? *Cur in partu masculi, 40. dies purificationis; in femina, 80. statuantur?*

Respondent Isych. & Cyrill. lib. 15. de Adoratione, & Maldonat. in Luc. 2. 22. tot dies apposité ad naturalem maris & feminæ formationem constitutos esse: nam marem formari & perfectè organizari 40. diebus, ideoque 40. die animari. mox enim vt fœtus perfectè formatus est, animatur, vti docent medici: feminam verò formari & organizari per dies 80. idque ob debilitatem caloris & virtutis seminalis. Iam hanc formationem maris & feminæ fieri ex sanguine menstruo: vnde nec tunc mulierem grauidam menstrua pati, ob quæ ex lege Numer. 15. 19. immunda fuisset. ideoque post partum tot diebus censeri immundam quot retinuit menstrua, & ex sanguine menstruo C fœtum efformauit; eò quòd menstrua hæc per partum effuderit. *Responsio prima.*

Moralem verò causam esse, quia quot diebus prolem efformauit, totidem quasi in eamdem peccatum originale transmisit; vnde totidem diebus purificari debere.

Verùm huic sententiæ repugnant medici: nam Læuinus Lemnius libr. de Occultis naturæ miraculis c. 11. docet maris formationem absolui aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquãdo 45. feminæ verò nunc 35. nũc 40. nunc 45. nunc 50. Hippocrates verò lib. de Natura fœtus nu. 10. docet masculum vt longissimè 30. diebus formari; feminam vt longissimè 42. diebus: idque probat ex purgatione, quæ post masculi partum durat 30. post feminæ 42. diebus, vt longissimè. *Refellitur.* *Formatur mas ante 30. dies, femina ante 42. ait Hippocrates.*

Hinc Secundò, alij censent hic spectari tem- D pus non formationis, nec animationis fœtus, sed motus quo se fœtus in vtero prodit: nam, vt docet Aristot. lib. 7. Histor. animal. c. 3. masculi vt plurimùm circa 40. diem in dextero vteri latere mouere se incipiunt, feminæ verò circa nonagesimum diem, idque in sinistro matricis latere. Verùm nec hoc per omnia huic legi & tempori respondet, neque certum aut vsquequaque verum est: nam Hippocrat. libr. de Alimento, & alij docent, neque formationis, neque motus, neque partus hominis simplex & commune omnibus statutum esse tempus, sed varium & multiplex. Adde, hanc purgationem non tam ex formatione vel motu, quàm ex immunditia partus spectandam esse. *Responsio secunda.* *Refellitur.*

Vnde Tertiò, probabiliùs respondet Franc. Valesius, medicus Philippi II. Regis Hisp. lib. de *Responsio tertia & genuina.*

Sacra Philos. cap. 18. *Notandum*, inquit, *est duplicem ex vtero post partum vacuationem fieri, primam sanguinis copiose fluentis, vt singulis mensibus mulieribus fieri solet: secundam aliorum excrementorum, cum exiguo sanguine fluentium paulatim. Vtraque est ei qua marem peperit breuior. nam cùm feminæ humidiores & excrementosiores sint quàm viri, necesse est earum principia in ortu humidiora esse, quàm sint virorum. Vnde experientia constat, non mares, sed feminas ab ijs mulieribus concipi, quæ aut natura sunt, aut quas ex accidente in conceptu contigerit esse excrementosiores: indigebunt ergo tales purgatione diuturniori. Et licet Hippocrates lib. de Genitura, longissimam expurgationem eius quæ peperit marem, censeat esse 30 dierum; eius quæ feminam 42. tamen ex hac S. Scripturæ auctoritate & lege, colligitur priorem vacuationem in maribus posse fieri ad septem dies, in feminis ad quatuordecim. posteriorem in maribus ad 40. dies, in feminis ad 80 posse extendi.* hucusque Valesius.

B

Hoc enim innuunt verba Mosis dicentis: *Sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* quamquam hic locus non planè conuincit. nam dici posset cum Vatablo, eam quæ parit feminam, per 80. dies censeri immundam, eique iuberi vt maneat in sanguine purificationis suæ; non quòd tamdiu fluat sanguis post partum, sed quia legaliter ex hac lege tamdiu habetur immunda, propter fluxum sanguinis quem passa est per septem dies à partu, ideoque per 33. dies consequentes adhuc censeri esse in sanguinis sui fluxu, eiusque purificatione legali, quam ex hac lege peragere iubetur.

In partu feminæ maior est corruptio & languor, quàm maris.

Dico ergo, Propria & genuina causa huius sanctionis & disparitatis est voluntas & beneplacitum Dei, qui in partu maris statuit 40. dies purificationis, in feminæ 80. idque appositè ad naturam, ob maiorem scilicet in partu feminæ humorum fluxum, & sanguinis corruptionem, ac parientis maiorem languorem; nam, vt docet Theodor. grauiùs laborare solent mulieres dum feminam pariunt, quàm dum masculum. Huic iunge congruentiam Valesij iam dictam, quòd scilicet fluxus sanguinis in partu maris durare possit ad quadragesimum diem; in feminæ ad 80. aut potiùs quòd hos terminos numquam excedat: ita vt hi termini definiant, non tam maximum siue plurimum quod fic, quàm plurimum & maximum quod non, vti loquuntur Physici.

C

Tropolog.

Tropolog. mulier pariens masculum est anima perfecta, perfectas excolens virtutes: hæc vna quadragesima, id est pœnitentia huius vitæ ante mortem purgatur, vt statim post eam euolet ad cælum: sed feminam pariens, id est, quæ remissior ad virtutum culmina non contendit, hæc post hanc quadragesimam pœnitentiæ, aliam in Purgatorio subibit. ita Radulph.

D

VERS. 6. CVMQVE EXPLETI FVERINT DIES PVRIFICATIONIS SVÆ, PRO FILIO SIVE PRO FILIA, DEFERET AGNVM ANNICVLVM IN HOLOCAVSTVM, ET PVLLVM COLVMBÆ SIVE TVRTVREM PRO PECCATO] Quæstio hîc est, quónam referendum sit τὸ *pro filio siue pro filia*, an ad sequens *deferet agnum in holocaustum*, an ad præcedens *dies purificationis*. Alij enim & plures erant dies purificationis pro partu filiæ, quàm filij. Ex hac quæstione pendet & resoluenda est alia quæstio, an sacrificia hîc præscripta oblata sint pro prole, an tantùm pro matre pariente, an pro matre & prole simul? Variæ hîc sunt interpretum & Doctorum sententiæ.

Hostia purificationis erátne matris, an prolis, an vtriusque?

Aliqui putant fuisse vtriusque.

Multi censent hæc sacrificia fuisse oblata in holocaustum & pro peccato, tum matris, tum pro filis. ita S. Augustin. q. 40. Hugo, Rupert. hîc, Beda & Euthym. in Lucæ 2. Barradius l. 10. c. 4. 5. 6. & S. Eligius homil. de Purificatione: licet enim per Sacramentum circumcisionis fuerit infans purgatus à peccato originali, tamen adhuc cum matre censebatur esse immundus legaliter; erat enim adhuc quasi vnum cum matre. vnde cum matre per sacrificium hoc expiabatur, & sanctificabatur magis, Deoque hac legali cæremonia consecrabatur Huic sententiæ fauet id quod canit Ecclesia in Respons. 2. & 3. primi nocturni in festo Purificationis: *Obtulerunt pro eo* (puero Iesu) *par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Meliùs alij censent fuisse solius matris puerperæ.

Verùm probabiliùs Iansen. c. 10. Concor. Toletus & Maldonat. in Luc. 2. 22. & alij, censent mulierem parientem hæc obtulisse pro purificatione non prolis, sed sui solius: id enim disertè dicitur v. 7. *Offeret* (sacerdos) *illa coram Domino, & orabit pro ea* (non pro eo, scilicet puero) *& sic mundabitur à profluuio sanguinis sui.* Rursum v. vlt. *Orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.* Quare quod canitur in festo Purificationis: *Obtulerunt pro eo*, intellige indirectè & concomitanter, q. d. Obtulerunt pro partu eius, siue quia eum beata Maria peperit. Proles ergo non hoc sacrificio, sed circumcisione purgabatur à peccato originali: deinde si erat primogenita, sistebatur Domino, & redimebatur quinque siclis, vt patet Numer. 3. 47. collato cum Exodi 13. 13. quæ lex redemptionis prolis primogenitæ, alia est ab hac lege purificationis; hæc enim solam matrem puerperam spectat. Vnde v. 7. dicitur: *Ista est lex parientis masculum aut feminam.*

Hinc sequitur τὸ *pro filio siue pro filia* referendum esse, non ad *deferet*, sed ad *dies purificationis*, qui alij erant in partu filiæ, putà 80. alij in partu filij, putà 40. explendi, antequam mater ad templum veniret, ibique se per sacrificia hîc præscripta expiaret. Id clariùs significant Hebr. & Septuag.

DEFERET AGNVM ANNICVLVM IN HOLOCAVSTVM] vt gratias agat Deo, quòd pericula partus euaserit, vtque prolem cum agno in holocaustum offerat Deo qui eam benedicat, eique agninam innocentiam tribuat & conseruet.

ET PVLLVM COLVMBÆ SIVE TVRTVREM PRO PECCATO] putà pro immunditia & irregularitate legali in partu contracta, tollenda. Hæc enim immunditia vocatur *peccatum*, scilicet legale: præsertim quia ipsa ex peccato originali orta vitiatam in Adamo propaginem nostram clarè significat, inquit Isychius & S. August. Sic immunditia legalis contracta ex lepra vel menstruis, vocatur *peccatum* c. 14. 12. & c. 15. 30 Secundò, simul etiam hæc offeret puerpera pro peccatis propriè dictis, si quæ in puerperio, vel aliàs admisit.

Appositè coniugatæ & puerperæ victima purificatoria præscribitur turtur aut columba. Nam turtur gemens symbolum est luctus & pœnitentiæ. Nam, vt ait Poëta:

Nec gemere aërea cessabit turtur ab vlmo.

Sic gemere non cesset pœnitens donec purificetur. Vox ergo turturis audita in terra nostra, est vox Magdalenæ gementis.

Rursum, *Physiologi*, inquit S. Hier. l. 1. contra Iouinian. *tradunt hanc turturis esse naturam, vt si parem perdiderit, alteri non iungatur; & intelligamus bigamiam etiam à multis auibus reprobari.* Christus tamen non

non reprobat secundas nuptias, sed eis præfert viduitatem & continentiam.

Turtur & columba symbolum sunt fidei coniugalis.

Columbæ verò symbolum sunt castimoniæ, & fidei coniugalis. Nam, vt ait Plinius l. 10. 34. *Pudicitia columbis prima est, & neutri nota adulteria, tori fidem non violant, communemq́, seruant domum, imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt.* Sic coniugatis pudicitia sit prima vt columbis, neutri nota sint adulteria, coniugij fidem communemq́ue domũ seruent, filios diligant, & in Dei lege erudiant: vxor viri imperium, etiamsi difficile sit, toleret.

Tales turtures & columbæ etiam apud Gentiles fuerunt. Valeria rogata, cur defuncto Seruio marito nollet denuò nubere? *Quia*, inquit, *Seruius meus licet alijs defunctus sit, apud me viuit, viuétque semper.* Annia florens ætate & forma, monita ab amicis, vt mortuo marito secundum acciperet, tum ob spem prolis, tum ob amorem mutuum, respondit: *Nullo pacto hoc factura sum. Si enim bono viro nupsero, nolo posthac timere ne amittam: sin verò malo, quæ me caperet dementia, vt post optimum talem admitterem?* Martia Catonis filia rogata, cur post mortem mariti nollet alteri nubere, respondit: *Quia non facilè inuenero virum, qui me magis velit quàm mea.* & rursum: *Felix*, inquit, *ac pudica matrona non nubit nisi semel.* Eadem cùm diutiùs lugeret maritum, rogata, *quem esset habitura diem luctus vltimum?* Respondit, *Quem & vitæ.* Rectè Propertius,

Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus & totum femina coniugium.

Denique S. Ambros. 5. Hexam. c. 19. *Hanc autem*, inquit, *Dei lex, velut castæ hostiæ munus elegit: quæ cùm Dominus præsentaretur, oblata est; quia scriptum est in lege Domini, vt darent par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc est enim verum Christi sacrificium, pudicitia corporalis, & gratia spiritalis. pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia.*

Sed audi miram historiam, ex qua disces quàm columba symbolum sit castitatis & pietatis. Rem narrat Gregorius Turon. de Gloria Confess. c. 34. & ex eo Baron. anno Christi 480.

Fuit Aruerni puella quædam religiosa, atque deuota Deo, quæ in rure commanens, quò ab vrbica turba summota, liberiùs dignas Deo laudum hostias exhiberet, quotidie ieiunijs insistebat. Factum est igitur, vt migrans ab hoc mundo, ad basilicam oppidi, causa sepeliendi portaretur. Verùm vbi leuato feretro corpus per viam ferri cœpisset, adueniens grex magnus columbarum super eam volare cœpit, atque huc illuc volitando sequi, quò hæc à proximis ferebatur. Qua in basilicam delata, grex totus super tectum ædis ipsius visus est consedisse: illaque sepulta ad cælos euolauère columbæ. Vnde non immeritò Georgia nuncupata est, quæ sic exercuit mentem cultura spiritali, vt adepto virginitatis sexagesimi fructus prouentu, egrediens de sæculo cælestibus honoraretur exequiis, inquit Gregorius.

Refert Ado, & ex eo Baronius anno Christi 440. Iuliam sanctam virginem & Martyrem à Felice principe excarnificatam, & tandem crucifixam, de cuius ore columba exiuit & in cælum euolauit.

S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 10. de Spe Abbate moriente ita scribit: *Omnes fratres ex ore eius exisse columbam viderunt, quæ mox aperto tecto oratorij egressa, penetrauit cælum. Cuius idcirco animam in columbæ specie apparuisse credendum est, vt omnipotens*

A *Deus ex hac ipsa specie ostenderet, quàm simplici corde ei vir ille seruisset.*

ET SIC MVNDABITVR A PROFLVVIO SANGVINIS SVI] putà immunditia legali quam contraxit ob fluxum sanguinis puerperij (est metonymia, vel catachresis) vt deinceps sanctuarium adire, sacra tangere, offerre victimas alias, iisq́ue vesci possit. Vers. 7.

QVOD SI NON INVENERIT MANVS EIVS, NEC POTVERIT OFFERRE AGNVM] Hebr. *si non inuenerit manus eius sufficientiam agni*, id est pretium quod sufficit ad emendũ agnum (ita Chald. & Septuag.) putà si sit pauperior, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum; vnum in holocaustum, & alterum pro peccato. Diuites ergo puerperæ debebant offerre agnum in holocaustum, & turturem, vel pullum columbæ pro peccato: pauperes B verò tantùm duos turtures, vel duos pullos columbarum; vnum in holocaustum, alterum pro peccato. vti fecit Beata Virgo & spiritu & censu pauper: licet ipsa id fecerit, non quia spiritu erat pauper, putà quia amans erat paupertatis, vt vult Abulens. sed quia reuera censu erat pauper & indiga: de talibus enim lex hæc loquitur. Vers. 8.

Moraliter disce hic, quod ait S. Gregorius Nazianzen. orat. de S baptismo: *Nihil*, inquit, *magni æstimatur apud Deum, quod non pauper quoque donare possit.* Deus enim non tam donum, quàm donantis affectum poscit; &, vt ait S. Gregorius homil. 5. in Euangel. *Ante oculos Dei numquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. nihil enim Deo offertur ditius bona voluntate.* Hinc D. Gerson Cancellarius Parisiens. *Deus*, ait, *non quærit nomina, sed aduerbia*, id est, *non attendit quid facias, sed quomodo*, vt ait S. Bernard. C Hinc Christo præ omnibus alijs magna offerentibus, placuit vidua duo tantùm offerens minuta. Si ergo multum habes, multa da: si parùm, da parum; sed magna & liberali voluntate dandi plura, si haberes. ita liberalitas cordis tui prouocabit liberalitatem Dei erga te vt plura accipias; non enim patitur Deus se liberalitate vinci. Narrat Leontius de S. Iohanne Eleëmosynario Patriarcha Alexandr. rem miram: *Multas*, inquit, *benedictiones mittit ei Deus, sed non dimittit quidquam, quod non statim det pauperibus. Multoties in exultatione inuenerunt eum quidam dicentem Deo: Sic, sic, aut tu mittendo, aut ego dispergendo, videbimus quis vincat. Liquet enim quoniam tu diues Domine, & vita nostra miserator es.*

Nota. Cum purificatione puerperæ, simul of- D ferebatur infans Deo, si erat primogenitus, vt patet Lucæ 2. 22. & redimebatur quinque siclis, vt patet Numer. 18. 16. Porro verisimile est priùs purificatam fuisse matrem, deinde obtulisse suum infantem, vti censet Francisc. Lucas in Lucæ 2. Vbi Nota. Vtriusque huius cæremoniæ hic erat ritus & ordo:

Primò, puerpera veniebat ad atrium immundorum, ibique consistebat: nec enim atrium mundorum ingredi poterat, vtpote immunda, ante purificationem.

Secundò, offerebat turtures, vel pullum columbæ pro peccato. verisimile est eam quoque aspersam fuisse aqua cinerea vitulæ rufæ: illa enim erat quasi aqua lustralis in omni purificatione.

Tertiò, offerebat infantem Deo, eumq́ue redimebat.

Quartò,

Quartò, peractis omnibus, in gratiarum actionem offerebat Deo agnum vel turturem, aut pullum columbæ in holocaustum. Sed de his plura Lucæ 2. Hæc duo vltima fiebant puerpera (vtpote iam purificata) existente in atrio mundorum. ibi enim offerebat infantem ad ostium tabernaculi, ibique eminus spectabat holocaustū suum, quod offerebatur in atrio sacerdotum. nam inter atrium sacerdotum & laicorum, tantùm intererat murus, siue septum altum tres pedes, ita vt laici ex suo atrio spectare possent victimas, & alia quæ fiebant in atrio sacerdotum.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribuntur signa & septem species lepræ. Prima est lepra alba & lucens v. 3. Secunda est lepra recurrens v. 7. Tertia est lepra inolita v. 10. Quarta est lepra mundissima vers. 13. Quinta est lepra capitis & barbæ v. 29. Sexta est lepra in caluitio v. 42. Septima est lepra vestis v. 47. Denique v. 44. quinque mandantur leproso. Primò, vt habeat vestes dissutas; Secundò, caput nudum; Tertiò, os tectum. Quartò, clamet se sordidum. Quintò, solus habitet extra castra. *Septem species lepræ.* *Quinque præcepta data leproso.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius. 3. Qui cùm viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua; plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur. 4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus. 5. & considerabit die septimo: & siquidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus alijs. 6. Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit. 7. Quòd si, postquam à sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit; adducetur ad eum, 8. & immunditiæ condemnabitur. 9. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, 10. & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit: 11. lepra vetustissima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. 12. Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem à capite vsque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, 13. considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit: eò quòd omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit. 14. Quando verò caro viuens in eo apparuerit, 15. tunc sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. caro enim viua, si lepra aspergitur, immunda est. 16. Quòd si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, 17. considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet. 18. Caro autem & cutis in qua vlcus natum est & sanatum, 19. & in loco vlceris cicatrix alba apparuerit, siue subrufa, adducetur homo ad sacerdotem: 20. qui cùm viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in vlcere. 21. Quòd si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus. 22. & si quidem creuerit, adiudicabit eum lepræ: 23. sin autem steterit in loco suo, vlceris est cicatrix, & homo mundus erit. 24. Caro autem & cutis quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit cicatricem, 25. considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus eius reliqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice ortà est. 26. Quòd si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, 27. & die septimo contemplabitur: si creuerit in cute lepra, contaminabit eum: 28. sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ. 29. Vir, siue mulier, in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eos sacerdos. 30. & siquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus, solitoq; subtilior; contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est. 31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum septem diebus, 32. & die septimo intuebitur. Si non creuerit macula, & capillus sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ

liquæ æqualis: 33. radetur homo absque loco maculæ, & includetur septem diebus alijs. 34. Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit. 35. Sin autem post emundationem rursus creuerit macula in cute, 36. non quæret ampliùs vtrùm capillus in flauum colorem sit immutatus, quia apertè immundus est. 37. Porrò si steterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronunciet mundum. 38. Vir, siue mulier, in cuius cute candor apparuerit, 39. intuebitur eos sacerdos. si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mundum. 40. Vir, de cuius capite capilli fluunt, caluus & mundus est: 41. & si à fronte ceciderint pili, recaluaster & mundus est. 42. Sin autem in caluitio, siue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus, 43. & hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ, quæ orta est in caluitio. 44. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, 45. habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit. 46. Omni tempore quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra. 47. Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit 48. in stamine atque subtegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum est, 49. si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti. 50. qui consideratam recludet septem diebus: 51. & die septimo rursus aspiciens si deprehenderit creuisse, lepra perseuerans est: pollutum iudicabit vestimentum & omne in quo fuerit inuenta: 52. & idcirco comburetur flammis. 53. Quòd si eam viderit non creuisse, 54. præcipiet, & lauabunt id in quo lepra est, recluderque illud septem diebus alijs. 55. Et cùm viderit faciem quidem pristinam non reuersam, nec tamen creuisse lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eò quòd infusa sit insuperficie vestimenti vel per totum, lepra. 56. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, & à solido diuidet. 57. Quòd si vltrà apparuerit in his locis, quæ priùs immaculata erant, lepra volatilis & vaga; debet igne comburi. 58. si cessauerit, lauabit aqua ea, quæ pura sunt, secundò, & munda erunt. 59. Ista est lex lepræ vestimenti lanei & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

Qualis fuit lepra Iudæorum? Fuit naturalis morbus, sed sæpè à Deo immissus ob peccata, quæ

QVæritur, quænam & qualis fuerit hæc lepra Iudæorum.

Dico Primò, lepram hanc fuisse morbum, siue vitium sæpè naturale, sæpè etiam ex speciali Dei prouidentia Iudæis immissum, maximè ad punienda grauiora eorum peccata; vel simoniæ, ob hanc enim Giezi ab Eliseo percussus est lepra, 4.Reg.5.27. Vel sacrilegij, ob hoc enim Ozias rex vsurpans sacerdotium, & volens adolere incensum, leprâ tactus est à Deo, 2.Paral.6.21. Vel homicidij; ob hoc enim Dauid imprecatur Ioab occidenti Abner lepram, 2.Reg.3.29. Vel murmuris & rebellionis, præsertim contra sacerdotes: ita enim Maria soror Mosis, murmurans contra Mosen correpta est lepra, Numer.12.10 Qua de re illustris est locus Deuter 24.8. vbi Deus disertè comminatur lepram iis, qui sacerdotibus obedire nolunt. *Obserua*, inquit, *diligenter ne incurras plagam lepræ, sed* (vt eam euites) *facies quæcumque docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi iis, & imple sollicitè. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ.* Lepra ergo hæc sæpè non tam fuit naturalis morbus, quàm plaga diuina, vti fusiùs ostendam versu 47.

Rebellantes sacerdotibus puniebantur lepra.

Atque hæc fuit causa, cur Deus lepræ iudicium & expiationem detulerit sacerdotibus, curq; voluerit leprosos se sacerdotibus sistere & ostendere, vt ab eis lepra vel mundati vel adhuc inquinati, pronunciarentur. Nimirum, vt cogerentur sacerdotibus se humiliare, contra quos superbè se erexerant, itaque superbiæ suæ culpam & pœnam hac humiliatione expiarent. Ita Maria erigens se

A contra Mosen percussa est lepra, à qua non nō nisi Mosis ope & precibus sanata est, Num. 12.11. Fuit & alia causa, nimirum quòd leprosi in lege veteri erant quasi irregulares: erant enim immundi non tantùm naturaliter, sed & legaliter, ita vt arcerentur non tantùm conuictu hominum, sed & templo ac sacris. Hanc autem irregularitatem tollere non poterat medicus, sed sacerdos. Ergo vt ea tolleretur, sacerdoti se sistere & supplicare debebant; qui eos expiabat, ac sacris restituebat iuxta ritum quem Deus præscribit c.14.

Dico Secundò. Lepra hæc Iudæorum dissimilis & alia fuit à lepra nostra, quæ magis est elephantia, quàm lepra. Negat hoc Abulens. censetque eamdem esse lepram nostram cum lepra Iudæorum, sed nunc esse magis arrosiuam, quàm *Lepra Iudæorū alia fuit à nostra.*

B fuerit tunc. Verùm non fuisse eamdem patet Primò, quia, vt mox dicam, lepra Iudæorum erat ferè tantùm in cute; nostra verò carnes & ossa depascitur. Secundò, lepra Iudæorum etiam vestes & muros ac domos inuadebat, vt patet v.29. nulla autem iam est lepra, quæ vestes aut domos corripiat. Tertiò, lepra nostra est incurabilis; lepra autem Iudæorum erat curabilis, sæpeque curabatur, vt patet hoc c. & sequ Neque id mirum videri debet: sic enim videmus sæpè quamque regionem, & quodque clima proprias habere, vti qualitates & affectiones, ita & morbos, imò vnum eumdemque morbum in alio climate alium esse, aliaque habere symptomata. Atque hæc fuit causa, cur tempore belli sacri tot Belgæ, Franci, Germani ex Iudæa domum redeuntes, leprosi inde redierint, ideo-

ideoque tot vbique erecta fuerint leprosoria, quæ A etiamnum extant, sed sine leprosis.

Lepra Iudæorum similis fuit lepra Græcorum. Dico Tertiò, Lepra Iudæorum similis fuit veteri lepræ Græcorum, de qua Hippocrates libr. de Affectionib. ita ait: *Lepra, & pruritus, & scabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt; sunt autem turpitudo magis quàm morbi.* Ratio est, nam vetus Iudæorum lepra, vt ait S. August. libr. 2. Quæst. Euang. q. 40. sæpè coloris vitium fuit magis, quàm valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum, eaque de causa leprosi à Christo non sanati, sed mundati dicuntur. Talis autem fuit lepra Græcorum, siue communis: nam, vt rectè Ioannes Mainardus medicus insignis lib. 6. epist. ex Galeno probat, lepra est vitium cutis leuiculum, adeò scabiei simile, vt vix ab eo discernatur. B Pari modo, ait Caietan. lepra hæc Iudæorum fuit morbus, aut potiùs vitium in cute magis quàm carne residens, idque multiplex & varium, adeoque ipsa scabies hîc vocatur lepra, si grauior sit, & communem simplicemque superet. Quare hanc lepram accuratè discutiens Franc. Valesius medicus illustris libr. de Sacra Philosoph. cap. 19. censet per lepram hanc varia vitia cutis & turpitudines externi corporis accipienda esse, quorum vnum nascitur ex alio, idque ex redundantia pituitæ vel melancholiæ, per variam alterutrius intensionem aut remissionem. Vnde putat ipse hoc cap. v. 6. & 39. describi vitiliginem; v. 3. & 7. scabiem cum squamis, quæ lychen seu impetigo dicitur; v. 9. elephantiam vel eius initium; v. 29. achorem; v. 38. alopeciam vel ophyasin, vti singulis versiculis fusiùs ex ipso dicam: hinc

Lepra Iudæorũ non vnus fuit morbus, sed varij. Dico Quartò, lepram hîc non vnum esse mor- C bum, sed varium & multiplicem, non tantùm specie, sed & genere differentem, adeoque analogicè extendi ad vitia vestium & domorum. Hæ enim lepræ quæ hoc capite describuntur, non tam morbi sunt, quàm deformitates seu putrescentiæ quædam cutis, eæque variæ & multiplices. Vnde non mirum est, si non tantùm animatis, sed & inanimatis conueniant, præcipuè vbi à causa aliqua communi gignuntur, & populariter grassantur: aër enim, qui solus communis popularium morborum potest esse causa, tangit vndique atque circumstat inanima, æquè vt animata; licet diuersimodè afficiat, non tantùm inanimata, sed & ipsa animata. Differentia enim est inter lepram hominis, bouis, ouis & suis. Est tamen omnium lepra eadem analogicè; hæque omnes lepræ sibi inuicem affines sunt & propinquæ, adeò vt mutuum D fit contagium, & animata lepram inanimis affricare possint. Lepra enim hæc, vt dixi, non tam morbus, quàm corrosio, corruptio, & putrescentia quædam est: nam putrescere omnia possunt, præter ignem, ægrotare autem sola viuentia. hucusque Valesius cap. 19. & 20. Cui tamen addendum

Lepra Iudæorũ medium quid fuit inter leprã Græcorum & elephantiã. puto, lepram hanc Iudæorum non per omnia similem fuisse lepræ Græcorum, quæ vulgò à medicis lepra vocatur, & in cute residet; sed potiùs eam medium quid fuisse inter lepram & elephantiam, atque non tantùm cutem, sed & halitum, ac consequenter interiora vitiasse: ideò enim v. 45. iubentur leprosi os tegere, ne halitu suo prauo alios inficiant. Licet enim hæc lex cæremonialis sit, tamen ipsa, vti & aliæ, in natura & naturali hac causa fundata est. Rursum, eam sæpè non tam naturalem fuisse, aut ex naturalibus causis ortam, quàm à Deo specialiter Iudæis instar plagæ fuisse inflictam, ac proinde huius lepræ physicas & medicas causas, ac symptomata per omnia à medicis iam assignari non posse, paulò antè ostendi, & fusiùs ostendam v. 47.

HOMO IN CVIVS CVTE ET CARNE ORTVS FVERIT DIVERSVS COLOR, SIVE PVSTVLA, AVT QVASI LVCENS QVIPPIAM, ID EST PLAGA LEPRAE] VERS. 2. sic & Chald. Verùm in Hebræis alius est ordo; sic enim habent: *Cùm fuerit tumor siue pustula, aut macula carni adhærens* (quod Noster vertit, *diuersus color*) *aut candicans quippiam, vt sit in carne eius in plagam lepræ*, id est vt videatur esse lepra, vel lepræ suspicionem ingerat. Septuag. vertunt σημασίας ἢ τηλαυγὴς, *cicatrix significationis, vel lucens. Significationis*, id est significans esse lepram. ita Hesych. Nota τὸ *lucens*, scilicet, vt videantur esse quasi fulgentes furfures, aut squamæ; nam hæc possunt esse initia vitij abeuntis in malignum, & in aliquod lepræ genus, inquit Valesius.

ADDVCETVR AD AARON SACERDOTEM] Quia sacerdotis est iudicare an quis aptus, id est mundus sit, vt ei liceat ingredi sanctuarium, an immundus & ineptus, vt ab eo arcendus sit: ac consequenter eius est iudicare de lepra, an & qualis sit. Secũdò, quia sacerdotes veteres iudicãtes inter lepram & lepram, typus erant sacerdotum legis nouæ, quibus communicata est à Christo potestas ligandi & soluendi peccatores. ita S. Hieron. in cap. 16. Matth. & Chrysost. libr. 3 de Sacerd.

QVI CVM VIDERIT LEPRAM IN CVTE, ET PILOS IN ALBVM MVTATOS COLOREM] VERS. 3. Albor enim pilorum carnis, ex qua nascũtur, corruptionem & vitium arguit. *Nam lepra*, ait S. Cyrill lib. 15. de Adorat. fol. 309. *fit ex eo, quòd caro emoriatur; excauatur enim vlcus ilico absumpta cute, & in profundum semper serpens; quo fit vt pilus qui in illis partibus exoritur, languescens exalbescat, ac velut stirps vnà cum subiecta terra corrumpatur.*

Est hæc prima lepræ species illa, quæ à medicis, inquit Valesius suprà, vocatur lychen, vel impetigo, vel lepra volatilis, quia serpit & quasi volat per partes; ab Arabibus vocatur *barras*, vel *albarras* album, gigniturque ex pituita salsa vel melancholia. Eius duo hîc dantur signa. Primum, pilos qui ex leprosa cute nascuntur, in album colorem mutari. Secundum, ipsam lepram humiliorem esse reliqua cute. quorum causam hanc dat Valesius: *Cùm enim*, ait, *lychenes illi maligni à salsa pituita nascantur, vel sola, vel mista cum atra bile, necesse est, vbi partis temperies admodum labefactata est, & in ipsius excrementi naturam velut mutata, salitam admodum esse cutem, ac proinde siccam & contractam, ac reliqua cute, quæ sana est, humiliorem.* Rursum, *cùm orta consentiant ijs ex quibus oriuntur, vbi cutis ob pituitam ita erit facta candida, vt ipsum substantiæ modum mutauerit in candidiorem, pilos quoque ex se nascentes candidos reddet.* *Prima species lepræ est impetigo. Vnde oriatur. Eius signa duo.*

IPSAMQVE SPECIEM LEPRAE] Hebr. *aspectum plagæ*, id est, apparentem speciem lepræ. vide can. 30.

HVMILIOREM] Lepra enim & cutem & carnem excedit.

ET AD ARBITRIVM EIVS SEPARABITVR] Hebr. *& inspiciet eum sacerdos, & pollutum iudicabit eum*; ac consequenter separandum & emittendum extra castra. Describuntur hoc cap. notæ quibus discerni possit, qui lepra graui, qui leui infecti sint; qui

qui facilè curati possint, qui sint incurabiles: vt qui simplici tantùm scabie deprehenderentur laborare, mundi iudicati dimitterentur; quos spes esset fore vt mundarentur, recluderentur; qui verò viderentur desperatæ emundationis, omnino separarentur, & extra castra reiicerentur.

VERS. 4. SIN AVTEM LVCENS CANDOR FVERIT IN CVTE] *Albor*, ait S. Cyril. l. 15. *infirmitas est carnis* (vel potiùs cutis) *lepræ persimilis, nisi quòd malũ illud non in profundum agit, sed pullulat in summo corpore, neque mutat pilum in album colorem; neque tam latè funditur, vt reprimi nequeat, sed leuibus remediis curatur.*

VERS. 5. RECLVDET EVM SEPTEM DIEBVS ALIIS] Iubet hîc Deus leprosum per hebdomadam secundò recludi; qua exacta, si obscurior fuerit lepra, neque creuerit in cute profundiùs vel latiùs serpendo, hoc est, si non se dilatauerint maculæ, & signa lepræ facta sint obscuriora, ita vt albor qui mouebat suspicionem lepræ, iam immutatus sit in nigredine, vel obscuratus esse desierit; scire iubet, lepram veram non esse, sed psoram, seu scabiem, ac dimitti hominem lotis vestimentis. Mundus enim est, hoc est, non est leprosus sed scabiosus solùm; quod leue est, & solo vestium mundissimarum, linearum & lanearum vsu, & probo victu liberabitur, præmissa, si opus sit, aliqua corporis euacuatione. ita Valesius.

Nota, hîc, & inferiùs passim vocari lepram, illam quæ esse videbatur, vel de qua erat suspicio quòd esset lepra, etiamsi postea deprehenderetur non esse lepra.

VERS. 6. MVNDABIT EVM] id est mundum declarabit & pronuntiabit: simile est versu 34. & Gen. 41. 13. vbi dicit pincerna: *Ego redditus officio, ille* (pistor) *suspensus*; pro quo hebr. est, *me reddidit officio, illum suspendit*, scilicet Ioseph vaticinio suo.

VERS. 7. & 8. *Secũda species lepræ, est lepra recurrens.* QVOD SI, POSTQVAM A SACERDOTE VISVS EST, ET REDDITVS MVNDITIÆ, ITERVM LEPRA CREVERIT; ADDVCETVR AD EVM, ET IMMVNDITIAE CONDEMNABITVR] Est hæc secunda species lepræ repetitæ, siue recurrentis. Talis enim lepræ condemnabitur, quia apparuerunt in eo signa permanentis & radicatæ lepræ. nam iteratus morbus magnum corporis apparatum, & in eum propensionem significat, subesseque in vitiosa corporis natura morbi velut radicem: morbus verò in quem corpus valdè propensum est, facilè abit in habitum. itaque vt incrementum macularum, ita & repetitio suspectum & malum signum est, censeturque meritò quæ semel repetijt, sæpè repetitura lepra, neque vmquam futurus homo tutus ab immunditia quare immunditiæ condemnabitur. ita Valesius.

Tropol. lepra est peccatum, &c. Tropologicè, lepra est quodlibet peccatum, ait Theodor. & præsertim hæresis, inquit Rupert & Beda. (quamquam hæresis propriè est lepra capitis, vt dicam v. 29.) cutis colorque eius est conuersationis humanæ visibilis species; caro est conscientia interna; pili sunt cogitationes se prodentes. cùm in his apparuerit lepra, putà defectus pristini situs & coloris; aut pustula, id est conscientiæ corruptio; aut lucens quippiam, id est reatus euidenter elucescens; sacerdos separet eum à cœtu fidelium ad septem dies, vsque ad plenã lepræ vel cognitionem, vel emendationem. si obscurior appareat, & non creuerit, scabies est, id est leuior culpa: sin iterum creuerit, lepra est, id est viuens & perseuerans deliberatio peccandi. ita Radulph.

Quæsiuit aliquando S. Ludouicus Franc. rex ex Seneschalco Campaniæ, malletne lepra infici an peccato? cumque is respondisset, Peccato; acriter eum perstringens: *Toto*, inquit, *cælo erras. Ecqua lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque si me amas, eam mentem mutato.* ita refert Ionuil. in eius Vita c. 94.

Eiusdem sensus & sententiæ fuit alter S. Ludouicus, regio stemmate natus, qui ex Franciscano factus est Episcopus Tolosanus. aiebat enim: *Priùs mihi pereat, non dico regnum hoc caducum, sed orbis totus, quàm in Deum meum semel peccem, cuius honorem omnibus anteponendum noui.* ita habet eius Vita cap. 10.

IPSA QVOQVE CARO VIVA APPARVERIT, LEPRA VETVSTISSIMA IVDICABITVR] Est hæc tertia species lepræ, scilicet lepra inolita, quæ in viua est carne, cùm prior fuerit in cute & capillis: minùs enim est graue mutari colorem solius cutis, quàm capillorum etiam: grauiùs verò quàm vtrũque est, ipsam iam viuam sub cute carnem lepra respersam esse, ita scilicet vt ipsa sit alba, & modum substantiæ carneæ amiserit: id enim lepræ vetustissimæ, & cuti inolitæ esse constat; quia oritur ex pituita salsa, quæ excreta à vi expultrice non solùm cutem, sed & subiectam carnem peruasit, eamque in vitiosi succi naturam mutauit. Hoc autem an ita sit, an scilicet subiecta caro sit leprosa, medici explorãt fricatione, & acu: si enim caro fricata non rubeat, & si puncta acu non sanguinem, sed lacteam aut aquosam humiditatem reddat, signum est eam esse lepra infectam. hæc lepra est elephantia, præsertim si carnem depascatur & exedat. ita ex Galeno, Auicenna & Paulo Ægineta Valesius. VERS. 10. & 11. *Tertia species lepræ, est lepra inolita.* *Medici lepram explorant fricatione & acu.*

Tropologicè, Radulph. lepra carnis non viuæ est mala deliberatio, quæ licet viuat, citò tamen mortificatur: sed lepra carnis viuæ est illa, quæ pertinax vehementiùs radicatur, & sacerdotalis admonitionis clausuram non recipit; quare antequam radicetur & serpat, confessione & pœnitentia deleatur. Nam, vt ait S. Chrysostomus homil. 36. ad populum, acer instat diabolus, ingressum aliquem capere volens: qui si vel breuem arripuerit vacationem & dilationem, magnum inducit torporem. Et Theodoricus rex apud Cassiod epist 14 lib 3. Variarum: *Malum*, inquit, *cùm perseuerat, augetur: & remediabile bonum in peccatum, est accelerata correctio.*

CONTAMINABIT ITAQVE EVM SACERDOS] VERS. 11. *Contaminabit*, id est contaminatum iudicabit: ita passim accipitur hoc capite τὸ *contaminabit*, v. 11. 20 25. 27. 30. Vide can. 11.

SIN AVTEM EFFLORVERIT DISCVRRENS LEPRA IN CVTE, ET OPERVERIT OMNEM CARNEM A CAPITE VSQVE AD PEDES, QVIDQVID SVB ADSPECTVM OCVLORVM CADIT, CONSIDERABIT EVM SACERDOS, ET TENERI LEPRA MVNDISSIMA IVDICABIT] Est hæc quarta species lepræ, quæ dicitur mundissima, id est minimè contagiosa scabies. Vnde Hebr. Chald. & Græca habent (quod & paulò pòst in Latinis sequitur) iudicabit eum mundum à lepra, quia videlicet hæc scabies discurrens per totum corpus, tantùm est purgatio naturæ, validè se vndequaque purgantis, & vitiosos humores eijcientis: secùs est cùm in vna parte considens, vitium illius partis interius arguit, aut certè debilem vim expultricem. In vitiosis enim corpo- VERS. 12. & 13. *Quarta species lepræ est lepra mundissima, quæ*

corporum dispositionibus, & cacochymijs optimum censent medici, si illa per variolos, scabiem, aliaque excrementa abundanter foras erumpant: quod enim non erumpit, interiùs manet, & cor aliaque vitalia afficit & inficit. ita ex Hippocrate Valesius.

Tropolog. Tropolog. lepra discurrens in cute, est infamia falsa criminum, qualibus Christus & Sancti, maximè in primitiua Ecclesia aspersi, ideoque afflicti sunt: hæc discurrit, quia nusquam locum inuenit vbi verè stabiliatur: in candorem vertitur, id est in laudem cognita rei veritate, ideoque lepra mundissima censetur: quippe per eam homo potiùs in patientia, meritis & gloria accrescit, cùm sine criminis perpetratione criminis laborat suspicione. ita Radulph. Hinc dicitur de Christo Isaiæ 53.4. *Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Vides quomodo hæc lepra, putà infamia, realiter cutem Christi tetigerit & afflixerit.

Vers. 14. & 15. QVANDO VERO CARO VIVENS (lepra aspersa) IN EO APPARVERIT (consumpta cute) TVNC SACERDOTIS IVDICIO POLLVETVR] pollutus declarabitur. Vide v. 6 & 11.

Vers. 16. & 17. QVOD SI RVRSVM VERSA FVERIT IN ALBOREM, ET TOTVM HOMINEM OPERVERIT, CONSIDERABIT EVM SACERDOS, ET MVNDVM ESSE DECERNET] quia hoc signum est carnem sanari, & pelle rursum vndequaque obduci.

Vers. 18. & 19. CARO AVTEM ET CVTIS, IN QVA VLCVS NATVM EST ET SANATVM, ET IN LOCO VLCERIS CICATRIX ALBA APPARVERIT, SIVE SVBRVFA] Nihil hîc aliud dicitur quàm lepram iam dictam v. 3. & sequ. posse innasci vlceribus (siue ea sponte nata sint, siue inusta) sanatis putà cicatricibus. neque id mirum, quia vlcera sponte nascuntur in partibus debilibus, ob prauos succos in eas missos, & quæ semel vlceratæ sunt, licet cicatrice obducantur, manent tamen debiliores: quapropter & ipsa vlcera solent sæpè in ipsis partibus nouari, & materia lepræ in eamdem partem emergere. Orta verò lepra hîc easdem notas habet, quas in reliquis partibus, nimirum prima eius nota est, macula serpens; secunda, locus profundior reliqua cute; tertia, pili mutati in candidum. hæ enim veræ ac malignæ lepræ notæ sunt: contraria, mundæ scabiei signa sunt.

Nota, *subrufa*, id est subrubra, quia licet macula lepræ in reliqua cute candida sit; in cicatrice tamen relicta ex vlceribus fit aliquando subrubra; eò quòd sanguis quo pars nutritur, malè ob eius debilitatem mutetur, quæ causa macularum est. ita Valesius.

Vers. 23. SIN AVTEM STETERIT IN LOCO SVO VLCERIS EST CICATRIX, ET HOMO MVNDVS ERIT] quia si lepra esset, non sisteret, sed serperet; ergo id quod videtur in tali cicatrice album vel subrufum, est ex vlcere præcedente, non autem est lepra.

Vers. 24. ALBAM SIVE RVFAM] quia si esset ex combustione, esset nigra: ergo cùm sit alba vel subrufa, suspicio est esse lepram.

Vers. 28. SIN AVTEM IN LOCO SVO CANDOR STETERIT NON SATIS CLARVS (obscurus, vti paulo antè dixit) PLAGA COMBVSTIONIS EST] combustione inflicta & relicta.

Tropol. vlcus significat flagitiorum saniem, per quã honestatis humanæ species violatur: plaga combustionis significat iram & inuidiã. hæc si la- A nata rursum recruduerint, & maculam albam, id est voluptatum blandimenta; aut rufam, id est cruentam speciem discordiarum, ostenderint; considerabit sacerdos vt suprà, &c. vtraque enim macula ab alterutro vitio oriri potest. ita Radulph.

VIR SIVE MVLIER, IN CVIVS CAPITE AVT BARBA GERMINAVERIT LEPRA] ita vt lepra cutis & carnis in barba vel capillis se prodat: nam in cute esse hanc lepram, patet ex eo quod sequitur, eam humiliorem esse carne reliqua. Vers. 29.

Est hæc quinta species, non formalis, sed materialis lepræ: scilicet lepra barbæ & capitis, quæ eiusdem formæ & rationis est cum lepra aliarum partium. Vnde huius signa sunt eadem, quæ aliarum iam dictarum, nimirum lepra quæ humilior est cute reliqua, & capillorum mutat colorem, & sese B effundit ac serpit, maligna est; aut etiam quæ cùm videretur esse mundata & curata, rursum emergit, redit & proserpit: quæ verò hisce contraria habet, non est maligna. Illud tantùm interest, quòd in reliquis partibus lepra pilos in albos commutat, in barba verò & capite mutat eos in flauos & tenues. cuius rei causa est, quòd capitis lepræ innasci solent achores (quæ vulgò vocatur *tinea*) putà vlcuscula quædam, quæ manant & stillant succum quemdam liquidiori melli similem: quod apertè indicat tali etiam sanie imbutam esse illis capitis cutem. Meritò ergo tales inde capilli nascuntur, tenues inquam & flaui, vti è reliquis partibus, quæ salsa pituita imbutæ sunt, nascuntur albi. Causa illius saniei est bilis flauæ tenuis cum salsa pituita permistio. Vnde iis mulieribus quæ tinea laborant, auro similes capilli oriuntur. ita Valesius.

Quinta species lepræ, est lepra barbæ & capitis.

Tinea capitis, quæ.

C Tropolog. superiores lepræ hucusque, morum vitia fuerunt: hæc verò est fidei, estque hæresis, quæ vt lepra & vt cancer serpit, sicut vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. statim ergo hæc tollenda & separanda est, & vt ait S. Hieron. in cap 5. ad Galat. *scintilla statim vt apparuerit extinguenda est, & fermentum à massa vicinia semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum; ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.*

Tropol. lepra capitis est hæresis.

Refert Gregorius Turon. lib. 1. mirac. S. Martini c. 11. & ex eo Baron. anno Christi 560. quòd rex Galliciæ cũ subditis Arriana hæresi infectus à Deo punitus sit. nam regio illa lepra percussa est, & filius eius Charraricus grauiter ægrotare cœpit, vt D solo spiritu palpitaret. Quare pater misit vota & dona ad S. Martinum, eiusque fidem orthodoxam amplexus est: inde filius eius sanatus est, & plaga lepræ cessauit; *nec vmquam vsque nunc*, inquit Gregor *lepra morbus super aliquem apparuit.*

Lepra ergo in capite, est error circa diuinitatem Christi, lepra in barba, est blasphemia in humanitatem Christi, eiusque Apostolos aut Prophetas: per barbam enim homines perfecti significantur, qui Christo capiti cohærent quasi barba, eiusque influxum proximè suscipiunt: de quo dicitur, *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Capillus flauus & solito subtilior, est superba cogitatio & sui fiducia: sicut niger, est humilitas & obedientia: humilior carne locus est erroneus articulus, qui veritate Ecclesiæ

longè est inferior. Si cutis & locus æqualis sit, radendus est, id est, ei subtrahenda est facultas disputandi, ne infirmo adhuc ingenio tanta mysteria discutere præsumat, agnita iam veritate Ecclesiæ, in qua conquiescere, & cui suum iudicium subdere debet. Locus autem maculæ radi prohibetur, vt erroris sui memoria homini relinquatur ita Radulphus & Isychius.

Rursum lepra in capite, est arrogantia in mente: hæc enim est origo hæresis. *Septempliciter*, inquit S. Bernard. serm. 3. de resurrect. Dom. *occupauit nos lepra superbia, Primò, in proprietate possessionum; Secundò, in gloria vestium; Tertiò, in voluptate corporum: in ore quoque dupliciter, similiter & in corde: in ore, Quartò, cùm in aduersis murmuramus, & Quintò, cùm in prosperis arroganter commendamus: in corde, Sextò, propria voluntas; & Septimò, proprium* consilium & iudicium, quod est pater hæresis. Porro hæc lepra maximè viles & abiectos inuadit, cùm ad dignitates & fastigia euehuntur, vti experientia docet. *Compertum habeo humillimos quosque, maximè vbi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc C. Marius patrum memoria, hinc Diocletianus nostra, communem habitum supergressi sunt, dum animus potentia expers, tamquam inedia refecti, insatiabilis est*, inquit Aurelius Victor de Cæsar. Præclarè S. August. de Catechiz. rudib. *Magna*, inquit, *miseria est, superbus homo: sed maior misericordia est humilis Deus.* Et l. 14. de Ciuit. *Audeo*, ait, *dicere, superbis vtile esse cadere in aliquod apertum & manifestũ peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit; quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hinc ait Psaltes: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et S. Bernard. in epist. *Humilitas*, ait, *homines similes angelis facit, & superbia ex angelis dæmones facit: & vt euidenter ostendam, ipsa omnium peccatorum initium, finis, & causa: quia non solùm peccatum est ipsa superbia; sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia.*

Viles si euehantur, fiunt intolerabiles.

Vers 33. RADETVR] vt clariùs appareat post septem dies, an serpserit lepra.

Vers. 39. VIR SIVE MVLIER, IN CVIVS CVTE CANDOR APPARVERIT] Describitur hîc vitiligo, id est macula simplex coloris candidi lucentis in cute, quæ non est lepra. Vnde hebr. vocatur בהק *bohac*, id est lentigo, vel vitiligo in cute germinans.

Vers. 40. & 41. VIR DE CVIVS CAPITE CAPILLI FLVVNT, CALVVS ET MVNDVS EST: ET SI A FRONTE CECIDERINT PILI, RECALVASTER ET MVNDVS EST] *Recaluaster* hîc dicitur is, cui versus frontem capilli fluunt: *caluus*, cui toto capite; ita vt supernè totus depilis fiat. ita Isychius & Radul & patet v. 55. ita etiam hæc distinguunt & vocant Chald. & Septuag.

Vers. 42. & 43. SI AVTEM IN CALVITIO, SIVE IN RECALVATIONE, ALBVS VEL RVFVS COLOR FVERIT EXORTVS, ET HOC SACERDOS VIDERIT, CONDEMNABIT EVM HAVD DVBIE LEPRÆ] Hæ enim maculæ albæ vel rufæ, significant malignos succos, qui corrumpunt radices capillorum, & tales subinde sunt in maligna alopecia, siue ophiasi, id est profluuio capillorum, ex abundantia pituitæ vel melancholiæ. Vnde maligna hæc alopecia inter species lepræ numeratur. ita Valesius.

Sexta species lepræ, quæ est in caluitio.

Est hæc sexta species lepræ, quæ scilicet est in caluitio.

Tropol. capilli terrenam substantiam significant. Caluus ergo est, qui eam omnino dat pauperibus; recaluaster, qui eam retinet non ad voluptatem, sed ad necessitatem: in his color albus, id est cupido gloriæ; vel rubeus, id est crudelitas rapinarum, oriri possunt: hæc enim lepra oritur ex ipsis virtutibus, sicuti præcedentes ex vitijs. ita Radulphus.

QVICVMQVE ERGO MACVLATVS FVERIT LEPRA] Quinque res hîc præcipiuntur leproso, vt iis quasi signis dinoscatur, alijque eum cauere possint, ne ab eo inficiantur. Primò, *habebit vestimenta dissuta*; Secundò, *caput nudum*; Tertiò, *os veste contectum*; Quartò, *contaminatum ac sordidum se clamabit*; Quintò, *solus habitabit extra castra*. Vers. 44.

Quinque præcepta data leprosis.

Nota. Quædam horum præcipiuntur propter leprosum, quædam propter alios, quædam propter vtrosque. Propter leprosum, vt habeat vestes dissutas, nudum rasumque caput; vt scilicet hac ratione exspirent putidi corporis & capitis vapores. Propter alios, vt habeat os tectum, & clamet se leprosum: nulla enim re magis inficere potest homo immundus, quàm anhelitu & exspiratione quæ per os agitur. Propter vtrosque, vt habitet extra castra, solus scilicet, ne alijs noceat; atque in libero aëre, vt eo recreetur & sensim curetur.

HABEBIT VESTIMENTA DISSVTA] Hinc Abulensis censet, Iudæorum vestes olim fuisse vndique consutas, ita vt eas induerent iniecto desuper per caput capitio, eo modo quo hyacinthinam tunicam induebat pontifex, Exodi 28. v. 32. ideo enim leproso assignatur hîc vestis dissuta, quia sani habebant consutas. Sed hæc ratio non concludit: poterant enim sani habere vestes consutas à lateribus, sed in pectore apertas, & nodis, vncinis, vel ligulis adstrictas; leprosi verò varijs in locis & lateribus eas dissuere debebant. Vers. 45.

An Iudæi habuerint vestes vndique consutas.

CAPVT NVDVM] Hinc censet Abul. Iudæos tecto capite incessisse etiam in templo, itaque orasse (vnde & pontifex in templo caput cidari tegebat) vt capite tecto significarent suum timorem & subiectionem legis, legiq; quasi pileo se caput subijcere & inuoluere debere. E contrario in lege noua nudamus capita, in signum libertatis Christianæ. Vnde Paulus 1. Corinth. 11. 4. *Omnis vir*, ait, *orans velato capite, deturpat caput suum.*

Iudæi tecto capite orabant. Christiani nudo.

OS VESTE CONTECTVM] Chald. vertit, *os eius inuoluetur panno sicut lugens*, non quando est solus, sed quando appropinquat alijs, quos halitu inficere possit, tuncque, non aliàs, faciet id quod sequitur:

SORDIDVM SE CLAMABIT] Abulensis putat non iuberi, vt clamet voce, sed signis quatuor iam datis. Verùm hoc non est propriè clamare. Vnde Chald disertè vertit, *clamabit; Non contaminemini, neque immundi fitis.*

SOLVS HABITABIT EXTRA CASTRA] in deserto, & extra vrbes in Iudæa. intellige nisi sit persona valdè eminens. Nam Ozias lepra percussus, permissus est, vtpote rex, habitare in domo libera seorsim, 4. Reg. 15. 5. erat enim hæc domus eius planè separata à populo, vt dicitur 2. Paral. 26. 21. Vnde perinde erat ac si extra vrbem habitasset. Quamquam S. Chrysost. homil. 4. & 5. in cap. 6. Isaiæ, docet Iudæos peccasse, quòd reueriti regalem dignitatem, regẽ Oziam procul extra vrbem non expulerint: ideoque Deum illis subtraxisse prophetiam & prophetas vsque ad mortem Oziæ. tum Vers. 46.

Sententia S. Chrysost. de Ozia lepra.

tum enim cœpit prophetare Isaias; nam in anno A quo mortuus est Ozias, vidit Isaias illam illustrem visionem quam describit c.6. vt patet ibidem v.1. Sed de hac re in Isaia dicendum.

Hinc patet falsum esse quod scribit Manethon, & alij Gentium historici, teste Iosepho lib.3. Antiq.& libr.7. Belli, Hebræos fuisse colluuiem scabiosorum ac leprosorum, quos proinde Ægypto pulsos Moses duxerit in Chanaan, præcipiens eis vt peregrinis non communicarent, ne videlicet eadem de causa Chananæis inuisi fierent. Si enim ipsi fuissent tantùm colluuies leprosorum, quomodo Deus iussisset eis leprosos à conuictu suo separare?

Voluit Deus leprosos extra castra degere, tum ne alios inficerent, tum vt in hac solitudine ab omnibus destituti discerent ad Deum recurrere, eique dicerent: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Didicit hoc sanctus ille Abbas in eremo, qui, vt legimus in Vitis Patrum, cùm sexaginta annos fuisset leprosus, atque afferretur ei à quodam pecunia, qua se sustentaret, eam reiecit, dicens, *Tu post 60. annos venis auferre nutritorem meũ? Ecce tantum temporis habens in infirmitate mea nihil indigui, Deo tribuente & pascente me.* Atque hinc fortè factum est, vt leprosi etiamsi diuites sint, pane non proprio, sed mendicato viuant, tumque minùs lepra sua crucientur (si verum est quod ipsimet asserunt.) Est enim panis emendicatus, panis Dei & angelorum (vt ait S. Franciscus) instigantium eleëmosynarios ad eum dandum, & pauperes ad petendum.

Tropologicè, Radulph. corpus leprosorum discooperitur, cùm eorum iniquitas reuelatur: caput C nudatur, cùm peruersitatis illorum origo & radix exponitur: contaminatos se clamant, etsi non sua confessione, vtpote pertinaces, certè operum suorum confessione: ora eis clauduntur, dum omnibus confabulationem eorum execrantibus propinandi veneni facultas subtrahitur. Hæc omnibus peccatis, sed maximè hæresi conueniunt. Vnus enim Lutherus, vnus Caluinus, quia non fuit separatus, nónne multa regna sua lepra & hæresi infecit? Sic fornicator, sic ebriosus, suam lepram & vitium ijs quibuscum versatur affricat. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam,* inquit Ecclesiast. cap.13. &, *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis efficietur.* Audi insigne Senecæ consilium epist.104. *Si vis,* inquit, *vitijs exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est.* item: *Harebit tibi tumor,* D *quamdiu cum superbo conuersaberis: harebit auaritia, quamdiu auaro conuixeris: incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Cum Catonibus viue, cum Socrate, cum Zenone versare.*

Consortium malorũ malum efficit.

VERS. 47. VESTIS LANEA SIVE LINEA QVAE LEPRAM HABVERIT] Est hæc septima lepræ species, sed analoga, scilicet lepra vestis vel domus, de cap. sequenti versu 35.

Septima species lepra, est lepra vestis vel domus.

Quæres, quænam hæc fuerit lepra, & vnde orta?

Qualis fuit hac lepra? Sententia Valesij.

Respondet Vales. lepram morbum contagiosum esse, non minùs quàm pestem: sicuti ergo videmus pestis semina solere adhærere vestibus, cubiculis, domibus, poculis, lancibus, (per hæc enim omnia accidit fieri infectionem) ita constat & lepram posse adhærere vesti & domui, esseque posse domum & vestem vti pestilentem, ita & leprosam. Rursum, sicut domus aut vestis fit pestilens, ita & fit leprosa altero duorum modorum. Primò, ex aëris infectione & corruptione: sicut enim vestes contrahunt tineam ex aëre, vbi situ sunt obsitæ & non ventilantur, ita & pestem & lepram. Pari modo videmus vestes, ligna, parietes, flante Austro putrescere, flante verò Aquilone à putredine liberari: eaque de causa mulieres solent ad flantem Aquilonem vestes suspensas distendere, vt incorruptæ seruentur. Secundò, ex contactu vel contagio leprosi: omnis autem contagio vel fit anhelitu, vel exhalatione & euaporatione vaporum putidorum, quæ fit per poros totius corporis, maximè per sudorem. Sic videmus speculum à muliere menstruata infici sanguineo colore, eò quòd ab oculis eius exeant spiritus quidam, & cum ijs humiditates tenues sanguineæ, quæ in speculo condensantur vt appareat in eo sanguineus color.

Duobus modis fit domus vel pestilens vel leprosa. Primò. Secundò.

Hisce ergo modis leprosi inficere possunt vestes & domos, eisque lepram afflare. Vnde expediet eis & vestes & domos mutare, versarique in aëre puro & libero: licet enim res animatæ diuersæ sint naturæ & temperiei ab inanimis; tamen ob communem naturam, qua vtraque putredini sunt obnoxia, possunt sibi inuicem communicare & affricare putrescentias non omnino similes, sed analogas, putà qualitates aliquas corrosiuas, aut putrefactiuas, quæ sicut hominem, ita & vestem ac domum exedant & corrumpant.

Quare ad omnia cutis vitia seruanda optimum remedium est, ait Vales. vti vestibus nouis, mundissimis, aut lotis crebrò, vsque adeò vt sola munditiès satis esse soleat ad curationem: hinc capite sequenti iterata lotio præscribitur in purificatione leprosi, v.8. & 9. Sicut è contrario qui sordidis & putrescentibus iam vestibus vtuntur, rarò sunt liberi à scabie, prurigine, pediculis: nimirum potest vti vestis à cute, ita cutis à veste infectionem recipere, & vtrumque seorsim putrescere; & ambo sordida cùm sunt, computrefaciunt se mutuo.

Vitia cutis sanantur munditie vestium.

Denique in vestibus laneis aut pelliceis, peculiaris quædam est causa, ob morbos animalium, ex quibus lana aut pelles detractæ sunt. nam scitum est illud, vestes ex lana morticinorum, pediculos facere: pari modo & alias morborum infectiones efficiunt.

Vestes ex lana morticinorũ pediculos creant.

Secundò, meliùs alij cum Theodor. quæst.17. aliter de hac lepra sentiunt, scilicet Deum olim dum peccarent Iudæi, lepram hanc infligere solitum vestibus, aut domibus eorum, vt per eam possessores ad sanitatem mentis reuocare; itaque lepram hanc non tam naturalem fuisse, quàm plagam à Deo immissam. Videtur ergo lepra hæc fuisse tinea, vel qualitas quædam corrosiua, (qualis est in sale, nitro, vitriolo, quæ & vestes & stannum & ferrum exedunt & perforant) vel corruptiua, eaque proserpens, vestibus & domibus Iudæorum à Deo vel per se, vel per causas secundas inflicta: ideoque videtur Iudææ, & Iudæis fuisse pænè propria, alijsque gentibus ferè incognita. Id ita esse probatur. Primò, quia iam nullam nouimus lepram in domibus aut vestibus: nec enim domus & vestes naturaliter lepra infici solent, adeoque lepræ non sunt capaces. Secundò, quia experimur iam lepram quæ est in leproso, non diffundere se in eius vestes & domum; alioquin enim

Secunda sent. Theod. eaq. verior.

Lepra hac fuit tinea, siue qualitas corrosiua vestium.

Prob. Primò. Secundò.

enim omnes leprosorum vestes essent lepra infectæ, arrosæ & putrefactæ, cuius contrarium videmus. Tertiò, pestis non inhæret, nec inficit vestem aut domum, ita vt eam interimat, consumat, vti interimit hominem, sed vesti & domui tantùm adhæret, eamque reddit homini pestilentem; ita vt homo ex ea vapores pestilentes, qui ei adhærent, contrahat, pesteque inficiatur & consumatur: ergo pariter lepra non inhæret, sed adhæret tantùm vesti aut domui, nec eam facit leprosam, sed homini tantùm lepram afflare potest: olim autem lepra inhærebat domui & vesti, eamque verè leprosam faciebat: alia ergo ratione domus dicebatur tunc pestilens, alia leprosa: pestilens enim dicebatur causaliter, leprosa verò formaliter. Quartò, quia cap. sequ. v. 34. hæc lepra domorum vocatur *plaga*, scilicet à Deo immissa: hoc enim expresse significant ibi Hebræa, quæ sic habent, *si dedero* (scilicet ego Deus) *plagam lepræ*. Denique, licet iam cariem in lignis, calce & lapidibus experiamur, nullam tamen iam in iis lepram agnoscimus talem, quæ etiam nouos solidosque lapides inuadat, erodat & absumat, vti faciebat hæc lepra Iudæorum, vt patet cap. sequ v. 44. vbi iubentur omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, & noui substitui, qui si postea lepra infecti inueniantur, iubetur domus dirui.

Tertiò.

Alia ratione domus dicitur pestilens, alia leprosa.

Quartò.

Quintò.

Vnde hæc nouorum lapidum infectio? vtique non affricatione veterum, qui iam circumcirca sublati sunt; ergo à Deo & à vindicta diuina; ergo lepra hæc non tam naturalis fuit, quàm opus & plaga Dei. fateor tamen Deum in hac plaga infligenda vti potuisse (more suo) causis secundis, putà aëre corrupto, leprosi contactu, & similibus, vti explicuit paulò antè Valesius: sed ita, vt hæc omnia vim propriam & adæquatam gignendi lepram in vestibus & domibus non habuerint, nisi singulariter concurrente & inoperante Deo. Loquor de lepra propria & perfecta: nam si lepram tantùm intelligas tineam aliquam vestium vel cariem lignorum & lapidum, scimus hæc ex solis naturalibus causis prouenire posse: atque hæc ipsa lepra hîc quoque intelligitur, eratque secundum notas & signa hîc præscripta diiudicanda. Magis tamen de lepra perfecta, & à Deo immissa hîc loquitur Scriptura, vti dixi.

Tropologicè leprosa vestis, id est liber & script. hæretica, est comburenda & exterminanda. ita Radulph. Secundò, generaliùs ac pulchriùs idem Radulph. vestis nostra sunt opera iustitiæ, de quibus dicitur psal. 131 9 *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, quibus anima & honestam foris comparat famam, & intus coram Deo fouet conscientiam: estque duplex, linea, id est, spiritalis, vti sunt meditatio, oratio, lectio: & lanea, id est corporalis, vti sunt opera misericordiæ. Vestis nostræ stamen (de quo v. vltim. & v 55. iuxta Septuag.) est intentio, quæ stat cùm ad Deum & cælestia dirigitur. Subtegmen est operum instantia, quibus sub hac intentione diuersis temporibus insudatur: hæc quippe more subtegminis diuersa subinde petit latera, nunc in dextram contemplationis, nunc verò in actionis sinistram se transferens. Pellis est carnis mortificatio. In his omnibus potest oriri lepra alba, id est inanis gloria; vel rufa, id est malitiosa inuidia.

Tropolog. vestis linea est oratio; lanea est pia operatio; stamen est pia intentio: subtegmē sunt varia bona opera, &c.

Denique lepra carnis, est libido & gula. huius remedium est meditatio mortis & inferni, vt cogitet homo illud S. Augusti. tract. de Honestate mulier. c. 3. *Citò præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat.* Lepra vestis, est vestium splendor & luxus. nam in vestibus quærendus est calor, non color; necessitas, non pretium; vtilitas, non subtilitas. remedium est cogitare, ornatum hominis esse mores bonos, & modestiam vestitus. Vnde Clemens Alexand. ex Cæo lib. 2 c. 10. hasce virtutis & vitij pingit imagines: virtutem facit simpliciter stantem, candida veste indutam & pura, sola verecundia ornatam. Improbitatem contrà pingit superflua & varia veste indutam, atque alieno colore exultantem. Laudo, ait Clemens, Spartanos, qui solis meretricibus floridas vestes, & aureum mundum gestare permisere, à probis mulieribus ornatus studium auferentes, quòd solis meretricibus concederent se ornare. Lepra domus, sunt filiorum & famulorum praui mores: hi à patrefamilias disciplina coërcendi sunt, & bona institutione virtus in domum inducenda est. nam, vt ait S. Cyprian. lib. de Habitu virginum: *Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, hæc facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere.* E contrario *repressa disciplina sæuit impunita nequitia*, inquit S. August. serm. 15. de Verbis Domin.

Lepra carnis est libido: lepra vestis, est luxus vestium: lepra domus, est vitiosa familia.

Remedia.

Lepra reputabitur] si manserit postquam ostensa fuit sacerdoti.

Faciem pristinam non reversam] *Pristinam*, quam scilicet habebat vestis antequam esset infecta lepra. permanens enim in ea nota, indicat esse lepram: aliàs enim aliquo modo mutasset colorem vnde sequitur: Vers 55.

Eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum lepra] Lyran. putat hîc corruptam esse nostram versionem: nam pro, *in superficie, vel per totum*, hebraicè est, *in caluitio, vel recaluatione*. Verùm dico esse metaphoram Hebræam. Hebræi enim domui tribuunt ea quæ sunt hominis, putà manus, pedes, caput, caluitium: sicut ergo caluitium vocant, cùm tota superficies capitis est depilis; recaluationem verò, cùm tantùm anterior pars circa frontem est calua, vt patet v. 41. ita & in vestibus recaluatio significat superficiem eius extimam: hæc enim nobis est quasi anterior; caluitium verò significat superficiem eius intimam, quæ nobis est quasi posterior. Vnde Septuag. vertunt, *in stamine vel subtegmine*, vti & habent Hebræa, Latina, & Chald. v. vltim. in anacephalæosi lepræ vestium; hinc & Vatabl. vertit, *in parte anteriore vel posteriore vestis*; & Chald. *in vetustate vel nouitate sua*. anterior enim pars vestis, quia teritur & tractatur, fit vetustior; interior verò, quia non tangitur, nec teritur, manet quasi noua.

Sin autem obscurior fuerit locus lepræ (si lepra in domo videatur obscurari) abrumpet eum] Sic Tropol. expedit homini, vt eo munere priuetur, ob quod lepra superbiæ obscuratur. Vnde S. Benedictus in Regula iubet, vt, si monachus arte aliqua aut officio extollitur, inde auellatur, & alteri mancipetur, inquit Radulph. Vers. 56.

Quod si vltra apparuerit, &c. lepra volatilis et vaga (similis illi in homine, de qua versu 12.) debet igne comburi] Ex huius loci sensu mystico Tertull. libr. de Pudicitia cap. 21. Vers. 57.

cona-

Tertul. hinc probat mœchos relapsos non esse recipiendos: sed perperàm. conatur probare, mœchos, qui relapsi sunt, non esse recipiendos ad pœnitentiam: hoc enim mysticè esse quòd hîc dicitur, vestem, si rursum in ea apparuerit lepra, esse comburendam, quia indiciũ est perseuerantis lepræ, id est perseuerantiæ in peccato mœchiæ. hæc enim est lepra.

Verùm hinc tantùm colligi potest, mœchum non esse recipiendum quamdiu apparet in eo lepra, id est mœchia. Si enim hæc per resipiscentiam tollatur, iam ampliùs in eo non erit lepra comburenda, sed pœnitentiæ puritas ab Ecclesia amplectenda.

VERS. 59. QVOMODO MVNDARI DEBEAT VEL CONTAMINARI] id est, quomodo censeri & iudicari debeat munda, vel contaminata: sic enim hæc duo verba toto capite accipiuntur.

Lepra est caro Christi dilacerata, ob octo analogias. Symbolicè, lepra hoc capite descripta, fuit typus carnis Christi, flagellis & plagis dilaniatæ & defiguratæ. Christus enim lepram nostram, id est peccatum, in se luendum suscepit, vnde in cruce factus est quasi leprosus. Sic enim ait Isaias c. 53. 4. *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* idque *Prima.* Primò, sicut leprosus toto corpore lepra maculatus, sui horrorem intuentibus incutit: ita Christus toto corpore flagellis & vulneribus liuidus, horrorem simul & commiserationem aspicientibus commouebat, vt meritò Pilatus eum Iudæis proponens, dixerit, *Ecce homo.*

Secunda. Secundò, leprosus habebat vestes dissutas: ita milites sciderunt vestes, quin & carnem Christi.

A

Tertia. Tertiò, leprosus habebat caput nudum: ita Christus nudo fuit capite, sed spinea corona coronato.

Quarta. Quartò, leprosus habebat os veste contectum: de Christo ait Isaias, *Quasi absconditus vultus eius;* rursum, *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Quinta. Quintò, leprosus se leprosum & sordidum clamare debebat: Christus totus cruentus quid clamat? nisi, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.*

Sexta. Sextò, leprosi caro erat vilissima & abiectissima: Christus ait, *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Similis fuit Christus S. Iob, qui sedens in sterquilinio non fuit agnitus

B

ab amicis: quia *non erat ei aspectus*, eratque despectus, & nouissimus virorum.

Septima. Septimò, lepra solebant puniri superbi: & Christus nostræ superbiæ, quasi lepræ, speciem gessit, eamque curauit sua hac abiectione: eius enim liuore curata est plaga superbiæ nostræ.

Octaua. Octauò, leprosi vrbe pellebantur, nemo eos aditu, congressu, sermone dignabatur, omnes illos aspernabantur, & quasi pestem fugiebant: ita Christus, quasi leprosus, extra portam eiectus & crucifixus est, Hebr. 3. 12. & psal. 37. 12. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt* (hebr. est, *ex aduerso plaga meæ*; S. Hieronymus vertit, *quasi contra lepram meam steterunt*) *& qui iuxta me erant, de longè steterunt.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur ritus lustrationis, quo legaliter expiandus est leprosus, & lepra iam curata in homine, v. 2. & in vestibus ac domibus, v. 34.

Ritus lustrationis leprosi. *Ritus erat hic: Primò, expiandum aspergebat sacerdos sanguine passeris, per alium passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco & hyssopo: mox passerem viuum auolare sinebat, v. 5. Secundò, expiandus lauabat vestes suas, radebat pilos corporis, ac lauabat seipsum, v. 8. Tertiò, die octauo offerebat agnum pro delicto, & agnum pro peccato, & ouem anniculam in holocaustum cum tribus decimis similæ, & olei sextario, v. 10. Si mundandus esset pauper, pro hisce iam dictis offerebat agnum pro delicto, & duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum pro peccato, alterum in holocaustum cum tribus decimis similæ, & olei sextario, v. 21. Quartò, sanguine agni tingebat sacerdos aurem dextram mundandi, & pollices dextræ manus & pedis. Quintò, ex oleo aspergebat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundebat super extremum auriculæ dextræ, & super pollices manus ac pedis dextri, & super caput expiandi.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: Adducetur ad sacerdotem: 3. qui egressus de castris, cùm inuenerit lepram esse mundatam, 4. præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos passeres viuos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum. 5. & vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: 6. alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, 7. quo asperget illum, qui mundandus est, septies, vt iure purgetur: & dimittet passerem viuum, vt in agrum auolet. 8. Cumque lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua, purificatusque ingredietur castra, ita dumtaxat vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus, 9. & die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus & corpore, 10. die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium. 11. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio taberna-

culi

culi testimonij, 12. tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium. & oblatis ante Dominum omnibus, 13. immolabit agnum, vbi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: sancta sanctorum est. 14. Assumensq; sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis: 15. & de olei sextario mittet in manum suam sinistram, 16. tingetque digitum dextrum in eo, & asperget coram Domino septies. 17. quod autem reliquum est olei in læua manu, fundet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manus ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto, 18. & super caput eius. 19. Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato. tūc immolabit holocaustum, 20. & ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo ritè mūdabitur. 21. Quòd si pauper est, & non potest manus eius inuenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnū ad oblationem, vt roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ consperſæ oleo in sacrificium, & olei sextarium, 22. duosq; turtures siue duos pullos columbæ, quorum vnus sit pro peccato, & alter in holocaustum: 23. offeretque ea die octauo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino. 24. qui suscipiens agnum pro delicto & sextarium olei, leuabit simul: 25. immolatoque agno, de sanguine eius ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manus eius ac pedis dextri: 26. olei verò partem mittet in manum suam sinistram, 27. in quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino: 28. tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto: 29. reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, vt placet pro eo Dominum: 30. & turturem siue pullum columbæ offeret, 31. vnum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis. 32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui. 33. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens. 34. Cùm ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, 35. ibit cuius est domus, nuntians sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. 36. At ille præcipiet vt efferant vniuersa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat vtrùm leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea vt consideret lepram domus: 37. & cùm viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore siue rubore deformes, & humiliores superficie reliqua, 38. egredietur ostium domus, & statim claudet illam septem diebus. 39. Reuersusque die septimo, considerabit eam. si inuenerit creuisse lepram, 40. iubebit erui lapides in quibus lepra est, & proiici eos extra ciuitatem in locum immundum: 41. domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi puluerem rasuræ extra vrbem in locū immundum, 42. lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. 43. Sin autem postquam eruti sunt lapides, & puluis erasus, & alia terra lita, 44. ingressus sacerdos viderit reuersam lepram, & parietes respersos maculis, lepra est perseuerans, & immunda domus: 45. quam statim destruent, & lapides eius ac ligna, atque vniuersum puluerem proijcient extra opidum in locum immundum. 46. Qui intrauerit domum quando clausa est, immundus erit vsque ad vesperum: 47. & qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lauabit vestimenta sua. 48. Quòd si introiens sacerdos viderit lepram non creuisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate: 49. & in purificationem eius sumet duos passeres, lignumque cedrinum, & vermiculum atque hyssopum: 50. & immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas, 51. tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum & passerem viuum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viuentibus, & asperget domum septies, 52. purificabitque eam tam in sanguine passeris quàm in aquis viuentibus, & in passere viuo, lignoque cedrino & hyssopo atque vermiculo. 53. Cumque dimiserit passerem auolare in agrum liberè, orabit pro domo, & iure mundabitur. 54. Ista est lex omnis lepræ & percussuræ, 55. lepræ vestium & domorum, 56. cicatricis & erumpentium papularum, lucentis maculæ & in varias species, coloribus immutatis, 57. vt possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

VERS. 2. HIC EST RITVS LEPROSI, QVANDO MVNDANDVS EST] q.d. Hanc ceremoniam adhiberi iubeo, cùm leprosus, id est is qui antè iudicatus fuerat à sacerdote leprosus, postea apparuerit mundus à lepra, siue quia malè iudicauit sacerdos, siue quia naturaliter aut miraculosè curatus est à lepra,

lepra, vti multi à Christo curati sunt. Nota ***mundandus est***, id est legaliter expiandus est, & restituendus communioni aliorum hominum. Vnde hebraicè est, ***in die purificationis suæ***: nam à lepra præsupponitur iam esse purgatus, vt patet v.3. Sacerdos enim Aaronicus lepram curare non poterat, sed tantùm curatam esse declarabat, ac deinde eum qui leprosus fuerat legaliter purificabat, ac restituebat conuictui hominum & tabernaculo. Maior est potestas sacerdotum Christi, qui lepram spiritalem, id est peccatum, in Sacramento pœnitentiæ curare & abolere possunt. ita S. Chrysost. l.3. de Sacerd.

VERS. 4. VT OFFERAT DVOS PASSERES VIVOS PRO SE, QVIBVS VESCI LICITVM EST] Hebr. טהרות *tehorot*, id est ***mundos***; passeres enim non sunt numerati c. 11. inter immundas aues; erant ergo mundi, ***quibus vesci licitum est***.

Passer significat Christum & iustũ ob quinque analogias.

Symbolicè, passer expiatorius est Christus, & quiuis iustus, idque Primò, propter prudentiam quoad partem rationalem. Passer enim nidificat in tectis domorũ, & non in imo, ne fœtus rapiantur à serpentibus: sic iusti mente habitant non in terra, sed in cælo. Secundò, iustus dicitur passer ob temperantiã quoad vim concupiscibilem. Passer enim non facilè laqueis irretitur, nec per ingluuiem ventris escarum ambitione decipitur: sic iusti escis non indulgent, sed carnem macerant ieiunio. Tertiò, propter patiẽtiam quoad vim irascibilem. Nam vt ait Philosophus, passer non albescit nisi in infirmitate: sic iusti in aduersis albescunt. nam ***virtus in infirmitate perficitur.*** Quartò, Christus & iustus ait cum Dauide: ***Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.*** A vita enim mundi se subducit ad secretum conscientiæ, orationis & compunctionis. Quintò, idem cum eodẽ dicit: ***Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium***, scilicet dæmonum & persecutorum. Sic anima Martyris per martyrium è laqueis diaboli eripitur. inquit S. August. in illud psal. 123.7.

VERS. 5. ET VNVM EX PASSERIBVS IMMOLARI IVBEBIT] Hebr. est ***iugulari***; neque enim erat hîc propriè sacrificium quod Deo offerretur, cùm fieret extra castra, longè ab altari: sed tantùm hæc occisio passeris fiebat ad excipiendum eius sanguinem, vt eo tingeretur leprosus expiandus. Vnde non à sacerdote, sed sacerdotis iussu fiebat hæc occisio, vt patet ex verbo ***iubebit***.

Aquæ viuæ sunt fontanæ vel fluuiales, cur?

SVPER AQVAS VIVENTES] id est, fontanas vel fluuiales, quæ mouentur & fluunt. quia enim in viuentibus motus est signum vitæ, hinc per catachresin aquæ quæ mouentur & fluunt, vocantur viuæ; è contrario quæ non fluunt, sed stant, vocãtur mortuæ, vt paludes & stagna. Iubetur ergo hic passer expiatorius leprosi, immolari super aquas viuas, quæ sunt in vase fictili; quia hæ sunt puriores, ideoque purificationi aptiores.

VERS 6. & 7. ALIVM AV[T]EM (passerem) VIVVM CVM LIGNO CEDRINO ET COCCO, ET HYSSOPO TINGET IN SANGVINE PASSERIS IMMOLATI, QVO ASPERGET ILLVM, QVI MVNDANDVS EST, SEPTIES] Aspergillum hoc quo expiabatur leprosus erat tale, virgæ cedrinæ alligabatur in summo passer viuus, ita vt cauda emineret in extremo, caput verò esset auersum, versumque versus manubrium: huic virgæ simul cum passere alligabatur coccus & hyssopus; ita summitas virgæ, id est passeris cauda & alæ cum cocco & hyssopo mergebantur in aquam viuam sanguine passeris occisi infectam; deinde educebatur hæc summitas virgæ, eaque aspergebatur purificandus.

Aspergillũ leprosi quale.

Symbolica expositio aspergilli.

Quæres, quid hæc omnia ad literam & symbolicè significent?

Respondeo, Primò, lignum cedrinum hîc adhiberi, quia est incorruptibile; vnde aptè significabat leprosum à corruptione lepræ mundatum esse: sic Secũdò & vermiculus, siue coccus bis tinctus (& vt Septuag. addunt, ***retortus***) qui viuacissimi est coloris rubei, significabat sanguinem & sanitatem carni eius esse restitutam: idem Tertiò, significabat passer viuus qui auolare sinebatur, scilicet vitam carni redditam esse, hominemque liberum factum à lepra, ad viuentiũ & mundorum consortium iam admitti. Quartò, adhibebatur hyssopus; quia ipsa aptissima est aspersioni sanguinis quæ hîc facienda erat.

Alleg. lepra est peccatum, cedrus crux, coccus sanguis Christi, hyssopus gratia Sp. sancti, passer viuus, est deitas; moriens, est humanitas Christi; aqua viua, est baptismus.

Quæres Secundò, quid hoc aspergillum significet allegoricè?

Respondeo, Lepra est peccatum: hæc expiatur Primò, per lignũ cedrinum, quod est fortissimum & imputribile, id est per crucem Christi, quæ omnia vicit & superauit. Secundò per coccinũ, id est per sanguinẽ passionis Christi: Tertiò, per hyssopum quæ boni odoris est, id est per gratiam Spiritus sancti, quæ cooperatrix est emũdationis nostræ. Quartò, per passerem viuum, id est per diuinitatem Christi: Quintò per passerem morientẽ, id est per humanitatem Christi immolatam, huius enim morte viuificatur peccator: Sextò, per aquas viuas baptismi. ita Hesychius, Radulph. & Theodor. q.19. Vnde Iansenius in psal 50.9. hæc omnia complectens, Christoque crucifixo adaptans, ***Christus***, inquit, ***in ligno crucis charitatis vinculo ligatus, vera est hyssopus, ligno cedrino per filũ coccineum colligata. Christus enim sua humilitate inflationem cordis nostri sanat, sicut hyssopus herba humilis prodest purgandis & sanandis præcordijs: hæc hyssopus tincta in cruce proprio sanguine, aspergit per fidem credentes in ipsum, iuxta illud Isaiæ 52.15. Ipse asperget gentes multas. hinc & Dauid orat: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor; cupiens scilicet perfectè mũdari: in veteri enim lege purificabantur immundi, vel aspersione, vel ablutione.*** Hactenus Iansenius.

Quæres Tertiò, quid hoc aspergillum significet Tropologicè?

Tropol. hyssopus est fides, cedrus spes, coccus charitas, passer viuus est humilitas, moriens est mortificatio, aquæ viuæ sunt lacrymæ pœnitentiæ.

Respondeo, Hyssopus est fides, cedrus est spes, coccinum est charitas, passer viuus est humilitas, passer moriens est mortificatio, aquæ viuæ sunt lacrymæ pœnitentis: hisce enim à lepra peccati emundamur. ita S. August. q.33. in Num. Radulph. & Rupert. Hyssopus namque herba humilis radicibus hæret in petra; vnde aptè fidem quæ Deo Deique veritate infallibili nititur, significat: cedrus altissimè se erigit, hinc spei est symbolũ: coccinus rubet instar ignis, talis est charitas. porrò hæc omnia tinguntur sanguine, quia per passionis Christi vim, efficaciam, memoriam hæ omnes virtutes excitantur. ita Radulph. Verè dixit Abbas Pastor in Vitis Patr. ***Humilitas est terra, in qua Dominus sacrificium fieri demandauit.*** & Abbas Hyperichius: ***Arbor vitæ est in excelsum, & ascendit ad eam humilitas.*** & Abbas Sisois: ***Non est magnum si mens tua sit cum Deo, sed magnum est si te videas infra omnem creaturam.***

QVO ASPERGET ILLVM, QVI MVNDANDVS EST (qui legaliter expiandus est, vt dixi v.2.) SEPTIES] VERS. 7.

Septies adspergebatur leprosus. Passim in hisce lustrationibus, septies fiebat adspersio, vt patet c.4.13.& hoc c.v.7.16.15.& c.16. v.16.& 19.vt per hoc plena significaretur purgatio, expiatio & remissio peccatorum. Vnde & septenarius hebdomadum signat & efficit pentecosten, in qua Spiritus sanctus plenam in Apostolis effecit peccatorum & vitiorum emundationem. ita Isychius.

VT IVRE PVRGETVR] vt rite & legitimè putà iuxta legem & ritum hic sancitum, purgetur.

ET DIMITTET PASSEREM VIVVM VT IN AGRVM AVOLET] vt hac auis libertate significetur homo liber à lepra, vt dixi v.6. Sic Allegoricè deitas in Christi passione libera fuit. E contrario S. Antonius dæmonem comparat passeri capto & irretito: *Dæmon, inquit, sicut passer irretitus, tenetur & constringitur à Christo. Christiani ergo Christo nixi, dæmonem non timeant, sed rideant.*

VERS. 8. CVMQVE LAVERIT HOMO VESTIMENTA SVA, RADET OMNES PILOS CORPORIS, ET LAVABITVR AQVA] Causam physicam & medicam huius lotionis dedi c.13.47.

Tropolog. Tropolog. peccator lauat vestimenta, cùm exteriorem conuersationem sanctificat; pilos radit, cùm carnis concupiscentias resecat; lauat corpus, cùm operibus illicitis consensum in conscientia non præbet. ita Radulph.& Rupert. sic & Isychius. *Pilos, inquit, radere, est cogitationes omnes veteres secludere; vestimenta lauare, est actiones suas depurare.*

PVRIFICATVSQVE INGREDIETVR CASTRA, ITA DVMTAXAT VT MANEAT EXTRA TABERNACVLVM SVVM (domum suam) SEPTEM DIEBVS] Idque ad hoc, ne, si fortè adhuc quid lepræ lateat, illud in alios, & maximè in vxorem per vsum matrimonij, aliumúe contactum transmittat.

VERS. 9. ET DIE SEPTIMO RADET CAPILLOS] Secunda est hæc rasio, vti lotio, prima enim facta est v.8.

VERS. 10. ASSVMET DVOS AGNOS IMMACVLATOS, ET OVEM ANNICVLAM ABSQVE MACVLA, ET TRES DECIMAS SIMILÆ, &c. ET OLEI SEXTARIVM] Nota. Leprosus hîc iubetur in purificatione offerre tres ouiculas; primam pro delicto, secundam pro peccato, tertiam in holocaustum. Hinc & tres decimas, siue tria gomor similæ iubetur offerre; nam cum quoque animali offerenda erat decima vna, siue vnum gomor similæ in mincha, id est, in sacrificium farreum.

Sextarius Iudaicus an æqualis erat Attico. Nota. Sextarius hebr. לג *log*, erat mensura liquidorum, eraṫque duodecima pars hin, sex ouorum capax, sati pars vicesimaquarta. Sextarius enim Hebræorum æqualis erat sextario Attico, ac proinde cõtinebat sesquilibram, id est, 18. vncias, vt vult Robertus Cenalis, aut potius libram cum quarta parte, vt vult Vilalpando de Apparatu templi, p.2.l.3.c.7. Vnde gomor continens 7. sextarios cum quinta parte, continebat 8. libras circiter, vt dixi Exodi c.16.16. Quare sextarius frumenti in Iudæa appendebat vncias 20. Frumenti dico: nam sextarius farinæ non appendebat tot vncias, eò quòd moles farinæ maior sit mole frumenti, ex quo facta est: sextarius verò vini appendebat vncias 20. olei autem 18. inquit Vilalpando l.3.c.21. Verùm verius est, sextarium Hebraicum minorem fuisse Romano & Attico, & tantùm continuisse vncias 13. cum dimidia aquæ, aut vini, vti ostendam in fine libri.

VERS. 12. OFFERET EVM PRO DELICTO, OLEIQVE SEXTARIVM] Nota. τὸ *offeret* hîc non est idem quod *sacrificabit*: nec enim olei sextarius Deo sacrificabatur. *Offeret* ergo idem est, quod eleuabit ea ritu *tenupha*, vti mox dicam, coram Domino; ac deinde, vt dicitur v. seq. agnum eidem iugulabit & immolabit.

ET OBLATIS ANTE DOMINVM OMNIBVS] Hebraicè est, *& agitabit ea* תנופה *tenupha coram Domino.* Erat *tenupha* cæremonia, siue ritus certus offerendi victimam, & mincha ante immolationem, qualis iam est in offertorio Missæ ante consecrationem, de quo dixi Exodi 29.v.24.26.27. *Ritus tenupha quis.*

IN LOCO SANCTO] in atrio tabernaculi iuxta altare holocaustorum, ante Sanctum. VERS. 13.

SICVT ENIM PRO PECCATO, ITA ET PRO DELICTO AD SACERDOTEM PERTINET HOSTIA. SANCTA SANCTORVM EST] Est hysterologia siue inuersus ordo: nam τὸ *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet iugulari & immolari debeat hostia pro delicto in loco sancto. causa hæc est: quia hostia pro delicto sancta sanctorum est. Hæc ergo sic ordinanda & connectenda sunt, q.d. Ideo volo immolari hostiam pro delicto in loco sancto, quia sancta sanctorum, id est sanctissima, est: vnde & eam, vti & hostiam pro peccato, à sacerdote comedi volo, non à laicis, vti fiebat in hostia pacifica. Id ita esse, patet ex c.6.25. vbi idem prorsus ordine iam dicto, dicitur de hostia pro peccato: *Ista, inquit, est lex hostiæ pro peccato: in loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino; sanctum sanctorum est: sacerdos qui offert eam, comedet eam in loco sancto.*

DE SANGVINE HOSTIAE PONET SVPER EXTREMVM AVRICVLAE DEXTRAE EIVS QVI MVNDATVR] vt mysticè significet, aurem eius purgandam esse, itaque præparandam ad obedientiam legis Dei. Pari modo vnguntur manus & pedes, ad promptam & facilem eiusdem legis Dei executionem. VERS. 14.

ASPERGET CORAM DOMINO (coram ostio tabernaculi:) QVOD AVTEM RELIQVVM EST OLEI, FVNDET SVPER EXTREMVM AVRICVLÆ, ET SVPER SANGVINEM] qui scilicet adhæret, seu quo tinctæ sunt aures & pollices mundandi. Id patet ex Hebr. Chald. & Septuag. vnde v.18. clariùs id exprimit, cùm ait: *In loco sanguinis qui effusus est pro delicto.* q.d. Non in alio loco, vel latere auris, sed directè super eam partem quæ tincta est sanguine, fundet & oleum. VERS. 16. & 17.

Mysticè, hac vnctione olei quasi orabat sacerdos, vt Deus misereretur sanguinis, id est vitæ & sanguinis leprosi iam mundati & iuxta legem purificandi.

ET SVPER CAPVT EIVS] Vt hoc ritu putà hac effusione olei, tacitè imprecaretur misericordiam Dei super caput eius: oleum enim est symbolum misericordiæ. VERS. 18. *Vnctio olei erat tacita imploratio misericordiæ Dei.*

Nota. Sicuti victimæ pro peccato, & pro delicto cedebat sacerdoti, vt dicitur v.13. ita & eidem cedebat sextarius olei, excepto eo quod aspergebatur coram altari, & quo tingebatur auris & pollices purificandi: sic & sacerdoti cedebat mincha, excepto pugillo ex qualibet decima, qui cremabatur Domino. Secùs erat in hostia pacifica: hæc enim maxima ex parte cedebat offerentibus, vt patet ex dictis c.2.3.

FACIET SACRIFICIVM PRO PECCATO] q.d. Secũdum agnũ sacrificabit pro peccato, sicut primum VERS. 19.

mum sacrificauit pro delicto, vti dixi v.10. Quomodo distinguantur delictum & peccatum, dixi cap.7.v.1. A

TVNC IMMOLABIT HOLOCAVSTVM] putà ouem anniculam, de qua dixit v.10. prius enim per sacrificium pro peccato & delicto expiari debebat anima, vt deinde purum & gratum Deo offerret holocaustum.

Vers.20. PONET ILLVD IN ALTARI CVM LIBAMENTIS SVIS] putà cum oblatione similæ, olei & vini; hæc enim sunt libamenta: similia libamenta intellige in sacrificio pro peccato, & pro delicto. Vide Numer.15.20.

Allegor. Allegor. duo agni & ouis annicula, significabant perfectionem sacrificij Christi (animalia enim annicula perfecta sunt, & ad generandum idonea.) sed quia mundandus fidem totius SS. Trinitatis profiteri debet, hinc cum tribus ouiculis tres decimæ offeruntur, eæque oleo conspersæ; quia sacrificium hoc Filij Dei ob compassionem nostram gestum est. Sextarius, vtpote vna & æqua mensura, significat integritatem & sinceritatem fidei: sanguine Christi & oleo gratiæ eius tingitur auris, vt auditum muniat; & manus, vt actiones; & pedes, vt motus & gressus dirigat & corroboret; denique reliquum super caput effunditur, vt sanctificationem toti corpori præstet, Christumque Domini mundatum efficiat. ita Isychius. B

Vers. 21. QVOD SI PAVPER EST] Pauperi qui mundatur à lepra, præcipit hîc Deus, vt pro tribus ouiculis offerat agnum pro delicto, & duos turtures aut duos pullos columbæ, vnum pro peccato, alterum in holocaustum, eo ritu quem in ouiculis præscripsit v.13.

Vers.30. & 31. ET TVRTVREM, SIVE PVLLVM COLVMBÆ OFFERET, VNVM PRO DELICTO] *Delictum* hîc noster Interpres confundit & sumit pro peccato; agnus enim propriè pro delicto, turtur verò non pro delicto, sed pro peccato offerebatur, vt patet ex v.22. & ex Hebr. Chald. & Septuag. hîc. C

Vers. 34. CVM INGRESSI FVERITIS TERRAM CHANAAN, QVAM EGO DABO VOBIS, SI FVERIT PLAGA LEPRÆ IN ÆDIBVS] Nam in deserto, vbi hoc tempore peregrinabantur Hebræi, non habebant ædes quæ possent infici; sed pelles, vestes & tabernacula, quæ si inficerentur leprâ, seruandæ erant etiam in deserto hæ leges & cæremoniæ circa lepram præscriptæ. Vnde Numer.5.2. in deserto iubentur à castris separari leprosi.

SI FVERIT PLAGA] Hebr. *si dedero plagam lepræ.* Vnde patet hanc lepram à Deo fuisse domibus, ob peccata in eis admissa, inflictam. ita Theodoret.q.17. Erat hæc lepra domorum non propriè, sed analogicè lepra. erat enim qualitas vitiosa in domibus, eas arrodens & depascens, vti lepra in homine; vnde eam simili modo & cæremonia, qua hominem, legaliter expiari iubet hîc Deus. Vide dicta c.13.v.47. *Lepra domorum qualis.*

Tropologicè, lepra domus est corruptio fidei, vel morum in aliqua congregatione: hinc ex ea sacerdos & Parochus vasa eijcit, quia quoscumque potest ab illius societate disiungit, ideoque & claudere dicitur domum. cætera eadem sunt cum ijs, quæ de alijs lepris dicta sunt cap.13. Vide Radulph. *Lepra domus tropol. est corruptio familia.*

CVM VIDERIT IN PARIETIBVS ILLIVS QVASI VALLICVLAS, PALLORE SIVE RVBORE DEFORMES, ET HVMILIORES SVPERFICIE RELIQVA] Hæc signa lepræ in domibus eadem sunt quæ in homine cap 13.v.3. *Valliculas* vocat fossas, siue cauitates erosas à lepra. Vers.37.

Nota. Pro *pallore*, Hebr. & Septuag. habent *subuirides.*

REVERSVSQVE DIE SEPTIMO, &c. SI INVENERIT CREVISSE LEPRAM, IVBEBIT ERVI LAPIDES] Iubetur hîc vt domus leprosæ lapides infecti lepra eruantur, & noui pro ijs substituantur, vtque domus radatur, & noua calce obducatur: hoc facto si postea reuersa videatur lepra, iubetur domus tota destrui, & lapides ac ligna proijci extra oppidum; sin lepra non reuertatur, iubetur v.48 purificari domus. Vers.39. & 40.

Tropol. vitiosi ex congregatione sunt eijciendi, & probi substituendi; si & illi inficiantur, congregatio tota abscindenda & euertenda est.

QVOD SI INTROIENS SACERDOS, VIDERIT LEPRAM latentem interiùs NON CREVISSE (exteriùs se non extendisse, ac proinde nec apparere, nec esse verè lepram) PVRIFICABIT EAM] Idem ritus purificationis præscribitur hîc in lepra domus, qui præscriptus est in lepra hominis, v.4. & sequent. Vers.48.

PVRIFICABIT EAM IN PASSERE VIVO] vtendo scilicet passere viuo & aspergillo ad expiationem, vti dictum est v.6. Vers.52.

ET IVRE (ritè, legitimè) MVNDABITVR. ISTA EST LEX OMNIS LEPRÆ (de omni lepra) ET PERCVSSVRÆ, hebr. נתק netec, id est *fractionis*; Septuag. θραύσματος, id est, *conuulsionis*, vel *rupturæ*: q.d. Quando in percussuram, vel ex percussura aut conuulsione lepra irrepserit. ET CICATRICIS] quando scilicet in cicatrice vlceris, aut vulneris innata fuerit lepra, vti dictum est c.13.18. inde enim hæc repetit & supplet noster Interpres, quæ hîc Hebræa subticent & subaudiunt. Vers.53. 54. & 56.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur immunditia & purificatio, Primò, seminiflui; Secundò, v.16. concumbentis; Tertiò, v.19. menstruatæ; Quartò, v.25. hæmorrhoissæ.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Loquimini filijs Israel, & dicite eis: Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. 3. Et tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cùm per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor. 4. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & vbicumque sederit. 5. Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit vesti-

qui eam excepit; hic enim hac saliua semiflui A quasi pollutus lauari & purificari debet.

VERS. 9. SAGMA, SVPER QVO SEDERIT, IMMVNDVM ERIT] *Sagma*, id est sella vel stratum. vnde Septuag. vertunt ἐπίσαγμα ὄνου, id est *stragulum asini*, olim enim asinis, vice equorum in Palæstina vtebantur: hinc passim in Scriptura legimus de proficiscentibus, *Strauit asinum*. Chald. vertit, *omnis equitatura super quam equitauerit, erit immunda*.

VERS. 13. SI SANATVS FVERIT] Curatus à gonorrhœa siue fluxu seminis, iubetur hîc ad legalem sui expiationem lauare se & vestes, & die octauo offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum pro peccato, secundum in holocaustum.

VERS. 15. QVI FACIET (immolabit) VNVM PRO PECCATO] legali scilicet, putà ad legalem immunditiem ex fluxu hoc seminis contractam, expiandam. vide can. 31. Rursum Secundò. *pro peccato*, B etiam vero & propriè dicto, si quod habeat necdum expiatum; huius enim symbolum erat prius peccatum legale.

ROGABITQVE PRO EO CORAM DOMINO, VT EMVNDETVR A FLVXV SEMINIS SVI] Hebr. est, *& expiabit eum sacerdos coram Domino à fluxu eius*, id est ab immunditia legali contracta ex fluxu seminis, qui iam transierat & desierat, vti hîc supponitur. Eadem phrasis est v. 30.

VERS. 16. VIR DE QVO EGREDITVR SEMEN COITVS. q. d. Vir qui polluitur coitu, siue legitimo in matrimonio, siue illegitimo & illicito extra matrimonium, LAVABIT AQVA OMNE CORPVS SVVM] Aliqui lotionem hîc præcipi putant, non absolutè, sed conditionatè, si videlicet talis ita pollutus vellet ingredi sanctuarium: nam omnes istæ immunditiæ statutæ sunt in ordine, & per respectum ac- C cessus ad sanctuarium, aliasque res sacras. Vnde Hebræi ita polluti modò non lauant se, quia modò non habent sanctuarium. Verùm hoc rectè refutat Abul. nã pari modo in alijs omnibus quæ hîc præcipiuntur, immundi potuissent expectare, & deferre purificationem vsque ad diem quo ingressuri erant sanctuarium. Quod falsum esse patet, vel ex eo qui tetigerit mortuum; hic enim certis diebus, putà tertio & septimo, debebat aspergi aqua lustrationis, Num. 19. 19. Itaque hæc expiatio post coitum statim postero mane debebat fieri, scilicet debebant ita polluti totum corpus abluere. Sancit hoc Deus modestiæ & continentiæ causa, vt assiduitatem congrediendi etiam in coniugibus, cohiberet sui purificandi molestia & pigritia, inquit Theodoret.

Vtentes cõiugio debebant abluere totum corpus, cur.

VERS. 22. ET IPSE LOTVS AQVA IMMVNDVS ERIT VSQVE D AD VESPERVM] non propter peccatum, quod hîc nullum est, si vsus sit legitimè vxore sua, sed propter immunditiem legalem ortam ex actu coniugali, qui immundus est naturaliter, ideoque & legaliter.

Immunditia legalis alia peccatũ erat, alia nõ, quæ

Vbi Nota, duplicem fuisse immunditiem Hebræorum: vna erat peccatum, quia præcepto Dei vetita: talis erat comedere carnes immundas, sanguinem, adipem; hæc enim vetita sunt Leuitici 11. Rursum, talis erat comedere morticinum, vel laniatum à bestijs, Exod. 22. 31. hoc enim peccatum fuisse patet Leuit. 22. 9. Talis etiam erat tangere morticina immundorum, & tangere reptilia, vti dixi c. 11. 43.

Altera immunditia erat quæ non erat vetita, sed solùm indicata & statuta; talis erat tangere le- A prosum, mortuum, semifluum. Talis etiam erat pati lepram, fluxum seminis, mẽstrua: nam de his non dicitur, Ne tangatis ea, sed, Qui tetigerit ea, immundus erit. Vnde hæc non erant peccata, sed tantùm inducebant irregularitatem quamdam legalem talibus, vt non possent ingredi sanctuarium ante sui expiationem, quæ expiatio præcepta eis erat. itaque tales non peccabant in ipso contactu, & contaminatione sui, sed in neglectu expiationis præceptæ, si videlicet stato tempore se non expiarent. Hinc patet, quas immunditias & expiationes etiamnum obseruent Iudæi, quas non. nam priores adhuc seruant, posteriores non: hæ enim tantùm irregularitates quædam erant, arcentes eos à sanctuario: iam autem ipsi nullum habent sanctuarium; vnde nulla iam eis est irregularitas, ac consequenter nec purificatio ad eam tollendam: itaque Iudæi iam in suo errore, & conscientia erronea (qua putant se adhuc iudaismo, & legibus hisce obstringi) permanentes, ex hac sua cõsciẽtia non obligantur hisce posterioribus, sed tantùm prioribus. Atque hæc de seminifluo.

Quas immunditias & expiationes seruent adhuc hodie Iudæi.

Tropolog. Seminifluus est doctor & concionator impurus, verbosus & importunus. *Semen* enim *est verbum Dei*, Lucæ 8. 12. omnis ergo hæreticus, & pseudopropheta, & quisquis verbo Dei abutitur, seminis profluuium patitur; quia verbis sacris luxuriat ad suam laudem. & ad plausum populi: sic Epicurei dicebant de Paulo, *Quid vult seminiuerbius* (græcè ὁ σπερμολόγος:) *hic dicere?* Actor. 17. v. 17. Stratum eius, est fauor humanus, sedes, est voluptas, quam ex eo percipit; saliua, est carnis prudentia: quæ omnia coinquinant, tam ipsum, quàm eius discipulos. Semen coitus est sana & legitima doctrina: nam sicut vir & mulier vna sunt caro; ita in collatione spiritali, doctor & auditor in vno spiritu copulantur. Vir ergo de quo hoc semen egreditur, lauet corpus suum, id est irreprehensibilem se in omnibus actibus faciat, vtpote cuius officij est aliorum vitia corrigere & reprehendere: sic & mulier, id est auditor, debet pro viribus vitiorum sordes abijcere. ita Radulph. & S. Gregor. 23. Moral. c. 15. Secundò, S. August. libr. de Bono coniugali c. 20. Cyrill. libr. 15 de Adoratione, & Rupertus generaliùs hæc accipiunt. *Per seminifluum*, inquit S. August. *lex significare voluit animum, sua disciplina forma indecenter fluidum ac dissolutum, quem formari oportere significat, cùm talem fluxum corporis iubet purificari.* Et Cyrill. *Corporis*, inquit, *fluor qui suppeditationem seminis ad nihilum perducit, & partium illarum firmitatem eneruat, significat mentem, quæ nullum iustitiæ fructum profert, sed assiduè ad id quod officit dilabitur, & præcipiti lapsu ad res turpes corruit.* Particulariùs verò Rupert. *Quid est*, inquit, *fluxum seminis aut sanguinis pati, nisi detractorys, aut etiam criminosis fluere verbis?*

Tropolog.

Consequenter seminiflui sunt verbosi & garruli. Verè Plutarch. in moralib. *Sicut semẽ*, inquit, *quod statim effunditur, inutile est ad genituram: ita sermo garrulorum ad nihil conducit.*

Apophtheg. de garrulitate.

Zeno audiens adolescentem nimis garrulum, *Aures*, inquit, *in linguam defluxere*. Ostendit autem adolescentis esse audire multa, pauca loqui. ita Laërt. lib. 7.

Isocrates cuidam locuteleio quærenti, cur duplicem mercedem ab eo oratoriæ artis studioso

diosso postularet, respondit: *Alteram peto vt loqui, alteram verò vt tacere discas.*

In garrulo verborum flumen est, mentis gutta. Homines enim magnum possident vallum dentium ad coërcendos leues sermones, inquit Stob. serm. 36.

Zeno rursum multa garrientem ita corripuit: *Ob id binas habemus aures, & os vnicum; vt plurima audiamus, loquamur autem paucissima.*

Idem è discipulis suis aliquos dicebat esse φιλολόγυς, id est variæ rerum cognitionis studiosos, alios verò λογοφίλυς, id est loquendi tantùm studiosos.

Idem de friuolis garrienti dixit: *Nisi lingua in mentem intincta disserueris, adhuc multo ampliùs dicendo delinques.*

Clearchus dicebat: *Quæ nolis audire, ea etiam ne dicito: quæ nolis dicere, ea ne audito quidem.* Aurium enim & linguæ magnum est periculum.

Apollonius dicebat *loquacitatem multos habere errores, silentium autem tutum esse.* Idem rogatus, *Qui sunt optimi hominum? Qui*, ait, *in dicendo sunt breuissimi.*

Demosthenes cuidam in conuiuio multa loquenti: *Si tam multa*, inquit, *sapuisses, numquam tam multa locutus esses.*

Idem rogatus, *cur vnam habeamus linguam, duas aures? Quia*, inquit, *duplo plus audiendum est, quàm loquendum.*

Lycon aiebat, *sicut hirundines perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt, sic garrulos perpetuò obtundentes molestos esse auditoribus*: vnde prouerbium, *Hirundines* (id est garrulos) *tecto ne excipe.*

Archelaus tonsori garrulo roganti, *Quomodo te radam, ô rex? silendo*, inquit.

Alius Iurisconsulto loquaci dixit: *Non oportet multis verbis pauca dicere, sed paucis multa.*

Ausonius: *Sicut*, inquit, *vascula inania maximè tinniunt, ita quibus minimum inest mentis & crisis, hi sunt loquacissimi.*

Æsopus dixit, *Loquacitatis finis est infortunium.*

Græci tradunt cornicem repulsam esse à Pallade, id est garrulitatem à meditatione & sapientia ita Pierius hierogl. 20.

Apud Romanos Citeria, effigies erat quædam arguta & loquax, quæ ridiculi gratia in pompa vehebatur. Vnde M. Cato in Cæcilium: *Quid ergo*, ait, *dicerem amplius? quem ego denique credo in pompa vestitatum iri in ludis pro Citeria, ac spectatoribus sermocinaturum.*

Scripsit Plutarchus librum de Garrulitate, in quo inter alia hæc habet: *Alij sermones continent, garruli autem pleni sunt rimarum, & perfluunt deinde tamquam vasa, mente cassi, sono pleni obambulant. In eo sunt infelices, quòd neque audiunt, neque audiuntur. Sermonis finis est, vt fidem faciat audientibus: nemo autem fidem habet loquacibus, etiamsi vera loquātur. Quod in corde sobrij est, id est in lingua ebrij. garrulitas periculosa est, odiosa & ridicula. Dicendi magistros habemus homines, tacendi autem deos, silentium in initiationibus mysterijsq́, quasi per manus accipientes. Aegyptiorum rex cùm Pittaco victimam misisset, iussissetq́, optimam ac pessimam carnem eximere, linguam exemptam remisit; quasi lingua tam malorum quàm bonorum maximum sit instrumentum. Qui ingenuam regiamq́, adepti sunt eruditionem, primùm silere, deinde loqui didicerunt. Discipuli Pythagoræ quinquennium tacebant. Locutum esse, sæpè me pœnituit, ait Simonides, tacuisse numquam. Silentium non*

A *solùm sitim non conciliat, vt ait Hippocrates; verùm neque tristitiam, nec dolorem.* Seminiuerbij ergo sunt seminiflui.

Vers. 19. MVLIER QVÆ REDEVNTE MENSE PATITVR FLVXVM SANGVINIS (menstrui) SEPTEM DIEBVS SEPARABITVR] non extra castra; nam eius rei nulla fit hîc mentio, vti fit de polluto in somnis; hic enim iubetur egredi castra, Deut. 23. 10. sed separabitur à communicatione hominum: idque per septem dies, non quòd omnibus illis diebus sanguis fluat, sed quòd non possit fluere vltrà.

Mēstruatæ expiatio.

Nota. Menstrua sunt mulierum profluuium, & purgatio frigidi & indigesti humoris, quem natura quasi noxiū expellit. Dicta sunt mēstrua, quòd quolibet mense mulieribus quę eius ætatis sunt vt possint concipere, soleant accidere, vnde etiam menses appellantur. Menstruorum virus describit Plinius l. 7. c. 15. *Nihil*, inquit, *reperitur mulierum profluuio magis monstrificum; acescunt eius superuentu musta, sterilescunt tacta fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, fructus arborum quibus insedere decidunt, speculorum fulgor ipso aspectu hebetatur, acies ferri perstringitur, eborisq́, nitor, aluei apum emoriuntur, æs etiam atque ferrum rubigo protinus corripit, odorq́, dirus aëra; & in rabiem aguntur eo gustato canes, atque insanabili veneno morsus inficitur.* Meritò ergo hîc menstrua, & menstruata immunda censentur. Vide hîc, quid sit mulier etiam speciosissima, scilicet vas sordium, esca vermium. *Mulier speciosa*, inquit Diogenes, *est templum ædificatum super cloacam.*

B *Menstruorum virus.*

Mulier speciosa est vas sordium.

Ita casta illa matrona monachi cuiusdam tentationem libidinis sapienter elisit, dicens: *Nunc ego sum in menstruis, & nemo mihi appropinquare potest, neque odorari præ fœtore.* testis est Iohannes Moschus in Prato spirituali c. 115. Mulier ergo pulchra est sepulchrum dealbatum, splendidum exteriùs, sed interius sanie & sordibus plenum: has enim tegit & continet pellis eius rosea & rubicunda.

C

Vers. 20. OMNIS QVI TETIGERIT EAM, IMMVNDVS ERIT] si sit grandior, & compos rationis. nam infans tangens matrem puerperam, sugensque eius vbera, non contaminabatur eius contactu. hic enim excusat necessitas, & naturæ pietas, ætasque infantilis.

Vers. 23. OMNE VAS] omne instrumentum: sic S. Paulus dicitur *vas electionis*, id est, instrumentum electum; sic Sacramenta dicuntur vasa, id est instrumenta, gratiæ.

Vers. 24. SI COIERIT CVM EA VIR TEMPORE SANGVINIS MENSTRVALIS, IMMVNDVS ERIT SEPTEM DIEBVS] si videlicet res lateat, tunc enim occultè expiari poterit; sin autem res prodatur, ipseque accusetur & conuincatur, tunc vnà cum femina occidendus est, vti præcipitur c. 20. 18.

D

Vers. 25. MVLIER QVAE PATITVR MVLTIS DIEBVS FLVXVM SANGVINIS] putà hæmorrhoides, qualis fuit Hæmorrhoissa illa sanata à Christo, Marci 5. v. 26. hæc immunda est & naturaliter & legaliter.

Hæmorrhoissæ expiatio.

Vers. 27. QVICVMQVE TETIGERIT EA] *ea*, scilicet stratum & vas. ita Romana, Hebr. Chald. malè ergo Plantiniana legunt *eam*.

Vers. 30. QVI (sacerdos) VNVM (turturem, vel pullum columbæ) FACIET (immolabit) PRO PECCATO] Non quòd fluxus ille menstruorum verè peccatum sit, sed quòd sit legalis immunditia, & legale pecca-

peccatum. tale peccatum erat & lepra, & fluxus seminis. vide can. 31.

ROGABITQVE PRO EA CORAM DOMINO, ET PRO FLVXV IMMVNDITIAE EIVS] vt scilicet liberetur ab immunditia legali, quam ex hoc fluxu contraxit. Vnde hebraicè est, *expiabit eam à fluxu*; passim enim hoc capite, & præced. purgatio hæc à peccato, de tali immunditia legali accipienda est. Quare non rectè Abul. hæc hoc versu, & similia v. 15. sic exponit, q. d. Orabit pro fluxu sanguinis & seminis, vt scilicet ille sistatur & non redeat.

Tropol. Tropolog. fluxus tam menstruorum, quàm sanguinis significat partim idololatriã; tum quia in ea, anima relicto Deo per innumera deorum portenta dilabitur; tum quia idolis sanguine etiam humano litabatur. ita Isychius. partim eos, qui per terrena & carnalia desideria quibus æstuant, diffluunt in varias concupiscentias. hic fluxus enerues nos facit, & ne diabolo præcipitanti resistere possimus, inualidos reddit: hinc de tali anima dicit Ierem. c. 2. v. 24. *Omnes qui quærunt* A *eam, non deficient, in menstruis eius inuenient eam.* ita Radulph.

Abulensis in c. 21. Leuitici q. 2. aliter hæc adaptat: *Leprosi, inquit, fluentes semine, & menstruatæ significant excommunicatos excommunicatione maiori: qui verò eos tangunt, significant eos, qui minorem excommunicationem cum eis conuersando contrahunt.* Vnde & lepræ, id est excommunicationis, iudicium tantùm ad sacerdotes pertinet.

DOCEBITIS ERGO FILIOS ISRAEL VT CAVEANT IMMVNDITIAM, ET NON MORIANTVR IN SORDIBVS SVIS, CVM POLLVERINT TABERNACVLVM MEVM] *Vers. 31.* B q. d. Caueant immundi ingredi tabernaculum meum; alioqui ego eos morte puniam propter sordes suas, quòd scilicet laborantes sordido fluxu seminis vel sanguinis, ausi fuerint ingredi meum tabernaculum, illudque hoc ingressu suo, suaque immunditia inficere & polluere.

Septuag. vertunt, εὐλαβεῖς ποιήσετε ἀπὸ τῶν ἀκαθαρσιῶν αὐτῶν, id est, religiosè cauentes facietis filios Israel ab immunditijs suis. εὐλαβὴς enim & *religiosum, & cautum cauentemq́;* significat.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ritus in festo expiationis. *PRæscribitur ritus seruandus in festo* כִּפּוּרִים kippurim, *id est expiationis. Expiationis huius ritus & ordo (qui hoc capite satis est intricatus) erat hic. Primò, decima die mensis septimi, pontifex veniebat ad sanctuarium adducens suum vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum. Secundò, lotis manibus & pedibus induebat vestes minorum sacerdotum, ac præsentabat vitulum & arietem Domino ad ostium tabernaculi. Tertiò, aliqui è senioribus populi, nomine totius populi offerebant duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. Quartò, pontifex mittebat sortem super hircos vter offerretur, & vter esset emissarius. Quintò, sorte facta iugulabat pontifex vitulum suum pro peccato oblatum & hircum populi in quem ceciderat sors, vt esset victima pro peccato. Sextò, huius vituli & hirci sanguinem commistum accipiebat, & ingrediens cum thuribulo thurificando Sanctum sanctorum, aspergebat sanguinem septies contra propitiatorium, orabatq́; pro peccatis tam suis, quàm populi: interim carnes, & pelles ac fimus tam vituli, quàm hirci ab alio quopiam elata extra castra, ibidem comburebantur. Septimò, ex Sancto sanctorum regrediebatur in Sanctum, illudq́; expiabat tingendo eodem sanguine cornua altaris thymiamatis, & orando pro se & populo. Octauò, ex Sancto rediens ad atrium, siue ad ostium tabernaculi, caprum emissarium offerebat Domino, confitendo & capiti capri imprecãdo omnia peccata Israelitarum: mox caprum per certum hominem in desertum emittebat. Nonò, deponebat vestes, lauabat corpus, induebat vestes pontificales, itaq́; immolabat arietem suum, & arietem populi in holocaustum Domino: sicq́; complebat cæremonias festi expiationis.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron,
quando offerentes ignem alienum interfecti sunt: 2. & præcepit, ei dicens:
Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod
est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube
apparebo super oraculum) 3. nisi hæc antè fecerit. Vitulum pro peccato offeret, &
arietem in holocaustum. 4. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit:
accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta
sunt sancta: quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur. 5. Suscipietque ab vniuersa
multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum.
6. Cumq́; obtulerit vitulum, & orauerit pro se & pro domo sua, 7. duos hircos stare
faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij: 8. mittensque super vtrumque
sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario: 9. cuius exierit sors Domino,
offeret illum pro peccato: 10. cuius autem in caprum emissarium, statuet
eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.
11. His ritè celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua, immolabit
eum: 12. assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens ma-

nu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in Sancta: 13. vt po-
sitis super ignem aromatibus nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra
testimonium, & non moriatur. 14. Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget
digito septies contra propitiatorium ad Orientem. 15. Cumq; mactauerit hircum
pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut præceptum est de san-
guine vituli, vt aspergat è regione oraculi, 16. & expiet Sanctuarium ab immundi-
tijs filiorum Israel, & à præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Iuxta hunc ri-
tum faciet tabernaculo testimonij, quod fixum est inter eos in medio sordium habita-
tionis eorum. 17. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex Sanctua-
rium ingreditur, vt roget pro se & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel, donec e-
grediatur. 18. Cùm autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, &
sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua eius per gyrum: 19. a-
spergensque digito septies, expiet, & sanctificet illud ab immunditijs filiorum Israel.
20. Postquam emundauerit Sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hir-
cum viuentem: 21. & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes ini-
quitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capi-
ti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum. 22. Cumque portaue-
rit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deser-
to, 23. reuertetur Aaron in tabernaculum testimonij, & depositis vestibus, quibus
priùs indutus erat cùm intraret Sanctuarium, relictisque ibi, 24. lauabit carnem
suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holo-
caustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quàm pro populo: 25. & adipem, qui
oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. 26. Ille verò, qui dimiserit caprum
emissarium, lauabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic ingredietur in castra. 27. Vi-
tulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus
est in Sanctuarium vt expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent
igni tam pelles quàm carnes eorum ac fimum: 28. & quicumque combusserit ea,
lauabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur in castra. 29. Eritque vo-
bis hoc legitimum sempiternum: Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas
vestras, nullumq; opus facietis, siue indigena, siue aduena qui peregrinatur inter vos.
30. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: co-
ram Domino mundabimini. 31. sabbatum enim requietionis est, & affligetis ani-
mas vestras religione perpetua. 32. Expiabit autem sacerdos, qui vnctus fuerit, &
cuius manus initiatæ sunt vt sacerdotio fungatur pro patre suo: induetur q; stola linea
& vestibus sanctis, 33. & expiabit Sanctuarium & tabernaculum testimonij atque
altare, sacerdotes quoque & vniuersum populum. 34. Eritq; vobis hoc legitimum
sempiternum, vt oretis pro filijs Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno.
Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

Vers. 1. LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN, POST MORTEM DVORVM FILIORVM AARON] q.d. Mox à morte & strage sacerdotum nouellorum, hæc de festo expiationis sanxit Deus, vt hoc exemplo & vindicta cautiores deinceps redderet sacerdotes, in exequendo officio suo, & lege quam hîc statuit.

A

Quando & cur institutum est festum expiationis? Quæres, quando, & cur institutum sit hoc festum expiationis?

Resp. Hebr. Hebræi, quos sequitur Lyran. & S. Thom. 1. 2. qu. 102. a. 4. ad 10. & Ribera l. 5. de Templo c. 11. putant hoc festum institutum esse in memoriam remissionis idololatriæ, qua Iudæi vitulum aureum conflarant, Exodi 32. 4. ideoq; celebrari decima die Septembris, eò quòd illo die Moses descenderit de Sina, ferens secundas legis tabulas, & denuntians populo peccati remissionem, Deumque eis iam esse placatum: putant enim ipsi, Mosen ter fuisse in monte per 40. dies, ita vt vniuersim ibi cum Deo fuerit 120. dies, hæseritque in monte vsque ad decimum diem mẽsis septimi; nam Moses ascendit in montem septima die mensis tertij, vti dixi Exodi 24. 12. & Exod. 32. 19 inde numera 120. dies, peruenies ad 10. diem mensis septimi.

B

A Verùm hæc sententia falso nititur fundamento: nam Primò, Mosen non ter, sed bis tantùm fuisse in monte per 40. dies, scilicet semel ante primas tabulas, & secundò, ante secundas, ostendi Exodi 34. 28 idem magis patebit Deuter. 9. 25. Secundò, quia diu post descensum Mosis de monte, ac promulgatam peccati veniam (quæ contigerunt anno primo egressus ex Ægypto, die 28. mẽsis quinti, vti ostendi Exodi 34. 28.) occisi sunt filij Aaron, videlicet fabricato iam tabernaculo, sub initium anni secundi, institutio autem huius festi contigit post occisionem horum filiorum, vti hîc dicitur. *Refellitur.*

B Itaque cùm erectum sit tabernaculum, & Aaron, filijque eius consecrati sint sacerdotes die primo mensis primi, anni secundi egressus Hebræorum ex Ægypto, vt patet Exodi 40. v. 12. & 15. inde die octauo occisi sint filij Aaron, offerentes ignem alienum, vt patet Leuit. 10. 1. collato cum cap. 9. 1. Deus autem hoc festum instituerit mox post cædem horum filiorum, vti hîc dicitur; hinc sequitur Deum circiter die nono mensis primi instituisse hoc festum expiationis, iussisseque illud celebrari die decimo mensis septimi.

Responsio. Respondeo ergo Primò. Occasio huius festi instituen-

Occasio huius festi fuit peccatum Nadab & Abiu. stituendi fuit peccatum irreuerentiæ, in tabernaculo admissum à filijs Aaron, offerentibus ignem alienum, vt hîc insinuatur. Ad illud enim præcauendum, & ad reuerentiam tabernaculi & sacrorum sanciendam & inculcandam, iubet hîc Deus, vt non nisi semel in anno pontifex Sancta sanctorum ingrediatur, ad tabernaculum expiādum, idque nisi cum summa reuerentia, & præmissis multis ritibus & sacrificijs.

Causa festi fuit generalis expiatio peccatorū. Respondeo Secundò: Causa festi fuit, vt eo fieret generalis expiatio omnium peccatorum, toto anno tam à sacerdotibus, quàm à populo admissorum: sicuti apud Christianos in festo paschæ fit communis omnium expiatio, per confessionem omnibus indictam; cuius rei hoc festum expiationis apertissimum fuit symbolum & figura. de quo plura v. 29.

Nota. Iudæi hoc festum non celebrarunt toto tempore 40. annorum, quo peregrinati sunt in deserto; nam post dedicationem tabernaculi, nulla ampliùs ab eis in deserto oblata fuerunt sacrificia, quæ tamen hoc festo hîc iubentur offerri.

VERS. 2. NE OMNI TEMPORE INGREDIATVR SANCTVARIVM QVOD EST INTRA VELVM] putà intra sanctiorem tabernaculi partem, quæ ab interiore dirimitur velo, diciturque Sanctum sanctorum. Ex v. 2. & 29. & 33. & clariùs ex epist. ad Hebr. 9. 7. colligitur semel tantùm in anno, scilicet decima die mensis septimi in festo expiationis, licuisse pontifici ingredi Sancta sanctorum, idque non nisi cum incenso, & præuijs sacrificijs quæ hîc præscribuntur; vt hac ratione loci, Deique ibi habitantis, reuerentia & religio tam pontifici, quàm populo, incuteretur.

Opinantur aliqui, id quod sancitur hîc, vt nemo nisi summus pontifex intret in Sāctum sanctorum, idque semel in anno in festo expiationis, limitandum esse ad solemnem ingressum, quo solemniter res diuina facienda erat in Sancto sanctorum: nam transacto illo tempore licuisse ijs, qui sanctitate erant insignes, ingredi Sanctum sanctorum. Sic enim S. Iacobum illud ingressum esse testatur Epiphan. hær. 78. & Hegesippus l. 5. & ex eo Euseb. libr. 2. histor. c. 23. Ita censet noster Christoph. à Castro in Hist. Deiparæ c. 3. pag. 123. additque B. Virginem præsentatam in templo habitasse, vel certè orasse in Sancto sanctorum. Hoc enim disertè asserit Euodius successor S. Petri in cathedra Antioch. apud Niceph. lib. 2. c. 23. & Germanus Constant. Patriarch. orat. de oblatione Mariæ. Accedūt Andreas Cretensis de dormit. Deiparæ, & Georgius Archiep. Nicomediæ orat. de oblatione Mariæ, qui dicunt B. Virginem in adytis seu penetralibus templi habitasse. Verùm hæc limitatio videtur esse nimia legis laxatio: lex enim disertè dicit sancitque, ne summus pontifex (multo minùs quilibet alius sacerdos vel Iudæus) vmquam ingrediatur Sanctum sanctorum, nisi cùm sacra peracturus est in eo, ad illud expiandum in die expiationis. Vnde Abulens. hoc loco expresè docet, nulli omnino nisi pontifici licuisse ingredi Sanctum sanctorum, excepto vnico Mose, qui erat supra pontificem, vtpote legislator & dux populi. Hic enim iussu Dei in dubijs ad consulendum Dei oraculum ingrediebatur Sanctum sanctorum, ibique Deum sibi ad singula ex propitiatorio respondētem audiebat; vt patet Num. 8. 79. Secundò, quia virgines Deo

A deuotæ, inter quas habitauit B. Virgo Deipara, degebant in atrio ad ostium tabernaculi, vt patet Exodi 38, 8. & 1. Reg. 2. 22. Quis ergo dicat illas omnes habitasse, vel orasse in Sancto sanctorum? Idem videtur dicendum de B. Virgine, præsertim cùm illo tempore arcana & incognita esset eius sanctitas & dignitas, quòd scilicet futura esset mater Dei; atque ipsa ex humilitate suam sanctitatem celans cæteris virginibus sese æquabat, imò submittebat, iuxta illud: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* De S. Iacobo ingrediente Sanctum sanctorum quid sentiendum sit, dixi proœmio in eius epist. Patres qui dicunt B. Virginem habitasse in adytis, vel in Sancto sanctorum, omnes excepto vno Germano, qui nimis clarè loquitur de Sancto sanctorum strictim accepto, per adyta &

B Sanctum sanctorum videntur accipere sanctuarium, siue templum: hoc enim vocatur Sanctum sanctorum, id est Hebræa phrasi sanctissimum, comparatione facta cum domibus locisque profanis. Igitur B. Virgo habitauit in Sancto sanctorum, id est in templo, quod erat sanctissimum, putà in atrio: hoc enim erat templum laicorum; in eoq; erat penetrale, id est habitaculum intimius & semotius, in quo habitabant virgines Deo & templo addictæ. Aut certè vocatur Sanctum sanctorum, quia illi forinsecus obuersum erat, aut cohærebat: sicut etiamnum habitacula annexa templo, templi nomine censentur. Orantes enim in templo, præsertim virgines sacræ, spectabant Deum in Sancto sanctorum residentem.

Allegor. Allegoricè, significabatur Christus hîc suo sanguine ingressurus in Sanctum sanctorum, &

C cælum reseraturus. ita Apostolus Hebr. 9. 12. Semel enim in anno illuc ingressus est Christus: nam annus in hoc legali sacrificio omnium temporum exprimit cursum & circuitum. ita Radulph.

Tropolog. Tropologicè, in persona summi pontificis, omnis cum capite suo Christo, electorum Ecclesia designatur; ingredimur enim & nos qui viuimus Sanctum sanctorum, putà cælum, non adhuc re ipsa, sed per spem, meritum, desiderium & contemplationem: nubes humanitatem Christi, vel diuinæ visionis profunditatem significat. ita Radulph.

Quænam nubes oraculi. QVIA IN NVBE APPAREBO SVPER ORACVLVM] super propitiatorium. Nota. In Sancto sanctorum tam tabernaculi, quàm templi nulla erat fenestra, nulla lucerna aut lux, idque ad reuerentiam tantorum arcanorum quæ erant in Sancto sanctorum, quæ proinde Deus à nemine, ne à

D pontifice quidem, conspici volebat. Hinc quia pontifice illud ingrediente, & valuas vel cortinas aperiente, aliquod lumen ex lucernis quæ ardebant in Sancto, vel ex radijs solaribus per has valuas diffundebatur in Sancta sanctorum; hac de causa iussit Deus ad illud offuscandum, pontificem adolere thymiama, & suffitu nubem fumosam toti loco induci, ne quid videre posset, vt aspectum Sanctorum quem pontificis reuelarat ingressus, nubes velaret incensi, inquit Origenes; & maximè ne pontifex videret corpus angeli, secum loquentis vice Dei ex propitiatorio, siue oraculo. Licet enim non sit certum, tamen satis probabile est, angelum ita loquentem corpus humanum, æquè ac vocem assumpsisse: idque probatur Primò, quia hoc significant hæc verba, *In nube apparebo super oraculum*; q. d. Ex nube crassa forma-

Angelus in corpore humano loquebatur ex propitiatorio.
Prob primò

formabo mihi corpus, illudque assumam & collocabo inter Cherubim super arcam, vt ex propitiatorio respondeam, & fundam oracula: hac de causa vicissim corpus illud incensi fumo quasi nube contegi volo, vt per illud quasi per velum appaream & loquar. *Secundò.* Secūdò, quia hoc naturalius est, vt scilicet vox humana à corpore humano, quàm à puro aëre procedat. *Tertiò.* Tertiò quia Ezechiel c. 1. vidit Deum specie humana insidentem currui Cherubim: simile autem, imò idem fuit in Cherubim arcæ Mosaicæ, vti ibi dixi. *Quartò.* Quartò, quia ideo volebat Deus pontificem ingredi Sancta sanctorum cum incenso, vt eius fumo hoc suum corpus tegeret, ne à pontifice conspici posset: ad vocem enim Dei loquentis tegendam, non erat opus fumo; vox enim non videtur, sed auditur, & vocem *Quintò.* hanc suam audiri volebat Deus. Quintò, quia ob B hanc causam dicitur Daniel. 3. 55. Deus sedere super Cherubim in propitiatorio, indeque loqui (loqui enim est oris & corporis humani; nemo enim sedens loquitur nisi homo) Exodi 25. 22. Numer. 7. 89. quia scilicet corpus hoc à Deo, id est ab angelo Dei personam sustinente, assumptum, sedebat in propitiatorio, ita vt arca esset scabellum pedum eius, psal. 98. 5. Est hæc sententia Abul. q. 22. in Exod. Vilalpando l. 4. de Templo, c. 34. & aliorum.

Contrarium tamen sentit Caietan. scilicet Deum hîc non assumpsisse corpus, sed apparuisse tantùm per nubem & fumum incensi: *Conspici, inquit, Deum in nube super propitiatorium, est eum in nube thymiamatis super propitiatorium repræsentari.*

Vers. 3. NISI HÆC ANTE FECERIT, VITVLVM PRO PECCATO OFFERET, ARIETEM IN HOLOCAVSTVM] *Ante,* &c. *offeret* partim immolādo, vt vitulum pro peccato: huius enim sanguinem inferre debet in Sanctum sanctorum. partim præsentando Deo, vt arietem; hic enim aries non ante, sed post pontificis in Sanctum sanctorum ingressum, & rursum egressum, immolabatur in holocaustum.

VITVLVM PRO PECCATO OFFERET] Hunc vitulum offerebat pontifex pro suis & suæ familiæ peccatis, toto anno scienter vel ignoranter admissis, vt patet v. 6. nam pro peccatis populi non vitulum, sed hircum offerebat, vt patet v. 7. & 15.

Allegor. Christus obtulit vitulum, id est seipsum pro peccatis suis, id est nostris, quæ ipse in se luenda transtulit: orauit pro se & domo sua, id est pro Apostolis & omnibus credentibus, Iohan. 17. v. 9. obtulit & hircum, id est pœnitentiam populi sui. ita Radulph.

Vers 4. TVNICA LINEA VESTIETVR, FEMINALIBVS LINEIS, &c.] putà femoralibus, tegentibus vtrumque femen siue femur.

Pontifex in festo expiationis vestibus vtebatur, non suis, sed minorum sacerdotum. Nota. Pontifex hoc festo expiationis non vtebatur vestibus pretiosis sibi proprijs, & pontificalibus, vt tiara, tunica hyacinthina, ephod, rationali & baltheo; sed tantùm communibus minorum sacerdotum; quia supplicabat pro venia peccatorum tam suorum, quàm populi, eratque hoc festum non lætitiæ, sed mœroris, pœnitentiæ & afflictionis: vnde peracta expiatione oblaturus holocausta, tunc demum assumebat vestes pontificales. Simile iam videmus in die parasceues, cuius hoc festum erat typus: Ecclesia enim denudatur, sacerdos, imò & Episcopus, solùm diaconorum

A albis induitur, cùm peragit officium passionis: quo peracto ad perficiendum Missæ sacrificium proprias & pretiosiores, putà sacerdotales vel pontificales, induit.

SVSCIPIETQVE AB VNIVERSA MVLTITVDINE FILIORVM ISRAEL DVOS HIRCOS PRO PECCATO] Vers. 5. Hæc est hostia pro peccatis totius populi, toto anno scienter vel ignoranter admissis.

Dices, Hebr. 9. 7. dicitur pontifex hæc obtulisse tantùm pro sua & populi ignorantia; ergo non pro peccatis scienter admissis.

Respondeo, Ignorantia ibi, vti & alibi sæpè, significat omne peccatum: nam vt ait Sapiens Prouerb. 14. 22. & Aristoteles 3. Ethicor. *Omnis peccans est ignorans, quia imprudens.*

PRO DOMO SVA] pro tota familia sacerdotum omnium & Leuitarum; nam hi non continentur nomine populi, sed ad pontificis domum pertinent. Vers 6.

MITTENSQVE SVPER VTRVMQVE (super ambos hircos copulatim) SORTEM, VNAM DOMINO, ET ALTERAM CAPRO EMISSARIO: CVIVS EXIERIT SORS DOMINO, OFFERET ILLVM PRO PECCATO] Super populi hircos talis iubetur hîc iaci sors, vt pontifex duas, v. g. chartulas accipiat, vni inscribat nomen Dei, alteri nomen capri emissarij; mox vtramque misceat, vel abscondat in vrna aut sinu: & inde educat vnam, eamque imponat vni hirco, alteram verò alteri. cui imposita fuerit chartula Dei, hic immoletur Deo pro peccato populi; alter verò, cui obtigit chartula capri emissarij, dimittatur liber. Vers. 8. & 9. *Sors duorū hircorum.*

C Hinc Iudæi fabulantur, Deum hoc die expiationis sedere, vt distribuat sortes cuique hominum, vtque quæcumque vnicuique euentura sunt toto anno, disponat & constituat. Vnde aliqui ex eis fundunt sanguinem auis, vel bestiæ super capita eorum quos diligunt, vt eis propitient Deum, vt scilicet Deus, si eo die iudicet & decernat eorum sanguinem esse effundendum, pro eo suscipiat sanguinem huius bestiæ. Refert & refutat hoc Abulens. Sapit enim superstitionem gentilitiam. nam Gentiles dies habebant fastos & nefastos, faustos & infaustos; hos cauebant, illos ambiebant. Ita Lucullus cum Tigrane dimicaturus pridie Nonas Octobris, quæ dies nefasta erat, quòd illo die Cimbri copias Cæpionis deleuerant; dicente tum quodam istam diem abominari Romanos & formidare, *Pugnemus ergo,* inquit, *hodie strenuè, vt hanc diem quoque ex nefasta D & tristi fastam lætamq́; Romanis reddamus.* ita factum est. nam quinque tantùm Romanorum amissis, vltra centum hostium millia interemit. testis est Plutarch. in Lucullo. *Iudæi putant Deum hoc festo cuique distribuere suam sortē.*

Allegoricè, hircus pro peccato significat Christum patientem & morientem in cruce: hircus emissarius significat Christi diuinitatem, quæ in passione pati non potuit, & libera mansit. ita Theodoret. Isychius, & Cyrill. lib. 9. contra Iulian. ante medium: aut, vt Procopius, emissarius significat Christi animam & spiritum, qui à morte liber euasit, & tertio die in corpore glorioso resurrexit. Secūdò, hircus pro peccato significat Christum immolatum: emissarius significat genus humanum, quod per Christi mortem à morte liberatum & manumissum est. ita Cyrill. ibidem. Tertiò, distinctiùs & aptiùs ad tropologiam, Origen. & Beda hîc, atque S. Hieron. (vel quisquis est auctor, *Allegoria triplex.* *Hircus immolatus est Christus, emissarius est Barabbas.*

auctor, videtur enim ipse græcè & hebraicè fuisse imperitus, ac consequenter non esse S. Hieron.) in c. 15. Marci, per hircum pro peccato intelligunt Christum morti adiudicatum; per emissarium Barabbam (vnde & Rupert. per duos hos hircos accipit Christum, & Antichristum per Barabbam præsignatum) qui dimissus est liber quasi in eremum, peccata secum ferens populi clamantis & dicentis, *Crucifige, crucifige.*

Tropol. sors est diuina reprobatio & prædestinatio: duo hirci sunt saluandi & damnandi. Tropolog. hircus pro peccato sunt electi & saluandi; hircus emissarius sunt reprobi & damnandi: sors est diuina reprobatio & prædestinatio, qua Deus electos certissimis itineribus ad vitam æternam perducit, de qua dicitur psalm. 30. *In te speraui Domine, dixi, Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meæ.* q.d. Cuius sortis ego sim necdum scio, tuæ tamen potestatis hoc esse scio, vt tibi sors mea exeat, & in electorum tuorum partem me transferat. hircus enim Dei, non manet hircus, sed Deo occiditur; ita pœnitentes vitia sua trucidant, & vitam commutant, adeoque omnes Sancti & electi propter Deum mortificantur tota die, imò & occiduntur, vti Martyres, vt puri & gloriosi resurgant: alter verò emissarius manet hircus, & vt hircus dimittitur in solitudinem, id est in terram tenebrosam, vbi nullus est ordo, sed summa desolatio, putà in infernum, vt ibi lanietur à feris, id est dæmonibus. ita Radulph. & Beda.

Fatũ quid? *Malè ergo Gentiles hanc sortem dixerunt esse fatum, quod omnibus rebus & actionibus hominum necessitatem imponeret. *Fatum*, inquit Chrysippus apud Gell. l. 6. c. 2. *est sempiterna quadam & indeclinabilis rerum series, & catena voluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus aptata connexaq; est.* Et Seneca in Oedipod.

Fatis agimur, cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fati,
Quidquid patimur mortale genus;
Quidquid facimus, venit ex alto.

Et Solon dicebat, *fatum mortalibus adducere mala simul & bona.* Verùm S. Scriptura contrarium docet, scilicet bona quidem ex gratia Dei oriri, sed cooperante libero arbitrio: mala verò, vti sunt peccata, obduratio, &c. ac consequenter ipsa reprobatio & damnatio, oriri ex mala hominis voluntate, quam Deus permittit & ordinat ad iustam pœnam.

VERS. 10. CVIVS AVTEM IN CAPRVM EMISSARIVM, STATVET EVM VIVVM CORAM DOMINO, VT FVNDAT PRECES SVPER EO, ET EMITTAT EVM IN SOLITVDINEM] Alter est hic hircus siue caper, scilicet emissarius, siue emissus in solitudinem, vt eò quasi secum deferat peccata populi, quæ sacerdos illi imprecatus est, & quasi capiti eius imposuit.

Azazel hircus quid? Prima sententia. Nota. Pro *emissarium*, hebr. est עֲזָאזֵל *Azazel*, quod Primò, recentiores Rabbini, & eos secuti Vatabl. & Oleaster, putant esse nomen montis, in quem hic hircus ducebatur, & ex quo præcipitabatur. Addunt Iudæi, filum vel funiculum rubrum ad cornu huius hirci alligatum, fuisse versum in album, si Deus peccata populi condonaret; sin autem, mansisse rubrum. vnde vir ducens hircum in solitudinem, cùm hanc coloris mutationem in filo videbat, mox inflabat cornu; inde alij ordine suo dispositi Ierusalem vsque, similiter buccina insonabant, vt omnis populus terræ sciret sibi esse dimissa peccata. Fabellam hanc refert Oleaster.

Secundò, R. Abraham putat *Azazel* significare dæmonem, quia fortis est. vnde quod nos habemus *in caprum emissarium*, hebr. est לַעֲזָאזֵל *laazazel*, quod R. Abraham vertit, *pro forti.* q.d. Statuet pontifex hunc secundum hircum, sistetque Domino, vt ipse populum liberet à forti, id est à diabolo: sic & Valentiniani apud Irenæum libr. 1. cap. 12. ponunt *Azazel* esse nomen dæmonis. Idem sensit Iulianus Apostata, quem refutat Cyrillus libr. 9. contra eumdem. Hinc & Cornel. Agrippa insignis magus libr. 2. de Occulta philosophia, asserit *Azazel* esse nomen vnius dæmonis ex eis qui elementis præsunt, quique suas operas magis & sagis impendunt: eumdem quoque meridiei regem esse, Amaymonque vocari ex Hebræorum Cabala tradit, aut potiùs nugatur. sic & Reuchlinus libr. 3. de Arte Cabalist tradit *Azazel* in exercitu Satanæ latissimè imperare. *Secunda.* *Azazel est dæmon, qui à sagis specie hirci colitur.*

Credibile est ex hisce Iudæorum & hæreticorum figmentis, dæmonem aliquem postmodum hoc nomen Azazel assumpsisse, vt magos & sagas in hoc eorum errore confirmaret. vnde & eisdem in hirci specie apparet, & in eadem ab ijs adoratur, fierique potest vt hic hircus pariter ab eis vocetur *Azazel.* Nam ab olim dæmones hirci speciem inciem induisse, eò quòd animal hoc lasciuũ sit superbumque, patet ex eo quòd ipsi in Scriptura vocantur שְׂעִירִים *seirim*, id est pilosi & hirsuti instar hirci, vti inter alios annotauit noster Delrio de Magia l. 2. q. 27. sect. 3.

Dæmon missus à Iuliano Imp. Ita legimus in Vitis Patrum l. 6 t. 2. num. 12. Iulianum Apostatam Imper. suum habuisse dæmonem Azazel, siue emissarium, quem ipse ex Perside misit in Occidentem, vt ei inde responsum aliquod afferret; cumque peruenisset dæmon ad locum in quo habitabat Publius monachus, stetit ibidem per dies decem immobilis, quia monachus ille continuò orabat, itaque impediebat eius transitum. regressus ergo dæmon, & rogatus à Iuliano: Quare tardasti? respondit; Publius monachus transitum meum impediuit, itaque re infecta redeo. Iulianus indignans minatus est Publio: verùm intra paucos dies Dei nutu interemptus est.

Tertia. Tertiò, alij *Azazel*, vertunt *depulsorium*, scilicet vindictæ diuinæ, hoc est expiatorium: talis enim erat hic hircus.

Quarta & genuina, hircus Azazel est emissarius. Vnde. Verùm dico, caprum *Azazel*, hebr. idem esse quod caprum *abeuntem*, vel *emissarium*: ita enim vertit Noster, & Septuag. qui eum vocat ἀποπομπαῖον χίμαῤῥον. vnde & Symmach. & Aquila vertunt, *caprum qui emittitur in solitudinem*, teste Theodoreto. Componitur enim *azazel* ex עז *ez*, id est caper, & אזל *azal*, id est *abijt, ablatus est.* dicitur caper *ez*, eò quòd obfirmatam frontem cornibus gerat, à rad. עזז *azaz*, id est *firmauit, roborauit*: porrò *lamed* præfigitur *azazel*, vt significet discretionem & terminum sortis, idemque est quod præpositio *pro.* sors enim vnius hirci erat *ladonai*, id est pro Domino, vt scilicet illi immolaretur: alterius verò erat *laazazel*, id est pro capro emissario, vt scilicet emitteretur quasi piaculum populi in desertum.

De

De hoc ergo capro dicitur, *Statuet* (pontifex) *eum coram Domino, vt fundat super eo preces*; vt scilicet confiteatur peccata sua & populi, Deumque roget vt illa transferat in hircum. Vnde hebr. est, *ad expiandum in eo*, hoc est per eum. Hæc per prolepsin dicuntur; nam emissio hirci huius fiebat peracta expiatione Sancti sanctorum, postquam pontifex inde redisset, vt patet v. 20. & 21.

Hircus emissarius erat anathema & piaculum populi.

Hic ergo hircus emissarius erat quasi anathema, catharma & piaculum populi, cui populus per pontificem omnia sua peccata imponebat, vt ille ijs onustus, ea secum extra castra efferret in desertum: perinde ac Romani & Græci tempore communis pestis aut luis homines piaculares seligebant, eosque necando dijs deuouebant ad cladem auertendã. quale piaculum fuit Curtius, qui in hiatum vrbis sese præcipitem dedit. quia de re plura dixi 1. Corinth. 4. 13.

Hinc etiam apud Gentiles erant dij ἀποπομπαῖοι, ἀλεξίκακοι, ἀποτρόπαιοι, λύσιοι, φύξιοι, id est emissarij, depulsores malorum, auertentes, soluẽtes, fugantes mala; hinc & *depulsoria sacra* dicta sunt, quæ dijs depellentibus & mala auerruncantibus fiebant, de quibus Girald. synt. 1.

Vers. 11. Offeret vitvlvm] Non erat hæc vitula rufa, de qua Num. 19. illa enim extra castra, pro peccato populi; hic verò in tabernaculo, pro peccatis sacerdotum immolabatur.

Vers. 12. Assvmptoqve thvribvlo, et havriens manv compositvm thymiama] *compositum* ex stacte, onycha, galbano & thure, vti præscriptum est Exodi 30. v. 34. & 35.

Vers. 12. & 13. Intrabit in Sancta (in Sanctum sanctorũ, quod pluraliter vocatur Sancta, ad emphasin: erat enim sanctissimum) vt positis svper ignem aromatibvs; nebvla eorvm et vapor operiat oracvlvm, qvod est svpra testimonivm (id est supra arcam, in qua est testimonium, id est lex, siue tabulæ legis, vt dixi Exodi 25. 21.) et non moriatvr] Quia si non adoleuerit thymiama, quod fumo suo operiat oraculum siue propitiatorium, & corpus illud à me assumptum in eo residens, morietur, eò quòd illud videre præsumpsit.

Tropolog. Thuribula sunt corda Christi & Sanctorum, charitate & cælestibus desiderijs fumigantia.

Thuribula sunt corda Christi & Sanctorum: ignis est Spiritus sanctus, thymiama sunt virtutes: suffitus sunt orationes Sanctorum, Apocal. 8. 4. Quòd ergo Aaron iubetur thuribulum de igne altaris implere, præsignificat potestatem Christi, qui mentem humanam, quam pro nobis assumpsit auro iustitiæ radiantem, spiritualis amoris facibus inflammauit. pari modo qui Christi sunt, & ipsi thuribulis suis ignem imponunt, & incensum adolent: quia ex amore diuino virtutes concipientes, ad cælestium promissorum beatitudinem desideria sua extendunt, sed adhuc cum mœrore & in ænigmate. Vnde nebula hîc ex ijs ascendere dicitur, quam aliquando secutura est flamma, cùm videbunt ea facie ad faciem: atque hi vitam inueniunt, & mortem euadunt, inquit Radulph.

Pulchrè S. Ambros. explanans illum vers. psal. 118. *Ignitum eloquium tuum nimis, & seruus tuus dilexit illud*: *Quem*, ait, *Dominus ignem nouo sparsit testamento, qui secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Ieremias: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc sermonum igne cælestium vaporati Cleophas & ille alius, qui simul cum Domino ab Ierusalem vsque ad castellum confecerant iter, dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm aperiret nobis Scripturas?*

Et rursum: *Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Durus zelus, quẽ vita huius nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, vt viuamus Deo.*

Et S. Chrysost. hom. 52. in Acta: *Qui igne Christi*, inquit, *captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans: adeò nihil curæ est ei gloria & ignominia. Tentationes autem sic contemnit, & flagella & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Quæ autem suauia sunt in hac vita, ita ridet, & non sentit, sicut nos ipsi mortui corpora mortua. Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita & affectiones ad illos accedere non audent.*

Tollet qvoqve de sangvine vitvli, et aspergет digito septies contra propitiatorivm, versus propitiatorium (nõ enim sanguis hic tãgebat vel attingebat ipsum propitiatorium, vt rectè aduertit Abul.) Causa erat, nõ quòd propitiatorium peccasset, sed quòd ipsum peccatis populi, in cuius medio erat, toto anno commissis quasi pollutum & contaminatum videretur. vt ergo hæc pollutio tolleretur, sacerdos & populus qui causam pollutionis dederant, dabant sanguinem hirci & vituli pro sanguine suo, cuius, vti & mortis, rei erant. Expiatio autem hæc fiebat, non in altari holocaustorum, quia illud satis quotidianis sacrificijs expiabatur; sed in altari thymiamatis, & in Sancto sanctorum: quæ duo quasi sanctissima, maximè Deum, qui offensus & placandus erat, repræsentabant. Vers. 14.

Expiatio fiebat in altari thymiamatis, cur?

Ad Orientem] Id est, versus anteriorem partem propitiatorij primò sibi ingredienti occurrentem; nam illa respectu posterioris erat ad Orientem, sicut Sanctum sanctorum per consequẽs erat ad Occidẽtem. Vnde absolutè loquendo, sacerdos expiabat eo situ quo Iudæi orabant, scilicet conuersus ad Occidentem, putà conuersus ad Sanctum sanctorum, quod erat ad Occidentem. dicitur tamen hîc expiare *ad*, vel potiùs *contra Orientem*, non mundi, sed propitiatorij, id est contra vel versus anteriorem partem propitiatorij; hæc enim spectabat Orientem, illique obuersa erat. ita Caiet. Abulens. Vatabl.

Allegor. aspergitur sanguis hic septies contra propitiatorium, vt significetur quòd sanguine & morte Christi, intercedente diuina propitiatione, septiformis Christi gratia cõfertur fidelibus, qua cælum introeant: sic aspergitur versus Orientem, id est Christum, qui lucem iustitiæ contulit nobis, vt iam mutati audiamus illud Apostoli Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* ita Radulph.

Cvmqve mactaverit hircvm pro peccato popvli, inferet sangvinem eivs intra velvm] putà intra Sãctum sanctorum; *inferet*, nimirum simul cum sanguine vituli, de quo v. 11. & 14. alioqui enim bis eodem die debuisset pontifex ingredi Sancta sanctorum, cùm tantùm semel id ei liceret, vt patet Hebr. 9. 7. Vers. 15.

Allegor. Christus per sanguinem vituli, id est sui ipsius, & per sanguinem hirci, id est per mortificationem & pœnitentiam populi, expiat sanctuarium, non quasi illud in se immundum sit,

sed

ſed vt ſignificetur futuræ vitæ ſanctificatio præſenti contritione acquirenda, inquit Radulph.

Vers. 17. NVLLVS HOMINVM SIT IN TABERNACVLO, QVANDO PONTIFEX SANCTVARIVM INGREDITVR] *In tabernaculo*, id eſt in priore tabernaculi parte, quæ dicitur Sanctum. nam in Sanctum ſanctorum, nulli vmquam, niſi pontifici intrare fas erat. Præcipitur hîc ergo, ne vllus aliorum ſacerdotum ſit in Sancto, eo tempore quo pontifex ingreditur Sanctum ſanctorum, idque ad reuerentiam maieſtatis Dei, & ne Deum ex Sancto ſanctorum loquentem pontifici, alij ſacerdotes in Sancto audire poſſent.

Allegoricè, omnes diſcipuli Chriſti in eius paſſione (per quam ingreſſus eſt in Sanctum ſanctorum, putà in cælum) ab eo receſſerunt & fugerũt: rurſum vix vllus aliorum tunc ſalutis ſuæ curam geſſit. ita Iſych. & Radulph.

Tabernaculum quadrupliciter accipitur. Nota. Tabernaculum ſignificat totum ſanctuarium, conſtans Sancto & Sancto ſanctorũ. ſynecdochicè tamen nunc vnam, nunc alteram partem ſignificat; ſubinde enim ſingulæ partes vocantur tabernaculum. hinc tabernaculum quadrupliciter ſumitur. Primò, pro atrio tabernaculi, ipſoque tabernaculo; Secundò, pro toto tabernaculo excluſo atrio; Tertiò, pro Sancto, vti hîc ſumitur; Quartò, pro Sancto ſanctorum, vti accipitur v. 16. præced. ita Abulenſ.

Vers. 18. CVM AVTEM EXIERIT AD ALTARE (hymiamatis) QVOD CORAM DOMINO (propitiatorio, in quo reſidet Dominus) EST, ORET PRO SE] & pro toto populo, vti præceſſit: erat enim hæc vna communis omnium expiatio. ita Abulenſ.

Vers. 20. POSTQVAM EMVNDAVERIT SANCTVARIVM (Sanctum ſanctorum) ET TABERNACVLVM] id eſt Sanctum. quod expiatur per hoc quod expiatur altare thymiamatis quod in eo ſitum eſt, per ritum qui iam præſcriptus eſt v. præced.

Tropol. expiationis atrij, Sancti, & Sancti ſanctorum. Tropolog. Sanctum ſanctorũ ſignificabat cælum; Sanctum, viros perfectos huius vitæ. vnde altare thymiamatis, quod erat in Sancto, ſignificabat Sanctos deditos contemplationi, & rebus cæleſtibus: atrium ſignificabat communem laicorum vitam, vt dixi Exodi 26. ſub initium. Atrium ergo quotidie expiabatur, quia in altari holocauſtorũ, quod erat in atrio, quotidie ſacrificabatur; imperfecti enim ob frequentes lapſus, frequenti & quaſi continua indigent pœnitentia. Sanctum verò ſemel in anno expiabatur; quia viri perfecti, licèt inculpatè videantur viuere, tamen ex hac vita egredi non debent ſine pœnitentia, vti docuit & exemplo ſuo oſtendit S. Auguſt. teſte Poſſid. in eius Vita, & S. Fulgent. cuius in morbo hæc erat vox: *Domine da mihi hîc modò patientiam, & poſtea indulgentiam.* Sanctum ſanctorum denique expiabatur, quia cælum pœnitentia aperitur. ita ferè Radulph.

Hoc eſt quod dicebat Abbas Menas apud Iohan. Moſcum in Prato ſpirit. c. 159. *Omnis ætas pœnitentiam agere debet, iuuenes ſimul ac ſenes, vt æterna vita frui cum gloria & laude mereantur; iuuenes quidẽ, quia in flore ætatis, cùm feruet concupiſcentia, ceruicem ſuam ſub iugum pudicitiæ miſerunt; ſenes verò, quia inplitam ſibi ex multis temporibus malorum anticipationem transferre ad melio a potuerunt.*

Vers. 20. & 21. TVNC OFFERAT HIRCVM VIVENTEM, ET POSITA VTRAQVE MANV SVPER CAPVT EIVS, CONFITEATVR OMNES INIQVITATES FILIORVM ISRAEL, ET VNIVERSA DELICTA ATQVE PECCATA EORVM: QVÆ IMPRECANS CAPITI EIVS, EMITTET ILLVM PER HOMINEM PARATVM, IN DESERTVM] Hic eſt caper emiſſarius, cui ſacerdos imprecabatur peccata populi, non vt culpa (hoc enim fieri nequit) ſed vt pœna à populo in hircum tranſiret, pœna inquam, qua Deus hîc temporaliter eum in communi affligere ſolebat pro peccatis. nam alioqui pœnæ integræ cuilibet peccatori ſigillatim luendæ, vel hîc, vel in Purgatorio, aut inferno remanebant & reſtabant, nihilque hæc cæremonia ex illis demebat. ita Abulenſ. Iudæi tradũt, aut potiùs fabulantur, pontificem hoc die alias quoque preces effudiſſe, petiiſſeque Primò, bona & felicia tempora; Secundò, ne à tribu Iuda ſceptrum auferretur; Tertiò, ne quis egeret in populo; Quartò, ne Deus ſtultas hominum particularium preces exaudiret, quæ bono communi ſunt noxiæ, vt qui proficiſcuntur ſerenam auram optant & petunt, cùm fortè terræ & bono communi magis pluuia conueniat. refert hæc Oleaſter. *Vota quatuor Iudæorum.*

PER HOMINEM PARATVM] Hebr. eſt, *dimittet eum per manum viri* עתי *itti*, id eſt temporis, putà hoc tempore ad id paratum. ita Septuag. Chald. & Noſter. Aliter vertit Oleaſter, *per virum tempori*, inquit, *id eſt per virum ſenem, aut multo tempore in ſolitudine verſatum.* Vers. 21.

IN DESERTVM] vbi hic caper emiſſarius deuoretur à feris, itaque quaſi piaculum, luat pœnas peccatis populi debitas, & in ipſum tranſlatas. Sic & Gentiles Pani, Deo paſtorum qui in deſertis agunt, ſacrificabant hircum, qui ad ſpecum agebatur in quo Pan ipſe diuerſari putabatur, vti docet Lucianus. *Caper emiſſarius quaſi piaculum ibat in deſertum, vt deuoraretur à feris.*

Tropolog. confitetur ſacerdos peccata populi ſuper caput hirci emiſſarij, quia confiteri debent electi, quòd & ipſi natura fuerint filij iræ, & digni ſimilia pati, nî gratia ſubueniſſet; & ſic in æternum cantent miſericordias Domini, dicantque, *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.* &, *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* Rurſum imprecabatur pontifex peccata populi capiti hirci; quia orat Chriſtus, vt ira diuinæ indignationis, cui etiam electi fuerunt obnoxij, illis per gratiam abſolutis, in caput reproborum tantùm retorqueatur, non vt illi aliquid vltra meritum ſuſtineant, ſed vt communem reatum ſoli portent. Homo ducens hunc hircum in eremum pariter eſt Chriſtus, qui in die iudicij reprobis dicet, *Ite maledicti in ignem æternum.* ita Radulphus Miſera & horrenda erit horum ſors ſicut enim cadauerum omnium caro, cibus eſt vermium, ita animarum damnatarum vita, erit mortis eſca, idque in æternum. Rurſum, ſicut bos herbam in pratis depaſcitur, non à radice, vbi illius eſt vita, eam conuellendo, ſed carptim tondendo & incidendo: ita anima in pœnis illis infinitis poſita, abſque ſuæ ſubſtantiæ conſumptione, à perpetuo quaſi vulture morſu dilaniatur, ſed non abſumitur. *Tropolog.*

CVMQVE PORTAVERIT HIRCVS OMNES INIQVITATES EORVM IN TERRAM SOLITARIAM, REVERTETVR AARON IN TABERNACVLVM (qui emittens hircum erat extra illud, erat enim ad oſtium tabernaculi) ET DEPOSITIS VESTIBVS LAVABIT CARNEM SVAM (totum corpus, vt hæc lotio ſymbolum ſit munditiei, per expiationem iam peractam adeptæ) IN LOCO SANCTO (in Vers. 22. 23. & 24.

atrio tabernaculi, putà in labro æneo iuxta ostium A tabernaculi. vnde egredi debebat ex Sancto: nam in Sancto, se hoc festo exuebat & induebat pontifex) INDVETVRQVE VESTIBVS SVIS] pontificalibus; nam deinceps hæc solemnitas erat læta, iamque cum expiatione transierant signa luctus. vnde immolanda erant festiua holocausta, & pontifex hîc ministrare, eaque immolare debebat; non poterat autem pontifex ministrare, nisi in pontificalibus. induere ergo debebat primò vestes communes sacerdotum, quas exuerat vt se lauaret, & insuper eis superinduere vestes suas, putà pontifici proprias.

Tropolog. Tropolog. Christus postquam emiserit damnatos in solitudines æternas gehennæ, reuertetur in tabernaculum, id est cælum: deponet vestes, quia B non apparebit in corruptione carnis, sed eam lauabit, id est mundam ab omni vulnere & contagione passionis exhibebit: induetúrque vestibus suis, id est stola immortalitatis sibi debita se indutum ostendet electis: offeret holocaustum, id est totam redemptionis suæ laudem & gloriam Deo tribuet, omnesque electos Deo offeret; cùm in cælis nil remanebit mortale in carne, nec culpabile in spiritu eorum, sed omnes diuinis laudibus occupabuntur: orabit pro se & suis, id est meritum orationis suæ quantum vel sibi vel amicis profuerit manifestabit: adipes hostiæ pro peccato adolebit, quia tunc voluntaria mors, in qua animam suam pro electis amicis suis posuit, ipsimet videnti tantum fructum, & tantum populum, tantamque gloriam electorum, gaudium ineffabile pariet. ita Radulph.

VERS. 26. ILLE VERO QVI DIMISERIT (mendosè Biblia C Plantiniana habent *demiserit*) CAPRVM EMISSARIVM, LAVABIT VESTIMENTA SVA ET CORPVS AQVA, ET SIC INGREDIETVR IN CASTRA] *Lauabit*, scilicet ad abluendam immunditiem legalem, quam contraxit ex contactu hirci tot peccatis onusti, secundùm pontificis imprecationem & plebis æstimationem.

VERS. 27. & 28. VITVLVM AVTEM ET HIRCVM, QVI PRO PECCATO FVERANT IMMOLATI, ET QVORVM SANGVIS ILLATVS EST IN SANCTVARIVM, ASPORTABVNT FORAS CASTRA, ET COMBVRENT IGNI, TAM PELLES, QVAM CARNES EORVM AC FIMVM. ob causam dictam c. 4. v. 11. ET QVICVMQVE COMBVSSERIT EA, LAVABIT VESTIMENTA SVA ET CARNEM AQVA] *Quicumque*, scilicet ex populo; nam sacerdotis tantùm erat vitulum & hircum immolare, sanguinem effundere, & aspergere: hæ D enim erant functiones sacerdotales, quibus peractis aliquis ex populo carnes, pellem & fimum vituli & hirci efferebat extra castra, ibique ea cremabat vsque ad puluerem.

Allegor. Allegoricè, fimus & pellis vituli, est crucis Christi ignominia; extra castra hæc comburuntur, quia extra vrbem passus est Christus, & extra Iudæam in Gentes fructum & gloriam suæ crucis extendit: vnde & hircus pro peccato ibidem comburitur, vt significetur Christus extra Synagogam in Gentibus, Gentiumque pœnitentia & conuersione glorificatus. quicumque ergo combusserit, id est combustum & tostum in cruce crediderit, lauet se, id est sanctificet seipsum, vt castrorum supernorum mereatur ingressum, inquit Radulph.

VERS. 29. ERITQVE VOBIS HOC LEGITIMVM SEMPITERNVM] q. d. Hæc lex erit vobis perpetua & semper obseruanda.

MENSE SEPTIMO, DECIMA DIE MENSIS, AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS. IN HAC DIE EXPIATIO ERIT VESTRI] Hinc & ex v. 32. patet hoc festum expiationis, eiúsque cæremonias peractas fuisse decima die mensis septimi, quando scilicet Iudæi frugibus iam collectis, otium habebant Deo vacandi, se expiandi, Deoque gratias agendi. Vnde totus ferè mensis septimus erat festus & sacer, vt patet Leuit. 23. VERS. 29. & 30.

Hinc Allegor. mensis septimus est tempus gratiæ, in quo septem spiritus Dei missi sunt in omnē terram, Apocal. 5. in quo Christus sanctuarium æternum ingressus est, trahens post se omnia sæcula, inquit Radulph.

Nota. Festum expiationis incipiebat à vespera diei nonæ, & durabat vsque ad vesperam diei decimæ mensis septimi, vt patet Leuit. 23. v. 32. Iudæi enim sua festa celebrabant à vespera in vesperam: expiatio autem hæc fiebat per pontificem, qui non tantùm populum, sed & seipsum aliosque sacerdotes, quin & templum adeoque Sanctum sanctorum expiabat, vt patet v. 33. *Afflictio in die expiationis præcepta, quid.*

AFFLIGETIS (Hebr. עניתם *teannu*, verti quoque potest, *humiliabitis*) ANIMAS VESTRAS] tum ieiunando, tum alijs modis carnem macerando. VERS. 29.

Tradit Ioseph. libr. 3. c. 10. hoc die expiationis Iudæos ieiunare solitos vsque ad vesperam. Secundò, Abul in Leuit. 23. q. 22. ex eo quod hîc dicitur, *Affligetis animas vestras*, colligit Iudæis hoc die omnem delectationem fuisse vetitam: vnde Tertiò, tradunt Iudæi, & adhuc seruare dicuntur, eodem die abstinendum fuisse à potu, ab vxoribus, à balneis, calceos præterea abiiciendos esse. quin imò hoc die singuli speciatim confitentur peccata sua, & pro eis sibi plagas & verbera infligunt; vti ego ex ijs ipsis audiui. Erat enim hic dies pœnitentiæ ad expiationem promerendam, vti apud nos est Quadragesima & parasceue.

Hinc vt summatim omnes sensus mysticos huius loci complectar; Allegor. hoc festum expiationis significabat expiationem sacrificij crucis Christi. Tropolog. significabat emundationem animarum, tum quotidianam & particularem, tum annuam omnibus communem in paschate. *Festum expiationis significabat, Primò, expiationem Christi in cruce; Secundò, Christianorum in paschate; Tertiò, electorum in die iudicij.*

Audi Origenem hîc homil. 33. *O mira festiuitas, dies festus vocatur afflictio animæ. vide ergo si vis diem festum agere: si vis vt lætetur Deus super te, afflige animam tuam, & humilia eam: non ei permittas explere desideria sua, nec concedas ei lasciuijs euagari: cùm enim afflicta fuerit anima, & humiliata in conspectu Domini, tunc repropitiatur ei Deus, & tunc ad eam venit ille quem proposuit Deus propitiatorem, Christus Iesus, Dominus & Redemptor eius.* Compunctio enim expiat & sanctificat animam. hæc autem acquiritur meditatione nouissimorum, & duplicis sortis, de qua v. 8. *Compunctionis commoda, & exempla.*

Ita Abbas Ammon in Vitis Patrum lib 5. tit. de compunct. rogatus vt diceret verbum ædificationis: *Cogita*, inquit, *quasi reus in carcere tibiq; dic: Va mihi, quomodo habeo astare ante tribunal Christi; & quomodo habeo actuum meorum reddere rationem? si sic semper meditatus fueris, poteris saluus esse.*

Et Abbas Elias: *Ego*, inquit, *tres res timeo. Primam, quando egressura est anima mea de corpore; Secundam, quando occursurus sum Deo; Tertiam, quando aduersum me proferenda est sententia.*

Theo-

Theophilus Archiepiscopus moriturus dixit; *Beatus es, Abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti.*

Abbas Agathon moriturus, tres dies mansit immobilis oculos apertos tenens. pulsauerunt autē eum fratres, dicentes, Abba, vbi es? & ille respondit: *In conspectu diuini iudicij assisto.* Dicunt ei: Et tu times? Et ille dixit: *Interim laboraui virtute qua potui, in custodiendis mandatis Dei: sed homo sum, & nescio vtrùm placuerint opera mea coram Deo.* Dicunt ei fratres: Et non confidis de operibus tuis, quia secundùm Deum sint? Et dixit senex: *Non præsumo, nisi venero ante Deum: aliter enim sunt iudicia Dei, aliter hominum.* Ibid. cap. 11. de sobrietate.

Abbas Euagrius dixit: *Memor esto semper exitus tui, & non obliuiscaris æterni iudicij, & non erit delictum in anima tua.* Ibidem.

Insignis quidam Abbas in eremo rigidè viuens, rogatus, *Quomodo sustines laborem hunc?* respondit: *Totus labor temporis mei, quem hic sustineo, non est idoneus comparari ad vnam diem tormentorum, quæ peccatoribus in futuro sæculo praeparantur.* Ibidem cap. 7. de patientia.

Alius senex dixit: *In omni re increpet homo animam suam, dicendo ei: Memor esto, quoniam oportet te Deo occurrere.* Ibidem lib. 7. c. 21.

Anagogicè, hoc festum significabat expiationem totius mundi, & discretionem electorum à reprobis in die iudicij faciendam.

SABBATVM ENIM REQVIETIONIS EST] Hebraicè est, *sabbatum sabbati*, siue *quies quietis est.* q.d. Summa quies hoc die vobis colenda & adhibenda est: celeberrima enim festa Iudæis erant hæc duo: Primò, sabbatum; Secundò, dies hic expiationis. Vnde nec in eis licebat cibos parare, quod tamen alijs festis permissum erat, vt patebit cap. 23. 27. VERS. 30.

SACERDOS QVI VNCTVS FVERIT] q.d. Qui consecratus fuerit pontifex per vnctionem capitis & manuum: hac enim vnctione initiatur & consecratur ipse. VERS. 32.

VT ORETIS] Vos, ô pontifices, deinceps secuturi; soli enim pontifices poterant expiare, & solemniter orare hac die. VERS. 34.

FECIT IGITVR (Moses) SICVT PRÆCEPERAT DOMINVS MOYSI] *Mosi*, id est sibi. est hebraismus. Porro *fecit*, non celebrando festum expiationis, vt vult Lyran. hoc enim celebrandum erat mense septimo; hæc autem gesta sunt mense primo, vti ostendi initio capitis: *fecit* ergo, id est promulgauit Moses populo hanc Dei legem de festo expiationis, suo tempore, purà mense septimo, in Chanaan seruando; hoc enim præceperat ei Deus v. 2.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæcipit Deus, vt Iudæi non dæmoni, sed sibi soli sacrificent, idq; non in agro, sed tantùm in tabernaculo: Secundò, v. 10. vetat eis esum sanguinis & morticini.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere Aaron & filiis eius,
& cunctis filiis Israel, dicens ad eos: Iste est sermo quem mandauit Dominus, dicens:
3. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem, aut ouem, siue capram,
in castris vel extra castra, 4. & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem
Domino, sanguinis reus erit. quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi
sui. 5. Ideò sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occident in agro,
vt sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonij, & immolent eas hostias
pacificas Domino. 6. Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad
ostium tabernaculi testimonij, & adolebit adipem in odorem suauitatis Domino:
7. & nequaquam vltrà immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati
sunt. Legitimum sempiternum erit illis & posteris eorum. 8. Et ad ipsos dices:
Homo de domo Israel, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum
siue victimam, 9. & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit
eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo. 10. Homo quilibet de domo
Israel, & de aduenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo
faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, 11. quia
anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis
pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. 12. Idcirco dixi filiis Israel.
Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex aduenis qui peregrinantur
apud vos. 13. Homo quicumque de filijs Israel, & de aduenis qui peregrinantur apud
vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel auem, quibus vesci licitum est,
fundat sanguinem eius, & operiat illum terra. 14. Anima enim omnis carnis in
sanguine est: vnde dixi filijs Israel: Sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quia
anima carnis in sanguine est: & quicumque comederit illum, interibit. 15. Anima
quæ comederit morticinum, vel captum à bestia, tam de indigenis, quàm de aduenis,
lauabit vestimenta sua, & semetipsum aqua, & contaminatus erit vsque ad vesperum:
& hoc ordine mundus fiet. 16. Quòd si non lauerit vestimenta sua & corpus,
portabit iniquitatem suam.

Vers. 3. & 4.

HOMO QVILIBET DE DOMO ISRAEL, SI OCCIDERIT BOVEM, AVT OVEM, SIVE CAPRAM IN CASTRIS VEL EXTRA CASTRA, ET NON OBTVLERIT AD OSTIVM TABERNACVLI OBLATIONEM DOMINO, SANGVINIS REVS ERIT] Aliqui, hoc accipiunt de quauis occisione, non tantùm ad sacrificium, sed etiam ad cibum, quasi hîc iubeat Deus, vt laniones & alij priuati qui mactant boues, oues & capras ad esum, ea non alibi mactent, quàm in tabernaculo, nec mactent nisi ea priùs obtulerint Domino. Id videtur velle Theodor. dicens pontificem Iudæorum ex hac lege immolare adhuc eorum esculenta animalia. Verùm sic pontifex verè fuisset lanio, & tabernaculum fuisset locus lanienæ. Adde, impossibile fuisse in tanta Iudæorum multitudine, vt omnes oues, boues & capræ, quæ per totam Iudæam, (nam de ijs quæ Hierosolymis vbi erat templum, cædebantur, alia erat ratio, vt dicam Deuter. 12. v. 21.) mactabantur, adducerentur Hierosolymam, ibiq; in templo iugularentur, ac postea domum ad alias vrbes reueherentur. Quare certum & clarum est, hîc non agi de occisione ad cibum, sed tantùm ad sacrificium: agitur enim hîc de immolatione victimarum, vt patet ex versu sequenti. Sensus ergo est, q.d. Quicumque immolauerit & sacrificauerit ouem, bouem aut capram extra tabernaculum, reus est mortis.

Vno in loco tantùm sacrificari iussit Deus, cur?

Dupliciter ergo sic immolans peccabat. Primò, occidendo victimam si erat laicus; sic enim sacrificando vsurpabat munus sacerdotale; Secundò, idipsum faciendo extra tabernaculum. Vno enim in loco sibi immolari volebat Deus, idque ad arcendum periculum & suspicionem idololatriæ, & ne Iudæi deos Gentium in montibus, lucis & cauernis colerent. Quapropter hisce causis cessantibus aliqui viri sancti Deo inspirante extrà tabernaculum immolarunt, inquit S. August. quæst. 16. Ita fecit Manue pater Samsonis Iudic. 13 19. sic & Samuel, qui sacrificauit in Masphath, 1 Reg. 7. 9. & in Galgala, 1. Reg. 11. 15. & in Bethlehem, 1. Reg. 16. 2. sic & Dauid immolauit in area Ornan, 1. Reg. 24. 18. & Elias in monte Carmelo, 3. Reg. 18. 23.

Excipe aliquot Sanctos, qui alibi Deo inspirante sacrificarunt.

Allegoricè, tabernaculum est Ecclesia, extra quam nullum sacrificium, aut etiam martyrium Deo placere potest. ita Radulph.

Vers. 4. SANGVINIS REVS ERIT, q.d. Mortis reus erit, morte à iudice plectetur, si res constet: sin res lateat, à Deo punietur. Vnde sequitur, QVASI SI SANGVINEM FVDERIT, SIC PERIBIT DE MEDIO POPVLI SVI] q.d. Occidetur perinde ac homicida occiditur. Ob hanc legem Israelitæ bellum pararunt contra Rubenitas, qui aliud altare erexerant, Iosue 22. v. 12.

Vers. 5. IDEO, ne rei fiant sanguinis & mortis, SACERDOTI OFFERRE DEBENT FILII ISRAEL HOSTIAS (vides hîc tantùm agi de hostijs & sacrificijs, vti dixi v. 3.) SVAS, QVAS OCCIDENT IN AGRO] Putà quas more aliarum gentium occidere & immolare solent in agro, idque non Deo, sed dæmonibus, vt dicitur v. 7. vel quas aliàs in agro occiderent & immolarent, nisi lex hæc vetaret. Id patet ex eo quod sequitur, *Vt sanctificentur* (offerantur & consecrentur) *Domino ante ostium tabernaculi testimonij, & immolent* (non ergo iam occisæ aut immolatæ, sed immolari solitæ erant hæ victimæ in agro) *eas hostias pacificas Domino.* Sub pacificis & holocausta & victimas pro peccato intellige. Solas tamen pacificas hîc nominat: nam tales ferè dæmoniis immolabant, quia pacificæ ad offerendum faciliores erant & crebriores; eò quòd magna earum pars offerentibus cederet in epulum. Vnde Deus vt Iudæos ad se suaque sacrificia inuitet, pacificas tantùm illis hic proponit & nominat.

Vers. 6. FVNDET SANGVINEM SVPER ALTARE] per circuitum altaris, vt patet c. 3. 2.

Vers. 7. ET NEQVAQVAM IMMOLABVNT HOSTIAS SVAS DÆMONIBVS, CVM QVIBVS FORNICATI SVNT] *Dæmonibus*, putà Satyris, inquit Vatablus. Hisce enim congruit vox Hebræa שְׂעִרִים *seirim*, quod à שֵׂעָר *sear*, id est pilo, deducitur. Vnde propriè significat eos qui pilosi sunt & hirsuti, instar hircorum; tali enim specie & forma apparebant olim dæmones in syluis, agris & montibus: & hi sunt Fauni & Satyri, quibus Gentiles ibidem sacrificabant. quod hîc Iudæis prohibet Deus.

Scirim sunt Satyri, qui

CVM QVIBVS FORNICATI SVNT] id est, quibus adhæserunt & sacrificarunt.

Nota. Idololatria in Scriptura vocatur fornicatio, & idololatræ dicuntur fornicari cum idolis; quia relicto Deo vero sponso suo dant se amori & cultui alterius, videlicet dæmonis. Hinc patet, Iudæos ante hæc tempora, cùm adhuc in Ægypto agerent, coluisse idola, & dæmonibus sacrificasse. idem patet ex Ezech. 16 22. & seqq.

Iudæi in Ægypto coluerũt idola.

Vers. 10. HOMO DE DOMO ISRAEL (homo Iudæus) ET DE ADVENIS (de Gentilibus ad iudaismum conuersis, siue proselytis. hi enim passim in Pentateucho vocantur aduenæ) QVI PEREGRINANTVR, hebr. יָגוּר *iagur*, id est qui morantur, INTER EOS, tamquam aduenæ & peregrini, SI COMEDERIT SANGVINEM, OBFIRMABO FACIEM MEAM CONTRA ANIMAM ILLIVS, ET DISPERDAM EAM DE POPVLO SVO] scilicet occidam eum, & celeri morte puniam in hac vita, & reprobabo eum in futura, vt videlicet non censeatur, nec sit in populo patris sui Abrahæ, nec in cœtu sanctorum: sed cum inter præputium habentes & alienigenas, inquit Isych. ac consequenter inter reprobos & damnatos constituam. sic enim è contrario dicitur Abraham congregatus ad populum suum, Genes. 25. 8. & Isaac, Genes. 35. v. 29. & Iacob, Genes. 46 vers. vltimo. Vetatur hîc Iudæis esus sanguinis sub pœna mortis & damnationis (vt patet ex v. 4.) ob causam quam Deus subdit dicens:

Vers. 11. QVIA ANIMA CARNIS IN SANGVINE EST] Non quasi sanguis ipse sit animatus, siue informatus anima, itaque in se sit viuus & viuat. hoc enim refutant Philosophi; sed sensus est, q.d. Quia anima, & per consequens vita carnis, id est animalis, maximè consistit & conseruatur in sanguine, quasi dispositione & vehiculo; eò quòd sanguis præ alijs humoribus calorem naturalem, & humidum radicale ministret & foueat, atque spiritus vitales formet & suggerat: sicut enim oleum alit ignem in lampade, ita sanguis alit vitam, ait S. August. q. 57.

Sanguinis esus vetatur Iudæis sub pœna mortis, ob tres causas. Prima.

Rursum, quia sanguis visibilis significat animam inuisibilem, ita idem S. August. mox citandus. Sensus ergo est, q.d. Veto vobis sanguinis esum, quia vita animalis est in sanguine: volo autem vt vitam non comedatis, ne vitam alicui adimere discatis, atque vt longiùs vos arceam à crudelitate.

Secunda.

Tertiò,

Tertia. Tertiò, quia, vt sequitur, sanguine victimarum fit expiatio pro animabus vestris: cùm ergo sanguis mihi quasi sit sacer, volo vos ob mei reuerentiam omni omnino sanguine, etiam non immolatitio abstinere. vide dicta cap. 3. v. 17. Hac etiam de causa, ait Theodoretus q. 23. vetuit Deus Iudæis esum morticinorum, eò quòd sanguis ab eis non fuerit separatus. quod intellige de morticinis sponte mortuis: nam alioqui alia etiam morticina, imò omnia cadauera Iudæis fuere vetita, verbi gratia, quæ iugulata & occisa in agris proiecta iacebant, in quibus non habet locum hæc ratio Theodoreti, cùm per iugulationem sanguis eorum effusus sit.

Tropol. sanguis est cupiditas, caro est vitiū; morticinum est opus externum. Tropologicè, sanguis est cupiditas latens, caro est vitium; quia ex cupiditate omne vitium nascitur & viuit: morticinum est opus externum inde procedens. *Sanguis*, inquit Radulphus, *significat carnalem appetitum: Deus autem non solùm quid agam, sed etiam quid appetam discernit; antequam ergo quidquam mali exteriùs operemur, si sanguinem sorbuimus, si iniquitatem corde concepimus, mente à Deo alienati inimicitias eius incurrimus, quod est sanguinem comedere.*

Quare prudenter Abbas ille in Vitis Patrum c. de fornicat. *Cogitatio fornicationis*, inquit, *fragilis est, velut papyrus. Si ergo iactetur in nobis, & non acquiescentes proijciamus illam à nobis, facilè rumpitur. iis ergo qui consentiunt ei, non est spes salutis: illis autem qui non consentiunt, reposita est corona.* Optimum ergo remedium concupiscentiæ est, si statim vt aduertis, generosè eam excutias, & mentem oculosque aliò diuertas. Hinc verè dixit Abbas Hyperichius: *Sicut leo terribilis est onagris, sic monachus probatus cogitationibus concupiscentiæ.*

VERS. 13. *An Iudæi canibus vsi sint in venatione?* SI VENATIONE ATQVE AVCVPIO CEPERIT FERAM VEL AVEM] Non videntur Iudæi, inquit Abulensis, canibus venati, quia si canes in venatione occidissent aut lacerassent feram, illa non potuisset comedi, iuxta legem Exodi 22. v. vlt. venati ergo sunt retibus, fossis, lanceis, sagittis. Verùm hoc de canibus non videtur verum; nam lex illa Exodi 22. non loquitur de canibus, sed de bestiis agri (id est feris) vti habet Chaldæus. Septuag & Noster. Captum ergo & laniatum à fera comedere non poterant Iudæi, poterant tamen comedere captum à cane.

VERS. 14. *Sanguis est anima, quo sensu?* ANIMA ENIM OMNIS CARNIS IN SANGVINE EST] Hebraicè, *anima omnis carnis est sanguis eius.* non quòd propriè anima sit ipse sanguis, vti voluerunt nonnulli Philosophi, teste Aristotele lib. 1. de Anima; sed causaliter & concomitanter hoc accipi debet. q. d. Vita omnis carnis causatur, sustentatur & declaratur per sanguinem. Vnde sequitur in Hebræo: *sanguis est* (reputatur) *pro anima*, vt si illū tollas, tollas & animam & vitam. Audi S. August. lib. 2. contra aduersl. legis & Prophet. cap. 6. *Sic*, inquit, *dictum est, Anima omnis carnis est sanguis; quomodo dictum est, Petra erat Christus, scilicet non quia hoc erat, sed quia hoc significabatur: non autem frustra lex animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet inuisibilem, per rem visibilem; quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus cæteris humoribus principatur; ita vt vbicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat: ita quoque anima, quia omnibus quibus constamus inuisibiliter præualet, illo meliùs significatur, quod omnibus quibus constamus visibiliter præualet.* Addé, ex san-

Sanguis in corpore humorum est princeps.

guine fieri spiritus vitales & animales, vt docent medici. Sanguis ergo spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus rationi.

ANIMA QVAE COMEDERIT MORTICINVM, per se mortuum, VEL CAPTVM A BESTIA] à fera aliqua discerptum & prægustatum: ita enim vertit Noster, Septuag. & Chald. Exod. 22. 31. Sed quia ordinariè id quod capiunt feræ, hoc discerpunt & comedunt; hinc idem est captum à bestia, quod à bestia discerptum & prægustatum. VERS. 15.

LAVABIT VESTIMENTA SVA] si ignorans tale quid comederit (nam si sciens comedisset, grauiùs mulctatus fuisset,) insuper offeret sacrificium præscriptum c. 4. 27.

ET HOC ORDINE MVNDVS FIET] Hebr. *& mundus erit*, factis scilicet hisce cæremonijs quas hîc B præscripsi.

QVOD SI NON LAVERIT VESTIMENTA SVA, VEL CORPVS, PORTABIT INIQVITATEM SVAM] id est, pœnas iniquitatis & inobedientiæ suæ feret, & dabit: & si quidem omiserit hanc sui expiationem per obliuionem, offeret sacrificium sancitum cap. 5. vers. 2. atque hinc dicitur Deus peccatum transferre in victimam, cùm pœnam peccati condonat offerenti, eamque in victimam transfert: sin sciens omiserit, grauiter peccauit, nec sacrificio expiabitur, sed pœnitentia & satisfactione Deo facta. VERS. 16.

Tropologicè, bestiæ sunt dæmones & homines ferinis moribus, à cultu pietatis extranei. Capti à bestia sunt ij, qui ab illis sunt decepti & impulsi ad peccatum. Tales non sunt comedendi, id est imitandi, sed arguendi. si comedere, id est imitari, quem contigerit, hic lauet vestes & carnem, id est, C per pœnitentiam conuersationem purget ab opere, & conscientiam à praua voluntate; atque immundus erit vsque ad vesperam; quia donec æstus tentationis deferbuerit. plenam sui emundationem obtinere non potest: si non lauerit se & correxerit, pœnam quam promeruit non euadet. ita Radulphus. *Tropolog.*

Prudenter dixit Abbas ille in Vitis Patrum tractatu de Sobrietate, quòd tres sint præcursores Satanæ, scilicet obliuio, negligentia & concupiscentia. *Etenim, inquit, si obliuio venerit, generat negligentiam: de negligentia verò concupiscentia nascitur: de concupiscentia verò corruit homo. Si enim ita est sobria mens, vt obliuionem respuat, ad negligentiam non venit: & si non neglexerit, concupiscentiam non recipit: si verò concupiscentiam non recipit, numquam cadet opitulante gratia Christi.* Et Abbas Achilles ro- D gatus, *Quomodo aduersum nos pugnant dæmones?* respondit: *Per voluntates nostras. nam ligna, sunt anima; securis, diabolus; manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur.* Abbas verò Pimenius: *Dæmones, inquit, nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus: sed nostra nobis voluntates, dæmones facti sunt, & tribulant nos.* Ibidem lib. 7. c. 25. *Tres præcursores Satanæ, obliuio, negligentia, & concupiscentia.* *Mala voluntas est diaboli manubrium.*

Verissimum enim est illud S. Ambrosij de Vita beata: *Non est quòd cuiquam nostram ascribamus ærumnam, nisi voluntati. Voluntarium sibi militem eligit Christus; voluntarium sibi seruum diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se ei priùs peccatorum ære vendiderit.*

Nota. Aptè diabolus vocatur bestia & fera. nam Primò, vt S. Petrus ait, *ipse quasi leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Secundò, quia, vt ait S. Basilius,

lius, ficut pardalis in hominem ita furit, vt, fi vel eius imaginem pictam videat, eam concerpat & dilaceret: ita diabolus, cùm Deo, quem odit, nocere non poffit, eius imaginem, fcilicet hominem, infectatur. Tertiò, auctor de Simplicit. Prælator. apud S.Cyprianum: *Diabolus*, inquit, *dictus eft ferpens: quia cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens occultis acceffibus ferpit (vnde & ferpentis nomen accepit) ea eft eius aftutia, ea eft circumueniendi hominis cæca & laboriofa fallacia, vt afferere videatur noctem pro die, venenum pro falute, defperationem fub*

A *obtentu fpei, perfidiam fub prætextu fidei, Antichriftum fub vocabulo Chrifti; vt dum verifimilia mentitur, veritatem fubtilitate fruftretur. Nam transfigurat fe in angelum lucis.* Quartò, S.Martinus, tefte Sulpitio in eius Vita, *Cordatenfem diœcefin vifitaturus profectus, cum difcipulis, vidit mergulos in flumine pifcari, pifcium prædam fequi, & rapacem ingluuiem affiduis vrgere capturis. Tum dixit: Forma hæc dæmonum eft, qui infidiantur incautis, capiunt nefcientes, captos deuorant, exfaturari non queunt deuoratis.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæis vetita fuit copula, Primò, cum matre; Secundò; cum nouerca; Tertiò, cum forore, Quartò, cum nepte; Quintò, cum forore priuigna; Sextò, cum amita. Rurfum in affinitate, Primò, cum vxore patrui; Secundò, cum nuru; Tertiò, cum fratria; Quartò, cum nepte priuigna; Quintò, cum forore vxoris.

PRæfcribuntur gradus confanguinitatis & affinitatis, in quibus matrimonium contrahere non licet. Primò ergo, in gradibus confanguinitatis, vetat matrimonium & copulam cum patre & matre v.7. cum nouerca v.8. cum forore v 9. cum nepte v.10. cum forore priuigna v.11. cum amita & matertera v.12. & 13. Secundò, in gradibus affinitatis vetat matrimonium & copulam cum vxore patrui v.14. cum nuru v.15. cum vxore fratris v.16. cum filia & nepte priuigna v.17. cum forore vxoris v.18. Tertiò, v.20. vetat adulterium, fodomiam, beftialitatem, & ne femen fuum offerant Moloch, vti fecerunt Chananæi, quos proinde Deus terra fua fe expulfurum minatur.

1. LOcutus eft Dominus ad Moyfen, dicens: 2. Loquere filijs Ifraël, & dices
ad eos: Ego Dominus Deus vefter: 3. iuxta confuetudinem terræ Ægypti, in
qua habitaftis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introdu-
cturus fum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. 4. Facietis iudicia
mea, & præcepta mea feruabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vefter.
5. Cuftodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus.
6. Omnis homo ad proximam fanguinis fui non accedet, vt reuelet turpitudinẽ eius.
Ego Dominus. 7. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non difco-
operies: mater tua eft, non reuelabis turpitudinem eius. 8. Turpitudinem vxoris
patris tui non difcooperies: turpitudo enim patris tui eft. 9. Turpitudinem fororis
tuæ ex patre, fiue ex matre, quæ domi vel foris genita eft, non reuelabis. 10. Turpitu-
dinem filiæ filij tui vel neptis ex filia non reuelabis: quia turpitudo tua eft. 11. Turpitu-
dinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eft foror tua, non reuelabis.
12. Turpitudinem fororis patris tui non difcooperies: quia caro eft patris tui. 13. Tur-
pitudinem fororis matris tuæ non reuelabis, eò quòd caro fit matris tuæ. 14. Turpi-
tudinem patrui tui non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate con-
iungitur. 15. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui eft, nec difcoo-
peries ignominiam eius. 16. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia tur-
pitudo fratris tui eft. 17. Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius non reuelabis. Filiam
filij eius, & filiam filiæ illius nõ fumes, vt reueles ignominiam eius: quia caro illius funt,
& talis coitus inceftus eft. 18. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies,
nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. 19. Ad mulierem quæ patitur
menftrua, non accedes, nec reuelabis fœditatem eius. 20. Cùm vxore proximi tui
non coibis, nec feminis commiftione maculaberis. 21. De femine tuo non dabis, vt
confecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 22. Cum
mafculo non commifcearis coitu femineo, quia abominatio eft. 23. Cum omni pe-
core non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non fuccumbet iumento, nec mifce-
bitur ei: quia fcelus eft. 24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ
funt vniuerfæ gentes, quas ego eiiciam ante confpectum veftrum, 25. & quibus
polluta eft terra: cuius ego fcelera vifitabo, vt euomat habitatores fuos. 26. Cufto-
dite legitima mea atque iudicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus iftis, tam
indigena quàm colonus qui peregrinantur apud vos. 27. Omnes enim execrationes
iftas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. 28. Cauete ergo
ne & vos fimiliter euomat, cùm paria feceritis, ficut euomuit gentem, quæ fuit ante
vos. 29. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de
medio populi fui. 30. Cuftodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui
fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Dominus vefter.

NEC

Vers. 3. NEC IN LEGITIMIS EORVM AMBVLABITIS] *Legitima* vocantur leges, maximè cæremoniales: has enim propriè significat Hebræum חקות *chucket*, q.d. Gentium ritus & cæremonias quibus ipsi colunt sua idola & dæmones, auersabimini.

Vers. 4. FACIETIS IVDICIA MEA ET PRÆCEPTA] *Iudicia*, id est, præcepta iudicialia, quæ iustitiam & honestum conuictum inter te & proximum statuunt. Vnde sequentes leges matrimoniales ad hæc iudicia pertinent, *& præcepta*, scilicet cæremonialia, quibus ritè colaris me. Hæc enim sunt *chucket*, vti rursum habent Hebræa.

Vers. 5. QVÆ FACIENS HOMO, VIVET IN EIS] q.d. Seruans hasce meas leges, à me vita diuturna & prospera donabitur, vt diu *in eis*, id est, per ea; vel *in eis*, id est, in eorum obseruatione ad ea rursus cōplendum, & in eis ambulandum viuat. ita Abulensis, Oleaster, Vatablus: imò idipsum innuit Apostolus Roman. 10. v. 4. 5. & 13. vbi hoc discrimē Testamenti noui & veteris insinuat, quòd vetus promitteret viuere in eis (suis legibus) id est, promitteret vitam temporalem, ad eas rursum continuè perficiendas; nouum verò absolutè promittat vitam & salutem æternam. Iudæi tamen qui pij erant & sancti, hasce leges veteres seruabant ex charitate: vnde per hoc merebantur quoque vitam æternam. Sed de ea hîc ad literam non agitur: nam & alibi passim bona quæ Iudæis promittuntur, terrena sunt & temporalia, non cælestia & æterna, vt patet Exodi 23. 26. Deuter. 7. 13. Isaiæ 1. 19. Aggæi 2. 20. Malach. 3. 10. Idem voluit Chaldæus vertens, *viuet vita sæculi*, id est diuturna; quāquam interpres Bibliorum Regiorum verterit, *viuet vita sempiterna*.

Anagogicè, Sancti, inquit, Radulphus, per Spiritum edocti, hanc vitam ad terram viuentium in cælis referebant, vti ille qui canebat: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. & Tobias cap. 2. *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant abeo.*

Vers. 6. OMNIS HOMO AD PROXIMAM SANGVINIS SVI, non quamlibet, sed eam solam, quam sequens sermo determinabit, inquit Radulphus, NON ACCEDET, VT REVELET TVRPITVDINEM EIVS] *Turpitudo* vocantur membra inhonesta, quæ hebraicè vocantur *nuditas*, per antiphrasin, eò quòd minimè deceat illa esse nuda. Reuelare ergo turpitudinem alicuius, est illam cognoscere, & cum ea rem habere, siue in matrimonio, siue extra illud. Est Hebraica & verecunda metalepsis.

EGO DOMINVS] qui amo honestatem & verecundiam, cui illam hîc mandanti obtemperandum est, ni eum vindicem experiri velitis.

Vers. 7. TVRPITVDINEM PATRIS TVI, ET TVRPITVDINEM MATRIS TVAE NON DISCOOPERIES] Vetatur hîc matrimonium & copula cum patre & matre: nam tanta fuit corruptela Gentilium, vt de Persis Theodor. q. 24. hoc asserat: Persæ, inquit, in hunc vsque diem non sororibus solùm, sed etiam matribus ac filiabus nuptiarum lege permiscentur. Pari modo apud Ægyptios vsitata fuisse coniugia fratris cum sorore, auctor est Diodor. lib. 1. cap. 2. Hinc Theocritus celebrat nuptias Ptolemęi Philadelphi cum Arsinoë sorore, tamquam nuptias Iunonis & Iouis. Denique hîc v. 3. satis significat Moses, tam Ægyptiorum quàm Chananæorum in hisce connubijs & libidinibus corruptissimos fuisse mores. De alijs gentibus barbaris audi Euripidem in Andromede:

Persæ nuptias ineibant cum matribus & filiabus: Ægyptij cum sororibus:

Tale est omne barbarum genus,
Pater cum filia, filius cum matre,
Miscetur soror cum fratre.

Indos, Æthiopes ac Medos cum matribus & filiabus concumbere solitos, testis est S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum.

Quin & de Romanis audi S. Gregorium ad interrog. August. c. 6. *Quædam*, inquit, *terrena lex in Romana republ. permittit, vt siue frater, siue soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur: sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere.* *& Romani.*

TVRPITVDINEM VXORIS PATRIS TVI NON DISCOOPERIES] q.d. Non habebis rem cum nouerca tua. Vers 8.

TVRPITVDO ENIM PATRIS TVI EST] Hebraicè, *nuditas enim patris tui est*, q.d. Eam nudauit & cognouit pater tuus: vnde omnino indecens & inhonestum est, vt tu eam cognoscas.

TVRPITVDINEM SORORIS TVAE EX PATRE (quæ eumdem tecum habet patrem, sed aliam matrem) SIVE EX MATRE (quæ eamdem tecum habet matrem, sed alium patrem) QVÆ DOMI VEL FORIS NATA EST, NON REVELABIS] *Domi nata est*, quæ nata est ex legitimo matrimonio & coniuge: coniux enim sola legitimè ad domum viri pertinet; hinc *foris nata* dicitur, quæ nata est ex pellice vel concubina. ita Radulph. & Abulens. Verùm simpliciùs verba vt sonant accipies, ne quis enim putaret, vetari tantùm coniugium sororis quæ domi nata est, lex addidit, *vel foris nata est*. talis est, verbi gratia, illa quam de priori marito mater susceperat, & cum qua in domum venerat quando secundo huic marito nupsit. q.d. Vterinam sororem, etiam foris & extra domum natam nemo ducet. ita S. Augustin. cuius & hæc præclara est vox libr. 17. de Ciuitate: *Commistio sororum & fratrum quanto est antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior religione prohibente.* ita Amnon incestum cum Thamar sorore morte luit, 2 Reg. 13. v. 32. Vers 9.

TVRPITVDINEM FILIÆ FILII TVI, VEL NEPTIS EX FILIA NON REVELABIS, QVIA TVRPITVDO TVA EST] quia scilicet à te rectâ linea descendit neptis, ideoque tecum quasi vna censetur, vt, si eius turpitudinem reueles, tam tuam quàm eius turpitudinem reueles: & si eius partibus inhonestis abutaris, tam indignè agas, quàm si tuis abutereris. ita Abulens. & Oleaster. Vers 10.

TVRPITVDINEM FILIÆ VXORIS PATRIS TVI, QVAM PEPERIT PATRI TVO, ET EST SOROR TVA, NON REVELABIS] q d. Filiam nouercæ tuæ, quæ tibi quasi est soror agnata, non duces, nec cognosces. Vers. 11.

TVRPITVDINEM SORORIS PATRIS TVI NON DISCOOPERIES. q d. Non duces, nec cognosces amitam tuam, QVIA CARO EST PATRIS TVI] quia scilicet est consanguinea patris tui. hebraicè est, *quia reliquiatum est patris tui*; nam pater & amita ab vno parente, & vna carne decisi sunt, cuius vnam partem habet parens, alteram soror eius, quæ est amita nepotis. q.d. Quia amita proximè contingit patrem tuum, ita vt vna videatur esse caro cum eo; hinc non decet vt eius turpitudinem reueles, sicut non decet vt reueles turpitudinem Vers. 12.

nem patris tui. Abulensis putat hîc à pari prohiberi matrimonium patrui cum nepte, sicuti prohibetur amitæ cum nepote: est enim idem vtrobique gradus consanguinitatis. Verùm meliùs censet Caietanus, illud non prohiberi, quia non exprimitur, vti cætera omnia, quæ tam exactè & minutim hîc à Mose describuntur. Vnde talis matrimonij exemplum est in Othoniele & Axa, Iudic. 1. 13.

Prohibetur copula amitæ cum nepote, non patrui cum nepte, cur?

Quæres, Cur potiùs vetuit Deus matrimonium cum amita, quàm cum patruo?

Respondeo, Causa est, quòd cùm vir caput sit vxoris, si nepos duceret amitam, oporteret eam subesse nepoti; hoc autem indecens est: in altero autem, patruo subest neptis, quod decentius est.

VERS. 14. TVRPITVDINEM PATRVI TVI NON REVELABIS, vt scilicet vxorem eius ducas aut cognoscas, ipso etiam mortuo. Vnde explicando subdit Moses: NEC ACCEDES AD VXOREM EIVS] Præcedentes gradus hucusque vetiti fuerunt consanguinitatis, hîc incipiunt gradus affinitatis olim vetiti, qui à copula carnali promanant, vti priores consanguinitatis deriuantur ab eadem communi origine, putà ab eodem patre, auo, vel abauo.

Gradus affinitatis olim vetiti in coniugio.

VERS. 15. TVRPITVDINEM NVRVS TVAE NON REVELABIS] non habebis rem, nec iungeris matrimonio cum vxore filij tui, etiam eo mortuo.

NEC DISCOOPERIES IGNOMINIAM EIVS] id est turpitudinem, hebraicè *nuditatem*, scilicet nurus, non filij, vt vult Abulensis. patet ex Hebræo.

VERS. 16. TVRPITVDINEM VXORIS FRATRIS TVI NON REVELABIS: QVIA TVRPITVDO FRATRIS TVI EST] Excipe, nisi frater moriatur sine liberis: tum enim non tantùm potest, sed & debet eam frater mortui accipere vxorem, vt suscitet semen & liberos fratri suo, vti præcipitur Deuteron. 25. 5. Tantùm ergo vetatur hîc, ne frater fratriam, id est fratris vxorem, ducat, si ex ea supersint liberi, vel si illa per repudium à fratre adhuc viuente discesserit. ita S. Augustin. qu. 58. Hinc patet, quàm perperam Henricus VIII. Angliæ rex ex hac lege voluerit repudiare Catharinam vxorem suam, quasi matrimonium cum ea initum esset irritum, ex eo quòd ipsa priùs nupta fuisset Arcturo fratri Henrici; nam Arcturus ex Catharina prolem non susceperat, itaque iuxta legem Deuter. 25. 5. debuisset Henricus ducere Catharinam, vt ex ea suscitaret semen Arcturo fratri suo. Hanc enim legē esse iuris naturæ, ac proinde etiamnum Christianos obligare prætendebat Henricus: quod an verum sit disputabo v. 18. Perperam quoque Tertullianus libr. de Monogamia cap. 7. per fratrem hîc quemuis Iudæum, siue non allophylum intelligit: quasi lex hæc vetet, Iudæi mortui vxorem ab alio quolibet Iudæo duci, præcipiatque ei monogamiam; nam certum est fratrem hîc propriè accipi: sic enim propriè capiuntur pater, mater, soror, aliaque cognationum vocabula quæ hîc recensentur.

An Henricus VIII Angliæ rex ex hac legē potuerit repudiare Catharinam vxorē suam.

Tertulliani error.

VERS. 17. TVRPITVDINEM VXORIS TVÆ, ET FILIÆ EIVS NON REVELABIS] τὸ & copulatim accipe. q. d. Non contrahes matrimonium cum matre & filia eius, id est priuigna tua, vt vel simul, vel successiuè vtramque habeas vxorem.

FILIAM FILII EIVS, ET FILIAM FILIÆ ILLIVS NON SVMES, VT REVELES IGNOMINIAM (hebraicè *nuditatem*) EIVS, QVIA CARO ILLIVS SVNT; quia scilicet coniunctæ sunt & sanguine proximæ vxo-

A ri tuæ, ac proinde omnino indecens est, vt tu earum turpitudinem reueles: ET TALIS COITVS INCESTVS EST] Hebraicè, *nefas est*; Septuag. *impietas est*; Chald. *concilium peccatorum est*.

Porro incestus est consanguinearum vel affinium abusus, ideoque est distincta species luxuriæ triplici de causa, inquit D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. *Primò, quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus & cognatis, in tantum quòd apud antiquos, vt Valerius Maximus refert, non erat fas filium simul cum patre balneari, nec se inuicem nudos conspicere. Secundò, quia personas sanguine coniunctas necesse est ad inuicem simul conuersari, sicque continuò haberent occasionem luxuriæ, nimisque emollescerent. Tertiò, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, vt docet S. Augustinus libr. 15. de Ciuitate. c. 16. Addit Quartò, Aristoteles in 2. Politic. quia, cùm naturaliter homo consanguineam diligat si adderetur amor qui est ex commistione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod castitati repugnat.*

Incestus turpitudo quadruplex.

B

Hinc incestus dicitur quasi non castus: licet alij deducant à cesto, id est cingulo, quo vxor cùm maritalis illi fides dabatur, à marito cingebatur, vel potiùs discingebatur, dicente Phyllide apud Ouidium in epist. ad Demophoonta:

Cui mea virginitas auibus libata sinistris,
Castaque fallaci zona recincta manu.

Sic ergo incestus est concubitus illegitimus, cui cingulum legitimarum nuptiarum insigne, ob consanguinitatem, adhiberi nequit.

C Denique S. August. & habetur 32. q. 7. cap. Adulterij: *Adulterij*, inquit *malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu. Peius est enim cum matre, quàm cum aliena vxore concumbere.*

SOROREM VXORIS TVÆ IN PELLICATVM ILLIVS NON ACCIPIES] Hebraicè additur *ad affligendum illam*, si videlicet videat sororem sibi superinduci velut pellicem, itaque oriatur inter eas simultas & æmulatio. VERS. 18.

NEC REVELABIS TVRPITVDINEM EIVS ADHVC ILLA VIVENTE] quia illa mortua potes accipere vxoris tuæ sororem in coniugem: hoc enim lege veteri licuit, sed in noua iam non licet. Iam enim affinitas vsque ad quartum gradum dirimit matrimonium, sicut & consanguinitas.

Quæres, an hi gradus omnes, qui hoc capite recensentur, iure naturæ ita absolutè sint prohibiti, vt irritent matrimonium, nec Pontifex in ijs dispensare possit?

D

An hi gradus iure naturæ irritent matrimonium, sintque indispensabiles?

Affirmauit Henricus VIII. qui hanc legem prætendit suo diuortio cum Catharina. affirmarunt idem eodem tempore nonnulli Doctores in varijs Vniuersitatibus, sed Angelottis Henrici corrupti. Ratio eorum erat, quòd Chananæi contra has leges peccantes, puniti sint à Deo, vt patet vers. 24. atqui Chananæi non habebant aliam legem quàm naturæ: ergo leges hæ sunt leges naturæ.

Affirmarūt aliqui. *Eorū ratio.*

Verùm contrarium est de fide: probatur Primò, ex definitione Concilij Tridentini sess. 24. can. 3. *Si quis, inquit, dixerit eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant; anathema sit.*

Resp. negatiuè. Prob. Primò.

Secundò, Iacob duas sorores Rachel & Liam *Secundò.*

vxores

Tertiò. vxores habuit, quod tamen hîc vetatur versu 18. Tertiò, si quod hîc dicitur, vt nullus fratris sui vxorem ducat, absolutè sit præceptum naturale; ergo non licuisset pariter ex lege naturæ, eamdem ducere eo casu, quo frater sine liberis erat mortuus, quod tamen licuit, vt patet Deuter. 25. vers. 5. quod enim absolutè iure naturæ est vetitū & malum, nullo casu licet. Rursum si hæc lex esset naturæ, debuisset hîc tam prohiberi matrimonium patrui cum nepte, quàm amitæ cum nepote. Illa enim causa discriminis & disparitatis quam dedi v. 12. exilis est, neque sufficit ad ius naturæ euertendum, neque tollit cōnsanguinitatis in pari gradu vinculum æquale.

Quartò. Quartò, idipsum patet ex communi praxi Ecclesiæ, quæ sæpe in gradibus hîc prohibitis dispensauit & dispensat, vti dispensauit Pontifex cum Catharina Arcturi coniuge, vt eo mortuo nuberet Henrico VIII. fratri Arcturi Angliæ regi.

Quintò. Denique communis Doctorum sententia est, solos gradus cōsanguinitatis lineæ rectæ inter adscendentes & descendentes, & vt summum primum gradum in linea transuersa; qui est fratris cum sorore (quamquam hoc ipsum neget Caietanus) iure naturæ irritum facere matrimonium.

Hi ergo gradus vetiti sunt Iudæis lege diuina positiua, quæ iam abolita est, & Christianos non obligat: Ecclesia tamen hanc legem renouauit, & eosdem gradus in cōnnubijs Christianis vetuit (atque alios insuper addidit) idque Primò, quòd natura & naturalis verecundia ab eis abhorreat, cui sine iusta causa contraire peccatum est: vnde & Gentes Chananæorum contrà facientes, hîc à Deo punitæ & expulsæ dicuntur v. 24. Vbi tamen Nota, Gentes illas magis ob idololatriam, sodomiam, aliaque scelera expulsas fuisse, vti dicam v. 28.

Resp. ad argum. primæ sententiæ.

Secundò, quia lex naturæ huc inclinat, vt talia matrimonia irritentur per legem positiuam, in quam proinde cadit dispensatio, quando aliunde maius bonum commune id exposcit, & facilè rependit tegitque indecentiam, & quidquid naturali pudori aliàs videretur in hac coniunctione contrarium. Atque hinc patet, quid respondendum sit ad rationem in contrarium allatam. Atque hoc tantùm voluit Cōcilium Toletanum sess. 2. cap. 5. cùm ad hasce Leuitici leges alludens ait: *Sancimus ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, vsquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari: quoniam scriptum est, Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat. nec sine denuntiatione fit sententia; nam infert, Anima quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de medio populi sui.*

Concil. Toletani explicatio.

VERS. 19. NEC REVELABIS FOEDITATEM (id est, turpitudinem) EIVS] hebr. enim est ערוה *eruat*, id est nuditatem, quam Noster interpres passim hîc *turpitudinem* vertit.

VERS. 21. DE SEMINE TVO NON DABIS, VT CONSECRETVR IDOLO MOLOCH: NEC POLLVES NOMEN DEI TVI] Quæres, quodnam fuerit idolum Moloch? Nota, *Moloch* idem esse cum *Molech* (vti iam punctant & pronuntiant Hebræi) & cum *melech*, id est rex; & cum *melchom*, id est rex eorum. Vnde S. Hieron. in Isaiæ 57. Moloch vocat regem, & LXX. hîc Moloch vertunt ἄρχοντα, id est principem. Vocatus est ergo *Moloch*, id est, rex & princeps, scilicet hominumque Deûmque, ob insignem obseruantiam cultumque illius idoli, quasi ipse summus esset omnium Deus. Sic & Æthiopes etiamnam Deum vocant אמלך *emlach*, id est regem, ab Hebræo *Melech*, id est rex.

Moloch quasi. Moloch, Melech, Melchom idem sunt quod rex.

Dico Primò, Moloch fuit Baal id est Deus Ammonitarum, cui Iudæi non tantùm semen suum per mollitiem & idololatriam, sed & filios suos per parricidium & idololatriam, eos igne comburentes, offerebant. Patet hoc 4. Regum 23. v. 10. vbi Iosias dixit, *vt nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem Moloch.* & Ierem. 32. 35. *Vt initiarent filios suos & filias suas Moloch.* & psalm. 105. v. 37. & 38. *Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis*, putà Moloch.

Moloch fuit Deus Ammonitarū, cui filios immolabant.

Dico Secundò, Hebræi, & ex ijs Lyranus, Abulensis, Adrichomius, A castro, & passim recentiores tradunt, quòd idolum Moloch fuerit statua concaua manus habens latas, in quibus ponebatur puer immolandus, qui igne statuæ intrinsecus subiecto comburebatur, vel traducebatur per ignem, id est impellebatur per ignem in brachia Moloch, vt eius quasi amplexu cremaretur, itaque gratum fieret Deo Moloch sacrificium, & tunc dicebant puerum à dijs ad æthera raptum. Talis enim describitur statua Saturni (qui vel similis, vel idem fuit cum Moloch) à Diodoro lib. 20 licet alij, sed pauci, putent puerum per os Moloch iniectum fuisse in eius ventrem, ibique combustum. Verùm vastum nimis & horrendum fuisset hoc os. Sin autem filias & filios non comburendos, sed sacris Moloch initiandos offerrent, tunc eos per medium duarum pyrarum adigebant ad idolum. Vide Plutarchum libro de Superstitione. Iam ne puerorum vel ita adactorum, vel ardentium & morientium eiulatus audiretur à parentibus, sacerdotes alijque idoli ministri pulsabant תף *toph*, id est tympanum: inde locus dictus est *tophet*, sicut à possessoribus, putà à filiis Hennom, dictus est *gehennom*, id est, vallis Ennom. Vnde à simili crudelitate & incendio, infernus à Christo vocatur gehenna, Matth. 5. 23. Porro certum est, Iudæos in deserto coluisse Moloch, vt patet Actor 7 vers. 43. Et sanè eos illi valdè fuisse addictos, coniicitur ex eo, quòd studiosè tum hîc, tum cap. 20. præ cæteris idolis illius cultus eis vetetur. Fortè Iudæi ad hoc incitati sunt per exemplum Abrahæ parentis sui, qui filium suum Isaac Deo immolauit: sed perperam. Abraham enim id fecit ex peculiari & expresso Dei mandato, atque suum Isaac non idolo, sed Deo vero immolauit. Hac etiam ex causa multi censent, Moloch Iudæorum habuisse caput vituli, eò quòd Iudæi in deserto Serapim, id est vitulum, coluerint.

Ritus offerendi & cremandi pueros Moloch.

Tophet dicitur à toph, id est tympano, cur Gehenna vnde dicta.

Iudæi coluerunt Moloch. vnde?

Moloch erat capite vitulino.

Dico Tertiò, Oecumen. in Actor. 7. & Arias Montanus in Amos 1. putant Moloch esse Mercurium: hunc enim dictum esse Moloch, à מלאך *malach*, id est nuntius, eò quòd ipse haberetur animarum ductor, & deorum nuntius. Caietanus putat Moloch fuisse Priapum. Alij censent Moloch fuisse Iouem; hic enim est Melech, id est rex deorum. Alij, inter quos est Christophorus A castro in Ieremiæ 32. v. 35. opinantur, & fortè verisimiliùs, Moloch fuisse Saturnum: licet enim Gentiles non tantùm Saturno, sed & Ioui, Dianæ, Baccho, Marti, Palladi, Agraulidi, Diomedi humano sanguine litarint, vti testatur Cyrillus libr. 4. con-

Moloch fuit Mercurius, vel Priapus, vel Iupiter, vel potiùs Saturnus.

contra Iulianum post initium. & fusè Eusebius A
lib. 4. de Præparat. cap. 7. ex Diodoro, Dionysio Halicarnass. Manethone & alijs idipsum docet: tamen Phœnices siue Chananæos (quibus vicini erant Iudæi) & ab eis prognatos Carthaginenses, propriè Saturno immolare solere homines amicissimos & pueros suos, præsertim in graui aliqua calamitate ad eam auertendam, docet Eusebius suprà, & Philo lib. 1. histor. Phœnicum, Curtius lib. 4. & Diodorus lib. 20. Vnde Imilce Hannibalis vxor, cùm Aspar filius eius esset mactandus:

Phœnices & Carthaginenses filios immolabant Saturno.

Saturno immolatus fuit Aspar Hannibalis filius,

Me me, ait, quæ genui vestris absumite votis.

ita Silius Ital. lib. 4. Punicorum.

Hinc & Plato, Plutarchus & Dionysius Halicarn. docent apud Phœnices, Carthaginenses, B Rhodios & Cretenses moris fuisse, vt infantes principali honore insignes, quos sors iactæ designasset, in regio ornatu Saturno immolarentur: à quibus sacris cùm postea desciuissent Carthaginenses, victi ab Agathocle, ac deos propterea subiratos arbitrantes, ducentos nobilium filios mactarunt, dijsque immolarunt, ait Festus apud Lactant lib. 1. de Falsa religione c. 21. Atque hac de causa finxerunt Poëtæ, Saturnum voluisse deuorare Rheæ parentis filios, sed sonitum & vocem matris, atque Iouis pueri vagitum eum auertisse & deterruisse. ita S. August. lib. 7. de Ciuit. 9.

alij 100. nobilium filij.

Similis idololatria hoc nostro sæculo viguit apud Indos: Mexicani enim quotannis ad 20. hominum millia immolabant dæmoni; & in Mechoacan vrbe dæmon sibi offerri postulabat id quod ciuibus erat charissimum, vti sponsam, vel infantem speciosum. ea de causa indigenæ tam trucu- C lentum Deum perosi, Christi fidem obuijs vlnis sunt amplexi, vt P. Antonio Mendozio Prouinciali Societatis nostræ, Mechoacani proceres testati sunt. Disce hîc crudelitatem dæmonis, qui pro suis exiguis donis quæ suis largitur, tam pretiosas, calamitosas & funestas sibi deposcit victimas. Idem hodie experiuntur sagæ, imò peccatores omnes, qui pro vili voluptate animam suã diabolo vendunt ad æterna tormenta.

Mexicani quotannis viginti hominum millia immolabant dæmoni.

Crudelitas dæmonis in suos.

Audi ex aduerso pietatẽ & benignitatem Constantini Imper. qui lepra percussus, cùm consilio quorumdam, puerulorum sanguine lauãdus esset, audiens matres eiulantes, & causa tanti luctus cognita, illachrymans dixit: *Romani imperij dignitas & amplitudo fontem & radicem habet veram pietatem. Vt igitur ex ea me prouenisse ostendam, valetudinem meam innocentium puerorum vita posthabeo.* Ita Ni- D cephorus lib. 7. historiarum cap. 34. Hinc Deus illi rependit sanitatem per baptismum, tantumque imperij decus & gloriam.

Tropologicè, Moloch semen suum dant, qui boni aliquid operantur vanæ laudis, vel honoris terreni acquirendi gratia, inquit Radulph.

Longè veriùs semen suũ dant Moloch, qui proles suas dæmoni deuouent, qui eas in hæresi, libidinibus, rapinis, alijsque peccatis educant.

Semen suũ dant Moloch, qui proles dæmoni deuouent, vel in hæresi educant.

Sed cui? Moloch, id est regi crudelissimo, tyranno maximo, scilicet diabolo. *Iniustum est*, ait S. Gregorius *seruire diabolo, qui nullo placatur obsequio.* Et S. August. serm. 4. *Quid*, ait, *prauius? quid malignius? quidve nostro aduersario nequius? qui posuit in cælo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni opere nostro zizania seminauit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuersatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in prælatu siue dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore locutiones falsas, in membris operationes iniquas: in vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos mouet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem. Sed vt breuiùs loquar, omnia mala mundi eius prauitate sunt commissa.* Hic est ignis concupiscentiæ, quo suos hic Moloch adurit, vt eos secum igne gehennæ comburat.

NEC POLLVES NOMEN DEI TVI] Hoc enim mihi meoque nomini esset dedecori, si me relicto, vel in mei iniuriam coleres idola, & maximè Moloch tam infami cultu.

CVM OMNI PECORE NON COIBIS] q. d. Cum VERS. 23.
nullo pecore coibis. Nota *omnis non* idem est quod *nullus*, etiam iuxta regulas æquipollentiarum apud nostros Dialecticos. Secùs est *non omnis*: hoc enim apud Dialecticos idem est quod *aliquis non*, apud Hebræos verò sæpè idem est quod *nullus*. vnde sequitur:

NEC POLLVAMINI IN OMNIBVS HIS] id est, in VERS. 24.
nullo eorum polluamini.

QVIBVS POLLVTA EST TERRA] Hinc disce, vi- VERS. 25.
tia, præsertim enormia, esse tam horrenda & putida, vt non tantùm ipsos peccatores polluant, sed & terram in qua ipsi habitant, hac infamia aspergant, vt à sceleratissimis incolis scelerata ipsa & polluta vocetur.

Scelera polluunt terram.

CVIVS, scilicet terræ, id est *quorum*, scilicet in terra ista habitantium, EGO SCELERA VISITABO] id est puniam. est metonymia. Terra enim, quæ immediatè antè propriè capiebatur, hîc metonymicè pro terræ incolis capitur. ita S. August. q. 58.

TAM INDIGENA QVAM COLONVS] *Colonus* vo- VERS. 26.
catur hîc incola, qui in Hebræorum coloniam & legem transit, & inter eos *peregrinatur*, id est habitat.

CAVETE ERGO NE ET VOS SIMILITER EVOMAT, VERS. 28.
CVM PARIA FECERITIS, SICVT EVOMVIT GENTEM QVÆ FVIT ANTE VOS] Nota τὸ *euomuit*. q. d. Cùm Deus Chananæos sua terra per Hebræos expulit, etiam ipsa terra quasi gaudens & probans, neque retinens, sed dimittens eos, quodammodo eiecit ipsos. Loquitur de futuro quasi de præterito prophetice, *euomuit*, id est, certò & breui euomet. Rursum est hic metaphora Hebræa, qua ad maiorem emphasin, vita & actio animalis tribuitur rei inanimæ.

Simili tropo dicitur terra gemere, clamare, irasci, & expetere vindictam, vt, *Excandescet in illos* (reprobos) *aqua maris*, Sapientiæ c. 5. *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc*, Rom. 8. Hoc enim tropo vult significare Scriptura enormitatem criminum, quòd scilicet ipsæ creaturæ irrationales suo creatori semper obedientes, & pro illo pugnãtes detestentur peccatores tales, eosque terra quasi euomat, cùm illi expelluntur ab ea: detestentur, inquam, detestatione & appetitu naturali, quo in ordinem suum, totiusque vniuersi, ac Dei voluntatem implendam feruntur, atque auersantur ea quæ sunt his contraria: idem facturæ appetitu rationali, si eum haberent. Scelera ergo Chananæorum causa fuerunt, cur ipsi ab Hebræis possessione sua depulsi sunt.

Terra euomuit Chananæos, quomodo?

Vbi Nota, scelera hæc Chananæorum fuisse adulteria, idololatrias, sodomias, bestialitates, &c.

de

de quibus v.20. & seqq. potiùs quàm cõnubia cum neptibus, affinibus & cognatis, superiùs recensita: quia hæc iure naturæ non erant irrita, sed tantùm habebant indecentiam & inuerecundiam quamdam, ob quam videntur tantùm venialia fuisse peccata. quòd enim iam sint mortalia, quodque irritent matrimonium, id habent ex iure positiuo humano. ita Caietanus, Bellarminus, & Sanchez tom. 2. de Matrim. lib. 7. q. 52.

Putat S. Augustin. Chananæos expulisse Semitas ex Chanaan, ideoq; ab Hebræis fuisse expulsos.

Huius expulsionis Chananæorum aliam quoque causam dant S. August. serm. 105 de Temp. & Epiphan. libr. 2. contra hæres. cap. 66. & Andreas A Masius in Iosue 1. scilicet Chananæam in diuisione orbis cessisse Sem eiusque posteris; sed Chananæos, posteros Cham, vt nepotes Sem inde expulisse, ac proinde iure à Deo Hebræis, nepotibus Sem, eam restitutam esse. huius rei argumentum esse, quòd Melchisedec, qui vel Sem fuit, vel ex Sem natus, in Chananæa habitarit. Verùm Chananæam in sortitione orbis cessisse Chananæis, non Semitis, ostendi cap. 9. & 10. Gen. Rursus, Melchisedec non fuisse Sem, vel Semitam, sed potiùs ex Cham & Chanaan prognatum, ostendi Genes. 14.

Contrarium videtur verius.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sanciuntur promiscuè præcepta quædam moralia & cæremonialia, partim antè recensita, partim noua; quale est de non serendo agro diuerso semine, de veste ex lana & lino non inducenda, v. 19. de præputijs arborum circumcidendis, v. 23. de coma in rotundum non attondenda, de non radenda barba, v. 27. de non incidenda carne, v 28.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad omnem cœtum
filiorum Israel, & dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus
Deus vester. 3. Vnusquisque patrem suum & matrem suam timeat. Sabbata mea
custodite. Ego Dominus Deus vester: 4. Nolite conuerti ad idola, nec deos confla-
tiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. 5. Si immolaueritis hostiam pacifi-
corum Domino, vt sit placabilis, 6. eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, &
die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. 7. si
quis post biduum comederit ex ea, profanus erit & impietatis reus: 8. portabitque
iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illa de populo suo.
9. Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ:
nec remanentes spicas colliges. 10. Neque in vinea tua racemos & grana deci-
dentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. ego Dominus
Deus vester. 11. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque
proximum suum. 12. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.
ego Dominus. 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non
morabitur opus mercenarij tui apud te vsque manè. 14. Non maledices surdo, nec
coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum
Dominus. 15. Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non conside-
res personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo.
16. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proxi-
mi tui. ego Dominus. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue
eum, ne habeas super illo peccatum. 18. Non quæras vltionem, nec memor eris in-
iuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. ego Dominus. 19. Le-
ges meas custodite. Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animanti-
bus. Agrum tuum non seres diuerso semine. Veste, quæ ex duobus texta est, non indu-
eris. 20. Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis,
& tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & nõ morien-
tur, quia non fuit libera. 21. pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium taber-
naculi testimonij arietem: 22. orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius coram
Domino, & repropitiabitur ei, dimitteturq; peccatum. 23. Quando ingressi fueritis
terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorũ: poma, quæ ger-
minant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. 24. Quarto autem anno omnis
fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. 25. Quinto autem anno come-
detis fructus, congregantes poma quæ proferunt. ego Dominus Deus vester. 26. Non
comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. 27. Neque
in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam. 28. Et super mortuo non in-
cidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. ego Domi-
nus. 29. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.
30. Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite. ego Dominus. 31. Non
declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. ego Do-
minus

minus Deus vester. 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & time Dominum Deum tuum. ego sum Dominus. 33. Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: 34. sed sit inter vos quasi indigena: & diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim & vos aduenæ in terra Ægypti. ego Dominus Deus vester. 35. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. 36. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius. ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. 37. Custodite omnia præcepta mea, & vniuersa iudicia, & facite ea. ego Dominus.

VERS. 2. SANCTI ESTOTE] *Sancti*, id est mundi & puri ab omni immunditia carnis & spiritus, ab omni peccato & irregularitate legali. A

VERS. 3. MATREM SVAM TIMEAT] reuereatur.

VERS. 4. *Idola vocantur elilim quintuplici etymo & causa.* NOLITE CONVERTI AD IDOLA] Pro *idola* hebr. est, אֱלִילִם *elilim*, id est vanitates, res vanæ & nihili, qualia sunt idola, quæ vanam & mendacem vmbram diuinitatis præ se ferunt. Secundò, *elilim* est diminutiuum ab אֵל *el*, id est *Deus*, qua fortis, quasi dicas, Deiculi, forticuli; quod flandricè dicimus *Godekens*. Tertiò, *elil* idem est quod אַל אֵל *al el*, id est *non Deus*: idola enim non sunt verè dij. Quartò, *elil* idem est quod אֵל לַיִל *el lail*, id est *Deus noctis*, hoc est nocturnus, lucifugus, qui in tenebris ambulat: tales sunt dæmones qui in idolis coluntur. Quintò, *elil* alludit ad rad. אָלָה *ala*, id est *execratus est*, sunt enim idola res execrandæ. ita Oleaster.

NEC DEOS CONFLATILES FACIETIS VOBIS] Est synecdoche. ex parte enim totum intelligitur: nam per deos conflatiles accipit omnia idola, siue fusilia sint & conflata, siue ductilia, siue sculptilia. ita S. August. & ex eo Radulph. B

Auarorum idolũ est æs & aurum conflatile. Tropologicè, auari pro dijs habent massas auri; hi enim sunt eorum dij conflatiles, hi sunt *elilim*. quàm sapiunt qui non *elilim*, id est vanitates & insanias falsas, sed *el*, id est Deum fortem & verum, colunt, qui veras opes tribuit non in ista terra morientium, sed in supera illa terra viuentium! Felices, quibus solus, tu Domine, es spes & res, & omne opus eorum oratio, vt dicant: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

VERS. 5. VT SIT PLACABILIS] Hebr. est לִרְצֹנְכֶם *lirtsonechem*, id est secundùm voluntatem vel beneplacitum vestrum quasi dicat, Sponte & voluntariè immolate eam. ita Chald. Verùm Noster, Septuag. & Vatabl. Hebræum רָצוֹן *ratson*, accipiunt passiuè, q.d. Ad fauorem, gratiam, beneplacitum, & beneuolentiam vobis conciliandam apud Deum. vide cap. 25. C

VERS. 7. SI QVIS POST BIDVVM COMEDERIT EX EO (hostia pacifica) PROFANVS ERIT ET IMPIETATIS REVS] quia sacram hanc cæremoniam à Deo sancitam violauit, ideoque abominabilis erit, vt vertit Chald. Septuag. vertunt, ἄθυτόν ἐστι, id est *insacrificabile est*. quasi dicat, Talis caro & hostia, quasi profana & polluta, Deo offerri & sacrificari nequit.

VERS. 8. PERIBIT] sententia iudicis, si res constet; sin autem, puniente & vindicante Deo.

VERS. 9. NON TONDEBIS VSQVE AD SOLVM SVPERFICIEM TERRÆ] q.d. Non demetes omnino agrum tuum, sed aliquas, verbi gratia, humiliores & solo penè incubantes spicas, in agro relinques carpendas pauperibus. ita Abulensis in cap. 23. v. 22. vnde hebr. est, *non consummabis metere angulum*, vel *extremitatem agri tui*. q.d. Non secabis omnes fruges, sed dimittes aliquid in extremitate, vel angulo agri tui, vt pauperes illud colligere possint. ita Oleaster, & alij.

NEQVE IN VINEA TVA RACEMOS, post vindemiam remanentes, CONGREGABIS] ita Chald. Hebr. est, *ne facias racemationem vindemiæ tuæ*; Septuag. *non reuindemiabis vinetum tuum*. racematio ergo, vti & spicilegium, hîc pauperibus relinquenda præcipitur, vti & fructus anni septimi, de quo cap. 25. 6. VERS. 10. *Racematio & spicilegium relinquenda pauperibus.*

NON MENTIEMINI] Hebr. *non negabitis*, scilicet veritatem, in deposito, credito, alióve quouis contractu & debito. VERS. 11.

NON PERIVRABIS IN NOMINE MEO] per nomen meum. VERS. 12.

NEC POLLVES NOMEN DEI TVI] quantum in te est: nam alioqui nomen Dei in se pollui nequit.

NON MORABITVR OPVS MERCENARII TVI APVD TE VSQVE MANE] *Opus*, id est merces operis. est metonymia: simili modo capitur *opus* Isaiæ 32. 17. & cap. 40. 10. cap 62. 11. Iob 34. 11. psal. 127. 2. q.d. Non differes solutionem mercedis in alteram diem, sed eadẽ die ante noctem operario, siue mercenario persolues; quia hi operarij ferè pauperes sunt, viuuntq; in diem ex diurno pretio. VERS. 13.

NON MALEDICES SVRDO] quia hoc valdè inhumanum est, vt ei qui se defendere nequit iniuriam irroges. VERS. 14.

Tropologicè, S. Gregor. 3. p Pastor. admon 36. *Surdo*, inquit, *maledicere, est absenti, & non audienti derogare.* *Tropolog.*

NEC CORAM CÆCO PONES OFFENDICVLVM] Hebræi censent etiam hîc prohiberi, ne quis viro simplici malè consulat. Sed hic sensus est mysticus.

Tropologicè, S. Gregor. suprà: *Coram cæco ponere offendiculum, est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere.*

NON CONSIDERES (in iudicio, vti præcessit) PERSONAM PAVPERIS] vt iniqua eius miseratione commotus, iudicium peruertas. VERS. 15.

NON ERIS CRIMINATOR, NEC SVSVRRO] In Hebræo his duobus respondet vnum nomen רָכִיל *rachil*, id est, detractor, susurro. Septuag. vertunt, *non ambulabis dolo in gente tua.* VERS. 16.

Ita Vespasianus Imp. fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit, ferebaturque eius vox: *Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Et Antoninus Pius Imper. delatores, si nõ probarent crimen, capitali pœna affecit: si probarent, oblato præmio dimisit infames. Aristoteles, cùm iudiciorum metu Athenis profugisset, roganti cuipiam, *qualis esset ciuitas Atheniensium*: respondit: *Pulcherrima, sed in ea pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit.* Quo dicterio notauit Atheniensium sycophantas & calumniatores, perniciosissimos bonis viris. ita Ælian. lib. 3.

Thea-

Thearidas cùm gladium cote acueret, rogatus à quopiam, num esset acutus? *Acutior*, inquit, *calumnia*, indicans calumniam rem esse nocentissimam. Demosthenes orat. 1. contra Aristogiton. *Viperam, ait, vbi conspexeritis, mox interficitis: itidem cùm delatorem & crudelem hominem videritis viperinam habere naturam, ne expectate donec vestrûm aliquem mordeat, sed cùm primùm occurrerit, puniatur.*

Pelopidas, cùm fortis quidam miles per calumniam apud ipsum deferretur, vt qui ei conuiciatus esset: *Equidem*, ait, *facta eius respicio, verba autem non audiui.* ita Xenophon in Oeconom.

Denique S. Athanas. apol. 1. *Qui lapide*, inquit, *ictus est, quærit medicum: ictus autem calumnia grauius quàm lapides feriunt. Est enim calumnia claua, & gladius, & iaculum incurabile, vt ait Salomon.*

NON STABIS (Septuag. *non conspirabis*) CONTRA SANGVINEM PROXIMI TVI] vt videlicet contra B eum falsum testimonium dicas, vel aliàs iniustè eum occidentes iuues. Sanguis hîc vitam significat: anima enim & vita est in sanguine, vt dixit Moses c. 17. 14.

VERS. 17. NON ODERIS FRATREM TVVM IN CORDE TVO] Hinc patet, Iudæis in veteri testamento non tantùm actionem externam, verbi gratia, homicidij, aut læsionis, vti Iosephus & Rabbini nonnulli (quos proinde corrigit Christus, legemque explicat, Matth. 5. 23.) putarunt, sed etiam internam, putà malum voluntatis actum, qualis est odij, vetitam fuisse. ita Cassian. lib. 8. de capital. vitijs c. 14.

SED PVBLICE ARGVE EVM] Hebr. *arguendo argue.* q. d. Ne foueas odium in corde tuo contra proximum, & ne occultè machineris ei malum, sed ostende publicè, id est in manifesto, ei qui te C læsit te offensum esse & petere satisfactionem pro iniuria, vel damno tibi illato. Non præcipit ergo, eum qui offendit, publicè & coram tota multitudine obiurgari, sed ne offensus odium seruet occultum; ideoque iniuriam sibi factam manifestet ei qui illam intulit, petatque satisfactionem. Vnde Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 35. hunc locum accipit de correptione fraterna, quasi ea Iudæis hîc fuerit præcepta.

Correptio fraterna Iudæis præscripta.

NE HABEAS SVPER ILLO PECCATVM] moliendo occultè eius læsionem vel perniciem.

VERS. 18. NON QVÆRAS VLTIONEM] vt priuatim te vlciscaris. Secundò & potiùs, nec priuatim, nec publicè in iudicio petes vltionem ex rancore procedentem: omnis enim talis, est peccatum in foro animæ & coram Deo. Hæc ergo lex supplet & perficit legem talionis latam Num. 35. 19. & Deuter. 19. 12. quæ permittit, vt quis in iudiciali foro D vindictam expetat, quando illa in re est iusta, licet malo animo, & ex vindicta illam accusator petat, v. g. vt propinquus occisi homicidam interficiat. hoc enim licet in se iustum sit, tamen si fiat ex vindicta, iniquum & peccatum est. quare iubet hîc Deus, vt in talibus non quærant vltionem, sed tantùm ius suum, vt iustitiæ vel priuatæ vel publicæ satisfiat.

Vltio Iudæis permissa, qua limitatione?

Præclarè Plutarch. *Cibo, inquit, vtitur, iuxta naturam is, qui esurit: at vindicta debet vti, qui nec sitit eam, nec esurit. Vt pater videns puerum volentem incidere quippiam, arrepto ferro id facit: ita ratio vindictam eripiens iræ, vtiliter castigat.* Et Iuuenalis satyra 3.

Infirmi est animi, exiguique voluptas
Vltio: continuò sic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet quàm femina.

Et Franc. Petrarcha dialogo 101. *Nobilissimum*, inquit, *vindictæ genus est parcere. Vltionis momentanea delectatio est, misericordia sempiterna. Multos vindicasse pœnituit, neminem pepercisse.* Sed quid illustrius hac voce Christi Matth. 5. 39. *Ego dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et Pauli ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

NEC MEMOR ERIS INIVRIÆ] Chaldæus, *non seruabitis inimicitias.*

DILIGES AMICVM TVVM SICVT TEIPSVM] Hinc Iudæi à contrario sensu colligebant: ergo inimici odio habendi sunt, vti refert Christus Matth. 5. 43. Verùm illud argumentum omnino est inualidum: nec enim consequentia valet; nec antecedens est verum, prout ipsi intelligebant: nam amicus non significat hîc eum, qui nobis beneuolus est, sed omnem proximum. id patet ex Septuag. qui vertunt τὸ πλησίον, id est *proximum*, & ex Chaldæo, qui vertit חברך *chabrach*, id est *socium tuum*; & ex Hebræo רע *rea*, quod non tantùm amicum significat, sed & per metaphoram Hebræis vsitatam transfertur ad eum, qui nobiscum quauis ratione coniunctus est, siue cui nobiscum quippiam intercedit negotij: talis autem est omnis homo; nam vt minimum omnis homo alteri amicus, & cum alio coniunctus est communi ex primo parente origine, communi creatione & similitudine Dei, communi redemptione, communi Ecclesia & Sacramentis, communi gratia, charitate, ordinatione & cursu ad vitam æternam. ita S. August. Hieron. Theoph. in Matth. 5. nam dilectionem inimicorum præceptam fuisse Iudæis patet Exodi 23. 4.

Iudæi putabant solos amicos diligendos esse, vnde refelluntur.

Amicus hîc vocatur omnis proximus.

Qualis & quanta debeat esse hæc dilectio, suo exemplo docuit nos Christus, de quo S. Bernard. serm. 20. in Cantic. *Dilexit*, inquit, *me simul Deus fortiter, sapienter, & dulciter. Dulciter, quia carnem induit: sapienter, quia culpam vitauit: fortiter, quia mortem sustinuit.*

Rursum S. Gregorius lib. 10. Moral. c. 6. *Proximi*, inquit, *dilectio ad duo præcepta deriuatur, cùm & per quemdam iustum* (Tobiam cap. 4. 16.) *dicitur, Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsum Veritas dicit, Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis,* scilicet in rebus licitis & salutaribus. hæc enim tantùm quisque proximo æquè ac sibi, secundùm rectam rationem velle & optare debet, vti pluribus & particularibus exemplis declarat ibidem S. Gregor.

Ita proximum, Agrippam regem, amauit S. Paulus. Cùm enim rex diceret: *In modico suades me Christianum fieri*; subiecit, *Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantùm te, sed & omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego, exceptis his vinculis,* Actor. 26. 29.

Exempla charitatis proximi.

Et S. Ioannes, qui senex in Collectis non aliud dicebat, quàm, *Filioli, diligite alterutrum.* rogatus cur idem semper ingeminaret, respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* testis est S. Hieron. in epist. ad Galat.

Et S. Dominicus, cuius hæc erat vox: *Plus in charitatis codice didici, quàm in vniuersa S. Script.* Ex hoc codice prædicabat, multosque conuertebat, & suos ex eodem prædicare volebat.

Et S. P. N. Ignatius, qui vt obscœnum euntem ad amasiam corrigeret, aquis se immergens dixit:

Perge miser ad fœdissimas tuas voluptates: impendentem capiti tuo ruinam non vides? ego hic me tui causa tamdiu macerabo, donec iustissimum Dei furorem in te paratum auertam. Testis est Ribadinera in eius Vita.

Et S. Xauerius, qui amicis Chinam ob pericula dissuadentibus ait; *Non aliud mihi in votis est, quàm vt vel morte mea Sinarum salutem repræsentem.* testis est Tursellinus lib. 3. Vitæ eius c. 15.

SICVT TEIPSVM] Vox *ficut* non æqualitatem, sed similitudinem significat: nam ordinata charitate magis diligit se homo quàm proximum, similia tamen dilectionis signa exhibere debet proximo atque sibi ipsi. sic accipitur *τὸ ficut* Deuter. 18. v. 15. Ioannis 17. v. 21. & 22. Isaiæ 1. 26. Malach. 3. 4. vbi Malachias copiam bonorum spiritualium in lege noua, confert cum vbertate legis veteris & priorum temporum, cùm tamen in lege noua multò sit maior.

EGO DOMINVS] qui scilicet idipsum licet arduum, iure meo exigo & præcipio.

VERS. 19. IVMENTVM TVVM NON FACIES COIRE CVM ALTERIVS GENERIS ANIMANTIBVS] Hebræi, & Caietan. hanc legem & duas sequentes putant non literaliter, vti sonant, sed symbolicè accipiendas esse, vt scilicet tantùm prohibeant studium nouitatis & nouæ curiositatis, inquit Caietan. atque perturbationem & confusionem, vt inter Hebræos nulla sit mala lingua & simultas, sed vnitas perfecta & charitas, inquiunt Hebræi: rationem afferunt, quòd constet Iudæos habuisse mulos, qui ex diuersis speciebus, putà ex equa & asino, generantur. mulo enim insedit Dauid, Salomon, Absalon, alijque filij Dauidis 2. Reg. 13. 29. & 1. Esdræ 2. 66. dicitur, Iudæos Babylone redeuntes habuisse mulos ducentos. Verùm alij passim ad literam, vti sonant, hæc accipiunt: hoc enim planè & simpliciter verba ipsa significant. Itaque hac lege vetabantur Iudæi, procurare congressum asini cum equa ad generandum mulos. Muli ergo quos habuerunt Iudæi, vel casu geniti sunt, sponte sua commistis asino & equa; vel ab alijs gentibus, commistionem hanc & mulorum procreationem procurantibus, eosdem emerunt.

Sensus symbolicus.

Muli Iudais veriti, quit

Causa huius legis fuit, Prima, quia Deus volebat honestissimè iuxta naturam institui Hebræos: congressus autem iste animalium diuersæ speciei est contra naturam. Secunda, quia nolebat Deus species animalium ab Hebræis permisceri & confundi; sed quamque simplicem & integram in sua essentia permanere. Tertia, ne ipsi Hebræi curantes ideoque spectantes hunc animalium congressum, similia discerent & imitarentur. ita Theodor. q. 27. Vnde in Traditionibus Hebræorum præceptum inuenitur (vt R. Moses dicit) vt homines auertant oculos ab animalibus coëuntibus: facilè enim in hoc conspectu excitatur in homine motus concupiscentiæ, inquit D. Thomas mox citandus.

Causa huius legis. Prima. Secunda. Tertia.

Tropolog. Tropologicè, Radulph. cum alterius generis animantibus, dominorum impulsu coëunt iumenta, cùm humanæ mentes ad vitia pronæ, pastorum suorum exemplo seductæ, mundi amatoribus conformantur.

Allegorica. Allegoricè, Isychius sic explicat, q. d. Non permittes fideles sectari circumcisionem & baptisma.

Agrum non AGRVM TVVM NON SERES DIVERSO SEMINE]

A Huius & sequentis legis causa literalis fuit, Prima, vt per eas Deus Hebræis nouitatis & confusionis ansam præcideret, eosque admoneret simplicitatis & ordinis.

seres diuerso semine, cur? Causa prima.

Secunda, quia voluit Deus hac cæremonia, videlicet simplicitate seminis & vestis, coli potiùs, quàm duplicitate: quia ita placuit ei instituere, vt simplicitatem hominibus commendaret in victu, vestitu, omnique alia re. Deus enim cùm in se sit simplicissimus, sitque ipsa simplicitas, ideoque vnitas, primitas & causalitas rerum omnium, amat simplicia, & adulterinas mixtiones siue carnis, siue spiritus in suo cultu odit & vetat, inquit Theodor.

Secunda.

Deus simplicissimus commendat hominibus simplicitatem.

Vnde symbolicè, S. Cyrill. lib. 8. de Adoratione ait hac lege biformes mores vetari. *Omnibus nobis in conuersionis initio nulla virtus magis necessaria* B *est quàm simplicitas verecunda*, ait S. Bernard. Ita S. Iob laudatur, quòd fuerit vir simplex & rectus: *simplex, quia nullum lædere, imò prodesse desiderabat: rectus, quia se à nullo corrumpi permittebat*, ait Beda li. 1. de Templo Salom. Hinc Sapiens Prou. 11. 20. *Abominabile*, ait, *est cor prauum, & voluntas eius in his qui simpliciter ambulant.* & cap. 20. 7. *Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. Simplex*, ait S. Augustinus homil. 2. in Ioan. *eris explicando te à mundo: implicando, duplex eris. Quid*, ait S. Hieronym. *simplicitate diuitius? quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, & sua puritate contenta, non quærit alienum: nec abredit, sed se de cæteris fingit: nec se in varias partes commutat, sicut astutia, quæ vt sit cauta, timet omnia, nec suis consilijs credit: versat ipsa suas sententias; simplicitas autem timere nil nouit.* Et rursum: *Prudentia absque simplicitate malitia est, &* C *simplicitas absque ratione stultitia nominatur.* Hinc Christus ait: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Simplicitatis elogia.

Audi & Gentiles. Cicero lib. 1. de Officijs: *Compendiaria*, inquit, *via ad gloriam est, vt qualis quisque haberi vult, talis sit.* Et lib. de Amicitia: *Apertè odisse vel amare est magis ingenui, quàm fronte occultare sententiam.* Seneca epist. 10. *Virtutem*, inquit, *bona sequitur fide, qui se non exornat & pingit; sed idem est siue ex denunciato videtur, siue imparatus & subitò. veritas in omnem partem sui semper eadem est.* Idem ad Neronem: *Nemo*, ait, *potest personam fictam diu ferre. ficta in naturam suam citò recidunt.* Idem in Prouerb. *Malus*, inquit, *vbi se bonum simulat, tunc est pessimus.*

Tertia, vetuit Deus hanc seminum commistionem in agricultura, *ad detestationem idololatriæ, qua Ægyptij in venerationem stellarum diuersas com-* D *mixtiones faciebant, & in seminibus, & in animalibus, & in vestibus repræsentantes diuersas coniunctiones stellarum. Rursum, omnes huiusmodi commixtiones prohibentur ad detestationem coitus contra naturam*, inquit D. Thom. 1. 2. q. 102. a 6. ad 9.

Tertia.

Tropolog. Tropologicè, agrum non seres diuerso semine, id est non docebis contraria diuinis doctrinis in Ecclesia, inquit Isych. Secundò, Radulph. Diuersum, inquit, semen seminat Ecclesiastes, qui bona loquitur, & mala operatur; qui verbo triticum spargit, sed exemplo peccati sementem discipulorum cordibus inijcit.

VESTE QVÆ EX DVOBVS TEXTA EST, NON INDVERIS] Non ait, veste quæ ex duobus pannis consuta est. hæc enim non fuit vetita Iudæis, inquit Abulens. sed quæ ex duobus, putà lana & lino, contexta est. ita Chald. & ita explicatur hæc lex Deuter.

Vestis ex lana & lino Iudæis vetita, cur?

Deuter.22.11. Excipe ab hac lege vestes pontificis: hæ enim erant variegatæ, contextæ ex lino siue bysso, cocco, purpura & hyacintho. Imò Iosephus asserit, ea de causa laicis hîc vetari vestem bilicem, putà ex lino lanaque contextam, ne scilicet ipsi vestirentur vt pontifex, sed veste, vti & statu, ab eo discriminarentur.

Tropolog. Tropol. Radulph. lana, quia crassior est, opus visibile; linum, quia subtilius est, occultam malitiam significat. vestem ergo ex lana & lino contextam induunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, psal.27. Sic & S.Cyrillus lib.7. de Adoratione pag.144. figuratè, ait, lex vetat duplicitatem, videlicet hominibus placendi cupiditatem, quæ ex duobus componitur studijs & voluntatibus, scilicet ex velle esse malum, & velle hominibus videri bonum. Similia habet Rupertus lib.1. in Deuter. cap.18. & Procop. in Deuter.22.v.11.

B

VERS.20. ETIAM NVBILIS] Ita legendum cum Roman. non *nobilis*, vti habent Plantiniana. hebr. enim est נֶחֱרֶפֶת *necherêphet*, hoc est *desponsata*, id est desponsabilis viro: participia enim passiua apud Hebræos sæpè capiuntur pro nominibus verbalibus.

VAPVLABVNT AMBO] Hebr. *Vapulatio eis erit loris bubulis*: hoc enim significat בִּקֹּרֶת *biccoret*, à בָּקָר *bacar*, id est bos, deductum. ita Vatablus.

VERS.22. ET REPROPITIABITVR EI] ne eum puniat in hac vita, vti dixi c.1.v.4. Et rursum *repropitiabitur ei* per gratiam & infusionem charitatis, si verè contritus hoc sacrificium obtulerit.

VERS.23. *Fructus primi arborum per quatuor annos Iudæis fuerût vetiti.* AVFERETIS PRÆPVTIA EORVM] Iubet hic Deus, vt arborum fructus qui primis tribus annis ex ijs nascuntur, quasi immundi abijciantur, fructus verò quarto anno nati, Deo consecrentur; itaque demum fructus quinti anni censeantur mundi, quibus vesci liceat. *Præputia* ergo vocat primos trium annorum fructus, vti explicant Hebræa; vocantur hi præputium, allusione ad circumcisionem pueri. Sicut enim puer immundus erat, donec in circumcisione auferretur ab eo præputium, & abijceretur: ita & arbores censebantur immundæ, donec fructus trium primorum annorum circumcisi & abiecti essent: hinc hebr. hi fructus vocantur incircumcisi, id est immundi. Et S.Chrysost. serm. de Ascensione Domini, vbi ex hoc loco docet, primitias quæ à Deo expetuntur, esse fructum non imperfectum & imbecillem, sed validum & fortem. Ait enim: *Vide legislatoris prudentiam: fructum primum nec manducari permittit, ne ante Deum quisquam eum percepisse videatur: nec offerri concessit, ne Deo immaturus offeratur; sed, Dimitte*, inquit, *quia primus est; nec offeras, quia oblatione necdum dignus est.*

Præputia arborum vetita, quæ

C

D

Curi Voluit Deus hac cæremonia coli, perinde ac circumcisione puerorum, congruè tamen ad arborum naturam; nam earum fructus primi magis aquosi & indigesti, ideoque insalubres sunt posterioribus. ita Abulens.

Allegoricè. Allegoricè, tres primi anni fuerunt tria tempora prima, quibus adhuc lex impura, vtpote historiæ crassitudine prægrauata, & vmbram tamquam inutilem corticem circumpositum habens. hæc tria tempora fuerunt, quo Moses, quo Iosue, pro Iudices præfuerunt: deinde secutum est quartum, quo illustris Prophetarum chorus exortus est: tum fructus legis factus est sanctus & laudabilis; quia Christi aduentus cœptus prædicari. Demum

A quinto tempore, putà Christi, facta est lex esui apta, vtilissima & purissima per Christi Euangelium. ita Cyrillus lib.8. p.167.

Tropolog. Tropologicè, S.Gregor. lib.8. Moral. c.35. *Ligna*, inquit, *pomifera sunt opera virtutibus fœcunda: præputia earum auferimus, cùm de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus, ne, dum accepta laus suauiter carpitur, fructus operis intempestiuè comedatur*, idque vsque ad quartum annum quo Deo consecrentur, id est, dum mens in quadro posita & solidata, nō sibi sed Deo bona omnia asscribere discat. ita Radulph.

POMA QVÆ GERMINANT] quæ producunt, scilicet ipsæ arbores.

VERS.24. QVARTO AVTEM ANNO OMNIS FRVCTVS SANCTIFICABITVR LAVDABILIS DOMINO] Hebr. *quarto anno omnis fructus sanctitas laudum erit Domino*, id est quarto anno fructus consecrabitur Domino in laudem eius, vt videlicet offeratur sacerdotibus, sicut primitiæ & decimæ, & in eorum ius cedat. quarto ergo anno hosce fructus comedere poterant sacerdotes, non laici.

VERS.26. NON AVGVRABIMINI] non exercebitis magiam, aut magicam diuinationem.

Nota. Augurium dicitur quasi auium garritus, eratque ex auibus diuinatio, eaque triplex. Nam auium aliæ volatu, aliæ cantu futura prædicere putabantur: & illæ quidem præpetes, istæ oscines dicebantur. Erat & tertium genus ex illarum pastu, cùm pullis gallinaceis è cauea depromptis esca porrigebatur: de quibus fusè Alexand. ab Alexandr. Verùm Noster interpres passim accipit augurium generatim, pro quauis diuinatione. Sic Ioseph dicitur augurari solitus in suo scypho, Genes.44.vers.5. Sic & Latini subinde capiunt augurium. Hebræum enim נחש nachas, absolutè significat diuinare: cui affine est לחש lachas, id est mussitauit, susurrauit. Susurris enim & mussitationibus vtuntur diuini. Vanitatem huius artis agnouit M.Cato, qui aiebat se demirari, quòd non rideret aruspex, quoties aspiceret aruspicem. sentiens totum hoc diuinationum genus imposturam esse, qua populo fiebat fucus: solent enim inter se impostores ridere multitudinis stultitiam. testis est Cicero lib.2 de Diuinat.

Onen Hebr. quid NEC OBSERVABITIS SOMNIA] Hebr. est עונן *onen*, quod Noster alibi, & Septuag. hîc vertunt, οὐκ ὀρνιθοσκοπήσεσθε, id est, *non augurabimini ex auibus*. Secundò, Rabbini & Oleaster vertunt, *non eritis præstigiatores*, vt *onen* alludat ad עין *ain*, id est oculus, & ad ענן *anan*, id est nubes. q.d. *Oculos non nubilabitis præstigijs*. Tertiò, meliùs Noster hîc & Deuter.18.10. vertit, *non obseruabitis somnia*: Hebræum enim עונן *onen* varium est & generale, significat enim oculis aliquid obseruare. Vnde *meonenim* vocantur obseruatores, siue temporum, siue astrorum, siue somniorum, siue auium. Iam quia augurium, quod propriè fit ex auibus, hîc immediatè præcessit, temporum verò & astrorum obseruatio sæpè est licita; hinc noster Interpres prudenter censuit taxari hîc somniorum obseruatores & diuinatores (quæ superstitio tunc erat frequens & familiaris multis.) *onen* enim rectè somnijs conuenit, siue radicem עין *ain*, id est oculum, spectes; somnia enim sunt visa nocturna, quæ oculis animæ videntur, quæque somnians sibi videtur oculis corporeis cernere: siue spectes radicem *Somnia sunt visa, & quasi nubes.*

cem ענן *anan*, id est nubes; quod enim nubes sunt in aëre, hoc somnia & phantasmata sunt in anima.

Porro Gentiles multum tribuisse somnijs, docet Chrysippus, qui somnium sic definit: *Somnium est vis cernens, & explanans quæ à dijs hominibus significantur in somnis.* Quin & Cicero in lib. 1. de Diuinat. *Cùm,* inquit, *somno seuocatus est animus à societate & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura præuidet. iacet enim corpus dormientis vt mortui: viget autem & viuit animus; quod multo magis faciet post mortem, cùm omnino è corpore excesserit.*

Somniorũ vanitas. Vanitatem verò huius superstitionis irridebat Diogenes dicens: *Quæ vigilantes agitis, ea non curatis; quæ verò dormientes somniatis, sollicitè perquiritis. Ad felicitatem enim vel infelicitatem hominis non tam refert quid patiatur in somnijs, quàm quid agat vigilans. Ibi quoties aliquid turpe committit, oportebat metuere deorum iram, ac tristem euentum; non, si quid dormientibus fit visum.* Testis est Laërtius lib. 6.

Heraclitus dixit, *vigilantibus vnum communem esse mundum, sopitos in suum quemque discedere: at superstitiosus ne vigilans quidem communi cum alijs mundo fruitur, semper somniante cogitatione,* inquit Plutarch. in moral.

Comicus dixit, *Cùm dij nobis somnum dederint curarum & laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinam.*

Rectè ergo Ecclesiast. cap. 34. 2. *Quasi qui apprehendit vmbram, & qui persequitur ventos: sic & qui attendit ad visa mendacia. Hoc secundùm hoc visio somniorum.* & v. 5. *Somnia malefacientium vanitas est.* & v. 7. *Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.*

VERS. 27. *Rotunda coma Gentilium, vnde?* NEQVE IN ROTVNDVM ATTONDEBITIS COMAM] Quia hoc, vti & sequentia, faciebant Gentiles, vt patet Ierem 9. 26. & c. 25. 23. & cap. 49. 32. præsertim Ægyptij; inter quos hactenus vixerant Hebræi. Vnde Vatabl. sic exponit; non attondebitis in rotundum comam vestram, Ægyptiorum sacerdotum more. Quin & Radulphus asserit Gentiles, cùm se dæmonibus consecrabant, capita sua in rotundum totondisse: censebant enim deos gaudere figura rotunda & orbiculari, vtpote omnium capacissima & perfectissima. Hinc Empedocles rogatus quid esset Deus? respondit: *Deus est circulus, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam,* quia scilicet nusquam terminantur Dei maiestas & immensitas. Hanc sui rotunditatem Deus in mundo, quasi in sui imagine expressit: cælos enim & elementa creauit sphærica & rotunda.

Dij gaudebant figura rotunda. *Deus est circulus, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam.* *Inde cælos creauit rotundos.*

Vesta templum rotundum, cur? Hac de causa veteres dijs suis templa rotunda ædificabant: sic rotundam ædem Numa Pompilius Romæ consecrasse fertur Vestæ; quòd eamdem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crederet; vt hac ratione dea sui simili templo coleretur: terra enim est rotunda. Sic Augustus Cæsar, Agrippæ nomine, omnibus dijs templum rotundo ambitu dedicauit, eaque de causa Pantheon appellauit, idque nunc B. Virgini dedicatum, à rotunda forma quam retinet, nomen habet. *Pantheon rotundum.* Aristoteles testatur, veteres gauisos esse dijs tēpla rotunda dedicare, cuiusmodi Romæ adhuc multa, vel magna ex parte diruta, vel à Christianis in honorem Sanctorum instaurata visuntur. Hac eadem de causa cùm dijs suis se deuouebant, cæsariem in rotundum attondebant: Gentiles

A enim capillos suos dijs, id est dæmonibus, dedicasse, tradit Lucian. in dea Syria in fine, Theodoret. hîc qu. 28. Cyrillus lib. 16. de Adoratione, & Athanas. vel potiùs Anastasius in quæst. S. Script. quæst. 64. Meritò ergo idipsum Iudæis hîc vetat Deus. q. d. Nolo vos, ô Iudæi, sequi Gentiles & dæmones, sed naturam potiùs & dispositionem vultus, in capitis vestri attonsione, voloque vos docere omnem, etiam in vestibus & capillitio, munditiem & decentiam. Hinc & apud Græcos nonnullos, circumtondere comam, in prouerbio erat, pro eo quod est ludibrio habere. Nam ita stupidis & fatuis non sentientibus circumtonderi solet cæsaries, ludibrij causa. Vnde Lucianus in Misanthropo: *Sedebas,* inquit, *cùm tibi cæsaries ab illis circumtonderetur.* Hoc præceptum fuit cæremoniale, ideoque iam abolitum est: quare ineptè illud torquent hæretici contra tonsuram mona-

B chorum, vti ostendit Bellarm. lib. 2. de Monachis, c. 40. Septuag. vertunt, οὐδὲ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης, non facietis sisoën ex coma vestra. Videntur Septuag. vocem sisoën accepisse ab Hebræo ציצת *tsitsit*, id est cincinnus, vti patet Ezech. 8. 3. nam Suidas sisoën interpretatur πλεξίδιον, id est capillum plicatum, & Cyprianus lib. 3. Testimon. testimon 83. sisoën vertit cirrum. S. Petrus epist. 1. cap. 3. v 3. sisoën videtur vocare τριχῶν πλοκὴν, id est, capillorum plicationem, quod Noster interpres vertit *capillaturam.* S. Paulus 1. Timot. 2. 9. vocat πλέγματα, id est intortos crines: Latini vocant capillitium calamistratum, siue calamistris in cincinnos reflexum. *Sisoë quid?*

Cincinni Iudæis vetiti, cur? Censent ergo Septuag. cincinnos hîc vetari, & de ijs accipi posse Hebræa, quæ sic ad verbum

C sonant: Non circulabitis, non facietis rotundam, vel *non cincinnabitis extremitatem capitis vestri.* Ratio est, quia cincinnati & calamistrati capilli signum sunt mollis & effeminati animi, ideoque viros dedecent.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti.

Sunt cynædorum & meretricum. Hinc illa grauis Archesilai sententia apud Plutarchum, qui cùm videret iuuenem castum, sed cincinnatum, vocem fractam, & oculos ludibundos, dixit: *Nihil interest,* inquit, *quibus membris cynædi sitis, posterioribus, an prioribus.* & Plautus in Asinar. *Quisnam istuc tibi credat, cynæde calamistrate?* & Synesius apud Cælium lib. 15. Antiquit. 8. *Nullus comatus, qui idem non sit cynædus.* & S. Ambrosius l. 3. de Virgin. *Cincinni,* inquit, *non ornamenta, sed crimina sunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis.* Cincinnos fuisse quasi titulum meretricium, docet

D Clemens Alexand. l 3. Pædag. c. 3. Meritò ergo Tiburtius in Vita S. Sebastiani, Torquatum cincinnatum, se Christiano nomine censentem increpat; cumque ambo religionis causa iudici sisterentur, ac quæsitus de fide Torquatus respondisset se esse Christianum: *Credisne,* inquit Tiburtius, *vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo, capitis fimbrias admittit,* &c. *numquam tales pestes Christus dignatus est habere seruos suos.* Adeò sibi dæmon in cincinnis placet, vt Cincinnatuli nomen aliquando vsurparit. Cælius lib. 8. cap. 10. eum se, & totam ferè Italiam audiuisse de mulieris vtero loquentem, memoriæ prodidit. *Cincinnatulus dæmoni nomen erat. hac ille appellatione gestiens inclamanti respondebat: si de præteritis aut præsentibus sciscitareris quæ reconditissima forent, responsa dabat mirifica; si de futuris, semper mendacissimus.* *Dæmon Cincinnatus.*

mus. Ite nunc adolescentes, ite nobiles, capillos religate, inungite, crispate. ite noua gloria dæmonum, inferorumque deliciæ: vos ille amat, ad vestrum nomen exultat ac gestit: prostituite pudorem ac formam. *Decaluabit aliquando Dominus verticem filiarum Sion, & erit pro crispanti crine caluitium.* Isaiæ 3.

Facessant ergo isthæc virorum opprobria, masculæ virtutis dedecora, nobilissimi sexus maculæ, libidinis testes, infamiæ nota, atque ab equis & armis ad colum & pensa trudantur.

Audiant virgines illud S. Hieronymi ad Demetriadem: *Cincinnatulos pueros & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quasi quasdam pestes & venena pudicitiæ virgo deuitet.*

NEC RADETIS BARBAM] Barbam tondere non erat vetitum Iudæis, sed radere, superducta, verbi gratia, nouacula, vt fit in coronis quas sacerdotes gestant in vertice. hebraicè est, *non destrues extremitatem barbæ tuæ:* voluit enim Deus in populo suo barbam, quasi virilitatis insigne apparere: barba enim virum significat. Vnde Diogenes barbam se ideo gestare respondebat, vt se virum esse subinde recordaretur: & Artemidorus filios tantum ornamenti patribus afferre dixit, quantum ori barba decoris addit. Cynicus quoque apud Lucianum, tam deforme putat esse ornatum barbæ auferre viris, quàm leoni iubas attondêre.

Barba quasi virilitatis insigne Iudæis fuit præcepta.

Barba virum decet, vti iuba leonem.

Laco quidam interrogatus, cur tam prolixam aleret barbam, respondit: *Vt canos videns nihil ijs indignum in me admittam.* testis est Plutarchus in Laconic. qui & ibidem addit, Lacones comam alere solitos, Lycurgi memorantes dictum, qui comam formosis pulchritudinem augere, deformes terribiliores reddere pronuntiasset.

Theseum denique perhibent tondere barbam numquam voluisse, vt virtutem ipse suam eo profiteretur indicio. barba ergo Primò, est insigne viri; Secundò, virtutis; Tertiò, perfectionis, ait Isychius; Quartò, fortitudinis, inquit Eucherius; Quintò, sapientiæ, inquit Radulphus. Barbam ergo reseruare iubentur Hebræi, vt etiam in vultus habitu, virtutis & sapientiæ formam ferre videantur. Excipiuntur ab hac lege leprosi iam mundati; hi enim in legali sua purificatione omnes corporis pilos radere debebant, iuxta legem Leuit. 14. 9. Porrò apud Christianos clerici non radunt, sed tondent barbam, ex veteri ritu: monachi verò, quasi mundo mortui, radunt: licet in diuersis Ecclesijs huiusce rei diuersus fuerit mos. Vide Baronium anno Christi 58.

Barba symbolum est, Primò, viri; Secundò, virtutis; Tertiò, perfectionis; Quartò, fortitudinis; Quintò, sapientiæ.

Fallitur ergo, falliturque Martinus Polonus in Chronico, & Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 57. qui Anicetum Pontificem barbam æquè ac comam Clericis vetuisse scribunt. Nam in decretis Aniceti, 23. distinct. cap. *Clericis*, nulla barbæ fit mentio. Ex traditione enim Apostolorum est, vt Clerici barbam alant, vti docent Clem. Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 3. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. Epiphan. hæresi 80. præterquam quòd Apostolorum icones omnem dubitationem abstergunt. Clerici ergo vti comam tondebant, ita barbam alebant. Hinc illa sanctio Concilij Carthag. IV. can 44. *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* sic enim legit Codex Vatican. MS. Perperam ergo aliquis misopogon, vt barbam sacerdotibus eraderet, *vel radat* erasit, vti erasum est in decreto Burchardi lib. 2. c. 174. & c 5. Extrau. de vita

A & honest. Cleric. Sanè Sidonius Apollinar. lib. 4. epist. 24. ad Turnum, Maximum olim palatinum, nunc sacerdotem, ita pingit & celebrat: *Habitus viro, gradus, pudor, color, sermo religiosus: tum coma breuis, barba prolixa.*

ET SVPER MORTVO NON INCIDETIS CARNEM VESTRAM] Deuter. 14. 1. etiam vetatur depilatio capillorum: idque Primò, ne nimio luctu Iudæi prosequantur mortuos, sed potiùs spe resurrectionis luctui modum ponant. Pulchrè & verè S. Hieronymus ad Paulam super obitu Blæsillæ: *Cur, inquit, dolemus quemquam mortuum? an ad hoc nati sumus, vt maneamus æterni? Abraham, Moses, Isaias, Petrus, Iacobus, Ioannes, Paulus electionis vas, & super omnia Filius Dei moritur: & nos indignamur aliquem exire de corpore, qui ad hoc forsan raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius? lugeatur mortuus, sed ille* B *quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Nos quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obuiàm Christus occurrit, grauemur magis, si diutiùs in tabernaculo isto mortis habitemus: quia quamdiu hic moramur, peregrinamur à Domino,* &c. VERS. 28.

Secundò, quia idololatræ, maximè Syri Iudæis vicini, indeque ipsi Iudæi, hæc faciebant in luctu, carnemque incidebant, vt patet 3. Reg. 18. 28. Idem de sacrificijs matris deorum testatur S. August. lib. 2. de Ciuit. 27. & lib. 7. 26. vbi sic ait: *Credita est mater magna vires Roman. adiuuare, exsecando virilia virorum: vnde & sacerdotes eius festo profundebant se sanguine, incidentes carnes brachiorum: summus autem sacerdos amputabat sibi virilia, in honorem primi sacerdotis istius deæ, dicti Atis.*

Idololatræ in luctu incidebant carnes suas.

Audi & de Scythis Herodotum l. 4. *Scythæ, inquit, in funere regum aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt, sinistram manum sagittis traijciunt.* Lucianus quoque de suis Syris (fuit C enim ipse Syrus) ita ait lib. de Dea Syria: *Certu notu compunguntur omnes, alij quidem in vola manus, alij in ceruice: & inde est quòd cuncti Assyrij notas insitas habent.* Idem libro de Luctu meminit dilaniationis comæ, & cruentationis genarum in luctu. Sic & Virgil 4. Æneid. loquens de Anna Didonis mortem deplorante:

Vnguibus ora soror fœdans & pectora pugnis.

Et Ouidius lib. 3. Trist. eleg. 3.

Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos:
Non tibi nunc primùm, lux mea, raptus ero.

Et Seruius in 3. Æneid sic ait: *Varro dicit mulieres in exequijs & luctu ideo solitas ora lacerare, vt sanguine ostenso inferis satisfaciant.* Quocirca id vetitum fuit D leg. XII. tabul. vbi teste Cicerone lib. 2. de Legibus, hæc erat sanctio: *Muliebres genas ne radunto.* Insuper capillos in luctu soluisse & laniasse, docet Ouid. lib. 6. Metamorph. fabula 7. de Philomela:

Mox vbi mens rediit, passos laniata capillos.

Et Tibull lib. 1. eleg. 1.

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Clarè verò Cicero Tuscul 3. *Ex hac, ait, opinione sunt illa varia, & detestabilia genera lugendi, pedores muliebres, lacerationes genarum, pectoru, capitis percussiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus, scindens dolore identidem intonsam comam. In quo facetum illud Bionis: Perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi euellere, quasi caluitio mæror leuaretur,* cùm potiùs vulsionis dolore augeatur. Audi & Plutarchum in Consolatoria ad Apollonium,

Barbarorum, inquit, ***nonnulli corporis partes abscindunt, nares scilicet & aures, reliquum quoque corpus plectentes.***

Vers. 30. Sabbata mea cvstodite] Sabbatum hîc quodlibet festum significat, per synecdochen: erat enim sabbatum omnium festorum maximum.

Et Sanctvarivm mevm metvite] q. d. Tabernaculum & templum meum reueremini, tum ne immundi irreuerenter eò accedatis, tum ne curiosè illud scrutemini, néve vlteriùs illud ingrediamini quàm à me præscriptum est: non enim poterant laici ingredi Sanctum, imò nec atrium sacerdotum. Est hæc alia lex à præcedenti de sabbatis.

Vers. 31. Non declinetis ad magos] Hebraicè *adpythones*, qui dæmonem habent familiarem, maximè ventriloquum. Hi enim vocantur אובות *obot*, ab אוב *ob*, id est vtre, eò quòd ex eorum ventre, quasi ex vtre voce confusa loqueretur dæmon; quos Græci vocant ἐντερομάντεις, id est, *ex intestinis vaticinantes*, inquit Theodor. quæst. 29. vnde & Septuag. hîc & alibi eos vocant ἐγγαστριμύθους, id est *ventriloquos*.

Nec ab ariolis aliqvid sciscitemini] *Arioli* propriè vocantur, qui ex victimis immolatis diuinant. Ars hæc primò inuenta est à quodam qui Teges vocatus, quem ferunt inter arandum de terra prosiliisse, teste Lucano lib. 1. de Bello ciuili, & Boccacio libr. 1. de Geneal. deorum. Huius rei etiam meminit Ius Canonicum 24. q. 5. cap. *Episcopi*. Pro *ariolis* hebr. est יִדְּעֹנִים *iidonim*, id est *diuinis*.

Vers. 32. Honora personam senis, et time Dominvm] q. d. Si senes non times, time saltem Deum, & propter timorem Domini senes honora: iubet enim hîc Deus eos honorari. idque Primò, quia iuuenes gerere se debent cum senioribus, tamquam discipuli cum magistris: at magistrorum est sedere, discipulorum eis astare & auscultare. vnde Theodosius Imper. iussit filios suos astare coram Arsenio, magistro suo.

Moral. senes sunt honorandi, ob sex causas.

Prima.

Secunda. Secundò, quia, vt ait Aristoteles lib. 9. Ethic. 2. *Omni seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo, & sessione cedendo*, &c. Idem docet Plato dialog. 9. de Legibus, & Cicero lib. 1. Offic. *Est*, inquit, *adolescentis maiores natu vereri*.

Tertia. Tertiò, quia in senibus præter excellentiam ætatis, est excellentia experientiæ & prudentiæ, ex ætate longiore. Hinc senes olim regebant remp. & à senibus nomen accepit senatus, perinde ac ἀπὸ τῶν γερόντων apud Spartanos γερουσία, qui erat magistratus regi assidens. Vnde S. Thomas ait senectutem esse signum virtutis, ideoque honorandam, licet quandoque virtus deficiat. Hinc Chald. pro eo quod nos habemus, *coram cano capite consurge*; vertit, *coram eo qui doctus est in lege consurge*.

Quarta. Quartò, quia omnes penè nationes instinctu A naturæ senes honorarunt. Spartani, teste Plutarcho, in theatro venientibus senibus consurgebant omnes, & eos sessum recipiebant. Romani adolescentes in curiam deducebant seniores, extra curiam eos præstolabantur, vt domum reducerent. Audi Iuuenal. sat. 13.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

Hispanis hæc vox *senior*, nonnihil detorta in *Señor*, & Italis in *signore*, significat dominum. De Essenis ait Philo: *Reuerentia erga seniores & cura talis est, qualis esse potest germanorum liberorum erga parentes.*

Quintò, quia senes sunt instar parentum, *Quinta.* Deumque parentem omnium repræsentant. Vnde B Teleclus rogatus, quare Spartani iuniores senioribus assurgerent: respondit, *Eò id fieri, vt assueti hoc honoris deferre alienis, tanto magis venerentur parentes*. testis est Plutarch. in Lacon.

Sextò, quia, vt ait S. Basilius lib. de Abdic. re- *Sexta.* rum, si honores senes, *ob istam animi tui submissionem, gloria te afficiet Deus*: atque, vt ait Isychius hîc, faciet cùm senueris, vt eadem reuerentia tibi à iunioribus rependatur: si negligas senes, pœna talionis te senem puniet, vt à iunioribus quasi delirus contemnaris.

Si habitaverit advena] putà circumcisus Vers. 33. proselytus, de quo cap. sequenti v. 2.

Nolite facere iniqvvm aliqvid in ivdicio, in regvla] qua scilicet aliquid mensuratis, qualis est vlna. q. d. Iusta mensura vtimini in mensurando. Vers. 35.

C

Æqva sint pondera] Hebraicè, *æqui sint lapides*. olim enim lapidibus vtebantur pro ponderibus: vnde Prou. 16. 11. hæc pondera vocantur *lapides sacculi*, non sæculi, vti quidam perperam legūt. Vers. 36.

Ivstvs modivs] Hebraicè, *iustum sit epha*. Epha continebat tres modios: verùm noster Interpres pro *epha*, vsitatum & commune apud Græcos & Latinos mensuræ nomen, putà *modium*, substituit: pari modo pro, *æquusque sextarius*, scilicet sit, hebr. est, *æquum sit hin*. Hin autem Iudæorum erat mensura continens 12. sextarios. Verùm quia apud D nos non est mensura vna, quæ illi Hebræorum respondeat, hinc apposite Interpres pro *hin* supposuit sextarium. Hæc enim mensura nobis est notissima. tantùm enim vult dicere & præcipere hîc Deus, vt iusta mensura vtantur Hebræi tam in liquidis, quàm in aridis; sicut enim hin & sextarius liquidorum, ita epha & modius aridorum erat mensura.

Scribunt Hebræi eum qui iniustis vtitur mensuris & ponderibus, quinque scelerum & malorum causam esse. Primò, polluit terram. Secundò, violat siue profanat nomen Dei. Tertiò, facit recedere maiestatem, gloriam & præsentiam diuinitatis. Quartò, in gladium cadere facit Israel. Quintò, efficit vt in exilium eijciatur ex terra ipsorum.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Decernitur pœna mortis, putà lapidationis, idololatris, consulentibus magos, maledicis in parentes, incestæ & præposteræ libidini: hæ ergo leges sunt iudiciales & capitales.

1. Lo-

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Hæc loquêris filijs Israel:
Homo de filijs Israel, & de aduenis qui habitant in Israel, si quis dederit de se-
mine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum. 3. Et ego po-
nam faciem meam contra illum: succidamque eum de medio populi sui, eò quòd dede-
rit de semine suo Moloch, & contaminauerit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen
sanctum meum. 4. Quòd si negligens populus terræ, & quasi paruipendens impe-
rium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum oc-
cidere: 5. ponam faciem meam super hominem illum, & super cognationem eius,
succidamque & ipsum, & omnes qui consenserunt ei vt fornicaretur cum Moloch, de
medio populi sui. 6. Anima, quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit
cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.
7. Sanctificamini & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. 8. Custodite
præcepta mea, & facite ea: Ego Dominus qui sanctifico vos 9. Qui maledixerit patri
suo, aut matri, morte moriatur: patri matrique maledixit, sanguis eius sit super eum.
10. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum con-
iuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera. 11. Qui dormierit cum
nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo: sanguis eo-
rum sit super eos. 12. Si quis dormierit cum nuru sua, vterque moriatur, quia scelus
operati sunt: sanguis eorum sit super eos. 13 Qui dormierit cum masculo coitu femi-
neo, vterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos. 14. Qui
suprà vxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est: viuus ardebit cum eis, nec
permanebit tantum nefas in medio vestri. 15. Qui cum iumento & pecore coierit,
morte moriantur: pecus quoque occidite. 16. Mulier, quæ succubuerit cuilibet iu-
mento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos. 17. Qui acceperit
sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, illa-
que conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt: occidentur in conspe-
ctu populi sui, eò quòd turpitudinem suam mutuò reuelauerint, & portabunt iniquita-
tem suam. 18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudi-
nem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi
sui. 19. Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit
ignominiam carnis suæ nudauit: portabunt ambo iniquitatem suam. 20. Qui coie-
rit cum vxore patrui, vel auunculi sui, & reuelauerit ignominiam cognationis suæ: por-
tabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur. 21. Qui duxerit vxorem
fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui reuelauit: absque liberis erunt.
22. Custodite leges meas, atque iudicia, & facite ea: ne & vos euomat terra quam in-
traturi estis & habitaturi. 23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego ex-
pulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas. 24. Vobis
autem loquor: Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hereditatem, terram fluen-
tem lacte & melle. ego Dominus Deus vester, qui separaui vos à ceteris populis. 25. Se-
parate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda:
ne polluatis animas vestras in pecore, & auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, &
quæ vobis ostendi esse polluta. 26. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum. ego Domi-
nus, & separaui vos à ceteris populis, vt essetis mei. 27. Vir, siue mulier in quibus py-
thonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur. lapidibus obruent eos: san-
guis eorum sit super illos.

Vers. 1. HOMO DE FILIIS ISRAEL ET DE ADVENIS] A putà de Gentilibus conuersis ad iudaismum, & circumcisis: hi enim per circumcisionem transierant in legem & Ecclesiam Iudæorum, ac consequenter omnibus præceptis cæremonialibus & iudicialibus Iudæorum obligabantur. ita Abulens.

POPVLVS TERRÆ (plebs) LAPIDABIT EVM.

Vers. 3. SVCCIDAMQVE EVM DE MEDIO POPVLI SVI] Si videlicet iudices eum plectere & lapidare neglexerint (vt sequitur) tunc ego quasi vigil vltor casuali morte eum plectam & succidam. vide dicta c. 17. v. 10.

EO QVOD DEDERIT DE SEMINE SVO MOLOCH, ET CONTAMINAVERIT SANCTVARIVM MEVM (talis enim tabernaculum & templum meum habuit vt contaminatum, illudque vilipendit, & grauem iniuriam & ignominiam illi irrogauit, dum ab eo, eiusque cultu ad Moloch & Topheth se conuertit) AC POLLVERIT NOMEN SANCTVM MEVM] nomen Dei dando ipsi idolo Moloch. Quantum peccatum sit profanare nomen Dei, docent Hebræi hisce duobus axiomatibus. Primum, *Quicumque violat nomen Dei in occulto, de illo pœna sumetur in propatulo.* Secundum, *Alia peccata, eorumq; punitio suspenduntur per pœnitentiam, & diem expiationis: in quocumque verò inuenta fuerit violatio nominis diuini, pœnitentia, dies expiationis & castigationis suspendunt, mors verò expurgat.*

QVOD SI NEGLIGENS POPVLVS TERRÆ] Repetit, explicat & inculcat id quod dixit versu præced. q. d. Quod dixi, *succidam eum*, intellige si populus eum punire neglexerit, tunc enim ego id non negligam, sed succidam eum. ita Vatabl. Vers. 4.

Vers. 6. Anima (homo) quæ declinaverit ad magos et ariolos] Hebr. ad pythones & diuinos. vide dicta cap 19.31.

Et fornicata fuerit cum eis] eis adhæserit, & per consequens dæmoni, me vero Deo, & animæ sponso relicto.

Vers. 8. Ego Dominus qui sanctifico vos] qui iubeo & volo vos esse sanctos: ponitur enim hîc verbum reale pro mentali, iuxta can. 11.

Vers. 9. Qui maledixerit patri, sanguis eius sit super eum] *Sanguis*, id est reatus & pœna sanguinis, hoc est mortis quam meruit. q.d. Sua culpa pereat, & morte puniatur per iudicis sententiam.

Vers. 10. *Pœna lapidationis lege veteri statuta fuit in adulteros, vbi* Morte moriantur et moechus et adultera] Statuitur hic in adulteros pœna mortis, nimirum lapidationis, vti exprimitur Deuter. 22. v. 23. & 24. Pœna enim lapidationis quæ in dantes semen Moloch sancitur v. 2. vtpote primo loco B posita, ad alios sequentes casus, & consequenter ad adulteros hos referenda videtur, eò quòd alia deinceps non apponatur, nec exprimatur, vti clariùs ostendam v. vlt. Et hoc est quod Iudæi de adultera dicunt Christo Ioann. 8. 5. *In lege Moses mandauit nobis huiusmodi lapidare.* Idem patet Ezech. 16. v 38. iuncto cum vers. 40. idque disertè docet Hieron. Prado ibidem.

Vers. 11. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui] Turpitudo enim nouercæ est turpitudo patris. per matrimonium enim facti sunt quasi vna caro. Vide dicta c. 18. v 8.

Sanguis] pœna sanguinis, id est mortis, vti dixi v. 9.

Vers. 14. Qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis] C putà cum filia & matre quas duxit, si videlicet vtraque consenserit vt altera superinduceretur, vel si simul illi nupserint: nam si vna priùs nupta repugnasset secundo matrimonio, cum matre vel filia ineundo, insons erat, nec puniri poterat. *Incestui statuitur pœna ignis.* Incendij pœna statuitur huic incestui, cùm alijs etiam grauioribus criminibus statuatur tantùm pœna lapidationis; quia magis ad hunc incestum procliues erant Iudæi, vnde ille eis grauiori pœna interdicendus erat.

Incestus vindicatus per parricidium. Audi Gentiles virgines, quæ incestum vindicarunt per parricidium: tragœdiam narrat ex Aristide Plutarchus in Parallelis: *Romæ*, inquit, *cùm celebrarentur Liberalia, Aruntius, qui abortu fuerat abstemius, vim Liberi despicatui habuit. A quo in ebrietatem coniectus, filia sua Medullina virginitatem per vim eripuit. Ea ex annulo violatorem agnoscens, maius ætate sua facinus meditata, patrem inebriauit ac coronauit, adductumq́; ad aram Fulminis, illachrymans interfecit eum, qui suæ virginitati insidias struxerat.* D Addit Plutarchus similem, imò duplicem tragœdiam: *Cyanippus*, inquit, *Syracusanus ebrius filiam Cyanem compressit. Peste oborta, cùm Apollo Pythius respondisset, incestum hominem esse dijs auerruncatoribus malorum immolandum, Cyane sensum oraculi alios fallentem percipiens, crinibus arreptum patrem protraxit, ac eum seq; insuper iugulauit.* Addit tertiam de Valerio, qui cum filia, aliam putans, congressus, re cognita, se præ mœrore de præcipitio deiecit. Item quartam: *Papirius*, inquit, *Romanus Canuliam sororem amore victus grauidam fecit. Papirius Tolucer pater re cognita, gladium filiæ misit: ea se confodit, idemq́; fecit Romanus.* Pari modo, *Macareus*, inquit, *cum* A *sorore corpus miscuit: ea cùm puerulum peperisset, pater misit ei ensem ad necandum prolem: illa hoc impium ratum, interfecit seipsam.*

Qui acceperit sororem suam (etiam ex altero tantùm parente: hoc enim est quod sequitur) filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem eius, &c. occidentur] quia ista demonstratio membrorum horum inhonestissima est, & præludium ac incitamentum ad copulam. Secundò, rectè S. Augustinus quæst. 72. τὸ *viderit*, explicat per tetigerit & concubuerit. Præcedit enim, *Qui acceperit*; & sequitur, *Eò quòd turpitudinem suam mutuo reuelauerint.* quæ phrasis passim hîc, & cap. 18 non solùm aspectum, sed & congressum significat. vide dicta Exodi 20. 18. — Vers. 17.

Portabunt iniquitatem suam] iniquitatis suæ pœnam, scilicet lapidationem & mortem.

Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, id est, membrum genitale, per quod sanguis menstruus fluit, interficientur ambo] quia hic congressus est inhonestus, & proli noxius. Nota. Congredi cum menstruata, non videtur ex solo iure naturæ tam graue esse malum & peccatum, nec proli generandæ ita noxium, vt morte plectendum sit. Vnde Theologi grauiores (licet aliqui contrarium sentiant) docent, iam in lege noua non esse mortale peccatum, si maritus congrediatur cum vxore in menstruis constituta. ita docet Nauarrus c. 16. Enchir. n. 32. idem docent D. Antoninus, Paludan. Abulens. Soto, Caiet. & alij, quos citat & sequitur Thom. Sanchez lib. 9. de Matrimon. disp. 21. Vnde sequitur, congressum cum menstruata Iudæis hîc vetari tam seuerè, lege non tam naturali, quàm positiua & cæremoniali, perinde ac eadem vetitus fuit eis esus adipis & sanguinis sub pœna mortis cap. 7. v. 25. & 27. Pari ergo modo menstruatæ & congredienti cum ea intentatur hic pœna mortis, non tam ob præuaricationem legis naturalis, quàm cæremonialis ita rigidè hanc immunditiem vetantis, eò quòd Deus vellet Iudæos corpore esse purissimos. — Vers. 18. *Congredi cum menstruata mortale erat, ex lege, non naturæ, sed positiua veteri.*

Dices, Si hæc lex est cæremonialis, cur ergo ponitur hic inter alia naturalia præcepta?

Respondeo, Quia hæc omnia congressum & libidinem spectant; & quia congressus hic cum menstruata iure naturæ malus est & vetitus, ac peccatum saltem veniale: accedente verò hoc præcepto Dei positiuo, erat peccatum mortale. nec mirum, naturale præceptum cum positiuo permisceri: sic enim hæc præcepta permiscentur cap præced. Exodi 20. & alibi.

Qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ (consanguineæ suæ, putà materteræ vel amitæ, vt patet ex Hebr. & Chald.) nudavit. — Vers. 19.

Cognationis suæ] patrui scilicet vel auunculi, vti præcessit. — Vers. 20.

Absque liberis morientur] Hebr. est, *orbi morientur*, q.d. Hi incestuosi non sinentur in hoc scelere permanere, donec liberos habere possint, sed statim vt scitum fuerit, per iudicis sententiam occidentur. hoc enim significat τὸ *portabunt iniquitatem suam*, id est, pœnam iniquitatis suæ, scilicet mortem; quod versu & casu sequenti, vbi pariter dicitur, *Absque liberis erunt*, pari modo repetendum est: tam enim illi incestui, quàm huic decer-

decernitur pœna mortis, idque statim, ita vt proles quam quærunt ex eo, non sinatur concipi. ita Abulens. Cui adde, videri hîc Deum peculiariter incestuosis pœnam orbitatis intentare, quasi ipse peculiari sua prouidentia facturus sit, ne ex tali incestu proles succrescat. Sic enim & hodie tales illiberos manere sæpè experimur, idemque se expertum esse asserit S. Gregorius, ad interrogat. S. Augustini Anglorum Episcopi c. 6.

Incestum Deus sæpè punit orbitate.

Aliter S. Augustinus, Radulph. & Caietanus explicant τὸ *absque liberis erunt.* q.d. Si qui eis nati fuerint filij, spurij reputentur, non filij, & nullo iure parenti succedant.

VERS. 21. REM FACIT ILLICITAM] Hebr. נִדָּה *niddà*, id est, fugiendam, auersandam, abominandam.

VERS. 23. NOLITE AMBVLARE IN LEGITIMIS NATIONVM (in ritu viuendi Gentium) QVAS EGO EXPVLSVRVS SVM ANTE VOS] coram vobis, in terram eorum, putà Chananæam, subintrantibus.

VERS. 24. TERRAM FLVENTEM LACTE ET MELLE] terram fertilissimam. est hyperbole.

VERS. 25. SEPARATE ERGO ET VOS IVMENTVM (animal vel pecus. ita Hebr. & Chald.) MVNDVM AB IMMVNDO] Vide de hac animalium distinctione dicta cap. 11.

NE POLLVATIS (partim per inobedientiam, partim per irregularitatem legalem) ANIMAS VESTAS] id est vosipsos.

VERS. 26. ERITIS MIHI SANCTI, QVIA SANCTVS SVM EGO DOMINVS] Loquitur hîc Deus omnibus Israëlitis, non solùm sacerdotibus, sed & laicis. Piè hanc sententiam pertractat Adamus Sasbout homil. 1. & 2. eamque in prima laicis, in secunda sacerdotibus adaptat.

Heb. cados, ἅγιος, & sanctus, quid?

Nota. Sanctus hebr. vocatur קָדוֹשׁ *cados*, id est, segregatus ab vsibus profanis, & Dei cultui destinatus, & quasi consecratus, qui proinde purus à vitijs, castus, incontaminatus, & purus à sordibus esse debet. Secundò, sanctus græcè dicitur ἅγιος vel ὅσιος. Origenes ἅγιος dici putat quasi ἀγῆ, id est *sine terra.* verùm α priuatiuum, id est *sine*, caret aspiratione quæ est in ἅγιος. Quare meliùs alij ἅγιος & ὅσιος deducunt ab ἅζομαι, id est colo, veneror. quasi dicas, Ob virtutem & puritatem colendus & venerandus. Tertiò, Latini *sanctus* deducunt à sancio, quod à sanguine dicitur, eò quòd mactatæ hostiæ sanguine fœdera solerent sanciri, id est confirmari. Vnde Seruius explicans illud Æneid. 12. *Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit: Sanctum*, inquit, dicitur, *quasi sanguine sancitum & consecratum.* Vnde & *sanctio* vocatur lex, qua violantibus pœna præscribitur. Hinc sanctum dicitur quod religiosum est, ita vt violari non liceat. Sanctum ergo Primò, dicitur, quod purum est & impollutum. vnde Virgil. 12. Æneid. *Sancta, ait, ad vos anima, atque istius nescia culpæ Descendam.* Et, *Tuq; ô sanctissima* (id est purissima) *coniux.* Secundò, quod religiosum est & diuinum, ideoque inuiolabile. Tertiò, quod firmum est & perpetuum. Inde enim fœdera sanguine sancita habebantur sancta, quòd ea vsque ad sanguinem & mortem rata & firma, sanctè & inuiolabiliter essent conseruanda.

Sanctorum exempla.

Sic ergo Iudæi, & multò magis Christiani, coram Deo sancti in omnibus actibus & moribus esse debent; sancti inquam, iuxta omnia etyma, omnesque modos iam dictos. Tam enim Iudæis à Mose dicitur Exodi 19. 6. quàm Christianis à S. Petro epist. 1. c. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Sic Christus est Sanctus sanctorum, Daniel. 9. v. 14. Sic sanctissima, id est purissima, fuit B. Virgo Deipara. Sic ait Dauid psal. 85. v. 2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Sic Ieremiæ c. 1. v. 5. dicitur *Antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Sic S. Ioannes Baptista sanctificatus fuit in vtero, qui vt hanc sanctitatem illibatam tueretur, secessit in eremum, *ne leui saltem maculare vitam famine posset.* Sic virgo est sancta, id est pura, corpore & spiritu, 1. Corinth. 7. 34. Sic sanctæ, id est castæ, fuerunt S. Agnes, Lucia, Agatha, aliæque sanctæ virgines. Secundò, sancti, id est à mundo separati, Deoque deuoti & consecrati, fuerunt S. Eremitæ, Religiosi, Sacerdotes. Tertiò, sancti, id est ob pietatem & virtutem venerabiles, fuerunt S. Patriarchæ, Prophetæ, Episcopi & Doctores. Quartò, sancti, id est Deo fideles vsque ad mortem, fuerunt Apostoli & Martyres.

LAPIDIBVS OBRVENT EOS] Probabiliter censet Abulens. pœnam hanc lapidationis ad omnes casus & crimina huius cap. (excepto illo incestus v. 14. vbi pœna alia, scilicet ignis, assignatur) pertinere, eò quòd lapidatio hîc ponatur & exprimatur tam initio capitis, quàm in fine. Vnde videtur omnes cæteros casus medios (in quibus proinde certum supplicij genus non exprimitur) quasi compendio complecti. idque confirmatur ex v. 10. collato cum Ioan. 8. 5. vbi adulteræ iuxta legem Mosis dicuntur esse lapidandæ. Nec id mirum; omnes enim hi casus, & crimina enormia sunt, ita vt duram lapidationis pœnam mereantur. VERS. 27.

Pœna lapidationis ad omnes casus huius capitis extendenda est.

Nam in minoribus criminibus commune supplicij genus, vbi aliud non exprimitur, fuisse suspendium, siue crucem censet Abulens. idque innuitur Deuter. 21. 21. Verùm hæc sententia parum est probabilis: crux enim enormium tantùm criminum pœna apud Iudæos fuisse videtur: nam Deuter. 21. v. 23. dicitur maledictus à Deo suspensus. Vnde Iudæis summè execrabilis erat crux, & crucifixi; ideoque eodem die terra contegi debebant & sepeliri. Hinc & Christus est crucifixus, ob summum crucis tormentum, pariter & infamiam; hoc enim est quod Iudæi dicunt Sapient. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.* Vide Iansenium in c. 143. Concordiæ Euangel.

Ordinariũ supplicium apud Iudæos non fuit crux.

Verius ergo est, minorum criminum commune supplicium fuisse gladij aut securis; licet id nusquam in lege veteri expressum & decretum inueniamus: hoc enim mortis genus leuissimum est, & plurimis gentibus vsu receptum: & sic Ioannes Baptista ab Herode decollatus est. Denique notat Carolus Sigonius lib. 6. de Rep. Hebr. cap. vlt. lege veteri hæc supplicia decreta inueniri, mulctam, talionem, verberationem, exilium, venditionem & mortem: mortis autem tria tantùm genera, scilicet lapidationem hîc, combustionem v. 14. & crucifixionem Deuter. 21. Sic apud Romanos octo pœnarum genera in legibus contineri Tullius scripsit, scilicet damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem & mortem, inquit Isidor. lib. 2. Etymol.

Ordinariũ Iudæis supplicium gladius aut securis.

Supplicia apud Iudæos quæ & quot.

CA.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sancit Deus, vt sacerdotes abstineant funeribus & planctu, imò vt pontifex nec patrem nec matrem plangat. Secundò, vt pontifex non ducat vxorem, nisi virginem & nobilem, vers. 13. Tertiò, vt sacerdotes careant maculis, id est vitijs corporis, v. 17.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices
ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum, 2. nisi tan-
tùm in consanguineis ac propinquis, id est, super patre & matre, & filio & filia, fratre
quoque, 3. & sorore virgine quæ non est nupta viro: 4. sed nec in principe popu-
li sui contaminabitur. 5. Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis fa-
cient incisuras. 6. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim
Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. 7. Scortum & vile prostibu-
lum non ducent vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: quia consecrati sunt Deo
suo, 8. & panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Do-
minus, qui sanctifico eos. 9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & viola-
uerit nomen patris sui, flammis exuretur. 10. Pontifex, id est, sacerdos maximus in-
ter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdo-
tio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vesti-
menta non scindet: 11. & ad omnem mortuum non ingredietur omnino. super patre
quoque suo & matre non contaminabitur. 12. Nec egredietur de sanctis, ne polluat
Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est. ego Domi-
nus. 13. Virginem ducet vxorem. 14. Viduam autem & repudiatam, & sordidam,
atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo: 15. ne commisceat stir-
pem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus qui sanctifico eum. 16. Locu-
tusque est Dominus ad Moysen, dicens: 17. Loquere ad Aaron: Homo de semine
tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, 18. nec accedet
ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi vel torto naso, 19. si
fracto pede, si manu, 20. si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem
scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. 21. Omnis qui habuerit maculam
de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo:
22. vescetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario, 23. ita dumtaxat, vt intra
velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare
non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos. 24. Locutus est ergo
Moyses ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnem Israel, cuncta quæ fuerant sibi imperata.

Vers. 1. LOQVERE AD SACERDOTES FILIOS AARON] loquere ad minores sacerdotes: nam pontifex neminem omnino, ne patrem quidem poterat plangere, vti dicitur v. 10. quod tamen hîc permittitur minoribus sacerdotibus.

NE CONTAMINETVR SACERDOS IN MORTIBVS CIVIVM SVORVM] q.d. Caueat sacerdos, ne immunditiam legalem contrahat tangendo cadauer, aut curando funus, aut illud sequendo, aut luctum faciendo, aut domum mortui ingrediendo.

Cadauer vocatur anima per antiphrasin & per metonymiam.

IN MORTIBVS] Hebr. *super anima*, id est super cadauere; Chald. *super mortuum*: anima enim hic per antiphrasin, vocatur cadauer inanime. Aliam huius nomenclaturæ rationem dat S. August. q. 78. *Nomen*, inquit, *rectricis animæ etiam corpus accepit anima destitutum, quoniam reddendum illi est in resurrectione; sicut ædificium quod appellatur ecclesia, etiam cùm inde exierit Ecclesia, qui homines sunt, nihilominus Ecclesia dicitur*, per metonymiam.

Funera sacerdotibus olim vetita, cur? Prima causa.

CIVIVM SVORVM] Ciues suos hîc plangere vetatur sacerdos; ergo multò magis alienigenas & extraneos plangere ei non licebat. Ratio huius legis est, Primò, quia sacerdotum erat tractare diuina, & ministeria sanctuarij obire, ac proinde eos A longissimè abesse decebat ab omni funerum & mortuorum communicatione, impuritate ac irregularitate; illorum enim vetus sanctitas & puritas corporalis erat. iam inter corpora impurissima sunt cadauera, vtpote quæ in putredinem abeant, fiantque esca vermium, bufonum & serpentum: ergo ab ijs remotissimi debebant esse sacerdotes veteres. Secundò, quia sacerdos populo debebat esse exemplar vitæ cælestis, & fidem spemque resurrectionis, non lugendo mortuos reipsa ostendere. Tertiò, quia sacerdos typus erat Christi, qui mortem dissoluit sui immolatione: Christi ergo B vnius immolationem, per sua sacrificia adumbrare debebat sacerdos. ita Cyrillus lib. 12. de Adoratione pag. 248.

Secunda. *Tertia.*

Vers. 2. NISI TANTVM IN CONSANGVINEIS] Excipiuntur hîc à lege iam lata pater, mater, filius, filia, frater, & soror si sit virgo. hos ergo defunctos lugere poterat sacerdos, non autem vxorem, nepotem, & neptem, quia illi hîc non excipiuntur.

Dices, c. 10. v. 6. vetantur Ithamar & Eleazar sacerdotes, lugere Nadab & Abiu fratres suos, iam mortuos.

Resp. Peculiaris fuit illa prohibitio eis facta, eò quòd ipsi recenter tum erant consecrati sacerdotes:

tes: vnde nolebat Deus, vt ipsi lugerent fratres suos, à se iure meritoque occisos; alioqui secundùm hanc legem lugere potuissent.

VERS. 4. SED NEC IN PRINCIPE POPVLI SVI CONTAMINABITVR] Vatablus & alij ex Hebræo vertunt, *non contaminetur princeps in populo suo, vt profanet se.* Verùm non agitur hic de contaminatione principis, sed sacerdotum. Meliùs ergo Noster interpres vertit, *in principe*: rectè enim in Hebr. intelligitur præpositio ב, id est *in*, vti sæpè solet, maximè quia hic aliud ב proximè sequitur.

Tropolog. cadauera sunt peccata, quæ maximè fugere debet sacerdos. Tropolog. cadauera sunt peccata; tactus cadauerum est communicatio peccatorum. sacerdos ergo cauere debet, ne criminum ciuium suorum particeps efficiatur, & vitam agat popularem, imò neque principi peccanti consentire potest: sed tantùm contaminatur in patre & matre, id est offensa primorum parentum, Adæ & Euæ, & filio ac filia, fratre ac sorore; quia post peccatum originis in multis offendimus omnes: & in his necesse est, vt etiam iusti excusationem accipiant, sine quibus viuere non possunt, nec ipsi, nec illi qui eis in religione succedunt, vt filij; nec qui cum eis tamquam fratres, viam sanctitatis incedunt. E contrario de summo sacerdote, id est Christo, dicitur, quòd in nullo omnino, ne patre quidem & matre contaminabitur, quia nullam Christus vitiatæ originis contagionem aut labem aliam sensit. ita Radulph.

VERS. 5. NON RADENT CAPVT, NEC BARBAM, NEQVE IN CARNIBVS SVIS FACIENT INCISVRAS] Hæc in luctu faciebant Gentiles, ideoque ea vetita sunt Iudæis, etiam laicis, vti dixi cap. 19. 27. hîc tamen peculiariter eadem vetantur sacerdotibus, quia magis hæc eos dedecent.

Tropolog. Tropologicè, sacerdotes non debent caput radere, sed tondere tantùm, quia cogitationes carnis de vita subditorum & cognatorum (quæ capillis significantur) nec à se funditus amputare, nec rursum ad crescendum nimis, vt oculos mentis claudant, relaxare debent; sic vt barbam, id est virtutis speciem, in vultu præferant. pari modo non facient incisuras in carne, ne ipsi fidem resurrectionis videantur euacuare, si mortuorum suorum luctum non studeant temperare, inquit Radulphus.

Morale, de moderando luctu in morte consanguineorum. Quid iam facient fideles in suorum funeribus? Docebunt te virgines & heroinæ. Audi S. Ambros. lib. 1. Officiorum c. 41. *Quid de matre Machabæorum loquar? quæ spectabat lata filiorum quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus, tamquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filijs cernens, & pietatis harmoniam omni lyra numero dulciorem.* Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice martyrij septem filiorum, de qua S. Gregorius homil. 3 in Euangelia: & de S. Symphorosa item septem filiorum Martyrum matre, de qua in Vita S. Getulij Martyris eius mariti: item de S. Melania iuniore, de qua S. Hieron. epist. ad Paulam super obitu Blæsillæ: *Præsentia, ait, exempla sectare. S. Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihique concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa lacerum pectus inuadere? Lachryma gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes inuoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditiùs, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto onere me liberasti. Sed forsitan superatur in ceteris? Quinimò qua illos mente contempserit, in vno postea filio probauit, cui omni quam habebat possessione concessa, ingruente iam hyeme Hierosolymam nauigauit.*

Vis exempla Gentilium? Audi S. Hieron. epist. 3. ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani: *Vbi*, inquit, *Anaxagoræ ac Telamonis semper laudata sententia: Sciebam me genuisse mortalem?* Ita responderunt nuntiata morte filij. *Cicero, Plato, Diogenes, Clitomachus, Carneades, Posidonius proponunt innumerabiles viros, & maximè Periclem & Xenophontem Socraticum, quorum alter amissis duobus filijs coronatus in concione disseruit: alter, cùm sacrificans filium in bello audisset occisum, deposuisse coronam dicitur, & eamdem capiti reposuisse, postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse. Puluillus Capitolium dedicans, mortuum, vt nuntiabatur, subitò filium se iussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans vrbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scæuolas, Metellos, Scauros, Martios, Crassos, Marcellos atque Aufidos, quorum non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit, & quorum orbitates in consolationis libro Tullius explicauit, ne videar potiùs aliena, quàm nostra quæsisse. Quamquam & hæc in flagellationem nostri breuiter dicta sint; si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas.*

SANCTI ERVNT DEO SVO] putà remoti ab omni contaminatione, immunditia, ritu, & cæremonijs turpibus & profanis, quas Gentiles in funeribus adhibent. VERS. 6.

ET NON POLLVENT NOMEN EIVS] q.d. Itaque non polluent nomen, famam & dignitatem sacerdotalem; ac proinde nec famam Dei, cuius ipsi sunt ministri & sacerdotes.

INCENSVM (hebraicè est *ignitiones*, quod Septuag. vertũt *sacrificia*, Noster verò *incensum*, quod igne adoletur) ET PANES propositionis DEI SVI OFFERVNT, ET IDEO SANCTI ERVNT] Hebr. *ideo sanctitas erunt*. q.d. Ideo sanctissimi erunt & purissimi, vt videantur esse ipsa sanctitas. *Sacerdotes sint sanctissimi & quasi ipsa sanctitas.*

Tropolog. incensum est oratio; panes Dei sunt Sancti, qui fide & bonis operibus Deum pascunt, ac seipsos in Christi corpus traijciunt: hos sacerdotes Deo offerunt, quia doctrina sua ad credulitatem illos perducunt. iustum ergo est vt ipsi sancti sint, qui alios ad sanctitatem inuitant. ita Radulphus.

SCORTVM ET VILE PROSTIBVLVM NON DVCENT (sacerdotes) VXOREM] Prostibulum tam hîc, quàm Deuter. 23. 18. & Ioelis 3. v. 3. est meretrix, quæ corpus & pudicitiam suam prostituit. Septuag. vertunt βεβηλωμένην *profanatam*, id est violatam & pollutam: hoc enim significat Hebr. חללה *chalala*. sic apud Plautum, & alios Latinos scriptores *prostibulum* non tantùm locum turpitudinis, putà lupanar, sed & ipsam meretricem, vilissimam & abiectissimam significat. VERS. 7. *Prostibulũ vocatur meretrix quæ se prostituit.*

Tropolog. vxor est viuendi forma, accipit eam generis sui, qui Deum creatorem, & Patres sanctos respicit, atque ex illorum forma viuit. Scortum verò, vile prostibulum, & repudiatam ducit, qui mundi huius amatoribus conformatur. ita Radulph. *Tropolog.*

SINT ERGO SANCTI, QVIA ET EGO SANCTVS SVM, DOMINVS, QVI SANCTIFICO VOS] qui sanctitatem VERS. 8.

tatem meam vobis communico, designando & consecrando vos mihi sacerdotes. Secundò, *sanctifico*, id est iubeo vos esse sanctos.

VERS 9.

Exuri iubetur filia sacerdotis, non laici, si fornicetur.

SACERDOTIS FILIA SI DEPREHENSA FVERIT IN STVPRO, ET VIOLAVERIT NOMEN PATRIS SVI, FLAMMIS EXVRETVR] Propter dignitatem patris sacerdotis, punitur fornicatio simplex filiæ eius, morte ignis: non verò punitur fornicatio aliarum. nam filias ciuium fornicantes non fuisse punitas, colligitur Exodi 22.16. nisi se venditassent postea vt virgines, & hac ratione sponsum decepissent; tum enim re comperta lapidabantur, sicut adulteræ vt patet Deut. 22 20. Hoc discrimen verba legis huius significant, cùm causam afferunt, eò quòd *violauerit nomen patris sui.* quasi dicant, Quia fornicatione sua grauem inussit notam & ignominiam patri sacerdoti, ideo comburetur. Sic & Gentiles Romani Vestales virgines in fornicatione deprehensas viuas defodiebant: adulteras autem feminas licet aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: *Vsque adeò grauiùs putabant adyta diuina, quàm humana cubilia esse vindicanda*, ait S. August. lib. 3. de Ciuit. cap 5.

Sic & Romani Vestales fornicantes defodiebant: adulteris verò vitam condonabant.

VERS. 10.

PONTIFEX, SVPER CVIVS CAPVT FVSVM EST VNCTIONIS OLEVM, CAPVT SVVM NON DISCOOPERIET] Sept τὴν κεφαλὴν οὐκ ἀποκιδαρώσει, *caput suum non decidarabit*, id est cidari sua non nudabit, scilicet ad plangendum mortuum, vt hac ratione Allegoricè significet imperturbabile, immobile & æternum Christi sacerdotium, quod numquam auferetur, inquit Cyrill. l. 12. de Adorat. pag. 249.

Vnctio pontificis, sacerdotum, & regis erat dispar.

Nota. Solus pontifex vngebatur in capite, & ideo non lugebat vllos mortuos, ne quidem parentes. Minores sacerdotes vngebantur tantùm in pollicibus manuum & pedum, & super aures, vestesque eorum aspergebantur sanguine arietis immolati, mixto cum oleo sacræ vnctionis; & ideo poterant quidem lugere consanguineos designatos vers. 2. non tamen alios. Reges verò nec in capite, nec in manibus, nec in vestibus vngebantur oleo sacro, sed tantùm oleo simplici & vulgari; & ideo poterant lugere omnes mortuos quos volebant.

VERS. 11.

AD OMNEM MORTVVM NON INGREDIETVR] *Ad omnem non*, id est, *ad nullum*, q. d. Non ingredietur domum in qua est cadauer quodcumque. ita Vatablus.

Pontifex non poterat lugere parentes, cur?

SVPER PATRE QVOQVE SVO ET MATRE NON CONTAMINABITVR] q. d. Si moriatur pater aut mater, non planget eos pontifex exteriori ritu & signo, nec funus eorum comitabitur. *Postulat enim*, inquit Philo lib. 2. de Monarchia, *lex in eo viro præstantiorem homine indolem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam diuinæ humanæq; naturæ confinio, vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* Id imitati sunt Gentiles. vnde apud Romanos flamini Diali non licebat, *locum in quo bustum erat ingredi, vel mortuum attingere*, teste Agellio lib. 10. cap. 15. imò *nec tibias funebres audire*, teste Festo. Quid? quòd flaminicæ non licebat habere soleas aut calceos morticinos, id est factos ex pecudibus sponte mortuis, teste Seruio in 4. Æneid. *Quoniam*, inquit, *sua morte exstincta omnia funesta sunt.* Hinc etiam pontifex si quando funebrem haberet orationem, velum ante mortuum expandebatur, quod oculos ipsius à funere arceret. Audi Senecam Consolat. ad Martiam c. 15. *Tiberius Cæsar & quem genuerat, & quem adoptauerat, amisit: ipse*

A *tamen pro rostris laudauit filium, stetitq; in conspectu posito corpore, interiecto tantùm velamento, quod pontificis oculos à funere arceret.*

Idem fecit Augustus Cæsar in funere Agrippæ, teste Dione lib. 54. nam ipsi Cæsares erant & pontifices vsque ad Constantinum Imp. qui se pontificatu hoc gentilitio iam Christianus abdicauit. Idem Dio loquens de Tiberio in funere Augusti: *Tiberio*, inquit, *impunitas data, quòd cadauer (prohibitum enim hoc erat) tetigisset, ac comitatus fuisset.*

Allegoricè.

Allegor. S Bernard. serm. 1. de Circumcision. initio. *Christus*, inquit, *est summus sacerdos, quem nec super patre, nec super matre contaminandum, prophetatum est potiùs, quàm mandatum. est enim illi Pater ab æterno; sed Deus, in quem peccatum non cadit: est & mater, sed virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam.*

VERS. 12.

B NEC EGREDIETVR DE SANCTIS] de sanctuario, si, quando ibi constitutus est, contingat mori etiam patrem aut matrem. Nec enim pontifex domi existens debebat ire ad sanctuarium si quis suorum moreretur: sed si existeret in sanctuario, non licebat ei ob mortem patris aut matris illud, eiusque sacra munia relinquere, & exire ad funus, ratio subditur,

NE POLLVAT SANCTVARIVM DOMINI] q. d. Ne iniuriam & ignominiam inferat sanctuario, illud deserendo, vt super mortuo indecenter plangat. Rursum *ne polluat*, quia si ipse pollutus super mortuo rediret ad sanctuarium, pollueret illud.

Cæremonialia an & quæ seruarint Hebræi in deserto?

Notat hîc Abulens. ab Hebræis peregrinantibus in deserto per 40. annos non fuisse sacrificatum, nisi in monte Sinai, ac proinde eos deinceps
C in deserto non fuisse obligatos vllis præceptis cæremonialibus, sed tantùm moralibus & iudicialibus. Ratio est, quia cæremonialia præcepta tantùm sancita erant in ordine ad sacrificia: cessantibus ergo sacrificijs cessabant & alia cæremonialia. Excipe ea quæ Deus specialiter excepit Num. 5. v. 2. videlicet leprosum, seminifluum, & immundum super mortuo: hi enim immundi erant, & separandi iuxta ritum & cæremoniam præscriptam c. 13. quare vt hi expiarentur, opus erat cinere vitulæ rufæ, de qua Num. 19. hanc ergo in deserto crematam fuisse, dicere necesse est: nam polluti super mortuo hoc cinere expiabantur. Hinc sequitur, sacerdotes etiam in deserto debuisse seruare legem hîc præscriptam, vt scilicet non plangerent mortuos. Pari modo in deserto non seruarunt Hebræi festa, nisi sabbatum: nam sabbatum violans lapidatus est in deserto, Num. 15. 35.

Seruarunt expiationes & sabbatum.

VERS. 13.

Pontifex debebat ducere virginem, cur? Prima causa. Secunda. Tertia.

D VIRGINEM DVCET (pontifex) VXOREM] Iussit id Deus, ob honestatem & dignitatem summi sacerdotij: idque Primò, quia non decuisset, summum pontificem ab alio vitiatam & cognitam ducere. Secundò, *vt sacrum semen intacta puraque virginis aluo caperetur, nec vllo modo miscerentur huius natales cum alijs familijs*, inquit Philo lib. 2. de Monarch. Tertiò, vt inita cum nondum deprauatis animis consuetudine, faciliùs eas suis moribus pontifices accommodarent. Sequaces enim & flexiles ad virtutem sunt mentes virginum, & ad disciplinam promptissimæ.

Tropolog.

Tropologicè, S. Cyrillus lib. 12. de Adorat. *Significabatur*, ait, *per hoc coniugium pontificis cum virgine, quòd Christus non cum impijs & corruptis animis, sed cum castissimis & purissimis, tamquam virginibus spiritualiter versaretur, easq; fœcundas redderet, ac sibi genere iunctas appellaret.*

Alle-

Allegoria. Allegoricè Christus, inquit Radulphus, despondit sibi, non Synagogam corruptam, & à se repudiatam, sed Ecclesiam ex Gentibus: quam, cùm esset meretrix, adamauit, & vt dignè eam sibi coniungeret, virginem fecit; & nobilem, nunc moribus, postea mansionibus.

VERS. 14. SORDIDAM] Chald. *profanatam*, id est vitiatam & pollutam. ita Septuag. puram enim planè decebat esse vxorem pontificis. Ita Iulius Cæsar dimisit Pompeiam vxorem, quam corruptam esse à Clodio rumor ferebat. quo nomine cùm Clodio esset dictus dies, citatus ipse testis nihil de ea sinistri dixit: & interroganti actori, Cur ergo eam dimisisti? respondit: *Quia Cæsaris vxorem ab omni sinistra suspicione liberam planeq; puram esse oportet*, Idem dicendum erat hîc pontifici. Tertul. l. de Monogamia, hîc addit: *Sacerdotes mei non plus nubent*; quasi secundæ nuptiæ eis hîc interdictæ fuerint, debuerintque ipsi esse monogami. Fortè editio Theodotionis, aut Symmachi aliquid tale habuerit, vt suspicatur Pamelius. nam nec Septuag. nec Hebræa id habent: quamquam hîc vacillet fides Tertulliani. scripsit enim ipse hunc librum in hæresi: contendit enim ipse hoc libro, secundas nuptias Christianis esse illicitas; qui est error exploratus.

Pontifex vt tenebatur vxorem ducere ex tribu sacerdotali. SED PVELLAM DE POPVLO SVO] Addit Philo, pontificem non potuisse ducere vxorem nisi sacerdotalis generis; sed hoc non liquet ex lege diuina, imò contrarium potiùs insinuant historiæ: ex ijs enim constat, solere pontifices ducere filias principum & regum, qui non erant ex Leui, sed ex Iuda. sic Ioiadas duxit Iosabet filiam Ioram regis Iuda, vt testatur Iosephus l. 9. Antiq. c. 7.

VERS. 15. NE COMMISCEAT STIRPEM GENERIS SVI VVLGO GENTIS SVÆ] q. d. Non accipiat vxorem de vulgo, sed nobilem. Septuag vertunt, *non profanabit semen suum in populo suo*, idque Primò, ob dignitatem sacerdotij. Secundò, vt pontifex reges & principes quibuscum affinitate iungitur, tanto liberiùs & meliùs cultum Dei, & veram religionem edoceat.

Pontificis vxor debebat esse nobilis, cur?

Sanctifico, id est iubeo esse sanctũ EGO DOMINVS QVI SANCTIFICO EVM] qui iubeo eum esse sanctum, & abstinere à contaminatione vulgaris & plebeiæ vxoris; ita accipitur *sanctifico* v. 8. & 23. & c. præc. v. 8.

VERS. 17. & 18. HOMO DE SEMINE TVO QVI HABVERIT MACVLAM (deformitatem talem quales sequuntur) NON OFFERET PANES (propositionis, quos minores etiam sacerdotes per singula sabbata offerunt recentes, ablatis prioribus) DEO SVO, NEC ACCEDET AD MINISTERIVM EIVS] Hæc verba non sunt in Hebræo, sed intelliguntur: habentes enim maculam arcebantur tam ab altari holocaustorum, thymiamatis, & candelabro, quàm à mensa panum propositionis.

VERS. 18. SI CÆCVS FVERIT (ecce hæ sunt maculæ quæ faciunt irregularem, vt habens aliquam ex eis, sacerdos Aaronicus esse nequeat) SI CLAVDVS, SI PARVO, VEL GRANDI, VEL TORTO NASO] Pro *si paruo* hebraicè est חרום *charum*, quod Hebræi simum vertunt, licet, si originem & radicem spectes, propriè non nasum, nec simum, sed excisum significet. Sic pro *grandi vel torto naso*, hebraicè est שרוע *sarua*, quod propriè significat excrescentem, qualis est grandis vel retortus nasus, cui proinde hoc nomen appropriarunt Hebræi. Hebræi præter has maculas, assignant alias centum &

Macula facientes hominẽ irregularem ad sacerdotiũ.

A quadraginta, quæ hominem inhabilem faciunt ad sacerdotium. vide libellum præceptorum præcepto negatiuo 308.

SI FRACTO PEDE, SI MANV, SI GIBBVS, (gibbosus) SI LIPPVS (ita & Septuag & Chald. Hebraicè est דק *dac*, id est qui tenuibus vel tenerioribus est oculis, vti sunt lippi) SI ALBVGINEM HABENS IN OCVLO. SI IVGEM SCABIEM; SI IMPETIGINEM IN CORPORE: (impetigo genus est scabiei siccæ, per cutem pruritu proserpens) VEL HERNIOSVS. OMNIS QVI HABVERIT MACVLAM (aliquam ex iam dictis) NON ACCEDET OFFERRE HOSTIAS DOMINO, NEC PANES DEO SVO] Repetit id quod præcessit. panes ergo hîc idem sunt quod hostiæ & sacrificia, quæ sunt quasi panis, id est cibus Dei. ita Chald. & Septuag. Vnde sequitur: *Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in sanctuario*, id est comedet de carnibus & sacrificijs Deo oblatis. ita Abulens. & alij. Itaque à pari ex phrasi Hebræa, rectè caro Christi in Eucharistia Deo oblata vocatur *panis* à S. Iohanne cap. 6. & à S. Paulo 1. Corinth. 11. maximè, quia sub speciebus panis delitescit: non autem è contrario, rectè ipse panis vocatur corpus & caro, vt de pane dicas, *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis est corpus meum. Sic quoque accipitur *panis* pro victimis, cap. seq. v. vlt. VERS. 19. 20. & 21.

B *Victima vocatur panis, id est cibus Dei.*

Sic caro Christi in Eucharistia vocatur panis.

ITA DVMTAXAT VT INTRA VELVM (intra tabernaculum vel sanctum) NON INGREDIATVR, vt adoleat thymiama, accendat lucernas, & ponat in mensa panes propositionis, NEC ACCEDAT AD ALTARE holocaustorum, vt offerat victimas. VERS. 23.

C EGO DOMINVS QVI SANCTIFICO EOS] qui iubeo eos esse sanctos, & puros ab omni indecentia & macula. Hæc omnia, ait Philo, referenda figuratè sunt ad perfectionem animæ. nam si mortale corpus sacerdotis inspici oportet, ne quo contactum sit vitio, quanto magis immortalem animam formatam ad Dei imaginem? ita ipse lib. 2. de Monarch.

Symbolicus sensus Philonis.

Tropologicè, S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. vlt. & ex eo Radulphus, *Cæcus est, qui tenebris præsentis vitæ pressus, quò gressum operis porrigat, nescit: claudus, qui videt quidem, sed per infirmitatem mentis quæ videt, perfectè implere non valet: naso est paruo, cui parua est discretio.* Vnde Cantic. 7. dicitur: *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano: quia S. Ecclesia, quæ ex singulis causis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit: nasus grandis & tortus est, discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plusquam decet excreuerit, actionis* D *suæ rectitudinem ipsa confundit. Est fracto pede vel manu, qui bonorum operum exors vacat*; vel, vt S. Cyrillus l. 12. de Adoratione, qui non integrè ad probas actiones graditur, sed opus Dei facit imperfectè & negligenter *Gibbosus est, quem terrena sollicitudo deprimit, ne vmquam superna respiciat: lippus est, cuius sensum & mentem natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit: albuginem habet, qui candorem iustitiæ vel sapientiæ sibi tribuens, à luce supernæ cognitionis se per arrogantiam excludit: iugem habet scabiem, cuius carnis petulantia dominatur; impetiginem, cui auaritia: herniosus est, qui in abditis, id est in mente, pondus turpitudinis gestat.* ita & Theodoret q. 30. & Cyrillus suprà.

Tropol. maculatũ sacerdotũ.

Iam, si tantã munditiem exegit Deus à Iudæis bestias immolantibus, quantam exigit à sacerdotibus, & Christianis corpus Domini offerentibus &

& manducantibus? Narrat Iohannes Moschus in Prato Spirituali c.150.Episcopum Rumeliæ celebrantem coram Agapito Papa, cùm sisteret,eò quòd de more non videret Spiritum sanctum in hostiam visibiliter descendere, rogatum ab Agapito moræ causam,respondisse:Diaconum qui flabellū tenet,remouete ab altari. Eo remoto solita signa apparuerunt, ipseque sacrificium perfecit. Ecce Diaconi improbitas retardauit sacrificium tam sancti Episcopi.Idem S.Chrysostomo contigisse, ob Diaconum conijcientem oculos in mulierem, narrat Metaphrastes in Vita S.Chrysost. Hanc ergo herniam fugiant Christiani.

Narrat Palladius in Lausiac.cap.20.presbyterum quemdam in fornicationis statu celebrātem, à Deo fuisse percussum cancro, qui caput eius ita exederat,vt ipsum os totum appareret in vertice: hunc B.Macarius manus impositione curauit,cùm antè spopondisset se non ampliùs peccaturum,neque altari ministraturum,sed sortem laicam amplexurum.

Angeli dāt Synaxin Sanctis. E contrario puris & sanctis, Christus & angeli in sacrificio assistunt & ministrant, quin & subinde sacram hostiam deferunt.

Ita S.Catharinæ Senensi virgini sanctissimæ, concupiscenti communionem, nec ob quorumdam murmurationes sumere valenti,Christus ipse particulam hostiæ consecratæ detulit ex altari; vti testatur Raymundus Capuanus, è cuius manibus sacra hostia erepta est,l.2.Vitæ eius c.32.

Ita S.Barbaræ, inter duos angelos cubiculum intrantis, ductu, Eucharistiam ex ipsorum manibus lætissimus accepit (quod in periculoso morbo maximè concupierat) B.Stanislaus Kostka,nouitius nostri Ordinis, vti refert noster Sacchinus in eius Vita,&P.Ribaden.l.3.Vitæ Franc. Borgiæ c.6.

B.Macarius narrauit Palladio, vt ipse ait in Lausiaca c.20.*se obseruasse tempore communionis, se Marco exercitatori numquam dedisse oblationem, sed ei angelum dedisse ex ara: solùm autem se vidisse digitum manus eius qui dabat.*

S.Onuphrius in eremo singulis septimanis Eucharistiam ex manibus angelorum percipiebat, indeque tam cælestis & angelicus euasit, vt patet ex eius Vita.Plura afferam Num.4.in fine.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribitur vt immundi & alienigenæ ab esu victimarum abstineant. Secundò,v.18.describuntur maculæ,quibus victima carere debet.

1. LOcutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad Aaron & ad filios eius,vt caueant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi ,quæ ipsi offerunt. ego Dominus. 3. Dic ad eos,& ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt,& quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino,ego sum Dominus. 4. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egreditur semen quasi coitus, 5. & qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cuius tactus est sordidus, 6. immundus erit vsque ad vesperum, & non vescetur his quæ sanctificata sunt: sed cùm lauerit carnem suam aqua, 7. & occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis,quia cibus illius est. 8. Morticinum & captum à bestia non comedent, nec polluentur in eis. ego sum Dominus. 9. Custodiant præcepta mea, vt non subiaceant peccato, & moriantur in Sanctuario, cùm polluerint illud. ego Dominus qui sanctifico eos. 10. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis,inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescentur ex eis. 11. Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit,hi comedent ex eis. 12. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit:de his quæ sanctificata sunt, & de primitijs non vescetur. 13. sin autem vidua, vel repudiata, & absque liberis reuersa fuerit ad domum patris sui: sicut puella consueuerat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem. 14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit sacerdoti in Sanctuarium. 15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel,quæ offerunt Domino: 16. ne fortè sustineant iniquitatem delicti sui, cùm sanctificata comederint. ego Dominus qui sanctifico eos. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: 18. Loquerè ad Aaron & filios eius, & ad omnes filios Israel, dicesque ad eos: Homo de domo Israel & de aduenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota soluens,vel sponte offerens,quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, 19. vt offeratur per vos,masculus immaculatus erit ex bobus, & ouibus, & ex capris. 20. si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. 21. Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens, tam de bobus quàm

quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile ſit: omnis macula non erit in
eo. 22. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut
impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini.
23. Bouem & ouem, aure & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem
ex eis ſolui non poteſt. 24. Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis ab-
latiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino, & in terra veſtra hoc omnino ne faciatis.
25. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare vo-
luerit: quia corrupta & maculata ſunt omnia: non ſuſcipietis ea. 26. Locutuſq; eſt
Dominus ad Moyſen, dicens: 27. Bos, ouis & capra, cùm genita fuerint, ſeptem die-
bus erunt ſub vbere matris ſuæ: die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domi-
no. 28. Siue illa bos, ſiue ouis, non immolabuntur vna die cum fœtibus ſuis. 29. Si
immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino, vt poſſit eſſe placabilis. 30. eo-
dem die comedetis eam, nō remanebit quidquam in mane alterius diei. ego Dominus.
31. Cuſtodite mādata mea, & facite ea. ego Dominus. 32. Ne polluatis nomen meum
ſanctum, vt ſanctificer in medio filiorum Iſrael. ego Dominus qui ſanctifico vos, 33. &
eduxi de terra Ægypti, vt eſſem vobis in Deum. ego Dominus.

VERS.2. LOQVERE AD AARON ET AD FILIOS EIVS, VT CAVEANT (vt abſtineant: hebraicè, *vt ſeparentur*, quando videlicet ipſi ſunt immundi) AB HIS QVAE CONSECRATA SVNT] quæ Deo quomodolibet oblata ſunt. Secùs erat de ijs quæ nudè offerebantur, non Deo in ſacrificium, ſed Leuitis & ſacerdotibus in alimoniam, vti erant decimæ & primitiæ: hæc enim Deo ſolemni ritu non erant oblata, nec eorum pars erat Deo ſacrificata; vnde ijs poterant veſci Leuitæ etiam immundi, imò poterant ea vendere laicis, & commutare rebus alijs.

ET NON CONTAMINENT NOMEN SANCTIFICATORVM MIHI] q.d. Ne contaminent ſacra mea, ne mihi ſanctificatis & oblatis notam impuritatis aſpergant: noſter Interpres in Hebræo legit קְדָשַׁי, *kadaſcai*, id eſt ſanctificatorum mihi. iam alijs punctis legunt קָדְשִׁי, *kodſci*, id eſt ſanctitatis meæ, q.d. Nomen ſanctum meum. B

Verùm meliùs Noſter legit *kadaſcai*, quia ſequitur, *quæ mihi offerunt*, hæc enim ſunt ſanctificata Deo.

VERS.3. DIC AD EOS ET AD POSTEROS EORVM] manda vt hæc lex ſeruetur apud poſteros; maximè quia illi ſoli eam reipſa implebunt & exequentur: nam præſentes tantùm eam audiunt & recipiunt, non verò eam implebunt. Ratio eſt, quia cæremoniales hæ leges non ſunt obſeruatæ in deſerto, tum quia in eo non erat ſtabile tabernaculum nec domicilium; tum quia in eo non habebant commercia cum Gentibus, vt emerent thus, vinum, mel, animalia, aliaque quæ Deus ſibi offerri & ſacrificari iuſſit: vnde & ex ſolo manna ibidem vixerunt per 40. annos. Vide dicta c. præced. v.12.

OMNIS HOMO QVI ACCESSERIT, comedendi cauſa, AD EA QVÆ CONSECRATA SVNT, IN QVO EST IMMVNDITIA (quæ explicatur v.4. ſcilicet ſi ſit leproſus, ſemine pollutus, ſi tetigerit mortuū, vel reptile, ſi comederit morticinum) PERIBIT CORAM DOMINO] Hebr. *exſcindetur anima illa à facie mea*, id eſt à me, vt vertunt Septuag.

Immundi arcebantur carnibus ſacris, quia hæ erant typus Euchariſtiæ.

Nota. Deus hîc tam grauiter & ſeuerè ſancit, ne immundi ad res ſacras, & ſacrificiorum carnes comedendas accederent, partim ob reuerentiam ſacrorum & ſui cultus, partim Alleg. ad præſignandum, quàm ſtrictè exacturus eſſet puritatem animæ, in ſumentibus communionem corporis & ſanguinis Domini, quod vnicum eſt ſacrificium legis nouæ, veteribus hiſce omnibus

A adumbratum, ita Abulenſ. de quo vide S. Baſilium ſerm.2. de baptiſ. c.2. & 3.

Meritò ergo in impuros ſacerdotes & clericos vindicta Dei deſæuit. Audi exempla.

Sacerdotes impuros punit Deus.

Exempla.

Gregor. Turonenſis l.5. hiſt Francor. c.5. Cùm per mortem, inquit, Siluestri ſedes Eccleſiæ Lingonicæ vacaret, Lingonici Epiſcopum flagitantes, Pappolum, qui quondam Archidiaconus Auguſtodunenſis fuerat, accipiunt: qui multa, vt aſſerunt, egit iniqua, quæ à nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum eſſe videamur: tamē qualem habuerit exitum, non omittam. Anno octauo epiſcopatus ſui, dum diœceſes ac villas Eccleſiæ circumiret, quadam nocte dormienti apparuit illi B. Tetricus vultu minaci cui ita: *Quid tu*, inquit, *hîc Pappole: vt quid ſedem meam polluis? vt quid Eccleſiam peruadis? vt quid oues mihi creditas ſic diſpergis? cede loco, relinque ſedem, abſcede longiùs à regione.* Et hæc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit. In quo ille euigilans, dum cogitat quid hoc eſſet, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur. Abhorret cibum potumque, & mortem iam ſibi proximam præſtolatur. Quid plura? tertia die cùm ſanguinem ore proijceret, expirauit. Exinde elatus Lingonas eſt ſepultus.

Audi Petrum Damiani Oſtienſ. Epiſc. in epiſt. ad Hildebrandum Papam tom.5. Bibliot. SS. Patrum. *Iſtud nunc*, ait, *ad memoriam redit, quod in Beneuentana olim vrbe conſtitutum me audire contigit. Princeps eiuſdem ciuitatis presbyterum ſanctæ conuerſationis virum, & in diuinis officijs, ac præcipuè in ſolēnitate Miſſarum indeſinenter aſsiduum excolebat: qui* C *cùm quotidie ſacris myſterijs reuerenter inſiſteret, angelus Domini ex conſuetudine veniebat, & vidēte principe Sacramentum Dominici corporis ex offerētis manibus aſſumebat. Sed ò criminalis vitæ huius lubrica & incerta cōditio! Nam qui angelicis fruebatur obſequijs, in fœdæ luxuriæ voraginem repentè prolapſus eſt. Quid plura? Peragendi myſterij ſacri tempus aduenit; conſuetudine fori exigente presbyter compellitur, ſed grauiter intus conſcientia remordente torquetur: ornatur, accedit, trepidat, palpitat; tamen offerre præſumit Iam ecce angelus, vt aſſuetus fuerat, venit, & inſpectante principe ſpongiam infectam aqua ſuper caput illius expreſſit, omneſq; ſordes atque ſqualores, quos ex corpore illius antè contraxerat, membris eius omnibus iterum ſuperfudit. Hoc viſo princeps admiratus obſtupuit. preſbyterumq; ſemotis omnibus ſecretè conuenit. Inquiſitus*

itaque presbyter si nouiter aliquid criminis admisisset, primò quidem perhorrescens, facinus abnegat; deinde malè sibi conscius, ac principis auctoritate compulsus, tandem corruisse se nocte præterita in quamdam eiusdem principis cubiculariam confitetur.

Audi eumdē in epist ad Taurinensem Episcopum, & ex eo Baronium to.11.anno Christi 1057. *Cùm Stephanus Papa, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes clericos Romæ, qui post interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de conuentu clericorū, & choro ecclesiæ præcepisset exire; vt quamquam relictis feminis per pœnitentiā se lamenta corrigerēt; tamen quia sancto viro inobedientes fuerant, & de sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Missæ licentiam de cætero non sperarent. Iuxta canonicam B. Cæciliæ trans Tiberim constitutā presbyter habitabat, qui nec feminam vllo modo quiescebat abijcere, nec vmquam poterat hæc statuta nisi vana prorsus & friuola iudicare. Quadam itaque die dum incolumis, vegetus ac robustus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit; sed repentina diuinæ vltionis animaduersione percussus. Manè repertum est cadauer exanime. Ilico præfatæ canonicæ religiosi duos ad me clericos direxerunt, quid tali deberent mortuo consulentes. Nos, si rem rectè tenemus, consilium dedimus, vt eum quidem, quia presbyter fuerat, penes ecclesiam sepelirent; sed nullum ei vel hymnorum, vel psalmodiæ officium redderent, quatenus & incestis terror accresceret, & castitatis gloria germinātiùs pullularet, & certè dignus videretur vt mortuum (iuxta Prophetam) sepulturam possideat asini, qui dum viueret, humana contempsit lege constringi.*

S. Epiphanius (vt ex Metaphraste refert Surius in Vita eius c.18. die 12. Maij) *Constantiæ Episcopus hoc tempore oblationis seruabat: numquam eam perficiebat, donec vidisset visionem. Consueueratq; præfari verba quædam, & ei statim reuelabatur. Cùm itaque aliquando ter dixisset sermonem, nulla ei sese obtulit visio. Cùm is autem lugeret, & oraret, vt sibi causa significaretur, primus obseruat Diaconum, qui à sinistris tenebat ventilabrum ministratorium. Quem cùm obseruaret, considerat Epiphanius in eius fronte apparere lepram. Nulli autem erat manifestum, Diaconum eo morbo laborare. Epiphanius itaque manum extendit, & instrumentum leuauit ministratorium, ei benignè dicens: Vade, fili, in domum tuam, & ne modò sumas diuina mysteria. Ipse autem statim egressus est, & iuit in domum suam, datq; Epiphanius officium alij Diacono. Deinde ex priore sciscitatur causam: cumq; is diceret, quòd illa nocte dormierat cum vxore; accersito toto ordine sacrato, eis benignè dixit Epiphanius: Quicumque ô filij, clero digni estis habiti, soluite calceamenta vestra, vt non in ijs ingrediamini, & vt colatis virum sanctum, qui in Ecclesia prædicat & dicit, Et habentes vxores tamquam non habentes. Exhinc ergo non amplius ordinabat Epiphanius eos, qui habent vxorem, sed viros sanctos, qui vitam exercebant monasticam, & viduos viros probatos. licebat tunc verè videre Ecclesiam, tamquam pulchram sponsam ornatam sacerdotio.*

Ausculta Willelm. Malmesbur. de gest. Anglor. l.2. *Henricus Imp. habebat clericum in curia sua, qui & litterarum peritiam, & vocis elegantiam vitio corporis deformabat, quòd meretriculam villæ vehementer ardebat; cum qua nocte solemni volutatus manè ad Missam Imperatoris aperta fronte astabat. Dissimulata scientia, mandat ei Cæsar, vt se paret ad Euangelium, quòd eius melodia delectaretur: erat enim Diaconus. Ille pro peccati conscientia, multis præstigijs subterfugere: Imperator contrà nuntijs vrgere, vt probaret eius*

A *constantiam, ad extremum prorsus abnuēti, Ego, inquit Cæsar, quia non vis parere mihi in tam facili obsequio, extorrē te totius terræ meæ præcipio. Clericus amplexus sententiam abscessit continuò. missi pedissequi qui eum persequerentur, vt, si perseuerādum putaret, iam vrbem egressum reuocarent. Ita cunctanter compilatis omnibus & suis, & in sarcinulas compositis, iam profectum, magnaq; violentia retractum Henrici præsentia sistit. Qui latus subridens: Probè, ait, fecisti, & gratulor probitati tuæ, quòd pluris penderis Dei timorē, quàm patriam; respectum cælestis iræ, quàm minas meas: quapropter habeto episcopatum, qui primus in Imperio meo vacauerit; tantum indecenti amori renunties.*

Denique nota est tragœdia infelix & terribilis Vdonis Marpurgensis Episcopi, quam fusè refert S. Antoninus, Naucler. & Fulgos. *Cùm Vdo Episco-*
B *pus*, inquiunt, *ne signis quidem ac diuinis vocibus commonitus, ab impudicitia sibi temperaret, viri religiosi Deum, vt Episcopum aut corrigeret, aut tolleret, rogauerunt. Inter eos cùm noctu in ecclesia S. Mauritij Fredericus Canonicus eiusmodi precibus operam daret, vehementioris venti afflatu omnia, quæ in templo erant lumina extingui perspexit: nec multo pòst, duos iuuenes venire duo candelabra accensis cereis ferentes, & Christum cum parente eius atque Apostolis subsequi. A quibus cùm essent vocati sancti homines, quorum corpora in templo quiescebant, visus est inter eos Mauritius venire, qui longa atque graui oratione Vdonem Episcopum accusauit: quem haud multò pòst Christus nudum adferri à duobus iussit, atque damnauit. Is autem pugno ab ipsorum altero, qui eum portarunt, grauiter in medijs renibus ictus, Christianam hostiam, quam in communione eius diei pridie sumpserat, reuomuit in*
C *calicem, qui altari impositus fuit. atque securi percusso Vdone, rerum illarum omnium visio euanuit. Quare vehementer territus Fredericus, cùm ad altare accessisset, calicemq; in eo esse cum Christiana hostia inspexisset, & simul Episcopum mortuum humi iacentem; alios religiosos viros excitauit, qui ablatum inde Episcopi corpus in agro sepeliuerunt.*

QVI TETIGERIT IMMVNDVM SVPER MORTVO] q.d. Immundus erit, qui tetigerit immundum propter mortuum, vel qui mortuum, putà cadauer aliquod, tetigit, curauit, sepeliuit, aut funeri eius interfuit. Hic enim immundus erat, & qui sic immundum tetigisset, pariter fiebat immundus, vt carnibus Deo immolatis vesci ei non liceret. VERS. 4.

Septuag. vertunt, *qui tetigerit immunditiam animæ*, id est cadaueris, hoc est, qui tetigerit cada-
D uer; vnde aliqui censent, solos tangentes cadauer hîc arceri ab esu sacrarum carnium, non autem eos qui vicissim hos tangentes tetigissent: nec enim eos suam immunditiam in alios transfudisse. Sed priorem sensum postulat versio nostra, & eòdem inclinant Hebr. & Chald. vti fatetur Vatabl. huic etiam fauet id quod sequitur:

QVI TANGIT REPTILE ET QVODLIBET IMMVNDVM (hebr. *qui tangit reptile, & hominem qui contaminare potest*, vti est leprosus, menstruata, seminifluus,) CVIVS TACTVS EST SORDIDVS] quia eum quem tangit polluit, & immundum reddit, ita vt non liceat ei de carnibus sacris comedere. VERS. 5.

QVIA CIBVS ILLIVS EST] id est, quia pertinet ad eum comedere de cibis Deo oblatis. VERS. 7.

MORTICINVM ET CAPTVM A BESTIA NON COMEDENT] Morticinum, ait S. Hieron. est corpus in quo moritur sanguis, id est anima, putà quod VERS. 8.
mori-

moritur fine effusione sanguinis: nam sanguis vocatur anima, quia est animæ vehiculum & sustentaculum. hac ergo de causa, morticina hac lege censentur immunda, vti & lacerata à bestia.

Vers. 9. CVSTODIANT PRÆCEPTA MEA, VT NON SVBIACEANT PECCATO ET MORIANTVR IN SANCTVARIO (ne occidantur à me in sanctuario, vti occisi sunt Nadab & Abiu) CVM POLLVERINT ILLVD] Hoc enim ipso quo contra hasce leges, comedunt carnes in sanctuario Deo oblatas, cùm sunt immundi, & carnes ipsas, & consequenter sanctuarium ipsum, in quo illæ oblatæ sunt, polluunt & contaminant.

EGO DOMINVS QVI SANCTIFICO EOS] qui volo & iubeo eos esse sanctos.

Vers. 10. OMNIS ALIENIGENA NON COMEDET DE SANCTIFICATIS] Pro *alienigena*, hebr. est *extraneus*, id est, qui non est de genere sacerdotali. nam solis ijs qui erant de stirpe Aaron, putà filijs & filiabus, atque eorum seruis & vernaculis, licebat comedere carnes Deo oblatas, illas scilicet, quæ cedebant in ius sacerdotum: nã ex hostia pacifica quæ magna ex parte cedebat offerenti, laici quilibet cum eo comedere poterant.

Alienigena dicitur tripliciter. Nota. Alienigena tripliciter sumitur. Primò, alienigena dicitur is, qui non est de genere Iudæorum; Secundò, qui non est de stirpe Leui, Numer. 18. 4. Tertiò, qui non est de stirpe Aaron. ita capitur hîc.

INQVILINVS SACERDOTIS ET MERCENARIVS NON VESCENTVR EX EIS] *Inquilinus*, hebr. תושב *toscab*, vocatur is, qui moratur cum sacerdote, sed non est de stirpe eius, moratur inquam, quasi hospes, mercenarius vel peregrinus; hic ergo non poterat edere de sanctificatis, quia nõ pertinebat ad stirpem sacerdotis vel familiam, vti pertinebãt seruus & vernaculus, id est seruus dominatus, qui cùm toti sint sui domini & heri, possunt vesci sanctificatis, vti dominus ipse cum suis filijs.

Vers. 12. SI FILIA SACERDOTIS CVILIBET DE POPVLO NVPTA FVERIT, DE HIS QVÆ SANCTIFICATA SVNT, ET DE PRIMITIIS NON VESCETVR] quia per nuptias iam in aliam familiã popularem commigrauit; vxor verò sacerdotis ijs vesci poterat, quia vna caro & vna persona censetur cũ marito sacerdote. Nota *primitia* hîc vocantur prima & electa, quæ Deo offeruntur & sanctificantur, vt patet ex Hebr. sic etiam capitur hæc vox Exodi 25. 1.

Vers. 13. SIN AVTEM VIDVA, VEL REPVDIATA, ET ABSQVE LIBERIS REVERSA FVERIT AD DOMVM PATRIS SVI, SICVT PVELLA CONSVEVERAT, ALETVR CIBIS PATRIS SVI] Talis enim repudiata licet liberos habeat, illi tamen sequuntur patrem: nam matres in lege veteri non succedebant in bona & hereditates parentum: vnde nec filij habebant bona materna, vtpote quæ nulla erant, sed tantùm paterna; patri enim soli succedebant; vnde & patri incumbebat eorum alimentatio. itaque cùm mater repudiata redit ad domum patris, redit sine liberis, & alenda est à patre, perinde vti alitã fuit existens puella ante nuptias.

Tropol. S. Cyrillus l. 12. de Ador. pag. 245. Si anima, ait, vt dãnabilis repudiata fuerit, & destituta viro, id est spiritali spõso, fructumq́; ex virtute nullum habeat, ilico ad priorem statum redeat, celeriterq́; ad domum patris sui reuertatur per pœnitentiã, repetatq́; priorem illam cum Deo cognationem, tum denique vescetur panibus illius.

A Vers. 14. QVI COMEDERIT DE SANCTIFICATIS PER IGNORANTIAM, ADDET QVINTAM PARTEM (pro iniuria irrogata tabernaculo vel sacerdoti: debebat etiam dare arietem Deo in sacrificium, vti dictũ est c. 5. 15) CVM EO QVOD COMEDIT, ET DABIT SACERDOTI IN SANCTVARIVM] vt scilicet inferatur in sanctuarium, ad vsus vel sacerdotis, vel sanctuarij: si enim sanctificata quæ comederat offerens, erant ex partibus quæ Deo cedebãt, vt si sanguinẽ, caput, caudam, in hostia pro delicto comedisset, restitutio faciẽda erat ipsi sanctuario, id est sacerdoti ad vsus sanctuarij: sin autem comederat ex ijs quæ sacerdoti cedebant, restitutio facienda erat ipsi sacerdoti ad eius vsus. ita Abulens.

Vers. 15. NEC CONTAMINABVNT SANCTIFICATA] comedendo illa, cùm non sint de genere sacerdotali.

Vers. 18. HOMO DE DOMO ISRAEL] de stirpe & posteris
B Iacob. Vide dicta Exodi 2. 1.

DE ADVENIS QVI HABITANT APVD VOS] de proselytis, qui ex Gentibus ad vos commigrarunt, vt Deum verum vobiscum colant, ideoque circumcisi sunt & facti Iudæi.

Vers. 18. & 19. QVIDQVID ILLVD OBTVLERIT IN HOLOCAVSTVM DOMINI, MASCVLVS ERIT] Poterat enim offerre aliam victimam, non in holocaustũ, sed pro peccato, vel pacificam, etiã feminam: sed qui offerebat victimam in holocaustum, debebat offerre masculum. Si quis ergo vouisset feminam in holocaustũ, debuisset pro ea dare masculum; si quidem habuisset intentionem absolutè vouendi holocaustum: tunc enim debebat in voto suo sequi determinationem legis, quæ iubet offerri masculum, non feminam. sin autem tantùm certum hoc
C animal, putà feminam, ex ignorantia vouisset in holocaustum, nec voluisset aliud vouere; tunc vt summum fuisset obligatus vendere eam, & ex pretio emere masculum in holocaustum. Dico, vt summum: nam, si vouisset feminam in holocaustum, ex affectu tali, vt feminã determinatè, quia bellam, vel pinguem, offerri vellet in holocaustũ, ita vt absolutè nollet aliud, tunc ad nihil tenebatur: quia hoc eius votum circa materiam omnino illicitam versabatur, & ipse noluit vouere licitam.

Victima holocausti debebat esse mascula.

Quid si quis vouisset feminam.

Vers. 21. HOMO QVI OBTVLERIT VICTIMAM PACIFICORVM] Describitur hîc qualis debeat esse victima pacifica, sicut v. 18. descripta fuit victima holocausti. omittitur hîc victima pro peccato, quia de ea actum est fusè cap. 5. præscriptumq́ue quid quisque offerre debeat.

OMNIS MACVLA NON ERIT IN EO] id est nulla erit.

D Tropologia harum macularum eadem est quæ in maculis sacerdotum c. 21. 18. ita Radulphus.

Vers. 22. SI FRACTVM] si fractos habeat pedes, vel lumbos, vel oculum.

SI CICATRICEM HABENS] Heb. *si incisum*, id est si incisuram cicatrice ostendit. Septuag. εἰ γλωσσότμητον, *si lingua truncatum sit.* Recentiores vertunt, *si membrum resectum habeat*; sed hoc satis vetitum est præcedenti particula: si enim fractum vetitum est, ergo & resectum.

SI PAPVLAS] id est, si verrucas habeat. ita Vatablus.

Vers. 23. BOVEM ET OVEM AVRE ET CAVDA AMPVTATIS VOLVNTARIE OFFERRE POTES] Pro *aure & cauda amputatis*, Chaldæus & recentiores vertunt, *superfluum & diminutum*, id est, qui enormibus & contractis est membris. Verùm Septuag. tam hîc quàm

quàm Leuit. 21. 18. vertunt, vt Noster, ὠτότμητος, ἢ κολοβόκερκος, id est aure vel cauda truncatus. Generalia enim nominum Hebræorum significata, sæpè ex vsu ad aliquid particulare determinantur, vti vidimus c. 21. 18. vbi פִּסֵּחַ *pisseach*, id est saltitans, claudum significat; דַּק *dac*, id est *tener*, lippum; חָרוּם *charum*, id est *succisum*, significat simum, cui quasi incisus est nasus: sic *excrescens* (si id radix Hebræa, quæ alibi non reperitur, significat) significare potest auribus truncum, cui caput eminet & quasi excrescens apparet, vel cui nasus excrescit, quique magno aut retorto est naso, vt Noster vertit c. 21. 18. sic *diminutus* est, qui cauda minutus est: sic enim explicant Septuag. & Noster. Bos ergo & ouis aure & cauda amputatis, poterant esse victimæ voluntariæ siue spontaneæ, non autem votiuæ, ac consequenter nec pro peccato; quia sacrificium pro peccato non erat voluntarium, sed obligatorium, æquè ac votiuum: idem dico de alijs ad quæ Hebræi stato tempore obligabantur. hæc enim non spontanea erant, sed necessaria & lege præscripta. Ratio est, quia maior est obligatio in votiuis & præceptis sacrificijs, quàm in spontaneis. Vnde in his permittitur maior libertas, quàm in illis; illis etiam maior inerat dignitas: vnde purior, & magis integra victima in ijs meritò exigitur.

Auris symbolum est obedientiæ, cauda perseuerantiæ.

Tropologicè, in aure obedientia, in cauda significatur perseuerantia: sine his opus liberum & supererogationis, putà opus illius, qui non vouit statum perfectionis, placere potest, non autem opus eius qui vouit. Vnde in votis sicut maior est reatus, nisi opere consummentur; ita maior erit corona, si compleantur; vt vtrimque qui vouerunt ad profectum constringantur, inquit Radulph. Præclarè S. Bernardus homil. de duobus discipul. euntibus in Emaus: *Patiens*, inquit, *in tribulatione, & gaudens ad laborem obedientiæ, potest dici potens in opere. Videas aliquem frequenter in oratione deuotum, cuius oculi sunt sicut piscina in Hesebon, præ multitudine lachrymarum; sed recusat ferre iugum obedientiæ: votum suum offerre se astinat, offerendo hostiam amputata aure: suam plangit in oratione superbiam; sed hora compunctionis transacta, ita superbus est, sicut ante*, &c. *Tales potentes videntur in sermone, sed non in opere. In opere & sermone sunt potentes, qui habent in moribus honestatem, in operibus virtutem, in sermone scientiam, deuotionem in orationis assiduitate, grauitatem in conuersatione, perseuerantiam in amore.*

Moral. nil est, quod nō vincat perseuerantia.

Rectè dicebat Chilon, tardè quidem esse aggrediendas res magnas; sed cùm semel inceperis, constantissimè in agendo perseuerandum esse. Nihil enim est tam arduum & insolitum, quod non euincat perseuerantia. *Perseuerantia vi est efficacior, teste Sertorio, multaq́, quæ vno impetu confici non possunt, paulatim absoluuntur. Est enim assiduitatis vis inuicta, qua omnem superat exscinditq́, potentiam: & tempus, quod plurimum auxilij fert ijs, qui prudenter occasionem captant; idem infestissimum est ijs, qui importuna festinatione vrguntur*, inquit Plutarch. in Sertorio.

Turpe, inquit Seneca, *est cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate.*

Idem epistola 1. *Nihil*, ait, *est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura.* Et epist.

A 16. *Perseuerandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est.* Et epist. 65. *In excelso est vita beata, sed perseuerantia penetrabilis.*

OMNE ANIMAL, QVOD VEL CONTRITIS, VEL TVSIS (ita legendum cum Rom. non *tunsis*, vti legunt Plantiniana) VEL SECTIS ABLATISQVE TESTICVLIS EST, NON OFFERETIS. VERS. 24.

Tropologicè, testiculis significatur facultas generandi & producendi bona opera, quorum pater est ratio, mater voluntas; quæ si effecta sit sterilis aut infœcunda, inepta est ad Dominicam oblationem: ita Radulph. & Cyrillus libr. 15. de Adoratione.

DE MANV ALIENIGENÆ, Gentilis manentis in sua superstitione; hic enim hebr. vocatur בֶּן נֵכָר *ben nechar*, id est *filius alieni*, NON OFFERETIS PANES DEO VESTRO] *Panes*, id est sacrificia, quæ sunt quasi panis, id est cibus, Dei. Vnde Septuag. vertunt δῶρα, id est *dona*: vide dicta c. 12. 21. neque enim possunt hîc intelligi panes propositionis; quia eos conficiebant sacerdotes, non laici, multo minùs alienigenæ, vt patet c. 24. 5. VERS. 25.

B

ET QVIDQVID ALIVD DARE VOLVERIT] alienigena scilicet, vt offeratur immediatè & adoleatur Domino, vti thus, oleum, vinum: hæc enim ab eo accipi non poterant, cætera verò accipi poterant. Vnde non vetatur hîc, ne sacerdotes à Gentilibus accipiant pecuniam ad emendas victimas: eas enim tum ab alijs acceperunt, tum à Seleuco rege Asiæ, 2. Machab. 2. 3.

QVIA CORRVPTA ET MACVLATA SVNT OMNIA] putà munera & victimæ Gētilium; eò quòd ipsi offerētes corrupti, id est idololatræ, sunt. Rursum, quia ipsi apud Iudæos immundi censebantur. vnde arcebantur à sacris, & non poterant ingredi Sanctuarium; quia hæc erant propria status Iudaici, ad quem ipsi non pertinebant: sicuti nunc illi qui non sunt baptizati, non admittuntur ad sanctam communionem; ad templa & sacrificia Christianorum. ita Abul.

C

BOS, OVIS, ET CAPRA, CVM GENITA FVERINT, SEPTEM DIEBVS ERVNT SVB VBERE MATRIS SVÆ, DIE AVTEM OCTAVO ET DEINCEPS OFFERRI POTERVNT DOMINO] quia septem primis diebus fœtus est nimis tener. Vide dicta Exodi 22. 30. vbi idem dicitur de primogenitis. VERS. 27.

Tropologicè, Radulphus septem diebus, id est quamdiu quis non aliud nisi res huius mundi, & temporalia cogitare potest, tamdiu doctrina simplici nutriatur: die verò octaua, id est cùm fuerit spiritalis effectus & spiritu renouatus, Domino poterit præsentari. *Tropolog.*

D

Allegoricè, septem diebus huius vitæ sub Ecclesia matre sumus, octaua verò die resurrectionis sistemur Domino in gloria. ita Radulph.

SIVE ILLA BOS, SIVE OVIS, NON IMMOLABVNTVR VNA DIE CVM FOETIBVS SVIS] quia hoc crudele videtur. Voluit Deus hac lege Iudæos docere humanitatem, vt scilicet in bestias præmeditata humanitas, in hominum refrigeria erudiretur, inquit Tertull. l. 2. contra Marcion. 17. Eadem de causa Deut. 22. 7. vetatur is qui nidum inuenit, accipere matrem cum pullis. VERS. 28.

Tropologicè, Radulphus, *Mater*, ait, *est voluntas, quæ fœtus suos Deo immolat, cùm in exterioribus actibus quidquid legi Dei contrarium est, pro posse suo trucidat: sed tunc circa seipsam grauis ei labor est,* *Tropolog.*

quia

quia voluptatum memoriam quibus sponte se subdidit, cùm ad Deum tendere nititur, etiam inuita gemensq́; molestam sentit. non ergo terreatur, quia fieri nequit, vt vna die mater cum fœtibus immoletur, id est vt præscindatur actus simul & affectus, incitans & tentans ad actum.

Mor. habitus virtutis parādus est exercitio. Hoc enim sensim fit per exercitium. Hinc ait Apostolus 1. Timoth. 4. 7. *Exerce teipsum ad pietatem.* Huic exercitio vacantes monachi dicti sunt Ascetæ, id est exercitantes: vnde S. Basilius suas constitutiones monasticas, vocauit Ascetica, id est exercitamenta. *Omnis enim res,* inquit S. Ambrosius libr. 1. de Officijs, *proprijs ac domesticis exercitijs augetur. Quomodo sine exercitio doctrina, aut sine vsu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercitatur armis, & tamquam in procinctu positus præludit prælium. Et qui viribus corporis, legitimoq́; luctandi certamine coronam petunt, quotidiano vsu palæstra durantes membra, nutrientes patientiam, labori assuescunt.* Aristoteles dicebat, *ad sapientiam parandam tria requiri, naturam, doctrinam, exercitationem.* Idem est de virtute, quæ est sapientia practica. Plato monebat, *vt neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore; vt pariter vtriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium.* ita Laërtius l. 3. Hercules ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus se confirmabat, sentes omnes, qui pullularent eo in loco, vellere ac eradere solitus. ita Pausan. l. 6.

Lycurgus quærenti, cur corpora virginum cursu, lucta, iaculatione fatigaret? Vt, inquit, assuescant pati dolores partus aliosque; & pugnare pro patria, si opus sit.

Cato aiebat, *hominis ingenium esse simile ferro, quod ex vsu splendescit, in otio rubigine obducitur: exercendum autem esse eruditione & virtute.*

Sic & Plutarch. *Vti æs,* ait, *vsu fulgescit, sic exercendis negotijs enitescit animi vigor, qui otio hebetatur & obscuratur.*

S. Chrysost. hom. 3. in Matth. *Sicut,* ait, *omne artificium corporea vsitatione seruatur & augetur: sic & gratia omnis per exercitationem augetur, & per desidiam minoratur.*

Pius Pontifex in Epist. *Cæca,* inquit, *est sine disciplina natura; vtraque parum habet momenti, si subtraxeris exercitium: sed hisce tribus absolutio comparatur.*

VERS. 32. NE POLLVATIS NOMEN MEVM] ne per inobedientiam & infamem vitam faciatis, vt Gentes blasphement nomen meum.

EGO DOMINVS QVI SANCTIFICO VOS] qui iubeo vos esse sanctos.

Morale, quàm sanctus debeat esse sacerdos. Vide hîc, vt Deus sacerdotibus inculcet sanctitatem, iubeatque eos esse sanctos. idque *Primò.* Primò, quia ipsi in terris Dei personam repræsentant. Dei ergo sanctitatem in se exprimere & referre debent: hoc est enim quod ait Deus Leuit. 20. *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Hac de causa summus sacerdos in tiara inscriptum gestabat: *Sanctum Domino.* hinc & Deus ipse ait psalm. 131. v. 16. *Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt.*

Secundò. Secundò, quia sacerdotes comparātur angelis, imò officio eos superant. nec enim angelus potest peccata condonare, aut consecrare corpus Christi, vti possunt sacerdotes nouæ legis. *Labia sacerdotis,* ait Malach. c. 2. *custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.*

Tertiò. Tertiò quia ipsi alios omnes sanctificare debēt. *Vos estis sal terræ, & lux mundi,* ait Christus. Vnde S. Dionysius docet sacerdotes debere esse instar crystalli pellucidi & radiantis, in quod radij solis incidentes, in cætera quæ vicina sunt refunduntur. & S. Chrysost. ait sacerdotem cæteris tanta virtute præstare debere, vt sit quasi homo inter bruta, quasi vir inter pueros, imò quasi angelus inter homines. S. Hilarius & Gregorius asserunt, sacerdotes debere esse satores æternitatis.

Quartò. Quartò, quia ipsi mediatores sunt inter Deum & homines, ideoq; populi peccata comedūt & cōsumunt. Hinc olim sacerdos acturus cum Deo, nomina 12. tribuum inscripta rationali gestabat in pectore, cum vrim & tummim, id est doctrina & veritate. Meritò ergo eis dicitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

Quintò. Quintò, quia eorum munia sunt sanctissima, scilicet baptizare, à peccatis absoluere, sacrificare, consecrare, inungere, &c. *Quadripartitum,* ait S. Bernardus in Sentent. *est officium sacerdotale: primò, viuam carnem immolare, quod Leuiticum est: secundò, virtutum charismata Deo offerre, quod est incendere aromata, & filiorum Aaron est: tertiò, cum feruore martyrij cælum intrare, quod est introire cum sanguine Sanctā sanctorum: quartò, gratia & precum vota cælo transmittere, quod est panem & vinum Deo offerre.*

Sanctissima est caro & humanitas Christi, quā sacerdotes ore consecrant, manibus tangūt, oculis aspiciunt, licet velatam speciebus panis & vini. Vnde S. Chrysost. hom. 60. ad populum sic infert: *Quo igitur non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manū, carnem hanc diuidentem? os quod igni spirituali repletur? linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit?*

Hinc viri sancti sacerdotium, quasi eo indigni, tantopere refugerunt. S. Franciscus numquā sustinuit fieri sacerdos, dicebatque, Si hinc angelus, inde sacerdos mihi occurreret, relicto angelo ad sacerdotem accederem, eiusque manus oscularer: ille enim & panem, & verba vitæ mihi ministrat. Idem scribens ad sacerdotes sui Ordinis (quæ epistola exstat tomo 5. Biblioth. SS. Patrum in fine) *Videte, ait, dignitatem vestram sacerdotes, & estote sancti, quia ipse sanctus est. Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiscat, & cælum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admiranda altitudo, ô stupenda dignatio, ô sublimitas humilis! quòd Dominus vniuersitatis, Deus & Dei filius, sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat. Videte fratres humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totū.* S. Marcus, non Euangelista, sed Anachoreta, pollicem sibi abscidit, ne fieret sacerdos: ita sacerdotium detrectauit S. Antonius, S. Hilarion, & plurima monachorū millia; adeò vt in multis Ægypti cœnobijs ne vnus quidem monachus inueniretur qui esset sacerdos, vt patet ex Vitis Patrum.

Sextò. Sextò, quia propria sacerdotis dos est sanctitas. inde enim dicitur sacerdos, quasi sacer & sanctus: Secundò, quia sancta consecratione Deo cōsecratus & sanctificatus est: Tertiò, quia cæteri laici & profani sunt, ipse verò sanctus est, & quasi diuinus,

quem tangere & violare non licet: hinc rursum sanctus, id est integer & illibatus ab omni vitio, præsertim libidinis & gulæ, sit oportet. Sanctitas enim, ait S.Dionys. est ab omni inquinatione libera, incontaminatissima & perfectissima puritas. Et Orig. ἅγιος, ait, id est sanctus, dicitur quasi ἀγῆ, id est sine terra, qui scilicet à terrenis fæcibus est secretus, purus, cælestis, ac Deo cohærens & addictus: talis sit sacerdos, vt eius conuersatio sit in cælis, cum angelis & Sanctis. Hac de causa penè quotidie in Horis canonicis, Martyris alicuius, aut Sancti illo die occurrentis sancta & heroica A facta perlegit Ecclesia, vt eadem imitetur, etiam vsque ad mortem & martyrium.

Dicat ergo sacerdos cum S. August. Da Domine, vt illic tenear mente, vbi vera haberi gaudia certissimum est: tene cor meum apud te: quia sine te ad altiora non rapitur. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: suscipe propitius meum populique, imò Christi tui iuge sacrificium. Da vt in præsenti vita nullam recipiam consolationem, donec ad tuum regnum perueniam, vbi exultans dicam: Illi sum iunctus in cælis, quem in terra tota virtute dilexi.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribit Deus festa Hebræis: Primò, sabbatum v.3. Secundò, pascha & festum azymorum v.5. Tertiò, pentecosten v.15. Quartò, festum tubarum v.24. Quintò, expiationis v.27. Sextò, tabernaculorum v 34. Septimò, cætus siue collecta v.36.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. 3. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus. omne opus non facietis in eo. sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris. 4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. 5. Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, phase Domini est: 6. & quintadecima die mensis huius, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, 7. dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus seruile non facietis in eo: 8. sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. dies autem septimus erit celebrior & sanctior: nullumq; seruile opus facietis in eo. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 10. Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem: 11. qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati, & sanctificabit illum. 12. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. 13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suauissimum: liba quoque vini, quarta pars hin. 14. Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete, vsque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris. 15. Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16. vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino 17. ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. 18. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suauissimum Domino. 19. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. 20. Cumque eleuauerit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vsum eius. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum: omne opus seruile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris. 22. Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam vsque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24. Loquere filijs Israel: Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum: 25. omne opus seruile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino. 26. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: 27. Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisq; animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. 28. Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius: quia dies propitiationis est,

eſt, vt propitietur vobis Dominus Deus veſter. 29. Omnis anima, quæ afflicta non
fuerit die hac, peribit de populis ſuis: 30. & quæ operis quippiam fecerit, delebo
eam de populo ſuo. 31. Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum ſempiternum e-
rit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris. 32. ſabbatum requie-
tionis eſt, & affligetis animas veſtras die nono menſis. A veſpera vſque ad veſperam
celebrabitis ſabbata veſtra. 33. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
34. Loquere filijs Iſrael: A quintodecimo die menſis huius ſeptimi, erunt feriæ taber-
naculorum ſeptem diebus Domino. 35. Dies primus vocabitur celeberrimus at-
que ſanctiſſimus: omne opus ſeruile non facietis in eo. 36. Et ſeptem diebus offere-
tis holocauſta Domino. dies quoque octauus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus. &
offeretis holocauſtum Domino: eſt enim cœtus atque collectæ: omne opus ſeruile
non facietis in eo. 37. Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque
ſanctiſſimas, offeretiſque in eis oblationes Domino, holocauſta & libamenta iuxta
ritum vniuſcuiuſque diei: 38. exceptis ſabbatis Domini, donisque veſtris, & quæ
offeretis ex voto, vel quæ ſponte tribuetis Domino. 39. A quintodecimo ergo die
menſis ſeptimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis fe-
rias Domini ſeptem diebus. die primo & die octauo erit ſabbatum, id eſt requies.
40. Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palma-
rum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram
Domino Deo veſtro. 41. celebrabitiſque ſollemnitatem eius ſeptem diebus per
annum. legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris. Menſe ſeptimo fe-
ſta celebrabitis, 42. & habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus. omnis, qui de ge-
nere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis: 43. vt diſcant poſteri veſtri, quòd in ta-
bernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cùm educerem eos de terra Ægypti. ego
Dominus Deus veſter. 44. Locutuſque eſt Moyſes ſuper ſolemnitatibus Domini
ad filios Iſrael.

VERS. 2. HÆ SVNT FERIÆ DOMINI] hæc ſunt feſta, quibus vacandum eſt ab omni opere ſeruili, & inſiſtendū cultui diuino. Hebr. eſt, *hæc ſtata feſta, qua vocabitis* מִקְרָאֵי קֹדֶשׁ *micrae kodes* (Septuag. κλητὰς ἁγίας) id eſt *conuocationes ſanctas*; hiſce enim feſtis conuocabatur populus ad audiendam legem, & ad ſacrificia ac preces. Vnde de his dixerūnt Hebræorum ſapientes: *Qui contemnit ſolemnitates, ſeu publicos Eccleſiæ conuentus, is non habebit partem futuri ſæculi.*

Eccleſia dies omnes vocat ferias, ob duas cauſas.

Hinc Eccleſia ex inſtitutione S. Silueſtri Pōtificis omnes dies vocat ferias. Primò, quia Chriſtiano omni die à vitijs feriandum & ceſſandum eſt. Secundò, quia quantum ad officia Eccleſiaſtica & Eccleſiæ miniſtros, omnes dies feriæ, id eſt feſta, ſunt: illis enim non alteri rei, quàm diuino cultui vacandum eſt. ita Abulenſ. Sicut ergo Gentiles dies nuncuparunt à planetis ſeptem, quaſi vnus ex ijs cuilibet diei dominaretur, vt dicant dies Solis, Lunæ, Martis; Iudæi verò hoſce dies indigitarunt à ſabbato, vt dicant primam, ſecundam, tertiam, quartam ſabbati, pro prima, ſecunda, tertia, quarta die hebdomadæ: ita Chriſtiani ſuos dies vocant ferias, vt dicant feria prima, ſecunda, tertia, quarta.

Simili modo Diogenes videns hoſpitem ſe tāto ſtudio parantem ad quoddā feſtum: *Annon,* inquit, *vir probus quemuis diem feſtum cenſet? & quidē, ſi ſobriè viuimus, admodum illuſtrem. Eſt enim ſanctiſſimum templū ac diuiniſſimum hic mundus: in hunc inducitur homo cùm naſcitur, vt iugiter ſpectet, non muta ſimulachra, ſed viuas & mobiles effigies, putà ſolem, lunam, ſidera, fluuios, plantas, animalia,* &c. teſtis eſt Plutarch. l. de Animi tranquill.

Quàm ergo à ſcopo feſtorum aberrant Chriſtiani, qui Gentilium more in feſtis à labore feriātur, & luxui vacant! Vidit hoc ſapiens Epaminondas, Gentilis licet, qui ciuitate feſtum agente, A omnibuſque vino & conuiuijs deditis, occurrit cuidam ſqualidus & cogitabundus. rogatus cur? *Vt vobis,* inquit, *liceat otio & ſympoſijs vacare.* teſtis eſt Plutarchus in eius Vita.

Præclarè S. Nazianz. orat. 44. *Feriari,* inquit, *noſtrum, non eſt aliud, quàm animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma & ſtabilia ſunt.* & S. Hieron. epiſt. ad Euſtochium: *Nobis,* ait, *ſollicitiùs prouidendum eſt, vt ſolemnem diem non tam ciborum abundantia, quàm ſpiritus exultatione celebremus: quia valdè abſurdum eſt, nimia ſatietate velle honorare Martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe ieiunijs.* vide S. Bernardum ſerm. 3. de Aduentu. Denique audi Iſaiam c. 58. 13. *Si auerteris,* inquit, *à ſabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris ſabbatum delicatum,* &c. *dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino,* &c. B Ethnici ergo feſta colunt ventre, Chriſtiani mente, colentes Deum in ſpiritu & veritate. Meritò Ethnicus Antiſthenes rogatus, *Quid eſt feſtum? Eſt,* inquit, *gulæ irritamentum, & luxuriæ occaſio.* teſtis eſt Maximus ſerm. 27.

Nota. Feriæ ſiue feſta Iudæorū fuerunt duplicia: alia enim inſtituta ſunt à Deo, alia ab ipſis Iudæis. A Deo inſtituta ſunt ſeptem feſta; Primò, ſabbatū; Secundò, paſcha; Tertiò, pentecoſte; Quartò, feſtum tubarum; Quintò, feſtum propitiationis, ſiue expiationis; Sextò, feſtum tabernaculorum; Septimò, feſtum cœtus ſiue collectæ. Omittitur hic octauum feſtum Neomeniæ, de quo Numer. 28. 11. A Iudæis inſtituta ſunt quatuor feſta; Primò, feſtum ſortium, 15. Adar, ſiue Februarij, in memoriam liberationis Iudæorum per Eſther, Eſther 9 v. 17. 26. 28. 29. Secundò, feſtum encæniorū, ſeu purgationis templi, quæ facta eſt ſub Iuda Machabæo, 1. Machab. 4. 49. Tertiò, feſtum recepti è cælo ignis ſacri, 2. Machab. 1. 18. Quartò, feſtū ob cæſum Nicanorem, 1. Machab. 7. 49.

Deus inſtituit ſeptem feſta.

Iudæi inſtituerūt quatuor feſta.

&

& 2.Machab.vlt.v.37. de quibus vide Riberã l.5. de Templo c.17.& seq. & Genebrardum in Calendario Hebraico. A

Tria fiebant in festo. Nota. Festa à Deo instituta habebant hæc tria; Primò, vacationem à laboribus; Secundò, oblationem sacrificiorum festis singulis propriam, & ab alijs diuersam, atque à Deo præscriptam, vt patet Numer.28.& 29. Tertiò, cæremonias cuique festo peculiares, vt in festo paschæ siue azymorum, fiebat oblatio manipuli spicarum: in pentecoste fiebat oblatio nouorum panum: in festo tubarum erat clangor tubarum: in die expiationis indicebatur afflictio & ieiunium: in festo tabernaculorum habitabant in tabernaculis, ibique exultabant cum ramis & fructibus. *Cæremoniæ propriæ cuilibet festo.*

Vers.3. Primum festum erat sabbatum. DIES SEPTIMVS SABBATI REQVIES EST] Hebr. *dies septimus est sabbat sabbati,* id est *requies quietis.* B q.d. Summa quies & cessatio ab opere erit die septimo, indeque hic dies vocabitur sabbatum, id est requies. Ita Plato dicebat, Deos miseratos labores hominum, instituisse festa, vt ijs à laboribus quietem & relaxationẽ aliquam obtinerent. Hoc primum & summum fuit festum Iudæorum, cuius causas & significationes afferam Deut.5.12.

VOCABITVR SANCTVS] id est, erit sanctus hic dies sabbati, ita vt iure sanctus, id est meo cultui dicatus, vocari possit. Sic sæpè *vocari* pro esse sumitur, vt Isaiæ 9.6. *Vocabitur* (id est erit) *admirabilis.* Rom.9.25.& 26. *Vocabo non plebem plebem meã,* q.d. Gentiles qui antehac non fuerũt plebs mea, erunt deinceps plebs mea, quia erunt Christiani: vnde eos habebo & fouebo vt plebem meam.

Sabbato non licebat coquere, nec accendere ignem. OMNE OPVS NON FACIETIS IN EO] id est nullũ omnino. Vnde sabbato non licebat accendere ignẽ, nec coquere cibos, nec aliud quidquã operis facere, vti nec in die expiationis, vti dicitur v.31. in alijs autem festis omnibus ista licebant. Vnde de ijs hîc dicitur: *Omne opus seruile non facietis in eis;* de sabbato autem & de festo expiationis absolutè & generatim dicitur: *Omne opus non facietis in eo.* Poterant tamen Iudæi in sabbato edere, bibere, adaquare iumenta, vti asserit Christus Lucæ 13. 15. facere medicinas, & in necessitate colligere & parare cibum: quia ista necessaria sunt. C

SABBATVM DOMINI EST] *Domini,* id est Domino dicatum. vel Secundò, *Domini,* id est quo Dominus requieuit in prima rerum omnium creatione. Tertiò, *Domini,* quo scilicet quiescẽdum est in honorem & ad cultum Domini Dei, idque in cunctis habitationibus vestris, quia in tabernaculo siue templo die sabbati non erat quies; tunc enim sacerdotes ibidẽ sacrificabant, id est victimas mactabant, excoriabant, secabant, coquebant, & hoc est quod Christus Iudæis obijcit Matt.12.5. *Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant* (materialiter,) *& sine crimine sunt?* D

Vers.5. Secundum festum erat pascha. MENSE PRIMO, Nisan, qui partim Martio, partim Aprili nostro respõdet, QVARTA DECIMA DIE MENSIS AD VESPERVM, PHASE DOMINI EST] Pro *ad vesperum,* hebr. est *inter duas vesperas,* id est inter occasum solis & noctem, putà in crepusculo vespertino, antequam oriatur stella, quæ Vesper, siue hesperus dicitur: nam ab ortu huius stellæ incipit nox, & dies 15. agnus autem paschalis debebat immolari ante 15. diem in fine 14. diei: ergo 14. dies non erat festa, sed tantùm eius vespera, in qua phase immolabatur. Hoc secundum est festum, putà paschæ & azymorum, quod ob sui celebritatem celebrabatur per septem dies, idque in memoriam magni illius beneficij, quo Deus Hebræos ex Ægypto liberarat & eduxerat.

PHASE DOMINI EST] Paschæ festum est Domino dicatum. Phase enim hebr. trãsitum vel potiùs transcensum significat: inde Secundò, phase significat agnum paschalem, qui pro transitu angeli percutientis immolabatur. Denique Tertiò; phase significat ipsum festum quo agnus hic immolabatur. vide dicta Exodi 12.11.

Hoc ergo paschæ festum celebre fuit apud Iudæos, celebrius est apud Christianos, qui eo non à seruitute Pharaonis, sed diaboli & mortis per Christum resurgentem liberati sunt. Hinc Deus illud magnis illustrauit miraculis. Refertur in Vita S. Marcellini Ebredunensis Episcopi, cuius meminit Ado in Martyrol.12. Kalẽd. Maij, baptisterium quod ipse iuxta Ebredunum condidit, in sanctis paschæ vigilijs, Dei virtute singulis annis aquis subitis inundari, idque per septem eiusdem solemnitatis dies continuari solitum. Atq; ex hoc miraculo collegerunt, pascha non esse celebrandum ipsa 14. luna cum Iudæis, vti volebant Quartodecimani, sed in Dominica sequente. Tunc enim contingebat hoc miraculum. *Miracula pascha.*

Pari modo anno Domini 417. cùm erratũ fuisset in die paschatis celebrando, error hic à Deo per miraculum declaratus est. nam nocte vera paschali ipsa baptizandi hora, baptisterium ecclesiæ per miraculum aqua repletum est, vti testatur Paschasius Episcopus Lilybæi, apud S. Leonem post epist.63.& ex eo Baronius anno Christi 417. qui & in alio fonte Lucaniæ idem miraculum fieri solitum ex Cassiodoro docet. Et in alio fonte Lusitaniæ idem fieri solere testatur Gregor. Turonensis l.1. de Gloria Martyr. c.24.& 25. Idem in fonte Lyciæ fieri, aquamque in eo vsque ad pentecosten perseuerare, tuncque euanescere docet Sophronius in Prato spirituali c.214.

Sic & Britonum error de die paschatis, per miraculum, quo S. Augustinus Anglorum Episcopus cæcum illuminauit, confutatus est, vt refert Ven. Beda l.2. Historiæ Anglorum c.2.

In Vita S. Maurilij Andegauensiũ Episcopi (qui fuit discipulus S. Martini) 5. Septemb. narratur de quodam, cui nomen erat Belgicus. hic die paschę mandauerat seruis, vt segetes mundarent. replicant illi esse diem paschæ. ipse vrget, & inuitos cogit. sed cùm illi segetes sarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percussus, clamauit vt cessarent. Cùm autem tres annos in ea cæcitate permansisset, tandem tangens S. Maurilij pertranseuntis [illegible], sanatus est.

In Vita S. Maurilij narratur, ipsa nocte resurrectionis tres seruos ex eius monasterio piscationi vacasse, atque cepisse quidem piscium copiam, sed duos ex ipsis manuum & pedum officio priuatos, toto corpore contritos fuisse: tertium verò & claudum & surdum effectum esse, qui tandem in nocte resurrectionis visitans monasterium S. Bertini, eumque cum lacrymis inuocans, per eius merita sanitati restitutus est.

Hinc & Imperatores diem paschæ magnis priuilegijs celebrarunt, & reos libertate donarunt. Anno Christi 367. Valentinianus, Valens, & Gratianus Augusti sanxerunt, & ad Lãpadium Vrbis præfectum ita rescripserunt: *Ob diem paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus astringit, carcer* *In paschate vincti solvebantur.*

carcer inclusit, claustra dissoluimus. vbi primùm dies paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula soluantur. Extat hoc rescriptum l.8. de Indulg.crim.C.Theodos.Eamdem indulgentiam reis eodem festo dedit in Oriente Theodosius Imperator, vti testatur S.Chrysostomus orat. de Flauiano Episcopo.

VERS 6. ET QVINTADECIMA DIE MENSIS HVIVS (primi & paschalis, putà Nisan) SOLEMNITAS AZYMORVM DOMINI EST] Nota. Dies azymorum incipiebant cum paschate, videlicet 14.die mensis primi ad vesperam secundam, id est initio 15.diei; durabant autem per 7.dies, qui proinde paschales dicebantur, quibus pane, non fermentato, sed azymo vescebantur. Vnde finiebantur hi dies, vigesima prima die mensis primi ad vesperam secundam; quæque enim dies festa duplicem habebat vesperam, scilicet primam & secundam, siue inchoantem & finientem; excepto festo paschæ: hoc enim vnam tantùm habebat vesperam, scilicet secundam 14.diei. Itaque 14. die ad vesperam immolabatur phase, siue agnus paschalis, quē noctecomedebant cum azymis: postero mane, quod erat mane 15.diei, erat solemnitas azymorum, quia illo die azymorum esus incipiebat; nā nox præcedens ad hanc 15.diem, non autem ad 14.pertinebat. Eadem 15.die immolabāt victimas alias paschales, quæ proinde etiam pascha dicebātur, Iohan.18.28. ideo solemnis erat hic dies.

Quatuor obseruātia seruata in diebus azymorum. Nota. Horum 7.dierum azymorum quatuor erant obseruantiæ. Primò, enim per omnes hos septem dies comedebant azyma. Secundò, cessabant ab omni opere seruili, sed primo tantùm & septimo die; reliquis enim quinque intermedijs operari & laborare poterant. Vnde sequitur ex dictis v.1.solum primum diem & vltimum propriè fuisse festa, non autem quinque medios. Tertiò, singulis diebus offerebantur sacrificia, holocausta videlicet, vt vertunt Septuag quæ noster Interpres vocat *sacrificia in igne:* Hebr.enim vocātur *ignitiones*, id est sacrificia quæ tota per ignem in honorē Dei consumuntur. Victimæ ergo quotidianæ hisce diebus erant duo vituli, vnus aries, agni anniculi septem; & vnus hircus pro peccato, vt patet Numer.8.19. quibus adde agnum alium, qui die secundo cum spicis immolabatur, vt patet v.12 Quartò, offerebantur spicæ hordei maturescentes, idque tantùm fiebat secundo die, non alijs ita Abulens.Ribera, & alij.

Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Victimæ paschales, quæ & quot?* *Quarta.*

VERS.7. DIES PRIMVS ERIT VOBIS CELEBERRIMVS] Ex his 7.diebus azymorum, celebriores erant prima & septima, erantque hæ duæ æquè celebres. Nam quòd noster Interpres diem primum vocat celeberrimum, septimum verò celebriorem, eòdem recidit; sicut & quòd septimum vocat sanctiorem, primum verò sanctum. Tantùm enim vult dicere, primum diem & septimum celebres & valdè sanctos præ cæteris fuisse. Vnde in Hebræo vtrobique est eadem vox, videlicet מקרא קדש *micra kodes*, id est conuocatio sancta. Sic apud Latinos comparatiuus subinde non habet vim comparationis, sed pro positiuo, vel superlatiuo ponitur, vt

Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitentes.

VERS.10. & 11. CVM INGRESSI FVERITIS TERRAM QVAM EGO DABO VOBIS, Chanaan (hinc patet, hasce leges cæremoniales, & hæc festa non obligasse Iudæos, nec ab eis seruata fuisse in deserto) ET MESSVERITIS SEGETEM, FERETIS MANIPVLOS SPICARVM, PRIMITIAS MESSIS VESTRÆ AD SACERDOTEM: QVI ELEVABIT FASCICVLVM CORAM DOMINO] *Spicarum* scilicet hordei. quod illo tempore, putà in Martio vel Aprili, sub pascha maturescit in Palæstina.

Nota. Non erant istæ spicarum primitiæ vniuersales, ita vt omnes obligarentur earum manipulum offerre; sed offerebant quotquot volebant offerre sponte sua, & ex deuotione. Ex quibus omnibus sacerdos accipiebat vnum, quem Deo offerebat, oblatum torrebat & siccabat, siccatum excutiebat, granaque excussa comminuebat, atque ex farina comminuta, imposito simul thure & oleo, pugillum accipiebat quem cremabat & adolebat Domino; reliqui verò manipuli spicarum, earumque grana & farina, cedebant in ius & vsum sacerdotum.

Tropolog. Tropologicè, manipulus spicarum significat Christi resurrectionem: vnde & altero sabbati, putà post immolatum phase offertur, quia duo hi fuere Christi dies, vnus passionis, alter resurrectionis. Vnde & Christus, qui fasciculus est myrrhæ propter passionis amaritudinem, ipseidem & botrus Cypri dicitur, propter resurrectionis dulcedinem, ait Rupertus. Dum ergo Christum resurrexisse credimus, in fide & spe nostra quasi spicas recentes Domino offerimus. ita Isychius & Radulph.

ALTERO DIE SABBATI] q.d. Altero, siue secundo die azymorum offeretur hic manipulus spicarum: sabbatum enim hîc non significat sabbatum propriè dictū, vti putauit Isychius & Rupert. nec rursum significat omnes dies azymorum & festa paschalia, vti aliqui opinati sunt; sed tantū significat ipsum festū primi diei azymorū; quia in eo indicta erat plena quies (hęc enim hebr. vocatur sabbatū) ob solemnitatem festi. hoc ergo festū quia tam solemne erat, hinc vocatur sabbatum: sabbatū enim primum & summum erat festorum. Censet Abulens non primo, sed secundo, die oblatū fuisse hūc manipulum spicarum; eò quòd primo die, vtpote solemni, non liceret eas metere, ne quidem ad sacrum hunc vsum oblationis: potiùs dixerim, primam diem sua solemnitate, & sacrificijs paschalibus ita impeditam fuisse, vt non vacaret, nec deceret eo spicas has torrere. VERS.11.

ET SANCTIFICABIT ILLVM] manipulum spicarum consecrabit Domino, eo ritu, qui præscriptus & explicatus est c.2.v.penult.

ATQVE IN EODEM DIE, QVO MANIPVLVS CONSECRATVR, CÆDETVR AGNVS, ET LIBAMENTA) (Hebr. *mincha*, id est sacrificium farreum) OFFERENTVR. VERS.12. & 13.

LIBA, id est libamina, QVOQVE VINI, QVARTA PARS HIN] id est tres sextarij. Nam hin continebat duos congios, siue duodecim sextarios, vt dixi c.14.10 Quod hîc de vino dicitur, tantumdem de oleo intellige, scilicet quartā partem hin ex oleo, ad mincha hoc additum fuisse. Nam oleum in omni mincha addi debuisse, patet c.2.v.1. vnde & Num.15.semper eadem mensura olei & vini, sacrificijs quibusque adiungitur. Porro liba, putà vina ipsa, effundebantur in honorem Domini, vti hîc dicitur: oleum verò cum farina mistum per ignem Deo adolebatur. quod intellige de pugillo, qui ex farina hac oleata Deo cremabatur: reliqua enim farinæ vel mincha pars cedebat sacerdoti, vti dictum est c.23.& c.6 16.ita Abulens. VERS. 13.

PANEM ET POLENTAM ET PVLTES NON COMEDETIS VERS. 14.

DETIS EX SEGETE VSQVE AD DIEM, QVA OFFERETIS EX EA DEO VESTRO] manipulum spicarum iam dictum; eum enim quasi primitias frugum sibi deposcit Deus.

Nota, *polentam*, id est tostum far siue hordeum. ita Septuag. & Hebr. Pro *pultes* hebr. est *spicas*, sed certum est, spicas non puras & crudas hic intelligi: illæ enim comedi non solent; nec etiam spicas tostas, siue far tostum aut tusum & formatum in panem, quia panis hic præcessit. Aptè ergo noster Interpres spicas hic accepit tusas, putà farinam in pultes diductam & coctam: agitur enim hic de farina non cruda, sed cocta; hæc enim sola comedi solet: coquitur autem farina vel in panem, vel in polentam, vel in pultes.

VERS. 15. & 16. NVMERABITIS ERGO AB ALTERO DIE SABBATI, IN QVO OBTVLISTIS MANIPVLVM PRIMITIARVM (spicarum) SEPTEM HEBDOMADAS PLENAS, VSQVE AD ALTERAM DIEM EXPLETIONIS HEBDOMADÆ SEPTIMÆ, ID EST QVINQVAGINTA DIES. ET SIC OFFERETIS SACRIFICIVM NOVVM DOMINO] Describitur hic tertium festum, scilicet pentecoste, quod celebrabatur quinquagesimo die à paschate. Itaque ab altero sabbati, non propriè dicti, sed sabbati, id est paschatis, & solemnitatis azymorũ, hoc est à secundo die azymorum, (vti paulò antè dixi) quo obtulerãt manipulum spicarum, numerabãt Hebræi septem hebdomades, id est 49. dies, ita vt sequens, putà quinquagesimus, dies esset pẽtecoste. Id ita esse patet Primò, ex Iosepho qui id clarè docet l. 3. Antiq. 10. cùm ait: ἑβδόμης ἑβδομάδος διαγεγενημένης, μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν, αὗται δ' εἰσὶν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα ἐννέα, τῇ πεντηκοστῇ προσφέρουσιν ἄρτον. quæ verba Iosephi Interpres obscurè & cõfusè sic vertit. *post paschale sacrum elapsis septem septimanis est pẽtecoste.* clarè enim & distinctè sic vertenda sunt: *Post hoc sacrificium* (spicarum virentium & agni) *septima septimana elapsa, (hi enim septem septimanarum dies sunt quadraginta nouem) est pentecoste, siue quinquagesima dies, qua offerunt panẽ.* Secundò, idem patet ex praxi Iudæorum, & ex prima pentecoste, quam celebrarunt Hebræi die sexto tertij mensis, vti ostendi Exodi 19. 11. nã à secundo die azymorum, qui erat dies secũdus ab egressu ex Ægypto, eratque decimus sextus mensis primi, vsq; ad diem sextum mensis tertij, qui fuit dies pentecostes, numerantur 50. dies. Vnde & in Iudæorũ Calendarijs adhuc hodie, consignatur pentecoste die sexto mẽsis tertij. ita Abulens. Caiet. Oleast. Ribera l. 5. de Templo c. 7. & Genebrardus in Calendario Hebræorum, quod psalmis præfixit.

Tertium festum erat pentecoste.

Vbi Nota, Iudæos habere statum pascha & pẽtecosten: nam cùm vtantur mensibus lunaribus, celebrentque pascha 15. die mensis primi lunaris, putà in plenilunio; hinc numerando 50. dies, necessariò celebrant pentecosten sexto die mensis tertij. Christiani verò, quia non lunares, sed solares habent menses, hinc vti pascha habent mobile, ita & pentecosten, vt eam iam celebrent decima Maij, iam vigesima, iam trigesima, iam decima Iunij, iam duodecima.

Iudæi semper celebrãt pentecosten die sexto mensis tertij: Christiani verò alio & alio die. vnde

Ex dictis patet, hosce dies 50. pentecostes numerandos esse à secundo die azymorum, non exclusiuè, vt vult Radulph. & Ribera lib. 5. de Templo cap. 7. sic enim non 50. sed 49. essent dies; sed inclusiuè. Si enim à 16. die mensis primi inclusiuè, numeres reliquos 15. dies eiusdem mensis, mẽsis verò secundi numeres dies 29. (Hebræorum enim menses, vtpote lunares, alternatim erant 29. & 30. dierum) his denique addas sex dies mensis tertij (sexto enim die erat pentecoste) præcisè reperies dies 50.

Quinquaginta dies pentecostes numerandi sunt à die secundo azymorum inclusiuè.

Nota. Nos Christiani, vti non celebramus pascha eo die quo Iudæi, scilicet 14. die mensis Nisan, sed Dominica eam sequente, idq; in memoriam resurrectionis Christi, quæ in Dominica facta est: ita consequenter non celebramus pentecosten eodie quo Iudæi, sed quinquagesimo die à Dominica paschatis, siue resurrectionis Christi, qui necessariò pariter incidit in Dominicam. die enim Dominica, quæ fuit pentecoste, siue quinquagesima dies à paschate, descendit Spiritus S. in Apostolos, & lex noua promulgata est in Sion, Act. 2. vti lex vetus olim in Sina, eadem die quinquagesima à paschate promulgata fuit. Hinc S. August. serm. 154. de Tempore, Clemens Roman. l. 5. Constitut. c. vlt. Isidor. Albinus, & alij qui scribunt de officijs Eccles. atque S. Leo serm. 1 de pẽtecoste, numerant dies 50. pentecostes, non à paschate Iudæorum, nec à die passionis Christi; (sic enim non 50. sed 52. essent dies) sed ab ipsa Dominica resurrectionis Christi. Vlteriùs, ne coincideret pentecoste Christianorum cum pentecoste Iudæorum, ne scilicet videremur nos Christiani antiquam seruare Iudæorum pentecosten; hac de causa prima pentecoste Christiana, qua descẽdit Spiritus sanctus in Apostolos, non videtur coincidisse cum pentecoste Iudæorum. Quod probatur: nam eo anno quo Christus est passus & resurrexit, pascha Iudæorum incidebat in diem Iouis, & prima azymorum in diem Veneris, qua passus est Christus; ac consequenter secunda azymorum incidebat in diem sabbati: iam numera ab hac die sabbati 50. dies, & inuenies diem 50. siue pentecosten Iudæorum tunc pariter in sabbatum incidisse, quod proximè præcedebat Dominicam pentecostes Christianæ, qua Spiritus sanctus descendit. Tunc ergo pentecosten celebrarunt Iudæi in sabbato: Apostoli verò & Christiani in Dominica. ita Hugo, Lyran. Abul. Caiet. vel hic, vel Act. 2. Iosephus l. 3. Antiq 13. & Franc. Suarez 3 p. q. 53. disp. 46. sect. 1. idem docent Rabbini.

Spiritus sanctus descendit in Apostolos in pentecoste non Iudæorum, sed Christianorum.

Prima pentecoste Christianorum incidit in Dominicã, Iudæorum verò in sabbatum.

Dices, Actor. 2 v. 1. dicitur, *Dum complerentur,* vel, vt græcè est, *dum compleretur, dies pentecostes, factus est repentè de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis.* Atqui S. Lucas ibi omnino videtur loqui de pentecoste tunc communi, putà Iudæorum, necdum enim eousque Christiana pentecoste instituta aut celebrata fuerat: ergo Spiritus sanctus descendit in pentecoste Iudæorum, ac consequenter prima pentecoste Iudæorum & Christianorum fuit eadem, putà Dominica. Ob hoc argumentum, reuera eamdem tunc fuisse vtrorumque pentecosten, censent nonnulli. Vnde putant eo anno quo passus est Christus, primum diem azymorum incidisse quidem in diem Veneris, sed translatum fuisse ex 15. die mensis in 16 putà in sabbatum, idque ne duo festa, putà primus azymorum & sabbatum, quibus operari non licebat, simul concurrerent: ac consequenter putant, secundam azymorum eo anno incidisse in Dominicam paschæ, à qua vsque ad Dominicam pentecostes præcisè sunt quinquaginta dies.

Obiectio ex Actor. 2.

Responsio Prima.

Verùm

Refellitur. Verùm hæc translatio festorum solidè ex Scriptura, aut Patribus probari nequit: imò repugnat Euangelistis, qui asserunt Christum cum Iudæis celebrasse pascha secundùm legem, putà 14. luna ad vesperam, ita vt 15. quæ fuit prima azymorum, putà die Veneris, passus sit Christus, ac consequenter 2. azymorum, à qua numerandi sunt dies 50. pentecostes, inciderit in sabbatum.

Responsio secunda. Alij censent, quòd eo anno quo passus est Christus, oblatio hæc spicarum, à qua numerandi erant dies 50. pentecostes, translata sit à secunda die azymorum in tertiam, idque ea de causa, quòd secunda azymorum incideret in sabbatum, quo spicas metere non licebat: messas ergo & oblatas eas fuisse die tertia, putà Dominica paschatis, à qua vsque ad Dominicam pentecostes præcisè sunt 50. dies.

Refellitur Primò. Verùm idem huic sententiæ obiici potest quod priori. Adde, fundamentum eius, scilicet sabbato non licuisse metere has spicas, non videri verum: nam sabbato licebat mactare, excoriare, secare, cremare agnum manè & vespere, aliasque victimas: ergo multò magis licebat metere aliquot spi-

Secundò. cas, ad oblationem & sacrificium. Secundò, si non licuit eas metere sabbato, poterant & debebant eas metere vno vel altero die antè, potiùs quàm transferrent festum & sacrificium hoc à die ex lege præscripto, putà à sabbato, in alium, putà Do-

Tertiò. minicum. Tertiò obstat, quòd Iudæi celebrarint suam pentecosten, adinstar primæ illius, qua legem acceperunt in Sina, Exodi 19. v. 11. illa enim prima fuit norma & exemplar sequentium omnium, quæ ad primæ huius memoriam & formam institutæ & conformatæ sunt. Atqui prima illa celebrata est die 50. à secunda azymorum, quæ tunc incidebat in sabbatum; nam prima azymorum, qua egressi sunt ex Ægypto, incidebat in diem Veneris, vti ostendi Exodi 12. v. 41. ergo secunda azymorum tunc incidebat in sabbatum. Si enim ab hac secunda azymorum, siue à 16. die primi mensis, quæ tunc incidebat in sabbatum, numeres 50. dies, incides in sextam diem tertij mensis, qua celebrarunt pentecosten. Iam si tunc à sabbato numerare potuerunt 50. dies primæ pentecostes, ergo & deinceps aliis annis id ipsum facere potuerunt.

Resp. tertia & vera. S. Lucas loquitur de pentecoste Christiana. Respondeo ergo & dico, S. Lucam loqui de pentecoste Christiana, non Iudaica. Christiana enim à Christianis colebatur, & vigebat, non tantùm cùm S. Lucas hæc scribebat, sed etiam à sui initio, putà mox à prima pentecoste, quæ fuit quinquagesima die à resurrectione Christi. Id ita esse probatur, Primò, quia S. Lucas Christianus scribit Christianis, non Iudæis (vnde scribit græcè, non hebraicè) originem christianismi, eiusque sacrorum & festorum; ergo agit de pentecoste Christiana, non Iudaica. Secundò, quia c. 1. planè ostendit se tractare de mysteriis & gestis Christi, quæ Christiani in paschate, pentecoste, aliisque festis recolunt & celebrant. Legatur attentè c. 1. & ita esse deprehendetur; ergo sicut c. 1. à resurrectione Christi vsque ad eius ascensionem numerat 40. dies, ita mox c. 2. ab eadem resurrectione, non autem à paschate Iudæorum, numerat 50. dies pentecostes. Tertiò, quia Christiani suam pentecosten celebrant ad imitationem primæ, quam describit Lucas Actor. 2. ergo ea fuit Christiana. Quartò, quòd S. Lucas describat hîc originem Christianæ pentecostes, sentit Ecclesia, quæ hanc eius de pentecoste narrationem quotannis in festo pentecostes legit & recolit. Sensus ergo eius est: *Dum complerentur dies pentecostes*, id est, dum compleretur dies quinquagesima, qua à Christo Christianis instituenda & sancienda erat pentecoste Christiana, per missionem Spiritus sancti, quem ipse promiserat Actor. 1. & per promulgationem legis nouæ. Alludit enim S. Lucas ad figuram, putà ad institutionem pentecostes Mosaicæ Exodi 19. 16. vbi de ea dicitur: *Iamq; aduenerat dies tertius* (qui erat quinquagesimus à paschate) putà pentecoste: *& ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorq; buccinæ vehementiùs perstrepebat.* Pari enim modo de antitypo, putà de pentecoste Christiana, ait S. Lucas: *Dum* aduenirent, siue *complerentur dies pentecostes*, &c. *factus est repentè de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis*, &c. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditq; supra singulos eorum.* Sicut ergo Moses Exodi 19. loquitur de pentecoste Iudaica, eiusque institutione, ita S. Lucas loquitur hîc de Christiana, eiusque institutione. Quintò, quia mox ab hac eius institutione cœpit coli à Christianis Christiana pentecoste, vti mox ostendam; ergo de ea agit Lucas, non de Iudaica.

Fundamentum horum omnium est, quòd Christus per legem nouam voluerit legem veterem cum suis sacris & festis abolere, ac pro eis noua & Christiana surrogare. Vnde & voluit vt pentecoste prima Christiana postero die succederet Iudaicæ, vt significaretur, quòd ea exclusa & abolita, ex tunc ipse nouam institueret & sanciret. In prima enim pentecoste, putà quinquagesima die à Christi resurrectione, misit Spiritum sanctum in Apostolos, ac per eos eodem die promulgauit legem suam Euangelicam, quòd nimirum abolita iam lege Mosis, lex Euangelica ab omnibus ex tunc acceptanda & seruanda foret. Quare tunc pariter abolito paschate, pentecoste, aliisque festis Iudæorum, tacitè suum pascha pentecosten & festa instituit, ac mox per Apostolos particulatim & expressè, eadem vbique terrarum sanciri & institui voluit.

Porrò Christianos iam inde ab initio, putà à prima hac pentecoste Christiana, cœpisse quotannis eam, non Iudaicam, colere & nominare, vti eam hîc nominat Lucas, dicens: *Dum complerentur dies pentecostes* probatur Primò, quia in prima hac pentecoste facta est abrogatio legis veteris, omniumque eius sacrorum & festorum; & facta est publica promulgatio legis nouæ, eiusque sacrorum, consequenter & festorum: ergo Apostoli & Christiani huic promulgationi obedientes, deinceps coluerunt pascha & pentecosten Christiana, non Iudaica: alioqui enim peccassent in legem Euangelicam. Simili modo, eodem anno quo in die quinquagesima à paschate primò data est Hebræis à Deo lex in Sina, ex præcepto Dei hoc loco Leuitici edito, sancita, & deinceps à Iudæis culta fuit pentecoste. Hoc enim huius capitis præceptum editum est eodem anno, quo data est lex, vt patet ex dictis Exodi 19. initio cap. & procemio in Leuiticum. Secundò, quia Apostoli euntes prædicatum Gentibus, mox iis conuersis instituebant & tradebant sacra & festa Christi (nec enim religio Christiana, vt nec quæuis alia, potest esse sine *Pentecoste Christiana mox post Christum coli cœpta.*

festis & sacris) non enim poterant eis tradere pascha & pentecosten Iudaicam. Sic enim Gentes coëgissent iudaizare, & pro christianismo tradidissent eis iudaismum: quod fuisset grande peccatum, pugnans ex diametro cum eorum officio, ad quod à Christo missi & legati erant. Rursum, quis dubitet Apostolos & primos Christianos amore Christi feruidos, quotannis diem eius resurrectionis, ascensionis, & missionis Spiritus sancti, tantaque eius in Ecclesiam merita & beneficia, anniuersaria memoria recoluisse? colebant ergo pascha & pentecosten Christianam, non Iudaicam. Tertiò, quia Apostoli mox post Christi ascensionem mutarunt sabbatum in diem Dominicum, eumque colere cœperunt in honorem resurrectionis Christi (Christus enim in Dominico resurrexit) ergo multò magis pascha Mosis statim in pascha Christi, id est in diem Dominicum, transtulerunt. pascha enim Christianum propriè est dies resurrectionis Christi, magis quàm Dominicus: si pascha transtulerunt, ergo & pentecosten. hæc enim illud sequitur, & ab illo supputandum est. Antecedens probatur Primò, ex Apocal. 1.10. vbi Iohannes ait, *Fui in spiritu in Dominica die*; ergo tunc à Christianis colebatur Dominica dies, non sabbatum. Secundò, Apostolus 1. Corinth. 16. v. 2. iubet fieri collectas eleëmosynarum *per vnam sabbati*, id est, prima die septimanæ, putà die Dominica; ergo tunc fiebant conuentus Ecclesiastici in Dominico. Porrò Apostolus loquitur de hac die, non quasi noua, aut à se recenter instituta, sed quasi de vsitata, & apud Christianos celebri. ergo iamdiu antè cœperat à Christianis pro sabbato coli Dominica: epistola autem 1. ad Corinthios scripta est anno Christi 57. putà 23. annis post mortem Christi. Ergo mox post Christum Christiani pro sabbato celebrarunt Dominicum. Sic & Actor. 20. 7. dicitur, quòd vna sabbati, id est Dominico, Paulus magnum egerit Christianorum conuentum, in quo protrahens concionem, obdormiscentem & corruentem iuuenem ac exanimatum in vitam reuocauit. Denique S. Paulus insectatur neomeniam, sabbatum, aliaque festa Iudaica, Galat. 4. 9. dicens: *Conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? dies* (Iudaicos) *obseruatis, & menses, & tempora, & annos*. Et Coloss. 2. 16. *Nemo vos iudicet in cibo & potu* (à quò ex lege abstinent Iudæi) *aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi*. Ergo non Iudaica, sed Christiana festa à Christianis celebrari voluit iam inde à christianismi initio.

Denique pascha ab initio per Apostolos translatum esse in Dominicum, ac consequenter & pentecosten, patet ex hæresi Quartadecimanorũ, qui volebant pascha cum Iudæis seruari 14. luna, siue die primi mensis, non autem in Dominico. Hos enim damnauit Ecclesia, & Victor Pontifex, definiens ex traditione Apostolica, pascha Christianis celebrandum esse, non 14. luna, sed Dominica eam sequente, vti illud primitus celebrarunt Christiani & Apostoli, teste Eusebio libr. 5. Hist. c. 22. Sic & pascha die Dominico celebrandum esse S. Petrum Romæ docuisse, & idem ab eo acceptum S. Marcum Ægyptiis tradidisse, testatur Protherius apud Bedam lib. de Ratione temporis c. 42. & S. Ignatius, qui vixit tẽpore Apostolorum, epist. ad Magnesian. ait *colendum diem Dominicum*,

A *vt dierum principem, & resurrectioni Domini consecratum*. Et epist. ad Philipp. *Si quis*, ait, *cum Iudæis celebrat pascha, particeps est eorum qui Dominum occiderunt & Apostolos eius*. Cùm ergo constet ab initio à Christianis cultam fuisse pentecosten Christianam, quis dubitet S. Lucam de ea loqui, non de Iudaica? Itaque S. Lucas nominans pentecosten, non tantùm respicit ad tempus quo ipse hæc scribebat (non enim dubium est, quin tunc culta & nominata fuerit pentecoste Christiana, non Iudaica) sed etiam propriè respicit tempus ipsum, quo hæc ipsa quæ scribit & enarrat contigerunt, quasi dicat, *Dum compleretur dies pentecostes*, id est, dies quinquagesima à resurrectione Christi & primo paschate Christiano, qua pro veteri noua à Christo instituenda & sancienda, æquè ac nominanda erat pentecoste, cuius originem & institutionem hîc enarro, quæ ceterarum
B sequentium foret exordium, exemplar & causa, eisque nomen suum inderet, vt ab ea pariter vocaretur pentecoste, id est, dies quinquagesima à die resurrectionis Christi.

Denique si quis omnino velit S. Lucam respexisse quoque ad pentecosten Iudæorum, quæ tunc vigebat & erat in communi vsu; Resp. idipsum hoc sensu admitti posse, quasi dicat S. Lucas: *Dum compleretur*, id est, dum pridie completa esset & transacta pentecoste Iudæorum; ita vt compleretur, id est compleri inciperet ei succedens pentecoste Christianorum. Vox enim *compleretur*, quatenus respicit pentecosten Iudæorum, in actu perfecto accipienda est: quatenus verò respicit, terminatur & desinit in pentecosten Christianorum, in actu inchoato sumenda est.
C Vtrumque enim innuit & obiter perstringit, ideoque vno verbo cõplectitur & conuoluit S. Lucas: atque hic sensus videtur plenior, quasi dicat, *Cùm complerentur dies pentecostes*, tam veteris quàm nouæ, vt veteri pridie completa & transacta postridie compleri inciperet noua. Fuit enim vetus & noua quasi vna eademque pentecoste: illa enim in hanc desiit & transiit, sicut typus in antitypum desinit & transit, ac proinde cum eo vnum idemque esse censetur. Hæc mea est de pentecoste sententia salua meliori; non enim video quid probabiliùs solidè dici possit. Nam quod Gabriel Vasquez 3 p. tom. 3. disp. 172. c. 12. cum Radulpho & Ribera τὸ *ab altero die sabbati*, exclusiuè accipit, non inclusiuè, planè repugnat computui Mosis & omnium Hebræorum, vti paulò antè ostendi: idque satis insinuat τὸ *ab altero die*. Cùm enim
D tempus exclusiuè describere volumus, non solemus dicere, *Ab altero die* (hoc ipsum enim præcedentis diei exclusio est) sed, *à tali die*, v. g. primo, secundo, tertio, &c. Res ergo ipsa docet à primo die paschatis exclusiuè, sed à secundo die inclusiuè, inchoandos fuisse quinquaginta dies pentecostes.

ET SIC OFFERETIS (in pentecoste) SACRIFICIVM NOVVM DOMINO, EX OMNIBVS HABITACVLIS VESTRIS, PANES PRIMITIARVM DVOS] Pro *sacrificium* hebraicè est מִנְחָה *mincha*, id est *oblationem*, à rad. נָחָה *nacha*, id est *adduxit*, *obtulit*; neque enim hæc panum oblatio propriè erat sacrificium. Nam hi panes fiebant ex simila fermentata, quæ sacrificari non poterat, vt patet c. 2. v. 11. vnde nec vlla libamina cum hisce panibus offerebantur. Erant ergo hi panes tantùm primitiæ

VERS. 16. & 17.

Primitiæ panum offerendæ erant in pentecoste.

tiæ messis triticeæ, quæ dabantur sacerdotibus, & in eorum esum & vsum cedebant.

Nota. Singulæ familiæ hasce panum primitias, in pentecoste offerre debebant, vti hîc dicitur: secus erat de manipulo spicarum in paschate. & licet Abulensis id ita intelligat, non quòd singuli ex proprio agro, vel domo hosce panes afferrent Hierosolymam, sed quòd singuli Hierosolymæ duos panes tales emerent, eosque in templo offerrent, sicut & columbas, & victimas alias (vnde horum omnium erant venditores Hierosolymæ, quos Christus eiecit è templo) tamen Script. Hebræa hîc contrarium docet; sic enim habet, *Ex omnibus habitationibus vestris adducetis panes eleuationis duos.* quæ verba satis significant, quemque proprios panes ex sua domo adducere debuisse ad templum, vt videlicet singuli suarum frugum primitias, in gratiarum actionem Deo dependerent.

eosq. singuli è domo sua afferre debebant.

Hæc enim vna fuit causa, cur festum pentecostes sit institutum, scilicet vt in eo primitias panum Deo offerrent. Ita Iosephus l. 3. Antiq. 10. Altera causa fuit, vt Hebræi recordarentur legis datæ in pentecoste, pro eaque Deo gratias agerent, legemque illam recolerent, vt exactiùs eam obseruarent. ita S. Hieron. ad Fabiolam de 42. mansionib. in 12. *Dedicatio*, inquit, *legis est pentecoste.* Idem docet S. August. q 95. in Quæstion. ex nouo testamento. Ingens enim Dei beneficium est lex festoque celebrandum: est enim ipsa radius legis æternæ manans à rationibus ideisque æternis, quæ viuunt in mente Dei, quibus ipse omnia regit & moderatur. *Duo sunt*, inquit Nazianz. *quibus regimur, natura & lex.* & S. August. l. 9. de Ciuit. *Omnium legum*, inquit, *inanis est censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat.* Plato dicebat, *necesse esse leges hominibus ponere, vt secundùm eas viuant, alioqui nihil à feris discreparent. Causam esse, quòd nullius hominis ingenium ita natura institutum est, vt quæ ad publicum humanæ vitæ commodum conferunt, sufficienter cognoscat; & si cognouit, vt optimum id quod nouit, semper agere possit ac velit.* ita ipse lib. 4. de Legibus.

Duplici de causa instituta fuit pentecoste. Prima. Secunda.

Moral. quantum beneficium Dei sit lex.

Demosthenes aiebat, *ciuitatis animam esse leges.* Heraclitus dicebat: *ciues non minùs oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus; quòd absque legibus nullo pacto possit esse ciuitas incolumis, absque mœnibus possit.* ita Laërt. libr. 9. cap. 1. Archidamus roganti, *quinam essent Spartanæ vrbis præfecti? Leges*, inquit, *ac legitimi magistratus.* Grauiter censuit, in republ. bene instituta auctoritatem supremam legibus esse deferendam; nec vlli magistratui fas esse quidquam contra leges publicas tentare. ita Plutarch. in Lacon.

Agesilaus roganti, *quid Sparta contulissent Lycurgi leges? Voluptatum*, ait, *contemptum.* Plutarch. ibidē.

Cyrus rogatus, *quosnam putaret esse iniustos? Leges*, inquit, *non vtentes.* ita Maxim. serm. 58.

Barbari Brasilij in sua lingua carent tribus litteris, scilicet F. L. R. idque appositè. nam carent fide, lege, rege. testis est Osorius & Maffeius in historia Indic.

Philo lib. de Iosepho: *Quod medicus*, ait, *est agro, hoc lex est ciuitati.* Corona priscis fuit hieroglyphicum legis: quia certis est vinculis complicata, quibus vita nostra velut religata coërcetur. ita Pierius Hieroglyph.

Denique *lex est lux vitæ. Lucerna*, inquit Psaltes, *pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, psalm. 118. qui psalmus non est aliud quàm legis elogium. Rursum, *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, psal. 11. 7.

Porrò *lex non est aliud, nisi recta, & à numine deorum ratio, imperans honesta, prohibensq. contraria*, inquit Cicero Philip. 1. & pro Cluent. *Fundamentum*, ait, *libertatis, fons æquitatis, mens, & animus, & consilium, sententiaq. ciuitatis, posita sunt in legibus.* Peculiare verò fuit Dei erga Hebræos beneficium, quòd eis ipsemet legem dederit, idque primò, & ante leges aliarum gentium. Primus enim in orbe legislator fuit Moses, id est Deus per Mosen. Eum secuti, leges dedêre Indis Gymnosophistæ, Ægyptiis sacerdotes, Babyloniis Chaldæi, Persis Magi, Gallis Druidæ, Locrensibus Zaleucus, Atheniensibus Solon, Lacedæmoniis Lycurgus, Cretensibus Minos, Corinthiis Philo, Getis Zamolxis, Rheginis Androdamus, Milesiis Hippodamus, Thuriis Charondas, Thebanis Philolaus, Carthaginensibus Phaleas. Apud Romanos primus P. Papirius regias leges in vnum contulit. Deinde Appius Claudius decemuir duodecim tabularum leges conscripsit. Hunc secuti sunt Appius Claudius Cæcus, Sempronius Sophus, Scipio Nasica, Q. Fabius, M. Cato, & alij.

PANES PRIMITIARVM DVOS DE DVABVS DECIMIS] Ex dictis c. 14. v. 10. & dicendis cap. seq. v. 5. patebit, duas decimas similæ, & duos panes inde confectos, fuisse quasi tredecim librarum cum dimidia. VERS. 17.

Panes duo oblati debebant esse librarum tredecim & media.

OFFERETIS CVM PANIBVS SEPTEM AGNOS IMMACVLATOS] scilicet in holocaustum, quia hoc, quasi præcipuum, semper intelligitur, cùm nominatur sacrificium, nisi alia eius species exprimatur. ita Abulensis. VERS. 18.

Nota. Numer. 28. v. 27. adduntur & aliæ victimæ, hoc festo pentecostes offerri solitæ, ob festi solemnitatem; videlicet vituli duo, aries vnus, agni septem, hircus vnus pro peccato. Nam diuersas esse illas ab hisce quas hîc præscribit, tum aliunde patet, tum ex eo, quòd ibi duo vituli, hîc tantùm vnus præcipiatur: quia illæ victimæ præscriptæ erant propter ipsum festum præcisè; hæ verò hîc præscribuntur tantùm propter oblationem primitiarum cohonestandam, vt simul cum primitiarum oblatione, Deo hæ victimæ in sacrificium darentur. Ipsius ergo festi pentecostes æquè ac cæterorum festorum, victimæ, non hoc cap. sed Numer. 28. & 29. (vt patet intuenti) recensentur. ita Abulensis. Vnde Iosephus l. 3. c. 10. omnes pentecostes victimas enumerans sic ait: *Holocausta faciunt è tribus vitulis, arietibus duobus* (S. Scriptura tres arietes numerat: videtur ergo in Iosephi numerum irrepsisse error, vt pro duobus reponendi sint tres) *agnis quatuordecim, hœdisq. pro peccato duobus.* Omittit hîc Iosephus duos agnos oblatos in hostias pacificas. Radulphus tamen censet easdem esse victimas, quæ hîc, & quæ Numer. 28. præscribuntur: antilogiam verò iam allatam ipse per mysterium soluere conatur. *Non interest*, inquit, *an duo vituli cum vno ariete, an vnus vitulus cum duobus arietibus in holocaustis esse dicatur, cùm tam pastores quàm doctores* (qui mysticè sunt arietes & vituli) *vnum sint propter fidei pacisq. concordiam, & duo intelligãtur, si duorum populorum, quibus prælati sunt, respiciamus distantiam.* Verùm hæc litteræ non satisfaciunt, neque sensui litterali, quem

Victimæ hîc præscriptæ aliæ sunt ab iis Num. 28.

quem Radulph. sæpè quasi Iudaicum, tollere & impugnare videtur instar Origenis, & aliorum qui toti sunt in tropologiis. Porro hæc sacrificia & victimæ non erant priuati cuiuspiam, vti panes primitiarum: sed erant communes toti populo, & pro eo toto offerebantur ex ærario, & sumptu communi.

ET ERVNT IN HOLOCAVSTVM CVM LIBAMENTIS SVIS] Hebraicè, *cum suo mincha & libamine.* libamenta ergo hîc vocat Noster quidquid cum victima offerebatur, vt oleum, vinum, farina, thus, sal.

VERS. 19. FACIETIS ET HIRCVM PRO PECCATO] *Facietis*, id est *sacrificabitis*. Pro *hircum*, hebraicè est *hircum caprarum*, id est hircum nouellum, vel hœdum. vide dicta cap. 4. v. 23.

VERS. 20. CVM ELEVAVERIT EOS SACERDOS CVM PANIBVS, &c. CEDENT IN VSVM EIVS] q.d. Cùm hostiæ pacificæ (de his enim solis hîc agit, non de holocaustis; hæc enim tota Deo cremabantur) immolatæ & consecratæ fuerint Domino, cedent sacerdoti: licet enim hæ hostiæ aliàs magna ex parte cederent offerentibus, quia tamen totus populus eas hîc offerebat, nec potuissent eæ in totum populum distribui, hinc dantur hîc sacerdotibus.

Nota, quod hîc dicitur, panes primitiarum in pentecoste oblatos cedere sacerdoti, non ita intelligendum esse, quasi sacerdos ministrans tabernaculo in pentecoste, solus per se reciperet omnes hosce panes; hi enim cùm à singulis offerrentur, erant innumeri: sed tantùm quòd ipse reciperet eos, quos eleuasset & obtulisset Domino, putà tres aut quatuor. reliqui enim cedebant in ius omnium, & æqualiter per omnes sacerdotes diuidebantur, vti & aliæ primitiæ.

VERS. 21. ET VOCABITIS HVNC DIEM (pentecostes) CELEBERRIMVM ATQVE SANCTISSIMVM] *Celeberrimum*, id est valdè celebrem & festum, vt ab omni opere seruili in eo cessetis; *sanctissimum*, quia mihi, meis sacrificiis & cultui dicatus est. Hebraicè est, *vocabitis os* (id est substantiam) *huius diei*, id est diem hanc, *conuocationem sanctitatis*, id est festam & solemnem. nam, vt docet Ioseph. l. 3. c. 10. nullum festum apud Iudæos agebatur sine holocautomate, & laborum vacatione: & hoc respectu noster Interpres hoc festum vocat celeberrimum & sanctissimum, vti iam explicui.

Allegoria pentecostes. Allegor. pentecoste Hebræorum significabat pentecosten Apostolorum, qua Spiritus sanctus in eos per linguas igneas descendit, legemq; nouam promulgauit in Sion, quo recepto statim metere cœperunt regiones albas ad messem, vt inquit S. Chrysost. hom. 2. in Acta, & offerre Domino duos panes primitiarum, de duobus populis Iudæorum & Gentium; tumque Deo immolati sunt multi Martyres, partim agni, id est innocentes; partim arietes, id est Doctores & principes Ecclesiæ; partim vituli, qui scilicet olim superbi fuerant in sæculo; partim hœdi qui videlicet priùs in sordibus & fœtore peccatorum vixerant.

Tropol. pentecostes. Tropol. quinquagenarius numerus pentecostes index est & symbolum perfectæ pœnitentiæ, ac remissionis peccatorum, vti fusè docet S. Hieron. sub initium lib. 2. in Isaiam. Vnde & psal. 50. maximè est pœnitentialis. Idem patet in anno 50. siue iubilei, qui est annus plenæ remissionis: tunc ergo offerimus duos panes, id est amorem Dei & proximi. Iam ergo pascha, pentecosten, aliaque festa celebramus non iudaicè, sed christianè, id est non tantùm littera, sed & spiritu. Audi Nazianz. orat. 4. in Iulianum: *Festa*, inquit, *celebremus non corporis nitore, non vestitus mutatione ac magnificentia, non comessationibus & ebrietatibus, quorum fructum cubilia & impudicitias esse didicistis*, &c. *sed animi puritate, & mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est diuinis contemplationibus & cogitationibus, quæ super sanctum candelabrum excitentur, atque vniuersum terrarum orbem luce perfundant.* Et S. Gregor. hom. 33. in Euang. *Quid prodest*, ait, *interesse festis hominum, si contingat deesse festis angelorum?* Idem in Registro: *Dominico*, ait, *die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, vt si quid negligentia per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Et Origenem homil. 69. in Exod. *Si desinas*, ait, *ab omnibus sæcularibus operibus, & nihil mundanum geras, sed spiritalibus operibus vaces, ad Ecclesiam conuenias, lectionibus diuinis aurem præbeas, de cælestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad inuisibilia & futura: hæc est obseruatio sabbati Christiani.* B. Thomas Morus tanta religione colebat festa, vt iis etiam, dum in carcere solus degeret, vestibus melioribus sibi allatis indueretur. Mirantibus verò, cur solus cùm esset, id faceret, respondit: *Non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festa colo, & honestè induor.* Idem accepta mortis sentẽtia cùm diutiùs quàm vellet, eius executio differretur, tandem instante festo Translationis S. Thomæ Cantuar. *Cras*, aiebat in vigilia festi, *vehementer gestio ad Deum migrare; esset enim ille dies mihi admodum conueniens*: eumque quem optabat diem, Martyri suo congruè concessit Deus, in quo & patroni, cuius nomen gerebat, simili de causa martyrio laureati; & S. Apostoli (incidit enim illud festum in octauam SS. Petri & Pauli) pro cuius primatu sanguinem fundebat, celebris memoria fit in Ecclesia. ita Stapleton. in eius Vita.

Anagog. pentecoste, siue hebdomada & sabbatum (id est festum) hebdomadarum, significabat vniuersalem requiem Sanctorum omnium in cælo, vt sicut secundo die azymorum præcessit oblatio manipuli spicarum, id est Christi resurrectio; ita septima exinde hebdomada, & die 50. omnes qui per fidem & dilectionem Christo adhæserunt, ad eum quasi ad caput suum congregentur, æternam cum illo requiem habituri, tuncque offerent duos panes primitiarum, gloriam scilicet animæ & corporis, eaque Deo, Deique laudibus æternis consecrabunt. ita Radulph. *Anagoge eiusdem.*

NEC SECABITIS EAM (terram) VSQVE AD SOLVM] non omnino eam demetetis, vt aliquid pauperibus colligendum relinquatis. Vide dicta cap. 19. v. 9. VERS. 22.

MENSE SEPTIMO PRIMA DIE MENSIS ERIT VOBIS SABBATVM (id est festum solemne) MEMORIALE, CLANGENTIBVS TVBIS] Quartum est hoc festum, scilicet tubarum, prima die mensis Tisri, id est Septembris. VERS. 24. *Quartum festum erat tubarum.*

Nota. Septenarius erat sacer apud Hebræos. nam Primò, septimus dies erat festus, eratq; sabbatum; Secundò, septima hebdomada dierum erat pentecoste; Tertiò, septimus mensis magna ex parte erat sacer, &, vt inquit Origen. homil. 23. in Num. erat quasi sabbatum mensium, sicut septimus *Septimus dies, mensis, & annus erant festi apud Iudæos.*

mus

mus dies erat sabbatum dierum: mense enim septimo quatuor, imò quinque celebrabantur festa, scilicet Neomeniæ, Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, idque per septem dies; & Cœtus siue Collectæ. Quartò, septimus annus erat annus facer libertatis, & remissionis, ac quietis terræ. Quintò, septima hebdomada annorum, putà annus 50. totus erat festus, eratque iubileum.

PRIMA DIE MENSIS] Erat ergo illo die duplex festum; Primò, neomeniæ, siue nouilunij à quo ipsi mensem inchoabant: primus enim dies mensis erat nouilunium. Secundò, tubarum. Vnde & duplicia illo die offerebant sacrificia, scilicet tam neomeniæ, quàm tubarum, vt patet Numer. 29. v. 1. & sequent.

Festum tubarum fuit memoriale Isaac ab immolatione liberati.

MEMORIALE CLANGENTIBVS TVBIS] Hebr. *memoriale clangoris*, vel, vt Septuag. *tubarum*. Tradunt Hebræi & Latini, festum tubarum institutum fuisse in memoriam Isaac patriarchæ, ab immolatione & gladio patris sui Abrahæ liberati, ac pro eo surrogati arietis, Gen. 22. 11. ideoque eo die cornibus arietinis clangere solitos: licet insuper & tubis argenteis eodem die clangerent ob neomeniam & sacrificia, vti præcipitur Num. 10. 10. Imò tradunt Hebræi, Isaac eodem die, videlicet primo mensis septimi, ab hac immolatione fuisse liberatum. Clangor ergo hic memoriale erat liberationis Isaac, simulque erat oratio tacita, vt Deus eorum etiam recordaretur, atque sicut liberauerat Isaac, ita & posteros eius à mortis periculis liberaret.

Mystic.

Mysticè, septimus mensis est tempus gratiæ, putà legis nouæ, in quo septem spiritus Dei missi sunt in omnem terram, Apocal. 5. quoque septiformem Spiritus sancti gratiam & spiritum recipimus: prima eius festiuitas est lætitia clangoris & tubarum, id est prædicationis Apostolorum (hi enim quasi cælestes quædam tubæ toto orbe insonuerunt) & conuersionis Gentium. ita Origenes, Radulphus & Isychius. Hos enim Christus ex hoc mundo ad Patrem iturus, in totum orbem buccinatum misit, dicens: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, Matth. vlt. Huius præcepti memores S. Petrus & Iohannes, dum iubentur silere, respondent: *Si iustũ est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui*, Actor. 4.

Morale, de concionatoribus.

Beniamin diaconus in carcere biennium detentus, dum ea lege solutus esset, ne ampliùs Dei Euangelium prædicaret, memor suæ vocationis dicebat: *Neque possum, neque debeo talentum fidei meæ commissum in terram abscondere*. testis est Theodor. l. 5. c. 28.

S. Franciscus suos rogauit, *Quid vobis consultius videtur, an quòd orationi, an verò quòd prædicationi vacem?* Enumeratis vtrimque commodis, cõclusit tandem: *Attamen prædicationis officium suis potissimùm commendare voluit Redemptor noster, dum ipse cum peccatoribus conuersatus est: cuius vestigiis cùm nobis insistendum sit, vtilius Deoq; gratius erit, si intermissa quiete foras egrediamur ad laborem.* quod & præstitit ita Bonauent. in Vita eius l. 1. c. 11.

Hinc S. Thom. 3. p. q. 67. ar. 1. *Prædicare*, inquit, *est principalissimus actus, & proprius Episcopi; & dignior quàm baptizare.*

Idem in 1. ad Corinth. c. 9. Prædicator, ait, in Script. habet octo nomina, scilicet Miles, Vinitor, Pastor, Bos, Arator, Triturator, Seminator, & Architectus templi.

Hinc & Isaias c. 52. ait: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* S. August. prædicatorem vocat Angelum. S. Gregor. hom. 3. in Ezech. *Vita*, inquit, *prædicantium & sonat, & ardet. Ardet desiderio, sonat verbo. Aes ergo candens est prædicatio accensa: sed de candenti ære scintillæ prodeunt; quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Rectè ergo verba prædicatorum appellata sunt scintillæ: quia eos quos in corde tetigerint, incendunt.* Idem 30. Moral. explicans illud Iob 30. *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris? Oportet*, ait, *vt prædicatores sint fortes in præceptis, compatientes infirmis, terribiles in minis, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis aduersitatibus rigidi.* S. Clemens l. 8. Recogn. prædicatores comparat radiis solaribus, qui orbem illuminant, omnesque videre faciunt.

Porrò qualis debeat esse hæc tuba & concio, docet ipse Ecclesiastes c. 12. 11. *Verba*, ait, *sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* vbi Olympiodor. *Sicut stimuli*, inquit, *boues pungunt, vrgentq; aratro sulcum proscindere: ita & Theologorum verba excitant nos, qui spe bona aramus, proscindere sulcum spiritualem, vt, cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus. Similia quoque sunt clauis ignitis atque candentibus, qui altiùs ac faciliùs lignis infiguntur: ita enim & sapientum verba in penitissimos sinus intellectus nostri altiùs figuntur.* Et S. Hieron. *Verba*, ait, *sapientum pungere dicuntur, non palpare, nec molli manu attrahere lacrymam; sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infligere. Si cuius ergo sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens.* Idem ad Nepotianum: *Docente te*, inquit, *in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sint.* Et alibi: *Ille est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum mouet; qui corripit peccatores, qui nullum beatũ, nullum dicit esse felicem.*

Quisquis ergo prædicator es, quisquis es tuba, imò os Dei, *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*, Isaiæ 58. 1.

Quintum festum erat expiationis.

DECIMO DIE MENSIS HVIVS SEPTIMI DIES EXPIATIONVM ERIT] Quintum est hoc festum, כפורים *kippurim*, id est expiationis siue propitiationis, quo fiebat expiatio peccatorum populi toto anno commissorum, per ieiunium & sacrificia, ideoque pontifex non tantùm populum expiabat, sed & ipsum Sanctum, & Sanctum sanctorum, iis cæremoniis, quæ præscriptæ fuerunt c. 16. Vide ibi dicta. Erat hic dies sanctissimus: vnde nec cibos in eo, sicut nec in sabbato, coquere licebat, vt colligitur v. 30. Vers. 27.

AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS] per ieiunia, aliaque dicta c. 16. 29.

SABBATVM REQVIETIONIS EST] quasi dicat, Festum est, & requies omnimoda, quo omnino ab omni opere, etiam non seruili, vti est coquere cibos, cessandum est. Vers. 32.

AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS DIE NONO MENSIS] Scilicet à vespere, siue ab occasu solis diei noni, vsque ad vesperam diei decimi, nam, vt sequitur,

A VESPERA VSQVE AD VESPERAM CELEBRABITIS Vers. 33.

Ab hespero Hebræi ordiebantur sua festa: ab eo enim incipit & dicitur vespera.

TIS SABBATA (festa) VESTRA] putà ab vno solis occasu vsque ad alterum, cùm scilicet apparere incipit stella Veneris (vti Hebræi tradunt) quæ vesper, vesperugo & hesperus dicitur. Vnde & vespera ab hac stella nomen accepit, ait Isidorus lib. 5. Etymol. c. 3. q. d. Ne afflictio hæc diei expiationis, quasi ingrata & molesta differenda putetur in ipsum diem decimum; hinc edico & iubeo, vti illam inchoetis, vti & alia festa, à vespera præcedentis noni diei. Id clariùs significant Hebr. Chald. & Septuag. in quibus est apertior distinctio, vti & in Roman. & aliis correctioribus Latinis. Vnde & Ecclesia Christiana quoad officium Ecclesiasticum festa celebrat à vespera in vesperam; hoc enim est quod sancitur c. 1. de feriis, in decretal. *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam, omni veneratione decernimus obseruari:* populo tamen festa à media nocte in mediam noctem celebranda, indicta sunt.

VERS. 34. A QVINTODECIMO DIE MENSIS HVIVS SEPTIMI ERVNT FERIÆ TABERNACVLORVM SEPTEM DIEBVS DOMINO] Sextum est hoc festum, scilicet tabernaculorum per septem dies, quod græcè dicitur scenopegia, à figendis tabernaculis: σκηνὴ enim est *tabernaculum*; πηγία est fixio siue *compactio*. Ridiculum enim est, quod putant Abulensis & Radulph. scenopegiam dici à φαγίας, id est *comestio*, & κοινῆ, id est *communis*: quod hoc festo Iudæi comederent in publico, siue loco communi. institutum est hoc festum in memoriam protectionis diuinæ, quæ Hebræos in deserto ita protexit, vt sine domibus in tabernaculis per 40. annos hieme & æstate vixerint. Quare in deserto numquam celebratum est hoc festum, quia ibi agebatur ipsa rei veritas, & continuum quasi festum tabernaculorum; sed postea in eius memoriam quotannis celebratum est in Chanaan: ita vt partim in vrbe, putà in atriis, foris, plateis, hortis, quin & domatibus, id est tectis domorum, vt patet Nehem. 8. v. 16. partim extra vrbem, cùm tutum esset, tabernacula construerent ex lignis siue palis, quibus alij ramos, alij pelles & lintea circumducebant; vti fit in tentoriis castrensibus, in iisque ad septem dies habitarent. Cùm enim ex tota Iudæa Hebræi Hierosolymam conuenirent hoc festo, & singulæ familiæ singula tabernacula construerent, vt ait Ioseph. 3. Antiq. 10. nequaquam tot in vrbe construi poterant, quot omnibus sufficerent. Estque verosimile ita fuisse disposita tabernacula, vt quasi vrbs quædam fieret, & singulæ familiæ seorsim, omnesque per vicos & plateas distinctæ & ordinatæ habitarent; ita enim faciebant cùm per desertum peregrinabantur; cuius rei memoriam tunc recolebant.

Sextum festum erat tabernaculorum.

Origo festi.

Tabernaculorum descriptio.

Altera festi caussa.

Secundò, hoc festum institutum est in fine anni, putà in Septembri, post collectas omnes fruges, vt de iis gratias agerent Domino, ideoque omnes masculi hoc festo templum adire, suaque dona offerre debebant, vti præscribitur Exodi 23. 14. & seq. De holocaustis & victimis, quæ singulis hisce septem diebus mactabantur, vide Numer. 29. v. 12. Denique Hebræi septimo die huius festi circumeunt altare septies portantes ramos, in memoriam expugnatæ Iericho à Iosue septeno vrbis circuitu Iosue 6. 16.

VERS. 36. DIES QVOQVE OCTAVVS ERIT CELEBERRIMVS: EST ENIM COETVS ATQVE COLLECTÆ] Septimum est hoc festum cœtus atque collectæ, quod erat quasi octaua festi tabernaculorum. Erat hoc festum solemne, vnde à S. Iohanne c. 7. 37. vocatur *dies magnus festiuitatis*.

Septimum festum erat cœtus.

Ratio festi.

Nota, hoc festum dici cœtus & collectæ, non tam pecuniarum aut eleëmosynarum, vti volunt Abulens. Lyran. Caietan. Oleast. quàm hominum & populi, qui congregabatur octauo die in tabernaculo, & postea in templo, vt simul adunatus gratias ageret Deo solemnibus sacrificiis, quòd post longam illam in deserto peregrinationem, omnes tribus saluæ venissent in terram promissam, quasi terminum & sedem suam, eamque quietè possiderent. Simili ratione dies septimus azymorum, vocatur dies cœtus & collectæ: eò quòd omnes eo die simul conuenirent ad agendum gratias Deo, quòd eos in Ægyptiaca seruitute dispersos adunasset, & simul inde eduxisset. Quòd autem de collecta, non pecuniæ, sed populi hic agatur, indeque festo inditum sit nomen cœtus siue collectæ, patet Primò, quia in Hebr. hoc festum vocatur עֲצֶרֶת *atseret*, quod significat *cœtum* siue *congregationem*, non pecuniæ, sed populi. Secundò, quia Chaldæus apertissimè hanc vocem *atseret* vertit כְּנִישִׁין תְּהוֹן *keniscin tehon*, id est *collecti eritis*. Tertiò, quia Septuag. semper hanc vocem vertunt ἐξόδιον: exodium autē teste Theodoreto q. 32. finem festorum indicat; & *exodium* apud Liuium lib. 7. Iuuenal. sat. 6. Pollucem lib. 4. Suidam & alios carmen erat, quod in exitu alicuius rei, maximè comœdiæ aut scenæ, canebatur. *Iuuentus*, inquit Liuius, *histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo, ridicula intexta versibus iactare cœpit, quæ inde exodia appellata, consertaque fabulis potissimùm Atellanis sunt.* Vnde eò alludentes Septuag. festum hoc *exodium* vocarunt, eò quòd clauderet solemnitatem festi tabernaculorum publica & communi gratiarum actione & plausu, quo peracto tabernaculis exeuntes, quisque ad suas sedes & vrbes remeabat. Quartò, quia similem collectam fecit rex Salomon, non pecuniæ; erat enim ipse ditissimus & liberalissimus; sed populi in octaua dedicationis templi, 2. Paralip. 7. 9. Non nego tamen, potuisse hoc festo fieri collectam pecuniæ pro templo & ministris Dei ante discessum populi, sed illa poterat fieri & aliis festis, & maximè septimo die azymorum. Verùm non inde vocatur hoc festum Cœtus vel Collectæ, neque hic fuit præcipuus festi huius finis.

Erat hoc festum collectæ non pecuniæ, sed populi.

Probatur id Primò.

Secundò.

Tertiò.

Exodium quid?

Quartò.

VERS. 37. & 38. OFFERETISQVE IN EIS OBLATIONES DOMINO HOLOCAVSTA, EXCEPTIS SABBATIS DOMINI, DONISQVE VESTRIS] q. d. Hæc quæ descripsi sacrificia offeretis singulis festis, præter sacrificia quæ sabbato offeruntur, videlicet quatuor agnorum, quorum bini manè, & bini vespere offeruntur in holocaustum die sabbati, vt patet Num. 28. v. 9. item præter dona & vota vestra, id est præter victimas quas sponte aut ex voto offertis.

VERS. 40. SVMETISQVE VOBIS DIE PRIMO (festi tabernaculorum, vti præcessit) FRVCTVS ARBORIS PVLCHERRIMÆ, SPATVLASQVE PALMARVM, ET RAMOS LIGNI DENSARVM FRONDIVM, ET SALICES DE TORRENTE, ET LÆTABIMINI CORAM DOMINO] Nota. In festo tabernaculorum iubentur Iudæi, manibus gestare quatuor arborum ramos, vel fructus; Primò, *arboris pulcherrimæ*, id est citri. ita Chaldæus. Vnde & Iosephus fructus huius arboris vocat mala Persica; mala enim citria auctore Dioscoride, vocantur Persica & Medica, quia ex Persia

In festo tabernaculorum Iudæi gestabant citrum, palmas, myrtū & salices.

Persia & Media in Italiam sunt aducta, teste Plinio. Citrum fuisse hanc arborem, docet etiam R. Moses Ægyptius lib. 3. More c. 44.

Dices, S. Hieron. in cap. 14. Zachar. dicit fuisse cedrum.

Respondeo, Per cedrum, citrum intelligit: nam mala citria etiam cedromela, quasi mala cedri vocantur, teste Dioscor. suprà.

Secundò, *spatulas*, id est ramos palmarum. ita Septuaginta.

Tertiò, *ramos ligni densarum frondium*, id est myrti. ita Iosephus, Chald. & R. Moses suprà.

Quartò, *ramos salicis*. Harum ergo quatuor arborum pulchrarum, diuq; virentium atque odoratarum (citrus enim & myrtus boni odoris sunt) ramos in festo tabernaculorum gestare debebant Hebræi, vt recordarentur se à solitudine in terram feracem, & arboribus optimis abundantem B translatos esse; gestare inquam, non tantùm primo die festi, vt censuit Abulens. sed per septem continuos festi dies: hoc est enim quod hic dicitur, *Celebrabitis solemnitatem septem diebus*. Et ita intellexit R. Moses, Burgensis, Ribera, & alij: idque vt per septem dies significaretur, Hebræos multis annis commoratos fuisse in deserto, indeque plenum gaudium in terra promissa eis obuenisse hoc est enim quod sequitur:

Et lætabimini coram Domino] q.d. Gestantes ramos hos & fructus, saltabitis in sanctuario coram Domino. Tripudiis enim solebant veteres celebrare sua festa, vt patet 2. Reg. 6. 14 Exodi 32. 19. Exodi 19. 20. ita Abulens. qui & addit: C *Dicunt aliqui, quòd quando Iudæi habebant istos ramos in manu, habebant cum eis colligatos & fructus, & sic saliebant eleuantes & deprimentes illos fructus ad omnem differentiam positionis: quo significabant id esse ad laudem Dei, qui erat dominus omnium positionum mundi*. Simile fiebat in *theruma*, siue oblatione sacerdotum, vti dixi Exodi 29. 24. Leuit. 7. 30.

Mysticè, festum Tubarum est prædicatio Apostolorum; Expiationis, est pœnitentia; Tabernaculorum est peregrinatio in cælis; Cœtus, est resurrectio.

Mysticè, septimus mensis est tempus gratiæ. Primum eius festum est Tubarum, id est prædicatio Apostolorum. Secundum expiationis, id est pœnitentiæ & contemptus illecebrosarum voluptatum, cui studere debent omnes verè ad Deum conuersi. Tertium tabernaculorum; quia tertius vitæ Christianæ gradus est viuere hic vti in tabernaculo per septem dies, id est tota vita, vt scilicet vtamur rebus huius sæculi quantum necesse D est, non ampliùs, & tota mente per desertum huius mundi festinemus ad cælestes mansiones, vt dicamus cum Psalte: *Incola ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei: in casulis enim habitauit Abraham, cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem*. vide dicta Hebr. 11. v. 9. & 10. Celebratur 15 die cùm luna decrescere incipit, quia qui bona sæculi fluxa & caduca (quorum luna est symbolum) esse cognoscit, hic festinat ad æterna. Septem eius diebus continuè offerimus holocausta, quia totos nos nostraque omnia Deo consecramus. Gestamus Primò, citrum, qui colore est aureo, id est ardentem charitatem, qua toti Dei gloriæ, & fratrum vtilitati incumbimus. Secundò, spatulas palmarum, quia quasi victores terrena

Citrus est charitas, palma sunt contemptus terrenorũ, myrtus est

omnia calcamus, dum nostra conuersatio in cælis est. Tertiò, lignum densarum frondium, putà myrtum, id est odoriferam virtutum omnium densitatem, & continuum earum exercitium. Quartò, ramos salicis virentis, quia stabili firmitate in nostro virtutum statu & virore perseuerare debemus. hi de torrente sumuntur, quia nisi crebrò in lege Dei meditemur, Deique gratiam imploremus, marcescet in nobis ille animi vigor. Vide psal. 1. v. 3. Hæc qui fecerit lætabitur coram Domino, & hilarem semper in eodẽ vitam aget.

odor & densitas virtutum, salices sunt vigor bonorum operum.

Rursum S. Hieron. in cap. 14. Zachariæ, per lignum pulcherrimum accipit sapientiam, per palmas victoriam, per myrtum mortificationem, per salices castitatem. Nam *medici, inquit, & physici tradunt, quòd si quis salicis florem mistum aqua biberit, omnis in eo frigescat calor, & libidinis vena siccetur, vt vltrà filios generare non possit*. Hisce ornati in tabernaculis huius vitæ, pariter & armati, tendimus ad domum nostram paratam in cælis. Salices ergo, æquè vt lactucæ, agnus castus, &c. humorem venereum minuunt, & castitatem fouent ac tuentur.

Quartum festum sequens & finiens festum Tabernaculorum, putà eius octaua, est festum Cœtus & collectæ. hoc significat octauam resurrectionis, quando ex tabernaculis hisce exeuntes colligemur ad concilium & congregationem Sanctorum in cælis, de qua canit Psaltes: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. tunc nullum opus seruile faciemus, quia tunc cessabit omne peccatum, omnis etiam labor & dolor. offeremus holocaustum Domino, quia totis viribus totaque contentione animæ, Deum speculabimur & amabimus. ibi enim implebimus illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua*. & illud, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius*. ita Radulph & ex parte Isychius, atque ex iis Ribera lib. 5. de Templo c. 10. & sequent.

Allegor. etiam Rupert. appositè & eleganter hæc accommodat festis natalitiis Christi Domini. Sicut enim pascha & pentecoste Iudæorum, inquit, significabat pascha & pentecosten Christianorum; ita festum Tabernaculorum, quod in exitu anni celebrabatur, significabat festum natalis Domini, quod in fine anni celebratur. Tum enim lætabundi terræ nostræ virgineæ, putà B. Mariæ, fructum, scilicet Christum in Bethlehem colligimus, & fructum arboris pulcherrimæ, id est Virginis intemeratæ filium, in Eucharistia ter offerimus & sumimus. Christus enim in stabulo & hospitio natus est, vt hic nobiscum quasi in tabernaculo versaretur, nosque ex eo ad patriam cælestem deduceret. adsunt & palmæ; hoc enim Christi festum comitatur & sequitur S. Stephani martyrium & victoria: adest & lignum densarum frondium, videlicet S. Iohannes densa & altissima mysteria eructans: adsunt & paruuli Innocentes, qui quasi salices de torrente fructum operum non habentes, subitò per solam Dei gratiam, ad viriditatem salierunt æternæ patriæ, & paradisi cælestis.

Alleg. festũ Tabernaculorũ est festũ natiuitatis Christi, palma sunt festum S. Stephani, myrtus est S. Iohannes, salices sunt Innocentes.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribitur oleum quod ardeat in lucernis candelabri: item panes propositionis, qui & quales esse debeant, v.5. Secundò, v.10. blasphemus iussu Dei lapidatur.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe filiis Israel, vt afferant
tibi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter,
3. extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron à vespere vsque
ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris. 4. Super
candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini. 5. Accipies
quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas:
6. quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues: 7. &
pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monumentum oblationis Domini.
8. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israel fœdere sem-
piterno: 9. eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto: quia
sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. 10. Ecce autem egres-
sus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurga-
tus est in castris cum viro Israelita. 11. Cumque blasphemasset nomen, & maledixis-
set ei, adductus est ad Mosen. (Vocabatur autem mater eius Salumith, filia Dabri de tri-
bu Dan.) 12. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid iuberet Dominus.
13. Qui locutus est ad Moysen, 14. dicens: Educ blasphemum extra castra, & po-
nant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vni-
uersus. 15. Et ad filios Israel loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit pec-
catum suum: 16. & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus
opprimet eum omnis multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Qui blasphema-
uerit nomen Domini, morte moriatur. 17. Qui percusserit & occiderit hominem,
morte moriatur. 18. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est animam pro ani-
ma. 19. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei:
20. fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem in-
flixerit maculam, talem sustinere cogetur. 21. Qui percusserit iumentum, reddet
aliud. Qui percusserit hominem, punietur. 22. Æquum iudicium sit inter vos, siue
peregrinus, siue ciuis peccauerit: quia ego sum Dominus Deus vester. 23. Locutusque
est Moyses ad filios Israel: & eduxerunt eum, qui blasphemauerat, extra castra, ac lapi-
dibus oppresserunt. Feceruntque filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi.

VERS. 2. *Quatuor officia sacerdotum.* PRÆCIPE FILIIS ISRAEL, VT AFFERANT TIBI OLEVM] Nota. Quatuor erant functiones sacerdotum in tabernaculo. Prima & præstantissima, de qua hactenus actum est, erat immolatio sacrificiorum. Secunda, incensio thymiamatis in altari ad id deputato intra Sanctum, de qua functione dictum est Exodi 30.7. Tertia, propositio panum propositionis. Quarta, accensio lucernarum in candelabro. De duabus hisce postremis agitur hoc capite. Porro filij Israel, siue totus populus debebat sumptus præbere, ad has quatuor functiones necessarios, quia nomine totius populi eas obibant sacerdotes.

Sumptus solvebat populus, quomodo? Ideoque Primò, in censu populi quisque soluebat in hunc vsum dimidium siclum, Exodi 30. v.13. Secundò, in festis tribus quotannis offerebat singuli aliquid ad eumdem vsum, quantum scilicet ex deuotione volebant. Nam præceptum erat Exodi 23.15. *Non apparebis* (quod ter fiebat in anno) *in conspectu meo vacuus.* Tertiò, erat gazophylacium, in quod iniiciebat quisque quod volebat pro sumptibus templi, de quo Lucæ 21.1. Quartò, sicut sumptu publico debebat populus certas victimas pro peccato adducere, vti patuit c.4.14. & c.16.v.5. ita similiter debebat afferre oleum ad lucernas, & similam ad panes propositionis co-

A quendos, vti hîc præcipitur. non quòd cuilibet in particulari id præcipiatur, sed quòd toti populo: vnde principes & magistratus ex communi ærario hæc dependebant. Nam primitiæ, decimæ & aliæ oblationes cedebant in ius & alimentum sacerdotum: nullam enim ipsi aliam partem, aut hereditatem à Deo inter suos populares acceperant. Accidebat tamen non rarò, vt aliqui subinde religiosiores, maximè principes siue Hebræi, siue Gentiles, vel omnino, vel magna ex parte hos sumptus præstarent, vti fecit Ezechias rex 2 Paralip.31.3. & Seleucus rex Asiæ 2.Machab.3.3. & Artaxerxes rex Persarum 1.Esdr.7.23.

B OLEVM DE OLIVIS PVRISSIMVM AC LVCIDVM] Hebr. *oleum purum contusum in lumen* (vt vertunt LXX.) id est oleum pili tunsione defluens, liquidum & lucidum, amurca remanente & fæcibus.

AD CONCINNANDAS LVCERNAS (id est ad accendendas lucernas, ita Septuag. Chald. & Hebr.) IVGITER (id est singulis noctibus, vt explicatur v.sequ. nam ardebant lucernæ à vespere vsque ad manè, manè autem extinguebantur. vide dicta Exodi 27.20.) EXTRA VELVM TESTIMONII] quod VERS. 3. scilicet oppansum est *testimonio*, id est arcæ quæ continet testimonium, id est legem siue tabulas legis, quæ testantur quid à nobis fieri velit Deus.

Est

Est metonymia. q. d. Ardeant hæ lucernæ in Sancto ante Sanctum sanctorum. A

Tropolog. lucernæ sunt Apostoli & Doctores, quibus ait Christus: *Vos estis sal terræ, & lux mundi.* Audi S. Paulinum epist. 31. compellantem S. August. Ecclesiæ doctorem: *O lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lino, pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densam licet hæreticorum caliginem discutis, & lumen veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas! O tuum fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim: quia fons viuæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Cuius desiderio sitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis inebriari terra mea concupiuit.*

VERS. 5. *De panibus propositionis. Primò, Leuitæ conficiebant panes propositionis.*

ACCIPIES QVOQVE SIMILAM, ET COQVES EX EA DVODECIM PANES] Nota. Hi sunt panes propositionis, id est propositi Domino, ad quos similam dabat populus; ex qua non laici, sed ipsi Leuitæ, putà Caathitæ, panes hos conficiebant & coquebant, vt patet 1. Paralip. 9. 32. & c. 23. v. 29. Pari modo Leuitæ præerant aromatibus, ex quibus ipsi sacerdotes, vt patet 1. Paral. 9. 30. conficiebant sacra vnguenta, præscripta Exodi 30. 23. & seq. Porrò hi panes fiebant ex simila purissima, cui subigendæ pro aqua infundebatur olei purissimi quarta pars hin, id est olei libræ tres, putà vnciæ 36. Deinde simul cum panibus apponebant quartam partem hin vini (quod, vt mox dicam, postea Deo libabant) id est vini libras tres, cum 4. vnciis. Est enim vinum oleo grauius.

Secundò, erant duodecim, cur?

Nota Secundò. Panes hi erant duodecim, vt scilicet quæque tribus suum quasi panem Deo offerret: hisce enim panibus duodecim tribus C protestabantur, se iugiter à Deo ali; & vicissim Deus hac gratitudine oblationis eorum quasi illectus, ostendebat se eorum meminisse, eorumq; memoriam & memoriale semper ante se habere, vt eos alere & curare pergeret.

Tertiò, imponebant eis thus.

Hinc Tertiò, hisce panibus imponebant thus, vt significarent se omnia Deo debere, seque omnia Deo accepta referre per panes propositionis, quos cum thure semper ponebant ante Dominum; thus enim significabat panes oblatos esse Domino, tamquam qui Domini sint, illique debeantur. Porrò thus hoc elapsa hebdomade, cùm panes auferrentur, & noui surrogarentur, adolebatur Deo cum sacrificiis, vti iussum est Leuit. 2. v. vlt.

Quartò, imponebant eis salem.

Quartò, addunt Septuag. Chald. & Philo. panibus hisce impositum fuisse salem. hæc enim erat quasi mensa Dei: sal autem in omni mensa apponi solet, vt cibos condiat, & sapidiores faciat. D nam Leuit. 2. 13. ita præcipitur: *In omni oblatione tua offeres sal.*

Quintò, singulis sabbatis noui ponebantur.

Quintò, singulis sabbatis panes noui, recentesque & calidi ponebantur, in mensa, vt patet v. 8. veteres verò tollebantur, eosque comedebant sacerdotes: iis enim solis hisce panibus vesci licebat, vt patet Matth. 12. 4.

Sextò, erant azymi, & tredecim librarum singuli cum dimidia.

Sextò, erant hi panes azymi, & quisque eorum ponderabat duas decimas, id est libras tredecim cum dimidia, vt mox patebit. erant ergo magni hi panes. vnde

Septimò, bini & bini sibi inuicem imponebantur.

Septimò, in mensa ponebantur seni & seni panes *alter in secum*, id est alteri contra alteros, ita vt sex sibi inuicem imponerentur, instar duarum turrium. vel potiùs, & concinniùs, vt bini singuli iungerentur, quorum vnus alteri imponebatur; ita vt duo essent ordines panum, vt scilicet primo ordine, infernè in mensa ponerentur tres panes consequenter, qui singuli haberent alium sibi superpositum: deinde iuxta eos poneretur alius similis ordo trium panum, cum tribus aliis eis impositis. Probabile est, panes singulos impositos fuisse magnis acetabulis, siue crateribus infernè, supernè verò tectos fuisse (ne à pulueribus & à muscis fœdarentur) aliis vasis, quæ thuribula vocantur Exodi 25. 29. inquit Vilalpando & Vatablus. Denique vtrique panum ordini vtrimque apponebatur Primò, vna phiala, id est vniuersim duæ phialæ plenæ thure: Secundò, vasculum sale plenum: Tertiò, cyathus cum vino vtrimque, id est duo cyathi, qui pariter cooperti fuisse videntur, tum ob muscas & pulueres, tum ne vini vis B euanesceret & acesceret.

Octauò, offerebantur ex publico, eosq; pinsebat Leuitæ.

Octauò, hi panes ex publico offerebantur, scilicet populus offerebat similam optimam, eamque pinsebant Leuitæ. Addit S. Hieron. in Malach. 1. *Panes*, inquit, *propositionis iuxta traditiones Hebraicas, ipsi sacerdotes serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant.* Verùm hæc traditio non conuenit cum Scriptura, nec cum Iosepho.

Nonò, cum panibus offerebatur vinum.

Denique cum panibus etiam vinum in hac mensa Deo oblatum fuisse, vt integrum in ea Deo iugeque proponeretur conuiuium, docet ex Iosepho, & ex mensa in arcu triumphali Titi Romæ sculpta, Vilalpando l. 4. de Templo c. 57. Vnde & verisimile est, vinũ, ne acesceret, singulis sabbatis cum panibus renouatum fuisse, veteri in honorem Dei libato, id est effuso coram oraculo, & Sancto sanctorum. Vinum enim Palæstinum, cùm sit potentissimum, facilè ad 8. dies seruari poterat: id enim experimur in vino Hispanico. Vilalpando tamen censet, vinum eodem die quo inferebatur, libatum fuisse.

Tropolog. hi panes sunt opera misericordiæ. Primò.

Tropologicè, hi panes significant opera misericordiæ, quibus ad Sanctum sanctorum, id est ad cælum, accedimus, qui semper debent esse in conspectu Domini: quia semper ad ea parati esse debemus.

Secundò.

Secundò, debent esse duodecim, id est copiosi & liberales, vt non vna die aut hebdomade, sed qualibet largam eleëmosynam demus: duodenarius enim est symbolum vniuersitatis.

Tertiò.

Teritò, imponitur eis thus lucidissimum: quia hæc charitatis opera fieri debent, non ad vanam gloriam aucupandam, sed solius Dei intuitu, vtq; ei soli sacrificium hoc charitatis offeramus.

Quartò.

Quartò, imponitur eis sal, vt significetur cum discretione hæc opera esse peragenda; vt magis indigenti, & vtili ea impendamus. Rursum, sal mortificationem, quæ ieiunio, aliisque modis fit; thus orationem significat. nam, vt ait angelus ad Tobiam cap. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosyna.*

Quintò.

Quintò, per singula sabbata mutantur: quia in die Dominica solent Christiani facere collectas eleëmosynarum, vt patet 1. Corinth. 16. v. 1. Rursum, cùm nouum sabbatum venit, id est cùm nouum beneficium accepimus, aut receptum recordamur, nouas eleëmosynas facere, Deoque per eas gratias agere debemus.

Sextò.

Sextò, panes erant azymi: quia eleëmosyna iungi debet cum puritate vitæ. erantque panes magni: quia magna debet esse eleëmosyna. nam, vt

vt ait S. Chrysost. *Eleëmosyna non depauperat, sed ditat. promissum est enim: Date, & dabitur vobis.* A

Septimò. Septimò, seni erant à dextris, & seni à sinistris: quia tam in inimicos, quàm in amicos benefici esse debemus, vt vincamus in bono malum.

Octauò. Octauò, fiebant è simila optima: quia non vilia, sed meliora Deo & pauperibus sunt danda. ita Ribera l. 2. de Templo c. 11. Audi illustre misericordiæ & beneficentiæ apud Gentiles exemplum, quod refert Valer. Max. l. 4. c. 8. *Erat,* inquit, *opibus excellens Gillias; sed multò etiam animo, quàm diuitiis locupletior, semperque in eroganda potiùs, quàm in contrahenda pecunia occupatus: adeò vt domus eius quasi quadam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissimè excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit ac vestiuit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum. quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.* B

Christiani domus sit eleëmosynæ officina. Quid iam faciat Christianus, quid Ecclesiasticus? sanè domus eius eleëmosynæ officina sit oportet, nisi ab Ethnico Gillia vinci velit. Habeat mensam pauperibus semper paratam, panes egenis semper propositos aut proponendos. ita cum S. Iohanne Eleëmosynario à Deo benedicetur; & quo plus dabit, eo plus recipiet. Scriptum enim & promissum est ab ipsa Veritate: *Date, & dabitur vobis.* Audiat S. Chrysost. homil. 53. & 68. ad popul. *Quo plura,* inquit, *dederis Deo, eo plus te diligit: quibus maiora debet, plus tribuit & gratia. cùm aliquem videt cui nihil debet, eum fugit & auersatur; cùm verò intuetur eum cui aliquid debet, continuò ad eum accurrit. Omnia ergo tibi facienda sunt, vt Deum habeas debitorem.* Dices, Quomodo id efficiam? Respondet Chrysost. *Nunc huiusce rei tempus est: nunc enim esurit, nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus. cùm verò hæc vita elapsa fuerit, cui non indigebit; & nunc indigere vult propter te. Cibari à te vult, vt te cibet; indui, vt te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris: vt diues sis, tua largiter da; vt colligas, disperge: imitare seminantem. Semina in benedictionibus, vt de benedictionibus & metas.* Quòd si dicas, Proles mihi sunt ditandæ: occurrit Chrysost. *Si filiis,* inquit, *omnia dimittas, periculosa custodia tua cuncta commendasti. Si verò Deum eis relinquas heredem & tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Si vis filios diuites in tuto relinquere, Deum ipsis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade; Deus centuplum quod promisit rependet. Deo ergo fœnerare.* C

Allegor. hi panes significant Eucharistiam. Alleg. panes hi significant Eucharistiam, in qua sub specie panis corpus Christi proponitur. ita S. Hieron. in 1. Malach. Cyrill. catech. 4. mystagog. Damasc. l. 4. c. 14. Isych. & Rupert. Hic panis est duarum decimarum, id est duarum naturarum: Christus enim & Deus est & homo. suntque 12. panes: quia primi cœnam hanc Eucharisticam cœnauerunt duodecim Apostoli. imponitur eis thus, id est gratiarum actio, & oblatio, quæ principatum tenet in Dominica cœna, inquit Isychius. non licet eos comedere nisi in loco sancto, id est in pura & sancta anima ac conscientia. D

Decima quid. QVI SINGVLI HABEBVNT DVAS DECIMAS] Decima erat decima pars ephi, siue trium modiorum. Ephi enim erat decima pars cori, id est 30. modiorum. Iosephus l. 3. c. 3. decimam vocat assaronem, dicitque eam continuisse 7. cotylas. Cotyla autem, inquit Ribera, 9. vnciarum erat mensura; ergo decima habuit 63. vncias, id est 5. libras & 3. vncias: duæ verò decimæ, & singuli panes inde confecti erant decem librarum cum dimidia. Verùm in fine Pentateuchi ostendam, gomor, siue assaronem fuisse mensuram continentem 8. libras, siue 96. vncias aquæ, aut vini, aut frumenti Palæstini. Hæc enim omnia æquè ponderant teste Vilalpando. Porro vas continens 8. libras frumenti Palæstini, tantùm continebat 5. libras farinæ eiusdem cum 4. vnciis. Frumentum enim Palæstinæ nostro longè est melius, densius & ponderosius. Cùm ergo tritici nostri vas aliquod, v. g. gomor, det farinæ (farina enim molendo fit rarior, itaque leuior frumento) gomor, & insuper tertiam partem gomor, vti nostri molitores, qui id studiosè obseruarunt, testantur; tritici Palæstinæ gomor vnum dabit farinæ gomor cum dimidio. Quare cùm gomor cum dimidio farinæ, æquiponderet suo gomor tritici, ex quo molitum est, hinc sequitur, quòd gomor tritici ponderans 8. libras, dederit sesquigomor farinæ, ita vt gomor farinæ ponderarit 5. libras cum 4. vnciis: sic enim sesquigomor farinæ ponderabat 8. libras sui tritici, ex quo molitum est. Gomor ergo, siue assaron tritici Palæstinæ, continebat 5. libras farinæ cum 4. vnciis: duo gomor, & panis inde confectus continebat 10. libras cum 8. vnciis. His adde pondus aquæ, quæ miscetur farinæ, vt fiat panis; quod pondus facilè est quarta pars ponderis farinæ. nam 3. vnciæ farinæ, facilè, ob aquam immistam, dant 4. vncias panis, vti nostri pistores testantur: quare 10. libræ cum 8. vnciis duorum assaronum farinæ, dabant ob aquam immistam panis libras 13 cum dimidia. Singuli ergo hi panes erant 13. librarum cum dimidia. Magni ergo erant hi panes, & totam penè mensam (vtpote paruam) occupabant: nimirum, magno Deo, & magna danti, magna reddenda sunt, præsertim à tota aliqua tribu & populo. *Singuli panes propositionis erant tredecim librarum cum dimidia.*

Denique censet Vilalpando, singulos hosce panes habuisse duo gomor farinæ, in memoriam eius, quòd Deus feria sexta, pro ea, & pro sabbato sequente (quo quiescendum erat) depluebat duo gomor manna, Exodi 16. v. 22. Addit ipse & alij, duas decimas similæ, continuisse 12. libras, & addita aqua in pane 16. libras. Verùm sic nimis magni & immanes fuissent hi panes. quod vt euitent alij, vt Robertus Cenalis, & Alcazar, qui exactè de priscis Hebræorum mensuris scripserunt, hic & alibi decimam accipiunt, non ephi, sed gomor, cuius decima pars erant vnciæ penè 10. quæ duæ decimæ, confecissent panem 19. circiter vnciarum, id est vnius libræ, ac 7. vnciarum. Verùm huic sententiæ obstat, quòd S. Scriptura & Iosephus asserant & exprimant hanc decimam esse assaronem, esseque decimam non gomor, sed ephi, Exodi 16. v. vlt. Adde, sic satis exigui fuissent hi panes. Maneat ergo quod dictum est, panes hos fuisse 13. librarum cum dimidia. *Decimam non ephi, sed gomor, accipit Rob. Cenalis.* *Refellitur.*

SVPER MENSAM PVRISSIMAM] super mensam auream. VERS. 6.

VT SIT PANIS IN MONVMENTVM OBLATIONIS DOMINI] q. d. Vt panis iste sit iuge memoriale oblationis iugis, quam hoc pane Hebræi Domino

mino faciunt. vnde ex Hebræo ita vertas, *pones super eos thus*, & *thus sit pani in memoriale ignitionis*, id est, *ignitæ oblationis Domini*. q.d. Impones panibus thus, vt thus significet panem Deo oblatum, & iugem hanc panum oblationum Domino fieri: thus enim soli Deo per ignem adoletur. Aliter vertunt & explicant Vatabl. & Caietan. sic videlicet, *vt thus sabbato vice panis fiat ignitio*, id est, in igne adoleatur Domino. nam *memoriale* cap. 2. & alibi vocatur illa pars minchæ, quæ Domino adolebatur loco totius minchæ.

VERS. 8. PER SINGVLA SABBATA MVTABVNTVR] ne scilicet nimis desiccentur, aut corrumpantur, fiantque inepti ad esum. ita Abulens.

SVSCEPTI A FILIIS ISRAEL] q.d. Quorum materia, id est farina, data sit à filiis Israel, sed pista à Leuitis.

FOEDERE SEMPITERNO] Quia hi panes sunt quasi symbolum perpetuum fœderis initi inter me & populum, illiusque memoriam continuò ingerunt. Simile dixi de sale fœderis c. 2. v. 13.

Etiam tempore schismatis oblati sunt panes duodecim.

Hinc censet Abulens. etiam tempore schismatis sub Ieroboam, semper panes hosce fuisse Domino oblatos, eosque numero 12. vti præscriptum est v. 6. tum quia multi ex 12. tribubus in hoc schismate adhæserunt duabus tribubus, Deo & templo: tum quia hîc dicitur, hosce panum ritus seruandos esse fœdere sempiterno, id est quamdiu duratura erat lex vetus & iudaismus. Simili modo 12. lapides in rationali manserunt tempore schismatis; imò post euersionem decem tribuum: nam Iosephus testatur se eos vidisse in rationali.

VERS. 9. ERVNTQVE AARON ET FILIORVM EIVS, VT COMEDANT EOS IN LOCO SANCTO] in atrio tabernaculi. Non est verisimile, crescente numero sacerdotum, 12. hosce panes fuisse dispartitos per omnes omnino sacerdotes: sic enim quisque ex eis non habuisset frustulum, sed cùm sacerdotes distributi essent in 24. classes, vt patet 1. Paral. 24. quarum quæque suam septimanam ministerij per vices obibat in tabernaculo; verisimile est, quamque classem panes suæ septimanæ inter se distribuisse. ita Abulens. Ex hoc loco colligitur, solis masculis filiis sacerdotum edere licuisse hos panes; atque hoc est quod ait Christus Matth. 12. 5. *Quos* (panes propositionis) *non licebat ei edere, nisi solis sacerdotibus*. Hoc etiam indicant hîc sequentia: *Quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini*.

Panes hi à solis masculis filiis sacerdotum comedebantur.

q.d. Panes hi comedentur tantùm à sacerdotibus, eorumque filiis, quia sanctissimi habentur, & sunt inter oblationes Domini; offeruntur enim in ipso Sancto, cùm ipsæ victimæ offerantur extra Sanctum in atrio. quæ autem valdè sancta erant, hæc à solis masculis stirpis sacerdotalis comedi poterant, vt colligitur Numer. 18. 10.

Nota. Panum horum oblatio non erat sacrificium propriè dictum: nulla enim in iis fiebat immutatio. Vocantur ergo hîc sacrificium, id est oblatio, per catachresin. Noster tamen Gabriel Vasquez 3. p. disp. 220. nu. 28. censet, hosce panes fuisse sacrificia: quia, inquit, coquebātur à sacerdotibus in clibano, idque in loco sancto, putà in atrio, quasi hæc coctura fuerit eorum immutatio & sacrificatio. Verùm hoc & incertum est, vti iam dixi, & insufficiens. nam in clibano farina immutabatur, non panis. Adde, hæc coctura & immutatio fiebat in clibano, non in altari: altare autem est proprius locus sacrificij; vnde & mincha, siue panis coctus in sartagine, craticula aut clibano non erat sacrificium, nisi cùm in altari pars eius adolebatur Deo, vt patet Leuit. 2.

An panes propositionis fuerint sacrificia?

VERS. 10. ECCE AVTEM EGRESSVS, &c. IVRGATVS EST] q.d. Ecce autem cœpit iurgari Ægyptius: sic enim *egredi* subinde capitur, pro aggredi & incipere quippiam, vt Exodi 2. v. 1. Deut. 13. v. 13. Intexitur hæc historia hîc, quia contigit sub idem tempus, quo datæ sunt præcedentes leges. Causa iurgij non exprimitur. Iudæi dicunt eum iurgatum esse, eò quòd esset ebrius. Verùm hoc refutat Abulens. nam Hebræi in deserto carebant vino & sicera, atque solo manna & aqua viuebant. neque excedebant in cibo & potu, sed æquè multum quotidie comedebant, videlicet vnum gomor. Alij suspicantur eum voluisse figere tabernaculum cum Danitis, eò quòd esset ex matre Danita, licet patrem haberet Ægyptium, indeque ortum esse iurgium: verùm & hi diuinant.

Egredi est aggredi & incipere.

Iudæi non inebriabāt se in deserto, cur?

VERS. 11. CVM BLASPHEMASSET NOMEN Domini, ET MALEDIXISSET] Iudæi vertunt, *protulit illud nomen* (Dei scilicet tetragrammaton, quod antonomasticè vocatur הַשֵּׁם *hassem*, id est nomen) *& maledixit*. Vnde putant ipsi eum duo peccata admisisse, primum, quòd pronuntiauerit nomen Dei tetragrammaton, quod Iudæis est ineffabile, secundum, quòd maledixerit. Verùm errant, vnum enim tantum fuit eius peccatum, scilicet blasphemia seu maledictum in Deum. Vnde Hebræa ita vertenda sunt, *perforauit*, id est blasphemauit, *illud nomen* (sanctum & augustum Dei) *& maledixit*. נָקַב *nakab* enim, siue קָבַב *kabab* significat *cauare, perforare*, & inde per metaphoram euacuare honorem, id est maledicere & blasphemare.

Fabulantur Rabbini blasphemum hunc fuisse filium illius Ægyptij quem occidit Moses, Exodi 2. v. 12. quodque ipse Deum primò blasphemarit, deinde Mosi maledixerit, volens vlcisci mortem patris sui: Deus verò curam habens suorum, magis voluit vlcisci iniuriam Mosi, quàm propriam, ideo dixit, Educ maledicum, & non, Educ blasphemum. ita isti fabularum figuli.

Alleg. blasphemus hic significat Antichristum, ait Radul. erat enim de tribu Dan, ex qua pariter nascetur Antichristus; vnde omnes Danitæ Antichristo, quasi cognato suo, adhærebūt, & vix vllus ex iis Christo crediturus est, ideoque Apoc. 7. vbi è singulis tribubus electi signantur & enumerantur, sola tribus Dan omittitur, vti exponunt ibidem Aretas, Beda, Haymo, Ansel. Rupert. & Irenæus l. 5. 30. Mater blasphemi vocatur *Salumith*, id est *retributio*, filia *Dabri*, id est *loquela*, quia damnatio cui Antichristus destinatus est, blasphemiis eius retribuetur: lapidabit eum omnis populus, quia omnes electi in die deiectionis eius, eum condemnabunt, & sententia sua in abyssum præcipitabunt.

Blasphemus hic Danita fuit typus Antichristi ex Dan nascituri.

VERS. 14. PONANT OMNES QVI AVDIERVNT (blasphemiam eius) MANVS SVAS SVPER CAPVT EIVS, ET LAPIDET EVM POPVLVS VNIVERSVS] Moris erat apud Iudæos, vt testes super caput rei manus imponerent, quasi significantes hoc caput esse impium contra quod ferant testimonium, ideoque mortis esse reum. Addit Lyranus eos dicere solitos: *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos*. quasi dicerent, Tuo capiti mortem tuam imputa, non nobis. Vnde super caput alicuius manus imponere, est contra eum ferre testimonium, vt patet Dan.

Testes imponebant manus suas reo, cur?

Dan.13.34. Aliam causam dat Oleaster, videlicet impoſuiſſe veteres manus ſuper caput rei, tamquam ſuper hoſtiam piacularem: huic enim manus imponebantur, vt patet ex dictis c.4.4.& 24. & c.16.v.21. Blaſphemia enim, idololatria, & ſimilia grauia crimina niſi vindicentur, videntur ſui enormitate aſſiſtentes & vicinos, adeoque totam regionem polluere, & reddere obnoxiam diuinæ vindictæ: quam vt auertant, Deo nocentem & reum dedunt, manuſque ei imponunt, quaſi hoc ritu reipſa precentur, vt Deus in eum omnem peccati pœnam deuoluat, nec in regionem aut populum crimen admiſſum vindicet. Simili modo idololatræ manus imponi iuſſit Deus Deuter. 17.v.7. Vide & Deuter.21.v.6.7.8.9. Meritò autem, inquit Theod.q.33. blaſphemiæ aptauit legem & pœnam homicidij, eiuſque reum lapidari iuſſit, quia blaſphemator creatorem cùm interficere non poſſit, lingua ferit. Vnde S. Auguſt. in illud Matth.26.65. *blaſphemauit; Non minùs*, ait, *peccant qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris*. vt non mirum ſit, leges omnes ciuiles, canonicas & diuinas tam ſeuerè in blaſphemos animaduertere.

Blaſphemi puniuntur morte.

Exempla.

Nota eſt etiam pœna blaſphemi Sennacherib, qui ob blaſphemiam cum 185. millibus cæſus eſt: ſic & Paulus blaſphemum tradidit Satanæ, 1. Timoth.1.v.vlt.

Diſce hic, quantum crimen ſit blaſphemia, quamque acriter illud puniat Deus, etiam in hac vita. Nam de futura ſtat ſententia Chriſti: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ita blaſphemus Pharao, dicens: *Non noui Dominum*, merſus eſt in mari rubro. Ita Syri dicentes: *Deus montium eſt Dominus eorum, & non eſt Deus vallium.* multi à paucis Iſraelitis in valle prælio cæſi ſunt, 3. Reg. 20. Ita blaſphemus Antichriſtus deiicietur in tartara, Apocal.13.6.& c.19.20.

Narrat Gregor. Turon. lib.2. Hiſt.c.7.& Sidonius lib.8.epiſt.penult. quòd, cùm Aureliam obſiderent Gothi, Anianus vrbis Epiſcopus cum clero Litanias per muros decantabat: audiens id ſacerdos apud Gothos captiuus exclamauit: *Caſſa ſpe duceris Aniane, ſi verbis aduerſarios abigi poſſe credis: eædem precationes aliis vrbibus non profuerunt.* Audierunt Sancti, & ilico blaſphemum vita ſpoliauerunt.

Iulianus Apoſtata in bello Perſico, diuinitus lancea inter coſtas percuſſus, ſanguinem ſuum manu in cælum iaculatus: *Exple*, inquit, *iram tuam Galilæe* (ita Chriſtum vocabat.) *Viciſti, viciſti.* ita Sozom. Ruffinus, Eutropius.

Arrius in Filium Dei blaſphemus, aluum purgaturus, viſcera effudit, & expirauit.

Neſtorij lingua à vermibus eroſa eſt, eò quòd dixiſſet B. Virginem eſſe Chriſtiparam, non Deiparam.

Olympius Epiſc. Arrianus, Carthagine in Elyanenſium balneo lauans, cùm Trinitatem publicè blaſphemaret, tribus ictus iaculis, tamquam fulminibus conſumptus eſt, anno Chriſti 510. teſtis eſt Paulus Diaconus libr.15. in Anaſtaſio.

Frederic. II. Imp. dicebat, *Tres fuere inſignes impoſtores, qui humanum genus ſeduxerunt, Moſes, Chriſtus, Mahomet*; vnde ab Innocentio IV. in Concilio Lugdun. damnatus, imperioque ſpoliatus eſt. Refert hanc eius blaſphemiam Lipſius 1. Monit. Politic.4. Iſta vetera, hæc noſtri ſunt æui & ſoli.

Hæretici Hallas (oppidum id eſt prope Bruxellas ſtatua B. Virginis miraculoſa celebre) capere cogitabant. Ex illis vnus accedens ad vrbem: *Ego*, ait, *meis manibus Hallenſi muliercula* (ita vocabat ſtatuam B. Virginis) *naſum abſcindam.* Audit Virgo, & procurat vt eidem plumbèa grande ex vrbe miſſa naſus auferatur. Vixit ille miſer, nomine Iohan. Zwickius, fuitq; ipſimmet Hollandis aſſiduo ludibrio multos annos, & fortè etiamnum viuit. res eſt notiſſima.

Decem ſunt anni, ex quo Hollandi B. Virginis Sichenenſis ſacellum expilarunt: ab illo tempore Oſtendam perdiderunt, omniaque illis infeliciter (cùm priùs feliciter) ceſſerunt. Fuit inter eos eques habens equum cæcutientem, qui veniens ad ſacellum irridens dixit: *Si Maria hîc miracula facit, illuminet meum equum.* Audiit Virgo blaſphemiam, moxque equo viſum reſtituit, ipſum verò equitem blaſphemum excæcauit. Id ante mortem, & in morte confeſſus fuit ſocius eius, qui ob aliud crimen Werteti extremo ſupplicio affectus eſt, vti ipſemet Weertenſis Prætor, qui ſupplicio & quæſtioni præfuit, ſcripſit ad me, qui tum ad B. Virginem Sichenenſem in miſſione degebam, & mira Virginis ope manus Hollandorum effugi.

PECCATVM] pœnam peccati. VERS.15.

QVI BLASPHEMAVERIT MORTE MORIATVR, &c. SIVE CIVIS ILLE, SIVE PEREGRINVS FVERIT] etiam Gentilis & incircumciſus. Hic enim ex more & iure gentium, ſortietur forum Iudaicum ratione delicti ibi commiſſi, ſicut blaſphemus hic, licet Ægyptius, à Moſe tamen & Iudæis ſupplicio affectus eſt. VERS.16.

REDDET VICARIVM, ID EST ANIMAM PRO ANIMA] putà animal viuum vice animalis à ſe occiſi. VERS.18.

QVI IRROGAVERIT MACVLAM] id eſt cicatricem, aut mutilationem, vt ſequitur. VERS.19.

FRACTVRAM PRO FRACTVRA] Vt ſi fregerit alteri pedem vel manum, eidem frangatur pes vel manus. VERS.20.

QVI PERCVSSERIT (occiderit) HOMINEM, PVNIETVR] Hebr. *morietur*, putà occidetur: repetit enim hîc generatim legem talionis v.17. propoſitam, quam hucuſque variis exemplis illuſtrauit. Probabile eſt, inquit Abulenſ. quod nonnulli DD. aſſerunt, ſcilicet pœnam talionis debuiſſe irrogari à iudice, ſi læſus illam peteret; quòd ſi non peteret eam, ſed mallet pecuniam, tunc iudex non tenebatur, imò non poterat infligere pœnam talionis. VERS.21.

Pœna talionis non infligebatur, niſi læſo petente.

CA-

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribitur annus septimus remissionis, & v. 8. annus quinquagesimus iubileus, quo omnes redibant ad pristinas suas hereditates, & serui Iudæi manumittebantur, fiebantque liberi, v. 39.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens: 2. Loquere fi-
lijs Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vo-
bis, sabbatizes sabbatum Domino. 3. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis pu-
tabis vineam tuam, colligesque fructus eius: 4. septimo autem anno sabbatum
erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis. 5. Quæ
sponte gignet humus, non metes: & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vin-
demiam: annus enim requietionis terræ est: 6. sed erunt vobis in cibum, tibi &
seruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ, qui peregrinantur apud te: 7. iu-
mentis tuis & pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum. 8. Numerabis
quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt
quadraginta nouem: 9. & clanges buccina mense septimo, decima die mensis,
propitiationis tempore in vniuersa terra vestra. 10. Sanctificabisque annum quin-
quagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim
iubileus. Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam
pristinam: 11. quia iubileus est & quinquagesimus annus. Non seretis, neque mete-
tis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis, 12. ob sanctifi-
cationem iubilei, sed statim oblata comedetis. 13. Anno iubilei redient omnes ad
possessiones suas. 14. quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contri-
stes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo, 15. & iuxta
supputationem frugum vendet tibi. 16. Quanto plures anni remanserint post iubi-
leum, tanto crescet & pretium: & quanto minus temporis numeraueris, tanto mi-
noris & emptio constabit. tempus enim frugum vendet tibi. 17. Nolite affligere
contribules vestros, sed timeat vnusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus
vester. 18. Facite præcepta mea, & iudicia custodite, & implete ea, vt habitare possi-
tis in terra absque vllo pauore, 19. & gignat vobis humus fructus suos, quibus ve-
scamini vsque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. 20. Quòd si dixeri-
tis: Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges no-
stras? 21. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium an-
norum: 22. seretisque anno octauo, & comedetis veteres fruges vsque ad nonum
annum: donec noua nascantur, edetis vetera. 23. Terra quoque non vendetur in
perpetuum: quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei estis. 24. vnde cuncta regio
possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. 25. Si attenuatus fra-
ter tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus eius, potest redi-
mere quod ille vendiderat. 26. sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium
ad redimendum potuerit inuenire: 27. computabuntur fructus ex eo tempore
quo vendidit: & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem
suam. 28. quòd si non inuenerit manus eius vt reddat pretium, habebit emptor quod
emerat, vsque ad annum iubileum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum,
& ad possessorem pristinum. 29. Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habe-
bit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. 30. si non redemerit, &
anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius, in perpetuum,
& redimi non poterit, etiam in iubileo. 31. Sin autem in villa fuerit domus, quæ
muros non habet, agrorum iure vendetur. si antè redempta non fuerit, in iubileo re-
uertetur ad dominum. 32. Ædes Leuitarum, quæ in vrbibus sunt, semper possunt
redimi: 33. si redemptæ non fuerint, in iubileo reuertentur ad dominos, quia do-
mus vrbium Leuitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. 34. Suburbana
autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est. 35. Si attenuatus fuerit
frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & vi-
xerit tecum, 36. ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quàm dedisti. Time Deum
tuum, vt viuere possit frater tuus apud te. 37. Pecuniam tuam non dabis ei ad
vsuram, & frugum superabundantiam non exiges. 38. Ego Dominus Deus vester,

qui eduxi vos de terra Ægypti, vt darem vobis terram Chanaan, & essem vester Deus.
39. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes serui-
tute famulorum, 40. sed quasi mercenarius & colonus erit: vsque ad annum iubi-
leum operabitur apud te, 41. & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad
cognationem & ad possessionem patrum suorum. 42 mei enim serui sunt, & ego
eduxi eos de terra Ægypti. non veneant conditione seruorum: 43. ne affligas eum
per potentiam, sed metuito Deum tuum. 44. Seruus & ancilla sint vobis de natio-
nibus quæ in circuitu vestro sunt. 45. Et de aduenis qui peregrinantur apud vos,
vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos: 46. & hereditario
iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. fratres autem vestros filios
Israel ne opprimatis per potentiam. 47. Si inualuerit apud vos manus aduenæ at-
que peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius:
48. post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum,
49. & patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin autem & ipse potuerit,
redimet se, 50. supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis suæ vsque ad an-
num iubileum: & pecunia, qua venditus fuerat, iuxta numerum & rationem mercena-
rij supputata. 51. Si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum, secundùm
hos reddet & pretium. 52. si pauci, ponet rationem cum eo iuxta annorum nume-
rum, & reddet emptori quod reliquum est annorum, 53. quibus antè seruiuit mer-
cedibus imputatis: non affliget eum violenter in conspectu tuo. 54. Quòd si per
hæc redimi non potuerit, anno iubileo egredietur cum liberis suis. 55. Mei enim
sunt serui, filij Israel, quos eduxi de terra Ægypti.

VERS. 2. QVANDO INGRESSI FVERITIS TERRAM QVAM EGO DABO VOBIS, SABBATIZET IS SABBATVM DOMINI] id est obseruate sabbatum seu quietem terræ facite vt terra septimo anno quiescat. Vnde Hebræa, Chald. Septuag. & nonnulla Latina habent: *sabbatizet*, id est quiescat, *terra sabbato Domini*, id est quiete ordinata ad honorem & cultum Domini. Erat enim hæc lex cæremonialis spectās cultum diuinum, iubensq; celebrari communiter ab omnibus annum septimum, sicut diem septimū: annus ergo septimus quisque erat sabbatum, id est quies terræ: inde hi anni vocati sunt sabbatici. Hoc terræ sabbatum instituit Deus, vt ipsa vacatio terræ, ait S. August. q. 89 esset velut merces habitationis, & quasi pretium redemptionis ab illo cuius est, id est ab eius creatore Deo, vt scilicet Hebræi pro terra sibi à Deo data, illi hoc sabbatum, quasi cultum & hommagium quoddam rependerent.

Annum septimum Deus iussit esse sabbaticum.

Nota *τὸ quando ingressi fueritis terram*: nam ante ingressum, putà in deserto, hæc lex anni septimi, vti & iubilei, obseruata non fuit. Annus enim septimus, & iubileum sunt inducta ad soluenda debita, labores & seruitutes; iam nulla erant debita in deserto, cùm nulla ibi esset inopia: nec ibi laborabant, aut terram colebant, cùm omnes è cælo æqualiter alerentur manna, & vestirentur iisdem semper vestibus manentibus integris & incorruptis, vt patet Deuteron. 8. 4. In deserto quoque non erant seruitutes, quæ propter hæc debita & necessitates corporales, apud Iudæos inductæ sunt, vt innuitur v. 39.

In deserto non seruarunt annū sabbaticū, nec iubileū, cur.

QVANDO INGRESSI FVERITIS TERRAM] supple & possederitis, vt eam colere possitis; nam, vt sequitur, *Sex annis feres agrum tuum, septimo autem anno sabbatum*, id est quies, *erit terra*. Non poterat ergo anni tam sabbatici quàm iubilei, (nam ex annis sabbaticis dependet, & computandus est annus iubilei, vti mox dicam) numeratio inchoari priùs, quàm terræ promissæ possessionem acciperent Hebræi, nactaque pace & quiete colere eam possent. quomodo enim colerentur agri nondum occupati? aut à nōdum cultis numeraretur annus

A sabbaticus? Vnde patet, inchoationem annorum sabbaticorum & iubileorum inchoandam esse ab anno, quo terra à Iosue Hebræis per sortem est diuisa; tunc enim populus in possessionem illius introductus, colere agros cœpit: id verò accidit anno ab exitu ex Ægypto 47. vt colligitur Iosue 14. v. 10. qui fuit Iosue post Mosis obitum septimus: mundi verò 2500. ergo ab eiusdem anni mense 7. die 10. numeratio annorum sabbaticorum & iubileorum est inchoāda. ita Serarius in Iosue 13. q. 14. in fine, vbi refellit Rabbinos in Seder olam, qui hos annos inchoant à posteriore terræ diuisione, quæ facta est anno, non 7. sed 14. in Silo. Ab hoc ergo anno mundi 2500. computando deinceps, 105. annus sabbaticus incidit in annū 15. Ezechiæ regis vt patet tum ex chronologia, tum ex 4. Reg. 19. 29. collato cum 4 Reg 18. 13. Et consequenter 121. annus sabbaticus incidit in annum 9. Ioakim filij Iosiæ, ita vt annus primus Sedeciæ fuerit annus quartus hebdomadæ sabbaticæ 121. vt patet Ierem. 28. 1. ita Vatabl. ibi, & Scaliger in Emend. B temp.

Anni sabbatici & iubilei numerari cœperunt anno septimo Iosue, qui fuit annus mūdi 2500.

Malè ergo quidam annos sabbaticos inchoant ab anno primo Iosue, quo Hebræi ingressi sunt Chananæam, pugnantes contra Iericho, cùm inchoandi sint ab anno septimo Iosue, quo subacta tot bellis terra, eam diuidere & colere cœperunt: inde enim sequens annus septimus fuit sabbatum terræ, colique debuit vt sabbatum, & ab eo cōsequenter septimus quisque annus erat sabbaticus: atque post septem annos sabbaticos, putà post 49. (septies enim septem sunt 49) annos completos, annus sequēs quinquagesimus erat iubileus, vt patet v. 8. Primum ergo iubileum numerari cœpit ab anno mundi 2500. qui annus fuit iubileus mundi quinquagesimus; quinquagies enim 50. faciunt 2500 hoc ergo anno mundi 2500. exit iubileus mundi 50. & incipit 51. Exeunte ergo iubileo mūdi quinquagesimo, succedit numeratio annorum iubileorum Mosis, ita vt quinquagesimus primus iubileus mundi, fit initium & exordium primi iubilei Mosaici; ita vt exinde anno quinquagesimo, putà

Iubileum computatur ab annis sabbaticis.

Iubileum Mosis numerari cœpit à mūdi iubileo quinquagesimo.

putà anno mundi 2550. celebratum sit primum iubileum Mosaicum. Hinc sequitur, Christum natum esse in fine vigesimi noni iubilei Mosaici. Nam primus iubileus Mosis cœpit anno mundi 2500. à quo si iubileos per 50. annos numeres vsque ad annum mundi 3950. quo natus est Christus, inuenies vsque ad Christum fluxisse præcisè iubileos 29. *Christus natus est in fine 29. iubilei Mosaici.*

Vers. 5. VVAS PRIMITIARVM TVARVM NON COLLIGES] *Vuas primitiarum*, quas scilicet anno septimo, quasi primo septennij sequentis, velut primitias Domino, vt scilicet à pauperibus colligantur, in Dei honorem relinquis. vnde hebr. hæ vuæ vocantur נזירך *neziretha*, id est nazareatus, hoc est *sanctificationis*, vt vertunt Septuaginta; vel *separationis*, vt Chaldæus; quas videlicet anno hoc septimo intactas relinquebãt, Deoq; quasi separabãt. Quatuor ergo erant insignia & priuilegia anni septimi, siue B sabbatici. Primum, quòd eo anno Iudæi non poterant serere, non metere, non putare, non vindemiare, sed quies dabatur agris & vineis, atque fructus ex ijs sponte enati, erant communes omnibus hominibus & animalibus, vide dicta Exod. 23. 11. *Quatuor priuilegia anni septimi, siue sabbatici. Primum.*

Secundum. Secundum, quòd anno hoc septimo fiebat remissio omnium debitorum, si is, qui debebat, genere Iudæus erat, non autem si peregrinus & Gentilis. id patet Deuter. 15. 2. & sequent. Quæ sanè lex insolita & mira fuit. Vnde Deuter. 15. 9. dicitur: *Caue ne dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare, sed dabis ei, nec ages quippiam callidè in eius necessitatibus subleuandis.* & mercedem addit, dicens: *Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in* C *cunctis ad qua manum miseris.* q. d. Si hanc legem remissionis debitorum serues, Deus tibi debitum omne sua benedictione abundè compensabit. Nam, vt ait Sapiens Prouerb. 19. v. 17. *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.*

Tertium. Tertium, quòd hoc anno erat remissio & solutio seruitutis: serui enim Hebræi manumittebantur, vt patet Exodi 21. 2. Vide ibi dicta. Sin seruus non esset Hebræus, sed alienigena, perpetuò manebat seruus, vt hîc dicitur v. 46.

Quartum. Quartum, hoc anno iussum est legi Deuteronomium coram toto populo, Deuter. 31. 10 Horum annorum sabbaticorum, quòd à Iudæis seruati vel neglecti sint, mentio est Ierem. 34 14 & 4. Reg 19. 29. & 1. Machab 6. 53. & apud Iosephum lib. 13. c. 15. & lib. 14. c. 28.

Vers 8. 9. & 10. NVMERABIS QVOQVE TIBI SEPTEM HEBDOMADAS ANNORVM, &c. ET CLANGES BVCCINA D MENSE SEPTIMO, DECIMA DIE MENSIS, SANCTIFICABISQVE ANNVM QVINQVAGESIMVM] Describitur hîc annus iubileus: iubetur hîc ergo vt anno non 50. siue iubilei, vt vult Serarius, sed 49. præcedente iubileum clangant, & promulgēt, sequentem annum quinquagesimũ fore iubileum, vt quisque ad eum se disponat: nam annus 49. non erat annus iubilei, sed erat annus sabbaticus.

Errare ergo videntur Radulphus, Hugo Cardin. Gerardus Mercator in Chronolog. & Iosephus Scaliger libr. 5. qui putant annum 49. fuisse iubileum, eum tamen dici, & esse quinquagesimum, si in hoc numero comprehendas annum quinquagesimum, siue iubileum, præcedentem: hunc enim debere numerari, & ab eo inchoandam esse numerationem anni 50. siue iubilei se-

A quentis. Errant, inquam, quia sic iste annus 50. bis numeraretur, scilicet primò, cùm est vltimus, & 50. siue iubileus: secundò, prout idem est initium iubilei sequentis. Vnde hanc sententiam refutant S. Cyrillus, Ambrof. Clemens, Beda, S. Hieron. Cassiodorus, Isidorus, Abulensis, Oleaster, & ex ijs fusè Serarius in Iosue 13. quæst. 14.

Hinc errant ijdem Secundò, dum putant coincidisse annum iubileum cum sabbatico, ne duo, inquiunt, anni otij concurrerent: hinc enim sequeretur, vel iubileum celebratum esse anno non 50. sed 49. vel annum sabbaticum celebratum esse, non septimo, sed octauo anno. quorum vtrumque repugnat huic sanctioni Dei. Annus ergo 49. erat sabbaticus, sequens verò 50. erat iubileus: quod intellige de primo iubileo. nam sequenti, siue secundo iubileo, inter annum sabbaticum & iubileum intercessit vnus annus: tertio verò iubileo intercesserunt duo anni: quarto tres, & ita consequenter, vsque dum reditu septimi iubilei coinciderent annus sabbaticus & iubileus. Cuius rei ratio & origo erat, quòd iubileus sequens semper à præcedente iubileo, siue anno 50. numerabatur, annus verò sabbaticus semper à priore sabbatico, siue septimo computabatur. Hinc enim fit, vt singuli iubilei vno anno distent à 7. sabbaticis, siue 49. annis, quod videbis ad oculum, si hosce annos duplices; bis enim 49. faciunt 98. ergo annus 98. erat decimus quartus sabbaticus, cùm secundus iubileus esset annus centesimus. Pari modo si 49. triplices, efficies 147. ita vt annus 147. fuerit vigesimus primus sabbaticus, cùm tertius iubileus esset 150. vbi clarè vides duos annos interiici inter sabbaticum & iubileum, quod ordine fuit tertium. Octauo ergo quolibet iubileo, consequebantur sese immediatè annus sabbaticus & iubileus: itaque tunc Iudæi duos consequentes annos habebant otij, quibus nec serere, nec metere licebat; sed Dominus promiserat, se in eos annos Hebræis daturum duplum, imò triplum messis solitæ, vt patet hîc v. 21. Idem accideret Christianis, si festa seruarent, vti debent. *Non coincidebat annus iubileus cum sabbatico, sed eũ sequebatur.* *Ordo & distantia annorum sabbaticorum & iubileorum.*

Symbolicè Francisc. Valesius de Sacra Philos. cap. 21. Deus, inquit, iubileum per 7. annorum septennia descripsit, appositè ad annos climactericos, id est scalares. Ii sunt qui singulis septenniis clauduntur, putà annus 7. 14. 21. 28. 35. 42. sed maximè 49. & 63. eò quòd 49. ex septem septenniis, 63. nouem septenniis constetur. Hi anni vocantur scalares, eò quòd in ijs vita hominis, quasi per scalæ gradus ascendat. Gradus enim sunt ipsa septennia, in quibus singulis insignes in quolibet ætatis & vitæ mutationes accidunt, multosq; morbis tentari, quin & emori contingit, præsertim anno 49. & 63. quem proinde meritò Augustus Cæsar ita formidabat. Iubileum ergo appositè constitutum est post septimum septennium, quasi post vitam vnius hominis & generationis succedat nouum sæculum, nouaque ætas & generatio, in qua proinde omnia renouanda, atque ad auitas possessiones reducenda sint.

Mysteria septenarij (quæ continet annus sabbaticus & iubileus) afferam Deuter. 5. v. 12.

MENSE SEPTIMO DECIMA DIE MENSIS] Nota. Vers. 9.
Alia Iudæorum festa incipiebant à Nisan, id est Martio, hic enim primus erat mensis anni sacri, vt patet Exod. 12. 1. Annus verò sabbaticus & iubi-

leus non incipiebant à Nisan, vt vult Abulens. sed à Tisri, siue mense septimo, qui erat initium anni communis & profani. ita Burgensis, Pererius, Scaliger, & ex iis Serarius in Iosue 13. q. 14. Ratio erat, quia si hi anni cum cæteris festis incepissent à Martio, tunc Iudæi perdidissent messem illius anni, qui sequebatur Martium: hisce enim annis, vtpote sabbaticis, erat sabbatum, id est quies terræ, ita vt nec metere, nec serere liceret. quare perdidissent tunc Iudæi messem instantis, & etiam sequentis anni: cùm enim illo anno serere non possent, cõsequenter sequentis anni æstate metere nõ poterant. Quare in octauo iubileo, cùm concurreret annus sabbaticus & iubileus, ita vt iubileus proximè sequeretur sabbaticum, perdidissent messem trium annorum. Iam verò incipiendo à Tisri, siue mense septimo, perdebant vti sementem, ita & messem illius vnius tantùm anni, duorum verò si concurrerent annus sabbaticus & iubileus.

Alia festa à Nisan, iubileus à Tisri incipiebat. cur?

A

B

PROPITIATIONIS TEMPORE] putà in die & festo expiationis, quod celebrabatur decima die mensis septimi, vti dictum est cap. 23. v. 27. illo enim die in vniuersa terra Israel, vti hîc dicitur, in singulis vrbibus buccinatores erant, qui clangore buccinæ iubileum fore proximo anno proclamarent. Aptè id fiebat in festo propitiationis, quia in iubileo futura erat plena remissio & propitiatio.

VERS. 20. SANCTIFICABISQVE, id est, sanctum & mihi dicatum denuntiabis proximum ANNVM QVINQVAGESIMVM] Vide canonem 11. Aliter Ribera, *sanctificabis*, inquit, id est præparabis populũ celebritati anni 50. Sic *sanctificare* sumitur pro præparare Isaiæ 13. v. 3. *Ego mandaui sanctificatis meis*, id est, Persis & Medis, quos præparaui vt deleant imperium Chaldæorum.

Sanctificare pro præparare.

C

ET VOCABIS REMISSIONEM] id est, proclamabis illo anno fore remissionẽ seruitutum, debitorũ, & bonorum alienatorũ. Si enim anno septimo fiebat remissio debitorum, vt patet Deuter. 15. v. 2. multò magis ea remissio fieri debebat anno 50. siue iubileo, qui erat annus plenissimæ remissionis.

In iubileo erat remissio, Primò, seruitutũ; Secundò, debitorum; Tertiò, bonorum alienatorum.

IPSE EST ENIM IVBILEVS] Hebr. *ipse est enim iobel* vel *iobeleus*. Sic enim alijs punctis suppositis legunt Iosephus, S. Hieron. in caput 1. ad Galat. Chald. & Massoretæ.

Quæres, vnde dicatur hic annus iobel, iobeleus, vel iubileus. Andreas Masius in Iosue 6 *iobel* à Iubal primo inuentore citharæ & organorum, Genes. 4. deductum putat. Alij passim Chaldæum & Rabbinos secuti, vt Lyran. Pagnin. Vatabl. & August. Eugub. in cap. vlt. Numer. censent *iobel* significare cornu arietinum, & inde iubileum annum dici, quòd cornibus arietum eo anno clangerent. Addunt aliqui, *iobel* esse nomẽ Arabicum, & significare arietem: vnde Chaldæus subinde vertit דִּכְרָא *dichra*, id est aries. Alij alia opinantur, vti recenset Serarius in Iosue 13. q. 14. Verùm certius multò est hac in re sequi antiquos & doctissimos Hebræos.

Iobel & iubileus vnde dicatur? Prima sententia, à Iubal. Secunda.

D

Dico ergo, *iobel* vel iubileus deducitur à radice יָבַל *iabal*, id est afferre, adducere, idque cum gaudio & lætitia, vel eius qui ducit, vel eius qui ducitur, vti varijs exemplis ostendit Serarius in Iosue 6. q. 5. Annus ergo *iobel* idem est quod annus afferens omnia bona, & reducens quemque in in pristinam libertatem & hereditatem. ita Oleaster, Ribera, Serarius, & alij. Fauet & Caietan. qui *iobel* à יְבֻל *iebul*, id est germẽ, deducit, vt annus *iobel* idem sit, quod annus germinans omne bonum. Caietano consentit Angelus Pientinus lib 3. de Iubileo c. 4. & Bellarm. lib. 1. de Indulgent. c. 1.

Tertia, & vera à iabal, id est, adducere, reducere.

Hanc esse originem & etymon *iobel* & iubilei, patet Primò, ex Iosepho, qui lib. 3. Antiquit. 10. Vox, inquit, *iobeli* significat libertatem, id est reductionem in libertatem.

Prob. Primò.

Secundò, quia Septuaginta passim pro *iobel*, vertunt ἄφεσιν, id est remissionem.

Secundò.

Tertiò, quia Philo & eius interpres S. Hieron. lib. de Nominibus Hebr. in Genes. *iobel* vertit dimittentem. idem Hieronymus lib. 2. in Isaiam sub initium, *iubileus*, ait, *id est dimissionis annus*.

Tertiò.

Quartò, quia hic locus omnino id conuincit. sic enim habet: *Vocabis remissionem; ipse est enim iubileus*: q. d. Ipse enim est annus remissionis. Vnde & sequitur: *Reuertetur homo ad possessionem suam & familiam.* Hinc & nos annum plenissimarum Indulgentiarum vocamus iubileum, vti ostendit Serarius in Iosue 6. quæst. 7.

Quartò.

Iobel ergo remissionem significat: inde Secũdò, *iobel* significat annum quo plenaria fiebat remissio, qui erat annus quinquagesimus. Tertiò, *iobel* significat buccinam, vel potiùs clangorem buccinæ, quæ festiuè eo anno personabat. Vnde & iubilum & iubilare Latinorum deductum videtur, vti docet Eugubinus suprà. Hinc & clangor buccinæ personantis in Sina, cùm daretur lex, per anticipationem vocatur *iobel* in Hebræo, Exodi 19. 13.

Iobel tria significat.

Iubilum & iubilare vnde?

Buccinæ autem hæ iubilei non erant duæ illæ tubæ argenteæ, vti censuit Abulens. quibus populus conuocabatur ad festa, de quibus Numer. 10. Nam Iosue 6. v. 13. dicuntur septem fuisse buccinæ iubilei, quæ & aliud nomẽ habent in Hebræo; nec vmquam alijs festis & annis eis vtebantur, nisi in iubileo. ideo siquidem dicitur, *Quarum vsus est in iubileo.* Erant ergo hæ buccinæ non argenteæ, sed corneæ. Nam ita interpretatur Hebraicam vocem שׁוֹפָר *scophar*, quæ hoc loco habetur S. Hieron. in c. 5. Osee, & Septuaginta psal. 97. 6. Verùm non erant hæ buccinæ ex cornu arietino, quia eo tantùm clangebant in festo tubarum, in memoriam arietis substituti Isaaco, à patre immolando; sed erant ex cornu bubulo. Nam S. Hieron suprà, *Buccina*, ait, *pastoralis est.* Pastores autem non arietum, sed boum cornua inflant; qualia & veterum fuisse cornua docet Varro libr. 4. de Lingua Latina: *Cornua*, inquit, *quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu*, additque buccinam dici à bubus, vel à sono boum *bou bou*, quòd bubus canat, bouesque vocet. Vnde & postea tubæ æneæ & castrenses vocatæ sunt cornua, vt *Rauco strepuerunt cornua cantu*, Æneid. 8. Hinc patet, sonum huius buccinæ fuisse asperum & raucum (talis enim est cornuum) qui tamen in festis, acutos & excitatos aliorum instrumentorum sonos, quasi grauior moderaretur & temperaret.

Buccinæ erant ex cornu:

non arietino, sed bubulo.

Buccina à bubus.

Anagogicè, sicut sabbatum & septimus annus siue sabbaticus, ita iubileum significat resurrectionem, & æternam quietem totius anni, id est æternitatis: tum enim Primò, omnes serui mercenarij, iumenta etiam & pecora, id est simplices quique labore vacabunt: quia Dei laus & visio otiosum Beatorum negotium erit. Secundò, clangent buccina anno præcedente, putà 49. quia signa horribilia iudicium proximum proclamantia, præibunt resurrectionem. Tertiò, clangent etiam ipso iubileo; quia ob consummatam victoriam, per omnes vicos

Anagoge iubilei.

vicos cæli iuge halleluia cantabitur. Quartò, reuertemur ad primam possessionem, id est ad paradisum, ex quo cum primo parente eiecti sumus, accepta iam plena peccatorum remissione; quod quia inæstimabile est, hinc toties hîc repetitur. Quintò, non feretur terra, quia tunc nulla erit nouorum meritorum satio, sed veterum fructu suauissimè perfruemur. ita ferè Radulph Isych. & Ribera lib. 5. de Templo cap. 25.

Tropol. iubileum est condonatio iniuriarũ, & dissidentium reconciliatio.

Tropologicè, Rupert. *Hoc, ait, verè sanctum & pulcherrimum iubilei festum est, Euangelica clangente buccina celebrandum, ita vt reuertatur homo ad possessionem & familiam suam, cùm offensam in nos remittimus, vt omni discordia soluta, cuncti redeant ad pristinam familiam pacis & concordiæ, atque habeant cor vnum & animam vnam, canantq́;, Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum!*

Alleg. iubileum est tempus gratiæ.

Allegoricè, iubileum est tempus Christi & gratiæ, vti prædixit Isaias, & ex eo Christus Lucæ 4. 19. & S. Paulus 2. ad Corinth. 6. 2.

Denique apud Christianos iubileum annũ instituit Bonifacius Papa VIII. hoc nomine anno Christi 1295. celebrandum anno Christi 1300 eũque centesimo quoque anno renouari iussit: atque illis qui Romam venirent, viserentque sepulchra SS. Petri & Pauli, peccatorum omnium plenariã indulgentiam concessit; idque vt populum Rom. ab inani sæcularium ludorum celebratione, ad verum solemne sacrum reduceret.

Quinquagesimo pòst instante anno, Clemens VI. sanxit iubileum celebrari quinquagesimo quoque anno (eò quòd ætas hominis vix iubileum illum centesimo anno attingere posset) qui verus fuit iubileus. id sanxit anno Christi 1345. teste Volaterr. libr. 22. Iubileum ergo tale primum fuit anno Christi 1350. quo anno tanta hominum copia fuit Romæ, teste Petrarcha oculato teste, vt nihil mirum fuerit inde ortam esse pestem adeò grauem in tota Italia, vt ex mille vix decem superessent, teste Crantzio libr. 9. Metrop. cap 43. Rursum sub Nicolao V. in iubileo anno Christi 1450. tanta hominum turba fuit Romæ, vt in ea multi suffocati perierint, teste Platina & Sabell. lib. 5. Enn. 10.

Denique Sixtus IV. iubileum ad 25. quemque annum reduxit, primusque eum celebrauit anno Christi 1475. id fecit, vt quæque ætas eius muneris particeps fieret. Porrò in iubileo Pontifex aureã, vt vocant portam aperit, ad quam immensa multitudo concurrit, consequendæ peccatorum remissionis causa. Preces, eleëmosynæ, pœnitentiæ, aliaque pietatis exercitia, quæ eo anno tum Romæ, tum alibi fiunt, inenarrabilia sunt. Atque in iis cæteris præeunt Prælati & proceres Romani.

VERS. 10 REVERTETVR HOMO AD POSSESSIONEM SVAM] putà ad agrum, domum, & similia bona immobilia: de his enim tantùm est sermo. nam hæc etsi millies essent vendita, tempore iubilei redibant ad primum dominum per se, sine vllo pretio. Hinc fiebat, vt quo propior esset annus quinquagesimus, eo minoris res immobiles venderentur. Horum ergo bonorum apud Iudæos venditio non erat absoluta, sed tantùm ad certum tempus, ita vt hæc venditio videretur esse elocatio rei ad 50. annos, potiùs quàm absoluta venditio, licet reuera transferret dominium rei in ementem. Intellige hæc de bonis sitis in ipsa Iudæa. Nam si Iudæi extra eam agros emerent, etiam à suis Iudæis, hi cedebant eis in perpetuum, neque in iubileo ad primum heredem redibant. ita Oleaster. Hinc sequitur, quòd in Iudæa nemo erat diues in bonis immobilibus, nisi qui natus erat diues, vel nisi ea iure hereditario, emortuis aliis heredibus, ad eum deuoluerentur. In mobilibus ergo tantùm ditescere poterant Iudæi.

Venditio agrorum & domorum erat tantũ quasi elocatio vsque ad annum iubileum.

In mobilibus tantùm ditescere poterant Iudæi.

Cur fiebat regressus bonorum in iubileo. Prima causa.

Hunc regressum bonorum ad primum dominum in iubileo sanxit Deus, Primò, ad hoc, ne tribus Israel confunderentur, sed per hereditates & hereditarias successiones, in ditionibus & possessionibus cuique tribui assignatis, cognosceretur ex qua quisque esset tribu; idq́; propter Messiam, vt certò constaret Iudæis iuxta Iacobi vaticinium, Genes. 49. 10. Christum natum esse de tribu Iuda. ita Abulens.

Secunda.

Secundò, vt familiæ honestæ & nobiles in sua honestate permanerent: ne quis prodigus auitos fundos & bona dilapidare, itaque familiam euertere posset. Huic enim malo prouisum est per hũc regressum bonorum in iubileo.

Tertia.

Tertiò, vt ponerent modum auaritiæ & cupiditati; ne quis auarus omnia bona coëmens in immensum ditesceret.

Quarta.

Quartò, vt seruaretur quædam æqualitas inter Iudæos, ne alij fierent ditissimi, alij pauperrimi; itaque inuidiæ, superbiæ, murmuri daretur locus; sed quique sua sorte, æquè à Iosue inter omnes diuisa, contenti, socialem & amicam vitam agerent.

Quinta.

Quintò, vt scirent Iudæi se terræ suæ non tam dominium, quàm vsum habere, Deumq́; sibi eius dominium reseruasse, de quo v 23. Denique hac de causa Iudæi, iam à tempore sui excidij, non obseruant iubileum, quia scilicet discriminatio possessionum & tribuum inter eos iam sublata est, nec habent ipsi possessiones, ob quas quarumque regressum maximè institutum erat iubileum.

Iudæi amplius non seruant iubileum. Cur.

ET VNVSQVISQVE REDIET AD FAMILIAM PRISTINAM] Per hoc enim quòd reuertitur ad possessionem pristinam, vti præcessit, reuertitur etiam ad familiam: quia singulis familiis possessiones erant distributæ & consignatæ à Iosue in terra promissionis.

VERS. 11. & 12.

NON SERETIS OB SANCTIFICATIONEM (sanctitatem) IVBILEI, vt scilicet religiosa quiete colatis hunc annum, SED STATIM OBLATA (ita legendum cum Roman. non *ablata*) id est fructus agri sponte nascentes & obuios, anno iubilei COMEDETIS] carpendo tantùm, non autem eos tibi soli demetendo, aut vindemiando. Hebræi huius legis hanc dant rationẽ, vt scilicet diuites oculos suos sustollerent in cælos, & cogitarent necessitates pauperum, vt, cùm ipsi in septimo anno quærãtur, Quid edemus? aut quid bibemus? recordentur quòd pauperes semper sunt in illa anxietate & cura, qui numquam serunt aut metunt, ac proinde discant eis compati & subuenire.

VERS. 14.

QVANDO VENDES QVIPPIAM CIVI TVO, VEL EMES AB EO, NE CONTRISTES FRATREM TVVM] vt contra legem hîc à me præscriptam emere, vel emptum ab eo retinere velis vltra iubileum, in perpetuum; aut velis pluris rem vendere, aut minoris emere quàm valeat res, siue vsus & fructus rei vsque ad iubileum. Hoc est enim quod sequitur: *Sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo, & iuxta supputationem frugum vendet tibi*; ita scilicet, vt, si pauci anni supersint vsque ad iubileum,

minoris res vendatur; si plures, pluris: vendi enim res debet iuxta supputationem fructuum & frugum suarum. ergo si paucos paucorum annorum fructus emptor percepturus est, minoris rem emat; si plures, pluris. Hoc est enim quod sequitur: *Tempus frugum vendet tibi.*

Vers. 20. & 21. QVOD SI DIXERITIS, QVID COMEDEMVS ANNO SEPTIMO? &c. DABO BENEDICTIONEM MEAM VOBIS ANNO SEXTO, ET FACIET FRVCTVS TRIVM ANNORVM] Hinc patet, fertilitatem terræ sanctæ ex parte non fuisse naturalem, sed diuinam, atque ex dono Dei. Deus enim hîc promittit Iudæis, si seruent legem, præsertim de quiete seruanda anno septimo, siue sabbatico, se eis daturum anno sexto fruges pro tribus annis, scilicet pro anno sexto, & septimo siue sabbatico, & octauo, quo rursum serebant.

Fertilitas terræ sanctæ fuit non tã ex natura, quàm ex dono Dei.

Audiant hoc Christiani, discantque sua lucra non quærere violando festa per labores, venditiones, &c. Si enim Deus Iudæis promittit hîc, seruantibus quietem toto anno sabbatico, annonam in tres annos; multò magis Christianis seruantibus quietem paucorum festorum, prouidebit de victu & lucris.

Deus seruantibus festa adauget fruges & lucra.

Hoc tanto Dei beneficio, putà tripla messe anni sexti, priuati fuerunt Iudæi tempore Machabæorum, vt patet 1. Machab. 6. 49. & 53.

Vers. 23. & 24. TERRA QVOQVE NON VENDETVR IN PERPETVVM: QVIA MEA EST, ET VOS ADVENÆ ET COLONI MEI ESTIS. VNDE CVNCTA REGIO POSSESSIONIS VESTRÆ, SVB REDEMPTIONIS CONDITIONE VENDETVR] Hebr. est, *terra non vendetur in interitum, perditionem* aut *succisionem*, id est, ita vt perpetuò à venditore succidatur & alienetur; Chaldæus vertit, *terra non vendetur in proprietatem*; LXX. *in confirmationem*, vt videlicet emptori approprietur & confirmetur in perpetuum. Ratio sequitur: *Quia mea est.* q.d. Ego Deus altum & transcendens in tertam vestram habeo dominium: quare licet mihi, quas volo conditiones venditioni eius apponere, maximè cùm in eam ego vos tamquam aduenas & colonos induxerim.

Pulchrè Philo libro de Cherubim, ex hoc loco docet, solum Deum rerum omnium esse dominũ & possessorem: homines verò earum tantùm habere vsumfructum ad vitam, non verò dominium. *Hinc liquet*, ait, *nos alienis vti possessionibus, nec gloriam, nec diuitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quippiam vel corporis vel animi proprium, ne ipsa quidem, quasi hac iuris & dominij nostri sint, possidemus, sed vsumfructum dum hic viuimus, habemus solum.* Quare in transitu tantùm nobis hoc mundo vtendum est, perinde ac canes bibunt è Nilo in Ægypto enim canes, ne à crocodilis capiantur, in bibendo moras non trahunt, sed lambunt & fugiunt, teste Plinio lib. 8. c. 11. Vnde post fugam Mutinensem, quærentibus quid ageret Antonius, quidam respondit: *Quod canis in Aegypto: bibit, & fugit.* ita nobis necessaria è mũdo raptim sumenda sunt, ne à dæmone capiamur, reliqua pertranseunda sunt. *Quidquid circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta, transeundum est*, inquit Seneca lib. 17. epist. 103.

Deus solus est dominus verũ, homo tantùm earum habet vsum ad vitam.

Vers. 24. CVNCTA REGIO POSSESSIONIS VESTRÆ, id est cuncta possessio regionis vestræ. Est hypallage. similem vidimus cap. 11. vers. 4. SVB REDEMPTIONIS CONDITIONE VENDETVR] Est hæc lex alia à superiore; disponit enim & ordinat, vt in omni alienatione terræ, intelligatur apposita facultas eam redimendi. id patet ex Hebræo, qui sic habet, *& in omni terra possessionis vestra redemptionem dabitis terra*, idque vt hac quoque ratione iuuaretur stabilitas possessionum cuiusque tribus. ita Caietan. & patet ex sequent.

QVI VENDIDERIT DOMVM] q.d. Qui vendit domum intra vrbem sitam, potest eam intra annũ redimere reddito pretio: quòd si non faciat, numquam, ne in iubileo quidem, eam redimere, aut ad se reuocare poterit. Sanxit hoc Deus, Primò, vt hac ratione vrbes redderentur populosæ. hoc enim allicit emptores & incolas ad vrbes, si in ijs sibi domum stabilem & firmam comparare possint. Secundò, ne aliquis facilè & temerè domum suam in vrbe venderet, vtpote quam sciret se numquam recuperaturum. Tertiò, quia per possessiones, siue domos quæ erant intra vrbes, non distinguebantur tribus & familiæ: vnde & Leuitæ illas possidere poterant, qui tamen in terra promissionis nullam dicebantur habere possessionem. Vers. 29.

Domus vrbium vendita, in iubileo non redibant ad vendentẽ. *Prima causa.* *Secunda.* *Tertia.*

Excipiuntur ab hac lege domus Leuitarum: hæ enim si non redimebantur, in iubileo ad suos dominos redibant: quia, vt dicitur v. 33. *domus vrbium Leuitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.* q.d. Leuitæ aliam non habent possessionem quàm domos, itaque æquum est vt illæ redeant, sicut redeunt possessiones aliæ laicorum. Domus verò extra vrbes sitæ in villis, cum agris suis pari iure censebantur, redibantque tempore iubilei ad primum dominum, siue illæ Leuitarum essent, siue aliorum. vide Abulens. q. 20.

Excipe domus Leuitarum.

Tropologicè, qui est in peccato mortali, hic tempore anni, id est huius vitæ, domum, id est charitatem, redimere potest pretio pœnitentiæ; sin omittat, eam in futuro redimere nõ poterit. Quòd si in villa domum vendiderit, id est perfectionem, ad quam non tenebatur, reliquerit; hic in iubileo recipiet eam, id est in cælo recipiet merita, quæ in perfectione sua viuens sibi comparauit. Similis Tropologia est de Leuitis, qui significant perfectos, & insigni charitate præditos. ita ex Radulph. & Ruperto Ribera lib. 5. de Templo cap. 25.

Tropolog.

INTRA VRBIS MVROS] Hinc patet Iudæos vrbes suas muris cinxisse, nec hoc repugnare fiduciæ in Deum, imò cõtrarium potiùs esset tentare Deum: sæpè enim contingit hostes & numero & viribus longè superiores inuadere ciues & ciuitates, qui nisi muris se tueantur, resistendo non sunt. Vnde Aristotel. lib. 7. Politic. damnat quorumdam vanã opinionem, qui censebant non esse vrbes muris muniendas, sed militum robore & fortitudine. Et consilium Nestoris saluti fuit Græcis, præcipientis murum duci circum castra, ad Troianorum incursus arcendos. Hinc & Iudæi Domino approbante murum Ierusalem ædificarunt, 2. Esdræ cap. 4.

ÆDES LEVITARVM] Hebr. *vrbes Leuitarum, & ædes vrbium.* ita & Chald. & Septuaginta, sed noster Interpres sub ædibus, vrbes etiam intelligendas reliquit. Si enim Leuitarum ædes semper redimi possunt; ergo multò magis vrbes. Vers. 32.

SVBVRBANA AVTEM EORVM NON VENEANT, QVIA POSSESSIO (Leuitarum) SEMPITERNA EST] q.d. Suburbana Leuitarum vendi veto; quia hæc eorum sunt possessio perpetua, & necessaria ad alenda eorum pecora, nec aliam habent Leuitæ inter Iudæos. Vers. 34.

Mysti-

Secessus Leuitarum, id est clericorum. Mysticè & tropologicè hac re significabatur, Leuitas præ omnibus debere vacare sibi & Deo, ideoque subinde secedere extra vrbem & strepitũ populi, ac vacare sanctæ quieti, solitudini & contemplationi in suburbanis. quare domus vrbanas vendere poterant, non suburbanas. Hinc discant Religiosi & Clerici Mariam præponere Marthæ, orationem scilicet actioni. Qua in re errant multi: ita enim se studijs alijsque negotijs occupant, vt orationem negligant. Discant hinc, satius esse vẽdere domos vrbicas quàm suburbicas: satius esse minuere studia, conuersationes & actiones, quàm statas orationes. Quidquid ergo negotiorum occurrat tempore orationis, totum id cedat orationi. meditatio matutina illæsa seruetur: lædatur potiùs actio & studium. Quamquam non læderetur: quia oratio impetrabit lumen à Deo, vt plus vna hora proficiat, quàm aliàs fecisset duabus. Sapientia enim est donum Dei. à Deo ergo per orationem efflagitandum, vt ait S. Iacobus cap. 1. 5. Ita S. Thomas Aquinas confessus est, se plus oratione didicisse quàm studio. Denique audiamus omnes & sequamur illud Christi: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10. 41.

VERS. 35. 36. 37. SI INFIRMVS MANV (Septuag. *si impotens fit manibus frater tuus* (Iudæus quispiam) vt scilicet labore manuum necessaria ad victum lucrari non possit, cogaturque à te mutuum petere) NE ACCIPIAS VSVRAS AB EO, &c. ET FRVGVM SVPERABVNDANTIAM NON EXIGES] q. d. Non exiges pro vsura plures fruges ab eo, quàm ei dederis, id est mutuaueris.

VERS. 40. VSQVE AD ANNVM IVBILEVM OPERABITVR APVD TE] Iudæus qui se alteri Iudæo in seruum vendidisset, poterat anno septimo, qui erat libertatis & sabbaticus, seruitute è domo heri sui liber egredi: sed si hoc anno non egrederetur, egrediebatur in iubileo, nec vltra illud in seruitute detineri poterat. Pro quo Nota ex Exodi 21. v. 1. & sequent. si seruo Iudæo dominus dedisset ancillam Gentilem (nam filiam Hebræam dare non poterat: eam enim emptam vel ipse, vel filius ipsius vxorem ducere debebat) & genuisset ex ea filios, poterat seruus si volebat liber egredi anno septimo, sed solus, ita scilicet, vt liberi cum matre cederent domino, siue hero, eique manerent serui: sin seruus captus amore vxoris & liberorum, nollet solus domo heri liber egredi anno septimo, seruire debebat vsque ad annum iubileum, tumque secum in libertatem educebat vxorem & filios. vide Abulens. hîc q. 21. *Seruus anno 7 fiebat liber, sed solus: anno 50. educebat secum vxorem & liberos.*

VERS. 42. MEI SERVI SVNT] Hebræi videlicet, idq; non tantùm creatione, sed & redemptione ex seruitute Ægyptiaca. quare nolo, vt eos cuipiam alteri conditione seruorum, id est ita vt serui sint in perpetuum, vendatis; sed potiùs eos quasi mercenarios habeatis, qui scilicet pro pretio à vobis accepto, suas operas vobis locent vsque ad certum tempus, seruiantque vsque ad iubileum. Hîc, inquit Radulph. commonentur domini, vt seruos tyrannicè non opprimant, sed tamquam Dei seruis reuerentiam eis habere meminerint, ideoq; benignè & clementer eos tractent.

Apophtheg. de seruis benignè tractandis. M. Crassus, ait Plutarchus in eius Vita, magnam seruorum turbam domi alebat, & præcipuam eorum agebat curam, discentibus astans interdum, A & docens eos, dicebatque, *Hanc oportere præcipuam esse patrisfamilias sollicitudinem, nosse, quot sint rei familiaris animata instrumenta.* Demonax videns quemdam seruum suum crudeliter verberantem: *Desine*, ait, *ne seruo tuo similis fias*. Iudicauit vir prudentissimus reuera seruum esse, qui affectibus suis imperare non possit. Diogenes dicebat, inter seruos & dominos malos, præter vocabula nihil interesse, nisi quòd mancipia seruirent dominis, domini cupiditatibus, id est multis dominis, qui turpes sunt & inclementes. Testis est Laërtius lib. 6. Audi & Senecam epist. 47. *Cogita*, ait, *quem seruum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æquè spirare, æquè viuere, æquè mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te seruum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & alijs intrantibus ex-* B *cludi. Mariana clade multos splendidissimè natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes?* Denique Eccles. c. 7. 27. *Seruus*, inquit, *sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum in libertate, neque inopem derelinquas illum.*

SERVVS ET ANCILLA, qui scilicet absolutè sit seruus & serua, SINT VOBIS DE NATIONIBVS] q. d. Accipite seruos & seruas ex Gentilibus, & ab ijs eos emite; quia nolo vt Iudæos, qui serui mei sunt, in seruos perpetuos ematis aut habeatis. Gentiles ergo, etiamsi conuersi essent ad iudaismum, in æternum manebant serui. sic & eorum filij, vt dicitur v. 45. Nam non volebat Deus Gentiles proselytos, in priuilegijs hisce iubilei, æquari Iudæis ex genere & origine, ne oriretur inter eos inuidia & C seditio. Id ita esse patet: nam alioqui omnes serui Iudæorum in iubileo exissent liberi; quod tamen hîc negatur. nam, vt dixi Exodi 12. v. 44. omnis seruus Iudæorum, etsi Gentilis esset, tenebatur circumcidi, & fieri proselytus. VERS. 44. *Gentiles serui in iubileo non fiebant liberi:*

ET DE ADVENIS (proselytis iam dictis) HABEBITIS FAMVLOS (seruos) AC POSSIDEBITIS IN ÆTERNVM] id est vsque ad iubileum, inquit S. Augustinus; &, si vera esset regula, quam aliqui ex S. Hieronymo tradunt, scilicet עלם *olam*, id est sæculum vel æternum, significare iubileum cùm sine *vau* scribitur, Hebræa id conuincerent: nam *olam* sine *vau* hîc scribitur. Verùm, vti iam dixi, contextus videtur exigere aliam & veram æternitatem, vt scilicet proselytus semper, & tota vita seruus sit & maneat, ita vt mortuo hero ad eius heredes transeat, eisque seruiat quamdiu viuit. In D hoc enim distinguitur seruus proselytus à seruo Iudæo, quòd hic vsque ad iubileum, ille tota vita sit seruus. Atque ita etiam regula S. Hieronymi de *olam* hîc locum habet: nam *olam* hîc non significat absolutam æternitatem, sed tantùm tempus vitæ serui. S. Hieronymus autem tantùm dicit, quòd *olam* cum *vau* significet absolutam æternitatem, sed sine *vau* significet tempus finitum; tale autem est tempus vitæ hominis. VERS. 45. & 46. *sed tantùm serui oriũdi ex Iudæis.*

SI INVALVERIT APVD VOS MANVS ADVENÆ] q. d. Si aduena Gentilis proselytus, apud vos factus fuerit diues & potens, ita vt Iudæum, qui paupertate pressus se in seruum vendidit, emerit; hic eum habebit seruum, non tantùm vsque ad annum septimum siue sabbaticum, sed vsque ad iubileum: nisi seruus hic pretio quo emptus est reddito redimatur. Iudæus ergo seruiens proselyto, anno tantùm iubilei exibat liber. neque id mi- VERS. 47.

rum: nam si vice versa tales proselyti se venderent Iudæis in seruos, manebant serui tota vita.

VERS. 49. & 50. SIN AVTEM ET IPSE POTVERIT, REDIMET SE, SVPPVTATIS DVMTAXAT ANNIS A TEMPORE VENDITIONIS SVÆ VSQVE AD ANNVM IVBILEVM] Sententia & casus horum versuum vsque ad v. 54. est hic. q.d. Volo, vt sicut mercenario supputatur & soluitur merces pro ratione temporis, v.g. dierum vel annorũ quibus operatus est in horto, agro, vel domo; ita & hic supputetur merces seruo Hebræo, cùm offert pretiũ hero, etiam Gentili proselyto, vt se redimat, & in libertatem asserat: supputetur inquam merces pro rata annorum quibus seruiuit, eaque pretio detrahatur, vt, v.g. si quis Iudæus se in seruum vendiderit 40. siclis, cùm 40. anni superessent vsque ad iubileum, & deinde seruierit 10. annis, ac mox se redimat; pro mercede ei computentur 10. sicli pro decem annis quibus seruiuit, ideoque hero addat tantùm 30. siclos quibus se redimat: sin 20. annis seruierit, 20. sicli ei pro mercede computentur, eisque tantùm addat 20. quibus hero persolutis se redimat, & liber exeat; & ita proportionaliter de alijs. Hunc esse sensum, clariùs patet in Hebræo, Chaldæo, & Septuag. ita Abulensis. Ex dictis hoc cap. patet, hæc fuisse priuilegia iubilei. Primò, quòd in eo remittebantur omnia debita. ideo enim vocabatur hic annus remissionis, vt patet v. 10. Secundò, quòd in eo serui manumittebantur & fiebant liberi. Tertiò, quòd auitæ possessiones redibant ad legitimos & primos heredes, sine vllo pretio aut compensatione.

Tria priuilegia iubilei.

Iubilei instituti causa prima. Hac iubilei institutione præter causas allatas v. 10. Deus Primò, consuluit pauperibus, ne illi bonis & hereditate paterna perpetuò excluderentur, sed æris alieni vinculo soluto in iubileo, ad suas possessiones redirent.

Secunda. Secundò, voluit Deus iubileum & annum septimum seruire chronologiæ. nam secundùm annos sabbaticos & iubileos omnia diuendebantur, censebantur & computabantur, sicut apud Græcos secundùm Olympiadas, & apud Romanos secundùm lustra.

Tertia. Tertiò, voluit iubileum esse typum plenissimæ libertatis, gratiæ & lætitiæ, quam attulit, & in quã asseruit nos Christus Redemptor in lege noua, vt patet Lucæ 4.19. Iubileum ergo perenne Christianorum, situm est Primò, in remissione peccatorum, & in bona sanctaque conscientia. *Quid dítius*, inquit S. Bernardus libr. de Consider. *quid in corde dulcius, quid in terra quietius est & securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, qua & ipsa morte magis erigitur, quàm deprimitur.* Quin & Gentilis Cicero lib. 6. epist. ad Torquatum: *Conscientia*, ait, *recta voluntatis, maxima est consolatio rerum incommodarum.* Et Seneca epist. 24. ad Lucilium: *Nolo*, ait, *tibi vmquam deesse latitiam. volo illam tibi domi nasci. Nascitur si modò intra teipsum sit. Cætera hilaritates non implent pectus, sed frontem remittũt.* Et inferiùs: *Veri boni auiditas tuta est. Quid sit istud interrogas, aut vnde subeat? Dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consilijs, & rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido & continuo tenore vitæ vnam prementis viam.* Hoc est ergo iubilum & iubileum mentis Christianæ continuum.

Moral. de iubileo & iubilo quadruplici Christianorum.

A Secundò, idipsum situm est in timore & cultu Dei. *Timor Domini*, inquit Eccles. c. 1.11. *gloria & gloriatio, & latitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit letitiam & gaudium, & longitudinem dierum.* Et Malach. c. 4. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento.* Vnde S. Chrysost. homil. 18. ad pop. *Timor Domini*, ait, *stabilis est immotúsque, & tantam subministrat latitiam, vt nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet latitia fontem.*

Tertiò, situm est in firma spe felicitatis æternæ. Hinc Christus Matth. 5. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Et, *Gaudete,*
B *quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* S. Basilius homil. de gratiarum actione: *Spes*, inquit, *retributionis, qua tristia sunt in hac vita, leuiora efficit. Afficit te aliquis ignominia? Quin tu ad eam suspicis gloriam, qua reposita est in cælis, tibi parandam merito patientia. Iacturam rerum tuarum adiisti? oculos imprime fixiùs calestibus diuitiis, & thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrio solo exclusus es? at patriam habes cælestem illam Ierusalem.* Refert Ruffinus & Palladius in Vita B. Apollonij, de eius cœnobio & cœnobitis: *Erat*, inquit, *in eis supra modum gaudium & latitia, & tanta exultatio, quanta haberi ab vllo hominum possit in terris. Nullus in eis tristis inueniebatur, sed & si quis visus fuisset mæstior, Apollonius causam perquirebat, dicebatq́; : Non oportet nos esse tristes, quibus salus in Deo est, & spes in*
C *regno cælorum. Tristentur Gentiles, lugeant Iudæi, plangant sine cessatione peccatores: nos verò qui tanta gloria spem, & æternitatis habemus exultationem, cur non omni exultatione lætemur?*

Quartò, situm est in amicitia & vnione cum Deo. *Gaudete in Domino semper, iterũ dico, Gaudete,* ait Apost. Quærit S. Basil. in Regul. breu. q. 193. *Quodnam sit gaudium in Domino?* ac respõdet: *In his quæ secundùm mandatum Domini fiunt gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumq́; mandata Dei exequimur, aut propter nomẽ Domini aliquid patimur, gaudere & gratulari nos debemus.* S. August. de Salutar. docum. c. 10. *Si, inquit, aliquid in hoc sæculo possi[illegible] delectamur, Deum qui possidet omnia, qui creauit o[illegible]a, expedit, vt mente possideamus, & in eo habeamus*
D *quæcumque feliciter & sanctè desideramus. Sed quoniã nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; simus nos ipsi Dei possessio, & efficietur nobis possessio Deus. Et quid potest esse in mundo felicius quàm cui efficitur suus Imperator & Redemptor census, & hereditas dignatur esse ipsa diuinitas? Quid vltrà quærit, cui omne gaudium, & omnia suus redemptor esse debet?* S. Bernar. epist. 114. ad sanctimonialem quamdam: *Magnum, ait, est mihi gaudium, quòd te ad verum & perfectum gaudium velle tendere comperi: quod non est de terra, sed de cælo, id est, non de hac conualle plorationis, sed de illa, quam fluminis impetus latificat, ciuitate Dei. Et reuera illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod cùm possederis, nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est; omnis suauitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fædum; omne postremò, quodcumque aliud delectare possit, molestum.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEus promittit vigintiocto benedictiones Iudæis, si leges eius seruent. Secundò, v. 14. totidem & plures maledictiones eis comminatur, si illas non seruent.

1. EGo Dominus Deus vester: Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. ego enim sum Dominus Deus vester: 2. Custodite sabbata mea, & pauete ad Sanctuarium meum. ego Dominus. 3. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea; dabo vobis pluuias temporibus suis, 4. & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. 5. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. 6. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. 7. Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. 8. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis, decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. 9. Respiciam vos, & crescere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. 10. Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis. 11. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. 12. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. 13. Ego Dominus Deus vester: qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti. 14. Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, 15. si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: 16. ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. 17. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos. fugietis, nemine persequente. 18. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, 19. & conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboq; vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. 20. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. 21. Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra: 22. immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ. 23. Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi: 24. ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra. 25. inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei. Cumque confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium, 26. postquam confregero baculum panis vestri: ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non saturabimini. 27. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: 28. & ego incedam aduersus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, 29. ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum & filiarum vestrarum. 30. destruam excelsa vestra, & simulachra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, 31. in tantum vt vrbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam vltrà odorem suauissimum. 32. Disperdamque terram vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint. 33. vos autem dispergam in Gentes, & euaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ. 34. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ: quando fueritis 35. in terra hostili, sabbatizabit & requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eò quòd non requieuerit in sabbatis vestris quando habitabatis in ea. 36. Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent, nullo persequente. 37. & corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes, nemo vestrûm inimicis audebit resistere. 38. peribitis inter Gentes, & hostilis vos terra consumet.

sumet. 39. Quòd si & de ijs aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, & propter peccata patrum suorum & sua affligentur: 40. donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum, quibus præuaricati sunt in me, & ambulauerunt ex aduerso mihi. 41. Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus suis. 42. Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Iacob, & Isaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero: 43. quæ cùm relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi verò rogabunt pro peccatis suis, eò quòd abiecerint iudicia mea, & leges meas despexerint. 44. Et tamen etiam cùm essent in terra hostili, non penitus abieci eos, neque sic despexi vt consumerentur, & irritum facerem pactum meũ cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, 45. & recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu Gentium, vt essem Deus eorum. ego Dominus. Hæc sunt iudicia atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israel in monte Sinai per manum Moysi.

Vers. 1. NON FACIETIS VOBIS IDOLVM] Pro *idolum*, A hebraicè est אֱלִילִים *elilim*, id est deiculos, de quo dixi cap. 19. 4. sic & per *sculptile* intellige sculptile, non imaginis, sed idoli.

NEC TITVLOS] Hebr. *nec statuam*, intellige idoli alicuius, vel vt statuam illã adoretis. ita Radulph.

NEC INSIGNEM LAPIDEM] Hebr. *nec lapidem picturæ aut cælaturæ*, id est lapidem pictum aut cælatum, scilicet insignibus alicuius idoli. Septuag. & ex ijs Tertull. vertunt, *nec lapidem scopum*, id est nec lapidem eminentem, quem instar scopi assiduè intueamini & obseruetis, ad colendum in eo idolũ. Chald. vertit, *nec lapidem adorationis*. hic enim erat finis & vsus lapidis huius: fortè etiam Chald. pro מַשְׂכִּית *mascbit* per caph, id est picturæ, legit מַשְׁחִית *maschit* per chet, id est adorationis, à radice שָׁחָה, id est curuauit se, & curuando adorauit: vnde & B sequitur, *Vt adoretis eum*, hebr. est, *vt adoretis ad eum*, vel *ante eum*, siue vt incuruetis vos ei. ita & Septuag. Vatabl. tamen & Chald. vertunt, *vt adoretis super eum*. q.d. Vt huic lapidi innixi vel incumbentes, adoretis idolum ipsi impositum.

Vers. 2. PAVETE AD SANCTVARIVM MEVM] Hebr. *timete & reueremini sanctuarium meũ*, id est reuerẽter tabernaculum & templum meum habete & colite.

Vers. 3. SI IN PRÆCEPTIS MEIS AMBVLAVERITIS, &c. DABO VOBIS PLVVIAS] Nota. Ab hoc v. 3. ad versum 13. Deus promittit & assignat 29. (Isychius numerat 30) benedictiones, & bona obuentura ijs qui seruant leges Dei; tot enim inuenies in versione Septuag. si vnam ab alia per coniunctionem discernas, numeresque omnes copulas, *&*, licet in Hebræo & in versione Latina tantùm sint 28. Prima ergo benedictio est, *dabo vobis pluuias temporibus suis*; Secunda, *terra gignet semen suum*; Tertia, *pomis arbores replebuntur*, & ita deinceps.

Viginti nouem bona promittit hic Deus seruātibus suas leges.

Refert Plutarch. in Conuiuio septem sapientũ, eos inter se quæsiuisse, *Quanam domus esset optima, quanam familia beatissima? Primus*, inquit, *Solon respondit: in qua res neque iniustè est parta, neque in ea vel conseruanda, diffidentia; vel impendenda, pœnitentia est locus. Secundus Bias dixit: in qua dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges. Tertius Thales: in qua, ait, plurimum otij domino conceditur. Quartus Cleobulus: in qua plures sunt qui diligant, quàm qui metuant dominum. Sextus Pittacus: in qua neque requiruntur superuacanea, neque desiderantur necessaria. Septimus Chilon: quæ similis est vrbi in qua sapiens rex imperat.* Hæc verè, sed veriùs Moses hîc: *Ea est familia felicissima, quæ Deo auscultat, ideoq́ ab eo benedicitur vndequaque.*

Quanam familia felicissima?

APPREHENDET MESSIVM TRITVRA VINDEMIAM, ET VINDEMIA OCCVPABIT SEMENTEM] q.d. Tanta erit vobis abundantia frumenti & vini, vt antequam trituram absolueritis, incipiat vindemia: vindemia vicissim tanta erit, vt eam non sitis absoluturi antequam serendi tempus adueniat; quin imò illa sementis faciendæ tempus quoque occupabit. similis est phrasis Amos 9. 13. Vers. 5.

Tropologicè, Radulphus, omnis bona actio, inquit, tam messis est quàm semen; quia iucunditas quam de transactis laboribus mens nostra concipit, nouorum germinat concupiscentiam, vt multiplicato semine actionis, multiplicetur & messis retributionis. Vide eum, vti & Isych. qui benedictiones hasce temporales spiritaliter explicat, vt quod sequitur: *Dormietis, & non erit qui exterreat*, q.d. Dum moriemini (mors enim Sanctorum est tantùm somnus, propter spem resurrectionis) nec dæmon, nec conscientia vos terrebit; quia nullius eritis vobis conscij, vnde terreamini. Sic pluuia est Spiritus sancti perfusio, eiusque gratia.

Omnis bona actio tam messis est quàm semẽ.

GLADIVS (hostilis) NON TRANSIBIT TERMINOS VESTROS] nec hostes, nec bella metuetis. Vers. 6.

PERSEQVENTVR QVINQVE DE VESTRIS CENTVM] Ita Gedeon cum trecentis strauit innumeros Madianitas, Iudic. 7. v. 22. idem fecerunt Machabæi. Vers. 8.

COMEDETIS VETVSTISSIMA VETERVM] Hebr. *comedetis vetus inueteratum*. q.d. Multiplicabo vos, C & multiplicabo simul annonam vestram, adeò vt illam præ multitudine & copia absumere non possitis, sed illam diutissimè seruare, adeoque abijcere cogamini, nouarum frugum suauitate & copia superueniente. Vers. 10.

AMBVLABO INTER VOS] Tantam vestri curam geram, ac si inter vos ambularem vndequaque & circumquaque, ita vt nullus hostibus vos inuadendi vel opprimendi locus detur, cùm vndique vos protegens, ac pro vobis pugnans, quasi custos & gladiator potentissimus inambulem. vide dicta 2. Corinth. 6. in fine cap. Vers. 12.

CONFREGI CATENAS CERVICVM VESTRARVM] seruitute Ægyptiaca vos eripui, vt essetis liberi. Vers. 13.

QVOD SI NON AVDIERITIS ME, ET AD IRRITVM PERDVCATIS PACTVM MEVM, si non steteris Vers. 14. 15. & 16.

pactis

pactis conuentis, si videlicet non seruetis leges meas, quas vos seruaturos pacti estis & spopondistis, VISITABO VOS VELOCITER IN EGESTATE ET ARDORE]Septuag. vertunt, *obfirmabo super vos festinationem* (trepidationem & fugam) *& egestatem, & scabiem, & icterum*: Hebræa enim vox קַדַּחַת kaddachat, significat icterum, siue morbum regiū, qui oritur ex accensione, & maximè oculis insidet, inquit Isychius. Chald. vertit, *visitabo vos in conturbatione, egestate, & ardore obscurantibus oculos, & expirare facientibus animam*; Vatabl. *visitabo vos terrore, tabe vel phthisi, & febri ardente, quæ oculos consumant, & animum contabescere faciant.*

Vigintinouē maledictiones intentat Deus violantibus suas leges. Nota. Sicut v.3. Deus seruantibus leges suas promisit vigintinouem benedictiones, ita hîc non seruantibus eas, totidem, & plures acgrauiores maledictiones ac mala intentat.

Remp. conseruant præmia & pœna. Præclarè enim Cicero lib.5. de Natura deorum, *Vt nec domus*, inquit, *nec resp. ratione quadam & disciplina designata videatur, si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: sic mundi diuina in homines moderatio profectò nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum.*

Socrates rogatus, *quænam ciuitas ritè gubernari possit?* respondit? *Ea in qua inuitantur boni præmijs, iniusti dant pœnas.*

Lysander rogatus, *quam remp. maximè probaret? Eam*, inquit, *in qua fortibus viris ac meticulosis congrua vtrisque redduntur*. ita Plutarch. in Lacon.

Xenophon in Œconom. ait animalia duabus rebus adduci ad obtemperandum, scilicet delinimento, si sit generosius, vt equus; & plagis, si sit cōtumacius aut hebetius, vt asinus. ita homines duri & viles pœnis, generosi præmijs ad officium incitandi sunt. *Nihil enim non*, inquit Liuius dec.1. libr. 4. *aggressuri sunt homines si magna conantibus magna præmia proponantur.*

Porrò pœnæ hæ graues sunt, æquè vt præmia, tum quia à Deo proponuntur, tum quia duris Iudæis sanciuntur. *Pœnæ enim leues*, vt ait Dionys. Halicar. lib.2. *non possunt refrænare iuuentutis insaniam, & ingenij ferocitatem, neque rerum honestarum contemptores ad temperantiam reducere.*

Denique Theophrastus rogatus, *quidnam vitam humanam conseruaret? Beneficentia*, inquit, *honor & pœna.*

Et Lycurgus aiebat, *duabus rebus contineri remp. præmio & pœna.*

Idem dixit Solon. sicut enim ex vipera, crocodilo, cæterisque nocentissimis bestijs, medici remedia contra venena & morbos efficacia conficiunt: ita animaduersio innocentes, multos vel arcet, vel retinet à facinoribus.

VERS. 16. CONSVMAT ANIMAS] id est vitas.

VERS. 19. SVPERBIAM DVRITIÆ VESTRÆ] superbam vestram duritiem.

Cælum ferreum, & terra ænea quid? DABO VOBIS CÆLVM DESVPER SICVT FERRVM, ET TERRAM ÆNEAM] q.d. Claudam vobis cælum, id est nubes, vt sit durum instar ferri, suiq; vsum terris vestris neget, nec in eas imbrem depluat. *Dabo & terram æneam*, vt non magis quàm æs, suscipiat semina, cælique influentias; itaque vel nullos, vel paucos & tenues dabit vobis fructus. Pulchrè hanc sententiam explicat S. Ambros. epist. 52. ad Romulum.

VERS. 21. SI AMBVLAVERITIS EX ADVERSO MIHI] si mihi aduersi & inobedientes fueritis. est catachresis. Septuag. vertunt, *si ambulaueritis contra me obliqui*; Chald. *si ambulaueritis coram me in duritia*; Vatabl. vertit, *si ambulaueritis mecum cum casu*, id est, si dixeritis mala quæ vobis immittam, casu accidere. Hebræum enim קְרִי keri, id est occursus, tam aduersum, quàm casum significat. vnde & sequentia ita verti possunt, *ambulabo & ego vobiscum cum casu*. q.d. Non curabo vos vltrà: ita vobiscum agam, vt videantur omnes res vestræ casu accidere. Si sentiatis me mortalia non curare, ego res vestras non curabo. permittam vos rotæ fortunæ, vt cum ea rotemini, sitisque sortis & casus ludibrium.

EGO QVOQVE CONTRA VOS ADVERSVS INCEDAM] quasi hostis vos inuadens, puniens, & trucidans. VERS. 24.

PERCVTIAM VOS SEPTIES] percutiam vos plena, perfecta & multiplici plaga. Septenarius enim perfectionis & multitudinis est symbolum.

POSTQVAM CONFREGERO BACVLVM PANIS VESTRI] q.d. Postquam immisero in vos famem, quæ vos cogat ad deditionem hostibus obsidentibus faciendam; vti accidit in vtroque excidio Hierosolymitano, scilicet per Babylonios & per Romanos peracto. VERS. 26.

Panis vocatur baculus, cur? Nota. Panis vocatur *baculus*: quia est fulcimentum vitæ, eique vt baculo vita hominis innititur. Similis phrasis est psalm. 104.16. Isaiæ 3.1. vbi pro *robur panis*, in Hebræo est *baculus panis*.

ET REDDENT EOS AD PONDVS] q.d. Appendent & distribuent vobis panem ad pondus, nec comedetis tantum, quantum vultis, & quantum fames exigit.

SEPTEM PLAGIS] multis aliis plagis. Sic enim accipitur hæc phrasis v.21.24. & alibi. VERS. 28.

DESTRVAM EXCELSA VESTRA] *Excelsa* vocantur templa idolorum, quæ in locis excelsis, Gentilium ritu, ædificarunt Iudæi. VERS. 30.

ET SIMVLACHRA CONFRINGAM] Hebr. pro *simulachra* est חַמָּנִים *hammonim*, quasi dicas solaria, aut simulachra solis: sol enim dicitur חַמָּה *chamma* siue *hamma*, ab ardore; חָמַם *hamam* enim significat calere: vnde Punicum Hammon, & Iupiter Hammonius, cui in Africa templum fuit celebre, solis simulachro nobile, teste Macrobio l.1. Saturn. c.21. Verùm hîc & alibi, *hammonim* per synecdochen capitur pro quolibet simulachro & idolo: maximè tamen respicit hîc Deus ad Iouem Hammonium, quem Iudæi coli viderant, imò & coluerant in Ægypto, vetatque ne eum similesque deos deinceps colant. *Iupiter Hammonius est sol, vnde?*

DESERTA FACIAM SANCTVARIA VESTRA] siue quæ idolis, siue quod mihi dedicastis, putà meum tabernaculum vel templum. VERS. 31.

NEC RECIPIAM VLTRA ODOREM SVAVISSIMVM] non placebit mihi vltrà immolatio sacrificiorum, & incensio thymiamatis vestri, antea suauissimi & gratissimi mihi.

TVNC PLACEBVNT TERRÆ SABBATA SVA] q.d. Tunc terra vestra fruetur quiete sua, cùm vos qui eam vexastis & contaminastis, ex ea expellemini, & transferemini in terram inimicorum vestrorū: tunc enim terra hac quiete partim sibi suæque liberationi, partim Deo vltori metaphoricè quasi congaudebit, perinde ac indoluit antè, se à tam impiis hominibus incoli, & pollui, ideoque vos quasi euomuit. vide dicta c.18.v.24. & 28. VERS. 34.

ET REQVIESCET IN SABBATIS SOLITVDINIS SVÆ, EO QVOD NON REQVIEVERIT IN SABBATIS VESTRIS] q.d. Eò quòd illi quietem septimi anni VERS. 35.

anni abstuleritis, ob auaritiam & cupiditatem frugum, itaque legem meam sitis præuaricati; hac de causa Deus vos terra hac expellet, itaque terræ, soli quasi relictæ, reddet suum sabbatum, id est suam quietem illi ex lege mea debitam.

VERS. 36. DABO PAVOREM IN CORDIBVS EORVM, &c. TERREBIT EOS SONITVS FOLII VOLANTIS] Hic pauor & comes & pœna est malæ conscientiæ: sicut è contrario bona conscientia est ad omnia interrita. Hunc pauorem Deus incussit Iudæis sub Tito, & aliàs sæpè; item Ægyptiis in triduanis tenebris, vti dixi Exodi 10.23. item Caino, Gen. 4.11.

Moral. Pauor est comes & pœna malæ conscientiæ.

Nulla pœna, inquit Isidorus lib. 2. Soliloqu. *grauior est pœna conscientiæ. vis autem numquam esse tristis, bene viue. Secura mens tristitiam leuiter sustinet. Bona vita gaudium semper habet, conscientia autem rei semper in pœna est. numquam securus est reus animus: mens enim mala conscientia proprijs giratur stimulis.*

Lucanus lib. 1.

—— Omnes in Cæsare manes,
Hunc omnes gladij, quos aut Pharsalia vidit,
Aut vltrix visura dies stimulante senatu,
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
Heu quantum misero pœna mens conscia donat!

Statius lib. 3. Thebaidos:

— Inuigilant animo, scelerisq; patrati
Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat
Pessimus in dubiis augur timor.

Euripides in Oreste:

O miser Oresta quid morbi te perdit? OREST.
Conscientia: sum enim mihi conscius de malis perpetratis.

Menander:

Mortalibus omnibus conscientia Deus.

Pythagoras neminem tam audacem esse dicebat, quem mala conscientia non faciat timidissimum. omni enim vento excitatur & horret.

Plutarch. libr. de Tranquill. animi: *Facinorosa conscientia*, inquit, *instar vlceris in corpore, pœnitentiam relinquit in anima lancinantem iugiter ac peruellentem.*

Seneca epist. 97. *Facinorum mala*, inquit, *flagellantur à conscientia, cui plurimum tormentorum est; eò quòd perpetua illam sollicitudo vrget ac verberat, quod sponsoribus suæ securitatis non potest credere.*

Isocrates dicebat, *Omnino non sperandum, si quid turpe feceris, te latiturum. Quamuis enim lateas alios, tute tamen tibi malè conscius eris.*

Epictetus: *Parentes*, inquit, *nos pueros pædagogo; Deus autem iam viros insita conscientia custodiendos tradit.*

Nero occisa matre confessus est, se exagitari materna specie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus. ita Dion in Nerone.

S. Basilius apud Anton in Melissa p. 1. serm. 16. *Sicut vmbra*, inquit, *corpora: sic peccata sequuntur animas, & manifestas facinorum repræsentant imagines.*

S. Chrysost. homil. 22. de nequitiæ repulsa: *Sicut*, inquit, *qui carcerem habitant, capitis damnationem opperientes & mortem, etiamsi delicijs abunde fruantur, vitam agunt maximè molestam & anxiam: sic qui improba conscientia molestantur.* Conscientia enim mille testes.

Hic est *vermis qui non moritur*, assiduè rodens conscientiam, Isaiæ 66 24.

E contrario, bona conscientia fiduciam & exultationem parit.

Plutarch. in moral. *Vt nepenthes*, inquit, *herba ab Homero prædicata, addita poculis, omnem discutit tristitiam conuiuij: ita bona mens insita nobis, omnem vitæ sollicitudinem abolet.*

Bias rogatus, *quanam res metu careret? Bona*, inquit, *conscientia.*

Periander rogatus, *quid in minimo esset maximum?* respondit, *Bona mens in corpore humano.*

Idem rogatus, *quid esset libertas? Recta*, ait, *conscientia.*

Socrates rogatus, *quinam tranquillè viuerent: Illi*, ait, *qui nullius absurditatis sibi conscij sunt.*

Denique Hugo Victor in libr. 2 de Anima, cap. 3. *Tranquilla conscientia*, ait, *est qua omnibus est dulcis, nulli grauis; vtens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad beneuolentiam, quibus potest ad benefaciendum: cui Deus nec sua peccata imputat, quia non fecit; nec aliena, quia non approbauit; nec negligentiam, quia non tacuit; nec superbiam, quia in vnitate permansit.*

Et rursum: *Conscientia bona est titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus.*

TABESCENT IN INIQVITATIBVS SVIS] q.d. Propter peccata sua tabe sensim cōficientur cū eis. ita Hebr. Has pœnas reipsa experti sunt Iudæi in Babylonica captiuitate & excidio eis à Romanis illato, ac nominatim illā versus 29. *Comedetis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum.* vt patet Ierem. 19. v. 9. *Cibabo*, inquit, *eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum, & vnusquisque carnem amici sui comedet in obsidione.* VERS. 39.

DONEC ERVBESCAT INCIRCVMCISA MENS EORVM] Hebr. *donec humilietur eorum cor incircumcisum*, id est improbum, luxurians, & plenum vanis, superfluis & peruersis cogitationibus. Nam per circumcisionem Iudæi fiebant sancti & mundi: præputium verò habentes & incircumcisi, censebantur profani, Gentiles, & immundi. Vnde nomen præputij & incircumcisi, per metaphoram ad alia transfertur, & significat immundum, impolitum, ineptum, rude, durum & intractabile. Sic cap. 19. v. 23. fructus primi arborum vocantur incircumcisi, id est immundi & inepti ad esum. Sic hîc vocatur cor incircumcisum, id est immundum, & suis sceleribus non præfectum, non repurgatum, sed ijs obduratum, & intractabile. Sic Exodi 6. v. 13. Moses ait se esse incircumcisum labijs, id est impolitum & inelegantem in loquendo. Sic rebellium aures vocantur incircumcisæ, id est ad audiendum duræ & ineptæ; quia scilicet ipsi eas obturant, ne audiant, Ierem. 6. 10. Actor. 7. 51. VERS. 41.

Incircumcisus idem est quod immundus, durus, & ineptus.

TVNC ORABVNT PRO IMPIETATIBVS SVIS] *Orabunt*, rectè vertit Interpres, si Hebræa aliter suppungas, legasque יַרְצוּ *iartsu* in actiua cōiugatione hiphil, non יֵרָצוּ *iirtsu* in cal, vti iam suppungunt & legunt Hebræi: *iartsu* enim significat placabunt, seu facient vt placeant, *iirtsu* verò significat placebunt. vnde & Chald. legens *iartsu*, vertit, *tunc placabunt pro iniquitatibus suis*; intelligitur enim in Hebræo de more præpositio בְּעַד *bead*, id est *pro*. Septuag. legerunt *iirtsu*: vertunt enim τότε εὐδοκήσουσι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, *tunc placita habebunt peccata sua*, id est pœnas quas pro peccatis patientur, placidè & humiliter, quasi pœnitentes acceptabunt.

ita

ita Isychius & Vatabl. Posset etiam τὸ εὐδοκήσουσι per antiphrasin & ironicè accipi, q.d. Tunc displicebunt illis peccata eorum, tunc ea exosa habebunt & abominabuntur.

VERS. 43. COMPLACEBIT (terra) SIBI IN SABBATIS SVIS] q.d. Tunc terra fruetur quiete sua. vide dicta v. 24.

VERS. 44. ET TAMEN CVM ESSENT IN TERRA HOSTILI, NON PENITVS ABIECI EOS, NEQVE SIC DESPEXI] Hæc præterita pro futuris accipienda sunt more prophetico, *cùm essent*, id est cùm erunt, *non abieci, neque despexi*, id est non abijciam, neque despiciam. Est enim toto hoc cap. continua prophetia, & comminatio in futurum. ita Vatabl.

B Hoc loco mirè exultant Iudæi, pollicentes sibi liberationem ex tam longa qua premuntur seruitute. Et quia prima dictio huius periodi est אף *aph*, id est *attamen*, *aph* verò Germanis significat simiam; hinc ipsi hanc periodum vocant auream simiam, & quoties eam in synagogis legunt, mirè exultant & iubilant. Hinc Fredericus III. Imp. dicebat Iudæos in biblijs suis habere simiam, quam meritò aureis deberent scribere literis. Ita miseri isti inani & erronea spe se lactant. Loquitur enim Moses de tempore durationis legis & iudaismi. iam autem lex & iudaismus per Christum abolita sunt, atque per Romanos resp. & Synagoga Iudæorum euersa sunt.

VERS. 45. RECORDABOR FOEDERIS MEI PRISTINI] Quia licet illud fœdus cum Hebræis à Deo initum, iam sit recens, vtpote anno præcedenti in Sina sancitum; tamen futuris generationibus peccantibus, de quibus loquor, erit antiquum.

HÆC SVNT IVDICIA (iustæ minæ & pœnæ, quas Deus leges suas violantibus iusto iudicio infliget) ATQVE PRÆCEPTA ET LEGES] id est pacta, inquit Chald. Pactorum enim cum Deo à Iudæis initorum conditio erant leges. vnde sequitur: *Quas dedit Dominus inter se & filios Israel.* Et ita leges hîc distinguemus à præceptis.

Secundò, hæc sic explicari possunt, quasi hoc versu sit epilogus, & generalis complexio Leuitici, omniumque legum tam Leuitico, quàm Exo-

A do à Deo latarum. Hebræa enim sic habent, *hæ sunt sanctiones*, (id est præcepta cæremonialia) *& iudicia* (id est præcepta iudicialia) *& leges siue decreta* (putà moralia & naturalia, qualia sunt decalogi) *quæ Dominus dedit inter se & inter filios Israel, in monte Sinai per manum Mosis.*

QVAS DEDIT DOMINVS INTER SE ET FILIOS ISRAEL IN MONTE SINAI] degentibus scilicet Israelitis in monte Sinai, ad sanciendum fœdus inter se & inter eos. nam hæ leges non sunt datæ Mosi in ipso monte Sinai (vti decalogus in monte hoc datus est Exodi 19. & 20.) sed in tabernaculo, vt patet ex initio huius libri. Omnis ergo lex, aut penè omnis, Mosi data est in Sina, putà ad radices montis Sina: nam quæ sparsim in Numeris & Deuteron. enumerantur, vel explicationes, vel additiones sunt legum iam auditarum, simulque cum legibus iam auditis datæ sunt. Facta autem & dicta sunt hæc omnia, sub initium anni secundi egressus Hebræorum ex Ægypto, vt dixi in procemio. *Omnis lex Iudæorum à Deo lata est in Sina.*

PER MANVM MOYSI] per Mosen.

Ex hoc capite liquet, quàm verè dixerit Psaltes psal. 118 *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, hebr. מְאֹד *meod*, id est *valdè*, putà summa diligentia, studio & sollicitudine, idque Primò, quia *Lex Dei custodienda est nimis ob sex causas.*

C Deus custodientibus ea promittit hîc præmia magna nimis. Secundò, quia violantibus ea intentat supplicia acerba nimis. Tertiò, quia Deus, qui ea imperat, colendus, metuendus & obseruandus est nimis. Quartò, quia pericula omnia, mortemque ipsam subiri vult, ne vnum eius frangatur mandatum, peccatumque committatur. Quintò, quia omnia vult seruari; ita vt nec vnum, etiam minimum, violes. hîc etiam pilus facit vmbram, vt vulgò dicitur. Sextò, quia tota vita, à pueritia & rationis vsu ad mortem vsque, iubet ea custodiri. Verè, ait S. Augustinus, magna tua, ô Domine, est sapientia & charitas, qui nos cogis ad amorem tui, bonumque nostrum. nisi enim id faciamus, minaris nobis gehennam; si faciamus, promittis immensas & æternas coronas.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sanciuntur leges de votis hominum, animalium, domorum, agrorum, anathematis; rursum de decimis v. 30. Hasce leges hîc intricatas paucis & compendio clarè ita distinguere & complecti possumus.

Homo qui se deuouit Deo, redimat se pretio, quod pro ætate & sexu hîc taxatur à Deo. *Prima lex versu 2.*

Animal immolabile, Deo per votum oblatũ, reipsa detur, non mutetur in aliud, nec redimatur. *Secunda, versu 9.*

Animal quod immolari non potest, si Deo voueatur, vendatur pretio quod sacerdos statuet; quòd si vouens dare voluerit, addat insuper quintam pretij partem. *Tertia, versu 11.*

Domus Deo vota, pretio à sacerdote taxato vendatur; quòd si vouens eam redimere voluerit, addat pretio taxato quintam pretij partem. *Quarta, versu 14.*

Heres vouens agrum hereditarium, redimere eum potest quinquaginta siclis, soluendis pro rata annorum qui supersunt vsque ad iubileum; quòd si eum non redimat, sed ager alteri vendatur, numquam ipse, ne quidem in iubileo illum recipere poterit; sed ager absolutè, & in perpetuum cedet in ius Dei & sacerdotum. *Quinta, v. 16.*

Si vouens agrum non sit heres, sed emptor agri, hic redimet eum pretio, quod taxabit sacerdos iuxta numerum annorum vsque ad iubileum. nam in iubileo ager de more ad primum heredem redire debet. *Sexta, v. 20.*

Omne pretium ponderandum est pondere, siue siclo Sanctuarij. *Septima, versu 25.*

Primogenitum immolabile, cùm totum sit Dei, voueri non potest. *Octaua, versu 26.*

Nona, v. 27. *Primogenitum immundum redimatur.*
Decima, versu 28. *Quod per votum* cherem, *id est anathematis, Deo consecratum est, non redimatur, sed moriatur aut naturaliter aut ciuiliter.*
Vndecima, versu 30. *Decimæ fructuum & frugum omnium Deo offerantur.*
Duodecima, v. 31. *Decimæ animalium, putà ouis, bouis & capræ, Deo offerantur.*

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filijs Israel, & dices
ad eos: Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstima-
tione dabit pretium. 3. Si fuerit masculus à vigesimo anno vsque ad sexagesimum an-
num dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarij: 4. si mulier, trigin-
ta. 5. A quinto autem anno vsque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: femina
decem. 6. Ab vno mense vsque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque
sicli: pro femina, tres. 7. Sexagenarius & vltrà masculus dabit quindecim siclos: fe-
mina decem. 8. Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram
sacerdote: & quantum ille æstimauerit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.
9. Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit, 10. &
mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono. quòd si mutauerit: & ipsum
quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. 11. Ani-
mal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis vouerit, adducetur ante
sacerdotem. 12. qui iudicans vtrùm bonum an malum sit, statuet pretium, 13. quod
si dare voluerit is, qui offert, addet supra æstimationem quintam partem: 14. Homo
si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos vtrùm
bona an mala sit, & iuxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venumdabitur: 15. sin
autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis su-
pra, & habebit domum. 16. Quòd si agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit
Domino: iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium. si triginta modijs hordei seri-
tur terra, quinquaginta siclis venumdetur argenti. 17. Si statim ab anno incipientis
iubilei vouerit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur. 18. sin autem post
aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui sunt,
numerum vsque ad iubileum, & detrahetur ex pretio. 19. Quòd si voluerit redimere
agrum ille qui vouerat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum.
20. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, vltrà eum qui
vouerat redimere non poterit. 21. quia cùm iubilei venerit dies, sanctificatus erit
Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum. 22. Si ager emptus est,
& non de possessione maiorum sanctificatus fuerit Domino, 23. supputabit sacerdos
iuxta annorum numerum vsque ad iubileum, pretium: & dabit ille qui vouerat eum,
Domino. 24. in iubileo autem reuertetur ad priorem dominum, qui vendiderat
eum & habuerat in sorte possessionis suæ. 25. Omnis æstimatio siclo Sanctuarij pon-
derabitur. Siclus viginti obolos habet. 26. Primogenita quæ ad Dominum pertinent,
nemo sanctificare poterit & vouere: siue bos, siue ouis fuerit, Domini sunt. 27. Quòd
si immundum est animal, redimet qui obtulit, iuxta æstimationem tuam. & addet quin-
tam partem pretij. si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque à te fuerit æsti-
matum. 28. Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue
ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum
sanctorum erit Domino. 29. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non re-
dimetur, sed morte morietur. 30. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de po-
mis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. 31. Si quis autem voluerit redimere
decimas suas, addet quintam partem earum. 32. Omnium decimarum bouis, & ouis,
& capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur
Domino. 33. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. si
quis mutauerit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino,
& non redimetur. 34. Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios
Israel, in monte Sinai.

VERS. 2. *Prima lex.* HOMO QVI FECERIT VOTVM, ET SPOPONDERIT DEO ANIMAM SVAM, SVB AESTIMATIONE DABIT PRETIVM] Pro *qui fecerit votum*, hebr. est יַפְלִא נֶדֶר *iaphli neder*, id est, *qui separauerit*, vel *qui mirabile fecerit votum*. nam, vt ait Hesych. admirabile est, & valdè beatitudini proximum, totum se Deo offerre, vt animam suam, vel, vt Septuag. vertunt, τιμὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, id est, honorem vel pretium (τιμὴ enim & pretium & A honorem significat) animæ suæ, quàm à Deo accepit, Deo dedicet.

Narrat Plutarchus in Lacon. de Lacone, qui cùm voto se obstrinxisset, quòd de se Leucate petra præcipitem daret, conscendit montem, & conspecta altitudine sese auertit. Id cùm illi probri gratia obijceretur: *Non putabam*, inquit, *illi voto maiore voto opus esse.* Etenim qui facinus arduum concipit animo, priùs à dijs optare debet animum

faci-

facinori parem. Hucusque Plutarchus. Tale est hic animam suam Deo deuouere. Plus enim est animam Deo deuouere, quàm offerre. ad hoc enim accedit votum, quod est nouus & præcipuus actus religionis. In voto enim Deo datur, non tantùm ipse actus, sed & potentia, putà voluntas & libertas, cui ita renunciatur, vt qui vouit deinceps aliud velle non possit. Qui ergo actum bonum facit sine voto, Deo dat fructum arboris: qui verò eumdem vouet, & ex voto perficit, hic totam arborem cum fructibus Deo consignat, inquit S. Anselmus in Similitud.

A

Et spoponderit animam] q.d. Qui vouerit seipsum mancipare cultui diuino in tabernaculo, videlicet vt portet aquas vel ligna ad sanctuarium pro sacrificijs, vt verrat atrium, vt sarta tecta templi curet, vt subseruiat Leuitis, &c. nam nemo poterat obire munia propria sacerdotum aut Leuitarum, ac proinde nec ea vouere, nisi esset de genere Leui. ita Abulens. Caietan. & alij. Soli ergo Leuitæ & sacerdotes vouere poterant. se semper in suis officijs sacris ministraturos Domino. & tum ex voto id præstare tenebantur, vt patet in Samuele qui fuit Leuita, quem mater vouit Domino, 1. Reg. 1. 11. Ad alia autem laicorum officia in tabernaculo, paulò antè dicta, offerre se & deuouere poterat quilibet ex qualibet tribu: sed Deus hîc votum illud iubet redimi, idque Primò, quia ad illa tabernaculi ministeria deputandi erant Gabaonitæ, Iosue 9. v. 21. Vnde nolebat Deus, suos Hebræos ad illa ministeria seruorum deputari. Secundò, quia hæc vota oneri fuissent sanctuario, quod omnes hos vouentes debuisset alere. E contrario autem volebat Deus suis Leuitis & ministris, quorum ingens erat numerus, de vitæ necessarijs prospicere; iussit ergo vt vota hæc cõmutarentur, eo pretio, quod ipse hîc sancit, sicut & pretio iussit redimi primogenitos sibi debitos, illudque pretium, vt & pretium votorum horum, voluit cedere in ius sacerdotum, vt patet v. 21. & Numer. 18. 14.

Vouens se tabernaculo redimendus erat, cur?

B

Secùs est in votis Religionis in lege noua, quibus se homo ad nobilissima ministeria dedicat, quæ omne pretium excedunt, ideoque nullo pretio redimi possunt: quæ vota non erant in lege veteri; si tamen fuissent, obligassent Iudæos, sicut obligabant alia vota, quibus aliquid aliud determinatè vouebant, vt patet in Nazaræis. hi enim tenebantur determinatè præstare id quod vouerant. ita Abulens. q 8.

C

Allegor. homo qui vouet & spondet animam est Christus, qui in primo conceptionis suæ instanti videns placere Patri cælesti, vt se totum pro hominibus offerret ad mortem, etiam crucis, hancque esse eius voluntatem, imò præceptum, Philip. 2. 8. id ipsum acceptauit, ad illudque voto se obstrinxit. Ex illo enim instanti Christum se per votum consecrasse Deo ad redimendos homines, & in hunc finem omnes actiones & passiones vitæ suæ, ipsamque mortem & crucem per votum Deo obtulisse, probabiliter docet Franc. Suarez in 3. p. tom. 2. q. 28. sect. 2. idemque insinuat S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus & Basil. in illud psal. 21. 26. *Vota mea Domino reddam.* hæc enim verba, vti & totus psalm. 21. ad literam de Christo scripta sunt. Christus ergo vouẽs animam suam, soluit eius pretium, scilicet sanguinem quem in cruce fudit. Hic enim sanguis, cùm esset Filij Dei, æquiparabatur in pretio ipsimet Filio Dei, putà Christo Domino.

Christus vouit Deo suam vitã & mortem.

D

Tropologicè, Religiosus vouet animam, id est totum se Deo, putà corpus per votum castitatis, opes per votum paupertatis, animam per votum obedientiæ. Quare tales proximè sequuntur Christum, suntque Martyres, sponsi, templa & holocausta Dei, vti pulchrè ostendit noster Platus l. 2. de Bono status Relig.

Sub æstimatione, quæ hîc taxatur & præscribitur versibus seqq. dabit pretium] Hebræa hîc sunt inuoluta, ita ea cum Vatablo bene & clarè reddas: *Vir cùm separauerit votum animarum Domino, iuxta æstimationem tuam* (ô sacerdos: eum enim alloquitur) *æstimabitur, & redimetur votũ animarum quod factum est.* q.d. Cùm quis emiserit votum quo se deuouet Deo, iuxta æstimationẽ tuam, ô sacerdos, dabit pretium, votumque suum, ac seipsum redimet. Votum enim animarum, est illud quo quis animam, id est seipsum, Deo deuouet.

Dabit siclos argenti, ad mensvram Sanctvarii] qui scilicet sint iustissimi ponderis, instar ponderis quod seruatur in Sanctuario, vti dixi Exodi 30. 13. Vers. 3.

Si mvlier, triginta] q.d Quicumque vir fuerit 20. annorum aut plurium, modò non excedat annum sexagesimum, seque Deo deuouerit, hic pro redemptione voti dabit 50. siclos, id est 50. florenos Brabant. si sit mulier, dabit 30. Nota. Maius pretium imponitur hîc viris, quàm feminis aut pueris, quia pluris valet vir quàm femina aut puer, idque tum in se, tum ad operas & labores Intellige hæc de liberis, non de seruis: vnde Quæres, Quid si quis vouisset seruum suum Deo, an, & quo pretio eum redimere debebat? Respondeo cum Abulensi qu. 55 56. & 57. talis seruus redimendus erat vti alij homines, vel potiùs vti agri & possessiones. est enim seruus possessio heri. Herus ergo pro seruo Hebræo quem vouerat, soluebat pretium pro rata temporis quo ille hero seruire debebat, ita videlicet vt considerando quanto pretio eum emerat, simul etiam considerando quanto tempore ille adhuc seruire debebat, tantum solueret, quantum ex pretio quo eum emit, respondebat annis quibus adhuc seruire debebat. v. g. emit herus seruum statim post annum septimum, siue sabbaticum, anno primo, 60 siclis, vouet illum anno tertio elapso; igitur cùm seruus adhuc tres annos seruire debeat, & anno septimo, iuxta legem Exodi c. 21. v. 2. egredi liber, dominus soluet pro eius redemptione dimidium pretij quo eum emit, putà 30. siclos: hi enim respondent dimidio tempori, putà tribus annis quibus seruus adhuc seruire debet. Addet insuper herus quintam pretij partem, vti fiebat in aliorum votorum redemptione, putà 12. siclos, 12. enim sunt quinta pars 60. Quòd si herus nolit seruum redimere, sacerdos æstimabit & statuet seruo pretium iustum iam dictum, putà 30. siclorum, quo alicui alteri vẽdatur.

Vir vouens se, 50 siclis, mulier, 30. redimenda erat.

Seruus instar agri redimendus erat.

Si verò seruus esset non Hebræus, sed Gentilis, ideoque perpetuò seruiturus, tunc tanti vendebatur, quanti absolutè valebat pro tota vita; & si herus eius vellet eum redimere, pretio iam dicto superaddere debebat quintam pretij partem.

A qvinto anno] Si videlicet parentes eum deuouerint: nam puer quinquennis cùm careat vsu rationis, vouere non potest. Vers. 5.

Coram sacerdote] etiam minore, qui eo tempore ministrat: nam non exprimitur hîc, quòd debeat esse pontifex. ita Abulens. Vers. 8.

Vers. 9. & 10. Secunda lex. Animal immolabile, Deo votum redimi non poterat.

ANIMAL AVTEM QVOD IMMOLARI POTEST DOMINO, SI QVIS VOVERIT, SANCTVM ERIT, ET MVTARI NON POTERIT] q.d. Animal immolabile per votum quasi Deo consecratur, vnde illud in aliud mutari nolo: itaque si quis tale animal vouerit ad immolationem, illud ipsum animal quod vouit, immolari decet. Sin autem determinatè non vouerit animal ad immolationem, sed tantùm in genere dixerit, Voueo hoc animal Domino; tunc ipsum sacerdoti dabit, tamquam rem Deo consecratam, neque poterit ipsum in aliud commutare: quòd si commutet, & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. sacerdos tamen non tenetur illud quod in genere votum est, Deo immolare, sed sibi seruare potest, vel donare aut vendere cui volet, sicut & decimas ac primitias.

Idem dico de animali immundo quod quis Deo vouisset, videlicet potuisse sacerdotem illud accipere, & sibi seruare, vel donare aut vendere alteri, si vouens & offerens nollet illud redimere. omne enim quod ex voto offertur, sacerdoti cedere voluit & sanxit Deus, Numer. 18. v. 14.

Vers. 11. 12. & 13. Tertia lex. Animal immundum Deo votum, redimendum erat.

ANIMAL IMMVNDVM QVOD IMMOLARI DOMINO NON POTEST, SI QVIS VOVERIT, ADDVCETVR ANTE SACERDOTEM, QVI IVDICANS VTRVM BONVM AN MALVM (an magni valoris an exigui) SIT, STATVET PRETIVM; QVOD SI DARE VOLVERIT IS QVI OFFERT, ADDET SVPRA ÆSTIMATIONEM QVINTAM PARTEM] vt per hanc quintam partem, vtpote pretij auctuarium, compensetur onus sacerdotis, quo tenetur ei qui vouit & obtulit animal immundum, illud reuendere, si ipse illud redimere velit: quòd si nolit redimere, tunc sacerdos animal retinebit, donabit aut vendet, vti iam dixi.

Nota. Hæc lex à pari habebat locum in quauis alia re mobili, quæ Deo vouebatur. verisimile enim est res mobiles hac lege animalis censeri, iuxta ea quæ dicentur v. 21. ita Abulens.

Nota Secundò. Omnia animalia, omnesque res Deo votæ redimi poterant, exceptis animalibus mundis ad sacrificium.

Vers. 14. & 15. Quarta lex.

HOMO SI VOVERIT DOMVM SVAM, ET SANCTIFICAVERIT (per votum consecrauerit) DOMINO, VENVMDABITVR; SIN AVTEM ILLE QVI VOVERAT, VOLVERIT REDIMERE EAM, DABIT QVINTAM PARTEM ÆSTIMATIONIS SVPRA] putà, supra pretium à sacerdote æstimatum & taxatum. Causam huius quintæ partis assignaui v. 11.

Malebant autem plerique quintam partem pretio superaddere, vt redimerent rem suam; quia si non redemissent domum, aliamque rem immobilem, illa numquam ad eos reuersa fuisset, ne quidem in iubileo, sed absolutè transibat in dominium sacerdotum qui eam vendebant; sed ita, vt in iubileo ad eos quasi primos dominos reuerteretur, vt patet vers. 21. vnde & res vendebatur pluris vel minoris; secundùm iubileum magis minusque distans, ac proinde minoris quàm si in perpetuum vendita & alienata fuisset. Hac ergo de causa vouentes rem immobilem, ferè semper eam redimebant, ac proinde paucæ possessiones in iubileo ad Leuitas & sacerdotes deuoluebantur. ita Abulens.

Vers. 16. Quinta lex.

QVOD SI AGRVM POSSESSIONIS SVÆ (quem vt suum & proprium possidet) VOVERIT, IVXTA MENSVRAM SEMENTIS ÆSTIMABITVR PRETIVM. SI TRIGINTA MODIIS HORDEI SERITVR TERRA, A QVINQVAGINTA SICLIS VENVMDETVR ARGENTI] Si plus minusue seminis caperet ager, proportionaliter augebatur vel minuebatur pretium, vt si 60. modijs sereretur, vendebatur centum siclis, si tantùm 15. vendebatur 25. & ita consequenter. Verisimile est quod censet Abulens. hosce 50. siclos sumi pro pensione, vel reditu 50. siclorum; nam si pro tanto agro qui seritur 30. modijs, semel tantùm fuissent soluti 50. sicli, ager ille nimis paruo & vili pretio venditus fuisset: videtur ergo venditus fuisse 50. siclis, non semel, sed quotannis soluendis, siue censu annuo 50. siclorum. Nam ager qui seritur 30. modijs hordei, facilè quotannis dat 50. siclos & ampliùs: ponamus enim modium vnum seminis proferre decem modios in messe; ita vt ager 30. modiorum seminis proferat 300. modios in messe; iam demus modium quemque hor- B dei tunc valuisse tantùm 4. stuferis; hinc fiet, vt 300. modij valuerint 60 florenos, siue siclos.

Ager qui serebatur 30. modijs, redimebatur 50. siclis, id est reditu annuo 50. siclorum.

Nota Pro *modijs*, hebr. est *homer*, quod Septuag. & Chald. vertunt *corum*. Ex hoc ergo loco patet, quòd homer siue corus continebat 30. modios. Quare non videtur verum quod dicunt Hebræi, *homer* dici à חמור *hamor*, id est asinus, quòd sit mensura quam ferre potest asinus. nec enim asinus ferre potest 30. modios.

Homer, id est corus, continebat 30. modios.

Vers. 17.

SI STATIM AB ANNO INCIPIENTIS IVBILEI VOVERIT AGRVM QVANTO VALERE POTEST, TANTO ÆSTIMABITVR] Pro *quanto valere potest*, Septuag. & Chald. vertunt, *iuxta pretium* vel *æstimationem agri*; Hebræa habent, *iuxta æstimationem tuam* (ô sacerdos:) sacerdotis enim erat æstimare agri pretium, sed iuxta legem iam datam, videlicet vt pro agro qui serebatur 30. modijs, pende- C rentur 50. sicli, si videlicet statim à iubileo is venderetur, ita vt pro quolibet anno numeraretur siclus: nam ab vno iubileo vsque ad alterum sunt 50. anni. vendebatur enim ager tantùm vsque ad iubileum; quia tunc ad primum heredem & dominum redire debebat. Siclum hîc non simplicem, sed annuum intelligi, dixi v. præced.

Si ergo ager sereretur 15. modijs, sacerdotis erat æstimare eum 25 siclis, si integrum superesset iubileum: si integrum non superesset, sed aliquot anni inde iam elapsi essent, ita vt tantùm superessent 10. 20. 30. anni, tunc pro rata temporis & annorum, sacerdotis erat minuere pretium, plus minusue. Permittit hîc Deus hero, qui heres est, agrum suum vouenti, vt eum possit redimere 50. siclis, soluendis pro rata annorum qui supersunt vsque ad iubileum: quòd si non redimat, statuit vt D ager numquam, ne in iubileo quidem, ad eum redeat, sed absolutè transeat in ius Dei & sacerdotum: hoc est enim quod sequitur:

Vers. 20. & 21.

SIN AVTEM (herus vouens & offerens agrum) NOLVERIT REDIMERE, SED ALTERI CVILIBET FVERIT VENVMDATVS, VLTRA EVM QVI VOVERAT REDIMERE NON POTERIT: QVIA CVM IVBILEI VENERIT DIES, SANCTIFICATVS ERIT DOMINO] q.d. Ager hic tempore iubilei numquam redibit ad herum qui eum vouit, sed semper ad Deum, cui per votum *cherem*, siue anathematis sanctificatus, id est consecratus fuit; ac proinde in iubileo rediens, non ad herum suum laicum, sed ad Deum, de nouo quasi ipsi sanctificatur, consecratur & confirmatur: quare herus qui vouerat eum, ampliùs redimere non poterit, sed cedet ille sacerdotibus locum Dei tenentibus, qui eum possidebunt

bunt in perpetuum,iure quaſi hereditario.ita Vatabl.hoc eſt enim quod ſequitur:

VERS. 21. ET POSSESSIO CONSECRATA AD IVS PERTINET SACERDOTVM] Pro *poſſeſſio conſecrata*, hebr. eſt *ager* חֵרֶם *cherem*, id eſt ager anathematis vel ſuccisionis. q.d. Sicut res occiſa vel ſucciſa non ampliùs redit ad vitam, ita ager hic Deo per votum conſecratus, nec redemptus, redire nequit ampliùs ad dominum laicum aut profanum, ſed Deo in perpetuum eſt conſecratus, ceditque ſacerdotibus,ita tamen vt ipſi agrum illum non poſſideant, ſed ſingulis iubileis vendant alicui ex illa tribu, ex qua oriundus erat ille cuius erat ager, quique agrum Deo vouit & obtulit; idque ideo, ne ſacerdotes poſſideant agros: hoc enim prohiberi videtur Num 18.20. & ne diminuantur poſſeſſiones tribuum, aut tranſeant de tribu in tribum.ita Abulenſ.quæſt.36.Eadem lex erat,ſi quis agrum ſuum deuouiſſet Sanctuario.

Sacerdotes agros ſuos ſingulis iubileis vendebant,cui & cur?

In alijs autem rebus, ſi quis eas Sanctuario deuouiſſet,ſimilis erat lex illi, quæ lata eſt de animalibus. nam ſi res erat talis, quæ vſibus Sanctuarij ſeruire poſſet,vt victimæ,iumenta,æs, ferrum,aurum;commutari aut redimi non poterant,ſed cedebant theſauro aut miniſterio Sanctuarij: ſin res vſibus Sanctuarij eſſet inepta, vt arma, libri, veſtes:redimebantur à domino, addita inſuper quinta pretij parte.ſin ille nollet redimere,res vota alijs communi pretio vendebatur, pretiumque cedebat Sanctuario.ita Abulenſ.q.51.

VERS. 22. *Sexta lex.* SI AGER EMPTVS EST, ET NON DE POSSESSIONE MAIORVM]Huius verſ & duorum ſequentium hic eſt ſenſus.ſi ager aliquis non ſit hereditaria ſors vouentis, ſed emptus ſit ab eo, ita vt ad heredem, & tribum ſuam redire debeat in iubileo; tunc ſi emptor primus,ſecundus, tertius, aut etiam vigeſimus eum Deo vouebit; ſupputabit ſacerdos quantum temporis ad iubileum ſuperſit. & quantum pretij quo eum emptor emit, illi tempori reſpondeat,illudque vouens loco agri perſoluet,dabitque ſacerdotibus. Vnde apparet, emptorem agri cùm eum Deo vouerat, obligatum fuiſſe ad pretium illud agri perſoluendum (hoc enim ſolùm hîc exprimitur) neque potuiſſe agrum alteri vendi, ideoque non debuiſſe vouentem addere quintam pretij partem,vti iuſſum eſt in præcedenti caſu Cuius rei æqua & iuſta ratio erat, quòd in præcedenti caſu, hero liberum erat redimere agrum, vel non redimere, ſacerdos verò tenebatur eum redimere volenti reddere: hîc autem è contrario onus ſubit,non ſacerdos,ſed vouens,qui cogitur agrum redimere. Rurſum in præcedenti caſu, quinta pars pretij addebatur ab hero vouente, pro abſoluta & perpetua rei occupatione: nam alij emptores rei eam tantùm emebant vſque ad iubileum communi pretio, vltra quod perexiguum erat hero rem redimenti, addere quintam partem pretij,pro æterna eius poſſeſſione:in hoc verò huius verſus caſu tantùm fiebat agri redemptio vſque ad iubileum. emens enim eum & vouens,tantùm emerat eum vſque ad iubileum,nec vltra eum poſſidere poterat: in iubileo enim redibat ager ad primum heredem & dominum. Quare in hoc caſu rectè & æquè comparatur emptor rem vouens, cum alijs emptoribus præcedentis caſus, qui tantùm cōmune pretium perſoluebant in rei à ſe votæ redemptione;non verò cum hero, qui, vt dixi, quintam pretij partem ſuperaddere iubetur, pro abſoluto rei dominio, proq;perpetua rei poſſeſſione, quam hac redemptione acquirit & recuperat.

Emptor agri, non heres, agrum votum redimebat pretio, ſoluendo pro rata annorum, vſque ad iubileū.

REVERTETVR AD PRIOREM DOMINVM] Prior dominus hic non eſt emptor,qui agrum vouit,ſed eſt primus heres & poſſeſſor, qui agrum primò vendidit,ac proinde ad eum ager hic in iubileo reuerti debet. VERS. 24.

OMNIS ÆSTIMATIO SICLO SANCTVARII PONDERABITVR] id eſt, vt Septuag. πᾶσα τιμὴ ἔςαι ςαθμοῖς ἁγίοις, *omne pretium erit ponderibus ſanctis*, hoc eſt,omne pretium ponderabitur libra ſancta, & pondere ſancto. Hinc liquet, ſiclum qui ſoluebatur voti cauſa,appendi debuiſſe ad ſiclum Sanctuarij, non quaſi is diuerſi eſſet pretij; tunc enim dicendum fuiſſet, *computabitur*, non *ponderabitur*; ſed quòd ſiclus qui in Sanctuario ſeruabatur,prorſus incorruptus eſſet, & iuſtiſſimi ponderis. de quo vide dicta Exodi 30.13. VERS. 25. *Septima lex.*

PRIMOGENITA QVAE AD DOMINVM PERTINENT, NEMO SANCTIFICARE POTERIT, ET (id eſt) VOVERE, SIVE BOS, SIVE OVIS (ſiue capra, hanc enim comprehendit Hebr. שֶׂה *ſe*, FVERIT, DOMINI SVNT]q.d.Hæc primogenita bouis, ouis & capræ, Domino immolari debent ratione primogenituræ,vt patet Num.18 17. nolo ergo vt ea mihi voueatis. cùm tota ſint mea,etſi ea non voueatis. VERS. 26. *Octaua lex. Primogenita Deo vouere non licebat. cur?*

Hinc docere videtur Abulenſ.non eſſe propriè votum, ſi quis voueat rem præceptam, verbi gratia,non colere deos alienos;licet arctiùs talis obligetur, quàm ſi non vouiſſet. Ratio Abulenſ. eſt: Quia,inquit,votum eſt ſpontanea tantùm oblatio.

An res præcepta poſſit voueri? Negat Abulenſ. eius ratio?

Verùm hæc ſententia abſolutè non eſt vera:poſſumus enim vouere omnem rem bonam & ſanctam, ſiue ea conſilij ſit, ſiue præcepti; bonum enim & laudabile eſt,rem eamdem præſtare ex religione & voto, quam præſtare tenebaris ex obedientia. Noua enim bonitas virtutis religionis, ex voto accedit huic actui præcepti & obedientiæ. Sic Iacob Geneſ.28 21.vouit quòd Dominus eſſet illi in Deum,hoc eſt quòd Deum perpetuò haberet & coleret vt ſummum ſuum omniumque Dominum;ad quod tamen ex præcepto tenebatur.

Reſp. affirmatiuè.

Dices, Votum eſt ſpontanea oblatio. Reſpondeo,Id verum eſt reſpectu actus vouentis;hic enim ſpontaneus eſſe debet. vouere enim cuique eſt ſpontaneum & liberum,nulli præceptum: falſum tamen id eſt reſpectu rei votæ; hæc enim ſæpè non eſt ſpontanea,ſed neceſſaria & præcepta.

Votum eſt ſpontanea oblatio: cuius reſpectu?

Quòd ergo Deus hîc noluerit Iudæos vouere primogenita,ſibi ex præcepto debita,& immolanda,peculiaris fuit ſanctio:cuius ratio erat,quia illa iam per Dei legem Deo erant deuota,& conſecrata omnino:vnde noluit ea Deus voueri, ne votum aliquid derogaret priori conſecrationi, quaſi illa non fuiſſet plena & perfecta,ita vt voto perfici & firmari poſſet.

QVOD SI IMMVNDVM EST ANIMAL, REDIMET QVI OBTVLIT] Loquitur de animali primogenito,vt patet ex verſu præced. quod nec voueri poterat,quia primogenitum, vt præceſſit; nec immolari, quia immundum: redimi ergo illud iubet Deus, aut vendi. Abulenſ. id intelligit de animali immundo tantùm per accidens, vt ſi bos primogenitus eſſet ſine cauda, vel auribus: quia, inquit ipſe,inter animalia immunda ſecundùm ſpeciem, ſolius aſini primogenitum iuſſit ſibi Deus offerri, eiuſque loco dari ouem,qua de re dixi Exodi 13. v.13.& rurſum dicam Numer.18 15. VERS. 27. *Nona lex.*

SI REDIMERE NOLVERIT, VENDETVR ALTERI] *Vendetur*, id est vendi poterit: nam si dominus redimere nollet, poterat sacerdos animal immundum primogenitum sibi seruare, æquè vt voto oblatum, vt dixi v. 9.

VERS. 28. *Decimalex.* OMNE QVOD DOMINO CONSECRATVR, SIVE HOMO FVERIT, SIVE ANIMAL, SIVE AGER, NON VENDETVR, NEC REDIMI POTERIT] Loquitur hæc lex de eo, quod tantùm consecratur, id est vouetur, Deo, voto & consecratione omnino absoluta & perfecta; alioqui enim ex versu 11. & seq. patet, animal & agrum simpliciter & nudè votum, potuisse redimi.

Vnde Nota. Pro *consecratum*, vel *quod consecratur*, hebr. est חרם *cherem*, id est succisio, anathema, & quasi destructio rei. radix enim חרם *charam* significat occidere, excidere, succidere: inde votum *cherem*, dicebatur votum maximum, quo res vota ita Deo consecrabatur, vt destrui vel occidi deberet, moriqúe aut naturaliter aut ciuiliter.

Cherem est anathema, occisio, & destructio rei.

Res vota voto cherem mori debebat, aut naturaliter aut ciuiliter.

Si ergo animal mundum (de quo maximè hic loquitur Moses: vt patet ex sequent.) quod immolari poterat, Deo voueretur, erat *cherem*, id est vendi aut redimi non poterat, sed Deo immolari debebat. sic si homo qui poterat esse *cherem*, id est qui poterat Deo voueri per votum *cherem* siue anathematis, verbi gratia, Leuita, aut hostes Israel, quos Deus occidi iusserat Num. 33. 52. Deuter. 20. v. 13. deuouerentur Deo, redimi non poterant. Sic ager hereditarius, si heres eum redimere nollet, fiebat *cherem*, & omnino consecrabatur Domino, ita vt ampliùs vendi aut redimi non posset; intellige absolutè & venditione perfecta: nam post quemlibet iubileum vendebatur, sed ita, vt proximo iubileo rursus rediret ad sacerdotes. de hoc ergo voto *cherem* tantùm loquitur hîc Deus, de eoque subdit: *Quidquid fuerit semel consecratum* (absolutè & perfectè per votum *cherem*, vt habent Hebræa) *sanctum sanctorum erit Domino*, id est omnino sanctum & consecratum erit Domino.

Homo votus voto cherem quis?

Ager cherem quis?

Sanctum sanctorum quid?

Sanctum enim est quod purum, segregatum & consecratum est Deo. vnde S. Thom. 2. 2. qu. 81. art. 8. *Sanctificatio*, inquit, *est munditia à peccato, vel confirmatio in bono, vel deputatio ad cultum Dei. Sanctitas verò est scientia colendorum deorum*, ait Cicero lib. 1. de Natura deorum; aut, vt Andronicus, *est virtus faciens homines fideles, & seruantes ea quæ ad Deum sunt iusta.* Et, vt ait S. Dionys. de Diuin. nomin. c. 12. *Sanctitas est ab omni immunditia libera & perfecta & omnino immaculata munditia.* Quod enim Deo consecratur, purum & mundum sit oportet. vnde S. August. *Sanctus*, inquit, *est, qui ordinatam habet charitatem: & sancto tria seruanda sunt, pudicitia corporis, castitas animæ, & veritas doctrinæ.*

Talis fuit S. Ioannes Baptista, de quo Chrysost. serm. 8 de eo: *Ioannes, inquit, virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, Euangelij actio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, officium præconis, præco iudicis, Domini testis, totius medius Trinitatis.*

Rursum Sancti ex hac vnione cum Deo & consecratione fiunt deiformes, & quasi dij. Audi S. Cyprianum de Singular. Clericor. *Sicut modica aquæ gutta multo vino infusa à se tota deficit, vinique saporem & colorem induit: ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, & igni simillimum efficitur: solis radio aër perfusus, in eamdem transformatur luminis claritatem: speculum radijs solaribus directè irradiatum, solis in se recipit similitudinem, idque, putares alterum esse solem: ita etiam Sancti & Beati, Dei charitate in intimis sui totaliter penetrantur, sicque deiformes effecti, in Dei similitudinem transformantur.* Hi sunt *cherem* Dei.

VERS. 29. OMNIS CONSECRATIO (hebr. *omne cherem*) QVÆ OFFERTVR AB HOMINE, NON REDIMETVR, SED MORTE MORIETVR] *Morietur* morte propria & naturali, si occidi possit, aut si illud occidere liceat, vt si sit animal mundum, vel si hostes sint morti à Deo addicti: cuius exemplum videmus Num. 21. 2. vbi Chananæi ab Hebræis voto *cherem* Deo deuoti, omnino succisi & vsque ad internecionem deleti narrantur, ideoque nomen loci vocatum est *Cherem* & *Chorma*, siue, vt alij pronuntiant, *Herem* & *Horma*. Sic Iericho statuta est à Deo *cherem*, id est anathema, vt omnino succendi & succidi deberet, nec liceret Hebræis ex eius opibus quidquam contingere aut rapere. nam hac de causa omnia castra Israel turbauit Achan, quòd aliquid ex Ierichuntis præda sibi vendicasset, vt patet Iosue 6. 17. & c. 7. 1. Tale *cherem* siue anathema pro Iudæis optabat fieri S. Paulus, vt dixi Rom. 9. 3 Si verò res per *cherem* Deo vota, mortis propriè dictæ incapax esset, *morte morietur*, id est mori debet morte ciuili, sicut Religiosi nostri quasi voto *cherem* Deo dicati, ciuiliter mortui dicuntur; quia omni ciuili negotio, & hereditate ac dominio rerum temporalium sese abdicarunt, perinde ac si mortui essent. Ita olim in lege veteri tam Leuitæ, quàm agri, qui tamquam *cherem* Domino erãt deuoti, ciuiliter moriebantur, quia ampliùs ad profanos vsus redire nõ poterant, perinde vt iam domus Ecclesiasticorum & Religiosorum amortizantur.

Horma idẽ est quod cherem.

Iericho à Iosue facta est cherem, id est anathema.

S. Paulus optabat fieri cherem pro Iudæis.

Cherem erant Leuitæ, cherem iam sunt Religiosi.

Talia *cherem*, talesque deuotos habuerunt & Gentiles. Ita Leonidas cum trecentis pro patria se deuouit, & irrupit in castra Xerxis, dicens: *Prandete commilitones, apud inferos cœnaturi.* Rogatus, cur optimi nobilem mortem obscuræ vitæ anteponerent, respondit: *Quia hoc proprium naturæ, illud sibi esse censent.* Quare Xerxi promittenti imperium in omnes Græcos, si ab eius partibus stare vellet, rescripsit: *Si bona vitæ cognita haberes, vtique alienarum rerum cupiditatem deposuisses. mihi quidem potius est mori pro Græcia, quàm in omnes gentiles dominationem obtinere.* ita Plutarch. in Leonida. plura exempla citaui Exodi 32. 32.

Cherem Gentilium.

VERS. 30. OMNES DECIMAE TERRAE SIVE DE FRVGIBVS, SIVE DE POMIS (id est fructibus. ita Hebr. Chald. Septuag. non enim solorum pomorum, sed omnium fructuum & frugum decimas hîc sibi, id est suis ministris, putà Leuitis, deposcit Deus. vide Abulens. q. 68 & seq.) DOMINI SVNT, q. d. Domino ex hac lege debentur, ET ILLI SANCTIFICANTVR] id est sanctificari, dari & offerri debent. Simili phrasi dicunt Hebræi, *Quæ non fient*, id est quæ fieri non debent: *Virum non cognosco*, id est non possum, non licet mihi virum cognoscere.

Vndecima lex. Omnium frugum decimas exegit Deus.

Noluit Deus Leuitas in terra Israel possidere agros, sed viuere ex decimis, primitijs & oblationibus Domini; & hac ratione dicitur *Deus esse ipsorum pars & hereditas*, id est portio hereditaria: quia Leuitæ quasi filij & heredes Dei, gaudebant eius bonis, putà decimis & primitijs, vt patet Numer. 18. 21. Rursum Leuitæ soluebant pontifici decimam partem omnium suarum decimarum, vt patet Numer.

Deus erat pars & hereditas Leuitarum. quomodo? Leuitæ dabant decimas pontifici.

Numer. 18. 28. pontifex ergo olim ditissimus erat. Hinc cap. *Parochianos*, extrau. *de decimis*, asserit & sancit Alexander III. dicens: *Cùm decima non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint instituta, quasi debitum exigi possunt.* Vbi videtur asserere, decimas, etiam apud Christianos, debitas esse ex iure diuino; quod intellige de iure tum generali: ius enim diuinum, imò & naturale dictat, alendos esse à populo sacerdotes & Ecclesiæ ministros, licet in particulari non dictet eos decimis, aut primitijs, aliòue modo particulari alendos esse: tum speciali, quia scilicet decimæ in lege veteri erant iure diuino Iudæis præceptæ. quam legem & quòd ius diuinum innouauit Ecclesia, idemque lege Ecclesiastica sanxit; licet tota obligatio iuris veteris diuini, qua diuini (quia ius illud erat cæremoniale) cum lege veteri desierit, sitque abrogata, & tantùm iam obliget lex positiua Ecclesiæ, quæ illud ius vetus, vti & pleraque alia, in suas leges recepit, & denuò constituit ac stabiliuit. plura de decimis & primitijs dicam Numer. 18. v. 12. & 21. & 29.

Decimas Christiani debent ex iure, partim diuino, partim humano.

VERS. 32. *Duodecima lex.* OMNIVM DECIMARVM BOVIS ET OVIS ET CAPRAE, QVAE SVB PASTORIS VIRGA TRANSEVNT, QVIDQVID DECIMVM VENERIT, SANCTIFICABITVR DOMINO] id est offeretur & dabitur Domino pro decimis.

Nota. *τὸ & capra* legunt Romana & Radulph. & Hebræum צאן *tson* significat pecudes tam capras quàm oues, eademque caprarum quæ ouium, vti in sacrificijs, ita & in decimis apud Iudæos fuit ratio. Septuag. ergo & Chald. qui solius ouis meminerunt, sub oue & capram intelligunt.

Modus decimandi oues.

Nota Secundò. *τὸ quæ sub pastoris virga transeunt*, innuit modum decimandi, videlicet vt pastor ad portam ouilis, vel caulæ consistens, virga cohibeat suas oues, capras & boues, ne simul egrediantur, sed singula ordine; ita vt quod decimum venerit & exierit, cedat in decimas Domino. illudque cum alio mutare non liceat, siuè bonum sit siue malum, siue pingue siue macrum.

Nota Tertiò. Sicut versu præcedenti omnium frugum & fructuum decimas exegit Deus, ita hîc exigit decimas animalium, idque tantùm trium, scilicet bouis, ouis & capræ; quia hæc sola munda erant, aptaque ad sacrificium. Abulens. tamen à pari censet, aliorum quoque animalium, etiam immundorum. vt equorum, camelorum, asinorum, præceptas & datas à Iudæis fuisse decimas: verùm locum aliquem S. Script. qui idipsum asserat, non affert. Hinc patet, Iudæos ex lege quotannis debuisse offerre Deo, tam frugum omnium, quàm animalium Primò, decimas; Secundò, primitias, easque quadruplices, vti dixi Numer. 18. 2. Tertiò,

Decimas ouium, caprarum & boum tantùm exegit Deus.

A victimas & sacrificia, tum quotidie, tum singulis sabbatis & festis præscripta, Numer. 28. & 29.

VERS. 34. HAEC SVNT PRAECEPTA, QVAE MANDAVIT DOMINVS MOYSI AD FILIOS ISRAEL, IN MONTE SINA] iuxta montem Sinai; vt dixi c. præced. v. 46. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.* Sic viue, vt in æternum viuas. O æternitas quàm longa es, quàm rarò versaris in mentibus hominum! Quid est æternitas? Est circulus in se recurrens, cuius centrum est *semper*, circumferentia *nusquam*, putà *numquam finiri*. Quid est æternitas? est orbis vbique rotundus, suique similis, in quo non est principium, nec finis; in quo

Quid est æternitas?

B non est incipere, non desinere. Quid est æternitas? est rota quæ semper voluitur, & voluetur in omne volubilis æuum. Quid est æternitas? est annus iugiter reuolutus, qui vbi occidit & moritur, ibi & renascitur, rursumque oritur. Quid est æternitas? est fons in quo aquæ per mæandros ad suam scaturiginem semper refluunt, vt iterum fluant. est fons perennis iuges dans aquas, easque vel benedictionis suauissimas, vel maledictionis amarissimas. Quid est æternitas? est labyrinthus innumeris gyris se intorquens, qui ingressos perpetuò circumducit. circumagit & perdit. Quid est æternitas? est abyssus spirarum, est spira semper gyrans, & circulans in immensum.

C Quid est æternitas? Est anguis orbiculariter in se reflexus, caudam ore complectens, qui in sui fine rursum semper incipit, & incipere numquam desinet. Est principium sine principio, sine medio, sine fine. Est iuge, interminum, semperque inchoans principium: in quo Beati vitam beatam continuò auspicantur, nouisque voluptatibus perpetuò affluunt: damnati semper moriuntur, postque omnem mortem mortisque agoniam, rursum iugiter mori & agonizare incipiunt: vt sicut erat in principio, ita sit & nunc, & semper, eritque in sæcula sæculorum. Quamdiu terra erit terra, quamdiu cælum erit cælum, quamdiu Deus erit Deus;

D tamdiu Beati erunt beati, tamdiu regnabunt & triumphabunt: tamdiu damnati erunt damnati, tamdiu ardebunt in pice & sulphure, & fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum.

O æterna veritas, ô vera charitas, ô chara æternitas. Deus cordis mei, da vt te agnoscamus, tibi mente & corde inhiemus, da vt nulla nos capiat vanitas, tam breuis, & in æternum lugenda vanitas: da vt multos nobiscum trahamus ad beatam æternitatem: da vt heroica virtutum opera in hoc momento designemus, quæ coram Deo & angelis quasi trophæa fulgeant, & perstent in omnem æternitatem. Amen.



DOXOLOGIA DEI SANCTI, ET SANCTIFICATORIS SANCTE COLENDI, EX SANCTIONIBVS LEVITICI.

Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorem: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Victima Mosis. *Offerte holocausta, mincha pacifica, pro peccato: victima & holocausta vestra pinguescant.*

Holocausta medullata offerte cum incenso arietum: offerte honercum hircis.

Victima Christi. *Verùm iam holocausta, & pro peccato noluisti Domine: cùm apparuit Christus vera pro peccato victima, & dixit: Ecce venio.*

In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

Sacrificium laudis honorificabit eum: & illic iter, quo ostendet tibi salutare suum.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Dirigatur Domine oratio nostra, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum nostrarum, sic sacrificium vespertinum.

Sicut in holocausto arietum & taurorum: & sicut in millibus agnorum pinguium;

Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.

Et nunc sequimur te in toto corde: & timemus te, & quærimus faciem tuam.

Ignis sacer. *Ignem diuinum in altari cordis nostri, Domine Iesu, iugiter inflamma: quem venisti mittere in terras, & voluisti vehementer accendi.*

Aaron pontifex. *Elegit, & excelsum fecit Dominus Aaron; statuit ei testamentum æternum: vt doceret Iacob testimonia, & in lege sua lucem daret Israeli.*

Dedit illi sacerdotium gentis: sacrificia eius quotidie igne consumpsit.

Compleuit Moses manus illius: & vnxit eũ oleo sancto.

Induit eum stolam gloriæ: tiara coronauit eum, in vasis virtutis.

Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi sol refulgens: sic ille effulsit in templo Dei.

Oblatio Regis excelsi in manu eius: libauit ad basin altaris de sanguine vuæ.

Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis ductilibus sonuerunt: vocem magnam dederunt psallentes Domino.

Cecidit omnis populus in faciem suam, adorans Dominum: & dedit preces omnipotenti Deo excelso.

Tunc descendens manus suas extulit in omnem congregationem Israel: benedixit ei in nomine Domini.

Iterauit orationem suam, petens dari populo iucunditatem cordis: & fieri pacem in Israel, per dies sempiternos.

Nadab & Abiu. *Nadab & Abiu obtulerunt ignem alienum: ignis egressus à Domino deuorauit eos.*

Animalia munda. Purificatio. *Separauit Dominus animalia munda ab immundis: vetuit ne immundis contaminarent animas suas.*

Sanxit in partu, in lepra, in fluxu seminis & sanguinis, purificationem, dicens: Sancti estote; quia ego sanctus sum.

Expiatio S. Sanctorum. *Sanxit in die expiationis dari sortem caprorum: & pontificem expiare Sancta sanctorum.*

Adeps & sanguis Deo dicata. *Sanguinem omnem & adipem sibi depoposcit: quia in manu eius est mors & vita nostra.*

Iura matrimonij. *Sanxit legitima matrimonij: ne quis ad proximam sanguinis accedat.*

Victima sine macula. *Sanxit tam sacerdotes, quàm victimas esse sine macula: quia ipse sanctus est, & sanctificans eos.*

Festa. *Sanxit celebrare phase, pentecosten, sabbata, & tabernacula: ferias sanctas Domino.*

Buccinare in neomenia tuba: in insigni die solemnitatis Israel.

Iubileum. *Sanxit sabbatum terræ, sanxit latum iubileum: & in eo remissionem cunctis habitatoribus terræ.*

Vota, decima. *Sanxit leges votorum, primogenitorum, decimarum: & cherem, sanctum sanctorum Domino.*

Vouete, & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.

Non fecit taliter omni nationi: cæremonias, & iudicia sua non manifestauit eis.

Mirabilia testimonia tua Domine: ideo scrutata est ea anima mea.

Da mihi intellectum, & scrutabor mandata tua: considerabo mirabilia de lege tua.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

COM-

COMMENTARIA IN NVMEROS.

ARGVMENTVM.

Numeri vnde dicti

LIBER hic hebraicè à sui initio dicitur וַיְדַבֵּר *vaiedabber*, id est *& locutus est*. Græci Ἀριθμοὺς, & eos secuti Latini, *Numeros* eum vocauerunt; eò quòd liber hic à censu & numeratione populi incipiat, quodque multæ capitationes & numerationes hoc libro per censeantur; vti bellatorum Israel c.1. primogenitorum & Leuitarum c.3. mansionum in deserto cap.33. Denique eò quòd hoc libro Hebræi in suos numeros, id est ordines, turmas & acies distribuuntur: numerus enim subinde accipitur pro certa ratione atque ordine, vt apud Virgil. Æneid. 11.

Hetrusciq́, duces, equitumq́, exercitus omnis,
Compositi numero in turmas.

Sic milites dicebantur referri in numeros, cùm in suos ordines distribuebantur, in eorumque catalogum inscribebantur.

Materia libri.

Materia libri est, partim historia peregrinationis Hebræorum per desertum tendentium in Chanaan. hanc enim in Exodo cœptam hîc pertexit Moses: partim variæ numerationes: partim præcepta Dei positiua hinc inde immista. *Numeri*, inquit S. Hieron. in prologo Galeato, *nónne totius* A *Arithmetica, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?* Ob nouam hanc materiam, noua est hîc sectio Pentateuchi, nouusque liber Numerorum, à Leuitico & alijs dissectus & distinctus.

Censet Abulensis Mosen Exodo, maximè c.20. complexum esse præcepta moralia siue naturalia, Leuitico cæremonialia, Numeris iudicialia. Verùm hoc per omnia verum non est: nam & iudicialia pertexuit Exodi 21. & 22. atque hîc in Numeris tam, imò magis cæremonialia, quàm iu- B dicialia, hinc inde immiscet.

Liber hic complectitur historiam & gesta Mosis ac Hebræorum à 2. mense anni secundi egressus eorum ex Ægypto, vsque ad finem penè vitæ Mosis, siue peregrinationis 40. annorum in deserto, videlicet vsque ad initium mensis vndecimi anni quadragesimi nam ab illo mense 11. anni quadragesimi incipit sequens liber Deuteronomij, vt patet conferenti v. 1. c. 1. Numer. cum c. 1. Deuter. v.3. Continent ergo Numeri gesta circiter 39. annorum, videlicet ab anno mundi 2455. vsque ad annum 2494. quod fuit ab anno à diluuio 798. ad annum 837.

Numeri continent gesta 39. annorum.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INitur numerus filiorum Israel, à vigesimo anno & supra, per singulas tribus, inuentiq́ sunt vniuersim 603550.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens: 2. Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes & domos suas & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini. 3. à vigesimo anno & supra, omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas tu & Aaron. 4. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, 5. quorum ista sunt nomina: De Ruben, Elisur filius Sedeur. 6. de Simeon, Salamiel filius Surisaddai. 7. de Iuda, Nahasson filius Aminadab. 8. de Issachar, Nathanael filius Suar. 9. de Zabulon, Eliab filius Helon. 10. Filiorum autem Ioseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud. de Manasse, Gamaliel filius Phadassur. 11. De Beniamin, Abidan filius Gedeonis. 12. de Dan, Ahiezer filius Ammisaddai. 13. de Aser, Phegiel filius Ochran. 14. de Gad, Eliasaph filius Duel. 15. de Nephthali, Ahira filius Enan. 16. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus & cognationes suas, & capita exercitus Israel: 17. quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine: 18. & congregauerunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina singulorum, à vigesimo anno & supra. 19. sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai. 20. De Ruben primogenito Israelis per generationes & familias ac domos suas, & nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum, 21. quadraginta sex millia quingenti. 22. De filiis Simeon

meon per generationes ac familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulorum, omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum, 23. quinquaginta nouem millia trecenti. 24. De filijs Gad per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra, omnes qui ad bella procederent, 25. quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. 26. De filijs Iuda per generationes & familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 27. recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti. 28. De filijs Issachar, per generationes & familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui ad bella procederent, 29. recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. 30. De filijs Zabulon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 31. quinquaginta septem millia quadringenti. 32. De filijs Ioseph, filiorum Ephraim per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 33. quadraginta millia quingenti. 34. Porrò filiorum Manasse per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 35. triginta duo millia ducenti. 36. De filijs Beniamin per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 37. triginta quinque millia quadringenti. 38. De filijs Dan per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 39. sexaginta duo millia septingenti. 40. De filijs Aser per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 41. quadraginta millia & mille quingenti. 42. De filijs Nephthali per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 43. quinquaginta tria millia quadringenti. 44. Hi sunt, quos numerauerunt Moyses & Aaron, & duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum. 45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos & familias suas à vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere, 46. sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. 47. Leuitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. 48. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 49. Tribum Leui noli numerare, neque ponas summam eorum cum filijs Israel: 50. sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad ceremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum & omnia vtensilia eius: & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. 51. Cùm proficiscendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum: cùm castrametandum, erigent. quisquis externorum accesserit, occidetur. 52. Metabuntur autem castra filij Israel vnusquisque per turmas & cuneos atque exercitum suum. 53. Porrò Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodijs tabernaculi testimonij. 54. Fecerunt ergo filij Israel iuxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

VERS. I. *Dominus, id est angelus Domini.* LOCVTVSQVE EST DOMINVS] putà angelus Dei personam gerens: nam omnia hæc per angelum esse dicta & gesta, ostendi Exodi 3. v. 2. & Leuit. 1. v. 1. Vtitur enim Deus angelis quasi administratorijs spiritibus, vt per eos illuminet homines. hic enim congruus & suauis est ordo diuinæ prouidentiæ. Licet ergo populus ipsum Deum cum Mose collocutum, eique immediatè hæc præcepta tradidisse existimaret: Moses tamen ex continuo cum eo colloquio, tandem intellexit non esse Deum, sed angelum Dei. Agebat enim cum eo assiduè & familiarissimè. ita Abul. Postquam ergo Moses agnouit eum esse angelum, eum non adorauit latria, sed in adoratione hac mentem ad Deum angeli Dominum direxit. Itaque angelus hic vocatur Dominus, tum quia

A Dominum repræsentabat, tum quia populus putabat eum non esse angelum, sed Dominum. Vide dicta Exodi 20. 1. & 2.

IN DESERTO SINAI] Omnia enim hæc à c. primo vsque ad cap. 10. v. 11. facta sunt in 12. mansione quæ fuit in Sina, vti ostendi Exodi 19. v. 1.

IN TABERNACVLO] Non ergo in ostio tabernaculi in conspectu plebis (vti aliàs aliquando) hic cum Mose loquebatur Deus, id est angelus Dei, sed ex ipso Sancto sanctorum, putà ex propitiatorio, vt patet cap. 7. v. vlt.

TOLLITE SVMMAM VNIVERSÆ CONGREGATIONIS FILIORVM ISRAEL] q.d. Accipite, siue inite numerum omnium Hebræorum, siue Israelitarum. Hebraicè est, שְׂאוּ אֶת רֹאשׁ *seu et ros*, id est *tollite caput*, hoc est capitate, seu numerate capita omnia Hebræorum. Septuag. vertunt, λάβετε ἀρχὴν, VERS. 2.

ἀρχὴν, accipite imperium, ditionem & latitudinem populi, hoc est, numerate populum, vt videatis quousque se extendat eius imperium & vires. nam in populi numero & multitudine consistit & terminatur populi imperium, iurisdictio & robur.

Ter Hebræi numerati sunt in deserto. Nota. Ter in deserto numeratus est populus: Primò, in Sina ante fabricam tabernaculi, pro contributione ad eamdem faciendam, Exodi 38. 25. Secundò, paucis post eam mensibus, scilicet post fabricatum & erectum tabernaculum, idque ob causam mox dicendam. De hoc secundo censu agitur hoc cap. Vnde & idem populi hic est numerus cum eo, qui fuit in priore censu, Exodi 38. 25. Licet enim inter vtrumque censum cæsa sint 23. millia, ob adoratum vitulum aureum, tamen alij totidem interim eorum loco subintrarunt, qui videlicet paucis hisce mensibus annum vigesimum expleuerant. Tertiò, post multos annos numeratus est Israel, non in Sinai, sed in campestribus Moab, idque ad distribuendam eis terram promissam, quam iam iam ingressuri erant. de quo agetur inferiùs cap. 26.

Cur hic numerentur Hebræi? Quæres, cur hîc post paucos menses iteratus sit populi census? Respondeo, Id factum est Primò, ad castra Hebræorum, quæ breui ex Sina mouenda erant, & aciem bellatorum meliùs & ordinatiùs instruendam. Secundò, vt census & numerus multitudinis cuiusque tribus certò & exactè constaret; ad hoc, vt ordinata & apta fieret tribuum omnium in castris, circa tabernaculum iam recenter erectum dispositio & distributio.

Nota Secundò In hac numeratione singuli numerati persoluerunt dimidium siclum. ita enim iusserat Dominus Exodi 30. v 12.

Nota Tertiò. Nulli proselyti, nulli Ægyptij, aut ex alijs gentibus oriundi, quorum magna inter Hebræos erat multitudo, vt patet Exodi 12. 38. hîc numerantur; sed soli & omnes Israelitæ masculi (exceptis Leuitis) qui annum vigesimum compleuerant. Quare nec pueri, nec feminæ numerati

Pueri & fœminæ non numerantur, cur? sunt, quia ob imbecilliorem vel ætatem vel sexum ad bella inepti, diuinis calculis apti non sunt habiti, ait Origenes homil. 1. vbi & huiusce rei hanc

Tropolog. tropologicam causam assignat: *Donec*, inquit, *inest alicui nostrûm vel puerilis, vel lubricus sensus, vel feminea & resoluta segnities, vel Aegyptios & barbaros mores gerimus, haberi apud Deum in sancto & consecrato numero non meremur. Innumeri enim apud Salomonem dicuntur esse qui pereunt, numerati autem omnes illi qui saluantur*, putà qui cum hoste bellant, decertant & vincunt. *hinc suis ait Christus Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; & Psaltes: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

VERS. 3. A VIGESIMO ANNO ET SVPRA] Quia ab hoc anno ætas bellatorum incipit, indeque porrigitur ad annum sexagesimum, & subinde vlterius. Omnes enim & soli illi hîc numerantur, qui poterant ad bella procedere, vt patet in enumeratione singularum tribuum quare planè decrepiti, v.g. octogenarij, non fuerunt hîc annumerati, licet id velit Abulens.

Omnes Hebrai in deserto fuerunt vegeti & fortes. OMNIVM VIRORVM FORTIVM] Hinc patet omnes Israelitas mira Dei prouidentia in deserto fuisse fortes, neminem debilem, neminem ægrum. omnes enim numerati sunt: omnes autem numerati fuerunt fortes, vt hîc dicitur; & hoc est quod canit Psaltes: *Non erat in tribubus eorum infirmus.*

VERS. 4. ERVNTQVE VOBISCVM PRINCIPES TRIBVVM] Princeps tribus erat primogenitus, qui ab ipso capite tribus, siue à patriarcha, v.g. à Iuda, directè per lineam primogenitorum descendebat: simili modo principes familiarum, de quibus c. 26. erant primogeniti istius familiæ. Sic & nunc in nonnullis regnis, maximè in Scotia, Hibernia, Anglia principes familiarum sunt primogeniti, & qui ab his primò descendunt, eisque quasi ducibus tota familia in rebus ciuilibus, in bellis, imò & in iniurijs vlciscendis indiuulsè adhæret. *Princeps tribus erat primogenitus.*

In castris enim tota penè vis belli consistit in duce & principe. Vnde melior & *formidolosior est exercitus ceruorum duce leone, quàm leonum duce ceruo.* Brasidas apud Thucydidem, *tria requirebat in bono milite; velle, vereri, obedire:* ita *in duce tria requiruntur, sapientia, fortitudo, vigilantia.* Vnde Carolus V. aiebat, se in castris optare ducem Italum Itali enim vigiles sunt, sagaces & animosi. Tales sæpè sunt, vel præsumuntur esse primogeniti: quare hîc in duces eliguntur.

Excipe hîc principes Leuitarum: hi enim non erant semper primogeniti, sed ad placitum constituebantur. id colligitur ex eo, quòd Elisaphan princeps Caathitarum patrem habuit Oziel, minimum natu filiorum Caath, filij Leui, vt patet hîc cap 3. v. 19. & 30.

Allegoricè & Tropolog hi 12. principes repræsentarunt duodecim Apostolos, virosque Apostolicos, qui totum Israelem, id est omnes Gentes, ex Ægypto, id est ex angustijs peccati eduxerunt; à Pharaone, id est diabolo, liberarunt, atque in Chanaan, id est cælum, deduxerunt. Ita Thomas duxit Indos, Andreas Achiuos, Ioannes Asianos, Thadæus Mesopotamios, Chananæus Ægyptios, Bartholomæus Armenios. hi nobis sint stimuli. Audiant sacerdotes, audiant Theologi; audiant Pastores & Prælati, audiant Religiosi S. Chrysostomum homil 47. in Matth. *Si duodecim homines*, inquit, *putà Apostoli, totam penè farinam orbis fermentarunt; animo versa, quanta sit nostra malignitas atque ignauia, qui cùm iam innumeri simus, has gentium reliquias conuertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus.*

Respice nos ex alto Domine Iesu, emitte in nos ignem, quem venisti mittere in terram, & voluisti vehementer accendi. Misisti hunc ignem, vt alios taceam, in S. Xauerium, vt duceret Indos & Iaponios; in Gasparem Barzæum, vt duceret Armuzios; in Andream Ouiedo, vt duceret Abassinos, in Matth. Riccium, vt duceret Sinas; in Iosephum Anchieta, vt duceret Brasilios: emitte eumdem in nos.

O Societas Iesu (liceat enim filio matrem dulcissimam alloqui, cui se & omnia sua debet) quæ regnum Iesu toto orbe propagare satagis, quæ spiritum Iesu Apostolicum à Deo accepisti; quæ terras & maria permeas vsque ad Sinas & Indos; quæ cosmopolitam te reputas; quæ famem, sitim, æstus, frigora, naufragia, persecutiones, mortes, martyria pro Iesu fortiter subis; quæ vlneis charitatis alis gentes barbaras, pauperes, miseras complecteris; quæ innumera animarum millia in infernum ruentia liberas, & in cælum traducis. Macte animo: perge quò pergis: age fortiter quod agis non parcas sudori, sanguini, vitæ tuæ: *intende, prosperè procede, & regna.* Erit fructus labori tuo: erit merces operi tuo, & merces magna nimis, cùm post te greges animarum saluandarum duces,

ces,quæ tibi in omnem æternitatem, coram Deo & angelis,salutem suam acceptam ferent.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Vers. 5. *Ordo thori seruatur in hoc numero.* De Rvben] Nota. Tribus & patriarchæ, putà 12. filij Iacob hic recensentur ordine thori. vt scilicet primò numerentur filij primæ vxoris Iacob, putà Liæ, scilicet Primò, Ruben; Secundò, Simeon; Tertiò, Iuda; Quartò, Issachar; Quintò, Zabulon: deinde Rachelis, scilicet Sextò, Ephraim; Septimò, Manasse; Octauò, Beniamin: tertiò ancillarum, scilicet Nonò Dan; Decimò, Aser; Vndecimò, Gad; Duodecimò Nephthali. Vbi Nota, confusum esse ordinem in Nephthali: nam Nephthali, vti & Dan, filius erat Balæ, ac consequenter præponendus erat Aser & Gad, filijs Zelphæ. tertia enim Iacobi vxor fuit Bala, quam ei pro se substituit Rachel, vtpote sterilis: quarta verò Iacobi vxor fuit Zelpha, quam Iacobo addidit Lia, cùm parere desineret.

Alius harum tribuum est ordo paulò pòst v.20. & seq. vbi initur numerus capitum in singulis tribubus: ibi enim describitur ordo metationis castrorum, quem quæque tribus habebat circa tabernaculum. Vnde ibi primi sunt Ruben, Simeon & Gad, qui ad Meridiem tabernaculi castra sua metabantur: secundi sunt Iudas, Issachar & Zabulon, qui erant ad Orientem tabernaculi: tertij sunt filij Rachelis, putà Ephraim, Manasse & Beniamin, qui erant ad Occidentem tabernaculi: quarti sunt Dan, Aser & Nephthali, qui erant ad Septemtrionem tabernaculi. de quo plura cap. sequenti.

Vers 9. Filiorum autem Ioseph de Ephraim] Nota. Tribus Ioseph fuit à Iacobo patre in duas diuisa, scilicet in Ephraim & Manasse, qui fuerunt duo Iosephi filij, ab auo Iacobo adoptati, vti dixi Genes. 48. v. 5.

Ephraim successit Ioseph, Manasse Leui. Rursum, Ephraim hic præponitur Manasse, quia ei ab auo Iacobo prælatus est Genes. 48. 19. ideoque Iosephus lib. 3. Antiq. c. 11. ait Ephraim successisse patri, esseque & vocari tribum Ioseph: Manassen verò surrogatum esse Leui ad explendum numerum 12. tribuum, iuxta 12 filios Iacobi. Hi enim fuerunt 12. patriarchæ, id est duodecim capita & principes tribuum ex se progenitarum. nam Leui hic & alibi non numeratur, vt patet v. 49.

Vers 16. Hi nobilissimi] Hebr. קְרִיאֵי הָעֵדָה *kerie haeda* (quos Hispani simili voce nuncupant *criados del Rey*) id est, vocati congregationis, qui scilicet è tribu à Mose euocati & selecti sunt in principes tribuum, quique ab eo euocari solebant ad concilium, in quo de communi populi & tribuum bono tractabatur ita Vatabl. & Oleast. Chald. vertit, *hi nuncupati congregationis*, id est hi illustres & famosi, vtpote principes tribuum.

Tripliciter ergo hi 12. principes dicuntur *kerie*, id est *vocati*. Primò, quia vocati fuerunt à Deo & Mose, vt essent principes & duces populi per desertum in Chanaan. Secundò, quia vocabantur ad senatum & concilium. Tertiò, *vocati*, id est nominati, famosi, insignes, illustres in populo. Huc alludit S. Paulus quando Rom. 1. v. 1. & sæpè alibi ait: *Paulus vocatus Apostolus*. Hi enim 12. principes tribuum fuerunt typus duodecim Apostolorum. *Vocati 12. principes fuerunt typus vocationis 12. Apostolorum.* Vnde Primò, sicut hi vocati sunt à Mose ad principatum, ita Apostoli vocati sunt ad apostolatum, id est principatum Ecclesiæ. Secundò, sicut hi erant senatus & concilium Synagogæ, ita Apostoli Ecclesiæ. Tertiò, sicut hi erant vocati, id est nominati & famosi, ita & Apostoli.

Vers. 17. Qvos tvlervnt Moyses et Aaron cvm omni vvlgi mvltitvdine] *Tulerunt*, id est conscripserunt & conuocarunt tamquam populi primates & principes. Hebr. Chald. & Septuag. τὸ *vulgi multitudine*, ad sequ versum referunt, sed eodem ferè sensu. Sic enim habent: *Et accepit Moses & Aaron viros illos, quos vocarunt*, vel *declararunt per nomina*, punctum. *& omnem congregationem congregauerunt primo die mensis* &c.

Vers. 20. Per generationes, et familias ac domos svas] Generatio, siue cognatio hic communis est ad familiam & domum: vox ergo *&*, hic significat, *id est*. q.d. *per generationes*, id est per familias & domos. Familia enim amplam generationem, siue cognationem significat, & plures sub se domos complectitur: domus verò est particularis qualibet familia, siue cognatio.

Hoc ergo ordine factus est hic populi census vt primò Moses & Aaron inirent numerum familiarum cuiusque tribus: deinde numerarent omnes domos, siue particulares familias cuiusque communis familiæ, siue cognationis: tertiò numerarent capita cuiusque domus.

Vers. 47. *Leuitæ poterant pugnare.* Levitæ avtem in tribv familiarvm svarvm non svnt nvmerati cvm eis] Non quòd Leuitis ad bellum procedere, & pugnare vetitum esset: contrarium enim patet in Machabæis, qui cùm Leuitæ essent, fuerunt tamen pugnacissimi; & in Leuitis qui cum Mose occiderunt adoratores vituli aurei Exodi 32. 28. Nec enim Leuitæ veteris legis talia sacra tractabant, qualia tractant sacerdotes legis nouæ, qui proinde bello & sanguinis effusione abstinere debent: sed quòd in castrorum metatione Leuitæ non collocarentur cum alijs tribubus; eò quòd circa ipsum tabernaculum eius ministerijs deputati versarentur, vt patet vers. 50. *Cur ergo hic non numerantur?* ideoque à 12 tribubus secreti essent, tamquam pars & tribus Domini eius seruitio dicata.

Vers. 50. Et qvidqvid ad cæremonias pertinet] id est, omnia vasa, omnisque supellex pertinens ad cultum, ritus & ministeria tabernaculi: vnde hebr. est, *& quidquid ad illud*, scilicet tabernaculum, pertinet.

Ac per gyrvm tabernacvli metabvntvr] Per tabernaculum hic simul eius atrium intellige. q.d. Leuitæ circa atrium, quasi custodes & ministri eius, castra sua metabuntur, ne alij, vtpote laici, ad atrium & tabernaculum propiùs castra metentur, idque ad atrij & tabernaculi, Deique ipsius cultum & reuerentiam.

Erant ergo Moses & Aaron ad ostium tabernaculi, putà ad Orientem: Gersonitæ verò ad Occidentem tabernaculi; Meraritæ ad Aquilonem; Caathitæ ad Meridiem, vt dicetur cap. 3. hisce deinde vndequaque se circumfundebant 12 tribus.

Vers. 51. Cvm castra metandva] cùm castra locanda & figenda erunt: opponitur enim metatio castrorum profectioni eorumdem.

Qvisqvis externorvm accesserit, occidetvr] q.d. Si aliquis qui non est de tribu Leui accesserit, vt figat castra cum Leuitis, iuxta atrium; aut tabernaculum deponere & erigere, vel portare præsumpserit, occidetur, vel à iudice, vel à Deo peculiari vindicta. Statuit hoc Deus, vt dixi, ob reuerentiam loci sacri, putà tabernaculi, quod erat quasi templum mobile Hebræorum per deser-

desertum. vnde subdit: *Ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel*, si videlicet ipsi contra mandatum hocce meum ad atrium tabernaculi accedere, & castra metari præsumant.

VERS. 52. PER TVRMAS ET CVNEOS] Hebr. *per vexilla sua*, de quibus cap. sequenti.

VERS. 53. ET EXCVBABVNT IN CVSTODIIS TABERNACVLI TESTIMONII] q. d. Leuitæ vigilanter custodiēt tabernaculum, eiusque vasa, maximè ne quis externorum accedat, aut illud polluat. Dicitur *tabernaculum testimonij*, id est legis, quia continebat tabulas lapideas diuinæ legis, siue decalogi, vti dixi Exodi 25.16.

Allegor. duodecim tribus sunt omnes fideles Ecclesiæ. Allegor. Israelitæ, & duodecim eorum tribus significant fideles omnium gētium, qui numerati sunt & inscripti catalogo Ecclesiæ, ac libro vitæ, saltem inchoatè. Huc alludit Christus Matth. 19. 28. vbi ait Apostolos iudicaturos 12. tribus Israel, id est omnes fideles omnium gentium. & S. Paulus Rom. 9. 8. vbi docet fideles quosuis esse Israelitas, & filios Abrahæ, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum. Et S. Iohan. Apoc. 21. v. 10. & 12. vbi vidit Ierusalem nouam descendentem de cælo, habentem portas 12. & eis inscripta nomina 12. tribuum Israel. nam 12. tribus significāt vniuersitatem Sanctorum: duodenarius enim est numerus perfectus, ideoque est symbolum vniuersitatis. de hoc plura dicam c. 2 v. 2 q. 3.

Tropol. singulorũ hic numeratorum. Tropol. Rupertus, Hæc, inquit, nomina omniũ nostrûm professionem significant, qui in præsenti vita currimus, atq; non in nube & mari, sed in eo quod per hæc significatū est, baptizati sumus, ac spiritualem escam manducamus, & spirituale potum bibimus de petra, quæ iã non in figura, sed in veritate est Christus. *Ruben* ergo est, qui multos Deo parit filios: Ruben enim heb. idem est, quod

A videns filios. *Elisur*, idē est, quod pater meus fortis. *Sedeur* idē est, quod vberum lux. *Simeon* est audiēs tristitiam, vel obediēs. *Salamiel* idem est, quod retribuens mihi Deus, vel pax mea Deus. *Surisaddai* est cōtinens vbera mea, vel fortis meus Dominus. *Iudas* est confessio. *Nahasson* est serpentinus (prudens vt serpens) vel auguriū. *Aminadab* est populi mei spontaneus. *Issachar* est merces. *Nathanael* est donū Dei. *Suar* est pusillus. *Zabulon* est habitaculum fortitudinis, vel doloris. *Eliab* est Deus meus pater. *Helon* est exercitus fortitudo. *Ioseph* est augmentū. *Ephraim* est frugifer, vel crescens. *Elisama* idē est, quod Deus meus audiuit. *Ammiud* est populus meus inclytus *Manasse* est obliuio. *Gamaliel* est retributio Dei. *Phadassur* est redemptio fortis. *Beniamin* est filius dextræ. *Abidan* est pater meus iudex. *Gedeon* est successio iniquitatis. perperā enim Rupert. ex S. Hieron. in Nomin. Hebr. (qui
B liber non videtur esse S. Hieron. aut certè hæc, & similia parū cōgrua, ei à sciolo aliquo inserta sunt) Gedeon putat idē esse, quod tentatio iniquitatis. *Dan* est iudicium. *Abiezer* est frater meus adiutor. *Ammisaddai* est populus meus sufficiens. *Aser* est beatus. *Phegiel* idem est, quod, occurre mihi Deus. *Ochran* idem est, quod, turbauit eos, putà infernales potestates. *Gad* est accinctus. *Eliasaph* idem est, quod, Deus meus congregauit. *Duel* idē est, quod, cognoscite Deum. *Nephthali* est distorquens, vel luctās: Rupertus ex S. Hieron. Nephthali, ait, idem est quod פתח לי *pata li*, id est dilatauit me. verùm hæc non est origo nominis Nephthali, sed prior iam dicta, vt patet Gen. 30. 8. *Abira* est fratris mei amicus. *Henan* est nubes. Tales debent esse veri Israelitæ, filij Abrahæ, putà fideles, maximè Principes & Prælati Ecclesiæ, quibus hæc omnia sigillatim adaptat Rabanus.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Disponuntur castra duodecim tribuum Israel circa tabernaculum, per quatuor mundi plagas, in quatuor acies: quo tropologicè significatur, reges, principes, & quoslibet fideles Ecclesiam protegere & propugnare debere.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Singuli per turmas,
signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum, castra metabuntur, filij
Israel, per gyrum tabernaculi fœderis. 3. Ad Orientem Iudas figet tentoria per tur-
mas exercitus sui: eritq; princeps filiorum eius Nahasson filius Aminadab. 4. & o-
mnis de stirpe eius summa pugnantium, septuaginta quattuor millia sexcenti. 5. Iux-
ta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius
Suar. 6. & omnis numerus pugnatorum eius, quinquaginta quattuor millia qua-
dringenti. 7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. 8. omnis de
stirpe eius exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti. 9. Vni-
uersi qui in castris Iudæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia qua-
dringenti. & per turmas suas primi egredientur. 10. In castris filiorum Ruben ad me-
ridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur. 11. & cunctus exercitus pugna-
torum eius qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. 12. Iuxta eum ca-
strametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.
13. & cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quinquaginta nouem
millia trecenti. 14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel. 15. & cunctus
exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti
quinquaginta. 16. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquagin-

ta millia, & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur. 17. Leuabitur autem tabernaculum testimonij per officia Leuitarum & turmas eorum, quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines suos proficiscentur. 18. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud. 19. cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. 20. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. 21. cunctusq; exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. 22. In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis. 23. & cunctus exercitus pugnatorum eius qui recensiti sunt, trigintaquinque millia quadringenti. 24. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertij proficiscentur. 25. Ad Aquilonis partem castrametati sunt filij Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. 26. cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. 27. Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. 28. cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quadraginta millia & mille quingenti. 29. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. 30. cunctus exercitus pugnatorum eius, quinquaginta tria millia quadringenti. 31. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: & nouissimi proficiscentur. 32. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum & turmas diuisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 33. Leuitæ autem non sunt numerati inter filios Israel. sic enim præceperat Dominus Moysi. 34. Feceruntq; filij Israel, iuxta omnia quæ mandauerat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias ac domos patrum suorum.

VERS. 2. SINGVLI PER TVRMAS, SIGNA ATQVE VEXILLA, ET DOMOS COGNATIONVM SVARVM CASTRAMETABVNTVR.] Hebr. *singuli iuxta vexillum suum, in signis domus patrum suorum castra metabuntur.* Vnde videtur quòd præter vexillum vnum commune vni aciei, fuerint alia quoque vexilla specialia domorum, id est familiarum, vel potiùs tribuum singularum. quælibet ergo tribus præter vnum commune & archiducale, videtur insuper aliud proprium habuisse vexillum.

Quæstio prima, quomodo tribus duodecim disposita circa tabernaculum.

Quæres Primò, quomodo hæc dispositio castrorum, & tribuum 12. circa tabernaculum sit facta? Pro responsione Nota, tabernaculum, & atrium ambiens tabernaculum, quadratũ, vel potiùs quadrangulum fuisse. Nam atrium in longitudine habebat cubitos centum, in latitudine 50. latus ergo Meridionale & Septemtrionale (quæ erant latera longitudinis) habebant singula 100. cubitos. Vnde sequitur, castra Hebræorum circa atrium disposita fuisse in quadrum, fuisseq; quadrata, quæ castrorum figura est optima, inquit Vegetius tractans de re militari.

Tradunt Hebræi, Israelitas ita castrametatos fuisse circa tabernaculum, vt vnum milliare interfuerit, hoc est spatium mille passuum, idq; tum reuerentiæ, tum spatij & commoditatis causa; & hoc fuisse iter sabbati, quo in sabbato non licebat vlteriùs progredi. Quod si verum est, magna fuit & multorum milliarium hæc castrorũ Israelis expansio in deserto. Sic iussit Deus, vt arca præcederet castra in trãsitu Iordanis ad spatium cubitorum bis mille, Iosue 3. 4. Intellige hæc de castris laicorum, nam castra Leuitarum custodientium tabernaculum erant iuxta ipsum circumcircã, vti & habitatio Mosis & Aaronis. nunc

Dispositio Leuitarum circa tabernaculum.

Dico, circa atrium erat primum quadratum, seu castra quadrata Leuitarum, nimirum Moses & Aaron erant ad Orientem, & ad ingressum atrij; Gersonitæ erant ad Occidentem; Meraritæ ad Aquilonem, Caathitæ ad Meridiem. post hos erat secundum quadratum, seu castra quadrata aliorum Israelitarum, putà 12. tribuũ, quæ distributæ erant circa atrium & castra Leuitarum, ita vt ad quodque latus quadrati, siue ad quamlibet mundi plagam dispositæ essent tres tribus, ac cõsequenter 12 tribus ita collocatæ faciebãt 4. terniones siue acies, atque in quolibet ternione siue acie, prima erat tribus aliqua insignior, quæ cæteris præibat, eratque quasi archiducalis, vt scilicet hac ratione 4. tribus insigniores, quasi archiduces, munirent 4. cornua & latera exercitus, à quibus cæteræ tribus, & castra omnia denominabantur; vt vexillum Ruben, verbi gratia, indicabat & denominabat omnia castra ad Meridiem sita. Ruben enim senior erat Simeone & Gad asseclis suis ad Meridiem, & ita de cæteris. Itaque ad Orientem expansum erat vexillum primæ aciei, putà archiducis Iudæ, sub quo ordine suo ad idem latus consequebatur, primò Issachar, deinde Zabulon. Ad Austrum erat vexillum Ruben, sub quo ponè erat Simeon, deinde Gad. Ad Occidentem erat vexillum Ephraim, sub quo ponè erat Manasses, deinde Beniamin. Ad Septemtrionem denique erat vexillum Dan, sub quo ponè erat Aser, deinde Nephthali. Ægyptios autem & Gentiles alios, qui Hebræos ex Ægypto secuti fuerant, verisimile est his fuisse immixtos. vnde simul cum eis murmurare & murmur concitare solebant.

Dispositio duodecim tribuũ circa tabernaculum.

Prima in acie fuit tribus Iuda, cur.

Nota. Inter omnes archiducalis & prima tribus ad Orientem sita erat Iudæ. Primò, quia hæc tribus erat numerosior & fortior, ideoq; regnum illi à Iacobo consignatum est Gen. 49. 10. vt scilicet tribus hæc regia & fortissima suum regem faciliùs tueri posset. Secundò, quia ex hac tribu nasciturus erat Christus. ita Theodor. hîc q. 3. Tribus verò Dan fuit ad Aquilonem, quia ab Aquilone panditur omne malum: ex Dan autem nascetur pessimus Antichristus. ita Rupert. & Radulphus in 24. Leuitici.

Nota

Nota Secundò. Hic quadratus tribuum situs A & ordo tantùm erat tunc, cùm castra figebant: nam cùm ea mouebant, alius erat ordo. non enim agmine quadrato, sed longo & extenso singulæ tribus aliæ post alias seorsim incedebant, vt patebit v.9.

Tropol. quomodo quisque secundùm signa sua, id est ordinem & gradum vocationis, gratiæ & status sibi dati viuere, in eoque quietè sese continere debeat, docet Origenes hîc hom.2.

Quæst. Secunda, quæ insignia habuerint vexilla quatuor archiducum? Resp. habuisse effigiem leonis, hominis, bouis, & aquilæ.

Quæres Secundò, quæ & qualia insignia habuerint hæc quatuor archiducum tribuum vexilla? Tradunt Hebræi & Rabbini scribentes in hoc caput, vexilla hæc habuisse effigies quatuor animalium, scilicet leonis, hominis, bouis, & aquilæ. Hebræos sequitur Andreas Masius in cap. 6. Iosue v.9. vbi sic ait: *Tradunt Hebræi primum vexillum primipilaris tribus Iudæ cum suis habuisse effigiem leonis pro insigni; secundum vexillum Rubenitarum habuisse hominis effigiem cũ mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben Gen.30.14 Tertium vexillum Ephraim habuisse imaginem bouis; quartum Danitarum habuisse effigiem aquilæ. Quæ sanè apto typo significabant propitiatorium nostrum, scilicet Christũ, arcamq; eius, scilicet Ecclesiam, quæ inter hæc quatuor vexilla sita erat, per quatuor Euangelistarũ signa ad omnes mundi plagas diffundenda esse.* Idem docent Vilalpando de Templo to.2. p.2.l.5.disp.2.c.29. & Hieron. Prado in c.1.Ezech.pag.44. qui ex Hebræis ita hæc describit: *Singuli duces tribuum propria gestabant insignia, parentum scilicet stemmata in vexillis depicta. Ad Orientem ergo, supra papilionem Naasson primogeniti Iudæ collucebat vexillum viridis coloris, quem sibi colorem assumpsit, quoniam in viridi lapillo, smaragdo scilicet, parentis Iudæ nomen erat exaratum in Rationali pontificis, hoc est in bulla eius pectorali, in qua visebatur ius ciuilitatis & nobilitatis Israelitarum, putà singularum 12. tribuum. In quo vexillo depictus erat leo, stemma & hieroglyphicum parentis Iudæ: nam hunc leoni compa auerat Iacob dicens: Catulus leonis Iuda. Ad Meridiem, supra tentorium Elisur filij Ruben eminebat vexillum rubrum, referens colorem sardij, in quo erat nomen patris, putà Ruben, scriptum in Rationali: symbolum autem in hoc vexillo depictum visebatur humanum caput, eò quòd Ruben esset primogenitus & familiæ caput. Ad Occidẽtem, surgebat in altum supra tentorium Elisama filij Ephraim vexillum aureum, in quo exaratum visebatur caput vituli* (eò quòd auus eius Ioseph per visionem vitulorum, siue boum prædixisset, & prouidisset fami Ægypti: vnde & Ægyptij eum specie bouis coluerunt, vocaruntque Apin vel Serapin, vti dixi Gen.41. in fine: vnde & Moses postea Deuter.33.17. benedicens tribum Ioseph, putà Ephraim, ait: Primogeniti tauri pulchritudo eius.) *Aureus verò splendor vexilli Ephraim æmulabatur fulgorem chrysolithi, in quo scriptum erat nomẽ Ephraim in Rationali. Ad Aquilonis plagam, fluctuabat supra tentorium Abiezer filij Dan variegatum signum ex albo & rubro colore adinstar iaspidis* (ita Prado; sed verius est, Dan in Rationali fuisse inscriptum carbunculo, vti dixi Exodi 28.18. adde, iaspides ferè esse virides, non albos & rubros.) *in quo cælatum erat nomen Dan in Rationali: huius stemma fuit aquila serpentibus inimica, ab archiduce vice serpentis electa: quoniam auus Iacob parentem Dan contulerat colubro, dicens, Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita; cuius loco Abiezer posuit aquilam, quæ vnguibus*

Dan pro colubro sumpsit aquilam, cur?

arreptum gestaret colubrum, vel draconem. quod Lacedæmoniorum quoque fuit stemma, quo etiam ipsi obsignarunt literas ad Iudæos consanguineos suos transmissas, vti testatur Ioseph.l.12. Antiq.c.5. Sic apud Plutarchum legimus, aquilam C. Mario reditum cum summa gloria & triumpho portendisse, cùm anguem vnguibus arreptum dilacerasset, & in aquas abiecisset, atque inde occasum versus auolasset:

Sic aquila clarum firmauit Iuppiter omen,
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.

Gestarunt ergo hæ tribus gentilitia familiæ & parentum suorum stemmata pro insigni & vexillo: vnde in Hebræo hæc vexilla vocantur *signa patrum suorum.*

Porrò hæc insignia quatuor animalium censet Prado significari à Psalte, psalm.67. cùm loquens B de castris Hebræorum ait: *Animalia tua habitabunt* (id est habitabant) *in ea.* q.d. In tua hereditate, in tuis castris, in tuo populo, ô Domine, visebantur olim in deserto vexilla insignita figuris quatuor animalium, putà hominis, leonis, aquilæ & vituli. Additque Prado, planè videri has quatuor animalium figuras desumptas esse ex Cherubinis arcæ: Deus enim sua attributa, maiestatem, gloriam & triumphos per hæc quatuor animalia, quasi stemmata sua significare voluit; ideoque suos Cherubinos ita fieri & fingi iussit, vt horum quatuor animalium speciem referrent, vt dixi Exodi 25.18. hinc & eadem ad castra & populum suum, eorumque vexilla traduxit. Erant enim hæc Dei castra, quorum dux & princeps erat Deus ipse.

C Meritò ergo castrorum horum pulchritudinem admirans Balaam, cecinit Numer.24.5. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt vallis nemorosa, & horti iuxta fluuios irrigui, & tabernacula quæ fixit Dominus*, &c.

Quæres Tertiò, quid mysticè hæc castra & vexilla significent? Respondet Primò, ex Philone Vilalpandus, symbolicè in hisce castris Dei totum mundum repræsentari, atque 12. tribuum insignia significare 12. signa Zodiaci. Iudas enim leonis habet speciem, Ruben aquarij, Ephraim tauri, Dan scorpij ab aquila apprehensi. vide cætera in idea & imagine ab eo expressa f.470. vbi & per quatuor plagas & per quatuor acies, tam Leuitarum, quàm castrorum, quatuor elemẽta significari docet, scilicet per Mosen & Aaron, qui erant ad Orientem, ignem: per Gersonitas, qui erãt ad Occidentem, terram: per Caathitas, qui erant ad Meridiem, aërem: per Meraritas, qui erant ad Septemtrionem, aquam. D

Quæst. tertia, quid mysticè hæc castra & vexilla significent? Symbol. castra significabant totũ mundum, & duodecim signa Zodiaci.

Allegoricè, castra hæc significant Ecclesiam Christi, de qua dicitur Cant.6.3. *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* hinc & Deus dicitur *sabaoth*, id est acierum & exercituum. hac etiam de causa castra hæc erant circa tabernaculum, id est templum Dei illique commensa erant, adeoque ipsa speciem templi siue ecclesiæ exhibebant, sicuti vicissim ipsum templum speciem castrorum referebat. Vnde 2. Paral.31.2. dicitur Ezechias constituisse Leuitas, qui *canerent in portis castrorum Domini*, id est templi. Moses ergo est Christus, qui in medio duodecim Patriarcharum & tribuum, id est duodecim Apostolorum, in Iudæa visus est, adoratusque vt verus creator cæli noui nouæq; terræ, quatuor stipatus

Alleg. castra hæc sunt Ecclesia.

veluti Cherubinis Euangelistis, quos ad quatuor mundi plagas euangelizare transmisit. Hinc Cherubim habebant speciem hominis, leonis, bouis & aquilæ, per quæ quatuor Euangelistas adumbrari & depingi patet Apoc. 4. 7. idque passim Patres omnes docent.

Militum generosorũ apophthegmata.

Archidamus teste Plutarcho in Lacon. rogatus quantum regionis Spartani possiderent, respondit: *Quantum hasta pertingimus.* ita Ecclesia tantũ regionum occupat, quantum pugnando contra dæmones, infideles & impios subiugauit, vt possit dicere cum Iacobo: *Do tibi partem vnam, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo,* Gen. 48. 22. hæc ergo sunt castra, hæ acies Ecclesiæ. Agis rex cùm prohiberetur ad Mantineã pugnare, quòd hostes numero vincerent: *Necesse est,* inquit, *contra multos pugnet, qui multis vult imperare.* ita Apostoli 12. contra totum orbem pugnãtes, eum sibi & Christo subdiderunt. Lacæna filio in bellum proficiscenti porrigens scutum: *Hoc,* ait, *pater tuus semper seruauit, itaque aut tu idem facito, aut peri.* Idem dicat nunc Ecclesia cuiuis fideli. Alia cùm solemni pompæ coronata interesset, audiens filium in prælio victorem occubuisse, non detracta corona, sed iactabunda proximis dixit: *Multò pulchrius est, ô amica, vincẽtem in acie mortem oppetere, quàm superstitem vincere.* Idem dicat Martyr, qui patiendo; idem doctor & concionator, qui laborando pro gloria Dei occumbit.

E contrario Damatria filium ad se reuersum, quòd in bello timidè & indignè se gessisset, interfecit. Lacæna alia ad filium fuga seruatũ scripsit: *Mala de te fama spargitur aut igitur hanc elue, aut viuere cessa.* Alia, cùm filij è prælio fugissent, & ad ipsam venirent: *Quò,* inquit, *perfugere voluistis mala mancipia? an huc* (ventrem ostendens) *vnde existis, redituri?* Alia filium è fuga aduentantem cernens, rogauit, quo loco essent res patriæ; cumque is respõderet, ciues esse occisos, regula eum occidit, dicens: *Ergo te infaustæ rei nuntium illi miserunt nobis?* Cùm quidam narraret matri fratrem honesta morte occubuisse: *Nónne,* ait, *turpe est, te talis comitatus occasionem amisisse?* Quid iã dicat fidelis, quid miles in castris Ecclesiæ? dicat vtique cum Machabæis: Moriamur fortiter in prælio, nec inferamus crimen gloriæ nostræ. Dilatemus regnum Christi, toto orbe euangelizemus. si cadamus, si occidamur, Martyres resurgemus.

Particulatim verò S. Ambrosius libr. 2. de Salomone c. 2. Christum comparat aquilæ cum dracone pugnanti, quod fuit stemma Dan, dum ait: *Vti aquila serpentes deuorat, & eorum venena calore cõcoquit interno: ita & Christus Dominus noster dracone percusso, id est diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud quod hominem tenebat obnoxium, tamquam perniciosum virus extinxit; sicuti Apostolus ait, Et de peccato damnauit peccatum in carne sua.*

Rabani apta & particularis allegoria.

Verùm aptiùs singula sigillatim ita adaptat Rabanus hîc: Hæc, inquit, castrorum acies est Ecclesia, tam noui, quàm veteris testamenti. Leuitæ sunt sacerdotes & clerus. hi sacra custodiunt, & pro eis depugnãt, eosque ambit & protegit populus, qui à quatuor mundi plagis ad Ecclesiam venit. à singulis quatuor lateribus est trinitas tribuum, id est fides SS. Trinitatis 12. principes sunt 12. Apostoli, quorum precibus & doctrina munitur Ecclesia.

A Ab Oriente est Iudas, quia ex Iuda ortus est Christus, cuius nomen est Oriens. Rursus per Orientem, vbi erat introitus tabernaculi, significatur primitiua Ecclesia, & initium conuersionis fidelium ad Christum: hîc est *Iudas,* id est confessio; & *Issachar,* id est merces; & *Zabulon,* id est habitaculum fortitudinis: quia Confessores Christi in Ecclesiam, quæ Dei domus est fortissima, per Christum introitum habent, vt in ea pro mercede æterna laborent.

Plaga Australis antiquam Dei plebem, olim à Deo illustratam significat: hîc est *Ruben, Simeon* & *Gad*: quia sancti Patres, qui intuitum mentis ad voluntatem Dei Patris videndam benè exacuerunt, obedientiæ studium ritè illi impendebant, accingentes se armis iustitiæ contra leonem

B rugientem & dæmonium meridianum, sibique quasi dicebant, Esto *Ruben,* id est, vide te esse filium patris æterni; cui debes esse Simeon, id est obediens; vt sis Gad, id est accinctus contra dæmones. Rursum esto *Ruben,* id est, vide vt filios Deo procrees.

Aquilo significat Gentium multitudinem, quę vsque ad Christum tenebris & frigore infidelitatis torpuerat: hic est *Dan,* id est iudicium; *Aser,* id est beatus; & *Nephthali,* id est colluctans, vel dilatatus: quia spernentibus Iudæis verbum Domini, iusto iudicio Dei, per multitudinem Gentilium credentium dilatatus, & luctans Ecclesiæ populus, æternam beatitudinem sperare & quærere non desistit.

Occidens, siue vltima pars tabernaculi, significat impletionem Ecclesiæ, quæ fiet in fine mundi, cùm omnis Israel saluus fiet: hîc sunt *Ephraim,*

C id est crescens; *Manasse,* id est obliuio; & *Beniamin,* id est filius dextræ: quia tunc in persecutione Antichristi probabuntur, & meritis accrescent electi, tumque aderit hora, qua in obliuionem mortis perpetuæ impijs traditis, iusti ad dexteram Dei in æternum cum Domino regnaturi collocabuntur. Huc vsque Rabanus.

Quæritur Quartò, quid hæc castra significent tropologicè & anagogicè? sensus enim literalis hîc facilis est; sed spiritualis, qui hîc occulitur, illustris est. Respondeo, Anima quælibet fidelis & sancta est tabernaculum Dei, vt dixi Exodi 26. 1. Aspectus ad Orientem significat mentis illuminationem & purgationem, quæ perficitur Iuda, id est vera confessione; & Zabulon, id est forti pœnitentia; & Issachar, id est spe mercedis. Meridies significat mentis inflammationem & ardorem,

Quæstio quarta quid hæc castra significet tropol. & anagog.

Castra animæ quæ.

D quam perficit Ruben, id est visio & procreatio filiorum in spiritu; ac Simeon, id est obedientia; & Gad, id est fortitudo in aduersis. Aquilo dæmonis & hostium aliorum tentamenta significat, contra quæ munimur castris Dan, id est metu extremi iudicij; & Nephthali, id est continua lucta; & Aser, id est memoria beatitudinis æternæ. Occidens significat perfectionem animæ, quam præstat Ephraim, id est fruges & incrementa continua bonorum operum; ac Manasse, id est obliuio rerum temporalium; & Beniamin, id est dextera & virtus patris nostri Dei hæc omnia penè habet Abulens. hîc q. vlt.

Anagogicè, castra hæc cœtum Beatorum, & ciuitatem cælestem significant. Vnde Apocal. 21. v. 16 dicitur ipsa in quadro esse posita, æquè vt hæc castra; atque duodecim habere portas, videli-

Anag. hæc sunt castra Beatorum.

licet à quolibet latere & plaga tres, inscriptas nominibus duodecim tribuum filiorum Israel: duodecim enim tribus omnes veros Israelitas, id est electos, qui illi ciuitati dominabuntur, significant. itaque ingredietur in cælum per portam *Leui*, vel vt Leui, sacerdos, qui benè præfuit sacerdotio. ingredietur per *Iuda*, vel vt Iuda, princeps, qui benè præfuit populo. ingredientur vt *Simeon*, qui suis præpositis fuerunt obedientes. ingredientur vt *Issachar*, vel *Manasse*, Monachi & Religiosi, qui voluptates præsentes calcant, spe in æternam mercedem defixi. ingredientur per portam *Ephraim*; qui fructibus misericordiæ abundarint; per *Dan* iusti iudices. Cætera collige & applica ex tropologia paulò antè assignata. ita Origen. hom. 1. & ex eo Raban.

Per portam Leui ibit in cælū bonus sacerdos, per portam Iuda bonus princeps.

VERS 9. PER TVRMAS SVAS PRIMI EGREDIENTVR] Non quòd simul hæ tribus pari gressu proficiscerentur: hoc enim sæpè ob viarū angustias fuisset impossibile; sed quòd prognati ex tribu Iuda primi essent, præirentque cæteras omnes tribus. Duodecim ergo tribus in 4. acies fuerunt distributæ, quæ hoc ordine procedebant. Prima acies, eaque fortissima erat tribus Iuda: hanc non pari passu comitabatur, sed à tergo ponè sequebatur proximè Issachar, deinde Zabulon: adeoque hæ tres tribus vnam, videlicet primam, aciem conflabāt, 186. millium bellatorum, vt patet v. 9. Secunda acies erat tribus Ruben, quæ sequebatur tribū Zabulon: post Ruben incedebat Simeon, post hunc Gad: eratque hæc acies secunda, æquè ac prima, triplex, videlicet ex tribus iam dictis tribubus cōflata, continebatque 150. milliū bellatorum, vt patet v. 16. Post hanc secundam aciem, in medio omnium castrorum proficiscebantur Leuitæ cum tabernaculo, illud in partes dissolutum, & per varios distributum portando. Post Leuitas succedebat tertia acies Ephraim, cui coniuncta, & succedanea erat acies Manasse, deinde Beniamin: hæc

Ordo duodecim tribuum & exercitū cùm proficiscebantur.

A acies continebat 108. millia bellatorum, vt patet v. 24. Post hanc sequebatur quarta acies Dan, cui à tergo coniuncta erat Aser, deinde Nephthali. Nephthali ergo claudebat totum agmen, omnesque alias tribus: hæc acies continebat 157. millia bellatorum, vt patet v. 31.

LEVABITVR AVTEM TABERNACVLVM TESTIMONII PER OFFICIA LEVITARVM] q. d. Tabernaculum dissolutum portabitur à Leuitis, secundùm distincta eorum ministeria, quæ cap. sequenti singulis Deus distribuit. VERS. 17.

Nota. Incedebant Leuitæ loco tutissimo, scilicet medio in castris, cùm illa proficiscebantur: nam ante se habebant duas acies, putà sex tribus iam dictas; post se habebant duas pariter acies, putà sex alias tribus. vnde hebr. est, *proficiscetur tabernaculum testimonij, & castra Leuitarum in medio castrorum.* Quod sic intellige, non quasi omnes Leuitæ simul essent in medio præcisè, vti aliqui voluerunt, sed quòd Gersonitæ & Meraritæ
B sequerentur primam aciem, siue primas tres tribus: Caathitæ verò sequerentur secundam aciem, & præcisè essent in medio castrorum, vti disertè narratur c. 10. v. 17. & 21. ita Andreas Masius in cap. 6. Iosue.

Leuitæ incedebant in medio castrorum.

QVOMODO ERIGETVR, ITA ET DEPONETVR] Hæc verba non sunt in Hebræo hoc loco, sed cap. 4. vnde ab Interprete Latino huc videntur translata, lucis & claritatis causa.

NEPHTHALI] Nota. Concordiæ causa Deus aptum hunc hisce quatuor tribubus dedit ordinem, vt videlicet, cùm quatuor essent ancillarum Iacobi filij; videlicet Balæ, Dan & Nephthali; Zelphæ verò, Gad & Aser; ideoque vnus alteri aciei (vtpote quæ ternis tantùm constabat tribubus) & vexillo iungendus foret; Gad iungeretur Ruben; Dan autem & Nephthali, Balæ filij, medium Aser Zelphæ filium, amoris & vnionis causa, complecterentur. VERS. 29.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Leuitas loco totidem primogenitorum Israel, suo cultui deposcit Deus. Secundò, v. 15. numerantur Leuitæ ad 22. millia, & inter eos custodia rerum tabernaculi distribuitur.

1. HÆ sunt generationes Aaron & Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai. 2. Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus eius Nadab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 3. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui vncti sunt, & quorum repletæ & consecratæ manus vt sacerdotio fungerentur: 4. Mortui sunt enim Nadab & Abiu, cùm offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre suo. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 6. Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis vt ministrent ei, & excubent, 7. & obseruent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij, 8. & custodiant vasa tabernaculi, seruientes in ministerio eius. 9. Dabisque dono Leuitas 10. Aaron & filijs eius, quibus traditi sunt à filijs Israel. Aaron autem & filios eius constitues super cultum sacerdotij. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. 11. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Ego tuli Leuitas à filijs Israel pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israel, eruntq; Leuitæ mei. 13. Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificaui mihi quidquid primum nascitur in Israel ab homine vsque ad pecus: mei sunt. ego Dominus. 14. Locutusque est

Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens: 15. Numera filios Leui per domos
patrum suorum & familias, omnem masculum ab vno mense & supra. 16. Nume-
rauit Moyses, vt præceperat Dominus, 17. & inuenti sunt filij Leui per nomina
sua, Gerson & Caath & Merari. 18. Filij Gerson: Lebni & Semei. 19. Filij
Caath: Amram & Iesaar, Hebron & Oziel. 20. Filij Merari: Moholi & Musi.
21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica: 22. quarum numera-
tus est populus sexus masculini ab vno mense & supra, septem millia quingenti.
23. Hi post tabernaculum metabuntur ad Occidentem, 24. sub principe Elia-
saph filio Lael. 25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis, 26. ipsum ta-
bernaculum & operimentum eius, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis,
& cortinas atrij: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrij tabernaculi, &
quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia vtensilia eius.
27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Iesaaritas & Hebronitas & O-
zielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua: 28. omnes gene-
ris masculini ab vno mense & supra, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctua-
rij, 29. & castrametabuntur ad meridianam plagam. 30. Princepsque eorum e-
rit Elisaphan filius Oziel: 31. & custodient arcam, mensamque & candelabrum, al-
taria & vasa Sanctuarij, in quibus ministratur, & velum, cunctamque huiuscemodi su-
pellectilem. 32. Princeps autem principum Leuitarum Eleazar filius Aaron sacer-
dotis, erit super excubitores custodiæ Sanctuarij. 33. At verò de Merari erunt po-
puli Moholitæ & Musitæ recensiti per nomina sua: 34. omnes generis masculini ab
vno mense & supra, sex millia ducenti. 35. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel:
in plaga septemtrionali castrametabuntur. 36. Erunt sub custodia eorum tabulæ
tabernaculi & vectes, & columnæ ac bases earum, & omnia quæ ad cultum huiusce-
modi pertinent: 37. columnæque atrij per circuitum cum basibus suis, & paxilli
cum funibus. 38. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est ad orienta-
lem plagam, Moyses & Aaron cum filijs suis, habentes custodiam Sanctuarij in medio
filiorum Israel. quisquis alienus accesserit, morietur. 39. Omnes Leuitæ, quos nu-
merauerunt Moyses & Aaron iuxta præceptum Domini per familias suas in genere
masculino à mense vno & supra, fuerunt viginti duo millia. 40. Et ait Dominus ad
Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filijs Israel ab vno mense & supra,
& habebis summam eorum. 41. Tollesque Leuitas mihi pro omni primogenito fi-
liorum Israel ego sum Dominus: & pecora eorum pro vniuersis primogenitis peco-
rum filiorum Israel. 42. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus primogeni-
tos filiorum Israel. 43. & fuerunt masculi per nomina sua, à mense vno & supra, vi-
ginti duo millia ducenti septuaginta tres. 44. Locutusque est Dominus ad Moysen,
dicens: 45. Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Leuitarum
pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei. ego sum Dominus. 46. In pretio autem
ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis
filiorum Israel, 47. accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram San-
ctuarij. Siclus habet viginti obolos. 48. Dabisque pecuniam Aaron & filijs eius, pre-
tium eorum qui supra sunt. 49. Tulit igitur Moses pecuniam eorum qui fuerant
ampliùs, & quos redemerant à Leuitis 50. pro primogenitis filiorum Israel, mille
trecentorum sexagintaquinque siclorum iuxta pondus Sanctuarij, 51. & dedit eam
Aaron & filijs eius iuxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

VERS. 1. HÆ SVNT GENERATIONES (id est, hi sunt geniti, hi sunt filij) AARON ET MOYSI] Est metonymia, qua actus ponitur pro effectu, scilicet generatio pro re producta & genita. Simili modo capitur generatio Prouerb. 30. v. 12. & 13. Exodi 1. 6. psal. 12. 8. vide dicta Exodi 8. 26.

AARON ET MOYSI] Dices, Hîc solius Aaron filij numerantur: ergo malè additur *τὸ Moysi*. Respondeo, etiam Mosis filios hîc numerari, videlicet inter Leuitas. nam Leuitæ, dicti Amramitæ, qui numerantur v. 27. & 28. erant Moses & Aaron (hi enim sunt filij Amram) cum filijs suis: è quibus Aaron cum posteris suis sacerdotiũ est adeptus; posteri verò Mosis cum reliquis Leuitis Caathitis annumerati sunt. Vide 1. Paralip. 23. v. 13. & 14. qua de causa & Aaron hîc Mosi præponitur tamquam eo dignior, eò quòd esset sacerdos & A pontifex, quodque familia eius à Deo electa & euecta esset ad sacerdotium; familia verò Mosis ad Leuitas esset annumerata, eò quòd ex Gentili matre, putà Sephora Madianitide, esset prognata, inquit Auctor libri de Mirabilib. S. Script. c. 25. qui extat apud S. August. to. 3.

Posteri Mosi si non successerũt, cur

Vbi Nota, & vide partim miram Dei electionem, partim quàm posteri à parentibus sæpè degenerent: Moses enim fuit princeps & legislator, posteri verò fuerunt ignobiles Leuitæ, cùm vice versa posteri Aaronis patri in sacerdotio & pontificatu successerint.

VERS. 3. QVORVM REPLETÆ ET CONSECRATÆ MANVS] *Et* hîc significat *id est*. Vide canonem 32. *Replere* enim *manus*, est consecrare manus ad sacerdotium: nam in consecratione manus sacerdotum nouellorum implebantur, tum donis & sacrifi-

Replere manus est consecrare.

crificijs, tum vnctione olei; hinc Hebræis *implere manum* est consecrare sacerdotem. Quam phrasin imitatur Latinus Interpres 3. Reg. 13. 33. *Quicumq;*, ait, *volebat, implebat manum suam* (id est vngebat eam oleo) *& fiebat sacerdos*. Simile est 2. Paral. 13. 9. & alibi.

VERS. 6. APPLICA] Hebr. הַקְרֵב *hac reb*, id est accedere fac, approxima, applica. Est hîc electio, & separatio Leuitarum, iussu Dei facta, ad ministerium tabernaculi, & obsequium sacerdotum. Hinc patet, quàm delirum sit figmentum Plutarchi in Symposijs, Leuitas fuisse sacerdotes Bacchi, quem coluerint Hebræi, & in eius honorem porcina abstinuerint, dictosque esse Leuitas, non à Leui patriarcha, sed à Lysio, seu magis ab Euio, quæ Bacchi sunt nomina.

Plutarchi commentum Leuitas dici à Lysio, id est Baccho.

Tropologicè, Leuitæ signabant statum Ecclesiasticum clericorum legis nouæ: vnde excubabant inter tabernaculum & castra; quia Ecclesiastici ex officio medij sunt inter Deum & populum. horum sacra mysteria pulchrè significant ipsa eorum nomina v. 17. *Leui* enim hebr. idem est quod additus & assumptus, scilicet à Deo ad ministerium tabernaculi. *Gerson* idem est quod aduena. Ecclesiastici enim se gerere debent quasi peregrinos & aduenas terræ, vtpote cùm sint ciues sanctorum, & domestici Dei. *Caath* idem est quod dolens & lugens; à כָּאַה *caa* enim, id est doluit, fit קְהָת *kehat*, id est caat, per commutationem literarum affinium, scilicet *aleph* in *he*, & *caph* in *coph*: nam Ecclesiastici lugere debent peccata populi; vnde & pulla, id est lugubri, veste induuntur. *Merari* idem est quod amaritudo: nam Ecclesiastici mortem, aliaque nouissima, quæ amara sunt, assiduè mente versare debent, indeque excitare se ad carnis afflictionem, & mortificationem. *Lebni* idem est quod candor, putà castitas, & puritas vitæ. *Semei* idem quod auditio, & obedientia. *Amram* idem est quod populus excelsus, qui dicat, Nostra conuersatio in cælis est. *Iesaar* idem est, quod meridies vel meridianus, qui scilicet plenè solis iustitiæ, putà Christi, eiusque gratiæ radios excipit. nam, vt dicitur Prouerb. 4. 18. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem*. *Hebron* idem est quod societas, putà socialis amor, & disciplina. *Oziel* idem est quod fortitudo mea Deus. *Moboli* idem est quod chorus, putà psallentium. *Musi* idem est quod tangens, vel auferens, scilicet peccata in Sacramento pœnitentiæ. *Eleazar* idem est quod Deus meus adiutor. *Ithamar* idem est quod, vbi palma? quia Ecclesiastici spectant & exspectant brauium in cælis. ita Rabanus hîc folio 33. & duobus sequentibus, atque ex parte Rupert.

Leuitæ sunt clerici.

Tropol. nominum Leuitarum.

VERS. 7. OBSERVENT QVIDQVID AD CVLTVM PERTINET MVLTITVDINIS CORAM TABERNACVLO] q. d. Leuitæ metentur castra circa tabernaculum, vt illud, eiusque vasa, quibus tota populi multitudo Deum colit, custodiant. Hebr. est, *vt custodiant custodiam eius*, scilicet *Aaronis*, *& custodiam omnis congregationis*, quam scilicet Aaron, & tota populi congregatio custodire debent. Quasi dicat, Leuitæ pro populo, proque Aarone pontifice seruire debent tabernaculo, illudque custodire, vti explicatur in sequentibus. Fecerunt ergo in Dei & tabernaculi cultu Leuitæ id, quod totus populus facere debuisset: sed quia id ipse per se facere non poterat, hinc loco populi delecti sunt Leuitæ, qui ordinatè, honestè, decenter & reuerenter id ipsum præstarent.

Secundò, aliqui per *custodiam congregationis* intelligunt custodiam populi. Sacerdotes enim & Leuitæ sunt custodes & conseruatores tam populi, quàm tabernaculi, vt scilicet curet populum in conspectu tabernaculi & Dei decenter & reuerenter se gerere. Eorum ergo erat excubare, ne quid à populo contra Dei honorem & voluntatem fieret, ne falsis opinionibus implicaretur, ne præstigijs incumberet aut superstitionibus: sed è contrario eum docere quo ritu, cultu, pietate & probitate Deus esset colendus. In sacerdotibus ergo tota populi custodia posita est, eò quòd omnia bona & mala populi pendent à religione: quæ si recta & pia fuerit, innumera parit bona; sin corrupta & peruersa, innumera mala. Hoc est quod ait Dominus Isaiæ 62. v. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt*. & Cantic. 1. 6. *Posuerunt me custodem in vineis*. & cap 5. 7. *Inuenerunt me custodes*.

Sacerdos & Leuita est custos populi.

VERS. 9. & 10. DABISQVE DONO LEVITAS AARON, ET FILIIS EIVS. q. d. Leuitas offeres Aaroni & sacerdotibus, vt eis seruiant, idque gratis, & sine pretio. neque enim sacerdotes ad ministeria omnia tabernaculi sufficiunt; vnde in subsidium eis Leuitæ TRADITI SVNT, hebr *dati dati*, vel *deditity sunt*, id est absolutè Aaroni dati & donati, vel potiùs donādi sunt: necdum enim reipsa dati erant, sed iam iam donandi erant in perpetuum, A FILIIS ISRAEL] vt hac donatione Aaroni facta, à Deo primogenitos suos redimerent, vt patet v. 45 Erant ergo Leuitæ id, quod iam sunt Diaconi apud sacerdotes: vnde Leuita Laurentius vocatur, eò quòd S. Sixto quasi Diaconus ministrarit.

Leuitæ sunt Diaconi.

VERS. 10. AARON AVTEM, ET FILIOS EIVS CONSTITVES SVPER CVLTVM SACERDOTII] vt scilicet obeant functiones sacras sacerdotij, quæ in veteri lege erant quatuor, nimirum Primò, sacrificare; Secundò, adolere incensum; Tertiò, singulis sabbatis apponere in mensa coram Deo panes propositionis; Quartò, quotidie vespere accendere lucernas.

Quatuor officia sacerdotum.

VERS. 12. EGO TVLI] ego ferre decreui, & iam reipsa feram & tollam mihi Leuitas.

PRO OMNI PRIMOGENITO QVI APERIT VVLVAM] qui primò ex matre nascitur. vide Exodi 13. v. 12.

VERS. 13. MEVM EST ENIM OMNE PRIMOGENITVM] *Meum est*, non tantùm creatione, sed propriè redemptione & liberatione, qua primogenitos vestros liberaui ab angelo percutiente primogenitos Ægyptiorū, Exodi 12. 23. Rursum *meum est*, per iustam & æquam præcepti huius mei, qui absolutus omnium sum Dominus, exactionem.

SANCTIFICAVI MIHI QVIDQVID PRIMVM NASCITVR IN ISRAEL] *Sanctificaui*, hoc est mihi sanctificari, id est offerri & consecrari, statui & decreui.

Nota. Deus hîc pro primogenitis Hebræorum sibi debitis deposcit Leuitas, deligitque tribū Leui ad sacerdotium, & cultum sui in tabernaculo, idque Primò, ob zelum quo tribus hæc vlta est iniurias Dei, occidendo idololatras vituli aurei, Exodi 32. v. 26 & 29. atque hoc est quod Leui & Leuitis dicitur Deuter. 33. 9. *Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro vos; & nescie-*

Cur tribus Leui electa est ad sacerdotium? Prima causa.

nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, &c. *ponant thymiama*
Secunda. *in furore tuo, & holocaustum super altare tuum*. Secũdò, quia tribus Leui cæteris erat minor, ideoq; facilè ali poterat à populo; quod omnino faciẽdum erat, cùm ipsa omnis hereditatis esset expers: atq; alia ex parte sufficiens erat ipsa, ad ministeria tabernaculi obeunda. Hisce ergo de causis ius sacerdotij, quod debebatur ipsi Ruben, vtpote primogenito Iacobi, in pœnam incestus ab eo commissi, translatum est in Leui; vti ius regni & primatus inter fratres, ab eodem Ruben translatum est in Iudam; & ius duplicis hereditatis, quod propriè erat ius primogenituræ, translatum est in Ioseph, puta in Ephraim & Manasse Iosephi filios, vt patet 1. Paral. 5. v. 1. & 2.

Vers. 15. NVMERA FILIOS LEVI, &c. OMNEM MASCVLVM AB VNO MENSE ET SVPRA] *Ab vno mense*, vt scilicet hac ratione numerus maior Leuitarum habeatur, qui penè respondeat numero primogenitorum Israel, quibus Leuitæ à Deo surrogantur: alibi verò Leuitæ à 25. vel 30. anno numerantur; quia ibi agitur de ministerio eorum in tabernaculo, quod pueri obire non poterant, nec etiamsi possent, vt fieret par erat aut decens.

Vers. 17. ET INVENTI SVNT FILII LEVI PER NOMINA SVA GERSON, ET CAATH, ET MERARI] *Inuenti sunt*, non in vita, sed in censu hoc & numero. vnde hebraicè est, *& fuerunt isti filij Leui*. Nam ipsi iam pridem obierant: ingressi enim erant cum auo Iacobo in Ægyptum, ante 217. annos. nam 215. annis vixerunt Hebræi in Ægypto: hic autem Leuitarum census contigit secundo anno egressus Hebræorum ex Ægypto: nemo autem ea ætate tamdiu vixit; imò Caath tantùm vixit 133. annis, vt dicitur Exodi 6. 18.

Vers. 23. HI POST TABERNACVLVM METABVNTVR] Posteri ergo Gerson, siue Gersonitæ post tabernaculum & atrium, ad Occidentem castra figebant, Meraritæ ad Aquilonem, Caathitæ ad Meridiem, Moses verò & Aaron ad Orientem. Nota.
Moses & Aaron simul degũt, cur? Simul hîc degere iubentur Moses princeps & Aaron pontifex; quia, vt ait Rupert. *ducum & consulum fascibus, atque regum gladijs eget sacerdotalis sanctitas, & nihil tutius cũ sibi conueniunt, nil perniciosius cùm dissentiunt*. Hinc Constantinus Magnus Imp. dicebat *se esse Episcopum extra Ecclesiam*: quia curabat quantum poterat, vt Ecclesia conseruaretur & propagaretur, nec tamen Ecclesiastica munia vsurpabat. Et S. August. tractat. 51. in Iohan. docet quemque patremfamilias in domo sua debere exercere *episcopale officium, vt pro Christo, & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat*, &c.

Vers. 25. ET HABEBVNT EXCVBIAS IN TABERNACVLO] Excubiæ hic metonymicè sumuntur pro custodia, quæ excubando fit. Rursum, custodia metonymicè sumitur pro re custodienda. Sensus ergo est: *habebunt excubias*, id est custodient, vel habebunt custodienda ea quæ sequuntur, scilicet *ipsum tabernaculum, & operimentum*, &c. Patet hic sensus ex Hebræo. vnde v. 32. noster Interpres custodes hos tabernaculi, vocat excubitores custodiæ sanctuarij.

Vers. 26. IPSVM TABERNACVLVM ET OPERIMENTVM EIVS TENTORIVM QVOD TRAHITVR ANTE FORES TECTI FOEDERIS] *Tabernaculum* hîc vocatur infimum tabernaculi velum, ex decem cortinis compositum, quod proximè ipsas tabernaculi tabulas velabat & operiebat circumquaque, de quo Exodi 26. v. 1. & 6. *Operimẽtum* verò tabernaculi hîc vocatur velum aliud triplex, velo priori decem cortinarum superpositum, scilicet primum sagum cilicinum, secundum sagum ex pellibus arietum rubricatis, tertium sagum ianthinum, de quibus Exodi 26. omnia ergo vela tabernaculi portabant Gersonitæ in profectione castrorum.

TENTORIVM, id est velum, QVOD TRAHITVR ANTE FORES TECTI] id est tabernaculi, quod vndique est tectum & velatum: loquitur enim hîc Moses de velo, quod erat in ingressu tabernaculi, eratque eius quasi ianua. Tentorium, id est velũ.

TENTORIVM QVOQVE QVOD APPENDITVR IN INTROITV ATRII TABERNACVLI] Prius tẽtorium, id est velum, erat ipsius tabernaculi: hoc verò est atrij; quod erat ante tabernaculum: vtrumque custodiæ Gersonitarum hîc committitur.

ET QVIDQVID AD RITVM ALTARIS PERTINET] *Quidquid* scilicet velorũ: agitur enim hîc tantùm de velis altare ambientibus, vt patet ex Hebr. Chald. & Septuag. Hæc enim inter alias causa fuit atrij & velorum eius, videlicet vt seruirent altari holocaustorum eiusque ritui, id est cultui, vtque illud vndequaque tegerent. Non ergo distortus in nostra versione est sensus, vti queritur Abul. nam noster Interpres, cùm ait *quidquid, τὸ cortinarũ* vel *velorum*, ex antecedentibus intelligendum relinquit. Agitur enim de Gersonitis qui nulla vasa altaris (hoc enim Caathitarum erat ministeriũ) sed tantùm vela custodiebant & portabant, vt patet tum ex hoc loco, tum ex cap. seq. v. 24.

Notandum enim, ministeria Leuitarũ ita à Deo partita fuisse, vt Caathitæ custodirent, & in profectione portarent ipsa vasa sacra, vt labrum æneum, arcam testamenti inuolutam velo, quod pendebat ante Sanctum sanctorum, altaria duo, scilicet thymiamatis vnum, holocaustorum alterum, candelabrum & mensam cum suis vtensilibus, vt patet v. 31. Meraritæ autem & Gersonitæ custodirent, & in profectione portarent ipsas partes tabernaculi & atrij; sed Meraritæ solidas, videlicet tabulas, columnas, bases, paxillos & vectes, vt patet v. 36. Gersonitæ verò operimenta ipsa mollia, videlicet vela & cortinas cum suis funibus, vt patet hoc v. 26. Vbi Aduerte, Caathitas cæteris Leuitis fuisse prælatos, & vasa maximè sacra custodisse & portasse: quia ex Caath, per Amram descendebat Aaron & Moses: vnde & Caathitis præerat Eleazar, senior Aaronis filius, vt patet cap. seq. v. 16.

HABEBVNT EXCVBIAS] id est habebunt custodiam sanctuarij, quoad vasa quæ sequuntur. Patet ex Hebræo, vide dicta v. 25. Vers. 28.

ET VELVM] quod oppanditur Sancto sanctorum: huic enim inuoluenda erat arca, portanda à Caathitis, vt dixi v. 26. Alia enim vela omnia, non à Caathitis, sed à Gersonitis portabantur, vti ibidem dictum est. Vers. 31.

PAXILLI CVM FVNIBVS] Funes intellige eos, quibus distendebantur & firmabantur columnæ tabernaculi, vti explicat Iosephus: hosce enim custodiebant & portabant Meraritæ. nam alios funes, quibus vela paxillis in terra fixis firmabãtur, & cortinæ expandebantur, custodiebant & portabant Gersonitæ, vt patet v. 26. itaque nulla est hîc antilogia: funes enim columnarum ad Meraritas, Vers. 37.

ritas, funes verò velorum & cortinarum ad Gersonitas pertinebant.

Vers.39. OMNES LEVITÆ VIGINTI DVO MILLIA] Vniuersim erant 22300. nã Gersonitæ erant 7500. Caathitæ 8600. Meraritæ 6200. quæ conflata faciunt 22300.

Dices, Quomodo ergo numerantur hic tantùm 22. millia?

Respondeo, Id fit ideo, quia hæc 22. millia surrogata sunt pro totidem primogenitis Israelitarũ, vt patet v.41. Reliqui ergo trecenti inter Leuitas primogeniti fuerunt, ac proinde inter primogenitos censentur, non inter Leuitas in hac redemptione, vtpote qui & ipsi, vt primogeniti, redimi deberent, non autem redimerent alios.

Numerantur hic etiam Moses & Aaron: nam ait, *omnes Leuitæ*. Nec enim Aaron erat primogenitus Amram patris sui, quia Maria soror Aaronis eo erat senior, vt colligitur Exodi 2.7. Erat enim ipsa puella grandis, cùm Moses nasceretur: tunc autem Aaron tantùm erat triennis; tribus enim annis tantùm Aaron senior fuit Mose.

Vers.41. TOLLES PECORA EORVM] q.d. Separabis ab aliorum pecoribus pecora Leuitarum, non vt illa immolentur, aut ab ijs auferantur, sed vt mihi cum ipsis Leuitis quasi dedicentur, sintque mea, sicut ipsi Leuitæ mei sunt.

Nota. Deinceps in deserto non soluerunt Israelitæ primogenita sua Deo, sed tantùm in terra Chanaan: cæremonialia enim ibi non fuit seruata nisi in Sina, de quo plura c.5.2. Leuitæ autem

A numquam soluerunt primogenita sua, quia ipsi erant ministri, & quasi peculium Dei; vnde aliorum primogenita & decimas loco Dei recipiebant. vide c.5 initio.

IN PRETIO] q.d. Ad redemptionem. Iubet enim hic Deus, vt pro primogenitis Israel Deo dentur & consecrentur Leuitæ, cumq; numerus primogenitorum excederet Leuitarum numerum, personis 273. Leuitæ enim erant præcisè 22. millia: primogeniti verò Israel erãt 22. millia, & insuper 273. Hinc iubet Deus, vt hi 273. pretio redimantur, scilicet quinque siclis in singula capita persolutis. Porro qui ex primogenitis Israel cum Leuitis commutandi essent, qui verò pretio redimendi, sorte data decisum est. vnde censet Abulens. ex Rabbi Salomone, Mosen scripsisse tot chartulas quot erant primogeniti Israel; sed in 273. chartulis scripsisse *τὸ quinque sicli*: eas deinde commiscuisse, iussisseque vt inde quisque primogenitus vnam tolleret, atque illum in quem cadebat chartula, cui inscripti erant quinque sicli; debuisse eosdem Aaroni persoluere, itaque se redimere. Vers.46.

B

DABISQVE AARON PRETIVM EORVM QVI SVPRA SVNT] qui superant numerum Leuitarum, quique proinde pretio se redimere debent. Vers.48.

PRO PRIMOGENITIS FILIORVM ISRAEL] qui scilicet excedebant numerum Leuitarum, ideoque cum eis non fuerant commutati, sed pretio redempti. q.d. Pecunia primogenitorum 273 se redimentium ascendit ad 1365. siclos. Vers.50.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

NVmerantur Leuitæ ab anno tricesimo 8580. qui portent vasa tabernaculi cùm mouenda sunt castra: & Caathitis quidem assignatur altare vtrumque, arca, mensa & candelabrum: Gersonitis verò vela & cortinæ, v.24. Meraritis autem tabula, columnæ & bases, v.31.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 2. Tolle summam filiorum Caath de medio Leuitarum per domos & familias suas, 3. à trigesimo anno & supra, vsque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur vt stent & ministrent in tabernaculo fœderis. 4. Hic est cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, & Sanctum sanctorum 5. ingredientur Aaron & filij eius, quando mouenda sunt castra, & deponent velum quod pendet ante fores, inuoluentque eo arcam testimonij, 6. & operient rursum velamine ianthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. 7. Mensam quoque propositionis inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea turibula & mortariola, cyathos & crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt: 8. extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento ianthinarum pellium, & inducent vectes. 9. Sument & pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus suis & emunctorijs & cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt: 10. & super omnia ponent opertimentum ianthinarum pellium, & inducent vectes. 11. Nec non & altare aureum inuoluent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. 12. Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, inuoluent hyacinthino pallio, & extendent desuper operimentum ianthinarum pelllium, inducentque vectes. 13. Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo vestimento, 14. ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio eius vtuntur, id est, ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, vncinos & batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium, & inducent vectes. 15. Cumque inuoluerint Aaron & filij eius Sanctuarium & omnia vasa eius

eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filij Caath vt portent inuoluta: & non tangent vasa Sanctuarij, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis: 16. super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium, quod semper offertur, & oleum vnctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in Sanctuario sunt. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: 18. Nolite perdere populum Caath de medio Leuitarum: 19. sed hoc facite eis, vt viuant, & non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron & filij eius intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, & diuident quid portare quis debeat. 20. Alij nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam inuoluantur, alioquin morientur. 21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias & cognationes suas, 23. à triginta annis & supra, vsque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur & ministrant in tabernaculo fœderis. 24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, 25. vt portent cortinas tabernaculi & tectum fœderis operimentum aliud, & super omnia velamen ianthinum, tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, 26. cortinas atrij, & velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, & vasa ministerij, 27. iubente Aaron & filijs eius, portabunt filij Gerson: & scient singuli cui debeant oneri mancipari. 28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. 29. Filios quoque Merari per familias & domos patrum suorum recensebis, 30. à triginta annis & supra, vsque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerij sui, & cultum fœderis testimonij. 31. Hæc sunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi & vectes eius, columnas ac bases earum, 32. columnas quoque atrij per circuitum cum basibus & paxillis & funibus suis. Omnia vasa & supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt. 33. Hoc est officium familiæ Meraritarum & ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. 34. Recensuerunt igitur Moyses & Aaron & principes synagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum suorum, 35. à triginta annis & supra, vsque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis: 36. & inuenti sunt duo millia septingenti quinquaginta. 37. Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numerauit Moyses & Aaron iuxta sermonem Domini per manum Moysi. 38. Numerati sunt & filij Gerson per cognationes & domos patrum suorum, 39. à triginta annis & supra, vsque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur vt ministrent in tabernaculo fœderis: 40. & inuenti sunt duo millia sexcenti triginta. 41. Hic est populus Gersonitarum, quos numerarunt Moyses & Aaron iuxta verbum Domini. 42. Numerati sunt & filij Merari per cognationes & domos patrum suorum, 43. à triginta annis & supra, vsque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: 44. & inuenti sunt tria millia ducenti. 45. hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moses & Aaron iuxta imperium Domini per manum Moysi. 46. Omnes qui recensiti sunt de Leuitis, & quos recenseri fecit ad nomen Moyses & Aaron, & principes Israel, per cognationes & domos patrum suorum, 47. à triginta annis & supra, vsque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, & onera portanda, 48. fuerunt simul octo millia quingenti octoginta. 49. Iuxta verbum Domini recensuit eos Moyses, vnumquemque iuxta officium & onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

Vers. 2. & 3. TOLLE SVMMAM FILIORVM CAATH, &c. A TRIGESIMO ANNO ET SVPRA VSQVE AD QVINQVAGESIMVM ANNVM, OMNIVM QVI INGREDIVNTVR VT STENT ET MINISTRENT IN TABERNACVLO] Cap. superiori v. 15. à mense primo ætatis numerati sunt Leuitæ, qui surrogarentur totidem penè primogenitis: hîc verò numerantur Leuitæ ab anno trigesimo; quia hîc numerantur tantùm viri fortes, qui grauia onera & partes tabernaculi portare possent, cùm mouenda erant castra. Pari modo apud Hebræos, nemo ante annum trigesimum docere poterat: vnde

Leuita anno 30 incipiebant seruire tabernaculo.

A anno trigesimo cœpit tam Christus, quàm Iohannes Baptista prædicare. Est enim hæc ætas maturi iudicij, & iustæ auctoritatis.

Simili modo in sacerdotibus verisimile est statam fuisse ætatem, antequam sacerdotio fungi non possent. ita Abul. qu. 42. sed quænam ea fuerit, nusquã in Script. exprimitur. Quod enim Iosephus tradit, Hyrcani filium anno ætatis decimo octauo pontificatu functum esse, meritò dubitare licet, an id rectè & secundùm iura sit actum. Si enim in Leuitis maior ætas requisita fuit: ergo multò magis in sacerdotibus & pontificibus.

OMNIVM

VERS. 3. OMNIVM QVI INGREDIVNTVR VT STENT] Hebr. *omnis qui ingreditur ad militiam*, vel *exercitum*. Hunc enim significat Hebræum צבא *tsaba*: Noster tamen *tsaba*, vertit *stationem*, quia *tsaba* deducit à יצב *iatsab*, id est stetit: vnde & Hebrææ linguæ periti, vt Mercerus, Forsterus, & alij docent, exercitum vocari *tsaba*, id est stationem, quia est statio militaris.

Leuitæ & clerici sunt milites Dei & templi. Militia porro, vel statio vocatur hîc ipsa ministratio Ecclesiastica Leuitarum in tabernaculo, vti vertit noster Interpres v. 30. Hæc enim militia est, non humana, sed diuina, qua ordinatissima serie instar militum excubabant Leuitæ, Primò, ad custodiam tabernaculi; Secundò, ad illud portandum & protegendum; Tertiò, ad subseruiendum sacerdotibus, vt sacrificia ritè peragerentur, atque ad omnem sacrum famulatum Dei. Hunc hebraismum imitatus S. Paulus, Timotheum Episcopum hortatur, vt *militet bonam militiam, habens bonam fidem & conscientiam*, 1. Timot. 1. 8. Clerici ergo sunt milites, quorum duces & antesignani sunt Episcopi. Militia enim Hebræis omnem famulatum significat: hinc Leuitæ, angeli, cæli, sidera, omnesque creaturæ vocantur milites Dei, diciturque Deus sabaoth, id est exercituum, putà militum iam dictorum, estque Sabaoth vnum ex decem nominibus Dei, quod Septuag. nũc δυνάμεων, id est virtutum, siue potentiarum; nunc παντοκράτορα, id est omnipotentem, omniaque vincentem, omnibus dominantem vertunt, teste S. Hieron. epist. 136. ad Marcellam. *Deus sabaoth, vnde.* Vbi Nota. Leuitæ hîc dicuntur ingredi in militiam, scilicet Dei & tabernaculi; alij verò vulgares milites ad bellum euntes, dicuntur egredi in militiam; quia peregrè ad bellum & hostes suos proficiscuntur.

VERS. 4. HIC EST CVLTVS] hoc est ministeriũ, hæc functio sacra Caathitarum. Patet ex Hebræo.

VERS. 4. & 5. SANCTVM SANCTORVM INGREDIENTVR AARON ET FILII EIVS] Hinc patet, etiam minores sacerdotes ingressos esse Sanctũ sanctorum ad illud deponendũ, cùm mouenda erant castra. Vnde quod Leuit. 16. & ad Hebr. 9. 7. dicitur, quòd solus pontifex semel in anno ingrederetur Sanctum sanctorum, intellige, quando fixa erant castra, in ijsque quietum consistebat tabernaculum, ad ministrandum & sacris operandum in eo: hoc enim solius erat pontificis. non autem quando in motu castrorum dissoluendum erat tabernaculum: hoc enim erat minorum sacerdotum, vti benè probat Abulens. quæst. 5. nam quando dissoluendum erat Sanctum sanctorum, tunc subducebat Deus, vel potiùs angelus, corpus illud siue nubem quæ incubabat & quasi insidebat propitiatorio, dabatque oracula: vnde tunc non erat periculum irreuerentiæ, aut quòd minores sacerdotes corpus illud Deum repræsentans essent visuri. *Sacerdotes minores & Leuitæ ingrediebãtur Sancta sanctorũ, cùm mouenda erant castra.* Addit Abulensis quæst. 18. ipsos Leuitas, putà Caathitas, ingressos esse Sanctum sanctorum, vt eius supellectilem, putà arcam, Cherubim & propitiatorium à sacerdotibus inuoluta & colligata exportarent, vti dicitur v. 15. quia ijs loco suo amotis & inuolutis, omnis gloria Sancti sanctorum iam erat ablata, censebaturque iam locus iste non esse sacer, sed communis, & quasi profanus.

VERS. 5. DEPONENT VELVM] quod diuidit Sanctum à Sancto sanctorum. itaque sacerdotes inuoluebãt

A primo arcam & Cherubim hoc velo: deinde pallio coccineo pari modo inuoluebant mensam, altare & candelabrum, quæ erant in Sancto. Hæc enim habebantur sancta & sacra, adeò vt ne Leuitis quidem ea nuda tangere, aut videre liceret sub pœna mortis, vti hîc dicitur. Omnia ergo vasa hæc inuoluebant & velabant sacerdotes, cùm mouenda erant castra, ideoque dissoluendum erat tabernaculum: deinde ea velata Leuitis, putà Caathitis, portanda tradebant. Secundò accedebant Gersonitæ, conuoluentes & efferentes suas cortinas & vela. Vltimò veniebant Meraritæ, columnas & tabulas tabernaculi dissoluentes & exportantes. *Ordo depositionis & erectionis tabernaculi.*

Contrarius erat ordo in erectione tabernaculi, cùm figenda erant castra: tunc enim primi accedebant Meraritæ, vt figerent colũnas, & B compingerent tabulas tabernaculi. Secundò veniebãt Gersonitæ, vt illa suis cortinis & velis obducerẽt. Tertiò & vltimò, accedebant Caathitæ, vt tam in Sancto, quàm in Sancto sanctorũ sua vasa velata deponerent: quæ deinde sacerdotes euoluebant, suisque locis collocabant.

ET INDVCENT VECTES] non in arcam: quia iam in eam inducti erant, & numquam extrahebantur, vt patet Exodi 25. 15. inducent ergo & imponent hos vectes in humeros portantium, putà Caathitarum. VERS. 6.

TVRIBVLA] Hæc primo loco ponit noster Interpres, cùm in Hebræo ponatur vltimo loco, idque ad hoc, vt vasa propria libaminum, putà cyathos & crateras, iungat cum eo quod sequitur, *ad liba*, id est libamina (vt habent Hebræa) *fundenda*. VERS. 7. C thus enim simul cum sacrificijs adolebatur, quod in thuribulis his seruabatur: in mortariolis verò, id est scutellis, excipiebatur simila, pro mincha siue sacrificio farreo: in cyathis denique & crateribus excipiebatur vinum, vel oleum ad libandum & effundendũ. Hoc enim significat *τὸ ad liba fundenda*. Vbi, Nota. Licet thus & farina subinde vocentur libamina, propriè tamen sola liquida, vt vinum & oleum, libamina sunt.

PANES (propositionis) SEMPER IN EA ERVNT] *In ea*, scilicet mensa. Intellige hæc, in terra promissionis, vbi Hebræi in quiete futuri, ritè culturi erãt Deum, & has cæremonias seruaturi: ita aliqui. Verùm contrarium videtur verius: loquitur enim hîc Moses de eo quod faciendum erat in deserto, cùm mouenda erant castra, & conuasanda supellex tabernaculi. D

ET INDVCENT VECTES] In candelabro nulli erant vectes: vnde eos alligabant sarcinæ candelabri, deinde eos in humeros imponebant, itaque portabant candelabrum: in arca verò, mensa & altari erant vectes. vnde quod mox v. 11. de altari dicitur, *Inducentque vectes*, intellige non in altare, sed in humeros portantium, vti dixi v. 6. VERS. 10.

ALTARE AVREVM] altare thymiamatis, quod factum erat ex lignis setim, sed obductum laminis aureis; cùm altare holocaustorum obductum esset laminis æneis per latera. VERS. 11.

SED ET ALTARE (holocaustorũ) MVNDABVNT CINERE] tum victimarum in eo combustarum in Sina, tum lignorum, quibus deinceps fouendus est ignis sacer, iuxta præceptum Dei latum Leuit. 6. v. 12. Nam post egressum ex Sina, deinceps non sacrificarunt Hebræi victimas vllas in deserto. VERS. 13.

FVSCI-

VERS. 14. FVSCINVLAS, AC TRIDENTES, VNCINOS] In Hebræis pro his tribus est vna vox מִזְלָגוֹת *mislegot*, quæ significat fuscinulam, siue ea tridens sit, siue vnidens, putà vncinus vnius dentis. Omittũtur hîc phialæ, quæ habentur in Hebræo, de quo dixi Exodi 25.29.

VERS 15. NON TANGENT VASA] nuda scilicet, & non operta. Addit S. Thomas Leuitas nec ipsa vasa, licet inuoluta, sed tantùm vectes eis impositos tetigisse.

Tropologicè, Origenes hom. 4 *Plebs*, ait, *Christiana Sancta sanctorum velata super humeros portat, dum Sacramenta suscipit, & præcepta implet, quorum rationem non intelligit.*

VERS. 16. SVPER QVOS (Caathitas) ERIT ELEAZAR] vtpote ex Caath oriundus. Gersonitis verò & Meraritis præerat Ithamar, iunior Aaronis filius, sed ita, vt super omnes superintenderet, & generalem prouidentiam gereret Eleazar.

AD CVIVS (Eleazari) CVRAM PERTINET OLEVM, INCENSVM, ET SACRIFICIVM (iuge) QVOD SEMPER OFFERTVR] Non quòd solus Eleazar sacrificaret, aut adoleret incensum; sed quòd eius erat curare & prospicere ne materia hæc, putà ne oleum, simila & incensum deesset. Hæc cura quoad aliqua, postea in Leuitas partita est, videlicet cura similæ, vini, thuris, olei & aromatum, vt patet 1. Paralip. 9.29.

VERS. 18. NOLITE PERDERE POPVLVM CAATH] ne permittatis Caathitas perdi & occidi à me; quod fiet, si tangant sancta sanctorum, id est vasa tabernaculi sanctissima.

VERS. 28. HIC EST CVLTVS] hoc est ministeriũ Gersonitarum. Hebræum enim עֲבוֹדָה *aboda*, significat opus, seruitium, ministerium; & quia hoc hîc sacrũ erat, ideò à nostro Interprete vocatur *cultus*.

VERS. 37. HOS NVMERAVIT MOYSES ET AARON, IVXTA SERMONEM DOMINI PER MANVM MOYSI] *τὸ per manum Moysi*, refer non ad *numerauit*, sed ad *sermonem Domini*. q.d. Numerati sunt omnes iuxta sermonem & imperiũ Domini, qui id fieri iussit *per manum Mosi*, id est per Mosen ministrum & instrumentum suum. Hoc enim significat manus, vtpote quæ in homine est organum organorum.

VERS. 49. RECENSVIT EOS MOYSES, VNVMQVEMQVE IVXTA OFFICIVM ET ONERA SVA] dicendo videlicet, & singulis imperando: Hi Gersonitæ portent cortinas tabernaculi, isti sagum cilicinum, illi velum ostij; & similiter Meraritis & Caathitis, particulatim quibusque sua munia dispertiendo. Atq; hæc videtur fuisse tota functio, totumque officium Leuitarum ordinarium vsque ad Dauidem, videlicet portare & custodire vasa tabernaculi, vti indicatur 1. Paral. 23.26. Dauid verò, vt ibidem dicitur, officium canendi, siue psallendi, aliaque eis attribuit, & inter eos distribuit. Dico ordinarium: nam extraordinariè Leuitæ in victimis excoriandis, concidendis & cremandis iuuabant sacerdotes, quando ipsi ad ea non sufficiebant, vt patet 2. Paral. 29.34.

Onus psallendi addidit Dauid Leuitis.

Ex his legis veteris ministris ortum habuerunt ministri legis nouæ, id est ad eorum exemplum in Ecclesia sunt constituti; putà ex Leuitis diaconi, ex sacerdotibus filijs Aaron presbyteri, ex põtifice Episcopi, ex cantoribus templi cantores Ecclesiæ; ex Aaron & filijs eius, qui componebant lucernas Exodi 27.21. acolythi, quos ceroferarios vocant; ex Nathinæis, de quibus dicendum est

Ministri legis nouæ ex veteribus orti, qui ex quibus?

A Iosue 9. v. vltim. subdiaconi; ex Nazaræis, de quibus cap. 6. Religiosi. ita docet Innocent. III. libr. 1. de sacro Altaris mysterio, à cap. 2. vsque ad 7. Iam si tantum fuit officium Leuitarum veterum, qui tantùm circa tabernaculum sacerdotibus subseruiebant, vt Deus sigillatim hîc singulis sua munia operosè assignet; quantum erit officium Diaconorum & ministrorum noui testamenti, qui sacrificio corporis & sanguinis Christi deseruiunt? sanè angelicum est, & ab angelis sæpè vsurpatum.

Moral. de dignitate Diaconorũ.

Cùm aliquando die paschæ in Ecclesia S. Mariæ Maioris Gregorius I. Pont. celebraret, & *pax Domini sit semper vobiscum*, dixisset; angelus Domini alta voce respondit, *Et cum spiritu tuo*. Propter quod Papæ ipsa die ibidem celebranti, & *pax Domini*, &c. dicenti nihil respondetur, inquit Iohan. B Diacon. in Vita S. Gregorij.

Angeli ministrant Missæ.

Proculus Episcopus & Martyr è Syria Romã venit tempore Iustini Imp. totamque Romanam prouinciam percurrens prædicabat, miraculis ac vitæ sanctitate refulgens. Is cùm die quadã rem sacram faceret præsente Valentino Episcopo Interamnensi, angelus Domini acceptum de altari calicem in aëra videntibus omnibus subleuauit, ac deinde in altari reposuit sanguine consecrato: sanctus autem presbyter de mandato angeli sanguinem consecratum libauit. ita refert Petrus Episc. Aquilinus l. 1. Catal. Sanct. c. 15.

In Vita S. Osvvaldi Episcopi Vigorniensis, qui vixit anno Domini 1170. narratur, quòd angelus ipsi sacrificanti ministrarit officiosè, & ad singula responderit.

Frater Iohannes de Parma Generalis Franciscanorum hora constituta venit ad sacrificãdum, C nec comparebat frater ministraturus: mox adest angelus, & fit minister, vultu ac veste referens Religiosum. Sacrificio finito venit frater, rogatque: Placetne, pater mi, Sacrum facere? Tum vir Dei cognouit, angelum, non Religiosum, Sacro ministrasse. ita habent eorum Chronica tomo 2. lib. 1. cap. 57.

S. Nilus Abbas epistola ad Anastasium Episcopum scribit de S. Iohãne Chrysostomo, cum quoties ferè celebrabat, angelos vidisse. *Cùm cœpisset*, inquit, *sanctum sacrificium, plurima statim ex illis Virtutibus è cælo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio & reuerentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc singula per totam domum diffusa, presbyteris & diaconibus distributionem corporis & pretiosi* D *sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes, & sedulò adiuuantes.*

Audi magis mirandum. Christus Dominus dedit sacram communionem S. Dionysio Areopagitæ. Nam cùm ipse carcere cum Rustico & Eleutherio clauderetur, nec posset celebrare, apparuit ei Christus cum angelorum multitudine, & accipiens panem sanctum dedit illi dicens: *Accipe hoc, mi chare quod mox tibi complebo vnà cum Patre meo, quoniam mecum est maxima merces tua, & his qui audierint te salus in regno meo. Nunc age fortiter, & memoria tua erit in laude.* ita Hilduinus in Vita S. Dionysij.

S. Bonauentura ex humilitate abstinens sacra communione, quasi indignus, particulam consecratæ hostiæ de manu celebrantis per angelum acce-

accepit, qui eam illius ori immisit, significans, vt omnem sæpè celebrandi scrupulum amoueret, & cum creatore suo, à quo amabatur, familiariter conuersaretur. ita habet eius Vita.

Idem contigit cuidam sanctæ matronæ, cui nomen Bertranda, vt habetur in Vita S. Elzearij cap. 17.

In vita SS. Faustini & Iouitæ Matryrum legimus, quòd, cùm ipsi Secundum militem Mediolani baptizassent, & sacram communionem ei dare vellent, nec haberent panem ex quo eam conficerent, à columba delatum acceperint, eique sumendum porrexerint. Columba quæ est symbolum Spiritus sancti, significabat, in Eucharistia Spiritum sanctum quoque adesse. Nam vbi est Filius, ibi est & Pater, & Spiritus sanctus.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus immundos castris eiici. Secundò, v. 11. fert legem zelotypiæ, qua mariti vxores de adulterio suspectas per aquas maledictas explorent.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe filiis Israel, vt eii-
ciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super
mortuo. 3. Tam masculum quàm feminam eiicite de castris, ne contaminent ea
cùm habitauerim vobiscum. 4. Feceruntque ita filij Israel, & eiecerunt eos extra
castra, sicut locutus erat Dominus Moysi. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen,
dicens: 6. Loquere ad filios Israel: Vir, siue mulier, cùm fecerint ex omnibus pec-
catis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint manda-
tum Domini, atque deliquerint, 7. confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum
caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccauerint. 8. Sin autem non fue-
rit qui recipiat, dabunt Domino, & erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro ex-
piatione, vt sit placabilis hostia. 9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Is-
rael, ad sacerdotem pertinent: 10. & quidquid in Sanctuarium offertur à singulis, &
traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen,
dicens: 12. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, cuius vxor errauerit, mari-
tumque contemnens, 13. dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere
non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in
stupro: 14. si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel
polluta est, vel falsa suspicione appetitur, 15. adducet eam ad sacerdotem, & offeret
oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam
oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adul-
terium. 16. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino, 17. assumet-
que aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet
in eam. 18. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput
eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zeloty-
piæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta con-
gessit. 19. adiurabitque eam, & dicet: Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non
polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas male-
dicta congessi. 20. Si autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti
cum altero viro: 21. his maledictionibus subiacebis: Det te Dominus in maledi-
ctionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, &
tumens vterus tuus disrumpatur. 22. ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem
tuum, & vtero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen.
23. Scribetque sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in
quas maledicta congessit, 24. & dabit ei bibere. Quas cùm exhauserit, 25. tollet
sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, impo-
netque illud super altare; ita dumtaxat vt priùs, 26. pugillum sacrificij tollat de eo
quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas.
27. Quas cùm biberit, si polluta est, & contempto viro adulterij rea, pertransibunt
eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in ma-
ledictionem, & in exemplum omni populo. 28. Quòd si polluta non fuerit, erit in-
noxia, & faciet liberos. 29. Ista est lex zelotypiæ: Si declinauerit mulier à viro suo, &
si polluta fuerit, 30. maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in con-
spectu Domini, & fecerit ei sacerdos iuxta omnia quæ scripta sunt: 31. maritus abs-
que culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

Vers. 2. Immundi pelluntur castris.

PRÆCIPE FILIIS ISRAEL, VT EIICIANT DE CASTRIS OMNEM LEPROSVM] In Hebræo additur causa: *quia ego*, scilicet Deus, qui mundissimus sum, *habito in medio vestrûm*. volo ergo castra mea esse munda, ab eisque leprosos, aliosque immundos eiici. Eiiciuntur ergo hic extra castra, primò

primò leprosi; secundò ii qui seminis profluuio A laborabant; tertiò polluti super mortuo, id est qui contactu morticini, siue cadaueris humani, legalem pollutionem, id est immunditiem, contraxerant. quorum primi duo exulabant castris, donec sanarentur: sanati enim præuia lustratione præscripta Leuit.14.& 15. (exceptis tamen sacrificiis, ibidem præscriptis: hæc enim in deserto non fiebat) in castra recipiebantur: tertij verò certis diebus se lustrabant,& post septimum diem sine alia cæremonia ad castra redibant, vt patet Numer.v.11.& 12.

Nota. Per castra hîc cœtus populi totius, non autem Leuitarum tantùm intelligitur, vt patet. Quare perperam Lyranus ex Rabbi Salomone: leprosi, inquit, extra castra populi, seminiflui extra castra Leuitarum, polluti super mortuo extra castra deitatis, id est extra tabernaculum, quod B erat quasi domus Dei, eiiciebantur: omnes enim hi non tantùm tabernaculo, sed etiam totis castris populi arcebantur.

Iudicialia seruabãtur in deserto, non cæremonialia, exceptis paucis.

Nota. Præcepta moralia & iudicialia seruabantur ab Hebræis in deserto, æquè ac in terra Chanaan: cæremonialia verò pleraque non seruabantur in deserto, vti patet de circumcisione, Iosue 5.6.& de sacrificiis Amos 5.25. & Actor.7. v.42. ac de festis, saltem quoad sacrificia festo quolibet præscripta: nam quoad cessationem ab opere, festa quæ eam exigebant, seruabantur in deserto, nisi mouenda essent castra. vti patet de sabbato: nam illud violans, colligensque ligna in sabbato lapidatus est, Numer.15.35. Pari modo in deserto non seruabatur persolutio iurium sacerdotalium, putà primitiarum & decimarum; nec redemptio primogenitorum, post primam illam C in Sina factam Numer.3 46. Idque meritò. nam in deserto sacerdotes suo munere sacerdotali, quod erat sacrificare, non perfungebantur; ac proinde hæc iura, quasi stipendia sua, non merebantur. Rursum iis non indigebant, cùm omnes viuerent ex manna. ita Abulensis. Excipe hic nonnulla cæremonialia: nam immundi in deserto, per lustrationes præscriptas expiabantur, vti paulò antè dixi. Rursum, panes propositionis ibidem in mensa Domino proponi debebant, vti patet c.4. v.7. Ignis sacer insuper iugiter fouendus erat, vti patet Leuit.6.13.

VERS.6. VIR SIVE MVLIER CVM FECERINT EX OMNIBVS PECCATIS, QVÆ SOLENT HOMINIBVS ACCIDERE] scilicet cùm fecerint aliquam iniuriam proximo, in quale peccatum labi solent homines.

VERS.7. CONFITEBVNTVR PECCATVM SVVM (nota hîc D vsum, imò præceptum confessionis particularis in lege veteri) ET REDDENT IPSVM CAPVT] Hebr. *reddent ipsum delictum in capite suo*, id est reddent ipsum caput, ipsam rem quam acceperunt. In hoc enim casu iniuriæ & iniustitiæ ex lege hac, & ex lege naturæ præscribitur restitutio. Vide Leuitici 6.3. vbi idem hic casus explicatus est.

Confessio particularis in lege veteri.

VERS.8. SIN AVTEM NON FVERIT QVI RECIPIAT (Hebr. si non est redemptor, id est propinquus siue consanguineus qui recipiat. Ad propinquum enim defuncti pertinebat redemptio, & etiam redemptio rei.) DABVNT DOMINO, ET ERIT SACERDOTIS] Sacerdos enim est vicarius, & quasi heres Dei.

EXCEPTO ARIETE (præter arietem) QVI OFFERTVR PRO EXPIATIONE] quasi in satisfactionem pro peccato. Vnde Hebræi dicunt, cùm aries ducitur ad mortem, cogitare debet peccator & reputare, ac si ipse ob peccata sua duceretur ad mortem, & confiteri: *O Domine ego reus sum mortis, ego commerui lapidari, comburi, aut strangulari propter hoc peccatum. Verùm quia non vis mortem peccatoris, accipe pro me hunc arietem, quem tibi immolo.*

OMNES QVOQVE PRIMITIÆ, QVAS OFFERVNT FILII ISRAEL, AD SACERDOTEM PERTINENT] VERS.9. *Ad sacerdotem*, id est, ad sacerdotes: nam primitiæ inter omnes sacerdotes diuidebantur. secùs erat de sacrificiis: hæc enim sacrificanti cedebant, vti dictum est Leuit.6.26.& c.7.8.

QVIDQVID IN SANCTVARIVM OFFERTVR A VERS.10. SINGVLIS, ET TRADITVR MANIBVS SACERDOTIS, IPSIVS ERIT] Hebr. *vniuscuiusque sancta*, id est oblata, *& quidquid homo sacerdoti dederit, ipsius erit.* Nam si quis aliquid in gazophylacium iniecisset, aut dedisset sacerdoti in manus ad vsus templi vel tabernaculi, id templo vel tabernaculo cedebat: sin autem sacerdoti dabat, in eius vsus, illi cedebat.

Tropologicè, Rabanus, Primitiæ, ait, bonæ voluntatis, verborum & operum, & quidquid in sanctuario, id est in Ecclesia, Domino offerunt veri Israelitæ, id est Ecclesiæ filij, sacerdotis est, id est Christi Domini est; quia ad eius gratiam pertinet, eiusque meritis, impetrationi & donationi tribuendum est. *Tropolog.*

VIR CVIVS VXOR ERRAVERIT] Hebr. *declinauerit*, scilicet ad alium virum per adulterium. VERS.12.

QVIA NON EST INVENTA IN STVPRO] in adulterio. VERS.13.

SI SPIRITVS ZELOTYPIÆ (id est, si zelotypia) VERS.14. CONCITAVERIT VIRVM] Sic spiritus prudentiæ, lenitatis, misericordiæ vocatur ipsa prudentia, lenitas, misericordia.

Nota. Vxor quæ laborabat vel culpa, vel suspicione adulterij, iubetur hic à Deo se purgare & probare per aquas zelotypiæ. Miraculo ergo quasi stato & continuo olim apud Iudæos explorabatur scelus adulterij; idque ad hoc, ne scilicet si factum quod suspicabantur, probare non possent zelotypi coniuges, vxores occiderent. Eadem de causa iisdem, vtpote duræ ceruicis hominibus, permissus est libellus repudij. Simili modo apud Christianos olim mulieres suspectæ de adulterio se purgabant tangendo ferrum candens, si ab eo non adurerentur, vti contigit S. Cunegundi: quæ proba cùm à Deo non esset instituta, ideoque esset Dei tentatio, iure à Canonibus est damnata.

Miraculosa probatio adulterij in lege veteri.

Disce hic, inter tribulationes carnis quas sentiunt coniugati, non minimam esse zelotypiam. Apud Persas, non tantùm qui appellasset & attigisset regis pellicem, sed & qui in itinere propiùs prætereuectus fuisset, mulctabatur capite, inquit Plutarch. in Artaxerxe.

Moral. de zelotypia & malo coniugij.

Excandescit Catullus in Gellium riualem, vt puellæ suæ furem. Idem ægrè fert Gellium sibi ob pulchritudinem præpositum, vbi ait:

Gellius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,
Quàm te cum tota gente, Catulle, tua.

Circe venefica ægrè ferens Scyllam nympham à Glauco amari, fontem in quo se lauabat infecit veneno, cuius virtute Scylla in monstrum marinum mutata est, vti apposite fingunt Poëtæ.

C.Sulpi-

C. Sulpitius vxorem suam repudiauit, quòd A aperto capite ædes egressa esset: *Lex*, inquiens, *tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes: his esto speciosa, non aliorum oculis placens.*

Antisthenes adolescenti consulenti, cuiusmodi vxorem duceret? *Si formosam duxeris*, inquit, *habebis communem; sin deformem, habebis pœnam.* Græcè est allusio inter κοινὴν & ποινὴν. Suadebat ergo, media stataque forma ducendam, quæ nec fastidium moueret viro, nec adulterorum oculos in se prouocaret.

Democritus, cùm esset procerus, rogatus, cur tam paruam duxisset vxorem? *Ego*, inquit, *in malo eligendo, quod minimum erat elegi.* Idem respondit b. Thomas Morus.

Pittacus vxorem ducere noluit, *Quia si pulchram*, inquit, *duxero, habebo zelotypiam, si non meam, certè aliorum ambientium: si turpem, habebo fastidium.* B

Socrates dicebat *se tria mala assecutum, Grammaticam, paupertatem, & perniciosam vxorem: quorum duo iam effugisset, tertium effugere non posset.*

Plato rogatus *quando ducenda esset vxor: iuueni*, inquit, *nondum; seni numquam.* Græcè iucundiùs, μήπω & μηδέποτε; subindicans prorsus abstinendum à matrimonio.

Protagoras rogatus, cur filiam dedisset vxorem suo inimico? *Quia*, inquit, *nihil ei dare poteram deterius.*

Philoxenus rogatus, cur Sophocles bonas introduceret feminas, ipse verò malas: *Quia*, inquit, *quales oporteat esse feminas, Sophocles dicit: ego autem quales sint.* Quare Alfonsus Arag. rex dicere solebat, *matrimonium sine querelis fore & tranquillum, si maritus surdus fiat, vxor cæca*; innuens feminas obnoxias esse zelotypiæ, atque inde oriri rixas & querelas: rursum maritis permolestam esse vxorum garrulitatem, qua cariturus sit, si fiat surdus: nec illa vexabitur adulterij suspicione, si careat oculis, vel fugiat oculos aliorum.

Vers. 15. Offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ] Satum, hebraicè epha, Septuag. ephi, mensura erat aridorum continens tres modios, erat enim decima pars cori: corus autem continebat 30. modios. Vnde Chald. pro sato vno vertit tria sata, id est tres modios, siue tria vasa minora.

Non fundet super eam (oblationem zelotypiæ) oleum: quia oleum symbolum est misericordiæ, non crudelis zelotypiæ. nec imponet thus] quia thus est symbolum deuotionis, & bonæ famæ, non autem infamiæ hoc sacrificio adulteræ irrogandæ. Adde, omnia hic vilitatem spectare: vnde & terra in aquam bibendam immittitur, vt significetur vilitas in quam se abiecit adultera. ita Theodor. q. 10. & Cyrillus lib. 14. de Adoratione, pag. 284.

Vers. 17. Assumetque aquam sanctam] id est aquam deputatam ad vsus sanctos in tabernaculo: eadem tamen v. 18. & 19. vocatur aqua amarissima, tum quia maledictionibus sacerdotis erat quasi onusta & grauida, tum quia epota ab adultera amaritudine magna eam afficiebat.

Et pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam] vt significetur adulteram esse vilem instar pulueris, qui pedibus calcatur. vnde Eccles. 9. dicitur, *Mulier fornicaria quasi lutum conculcabitur.* Sumitur autem terra hæc ex atrio tabernaculi, quia quando sacerdos probam hanc faciebat, erat in atrio tabernaculi. ita Abulens.

Discooperiet caput eius] Iubetur hîc mulier rea, vel suspecta de adulterio nudo capite sisti Domino, vt significetur omnia Deo esse nuda & aperta; nec adulterium, nec quidquam eorum quæ secretò, & in occulto fiunt, Deum latere. ita Theodor. q. 10. & Procop. Idque ad hoc, vt videlicet mulier hoc ritu videns se sisti coram Domino, seriò contremiscat, pœniteat, & culpam (si rea est) fateatur; ne negando, crimen periurio execratorio, quod mox subiturà est (vti iubetur v. 21.) duplicet, Deique vindictam & execrationem statim incurrat. Vers. 18.

Et ponet super manus illius (mulieris de adulterio suspectæ) sacrificium recordationis] Dicitur *recordationis*, quia pars sacrificij farrei, siue mincha offerebatur Deo in monumentum & recordationem, quòd tota farina vel mincha per hanc sui partem Deo esset oblata vide dicta Leuit. 2. 2. Secundò, & potiùs, dicitur *recordationis*: quia, vt v. 15. in Hebræo additur, est sacrificium commemorans peccatum, quod Noster vertit, *inuestigans adulterium.*

Ipse (sacerdos) autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit] Quæres, quænam fuerint hæ maledictiones, à sacerdote super aquas prolatæ & congestæ? verisimile est ex v. 21. has, vel his similes fuisse: Aqua maledicta sis in nomine Domini; & si mulier ista peccauit adulterio, ingrediaris vterum eius, eumque disrumpas, atque putrescere facias femur eius, vt sit in exemplum toti populo. *Quæ maledictiones super aquas prolatæ fuerint.*

C Adiurabitque eam: Si non polluta es, non te nocebunt aquæ istæ] *Noceo*, antiqua syntaxi regebat accusatiuum: hinc dicitur psal. 26. 2 *Iudica Domine nocentes me.* & Lucæ 4. 35. *Exiit ab eo, neque illum nocuit.* Sic & ait Plautus: *Iura te non nociturum hominem.* Vers. 19.

Sin autem polluta es, &c. det te Dominus in maledictionem] Est hæc secunda maledictio: prior enim erat aquæ, hæc est ipsius mulieris. Hebraicè est, *det te Dominus in execrationem, & in iuramentum in medio populi tui. In iuramentum*, id est, in imprecationem. q. d. Sistam misera & infelix, vt publica & communis hominum imprecatio sit hæc: Contingat tibi quod illi adulteræ contigit. Vers. 20. & 21.

Et respondebit mulier, Amen] Nota. Hic erat ordo huius probæ, vt patet ex Hebræo: Primò, sacerdos maledictiones proferebat super aquas. Secundò, proferebat maledictiones super mulierem, ipsa respondente, Amen. Tertiò, has secundas maledictiones scribebat in libro: mox scripturam abluebat aquis maledictionis mulieri propinandis. Quartò, accipiebat ab ea mincha, putà similam, & ex ea de more pugillum Domino adolebat & cremabat, reliquum verò sibi seruabat. Quintò, potum aquæ maledictæ dabat mulieri, quæ si criminis esset rea, intumescebat venter eius, & femur putrescebat. Addunt Iudæi, & moriebatur; quod etiam satis significat noster Interpres, & LXX. v. 21. factum esse disruptione vteri: idque fiebat statim, vt videtur. Nam quod Ioseph. lib. 3. c. 10. obscurè innuit, hanc pœnam dilatam fuisse ad decem menses, non satis eum S. Scriptura hic, neque cum more diuinæ prouidentiæ & vindi- Vers. 22. D *Ordo & ritus probæ adulterij per aquas zelotypiæ, siue maledictionis.* *Adultera venter his aquis rumpebatur.*

vindictæ congruit. Hæc enim solet sua miracula & iudicia citissimè operari, maximè per signa à se instituta: præsertim cùm hac vindicta detegendum esset hîc facinus vxoris, vt marito zelotypo satisfieret, qui alioqui eam perrexisset vexare, imò occidisset; ad quod tamen præcauendum hæc proba à Deo fuit instituta.

Nota. Hic tumor vteri, & putrefactio femoris, non ab aliqua vi aquis insita, sed tantùm à Deo ad cæremoniam hanc adhibitam producebantur.

Causa huius probæ. Prima. Porrò hac lege & pœna testabatur Deus, Primò, se fidei coniugalis præsidē esse ac vindicem, atque innocentiæ testem & custodem; ne videlicet zelotypia dissidium gigneret, lites, rixas & cædes. *Secunda.* Secundò, se occulta scelera videre, notare & prodere. *Tertia.* Tertiò, adulterium graue esse scelus, publica & horribili pœna dignum, vt vxores continerentur in officio, & ab impudicitia coërcerentur metu tam grauis pœnæ. Solent enim hæc adulteria committi in occulto, vt iuridicè probari vix possint: vnde Deus hîc eorum sibi iudicium arrogat. ita Vatabl. Addunt Iudæi, eamdem plagam inflictam fuisse ipsi adultero, etiam si is occultus esset. fides sit penes eos.

VERS. 24. & 25. QVAS CVM EXHAVSERIT, TOLLET SACERDOS DE MANV EIVS SACRIFICIVM] *Exhauserit*, id est hauserit, vel hauriet. Nam ferè simul & eodem tempore, mulier bibebat aquas, & sacerdos adolebat mincha, ita vt moraliter hæc duo censerentur fieri quasi eodem tempore. Ordo enim erat is quem dixi v. 22. quem noster quoque Interpres clarè exprimit v. 26. scilicet quòd priùs sacerdos adoleuerit mincha, deinde aquas mulieri potandas dederit.

VERS. 27. PERTRANSIBVNT EAM] Hebraicè, *ingredientur in eam.*

VERS. 28. QVOD SI POLLVTA NON FVERIT, ERIT INNOXIA, id est impunita, non læd̄etur ab aquis hisce maledictionis (sic insons sumitur pro impunito Exodi 20. v. 7.) ET FACIET LIBEROS] Chald. vertit, *& concipiet conceptionem*; Septuag. *& seminabit semen*, id est, filium ex semine concepto producet. Videtur hîc Deus promittere vxori innocenti fœcunditatem & liberos, ob suspicionem adulterij, & ignominiam probæ huius, quam insons immeritò passa est.

Addunt, & fabulantur Rabbini, eam per miraculum sine semine concepisse instar B. Virginis, vti referunt & refutant Abulens. Lyran. & Dionys. Carthusianus.

Morale, de enormitate adulterij. Vide hîc quantum crimen sit, quamque Deo & hominibus exosum adulterium. Audi S. Iob c. 31. 9. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si* A *ad ostium amici mei insidiatus sum; scortum alterius sit vxor mea. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Et Eccli. c. 23. v. 25. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens dicit: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius: quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi incredibilis* (incredula, inobediens) *fuit: Secundò, in virum suum deliquit: Tertiò, in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur.*

B Geradas Spartanus rogatus, qua pœna Spartani plecterent adulterum? *Nullus*, ait, *Spartæ adulter est.* Cumque instaret alter, Quid si existat? Dabit, inquit, bouem tantum, vt porrecto vltra Taygetum collo, bibat ex Eurota. Risit alter dicens. Fieri non potest, vt tantus bos inueniatur. *Et quo pacto*, inquit Geradas, *Spartæ existat adulter, in qua deliciæ, diuitiæ, & corporis ascititius cultus probro habentur?*

Thales adultero sciscitanti, an abiuraturus esset periurium? *Non est*, inquit, *periurium adulterio peius.* q. d. Quid rogas de peierando, cùm facinus periurio par non dubitaris committere?

Adde, adulterium sæpè esse causam cædium & parricidiorum. Ita Dauid ob adulterium cum Bersabee, commisit homicidium Vriæ. Clytemnestra cum Ægistho adultero in perniciem mariti Agamemnonis coniurauit: quo interempto Orestis C furor in matrem concitatus est. ita Euripides in Oreste.

Euridice Macedonum regina, Amyntæ vxor, atque Philippi mater, vt adultero regnum traderet, Alexandrum & Perdiccam filios veneno sustulit: idemque viro fecisset, nisi filia scelus detexisset. Quin & bestiæ adulterium detestantur & vindicant. Audi Guilielm. Parisiens. primæ partis de Vniuerso par. 3. c. 8. *Tempore*, ait, *meo ciconia tamquam de adulterio conuicta per olfactum masculi sui, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente eius crimen, à tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est, tamquam concilio aut iudicio omnium esset adulterij iudicata.*

Cuculus probrum est auium & hominum, quia nidos & oua aliarum auium inuadit, eis incubat, eaque excludit, teste Plinio lib. 10. c. 9. Vide dicta Genes. 38. 24.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur votum, consecratio & ritus nazaræorum. Secundò, v. 23. datur forma benedictionis, qua sacerdotes benedicant populo.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, &
dices ad eos: Vir siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare: 3. à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt: Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes siccasque non comedent. 4. cunctis diebus quibus ex voto Domino

mino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsque ad acinum non
comedent. 5. Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput
eius, vsque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæ-
sarie capitis eius. 6. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingre-
dietur, 7. nec super patris quidem & matris & fratris sororisque funere contami-
nabitur, quia consecratio Dei super caput eius est. 8. Omnibus diebus separationis
suæ sanctus erit Domino. 9. Sin autem mortuus fuerit subitò quispiam coram eo,
polluetur caput consecrationis eius: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, &
rursum septima. 10. in octaua autem die offeret duos turtures, vel duos pullos co-
lumbæ, sacerdoti in introitu fœderis testimonij. 11. facietque sacerdos vnum pro
peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccauit super mor-
tuo: sanctificabitque caput eius in die illo: 12. & consecrabit Domino dies separatio-
nis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen vt dies priores irriti fiant,
quoniam polluta est sanctificatio eius. 13. Ista est lex consecrationis. Cùm dies, quos
ex voto decreuerat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis,
14. & offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holo-
caustum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum,
hostiam pacificam, 15. canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint
oleo, & lagana absque fermento vncta oleo, ac libamina singulorum: 16. quæ offeret
sacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quàm in holocaustum. 17. Arie-
tem verò immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymo-
rum, & libamenta quæ ex more debentur. 18. Tunc radetur nazaræus ante ostium
tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos eius, & ponet su-
per ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. 19. Et armum coctum arietis,
tortamque absque fermento vnam de canistro, & laganum azymum vnum, & tradet
in manus nazaræi, postquam rasum fuerit caput eius. 20. Susceptaque rursum ab
eo, eleuabit in conspectu Domini: & sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum,
quod separari iussum est, & femur. post hæc potest bibere nazaræus vinum. 21. Ista
est lex nazaræi, cùm vouerit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ,
exceptis his quæ inuenerit manus eius, iuxta quod mente deuouerat, ita faciet ad per-
fectionem sanctificationis suæ. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
23. Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: 24. Bene-
dicat tibi Dominus, & custodiat te. 25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & mi-
sereatur tui. 26. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. 27. In-
uocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.

Vers. 2. VIR SIVE MVLIER CVM FECERINT VOTVM VT SANCTIFICENTVR] Hebr. *cùm separauerint*, vel *mirificauerint se ad vouendum*, id est cùm vouerint votum nazaræi, vt separent se à communi hominum consuetudine & viuendi ratione (quod quid nouum & mirum est) & consecrent se Domino. Sanctificatio ergo hîc significat separationem à communi hominum vita, & abstinentiam à vino & sicera, id est potu omni qui inebriare potest, idque ad honorem & cultum Dei; à qua separatione nazaræus, id est separatus, dicitur. de quo plura v. 7.

Nazaræi qui-alij erant pœnitentes, alij contemplãtes. Nazaræi apud Iudæos erant viri religiosi, qui vt liberiùs vacarent legi, & meditationi rerum diuinarum, aliorum commercio se abdicabant, vel semper, vel ad tempus, & Domino se totos dedebãt: vel qui cùm profusiùs vino & reliquis deliciis vsi fuissent, postea abstinentiæ & seuerioris vitæ generi se mancipabant, vt corpus affligerent. Hi erant nazaræi pœnitẽtes, priores erant quasi contemplantes. ita Vatabl. Porrò nazaræi erant duplices: quidam enim habebãt votum perpetuum, vt Samuel 1. Reg. 28. & Samson Iudic. 12. 7. Alij ad certum tempus, quod non erat lege definitum, sed vnusquisque pro sua deuotione tempus sibi præfiniebat. Talis nazaræus fuit S. Paulus Act. 21. 23. *Nazaræi alij perpetui, alij ad tempus, vt S. Paulus.*

Vers. 3. QVIDQVID DE VVA EXPRIMITVR] Hebr. *resi-duum vuarum*, id est, quod ab vuis iam pressis postea vel aqua madefactis, vel coctis, reliqui humoris exprimitur. Nil enim tale comedere aut bibere poterant nazaræi.

Vers. 4. AB VVA PASSA VSQVE AD ACINVM NON COMEDENT] id est, ne acinum quidem vuæ, seu nihil omnino quod vuæ est comedent. Hoc enim significat hæc phrasis Hebræorum. Similis est c. 8. v. 4. in Hebræo, & Genes. 14. 23. vbi dicitur: *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ*, id est, ne filum quidem, aut corrigiam accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Hinc patet, nazaræos non potuisse comedere vuas passas & siccas. *Nazaræi nõ poterant comedere vuas passas.*

Vers. 5. NOVACVLA NON TRANSIBIT PER CAPVT EIVS] scilicet ad radendum, vel ad tondendum crines nazaræi.

VSQVE AD COMPLETVM DIEM, QVO DOMINO CONSECRATVR] Hebr. vsque dum impleantur dies, quibus separauit se Domino.

SANCTVS ERIT CRESCENTE CÆSARIE CAPITIS EIVS] q. d. Nazaræus erit & cognoscetur, si secundùm hoc meum præceptum sinat promissam excrescere comam.

Iussit Deus nazaræum alere crines, partim vt hoc signo ostenderetur eum à cultu, æquè ac à deliciis corporis separatum esse, partim vt eos in termino voti sui Domino daret. *Nazaræus alebat comam, cur?*

VERS. 6. *Non poterat interesse funeri etiã patris.* SVPER MORTVVM NON INGREDIETVR] non ibit ad funus mortui, ne quidem patris aut matris. Qua in re nazaræi perfectiores erant communibus sacerdotibus: hi enim poterant interesse funeri patris, matris, fratris & sororis; atque æquantur summo pontifici, qui nec patris, nec matris funus adire poterat, Leuit. 21. 11.

Triplex cõtaminatio funeris olim. Nota. Apud Hebræos contaminabatur aliquis super mortuo tripliciter: Primò, si tangeret cadauer, aut ossa, etiam reperta in agro. Secundò, si iret ad exequias plangentium mortuum, aut si esset in domo in qua iacet mortuus, vel agens animam: inquit Abulens. Tertiò, si aliqua eius vasa contingeret, vt patet Numer. 19. v. 10. & seq.

VERS. 7. QVIA CONSECRATIO DEI SVPER CAPVT EIVS EST] q. d. Quia coma intonsa super caput eius est, quæ ostendat illum Domino esse separatum, coronatum & consecratum; & in hac cæsarie siue coma videtur præcipua, & à qua maximè dignoscebantur & denominabantur, fuisse nazaræorum cæremonia. Vnde sequitur:

VERS. 9. SIN AVTEM MORTVVS FVERIT QVISPIAM CORAM EO, POLLVETVR CAPVT CONSECRATIONIS EIVS] id est, polluetur eius consecratio, quæ maximè apparet in cæsarie capitis: ideoque ne capilli hi nazaræorum quasi sacri postea profanarentur, finito voto, Domino cui consecrati erant, comburebantur, vt patet v. 18.

Nota. נֵזֶר *nezer*, significat Primò, separationem; Secundò, consecrationem; Tertiò, coronam; Quartò, cæsariem, siue comã instar coronæ, quæ Deo consecrabatur. Hinc à *nezer* deductum נָזִיר *nazir*, id est nazaræus, significat Primò, separatum Deo; Secundò, consecratum; Tertiò, coronatum; Quartò, cæsarem, siue comatum.

Nazaræus Primò, est separatus; Secundò, cõsecratus; Tertiò, coronatus; Quartò, comatus.

Christus nazaræus, vnde? Allegoricè, Rupertus hæc omnia accommodat Christo, de quo Matth 2. v. vlt. per Prophetas prædictum dicitur: *Quoniam nazaræus vocabitur.* quod exponens S. Hieron. Nazaræus, ait, sanctus interpretatur. sanctum autem Dominum futurum omnis Script. commemorat, eiusq; sanctitatem nazaræi hi omnes, & nominatim Ioseph patriarcha Genes. 49. 26. & Samson Iudic. 13. 5. præsignarunt: cuius symbolo in Nazareth educatus est Christus, Dei prouidentia per hoc significante, quòd ipse vita & moribus esset nazaræus; idque fusè probat Leo Castrius in c. 11 Isaiæ v. 1. tum ex aliis, tum ex eo quòd Euangelistæ *Nazarenus* semper scribant per literam zeta, quæ respondet Hebræo *zain*, qua litera scribuntur hi nostri nazaræi. Si enim *Nazarenus* à נֵצֶר *netser* Isaiæ 11. v. 1. id est flos vel surculus, deduceretur, vt multi volunt, tunc non scriberent *Nazarenus* per z. sed per literam s. *netser* enim ibi per *tsade* scribitur, quæ litera semper à scriptoribus sacris vertitur per s. numquam per z. Sed de hac re exactiùs agendum est Matth. 2.

Tropolog. nazaræi sunt continentes, Tropologicè, Rabanus & Cyrillus libr. 16. de Adoratione, in nazaræis putant abstinẽtium continentiumque vitam signari. Qui ergo vult Deo se magno voto, id est perfectæ iustitiæ vita consecrare, hic à vino & sicera, id est omni re quæ perturbare potest, animũ abducat. Hæc autem sunt sensus mundanus, terrenæ cupiditates, sollicitudines carnis, vanæ distractiones. Alat comam capitis, id est mentem non habeat nudam, sed diuinis cogitationibus & scientia comptam. Ad patrem & matrem non ingrediatur, id est abdicet

A carnalem amorem, & sanguinis coniunctioni præferat Deum.

Quare nazaræi Religiosorum nostrorum vitam præsignarunt, vti docet S. Gregor. Nazianz. orat. in laudem S. Basilij, Gregorius lib. 32. Mor. 17. Innocent. citatus c. 4. 46 D. Thom. 2. 2. q 186. a. 6. Religiosi ergo sunt veri nazaræi, id est, separati à communi hominum vita, itemque coronati in capite quasi Reges & Cæsares, tam cæli quàm terræ. de quibus dicitur Thren. 4. *Candidiores nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* In niue & lacte significatur Religiosorum castitas: in ebore antiquo iugis & fortis obedientia: in sapphiro, qui cælestis est coloris, paupertas quæ spem in solum Deum defigit. Hinc v. 21. nazaræatus vocatur status perfectionis & sanctificationis, scilicet legis veteris: *maximè Religiosi.* *Primò.*

B sicut Religio in lege noua status est perfectionis, non acquisitæ (hic enim est episcopatus) sed acquirendæ per tria vota. Nam, vt ait Eusebius Emissenus: *Religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris; patiens abiectionis, impatiens honoris; pauper in pecunia, diues in conscientia; humilis ad merita, superbus ad vitia.* Vnde planè aberrant quidam ad Religionem conuersi, *qui*, vt ait B. Prosper de Vita contemplatiua, *ex pristinis moribus nihil abiiciunt: quia scilicet non mutantur mente, sed veste; non actu, sed habitu; non opere, sed sermone. In religione enim sæculariter viuunt, opinionem virtutis pro virtute quærunt, prædicant magna nec faciunt, accusant vitia nec deponunt, publicè sibi displicere simulant quod occultè committunt.*

Secundò, sicut nazaræi, ita & Religiosi vino, omnique eo quod mentem turbare, vel inquinare potest, abstinere debent. Audiant ipsi S. Hieronymum Paulinum monachum instituentem: *Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina: interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere de quàm pretiosis cibis stercus conficiat.* & infrà: *Nihil in te mediocre esse contentus sum, totum summum, totum perfectum desidero.* *Secundò.*

C

Tertiò, nazaræi etiam acinis abstinere debebant, ne videlicet ab acinis ad vuas, ab vuis ad vinum transirent: ita Religiosi omnem, etiam minimam & remotam occasionem gulæ & peccati præscindere debent. Nam, vt rectè ait glossa in illud Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis: Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* *Tertiò.*

D

Audiant Religiosi, audiant Ecclesiastici, quid efficiat minimorum canonum & ordinationum neglectus, S. Antoninum docentem 2. p. histor. tit. 15. §. 2. postquam de Religionibus multis egit: *Præfata*, inquit, *Religiones, quæ cum magno feruore, & vita sanctimonia initium habuerunt; minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt & exinanitæ sunt, vsque ad fundamentum in eis, vota scilicet substantialia: sed miseratione diuina à septuaginta annis pullulantes, refloruerunt in paucis se reformantibus ad vitam regularem.* *Minimorũ neglectus soluit disciplinam.*

Audiant S. Anselmum epist. 6. ad monachos: *Certissimum*, inquit, *est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus; quia in monasterio, vbi minima districtè custodiuntur, vbi rigor monachorum inuiolabilis permanet; ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamationes conquiescunt. Vbi verò minimi excessus negliguntur;*

guntur; ibi totum Ordo paulatim dissipatur & destruitur. Si ergo de virtute in virtutem vultis ascendere; semper timete in singulis minimis Deum offendere.

Meritò ergo Religiosos & Religiosas monet S.Gregor.Nazianz. orat. de fuco, dicens: *Illud velim ne ignores, rugam vnam tibi turpiorem esse, quàm maxima vulnera iis qui in mundo viuunt. neque enim tam notabilem ac conspicuam in sordidis, quàm in puris vnius coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet.*

Quartò. Quartò, nazaræus non poterat lugere mortuum, etiam patrem vel matrem: ita Religiosi omnes carnales affectus erga parentes truncare debent, & audire illud Christi Matth.8.22. *Sequere me.*&: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*& illud psalmi 44. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.*

Quintò. Quintò, nazaræus polluebatur etiam ex sola præsentia cadaueris: ita Religiosus ab omni peccato remotissimus esse debet, de quo plura v.9.

Sextò. Sextò, nazaræi sanctificatio maximè sita erat in cæsarie nutrienda. hæc autem mysticè est sanctarum cogitationum germinatio, quibus homo sanctus efficitur: hasce autem fouent & nutriunt Religiosi.

Septimò. Septimò, si contingeret nazaræum pollui super mortuo, cæsaries eius quasi polluta radebatur, vt noua succresceret: ita Religiosi, si cogitationes & affectus eorum aliqua peccati labe inquinentur; mox eas amputant, & alias sanctas de nouo accersunt.

Octauò. Octauò, si pollueretur nazaræus, dies præteriti nazaræatus irriti censebantur, cogebaturque de nouo tempus voti inchoare: gaudet enim Deus maximè continua sanctitate. ita Religiosus, si lapsus sit in negligentiam aut aliud peccatum, iterum nouo conatu, ac si nihil antea egisset, viam virtutis arrigere debet, ac dicere cum Psalte psal. 76. *Dixi, Nunc cœpi.*

Nonò. Nonò, peracto voti tempore radebatur nazaræus, capillique in altari holocausti cremabantur: quo significabatur, ait Gregor. 2.Moral.39. *tunc nos ad perfectionis summam pertingere, cùm sic deteriora vitia superamus, vt etiam cogitationes superfluas à mente resecemus, quas nimirum sacrificij igne concremare, est eas flamma diuini amoris incendere, vt cor totum in Dei amore ardeat.* Tuncque nazaræus offerebat Primò, hostiam pro peccato, quæ significat plenam peccatorum remissionem, quam Religiosi in ingressu Religionis percipiunt. vnde & à S. Hieronymo epistol. ad Demetriadem, & à S Bernardo lib. de Præc. & dispens. c.23. & aliis; Religionis ingressus vocatur secũdus baptismus. Secundò, hostiam pacificam, quæ significabat Deum Religiosorum precibus facilè placari & annuere. Tertiò, holocaustum, quod significabat Religionem non esse aliud quàm holocaustum, vti docet D.Thom. 2.2.q.186.art.7. quia, sicut in holocausto tota hostia cremabatur, ita Religiosus nihil habet quod Deo non offerat. Nam externas opes offert per votum paupertatis, bonum corporis offert per votum castitatis, bonum animæ offert per votum obedientiæ. Denique, vt religioni nullum genus sacrificij desit, ipsa quoque illustrissimum quoddam est martyrium. Nam, vt ait S.Hieronymus in epitaphio Paulæ, *deuotæ mentis immaculata seruitus quotidianum est martyrium.* & S.Bernard. serm.1. in festo omnium Sanctorum: *Verè*, ait, *martyrij genus est paupertas voluntaria.*

Religio est secundus baptismus.

Religiosus est holocaustum.

Religio est martyriũ.

Audi qualia sint munia & martyria monachi ex S.Hieron. ad Rusticum: *In monasterio*, inquit, *hic te silentium, ille doceat mansuetudinem: non facias quod vis: comedas quod iuberis: vestiare quod acceperis: operis tui pensum persoluas: subiiciaris cui non vis: lassus ad stratum venias, ambulansq̃, dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur: seruias fratribus: hospitum laues pedes: passus iniuriam taceas: præpositum monasterij timeas vt dominum, diligas vt patrem. credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt. feminæ nomen tuum nouerint, & vultum tuum nesciant: multo tempore disce quod doceas: nec credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus.* *Munia Religiosi.*

Hæc & plura Viegas in Apocal.c.9.2.sect.11. vide & Hieron. Platum de Bono status religiosi, lib.2.c.19.& c.12.& c.15.

SIN AVTEM MORTVVS FVERIT SVBITO QVISPIAM CORAM EO, POLLVETVR CAPVT CONSECRATIONIS EIVS] cur hoc? Respondet Lyranus, vt nazaræus eiusmodi mortem suis peccatis attribueret. Tanta enim debet esse humilitas in viro religioso, vt quidquid mali contingit, suis peccatis attribuat. *VERS. 9.* *Nazaræus polluebatur si quis corã eo moreretur, cur? Prima responsio.*

Secundò, Viegas suprà, Censetur, ait, nazaræus pollutus si quis coram eo moriatur; quia existimari poterat ipse esse eius interfector: vt significaretur viro religioso vel ipsam mali speciem ac præsumptionem, etiam expertem culpæ, omnibus modis fugiendam esse, iuxta illud 1.Thessal.5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* *Secunda.*

Tertiò & planè genuinè, Abulensis, Polluebatur, inquit, nazaræus si quis coram eo moreretur: quia ipse debebat immunis esse ab omni contaminatione; erat enim largiter sanctissimus: in mortuis autem illa lege maxima erat contaminatio. Vnde perinde si in nazaræum casu cadauer aliquod, vel ossa mortui incidissent, aut si ipse casu in domum mortui delapsus aut delatus fuisset, pollutus fuisset; idque vt per hoc significaretur, virum religiosum ab omni peccato (huius enim typus erat cadauer) etiam casuali & subreptitio, etiam alieno, remotissimum esse debere. *Tertia & genuina.*

QVOD (caput pollutum) RADET ILICO IN EADEM DIE PVRGATIONIS SVÆ (q.d. Radet caput eodem die quo pollutum est, vt eodem die hac rasione purgetur à contaminatione mortui) ET RVRSVM SEPTIMA] die radet caput, idque ad maiorem munditiem. Verùm Hebræi & Vatablus putant non primo, sed septimo die tantùm radendum fuisse caput nazaræi; hoc enim innuunt Hebræa; quæ sic habent, *Radet caput suum in die purgationis suæ, in die septima radet illud.* Sed noster Interpres sagaciter intellexit, more Hebræo subaudiri copulam *&*, q.d. *Et in die septima radet illud.* Nec enim verisimile est, nazaræum in sua pollutione permansisse vsque ad septimum diem, sed ilicò purgari & radi debuisse, illudque satis innuit Hebræum *vau*, id est *&*, quod Noster rectè vertit *ilicò.* sic enim habent Hebræa, *& polluetur & radet*, id est, mox vt pollutus fuerit radet.

Nota. Hæc rasio tantùm facienda erat à nazaræo temporali: nam perpetuus numquam radebatur, quomodocumque pollueretur, ac consequenter nec offerebat turtures, vel pullos colum-

 barum

barum ad sui expiationem, vti docet Abulensis quæst. 11. in 13. Iudicum. Omnia enim hoc cap. præscripta tantùm spectant nazaræum, qui talis est ad certum tempus, vt patet v. 4. 5. 6. 13. 18.

VERS. 10. IN INTROITV FOEDERIS TESTIMONII] id est, in introitu tabernaculi testimonij. ita Hebr. Chald. Septuag. Tabernaculum ergo hîc dicitur fœdus metonymicè: quia signum erat fœderis inter Deum & populum per Mosen initi.

VERS. 11. FACIETQVE SACERDOS VNVM TVRTVREM PRO PECCATO] *Faciet*, id est, sacrificabit & iugulabit: carnes verò eius cedent sacerdoti. Nam in sacrificio pro peccato adipes tantùm adolendi & cremandi erant iuxta legem Leuit. 7. 1. in turture autem & columba nullus est adeps: ergo solus eorum sanguis Deo libandus & effundendus erat.

QVIA PECCAVIT SVPER MORTVO] quia contaminatus est super mortuo, putà quia pollutus est ex funere mortui. Peccatum enim hic significat non culpam, sed immunditiem legalem vide dicta Leuit. 15. 15.

VERS. 11. & 12. SANCTIFICABITQVE CAPVT EIVS IN DIE ILLO, ET CONSECRABIT DOMINO DIES SEPARATIONIS ILLIVS] Hebr. *dies nazaraatus illius*, id est, ex eo tempore incipiet rursus numerare tempus nazaræatus illius, siue tempus quo vouerat alter se fore nazaræum. q. d. Sacerdos restituet hac lustratione caput nazaræi pristinæ sanctitati & consecrationi, vt ab illa die lustrationis rursum incipiant dies voti, & consecrationis eius: nam primi dies per pollutionem secutam facti sunt irriti.

VERS. 13. CVM DIES, QVOS EX VOTO DECREVERAT, COMPLEBVNTVR, ADDVCET (supple sacerdos: hic enim est minister tabernaculi, & omnium rerum sacrarum) EVM (nazaræum) AD OSTIVM TABERNACVLI FOEDERIS] vt pro eo offerat omne, id est triplex, genus sacrificii scilicet *agnum in holocaustum arietem in hostiam pacificam, & ouem pro peccato*, non certo aliquo & determinato, sed *pro peccato*, id est pro peccatis in genere, si quæ antè, præsertim in nazaræatu suo, admisit. ita Abulensis.

Nazaræus in fine voti offerebat omnis generis victimas.

VERS. 15. CANISTRVM QVOQVE PANVM AZYMORVM QVI CONSPERSI, id est subacti, SINT OLEO, cùm farina pinseretur & subigeretur, AC LIBAMINA SINGVLORVM] quæ præscribuntur cap. 15. v. 4.

VERS. 18. TVNC RADETVR NAZARÆVS ANTE OSTIVM TABERNACVLI FOEDERIS, &c. TOLLETQVE (sacerdos) CAPILLOS EIVS, ET PONET SVPER IGNEM] Comburuntur capilli nazaræi in honorem Dei, tamquam ei iam antè sacri & consecrati: per capillos enim, qui sunt velamen capitis, significabatur caput ipsum nazaræi Deo esse consecratum; cumq; caput ipsum sine interemptione hominis Deo offerri & comburi non posset, hinc loco capitis capilli Deo dati & combusti sunt, vt hoc symbolo *perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent*, inquit Isidorus. Pari modo Gentiles capillos suos diis, id est dæmonibus, dedicasse, cùm se iis offerebant, testatur Theodor. in c. 19. Leuit. qu. 28. & Cyrillus libr. 16. de Adoratione. Aliter hæc mysticè, vti dixi v. 7. accipit S. Gregorius lib. 2. Moral. c. 6. & Rupert. scilicet capillos significare superfluas & præsumptuosas cogitationes, ideoque eos iuberi comburi & absumi ad honorem Dei.

Capilli nazaræi Deo comburebantur, cur.

Porrò à nazaræis cœpisse vsum tonsuræ Ecclesiasticæ docet Isidor. de Diuin. offic. *Huius inquit exempli* (nazaræorum) *vsus ab Apostolis introductus est, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innouentur; vt hoc signo & religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis: quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. quod verò detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumq; Ecclesiæ in eis existimo figurari. Hinc & tiara apud veteres constituebatur in capite sacerdotum, quia vos estis genus electum, regale sacerdotium.*

Tonsura Ecclesiastica cœpit à nazaræis.

Cuius & alia datur causa, nimirum ob iugem memoriam spineæ coronæ Christi: idque ab Apostolis factitatum, & Ecclesiæ traditum certa assertione docet Beda lib. 5. de Gest. Anglor. cap. 22. *Neque*, inquit, *ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est: idcirco & nos, qui per eamdem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice gestamus. Sicut ergo fideles signum crucis gestant in fronte, contra malignos spiritus, & vt doceantur se carnem cum vitiis crucifigere debere: ita clerici & monachi gerunt formam coronæ, quam Christus in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est exportaret & auferret à nobis: vt ipsi se irrisiones & opprobria pro Christo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant: vt coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper se expectare, proq; huius perceptione, & aduersa mundi & prospera contemnere designent.* Hæc & plura Beda, atque Albinus Flacc. de Diuin. offic.

Monachis verò iam à tempore S. Dionysij Areop. vt ipse testatur Eccles. hierarch. p. 2. c. 3. caput radi consueuit. capitis enim abrasio monitio est & symbolum, Primò, lugentis & mœrentis hominis; Secundò, casti & *ornatu pudicitiæ inornati*, vt ait S. Paulinus epist. 7. Tertiò, terrena contemnentis, & cælestia meditantis. Plura vide apud Baron. anno Christi 58.

SANCTIFICATA, id est eleuata, & oblata Deo, Deo, SACERDOTIS ERVNT, SICVT PECTVSCVLVM, ITA ET FEMVR] armus dexter, vti habent Hebræa. hic enim armus, vti & pectusculum, in hostiis pacificis cedebant sacerdoti, eique ex hostia separabatur, vt patet Leuit. 7. v. 31. & 32. VERS. 20.

ISTA EST LEX NAZARÆI, CVM VOVERIT OBLATIONEM SVAM DOMINO, TEMPORE CONSECRATIONIS SVÆ] cùm scilicet vouerit nazaræatum, seu esse nazaræus, & per consequens cùm vouerit oblationem faciendam in fine voti, quam ego hîc nazaræis præscripsi: vouerit, inquam, eam in die consecrationis, id est in die qua se Deo consecrauit, cœpitque esse nazaræus. VERS. 21.

EXCEPTIS HIS QVÆ INVENERIT MANVS EIVS, q. d. Offeret hostias iam v. 14. præscriptas, præter eas quas sponte offerre voluerit, iuxta opes & facultates suas; idque AD PERFECTIONEM SANCTIFICATIONIS SVÆ] Hebraicè, *iuxta legem nazaraatus sui*, quæ videlicet spectat perfectionem eius in sanctitate status illius temporis, putà veteris testamenti.

LOQVERE AARON ET FILIIS EIVS: SIC BENEDICETIS FILIIS ISRAEL: BENEDICAT TIBI DOMINVS] id est, det tibi Dominus copiam omnium bono- VERS. 23. & 24.

Benedictio est copia bonorum.

bonorum, temporalium & spiritualium. hoc enim significat benedictio apud Hebræos.

Vers. 25. *Formula benedictionis sacerdotalis.* OSTENDAT DOMINVS FACIEM SVAM TIBI] Hebr. *illuminet Dominus faciem suam super te*, id est benignum, hilarem, propitium, liberalem se Deus ostendat tibi. Hoc enim significat lux & illuminatio in Script. vt psal. 96. 11. *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* & psal. 43. 4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.*

Illuminatio Dei duplex. Prima.

Secunda. Secundò, melior magisque genuinus sensus est, q. d. Dominus sit tibi instar lucis & lucernæ, vt dirigat omnes actus tuos. Id ita esse patet ex eo, quòd psal. 66. 1. vbi hæ benedictiones iterantur, cùm dixisset Psaltes, *Illuminet* (Deus) *vultum suum super nos*, mox illud explicans subiungit: *Vt cognoscamus in terram viam tuam.* vnde & psal. 4. 7. dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, q. d. Lucerna rationis & fidei in nobis accensa est à lumine tuo diuino, ô Domine. Simili sensu dicitur psal. 17. 29. *Quoniam tu illuminas lucernā meam Domine.* & psal. 118. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.* & Lucæ 1. 79. *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* & psal. 89. v. vlt. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos.*

Vers. 26. CONVERTAT DOMINVS VVLTVM SVVM AD TE] q. d. Consoletur Dominus, adiuuet & protegat te. Metaphoricè Deo tribuitur vultus conuersio, vti & auersio, significans opem eius præsentem, vti auersio significat eius derelictionem. In hac sacerdotum benedictione, ait Raban. tripliciter formata, tertiò inditum & repetitum est nomen Domini, vt SS. Trinitas, ex qua, per quam, & in qua sunt omnia bona, significetur: vnde & iam apud Christianos, & Ecclesiastica benedictio per nomina personarum SS. Trinitatis confertur, dicendo: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: vel, vt Deus sit in corde tuo, & in ore, vt ritè annunties eius Euangelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Benedictio fit per SS. Trinitatē.

INVOCABVNTQVE NOMEN MEVM SVPER FILIOS ISRAEL] Hebr. *& ponent nomen meum super filios Israel*, scilicet illud super eos inuocando. vnde Vatablus & Hebræi sic exponunt. q. d. Cùm benedicent sacerdotes filijs Israel, adiungent benedictioni suæ nomen meum tetragrammaton. Vers. 27.

ET EGO BENEDICAM EIS] Nota hîc efficaciam & effectum benedictionis sacerdotalis, etiam in lege veteri. Promittit enim hîc Deus, se benedictionem hanc exauditurum, ac reipsa præstiturum, atque benedicturum, id est, benefacturum populo ita à sacerdote benedicto. Ita benedictio parentum, maximè moribundorum, data filiis olim erat efficax, ideoque auidè à filiis expetebatur, vt patet in benedictione Isaaci, Genes. 27. & Iacobi Genes. 49. & Mosis, Deuter. 31. Et hoc est quod ait Sapiens Ecclesi. 3. v. 11. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Quid mirum ergo, si benedictio sacerdotum noui testamenti sit efficax? præsertim si ea fide & deuotione petatur & suscipiatur, qua par est. Vnde veri Catholici religiosè eam petere & excipere solent. Ita Angli plerique, etiam nobiles, ingrediente domum sacerdote, se cum tota familia in terram prosternunt, ab eoque benedictionem supplices efflagitant. Ita à sanctis Patribus & Anachoretis olim Christiani, etiam principes, benedictionem postulabant, magnumque eius fructum experiebantur. Ita denique Christus summus sacerdos, ascendens in cælum suis benedixit, Lucæ cap. vlt. v. 51. Plura de hac Pontificum benedictione dixi Eccli. 36. v. 19.

Efficacia benedictionis sacerdotalis.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRincipes duodecim tribuum offerunt tabernaculo recèns erecto sua dona, scilicet Primò, simul sex plaustra; Secundò, seorsim singuli vicissim suas victimas, & vasa ad vsum tabernaculi, v. 12.

1. FActum est autem in die qua compleuit Moyses tabernaculum, & erexit illud: vnxitque & sanctificauit cum omnibus vasis suis, altare similiter & omnia vasa eius. 2. Obtulerunt principes Israel & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant, 3. munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Vnum plaustrum obtulere duo duces & vnum bouem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. 4 Ait autem Dominus ad Moysen: 5. Suscipe ab eis vt seruiant in ministerio tabernaculi, & trades ea Leuitis iuxta ordinem ministerij sui. 6. Itaque cùm suscepisset Moyses plaustra & boues, tradidit eos Leuitis. 7. Duo plaustra & quatuor boues dedit filiis Gerson, iuxta id quod habebant necessarium. 8. quattuor alia plaustra & octo boues dedit filiis Merari, secundùm officia & cultum suum, sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. 9. filiis autem Caath non dedit plaustra & boues, quia in Sanctuario seruiunt, & onera propriis portant humeris. 10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua vnctum est, oblationem suam ante altare. 11. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. 12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Iuda. 13. fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens

habens septuaginta siclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 14. mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso: 15. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 16. hircumque pro peccato: 17. & in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc est oblatio Nahasson filij Aminadab. 18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar, 19. acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 20. mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso: 21. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 22. hircumque pro peccato: 23. & in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Nathanael filij Suar. 24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon, 25. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 26. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 27. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 28. hircumque pro peccato: 29. & in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc est oblatio Eliab filij Helon. 30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur, 31. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 32. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 33. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 34. hircumque pro peccato: 35. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Elisur filij Sedeur. 36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai, 37. obtulit accetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 38. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 39. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 40. hircumque pro peccato: 41. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Salamiel filij Surisaddai. 42. Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel, 43. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 44. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 45. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 46. hircumque pro peccato: 47. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Eliasaph filij Duel. 48. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud, 49. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 50. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 51. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 52. hircumque pro peccato: 53. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Elisama filij Ammiud. 54. Die octauo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur, 55. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 56. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 57. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 58. hircumque pro peccato: 59. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Gamaliel filij Phadassur. 60. Die nono princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gedeonis, 61. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 62. & mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 63. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 64. hircumque pro peccato: 65. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos

agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Abidan filij Gedeonis. 66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, 67. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 68. mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: 69. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 70. hircumque pro peccato: 71. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Ahiezer filij Ammisaddai. 72. Die vndecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran, 73. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 74. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 75. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 76. hircumque pro peccato: 77. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Phegiel filij Ochran. 78. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan, 79. obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium: 80. mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 81. bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 82. hircumque pro peccato: 83. & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Ahira filij Enan. 84. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt à principibus Israel, in die qua consecratum est. acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim: 85. ita vt centum triginta siclos argenti haberet vnum acetabulum, & septuaginta siclos haberet vna phiala: id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarij. 86. mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere Sanctuarij: id est, simul auri sicli centum viginti: 87. boues de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato. 88. In hostias pacificorum, boues viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando vnctum est. 89. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.

VERS. I. FACTUM EST AUTEM IN DIE, QVA COMPLEVIT MOYSES TABERNACVLVM, ET EREXIT ILLVD] non per se, sed per Beseleel & socios eius: vnde patet hîc esse hysteron proteron. *Hysterologia.* Oblatio enim principum, quæ hoc capite narratur, facta est ante censum populi, qui descriptus est cap. 1. Nam erectio & consecratio tabernaculi expleta fuit die prima mensis primi anni secundi, vt patet Exodi 40 18. Eademque die facta est consecratio Aaronis pontificis, & filiorum eius sacerdotum, vti patet ex eodem cap. Exodi. Eodem quoque die cœpit oblatio principum, in tabernaculo iam erecto facta, vti hîc dicitur. Ergo iuxta historiæ ordinem, caput hoc proximè subnectendum fuisset Exodo. Quare hîc non tam historiæ, quàm materiæ spectatur ordo: cùm enim Moses tabernaculum & altaria descripsisset in Exodo; subtexuit in Leuitico descriptionem sacrificiorum, consecrationes sacerdotum, eorumque functiones obeundas in tabernaculo eiusque altaribus: deinde in Numeris subiunxit censum populi, & Leuitarum, vt eorum ministeria distingueret, mox nazaræorum ritum & oblationem: erant enim nazaræi Deo consecrati, sicuti sacerdotes & Leuitæ. ac demum occasione oblationum nazaræis præscriptarum, appositè transit, imò redit ad oblationem principum, licet ea multò antè A esset facta. Simile hysteron proteron videbimus duobus capp. sequent.

Quod ergo R. Salomon, & ex eo Lyranus, ponunt duplicem tabernaculi erectionem, vnam quotidianam, quæ quotidie facta sit primis septem diebus consecrationis sacerdotum; alteram stabilem, & permanentem, quæ facta sit octauo die à prima erectione tabernaculi, quo finiebatur consecratio sacerdotum: itaque ab hac stabili, putà ab octauo die, inchoandam esse hanc duodecim principum oblationem: hoc, inquam, commentitium videtur, & S. Scripturæ hoc loco repugnat. *Lyrani opinio refellitur.* B Illa enim quotidiana tabernaculi erectio frustranea fuisset & permolesta, imò in tot tabulis, columnis & cortinis penè impossibilis, vt rectè ostendit Abulensis.

Obiicit Lyranus, Ante octauum diem necdum peracta erat consecratio Aaronis & filiorum sacerdotum: ergo primis septem diebus, victimas principum immolare debuit Moses, non Aaron, nec filij eius, vtpote quorum consecratio nondum esset peracta: atqui Moses solus id facere non potuit; quisque enim princeps quotidie offerebat viginti & vnam victimas immolandas.

Respondeo, Primis septem diebus Moses solus immolabat, id est mactabat & iugulabat, victimas,

VERS. 18. SECVNDO DIE OBTVLIT NATHANAEL] *Obtulit*, eadem, siue talia, qualia primo die obtulerat Nahasson: quæ more Hebræo hîc fusè per singulos principes recensentur & repetuntur. Vnde Hebræi in suo textu hîc non substituunt puncta, vtpote quæ semel initio in prima Nahasson oblatione substituerunt. Sic videmus in Exodo, omnia quæ in fabrica tabernaculi iussa sunt fieri c. 25.26.27.28. fusè repeti & narrari tamquam iam facta cap. 36.37.38.39. Idem repetendi mos est apud Orientales, Moscouitas & alias gentes.

VERS. 84. HÆC IN DEDICATIONE ALTARIS OBLATA SVNT A PRINCIPIBVS, IN DIE QVA CONSECRATVM EST] *In die*, id est in tempore consecrationis, vel *in die oblata sunt*, id est offerri cœperunt: nam oblatio hæc durauit per duodecim dies, consecratio verò altaris primo die peracta est.

VERS. 89. CVMQVE INGREDERETVR MOYSES TABERNACVLVM FOEDERIS, VT CONSVLERET ORACVLVM] scilicet Dei sedentis in Sancto sanctorum, super propitiatorium. Hinc patet, Mosi in dubijs semper patuisse accessum ad Sanctum sanctorum, cùm aliàs pontifici tantùm semel in anno pateret aditus ad Sanctum sanctorum, nimirum in die expiationis. Erat enim Moses legislator & legatus assiduus Dei ad populum: vnde Deus humana & sensibili voce, manante ex propitiatorio, cum Mose loquebatur, vti hîc dicitur. Hac re significabat Deus, Principes, Prælatos & Pastores, vt bene populum regant, debere sæpè recurrere ad Deum per orationem, vt ab eo in dubijs edoceantur. Ita enim Moses recurrebat ad oraculum, vti docet S. Gregor. 2. p. Pastor. c. 5. Sic Minos legislator & rex Cretensium nouem annis Iouis fuit collocutor, inquit Plato. hoc enim de eo finxerunt Gentiles.

Rectores cum Mose sæpè consulant Deum.

Refert Plutarc. in Conuiuio septem sapientū, eos inter se quæsisse, *Quis bonus ac beatus foret princeps? primus Solon*, ait, *respondit: Qui vnius imperium in popularem reipub. statum ciuibus conuertit. Subiecit Bias: qui primus paret legibus patriæ. Tertius Thales: qui natura ordine senex moritur. Quartus Anacharsis: qui solus est prudens. Quintus Cleobulus: qui familiarium nemini fidit. Sextus Pittacus: qui subditos ita condocefacit, vt non ipsum, sed ipsius causa metuāt. Vltimus Chilo optimè: qui nihil mortale, sed omnia immortalia meditatur.* Hoc didicit Moses assiduè versans cum Deo in tabernaculo. Ita b. Thomas Morus, sapientissimus & rectissimus Angliæ Cancellarius, quotidie multum temporis orationi, piæ lectioni & meditationi colloquens cum Deo tribuebat: adeoq; cùm negotium aliquod arduum tractandum erat, sumebat S. Synaxin, vt ex ea quasi oraculo dirigeretur, & corroboraretur ad rem illam ritè & fideliter ex Dei lege & mente perficiendam. testis est Stapleton. in Vitâ Mori.

Porrò, vt quis Sanctuarium & oraculum Dei adeat, tres obices remouendi sunt. *Tria sunt*, inquit S. Bernardus serm. 5. de Assumptione B. Virginis, *quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorumdem, & cura terrenorum affectuum. Contra triplicem hunc morbum triplex est remedium. Nam primus per confessionem, secundus per orationem, tertius per quietem curatur.*

Idem serm. 23. in Cantic. *In hoc arcanum*, ait, *& in hoc sanctuarium Dei*, orationis scilicet & contemplationis, *si quem fortè vestrûm aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, vt minimè auocet aut perturbet vel sensus agens*, (vt in ægro) *vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficiliùs amouentur, irruentium imaginum corporearum phantasmata: poterit hic quidem cùm ad nos redierit gloriari, & dicere: Introduxit me rex in cubiculum suum.* Vnde Cassian. collat. 10. c. 9. & 13. monet, *vt quales orantes volumus inueniri, tales simus ante tempus orandi: necesse est enim mentem in tempore supplicationis suæ, de statu præsenti formari. Cùm enim, vt* S. Gregorius ait 10. Moral. 17. *se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus libenter priùs otiosa premebatur.*

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRæscribit Deus candelabri & lucernarum situm. Secundò, vers. 6. dat ritum consecrationis Leuitarum.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere Aaron, & dices ad eum: Cùm posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe vt lucernæ contra boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt. 3. Fecitque Aaron, & imposuit lucernas super candelabrum, vt præceperat Dominus Moysi. 4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quàm cuncta quæ ex vtroque calamorum latere nascebantur: iuxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum. 5. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 6. Tolle Leuitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos 7. iuxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque lauerint vestimenta sua, & mundati fuerint, 8. tollent bouem de armentis, & libamentum eius similam oleo conspersam: bouem autem alterum de armento tu accipies pro peccato: 9. & applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis, conuocata omni multitudine filiorum Israel. 10. Cumque Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israel manus suas super eos. 11. & offeret Aaron Leuitas, munus in conspectu Domini à filijs Israel, vt seruiant in ministerio eius. 12. Leuitæ quoque ponent ma-

manus suas super capita boum, è quibus vnum facies pro peccato, & alterum in holo-
caustum Domini, vt depreceris pro eis. 13. Statuesque Leuitas in conspectu Aaron
& filiorum eius & consecrabis oblatos Domino, 14. ac separabis de medio filiorum
Israel, vt sint mei. 15. & postea ingredientur tabernaculum fœderis, vt seruiant mihi.
Sicque purificabis & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati
sunt mihi à filijs Israel. 16. Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vuluam in Is-
rael accepi eos. 17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex ho-
minibus quàm ex iumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægy-
pti, sanctificaui eos mihi: 18. & tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Is-
rael: 19. tradidique eos dono Aaron & filijs eius de medio populi, vt seruiant mihi
pro Israel in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fue-
rint accedere ad Sanctuarium. 20. Feceruntque Moyses & Aaron & omnis multi-
tudo filiorum Israel super Leuitis quæ præceperat Dominus Moysi: 21. purificati-
que sunt, & lauerunt vestimenta sua. Eleuauitque eos Aaron in conspectu Domini,
& orauit pro eis, 22. vt purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœ-
deris coram Aaron & filijs eius. Sicut præceperat Dominus Moysi de Leuitis, ita fa-
ctum est. 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24. Hæc est lex Le-
uitarum: A viginti quinque annis & supra, ingredientur vt ministrent in tabernaculo
fœderis. 25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessa-
bunt: 26. eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, vt custodiant
quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Leuitis in
custodiis suis.

Vers. 2. CVM POSVERIS SEPTEM LVCERNAS, CANDELABRVM IN AVSTRALI PARTE ERIGATVR] q.d. Candelabro septifido impone septem lucernas, easque accende, ipsumque candelabrum colloca in Australi parte tabernaculi. A

Nota. Pro *posueris* hebr. est בהעלת *baalot*, quæ vox tam eleuare & imponere, quàm accendere significat. Noster tamen interpres cum LXX. sæpiùs vertit ponere, collocare, concinnare. Vnde videtur, quòd septem hæ lucernæ, siue lampades, non fuerint ductiles, aut continuæ ipsi candelabro, sed quòd ab eo fuerint separatæ, ita vt ei, id est eius septem calamis, imponi possent, & de facto imponerentur, quoties accendebantur à sacerdotibus. Commodius enim erat, vt possent eximi, ad hoc, vt meliùs purgari, repleri & concinnari possent. B

HOC IGITVR PRÆCIPE, VT LVCERNÆ CONTRA BOREAM E REGIONE RESPICIANT AD MENSAM PANVM PROPOSITIONIS] Hæc omnia non sunt in Hebræo, sed paraphrasticè à nostro Interprete ex Exodo, explicationis gratia, supplentur & adduntur. In Hebræo enim tantùm est id quod sequitur, scilicet: *Contra eam partem quam candelabrum respicit, lucere debebunt.* q.d. Constitue candelabrum cum suis lucernis in Australi parte tabernaculi, ita vt lumen suum eiaculetur in partem Borealem oppositam, in qua est mensa panum propositionis, vt eam illuminet. Hæc enim est mensa in qua quasi conuiuatur Deus; nemo autem conuiuatur in tenebris, sed in lumine: tabernaculum autem vndique cortinis tectum, nullamque habens fenestram, tenebrosum erat, ideoque ad illud illuminandum positum erat in eo candelabrũ: cuius proinde septem lucernas Deus hic iubet obuerti, non Sancto sanctorum, sed mensæ panum, ita vt luceant versus eam partem, quam respicit candelabrum, id est scapus ipse medius, siue truncus candelabri; vt scilicet tam truncus hic candelabri, quàm singulæ eius lucernæ, ex æquo respiciant hanc mensam, quo meliùs & copiosiùs eam illuminent.

Candelabrum illuminabat mensam, cur? C

Vers. 3. FECITQVE AARON, ET IMPOSVIT LVCERNAS SVPER CANDELABRVM] Imposuit & accendit lucernas Aaron octauo die, cùm iam perfecta esset eius consecratio: nam primis septem diebus, Moses tam lucernas has imposuit & accendit, quàm adoleuit thymiama, & sacrificauit, vti dixi c. 7.

Hinc patet hîc etiam esse hysteron proteron: nec enim hæc hoc loco ordine historico recensentur; quia secundùm illum ponenda fuissent Leuitici 9. Ibi enim primitias suas celebrat Aaron, quarum pars erat hæc lucernarum accensiò & compositio. Verùm quia ibi ferè de sacrificijs agitur, hinc in hunc locum, post oblationem principum, quæ simul ferè contigit, reiecta sunt.

Vers. 4. EX AVRO DVCTILI (erat) TAM MEDIVS STIPES, QVAM CVNCTA QVÆ EX VTROQVE CALAMORVM LATERE NASCEBANTVR] q.d. Candelabrum non erat per fragmenta & membra compositum, & insertum, sed totum erat ex auro ductili, id est totum ex vna auri massa malleatione erat diductum; totum inquam, id est tam stipes, quàm terni vtrimque calami, & quæ vtrimque ex calamis nascebantur, putà flores, scyphi & sphærulæ tertiò repetiti & in tres ordines distributi. hæc omnia ex eodem auro erant diducta: secùs erat de lucernis, vti dixi v. 2.

Vers. 6. TOLLE LEVITAS, ET PVRIFICABIS EOS] Hæc contigerunt simul cum electione & oblatione Leuitarum loco primogenitorum Israel, de qua c. 3 45. Tunc enim Leuitæ selecti à Deo, & simul à Mose Deo Deique cultui applicati sunt: sed ibi eorum electio, hîc consecratio, quæ tamen eodem tempore facta est, describitur.

Vers. 7. ASPERGANTVR AQVA LVSTRATIONIS] quæ mista est cineribus vitulæ rufæ, de quibus cap. 19. Hebr. hæc aqua vocatur *aqua peccati*, id est expiatoria peccati, per metonymiam.

Nota. Hic fuit ritus consecrationis Leuitarum, vt ex textu patet. Primò, Moses aspersit eos aqua lustrationis. Secundò, raserunt ipsi omnes pilos carnis suæ. Tertiò, lauerunt vestes suas. Quartò, obtulerunt boues duos, vnum immolandum pro pec-

Ritus & ordo consecrationis Leuitarũ.

peccato, alterum in holocaustum. Quintò, Moses eos stitit Deo in tabernaculo, coram toto populo. Sextò, filij Israel suas manus eis imposuerunt. Septimò, Aaron ritu *tenupha*, de quo v.15. obtulit Leuitas, quasi munus populi, Deo, ad seruiendum ei in tabernaculo. Octauò, Leuitæ suis bobus duobus imposuerunt manus, quos deinde Aaron immolauit orans pro Leuitis.

Tropolog. Tropolog. S. Gregorius libr. 5. Moral. 23. & ex eo Rupert. *Pili carnis*, ait, *sunt quælibet superflua humana corruptionis. Oportet ergo Leuitas pilos carnis radere: quia is qui in obsequiis diuinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Vnde & Leuitarum pili radi præcepti sunt, non euelli: rasis enim pilis in carne radices remanent, & crescunt iterum, vt recidantur: quia magno quidem studio superflua cogitationes amputanda sunt, sed tamen funditus amputari non possunt: semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat.*

VERS. 8. TOLLENT BOVEM DE ARMENTIS] vt tibi, ô Moses, eum offerant immolandum in holocaustum, sicuti alterum offerent, quem tu pariter ab eis accipies, immolandum pro peccato.

VERS. 10. CVMQVE LEVITÆ FVERINT CORAM DOMINO, PONENT FILII ISRAEL MANVS SVAS SVPER EOS] vt hac manuum impositione significet & testentur, se Leuitas contribules suos à se abdicare & Domino quasi munus aut sacrificium offerre, in eiusque dominium & ministerium transferre. Erant enim Leuitæ munus & oblatio populi, perinde ac bos erat victima. Vide dicta Leuit. 1. 4. Vnde sequitur:

VERS. 11. *Aaron consecrauit Leuitas, non Moses.* OFFERET AARON LEVITAS] Hinc colligitur, Aaronem obtulisse & consecrasse Leuitas, non verò Mosen. Idem patet vers. 21. Hæc enim consecratio Leuitarum propriè ad pontificem pertinebat: pontifex autem erat Aaron. Quod ergo dicitur Mosi v. 12. *facies*, id est immolabis, bouem *pro peccato*, & vers 14. *consecrabis*, intellige, iubebis immolari & consecrari, scilicet per Aaronem. Obtulit ergo Moses Leuitas Aaroni: Aaron autem obtulit & consecrauit eos Deo, comprecante tamen simul Mose.

VERS. 15. POSTEA INGREDIENTVR TABERNACVLVM FOEDERIS] Hebr. *ingrediantur ad ministerium suum in tabernaculo fœderis*, videlicet vt illud portent, vt dictum est cap. 4. nec enim aliud erat officium Leuitarum: nam sacrificare, accendere lucernas, adolere thymiama, ponere panes propositionis in mensa, hæc inquam solorum sacerdotum erant munia.

Ritus tenupha. CONSECRABIS EOS IN OBLATIONEM] Hebr. *eleuabis*, vel *agitabis eos agitatione*, siue *ritu & ceremonia tenupha*, scilicet agitando, & modicè eleuando eos ad quatuor plagas mundi, in modum crucis, vt significetur eos offerri Deo, qui totius mundi est dominus. de quo ritu dixi Leuit. 7. 30. Hinc patet, hoc certo ritu eleuatos fuisse Leuitas, quo & victimæ eleuabantur. Idem clariùs indicat noster Interpres v. 21. Hinc etiam verisimile est, non omnes Leuitas hoc tempore esse consecratos, sed eos tantùm, qui ipso actu tabernaculo erant deseruituri: cæteros verò postea in Chanaan consecratos esse. Nam non potuisset Aaron commodè tot millia Leuitarum viritim Domino hoc ritu offerre: siquidem vti consecratio sacerdotum nouellorum propria & peculiaris erat singulorum capitum, vt patet Exodi 29. 29. & 2. Paral. 29. 34. ita fuit & peculiaris singulorum Leuitarum, vt patet eodem loco Paralip. Excipe tempus peregrinationis in deserto: nam vti post egressum ex Sina, numquam deinceps in deserto sacrificatum est, ita post hanc consecrationem Leuitarum, nulla fuit alia in deserto, sed succedebant Leuitæ cùm trigesimum annum attigissent, ad onera portanda, etiam non consecrati, quinquagenariis emeritis. ita Abulens.

NE SIT PLAGA] q. d. Leuitæ erunt in ministerio sanctuarij, ne populus illud in se suscipere velit; itaque plectatur à me, eò quòd, cùm sit laicus & profanus, sacro officio se immiscuerit contra præceptum meum. VERS. 19.

ELEVAVITQVE EOS AARON] Hebraicè est *agitauit eos agitatione*, vel *ritu tenupha*, de quo dixi vers. 15. VERS. 21.

A VIGINTI QVINQVE ANNIS, ET SVPRA, INGREDIENTVR (Leuitæ) VT MINISTRENT IN TABERNACVLO FOEDERIS] Nota. Cap. 4. 3. & 1. Paralip. 23. v. 3. numerati sunt ab anno trigesimo Leuitæ ij, qui propriè ministrabant tabernaculo, illudque cum suis vasis portabant: quòd ergo hîc à 25. anno iubentur ingredi, vt ministrent in tabernaculo, intellige, eos anno 25. consecratos fuisse ad hoc, vt subseruirent Leuitis senioribus, seque aptarent, vt anno 30. propriè ministrarent in tabernaculo, illius vasa portando, idque vsque ad annum 50. Nam post annum 50. emeriti erant in hac militia tabernaculi, neque onera ferebant, sed tantùm custodiebant, vt dicitur v. vlt. VERS. 24.

Porrò Dauidis tempore, cùm quiescerent Hebræi in Chanaan, nec ampliùs grauia illa tabernaculi onera per desertum Leuitis essent ferenda; cumque pluribus opus esset personis ad officia ianitorum, cantorum, & similium, quæ Dauid instituit, tunc iussit Dauid à vigesimo ætatis anno Leuitas numerari, & ministrare in tabernaculo, vt patet 1. Paralip. 23. 27.

SIC DISPONES LEVITIS IN CVSTODIIS SVIS] vt scilicet custodiant vasa tabernaculi, ea ætate & modo, quo iam præscripsi. Vocat *custodias* in plurali, quia varijs familiis varia custodienda dabantur. vnde plures erant custodiæ. Sic Franciscani in variis prouincijs varias habent Custodias, vti ipsi appellant. VERS. 26.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus Hebræos in Sina celebrare pascha, quod ordine fuit secundum (primum enim celebrarunt Hebræi in Aegypto, Exodi 12.) Secundò, v. 15. describitur nubes, quæ fuit dux itineris & quietis.

1. LOcutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens: 2. Faciant filij Israel Phase
in tempore suo, 3. quartadecima die mensis huius ad vesperam iuxta omnes ceremonias & iustificationes eius. 4. Præcepitque Moyses filijs Israel vt facerent Phase.
5. Qui fecerunt tempore suo quartadecima die mensis ad vesperam, in monte Sinai. Iuxta omnia quæ mandauerat Dominus Moysi, fecerunt filij Israel. 6. Ecce autem
quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen & Aaron, 7. dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis. quare fraudamur vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? 8. Quibus respondit Moyses: State vt consulam quid præcipiat Dominus de vobis. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 10. Loquere filijs Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra,
faciat Phase Domino 11. in mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam,
cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud: 12. non relinquent ex eo quippiam vsque manè, & os eius non confringent, omnem ritum Phase obseruabunt. 13. Si
quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit. 14. Peregrinus quoque & aduena si fuerint apud vos,
facient Phase Domino iuxta ceremonias & iustificationes eius. Præceptum idem erit apud vos tam aduenæ quàm indigenæ. 15. Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque manè. 16. sic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. 17. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel: & in loco vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur. 18. Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco: 19. & si euenisset vt multo tempore maneret super illud, erant filij Israel in excubiis Domini, & non proficiscebantur 20. quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. 21. Si fuisset nubes à vespere vsque manè, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: & si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria. 22. Si verò biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filij Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: statim autem vt recessisset, mouebant castra. 23. Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini iuxta imperium eius per manum Moysi.

VERS. 1. & 2. LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN IN DESERTO SINAI, ANNO SECVNDO POSTQVAM EGRESSI SVNT DE TERRA ÆGYPTI, MENSE PRIMO, DICENS: FACIANT FILII ISRAEL PHASE] Hinc patet rursum, historiæ & temporis ordinem hîc non spectari: nam secundùm illum hoc caput ponendum esset ante caput primum. Illa enim quæ narrantur c.1. contigerunt mense secundo, vt ibi dicitur; hæc autem facta sunt mense primo eiusdem anni: nimirum voluit Moses librum hunc Numer. à numeratione populi & Leuitarum, quam præcipuè hoc libro spectabat, inchoare, & alia, etiamsi priùs contigissent, deinde subtexere.

Edixit ergo Deus hæc mense primo, ante decimamquartam mensis diem, iussitque vt decimaquarta die celebrent phase, siue pascha: idque ad hoc, vt sciret populus hoc festum, eiusque ritum legalem esse, neque tantùm vsurpatum fuisse semel pro ipso egressu ex Ægypto, sed duraturum semper in terra Chanaan.

Phase post egressum à Sina, non est celebratum in deserto. Dico in Chanaan: nam in deserto post discessum è Sina, non videntur ampliùs celebrasse phase, eò quòd ibi incerti essent quando mouenda essent castra. Vnde nec circumcisionem, nec alia cæremonialia in deserto obseruarunt, exceptis ijs quæ nominatim exprimuntur, vti hîc ex- A primitur, anno secundò mense primo celebratum fuisse phase.

Nota. Hebræi in Sina celebrarunt solum pascha, non pentecosten, non festum tabernaculorum, non tubarum, &c. quia discesserunt è Sina antequam festorum illorum tempus aduenirer; nam post erectionem tabernaculi, quæ facta est die primo mensis primi anni secundi egressus ex Ægypto, manserunt tantùm in Sina per 50. dies Ex Sina enim mouerunt castra die 20. mensis secundi, vt patet c. 10. 11. ergo ex Sina discesserunt ante pentecosten: hæc enim incidebat in diem sextum mensis tertij.

B IVSTIFICATIONES] Hebr. *iudicia*, id est debitum & præscriptum ritum. Simile est v. 14. VERS. 3.

QVI FECERVNT (phase) TEMPORE SVO] putà decima quarta die mensis primi. In hoc phase non seruarunt legem de azymis panibus, quia in deserto vescebantur azymo manna, quotidie innouato. VERS. 5.

Nota. Hoc phase manducarunt tantùm illi, qui egressi erant ex Ægypto. Nam qui in deserto nati erant, erant incircumcisi; vnde non licebat eis comedere phase: quamquam nec poterant per ætatem, erant enim infantes tenelli vnius anni. Hæc enim contigerunt anno secundo egressus ex Ægypto.

IMMVN-

Vers. 7. Immundi sumus super anima] *Anima*, id est cadauere, per antiphrasin: quia videlicet tetigimus cadauer hominis. Tales enim Leuit. 22. 4. arcentur ab omni sacrificio, ac consequenter & agno paschali. Pari modo leprosi, seminiflui, & laborantes fluxu sanguinis, vtpote immundi, numquam celebrabant pascha.

Quare fraudamur] quare priuamur? hebr. cur prohibemur & arcemur à phase?

Vers. 10. & 11. Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo] q. d. Qui immundus est, item qui est in via proficiscens, remotus à Iudæa & à Ierusalem (nam in ea sola licebat facere phase, vt patet Deuter. 16. 2.) tempore paschatis, hic suum pascha celebret mense secundo. Iudæi ergo qui peregrinabantur mense primo, siue paschali, hi debebant se comparare, si poterant, vt ante 14. diem, quo celebrandum erat pascha, domum redirent facturi pascha. Idem iudicium est de quibusuis immundis; nam par omnium est ratio: quod si facere non poterant, debebant se parare in mensem secundum, vt eius die decima quarta celebrarent pascha. Pari modo qui iam ob absentiam, vel aliam causam, non possunt communicare in paschate, tenentur mox vbi redierint, vel potuerint, communicare & celebrare suum pascha.

Vouens abstinere à carnibus debebat edere carnes phase. Hinc patet, quòd si quis Iudæus vouisset toto anno à carne abstinere, hic tamen non obstante voto, debuisset in paschate carnes agni comedere; quia hoc à Deo præceptum erat, vnde per votum elidi non poterat. imò si quis vouisset non comedere carnes in paschate, peccasset, irritumque fuisset eius votum, vtpote Dei præcepto repugnans. ita Abulens.

Nota. τὸ *in gente vestra* referendum est, non ad τὸ *in via*, sed ad τὸ *homo*. q. d. Homo è gente vestra, qui fuerit procul in via, hic faciat pascha mense secundo.

Quæres, Quid si secundo mense adhuc immundi fuissent, vel procul à Ierusalem absfuissent, peregrè agentes in via, licuissetne eis celebrare phase mense tertio, aut quarto? Respondeo, id non licuisse; tum quia hîc tantùm præscribitur secundus mensis ad phase; tum quia alioqui ordo festorum turbatus fuisset, atque phase fuisset celebratum cum pentecoste, aut festo tabernaculorum, tubarum, &c. tum quia temporis, quo Hebræi sunt educti ex Ægypto, id est primi mensis, aut certè proximi, in hoc paschatis festo maxima habetur ratio: quia festum paschæ expressum erat memoriale liberationis ex Ægypto, olim factæ hoc eodem tempore. itaque practicarunt Iudæi, vt patet 2. Paralip. 30. v. 15. collato cum v. 18.

Dices, S. August. hîc q. 15. immundis & peregrinantibus pascha prorogat vsque ad tertium mensem.

Respondeo, S. August. disiunctiuè loquitur. ait enim. tales aut celebrasse pascha tertio mense, aut certè si pascha illo anno non egissent, non peccasse. quod posterius verum est.

Vers. 13. Peccatum suum (pœnam peccati sui, est metonymia) ipse portabit.

Vers. 14. Peregrinus quoque et advena, si fuerint apud vos, facient phase] Pro *peregrinus & aduena*, hebr. est vnica vox גר *ger*, significans

A eum qui peregrè venit, id est aduenam. intelligo, si is Iudæus sit, aut iudaismo initiatus: hic enim solus poterat & tenebatur celebrare pascha: idcoque omnes, etiam peregrini & proselyti, qui poterant, tenebantur in paschate venire Hierosolymam: multi tamen in locis ab ea remotis habitantes, ob varia impedimenta excusabantur. Vnde ait, *Si fuerint apud vos.*

Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes] *Nubes*, id est columna nubis, quæ castra præibat quasi dux, indicans viam per desertum in Chanaan, vti dixi Exodi 13. 21. Vers. 15.

Quæ & qualis fuit columna nubis? Seruetus delirauit eam increatam fuisse. Quæres, an columna hæc nubis creata & vera fuerit nubes? Caluinus in Exodi cap. 13. insectatur execrabile Serueti discipuli sui delirium: finxit enim Seruetus nubem hanc increatam fuisse, ac si esset ipsa deitas Christi, quam vnam ipse pro B tribus personis SS. Trinitatis, quas negabat, substituit; quasi tunc corporea fuerit deitas, quam filium figuratiuum ipse appellat, qui postea factus sit caro; non quòd carnem induerit, sed quia tamquam homo apparuit, ex tribus elementis increatis & semine Dauidis conflatus. Quot hîc errorum sunt monstra! tales discipulos nobis dedit Caluinus. ex ouo coruum agnosce: fuit enim Seruetus mali corui (Caluini) malum ouum, quia à Caluino hæresiarcha non nisi hæreses confingere didicit.

Columna præsidebat angelus, vti nauclerus naui. Dico ergo Primò, Certum est hanc nubem non increatam, sed creatam fuisse, quæ columnæ specie & figura porrigeretur in altum, cui ceu naui angelus quasi nauclerus assistebat, & per eam Dei nomine loquebatur, inclinando eam ad terram, vel ad tabernaculum, Numer. 12. 5. Hinc dicitur C psal. 98. v. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos.*

Columna similis erat nubi, ab ea tamen differebat. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Dico Secundò, columnam hanc nubis similem fuisse nubi quoad materiam, & quoad colorem. erat enim candida & lucida, instar nubis candidæ: à nube tamen differebat; quia erat nube, Primò, purior & lucidior; Secundò, densior & solidior; Tertiò, semper retinebat figuram columnæ, cùm nubes sæpissimè figuram mutent. Quartò, nubes à ventis, hæc columna ab angelo mouebatur. Quintò, hæc columna semper erat sui similis, cùm nubes sæpissimè vel colorem, vel locum, vel crassitiem mutent. Sextò, nubes resoluuntur in pluuiam, hæc columna manebat columna. Septimò, nubes motu circulari mouentur cum cælo, hæc nubes mouebatur motu recto, nunc antrorsum, nunc retrorsum, nunc ad latus. *Sextò. Septimò.* Nam cùm castra mouerentur, nubes hæc collocabat D se super, vel ante vexillum tribus Iudæ (hæc enim erat prima & dux cæterarum, vt patet c. 10. v. 13. & 14.) & eius motum & ductum sequebantur omnia castra: cùm autem locanda essent castra, columna hæc redibat à vexillo tribus Iudę ad tabernaculum, quod erat in medio castrorum, vt patet c. 2. 2. Octauò, columna hæc accōmodabat se, suumque motum ad vires Hebræorum, vt non celeriùs præcederet, quàm illi subsequi possent: moderabatur ergo suum motum secundùm vires & gressum tot mulierum, paruulorum, senum, ouium, agnorum, &c. quot erant in castris Hebræorum, quæ lento passu procedere solent.

A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane] q. d. Columna hæc per diem habebat speciem nubis, per

An duæ fuerint columnæ, vna nubis, altera ignis? Resp. vnam eamdemq́ fuisse.

noctem verò habebat speciem ignis, qui castra omnia illuminabat. Hebræi putant duas fuisse columnas, vnam nubis per diem, cui altera ignis sub noctem succedebat: sed verius est vnam eamdemque fuisse columnam, quæ per diem apparebat id quod reuera erat, putà nubes erecta instar columnæ; noctu verò splendebat vt ignis. Nam hoc loco dicitur, noctu fuisse quasi species ignis, eò quòd nubes hæc columnaris noctu flammea videretur. Quin & Philo eamdem columnam fuisse narrat, sed quæ interdiu luceret splendore solari, noctu verò flammeo. Rursum id patet ex eo, quòd Exodi 14. v. 20. & 24. eadem vocatur columna nubis & ignis, quæ se interposuit inter castra Hebræorum & Ægyptiorum, atque Hebræos illuminauit quasi ignis, Ægyptios verò obscurauit quasi nubes. ita Abulens. Caietan. Perer. & alij Exodi 13. Hinc liquet verius esse, ignem hunc columnæ nocturnum non fuisse verum ignem, sed quasi ignem, id est habuisse speciem ignis, vt dicitur c. 15. & 16.

Obiectio.

Dices, Quomodo ergo Exodi 13. v. 21. & 22. columna hæc nocturna vocatur ignis, si reuera non erat ignis, sed nubes?

Responsio.

Respondeo, ignis vocatur, quia intuentibus videbatur ignis esse: splendebat enim vt ignis, & hunc splendorem nocte nubi huic indebat Deus; per diem verò subducebat. Familiare enim est Scripturæ vulgari hominum more loqui, & rem vocare talem qualis apparet, etiamsi reuera in se talis non sit. Sic deos alienos vocat idola, quæ reuera neque dij, neque alieni sunt, sed ab alienis, siue alienigenis Gentibus habentur dij. Sic Exodi 3. vocatur rubus ardens, qui videbatur ardere, reuera tamen non ardebat.

Triplex ignis.

Sic enim Plato in Timæo triplicem distinguit ignem: primum, qui est in corpore ignito, putà in carbone, vel ferro candente: secundum, qui dicitur flamma, estque vrens & lucens: tertium, qui lucet, non vrit; talis est lux solis & stellarum. Hinc Poëta:

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.

Ignis hic non erat aliud quàm lux.

Ignis ergo hic non erat aliud quàm lux, & splendor mirificus noctu columnæ inditus, qui tota castra illuminabat, instar lunæ vel solis: vnde & sol vocatur Sap. 18. v. 3. Vbi Nota, lucem huius columnæ fuisse rubeam instar flammæ, vt ait Philo: inde enim vocatur ignis, indeque Sap. 18. 3. columna hæc ardens, id est flammea, non à calore, sed à colore nuncupatur.

Erat ergo hæc vna columna, sed duplex habebat officium, ac proinde & duplicem speciem, siue figuram. Nam per diem obumbrabat castra, quasi nubes; noctu verò eadem illuminabat, quasi fax ignis.

Allegor.

Ita allegoricè, Christus & Spiritus sanctus nos protegit vt nubes, & accendit vt ignis. *Spiritus Iesu,* ait Bernard. *Spiritus bonus, Spiritus sanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, quidquid in hoc sæculo nequam difficile & angustum videtur, leue facit: hic illatum opprobrium gaudium indicat, despectionem exaltationem esse persuadet.*

Hoc duce ascendimus ad terram promissam, quia, vt ait Ven. Beda, *Sancti per Spiritus sancti septiformem gratiam aditum vitæ cælestis inueniunt: per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem*

A *liberi, per consilium cauti, per intellectum prouidi, per sapientiam maturi.* Meritò ergo S. Augustinus inuocat Spiritum sanctum dicens: *Sanctum semper opus in me spira, vt cogitem: compelle, vt faciam: suade, vt te diligam: confirma me, vt te teneam: custodi me, ne te perdam.*

Tropologicè, columnæ lucis sunt fortes & illustres Sancti. *Tropologia.* Venit aliquando Abbas Hilarion ad Abbatem Antonium, & dicit ei Abbas Antonius: *Bene venisti lucifer, qui manè oreris.* Et respondit Abbas Hilarion: *Pax tibi, columna lucis, quæ sustines orbem terrarum.* Vti habetur in Vitis Patr. lib. 5. tract. 17. n. 4.

Talis columna lucis fuit quoque Simeon Stylites, qui vt omnes à terra traheret ad cælum, stetit in columna, per octoginta annos, vix comedens & dormiens, semperque vel orans, vel acce-
B dentibus dans monita salutis. Sic Petrus, Iacobus, Ioannes in Ecclesia videbantur esse columnæ, ait Paulus Galat. 2. 9.

Hac de causa Christus Apocal. 3. 12. Angelo, id est Episcopo, Philadelphiæ promittit: *Qui vicerit,* ait, *faciam illum columnam in templo Dei mei.* q.d. Faciam vt firmus sit, magnus & gloriosus tum in Ecclesia, tum in cælo. Alludit ad duas columnas templi Boos & Iachin 3. Reg. 7. vt fusè ostendit ibi Viegas sect. 6. Vnde Richardus de S. Victore Primò, sic exponit q.d. *Efficiam vt qui vicerit persecutiones & tentationes, sit instar columnæ in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.* Et Primasius: *Columna,* ait, *in fabricis muniminis congruit & decori: sic & mundi rectores in*
C *Ecclesia eminent munere dignitatis, & portant alios officio charitatis.*

Secundò, Ambrosius: *Faciam illum columnam,* id est prædicatorem in Ecclesia; quomodo Paulus Galat. 2. Petrum, Iacobum & Ioannem vocauit columnas. Verùm quia Origenes, Tertullianus, & alij qui erant quasi columnæ, ceciderunt, meliùs, inquit Ambros. *faciam illum columnam,* id est excelsum in cælo, ex quo non egredietur ampliùs.

Tertiò, Abbas Ioachim, *Faciam illum columnam,* id est Prælatum. Hic enim Primò, corpore terram, mente cælum tangit; Secundò, per vitam actiuam inferioribus inhæret, & tamen per contemplatiuam sursum aspicit; Tertiò, multis tunsionibus expolitur; Quartò, inter procellosos ventorum turbines, superpositam suæ curæ machinam
D infatigabiliter portat. Quintò, tranquillus & immobilis est vt columna.

Notat ibidem Pererius, in columna octo res spectari & laudari: scilicet rectitudinem, altitudinem, crassitiem, firmitudinem, rotunditatem, læuorem, colorem & materiam. quæ facile est accommodare prædicatori, Prælato & cuilibet excellenti Sancto in Ecclesia, & maximè in cælo; vbi Sancti hi quasi columnæ nulli mutationi obnoxij, in æternum stabunt excelsi & gloriosi.

Quocirca S. Ephrem orans Deum, vt sibi reuelaret, *qualis esset Magnus Basilius, in extasi vidit columnam ignis, cuius caput pertingebat ad cælum, & vox de sursum dicens: Ephrem, Ephrem, quemadmodum vidisti columnam hanc ignis, talis est & Magnus Basilius,* inquit Amphiloch. in eius Vita.

Rectè ergo S. Gregor. 17. Moral. 14. *Quisquis,* ait,

ait, *in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabrica spiritalis erigitur; vt in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, & vtilitati sit & decori.*

Vers. 18. Ad imperium Domini proficiscebantur] *Domini*, scilicet mouentis per angelum columnā nubis. quæ dux erat itineris, & per hoc monentis & iubentis castra moueri & proficisci.

Vers. 19. Et si evenisset, vt multo tempore maneret (nubes) super illud (tabernaculum) erant filii Israel in excubiis Domini] id est, sistebant quasi excubantes, & aduigilantes ad motum nubis, quando videlicet Deus moueret nubem, & per hoc iuberet eos mouere castra.

Columna tota nocte quiescebat, & per diem in prandio & cœna. Nota. Hæc columna nubis quotidie bis quiescebat, etiam in motu castrorū, nimirum in prandio, & in cœna: tum enim cibos coquere, seque ijs reficere debebant, tam homines quàm animalia. Adde, vespere & noctu eam semper quieuisse: tum enim somnum capere debebant homines & animalia. Vnde nusquam legimus eos noctu mouisse castra: cùm verò diutiùs quiesceret, figebant ibi tentoria, talisque quies vocatur mansio vel statio, quales quadraginta duas Hebræi habuerunt in deserto, vt patet c. 33.

Vnde scirent Hebrai figenda esse castra? Quæres, vnde sciuerint Hebræi quietem hanc fore diuturniorem, ibique figenda esse castra?

Respondeo, ex eo: si post meridiem absoluto iam prandio quiescebat columna, signum erat ibi figenda esse castra. similiter si post nocturnam quietem, manè adhuc quiesceret columna, signum erat ibi hærendum esse saltem vsque ad prandium.

Vers. 20. Ad imperium Domini erigebant tentoria] Nota. Quoties columna mouebatur & præibat castra, sacerdotes eleuabant, & portabant arcam Domini; Moses autem Deum inuo-A cabat dicens: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* quasi diceret: Surge, & proficiscere nobiscum Domine, atque castra præi, hostesque nostros, æquè ac tuos, fuga & dissipa, vt nos inuadere non audeant. Cùm verò columna rursus quiesceret, sacerdotes deponebant arcam, & Moses Dominum, arcæ quasi insidentem inuitans ad inibi cum Hebræis manendum, sic eum precabatur: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.* vt patet cap. 10. in fine.

Putant Hebræi defecisse columnam ignis & nubis statim post mortem Aaron, quæ accidit in quinto mense anni 40. aliquot mensibus ante mortem Mosis, & ingressum Hebræorum in Chanaan. Sed errant: nam Deuter. 31. v. 15. paulò ante mortem Mosis, dicitur hæc columna apparuisse Mosi & Iosue. Columna ergo hæc perdurauit B vsque ad ducatum Iosue, eumque ac Hebræos deduxit in ipsam Chananæam, ibique, æquè ac manna, defecit & disparuit. *Quando defecit hæc columna?*

Dissipabant, id est deponebant, tentoria] suaque omnia conuasabant. Vers. 21.

Per verbum Domini figebant tentoria] q. d. Per imperium Domini datum Mosi, vt videlicet quando moueretur columna nubis, mouerent castra; quando sisteret, figerent castra. Hebræi mouebant vel figebant castra. Ita Tropol. Religiosi sequentes ductum obedientiæ, & viri persequentes sanctas inspirationes sua agunt ex ductu & imperio Domini: vnde decet eos esse in excubiis Domini, ac dicere: Audiam quid loquatur in me Dominus. Vers. 23 *Tropolog.*

Erantque in excubiis Domini] excubantes ad motum columnæ, & consequentèr castrorum, vti dixi v. 19.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ivbet Deus fieri duas tubas, earumq́; vsus. Secundò, v. 11. ad motum columnæ nubis, Hebræi instructa acie mouent castra ex Sina in Pharan. Tertiò, v. 29. Moses detinet Hobab sororium suum. Quartò, v. 35. arca præit castra comprecante Mose.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem quando mouenda sunt castra. 3. Cumq́; increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. 4. Si semel clangueris, venient ad te principes & capita multitudinis Israel. 5. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. 6. In secundo autem sonitu & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria qui habitant ad meridiem. & iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis in profectionem. 7. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè vlulabunt. 8. Filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritq́; hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. 10. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri ego Dominus Deus vester. 11. Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis: 12. profectiq́; sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan. 13. Moueruntque castra primi iuxta imperium Domini in manu Moysi. 14. Filij Iuda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab. 15. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar, 16. In tribu

tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. 17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filij Gerson & Merari. 18. Profectique sunt & filij Ruben, per turmas & ordinem suum: quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. 19. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. 20. Porrò in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel. 21. Profectiq; sunt Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. 22. Mouerunt castra & filij Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. 23. In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. 24. Et in tribu Beniamin erat dux Abidan filius Gedeonis. 25. Nouissimi castrorum omnium profecti sunt filij Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. 26. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. 27. Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. 28. Hæc sunt castra, & profectiones filiorum Israel per turmas suas quando egrediebantur. 29. Dixitq; Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ cognato suo: Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscũ, vt benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israeli. 30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. 31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster. 32 Cumq; nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. 33. Profecti sunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum. 34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem cùm incederent. 35. Cumque eleuaretur arca dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. 36. Cùm autem deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.

VERS. 2. FAC TIBI DVAS TVBAS ARGENTEAS DVCTILES] vt ijs conuoces populum, Primò, ad mouenda castra; Secundò, ad festa; Tertiò, ad sacrificia; Quartò, ad bella. Præcipit autem Deus duas tantùm tubas fieri, ne Hebræos grauet sumptu præstando, non autem quòd plures fieri vetet. Vnde plures esse factas, si non tubas, certè buccinas, siue iam, siue posteà, patet Iosue 6. v. 4. vbi septem numerantur buccinæ, quibus clangentibus prostrati sunt muri Iericho.

Nota. Iubet Deus eas fieri argenteas, tum ob reuerentiam cultus diuini, tum vt sint magis sonoræ.

Forma tubarum. Formam harum tubarum describit Ioseph. lib. 3. Antiq. cap. 11 *Canna*, inquit, *erat tibia paulò crassior, longitudine paulò minùs cubitali, cuius os tantum patebat quantum ad insfandum sufficeret, desinebatq; in extremitatem campanulæ similem, sicut tuba.* Porrò sacerdotum erat hisce tubis clangere, vt patet v. 8.

Allegor. Allegoricè, Rupertus per duas tubas accipit duos Christi aduentus, scilicet primum in carnem, secundum adiudicium. Primo enim Christus insonuit, *Pœnitentiam agite; appropinquauit regnum cælorum.* Secundo insonabit, *Ite maledicti in ignem æternum.* Vnde alij per tubas accipiunt minas, verbi gratia inferni; & promissiones, verbi gratia cæli, quas populo iugiter insonare debent concionatores, vt æternitatis & metu & spe, corda hominum feriant & compungant. Ita fecit S. Chrysostom. S. Antonius, S. Dominicus, S. Vincentius, & alij maximi præcones, qui non phaleratas sed efficaces habuerunt conciones, quibus homines conuerterunt. Maximus enim hominum stupor, & inter omnes mundi insanias maxima est, quòd plerique omnes res caducas & temporarias toto studio & conatu sectentur, diuinas verò & æternas negligant, & vix de iis cogitent, cùm tamen ab iis omne & æternum eorum bonum pendeat. Vnde S. Hilar. ait, *concionatores debere esse satores æternitatis.* *Concionatores sint satores æternitatis.*

Talis præco fuit S. Ioannes Baptista: *Progenies*, inquit, *viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* &c. *Ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Vide eius concionem Matth. 3. quæ tota huc spectat. Talis fuit vox clamantis in deserto, quæ petras & saxa contriuit, ex eisque aquas lacrymarum elicuit, quibus eos præparauit ad gratiam & iustitiam Christi.

Talis præco fuit Christus: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum*, Matth. 4. & c. 24 & 25. tota eius concio est de consummatione sæculi, de signis iudicio præuiis, de iudicio, de vita æterna pijs, & gehenna impiis irroganda.

Talis fuit S. Petrus: *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Saluamini à generatione ista praua*, Actor. 2. 20. & 40.

Tales fuerunt Iacobus & Ioannes, qui proinde à Christo vocati sunt *boanerges*, id est *filij tonitrui*, Marci 3 Hanc vocem, putà hoc tonitru, describens Psaltes psal 28. *Vox Domini*, inquit, *super aquas, Deus maiestatis intonuit: vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros: vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum: vox Domini præparantis ceruos*, vt pauore tonitrui dilatata matrice faciliùs pariant: *& in templo eius omnes dicent gloriam.* Hæc enim nouissimorum prædicatio, quasi tonitru aquas, id est populos multos, cõmouit ad pœnitentiam & lacrymas: cedros, id est superbos, confregit: diuisit ignem, id est charitatem & linguas igneas in pẽtecoste distribuit: cõcussit desertas Gentium regiones: ceruos, id est timidos & tardos ad partum virtutum, pauore iudicij Dei præparauit: induxit diluuium, tum baptismi, tum con-

contritionis, quo peccata merguntur. ita ibi explicant S.Basilius, Theodoretus, Augustinus, Didymus & Origenes.

Talis fuit *S.Paulus*, qui, vt ait S.Hieron. fuit *tuba euangelij, tonitru Gentiū, rugitus leonis.* Audi eum in Areopago: *Deus nunc annuntiat omnibus hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant; eò quòd statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis:* Actor.17.v.30. & Actor. 24. v.25. *Disputante illo* (Paulo) *de iustitia & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix,* &c. Et cap.26.24. prædicans resurrectionem mortuorum, audiuit à Festo præside: *Insanis Paule: multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste: sed veritatis & sobrietatis verba loquor.*

Talis fuit S.Franciscus, cuius assidua erat concio: *Labor modicus, voluptas æterna: voluptas modica, pœna perpetua: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.*

B

Tropolog. Tropologicè, Cyrillus li.5. de Adoratione pag. 97. per has duas tubas ductiles, duplex genus prædicationis in Ecclesia vsitatum accipit; primum quod fidem roborat & dilatat, secundum quod mores corrigit. Argenteæ sunt ob splendorem, summamque sinceritatem. Ductiles sunt, quia necesse est vt hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus & ductibus crescant, inquit S.Gregorius 30. Moral. 7. Sic & Procopius: Vna, inquit, tuba doctrinalis est, secunda moralis.

Symbolicè, pro tubis Iudaicis Ecclesia vtitur campanis, quæ maiores sunt, fortiores, magisque sonoræ ac durabiles, ideoque significant prædicationem Euangelicam toto orbe resonantem, & duraturam vsque ad finem mundi; cùm iudaismus vno Iudææ angulo fuerit conclusus. ita Amalarius Treuir. Episcopus anno Christi 820. libr.3. de Eccles. offic. cap.1. Porrò campanæ dictæ sunt à Nola ciuitate Campaniæ, vbi primùm maiores campanæ formatæ sunt. ita VValefridus Strabo libro de Rebus Eccles. cap.5. Porrò campanę vsus multiplices Poëta his versibus complexus est.

C

Laudo Deum verum; plebem voco; conuoco cœtum;
Defunctos ploro; pestem fugo; festa decoro.

Vide Iodocum Coccium in Thesauro Cathol. p.2.lib.3.art.6.

QVANDO MOVENDA SVNT CASTRA] Hebraicè, *& quando mouenda sunt castra.* vnde in Hebræo videntur hîc duo officia tubarum significari, videlicet Primum ad cœtum populi adunandum, Secundum ad mouenda castra. Verùm noster Interpres τὸ *&*, non accepit copulatiuè, sed expositiuè & determinatiuè. q. d. Ad conuocandam multitudinem, vt ordinata serie sub suo quisque vexillo, suo clangore excitus moueat castra.

D

Vers.4. SI SEMEL CLANGVERIS] id est, *si vna tuba clanxeris*, vti habent Hebr. Chald. Septuag. & Iosephus, qui ait & addit: Moses duas buccinas fecit, quarum vna plebs ad concionem vocabatur, altera principes ad consultandum de republ. excitabantur; vtraque verò clangente vniuersus populus conuocabatur. Sicut ergo vtraque clangente duplex erat clangor, bisque clangere dici poterant: ita vna clangente, semel dicuntur clangere. Denique si clangerent תְּרוּעָה *terua*, id est, sonitu inciso & confracto (quem noster Interpres *vlulatum* vocat) mouebant castra: nam aliàs sonus harum tubarum erat planus & æquabilis. An autem in motione castrorum vna, an duabus tubis clanxerint, non liquet. *Vlulatus tubarum quis?*

ET IVXTA HVNC MODVM RELIQVI FACIENT] vt videlicet, sicut primo tubæ clangore castra mouerunt, & profecti sunt Iudas, Issachar & Zabulon, qui erant ad Orientem tabernaculi: secundo verò clangore profecti sunt Ruben, Simeon & Gad, qui erant ad Meridiem tabernaculi: ita tertio clangore castra moueant Ephraim, Manasse & Beniamin, qui erant ad Occidentem: quarto denique castra moueant Dan, Aser & Nephthali, qui erant ad Septemtrionem. patet ex dictis cap.2. Vers. 6.

VLVLANTIBVS, id est, concisè clangentibus, TVBIS] vti est vlulatus bestiarum concisus.

SI EXIERITIS AD BELLVM, &c. CLANGETIS, &c. ET ERIT RECORDATIO VESTRI CORAM DOMINO] q.d. Dominus recordabitur vestri in prælijs, cùm clangetis iuxta hoc eius præceptum, vt eruat vos ab hostibus, vobisque det victoriam. Vers.9.

SI QVANDO HABEBITIS EPVLVM] solenne & sacrum ex hostijs pacificis, siue epulum quod fit præuio sacrificio, illudque claudit, quale erat in consecratione regum, tunc clangetis hisce tubis. Similiter & in Calendis, id est in neomenia, siue nouilunio, putà primo die mensis lunaris: hic enim dies Iudæis erat festus. Vers.10.

VT SINT VOBIS IN RECORDATIONEM DEI VESTRI] vt Deus iis, vel potiùs obedientia vestra, quam hoc clangore præstatis, excitus recordetur vestri, id est, cogitet de vobis, benignè acceptet sacrificia vestra, & adsit vobis ope sua, vti recordantes solent facere. Anthropopathōs enim Deus recordari dicitur, non propriè. In Deo enim, cui omnia sunt stabilia & præsentia, nulla est memoria, sed iugis omnium, tam præteritorum & futurorum, quàm præsentium visio & intuitus. *In Deo non est memoria, sed intuitus.*

ANNO SECVNDO (ab egressu Hebræorū ex Ægypto) MENSE SECVNDO, VIGESIMA DIE MENSIS ELEVATA EST NVBES] *Nubes*, id est columna nubis, cœpit moueri & præire castra, quæ proinde mota sunt. Hinc patet, Hebræos mansisse in Sina (quæ duodecima fuit mansio Hebræorum in deserto) per annum integrum, exceptis tredecim diebus. Nam venerunt in Sina tertia die mensis tertij anni primi, vt patet Exodi 19. 1. discesserunt verò ex Sina die vigesima mensis secundi, anni secundi. Omnia ergo quæ à c.19. Exodi narrantur hucusque, gesta & dicta sunt in Sina. Quare Primò, omnes leges morales, iudiciales & cæremoniales latæ sunt in Sina. Secūdò, ibidem fabrefactum est tabernaculum quasi templum. Tertiò, ibidē consecrati sunt sacerdotes & Leuitæ. Quartò, ibidem ordinata sunt castra, adeoque instituta & formata est tam respubl. quàm Ecclesia vetus Hebræorum; perinde ac in Sion promulgata est lex noua, cœpitque respubl. & Ecclesia Christianorum, Actor.2.v.1.& Hebr.12.v.22. Vers. 11. *Hebræi in Sina hæserunt per annum*

Notat Torniellus, hoc anno secundo egressus Hebræorum ex Ægypto, mortuum esse S. Iob: idque dicendum est, si ponamus, quod ipse & alij plures docent, S.Iob vixisse 217. annos: tot enim sunt ab anno 130. Iacobi, quo natus videtur S.Iob, vsque ad hunc annum secundum, vti dixi Gen.36.33. *Mors S.Iob iuxta Torniellum.*

PROFECTIQVE SVNT FILII ISRAEL, &c. DE Vers. 12.

DE-

DESERTO SINAI, ET RECVBVIT NVBES IN SOLITVDINE PHARAN] putà in loco, qui postea dictus est *Sepulchra concupiscentia*. In eo ergo fuit decima tertia Hebræorum mansio, quæ fuit in vasto illo deserto Pharan, quod in se vnum est, sed multa partialia complectitur: huius enim deserti Pharan pars est desertum Sin, in quo trigesima tertia fuit mansio, de qua c. 33. v. 36. (licet S. Hieron tract. de 42. mansion. Pharan terminet in Sin, & in Pharan ponat tantùm octodecim mansiones sequentes, quæ fuerunt vsque ad Sin & Cades.) Vbi intuere, mirare & celebra mirabilē Dei erga suos prouidentiam, vtpote quæ Hebræos per hoc desertum vagabundos, per triginta octo annos deduxit, quo tempore Primò, numquam eis manna, nec aqua defecit. Secundò, columna nubis semper viam præiuit. Tertiò, numquam vestimenta vel calceamenta eorum detrita sunt, imò cum paruulis crescentibus crescebant & ipsa: non enim vestes mutarunt, vel innouarunt in deserto. Quartò, hîc de cælo acceperunt coturnices, & aquam de petra, omniaq; portenta, quæ deinceps in Numeris enarrantur, hîc contigerunt. Quintò, in hoc deserto omnes egressi ex Ægypto, videlicet plusquam sexcenta millia, ob murmur perierunt & mortui sunt. Qui desertum hoc accuratè lustrarunt, tradunt esse Primò, solitudinem amplissimam: extenditur enim à monte Sina vsque ad Cadesbarne, per iter vndecim dierum. Secundò, esse inuiam & inaquosam. Tertiò, sterilem & inarabilē. Quartò, hominibus iuxtà ac bestijs inhabitatam. Quintò, carere herbis & arboribus: hinc inde tamen eas habet, vt patebit v. 33. Sextò, esse asperam præruptis rupibus & montibus. Septimò, esse siccissimam & ardentissimam ob solis æstum. Octauò, in ea assiduè luctandum esse cum tenacissimo sabulo, quod præaltum & vestigijs cedens ingressum vehementer impedit & remoratur. Per hoc tamen desertum Hebræi, etiam paruuli, Deo duce, commodè per triginta octo annos ambularunt. vide Adrichom. Borchardum, Zieglerum, & alios in Pharan.

Mira Dei prouidentia erga Hebraeos in deserto. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò.

Deserti huius octo qualitates & difficultates.

VERS. 13. & 14. MOVERVNTQVE CASTRA FILII IVDA] De ordine singulorum tribuum, & aciei horum castrorum dixi Num. 2. Ex hoc loco, putà ex v. 17. patet, Gersonitas & Meraritas incessisse post primam aciem Iuda: Caathitas verò post secundam Ruben, vti dixi c. 2. licet alij aliter sentiant, putentque hic esse hysteron proteron. Verùm non rectè: nam distinctè & ordinatè tota acies, tam populi quàm Leuitarum, hîc describitur.

Vbi Nota. Voluit Deus Hebræos per quadraginta annos in deserto, in armis & castris vitam agere, vt inter hostes positi, perpetuò excubarent, paratiq; essent ad pugnam, ne otio & inertia diffluerent. Ita Epaminondas cupiens Bœotos, otio dissolutos semper in armis cōtinere, cùm se Bœotarcham, id est principem suum deligerent, hortari solebat vt denuo consultarent: se enim si crearent ducem, militandum illis fore, regionemque ipsorū supinam atque apertam, belli orchestram appellabat; quòd eam tenere non possent, nisi manu clypei ansæ inserta. ita Plutarc. in Lacon.

Tropologicè, hæc castra significabant vitam fidelium esse militiam, vt ait S. Iob, in qua armati, & assiduè depugnantes tendimus ad patriam cælestem. *Non enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestA tes, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in calestibus*. Ephes. 6. 12.

IVXTA IMPERIVM DOMINI IN MANV MOYSI] quod scilicet dedit, vel edixit per Mosen, ministrum & organum suum: huius enim symbolum est manus.

CAATHITÆ PORTANTES SANCTVARIVM] putà vasa sancta Sanctuarij, id est Sancti & Sancti sanctorum. VERS. 21.

TAMDIV TABERNACVLVM (vasa tabernaculi, id est Sancti & Sancti sanctorum, iam dicta) PORTABATVR, DONEC VENIRENT AD ERECTIONIS LOCVM] Hebraicè est, *erexerunt tabernaculum* (Gersonitæ & Meraritæ) *donec venirent* (aduenirent) *ipsi* (Caathitæ) ad vasa sacra in illud inferenda. Vnde rursum patet, Gersonitas & Meraritas præcessisse, ac primam aciem secutos esse, vt B tabulas & cortinas tabernaculi erigerent, putà Sanctum & Sanctum sanctorum, vt Caathitæ sequentes secundam aciem, aduentantes inuenirēt tabernaculum iam erectum, in quod sua vasa inferrent. hoc enim congrua omnium prouidentia, dispositio & ordo exigebat.

DIXITQVE MOYSES HOBAB FILIO RAGVEL MADIANITÆ, COGNATO SVO] Quæritur, an Hobab hic fuerit ipse Iethro socer Mosis, an verò Iethronis filius? Septuag. asserunt Hobab esse ipsum Iethro, ita & Abulensis. Habuit ergo Iethro quatuor nomina: Primò enim dictus est Iethro, Secundò Raguel, Tertiò Hobab, Quartò Cinæus, vt patet Iudicum 1. v. 16. Iethro enim cum filia sua Sephora, vxore Mosis, venit ad Mosen in Sina, Exodi 18. v. 1. Si dicas, Hobab hîc vocatur filius Raguelis, ergo non fuit ipse Raguel. VERS. 29.

An Hobab fit Iethro? Asserunt Septuag.

C Respondent, Hobab fuisse filium senioris Raguelis, sed fuisse ipsum Raguelem iuniorem, qui & Iethro est dictus. Patris enim nomen filio fuisse inditum, siue tamquam proprium, siue tamquam patronymicum, vti apud Hollandos & Anglos fit: inde enim vocant suos Robersonios, id est Roberti filios; Petersonios, id est Petri filios; Iansonios, Andrisonios, &c.

Alij, vt Paulus Burgensis, Caietan & Oleaster, verisimiliùs censent, hunc Hobab esse filium Iethronis, siue Raguelis. Nam Primò expresè hîc ita vocatur: Raguel enim hic idem esse videtur cum eo, qui ita nominatus est Exodi 2. 18. ille autem fuit Iethro, socer Mosis: neque solet Scriptura Gentilium (qualis fuit Iethro) patres, vel auos recensere.

Verius est Hobab fuisse filium Iethronis. Probatur Primò.

Secundò, quia Iethro reuersus est in Madian, D vt patet Exodi 18. v. vlt. hic autem Hobab persuasus à Mose, videtur cum eo mansisse, & profectus esse in Chanaam, vt colligitur ex v. 31. idque magis confirmatur ex eo, quòd Madianitæ omnes paulò pòst, putà anno ab hoc 38. qui fuit 40. & vltimus peregrinationis in deserto, ab Hebræis iam iam Chanaan ingressuris prorsus deleti sunt. Si ergo in Madian rediisset Hobab, pariter ibi cum sua familia deletus fuisset: hoc autem est falsum, vti mox ostendam. Nam quod aliqui respondent, Mosen, cùm bellum illaturus esset Madianitis, priùs inde euocasse Hobab cum familia sua, gratis & sine auctore, vel teste dicitur. Solus ergo Iethro, vtpote senex centenarius (Moses enim gener eius, iam erat 81. annorum) in Madian redijt, ibique paulò pòst mortuus est, antequam Madianitæ delerentur.

Secundò.

Tertiò,

Tertiò. Tertiò, quia Hebræa sic optimè vertas, *& dixit Moses Hobab filio Raguelis, soceri sui*, & ita fortè verterunt Septuag. non autem *socero suo*, vti iam habent Græci codices. Noster tamen Interpres vertit, *cognato*, id est affini, *suo*: quia Hebræum חתן *choten* & socerum, & cognatum, id est affinem, significat; tam enim Hobab, quàm Raguel, siue Iethro erat affinis Mosis. Hobab enim erat sororius, Raguel verò erat socer Mosis.

Posteritas & hereditas Iethronis & Hobab. Videtur ergo, quòd Iethro redeunte ex Sina in vicinam Madian, Hobab filius eius cum sorore sua Sephora manserit cum Mose, cum eoque perrexerit in Chanaan: ibi enim fertilem terram agri Iericho accepit in sortem suam; & inde postea conniuentibus Hebræis migrauit in opimam sortem tribus Iuda, vt patet Iudic. 1. 16. vbi dicitur: *Filij Cinai* (id est Iethro) *cognati* (id est soceri) *Mosi ascenderunt de ciuitate palmarum* (id est de Iericho) *cum filiis Iuda in desertum sortis eius, & habitauerunt cum eo*: aliquos etiam ex eis migrasse ad sortem Nephthali, patet Iudic. 4. 10. & 11. vbi Haber Cinæus (cuius vxor Iahel occidit Sisaram principem) habitasse dicitur iuxta Cedes, quæ erat in sorte Nephthali, vt patet Iosue 19. 36. Horum quoque Cinæorum mentio fit 1. Reg. 15. 6. Qui tandem in captiuitate communi ab Assyrijs, putà à Salmanasar, vastati & capti sunt. Id enim futurum prædixit Balaam, Numer. 24. 22. *Assur*, inquit, *capiet te*, ô Cinæe.

A Iethro orti sunt Rechabitæ & Essæi. Denique ab hoc Iethro & Hobab, prognatus est Rechab, cuius filius fuit pius Ionadab, qui cum Iehu Baal & Baalitas euertit. 4. Reg. 10. v. 23. Ab hoc Ionadab orti sunt Rechabitæ, quos adeò ab abstinentia, obedientia & sanctitate dilaudat Ieremias c. 25. Rechabitas enim esse Cinæos, patet 1. Paralip. 2. 25. Rechabitæ ergo non fuerunt Iudæi, sed Madianitæ, putà posteri Iethro. Rursum Rechabitarum posteri fuerunt Essæi, quos à temperantia & continentia commendant Philo, Euseb. & alij, inquit Suidas. Vide hîc sanctam progeniem, & sanctorum parentum sanctos filios. hoc facit & præstat pia parentum educatio, & cum probis conuersatio.

VERS. 30. REVERTAR IN TERRAM MEAM] in Madian.

VERS. 31. NOLI, INQVIT, NOS RELINQVERE: TV ENIM NOSTI IN QVIBVS LOCIS PER DESERTVM CASTRA PONERE DEBEAMVS] Erat enim Madian monti Sina, & deserto huic vicina: vnde Moses cohabitans Iethro in Madian, eius oues in deserto hoc pascebat. Dixit verò hoc Moses ad Hobab, non quasi opera & ductu eius indigeret, vtpote qui columna nubis forinsecus, & intrinsecus Deo, vel angelo docente erudiebatur, discebatq; quo loco ponenda essent castra; quique in ea regione, putà in deserto hoc, per 40 annos pascens oues, tam, vel magis versatus erat, quàm Hobab. Voluit ergo Moses Hobab apud se detinere, vt eum, vtpote sororium suum, Gentilem in veri Dei religione & cultu erudiret, eumque à gentilismo ad iudaismum traduceret.

Moses detinuit Hobab, vt eum conuerteret ad iudaismum.

Morale. Vbi Nota charitatem & prudentiam Mosis in persuadendo Hobab: nam, vt ait Rabanus. & Rupert. *Vir prouidus* (Moses) *elato auditori* (Hobab) *colloquens, solatium petiit vt daret, ducem requirebat in via vt dux ei fieret ad vitam: plerumque enim persuadere elatis vtilia melius possumus, si profectum eorum nobis potiùs, quàm illis profuturum dicamus,* A *si, id quod petimus, nobis potiùs quàm ipsis impendi postulemus.* Cùm enim Hobab noluisset acquiescere Mosi dicenti, *Veni nobiscum, vt benefaciamus tibi*; instat Moses vt maneat, quasi eo indigeat, dicens, *Noli nos deserere.*

ERIS DVCTOR NOSTER] Hebr. *eris nobis in oculos*, id est, eris nobis dux, vt ostendas vbi sint fontes, vbi pascua pro pecoribus nostris, vbi ligna, &c. Tacet Hobab: vnde verisimile est eum acquieuisse, & mansisse cum Mose, vti dixi v. 29.

PROFECTI SVNT ERGO DE MONTE DOMINI (de Sina) VIAM TRIVM DIERVM, ARCAQVE FOEDERIS DOMINI PRÆCEDEBAT EOS] q.d. Profecti sunt per tres dies, nec antè castra fixerunt: quibus diebus arca in qua erant tabulæ fœderis, putà tabulæ decalogi, antecedebat eos, arcaque incumbebat columna nubis, quæ erat dux itineris; idque ad religionem arcæ, & ad obseruationem decalogi, arcæ contenti, populo commendandam. VERS. 33.

Arca præcessit castra, cur?

B An autem semper deinceps arca castra præcesserit, non omnino liquet. Abulensis ex Iosepho affirmat: si enim hîc præcessit, cur non & aliàs deinceps? Portabatur autem arca à quatuor Leuitis Caathitis, vt patet cap. 3. & 4. & 1. Paral. 15. 15. Licet enim subinde, in graui causa, arca portata sit à sacerdotibus, vt in transitu Iordanis, & in demolitione murorum Iericho, Iosue 6. 6. tamen ordinariè portabatur à Leuitis: neque enim eam continuò & semper portare potuissent sacerdotes, vtpote qui tunc tantùm essent duo, scilicet Eleazar & Ithamar, cum patre suo Aarone pontifice, qui arcæ, & omnibus Leuitis, vasisque sacris superintendere debebant.

Arcam portabant Leuitæ.

C PROVIDENS CASTRORVM LOCVM] Hebr. *ad explorandum*, vel *inuestigandum illis requiem*, id est locum in quo commodè quiescerent, & figerent castra; vbi scilicet erant gramina & pabula pro ouibus, bobus & iumentis, vbi erant fontes & aquæ, aër salubris, &c. Faciebat hoc columna nubis, vtpote dux itineris & consequenter arca, cui nubes incumbebat. Secundò, arca prouidebat castrorum locum: quia præeundo tollebat serpentes, feras, & cætera viarum incommoda, inquit Abulensis. Verùm prior sensus genuinus est, eumque exposcit vox Heb. תור *tur* quæ propriè explorare significat, non tollere.

CVMQVE ELEVARETVR ARCA] ad portandum eam in motu castrorum. Rabbini hoc v. 35. & c. sequent. v. 1. scripserunt duas literas *nun* inuersas in textu Hebræo, scilicet vnam in verbo בנסע *binsoa*, id est, cùm proficisceretur, alteram in verbo כמתאננים *kemitonenim*, id est cùm murmurarent. Priori *nun* inuerso significant beneuolam Dei conuersionem ad populum, ob preces Mosis: posteriori impietatem & ingratitudinem populi, volentis reuerti in Ægyptum. Hoc rabbinicum & cabalisticum est. VERS. 35.

D DICEBAT MOYSES: SVRGE DOMINE, ET DISSIPENTVR INIMICI TVI] Nota. Deus olim se maximè repræsentabat per arcam: orat ergo hîc Moses, vt surgente arca, surgat etiam Deus, quasi qui hactenus cum Hebræis in arca quieuisset, & iam exurgere rogetur ad viam præeundam & præmuniendam, dissipandosque hostes suos, id est gentes vicinas, quæ populi sui erant hostes, à facie sua, vt videlicet coram arca Domini, vel ea visa metu correpti diffugiant. Hinc ea

Israe-

pto. Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: 19. non vno die, nec duobus,
vel quinque aut decem, nec viginti quidem, 20. sed vsque ad mensem dierum,
donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eò quod repuleritis Domi-
num, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus
ex Ægypto? 21. Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum huius populi sunt. & tu
dicis: Dabo eis esum carnium mense integro: 22. Numquid ouium & boum mul-
titudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congre-
gabuntur, vt eos satient? 23. Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini
inualida est? Iam nunc videbis vtrùm meus sermo opere compleatur. 24. Venit
igitur Moyses, & narrauit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de
senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. 25. Descenditque Dominus
per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans se-
ptuaginta viris. Cumque requieuisset in eis Spiritus, prophetauerunt, nec vltrà ces-
sauerunt. 26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur El-
dad, & alter Medad, super quos requieuit Spiritus. nam & ipsi descripti fuerant, &
non exierant ad tabernaculum. 27. Cumque prophetarent in castris, cucurrit
puer, & nuntiauit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris. 28. Sta-
tim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyses pro-
hibe eos. 29. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat vt omnis popu-
lus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? 30. Reuersusque est Moyses, &
maiores natu Israel in castra. 31. Ventus autem egrediens à Domino, arreptans
trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum vno die confici
potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis
altitudine super terram. 32. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die al-
tero, congregauit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccauerunt eas per gy-
rum castrorum. 33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusce-
modi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna
nimis. 34. Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelie-
runt populum qui desiderauerat. Egressi autem de Sepulchris concupiscentiæ, ve-
nerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

Vers. 1. INTEREA ORTVM EST MVRMVR POPVLI (Hebr. est, *& erat populus murmurans mala.* ita & Septuag. & Chald.) QVASI DOLENTIVM PRO LABORE] præ fatigatione itineris, putà quia tres dies continuos cum paruulis, iumentis & sarcinis ambularant. Pro *quasi dolentium*, hebr. est כְּמִתְאֹנְנִים *kemitonenim*, id est quasi causantium laborem & dolorem. Vnde patet, eos non tam murmurasse ex vera fatigatione (leniè enim ambulabant, & Deus confortabat eos) quàm eam prætexuisse suæ gulæ, & ollis Ægypti, vt patet v. 5. Quocirca Vatabl. vertit, *contigit autem, cùm populus molestiam & dolorem quemdam causaretur, vt ea res displiceret in auribus Domini. Mitonenim* enim cùm sit Hitpael, significat actionem reflexam, putà *dolentium*, id est causantium dolorem; imò aliqui, vt Forster. in lexico, *mitonenim* vertunt *concupiscentium*, scilicet carnes & cæpas, vt patet v. 5. Radix enim און *on*, B & concupiscentiam significat, & dolorem: illa enim huius est causa, vti culpa causa est pœnæ. Alij, vt R. Dauid, Pagnin. Mercer. *mitonenim* vertunt *mentientium*, scilicet fatigationem, & dolorem, cùm reuera non tam fatigati essent, quàm concupiscerent ollas Ægyptias, more suo. Marinus vertit, *peruersè agentium*. Fauet Deuter. 8. 4. vbi dicitur: *Pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* Adde, cùm hi murmuratores causam murmuris & doloris sui exprimunt, non nominant fatigationem, sed concupiscentiam carnium & cæparum. *Quis dabit*, inquiunt v. 4. *nobis ad vescendum carnes?* &c. Denique alij passim *mitonenim* vertũt non *dolentium*, nec fatigatorum, sed *murmurantiũ*, hoc est causantium fatigationem, cùm reuera con-

A cupiscerent carnes. Et ita vertunt Septuag & noster Thren. 3. v. 39. *Quid murmurauit* (hebr. יִתְאוֹנֵן *iitonen*) *homo viuens vir pro peccatis suis?* q. d. Quid murmurat homo causando & incusando Dei prouidentiam, quasi illa prædestinarit & decreuerit eius excidium & perditionem, cùm incusare debeat peccata sua, quæ vera sunt perditionis cuiusque causa?

Abulensis putat, hoc murmur contigisse sub *Murmur*
annum quadragesimum ab egressu ex Ægypto: *hoc contigit*
sed longè verius est, illud contigisse anno secundo *anno, non*
ab egressu. Nam contigit mox ab egressu ex Sina, *40. sed 2.*
in decimatertia mansione: ex Sina autem egressi sunt Hebræi anno secundo mense secundo. Rursum hoc murmur contigit ob manna: manna autem cœpit dari anno primo: ergo, paulò post illud, putà anno secundo, murmur hoc accidit, cùm ex B continuo eius esu illud fastidire cœperunt.

ET ACCENSVS IN EOS IGNIS DOMINI] id est à Domino. ita Septuag & Chald. Secundò, *ignis Domini*, id est ignis ingens, vehemens & terribilis: sic enim vocantur *cedri Dei*, *montes Dei*, id est cedri magnæ, montes excelsi. Est hic hysteron proteron. Hæc enim plaga inflicta est post murmur carniũ, vti ostendam v. 4. quare hic versus & sequens iuxta historiæ ordinem, ponendi fuissent post v. 33. *Murmurantes puniuntur*

Nota. Igne puniuntur & cremantur hic mur- *igne.*
murantes. ita Deo displicet murmur & rebellio.

VOCAVITQVE NOMEN LOCI ILLIVS, INCENSIO] Vers. 3.
Locus hic ab igne vocatus est, Incensio: sed à pœna gulæ vocatus est, Sepulchra concupiscentiæ, vt patet v. 34. Est enim hic vnus idemque locus, vti & murmur. Nota. Hæc non in itinere, sed in castris

ftris, seu castrorum fixione contigisse significatur v.1. hoc enim significat Hebr. בְּמַחֲנֶה *bammachane*, id est castrorum metatio.

VERS. 4. VVLGVS QVIPPE PROMISCVVM, &c. FLAGRAVIT DESIDERIO] Nota τὸ *quippe*, (licet enim in Hebræo sit *&*, tamen & Hebræis sæpè est causale, significans *quia, quippe*.) hæc enim vox causalis significat causam præcedentium, cur scilicet Hebræi murmurauerint, & cur puniti sint igne, videlicet quòd nonnihil ex labore itineris fatigati, cœperint suspirare ad carnes & ollas Ægypti: vnde sequitur, vnum idemque esse murmur, quod v.1. breuiter, hîc verò fusè enarratur. Voluit enim Moses Primò, tam murmur, quàm eius pœnam perstringere: deinde fusè & ordinatè hoc versu historiam totam rei gestæ enarrare. Id ita esse rursum ex eo confirmatur, quòd non sit verisimile Hebræos ob solum murmur, vel querelam fatigationis punitos esse igne: aut post hanc pœnam & cladem statim hîc iterum murmurasse, ob desiderium carnium. Timuissent enim rursum puniri igne. Tertiò, idipsum indicat Psaltes psalm. 77.20. cùm hoc murmur eorum ita describit: *Numquid & panem* (id est cibum, hoc enim hebr. est *panis*. vnde Genebr. ex R. Kimchi, per panem intelligit carnes) *poterit dare, aut parare mensam in deserto?* deinde pœnam subiungit: *Ideo audiuit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel*. Vides hîc, ignis pœnam inflictam esse, ob murmur, non tam querentium de fatigatione, quàm desiderantium cibos & carnes.

Idem fuit murmur ob laborem viæ, & ob desiderium carnium.

Moral. de vulgi sensu & moribus.

Disce hîc ingenium vulgi. Quid & quale est vulgus?

Primò, Philo lib. de Ioseph. *Sicut coci*, inquit, *omnia esculenta ad suauitatem oris comparant, vtilia negligunt: sic ignobile vulgus securum de commodis, præsentem tantùm voluptatem venatur. Et sicut cocus nihil aliud curat, quàm inutiles ac superuacaneas ventris voluptates: sic & vulgus*, &c.

Vulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione, inquit Thucydides. *Vulgus est voluptatum cupiens, & si eò princeps trahit, latum*, ait Tacitus lib. 14.

Secundò, *Plebs otio lasciuit*, ait Liuius decad. 1. lib. 2.

Tertiò, *Id omni multitudini natura insitum est, vt rerum nouitate & immutatione lætetur*, inquit Agathias lib. 3.

Quartò, *Omni populo inest malignum quiddam & querulum in imperantes*, inquit Plutarch. in polit.

Quintò, *Multitudo vulgi more magis quàm iudicio, post alium alius quasi prudentiorem sequitur, sicut ouis ouem*, inquit Plutarch. in polit.

Sextò, *Vulgus ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum, cupidum rerum nouarum, quieti & otio aduersum*, inquit idem in Iugurth.

Septimò, Antisthenes apud Laërt. lib. 6. *Vulgus*, inquit, *hominum tantùm probat ea quibus assueuit* (vt Hebr. hîc ollas Ægyptias) *ab exoticis* (à manna) *abhorret, non quòd mala, sed quòd peregrina sint.*

Octauò, Ouidius lib. 1. Trist. eleg 8. sic canit de vulgo:

Vtque comes radios per Solis euntibus vmbra est;
Cùm latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur fortuna lumina vulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

Idem rursus: *Vulgus amicitias vtilitate probat.*

Nonò, Polyb. lib. 11. histor. *Vt mare*, ait, *natura sua placabile est, cùm verò irruunt venti, tale est quales*

A *sunt venti quibus agitatur, ita ignobile vulgus per se placabile est, sed agitatur, & tale redditur, quales habet duces & consiliarios.*

Decimò, Plutarch. in moral. *Qui captat aues*, inquit, *earum voces imitatur vt alliciat in laqueos: sic vt multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio obsecundes & obseruias oportet.*

Vndecimò, Themistocles affectus contumelia ab Atheniensibus, quos multis beneficijs affecerat, aiebat, *similem se esse platanis, sub quarum vmbra vt lateant, accurrunt homines tempestate afflicti, & easdem, mox vt abiit tempestas, vellunt.* Sensit vir prudentissimus vulgi mores esse, vt in belli periculis implorent virorum fortium opem: in pace verò contemnant eos, imò vexent & vellicent. ita Plutarch. in Apophth.

B Duodecimò, cum Atheniensibus proditum esset oraculum, in ea ciuitate vnum esse virum, qui cunctorum sententijs aduersaretur, ac populus vociferans iuberet eum inquiri vt occiderent; Phocion in medium procedens, *Ego*, inquit, *sum ille quem designauit oraculum. Mihi enim omnia ea displicent, quæ vulgus dicit & agit.* Quo dicto ostendere voluit inconditam multitudinem, quoniam affectibus regitur, nihil sani agere aut loqui. ita Plutarchus ibidem. Hinc Antisthenes quodam die theatrum ingressus, aduersus populum nitens progrediebatur. Rogatus cur id faceret? *Hoc*, inquit, *in omni vita facere studeo.* Sentiens hoc sapientis esse viri, in omnibus à multitudine diffidere. Ita Laërt. lib. 6. Nihil enim præstantius quàm ne pe-

C corum ritu sequamur gregem antecedentium, pergentes non quò eundum est, sed quò itur.

Decimotertiò, S. Basilius apud Antonium in Melissa p.1. serm. 18. *Sicut nebula*, inquit, *iuxta mutationes flatuum, nunc huc, nunc illuc feruntur: sic vulgus quouis vento nunc in hanc, nunc in illam partem sese flectit.*

Scinditur incertum studia in contraria vulgus: est enim bellua multorum capitum.

Decimoquartò, Ioannes XXIII. Pontifex Roman. interrogatus aliquando, *Quid foret à veritate remotius?* respondit, *Vulgi sententia. Quidquid enim laudat, vituperio dignum est: quidquid cogitat, vanum: quidquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quod approbat, malum: & quidquid extol-*

D *lit, infame.*

FLAGRAVIT DESIDERIO] carnium, & cæparum Ægypti. patet ex v. sequ. Licet enim oues non comederent Ægyptij, vt patet Genes. 46.34. nec cæpas, vtpote quas vt deos colerent: vnde eos ridens Iuuenal. satyra penult. ita canit:

Porrum & cæpe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum iugulare capellæ.

Ægyptij oues & cæpas colebát.

tamen alia animalia comedebant: imò oues & cæpas alij comedebant, vt patet ex hoc loco, alij ex religione ijs abstinebant. Aliquorum enim tantùm erat hæc religio, vel potiùs superstitio.

Dices, Hebræi habebant sua pecora, quæ poterant occidere & comedere, cur ergo hîc carnes à Mose poscunt, & murmurant?

Respondeo, Illa pecora erant pauca, nec suffecissent ad tot hominum millia, vel pauco tempore alenda. vide v.22. Rursum pecora hæc seruare volebant ad sobolem, in terra promissa procreandam. Denique, non omnes habebant pecora, præ-

fertim

sertim ex illa colluuie, à qua cœpit murmur. ita Abulensis. Addit S. August eos desiderasse coturnices: hisce enim datis, Deus sedauit eorum murmur. Verùm Script. hoc non exprimit, sed tãtùm carnes, porros & cæpas: nec vulgus hoc in Ægypto assuetum fuerat coturnicibus.

Moraliter S. Bernard. tract. *Ecce nos reliquimus omnia*, docet argumentum incultæ mentis esse, concupiscentiam & sollicitudinem temporalium: *Vt exercitij spiritualis*, inquit, *& cura cordis indicium euidens est contemptus exteriorum; sic eorumdem sollicitudo, certum nihilominus signum mentis incultæ. Scriptum quippe est: In desiderijs est omnis otiosus.*

SEDENS] Ita & Septuag. legentes alijs punctis וַיֵּשְׁבוּ *vaiescebu*, id est, *& sederunt*. Iam Massoretæ, & moderni Hebræi cum Chald. legunt וַיָּשֻׁבוּ *vaiascubu*, id est & reuersi, vel auersi sunt.

VERS. 5. *Morale.* IN MENTEM NOBIS VENIVNT CVCVMERES, &c.] Moraliter S. Gregor. 20. Moral. c. 16. *Quid*, inquit, *signatur per ollas carnium, nisi carnalia vitæ opera in tribulationum doloribus, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrena dulcedines? Quid per porros & cæpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis & non fine luctu agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porros cæpasque quæsierunt: quia videlicet peruersæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laboriosa huius vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt, contemnunt habere, vbi spiritualiter gaudeant; desideranter appetunt, vbi & carnaliter gemant. Horum itaque vecordiam veridica voce Iob reprehendat: quia nimirum peruerso iudicio perturbata tranquillis, dura lenibus, aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis anteponunt.*

GRATIS] pretio vili, & quasi nullo.

VERS. 6. ANIMA NOSTRA ARIDA EST] quasi dicant, Appetitus noster languet, nauseat, & quasi exarescit; eò quòd sicco, & eodem semper manna vescamur, nil viride, nil succulentum comedamus.

Dices, Manna exhibebat eis omnem saporem, vt dicitur Sap. 16. 20. ergo etiam saporem carnium & cæparum: cur ergo murmurant?

Respondent aliqui, solos iustos sensisse varietatem saporis in manna, idque ad libitum: impios autem, qui erant in peccato mortali, in manna non sensisse, nec sapuisse nisi saporem naturalem, qui erat mellis, aut panis oleati, ad quem facilè nauseamus. Verùm Exodi 16. v. 31. ostendi, hoc beneficium tam impiis, quàm piis fuisse commune.

Respondeo ergo, nauseam hanc & murmur ortum esse, non ex natiua dulcedine (hæc enim si crebrò gustetur, nauseam mouet) manna, nec ex tædio eiusdem semper cibi; vtpote qui ad libitum eorum saporem variabat: sed quia odor, color, forma, tenuitas, & similes aliæ qualitates eædem semper perseuerabant in manna, quarum qualitatum iucunda quædam diuersitas allicit magis gustatũ. Vnde & gulones, præsertim pueri, sæpè non tam os & ventrem, quàm oculos, phantasiam & manus cibo saturare & implere cupiunt.

VERS. 7. COLORIS BDELLII], Hebr. *oculus eius sicut oculus bdellij. oculus*, id est color, qui est obiectum oculi. est metonymia: vide can. 30. Bdellium est colore vnguis, teste Plinio libr. 12. 9. & Dioscor. lib. 1. cap. 69. putà candidum est & lucidum. vnde Septuag. vertunt, *simile crystallo*. hinc & bdellium hebr. vocatur בְּדֹלַח *bedolach*, quod onychem, siue lapidem onychinum significat. vide dicta Exodi 16. 31.

SAPORIS QVASI PANIS OLEATI] ita & Septuag. & Chald. Sed recentiores vertunt, *saporis quasi recentis*, vel *humentis olei*. VERS. 8.

CVMQVE DESCENDERET NOCTE SVPER CASTRA ROS, DESCENDEBAT PARITER ET MAN] Hebr. Chald. & Septuag. addunt, *super eum*, scilicet rorem. Ros ergo hîc, non significat roru-lentum vaporem, sed condensatum & conglaciatum, id est pruinam, quæ substernebatur ipsi manna, ne manna terræ tactu fœdaretur, vti dixi Exodi 16. 13. VERS. 9. *Ros hic est pruina.*

MOYSI INTOLERANDA RES VISA EST] quòd videlicet omnis populus vlularet, & à Mose carnes posceret. Vnde tantum ipse hîc populi sensit onus, vt morte grauius ipsi videretur, optaretque mori. Hoc est ingenium pusillanimitatis: quod pulchrè describens Victor Abbas apud Sophron, cap. 164. *Pusillanimitas*, inquit, *passio animæ est. Sicut enim capti oculis, quanto magis patiuntur, plus sibi videntur lumen intueri: qui verò sanos habent oculos, modicum: ita & pusillanimes ex modica tentatione citò perturbantur, qui verò animæ sani sunt, magis gaudent in tentationibus.* VERS. 10.

ET AIT AD DOMINVM, &c. CVR IMPOSVISTI PONDVS VNIVERSI POPVLI HVIVS SVPER ME?] *Pondus* vocat onus & curam regendi populum, eique de omnibus prouidendi. VERS. 11.

Quare verè sapiens ille: *Rex bonus*, inquit, *seruus est publicus.* *Morale. Regnum est splendida seruitus.*

Et Pompeius: *Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus.*

Sensit hoc Antiochus Syriæ rex, qui à Romanis bello victus testatus est se magna cura liberatum, quòd modicis regni finibus inclusus esset.

Themistocles dicebat, se malle ad sepulchrum, quàm ad tribunal ire, inquit Ælian. lib. 6.

Seleucus Asiæ rex, teste Plutarcho, dicere solebat: *Si sciret vulgus, quàm laboriosum sit legere ac scribere solùus tot epistolas, diadema ne humo quidem tollere dignaretur.*

Alfonso Aragonum regi in cœna importuniùs quidam instabat: rex nihilo commotior, *asinos tantùm regibus beatiores esse* dixit: *illis enim dum comedunt, clitellas auferunt agasones, mihi verò senex iste cœnanti imponit.*

Meminerunt Belgæ Caroli V. qui senescens onerum & curarum reipubl. pertæsus, cùm Bruxellæ principatum Belgij in filium Philippum II. transferret, illachrymans dixit: *O fili magnum tibi onus impono. Ego enim toto tempore principatus mei, numquam quadrantem horæ magnis curis & anxietatibus vacuum habui.* Secedens ergo, quatuor vltimos vitæ annos sibi & Deo vixit.

Adrianus Papa II. teste Petrarcha, nullum supplicium maiùs de hoste poscebat, quàm vt Papa fieret.

Pius V. Pontifex sanctus dicere solebat; *Cùm essem Religiosus, sperabam bene de salute animæ meæ; Cardinalis factus, extimui; nunc Pontifex creatus, penè despero.* Idem sensit Clemens VIII.

Non mirùm ergo si S. Gregorius, Nicolaus I. Clemens III. Cælestinus V. & alij adeò papatum fugerint.

Lucianus ait Myronis & Praxitelis colossos foris

foris multo nitere ebore & auro, adhæc fulmen aut tridentem dextra tenere, vt Iouem, aut numen aliquod repræsentent: cùm intus nihil appareret præter picem, clauos, araneas, mures & sordes. Atque talem esse principum vitam affirmat: quorum si strepitum & apparatum inspicias, nihil felicius, nihil deorum vitæ similius; sin curas, suspiciones, odia contemplere, quibus intus discruciantur, nihil calamitosius. Meritò ergo Antigonus rex ad filium insolescentem: *An ignoras*, inquit, *ô fili, regnum nostrum non esse aliud, nisi splendidam seruitutem?* Principum ergo sors non ambienda, non inuidenda, sed compassione digna est.

Vers. 12. VT DICAS MIHI] Hebr. *quia dicis mihi*, ita & Septuag. vnde patet Deum dixisse Mosi: *Esto populo huic vt nutrix & mater*, id est diligentissimâ, & quasi maternam ei curam exhibe; licet id nusquã alibi expressè scribatur, aut narretur.

PORTA EOS IN SINV TVO] Hoc est officiũ Pastorum, imò Sanctorum omnium. Talis fuit Elias, cui proinde ascendenti in cælum acclamauit Elisæus: *Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Hinc rex dicitur βασιλεὺς quasi βάσις, & Adonai quasi אדן *eden*, id est fulcrum populi: hoc est quod ait Paulus, *Alter alterius onera portate.*

Prælatorũ & Sanctorũ est portare alios.

Vis exempla & documenta Sanctorum. Accipe è Vitis Patr. lib. 5. c. 16 de patientia (sequor vltimã editionem P. nostri Heriberti) Quidam, inquit videns quemdam Religiosum portantem mortuum in lecto, dicit ei: *Mortuos portas? Vade, viuentes porta*: quia pacifici filij Dei vocabuntur.

Idem cap. 15. de humilitate. Abbas Anuph septem fratres suos docuit modum viuendi concorditer inter se. Nam per totam septimanam faciem statuæ cuiusdam manè lapidabat: vespere autem dicebat, Ignosce mihi. Rogatus cur id faceret; ait: Propter vos hoc feci. Quando me vidistis lapidantem faciem statuæ, num locuta est, num furuit? Et dixerunt; Non. Iterum quando apud eam pœnitentiam egi, num turbata est? num dixit, Non ignosco? Et responderunt, Non. Tum ille dixit: Ergo & nos qui sumus septem fratres, si vultis vt maneamus simul efficiamur sicut statua hæc, quæ contumeliis affecta non turbatur. Illi autem prostrauerunt se dicentes: Quod iubes faciemus? manseruntque simul per totam vitam operantes & facientes iuxta verbum Anuph. Constituit autem ipse vnum ex eis dispensatorem, qui quodcumque eis apposuisset, comedebant, nec quisquam dicebat, Affer aliquid aliud; aut nolo istud manducare: & sic transegerunt vitam suam cum pace & quiete.

Ibidem Abbas Nestero rogatus, quomodo in cœnobio pacificè vixisset, atque in quauis turbatione didicisset seruare silentium & patientiam, respondit, Quando intraui initio in congregatione, dixi animo meo: Tu & asinus vnum estote. Sicut enim asinus vapulat, & non loquitur; iniuriam patitur, & non respondet: sic & tu. sicut & in psal. legitur, *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Ibidem libr. 6. cap. 4. Abbas Moyses dixit: Si quis portat peccata sua, non videt peccata proximi sui. Rursum Abbas Agatho dixit: Si habitas cũ proximo tuo, esto sicut columna lapidea: quæ si iniuriatur, non irascitur, si glorificatur, non extollitur. Ibidem in sententijs Patrum Ægyptiorum,

A sentent. 107. dicebant de Abbate Macario seniore: quia sicut Deus protegit totum mundum & portat peccata hominum; ita & ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta eorum, & ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns, & non audiens.

SIN ALITER TIBI VIDETVR, OBSECRO VT INTERFICIAS ME] Moses hîc tantis premebatur angustiis, vt hanc sibi gratiam fieri cupiat, videlicet vt mori sibi liceat. amarissimè ergo afflictus, & perturbato animo existens, neque satis sibi præsens hæc dixit, mortemque petijt: vnde vel nullum, vel leue pusillanimitatis tantùm peccatum admisit: quare & à Domino non correptionem, sed consolationem accepit. Vers. 15.

ET DIXIT DOMINVS AD MOYSEN: CONGREGA MIHI SEPTVAGINTA VIROS DE SENIBVS ISRAEL] vt videlicet in eos partiar onus tuum, vt ipsi te subleuent in populi regimine. Licet enim Exodi 18. ex suggestione Iethro Moses in populo constituisset decanos & tribunos, qui lites populi deciderent; tamen vltima appellatio semper erat ad Mosen. Adhæc, maiores causæ ad Mosen referebantur. Denique ea quæ Deum, Deique cultum spectabant, solus Moses decernebat. quare graue ipse sustinebat onus: ad quod leuandum Deus hîc iubet deligi septuaginta viros, qui hæc tria, æquè vt Moses, præstarent: ideoque eos æquè ac Mosen spiritu prophetico insigniuit, vt familiariter Deum consulerent in dubijs, & ab eo edocerentur. Vers. 16. B

Septuaginta senes Mosi adiutores à Deo dantur.

Nota. Hi septuaginta non fuerunt iidem cum illis septuaginta, qui non tam delectu, quàm quasi fortuitò occurrentes, vel offerentes se comitati C sunt Mosen, euntem ad colloquium Dei in Sina, Exodi 24. 1. sed ex ijs & aliis hi septuaginta à Mose delecti, & à Deo confirmati fuerunt. Manserunt hi septuaginta deinceps, & continuos habuêre successores, etiam in Chanaan, sed carentes spiritu prophetico. Nam solo consilio suo aderant pontifici, qui Deuter. 17. 9. summus Hebræorum statuitur iudex, erantque eius consiliarij. Vnde concilium horum cum pontifice summum erat, & ab Hebræis vocatum est *Sanhedrim* græcè συνέδριον, de quo videri potest Iosephus, & Galatinus lib. 4. c. 5. Atque hi seniores fuerunt, qui in magno illo suo συνεδρίῳ, siue concilio, Christum mortis reum proclamarunt, & Pilato occidendum tradiderunt. de quo Matth. 26. & 27.

Hinc ortũ est concilium Sãhedrim.

Rursum Mosen communicasse hisce 70. senioribus legis sensum, præsertim secretiorem, & mysticum posteris tradẽdum (quem legem spiritalem D & archetypum vocat Philo libr. de plantat. Noë, & Nazianz. orat. 1. Apol.) docent Hebræi, vti refert Genebr. lib. 2. Chronol. *Moses*, inquit, *accepit legem de Sinai, & tradidit eam Iosue; ipse verò senioribus, seniores Prophetis: Prophetæ verò eam tradiderunt viris magnæ Synagogæ, qui fuerunt Esdras cum reliquis.* Idem confirmat S. Hilar. in psalm. 2. *Moses*, inquit, *quamuis veteris Testamenti verba literis condidisset, tamen separata quadam & occulta legis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrina etiam Dominus in Euang. meminit, dicens: Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: doctrina verò eorum mansit in posterum.* Hisce ergo senioribus videntur successisse Scribæ in officio explicandi legem & interpretandi S. Scripturam, qui proinde in Euang. Legis periti, &

riti,& Seniores vocantur. Tradunt Hebræi ab hisce celebratam esse magnam synodum 120. hominum, sub Artaxerxe Longimano, in qua constitutus est ordo 22. librorum Canonicorum: cui Synodo, si credimus Eliæ præfatione 3. Massoreth, præfuit Daniel, cum Anania, Misaele, & Azaria, Esdra, Nehemia, Mardochæo, Zorobabele, Aggæo, Zacharia, & Malachia.

Hoc tempore instituti sunt Areopagitæ. Nota Secundò, sub hoc idem tempus, quo hi septuaginta iudices Hebræorum constituti sunt, institutos esse apud Græcos iudices Areopagitas; qui causas tum criminales, tum ciuiles iudicabant: Areopagum enim institutum esse quinto anno ab egressu Hebræorum ex Ægypto docet Eusebius in Chronico.

QVOS TV NOSTI, QVOD SENES POPVLI SINT, AC MAGISTRI] Hinc patet, senes hîc intelligi non tam ætate, quàm prudentia & moribus, qui *senes populi sint*, id est qui à populo graues & sapientes habeantur. Nam alij senes, ipsa ætate, non autem Mosis iudicio & delectu secernendi fuissent, cùm canities eorum omnibus esset conspicua. ita S. Gregor. 19. Moral. cap. 13. Adde, parui interesse an vir quis sit ætate, an senex, modò moribus sit senex. De hac senectute ait Sapient. c. 4. 8. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* E contrario puer dicitur, qui prudentia & vita bona destituitur, id est qui insipiens est & impius, etiamsi centum sit annorum, de quali dicit Isaias c. 65. 20. *Quoniam puer centum annorum morietur: puer*, id est *peccator*. posterior enim versus more Hebræo priorem explicat. ita S. Gregorius lib. 19. Moral. 13.

Tria in iudice requisita. Notat Abulensis, in hisce septuaginta iudicibus, & alijs quibusuis tria requiri. Primò, prudentiam tum humanam, tum diuinam; Secundò, iustitiam & rectam conuersationem; Tertiò, grauitatem & reuerentiam personæ. His adde Quartò, fortitudinem, & zelum boni communis, vt nec potentes vereantur, aut ijs adulētur, nec sua, sed reipubl. commoda quærant. Crœsus, quia diues, putabat se felicem, cumque rogaret Solonem, an nō idem sentiret; respondit Solon, neminē ante mortem felicem esse dicendum, eò quòd opibus ac felicitate spoliari possit. Ægrè hoc accepit Crœsus, sicceque ac indotatum dimisit Solonem. Vidit hoc Æsopus & indoluit, dixitque: *O Solon cum regibus aut quàm minimè, aut quàm suauissimè colloquendum est. Nequaquam verò*, inquit Solon, *sed vel minimè, vel rectissimè.* Captus tandem à Cyro Crœsus & rogo adiudicatus, exclamauit: O Solon, nunc experior tuam sententiam esse verissimam.

Themistocles cùm esset prætor, Simonidi Ceo petenti aliquid iniquum respondit: *Neque verò aut tu bonus poëta, si præter carmen aliquid caneres; aut ipse bonus prætor essem, si præterquam quod leges permittunt, tibi gratificarer.*

Pelopidas in bellum domo exiens, vxori ipsum deducenti, ac oranti cū lachrymis vt saluti suæ cōsuleret: *Priuati*, inquit, *ô mulier, de hoc monendi sunt; magistratum verò gerens, vt suos incolumes præstet.* ita refert Plutarch. in Solonis, Themistoclis & Pelopidæ Vita.

VERS. 17. DESCENDAM] inclinando columnam nubis, in qua quasi auriga & dux deliteo & resideo.

AVFERAM DE SPIRITV TVO] non quasi partem tui spiritus diminuam & auferam, atque in hosce septuaginta transferam. hoc enim impossibile est, maximè in accidentibus, & actibus vitalibus: hi enim à subiecto vno in aliud, putà ab anima vna in aliam, transferri nequeunt. hoc etiam tibi, ô Moses, foret incommodum; æquè ac si solus, maiori & ingenti spiritu plenus populum regeres: faciliùs enim mille magno, quàm centum paruo & exili spiritu reguntur. Sed *auferam*, id est accipiam & nouiter producam aliquid *de spiritu tuo*; id est de spiritu qui est in te, vt habent Hebræa & Septuag. aliquid inquam, non idem numero, sed specie; hoc est, aliquid spiritui tuo simile producam, & dabo illis septuaginta senioribus; ita tamen vt tuus spiritus tibi integer maneat: quia æquè vt priùs, totius populi cura tibi deinceps incumbet, etiamsi hos tibi dem adiutores. Sic accipitur, & aufertur lux à lucerna, cùm candela in ea accenditur: lux enim candelæ in lucerna accensæ, nil de lucernæ luce diminuit, sed potiùs eam adauget & propagat. Nam spiritus in Mose erat quasi in lucerna, fonte, capite & exemplari, indeque quasi in alios septuaginta deriuatus est. Vnde Chaldæus vertit, *augebo de spiritu qui est super te, & ponam super eos.* ita Theodor. q. 18. & S. August hîc q. 18. & libr. 5. de Trinitate cap. 14 qui & addit dicens: Sic spiritus Eliæ requieuit super Elisæum, 4 Reg. 2. 15. id est, datus est Elisæo spiritus Dei, qui per eum talia operaretur, qualia per Eliam operabatur.

Quomodo Deus abstulerit aliquid de spiritu Mosis, quod dedit septuaginta.

Vtitur verò Deus hac phrasi elegantiæ causa, quasi Deus, sicut partem oneris ab humeris Mosis ablatam, in alios septuaginta dispertijt; ita similiter ex spiritu Mosis, ad sustinendum illud onus comparato, aliquid acceperit, similemque spiritui Mosis spiritum in eos dispertierit.

Porrò spiritus hic propheticus intelligitur, vt satis colligitur ex v. 25. Ille enim in industria regēdi populi primas tenet. Prophetia enim hîc & alibi generalis est, multaque complectitur, vt dixi 1. Corinth. 14. scilicet, Primò, prudentiam regendi; Secundò, doctrinam & consilium, ad dubia tam iuris & iustitiæ, quàm cæremoniarum & religionis, aliaque quælibet resoluenda. Tertiò, occultorum cognitionem, ad decidendas lites & causas occultas. Quartò, propriè futurorum prænotionem, ad ea vel accersenda, vel præcauenda, & arcenda à populo. Quintò, Dei laudes & hymnos, vti dicam v. 25. *Spiritus propheticus quintuplex.*

SANCTIFICAMINI] Id est, vt Chald. præparamini, mundando videlicet, & lustrando vos ad epulum cæleste, quasi ad diuinas sacrasque coturnicum carnes comedendas, quas cras vobis afflabo. VERS. 18.

VT DET VOBIS DOMINVS CARNES] scilicet ob gulam, & murmur vestrum, ideoque dabit ille quidem vobis carnes, sed in vestram perniciem ita Vatablus & Abulens. Estque enallage personæ: loquitur enim Deus de se in tertia persona, q. d. Itaque ego Deus dabo vobis carnes.

ET COMEDATIS, &c. MENSEM DIERVM] id est mense integro, seu omnibus mensis diebus. ita & Vatablus. VERS. 18. & 20.

DONEC EXEAT PER NARES VESTRAS, ET VERTATVR IN NAVSEAM] q. d. Donec ex nimia voracitate stomachus vester carnes eructet, naresque vestræ eas efflent, tandemque carnes sint vobis in nauseam & alienationem. Hoc enim propriè significat Hebræum זָרָא *zara*, licet Chald. vertat, VERS. 20.

offendiculum; Septuag. *choleram*: sed hi non tam verbi propriam significationem, quàm paraphrasticè sensum, & rem ipsam interpretantur.

Docet Vlysses Aldrouandus Ornithol. libr. 13. cap. 22. coturnices, præsertim pinguiores, si sæpius & largiùs comedantur, generare sanguinem putredinalem, atque crassos, pituitosos & viscosos humores, qui nati sunt epilepsiam, tetanum, similesque morbos procreare. Hinc Hebræis iis se ingurgitantibus nauseam, aliosque morbos pepererunt. Ita & Hieron. Fracastorius libr. 2. de Morbo Gall. cùm ait:

Vitetur q; grauis coturnix t arda sagina.

Veteres coturnices à mensis remouebant, quòd veneno alantur, putarentque se pariter veneno inficiendos, si eas ederent. Sed hoc refellit Aldrouandus; vbi & refutat sententiam Galeni & Plinij dicentium, se multos obseruasse, qui ex coturnicum esu musculorum distensionibus & spasmo corriperentur, quoniam veratro, inquiunt, vescuntur aues istæ.

Remedium gulæ efficax. Est hoc singulare remedium ad auersandam libidinem, gulam & crapulam; si quis intueatur sordes, phlegmata, vomitus, nauseam, & cetera quæ ex ea sequuntur. Ita in Vitis Patr. l. 5. tit. 5. nu. 22. fecit Eremita ille, qui tentatus spiritu fornicationis circa certam feminam, vbi eam mortuam audiuit, adiit & aperuit sepulchrum eius, atque pallio suo detersit saniem putrefacti cadaueris: mox rediens in eremum, ingruente fœda suggestione, fœtorem illius infecti pallij intuitus est, dicens: *Ecce habes quod quærebas, satia te ex eo.* Et ita hoc fœtido panno cruciabat se, donec recederet ista libidinosa cogitatio. Si enim corpus gulosum ijs sordibus punitur, quibus punietur gulosa anima? Rectè ergo dixit August. apud Possidon. in Vita eius, c. 22. *Non ego immunditiem obsonij timeo, sed immunditiem cupiditatis.*

Hinc in Vitis Patr. lib. 5. t. 5. n. 23 monacho cuidam, qui carnalem tentationem labore & ieiunio superauerat, apparuit dæmon carnalis concupiscentiæ incentor, specie Æthiopissæ turpis & fœtidæ, ita vt fœtorem eius ferre non posset. porrò Æthiopissa hæc dicebat ei: *Ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo; sed propter obedientiam tuã, & laborem quem sustines, non permisit Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum.*

Ita B. Iacoponus orexi bubulæ carnis tentatus, eam comparauit, ac in cubiculo seruauit, donec putresceret, & horrendè fœteret per totum ambulacrum, quam ille deinde olfaciebat, & quasi rem odoratissimam basiabatur. Ob hunc fœtorem excitatum, à Superiore in locum fœtentissimum est deiectus, vbi Deo assiduè gratias agebat. Apparuit ei Christus eum consolãs, dicensque: *Posce quod optas, & impetrabis.* tum ille: *Peto Domine, vt me in locum isto longè fœtidiorem conijcias, vt in eo mea expiem peccata. nam hic mihi nimis tolerabilis est.* Mox Christus insolita eum perfudit consolatione, eique gratiam dedit, vt deinceps omnibus malis, ærumnis & tormentis huius vitæ esset superior; atque in assidua quasi Dei contemplatione defixus, & quasi raptus existeret. Idem initio vt gulam domaret, absynthio, quasi sale, ad cibos vtebatur, eosque inficiebat, donec eò perueniret, vt saporem cibi in vnum Deum referret, ita vt tandem nihil, nisi Deus, illi saperet.

EO QVOD REPVLERITIS DOMINVM] eò quòd manna, vtpote ingens Domini donum, repulistis, & quia liberationis, qua Dominus ex Ægypto vos eduxit, vos pœnitet.

SEXCENTA MILLIA PEDITVM HVIVS POPVLI SVNT] *Peditum*, scilicet armatorum Hebræorum: nam feminarum, puerorum, seruorum & Ægyptiorum numerus facilè excrescebat ad trigesies centena millia. VERS. 21.

NVMQVID MANVS (id est potestas) DOMINI INVALIDA EST?] Deus hic per omnipotentiæ suæ oppositionem, respondet dubitationi Mosis. Ipse enim perturbatus, motus quosdam dubitationis & diffidentiæ in Deum ostendit, licet ob perturbationem & inconsiderationem non grauiter peccarit. S. Augustin. tamen putat, Mosen non de re promissa, sed de eius exequendæ modo tantùm dubitasse, vti dubitauit & B. Virgo dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* VERS. 23.

PROPHETAVERVNT] Quæres, quid & quomodo? Respondent Rabbini, hos septuaginta seniores prophetasse de morte Mosis in deserto, & de successione Iosue in principatu populi. id coniiciũt ex eo quòd Iosue dixit Mosi: *Prohibe eos.* Sed hæc sunt eorum commenta, imò figmenta. VERS. 25.

Alij verisimiliùs respondent, eos prophetasse aliquid de eo, quod pertinebat ad gubernationem populi. Tertiò & optimè, Abulen. prophetabant, inquit, id est ex Dei instinctu Deum Deique laudes celebrabant. Sic enim Saul dicitur prophetasse, cùm quasi enthusiasmo actus Dei laudes cecinit, 1. Reg. 10. Sic & cantores atque psalmistæ vocantur Prophetæ, dicunturque prophetare in citharis, psalteriis & cymbalis, 1. Paral. 16. hic enim spiritus signum erat & pars prophetiæ generalis, de qua dixi v. 17. *Prophetæ vocantur cantores.*

NEC VLTRA CESSAVERVNT] Pro *cessauerunt*, Hebr. יָסָפוּ *iasaphu*, id est addiderunt. ita Septuag. Theodor. hic q. 20. & Vatabl. vnde sequitur, hos septuaginta illo die tantùm prophetasse, non vltrà. Verùm noster Interpres, & Chald. alijs punctis legerunt יָסֻפוּ *iasupu*, id est defecerunt, cessauerunt, à rad. סוּף *suph*, vel אָסַף *asaph*, id est finiuit, defecit, cessauit. Idque verius est: nam hoc spiritu (licet non quoad Dei laudes & cantum, tamen quoad alias eius partes, de quibus dixi v. 17.) continuò indigebant hi septuaginta ad regimen, & ad lites populi decidendas. Semper ergo habuerunt spiritum propheticum, quasi in habitu sibi paratum, & assistentem; licet actu non semper prophetarent, sed tunc tantùm, cùm quæstionibus populi respondere debebant. Tunc enim Deus eis interiùs loquebatur, & inspirabat quid dicendum vel agendum esset, perinde vt inspirabat Prophetis ea, quæ dicere vel agere debebant.

ELDAD ET MEDAD PROPHETANT IN CASTRIS] VERS. 27.
Fabulantur Iudæi, hos duos fuisse fratres Mosis, ex eodem patre, scilicet Amram, sed ex alia matre. Amram enim post datam legem Leuit. 18. 12. repudiasse Iochabed vxorem suam, vtpote amitam suam, tuncque aliam duxisse, ex eaque genuisse Eldad & Medad. Nam vt alia taceam, quæ hic congerit Abulens. si id esset verum, Eldad & Medad fuissent hoc tempore infantes vnius anni, quomodo ergo prophetassent? nam lex illa Leuit. 18. data est hoc eodem anno, qui fuit secundus ab egressu ex Ægypto.

Nota, τὸ *in castris*: alij enim sexaginta octo prophetabant præsente Mose in tabernaculo, idque videbat

videbat Iosue, vnde eis non inuidit; quia videbat Mose volente & agente eos prophetare, nec per eos aliquid Mosis honori decedere, vtpote qui Mosi coniuncti & subiecti, ab eo hunc spiritum acciperent: alij verò duo in castris prophetantes, à Mose erant disiuncti, eoque absente & inscio, saltem vti putabat Iosue, prophetabant: vnde timebat Iosue ne auctoritati & gloriæ Mosis officerent. ita Abulens.

Extabat olim liber oraculorũ Eldad & Medad, ex quo Hermas Pauli discipulus, in 1. libro qui dicitur Pastor, cap. 2. hæc habet: *Propè est Dominus his, qui se ad eum conuertunt, sicut scriptũ est in Eldad & Medad, qui vaticinati sunt in solitudine populo.*

VERS. 28. STATIM IOSVE FILIVS NVN, MINISTER MOYSI, ET ELECTVS E PLVRIBVS] Licet enim Moses plures haberet famulos, nullum tamen fideliorem, familiariorem, magisque strenuum habebat, quàm Iosue. vnde & eum sibi successorem designauit.

AIT: DOMINE MI MOYSES, PROHIBE EOS] Æmulatione aliqua, vel inuidia dixit hoc Iosue, timens scilicet, ne Mosis gloria & auctoritas minueretur, si alij etiam, æquè vt Moses prophetarent, maximè in castris, nescio vel inuito Mose, vti putabat Iosue. Venialis tamen fuit hæc culpa: quia non suam, sed Mosis ducis & domini sui spectabat gloriam, & populi bonum. Patent hæc ex responsione Mosis. Chald. vertit, *mitte eos in carcerem*, & ita ex Hebræo verti potest.

VERS. 29. AT ILLE: QVID, INQVIT, ÆMVLARIS PRO ME? QVIS TRIBVAT VT OMNIS POPVLVS PROPHETET?] Hũc spiritum charitatis imitentur omnes Prælati, Doctores, concionatores, qui non suam, sed Dei vnius gloriam quærunt, petuntque quod Martha petijt à Christo: *Dic sorori, vt adiuuet me.*

Hic liberalis & regius est animus, qui suos honores cum amicis communicat. ita Alexander, cùm Darij vxor captiua salutasset Hephæstionem pro Alexandro, illaque cognito errore pudefieret, dixit: *Non errasti, & ipse Alexander est.* Rursum Mazæi, cuius apud Darium summa fuerat gratia, filio satrapiæ præfecto alteram adiecit ampliorem. At ille recusans, ait: *Tunc, ô rex, vnus erat Darius; nunc tu multos effecisti Alexandros.* ita Plutarch. in Alexandro.

VERS. 30. REVERSVSQVE EST MOYSES IN CASTRA] scilicet ex tabernaculo, quod erat in medio castrorũ, ad ipsa circumiacentia populi castra egressus est.

VERS. 31. VENTVS AVTEM EGREDIENS A DOMINO] q.d. Ventus à Domino recenter, præter naturæ ordinem, productus afflauit coturnices. Similis phrasis est Genes. 1. v. 2. Exodi 10. 19. Fuit hæc alia missio coturnicum ab ea de qua Exodi 16. v. 13. Illa enim paulò post egressum ex Ægypto, primo anno contigit in octaua mansione, quæ fuit in Sin: hæc verò contigit secundo anno, in decima tertia mansione, quæ fuit in Sepulchris concupiscentiæ.

Bis coturnices datæ Hebræis.

ARREPTANS TRANS MARE (rubrum, quod iam transierant) COTVRNICES DETVLIT] Vnde psalm. 77. 26. ventus hic afflans coturnices dicitur fuisse Africus, siue Libycus, qui partim Occidẽtalis, partim Meridionalis est: nam mare rubrum tali situ respiciebat desertum. Vnde & Ioseph. has coturnices, non ex Ortygijs insulis, vtpote quæ longè aberant (erant enim sitæ in Græcia) sed ex sinu Arabico, qui ijs abundat, afflatas asserit. Hic ergo ventus non tam naturalis fuit, quàm miraculosus, & opus potentiæ Dei. Nam Plinius libr. 10. 23. asserit coturnices naturaliter volare flante, non Austro, vtpote humido & grauiore, sed Aquilone.

Nota. Hic ventus, & consequenter hæ coturnices afflatæ sunt ab angelo, vel potiùs angelis pluribus: imò Abulens. putat singulas coturnices à singulis angelis esse adductas. Nam vnus angelus, inquit, non poterat virtutem suam impulsiuam extendere per multas, eò quòd essent discontinuæ. Verùm hoc est falsum: sic enim multa millia, imò milliones angelorum occupari debuissent in hac coturnicum adductione. Idem ergo angelus poterat multas adducere, videlicet omnes quæ erant intra sphæram suæ actiuitatis, esto essent discontinuæ. Si enim homines simul mouere possunt plura, quæ sunt discontinua, ergo multò magis angeli.

Abulensis putat singulas coturnices à singulis angelis adductas.

COTVRNICES] Septuag. vertunt *ortygometram*, ita vertit & noster Interpres Sapient. 16. v. 2. licet enim Vlysses Aldrouandus ortygometram à coturnice distinguat, tamen Scriptura pro eodem hîc & alibi accipit.

Quæres, cur coturnices vocantur ortygometra?

Coturnices dicuntur ortygometra, cur?

Primò, Isidorus libr. 12. Etymol. 7. & Abulens. hanc dant causam, quòd hæc auis primùm sit visa in insulis Ortygijs, hinc dici ὄρτυγα. sed cur dicitur ortygometra?

Responsio Prima

Secundò, Iansenius in Sap. c. 16. respondet, ortygometram dici ducem coturnicum, quasi μέτρον ὄρτυγος eò quòd metron, id est mensura & moderatrix, sit coturnicum. verùm μέτρον per ε psilon, ὀρτυγομήτρα verò per η scribitur.

Secunda.

Tertiò ergo & genuinè, ortygometra dicitur quasi ὀρτύγων, id est coturnicum, μήτηρ, id est mater, vel μήτρα, id est matrix. vnde & Aristot. lib. 8. Hist. anim. eam absolutè μήτραν vocat. Est enim ortygometra ipse rex coturnicum, qui aliis coturnicibus maior & nigrior cæteris præit, quem ipsæ sequuntur vt ducem, non aliter quàm apes suum regem. Sub duce ergo totum exercitum coturnicum accipe. vbi enim est dux, ibi est exercitus. vnde Isidorus: *Ortygometra*, ait, *est coturnix quæ gregem ducit*, & Plinius eam *coturnicum ducem* vocat: vnde & vulgò gallicè eam vocamus, *Roy ou mere des cailles*.

Tertia, & vera.

Quartò, Hesychius in Lexico, & Petr. Nannius in Sap. cap. 16. video, inquit, illud parelcon μήτρα adiungi quibusdam animalibus, quando grandiora in eo genere designantur, vt echinometra est echinus grandior & spinosior, de quo Plinius lib. 9. c. 21. leonimetra est leo grandior, de quo Gesnerus in leone. sic ortygometra est coturnix maior. Satis enim est verisimile, coturnices hasce miraculosas, quasi Dei opus, fuisse alijs maiores & excellentiores. Verùm sic potiùs vocarentur ortygometræ in plurali, iam autem vocatur ortygometra in singulari: quare tertia explicatio iam data verior est & solidior.

Quarta.

Quæres Secundò, cur Deus Hebræis petentibus carnes, potiùs coturnices dedit, quàm columbas, oues, anseres, &c. Respondeo Primò, Quia coturnices in copia ad manum erant. Abundant enim in sinu Arabico, qui Hebræis vicinus erat, teste Iosepho. Secundò, quia coturnicum caro excellens & delicata est, præsertim eo loco: Deum autem decet dare excellentia. ita Abulensis.

Cur Deus coturnices dedit, non anseres?

Addit

Addit Galenus & Aldrouandus coturnices epilepsiæ mederi, ideoque Herculem coturnices secum vexisse, quocumque iter faceret, vt per eas epilepsiæ suæ mederetur. vnde Poëta:

Seruauit Herculem coturnix strenuum.

Mysticè S. Cyrill. libr. 3. in Ioan. cap. 34. docet coturnices denotasse legem veterem. *Numquam enim*, inquit, *auis hæc volatu effertur, sed prope terram semper volat. Nam & disciplina legis terrestris quodammodo est, animalium oblationes, & purificationes continens Iudaicas, quibus illi non multùm à terra leuabantur.*

Rursum Beda in cap. 23. Exodi, per coturnices intelligit prædicationes diuinitus missas, quæ trãscurrunt per verba sonantia, quasi per aëra volatilia pennata, quibus per fidem pascantur hi, qui ad patriam regni cælestis peruenire contendunt. Atque subiungit: *Potest*, inquit, *& volucrum esca significare legis eloquia, quæ plebem carnalem tamquã carne alebat, per verba diuinitus missa quasi volatilia.*

Tropologicè, coturnicum ex vna regione in aliam migratio, significat eos qui se hîc æstimant peregrinos, & toto corde ad cælum suspirant. Illæ enim gregatim volant & ducem eligunt itineris: hi simul degere gaudent, & ducem vnum sequuntur. Illæ Austrum vitant, & Aquilonem quærunt: hi carnales huius mundi prosperitates fugiunt, abstinentiam & pœnitentiam sectantur. Illæ duce gregis ab accipitre occiso, alieni generis alium sibi in ducem adoptant: hi Adamo parente & duce à diabolo seducto & occiso, ducem alterius generis & naturæ, scilicet Christum, eligunt & sequũtur. ita Aldrouandus Ornithologiæ lib. 13. c. 22.

Demisit in castra] decidere fecit in castra circumcirca, per spatium vnius diætæ.

Eas comederunt non tantùm impij, sed & pij. Notat Abulensis, non tantùm impios murmuratores, sed etiam viros iustos ex hisce coturnicibus comedisse. Erat enim hoc Dei beneficium generale omnibus, & vel maximè iustis datum ad fruendum. Totus enim populus ex hisce coturnicibus comedit: neque eas comedendo vlli (etiamsi antè murmurassent) peccarunt, nisi fortè gulosiùs eas comedendo, sed tantùm peccarunt murmurando, & murmuratoriè eas flagitando. Idem fuit in manna, quod pariter ob murmur datum est: illud tamen postea omnes licitè comederunt per 40. annos, Exodi 16. nam, vt ait Abulensis, populus quidem peccauit, per murmur petendo manna & carnes; causa tamen ea à Deo impetrandi, non fuit peccatum (peccatum enim murmuris huius rei non causa fuit, sed tantùm occasio) sed bonitas Dei, & bonitas quorumdam iustorum non murmurantium, nec petentium escas, quibus Deus voluit compati, & liberaliter benefacere. Vnde Rabanus ait: *Carnalis populus Iudæorum spreto cælesti cibo carnes desiderauit, sed Deus ita iudicium contemperauit, vt puniret malos, nec fragilibus alimoniam denegaret.*

Vers. 32. Congregavit coturnicum multitudinem; qui parum, decem coros] Corus continebat 30. modios, siue mensuras olim communes: 10. ergo cori faciebant 300. modios Romanos: quisque enim collegit tantum, quantum ad mensem victui sufficeret. iam si quisque tantum collegerit, cogita quàm immensa fuerit coturnicum multitudo: nam colligentes eas erant facilè duo milliones hominum. Demus enim in quolibet modio fuisse tantùm viginti coturnices, perinde ac

A modius continet 20. libras frumenti: hinc sequetur, quòd quisque colligens 300. modios, collegerit sex millia coturnicum; ac consequenter, quòd vnus hominum millio collegerit sex millia millionum; duo verò milliones hominum collegerint duodecim millia millionum coturnicum. Ecce quàm diues in misericordia, & liberalis in beneficiis suis est Deus. tales simus & nos in eleëmosynis. Deus enim hîc Iudæorum non tantùm fami & gulæ, sed & oculis auaritiæque abunde satisfacere volens, tantam copiam coturnicum eis misit, quæ non tantùm ad mensem, vti promiserat Moses v. 20. sed & ad multos menses sufficere posset. Diuide enim sex millia coturnicum per dies, tribuendo cuique diei 25. coturnices (quis enim plures voret vno die?) inuenies sex millia coturnicum suffecisse cuique ad victũ per 240. dies, *Quot coturnices quisque per diem comedit.*

B qui faciunt menses octo. Si enim vno mense absumpsissent sex millia, quolibet die vorare debuisset quisque ducentas coturnices, quot ne Polyphemus quidem vorare potuisset. Mensem ergo statuit esui earum v. 20. quia mense exacto statuerat hanc earum gulam & murmur castigare, & morte punire.

Et siccaverunt eas] Hebr. *expandendo expanderunt eas per gyrum*, scilicet siccandi causa, vt eas asseruarent in futurum, ne putrescerent: nam per mensem integrum eas comederunt.

Adhvc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus, et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis] q. d. Continuò vescebantur Hebræi carnibus, nec deficiebant, videlicet ad mensem integrum, vt promiserat Dominus v. 20. voluit enim Deus priùs præstare promissum suum, quàm punire murmuratores; quos demum in fine mensis, carnibus etiam tunc dentibus suis inhærentes, puniuit plaga letifera. Hinc videtur, plerosque murmurantes gulosè comedisse has coturnices, Deumque tam gulam, quàm murmur eorum puniuisse morte. Vers. 33.

C

Plaga magna nimis] Fuit hæc plaga ignis: qui deinde precibus Mosis repressus & absorptus est, vti dictum est v. 3. Illa enim ad hunc vers. referenda esse, ibidem ostendi. plaga hæc non tetigit iustos, sed solos murmurantes.

Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat] carnes. Visant sæpè hæc Sepulchra concupiscentiæ gulosi, & maximè ebriosi, qui vti rationem, ita & animam & corpus vino sepeliunt: quorum proinde anima cum diuite epulone mox sepelietur in inferno; caro verò ita saginata sepelietur in ventre vermium & bufonum. Vers. 34. *Sepulchra concupiscentiæ gulosorum.*

D

Audiant illud Plutarchi: *Inuicta luxuria mortis supplicio castigatur.* Legant crebrò epitaphium Sardanapali, iam sepulti & putidi:

Hæc habeo quæ edi, quæq; exatiata libido
Hausit; opes, & quæ quondam me cuncta beabant,
Non sunt. sum cinis.

Hic est ergo concupiscentiæ fructus, vt scilicet, sicut ait Apost. 1. Timoth. 6. 9. mergat homines in interitum & perditionem. Quare rectè monet S. Petrus epist. 2. c. 1. 4. fugere concupiscentiæ, quæ in mundo est, corruptionem. & Eccli. 18. v. 30. *Si præstes*, inquit, *animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

Caro-

Carolus Magnus Imper. ebriosum iussit submergi: quia, inquit, hic vini perditor meretur, non vino, sed aqua sepeliri; vt qui vino se mersit, aqua mergatur, & aqua sitim suam expleat.

Alexander Magnus vino se sepeliuit, & occidit: cùm enim poculum ingens (duos congios capiebat) à Protea homine bibacissimo propinatum, bis exhausisset, concidit, decubuit, interijt. testis est Athen l. 10. c. 11.

Ita gula Israelitas in cultu Beelphegor repentina morte mulctauit, Numer. 25. gula ab Esau ius primogenituræ in Iacob trāstulit, Gen. 25. gula Ela gladio Zambri interficiendum obiecit, 3. Reg. 16. v. 9. gula per Iudith caput Holofernis abscidit. gula Simonem Machabæum cum filiis in conuiuio occidit, 1. Machab. 16. Denique Balsasar vino sepultus vidit manum conscribentem mortis & excidij sententiam: *mane, tekel, phares*; eademque nocte regno & vita spoliatus est, Daniel. 5. 25.

Nota. Iosephus hæc subticet, aliaque aliter narrat, vti & aliàs sæpè: quia scribit Gentilibus, quibus suam gentem & religionem commendare cupit. Vnde ea quæ gentem, vel religionem Iudæorum Gentibus vilem & contemptibilem efficere poterant, vel præterit, vel palliat & colorat, vti rectè aduertit Abulensis hîc q. vlt. *Iosephus scripsit multa extollēdo suā gentem.*

Venervnt in Haseroth] Hæc est decima quarta mansio Hebræorum in deserto.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Maria ob murmur contra Mosen lepra corripitur, & castris eiicitur: sed orante pro eâ Mose, post septem dies sanatur & reuocatur.

1. Locutaque est Maria & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam. 2. & dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nónne & nobis similiter est locutus? Quod cùm audisset Dominus, 3. (Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra) 4. statim locutus est ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, 5. descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cùm issent, 6. dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. 7. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: 8. ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? 9. Iratusque contra eos, abiit: 10. nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, 11. ait ad Moysen: Obsecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stultè commisimus, 12. ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum quod proiicitur de vulua matris suæ, ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra. 13. Clamauitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam. 14. Cui respondit Dominus: Si pater eius spuisset in faciem illius, nónne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur. 15. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.

Vers. 1. Locvtaqve est Maria et Aaron contra Moysen, propter vxorem eivs Æthiopissam] Quæres, quænam hæc Æthiopissa? Iosephus libr. 2. Antiqu. 10. & ex eo Euseb. Isidorus, & alij narrant Mosen, cùm adhuc in paterna Pharaonis domo ageret, gessisse bellum pro Ægyptiis contra Æthiopes, eosque subiugasse proditione Tharbis, filiæ regis Æthiopum, quam proinde Moses vxorem duxerit, & hanc esse Æthiopissam. *Vxor Mosis Æthiopissa, quæ?*

Verùm huius belli & victoriæ æquè ac vxoris Mosis, non meminit Script. sed solius Sephoræ. Dico ergo, Sephoram hic vocari Æthiopissam: quia erat Madianitis. Madianitæ enim in Script. vocantur Æthiopes, vt patet Habacuc 3. v. 7 & 2. Paral. 14. v. 10. 11. Duplex enim in Script. est Æthiopia, scilicet vna Occidentalis vltra Ægyptum, putà Abyssia, vbi modò regnat Preto-Ioannes, quæ sola iam vocatur Æthiopia. altera Orientalis, quæ est Arabia, in qua habitabant Ismaëlitæ, Amalecitæ, Madianitæ, &c. hi ergo vocantur Æthiopes. ita S. Augusti. hîc q. 20. Theodoret. q. 22. Raban. Rupert. Lyran. Abulens. Eugub. Vatabl. & Oleaster. *Est Sephora Madianitis. Æthiopia duplex.*

In hoc coniugio Mosis cum Æthiopissa, figurabatur Allegoricè coniugium Christi cum Ecclesia Gentium; Tropolog. coniugium Verbi cū anima peccatrice, inquit S. Bernard. serm. 39 in Cantica. *Allegor. Tropolog.*

Quæres Secundò, cur contra Mosen ob Sephoram insurrexerit Maria, & Aaron? Verisimile est, quod ait Abulens. Sephoram more muliebri (hic enim sexus, cùm sit imbecillis ingenij & iudicij, ambitiosus est, & sui honoris studiosus) voluisse se præferre Mariæ, eò quòd vxor esset Mosis, Mosenque suum, quasi populi ducem, verbis extulisse, ac præposuisse Mariæ & Aaroni: qua re primū concitata Maria, deinde Aaron, se erigere cœperunt, volētes se nō tantùm Sephoræ, sed & Mosi æquare, iactitādo se tā nobiles esse Prophetas quàm erat Moses. Id ita esse colligitur tum ex v. seq. tum ex *Causa murmuris Mariæ.*

maledictis onerarunt; hodie gratis id abs te patior. Attonitus Atheniensis, Ingredere, inquit, vrbem, dignus es cœtu sapientum.

A

Tertius, Doce me, Pater, inquit, vnum aliquid quod custodiam, vt potiar cælo. *Potesne*, inquit senior, *conuitia pati?* perinde quasi caput salutis in miti tolerantia contemptus & despicientiæ consisteret. idque meritò, cùm Christus dicat: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Quarta, S. Amma in monasterio virginum quasi stulta, risibus & ludibrijs omnium exposita, cùm id mansuetè & hilariter ferret, à S. Pitirione Dei instinctu declarata est esse totius monasterij sapientissima, æquè ac sanctissima, vti refert Palladius in Lausiaca c.42.

Quintus, Abbas Pimenius in Vitis Patrum l.7. c.37. *Iniuriam*, inquit, *ferre, nec paria respondere, est animam ponere pro proximo.*

B

Sextus, Abbas Macarius ibidem: *Culpa*, inquit, *est monachi, si læsus à fratribus, primus in charitate purgato corde non occurrit. Sicut enim Sunamitis suscepit Elisæum, quia cum nullo causam habebat: ita anima quieta recipit Spiritum sanctum, si cum nullo litem aut offensam seruet.*

Septimus, Abbas Ioannes ibidem l.6.c.4.n.12. *Porta cæli*, inquit, *est iniuriarū perpessio, & patres nostri per multas iniurias in ea gratulantes ingressi sunt.*

Octauus, senex alius rogatus à discipulo: *Da mihi, Pater, vnam rem, quam custodiam, & saluer per eam*; respondit, *Si potueris iniuriari & affici conuitijs, & portare ac tacere: magna est res hæc, & super alia mandata.* ibidem lib.3.n.85.

Nonus, Abbas Antonius fratrem ab alijs laudatùm tentauit, & reperit quòd non sufferret iniuriam, dixitque ei: *Tu similis es ædificio, quod quamuis habeat ingressum ornatum, per posticia tamen à latronibus expugnatur.* ibidem n.88.

Decimus, Monachus post conuitia alapa cæsus à philosopho, mox aliam maxillam ei præbuit. tum ille adorauit eum, dicens: *Verè monachus es.* ibidem lib.5.c.16.n.16.

Vndecimus, Ammonius audiuit sibi prædici à S. Antonio: *Tu ad hanc mensuram peruenies, vt nullam tibi fieri arbitreris iniuriam, sed ad omnem insensibilis fias vt lapis.* ibidem l.7.c.9.

VERS. 6. SI QVIS FVERIT INTER VOS PROPHETA DOMINI, IN VISIONE APPAREBO EI, VEL PER SOMNIVM] *In visione*, id est in imaginaria, vel intellectuali repræsentatione, & raptu. Tacitè hic innuit Deus Mariam & Aaronem fuisse Prophetas, eosque nonnullas à Deo visiones & reuelationes accepisse, sed non tot, nec tales, quales indies accipiebat Moses.

Prophetiæ species quinque iuxta Eugubinum.

Notat Eugubinus quinque hic distingui prophetiæ species. Prima est, quæ fit בַּמַּרְאָה *bemare*, id est *in visione*; Secunda per somnium; Tertia in ænigmate, cùm aliud videtur, aliud innuitur, vti erat cùm Ieremias c.1. vidit ollam accensam, cùm librum comederet Ezechiel c.2.8. & S. Ioannes Apocal.10. v.10. Quarta per figuras, cùm rerum imagines intuemur, cùm acies, cùm choros, cùm pompas, cùm præclarissima quædam conspicimus. hæ quatuor fiunt per abstractionem à sensibus, qua fit vt neque audiamus, neque tangamus; sed tota mens in visiones has abripiatur. Quinta est, cùm sensu & statu corporis immutato, allocutio diuina fit homini; quo modo Deus angelos alloquitur & allocutus est Mosen & paucos alios.

Moses præcelluit omnibus Prophetis, in quot

In hoc ergo sui temporis Prophetas dicitur hic superasse Moses, quòd palàm & ore ad os præsens cum præsente passim & familiariter cum Deo colloqueretur, &, vt ex hoc loco videtur, corporea specie etiam Deum (id est angelum, Deum repræsentantem) videret, maximè postquam vidit eius gloriam in Sina, Exodi 34.v.6. cæteris verò Prophetis Deus rariùs loqueretur, & non familiariter, neque per se, sed per alias species & figuras, quas Propheris obijciebat.

Iudæi in suæ fidei Symbolo, quod edidit Genebrardus in fine chronologiæ vlt. edit. asserunt Mosen præcelluisse aliis Prophetis in hisce quatuor; Primò, quòd Deus Mosi per se, alijs verò per angelum loqueretur; Secundò, quòd alijs noctu, Mosi interdiu loqueretur; Tertiò, omnes alij audientes angelum horrore & tremore concutiebantur, ita vt penè exanimarentur, vti contigit Danieli c.10.8. Moses nil tale patiebatur. Quartò, quòd Moses prophetabat quandocumquè volebat, cæteri non nisi eo tempore quo afflabantur Spiritu Dei: vnde sæpè multos menses & annos cessabant, quia à Spiritu non docebantur. Verùm hæc partim falsa, partim futilia & Iudaica sunt: quædam tamen vera ijs de more permista sunt.

Ex dictis patet, nullum ex hoc loco argumentum posse colligi pro eorum sententia, qui volunt Mosen hic vidisse diuinam essentiam. Nam nihil noui hic de Mose dicitur, nec vlla noua eius visio hic profertur, sed vsitatum eius cum Deo colloquium (quod Exodi 34.6. & alibi sæpè descriptum est) iteratò hic commemoratur. vide dicta Exodi 33. & 34.

C

QVI IN OMNI DOMO MEA FIDELISSIMVS EST] VERS. 7.
q.d. In tota Ecclesia mea, id est in toto cœtu Israel, nullus est Mose fidelior; hebr. est, *fidelis ipse*, vbi rò *ipse*, emphasim habet, quasi dicat, Fidelis ipse est antonomasticè & per excellentiam.

ET (per) FIGVRAS DOMINVM VIDET] Hæc in VERS. 8.
Hebræo fecerunt recentiores accentu distinguente à præcedentibus, vertuntque, *& similitudinem Domini videt.* q.d. Moses videt speciem Dei corpoream, in qua Deus se illi videndum exhibet. ita & Chald. & Septuaginta, qui vertunt, *& gloriam Domini vidit*, videlicet Exodi 34.v.6. Verùm Hebræa non habent præteritum, sed futurum, quod hic, vti aliàs sæpè, pro præsenti capitur. Omnium versionum, licet verbis discrepantium, sensus eòdem redit.

NVBES QVOQVE RECESSIT] non procedendo VERS. 10.
D & præeundo; sic enim signum fuisset mouenda esse castra: sed ascendendo supra tabernaculum; sic enim signum erat Dei irati, & abeuntis à Maria & Aarone.

ET ECCE MARIA APPARVIT CANDENS LEPRA QVASI NIX] Vide hic lepram esse pœnam rebellium & murmurantium contra Prælatos, vti dixi Leuitici 13. initio. Porrò congrua hæc est murmuris pœna; nam murmur instar lepræ proserpit, & inficit totum corpus, putà totam congregationem & cœtum. Vnde sicut leprosi Leuit.13. iubentur è castris eiici, & seorsim extra castra habitare; ita eiicitur hic è castris murmuratrix Maria, ne illa suo murmure suaque lepra inficiat.

Moral. de malitia detractionis.

Audi S. Ephrem agentem de morbo linguæ: *Ex teterrima*, inquit, *Maria prophetissa lepra docemur, quàm graue ac detestabile vitium sit obtrectatio.*

Corpus

Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus. nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab ipsa proprium corpus defecit, vt ex semetipsa charitatem addisceret. Vide Origenem hîc homil. 7. item S. Chrysostomum homil. in psal. 100. vbi inter cætera ait: *Graue malum est detractio, turbulentus dæmon, nec vmquam pacatum hominem reddens. Ex ea odia pullulant, iurgia conflantur, dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur: sine vlla causa hostem reddit, qui paulò antè amicus erat: vniuersas domos subuertit, & pacatas vrbes ad bellum excitat: pulchra pacis vincula dissoluit, magnæ charitatis nodum infringit. Qui detractioni studet, diabolo seruit; vtpote qui calumniæ opera exequatur. Quare detractor tamquam mendax & fur est propellendus.*

A

S. Hieron. ad Rusticum, *Nulli*, ait, *vmquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione laudabilem te videri velis; magisque vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere.*

S. Augustinus, teste Possidonio in eius Vita cap. 22. contra pestilentiam humanæ consuetudinis hoc distichon suæ mensæ asscripsit:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Vnde & coëpiscopos quosdam sibi familiarissimos, illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit, vt diceret aut delendos illos versus de mensa, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum: quod ego & alij qui mensæ illi interfuerunt, experti sumus. ita Possidon. vide aduersus detractores eumdem S. August. epist. 137. & in psal. 54. & 92.

S. Ioannes Eleëmosynarius Patriarcha Alexãdrinus, etiam publicè peccantes taxari vetabat: *Nam fieri*, inquit, *potest, vt peccatum pœnitendo deleuerint. Iniquum est autem id ab homine petulanter exprobrari, quod à Deo clementer est condonatum.*

Verè Sapiens linguam maledicam comparat serpenti: *Si mordeat*, inquit, *serpens in silentio, nihil minus habet, qui occultè detrahit*, Eccli. 10.

Detractor, & libens auditor, vterque diabolum portat lingua, ait S. Bernard. in serm. Hoc est officium dæmonis, qui inde vocatur diabolus, id est calumniator.

Idem, *Lingua detractoris*, ait, *est vipera ferocissima, est lancea, quæ tres penetrat ictu vno.* occidit enim animam primò, dicentis; secundò, audientis; tertiò, famam eius cui detrahit. Audi eum serm. de triplici custodia, manus, linguæ & cordis: *Numquid*, ait, *non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Numquid non lancea est ista lingua? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua*, inquit, *eorum gladius acutus. Gladius quidem anceps, imò triceps est lingua detractoris: imò deterior*, ait, *mucrone, quo Dominicum latus confossum est. Leuis, quidem res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit: leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit.*

D

Audi & Gentiles. Cicero in Offic. *Detrahere*, inquit, *alteri, & hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera quæ possunt corpori accidere, aut rebus externis. Nam tollunt conuictum hominum & societatem.*

Horatius in Serm.

Absentem qui rodit amicum,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto.

NE IMPONAS NOBIS HOC PECCATVM] ne imputes nobis peccatum quod commisimus, ne nobis offendaris, néue punias, vel puniri nos à Deo permittas aut consentias; sed parce, & miserere & ignosce, atque ora vt Maria à lepra curetur, vtque lepra eius me, vtpote murmuris eius participem, non inuadat & corripiat. VERS. 11.

B

NE FIAT HÆC QVASI MORTVA] Tum quia lepra serpens, & exedens Mariam, eam sensim mortuæ, vel abortiuo mutilo & deformi similem efficiebat; tum quia lepra erat quasi mors quædam ciuilis: separabat enim hominem ab habitatione & conuictu hominum. VERS. 12.

SI PATER EIVS SPVISSET IN FACIEM EIVS, &c.] q. d. Si pater Mariæ sororis tuæ iratus spuisset in faciem eius, illa præ rubore & reuerentia patris, non auderet accedere ad patrem ante septem dies; quanto magis decet illam ipsam iam, cùm ob peccatum à me lepra notata sit, confundi, & castris arceri, neque ad me in tabernaculum accedere ante septem dies? VERS. 14.

C

SEPARETVR SEPTEM DIEBVS EXTRA CASTRA, ET POSTEA REVOCABITVR] Itaque reipsa per septem dies Maria, quasi leprosa, castris exclusa est: iis elapsis à Deo curata est ac reuocata. Vbi Nota, in eius reuocatione non fuisse obseruatas cæremonias, & expiationes leprosis præscriptas Leuit. 14. Nam ipsa Dei miraculosa sanatio & reuocatio Mariæ, erat sufficiens eiusdem lustratio & expiatio, vt alia legali non indigeret. ita Abulensis.

Vide hîc iustam arrogantiæ pœnam. Erexerat se superbè Maria supra fratrem suum Mosen, ducem castrorum, eumque despexerat: ergo iustè hîc humiliatur, vt quasi infamis & indigna non tantùm conspectu fratris, sed & populi, à castris separetur.

Simile exemplum, & multò magis admirabile refert Raderus noster ex Patrico Græcorum tractat. de Simplicitat. c. 5. de Stylita Edesseno, qui quòd fratrem suum germanum aurum spernentem simplicem iudicasset, & contempsisset; eò quòd ipse idem aurum prudenter, vt sibi videbatur, in viros Religiosos & pauperes erogasset; ab angelo redargutus, ac à fratre suo germano in omnem vitam separatus, iussusque 49. annos stare in columna; post tam longam & duram pœnitentiam, tandem veniam meruit anno quinquagesimo, siue iubileo: tunc enim apparens ei angelus, peccatum ei remissum, eumque Dei gratiæ restitutum nuntiauit, atque insuper mira consolatione & noua Dei benedictione cumulauit.

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses mittit duodecim exploratores in Chananaam: referunt illi in vecte botrum; sed narrantes vrbium & incolarum robur, Hebræos ab ea absterrent, frustra renitente Caleb.

1. PRofectusque est populus de Haseroth, fixis tentorijs in deserto Pharan. 2. ibi-
que locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 3. Mitte viros, qui considerent
terram Chanaan, quam daturus sum filijs Israel, singulos de singulis tribubus, ex prin-
cipibus. 4. Fecit Moyses quod Dominus imperauerat, de deserto Pharan mittens
principes viros, quorum ista sunt nomina. 5. De tribu Ruben, Sammua filium Za-
chur. 6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. 7. De tribu Iuda, Caleb filium Ie-
phone. 8. De tribu Issachar, Igal filium Ioseph. 9. De tribu Ephraim, Osee filium
Nun. 10. De tribu Beniamin, Phalti filium Raphu. 11. De tribu Zabulon, Ged-
diel filium Sodi. 12. De tribu Ioseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. 13. De
tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. 14. De tribu Aser, Sthur filium Michael. 15. De
tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi. 16. De tribu Gad, Guel filium Machi.
17. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram: vocauit-
que Osee filium Nun, Iosue. 18. misit ergo eos Moyses ad considerandam terram
Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad
montes, 19. considerate terram, qualis sit: & populum qui habitator est eius, vtrùm
fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures: 20. ipsa terra, bona an mala: vrbes
quales, muratæ an absque muris: 21. humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque
arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quan-
do iam præcoquæ vuæ vesci possunt. 22. Cumque ascendissent, explorauerunt ter-
ram à deserto Sin, vsque Rohob intrantibus Emath. 23. Ascenderuntque ad meri-
diem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achiman & Sisai & Tholmai filij Enac. nam
Hebron septem annis ante Tanim vrbem Ægypti condita est. 24. Pergentesque vs-
que ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in ve-
cte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt: 25. qui appella-
tus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eò quòd botrum portassent inde filij Israel.
26. Reuersique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita,
27. venerunt ad Moysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum
Pharan, quod est in Cades. Locutique eis & omni multitudini ostenderunt fructus ter-
ræ: 28. & narrauerunt, dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ re ve-
ra fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest: 29. sed cultores fortissimos
habet, & vrbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. 30. Amalec ha-
bitat in meridie, Hethæus & Iebusæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus verò
moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis. 31. Inter hæc Caleb compescens mur-
mur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus terram, quo-
niam poterimus obtinere eam. 32. Alij verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequa-
quam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. 33. Detraxerunt-
que terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustrauimus, de-
uorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. 34. Ibi vidi-
mus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locu-
stæ videbamur.

VERS. 1. PROFECTVSQVE EST POPVLVS DE HASEROTH A (vbi fuit decimaquarta mansio Hebræorum) FIXIS TENTORIIS IN DESERTO PHARAN] q. d. Pergendo figere castra in vasto illo deserto Pharan: nam in eo deinceps sequentes fuere mansiones, vsque ad trigesimamtertiam. hæc porrò decimaquinta, in quam proximè ex Haseroth venerunt, fuit Rethma, vt patet Numer. 33. 48.

VERS. 2. & 3. IBIQVE LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN, DICENS: MITTE VIROS QVI CONSIDERENT TERRAM CHANAAN] Dixit hoc Deus, postquam populus iste diffidens promissis Dei, petijsset mitti exploratores in Chanaan, qui referrent qualis es-

set terra, quàm fertilis, & quàm munita, vt patet Deut. 1. 22. Cùm enim populus id peteret, Moses consuluit Dominum, qui Mosi annuit, iussitque vt faceret idipsum quod populus petebat, vt ex hoc loco patet. *Optimus* enim *est Imperator, qui maximè cognitas habet res hostium*, inquit Chabrias. in bellis enim plurimùm valet secretum. Vnde Metellus rogatus à centurione, quid esset facturus, respondit: *Si scirem tunicam meam consilij mei esse conscium, eam statim exurerem*, inquit Plutarch.

SINGVLOS DE SINGVLIS TRIBVBVS, EX PRINCIPIBVS] non primis & summis, putà ex 12. illis, VERS. 3.
quorum quisque toti tribui suæ præerat. nam illi

aliter vocabantur, vt patet cap. 10. v. 14. sed ex alijs inferioribus, qui primis illis subordinati erant; & fortè ex illis, qui consilio Iethro constituti erant Exodi 18. 25.

VERS. 12. DE TRIBV IOSEPH SCEPTRI MANASSE] Hebr. *de tribu Ioseph tribus Manasse*, seu quoad tribum Manasse. Tribus enim Ioseph duplex erat, scilicet Ephraim & Manasse: vt ergo certam tribum designet, tribum Ioseph determinat per tribum Manasse.

VERS. 17. VOCAVITQVE OSEE FILIVM NVN, IOSVE] Nota. Pro *Nun*, LXX. & passim veteres, qui eos sequuntur, legunt *Naue*, sed corruptè: nam Hebr. Chald. & Latina habent *Nun*, & facilè Græcum ν in υ deprauari potuit, vt pro Νοὺν (quomodo videntur vertisse LXX.) irrepserit Ναυή. Rursum pro *Osee* vel, vt hebr. est, *Hosee*, LXX. vertunt *Ausem*, & ita veteres LXX. secuti, sæpè Iosue vocant *Ausem*. Videntur ergo LXX legisse nomen Hebræum alijs punctis, quasi descendens ab imperatiuo passiuo niphal, verbi ישע *iasca*, id est saluum fecit; videlicet הִוָּשַׁע *hiuuasce*, id est saluare, saluus sis: vnde crasi factum est nomen *hause*, quod Moses mutauit in actiuum *Iehoscua*, id est saluator, vel qui saluum faciet: nisi quis vetus mendum suspicetur cum S. Hieron. initio comment. in Osee, vt pro ὠσὴε legatur αὐσὴ, ω deprauato in αυ, quod charactere ei est affine. Noster enim, & Chald. & alij, passim *Osee* vertunt, non *Ause*. Moses verò *Hosee* nomen mutauit in *Iehoscua*, addita & præfixa ad nomen *Hosee* litera iod. Primò, vt certiorem ipsi Iosue, & populo per ipsum, salutem & victoriam de Chananæis promitteret, quam hac exploratione inchoabat: *hosee* enim verbum significat *salua* (vnde *hosanna* idem est quod salua quæso) *iehoscua* verò, quò alludit *iehoscua*, significat *qui saluabit*. Secundò, vt innueret multa ei bona largiturum Deum, cui primam literam nominis sui tetragrammati, scilicet iod, addidisset. Quò respexisse videtur S. Hieron. in Aggæi cap. 1. & Eusebius 4. Demonstr. cap. vlt. dicens, *iehoscua* idem est quod *iaho iescua*, id est Dei salus, aut saluator, hoc est, datus à Deo ad salutem populi. nam nomen tetragrammatum ipse legit hisce punctis, vt sonet *iaho*. Tertiò denique, quia spiritu prophetico præuidebat Moses, Iosue expressum typum gesturum Iesu Christi, vel nomine, ita re ipsa, & felicissima traductione populi electi in terram promissam. Hinc Eusebius 4 Demonstr. 37. docet Aaron pontificem à Mose vocatum esse Christum, quia typus erat sacerdotij Christi: Ausen verò (vitiosè enim in Eusebio legitur *Nausen*) vocatum à Mose Iosue, quia typus futurus erat principatus Christi. sic & Theodor. quæst. 25. & Tertull. contra Iudæos, & Clemens Alexandr in 1. Pædagogi 7. Iustinus contra Tryphon. pag. 84. Lactantius lib. 4. de Vera sapientia c. 17. Prosper p. 2. Prædict. 4. Origen. homil. 1. in Iosue, Ambros. in psalm 47. Hieron. ad Paulinum, August. lib. 16. contra Faustum cap. 18 Ita Abram futurus pater multorum populorum, à Deo vocatus est Abraham. Præcursor Christi futurus primus gratiæ & Euangelij Christi præco, dictus est Ioannes, id est gratiosus.

Nun deprauatum græcè in Naue.

Iosue dictus est Auses, vnde?

Cur Moses Hosee vocauit Iosue? Prima causa.

Secunda.

Tertia.

Iosue fuit typus Iesu Christi.

Hinc rursum notant Lactantius libr. 4. c. 17. Origen. homil. 11 in Exod. & alij Patres Græci & Latini, quos citat Serarius præfat. in Iosue, quòd

A Moses ei mutarit nomen, eumque pro *Hosee* vocarit *Iosue*, eo tempore, quo dux militiæ contra Amalecitas est constitutus, eosque debellauit. *Iosue* enim significat Saluatorem, qui tamquam dux populi saluauit populum suum: sicut Iesus saluauit homines, pugnando & debellando dæmones, Coloss. 2. 15. Huius rei indicium est, quòd *Iosue* nomen primùm legatur Exodi 17. 9. vbi Iosue dux belli contra Amalec, à Mose constituitur. Alij tamen censent, Osee nomen mutatum fuisse in Iosue hoc tempore, quo designatus est explorator terræ sanctæ. Tunc enim anceps & periculosum terram hostilem explorandi officium suscipiens, euidenti mortis ignominiosæ & acerbæ discrimini (ne scilicet quasi explorator, & proditor à Chananæis torqueretur & excarnificaretur) vltro pro populo se obtulit. Tunc ergo B acer, magnanimus & interritus apparuit, ideoque dignus, qui nouo hoc & augusto nomine donaretur. Ita censent Iustin. contra Tryphon. S. August. lib. 16. contra Faustum cap. 19. Anastasius Nicæn. quæst. 55. Abulensis & Oleaster. Addit S. August. Iosue tunc gessisse typum Iesu Christi, qui abiturus in cælum suis discipulis ait: *Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & assumam vos ad meipsum*, Iohan. 14. 3.

Sic Antiochus primus huius nominis Syriæ rex, ob victoriam de Galatis reportatam, σωτὴρ, id est saluator, est appellatus: atque in pugna tulit in vexillo figuram pentalpha, cum verbo ὑγίεια, id est salus, vt in numismatibus cernitur: atque vsus est pro militari tessera, verbo ὑγιαίνειν, quod *saluum esse* significat; eamque ab Alex- C andro Magno se in somnis iussum vsurpare dixit. testis est Lucian. Apolog. de lapsu in salut. & Pierius hierogl. 47.

Ex quibus omnibus patet, *Iehoscua*, vel per crasin *Iosue*, idem prorsus nomen esse quod *Iescua*, id est Iesus, non verò diuersum, vt volunt Galatin. Pagninus, & Iansen. cap. 7. Concord. idque conuincitur ex eo, quòd passim LXX. Iosephus, & Philo lib. de Charitate, Hebræum *Iescua*, siue *Iosue*, vertunt Ἰησοῦς, id est Iesus. nam Ἰησοῦς Græcis trisyllabum est, eò quòd iota apud eos sit vocalis, quæ Hebræis & Latinis est consonans: deinde punctum tsere sub iod in *Iescua*, vertunt in η: olim enim η sonabat vt ε. ac tertiò gutturalem ע vertunt in ς, lenioris pronuntiationis causa, vti pro *Maschiach* vertunt *Messias*. Deinde, idipsum patet ex Aggæo cap. 1. vers. 1. 12. 14. & c. 2. v. 3. 5. D & ex Zacharia cap 3. v. 1. 3. 8. nam hi duo Iesum pontificem, filium Iosedec (qui etiam fuit typus Christi, qua Pontifex est summus noui testamenti, vt patet Zachar. 3 versibus citatis) Iesum nominant, qui tamen ab Esdra l. 1. cap 3. v. 2. 8 9. & c. 4. v. 3. in Hebræo, & nostra versione vocatur Iosue. Denique, vtriusque huius nominis in Hebræo eædem sunt literæ, & eadem radix, videlicet ישע *iasca*, id est saluum fecit: vnde *Iosue* vel *Iesus* idem est, quod saluator.

Iosue idem est quod Iesus.

Iosue vel Iesus idem est quod Saluator.

Hinc patet Primò, falli eos qui nomen Iesus à Græco verbo ἰάω, id est sano; vel à Syro אסא *asa*, id est sano, deducunt; quasi Ἰησοῦς idem sit quod ἰατρὸς, id est medicus. ita Epiphan. hæresi 29. *Iesus*, ait, *Hebraica lingua curator appellatur, aut medicus & saluator*. Sic & à Græco ἰάω nomen Ἰησοῦς deducit Basil. in asceticis, & Cyrill. catechesi 10. sub finem.

Iesus est nomen Hebræum, non Syrum.

Vbi

Vbi tamen Nota, quòd, licet hæc non sit vera etymi ratio, recta tamen nominis sit adaptatio & accommodatio.

Patet Secundò, hebraicè scribendum esse ישוע *iescua*, vt vltima sit *ain*, non verò ישו *Iesu*, vti Iudæi scribunt, vel ob contemptum, vel ob Syram decurtationem: non etiam scribendum esse ישועה *Iescuah*, per *he*, in fine; quia hoc salutem, Iesus autem Saluatorem significat.

Iesus non est idem quod Iehoua.

Patet Tertiò, nomen Iesus non esse idem cum nomine tetragrammato, nec ab eo sola litera *schin* inserta differre, vti quidam è Nouatorum grege, putà Lucas Osiander in Matth. 1. sensit; ac proinde neque scribendum esse יהשוה *Iehescuh* per *he* in fine præcedente *vau*, vt ipse vult, quasi Christi Domini nomen *Iesus*, à *Iosue*, vel *Iescua* sit omnino diuersum. Nam id iam refutatum est; & idipsum apertè conuellit S. Matth. 1. 21. qui de Christo ait: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet*, &c. Vnde patet, nomen Iesus idem esse quod *Iescua*, vel *Iosue*, id est saluator; neque scribendum esse *Iehescuh* hebraicè, sed *iescua*: quia *iehescuh* non significat saluatorem, sed *Iescua*; imò *iehescuh* confictum est nomen, nec propriè vllam radicem Hebræam habet. Denique in titulo crucis Dominicæ, qui Romæ seruatur in templo sanctæ Crucis, ישוע *Iescua*, non *iehescuh* scribitur nomen hoc, vt testatur Pagninus oculatus testis, in interpretatione nominum Hebræorum.

Obiectio prima. Soluitur.

Dices, Etiam *iescua* non significat saluatorem, sed saluatum: quia habet formam participij passiui *paul*. Respondeo, *Iescua* non esse *paul cal*, sed esse nomen, significans saluatorem, æquè vt Iosue: nomina verò multum à participijs, & punctis & significatione differunt. alludit enim *iescua* ad יושיע *ioschia*, id est qui saluabit, vel certè ad ישועה *iescuah*, id est salus: quasi dicas, Ipsa salus, id est saluator per essentiam.

Obiectio secunda.

Dices Secundò, Isaiæ 7. 14. & Matth. 1. 23. dicitur quòd Christus vocandus sit *Emmanuel*, id est nobiscum Deus; hoc autem significat *iehescuh*, non *Iescua*, vel *Iosue*: nam *iehescuh* continet omnes literas nominis Dei tetragrammati, inserta tantùm

Soluitur.

litera *schin*. Respondeo, Etiam *Iehuda* continet omnes literas nominis tetragrammati, vti & multa alia nomina, non tamen idcirco significat idem quod tetragrammaton. Secundò, vt fingas significare idem quod nomen tetragrammaton, neutiquam tamen significare potest, *nobiscum Deus*: quia nomen tetragrammaton hoc non significat, sed simpliciter Deum significat. Addo, *Iehoscua*, quod idem est cum *Iescua*, habere omnes litteras nominis tetragrammati, easque coniunctas, non dissectas, vt *Iehescuh*. Quod ergo ad Isaiæ & S. Matthæi locum attinet, respondet Iustin. in Quæst. ad orthodox. q. 135. Tertull. lib. contra Iudæos c 9. Lactantius l. 4. de Vera sapientia c. 12. Cyrillus lib. de Incarnatione Vnigeniti c. 3. τὸ *Et vocabunt nomen eius Emmanuel*, non significare Christum ita nominandum (numquam enim Emmanuelis nomen ipsi inditum legimus, sed Iesu tantùm, idque in circumcisione) sed fore Emmanuelem, vt iure Emmanuel vocari possit. nam

Vocari significat esse.

vocari in Scriptura sæpè significat esse, vt Isaiæ 9. v. 6. Isaiæ 60. 14. Zachar. 8. 3. Ierem. 3. 17. Deinde, vt rectè Tertullianus suprà, *Emmanuel & Iesus idem sunt, non sono, sed sensu.* Nam esse Deum nobiscum,

A est esse saluatorem: salus enim nostra & redemptio, Dei ad nos descensu peracta est; nec alio modo perfici potuit.

Fateor tamen, quòd, sicut Deus Abraham & Saræ addidit literam *he* nominis sui tetragrammati, vt significaret se ex ijs nasciturum hominem: ita & Iosue eamdem literam addidit, vt *Iehoscua* in se contineat omnes literas nominis tetragrammati: quia per hoc significare volebat, Iesum Christum, cuius typus erat Iosue, fore *Iehoua*, id est Deum.

Iesu nomen prædixerũt Propheta.

Quapropter hoc nomen Iesu reuelatum est Prophetis, qui eo appellandũ fore Messiam præsignificarunt, vt patet Habacuc 3. 18. *Exultabo in Deo Iesu meo.* Isaiæ 45. 8. *Aperiatur terra & germinet saluatorem.* & passim Sept. Hebr. nomen משיח *masciach*, id est Messias, vertunt σωτῆρ, id est Saluator.

Rabbini.

B Vnde & prisci Rabbini ante Christi tempora, Messiæ nomen fore Iesus prædixerunt, vt ex R. Haccados docet Galatin. l. 3. 20.

& Sibylla.

Idem prophetarunt Sibyllæ, vt docet acrostichis illa versuum Sibyllæ Erythrææ, quorum primæ literæ hæc verba reddunt: Ἰησοῦς Χριστὸς υἱὸς Θεοῦ, σωτὴρ, σταυρός, *Iesus Christus filius Dei, Saluator, crux*: quæ exstat in fine Sibyllinorum oraculorum to. 2. Biblioth. SS. Patrum, & eam citat Cicero l. 2. de Diuin. indeque probat poëma Sibyllæ non esse furentis, sed attenti animi, artisque & cogitationis. Eamdem citat & Constantinus Imp apud Eusebium in fine Vitæ huius, & fusè S. August. 18. Ciuit. 23. Idem prædixit, sed ænigmaticè Sibylla Cumana, quæ, vt refert Sixtus Senensis lib. 2. verb. Sibylla, vaticinata est numerum literarum nominis Messiæ fore 888. dum ita canit:

Nomen Iesus continet 888.

C *Sed quæ sit numeri totius summa docebo:*
Namque octo monades, totidem decades super ista,
Atque hecatontades octo, infidis significabunt
Hominibus nomen, tu verò mente teneto.

Cur.

Hunc enim numerum continent 4. literæ Græcæ nominis Iesus: cuius numeri mysterium explicat Ven. Beda in c. 2. Lucæ, *Videlicet significari per Iesum resurrectionem, & viam in cælum esse patefactam. Octonarium enim siue simplex, siue multiplicatus per decem, id est octoginta; siue per centum, id est 800. significat octauam resurrectionis.*

Atque hinc fortè dæmon, qui simia est Dei, & tantus Saluatoris nostri æmulus, apud Romanos & Græcos Iouem & Mineruam Soterem, Iouem Eleutherium, Salutem deam, Mineruam Sospitam, & similes deorum laruas sibi induxit: de quibus multa Giraldus de Diis Gentium, syntagm. 1. pag. 35. & syntagm. 2. pag. 106. & 107. & syn-

D tagm. 3. pag. 121. Denique Iustinus Apolog. 1. pro Christianis, ante finem, scribit Christianos suo tempore energumenos curare, & à dæmonibus liberare solitos inuocatione nominis Iesu. vide Gretserum lib. 3. de Cruce c. 27.

Iesu nomen venerabilius est quã Iehoua.

Est enim hoc nomen Iesus sanctissimum & augustissimum, adeoque venerabilius nomine tetragrammato, vt rectè probat Abulensis q. 7. in c. 20. Exodi. Nam est proprium nomen Verbi incarnati, vt docet S. August. tract. 3 in 1. epistol. S. Ioan. tom. 9. ideoque alia omnia Christi nomina, quæ plurima & præstantissima ei Script. attribuit, in se complectitur. Significat enim totam incarnationis Dominicæ œconomiam (in qua, præ cæteris operibus, omnia attributa Dei relucent) bonaque omnia, quæ inde nobis siue in animo, siue in corpore, tum in hac vita, tum in futura per omnem

Iesus quid, & quantũ significet.

æternitatem obuenient. vide Origen. homil. 22. hîc, & homil. 1. in Iosue, Bernard. serm. 15. in Cantic. vbi ait, veteres Iesus inanibus nominibus gloriatos esse; nec enim veram salutem præstitisse, sed adumbrasse. hanc enim solus præstitit Iesus noster. De nomine Iesu plura dixi Philipp. 2. 10.

Vers. 20. VRBES QVALES, MVRATÆ, AN ABSQVE MVRIS] Clarè interpres vertit Hebræa, quæ sic habent, *an in castris, an in munitionibus*, siue *locis inclusis, habitent incolæ.* Castra hîc opponuntur locis muro inclusis: castra ergo hîc sunt loca patentia, siue municipia, in quibus turmatim habitant incolæ. sic enim milites in castris non includuntur muris, sed in tentorijs campestribus degunt. ita Oleaster. Loca inclusa sunt quæ vulgò *Burgos* vocamus; vnde Burgundiones sunt dicti, quòd in burgis se continerent, vt ab hostium incursione essent tuti.

Vers. 21. ERAT AVTEM TEMPVS QVANDO IAM PRÆCOQVÆ (id est primò maturæ) VVAE VESCI POSSVNT] q. d. Exploratores à Mose missi explorarunt Chanaan, quando ibi erat tempus primarum vuarum; vnde & botrum inde ad Hebræos extulerunt. Exploratio ergo hæc contigit sub initium Iunij (tunc enim in Palæstina, vtpote regione calida, maturæ sunt vuæ) anno secundo exitus ex Ægypto. Transierat enim iam annus vnus, & tres menses ab hoc exitu: tuncque post paucos dies Hebræi ingressuri fuissent Chanaan, nisi murmurassent. Hæc enim murmuratio ingressum eorum distulit ad 38 annos, ita Abulensis.

Exploratores missi sunt in Chanaan mense Iunio.

Vers. 22. EXPLORAVERVNT TERRAM A DESERTO SIN, VSQVE ROHOB, INTRANTIBVS EMATH] q. d. Qua itur & intratur in Emath regionem, in qua potens fuit vrbs, quæ postea ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, ait S. Hieron. in Amos 6. eratque in Syriæ finibus, terminans ab Aquilone terram Sanctam. vnde sæpè in Script. Emath inter terminos terræ promissæ commemoratur. Erat & altera Emath magna, quæ postea dicta est Antiochia, vrbs Syriæ celeberrima.

Emath est Epiphania.

Vers. 23. VBI ERANT FILII ENAC] *Filij*, id est nepotes & posteri Enac gigantis. vide v. 30. vnde ab hoc Enac gigante, gigantes in Script. vocantur *filij Enakim.*

NAM HEBRON SEPTEM ANNIS ANTE TANIM VRBEM ÆGYPTI CONDITA EST] Omnes consentiunt, ait Adrichom. Caietan. & Oleaster, Tanim esse nobilem Ægypti vrbem, non longè à Memphi sitam, quæ antea dicebatur Titannis, à 10. vel, vt Adrichom. ait, 17. Titanibus, filijs Noë, constructa: sed præcisa prima syllaba, Tanis, vel vrbs Taneos dicta est, estq; celebris in Scriptura, vtpote in qua Moses coram Pharaone fecit sua signa, & plagas decem Ægypto immisit, vt patet psal. 77. 12. vbi dicitur: *Fecit mirabilia in terra Aegypti in campo Taneos.* & v. 33. *Sicut posuit in Aegypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* Vnde videtur quòd Tanis tunc fuerit regia regum Ægypti. idem colligitur Isaiæ 19. 11. Sita erat iuxta Nili ostium, quod ab ea Taniticum dictum est, estque proximum ostio Pelusiaco. Ad Tanim hanc cæso Godolia profugerunt Iudæi cum Ieremia Propheta, ibique Ieremias à Iudęis, quorũ idololatriam corripiebat, lapidatus est. vnde & crebra Tanis, siue Taphnis, apud Ieremiã est mentio, vt c. 2. & 43. & 44. & 46.

Tanis vrbs que, & vnde dicta.

In Tani ergo Hebræos etiam stirpem gigantum vidisse, indicat coniunctio *nam*, quam noster Interpres hoc vers. habet: q. d. Non mirum in Hebron esse gigantes, quales vidistis in Tani, cùm

A Hebron antiquior sit vrbe Tani, ita vt à primis gigantibus potuerit incoli, vt ait Lyran. & Abulens.

ABSCIDERVNT PALMITEM CVM VVA SVA] Philo etiam disertè asserit, non plures, sed vnam tantùm vuam fuisse Hebr. & Chald. habent, *palmitem & botrum vuarum vnum*, id est vnum palmitem cum botro vno. dicit autem *vuarum*, quia sunt & botri cypri, aliorumque fructuum. Quare necesse est dicere, vuas in Chanaan fuisse prægrandes, vtpote quarum vnam in vecte à duobus viris portari opus fuerit; quod indicium erat, terram illam esse fertilissimam. Sic Plinius lib. 14. 1. ait in interiore Asia nasci vuas magnitudine vberis vaccini, ollæ, imò pueri infantis. Amplius narrant Euphorus & Metrophanes apud Stephanum lib. de Vrbibus, scilicet in Eucarpia minoris Asiæ oppido B tam immanes nasci racemos, vt singuli iusta sint singulis curribus pondera, ita vt vnius tantùm racemi vectura quandoque currus confractus conciderit. atque inde vrbem Eucarpiam, id est fertilem, esse dictam; ideoque veteres dictitasse, vrbem hanc à Ioue datam fuisse Cereri & Baccho ad inhabitandum. sed puto currum istum crassiore mendacio, quàm vua onustum iampridem concidisse, & euanuisse. Ecquid mirum? Nota est Græcorum fides; Græcosque græcari & fabulari solitos scimus. Credibilius Strabo lib. 2. botros vuarum commemorat, qui singuli bipedali sunt longitudine. Idem lib. 11. & lib. 15. tradit in Mauritania & Carmania botros nasci, qui ad duos cubitos in longum extendantur. Vers. 24.

Eucarpia vua mira magnitudine.

Allegor. sicuti sponsa Christo dicit: *Botrus cypri* C *dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, idque ob dulcedinem & gloriam resurrectionis Christi: ita pariter hîc vua pendens in vecte, est Christus pendens in cruce: hæc nata est ex terra promissa, id est B. Virgine, quam promisit Isaias c. 7. 14. *Duo baculi sunt duo testamenta; præeunt Iudæi, sequuntur Christiani: salutem hic* (Christianus) *ante conspectum suum gerit, ille* (Iudæus) *post dorsum: hic obsequium præfert, ille contemptum. Laboremus ergo, ne à ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam deponamus.* ita S. August. serm. 100. de temp. S. Ambros. serm 72. de S. Cypriano, S. Hieron. ad Fabiol. in mansione 15. Prosper p. 2. Prædic. cap 9. Rupert. hîc, & S. Bernard. in Cantic. serm. 44

Allegor.

QVEM PORTAVERVNT DVO VIRI] S. Ambrosius loco iam citato ait, hosce duos botri baiulos fuisse Iosue & Caleb: cui fauet, quòd hi duo soli terram Chanaan Hebræis commendarint, vt patet v. 31. & c. seq. v. 6. D

Duo baiuli botri fuerunt Iosue & Caleb.

REVERSIQVE EXPLORATORES TERRAE POST QVADRAGINTA DIES] Per 40. ergo dies exploratores lustrarunt terram Chanaan, quibus non comederunt manna; illud enim tantùm inueniebatur in castris Hebræorum: sed frugibus terræ Chanaan vescebantur, quas vel in agris carpebant, vti hîc botrum carpserunt; vel à Chananæis in villis emebant. ita Abulensis. Vers. 26.

VENERVNT AD MOYSEN. &c. IN DESERTVM PHARAN, QVOD EST IN CADES] q. d. Venerunt exploratores redeuntes ad suos in Cades, siue Cadesbarne, quod est in deserto Pharan. est hypallage. Vers. 27.

Dubium est, an Cades hoc, ex quo missi sunt exploratores, idem sit cum Cades trigesima tertia mansione, de qua Numer. 20. 1. & c. 33. 36.

An Cades hoc sit idem cum Cades, in quo 33. fuit mansio.

Abulensis putat esse eumdem locum, & eamdem

Affirmat Abulens. dem mansionem, ac consequenter exploratores missos esse non ex decima quinta, sed ex trigesima tertia mansione, in eaque, vel iuxta eam Hebræos hæsisse 38. annos, scilicet vsque ad mortem Mariæ, quæ in Cades mortua est, sub initium anni quadragesimi exitus ex Ægypto, Numer. 20. 1. Probat id ipsum ex Deuter. 1. 46. vbi dicitur: *Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.* Censet ergo Abul. Hebræos anno secundo citissimè percurrisse omnes mansiones à Sina, quæ fuit duodecima, vsque ad Cades, quæ fuit trigesima tertia, atque in Cades hæsisse ab anno secundo vsq; ad quadragesimum.

Negant alij, & verius. Probatur Primò. Secundò. Tertiò. Verùm non est verisimile, Hebræos tamdiu in vna mansione mansisse, præsertim cū dicat Script. eos per 40 annos vagatos esse in deserto, v. 33. Secundò, quia Numer. 20. v. 1. demum in Cades, trigesimam tertiam mansionem, venisse narrantur: ergo hoc cap. est alia mansio. Tertiò, quia Deuter. 2. 14. Hebræi 38. annos ambulasse dicuntur in deserto. ergo ijs non hæserunt in Cades.

Dico ergo, aliam esse hanc mansionem ab illa de qua c. 20. & 33. ac consequenter Cades hoc diuersum esse ab illo Cades, vti docent Zieglerus, Wolfgangus, & Adrichomius in Descript. terræ sanctæ. *Vel si est idem, bis in Cades venerunt Hebræi.* Si tamen idem Cades vtrobique esse velis, vti volunt Caietanus, Oleast. & Andr. Masius in Iosue cap. 15. dicendum est Hebræos bis venisse in Cades, scilicet primò hîc, secundò Numer. 20. 1. Vagabantur enim Hebræi, & à Deo circumducebantur, maximè post murmur hoc exploratorum, per inuiam solitudinem perplexis gyris & mæandris. Vnde eos eò vnde discesserant, putà in Cades, rursum rediisse, non est mirum. Hinc & Chald. pro vtroque Cades vertit *Recem*, quo nomine solet appellare Petram, nobilem Arabiæ vrbem, vel certè locum vrbi illi vicinum. Verùm prius est verius, vti dicam cap. 20. 1.

Missi ergo sunt hi exploratores ex decima quinta mansione, quæ fuit in Rethmat, Numer. 33. 18. porrò Rethmat erat iuxta vrbem Cades: vnde exploratores hîc in Cades, vel, vt dicitur Iosue 14. 7. Deut. 1. v. 20. & 22 in Cadesbarne reuersi dicũtur.

VERS. 28. QVÆ REVERA FLVIT LACTE ET MELLE] q. d. Terra Chanaan est fertilissima. est hyperbole.

VERS. 29. VRBES GRANDES ATQVE MVRATAS] *nimis*, vti addunt Hebr. Chald. Græca & Raban. Deuter. 1. 28. dicitur eas munitas, id est muratas, fuisse in cælum, hoc est altissimos habuisse muros. est hyperbole. Hi muri terruerunt Hebræos pusillanimes: magnanimi enim non curant muros, sed bellatores & propugnatores validos. Vnde Agesilaus rex roganti, cur Sparta muris careret: *Hi*, inquit, *sunt Spartæ muri*, ciues armatos commonstrans. Alteri hac ipsa de re percunctanti, respondit, *Vrbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas.* Monstrabat ei quidam vrbis alicuius muros admodum validos, & quærebat, pulchróne eos iudicaret, respondit: *Ita sanè, sed non vt viri, verùm vt mulieres intus habitent.* Ita Agis rex eorumdem Lacedæmonum, muros Corinthiorum perambulans, cùm spectasset eos sublimes & validos: *Quænam*, inquit, *in hoc gynæceo habitant mulieres?* Ita Antalcidas muros Spartæ aiebat esse iuuenes, terminos autem hastarum cuspides. Sic & Scipio Africanus militi vallum tollenti, & admodum se premi dicenti: *Non iniuria*, inquit: *ligno enim huic magis fidis, quàm gladio.* Idem adolescenti pulchrum clypeum ostentanti: *Clypeus quidem*, inquit, *ô adolescens, pulcher est, cæterùm Romanum virum magis decet fiduciam suam in dextra sua, quàm in sinistra collocare.* Testis est Plutarchus in eorum vita.

VERS. 30. AMALEC HABITAT IN MERIDIE] Dicunt hoc exploratores, non quasi terra Amalecitarum pertinuerit ad terram Hebræis promissam; sed quia ei vicina erat, ita vt Amalecitæ ingressum Hebræorum in eam facilè impedire, atque Hebræos bellis impetere & diuexare potuissent, vti conati fuerant Exodi 17. Hanc enim difficultatem hostium fortissimorum in terra promissa, & in eius vicinia commorantium, proponunt hîc exploratores populo, vt eum ab ingressu in Chanaan absterreant.

VERS. 31. INTER HÆC CALEB COMPESCENS MVRMVR POPVLI] Tacente Iosue, vnus Caleb omnibus se opponit, murmurque sedare conatur: quia Caleb erat animosior, zeloque plenus; vnde eum solum Deus ab hoc heroico actu mirè laudat c. seq. v. 24. dicens: *Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc.* Ob eamdem causam eidem Deus, per Mosen peculiarē quamdam terræ Chanaan partem, putà montana Hebron, vbi erant gigantes hi, promisit sub iuramento, quam & ipse Caleb à Iosue petijt, & obtinuit, vt patet Iosue 14. v. 6. 9. & 12. & Iosue 15. v. 13. *Caleb constantia, & laus, & præmiũ.*

MVRMVR, QVI] murmur, quod. est antiptosis.

VERS. 32. NEQVAQVAM AD HVNC POPVLVM VALEMVS ASCENDERE] Hinc patet, hos exploratores in sua ad populum relatione peccasse, Primò, dissuadendo & diuertendo populum ab ingressu in Chanaan, itaque resistendo promissis & voluntati Dei, qui Hebræos in eam inducere volebat. Fecerunt idipsum ex pusillanimitate, & timore bellorum cum Chananæis, cùm ipsi vitam quietam, inertem, & deliciosam agere mallent in Ægypto, etiam sub iugo Pharaonis. Secundò, mentiendo, idque in multis: *Exploratorum peccata & mendacia quinque.*

Primum. Primò, quia asseruerunt Chananæos tam esse potentes, vt eis præualere non possent Hebræi. aiunt enim: *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.*

Secundum. Secundò, imponendo falsa crimina terræ Chanaan, dicendo: *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos.*

Tertium. Tertiò, amplificando ea quæ viderant, supra veritatem, vt cùm dicunt: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, quibus comparati quasi locustæ videbamur.*

Quartum. Quartò, asserendo omnes passim Chananæos proceræ esse staturæ præ Hebræis: *Populus*, inquiunt, *quem aspeximus, procera statura est.* cùm tamen Chananæi ordinariè non essent proceriores quàm Ægyptij, Hebræi, & alij populi eis vicini.

Quintum. Quinto, quia subticent veritatem, vt quòd tres tantum vidissent in Chanaan gigantes, aliaque multa, quæ potuissent populum in spem potiundæ Chananææ erigere, metumque Chananæorum illi adimere, vel minuere. ita Abulens.

VERS. 33. TERRA QVAM LVSTRAVIMVS, DEVORAT HABITATORES SVOS] Aliqui hoc intelligunt de bonitate terræ. quasi dicant, Terra Chanaan tam fertilis est, vt omnes illi inhient, eiusque possessores vicissim eijciant, & occidant. Alij sic explicant, quasi dicant, Terra Chanaan tam bona est, vt nullus ex ea exire cupiat: vnde quicumque in ea nascuntur, in eadem viuere & mori volunt; ita- *Terrãm deuorare incolas quid? Resp. Primò. Secundò.*

que quasi à terra sua deuorantur. Verùm hæc non fuisset detractio, sed potiùs laus terræ.

Tertiò, & verò.

Dico ergo, *terra deuorat habitatores suos*, hoc est, terra Chanaan ex aëris intemperie insalubris est, noxia & pestilens, ita vt morbos generet, & mortem citam incolis afferat. Id dixerunt, fortè eò quòd lustrantes terram, inuenerint tum pestem in ea grassari, eamque ipsi attribuerint conditioni, & malæ qualitati terræ, cùm potiùs tribuenda esset Deo qui Leuitici 18.24. promiserat Hebræis se facturum, vt terra ipsa euomeret Chananæos ob scelera eorum. Vnde tradunt Hebræi nonnulli, penes quos sit fides, tunc tantam fuisse luem in Chananæa, totque morientes, vt Chananæi occupati circa suorum funera, licet viderent hosce exploratores, eos tamen non caperent, non examinarent, imò non curarent.

Gigantes vocantur nephilim, id est prosternentes.

IBI VIDIMVS MONSTRA] Hebr. ibi vidimus נְפִלִים *nephilim*, id est gigantes, qui dicuntur *nephilim*, id est cadentes, quia ita erant proceri, vt qui eos videbant ex terrore caderent: aut potiùs A *cadentes*, id est cadere facientes (vt *cal* ponatur pro *hiphil*) prosternentes & occidentes passim alios homines. erant enim hi gigantes homines feri, & truculenti tyranni. Ridiculum ergo est quod ait R. Salomon, hos gigantes vocari *nephilim*, id est cadentes, quia, inquit, gigantes erant ex genere duorum angelorum cadentium de cælo, scilicet Aza & Azael.

QVASI LOCVSTÆ VIDEBAMVR] Est hyperbole nimia & mendax, ad deterrendum populum ab ingressu in Chanaan. Addit Iosephus, ex suo, vt videtur, genio & spiritu paraphrastico, quo res suæ gentis ornare & colorare solet, exploratores dixisse; quòd Hebræi non possent Chananæos opibus & armis instructos superare, ob suam paupertatem, & armorum rerumque inopiam, quodque priùs deberent flumina imperuia, & montes insuperabiles transire. Addit insuper, Hebræos ad tantum murmur his verbis concitatos fuisse, vt Mosen & Aaronem voluerint occidere, itaque in Ægyptum reuerti.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AD relationem exploratorum murmurant Hebræi, frustrà renitente Caleb & Iosue. hinc Deus vult eos perdere: verùm orante Mose parcit; sed cum hac pœna, vt nemo murmurantium terram promissam ingrediatur. Denique v. 40. Hebræi contra iussum Domini conscendentes in montem, caduntur à Chananæis.

1. IGitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, 2. & murmurati sunt contra
Moysen & Aaron cuncti filij Israel, dicentes: 3. Vtinam mortui essemus in
Ægypto: & in hac vasta solitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in
terram istam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi nostri ducantur captiui. Nónne
melius est reuerti in Ægyptum? 4. Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus
nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. 5. Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt
proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. 6. At verò Iosue filius
Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustrauerant terram, sciderunt vestimenta
sua, 7. & ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra, quam circui-
uimus, valdè bona est. 8. si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet
humum lacte & melle manantem. 9. Nolite rebelles esse contra Dominum: ne-
que timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus deuorare. reces-
sit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere. 10. Cumque
clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini
super tectum fœderis cunctis filijs Israel. 11. Et dixit Dominus ad Moysen: Vsque-
quo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ
feci coram eis? 12. Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam
principem super gentem magnam, & fortiorem quàm hæc est. 13. Et ait Moyses ad
Dominum: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, 14. &
habitatores terræ huius, qui audierunt quòd tu Domine in populo isto sis, & facie vi-
dearis ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per
diem, & in columna ignis per noctem: 15. quòd occideris tantam multitudinem
quasi vnum hominem, & dicant: 16. Non poterat introducere populum in terram,
pro qua iurauerat: idcirco occidit eos in solitudine. 17. Magnificetur ergo fortitu-
do Domini sicut iurasti, dicens: 18. Dominus patiens & multæ misericordiæ, aufe-
rens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata
patrum in filios in tertiam & quartam generationem. 19. Dimitte, obsecro, pecca-
tum populi huius secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti
egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum. 20. Dixitque Dominus: Dimisi
iuxta verbum tuum. 21. Viuo ego: & implebitur gloria Domini vniuersa terra.
22. Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in

Ægypto

Ægypto & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci
meæ,
23. non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis
qui detraxit mihi, intuebitur eam.
24. Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu
secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuiuit: & semen eius possidebit eam.
25. Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus. Cras mouete castra, &
reuertimini in solitudinem per viam Maris rubri.
26. Locutusque est Dominus ad
Moysen & Aaron, dicens:
27. Vsquequo multitudo hæc pessima murmurat contra
me? querelas filiorum Israel audiui.
28. Dic ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: sicut lo-
cuti estis audiente me, sic faciam vobis.
29. In solitudine hac iacebunt cadauera ve-
stra. Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me,
30. non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam vt habitare vos facerem,
præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun.
31. Paruulos autem vestros, de
quibus dixistis quòd prædæ hostibus forent, introducam: vt videant terram, quæ vobis
displicuit.
32. Vestra cadauera iacebunt in solitudine.
33 Filij vestri erunt vagi
in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consuman-
tur cadauera patrum in deserto,
34. iuxta numerum quadraginta dierum, quibus
considerastis terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis ini-
quitates vestras, & scietis vltionem meam:
35. quoniam sicut locutus sum ita faciam
omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum me: in solitudine hac defi-
ciet, & morietur.
36. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam
terram, & qui reuersi murmurare fecerant contra eam omnem multitudinem, detra-
hentes terræ quòd esset mala,
37. mortui sunt atque percussi in conspectu Domini.
38. Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerunt ex omnibus qui perrexe-
rant ad considerandam terram.
39. Locutusque est Moyses vniuersa verba hæc ad
omnes filios Israel, & luxit populus nimis.
40. Et ecce mane primo surgentes ascen-
derunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Do-
minus locutus est: quia peccauimus.
41. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimi-
ni verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum?
42. Nolite ascendere: non
enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris.
43. Amalecites
& Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquiescere
Domino, nec erit Dominus vobiscum.
44. At illi contenebrati ascenderunt in ver-
ticem montis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris.
45. Descenditque Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte, & percutiens
eos atque concidens, persecutus est eos vsque Horma.

VERS. 2. MVRMVRATI SVNT] murmurauerunt. Deuter. 1. 27. additur eos dixisse: *Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra Aegypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.*

VERS. 3. IN HAC VASTA SOLITVDINE VTINAM PEREAMVS] Ita hæc legunt & coniungunt Hebr. Chald. Septuaginta & Latina Romana. Tollenda ergo est negatio *non*, & distinctio quam habent Biblia Plantiniana. Optarunt enim Hebræi hîc mori in deserto: vnde & Dominus votum eorum exaudiens pœnam eamdem quam postularunt, eis irrogauit v. 28. omnesque re ipsa confecit & sepeliuit in deserto. *Cur omnes Hebræi qui in Ægypto seruierant, mortui sint in deserto?* Idque ita disposuit: quia omnes hi Hebræi enutriti fuerunt in Ægypto, vbi seruierant quasi mancipia, ideoque timidi erant & pusillanimes, non habentes animos ad bella cum Chananæis gerenda: vnde hæc filiis eorum, quos in deserto instruxit, & generosè educauit, reseruauit ita Abulensis.

VERS. 4. REVERTAMVR IN ÆGYPTVM] Nota Hebræorum murmurantium stoliditatem. Redire enim in Ægyptum erat eis impossibile, tum ob defectum annonæ in deserto; Deus enim rebellibus suum manna subtraxisset: tum quia rursum eis transeundum fuisset mare rubrum, aut certè illud circumeundum per gentes hostiles, quæ Hebræos per suos fines transire non permisissent. ita Abulens.

Quare senior ille apud Sophronium in Prato spirit. c. 208. fratri qui impugnabatur à tristitia, A dicens: Quid faciam? quia cogitationes meæ insurgunt contra me, dicuntque: Inutiliter & importunè renuntiasti sæculo, saluari non potes; prudenter respondit: *Scis frater, quia, etsi non possumus terram promissionis ingredi, expedit nobis, vt cadamus potiùs in deserto, quàm vt reuertamur in Aegyptum.* Nam, vt ait Cassianus l. 10 c. 25. *experimento probatum est, acedia impugnationem non declinando fugiendam (si enim fugeris, sequetur, teq; grauiùs impugnabit) sed resistendo superandam esse.*

VERS. 5. QVO (murmure populi volentis redire in Ægyptum) AVDITO MOYSES ET AARON CECIDERVNT PRONI IN TERRAM, CORAM OMNI MVLTITVDINE] videlicet ad deprecandum Dominum, ne immitteret vindictam in murmuratores, vti fecerat in B Sepulchris concupiscentiæ, c. 11. v. 33.

VERS. 8. SI PROPITIVS FVERIT DOMINVS, INDVCET NOS IN EAM] Vocula *si*, non est dubitantis, sed astruentis rationem & modum victoriæ, scilicet quòd Deus eam daturus esset Hebræis, si ipsi Deum sequerentur, eoque niterentur. Deus enim certò promiserat eis hanc victoriam, imò possessionem Chananææ. Rursum, Deum esse Hebræis propitium, facilè ipsi videre poterant per manna, quod iugiter dabat, & per columnam quæ eos ducebat. si enim hæc eis gratis præstabat Deus, præstitisset vtique & ingressum in Chanaan, quem promiserat.

VERS. 9. RECESSIT AB EIS OMNE PRÆSIDIVM] Hebr. *recessit ab eis vmbra eorum. vmbra*, id est præsidium,

&, vt Chald. vertit, *fortitudo*: quia sicut vmbra nos à sole protegit in æstu, ita & præsidium protegit à periculis & hostibus. Deus ergo, qui hactenus Chananæos conseruauerat, iam ad aduentum Hebræorum subducebat eis suam protectionem, vt caderent coram Hebræis. Septuaginta vertunt, *recessit ab illis tempus*, quod scilicet datum erat impiis Chananæis ad regnandum & florendum, inquit S. August. Sic numeratum & sublatum fuit tempus Balsasari, & monarchiæ Chaldæorum, Daniel. 5. 26. Notat hîc S. August. Iosue non dicere, *Tempus recessit ab eis*, & nostrum successit; sed, *Dominus nobiscum est*; *Dominus* scilicet, qui temporum omniũ creator, ordinator & dispensator est.

S. Iob suis precibus sustentabat Chananæos.

Tradunt Hebræi, sub hoc tempus in Chanaan mortuum esse S. Iob, cuius precibus, dum viueret, placatus Deus parcebat Chananæis: nunc autem illo mortuo, recesserat vmbra eos protegens, putà merita & preces sancti Iob, omneque præsidium. vnde S. Hieron. in Locis Hebr. ait tradi, in Carnea trans Iordanem fuisse domum S Iob: & Abulensis, *Sepulchrum*, inquit, *S. Iob altè structum in planitie Iordanis, in magno honore à Græcis & Gentibus vsque hodie permanet*. ita & Bredenbachius, Salignacus, Borchardus, Adrichomius, & ex ijs Pineda in Iob 1. v. 1. n. 27. tradunt quòd terra Hus, siue Ausitis, in qua habitauit Iob, fuerit in finibus Arabiæ & Idumææ in Traconitide regione, iuxta Iordanem, in sorte quæ postea tribui Manasse attributa est, ibique pyramidem ad sepulchrum S Iob, more veterum erectam, etiampum ostendi iuxta Suetam vrbem.

Domus & sepulchrum S. Iob in Traconitide.

Rursum S. Iob paulò ante egressum Hebræorum ex Ægypto esse defunctum ostendi Genes. 36. v. 33. Imò alij volunt eum hoc ipso anno esse mortuum, vti dixi c. 10. v. 11.

VERS. 10. ET LAPIDIBVS EOS (Caleb scilicet, & Iosue, qui murmurantibus resistebant) VELLET OPPRIMERE.

APPARVIT GLORIA DOMINI] putà nubes lucida & gloriosa, significans Dei præsentiam & maiestatem. ita LXX. & Iosephus.

SVPER TECTVM FOEDERIS] super tabernaculum fœderis est synecdoche.

VERS. 11. VSQVEQVO DETRAHET MIHI POPVLVS ISTE? (*detrahet*, id est irritabit me. hoc enim est Hebræum נאץ *niets*.) QVOVSQVE NON CREDENT MIHI IN OMNIBVS SIGNIS?] *In*, id est per, vel propter omnia signa & portenta quæ eis exhibui. Hebr. enim ב *bet*, id est *in*, sæpè significat *per*.

VERS. 12. TE AVTEM FACIAM PRINCIPEM SVPER GENTEM MAGNAM] Hebr. tantùm est, *faciam te in gentem magnam*, vt scilicet gens magna ex te nascatur: sic enim Abraham dicitur factus in gentem magnam. Secundò, & genuinè, *faciam te in gentem magnam*, id est constituam te ducem super magnam multitudinem Gentilium, qui Hebræis hisce tuis meliores & fortiores sint. ita enim vertit Noster interpres.

VERS. 13. VT AVDIANT ÆGYPTII] q. d. Si, vt minaris Domine, deleas Hebræos, consequetur, vt Ægyptij id audientes blasphement nomen tuum. vnde Septuag. & Chald. prò *vt*, vertunt *&*. est aposiopesis ad pathos, tam Dei irati, quàm Mosis, iram Dei breui & leni hac suggestione mollientis, significãdum. Qui enim ira feruent, torrentes verborum & minarum effundunt, quibus vir prudens se non directè opponet, sed hincinde leniter verbulum aliquod interijciet, quod eam mitigare possit.

VERS. 14. QVOD TV DOMINE IN POPVLO ISTO SIS, ET FACIE AD FACIEM (hebr. est, oculo ad oculum) VIDEARIS] quòd scilicet Hebræi clarè te, & tua præsentia fruantur, dum iugiter intuentur columnam nubis, quæ te repræsentat, qua & iter eis ostendis, & obumbras castra eorum, cùm proficiscuntur, eaque ab æstu protegis, vti ostendi Exodi 13. v. 21.

VERS. 17. MAGNIFICETVR ERGO FORTITVDO DOMINI] *Magnificari* duo significat, Primò, magnum fieri; Secundò, magnum apparere. Dei fortitudo maior fieri nequit: habet enim in se omnem fortitudinem possibilem & imaginabilem, imò vltra quàm quis imaginari potest: quia in se est immensa & infinita: ergo tantùm magnificatur Dei fortitudo cùm magna, vel maior nobis apparet. quasi dicat, Ostende Domine nobis, totique mundo magnam tuam fortitudinem, inducendo tuum populum in terram Chanaan, expulsis Chananæis. Secundò, fortitudo hîc sumi potest pro clementia, inquit Abulensis. Qui enim iram vincit, quiq; offensam hosti, quem punire potest, quemque in manu sua habet, ignoscit, hic magni, fortis & leonini est animi. hunc enim sensum videntur exposcere ea quæ sequuntur: *Sicut iurasti dicens, Dominus patiens, & multa misericordia*, &c. Verùm meliùs hæc ipsa, iuxta priorem & proprium sensum, per aposiopesin sic expones, vt intelligantur hæc verba: *Ideoq; ostende te nobis clementem & propitium*. quasi dicat, Ostende Domine tuam fortitudinem, inducendo nos in Chanaan, ideoque ne irascaris, & perdas nos; sed ostende te talem, qualem te aliquando esse dixisti, imò iurasti, dicens Exodi 34. 6. *Dominus patiens, & multa misericordia*, &c. In orationibus enim patheticis, ex affectu multa concisè dicuntur, multaque tacentur, & in corde retinentur, dum affectus aliò rapit; quæ auditori supplenda sunt.

Quomodo Deus à nobis magnificetur?

Clementia est fortitudo.

Discant hîc à Mose Principes & Prælati, quam sæpè ingrata, mobilis & temeraria sit plebs eis subdita, quamque eius vitia tolerare & excusare debeant. Scipio Africanus qui Hannibalem deuicit, ob calumnias tandem à suis Rom. in exilium actus, rogatus *quomodo quis se gerere debeat erga patriam ingratam*: respondit, *Sicut filius se gerit erga matrem ægram*.

Prælati tolerent subditorum ingratitudinem. Exempla.

Themistocles à suis Atheniensibus expulsus fugit ad Artaxerxem, quem antea oppugnauerat, dixitque ei: *Abutere fortuna mea potiùs ad probandam virtutem tuam, quàm ad explendam iram. conseruabis enim supplicem tuum, & perdes Græcorum hostem*. verùm cùm Artaxerxes eum contra Græcos mitteret, ipse ne patriam oppugnaret, hausto taurino sanguine mortem oppetere maluit, natus annos 65.

Epaminondas, qui Thebas ad imperium euexit, cùm vltra tempus sibi decretum, republ. ita exigente, exercitum & imperium seruasset, accusatus, & ad mortem postulatus à suis: *Occidite*, inquit, *me; sed sepulchro meo inscribite, quid patriæ præstiterim tum aliàs, tum hac ipsa in causa*. testis est Plutarch. in eorum vita.

Præclariores fuerunt fideles. Theodosius Imp. neminem eorum à quibus læsus fuerat, vltus est vmquam. miranti id cuidam dixit: *Vtinam eos in vitam reuocare possem, qui iamdudum mortui sunt*. Ad alium quemdam eadem propè referentem, dixit, *nihil esse noui, si quis homo cùm sit, è vita excedat; vnius autem Dei esse, eum qui semel mortuus sit, per pœnitentiam ad vitam reuocare*. ita Nicephor. lib. 14 c. 3.

S. Ber

S. Bernardus à quodam suo pugno percussus, A cùm alij in eum inuolare vellent, inhibuit dicens: *Oportet eum alijs ignoscere, cui toties à Deo ignoscitur.* testis est auctor vitæ l. 3. c. 6.

SICVT IVRASTI] sicut testificatus es, sicut certò & firmiter affirmasti: nec enim hoc propriè iurasse legitur Deus, sed tantùm dixisse Exodi 34. 6.

Dei dicere est iurare. Dei enim dicere, est virtute & implicitè iurare: quia iurare non est aliud, quàm Deum, qui infallibilis & prima est veritas, in testem vocare. Hæc autem prima veritas loquitur, cùm Deus loquitur: cùm ergo loquitur Deus, tunc ipse reipsa dictis suis testimonium perhibet, itaque se quasi in testem vocat, & consequenter implicitè iurat: quia verborum suorum testis est, imò auctor & confirmator. *Iurare pro asseuerare.* Sic iurare sumitur pro constanter asseuerare, & promittere, psal. 88 4. *Iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum*: neque enim B in libris Regũ aut Paralip. id iurasse legitur Deus, sed tantùm promisisse Dauidi. & psal. 118. 106. *Iuraui, &* (id est) *statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

VERS. 18. NVLLVMQVE INNOXIVM DERELINQVENS] q. d. Omnes homines noxij & peccatores & sunt, & censentur apud te: omnes ergo indigent tua misericordia. Posset Secundò, innoxius hîc, vti & Exodi 20 7. significare impunitum, vt Hebræa litera hîc, vti & alibi, duplicem habeat sensum literalem, & priorem expresserit interpres Exodi 34 6. posteriorem hîc. vide dicta Exodi 34. 6.

QVI VISITAS PECCATA PATRVM IN FILIOS] Non quòd Moses hoc optet, cùm contrarium postulet: sed quia Deus Exodi 34 6. hæc sibi epitheta dedit, ijsque cùm inuocatur nominari voluit, idque ad premendum, humiliandum, & metu Dei C percellendum durum Iudæorum populum.

VERS. 21. VIVO EGO (id est iuro ego per vitam meam) ET (quòd) IMPLEBITVR GLORIA DOMINI VNIVERSA TERRA] quòd scilicet gloria Dei, quæ apparuit in mira & potenti eductione vestri ex Ægypto, & continua eiusdem gubernatione & protectione in deserto, dando scilicet manna perenne, atque perpetuam columnam itineris ducem; gloria inquam hæc Dei deinceps non minuetur, sed perseuerabit vobiscum, vsque ad ingressum terræ promissæ: itaque omnis terra hoc audiens, glorificabit nomen meum, putà meam in promissis præstandis bonitatem, fidelitatem, fortitudinem, &c. quando nimirum hæc gloria, putà gloriosus hic meus ducatus, spargetur per vniuersam terram.

VERS. 22. AT TAMEN] Hebr. est כי *ki*, id est quòd, quia, D quoniam. Vnde Vatabl. hæc iungit præcedentibus, hoc sensu q. d. Implebitur gloria Domini vniuersa terra, quæ est, vel potiùs erit, quòd omnes hi qui viderunt signa mea, & tamen murmurarunt contra me, morientur in deserto. Verùm hæc non est gloria, id est gloriosa Dei clementia & beneuolentia in Hebræos, vt patet vers. 20. sed potiùs terror, & terribilis vindicta Dei. Meliùs ergo Noster vertit, *attamen*. Hebræum enim *ki* subinde aduersatiuè sumitur, & est nota exceptionis, vti probat Forsterus in Lexico Hebræo.

QVI VIDERVNT MAIESTATEM MEAM] non in se, sed per signa & portenta, quæ maiestatis meæ indices & specula sunt.

ET TENTAVERVNT ME IAM PER DECEM VICES] *Decies Hebræi tentarunt Deum in deserto.* Rabbini has decem Hebræorum tentationes Dei sic enumerant, vt Prima fuerit ad mare rubrum, instante eis Pharaone, Exodi 14. 11. Secunda fuerit in Mara, ob inopiam aquæ, Exodi 15. 24. Tertia in Sin, deficiente cibo, Exodi 16. 3. Quarta, cùm contra præceptum Dei, asseruarunt manna in crastinum, ibidem v. 20. Quinta, cùm manna quæsierunt in sabbato, contra iussum Domini, ibidem v. 27. Sexta, cùm in siti petierunt aquam in Raphidim, Exodi 17. 2. Septima in Horeb cùm vitulum aureum conflarunt, Exodi 32. 4. Octaua, cùm murmurarunt ob laborem itineris, Num. 11. 1. Nona, cùm flagitarunt carnes & delicias Ægypti in Sepulchris concupiscentiæ, ibidem v. 4. Decima hîc, cùm murmurarunt ob relationem exploratorum. Verùm faciliùs & planiùs dici potest, hunc esse modum loquendi Script. familiarem, vt ponat numerum certum pro incerto, q. d. *decem vicibus*, id est sæpiùs, iam murmurauit hic populus.

SERVVM MEVM CALEB, QVI PLENVS ALIO SPIRITV] VERS. 24. bono scilicet, obedientiæ, magnanimitatis, fidei & spei, ad sperandum terram promissam, & ad confidendum bonitati & potentiæ Dei, eam promittentis; cùm alij pleni essent spiritu malo inobedientiæ, pusillanimitatis, infidelitatis & desperationis.

SECVTVS EST ME] Hebr. *impleuit post me*, id est plenè me est secutus, dum meis promissis per omnia credidit & confisus est, atque magnitudinem potentiæ meæ ad delendum Chananæos, & ad Hebræos in Chanaan inducendum, contra alios omnes asseruit & propugnauit. Hisce enim actibus fidei, spei & charitatis colimus & sequimur Deum, teste S. Augustino.

QVONIAM AMALECITES ET CHANANÆVS HABITANT IN VALLIBVS, CRAS MOVETE CASTRA, ET REVERTIMINI] VERS. 25. Iam antè Exodi 17. incurrerant Hebræi in Amalecitas: sed quia terra Amalec secundùm longitudinem extenditur à terra Chanaan, versus mare rubrum, hinc ex Ægypto proficiscentes in Chanaan Hebræi, sæpiùs in Amalecitas, vel potiùs Amalecitæ in Hebræos incurrerunt. Chananæus autem populus, qui hîc vocatur, non erat ex gentibus habitantibus in Chanaan; sed alius ab ijs erat, habitans maiori parte in vallibus, iuxta desertum, in quo castra metabantur Hebræi, cuius rex fuit Arad, cum quo pugnarunt in deserto Hebræi, vt patebit c. 21. 1. Iubet autem hîc Deus, vt Hebræi propter Amalecitas & Chananæos recedant, eò quòd ipsi inuasuri essent Hebræos, ac superaturi eos, vtpote ope Dei indignos, ac proinde ruituros coram hostibus suis. id ita euenisse patet v. 45.

ET REVERTIMINI IN SOLITVDINEM PER VIAM MARIS RVBRI] Peruenerant iam Hebræi in Rethma & Cades, atque vicini erant terræ promissæ, tantumque inter eam & ipsos intererant montes Idumææ. Verùm quia Dominus ipsos pro murmure puniens, per quadraginta annos vagari, & mori volebat in deserto; hinc iubet eos redire ad solitudinem, per viam quæ alio itinere duceret ipsos rursum ad mare rubrum: vnde trigesima secunda mansione venerunt tandem in Asion-gaber, ad mare rubrum. Graphicè hæc in suis tabulis describit, & ob oculos ponit Adrichomius.

Solitudo hæc, vti superiùs dixi, vastissima erat, inuia, inaquosa, sterilis, inarabilis, aspera, prærupta, torrida, obsitaque sabulo profundo, tenaci & lubrico: in hac pro sua pœnitentia, ob murmur à Deo inflicta, vagati sunt Hebræi per 38. annos.

Vide

Murmuris acris pœna. Vide hîc quid mereatur murmur & rebellio, quamque Deo displiceat, ac time, ne sicuti tot centena Hebræorum millia, ob murmur vnicum, exclusa sunt terra promissa, perieruntque ac sepulta sunt in hoc deserto: ita pariter & tu, si murmures, & inobediens sis Deo eiusque vicarijs, cælo excludaris, ac sepeliaris in gehenna.

VERS. 29. & 30. OMNES QVI NVMERATI ESTIS (c.1.v.2.) A VIGINTI ANNIS ET SVPRA, ET MVRMVRASTIS CONTRA ME, NON INTRABITIS TERRAM] Hinc patet omnes numeratos, scilicet eos qui erant 20. annorum & supra, murmurasse, ideoque omnes hîc morte in deserto plectuntur. ita Abulens. Hac sententia non comprehenduntur Leuitæ, & mulieres; item pueri, qui necdum erant viginti annorum. Hi enim non fuerunt numerati, vt patet c. 1. v. 2. & c. 2. 33. hi ergo hac sententia & pœna non plectuntur, ac potuerunt ingredi terram promissam. Leuitas etiam non murmurasse cum reliquis, colligunt aliqui ex eo, quòd nullus ex illa tribu missus sit explorator. ita Andr. Masius Iosue vlt. v. 4. Vbi tamen Nota. præter hosce numeratos, omnes alij, siue feminæ, siue masculi minores viginti annis, qui murmurauerunt, mortui sunt in deserto, æquè ac numerati hi: hoc est enim quod dicitur v. 23. *Nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* ita Abulens. Lex tamen hæc tantùm fertur in masculos, qui erant 20. annorum & supra: quia hos solos sententia hæc generalis designare & determinare poterat.

Omnes murmurãtes, etiam minores 20. annis, mortui sunt in deserto.

Porro hæc sententia intelligitur de illis, qui erant viginti annorum, non cùm lata est hæc sententia, sed cùm facta est numeratio cap. 1. v. 2. hoc enim significat τὸ *numerati.* ita Abulens. Denique, hi omnes ad mortem temporalem damnati fuere, non ad æternam; imò præsenti redemerunt æternam, quicumque pœnitentes in gratia obierunt in deserto, vti patet de Mose & Aarone, qui exclusi sunt à Chanaan, sed aliam ob causam, de qua c. 20.

VERS. 30. SVPER QVAM LEVAVI MANVM] Id est, pro qua, quasi elata in altum manu, iuraui, quòd eam vobis darem, Genes. 15. 18.

PRÆTER CALEB FILIVM IEPHONE, ET IOSVE FILIVM NVN] Hi duo ergo soli ex tot centenis armatorum millibus, ingressi sunt Chanaan; quia Deum secuti sunt.

Tropolog. Tropologicè, S. Gregor. in psal. 7. pœnit. in expositione quinti versic. in fine: Nullus, inquit, ad cælum veniet, *nisi priùs per amorem spiritus, in nouitate vitæ didicerit ambulare. Duo viri, Caleb videlicet & Iosue, caput & corpus designant, Christum scilicet & Ecclesiam, qui soli ingrediuntur illam terram viuentium. Caleb* enim hebr. significat *omne cor,* ait Procopius: *Iephone* significat *conuersionem, Iesus Saluatorem.* qui enim integrum erga Deum cor habent, filij conuersionis sunt, per cohabitantẽ illis Iesum.

Paucitas saluandorum mira. Allegoricè, sicut ex tot centenis millibus soli Iosue & Caleb ingressi sunt terram promissam, ita ex tot centenis hominum millibus pauci saluantur, euntque ad cælum.

Cùm D. Bernardus Abbas Clareuallensis ex hac vita migrasset, quod contigit anno Domini 1153. indictione 1. 13. Cal. Sept. anno ætatis suæ 64. horrenda visio Lingonensi Episcopo facta est. Apparuit ei namque Eremita quidam mortuus, quem viuentem olim nouerat, qui diuino timore compunctus, ante aliquot annos, cùm esset Decanus diues & nominatus, omnia contemnens, ere-

A mitorium pro Christi amore intrauit. Quem cùm de statu suo & diuini iudicij districtione interrogasset, ille respondit: *Ea hora, in qua ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus Clareuallensis Abbas, qui eadem hora obijt, vnà mecum ad cælos euolauit, tres alij ad Purgatorium missi sunt, cæteri omnes per sententiam iusti iudicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi descenderunt.* S. Simeon, & ex eo S. Nilus Abbas apud Baron. tomo 10. anno Christi 976. asserunt ex decem millibus vix vnam animam saluari.

Ex annalibus Franciscanorum refert noster Platus lib. 1. de Bono status relig. c. 5. Franciscanum quemdam nomine Bertoldum, concionatorem insignem, vi & spiritu dicendi mulierem peccatricem eò contritionis adegisse, vt in concione mortua conciderit. hæc postea precibus eius resuscitata, dixit: B *Cùm apparui ad Dei tribunal, adducta sunt eò sexaginta animarum millia, quæ toto orbe è vita excesserant, atque ex his tres tantùm addicta fuerunt Purgatorio, reliqua omnes ad ignem æternum damnata.* vnum autem ex Franciscanis Fratribus eodem quoque temporis articulo defunctum, per Purgatorij quidem locum transisse asseruit; sed tamen ibi non modò diutiùs non commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipua cum eo amicitia coniunctæ fuerant, secum in cælum abduxisse. Quàm densi ergo flocci niuis in hieme cadunt ex aëre, tam densa hominum turba quotidie descendit ad tartara. O res miseranda! ô hominum stupor! Quis hæc legens non expauescat? quis toto corpore non contremiscat? quis non decernat sanctè & piè viuere, suæque saluti consulere, & assecurare sibi, quoad potest, cæli aditum? C præsertim cùm audit illud Christi: *Intrate per angustam portam; quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* Matt. 7. 13. & iterum: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* hoc cogita, hoc recogita, hoc assiduè meditare.

FILII VESTRI ERVNT VAGI IN DESERTO ANNIS QVADRAGINTA] Noxiorum parentum innoxij filij, pro peccato & noxa parentum, hic puniuntur quasi exilio quadraginta annorum. Verùm hæc paruulorum non tam pœna fuit, quàm commodum: seruiebat enim Primò, ad hoc, vt interim ipsi crescerent ad iustam ætatem & robur, quò cum Chananæis confligere possent. Secundò, vt interim crescerent numero, quò parentibus morituris succedere, & Chananæam replere possent. ita Abulens. D VERS. 33.

ANNIS QVADRAGINTA] Nota Primò. Ab egressu Hebræorum ex Ægypto vsque ad ingressum in Chanaan, fluxerunt non 42. anni, vti habent Septuag. Iosue 5. 6. & ex ijs S. August. sed 40. tantùm, vt patet Iosue 5. 6. in Hebr. Chald. & Latino textu. Idque rursum omnino conuincitur ex Exodi 7. 7. collato cum Num. 33. 38. & Deut. vlt. v. 7. imò hi 40. anni non omnino integri fuerunt. Nam Hebræi egressi sunt ex Ægypto 15. die mensis primi, vt patet Num. 33. v. 3. transierunt autem Iordanem, & ingressi sunt Chanaan, decima die mensis primi anni quadragesimi primi ab egressu, vt patet Iosue 4. 19. ergo desunt 5. dies ad explendum 40. annos.

Hebræi vagati sunt per 40. non 42. annos.

Vnde Nota Secundò. Ab hoc murmure errarunt Hebræi per desertum, tantùm triginta octo annos

annos cum medio, aut circiter. Nam hæc exploratio, ob quam murmurarunt, contigit anno secundo ab egressu in Iunio, vti dixi c.13.v.21.

Dices, Quomodo ergo hic non 38. nec 39. sed 40. anni numerantur? Respondent aliqui, hos annos computandos esse ab egressu ex Ægypto. Verùm dico, eos computandos esse à missis exploratoribus, & murmure hoc, vti satis liquet hoc loco, & psal. 94. 10. inde enim fuerunt 38. anni completi, & 39. inchoati, qui more Script. vocantur 40. quia Scriptura solet numerum perfectum exprimere, etiamsi à parte rei paulò maior vel minor sit numerus. Sic vocantur 70. discipuli Christi, cùm fuerint 72. vide Riberam in Amos 5. n. 64.

Adde, fuisse præcisè 40. annos saltem inchoatos, si annum non sacrum, sed profanum accipias, qui incipiebat à Tisri, id est à Septembri. Nam fuerunt 38. anni completi, cum septem vel octo mensibus. Iam hi menses fracti sunt: primi enim duo præcedebant Tisri primi anni. murmur enim hoc factum est in Iulio, putà quadragesimo die à missis exploratoribus; hi autem missi sunt in Iunio. vnde duo primi menses vsque ad Tisri pertinent ad primum annum, eumque in hac numeratione constituunt: inde ab vno Tisri ad alium, continuò fluxerunt 38. anni integri. Rursum post hos 38. annos, fluxerunt à Tisri vltimo vsque ad Martium, quo ingressi sunt Chanaan, sex menses, qui ad nouum annum, putà quadragesimum pertinent: ita ergo 40. anni fuerunt, sed fracti tam in principio, quàm in fine, iuxta computum anni communis, siue profani.

R. Salomon fingit omnes in deserto fuisse mortuos anno vitæ 60.

R. Salomon hos 40. annos præfixos esse putat, ad ætatem eorum qui morituri erant in deserto, complendam. Censet enim ipse, neminem ex eis mortuum esse, ante annum ætatis sexagesimum; ita vt qui citiùs compleuerat annum sexagesimum, citiùs moreretur: ideoque hic præfigi annos 40. vt illi qui exierant de Ægypto anno ætatis vigesimo, morerentur anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto (& iste erat eis sexagesimus annus) scilicet paulò antequam alij iuniores ingrederentur in Chanaan. Sed hæc ipsius de more sunt figmenta, quæ nullo fundamento nituntur: vnde hæc multis refellit Abulens.

Et portabunt fornicationem vestram] q.d. Portabunt filij pœnam fornicationis vestræ, id est præuaricationis, ac declinationis à Deo & lege Dei. Sicut enim mulier à marito deuians ad adulterum, fornicari dicitur, ita fornicatur & anima, si à Deo & lege Dei, cui iure plusquam maritali obstringitur, deuiet, præsertim si id fiat per idololatriam. Idolum enim est quasi alius maritus, ideoque quasi adulter animæ. Similis phrasis est c. sequ. v. 39.

Vers. 34. Iniquitates] pœnam iniquitatum.

Annus pro die imputabitur] computabitur. q.d. Sicut 40. diebus morati sunt exploratores in Chanaan, eam lustrando; ita proportionaliter manebitis, vos Hebræi, 40. annis in deserto: quia ipsi vos murmurare fecerunt: esto non omnibus istis 40. diebus ipsi murmurauerint, aut peccarint. Est enim hæc proportio in numero 40. non dierum culpæ ad annos pœnæ, sed est congruitas quædam numeri dantis occasionem culpæ ad numerum infligentem pœnam. ita Abulens.

Morale. Moraliter Glossa ex Origene, *Timeo, ait, hoc mysterium discutere: video enim quòd in hoc compre-*

A *henditur ratio peccatorum & pœnarum: si enim cuique peccatori ascribitur annus ad pœnam, pro vnius diei peccato; vereor ne fortè nobis, qui quotidie peccamus, nec ipsa fortè sæcula sæculorum sufficere possint ad pœnas luendas.*

Igitur omnes viri, &c. qui reversi murmurare fecerant multitudinem, &c. mortui sunt atque percussi in conspectu Domini] Omnes exploratores, præter Iosue & Caleb, subita morte puniti fuerunt, *coram Domino*, id est sententia à Deo in eos lata, & plaga ab eo in ipsos immissa, vt omnes viderent iudicium & vindictam Dei super illos. Aliqui asserunt pestem in eos immissam esse. R. Salomon ait, quòd linguæ eorum, quibus detraxerant terræ promissæ, inflatæ fuerint, & venenum stillarint, ipsique subitò mortui sint. An id ita contigerit, an verò alia plaga percussi sint, nouit Deus. Historia hæc respondet comminationi, eaque de causa per anticipationem hîc inseritur, antequam Moses minas Dei retulisset populo. Vers. 36. & 37.

Exploratores subita morte puniti sunt.

B

Locutusque est Moyses vniversa verba hæc ad omnes filios Israel] *Verba*, scilicet sententiam mortis à Deo latam in omnes murmuratores ab anno 20. & suprà, v. 29. Vers. 39.

Et luxit populus nimis] valdè, mirum in modum, tum ob sententiam hanc mortis in se latam, tum ob mortem miserabilem exploratorum, quam oculis conspexerant.

Et ecce mane primo surgentes, ascenderunt verticem montis] Idumææ, vt sic statim penetrarent in Chanaan. Ecce stulti dum fugiunt vitia, in contraria currunt: Hebræi antè auersi à Chanaan, iam in eam præcipites ruunt, sine consilio, nutu & ope Dei; ideoq; vtrobique inobedientes, vtrobique mulctantur & cæduntur. Vers. 40.

C

Appositum apologum narrat Cleobulus apud Plutarch. in Conuiuio septem sapientum: Luna, inquit, à matre petijt, vt sibi tunicam congruentem texeret. Cui mater: Quomodo id possim, cùm iam te plenam, iam semiplenam, iam corniculatam videam? Sic homini fatuo & vitioso nulla est mensura. stultus enim vt luna mutatur, nunc animosissimus est, nunc timidissimus, nunc paret, nunc rebellat.

Verè dixit Valerius Max. lib. 1. *Ducis in consilio posita est virtus militum.* Et Archidamus videns filium suum nimis temerè contra Athenienses pugnantem: *Aut vires*, inquit, *tibi sunt augenda, aut minuenda audacia.* Et Phocion pugnaturus contra Macedones, cùm multi iuuenes accurrentes suaderent ei, vt in colle castra collocaret: *O Hercules*, inquit, *quàm multos duces, milites verò perpaucos!* notans iuuenilem temeritatem, quæ duci præire conaretur; cùm militis sit non dare consilium, sed exequi. testis Plutarch. in Apophtheg.

D

Apud Macedones iniussu ducis arma capere, in ordines ire, aut hostes inuadere, lege militari seuerè cauebatur, inquit Alexand. ab Alexand. lib. 3. c. 20. Philippus rex Archidamum morte mulctauit, quòd cùm eum perseuerare cum armis iussisset, ille deposuisset. testis est Ælian. lib. 14 Sub Lysandro classis Lacedæmoniorum præfecto, Dercyllides accusatus quòd ordines non seruasset, ignominiæ causa stare iussus est scutum præ se ferens. Hæc enim non seruati ordinis pœna est, inquit Xenophon.

Parati sumus ascendere ad locum, de quo Domi-

DOMINVS LOCVTVS EST, QVIA PECCAVIMVS] A quasi dicant Fuimus inobedientes Domino, iam facti nos pœnitet, cupimus obedire Deo, nec cogitare de reditu in Ægyptum, sed statim per montes peruadere in terram promissam. Verùm rursum peccant inobedientia: iusserat enim Dominus, vt reuerterentur per viam maris rubri.

Vers.44. AT ILLI CONTENEBRATI (excæcati inobedientia & cupiditate penetrandi in Chanaan, nolentes acquiescere iudicio Mosis) ASCENDERVNT IN VERTICEM MONTIS] in quo habitabant Chananæi & Amalecitæ, qui inuadentes Hebræos ceciderunt. Facile enim erat eis alto loco positis, Hebræos ægrè ascendentes deijcere & deturbare. Hinc prudentes belli duces captant & præoccupant loca edita, item secundum ventum, solem & puluerem. Hoc faciebat C. Marius insignis dux Romanorum qui Cimbros deuicit: vnde cùm Popidius Silo hostium dux Mario significaret: *Si es, ô Mari, magnus imperator, veni, & prælio decerne*; respondit Marius: *Imò si tu es magnus imperator, coge me inuitum decertare*. ita Plutarch in Mario.

PERSECVTVS EST EOS VSQVE HORMA] Est prolepsis: *Horma* enim, id est *anathema*, vocatur hîc terra, quæ postea à strage ibi edita ab Hebræis, vocata est *Horma*, Numer. 21. 3. *Horma* ergo significat hîc terminum, & limites terræ, postea percussæ ab Hebræis. ita Abulensis. Alij putant hoc Horma alium esse locum, qui æquè vt ille c. 21. 3. dictus sit Horma, à clade hac & anathemate Hebræorum. Vers.45.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Statuitur certa mensura libaminum singulis hostijs. Secundò, fertur lex de dandis primitijs panum, messis & vuarum, v. 18. Tertiò, colligens ligna in sabbato iubetur lapidari, v. 32. Quartò, iubet Deus, vt Hebræi gestent fimbrias, quæ eos semper admoneant legis Dei, v. 37.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, &
dices ad eos: Cùm ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo
vobis, 3. & feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota sol-
uentes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem
suauitatis Domino, de bobus siue de ouibus: 4. offeret quicumque immolauerit vi-
ctimam sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram ha-
bebit quartam partem hin: 5. & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit in
holocaustum siue in victimam. Per agnos singulos 6. & arietes erit sacrificium simi-
læ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin: 7. & vinum ad li-
bamentum tertiæ partis eiusdem mensuræ offeret in odorem suauitatis Domino.
8. Quando verò de bobus feceris holocaustum aut hostiam, vt impleas votum vel pa-
cificas victimas, 9. dabis per singulos boues similæ tres decimas conspersæ oleo,
quod habeat medium mensuræ hin: 10. & vinum ad liba fundenda eiusdem mensu-
ræ in oblationem suauissimi odoris Domino. 11. Sic facies 12. per singulos boues
& arietes & agnos & hœdos. 13. Tam indigenæ quàm peregrini 14. eodem ritu
offerent sacrificia. 15. Vnum præceptum erit atque iudicium tam vobis quàm adue-
nis terræ 16. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 17. Loquere filijs Israel,
& dices ad eos: 18. Cùm veneritis in terram, quam dabo vobis, 19. & comederi-
tis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino 20. de cibis vestris.
Sicut de areis primitias separatis, 21. ita & de pulmentis dabitis primitiua Domino.
22. Quòd si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Domi-
nus ad Moysen, 23. & mandauit per eum ad vos, à die qua cœpit iubere & vltrà,
24. oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in
odorem suauissimum Domino, & sacrificium eius ac liba, vt ceremoniæ postulant, hir-
cumque pro peccato: 25. & rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Is-
rael: & dimittetur eis, quoniam non sponte peccauerunt, nihilominus offerentes in-
censum Domino pro se & pro peccato atque errore suo: 26. & dimittetur vniuer-
sæ plebi filiorum Israel, & aduenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est
omnis populi per ignorantiam. 27. Quòd si anima vna nesciens peccauerit, offe-
ret capram anniculam pro peccato suo: 28. & deprecabitur pro ea sacerdos, quòd
inscia peccauerit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi.
29. Tam indigenis quàm aduenis vna lex erit omnium, qui peccauerint ignoran-
tes. 30. Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille,
siue peregrinus, (quoniam aduersus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:
31. verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco de-
lebitur, & portabit iniquitatem suam. 32. Factum est autem, cùm essent filij Is-
rael in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die sabbati. 33. ob-
tulerunt eum Moysi & Aaron & vniuersæ multitudini. 34. Qui recluserunt eum
in

in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. 35. Dixitque Dominus ad
Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.
36. Cumq; eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præcepe-
rat Dominus. 37. Dixit quoque Dominus ad Moysen: 38. Loquere filijs Israel,
& dices ad eos vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponẽtes in eis vittas hya-
cinthinas: 39. quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec
sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, 40. sed magis me-
mores præceptorum Domini faciant ea, sintq; sancti Deo suo. 41. Ego Dominus
Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essem Deus vester.

VERS. 2. 3 & 4. CVM FECERITIS OBLATIONEM DOMINO IN HOLOCAVSTVM, AVT VICTIMAM pacificam, &c. OFFERET QVICVMQVE IMMOLAVERIT VICTIMAM, SACRIFICIVM SIMILÆ] Hinc, & ex alijs locis patet, libamina tantùm addi solere in holocausto & victima pacifica; non verò in victima pro peccato, eò quòd in ea nullæ carnes Deo adolerentur. Libamina enim tantùm addebantur carnibus, tamquam condimenta earum, vtpote quæ erant instar cibi & conuiuij Dei, quod per talia condiri solet. Excipe tamen libamina hostiæ pro peccato in mundatione leprosorum, de quibus Leuit. 14. 11. Vbi Nota. Libamina erant tāquam appendices, vel condimenta sacrificij, erantque quinque, scilicet Primò, simila: Secundò, oleum: Tertiò, vinum: Quartò, sal: Quintò, thus. sed quia sal & thus modica erant, hinc certa eorum mensura hîc non præscribitur, cæterorum autem trium præscribitur.

Libamina erant quinque.

Nota Secundò. Olei & vini in libando, semper eadem mensura statuitur.

Quando lex de libaminibus sit lata.

Quæres, quoto anno post egressum ex Ægypto, & in quota mansione lata sit hæc lex, & aliæ quæ intexuntur hoc c. & seq. vsque ad c. 20.

Respondeo, Id incertum est. Nam Moses præterit hîc septemdecim mansiones: vltima enim, cuius meminit cap. præced. fuit decimaquinta in Rethma: cap. verò 20. v. 1. narrat eos venisse in Cades, vbi fuit trigesima tertia mansio: reliquas ergo medias, putà septemdecim, silet & præterit. Verisimile tamen est, omnia hæc secundo anno egressus ex Ægypto esse dicta & facta. Nam cinere vitulæ rufæ, de quo cap. 19. non diu caruisse videntur, ob crebras purificationes hoc cinere necessariò faciendas, post institutas in Sinai cæremonias, sacrificia, & sacerdotes.

VERS. 3. ADOLENTES ODOREM SVAVITATIS] cremantes scilicet victimam; quæ crematio erat in odorem suauitatis, id est Deo erat accepta & grata, vti nobis gratus est odor aliquis suauissimus, v. g. thuris, rosæ, musci, &c.

DE BOBVS SIVE DE OVIBVS] aut hircis, siue hœdis vt patet v. 11.

VERS. 4. QVICVMQVE IMMOLAVERIT VICTIMAM] quicumque obtulerit victimam immolandam. Laici enim offerebant tantùm victimas; non autem immolabant: hoc enim erat sacerdotum.

VERS. 5. ET VINVM AD LIBA (id est libamina) FVNDENDA] Vnde hebr. est, *& vinum ad libationem*, ita & Chald. & Septuag.

Ritus libandi.

Nota. Modus & ritus libationis erat hic, vti rectè annotauit Abulensis, laicus offerēs victimam & libamina, domi suæ in farinā, victimæ suæ præscriptam, superfundebat oleum, idque ea mensura, quæ hîc præcipitur, scilicet pro vna decima, siue pro vno gomor similæ, fundebat quartam partem mensuræ hin: pro duabus decimis fundebat

A tertiam partem hin: pro tribus, medietatem hin. Hin erat mensura continens duodecim sextarios Hebræos, siue scyphos, tredecim vnciarum aquæ, aut vini, vt ostendam in fine operis. Farina ergo hæc libanda Deo, non poterat misceri aqua: sic enim habita fuisset immunda, & inepta sacrificio, vti docet Abul. in c. 28. Numer. q. 23. sed oleo miscenda erat. Deinde, farinam ita commistam afferebat offerens ad Sanctuariū, vnà cum vini mensura hîc præscripta, tradebatque ea sacerdoti, qui ea accipiens, effundebat vini partem in victimam cremandam, vti colligitur v. 5. & c. 28. 14. atque ex simila tollebat pugillum, quem cremabat super altare: reliquam verò similam & vinum, in suos
B vsus seruabat. Libamenta enim semper maxima ex parte cedebant sacerdoti etiam in holocaustis.

Ritus pleni sacrificij.

Ritus ergo sacrificandi, & libandi erat hic: sacerdos victimæ carnes, vel adipem, si is solus cremandus erat, imponebat altari: deinde ex simila, quæ sale & certa mensura olei commista & condita erat, tollebat pugillum, eumque victimæ cremandæ imponebat, simulque non super similam tantùm, sed & super ipsam victimam, vini portionem hîc præscriptam effundebat: denique thus victimæ imponebat, ac mox subiectis lignis ignem excitabat, eoque victimam cum libaminibus Deo adolebat & concremabat.

C PER AGNOS SINGVLOS] Hæc verba ad præcedentia, cum Biblijs Regijs, Hebr. Chald. & Septuag. referenda sunt, non ad sequentia. Cùm agno enim vna decima similæ, cum ariete verò duæ decimæ similæ erant offerendæ, vti sequitur.

Mensura libaminū.

Vbi Nota. Quo maius erat pecus aut victima, eo maius dandum erat libamen. Nam cum agno (sub quo & hœdum intellige) qui necdum excessisset annū, danda erat decima similæ, & quarta pars hin tam olei, quàm vini: pro ariete verò, vel hirco dandæ erant duæ decimæ similæ, cum tertia parte hin olei, & vini: denique pro vitulo, vel boue dandæ erant tres decimæ similæ, cum medietate hin olei & vini.

D Hæc ita esse, clarè patet ex Hebr. Chald. Septuag. ita Vatabl. & Hebræi.

Anagog.

Anagog. Cyrill. lib. 16. de Adoratione in spir. & verit. p. 317. Vinum, inquit, lætitiam; oleum, hilaritatem designat, quæ in futura gloria inæqualiter admetietur Sanctis, pro diuersa mensura bonorum operum Deo oblatorum.

Tropolog.

Pari modo Tropologicè maiori operi pio plus olei & vini, id est plus hilaritatis & deuotionis, est dandum, quàm minori.

PEREGRINI] Id est aduena, putà proselyti conuersi ad iudaismum. Hic enim hebr. vocatur גר *ger*, quod Noster nunc peregrinum vertit, nunc aduenam, vt patet v. 13. 14. 26. & alibi. VERS. 13.

VNVM PRÆCEPTVM ERIT, ATQVE IVDICIVM (id VERS. 14.

(id est statutum, siue lex: hoc enim est Heb. מִשְׁפָּט *mispat*) TAM VOBIS QVAM ADVENIS (proselytis) TERRÆ.

VERS. 19. SEPARABITIS PRIMITIAS DOMINO DE CIBIS, id est de panibus, VESTRIS] vti præcessit. id clariùs patebit v. 20.

VERS. 20. & 21. *Primitiarum lex.* SICVT DE AREIS PRIMITIAS SEPARATIS: ITA ET DE PVLMENTIS DABITIS PRIMITIVA DOMINO] Sub *areis* intellige & torcularia. Sicut enim ex area primitias messis, ita ex vinea vel torculari primitias vindemiæ & vuarum in exitu anni, putà in festo Tabernaculorũ, Deo offerre debebãt. Rursum primitiæ dandæ erant *de pulmentis*, id est de panibus. ita Hebr. Chald. & Septuag. *Pulmenta sunt panes.* Panes ergo hîc vocantur *pulmenta*: quia prisci tam Romani, quàm Hebræi pultibus pro pane vtebantur; vnde & Pultiphagi sunt dicti. Nam de alijs cibis omnibus, primitias quotidie dare Deo, fuisset penè impossibile. Tãtùm ergo cùm panem pinserent Hebræi, panem aliquem primitiarum dabant sacerdotibus, aut Leuitis ijs, qui in illorum vrbe erant, vel qui ad primitias recipiendas à pontifice & sacerdotibus erant constituti.

Adhuc hodie Iudæorum mulieres quoties pinsunt, *challa*, id est placentam aut tortellã, à reliqua pasta separant, & quasi Domino consecrant. Verùm quia non habent ampliùs templum, nec sacerdotes, quibus illa dabatur; hinc eã in clibanum conijciunt, atque comburunt: dicunt enim quòd non liceat ea vesci. meliùs sanè eam darent pauperibus. Porro formula benedictionis qua vtitur mulier in consecratione huius placentæ, hæc est: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis, & præcepisti nobis separare placentam de pasta*, &c. De primitijs hisce plura dicam c. 18. 12.

Pietas matronarum dantium panem primitiarum. Piè ergo, & iuxta consilium, imò legem hanc Dei, faciunt matresfamilias Christianæ, quæ quoties panem pinsunt, toties panem vnum in primitias Deo & pauperibus seponunt.

VERS. 22. & 24. QVOD SI PER IGNORANTIAM PRÆTERIERITIS QVIDQVAM HORVM, &c. OBLITAQVE FVERIT FACERE MVLTITVDO, OFFERET VITVLVM DE ARMENTO HOLOCAVSTVM, &c. HIRCVMQVE PRO PECCATO] *Obiectio.* Dices, Leuit. 4. 13. præcipitur, vt, si tota multitudo filiorum Israel peccet, offerat vitulum pro peccato, comburendũ extra castra: quomodo ergo lex hîc præcipit, vitulum non pro peccato, sed in holocaustum, hircum verò pro peccato offerri?

Resp. Caiet. Respondet Caiet. Leuiticum loqui de peccatis contra ius diuinum naturale commissis, hanc verò legem loqui de peccatis contra ius Dei positiuum commissis; ideoque aliam hîc, aliam ibi victimã ad expiationem præscribi. Verùm hoc non videtur verum: nam illa lex Leuitici eodem cap. 4. loquens de victimis & peccatis, tam principis quàm particularis cuiusque, loquitur de quibuslibet eorum peccatis: ergo pariter cùm loquitur de victimis, & peccatis totius populi, de quibuslibet eius peccatis loquitur.

Resp. Auctoris. Dico ergo, aliam esse hanc legem ab illa Leuitici: ac proinde præter vitulum pro peccato Leuit. 4. præceptum, hîc iuberi populo peccanti, vt insuper offerat alium vitulum in holocaustum, & hircum pro peccato. ita Abul.

Nota. Hircus hic pro peccato non cremabatur extra castra (nil enim tale hîc dicitur) vti vitulus ille Leuit. 4. quia sanguis huius hirci non inferebatur in Sanctum sanctorum, vti inferebatur sanguis illius vituli. Solus ergo adeps huius hirci cedebat Deo, eique adolebatur, carnes verò cedebant sacerdoti: ita enim fiebat in alijs hostijs pro peccato, iuxta legem Leuit. 6. 26.

ET SACRIFICIVM EIVS, AC LIBA. *Sacrificium*, farreum intellige: hebr. enim est *mincha*. *Liba* verò sunt libamina olei & vini, quæ cum vitulo & hirco offerri, CÆREMONIÆ hîc à me præscriptæ POSTVLANT. VERS. 24.

QVONIAM NON SPONTE PECCAVERVNT] Quia si sponte, & per superbiam contemnens præceptum Dei peccaret quis, hic culpam hanc non expiabat sacrificio, sed à iudice. si res constaret; sin autem, à Deo puniebatur & occidebatur, vt patet v. 31. VERS. 25.

B NIHILOMINVS OFFERENTES INCENSVM DOMINO] q. d. Dimittetur eis peccatum: quia per ignorãtiam commissum est; ita tamen, vt nihilominùs offerant *incensum*, id est sacrificium siue victimam iam præscriptam, quæ Deo incendatur & adoleatur. patet ex Hebr. Chald. & Septuag. Sic enim *incensum*, vel, vt hebr. est, *ignitio*, sæpè in Leuitico capitur, non pro thymiamate, sed pro sacrificio & victima animalium. *Incensum vocatur victima incensa.*

QVONIAM ADVERSVS DOMINVM REBELLIS FVIT] Septuag. & Chald. *quoniam Dominum irritauit.* VERS. 30.

PRÆCEPTVM FECIT IRRITVM] non quoad obligationem præcepti, sed quoad eius finem & vsum, qui est obedire præcepto. Sic Hebræi sæpè dicunt, Irritam fecit legem, id est legem transgressus est, violauit, illique inobediens fuit. talis C enim quantum in se est, infringit, destruit, & irritam facit ipsam legem. VERS. 31.

FACTVM EST AVTEM, CVM, &c. INVENISSENT HOMINEM COLLIGENTEM LIGNA IN DIE SABBATI] Hinc patet, in deserto seruatum fuisse sabbatum, etsi alia cæremonialia ibidẽ seruata non fint: quia sabbatum, Dei voce in Sina, toti populo promulgatum erat, Exodi 20. 8. Seruarunt ergo Hebræi in deserto sabbatum, quoad vacationem ab operibus, non autem quoad sacrificia, vt scilicet in sabbato offerrent duos agnos, vnum manè, alterum vespere; nec enim post discessum è Sina sacrificarunt, nisi in Chanaan. VERS. 32. *Sabbatum seruarunt Hebræi in deserto.*

NESCIENTES QVID SVPER EO FACERE DEBERENT] Hebr. כִּי לֹא פֹרַשׁ *kilo paras*, id est, *quia non declaratum*, vel, vt Septuag. *decretum erat, quid fieret ei.* Licet enim Exodi 31. 14. pœna mortis lata D esset in violantem sabbatum, tamen ignorabant Hebræi, an pro tantillo opere, quale erat colligere ligna, morte aliquem plecti vellet Deus, & si id vellet, ignorabant quo genere mortis eum affici cuperet. Iubet ergo hîc Deus, eum lapidari. Vide hîc, quàm rigidè & seuerè præcepta & festa sua seruari mandet Deus. VERS. 34.

Gregor. Turonens. l. 1 de Gloria Mart. 15. narrat mulieris cuiusdã Dominica pinsentis panem, manum protinus diuino igne fuisse succensam. *Puniti sunt violantes festa.*

Rodericus Toletanus p. 4. hist. Hispan. narrat Iohannem Castellæ regem victoriosũ, cùm Dominica die ante prãdium equitationi vacaret, ab equo cespitante deiectum & obtritum occubuisse, vt discamus diem festum dare Deo, non venationibus, aut vanis ludis. In Vita S. Austregisili Archiepiscopi Bitur. quæ extat apud Suriũ 20. Maij, c. 9. narratur, quòd, cùm molitor quidã nomine Mo-

Monulphus, die Dominica molam reficeret, manubrium instrumenti eius manui ita adhæserit, vt nullus id inde posset amouere. Prorupit etiā sanguis inter digitos, qui computrescens fœtore suo omnibus mouebat nauseam. Sed hic S. Austregisilo manum eius tangente sanatus est. Eucherius in Vita S. Mauritij & sociorū Martyr. scribit, aurifabrum quemdam Gentilem, quòd Dominica die domi laboraret, à Thebæis Martyribus verberatū fuisse, eoque terrore Christianum effectum esse.

VERS. 38. *Fimbriæ Hebræorum quales?* DICES AD EOS, VT FACIANT SIBI FIMBRIAS PER ANGVLOS PALLIORVM] Hebr. *vt faciāt sibi fimbrias ad alas*, id est ad extremitatem, *vestium*, putà extimarum, quæ pallia vocātur: in ijs ergo iubentur Hebræi fimbrias filatim assuere, vel attexere, vt extent eo modo, quo videmus fimbrias, vel fila reliqua extare in extremitatibus telarum.

Hinc Pharisæi, teste Christo Matth. 23. 5. vt viderentur religiosiores alijs, magnificabant hasce fimbrias: imò Christus ipse, more gentis suæ gestauit has fimbrias, vt patet Lucæ 8. 44. vbi mulier hæmorrhoissa tetigisse dicitur fimbriam vestimēti Christi, & continuò sanata esse. Super has fimbrias inducebant Iudæi & extendebant circumcirca filum, vel tæniam, siue vittam hyacinthinam, idque tum distinctionis causa, vt hoc signo à Gentilibus dignoscerentur: tum pietatis ergò, vt scilicet hoc esset quasi mnemosynon mandatorum Dei.

Erant violaceæ cur? Porrò erant hæ fimbriæ ianthini, id est violacei & cœlestis, coloris, vt per hoc significaretur, Iudæorum conuersationem & spem debere esse in cælo, vt cogitationem habentes apud Deum, Dei timorem & præsentiam semper ob oculos haberent. hoc enim est quod sequitur: *Quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.*

Iudæi adhuc hoc tempore, in synagogis suis hac cæremonia vtuntur. Habent enim inter cæteras vestes vnam similem thoraci, nisi quòd manicis caret, qua vtuntur quotidie in precibus suis, eamque induunt super omnes alias vestes; illamque vocant אַרְבַּע כַּנְפוֹת *arba canphot*, id est quadrangulum: habet enim quatuor alas vel angulos, in quibus pendent *zizioth*, id est fila illa retorta, siue fimbriæ, quæ ipsi vulgò *zotten* nuncupant: dicuntq; eas peculiarem habere vim contra malam concupiscentiam, idque ex eo quòd hîc subditur: *Nec sequantur cogitationes suas & oculos, per res varias fornicantes.* Quare qui inter eos religiosiores, vel potiùs superstitiosiores sunt, hac veste fimbriata semper induuntur sub alijs vestibus, inquit Oleaster & alij. Addit S. Hieron. in cap. 23. Matt. Iudæos fimbrijs hisce inseruisse acutissimas spinas, vt ambulantes, per earum puncturam, legis diuinæ semper admonerentur. Quid iam faciant Christiani? quomodo satagent, vt lex Dei eorum oculis iugiter obuersetur? *Iudæorum zizioth, & spinæ.*

NEC SEQVANTVR COGITATIONES SVAS ET OCVLOS, PER RES VARIAS FORNICANTES] Hebr. *ne exploretis*, vel *aspiciatis*, aut *inuestigetis post cor vestrum, & post oculos vestros, post quos vos fornicamini.* q. d. Gerite has fimbrias, vt ijs admoniti legis Dei, non sequamini cogitationes, &, vt Chald. vertit, הִרְהוּר *birbur*, id est curiositatem impiam cordis vestri, & concupiscentiam oculorum vestrorum, quos sequentes aberratis à præceptis Dei, & tamquam fornicarij alieno rerum concupitarum amore, & peccatis vos polluitis. ait Vatabl. VERS. 39.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Core, Dathan, Abiron & Hon rebellant Moysi, ambiuntq; sacerdotium cum alijs 250. vnde ipsi viui à terra absorbentur: socij verò eorum 250. thurificantes igne diuino afflantur. Hinc v. 41. murmurat populus: vnde Deus ex eo 14700. igne consumit; ignem grassantem oratione sua cohibet Aaron.

1. ECce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan atque Abiron filij
Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filijs Ruben, 2. surrexerunt contra Moy-
sen, alijq; filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempo-
re concilij per nomina vocabantur. 3. Cumq; stetissent aduersum Moysen & Aaron,
dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus:
Cur eleuamini super populum Domini? 4. Quod cùm audisset Moyses, cecidit
pronus in faciem: 5. locutusq; ad Core & ad omnem multitudinem: Manè, inquit,
notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elege-
rit, appropinquabunt ei. 6. Hoc igitur facite: Tollat vnusquisque thuribula sua, tu
Core, & omne concilium tuum: 7. & hausto cras igne, ponite desuper thymiama
coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filij Le-
ui. 8. Dixitque rursum ad Core: Audite filij Leui: 9. Num parum vobis est, quòd
separauit vos Deus Israel ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu taber-
naculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? 10. idcirco ad se fe-
cit accedere te & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam sacerdotium vendi-
cetis, 11. & omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron vt mur-
muretis contra eum? 12. Misit ergo Moyses vt vocaret Dathan & Abiron filios E-
liab. Qui responderunt: Non venimus. 13. numquid parum est tibi quòd eduxisti
nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus

fuctis nostri? 14. Reuera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis, &
dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum. an & oculos nostros vis eruere? non
venimus. 15. Iratusq; Moyses valdè, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum:
tu scis quòd ne asellum quidem vmquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam
eorum: 16. Dixitq; ad Core: Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Do-
mino, & Aaron die crastino separatim. 17. Tollite singuli thuribula vestra, & poni-
te super ea incensum: offerentes Domino ducēta quinquaginta thuribula: Aaron quo-
que teneat thuribulum suum. 18. Quod cùm fecissent, stantibus Moyse & Aaron,
19. & coaceruassent aduersum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, ap-
paruit cunctis gloria Domini. 20. Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait:
21. Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam. 22. Qui
ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum vniuersæ car-
nis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? 23. Et ait Dominus ad Moy-
sen: 24. Præcipe vniuerso populo vt separetur à tabernaculis Core, & Dathan & A-
biron. 25. Surrexitq; Moyses, & abijt ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum se-
nioribus Israel, 26. dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum,
& nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. 27. Cum-
que recessissent à tentorijs eorum per circuitum, Dathan & Abiron egressi stabant in
introitu papilionum suorum, cum vxoribus & liberis, omniq; frequentia. 28. Et ait
Moyses: In hoc scietis, quòd Dominus miserit me vt facerem vniuersa quæ cernitis, &
non ex proprio ea corde protulerim: 29. Si consueta hominum morte interierint,
& visitauerit eos plaga, qua & ceteri visitari solent, non misit me Dominus: 30. sin
autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia
quæ ad illos pertinent, descenderintq; viuentes in infernum, scietis quòd blasphema-
uerint Dominum. 31. Confestim igitur vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedi-
bus eorum: 32. & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuer-
sa substantia eorum. 33. descenderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt
de medio multitudinis. 34. At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad cla-
morem pereuntium, dicens: Ne fortè & nos terra deglutiat. 35. Sed & ignis egressus
à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. 36. Lo-
cutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: 37. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdo-
ti vt tollat thuribula quæ iacent in incendio, & ignem huc illucq; dispergat: quoniam
sanctificata sunt 38. in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat
altari, eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, vt cernant ea
pro signo & monimento filij Israel. 39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea,
in quibus obtulerant hi quos incendium deuorauit, & produxit ea in laminas, affigens
altari: 40. vt haberent postea filij Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat a-
lienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne pa-
tiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio eius, loquente Domino ad Moysen.
41. Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen
& Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. 42. Cumque oriretur seditio,
& tumultus increscerет, 43. Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis.
Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini. 44. Di-
xitque Dominus ad Moysen: 45. Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc
delebo eos. Cumque iacerent in terra, 46. dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribu-
lum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum vt ro-
ges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit. 47. Quod cùm fe-
cisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium,
obtulit thymiama: 48. & stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus
est, & plaga cessauit. 49. Fuerunt autem qui percussi sunt, quattuordecim millia ho-
minum & septingenti, absque his qui perierant in seditione Core. 50. Reuersusque
est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quieuit interitus.

VERS. 1. *Core fuit cõsobrinus Mosis, ideoq; ambiuit sacerdotiũ.*

ECCE AVTEM CORE FILIVS ISAAR, FILII CAATH, FILII LEVI] Hinc patet, Core fuisse consobrinum Mosis & Aaronis, adeoque Mosen & Core fuisse duorum fratrum, scilicet Amram & Isaar, filios. Caath enim genuit Amram & Isaar: Amram genuit Mosen & Aaron: Isaar verò genuit Core, vt patet partim hîc, partim Exodi 6.18.

VERS. 2.

SVRREXERVNT CONTRA MOYSEN] non tam eius principatum ambientes, quàm Aaronis sacer- A dotio inuidētes, quasi illud iniquè à se, vtpote primogenitis (primogenitis enim in lege naturæ cõpetebat sacerdotium) ablatum esset, & in solum Aaronem à Mose fratre translatum: maximè verò Core, qui erat primogenitus Isaar, vt patet Exodi 6.21. & consobrinus Aaronis, inuidit eum sibi præferri, eumque electum esse in sacerdotem, se verò tantùm esse Leuitam. Id patet ex v.10. vbi Moses eum ambitus sacerdotij arguit: hinc & iussit

sit litem hanc dirimi thuribulis, adolendo thymiama, quod vtique sacerdotij erat.

Permisit Deus hoc Core murmur & seditionē, vt per eam Aaronis sacerdotium cōfirmaretur & illustraretur. Non enim potest fidelium & sacerdotum Dei gloria resplendere, nisi eā infidelium reprobatio & pœna commendet. Quare Core hic expressus fuit hæreticorum & pseudosacerdotum typus ita Orig. Rom. 9.

Rebellio hæc cōtigit anno 2. ab exitu. Hinc verisimile est, hāc seditionem excitatam esse à Core, paulò post Aaronis consecrationem, scilicet eodem anno secundo egressus Hebræorum ex Ægypto. id magis patebit c. 20. 1.

Magnos inuadit inuidia. Moraliter, hîc discant ij, qui in rep. vel Ecclesia ad honores euehuntur, se multorum inuidiæ & æmulationi obijci, eamque modestè & generosè ferant ac superent. Ita Scipio Africanus Gracchocum suis contra eum clamāte, interficiendum esse tyrannum: *Meritò*, inquit, *patria bellum facientes; me priùs sublatum volūt. Roma enim Scipione incolumi cadere non potest, neque viuere Scipio Roma euersa.* Idem à duobus Petillijs de grauibus criminibus accusatus apud populum: *Hac ipsa*, inquit, *die Carthaginenses & Hannibalem deuici. itaque nunc coronatus ascendo ad Capitolium, rem ibi sacram facturus: qui volunt, de me ferant suffragia.* atq; hæc locutus ascendit, sequente populo, destitutisq; qui eū accusabāt. ita Plutarchus in eius Vita. Nimirum alta petunt venti, feriuntq; summos fulmina montes. Hinc suadebat Cato, vt potentes parcè sua potestate vterentur; sic enim eam diuturnam habituros, & inuidiam vel euasuros, vel restincturos.

Verè dixit Clemens Alexand l. 7. Stromatum: *Quidquid est pulchrum sequitur momus*, id est reprehensor, præsertim æmulus & inuidus. Pulchrum Aaronis sacerdotiū secutus est momus Core: pulchrā Magdalenæ vnctionem secutus est momus Iudas, sed laudauit Christus. Viri zelosi & religiosi quot hodie habent momos? quot malignos censores? Quisquis aliquid pulchri & magni moliris, scito te secuturum momum: sed eum non cura, cùm opus tuum laudat Christus. Cessabunt rodere momi: virtus tua & laus tua in theatro mundi totius celebrabitur, idque in æternum.

Per nomina] Hebr. *viri nominis*, id est celebres, putà primores & senatores, qui ad consilium euocari solebant.

Vers. 3. Svfficiat vobis] vt priuati viuatis, & vestra sorte singuli contenti sitis.

Qvia omnis mvltitvdo sanctorvm est] quasi dicāt, Omnis hic Hebræorum populus sanctus est, Deoq; per veram fidem, religionem, cultum & pactum in Sina initum deuinctus, & quasi consecratus, æquè ac vos ô Moses & Aaron.

Et in ipsis est Dominvs] Primò, pluens eis è cælo māna. Secundò, præiens iter in colūna nubis. Tertiò, habitans cum eis in tabernaculo. quasi dicant: Totus hic populus est Dei, & Deus est in eo: non ergo vos, ô Moses & Aaron, gerere debetis quasi reliquis sanctiores, Deoque coniunctiores sitis, ideoque velle eis præesse.

Ambitio est tumultuosa. Moraliter, disce hîc, quàm tumultuosa sibi & alijs sit ambitio. Præclarè S. Paulinus epist. ad Romanianum: *Blandum*, inquit, *nomen honos, sed mala seruitus.* & Philo l. de Ioseph: *Cogitet*, ait, *qui honorem affectat, tempestatem se affectare.* Et S. Gregor. 1. p. Pastoral. c. 9. *Quid*, inquit, *est potestas culminis, nisi tempestas mentis?* & l. 32. Mor. c. 17. vel 19. *Omne, quod hîc eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet.* Et S. Bernard. l. 3. de Consid. *Ambitio*, inquit, *ambientium crux, nihil acerbiùs cruciat, nihil molestiùs inquietat.* Et ep. 42. *Meditantibus*, ait, *honores blādiuntur, sed onera pensātibus terrori sunt ac formidini.* Et serm. 6. in psal. *Qui habitat: Veritas*, inquit, *est, quæ sedula suggestione reducit in mentem, quàm sit in ambitu friuola consolatio, graue iudiciū, vsus breuis, finis ignotus.* Rectè enim ait Seneca: Ambitio scenam & theatrum quærit.

Meritò ergo S. August. asserit se inter honores & laudes tremere. Sic enim ait serm. 5. de verbis Domini: *Laudes vestræ grauant nos potiùs, & in periculū mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas.* Et hom. 50. *Honor te quærere debet, non illum tu.* S. Hieron. in Vita S. Paulæ: *Fugiendo*, inquit *gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi vmbrā sequitur, & appetitores sui fugiens, sequitur contēptores.* S. Chrysost hom. 5. in Gen. *Gloria*, inquit, *humana tunc multò vberiùs fruimur, quādo eam despicimus.*

Qvod cvm avdisset Moyses, cecidit pronvs in faciem] humiliter deprecans Dominū vt seditionem hāc Core discuteret; atque in oratione responsum accepit, id quod sequitur: Vers. 4.

Mane notvm faciet Dominvs, qvi ad se pertineant] Ad hæc verba alludit Apostolus 1. Tim. 2. 19 dicens: *Cognouit Dominus qui sunt eius*, vt ibi dixi. Vers. 5.

Et sanctos applicabit sibi] *Sanctos*, id est à se sibi segregatos & electos ad sacerdotium. sic & infrà v. 7. & alibi, *sanctus* vocatur segregatus ad sacerdotium.

Ponite thymiama coram Domino] coram Sancto sanctorum, in altari thymiamatis. Vers. 7.

Ipse erit sanctvs] *Sanctū*, id est segregatus & electus à Deo ad sacerdotium, vt dixi v. 5.

Mvltvm erigimini filii Levi] Hebr. *multum vobis*, scilicet sumitis & arrogatis. q. d. Tu ô Core Leuita, cum tuis valdè superbis: quia non tātùm in me, & in Aaron, sed & in Deum, qui hæc ordinauit & constituit, insurgis.

Nvm parvm vobis est, qvod separavit vos Devs, &c. vt serviretis ei] Heb. est *eis*; Chald. *pro eis*. sed eòdem hæc omnia redeunt: Core enim, & cæteri Leuitæ seruiebant ei, id est Deo, pro eis, scilicet Israelitis. Vers. 9.

Nota hîc, quanta sit dignitas esse Clericum, esse Leuitam, dedicari Dei cultui, seruire tabernaculo. B. Thomas Morus hac re gaudebat & gloriabatur: nā in publica supplicatione ipse crucem sacerdoti præferebat, & vulgaris Clerici aut æditui munus obibat, seruiebat sacerdoti sacrificāti, eique canenti ipse indutus superpellicium succinebat instar Custodis: cumq; Dux Norfolciæ casu superueniens diceret, hoc eum dedecere, esseque præter eius dignitatem (erat enim tunc Morus Angliæ Cancellarius) regique Henrico displiciturum: respondit Morus: *Domino meo regi displicere non potest, quod ipsius regis Domino, Domino inquam dominantium, obsequium impendo.*

Et omnis globvs tvvs (congregatio tua, gregales tui) stet contra Dominvm. Vers. 11.

Qvid est enim Aaron?] q. d. Quid fecit Aaron? nec enim ipse se ingessit sacerdotio, sed ad id à Deo vocatus est.

Misit ergo Moyses] scilicet legatum, ad absentes Dathan & Abiron, & etiam ad Hon: nam Core solus erat præsens Mosi. Vers. 12.

NON VENIMVS] nolumus venire.

VERS.14. REVERA INDVXISTI NOS IN TERRAM, QVÆ FLVIT RIVIS LACTIS ET MELLIS] Est sarcasmus. quasi dicant: Hæccine in deserto est terra fluens lacte & melle, in quam tu, ô Moses, nos ex Ægypto inductum promisisti? Vnde Biblia Romana legunt hæc sine interrogatione. nam Hebr. & Chald. habent assertiuè: *Vtique non induxisti nos in terram lactis & mellis.*

AN ET OCVLOS NOSTROS VIS ERVERE?] Hebr. *an oculos hominum horum*, qui videlicet nobiscum sunt, *vis eruere?* vt scilicet non videant tuas fraudes & imposturas, quasi dicant. Ideóne vocas nos ad te, vt nobis præstringas, vel excæces oculos, ne videamus tuas technas, quibus per fauorem Aaroni, vtpote fratri tuo, sacerdotium, nobis ab eo exclusis, iniquè consignasti? sicut hactenus nobis per dulcia tua verba & promissa oculos præstrinxisti, nosque dementasti, vt te ex opulenta regione Ægypti, sequeremur in sterile & aridum hoc desertum. Aliqui sic interpretantur, quòd effossio oculorum fuerit pœna inobedientiæ & rebellionis. q.d. Etiamsi nobis pro ista inobedientia & rebellione quòd ad te non venimus, oculos eruere velis, non tamen veniemus ad te.

VERS.15. IRATVSQVE MOYSES VALDE, AIT AD DOMINVM: NE RESPICIAS SACRIFICIA EORVM] *Sacrificia* vocat thurificationes: nec enim victimas obtulerunt hi rebelles, sed tantùm thymiama, vt patet ex sequent.

TV SCIS QVOD NE ASELLVM QVIDEM VMQVAM ACCEPERIM AB EIS] q.d. Vide ergo Domine, quàm iniquè me ambitus, tyrannidis, & duri dominatus accusent.

VERS.17. TOLLITE SINGVLI THVRIBVLA VESTRA, ET PONITE SVPER EA INCENSVM, OFFERENTES DOMINO DVCENTA QVINQVAGINTA THVRIBVLA] Seditiosi proceres, socij Core erant 250. vt patet v. 2. totidem hîc numerantur thuribula: quia singuli cum Aarone de sacerdotio contendebant, illudque sibi arrogabant. Hinc potiùs thurificatione, quàm mactatione victimarum voluit Deus explorari & declarari suam in hanc lite sententiam: quia pretiosa, lõga & operosa fuisset 250. victimarum immolatio: thymiama verò & thuribula ad manum erant. Adde, thure omnium gentium ritu coli Deum, & thurificationem esse facillimum, æquè ac dignissimum Deo sacrificium.

Cur thurificatione exploratur sacerdotium

Nota. Hæc 250 thuribula non fuerunt accepta ex tabernaculo, & altari holocaustorũ: hæc enim thuribula erãt Dei, Mosis & Aaronis; non autem horum rebellium, contra Deum & Mosen certãtium; sed quemque sibi suum ex ære, vt patet v. 39. leui opere fecisse thuribulum, vel antea, cùm ad sacerdotium aspirare, & inter se cõspirare cœperunt, vel certè mox, vt Moses hanc eis facultatem dedit, edixitque vt quisque suum afferret thuribulum cum incenso. ita Abul.

VERS.18. QVOD CVM FECISSENT] 250. proceres seditiosi, nõ verò Core, Dathan, Abiron & Hon. Hi enim 4. noluerunt venire ad Mosen, & ad tabernaculum, sed domi in suis tabernaculis manserunt ex superbia & contumacia: fortè etiam, quia timebant vltionem Dei, quam viderant in Nadab & Abiu, quæque 250 eorum socijs thurificantibus postea obuenit, v. 35.

VERS.19. ET COACERVASSENT (hi 250. proceres) ADVERSVS eum (Mosen) OMNEM MVLTITVDINEM] Hie-

A nim 250. seditiosi conuocarunt multitudinem populi contra Mosen, vt singuli viderent hoc experimentum sui sacerdotij, illique applauderent: non dubitabant enim quin facilè & egregiè thurificaturi essent. Atque hac de causa Dominus omnem multitudinem, quasi ijs consentientem & applaudentem disperdere voluit, sed deprecante Mose illi pepercit, solique 250. proceres seditiosi perierunt.

Vide hîc quàm insipientes sint, qui vocatione sua non contenti, alienam inuadunt, quamque sapienter dictum sit, & à sapientibus domorum epistylijs inscriptum:

Tu (clerice) *supplex ora: tu* (miles) *protege: tuque* (agricola) *labora.*

Si enim suo gradu & officio contentus fuisset
B Core cum suis, mortem corporis & animæ non incurrisset. Prudenter Theopompus Pylijs, maiores honores ipsi deferentibus, scripsit: *Mediocres honores tempore augeri, nimios aboleri.* ita Plutarch. in Lacon.

APPARVIT CVNCTIS GLORIA DOMINI] scilicet mirifica lux, & fulgor radiantissimus in columna nubis, repræsentans Deum, Deique gloriam & maiestatem.

LOCVTVSQVE DOMINVS AD MOYSEN ET AARON AIT: SEPARAMINI DE MEDIO CONGREGATIONIS HVIVS, VT EOS REPENTE DISPERDAM] Iubet hîc Deus, Mosen & Aaronem separari à toto populo, vt eum disperdat: vnde patet, populum applausisse rebellioni Core. Hinc Moses pro eo orat, dicens: VERS.20. & 21.

FORTISSIME DEVS SPIRITVVM VNIVERSÆ CARNIS, NVM VNO PECCANTE, CONTRA OMNES IRA TVA DESÆVIET?] q.d. Tu Domine es Deus crea- VERS.22.
C tor, conseruator & gubernator omnium spirituum, qui in omnibus corporibus sunt, eosque contines, & medullitus penetras, vt scias eorum intima. (Simili enim phrasi & sensu ait Moses c. 27.16. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc.*) cùm ergo videas populum nõ peccasse rebellione, sed tantùm Core cum suis: populum verò ab eo seductum, indirectè tantùm peccasse; quia scilicet nouitatis auidus, ad nouum hoc thurificationis & concertationis spectaculum ex curiositate accurrit, & arrisit: hinc obsecro te, ne propter vnum rebellem Core, vniuersum populum non rebellem disperdas.

ET AIT DOMINVS AD MOYSEN: PRÆCIPE VNIVERSO POPVLO, VT SEPARETVR A TABERNACVLIS VERS.23. & 24.
D CORE, ET DATHAN, ET ABIRON] intellige *& Hon*, quia hi quatuor erant capita seditionis, vt patet v. 1. & alios 250. ad seditionem excitarant, hique noluerant venire ad Mosen & tabernaculum, vt ibi thymiama cum 250. socijs suis adolerent: manserunt ergo hi quatuor, singuli in suis tentorijs. vnde Moses ad eos iuit, eosque cum suis tabernaculis à terra absorberi fecit. Id magis patebit v. 31.

Moral. de magnanimitate Prælatorum, vt suã dignitatem tueantur.

Docet hîc Moses Prælatos, vt suam dignitatem apud alios, etiam parentes & cognatos, tueantur. Narrat Plutarch. de Fabricio Rom. qui Pyrrhum deuicit, quòd, cùm senex equo ad filium iam consulẽ contenderet, iusserit eum filius equo descendere & se consulem venerari; quem pater amplexus: *Rectè*, inquit, *sapis fili, sentiens quibus præsis, & quantam imperij maiestatẽ adeptus sis.* S. Paulus monet Timotheum Episcopũ Ephesinum, ne se patiatur

ftatur contemni:fic enim ait epift. 1. c.4.12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* & Titū Epifcopum Cretenfem c.2.15. *Nemo te contemnat.* ita S. Paulus fuam dignitatem contra obtrectatores defendit tota epift.2.ad Corinth.

Ita S. Carolus Borromæus vir humillimus, maledicta in fuam perfonā congefta ferebat & diffimulabat; fed cùm tangeretur eius dignitas & iurifdictio Ecclefiaftica, eam intrepide contra reges & principes tuebatur, eofque excommunicabat: atque pro hac caufa libens fe mortem & martyrium, cum S. Thoma Archiepifcopo Cantuarienfi fubiturum afferebat.

Ita epifcopalem poteftatem cōtra Valentinianum Imp. eiufque matrem Iuftinam conftāter defendit S. Ambrofius, pro eaque morti non femel fefe obtulit, atque eunucho minanti mortem, ni Imperatori in tradendo ecclefiam Arrianis, parēret, refpōdit: *Tu facies, quod fpadones; ego patiar quod Epifcopi.* Ita S. Chryfoftomus fuā dignitatem propugnauit contra Eudoxiam, S. Bafilius cōtra Valentem, S. Athanafius contra Conftantinum, Cōftantium, & Iulianum Apoftatam, Gregorius I. contra Mauritium Imperator. Gregorius VII. contra Henricum IV.

Anno Domini 551. cùm Theodora Augufta inftaret, vt Vigilius Pontifex Anthemium Patriarcham, pulfo Menna Catholico, reftitueret, vti ante pontificatū promiferat, refpondit: Malo quoduis fupplicium pati, & millies mori potiùs quàm hominem hæreticum, & à prædecefforibus fuis damnatū reuocare, & fententiam mutare. Et cùm mulier cū fuis, qui aderant, minis inftaret; ad Diocletianum fe, non ad Iuftinianū, quemadmodum arbitrabatur, veniffe dixit. Quare ita cæfus eft, vt paululùm abfuerit, quin tunc occideretur. Fugiens itaq; in templum S. Euphemiæ, quod haud procul aberat, inde à graffatoribus trahitur, & iniecto in collum fune, tamquam latro per totam vrbem, vfque ad vefperam raptatur. Deinde carceri inclufus, pane & aqua aliquandiu ita patienter vixit, vt femper diceret, fe etiam maiora meritum, fi digna pro peccatis pœna irrogaretur. Alfonfus Ciacconus in vita Vigilij.

Anno 25. fui imperij impurus Anaftafius Epifcopum Oemiandū audiens difertum admodum effe, & qui ora omnibus fententiæ de paffo Deo afferteribus obturaret, eū hortatus eft, vt ad fuam factionem defcifceret, pollicens, eum quidquid petijffet, ilico accepturum. Cui Epifcopus: *Tu,* inquit, *potiùs ad Orthodoxos tranfi, ne dū opiniones impiorum hominum Seueri, Eutychis & Difcori amplecteris, æterno igni addicaris;* fimulque apprehendens Imperatoris chlamydem: *Hæc,* ait, *veftis nequaquam te poft mortem fequetur, ô Imperator; fed fola te comitabitur pietas, ac virtutum habitus. Miffam fac Ecclefiam, quam Chriftus fuo redemit fanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque vllū Ecclefiæ decretum perfectè intelligis: tantùm impofturis & fcurrilibus calumnijs fatuos terres. fatis fit tibi dignitatis, quòd Imperator es; Antiftites Ecclefiæ vexare noli.* Ad hæc Imperator pudore fuffufus obmutuit. Pauperrimus autem cùm effet ille Epifcopus, ne obolum quidem ab Imperatore voluit accipere: adeò liber erat, & folius in Deum fidei ac pietatis rationem habens. ita refert Zonaras l.3. Annal.

Leontius Tripolis Lydiæ Epifcopus, natione Myfus, animo fuit ingenuo aduerfus omnes, & o-

A re libero. Quodam tēpore Concilio indicto, cùm Eufebia Cōftantij vxor, fuperbia elata, ab Epifcopis adoraretur; folus eam adulationem afpernatus domi manfit. At illa irritata, & animo inflāmato, mittit ad eum expoftulatum, pollicitationibus etiam hominem alliciens; fe ecclefiam illi maximā extructuram effe, & affatim pecuniæ præbiturā, fi fe conueniret. Cui ille hoc modo refpondit: *Iftorum quidem fi quid Imperatrix exequi volueris, non tam mihi te fcito, quàm animæ tuæ gratum facturam; fi me verò ad te venire volueris, debita Epifcopis reuerentia conferuata vt ego quidem ingrediar; tu autem ftatim de fublimi ifto folio defcendens, reuerenter mihi obuiàm procedas, & caput meis manibus fupponas, benedictionem accepturа; ac deinde ego fedeam, tu verecūdè adftes: cùm iuffero figno dato, feffura. Si hæ inquam*
B *tibi conditiones placuerint, veniam ad te: fin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, vt nos honore Epifcopis conueniente neglecto, diuinū facerdotij inftitutum violemus.* Quæ cùm renūtiata effent; exarfit iracundia mulier, non ferendū rata Leontij refponfum, & vehementer commota, & multùm conquefta, multumque muliebri bile & leui ingenio minitata, rem marito exponit, eumdemque ad fupplicium de illo fumendum inftigat. Is verò ingenuum Leontij animum magis laudat: placataque ira, vxorem in gynæceum ablegat. ita refert Suidas hift. in Leontio pag. 526.

RECEDITE A TABERNACVLIS HOMINVM IMPIORVM, ET NOLITE TANGERE QVÆ AD EOS PERTINENT, NE INVOLVAMINI IN PECCATIS, id eft in pœnis peccatorum, EORVM] vnde hebr. eft, *ne confumamini in peccatis eorum.* Vide quàm Deus vitari C velit peccatorum confortia, quamque peccatum fit noxium & contagiofum. VERS. 26.

DATHAN ET ABIRON EGRESSI STABANT IN INTROITV PAPILIONVM SVORVM, CVM VXORIBVS ET LIBERIS, OMNIQVE FREQVENTIA] famulorum fcilicet, & ancillarum, eorumque paruulis. Hos enim paruulos propriè fignificat Hebr. טף *tap*, quod tamen Septuag. de more vertunt fupellectilem. VERS. 27.

IN HOC SCIETIS, QVOD DOMINVS MISERIT ME, VT FACEREM VNIVERSA] quæ fcilicet, in veftri ex Ægypto eductione, totoque meo ducatu, ac præfertim circa Aaronis & filiorum eius in facerdotes electionem, feci. VERS. 28.

PLAGA QVA ET CAETERI VISITARI SOLENT] quam Deus Iudæis infligere folet, putà peftem, gladium, famem, &c. VERS. 29.

D SIN AVTEM NOVAM REM FECERIT DOMINVS (Hebr. *fi creaturam,* id eft nouam plagam, *creauerit Dominus*) VT APERIENS TERRA OS SVVM] hiatum fuum: hic enim metaphoricè vocatur *os.* Ridiculè ergo & infulsè Hebræi ex hoc loco fabulātur, terrā propriè habere os abfconditum, illudq; à Deo creatum effe feptimo die mundi, putà fabbato ad folis occafum: fabbato enim Deus quieuit ab omni opere, vti docet Scriptura, Gen. 2. VERS. 30.

DEGLVTIAT EOS, ET OMNIA QVÆ AD ILLOS PERTINENT, &c. SCIETIS QVOD BLASPHEMAVERINT DOMINVM] Opus enim Dei, putà Aaronis facerdotium, calumniati funt, illudque non Deo, fed Mofi, eiufque fauori iniquo & iniufto attribuerunt; hoc autem eft blafphemare: hoc enim erat ingens Dei iniuria & contumelia. Blafphemia enim eft, cùm opus Dei tribuitur diabolo, vel homini, vt patet Matth. 12.31. ita Abul. *Core blafphemauit, quomodo?*

CONFESTIM IGITVR VT CESSAVIT LOQVI, DIRVPTA VERS. 31. & 32.

RVPTA EST TERRA SVB PEDIBVS EORVM, ET APERIENS OS SVVM DEVORAVIT ILLOS, CVM TABERNACVLIS SVIS, ET VNIVERSA SVBSTANTIA EORVM] Nota. Eo tempore, quo 250. proceres, qui in seditione hac erant socij Core, obtulerunt thymiama in tabernaculo, ibique à Deo igne afflati sunt, eodem Dathan, Abiron, Hon & Core rebellionis duces, nolentes ire ad Mosen & tabernaculum, domi suæ cum tentorijs, totaque familia à terra absorpti sunt.

Core à terra absorptus est. Nam Core nō perijsse igne cum 250. in tabernaculo, sed eum domi suæ mansisse, ibique à terra absorptū esse, patet ex hoc v. & v. 27. in Hebræo, vbi expressè dicitur, quòd Core cum sua substantia à terra absorptus sit: idem colligitur ex v. 24. vbi Moses iubet populo, vt recedat à tabernaculo Core: quia scilicet, ipse iam iam à terra absorbendus erat. idem expressè dicitur c. 26. 10.

Pœna rebellionis. Nota hîc pœnā ambitionis, rebellionis, inobedientiæ & murmuris. Nā non tantùm hi quatuor duces, sed & ipsorum vxores, liberi, famuli, ancillæ, totæq; domus, cum rebus omnibus à terra absorptæ sunt, idque ad detestationem tanti criminis, & ad terrorem populo incutiendum; perinde ac in crimine læsæ maiestatis, domus reorum funditus destruuntur. Erant enim hi rebelles & blasphemi, rei læsæ maiestatis diuinæ. Hinc videtur, quòd hæ vxores, liberi & famuli dominis suis rebellibus consenserint, ambientes honorem hunc sacerdotij suis dominis, & consequenter sibi, suæque familiæ: si qui non consenserunt, hi petierūt, eò quòd non recesserint à tabernaculis eorum, vt iusserat Dominus v. 24. Paruuli etiā eorum, licet innoxij, absorpti sunt, quia paruuli sunt possessio parentum, ait Aristoteles l. 5. Ethicor. morte ergo paruulorum puniti sunt parentes. Est enim Deus omnium vitæ necisque dominus, qui paruulis ipsis hac morte potiùs benefecit. Verisimile est enim, eos per remediū legis naturæ expiatos fuisse à peccato originali, itaque saluatos esse, qui si diutius vixissent, patrissassent fortè, aut etiam parentibus deteriores euasissent. *Paruuli ob peccata parentum, cū ijs absorpti sunt, quo iure.*

Excipe hîc filios Core, de quibus dicitur c. 26. 10. *Et factum est grande miraculum, vt pereunte Core, filij non perirent:* quia scilicet filij hi Core, patris rebellioni non consentiebant; vnde per miraculum Deus effecit, vt Core cum tabernaculo suo absorpto, filij eius non absorberentur, sed penduli in aëre hærerent, quoad terra absorbens tabernaculum Core, sub pedibus eorum rursum se coniungeret, & hiatum concluderet. vnde c. 26. 58. familia Core, quasi superstes, inter Leuitas numeratur: atque hi filij Core postea sancti habiti sunt inter Leuitas, psalmosq; plures vel composuerunt, vel decantarunt, qui etiamnum eorum nomine, putà filijs Core, inscribuntur, vt patet psalm. 41. 43. 84. 86. & 1. Paral. c. 26. 1.

SVBSTANTIA] Hebr. רכוש *rechus*, quod opes quaslibet significat: vnde ab Hebr. *rechus* Gallicum *richesses* deducit Vatablus.

VERS. 33. DESCENDERVNTQVE VIVI IN INFERNVM] propriè dictum, perperam enim Abulensis, per infernum sepulchrum accipit. Cogita, qualis hic fuerit descendentium, cùm absorberentur, clamor & comploratio, qua perculsus omnis populus fugit ab eis, vt dicitur v. 34.

Core cum suis est damnatus, licet de eo dubitet Abul. Hinc satis patet, eos in æternum damnatos esse, & detrusos in infernū: illud enim hîc clarè dici videtur. accedit, quòd hi in flagranti delicto, à furore Dei subitò absorpti sunt: vnde non videntur habuisse spiritum aut tempus pœnitendi. Hæ tamen rationes non omnino concludunt: posset enim per infernum accipi Purgatorium, & limbus patrum. Potuerunt enim ipsi in ipso descensu per tantam cladem compungi, pœnitere & resipiscere, inquit Abulensis. hoc possibile fuit; sed parū probabile est ita euenisse: Vnde eos in infernum damnatorum descendisse censet Epiphan. Hieron. Beda, & ex ijs Bellarm. l. 4. de Christi anima c. 10. Vide hic, quàm puniantur rebelles murmuratores. nam, vt ait S. Ambros. epist. 82. *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.*

An viui peruenerint in infernū. Resp. negatiuè. Quæres, an hi descendentes viui peruenerint in infernum? Asserunt aliqui, estque probabile: hoc enim verba Script. hîc præ se ferunt. Verùm probabilius est cōtrarium, scilicet eos viuos in infernum non peruenisse, sed viuos eò descendere cœpisse, vt τὸ *descenderunt viui*, significet actū inchoatum, non perfectum. Nā deuorante eos terra, & continuò se concludente, in via mortui sunt, ibique corpora remāserunt, animabus in infernum descendētibus. Ratio est, quia vniuersalis lex mortis lata est in omnes homines: nā, vt dicitur Hebr. 9. 27. *statutum est hominibus semel mori*, à qua lege nemo eximendus est, nisi quid aliud cogat. Rursum, lex resurrectionis omnibus mortalibus statuta est: ergo & hi aliquādo resurgent; ergo mortui sunt, non viui: alioqui enim nunc eorum corpora immortalia essent in inferno, nec resurgerent in die iudicij. Tertiò, idipsum significat Moses, cùm ait v. 29. *Si consueta hominū morte interierint.* q. d. Hi morte non consueta, sed noua & insolita interibunt. & mox: *Sin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintq; viuentes in infernum, scietis quòd blasphemauerint Dominum.* Nec enim populus scire poterat, eos viuos descendere, id est peruenire in infernum; sed ad hoc satis erat, videre terram dehiscentem, & illos deglutientem, vt scilicet viui descendere inciperent versus infernum: sic enim omnibus apparebat, omnesque videntes censebant & dicebant, eos viuos descendisse in infernum. Loquitur enim Script. more vulgari hominum. ita Abul. Lyran. Hugo, Dionys. *Ratio prima. Secunda. Tertia.*

Simili morte plectetur Antichristus, cuius hi rebelles præcursores & typus fuerūt. De eo enim, eiusque pseudopropheta dicitur Apoc. 19. 20. *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis.* de quo vide ibidem Franc. Riberam.

OPERTI HVMO] Humus enim siue terra, ijs absorptis mox se, & suum os siue hiatum rursum conclusit.

SED ET IGNIS EGRESSVS A DOMINO INTERFECIT DVCENTOS QVINQVAGINTA VIROS, QVI OFFEREBANT INCENSVM] Hi 250. viri venerunt cū suis thuribulis ad Sanctuarium, quò nolebant venire Core, Dathan, Abiron & Hon, cùmque ex altari holocaustorum prunas acciperēt, quibus imponerent thymiama, quod ingressi sunt in Sanctū, ponerent & adolerent in altari thymiamatis; statim antequā ipsi Sanctum ingrederētur, ex altari holo- VERS. 35.

holocaustorum ignis à Deo immissus, in eos insilijt, eosque combussit. Vnde quod hîc dicitur: *Qui offerebant incensum*, intellige, qui offerre volebant & attentabant (similis phrasis fuit v. 33.) necdum enim obtulerant, imò necdum ingressi erant Sanctum, Deo id nolente, ne illud contaminarent culpa & pœna sua tam infami. Iam eodem tempore, quo hi 250. igne afflati sunt in tabernaculo Domini; Core, Dathan, Abiron & Hon domi suæ cum tabernaculis, à terra absorpti sunt, vt dixi v. 31. Vide, vt hîc puniantur, qui sacra contrectant, & sacerdotium sibi arrogant, cùm à Deo ad id non sint vocati, nec electi, vti dicitur v. 40. A

VERS. 37. TOLLAT THVRIBVLA QVÆ IACENT IN INCENDIO] in loco incendij, vbi combusti sunt 250. proceres.

VERS. 37. & 38. QVONIAM SANCTIFICATA SVNT IN MORTIBVS PECCATORVM] q.d. Thuribula hæc asseruētur in monumentum sceleris & vltionis; quia ipsa Deo oblata sunt per ignem sacrū, & thymiama, quod eis hi 250. proceres imposuerunt, vt Deo illud adolerent in altari thymiamatis, licet necdum illud adoleuerint, morte præuenti: oblata, inquā, sunt ipsa Deo *in mortibus peccatorum*, id est eo tempore, quo Deus hosce 250. viros peccantes & rebelles morte puniuit, afflans eos igne. B

Thuribula rebellium sanctificata dicuntur tripliciter Primò. Secundò. Tertiò. Hæc ergo thuribula quasi sanctificata fuerunt Primò per contactum ignis sacri, & thymiamatis, quod eis imposuerunt 250. proceres. hoc enim est quod hîc subditur, *Eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino.* Secundò, sanctificata sunt, per sanctam iustitiam & vindictam, quam in proceres eis abutentes, exercuit Deus, & hoc significat τὸ *in mortibus peccatorum*. Tertiò, sanctificata sunt, id est iussa sunt offerri tabernaculo, ibique asseruari ad sanctam & perpetuam huius vltionis memoriam. vnde ex Hebr. vertit Vatabl. *acerra, siue thuribula ista sint peccatorum pro animabus eorum*, vt scilicet seruentur in monumentum peccatorum, qui per ea animam, id est vitam, perdiderunt.

MVRMVRAVIT AVTEM OMNIS MVLTITVDO FILIORVM ISRAEL SEQVENTI DIE, CONTRA MOYSEN ET AARON, DICENS: VOS INTERFECISTIS POPVLVM DOMINI] populi sc. partem, putà 250. viros, atque Core, Dathan, Abiron & Hon, cum suis familijs. VERS. 41.

CVMQVE ORIRETVR SEDITIO, &c. MOYSES ET AARON FVGERVNT AD TABERNACVLVM] Hoc enim tutum est in omni persecutione asylum: atque hic ingens est persecutionis fructus, quòd nos ad Deum ire compellat. Vnde Iacobus eremita, cùm ei dæmon minaretur, diceretque: *Tantam tibi inuram infamiam, vt nemo te aspicere velit*; respondit, *Agam tibi gratias. nam inuitus inimicum tuum beneficio afficies; vt qui efficies, vt magis verser in Dei recordatione. nam quo mihi plus est otij, eo magis occupor in perpetua contemplatione diuina pulchritudinis.* ita Theodor. in Philotheo c. 21. VERS. 42. & 43.

RECEDITE DE MEDIO HVIVS MVLTITVDINIS] q.d. Vos, ô Moses & Aaron, fugite extra castra, vt circumquaque omnia murmurantium castra deleam. VERS. 45.

CVMQVE IACERENT IN TERRA] Moses & Aaron, supplicantes pro populo. vnde sequitur: *Dixit Moses ad Aaron, Tolle thuribulū, &c. mitte incensum, &c. vt roges pro eis.* Dixit hoc Moses vt Propheta, inspiratus à Deo, ex voluntate Dei: nam aliàs tantùm licebat adolere thymiama in altari thymiamatis, non autē extra illud, inter populū & cæsorū cadauera, vti fecit hîc Aaron, dispēsante Deo.

IAM ENIM EGRESSA EST IRA A DOMINO, ET PLAGA DESÆVIT] *&* significat, *id est*: *ira* enim *egressa à Domino*, non erat aliud, quàm plaga desæuiens. fuit hæc plaga ignis, quæ è populo 14. millia & 700. combussit & incendit, vt patet ex v. 49. An corpora horum fuerint per ignem planè consumpta, & in cinerem redacta, vt vult Abulens. an verò tantùm ambusta, non liquet: neutrum enim hîc exprimitur. Vide, vt murmur hîc rursum puniatur igne. VERS. 46.

INTERITVS] plaga ignis & incendij iam dicta. VERS. 50.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses duodecim virgas à 12. principibus tribuum accipit: inter eas floret sola virga Aaronis, eoq; miraculo & indicio, Aaroni à Deo consignatur & confirmatur sacerdotium.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ. 3. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas seorsum familias continebit: 4. ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, vbi loquar ad te. 5. quem ex his elegero, germinabit virga eius: & cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. 6. Locutusq; est Moyses ad filios Israel: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron. 7. Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij, 8. sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gēmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati sunt. 9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntq; & receperunt singuli virgas suas. 10. Dixitq; Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signū rebellium filiorum Israel, & quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur. 11. Fecitq; Moyses sicut præceperat Dominus. 12. Dixerunt autem filij Israel ad Moysen: Ecce consumpti sumus

mus, omnes periuimus. 13. quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. num vsque ad internecionem cuncti delendi sumus?

Vers. 2. LOQVERE AD FILIOS ISRAEL, ET ACCIPE AB EIS VIRGAS SINGVLAS, PER COGNATIONES, id est tribus, SVAS] Duodecim enim virgas tantùm accepit hîc Moses, iuxta numerum 12. tribuum, scilicet à qualibet tribu vnam, præter virgam Aaronis.

Nota. Ob seditionem & murmur Core cum suis, contendentis cum Aarone de sacerdotio, de quo cap. præc. iubet hîc Deus singulas tribus, earumq; principes virgas suas afferre, vt per eas nouo miraculo, solius virgæ Aaronis florentis, litem hanc dirimat, eiq; sacerdotium consignet & confirmet. Hinc videtur, hoc miraculum contigisse eodem anno, quo contigit seditio Core, scilicet anno secundo egressus ex Ægypto, vt dixi cap. præced. v. 2. qui fuit annus mundi 2455.

ET VNIVSCVIVSQVE NOMEN SVPERSCRIBES VIRGÆ SVÆ] *Vniuscuiusque*, scilicet principis in qualibet tribu. Patet ex Hebræo, qui habet, *& quisque* (scilicet princeps) *scribat nomen suum super virgam suam.* Erant enim omnes principes primogeniti totius populi; & singularum tribuum, ideoq; præ ceteris, ad eos ius sacerdotij spectare videbatur: vnde ad omnem de eo litem dirimendam, principum solorum nomina inscripta sunt virgis duodecim, & decimætertiæ inscriptum est nomen Aaronis, qui erat primogenitus in tribu Leui. nam Leui primogenitum filium habebat Caath, hic Amram, hic Aaronem: erat enim Aaron senior Mose, fratre suo.

Vers. 3. NOMEN AVTEM AARON ERIT IN TRIBV LEVI] Hebr. est, *in virga Leui.* ita & Septuag. Quælibet enim tribus, seu, vt sequitur, omnes familiæ vnius tribus vnam habebant virgam, cui inscriptũ erat nomẽ principis, seu primogeniti illius tribus. Quare valdè verisimile est virgã hanc Aaronis & Leui, aliam fuisse à virga Mosis, qua ipse plagas Ægypto induxit, & mare rubrum diuisit; idq; probatur Primò. quia hæc virga vocatur hîc Leui, nõ Mosis. Secundò, quia alioqui impar fuisset virgarum sors, cęteriq; principes suspectum habuissent Aaronem & Mosen, si ipse fratri consignasset virgam illam, quæ tot portentorũ fuerat operatrix, cùm alij communem baculum, siue scipionem pro virga sua acciperent: & consequenter ipsum miraculum florentis virgæ, non Aaroni, sed ipsi virgæ tribuissent. Virga ergo Aaronis, communis fuit virga & similis virgis aliorum principum. ita Abul. Caiet. & alij. Vnde Hebræi tradunt, omnes hasce tredecim virgas fuisse ex eadem amygdalo; & Cyryll. in Catena Francisci Zephyri: *Erant*, inquit, *omnes virgæ amygdalinæ, de more eius gentis, quæ ex ea potissimùm arbore scipionibus vtebatur: gerit enim talis arbor vigilantiæ symbolum.* Amygdalus enim excellit in surculis, siue ramis rectis & proceris emittendis: quare valdè apta est, vt ex ea scipiones senũ, ac sceptra principũ exscindantur.

Virga Aaronis florens alia fuit à virga Mosis.

Virgæ hæ fuerunt ex amygdalo.

Cur.

Audi quid de hac virga tradat vel sentiat R. Simeon apud Galatin. l. 6. c. vlt. *Virga*, inquit, *illa qua Moses & Aaron miracula faciebãt in terra Aegypti, & postea in deserto floruit, ab ea arbore excisa est, quam Deus Mosi ostendit in deserto, vt aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc arbor excisa fuit ab arbore vitæ, quæ in paradiso sita erat, angelorum manibus: quam miserunt Adæ, cùm ille misisset Seth filium suum ad paradisum,* A *misericordiam Dei imploraturum de suo peccato. Dixeruntq; angeli ad Seth, vt plantaret hanc arborem, quæ quàm primùm fructũ faceret, misericordiæ Dei in eum descenderent, aperirenturq; portæ cæli, quæ obseratæ sunt. Hanc autem arborem, seu potiùs ramum accepit Seth, plantauitq; in deserto, quam postea Moses in deserto inuenit, & ex ea virgam suam excidit, ideoq; virga Dei dicta est. Cùm autem venisset Israel ad Mara, neque illius aquas (erãt enim amaræ) bibere posset, Deus ostendit Mosi hanc arborem, vt aquas illas redderet dulces. Et hæc est arbor illa, in qua Moses serpentem æneum imposuit, per quam Deus vniuersum orbem saluum facere instituit, & mittere misericordiam suam super Adam, cùm venerit rex Messias. tunc enim hæc arbor fructus gestabit, quibus secundò aqua amara efficietur dulces, purgabuntq; primum peccatum, omniaq; delicta quæ fecerunt, saturiq; sunt homines.* Insinuat crucem B Christi ex hac arbore factam esse. Verùm hæc redolent Iudæorum commenta & fabulas.

PONESQVE EAS IN TABERNACVLO FOEDERIS, CORAM TESTIMONIO] id est coram arca testimonij, in qua scilicet erat testimonium, id est tabulæ legis, quæ testimonium erant, tum fœderis inter Deum & populum initi, tum voluntatis Dei, quid scilicet Deus vellet ab Hebræis fieri. Hinc videtur, quòd omnes hæ virgæ positæ fuerint in Sancto sanctorum, coram arca: vnde & in illud postmodum relata est virga Aaronis, vt patet v. 10. & Hebr. 9. 4. idque in signum & memoriale perpetuum tanti miraculi, quo Aaron designatus & cõfirmatus est pontifex. sicuti in eodem Sancto sanctorum erat manna, in signum & memoriale perenne alimoniæ, Hebræis datæ in deserto: & tabu- C læ legis, in signum legis à Deo acceptæ. Atq; hac virga Aaronis percussa videtur petra, cùm dedit aquas Num. 20. vt colligitur ibidem v. 9. De virga Mosis, quonam deuenerit, incertum est; maximè cùm Apostolus Hebr. 9. 4. tantùm virgæ Aaronis, quæ fronduerat, meminerit. Vers. 4.

QVEM EX HIS ELEGERO, GERMINABIT VIRGA EIVS (Causas symbolicas huius germinationis afferam v. 8.) ET COHIBEBO A ME (id est quiescere faciam, &, vt Septuag. auferam à me) QVERIMONIAS FILIORVM ISRAEL. Vers. 5.

FVERVNTQVE VIRGÆ DVODECIM, ABSQVE VIRGA AARON] Eugubinus & Hebræi hũc locum putant malè esse versum. Putãt enim ipsi, non 13. hîc, sed tantùm 12. fuisse virgas, æquè ac tribus. In Hebræo enim sic est ad verbum: *Fuerũt virgæ duodecim, & virga Aaronis in medio virgarum eorũ.* Ve- D rùm 12. fuisse tribus, & consequenter virgas, præter tribum & virgam Leui & Aaronis, patet Num. 1. 5. & seq. & v. 49. Tribus enim Ioseph diuisa erat in duas, Ephraim scilicet, & Manasse: vnde Leui non numerabatur inter 12. tribus; & hoc noster Interpres hîc significari intellexit, cùm dicitur, *Et virga Aaron in medio virgarum eorũ*, scilicet 12 virgarum aliarum tribuum & principum, erat posita, tamquam decimatertia. Tribus enim Leui, licet in sorte & hereditate terræ Chanaan diuidenda, non numeraretur, numerabatur tamen vbi de sacris & sacerdotio (vti hîc) agebatur. Vers. 6.

Tredecim fuerunt hic virgæ, non duodecim.

QVAS CVM POSVISSET MOYSES CORAM DOMINO, &c. SEQVENTI DIE REGRESSVS, INVENIT GERMINASSE VIRGAM AARON, qui erat primogenitus Vers. 7. & 8.

IN

IN DOMO, id est tribu, LEVI] Clarum erat hoc miraculum & indicium electionis diuinæ, quòd scilicet Aaron à Deo designatus esset pontifex: nam hæ virgæ erant prorsus aridæ & siccæ; erant enim scipiones, quales habent viatores, vel pastores ouium: vnde naturaliter reuiuiscere & reuirescere non poterant.

VERS. 8. ET TVRGENTIBVS GEMMIS (baccis) ERVPERANT FLORES, QVI FOLIIS DILATATIS (folia enim florum dilatantur, & decidunt, cùm flores in amygdala, aliosúe fructus conuertuntur) IN AMYGDALAS DEFORMATI SVNT] q. d. Forma florū mutata & desiciente, gemmæ eorum transformatæ sunt in fructus amygdalarum. Hebr. est, *& ecce virga protulit germen, & floruit florē, & reddidit amygdalas.* Primò ergo virga hæc protulit germen, mox florem, ac statim fructus, eodem penè tempore. Per germē intellige, non frondes & folia, sed baccas siue gemmas, vti vertit Noster. Hæ enim baccæ, siue calyculi, mox se aperiendo, & sua folia dilatando, in flores, ac deinde in fructus maturuerunt & conuersi sunt. Amygdalus enim priùs floret quàm frondeat: solet enim baccas & flores, ante frondes emittere. Hæc ergo virga amygdalina ante frondes, primò baccas, secundò flores, tertiò fructus emisit, eosque maturos, idque subitò. vnde Heb. est, *& ablactauit amygdala*, id est habuit amygdala iam matura, & perducta ad iustam suam grossitiem, æquè ac maturitatem, vti sunt pueri grandiores & perfecti, cùm ablactantur.

Hinc satis liquet, virgā hanc Aaronis amygdalinā fuisse; alioqui enim si pomus fuisset, aut pirus, non amygdala, sed poma, vel pira produxisset.

Triplex miraculum in virga florente. Nota, hîc triplex fuisse miraculū: primum, quòd virga arida germinarit baccas; secundum, quòd eodem tempore baccæ hæ subitò conuersæ sint in flores; tertiū quòd iidem flores subitò conuersi sint in fructus, putà in amygdala. Censet probabiliter Abul. hanc virgam deinceps numquā fuisse desiccatam, sed semper mansisse cum floribus, vel potiùs fructibus: tum quia perfecta sunt Dei opera & miracula; tum quia virga hæc perenne fuit memoriale & testimonium apud posteros rei gestæ, scilicet quòd per hanc virgam florentem, Aaronis familiæ esset sacerdotium consignatum. hoc enim posteris probari non poterat per virgā siccam, sed virentem. Pari enim modo manna idem semper, suique simile & incorruptum, seruatum fuit in tabernaculo, vt posteris certam faceret fidem illius manna, quod Deus patribus eorum dederat in deserto.

Virgā hanc semper mā-sisse florentem, censet Abul.

Cur Deus vsus est virga amygdalina? Appositè verò amygdalo hîc, in declaratione Aaronis pontificis, vsus est Deus: quia amygdalus prima inter arbores floret, primaque suas baccas & flores producit. vnde hebr. vocatur שָׁקֵד *scaked*, id est euigilans, quòd prima inter arbores post hiemem euigilet & floreat. Huc illud Ierem. 1. 10. *Virgam vigilantem ego video*, alij vertunt, *virgam amygdalinam ego video*. Hæc ergo virga amygdalina appositè significabat ius primogenituræ (hæc enim inter filios est instar amygdali, primò florētis inter arbores) id est sacerdotium, aut Aaronem, cuius erat hæc virga, pertinere. Fertur quoque amygdalus postrema inter arbores sua folia amittere, ait Philo l. 3. de Vita Mosis: itaque hîc significabat longum, & quasi perennem virorem sacerdotij Aaronici.

Audi S. Ambros. l. 10. epist. 82. *Virga*, inquit, *illa* A *Aaronis florens quid aliud ostendit, nisi quòd numquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere, commissæ sibi potestatis florem.* Addit Ambrosius hoc amygdali florentis signum contigisse Aarone iam sene, & vergente ad mortem (erat enim ipse hoc tempore vt minimum 86. annorum) vt significaretur, quòd *populus senior & sacerdotalis*, putà Iudaicus & Aaronicus, *longæua infidelitatis vetustate cariosus, vltimis mundi tēporibus, imitatione Ecclesiæ reformatus, in noua studia fidei & deuotionis emortuum iam tot sæculis florem, per rediuiuam gratiam emissurus sit.*

Aaron erat 80 annorū, cùm virga eius floruit.

Symbolicè & Tropol. hæc virga significat, qualis debeat esse Pontifex, & Pastor, scilicet Primò, eum debere esse vigilantē: amygdalus enim, vt dixi, vigilantiæ est exemplum & symbolum. Secūdò, actiuum, agilem, expeditum in omni opere & B in profectu virtutum. Sic enim hæc amygdalus subitò, & penè simul, baccas, flores & fructus produxit. Tertiò, laboriosum, patientem, fortē & strenuū. Amygdalus enim, cùm prima inter arbores floreat, necesse est vt prima frigora, pluuias, grandines & ventos excipiat ac superet. Quartò, austeræ vitæ & mortificationi addictum. Amygdala enim amara sunt. *Aspera*, ait Nyssen. l. de Vita Mosis agens de hac virga, *& continens duraq́; debet esse exteriùs sacerdotis vita; intus autem in occulto, suaue quodpiam edulium continere, quod tunc manifestatur, cùm maturum fuerit, cumq́; corruptus fuerit stypticus & circumfusus cortex, & lignea nucis testa defracta.* Amygdalus, inquit Philo, significat opus esse aspero conatu & labore, vt quis dulcem virtutis fructum assequatur: vt quis enim fructu amygdali fruatur, debet priùs durum perfringere corticem quo fructus contegitur.

Symbolicè amygdalus indicat qualis debeat esse vita Pastoris, Primò. Secundò, Tertiò. Quartò.

C Talis virga fuit S. Nicolaus Episcopus Myrensis factus: licet enim pristini eius mores accurata castigatione essent compositi, haud tamen ignorans, aliā esse priuati hominis rationem, aliam magistratum gerentis, vitam omnem moresque pro dignitate transformādos putauit. Igitur vnica in die refectione, eaq; vespertina contentus, totum diem publicis negotijs studiosè impēdebat. Inter cœnandum numquā sacrorum librorum aberat lectio, vel certè aderant sacerdotes eruditione & vita probati, à quibus suauiori aliquo animi cibo alebatur. A mensa in cubiculum se recipiens, totus in cælestium contemplationum campum diffundebatur, & animum diurnis alienisq; curis distractum nocturna meditatione collectū refouebat. Inter quas delicias meliore noctis parte absum- D pta, tandem demissa humi membra breui admodum somno reficiebat. Tunc etiā cœpit vti veste viliori & neglectiori; quàm antea solebat, in qua nullus omnino esset nitor aut fastus, sed castigatæ potiùs humilitatis & modestiæ significatio: nec enim alio quouis pacto poterat sapientiùs aut faciliùs sacerdotum in vestitu luxuriem amputare. Et tamen tantum abfuit, vt ea res aliquid detraxerit de opinione, vt etiam multùm auxerit. ita habet eius Vita.

Exempla sanctorum Pastorum Ecclesiæ.

S. Andreas Carmelitanus, cuius, cùm quinquaginta octo esset annorum, vnanimem in Episcopum Fesulanum Canonicorum electionem Spiritus S. per os infantis prodigioso confirmauit suffragio: ipse enim ad deuotæ semel, sed semper bene tuendæ castitatis custodiam, per magnam sobrietatem corpus suum assiduè macerabat, illiusq́; nudi-

nuditatem sub vestimẽtis ferrea cingebat catena; nec alij lecto, quàm vitium sarmentis, indormiebat: feminarum præterea colloquia, in illa tã grauiiam ætate non aliter, quàm fœcunda quædam vitabat semina vitiorum, vti habet eius Vita.

Laudabile est quod de Pio II. Põtifice legimus: cuius tũ aliæ multæ virtutes feruntur, tum hæc ipsa, quòd mediocri cibo vti solitus esset, non lauto, non delicato, eoque semper fuerit contentus quod apponeretur, quodcumque esset: vino verò parcissimè sit vsus, eoq; benè diluto. Mensam artificiosam ita contempsit, vt apparatu non Pontificio, sed humili ac propè rusticano sit vsus. Inter edendũ de studijs bonarum artiũ loquebatur, memoriã veterum repetens. Eius voluptas omnis, quandocumque jà munere publico vacabat, in lectione & scriptione frequẽti reposita erat. Libros plus quàm sapphiros & smaragdos charos habuit, quibus chrysolitorum magnam copiam inesse dicebat. Rara veste vtebatur, & argento frugali magis quàm regio. ita Platina & alij.

De Iuliano Cæsarino Cardinale illud memoriæ proditum est, ferè illum in suis vestibus cubitasse, interulam intimam, non ex lino, sed ex panno gestasse, longa exercuisse ieiunia, omnibus sextis ferijs pane & aqua ieiunasse, quotidie Missam celebrasse. denique, vt hoc etiam addamus, ita in eleëmosynis profusum fuisse, vt à suis alter Martinus appellaretur. ita noster Platus l. de Officio Cardin. c. 13.

Alleg. virga florẽs est Christus docens, & resurgens.

Allegoricè, virga frondens est Christus puer, florens est adolescens, fructificãs est vir nos redimẽs. Rursum virga est Christus, fructus amygdalinus est Christi doctrina, quæ exteriùs prima frõte amara videtur, sed interius plena est suauissimo scientiæ & sapientiæ sensu. Secundò, Christus in paschate, instar amygdali primò floruit, id est primò resurrexit: ipse enim est primitiæ resurgentiũ. ita S. Gregor. l. 14. Moral. cap. 19. Christus ergo à mortuis resurgens est virga per potentiã, flos per fragrantiã, fructus per saporis dulcedinem, frondes per sedulam protectionem, qua suos ab æstu tentationum protegit & tuetur. ita Raban. & S. Bernard. hom 2. super Missus. Tertiò, idem Bernard. & Rupertus per virgam hanc quoque accipiunt B. Virginem, per florem Christum, iuxta illud Isaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*

Item B. Virgo.

A Sic & S. August. serm. 3. de Temp. to. 10. *Virga, ait, Aaron, virgo Maria fuit, quæ nobis Christum verum sacerdotum cõcepit & peperit. Quòd ergo hæc virga nuces produxit, imago Dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiã vnionem, corium, testam & nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Saluatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinẽ passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit pastũ, & luminis subministrat officium. In testa lignum interserẽs crucis, quod non discreuit id quod foris & intus fuit, sed quæ terrena & cælestia fuerunt mediatoris ligni interpositione sociauit, vt ait Apostolus Coloss. 1. 20.*

Anag. virga florens significat quatuor dotes corporis gloriosi

B Anagog. virga hæc florens significat resurrectionem, in qua baccæ, flores, fructus & frondes, sunt quatuor dotes corporis gloriosi, scilicet agilitas, claritas, subtilitas & impassibilitas. ita S. August. serm. 99. de Temp.

PROTVLIT ERGO MOYSES OMNES VIRGAS DE CONSPECTV DOMINI, AD CVNCTOS FILIOS ISRAEL.] Requiritur, inquit Orig. hom 6 & refertur c. *licet*, 8 q. 1. in ordinando sacerdote populi præsentia, vt sciant omnes, quòd qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium. VERS. 9.

DIXERVNT AVTEM FILII ISRAEL AD MOYSEN: ECCE CONSVMPTI SVMVS, OMNES PERIVIMVS] quasi dicant. Magna pars populi consumpta est hisce plagis Dei, putà plusquã quindecim millia, vt patet c. præc. itaque omnino timendum est, ne omnes pari modo consumamur & pereamus, si vel leuiter aliquando Deum offendamus, aut murmuremus: maximè, cùm quicumque ad tabernaculum accedit, vt Deo adoleat, aut sacrificet, protinus ab eo occidatur quasi dicant, Quid ergo consilij, ne moriamur? quibus respondet Dominus c. seq. v. 1. scilicet, vt Aaronem, quasi pontificem à se designatum, deprecatorẽ apud Deum, in quauis populi offensa adhibeant, ideoque eum cum suis posteris, vtpote sacerdotibus, alant dando eis decimas & primitias. Nota. Pro *peribimus*, cum Hebræis, Septuag. & Rom. corrigendum est *periuimus*, quasi dicant, Ita certò peribimus, ac si iam perijssemus; ita certum est nos perituros esse, ac si iam id factum esset, ac si iam essemus in fossa sepulti. VERS. 12.

C

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRo sorte hereditaria, alimonia, & stipendio Deus sacerdotibus consignat victimas, primitias & oblationes: Leuitis verò v. 21. decimas. Secundò, v. 26. Leuitis iubet, vt ex decimis suis decimas dent sacerdotibus, easq; meliores & selectiores.

1\. DIxitque Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarij: & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri. 2. sed & fratres tuos de tribu Leui, & sceptrum patris tui sume tecum, præstoq; sint, & ministrent tibi: tu autem & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij. 3. Excubabuntque Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, vt ad vasa Sanctuarij & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul. 4. sint autem tecum, & excubent in custodijs tabernaculi, & in omnibus ceremonijs eius. Alienigena non miscebitur vobis. 5. Excubate in custo-

custodia Sanctuarij, & ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel.
6. Ego dedi vobis fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israel, & tradidi donum
Domino, vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius. 7. Tu autem & filij tui custodite
sacerdotium vestrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt,
per sacerdotes administrabuntur: si quis externus accesserit, occidetur. 8. Locutus-
que est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia
quæ sanctificantur à filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima
sempiterna. 9. Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur & oblata sunt Domino.
Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, &
cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. 10. In Sanctuario come-
des illud: mares tantùm edent ex eo, quia consecratum est tibi. 11. Primitias autem,
quas vouerint & obtulerint filij Israel, tibi dedi, & filiis tuis ac filiabus tuis, iure perpe-
tuo. qui mundus est in domo tua, vescetur eis. 12. Omnem medullam olei, & vini, ac
frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. 13. Vniuersa frugum
initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos: qui mundus
est in domo tua, vescetur eis. 14. Omne quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum
erit. 15. Quidquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino,
siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit. ita dumtaxat, vt pro hominis
primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est, redimi facias.
16. cuius redemptio erit post vnum mensem, siclis argenti quinque, pondere San-
ctuarij. Siclus viginti obolos habet. 17. Primogenitum autem bouis & ouis & capræ
non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino. sanguinem tantùm eorum fundes
super altare, & adipes adolebis in suauissimum odorem Domino. 18. Carnes verò
in vsum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.
19. Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Israel Domino, tibi dedi, & fi-
liis ac filiabus tuis, iure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi
ac filiis tuis. 20. Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis,
nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israel.
21. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio
quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis: 22. vt non accedant vltrà filij Israel ad
tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, 23. solis filiis Leui mihi in
tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi. legitimum sempiternum erit
in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, 24. decimarum oblatione con-
tenti, quas in vsus eorum & necessaria separaui. 25. Locutusque est Dominus ad
Moysen, dicens: 26. Præcipe Leuitis, atque denuntia: Cùm acceperitis à filiis Is-
rael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est decimam par-
tem decimæ, 27. vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum, tam de areis quàm
de torcularibus: 28. & vniuersis quorum accipitis primitias, offerte Domino, &
date Aaron sacerdoti. 29. Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini
separabitis, optima & electa erunt. 30. Dicesque ad eos: Si præclara & meliora quæ-
que obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis pri-
mitias: 31. & comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quàm familiæ vestræ:
quia pretium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij. 32. Et non
peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguia reseruantes, ne polluatis oblationes fi-
liorum Israel, & moriamini.

Vers. 1. Tv et filii tvi portabitis iniqvitatem Sanctvarii] q. d. Tu & tui posteri, vtpote sacerdotes, dabitis pœnas, si quid peccatum fuerit à quopiam è populo, in cæremonijs Sanctuarij, aut si externus quis eis se immisceat, vestra negligentia, aut timore & dissimulatione. Iam enim vos confirmaui in sacerdotio, auctoritatemque per duo miracula enarrata c. 16 & 17. apud populum vobis conciliaui. vestrum ergo est sacra Dei & sacerdotij iura animosè tueri.

Sacerdotū est sacra iura animosè tueri.

Vers. 2. Et sceptrvm patris tvi svme tecvm] *Sceptrum*, id est tribum. Hebr. enim שֵׁבֶט *scebet*, & sceptrum, & tribum significat. Quælibet enim tribus suam habebat virgam, siue sceptrum, vti dixi cap. 17. 3. Vnde Septuag. vertunt, *populum patris tui*, scilicet Leuitas oriundos ex Leui patre tuo.

A

Vers. 3. Excvbabvntqve Levitæ ad præcepta tva] vt ea impleant, ceu famuli vigiles, qui stant & quasi excubant, expectantes herorum mandata & imperia: vnde hebr. est, *custodiant custodiam tuam*, id est exactissimè & diligentissimè custodient præcepta tua. Hoc enim studium & diligentiam significat hæc repetitio custodiæ.

Et ad cvncta opera tabernacvli] vt scilicet ea custodiant & portent, cùm mouenda sunt castra; deportant & erigant, cùm figenda sunt castra.

Ne et illi moriantvr, et vos] Illi, propter transgressionem, putà contactum sacrorum eis vetitum; vos, propter omissionem, & negligentiam, qua eos à sacris non prohibuistis.

Vers. 4. Et in omnibvs cæremoniis eivs] Cæremoniæ hîc vocantur ministrationes religiosæ

Leuitarum circa tabernaculum, eiusque vasa, quas commemoraui vers. 3. Vbi Nota. Idem, aut penè idem sunt hæc quinque, scilicet excubiæ, opera, ministrationes, custodiæ, cæremoniæ tabernaculi: hæc enim omnia non aliud significant, quàm officia & ministeria, quæ obeunda erant Leuitis & sacerdotibus circa tabernaculum. In ijs enim excubare debent sacerdotes, æquè ac milites in castris, atque in iis militare bonam militiam, vt ait S. Paulus.

EXCVBATE IN CVSTODIA SANCTVARII, ET MINISTERIO ALTARIS: NE ORIATVR INDIGNATIO SVPER FILIOS ISRAEL] Nota. Deus hîc minatur se negligentiam sacrorum & sacerdotum, vlturum in populum, quia populus eum sacerdotibus vnum facit corpus & rempublicam: & populi est alere sacerdotes; itaque curare, vt sacra ritè ab eis obeantur. Sacerdotum ergo est, ritè sacra tractare, itaque mediatores se inter Deum & populum interponere, atque ab eo iram Dei auertere.

Audiant hæc Christiani, & sacerdotes noui testamenti, illudque quod sequitur: *Tu & filij tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent.* vnde rectè ait S. Paulus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, 2. Timoth 2. 4. multo minùs otio, ambitioni, desidiæ & deliciis. Audiant vani, desides & delicati Clerici probrum, quod eis intentat S. Bernardus scribens ad Eugen. Pontif. *Vides*, inquit, nonnullorum *in Ecclesia zelum omnem feruere pro dignitate tuenda. dignitati datur totum, sanctitati parum vel nihil: inter hæc tu Pastor incedis circumdatus varietate, & quid interim faciunt oues? Hoc quippe fateor, pascua sunt dæmonum, non hominum.*

Audiant Hugonem Cardin. in Genes. 47. ex S. Bernardo hæc in Clericos molles, qui omnium statuum delicias, nullius verò onera & labores sibi accersunt, detonantem. *Habent*, inquit, *singula hominum officia laboris aliquid, & aliquid quod delectet. Aduerte quorumdam prudentiam, qui nouo inter hæc artificio discurrentes, totum quod delectat eligunt & amplectuntur; quod molestum est fugiunt & declinant. Cum militibus superbia fastus, amplam familiam, phaleras, accipitres, aleas, & huiusmodi frequentant. A mulierculis dependentes à collo murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & omnem mollitiem mutuantur. Cautè omnino fugiunt loricæ pondus, & insomnes in castris noctes, & incerta bellorum discrimina: atque muliebrem verecundiam, & disciplinam, & si quid sexus ille habet laboris, declinant. Cùm resurgere cœperint homines in ordine suo, vbi putas generatio ista collocabitur? Si diuertere voluerint ad milites, eos repellent pro eo, quòd secum minimè labores & pericula tolerarunt; sic agricolæ, sic vinitores, & cæteri. Quid ergo restat, nisi quia omnis ordo eos expellit & accusat, vt illum sortiantur locum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Dixit S. Paulus ex Mose: *Non alligabis os boui.* cuinam boui? numquid ludenti? numquid lasciuienti? numquid otio vacanti? minimè, sed *trituranti*, sed in area laboranti. nam, vt idem ait 2. Thessal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Legant Clerici qui fructus Ecclesiæ carpunt, & laborem Ecclesiæ non impendunt, S. Bernardum in illud, *Ecce nos reliquimus omnia*; & S. Gregorium homil. 17. in Euang.

Vers. 6. ET TRADIDI DONVM DOMINO] *Domino*, id est mihi, sunt enim hæc verba Domini, qui hîc

A more Hebræo, de se loquitur in tertia persona.

OMNIA QVÆ INTRA VELVM SVNT, PER SACERDOTES ADMINISTRABVNTVR] *Intra velum*, id est intra Sanctum, & intra Sanctum sanctorum. Duplex enim erat velum, vnum dirimens Sanctum ab atrio, alterum dirimens Sanctum à Sancto sanctorum. Leuitæ ergo hîc arcentur ingressu tam Sancti, quàm Sancti sanctorum. Vers. 7.

ECCE DEDI TIBI (ô Aaron) CVSTODIAM PRIMITIARVM MEARVM] *Primitiarum*, id est oblationum: pro iis enim sæpè capitur vox *primitiæ* tam à Septuag quàm à nostro Interprete. vnde sequitur explicationis causa, *Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel*, id est omnia quæ mihi segregantur & offeruntur. Nam hebr. est, *dedi tibi custodiam oblationum mearum*, putà *omnium sanctitatum*, id est sanctificatorum filiorum Israel, vt videlicet cu- Vers. 8.

B stodias, id est custodiri iubeas & cures omnia, quæ filij Israel Deo offerunt & consecrant; sed ea limitatione & determinatione, quæ sequitur, vt scilicet ea inter filios tuos, id est inter minores sacerdotes diuidas & distribuas.

LEGITIMA SEMPITERNA] vt scilicet ibi tuisque sacerdotibus cedant quasi legitima, & iura tibi & sacerdotibus lege perpetua debita: vnde hebr. est *lege*, siue *statuto æterno*.

OMNIS OBLATIO, ET SACRIFICIVM, ET QVIDQVID PRO PECCATO ATQVE DELICTO REDDITVR MIHI, ET CEDIT (cedere solet & debet) IN SANCTA SANCTORVM; TVVM ERIT ET FILIORVM TVORVM] q. d. Quidquid mihi offertur, & sacrificatur, ideoque est sanctum sanctorum, id est, est sanctissimum, hoc cedet solis sacerdotibus, non Leuitis. Vers. 9.

C Prima hæc est lex, & primum donum, quasi stipendium à Deo consignatum sacerdotibus, scilicet victimæ quælibet, & sacrificia ex legis præscripto oblata. *Primum donum sacerdotum sunt victimæ legales.*

IN SANCTVARIO (in atrio Sanctuarij, siue tabernaculi, iuxta altare holocaustorum) COMEDES ILLVD] Omnia enim sacrificia, siue victimæ comedi debebant in atrio tabernaculi: alia verò dona, siue oblationes, vt primitiæ & decimæ, poterant domi comedi. Vers. 10.

MARES TANTVM EDENT EX EO] scilicet sacrificio pro peccato, & delicto, quod proximè præcessit; quodque, vt dictum est, est sanctum sanctorum, id est, est sanctissimum. Nam ex hostia pacifica, etiam feminæ comedebant, vt patet Leuit. 10. 14. Deuter. 12. 18. & c. 16. 11. Vers. 11.

QVIA CONSECRATVM EST TIBI] Hebr. *sanctitas erit tibi*, id est tibi segregata erit, & ad te per-

D tinebit hæc oblatio, vtpote sancta ad sanctum, id est consecratum Deo.

PRIMITIAS AVTEM QVAS VOVERINT ET OBTVLERINT FILII ISRAEL, TIBI DEDI, ET FILIIS TVIS] *Primitias*, id est oblationes. ita enim habent Hebr. *Oblationem doni eorum, omnes oblationes quas obtulerint filij Israel, dedi tibi.* q. d. Dedi etiam tibi, ô Aaron, & filijs tuis sacerdotibus, quidquid ad immolandum dono dederint & obtulerint filij Israel. Nam de sacrificiis hîc agi, patet ex eo quod sequitur: *Omnis mundus vescetur ex eo.* ex primitiis enim, decimis & aliis sponte oblatis nec tamen immolatis, poterant vesci etiam immundi. Hæc est secunda lex, & secundum donum à Deo consignatum sacerdotibus, scilicet omnes victimæ sponte oblatæ. *Secundum sunt victimæ spontaneæ.*

OMNEM

VERS. 12. OMNEM MEDVLLAM OLEI, ET VINI, AC FRVMENTI, QVIDQVID OFFERVNT PRIMITIARVM DOMINO, TIBI DEDI] *Medullam* hebr. *pinguedinem* q. d. Quod pinguissimum & optimum est inter frumenta, vina & oleum, dedi tibi. Nam Hebræi pro primitijs debebant offerre, non pessima, sed optima, vti præcipitur v. 29. & 32. Est hæc tertia lex & tertium donum sacerdotum, scilicet primitiæ frugum.

Tertium sunt primitiæ frugum.

Primitiæ à decimis distinguuntur dupliciter.

Nota, primitias distingui à decimis: primitiæ enim sunt primi fructus; decimæ sunt decima pars fructuum: illæ immediatè offeruntur Deo in gratiarum actionem, pro frugibus terræ; hæ proximè sacerdotibus dantur in stipendium sustentationis, pro ministerio quo seruiunt Ecclesiæ & templo.

Iudæi ad decimas tenebantur iure diuino, Christiani iure canonico.

Nota Secundò. Iure naturali nec Iudæi, nec Christiani tenentur ad primitias dandas, vti nec ad decimas, nisi quantum eæ necessariæ sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ. Iudæi ergo tenebantur ad primitias & decimas iure diuino, quod tam hîc, quàm Leuitici vltimo sancitur: Christiani verò ad decimas tenentur iure canonico.

Decimæ congruunt iuri naturæ.

Nota Tertiò. Est tamen solutio primitiarum, vti & decimarum, iuri & rationi naturali valdè consentanea. Ratio enim naturalis dictat, decens esse, vt Deo prima quæque offeramus. Hinc etiam apud veteres Romanos, non gustabant nouas fruges, aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent, vt ait Plinius li. 18. c. 2. Pari modo Ethnici decimas soluebant. vide Plinium l. 19 c. 14. & Plutarch. in Lucullo, & in Problemat. c. 16. Pluribus idipsum ostendam in fine cap. Hinc & ante legem, Abraham, ex Dei & naturæ instinctu, decimas dedit Melchisedeco, Genes. 14. & Iacob vouit decimas cunctorum, quæ ab eo acciperet, Gen. 28. Recta enim ratio dictat, vt iusta & decens portio bonorum offeratur Deo: talis autem est decima. Cui adde causam symbolicam: denarius enim significat perfectionem: est enim terminus numerorum simplicium, omnes illos continens; cæteri enim ex ipso semel, vel sæpiùs repetito, & ex alio simplici componuntur. Itaque qui decimam Deo in ministris soluit, sibi nouem retinens, significat se esse imperfectum, & expectare perfectionem à Deo per ipsius ministros.

Symbolum denarij in decimis.

Quadruplices primitias soluebant Iudæi.

Nota Quartò. Quadruplices primitias pendebant Iudæi: Primò, primitias spicarum die secunda azymorum, Leuit. 23. 10. Secundò, primitias panum in pentecoste, Leuit. 23. 17. Tertiò, primitias panum, quos hebdomadatim pinsebant, vti dixi Numer. 15. 21. Quartò, in mense septimo, putà in festo Tabernaculorum, collectis omnibus frugibus, tam ex messe, quàm ex vuis, earum omnium primitias dabant: & hæ quartæ passim intelliguntur, cùm in Script. fit mentio primitiarum.

Primitiarū quantitas erat pars fructuum media inter 40. & 60.

Vbi Aduerte, licet harum quartarum primitiarum quantitas non fuerit definita à Deo; ex consuetudine tamen, vel maiorum decreto definita fuit, scilicet vt darent inter quadragesimam & sexagesimam partem; ita vt maximæ essent pars quadragesima fructuum, minimæ essent pars sexagesima, vti tradidit S. Hieron. in Ezech. 45. & Abulens. in cap. 18. Numer. quæst. 14. & Ribera lib. 3. de Templo cap. 2. & satis colligitur ex cap. *decimam*, tit. de decimis. Quisque ergo inter

A quadragesimam & sexagesimam, dabat eam partem quam volebat.

Ita Tropol. Christianos non tantùm vitæ & studiorum, sed & operum & actionum singularum primordia, Deo offerre decet. Hinc & ab olim Imperatores mox à creatione sua, officium & obsequium suum Romano Pontifici, quasi primitias imperij deferebant. Fecit id inter alios Iustinus Imp. ad quem rescribens Hormisda Pontifex, *Debitas*, inquit, *B. Petro Apostolo imperij vestri primitias reddidisti*.

VNIVERSA FRVGVM INITIA (*initia*, id est primitiæ.) QVI MVNDVS EST IN DOMO TVA, VESCETVR EIS] si videlicet aliquid ex hisce primitijs fuerit Deo immolatum & sacrificatum: nam aliàs, si soli sacerdoti illæ offerrentur, poterant à quibusuis, etiam immundis, comedi. VERS. 13.

B OMNE QVOD EX VOTO REDDIDERINT FILII ISRAEL, TVVM ERIT] si scilicet vouerint illud Deo, non ad immolationem, sed tantùm ad oblationem. Est hoc quartum donum sacerdotum, scilicet vota, id est ex voto oblata. VERS. 14.

Quartum donum sacerdotum sunt oblata ex voto.

QVIDQVID PRIMVM ERVMPIT E VVLVA, &c. TVI IVRIS ERIT] Est hoc quintum donum, & stipendium sacerdotum, scilicet primogenita animalium. VERS. 15.

Quintum sunt primogenita animaliū.

OMNE ANIMAL QVOD IMMVNDVM EST, REDIMI FACIAS] *Immundum* intellige, non secundùm speciem, vti est equus, mulus, camelus; sed per accidens, vti est ouis clauda, manca, cæca, &c. quæ proinde Deo immolari non potest: nam Hebræi tantùm animalium mundorum, putà ouis, bouis, capræ & hominis, non autem immundorum, nisi solius asini, primogenita Deo offerebant, vti ostendi Exodi 13. v. 12. & 13.

C CVIVS REDEMPTIO ERIT POST VNVM MENSEM, SICLIS ARGENTI QVINQVE] *Cuius*, scilicet hominis. Nam aliorum animalium primogenita offerri poterant post septimum diem à natiuitate, vti patet Exodi 22. 30. Leuit. 22. 27. atque ex ijs quodque redimendum erat alio & alio pretio, pro sui valore: pluris enim valet primogenitus bouis, quàm ouis. Hominis ergo solius primogenitus, post mẽsem offerri debebat Deo, & redimi pretio statuto, scilicet 5. siclis argenti, id est 5. florenis Brabanticis. Hinc patet, infantem primogenitum potuisse offerri Deo & redimi, ante purificationem matris (hæc enim fiebat 40. die à partu) imò debuisse offerri & redimi, si mater in partu, vel paulò pòst moriebatur. Communiter tamen expectabant matres suam purificationem, D vt cum ea simul suos infantes primogenitos offerrent & redimerent, vti fecit B. Virgo cum puero Iesu, Luc. 22. 2. VERS. 16.

PRIMOGENITVM AVTEM BOVIS, ET OVIS, ET CAPRÆ NON FACIES REDIMI, QVIA SANCTIFICATA SVNT] quia scilicet Deo consecrata sunt, vt ei immolentur iuxta legem: ideò redimi non possunt, vti redimuntur alia, quæ Deo non sunt immolanda. Primogenita ergo bouis, ouis & capræ Deo immolari debebant, ita scilicet, vt sanguis eorum funderetur super altare, atque adeps eorum Deo in altari cremaretur: carnes verò eorum cederent in vsum & esum sacerdotum. VERS. 17.

SICVT PECTVSCVLVM CONSECRATVM] q. d. Sicut pectusculum, & armus dexter ex hostia pacifica, ita tuus est, vt quiuis mundus ex tua familia ex ijs comedere possit; ita erunt & tuæ, & VERS. 18.

ad te pertinebunt hæ carnes primogenitorũ mihi immolatorum, vt à quouis mundo tuæ familię comedi pössint. patet ex sequent.

VERS. 19. PACTVM SALIS EST SEMPITERNVM CORAM DOMINO, TIBI AC FILIIS TVIS] q.d. Hæc dona, & oblationes tibi do & consigno, quasi ex promissione & pacto sempiterno.

Nota Primò. Hæc donatio Dei vocatur *pactum*: quia erat conditionata, & cum onere donatarij: vicissim enim sacerdotes hæc dona recipientes, obligabantur seruire Deo & tabernaculo.

Pactum salis est aeternum, cur? Nota Secundò, *Pactum salis* vocatur pactum sempiternum: quia sal est symbolum æternitatis, vti dixi Leuit. 2. 13.

VERS. 20. DIXITQVE DOMINVS AD AARON: IN TERRA EORVM (Hebræorum, fratrum vestrorum) NIHIL POSSIDEBITIS, NEC HABEBITIS PARTEM (hereditatis) INTER EOS] scilicet agros, vineas, prata, &c. possidebant tamen Leuitæ vrbes 48. sed tantùm ad habitandum; & suburbana earum, ad alendum & pascendum sua pecora, vt patebit cap. 35. & Iosue 14. Ineptè ergo Wicleph hinc probare nisus est, quòd non liceat iam Clericis vllas habere possessiones. nam hæc lex cæremonialis est, & iam abolita. Rursum Leuitæ præter vrbes & suburbana, habebant decimam partem frugum terræ, cùm ipsi vix essent sexagesima pars totius populi.

Deus erat hereditas vnica sacerdotum, cur? EGO PARS, ET HEREDITAS TVA IN MEDIO FILIORVM ISRAEL] id est, ego sum pars tua, ô Aaron, ô pontifex, ô sacerdos, & sors hereditatis tuæ, quam habiturus es inter filios Israel: hoc est, vt explicatur Iosue 13. 14. sacrificia, victimæ & oblationes, quæ mihi offeruntur, sunt tua hereditas, nec aliam te habere volo; tum quia hæc abundè tibi sufficit; tum ne culturæ agrorum & vinearum impliceris, sed totum te mihi meisque ministerijs impendas. nam, vt ait S. Ambros. lib. de Fuga sæculi c. 2. *Cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum; ne alterius impediatur necessitatis munere: quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur.* q.d. Ego Deus vobis, ô sacerdotes, ero arua, vineta, olíueta, segetes, vuæ, oliuæ. Ego absque vomere & aratro, absque fossione & pastinatione, absque labore & cura vlla vestra vobis proferam ac reddam, quæ pinguissima gleba vlla, vitis fertilissima, olea fructuosissima, ingenti labore & cultura reddere posset. Ego ero vobis ager simul & fructus. ego vobis semper, & certò, & abunde procurabo ac largiar necessaria omnia. bono estote animo, in me spes omnes vestras figite. à me bona manant omnia. vobis ne quidquã desit, cura erit mea: imò efficiam, vt multò plus vobis, quàm fratribus vestris, scilicet cæteris tribubus, quæ terram diuident, superfit ac redundet. vni ergo mihi vacate.

Prima causa.

Secunda. Secunda huius sanctionis causa fuit, vt magna veneratione & charitate cæteræ tribus prosequerentur sacerdotes; & vicissim sacerdotes in eorum salutem acriùs incumberent: hinc effecit, vt in spiritalibus & sacris, omnes penderent à sacerdotibus; hi verò in corporalibus vitæ subsidiis, penderent ab aliis tribubus. q.d. Vultis, ô Israelitæ, me Deum vestrũ venerari, sacerdotibus meis, date quę ad victum & vestitum requiruntur, date ea, quæ mihi à vobis debentur: vultis vicissim, ô sacerdotes, ab Israelitis pingues hostias, primitias & oblationes, sacris operamini nauiter, populum meum sedulò leges meas docete, ipsum vobis vestra religione, doctrina, sedulitate & exemplo deuincite, ipsorum liberalitatem ac munificentiam, impietate, inertia, otio, lasciuia ne retundite: eorum mens vobis, vestrum iis corpus à me commendatum est.

Tertia. Tertia causa fuit, quòd Deus vellet suos ministros populo dare speciem vitæ cælestis, vt non nimis terræ terrenisque bonis more suo inhiaret, sed ea tantùm haberet in vsu, cælestia verò haberet in voto & desiderio. Nam, vt ait S. August. homil. 23. de verbis Apostoli: *Temporalia bona non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia: concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt.* & S. Bernard. *Nolite*, ait, *diligere ea, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant.*

Huc alludit Daniel psalm. 15 v. 5. dicens *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* q. d. Deus mihi est omne bonum, & omnia; præter Deum nil requiro, ait S. Augustin. hanc hereditatem, quæ tu ipse es Domine, nemo mihi auferet. Tu enim illam mihi confirmas hîc per gratiam, in cælo verò reipsa confirmabis per gloriam. Hoc imitantur nostri Clerici, qui ideò dicuntur κλῆρος siue clerus, id est sors & portio Domini; & vicissim quorum sors & hereditas est Dominus. Ita S. Paulinus Nolæ Episcopus, Nola à barbaris expugnata, captus precabatur: *Domine non excrucier propter aurum & argentum: vbi enim mea sint omnia, tu nosti.* nimirum tu es sors mea, & portio mea in terra viuentium. ita S. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 10. *Clerici vnde dicti.*

FILIIS AVTEM LEVI DEDI OMNES DECIMAS ISRAELIS] Huc vsque sacerdotibus Deus, pro eorum ministerio, dedit victimas, primitias, aliasque oblationes votiuas & spontaneas: hîc verò Leuitis dat decimas. Hinc patet, decimas non fuisse datas Leuitis & sacerdotibus, vt vult Ribera li. 3. de Templo c. 2. sed solis Leuitis: nam Leuitæ ex ijs rursum dabant decimas sacerdotibus, vti hîc dicitur, docetque Iosephus & Nehemias cap. 10. v. 37. & 38. quod enim ibi dicit: *Erit autem sacerdos filius Aaron cum Leuitis, in decimis Leuitarum;* mox explicat subdens: *Et Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ, in domo Dei nostri ad gazophylacium, in domo thesauri*, vt scilicet in eo custodiatur, indeque distribuatur sacerdotibus. VERS. 21. *Decimæ datæ fuerunt Leuitis, non sacerdotibus.*

Narrat R. Eliezer, quòd Leui fuerit decimæ filiorum Iacob, incipiendo à Beniamin, ideoque oblatus sit per S. Michaelem Deo, vt huic Leuitę seruirent in terra, sicut in cælo angeli: tumque dixisse S. Michaelem Deo, æquum esse, vt suos famulos alat rex: sicque Deum decimas Leuitis dedisse. An historicè ita factum sit, nouit Deus: alioqui pia & acuta est hæc contemplatio.

NEC COMMITTANT PECCATVM MORTIFERVM] quod sit illis causa mortis, tam præsentis quàm æternæ. VERS. 22.

SOLIS FILIIS LEVI, MIHI IN TABERNACVLO SERVIENTIBVS, ET PORTANTIBVS PECCATA POPVLI] *Peccata*, id est pœnas peccatorum populi, si videlicet populus insinuet se ministerio tabernaculi; scilicet, si id fiat per neglgentiam Leuitarum. Leuitis enim commissa est custodia tabernaculi: vnde si ipsi permittant populum ad illud, putà ad Sanctum, accedere, ipsos puniam pro peccato hoc populi: quia tabernaculi curam à populo VERS. 23.

populo in eos transtuli, eisque commisi; & pro hac cura decimas populi eis assignaui: vnde quod in hac re peccatum erit, non à populo, sed à Leuitis exigam. Et hoc est quod dixit Deus ad Aaron v.1. *Tu & filij tui portabitis iniquitatem Sanctuarij, & sustinebitis peccata sacerdotij vestri*; id est patiemini, & puniemini, si permiseritis aliquem è populo, qui non est ex genere vestro, putà ex genere sacerdotali, ministrare præter vos. q.d. Nemo cæterorum de filijs Israel accedat ad tabernaculum; quia soli filij Leui in eo debent ministrare, & portare peccata populi; ideoque si quid populus in hoc genere peccet, Leuitæ peccatum hoc populi ferent & sustinebunt: quia illud non impediuerunt, sed dissimularunt.

LEGITIMVM] lex & sanctio hæc, erit sempiterna.

VERS.26. PRÆCIPE LEVITIS: CVM ACCEPERITIS A FILIIS ISRAEL DECIMAS, QVAS DEDI VOBIS, PRIMITIAS (id est decimas) EARVM OFFERTE DOMINO: vnde sequitur, ID EST DECIMAM PARTEM DECIMÆ] Iubet hic Deus vt Leuitæ decimarum suarum decimas offerant Deo, id est Dei sacerdotibus, idque ad hoc, vt in hisce decimis, Leuitæ pares essent alijs tribubus, quæ ex labore suo offerebant decimas Domino, vti mox planiùs dicam.

Leuitæ decimam decimæ dabāt sacerdotibus.

VERS.27. VT REPVTETVR VOBIS IN OBLATIONEM PRIMITIVORVM, TAM DE AREIS, QVAM DE TORCVLARIBVS] q.d. Vos ô Leuitæ ex decimis Israel, quas vobis assignaui vers. 21. dabitis decimam earum partem pontifici & sacerdotibus, eamque primò illis separabitis, antequam vos inde quidquam vobis sumatis. Ideoque hæ erunt veræ decimæ & primitiæ vestræ tam frugum, quàm vuarum & vini, quas offeretis mihi, dando eas sacerdotibus, easque ego ita accipiam à vobis, ac si vos essetis Israelitæ laici, & penderetis mihi primitias & decimas agrorum & vinearum vestrarum.

Decimæ vocantur primitiæ, cur?

Putant aliqui, vt Lyranus & Abulens. hanc decimam decimæ, id est centesimam omnium fructuum totius Israelis, à Leuitis datam fuisse summo pontifici. Hoc enim videtur dici v.28. *Date ea Aaron pontifici*. Quod si ita est, fuit sanè pontifex ditissimus, vtpote quotannis recipiens centesimã partem frugum totius Iudææ. Atque hinc D. Thom. 1.2. quæst.87.a.4. ad 3. & alij, docent par esse, vt Clerici omnes, etiam Episcopi, decimas bonorum suorum dent Romano Pontifici. Pontifex verò eas non exigit, sed loco earum, in maioribus beneficijs annatas, id est fructus primi anni, cùm illud alicui confert, exposcit.

An Leuitæ decimas dederint soli pontifici? Asserit Abul.

Decimæ dandæ Rom. Pontifici.

Annatæ.

Verùm meliùs censent alij, hanc decimam decimæ à Leuitis datam fuisse, non soli pontifici, sed omnibus sacerdotibus. Alioqui enim pontifex valdè diues; & sacerdotes, vtpote plurimi, valdè pauperes fuissent. ita docet Iosephus, oculatus testis, lib 4. Antiq. 4. & S. Hieron. in cap.45. Ezech. & Philo libro de Honoribus sacerdotum in fine, atque ex iis Ribera lib.3. de Templo c.2. Verisimile tamen est, ex hac decima decimæ, bonam partem, pro dignitate tantæ personæ, cessisse pontifici.

Negant alij, & verius.

VERS.28. QVORVM ACCIPITIS PRIMITIAS] id est decimas. ita Chald. hæ enim cedebant Leuitis: primitiæ verò propriè dictæ cedebant sacerdotibus, vt patet v.11. & sequent.

DATE EA AARON SACERDOTI] vt ille ea inter sacerdotes distribuat: est enim ipse sacerdotum caput & princeps.

VERS.29. OMNIA QVÆ OFFERETIS EX DECIMIS, ET IN DONARIA DOMINI SEPARABITIS, OPTIMA ET ELECTA ERVNT] Notent hoc Christiani ij, qui in decimis, primitiis, aliisque oblationibus vilissima dant Deo, ac proinde & vilissima ab eo recipiunt, meritoque frugum sterilitate & paupertate puniuntur, sicut puniti sunt Iudæi, vti testatur Malachias c.1.14. & c.2.2. atque in simili casu eosdem punitos esse, docet Aggæus c.1. v.6. & sequent. E contrario Deus soluentibus decimas tales, quales oportet, rependere solet fertilitatem. Audi S. August. hom. 48. inter 50. *Maiores*, inquit, *nostri ideò omnibus copiis abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modò autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci, noluimus cum Deo partiri decimas; modò autem totum tollitur. hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus*. Et serm. 219. de Temp. *Hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam reuoceris*. vide eum toto illo sermone.

Iubet Deus optima dari in decimas.

Dantes bonas decimas Deus ditat.

VERS.31. QVIA PRETIVM EST PRO MINISTERIO QVO SERVITIS IN TABERNACVLO] *Pretium est*, hebr. *merces est*, scilicet laboris quo quasi famuli & baiuli, vos, ô Leuitæ, laboratis in portando, disponendo & dirigendo tabernaculo, &c. Hoc enim ministerium in se corporale erat, merebaturque pretium & mercedem corporalem; esto referretur ad finem spiritualem, scilicet ad cultum Dei: quæ relatio spiritualis erat, nec vendi poterat sine simonia. Secundò, *pretium*, id est stipendium sustentationis: hoc enim etiam in lege noua, ex iustitia debitum est Parochis, aliisque Ecclesiæ ministris.

Sacerdotibus & Leuitis debetur sustentatio ex iustitia.

VERS.32. NE POLLVATIS OBLATIONES FILIORVM ISRAEL Quod faceretis, si, cùm illi optimas decimas vobis dant, vos inde decimam partem pessimam seligatis vt eam detis sacerdotibus: ET MORIAMINI] q.d. Si id feceritis, occidemini à me. Vnde patet, quàm seuerè exegerit Deus, non tantùm decimas, sed etiam ex ijs meliora sibi offerri.

Deus meliora exigit sub pœna mortis.

Circa hoc caput de decimis Nota Primò, Gentiles quoque suis diis perennes dedisse decimas. Id docet Cicero lib.3. de Natura deorum: *Herculi*, inquit, *quisquam decimam vouit vnquam, si sapiens factus esset*: & Plautus: *Vt decimas Herculi solueret*. & Herodotus in Clio: *Siste*, ait, *ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes, qui vetent exportari opes, vt earum decima Ioui necessariò reddantur*. hæc Crœsus ad Cyrum regem Persarum. & Xenophon: *Agis*, inquit, *Delphos profectus est, ac decimam Deo obtulit*.

Moral. de decimis.

Notat Secundò, Philo lib. de Sacerdotum honore, sacerdotibus perinde ac regibus, Dei iudicio, tributa esse pendenda: vnde iudicio legis, sacerdotes æquiparari honore ac maiestate regibus, imò præferri. nam regibus coactè & inuitè tributa dant subditi: *At hæc gens* (Iudaica) inquit, *debitam pecuniam lubens gaudensque depromit, quasi non daret, sed acciperet, addens faustas ominationes, & gratiarum actiones*.

Notat Tertiò, S. Hieron. in Malach. 3. primitias & decimas datas Leuitis & sacerdotibus legis veteris, adumbrasse & prælusisse, quòd eædem dandæ essent sacerdotibus legis nouæ. nam, vt ait Origen. hîc homil. 11. *impium est, vt qui Deum*

colit, & scit eius ministros assistere altari, & verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, de fructibus terræ quos dat Deus, solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, primitias sacerdotibus non offerat; non enim videtur talis anima Dei habere memoriam, nec cogitare, nec credere, quia Deus dedit fructus quos cepit. Hinc iam olim Romanum Concilium sub Damaso sanxit, vt decimæ ac primitiæ à fidelibus darentur, & qui detrectarent, anathemate ferirentur. Quin & S. Chrysostom. homil. 43. in 1. ad Corinth. iubet vt sutores, alijque artifices, cùm calceos, aliaque suæ artis vendunt, aut emunt, decimam saltem pretij partem Deo dependant. Vis exempla?

Exempla. Meliapore in India à Lusitanis inuentum est templum, & sepulchrum S. Thomæ Apostoli, cui priscis literis inscriptum erat, templum hoc à sancto Dei Apostolo Thoma quondam exstructum esse; in templo tuendo colendoque mercium quæ in vrbem importarentur decimam, ab Sagamo rege attributam: accesserat obtestatio ad posteros, nequid ex eo vectigali ac donatione imminutum vellent. ita refert noster Maffeius libr. 8. histor. Indic.

Cùm Carolus Martellus decimas Ecclesiæ in militum stipendia contra Saracenos conuertere vellet, restitit ei S. Eucherius Aurelian. Episcopus, ideoque ab eo in exilium relegatus est, vt habet Ioannes Molanus Doctor Louan, in annal. Sanctorum Belgij, 20. Februarij.

Cùm S. Stephanus Hungariæ rex Hungaros debellasset & conuertisset ad fidem, mox ab eo manubiæ S. Martino, qui fuit Hungarus, cuius inuocatione victoriam obtinuerat, & decimæ Ecclesiæ addictæ sunt, vt patet ex eius Vita, quæ extat apud Surium 20. Augusti c. 4. & 5.

Audi quid de Dania referat Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis in histor. Gothor. lib. 18. 13. Saxo Grammat. lib. 11. histor. Danor. Martyrol. Vsuardi 6. Idus Iulij, Ioannes Molanus orat 2. & 3. de decimis, Iacobus Meyerus lib. 3. histor. Flandror. anno Christi 1088. Canutus rex cùm summo ac pio studio contenderet, vt Christi ministris liberaliùs & commodiùs de decimis & primitiis prouideretur, insigni cuiusdam Blacconis perfidia traditus, ab insana plebe trucidatur. Quo facto tanta frumentorum penuria vniuersam Daniam inuasit, vt maxima populi pars alimentorum inops, inedia consumeretur. Enimuerò abunde seges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum vltio videretur. Nec priùs Danicis agris fœcũditas restituta est, quàm populus ad cor conuersus, pœnitentiam ageret, se tam sanctum regem occidisse, qui tam iusta & honesta pro Christi ministris postulasset. Iamque experimento didicerant se iustè nouem frumentorum partes amisisse, qui decimam ex eis Deo & Dei ministris reddere noluissent.

De Polonis refert Longinus Cracouiensis Canonicus, & ex eo Baronius tomo 11. anno Christi 1022. quòd, cùm nonnulli eorum nobiles ob onerosam decimarum solutionem à christianismo resilire, & ad gentilismum redire, ideoque decimas non soluere, nec ecclesias frequentare, sed sacerdotes de ecclesiis pellere cogitarent; Boleslaus pius rex auctores sceleris comprehenderit, eosque partim morte, partim verberibus mulctarit.

De Italis refert ex Crantzio, Vsuardo, & alijs Ioannes Molanus 26. Nouemb. S. Bellinum Episcopum Paduanum, cùm diuitem quemdam nomine Thomam Capiuacium cogeret ad soluendas decimas, ab eo in itinere interfectum, atque, cùm post mortem miraculis multis clarescerett, ab Eugenio IV. catalogo Martyrum ascriptum esse: homicidam autem à Deo punitum ad summam egestatem redactum, & ab omnibus derelictum, in carcere miserè vitam finiisse: posteros verò eius templum in honorem S. Bellini Deo dicatum numquam ingredi potuisse, quin & paulò pòst omnino defecisse.

De Scotis scribit Hector Boëthius libr. 13. & Ioan. Magic. li. 4. de gestis Scotor. c. 10. Catanenses Episcopum suum Adamum, decimas de more exigentem, & ad eas anathemate cogentem, in culina eius combussisse. id audiens rex Scotiæ Alexander, collectis copijs auctores sceleris comprehendit, & supra quadringentos extremo supplicio affecit: Comitem verò Catanensium, quòd Adamo opem eius inuocanti non succurrisset, Comitatu priuauit. Sed Deus grauiùs eum puniuit. nam famuli eius, quòd eos asperiùs æquo tractasset, post paucos annos noctu trucidatum, ac in grabatum impositum (quò facinus occultum maneret) accensis ædibus concremarunt. Perijt ergo ille eodem supplicij genere, quo sui Adamum Episcopum affecerant.

De Saxonibus audi Lambertum Scafnaburg. anno Christi 1059. Halberstadiensis Episcopus Burcardus, decimationes Saxoniæ, quæ ad monasterium Hersueldense pertinebant, sibi vendicabat ratione episcopalis regiminis. Abbas eius cœnobij Meginherus iubet Episcopo per Fredericum Palatinum indicari, cùm ad furta restituenda nullo iure adduci posset, breui instare tempus, quo coram Deo esset hæc causa diiudicanda. Moritur paulò pòst Abbas. Et cùm Episcopus eius rei gratia synodum indixisset, in itinere lapsus de equo domum relatus est: vbi tum suos domesticos, tum Episcopos se visitantes rogauit, vt decimas istas absque mora cœnobio restituerent, se enim iniustitiæ pœnas iam luere.

De Noricis fame punitis ob non solutas decimas, dicam Deuter. 14. in fine.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur aqua lustrationis, ex cineribus vitulæ rufæ combustæ, confecta.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron dicens: 2. Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum: 3. tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium:

4. &

4. & tingens digitum in sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, 5. combureto; eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius quàm sanguine & fimo flammæ traditis. 6. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumq; bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. 7. Et tunc demum, lotis vestibus & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit vsque ad vesperum. 8. Sed & ille qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit vsque ad vesperum. 9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est. 10. Cumq; lauerit, qui vaccæ portauerat cineres, vestimenta sua, immundus erit vsque ad vesperum. Habebunt hoc filij Israel, & aduenæ qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo. 11. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: 12. aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. 13. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum. 14. Ista est lex hominis qui morietur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuersa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. 15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. 16. Si quis in agro tetigerit cadauer occisi hominis, aut per se mortui, siue os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus. 17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas viuas super eos in vas. 18. in quibus cùm homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem, & homines huiusmodi contagione pollutos: 19. atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio & septimo die. expiatusq; die septimo, lauabit & se & vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum. 20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia Sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus. 21. erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lauabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit vsque ad vesperum. 22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit vsque ad vesperum.

VERS. 2. ISTA EST RELIGIO (id est cæremonia, siue lex cæremonialis: hanc enim significat Hebr. חקת *thucka*) VICTIMÆ] scilicet expiatricis, ex cuius nimirum cineribus fiat aqua lustrationis.

ADDVCANT AD TE VACCAM RVFAM] Rufus, siue sanguineus color symbolum est peccati; idque ex eo, quòd effusio sanguinis, siue homicidiũ maximum sit peccatum. hinc peccata in Script. vocantur *sanguines*, & *viri sanguinum* vocantur peccatores. Vacca ergo rufa significabat, peccatorem reum esse sanguinis & mortis, æquè ac combustionis in igne gehennæ. hæc enim vacca comburebatur, vt eius cineribus lustraretur & expiaretur immundus, qui tetigerat mortuum: hic autem erat typus peccatoris; contactus enim morticini significabat contactum peccati.

Symbolicè vacca rufa significabat peccatorē.

ÆTATIS INTEGRÆ. hebr. *perfectam*, quod noster Interpres commodè de perfectione ætatis, ac consequenter staturæ & molis accepit: nam integritas corporis sequenti conditione exprimitur, qua dicitur: IN QVA NVLLA SIT MACVLA] videlicet nullum vitium corporis. hac enim phrasi non significatur macula coloris, sed deformitatis, vti patet Leuit. 22. 22.

NEC PORTAVERIT IVGVM] Neque enim decet seruisse homini victimam hanc, quæ seruiet Deo ad hominum expiationem.

Vacca rufa combusta fuit in deserto.

Hanc vaccam valdè verisimile est, non tantùm in Chanaan, sed etiam in deserto immolatam esse, idque ad purgationem leprosorum, feminifluorum, & menstruatarum; sed maximè ad purgationem Leuitarum & sacerdotum, qui tabernaculum adire, tangere & portare debebant. Hoc enim facere non poterant, si erant immundi: non est autem dubium, quin in deserto sæpè Leuitæ immunditiem, tum ex funeribus, tum aliunde contraxerint: illa ergo hac victima, id est aquis lustrationis, ex cineribus huius victimæ confectis, expiari debebat.

TRADETISQVE EAM ELEAZARO SACERDOTI, QVI EDVCTAM EXTRA CASTRA IMMOLABIT] VERS. 3. quia hæc victima non erat solennis & festiua, vt Aaron pontifex illam immolaret; sed lugubris & lustralis; vnde eam immolare iubetur Eleazar sacerdos, Aaronis filius. Porrò, hic eam immolare iubetur *extra castra*: quia immolanda erat pro peccatis totius populi, vt scilicet tota cremaretur vsque ad cineres, qui essent expiatorij, siue ex quibus cum aqua commistis, fieret aqua expiationis. Vnde hæc vacca, quasi suscepturа in se omnes immunditias Hebræorum, censebatur valdè immunda: nam sacerdos, qui eam immolabat, censebatur immundus vsque ad vesperam, vti & ille, qui cremabat eam, & colligebat cineres eius. Hinc extra castra iubetur immolari & comburi; simul vt per hoc allegoricè significaretur, Christum extra Ierusalem passurum, vt ait Apostolus Hebr. 13. 12. Septuag. vertunt, *& iugulabunt eam coram eo*, Eleazaro scilicet, quasi non ipse Eleazar, sed alij coram eo hanc vaccam immolare deberent. Verùm Hebr. Chald. & Noster significant; non alium quàm ipsum Eleazarum, hanc vaccam immolasse.

Vacca rufa cremabatur extra castra, cur.

ET TINGENS DIGITVM IN SANGVINE EIVS; VERS. 4.

 ASPER-

ASPERGET CONTRA FORES TABERNACVLI] putà versus ingressum tabernaculi; idque eminus. immolans enim hanc vaccam, non erat in atrio, vel tabernaculo, vt illud posset contingere, sed erat extra castra, ibique vitulæ immolatæ sanguinem aspergens, obuertebat se versus Orientalem partem tabernaculi; idque vt per hoc significaretur, Deo qui tabernaculo, quasi templo, repræsentabatur, lustrationem à peccatis fieri, illique nos immunditiis & peccatis nostris ad pœnam obstringi, atque per hanc victimam illi quasi satisfieri, hominesque reatu hoc apud illum exsolui. Hinc patet immolationē & combustionem huius vaccæ rufæ, in terra Chanaan debuisse fieri eo loco, vbi erat templum, putà Hierosolymæ, sed extra vrbem: tum quia hæc immolatio erat functio sacerdotalis, quæ non poterat fieri alibi, quàm vbi erat templum: tum quia ex sanguine huius vaccæ debebant aspergere septies versus Orientalem partem tabernaculi, vel templi; vnde non poterant longè ab eo abesse in hac immolatione. ita Abulens.

Vacca rufa debebat immolari Hierosolymæ, cur?

Allegoricè, vacca rufa, inquit Theodor. hîc quæst. 36. & S. August. qu. 33. & Rabanus, significat corpus terrenū secundi Adami, scilicet Christi Domini: quia nomen Adæ dictum est ab Adama, id est à terra rubra, ex qua corpus ipsius formatum est. sexus femineus significat infirmitatem carnis: ætas integra & libera significat perfectam ætatem & staturam, æquè ac libertatem Christi, hæc ab Eleazaro, id est à Iudæis, immolata est. lignum cedrinum est figura crucis, coccinum sanguinis, hyssopus gratiæ viuificantis.

Alleg. vacca rufa fuit corpus Christi in cruce tostū.

Tropologicè, vaccam rufam mactamus, cùm carnem à lasciuia suæ voluptatis extinguimus, quam cum hyssopo, lignoque cedrino ac cocco offerimus; *quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei & charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consueuit. & per Petrum dicitur* (Actor. 15.) *Fide mundans corda eorum. Lignum cedrinum nulla putredine deficit: quia spem cælestium terminus consumit. Vnde & per Petrum dicitur* (1. Petri 1.) *Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incōtaminatam, & immarcescibilem. Coccus verò rubro colore flammescit: quia quem implet charitas, incendit. Vnde & in Euangel. Veritas dicit: Ignem veni mittere in terram. Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur: vt videlicet ante interni iudicis oculos, charitas nostra, Dei & proximi dilectione coloretur: quatenus conuersa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximi vtilitatemq; postponat, nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat.* hucusque S. Gregor. 6. Moral. 15.

Tropolog.

VERS. 5. COMBVRETQVE EAM] non per se, sed per suos. *Comburet* ergo, id est comburi faciet (patet v. 8.) *eam*, totam cum pelle, carnibus, sanguine & fimo, vt sequitur.

VERS. 6. LIGNVM QVOQVE CEDRINVM, ET HYSSOPVM, COCCVMQVE BIS TINCTVM SACERDOS MITTET IN FLAMMAM] Quia hæc erant expiatoria: causas, ob quas cedrus, hyssopus & coccus adhibita sint ad expiationem, & ad victimam expiatricem, dedi Leuit. 14. v. 4. & 5.

VERS. 7. COMMACVLATVSQVE ERIT] immundus erit legaliter. Nota. Sacerdos immolans, & alius comburens vaccam rufam, erant immundi vsque ad

A vesperam: quia vacca hæc, dum comburebatur cum fimo, pelle & sanguine, erat aliquid immundum, vti erat cadauer hominis, vel morticina aliorum animalium; ideò mundos eam tangentes faciebat immundos: postquam verò combusta esset, cineres eius habebant vim expiandi immundos legaliter, Deo ita ordinante. Ridiculum enim est, quod ait Rabbi Gaon apud Abulens. quæst. 14. scilicet, cineres huius vaccæ fuisse instar mellis, quod nocet cholericis, & prodest phlegmaticis; sic enim & cinerem hunc alios inquinasse, alios emundasse.

Vacca hæc erat immūda, sed cineres erant mundi, imo mundantes immundos.

VERS. 9. COLLIGET AVTEM VIR MVNDVS CINERES VACCÆ (combustæ) ET EFFVNDET EOS EXTRA CASTRA IN LOCO PVRISSIMO, VT SINT MVLTITVDINI FILIORVM ISRAEL IN CVSTODIAM scilicet, diligenter custodiatur cinis huius vaccæ à filijs Israel, vt sit IN AQVAM ASPERSIONIS, hebr. est, *in aquam immunditia*, qua scilicet se abimmunditia legali expient. vnde sequitur: QVIA PRO PECCATO VACCA COMBVSTA EST] Hebr. *quia vacca hæc est peccatum*, id est, est victima expiatrix peccati.

B

Hinc verisimile est cineres hos vitulæ rufæ in terra Chanaan ex Hierosolymis, vbi immolata & cremata erat, delatos fuisse ad singula oppida, vt singuli contracta immunditia, purificationem ad manum haberent. Sic legimus Ioan 2. in Cana Galilææ positas fuisse sex hydrias, ad purificationem. Hydriæ enim hæ continebant aquam lustrationis: perinde ac apud nos chrisma, ab Episcopo in cathedrali Ecclesia consecratum, ad singulas episcopatus parœcias transmittitur & defertur. Erat enim per cinerem hunc, communis omnium immunditiarum expiatio (licet in multis casibus, alijs insuper egerent purificationibus, & lotione vestium, vel etiam corporis totius) nam alioqui multæ immunditiæ fuissent sublatæ sine purificatione, vt v. g. contactus animalium immundorum: huic enim nulla alia lustratio præscribitur Leuit. 11. v. 43. & 44. & quia Apostolus Hebr. 9. 13. generalem carnis emundationem huic cineri attribuit.

Cinis vaccæ rufæ mittebatur ad omnes vrbes.

C

Cinis hic expiabat omnes immunditias legales.

Contrarium tamen non est improbabile, scilicet cinerem vitulæ rufæ tantùm expiasse immūditiam contractam ex contactu mortui; nam hoc tantùm hîc exprimitur, ita Abulens. q. 15.

Nota. Hic erat ritus purificandi, & expiandi, vt colligitur vers. 19. Cinerem hunc vitulæ rufæ iniiciebant in hydriam, vel vas aliud plenum aqua viua, v. g. fontana. Deinde, alius quispiam mundus hac aqua aspergebat immundum, sed ita, vt ipse adhuc vsque ad solis occasum censeretur immundus.

Ritus expiandi per hunc cinerem.

D

Allegoricè, hæc aqua cineralis & lustralis fuit typus sanguinis Christi. Nam, *si cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* ait Apostolus Hebr. 9. 13.

Alleg. aqua cineralis est sanguis Christi.

Rursum, aqua hæc cineralis & lustralis significabat aquam nostram lustralem, siue benedictam, qua vtimur ad expiationem peccatorum venialium. Nam, vt rectè argumentatur Alexander Primus Pontifex, qui fuit sextus à S. Petro, epistol. 1. ad omnes orthodoxos: *si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, quanto magis aqua,*

Secundò, est aqua lustralis.

aqua, quæ sale aspersa, diuinisq́; precibus sacrata est, A *populum sanctificat atque emundat?*

Scribit Clemens Rom. lib. 8. Constit. Apost. c.35. S. Matthæum vsum aquæ benedictæ instituisse, ritumque benedictionis ab eo præscriptum recenset. Vim verò & fructum benedictionis huius Deus multis declarauit miraculis. Nam S. Chrysost. aquam benedicens, eaque aspergens filium ægrum, cum sanum matri reddidit, vt habetur in eius Vita.

Miracula facta per aquam benedictam.

S. Quintianus anno Christi 506. Episcopus Aruernæ ciuitatis, familiam Hortensij senatoris valida febri correptam sanauit, mittendo ad eam aquam benedictam. testis est Greg. Turonens. in eius Vita.

S. Fortunatus cuidam Gotho per aquam benedictam coxam fractam integritati restituit, vti refert S. Gregor. 1. Dial. c. 10.

S. Malachias Hibern. Episcopus filium regis Scotiæ, & mulierem cancro laborantem aqua benedicta sanauit, vti refert S. Bernard. in eius Vita. B

S. Odilo Abbas Cluniacensis anno Domini 1048. lunaticum aqua lustrali curauit, vt refert Petrus Damianus in eius Vita.

S Anselmus anno Domini 1106. cæco per aspersionem aquæ benedictæ visum restituit, vti refert Edinerus in eius Vita lib. 2.

S. Willebrordus Episcop. Vltraiectinus anno Domini 700. per eamdem domum à vexatione dæmonum liberauit, vti refert Albinus Flaccus in eius Vita.

Magicas præstigias Iudæorum per aquam benedictam dissipauit Iosephus ex Iudæo Christianus anno Domini 327. vti ex Epiphanio refert Baronius.

S. Marcellus Apameæ Episcopus dæmonem impedientem demolitionem templi Iouis Apameni aqua benedicta fugauit, templumque deiecit, vt refert Theodor. lib. 5. cap. 21. & Baron. anno Christi 389. C

Audi quid de hac aqua senserit S Hubertus Leodiensis Episcop anno Christi 700. *Vade,* inquit, *aqua quæ sacerdotali consecratione sale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute impregnata est, liquorq́; olim iisdem Apostolica auctoritate benedictus huc inferatur; quorum aspergine atque litura mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, vt ampliùs non audeat sua inferre machinamenta.* ita habet eius Vita quæ exstat apud Surium 3. Nouemb.

Leo VI. Imper scripsit librum de apparatu belli. vbi cap. 13. ita scribit: *Pridie eius diei quo prælium est ineundum, curare debet dux exercitus, per sacerdotem vniuersum exercitum ἁγιάζειν, id est aqua lustrali expiari.* refert hoc Baronius anno Domini 911. Hoc sæculo in Indiis per aquam hanc mira facta sunt, & fiunt. In Iapone curantur passim ægroti vbi aquam hanc hauserint, vt patet ex epist. Iaponicis. D

VERS. 10. HABEBVNT HOC FILII ISRAEL, &c. SANCTVM IVRE PERPETVO] *Sanctum,* id est firmum & inuiolabile, quasi legem iure perpetuo sancitam. patet ex Hebræo.

VERS. 11. & 12. QVI TETIGERIT CADAVER HOMINIS, ET PROPTER HOC SEPTEM DIEBVS FVERIT IMMVNDVS, ASPERGETVR EX HAC AQVA DIE TERTIO ET SEPTIMO, ET SIC MVNDABITVR] Cur septem diebus erat immundus? cur die tertio & septimo erat lustrandus? Respondet Aben Ezra, quia luna in septem diebus, facit quadraturam cum sole à tempore coniunctionis. Nam luna 28. diebus peragit suum cursum, & ad solem, à quo recesserat, redit: pars autem quarta 28. sunt septem, rursum, tria sunt quasi dimidium huius quadraturæ, putà septem: quia enim luna est mater humidorum, & ista aspersio fiebat in aqua, quæ est humida; hinc volebat Deus, quòd tunc luna in eamdem influeret, ad hoc, vt hæc aspersio proficeret. Sed hæc sunt friuola, & lunaticæ mentis commēta. Vera causa fuit, voluntas Dei ita ordinans: congruentia fuit, quòd septenarius sit symbolum perfectionis, in cuius medio putà die tertio, & fine, putà die septimo, volebat Deus immundū lustrari, vt plena & perfecta cēseretur esse lustratio.

Cur die tertio & septimo lustrabatur immundus?

Hanc lustrationem imitati sunt Gentiles. quotquot enim in funere, comburendoque cadauere ad rogum tantisper expectassent, dum collectis conditisque reliquiis funeri finis fieret, non antè à lugubri hoc officio discedebant, quàm aqua ter essent lustrati, propter contractam à funere pollutionem. Id docet Virgil. rituum scientissimus in funere Miseni, Æneid 6.

Ossaq́; lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ.

Vbi & aspergilli meminit, quod è rore marino & oliua felici constabat.

VERS. 13. OMNIS QVI TETIGERIT HVMANÆ ANIMÆ MORTICINVM (cadauer) ET ASPERSVS HAC COMMISTIONE (id est hac aqua lustrationis, cum cineribus vitulæ rufæ commista) NON FVERIT, POLLVET TABERNACVLVM DOMINI, quantum in se est, si videlicet illud ingrediatur pollutus & immundus existens, antequam hac aqua lustrationis se expiet: hinc ob violatum Sanctuariū, PERIBIT EX ISRAEL] id est occidetur à iudicibus, si res constet; sin sit occulta, me vindice in mortem improuisam incurret. ita Abulens.

VERS. 14. ISTA EST LEX HOMINIS (de homine, circa hominem) QVI MORITVR IN TABERNACVLO: OMNES QVI INGREDIVNTVR TENTORIVM ILLIVS, ET VNIVERSA VASA, QVÆ IBI SVNT, POLLVTA ERVNT SEPTEM DIEBVS] Ex hoc loco Iudæi istam consuetudinem sibi induxerunt, vt quando aliquis moritur in domo, omnem aquam quæ erat domi in vasis, effundant extra domum: quia iudicant eam esse immundam. Alij simpliciores id etiam agunt ex eo, quòd putent animam de corpore recenter egressam, lauari in aqua domus, & illam suo contactu inficere. Addunt alij, angelum mortis, id est Satanam, gladium suum, quo illum hominem interfecit, in ea aqua rursum lauare. Sed posterius hoc vtrumque est ridiculum: prius probum est, & ex hac lege faciendum, si vas non esset coopertum; tunc enim coinquinabatur, vt dicitur vers. 15. sin esset coopertum, non coinquinabatur moriente homine, ideoque non erat necesse aquam eo contentam effundi. ita Abulens.

Moriente homine aquam omnem domus effundunt Iudæi, cur?

VERS. 15. VAS QVOD NON HABVERIT OPERCVLVM, NEC LIGATVRAM DESVPER, IMMVNDVM ERIT] Nam, vti moraliter explicat S. Gregor. 23. Moral. c. 9. *tegmen operculi vel ligatura est censura disciplinæ: quâ quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumq́; reprobatur.*

VERS. 16. SI QVIS IN AGRO TETIGERIT CADAVER, &c.

SIVE

SIVE OS ILLIVS, VEL SEPVLCRVM, IMMVNDVS ERIT SEPTEM DIEBVS] Summa apud Iudæos immunditia erat cadauerum, adeò vt tangentes sepulchra, essent immundi septem diebus. Hinc ipsi sepulchra habebant, non iuxta templum, nec in vrbibus, ne in ea incurrendo polluerentur, sed extra eas (vt patet Luc. 7. 12. & Ioan. 19. 41. de sepulchro Christi) in agris & locis separatis. Hinc etiam Iosias rex volens idolorum templa profanare, & omnem religionem locis adimere, mortuorum ossa in illa intulit, 4. Reg. 23. v. 14.

Hinc Iudæi sepulchra habent extra vrbes,

Sic & Gentiles non in vrbe, sed extra suos sepeliebant, tum ne aër in vrbe ex fœtore cadauerum putrefieret, tum *ne funestarentur sacra ciuitatis*, vt ait Paulus lib. 2. Recep. sentent. tit. 21. & *ne sanctum municipiorum ius pollueretur*, vt inquiunt Diocletianus & Maximianus in suo hac de re rescripto: putabant enim Romani, aliique Gentiles, quidquid diis superis sacrum esset, id vel solo aspectu, aut contactu rei funestæ contaminari. Sed nec funere pollutis sacrificare fas erat: quare si vtrumq; ex causa graui cuipiam faciendum esset, *elaborabat, vt antè sacra efficeret, quàm funus agnosceret. Vnde etiam Horatius Puluillus in Capitolij dedicatione, cùm ab inimicis eius filius nuntiaretur extinctus, ait: Cadauer sit; nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicaret*, inquit Seruius in 10. Æneidos. Similis fuit ritus Græcorum, vt patet ex Luciano de Dea Syria.

& Gentiles.

Denique inauspicatum omen erat, si quis fortè in sepulchra incideret. Audi Liuium lib. 30. *Iussus è nautis vnus ascendere in malum, vt specularetur, quam tenerent regionem, cùm dixisset, sepulchrum dirutum proram spectare, abominatus*, scilicet Hannibal. Ex eodem ritu manauit, quòd *deus Viduus* ab eis extra vrbem colebatur, teste S. Cypriano li. de Vanitate idolorum: *In tantum*, inquit, *deorum vocabula apud Romanos finguntur, vt sit apud illos & Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur*. Perstringit hanc veterum superstitionem Theodor. li. 8. de Curan. Græc. affect.

Deus Viduus quis?

Secùs se res habet apud Christianos, qui sepulchra iuxta ecclesias habent, vt orent pro defunctis, vtque mortis & resurrectionis imaginem & spem perpetuò ob oculos habeant.

Tropologicè, cadauera sunt peccata. Hinc S. Paulus Hebr. 9. 14. peccata vocat *opera mortua*. Vnde Chrysost. homil. 15. in Ioan. *Si quis*, inquit, *tangebat olim mortuum, contaminabatur: & hic si quis tetigerit opus mortuum, id est peccatum, inquinatur per conscientiam.* Item: *Si eum qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum: quanto magis qui mortua opera habet? contaminatio enim est pessima.* statim ergo per confessionem se eluat, nec iterum tangat mortuũ, id est ad peccatum non redeat. Et rursum: *Dicitur*, inquit, *quia pestis cùm generatur, corrumpit corpora: tale est peccatum, à peste nihil differt; non quia aërem corrumpit primùm, deinde corpora; sed quia continuò in animam transilit*, &c. Quid vomitu turpius excogitari potest, aut fœdius & horribilius ad edendum? Talis est qui redit ad peccatum. Vnde Prouerb. 26. *Sicut*, inquit, *canis, qui reuertitur ad vomitum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.*

Peccatum est cadauer, pestis & vomitus.

Vers. 17. TOLLENTQVE DE CINERIBVS COMBVSTIONIS, ATQVE PECCATI (id est vitulæ combustæ pro peccatis legalibus expiandis: hinc enim vitula hic vocatur *peccatum*, metonymicè) ET MITTENT AQVAS VIVAS SVPER EOS cineres] Aquæ viuæ sunt quæ mouentur & fluunt, vti fontanæ & fluuiales; mortuæ sunt, quæ stant, & stagnant.

SI QVIS HOC RITV NON FVERIT EXPIATVS, PERIBIT ANIMA ILLIVS] Nota. Immunditia hæc tangentis cadauer durabat tantùm septem dies, quibus elapsis per se expirabat & cessabat, inquit Abulensis. Hoc enim est quod dicitur v. 16. *Immundus erit septem diebus.* Verùm contrarium est verius, scilicet non cessasse hanc immunditiam, nisi per expiationem aquæ cineralis. Nam v. 13. dicitur: *Qui aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum.* Debebat ergo immundus hac aqua cinerali se expiare; quòd si contemneret, puniebatur morte, ob violatam Dei legem, vel à iudicibus, si res constaret; vel à Deo ipso, si res esset occulta. Sin per obliuionem omisisset hanc sui expiationem, illiusque postmodum recordatus fuisset, tenebatur offerre sacrificium pro delicto suo præscriptum, Leuitici 5. v. 3. & 5. si non recordaretur, non imputabatur ei ad pœnam. ita Abulens. Vers. 20.

Notat Abulens. quæst. 21. Iudæos nullas ampliùs expiationes seruare, nec iis obligari, etiamsi persistent in iudaismo & conscientia sua erronea, qua putant se legibus veteribus adhuc teneri. Nam istæ expiationes præscriptæ erant in ordine ad Sanctuarium, vt scilicet illud non adirent nisi mundi, aut expiati: iam autem nullum habent Sanctuarium. Secundò, quia hæc vitula rufa, ex qua fiebat aqua lustrationis, debebat immolari à sacerdote, eo loco vbi erat templum, sanguisque eius versus templum aspergi: iam autem nec habent sacerdotes, nec templum; vnde non possunt hanc vitulam rufam immolare. Eadem de causa, lustrationes hasce non seruarunt Iudæi in captiuitate Babylonica: in ea enim euersum fuit templum.

Iudæi iam hoc cinere non expiant se, cur?

OMNIS QVI TETIGERIT AQVAS EXPIATIONIS, IMMVNDVS ERIT VSQVE AD VESPERVM] *Omnis*; ergo & aspergens immundum, imò & ipse aspersus hac aqua, mundabatur quidem ab immunditia priori, v. g. cadaueris, sed aliam ex contactu huius aquæ contrahebat, qua censebatur immundus esse vsque ad vesperam, vti patet v. 19. ita Abulens. Erat ergo hæc aqua expiatrix, & simul immunda; perinde vt lixiuium, licet sit immundum, pannos tamen emundat. Vers. 21.

Aqua hæc quasi lixiuium immunda, erat emundans.

QVIDQVID TETIGERIT IMMVNDVS, IMMVNDVM FACIET] *Immundus*, non legaliter: sic enim immũditia hæc peruasisset statim omnes Iudæos: sed naturaliter, vti erant soli leprosi, seminiflui, & menstruatæ. Quidquid enim hi tangebant, hoc faciebant immundum: sed si quis hæc immunda vlteriùs tetigisset, non ideo fiebat immundus, vti dixi in Leuitico. ita Abulens. Verùm, quia de leprosis, seminifluis & menstruatis hic non agitur, nec de eis vlla hoc capite facta est mentio; hinc veriùs Lyranus hæc refert ad immundum, qui immundus est ex contactu aquarum cineralium, siue expiationis. Hæc enim verba referenda sunt ad immediatè præcedentia, vbi dicitur: *Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit vsque ad vesperam.* Mox enim subditur: *Quidquid tetigerit immundus* (scilicet iam dictus, videlicet ex contactu aquæ expiationis) *immundum faciet*, adeò Vers. 22.

vt

vt immunditiem ſuam alteri ſe tangenti afflet & communicet. hoc enim eſt quod ſubditur:

ET ANIMA QVÆ HORVM QVIPPIAM TETIGERIT, IMMVNDA ERIT VSQVE AD VESPERVM] *Horum*, ſcilicet quæ hoc capite dicta ſunt, videlicet vitulam rufam, ſanguinem eius, cineres, aquam luſtrationis. Quicumque enim hæc tangebant, immundi erant vſque ad veſperam, vti dictum eſt v.7.10.& 21.ita Abulenſ. Verùm, quia hic verſus pendet à præcedenti, eique ex æquo quaſi reſpondet: hinc Secundò, genuinè Lyranus, Qui tetigerit, inquit, aliquid *horum*, ſcilicet quæ tetigit immundus (qui immundus eſt ex contactu aquarum luſtrationis) hic ex eorum contactu immundus erit vſque ad veſperam. Aquæ enim hæ, vtpote cinerales, atque ex fimi & pellis vitulæ combuſtione confectæ, licet expiatrices eſſent, cenſebantur tamen immundæ; adeò vt qui eas tetigiſſet, non tantùm eſſet immundus, ſed & immunditiam ſuam aſpergeret rebus omnibus, quas tangebat, ita vt qui illa ab eo tacta, ideoque polluta viciſſim tangeret, pollueretur, fieretque immundus vſque ad veſperam. Hunc eſſe ſenſum patet, tum ex connexione ſententiarum, tum ex

A textu Hebræo & Chaldæo, qui alium ſenſum non admittunt.

Nota. Hæc immunditia veſpere per ſe, ſine alia expiatione deſinebat: alioqui enim in expiationibus progreſſus fuiſſet in infinitum. ita Lyranus.

Denique tradunt Hebræi, & ex iis Burgenſis, quòd ſex tantùm vaccæ rufæ fuerint immolatæ, per totam durationem vtriuſque templi; ſcilicet prima tempore Moſis per Eleazarum, de qua hîc dicitur, eiuſque cineres duraſſe per totum templum primum: ſecundam tempore Eſdræ, in principio templi ſecundi: alias autem duas immolaſſe Simeonem iuſtum, diuerſis temporibus (fuit enim ipſe pontifex per annos 80.) alias denique duas immolatas eſſe per Ioannem pontificem, qui fuit pater Mathathiæ, à quo deſcenderunt Machabæi. Verùm difficile eſt creditu, quòd pauci vnius vaccæ cineres, per tam multos ſpargendi, ſuffecerint tantæ, ſcilicet innumerabili penè, multitudini Iudæorum: vnius enim vaccæ cineres diſtribuebantur per totam Iudæam. Singuli enim Iudæi crebrò iis vtebantur, ad ſui expiationem. Quare veriſimilius eſt, quod ait Lyranus, quotannis vaccam vnam rufam immolatam fuiſſe.

An ſex tantùm vaccæ crematæ ſint.

B

Quotannis immolata eſt vacca vna rufa.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moritur Maria. Secundò, v.3. ob ſitim murmurat populus: hinc iritati Moſes & Aaron ad aquas contradictionis offendunt Deum, ideoq́ ingreſſu terræ promiſſæ arcentur. Tertiò, v.14. Moſes à rege Edom petit tranſitum, negat ille, Quartò, v.22. in monte Hor moritur Aaron.

1. VEneruntque filij Iſrael, & omnis multitudo in deſertum Sin, menſe primo: & manſit populus in Cades. Mortuaque eſt ibi Maria, & ſepulta in eodem loco.
2. Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduerſum Moyſen & Aaron: 3. & verſi in ſeditionem, dixerunt: Vtinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino. 4. Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, vt & nos & noſtra iumenta moriamur? 5. Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto, & adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, inſuper & aquam non habet ad bibendum? 6. Ingreſſuſque Moyſes & Aaron, dimiſſa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntq́; ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt ſatiati, ceſſet murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini ſuper eos. 7. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 8. Tolle virgam & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis. & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. 9. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, 10. congregata multitudine ante petram, dixitq́; eis: Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? 11. Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumenta. 12. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. 13. Hæc eſt aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis. 14. Miſit interea nuntios Moyſes de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Iſrael: Noſti omnem laborem qui apprehendit nos, 15. quo modo deſcenderint patres noſtri in Ægyptum, & habitauerimus ibi multo tempore, afflixerintq́; nos Ægyptij, & patres noſtros: 16. & quo modo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos, miſeritq́; angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in vrbe Cades, quæ eſt in extremis finibus tuis, poſiti, 17. obſecramus vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, ſed gradiemur via publica; nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes, donec tranſ-

transseamus terminos tuos. 18. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alio-
quin armatus occurram tibi. 19. Dixeruntque filij Israel: Per tritam gradiemur
viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nul-
la erit in pretio difficultas, tantùm velociter transeamus. 20. At ille respondit:
Non transibis. Statimque egressus est obuius, cum infinita multitudine, & manu forti,
21. nec voluit acquiescere deprecanti, vt concederet transitum per fines suos. quam
ob rem diuertit ab eo Israel. 22. Cumque castra mouissent de Cades, venerunt in
montem Hor, qui est in finibus terræ Edom: 23. vbi locutus est Dominus ad Moy-
sen: 24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam
dedi filiis Israel, eò quòd incredulus fuerit ori meo, ad Aquas contradictionis.
25. Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. 26. Cumque
nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur & mo-
rietur ibi. 27. Fecit Moyses vt præceperat Dominus: & ascenderunt in montem
Hor coram omni multitudine. 28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit
eis Eleazarum filium eius. 29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum E-
leazaro. 30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo tri-
ginta diebus per cunctas familias suas.

VERS. I. VENERVNTQVE FILII ISRAEL, ET OMNIS MVLTITVDO IN DESERTVM SIN, MENSE PRIMO, ET MANSIT POPVLVS IN CADES] Hoc desertum Sin, aliud est à Sin, in quo pluere cœpit manna, Exodi 16.1. & 15. Nam in illo octaua fuit Hebræorum mansio, siue statio: in hoc verò fuit trigesimatertia. vnde in Hebræo hoc *Sin* per *tsade*; illud verò in Exodo per *samech* scribitur.

MENSE PRIMO] Intellige, anni quadragesimi ab egressu Hebræorum ex Ægypto, vti communiter exponunt omnes interpretes: nam, vt solerter aduertit Abulens. Moses tantùm describit gesta trium annorum in deserto, videlicet duorum primorum, idque ab Exodi cap. 12. hucusque; & quadragesimi siue vltimi, ab hoc capite & deinceps. Reliquos ergo triginta septem annos intermedios silentio obuoluit, fortè quòd nihil memorabile in iis contigerit. Itaque cùm mensis hic primus non possit esse anni primi, vel secundi egressus ex Ægypto: de illis enim iam pridem egit in Exodo, Leuitico & Numeris hucusque; consequens est, hunc mensem primum accipiendum esse de anno quadragesimo: idq; Secundò, planè colligitur ex Numer. 33. v. 37. & 38. vbi Hebræi ex Cades (de quo hîc agitur) dicuntur venisse in montem Hor, vbi trigesima quarta fuit mansio Hebræorum, ibique mortuus dicitur Aaron, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto. Vnde planè verisimiliter colligitur, Hebræos eodem anno quadragesimo venisse in præcedentem mansionem Cades; sed mense primo, vti hîc dicitur.

Moses tantùm describit gesta anni primi, secundi, & quadragesimi.

Ab hoc ergo capite vsque ad finem Pentateuchi, describũtur gesta anni quadragesimi, qui fuit vltimus peregrinationis Hebræorum in deserto.

Ab hoc loco vsque ad finem Deuteronomij describuntur acta anni quadragesimi.

ET MANSIT POPVLVS IN CADES] Putant Abulens. & Andreas Masius in Iosue 15. v. 3. hanc Cades eamdem esse cum Cadesbarne. Verùm dico, alia est hæc Cades à Cadesbarne, iuxta quam decimaquinta fuit Hebræorum mansio, vti dixi c. 13. v. 1. & 27. in hac enim Cades fuit trigesima tertia mansio, vt patet c. 33. 36. Secundò, id ipsum docent Chorographi terræ sanctæ, vt Wolfgangus, Zieglerus, Adrichomius & alij. Tertiò, id ipsum demonstrat Torniellus in suis Annalibus pag. 346. ex eo, quòd Cadesbarne extiterit in cõfinio Australi terræ Chanaan, vt patet Num. 34. 4. & Iosue 15. 3. vbi ponitur in sorte tribus Iudæ. At

Cades hoc aliud est à Cadesbarne.

A Cades hæc longè aberat à Chanaan: erat enim posita in extremis finibus Idumææ, ad Austrum vergentibus, vti patet Numer. 20. 16. non valdè procul à mari rubro. Nam ab Asiongaber, quæ erat ad mare rubrum, venerunt Hebræi in Cades, inde in montem Hor, qui est in finibus Idumææ: vnde hîc ex Cades Hebræi v. 20. miserunt nuntios ad regem Edom, vt concederet eis transitum per terram suam; quem cùm ille dare nollet, coacti sunt Hebræi longiori via circuire & transire per terminos eius Orientales, inde per Moabitas & Ammonitas, vt tandem transito Iordane ingrederẽtur Chanaan, à latere eius Orientali. Hinc S. Hieron. in Locis Hebr. & ad Fabiolam de 42. mansion. in 33. *Cades*, inquit, *est vrbs in deserto, iuxta ciuitatem Arabiæ, quæ dicta est Petra. In Cades cæsus est rex Sodomorum cum suis à Codorlahomor, Gen.*
B *14. 7. ibi & occubuit Maria, soror Mosis: ibi & Moses ac Aaron, propter aquas contradictionis offendunt Dominum, & prohibentur transire Iordanem.* Vnde & Cades hebr. dicitur per antiphrasin, quasi minimè Cades, id est sancta; vel à sanctitate Mosis translata in offensam. Cades quoque vocata fuit fons iudicij, Genes. 14. 7. quia ibi iudicatus est rex Sodomorum cum suis; vel per anticipationem, quia ibi iudicati sunt Moses & Aaron, vt patet hoc cap. v. 12.

In Cades quæ contigerint.

Vnde dicta.

MORTVAQVE EST IBI MARIA] putà in Cades, mense primo anni 40. Mortua est ergo Maria quatuor mensibus ante fratrem suum Aaronem: hic enim mortuus est die primo mensis quinti, anni 40. vt patet Numer. 33. 38. & vndecim mensibus ante Mosen: Moses enim mortuus est sub fi-
C nem eiusdem anni 40. (vt patebit Deuter. vltim.) qui fuit annus mundi 1493.

Mortua Maria quatuor mensibus ante Aaronem, & vndecim ante Mosen, anno mundi 1493.

Nota. Mortua est Maria anno ætatis circiter 130. erat enim ipsa facilè decennio senior Mose, vti dixi Exodi 2. v. 4. & 7. Moses autem, qui hoc eodem anno mortuus est, defunctus est anno ætatis 120. vt patet Deuter. vlt. v. 7.

Maria vixit annos 130.

Allegoricè, videtur in Maria prophetia esse mortua, in Aarone & Mose sacerdotio & legi Iudæorum finis esse impositus; eò quòd nec ipsi ad terram promissionis transcendere valeant, nec credentem populum ad eamdem, de solitudine huius sæculi educere, nisi solus Iesus, id est Saluator, verus Dei filius, inquit S. Hieron. suprà, & ex eo Rabanus.

Allegor.

CVM-

VERS. 2. CVMQVE INDIGERET AQVA POPVLVS] Erant putei & fontes in Cades: hi morantibus ibi Hebræis, desiccati fuisse videntur, ideoque Iudæi siti ibidem laborantes, contra Mosen murmurarunt.

Fabulantur Hebræi in morte Mosis defecisse manna, in morte Mariæ puteum, in morte Aaron columnam nubis.

Tradunt Hebræi, & nominatim Rabbi Salomon, propter Mariam datum fuisse à Deo Iudæis aquæ puteum, qui eos præcederet vbicumque consisterent: propter Mosen datum esse eis manna: propter Aaronem columnam nubis. hinc iis mortuis ea defecisse: hinc & Hebræos impugnatos fuisse ab Arad rege, cap. sequenti; eò quòd Arad videns post mortem Mariæ, subtractum esse Hebræis puteum, cogitaret eos à Deo esse desertos, ideoque facilè vinci & deleri posse.

Sed hæ sunt fabulæ: certum est enim, nec columnam, nec manna defecisse in morte Aaronis vel Mosis; sed diu pòst, cùm scilicet Hebræi iam B ingressi essent Chananæam, gustassentque de frugibus terræ, vt patet Iosue 5.12.

VERS. 3. VTINAM PERIISSEMVS INTER FRATRES NOSTROS, CORAM DOMINO] Hebr. vtinam expirassemus cum fratribus nostris in deserto, idque *coram Domino* residente & præsidente in columna nubis & in tabernaculo. Dominus enim nos, ob murmur exploratorum, morte damnauit cap. 14. v. 19.

Vide hîc rursus ingratitudinem populi, & magnam Mosis charitatem cum ea luctantem, eamque superantem. Narrat Laërt. lib. 4. c. 1. Antisthenem cùm audiret Platonem de se malè loqui, dixisse: *Regium est, cùm benefeceris, audire malè.* Excelsi enim animi est ingratitudine hominum non deterreri à studio benefaciendi omnibus.

Diogenes rogatus, *quid apud homines citiùs se- C nesceret: Beneficium*, inquit.

Plato Aristotelem vocabat mulum, quia mulus cùm saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem. Significabat ergo Plato ingratitudinem Aristotelis, qui edoctus à se scholam in Peripato aperuisset, eiusque ideas & dogmata vellicaret. ita Ælian. lib. 4.

Aristoteles roganti *cur reliquisset Athenas?* respondit: *Ne Athenienses bis peccent in philosophiam.* subobscurè taxans Socratis mortem, & suum quoque periculum. ita Ælian. l. 6.

Demosthenes inter fugiendum subinde respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixit: *O Pallas rerum domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone & populo?* Noctua enim Palladi sacra est: eadem draconem habet pro gestamine. populus autem bellua est multorum ca- D pitum, pessimam gratiam referre solita optimè de se meritis, velut Socrati, Phocioni, Scipioni, &c. ita Plutarch.

Epaminondas accusatus quòd imperium quatuor menses vltra tempus sibi præstitutum gessisset, cogente necessitate; catello sibi blandiente, dixit, *Hic mihi pro beneficio gratiam reponit; at Thebani, de quibus sæpè multumq́ue sum præclarè meritus, mortis pœnam mihi iudicio constituerunt.* ita Ælian. lib. 13.

Pompeius Marcellino, quem euexerat, hosti facto & conuitianti: *Non te pudet*, ait, *Marcelline mihi conuitium facere, qui te è muto loquentem, è famelico vomentem feci.* ita Plutarch. in Apophth.

Alfonsus rex Aragoniæ cùm obiurgaretur, quòd in Aluarum Lunam hominem sibi planè ingra-

A tum tanta contulisset beneficia, quorum ne memor quidem iam esset: *An ignoratù*, inquit, *ingenti beneficio, non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri?* Idem: *Malo*, ait, *multos mea clementia & mansuetudine seruare, quàm paucos mea seueritate perdere.* Testis est Panor. in eius Vita.

INGRESSVSQVE MOYSES ET AARON DIMISSA MVLTITVDINE, TABERNACVLVM FOEDERIS] vt Dominum consuleret. VERS. 6.

Moraliter S. Gregor. 23. Moral. 21. *Relictis turbis ad tabernaculum redire, est postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare. ibi enim Dominus consulitur: & quod foris agendum est publicè, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni Rectores faciunt: cùm se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis, velut ad quoddam tabernaculum reuertuntur, diuinaq́ue lege perspecta, quasi coram posita arca Dominum consulunt, & quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt.*

DOMINE DEVS AVDI CLAMOREM] Hæc oratio Mosis non habetur iam in Hebr. Chald. & Septuag. vel ergo ex iis excidit, vel certè Interpres noster paraphrasticè eam suppleuit. Certum est enim Mosen orantem, non alia, sed hæc ipsa orasse, scilicet vt Deus populo murmuranti obsitim, daret aquam. ita Abulens. Pari modo τὸ *egrediamur foras*, Genes. 4.8. iam non habetur in Hebr. Chald. & Græco.

APERI EIS THESAVRVM TVVM, FONTEM AQVÆ VIVÆ] *Aqua viua* dicitur saliens, vel quæ fluit, sicuti mare mortuum est stagnans. Vocat autem talem fontem thesaurum, quia quæ latent, & needum reperta sunt, dicuntur esse in thesauris Dei. hinc illud psal. 32.7. *Ponens in thesauris abyssos.* & psal. 134.7. *Producens ventos de thesauris suis.* & Deuter. 28.12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, vt tribuat pluuiam.* & c. 33.19. *Qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.*

Quæ latent sunt in thesauris Dei.

VT SATIATI] scilicet, cùm fuerint.

ET APPARVIT GLORIA DOMINI] putà fulgor columnæ nubis nouos & insolitos vibrans radios, columnæ inquam, incumbentis tabernaculo.

LOQVIMINI AD PETRAM] quidnam? verisimile est hoc: *Petra in nomine Domini Dei, da aquas.* VERS. 8.

TVLIT IGITVR MOYSES VIRGAM, QVÆ ERAT IN CONSPECTV DOMINI] quæ reposita erat in tabernaculo. Virga hæc erat Mosis, tot portentorum operatrix, non autem Aaronis quæ frondue- VERS. 9. rat: hæc enim tantùm erat signum sacerdotij Aaroni consignati, atque ad eius rei testimonium reposita fuit iuxta arcam fœderis. ita aliqui. Verùm, cùm constet virgam Aaronis repositam esse in tabernaculo; de Mosis virga nesciatur, quonam deuenerit; hinc certiùs hîc intelligemus virgam Aaronis, non Mosis.

CVMQVE ELEVASSET MOYSES MANVM, PERCVTIENS VIRGA BIS SILICEM, EGRESSÆ SVNT AQVÆ LARGISSIMÆ] Alia est hæc petra, & percussio, ab illa Exodi 17.6. Illa enim in Raphidim, iuxta Sinai, anno secundo; hæc in Cades anno quadragesimo contigit. Rursum Deus hîc, se solo supernaturaliter aquas produxit ex petra, aërem vicinum in aquas conuertendo: in Raphidim verò, venam subterraneam aquarum in lapidem à Mose percussum elicuit, quæ lapidem findens, ex eo prosiliret, idque assiduè & continuò. Tradunt VERS. 11.

Bis petra dedit aquas.

enim Cosmographi, in Raphidim fontem hunc petræ à Mose percussæ, perdurare, aquasq; continuè scaturire, inquit Abulens. Ita Theodosius Abbas prece præmissa, virga petram percutiens, ex ea fontem perennis aquæ elicuit, qui per aquæductus vicinum monasterium, ab eo ædificatum in loco arido irrigabat. Hic fons postea lauacro in monasterio exstructo, exaruit; sed eo destructo, rursum fluere cœpit. Deus enim vti suis non deest in necessariis, ita non redundat in superfluis. testis est Theodor. in Philotheo c. 10.

Allegoricè, petra est Christus, 1. Corinth. 10. 5. aqua est gratia spiritualis à Christo profluens. virga est crux Christi. bis percutitur, quia duo ligna transuersa sunt crux. Moses Iudæorum typum gerit: sicut ergo Moses petram virga percutiens de Dei virtute dubitauit; ita ille populus, qui sub lege per Mosen data tenebatur, Christum ligno crucis affigens, eum virtutē esse Dei non credidit: sed sicut percussa petra manauit aqua sitientibus, & sanctificatus est per eam Deus; sic plaga Dominicæ passionis effecta est vita credentibus. crux ergo aquam elicit, incredulis contradictionis, credentibus sanctificationis. inquit S. August. hîc quæst. 35. & l. 16. contra Faustū 15. & Rupert.

VERS. 12. QVIA NON CREDIDISTIS MIHI VT SANCTIFICARETIS ME CORAM FILIIS ISRAEL, NON INTRODVCETIS HOS POPVLOS IN TERRAM QVAM DABO EIS.

Quodnam fuit peccatū Mosis? Resp. Primò. Quæres, quænam fuit hîc incredulitas, vel peccatum Mosis? Respondent Primò, aliqui, illud fuisse, quòd bis percusserit petram, cùm semel tantùm debuisset.

Secundò. Secundò alij, quòd populo id petente, petram aliam ab ea quam Dominus designarat, percusserit; & hoc esse quod ait Moses: *Numquid de petra hac*, (quam scilicet vos, ô Hebræi, designatis, non Dominus) *vobis poterimus aquam elicere?* ita Rabbini.

Tertiò. Tertiò alij, quòd locutus sit, non petræ, vti iusserat Dominus, sed populo, eum obiurgando & exacerbando, vocans eum incredulum & rebellem: vnde populus irritatus, videns licet miraculum aquarum, non sanctificauit tamen Dominum, eum laudando, eique gratias agendo. ita Abulens. Theodoret. Oleast. Lyran. estque hæc sententia satis probabilis. Durum enim est & difficile creditu, quòd Moses de Dei virtute dubitarit, cùm toties eā in tot portētis esset expertus.

Quartò. Quartò alij, quòd concitatior, & indignans populo murmuranti, ambiguè protulerit interrogando: *Numquid*, &c. quæ absolutè & affirmatiuè proferre debuisset, dicendo, *Petra da aquas.* & hoc est quod de Mose dicitur psal. 105. 34. *Distinxit in labiis suis*, id est aliter protulit verba Dei, quàm proferenda erant.

Quintò, & verò Moses dubitauit, an Deus populo tam rebelli daret aquas. Quintò & genuinè, peccatum Mosis fuit, quòd ipse iam planè senescens (senes enim facilè concitantur ad bilem, impatientiam, diffidentiam & pusillanimitatem) irritatus æquè, ac deiectus & perturbatus nouo & insolito murmure populi (hactenus enim ab anno secundo, vsque ad annum quadragesimum, quo hæc gesta sunt, nullum populi murmur legimus) dubitanter petram percusserit: non quòd dubitaret de Dei potentia, aut fidelitate in se; ipse enim ex fidei zelo, incredulitatem populi hîc arguit, atque in multò maioribus portentis à se editis, adeoque in simili percussione petræ in Raphidim, Deo crediderat, Exodi 17. v. 6. Sed quòd populum tam rebellem, Deumque ita iritantem, indignum iudicaret hoc miraculo, ac proinde dubitaret, an Deus illud esset facturus, & an id verè promisisset, an tantùm per ironiam & sarcasmum; vel conditionatè, si videlicet Hebræi cessent murmurare, & credant Deum ex petra daturum aquas. Iam verò videns eos incredulos, dubitanter petram percutit, quasi impossibile aut improbabile esset, ex petra aquam prodire pro tam incredulis. Hanc enim dubitationem planè significant verba Mosis: *Audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* quid clarius? Deus autem non ironicè, nec conditionatè, sed verè & absolutè promiserat, se ex petra eliciturum aquam, qua sitim explerent tam Hebræi, quàm eorum pecora. Rursum idipsum clarè significant verba Dei ad Mosen & Aaronem v. 12. & 24. *Quia non credidistis mihi.* Peccarunt ergo aliqua incredulitate, dubitatione & diffidentia circa aquam à Deo promissam. ita S. August. quæst. 19. Raban. Rupert. Caietan. & alij.

Cur Deus permisit hunc Mosis lapsum. Prima causa. Permisit Deus hunc Mosis lapsum, vt in tanto honoris & virtutum fastigio recordaretur se esse hominem, id est labilem & infirmum, non angelum, non Deum. Nam *omnium memoriam habere & in nullo penitus errare, diuinitatis potiùs, quàm mortalitatis est*, ait Iustinianus Imp. Vtque hoc eius exemplo Sancti, qui diligentissimè seruierunt Deo, maximè Prælati, se humilient, timentes, dicentesque sibi, Qui stat videat ne cadat; vt cum metu & tremore pergant salutem suam operari, tamquam qui de perseuerantia sint incerti, etiam ipso vltimo die vitæ suæ. In senio cecidit Salomon sapientissi nus mortalium, Origenes, Tertullianus, Lucifer Calaritanus; qui & quales viri! Oremus ergo assiduè: *Cùm defecerit virtus mea, vsque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me.* Hoc nos docet lamentabilis hic Mosis lapsus in fine vitæ; qui esto non fuerit culpa letalis, eum tamen à terra sancta ita desiderata exclusit. Mors enim illi fuit irrogata non tam à sententia Dei, quàm à necessitate naturæ fatiscentis & deficientis. iam enim agebat annum ætatis 120. Idem dico de Aarone eius fratre: hic enim Mose tribus annis erat senior. Debebat ergo vterque citò mori: sed Deus fecit, vt vterque moreretur ante ingressum terræ sanctæ iam instantem: quia ille vtrumque per sententiam excluserat.

Secunda. Secundò, permisit hunc Mosis lapsum Deus, ob causam & significationem allegoricam, quæ fuit, quòd Deus animo destinarat Iosue successorem Mosis, vt scilicet ipse, quasi typus Iesu Christi, induceret populum in terram promissam.

Allegoria. Allegoricè, ergo Moses legis, Iosue Christi figuram gerit. itaque sicut Moses populum eduxit ex Ægypto, Iosue verò eumdem in Chanaan introduxit: ita lex ab impietate liberat credentes, Euangelica autem gratia introducit eos in regnum cælorum. ita Theodoret. qu. 43. in Deuteron. & S. August. hîc q. 53. qui ait: *Cùm ambobus fratribus, Mosi & Aaron dicitur, vt apponantur ad populum suum, patet non esse illos in ira Dei, quæ separat à pace societatis æternæ. Vnde manifestatur, non solùm officia, sed etiam mortes eorum, signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei.* Vbi planè significat S. August. hoc Mosis peccatū leue & veniale fuisse ideo-

Mors Mosi non tam supplicium fuit, quàm signum futuri. ideoque mortem ei non tam supplicium, quàm castigationem fuisse, quæ magis esset signum & significatio rei futuræ, iam dictæ: idque omnino est verisimillimum.

VT SANCTIFICARETIS ME CORAM FILIIS ISRAEL] vt iis ostenderetis me esse sanctum, omnipotentem, veracem & clementissimum, qui etiam impiis & ingratis præstem ea (vti hactenus me sæpiùs fecisse meminisse potestis & debetis) quæ promisi, videlicet aquam de petra.

Magnanimi sanctificant Deum. Nota. Fideles qui in rebus perplexis & arduis sperant in Deum, atque cum Abrahamo contra spem in spem credunt, hi sanctificant Deum. vult enim Deus magna à se sperari: hinc ait Sapient. 1. *Sentite de Domino in bonitate.*

NON INTRODVCETIS HOS POPVLOS IN TERRAM, QVAM DABO EIS] putà in ipsam Chananæam, trans Iordanem: nam alioqui Moses intrauit in terram promissam, cis Iordanem sitam, videlicet in regna Og & Sehon, eaque dedit tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasse: sed non transiuit Iordanem in Chanaan, ad terram promissam cæteris omnibus tribubus, cuius termini circumscribuntur Numer. 34. ita Abulens. quæst. 48 & S. August. Fuit hæc insignis pœna & mortificatio Mosis, quòd terram promissam lacte & melle manantem, adeò concupitam videre non potuerit, quodque ducatus sui longissimi & molestissimi fine & fructu frustratus fuerit. Ita Deus S. Xauerium, aliosque Sanctos in ipsa morte mortificauit, vt plenè mundo & sibi mori, Deoque viuere discerent; vtque hoc suarum leuium culparum haberent purgatorium, quo expiati mox in cælum euolarent. *Moses intrauit terram promissam, sed cis Iordanem sitam.* B

VERS. 13. HÆC EST AQVA CONTRADICTIONIS] litigij & contentionis (hæc enim omnia significat Hebræum מְרִיבָה *meriba*) vbi contradixerunt & murmurarunt. C

VBI IVRGATI SVNT FILII ISRAEL CONTRA DOMINVM, ET SANCTIFICATVS EST IN EIS] id est sanctus, verax, fidelis, clemens & liberalis declaratus est, dando eis, licet incredulis & rebellibus, potum aquæ; itaque superando & confundendo incredulitatem eorum. Ita Dei sanctitatem imitantur, qui inimicos diligunt, & vincunt in bono malum.

VERS. 14. MISIT INTEREA NVNTIOS MOYSES DE CADES AD REGEM EDOM (Cades enim vicinum erat Idumææ, per quam transeundum erat Hebræis, recta ituris in Chanaan) QVI DICERENT: HÆC MANDAT (hæc nobis in mandatis dedit, vt tibi diceremus. vnde Hebr. Chald. & Septuag. habent: *Hæc dicit*) FRATER TVVS ISRAEL] frater tuus Iacob, putà Iacobæi, siue posteri Iacobi, qui sunt fratres vestri: parens enim eorum Iacob, fuit frater Esau, qui fuit parens vester, omniumque Idumæorum. D

VERS. 16. MISERITQVE ANGELVM] ducem nostrum, nos præeuntem in columna nubis.

ECCE IN VRBE CADES POSITI] *In*, id est iuxta: non enim verisimile est, Hebræos in deserto vrbes esse ingressos; id enim non permisissent incolæ, timentes sibi ab Hebræis: vrbes etiam non cepissent tantam hominum multitudinem. ita Abulens.

VERS. 17. NON BIBEMVS AQVAS DE PVTEIS TVIS] gratis scilicet, & sine pretio, sed pretio eas ememus, vt dicitur v. 19. Est enim in desertis illis magna siccitas, & aquarum penuria: vnde ne Idumæi suis aquis extra vrbes existentibus, quibus ad sitim suam & pecorum indigebant, timeant, spondent Hebræi se aquas eorum non bibituros, nisi iis volentibus, & dato pretio.

CVI RESPONDIT REX EDOM: NON TRANSIBIS PER ME] per meam ditionem. VERS. 19.

STATIMQVE EGRESSVS EST OBVIVS CVM INFINITA MVLTITVDINE. hebr. *cum populo graui*, id est denso, numeroso & plrimo, quem vulgò vocamus infinitum, ET MANV FORTI] magno robore militum. VERS. 20.

QVAMOBREM DIVERTIT AB EO ISRAEL] ita scilicet, vt reflexo cursu circuiuerit Idumæam ad latus Orientale, ac consequenter partem aliquam Idumææ necessariò transire debuerit, vt veniret in Moab & Ammon, & inde in Chanaan. Hoc enim est quod dicitur Deuter. 2. v. 4. & 8. *Cumque transissemus fratres nostros, filios Esau.* VERS. 21.

CVMQVE CASTRA MOVISSENT DE CADES, VENERVNT IN MONTEM HOR, VBI LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN: PERGAT AARON AD POPVLOS SVOS] q. d. Moriatur Aaron, & ad patres suos iustos, in limbum transeat, iisque aggregetur: hoc enim innuit illa phrasis, pergere, vel congregari ad populum suum, ideoque ferè tantùm de iustis dicitur. VERS. 22. 23. & 24.

CVMQVE NVDAVERIS PATREM VESTE SVA] Hinc patet, Aaronem induisse vestes pontificales in castris, atque inde ita indutum exiuisse in montem Hor, vt cum decore & gloria occumberet, vtque in monte hasce vestes exueret, iisque Eleazarum, primogenitum Aaronis filium, indueret Moses, vti & fecit; itaque Eleazarum hoc solo vestitionis ritu, sine alia vnctione vel consecratione, in monte hoc consecrauit pontificem, & patris successorem. ita Abulens. VERS. 26.

Id factum est præter legem & morem. Primò enim, viuente patre, filius in lege veteri non poterat fieri pontifex. Erat enim hereditarius & perpetuus pontificatus apud Iudæos; ita vt ne ipsi quidem parentes eum in filios resignare possent, quamdiu officio fungi poterant. Secundò, quòd extra tabernaculum & castra, idque sola vestitione vestium pontificalium, Eleazarus consecratus sit pontifex. Eleazarus verò, vtpote primogenitus, debebat suscipere pontificatum, nec poterat eum in fratrem Ithamar reiicere: quia iusserat Deus, vt primogeniti patri succederent in pontificatu, eumque susciperent, sibique in eo deseruirent, nisi haberent maculam, de qua Leuit. 21. 17.

ILLO MORTVO IN MONTIS SVPERCILIO] Moritur Aaron anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto, ætatis 123. in mense quinto, vt dicitur Numer. 33 38. idque extra castra vti & Moses; ne Hebræi in idola proni, eos eorumque corpora, quasi numina colerent; atque in monte Hor, id est in monte montis, vt dignus locus meritis eius monstraretur, inquit S. Hieron. ad Fabiol. de 42. mansion. in 34. Aaron enim hebraicè idem est quod montanus, qui in monte rectè moritur: quia vt mons, cæteros superauit, tam officio, quàm virtute. VERS. 29.

Hinc patet, Aaronem in morte habuisse hæc tria priuilegia. Primum, quòd mortuus sit nullo præueniente vulnere, morbo, aut tædio vitæ, sed in plena sanitate (sanus enim & validus conscedit *Aaron in morte habuit tria priuilegia. Primum.*

montem Hor) quasi dormiens de vita hac assumptus sit. Secundum, quòd viderit filium suum Eleazarum sibi succedere, vestibusque pontificalibus indui, itaque pontificem consecrari. Tertium, quòd in præsentia & quasi in gremio charissimi fratris sui Mosis, & filij Eleazari expirarit, illique ipsi oculos clauserint. nec verò Moses & Eleazarus assistentes Aaroni morienti, inde legalem immunditiam contraxerunt; quia Deus, hoc ipso quo iubebat eos assistere morienti, in hac lege & legali immunditia dispensabat. ita Abulens.

Secundum. *Tertium.*

Quartum addit R. Salomon. Addit quartum R. Salomon, cui credat qui volet, quòd isti tres, scilicet Moses, Aaron & Eleazarus, ascendentes in montem Hor, inuenerint speluncam, & lectum paratum, & lampadem ardentem, vti solet mortuis aptari, indeque cognouerit Moses, illum locum à Deo esse paratum pro dormitione Aaronis. Exutus ergo vestibus, & induto Eleazaro, incubuit Aaron lecto, & clausis

A oculis susceptus est à Domino in pace: Moses autem videns mortem ita placidam, desiderauit similem, quæ & ei promissa est cap. 27. 13. & Deuter. 32. 50.

OMNIS AVTEM MVLTITVDO VIDENS OCCVBVISSE AARON FLEVIT SVPER EO TRIGINTA DIEBVS] Ita & Mosen defunctum fleuit triginta diebus, Deuter. vlt. & Ioseph cum suis planxit Iacobi patris mortem 30. diebus. VERS. 30.

Dices, Genes. 50. v. 3. dicitur Ioseph eum planxisse 70. diebus.

Respondeo, Ex hisce 70. diebus primi 40. pertinuerunt ad condiendum corpus aromatibus, iuxta morem Ægyptiorum, vt patet ibidem v. 3. triginta verò vltimi propriè erant planctus. Ab hoc ergo tricenario dierum, accepit Ecclesia morem pro defunctis faciendi tricenaria, id est triginta dierum memoriam, preces & eleëmosynas. ita Abulensis.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi cædunt Arad regem. Secundò, v. 4. murmurat populus, ideóq; Deus in eum serpentes ignitos immittit, à quibus morsi sanantur per aspectum serpentis anei. Tertiò, Deus v. 16. puteum Hebræis sitientibus ostendit. Quartò, v. 21. Hebræi debellant Sehon, & Og reges.

1. QVod cùm audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venisse
scilicet Israel per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor exi-
stens, duxit ex eo prædam. 2. At Israel voto se Domino obligans ait: Si tradideris
populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. 3. Exaudiuitque Dominus preces
Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subuersis vrbibus eius: & vocauit
nomen loci illius Horma, id est, anathema. 4. Profecti sunt autem & de monte
Hor, per viam quæ ducit ad mare rubrum, vt circumirent terram Edom. Et tædere cœ-
pit populum itineris ac laboris: 5. Locutusque contra Deum & Mosen, ait: Cur
eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: ani-
ma nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. 6. Quamobrem misit Dominus in
populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, 7. venerunt ad
Moysen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora
vt tollat à nobis serpentes. Orauitque Moyses pro populo, 8. & locutus est Domi-
nus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit
eum, viuet. 9. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem
cùm percussi aspicerent, sanabantur. 10. Profectique filij Israel castrametati sunt
in Oboth. 11. Vnde egressi fixere tentoria in Ieabarim, in solitudine, quæ respicit
Moab contra orientalem plagam. 12. Et inde mouentes, venerunt ad Torrentem
Zared. 13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deser-
to, & prominet in finibus Amorrhæi. siquidem Arnon terminus est Moab, diuidens
Moabitas & Amorrhæos. 14. Vnde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit
in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. 15. Scopuli torrentium inclinati sunt,
vt requiescerent in Ar. & recumberent in finibus Moabitarum. 16. Ex eo loco ap-
paruit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & da-
bo ei aquam. 17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concine-
bant. 18. Puteus quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in
datore legis, & in baculis suis. De solitudine, Matthana. 19. De Matthana in Naha-
liel: de Nahaliel in Bamoth. 20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice
Phasga, quod respicit contra desertum. 21. Misit autem Israel nuntios ad Sehon
regem Amorrhæorum, dicens: 22. Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam:
non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradie-
mur, donec transeamus terminos tuos. 23. Qui concedere noluit vt transiret Israel
per fines suos: quin potiùs exercitu congregato, egressus est obuiàm in desertum, &
venit in Iasa, pugnauitque contra eum. 24. A quo percussus est in ore gladij, &
possessa

possessa est terra eius ab Arnon vsque Ieboc, & filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. 25. Tulit ergo Israel omnes ciuitates eius & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, & viculis eius. 26. Vrbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab: & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, vsque Arnon. 27. Idcirco dicitur in prouerbio: Venite in Hesebon, ædificetur, & construatur ciuitas Sehon: 28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. 29. Væ tibi Moab, peristi popule Chamos Dedit filios eius in fugam, & filias in captiuitatem, regi Amorrhæorum Sehon. 30. Iugum ipsorum disperiit ab Hesebon vsque Dibon, lassi peruenerunt in Nophe, & vsque Medaba. 31. Habitauit itaque Israel in terra Amorrhæi. 32. Misitque Moyses qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & possederunt habitatores. 33. Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan, & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. 34. Dixitque Dominus ad Mosen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: faciesque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon. 35. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, vniuersumque populum eius vsque ad internecionem, & possederunt terram illius.

VERS. 1. CHANANÆUS REX ARAD HABITABAT AD MERIDIEM] terræ Chanaan. Chananææ enim respectu solet Scriptura situs & plagas mundi consignare.

VENISSE SCILICET ISRAEL PER EXPLORATORUM VIAM] ita & Chald. Vatablus & alij passim. q.d. Cùm intellexit Arad venisse Hebræos per viam illam, per quam anno olim secundo egressus ex Ægypto, transierant 12. exploratores eorum, in terram Chanaan, Numer. 13. tunc ex eo collegit, certoque sibi persuasit, eos per suam ditionem in Chanaan tendere: videbat enim illos eamdem nunc inire viam. Septuag. vertunt, *per viam Atarem.* retinent enim nomen Hebræum, tamquam proprium loci esset.

VERS. 2. AT ISRAEL VOTO SE DOMINO OBLIGANS, AIT: SI TRADIDERIS POPULUM ISTUM IN MANU MEA, DELEBO VRBES EIUS] Hebr. est, *succidam, & anathematizabo eos.* Erat enim hoc votum *cherem* (de quo dixi Leuit. c. vlt. v. 28.) quo deuouebant Deo vrbes hostiles, & Deo inimicas. Hinc nomen loci appellatum est *Cherem* & *Chorma*, siue, vt Noster & alij pronuntiant, *Herem* & *Horma*, id est anathema.

Triplex horma. Primum. Notat Abulens. quæst. 4. Hebræis triplex fuisse horma, siue anathema. Primum, quo tam homines & pecora, quàm omnia quæ in vrbe hostili erant, consumebantur, nihilque cedebat in vsus vel populi, vel templi. Et tale anathema iussit Deus fieri vrbes Hebræorum, apostatantium à Deo ad idola, vt scilicet occisis omnibus hominibus & pecoribus, congregaretur omnis supellex vrbis in platea, ibique tota cremaretur, Deuter. 13. 15. & tale hic videtur fuisse. *Secundum.* Secundum, quo homines & pecora cum supellectile peribant, reseruato tamen auro, argento, ferro & ære, ad vsus Sanctuarij: talehorma fuit Iericho, Iosue 6. v. 24. ibi enim Hebræis sibi aliquid surripere, nefas erat. *Tertium.* Tertium, quo soli homines occidebantur, pecora verò & supellex cedebant victoribus Hebræis: tale horma fuit vrbs Hai, Iosue 8. 27.

VERS. 4. ET TÆDERE COEPIT POPULUM ITINERIS] Hebr. *& populus abbreuiatus est anima*, id est fatigatus cœpit animis cadere, languere & tædere. Est hîc nouum populi murmur, ob tam longam tot annorum, putà quadraginta, peregrinationem, anhelantis ad quietem & stabilem sedem & domum. Nam alioqui, vt superiùs dixi, Deus laborem itineris minuebat, vt vix fatigationem sentirent.

VERS. 5. ANIMA NOSTRA IAM NAUSEAT SUPER CIBO ISTO LEVISSIMO] super manna. *Fabula R. Salomonis de manna.* Tradit R. Salomon, manna fuisse cibum leuissimum, qui non grauabat stomachum, nec aliquid emittebat in secessum: vnde timuerunt Hebræi, ne intra viscera eorum putresceret, itaque morerentur, eaque de causa murmurarunt. Sed hæ sunt solitæ eius næniæ. Nullus enim cibus est, qui non habeat aliquid impuri, quod natura non conuertit in suam substantiam, sed reiicit, & in secessum emittit: ergo de manna idem dicendum est. ita Abulensis. Alia ergo fuit causa murmuris de manna, quam dedi Numer. 11. 6.

VERS. 6. QUAMOBREM MISIT DOMINUS IN POPULUM IGNITOS SERPENTES] Dominus hic fuit tum Deus Pater, tum Deus Filius, putà Christus, vti docet Apost. 1. Corinth. 10. 9. Vnde patet contra Arrianos & Seruetianos, Christum esse verum Deum ac Dominum omnium. *Serpentes igniti qui.* Serpentes hi igniti dicuntur, non quòd naturæ essent igneæ, sed ab effectu, quòd morsu suo tantum calorem inducerent, vt morsi ab eis sibi vri viderētur; quos proinde Plinius *presteres* vocat. hi enim græcè idē sunt quod hebr. *seraphim.* vnde Vatabl. *vrentes* vertit: hebr. enim est שְׂרָפִים *seraphim*, quo nomine vocatur primus ordo angelorum, ab ardore charitatis. Hos serpentes suscitauit Deus ex ipso Arabiæ deserto: ibi enim, vti & in Libya, abundāt. vnde Deut. 8. 15. dicitur: *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, & dipsas.* Hinc & Cato apud Lucanum libr. 9. de serpentibus deserti Libyæ ait:

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.

Porrò serpentes, siue dracones, aliquando visos esse ignitos, id est qui ignem vomerent, narrant Historici. Leslæus in sua Scotia anno Domini 1558. refert apud Marchiam & Landouiam, draconem quemdam tantos ignes vomuisse, vt iis segetes & fruges incenderet. quocirca colonos peruigilare debuisse, vt eos assiduè extinguerent.

Nota. Aptè serpentibus puniuntur, qui serpentum virulentiam imitantur. Murmuratores enim & detractores *acuerunt linguam suam sicut serpentis*, inquit Psaltes, ac mordent in occulto vt serpens.

pens. Iustè ergo eis quasi carnifex dominatur serpens. E contrario humilem, mitem & obedientem Antonium metuebant & fugiebant serpentes, teste S. Athanasio in eius Vita. Et boas serpens obediuit pio & sancto Hilarioni: cùm enim homines & boues deglutiret (vnde boas est dictus) iussit ei S. Hilarion *pyram praeparari, & oratione ad Christum missa, euocatum praecepit struem lignorũ scandere; mox ignẽ ipse supposuit, immanemq́ bestiam concremauit*, inquit S. Hieronymus in eius Vita.

Sic Abbas Paulus manibus illaesis tenebat aspides, serpentes & scorpios, eosque secabat per medium. Rogatus quomodo hanc gratiam accepisset? respondit: *Si quis possederit puritatem, omnia subiiciuntur ei, sicut Adae quando erat in paradiso ante praeuaricationem diuini mandati*, vt habetur in Vitis Patr. lib. 6. tit. 2. n. 11.

VERS. 8. FAC SERPENTEM] Hebr. fac שׂרף *saraph* (vnde *seraphim* iam dicti v. 6.) id est serpentem ignitum, hoc est qui habeat similitudinem serpentis igniti & vrentis, qualis est serpens ex aere fabricatus: aes enim candet, vel potiùs rubet instar ignis. ita Vatablus. Secundò, factus est ex aere: si enim ex auro vel argento factus esset, fuisset ingentis & immanis pretij: erat enim ingens, vt mox dicam.

Serpens cur aeneus?

ET PONE EVM PRO SIGNO] Hebr. *pone eum super vexillum* (hoc enim significat Hebr. נס *nes*.) quasi dicat, Pone eum super hasta, vel pertica vexillari, vt sit instar signi & vexilli, quod ab omnibus videri possit. Vnde sequitur, serpentẽ hunc aeneum debuisse esse ingentem, atque altè admodum erectum, &, vt, Christus ait, exaltatum fuisse, vt scilicet per tota castra, quae vastissima erant, faciléque per sex milliaria extendebantur, à vulneratis circumquaque videri posset.

Fuit ingens & altus.

Nam, QVI PERCVSSVS à serpentibus ignitis, ASPEXERIT EVM, VIVET] id est in vita seruabitur, & sanabitur. Non quòd serpens hic aeneus vim aliquam naturalem eos curandi haberet: hoc enim est impossibile, vti fusè hìc demonstrat Abulens. sed quòd Deus hoc signo viso, eos miraculosè curaret. Fuit ergo hic serpens signum, simul & instrumentum morale, huius curationis.

Congruum autem signum erat serpens aeneus, potiùs quàm bos aut ouis: quia Hebraei morsi erant, non à bobus, vel ouibus, sed à serpentibus, iisq́; ignitis: aeneus autem colorem habet igneum, estque igne conflatus.

Allegorica & potissima causa fuit, vt serpens hic in ligno erectus, significaret Christum in cruce erectum, tamquam noxium & sceleratum, cuius intuitu per fidem & contritionem, sanamur à letalibus peccatorum morsibus. Sicut enim serpens hic habebat formam serpentis, sed non venenum: ita Christus assumpsit formam peccatoris, sed non peccatum. hoc est enim quod Christus de se ait, Iohannis 3. 14. *Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari* (in cruce) *oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* ita Theodor. quaest. 39. & Nyssenus de Vita Mosis ante finem, & S. Augustinus serm. 101. de Tempore; & Tertull. lib. de Idololatria c. 5. *Effigies*, inquit, *aenei serpentis suspensi figuram designauit Dominicae crucis, quae à serpentibus, id est ab angelis diaboli, nos erat liberatura, dum per semetipsam diabolum, id est serpentem, interfectum suspendit.* Vnde & veteres Hebraei docuerunt, quòd morsus per serpentem antiquum Adae no-

Alleg. serpens hic est Christus crucifixus.

bisque illatus, sanandus esset in diebus Messiae. *Non te pigeat*, inquit S. Bernardus, *videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre regem in solio residentem.*

S. Antonius magnus contra daemonum insultus athleta, rogatus à discipulis, quaenam arma validè & certò diabolicas impugnationes repellerent, respondit: *Signum crucis, & ardens in Christum fides, inexpugnabilis sunt viris Deo dicatis & aheneus murus, aduersus daemonum machinationes.* testis est S. Athanas. in eius Vita. B. Magdalena in antro suo poenitens, tentata à spectris daemonum Iesum inuocauit. Affuit S. Michael qui eos fugauit, & crucem in ore speluncae erexit, dicens: *Ne extimescas, custos tui est Altissimus.* Crucem ergo complexa, & ad crucem orans, in eaque Christum salutem suam contemplans, laetè & piè ibi triginta annos poenituit.

Crux, inquit S. August. serm. in parasceue, *nobis totius causa beatitudinis est: haec nos à caecitate liberauit erroris: haec à tenebris reddidit luci: haec debellatos reddidit quieti: haec alienos Deo coniunxit: haec peregrinantes ciues ostendit. Haec discordiae amputatio est, haec pacis firmamentum, haec donorum omnium abundans largitio. Hodie crux fixa est, & saeculum sanctificatum est. Hodie crux fixa est, & daemones dispersi sunt. Hodie crux fixa est, & mors subuersa est. Hodie crux vicit, & mors victa est. Hodie diabolus vinctus est, homo solutus est, & Deus glorificatus est.* Idem lib. de Virg. *Inspicite*, ait, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Haec quanta sint cogitate, haec in statera vestri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.*

Piè S. Bernardus serm. 15. in Cantica: *Quàm dulciter*, ait, *Domine Iesu, cum hominibus versatus es? quàm abundanter multa magna bona hominibus largitus es? quàm fortiter tam indigna, tam aspera & dura pro hominibus passus es? dura verba, duriora verbera, durissima supplicia. O duri & indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit.* Idem serm. de passione Dom. *In passione Domini*, ait, *tria specialiter conuenit intueri: opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur: patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inaestimabilis.*

Addit S. August. serpentem hunc fuisse aeneum, vt significaret Primò, diuinitatem & aeternitatem Christi: aes enim durissimum est, incorruptibile, & quasi aeternum. Secundò, crucis Christi claritatem & gloriam, quae omnes gentes peruasit. Aenea enim vasa, inter omnia metalla, maximum solent edere sonum & tinnitum. Tertiò, igneam charitatem tum Dei, tum Christi in cruce, tam dolore, quàm amore nostri assi & tosti. hic enim aeneus serpens erat *saraph*, id est ignitus, vt dixi. Et hoc est quod S. Iohannes c. 3. 16. mox subdit, dicens: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quae verba singula, nouum amoris argumentum & stimulum ingerunt, vti patet ea expendenti. Expendi ea ad Titum 3. v. 4. Christus ergo crucifixus est *saraph*, id est ignitus, vrens, accendens, & comburens nos sua charitate.

Aes significat Primò, aeternitatẽ; Secundò, claritatẽ; Tertiò, charitatem Christi.

ritate. *Aptè ergo aneus serpens in ligno suspensus est,* A *vt Dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus: videlicet, vt & indicaretur mortuus per humilitatem, & quasi esse aneus per diuinitatem,* ait Ambr. Ansbertus lib. 5. in Apocal. post initium.

Hac de causa Seraphinus ille specie crucifixi apparens S. Francisco, ei in manibus, pedibus, & latere quinque Christi vulnera, quasi sacra stigmata impressit, eumque totum in Christi crucifixi amorem transformauit, & seraphinum, imò Christo confixum cruci effecit, vt deinceps nouo mentis ardore, nouo corporis martyrio aliud penè non sentiret, aliud non cogitaret, aliud non amaret, aliud non diceret, quàm, Da Domine amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus es mori. Vide S. Bonauent. in eius Vita.

Æneum serpentem confregit Ezechias. Hunc serpentem æneum, in memoriam tanti B beneficij, Hebræi secum deuexerunt per desertum in Chanaan, ibique mansit vsque ad tempora Ezechiæ regis Iuda, qui eum, eò quòd numinis loco à plebe haberi & coli (ritum & modum eum colendi narrat Philastrius hær. de æneo serpente tomo 5. pag. 10.) inciperet, confringi iussit, eumque pro נְחֹשֶׁת *nechoset*, id est æneo, per diminutionem & contemptum vocauit נְחֻשְׁתָּן *nechustan*, vel *noestan*, id est ænulum. quasi dicat: Quid putatis, ô miseri Iudæi, parum æris habere diuinitatem? ænulum, hunc serpentem esse Deum? 4. Reg. 18. 4.

VERS. 11. VNDE EGRESSI FIXERE TENTORIA IN IEABARIM] Hebr. est, בְּעִיֵּי הָעֲבָרִים *beiie haabarim*, quod Chald. accipit, non vt proprium, sed vt appellatiuum, vertitque, *iuxta vadum transeuntium*, scilicet in desertum.

VERS. 14. VNDE DICITVR IN LIBRO BELLORVM DOMINI] Fuit hic vetus liber, ante Pentateuchum conscriptus, sed intercidit, sicut & libri Henoch, Gad, Natan, Addo, & multorum aliorum, quorum meminit Scriptura. ita S. August. quæst. 42. & Raban. vnde patet, librum hunc fuisse propheticum: prophetat enim futuram victoriam sub Mose, contra Amorrhæos, vt patebit v. 24. Posset tamen quis & forsan verius dicere, librum hunc posteriùs esse conscriptum, vt τὸ *sic faciet*, v. 14. idem sit, quod *sic fecit*: videntur enim hæc ab alio quopiam, qui Mosis diaria hæc digessit, illi esse intexta, vti dixi in proœmio Geneseos. Sic enim Prouerbia Salomonis ab eo sparsim scripta, ab alio collecta, & in vnum librum Prouerbiorum digesta esse, satis patet ex c. 25. Prou. v. 1. Perperam ergo Eugubinus vertit, *ideo dicetur in* D *commemoratione bellorum Domini.*

Allegoricè Rupert. hunc librum cælestem accipit, putà notitiam Dei, in qua conscripta est fides Euangelica; & per oppositos illi torrentes Arnon, accipit eloquentiam hæreticorum. Arnon enim significat maledictionem eorum.

SICVT FECIT IN MARI RVBRO, SIC FACIET IN TORRENTIBVS ARNON] Vatablus vertit, *vrbem Vaheb* (scilicet deleuit, vel expugnauit Deus) *in turbine, & torrentes qui adiacent Arnon.* Fauent ei Septuag. vertunt enim, *propter hoc dicitur in libro: Bellum Domini combussit Zoob, & torrentes Arnon.* Vbi Nota. Pro *Vaheb*, Septuag. legerunt *Zoob*, scilicet pro *vau* legerunt affine *zain*, idque cum aliis punctis. Verùm meliùs vertit Noster, eique consentit Chald. nam וָהֵב *vaheb* positum est pro יָהַב *iaheb*, id est dedit. Sic ergo ad verbum habent Hebræa: *Qua dedit, vel fecit in mari rubro, sic* (*vau* enim copulatiuum, cùm similia connectit, significat *sic, sicut*) *eadem in torrentibus Arnon*, supple faciet.

Iam omissa sententiarum varietate, sensus est, *Primus huius loci sensus & genuinus.* q. d. Sicut Dominus pugnauit pro Israele, contra Ægyptios in mari rubro: ita & faciet, id est fecit, in Arnon, pro Hebræis pugnando & deuincendo Sehon regem Amorrhæorum. q. d. Ideo rectè dixi v. 13. Arnon prominere in finibus Amorrhæi; quia ibi cæsus est Sehon Amorrhæus, vosque, ô Hebræi, occupastis eius ditionem, vsque ad confinia Moab, vt patet v. 24. Nam SCOPVLI TORRENTIVM ARNON INCLINATI SVNT (inclinantur) VT REQVIESCERENT (& requiescunt) IN AR (ita enim legendum est cum Hebr. Chald. Septuag. non *Arnon*, vti legunt Biblia Regia & Plantiniana) quæ ciuitas est Moabitarum, vt patet Deuter. 2. v. 29. ideoque recumbunt IN FINIBVS MOABITARVM] q. d. Scopuli Arnon contermini sunt, & prominent in Ar, vrbe Moab: vnde patet, Arnon & Amorrhæos conterminos esse Moabitis; ac consequenter, quòd vos, ô Hebræi, occupando Arnon & ditionem Sehon Amorrhæi, pertingatis vsque ad cōfinia Moab. omnia enim hæc pendent ab illa sententia v. 13. *Siquidem Arnon terminus est Moab, diuidens Moabitas & Amorrhæos*, eamque explicant. VERS. 15.

Secundò, Hebræi, quos sequuntur Lyranus, *Secundus Hebræorũ.* Abulensis, Hugo, Adrichom. & alij, tradunt, Amorrhæos in hisce scopulis Arnon fuisse Hebræis insidiatos, dum illac transirent; sed à Deo miraculosè inclinatos fuisse hosce scopulos, & corruisse C super ipsos Amorrhæos, itaque iis oppressis, liberos euasisse Hebræos, idque hisce verbis significari: *Scopuli torrentium inclinati sunt*, &c. Sed cuperem huius traditionis antiquiorem habere auctorem: mirum enim videtur, Mosen tantum miraculum hîc silentio præteriisse, præsertim cùm ipse pugnam & victoriam de Amorrhæis enarret v. 23.

Tertiò, Vatablus Hebr. אֶשֶׁד *esced*, vertit *effusiones*. q. d. Deus expugnauit effusiones torrentium, *Tertius Vatabli.* id est regionem Amorrhæorum, per quam effunduntur, & defluunt amnes, ab Arnon vsque ad Ar, defluuntque in regionem Moabitidem. Verùm potiùs credendum est S. Hieron. & Hebræis, qui *esced* vertunt *scopuli*. Primus ergo sensus planus & genuinus videtur.

EX EO LOCO] intellige *digressi*: vnde hebraicè est, *& exinde ad puteum*, scilicet venerunt. VERS. 16.

APPARVIT PVTEVS, SVPER QVO LOCVTVS EST DOMINVS AD MOYSEN: CONGREGA POPVLVM, ET DABO EI AQVAM] Hinc videtur, populum laborasse siti & aquarum penuria; vnde Mosen pro ea leuanda rogasse Dominum, qui exoratus ostendit ei puteum, dicens: Congrega populum ad puteum hunc, & ex eo dabo ei aquam. Similes aposiopeses Hebrææ crebræ sunt in Scriptura.

TVNC CECINIT ISRAEL CARMEN ISTVD: VERS. 17. ASCENDAT PVTEVS] *Puteus*, id est aqua putei. q. d. Continuò ebulliat & ascendat aqua è fundo putei, vt omnes nos ex eo bibere possimus, æquè ac iumenta nostra. Est hoc carmen gratulatorium exultantium de tanto beneficio & miraculo, qualia multa sunt in Scriptura.

CONCINEBANT] Hoc per parenthesin interci-

pe, & accipe: nàm interrumpit ipsum carmen. A quæ enim proximè sequuntur, sunt verba carminis iam inchoati, illudque complent. Chaldæus tamen, Septuag. & recentiores, pro עֲנוּ לָהּ *anu la*, id est, *concinebant de eo*, aliis punctis legunt in imperatiuo עֱנוּ לָהּ *enu la*, id est *concinite illi*. q.d. Huic puteo gratulamini, & applaudite, illique hymnum concinite. & sic hæc verba ad carmen pertinent.

Vers. 18. PVTEVS, QVEM FODERVNT PRINCIPES, ET PARAVERVNT DVCES MVLTITVDINIS, IN, id est cum, DATORE LEGIS, id est Mose, ET IN, id est cum, BACVLIS SVIS] Hinc videtur, quòd Deus ostenderit Mosi fontem, siue venam aquarum, quam Moses & principes populi, suis baculis, id est ligonibus, terram circumfodientes, dilatârunt, & profundiorem effecerunt, vt esset instar putei. B

DE SOLITVDINE, MATTHANA] q.d. De solitudine in Matthana profecti sunt Hebræi, vti addunt Biblia Regia & Plantiniana, & patet ex seq.

Vers. 19. & 20. DE MATTHANA IN NAHALIEL: DE NAHALIEL IN BAMOTH. DE BAMOTH VALLIS EST IN REGIONE MOAB, IN VERTICE PHASGA, id est de Bamoth incipit vallis Moab, quæ est in, id est iuxta verticem montis Phasga, QVOD (Phasga) RESPICIT CONTRA DESERTVM] q.d. Hebræi iam venerant ad fines deserti, scilicet ad vallem regionis Moab, quæ est iuxta Phasga.

Tropolog. proficientium. Tropolog. inquit Rupert. significantur hîc ii, qui meritis & gratia proficiunt. Matthana enim hebr. idem est quod donum descendens, scilicet à patre luminum: ex quo primò ascendunt in Nahaliel, id est in hereditatem, vel possessionem Dei, per actiuæ vitæ virtutem: deinde in Bamoth, C id est in excelsa, scilicet contemplatiuæ vitæ. De Bamoth hac vallis est, scilicet humilitatis: hæc enim nascitur ex consideratione & contemplatione tam Dei, quàm sui, eaque est iuxta verticem Phasga, hoc est iuxta altam sapientiam & facundiam: hanc enim docet humilitas (nam Phasga hebraicè idem est quod *os multum*) idque contra desertum, id est contra inania desertoris diaboli mendacia.

Hinc etiam prouerbium est apud Hebræos, *ex Nahaliel Bamoth*, hoc est, ex virtute & pietate oritur celsitudo & gloria. Virtus enim est quasi hereditas & possessio Dei, quam significat *nahaliel*.

Chald. accipit hæc de puteo Hebræos comitante. Porro, Chaldæus hæc accipit, non vt nomina propria, sed vt appellatiua, refertque ad puteum, de quo v. 16. *Matthana* enim hebraicè idē est, quod datum, vel donum. *Nahaliel* est torrens. *Bamoth* sunt colles. sic ergo ipse vertit, *ex eo tempore quo datus est eis* (puteus) *descendit cum eis ad torrentes, & de torrentibus ascendit cum eis ad collem, & de colle ad vallem, quæ est in agris Moab.* quasi hic puteus miraculosè quaquauersum secutus sit Hebræos. Chaldæum sequuntur, eoque se tuentur multi alij, qui dicunt petram dantem aquas instar fontis, vel putei, reuera comitatam esse Hebræos, idque significare Apostolum 1. Corinth. 10. cùm ait: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* qua de re ibidem dixi. Certè doctissimo Bellarmino & aliis videtur hæc esse fabella Iudaica.

Vers. 21. 22. & 23. MISIT AVTEM ISRAEL NVNTIOS AD SEHON REGEM AMORRHÆORVM, DICENS: OBSECRO VT TRANSIRE MIHI LICEAT PER TERRAM TVAM, &c. QVI CONCEDERE NOLVIT] Deuter. 2. v. 24. & seq. vbi hæc fusiùs narrantur, dicitur Deus indurasse Sehon, ne transitum daret. Volebat enim Deus regionem Sehon, æquè ac Og regis Basan, dare Israelitis: vtramque enim se Hebræis daturum promiserat Gen. 15. 20. Ibi enim per terram Raphaim, intelligit terram Og gigantis. Notandum est, ait S. August. quæst. 40. *quomodo hîc ab Hebræis iusta bella gerebantur: innoxius enim transitus eis negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo, patere debebat*: quamquam hîc tantùm belli prætextus fuit & occasio. Nam vera causa fuit, promissio & donatio Dei, de qua iam dixi.

PVGNAVITQVE (Sehon) CONTRA EVM, Israelem: A QVO PERCVSSVS EST IN ORE GLADII] id est in acie gladij. Acies enim gladio est id, quod homini os. Secundò, *in ore*, id est in occisione: hoc est, per occisionem gladij. ita Septuag. Sicut enim os deuorat panem, ita gladius deuorat, occidit & consumit homines. Vers. 23. & 24.

ET POSSESSA EST (ab Israele) TERRA EIVS (Sehon) AB ARNON VSQVE IEBOC, ET FILIOS AMMON: QVIA FORTI PRÆSIDIO TENEBANTVR TERMINI AMMONITARVM] Nota τὸ *quia*, q.d. Ideo Israelitæ occupantes ditionem Sehon, non inuaserunt Ammonitas vicinos, sed ibi stiterunt: quia Ammonitæ valido præsidio se contra Israelitas communiuerant. Fuit & alia potior causa: quia scilicet Deus vetuerat eos inuadi, vt patet Deut 2. 9. Vers. 24.

TVLIT ERGO (à Sehon abstulit, & in suum dominium transtulit) ISRAEL OMNES CIVITATES EIVS, ET HABITAVIT IN VRBIBVS AMORRHÆI, ea partitione inter duodecim tribus, quæ recensebitur c. 32. IN HESEBON SCILICET, ET VICVLIS EIVS] Hebr. *& filiabus eius*. Hebræi enim vrbes & vicos, metropoli subiectas vocant *filias*, per metaphoram; eò quòd à metropoli sua dependeant, vti filiæ à matre. Vers. 25. *Vrbes vocantur filiæ quæ?*

VRBS HESEBON FVIT SEHON REGIS AMORRHÆI, QVI PVGNAVIT CONTRA REGEM MOAB] & pugnando extorsit ipsi Hesebon, cæterasque vrbes eius, vsque ad Arnon. patet ex Hebræo. Occurrit hîc Moses tacitæ obiectioni: Dicet enim quis, Quomodo Hebræi occuparunt Hesebon, vrbem Moabitarum, cùm Deus eis vetuerit pugnare contra Moabitas? Respondet, quòd Hesebon ampliùs non erat Moabitarum, sed Amorrhæorum: nam illum eis ademerat Sehon, iure belli, per quod ex iure gentium transfertur dominium, sicut per venditionem, vt patet ff. de iustit. & iur. in l. *Ex hoc iure.* Hinc tamen rex Moab, post trecentos annos captauit titulum repetendi Hesebon, cæterasque hasce vrbes à Iephte: sed rectè respondit ei Iephte, Primò, se eas non à Moabitis, sed ab Amorrhæis accepisse. Secundò, se eas pacificè possedisse per trecentos annos; itaque titulo præscriptionis eas sibi vendicare: cumque rex Moab & Ammon non acquiesceret, armisque eas repeteret, à Iephte fusus & contritus est, vt patet Iudic. 11. ita Abulensis. Vers. 26. *Rex Moab à Iephte repetit Hesebonem, quo iure?* D

IDCIRCO DICITVR IN PROVERBIO: VENITE IN HESEBON] Prouerbium hoc est carmen prouerbiale, siue epinicion, quale de vrbibus, vel hostibus deuictis miles alijsve rhythmici solent pangere, præsertim in tragœdia, quale est illud de Dauide vincente Goliath: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*, 1. Reg. 18. Vers. 27.

ÆDIFICETVR ET CONSTRVATVR CIVITAS SEHON] q.d. Ædificetur ciuitas Hesebon, quæ Moabi-

Moabitis adempta, capta & vastata est à Sehon rege Amorrhæorum; vt scilicet Sehon in ea sibi & Amorrhæis regiam constituat. Nam ex v. 30. liquet, Moabitas dominatos esse vrbi Hesebon, & in ea habuisse suos milites præsidiarios: sed Sehon illos cecidit & expulit, seque absolutum Hesebonis regem constituit, indeque quasi ignis proserpsit, & totam Moabitidem combussit, vastauit, sibique subiecit. Vide Ierem. 48. 45. vnde & sequitur:

VERS. 28. IGNIS EGRESSVS EST DE HESEBON, FLAMMA DE OPPIDO SEHON, ET DEVORAVIT AR MOABITARVM, ET HABITATORES EXCELSORVM (qui habitabant in locis excelsis) ARNON] q.d. Sehonis victoria, oppressio & subuersio vastans totam Hesebon, peruagata est circumquaque, vsque ad vrbem Ar, quæ est in Moab, & vsque ad Arnon, quod est ei confine. Hic ergo Hesebon vocatur oppidũ Sehon, quasi victoris: more enim rhythmi Hebræi & poëtici, hic versus idem dicit & repetit, sed aliis verbis. idem enim est, *ignis egressus est de Hesebon*, quod *flamma de oppido Sehon*.

VERS. 29. VÆ TIBI MOAB; PERISTI POPVLE CHAMOS] q.d. Peristis ô Moabitæ, qui colitis idolum Chamos, 3. Reg. 11. 5. nec Chamos vester potuit vos ab hac clade liberare.

Nota. Sehon non perdidit, nec subegit omnes Moabitas: nam Balac eodem tempore adhuc regnabat in Moab, vt dicetur cap. seq. v. 4. sed tantùm perdidit Hesebon, & loca ei vicina, eorumque incolas, Moabitis antea subiectos.

Chamos fuit Bacchus. Censent periti linguarum, Chamos fuisse Bacchum, deum temulentiæ, indeque dici Græcum κῶμος, & Latinum comessari & comœdia. vide dicta ad Rom. 13. 13.

DEDIT] scilicet Chamos, id est dari, capi & occidi permisit filios Moab, sibi deuotos, à Sehon rege Amorrhæorum.

VERS. 30. IVGVM IPSORVM (Moabitarum, quod ipsi imposuerant incolis Hesebon) DISPERIIT AB HESEBON, VSQVE DIBON] Chald. vertit, *regnum cessauit ab Hesebon, ablata est potestas à Dibon*. Hebræa habent, *lucerna*, id est gloria regni, *eorum*, Moabitarum, periit *ab Hesebon*.

LASSI PERVENERVNT IN NOPHE] lassi scilicet ex fuga. Nam hebraicè est, *fugientes*, scilicet ex clade Hesebon per Sehon illata, *venerunt in Nophe*. Hebræum enim נשים *nasim*, si scribatur per *sin*, quod idem est cum *samech*, significat fugientes; sin scribatur per *schin*, significat vxores: & sic legerunt Septuag. Tertiò, Chald. & recentiores

A *nascim* deducunt à שמם *scamam*, id est desolauit, vastauit, vertuntque *vastauimus*, scilicet Moab vsque ad Nophe. Hic finitur rhythmus, siue carmen victoriale de capta Hesebon & Moab à Sehon.

MISITQVE MOYSES QVI EXPLORARENT IAZER, CVIVS CEPERVNT VICVLOS, ET POSSEDERVNT HABITATORES] *Possederunt*, id est subegerunt occidendo, vel fugando habitatores siue incolas Iazer: nam non poterant eos Hebræi in deditionem accipere, Iusserat enim Deus omnes Chananæos occidi & exterminari, Deuter. 20. v. 16. vnde Chald. & Septuag. vertunt, *eiecerunt*. Hebræum enim ירש *iaras*, est ex verbis contrariæ significationis; vnde significat tam possidere & hereditare, quàm eiicere & hereditate depellere. VERS. 32.

B OCCVRRIT EIS OG REX BASAN, &c. PERCVSSERVNT IGITVR ET HVNC CVM FILIIS SVIS, VNIVERSVMQVE POPVLVM EIVS VSQVE AD INTERNECIONEM] ita scilicet, vt non relinquerent aliquem viuum superstitem, vti habent Hebr. & Septuag. Notat Masius in Iosue 12. Chaldæum passim pro *Basan* vertere *Matan* vel *Matanan*: quia posuit literam *mem* pro *beth* (vtraque enim est litera labialis; ideoque affinis & commutabilis) quod etiam apud Græcos non est insolens. Secundò, pro *schin* posuit *tau*, quod Chaldæis est solemne. VERS. 33. & 35.

Fabella Iudæorum de magnitudine Og. Audi hic, & ride lepidam, imò stolidam fabellam Talmudicorum, de immensa magnitudine huius Og, eiusque strage. Og, inquiunt, maximus fuit gigas, qui aduentantibus Hebræis, montem duarum leucarum eradicauit, & in caput suum imposuit, vt Hebræos omnes vno montis huius iactu obrueret: Deus autem misit formicas, quæ montem perforantes, eum descendere fecerunt vsque ad humeros Og: mox crescentibus eius dentibus ad decem cubitos, non potuit montem à se proiicere. Id videns Moses, qui altus erat decem cubitos, accepit securim decem cubitorum, atque in Og insiliit ad decem cubitos, pertigitque ad iuncturam tibiæ eius cum pede, ibique eum percussit & occidit, monte simul in eum cadente. Tantæ enim molis fuit Og, vt in eius mortui tibiam ceruus ingrediens, in ea oberrarit per medium diem, quo illum in tibia hac insecutus est venator. Referunt hæc Lyranus & Abulensis quæst. 27. Vide hic quàm de Iudæis verum sit illud Dauidis psal. 68. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum: obscurentur oculi eorum, ne videant.*

C

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balac vocat Balaam, vt maledicat Hebræis: eum primò, prohibet Deus: secundò, abire permittit. abit ille, sed cum animo maledicendi Hebræis: vnde v. 22. ab angelo; per os asinæ loquente, corripitur.

1. Profectiq; castrametati sunt in campestribus Moab, vbi trans Iordanem Iericho sita est. 2. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, 3. & quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, 4. dixit ad maiores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. 5. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui

qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, vt vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. 6. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere & eiicere eum de terra mea. noui enim quòd benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris. 7. Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba Balac: 8. ille respondit: Manete hîc nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum: 9. Quid sibi volunt homines isti apud te? 10. Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me, 11. dicens: Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, siquo modo possim pugnans abigere eum. 12. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est. 13. Qui manè consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. 14. Reuersi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum. 15. Rursum ille multò plures & nobiliores quàm antè miserat, misit. 16. Qui cùm venissent ad Balaam dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me. 17. Paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi: veni, & maledic populo isti. 18. Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus, vel minus loquar. 19. Obsecro vt hîc maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus. 20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis: ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero, facias. 21. Surrexit Balaam manè, & strata asina sua profectus est cum eis. 22. Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum. 23. Cernens asina angelum stantem in via, euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, 24. stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. 25. Quem videns asina, iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam: 26. & nihilominus angelus ad locum angustum transiens, vbi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deuiare, obuius stetit. 27. Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis. qui iratus, vehementiùs cædebat fuste latera eius. 28. Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertiò? 29. Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi: vtinam haberem gladium vt te percuterem. 30. Dixit asina; Nónne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic quid simile vmquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam. 31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. 32. Cui angelus: Cur, inquit, tertiò verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria: 33. & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret. 34. Dixit Balaam: Peccaui, nesciens quòd tu stares contra me: & nunc si displicet tibi vt vadam, reuertar. 35. Ait angelus: Vade cum istis, & caue ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Iuit igitur cum principibus. 36. Quod cùm audisset Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. 37. Dixitque ad Balaam: Misi nuntios vt vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo? 38. Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? 39. Perrexerunt ergo simul, & venerunt in vrbem, quæ in extremis regni eius finibus erat. 40. Cumque occidisset Balac boues & oues, misit ad Balaam, & principes qui cum eo erant, munera. 41. Manè autem facto duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

VERS. 1. PROFECTIQVE CASTRAMETATI SVNT IN CAMPESTRIBVS MOAB] quæ olim fuerant Moab, iam autem erant Sehon, & eo occiso erant filiorum Israel. Secundò, *Moab*, id est, quæ coniuncta erant Moab. vnde Septuag. vertunt, *ad Occidentem Moab*, scilicet ex aduerso Iericho, vti sequitur. Iam enim Iordani & Iericho, ipsique Chananææ viciniſſimi erant Hebræi.

A VERS. 2. & 3. VIDENS AVTEM BALAC, rex Moab, vt patet v. 4 QVOD PERTIMVISSENT EVM (Israelem) MOABITÆ sibi subditi, ET IMPETVM EIVS FERRE NON POSSENT] Hebr. *quòd angustiarentur à facie Israel.*

VERS. 4. DIXIT AD MAIORES NATV MADIAN] Madianitæ enim sunt vicini Moabitis: hosce ergo concitauit Balac rex Moab, vt secum resisterent Israelitis

raelitis aduentātibus: tam ergo Madianitæ, quàm Moabitæ pugnarunt contra Iudæos, sed soli Madianitæ puniti & cæsi sunt c.25 17. & cap.21.v.2. quia Deus nolebat tangi Moabitas & Ammonitas, propter iustum Loth, cuius ipsi erant posteri, Deuter.2.v.9.

ITA DELEBIT (hebr. ita lambendo absumet) HIC POPVLVS OMNES, &c. QVO MODO SOLET BOS HERBAS VSQVE AD RADICES CARPERE] q.d. Hebræi non subiugant sibi populos, vti solent facere aliæ gentes, sed omnes occidunt & absumunt, vti bos herbas: ergo agite, ô Madianitæ, non tantùm regioni vestræ, sed & vitæ omnium vestrûm consulite: agitur enim hîc de pelle omnium. Inite ergo consilia, & mecum vires coniungite, vt Hebræorum vires à nostris ceruicibus auertamus. Origenes hom. 11. in Exod. legit: *quia sicut vitulus ablingit in campis herbam virentem, ita ablinget populus hic populum qui super terram est: per quod*, inquit, *vt à maioribus accepimus, indicatur* mysticè *populum Dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnare, id est orationem ad Deum fundendo.*

VERS. 5. MISIT ERGO NVNTIOS AD BALAAM FILIVM BEOR ARIOLVM] Pro *ariolum*, Chald & Septuag. retinent nomen Hebr. quasi proprium loci, vertuntque, *ad Pethoram Syriæ*. Ita enim omnes Hebræi illud accipiunt, Deuter 23.v.4. in Hebræo: vtroque enim modo hoc nomen accipi potest, ait Eugubinus.

Balaam fuitne propheta Dei an diaboli? Resp. Eugubin. Dei. Prob. Primò. Quæres, qualis propheta fuit Balaam, an Dei, an diaboli? Respondet Eugubinus, fuisse Prophetam Dei, æquè ac Sibyllas, & Mercurium Trismegistum apud Ægyptios: qui tametsi pleraque vera cecinerint, idololatræ tamen fuerunt, qualis fuit & Zoroastres apud Persas, & Orpheus apud Græcos, apud Hyperboreos Abaris, & Zamolxis apud Getas: quamquam de his non ita constat, sicut de Mercurio & Sibyllis. Hæ enim non Iudææ, sed Gentiles fuerunt, æquè vt Balaam, atque ob meritum virginitatis, obtinuerunt à Deo donum prophetiæ, vti docet S August *Secundò.* Secundò, quia Balaam prophetaturus hîc quæsiuit Deum, Deusque illi occurrit, & per eum oracula dedit, vt patet c.23.v.3. *Tertiò.* Tertiò, quia Hebræi, teste Ruperto, & auctore comment. in Iob c.32. qui extat inter opera S. Hieron. (sed non est S. Hieron.) tradunt, Balaam fuisse amicum S. Iob, qui in lib. Iob vocatur Eliu, eumque fuisse virum sanctum & Prophetam Dei, qui postea propter inobedientiam & desiderium munerum, dum Israeli maledicere cupit, dinini, vel arioli vocabulo sit nuncupatus.

Verius est fuisse diaboli. Prob. Primò. Verùm dico, Balaam fuisse prophetam non Dei, sed diaboli. Hunc enim significat nomen ariolus, vt patet. vnde Balaam fuisse magū docent S. Cyrillus, Theod. August Ambros. Nyssen Procop. & Rabanus, quorum loca citabo cap.23.3. *Secundò.* Secundò, quia Balaam quæsiuit augurium, vt patet c.24.1. & ad illud captandum, septem aras exstruxit ipsi Baal, eiq; victimas immolauit, vt patet c.22.v.vlt. & c.23.1. *Tertiò.* Tertiò, quia voluit ipse maledicere Israeli, & ad hoc captauit hæc auguria & vaticinia diaboli; sed Deus pro diabolo ei occurrit, eumque inuitum benedicere Israeli coëgit. Fuit ergo ipse magus, & dæmonis alloquium quærebat, eumque consulere, & ab eo edoceri solebat. *Quartò.* Quartò, Balaam non fuisse Eliu, patet Iob 32.2. vbi LXX. dicunt, Eliu fuisse ex regione Ausitidis, id est fuisse Idumæum: Balaam verò fuit ex Mesopotamia, vt patet Deut. 23.4. Denique, Balaam fuisse hominē *Quintò.* impium & peruersum, patet non tantùm ex mala eius voluntate, qua maledicere voluit Hebræis; sed etiam ex scandalo fornicationis & idololatriæ Beelphegor, quod eis obiecit: vnde & iustè ab eis occisus est, vt patebit c.31.v.8. & 16.

QVI HABITABAT SVPER (iuxta) FLVMEN] Euphratem scilicet, vt vertit Chald. qui est fluuius Mesopotamiæ, quiq; antonomasticè in Script. dicitur *flumen*, tum ob sui magnitudinem, tum quia notissimus erat Hebræis. Euphrates enim erat Hebræis à Deo datus terminus terræ promissæ, vt patet Iosue 1.4. Nam Balaam fuit Mesopotamius, *Balaam fuit Mesopotamius.* vti iam dixi: vnde & c.23.7. ipsemet ait, se de Aram vocatum esse; Mesopotamia autem hebr. dicitur *Aram naharaim*, id est Aram, siue Syria, quæ inter duos fluuios, scilicet Euphratem & Tigrim, interiacet, iisque cingitur. Fuit ergo Balaam ex Mesopotamia vocatus à Balac in Moab, cumque inde ad suos cogitaret redire, migrauit in Madian (inuitatus fortè à Madianitis, vti hîc à Balac) ibique cum aliis Madianitis occisus est, eò quòd cum iis se rursum opposuisset Hebræis, vt patet c.31.8. ita Abulens. Vatabl. & alij: licet Andreas Masius in Iosue 13.23 putet Balaam fuisse Madianitam origine. quæ sententia non est improbabilis.

SVPER FLVMEN TERRÆ FILIORVM AMMON] Putà *super*, id est iuxtà, Euphratē. Nam Euphrates Ammonitas præterlabitur. Hebr. pro *Ammon* est עמו *ammo*, id est populi sui. ita Septuag. Chald. & recentiores. Sed hic sensus est inanis & tautologicus. quis enim nescit Balaam habitasse in populo suo? Meliùs ergo noster Interpres, ex aliis Hebr. exemplaribus legit *Ammon*, vel per *Ammo* intellexit Ammon. litera enim *nun* in *Ammon*, non est radicalis, sed heemantica & ascititia: vnde & Genes. 19.v.vlt. *Ammon*, nō vocatur *Ammon*, sed *ben ammi*, in Hebræo.

SEDENS (castra metans) CONTRA ME] q.d Israel iam imminet mihi & regno meo: maledic ergo ei, itaque eum à me auerte.

VERS. 6. NOVI ENIM, QVOD BENEDICTVS SIT, CVI BENEDIXERIS; ET MALEDICTVS, IN QVEM MALEDICTA CONGESSERIS] q.d. Experientia didici, imprecationes & diuinationes tuas esse veras, & reipsa verificari, vt sicuti tu diuinas, ita reipsa cuique accidat bonum vel malum. Sic enim & magi & sagæ nostræ, sæpè ope dæmonis mala infligunt, eaque rursum dum volunt, remouent, homines q; & animalia sanitati restituunt. Fingit enim more suo R. Salomon, dum ait, Deum quotidie vnā horam *Fabella R. Salom.* habere, qua irascitur malis, & hanc horam sciuisse Balaam; ideoq; eadē hora imprecari solitū alicui malo Dei maledictionē, quæ mox illi obueniebat.

VERS. 7. PERREXERVNTQVE SENIORES MOAB ET MAIORES NATV MADIAN, HABENTES DIVINATIONIS PRETIVM] Hebraicè est, *habentes diuinationes*; sed sicut *peccatum* sæpè sumitur pro hostia expiatrice peccati, ita *diuinatio* hîc sumitur pro pretio diuinationis, metonymicè. ita Chald. & alij.

Fuit ergo simoniacus tam Balaam vendendo, *Balaā fuit simoniacus.* quàm Balac emendo hanc maledictionē, saltem ex sua mente & conscientia: siquidem eam à Baal, quem Deum verum esse putabant, expectabant.

Moral. disce hîc quàm mala sit philargyria, quæ *Moral. de auri cupiditate.* Balaam perdidit: *pecunia enim obediunt omnia*. Hinc Græci finxerunt ab Apolline responsum Philip-

po

po regi Macedonum, *illum victoria potiturum, si* A *pugnaret hastis argenteis*; hoc est, si pecunia hostes sollicitaret ad proditionem: vnde idem rex pecuniæ vim expertus, dixit, *nullam arcem quantumuis munitam nō expugnari posse, modò ad eam asinum auro onustum immittere posset.* Hinc illud Glabri: *Aureo pugillo ferreus murus frangitur.* Quare rectè dixit Chilo apud Laërt. *aurum cotibus explorari, mentes hominum auro*; & S. Ambros. lib. de Bono mortis c.5. *Laqueus est in auro, viscus in argento.*

Meritò ergo viri sapientes & sancti fugerunt philargyriam. Phocio, cùm ad eum Alexander centum talenta misisset, rogauit, cur inter Athenienses ad se solum hæc mitteret Alexander? responderunt legati; quòd eum probum putaret. tum Phocio: *Sinat igitur me talem esse & videri: remisitq́; totam pecuniam, rogans tantùm, vt captiuos quosdam dimitteret*, inquit Isidor. Pelus. lib. 2. epist. B 146. S. Antonius, ait S. Athanas. ingenti auri radiantis massa in itinere conspecta, ilicò quasi incendium fugeret, in montem se proripuit. Abbas Pambo, ait Pallad. Lausiac. 10. trecentas auri libras à Melania datas repudiauit. B. Barlaam apud Damasc. roganti Iosaphat, vt exiguum pecuniæ in victum & vestitum acciperet, respondit: *Si pecuniarum possessio bona esset, sodalibus meis eas antè impertiissem; quoniam autem eam exitiosam esse scio, nec illos, nec me talibus laqueis implicabo.* Putorem philargyriæ corporaliter odoratus est S. Hilarion, teste S. Hieron. in eius Vita. Pecunia quoties offerebatur S. Vincentio per castella prædicanti, vetabat à sociis suis accipi. Vidit S. Franc. ex crumena reperta in via prodire serpentem. tum ille: *Ecce pecunia seruis Dei nihil est aliud, quàm diabolus & coluber venenosus.* nam si parum capias, plus & C plus cupies: *Crescit* enim *amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Sequere ergo monita Cassiani l.7. c.21.28.30. *Hæc erit summa victoria, vt ne minuto quidem nummo conscientia monachi polluatur, ne scintilla huius in nobis materiam, putà philargyriæ igniculum foueamus.*

Vers. 8. MANETE HIC NOCTE, ET RESPONDEBO QVIDQVID MIHI DIXERIT DOMINVS] Nocte ex more suo Balaam consulere volebat dæmonem, sibi familiarem (inuocando eum vel voce, vel per magica signa, & per incantationes) illíque prætexit hîc mendaciter nomen Domini, quasi Deum consuleret, non dæmonem. Verùm Deus pro dæmone ei se obtulit, idque non eius, sed Hebræorum, quibus per eum benedicere volebat, gratia. Id magis patebit c. seq. v. 4. & c. 24. v. 1.

VENIT DEVS] scilicet angelus, Dei personam D gerens: venit, inquam, siue in corpore assumpto visibiliter, siue tantùm per vocem humanam, siue in phantasia Balaam, per visionem cum eo colloquens.

Vers. 12. NOLI IRE CVM EIS, NEQVE MALEDICAS POPVLO (Hebræis) QVIA BENEDICTVS EST] Volebat Balaam, vt pecuniam à Balac obtineret, maledicere Hebræis: vnde Deus ei vetat, ne ad eum vadat, Quia, inquit, populus hic Israel benedictus est: quia scilicet, ego benedixi illi, & deinceps benedicam, id est benefaciam, dans ei omnia prospera, adeò vt vincat omnes suos hostes, & Chananæam obtineat.

Nota. Hæc gesta & dicta Balaam, non ab homine, sed à Deo reuelante didicit & scripsit Moses.

Vers. 18. NON POTERO IMMVTARE VERBVM DOMINI] Balaam, licet impius & auarus, hactenus tamen Deum reuerebatur, quòd non audeat Dei verbis & iussui resistere: timebat enim Dei iram & vindictā.

VENIT ERGO DEVS AD BALAAM NOCTE, ET AIT EI, &c. VADE CVM EIS] Secundò & instantiùs vocabatur Balaam à Balac: vnde Deus, qui primò vetuerat eum ire, vt retunderet eius auaritiam & cupidinem maledicendi Hebræis; hîc eum iam retusum & repressum abire permittit, sed hac lege, vt non alia loquatur, quàm illa quæ à Deo audiet: idque ad hoc, vt per Balaam celebraret se & populum suum Israel, vtque Balac per Balaam, quasi suo ipsius gladio, iugularetur. Voluerat enim Balac per Balaam maledici & diris deuoueri Israelem, dixeratque ei: *Noui quòd benedictus sit, cui benedixeris; & maledictus, in quem maledicta congesseris.* Iam Deus hoc in caput eius retorquet, dum facit Balaam vocatum & paratum ad maledicendum, benedicere Israeli, vt sibi persuadeat Balac, certissimò eum à Deo esse benedictum. Vers. 20.

ET IRATVS EST DEVS] Licet enim concessisset Balaam abitum ad Balac, tamen vetuerat ei aliud facere aut dicere, quàm ipse iuberet; Balaam autem auri auidus, ibat ad Balac ea mente, vt malediceret Hebræis, quod sciebat Deum nolle: audierat enim ab eo v. 12. *Neque maledicas populo, quia benedictus est.* Contrarium autem facere voluisse Balaam hîc, patet ex obiurgatione angeli v. 32. *Ego*, inquit, *veni, vt aduersarer tibi: quia peruersa est via tua, mihiq́; contraria*, quia scilicet, vadis ea mente & spe, vt meo populo, cuius ego sum custos & tutor, maledicas: hoc enim se factūrū sperabat Balaam. Vnde & 2. Petri 2.15. dicitur *mercedem iniquitatis* (id est iniquæ maledictionis) adamasse; correctorem verò habuisse subiugale animal. Vers. 22.

STETITQVE ANGELVS DOMINI IN VIA CONTRA BALAAM] Hebr. *in satan Balaam*, vt scilicet se ostenderet esse aduersarium Balaam. Angelus hic se ostendit, non Balaam, sed tantùm asinæ, cui ipse insidebat. Sic Beati in corpore glorioso, apparent cui volunt, & abscondunt se cui volunt.

CVMQVE VIDISSET ASINA STANTEM ANGELVM, CONCIDIT SVB PEDIBVS SEDENTIS] partim consternata partim quia non videbat transitum, nec aliud effugium. Cernebat enim angelum gladio exerto minitantem mortem, si pergeret; ei ergo cessit, quoad potuit, vt eò magis Balaam durities & cæcitas per eam argueretur: vnde & asina locuta est. Vers. 27.

APERVITQVE DOMINVS OS ASINÆ, ET LOCVTA EST] Mouit angelus linguam asinæ, vt loqueretur, sicut dæmon mouerat os serpētis, vt loqueretur Euæ: & sicut angelus mouit os hippocentauri & satyri, vt loquerentur S. Antonio, eique in eremo viam ostenderent ad S. Paulum Eremitam, teste S. Hieron. in Vita S. Pauli. Fiebat ergo hæc locutio per organa asinæ, sed ea impellēte appositè, ad vocem articulatam efformandam, angelo, ac supplente per vicinum aërem, id quod organis asinæ deerat. Vers. 28. *Angelus locutus est per os asinæ.*

Vbi Nota Primò. Propriè hîc asina non fuit locuta. Loqui enim, est conceptum suum voce exprimere: asina autem non poterat concipere, nec intelligere, quid voces illæ, ore suo prolatæ, significarent. Hæ ergo voces, non ab asinæ anima aut mente, sed à mouente extrinseco, putà ab angelo, in ore asinæ formabantur; perinde vt ab homine, dum manu sua labia & dentes alterius homi- *Asina propriè non est locuta, cur.*

hominis collidit, voces quædam stridulæ efformantur. Vnde sequitur hanc locutionem, non fuisse vitalem asinæ: quia non vi animæ, nec phantasiæ ipsius, sed ab angelo producebatur: multò minùs fuit vitalis ipsi angelo; sed in aëre & ore asinæ recipiebatur. Vitalis enim actio est, quæ elicitur ab anima, & in eadem recipitur.

Locutio hæc non fuit vitalis asinæ.

Nota Secundò. Has tamen voces angelus non formabat in aëre vicino, nec in ore asinæ, sine asinæ organis: sic enim non magis diceretur asina locuta, quàm domus, in qua angelus loqueretur. Iam autem S. Scriptura & Patres, vti S. August. Origen. Theodor. Ambros. & alij dicunt asinam esse locutam, eamque corripuisse Balaam.

Facta est per organa asinæ:

Nota Tertiò. Sola tamen organa asinæ, vti & aliorum brutorum (exceptis auibus quibusdam, vt psittaco) non sufficiunt ad reformationem vocis humanæ. Ad illud enim requiritur os humanum, aut illi simile: illud enim solum habet vim & dispositionem organicam interiorem, qua colligitur aër ad formationem vocis, & qua fit debita percussio & collisio aëris ad palatū, labia, dentes, &c. ad emissionem talis, vel talis vocis, quod est articulare vocem: hisce autem caret os asinæ & aliorum brutorum. nam, vt alia taceam, os eorum cùm cùm sit longum, & lateraliter apertum, non potest aërem ab intimis progredientem colligere, & in dentibus collidere & frangere: quia aër totus lateraliter per rictum effluit. Angelus ergo per aërem vicinum idipsum, vti & cætera, quæ organis asinæ deerant, suppleuit; tenuit enim aërem fortiter, vt resisteret, ne aër & vox ex ore asinæ effluerent: atque alia ex parte, aërem in ore asinæ ita collisit & allisit ad organa oris, vt articulatam vocem exprimeret. ita Abulens.

ad eam tamen sola nō sufficerunt.

Nota Quartò. Idem fuit angelus, qui Balaam domi locutus fuerat, vt iret ad Balac, idem qui illi in via obstitit armatus, idem qui locutus est per os asinæ: amplam enim sphæram præsentiæ & actiuitatis habent angeli.

Nota Quintò. Apparuit angelus cum fulgenti gladio; vt doceret Balaam, si maledicere vellet Hebræis, à Deo benedictis, eum bellum contra Deum & angelos suscepturum. ita S. Cyrillus lib. 6. de Adoratione.

Apparuit angelus fulgido gladio, cur?

Nota Sextò. Angelum hunc fuisse Michaelem (qui præses erat Synagogæ Iudæorum, vti iam est Ecclesiæ Christianorum) tradunt Procop. & alij apud Theodor. quæst. 42.

Angelus hic fuit Michael.

Simile est quod legimus in Vita S. Galgani Senis excusa anno Domini 1572. & ex ea apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 4. Decembris: Galganus enim in agro Senensi natus regnante Frederico I. Imper. sub annum Domini 1153. voluptuosam agens vitam, à Michaele Archangelo bis in somnis monitus, vt mores in melius mutaret, Christique miles fieret, in montem Sepium venit, vbi tertiò ab eodem angelo monetur, vt mundum deserens Deo vacet. A quo consilio mater & propinqui illum, vxorem & elegantem & diuitem proponentes, omni studio auertere conati sunt: cum verò ab eis persuasus ad sponsam videndam equitaret, sic repentè constitit equus, vt calcaribus ad progrediendum stimulatus locutus feratur, dixeritque, se ab angelo progredi prohibitum: cuius etiam in saxo vestigia apud eum montem monstrantur. Quare vitam mutans in eremum secedens, cælestem in orationibus, ieiunijs, omnique austeritate vitam egit, ac post annum cælesti voce ad æternam requiem hisce verbis euocatus: *Satis est quod laborasti; metes nunc quod seminasti*, obdormiuit in Domino anno ætatis 33. sub annum Domini 1181. ac miraculis viuus & mortuus claruit.

Mira S. Galgani per equum loquentem conuersio.

Nota Septimò. Vsus est Deus voce asinæ, tum quia congruè bruta mens per brutum docetur, tum, vt ait Nyssenus lib. de Vita Mosis sub finem, tum vt erudiretur & castigaretur vanitas auguris (Balaam) qui ruditum asinæ, & garritum auium, quasi omina, quæ futura præsignificarent, obseruare solebat. Similia enim omina superstitiosè obseruasse Gentiles, docet Cyrill. Alexand. lib. 3. contra Iulianum, vbi & addit: *Commemorabo Dodonaam quercum, quam humana aiunt vsam voce.* Sic Isigonius Citiensis in Rhodo insula scribit, Iouis taurum humano sermone locutum. Magis mirum est quod refert Alexander Magnus in epist. ad suum præceptorem de suo itinere, situque Indiæ, de duabus arboribus, vna virilis roboris Solis, altera feminæ Lunæ, indicè & græcè sibi loquentibus, & oraculum dantibus. Arbor enim Solis primo iubare Solis orientis tacta, ei indicè dixit: *Inuicte bellis Alexander, vnus eris terrarum orbis dominus: sed viuus in patriam non reuerteris: ita enim fata de tuo capite statuerunt.* Arbor verò Lunæ primis Lunæ noctu orientis radijs percussa, consulta ab æditituo, vbi moriturus esset Alexander? græcè respondit: *Alexander plenum iam ætatis finem non habes, sed sequenti anno mense Maio in Babylone morieris: à quo minimè speras, decipieris.* Sciscitatus est rursum ab arbore Solis Alexander, à quo occidendus esset, quemque finem mater, & sorores essent habituræ? Arbor græcè respondit: *Si mortis tuæ tibi insidiatorem prodidero, instantia fata facilè mutabis. Mihi quoque eres irascentur sorores* (Parcæ, quæ cuique sua fata, quasi pensa distribuunt) *quòd earum pensa impedierim. Igitur ad annum, & menses octo Babylone morieris, non ferro, vt suspicaris, sed veneno. Mater tua turpissimo & miserando exitu, quandoque insepulta iacebit in via auium ferarumq; præda. Sorores tuæ diu fato felices erunt. Tu modò caue ne nos vlteriùs sciscitèris; quin excede nostri luci terminos, & Phasicaem Po-umq; reuertere.* Hæc si vera sunt, magica sunt, factaque ope dæmonis, qui sicut per idola, ita per arbores loqui potest.

Cur vsus est ore asinæ?

B

C

Tropolog. S. Gregor. 3. p. Pastor. admon. 13. & ex eo Rabanus: *Asina retardata angelum videt, quē Balaam necdum videbat: quia plerumque caro tarda, per molestias flagello suo menti indicat Deum, quem ipsa carni præsidens non videbat.* Asina ergo, id est caro flagellata, sæpè Balaam, id est menti cæcæ & deprauatæ, Deum reuelat & ostendit.

D *Tropolog.*

Rursum idem Gregor. 27 Moral. c. 1. *Sicut*, inquit, *irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis accessit; ita sæpè quilibet indignus sancta verba per prophetiæ spiritum accipit, sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit, vt & supra se loquendo emineat, & infra se viuendo torpescat.*

VTINAM HABEREM GLADIVM, VT TE PERCVTEREM] Vide hîc Baalami & prauorum hominum arrogantiam & dementiam, qui suos monitores & salutis auctores insectantur verbis & verberibus.

Vers. 29.

beribus. Ita Herodes suum monitorem Ioannem Baptistam occidit. ita Alexander Magnus Clitum fidissimum amicum & monitorem temulentus transfixit. Hic verum est istud Comici: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Ita *Cambysem*, vt scribit Seneca l.3. de Ira c.14. *vino deditum Praxaspes amicissimus monebat, vt parcius biberet; turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresq; sequerentur. Ad hoc rex: Vt scias, inquit, quòd numquam excidã mihi, approbabo iam, & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberaliùs quàm aliàs: & iam grauis ac vinolentus, obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, alleuataq; super caput sinistra stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis figit, rescissoq; pectore, hærens in ipso corde spiculum ostendit: ac respiciens patrem, an satis certam haberet manũ? interrogauit.* ita barbarus iste. Verè dixit Sapiens Prouerb.15.12. *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* & c.29.1. *Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Ita Cambyses paulò pòst vita & regno priuatus est: ita & Balaam paulò pòst ab Hebræis in pugna occisus est, c.31.8.

Cambyses in monitorem barbaries.

VERS. 30. DIC, QVID SIMILE VNQVAM FECERIM TIBI? AT ILLE AIT, NVNQVAM] Inde conuincebatur Balaam, quòd sine ratione percussisset asinam, neque illam ipsi illudere voluisse, sed compulsam fuisse ab angelo: vnde mox angelus se reuelans Balaam, clarè eius cæcitatem, æquè ac impietatem coarguit. Mira enim fuit cæcitas & furor Balaam, quòd audiens per miraculum asinam loquentem, non expauerit, non obstupuerit, nec miraculi causam & significationem inuestigarit; sed ira percitus minetur asinæ mortem, putans ex eo, quòd humana voce loquebatur, eam quasi rationis compotem, sibi voluisse illudere.

Tradunt, imò, fabulantur Talmudici, Deum decem res creasse die sexta mũdi, ad solis occasum incipiente sabbato, scilicet Primò, os terræ, quod deuorauit Core, Dathan & Abiron; de quo dixi c.16. Secundò, os putei quod semper patebat Iudæis, viuente Maria sorore Mosis, & præcedebat Hebræos, de quo c.20.1. Tertiò, os asinæ Balaam ad loquendum, de quo hîc. Quartum, fuit iris, siue arcus cælestis, de quo Gen.9.13. Quintum, fuit, aries, quem immolauit Abraham pro Isaac, Gen.22.13. Sextum fuit virga Mosis, quæ diuisit mare rubrũ, Exodi 14.21. Septimum, fuit manna. Octauum, fuerunt primæ tabulæ legis quas Deus & dedit, & decalogo inscripsit. Nonum, sunt ipsi dæmones, apparentes hominibus. Decimum, sunt forcipes; primas enim forcipes aiunt descendisse de cælo, nec potuisse aliter fieri: itaque resoluunt illã vulgi quæstionem, vtrum priùs fuerit, malleus, an forcipes? Hæc recenset, & fusè refellit Abulensis quæst. 10. meræ enim sunt fabulæ.

Decem miracreata à Deo initio mundi, fabulantur Hebræi.

VERS. 31. PROTINVS APERVIT DOMINVS OCVLOS BALAAM, ET VIDIT ANGELVM] q.d. Fecit Deus vt Balaam videret angelum, idque, quia sustulit vel aorasiam, qua eum percusserat, vel nebulam aliúmve obicem, quem oculis eius obiecerat: aut quia angelus, qui speciem sui soli asinæ priùs immiserat, iam etiam eamdem oculis Balaam immisit, eamque terribilem & minacem cum fulgenti gladio.

VERS. 32. PERVERSA EST VIA TVA, MIHIQVE CONTRARIA] Scilicet, ob peruersam intẽtionem qua proficisceris ad Balac, videlicet vt maledicas Hebræis. Nota. Hæc visio, & collocutio cum angelo contigit soli Balaam: præcesserant enim principes Balac, qui eũ, vti vocarant, ita & deducebant; ac non longè post eos sequebatur ipse Balaam, qui proinde solus angelum vidit & allocutus est.

ET NISI ASINA DECLINASSET DE VIA, DANS LOCVM RESISTENTI (obsistenti mihi angelo) TE OCCIDISSEM, ET ILLA VIVERET] Hebr. est *illam viuificassem.* Vnde colligunt Hebræi, asinam hanc, mox vt locuta est, fuisse mortuam, idq; ad honorem, non Balaam, sed humani generis, ne scilicet superstes maneret asina, quæ ratione hominem aliquem cõuicerat. Verùm hoc ex hisce verbis colligi nequit: tantùm enim eis significat angelus, se occisurum fuisse Balaam, non autem asinã, nisi ea declinasset. *Viuificare* enim Hebræis, sæpè idem est, quod in vita conseruare, vel vitam non adimere, sed indulgere. Significatur enim actus, non inchoatus, sed continuatus. q.d. Occidendo te, non occidissem asinam, sed illam in vita seruassem: tui enim solius, vti fuit culpa, ita futura erat & pœna. VERS. 33.

Viuificare est in vita conseruare.

NVMQVID LOQVI POTERO ALIVD, NISI QVOD DEVS POSVERIT IN ORE MEO?] quod scilicet Deus mihi reuelarit & iusserit vt enuntiem. Præoccupat Balaam, vt amoliatur à se indignationem Balac, si fortè vaticinetur contra eius votum & desiderium. VERS. 38.

VENERVNT IN VRBEM, QVÆ IN EXTREMIS REGNI EIVS FINIBVS ERAT] Hebr. *venerunt in vrbem chusot.* q.d. In vrbem quæ foris, vel extra regnũ posita erat in confinibus. Secundò, Oleaster vertit, *venerunt in vrbem diuisionum*, id est quæ erat limes regni, diuidens illud à vicinis. Tertiò, Vatablus putat *Chusot*, esse nomen proprium vrbis. VERS. 39.

CVMQVE OCCIDISSET BALAC BOVES ET OVES, MISIT AD BALAAM, &c. MVNERA] q.d. Instituit Balac, ob lætum aduentum Balaam, festa sacrificia & conuiuia, indeque munera & partes ad epulãdum misit ipsi Balaam, suisque principibus, qui eum comitati fuerant. Gentiles enim in festis, triumphis, rebusque lætis instituebant sacra conuiuia, in quibus primò victimas suis diis immolabant: deinde ex ijs epulum solemne, & quasi sacrum instituebant, ac denique ad absentes amicos mittebant epuli huius partem. VERS. 40.

MANE AVTEM FACTO DVXIT EVM AD EXCELSA BAAL, ET INTVITVS EST EXTREMAM PARTEM POPVLI] q.d. Manè Balac duxit Balaam ad excelsa, scilicet loca, putà ad montem continentem templum, vel sacellum, in quo colebatur Baal, idque ad hoc, vt scilicet, ex hoc monte Balaam videns castra Israel, atque idolo Baal immolans, ab eo vires, spiritum, & quasi enthusiasmum acciperet, ad maledicendum Israeli. Hac enim de causa septem ibi aras erexit, in ijsque immolauit Balaam, vt dicetur cap. sequenti v.1. ita Abulensis. Fuit hic mons Abarim, qui diuidebat Moabitas à regno Sehon & Og, cuius vna pars dicebatur Phasga, altera Nebo, in qua mortuus est Moses, vt patet Deuter.32.49. & cap.34.v.1. & 5. Iuxta hunc ergo montem posita erant castra Israel, in locis campestribus, quæ proinde passim vocantur campestria Moab, atque ex hoc monte Balaam speculatus est castra Israel, ijsque vaticinando, præter mentem suam benedixit. VERS. 41.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balaam maledicturus Hebræis, eis præter mentem benedicit. inde v.14. mutat locum, vt maledicat, sed rursum eisdem benedicit, eosq́ laudat à religione, fortitudine, & adiutorio Dei; eorumq́ victorias prædicit: hinc iterum mutat locum v.27.

1. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hîc septem aras, & para totidem vi-
tulos, eiusdemque numeri arietes. 2. Cumque fecisset iuxta sermonem
Balaam, imposuerunt simul vitulum & arietem super aram. 3. Dixitque Balaam ad
Balac: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si fortè occurrat mihi
Dominus, & quodcumque imperauerit, loquar tibi. 4. Cumque abijsset veloci-
ter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, & im-
posui vitulum & arietem desuper. 5. Dominus autem posuit verbum in ore eius, &
ait: Reuertere ad Balac, & hæc loquêris. 6. Reuersus inuenit stantem Balac iuxta
holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum: 7. assumptaque parabola
sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni,
inquit, & maledic Iacob: propera & detestare Israel. 8. Quomodo maledicam, cui
non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? 9. De
summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habita-
bit, & inter gentes non reputabitur. 10. Quis dinumerare possit puluerem Iacob,
& nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant no-
uissima mea horum similia. 11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod a-
gis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te: & tu è contrario benedicis eis. 12. Cui
ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus? 13. Dixit ergo
Balac: Veni mecum in alterum locum vnde partem Israel videas, & totum videre non
possis, inde maledicito ei. 14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super
verticem montis Phasga, ædificauit Balaam septem aras, & impositis supra vitulo at-
que ariete, 15. dixit ad Balac: Sta hîc iuxta holocaustum tuum, donec ego obuius
pergam. 16. Cui cùm Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore eius, ait:
Reuertere ad Balac, & hæc loquêris ei. 17. Reuersus inuenit eum stantem iuxta
holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, in-
quit, locutus est Dominus? 18. At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac & au-
sculta, audi fili Sephor. 19. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius
hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? 20. Ad
benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. 21. Non est
idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est,
& clangor victoriæ regis in illo. 22. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitu-
do similis est rhinocerotis. 23. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.
Temporibus suis dicetur Iacob & Israeli quid operatus sit Deus. 24. Ecce populus
vt leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, &
occisorum sanguinem bibat. 25. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec
benedicas. 26. Et ille ait: Nonne dixi tibi, quòd quidquid mihi Deus imperaret,
hoc facerem: 27. Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si fortè
placeat Deo vt inde maledicas eis. 28. Cumque duxisset eum super verticem mon-
tis Phogor, qui respicit solitudinem, 29. dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem
aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes. 30. Fecit Balac vt Ba-
laam dixerat: imposuitque vitulos & arietes per singulas aras.

VERS. I. DIXITQVE BALAAM AD BALAC: ÆDIFICA MIHI HIC SEPTEM ARAS, ET PARA TOTIDEM VITVLOS] Balaam has aras erigi iussit, Primò, ad sacrificandum, non Deo vero Hebræorum, vt vult Eugubinus: id enim non permisisset Balac; sed Baal, siue dæmoni: erant enim hæc excelsa Baal, vti præcessit cap. præc. v. vlt. Secundò, ad superstitionem diuinationis, & ad scrutandum per eas augurium, vti dicetur c. seq. v. 1. vnde septem præcisè fieri iussit aras, & in singulis cremari vi- A ctimas binas, vitulum scilicet & arietem, idque cooperante Balac rege idololatra. vnde & v. 3. vocat hoc eius holocaustum; licet v. 4 præter spem occurrente sibi angelo, simulatè præ se ferat se in Domini honorem has aras erexisse, vt angelum sibi conciliet.

Balaam aras erexit, non Deo, sed Baal.

Septem autem aras erexit, vel ob septem planetas: videtur enim ipse fuisse astrologus genethliacus, qui scilicet ex horoscopo, & astrorum inspectione diuinabat, ait Abulens. vel quia septenarius est

Cur septem aras erexit

est symbolum perfectionis, ideoque in sacris vsurpatur: vnde & septem vitulos & arietes immolari iussit, vt diuinaret ex eorum extis, putà ex inspectione viscerum: hoc enim est officium arioli, qualis erat hic Balaam, vt patet c.22.5. Vel denique id fecit ex superstitione. Magi enim & malefici maximè obseruant certos numeros: vnde & nihil per parem, sed omnia per imparem numerum faciunt. Hinc Virgilius ecloga 8.

Magi sua faciunt per numerum imparem.

Terna tibi hac primùm triplici diuisa colore
Licia circumdo, terq; hac altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.

Allegor. Allegoricè, Balac, qui hebr. idem est quod lingens & deuorans, significat diabolum; Balaam, id est populus vanitatis, significat Scribas & Pharisæos, qui impulsu dæmonis maledicere & perdere voluerunt Christum & Christianos, qui sunt veri Israelitæ: sed Deus maledictionem eorum & mortem crucis in benedictionem & gloriam conuertit. ita Rabanus.

VERS. 3. STA PAVLISPER, SI FORTE OCCVRRAT MIHI DOMINVS] *Dominus*, scilicet Baal, siue dæmon: huic enim hoc holocaustum obtulerat Balac cum Balaam: Balaam enim hic quærebat augurium, vt dicitur c. seq. v. 1. id est diuinationem, putà dæmonē ipsum, quicum de more secretò loqueretur; & à quo audiret responsa quæ ad Balac deferret. ita Cyrillus libr. 6. de Adorat. fol. 113. Theodoret. q. 40. August. serm. 103. de Tempore, Ambros. lib. 6. epist. 37. Nyssenus libr. de Vita Mosis sub finem, Procop. & Rabanus hic.

Dices, Pro *Dominus* hebr. est *Iehoua*, quod est nomen veri Dei Hebræorum.

Respondeo, Balaam non dixisse Iehoua (nec enim vmquam hoc nomen audierat) sed fuisse vsum alio nomine, quo Moabitæ solebant appellare Deum (qui eis non erat Deus verus, sed Baal, siue dæmon) Mosem verò, quia non moabiticè, sed hebraicè scripsit, pro eo substituisse Hebræum nomen *Iehoua*.

VERS. 4. CVMQVE ABIISSET VELOCITER] Vatabl. & Hebræi vertunt, *cumq; abiisset in excelsa*; hoc enim etiam significat Hebræum שְׁפִי *scephi*. Alij vertunt, *cumq; abiisset solus*.

OCCVRRIT ILLI DEVS] *Deus*, id est angelus bonus à Deo missus, siue *Deus* non per se, sed per suum angelum: etiamsi enim eum non quæreret Balaam, sed dæmonem suum, tamen sponte sua ingessit se & occurrit illi angelus bonus, idque ad promouendam gloriam, tum Dei, tum Hebræorum; sicuti pythonissæ, quæ pro Saule dæmonem consulebat, non malus, sed bonus Samuelis spiritus se ingessit.

Occurrit autem ei angelus visibili forma, &, vt sequitur, *venit ex aduerso eius*, in assumpto scilicet corpore. quod videns Balaam, honoris causa prior eum salutauit, & allocutus est, dicens: *Septem aras erexi.* non dicit cui: fortè quia dubitabat, an dæmon, an Deus esset ille qui ei occurrebat; tamen tacitè innuit se ei, qui occurrebat, aras has erexisse. qua in re mentitus est. Rectè ait S. August. in psal. 63. *Simulata æquitas duplex est iniquitas.*

Morale de adulatione.

Rursum Iouianus Imper. verè dixit, *assentatores* (qualis fuit hic Balaam) *non Deum, sed purpuram colere: Euripoq; persimiles esse, qui modò in hanc, modò in illam partem præcipitatur.* testis est Socrates l. 3. cap. 21.

Bion rogatus, *quod esset animal omnium maximè* A *noxium? Si de feris*, inquit, *percunctaris, tyrannus; si de mitibus, adulator.* ita Laërt. l. 1. c. 5.

Diogenes orationem blandam & adulatoriam vocabat melleum laqueum. Idem aiebat, *satius esse incidere εἰς κόρακας quàm εἰς κόλακας*, id est, *in coruos quàm in adulatores.* ita Laërt.

Epictetus aiebat, *Corui mortuorum oculos euellunt: at adulatores viuentium animos corrumpentes, omnem eis visum adimunt.*

Phauorinus dicebat, *Sicut Actæon ab alumnis suis canibus interiit: sic parasiti eos, à quibus aluntur, pessundant.*

Vt lepori canis, sic amico adulator natura sua infestus est, ait Anton in Meliss. p. 1. ser. 52.

Vnde Aristot. l. 9. Ethic. *Qui fingit*, ait, *se amicum, & non est, peior est eo qui fecit falsam monetam.*

B DOMINVS AVTEM POSVIT VERBVM IN ORE EIVS] VERS. 5.
q.d. Angelus suggessit ei, & docuit eum, quæ esset dicturus ipsi Balac. Nota. Angelus hîc non arguit mendacium, hypocrisin & idololatriam Balaam, sed eam dissimulat: quia sciebat eum esse idololatram, magum, improbum & incorrigibilem: vnde tantùm ei dicit ea quæ ad rem præsentem, putà ad legationem Balac, & Hebræorum causam, spectabant.

ASSVMPTAQVE PARABOLA SVA DIXIT] Prophetiam grauem, pulchram & acutam vocat *parabolam*. Hebr. enim מָשָׁל *mascal*, quod Noster sæpè vertit *parabolam*, significat sententiam quamlibet, quæ eminens est & illustris, acquasi princeps inter sententias, quales sunt sapientum gnomæ, prouerbia, & parabolæ, item Prophetarum oracula. Radix enim מָשַׁל *mascal* significat dominari & principari. Hinc vocantur מִשְׁלֵי *misle*, id est Parabolæ Salomonis, sententiæ eius graues & morales. Adde, in hac prophetia Balaam multas similitudines & parabolas propriè dictas immisceri. VERS. 7.

C

DE ARAM (de Mesopotamia, quæ hebr. dicitur *Aram Naharaim*, vti dixi cap. 22. 5.) ADDVXIT ME BALAC.

QVOMODO MALEDICAM CVI NON MALEDIXIT DEVS?] Nota, non tantùm linguam, sed & mentem Balaam, saltem ad tempus quo hæc prophetauit, à Deo fuisse immutatam, vt cùm antea voluisset maledicere Hebræis, iam benediceret. Nec enim Balaam hic fuit arreptitius vti erant Sibyllæ, & puella in templo Apollinis Delphici, in quā ipse Phœbus, id est dæmon, introibat, atque eam per terram rotans, & despumare cogens, ad omnia de quibus interrogabatur, per os eius respondebat: ipsa tamen puella nihil horum intelligebat, sed erat quasi extra se, & in furore, atque postquam furere desinebat, non recordabatur dictorum. Vide Virgil. 6. Æneidos. Balaam verò hæc omnia intelligebat, imò iam antè hæc omnia conceperat, & memoriæ mandarat, cùm scilicet ea solus audiuit ab angelo sibi occurrente, v. 5. Nec enim angelus postea in ipsa vaticinatione ei, aut per eum locutus legitur. Rursum, eum ex mente & seriò hæc dicere, patet ex eo, quod subdit: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Deus ergo non mouit os Balaam, sicut os asinæ loquentis: mouebatur enim Balaam vt homo, non vt brutum. Deus ergo impulit eius voluntatem, & illustrauit eius intellectum, vt piè & libenter, atque ex animo hæc loqueretur. Contrarium tamen sentit Abulens. scilicet Balaam persistentem in impia voluntate maledicendi, coactè & inuitè benedixisse; ex eo, quòd Deus moueret os

VERS. 8.

Nō tantùm lingua, sed & mens Balaam, ad tempus fuit à Deo immutata.

Balaam non fuit arreptitius.

D

Deus illustrauit intellectum & volūtatem Balaam, vt libenter benediceret Hebræis.

os eius, licet inuiti, in eoque efformaret verba hæc, quibus benedixit Israeli, idque probat ex eo, quod ait Balaam v. 12. *Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* Sed illud non cogit: nam *non possum* ibi idem est quod *non licet, non est fas.* Prius ergo quod dixi verius est, idque confirmatur cap. 24. v. 1. vbi dicitur: *Cumq́ vidisset Balaam quòd placeret Domino, vt benediceret Israeli,* &c. *irruente in se spiritu Dei, ait.* Mox tamen à vaticinatione, Balaam rediit ad ingenium, quæsiuitque modos satisfaciendi Balac, & Hebræis maledicendi: & hoc tantùm vult S. Greg. 3. p. Pastor admon. 13. cùm ait, Balaam vocem, non mentem mutasse. Nam eo modo quo dixi, se explicat S. Gregorius lib. 33. Moral. 27. Similimodo Saul inter Prophetas prophetauit, & Deo laudes cecinit, sed digressus ab eis, rediit ad ingenium, & Dauidem persequi perrexit: tam ergo Saul, quàm Balaam permansit in cordis sui duritie & impietate habituali, quam vterque recedente spiritu Dei bono, paulò pòst æquè ac priùs, exseruit.

Balaam mansit in impietate habituali.

Morale.

Similes Balaam & Sauli sunt Christiani, qui viuunt in concubinatu, odiis, ebrietate, possessione bonorum iniustè acquisitorum; & in paschate, vel articulo mortis conteruntur, & proponunt emendationem; sed mox à festo, aut periculo liberi, ad concubinas, odia, pocula & possessiones iniquas redeunt: hi timeant sibi, & expectent finem & catastrophen talem, qualem habuit Saul & Balaam.

Vers. 9. De svmmis silicibvs videbo evm] q. d. Ex prærupto hoc monte speculabor castra Israel, eaque quasi castra Dei speciosa, & pulchrè per suas tribus, acies & vexilla distributa & ordinata speculando delectabor, iisque iucundè fruar.

Popvlvs solvs habitabit] q. d. Israel remotus erit, & ditione & consortio ab aliis omnibus populis, vtpote Gentilibus & idololatris, atque soli Deo vero seruiet propriis suis legibus & ritibus, qui planè diuersi sunt ab omnium aliorum populorum legibus & moribus: vnde *& inter eos non reputabitur*, id est non computabitur: quia inter Gentiles non annumerabitur, nec inter eos censebitur. Chaldæus (qui hîc, & alibi subinde iudaizat) vertit, *ecce populus solus possidebit sæculum*: id enim expectant Iudæi sub Messia, vt soli dominentur in orbe terrarum.

Vers. 10. Qvis dinvmerare possit pvlverem Iacob? id est, vt Chald. vertit, *quis dinumerare poterit paruulos domus Iacob?* de quibus dictum est Genes. 13. 16. quòd *multiplicabuntur sicut puluis terræ.* vnde explicans subdit: et nosse nvmervm stirpis Israel?] Hebr. est, *& nosse numerum quartæ partis Israelis.* In hoc enim carmine, vti & in aliis, more Hebræo, idem repetitur & explicatur hemistichio posteriore, quod dictum est in priore.

Moriatvr anima mea morte ivstorvm, et fiant novissima mea horvm similia] *Anima mea*, id est ego: *anima* enim pro homine, quasi pars pro toto capitur, per synecdochen. Sic etiam accipitur à Samsone cùm ait: *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* anima enim in se mori nequit, sed tamen corpori & homini mori quasi videtur, cùm ab eo separatur. Sic dicitur 1. Mach. 2. 38. *Percusserunt mille animas*, id est mille homines. & 3. Reg. 1. 11. *Salua animam tuam*, id est teipsum, & vitam tuam, vt animam tuam in corpore tuo conserues. Similia sunt multa in Script.

A Nota. Castra Israel vocantur castra iustorum, à potiori & digniori parte, licet in iis plures essent impii, quàm iusti. Simili modo Ecclesia dicitur sancta, licet in ea plures sint impii. Sensus ergo est, q. d. Balaam: Vtinam mihi contingat mori tam læta & felici morte, quali fideles & iusti Israelitæ morientur, scientes se ad meliorem vitam, scilicet ad beatam immortalitatem, transire. Dicunt enim hodie impii, athei & politici, cùm seriò & syncerè statum hominis præsentem & futurum considerant. tanta est vis veritatis. Omnes ergo mali bonam mortem appetunt, sed bonam vitam fugiunt: quia benè mori felicitas est, sed benè viuere laboriosum est: vnum tamen sine alio non conceditur. Æternitas à morte pendet, hæc à vita bona vel mala. elige: periisse semel, æternum est.

Mali impiè viuere, sed piè mori cupiunt.

B Nuper vir quidam princeps hæreticus, aut potiùs Politicus, bonæ tamen indolis & ingenii, rogatus quid de Catholicis & Caluinistis sentiret, vtrorum fides esset verior? respondit argutè, se malle viuere cum Caluinistis, sed mori cum Catholicis; quòd horum mors sit lætior & securior, illorum vita sit licentior & voluptuosior. Verùm saniùs & suæ saluti congruentiùs dixisset: Quandoquidem malo mori cum Catholicis, malo & cum iis viuere: bona enim mors à bona vita pendet, & impossibile est eum qui hæreticè aut malè viuit, benè & feliciter mori. Prudentiùs ergo sibique vtiliùs dixisset Balaam: *Viuat anima mea vita iustorum, vt moriatur morte iustorum.* Qui enim viuit vita piorum, certò morietur morte piorum; & qui viuit vita impiorum, certò morietur morte impiorum, idque semel & semper.

C Lamachus centurio militem erroris admissi increpabat, cumque ille culpam agnosceret, & diceret se deinceps nil tale admissurum, respondit: *In bello non licet bis peccare.* ita Plutarchus in Lacon. At in morte nō licet vel semel peccare. Hoc enim peccatum est irreuocabile, semel mortuus es, semper mortuus es: semel malè mortuus es, damnatus es; per omnem æternitatem hanc mortem corrigere, hanc damnationem excutere non poteris. Iphicrates apud eumdem aiebat, turpissimam esse imperatoris vocem, *Non putaram.* Christiano imprudens & stulta est hæc vox: *Non putaram* tanti interesse inter bonam & malam vitam & mortem; non putaram ab ea pendere tantam æternitatem; non putaram me ita & tam citò moriturū.

D Tropol. S. Bern. serm. 52. in Cant. *Vtinā*, inquit, *hac morte ego frequenter cadam, vt euadā laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis blandimenta, vt nō obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum, & nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima subleuatur. Verùm hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam (si dici potest) angelorum, vt præsentium memoriam excedens, rerum se inferiorum corporearumq́, non modò cupiditatibus, sed & similitudinibus se exuat, sitq́ ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, vt opinor, excessus, aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur. Rerum enim cupiditatibus viuendo non teneri, humana virtutis est; corporum verò similitudinibus speculando non inuolui, angelica puritatis est. Vtrumque tamen diuini muneris est.*

Qualis sit mors iustorum. Exempla.

MORTE IVSTORVM] Vis scire qualis sit mors iustorum? Audi & ambi. S. Nicolaus Tolentinas, vt habet eius Vita c.11. & 13. sex totis ante obitũ mensibus, paulò ante nocturnas preces, singulis noctibus suauissimum angelorum concentum audiuit, qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ præbebat. Itaque quo illum eius vitæ desiderio arsisse credimus, ad cuius iucunditatem tam iucundè inuitabatur? Declarauit ipse, qui frequenter illud Apostoli dictum in ore habebat: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Quin etiam, cùm resolutionis tempus instaret, in extremo spiritu voces fundere cœpit lætantis atque gestientis: cuius insitati gaudij cùm Fratres, qui aderant, causam quæsissent, attonitus ille, vixq; sui compos præ magnitudine rei, *Dominus meus, Iesus Christus*, inquit, *sanctissima matri sua, & Augustino patri nostro innixus, dicit mihi: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* in quibus verbis expirauit.

S. Arnulphus Suessionis Episcopus diem suæ mortis prædixit, & pridie ter magno fragore cella eius concussa est: cæteris timentibus dixit se vocari ad cælum. *Sub prima enim quassatione*, inquit, *beatus Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa, & vitæ ianuam patere: aderat Beatorum frequens cœtus laudes diuinas continenter modulantium. Sub altera quassatione cum multis angelicis spiritibus sanctus Michael me inuisit, pollicens se duce me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina nostra vera misericordia mater, multis stipata sanctarum virginum agminibus benignissima me voce certiorẽ efficiens de anima mea, inter Assumptionis eius gaudia in cælos transferenda.* ita, contigit: moriens enim ipso Assumpt. B. Virginis die in cælũ abiit, vt habet Martyrologium. ita refert Ioannes Lisiardus tertius eius successor in eius Vita, & ex eo Baron. tom. 11. anno Christi 1087.

S. Gregorius l. 4. Dialog. cap. 11. mortem Vrsini presbyteri describens, sic ait; *Cum magna cœpit lætitia clamare, dicens: Bene veniant domini mei, bene veniant domini: quid ad tantillum seruulum vestrum estis dignati conuenire? Venio, venio. Gratias ago, gratias ago. Cumq; hoc iterata voce repeteret, quibus hoc diceret noti sui qui illum circumsteterant, requirebant; quibus ille admirando respondit, dicens: Numquid hîc conuenisse sanctos Apostolos non videtis? beatos Petrum & Paulum, primos Apostolorum non adspicitis? Ad quos iterum conuersus, dicebat: Ecce venio, ecce venio: atque inter hæc verba animam reddidit. Et quia veraciter sanctos Apostolos viderit, eos etiam sequendo testatus est. Quod plerumque contingit iustis, vt in morte sua Sanctorum præcellentium visiones adspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiã pertimescãt; sed, dum eorum menti internorum ciuiũ societas ostenditur, à carnis suæ copula sine doloris & formidinis fatigatione soluãtur.*

Ibidem cap. 10. refert de Spe Abbate, quòd, cùm 40. annos fuisset cæcus, sub mortẽ visum receperit, quodq; suis dans monita salutis, communicans, psallens, orans animam Deo reddiderit, quam specie columbæ in cælum ferri Fratres viderunt.

Cap. 12. narrat de Probo Reatis Episcopo, quòd ad eum moribundum venerint S. Iuuenalis & S. Eleutherius Martyres candidis induti, qui eum ad cæleste epulum inuitarunt.

Cap. 13. narrat de S. Galla, quæ videns S. Petrum rogauit: *Súntne mihi dimissa peccata?* cui S. Petrus: *Dimissa, veni.* Vnde tertio die cum alia sorore, quam S. Petrus nominauerat, defuncta est.

Cap. 14. miram narrat vitam & obitum S. Seruuli pauperis & paralytici, qui moriens audiuit angelos canentes, seq; inuitantes & educentes ad cælum, relicta post se mira odoris fragrantia.

Cap. 15. narrat transitum S. Romulæ & cælestes exequias. nam in eius morte palàm auditus est chorus virorum & feminarum psallentium, qui animam eius in cælum eduxit; & quanto chori psallentium altiùs ascendebant, tanto psalmodia leniùs audiebatur.

Cap. 16. narrat transitum amitæ suæ Tarsillæ virginis, quæ ab abauo S. Felice euocata in cælum, ægrotare cœpit, ac moriens clamauit: *Recedite, Iesus venit.*

Qualis sit mors impiorum? Exempla.

E contrario vis nosse qualis sit mors impiorum? Audi & perhorresce. Impia Iesabel iussu Iehu ex fenestra prçcipitata, vngulis equorum conculcata, & à canibus comesta est, 4. Reg. 9. 33.

Balsasar se inebrians vidit manum scribentem, *mane, tekel, phares*, & expauit: eademque nocte à Cyro vita & regno spoliatus est, Daniel. 5.

Antiochus qui multos torserat, passus dirum dolorem viscerum, fœtorem & vermes, miserabili morte in montibus vita defunctus est. 2. Machab. 9. 9. Similis fuit mors Herodis Ascalonitæ.

Hunericus rex Wandalorum, & persecutor Catholicorum sceleratissimus, inquit Victor Vticens. lib. 3. Wandal. *tenuit dominationem regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans. nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis eius, videbantur esse sepulta.* Addit Gregor. Turon. lib. 2. de Gestis Franc. c. 3. eum arreptum à dæmone proprijs morsibus se laniasse, & solem tetrum apparuisse, ita vt vix tertia eius pars eluceret. ita infelix Hunericus mortuus est anno Christi 484.

Nota est Chrysaorij mors clamantis, *Inducias vsque mane*, teste S. Gregor. hom. 12. in Euang.

Audi alterius similem, quam refert Gregor. Turon. lib. 5. Histor. Franc. c. 36. & ex eo Baron. anno Christi 583. *Funesta*, inquit, *morte ex hac vita abreptus est Nantinus Comes Engolismensis, qui cùm in sancta loca, Deiq; ministros mala multa patrasset, à morbo corripitur: qui nimia exustus febre, clamauit, dicens; Heu, heu, ab Heraclio Antistite exuror: ab illo crucior: ab illo ad iudicium vocor. Cognosco facinus; reminiscor iniustè iniurias me intulisse Pontifici: mortem deprecor, ne diutiùs crucier hoc tormento. Hæc cùm maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia hoc ei ad vltionem beati viri venisse: nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, vt putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo omnes hæc obstupescant, admirentur & metuant, ne inferant iniurias sacerdotibus: quia vltor est Dominus seruorum suorũ sperantiũ in se.*

Caluinus varijs morbis miserè excruciatus, teste Beza, insuper à pediculis corrosus est, vti refert Hieron. Bolsecus medicus Lugdun. eius olim discipulus, in eius Vita c. 22. Vbi Nota eos qui Ecclesiam persequuntur, iusto Dei iudicio à vermibus deuorari Ita enim contigit Hunerico, Herodi, Antiocho, Maximiano Imp. Arnulpho Imper. Caroli Crassi successori, & Caluino.

Modus moriendi morte iustorũ.

Iam, vis mori morte non impiorum, sed iustorum? *Disce mori*, assiduè te moriturum cogita, dum sanus es præpara te ad mortem.

Ita S. Bernardus suadet Eugenio Pontifici epist. 237. *In omnibus operibus tuis memento te esse hominem &*

& timor eius, qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quatorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tua certissima & citissima decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nunciet tibi. Iugi proinde meditatione inter huius præsentis gloriæ blandimenta memorare nouissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.

Cùm olim coronaretur Imperator, sepulchrorum constructores quatuor aut quinque ad eum deferebant marmoris frusta, varij coloris, inquirentes ex quo vellet sibi construi sepulchrum: quo suæ mortalitatis admonebatur, & vt prudenter imperaret. Ita refert Leontius in Vita S. Ioannis Eleëmosynarij, vbi pariter narrat S. Ioannem curasse sibi fieri sepulchrum, sed imperfectum reliquisse, & in mensa assidenti sibi iussisse à suis suggeri: *Monumentum tuum vsque hodie est imperfectum, Domine, iube ergo vt id finem accipiat: incertum enim est qua hora fur ingrediatur*, nempe mors.

S. Gregorius Thaumaturgus, teste Nysseno in eius Vita, ita mori didicit, cùm tota vita æstimauit se hîc esse peregrinum, nec alicuius loci possessor esse voluit: quin & moriens proprium sepulchrum habere noluit, sed in alieno sepeliri cupiuit.

S. Augustinus, teste Possidonio, ad mortem se comparabat legendo assiduè psalmos Pœnitentiales, flendo vbertim, orando assiduè, vt per decem vltimos vitæ dies neminem nisi medicum, vel refectionem afferentem ad se admitteret; dicebatque etiam laudatos Christianos absque digna & competente pœnitentia de corpore exire non debere.

Ita parauit se ad mortem S. Fulgentius mortificando se, flendo, balnea recusando, in morbis orando: *Domine da mihi modò patientiam, & postea indulgentiam.*

Ferdinandus Castellæ & Legionis rex Catholicus & pudicus, anno Domini 1065. vti refert Lucas Tudensis & ex eo Baronius, sentiens se deficere, ab Episcopis & viris religiosis delatus est ad ecclesiam cultu regio; ibi fixis genibus ad altare ait: *Tua est potestas Domine. tuum est regnũ Regnum quod te dominante accepi. & quãdiu tua voluntati placuit rexi, ecce reddo tibi tantùm animam de voragine ipsius mũdi ereptam, vt ipsam ad te suscipias, deprecor.* Et hæc dicẽs, exuit regalem chlamydẽ qua induebatur corpus, deposuit & gemmatam coronam qua caput ambiebatur, atque cum lachrymis solo prostratus pro delictorum venia Dominũ attentiùs exorabat. Tunc ab Episcopis accepta pœnitentia, Extremæ vnctionis Sacramento perunctus, induitur cilicio pro ornamento regali, & aspergitur cinere pro aureo diademate, cui vitali in pœnitentia permanenti coram prædicto altari, duobus diebus à Deo viuere datum est. Sequenti autem, qui erat sancti Ioannis Euangelistæ, inter manus Pontificum, cælo tradidit spiritum, anno Christi 1065.

Caroli V. mors. Carolus V. Imp. memor conditionis suæ humanæ, diu ante mortem administratione reipublicæ se sponte submouit; & cùm in filium iam validum æui & animi, curas cõtulisset, secessit in Hispaniam, & in S. Iusti monasterio, septem à Placentia milliaribus se abdidit, cum duodecim dumtaxat familiaribus, Deo & quieti vacaturus; interdixit autem aliter se quàm Carolum appellari, Cæsaris atque Augusti nomina cũ rebus animo exuens, & totum hoc honorari contemnens. Imò hoc ampliùs ferunt, diu ante imperium à se abdicatum, sarcophagum sibi construi iussisse, cum funebri supellectile deportandum, clanculum tamen, quocumque iret, quem paratum habuit apud se quinque annis, vbicumque locorum esset. Arbitrabantur autem quidam qui circa eum erant, thesaurum aliquem illic detineri & conseruari; alij aliquid librorum, quibus historiæ veteres continentur; alij aliud quidpiã magni. Cæsar verò sibi conscius in quem vsum secum deferret, subticendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissimæ vsum id secum deferri dicebat: sic assiduè mortem ante oculos sibi proposuit, & sibi semper capulum funebrem adesse voluit, vt perpetua mortis cogitatio eximeret à corde vanum huius mundi fastum; sanctas autem actiones agendas, dum viueret, admoneret. ita inter alios refert Lipsius lib. 2 Monit. c. 14.

Idem fecit Caroli auus Maximilianus I. Imper. qui insuper hoc testamento cauit, vt exanimũ corpus suum rudi linteo inuolutum, sine vlla exenteratione sarcophago, quem quadriennio ante mortem parari curarat, imponeretur, naribus, ore, auribusque viua calce oppletis. Cur hoc? voluit monumentum illud assiduè in oculis habere, quod diceret: Maximiliane cogita mori. quid te dilatas & extendis? quem tot regna non capiunt, loculus iste capiet. Sed cur non aromatibus, sed calce condiri vis? vt citiùs redeam in terram ex qua sumptus sum. *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* ita refert Lipsius ibidem.

ET FIANT NOVISSIMA MEA HORVM SIMILIA] Ex hoc exemplo Balaam pulchrè docet S. Gregorius 33. Moral. 27. quòd *virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Balaam enim cùm compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit, & cùm occasionem de auaritia reperit, ilico oblitus est quidquid sibi de innocentia optauit.*

Nota hîc miram efficaciam gratiæ, & inspirationis diuinæ, quæ quamdiu adfuit, Balaami animum immutauit, terraque & cælo superiorem effecit. Nam, vt ait S. Cyprianus epist. ad Donatum l. 2. epist. 2. *Vt sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita se spiritus cælestis infundit. postquam auctorem suum, cælum intuens anima cognouit, sole altior, & hac omni potestate sublimior, id esse incipit, quod se esse credit.* Vnde infert: *Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille diuitem & saturum fecerit, nemo pauperem aut famelicum efficiet.* & superiùs: *Nihil appetere iam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est.*

Vide ergo hîc, quàm subitò Spiritus sanctus hominis impij cor & linguam conuertat. Verè S. Gregor. *Considero*, inquit, *patres noui & veteris testamenti, Dauid, Danielem, Amos, Petrum, Paulum & Matthæum, & apertis fide oculis intueor: implet namq; Spiritus sanctus puerum citharœdum, & psalmistam facit: implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit: implet pastorem armentarium, & Prophetam facit: implet piscatorem, & principem Apostolorum facit: implet persecutorem, & Doctorem Gentium facit: implet publicanum, & Euangelistam facit. quàm ergo insani sumus, qui hunc Spiritum non quærimus!*

Symbolicè, mors iustorum est mortificatio passionum, quam acquirunt per contemplationem &

& vitam cælestem. Hanc optabat sanctus Bernard. serm. 52. in Cant. dicens: *Excedente anima, etsi non vita, certè vita sensu, necesse est etiam, vt nec vita tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam? Vtinam hac morte ego frequenter cadam, & euadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, & molestias curarum! Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla iam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.*

Triplex est mors, inquit Hugo Cardinalis, *natura, culpa & gratia. in prima moritur caro; in secunda, anima; in tertia, totus homo. Prima separat animam à carne: secunda diuidit gratiam à mente: tertia seiungit totum hominem à curis sæculi. Prima est omnium: secunda est malorum: tertia est bonorum. Mortui prima morte sepeliuntur in mundo: secundi in inferno cum diuite Epulone: tertij in cælo cum Lazaro. De prima dicitur* Eccli. 41. *O mors, quàm amara est memoria tua! De secunda: Mors peccatorum pessima. De tertia: Moriatur anima mea morte iustorum.*

VERS. 13. DIXIT ERGO BALAC: VENI MECVM IN ALTERVM LOCVM, VNDE PARTEM ISRAEL VIDEAS, ET TOTVM VIDERE NON POSSIS, INDE MALEDICITO EI] Balac hîc superstitiosè loco, & visioni totius Israelis benedictionem Balaam attribuit, quasi ideo benedixisset Israeli, quia totum eius populum viderat, aut quòd ille locus præ alijs fortunatus esset, siue ex cæli & astrorum influentia, siue aliunde. Similiter Syri victi ab Israelitis dixerunt: *Dij montium sunt dij eorum; ideo superauerunt nos: sed melius est vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos*, 3. Regum 20. 23.

VERS. 14. CVMQVE DVXISSET EVM IN LOCVM SVBLIMEM] Hebr. *in agrum*, id est locum, *speculatorum*, id est speculam.

ÆDIFICAVIT BALAAM SEPTEM ARAS] similes illis de quibus dictum est v. 1.

VERS. 18. & 19. STA BALAC, ET AVSCVLTA, &c. NON EST DEVS QVASI HOMO, VT MENTIATVR; NEC VT FILIVS HOMINIS, VT MVTETVR] q. d. Ne putes, ô Balac, me priorem Israelis benedictionem, quam à Deo accepi, retractaturum: Deus enim, qui meam mentem & linguam regit, non est is qui mutetur. Hebraicè, *non est qui pœniteat*, id est reuocet & mutet sua dicta & promissa. Est enim ipse per essentiam immutabilis, *stabilisq́; manens dat cuncta moueri*, vt ait Boëtius. Vnde sequitur:

DIXIT ERGO (Deus scilicet, vt non maledicerem Israeli) ET NON FACIET?] q. d. Omnino faciet quod dixit, scilicet efficiet, vt ego non maledicam Israeli.

Nota. Homo solet ex quatuor causis promissum negare, Primò quando fallaciter aliquid promittit & mentitur; Secundò, quando ipsum promissi pœnitet; Tertiò, quando offenditur ab eo cui aliquid promisit; Quartò, quando non est in eius potestate, vt promissum soluat. Hæc à Deo longissimè absunt. Nam Primò, non mentitur, vt homo; Secundò, non pœnitet vt filius hominis; Tertiò, non hominis meritum aut demeritum, sed suam bonitatem, & promissionem ac fidelitatem aspicit: Quartò, habet fortitudinem vt rhinoceros, ideò potest præstare quod promittit; & quia potest, reipsa præstat.

VERS. 20. AD BENEDICENDVM ADDVCTVS SVM, BENEDICTIONEM PROHIBERE NON VALEO] Rectè dicit, non *veni*, sed *adductus sum*: ipse enim veniebat ea mente, vt malediceret. Deus verò adducebat eum vt benediceret. Legit noster Interpres, vti & LXX. passiuè in Pual לֻקָּחְתִּי *lukachti*, id est acceptus, adductus sum: iam in Cal legunt לָקַחְתִּי *lacachti*, id est accepi. vnde Vatablus vertit ad verbum, *ecce benedictionem accepi, & benedicit*, scilicet Deus, *non reuocabo illam*, scilicet benedictionem. sed eòdem redit sensus.

BENEDICTIONEM PROHIBERE NON VALEO] Non quasi Balaam coactus, contra voluntatẽ hæc dixerit, Deusque illo inuito, hæc verba in ore eius efformarit, vt vult Abulens. sed quòd mens eius ita illustraretur à Deo, ac voluntas eius ita incitaretur ad laudem & benedictionem Israelis, vt ægrè & difficulter posset ei maledicere, imò vix posset non benedicere. vide dicta v. 7.

NON EST IDOLVM IN IACOB, &c. DOMINVS DEVS EIVS CVM EO EST, ET CLANGOR VICTORIÆ REGIS IN ILLO] Pulchrè & clarè hæc reddit Chaldæus, *intueor, quoniam non sunt seruientes idolis in domo Iacob, neque operantes falsitatem* (falsos deos, putà falsorum deorum simulachra) *in Israel. Verbum Domini Dei sui est in adiutorium eorum, & maiestas regis sui est inter eos.* Nota. Idola & simulachra hîc in Hebræo, vti & sæpè à Prophetis, vocantur אָוֶן & עָמָל *auen* & *amal*, id est dolor & labor, vel iniquitas & labor: quia maximorum laborum & dolorum suis cultoribus sunt causa. Ex hoc loco patet, Hebræos hoc tempore, scilicet anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto, non coluisse idola, saltem publicè. Nam antea eos in Ægypto & in deserto vitulum aureum & alia idola coluisse, patet Amos 5. 25. & Actor. 7. v. 42. & 43. VERS. 21.

ET CLANGOR VICTORIÆ REGIS IN ILLO] Alludit ad duas tubas argenteas, iussu Domini factas, quibus personantibus Deus iusserat Hebræos bellum inire, seque tum eis adfore, & victoriam daturum promiserat cap. 10. v. 9. q. d. Inexpugnabilis & insuperabilis est Israel, vtpote qui secum vehit victoriam. habet enim Deum ducem, in duce Regem, in Rege fortem, in forti victoriam. Deus ergo est rex eorum, qui clangentibus tubis dat eis victoriam.

Vide hîc quàm Deus dissipet consilia principum impiorum, eaque in ipsorum caput retorqueat, idq́; per ipsosmet quos ad suam impietatẽ pertrahere sunt conati. Qui enim Deo sunt infidi, etiam hominibus sunt infidi. Quare prudenter Theodoricus rex Gothorum, Arrianus licèt, cùm Diaconum quemdam orthodoxum diligeret, illeque vt regi magis placeret, Arrianus esset factus, mox eum capite truncari iussit, dicens: *Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini sinceram seruabis conscientiam?* ita refert Theodorus Lector in suis Collect. l. 2. Ita nutu Dei Balaam sollicitatus à Balac ad infidelitatem, eidem infidus & aduersarius fuit, atque contra eum, pro hostibus eius Hebræis vaticinatus est victoriam.

DEVS EDVXIT ILLVM DE ÆGYPTO, CVIVS FORTITVDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS] Chald. R. Salomon, & Eugubinus vertunt, *cuius excelsa & eleuata est fortitudo.* Legunt enim רָם *ram*, id est excelsus, non *reem*, sed Noster cum Septuag. hîc & alibi legit רְאֵם *reem*, id est rhinoceros, VERS. 22.

vel,

vel, vt Septuag. vertunt, monoceros, id est, vt Noster alibi vertit, vnicornis. Et licet vtrumque hoc animal idem esse, doceant Tertull. libr. contra Iudæos cap. 10. S. Gregorius 31. Moral. 13. Isidor. 12. Etymol. 2. & Beda in 39 Iob, dicantque esse animal habens vnum cornu in media fronte, quatuor pedum, ita acutum & validum, vt quidquid eoimpetierit, aut ventilet aut perforet; tamen verius est, rhinocerotem siue naricornem, à monocerote siue vnicorni distingui. Distinguit enim eos Plinius, & ex eo Physici passim: rhinoceros enim, vt docet Plinius libr. 8. 20. colore est buxeo, & cornu habet ex naribus extans, non rectum, sed reflexum & aduncum, indeque dicitur Rhinoceros à ῥὶν, id est nasus, & κέρας, id est cornu, eoque fortissimus est, ac pugnat cum elephanto, cui longitudine penè par est, sed cruribus multò breuioribus, cornu ad saxa limato se pugnæ præparat, in eaque aluum maximè petit, quam molliorē esse intelligit, eaq; perfossa actutum superat elephantum. Ita Emmanuel rex Lusitaniæ, anno 1515. Vlysippone dedit insigne spectaculum elephantis cum rhinocerote certantis, in quo elephas succubuit. Hinc rhinoceros symbolum est fortitudinis, ac consequenter Dei, qui fortissimus est. Rursum, rhinoceros symbolum est tardæ iræ, sed terribilis. Ipse enim magna indiget iritatione, sed vbi irasci cœperit, est ferocissimus: sic & Deus tarditatem supplicij grauitate compensat. vnde prouerbium: Dij laneos habent pedes, sed ferreas manus. Quocirca primus, qui in arenam produxit rhinocerotem contra taurum & vrsum Domitianus Imp. in dedicatione amphitheatri, nummum cudi iussit, cum effigie rhinocerotis, vt significaret se instar rhinocerotis Primò, magnanimum esse, ac præditum fortitudine regali; Secundò, se tardum esse ad iram, sed ea concitata implacabilem. Id explicuit duplici epigrammate Martialis, qui Domitiano fuit in delicijs. Priori explicat robur incomparabile rhinocerotis, in duello taurum instar pilæ iactantis, aitque:

Rhinoceros alius est à monocerote.

Rhinoceros quis, & vnde dictus?

Rhinoceros symbolū est primò, fortitudinis; secundò, Dei; tertiò, tardæ iræ, sed terribilis.

Præstitit exhibitus tota tibi Cæsar arena,
Quæ non promisit prælia rhinoceros.
O quàm terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Altero docet eum tardè irasci, sed vbi irascitur esse furiosissimum, ac ferire hostem non vno, sed duobus cornibus. Ait enim:

Sollicitant pauidi dum rhinocerota magistri,
Seq; diu magnæ colligit ira feræ;
Desperabantur promissi prælia Martis;
Sed tamen is redijt cognitus antè furor.
Namque grauem gemino cornu sic extulit vrsum,
Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

Monoceros verò, inquit Plinius l. 8. 21. est fera asperrima, reliquo corpore equo similis, capite ceruo, pedibus elephāto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte, duorum cubitorum, eminente. hanc feram viuam negant capi. Similia habet Ælianus l. 16. de Anim. c. 20. & lib. 17. c. 44. qui monocerotem iuba ac pilis furuum facit, pedibus celerem, cornu nigro, mansuetū erga bestias alias, ferum cum gregalibus. Hunc Pierius in hieroglyphico rhinocerotis, halicornum vocat, eumque esse putat illum, quem Septuaginta hic monocerotem, Noster alibi vnicornem vertit. Hebræa enim vox *reem* tam monocerotem, quàm rhinocerotem significat: vti & alia pleraque

Monoceros quis?

A animalium nomina apud Hebræos pluribus communia sunt. Monocerós ergo, inquit S. Gregorius & Isidorus suprà, tantæ est fortitudinis, vt nulla venantium arte capiatur; sed, vt physici asserunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit; ille omni ferocitate deposita caput deponit, sicque soporatus, veluti inermis capitur.

Monocerotē aiunt solo virginis sinu capi.

Idem tradit Rupertus & Pierius suprà, & Albertus Magnus l. 22. de Animal. quæ historia si vera est, appositè monoceros erit Christus. vnde Rupertus, *Fortissimus*, ait, *spirituum Deus, velut vnicornis, id est potentiæ singularis, Deus incomprehensibilis, & inuictæ virtutis, virginei tractus odore vteri, illīq; inclusus est, & ex eo tantùm comprehendi potuit, & occidi.* Hinc etiam Tertull. contra Iud. 10. & Iustin. cōtra Tryphonem pag. 71. illud Deuter. 33. 17. *Cornua*
B *monocerotis* (ita enim habent Septuag. pro *rhinocerotis*) *cornua eius*, de cornibus crucis Christi dictum accipiunt, scilicet allegoricè: Christi enim cornua, id est robur & fortitudo, quibus ventilauit dæmonem, & confixit peccatum ac mortem, fuit crux.

Sic Christus solo B Virginis sinu captus est.

Cornua Christi fuit crux.

Verùm Marcus Paulus Venetus l. 3. c. 15. Gesnerus in monocerote, & alij viri docti, hanc de monocerotis per virginem cicuratione narrationē, fabulam vocant, eamq; ortam asserit Gesnerus ex eo, quòd monoceros cùm sit asperrimus, tantùm mitescat, quando cum femella sua commiscetur: vnde & Plinius, Ælianus, Aristot. & alij in historia animalium nullam huius cicurationis faciunt mentionem. Idem asseuerat Andreas Bacci medicus tract. de Halicorno pag. 67. vbi ex Æliano docet, halicornum ita ferum esse, vt etiam feminam suam oderit, adeoque ab ea secedens so-
C litarius per deserta vagetur, donec amore incalescens, dum tempus est generandi, posita feritate, blandè ad eam accedit, cum eaque pascitur & commiscetur. At mox, vbi eam concepisse, & vterum intumescere sentit, ad pristinam feritatem, auersionem & solitudinem redit.

Veriùs alij negant, monocerotē per virginem cicurari.

Denique Theodoret. quæst. 44. putat ipsum populum Hebræorum hîc monocerotem vocari; eò quòd vnum Deum coleret, ideoque ab eo corroboraretur, fieretque fortis vt monoceros. Meliùs tamen Procopius, Rabanus, Rupertus & alij censent, Deum hîc vocari rhinocerotem, vel monocerotem, iuxta sensum quem paulò antè dedi. Nam & alibi Script. fortitudinem Dei ex rhinocerotis fortitudine metitur, vt patet Iob 39. 12. Deus verò hanc suam fortitudinem, ac consequenter & nomen rhinocerotis, Hebræis, alijsque suis clientibus
D communicauit & communicat.

Israel quoque per Deū est rhinoceros.

NON EST AVGVRIVM IN IACOB, NEC DIVINATIO IN ISRAEL] Sub his omnem incantationem & maleficium intelligit, velut genus sub specie vulgatissima. Laudat ergo Balaam hîc Israelem, quòd vti non colit idola, ita nec habeat auguria: sed quia Deum verum colit, ideo veras ab eo prophetias & responsa accipiat, tum per Mosen, tum per pontificem Eleazarum, vrim & tummim vestitū, tum per alios Prophetas, quodq; Deus Israelem tueatur, & proeo pugnet. vnde subdit: *Temporibus suis*, putà sequentibus sæculis, *dicetur Iacob & Israeli*, id est posteris Israelitarum, *quid* & quanta *pro eo operatus sit Deus.* VERS. 23.

ECCE POPVLVS VT LEÆNA CONSVRGET, ET QVASI LEO ERIGETVR] Comparat Israelem leoni & leænæ, quæ cùm catulos lactat, & famet, præ leone ferocit & sæuit. Vide dicta Gen. 49. 9. VERS. 24.

Non

NON ACCVBABIT, DONEC DEVORET PRÆDAM, ET OCCISORVM SANGVINEM BIBAT] Persistit in metaphora leonis, q d. Nō quiescet Israel, donec hostes Chananæos proterat, ex eisque prædam diuidat, atque terrā eorū sibi promissam capiat & partiatur, imò donec vt leo occisorū sanguinem bibat: non quasi hoc ad literam futurū sit, aut quasi tale quid postea reipsa fecerit Israel; sed quòd perfectā & lætissimam victoriā de Chananæis, aliisque hostibus relaturus sit, in qua sanguinē eorum fusurus sit tam facilè, tam iucundè & sine suorū strage, ac si calicem hauriret & ebiberet: aut potiùs, quòd in illa victoria tam copiosum hostium sanguinem fusurus sit, vt is torrentis in modum defluens, potum præbere possit victoribus, itaq; eorum desideriū, & quasi sitim abundè satiare. Hoc enim tantùm hæc & similes phrases per catachresin & metalepsin significant, vt psal. 57. 10. *Lauabit* A *manus suas in sanguine peccatoris.* Isaiæ 63. v. 3. *Calcaui eos in furore meo, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* psal. 67. 24. *Vt intingatur pes tuus in sanguine.* psal. 109. v. vlt. *De torrente in via bibet.* Hæc enim omnia non aliud significant, quàm insignem, plenā & perfectam de hostibus victoriam.

Bibere occisorum sanguinem quid

ET AIT BALAC AD EVM: VENI, ET DVCAM TE AD ALIVM LOCVM; SI FORTE PLACEAT DEO, VT INDE MALEDICAS EIS] Est hæc secunda loci mutatio, quo Balac superstitiosus sperabat, Balaam maledicturum Hebræis. vnde ter è tribus diuersis locis, Balaam vice versa benedixit Hebræis; scilicet Primò, ex monte Abarim, & templo Baal, c. 22. 41. Secundò, ex vertice Phasga, c. 23. 14. Tertiò, hîc ex monte Phogor, vt patet ex vers. sequ. Porrò Phogor, vel Phegor, erat idolum, à quo nuncupatus est Beelphegor, æquè ac mons hic, de quo cap. 25. 3. VERS. 27.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balaam tertiò benedicit Israeli, & quartò v. 15. vbi vaticinatur de regno Christi, instar stellæ ex Israele nascituri, item de Amalec, de Cinæis, de regno Romanorum, eorumq; excidio.

1. CVmque vidisset Balaam quòd placeret Domino vt benediceret Israeli, nequaquam abijt vt antè perrexerat, vt augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum, 2. & eleuans oculos, vidit Israel in tentorijs commorantem per tribus suas: & irruente in se spiritu Dei, 3. assumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus: 4. dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius. 5. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! 6. vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus: quasi cedri prope aquas. 7. Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius. 8. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Deuorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis. 9. Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur. 10. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus econtrario tertiò benedixisti: 11. reuertere ad locum tuum. Decreueram quidem magnificè honorare te, sed Dominus priuauit te honore disposito. 12. Respondit Balaam ad Balac: Nónne nuntijs tuis, quos misisti ad me, dixi: 13. Si dederit mihi Balac plenā domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, vt boni quid vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? 14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consiliū quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. 15. Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus: 16. dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. 17. Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth. 18. Et erit Idumæa possessio eius; hereditas Seir cedet inimicis suis: Israel verò fortiter aget. 19. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis. 20. Cumq; vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur. 21. Vidit quoque Cinæum: & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum, 22. & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te. 23. Assumptaq; parabola iterum locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? 24. Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntq; Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt. 25. Surrexitq; Balaam, & reuersus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit.

CVMQVE

VERS. 1. CVMQVE VIDISSET BALAAM, QVOD PLACERET DOMINO, VT BENEDICERET ISRAELI] Vidit, id est cognouit, id Balaam, ex interna illustratione Dei. Deus enim, antequam Balaam de more pergeret ad quærendum augurium, præuenit eum, impellens eius voluntatem, & illustrans eius intellectum, vt clarè videret, qualis esset populus Israel, quamque Deo acceptus, & quàm dignus benedictione: vnde ipse non abijt ad sua auguria, sed extemplò populo benedixit.

NEQVAQVAM ABIIT, VT ANTE PERREXERAT, VT AVGVRIVM QVÆRERET] Septuag. *εἰς συνάντησιν τοῖς οἰωνοῖς*, id est, *in occursum auibus*. Augurium enim est diuinatio quæ ex auium volatu, cantu aut pastu capitur, diciturq; augurium, quasi *auigerium*: quia ex gestu auium sumebatur; inde tamen transfertur ad quamlibet diuinationem, vt dixi Genes. 44. v. 5. An ergo Balaam ex auibus, an ex victimarum extis, an verò à solo dæmone familiari augurium, id est diuinationem suam, quærere solitus sit, non constat: id constat, ipsum verè augurem & maleficum fuisse, vti ostendi c. 22. 5.

Augurium dicitur quasi auigerium.

VERS. 2. IRRVENTE IN SE SPIRITV DEI] *Spiritus Dei* hic est spiritus prophetiæ, siue lumen supernaturale infusum intellectui Prophetæ, ad intelligendum abscondita: quia enim illud lumen est tamquam aliquod viuens, hinc vocatur *spiritus Dei*, id est à Deo aspiratus. Spiritus enim à spirando & mouendo dicitur: vnde omne id quod habet vitam & motum, dicitur esse spiritus, vel habere spiritum. lumen ergo hoc non est aliud, quàm illustratio & reuelatio menti Prophetæ indita: hæc autem illustratio est actus vitalis, vt patet.

VERS. 3. ASSVMPTA PARABOLA] *Parabola*, id est prophetia. q.d. Prophetans. Vide dicta c. 23. 7.

AIT: DIXIT BALAAM, DIXIT HOMO CVIVS OBTVRATVS EST OCVLVS] id est, qui vnum, vel vtrumque oculum perdidit; inquit R. Salomon. Putat enim ipse Balaam fuisse luscum, vel cæcum. Sed hæc sunt eius commenta. Secundò, alij per oculum accipiunt intellectum practicum. Licet enim Balaam in prophetia, apertum haberet oculum intellectus speculatiuum, ad cernendum futura; clausum tamen habebat oculum practicum, qui eum dirigeret ad benè recteque agendum: erat enim homo impius. Vnde Rabanus, *Balaam*, inquit, *obturatus est oculus, ad corrigendum errorem suum, & ad venerandum ipsius prophetiæ auctorem; cùm apertus ei esset oculus, ad perspicienda prophetiæ sacramenta.* Sed hic sensus potiùs mysticus videtur, quàm literalis.

R. Salomon ait Balaam fuisse luscū.

Dico ergo, *cuius obturatus est oculus*, sensus est, q.d. Qui in somnis, quando clauduntur oculi, accepit à Deo propheticam visionem. Nam in somnis Deum locutum esse Balaam semel & secundò, patet c. 22. v. 8. & 20. ita Raban. & Abulens. qui licèt primò hanc expositionem refutare videatur, paulò pòst tamen eam probat, aliisque præfert. Posset Secundò, sic exponi, *cuius obturatus est oculus*, id est, qui raptus in ecstasin, & alienus à sensibus, vidit visiones Dei.

Recentiores contrariè vertunt, *cuius aperti sunt oculi*, sed perperam. Hebr. enim שתם *satam* per *sin*, æquè ac סתם *satam* per *samech*, significat obturare, non aperire, vti rectè ostendit Oleaster.

VERS. 4. QVI CADIT, scilicet in somnum, vel alienationem à sensibus, ET SIC APERIVNTVR OCVLI EIVS] scilicet mentis, per lumen propheticum. Idem enim dicit, sed alijs verbis, cum eo quod dixit vers. præc. ita Septuag. & Philo. Secundò, Hebræi, & Hieron. Prado in Ezech. 2. 2. *Qui cadit*, inquiunt, id est qui incidit in deliquium animi & corporis, ita vt corpus concidat & corruat, mox vt aperti sunt oculi eius in visione.

Tropolog. S. Gregor. hom. 9. in Ezech. *Cadens*, inquit, *Balaam apertos oculos habuit, qui rectum quod diceret vidit, sed rectè agere contempsit; cadens videlicet in peruerso opere, & apertos habens oculos in sancta prædicatione.* Nam, vt ait S. August. in Sentent. sent. 6. *Vera confessio est benedicentis, cùm idem sonus est oris & cordis: bene autem loqui & malè viuere, nihil aliud est, quàm se sua voce damnare.*

VERS. 5. & 6. QVAM PVLCHRA TABERNACVLA TVA IACOB, &c. VT VALLES NEMOROSÆ, VT HORTI IVXTA FLVVIOS IRRIGVI, VT TABERNACVLA QVÆ FIXIT DOMINVS, QVASI CEDRI PROPE AQVAS] Pro *valles nemorosæ* hebr. est כנחלים נטיו *kinchalim nittaiu*, id est sicut valles expandentes, scilicet arborum suarum ramos. Vnde Septuag. vertunt, *sicut valles obumbrantes*. Potest Secundò, verti cū Chaldæo, & Recent. *sicut torrentes se expandentes*, id est spatiosè & amplè defluentes.

Nota. Tabernacula Israelis hic Primò comparantur valli nemorosæ, quæ scilicet multas habet arbores instar nemoris: sicut enim in illa magna est arborum, primò, viriditas & pulchritudo; secundò, conuenientia; tertiò, vmbra: ita pariter hæc tria erant in tabernaculis castrorum Israel.

Castra Israel comparantur primò, nemori;

Secundò, comparantur hortis iuxta fluuios irriguis: hi enim semper virent & fructum dant copiosum in tempore; talia erant tabernacula Israel, aliorumque piorum. Vnde de viro iusto dicitur psal. 1. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.*

secundò, hortis;

Tertiò, cōparantur tabernaculis quæ fixit Dominus, quæ scilicet solida & firma sunt, vtpote à Deo erecta & stabilita: talia erant & castra Israel; ita vt nullus hostium ea concutere posset, quia Deus illa solidè conseruabat. Nota. Pro *tabernaculis*, verti potest cum Chaldæo & Vatablo, *cassia* vel *arbores aromaticæ, quas plantauit Dominus*: hisce enim rectè comparatur Israel, & viri pij.

tertiò, tabernaculis;

Quartò, comparantur cedris iuxta aquas: cedri enim cùm magnæ & proceræ sint, magna indigent irrigatione & alimento; ac proinde prope aquas maximè excrescunt: sic enim & Israel positus prope aquas & mare, id est prope Deum suum, qui infundebat ei abundanter manna, & omnia quibus indigebat, mirè crescebat: & hoc est quod ipsemet Moses pro eis gloriatur, dicens Deuter. 4. 7. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

quartò, cedris.

Quocirca Paraphrastes Hierosolymitanus pressiùs ita vertit: *Quàm bona sunt tabernacula in quibus orauit Iacob pater eorum, & tabernaculum fœderis quod fecistis nomini meo, atque tabernacula per circuitum domus Israel. Sicut torrentes prævalent, sic quoque Israelitæ prævalebunt hostibus suis. Sicut sunt horti plātati ad scaturigines aquarum, sic erunt ciuitates eorum proferentes, scilicet Scribas & Doctores legis. Et sicut est cælum quod expandit verbum Domini pro domicilio quietis*

quietis sua, sic viuent & durabunt Israelita in aeternum. Decori & celebres sunt tamquam cedri iuxta aquas, qua extolluntur crescendo.

Anagog. per hæc tabernacula significata est pulchritudo Ierusalem cælestis. Ita S. Fulgentius Romam veniens, vidensque Theodorico rege Gothorum concionante, Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinem, ad suos dixit: *Fratres quàm speciosa potest esse Ierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor, gloria & pax præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem?* ita refert Auctor Vitæ eius c. 13.

S. Fulgentij apophthegma.

VERS. 7. FLVET AQVA DE SITVLA EIVS] Situlam vocat prosapiam & posteritatem Israel. q.d. Sicuti situla plena copiosam dat aquam, ita prosapia Israelis erit fœcunda, multosque gignet filios. hunc genuinum & literalem esse sensum, patet ex hemistichio sequente, quod de more prius hoc explicat, cùm ait, *Et semen illius erit in aquas multas.*

Symbolicè. Secundò symbolicè, *Fluet aqua de situla eius.* q.d. Sicut aqua è puteo hausta per situlam, ex ea in alia vasa transfunditur: ita aqua sapientiæ & diuinæ legis hausta per situlas, id est per libros & Prophetas Israel, transfundetur & dispergetur in alias nationes. Simili sensu ait Isaias cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* ita Lyran. & Caietan.

Allegor. Hinc Tertiò, allegor. Hebræi hîc intelligunt Messiam, siue Christum, idque Primò, quia Christus tamquam aqua profluxit de situla Israel, id est de semine patriarcharum. Secundò, quia à Christo quasi è situla, aqua, id est doctrina salutifera, manauit: Christus enim eam, quasi aquam effudit, tam per se, quàm per discipulos suos. Vnde ait ipse Ioan. 7. 37. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* ita Abulens.

ET SEMEN ILLIVS ERIT IN AQVAS MVLTAS] Ecce hîc situlam explicat, vocatque semen, quod *erit*, inquit, *in aquas multas*, id est in populos multos. Scriptura enim sæpè per *aquas* significat populos, vt Isaiæ 48. 1. *De aquis* (id est, de posteritate) *Iuda existis.* & Ierem. 47. 2. *Ecce aquæ* (id est, Nabuchodonosor cum sua multitudine) *ab Aquilone ascendunt.* & Apoc. 17. 15. *Aquæ quas vidisti, populi sunt.* q.d. Semen, id est posteritas, Israel propagabitur in multos populos, tum propriè & naturaliter per generationem, vt scilicet eorum posteri crescant in magnam multitudinem: vnde Vatabl. vertit, *semen illius erit in aquis multis.* q.d. Posteritas Israel fœcunda erit, & semina eius capient magnum incrementum, vti solent germina in locis irriguis. Tum politicè per imperium: vnde Septuag. & Chald. vertunt, *exibit homo de semine eius, & dominabitur gentibus multis*; vt hîc designetur Saul, primus rex Israelis, de quo proximè sequitur.

Prophetia de Agag & Saule. Iam sensus symbolicus & allegoricus hîc, idem est cum eo, quem dedi priore hemistichio. ita Abulens.

TOLLETVR PROPTER AGAG REX EIVS] Rectè vertit Interpres: in Hebræo enim ad verbum est, *tollet propter agag regnum eius.* nam Hebræum רום *rum*, non tantùm exultare, sed etiam tollere & separare significat: vnde תרומה *theruma* vocatur separatio. Iam sensus est, q.d. Saul primus rex Israelis, propter Agag regem Amalec à se seruatum (quia scilicet ei capto pepercit, contra iussum Domini) tolletur, ne sit regni heres, ideoque auferetur regnum illius, ne ad stirpem eius deuoluatur, sed transferatur ad Dauidem eiusque stirpem. Vide historiam 1. Reg. 15. ita Raban. & Beda hîc, & S. Hieron. in c. 38. Ezech.

Possunt Secundò, Hebræa cum Chaldæo & Vatablo sic verti, *exaltabitur magis quàm Agag rex eius, & eleuabitur regnum illius*: & hoc verum est. nam Saul præualuit Agag, eumque bello cepit. Septuag. vertunt, *& exaltabitur Gog* (ita enim legendum est, non *Psoch*, vti habent Regia. Gog enim legit Raban. & Cyprian. libr. 1. Testimon. ad Quirinum, testim. 10) *regnum eius. Gog*, id est super tectum, ait Raban. *Gog* enim hebr. tectum significat, q.d. vt legit Ambros. in psalm. 37. *Attolletur regnum eius in altum.* Verùm *Gog* hîc propriè sumitur, non appellatiuè. hinc Euseb. lib. 9. Demonstr. Euang. 3. per Gog accipit Imper. Romanum: q.d. Eius regnum extolletur, tempore Christi. Sed Balaam hîc prophetat de regno, non Romanorum, sed Iudæorum.

Quare meliùs vertunt Symmach. & Theodot. apud Procopium, *exaltabitur supra Gog regnum eius*, scilicet Christi regis, ex Israel nascituri. & hoc videntur voluisse Septuag. vertunt enim, *exibit homo ex semine eius, & dominabitur gentibus multis, & exaltabitur supra* (nam τὸ *supra* habent Hebræa, & sic videntur vertisse Septuag.) *Gog regnum eius*; quasi Balaam hîc prophetet victoriam Christi contra Antichristum, eiusque duces Gog & Magog, de quibus Ezech. 40.

Verùm vera lectio est *Agag*, non *Gog*, vt patet ex Hebræo, & Chaldæo & nostro: quare primus sensus genuinus est.

Denique Paraphrastes Hierosolymitanus hæc de Christo ad literam accipit, itaque vertit, *consurget rex eorum inter filios eorum, & redemptor eorum ex ipsis. Inter eos quoque erit, & congregabit eos, nempe captiuitates eorum ex prouinciis inimicorum suorum: atque filij eorum dominabuntur populis. Fortior erit Saulo, qui pepercit Agag regi Amalecitarum: & multiplicabitur regnum regis Messiæ.* Verùm hæc paraphrasis non est literalis.

CVIVS FORTITVDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS] Vide dicta c. 23. 22. VERS. 8.

DEVORABVNT (scilicet Israelitæ) GENTES, quæ sunt HOSTES ILLIVS] scilicet Israelis, eas scilicet interimendo & consumendo. Vnde clarè vertit Chaldæus, *deuorabit domus Israel superbias populorum inimicorum suorum, & præda regum eorum delectabuntur, & terram eorum possidebunt.*

Nota. Scriptura cùm loquitur de gente aliqua, vel populo, iam in singulari, mox in plurali de eo loquitur. Vnde pro *deuorabunt*, hîc in Hebræo est *deuorabit*, scilicet Israel, *hostes suos.*

OSSAQVE EORVM CONFRINGENT] Hebr. *ossa eorū exossabunt*; Vatabl. *ossa eorū arrodent*, scilicet Israelitæ; Septuag. vertunt, *pinguia eorum emedullabunt.*

ACCVBANS DORMIVIT VT LEO] Est hæc prophetia, vt patet: ergo præteritum accipiendum est pro futuro, *dormiuit*, id est dormiet, hoc est securè quiescet, Israel in terra promissionis, gentibusque vicinis erit terribilis, & fortis tamquam leo, ac ferox & pugnax tamquam leæna raptis catulis ita vt nemo eum inuadere audeat. Talis fuit Israel maximè tempore Dauidis & Salomonis. VERS. 9.

QVI BENEDIXERIT TIBI, ERIT ET IPSE BENEDICTVS] q.d. Qui tibi fausta imprecabitur, fausta

fausta imprecabuntur eidem: rursum, qui tibi benefecerit, benefiet eidem. E cõtrario, qui tibi malefecerit, vel mala precatus fuerit, eidem malefiet, & mala imprecabuntur homines; Deo ita dirigente & præmiante tuos amicos, & puniente tuos inimicos.

VERS. 13. NON POTERO PRÆTERIRE (non potero transgredi) SERMONEM DOMINI.

VERS. 14. VERVMTAMEN DABO tibi CONSILIVM, QVID POPVLVS TVVS POPVLO HVIC FACIAT EXTREMO TEMPORE] Videbat Balaam, quòd corã Balac rege corriperetur spiritu Domini, & non posset maledicere populo Israel; cogitabat ergo si ab eo discederet, pergens ad populum suum, quòd à spiritu Dei desereretur, itaque Balac regi consilium malum de perdendis Hebræis daret, ac consequẽter auro ab eo promisso potiretur; vbi mira eius impietas, & cæca auaritia clarè se prodit.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? auro venalia iura;
auro venalia sacra.

Quantò celsior & sanctior fuit Liberius Pontifex, qui à Constantio Imp. in exiliũ missus magnam auri summã ab eo pro commeatu submissam recusauit! dicẽs: *Tu Ecclesias orbis terræ expilasti, & iã mihi vt damnato & egenti offers eleëmosynam? abi primùm, & Christianus ipse fias.* ita Theodor. l. 1. hist. c. 16 Et Eusichius eremita in finibus Biturigũ, qui Childeberto regi 50. aureos offerẽti dixit: *Da to eos pauperibus, ego ijs non indigeo,* vt refert Gregor. Turon. de Gloria Cõfess. 18. Et Hormisda nobilis Persa, qui ob Christi fidem nobilitate & opibus exutus, audiensq; à rege, Nunc demum filium fabri negato; vili indusio, quo iussu regis amictus erat, dilacerato, & ad regem proiecto, dixit: *Si me huius causa pietatem deserturum putas, habeas tibi donum cum impietate.* ita Theodor. l. 5 c. 38.

QVID POPVLVS TVVS POPVLO HVIC FACIAT] Contrariè planè ex Hebræo vertunt LXX Chald. & recentiores, videlicet, *consulam tibi, quid populus hic faciet populo tuo, in nouissimis diebus.* Quod Rabanus explicat sic, q. d. Consiliũ dabo tibi, id est consilium & decretum diuinum, quod in nouissimis diebus implẽdum est, enuntiabo tibi, vt scias, quid populus hic faciet populo tuo. quod cõsilium exprimitur v. 17. cùm dicitur: *Consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab.* Verùm, quia hanc diuinationem non edidit Balaam pergens ad populum suum, sed commorans adhuc cum Balac; & quia Hebræum יעץ iaats, propriè significat cõsulere, non autem diuinare, vel prædicere: hinc meliùs noster Interpres vertit Hebræa, quæ sic ad verbum reddas, *consilium dabo tibi (nam licet τὸ tibi non legant Biblia Romana, nec alia Latina passim, tamen illud subintelligunt.) quid faciet populo huic populus tuus.* articulus enim *lamed*, qui voci עמך ammecha præponitur, non semper datiui, sed subinde etiam nominatiui est index, vti patet ex lexicis Hebræorum. Sensus ergo est, q. d. Video me per auguria & diuinationes Israelitis nocere non posse; discedens ergo dabo tibi, ô Balac, consilium, quo per mulieres Israelitæ ad cultum Beelphegor pelliciantur, itaque perdantur. Hoc enim consilium suggessisse Balaam, patet c. 31. 16. & Apocal. 2. 14. idque disertè tradit Iosephus l. 4. Antiqu. c. 6. idque prosperè ei successisse, patebit cap. sequ. ita Theodoret. q. 45. S. August. qu. 60. & alij. Nam, vt pulchrè docet S. Ambros. lib. 6. epist.

A 37. & Nyssenus lib. de Vita Mosis sub finem, & Prosper p. 2. de Prædict. c. 12. Philo, & Abulensis, volebat Balaam regij fauoris, aurique Balac auidus, Israelitas diuino præsidio, ijsque bonis, quæ de eis vaticinatus erat, orbare. ad hoc optima ei ratio visa est, si Israelitæ pertraherentur ad luxuriam, itaq; Deum, qui castitatis est amator, vt rhinoceros (inquit Rupertus) offenderent, indeque à cultu Dei abducerentur ad idololatriam; itaque Deus eis irasceretur, in eosque excandesceret, & vindex insurgeret: vt verò ad idololatriã eos prouocaret, suasit vt mulieres pulcherrimæ Moabitides & Madianitides collocarentur, tamquam cibos venditur æ, aut negotiaturæ, iuxta castra Israel, cum idolis suis, & cibis idolo consecratis; quæ Israelitas primò sui specie, amore & cõplexu irretirent; deinde ad idolum sui Beelphegor, siue Priapi obscænissimum colendum pellicerent. idque suggessit suasitque fieri Balaam toto itinere, scilicet à Phasga vsque ad Galgalam, siue ad introitum Chananææ. Sed semel tantùm id factũ, deinceps verò impeditum esse, per acrem Dei vindictam, patebit c. sequenti: idque docet Michæas c. 6. 5. Disce hìc quàm grauis & periculosa sit mulierum tentatio: ita Salomon à mulieribus deductus est ad idola. *Vinum enim & mulieres faciunt apostatare sapientes* De simili mulierum tentatione, sed quæ disparem habuit exitum, pulchrum exemplum narrat Damascenus l. de Barlaam & Iosaphat c. 30.

Impium consilium Balaam.

EXTREMO TEMPORE] id est, sequentibus diebus postquam à te discessero. nam Hebr. אחרית *acharit*, id est extremum vel nouissimum, in Scriptura sæpè non dicitur respectu temporis, quod sequi posset, quasi nouissimum tempus sit, post quod nullum aliud sequitur: sed dicitur respectu eius quod præcessit, estque id, quod sequitur post aliud, etiamsi post ipsum adhuc alia sequantur. extremum ergo, vel nouissimum idem est, quod sequens, aut posterius. Id patet, tum ex ipsa Hebræa radice אחר *achar*, id est posterior fuit, remoratus est; tum etiam ex exemplis. Sic enim Genes. 33. 2. in Hebræo, dicitur Iacob Liam & filios eius posuisse nouissimos; cùm tamen post Liam sequeretur Rachel cum filio Ioseph. Sic passim Prophetæ tempus Messiæ vocant *nouissimum*: quia posterius est. Similia sunt Gen. 49. 1. Isaiæ 9. 1. vnde rectè hìc cum Oleastro vertas, *posteris diebus*. Vide Riberam Micheæ 4 5.

SVMPTA IGITVR PARABOLA (prophetia) RVRSVM AIT] Nota τὸ *igitur*. q d. Cùm iam Balaam cogitaret abitum, antequam discederet, hærens adhuc cum Balac, non potuit non benedicere Israelitis: igitur quasi valedicens, rursum & vltimò benedixit eis. VERS. 15.

DIXIT HOMO CVIVS OBTVRATVS EST OCVLVS] per somnum, vel ecstasin. Vide dicta v. 2.

VIDEBO EVM (Israëlem) SED NON MODO] scilicet, videbo eum in die iudicij, quando cum eo resurgam in valle Iosaphat, inquit Abulens. Secundò, & aptiùs ad sequentia: *Videbo eum*, non oculis meis, sed oculis posterorum & successorum meorũ. Videbunt enim illi Israelem, mirè decoratum natiuitate Messię, ex ijs nasci turi. De ea enim subdit: *Orietur stella ex Iacob.* Nam solet Deus & Prophetæ quædam prædicere & promittere, quæ non in eo cui promittuntur, sed in posteris eius implenda sunt. ita S. Chrysost. homil. 8. in Matth. VERS. 17.

Promissa Dei subinde in posteris implentur.

& Euthym. in Matt. 2. Sic terra Chanaan promittitur Abrahæ, id est posteris eius, Genes. 15. 7. Sic Iacob Gen. 49. filijs benedicens promittit ea, quæ posteris eorum obuentura sunt. Sic dicitur Aggæi 2. 24. *Assumam te Zorobabel*, scilicet in Christo; hoc est assumam Christũ, qui ex te, ô Zorobabel, nascetur. Similia sunt Gen. 12. 3. Gen. 27. 29.

Prophetat Balaam de Christo. ORIETVR STELLA EX IACOB] Aliqui per stellã & virgam accipiunt Dauidem, & sunt quædã quę Dauidi conueniant. Dauid enim quasi stella effulsit sapientia, pietate, fortitudine bellica, & gloria regni; ita vt nemo eum tam sublimem tangere auderet, sicut nemo potest stellas cõtingere. Adhæc Dauid subegit Moab & Idumæos, 2. Reg. 8. quod de stella hic dicitur. Verùm præcipuus sensus ad literã est de Christo: vnde clarissimè vertit Chald. *consurget rex de domo Iacob, & vngetur Christus de domo Israel, & occidet principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum.* Christus ergò hic vocatur, vti virga, ita & *stella*. Primò, quia ipse est lux mũdi. Secundò, ob claritatem & gloriam, tum vitæ cælestis, tum resurrectionis & beatitudinis; qua de causa Christus vocatur stella splendida & matutina, Apoc. 22. 16. & Apoc. 2. 28. Vide ibi dicta.

Christus est stella. Primò. Secundò.

Vbi Nota. Dicitur Christus stella matutina, id est lucifer, Primò, quia in hac vita dispulit tenebras infidelitatis, & in futura dispellet tenebras mortalitatis. Secũdò, quia vti lucifer nocti finem, diei initium præbet: ita Christus peccato & ignorãtiæ finem, fidei & saluti initium attulit. Tertiò, est matutina, quia *dum in seipso resurrectionis exemplum nobis præbuit, qua lux sequatur indicauit*, ait S. Gregor. 29. Moral. 30. in illa verba Iob 38. *Numquid produces luciferũ in tempore suo?* Et Beda: *Christus*, inquit, *est stella matutina, quia transacta nocte sæculi, lucem vitæ sanctis promittit & pandit æternæ.* Et Rupert. *Pro labore quo Episcopus in hac vita, quasi nocte, laborauit peruigil in animarum sibi commissarum custodia, manifestabo ei meipsum, qui sum stella splendida & matutina.* Et Haymo: *Christus*, inquit, *est stella matutina, id est lucifer, quia in resurrectione pulsis mortalitatis tenebris, quasi lucifer apparebit, & perfectum æternitatis diem demonstrabit.* Ita quoque Pererius, Viegas & Ribera.

Rursum pleniùs & clariùs, stella matutina est lumen gloriæ & clara visio Dei, quam anima victrix per Christi gratiã adipiscitur post mortem. Hæc dicitur stella propter claritatem contemplationis: *Domine*, inquit Psaltes, *in lumine tuo videbimus lumen.* Dicitur matutina: Primò, quia post noctem huius vitæ & sæculi illucescet. Secundò, propter inchoationem beatitudinis, quę complebitur in resurrectione corporũ, quando stella hæc matutina mutabitur quasi in solem meridianũ: cùm scilicet anima gloriam suam diffundet in corpus. Vtrumque hunc sensum, scilicet de Christo, & gloria animæ beatæ, habet Richardus Victor. Primasius, Aretas, in locum citatum Apocal.

Tertiò. Tertiò, Christus vocatur stella: quia per stellam Christi natiuitas significata est. Christus enim quasi stella diuina, orta ex semine Iacob, corporeã istam stellam emisit, & quasi à se sparsit, quæ Magos ad se in Bethlehem euocaret. Nam ad stellam Magorum hîc respici, patet tum ex Hebræo textu, qui pro *orietur*, habet דָּרַךְ *darach*, id est incessit, & viam calcauit ac præiuit, quod propriè stellæ illi Magis præeunti conuenit: tum quia communis

A Patrum sententia est, tres Magos, vel posteros, vel successores fuisse huius Balaam, & ex hoc eius vaticinio edoctos fuisse, orituram aliquando stellã, quæ natiuitatem magni cuiusdam Regis Iudæorum indicaret; atq; inde Magos visa stella, statim permotos fuisse, ad regẽ hunc per stellam significatum inquirendum, idque verba Magorum significant, *Vidimus stellam eius*: quasi dicant, Vidimus non stellam aliquam incognitam, sed *stellam eius*, notam scilicet, & à Balaam prædictam, quòd scilicet foret stella eius, scilicet Christi index. ita docet Orig. hom. 13. 15. 18. hic Epiphan. in epitome, Cyprian. serm. de stella & Magis, Basil. hom. de humana Christi generatione, Leo serm. 4. de Epiphania, Ambros. l. 2. in Luc. c. de Magis, Nyssen. orat. de sancta Christi natiuitate, Euseb. lib. 9. Demonst. 1. Prosper p. 2. de Prædic. c. 12. Procop. B & Rupert. hîc, S. Hieron. Chrysost. Theoph. Euthym. & alij in Matt. 2. Ex quibus Orig. & aliqui alij censent, tres Magos fuisse Chaldæos, eò quòd Balaam eorum parens, vel antecessor, fuerit Chaldæus, siue Mesopotamius. Alij plures censent, eos fuisse Arabes: hæc enim prophetia de stella, in Arabia edita est à Balaam: vnde eius memoria ibidem, vti & apud vicinos, celebris permansit per multa sæcula.

Tres Magi fuerunt successores Balaam.

Atque ex hoc oraculo Balaam de stella hac, videtur manasse peruulgata illa olim in Oriente fama, de nascituro in Iudæa rege, qui rebus omnibus potiretur, cuius meminit Sueton. in vita Vespasiani, Cicero l. 2. de Diuinatione, Orosius, Hegesippus, & alij. Insuper ex Hebræo *darach*, id est, *incessit stella ex Iacob*, nonnulli probabiliter opinãtur, stellam hanc primò Magis in Oriente existẽ-C tibus visam esse super Iudæam & Bethlehem, illique quasi incumbere: inde enim videntur Magi cognouisse regem Iudææ esse natum, illumq; in Bethlehem esse requirendũ. Deinde stellam hanc ex Iudæa celeri motu euolasse in Orientem, ad euocandos Magos, ibiq; eatenus quieuisse, donec Magi iter ingrederentur. Magi enim dicũt Matt. 2. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente.* ita sentit Sebastianus Barrad. l. 9. Harm. Euãg. c. 9. Accedit Procop. in Numer. 24. 17. & Haymo serm. 3. de Epiphania, qui docent stellam à Magis visam perpendiculariter insistere Iudææ.

Symbolicè, *Stella*, inquit Hugo Card. *habet sex radios, quibus illuminat noctem: & Christus habet sex virtutes, quibus illuminat omnem hominem.* Prima, *est humilitas.* Secunda, *est mansuetudo: Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Tertia, *est obedientia: Philipp. 2. Christus factus est pro nobis obediens* D *vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quarta, *est patientia.* Quinta, *est misericordia, de qua Iob 31. Ab infantia creuit mecũ miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Sexta, *est charitas, de qua Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, &c.

Sex radij stellæ sunt sex Christi virtutes.

Nota. Pro *orietur* כּוֹכָב *cochab*, id est stella, R. Akiba & Iudæi olim legerũt, *orietur* כּוֹזָב *cosab*, vel, *cosba*; id est mendacium. Hinc enim probare voluerunt impostorem suũ, nomine *Bar cosba* (quasi dicas, filium mendacij) esse verum Messiam. quare *Bar cosba* cõgregato maximo exercitu, quasi rex Messias, cõtra Romanos rebellauit. Verũ Adrianus Imp. eũ obsedit in ciuitate Bitter, eaq; capta trucidatus est Bar cosba, magnaq; Iudæorũ strages est edita: vti inter alios narrat Galatin. l. 4. c. 21.

Nota.

Nota. Sicut Christi præsagium fuit stella: ita Sanctorum illustrium ortum præsaga lumina demonstrarunt. Audi exempla.

Præsagia luminis de Sanctis. Hortulana S. Claræ mater, partui vicina orans coram crucifixo audiuit vocem: *Ne paueas mulier, quia lumen paries quod mundū clariùs illustrabit.* quo edocta miraculo, natam infantulam in baptismo Claram vocari iussit. ita habet eius Vita.

Cùm S. Svvibertus Werdensis Episcopus nasceretur è clarissima genitrice & Comitissa Berta, totam regalem cameram fulgor nimius repleuit, mansitque irreuerberatis radijs protensus, donec ipse in lucem editus est, inquit Marcellinus in eius Vita.

Mater S. Willebrordi Episcopi Traiectēsis noctu in somnis vidit quasi nouam lunā crescentem ad plenitudinē: quam diligentiùs intuens, repentino lapsu ruit in os eius. qua deuorata, eius intima splēdore perfusa sunt. Euigilans verò timore perterrita, cuidam religioso presbytero retulit somnium, qui ei dixit: *Luna, quam ex modica vidisti in magnam creuisse, filius est quem ea nocte concepisti, qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, & quocumque perrexerit comitante superni luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendet globum, coruscanteq́ rumoris eius candore, & morum pulchritudine, multorum in se alliciet aspectum.* Factū est post dierum circulum, & mulier peperit filium, quem in baptismo vocauit Willebrordus. ita refert Albinus Flaccus præceptor Caroli Magni in Vita S. Willebrordi.

Mater S. Columbani Abbatis grauida, noctu in somnis vidit è sinu suo rutilantem solem, nimioq; fulgore micantē procedere, & mundo ingens lumen præbere. Nimirum Sanctus hic in Ecclesia quasi sol splenduit, iuxta illud Deboræ Iudic. 5. *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Testis est Ionas Abbas in eius Vita.

Mater S. Dominici vidit se vtero gestare catulum, qui ore gestabat faculam ardētem, qua vtero egressus totum mundum illuminabat & inflammabat. Hinc Sancti illustres & Doctores fulgebunt in cælo vt stellæ in perpetuas æternitates, Daniel. 12. Vide ibi dicta.

Christus percussit duces Moab quomodo? ET CONSVRGET VIRGA DE ISRAEL] q.d. Christus nascetur ex Israel, qui virga, vel, vt hebr. est, sceptro regni sui, id est potestate regia, percutiet, hebr. trāsfiget, duces Moab. Christus enim per se, & per Apostolos conuertit, suæq; fidei statim subegit Moabitas, Syros, Idumæos, aliasque gentes Iudææ vicinas.

Vbi Nota. Prophetæ dicunt, Christū occidisse, percussisse, transfixisse gentes: quia eorū mores, & vitia occidit, fecitque quasi nouos homines, vt ex impijs pij, ex iniustis iusti, ex ebrijs sobrij, ex incestis casti efficerentur; itaq; quasi vnum eumdemque hominem occidit, dum eum viuificauit: occidit enim Petrum, v.g. ebrium, fornicatorem, rapacem, dum eum sua gratia fecit sobrium, castum, iustum, &c. Vide can. 42.

Mysticè. Secundò, duces Moab mysticè, sunt principes gentium idololatrarum, quæ colunt dæmonem. Nam Moab hebr. idem est, quod ex patre, scilicet per incestum natus: tales autem sunt idololatræ, qui ex patre diabolo, per infidelitatem, quasi per incestum, nati sunt. ita Abulensis.

Rursum, Rabanus per duces Moab, accipit ipsos dæmones: hi enim sunt duces & patres Moabi-

A tarum spiritualium, id est impiorum & idololatrarum. hosce trāsfixit Christus cùm exuit dominatu suo principatus & potestates eorum, illosq; affixit & confixit cruci suæ, triumphans illos in semetipso, vt ait Paulus.

VASTABITQVE OMNES FILIOS SETH] id est omnes homines. ita Chald. omnes enim homines post diluuium prognati sunt ex Noë, ac consequenter ex Seth: nam omnis Caini progenies diluuio interijt. Christus enim omnes homines vastauit, necando eorum mores & vitia, eosque sibi subigendo, vt paulò antè dixi. Vnde Chald. pro *vastabit*, vertit, *dominabitur*. Rursum, in iudicio vastabit Christus totum mundum, omnesque improbos. *Filij Seth sunt omnes homines.*

Nota. Pro *vastabit* hebr. est קִרְקַר *kirkar*, quod à קִיר *kir*, id est paries, descendit, estque contrariæ
B significationis. Primò enim significat exparietare, id est parietes diruere, vastare, &c. vt Septuag. vertunt, depasci & deprædari. Secundò, significat pariete concludere, captiuare, incarcerare, vt Hebr. *kerker* sit idem quod Latinum *carcer*: quæ significatio hîc optimè quadrat. Sensus enim est, q.d. Christus omnes homines concludet suis legibus, sua Ecclesia, sua fide & gratia; itaq; impietatem & impios quasi incarcerabit. ita Oleaster.

ET ERIT IDVMÆA POSSESSIO EIVS] Meminit Balaam hîc Idumææ Christo subijciendæ, potiùs quàm aliarum gentium; tum quia respicit & alludit ad populum Israeliticum, cui Idumęi maximè fuerunt infesti, vti Esau parens eorum fratri suo Israeli, siue Iacobo, quondam infensissimus fuit: tum quia alludit ad Dauidem, qui fuit parens & typus Christi; Dauid enim subegit Idumæos. Di- VERS. 18.
C cit ergo, Idumæi, id est hostes Christo maximè infesti, subijcientur ei. q.d. Ergo multò magis cæteri omnes subdentur ei.

Tropol. Edom est caro nostra, quæ ex Adama, id est terra, sumpta est: hæc Christo & spiritui, per gratiam Christi subiugatur. *Tropolog.*

HEREDITAS SEIR CEDET INIMICIS SVIS] *Seir*, id est Idumæa. Esau enim dictus est *Seir*, quia pilosus: dictus est & *Edom*, quia rufus. vnde eius regio dicta est Seir, & Edom, siue Idumæa. Idem enim in carmine hoc Hebræo repetitur posteriori hemistichio, quod dictum est priore.

ISRAEL VERO FORTITER AGET] *Israel*, id est Dauid, cæteriq; Israelitæ. Secundò, & potiùs, *Israel*, id est Christus & Christiani. q.d. Christus, qui multò fortior est, & magis præualens Deo, quàm Iacob patriarcha, qui inde Israel est dictus; Christus, in-
D quam, cum suis filijs Apostolis, eorumque asseclis fortiter aget, subigetq; suæ fidei & legi totum orbem. vide dicta v. 17.

DE IACOB ERIT QVI DOMINETVR, ET PERDAT RELIQVIAS CIVITATIS] *Ciuitatis*, id est Romæ, quę antonomasticè *ciuitas* & *vrbs* dicitur, quæq; caput fuit gentilismi, & Gentilium hostium Christi. q.d. Ex Christo nascetur Constantinus Imp. Christianus, alijq́; similes, qui conuersi ad Christum, gentilismum Romanorum euertēt, & reliquias Gentilium conuertent, itaq; Romam totam facient Christianam, eamq; Christo subiugabunt, indeq; reliquæ prouinciæ & ciuitates Romam quasi orbis dominam & caput suum sequentur, atq; gentilismum & Gentiles eliminabunt, vt totus penè orbis Christum adoret & colat. ita Abul. VERS. 19. *Prophetat Balaam de Romanis.*

Notat idem Abul. hîc esse prophetiā de Christo, sed cum allusione ad Dauidem; itaq; Dauidis gesta

gesta hic perstringi: quare quædam hîc dici, quæ magis particulatim Dauidi conueniunt, vti sunt: *Percutiet duces Moab*, &, *Erit Idumaa possessio eius; Israel verò fortiter aget*. alia verò magis propriè cõpetunt Christo, vti sunt: *Orietur stella ex Iacob, perdet reliquias ciuitatis*, &c. vide can. 35.

Vers. 20. *Prophetas de Amalec.* Cvmqve vidisset Amalec] Erat Balaam in finibus Moab, in altissimo monte Phasga: vnde facilè vicinam regionem Amalecitarũ videre poterat, saltem in confuso: vnde & Moses ex eodem monte vidit & speculatus est totam terram Chanaan, secundùm partes suas, scilicet generatim & in confuso, Deut. 34. 1.

Assvmens parabolam, id est prophetiam, q. d. Prophetãs, ait: Principivm gentivm Amalec] q. d. Nobilissima gentium, aut prima gentium illarum, quæ habitabant illo tempore iuxta terram promissam, fuit Amalec. Alij *principium*, inquiunt, *gentium*, scilicet hostilium Israeli, fuit *Amalec*. vnde Chald. vertit, *principium bellorum Israel fuit Amalec*. Nã primus Amalec Israeli ex Ægypto venienti armatus occurrit, Exodi 17. ideòque *extrema* eius *perdentur*, id est, vt Septuag. *Semen eius peribit*. Saul enim Amalecitas deleuit, 1. Reg. 15.

Vers. 21. *De Cinæis, siue posteris Iethro.* Vidit qvoqve Cinævm] Cinæi sunt posteri Iethro, vt dixi c. 10. 29. Balaam ergo, sicut ex altissimo mõte Phasga vidit Amalec, Moab & Edom, ita vidit & Cinæos: quia ipsi erant in castris Israel, simulque vidit sortem, quam in Chanaan habituri erant in tribu Iuda. vnde ait:

Robvstvm qvidem est (& erit) habitacvlvm tvvm] quia inter 12. tribus Israel fortissimas iam degis, & in Chanaan in tribu Iuda, quæ fortissima est, habitabis.

Sed si in petra posveris nidvm tvvm] q. d. Etiamsi habitaculum tuum sit futurum fortissimum, vti præcessit. Alludit Hebræum קֵן *ken*, id est nidus, ad קֵינִי *keni*, id est Cinæus. q. d. Rectè vocaris Cinæus, quia instar auium altissimè, quasi in petra, pones *ken*, id est nidum, putà habitaculum tuum; inde tamen te detrahet Assur.

Tropolog. Tropol. Gregor. 31. Moral. 34. nidum spei, inquit, sibi in arduis & petris construunt, qui cum illa aquila (S. Paulo) dicunt: *Nostra conuersatio in cælis est.*

Vers. 22. Et fveris electvs de stirpe Cin] Hebræa, prout illis puncta subiecerunt Massoretæ (ipsi enim pro *Cin*, punctarunt *Cain*) multùm hîc à nostra versione dissonant. Verùm non esse legẽdum *Cain* (de Cain enim nulla præcessit mentio; nec Cinæi ex Cain, sed ex Seth oriundi erãt) sed *Cin*, patet ex Septuag. & veteribus omnibus. vnde & Vatablus legit, non Cain, sed *Cin*, vertitque, *etenim Cinæus comburetur*, vel depascẽdo vastabitur. Rursum noster Interpres per commutationẽ duarum litterarum gutturalium affinium, scilicet legendo *chet* pro *ain*, putà pro לְבָעֵר *lebaber*, legendo לְבָחֻר *lebachur*, rectè vertit, *si fuerit in electum Cin*, id est, *si fuerit electus Cin*, q. d. Etsi stirps Cin, siue Iethro à Deo erecta sit præ alijs Gentibus, & associata Israelitis, tam in deserto, quàm in terra promissa, tamen capietur ab Assyrijs. Hinc patet Cin, vnde

A dicti sunt Cinæi, fuisse nomen stirpis vel familiæ, ex qua prognati sunt Cinæi.

Assvr enim capiet te] Cùm enim Salmanasar transtulit 10. tribus Israel in terram Medorum, 4. Reg. 17. tunc cum eis eõdem transtulit Cinæos, id est progeniem Aber Cinæi, qui recesserat ab alijs Cinæis, & habitabat in sorte Nephthalim. Tunc enim Nephthalitæ translati sunt, ac consequẽter Cinæi inter eos commorantes. Alij tamen Cinæi in Iuda habitantes, remanserunt: ex illis enim orti sunt Rechabitæ, quos laudat Ierem. c. 35.

Hev qvis victvrvs est?] q. d. Heu, quis desiderabit viuere, cùm tantæ strages Cinæorũ & Amalecitarum, vel potiùs Assyriorum, Hebræorum & Romanorum, de quibus sequitur, edentur? Hæc B enim verba sunt noua prophetia, vnde ad sequentia pertinent, non ad præcedentia. ita Abul. Vers. 23.

Venient in trieribvs (triremibus) de Italia, svperabvnt Assyrios, vastabvntqve Hebræos, et ad extremvm etiam ipsi peribvnt] Pro *Italia*, hebr. est כִּתִּים *cittim*, vel *cetim*, quod propriè Cyprum significat. Citium enim fuit vrbs Cypri, ex qua ortus est Zeno Stoicorum parens: à Citio ergo tota insula Cyprus, dicta videtur *Cetim*. inde *Cetim* significat alias quaslibet insulas, atque vlteriùs omnes gentes, tam insulanas, quàm transmarinas. vnde hebr. ad verbum est, *venient ex latere Cetim*, putà venient ex Italia, vti vertunt Septuag. Noster, Chald. Vatabl. & alij. Cetim enim, siue Cyprus, & aliæ insulæ interiacent inter Iudæam & Italiam, ita vt Italia respectu Iudææ, sit C à latere Cypri, siue Cetim. Noster Iaspar Sanches in Isaiæ c. 2. n. 21. putat, insulas omnes quæ à Cypro ad Occidentale mare pertinent ad Gades vsque, adscriptas fuisse Cethim filio Iauan, Gen. 10. 4. & ab eo nomen accepisse, siue insulæ illæ ad Libycum, siue ad Italicum, siue ad Græcum littus pertineant; & ab his insulis Italiam, Macedoniam, aliasque regiones illis adiacentes vocari Cethim. quæ coniectura non caret probabilitate. Chald. disertè vertit, *venient naues à Romanis*. Licet enim Roma, tempore Balaam necdum esset condita, (condita est enim sub Achaz rege Iuda, vt docet Euseb. in Chronico, vel, vt alij, sub Ioatham patre Achaz:) tamen Romam & Romanos conditum iri, eosque hæc bella gesturos, spiritu prophetico D præuidebat Balaam. Vers. 24. *Roma tempore Balaã necdũ erat condita.*

Prædicit ergo hîc, amplissimam Romanorum potentiam, quòd scilicet ipsi subiugaturi sint Assyrios, tunc rerum dominos, & consequenter omnes alias gentes, ipsosque etiam Hebræos. hos enim subiugauit priùs Pompeius, mox Cæsar Augustus, qui Iudæam subiecit Herodi Ascalonitæ, & post eum Tetrarchis & Præsidibus, vt patet Lucæ 3. 1. ac tandem Hebræos planè deleuerunt Titus & Vespasianus, Romani. ac demum, quòd ipsimet Romani perituri sint, ruente imperio, sub Alarico & Genserico regibus Gothorum; sed maximè sub decem regibus in fine mundi, qui Romam planè euertent & comburent, quos deinde partim occidet, partim subiugabit Antichristus, vti prædixit Daniel c. 7. 8. & 24. & S. Iohan. Apoc. 17. v. 12. & 16.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fornicantur Hebræi cum Madianitis, & colunt Beelphegor: hinc ad 24. millia, partim suspenduntur à Mose, partim à Deo occiduntur. Plagam hanc sedat Phinees, occidens Zambri & Cozbi, ideoq; Deus illi sacerdotium in perpetuum consignat.

1. MOrabatur autem eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum
filiabus Moab, 2. quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt
& adorauerunt deos earum. 3. Initiatusq; est Israel Beelphegor: & iratus Dominus,
4. ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in
patibulis: vt auertatur furor meus ab Israel. 5. Dixitq; Moyses ad iudices Israel: Occidat
vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. 6. Et ecce vnus de
filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, &
omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. 7. Quod cùm vidisset
Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto
pugione, 8. ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos
simul, virum scilicet & mulierem, in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israel:
9. & occisi sunt viginti quattuor millia hominum. 10. Dixitq; Dominus ad Moysen:
11. Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israel:
quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo
meo. 12. idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, 13. & erit tam
ipsi quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo,
& expiauit scelus filiorum Israel. 14. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus
est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.
15. Porrò mulier Madianitis quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur
principis nobilissimi Madianitarum. 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
17. Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: 18. quia & ipsi hostiliter
egerunt contra vos, & decepere insidijs per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis
Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

VERS. 1. MORABATVR AVTEM EO TEMPORE ISRAEL IN SETTIM] Est hæc 42. & vltima mansio Hebræorũ in deserto, putà in cãpestribus Moab: nam ex Setim Iosue misit exploratores duos, mortuo Mose, in Chanaan, Iosue 2. 1. In Setim ergo gesta & dicta sunt omnia, quæ deinceps in Numeris, & quæ toto Deuteronomio describuntur. Hic locus Num. 33. 49. vocatur *Abelsatim*, addita voce Abel, id est luctus; fortè ob luctum idololatrarum, qui cùm essent Hebræi, hoc cap. in Setim cæsi narrantur. ita Abulensis.

VERS. 1. & 2. ET FORNICATVS EST POPVLVS CVM FILIABVS MOAB, QVÆ VOCAVERVNT EOS AD SACRIFICIA SVA] Ecce hîc est executio consilij Balaam, quod ipse in discessu à Balac, se ei daturum promiserat c. præced. v. 14. scilicet Moabitæ & Madianitæ, vt vitæ suæ consulerent, ne ab Hebræis superarẽtur & occiderentur, filias pulcherrimas submiserunt ad castra Hebræorum, quæ eos ad luxuriam, & inde ad idololatriam pellicerent, vt ita Deus eis irasceretur, eosque desereret, ac à Moabitis & vinci & trucidari permitteret. *Consilium Balaam & Moabitarum.*

Disce hîc quanta sit illecebra & vis pulchritudinis in feminis. Aduersus Hebræos milites, non armatas turmas, sed pulchras feminas instrui præcepit rex Balac, idq; ex cõsilio Balaam, quem Orig. hîc ita loquentem inducit: *Non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed mollitie feminarum. procul amoue armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum. forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat. vincentur specie, qui non vincuntur prælio.* Cornel. in Pentateuch.

Nota hîc Primò, vilitatẽ, & viles animos Moabitarum & Madianitarũ, qui omnes virgines suas alienæ & hostili genti prostituebant, pro quibus & quarum pudicitia, vsq; ad mortem omnes pugnare debuissent. Viriliùs ergo fecissẽt, fortiter in bello occumbendo, vel cuicumque generi mortis se exponendo, quàm suadendo, imò sinendo virgines suas tam infanda pati, imò agere. Fuit hæc Gẽtilium cæcitas, qui parui pudicitiam, magni vitam faciebant. ita Abulensis. *Viles eorum animi, in prostituendo suas virgines Hebræis.*

Nota Secundò. Puellæ hæ tulerunt secum deos suos, putà idola Beelphegor, & idolothyta, id est cibos illi immolatos & cõsecratos; vt iuuenes Hebræorum primò ad idolothyta comedenda, inde per ea ad idola ipsa colẽda pellicerent. Lenocinia earum & artes quibus deceperunt Hebræos, pulchrè enarrat Iosephus l. 4. Antiq. 5. Eodem etiam modo Iulianus Apostata Christianos Constantinopolitanos per idolothyta voluit pellicere, imò cogere ad idola colenda, vt narrat Nectarius Archiepiscopus Constantinop in orat. quam habuit initio Quadragesimæ. & Theodor. l. 1 hist. 14. *Fraus virginum.*

Nota Tertiò, puellas has primò sua pulchritudine, ornatu & blanditijs pellexisse Hebræos in sui concupiscentiam: inde cùm viderent eos in sui amorem exardescere, non permittebant eos sibi commisceri, quousque per blanditias illectos inducerent ad comedendum de idolothytis Beelphe-

phegor, ac tandem ad thurificandum, vel immolandum ipsi Beelphegor; itaque consummabatur iniquitas & idololatria. Aut potiùs, videntur hæ puellæ primò illexisse Hebræos ad concubitum, inde iam eos sibi deuinctos habentes, pellexerunt eos ad idolothyta, ac tandem ad idola, putà ad suum Beelphegor colendum. Hoc posterius enim ordo verborum hic S. Scripturæ magis significat; & hic meretricum est mos, vt priùs iuuenes suis amoribus irretiant, deinde eos impellant quò volunt. Si enim hæ puellæ priùs idololatriam Hebræis proposuissent, patuisset earum fraus, easque cum idolis suis auersati fuissent Hebræi. Atque hoc modo Salomon, à complexu mulierum ad idola ab eisdem deductus est. Amor enim & libido mentes sapientium dementat: &, vt ait Plato, ***Amantis animus in suo corpore moriens, in alieno est viuens.*** Vnde

Plerique Hebræi cũ his puellis peccarunt.

Nota Quartò. Pleriq; omnes Hebræi hac fraude & illecebra puellarum capti sunt: & hæc fuit causa, quare Moses eos non puniuerit; quòd enim maior pars populi ad eas declinarit, ita vt non timerent Mosen, patet ex eo, quòd vidente Mose & toto populo, Iudæus ille ingressus est ad Madianitidem v.6. Si enim timuisset Mosen, aut reliquum populum, vel non iuisset ad scortum, aut non fecisset palàm. Moses ergo eos punire nõ est ausus, sed flebat, vt dicitur v.6. & dolebat valdè cum paucis habentibus zelum Dei, orabatque Deum de more ad ostium tabernaculi. vnde Deus iussit fornicantes hosce suspendi; ac mox ex Dei iussu Moses vigorem animosque resumpsit, ad eos puniendum, eosque reipsa suspendit: sciebat enim Deum mandantem, daturum vires ad exequendum, & facturum vt nemo resistere posset. Itaque contigit: multi enim, etiam ex primoribus, suspensi fuerunt, nemine contradicente, vel hiscere audente. ita Abul.

Moraliter, Abbas ille in Vitis Patr. l.5. t. de fornicatione, cuidam tentato spiritu fornicationis hoc dedit remedium, *Scis, inquit, quid fecerint Madianitæ: ornauerunt filias suas, & statuerunt eas in cõspectu Israelitarum; non tamen extorserunt aliquibus, vt miscerentur cum eis; sed qui voluerunt, incurrerunt in eis. Alij autem indignantes comminati sunt, & cum interitu eorum qui præsumpserant, vlti sunt fornicationem; ita agendum est de fornicatione. Et quando initium faciunt loqui in corde tuo, non respondeas eis: sed surgens ora, & age pænitentiam, dicens: Fili Dauid miserere mei.*

Cvm filiabvs Moab] & cum filiabus Madian, vt patet v.6. & 17. ob hanc enim fraudem & noxam, omnes Madianitæ ab Hebræis cæsi sunt, vt patebit c.31.

Vers. 3. Initiatvsqve est Israel Beelphegor] q.d. Israel initiatus est sacris Beelphegor, illi se addixit, coniunxit & consecrauit. ita Hebr. Chald. & Septuag. Vatabl. vertit, *Coniugatus est Israel ipsi Beelphegor.* Idololatra enim init quasi coniugium & copulam cum idolo, præsertim Priapo: hic enim colebatur copula meretricia.

Beelphegor] Phegor & Phogor & Beelphegor idem sunt. Baal enim, siue Beel, Bel, & Belus (hæc omnia enim idem sunt) generale erat nomẽ deorum, quod ad certum aliquẽ determinabatur, addendo aliud nomen, vt Beelzebub erat deus zebub, id est muscarum: quia ciuitatem Accaron, inuocatus à ciuibus, à muscis liberarat. Beelsephon deus Aquilonis: Baalberith erat Baal, id est deus, fœderis: Baalpharasim erat deus Pharasim. Sic Beelphegor erat Baal, siue deus, Phegor.

Beelphegor erat Priapus.

Secũdò, Beelphegor, siue Phegor, erat is, quem Gentes voce nonnihil (Phegor enim hebraicè dicitur *Peor*, vnde Priapus) detorta Priapũ vocarũt. ita docet S Hier. l.8. in Isaiæ c.25. sub finem libri. *Beelphegor, inquit, interpretatur Priapus.* & Isidorus l.8. c. de Dijs Gentiũ, *Beelphegor, inquit, Latini Priapũ vocant, coluntq́, quasi Deum hortorum: fuit enim ipse de Lampsaco, ciuitate Hellesponti, de qua pulsus est, eumq́, propter virilis membri magnitudinem, in numerum deorum suorum Græci transtulerunt, atque in nomine hortorũ sacrauerunt; vnde & dicitur ipse præesse hortis, propter eorum fœcunditatem.* Idem docent Andreas Masius, & Arias Montanus in Iosue 13. 20. & alij passim.

Beelphegor id est Deus apertionis aut nuditatis.

Tertiò, Priapus dictus est *Beelphegor*, id est deus desiderij, hoc est concupiscentiæ, ideoque aperto ore depictus fuit, ait Arias Mõtanus in Osee 9. Vel dictus est *Beelphegor*, à monte Phogor in quo colebatur: vel potiùs Beelphegor hebr. est q d. Deus apertionis, vel nuditatis: radix enim פָּעַר *paar* significat aperire & nudare. Priapus enim, vtpote præses obscænitatis, nuda membra ostentabat, æquè ac eius sacerdotes in ipsius sacris. Imò nõnulli cẽsent ab hoc deo obscæno Phegor, siue Phogor, dictum esse montem Phogor, quia in eo ipse colebatur. Hinc S. Hieron. l.2. comment. in Osee 9. *Beelphegor, inquit, interpretatur habens in ore tentigines, id est in summitate pellem, vt turpitudinem membri virilis ostenderet.* Idẽ in Nominibus Hebraicis, *Beelphegor, inquit, idem est quod habens os pelliceum,* quasi Beelphegor sit *Baal*, id est habens, *pe*, id est os, *or*, id est pellis. vnde

Forma Beelphegor.

Quartò, erat Beelphegor imago viri nudi, qui habebat pellem mortui in ore, quo significabat, non esse remedium mortalitatis, nec naturam fugientẽ retineri posse, nisi per os cibo & potu materia libidini & generationi subministretur, per quam natura fugiens teneatur, & propagetur in prole, inquit Christoph. A castro in Ierem. 48.7. S. Hieronymus tamen paulò antè citatus ait, hãc pellem fuisse tentigines membri virilis, & Ribera in c.9. Osee, *Beelphegor, inquit, interpretatur habens in ore, id est in summitate pudendi, retectam glandem.* Vel propriè Beelphegor idem est, quod habens os pellis, id est habens glandem ex pelle extantem. idque verius videtur: erat enim Beelphegor præses & incentor obscænitatis. Sic & Iohannes Fernandus & alij tradunt, Beelphegor ad iritandam adeuntium libidinem, detectis pudendis sedisse, quæ tanta erant, vt accederent ad magnitudinem pudendi asinini. vnde & Priapo asinus immolabatur.

Ritus colendi eum.

Quintò, cultus Beelphegor consistebat in otio, comessationibus, vacatione & libertate ab omni disciplina, honestate & pudicitia. hinc sacerdotes habebat feminas, scilicet meretrices, Osee 4.14. quarum princeps fuit Maacha, mater Asa regis Iuda, quam Asa amouit, & Priapũ euertit, 3. Reg. 15.13. Ritus colendi Priapum turpissimos recenset Herodotus in Euterpe, & alij.

Sextò, putat Acastro, & Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ, pag.129. & alij, Beelphegor esse Chamos: vterque enim fuit Deus Moabitarum, dicique hebr. *Chamos* à כָּמַשׁ *kemas*, id est, quasi palpans & contrectans: erat enim obscænissi-

nissimus. vel à כמש *camas*, id est latitare, occulta- A re; vt Chamos fuerit Bacchus νυκτέλιος, quem nocte per epulas & effrænes libidines colebãt; indeque dici comessationes κωμάζειν & κῶμοι, id est cantiones & saltationes lasciuas. vnde Athenæus l.1.c.27. *Magno*, inquit, *in honore habetur Priapus in Lampsaco, qui ex epitheto idem est & Dionysius* (id est Bacchus) *sic dictus, vt triumphus & dithyrambus.*

Idem sunt Beelphegor, Priapus, Chamos, Bacchus νυκτέλιος. Idem ergo sunt Beelphegor, Priapus, Chamos, Bacchus νυκτέλιος. hunc ergo Deum colunt bacchantes, & qui libidinibus vacant. Hoc ergo exemplum Israelitarum bacchantium, eorumque punitio, quæ recensetur v.4. & 9 congruè proponi potest Christianis in bacchanalibus. Fuerunt enim hi primi bacchantes: hæc enim contigerunt anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto, qui fuit vitæ Mosis 120. mundi 2455. vti dixi cap.20. B initio.

Vers. 4. Tolle cunctos principes, et suspende eos contra solem] τὸ *eos*, Vatabl. & alij referunt ad principes, quasi illi omnes, vtpote criminis vel rei, vel consentientes, aut non impedientes, iubeantur hîc suspendi. hic enim sensus planus & apertus videtur. Alij tamen & veriùs, τὸ *eos* referunt non ad principes, sed ad fornicatores & idololatras, de quibus dixit v.5. q. d. *tolle*, vel, vt hebr. est, *accipe*, id est conuoca & congrega principes, vt illi, quasi iudices iubeant suspendi contra solem eos, qui fornicationis & idololatriæ Beelphegor sunt rei. vnde Chaldæus clarè vertit, *tolle omnes principes populi, & occide illum qui reus fuerit.* Iussit ergo hîc Moses congregari principes, non quasi reos ad suspendium, sed quasi iudices, qui cognoscerent, quinam affines essent criminis, vt illos suspenderent, C qualescumque essent, imò etiamsi principes essent. Id ita esse, patet Primò. nam non est verisimile, omnes principes hîc apostatasse à Deo, esseque suspensos; imò contrarium constat ex eo, quòd post hæc Zambri princeps tribus Simeon, fornicans cum Madianitide, non suspensus, sed à Phinees pugione est confossus v.14. Secundò, quia hi principes erant iudices populi, quibus dicit Moses v.5. *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* ita Abul. Eugubin. & Hebræi.

Suspende eos contra solem] Nota. Hi fornicantes, & idololatrantes iubentur suspendi contra solem, vt facies eorum ignominiæ exponatur, qui non erubuerunt tantum nefas patrare: & vt *Tropolog.* Tropol. hæc figura proclamet, inquit Cyrill. lib.14. de Adorat. quòd nemo possit effugere, vel manum, vel oculum illum summi iudicis, qui instar solis o- D mnia, etiam arcana, quæ in cubilibus & lectis geruntur, intuetur, quodque ipse secretò peccantes & fornicantes in publicum producet in die iudicij, ad visionem omni carni, vt ait Isaias c. vlt. v. vlt. ab eisque grauissimas pœnas exiget.

Vt avertatur furor meus] qui alioqui in totum populum, vel consentientem, vel negligentem has sordes punire, desæuiret, vti sæpè aliàs desæuijt. Discant hîc Christiani principes & iudices, Deum adulteria, scortationes, aliaque peccata, præsertim publica, in totũ populum, qui ea in suo cœtu, vel republica tolerat, vindicare; ac proinde si populi tutores esse velint, vti debent, sontes puniant, Deique offensæ & iustitiæ satisfaciant: itaque Dei iram & vindictam tam à se, quàm à toto populo auertent.

Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor] Vers. 5. *Occidat*, id est suspendat. hoc enim iussit Deus v.4. Iubet hîc Moses, vt principes in criminosos inquirant, & quos reos repererint, plectant. vnde patet, multos fuisse insontes. Secùs erat de vitulo aureo: illum enim omnes adorarunt; vnde omnes promiscuè à Mose & Leuitis occisi sunt Exodi 32.27.

Hîc ergo iudicialiter res acta est, & peccantes per testes conuicti, damnati sunt ad suspendium: verisimile est quod ait Abulensis; omnes qui per testes conuincebantur ingressi fuisse tabernacula harum puellarum Moabiticarum, hoc ipso damnatos fuisse. *Rei quomodo hic conuicti.* hæc enim earum tabernacula erant lupanaria, vt patet v.8. Sicut ergo miles, vel adolescẽs ex proposito vadẽs ad lupanar, hoc ipso de scortatione cõuinci & dãnari potest. hic enim ingressus vehementissimam dat præsumptionẽ criminis, quod in secreto fit, nec aliter quã hoc modo probari potest. quis enim in lecto decumbẽtes intueatur? Sic Phinees, videns Zambri ingrediẽtem tabernaculum Madianitidis, eum nudo pugione insecutus est, vt occideret, nec aliam criminis probationem requisiuit. Adeundo ergo Moabitidas meretrices, censebantur cum eis meretricari, ac proinde esse rei mortis, eò quòd Deus grauissimè prohibuerat Hebræis, Exodi 34.16. & Deut.7.3. ne cum alienigenis inirent connubia: ergo pariter vetuerat grauissimè, ne cum eis fornicarentur. Ratio enim legis, scilicet ne ab illis pellicerentur ad idola & vitia Gentilium, tam in his quàm in illis, locum habebat. vnde & apud Christianos eadem pœna plectuntur adulteri, sacrilegi, incestuosi, qua plectuntur ij, qui cum coniugatis, monialibus, cognatis matrimonium inire volunt. ita Abulens.

Adde, hoc ipso quo meretrices has adibãt Hebræi, magna erat præsumptio, quòd comederent earum idolothyta, & Beelphegor colerent. ad hoc enim perficiendum, hæ meretrices cum suis idolis totæ erant compositæ, atque reipsa omnes suos amasios eò perducebant.

Et ecce vnus de filiis Israel intravit coram fratribus suis, ad scortum Madianitidem] Vers. 6. Erat hic princeps tribus Simeon, nomine Zambri; Madianitis verò erat filia principis Madian, vt patet v.14. eo maior fuit zelus & fortitudo Phinees, qui vtrumque occidit. *Zelus Phinees.* poterat enim meritò timere, ne tota tribus Simeon in eum, pro principe suo insurgeret, eumque lapidaret.

Addit Iosephus, penes quem sit fides, Zambri voluisse hanc Madianitidem ducere in vxorem, idque coram Mose professum esse, ac contra eum insurrexisse. orationem eius proteruam enarrat idem Iosephus.

Moraliter ex Phinees disce, opus esse zelo ad res arduas aggrediendas. *Ad res arduas opus est zelo.* Animi ardor diligentem facit & strenuum, frigus pigrum facit & inertem, qualis est ille Prouerb.26. *Dicit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus*: formicas putat esse leones & leænas in via Dei. at feruidus homo etiam leones formicas æstimat, capitque: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Hinc S. Bernardus in vigilia S. Andreæ: *Adami*, inquit, *voluntas non habuit fortitudinem, quia non habuit feruorem.* Si ergo cupis nobiles victorias de carne, mundo & diabolo, esto feruidus. Palmæ feruidas amant regiones: sic victoriæ feruidos postulant homines.

In cælum nauigas flumine aduerso, feruoris impetus necessarius est, vt fluminis impetum vincas. Pulchrè Ven. Beda in Lucæ 3. *Nisi*, inquit, *mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima reuocatur.* Quinimò docent physici, iram nobis à natura insitam esse, vt sit eos & stimulus virtutis: phlegma enim lentum est, torpidum & ignauum.

Libidinis vindices. Rursum vide hîc, quàm Deus & homines libidinem puniant, & castitatis vindices præmient: Refert Plutarch. in C. Mario, quòd Lusius Marij ex sorore nepos, Trebonij militis pudicitiam tentans ab eo sit interfectus: Trebonius apud Marium accusatus, facinus confessus, causamque cædis afferens pudicitiam, à Mario corona sit redimitus.

Tityus Iouis & Elaræ filius, Latonam de stupro interpellans, ab Apolline sagittis confixus est. B hunc deiectum ad inferos memorant, atque ita ibi ligatũ, vt nullo modo mouere se possit: addunt poëtæ, à duobus vulturibus iecur eius diripi.

Phaon mœchus cum Sappho deprehensus occisus est, teste Æliano de Varia historia.

Persæ temulenti cùm impudicè attrectarent Macedonum concubinas, in conuiuio interfecti sunt ab Alexandro rege.

Liuia Germanici soror, vxor Drusi, filij Tiberij Cæsaris, occiso marito, Seiano copulata, à Tiberio atrocissimis tormentis cum Seiano interempta est.

Valentinianus III. Imp. attentans vxorem Maximi, Patricij Rom. ab eo occisus est, qui & imperium inuasit. ita Zonaras.

Argiui sibi statuerant præsidium mille hominum: ijs præerat dux Bryas. Is vitium virgini intulit: illa eadem nocte Bryantem somno oppressum oculis priuauit. Deprehensa, vbi illuxit, supplex ad populum confugit. deposcentibus eam mille viris, populus reddere noluit. quare ad pugnam re deducta, victor populus in milites præsidiarios omni supplicij genere grassatus est. ita Pausan. in Corinth.

VERS. 8. CESSAVITQVE PLAGA A FILIIS ISRAEL] Hinc patet plagam pestis, ignis, aliámve similem à Deo immissam fuisse in Hebræos fornicantes & idololatrantes, idque antequam Zambri ingrederetur ad Madianitidem, ibique à Phinees occideretur: nam Phinees videns hanc plagam, ad eam auertendam occidit Zambri, eoque occiso plaga statim cessauit. Ita Scriptura sæpè post factũ, rei, quasi iam factæ meminit, eamque obiter perstringit; licet modum & historiam rei gestæ, antè non enarrarit. Ecce hîc vtrimq; verum est illud Iohan-

Iustitia placat Deũ. nis Papæ: *Zelus purgat facinus*; & illud: *Vindicta Deũ iratum lenit & placat.* Meritò ergo S. Gregor. hom. 15. in Ezech. Phinees, zeli & rectitudinis statuit exemplar: *Rectitudinis*, inquit, *zelo contra vitia accendimur? Phinees ante oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigens, castitati populum reddidit, & iram Dei irati placauit.*

Exempla. Memorant Annales Franciæ de S. Ludouico rege, quòd, cùm ipse preces ex psalmis Dauidis ad Deum cõciperet, & aliquis, qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, interuenisset, rexque quasi aliud agens annuisset, mox verò incidisset in illũ versic. psal. 105. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore*; protinus reuocari iussit eum cui gratiam concesserat,

A eamque irritam fecit, memorabili edita sententia: *Principem, qui potest punire crimen, nec punit, non minùs coram Deo reum esse, quàm si ipse perpetrasset: ac pietatis opus esse, non sæuitia, iustitiam facere.* Ita est sanè: *Nec* (vt inquit Seneca) *pinguior mactari victima Deo potest, quàm homo sceleratus.* recteque dicitur: *Is qui parcit malis, nocet bonis.* Hac de causa ferunt Maximilianum primum Imp. loca destinata ad supplicia sontium, venerabundum cum hoc solemni dicto, *Salue iustitia*, præterire solitum. Iustitia enim est basis & columen reipub. estque quasi hesperus, inquit Aristot. imò sol mundi. M. Cato dicebat, *eos magistratus qui maleficos pœnis non coërcent, non tantùm non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglectu salus reipubl. labefieret*, inquit Plutarch.

Hæc est septima plaga, quæ in hoc libro Numeror. Hebræis ob peccata immissa narratur. Prima enim fuit in Sepulchris concupiscentiæ, vbi cùm adhuc carnes essent in dentibus eorum, furor Domini percussit eos plaga magna nimis, Num. 11.33. Secunda fuit in Core, Dathan & Abiron, qui absorpti sunt à terra, viuique descenderunt in infernum, Num. 16.33. Tertia fuit eodẽ die, quando scilicet egressus ignis à Domino, occidit 250. viros rebelles, offerentes incensum, ibidem v. 35. Quarta fuit die sequenti, murmurantium contra Mosen & Aaron, atque dicentium, Vos interfecistis populum Domini, & percussi sunt 14700. ibidem v. 49. Quinta fuit, cùm ob murmur propter laborem itineris, Deus in eos immisit ignitos serpentes, Num. 21.6. Sexta fuit hîc, v. 4. cùm scilicet Deus iussit suspendi fornicantes cum Beelphegor. Septima fuit hoc versu, cùm Deus immisit pla- C gam ob idem crimen, quam suo zelo auertit & discussit Phinees. ita Rupert. *Septẽ plagæ Numer. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.*

ET OCCISI SVNT, putà, tam per plagam à Deo immissam, quàm per sententiam & suspendium iudicum, de quo v. 5. VIGINTI QVATVOR MILLIA HOMINVM] Si enim hoc numero non comprehenderentur suspensi à iudicibus, eos vtique seorsim numerasset Scriptura. ita Abulens. Ecce hîc, ait Rupertus, quàm Deus vt rhinoceros, vel potiùs monoceros, est castitatis amator, atque turpissimum Beelphegor, eiusque asseclas punit & profligat. VERS. 9.

ECCE DO EI (Phinees) PACEM FOEDERIS MEI] id est securitatem & certitudinem pacti mei. q.d. Hunc ob zelum Phinees firmiter decerno, & quasi paciscor, promittoque illi, VERS. 12. *Phinees ob zelum meruit pon'ifi. catum perpetuum.*

ET ERIT (quòd erit) TAM IPSI, QVAM SEMINI D EIVS, PACTVM SACERDOTII SEMPITERNVM] quòd scilicet ipse cum sua stirpe, post patrem Eleazarum, in pontificatum succedet, ita vt pontificatus inuiolabiliter maneat in eius familia & posteritate semper, quamdiu scilicet Iudæorum respublica, & iudaismus stabit. ita Abul. VERS. 13.

Alij censent sacerdotium hîc vocari *pacem fœderis*, id est fœdus pacis vel pacificum, per hypallagen, ob duas causas, Prima est, quòd sacerdotes præ alijs hominibus in pace, amicitia & societate Dei esse videantur. Nam quotidie in conspectu Dei versantur, cum illo colloquuntur, responsa accipiunt; illi orationes, oblationes & vota sua & populi offerunt. Secunda, quòd sacerdotium ritè administratum causa erat pacis, concordiæ, omnisque tranquillitatis & felicitatis inter Deum & homines, propter preces & sacrifi-

crificia sacerdotum quibus Deus orbi placatur.

Damianus putat Phinees esse Eliam. Audi hic paradoxum B. Petri Damiani, epist. 12. vel, vt alij notant, 11. cap. 2. ad Nicolaum II. Rom. Pontificem, vbi ait, Deum voluisse, vt deinceps ipse Phinees, in præmium præclari huius facinoris, viueret vsque ad finem mundi, putatque ipsum Phinees fuisse eumdem, qui postea dictus est Elias; idem senserunt veteres nonnulli Hebræi, teste Origene to. 7. in Iohan. Ibi enim Damianus citans hæc verba huius cap. *Ecce do ei partem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum,* sic ait: *Pacem quippe Dominus illi sui fœderis dedit: quia sedata omni carnis molestia, viuere illum vsque ad finem mundi in paradisi amœnitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallor, Elias propheta, qui videlicet igneis equis est translatus in cælum. cui nimirum Phinees nomen est à parentibus inditum: Elias verò nomen est accidens per euentum; Elias siquidem interpretatur Deus Dominus. quod ex hac occasione ei impositum creditur: quia cùm legatus à populo ad Ruben & Gad, qui nouum altare construxerant, mitteretur, hoc ab eis responsum excusationis accepit: Fortissimus Deus Dominus ipse nouit, si præuaricationis animo hoc altare construximus. inde ergo Phinees vocatus est Elias; vt illorum responsum, eius videatur esse vocabulum.*

Hæc sententia noua est & improbabilis, quam multis refutat Torniellus. Probat tamē eam Damianus

Prob. primò Primò, ex S. Hieron. qui in Hebr. quæst. in l. 1. Paralip. idipsum docet.

Resp. Resp. illum librum vel non esse S. Hieron. vt quidam annotarunt, vel S. Hieron. hæc, vti & alia, non ex sua, sed ex Hebræorum sententia dicere. Talia enim sunt, quæ ibidem tradit de matre Mosis, quòd fuerit amita mariti sui, quodque Moses post legem latam mandauerit patri, vt eam dimitteret: & quòd ipse postmodum ex alia vxore genuerit Eldad & Medad, fratres Mosis; licet non vterinos.

Probat secundò. Secundò, probat eam ex 1. Paral. 9. 19. vbi loquens Scriptura de ijs qui redierant ex Babylonica captiuitate, sic ait: *Hi sunt Corita super opera ministerij, &c. Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum;* ergo Phinees vixit vsque, imò post captiuitatem Babylonicam.

Resp. Resp. illum Phinees esse alium ab hoc nostro: ille enim erat Leuita; hic erat sacerdos: ille erat ex posteris Core; hic erat nepos Aaronis: quare & alius fuit Eleazar, pater Phinees ibi ab hoc nostro.

Tantùm ergo promittitur hic Phinees pontificatus continuatio in posteris eius.

Pontifex erat in summo honore & opibus: Fuit hoc magnum præmium. Pontifex enim Iudæorum in summo erat honore, atq; in summis opibus: maximam enim partem oblationum, primitiarum & decimarum; imò, vt multi volunt, decimam decimæ, id est centesimam partē omnium fructuū totius Iudææ, ipse solus percipiebat. Hinc ipse erat summus omnium iudex, Deut. 17. 9. iungebatq; cum regibus connubia, imò & sceptrum ipsum regni tandem obtinuit. Machabæi enim simul erant pontifices, & simul duces, ac paulò pòst reges Israel. Aristobulus enim Iohannis Hyrcani filius, & Simonis Machabæi nepos, fuit pontifex, primusque sibi imposuit diadema regni, vt docet Iosephus l. 13. Antiq. c. 19. atque post eum

factus est rex. regnauit Alexander filius, cui successit Aristobulus iunior, qui simul fuerunt pontifices & reges: hique omnes prognati sunt ex Phinees, vti ait &

A gloriatur eorum parens Mathathias 1. Machab. 2. 54. Vide hic quid apud Deum mereatur zelus & zelosi.

Dices, Ex lege & iure gentium, debebat Phinees, vtpote primogenitus, succedere patri Eleazaro in pontificatu: ergo nil noui beneficij hic ei confertur. *Obiectio.*

Respondeo, noua quædam hic ei conferri: Primò enim assecuratur hic ipsi longior vita, quòd scilicet ipse superuicturus sit patri, itaque reipsa futurus pontifex. Secundò, assecuratur ei, quòd pontificatus in eius familia permanebit. *Responsio.*

Dices Secundò, Pontificatus paulò post Phinees, translatus est ex eius familia ad familiam Ithamar, putà ad Heli: nam, vt docet Iosephus l. 5. Antiq. c. vlt. & l. 8. c. 1. Eleazaro in pontificatu successit filius Phinees, huic filius Abiezer, huic filius Bocci, huic filius Ozi; à quo translatus est ad *Obiectio.* *Successio Phinees.*

B Heli (qui fuit de familia Ithamar, vt patet 1. Paral. 24. 3.) cui successit ex filio Phinees, nepos Achitob, huic filius Abias, huic frater Achimelech, huic filius Abiathar; (vt docet Torniellus anno mundi 2940.) à quo rursum Salomon pontificatum transtulit ad Sadoc, qui erat de familia Eleazari & Phinees: quomodo ergo hic Phinees promittitur pontificatus æternus?

Respondet Primò, Caietanus promissionem hanc esse iuris, non facti: iure enim debitum fuisse familiæ Phinees pontificatum in perpetuum: sed de facto translatum esse ad Heli. ad breue tēpus. Secundò, Dionys. Carthus. respondet, promitti hic Phinees pontificatum æternum, non absolutè, sed sub conditione, si posteri patris pieta- *Resp. primò* *Secunda.*

C tem sequantur, nec ob peccata sua pōtificatu priuari mereantur: iam autem posteros Phinees peccasse, ideoque sua culpa pontificatu ad tempus excidisse. Tertiò, & facilè dici potest, promitti hic Phinees pontificatum æternum, hoc sensu, quòd eo non sit spoliandus iugiter, sicut spoliatus est Heli; sed quòd pontificatus illius familiæ adhærebit vsque ad finem Synagogæ iudaismi, esto ad breue tempus interrumpatur & transferatur ad Heli, eiusque posteros. paulò enim pòst rediit ad familiam Phinees, in eaque iugiter mansit vsque ad Christum. Sic dicitur Gen. 49. 10. quòd non deficiet sceptrum de Iuda, donec veniat Christus: constat autem sceptrum hoc defecisse primo anno regni Herodis; Christus verò natus est anno 35. regni Herodis; ergo ante Christum sceptrum de Iuda defecerat per 35. annos. Sed paruum hunc numerum in tanta multitudine nō computat, nec *Tertia & vera.*

D æstimat sacra Script. ita facit & hic.

QVIA ZELATVS EST PRO DEO SVO, ET EXPIAVIT SCELVS FILIORVM ISRAEL] *Expiauit,* Primò, id est puniuit & vindicauit sontes & sceleratos. Sic enim iudices dū puniunt sontes, suam remp. quasi expiant coram Deo, & toto mundo. iusta enim scelerum vindicta est expiatio reip. Secundò, *expiauit,* id est mūdauit: quia effecit, ne quis amplius auderet simile committere. Tertiò, *expiauit,* id est abstulit scelus negligentiæ Israelitarum, quo scilicet ipsi negligebant hoc scelus corrigere & plectere. Quartò, *expiauit,* quia sanguinem Zambri, quasi victimam piacularem, Deo pro aliorum incolumitate obtulit. ita Abul.

MADIANITIS, &c. VOCABATVR COZBI, FILIA SVR PRINCIPIS NOBILISSIMI MADIANITARVM] Hebr. est, *Cozbi filia Sur: ipse erat caput populi.* VERS. 15.

pulorum,& caput familiæ patris in Madian. Nam in Madian regnabant quinque reges, vt patet c.31.8. sed parui, qui proinde Iosue 13.21. Principes vocantur: inter hos quinque nobilissimus & summus erat Sur, qui filiam suam hîc prostituit Hebræis, vt eos ex consilio Balaam hoc modo decipere, atque auertere, vel superare posset. tantus erat eius & omnium metus, tantus amor vitæ & regni. non enim norant hi Gentiles bonum honestatis, pudicitiæ & virtutis.

Vers. 16. & 17. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN DICENS: HOSTES VOS SENTIANT MADIANITÆ, ET PERCVTITE EOS] Hîc Deus auctores sceleris & fraudis Beelphegor, scilicet Madianitas, bello vlcisci iubet: Moabitas autem, qui magna sceleris & cladis pars & causa fuerant, tacitè excipit; quia Moabitas conseruatos volebat: idque partim ob merita Lot, vt dicitur Deuter.2.19. partim ob Ruth, ex qua Dauid (fuit enim Dauid pronepos Ruth) & Christus originem erant ducturi. Ruth enim fuit Moabitis, & in Moab nata: vnde antequam nata fuit Ruth, Hebræi non intulerant bella Moabitis, sed postquam nata fuit, & ex Moab migrauit ad Iudæos, Dauid Moabitas mirè castigauit & cecidit, vt patet 2.Reg.8.2. ita Abulens.

Cur Moabitas non inuaserint Hebræi.

Poterant ex iure naturæ & gentium, Hebræi Madianitis, à quibus læsi fuerant, bello appetere, sed expectarunt imperium Domini. Dominus enim in deserto & ad stationes, & ad bella, & ad quæuis alia eos dirigebat; vtpote populi dux. vnde statim à scelere Beelphegor, iussit Madianitis bellum inferri.

Vers.18. QVIA ET IPSI HOSTILITER EGERVNT CONTRA VOS, ET DECEPERE INSIDIIS (fraudibus, de quibus dixi v.1.) PER IDOLVM PHOGOR (id est Beelphegor, vti dixi v.3.) ET PER COZBI, FILIAM DVCIS MADIAN, SOROREM SVAM, id est gentilem suam. erat enim Cozbi Madianitis, ac consequenter Madianitarum erat soror, id est cognata & affinis. hæc enim decepit Zambri, ducem tribus Simeon, cuius, vtpote ducis, exemplum multi ex eadem, vt patebit c.sequ.v.14. & ex alijs tribubus secuti sunt. Peccata enim principum & dominorum multos habent imitatores: QVÆ PERCVSSA EST à Phinees, IN DIE PLAGÆ] nam eodem die grassabatur plaga, immissa à Deo v.8. sed postquam Phinees occidit Cozbi cum Zambri, ilicò plaga cessauit.

Morale, de fuga mulierum.

Moraliter, disce hoc capite, quàm sit periculosa conuersatio cum feminis, quamque viri feminas, & feminæ viros fugere debeant. Adamum seduxit Eua, Dauidem Betsabee, Salomonem mulieres.

Præclarè senior ille apud Sophronium in Prato spirit.c.119 *Filioli, inquit, sal ex aqua est, & si appropinquauerit aqua, continuò soluitur & deficit: & monachus similiter ex muliere est; itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atque in id desinit, vt iam monachus non sit.*

A Id omnes Sancti & verbo & exemplo docuerunt. S.Dominicus ad mortem vsque virgo permansit, adeò vt & alijs virginitatem afflaret. vnde studiosus quidam osculans manum eius, tantam inde fragrantiam & gratiam hausit, vt deinceps & mente & corpore esset castus. & tamen S.Dominicus suadebat castitatis studiosis, vt omnes mulieres prorsus fugerent: ita quoque ipse faciebat, & insuper se ieiunijs & pœnitentijs affligebat.

Exemplum S.Dominici.

S.Franciscus asserebat friuolum esse colloquium cum muliere, excepta sola confessione, vel instructione breuissima. *S.Fräcisci.*

S.Iordanes, qui S.Dominico in generalatu proximè successit, Fratrem quemdã increpuit, quòd B manum mulieris tetigisset: cumque ille regereret, Mulier hæc pia & deuota est; respondit Iordanes, *Pluuia bona est, & terra bona, & tamen ex horum commixtione fit lutum.* *S.Iordanis.*

S.Thomas Aquinas à fratribus tentatus per mulierem lasciuam, eam titione fugauit, eoque signum crucis formans in pariete, & ibi orãs cum lachrymis, postulansque perpetuam virginitatem, indormijt, viditque duos angelos, qui sibi renes astringerent (ita arctè, vt ex dolore exclamaret) dicentes: Ecce cingimus te cingulo castitatis, quod numquam dissoluetur. vnde ipse omni postea libidinis sensu caruit: & tamen ille ipse deinceps omnes mulieres semper horruit & fugit quasi serpentes. *S.Thomæ Aquin.*

C Regina Siciliæ, S.Ludouici, ex Franciscana familia Episcopi, mater, eum ad se Neapolim venientem, vt filium suum, more Gallico osculari volebat. renuit S.Ludouicus. tum illa: *Numquid nõ sum mater tua?* cui ille: *Scio*, ait; *sed mulier es, quam seruo Dei osculari non licet*: nam, vt ait S.Bernardin. *Mulieris corpus totum est igneum.* Ita fugit Ioseph lasciuientem heram, relicto in manibus eius pallio. Ita S.Augustinus, teste Possidonio, domi suæ ne quidem sororem habere voluit. Ita fugit non semel S.Bernardus, cùm ob eximiam speciem, ab impuris mulierculis ad scelus sollicitaretur. Aliàs easdem noctu abegit, clamans Latrones, latrones: ac tandem vt omni tentatione se eximeret, ad claustra Cisterciensis monasterij profugit. nimirũ, D vt ait Sapiens, *De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*; &, *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* *S.Ludouici Episcopi.* *S.Bernardi.*

Ita denique fugit magnus ille S.Iohannes Anachoreta, qui Theodosio Imp. victorias prædixit. nam, vti narrat Pallad. in Lausiaca c.43. ipse per 40. annos nullam mulierem vidit. cumque 90. esset annorum, enixè rogatus à Tribuno, vt vxori suæ importunè id petenti, videndum se præberet, respondit: *Hac nocte ab ipsa videbor in somnis, nec ampliùs pergat in carne videre faciem meam.* in somnis ergo ei per phantasma apparuit, nec aliter ab ea se videri passus est. qui & c.44. luctuosum Eremitæ cuiusdam per mulierem lapsum enarrat. Plura attuli Gen.34.1. *S.Iohannis Anachoretæ.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HEbræi terram ſanctam ingreſſuri numerantur, à viginti annis & ſupra, per ſingulas tribus, vt iis terra diuidatur.

1. POſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit Dominus ad Moyſen & Eleaza-
rum filium Aaron ſacerdotem: 2. Numerate omnem ſummam filiorum Iſ-
rael à viginti annis & ſupra, per domos & cognationes ſuas, cunctos qui poſſunt ad
bella procedere. 3. Locuti ſunt itaque Moyſes & Eleazar ſacerdos in campeſtri-
bus Moab ſuper Iordanem contra Iericho, ad eos qui erant 4. à viginti annis & ſu-
pra, ſicut Dominus imperauerat, quorum iſte eſt numerus: 5. Ruben primogeni-
tus Iſrael. huius filius, Henoch, à quo familia Henochitarum: & Phallu, à quo familia
Phalluitarum: 6. & Heſron, à quo familia Heſronitarum: & Charmi, à quo fami-
lia Charmitarum. 7. hæ ſunt familiæ de ſtirpe Ruben: quarum numerus inuentus
eſt, quadraginta tria millia & ſeptingenti triginta. 8. Filius Phallu, Eliab. 9. hu-
ius filij, Namuel & Dathan & Abiron. iſti ſunt Dathan & Abiron principes populi,
qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando aduerſus Domi-
num rebellauerunt: 10. & aperiens terra os ſuum deuorauit Core, morientibus
plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum eſt grande
miraculum, 11. vt, Core pereunte, filij eius non perirent. 12. Filij Simeon per
cognationes ſuas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Iamin, ab hoc familia Iami-
nitarum: Iachin, ab hoc familia Iachinitarum: 13. Zare, ab hoc familia Zareita-
rum: Saul, ab hoc familia Saulitarum. 14. hæ ſunt familiæ de ſtirpe Simeon, qua-
rum omnis numerus fuit, viginti duo millia ducenti. 15. Filij Gad per cognationes
ſuas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab
hoc familia Sunitarum: 16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia
Heritarum: 17. Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielita-
rum. 18. iſtæ ſunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia
quingenti. 19. Filij Iuda, Her & Onan, qui ambo mortui ſunt in terra Chanaan.
20. Fueruntq; filij Iuda, per cognationes ſuas: Sela à quo familia Selaitarum: Phares,
à quo familia Phareſitarum: Zare, à quo familia Zareitarum. 21. Porrò filij Phares:
Heſron, à quo familia Heſronitarum: & Hamul, à quo familia Hamulitarum. 22. i-
ſtæ ſunt familiæ Iuda, quarum omnis numerus fuit, ſeptuaginta ſex millia quingenti.
23. Filij Iſſachar, per cognationes ſuas: Thola, à quo familia Tholaitarum: Phua, à
quo familia Phuaitarum: 24. Iaſub, à quo familia Iaſubitarum: Semran, à quo fami-
lia Semranitarum. 25. hæ ſunt cognationes Iſſachar, quarum numerus fuit ſexa-
ginta quatuor millia trecenti. 26. Filij Zabulon per cognationes ſuas: Sared, à quo
familia Sareditarum: Elon, à quo familia Elonitarum: Ialel, à quo familia Ialelitarum.
27. hæ ſunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, ſexaginta millia quin-
genti. 28. Filij Ioſeph per cognationes ſuas, Manaſſe & Ephraim. 29. De Ma-
naſſe ortus eſt Machir, à quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad, à quo fa-
milia Galaaditarum. 30. Galaad habuit filios: Iezer, à quo familia Iezeritarum: &
Helec, à quo familia Helecitarum: 31. & Aſriel, à quo familia Aſrielitarum: & Se-
chem, à quo familia Sechemitarum: 32. & Semida, à quo familia Semidaitarum: &
Hepher, à quo familia Hepheritarum. 33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui
filios non habebat, ſed tantùm filias, quarum iſta ſunt nomina: Maala, & Noa, & He-
gla, & Melcha, & Therſa. 34. hæ ſunt familiæ Manaſſe, & numerus earum, quin-
quaginta duo millia ſeptingenti. 35. Filij autem Ephraim per cognationes ſuas,
fuerunt hi: Suthala, à quo familia Suthalaitarum: Becher, à quo familia Becheritarum:
Thehen, à quo familia Thehenitarum. 36. porrò filius Suthala fuit Heran, à quo
familia Heranitarum. 37. hæ ſunt cognationes filiorum Ephraim, quarum nume-
rus fuit, triginta duo millia quingenti. 38. Iſti ſunt filij Ioſeph per familias ſuas.
Filij Beniamin in cognationibus ſuis: Bela, à quo familia Belaitarum: Aſbel, à quo fa-
milia Aſbelitarum: Ahiram, à quo familia Ahiramitarum: 39. Supham, à quo fami-
lia Suphamitarum: Hupham, à quo familia Huphamitarum. 40. Filij Bela. Hered,
& Noëman. De Hered, familia Hereditarum: de Noëman, familia Noëmanitarum.
41. hi ſunt filij Beniamin per cognationes ſuas, quorum numerus fuit, quadraginta
quin-

quinque millia sexcenti. 42. Filij Dan per cognationes suas: Suham, à quo familia
Suhamitarum. hæ sunt cognationes Dan per familias suas. 43. omnes fuere Suha-
mitæ, quorum numerus erat, sexaginta quattuor millia quadringenti. 44. Filij A-
ser per cognationes suas: Iemna, à quo familia Iemnitarum: Iessui, à quo familia Iessui-
tarum: Brie, à quo familia Brietarum. 45. Filij Brie: Heber, à quo familia Heberita-
rum: & Melchiel, à quo familia Melchielitarum. 46. Nomen autem filiæ Aser, fuit,
Sara. 47. hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum, quinquaginta tria
millia quadringenti. 48. Filij Nephthali per cognationes suas: Iesiel, à quo familia
Iesielitarum: Guni, à quo familia Gunitarum: 49. Ieser, à quo familia Ieseritarum:
Sellem, à quo familia Sellemitarum. 50. hæ sunt cognationes filiorum Nephthali
per familias suas: quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti. 51. I-
sta est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti
triginta. 52. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: 53. Istis diuidetur ter-
ra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas. 54. Pluribus maiorem par-
tem dabis, & paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur posses-
sio: 55. ita dumtaxat vt sors terram tribubus diuidat & familijs. 56. Quidquid
sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. 57. Hic quoque est nume-
rus filiorum Leui per familias suas: Gerson, à quo familia Gersonitarum: Caath, à quo
familia Caathitarum: Merari, à quo familia Meraritarum. 58. hæ sunt familiæ Le-
ui: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At ve-
rò Caath genuit Amram: 59. qui habuit vxorem Iochabed filiam Leui, quæ nata
est ei in Ægypto. hæc genuit Amram viro suo filios Aaron & Moysen, & Mariam so-
rorem eorum. 60. De Aaron orti sunt Nadab & Abiu, & Eleazar & Ithamar.
61. quorum Nadab & Abiu mortui sunt, cùm obtulissent ignem alienum coram Do-
mino. 62. Fuerunt omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini,
ab vno mense & supra: quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum ceteris
data possessio est. 63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt à Moyse &
Eleazaro sacerdote in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho. 64. in-
ter quos, nullus fuit eorum qui antè numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinai.
65. Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur in solitudine. Nullusq; re-
mansit ex eis, nisi Caleb filius Iephone, & Iosue filius Nun.

Vers. 1. POSTQVAM NOXIORVM (fornicantium cùm filiabus Moab & Madian cap. præced.) SANGVIS EFFVSVS EST, DIXIT DOMINVS AD MOYSEN, ET ELEAZARVM] *Dixit* scilicet per columnam nubis, incubantem ostio tabernaculi, non autem ex propitiatorio, & Sancto sanctorum: licet enim Moses illud ingredi posset, quoties de aliquo dubio Deum consulere debebat; tamen Eleazarus pontifex illud non nisi semel in anno, putà in festo Expiationis, ingredi poterat, iuxta legem Leuit. 16. 2. & 19.

Vers. 2. NVMERATE OMNEM SVMMAM FILIORVM ISRAEL, A VIGINTI ANNIS ET SVPRA] Fuit hic tertius census generalis totius populi: primus enim habitus fuit in fabrica tabernaculi, Exodi 30. 12. & 38. 25. Secundus, cùm ordinatæ sunt acies ad pugnandum, & ad castra metandum, Numer. 1. & 2. vterque actus est anno secundo ab egressu ex Ægypto, in Sina. Tertius hoc loco factus est, anno quadragesimo, cùm iamiam ingressuri essent terram promissam, vt scilicet illa inter tribus congruè pro numero cuiusq; diuidi & distribui posset. Ridiculum enim est, quod ait Rabbi Salomon, Deum hîc fecisse, vti facit pastor, qui gregem numerat, quem lupus vastauit, vt ex numero superstitum, sciat quot perierint, & raptæ sint.

Tertius census populi.

Quare omnes qui hîc numerantur, alij sunt ab ijs, qui anno secundo numerati sunt, Num. 1. & 2. nam omnes illi iam interierant, ob murmur exploratorum in Cadesbarne, de quo c. 14. vt patet ex hoc cap. v. 64.

A Præter hos tres, fuit quartus census, sed specialis, primogenitorum & Leuitarum, de quo c. 3. v. 15. & 40.

A VIGINTI ANNIS ET SVPRA] quia hi soli, apti erant ad arma & bella, iamiam cum Chananæis, in ingressu Chanaan, gerenda. Numerantur ergo hic soli bellatores, & hi soli inter se diuiserunt terram Chanaan: minores ergo viginti annis, vti non numerantur, nec apti erant ad bella, ita nec terræ Chanaan hereditatem per se adiuerunt, vt patet v. 53.

LOCVTI SVNT ITAQVE MOYSES ET ELEAZAR] scilicet, id quod dixerat Dominus, vt videlicet disponerent se omnes numerandi per turmas & familias, vt commodè possent numerari. Vers. 3.
B Census hic ita videtur peractus, vt primò singularum tribuum familias, deinde singularum familiarum domos, ac denique singularum domorum capita numerarint.

SVPER IORDANEM] iuxta Iordanem: sic dicitur, Iesus stans super, id est iuxta, eam, imperasse febri, Lucæ 4. 39.

RVBEN PRIMOGENITVS ISRAEL] In hoc censu Vers 5.
seruatur ordo vexillorum & acierum, qui constitutus fuit c. 2. ita tamen, vt primum vexillum sit Ruben, cum suis, vtpote primogeniti: secundum sit Iudæ, qui senior erat cæteris: tertiũ sit Ephraim, qui ex matre libera, putà ex Rachele, erat prognatus: quartum sit Dan, cum suis, qui ex ancilla, putà Bala, erat genitus.

ET FACTVM EST GRANDE MIRACVLVM] Hebr. Vers. 10.
est, *fuerunt in signum*, quod Chald. Vatabl. & alij
ad

ad præcedentia referunt, quasi dicat, Core, Dathan, Abiron, &c. fuerunt in signum, id est, fuerunt exemplo, alijs filijs Israel, quo ipsi docerentur, non esse murmurandum & rixandum contra Mosen & superiores.

Verùm, quia sequitur in Hebræo, *Et filij Core non sunt mortui*; hinc sagaciùs noster Interpres, videns hæc verba connecti præcedentibus, intellexit *signum* hoc, tam ad sequentia hæc verba, quàm ad præcedentia pertinere, sensúmque esse, q.d. Core, Dathan & Abiron facti sunt in signum, id est in exemplum, non quale quale, sed portentosum & miraculosum, non tantùm ex eo, quòd terra absorbuit eos, sed etiam, ex eo quòd Core pereunte, filij eius non perierunt; sed penduli in aëre hæserunt: quia scilicet, patris rebellioni non consenserunt. Per miraculum enim seruatos esse filios Core, patet ex eo, quòd omnino videantur tunc fuisse cum patre Core in tabernaculo, æquè vt filij Dathan & Abiron, qui cum parentibus perierunt. cùm enim Moses adijt eos, omnes filij & famuli eorum, domum ad rem & litem tantam confluxerunt; nec parentes passi fuissent, filios in hoc schismate à se auelli, aut domo abire.

Miraculo filij Core seruati sunt, pereunte patre.

De hoc miraculo, & de hisce Core filijs, dixi cap. 16. 31.

VERS. 12. FILII SIMEON] Genes. 46. 10. & Exodi 6. 15. numerantur sex filij Simeonis: hîc vero & 1. Paral. 4. 24. tantùm quinque numerantur. omittitur enim Ahod sextus, quia mortuus est sine liberis: vnde nō habuit familiam, nec sortem in terra Chanaan. Rursum, filius eius primus, qui hîc vocatur *Namuel*, in Genesi & Exodo vocatur *Iamuel*: & qui ibi vocatur *Sohar*, hîc vocatur *Zare*. ex Hebræo enim צחר *Sohar*, per metathesin, simulque mutando literam *tsade* in affinem *zain*, fit זרח *zerach* siue *zare*. sic in alijs nominibus similis est variatio: qui enim hîc v. 30. vocatur *Iezer*, Iosue 17. 2. vocatur *Abiezer*: & qui hîc v. 24. vocatur *Iasub*, alibi vocatur *Iob*.

Nota hic, valdè decreuisse tribum Simeonis. nam in censu priore, qui actus est anno secundo, numerata sunt capita huius tribus, 59. millia, & trecenta, vt patet Num. 2. 13. hîc verò tantùm numerantur viginti duo millia, & ducēta: diminuta ergo fuit tribus 37. millibus & centum capitibus. quod plerique tribuunt vltimæ plagæ, ob fornicationem cum Madianitis immissæ, c. 25. 9. quæ maximè in hanc tribum sæuierit; eò quòd ex ea plurimi ducem suum Zambri, quem Phinees occidit, secuti, cum Madianitis fornicati sint. idque satis insinuatur cap. præced. v. vlt. vbi iubet Deus inuadi Madianitas ob insidias & scelus Cozbi, cum qua fornicatus est Zambri. ita Abulens.

Simeonis tribus valdè decreuit, vnde?

Hinc rursum, tribus Simeon, vtpote exigua, iuncta fuit cum tribu Iuda, atque in eius sorte sortem suam accepit, vt patet Iosue 19. 9. tribus enim Iuda fuit maxima & validissima. continebat enim capita 76500. vt patet v. 22. post Iuda numerosissima fuit tribus Dan, 64400. capitum, vers. 43. post Dan fuit Issachar, capitum 64300 v. 25. &c.

VERS. 38. FILII BENIAMIN] Hîc tantùm numerantur quinque filij Beniamin, cùm tamen decem habuerit, vt patet Genes. 46. 21. quinque ergo reliqui eius filij mortui sunt sine liberis, aut in posteris eorum familia interijt.

VERS. 44. IESSVI, A QVO FAMILIA IESSVITARVM] Hoc loco nuper quidam apposité obstruxit os ignorantis hæretici, more solito Societatem Iesu & Ie-

A suitas abominantis, eò quòd nomen eorum non inueniretur in sacris Biblijs.

ISTIS DIVIDETVR TERRA, IVXTA NVMERVM VOCABVLORVM, IN POSSESSIONES SVAS] Vt scilicet pro numero familiarum & capitum quæ diuersa solent habere vocabula, id est nomina, terra diuidatur, & possideatur à singulis. est metonymia: *vocabulum* enim siue nomen sumitur pro re, siue persona nominata. VERS. 53.

SINGVLIS, SICVT NVNC RECENSITI SVNT, TRADETVR POSSESSIO] *Singulis*, scilicet, tum hominibus, tum tribubus, tum familijs, tum potiùs capitibus familiarum (hoc enim magis consonat textui Hebræo) vt ipsi vlteriùs, in singulos suæ familiæ, qui viginti annorū sunt, fortè acceptam diuidant. VERS. 54.

HIC QVOQVE EST NVMERVS FILIORVM LEVI, PER FAMILIAS SVAS] Hîc tantùm numerantur quinque familiæ Leui, cùm fuerint octo, vt patet Exodi 6. v. 17. 18. 19 & 1. Paral. 23. & sequen. quia præcipuas tantùm hîc recenset: hîc enim familiæ Leuiticæ ex professo non numerantur, vti cæteræ, eò quòd non essent accepturæ sortem, cum alijs tribubus, in Chanaan, vt dicitur v. 62. VERS. 57.

B

FVERVNTQVE OMNES (Leuitæ) QVI NVMERATI SVNT, VIGINTI TRIA MILLIA, GENERIS MASCVLINI, AB VNO MENSE ET SVPRA] Nota. Ex eo, quòd iusserat Dominus c. 3. 41. & 43. commutari primogenitos Hebræorum in Leuitas vnius mensis & supra, idque ad paucitatem Leuitarum multitudini primogenitorum adæquandam, & simul ad dignitatem Leuitarum declarandam: hac de causa iubet hîc eos rursum numerari ab vno mense & supra, tamquam suos, vtpote qui olim eadem ætate seruierant redemptioni primogenitorum: nam qui necdum mensem expleuerant, non seruiebant redemptioni huic; vnde non censebantur Leuitæ, nec ad Deum pertinebant, ac proinde hîc non numerantur. Tribus Leui parum fuit propagata: paucissima enim inter omnes tribus habuit capita, tam in hoc censu, quàm in priore, Numer. 3. 43. VERS. 62.

C

NVLLVSQVE REMANSIT EX EIS, NISI CALEB FILIVS IEPHONE, ET IOSVE FILIVS NVN] Excipe Leuitas: nam ex eis supererant Moses, Eleazar, Ithamar, & fortè multi alij, qui numerati fuerant in Sina, & maturæ ætatis erant tempore exploratorum, facileque superabant annum vigesimum. Caleb hoc tempore erat 78. annorum, vt colligitur ex Iosue 14. 7. Iosue verò, vt minimum erat 83. annorum. Nam hæc omnia gesta sunt anno 40. & vltimo peregrinationis Hebræorum in deserto, quo mortuus est Moses, cui statim successit Iosue, qui vt summum præfuit populo 27. annis: mortuus est autem Iosue anno ætatis 110. vt patet Iosue vlt. v. 29. Deme ab his 110. annis vitæ, annos 27. principatus eius, habebis 83. eius annum iam dictum, quo mortuus est Moses, ipseque Mosi in ducatu successit. VERS. 65.

Caleb in hoc censu erat 78. annorum, Iosue 83.

D

Hinc patet hisce 38. annis, emortuis patribus totidem plenè filios succreuisse, qui vigesimum annum complentes, vel superantes, apti erant ad bella. Nam in hoc censu inuenta sunt bellatorum sexcenta millia, & mille septingenti triginta, vt dicitur v. 51. in priore verò censu, ante 38. annos inito, inuenta sunt bellatorum sexcenta tria millia, quingenti & quinquaginta, vt dicitur c. 1. 46. Prior ergo census superat hunc tantùm mille octingentis & viginti capitibus.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propter filias Salphaad, Deus fert legem, vt deficiente prole mascula, filiæ parentibus succedant in hereditatem. Secundò, v.12. iubetur Moses ex monte Abarim contemplari Chanaan, atque sibi in ducatu populi, substituere Iosue.

1. Accesserunt autem filiæ Salphaad, filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij
Manasse, qui fuit filius Ioseph: quarum sunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla,
& Melcha, & Thersa. 2. Steteruntque coram Moyse & Eleazaro sacerdote, & cun-
ctis principibus populi, ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt: 3. Pater no-
ster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum
sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur no-
men illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cogna-
tos patris nostri. 4. Retulitque Moyses causam earum ad iudicium Domini. 5. Qui
dixit ad eum: 6. Iustam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cog-
natos patris sui, & ei in hereditatem succedant. 7. Ad filios autem Israel loqueris
hæc: 8. Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hereditas.
9. si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. 10. quòd si & fratres non
fuerint, dabitis hereditatem fratribus patris eius. 11. sin autem nec patruos habuerit,
dabitur hereditas his qui ei proximi sunt. eritque hoc filijs Israel sanctum lege perpe-
tua, sicut præcepit Dominus Moysi. 12. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascen-
de in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filijs
Israel. 13. cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aa-
ron: 14. quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec san-
ctificare me voluistis coram ea super aquas. hæ sunt aquæ contradictionis in Cades de-
serti Sin. 15. Cui respondit Moyses: 16. Prouideat Dominus Deus spirituum om-
nis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc: 17. & possit exire & intrare
ante eos, & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oues absque pa-
store. 18. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spi-
ritus, & pone manum tuam super eum. 19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote &
omni multitudine: 20. & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ
tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. 21. Pro hoc, si quid agendum
erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur
ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cetera multitudo. 22. Fecit Moyses vt præce-
perat Dominus. Cumque tulisset Iosue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni
frequentia populi. 23. Et impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit quæ man-
dauerat Dominus.

Vers. 1. & 2. ACCESSERVNT AVTEM FILIÆ SALPHAAD, &c. STETERVNTQVE CORAM MOYSE, ET ELEAZARO SACERDOTE, ET CVNCTIS PRINCIPIBVS POPVLI, AD OSTIVM TABERNACVLI] Quia iuxta ostium tabernaculi erat tentorium Mosis, atque ad illud, vel certè ad vicinum atrium tabernaculi, conueniebant seniores populi, conuocati à Mose ad concilium.

Vers. 2. & 3. ATQVE DIXERVNT: PATER NOSTER, &c. IN PECCATO SVO MORTVVS EST] scilicet, ob peccatum murmuris, tempore exploratorum, quod peccatum fuit commune totius populi. Omnes enim à 20. anno & supra, ob hoc peccatum mortui sunt in deserto.

Vers. 3. HIC NON HABVIT MARES FILIOS. CVR TOLLITVR NOMEN ILLIVS DE FAMILIA SVA, QVIA NON HABVIT FILIVM? DATE NOBIS POSSESSIONEM INTER COGNATOS PATRIS NOSTRI] q.d. Date nobis filiabus hereditatem in Chanaan, pro patre nostro mortuo sine mascula prole, vt per hereditatem hanc nostram, maneat nomen & familia patris nostri in Israel: sic enim filij nostri, saltem A aliqui, ab hac hereditate Salphaad, denominabuntur posteri, vel familia Salphaad: aliqui enim filij nostri sequentur nomen & hereditatem sui patris; alij verò sequentur nomen & hereditatem suæ matris, siue aui materni, putà nostram, & patris nostri. (Hereditas enim inter Hebræos erat immobilis & perpetua, ac consequenter & familia cuius ipsa erat, & à qua denominabatur, erat perpetua.) Alioqui enim, si nulla detur nobis hereditas, filij nostri, non patris nostri, sed mariti cui nubemus, vti hereditatem, ita & nomen sortientur; B itaque nomen & familia patris nostri interibit. ita Abulens.

Ex hoc loco colligitur, quòd apud Hebræos, si proles aliqua esset mascula, illa omnium erat heres, ita vt filiæ nullam hereditatis partem adire possent: ratio erat, quia per masculos, non per feminas, nominantur, distinguuntur, & conseruantur familiæ. Fuit autem per Dei prouidentiam in veteri testamento tanta cura conseruationis & distinctionis familiarum; tum propter iura primogenituræ, & propter certitudines omnium familiarum,

Mares soli erant heredes parentum, non feminæ. Cur

liarum, secundùm successiones hereditatum; vt scilicet certò constaret, vna familia emoriente, quænam illi sanguine esset proxima, vt in hereditatem eius succederet: tum vt liquidò constaret, Christum ex Iudæis, & ex Iuda natum esse, vti Deus promiserat Iacobo Genes. 49. 10. Atque hæc vna inter alias causa fuit, cur voluerit Deus beatam Virginem nubere Iosepho, vt scilicet Iudæis, qui putabant omnino eam ex Iosepho concepisse & genuisse Christum, probari posset, Christum descendere ex Dauide & Iuda. Nam ex eis descendere Ioseph, sciebant omnes Iudæi.

VERS. 4. RETVLITQVE MOYSES CAVSAM EARVM AD IVDICIVM DOMINI] q.d. Moses super hac quæstione consuluit Dominum, ad ostium tabernaculi (ibi enim Deus per columnam nubis loquebatur) vel ad propitiatorium in Sancto sanctorum.

VERS. 5. & 6. QVI (Dominus) DIXIT AD EVM (Mosen:) IVSTAM REM POSTVLANT FILIÆ SALPHAAD: DA EIS (iube eis dari in Chanaan. Nec enim Moses ingressus est Chanaan, ac consequenter nulli in ea hereditatem actu & re ipsa dare potuit) POSSESSIONEM INTER COGNATOS PATRIS SVI] Adierunt ergo hæ filiæ possessionem, non iure suo, sed paterno: vnde dicuntur patri succedere in hereditate, scilicet illa, quam habuisset pater in Chanaan, si vixisset, eamque ingressus fuisset: quia feminæ Hebrææ nullum habebant ius ad hereditates, nisi vnico hoc casu, si videlicet pater earum defunctus esset sine prole mascula, ideoque nomen eius periturum: tum enim filiæ patri succedebant, alijsque agnatis omnibus præferebantur (vti decernit Deus versu sequ.) sed ita, vt vnam dumtaxat haberent sortem patris sui, quæ inter omnes filias æqualiter diuidebatur, cùm masculi filij singuli, à 20. anno & supra, suo iure singulas in Chanaan possessiones adirent & diuiderent.

Feminæ vnam tantùm sortem, scilicet patris sui, accipiebant.

Sic & mares minores anno 20.

Dico à vigesimo anno, quia minores anno vigesimo non adibant hereditatem in Chanaan iure proprio, sed alieno, scilicet paterno, si pater esset mortuus: vnde sicut pater, si vixisset, tantùm habuisset ius ad vnam sortem, ita hi filij, licet multi essent, tamen ad vnam tantùm sortem, quæ patris eorum fuisset, ius habebant, idque ad hoc vt haberent vnde viuerent, ne fratribus essent oneri, & vt nomen eorum non periret de stirpe sua. ita Abulens. quæst. 10.

Filij alij auo materno, alij patri succedebant.

Singulæ ergo filiæ, in patris sui sortem diuisam & sibi attributam succedentes, ex filijs, qui ex se nascebantur, aliquem nomine patris sui nuncupabant: isque in eius hereditatem succedebat: alij verò filij mariti & nomen & hereditatem cernebant, eamque æqualiter diuidebant. Excipio primogenitos. Hi enim duplicem adibant hereditatis portionem, vt patet Deuteron. 21. 17. Hæc intellige de hereditate propriè dicta, seu de bonis immobilibus: nam de mobilibus Hebræi disponere poterant ad libitum, eaque dare filiabus, non masculis, vti passim ex ijs dotem consignabant filiabus. Plura de iuribus successionum apud Hebræos vide apud Abulens. hic.

VERS. 11. DABITVR HEREDITAS HIS QVI EI PROXIMI SVNT] masculi scilicet. Loquitur enim lex de successione, quæ fit ex parte patris. Nam si quis matri, & auo materno in hereditate successisset & moreretur sine liberis, succedebant ei cognati matris, non patris: quia bona hæc erant familiæ matris, vel aui materni (non autem patris) vnde in ea manere debebant, nec poterant transferri ad aliam, putà patris, familiam, vti docet Abulensis qu. 33. idque ne familiarum & tribuum fieret permistio & confusio. Ad hoc enim iussit Deus hereditates ex vna familia vel tribu in aliam non transferri, vt ex hereditate certò constaret, cuius familiæ, vel tribus quisque esset.

Prioribus succedebant cognati matris, non patris.

DIXIT QVOQVE DOMINVS AD MOYSEN: ASCENDE IN MONTEM ISTVM ABARIM] tum vt ex eo videas terram promissam; tum vt in eo moriaris. patet ex sequ. Mons hic Abarim, saltem secundùm diuersas partes & iuga, varia habet nomina. Nam vocatur Phasga, Phogor, excelsa Baal. Nebo: in Nebo enim dicitur mortuus esse Moses, Deuteron. vlt. v. 1. Voluit Deus Mosen mori in monte, non in castris, ne Hebræi proni ad idola, eius corpus quasi numen colerent. VERS. 12.

CONTEMPLARE INDE TERRAM, QVAM DATVRVS SVM FILIIS ISRAEL] vt saltem aliqua voluptate fruaris in visione terræ, quam tantopere ingredi petijsti & optasti, vt patet Deuter. 3. v. 24. & 25. Nam ex eo loco patet, Mosen ardentissimè orasse Deum, pro ingressu in terram promissam; sed Deo id abnuente, & indicente ei silentium, petijt sibi designari successorem, vt ex hoc c. v. 16. patet.

IBIS ET TV AD POPVLVM TVVM] morieris, ô Moses, in Moab, & ibis ad limbum patrum, siue ad sinum Abrahæ. VERS. 13.

PROVIDEAT DOMINVS DEVS SPIRITVVM. q.d. Tu qui es Deus spirituum, id est, qui solus spiritus & animas creas (hinc enim Apostolus Hebr. 12. 9. Deum vocat *patrem spirituum*; parentes verò, patres carnis) quique nosti omnium hominum spiritus & corda, ac consequenter optimè nosti, quis sit aptissimus tantæ moli, vt videlicet mihi in gubernatione talis & tanti populi succedat, prouide & signa HOMINEM, QVI SIT SVPER MVLTITVDINEM HANC, ET POSSIT EXIRE, ET INTRARE ANTE EOS] id est, possit esse dux & ductor eorum in omni opere, tam bellico, quàm ciuili. Hoc enim hebraicè significat hæc metaphora, sumpta à pastoribus educentibus gregem: hi enim ante eum exeunt & intrant, itaque eum pascunt & regunt. VERS. 16. & 17.

TOLLE IOSVE FILIVM NVN, VIRVM IN QVO EST SPIRITVS DEI] *Spiritus*, id est prudentia, pietas, fortitudo, & cæteræ virtutes tali principi necessariæ. VERS. 18.

ET PONE MANVM TVAM SVPER EVM] Vt hac cæremonia Iosue instituatur tuus successor, & dux populi, & consequenter à me maiori spiritu & gratia ad id munus oportuna, donetur, vti dicitur Deuter. vlt. v. 9. De hac cæremonia dixi 1. Timoth. 4. v. 14.

DABIS EI PRÆCEPTA] de modo regendi populum, maximè vt eum in vera vnius Dei religione ac lege conseruet & promoueat. VERS. 20.

ET PARTEM GLORIÆ TVÆ] q.d. Communica, ô Moses, cum Iosue cornua, id est splendorem & radios vultus tui, vti sol facit lunæ, inquit Rabbi Moses. vnde Chald. vertit, *dabisque de splendore tuo super eo*. Hinc & Hebræi passim Mosen comparant soli, Iosue lunæ, quæ à sole lumen accipit: sed nusquam Scriptura aut veteres, hos radios dant Iosue; nec eos Iosue afflare poterat Moses ita Abulens. qui pluribus idipsum confutat.

Gloriam suam Moses communicat Iosue, quam?

Alij per gloriam accipiunt mansuetudinem &

humilitatem Mosis, quæ eum populo mirè amabilem & laudabilem reddiderunt ipse enim ex eo quòd cum Deo loqui soleret quasi amicus cum amico, nihilo superbior factus, erga omnes pium & mitem se exhibuit. Verùm nec hanc suam mansuetudinem Moses afflare poterat ipsi Iosue.

Dico ergo, Da Iosue partem gloriæ, id est honoris & auctoritatis tuæ apud populum, vt eum, quasi futurum populi principem, reuerenter compelles, eumque vt talem toti populo proponas & commendes, vt populus eum pro te acceptet vt ducem, eumque reuereatur, vtpote quem à te honoratum, & auctoritate donatum viderit. vnde sequitur: *Vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Addit Caietan. iuberi hîc Mosi, vt insignia magistratus & principatus sui communicet cum Iosue, v.g. vt tradat ei suam virgam, quæ erat quasi sceptrum, ideoque insigne principatus; vt partem famulorum ei consignet; vt det ei annulum signatorium, paludamentum &c. Hisce enim insignibus solet decorari, & quasi inaugurari nouus magistratus & princeps. Aliter vertit Oleaster, scilicet, *da Iosue partem deiectionis*, vel *humilitatis tuæ*: radix enim יָדָה *iada*, vnde הוֹדָה *hoda*, significat proijcere, deijcere. q.d. Doce Iosue tuam humilitatem & mansuetudinem, vt illa eum populo reddat acceptum, sicut te reddidit.

Hic sensus non est incongruus, prior tamen est germanior, estque Septuag Chald. & aliorum passim.

Cur filij Mosis ei in ducatu populi non successerint, hanc causam dat Auctor de Mirabilibus S.Scripturæ libr. 1. cap. 25. apud S. Augustinum tom 3. quòd *ipsi*, inquit, *de Gentili matre* (de Sephora Madianitide) *peregrinationis* (exilij Mosis) *causa generati sint.* Successit ergo ei Iosue, qui tam ex materno, quàm paterno genere erat Hebræus. Adde, ducatus hic populi ex Ægypto vnicus fuit & extraordinarius, non hereditarius: electione ergo Dei is delatus est Mosi, eiusque ministro Iosue. Denique posteri Mosis fuerunt degeneres, Iudic. 18. 30.

VERS. 21. PRO HOC (pro Iosue) SI QVID AGENDVM ERIT, ELEAZAR SACERDOS CONSVLET DOMINVM] Hebr. *Eleazar interrogabit pro eo, in iudicio Vrim coram Domino.* q.d. Eleazar pontifex indutus ephod, & rationali, cui inscriptum est Vrim, itaque existens in pontificalibus, & fungens quasi munere pontificio, de rebus dubijs Iosue occurrentibus, interrogabit Dominum; itaque ab eo de omnibus erudietur & instruetur. De hoc oraculo Vrim vide dicta Exodi 28 30.

AD VERBVM EIVS EGREDIETVR, ET INGREDIETVR IPSE, ET OMNES FILII ISRAEL] *Eius*, scilicet *Iosue*, inquit Abulensis. *Hic enim*, inquit, *proponitur Iosue, quia erat princeps sæcularis. summo sacerdoti directè, ita vt teneretur Eleazarus obedire Iosue, in omnibus quæ iuberet, sicut cæteri de populo. & sic fuit tempore Mosis; quia ipse non erat sacerdos: Aaron tamen, quia erat summus sacerdos, obediebat illi; quia erat princeps populi: & sic fuit in veteri testamento, quòd sacerdotes summi essent sub regibus. nunc autem est è contrario: quia omnis sæcularis potestas obedit summo Pontifici, qui est inter omnes viros Ecclesiasticos, sicut summus sacerdos inter omnes sacerdotes & Leuitas Hebræorum.* hucusque Abulensis.

Eleazar per oraculum Vrim Verùm τὸ *eius*, non respicere Iosue, sed Eleazarum, clarè patet ex Hebræo. Sensus ergo est:

A *ab verbum eius*, id est iuxta oraculum eius, scilicet Eleazari, qui præcessit, *ingredietur & egredietur*, id est aget quidquid agendum erit, tam *ipse*, scilicet Iosue, quàm *omnes filij Israel*. Licet enim Mosen speciali priuilegio delegisset Deus in Prophetam, legislatorem & consecratorem sacerdotum: ita vt in Mose esset vtraque potestas, scilicet ciuilis & sacra, siue sacerdotalis, eaque per eminentiam & superintendentiam. Moses enim erat summus sacerdos & pontifex, sed extraordinarius, eratque dignior Aarone, imò Aaronem debebat dirigere. vnde dicitur psal. 98. *Moses & Aaron in sacerdotibus eius.* tamen postea Deus has potestates diuisit, ita vt Mosi in sacerdotio succederet Eleazarus, in principatu Iosue, tumque Iosue & ciuiles principes per pontifices direxit, eosque pontificum oraculo & definitioni stare iussit, *dirigebat Iosue.*
B vt Ecclesiastica potestas legis nouæ significaretur, quæ ciuili præstat, eamque non rarò dirigere debet. atque ex hac causa rex Saul, quia scilicet Samueli Leuitæ & Prophetæ inobediens fuit, regno æquè ac vita excidit.

Discant hîc Principes & Prælati officia & beneficia, non in filios & cognatos, sed in digniores conferre. Ecce Moses principatum resignauit iussu Dei in Iosue oriundum ex alia tribu, scilicet Ephraim: pontificatum verò, non in filios quos duos habebat, sed in Aaronem resignauit; idque *vt disceremus*, ait S. Hieron. in c. 1. ad Titum, *has dignitates non sanguini deferendas esse, sed vitæ. At nunc*, inquit, *cernimus plures hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit: &, vt deteriora taceam, qui vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt.* *Officia & beneficia non cognatis, sed dignis danda.* *Exempla.*
C Idem etiam ponderauit Origenes homil. 22. in Numer. *Nulla*, inquit, *hic populi acclamatio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Et certè, quid est aliud pontificatum dirigere ad familiam ditandam, quàm rem tam sacram, tamque diuinam omnino profanare, & ad sæcularem vsum adhibere, vt fecit Baltassar ille in conuiuio? Quod quidem sacrilegium magno luit, statim & regno exutus & vita.*

Cælestinus V. vt narrat Aluarus, cùm audisset fratris filium in curiam venisse, eijci statim iussit: & cùm multi Cardinales deprecatores se interposuissent, multo labore ac precibus hoc ad summum impetrarunt, vt ei simplex ac tenue quoddam beneficium concederet: quo ille accepto, statim remissus est domum. ita Aluarus lib. 2. de Planctu Eccles. cap. 15. & Hieron. Platus de Dignitate
D Cardinalium c. 25.

Nihil illustrius quoad hanc rem Clemente IV. summo Pontifice, qui anno MCCLXV. Ecclesiæ pastor electus, hanc eamdem constantiam mirabiliter tenuit. Sic enim memoriæ proditum est, eum duas habuisse filias ex legitimo matrimonio susceptas, & harum alteri, vt in monasterio collocaretur, 30. libras Turonenses: alteri, vt nuberet, trecentas numerari iussisse, ea lege, vt æqualis conditionis viro nuberet. Quin etiam cùm nepotem haberet, cui ipse nihil vmquam dederat, sed Galliæ Antistes in gratiam Pontificis tres contulerat in eum canonicatus: multis deinde rogantibus, vt aliqua eum dignitate cohonestaret, non modò numquam adduci potuit, vt id faceret, sed eum vltrò compulit, vt ex tribus illis beneficijs vnum,

vnum, quod mallet, retineret, reliqua resignaret. ita Platus ibidem.

Addit Platina in eius vita, ipsum in hæc verba amicis pro nepote iam dicto intercedentibus respondisse: *Ego Deo, non autem carni & sanguini acquiescam: Deus ita vult, vt sua in pias causas erogentur. Dignus Petri successor non est, qui plus cognationi, quàm pietati & Christo tribuit.* Porrò ipsius Clementis hac de re epistolam ad vnum è cognatis, recenset Onuphrius & Ciacconus in Clemente IV. quæ quia rara est & æterna memoria ac imitatione dignissima, eam hîc attexere placuit. ea sic habet: *Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certiùs immensitatem oneris experimur, & idcirco quod alijs gaudium, nobis metum subministrat & fletum. Sanè vt scias qualiter his auditis te debeas habere, scire te volumus, quòd humilior solito debeas esse. Neque enim, quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximeq́; cùm honor huius sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus: nec ad nos te vel fratrem tuum, vel ex alijs nostris aliquem venire volumus sine nostro speciali mandato, quia spe sua frustratus, si secùs venire præsumeret, oporteret redire confusus. Sed nec in tua sororis nuptijs gradum quæras propter nos altiorem; nec enim nos haberet propitios, nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis simplicis desponsaueris, in trecentis libris Turonensium tibi proponimus subuenire. Et si altiora quæsieris, nec à nobis denarium speres; & hoc ipsum secretissimum esse volumus, & tibi & matri sol ummodo notum esse. Illud etiam scias, quòd nullum nullamq́; de sanguine nostro, sub nostri sublimationis obtentu inflari volumus: sed tam Mabiliam, quàm Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent si essemus in simplici clericatu. Sibyllam visita, & dic ei, quòd locum non mutet, sed remaneat apud Susam, & omnem maturitatem, & habitus honestatem obseruet, & preces nobis pro aliquo non præsumat assumere. Nam & ei pro quo fierent essent inutiles, & ipsis qui rogauerint damnosæ. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerrentur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres. Datis Perusij, in festo SS. Perpetuæ & Felicitatis.* Macte animo Clemens, hoc facinore magis quàm vllo marmore æternasti nomen tuum. Viuet semper grata & sancta tui memoria. Hanc tuam bullam nulla ætas obliterabit; hoc tuum decus, hanc gloriam loquentur futura sæcula. laudabunt tuam sapientiam posteri, celebrabunt tuam integritatem cælites coram Deo & toto orbe, in vltimo & decretorio illo magni iudicij die, ac deinceps per omnem æternitatem: qui si bona, non tua, sed Christi, consignasses obliuiosis, breui interituris, & sæpè ingratis heredibus, iam pridem inglorius & incognitus cum tuis perpetua obliuione (vt taceam offensam Dei & hominum) sepultus iaceres. Nec enim permittit Deus, familias bonis Ecclesiasticis erectas & exaltatas diu perdurare, vti frequens docet experientia. Dicas ergo quod viuens sperans que dixisti, nunc autem possidens & fruens dicis: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restituisti hereditatem meam mihi.*

Marcellus Pontifex etsi paucissimis diebus pontificatum tenuit, tamen hoc breui tempore specimen præbuit eius virtutis, quam deinceps sine dubio tenere decreuerat. Hic enim Pontifex factus neminem suorum Romam venire passus est, ne fratrem quidem Alexandrum: cuius etiam filios duos, quos ipse Romæ educabat, à nemine salutari, raro in publicum, nec nisi ad Sacrum ferè audiendum prodire permisit. Narrat etiam Onuphrius, qui fuit ei familiarissimus, eiusque intima consilia norat, fuisse ei deliberatum & fixum, tantum fratri, eiusque liberis elargiri, quantum nobili alicui eo loco nato habere conueniret: non tamen vt vltra priuatam conditionem se efferrent, nec ad vllam proueherentur dignitatem. Imò verò de Ecclesiæ fructibus ne assem quidem donare constituisse, nisi ex Cardinalium omnium sententia. ita Platus de Dignit. Cardin c. 25.

Extitit etiam nostris ferè temporibus memorabile factum Adriani VI. quem in propinquos vniuersos ita moderatum fuisse ferunt, vt etiam quibusdam durior videretur. Nam patruelis filium in Senensi gymnasio litteris studentem, quòd non vocatus Romam venisset, confestim meritorio equo impositum remisit; & alios satis arcta affinitate coniunctos, qui ex Germania ad eum accurrerant, cùm singulis sagum laneum, & mediocre viaticum donasset, pedibus item vti venerant, reuerti iussit. Idem ibidem.

S. Richardus Episcopus Cicestrensis consanguineos suos, etiam maturos & habiles ad beneficia Ecclesiastica admittere noluit vlla ratione, sciens Pastorum Principem Dominum nostrum Iesum Christum, non B. Ioanni Euangelistæ ipsius cognato; sed B. Petro, sanguine illi minimè coniuncto, regni cælorum claues tradidisse. Ita habet Vita eius apud Surium 3. April.

O quàm multis hodie beneficia sunt maleficia, quàm multi officia quasi offas letiferas glutiunt! Qui enim ea cognatis vel amicis indoctis, impuris, vitiosis & indignis conferunt, non beneficia sed veneficia eis largiuntur, quibus ipsi suas & suorum animas occidunt, & ad tartara mittunt. Hi ludunt in patrimonio Christi & reipubl. quasi illud propria & auita foret hereditas, neque cogitant eius se tantùm esse dispensatores, non dominos: non cogitant quòd dispensationis huius sibi creditæ strictam ab eis rationem exiget Christus: non cogitant se, vtpote pastores, pascere debere totam Ecclesiam Dei, nõ hunc illúmve cognatum cum tanto multorum & boni communis dispendio. Væ Prælatis, væ Principibus.

REPLICAVIT] retulit, enarrauit. hebr. est *præcepit.* VERS. 23.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit Deus statas victimas in festis offerendas: Primò, vt quotidie agnus vnus manè, & alter vespere immoletur. erat hoc iuge sacrificium. Secundò, v. 9. vt in sabbato duo agni manè immolentur. Tertiò, v. 11. vt in neomenia, in holocaustum immolentur vituli duo, aries vnus, & agni septem; pro peccato verò hircus vnus. Easdem victimas iubet offerri in festo paschatis, v. 16. & in festo pentecostes, v. 26.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen: 2. Præcipe filijs Israel, & dices ad eos:
Oblationem meam & panes,& incensum odoris suauissimi offerte per tempo-
ra sua. 3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos
duos quotidie in holocaustum sempiternum: 4. vnum offeretis manè, & alterum ad
vesperum: 5. decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & ha-
beat quartam partem hin. 6. Holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai
in odorem suauissimum incensi Domini. 7. & libabitis vini quartam partem hin per
agnos singulos in Sanctuario Domini. 8. Alterumque agnum similiter offeretis ad
vesperam, iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius, oblationem
suauissimi odoris Domino. 9. Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos im-
maculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba. 10. quæ ritè
funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. 11. In calendis autem
offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anni-
culos septem immaculatos, 12. & tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio
per singulos vitulos:& duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes: 13. &
decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos. holocaustum suauissi-
mi odoris atque incensi est Domino. 14. Libamenta autem vini, quæ per singulas
fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arie-
tem, quarta per agnum. hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno ver-
tente succedunt. 15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocau-
stum sempiternum cum libamentis suis. 16. Mense autem primo, quartadecima die
mensis, Phase Domini erit, 17. & quintadecima die sollemnitas: septem diebus ve-
scentur azymis. 18. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus ser-
uile non facietis in ea. 19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos
de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: 20. & sa-
crificia singulorum ex simila quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos,
& duas decimas per arietem, 21. & decimam decimæ per agnos singulos: id est,
per septem agnos. 22. Et hircum pro peccato vnum,vt expietur pro vobis, 23. præ-
ter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. 24. Ita facietis per singulos
dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suauissimum Domino, qui sur-
get de holocausto, & de libationibus singulorum. 25. Dies quoque septimus cele-
berrimus & sanctus erit vobis: omne opus seruile non facietis in eo. 26. Dies etiam
primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, vene-
rabilis & sancta erit:omne opus seruile non facietis in ea. 27. Offeretisque holocau-
stum in odorem suauissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, &
agnos anniculos immaculatos septem: 28. atque in sacrificijs eorum, similæ oleo
conspersæ tres decimas per singulos vitulos,per arietes duas, 29. per agnos decimam
decimæ, qui simul sunt agni septem. hircum quoque 30. qui mactatur pro expiatio-
ne: præter holocaustum sempiternum & liba eius. 31. Immaculata offeretis omnia
cum libationibus suis.

NOta. Hoc cap. & sequenti, passim per sacrificium, intelligitur farreum, putà, mincha: incensum verò vocatur, non thymiama, sed victima incensa & cremata Deo: holocaustum denique sempiternum, vocatur iuge sacrificium agni.

VERS. 1. DIXIT QVOQVE DOMINVS AD MOYSEN] Non constat quando & vbi hæc dixerit Deus: verisimile tamen est, hîc seruari ordinem temporis & narrationis (nihil enim obstat eum seruari) ac proinde hæc dicta esse Mosi, paulò ante mortem eius, anno 40. exitus ex Ægypto, in vltima mansione. ita Abulensis.

VERS. 2. OBLATIONEM MEAM, ET PANES, ET INCENSVM ODORIS SVAVISSIMI OFFERTE] Per *oblationem panes,& incensum*, intelligit, non panes propositionis, nec thymiama, sed tantùm victimas Deo oblatas & incensas. Hæ enim sunt panis, id est cibus, Dei. id patet ex Hebræo, qui sic habet, *oblationem meam* (scilicet) *panem meum* (id est victimas meas) *per ignitiones meas* (quibus scilicet, hæ victimæ per ignem Deo igniuntur & cremantur) *in odorem suauitatis offerte.*

A AGNOS ANNICVLOS IMMACVLATOS DVOS QVOTIDIE] Describitur hîc sacrificium quotidie bis, scilicet semel manè, secundò vespere offerendum, quod proinde *iuge* dicebatur. Victima offerenda erat, non vitulus, nec hœdus (qui in pascha te offerri poterat) sed agnus. Hunc enim tantùm significat Hebr. כבש *kebes*.

VERS. 3. *Iuge sacrificium agni, manè & vespere offerendum.*

Nota Primò. Agnus hic debebat totus Deo, quasi summo omnium Domino, cremari, fierique holocaustum. Secundò, vnus cremabatur manè, alter vespere, vt tam in initio, quàm in fine B diei, Deum hac latria colerent, cum eoque sicut orsi erant, ita & finirent diem. Quis ergo Christianus negligat orationem matutinam & vespertinam, qua Deo vespere pro beneficijs diurnis, manè pro nocturnis gratias agat, eique se suaque omnia commendet? Tertiò, agnus debebat esse anniculus, id est annum non excedere. vnde putat Abulensis, anniculum, siue vnius anni dici, etiamsi tantùm esset 8. dierum. nam post octo dies Deo sacrificari poterant agni, hœdi & vituli, vt patet Exodi 22.30. Quartò, debebat esse immaculatus, id est integer, & sine vitio corporis. poterat

Cur? *Debebat esse anniculus.* *& immaculatus.*

rat tamen esse albus, niger, & habere maculas albas, vel nigras. Quintò, cuilibet agno loco libaminis addi debebat decima pars, siue assaron similæ, conspersæ oleo, quod habebat mensuram quartæ partis hin; item quarta pars hin vini, quod pariter libandum, id est effundendum, erat super agnum & similam, cum iisque cremandum. intellige hæc de parte vini, & de pugillo farinæ, seu mincha. Hic enim solus cremabatur cum agno, reliquum verò similæ & vini cedebat sacerdoti offerenti, vti dixi cap. 15. ℣. 5. & docet hic Abulens. Assaron similæ, sunt circiter quatuor libræ: quarta pars hin sunt tres scyphi tredecim vnciarum aquæ vel vini.

Cum libaminibus. quibus?

VERS. 6. HOLOCAVSTVM IVGE EST, QVOD OBTVLISTIS IN MONTE SINAI] Hinc satis colligitur Hebræos in deserto non obtulisse hos agnos, nec sacrificasse post discessum è Sina, per annos 38. in Sinai autem oblatum esse iuge sacrificium. patet Leuit. 9. 17. Exodi 29 38. In Sina enim institutum est sacerdotium & sacrificia, ibique Aaron & filij eius suas primitias sacrificando celebrarunt.

B

INCENSI] Hebr. *ignitionis*, id est sacrificij igniti, & cremati Deo. vide dicta v. 2.

VERS. 9. DIE AVTEM SABBATI OFFERETIS DVOS AGNOS] Hæ sunt victimæ pro festo sabbati, scilicet duo agni. Manè ergo sabbati tres agni immolabantur, scilicet vnus pro iugi sacrificio, duo pro sabbato. patet ex Hebræo, vti mox ostendam.

ET DVAS DECIMAS SIMILÆ OLEO CONSPERSÆ IN SACRIFICIO] ad sacrificium, putà ad mincha. hoc enim passim in Leuitico significat *sacrificium*, scilicet vt sit farreum, non carneum.

VERS. 9. & 10. ET LIBA (libamina similæ, olei & vini) QVAE RITE FVNDVNTVR PER SINGVLA SABBATA, IN HOLOCAVSTVM SEMPITERNVM] Hebr. & Chald. est, ***holocaustum sabbati in sabbato suo***, id est quolibet sabbato offerentur agni duo, iam dicti, ***præter holocaustum iuge, & libamen eius***. Itaque quod Noster vertit, ***& liba***, &c. eodem modo intelligendum est. q. d. Præter sacrificium sabbati, offeretis & liba, id est libamina, quæ ritè funduntur iuxta legem per singula sabbata, id est per singulos dies (hos enim sæpè significat sabbatum) in, vel ad, holocaustum iuge & sempiternum. ita Abulens. Vnde patet, in sabbato, vti & in alijs festis, seruatum fuisse iuge sacrificium diurnum: sed præter hoc proprium festi sabbati fuisse, vt ob sabbatum immolarentur alij duo agni, qui manè, vti & cæteræ victimæ, post oblationem iugis sacrificij, simul immolabantur. ita Abulensis.

C

Victima propria singulorum festorum si illa coinciderent, immolabantur.

Pari modo, si duo festa in vnum diem coinciderent, fiebant eo die sacrificia propria singulorum festorum, atque insuper sacrificium iuge, quod primùm erat, cæteraque præibat. Sic festum tubarum incidebat semper in neomeniam, putà in calendas mensis septimi, fierique poterat, vt hic primus dies esset sabbatum, & tunc victimæ tam sabbati, quàm tubarum & neomeniæ, post iuge sacrificium offerri debebant. Sic pascha & pentecoste incidere poterant in sabbatum, non tamen in calendas: quia pascha numquam in primum, sed semper in 14 diem mensis primi: pentecoste verò semper in sextum diem mensis tertij incidebat.

D

VERS. 11. IN CALENDIS AVTEM OFFERETIS HOLOCAVSTVM] Calendæ erant prima dies mensis, quæ & neomenia siue nouilunium dicitur, eò quòd Hebræi menses suos computarent secundùm cursum

Calendæ & neomenia. erat prima

A lunæ, videlicet ab vno nouilunio ad aliud, ita vt prima dies mensis semper incideret in nouilunium. Hæc prima dies mensis propriè non erat festum: quia in illa non cessabatur ab opere seruili ex præcepto Dei. licet fortè ex deuotione multi ab opere cessarent: quod innuit S. Augustinus cùm ait, *Meliùs facerent Iudææ mulieres, si in neomenijs nerent, quàm in iis impudicè saltarent*. vnde Leuit. 23. inter festa non numeratur neomenia. Erat tamen ipsa clangore tubarum & sacrificijs solemnis, vt patet ex hoc loco, & ex Numer. 10. v. 10. & ex psalm 80. 4. *Buccinate*, inquit, *in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.*

dies mensis, putà nouilunium. Non erat festum, sed clangore & victimis celebris.

Porro nouilunium & prima dies mensis, licet in eamdem diem inciderent; tamen non semper incidebant in eamdem horam: nam cùm ab vno nouilunio ad alterum, interfluant 29. dies, & 12. horæ, dies verò quælibet habeat 24 horas; hinc factum est, vt mensis Hebræorum alternis vicibus haberet, nunc 29 nunc 30. dies. iunctis videlicet 12. horis excrescentibus vtriusque mensis, putà præsentis & præteriti, ad conflandum trigesimum diem.

Prima dies mensis non semper incipiebat eadem hora, qua nouilunium.

Quare, si ponamus, verbi gratia, primo mense, qui 29. est dierum, eadem hora incipere nouilunium, & primam diem mensis; necesse est, sequenti mense, qui 30. habet dies, nouilunium, non prima primæ diei hora, sed post 12. horas, putà vespere eiusdem diei, incipere. Duodecim enim horæ ex præcedenti nouilunio & mense, in sequentem mensem, eiusque primum diem reiectæ sunt, post quas incipit nouilunium sequens.

Hinc patet, nullos Hebræorum menses intercalares, fuisse 22. & 23. dierum, vti Sigonius & aliqui alij voluerunt; sed omnes aut 29. aut 30. dierum fuisse. nam alioqui calendæ fuissent celebratæ alia die, quàm nouilunij, & prima dies mensis non incidisset in nouilunium. quod ex dictis patet esse falsum.

Vnde Iudæi etiamnum, instante nouilunio, turriculas in synagogis conscendunt, & diligenter obseruant lunæ ortum, ac ea exorta, statim tubæ sonitu neomeniam denuntiant. Similiter menses suos per lunationes descripserunt prisci Romani, ante reformationem anni per menses solares, vti docet Macrob. lib. 1. Saturnal.

Hinc patet Secundò, annum Hebræorum aliquando incepisse ante æquinoctium vernum, aliquando post illud. nam intercalatio quæ alternis annis, vel tertio quoque anno fiebat, faciebat, vt sequentis anni primus mensis incideret post æquinoctium. cuius ratio erat, quòd mensis intercalaris erat vltimus anni, ideoque non primus, sed decimustertius, qui proinde vicinior erat æquinoctio, quàm primus mensis anni sequentis: ac proinde primus mensis anni sequentis, æquinoctium non præcedere, sed sequi debebat, vti docet Abulens. in Leuit. 23.

Annus incipiebat subinde ante, subinde post æquinoctium.

Ratio.

Patet Tertiò, menses Hebræorum non respondisse ex æquo Romanis mensibus solaribus. Sic enim & nunc videmus, nouilunium sæpè non concurrere cum primo die mensis, sed multò pòst agi, ideoque lunationem vnam, vnumque mensem lunarem, partim in vnum mensem solarem, partim in alterum sequentem incidere.

Quæres, Quæ fuerunt causæ, cur Deus instituerit neomeniam?

Cur instituta neomenia?

Respondeo, Prima fuit, ad recolendum bene-

Prima causa.

 ficium

ficium gubernationis diuinæ. sicut enim sabbato celebrabant Hebræi memoriam creationis: ita neomenia gubernationis diuinæ. Hæc enim appositè significatur nouilunio: nam luna inferioribus hisce corporibus dominatur, eaque maximè in nouilunio immutare solet. ita Lyranus hîc, & S.Thomas 1.2.q.102.a.4.ad 10. Neomeniam ergo celebrando, Iudæi agebant gratias Deo de beneficio gubernationis, eoque omni, sed maximè de eo, quod Deus præstat nobis per influxum solis, lunæ & aliorum corporum cælestium.

Hac de causa Gentiles Romani *annum Ioui, id est soli, menses Iunoni, id est lunæ, consecrarunt. Sol enim efficit annum, luna menses. Porro luna dicta est Iuno a iuuenescendo, & Lucina quasi lucida: putantq́; eam in partubus auxilium ferre mulieribus, vnde illud:*

Per cæruleum astrorum polum,
Partus celerantemq́; lunam.

Facillimè enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti, inquit Plutarchus in Quæst. Roman. Rursum Gentiles vt gubernationem diuinam profiterentur, docebant duodecim deos duodecim mensibus præsidere. Siquidem Ianuarij tutelam credebatur habere Iuno, Februarij Neptunus, Martij Minerua, Aprilis Venus, Maij Apollo, Iunij Mercurius, Iulij Iupiter, Augusti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Nouembris Diana, Decembris Vesta, vti docet Giraldus syntagmate 1.

Secunda. Secunda, vt Hebræi primitias, tam temporis & mensium, quàm frugum Deo dependerent. hinc in neomenia offerebant in holocaustum vitulos duos, arietem vnum, agnos septem, cum suis libamentis, vt hoc versu dicitur; item hircum vnum pro peccato, vt dicitur v.15.

Tertia. Tertia, vt à Deo per sacrificia & preces, decursum totius mensis faustum & salutarem, ipso eius initio peterent & impetrarent.

Quarta. Quarta, ad legem Dei, & ea quæ illo mense agenda erant, in tabernaculo audiendum. Hac de causa & apud Romanos in calendis populus confluebat in vrbem, vt quisque disceret & intelligeret, quid eo mense in diuinis humanisque rebus faciendum incumberet. vnde pontifex calata, id est vocata, in Capitolium plebe, quot ad Nonas dies superessent, repetita voce *calo* significabat, indeque Calendis nomen est inditum, de quo fusè Macrob. libr. 1. Saturn. Atque à calendis calendaria sunt dicta, scilicet diaria, in quibus calendæ singulorum mensium cum cæteris diebus erant descriptæ.

Vnde dictæ Calendæ & Calendaria.

Hæc commodè applices primæ Dominicæ mensis, qua Christiani religiosiores solent spiritum innouare, confiteri, communicare, Deo pro beneficijs mense elapso acceptis gratias agere, eique auspicia mensis ineuntis, totumque mensem offerre, atque omnia prospera in eo petere; quam ad rem ijs in ecclesijs nostris plenariæ Indulgentiæ à summis Pontificibus concessæ sunt: nec enim decet Christianos in hac pietate & gratitudine cedere Iudæis.

Vers.13. Et decimam decimæ similae ex oleo] Decima decimæ erat vna decima. Nam sicut pro vitulo tres decimas, pro ariete duas, ita pro agno vnam decimam similæ, in libamen offerebant, vt patet c.15.v.5. illa ergo vna decima, hîc & v.21. vocatur decima decimæ, id est decima pars ephi, quod erat decima pars cori: corus enim continebat 10. ephi: ephi autem continebat 10. decimas siue assarones. Assaron ergo siue decima, erat decima pars decimæ, id est ephi, sed centesima pars cori (decies enim decem sunt centum.) Pro *decima decimæ*, hebr. est, *assaron assaron*. quod cum Chald. sic quoque verti posset, *& singulas decimas per agnos singulos*. geminatio enim Hebræa distribuit, idemque valet quod, *per singulos*.

Vers.15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis, in holocaustum sempiternum, cum libamentis suis] Hucusque descripsit holocausta in calendis siue in neomenia immolanda; nunc describit victimam pro peccato, in calendis immolandam: ea erat hircus.

Talmudici fabulantur, hunc hircum singulis calendis immolatum fuisse pro peccato, non populi, sed Dei, quod ipse, inquiunt, commisit, cùm imminuit lucem lunæ, & fecit eam deficere, cùm antea luna æquale lumen cum sole haberet, idque, quia luna dixerat Deo: vnum regem non debere habere duas coronas: cupiens, vt soli Deus lumen detraheret, itaque ipsa solem suo splendore vinceret. Sed hæc tam stolida sunt & stulta, quàm blasphema.

Dico ergo, hunc hircum fuisse oblatum pro peccatis totius populi, indeterminatè & in genere toto anno, sed maximè præcedente mense elapso, commissis.

Quomodo hircus pro peccato vocetur holocaustum? quomodo dentur ei libamenta? Resp. Prima.

Quæres, quomodo hic hircus pro peccato, vocatur *holocaustum sempiternum*? Rursum quæ habebat libamenta?

Responderi posset, hircum hunc vocari holocaustum sempiternum, per catachresin: quia scilicet semper stato tempore, putà in calendis, adeps hirci debebat cremari Deo: caro enim reliqua cedebat sacerdoti, iuxta legem Leuit.6.25. Simili modo adeps hostiæ pacificæ dicitur cremari in holocaustum c.3.5.

Rursum, per *libamenta* hîc intelligi posset sal. nam mincha, id est simila, vinum & oleum, non libabantur in victimis pro peccato, vti dictum est cap.15.3. nec thus cum eis adolebatur, vt patet Leuit.5.12.

Secunda & vera. Verùm hæc videntur arcta & contorta. vnde dico, sensum huius loci eruendum esse ex Hebræo, quem clarè & planè sic vertunt Chald. Septuag. Vatabl. & alij, *hircum pro peccato offeretis, vltra holocaustum iuge, cum libamentis eius*. q.d. In calendis offeretis hircum pro peccato, vltra & post iuge sacrificium. *Prob. Primò.* Nam holocaustum iuge, nec in calendis, nec aliàs vnquam, esto plurimæ aliæ offerrentur victimæ, intermitti poterat, illudque sua habebat libamina similæ, olei & vini. *Secundò.* Id ita esse, Secundò patet ex eo, quòd simili prorsus modo dixit vers.10. in sabbato offerendos esse duos agnos vltra sacrificium iuge, vti patet ex Hebræo. ibi enim eadem verba sunt, quæ hîc. Simili etiam modo vers.23. dicit, in paschate offerendas esse victimas paschales, *præter holocaustum matutinum*, vti vertit noster Interpres, idemque repetit in singulis alijs festis versu vltimo, & cap. seq. v.6. & 11. & 16. & 22. & 25. & 28. & 31. & 34. & 38. non est ergo dubium, quin idem de calendis dicere voluerit. Quare nostra versio hoc loco, simili modo iuxta Hebræum, Chald. & Septuag. exponenda est, vt τὸ *in holocaustum*, idem sit quod *ad holocaustum*, cum holocausto, vltra holocaustum. *In pro ad, vel insuper.* sic vulgò dicimus, Rex dedit vestes aureas filiæ suæ in dotem,

dotem, id est ad dotem, id est vltra dotem, cum dote: nec enim vestes in dotem ipsam dari solent: & præpositio *in*, sæpè sumitur pro *ad*, *cum*, &c. Fortè etiam pro *in holocaustum*, legendum est, *insuper holocaustum*, vti vult Abulens. qui censet textum Latinum hic esse corruptum, vel mutilum vitio librariorum.

Vers. 16. Phase Domini erit] festum paschæ erit.

Vers. 19. Offeretisque incensum holocaustum Domino] Pro *incensum* hebr. est *ignitionem*, id est victimam quæ igne cremetur, fiatque holocaustum. Ex hoc v. patet, in festo paschæ oblatos fuisse in holocaustum duos vitulos, arietem vnum, agnos 7. cum suis libamentis, atque hircum vnum pro peccato.

Vers. 22. & 23. Vt expietur (vt fiat expiatio) pro vobis, præter holocaustum matutinum] Intellige, & vespertinum: sed illud hîc non exprimitur; quia de eo non erat causa dubitandi, vti de matutino. hoc enim videri poterat omitti posse, quando manè eodem, tam multa alia sacrificia immolabantur: vnde Deus expresse iubet, illud non omitti.

Vers. 24. In fomitem ignis] Hebr. ad panem, vel cibum ignis, id est ad nutrimentum ignis.

Vers. 26. Dies etiam primitivorum, in qua offerebant primas fruges maturas, id est panes ex primis frugibus, putà dies pentecostes, quæ celebratur expletis septem hebdomadibus, numeratis à secundo die azymorum, venerabilis et sancta erit.

Vers. 27. Offeretisque holocaustum] Eædem victimæ iubentur hîc offerri in festo pentecostes, quæ iussæ sunt offerri in paschate v. 19.

Nota, has victimas esse alias ab ijs, de quibus Leuit. 23. 18. vt ibi dixi.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ivbet Deus, vt in festo Tubarum offerant vitulum vnum, arietem vnum, agnos septem. Secundò, v. 7. eadem iubet offerri in festo expiationis. Tertiò, v. 12. præscribit victimas in festo Tabernaculorum, per septem dies offerendas.

1. Mensis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. omne opus
seruile non facietis in ea, quia dies clangoris est & tubarum. 2. Offeretisq;
holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento vnum, arietem
vnum, & agnos anniculos immaculatos septem: 3. & in sacrificijs eorum, similæ oleo
conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, 4. vnam de-
cimam per agnum, qui simul sunt agni septem: 5. & hircum pro peccato: qui offer-
tur in expiationem populi, 6. præter holocaustum calendarum cum sacrificijs suis,
& holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. eisdem ceremonijs offeretis in
odorem suauissimum incensum Domino. 7. Decima quoque dies mensis huius se-
ptimi erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras: omne opus seruile
non facietis in ea. 8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suauissimum,
vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem:
9. & in sacrificijs eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas
decimas per arietem, 10. decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni
septem: 11. & hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in ex-
piationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio & libaminibus eorum.
12. Quintadecima verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis,
omne opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem
diebus. 13 offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulos de ar-
mento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 14 &
in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt
simul vituli tredecim: & duas decimas arieti vno id est, simul arietibus duobus, 15. &
decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim: 16. & hircum
pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine eius. 17. In die
altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immacu-
latos quatuordecim: 18. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes
& agnos rite celebrabitis: 19. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiter-
no, sacrificioque & libamine eius. 20. Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes
duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 21. sacrificiaque & libamina
singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: 22. & hircum pro pec-
cato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius. 23. Die quarto
offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:
24. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabi-
tis: 25. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius. &
libamine. 26. Die quinto offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos
imma-

immaculatos quatuordecim: 27. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: 28. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 30. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: 31. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 32. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 33. sacrificiaq; & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: 34. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 35. Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis, 36. offerentes holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: 37. sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: 38. & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. 39. Hæc offeretis Domino in sollemnitatibus vestris: præter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostijs pacificis.

VERS. 1. DIES CLANGORIS ET TVBARVM EST] Festum tubarum celebrabatur die primo mensis septimi. de hoc festo dixi Leuit. 23. 24.

VERS. 3. PER SINGVLOS VITVLOS] id est per vitulum. ita Hebr. Vnus enim tantùm vitulus quotannis offerebatur in festo tubarum; scilicet singulis annis singuli vituli. & hoc voluit noster Interpres.

VERS. 6. PRÆTER HOLOCAVSTVM CALENDARVM] Festum enim tubarum incidebat in calendas septimi mensis: vnde in eo tam victimæ propriæ calendis, quàm victimæ propriæ festo tubarum, immolari debebant, post iuge sacrificium agni, vt dixi cap. præced. v. 10. vnde idipsum hìc repetitur & inculcatur in festo expiationis v. 11. & in singulis diebus festi tabernaculorum, vt patet v. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38.

VERS. 7. DECIMA QVOQVE DIES MENSIS HVIVS SEPTIMI ERIT VOBIS SANCTA] Illa enim erat festum expiationis, de quo Leuit. 23. 27.

VERS. 11. ABSQVE HIS QVAE OFFERRI PRO DELICTO SOLENT IN EXPIATIONEM] Nam in die hoc expiationis, expiabatur sacerdos, populus & tabernaculum, per illationem sanguinis in Sanctum sanctorum: ad hoc autem faciendum accipiebatur & immolabatur vitulus pro peccato, & aries in holocaustum. Rursum arietes duo, quorum alter erat emissarius, alter fiebat holocaustum, de quibus Leuit. 16. Illa ergo sacrificia præmittebantur ad expiationem, qua facta, ad honorem festi immolabantur holocausta hìc præscripta, scilicet vitulus vnus, aries vnus, agni septem.

A ET HOLOCAVSTVM SEMPITERNVM] id est, igne sacrificium.

CVM SACRIFICIO] id est mincha, quod addi solet iugi sacrificio.

QVINTADECIMA VERO DIE MENSIS SEPTIMI, QVAE VOBIS SANCTA ERIT] Erat enim tunc festum tabernaculorum, quod per septem, imò per octo dies celebrabatur, de quo Leuit. 23. 34. Vnde hìc præscribuntur victimæ, singulis eius diebus offerendæ, eæque penè eædem quolibet die, scilicet arietes duo, & agni quatuordecim; nisi quòd primo die vituli 13. secundo verò 12. tertio 11. & ita consequenter diminuendo semper offerebantur: die verò octauo, qui erat cœtus, siue collectæ tantùm offerebant vitulum vnum, arietem vnum, agnos septem, vt patet v. 35. VERS. 12.

B DECIMAM DECIMAE] vnam decimam ephi, quod est decima cori, vt dixi c. præced. v. 13. VERS. 13.

DIE OCTAVO, QVI EST CELEBERRIMVS] Erat enim tunc festum cœtus & collectæ, vt dixi v. 22. de quo plura dixi Leuit. 23. 36. VERS. 35.

HAEC OFFERETIS DOMINO IN SOLEMNITATIBVS VESTRIS: PRAETER VOTA, ET OBLATIONES SPONTANEAS IN HOLOCAVSTO, IN SACRIFICIO, IN LIBAMINE, ET IN HOSTIIS PACIFICIS] q. d. Has victimas iam dictas, in festis præcipio, præter ea quæ ex voto, vel sponte offeretis in holocaustum, in sacrificium, id est in mincha, in libamen, & in hostias pacificas. Vbi Nota. Libamen numquam per se solum offerebatur, sed semper cũ sacrificio: vnde quando liberum & spontaneum erat sacrificium, liberum & spontaneum censebatur esse libamen. VERS. 39.

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SAncit Deus, vt pater filiæ, maritus vxoris votum irritare possit, si illi contradicat statim, id est primo die, quo illud resciuit; non autem si secundo die contradicat.

1. NArrauitque Moyses filijs Israel omnia quæ ei Dominus imperarat: 2. & locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus: 3. Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. 4. Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognouerit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quo obligauit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: 5. quidquid pollicita

licita est & iurauit, opere complebit. 6. sin autem, statim vt audierit, contradixerit
pater; & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd
contradixerit pater. 7. Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius
verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento: 8 quo die audierit vir, &
non contradixerit, voti rea erit, redderque quodcumque promiserat. 9. sin autem
audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus ob-
strinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus. 10 Vidua & repudiata quid-
quid vouerint, reddent. 11. Vxor in domo viri cùm se voto constrinxerit & iuramen-
to, 12. si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque
promiserat. 13. sin autem exemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea:
quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. 14. Si vouerit & iuramento
se constrinxerit, vt per ieiunium, vel ceterarum rerum abstinentiam, affligat animam
suam, in arbitrio viri erit vt faciat, siue non faciat. 15. quòd si audiens vir tacuerit, &
in alteram diem distulerit sententiam: quidquid vouerat atque promiserat, reddet,
quia statim, vt audiuit, tacuit. 16. sin autem contradixerit postquam resciuit, porta-
bit ipse iniquitatem eius. 17. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter
virum & vxorem, inter patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet
in parentis domo.

Vers 2. AD PRINCIPES] & ad totum populum, cuius potior pars erant principes: vel *ad principes*, vt scilicet eadem referrent ad populum quisque suum, seu suæ tribus. A

ISTE EST SERMO, QVEM PRÆCEPIT DOMINVS] circa vota, vt sequitur. Est hîc aposiopesis Hebræa: Moses enim non enarrat hîc suum cum Deo de votis colloquium, sed illud inuoluit cum hac enarratione sua ad populum, qua executus est præceptum diuinum. E contrario cap. 28 & 29. enarrauit præcepta Domini, sed siluit se eadem retulisse populo; & tales aposiopeses familiares sunt S. Scripturæ & Hebræis.

Vers. 3. SI QVIS VIRORVM VOTVM DOMINO VOVERIT, AVT SE CONSTRINXERIT IVRAMENTO] si videlicet suam promissionem & votum confirmarit iuramento.

NON FACIET IRRITVM] non violabit votum aut iuramentum.

Vers. 4. MVLIER SI QVISPIAM VOVERIT IN ÆTATE ADHVC PVELLARI] Sub puella, intellige & puerum in ætate puerili: vtriusque enim par est ratio. ita Abulensis.

SI COGNOVERIT PATER VOTVM, &c. ET TACVERIT, VOTI REA ERIT] voto erit obligata. Nota, *τὸ si cognouerit*: quia antequam pater cognosceret votum, illudque irritaret, tenebatur filia illud implere, si deliberatè illud emiserat. Sub patre, etiam tutores intellige: hi enim patre mortuo, quasi in ius & regimen paternum succedunt.

Si pater taceret, votum filia confirmabatur. Nota Primò. Si taceret pater, hoc ipso votum filiæ confirmabatur: quia consentire videtur is, qui tacet in eo, quo præiudicatur, vel subtrahitur aliquid suo iuri & potestati; vti faciebat hic puella, quæ per votum hoc patria potestate & libertate ex parte se subtrahebat: silentium tamen hoc patris, non tam ex lege naturæ, quam ex hac lege Dei positiua, votum filiæ confirmabat, vti pleniùs dicam v. vlt. C

Nota Secundò. Votum, in quod semel tacitè consenserat pater, absolutè fiebat ratum; vnde non licebat patri illud postea irritare: si tamen puella quæ vouerat, postea nuberet, licebat marito statim post contractum matrimonium, votum eius irritare, æquè ac si votum factum fuisset in matrimonio: alioqui enim marito, etiam inuito & ignoranti, per hæc vota præcedentia, grauia onera potuissent iniici, quæ ipse amplecti & subire non tenebatur. ita Abulensis quæst. 35.

SIN AVTEM STATIM VT AVDIERIT, CONTRADIXERIT] Hebr. si statim vt audierit, irritarit, dissoluerit, vel fregerit votum. *statim* intellige, non eodem instanti, sed moraliter, scilicet eodem die. Nam sequenti die contradicere non poterat, vt dicitur v. 15. Vers 6.

SI MARITVM HABVERIT ET VOVERIT] Iudæi per *maritum* intelligunt sponsum, cui puella desponsata est, vt distinguatur hic casus à casu v. 11. ibi enim agit de marito, cui puella tradita est: hic verò de eo, cui tantùm desponsata est & promissa. Verùm maritum tam hîc quàm vers. 11. accipiendum esse, non sponsum, patet ex Hebr. Chaldæo, Septuag. qui habent, *si fuerit viro*. Hæc enim phrasis apud Hebræos, significat nuptam, & viro traditam. quare, si quæ sit distinctio inter casum huius versus, & versus 11. dixerim potiùs hîc agi de nupta, quæ agit cum marito in domo patris sui; vt doceat huius voti irritationem ad maritum, non ad patrem (esto in eius domo degat) spectare; vers. verò 11. agi de nupta, quæ habitat extra domum patris, in domo mariti, vt ibi exprimitur. ita S. August. quæst. 59. Vers. 7. *Sic & votum vxoris confirmabatur, si maritus illud audiens taceret.* B

PROPITIVS ERIT EI DOMINVS] Dominus non indignabitur vxori, si non seruet votum à marito irritatum. Vers. 9.

CVM SE VOTO CONSTRINXERIT, ET IVRAMENTO] *Et*, pro *aut* hîc capitur: in Hebræo enim est *aut*. Vers. 11.

SI VOVERIT, ET IVRAMENTO SE CONSTRINXERIT, VT PER IEIVNIVM, VEL CÆTERARVM RERVM ABSTINENTIAM, AFFLIGAT ANIMAM SVAM] Descendit hîc Deus à thesi ad hypothesin, seu ad exemplum vsitatissimum, ex quo de reliquis omnibus votis peregrinationis, orationis, eleëmosynarum, pœnitentiarum, &c. simile iudicium sumendum relinquit. Nam de quibuslibet votis hîc agi, non autem de votis abstinentiæ tantùm, patet ex v. 1. 5. 8. 10. 12. S. Augustin. tamen quæst. 59 censet, hîc tantùm agi de votis abstinentiæ à cibis, non à concubitu. verùm, quod dixi verius videtur: verba enim Scripturæ versibus iam citatis generalia sunt; vnde quælibet vota comprehendere videntur. Vers. 14.

SIN AVTEM CONTRADIXERIT, POSTQVAM RESCIVIT, Vers. 16.

rum ad pugnam: 6. quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta,& tubas ad clangendum tradidit ei. 7. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent,omnes mares occiderunt, 8. & reges eorum,Eui,& Recem,& Sur,& Hur,& Rebe, quinque principes gentis:Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. 9. Ceperuntque mulieres eorum, & paruulos, omniaq; pecora, & cunctam supellectilem:quidquid habere potuerant,depopulati sunt: 10. tam vrbes quàm viculos & castella flamma consumpsit. 11. Et tulerunt prædam,& vniuersa quæ cœperant tam ex hominibus quàm ex iumentis, 12. & adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum sacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Israel, reliqua autem vtensilia portauerunt ad castra in campestribus Moab iuxta Iordanem contra Iericho. 13. Egressi sunt autem Moyses & Eleazar sacerdos, & omnes principes synagogæ,in occursum eorum extra castra. 14. Iratusque Moyses principibus exercitus,tribunis,& centurionibus qui venerant de bello, 15. ait : Cur feminas reseruastis? 16. Nónne istæ sunt,quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, vnde & percussus est populus? 17. Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in paruulis:& mulieres,quæ nouerunt viros in coitu,iugulate: 18. puellas autem & omnes feminas virgines reseruate vobis: 19. & manete extra castra septem diebus.Qui occiderit hominem,vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio & septimo. 20. Et de omni præda,siue vestimentum fuerit,siue vas,& aliquid in vtensilia præparatum,de caprarum pellibus,& pilis, & ligno,expiabitur. 21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus qui pugnauerant,sic locutus est:Hoc est præceptum legis,quod mandauit Dominus Moysi: 22. Aurum & argentum,& æs,& ferrum, & plumbum, & stannum, 23. & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. quidquid autem ignem non potest sustinere,aqua expiationis sanctificabitur: 24. & lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis. 25. Dixit quoque Dominus ad Moysen: 26. Tollite summam eorum quæ capta sunt,ab homine vsque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos & princeps vulgi: 27. diuidesq; ex æquo prædam, inter eos qui pugnauerunt, egressiq; sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem. 28. & separabis partem Domino ab his qui pugnauerunt & fuerunt in bello,vnam animam de quingentis,tam ex hominibus quàm ex bobus & asinis & ouibus, 29. & dabis eam Eleazaro sacerdoti,quia primitiæ Domini sunt. 30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum,& boum, & asinorum, & ouium, cunctorum animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. 31. Feceruntq; Moyses & Eleazar, sicut præceperat Dominus. 32. Fuit autem præda,quam exercitus ceperat, ouium sexcenta septuaginta quinque millia, 33. boum septuaginta duo millia, 34. asinorum sexaginta millia & mille: 35. animæ hominum sexus feminei,quæ non cognouerant viros,triginta duo millia. 36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant,ouium trecenta triginta septem millià quingenta: 37. è quibus in partem Domini supputatæ sunt oues sexcentæ septuaginta quinque. 38. Et de bobus triginta sex millibus,boues septuaginta & duo: 39. de asinis triginta millibus quingentis; asini sexaginta vnus: 40. de animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ. 41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti,sicut fuerat ei imperatum, 42. ex media parte filiorum Israel,quam separauerat his qui in prælio fuerant. 43. De media verò parte quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ouibus trecentis triginta septem millibus quingentis, 44. & de bobus triginta sex millibus, 45. & de asinis triginta millibus quingentis, 46. & de hominibus sedecim millibus, 47. tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus. 48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen,& tribuni, centurionesque, dixerunt: 49. Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra:& ne vnus quidem defuit. 50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus inuenire,periscelides,& armillas,annulos & dextralia,ac murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum. 51. Susceperuntq; Moyses & Eleazar sacerdos, omne aurum in diuersis speciebus, 52. pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos, à tribunis & centurionibus. 53. Vnusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. 54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij,in monimentum filiorum Israel coram Domino.

VERS. 16. QVÆ PRÆVARICARI VOS FECERVNT IN DOMINO, SVPER (in) PECCATO PHOGOR] *Phogor*, est Beelphegor, vt dixi c. 25. 3.

VERS. 17. ERGO CVNCTOS INTERFICITE, QVIDQVID EST GENERIS MASCVLINI, ETIAM IN PARVVLIS] Fuit hoc proprium in isto bello, quòd paruuli iussu Dei (qui necis, vitæque omnium est dominus) & Moysis, sint occisi. Id factum est Primò, ob criminis à Madianitis, contra Hebræos admissi, enormitatem & detestationem. Secundò, ne paruuli, cùm adoleuissent, parentum suorum necem vlciscerentur.

Paruuli Mad an occiduntur, cur?

Nota. Per iudicem & potestatem humanam, non possunt occidi paruuli innocentes, propter peccatum parentum; possunt tamen occidi per ius & potestatem Dei: tum quia ipse transscendens in omnia, ac consequenter in vitam omnium habet dominium: tum quia paruuli, omnesque homines, ob peccatum originale, rei sunt mortis; illam ergo Deus eis, vel citò, vel seriùs, siue hoc modo, siue alio, pro libito inferre potest. ita Abulensis in c. 24. Deuter. q. 5.

VERS. 17. & 18. ET MVLIERES QVÆ NOVERVNT VIROS IN COITV, IVGVLATE: PVELLAS AVTEM, ET OMNES FEMINAS VIRGINES RESERVATE] Nota. Madianitides à viris cognitæ, occidi iubentur: quia per tales decepti fuerant Hebræi, fornicando cum illis, rursumque per eas decipi potuissent. ita Theodor. q. 49. virgines verò ab hoc crimine fuerant immunes: vnde eas reseruarunt Hebræi, vel ad hoc, vt eas venderent, vel vt eis quasi ancillis vterentur.

Mulieres occisæ, non virgines, cur?

Potuerunt autem virgines à corruptis dignosci: Primò, per inspectionem matronarum, maximè obstetricum: quæ inspectio etiam in lege noua est recepta. vt patet cap. *fraternitatis*, extrau. de frigidis. Secundò, per reuelationem Dei, corruptas Mosi indicantis & designantis. Addit Abulens. tres alios modos, scilicet per gagatem gemmam: nam qui eam bibit, si non virgo, cogitur reddere vrinam. Secundò, ex inspectione vrinæ: hæc enim in virginibus clara est & lucida; in corruptis turbida. Tertiò, per inspectionem horoscopi & constellationum cæli. Sed hic tertius modus licet eum non improbet Abulensis hoc loco, alibi tamen eumdem refutat; est enim superstitiosus: duo priores modi obscuri sunt, & incerti. De gagate tamen idem affirmat Anselmus Boëtius medicus & gemmarius Rodulphi II. Imper. lib. 2. de Gemmis cap. 165. *Virginitatem*, ait, *prodit non solùm suffitu, sed potatu. Nam si puluerem bibat virgo, non vrinabit; si corrupta sit, vrinam retinere non poterit, multorum testimonio.* Idem asserit Camillus Leonardus Pisaurensis medicus tract. de Lapidibus. in Gagate.

Quomodo agnitæ virgines?

Abulensis tres alios dat modos.

VERS. 19. QVI OCCIDERIT HOMINEM, VEL OCCISVM TETIGERIT, LVSTRABITVR DIE TERTIO, ET SEPTIMO] iuxta legem, de eo qui tangit cadauer, latam Numer. 19. 14.

VERS. 20. ET DE OMNI PRÆDA, SIVE VESTIMENTVM FVERIT, SIVE VAS, &C. EXPIABITVR] scilicet per ignem, si id fieri possit, videlicet si vas, aut vestis ignem ferat: sin autem, expiabitur per aquas lustrationis, ex cinere vitulæ rufæ confectas, de quibus c. 19. 2. & 12. idque die tertio & septimo, vti explicatur vers. seqq.

Nota. Hæc supellex Madianitarum debebat expiari: quia legaliter erat immunda, ex contactu mortuorum, iuxta legem Numer. 19. v. 14. & Leuit. 11. v. 32. quia scilicet, quædam ex hisce vasis & rebus erant in tabernaculis morientium; multa etiam ex ipsis contigerant ipsos morientes, sicut vestes mortuorum. quòd si quid esset in tanta magnitudine prædæ, in quod neutrum horum competeret, quod proinde non esset immundum; id tamen propter dubium, purificari debebat. de omnibus enim præsumebatur, quòd essent immunda, ob tot occisorum sparsa vbique cadauera. ita Abulensis.

VERS. 21. HOC EST PRÆCEPTVM LEGIS, QVOD MANDAVIT DOMINVS MOYSI] Hoc præceptum hucusque scriptum non vidimus. Illud ergo hîc, vel aliàs, viua voce Deus Mosi tradidit. Solebat enim Deus Mosi omnia sua iussa edicere, & commendare, vt ipse eadem postea ad sacerdotes & ad populum referret. ita Abulensis.

VERS. 23. ET OMNE QVOD POTEST TRANSIRE PER FLAMMAS, IGNE PVRGABITVR] Hebr. Chald. & LXX. addunt, *Et aqua lustrationis expiabitur.* quasi præter ignem, debuerit hoc vas aspergi & lustrari aqua cinerali vitulæ rufæ.

VERS. 27. DIVIDEQVE EX ÆQVO PRÆDAM, INTER EOS QVI PVGNAVERVNT, &C. ET INTER OMNEM RELIQVAM MVLTITVDINEM] Nota. Non Moses, non Phinees dux belli, potiorem prædæ partem sibi vsurpant, sed ea tota inter milites diuiditur. *Decet enim duces gloriam, milites pecuniam è victoria efferre*, inquit Cato. Vnde Scipio, cùm capta Carthagine, aliisque vrbibus milites magis quàm vllus imperator locupletasset, moriens ex tot victoriis & opibus, non nisi trigintatria argenti, duo auri pondo reliquit, inquit Plutarchus.

Nota Secundò, quòd ait, *diuides ex æquo*, intelligendum esse, non ita, vt tantum cedat iis, qui in castris manserunt, & longiùs à belli alea & periculo abfuerunt, quantum militibus, qui suo periculo & labore victoriam pepererunt: sed ita, vt tantum habeant omnes qui in castris manserunt, simul sumpti, quantum habent pauci illi qui depugnarunt: vt scilicet medietas vna prædæ cedat militibus, qui pugnarunt; altera medietas cedat reliquis, qui in castris manserunt. Quare ex hac medietate, singuli in castris remanentes, vtpote qui in maximo erant numero, longè minus habuerunt, quàm ex sua medietate habuerint milites, qui pugnarunt: hi enim numero erant longè pauciores, ac proinde longè amplius ex sua prædæ medietate, singuli participarunt. Porrò, ex vtraque medietate, quædam oblata sunt Domino, id est sacerdotibus & Leuitis, vt sequitur.

Dices, Lex bellica est, vt æqua sit sors euntiad bellum, & manenti ad sarcinas, vt dicitur 1. Reg. 30. v. 24.

Æqua sors euntis ad bellum, & manentis ad sarcinas, quando?

Resp. Hæc lex posteriùs à Dauide sancita est, vt ibidem dicitur. Secundò, hæc lex hîc non habet locum: intelligitur enim de iis & eo casu, quo vtrique æquè belli aleam & periculum subeunt, vt cùm v. g. vna pars fortior & numerosior vadit ad prælium, altera debilior & minoris (vt solet) numeri, tuetur sarcinas. Tunc enim tam hæc, quàm illa periculum adit, & hostis insultum exspectare & sustinere debet. Hîc verò soli illi pauci qui ibant ad prælium, subibant periculum. Nam reliqui omnes in castris manentes, cùm maximo essent numero, non timebant hostem tam exiguum, ac consequenter nullum adibant periculum. ita Abulensis.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rvbenitæ & Gadditæ pecoribus abundantes, petunt in sortem sibi dari terram Galaad, vtpote compascuam. obiurgat eos Moses, sed syncera eorum mente cognita, acquiescit, eisq; tradit Galaaditem; sed ea lege, vt ipsi armati cæteras tribus præeant, easq; in Chanaan inducant.

1. Filij autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia. Cumque vidissent Iazer & Galaad aptas animalibus alendis terras,
2. venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt:
3. Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon,
4. terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio vberrima est ad pastum animalium: & nos serui tui habemus iumenta plurima:
5. precamurque si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.
6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hîc sedebitis?
7. Cur subuertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?
8. nónne ita egerunt patres vestri, quando misit de Cadesbarne ad explorandam terram?
9. Cumque venissent vsque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subuerterunt cor filiorum Israel, vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit.
10. Qui iratus iurauit, dicens:
11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, à viginti annis & supra, terram, quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac, & Iacob: & noluerunt sequi me,
12. præter Caleb filium Iephone Cenezæum, & Iosue filium Nun: isti impleuerunt voluntatem meam.
13. Iratusque Dominus aduersum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur vniuersa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius.
14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contra Israel.
15. Quòd si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium.
16. At illi propè accedentes, dixerunt: Caulas ouium fabricabimus, & stabula iumentorum, paruulis quoque nostris vrbes munitas:
17. nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Paruuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in vrbibus muratis, propter habitatorum insidias.
18. Non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filij Israel hereditatem suam:
19. nec quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus nostram possessionem in orientali eius plaga.
20. Quibus Moyses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam:
21. & omnis vir bellator armatus Iordanem transeat, donec subuertat Dominus inimicos suos,
22. & subiiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino.
23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.
24. Ædificate ergo vrbes paruulis vestris, & caulas & stabula ouibus ac iumentis: & quod polliciti estis implete.
25. Dixeruntque filij Gad & Ruben ad Moysen: Serui tui sumus, faciemus quod iubet Dominus noster.
26. Paruulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad:
27. nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu domine loqueris.
28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nun, & principibus familiarum per tribus Israel, & dixit ad eos:
29. Si transierint filij Gad & filij Ruben vobiscum Iordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra subiecta: date eis Galaad in possessionem.
30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca.
31. Responderuntque filij Gad, & filij Ruben: Sicut locutus est Dominus seruis suis, ita faciemus:
32. ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, & possessionem iam suscepisse nos confitemur trans Iordanem.
33. Dedit itaque Moyses filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filij Ioseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, & terram eorum cum vrbibus suis per circuitum.
34. Igitur extruxerunt filij Gad Dibon, & Ataroth, & Aroer,
35. & Etroth, & Sophan, & Iazer, & Iegbaa,
36. & Bethnemra, & Betharan, vrbes munitas, & caulas pecoribus suis.
37. Filij verò Ruben

ille Hebræorum populus, antequam victoria bello, & resp. hereditatis diuisione, ac denique religio arcæ collocatione, sacrorumque rituum factis initiis, constituta esset, diuidatur, scindaturque nouella Ecclesia. quod planè futurum erat, si illi (quod timebatur) qui cis Iordanem remanebant, trans Iordanem ad bella, atque ad tabernaculum & sacra aliarum tribuum venire detrectarent, sibique in Galaad proprium tabernaculum, altare & sacra constituerent: vnde & altare postea ab eis ibidem, licet alia de causa, erectum, magnam huius rei suspicionem cæteris iniecit, & penè belli intestini occasionē dedit, vt patet Iosue 22. v. 10. & 11. A

VERS. 23. SIN AVTEM, QVOD DICITIS NON FECERITIS, NVLLI DVBIVM EST, QVIN PECCETIS (quin peccabitis. ita Septuag. Sed Chald. & Hebr. habent in præterito, *peccastis*, scilicet postquam detrectaueritis pugnam) ET SCITOTE QVONIAM PECCATVM (id est, pœna peccati) VESTRVM APPREHENDET vos] noxa enim caput sequitur, & pœna culpam indiuiduè, vti lictor reum, comitatur. B

VERS. 26. PARVVLOS NOSTROS, &c. RELINQVEMVS IN VRBIBVS GALAAD] putà in terra Og & Sehon, nobis attributa. Galaad ergo hîc, non pro Galaadite, siue terra, quæ propriè Galaad dicitur, accipitur, sed largiùs. complectitur enim totam sortem Gadditarum, Rubenitarum, & dimidiæ tribus Manasse.

VERS. 29. & 30. SI TRANSIERINT FILII GAD VOBISCVM IORDANEM, &c. DATE EIS GALAAD, &c. SIN AVTEM, &c. INTER VOS HABITANDI ACCIPIANT LOCA] q. d. Si fidem datam fefellerint, nolintque vobiscum ad pugnam progredi, compellite eos transire Iordanem, pugnare, & habitare vobiscum. C

VERS. 31. SICVT LOCVTVS EST DOMINVS] scilicet, Deus per Mosen. patet ex Hebræo.

VERS. 34. IGITVR EXTRVXERVNT FILII GAD DIBON, &c.] *Extruxerunt*, id est restaurarunt. nam antè hæ vrbes extiterāt: neque potuissent Gadditæ tam citò has vrbes à fundamentis ædificare: nam paulò post mortem Mosis, quæ statim post hæc secuta est, ipsi cum aliis tribubus, profecti sunt trans Iordanem in Chanaan: vnde & v. 38. dicuntur ipsi vetera harum vrbium nomina vertisse, aliaq; eis imposuisse. vnde patet, has vrbes priùs extitisse, ab eisque non fuisse ædificatas, sed restauratas.

VERS. 38. VERSIS NOMINIBVS] Hebræi hîc, tamquam victores religiosi, suæ gentis nomina, Amorrhæorum vrbibus indiderunt, prioribus gentilitiis abolitis; præsertim quia quædam ex eis, ab idolis, putà à Baal, videntur fuisse desumpta, vt Bamoth-Baal, & Baalmeon, quænam ea fuerint Hebræorum nomina, Scriptura hîc nō exprimit, nisi duo, scilicet, Hauoth Iair, & Nobe v. 41. & 42. Cætera enim nomina pleraque eadem inueniuntur, tam ante hæc tempora, Numer. 21. v. 30. & sequ. quàm post ea, Iosue 13. 17. & sequent. D

VERS. 40. DEDIT ERGO MOYSES TERRAM GALAAD MACHIR, FILIO MANASSE] *Machir*, id est posteris Machir, seu dimidiæ tribui Manasse, prognatæ ex Machir, nam Machir filius Manasse, & nepos Ioseph, iam pridem erat mortuus. Si enim hucusque vixisset, fuisset vt minimum 210. annorum: quæ ætas nulli eo sæculo contigit.

VERS. 41. IAIR AVTEM FILIVS MANASSE] non proximus, sed remotus. Sic sæpè nepotes vocantur filij, vt Lucæ 1. 5. Matth. 1. 1.

Nota Primò. Iair ex genere paterno fuit oriundus, non ex tribu Manasse, sed Iuda. hæc enim est genealogia: Iudas genuit Phares, hic Hesron, hic Segub, hic Iair. Sed quia Hesron duxit filiam Machir, filij Manasse, ex eaque genuit Segub, patrem Iair, vt patet 1. Paral. 2. 21. hinc factum est, vt Iair Manassenses sit secutus; eò quòd ex Manassensis Machir filij celeberrimi filia esset procreatus: & hoc sensu eum hîc Scriptura Manassis filium appellat. *Prosapia Iair.*

Nota Secundò. Iair hic fuit vir fortissimus: vnde in Galaad cepit Hauoth Iair, id est villas, quas ex nomine suo vocauit Iair. atque hac de causa factum est, vt cùm suprà v. 1. soli Rubenitæ & Gadditæ, petierint sortem cis Iordanem, addita tamen eis fuerit dimidia tribus Manasse; vtpote quæ fortissimè in vrbibus iis expugnandis operam suam nauasset. ita Andr. Masius in Iosue 13. v. 31. Porrò, alius fuit hic Iair, aliaque oppida Iair à Iair & oppidis eius, non captis, sed subditis, de quibus post 300. annos fit mentio, Iudic. 10. v. 4. vide hîc Abulensem quæst. 12.

NOBE QVOQVE PERREXIT, ET APPREHENDIT CHANATH] Nobe hîc videtur fuisse ex tribu Manasse, æquè ac Iair de quo præcessit: vnde ab eo vocata est vrbs Nobe, in qua postea collocatum est tabernaculum. Hinc in Nobe hanc Dauid fugiens Saulem, venit ad Achimelech pontificem, 1. Reg. 21. 1. ita Abulens.

Tropologiam hîc rigidam & metuendam affert Abulens. in fine cap. Hæ tres tribus, inquit, significant tres status Ecclesiæ, scilicet Ruben Episcopos & Prælatos. Ruben enim hebraicè idem est, quod filius visionis: vnde notat gradum Prælatorum, qui aliorum vitam speculantur. Gad, vtpote fortissimus, significat Principes. Manasse significat Monachos opimos, scilicet eos, qui status & vocationis obliuiscuntur (hanc enim obliuionem, significat hebr. Manasse.) Hi tres citra Iordanem remanent: quia maximus numerus illorum trium statuum, citra terram viuentium in cælis promissam, in terra hac morientium remanent; dum stabula iumentorum, id est gloriosa palatia, vt vocent nomina sua in terris suis, atque delectationes pecorum, putà delectationes ex brutis, & cum brutis communes, quærunt. Hi, si quos interdum trans Iordanem, in terram promissam, id est in cælum, docendo & monendo ducant; ipsi tamen citra Iordanem ad sua fluxa redeunt; atque ad cælum, vt ibi morentur, numquam vadunt. hucusque Abulens. Quæ commodè accipienda sunt de iis, qui terræ & terrenis, cum Gadditis & Rubenitis, inhiant. De talibus quoque locutus est concionator ille Alberti I. Imper qui videns proceres oscitanter sua verba excipientes, voce intenta, *Quæritur*, inquit, *saluarine possint Principes?* Et re vtrimque agitata, excussoque audientium somno; *Quidni*, ait, *possint? si modò baptismo suscepto in cunis vagientes moriantur.* vti refert Æneas Syluius li. 3. de Gestis Alfons. Certum est enim Episcopos, Religiosos & Principes eximios non deesse, qui ad cælestia aspirant, ac virtute & religione suis præstant & prælucent. Porrò S. Gregorius 27. Moral. 10. hæc adaptat fidelibus, qui fidem defendunt, sed suas concupiscentias amant & sequuntur. hi enim extra promissionis terram animalia bruta nutriunt. *Tropol. rigida Abulensis.*

Quadraginta duæ stationes significãt 40. dies ieiunij. TRopologicè, ficut Hebræi per 42. mansiones, siue stationes ibant in Chanaan: sic Christiani per 40. dies ieiunij tendunt ad resurrectionem. hinc factum est, vt hi ieiuniorum dies, à Patribus Stationes appellentur: tum quia in iis stantes orabant & vigilabant Christiani, quasi pergentes ad terram in cælis promissam: tum quia hi stationum dies repræsentati fuerunt per 42. stationes Hebræorum in deserto, vti ex S. Ambrosio, Tertulliano, & aliis docui Exodi 14. in fine. Sapienter dixit Abbas ille in Vitis Patrum lib. 7. cap. 28. *Vsque tunc laboret homo, vsquequo possideat Christum. Adhuc, tribulationem laboris rememorans, vndique custodiat semetipsum, timens ne tantos labores amittat. Nam & filios Israel ideo Deus per desertum quadraginta annis circumduxit, vt rememorantes via tribulationem, nollent redire retrorsum.*

VERS. 1. IN MANV MOYSI ET AARON] per Mosen & Aaron, vel ductu Mosis & Aaronis. τὸ enim *in manu*, Hebræis significat causam instrumentalem, idemque valet quod *per*.

VERS. 3. ALTERA DIE PHASE] postridie agni immolati, 14. luna ad vesperam, putà 15 luna, siue die, mensis primi. nam 15. hac die egressi sunt ex Ægypto.

IN MANV EXCELSA] in magna potestate, robore & terrore Ægyptiorum, hoc est potenter, valenter & gloriosè egressi sunt, vtpote prostratis iam Ægyptiis, per tot plagas, & per cædem primogenitorum: vnde ipsi Hebræorũ egressum ampliùs impedire, eosq; detinere non sunt ausi. Hinc Chald. vertit, *egressi sunt palã*, in oculis omniũ Ægyptiorũ.

VERS. 4. NAM ET IN DIIS EORVM EXERCVERAT VLTIONEM] quia scilicet eadem nocte, qua egressi sunt Hebræi, Deus prostrauit idola Ægypti, vti dixi Exodi 12. v. 12. q. d. Ideo in manu excelsa egressi sunt Hebræi, in oculis omnium Ægyptiorum: quia perterrefecerat eos Dominus strage, non tantùm primogenitorum, sed & idolorum ipsorum.

VERS. 8. AMBVLANTES PER DESERTVM ETHAM] Erat ergo desertum Etham ingens tam cis, quàm trans mare rubrum, vti dixi Exodi 14. v. 21. & 29 Minùs ergo rectè Abul. ex hisce verbis suspicatur, Hebræos non transisse, sed circuisse mare rubrum, vt sic continuò in eodẽ deserto Etham versarentur.

VERS. 40. AVDIVITQVE, &c. ARAD, &c. IN TERRAM CHANAAN VENISSE FILIOS ISRAEL] *Venisse*, id est aduentare (τὸ enim *venisse*, significat actum inchoatum, non completum) ad eam inuadendam supple; ideò eos impedire voluit, eosque bello lacessiuit, sed ab eis victus cæsusque est, vt dictum est cap. 21. initio.

Secundò, planiùs Hebr. Chald. Septuag. Vatabl. & alij, τὸ *in Chanaan* iungunt præcedentibus, vertuntque, *audiuitq; rex Arad, habitans ad Meridiem in Chanaan*, id est Chananææ. non enim habitabat in ipsa Chanaan, sed extra, eratq; illi ad Meridiẽ, æquè ac Amalec, vt patet c. 14. 43. & 1. Reg. 30. 1. Hebræum enim *bet*, id est *in*, sæpè fungitur vice regiminis genitiui: & iuxta hunc sensum accipienda videtur nostra Latina versio, in eaq; legendũ esse cum Abul. *Arad, qui habitabat ad Meridiem in terra*, (non *in terram*) *Chanaan*, id est, qui habitabat ad Meridiem ipsius terræ Chanaan, inquit Abulens.

VERS. 49. IBIQVE CASTRAMETATI SVNT, DE BETHSIMOTH VSQVE AD ABELSATIM] non quasi castra Hebræorum se extenderint de Bethsimoth vsque ad Abelsatim, per duodecim milliaria, vt vult R. Salomon: sic enim non 42. sed 41. essent mansiones. Sensus ergo est, q. d. Hebræi priùs fixerunt castra in Bethsimoth, deinde in Abelsatim; vbi 42. & vltima fuit mansio, ita Abulensis.

VERS. 52. CONFRINGITE TITVLOS] Hebr. *frangite cælaturas*, vel picturas eorum (Chananæorum) quibus sc. ipsi deos suos depingunt, eosq; colunt. vetat enim hic idololatriam. vide dicta Leuit. 26 1.

EXCELSA, scilicet altaria, & sacella in locis excelsis, idolis consecrata, VASTATE.

VERS. 55. SIN AVTEM NOLVERITIS INTERFICERE HABITATORES TERRÆ, &c. ERVNT VOBIS QVASI CLAVI IN OCVLIS, ET LANCEÆ IN LATERIBVS] q. d. Chananæi, si eis parcatis, pungent vos instar clauorum & lancearum, bellisq; vos vexabunt & dilacerabunt. Hæc vna fuit causa, cur iusserit Deus deleri omnes omnino Chananæos. Fuit & secunda, scilicet impietas istarum gentium; ac tertia, ne scilicet scandalo essent Hebræis, & suis idolis ac vitiis eos polluerent. Peccarunt ergo Hebræi, cùm successu temporis, præualentes Chananæis, eos non omnino deleuerunt, sed vel desidia, vel commiseratione, vel spe tributi, vel alia simili de causa, eis pepercerunt. vnde postea ab eis exterminari non potuerunt: Deus autem id conuertit in bonum, videlicet, vt hæ gentes essent quasi flagellum Iudæorum, cùm ipsi ad idola deflectebant, vt patet Iudic. 2. v. 22. & vt Hebræi haberent continuum cum eis armorum exercitium, nec otio diffluerẽt, vt patet Iudic. 3 1. Qua de causa Scipio Carthaginem Romæ æmulam, non esse delendam censuit, vt esset cos iuuentutis Romanæ. *Tres causæ ob quas Deus iussit deleri Chananæos.*

Mysticè 42. mansiones significant quadraginta duas vias in cælum. quæ quas? Prima. Mysticè, S. Hieron. Hæ, inquit, 42. mansiones, quibus Hebræi tetenderunt in Chanaan, significant 42. vias, quibus fideles tendũt in cælum. Prima est *Ramesse*, id est tonitruum gaudij, quo scilicet tonantibus, id est prædicantibus, Apostolis aliisque, conuersi sunt ad Christum infideles & impij, ideoq. gauisi sunt. Secunda est *Socoth*, id est tabernacula: quia in hac vita quasi peregrini, celebramus continuum festum tabernaculorum, tendimusque ad cælum, quasi ad patriam nostram. *Secunda.* Tertia est *Etham*, id est fortitudo: quia fortiter in hac via ardua omnia & aduersa superanda sunt. *Tertia.* Quarta est *Phihahiroth*, id est os nobilium, vt quasi nobiles & generosi, ore nostro Deum in aduersis laudemus. *Quarta.* Quinta est *Mara*, id est amaritudo, scilicet pœnitentiæ. *Quinta.* Sexta est *Elim*, id est arietes, putà Apostoli, & similes. Hos enim quasi duces sequi debemus. *Sexta.* Septima est *ad mare rubrum*: quia per fluctus & alterationes huius sæculi, quin & per martyria eundum est in cælũ. *Septima.* Octaua est *Sin*, id est odium: quia fideles grande odium, & persecutiones, tam diaboli, quàm mundi subire debẽt. *Octaua.* Nona est *Daphca*, id est pulsatio, putà oratio, de qua ait Christus: *Pulsate, & aperietur vobis*. *Nona.* Decima est *Alus*, id est fermentum, scilicet euangelij, quod tollens mulier, commiscuit farinæ satis tribus, donec fermẽtaretur totum. *Decima.* Vndecima est *Raphidim*, id est dissolutio fortium: ibi enim orante Mose, Iosue prostrauit Amalec. *Vndecima.* Duodecima est *Sinai*, id est rubus, hoc est asperitas vitæ, in qua Deus apparet, suamq; legem & voluntatem animæ communicat. *Duodecima.* Decimatertia est *Sepulchra concupiscẽtiæ*, in quibus gula & gulosi sepeliũtur. *Decimatertia.* Decimaquarta est *Haseroth*, id est atrium, scilicet vestibulum virtutum, vt ostendat eos, qui per gulam ceciderunt, posse resurgere, & eos qui stant, posse cadere. In Haseroth enim, murmurans contra Moysen Maria, lepra percussa, & sanata est. *Decimaquarta.* Decimaquinta est *Rethma*, id est sonitus, vel iuniperus, qui diu ignem conser- *Decimaquinta.*

sublimiora. Quod dicit hoc est: Ascensiones in corde suo A *disposuit. Felix est qui quotidie proficit, qui non considerat quid heri fecerit, sed quid hodie faciat vt proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est, quotidie proficit: ita qui peccator est, quotidie decrescit.*

Quare Salomon in Prouerb. suis ita iustum describit: *Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Caussa huius rei est prima: quòd omnes teneantur ad Christianæ vitæ perfectionem aspirare, ac proinde quotidie in ea progredi. Hoc enim est edictum Christi Matth. 5. 8. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et c. 22. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum tuum sicut te ipsum.* Vnde S. August. li. 1. de Doctr. Christ. c. 22. *Tunc*, inquit, *optimus est homo, cùm tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhaeret illi.* B

Prima caussa.

Secunda, quòd quamdiu in hac vita degimus, versamur in schola: ergo vt discipuli genuini Christi in ea quotidie proficere debemus. Vnde S. Bernardus epist. 141. *Ita*, inquit *quæso, ita facite dilectissimi. Discipulus quippe proficiens gloria est magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio.*

Secunda.

Tertia caussa est, quia *vera virtus*, vt loquitur idem Sanctus in epist. ad Abbat. Guarinum, *finem nescit, tempore non clauditur. Vnde est illud: Charitas numquam excidit. Et idem, Patientia pauperum non peribit in finem. Et, Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Numquam iustus arbitratur se comprehendisse: numquam dicit, Satis est; sed semper esurit sititque iustitiam; ita vt si semper viueret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad* C *annum, vel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui. Audi denique vocem iusti: In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me. Et rursum: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum. non igitur ad tempus. Proinde iustitia eius non manet aliquanto tempore, sed in sæculum sæculi. Sempiterna itaque iusti esuries, sempiternam meretur refectionem. Et licet in breui consummetur pro tempore, iudicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate.*

Tertia. Bernard. epist. 241. 1. Cor 13. 8. Psal. 9. 19. Psal 18. 10. Philip. 3. 13. Psal. 118. 93. Ibid. v. 112. Sap. 4. 13.

Idem deinde probat à contrario, cùm ait: *Quo denique pacto temporis breuitas bonorum praiudicet perpetuæ deuotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob hoc enim proculdubio inflexibilis & obstinata mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratur: quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci* D *voluntate: ita vt si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret: imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset. Proinde potest & de isto per contrarium itidem dici: Consummatus in breui expleuit tempora multa, quòd meritò multorum, imò omnium temporum receperit vicem, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem.* Hucusque Bernardus.

Quarta caussa est, quia qui non vult proficere, vel existimat sibi opus nõ esse vlteriore progressu, incipit deficere. *Quantumcumque hic vixerimus*, ait S. August. *quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat; Sufficit mihi iustus sum: qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire. Vbi dixerit, Sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum cui non sufficit: Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Et rursum dicit: Qui se putat scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire. Vnum autem, quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus secundùm intentionem, sequor ad palmam supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti? ille dicit nondum se perfectum, & tu iam de perfectione gloriaris? Confundantur qui dicunt tibi, Euge, euge.* Et Doctor Mellifluus: *Non proficere sine dubio deficere est. Nemo proinde dicat, Satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut heri & nudiustertius. In via residet, qui eiusmodi est, in scala subsistit, vbi neminem Patriarcha vidit non ascendentem. Dico ergo: qui se existimat stare, videat ne cadat. Ardua & angusta est; & non hic, sed in domo Patris mansiones sunt multæ.*

Quarta. August. in Psal. 69. Philip. 3. 13. 1. Cor. 8. 2. Bernard. epist. 341. Gen. 28. 12. 1. Cor. 10. 12. Iohan. 14. 2.

Quinta caussa est, quia nihil est quod in hoc mundo quiescat: *O Monache*, inquit idem Clarauallensis Abbas, *non vis proficere? non vis ergo deficere? Nequaquam. quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni; nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est: Fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet.* Et iterum alibi: *Moueat nos ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? Sic & curiosi cuiusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid, eorum qui auaritiæ seruiunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas hominum sectantur laudes, nonne & ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè spiritualium nos bonorum minùs cupidos inueniri.*

Quinta. Bernard. epist. 253. Iob 14. 2. Idem epist. 341.

Porrò profectum hunc procuramus, Primò, per gratiam Dei, perque nostram strenuam cum ea cooperationem. Gratia hæc precibus impetranda est, vt assiduè oremus cum Psalte: *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.*

Modus proficiendi. Primus.

Secundò, proponendo nobis exempla Christi & Sanctorum. Vnde S. Bernardus: *Ipse*, inquit, *hominis sæculique auctor, quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, numquid stetit? & quidem teste Scriptura, pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo, sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè; sed bono gressu, sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite vt comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis.*

Secundus. Bernard. epist. 253. Act. 10. 38. Psal. 18. 7. Philip. 2. 8.

Tertiò per examen conscientiæ serium & crebrum. Vnde S. August. serm. 15. de verbis Apostoli: *Dicitis*, inquit, *quid est ambulare? Breuiter dico, proficere, ne fortè nõ intelligatis, & pigriùs ambuletis. Proficite, fratres mei, discutite vos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas, & iactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas. ipse te probet. Proba & teipsum tu ipse. Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit, & periisti. semper adde, semper ambula, semper profice. Noli in via remanere, noli retrò redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit: retrò redit, qui ad ea reuoluitur vnde iam absccesserat: deuiat qui apostatat. Meliùs it claudus in via, quàm cursor præter viam.*

Tertius.

CA-

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribuntur termini terræ promissæ, scilicet, quòd ab Oriente terminanda sit mari mortuo; ab Occidente mari Mediterraneo; à Meridie torrente Aegypti; à Septemtrione Libano, & vrbe Epiphania. Secundò, v. 17. nominat Deus 12. principes, qui Hebræis terram hanc sorte diuidant.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen dicens: 2. Præcipe filiis Israel, & dices
ad eos: Cùm ingressi fueritis terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ce-
ciderit, his finibus terminabitur. 3. Pars meridiana incipiet à solitudine Sin, quæ
est iuxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare salsissimum. 4. qui cir-
cuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita vt transeant in Senna, & per-
ueniant à meridie vsque ad Cadesbarne, vnde egredientur confinia ad villam nomine
Adar, & tendent vsque ad Asemona. 5. ibitque per gyrum terminus ab Asemona
vsque ad Torrentem Ægypti, & maris magni littore finietur. 6. Plaga autem occi-
dentalis à mari magno incipiet, & ipso fine claudetur. 7. Porrò ad septemtrionalem
plagam à mari magno termini incipient, peruenientes vsque ad montem altissimum.
8. a quo venient in Emath vsque ad terminos Sedada: 9. ibuntque confinia vsque
ad Zephrona, & villam Enan. hi erunt termini in parte Aquilonis. 10. Inde meta-
buntur fines contra orientalem plagam de villa Enan vsque Sephama, 11. & de Se-
phama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde peruenient con-
tra Orientem ad mare Cenereth, 12. & tendent vsque ad Iordanem, & ad vltimum
salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. 13. Præ-
cepitque Moyses filiis Israel, dicens: Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, & quam
iussit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. 14. Tribus enim filiorum
Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad, iuxta cognationum numerum, media
quoque tribus Manasse, 15. id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans
Iordanem, contra Iericho ad orientalem plagam. 16. Et ait Dominus ad Moysen:
17. Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis diuident, Eleazar sacerdos, & Iosue
filius Nun, 18 & singuli principes de tribubus singulis, 19 quorum ista sunt vo-
cabula: De tribu Iuda, Caleb filius Iephone. 20. De tribu Simeon, Samuel filius Am-
miud. 21. De tribu Beniamin, Elidad filius Chaselon. 22 De tribu filiorum Dan,
Bocci filius Iogli. 23. Filiorum Ioseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod.
24. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan 25. De tribu Zabulon, Elisaphan
filius Pharnach. 26. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan. 27. De tribu
Aser, Ahiud filius Salomi. 28. De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud. 29. Hi
sunt, quibus præcepit Dominus vt diuiderent filiis Israel terram Chanaan.

VERS. 3. PARS MERIDIANA (Chananææ) INCIPIET A SOLITVDINE SIN, QVÆ EST IVXTA EDOM, ET HABEBIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM, MARE SALSISSIMVM] *Mare salsissimum*, est lacus Sodomorum, siue Asphaltites, vbi priùs fuit Pentapolis, sed ea cælitus igne consumpta, factus est eo loco lacus ingens, qui Hebræo more dicitur mare, idque salis, id est salsissimum. Est enim in hoc lacu aqua crassa, retinens proprietatem sulphuris & salis, quo conflagrauit Pentapolis: tunc enim sal vrens admistum fuisse sulphuri, patet Deuter. 29. 23. licèt alij putent dici mare salsissimum, à fodinis salis, quas ibi esse docet Sophonias c. 2. 9. ideoque hic lacus, nec pisces, nec aliud viuens alit: vnde & *mare mortuum* dicitur. Dicitur & *mare solitudinis*, vel *deserti*: quia situm est iuxta solitudinem Sin, & Cades, vbi cæsus est rex Sodomorum à Codorlahomor, Genes. 14. 7. Dicitur & vulgò *mare diaboli*: quia Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim ob infanda peccata, igne & sulphure de cælo cadente, à dæmone (vt vulgus putat) submersæ sunt, & aquis obrutæ, inquit Abul. Porrò, hic lacus, siue mare, est ad Orientem terræ sanctæ. Nam Iordanis, qui Chananææ est ad Orientem, in mare hoc influit, & ab eo absorbetur, vt patet ex tabulis Geographicis, & ex Iosue 3. 16.

Mare salsissimum vocatur lacus Asphaltites, cur?

A

VERS. 4. PER ASCENSVM SCORPIONIS] Est hic locus ita dictus à præruptis montibus, qui sunt asperi instar scorpionum.

VERS. 5. IBITQVE PER GYRVM TERMINVS AB ASEMONA, VSQVE AD TORRENTEM ÆGYPTI] Torrens hic est riuulus, qui ex deserto (vnde Theodotion vertit, *torrens Arabiæ*) veniens iuxta Rhinocoruram, in mare Mediterraneum delabitur, terramque tribus Iuda & Simeon à deserto, viaque Ægypti disterminat. Vnde Septuag. pro torrente hoc vertunt Rhinocoruram. Hinc passim in Scriptura hic torrens ponitur Australis terminus terræ promissæ, putà Chananææ. ita S. Hieron. in cap. 6. Amos, & epist. ad Dardanum tomo 3 vide Adrichom. in tabul. Errant ergo, qui torrentem hunc putant esse vnum è Nili riuis, ex Iosue 13. 3. nam alius illius loci est sensus. Torrens enim hic longè à Nilo & à Pelusio, Ægyptoque distat.

B

ET MAGNI (id est Mediterranei) MARIS LITTORE FINIETVR] Mare Mediterraneum hîc vocatur *magnum*, respectu duorum aliorum: nam in terra sancta triplex est mare. Primum est hoc Mediterraneum, quod illâ ab Occidente alluit: vnde *mare* hîc in Hebr. & alibi sæpè significat Occidentem. Secundū est mare mortuum, seu salsissimum. Tertium

Triplex mare in terra sancta.

Tertium est mare Cinneret, seu Genesareth. hæc duo vltima potiùs lacus sunt; primum verò est mare verum, & vastum.

VERS. 7. PORRO AD SEPTEMTRIONALEM PLAGAM A MARI MAGNO TERMINI INCIPIENT, PERVENIENTES VSQVE AD MONTEM ALTISSIMVM] scilicet vsque ad montem Hor, vt habent Hebræus & Chaldæus. Perperam ergo aliqui Libanum hic intelligunt.

VERS. 8. A QVO VENIENT IN EMATH] Emath hæc est minor, in qua est vrbs quæ postea ab Antiocho Epiphane, Epiphania est dicta. Erat hæc vrbs, terminus terræ sanctæ ab Aquilone. Erat alia Emath maior, scilicet Antiochia, quæ caput erat totius Syriæ. ita S. Hieron. & ex eo Ribera in Amos 6.8.

VERS. 11. CONTRA FONTEM DAPHNIM] Hebr. non habent τὸ *Daphnim*, sed tantùm *contra fontem*, scilicet illum, qui iuxta Reblata est notus & celebris. hic autem est Daphnis, vti optimè sciuit & intellexit noster Interpres, putà S. Hieron. qui accuratè perlustrauit terram sanctam. *Daphnis fons quid.* Daphnis fons aquis abundantissimis Reblatam vrbem irrigat, atque instar celebris & deliciosi illius Daphnes, Antiochię suburbani, frequentissimis lauris, & amœnitate inclytus est, vti ex li. 2. Machab. Iosepho, & S. Hieronymo docet Adrichomius. Audi S. Hieron. in c. 4. Ezech. *De Sephama*, inquit, *id est de Apamia, descendent termini in Reblata, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia.* Additque, *Vt scias Reblam, siue Reblatam hanc significare vrbem, dicit contra fontem: quem perspicuum est significare Daphnem, de quo fonte lucus aquis abundantissimis fruitur.* Et 1. Machab. 3. *Onias*, inquit, *sacerdos continebat se in loco tuto secus Daphnen.* Nam cùm sint plures Antiochiæ, vna ad Cragum flumen in Cilicia, altera iuxta Mæandrum flumen in Caria, tertia Pisidiæ in Cappadocia; ad illarum differentiam hæc cognominata est Antiochia ad Daphnen, quæ etiam aliarum comparatione, Antiochia Magna dicitur, & Antiochia ad Orontem; quia ab Oronte fluuio secatur media. Est prolepsis; nam postea datum est nomen Daphnes huic fonti, æquè ac suburbano Antiochiæ, ei adiacenti. Vnde & porta vrbis eò tendens, dicta est Daphnitica, iuxta quam sepultum fuisse corpus S. Ignatij Martyris testatur S. Hieron. Dicta est enim Daphne, id est laurus, vel lauretum, ob lauros & cypressos à Pompeio dedicatas eo loco: vel potiùs ob memoriam virginis Daphnes, quam Ladonis fluminis sui filiam Antiocheni fabulati sunt: vnde & *Laurum coluerunt ob memoriam virginis Daphnes*, inquit Philostr lib. 1. & Arrianus, ac ex ijs Anton. Nebriss. in Quinquagena, c. 14.

INDE PERVENIENT CONTRA ORIENTEM AD MARE CENERET] *Ceneret*, vel, vt Hebræi legunt, *Cinneret*, vrbs erat, quæ postea corruptè Genezareth, & à Tiberio Cæsare Tiberias, est dicta. iuxta hanc vrbem erat lacus, qui mare & stagnum Ceneret, aut Genezareth, aut Tiberiadis dicitur; & à prouincia in qua erat, mare Galilææ. iuxta hoc mare erat Nazareth, Capharnaum, Bethsaida, & aliæ vrbes, quæ educatione, conuersatione & miraculis Christi fuerunt celebratæ.

Erat hoc mare Ceneret, vti & alterum salsissimum, siue mortuum, cum Iordane, ab Oriente limes terræ sanctæ: Mediterraneum limes erat ab Occidente: torrens Ægypti, cum desertis Arabiæ, limes erat à Meridie: Emath, siue Epiphania, vti & Libanus, limes erat à Septemtrione. Iidem ter-

A mini terræ promissæ consignantur Exodi 23.31. nisi quòd ibi à Septemtrione terminus ponatur fluuius, scilicet Euphrates. Qui sanè ampli fuerũt termini, ac consequenter terra Iudæis promissa perampla fuit: complexa est enim Philisthiam, & Philisthinos omnes, vt patet Iosue 13. vers. 2. & 3. rursum complexa est totam Phœniciam, ac consequenter Tyrum & Sidonem. *Tyrus & Phœnicia ad sortem Iudæorum pertinuit.* Hæc enim tribui Aser à Iosue attributa sunt, Iosue 19. v. 28 & 29. sed permisit Salomon Hiram regem Tyro dominari, eiusque opera vsus est in fabrica templi; alioqui eum de iure regno Tyri excludere potuisset. ita Abul. Hinc & mulier Tyria, quæ à Christo filiæ sanitatem impetrauit, à Matthæo c. 15. 22. vocatur *Chananæa*, à Marco verò c. 7 26. vocatur *Syrophœnissa*: quia videlicet Phœnicia, erat pars Chananææ. Vnde patet, Iudæos suo demerito & culpa, tota terra hîc promissa, vsque ad hosce terminos, non esse potitos, nisi pauco Salomonis regni
B tempore, quo tamen nonnullæ regiones non fuerunt ab eis cultæ & habitatæ, sed tantùm subactæ & vectigales, quædam etiam amicæ tantùm & sociales, vti iam dixi de Tyro.

ET TENDENT VSQVE AD IORDANEM] Iordanes limes erat ab Oriente terræ sanctæ, id est nouem tribuum. Nam tres aliæ tribus, scilicet Ruben, Gad & dimidia Manasse hîc non numerantur, nec earum termini hîc describuntur: quia ipsi iam sortem acceperant cis Iordanem, in Galaad, vt dicitur v. 14. VERS. 12.

Nota. Iordanes famosissimus fuit fluuius, & terminus terræ sanctæ. Oritur enim ad radices Libani, atque ex confluxu duorum riuulorum, scilicet Ior & Dan, conflatur, indeque dicitur Iordanes: iuxta quem est planicies viridissima, in qua extat sepulchrum S. Iob, alta pyramide insignitum. *Iordanes conflatur ex Ior & Dan. Habet septem priuilegia.*
C Iordanes, inquit Abulens. qu. 5. habet septem priuilegia, super alia flumina: Primum, quòd diuidat terram sanctam à Moabitis, Arabibus, alijsque gentibus. *Primum.* Secundum, quòd arca Dei cum Hebræis transeunte, fluenta eius steterunt: in cuius rei monumentum, tulerunt Israelitæ duodecim lapides de medio alueo Iordanis, eosque in titulos erexerunt & collocarunt in Galgalis, Iosue 3. & 4. & 5. *Secundum.* Tertium, quòd per eum Elias & Eliseus, siccis pedibus transierunt, cùm raptus est Elias per turbinẽ in cælum, 4. Reg. 2. 8. *Tertium.* Quartum, quòd in eo Naaman Syrus à lepra mundatus est, cùm septies in eo lauaretur, 4. Reg. 5. *Quartum.* Quintum, quòd in eo ferrum securis, ad mandatum Elisei supernatauit, 4. Reg. 6. 2. & 6. *Quintum.* Sextum, quòd in Iordane Christus baptizatus est, & tactu suæ mundissimæ carnis, vim regeneratiuam in baptismo, omnibus aquis tribuit, Matth. 3. *Sextum.*
D Septimum, quòd ibi Ioannes Baptista vidit cælum apertum, & audiuit vocem Patris, & vidit Spiritum descendentẽ in specie columbæ, super Christum, Matth. 3. *Septimum.*

HÆC SVNT NOMINA VIRORVM, QVI TERRAM VOBIS DIVIDENT, &C. SINGVLI PRINCIPES DE TRIBVBVS SINGVLIS] Non quòd hi 12. diuisores, essent principes supremi singularũ tribuum. Nam Caleb non erat summus princeps tribus Iuda; nec alij erant filij primogenitorum, id est principum suæ tribus, vt patet, si quis conferat parentum eorum nomina, quæ hîc recensentur, cum principibus tribuum nominatis cap. 1. Erant ergo hi principes aliquarum familiarum in sua tribu; VERS. 17. & 18.

vel principes, id est præpositi & præfecti diuisioni terræ sanctæ. Hebr. enim vox נָשִׂיא nasi, propriè significat *præpositum*.

Itaque hi duodecim principes terram Chanaan diuiserunt, in partes æquas proportionaliter: quo A facto sortem iecerunt, quæ pars cuique obtingeret; atque hinc terra hæc nunc sorte, nunc per principes diuidenda dicitur, vt patet c. præced. v.54. Quomodo per sortes diuisa sit terra, dicam Iosue 14.1.

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus Leuitis dari 48. vrbes ad habitandum, cum suburbanis, ad alenda eorum pecora: atque ex iis sex pro asylo, homicidis designari. Secundò, v.16. homicidæ causa iubetur agitari, vt, si fuerit voluntarius, occidatur; sin inuoluntarius, in asylo maneat, vsque ad mortem pontificis.

1. HÆc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Iordanem, contra Iericho:
2. Præcipe filijs Israel vt dent Leuitis de possessionibus suis,
3. vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis:
4. quæ à muris ciuitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur.
5. contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & septemtrionalis plaga æquali termino finietur, eruntque vrbes in medio, & foris suburbana.
6. De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorum auxilia separata, vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida,
7. id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.
8. Ipsæque vrbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores. singuli iuxta mensuram hereditatis suæ dabunt oppida Leuitis.
9. Ait Dominus ad Moysen:
10. Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Quando transgressi fueritis Iordanem in terram Chanaan,
11. decernite quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum, qui nolentes sanguinem fuderint:
12. in quibus cùm fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur.
13. De ipsis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum subsidia separantur,
14. tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan,
15. tam filiis Israel quàm aduenis atque peregrinis, vt confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit.
16. Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidij, & ipse morietur.
17. Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit: similiter punietur.
18. Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur.
19. Propinquus occisi, homicidam interficiet: statim vt apprehenderit eum, interficiet.
20. Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias:
21. aut cùm esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit: percussor, homicidij reus erit. cognatus occisi statim vt inuenerit eum, iugulabit.
22. Quòd si fortuitu, & absque odio
23. & inimicitiis, quidquam horum fecerit,
24. & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata:
25. liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per sententiam, in vrbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus est, moriatur.
26. Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ sunt,
27. fuerit inuentus, & percussus ab eo qui vltor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit.
28. debuerat enim profugus vsque ad mortem pontificis in vrbe residere. postquam autem ille obierit, homicida reuertetur in terram suam.
29. Hæc sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris.
30. Homicida sub testibus punietur: ad vnius testimonium nullus cōdemnabitur.
31. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur.
32. Exules & profugi ante mortem pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt:
33. ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinē, qui alterius sanguinem fuderit.
34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum. ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

VERS. 1. HÆC QVOQVE LOCVTVS EST DOMINVS, &c. SVPRA IORDANEM] apud, iuxta Iordanem.

VERS. 2. & 3. PRÆCIPE FILIIS ISRAEL, VT DENT LEVITIS DE POSSESSIONIBVS SVIS, VRBES AD HABITANDVM] *Leuitis*, scilicet tam sacerdotibus, quàm Le- B uitis propriè dictis. Leuita enim hîc significat omnes de tribu Leui: his enim omnibus, nulla hereditas quidem, sed habitatio tamen danda erat. Vnde assignatæ sunt eis variæ vrbes, in quibus communiter & promiscuè morarentur. Fuerunt

ea

eæ num. 48. vt patet Iosue 21. & hîc v. 7. Et in vna harum ferè erat tabernaculum, quò singuli, cùm ipsorum ministrandi vices recurrerent, se conferebant, & expletis vicibus, domum ad suas vrbes reuertebantur. Lyranus censet, has vrbes fuisse sacerdotum tantùm quoad vsum; nam dominiũ earum fuisse penes alios: & probat de Hebron, quæ data est sacerdotibus, Iosue 21. & tamen dominus eius erat Caleb de tribu Iuda, Iosue 14. 13. Verùm fallitur Lyran. Nam Leuit. 25. 32. & sequent. dicitur, quòd vrbes & suburbana Leuitarum, sint eorum possessio sempiterna, quodque possint in eis ædes suas vendere & redimere; denique quòd illæ in iubileo ad eos, quasi ad absolutos dominos, redire debeant, æquè ac domus laicorum. Quod ad Hebron attinet, soli agri & vineæ, quæ erant in territorio Hebron, fuerunt Caleb: vrbs autem & suburbana fuerunt sacerdotum, vti dicitur Iosue 21. 11. Rursum Leuit. vlt. 21. statuitur, vt si quis agrum Domino vouerit, eum sacerdotes possideant. Sic 3. Reg. 2. dicit Solomon Abiathar sacerdoti: *Vade ad agrum tuum*. Item Ieremias sacerdos erat, & tamen c. 32 scribit ipsemet, se emisse ac possedisse agrum. Denique Actor. 4. dicitur quòd Barnabas Leuites, Cyprius genere, vendiderit agrum quem habebat.

Ex quibus patet, Leuitas non tantùm agros & suburbana in Iudæa, sed & alibi agros & vineas partim emere, partim ex oblationibus & votis populi habere potuisse. Extra Iudæam verò fundos, æquè vt alij, hereditare, emere & possidere poterant. Tantùm enim in diuisione terræ sanctæ, facta à Iosue, Leuitæ cum alijs tribubus sortem suam non acceperunt. Vnde Barnabas in Cypro, & alij Leuitæ alibi suas habebant possessiones.

VERS. 3. & 4. ET SVBVRBANA SINT PECORIBVS AC IVMENTIS, QVÆ A MVRIS CIVITATVM FORINSECVS, PER CIRCVITVM, MILLE PASSVVM SPATIO TENDENTVR] Suburbana hîc Leuitis dantur, ad mille passus circumcirca vrbes eorum, idque pro pabulo pecorum. Hic versus in Hebr. Septuag. Chald. & alijs, videtur omnino contrariari sequenti: hîc enim dantur Leuitis tantùm mille *amma*, id est cubiti; sequẽti verò versu dantur bis mille *amma*, id est cubiti, idque ad quamlibet mundi plagam.

Quomodo hoc versu dentur Leuitis mille cubiti, sequenti bis mille?

Respondet Primò, Rabbi Salomon, Lyran & Vatabl. datos fuisse Leuitis bis mille cubitos; sed prioribus mille, non licuisse arare & serere; posterioribus verò id licuisse. Verùm hæc responsio ex cerebro conficta videtur: nihil enim tale innuit Script.

Responsio Prima, Lyrani.

Secundò, Burgens. quem sequitur Arias Montanus in Iosue 14. respondet, circum vrbem quãlibet Leuitarum, eiusque suburbana descriptum fuisse quadratum; ita vt eius quasi semidiameter, à muris vrbis vsque ad finem suburbanorũ, contineret mille cubitos; ipsum verò latus quadrati quodlibet, contineret bis mille cubitos. Verùm constat, vrbes ferè non esse quadratas, sed rotundas; ac proinde circa eas, suburbana ad mille cubitos, non in quadrum, sed in rotundum describi debuisse. Adde, ex diametro hîc eximi longitudinem vrbis (nec enim à centro vrbis, sed ab vrbis muris, dimetienda erant forinsecus hæc suburbana) ac proinde quadratum hoc, quod vtrimque semidiametrum mille cubitorum (id est, diametrum bis mille cubitorum) extra vrbem, & simul diametrũ vrbis ipsius complectebatur, plusquam

Secunda, Burgensis.

A duo millia cubitorum continuisse, in quolibet latere quadrati.

Tertiò, respondet Masius in Iosue 14. & Serarius in Iosue 21. scilicet suburbana hæc, ad quamlibet plagam habuisse tantùm mille cubitos; dici tamen eos bis mille: quia si linea recta mille cubitorum, ad Orientem, v. g. protendatur in latus oppositum, quod est ad Occidentem, quod etiam est mille cubitorum, erunt bis mille cubiti. Verùm hoc videtur aduersari verbis textus, quæ hos bis mille cubitos computant non à latere opposito ad oppositum, sed ab vno eodemq; latere & plaga; aiunt enim: *Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia*, & totidem ad Septemtrionem, totidem ad Occidentem.

Tertia, Masii.

Quartò, Abulens. censet, hîc sequendum esse,
B non textum Hebræum, sed nostrum Interpretem: suburbana enim hęc continuisse mille passus; mille autem passus faciunt bis mille cubitos. Licet enim passus sit maior cubito, contineatque quinque pedes, cùm passum fixum metimur; videlicet vtrumque pedem mensoris, & tres pedes, inter vtrumque eius pedem, in passu interceptos; tamen si passum mobilem (qualis hic erat) & continuè progredientem metiaris & accipias, inuenies eum tantùm quatuor pedes continere. Nam primus pes tantùm in primo passu numeratur, ita vt primus hic passus habeat 5. pedes: in sequentibus verò passibus tantùm numerantur reliqui 4 pedes, continuò sibi succedentes, vt patet experienti: quatuor autem pedes faciunt duos cubitos, & paulò ampliùs. Ergo mille hi passus, idem
C sunt quod bis mille cubiti, de quibus v. seq. Addit Vilalpando p. 1. de vrbe & templo, l. 2. c. 2. quòd cubitus communis, sit pes cum dimidio; sed cubitus sacer sit, duo pedes cum dimidio: ita vt duo cubiti sacri faciant passum, id est quinque pedes.

Quarta, Abulensis.

Dices, In Hebræo tam hoc versu, quàm sequenti est eadem vox אַמָּה *amma*, quæ cubitum significat: quomodo ergo noster Interpres eam hîc passum, versu verò seq. cubitum vertit?

Obiectio.

Responderi posset, *amma* non tantùm cubitum, sed & passum significare: id enim non tantùm docet noster Interpres, sed & Eugubinus; quòd verò Interpres eamdem vocem *amma*, primò passum, deinde mox cubitum vertat, non est mirum: quia vidit ipse, hoc exigere loci circumstantias; alioqui enim esset hîc manifesta contradictio. Cùm ergo dicitur in Hebr. simpliciter *mille*
D *amma*, intellexit *amma* absolutum & maius, id est passum, significari: cùm verò mox dicitur restrictè, per literam *bet*, duo millia בְּאַמָּה *baamma*, id est *in amma*, intellexit *amma* contractum & minus, putà cubitum, significari. Fortè etiam priore loco, scilicet hoc versu, pro *amma* legit פַּעַם *paam*, id est gressus passus; vt litera *pe* in codice attrita vel excisa, remanserit עַם *am*, indeque descriptores fecerint *amma*. Sciebant enim non *am*, sed *amma*, certam mensuram significare. Verùm, quia Hebræa constanter habent *amma*, per *aleph*, non per *ain*; quod in Script. semper cubitum, numquam passum significat; itaque hîc vertit Chald. Septuag. & omnes alij interpretes; potiùs dixerim, nostrum Interpretem passum hîc, non maiorem siue geometricum, qui quinque pedes complectitur; sed minorem, siue vulgarem accipere, vt

Responsio.

Quinta resp. Auctoris.

Passus maior est quinque pedum: minor est pedis cum dimidio, id est cubiti.

idem sit quod cubitus. Nam in incessu passus vulgaris, qualis est lentè & modestè ambulantium, æqualis est cubito, si ab eo primum pedem, vtpote in quo consistis, demas, atque tantùm numeres spatium inter duos pedes interiectum, (quod est dimidij pedis) ipsumque pedem, quem in passu hoc extendis, & promoues. sic enim passus hic minor continet pedem circiter cum dimidio: tantumdem autem continet cubitus.

Obiectio. Quomodo mille cubiti vocantur bis mille?

Dices, Quomodo ergo hoc versu numerantur suburbana ad mille passus, siue cubitos; versu verò sequenti ad bis mille cubitos? Suppono, tam vrbes, quàm suburbana hæc, circulari, vel ouali forma fuisse.

Responsio Prima Caiet. probabilis.

Nunc dico, antilogia hæc dupliciter solui & conciliari potest: Primò, si cum Caietano dicamus, suburbana hæc fuisse mille cubitorum; sed circulum, siue peripheriam ipsorum fuisse octo circiter millium cubitorum: ita vt peripheria hæc à quolibet mundi angulo, id est plaga, habuerit bis mille cubitos.

Pro quo Nota. In circulo circumferentia habet proportionem triplam ad diametrum, & paulò amplius; ita vt si diameter sit duorum millium cubitorum, circumferentia sit sex millium cubitorum. hic verò semidiameter suburbanorum erant mille cubiti: his adde diametrũ vrbis ipsius, qui erat circiter sexcentorum cubitorum; ita vt diameter tam vrbis, quàm suburbanorum fuerit 1600. cubitorum: ex quibus necessariò sequitur circumferentiam (quæ tripla est ad diametrum) tam vrbis, quàm suburbanorum horum, fuisse circiter octo millium cubitorum. ter enim 1600. faciunt octo millia, exceptis ducentis, quæ hîc addenda sunt: quia circumferẽtia paulò plus, quàm tripla est ad diametrum. Iam diuide octo millia, per quatuor mundi plagas, inuenies partem quartam circumferentiæ suburbanorum, quæ cuilibet plagæ obuertebatur, fuisse bis mille circiter cubitorum. Et hoc est quod dicitur v. sequent. ad quamlibet plagam fuisse bis mille cubitos.

Moses, inquit Caietan. *circumferentiam suburbanorum, octo millium cubitorum instituit, siue ciuitas sit magna, siue parua; vt vna esset lex communis de spatio suburbanorum. Arbitratus est enim, æquum esse, vt cuiuslibet ciuitatis diameter, intrinsecus haberetur sexcentorum cubitorum: quamuis enim vna ciuitas maior esset alia, pensando tamen maiorem cum minore, & è conuerso, instituit suburbana æqualia: existente enim diametro 1600. cubitorum, æquè secundùm proportiones geometricas, circumferentia decernitur esse octo millium cubitorum, secundùm proportionem triplam, & paulò plus.* Verùm, quia angulus (vti est in Hebræo) cuiusque plagæ, v. sequenti protrahi iubetur ad bis mille cubitos: & quia angulus propriè, non peripheriam circuli, sed angulum, siue triangulum significat: & quia præcisè hîc mille passus, id est cubitos, extra singulas vrbes numerari iubet Deus; vrbes autem aliæ erant magnæ, aliæ paruæ, ac consequenter aliæ minus, aliæ amplius

Resp. secunda verior, fuisse mille cubitos, dici tamen bis mille, si vtrumque latus trianguli, ad quamlibet plagam metiamur.


A quàm octo millia cubitorum habebant in peripheria suburbanorum:

Hinc Secundò aptiùs, hæc duo millia cubitorum accipias, non in peripheria, sed in canthis, siue lineis à centro, putà à muris vrbis ductis vsque ad peripheriam suburbanorum: hæ enim lineæ, cùm sint binæ ad quamlibet mundi plagam, vt eam totam inter se capiant & comprehendant, faciunt vnum angulum in centro, in quo coëunt, & duos angulos in peripheria, in qua terminantur, itaque faciunt triangulum. Vnde Hebræa sic ad verbum vertas, *mensurabitis ad angulum Orientis duo millia cubitorum*; totidem ad angulum Meridiei, Occidentis, & Septemtrionis.

B Videtur enim Deus hîc describere circulum vrbis cum suburbanis; ita vt centrum sit vrbs, peripheria verò terminetur ad mille cubitos circũquaque extra muros vrbis. Circulum autem hunc, ad 4. plagas, diuidit in 4. quasi triangulos; quorum quisque est isosceles, id est duo latera, quæ à centro ad peripheriam ducuntur, habet æqualia. Iubet ergo hic Deus, vt suburbana quaquauersum, ad quatuor mundi plagas, extendantur ad mille cubitos; vtque Orientalis plaga describatur duabus lineis, ductis ab vrbe ad peripheriam suburbanorum, quæ duæ lineæ comprehendant latus Orientale, instar tranguli. Pari modo, per duas lineas triangulum secundum iubet describi, ad plagam Occidentalem: & pari modo, tertium triangulum ad Meridiem; & quartum ad Septemtrio-
C nem; sic vt quælibet plaga describatur per triangulum, ductis duabus lineis ab vrbe, vsque ad peripheriam iam dictam, quarum quæque contineat mille cubitos (suburbana enim extenduntur ad mille cubitos) ita vt duæ lineæ ad peripheriam cuiuslibet plagæ ductæ, quæ sunt trianguli huius duo latera æqualia, simul contineant bis mille cubitos.

Sic ergo facilè conciliamus hanc antilogiam: dicimus enim, suburbana tantùm extensa fuisse ad mille cubitos circumquaque, sed quamlibet plagam fuisse descriptam quasi per triangulum; ita vt duo haberet latera, quorum quodque erat mille cubitorum; ac consequenter vtrumque latus simul sumptum, erat bis mille cubitorum. Ve-
D risimile enim est, octo quasi limites, vel palos horum suburbanorum, in ipsis eorum finibus fuisse positos: ita vt ad illos ab vrbe totidem lineæ, scilicet octo, duci possent, quæ quatuor quasi triangulos faciunt; idque ad hoc, vt per hosce limites, statim circumquaque sciri posset, quousque Leuitarum prædia se extenderent, itaque crebræ lites, quæ de confinibus incidere solent, cum vicinis tribubus vitarentur. Huic sensui fauent Hebræa, quæ habent: *numerabis duo millia in cubito.* quæ phrasis innuit, hos bis mille cubitos, non directè in longum, sed lateraliter, nimirum, per duo trianguli latera, numerandos esse, scilicet, vt quodlibet latus habeat mille cubitos, prout in sequenti figura est videre.

De



VERS. 6. DE IPSIS AVTEM OPPIDIS, QVÆ LEVITIS DABITIS, SEX ERVNT IN FVGITIVORVM AVXILIA SEPARATA, VT FVGIAT AD EA QVI FVDERIT SANGVINEM] qui aliquem occiderit, intellige nolens, vel nesciens, vti dicitur v. 11. & Iosue 20. 3. hæc enim vrbium asyla constituta sunt ad tutelam innocentium: vnde debebat homicida prætendere innocentiam, antequam ad hæc asyla admitteretur. *Stabit*, inquit Iosue c. 20. 4. *ante portam ciuitatis, & loquetur senioribus vrbis illius ea, quæ se comprobent innocentem, sicq; suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.*

Nam lege veteri, ob populi illius duritiem, permissum erat cognatis, occidere percussorem propinqui sui, sine alia iudicis condemnatione, quocumque loco eum reperirent, vt patet v. 19. & 27. Ergo cõstitui iussit Deus has vrbes refugij, ad quas qui cædem admiserant, se reciperent, vt ibi essent tuti, donec causa eorum examinaretur, idque vel in porta vrbis. ad quam confugerant, vel eo loco, vbi homicidium admiserant, vti dicam v. 25. Vnde eò ducebantur, ibique cognati occisi litem eis intentabant, in qua si innocentes deprehenderentur, putà fecisse cædem, non ex proposito, sed ignoranter, casu, vel ad sui tutelam, remittebantur ad locum refugij, vt dicitur v. 25. sin nocentes deprehenderentur, putà scienter & ex proposito occidisse, occidebantur & ipsi.

Cis Iordanem, Moses designauit tres vrbes refugij, scilicet Bosor, Ramoth, & Golan. iubet verò hîc v. 11. vt postquam Hebræi transierint Iordanem, in terra promissa, tres alias insuper designent. quod reipsa factũ est Iosue 20. 7. Vrbes ergo hæ refugij vniuersim fuerunt sex, quibus Deus alias tres addi iussit Deut. 19. 9. tunc scilicet, cùm A magis dilatati essent termini Hebræorum.

Omnes porrò vrbes refugij habitabantur à Leuitis, nimirum, vt sacerdotij dignitate vis iniusta (si cognati occisi homicidam ad necem persequerentur) faciliùs prohiberetur, vtque à viris humani diuinique iuris peritis, putà Leuitis & sacerdotibus, illiusmodi capitalia iudicia rectiùs sanctiùsque iudicarentur.

Quæres, an vrbs, in qua erat tabernaculum, vel ipsum tabernaculum, fuerit asylum? Negat Tostatus q. 11. affirmat Couarruuias cap. 20. concl. 2. lib. Variar. resol. Verùm dico, altare & tabernaculum fuisse asylum; non verò ipsam vrbem, in qua illa erant. Patet ex eo, quòd Ioab ex vrbe fugerit ad tabernaculum & altare, quasi ad asylum. est enim hic locus ex se sacer. Idem colligitur ex Exodi 21. 14 ita Serarius in Iosue 20. q. 7. vbi pluribus B id confirmat. *An tabernaculum, & vrbs eius fuerint asylum?* *Resp. tabernaculum fuisse asylum, non vrbem.*

Mysticam explicationem sex vrbium refugij, habet S. Ambr. li de Fuga sæculi c. 2. & ex eo Serarius in Iosue 20. q. 12. ac Magalianus ibidẽ v 9. annot. 4. vbi docet pœnitentibus mystica asyla esse contritionem, orationem, Dei gratiam, Sacramenta, & ingressum Religionis. *Docet*, inquit S. Ambros. *lex fugiendum sæculum, Deum sequendum. Sex autem ciuitatum refugia sunt, ita vt prima ciuitas sit cognitio verbi, & ad imaginem eius forma viuendi: Secunda, consideratio diuinæ operationis qua creatus est mundus: Tertia, contemplatio potestatis regiæ & maiestatis æternæ: Quarta, propitiationis diuinæ contuitus: Quinta, legis diuinæ contemplatio, quæ præcipit quid faciendum sit: Sexta portio legis quæ præscribit quid non faciendum sit.* Ita S. Romualdus à cæde, cui interfuerat, fugiens ad monasterium, asylum literale in mysticum commutauit, factusque mo- *Quinque mystica asyla.*

monachus Ordinem Camaldulensium instituit; in quo vixit mira sanctitate ad centum annos, mortuusque est anno ætatis 120.

Vers. 15. Tam filiis Israel, qvam advenis atqve peregrinis] scilicet ad iudaismum conuersis, id est proselytis. Hi enim vocantur aduenæ & peregrini: scilicet aduena, vel, vt hebr. est, גר *ger* dicitur, qui nunc primò, vel certè non ita pridem aduenit & accessit ad iudaismum. Peregrinus verò, vel, vt hebr. est תושב *tosab*, dicitur, qui pridem accessit, diuque inter Israelitas commoratus est: sicque accipiendæ sunt Græcæ voces, ὁ προσήλυτος καὶ ὁ πάροικος. ita Serarius in Iosue 20. qu. 6. Proselyti ergo gaudebant iure asyli, non verò Gentiles in gentilismo manentes. ita Abulens. & Serarius: licet Masius & Magalianus, ius asyli etiam Gentilibus hisce hîc concessum fuisse censeant. quæ sententia non est improbabilis.

Quis aduena? Quis peregrinus? An Gentiles habuerint ius asyli?

Nota. Iudæi ex genere tria habebant priuilegia, quibus carebant proselyti: Primum, seruus si esset Iudæus, anno septimo, & quinquagesimo fiebat liber, non autem, si esset proselytus, Leuit. 25. v. 40. & 43. Secundũ, Iudæi gaudebant priuilegio remissionis debitorum anno septimo, non proselyti, Deut. 15. 3. Tertiũ, Iudæi non poterant dare ad vsuram Iudæis, sed proselytis, Deut. 23. 19. In cæteris, leges vtrisq; erant æquales. ita Abulensis.

Tria priuilegia Iudæorum, quibus carebant proselyti.

Vt confvgiat ad eas, qvi nolens (inuoluntariè, hebraicè, *in ignorantia*) sangvinem fvderit] Nota. Propriè pro solis homicidis, hæ vrbes refugij statutæ sunt, non autẽ pro ijs qui tantùm læserant alium. si tamen hi ad eas confugissent, gaudebant communi iure asyli. Rursum, homicidæ voluntarij non habebãt ius asyli. Sed quid si voluntariè quem quis occidisset, at seipsum defendens, vimque vi repellens? Respondeo, Hic habebat ius asyli, imò probata hâc sua innocentia, ex asylo liber domum remittebatur: quia non erat homicida, & nocens; sed planè innocens. ita Abulens. q. 5. in c. 20. Iosue, & ibidem Serarius, & Magalianus. Si quis verò in ipso asylo, putà in vrbibus refugij, cædem fecisset, hic iure asyli non gaudebat. ita Abulens. ibid q. 19.

Solis homicidis olim erant asyla, scilicet inuoluntariis. Occidens alium se defendendo, non egebat asylo. Occidens in asylo non habebat ius asyli.

Nota. Concessæ sunt hæ vrbes refugij in asylum: Primò, vt essent innocentiæ & innocentum auxilium & præsidium. Secundò, vt ostenderet Deus, quàm seriò in homicidium, voluntarium præsertim, inquirendum & animaduertendum esset. Tertiò, vt eius qui occisus erat propinquis subtraheret materiam iræ, doloris & vindictæ. erant enim Iudæi præfracto animo & vindictæ percupido. Quartò, vt nouarum rixarum & cædium auferret occasionem. Quintò, vt esset in refugij latebris, pœnitentiæ typus & figura.

Causa asyli Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Simili modo in lege noua, reis asyla sunt omnes ecclesiæ, cœmeteria, cœnobia, domus religiosæ & Ecclesiasticæ. quare plura sunt asyla Christianis, quàm fuerint Iudæis. Rursum, Iudæi tantùm habebant asylum, pro homicidis inuoluntariis: quia alia peccata ferè voluntariè, & dedita opera cõmittuntur, ideoque ea tunc impunita esse noluit Deus; Christiani verò asylum habent, ferè in omni crimine & periculo. Dico ferè: nam cap. *Inter alia*, tit. de immunit. Eccles. asylũ negat nocturnis agrorum depopulatoribus, publicis latronibus, viarumq; obsessoribus. Item ius asyli non habent virginum raptores, proditores, sacrilegi, blasphemi, hæretici, apostatæ, Iudæi, & quotquot in ipsis asylis delinquunt, vt Couar. & alij docet. vide Suarez tract. de immunit. Eccles. c. 9. & 10. Gregor. tamen XIV. Pontif. noua constitutione hæc ad vnam tantùm formã redegit, qua ius asyli negat laicis publicis latronibus, viarum grassatoribus, depopulatoribus agrorum, ijs qui homicidia aut mutilationes committunt in ecclesia vel cœmeterio, ijs qui proximũ proditoriè occidunt, assasinis, hæreticis, reis læsæ maiestatis. Extat hæc bulla edita Antuerpiæ cum Synodo Antuerp.

Asyla Christianorum & Iudæorum in quatuor punctis differunt. Primò. Secundò. Qui criminosi in ecclesia non habeant asylum.

Tertiò, ex vrbe refugij Iudæi extrahi poterant ad iudicium, vt in eo causa eorum ventilaretur; &, si deprehenderentur occidisse voluntariè, ac proinde non habere ius asyli, morte mulctabantur. Iam autem nec iudex, nec quis alius reum Christianũ, ab asylo abstrahere potest. Quartò, Iudæi habebant asyla iure diuino, vtpote à Deo præscripta. Hoc autem ius iudiciale erat, & cæremoniale, ideoque iam abolitum est. Christiani verò habent asyla iure humano: quia videlicet Pontifices, & Reges, vel Imperatores illa, illorumque ius constituerunt: vnde quibusdam in locis illud dilatarunt, in alijs restrinxerunt.

Tertiò. Quartò.

Causa asylorum fuit, reuerentia templorũ & locorum sacrorum, atque ipsius Dei. Dum enim domus Dei habentur sacrosanctæ, & asyla, celebratur eius gloria & maiestas. Secundò, eius misericordia & benignitas cõmendatur; dum miseros reos ad se confugientes, in suam tutelã recipit. Sic Gentiles Græci statuerunt *aram misericordia*, teste Pausania li. 1. in Atticis. Sic Romulus Romæ asylum constituit, teste S. August. l. 1. de Ciuit. 34. sed omnibus, etiam sceleratissimis hominibus. Sic Alaricus & Gothi capta Roma pepercerunt Romanis fugientibus ad ecclesias. quinimò cùm Gothus quidam sacra vasa apud virginem consecratam deprehendisset, illaque ei dixisset: *Hæc vasa mihi de sacrario B. Petri sunt commissa. tange si audes: ego sacra non audeo tibi dare*; Gothus ad nomen Apostoli perterritus, hoc regi nuntiauit. is statim reportari omnia ad sacrariũ S. Petri curauit, dicens: *cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Iesu Christi*. ita Rodericus Tolet. li. 2. rerũ Hispan. c. 5.

Fundamentum asylorum.

Memorabilis fuit Agesilaus, qui Athenienses prælio victos, ad templũ Mineruæ confugientes, violari vetuit; etsi in eo prælio ipse aliquot vulnera accepisset, eisque valdè videretur iratus. sed plus apud eum valuit religio, quàm ira. Idem fecit apud barbaros, dicens in templa nullum esse ius belli: addebatque se mirari non haberi sacrilegos, qui læderent ibi supplices, ac per deos obtestantes; nec grauiores sumi pœnas de his qui religionem minuerent, quàm qui templa spoliarent. Rectè iudicans diis esse chariorem hominum salutem, quàm muta templorum ornamenta. ita Æmilius Probus.

Si lapidem iecerit, et ictvs occvbverit, similiter pvnietvr] si videlicet ictus lapide, statim expirarit. si enim ab ictu surrexisset, aut ambulasset, non occidebatur percussor, aut potiùs iactor, sed tantùm impensas curationis læso soluebat, vt patet Exodi 21. 19. *Vers. 17.*

Propinqvvs occisi homicidam interficiet] id est, interficere poterit. Est enim hîc non præceptum, sed permissio tantùm duris hominibus facta, idque ad cohibẽdas cædes; vtpote quas omnes scirent, à tam multis propinquis statim acerbo animo vindicandas. Peccabant tamen occiden- *Vers. 19.*

Propinquus occisi poterat impunè homicidam occidere.

An peccabant cidentes homicidam, si ex odio & ira, vt ferè fit, id facerent. vnde Leuit. 19. 17. in foro animæ & conscientiæ iubet Deus Hebræis, vt iniuriarum obliuiscantur. Vindicta ergo, quæ hîc permittitur, culpam non sustulit, sed tantùm facti, vel culpæ impunitatem dedit in foro exteriori. Id rursum patet ex eo, quòd hi propinqui occisi sæpè occidebant innocentem & inuoluntarium omnino homicidam, imò absolutum per iudicem, si videlicet eum extra vrbem asyli alicubi inuenissent, vt patet v. 27. id autem fieri non poterat sine peccato. Tertiò, idem patet ex eo, quòd hæc præcepta sint iudicialia, quæ constituunt ius, quod seruetur, & secundùm quod iudicetur in foro externo. ita Abulensis & Caietanus.

Ritus iudicialis olim circa homicidas. Permittitur hîc ergo cognatis occisi, vt homicidam interficiant, vbicùmque eum inuenerint extra vrbes asyli. Nam in asylo homicidam tangere non poterant: ibi enim iudices ei securitatem præstare debebant, donec causa eius ventilaretur; in qua si condemnaretur, poterant eum cognati occidere, &, vt hîc innuitur, tradebatur homicida à iudice propinquis & cognatis occisi, vt ab eis iugularetur, idque ad satiandam eorum iram & offensam: sin innocens declararetur, securè reducebatur ad asylum, ibique manere debebat vsque ad mortem pontificis. ita Abulensis.

VERS. 20. SI IMPVLERIT] intellige in ignem, aquam, foueam, &c.

VERS. 22. QVOD SI FORTVITV] Hebr. בְּפֶתַע *bepeta*, id est subitò, improuisò, quod est fortuitò.

VERS. 25. REDVCETVR (homicida, qui fortuitò occidit alium, & iam à iudice declaratus est innocens) PER SENTENTIAM IN VRBEM, AD QVAM CONFVGERAT] *Reducetur*, id est iudex per sententiam iubebit eum reduci, vel ab vrbe & loco, in quo homicidium perpetrauit: ibi enim causa ipsius examinata fuisse videtur; eò quòd ibi testes, & alia veritatis indicia maiora suppeterēt, vt vult Abulensis. idque innuit vox *reducetur*: vel certè ab ipsa porta vrbis refugij, reduci eum iubebit in ipsam vrbem. nam in hac porta, scilicet inter Leuitas, vbi sanctior erat religio & iustitia, habitum fuisse hoc iudicium de qualitate homicidij, censent Masius & Serarius in Iosue 20. & alij. Vtraque sententia & expositio est probabilis.

An causa homicidæ agitata sit in asylo, an in loco criminis?

Homicida manebat in asylo vsque ad mortem pontificis, cur? Prima causa. MANEBITQVE IBI DONEC SACERDOS MAGNVS (pontifex) MORIATVR] Quæres cur? varias causas dant Rabbini, quas recenset Serarius in c. 20. Iosue qu. 5. quibus omissis dico, Prima causa fuit, vt interim longitudine temporis, ira & acerbitas cognatorum mitigetur, ne vbi eum viderint occidant; sed mortuo iam pontifice, cogitent iram quoque mori & extingui debere; eò quòd mortuus sit summus sacerdos, & sacrorum expiationumq; princeps quo viuente delictum est admissum: ac proinde in eius morte & luctu sepeliendas esse priuatas omnes noxas & iniurias. ita Theod. qu. 51. Secunda, quia pontifex erat quasi patriæ parens, vt eo viuo vigeret respublica, eo mortuo, etiam ætati illi, siue sæculo finis imponi videbatur ita Magalianus in Iosue 20. Tertia, quia pontifex personam repræsentabat Dei, in quem peccarat homicida, ac proinde homicidium in pontificis iniuriam redundabat, vt meritò eo viuente recludi deberet homicida, ne inter homines liberè caput attolleret, dum viuit ille, qui in terris Dei interpres censetur, & diuinam maiestatem quasi

Secunda.

Tertia.

A adumbrat, contuens scilicet è summo sacerdotalis dignitatis fastigio, quæ piè aut impiè geruntur. Et hoc innuit *v.*, *Qui vnctus est oleo sancto.* q.d. Lateat homicida dum viuit pōtifex, in quo Dei maiestas violata est per illiusmodi facinus, quod interea dum ille pro Deo summo fungebatur sacerdotio, patratum est. ita Magalianus suprà, & Masius in Iosue c. 20. Quarta, datum hoc fuit pōtificis noui, qui mortuo succedebat, gratiæ, vt sicut ad Deum hominibus propitiandum nouus accedit; ita etiam nouum beneficium & salutem miseris reis, qui ea digniores videntur, prestet. Quinta, *Ostendere*, inquit Oleaster, *voluit Deus, quantum abhorrere debeat sacerdos homicidia, etiam inuoluntaria. Rursum, pontifex erat Dei vicarius, agebatq́, partes iustitiæ diuinæ, quæ Deus vindictam ab hominibus expetit: & eo mortuo, videbatur pars aduersa extincta, quæ vltionem pro Deo peteret, & ideò tunc reus omnino absoluebatur.* Sexta & potissima causa fuit, vt significaretur vera libertas, quæ per pontificis Christi mortem homicidis, id est peccatoribus omnibus, parta est. ita Serarius. vnde *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.*

Allegor. Allegor. Cyrill. li. 8. de Adorat. pag. 165. homicidæ, inquit, erat genus humanū, & homines peccatores ante Christi aduentū, qui peccatis occiderant animas suas, non sponte, sed illecti & impulsi à concupiscentia. Hi pœnitentes fugerūt, & abdiderunt se in vrbes refugij, id est in limbo patrum, vsque ad mortem pontificis, id est Christi, qui eorum vincula laxauit, eosque è limbo & inferno eduxit. ita & S. Gregorius hom. 6. in Ezech.

VLTOR SANGVINIS] id est sanguine propinquus, cui competit vindicta. VERS. 27.

C ABSQVE NOXA ERIT] non punietur; Hebr. *non illi sanguis*, scilicet imputabitur, vt pro eo suum pendat.

SVB TESTIBVS (Hebr. *ad os testium*, scilicet plurium, non vnius) PVNIETVR. VERS. 30.

NE POLLVATIS TERRAM] homicidio. De homicidio, ob eius enormitatem, dicitur quòd polluat terram, quæ recepit sanguinem innoxium effusum, quasi is moralem terræ labem & maculam aspergat; maximè si terra sancta sit, aut Deus in ea peculiariter se exhibeat, vti in terra filiorum Israel faciebat: quodque hæc labes tollatur iusta vindicta, & nece homicidæ. Sic de alijs quibusdā peccatis, vt sodomia, mercede operariorū defraudata, oppressione pauperum & pupillorum, dicit Scriptura quòd ipsa clament in cælum: quia sui enormitate, vindictam quasi à Deo exposcunt. VERS. 33. *Homicidium polluit terram.*

D Moraliter disce hoc cap. quàm ius asyli & ecclesiæ inuiolatum seruari debeat: hinc qui illud violarunt, grauiter à Deo puniti sunt. *Morale, quàm asylum ecclesiæ seruandum sit. Exempla.*

Primò, Heliodorus volens aurum depositum in templo sibi vendicare, flagellatus est ab angelo, & vix Oniæ precibus liberatus est, 2. Mach. 3.

Secundò. Nicanor 1. Mach. 14. Deum spernens, & iurans se templū Domini Libero patri dicaturum, nisi traderetur Iudas qui ibi erat, interficitur.

Tertiò, S. August. epist. 6 in Appen. Bonifacium Comitem agentem cum Gothis in Africa, ducem exercitus, quòd confugientem ad ecclesiam inde abstrahi iussisset, grauiter reprehendit. *Miror, inquit, quomodo tam subitò fidei murum aries ruperit inimici. noui enim qua religione semper sis ecclesiam Dei veneratus. Quo instante, frater, hominem de ecclesia rapuisti? Tuus si de tuo amico fortè præsumeret fugitiuus; posset proculdubio intercessoris causa veniam*

promereri: ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, Nabuchodonosor regem intende, qui causa superbiæ in bouem est ex homine commutatus. Non vt confundam te, hæc scribo, sed vt filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem vt irreligiosissimus rapuisti. Pœnam deinde ei infligit dicens: *Oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur, indixi: communionemq; tibi interdico, donec peracta pro ausibus, vel errore, à me definita tibimet pœnitentia, pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.*

Quartò, anno Domini 606. & anno imperij Phocæ 4. Scholasticus vir religiosus, ennuchus palatij, Constantinam dominam, olim Augustam, coniugem Mauritij Imp. cum tribus filiabus eius accipiens, ad magnam ecclesiam confugit. At verò tyrannus in ecclesiam ad abstrahendum mulieres destinauit. Patriarcha Cyriacus tunc restitit tyranno, minimè passus è templo tyrannicè abduci mulieres. Verùm iuramentis certo eo reddito à Phoca, quòd non læderet eas, educuntur è templo, & clauduntur in monasterio. ita ex Theophane & Cedreno Baron. anno Christi 606.

Quintò, Aspar & Ardaburius reposcentes Ioannem quemdam qui fugerat ad monasterium S. Marcelli, miserunt milites qui per vim eum extraherent: sed orante S Marcello fulgura in milites missa eos represserunt, vt crudelis Ardaburius Ioanni pepercerit, & mores mutarit. ita habet Vita S. Marcelli. Huius miraculi occasione factum putat Baron. vt Leo Imper egregiam sanctionem de immunitate confugientium ad ecclesiam hoc ipso anno promulgauerit, ita rescribens ad Erythræum præfectum prætorio: *Præsenti lege decernimus per omnia loca valitura, nullos penitus, cuiuscumque conditionis sint, de sacrosanctis ecclesiis orthodoxæ fidei expelli, aut tradi, vel protrahi consentias.*

Sextò, circa ann Dom. 1000 Veremundus II. Legionis & Asturiarum rex, à susurrone deceptus præcepit capi Gudesteum Episcopū Ouetensem; sed vt tantum nefas non procederet impunitum, facta est siccitas magna in terra, ita quòd totus populus ciborum penuria arctabatur: cumque quibusdam fuisset à Domino reuelatum, famem propter iniuriam Episcopi accidisse, & regi esset reuelatio intimata; confestim absoluit Episcopū, & per Semenum Asturicensem Episcopum, cui rex Episcopum cōmendauerat, fecit restitui Gudesteum. & statim Dominus pluuiam voluntariam segregauit, & terra attulit fructus suos. Tunc rex Veremundus corde compunctus ecclesiam B. Iacobi, & cætera loca quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, restaurauit, & bonis operibus & eleēmosynis iam intentus, de commissis cum consilio Prælatorum pœnitentiam agere satagebat, & in villa quæ est in Berizo, moritur & sepelitur, inquit Rodericus, & Vasæus ad annum Domini 982. & Crantzius li. 5. histor. Sued. c. 21.

Septimò, de Sancio maiore Nauarræ atq; Castellæ rege omnes ferè rerum Hispanicarum scriptores ferunt, quòd, cùm die quadam in venatione aprum insectaretur, ille fatigatus, intra obuios parietes, qui superer ant memoriæ S. Antonini Martyris, se recepit, apud relictā ibi sacram aram consistens, quasi apud tutum asylum angelorum custodia vallari consuetū, iuxta illud oraculum: *Homines & iumenta saluabis Domine.* cùm rex venabulo illum appeteret: eleuatum brachium ad feriendum mox torpedine redditum sentit inutile; sed reatum agnoscens Martyrem deprecatus, ad pristinum vsum sensit diuinitus reuocatum, didicitque suo damno, quanta deberetur locis sacris immunitas, etiamsi corruisse visa fuissent, vt nec bestiā illuc fugientē lædere licuisset, inquit Roderic. & Vasæus, & ex ijs Baron an Domini 1032.

Octauò, Eutropius Arcadij eunuchus, omnium colluuie facinorum infamis, cùm ab Imp. legem extorsisset, qua immunitas omnis abrogaretur, liceretque etiam ad aras confugientes extrahere; ipse Imperatoris postea declinans iram, ab ara, ad quam confugerat, abstractus in exilium missus, indeque reuocatus capite truncatus est, teste Suida in Eutropio, & Chrysostomo orat. in Eutrop. atque procurante Chrysostomo iniqua lex abrogata est.

Nonò, de S. Basilio scribit Nazianz. orat. de illo, eum viduam altare complexam à Præsidis iniuria tutatum esse.

Decimò, de S. Ambrosio scribit Paulinus, eum defendisse Cresconium, ne ibi comprehenderetur à lictoribus: quod cùm non obtinuisset, abstractores eius in theatro laniati sunt à feris, quæ in abstractum immissæ fuerant.

Vndecimò, Orosius lib. 7. c. 36. memorat pœnam violatoris asyli Mascezilis ducis.

Deniq; quod magis mirere, S. Iustus episcopatu Lugdunensi relicto, secessit in eremū Ægypti, diuque ibi latuit, pœnitentiam agens, quòd hominem, qui confugerat ad ecclesiam, reiecisset, vt populi sedaret furorem, accepta priùs fide à magistratu, quòd nullum illi homini periculum intentaret. ita habet eius Vita apud Surium tomo 5.

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OCcasione filiarum Salphaad, fertur lex, vt ipsæ & aliæ, quæcumque hereditatem patris adeunt, nubant contribulibus suis.

1. ACcesserunt autem & principes familiarum Galaad filij Machir filij Manasse de stirpe filiorum Ioseph: locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt: 2. Tibi domino nostro præcepit Dominus vt terram sorte diuideres filijs Israel, & vt filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: 3. quas si alterius tribus homines vxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum, de nostra hereditate minuetur. 4. atque ita fiet, vt cùm iubileus, id est, quinquagesimus annus remissionis aduenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat. 5. Respondit Moses filijs Israel, & Domino præcipiente, ait: Rectè tribus filiorum Ioseph locuta est. 6. & hæc lex super filiabus Salphaad à

Do-

Domino. promulgata est: Nubant quibus volunt, tantùm vt suæ tribus hominibus:
7. ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri du-
cent vxores de tribu & cognatione sua: 8. & cunctæ feminæ de eadem tribu mari-
tos accipient: vt hereditas permaneat in familiis, 9. nec sibi misceantur tribus, sed
ita maneant. 10. vt à Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, vt fuerat
imperatum: 11. & nupserunt Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa, filiis
patrui sui 12. de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph: & possessio, quæ illis fuerat
attributa, mansit in tribu & familia patris earum. 13. Hæc sunt mandata atque iudi-
cia, quæ mandauit Dominus per manum Moysi, ad filios Israel, in campestribus Moab
supra Iordanem contra Iericho.

VERS. 2. TIBI DOMINO NOSTRO PRÆCEPIT DOMINVS VT TERRAM SORTE DIVIDERES] id est diuidi præciperes per tuos successores: nam Moses moriens terram non diuisit, sed eius iussu Iosue, qui ei successit.

ET VT FILIABVS SALPHAAD FRATRIS NOSTRI DARES POSSESSIONEM DEBITAM PATRI] Id iussit Dominus c. 27. 7.

VERS. 3. QVAS SI ALTERIVS TRIBVS HOMINES VXORES ACCEPERINT, SEQVETVR POSSESSIO SVA, ET TRANSLATA AD ALIAM TRIBVM DE NOSTRA HEREDITATE MINVETVR] vt scil. non dicatur esse hereditas tribus Ioseph, sed alterius cuius erunt futuri harum filiarũ Salphaad mariti. Licet enim filius aliquis surrogãdus esset auo materno defuncto, qui in nomen & hereditatem eius succederet, vocareturq; v. g. filius Salphaad; tamẽ quia hic filius patrem & fratres habebat ex alia tribu, hinc facilè orta fuisset confusio & permixtio nominũ, vt non vocaretur filius, vel nepos Salphaad, sed patris sui. vnde per longitudinẽ temporis in iubileo, cùm de hereditate reuocanda, si ea alienata fuisset, agendũ erat; facilè orta fuisset confusio & error, vt scilicet hereditas Salphaad ad generos, eorumq; cognatos & tribum transiret. Rursum, facilè fieri potuisset, vt obliterata maternę successionis memoria, patris tribu & nomine absolutè ea hereditas censeretur. Hac de causa ne id fiat, sanxit Deus, vt hæ filiæ extra tribum suam non nubant, sed maritos accipiant suæ tribus.

VERS. 7. & 8. OMNES ENIM VIRI DVCENT VXORES DE TRIBV ET COGNATIONE SVA: ET CVNCTAE FEMINAE DE EADEM TRIBV MARITOS ACCIPIENT, VT HEREDITAS PERMANEAT IN FAMILIIS] Quæritur hîc, an hæc sententia de omnibus omnino viris & feminis intelligatur; ita vt omnes viri Hebræi debuerint ducere vxores tribus suæ; & vice versa omnes feminæ Hebrææ debuerint nubere maritis suæ tribus, non alterius.

An hæc lex intelligatur de omnibus feminis.

Affirmat Abulens.

Affirmant Lyranus & Abulensis, qui ab hac generali sententia excipiunt solos Leuitas, idque vel ob dignitatem tribus Leui, vt vult Lyranus; vel quia tribus Leui in Chanaan nullam habebat possessionem, quæ per connubia distrahi posset ad alias tribus, vt vult Abulens. Fauent huic opinioni verba textus, quæ planè vniuersalia sunt.

Resp. negatiuè. Loquitur enim lex tantùm de iis quæ sunt heredes.

Probatur Primò.

Verùm dico, hanc sententiam non esse intelligendam de omnibus omnino, sed tantùm de feminis, quæ succedebant in hereditatem patris, ob defectum prolis masculæ; & vicissim de viris, qui tales feminas ducebant. Tales enim feminæ & viri, debebant esse eiusdem tribus; & hoc tantùm hîc præcipitur. Id ita esse probatur Primò, ex quæstione proposita v. 2. & 3. Ibi enim tantùm quærebatur, quomodo occurrendum esset, ne hereditas filiarum Salphaad (quæ deficiente prole mascula, erant heredes patris sui Salphaad) ad alienam tribum deuolueretur: cui quæstioni respondet Moses, modumq; congruum quo id fiat, suggerit, dicens; *Nubant maritis tribus suæ*; idque deinde generali sanctione, omnibus eiusmodi feminis & viris præcipit.

Secundò.

Secundò, idem patet ex fine legis, quem subdit hîc Moses dicens, *Vt hereditas permaneat in familiis*. ad hoc autẽ sufficit, feminas illas quæ heredes sunt, non nubere in alia tribu: impertinẽs verò est, idipsum ad alias omnes extendere. nam aliæ cùm non habeant hereditatem, nequaquã eam in aliam tribum transferent: viri autem suam hereditatem ad feminas alterius tribus, ac consequenter ad aliam tribum transfundere nequeunt: proles enim sequuntur nomen patris, non matris.

Tertiò.

Tertiò, idipsum clarissimum est in Hebræo: sic enim habet, *Et omnis femina hereditans hereditatem, nubet vni ex tribu sua*. Sic & Chald. Septuag. & omnes Hebræi. Ergo de sola femina quæ hereditatem adit, hæc lex est intelligenda.

Quartò.

Quartò, id patet exemplis. Dauid enim, qui fuit de tribu Iuda, duxit Michol filiam Saulis, qui erat de tribu Beniamin; imò extra tribum suam duxit Gentilem, scilicet filiam regis Gessuri, 2. Reg. 3. 3. Sic Mahalon & Chelion, filij Elimelech, duxerũt vxores Moabitides, vt patet Ruth 1. v. 4. Sic Booz duxit Ruth Moabitidem, Ruth 4. v. 10. Hinc & Deut 21. v. 11. permittitur Iudæis ducere virgines alienigenas, præterquam Chanaanitides, bello captas. Sic Iudic. vlt. 1. iurant aliæ tribus, quòd non dabunt filias suas in coniugiũ Beniaminitis; ergo antea id facere licitum & consuetum erat.

Obiectio.

Dices, Cur ergo noster Interpres id non expressit, sed generatim vertit: *omnes viri ducent vxores de tribu sua*; & vice versa, *cuncta femina de eadem tribu maritos accipient*.

Responsio.

Respondeo, Quia præsupposuit ex quæstione proposita, & ex responsione v. 6. tantùm hîc agi de feminis quæ hereditatẽ adeunt, & de viris qui tales in coniuges accipiũt. Hinc quod Noster vertit, *omnes viri ducent vxores de tribu sua*; sic ex Hebr. cum Chald. & Septuag. vertas, *singuli possessioni tribus patrum suorum adhærebunt*, scilicet filij masculi patribus suis succedent; feminę verò si heredes sint, nubent alicui suæ tribus, vt videlicet nulla hereditatis ex vna tribu in aliam deriuandæ sit occasio. ita Burg. Caietan. Oleast. Vatabl. hîc, & Andreas Masius in Iosue 17. v. 4.

Nota. Ex Hebr. colligitur, filias deficiente prole mascula heredes, debuisse nubere non tantùm in eadem tribu, sed etiam in eadem familia proxima, ne earum hereditas transiret ad exteras familias, sed maneret in familia patris consanguineis, qui ad eam ius habebant. Sic enim habent Hebr. v. 6. *Familiæ tribus patris sui erunt in vxores*. Et v. 8. *Omnis filia hereditans hereditatem, &c. vni de familia tribus patris sui erit in vxorem, vt accipiant hereditatẽ filij*

filij Israel vnusquisque hereditatem patrum suorum. Quapropter filiæ Salphaad nupserunt in eadem familia, scilicet filijs patruorũ suorum, id est consobrinis suis, vt dicitur v. 11. Et sic conciliamus genealogiam Christi apud Matthæũ & Lucam, dicendo quòd vterque verè describit genealogiam Christi, eò quòd B. Virgo heres nupserit consobrino suo, scilicet Ioseph. Ioseph enim fuit filius Iacob, B. Virgo fuit filia Heli siue Ioakim: Iacob autem & Heli fuerunt fratres germani, scilicet filij Nathan. Ergo genealogia Christi apud Matthæum vera est ab Adam vsque ad Nathan per lineam paternam, scilicet per parentes Ioakim, qui fuit auus Christi: Lucas verò eamdẽ describit, sed per lineam maternam, scilicet per parentes S. Annæ matris S. Virginis. Cùm enim iam esset descripta à Matthæo series omnium generationum per lineam paternam, noluit eam repetere Lucas, sed vlteriùs voluit ostendere Christũ & B. Virginem etiam per lineam maternam esse de domo ac familia Dauid. Vnde cùm Lucas dicit *qui fuit Heli,* nominat Christi auum, ac primum Christi progenitorem masculum, omissa B. Anna & B. Virgine, quòd mulieres non solerẽt ingredi genealogiarũ series. Rursum cùm Lucas ait de Heli, *Qui fuit Matthat,* intellige non filius, sed gener: Matthat enim fuit pater non Heli siue Ioakim, sed S. Annę vxoris Ioakim, cùm verò vlteriùs ait de Matthat, *qui fuit Leui, qui fuit Melchi,* &c. intellige semper *τὸ filius.* Hi enim sunt veri progenitores Matthat, cuius filia fuit S. Anna. ita ferè Franc. Lucas ibidẽ.

Quando B. Virgo habuit cognatam Elisabeth? Ex hoc loco sic explicato rursum patet, quomodo B. Virgo existens de tribu Iuda, cognatam habere potuerit Elisabeth, quæ erat de tribu Aaron & Leui. Huius enim causa & fundamentum non fuit, quòd Leuitæ soli possent ex alia tribu vxorem ducere, vt multi volunt: sed quòd omnes feminæ nubere poterant maritis, qui erant ex alia tribu, si ipsæ haberẽt fratres, ita vt ipsæ non essent heredes parentũ suorum. Si enim ipsæ essent heredes, non poterant nubere in alia tribu, multò minùs poterant nubere Leuitis. Leuitæ enim nullius hereditatis erant capaces: quia hereditas eorum erat Dominus; ac consequenter filij Leuitarum nec patris, nec matris hereditatẽ adire poterant.

Ergo dicendũ hîc est vnum è duobus, scilicet, quòd mater vel auia B. Virginis fuerit ex tribu Leui (fueritque amita, aut consobrina Elisabeth) quam, eò quòd non esset heres, in vxorem duxerit pater, vel auus B. Virginis, qui erat ex tribu Iuda; ita vt B. Virgo secundùm paternã stirpem fuerit ex Iuda, secundũ maternã ex Leui. Aut potiùs vice versa dicendum est, quòd mater vel auia S. Elisabeth fuerit ex tribu Iuda (fueritque amita, vel cognata B. Virginis) quã, eò quòd non esset heres, duxerit pater vel auus S. Elisabeth, qui erat de tribu Leui; ita vt S. Elisabeth quoad patrẽ fuerit ex Leui, quoad matrẽ ex Iuda. sic enim factũ est, vt B. Virgo & Elisabeth essent duarum sororum, aut consobrinarum filiæ, ac proinde essent cognatæ; esto patres haberẽt diuersarum tribuum, ac consequenter & ipsæ essent diuersarũ tribuum. non enim ex matre, sed ex patre quisque sortiebatur familiam, tribum & nomen. Hinc salua tribuum discretione, reges in vxores ducebant filias pontificum, & pontifices filias regum, teste Iosepho: atque ita Christus ex regibus Iuda descendens, per auias suas descendit quoque ex Leui.

Et cognatione] Cognatio hæc generalis est, quæ scilicet est inter contribules. In re ergo hîc idem sunt, cognatio, tribus & familia. Tantùm enim hîc præcipitur, vt eiusdem tribus vxores, vel maritos accipiant; non autem, vt eiusdem familiæ particularis, & proximæ. Vers. 7.

Quæ illis fuerat attributa] Hæc non habentur in Hebræo, sed intelliguntur: nimirum, possessio patris Salphaad, quæ his eius filiabus à Mose attributa erat, hac ratione, per connubium videlicet contribulium suorum, mansit in tribu earum, videlicet in Manasse, hoc est, in ea manere debuit, nec ad aliam tribum transferri potuit. Vers. 12.

Mysticè, possessio nostra constans & perpetua, nec alienanda, est cælum, & æterna Dei gloria. Dum ergo viuis, dum vales, ô homo, ô viator, cogita, quòd omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo. *Heu, heu fugaces, Posthume, Posthume, labuntur anni.* Cogita, quòd cuncta sub sole vanitas sunt, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Cogita, quòd pro omnibus cogitatis, dictis, & factis adducet te Deus in iudicium. *Memento ergo Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum: quoniam ibit homo in domum* Æternitatis suæ. Cogita, quòd vita hæc sit palæstra Æternitatis. O filij Adam, vt quid caduca ambitis? O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes, cur momentanea & mox peritura sectamini? Vtinam saperent homines, vtinam intelligerent, vtinam sibi prouiderent beatam Æternitatem!



DOXO-

DOXOLOGIA

DEI DVCTORIS, ET DOMINATORIS

EX GESTIS ET EPITOME NVMERORVM.

MAgnus Dominus,& laudabilis nimis:in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! vt valles nemorosa, vt horti iuxta fluuios irrigui,vt tabernacula quæ fixit Dominus,vt cedri prope aquas.

Castra Israel. Castra Dei sunt hæc: hæ sunt multitudines Iuda, hæc millia Israel & Leui.

Deus eduxit illa de Aegypto : cuius fortitudo similis est rhinocerotis.

In ipsis ventilabit gentes, vsque ad terminos terræ: ossaq́, eorum confringet.

Accubans dormiuit vt leo,& quasi leæna: quis suscitabit eum?

Dominus dux eius fuit: & clangor victoriæ regis in eo.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit,& deficit anima mea in atria Domini.

Vbi numerati & signati sunt duodecim millia, ex qualibet tribu Israel: qui amicti sunt stolis albis, & palmæ in manibus eorum.

Qui lauerunt stolas suas:& dealbauerunt eas in sanguine agni.

Ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.

Nazaræi. Quàm pulchri Nazaræi eius! candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo,sapphiro pulchriores.

Deduxisti Domine populum tuum:sicut oues,in manu Mosi & Aaron.

Columna nubis. Fuisti ei in velamento nubis per diem: & in luce stellarum per noctem.

Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

Qui traduxit populum suum per desertum quadraginta annis:quoniam in æternum misericordia eius.

Vestimenta eorum non sunt attrita:non erat in tribubus eorum infirmus.

Arca præcedens. Profecti sunt de Sina instructa acie,clangentibus tubis: arca præcessit eos.

Surge Domine, & dissipentur inimici tui: & fugiant qui oderunt te à facie tua.

Manna. Panem de cælo præstitisti eis: omne delectamentum in se habentem,& omnem saporis suauitatem.

Ortygometra. Concupierunt concupiscentiam in deserto: ascendit illis de mari ortygometra.

Adhuc escæ erant in ore ipsorum: & ira Dei descendit super eos.

Ignis deuorauit partem castrorum: sepulti sunt in sepulchris concupiscentiæ.

70. indices. Septuaginta senes impleuit Dominus spiritu suo: vt cum Mose regerent populum.

Exploratores. Exploratores ad murmur concitarunt plebem:iurauit Dominus,quòd omnes murmurantes prosterneret in deserto.

Iosue & Caleb secuti sunt à tergo potentis, prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ.

Ideo hi soli ingressi sunt terram fluentem lac & mel: & dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem; vt viderent omnes filij Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo.

Aaronis sors est Deus. Addidit Aaron gloriam, dedit illi suas victimas & primitias: ipse est enim eius pars & hereditas.

O Domine,tu es pars hereditatis meæ,& calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.

Quid enim mihi est in cælo:& à te quid volui super terram?

Deus cordis mei:& pars mea Deus in æternum.

Core, Dathan, Abiron. Core, Dathan & Abiron, inuidentes iritauerunt Mosen in castris,& Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.

Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.

Virga Aaron florens. Virga Aaron floruit, & produxit amygdalas, vt electus à Deo ostenderetur Aaron, in sacerdotem æternum:

Cinis vitulæ rufæ. Iussit Dominus castra esse sancta,& immundos expiari cinere vitulæ rufæ.

Aqua contradictionis. Iritauerunt Mosen ad aquas contradictionis, exacerbauerunt spiritum eius.

Iratus titubauit Moses, ideò exclusus est à terra promissionis.

Aaronis mors. Aaron pariter mortuus est in Hor: murmurarunt rursum in tabernaculis suis.

Serpens æneus. Misit in eos Dominus ignitos serpentes: sed per serpentem æneum curauit eos.

Confitemini Deo cæli:quoniam in æternum misericordia eius.

Sehon & Og caduntur. Qui occidit Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius.

Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia eius.

Et dedit terram eorum hereditatem populo suo:quoniam in æternum misericordia eius.

Balaam prophetia. Venit Balaam,vt malediceret Israeli: asina loquens corripuit hominis insipientiam.

Pro maledictione benedixit,dicens: Quomodo maledicam cui non maledixit Deus?

Moriatur anima mea morte iustorum: & fiant nouissima mea horum similia.

Qui benedixerit tibi,erit & ipse benedictus:qui maledixerit tibi,in maledictione reputabitur.

Orietur stella ex Iacob:& consurget virga de Israel.

Et percutiet duces Moab: & vastabit omnes filios Seth.

Initiati

Beelphegor. Initiati sunt Hebræi Beelphegor: fornicati sunt cum filiabus Moab.

Irritauerunt Deum per eius idolum, & idolothyta: hinc multiplicata est in eis plaga, & ruina.

Zelus Phinees. Stetit Phinees, occidit Zambri principem: & placauit, & cessauit quassatio.

Et reputatum est ei in iustitiam: dedit ei Dominus sacerdotium æternum.

Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

Iosue successor Mosis. Moses moriturus imposuit manus Iosue: constituit eum ducem populi.

Victimæ & vota. Sanxit victimas & libamina per singula festa & sabbata: sanxit leges de votis filiarum & vxorum.

Madianitæ cæduntur. Occidit quinque reges Madian, & Balaam: qui scandalum Beelphegor proposuerat filiis Israel.

Sors Ruben & Gad. Ruben & Gad dedit terram Og & Sehon: obiuit quadraginta duas mansiones in deserto.

Limites Chananææ possidendæ descripsit: statuit principes, qui terram populo diuiderent. Termini Chanaan.

Vrbes, & suburbana iussit dari Leuitis: & constitui homicidis vrbes refugij. Vrbes Leuitarum.

Filias heredes iussit nubere in tribu sua: ne ad aliam tribum transferretur hereditas. Nuptiæ contribulium.

Hæc sunt iudicia tua sancta Domine, quæ dedisti Mosi: examinata, & probata instar argenti, purgati septuplum.

Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.



COM.

COMMENTARIA IN DEVTERONOMIVM.

ARGVMENTVM.



Pentateuchus integer, olim apud Hebræos vnus tantùm fuit liber legis. vnde & hebr. תּוֹרָה *thora*, & latinè *lex* à Christo & Euangelistis vocatur; vt Lucæ vlt. v. 44. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & psalmis de me*; & Lucæ 2. v. 23. & 24. *Sicut scriptum est in lege* (Exodi 13. 2.) *Domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur; & vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini* (Leuit. 12. 8.) *par turturum, aut duos pullos columbarum*; & Lucæ 10. 26. *In lege* (Deuter. 6. 5.) *quid scriptum est? ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; Ioan. 1. 47. *Quem scripsit Moses in lege*; Matth. 7. 12. *Hæc est enim lex & prophetæ*; Matth. 22. 36. *Quod est mandatum magnum in lege?* Similia sunt Actor. 24. v. 14. Actor. 28. 23. & alibi.

Postea verò Pentateuchus secundùm quintuplicem materiam quam tractat, dissectus fuit in quinque partes, seu libros. vnde quinta hæc sectio, vel liber, à sui exordio more Hebræo vocatur אֵלֶּה הַדְּבָרִים *elle haddebarim*, id est, ista sunt verba. à Græcis interpretibus, ac primùm à Septuag. vt videtur, Deuteronomium, id est secunda lex, & à Rabbinis מִשְׁנֵה *misne*, id est iteratio legis, est appellatus; non quasi nouam & aliam à præcedentibus legem veterem contineat, sed quòd legis in Sina, à Deo ante 38. annos latæ, & tribus superioribus libris, scilicet Exodo, Leuitico & Numeris descriptæ, fit repetitio & explicatio. ita Theodor. hic quæst. 1. S. August. q. 49. & Athanas. in Synopsi S. Scripturæ. Vnde S. Hieron. in Prologo galeato (qui quasi galea libris omnibus S. Script. præfigitur) *Deuteronomium*, inquit, *secunda lex, & Euangelicæ legis præfiguratio, nonne sic habet ea quæ priora sunt, vt tamen noua sint omnia de veteribus?*

Deuteronomium est repetitio legis.

Vbi & quando?

Porrò repetitio hæc legis, à Mose iam iam morituro facta est anno 40. exitus ex Ægypto, paulò ante quàm Hebræi transirent Iordanem, & ingrederentur in Chanaan, in campestribus Moab, putà in Abelsatim, quæ fuit quadragesima secunda & vltima mansio Hebræorum in deserto.

Cur? Prima causa.

Causa repetitionis fuit duplex: Prima, quòd senes omnes qui ex Ægypto egressi erant, & primam legem in Sina audierant, ob murmur exploratorum Numer. 14. iam mortui erant; & populus præsens erat nouus, qui priorem legem promulgari non audierat. Vnde hac secunda legis pro-

A mulgatione, iteratò Deus nouum cum Hebræis fœdus iniit, vt dicitur c. 29. v. 1. Secunda, quia Moses iam moriturus, vltimumque suis, sibique commissis Hebræis, quos præ vita sua diligebat, vale dicturus, hac repetitione legem profundiùs atque tenaciùs imprimere voluit. Vltima enim parentum, principum & Doctorum verba tenaciùs filijs & subditis inhærent. Hinc Deuteronomium est velut incensa & perpetua quædam concio, eaque de causa Moses c. 17. v. 18. iussit, vt noui reges eligendi describant sibi Deuteronomium, vt discant, ait, timere Deum. Eadem de causa, c. 31. 10. iussit, vt Deuteronomium toti populo quolibet septimo anno remissionis legatur: quinimò illud ipsum lapidibus, ad æternam memoriam inscribi iussit Deuter. 27. 3. & Iosue 8. 32.

Secunda.

Deuteronomium est perpetua concio.

B Auctor Deuteronomij, vti & totius Pentateuchi, est Moses, qui illud primò populo viua voce promulgauit, deinde illud ipsum ijs scripto reliquit, vt patet Deuter. 31. 9. *Scripsit*, inquit, *Moses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus*. Excipe tamen vltimum caput, quod non à Mose, sed ab Esdra, vel potiùs à Iosue discipulo & successore Mosis, scriptum esse, patet eodem c. vltim. v. 5. & 6. vbi mors & sepultura Mosis describitur. Licet enim Philo in Vita Mosis, & Iosephus libr. 4. Antiq. vlt. putent hæc propheticè ab ipso Mose, ante mortem esse conscripta: tamen contrarium est verius, illudque significant tum alia, tum illa verba: *Et non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem*. quæ planè de tempore, quod mortem eius secutum est, accipienda sunt.

Moses primò dixit, deinde scripsit Deuteronomium.

C Dixit ergo, & simul scripsit Moses Deuteronomium anno 120. & vltimo vitæ suæ, qui fuit mundi 2493. à diluuio 836. ante natiuitatem Christi 1456. idque paucis & vltimis penè anni illius septimanis, vt patet ex eo, quòd scriptum sit Deuteronomium post mortem Aaronis, quæ contigit eodem anno, mense quinto, vt patet Numer. 20. 28. & Numer. 33. 38. atque post victoriam de Og & Sehon, post prophetiam Balaam, post cladem Beelphegor, post censum populi, post bellum Madianiticum, & alia, quæ à c. 20. Numer. vsque ad finem recensentur. Hæc enim omnia secuta sunt mortem Aaronis; atque post hæc omnia, Moses paulò ante mortem cœpit promulgare, ac deinde conscribere Deuteronomium, putà mense vndecimo anni quadragesimi, prima die mensis, vti disertè dicitur Deuter. 1. hic ergo cycneam vocem edit Moses.

Anno vltimo vitæ suæ, mense vndecimo.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hisce tribus capitibus relegit & repetit Moses iter, casus, & gesta 40. annorum, quibus vagati sunt per desertum. Hoc autem capite repetit gesta in Sina, & vers. 20. in Cadesbarne, vbi ob murmur exploratorum, omnes ad mortem, & ad peregrinationem 40. annorum sunt damnati.

1. HÆc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iorda-
nem in solitudine campestri, contra Mare rubrum, inter Pharan &
Thophel & Laban & Haseroth, vbi auri est plurimum: 2. vndecim
diebus de Horeb per viam montis Seir vsque ad Cadesbarne. 3. Qua-
dragesimo anno, vndecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Is-
rael omnia quæ præceperat illi Dominus, vt diceret eis: 4. postquam percussit
Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon: & Og regem Basan, qui
mansit in Astaroth, & in Edrai, 5. trans Iordanem in terra Moab. Cœpitque
Moyses explanare legem, & dicere: 6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in
Horeb, dicens: Sufficit vobis quòd in hoc monte mansistis: 7. reuertimini, & ve-
nite ad montem Amorrhæorum, & ad cetera quæ ei proxima sunt campestria atque
montana & humiliora loca contra Meridiem, & iuxta litus maris: terram Chananæo-
rum, & Libani vsque ad flumen magnum Euphraten. 8. En, inquit, tradidi vobis:
ingredimini & possidete eam, super qua iurauit Dominus patribus vestris, Abraham,
Isaac & Iacob, vt daret illam eis, & semini eorum post eos. 9. Dixique vobis illo in
tempore: 10. Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multi-
plicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi. 11. (Dominus Deus patrum ve-
strorum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.)
12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia. 13. Date ex
vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus ve-
stris, vt ponam eos vobis principes. 14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis
facere. 15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos
principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent
vos singula. 16. Præcepique eis dicens: Audite illos, & quod iustum est iudicate:
siue ciuis sit ille, siue peregrinus. 17. Nulla erit distantia personarum, ita paruum
audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.
Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. 18. Præ-
cepique omnia quæ facere deberetis. 19. Profecti autem de Horeb, transiuimus
per eremum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut
præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne,
20. dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus
est nobis 21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende & posside eam,
sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam pa-
ueas. 22. Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui conside-
rent terram: & renuntient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ci-
uitates. 23. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos
de tribubus suis. 24. Qui cùm perrexissent, & ascendissent in montana, venerunt
vsque ad Vallem botri: & considerata terra, 25. sumentes de fructibus eius, vt
ostenderent vbertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam
Dominus Deus noster daturus est nobis. 26. Et noluistis ascendere, sed increduli
ad sermonem Domini Dei nostri 27. murmurastis in tabernaculis vestris, atque
dixistis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra Ægypti, vt traderet nos in
manu Amorrhæi, atque deleret. 28. Quò ascendemus? nuntij terruerunt cor no-
strum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: vrbes magnæ, &
ad cælum vsque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. 29. Et dixi vobis: Nolite
metuere, nec timeatis eos: 30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis
ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. 31. Et in solitudine (ipse
vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum,
in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. 31. Et nec sic
quidem

quidem credidiſtis Domino Deo veſtro, 33. qui præceſſit vos in via,& metatus eſt
locum in quo tentoria figere deberetis, nocte oſtendens vobis iter per ignem, &
die per columnam nubis. 34. Cumque audiſſet Dominus vocem ſermonum ve-
ſtrorum, iratus iurauit,& ait: 35. Non videbit quiſpiam de hominibus generatio-
nis huius peſſimæ terram bonam, quam ſub iuramento pollicitus ſum patribus ve-
ſtris: 36. præter Caleb filium Iephone. ipſe enim videbit eam, & ipſi dabo terram,
quam calcauit, & filijs eius,quia ſecutus eſt Dominum. 37. Nec miranda indigna-
tio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu in-
grediẽris illuc: 38. ſed Ioſue filius Nun miniſter tuus, ipſe intrabit prò te. hunc ex-
hortare & robora, & ipſe ſorte terram diuidet Iſraeli. 39. Paruuli veſtri, de quibus
dixiſtis quòd captiui ducerentur, & filij qui hodie boni ac mali ignorant diſtantiam,
ipſi ingredientur:& ipſis dabo terram, & poſſidebunt eam. 40. Vos autem reuerti-
mini & abite in ſolitudinem per viam maris rubri. 41. Et reſpondiſtis mihi: Pecca-
uimus Domino: aſcendemus & pugnabimus, ſicut præcepit Dominus Deus noſter.
Cumque inſtructi armis pergeretis in montem, 42. ait mihi Dominus: Dic ad eos:
Nolite aſcendere, neque pugnetis, non enim ſum vobiſcum: ne cadatis coram inimi-
cis veſtris. 43. Locutus ſum,& non audiſtis: ſed aduerſantes imperio Domini, &
tumentes ſuperbia, aſcendiſtis in montem. 44. Itaque egreſſus Amorrhæus, qui
habitabat in montibus, & obuiàm veniens, perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſe-
qui: & cecidit de Seir vſque Horma. 45. Cumque reuerſi ploraretis coram Domi-
no, non audiuit vos, nec voci veſtræ voluit acquieſcere. 46. Sediſtis ergo in Ca-
deſbarne multo tempore.

VERS.I. HÆc SVNT VERBA, QVÆ LOCVTVS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL] Hinc miraculo factum videtur, vt Moſis vox à toto Iſraele, id eſt à duobus, vel tribus hominum millionibus audiretur, inquit Abulenſ. Idem colligitur clariùs ex c.29.10. *Vos*, ait, *ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro*,&c. *Omnis populus Iſrael, liberi & vxores veſtra, & aduena qui tecum morantur in caſtris, exceptis lignorũ caſoribus, & his qui comportant aquas.* Ita vox S.Antonij de Padua, S.Vincentij Fererij, & aliorum præconum Apoſtolicorum ad plures leucas, non tantùm audita, ſed & intellecta fuit à gentibus exteris,& illorum linguæ imperitis.

Miraculoſa vox Moſis, Antonij, Vincentij, &c.

TRANS IORDANEM] Moſes non tranſierat Iordanem, ſed citra eum conſiſtebat: dicitur tamen trans Iordanem hæc locutus; quia reſpectu terræ promiſſæ (iuxta quam Script. ſolet conſignare plagas & ſitus locorum) regio hæc trans Iordanem erat. hinc Scriptura eam trans Iordanem vocat, vt patet Numer.32:32. Deuter.4.46. Fortè Moſes ſcripſit, *cis Iordanem*, ſed Ioſue, vel quiſquis hæc Moſis diaria digeſſit, in Chanaan iam conſiſtens, pro eo ſubſtituit, *trans Iordanem*.

CONTRA MARE RVBRVM] Hoc enim mare arcuatur: vnde Hebræi vagando & gyrando per deſertum, ſæpiùs ad illud acceſſerunt, inquit Abul. Hinc Septuag. vertunt, *prope mare rubrum*. Verùm ex tabulis Coſmographicis patet, campeſtria Moab (in quibus hæc dicta ſunt) longiſſimè diſtare à mari rubro. Meliùs ergo reſpondet Pererius, τὸ *contra*, vel *è regione*, dici de loco etiam longè diſſito, modò alteri ſit oppoſitus: ſicut hîc mare rubrum obuerſum erat Hebræis, conſiſtentibus in campeſtribus Moab. Meminit Moſes maris rubri, vt inijciat Hebræis memoriã tranſitus miraculoſi maris rubri, itaque eos impellat, ad hæc Dei ſui tam benefici mandata obſeruanda. Secundò, quia mare rubrum fuit initium, campeſtria verò Moab fuerunt terminus peregrinationis Hebræorum: vtrumque ergo hic conſignat Moſes. Hebr. eſt, *contra mare* סוף *ſuph*, id eſt termini, per quod acci-

A pi poſſet mare mortuum, quod terminat terram ſanctam ab Oriente, illique vicina & oppoſita ſunt campeſtria Moab. Verùm mare *ſuph* alibi paſſim ſignificat mare rubrum, quod Ægyptum ab Arabia diſterminat, & ita hîc vertunt Chald. & Septuag.

Mare ſuph id eſt termini, eſt mare rubrũ, cur?

INTER PHARAN, ET THOPHEL, ET LABAN] Chald. & ex eo Rupert. *Thophel* accipit, non vt proprium, ſed vt appellatiuum, vt ſit idem quod murmuratio: ſic & *Laban*, id eſt album, ſignificare manna. vnde vertit, *corripuit, eò quòd peccarunt in deſerto, & quia irritauerunt Deum in campeſtribus, cõtra mare rubrum; & in Pharan, vbi murmurati ſunt aduerſus manna; & in Haſeroth, vbi irritauerunt Deum ſuper carnes, & in eo quòd fecerunt vitulum aureum.*

B Simili enim modo Iacob ſub mortem corripuit & increpauit Ruben, Simeon & Leui, Gen 49. & Ioſue Iſraelitas, Ioſue vlt. & Samuel populũ, 1.Reg. 12. Verùm patet, hîc non materiam, ſed locum locutionis Moſis deſcribi, ac proinde Thophel & Laban, æquè ac Pharan & Haſeroth, eſſe propria locorum nomina, vti docent Septuag. quare paraphraſticè hæc addidit Chaldæus, vti & illud de vitulo aureo: illius enim hîc in Hebræo nulla eſt mentio. Hebræus enim tantùm dicit, in Haſeroth eſſe *ſufficientiam*, id eſt abundantiam, *auri*, hoc eſt, vt Noſter vertit, *auri plurimum*. vnde Septuagint. vertunt, *auri fodinas*.

VNDECIM DIEBVS] ſcilicet locutus eſt hæc Moſes. ita aliqui; ſed obſtant ſequentia, *per viam montis Seir*: nec enim in via ambulando, & proficiſcẽdo tantæ multitudini loqui poterat Moſes. Secundò Caietanus & Oleaſter explicant, q.d. Vndecim dierum iter eſt ab Horeb vſque ad Cadeſbarne, quod vicinum eſt Chananææ, ſed Hebræi ob murmur ab eius ingreſſu dilati & circumducti ſunt per 40. annos. Verùm hæc expoſitio nec vera eſt, nec ad propoſitum. Quid enim hoc facit ad locũ, vel tempus, quo hæc locutus eſt Moſes? Inſulſius eſt, quod fingit R.Salomon apud Lyranum, iter ab Horeb ad Cadeſbarne eſſe vndecim dierum, ſed Hebræos illud triduo confeciſſe: hoc enim tridui figmentum multis hîc confutat Abulenſis.

VERS. 2.

Qui hic vndecim dies?

Prima reſponſio.

ſecunda.

Tertia.

Quarta, & vera. Dico ergo, hæc, vti & præcedentia, designare locum, in quo sequentia locutus est Moses, q.d. Campestria Moab, vbi Deuteronomium promulgauit Moses, distant ab Horeb, siue Sina, vndecim diebus, eundo per viam montis Seir, qua scilicet iter versus Idumæam, progrediendo vsque ad Cadesbarne, & inde circum Idumæam pergendo ad campestria Moab. Nam à Sina vsque ad Cadesbarne sunt 17. leucæ vnius horæ; à Cadesbarne vsque ad campestria Moab sunt 34. leucæ, vt patet ex tabulis Adrichomij. à Sina ergo ad Moab sunt 51. leucæ: quare si quolibet die conficias quatuor leucas cum dimidia, vndecim diebus venies à Sina vsque ad hæc campestria Moab. ita Abulensis.

Tropologicè, S.Gregor. 2. Moral. 1. *Israel*, ait, *verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accipit: subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis neglectè viuendo laxauit.*

VERS. 3. VNDECIMO MENSE, PRIMA DIE MENSIS] Deuteronomium ergo promulgauit Moses primo die mensis Sebet, qui nostro Ianuario respondet. Primus enim Hebræorum mensis erat Nisan, putà Martius; ac consequenter vndecimus erat Ianuarius, duodecim Februarius. Sic Christus prima die Ianuarij, circumcisione sua, nomineque Iesu legem nouam condere, eamque suo sanguine sancire cœpit, vt meritò hoc noui anni, & vitæ Christianis sit exordium. quod hìc portendit, & præfigurauit Moses, dum eodem mense & die promulgauit Deuteronomium.

Moses prima die Ianuarij promulgans Deuteron. fuit typus Christi eadem die circumcisi.

VERS. 7. VENITE AD MONTEM AMORRHÆORVM] ad montem Galaad, & regnum Og: hoc enim eo cæso occuparunt Hebræi, Numer. 21. 35.

VERS. 8. VT DARET ILLAM EIS ET SEMINI EORVM] τὸ & significat *id est*: nec enim Abraham, Isaac & Iacob vmquam per se possederunt terram promissam, sed tantùm in filijs & posteris suis. Sic & alibi sumitur τὸ *&*, vti ostendi Leuit. 6. 2.

VERS. 10. NON POSSVM SOLVS SVSTINERE VOS] Septuag. *ferre vos*, q.d. Regimen vestrum, vestrique curam, putà totius populi onus, solus sustinere non valeo. Erat enim Moses, non tantùm iudex populi, sed & pater, pædagogus & mater, quæ filios suos in sinu portat, vt patet Numer. 11. v. 11. & 12.

VERS. 11. DOMINVS, &c. BENEDICAT VOBIS] dando scilicet, cum prolibus copiam bonorum temporalium & spiritualium. Dei enim benedicere est benefacere: quia efficax est Dei verbum.

VERS. 15. TVLIQVE, &c. NOBILES] Hebr. *tuli capita tribuum vestrarum*. Hebræi in eo qui gerit magistratum septem virtutes requirunt; Primò, sapientiam; Secundò, humilitatem; Tertiò, timorem Dei; Quartò, odium auaritiæ; Quintò, amorem veritatis; Sextò, philanthropiam; Septimò, bonum nomen.

VERS. 17. NVLLA ERIT DISTANTIA PERSONARVM (Hebr. *non agnoscetis facies in iudicio*, id est personam non cōsiderabitis, an diues sit, an pauper) ITA PARVVM AVDIETIS VT MAGNVM: NEC ACCIPIETIS CVIVSQVAM PERSONAM; QVIA DEI IVDICIVM EST] q.d. Quia cùm iudicatis, Dei vices geritis: Deus autem in iudicio æquissimus est, nec personam respicit. historia hæc descripta & explicata est Exodi 18. v. 19. Audi S.Hieron. in epist. ad Damasum: *Alienum te à personis omnium redde in iudicio, ac propter iustitiam in iudicio pauperem defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter assistas, aut si non potes facere, cognitionem respice causarum.* Et Petrum Rauennatem in quadam epist. *Nihil adeò gloriosè lucet in iudice, sicut amare & exhibere iustitiam sine omni acceptione personæ. Teste enim Cicerone, exuit personam iudicis, quisquis amicum induit. Aequitas cui index obsequitur, sinistram odij, vel amoris dexterā nescit. Nam talis esse debet iuris minister, vt in eius manu nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet libra iustitiæ.* Rursum S.Hieron. in Amos: *Quicumque*, ait, *cōsanguinitate aut amicitia, vel è cōuerso hostili odio, vel inimicitiis in iudicando ducitur, peruertit iudiciū* Christi, qui est iustitia. Et Innocent. III Pont. libr. de Vilit. condit. hum. *Vos*, ait, *non attenditis merita causarum, sed personarum: non iura, sed munera: non quid ratio dictet, sed quid voluntas affectet: non quid sentiat, sed quid mens cupiat: non quid liceat, sed quid libeat.* Et infrà: *Pauperum causam cum mora negligitis, diuitum cum instantia promouetis. in illis rigorem ostenditis, in istis ex mansuetudine dispensatis. Illos cum difficultate respicitis, istos cum facilitate tractatis. Illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis.* Et infrà: *Clamat pauper, & nullus exaudit: loquitur diues, & quilibet applaudit. Diues locutus est, & omnes tacuerunt: pauper locutus est, & dicunt, Quis est hic? & si offenderit, subuertent eum. Clamat vim patiens, & nullus exaudit: vociferatur, & non est qui iudicet. Diuiti dicunt, Tu sede hic benè; pauperi verò, Tu sta illic, vel sede sub scabello pedum meorum.* Hinc Solon, teste Laërtio, rogatus *quid est lex?* respondit, *Aranea tela*: quia si quid in eam inciderit debile, retinetur; graue autem pertransit tela rescissa: pauperes enim violantes legem plectuntur, diuites impunè agunt quodlibet. Et Ouidius:

Moral. de acceptione personarū.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,
Census amicitias: pauper vbique iacet.

Vis exempla non accipientium personas Elias liberè increpauit Achab regem, Eliseus Ioram, Nathan Dauidem, Isaias Manassem, Daniel Nabuchodonosor & Balsasarem, Ieremias Ioakim & Sedeciam, Ioannes Bapt. Herodem, Christus Scribas & Pharisæos. Vis Gentilium? Papinianus Iurisconsult. à Caracalla Imp. iussus eius parricidium, quo fratrem Getam occiderat, in senatu diluere, recusauit dicens: *Non tam facilè parricidium excusari posse, quàm patrari.* Epaminondas filiū corona donatum, deinde securi feriri iussit, quòd præcepti paterni contemptor cum hoste conflixisset, eumq; vicisset. Brutus cōsul & M.Torquatus filios capite mulctarunt, quòd cum Tarquinijs contra patriam conspirassent. Zaleucus Locrensis cùm legem tulisset de adultero excæcando, eiusque filius in adulterio deprehensus esset, se vno, filium altero priuauit oculo ne ob acceptionem personæ lex lata violaretur. ita Valer. Maxim. libr. 6. c. 5.

VERS. 19. 20. & 21. CVMQVE VENISSEMVS IN CADESBARNE, DIXI VOBIS: VENISTIS AD MONTEM AMORRHÆI, &c. VIDE TERRAM QVAM DOMINVS DEVS TVVS DAT TIBI] quia Cadesbarne est iuxta Chanaan: tantùm enim interest mons Idumææ. Vnde ex Cadesbarne missi sunt exploratores in Chanaan, ad eam statim inuadendam.

VERS. 22. DIXISTIS, MITTAMVS VIROS, QVI CONSIDERENT TERRAM] Hinc patet, ipsos Hebræos petiisse mitti exploratores, qui, eis annuente Deo & Mose, missi sunt Numer. 14.

VRBES

Vers. 28. VRBES MAGNÆ, ET AD CÆLVM VSQVE MVNITÆ] id est muris altissimis vallatæ & munitæ, &, vt Septuag. vertunt, τετειχισμέναι, id est muratæ. est hyperbole; similis est c. 9. v. 1.

FILIOS ENACIM (id est filios gigantum, putà gigantes ex posteris Enac gigantis) VIDIMVS IBI] Hæc historia explicata est Numer. 13.

Vers. 31. PORTAVIT TE DOMINVS DEVS TVVS, VT SOLET HOMO GESTARE PARVVLVM FILIVM SVVM] *Portauit*, id est, deduxit, direxit, fouit, protexit, scilicet Primò, per columnam nubis & ignis; Secundò, dando manna; Tertiò, protegendo te ab hostibus, eosque debellando; Quartò, conseruando tuas vires & sanitatem; item vestes, & calceos singulorum. Vnde cap. 2. v. 7. dicitur Deus habitasse cum Hebræis 40. annis.

Vers. 33. METATVS EST LOCVM (præcedens castra in columna nubis) IN QVO TENTORIA FIGERE DEBERETIS.

Vers. 36. QVIA SECVTVS EST (Caleb) DOMINVM] Hebraicè, *quia perfecit* (scilicet vt iret) *post Dominum*, id est perfecit mandata mea, sequendo me, mihique in omnibus plenè & perfectè obsequendo.

Vers. 39. ET FILII, QVI HODIE BONI AC MALI IGNORANT DISTANTIAM] putà paruuli vestri, qui nondum habent vsum rationis, vt bonum à malo discernant.

A

Vers. 43. ADVERSANTES IMPERIO DOMINI] Hebr. *exacerbastis os Domini*, id est repugnastis eius verbis & iussis, itaque eum, eiusque os & vultum iritastis.

Vers. 44. AMORRHÆVS, &c. PERSECVTVS EST VOS, SICVT SOLENT APES PERSEQVI] q. d. Sicut apes iritatæ magno numero & furore persequuntur lacessentes se, ita & hostes vestri, scilicet Amorrhæi, vos persecuti sunt.

Vers. 46. SEDISTIS ERGO IN CADESBARNE MVLTO TEMPORE] In Hebræo additur: *secundùm dies quibus mansistis*. quod Vatablus sic explicat, q. d. Tot diebus mansistis in Cadesbarne post regressum exploratorum, quot ibidem manseratis ante eorum regressum. Secundò, Hebræi in Seder olam

B

sic explicant, q. d. Mansistis in Cadesbarne tot diebus, quot mansistis deinceps in reliquis omnibus mansionibus simul, videlicet annos 19. bis enim nouemdecim faciunt 38. quibus adde duos annos elapsos antequam venirent in Cadesbarne, habebis 40. annos peregrinationis in deserto. Verùm nil tale ex nostra versione colligi potest, nec etiam ex Hebræo: τὸ enim, *secundùm dies quibus mansistis*, non aliud est, quàm repetitio & explicatio Hebraica, eius quod præcessit, scilicet, *multo tempore*. Vnde noster Interpres hanc repetitionem Hebræam, quasi otiosam, & Latinis auribus insuetatam, omisit.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repetit transitum Hebræorum per fines Idumææ, vers. 4. & Moabitidis, v. 9. & Ammonitidis, v. 18. incolis earum intactis. Denique bellum & victoriam de Sehon, v. 24.

1. PRofectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, sicut
mihi dixerat Dominus: & circuiuimus montem Seir longo tempore. 2. Di-
xitque Dominus ad me: 3. Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra Aquilo-
nem: 4. & populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum
filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. 5. Videte ergo diligenter ne
moueamini contra eos. neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest v-
nius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. 6. Ci-
bos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis. 7. Do-
minus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum. nouit iter tuum,
quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans te-
cum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit. 8. Cumque transissemus fratres
nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asion-
gaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. 9. Dixitque Dominus ad me:
Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium: non enim dabo tibi
quidquam de terra eorum, quia filijs Lot tradidi Ar in possessionem. 10. Emim
primi fuerunt habitatores eius, populus magnus & validus, & tam excelsus, vt de Ena-
cim stirpe, 11. quasi gigantes, crederentur, & essent similes filiorum Enacim. De-
nique Moabitæ appellant eos Emim. 12. In Seir autem priùs habitauerunt Hor-
rhæi: quibus expulsis atque deletis, habitauerunt filij Esau, sicut fecit Israel in terra
possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. 13. Surgentes ergo vt transiremus tor-
rentem Zared, venimus ad eum. 14. Tempus autem, quo ambulauimus de Cades-
barne vsque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit donec con-
sumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Domi-
nus: 15. cuius manus fuit aduersum eos, vt interirent de castrorum medio. 16. Post-
quam autem vniuersi ceciderunt pugnatores, 17. locutus est Dominus ad me, di-
cens: 18. Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar: 19. & acce-
dens in vicina filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad præ-
lium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filijs Lot dedi eam in pos-
sessionem.

ſeſſionem. 20. Terra gigantum reputata eſt: & in ipſa olim habitauerunt gigan-
tes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, 21. populus magnus, & multus, &
proceræ longitudinis, ſicut Enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum: & fecit il-
los habitare pro eis, 22. ſicut fecerat filiis Eſau, qui habitant in Seir, delens Hor-
rhæos, & terram eorum illis tradens, quam poſſident vſque in præſens. 23. Heuæos
quoque, qui habitabant in Haſerim vſque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egreſ-
ſi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis. 24. Surgite, & tranſi-
te torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Heſebon Amorrhæum,
& terram eius incipe poſſidere, & committe aduerſus eum prælium. 25. Hodie
incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub
omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant,
& dolore teneantur. 26. Miſi ergo nuntios de ſolitudine Cademoth ad Sehon re-
gem Heſebon verbis pacificis, dicens: 27. Tranſibimus per terram tuam, publica
gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. 28. Ali-
menta pretio vende nobis, vt veſcamur: aquam pecunia tribue, & ſic bibemus.
Tantum eſt vt nobis concedas tranſitum, 29. ſicut fecerunt filij Eſau, qui habitant
in Seir; & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Iordanem, & tranſea-
mus ad terram, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis. 30. Noluitque
Sehon rex Heſebon dare nobis tranſitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus
ſpiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, ſicut nunc vi-
des. 31. Dixitq; Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram eius, in-
cipe poſſidere eam. 32. Egreſſuſque eſt Sehon obuiàm nobis cum omni populo
ſuo ad prælium in Iaſa. 33. Et tradidit eum Dominus Deus noſter nobis: percuſſi-
muſque eum cum filiis ſuis & omni populo ſuo. 34. Cunctaſque vrbes in tempore
illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus & paruulis. non
reliquimus in eis quidquam. 35. Abſque iumentis, quæ in partem venêre prædan-
tium: & ſpolijs vrbium, quas cepimus 36. ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis
Arnon, oppido quod in valle ſitum eſt, vſque Galaad. Non fuit vicus & ciuitas, quæ
noſtras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noſter nobis. 37. Abſque
terra filiorum Ammon, ad quam non acceſſimus: & cunctis quæ adiacent torrenti
Ieboc, & vrbibus montanis, vniuerſiſque locis, à quibus nos prohibuit Dominus
Deus noſter.

VERS. 1. CIRCVIVIMVS MONTEM SEIR] putà Idumæam: A Idumæorum enim parens fuit Eſau, qui dictus eſt Edom, quia rufus; & Seir, quia piloſus. Vide hos Hebræorum gyros per deſertum, & circa Idumæam, in tabulis Adrichomij ad viuum deſcriptos. Porrò Idumæa dicitur *mons*: quia alta eſt & montoſa. Vnde Abdias v.3. & 9. ait, Idumæos morari in ſciſſuris petrarum, & montibus, additque, *Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* ita S. Hieron. de Locis Hebr.

VERS. 3. ITE CONTRA AQVILONEM] ite contra terram promiſſam, quæ eſt ad Aquilonem Idumææ, quam circumiiſtis iam longo tempore verſus Meridiem, & Orientem; ſed veſtri miſertus volo, vt quantocyùs incidatis iter veſtrum per extrema Idumææ, vt recta contendatis in Chanaan, videlicet inter Moabitas & Ammonitas incedendo, per regna Og & Sehon.

VERS. 4. TRANSIBITIS PER TERMINOS FRATRVM VESTRORVM, FILIORVM ESAV] Licet enim Numer. 20. 21. Idumæi initio negarint tranſitum Hebræis; hinc tamen, & ex v. 6. & 19. patet eos Hebræis tandem tranſitum, ſaltem per extrema regionis ſuæ, conceſſiſſe. ita Abulenſis: licet aliter ſentiat Lyran. cum Rabbi Salomone.

VERS. 5. NE MOVEAMINI CONTRA EOS] Hebr. *ne miſceatis bellum*, ſcilicet cum eis.

VERS. 6. CIBOS EMETIS AB EIS PECVNIA, ET COMEDETIS] Hinc patet Hebræos carni & ventri addictos, in deſerto non tantùm comediſſe manna, ſed & alios cibos, quos vel emebant ab Idumæis, aliiſque vicinis gentibus, vel venabantur, vel ex pecoribus ſuis accipiebant. idem patet Ioſue 1. v. 11. ita Andreas Maſius ibi, Perer. in Exodi 13. diſp. 7. Lorinus in 16. Sapientiæ, Abulenſis in Exodi 16. quæſt. 12.

Hebræi in deſerto præter manna, alios cibos comederūt.

VERS. 10. EMIM PRIMI FVERVNT HABITATORES EIVS] ſcilicet Moabitidis. Nota. Erant olim diuerſa genera, vel progenies gigantum, vt patet Gen. 14. 5. Alij enim dicebantur *Emim*, id eſt terribiles, videlicet aſpectu, ob immanem proceritatem & vaſtitatem corporis. אֵימָה *ema* enim hebr. eſt terror. ita Chald. & S. Hieron. in Quæſt. in Gen. c. 14. Rurſum Oleaſter *Emim* ab אַמָּה *amma*, id eſt cubitus, B deducit, quaſi dicas, Viri cubitorum, ſcilicet multorum. Secundi erant *Raphaim*, qui tum alibi, tum hic v. 11. in Hebræo nominantur, ita dicti, vel à primo gigante, eorum parente, Rapha, cuius mentio eſt 1. Paral. 20. 6. vel quòd remiſſos facerēt hominum animos, eoſq; immani ſua ſtatura & mole percellerēt & diſſoluerent. רָפָא *rapha* enim ſignificat remittere, diſſoluere. R. Nehemannus, & ex eo Andr. Maſius in Ioſue 12. v. 4. putant *Raphaim* eſſe cognomen Heuæorum. cùm enim חִוִּים *Chiuuim*, id eſt Gheuæi, ſiue Heuæi, dicti ſint à ſerpentibus, quòd eorum inſtar, in terræ cauernis habitarent; hinc pariter dicti ſunt Raphaim, quaſi dicas, Inferi, eò quòd ſub terra in ſpecubus degerēt: ſic enim Iſaias c. 26. 14. inferos vocat Raphaim. Tertij erant *Enakim*, ſcilicet filij & poſteri Enac gigantis,

Gigantes varij.
Emim vnde dicti.
Raphaim vnde? Primò.
Secundò.
Tertiò.
Enakim vnde?

Primò. Secundò. gantis, de quo Iosue 11.11.& c.15.v.13.& 14. Aliqui tamen putant Enac, non esse nomen, sed cognomen, quasi dicas, Torquatus, eò quòd hi gigantes torquati incederent. ענק *anac* enim torquem significat. Sic apud Romanos, T. Manlius à torque, quem in pugna apud Anienem Gallo detraxit, dictus est Torquatus.

VERS. 12. *Horrhæi qui.* IN SEIR AVTEM PRIVS HABITAVERVNT HORRHÆI. de quibus Gen. 14.5. quos percussit Codorlahomor, vastans montana Seir. Andr. Masius in Iosue 12.4. censet חורים *Churim*, id est Chorræos, siue Horrhæos, fuisse Troglodytas, itaque dictos à cauernis, quos incolebant (חור *chur* enim foramē, antrum, cauernam significat) æquè ac Heuæi, quorum cognati fuerunt Horrhæi, quos deinde expulerunt Idumæi, vt hic dicitur; perinde ac Amorrhæos expulerunt Hebræi. hoc enim est quod sequitur: SICVT FECIT ISRAEL IN TERRA POSSESSIONIS SVÆ] putà in terra duorum regum, Og & Sehon: necdum enim cæteram terram promissam ingressi erant Israelitæ.

VERS. 15. CVIVS (DOMINI) MANVS FVIT ADVERSVM EOS] q.d. Domini virtus, potestas & vindicta, quæ manu apud homines exerceri solet, fuit exserta cōtra murmuratores, vt interirēt, vel, vt hebr. est, ad perdendum, vel conterendum eos in deserto.

VERS. 19. *Ammonitæ & Idumæi ob merita patrum seruati.* QVIA FILIIS LOT DEDI EAM] Filij Lot, fuerūt Ammon & Moab: vnde ob merita Lot, voluit Deus posteris eius cedere Ammonitidem & Moabitidem, æquè ac posteris Esau, ob merita Isaaci & Abrahæ, auorum, voluit cedere Idumæam, expulsis Horrhæis, noluitque Hebræos ea inuadere, vel occupare.

VERS. 20. IN IPSA (Ammonitide) OLIM HABITAVERVNT GIGANTES, QVOS AMMONITÆ VOCANT ZOMZOMMIM] Hi sunt, qui Genes. 14.5. vocantur *zuzim*, id est robusti, vt ibi vertūt Septuag. inde enim hebr. מזוזה *mezuza*, vocantur postes domorum, quia validi sunt & fortes. *Zomzommim* autem hebr. sonat, Primò, flagitiosos & sceleratos, זמה *zimma* enim est scelus, facinus. Secundò, insusitatæ & excogitatæ magnitudinis. Tertiò, famosos, celebres, qui sunt in ore & reputatione hominum: vnde Chald. vertit חשבני *chusbane*, id est spectatos, celebres. radix enim זמם *zamam*, significat cogitare, reputare, machinari & moliri. Hinc videtur, quòd Ammonitæ & Moabitæ, æquè ac Hebræi, vsi sint lingua Hebræa. *Zuzim* enim, *Zomzommim*, *Emim* v. 11. sunt nomina Ammonitica & Moabitica, æquè ac Hebræa. Lot enim eorum parens, versatus fuit in familia Abrahæ Hebræi, patrui sui, descenditque ab Heber, in cuius familia mansit lingua Hebræa, in diuisione gentium & linguarum in Babel. Omnes enim hæ gentes, adeoque omnes Chananæi vsi sunt lingua Chananæa, quā affinem esse linguæ Hebrææ, docet S. Hieron. in Isaiæ c. 19. Vnde & exploratores missi à Iosue in Iericho, locuti sunt cum Raab Chanaanitide, vtique eius linguam Chananæam intelligentes, & ab ea intellecti. Vide Serarium in c. 2. Iosue quæst. 25.

Zomzommim quid. Primò. Secundò. Tertiò.

Ammonitæ locuti sunt hebraicè.

VERS. 21. ET FECIT (Dominus) ILLOS (Ammonitas) HABITARE PRO EIS (pro Zomzommim.)

VERS. 23. HEVÆOS QVOQVE, &c. CAPPADOCES EXPVLERVNT] q.d. Sicut Heuæi expulsi sunt à Cappadocibus, Horrhæi ab Idumæis, Raphaim ab Ammonitis; ita & incolæ Palæstinæ, & imprimis Sehon cum suis, à vobis, ô Hebræi, expellentur. An hi Cappadoces fuerint Græci, an Palæstini, dicam Ierem. 47.v.4.

VERS. 25. HODIE INCIPIAM MITTERE TERROREM ATQVE FORMIDINEM TVAM IN POPVLOS, QVI HABITANT SVB OMNI CÆLO] ad quos videlicet fama rerum, à me pro te gestarum, perueniet, vt sequitur. Commodè ergo τὸ *omni*, accipiendum est. ita Oleaster. R. Salomon docet, vel potiùs fingit, terrorem Mosis fuisse sub omni cælo: quia in victoria de Sehon & Og stetit sol, sicut stetit, quando pugnauit Iosue contra multos reges in Gabaon, Iosue 10.12. Nil enim tale de Mose dicit Scriptura.

VERS. 28. & 29. TANTVM EST (tantùm requirimus) VT NOBIS CONCEDAS TRANSITVM, SICVT FECERVNT FILII ESAV (per extrema ditionis suæ, vt dixi v. 4.) ET MOABITÆ, QVI MORANTVR IN AR] Priùs ergo Moabitæ transitum aliquem, in limitibus Ar dederunt Hebræis; sed paulo pòst, videntes cædi ab eis Sehon regem, cœperunt sibi timere, maximè cùm secundò ad eos alio flexu accederent Hebræi: vnde vocarunt Balaam, qui malediceret Hebræis, Num. 22.5. ita Abulens. Censet Andr. Masius in Iosue 12.3. Ar esse Areopolim.

VERS. 30. *Deus obdurauit Sehon, quomodo?* QVIA INDVRAVERAT DOMINVS DEVS TVVS SPIRITVM EIVS] subducendo ei gratiam mollientem, & ex alia parte formidinem ac metum Hebræorum ei inijciendo; regi enim Gentili iure timendum erat, ne Hebræi specie transitus dolosè occuparent eius regnum; itaque ei petitionem Hebræorum de transitu proponendo, quem ipsum omnino negaturum præsciebat: vnde cōsecutum est, vt Hebræi eumdem vi & bello tentarent, in quo Sehon succumberet, & traderetur in manus eorum. Vide de obduratione dicta Exodi cap. 7.v.3.

VERS. 33. PERCVSSIMVSQVE EVM CVM FILIIS SVIS, ET OMNI POPVLO SVO] Tradit Iosephus, ex se, vt videtur, more suo rem exornans, quòd in bello hoc multi ex Amorrhæis siti sint mortui; alij tuentes ad fluuium Arnon, iaculis confixi sint; alij ad mœnia fugientes, à fundibularijs præuenti, vsque ad internecionem deleti sint.

Quinque priuilegia Mosis præ Aarone. Ex dictis hucusque patet, quòd Moses licet exclusus sit terra sancta, æquè ac Aaron, multa tamen præ eo habuerit priuilegia & gaudia. Primum, quòd in partem terræ sanctæ, quæ est vltra Iordanem, scilicet in Galaaditidem, ingressus sit: Aaron verò iam antè mortuus fuerit in monte Hor. Secundum, quòd debellarit Og & Sehon, eorumque regna occuparit, & suis diuiserit. Tertium, quòd exceperit benedictionem Balaam. Quartum, quòd Madianitas deleuerit. Quintum, quòd è propinquo totam terram promissam speculatus sit. ita Abulensis.

VERS. 34. INTERFECTIS HABITATORIBVS EARVM, VIRIS AC MVLIERIBVS, ET PARVVLIS] Quia Deus iusserat, omnes gentes, quarum vrbes possessuri erant Hebræi, totaliter deleri, vt patet cap. 20 16.

VERS. 37. QVÆ ADIACENT TORRENTI IEBOC] vbi Iacob luctatus est cum angelo, Genes. 32.v.22. pertinetque ad Ammonitas.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repetit Moses victoriam de Og, & quomodo eius æquè ac Sehon, ditionem diuiserit inter tribum Gad, Ruben, & dimidiam Manasse, ea lege vt ipsi alias tribus praeant, & in Chanaan inducant. Denique vers. 23. orat Moses, vt sibi detur ingredi in Chanaan; sed Deus ei silentium indicit.

1. ITaque conuersi ascendimus per iter Basan: egressúsque est Og rex Basan in oc-
cursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai. 2. Dixitque Dominus
ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua,
faciésque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitauit in Hesebon. 3. Tra-
didit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, & vniuer-
sum populum eius: percussimúsque eos vsque ad internecionem, 4. vastantes cun-
ctas ciuitates illius vno tempore. non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta vr-
bes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. 5. Cunctæ vrbes erant munitæ
muris altissimis, portisque & vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant
muros. 6. Et deleuimus eos, sicut feceramus Sehon regem Hesebon, disperdentes
omnem ciuitatem, virósque ac mulieres & paruulos: 7. iumenta autem & spo-
lia vrbium diripuimus. 8. Tulimúsque illo in tempore terram de manu duorum
regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem: à torrente Arnon vsque ad mon-
tem Hermon, 9. quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: 10. omnes
ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie, & vniuersam terram Galaad & Basan vsque ad Sel-
cha & Edrai ciuitates regni Og in Basan. 11. Solus quippe Og rex Basan restiterat
de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Am-
mon, nouem cubitos habens longitudinis, & quattuor latitudinis ad mensuram cu-
biti virilis manus. 12. Terrámque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super
ripam torrentis Arnon, vsque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius
dedi Ruben & Gad. 13. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni
Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan voca-
tur terra gigantum. 14. Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob vsque
ad terminos Gessuri & Machati. Vocauitque ex nomine suo Basan, Hauoth Iair, id
est, Villas Iair, vsque in præsentem diem. 15. Machir quoque dedi Galaad. 16. Et
tribubus Ruben & Gad dedi de terra Galaad vsque ad Torrentem Arnon medium
torrentis, & confinium vsque ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Am-
mon: 17. & planitiem solitudinis, atque Iordanem, & terminos Cenereth vsque
ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra Orientem.
18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis ter-
ram hanc in hereditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri
robusti: 19. absque vxoribus, & paruulis, atque iumentis. Noui enim quòd plura
habeatis pecora, & in vrbibus remanere debebunt quas tradidi vobis, 20. donec
requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: & possideant ipsi etiam
terram, quam daturus est eis trans Iordanem: tunc reuertetur vnusquisque in pos-
sessionem suam, quam dedi vobis. 21. Iosue quoque in tempore illo præcepit dicens:
Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet om-
nibus regnis, ad quæ transiturus es. 22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester
pugnabit pro vobis. 23. Precatúsq; sum Dominum in tempore illo, dicens: 24. Do-
mine Deus, tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, manúmq; fortissi-
mam. neque enim est alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua,
& comparari fortitudini tuæ. 25. Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam
trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum. 26. Iratúsque est Domi-
nus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam vl-
trà loquaris de hac re ad me. 27. Ascende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circum-
fer ad occidentem, & ad aquilonem, austrumque & orientem, & aspice. nec enim
transibis Iordanem istum. 28. Præcipe Iosue, & corrobora eum atque conforta: quia
ipse præcedet populum istum, & diuidet eis terram quam visurus es. 29. Mansimus-
que in valle contra fanum Phogor.

Vers. 8. & 9. TVLIMVSQVE TERRAM, &c. A TORRENTE ARNON VSQVE AD MONTEM HERMON, QVEM SIDONII SARION VOCANT, ET AMORRHÆI SANIR] Mons ergo Hermon vocatur *Sarion*, & *Sanir*, vo-

catur

Hermon dicitur Sanir, vnde? catur & Sion, vel Seon, vt patet cap. 4. 48. R. Salomon putat Sanir, vel Senir, esse nomen Germanicum, æquè ac Chananæum, significans niuem, quâ coopertus est semper mons Hermon. Idem censet R. Nehemannus, & ex eo Masius Iosue 12. 5. quin & Chaldæus Sanir interpretatur niuosum. Addit Hermon dicitur, quia niue semper riget. Masius, hûc montem esse contiguum Libano, eiusque quasi partem spectantem ad Orientem, quæ ob niuem rigida est, vasta & inculta, indeq; dictam esse Hermon, vel Chermon. Cherem enim, vel herem significat rem perditam, corruptam, succisam, vastatam, quæ nulli est vsui vel fructui.

VERS. 11. SOLVS QVIPPE OG, REX BASAN, RESTITERAT DE STIRPE GIGANTVM] intellige in regione illa: nam alibi adhuc extitisse gigantes, patet Numer. 13. 34. Iosue 15. 14. & 1. Paral. 20. 6. ibi ergo ex gigantibus remanserat sola stirps Og: nam alij percussi & deleti sunt à Codorlahomor, Genes. 14. 5. Fabulantur Iudæi Og fuisse reliquum ex diluuio, & ex gigantibus, qui ante diluuium fuerunt, Gen. 6. 4. itaque Og octingentos & plures vixisset annos, qua de re dixi Genes. 7. in fine.

MONSTRATVR LECTVS EIVS FERREVS IN RABBATH (hæc postea dicta est Philadelphia, teste S. Hieron. in Locis Hebr.) NOVEM CVBITOS HABENS LONGITVDINIS, ET QVATVOR LATITVDINIS] Fabula, lectum Og fuisse eius cunas. Talmudici tradunt hunc lectum fuisse cunas Og, cùm esset paruulus: nam cùm creuit in virû, aiunt solum pedem eius fuisse 120. cubitorum, non communium, sed giganteorum, qualis erat Og; ac consequenter tam ipse, quàm lectus eius, facilè leucam integram occupassent, inquit Abulensis. de qua fabella plura dixi Numer. 21. 35.

Physicè, vasta ista corpora sæpè parum habent mentis. Vulgò dicitur illud Sophoclis: ἄνους ὁ μακρὸς, Amens longus. dictitant enim, prælongis mentem deesse, pusillis adesse animum: parui enim sunt animosi. De valdè procero dicitur: Longurio est, & caliga Maximini, id est prælongus est & insulsus. Hinc & Vegetius lib. 1. c. 5. In bello, inquit, non tam statura militis rationem habere conuenit, quàm virium. Celebratur illud Athenæi, Nullus malus magnus piscis: diciturq; de ijs qui prægrandi sunt corpore, cæterùm ingenio nullo. Virtus animæ vnita fortior est in paruo, quàm diuisa in magno.

Symbolicè, lectus peccatoris & luxuriæ, qui & qualis? Symbolicè, Abulens. hîc quæst. 3. Og, ait, hebr. idem est, quod coaceruans, & signat peccatorem, qui peccata peccatis superaddit, donec veniat in profundum malorum. Peccatum enim, cui per pœnitentiam remedium non adhibetur, mox sibi nequiores socios aggregat, vt fiat habitatio omnis spiritus immundi, maximè luxuria, in quo cùm quis nouem cubitos longitudinis, Nouem gradus luxuriæ. & quatuor latitudinis habuerit, tamquam in lecto requiescit immobilis. Primus ergo cubitus, vel gradus est, in cibis exquisitis. Secundus, in dulcibus & continuis poculis: quia venter mero æstuans despumat in libidinem, vt ait S. Hieron. Tertius est, in spectaculis. Nam, vt ait Poëta:

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.
Iste locus casti damna pudoris habet.

Et Ierem. cap. 9. Intrauit mors per fenestras nostras; &, Oculus meus depredatus est animam meam. Quartus est, in cantilenis lasciuis. Quintus est, in aromatibus, quæ venerem prouocant. Sextus est, in donis & munusculis. Septimus, in mollibus lectis. Octauus, in temporali sociorum lætitia. Nonus, in turpi vsu feminarum. Habet quoque iste impudicorum lectus quatuor latitudinis cubitos. Primus est, turpis cogitatio. Secundus, perficientis consensus. Tertius, consequens operatio. Quartus, diuturna assuefactio, quæ tandem facit hunc lectum ferreum, vt à nulla bona monitione, vel inspiratione superari possit. Hucusque Abulensis.

A

CVBITI VIRILIS MANVS] Hebr. secundùm cubitum viri.

IAIR, FILIVS MANASSE, POSSEDIT OMNEM REGIONEM ARGOB] Filius, id est nepos. Vide Numer. 31. 41 Hebræi enim, omnes posteros vocant filios. Sic Iudæi vocantur filij Israel. Sic Elisabeth vocatur filia Aaronis, Lucæ 1. 5. Asa & Ezechias vocantur filij Dauidis, 3. Reg. 15. 11. & 4. Reg. 18. 3. VERS. 14.

VSQVE IN PRÆSENTEM DIEM] Abulensis vult hæc verba addita esse, non à Mose, sed ab Esdra, qui Dei instinctu libros legis, à Chaldæis combustos restaurauit, & de nouo conscripsit; æquè ac

B

illud v. 1. Monstratur lectus eius, &c. eò quòd paulò ante mortem Mosis hæc contigerint. Verùm non est necesse hoc dicere: nam tres & plures menses ab hisce gestis, vsque ad mortem Mosis fluxerunt.

Adde, si hæc addita sunt ab alio quopiam, non ab Esdra, sed ab eo qui diaria hæc Mosis paulò pòst digessit, esse addita. Denique, non est verisimile, Esdram Pentateuchum, totaque Biblia ex memoria, vel Dei instinctu restaurasse: nec enim Chaldæi exemplaria omnia, quæ per totam Iudæam, aliasque gentes sparsa erant, comburere potuerunt. de qua re alibi fusiùs dicetur.

MACHIR (id est posteris Machir) QVOQVE DEDI GALAAD] id est partem Galaad. Nam Rubenitæ etiam & Gadditæ eius partem habebant, vt sequitur. VERS. 15.

C

TERMINOS CENERETH] Cenereth est Genezareth, siue mare Galilææ, vel Tiberiadis, vti dixi Numer. 34. 11. VERS. 17.

VSQVE AD MARE DESERTI] vsque ad mare mortuum, siue lacum Asphaltitem, Numer. 34. v. 3. & 12.

PRÆCEDITE FRATRES VESTROS] armati in Chanaan. VERS. 18.

DONEC REQVIEM TRIBVAT DOMINVS FRATRIBVS VESTRIS] donec scilicet debelletis Chananæos, trans Iordanem habitantes. quod factum est per septem annos, post mortem Mosis, sub Iosue: deinde ab eodem, per alios septem annos, inter tribus diuisa est terra, ab eisque pacificè possessa: ergo post quatuordecim annos Rubenitæ & Gadditæ redierunt ad sua, scilicet ex Chanaan in Galaad. ita Abulensis. VERS. 20.

D

DOMINE DEVS, TV COEPISTI OSTENDERE SERVO TVO MAGNITVDINEM TVAM] Notat Abulensis, si quis ab auaro aliquid petat, vt ei persuadeat, dicat, hoc & plura sibi deberi: sin autem à liberali & magnifico (qualis est Deus) petat, vt ei persuadeat, nô debita, sed beneficia eius alleget. Magnanimus enim libenter audit, se dedisse, & non accepisse beneficium. VERS. 24.

TRANSIBO IGITVR, ET VIDEBO TERRAM HANC OPTIMAM TRANS IORDANEM] Quasi dicat, Transeam quæso, & videam terram, pro qua 40. annis laboraui: sunt enim verba orantis. Patet ex Hebræo: Sic Hebræi sæpè sumunt futurum pro optatiuo, quo carent. VERS. 25.

ET MONTEM ISTVM EGREGIVM] Montem, scilicet Moria, in quo Abraham obtulit Isaac, & in quo ædificanda est Sion, & templum, qui proinde appellatus est mons diuinæ visionis, ideoque egregius,

gius, & hebr. *bonus*, per excellentiam vocatur. ita Caietan. Chald. vertit, *videam montem istum bonum, & domum sanctuarij.*

A MANSIMUSQUE IN VALLE CONTRA FANUM PHOGOR] Hebr. *contra domum*, id est templum, Phogor. VERS. 29.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite & sequenti, usque ad 12. Moses repetito decalogo & legibus quibusdam, ad eorum obseruationem populum excitat, maximè commemorando beneficia Dei eis collata. vnde hoc capite toto, vrget beneficium datæ legis in Sina, cum igne & fumo: inde vers. 41. designat tres vrbes refugij, pro homicidis casualibus & inuoluntariis.

1. ET nunc Israel audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te: vt faciens ea, viuas, &
ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus
est vobis. 2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cu-
stodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis. 3. Oculi vestri vide-
runt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriuerit omnes cul-
tores eius de medio vestri. 4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, viui-
tis vniuersi vsque in præsentem diem. 5. Scitis quòd docuerim vos præcepta at-
que iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam
possessuri estis: 6. & obseruabitis & implebitis operę. Hæc est enim vestra sapien-
tia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En po-
pulus sapiens & intelligens, gens magna. 7. Nec est alia natio tam grandis, quæ
habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus
nostris. 8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque
iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros. 9. Cu-
stodi igitur temetipsum, & animam tuam solicitè. Ne obliuiscaris verborum, quæ
viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea
filios ac nepotes tuos, 10. à die in quo stetistis coram Domino Deo tuo in Horeb,
quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, vt audiant
sermones meos, & discant timere me omni tempore quo viuunt in terra, doceant-
que filios suos. 11. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cælum,
erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo. 12. Locutusque est Dominus ad vos
de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. 13. Et
ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ
scripsit in duabus tabulis lapideis. 14. Mihique mandauit in illo tempore vt doce-
rem vos cæremonias & iudicia, quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis.
15. Custodite igitur solicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem,
in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: 16. ne fortè dece-
pti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, 17. si-
militudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo vo-
lantium, 18. atque reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra
morantur in aquis: 19. ne fortè eleuatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam,
& omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creauit Dominus Deus
tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt. 20. Vos autem tulit Do-
minus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hereditarium, sicut est
in præsenti die. 21. Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, &
iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus
est vobis. 22. Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem: vos transibitis, &
possidebitis terram egregiam. 23. Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei
tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Do-
minus prohibuit: 24. quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmula-
tor. 25. Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis
vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, vt eum
ad iracundiam prouocetis: 26. testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros
vos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis. non habitabitis in ea longo
tempore, sed delebit vos Dominus, 27. atque disperget in omnes gentes, & rema-
nebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. 28. Ibique seruietis
diis, qui hominũ manu fabricati sunt, ligno & lapidi qui non vident, nec audiunt, nec
comedunt, nec odorantur. 29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum,
inue-

inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.
30. Postquam te inuenerint omnia quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuertê-
ris ad Dominum Deum tuum,& audies vocem eius. 31. Quia Deus misericors, Do-
minus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiscetur pacti,
in quo iurauit patribus tuis. 32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te
ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad summum
eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vmquam cognitum est, 33. vt
audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vidisti. 34. si
fecit Deus vt ingrederetur, & tolleret sibi Gentem de medio nationum, per tentatio-
nes, signa, atque portenta, per pugnam,& robustam manum, extentumque brachium,
& horribiles visiones, iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Æ-
gypto, videntibus oculis tuis: 35. vt scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non
est alius præter eum. 36. De cælo te fecit audire vocem suam, vt doceret te, & in
terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis,
37. quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præce-
dens in virtute sua magna ex Ægypto, 38. vt deleret nationes maximas & fortio-
res te in introitu tuo: & introduceret te, daretq; tibi terram earum in possessionem,
sicut cernis in præsenti die. 39. Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd
Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. 40. Cu-
stodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi: vt bene sit tibi, & filijs
tuis post te, & permaneas multo tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus
daturus est tibi. 41. Tunc separauit Moyses tres ciuitates trans Iordanem ad Orien-
talem plagam, 42. vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec
sibi fuerit inimicus ante vnum & alterum diem, & ad harum aliquam vrbium possit
euadere: 43. Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: &
Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.
44. Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filijs Israel, 45. & hæc testimonia
& cæremoniæ atque iudicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de
Ægypto, 46. trans Iordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis
Amorrhæi, qui habitauit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filij quoque Israel e-
gressi ex Ægypto 47. possederunt terram Og regis Basan, duorum regum Amor-
rhæorum, qui erant trans Iordanem ad solis ortum. 48. Ab Aroer, quæ sita est su-
per ripam torrentis Arnon, vsque ad montem Sion, qui est & Hermon, 49. om-
nem planitiem trans Iordanem ad orientalem plagam, vsque ad mare solitudinis, &
vsque ad radices montis Phasga.

Vers. 1. VT FACIENS EA VIVAS] vita præsenti, diuturna & prospera. Vide dicta Leuit. 18. 5.

Vers. 2. *Verbo Dei non esse addendas traditiones docent hæretici.*

NON ADDETIS AD VERBVM QVOD VOBIS LOQVOR, NEC AVFERETIS EX EO] Hæretici hæc verba rigidè, & planè vniuersaliter accipiunt, indeque inferunt, non esse admittendas vllas traditiones, nec canones Pontificum, nec cæremonias Ecclesiæ.

Refut. primò.

Verùm ineptè & insulsè hæc dicunt: nam Primò, si ita est; ergo contra hanc legem peccauit Iosue, Prophetæ, Christus & Apostoli, qui multa Mosi & Pentateucho addiderunt.

Secundò.

Secundò, Moses non ait, *quæ scribo*, sed *quæ loquor*: ergo peruersè hæretici torquent hæc ad verbum Dei scriptum, vt excludant traditum, & viua loquentis voce, id est traditione, acceptum.

Tertiò.

Tertiò, si id vult Moses, quod volunt hæretici: ergo ipse Moses pugnat secum. Nam cap. 17. 10. iubet sub pœna mortis obediri decreto sacerdotis & pontificis.

Quartò.

Quartò, alioqui omnes Reges, Imperatores, Principes, & magistratus peccarent contra hanc Dei legem: multa enim ipsi edicta addiderunt hisce Dei legibus & iudicijs.

Quintò.

Quintò, Caluinus fatetur, Apostolos addidisse quosdam ritus & cæremonias, adeoque nouos posse addi; quinimò ipse cum suis nouam Ecclesiæ speciem, nouos ritus, nouos ministros, nouam A docendi, concionandi, orandi, regendi, & Sacramenta administrandi formam instituit: sic & eius Ministri quotannis nouas constitutiones in suis Synodis condunt & instituunt, quas sanè addunt huic Dei verbo.

Sextò. Lex hæc cæremonialis est; vnde Iudæos spectat, non Christianos.

Sextò, hæc verba Moses dixit Iudæis, non Christianis, ijsque iubet, vt circumcisionem, aliaque sacra, & Sacramenta veteris legis seruent, nihilque ijs addant: ergo lex hæc propriè cæremonialis est, nec Christianos obligat, sed Iudæos; alioqui enim hæretici deberent circumcidi, edere phase, gestare fimbrias, &c. hæc enim verba hîc loquitur & præcipit Moses.

Esto ergo demus hæreticis, hæc intelligenda B esse ita vt ipsi volunt; nihil inde concludent pro sua opinione. nam hæc dicta sunt Iudaico populo, qui exiguus erat, & in parua regione conclusus, idemque rudis & crassus: vnde ei data fuit lex, tot tamque varijs præceptis distincta, vt alijs non videretur esse opus. secùs est de lege noua, quæ spargenda erat per totum orbem; vnde in ea meritò Christus, paucis vniuersalibus præceptis traditis, alia ordinanda commisit Pastoribus, & Rectoribus Ecclesiæ, vti rectè aduertit Gab. Vasquez 1. 2. q. 95. a. 1. disp. 152. c. 4.

Addit legi, qui aliquid ei contrarium inducit.

Dico ergo, sensus huius loci est, q. d. Ad præcepta mea, quæ ego hoc capite & sequentibus præcepturus sum vobis, ô Iudæi, non addetis aliquid,

scilicet

scilicet eis repugnans & contrarium, præsertim quod Beelphegor, vt sequitur, vel alterius noui numinis aut idoli cultum & religionem inducat. Hæc enim noua numina, nouamque religionem, & ritum sacrorum excludere toto hoc cap. & passim in Deuteronomio intendit Moses. Addit itaque legi Dei, quæ præcipit vnum Deum colendum esse, aliquid, qui docet colendum esse Baal, Astartem, solem, lunam, aliosque deos. τὸ ergo *ad verbum*, idem est quod, *contra verbum*: sic enim sumitur על al, id est *ad*, pro *contra* psal. 2. 2. Numer. 14. 2. Sic Paulus Galat. 1. 8. anathema dicit ijs, qui aliud euangelizant præter id quod ipse euāgelizauit, *præter*, id est *cōtra*. agit enim de ijs, qui iudaismū addere volebant christianismo, itaque euertebant christianismum. Hisce ergo verbis, *Non addetis, nec auferetis*, tantùm præcipit Deus, vt sua lex integrè seruetur, vt nihil ex ea addendo, vel minuendo vitietur aut mutiletur; sed tota sarta tecta maneat, & obseruetur. quod alia phrasi c. 5. v. 32. alibi dicit, *Non declinabitis ad dexteram, nec ad sinistram*. Cui tamen non obstat, qui insuper leges parentum, vel humanorum magistratuum addit & obseruat; nisi parentes, vel magistratus aliquid legi Dei contrarium præciperent.

Itaque hisce verbis, *non addetis*, &c. non vult dicere, Non seruabitis aliud, quàm id quod nunc præcipio; sed, In hoc quod præcipio nihil mutabitis, addendo, vel minuendo, sed integrè facietis, vt iubeo, & non aliter. ita Bellarm. & alij passim.

Secundò, addit verbo Dei, qui sua dicta venditat pro dictis Dei.

Secundò, *non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, aliquid, scilicet tamquam meum, vel à me dictum, aut iussum: nulli enim hominum licet scripta aut præcepta sua venditare pro præceptis à Deo dictatis, aut pro Scripturis sacris. Similis phrasis est Apocal. vlt v. 18. *Contestor*, ait, *omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*. Alioqui enim, non tantùm Christus & Prophetæ, sed & ipsi Iudæi multa addiderunt legi Dei, vt cælaturas, omnemque ornatum templi, vt festum sortium sub Esther, festum dati ignis, festum encæniorum, &c. hæc enim non à Deo, sed à Iudæis sancita & instituta sunt. Denique, hæc non sunt addita, sed potiùs inclusa legi Dei: quia lex Dei iubet obediri parentibus, magistratibus, pontificibus, eorumque legibus.

Iudæi multa addiderunt verbo Dei.

VERS. 3. OCVLI VESTRI VIDERVNT OMNIA, QVÆ FECIT DOMINVS CONTRA BEELPHEGOR] de quibus dixi Numer. 25.

VERS. 6. HÆC EST ENIM VESTRA SAPIENTIA ET INTELLECTVS] Quasi dicat, Custodia harum legum ostendet vos esse sapientes & prudentes, atque à sapientissimo legislatore Deo, sapientissimè, sanctissimè & castissimè edoctos, ab eodem per omnia regi, exaudiri & defendi.

Sapiens, inquit S. Bernard. *est cui quæque res sapiunt prout sunt*, scilicet diuinæ vt diuinæ, humanæ vt humanæ, æternæ vt æternæ, caducæ vt caducæ.

Quænam resp. optima.

Refert Plutarch. in Conuiuio septem sapientum, eos inter se disputasse, quis populus, *quænam resp. foret optima & felicissima? Primus*, inquit, *Solon respondit: in qua iniuria alicuius auctorem non minus illæsi, quàm qui læsus est, in ius rapiunt & puniunt. Secundus Bias dixit: in qua legem vniuersi tamquam tyrannum metuunt. Tertius Thales: vbi, inquit, neque diuites nimis, neque pauperes sunt ciues. Quartus Anacharsis: in qua cùm reliqua habeantur, virtuti tamen potior, vitio deterior conditio defertur. Quintus Cleobulus: in qua ciues reprehensionē magis metuunt, quàm legem. Sextus Pittacus: vbi magistratum gerere non licet malis, licet bonis. Septimus Chilo: in qua maximè leges, minimè oratores audiuntur.* Hæc verè, sed veriùs Moses hîc: *in qua populus Deum timet, Deiq; legibus ac voluntati obedit.* hæc nimirum sapientissima & beatissima est resp.

NEC EST ALIA NATIO TAM GRANDIS (tam eximia, tantæ dignitatis) QVÆ HABEAT DEOS APPROPINQVANTES SIBI, SICVT DEVS NOSTER ADEST CVNCTIS OBSECRATIONIBVS NOSTRIS] Videbatur enim Deus cum Mose & Hebræis in tabernaculo habitare, cùm eis conuersari & colloqui, dubia omnia resoluere, præire in columna nubis, eosque per omnia dirigere, & protegere. Multò magis Deus adest Christianis, præsertim in Venerabili Sacramento, in quo corporaliter, realiter & essentialiter nobiscum habitat, non angelus, sed Christus ipse, verus Deus, & verus homo. VERS. 7.

NE OBLIVISCARIS VERBORVM (id est rerum, & portentorum) QVÆ VIDERVNT OCVLI TVI] Sic *verbum* pro re, metonymicè tamquam signum pro re signata, accipitur psal. 90. 3. *Liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero*, id est à re aspera & acerba. & Luc. 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est omnis res. VERS 9.

ACCESSISTIS AD RADICES MONTIS (Sina) QVI ARDEBAT VSQVE AD CÆLVM] Hebr. *vsque ad cor cæli*, id est vsque ad medium cæli, hoc est vsque ad cælum ipsum. cælum hîc non sidereum, sed aëreum, siue æthereum, in quo sunt nubes, intellige. Simili hebraismo dicitur Ionas, Dauid, & alij fuisse in medio mari, in medijs fluctibus, id est in ipso mari magno & vasto, in ipsis vastis fluctibus. VERS. 11.

OSTENDIT VOBIS PACTVM SVVM] id est legem, quæ est conditio pacti inter vos & Deum initi. VERS. 13.

DECEM VERBA] decem præcepta, quæ fuerunt quasi decem fœderis conditiones. Græci decem hæc verba, voce composita vocant δεκάλογον.

CVSTODITE IGITVR SOLLICITE ANIMAS VESTRAS] Hebræa cum Vatablo, ita prægnantiùs vertas, *cauete ergo accuratè, quàm cara est vobis anima vestra*, ne scilicet legem Dei violetis, sed eam custodiatis: qui enim eam custodit, custodit animam suam. VERS. 15.

NON VIDISTIS ALIQVAM SIMILITVDINEM, &c. IN HOREB] quasi dicat, In Sina audistis Deum loquentem, sed non vidistis eum per essentiam, neque per effigiem: quare nec illam imitari, effingere, vel exprimere potestis, fabricando statuam maris, feminæ, aut alterius rei, cogitando, aut fingendo quòd talis sit Deus qualis in statua illa monstratur.

Idem viderunt nonnulli Gentiles, inter quos Statius ita canit:

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

Agesilaus monentibus, vt quemdam qui bellè lusciniæ vocem imitabatur, audiret, respondit, se ipsam lusciniam audisse. Idem Iudæis dicendum erat ad Gentes, inuitantes eos ad simulacra Dei, scilicet, se Deum ipsum audisse in Sina.

NE FORTE DECEPTI FACIATIS, &c. IMAGINEM MASCVLI VEL FEMINÆ] vti Gentiles deos habuerūt mares alios, alios feminas. Quin & Trismegistus in Pœmandro c. 1. 3. 7. Deū vocat marem-feminam. VERS. 16.

ait

ait enim: ὁ θεὸς ἀῤῥενόθηλυς, ὢν ζωὴ καὶ φῶς ἀπεκύησε λόγον ἕτερον νοῦν δημιουργόν, hoc est. *Deus mas femina, existens vita & lumen, genuit Verbum, quod alteram mentem* (Spiritum sanctum) *producit.* Verùm ipse vocat Deum marem-feminam, non quòd reuera sexũ maris & feminæ habeat, sed quòd in generando Verbo totum fecerit solus, quod in generatione humana faciunt cõiunctim mas & femina. Nam Deus Pater Verbum suum generauit quasi pater, idemque concepit quasi mater: alioqui hæc locutio insolens est, & malè sonans.

VERS. 19. NE ADORES EA QVÆ CREAVIT DEVS IN MINISTERIVM CVNCTIS GENTIBVS] Pro *quæ creauit Deus*, hebr. est, *quæ diuisit Deus*, vt vicissim, & quasi partito tempore, singulis gentibus & prouincijs inseruiant, lumenq; præbeant. vide Gen. 1.14. ita Rabanus. Hinc Iudæi fabulantur, gentes singulas à sua stella regi, se verò à Deo.

VERS. 20. *Fornax ferrea est seruitus durissima.* VOS AVTEM, &c. EDVXIT DE FORNACE FERREA ÆGYPTI] putà de seruitute durissima, quæ maximè vos afflixit, quæque quasi fornax vos adussit, & quasi ferrea vos conclusit, ne exitus, vel effugium vllum pateret. Sic Isaiæ 48.10. dicitur: *Elegi te in camino paupertatis.* pauperes enim paupertate, quasi camino affliguntur & vruntur. Secundò, alludit hîc Moses ad coctionem laterum, quos Hebræi in Ægypto formabant, & coquebant in fornacibus lateritijs, ex quibus liberauit eos Deus, educens in Chanaan.

VERS. 24. QVIA DOMINVS DEVS TVVS IGNIS CONSVMENS EST] q.d. Deus iniuriæ sibi illatæ est vindex, eamq; acerrimè punit, instar ignis omnia vastantis. vide dicta Exodi 3.2. & Hebr. 12. v. 29. Quocirca ignis vim, terrorem, aliasq; dotes eximias considerantes Persæ, eum coluerunt vt numen. Audi Maximum Tyrium: *Persæ diarium ignem adorant, nimirum diuinitatis signum, insatiabilem, voracem.* Huic cùm sacrificant, illi alimentum præbentes dicunt: *Ede ignis Domine.* Erat ergo eis ignis sacer & æternus, quem quocumq; rex exercitum duceret, magni numinis instar, argenteis altaribus impositum præferebant. ita Pierius Hierogl. 46. c. 48.

Symbolicè, S. Gregor. hom. 5. in Ezech. *Deus,* ait, *ignis consumens est: quia mentem quam repleuerit, à peccatorum rubigine puram reddit.* S. Syncletica in Vitis Patrum l. 5. tract. de compunctione: *Labor,* inquit, *est & magnum certamen impiorum qui conuertuntur ad Deum, & postea inenarrabile gaudium. Sicut enim qui ignem accendere volunt, prius fumantur, & ex fumi molestia lachrymantur, sicq; obtinent quod volunt: etenim scriptũ est, Quia Deus noster ignis consumens est: ita oportet & nos diuinum ignem cum lachrymis atque laboribus in nobis ipsis accendere.*

DEVS ÆMVLATOR] q.d. Deus est zelotes, non patitur riualem, sed solus summè vult coli. de quo cap. 5.9.

VERS. 26. *Cælum & terra sunt muti testes Dei.* TESTES INVOCO HODIE CÆLVM ET TERRAM, CITO PERITVROS VOS] Nota. Moses & Prophetæ per prosopopœiã, creaturis irrationalibus vitam, sensum & testimonium attribuunt, easq; ad grauissimam obtestationem, qua populum compungant & commoueant, testes, vel iudices inuocant, præsertim cælum & terram: quia hæ minæ & pœnæ extenduntur ad omnes secuturas generationes: vnde Moses ad huius prædictionis & comminationis memoriam, noluit testes morituros vocare, sed cælum & terram: quia in æternum manent. Immortales ergo & æterni sunt hi testes, qui

A omnibus futuris temporibus perseuerabunt, & mutis vocibus Deo loquentur, hæc esse vera, hominibusque (præsertim hæc verba Mosis legentibus) pariter inclamabunt hæc diuina præcepta, æquè ac minas.

Omnes enim creaturæ tacitè obediunt, cõsentiunt, & attestantur suo creatori, eiusq; legi & ordinationi. vnde Baruch c. 3. 34. ait: *Stellæ dederũt lumen in custodijs suis, & lætata sunt, vocata sunt, & dixerunt, Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Consequenter, eadẽ tacitè quasi applaudebant, & attestabantur hisce verbis Mosis: ipse enim erat præco Dei creatoris. q.d. Cælum & terram testes inuoco, vt cælum nobis dando lucem, terra nos sustinẽdo, dum hæc loquor & edico, ipsa muti testes sint, me hæc vobis prædixisse.
B Rursum, vt, cùm plagæ, quas hîc vobis prædico, euenerint, ijdem & testes sint, quòd mea hæc prædictio & minæ fuerint veræ, & simul sint vindices ac cooperatores Dei, qui hasce plagas per cælum & terram vobis infliget. Nã, vt ait Sapiens c. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Quare si hi testes vitam & vocem haberent, aut si per miraculum, Deus eis vocem daret, vti aliquãdo dedit, omnes vna voce clamarent, & condemnarent impios: quamdiu autem eam non habent, tacitè & muta voce clamabunt, & condemnabunt impios.

Isaias compellat cælũ & terram, ob tres causas. Sic Isaias c. 1. 2. cùm ait: *Audite cæli, & auribus percipe terra*, vtitur prosopopœia ad inanimes creaturas, vt grauior sit oratio, & plena indignatione, idq; Primò, vt significet Iudæos omnia sua bona, à cælo & terra per Deum accepisse. Secundò, quia Iudæi adorarũt solẽ, lunam, lapides, ideo ea
C nunc, quasi ipsorum iudices inuocat. Tertiò & maximè, quia cùm ipsi nollent audire Deũ, inuocat inanima, quæ semper obediũt Deo, vt grauissima sit querela & exprobratio, inuocat, inquam, quasi testes mutos, vt quandoque sint vindices creatoris sui, vt cælũ, ait Rupertus, Iudæis se præbeat æneum, terra se præbeat ferreã; sed maximè in die iudicij, cælum in eos fulmina vibret, terra verò ijs dehiscat. Simili modo facit Moses hîc, & Deut. 30. 19. & c. 31. 28. & c. 32. 1.

Secundò, cælum sunt angeli, terra sunt terrigenæ. Secundò, cùm cælum & terram testes inuocat, inuocat omnia quæ in cælo & in terra sunt, per metonymiam, ac præsertim angelos & homines, qui propriè dicti testes sunt. ita Theodor. Sic Poëta ait:

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.

D Putabãt enim Platonici ignes cælestes, id est, stellas esse animatas à suis intelligentijs, siue angelis præsidibus, quos quasi minores deos colebant.

Simili modo cùm exorcizamus & adiuramus creaturas irrationales, adiuratio non dirigitur ad illas, quia non intelligũt eam; sed ad naturam rationalem, quę illis præsidet, easque mouere potest, vt ait D. Thom. Sic exorcizatur aqua, sal, domus: partim enim inuocatur virtus diuina, vt in vsu harum rerum assistat, & diaboli vim coërceat: partim per virtutẽ diuinam præcipitur diabolo, vt abscedat, & in his non noceat. Sic exorcizantur locustæ, mures, ranæ, grandines, tempestates, &c. vt Deus damna eorum auertat, & diabolus per illa non noceat. vide Dom. à Soto lib. 8. de Iustitia, q. 3. a. 3. *Aqua, sal, rana, exorcizantur duplici sensu.*

CVMQVE QVÆSIERIS IBI DOMINVM DEVM VERS. 29.

TVVM, INVENIES EVM, SI TAMEN TOTO CORDE QVAESIERIS, ET TOTA TRIBVLATIONE (scilicet in vera contritione & conuersione) ANIMAE TVAE] Hebraicè est, *in tota anima tua* Insinuat, quòd cõtritio vera, quæ peccatorem Deo reconciliat, debeat procedere ex amore Dei super omnia: hoc enim est quærere Deum ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ. ita Suarez 3. p. q. 85. a. 1. disp. 4. sect. 2.

Vers. 30. POSTQVAM TE INVENERINT (comprehenderint. est hebraismus) OMNIA.

NOVISSIMO TEMPORE] id est, in fine temporis, quo cõplebitur pœna tibi inflicta à Deo. q. d. Post plagas à Deo immissas, tandem sapies, & reuerteris ad eum. ita Vatabl. Abul. & alij.

Vers. 31. NEQVE OBLIVISCETVR PACTI IN QVO (id est *quod*. ita Hebr. Septuag. & Chald.) IVRAVIT PATRIBVS TVIS.

Vers. 32. INTERROGA DE DIEBVS ANTIQVIS] scilicet de factis, quæ contigerunt in diebus antiquis.

A SVMMO CAELO VSQVE AD SVMMVM EIVS] Hebraicè, *ab extremo cæli vsque ad extremum eius*, id est, ab Oriente vsque ad Occidentem. q. d. Interroga ea, quæ toto orbe vnquam apud homines alicubi contigerunt. Similis phrasis est Matt. c. 24. 31. ita Vatablus.

Vers. 33. SICVT TV AVDISTI, ET VIXISTI] ita Rom. Heb. Chald. & Septuag. Perperam ergo Plantin. legũt, A *& vidisti*. q. d. Instar miraculi fuit, quòd tu vocem Dei tam terribilem ex Sina audires, & viueres. de quo rursum c. 5. 24.

SI FECIT DEVS, VT INGREDERETVR] non mutans locum, sed operationem, vocans scilicet, liberans & educens te ex Ægypto. Vers. 34.

ET HORRIBILES VISIONES] quia in triduanis Ægypti tenebris mira spectra Ægyptijs obiecit Deus, ijsque eos perculsit, vt dixi Exodi 10. 22. & sequent.

ET IN TERRA OSTENDIT IGNEM MAXIMVM] quia ignis ex Sina prodire videbatur; vox verò super eum ex cælo, id est ex aëre, formari & descendere videbatur. Vers. 36.

B PRAECEDENS IN VIRTVTE] per angelum suum, qui castra præibat in columna nubis, quique perculit & prostrauit hostes tuos, Exodi 23. 20. Vers. 37.

QVI OCCIDERIT NOLENS] scilicet nesciens, ignoranter & inaduertenter. ita Hebr. Chald. Septuag. Vers. 42.

VSQVE AD MONTEM SION, QVI EST ET HERMON] Alius ergo est hic Sion, à Sion monte Hierosolymæ & templi. hic enim Sion erat ab alia Iordanis parte, & Hebr. scribitur per *sibin*: Sion verò templi scribitur per *tsade*. vide de hoc Sion dicta cap. 3. 8. Vers. 48.

MARE SOLITVDINIS] mare mortuum, siue lacus Asphaltites. Vers. 49.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses populo iterat & refricat decalogum. Secundò, v. 22. narrat populi pauorem, cùm daretur lex in Sina, quo perculsus rogauit, vt Deus cætera præcepta non sibi, sed Mosi eloqueretur: vnde Moses solus in montem, ad Deum ascendit.

1. VOcauitque Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum: Audi Israel cæremo-
nias atque iudicia quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere
complete. 2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. 3. Non
cum patribus nostris inijt pactum, sed nobiscum qui impræsentiarum sumus, & viui-
mus. 4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. 5. Ego se-
quester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis
verba eius. timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait: 6. Ego Do-
minus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. 7. Non habe-
bis Deos alienos in conspectu meo. 8. Non facies tibi sculptile, nec similitudi-
nem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in
aquis sub terra. 9. Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus Deus
tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam
generationem his qui oderunt me, 10. & faciens misericordiam in multa millia di-
ligentibus me & custodientibus præcepta mea. 11. Non vsurpabis nomen Domi-
ni Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius assumpse-
rit. 12. Obserua diem sabbati, vt sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus
Deus tuus. 13 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. 14. Septimus
dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu,
& filius tuus, & filia, seruus & ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentũ tuum, & pere-
grinus qui est intra portas tuas: vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu.
15. Memento quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus
tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi vt obseruares diem sab-
bati. 16. Honora patrem tuum & matrem sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus,
vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus
est tibi. 17. Non occides. 18. Neque mœchaberis. 19. Furtumq; non facies.
20. Nec loquêris contra proximum tuum falsum testimonium. 21. Non concupisces
vxorem

vxorem proximi tui:non domum,non agrum,non seruum,non ancillam,non bouem,
non asinum, & vniuersa quæ illius sunt. 22. Hæc verba locutus est Dominus ad o-
mnem multitudinem vestram in monte de medio ignis & nubis & caliginis, voce
magna, nihil addés amplius:& scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mi-
hi. 23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ar-
dere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atque dixi-
stis: 24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem
suam, vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente
Deo cum homine,vixerit homo. 25. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis
hic maximus? Si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur.
26. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur,
sicut nos audiuimus, & possit viuere? 27. Tu magis accede: & audi cuncta quæ di-
xerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, & nos audientes faciemus eã.
28. Quod cùm audisset Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius
quæ locuti sunt tibi:bene omnia sunt locuti. 29. Quis det talem eos habere men-
tem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene
sit eis & filijs eorum in sempiternum? 30. Vade & dic eis: Reuertimini in tentoria
vestra. 31. Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremo-
nias atque iudicia:quæ docebis eos,vt faciant ea in terra,quam dabo illis in possessio-
nem. 32. Custodite igitur & facite,quæ præcepit Dominus Deus vobis: non de-
clinabitis neque ad dexteram,neque ad sinistram. 33. sed per viam,quam præcepit
Dominus Deus vester, ambulabitis,vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in
terra possessionis vestræ.

Vers. 3. NON CVM PATRIBVS NOSTRIS INIIT PACTVM] subaudi tantùm, q.d. Non tantùm cum patribus inijt Deus pactum in Sina, sed etiam nobiscum. Simile est Gen. 32.28. & alibi. Secũdò & simpliciùs, q.d. Deus in Sina pactum non iniuit cum Abraham, Isaac, Iacob, alijsque patribus, qui in Ægypto, vel antè mortui sunt; sed, cum nobis ipsis, qui viuimus. Nam, vt notat S. August. multi præsentes supererãt & aderant, qui in Horeb legem audierant pueri, qui scilicet necdum attigerant annum vigesimum, ac proinde neque censi, neque pœna murmurantium, de qua Num. 14.29. vt scilicet perirent in deserto, comprehensi fuerant, quos Moses vocat *omnes*. Intelligit enim *omnes* accommodè, scilicet omnes qui legem in Sina audierant, & etiamnum supererant.

Hebræa maiorem habent emphasim, sic enim habent: *Non cum patribus pepigit Iehoua pactum istud: quia cum nobis, nobis istis hic hodie, omnibus nobis viuentibus.*

Vers. 4. FACIE AD FACIEM LOCVTVS EST NOBIS] Non qua quasi formam aut speciem eius videritis: hoc enim negauit c. 4. 12. sed *facie ad faciem*, id est coram, sine internuntio. Decalogum enim à v. 6. ad 22. angelus vice Dei ex Sina proclamauit, coram toto populo, sed reliqua præcepta iudicialia & ceremonialia acceperunt Hebræi internuntio Mose, vt sequitur, qui in montem conscendit solus, cùm populus ob metum ignis, & vocis angelicæ territus, & à monte fugiens, iussu Dei ad castra & tentoria sua redijt, vti dicitur v. 30. & 31.

Vers 5. EGO SEQVESTER ET MEDIVS FVI] Fuit ergo Moses mediator inter Deum & populum, vt ait Apostolus ad Galat. 3.19. quidni ergo Sancti vocentur mediatores?

Vers 6. EGO DOMINVS DEVS TVVS, QVI EDVXI TE DE TERRA ÆGYPTI, DE DOMO SERVITVTIS] Hebr. *de domo seruorum*, putà de ergastulo, id est de Ægypto, vbi durissimam seruiebas seruitutem. Nota. Pro *Dominus*, hebraicè est nomen tetragrãmaton *Iehoua*, quod proprium est diuinæ essentiæ, quæ fons est omnis creaturæ, cui proindè quasi primo & summo omnium principio, summa religione seruire debet homo omnisq; creatura. Rursum, pro *Deus*, hebraicè est *Elohim*, quod Deum qua iudicem & gubernatorem omnium significat. *Elohim* ergo Dei legislatoris maiestatem, sapientiam, dominium & imperium summum Hebræis inculcat.

NON HABEBIS DEOS ALIENOS IN CONSPECTV MEO] Nulli veri sunt dij alieni, sed vnus est verus Deus, qui cùm communis sit omnium, nulli potest esse alienus. Vocantur ergo dij alieni, non qui verè tales sunt, sed quos alienigenæ, putà Gentes à Deo vero alienæ, vt deos habent & colunt. vnde hebraicè est, *non erunt tibi elohim*, id est dij, *alij*. Vetat ergo, ne quis alius habeatur Deus, etiamsi is vnus sit: præcipit verò, vt se solum vnumq; Deum agnoscant & colant, tum interno mentis sensu & affectu, tum externa adoratione & sacrificio. Vers. 7.

IN CONSPECTV MEO] *Coram me*; Septuag. & Chald. vertunt, *præter me*, q.d. Noli colere idola me vidente, & abditissima etiam tua contẽplante, ne putes te oculos meos latere, néve velis tam grauem maiestati meæ, omnia intuenti, iniuriam irrogare. Posset Secundò, τò *coram me*, accipi pro *è regione mei*, q.d. Non opponas mihi alios deos, sicut v. 23. in Hebr. dicitur: *Non habebis deos alienos mecum*; & huic sat consonat τὸ *præter me*, vti vertunt Septuag.

Iudæi hîc primum statuunt [illegible] absoluunt decalogi præceptum, ita vt secundum sit: *Non facies tibi sculptile*; vltima verò duo, scilicet *Non concupisces vxorem proximi*, &, *Non concupisces rem proximi*, sint vnum, scilicet decimum præceptum. ita Iosephus, Philo lib. de Decalogo, commentarij Ambr. & Hieron. ascripti in epist. ad Ephes. c. 6. Athan. in Synopsi. hos auidissimè sequitur Caluinus, vt hinc fortius telum contra imagines torqueat. E contrario, τὸ *non facies tibi sculptile*, non esse secundum, sed spectare ad primum præceptum, docent Clemens Alexand. 6. Strom. S. August. q.

An sculptile ad primũ, an ad secũdum præceptum pertineat.

Iosephus & Philo ad secundum referunt.

Resp. ad primum spectare.

71. in Exodum, & epist. 119. cap. 11. S. Hieron in psalm. 32. & communiter Scholastici in 3. dist. 37.

Prob. primò. Idque longè verius & aptius est. Primò, quia hæc duo, scilicet, ***Non habebis deos alienos, & non facies tibi sculptile,*** eòdem spectant, videlicet, vt vnum solum Deum iubeant esse colendum. Id magis patebit §. sequenti.

Secundò. Secundò, quia alioqui non decem, sed vndecim erunt præcepta decalogi: duo enim postrema, quæ Iudæi coniungunt, disiungẽda sunt. nam tam differunt, ***Non concupisces vxorem proximi,*** &, ***Non concupisces bona proximi;*** quàm differunt, ***Non mœchaberis,*** &, ***Non facies furtum.*** Hæc enim actum externum, illa verò actum internum, putà concupiscentiam, mœchiæ & furti vetant. Atqui hæc duo distinguuntur, vt patet; ergo & illa. Vnum enim & idem vtrobique est obiectum, à quo species & distinctio actuum & præceptorum desumenda est. Vnde & in Hebræo vtrobique repetitur לא ***non concupisces***, tam Exodi 20.16. quàm hîc v. 21. vbi recto ponuntur ordine, vti & Exodi 20.16. apud Septuag. licet ibi in Hebræo & Nostro commistus & confusus eorum sit ordo: præponitur enim concupiscentia domus concupiscentiæ vxoris.

Dices, Rom. 7.8 citantur hæc duo præcepta vt vnicum, videlicet. ***Non concupisces.***

Respondeo, Apostolum non curasse ea distinctè describere, quia tantùm intẽdit probare, non solùm opus externum, sed etiam concupiscẽtiam internam, lege Dei esse vetitam, vt patet ex antecedentibus & sequentibus.

VERS. 8. NON FACIES TIBI SCVLPTILE] Superiori v. vetuit deos alios in genere, hîc speciatim simulacra deorum vetat; ijs enim præcipuè deos suos colebant Gentes, imo & illa ipsa, vt deos habebant: quod licet neget Caluinus, disertè tamen docet Isaias cap. 44.17. Baruch toto c. 6. Ierem. c. 10. Sapient. cap. 13.10. Vetat ergo hîc Deus simulacra deorum, tum fieri, tum coli: vtrumque enim nefas est.

Sculptile cötinet ductile, fusile, &c. Nota Primò. Hebræũ פסל ***pesel*** significat sculptile, à radice פסל ***pasal***, id est sculpere, dolare. Simulacra enim pleraque sculpi solebant aut dolari in statuas: sub sculptili tamen intellige & ductile, fusile, tornatile, &c.

Sculptile est idolum. Nota Secundo. Pro ***sculptile*** Septuag. Exodi 20.4. vertunt ***idolum***: nam passim in Script. per sculptilia intelliguntur idola. Porro licet Orig. & Theodor. strictiùs hîc idolum accipiant, vt sit effigies rei non existentis, quomodo Gentiles sphingas, Tritones, Centauros, aliasque chimæras effingebant: similitudo verò, quæ deinceps prohibetur, sit rei existentis expressio, v. g. imago solis, lunæ, hominum, bestiarum, reptilium; meliùs tamẽ secundùm communem eius significationem, accipiemus idolum, vt sit simulacrum falsi dei & ficti, siue deus ille sit res aliqua vera & existens, siue non. vnde

Idolum est imago mendax. Nota Tertiò. Idolum Græcis erat imago quæuis inanis & mendax, vt verbi gratia, vana phantasmata, spectra, & vmbræ mortuorum, vti patet ex Platone in Theæteto, Luciano in dialog. de mortuis, Homero Odyssea 11. vnde à Virgilio vocantur

Tenues sine corpore vitâ,

&, *Caua sub imagine formæ.*

Εἴδωλον enim est diminutiuum ab εἶδος, quasi dicas, Formula, icuncula, vmbratilis species. Hinc S. Script. & scriptores Ecclesiastici nomen idoli arctarunt ad imaginem Dei, qui habetur Deus, reuera non est, siue Deus imagine repræsentatus, siue ipsa etiam imago habeatur Deus. Patet hoc 1. Corinth. 8.4. ***Scimus quia nihil est idolum in mundo.*** q. d. Deus qui repræsentatur idolo, non est Deus, ideoque idolum nihil est. & Esther 14.11. ***Ne tradas sceptrum tuum ijs qui non sunt,*** id est idolis. Vnde Scriptura Hebræa idola passim vocat תהו ***tohu***, id est inane; אלילים ***elilim***, id est vana, vel deiculos; שקר ***sceker***, id est mendacium; לא יועילו ***lo ioilu***, id est, qui non proderunt. vide S. Hieronymum in Osee 7.

Error Henr. Stephani circa idolũ. Quare falluntur & fallunt Henricus Stephanus & Iohannes Scapula in suis lexicis, dum asserunt, idolum apud scriptores Ecclesiasticos vocari omne simulacrum, numen aliquod repræsentans, quod honore & cultu dignamur. Non enim simulacrum quodlibet, vel imago numinis cuiuslibet, est idolum, sed tantùm imago numinis falsi, vti docet ex Tertull. S. Cyprianus in Exhort. ad martyrium c. 2. & Athanasius orat. contra idola sub finem.

Caluin. & Abul. putant hîc omnẽ Dei imaginẽ vetari. Ex dictis patet imperitia hæreticorum nostrorum, dum asserunt, omnes omnino imagines hîc iure naturæ vetari. Vnde Caluinus videns quàm absonè hoc dicatur, licet tacitè omnes imagines carpat; tamen asseuerat, non omnes, sed Dei tantùm imaginem hîc vetari: qua in re suffragatur ei à Catholicis Abulensis, qui censet, iure naturæ hîc vetari omnẽ Dei imaginem. Idem asserit Durandus in 3. dist. 9. qu. 2. sed ipse eam putat hîc vetari, iure non naturæ, sed positiuo diuino, de qua re dicam §. sequenti.

Refelluntur Primò. Verùm pari modo hoc refellitur. nam Primò, imago veri Dei non est idolum.

Secundò. Secundò, hîc tantùm aliorum deorum cultus vetatur, vti patet ex antecedẽtibus & sequẽtibus: præcessit enim, ***Non habebis deos alienos;*** sequitur, ***Non adorabis ea, neque coles:*** ergo sculptile quod hîc fieri vetatur, est sculptile vel imago deorum alienorum: alioqui enim non vnum, sed duo, imò tria diuersa hîc ponenda essent præcepta. Vnde sculptile explicans Moses v. 23. ait: ***Non facietis deos argenteos, neque deos areos.*** Sic & Leuit. 19.4. idola vocat ***deos conflatiles,*** vti & alibi sæpè. Imago autem Dei non est alius Deus ab eo, neque cultus imaginis cultus est alterius Dei. Cultus enim imaginis, iuxta tritum axioma S. Basilij & Damasceni, ad prototypum refertur.

Tertiò. Tertiò, certum est Deum non vetuisse omne sculptile aut artem sculptoriam, vtpote qua ipse exornauit Ooliab & Beseleel, eaque vti iussit ad Cherubim effigianda, eademq; vti voluit Mosen in serpente æneo efformando, Num. 21.8. Si ergo determinatum aliquod sculptilis genus tantùm vetuit, vnde illa determinatio petatur meliùs, quàm ex verbis immediatè præcedentibus? videlicet vt sic accipiamus: ***Non facies tibi sculptile,*** id est, sculptiles deos alienos.

Quartò. Quartò, Deus imaginem sui corpoream & sensibilem obiecit oculis Abrahæ, Isaac, Iacob, Isaiæ, Ezechielis, Mosis, aliorumque multorum, cùm eis apparuit: ergo eam non vetuit, quasi iure naturæ illicitam. Nec dicas, Deum in hac sui imagine, lege naturæ vetita, secum dispensasse:

si enim eadem prorsus lege & præcepto naturæ, A quo vetantur dij alij, vetatur & imago Dei veri; ergo sicut in illo dispensare nequit Deus, ita nec in hoc potest.

Resp. Calu. futilis. Respondet Caluinus, temporale tantùm illud fuisse Dei symbolum, quod ad legem perpetuam trahi non debet. Sed inane est hoc effugium: lex enim decalogi æterna & perennis est, & sculptile quod hîc vetatur, omne accipiendū est, tam temporale, quàm perpetuum: alioqui si aliquo tempore detur imago Dei, quæ non sit mala, nec vetita, certè imago omnis natura sua, vel iure naturæ vetita dici non debet. Decalogus enim cōstantia naturæ præcepta continet: ergo sicuti Deus, ne vnico quidem momento idola colēdi facultatem dare potest; ita nec potest sui imaginem exhibere, si illa æquè naturæ, id est Deo Deique cultui per se repugnat.

Obijcit Caluinus, hoc præcepto concomitanter saltem vetari omnem superstitionem, & quidquid Deo aliquo modo est iniurium. Tale autem est, velle Deum, qui purissimus est spiritus, ad corporalia spectra deducere.

Respondeo, indeq; formo quintum argumentum: Imago Dei non est iniuria, neq; inhonorifica Deo; ergo iure naturæ non est vetita. Antecedens probo, Primò, quia angelis, etiamsi purissimi sint spiritus, nulla fit iniuria, si pingantur: ergo nec fit Deo, si pingatur. & ratio est, quia homines corporei non possunt Deum & angelos concipere, nisi per signa corporea.

Hinc Secundò, idem probo ex simili: nam S. Scriptura Deo iniuria non est, cùm ἀνθρωποπαθῶς Deo aures, nares, oculos, manus, pedes, aliaque membra attribuit: quin verò non tantùm dignatus est Deus ad humana verba, & humanæ imaginationis imaginem descendere, sed ad ipsam etiam formam humanam, quando Verbum carō factum, eius figuram admisit. Cur ergo Dei hominis facti memoriam imagine seruare & venerari non liceat? cur rursum menti nostræ ad cælestia tardæ, ex visibili imagine ad inuisibilia ascendere non liceat? non enim deitatem eiusque attributa imagine directè & perfectè expingere, sed tantùm aliquatenus adumbrare conamur, vt Deum menti & memoriæ obijcere, eiusque conceptum aliquem formare possimus: alioqui enim nulla ratione Deum concipere possemus. nam, vt ait Aristoteles, nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu & in phantasia. Intellectus enim nihil concipere potest sine phantasmate; phantasma autem est imago rei visæ, vel alio sensu perceptæ.

Obiectio Caluini. Obijcit Secundò Caluinus, Isaiæ 40. v. 25. de simulacris, siue idolis loquens Deus, *Cui*, inquit, *similem me fecistis?* ergo Deus imaginem sui fieri vetuit.

Resp. Respōdeo, Sensus est, q. d. Cur idola, cur simulacra falsa fecistis Deum vestrum? cur ea mihi adæquastis? cur incommunicabile nomen meum eis dedistis? cur meam potentiam & opes eis attribuistis? vide Ierem. 10. 6. & Sapientiæ 14. 21. Ex eo enim, quòd Gentiles & Iudæi simulacra faciebant similia, imò æqualia Deo vero, hoc ipso etiam faciebant Deum simulacris similem & æqualem. Simile enim, cùm sit relatiuum æquiparantiæ, suo simili est simile; & contrà. Hoc autem magna erat Dei iniuria & vilipensio, scilicet cum æquare statuis saxeis & æreis, aut etiam dæmonibus, qui in ijs colebantur.

An hoc primum præceptū sit partim naturale, partim cæremoniale? Affirmat Gabriel Vasquez. Quæritur hîc vlteriùs, esto imago Dei, & imago aliarum quarumlibet rerum, non vetetur iure naturæ, an saltem illa Iudæis non vetetur hîc, lege Dei positiua? Affirmat Gab. Vasquez l. 2. de Adorat. disp. 4. c. 2. & sequ. censet enim ipse, hoc præceptum, vti & quartum de colendo sabbato, partim esse naturale & perpetuum, scilicet quatenus præcipit cultum vnius Dei, & vetat cultum deorum aliorum: partim esse cæremoniale & temporaneum, quod solis Iudæis sit datum, nunc verò cum iudaismo sit abolitum, scilicet, Non facies imaginem Dei, vel rei alterius. Vnde hoc præceptum, *Non facies tibi sculptile*, &c. sic explicat, q. d. Non facietis, ô Iudæi, vllam effigiem, talem scilicet, B quæ modo adorationi accommodato sit facta, putà vt per se talem sculpatis, vel pingatis, quæ commodè adorari possit. nam si non per se, sed propter aliud, putà ad aliquid aliud exornandum, eam sculpatis, id non veto. Vnde Cherubini arcæ hîc non vetantur: quia nō per se, sed propter arcam tegendam & ornandam sunt facti. Sic & Salomon in templo palmas, aliaq; cælauit & sculpsit, non per se, sed ad ornatum templi. Si dicas, Mosen Dei iussu fecisse effigiem serpentis ænei, eamque per se, non ad ornatum alterius; Respōdet Vasquez, Deum ibi in hac lege sua positiua dispensasse. Huic sententiæ fauet Origen. Tertul. Alexander Alens. Albert. Bonau. & alij, quos citat Vasquez c. 2. & 3.

Verius est hoc primum præceptum tantùm esse naturale. Verùm verius est, hîc non vetari omnes imagines, sed tantùm superstitiosas & idololatricas, ac C proinde hoc præceptum per omnia esse naturale, non positiuum, nec cæremoniale, vti & reliqua omnia decalogi, excepto vnico, putà quarto, quod est de sabbato colendo. ita docent Damascen. Beda, D. Thomas, Burgensis, Caietanus, quos citat Vasquez cap. 1. & passim recentiores cum Franc. Suarez 3. p. q. 54. sect. 2.

Prob. primò. Probatur Primò, ijsdem rationibus, quas paulò antè contra Abulensem & contra Caluinum attuli, atque in primis ex eo, quòd Septuag. sculptile hoc vocent idolum, & Script. passim sculptilia vocet deos alienos. Audi Isaiam c. 44. 9. *Qui formauit deum, &* (id est) *sculptile ad nihil vtile?* vbi deum alienū siue idolū vocat sculptile. & v. 15. cùm ait: *Plantauit pinum, &c. ex eo operatus est deum, & adorauit; fecit sculptile, & curuatus est ante illud.* & v. 17. *Reliquum autem eius* (pini) *deum fecit, & sculptile sibi, curuatur ante illud.*

Secundò. D Secundò, Salomon rex pijssimus, ex se, sine Dei iussu, præter Cherubim arcæ, fecit Cherubinos maximos, scilicet decem cubitorum, qui extendebant alas per totam longitudinem Sancti sanctorum: hæ autem statuæ per se consistebant, vt idola Gentium; ac proinde erant factæ modo accommodato ad adorationem. qua in re Salomon non peccauit; quia non formauit eos ad adorationem, videlicet vt essent quasi idola: ergo hoc præcepto vetantur tantùm idola, non autem imagines per se erectæ, vel adorabiles, id est, quæ ab aliquo impio commodè adorari possent.

Tertiò. Tertiò, idipsum significat vox *tibi*, cùm ait: *Non facies tibi sculptile*, quod scilicet tibi sit instar Dei & idoli. Idē significat id quod sequitur: *Non adorabis ea, & non coles.* quæ ea? nisi sculptilia & idola. hæc enim sola adorantur. ita Caiet.

Quartò. Quartò, alioqui Iudæi non potuissent habere sphæras & globos astronomicos: hi enim per se sunt similitudines & repræsentationes cæli orbiūque cælestium, atque possunt adorari, suntque adorabiles, æquè ac sol, luna & cæli. Rursum, non potuissent domi habere imagines auorũ & proauorum; quod tamen apud Gentes & apud fideles semper fuit solemne, atque magnum incitamentum virtutis. Fateor tamen Iudæos, non ex obligatione huius legis, sed ex deuotione & religione, vt magis abessent ab omni specie idoli & violationis legis huius, spōte sua vix vsos esse imaginibus, & in templis numquam. *Iudæi vix vsi sunt imaginibus, cur?* id enim docet Iosephus, Philo, Origenes, & alij. vnde Poëta Iudæos ita describit:

Qui puras nubes, & cæli numen adorant.

Vnde cùm Pilatus & Petronius, præsides Iudææ, tentassent imagines Tiberij & Caligulæ in templũ inducere, Iudæi vsque ad mortem restiterunt, teste Iosepho 18. Antiq. 4. & 10.

Rursum, eo tempore, iure non positiuo, sed naturali, vetitum fuit Iudæis, ne imaginem Dei in templo, aut alibi publicè toti populo proponerēt, idque ob euidens periculum idololatriæ. Multi enim ex populo rudes & procliues in idola, illam pro numine coluissent: hoc autem periculum non erat in priuatis sapientioribus. Vidit enim Moses, Isaias, & alij Deum in corpore assumpto, quasi in imagine: cur ergo eam expingere non potuissent.

Obiectio. Dices, Cap. 4. v. 15. dicitur: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ.* q.d. Non apparui vobis in aliqua specie, vel imagine, ne vos aliquam similem faciatis: ergo absolutè omnem imaginem vetat in se, & simpliciter; esto finis legis fuerit, ne eam tandem colerent, facerentque idolum.

Responsio. Respondeo, Deus hîc propriè non sancit præceptum de non facienda imagine, sed tantùm narrat, se Hebræis in Sina nō apparuisse per vllam speciem visibilem, ne Hebræi illius imaginem & idolum fabricarent, quod scilicet ipsi colerēt & adorarent. Facilè enim euenisset, vt crassi Iudæi videntes hoc Dei simulacrum, masculum, vel femineum, primò cogitassent, Deum esse talem, scilicet masculum, vel feminam, quem colendo, non Deum verum, sed falsum coluissent. Deus enim verus, non est mas, vel femina, & vicissim Deus mas vel femina, non est verus Deus, sed falsus & fictitius. Deinde sensim mentem & sensum in ipsum simulacrum defixissent, ibique hæsissent, cogitantes illud esse suum numen, non cogitando illam tantùm esse imaginem sui numinis. Id enim factitasse Gentiles & Iudæos, dixi initio huius paragraphi. *Substantia & finis primi præcepti.* Substantia ergo præcepti est, *Non facietis sculptile*, id est *idolum*: finis verò præcepti est, *Vt non colatis, nec adoretis illud.* Facere enim, vel habere idolum, vt idolum, peccatum est, esto illud non colas, nec adores. Duo ergo hoc præcepto vetantur, primum, non facere, nec habere sculptile siue idolum, quasi idolum: secundum, illud non adorare, nec colere.

NEC SIMILITVDINEM OMNIVM QVÆ IN CÆLO SVNT DESVPER] Hic explicat sculptile, vt patet ex Hebræo, scilicet quòd sit idolum, siue similitudo numinis, quod est in cælo, terra, vel aquis.

A ET QVÆ VERSANTVR IN AQVIS SVB TERRA] Mare enim terra non est altius, vt volunt aliqui mathematici, sed inferius & depressius. vnde psal. 23. 2. dicitur, *Quia ipse super maria fundauit eum*, scilicet orbem terræ. terra ergo mari est altior.

NON ADORABIS EA, geniculando & prosternēdo te coram illis, illaque inuocando: ET NON COLES] per oblationes, festa, & præsertim per sacrificia. Hebr. est, *non seruies eis*, scilicet latria, vt explicant Septuag. μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς. q.d. Sacrificio non testaberis, te origine esse seruum idoli alicuius, quasi illud per creationem, summum in te dominij ius obtineat. *Vers 9.*

EGO ENIM SVM DOMINVS DEVS TVVS, DEVS ÆMVLATOR] siue zelotes, vt vertunt Septuag. Zelus hic Dei, ait S. Augustinus contra Adimantum *Zelus Dei quid?*
B c. 11. non cruciatum animi, sed tranquillissimam sincerissimamq; iustitiam significat, qua animam impunè non sinit fornicari. Secundò, zelus hic declarat Dei charitatem, inquit Theodor. qua animam, quasi sponsam suam & vxorem, sibi adimi non permittit. Lex enim vetus instar viri erat, populus erat instar vxoris; si is à lege deficeret, fornicari dicebatur, vt sæpè ei improperant Prophetæ. De hoc amore & zelo zelotis Dei vide S. Dionys. de Diuin. nom. c. 4. p. 1. in fine, vbi ait: *Zelotes dicitur Deus, quia amat creaturas.* nam qui amat, in rem amatam fertur; & quia sæpè quædam impediunt adeptionem rei amatæ, nascitur in voluntate conatus ad ea repellenda, qui dicitur zelus, ait D. Thom.

REDDENS INIQVITATEM (pœnam iniquitatis) PATRVM SVPER FILIOS, IN TERTIAM ET
C QVARTAM GENERATIONEM HIS QVI ODERVNT ME] Aliqui hæc accipiunt de sola iniquitate parētum, eò quòd Deus illam in filijs, etiam innocentibus, subinde ad exemplum cæterorũ, temporali & corporali pœna puniat. ita D. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 8. Hugo Victor. Abulensis, & Vasquez 1. 2. q. 83. a. 4. disp. 135. c. 1. imò Tertull. l. 2. contra Marcion. c. 15. vbi ait, Deum hanc pœnam statuisse ob populi duritiem, vt legi diuinæ obedirent amore, si non sui, saltem liberorum & filiorum suorum. Verùm hoc rarum est, & quasi extraordinarium: vnde cōmuniter Patres accipiunt hunc locũ de filijs, qui peccata parentum imitantur. ita S. Hieron. in 18. Ezechiel. S. August. contra Adimantum cap. 7. S. Gregorius libr. 15. Moral. 22. Chrysost. hom. in illud psalm. 84. *Non in æternum irasceris nobis.* Theodor. Acacius, Seuerus, Diodorus in Catena Græco- *Deus punit peccata patrũ in filios, tum innocentes, tum, & potius, nocentes.*
D rum in Exodi cap. 20. v. 5. & Rabanus ibidem: idque clarè exprimit Chaldæus, tam hîc, quàm Exodi 20. dum vertit, *visitans peccata patrum in filios transgressores*, &c. *quando filij sequuntur peccata patrum*; & noster Interpres, dum vertit hîc, & Exodi 20. *in tertiam & quartam generationem ijs*, vel *eorum qui oderunt me.* vnde Moses Exodi 34. 7. cùm dixisset, *Nullus apud te per se innocens est*, hanc eamdem subtexuit sententiam. Itaque τὸ *his qui oderunt me*, tam ad filios, quàm ad parentes referendum est.

Sensus ergo est, q.d. Ego Deus tam seuerè sum iustus, vt peccata parentum in filios, qui eos imitantur, vindicem, vt tam filij, quàm parentes in filijs suis puniantur. Licet enim videar silere aliquamdiu, si tamen videam filios aut nepotes, ijsdem vestigijs insistere, & mensuram patrum implere, grauior in eos incūbet animaduersio mea, quàm *Sensus huius loci.*

Mensura peccatorũ. quàm si nulla parentum peccata præcessissent. Solet enim Deus non statim ad peccata vindicanda prosilire, sed expectare donec mensuram peccatorum à se definitam, multitudine sua & enormitate homines compleuerint. Hinc illa sunt: *Necdum completa sunt iniquitates Amorrhæorum*, Gen. 15.16. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum, vt veniat super vos omnis sanguis iustus*, Matth. 23. v. 32. & 35. Cùm verò completa fuerit hæc mensura, tunc vno quasi gurgite effundit iram suam Deus, grauiusque punit posteros, non quàm mereantur, sed quàm puniuisset, si soli ipsi peccassent. Exempla sunt in posteris Salomonis, Ieroboam, Manasse, &c.

Obiectio ex S. August. Quare, quod S. August. Enchirid. 46. & ex eo S. Leo epist. 86. hunc locum ita explicant, & dicant, paruulos non solùm obligari peccatis primorum parentum, Adæ & Euæ, sed etiam suorum proximorum parentum, donec reatus ille Sacramento regenerationis soluatur, disputando dictum accipi debet. Iam enim constat è Scriptura & Patribus, tantùm Adæ peccatum transfundi in posteros: in cæteris verò, quemque onus suum laturum.

Alia ex Ezechiele. Dices, Ezechiel. 18. 3. Dominus retractat hanc Iudæorum querulam parabolam: *Patres comederũt vuam acerbam* (id est, peccauerunt) *& dẽtes filiorum, obstupescunt*, aitque se effecturum, vt hæc ampliùs inter eos non vsurpetur parabola: ergo non vindicat peccata patrum in filios.

Respondeo, Loquitur ibi Dominus de filijs insontibus. Iudæi enim parabolam istam iactantes, se insontes & innoxios, ob sola parentum peccata puniri, querebantur. ita Patres citati.

IN TERTIAM ET QVARTAM GENERATIONEM] quousque se ferè patrum protendit vita & scelerum memoria. Notat S. Athanasius tract. de Communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ante finẽ, hîc significari, quòd Dei clementia maior sit eiusdem iustitiâ, in eo quòd peccata patrũ puniat tãtùm in tertiam & quartam generationem: benefacta verò parentum præmiet in millia, id est in mille generationes.

Narrat Plutarch. in Apophtheg. Rom. Artaxerxem Xerxis filium dexteram manum habuisse longiorem sinistra, indeq; dictum Longimanum; cumque id illi vitio verteretur, ipse in bonum omen & regiam virtutem conuertit, dicens, sibi tamquam optimo principi Deum communicasse, vt manum haberet ad largiendũ amplissimam & longissimam; alteram verò, nempe sinistram, ad accipiendum & detrahendum breuissimam & contractam: quippe rege dignius, & *beatius est magis dare, quàm accipere*, Actor. 20. v. 35. Multò magis Deus ad benefaciendum est Longimanus, ad castigandum Breuimanus, ad accipiendum Nullimanus. Nihil enim à creaturis accipere potest; sed potiùs omnia quæ habent, ipse illa eis elargitur. Et in hoc consistit eius beatitudo, opulentia, & bonitas immensa, qua vt mare redundans bona sua communicat, & profundit in angelos & homines.

Posset tamen Secundò, hic numerus definitus pro indefinito accipi; *In tertiam & quartam generationem*, id est in multas generationes, tumque perfecta, & quasi adæquata erit antithesis pœnæ impiorum parentum, cum præmio bonorum. Tria enim & quatuor, perinde ac mille, apud Hebræos denotant magnã multitudinem. Ternario enim, ob mysteriũ SS. Trinitatis, libenter vtitur Script. & per eum, copiam significat. *Ternarius significat copiam.* Hinc illud Isaiæ 40. 12. *Qui appendit tribus digitis molem terræ*. Gen. 18. 6. & Matth. 13. 33. farinæ sata tria. Eccles. 4. 12. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*. sic vulgò dicimus, ter felix, id est maximè felix; ter maximus, &c. ita S. Chrysost. hom. 47. in Matt. vide Riberam in Amos 1. 3.

Tropolog. Tropologicè, inquit S. Hieronymus in c. 18. Ezech. pater est incentiuum vitij, filius est peccatum, nepos est opus perpetratum, pronepos est gloriari de peccato; quæ duo vltima maximè punire solet Deus.

ET FACIENS MISERICORDIAM IN MVLTA MILLIA DILIGENTIBVS ME] *Vers. 10.* Hebr. & Chald. *in mille*, id est in plurimas generationes. En quàm memor est pietatis & obsequij nostri diuina bonitas, quamq; nos hîc amore, vti priùs timore, & metu pœnæ, ad legis suæ custodiam incitat & impellit.

Symbolicè, Nota hîc millenarium symbolum esse Dei, eiusque infinitatis, & infinitæ misericordiæ. Est enim millenarius cubus denarij (decies enim decem faciunt centum: decies centum faciunt mille) & finis omnium numerorum. Sic Deus est cubus, & finis omnium, atque per misericordiam omnes ad se, quasi ad finem eorum vltimum, putà ad æternam felicitatem, reducere conatur.

NON VSVRPABIS NOMEN DOMINI DEI TVI FRVSTRA] *Vers. 11.* scilicet in vanum. q. d. Non adijcies horribile nomen Dei sculptilibus, inquit S. Cyril. l. 4. in Iohan. 51. & Clemẽs 6. Stromat. ante finem; *Secundum præceptum. Explicatur Primò.* Tertull. quoque lib. de Idololatria c. 20. *Non assumes*, inquit, *nomen Dei in vano*, id est in idolo. Verùm illud iam vetitum audiuimus primo præcepto, quo vetatur idololatria: illud idem tamen vetatur quoque hoc secundo præcepto, quatenus idipsum profanatio est nominis diuini. sed hic non est adæquatus huius præcepti sensus; nam & multa alia eo vetantur.

Secundò. Secundò, S. Thom. 2. 2. qu. 122. ar. 3. censet, hoc secundo præcepto solum periurium, propriè & directè prohiberi. vnde & Chald. vertit, *non iurabis in nomine Domini Dei tui frustra*. Quin & Hebræa ita vertas, *non assumes nomen Dei tui ad mendacium*. Hebræum enim שׁוא *scaf*, & vanum & mendacium significat: vti & *vanum* pro mendace, subinde latinè vsurpamus.

Tertiò. Tertiò & optimè, Theodor. et in Exodi 20. & passim Doctores, censent hîc non solùm periuriũ, sed omnem irreuerentiam, & abusum nominis diuini vetari, ne diuinum nomen, ait Theodor. nominetur, præterquam aut doctrinæ causa, aut precationis, aut alicuius necessitatis. Hoc enim clarè significat versio nostra, & Septuag. *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum*.

Nota. Per *nomen Dei*, hîc non tantùm intelligitur tetragrammaton *Iehoua*, vt volunt Hebræi, sed & omnia alia Dei nomina, cuiuscumque sint linguæ: imò de nomine *Iesu*, hoc præceptum maximè accipiendum esse probat Abul. q. 7. in c. 20. Exodi, ex eo quòd nomen Iesus venerabilius sit nomine Deus. *Nomen Iesus venerabilius est nomine Deus.* Deus enim creatorem significat; Iesus verò Deum significat vt redemptorem & saluatorem. vnde nomen Iesus Deo, siue Creatori, nouum & maiorem addit titulum, scilicet Saluatoris.

Moralem exaggerationem huius præcepti, & quomodo vtendum sit nomine Dei, quamque graue peccatum sit eo per periurium abuti, vide apud D. Thomam in opusculo septimo. Vbi inter cætera ait, Iuramento cõfitemur, quòd prima veritas non est nisi in Deo. in hoc autem fit reuerentia Deo. vnde lex iubet, ne quis iuret per idola, sed per Deum. Periurus ergo facit iniuriam Deo, sibiipsi, & omnibus hominibus. Primò, Deo, quia cùm iurare per Deum nihil aliud sit, nisi inuocare eius testimonium; cùm iuras falsum, aut credis Deum nescire verum, & sic ponis ignorantiam in Deo; cùm tamen omnia nuda & aperta sint oculis eius: aut quòd diligat mendacium, cùm tamen dicat Psaltes, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* aut derogas potentiæ: quasi non possit periurium conuincere, aut punire. Secundò, facit iniuriam sibi: quia obligat se iudicio Dei. nihil enim est aliud dicere, Per Deum ita est, nisi, Deus puniat me si non est ita. Tertiò, iniuriatur alijs hominibus: nulla enim inter aliquos societas durare potest, nisi credant sibi inuicem: dubia autem iuramentis confirmantur, & *omnis controuersia finis est iuramentum*, Hebr. 6. 16.

QVIA NON ERIT IMPVNITVS QVI SVPER RE VANA NOMEN EIVS ASSVMPSERIT] Pro *impunitus*, Exodi 20. 7. habetur *insons*, sed *insons* ibi capitur pro impunito, metonymicè, vti & alibi sæpè, vt 1. Reg. 26. 9. Prou. 11. 21. Iam sensus est, q. d. Deus seuerè puniet, vel in hac vita, vel in futura eũ, qui nomẽ Dei in vanum assumit. Est liptote, quæ Hebræis est frequens, vt Michææ 2. 1. *Væ qui cogitatis inutile*, id est peccatum, quod non tantũ inutile, sed & maximè noxium est. 1. Reg. 12. 21. *Nolite declinare post vana* (idola) *quæ non proderũt*, id est quæ maximè oberunt. Ierem. 32. 35. *Quod non mandaui*, id est, quod seuerè prohibui. Sic de Pallante, viro virtute præstanti, ait Virgilius Æneid. 11.

Quem non virtutis egenum
Abstulit atra dies.

Liptote.

Nota. Deus huic secundo præcepto, æquè ac primo, pœnam apponit, vel ob rei præceptæ grauitatem, vel ad coërcendam Hebræorum ad ea violanda procliuitatem.

Ita Deus fame triennali puniuit Israelem, ob periurium Saulis, quo cõtra fidem datam à Iosue, occidit Gabaonitas: vnde eis traditi sunt posteri Saulis, qui ab eis crucifixi sunt, itaq; lues cessauit, 2. Reg. 21. ita ob periurium Sedeciæ regis, Ierusalem, totaque Iudæa euersa est, 4. Reg. 24. & 25. & Ezech. 17. Porro blasphemum Deus lapidari iussit, Leuit. 24. Nota quoque est pœna blasphemi Sennacherib, 4. Reg. 19. Paulus quoque blasphemos tradidit Satanæ, 1. Timoth. 1.

VERS. 12. *Tertium præceptum.* OBSERVA DIEM SABBATI, VT SANCTIFICES EVM] Hîc, vti & Exodi 20. perfectum de sabbato colendo datur præceptum, cuius præludium & inchoatio in manna præcessit, Exodi 16. 23. imò in genesi mundi: exinde enim coli cœpisse sabbatum, ostendi Gen. 2. 3.

Lex sabbati partim naturalis, partim cæremonialis. Nota. Præceptum hoc, quatenus diem, & tempus aliquod Dei cultui publico & externo dandum præcipit, morale est & naturale: hoc enim faciendum esse, dictat lex naturæ. quatenus verò diem septimum, siue sabbatum ad hoc determinat, eoque quiescere iubet, cæremoniale est, ideòque iam in lege noua abolitum. ita D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1.

A Nota Secundò. Sabbatũ, id est quies Dei, quo scilicet Deus ab opere creationis cessauit die septimo mundi, sacramentum fuit, & causa legalis & cæremonialis huius festi sabbati. Hoc festũ rursum, allegoricè typus erat sabbati, id est quietis, qua Christus quieuit in sepulchro eodẽ die. Tropol. verò typus erat sabbati nostri, quo à peccatis cessare debemus, de quo vide Athanas. hom. in illud, *Omnia mihi tradita sunt.* & S. Hieron. in c. 59. Isaiæ, & S. Gregorium lib. 11. Registri epist. 3. Anagogicè verò sabbatum typus erat & causa sabbati & quietis æternæ in cælis, vti docet S. Paulus Hebr. 4. 3. nam, vt ait S. Iohannes Apoc. 14. 13. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescãt à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Vnde Rupertus hoc præceptum anagogicè sic expo[illegible], q. d. *Memento, vt diem sabbati sanctifices*, id est, in omnibus operibus tuis Dei retributionem, & requiem æternam paratam attende. B

Sabbati sacramẽta & significata alleg. tropol. anagog.

Quæres, quæ fuerit origo sabbati? Gentiles, ait Diodorus in Catena Græcorum Exodi 20. censebant, Hebræos in honorem Saturni sabbatum colere: diem enim septimũ vocant ipsi diem Saturni, sicut primum vocant diem Solis, secundũ Lunæ, tertium Martis, &c. Seneca verò, teste S. August. 6. Ciuit. 11. ridet Iudæos, quòd septimam ætatis & vitæ partem otiando perderent. Tertiò, Plutarchus libr. 4. Symposiac. quæst. 5. censet, Iudæos in honorem Bacchi, qui Sabbos dictus est, sabbatum celebrare. Quartò, Apion apud Ioseph. libr. 2. contra eumdem, narrat, Iudæos Ægypto exeuntes, laborasse vlceribus inguinum, quæ Ægyptij sabbo vocabant, eaque septimo die cessasse; ideoque eum diem ab illis sabbatum esse vocatum ac celebratum. C Sed hæc Gentilium sunt commenta & calumniæ. Quintò, Lactantius libr. 7. Institut. cap. 14. censet sabbatum dici à septem, quasi dicas, septimus dies. Verùm patet, sabbatum non Latinam, sed Hebræam esse vocem, ac significare quietem, à radice שבת *sabat*, id est quieuit.

Origo sabbati iuxta Gentiles. Primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.*

Dico ergo, Prima origo & causa instituendi sabbati fuit, vt homines sabbato opus creationis, & beneficium institutæ à Deo naturæ, conditique vniuersi expenderent, vt patet Genes. 2. v. 3. & hic v. 14.

Primaorigo & causa sabbati.

Secunda causa fuit, vt Hebræi in sabbato laboriosæ seruitutis Ægyptiacæ, & ab ea liberationis memoriam celebrarent; hæc causa datur hîc v. 15. vnde & pridie sabbati egressi sunt ex Ægypto, vti ostendi Exodi 12. 41. D

Secunda.

Tertia fuit, vt sabbatum dicatum Deo, signum esset electionis diuinæ, qua Deus Israelem, præ alijs gentibus, sibi in populum adoptauit. Hæc causa significatur Exodi 31. v. 13. vnde sabbato Iudæi à Gentibus secernebantur. hinc Ouidius:

Tertia.

Cultaq; Iudæo septima sacra viro.

Quarta, vt sabbato, à laboribus totius septimanæ, daretur requies seruis, ancillis & animalibus, ne nimio labore opprimerentur. Hæc causa datur hîc v. 14.

Quarta.

Symbolica causa est: quia septenarius numerus est mysticus, quo multùm vtitur S. Script. significat enim integrum rei complementum, sicut hebdomas dierum continua & perpetua eorumdem est reuolutio. hinc sabbatum erat septimus dies: sic septimus annus erat libertatis, & sabbati terræ;

Causa symbolica.

Septenarius significat plenitudinem.

terræ; septem hebdomadæ dierum, erant pentecoste; septem hebdomadæ annorum, erant iubileum. Hinc septenarius in Script. significat plenitudinem & vniuersitatem, inquit S. Augustinus, vt patet 1. Reg. 2. 5. in Hebræo, Ierem. 15. 9. Ecclesiastæ 11. 2.

Arithmetica. Septenarius est virgo sine patre & matre.

Causam huiusce rei arithmeticam dat Philo l. de Mundi opificio: Septenarius, inquit, solus intra denarium, nec gignit, nec gignitur, sine patre est & matre. Vnde Pythagoræi eum vocant virginem: hinc congruit Deo & rebus diuinis, ideoque

Ἱερὰς quasi septas à cultu. Græca aspiratio in s vertitur.

Græcum eius nomẽ ἑπτὰς, à veteribus dictum est septas, ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ, id est à cultu & reuerentia: Sic enim Græca aspiratio sæpè in literam s vertitur, teste Prisciano, vt ex ἁλς factum est sal, ex ὑπὲρ super, ex ὗς sus, ex ὕλη sylua, ex ἡμιου semis, ex ἕξ sex, ex ἑπτὰ septem, ex ἕρπω serpo.

Physica.

Physicam congruentiam dat S. Hieron. in Amos 5. Galenus, inquit, docet, febres ardentissimas septimo die solui; si non primo, secundo, id est decimoquarto die; si non secundo, tertio, id est, vigesimoprimo die, vt omnes labores & molestiæ septenario numero conquiescant.

Septenarius est nodus rerum omnium.

Cicero in Somnium Scipionis, ait septenarium esse nodum & plenitudinẽ rerum omnium: quia scilicet, Deus est vnitas, à quo fluit senarius creaturarum, videlicet angeli, elementa, mixta inanima, stirpes, bruta, & homo: deinde septimo rursus ad primam vnitatem, scilicet Deum, reuertimur, in eaque definimus, à quo, per quem, & in quem omnia sunt dirigenda; vt explicat Andreas Masius in Iosue 6. 13.

Senarius significat mortalia, septenarius immortalia.

Hinc Philo l. 1. Allegor. ait, senario significari mortalia: quia senarius est diuisibilis: septenario verò, quia secari nequit, significari felicia & immortalia. Vnde Deus sex diebus compleuit opus suum, scilicet mortale; septimo verò ab eo quieuit, sed alias diuiniores formationes incepit. Errat verò Philo in eo, quod subdit: *Nam rusticanæ simplicitatis est putare, sex diebus, certoq; tempore, quod mundo posterius est, mundum esse conditum*; vbi sex dies creationis mundi non literaliter, sed symbolicè accipit, quod & fecit aliquando S. August. qua de re dixi Gen. 1.

Plura de perfectione septenarij videat qui volet apud Philonem, & Macrobium libr. 1. in Somnium Scipionis c. 6. & A. Gellium l. 3. & Andr. Masium suprà.

VT SANCTIFICES EVM] q. d. Obserua & celebra sabbatum, quasi sanctum, & à reliquis diebus separatum, quietiq; & recolendo creationis
D
operi, alijsq; Dei beneficijs, dicatum, cuius finis vt te moneam, addidi vocẽ *memento*, Exodi 20. 8. Hæc ergo sanctificatio sabbati, quæ hîc directè præcipitur, nõ erat alia, quàm vacatio ab omni opere, vt patet v. 14 & Exodi 20. 10. nam colendo hoc modo sabbatum, vt iusserat Deus, tacitè profitebantur Hebræi, Deum creatorẽ esse & largitorem bonorum omnium. Finis verò præcepti erat, vt otium haberent vacandi Deo rebusq; diuinis, & Dei beneficijs recolẽdis. vnde Exodi 20. 11. dicitur, quòd Deus benedixerit & sanctificauerit sabbatum, videlicet hoc ipso, quo sabbatum ab alijs diebus, ad sui cultum iam dictum segregauit.

Scribit Iosephus l. 7. Belli 24. & Plinius l. 31. 2. in Iudæa fluuium esse qui per sex dies fluat, septimo fluere desinat, relinquatque alueum siccum, ideoque eum *sabbaticum* vocari.

A

Nota. Sabbati summa erat solemnis, præ cæteris festis omnibus. Vnde nec cibũ in eo parare licebat, vti de manna vidimus Exodi 16. v. 29. nec ignem accendere, vt patet Exodi 35. v. 3. quæ tamẽ in alijs festis facere licebat. Hinc factum est, vt nomẽ *sabbati* omnibus alijs festis communicaretur, omniaq; vocarentur sabbata, vt patet Leuit. 23. v. 11. 24. 33. imò & tota hebdomada, à potiori sui parte & die, vocaretur sabbatum (hinc ait Pharisæus: *Ieiuno bis in sabbato*, id est in hebdomade) atq; à sabbato reliqui dies denominarentur; vt prima sabbati, siue post sabbatum, erat dies Dominica; secunda sabbati, erat dies lunæ, & ita consequenter. vide S. Hieron. epist. 150. ad Hedibiam qu. 4. Vsurpatur autem subinde pluralis pro singulari, idemque est *sabbata & sabbatum*, vt vna sabbatorum est prima sabbati. Vide Riberam l. 5. de Templo c. 1.

Sabbato non licebat coquere, nec ignem accendere.

Sabbatum pro quolibet festo, imò pro hebdomada tota capitur.

B

De mutatione sabbati, quo creatus est mundus à Deo, in Dominicum, quo recreatus est mũdus à Christo resurgente, deque cultu Dominicæ à Christianis debito, vide S. Thom. in opusc. 7. vbi inter cætera docet, quòd fideles in festis tam ab otio, quàm ab opere seruili abstinere debeant. nam, vt ait Eccles. c. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Fideles ergo in festis occupari debere, Primò, in sacrificijs tum internis, vt sunt deuotio, oratio, gratiarum actio, compunctio, actus fidei, spei & charitatis: tum externis; hinc Iudæi in sabbato duplicabant sacrificium iuge, Num. 28. 9. Secundò, in lætitia spiritali. Tertiò, in carnis & concupiscentiarum mortificatione, vt exhibeant corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo
C
placentem, Rom. 12. 1. Quartò, in actibus misericordiæ. Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Iacobi 1. v. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quintò, in legendo & audiẽdo verbum Dei, aliaque pia. Hoc enim Iudæi faciunt etiam hodie. Act. 13. *Voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur.* Nam, vt ait Christus Iohan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

Hinc in Concilio Carthag. IV. cap. 84. excommunicantur, qui die solemni, Ecclesiæ conuentu prætermisso, vadunt ad spectacula.

Peccant ergo fideles, qui audita Missa otio vacantes, totum diem in chartis vel aleis, aut in choreis inhonestis, ebrietatibus, comessationibus, alijsq; peccatis & vanitatibus transigunt; quod in Concil. Tolet. III. c. 22. grauiter prohibetur. In eos etiam detonat Malach. c. 2. *Ecce ego proijciã vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assument vos secum.* & Isaias c. 1. *Solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.*

Porro fructus & præmia colẽtium festa describit Isaias c. 58. cùm ait: *Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo; & vocaueris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, tunc delectaberis super Domino.* en primus fructus, qui est suauis quædam voluptas spiritus in rebus ad Deum pertinentibus. *Et sustollam te super altitudines terræ.* en secundus. q. d. Faciam vt magno animo contemnas omnia terrena, eaque cum S. Paulo arbitreris vt stercora. *Et cibabo te hereditate Iacob patris tui.* en tertius. q. d. Replebo te

te spiritualibus bonis in hereditate cælesti. Denique adijciet Deus & temporalia bona, vti promittit ipse Leuit. 16. v. 2. & 4.

Qui verò festa violant puniuntur Primò, in corpore, putà morbis & casibus, vt crura vel brachia sibi frangant laborando. Secundò, in bonis damna patiuntur, à furibus spoliantur, eorum equi, boues, &c. moriuntur, domus conflagrat, &c. fiuntque pauperes. Tertiò, bonis spiritualibus priuantur. Peccant enim Primò, in Deum Patrē, cuius potentia die Dominico mundum creauit. Secundò, in Filium, qui eodem die nos redemit. Tertiò, in Spiritum sanctum, qui eodem die ad nos missus est.

Audi Ierem. c. 17. *Si non audieritis me, vt sanctificetis diem sabbati, & ne portetis onus, &c. succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem, & non extinguetur.* Audi Ezech. cap. 20. *Sabbata mea violauerunt, dixi ergo, vt effunderem furorem meum in deserto, & consumerem eos.* Vide 2. Esdræ 13. 15. Ita Deus violantem sabbatum morte punit, Exodi 31. 14. & Num. 15. 35. vide & 2. Machab. 15. 4. & seq. vbi Nicanor contemnens sabbatum Iudæorum, ab eis cæditur. Vide Gregor. Turon. de Gloria Confess. c. 81. vbi narrat, contemnētem festum B. Mariani igne fuisse punitum. & c. 99 narrat de alio, qui in festo laborans, colli & faciei contorsione punitus est.

VERS. 14. *Opus quod, vetitū sabbato, quod non.*

NON FACIES IN EO QVIDQVAM OPERIS] intellige seruilis, vti exprimitur in simili Leuit. 23. v. 28. & non necessarij: poterant enim sabbato iumenta adaquare, ex fossis extrahere, &c. vti docet Christus Matth. 12. v. 3. & sequent. item ægros curare, vti fecit Christus. Nam, vt ait Tertull. lib. 4. contra Marcion. 12. *Opus salutis & incolumitatis, non est opus hominis, sed Dei.* Multò minùs vetatur hîc opus spirituale, quale est omnis actio pia & religiosa. hæc enim sabbatum decet & ornat.

Iudæi superstitiosè coluerunt, & etiamnum colunt sabbatum, vt ab omni prorsus opere abstineant. hinc Christum persecuti sunt vsq; ad mortem, eò quòd sabbato ægros curaret. Tritum est illud de Iudæo in Anglia, qui in foueam sabbato cadens, nolensq; extrahi, à Christiano iudice coactus est & Dominico in eadem remanere. cùm enim ille diceret:

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo;

respondit iudex, vti referunt Annales Angliæ:

Sabbata nostra quidem, Salomon, celebrabis ibidem.

Quin & Machabæi sabbato pugnare & se defendere noluerunt; sed suorum strage edocti, consilium & mentem mutarunt, 1. Machab. 2. 38. & sequent.

ET PEREGRINVS QVI EST INTRA PORTAS TVAS] q. d. Negotiator, siue quis alius alienigena, etiam incircumcisus & Gentilis, cùm tecū est, publicum loci festum non violet, sed seruet tecum otium sabbati. ita Caietanus, & alij.

VERS. 16. *Quartum præceptum.*

HONORA PATREM TVVM, ET MATREM] *Honora*, Primò, amando; Secundò, reuerentiam internam & externam exhibendo; Tertiò, obediendo; Quartò, iuuando & subueniendo. hæc enim quatuor complectitur honor, hæcq; parentibus sunt debita. vnde Script. sub honore etiam munera donaq; accipit, vt patet 1. Timoth. 5. v. 3. & 17. atque de ijs etiam hoc præceptum intelligit Christus, Matth. 15. 6. vt ibi notat S. Hieron.

Honor quadruplex debitus parentibus.

A Exemplum memorabile pietatis in parētes refert Plinius l. 7. c. 36. *Humilis*, inquit, *in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicij causa carceri inclusam matrem, cùm impetrasset aditum à ianitore, semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est vberibus suis alens: quo miraculo matri donata salus filiæ pietate est, ambæq; perpetuis alimentis: & locus ille dea Pietati cōsecratus est, templo Pietati extructo in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est.* Idem fecit filia Cimonis ducis; *hac enim Cimonem cōsimili fortuna affectum, partiq; custodia traditum, iam vltima senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit*, inquit Valerius Max. l. 5. Illustre quoque est quod refert Fulgos. l. 5. c. 4. de Toletano homine, cuius pater faber aurarius à Petro primo rege Castulonis ob falsas suspiciones ad mortem damnatus erat: hic enim eius filius amore in patrem singulari, lacrymis precibusq; agere non destitit, vt B seruato patre ipse pro eo occideretur. Quod assecutus vitamq; amittens, vitam dedit patri à quo vitam acceperat. Ibidem narrat Alexiū Isaaci Imp. Constant. filium, patrem à fratre imperio oculisq; orbatum in regnum armis restituisse; & quamquam omnes eum Imperatorem salutarēt, ipsum tamen hoc nomen cum imperio in patrem resignasse. Insigne quoque est quod narrat Egnatius l. 5. c. 4. de Cardinali Grimano, qui pro patre Antonio carceri se obtulit.

VT LONGO VIVAS TEMPORE] Vnde Ephes. 6. primum hoc mandatum dicitur in promissione: æquum enim est, vt filij, qui grati sunt parentibus de vita accepta, longam eius conseruationem mereantur, vti dixi Ephes. 6. 3. vide & S. Thomam C in opusc. 7. vbi inter alia ait: post Deum iuberi statim, coli parentes, ob similitudinem quam habent cum Deo. nam Primò, dant filijs stabilimētum quoad esse. Eccles. 7. *Gemitus matris tuæ non obliuiscaris. memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Secundò, dant filijs nutrimentum; Tertiò, documentum, maximè vt timeant Dominum, & abstineant ab omni peccato. illi filios ad Sacramenta, ad fidem, ad religionem, ad mores Christianos erudiunt & deducunt. Exemplum illustre est in Tobia.

Addit D. Thomas filios à parentibus accipere vitam, sicut milites à rege accipiunt feudum, vt, si ei sint fideles, eius conseruationem; sin infideles, eius priuationem mereantur. Affert ex Cassiodoro & S. Ambros. 5. Hexam. exemplum ciconiarum, quæ, cùm parentes senuerunt, eos D plumis suis fouent, escasque afferunt, & pia vicissitudine iuuenes reddunt, quod à parentibus paruuli susceperunt. Vide nouem benedictiones morigeris filijs promissas, quas recensui Gen. 9. v. 23. & 26.

Notat Abul. quòd qui honorat parentes, licet citò moriatur, diu tamen vixit: quia tempus mensura est actuum, non otij. vnde Sap. 4. dicitur: *Cōsummatus in breui expleuit tempora multa*; & sic omnes boni sunt longæui. Sed hic sensus mysticus est, & subtilior quàm solidior.

Longæuitas quend promissa pijs filijs. Prima. Tempus est mensura operationis non otij. Secunda. Tertia, litteralis.

Secundò, S. Hieron. in Ephes. 6. sic explicat, *vt longo viuas tempore*, in terra scilicet, non morientium, sed viuentium, id est in cælo. Verùm sequentia verba, tam hic, quàm Exodi 20. 12. significant, terram hic intelligi promissam Israelitis, scilicet Chanaan. q. d. Si honores parentes, in terra Chanaan lacte & melle manante, longæuus viues.

ues. Fecit & præstitit id Deus rudi illi populo, vel certè idipsum meliori dono & gratia spirituali compensauit, vti etiamnum facit. Hoc longæuitatis præmium, quasi lege & talione quadam naturæ, filijs morigeris competit. Vnde & à Gentilibus cognitum fuit, ac experimentis sæpiùs comprobatum. Ita Homerus Iliad ρ. putà 17. de Hippothoo: *Nec nutricationis*, inquit, *vicem parentibus reddidit, & ideo breuis illi cõtigit vita.* Et Plato cùm in libris de Legibus honorem parẽtibus debitum commendasset, ita concludit: *Quòd si ita exactè seruauerimus, digna à Dijs præmia referemus, plurimum bona cum spe viuentes.*

Vers. 17. *Quintum præceptum.* Non occides] Vetat hic occisionem hominis, non bruti aut plantæ, vti intelligebant Manichæi. vide S. August. 1. de Ciuit. 20. & 21. idq; patet ex Hebræo. Soli enim homini competit verbum רָצַח ratsach, id est occidit: vnde מְרַצְּחִים meratsechim vocantur homicidæ.

Sub homicidio vetãtur verbera, rixa, ira, &c. Vetat ergo hic Deus iniustam hominis occisionem (qualis est ea, quæ fit priuata auctoritate, nisi fiat ad necessariam sui suorumùe tutelam) item verbera, rixas, & iram, quæ huc tendunt, suntque quasi via & inchoatio homicidij. Vide D. Thom. in opusc. 7. pulchrè homicidij & aliorum vitiorum hic vetitorum, deformitatem describentem.

Vers. 18. *Sextum præceptum.* Neque moechaberis] Vetat hic Deus omnem cõcubitum extra matrimonium, omnemq; membrorum illorum, quæ generationi destinata sunt, abusum, scilicet fornicationem, adulterium, incestum, sodomiam, bestialitatẽ, pollutionem, vitiaque hisce cognata, vti sunt oscula, verba, aspectus, tactus & gestus impudici. Ex parte enim *Sub mœchia vetatur quæuis libido.* notiori & famosiori, putà mœchia, siue adulterio, totum libidinis genus, omnesq; eius species intelligi voluit. ita S. August. qu. 71. Ex hoc ergo loco, ex communi interpretum sententia patet, fornicationem simplicem, quæ est soluti cum soluta, vti & quamuis libidinem extra coniugium, iure naturæ & diuino esse vetitam. Licet ergo Moses in Pentateucho fornicationem hanc disertis & expressis verbis non vetuerit, tamen eam hoc loco vniuersali præcepto comprehendit & vetuit. Fornicationem verò cum coniugata, vel desponsata, expressè vetuit Deut. 22. 21. & sequ. quia hæc est adulterium, quo fit iniuria tertio, scilicet sponsæ, ipsique matrimonio, vel sponsalibus. Fornicationem simplicem hic vetari, sicque intelligendum esse præceptum, *Non mœchaberis*, senserunt & docuerunt veteres Hebræi. Vnde Tobias cap. 1. *Attende*, inquit, *fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam, numquam patiaris crimen scire.* Et Eccli. cap. 19. 3. *Qui se iungit fornicarijs, erit nequam: putredo & vermis hereditabunt illum.* Vide dicta 1. Corinth. 6. 9. Idem colligitur ex Ezech. c. 16. & c. 23. & alibi passim. Prophetæ enim sæpè comparant idolo latriam fornicationi, quasi rei turpi, illicitæ & infami.

Notat D. Thom. mœchum & mœcham violare Primò, legem naturæ; Secundò, ordinationem Dei; Tertiò, Sacramentum matrimonij, ideoque committere sacrilegium; Quartò, esse proditores: quia subtrahunt se suis maritis vel vxoribus, seq; tradunt alienis. Quintò, esse fures: quia faciunt vt bona virorum vel vxorum veniant ad alienos, putà ad filios adulteri. vide Prouerb. 2. 16. Pœnas adulterij apud varias gentes recensui Gen 38. 19.

A Fvrtvmqve non facies] Pari modo vetatur hic omnis illicita vsurpatio rei alienæ, ait S. August. Notat Philo lib. de Decalogo post initium, Deum in concione & cœtu tam multorum millium Hebræorum, singulos compellare, non omnes, nec plures. dicit enim: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies; non autem, Non occidetis, non mœchabimini, non furtum facietis. Vers. 19. *Septimum præceptum vetat vsurpari rem alienam. Cur Deus singulos hîc compellet.*

Prima causa. Idque Primò, vt doceret vnumquemque, dum Deo Deiq; legibus paret, honore æquari frequentissimo populo, imò & mundo vniuerso. vnde alibi iustum laudans ait: Ego sum Dominus Deus tuus. Secundò, vt quisque legi redderetur obsequentior, dum sibi, non turbæ, dictum audit, id *Secunda.* quod præcipitur. Tertiò, vt ostẽderet Deus, quanti quemque faceret, vtpote quem ad oraculorum *Tertia.* B suorum epulum inuitat, quantiq; principes & magistratus ciues suos etiam abiectissimos æstimare, quamque decenter & æquè cum eis agere, eosque compellare debeant, vtpote quos Rex regum tanto dignatur honore.

Nec loqveris contra proximvm tvvm falsvm testimonivm] A principaliori crimine falsi testimonij, cætera quoque minora ei affinia intellige, putà detractionem, contumeliam, irrisionem, susurrationem, omnemque aliam iniuriam quæ proximo per verba irrogatur; denique omnem linguæ abusum. ita D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 6. Vers. 20. *Octauum præceptum vetat omnẽ linguæ abusum.*

Audi quantum peccatum sit detractio. Primò, ex S. Script. Eccl. 10. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occultè detrahit.* Prou. C 24. 9. *Abominatio hominum detractor.* & v. 21. *Cum detractoribus non commiscearis: quoniam repentè consurget perditio eorum.* Eccli. 28. 15. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Roman. 1. 30. *Detractores Deo odibiles.* Denique Scriptura passim detractorum linguam comparat gladio, nouaculæ acutæ, armis & sagittis. Secundò, ex Doctoribus & Patribus, qui grauius peccatum docent esse detractionem, quàm sit furtum & rapina: tollit enim famam, quæ auro est præstantior. S. Hieron. in psalm. 100. ait eam esse peiorem fornicatione. S. Petrus apud Clement. epist. 1. ad S. Iacobum eam æquiparat homicidio: multi enim malunt perdere vitam quàm famam. S. Chrysost. hom. 3. ad popul. *Detrahens*, ait, *fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti.* hæ sunt Thyestææ cœnæ. S. Bernard. de triplici custodia, manus, linguæ & cordis, linguam detrahẽ- D tem ait esse viperam & lanceam trisulcam; quæ ictu vno tres confodit, scilicet dicentem, audientem, & eum cui detrahitur. Ait quidam, maximam hominum partem ob hoc crimen interire. Plura vide apud P. Busæum in Panario, Canisium & Felis. in decal.

Non concvpisces vxorem proximi tvi] Nota. Concupiscentia vetatur speciali præcepto: quia plerique putabant sexto præcepto, *Non mœchaberis*; & septimo, *Non furtum facies*, tantùm vetari actum externum, internum verò non esse vetitum, nec cauendum: quin & post datam à Deo legem, Ioseph. 12. Antiqu. 13. id putasse videtur, vti & Iudæi alij. quos corrigit Christus Matth. 5. v. 23. & 29. quasi hoc præcepto, *Non concupisces*, tantùm vetetur conatus exterior ad facinus complendum: sed ille iam vetitus est sexto Vers. 21. *Nonum præceptum vetat concupiscentiã vxoris alienæ. Iudæi putabant concupiscentiam internã non esse peccatũ.*

&

& septimo præceptis: & vt is hoc præcepto vetetur, nō tam quia exteriùs se prodit, eo vetatur, quā quia à mala voluntate procedit. illa enim in se mala (ideoque vetita) virus malitiæ suæ actui externo instillat, eamque propriè hæc verba significant & prohibent, cùm dicitur, *Non concupisces.* vnde colligas, omnem alium voluntatis motum, præceptis alijs aduersantem, pariter ijsdem vetari, quando concupiscentia feminarum & bonorum, ad quam naturaliter maximè procliues sumus, hîc vetatur.

Error Caluini, hîc vetari omnē concupiscentiā, etiā inuoluntariam.

Hæretici, Lutherus & Caluinus in alio sunt extremo: censent enim vetari hîc concupiscentiam, quæ è peccato originali est reliqua, putà, motus appetitus sensitiui & voluntatis inordinatos, qui rationem & liberum voluntatis assensum præueniunt. Verùm hoc esse falsum, & tantùm voluntariam concupiscentiam, siue consensum voluntatis in illicitas delectationes, hîc vetari, multis ostendi Rom.7.7.

Decimum præceptum vetat concupiscentiā rei alienæ.

Non domvm, non agrvm] Post concupiscentiam vxoris nono præcepto vetitam, decimo hoc vetat concupiscentiā rei alienæ. hæc enim distinguenda esse ostendi v.7. Hîc ergo rectus ordo præceptorum seruatur, qui Exodi 20.16. non seruatur, nisi à Septuag. ibi enim Mosi non fuit propositum, seruare ordinem; sed tantùm ipsa præcepta enarrare.

Moral. concupiscentia vetita est ob sex rationes. Prima.

Moral. D. Thom. opusc.7. *Concupiscentia,* inquit, *vetita est, primò propter concupiscentiæ infinitatem. concupiscentia enim quid infinitum est. Quilibet autem sapiens debet intendere finem aliquem: imò nullus debet ire per viam infinitam. Eccles.5. Auarus non implebitur pecunia. Isaiæ 5 Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Et quòd concupiscentia nunquam satietur, ratio est, quia cor hominis factum est ad recipiendum Deum. Vnde August. in 1. Confess. Fecisti nos Domine ad te: & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Id ergo quod minus est Deo, ipsum implere non potest. Psal.102. Qui replet in bonis desiderium tuum.*

Secunda.

Secundò, quia aufert quietem quæ multum est delectabilis. Semper enim cupidi solliciti sunt acquirere non habita, & habita custodire. Eccles.5. Saturitas diuitis non sinit eum dormire. Matt.6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. & ideo Christus Lucæ 8. diuitias spinis assimilauit: vt dicit Gregor.

Tertia.

Tertiò, quia causat in diuitijs inutilitatem. Facit enim diuitias esse non vtiles, nec sibi, nec alijs. Non enim vtūtur eis nisi conseruando. Eccli.14. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia.

Quarta.

Quartò, quia tollit iustitiæ æquitatem. Exod.23. Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Eccli.31. Qui aurum diligit non iustificabitur.

Quinta.

Quintò, quia necat charitatem Dei & proximi: quia secundùm August. quanto magis habet quis de charitate, tāto minus de cupiditate; & è conuerso. Eccli.7. Neque fratrem charissimum auro spreueris. necat etiam charitatē Dei: quia sicut nemo potest duobus dominis seruire, ita neq; Deo & mammonæ, vt dicitur Matt.6.

Sexta.

Sextò, quia producit omnem iniquitatem. est enim radix omnium malorum: & ideo si in corde radicata est, & homicidium, & furtum, & omnia mala operatur. & ideo dicit Apostolus 1.Timoth.6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Porro quomodo concupiscentia superanda sit, ita prosequitur:

Concupiscentia vincitur quatuor modis. Primò.

Vincitur autē quatuor modis. Primò, occasiones exteriores fugiendo, vt putà malam societatem, & omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum. Eccli.9.5. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuā à muliere compta, & ne circumspicias speciē alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt. & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Prou.6. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? & ideo præceptum fuit Lot, vt fugeret ab omni circà regione. Gen.19.

Secundò.

Secundò, cogitationibus aditum non præbendo: quia occasio sunt excitandæ concupiscentiæ; idq; faciendum est per carnis afflictionem. 1.Cor.9. Castigo corpus meum, &c.

Tertiò.

Tertiò, orationibus insistendo: quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. Sap.8. Sciui quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Matth.17. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem & ieiuniū. Si enim duo pugnarent, & velles vnum iuuare, alterum verò non: oporteret primo auxilium dare, secundo verò subtrahere. Inter spiritū autem & carnem est prælium cōtinuum. Vnde oportet, quòd si vis quòd spiritus vincat, quòd des ei auxilium; & hoc fit per orationem: carni verò subtrahas; & hoc per ieiunium. Nam caro per ieiunium debilitatur.

Quartò.

Quartò, licitis occupationibus insistendo. Eccli.33. Multam malitiam docuit otiositas. Ezech.16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ: superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium. S. Hieron. Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum: inter omnes autem occupationes melior est studium Scripturarum. Hieron. ad Paulinum, Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Tropolog. decē præceptis decē vitia superantur.

Hæc ergo sunt decem præcepta, quibus, ait S. August. quasi decem chordis, decem bestiæ, id est vitia, superantur. tangis primam chordam, id est primum præceptū, cadit bestia superstitionis. tangis secundam, & cadit bestia periurij, & nefandarum hæresum. tangis tertiam, & cadit bestia amoris sæculi. tangis quartam, & cadit bestia impietatis. tangis quintam, & cadit bestia crudelitatis. tāgis sextam, & cadit bestia libidinis. tangis septimā, & cadit bestia rapacitatis. tangis octauam, & cadit bestia falsitatis. tangis nonam, & cadit bestia adulterinæ cogitationis. tangis decimam, & cadit bestia cupiditatis.

Qvid est omnis caro, vt avdiat vocem Dei viventis, &c. et possit vivere?] q.d. Nihil est omnis homo, nullarumque virium, vt tam terribilem Dei præsentiam & vocem audire & sustinere possit, quin protinus in animi vitæque deliquium incidat, nisi quasi miraculosè à Deo roboretur & conseruetur. Sic Daniel c.10. ait ad angelum: *Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me virium.* Illa enim lege veteri, quæ erat timoris & seruorū, Deus, vel potiùs angelus vice Dei, etiam Sanctis se terribilem, æquè ac augustum exhibebat, eosque percellebat. Hinc parentes Samsonis, ex illa communi hominum illius æui concepta opinione, ob visum Dominum, se morituros putabant, Iudic.13.22. vide dicta Exodi 33.20. Vers.26.

Deus olim apparebat terribilis, ita vt eum videntes putarent se morituros.

Tv vero hic sta mecvm] Moses enim, proclamante Deo decalogum, aliquantum remotus stabat à populo, in ascēsu montis Sina: inde iussus est à Deo descendere ad populū, vt ei præciperet redire ad castra, quo facto rursus ascendit ad cacumen & caliginem Sina, ibiq; manens quadraginta Vers.31.

diebus

diebus & noctibus, audiuit à Deo alia præcepta, iudicialia & cæremonialia, quæ doceret populum, ibique tabulas lapideas decalogo inscriptas à Deo, id est ab angelo Dei, accepit.

Vers. 32. NON DECLINABITIS, NEQVE AD DEXTERAM NEQVE AD SINISTRAM] quia custodia legum est & dicitur via ad Deum, cælum & beatitudinem; hinc Scriptura dat ei dexteram & sinistram.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses refricat, & inculcat præceptum diligendi Deum ex toto corde. Secundò, v.10. hortatur vt Dei legisq. Dei semper sint memores in Chanaan, promittens, si id faciant, terræ fertilitatem & prosperitatem.

1. HÆc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam: 2. vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filijs ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui. 3. Audi Israel, & obserua, & facias quæ præcepit tibi Dominus, & bene sit tibi, & multipliceris ampliùs, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem. 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est, 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: 7. & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. 8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, 9. scribesque ea in limine & ostijs domus tuæ. 10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas non ædificasti, 11. domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & oliueta, quæ non plantasti, 12. & comederis, & saturatus fueris: 13. caue diligenter, ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. 14. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt: 15. quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. 17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & ceremonias, quas præcepit tibi: 18. & fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi: & ingressus possideas terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis, 19. vt deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. 20. Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? 21. dices ei: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti: 22. fecitque signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius, in conspectu nostro, 23. & eduxit nos inde, vt introductis daret terram, super qua iurauit patribus nostris. 24. Præcepitque nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. 25. Eritque nostri misericors, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandauit nobis.

Vers. 4. AVDI ISRAEL, DOMINVS DEVS NOSTER, DOMINVS VNVS EST] Hinc Dei nomen est אחד *echad*, id est vnus. Isaiæ 66 v.17. in Hebr. *Qui purificantur ad hortos post echad*, id est vnum, putà Deum. & Iob 31.15. Ab *Echad*, Deus à Syris dictus est *Ahad*, indeque ab Assyrijs dictus est *Adad*. nam, vt docet Macrob. 1. Saturn. 23. Adad summus erat Assyriorum deus: cui etiam deam Atargatim vxorem assignabant; per Adad solem (quem, quia solus & vnus est in mundo, qui omnium viuentium est causa, & quasi pater, deum esse putauerunt) per Atargatim terram intelligentes: quòd ex his duobus omnia procreentur.

Ratio cur Deus sit vnus, est Primò, quia Deus est ens simplicissimum, æquè ac absolutissimum & perfectissimum; ergo vnum. Si enim essent duo dij, vnus haberet aliquid perfectionis quod non habet alius, ac consequenter aliquid perfectionis vtrique deesset: ergo neuter esset absolutè perfectissimus: ergo neuter esset Deus. Deus enim omnium rerum perfectiones in se continet & complectitur. Vnde D.Thom. 1. p. qu. 11. art. 4. docet solum Deum planè & plenè esse vnum: quia in solo Deo est plena & summa vnitas, putà simplicitas, quæ omnis omnino compositionis est expers; cùm ex aduerso angeli componantur ex actu & poten-

potentia, atque ex essentia & existentia; homo verò ex corpore & anima; cætera ex materia & forma, atque ex subiecto & accidente; quorum nihil est in Deo. Deus ergo summè vnus est, quia incompositus & simplicissimus.

Secundò si essent duo dij, haberent duas & diuersas voluntates; ergo possent velle contraria: ex quo bellum inter ipsos, & magna perturbatio in orbis regimine consequeretur.

Tertiò, si essent duo dij, vnus limitaret & stringeret alterius virtutem & imperium: sicut in republ. cùm duo sunt consules, vnus ab alio pendet, vnus limitat alterius potestatem, imò regimen partitur & diuidit. Deus autem est infinitus, & illimitatæ virtutis, qui integrum, non diuisum habet imperium: ergo vnus est, non duo. Ita S. Cyprian. lib. de Idolorum vanitate: *Vnus*, ait, *omnium dominus est Deus: neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnium teneat potestatem.*

Quartò, Deus est monarcha mundi: monarchia enim est optimum regimen. vnde Homerus non vult plures regere, sed εἷς κοίρανος ἔστω, rex vnicus esto. Ita S. Cyprianus loco citato, idque probat exemplis: *Romanos*, inquit, *geminos* (Romulum & Remum) *vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in amula potestate tenuerunt. Nec tu de homine mireris, cùm in hoc omnis natura consentiat. Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: multò magis vnus mundi est rector, qui vniuersa quacumque sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest; visu clarior est: nec comprehendi; tactu purior est: nec æstimari; sensu maior est: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

Quintò, sicut ab vnitate oriuntur omnes numeri; & à centro omnes lineæ quæ ducuntur ad circumferentiam: ita à Deo oriuntur omnes res creatæ: debent ergo in vno principio, putà Deo, quasi in sui centro coire, vniri & terminari.

Sextò, vnus debet esse mundi rector, qui omnia ita varia, aptè inter se & congruè ordinet & associet: alioqui enim omnia in vnum ordinem non conuenient, nisi ab vno ordinentur. Oportet ergo, vt primum mouens & gubernans, quod omnia reducit in vnum ordinem, sit tantùm vnum. hoc autem est Deus.

Vnus ergo *Deus, vna fides, vnum baptisma*: quod axioma non tantùm est fidelium, sed & infidelium Philosophorum, Oratorum, Poëtarum, hæreticorum, & Mahometanorum, quorum hoc est symbolum: *Non est Deus nisi vnus, & Mahomet apostolus eius.* ita D. Thom. & Scholast. 1. p. q. 11. a. 3.

Nota. In Hebræo innuitur mysterium Trinitatis & Incarnationis. Sic enim habet: *Audi Israel, Deus, Deus noster Deus vnus est.* Idem innuitur ab Isaia cap. 6. 3. vbi Seraphim clamant, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* quod veteres Rabbini, vt R. Simeon filius Ioai, sic exponunt: *Sanctus*, inquit, *hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus sanctus*, teste Galatino l. 2. cap. 1. Additque eos sanxisse, vt minimùm bis in die, scilicet oriente & occidente sole, tam illa Isaiæ, vel potiùs Seraphim verba, quàm hæc Mosis à quolibet Iudæo quotidie recitentur. quod apud eos ad sua vsque tempora perseuerasse ait: nimirum vt ita personarum trinitatem cum diuinæ essentiæ vni-

A tate profiterentur. Nam nomen *Deus* ter repetitum, æquè vt *sanctus* apud Isaiam significat tres personas: secundo verò loco additum τὸ *noster*, significat Verbum assumpsisse carnem nostram, nobisque datum, & nobis natum esse Emmanuelem. Qua ratione etiam Dauid dixit psalm. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Citat & Genebrardus in fine libri 1. Chronolog. veterem Rabbinum, R. Ibba, qui dicit hos tres קדוש *cados*, id est Sanctus, alibi vocari tria specula, tria luminaria, tres supremos patres, principio & fine carentes: alibi vocari coronam, sapientiam & intelligentiam: alibi tria *iodim* ,', , designantia tres Iehoua, id est tres personas diuinas.

Ab Hebræis hoc mysterium acceperunt Ægyptij, apud quos hoc Serapidis oraculum ad Thu-
B lem regem extat apud Suidam in voce Thulis:

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς·
Ταῦτα δὲ σύμφυτα, ταῦτα δὲ εἰς ἓν ἰόντα [illegible].
Primùm Deus, deinde Verbum, & Spiritus cum illis:
Illa autem congenita, & in vnum coëuntia.

DILIGES DOMINVM DEVM TVVM] Hebr. Chald. & Septuag. habent, *& diliges.* Iansenius in cap. 71. Concord. Euang. & alij, ponunt vim in τῷ *&*, q. d. Quia vnus est Deus noster, vti præcessit, ideo totam spem & amorem tuum in vno Deo, non in pluribus pones & collocabis. Sed τὸ *&*, apud Hebræos sæpè redundat: & sic noster Interpres hic illud, vt redundans, omisit. VERS. 5.

Est hoc eminentissimum eminentissimæ virtutis, scilicet charitatis, præceptum: sicut enim inter
C metalla eminet aurum, inter elementa ignis, inter cælos empyreum cælum, inter planetas sol, inter angelos Seraphini: ita inter virtutes eminet & præcellit charitas, siue dilectio Dei & proximi. Ea enim est aurum radiantissimum, quo cælestia emimus bona: ignis est cælestis, qui animos omnium circa se inflammat: empyreum cælum est, in quo habitat Deus & Beati: sol est, qui omnia illuminat, fœcundat & viuificat: seraphica virtus est, quæ S. Franciscum aliosque charitate flagrantes Seraphinos ardentes effecit. Vis plura? accipe. Primò, charitas est quasi regina, cæteras virtutes regens & moderans. *Octo charitatis dotes. Prima.*

Secundò, est quasi mater alias virtutes alens, reficiens, roborans, sustinens, ait S. Laurentius Iustinian. lib. de Ligno vitæ c. 3. *Secunda.*

Tertiò, charitas facit nos amicos & filios Dei, eiusq; heredes & coheredes Christi. hinc ait S. Io-
D annes epist. 1. c. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* *Tertia.*

Quartò, sola charitas est quæ diuidit oues ab hœdis; *quæ diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*, inquit S. August. l. 15. de Trinit. c. 18. *Quarta.*

Quintò, charitas est quasi forma & anima virtutum, eisque vim merendi tribuit. vnde ait S. August. *Sola charitas perducit ad Deum.* *Quinta.*

Sextò, charitas est vinculum perfectionis, Coloss. 3. 14. quod nos arctissimè Christo & proximis astringit. vnde ait Paulus: *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. & S. Bernard. serm. 83. in Cant. *Conformitas*, inquit, *cum Verbo in charitate, maritat animam Verbo.* *Sexta.*

Septimò, charitas est ignis inextinguibilis, qui omnia, etiam dura vt ferrum, vincit & superat. Nam omnia vincit amor. &, *fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quid amore violentius? triumphat de Deo amor*, inquit S. Bern. serm. 64. in *Septima.*

in Cant. Charitas imperat odio, iræ, timori, cupiditati, oculis, auribus, manibus, &c. omniaque in Deum dirigit.

Octaua. Octauò, charitas quasi aquila solem, putà Deum, irretortis oculis intuetur: & ad eum igneis alis duabus, putà amore Dei & proximi, euolat, ait S. Augustinus in psal. 121. Hinc idem August. in 1. Ioan. 4. tract. 7. *Semel*, inquit, *breue præceptum tibi præcipitur: Dilige, & fac quod vis.*

EX TOTO CORDE TVO, ET EX TOTA ANIMA TVA, ET EX TOTA FORTITVDINE TVA] Nota. Pro *ex tota fortitudine tua*, hebr. est בְּכָל מְאֹדֶךָ *bechol meodécha*, id est, *ex toto valdè tuo*, quod Chald. refert ad bona externa, vertitque, *ex omni substantia tua*, vel *ex omnibus diuitijs tuis* verùm meliùs vertit Noster, & Septuag. ἐξ ὅλης δυνάμεώς σου, id est *ex omni virtute*, hoc est fortitudine *tua*, quod S. Lucas cap. 10. 27. vertit, *ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*, S. Matth. verò c. 22. 37 vertit, *in tota mente tua*. Diliges ergo Deum *ex omni valdè tuo*, id est, diliges Deum ex omni facultate & possibilitate tua, &, vt Vatablus vertit, *pro omni virili tuo.*

Diliges Deum ex omni valde tuo, id est, ex omni facultate tua.

An cor, anima, & fortitudo in amore Dei distinguenda sint. Quæres, an & quomodo distinguantur hæc tria, scilicet diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex toto valdè, id est ex tota fortitudine, vel ex totis viribus?

Primò distinguit ea Rabanus. Primò, Rabanus hîc: animæ rationali, inquit, quæ memoria constat, intellectu & amore, SS. Trinitatis fides commendatur in eo, quòd dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, quasi diligere ex toto corde, sit diligere ex tota memoria, quæ Patri adscribitur; ex tota anima, sit ex toto intellectu, qui Filio datur; ex tota fortitudine, sit ex tota voluntate, quæ Spiritui sancto accommodatur. Nyssenus verò libr. de Creatione hominis, per animam accipit partem animæ vegetatiuam, per cor sentientem, per mentem intelligentem.

& S. Aug. Rursum S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 22. per cor accipit cogitationes, per animam vitam, per mentem, siue virtutem intellectum, quasi hîc præcipiat Deus, vt hæc omnia in illum, qui ea nobis contulit, conferamus. Audi S. August. *Cùm ait, Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Sic enim proximum diligens sicut seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum extra se duci patitur, cuius deriuatione minuatur.*

S. Bernardi expositio. Secundò, S. Bernard. serm. 20. in Cant. *Mihi*, inquit, *videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis; animæ verò amor ad industriam seu iudicium rationis; virtutis verò dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. quasi dicat: Dilige Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia & circumspectione: dilige & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas. Fortis enim est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.*

Meliùs alij censent hæc tria idem inculcare. Tertiò, simpliciùs hæc tria secundùm phrasim Hebræam accipi possunt, vt vnum idemque significent: tantùm enim ad maiorem energiam & inculcationem, fit hæc trina repetitio. Sensus ergo est, q. d. Diliges Deum ex tota voluntate, totoque eius affectu & conatu. Huius rei & sensus genuini signum est, quòd Script. ex hisce tribus, aliquando tria ponat, aliquando duo tantùm, vt cap. 10.

A v. 12. *Diligas eum*, &c. *in toto corde tuo, & in tota anima tua*. Simile est 4. Reg. 23. v. 3. Aliquando addit quartum, videlicet *ex tota mente tua*, vt patet Lucæ 10. 27. Idem ergo hæc omnia significant, scilicet, diliges Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, tota mente tua, id est toto animo & affectu, ita scilicet, vt omnia Dei præcepta impleas, & nullam amoris tui partem des idolo, aut rei cuiquam Deo contrariæ, quasi plures habeas deos. Deus enim tuus vnus est: ergò amor tuus in plures deos non est partiendus, sed vnus Deus tibi amandus, vnoque eo tibi fruendum est, vt ait S. August. l. 1. de Doctrina Christ. c. 22. in quem proinde omnia tua referas oportet, ita vt generatim velis, ipsum esse finem omnium tuarum cogitationum, actionum & amorum, vt eò venire merearis, vbi continuo & intentissimo actu, Deum in æternum diligas: quæ dilectio hîc præstari non potest, sed præmij loco dabitur in cælis. quare neque hîc secundùm literam præcipitur (est enim finis præcepti, qui ipso præcepto non præcipitur, sed tantùm medium ad finem) sed tantùm secundùm sensum anagogicum insinuatur. Secundùm quem sensum hæc verba accipit S. August. lib. de Spiritu & lit. c. vlt. vbi præceptum hoc dilectionis Dei, à nobis in hac vita impleri posse negat; sicuti & ibidem asserit, præceptum illud, Non concupisces, à nobis hîc impleri non posse, sed nos tendere eò, vt in cælo illud impleamus videlicet secundùm sensum anagogicum. nam secundùm sensum literalem præcipitur tantùm, vt desideria praua omnino euellere conemur, eoque conari possumus in hac vita: secundùm anagogicum verò sensum innuitur, vt nulla in nobis talia desideria sint quod non præcipitur, vt hîc impleatur, sed præsentis luctæ erit merces in cælo.

Explicatur ad literam lex dilectionis Dei.

Anagog.

Lex dilectionis ex toto corde, à nobis impleri potest. Ex dictis patet, hoc præceptum literaliter in hac vita impleri posse. Possumus enim diligere Deum ex tota possibilitate nostra, seu quantum pro statu & infirmitate huius vitæ possibile est: & quia alioqui frustra præciperetur nobis in hac vita, adeoque Deus præciperet impossibilia, quæ nemo præstare potest. Denique, Iosiam regem, ac similes implesse hoc præceptum, patet 4 Reg. 23. 25. vide Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 13.

Iansenij explic. hyperbolica reijcitur. Quare non est necesse cum Iansenio, confugere ad hyperbolem, hocque præceptum exponere hyperbolicè. quasi dicat: Diliges Deum ex toto corde, id est ita, vt præcipua cogitatio & dilectio tua versetur circa Deum; sicuti vulgò dicimus, Hic homo totus est in studijs, cætera facit obiter. Hæc enim hyperbole improprium facit sensum, atque eleuat vim & energiam huius primi & maximi mandati.

Summus amor Dei hac lege præcipitur, isq; triplex, primò, comparatiuè; secundò, finaliter; Hoc ergo præcepto, exigitur ab homine totus & summus Dei amor, non extensiuè aut intensiuè, sed tantùm comparatiuè, finaliter & appretiatiuè. Primò, comparatiuè, vt scilicet ita totum cor & affectum des Deo, vt nullam eius partem des dæmoni aut peccato. ita Vasquez 1. 2. q. 109. art. 3. Secundò, finaliter, vt in genere Deum habeas, quasi finem omnium tuarum actionum, eumque vt summum bonum, & finem vltimum rebus omnibus præferas, vt malis omnes res perdere, quin & vitam tuam, quàm Deum Deiq; gratiam. Tertiò, appretiatiuè, vt applices totum cor, id est voluntatem tuam, ad eius legi per omnia obediendū, vt sanctæ eius voluntati te per omnia conformes:

tertiò, appretiatiuè.

ac proinde diligas eum pleno amore, non tantùm concupiſcentiæ, ſed & amicitiæ. Vnde quod hîc dicitur, *Ex toto corde*, alibi dicitur, *Ex corde integro*, vel, *Cor eius perfectum erat cum Deo*, &, *Incessit in omnibus mandatis Domini*. Nam in hoc dilectionis præcepto, omnia particularia Dei præcepta virtute continentur, ſicuti concluſiones continentur in ſuis principijs. tum quia amor Dei includit obedientiam Dei: tum quia, ſicut Deus eſt idea & ſpeculum perfectiſſimum, in quo res perfectiùs apparent, & videntur à Beatis, quàm in ſeipſis; ita quoque ipſe eſt totum bonum, quod maximè eſt diligibile, & in eo eſt ordo diligibilium: dilecto ergo ipſo, omnia diligemus quæ diligibilia ſunt, inquit Abulenſ.

In lege amoris Dei, omnes aliæ Dei leges implicitè cōtinentur.

In Deo eſt ordo diligibilium.

Atque hæc eſt cauſa, cur in charitate & dilectione Dei, omnis huius vitæ perfectio, tam Chriſtiana, quàm Moſaica conſiſtat, vti docent Patres & Doctores. Nam reliqua, vt *ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas & priuatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt*, inquit Abbas Moſes apud Caſſianum, collat. 1 c. 7.

In charitate conſiſtit perfectio, cur?

Quæres Secundò, cur Deus diligendus ſit ex toto corde? Reſpondeo, Cauſa à priori eſt, Prima, quia Deus eſt creator, donator & conſeruator ipſius cordis, omniumque bonorum naturalium & ſupernaturalium, quæ in corde, totoque homine ſunt: ergo par eſt, vt hæc omnia in eum redeant, & per amorem quaſi refluant. Amor enim Dei eſt ſummus Dei cultus & honor. Vnde S. Auguſt. in Sent. ſent. 244. *Hoc*, ait, *ab homine colitur, quod diligit. Vnde quia Deus omnibus rebus maior & melior inuenitur, plus omnibus diligendus eſt, vt colatur.* Vnde S. Bernardus epiſt. 353. quærenti cuidam, *quid à nobis requirat Deus?* reſpondet: *Cor noſtrum nihil dignius perficere poteſt, quàm vt ei ſe reſtituat à quo factum eſt, & hoc à nobis Dominus expetit, dicens: Fili da mihi cor tuum. Tunc ſiquidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult poſſidere penitus præter eum: ſicq; colligato ſibi animo eum diligit, vt ſine ipſo amarus ſit omnis amor. nec aliud dixerim cor Domino dare, quàm ipſum captiuare in omne obſequium eius, & ita voluntati eius ex toto ſupponere, vt nihil aliud velit, quàm quod nouerit eum velle. Itaque cor Domino datū, ipſum in omnibus & de omnibus adorabit, & gratias aget, etiamſi multa ſenſibus noſtris moleſta videantur*, &c. *Qui cor ſuum dedit Deo, cantabit melodicè, & dicet cum Propheta Dauid: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſallam in gloria mea*, &c. *Proinde omnes qui cor ſuum Deo tradiderunt, pſallunt in tribulationibus, in preſſuris, in anguſtijs, in fame & ſiti, in nuditate & deiectione, in maledictis, in conuicijs & deriſionibus, in flagellis, ac etiam morte intentata in cordibus plus exultant.* Et inferiùs: *Conuerſio totalis ad Deum cordis noſtri, eſt alienatio à ſæculo, & à ſeipſo, & in Deo fieri per virtutem & in ipſo quieſcere per inuiſibilem & remotam animi pacem*, &c.

Cur Deus diligendus ſit ex toto corde? Prima cauſa, quia Deus eſt creator cordis.

Secunda, quia Deus creauit cor, ſiue mentem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: vnde tribuit ei capacitatem quamdam infinitam, quæ à nulla re creata, ſed à ſolo Deo impleri & ſatiari poteſt. *Cor paruum eſt*, inquit Hugo libr. 3. de Anima, *& magna cupit: vix ad vnius milui refectionem ſufficere poſſet. & totus mundus ei non ſufficit.* Et hoc eſt, quod ait S. Auguſtinus: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Deus ergo eſt centrum cordis & amoris noſtri. vnde dicebat Abbas Antonius: *Ego Deum amo, non timeo.*

Secunda, quia cor eſt imago Dei creatoris.

Deus eſt centrum cordis & amoris.

Tertia, quia Deus, vti principium, ita finis eſt hominis, omniumque creaturarum; omnes ergo eum, vt talem toto corde & affectu proſequi & diligere debent. Quocirca tradunt graues Auctores, S. Auguſtinum in ſuis amoris cum Deo delicijs & colloquijs, ita Deum affari ſolitum: *Domine valde exultat in te anima mea, dum cogitat quòd tu ſis Deus noſter. Quare ſi per impoſſibile fieri poſſet, vt Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus; omnino vellem vt tu eſſes Deus, non Auguſtinus.* Quæ ſententia ſanè accipienda eſt: explicabo eam (Deo dante) proximo opere in Prophetas, Ezech. 8 v. 3. & 5.

Tertia, quia Deus eſt finis hominis.

Quarta, quia Deus eſt ſummum, immenſum & increatum bonum, quod eſt fons omnis boni, quodque in ſe omnia bona, tam creata, quàm poſſibilia continet in gradu eminentiſſimo & perfectiſſimo: ergo ſummè eſt amabilis; ergo ex toto corde amandus. cætera enim bona præ Deo vana & nihil ſunt, fumus & vmbra ſunt, ac proinde per ſe non ſunt diligenda, ſed tantùm propter Deum. *Omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt*, ait S. Auguſt. Meritò ergo B. Iacoponus amore Dei ebrius, iugiter flebat, ac rogatus cauſam, hanc dedit: *Quia amor* (Deus) *non amatur.* Meritò B. Magdalena, quaſi cerua ſagittis amoris Chriſti ſaucia, dicebat: *Quæſiui quem diligit anima mea per vicos & plateas; inueni eum, tenui eū, nec dimittam.* Meritò per triginta annos in horrida ſpelūca, ſolo eius amore dulciſſimè ſe pauit; vt iure canat de ea Petrarcha:

Quarta, quia Deus ſummè eſt amabilis, quia ipſe eſt ſummum bonum.

Namque famem, frigus, durum quoque, ſaxa, cubile
Dulcia fecit amor.

Dulcedo enim diuini amoris cùm cor alicuius occuparit, facit, vt omnis mundi & carnis dulcedo amareſcat, & amaritudo dulceſcat. Id expertus B. Gregor. Nazianzenus ita ſcribit ad Nemeſium:

Namque tuum ſuperaſeriat ſi Chriſtus ab arce
Pectus, & in medio figat tibi corde ſagittam;
Setunctim inſpiciens vtrumque oculatus amorem,
Quanto ſit Domini ſtimulus mage dulcis, habebis
Perſpectum.

Quis non amore liqueſcat, ſi Deum pro ſe hominem factum, ſi Ieſum paruulum, ſi laborantem, ſi ſudantem, ſi algentem, ſi coronatum, ſi crucifixum intueatur? Meritò S. Auguſt. libr. de Sancta virg. cap. 55. *Toto*, inquit, *vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce.* Et ſponſa: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.*

S. Catharina Senenſis amoris Chriſti ſponſi ſui vulnere ſauciata, inſtanter ab eo petijt, vt à ſe cor ſuum & propriam voluntatem radicitus euelleret, vt tota tranſiret in eius amorem. Viſa eſt ſibi videre Chriſtum cor ſibi è latere eximentem, & poſt aliquot dies aliud cor illuſtre afferentem ac dicentem: *Ecce filia mea habes pro corde tuo cor meum*; exinde tota mutata mirè amore Chriſti æſtuauit.

Ioſaphat rex, teſte Damaſceno in eius Vita c. 37. amore hoc æſtuans regnum reliquit, purpuram cum cilicio commutauit, ex aula in eremum ſeceſſit; voluptates, opes & gloriam vt ſtercora calcauit, ad omnia dura & acerba monaſticę vitæ ſtudia alacri animo ſe tradidit, illud Pſalmiſtæ clamans: *Adhæſit anima mea poſt te, ô Chriſte, ſuſcipiat me dextera tua. quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Ita exultans in paupertate currebat per eremum quærēs ſuum præceptorem Barlaam; cui deinde ad finem vſq; vitæ, in iſto rigore alacris & conſtans adhæſit.

Tropo-

Tropolog. Tropologicè, S.Bernard. *Diliges*, inquit, *Deum ex toto corde, id est dulciter, ne illectus; ex tota anima, id est prudenter, ne deceptus; ex tota fortitudine, id est fortiter, ne oppressus ab amore Domini auertaris.*

Amore Dei facilè omnia dura superantur. Hoc ergo dilectionis præceptum infige animo, & omnia dura, omnes tentationes, omnes labores facilè superabis, vitamque ages suauissimam æquè ac sanctissimam. nam, vt ait Petrus Rauennas, *tenera militia est, solo amore de omnibus vitijs reportare victoriam. Quis* enim, ait Paulus, *nos separabit à charitate Dei, tribulatio, angustia*, &c. *certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Deus se totum dedit tibi, tu te totum da, imò redde Deo. O quàm felix est, qui totum cor & affectum Deo dat! qui non delicias, non opes, non aliquid creatum

Deliciæ amoris Dei. amat, sed vnum, immensum & æternum bonum! *Serò te amaui pulchritudo tam antiqua & noua, serò te amaui. cognoscam te cognitor meus, cognoscam te*, B ait S.August. lib.10. Confes.17. O Domine, si te tuaque bona nossent homines, si perspicerent, quàm sis per omnia præstans & amabilis, quomodo amarent te, & præ te cætera omnia despicerent? quàm suauis es amanti? quàm potens speranti? quàm deliciosus fruenti? tu enim es abyssus & oceanus bonorum omnium. O charitas quæ semper ardes, & numquam extingueris, charitas Deus meus, accende me. iubes vt amem te, da quod iubes, & iube quod vis. Da Domine Iesu, vt amore amoris tui, moriamur amori carnis & mundi, qui pro amore amoris nostri, dignatus es mori. Vtinam mille cordibus te amare, mille linguis te laudare possemus!

Iesu cordis tripudium,
Iesu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium:
Mel, nectar, melos aurium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Vide S.Bernardum serm. de diligendo Deo, & serm. de triplici dilectione, & tract. de diligendo Deo.

VERS. 8. ET NARRABIS, hebr. *& acues*, id est, vt Vatablus & alij, iterabis, reuolues, repetes hæc mea præcepta, FILIIS TVIS] Secundò, *acues*, id est acutè, hoc est præcisè, distinctè, clarè & apertè præpones & explicabis ea filijs tuis: sicuti materia vel quæstio obscura acuitur à doctore, dum ab eo clarè per partes pertractatur, exponitur, ventilatur & discutitur. Est metaphora ducta à gladio, qui dum acuitur, sæpiùs impellitur ad cotem. Significat ergo crebrò & continuò reuoluenda & explicanda & inculcanda esse filijs Dei præcepta, vt & ipsi acuantur & incitentur ad ea cognoscenda & exequenda.

Tradunt Hebræi, Hierosolymis tantum olim fuisse studium legis diuinæ, vt vltra quadringentas publicas scholas & synagogas habuerint, in quibus lex Dei docebatur.

ET MEDITABERIS] Hebraicè, *loqueris* cum eis, sicut famulus cum hero suo familiariter loquitur, vt eius mentem exquirat, quam opere expleat.

DORMIENS] Hebraicè, *in cubando*, dum cubitum concedis, vel dum cubas. neque enim dormiens quis meditari potest. Est hæc Christianorum piorum sancta & vtilis praxis, vt, cùm cubitum concedunt, orent & pij aliquid cogitent, in eaque cogitatione indormiant, ita præter alia diaboli tentationes & illusiones, atque fœda phanta-

Pia praxis eundi cubitum præuia oratione.

A sinata elidũt & euadunt. Idem faciunt cùm noctu euigilant. Qua de re audi sancientem S.Bernard. lib. de Vita solitar. *Iturus ad somnum, semper aliquid tecum defer in memoria, vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnumquam etiam somniare iuuet, quod etiam euigilantem te excipiens, in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in delicijs tuis. Placidè obdormies: in pace quiesces: facile euigilabis, & surgens facilis & agilis eris ad redeundum in id, vnde non totus discessisti. Sobrium enim cibum, sobriumque sensum, sequitur sobrius somnus: carnalis verò somnus & brutus, & sicut dicitur letheus, abominandus est seruo Dei.*

Hinc R.Moses censuit, gallos gallinaceos suo cantu media nocte, homines docere, vt tum surgant ad laudandum Deum. testis est Pineda in Iob c.38 v.36. Vbi S.Gregorius tradit, gallos profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus; manè verò leniores ac minutiores: quasi qui prioribus excitent dormientes; posterioribus inuitent iam expergefactos, ad matutinam orationem Deo fundendam; quem ipsi suauiore voce laudant, ac suo modulo venerantur. vnde & Ecclesia canit: *Gallus iacentes excitat, & somnolentos increpat.* *Galli exemplum.*

Denique hinc S.Ephrem tom.3. serm. Ascet. & B.Dorotheus serm.11, & S.Bernard. libr. de Vita solit. impensè viris pijs tam vespere quàm manè exactam sui curam, custodiam & examen commendant: quin & Pythagoras, inquit S.Hieronymus lib.3. contra Ruffinum c.10. sanxit, *duorum quàm maximè habendam esse curam, manè & vesperi, id est eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gesserimus.* Vnde & *nocturnæ aues*, inquit S.Ambros. li.5. Hex-

C am. c.24. *canoro carmine occasum diei solent prosequi, ne immunes abeant gratiarum actionum, quibus creatorem suum omnis creatura collaudat.* Idem serm. in Malach. Proph in fine tom.2. *Aues*, inquit, *propter viles escas gratias agunt: tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? Imitare ergo frater minutissimas aues, manè & vespere Creatori gratias referendo. Et si es deuotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes sola dies non sufficit, nocturna spatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam psalterij serie consolare.*

Audi Senecam lib.3. de Ira: *Animus*, ait, *quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira vel moderatior erit, quæ sciet sibi*
D *quotidie ad iudicem veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm altus, quàm tranquillus & liber?*

Audi Hugonem Victor. l.3. de Anima: *Redi ad cor tuum, & subtiliter discute teipsum: considera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis vel deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectibus tangeris. quibus tentationum machinis à maligno spiritu acriùs impugnaris: & cùm totum interioris & exterioris hominis statum plenè cognoueris, non solùm qualis sis, verùm etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris subleuari ad contemplationem Dei.*

Audi S.Bernard. *Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari, quid ipse sit, quid intra se, quid infra,*

infra, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea fit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum, vilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei.

Alia explicatio Lyrani. Secundò, Lyran. & Abulens. ita exponunt, q. d. Interdiu ita iugiter & efficaciter meditare hæc mea præcepta, vt eadem tibi dormienti in somnis recurrant. nam, vt ait Aristot. 1. Ethic. *meliora sunt phantasmata in somnis studiosi*, id est eius, qui studet virtuti. Ita S. Xauerius ex diurna orandi consuetudine, etiam dormiens orabat, exclamabatque, O Deus, ô Iesu amor mi, Deus meus & omnia! *S Xauerius ex vsu, etiam dormiens orabat.*

Tales erant olim & monachi illi, qui quòd parum dormirent, & ferè peruigilarent in Dei laudibus, dicti sunt Acœmetæ, quasi dicas, Non dormientes: qualis fuit Isidorus, de quo Palladius in Lausiaca ait, quòd numquam data opera dormierit; sed in opere, ait, vel sumptione cibi somno oppressus conniuebat aliquando, ita vt frustum quod ori ingesserat, ex eo excideret. causam rogatus respondit: *Si quando persuaseris angelis vt dormiant, tum virtutis studioso quoque persuaseris.* Tales enim ex diutina & assidua meditatione de Deo, rebusque diuinis, easdem somniabant.

Hinc Plutarch. lib. *quomodo quis suos in virtute profectus sentire possit*, ex Zenone hoc dat signum magni in ea progressus: *Ex somnijs, ait, deprehendere licet, num quis profecerit in studio virtutis. Si enim in somnis nulla capitur voluptate erga turpitudinem, neque graui inhiet crimini quo se contaminet, prorsusq; nihil videt cum vitio & fœditate coniunctum, consentaneum est omnia in tuto esse posita. Siquidem, vt equi iugales rectà currere instructi, non deserunt viam, etiam dormiente auriga: ita bruti affectus domiti, nec in somnis facilè recalcitrant.*

Hinc S. Hieron. Eustochium virginem ita instituit: *Esto*, ait, *cicada noctium, psalle spiritu, psalle & mente: laua per singulas noctes lectum tuum, lachrymis stratum tuum riga.* Et: *Sanctis ipse etiam somnus oratio est.*

Denique monet Ieremias Thren. 2. 19. dicens: *Consurge, lauda* (id est, ora Deum) *nocte in principio vigiliarum.* noctem enim Iudæi, æquè ac Romani, distribuebant in quatuor vigilias, & in singularum principio Ieremias suadet, vt laudemus Deum. Ita Ecclesia olim noctu faciebat. inde enim habemus in Officio Ecclesiastico tres nocturnos & Laudes.

ATQVE CONSVRGENS] Vnde inoleuit in bonis Christianis vsus hic, inquit Abulens. vt, cùm primùm è lecto surrexerint, mox à Dei laudibus incipiant, vel aliquid pium & sanctum meditentur. D Incredibile enim est quantum animæ prosit meditatio matutina. Experientia quotidiana nos clarè docet, eam esse totius Societatis nostræ fulcrum & fundamentum, omnemque zelum, efficaciam & fructum cunctarum actionum nostrarum per diem, ex ea manare & profluere. Quisquis ergo hæc legis, obtestor te per tuam aliorumque salutem, vt idipsum experiaris & practices, præsertim si Theologus sis aut Ecclesiasticus; ac discas & assuescas quotidie aliquid meditari de breuitate vitæ, de tua morte, iudicio, æternitate, de vita & passione Christi aut Sanctorum, indeque efficacia proposita concipias, quòd illo die iram, superbiam, gulam, &c. mortificabis; quòd te in humilitate, charitate, patientia, &c. exercebis; quòd has illasúe animas conuertes: atque senties *Meditatio matutina vtilissima.*

A per totum diem magnum robur & animos tibi addi, ad eadem perficienda; præsertim si proposita pia quæ manè concepisti, per diem subinde recolas & renoues, atque per orationes iaculatorias acuas & accendas. Primitiæ ergo cogitationum & actionum, æquè ac diei, Deo dandæ sunt: idque Primò, quia illæ Deo, vtpote primæ causæ, auctori naturæ & gratiæ, datorique bonorum omnium quasi debentur, vti docet S. Basil. in Fusior. reg. resp. 37. & S. Ambros. in psalm. 118. serm. 19. n. 4. & S. Dionys. de Diuin. nomin. c. 3. imò Apollonij Tyanæi fuit hoc præceptum: *Adueniente aurora cum dijs esse versandum*, teste Philostrato in eius Vita lib. 1. c. 12. *Dum euigilas, primas cogitationes da Deo, quatuor de causis. Prima.*

Secundò, quia decet, vt omnes actiones diurnæ sumant à Deo principium (hinc illud Arati & B Theocriti: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, quod Virgil. vertit, *à Ioue principium*) atque ex eo dirigantur in sanctum finem, ac perfectè per omnia fiant. Hinc S. Bernard. de Vita solit. idipsum iubet, *Vt surgentibus*, inquit, *nobis ad laudes Dei, omnis exinde tenor operis nostri in ipsius laudibus formetur & viuificetur.* Et S. Ephrem tom. 1. serm. de orando Deo: *Si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto, primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.* Et Salomon Prou. 8. 17. *Qui manè vigilant ad me, inuenient me: mecum sunt diuitiæ & gloria.* *Secunda.*

Tertiò, quia idipsum faciunt angeli, sol, aues, aliæque creaturæ. Audi S. Basilium epist. 1 ad Gregor. Nazian. *Ecquid beatius, quàm hominem in terra concentum angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis creatorem venerari?* C Et S. Ambrosium in psalm. 118 serm. 19. *Graue est, si te otiosum in stratis solis orientis radius inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Occurre ergo ad solis ortum, ne lumina tua primus diei fulgor exagitet.* & infrà: *Si hunc solem* (Christum) *præueneris, antequam iste surgat, aspicies Christum illuminantem: ipse priùs in tui cordis illucescet arcano; iterumq; dices ad eum: Exitus matutinos, & vespere delectabis.* *Tertia.*

Quartò, quia idipsum fecerunt sapientes & sancti. Therapeutæ apud Philonem libro de Vita contemp. *quotidie bis precari solent, manè ac sub vesperam: oriente sole petentes diem verè felicem, vtq; mentes eorum cælesti repleantur lumine.* Esseni, inquit Iosephus libr. 2. Belli cap. 7. *ante solis ortum nihil profani loquuntur: sed ei* (non soli, sed solis auctori Deo) *patria quadam vota celebrant, quasi vt oriatur precantes.* Sic olim Christiani antelucanos agebant cœtus, ad canendum Christo & Deo, teste Plinio ad Traianum. De hymnis matutinis monachorum ad galli cantum, testis est S. Chrysost. in 1. ad Timoth. homil. 14. Ita Theodoricus rex Gothorum *antelucanos suorum sacerdotum cœtus, minimo comitatu expetebat quotidie, & grandi sedulitate venerabatur*, inquit Sidonius Apollin. lib. 1. epist. 2. Alexander Seuerus Imp. à Mammæa matre edoctus, manè in larario suo rem diuinam faciebat, ait Lampridius. Denique his omnibus antiquior Dauid psalm. 62. 1. *Deus*, ait, *Deus meus ad te de luce vigilo.* Et v. 7. *Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.* Et psalm. 5. 4. *Domine manè exaudies vocem meam; manè astabo tibi & videbo.* Et psalm. 58. 17. *Exaltabo manè misericordiam tuam.* Et psalm. 87. 14. *Manè oratio mea præueniet te.* *Quarta.*

Sensus

Sensus horum omnium est, q.d. Moses, Crebrò pro commoditate tua, ô Israelita, de præceptis Dei; & maximè de illo primo & maximo, quod immediatè præcessit, scilicet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, cogitabis, loqueris & meditaberis, tam domi, quàm foris, tam manè, quàm vespere. Hinc Hebr. תורה *thora*, id est lex, nonnulli, vt P. Pineda in Iob c.22.22. deducunt à תור *thur*, id est explorare, aut circumquaque lustrare & obsidere; quia lex vniuersa assiduè & diligenter est exploranda, & circumquaque custodienda ac obseruanda, ne quis in vno offendat. Cùm enim præcepta omnia legis connexa sint, & in hoc dilectionis Dei præcepto, quasi in centro coëant, *hinc in vno offendens fit omnium reus*, Iacobi 2.v.10. Circumlustranda ergo, & quasi obsidenda est legis custodia, eiusque murus omni ex parte tuendus, ne qua hosti pateat aditus, ad legis mentisque expugnationem.

VERS. 8. LIGABIS EA QVASI SIGNVM IN MANV TVA, ERVNTQVE ET MOVEBVNTVR INTER OCVLOS TVOS] Pro *mouebuntur* hebr. est טוטפות *totaphot*, quod Pagnin. & Vatabl. vertunt *frontalia*; alij *specilla*, vel *conspicilia* (per præcepta enim Dei conspicimus quid bonum, quid velit Deus: psalm. 118.6.) alij *monimenta*, vel *memorialia*; Noster Exodi 13.v.16. vertit, *quasi appensum quid, ob recordationem ante oculos tuos*; Septuag. *immobile ante oculos tuos*. Porrò *totaphot* nonnulli deducunt à טפף *taphaph*, id est plodere, complodere; eò quòd *totaphot* siue *frontalia* ad frontem plodendo, per singulos ictus & pulsus, quasi campanulæ sonantes, admonerent Hebræos de seruanda lege & præceptis Dei.

Frontalia & liminaria præcepta Iudæorum.

Vnde vocabantur *phylacteria*, q.d. Conseruatoria legis. Iudæi olim hæc omnia ad literam, vti sonant, acceperunt, vt patet Matth. 23.5. vnde etiamnum sententias Hebraicas legis suæ, parietibus suis domi inscribunt, & cùm orant, appendunt ante se chartulam, continentem hæc verba: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*, vsque ad v.10. *cùm introduxerit*, &c. Verùm meliùs ea metaphoricè, vel parabolicè accipias. q.d. Ita continuam præceptorum & dilectionis Dei habebis recordationem, ac si ipsa frontalibus, dextralibus, & liminaribus inscripta, tuis oculis perpetuò obijcerentur & obuersarentur. ita Abulens. vide dicta Exodi 13.9. Simili metaphora ait Deus Sioni, Isaiæ 49.16. *In manibus meis descripsi te.* quod explicat, dum subdit: *Muri tui coram oculis meis semper.* Piè & verè S. August. in Soliloq. c.18. *Omni*, inquit, *momento ô Domine, me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non vtar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea.*

NON IBITIS POST DEOS ALIENOS] non sequemini cultum deorum alienorum. VERS. 14.

SICVT TENTASTI IN LOCO TENTATIONIS] qui inde hebr. dictus est, *massa vmeriba*, Exodi 17.7. VERS. 16.

TESTIMONIA] id est leges, quæ testantur, quid velit Deus à nobis fieri. VERS. 17.

CRAS] tempore futuro. VERS. 20.

ERITQVE NOSTRI MISERICORS] Hebr. *& iustitia erit nobis.* Sed *iustitia* hîc & alibi capitur pro misericordia, cuius rei causas dedi 2. Corinth. 9.9. VERS. 25.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Hebræis, vt Chananæos, eorumque idola deleant. Primò, quia ipsi sunt populus à Deo electus. Secundò, v.9. quia Deus eorum fortis est, fidelis, & vindex malorum. Tertiò, v.12. multa eis bona promittit, si legem Dei seruent. Quartò, v.18. monet, ne timeant Chananæos, licet plures & fortiores; eò quòd Deus contra eos, pro Hebræis sit pugnaturus.

1. CVm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem gentes multo
maioris numeri quàm tu es, & robustiores te: 2. tradideritque eas Dominus Deus
tuus tibi, percuties eas vsque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misere-
beris earum, 3. neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius,
nec filiam illius accipies filio tuo: 4. quia seducet filium tuum, ne sequatur me, &
vt magis seruiat dijs alienis. irasceturque furor Domini, & delebit te citò. 5. Quin
potiùs hæc facietis eis: Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite. 6. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit
Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super ter-
ram. 7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, &
elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores: 8. sed quia dilexit vos Dominus, &
custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris: eduxitque vos in manu forti, &
redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. 9. Et scies quia Do-
minus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam di-
ligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius, in mille generationes: 10. & red-
dens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis resti-
tuens quod merentur. 11. Custodi ergo præcepta & cæremonias atque iudicia, quæ
ego mando tibi hodie vt facias. 12. Si postquam audieris hæc iudicia, custodieris ea
& feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam quam iura-

uit patribus tuis: 13. & diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui,
& fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium
tuarum super terram, pro qua iurauit patribus tuis, vt daret eam tibi. 14. Benedi-
ctus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis vtriusque sextus, tam in homi-
nibus, quàm in gregibus tuis. 15. Auferet Dominns à te omnem languorem & in-
firmitates Ægypti pessimas, quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.
16. Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non par-
cet eis oculus tuus, nec seruies dijs eorum, ne sint in ruinam tui. 17. Si dixeris in
corde tuo: Plures sunt gentes istæ quàm ego, quo modo potero delere eas? 18. noli
metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptijs,
19. plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manumque ro-
bustam, & extentum brachium; vt educeret te Dominus Deus tuus. sic faciet cunctis
populis, quos metuis. 20. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos,
donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, & latere potuerint. 21. Non ti-
mebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis: 22. ipse
consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas
delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ. 23. Dabitque eos
Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.
24. Tradetque reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cælo: nul-
lus poterit resistere tibi, donec conteras eos. 25. Sculptilia eorum igne combures:
non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi
quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. 26. Nec
inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi
spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia
anathema est.

VERS. 1. A SEPTEM GENTES] Genes. 15.19. numerantur decem gentes Chananæorum, quas expulerunt Hebræi: tres ergo reliquæ, vel antè perierant, vel alijs septem permistæ fuerunt, vti dixi Genes. 15.

Tropologicè, septem gentes hostiles significant septem vitia capitalia. de qua re fusè agit Cassian. collatione 5. c. 16. & seq.

VERS. 2. TRADIDERITQVE EAS TIBI] Hebr. *ante te*, id est in potestatem tuam.

VERS. 3. NEQVE SOCIABIS CVM EIS CONIVGIA] Nota. Tantùm vetatur hîc, ne misceant connubia cum Chananæis quamdiu manent idololatræ. Nam si conuertantur, & ad populum Dei aggregentur, B iam Iudæi sunt, non Chananæi, itaque cum ijs coniugium inire fas est. Cessat enim tunc ratio legis quæ datur v. 4. *quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis.* Sic Salmon duxit Rahab Ierichuntinam, quæ receperat exploratores missos à Iosue Matth. 1.5. nam Rahab facta est proselyta, & sacra Iudaica suscepit.

VERS. 6. QVIA POPVLVS SANCTVS ES DOMINO] *Sanctus*, id est separatus ab alijs gentibus, verique Dei religioni addictus.

VT SIS EI POPVLVS PECVLIARIS] Hebr. *vt sis ei populus segulla*, id est instar cimelij, siue rei charissi- C mæ & pretiosissimæ. Vide dicta Exodi 19. v. 5.

VERS. 10. ET REDDENS ODIENTIBVS SE STATIM] Pro *statim*, hebr. est *in facies suas*, id est dum adhuc viuunt. q.d. Deus pœnam peccatis parentum debitam non differt in filios, sed eam ipsis parentibus, dum viuunt, irrogat. Chald. hæc non de pœna accipit, sed de bonis, & præmijs virtutum aliquarum, quas habent impij. vertit enim, *retribuens inimicis suis bona, quæ ipsi faciunt coram eo, in vita sua, vt perdat eos* (in futura vita) *& non differt facere bonum inimicis suis, pro bonis, quæ faciunt coram eo, sed in vita eorum retribuit eis.* Verùm hunc sensum elidunt ea, quæ sequuntur: *ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus restituens eis quod merentur.* Genuinus A ergo sensus est de pœna impiorum. q.d. Cauete, ô Hebræi, ne Deum offendatis: quia sicut Deus præstat bona diligentibus se in mille, id est plurimas, generationes; ita statim punit odientes se, vt patuit in pœna colentium vitulum aureum, Exodi 32. & concupiscentium carnes, Numer. 11. & pœna Core, Dathan & Abiron, Numer. 16. & pœna murmuris Mariæ, Numer. 12.

BENEDICETQVE FRVCTVI VENTRIS TVI] putà filijs tuis. copia liberorum erat benedictio veterum illorum, vti Rebeccæ, Genes. 24. v. 60. & Abrahæ, Genes. 22.17. & Liæ, Genes. 30.13. idque B tum propter se: fœcunditas enim magnum est bonum, tam parentum, quàm reip. tum ob spem Messiæ, ex posteris ipsorum nasci turi. Hinc nota erat apud Hebræos, esse sterilem & illiberem. suspicio enim erat, talem scelus aliquod admisisse, ob quod hac communi, quasi gentis suæ, benedictione priuaretur, vt colligitur Oseæ 9.14. & Genes. 20.18. ita Maldonatus in Lucæ 1.25. VERS. 13. *Copia prolixm erat benedictio Hebræorũ.* *Sterilitas erat nota quasi infamia.*

DEVORABIS OMNES POPVLOS, gladio eos consumendo, & opes eorum diripiendo, ita VT NON PARCAT EIS OCVLVS TVVS] vt scilicet nemini hostium Chananæorum, in terra tibi promissa par- C cas, sed omnes occidas; idque Primò, propter enormia eorum scelera, maximè libidines, vti dixi Leuit. 18.27. Secundò, ne sint Iudæis scandalo, vt hîc dicitur, eosque trahant ad enormem libidinem. VERS. 16.

ET CRABRONES] De his crabronibus dixi Exodi 23. 28. & Iosue vlt. v. 12. VERS. 20.

DEVS TVVS IN MEDIO TVI EST] tecum est, te adiuuat. Similis phrasis est Exodi 17. 7. VERS. 21.

NON POTERIS EAS DELERE PARITER] id est simul, eodem tempore. Vide dicta Exodi 23. v. 29. VERS. 22.

DISPERDES NOMINA EORVM] disperdes eos cum tota prosapia, ne nomina eorum maneant in filijs, sed tota eorum memoria deleatur. VERS. 24.

ARGENTVM ET AVRVM DE QVIBVS FACTA SVNT] VERS. 25.

svnt] Hebr. est, *quod est super ea*, id est quo tecta, A vel cooperta sunt. Solebant enim idola lignea, vel ænea inaurari, & auro vel argento obduci, ad ornatum & ad reuerentiam eis conciliandam.

Qvia (quòd) abominatio est Domini Dei tvi] abominabile est coram Deo tuo.

Vers. 26. Ne fias anathema, sicvt et illvd est] Hebr. *ne fias cherem*, id est res excidio addicta, quæ succidenda, & ad nihilum redigenda est, *sicut est ipsum idolum*: hoc enim succidi & annihilari debet. De *cherem* vide dicta Leuit. vlt. vers. 28.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Moses exhortari Hebræos ad custodiam legis Dei, Primò, ob beneficia ab eo accepta: quia scilicet, Deus eos manna aluit in deserto, vestesq; eorum illæsas seruauit. Secundò, v. 7. ob beneficia ab eo accipienda, in vbertate terræ Chanaan, si Deo obediant. Tertiò, v. 19. intentando eis excidium, si Deum deserant.

1. Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, caue diligenter vt facias: vt possitis viuere, & multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua iurauit Dominus patribus vestris.
2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te
Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrùm custodires mandata illius, an non.
3. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.
4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.
5. Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te,
6. vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum.
7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarumque & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi:
8. terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & olíueta nascuntur: terram olei ac mellis.
9. Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur:
10. vt cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.
11. Obserua, & caue nequando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie:
12. ne, postquam comederis & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis,
13. habuerisque armenta boum, & ouium greges, argenti & auri cunctarumque rerum copiam,
14. eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis:
15. & ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra durissima,
16. & cibauit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probauit, ad extremum misertus est tui,
17. ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt.
18. Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum, super quo iurauit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.
19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos, & adoraueris: ecce nunc prædico tibi quòd omnino dispereas.
20. Sicut gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

Vers. 1. Omne mandatvm, qvod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter vt facias] *Caue*, id est cautè obserua, &, vt hebr. est, *custodi*, idque quia hoc fieri debet propter Deum, & ex mandato Dei. nam, vt rectè ait Abulens. *Si homines seruientes dominis terrenis, propter eorum reuerentiam attentissimi sunt, ne quid in eorum ministerio deficiat; quàm attenti & cauti esse debemus, cùm Deo ministramus, vel aliquod eius mandatum facimus? quia reuerentia Dei, æquè ac maiestas, distat in infinitum à reuerentia & maiestate hominum. idcirco cum magno timore facere debemus mandata Dei, cauentes diligentissimè ne quid ibi deficiat: hinc dicitur psal. 2.* B *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. & alibi: Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Hanc ergo reuerentiam & cautelam significat τὸ caue vt facias, id est, sis multùm attentus ad hæc.* hucusque Abulensis.

Vers. 3. Afflixit te penvria] Nam in deserto Hebræi non inuenerunt carnes, nec segetes, imò nec olera sæpè: vnde murmurarunt, ideoque Deus dedit eis mannà, vt patet Exodi 16. 3.

Moraliter disce hic, Deum eos, quos affligit penuria, pascere manna, id est cibo spiritali, vt qui ieiunant ventre, reficiantur in mente; vt qui carent consolationibus terrenis, abundent cælestibus.

Sicut

Sicut vice versa, qui abundant consolationibus humanis, destituuntur diuinis. vnde & filij Israel mox vt gustarunt fruges terræ Chanaan, perdiderunt manna de cælo. Iosue 5. 12. Sic Iacob pauper & miser fugiens Esau, vidit scalam erectam in cælum, Deumque illi innixam, Genes. 28. 12. Sic S. Ioannes in exilio fame & ærumnis afflictus, vidit sublimia illa mysteria Apocalypseos. Sic Stephanus in lapidatione vidit Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Hinc Christus Ioannis discipulis hoc sui signum ab Isaia prædictum assignat: *Pauperes euangelizantur*, Matth. 11. 5. Et S. Iacobus epist. cap. 2. v. 5. *Nonne*, inquit, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* *Ita Religiosus est pauper in cella, diues in conscientia*, ait S. Bern. Et Apost. 2. Cor. 4. cùm dixisset v. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur* (penuria affligimur) *sed non destituimur*; subdit v. 16. *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

VT OSTENDERET TIBI, QVOD NON IN SOLO PANE VIVAT HOMO (vos enim sustentauit in deserto per 40. annos sine pane, per manna) SED IN OMNI VERBO, QVOD EGREDITVR DE ORE DEI] Hebr. *super omne quod egreditur os Domini, viuet homo*. q. d. Homo viuet re quacumque, quam iusserit Dominus, aut ordinarit ad vitæ humanæ sustentationem, vti Iudæi vixerunt ex manna; adeò, inquit Abulens. vt, si Deus mandaret nobis, vt comederemus colubros, basiliscos, lapides, æs, &c. meliùs illis, quàm delicatissimis cibis nutriremur; imò si vellet, aut iuberet, sine omni cibo viueremus: vti Simeon Stylites viginti octo quadragesimas sine cibo & potu transegit, & Christus 40. dies vixit sine cibo in deserto, atque tentanti eum diabolo ad gulam, respondit hæc ipsa verba: *Non in solo pane viuit homo*, &c. Sic & Elias, Moses, & alij diu sine cibo vixerunt. Simile etiamnum fit in Sanctis, qui orationi & contemplationi intenti, spiritualibus delectationibus pascuntur, quæ memoriam & appetitum cibi & rerum sensibilium extinguunt. Ita Cassianus collat. 19. c. 4. refert de Ioanne Abbate, quòd delicijs spiritualibus occupatus, non recordabatur an pridie comedisset, nec ne.

Si Deus vellet nos comedere serpentes, ijs vt perdicibus aleremur. Simeon Stylites 28 quadragesimas sine cibo vixit.

Nota hebraismum: *Egressus est sermo ex aliquo*, vel ex ore alicuius, id est placitum, libitum, vel decretum est illi. Sic dicit Laban cum suis Genes. 24. 50. *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius, quidquam aliud loqui tecum*. q. d. Domino placet, vt Rebecca nubat Isaaco, nos Dei placito reluctari non possumus, nec debemus. & Ieremiæ 44. 17. dicunt impij Iudæi: *Faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro*, id est, omne quod libuerit.

Egressus est sermo, id est placitum, decretum est alicui.

Mysticè. Mysticè, S. Ambros. in Lucæ 4. Viuit, inquit, homo omni verbo Dei, id est alimento verbi cælestis, quo alitur anima, præ quo fames corporis est negligenda: & tale verbum, Primò, est Christus; Secundò S. Scriptura; Tertiò, oratio, & inspiratio Dei. Hunc sensum volunt aliqui esse literalem, sed ex dictis patet esse mysticum.

VERS. 4. VESTIMENTVM TVVM QVO OPERIEBARIS, NEQVAQVAM VETVSTATE DEFECIT] Quia, inquit Aben Esra, manna fuit talis temperamenti, vt non gigneret sudorem, quo vestes perustæ inueterantur. Sed hoc non sufficiebat hîc: solo enim vsu teruntur vestes, præsertim si quis iter faciat. Fuit ergo miraculosa soliditas, per 40. annos à Deo concessa vestibus Hebræorum, vt nullatenus rumperentur, vel tererentur. Hinc rursum videntur vestes hæ cum paruulis creuisse: nam alioqui illæ crescentium corporibus non quadrassent, itaque Hebræi grandiores facti, nudi incedere debuissent. vnde enim singuli in tanto numero, vestes alias sibi comparassent? ita Abulens. Ita S. Apollonij (qui fuit pater 500. monachorum, miræ sanctitatis vir) vestimenta non veterascebant, inquit Pallad. in Lausiaca cap. 52. cùm tamen in deserto Thebaidis vixerit 40. annis, æquè ac Hebræi.

Vestes Hebræorum cum ipsis creuerunt in deserto.

Simile miraculum præstitit Deus S. Abrahamio Eremitæ, quod enarrat S. Ephrem, qui ei fuit familiaris, in illius Vita: *Erat*, inquit, *aspectus eius velut flos rosæ: diuina enim gratia ipse sustentabatur in omnibus, & iucunditate spiritalis lætitiæ fruebatur. Quin & in hora obdormitionis suæ ita specioso vultu cernebatur, quasi angelorum comitatu stipatus fuisset. Sed & alia in eo admiranda Dei gratia visa est, quòd toto quinquaginta abstinentiæ suæ annis, vestem ciliciinam, qua indutus fuerat, numquam mutauerit, quæque ita perseueranter ad finem vsque vitæ ipsi seruiuit, vt etiam alij participes eiusdem illius vestis postea fuerint, quæ ei priùs iam inueterata vsui fuerat.* Causa meritoria huius integritatis corporis & vestium, fuit integritas & constantia mentis. *Per omne enim tempus conuersionis suæ numquam à regula instituti sui deflexit, neque vmquam ijsdem temporibus dies illum aliqua sine lachrymis præterijt. Non appropinquauit corpori eius oleum, neque faciem suam, aut pedes vmquam aqua abluit. Sic autem se in sui instituti certamine gerebat, quasi quotidie moriturus esset. In admiranda illa sua abstinentia, assiduisque vigilijs, ac lachrymarum fluentis, humicubationibus & corporis maceratione numquam remissior aut imbecillior factus est, neque segnitie, vel tædio aliquo fatigatus; sed velut esuriens quispiam, aut sitiens, sic mens eius numquam sui instituti dulcedine poterat satiari.*

Ita S. Maria Ægyptiaca in eremo vixit 47. annis, ac primis septemdecim duobus panibus (quos secum eò detulerat) & oleribus victitans, reliquis triginta sine cibo vitam egit, ac vestibus consumptis nuda, frigore & æstu tosta, vt videretur Æthiopissa. Hinc ipsa ad Zosimam: *Cibus*, ait, *potus & vestimentum mihi est verbum Dei: quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Et Iob 24. iuxta Septuag. *Eo quòd ipsi non habeant vestimentum, petram sibi circumdederunt.* Et S. Paulus primus Eremita anno ætatis 113. moriens ad S. Antonium, *En*, inquit, *quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris, operit inculta canities; en vides hominem puluerem mox futurum: sed quia iam dormitionis meæ tempus instat, & quod semper cupiebam, dissolui, & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ, tu missus es à Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imò terra terram reddas.* ita S. Hieron. in Vita S. Pauli.

Apud Iudæos traditio est, ipsorum maiores in Ægypto tria quæ à suis acceperant maioribus, non mutasse: scilicet *nomina, linguam, & vestes.* ita refert noster Serarius in Iosue c. 2. quæst. 25.

PES TVVS NON EST SVBTRITVS] Hebr. *non intumuit*. q. d. Pes tuus neque intumuit, neque læsus, aut attritus est. Solent enim itinerantes, in pedibus contrahere turgentes vesicas, quæ priùs inflantur,

flantur, quàm subterantur: rursum solent diu ambulando, pellem pedum deterere.

Dices, Num. 11. 1. dicitur, quòd populus dolebat propter laborem itineris.

Respondeo, Labor iste fuit modicus, scilicet fatigatio aliqua, non autem pedum læsio. Adde, laborem hunc non tam fuisse causam, quàm prætextum murmuris, vt ibi dixi. Denique, vnicus fuit iste vnius illius temporis, vel diei labor; cæteris enim diebus deinceps, eos laborasse non legimus. ita Abulens. quin imò omnes valentes & vegetos fuisse ad iter, sat significat Psaltes psalm. 104. 37. cùm ait: *Non erat in tribubus eorum infirmus.*

Secundò: *Pes tuus non est subtritus.* Pes, id est calceus, tum quia pes, id est calceus, opponitur hîc vestimento; tum quia ita se explicat Moses Deut. 29. dicens: *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Sic Exodi 21. 3. Hebr. גף *gaph*, id est corpus, sumitur B pro corporis indumento. Vnde Noster vertit, *cum qua veste* (hebr. est *gaph*, id est cum quo corpore) *intrauit, cum tali exeat.* Sic Isaiæ 41. 3. *Semita in pedibus eius non apparebit: in pedibus*, id est in calceis lutulentis & detritis. Sic saraballa Chald. significat tibias, & tibialia, teste S. Hieron. in Daniel. 3. Ita Sanchez prolegom in Cant.

En quadragesimus annus est] ex quo Ægypto egressi hæc vestium & sanitatis beneficia à Deo continuè percepimus.

Vers. 9. Cuius (terræ Chanaan) lapides ferrum sunt] q. d. In Chanaan sunt fodinæ ferreæ, è quibus eruuntur lapides, & massæ rubricæ, ex quibus conflatur ferrum.

Vers. 10. Vt cum comederis et satiatus fueris benedicas Domino] Iudæi etiamnum in conuiuijs C vtuntur longa benedictione & gratiarum actione, adeoque in festis seorsim calicem & seorsim panem benedicunt: quin & in mensa quoties noui & lauti quid affertur, iterant benedictionem, vt cùm lautius vinum, vel aromata, vel fructus arborum, &c. afferuntur, dicunt: *Benedictus sis Domine Deus noster creator, qui bonus es, & benefacis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus*, &c. vt patet ex eorum libro rituali. Hinc & Christus tum aliàs, tum in vltima cœna gratias egit, & benedixit tam calicem quàm panem. Et Apostolus 1. Timoth. 4. 3. dicit cibos quos creauit Deus, percipiendos esse cum gratiarum actione. *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Vide ibi dicta.

Vers. 15. In qua erat, &c. dipsas] Chald. vertit, *locus sitis*; recentiores vertunt, *siccitas*: sed nostro Interpreti consentiunt Septuag. Et Hebr. צמאון *tsimmaon*, à צמאה *tsimma*, id est à siti, deducitur. vnde Isidorus l. 12. Etymol. 4. Dipsas, inquit, latinè dicitur situla, scilicet à siti. dipsades enim vocantur serpentes nocentissimi, eò quòd morsi ab eis, continuò inarescant, & siti ardeant, quare potum incessanter haurientes, tandem crepant & dissiliunt. De his agit Solinus in Polyhist. cap. de Africa, & alij historici, præsertim qui de exercitu Catonis in Libya scribunt, vbi sub arenæ cumulis id genus serpentis delitescit: ijdem narrant militem

Dipsas serpens à siti quam excitat, dicitur.

A à dipsade morsum ad mare insano impetu accurrisse, cumque magnam salsarum aquarum vim ebibisset, repentè extinctum esse. Magna ergo fuit Dei prouidentia & beneuolentia erga Hebræos, quòd ipsi per 40. annos ab his serpentibus, qui in deserto abundant, non sint læsi.

Et postquam afflixit, ac probavit] Hebr. *vt affligeret, & probaret te, atque sic tandem benefaceret tibi.* Sed eòdem redit sensus. q. d. Priùs te Deus afflixit & probauit per sitim & famem, sed mox dando aquas & manna, misertus est tui. patet ex præcedent. Vers. 16

Ne dceres in corde tvo: Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt] Errat ergo Seneca dicens: *Deorum immortalium munus est quòd viuimus, philosophiæ quòd benè viuimus.* & ille qui dicebat Ioui: *Det vitam, det opes, animum æquum mihi ipse parabo.* Vers. 17.

Nota. Permittit Deus suos in arcta redigi, vt eos doceat diffidere sibi suisque viribus, & fidere Deo. hinc orat totus Israel imminente Holopherne, Iudith 6. *Ostende Domine, quoniam non derelinquis præsumentes de te, & de sua virtute gloriantes humilias.* nam, vt dicitur Prou. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.* & psalm. 30. 5. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Ita Iudas Machabæus inuocato Deo Nicanorem, aliosque hostes prostrauit, 2. Machab. 15.

Morale de diffidentia sui. Primò.

Docet S. Basilius Institut. de vita perfecta, seruos Dei à dæmone varijs tentationibus agitari, sed eos vinci qui plusæquo sibi confidunt: nam, vt ait Serapion apud Cassian. collat. 5. c. 4. *Impossibile est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit, industria, vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse.* Et Ieremias c. 17. v. 5. *Maledictus*, inquit, *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* S. Augustinus in Soliloqu. cap. 15. *Credebam*, inquit, *me fore aliquid, cùm nihil essem: cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum: dixi quòd diues essem, & nullius egerem, & nesciebam quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser & miserabilis. Sed nunc video, quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est. Credebam me sufficere per me, nec percipiebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me, & quòd surrexi fuit ex te.*

Secundò. Præfidentes vincuntur à dæmone.

Hinc orat Dauid psal. 17. 2. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Dauidis exemplum D secuti sunt sancti Patres in eremo, qui teste Cassiano col. 10. c. 10. ad quasuis vel tentationes, vel actiones statim in initio orabant: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* Eumdem versic. vsurpat Ecclesia initio Horarum canon. causam dat ibidem Cassian. Et S. Paulus Philipp. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere*, & c. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat*; & 2. Cor. 4. *Deo autem gratias, qui semper nos triũphat* (triumphare facit) *in Christo Iesu.* Et S. Iacobus c. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à Patre luminum.* Et poëta: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Neque enim, vt ait S. August. l. 4. de Genesi ad lit. c. 12. *mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus suum regimen subtraxerit.*

Tertiò. Exempla fidentium Deo, non sibi.

CA-

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses refricat Hebræis eorum murmura & peccata; maximè adorationem vituli aurei, cuius pœnam, scilicet excidium gentis, ipse deprecatus est, idq́; eo fine, vt humilient se, eaq́; deinceps caueant.

1. AVdi Israel: Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas & fortiores te, ciuitates ingentes & ad cælum vsque muratas, 2. populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex aduerso resistere. 3. Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis deuorans atque consumens, qui conterat eos & deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi. 4. Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. 5. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui, ingredieris vt possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impiè, introëunte te deletæ sunt: & vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob. 6. Scito ergo quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus. 7. Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto vsque ad locum istum, semper aduersum Dominum contendisti. 8. Nam & in Horeb prouocasti eum, & iratus delere te voluit, 9. quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: & perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens. 10. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. 11. Cumque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, 12. dixitque mihi: Surge, & descende hinc citò: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile. 13. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: 14. dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo, & constituam te super gentem, quæ hac maior & fortior sit. 15. Cumque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, 16. vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem; ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat: 17. proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. 18. Et procidi ante Dominum sicut priùs, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis. 19. Timui enim indignationem & iram illius, qua aduersum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice. 20. Aduersum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum. 21. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninoque in puluerem redigens proieci in torrentem, qui de monte descendit. 22. In incendio quoque & in tentatione, & in Sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum: 23. & quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, & possidete terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis: 24. sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi. 25. Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus: 26. & orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. 27. Recordare seruorum tuorum, Abraham, Isaac, & Iacob: ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum: 28. ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine, 29. qui sunt populus tuus & hereditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

TRANS-

Vers. 1. TRANSGREDIERIS HODIE IORDANEM] *Hodie*, id est nunc, breui, putà intra paucas septimanas. nam eodem præcisè die non transierunt Hebræi Iordanem, sed post duos menses. hæc enim dixit Moses prima die mensis vndecimi, vt patet cap. 1. v. 3. Hebræi autem transierunt Iordanem, decima die mensis primi, anni sequentis, vt patet Iosue 4. 19.

ET AD CÆLVM VSQVE MVRATAS] id est, altissimis muris muratas est hyperbole, qualis est illa poëtæ:

Aurea femineus perstringit sidera clamor.

Simili hyperbole ait Christus, quòd in destructione Ierusalem, non manebit lapis super lapidem. ita enim vulgò loquimur, cùm horrendum aliquod plenumque excidium menti subiicere volumus: S. Scriptura autem sermoni vulgari se accommodat.

Vers. 3. DEVS TVVS IPSE TRANSIBIT ANTE TE] videlicet deuorans & delens, vti sequitur, hostes tuos, tam efficaciter & velociter, quàm ignis ligna aut stipulam absumit.

Vers. 5. ÆQVITATEM (hebr. rectitudinem) CORDIS TVI] putà mentis, & voluntatis tuæ.

Vers. 6. CVM DVRISSIMÆ CERVICIS SIS POPVLVS] quasi dicat, Cùm maximè ceruicosus, rebellis & inobediens sis.

Vers. 10. DIGITO DEI] digito suo. Hebræi enim sæpè pronomen absolutum ponunt pro reciproco.

CONCIO] cœtus populi.

Vers. 18. PROCIDI ANTE DOMINVM] non statim à confractione tabularum legis: nam priùs occidit Moses 23. millia adorantium vitulum, populum grauiter increpuit, vitulum contriuit, &c. quæ posteriùs hîc narrantur. sed anteriùs facta sunt, scilicet antequam Moses ascenderet rursum in Sina, ibique coram Domino procideret. Hoc enim post omnia iam dicta, scilicet postridie, factum est, vt patet Exodi 32. & sequentibus.

Putant aliqui Mosen ternos 40. dies, siue tres quadragesimas in Sina coram Domino ieiunasse, scilicet primam, antequam acciperet à Deo primas legis tabulas, Exodi 24. 18. Secundam, ante secundas, Exodi 34. 28. Tertiam mediam inter vtramque, qua supplicauit Domino, vt parceret populo, qui vitulum aureum adorarat; vti hîc dicitur v. 25. ita censent Hebræi, Hugo Cardin. & Caietan. in cap. 10. Exodi, Genebrar. Adrichom. Marzilla in cap. 10. Deuter. Idem probabile esse censent Lyran. in cap. 10. Deuter. Abulensis (etsi contrariam sententiam ipse amplectatur) in c. 33. Exodi quæst. 3. Dionys. in c. 34. Exodi, Salianus anno mundi 2544. Probant id, quia Moses hoc cap. ter nominat 40. dies sui ieiunij, scilicet v. 12. v. 18 & v. 25. sed 40. dies v. 25. iidem sunt cum illis v. 18. vt liquet intuenti. Quare cōmunior Doctorum est sententia, Mosen duas tantùm quadragesimas ieiunasse, ac proinde tertiam iam nominatam eamdem esse cum secunda. Nam Moses orando veniam adorati vituli à populo, simul disposuit se ad accipiendum secundas legis tabulas eidem populo pœnitenti cōmunicandas. Ratio est, quia Moses in Exodo, vbi hæc fusè narrat, tantùm bis nominat 40. dies sui ieiunij, scilicet primos ante primas legis tabulas, Exodi 24. 15. secundos ante secundas, Exodi 34. 28. vide Abulens. loco iam citato. *Multi putant Mosen ter 40 dies ieiunasse.*

Vers. 22. IN INCENDIO QVOQVE] Locus hic dictus est Incendium, in quo murmurarunt Hebræi, ob laborem itineris, ideoque Deus in eos ignem immisit, vt dicitur Numer. 11. v. 1.

IN TENTATIONE] vbi Hebræi tentarūt Deum postulantes aquam, in Raphidim, ideoque locus dictus est hebr. *massa*, id est tentatio, Exodi 17. 7. sicut & sequens locus dictus est, Sepulchra concupiscentiæ Num. 11. 14.

Nota. Est hîc hysteron proteron, siue inuersus ordo: iungit enim Moses has tentationes cum illa in Horeb, vt conglobando plures Hebræorum tentationes & murmura, eorum duritiem exaggeret, & postea v. 25. redit ad secundam mansionem 40. dierum in monte Horeb, siue Sina, quæ contigit ante incendium, & ante Sepulchra concupiscentiæ, & ante missos exploratores.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Moses Hebræis inculcare Dei legem & metum, Primò, ex tabulis legis, quas Deus iis dedit, & in arca recludi, arcamq́; à Leuitis circumgestari iussit, vt per eam Hebræi fœderis, & legis Dei semper admonerentur. Secundò, quia Deus noster est Deus deorum, & Dominus dominantium, verſ. 17.

1. IN tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem: faciesque arcam ligneam, 2. & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas antè confregisti, ponesque eas in arca. 3. Feci igitur arcam de lignis setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. 4. Scripsitque in tabulis, iuxta id quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi. 5. Reuersusque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt sicut mihi præcepit Dominus. 6. Filij autem Israel mouerunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera, vbi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius eius. 7. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Ierebatha, in Terra aquarum atque torrentium. 8. Eo tempore separauit tribum Leui. vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac bene-

diceret in nomine illius vſque in præſentem diem. 9. Quam ob rem non habuit Le-
ui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt,
ſicut promiſit ei Dominus Deus tuus. 10. Ego autem ſteti in monte, ſicut priùs, qua-
draginta diebus ac noctibus: exaudiuitq; me Dominus etiam hac vice, & te perdere no-
luit. 11. Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, vt ingrediatur, & poſſideat ter-
ram, quam iuraui patribus eorum vt traderem eis. 12. Et nunc Iſrael, quid Dominus
Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & di-
ligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: 13. cu-
ſtodiaſque mandata Domini, & cæremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt bene
ſit tibi? 14. En Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea
ſunt: 15. & tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitque
ſemen eorum poſt eos, id eſt vos, de cunctis gentibus, ſicut hodie cõprobatur. 16. Cir-
cumcidite igitur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis ampliùs:
17. quia Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus
magnus & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. 18. Facit iu-
dicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum. 19. &
vos ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Ægypti. 20. Domi-
num Deum tuum timebis, & ei ſoli ſeruies: ipſi adhærebis, iurabiſque in nomine illius.
21. Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt
oculi tui. 22. In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce
nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cæli.

Vers. 1. FACIESQVE ARCAM LIGNEAM] illam ſcilicet, cuius fabrica deſcripta eſt in Exodo. Nota. Fabricata eſt à Moſe, poſt acceptas à Deo ſecundas tabulas legis, vt patet Exodi 34.28. conferendo cum Exodi 37.1. ſed ante eas, iuſſit Deus arcam fabricari Exodi 25.10. Fit hîc mentio arcæ, quia arca facta eſt propter tabulas legis, vt ſcilicet earum eſſet ciſta & cuſtos. Eſt ergo hîc hyſteron proteron: narratur enim arcæ fabrica ante datas tabulas legis, cùm poſt illas contigerit.

Vers. 6. FILII AVTEM ISRAEL MOVERVNT CASTRA] Eſt hîc rurſum hyſteron proteron: interrumpitur enim ſeries cœptæ orationis, vſque ad v. 10. talia plura ſunt in hiſce libris. Eſt ergo hîc quaſi parentheſis, adiecta propter tribum Leuiticam: quia enim arcæ, in qua erant tabulæ legis, præceſſit mentio, hinc per parentheſin ſubditur mors Aaronis, qui Deum offenderat, & ſucceſſio filij eius Eleazari, ad quem cuſtodia legum à Deo datarũ pertinebat; deinde inſtitutio tribus Leui, & Leuitarum conſecratio, quorum erat portare arcam coram populo, vt per eam populum de fœdere & lege Dei ſeruanda, perpetuò admonerent.

IN MOSERA] Diſtinguitur hæc manſio à Moſeroth Num. 33.31. nam Moſeroth non eſt Hor, cùm inter Moſeroth & Hor multæ interiiciantur manſiones Num. 33. Moſera autem eſt Hor. in Moſeroth ergo fuit vigeſima ſeptima, in Moſera trigeſima quarta manſio Hebræorum. Similiter *Beroth filiorum Iacan*, ſeu, vt hebr. eſt, *Beroth bene Iacan*, alia eſt manſio à *Bene Iacan*, de qua Num. 33.31. vti patet legenti. Neque nouum eſt, diuerſa loca habere eadem vel affinia nomina, & contrà eumdem locum habere plura nomina.

Moſera ergo Numer. 33.37. vocatur: Hor ibi enim mortuus eſt Aaron, & conſequenter Beroth filiorum Iacan eſt Cades, de quo Numer. 33. 37. ita Abulenſ. Quæ verò manſiones Numer. 33. reſpondeant Gadgad, & Ietebatha, quæ hîc ſequuntur, non conſtat: Vatabl. tamen opinatur, Gadgad eſſe Oboth.

Vers. 8. EO TEMPORE SEPARAVIT (Dominus, vti habent Hebræa) TRIBVM LEVI] Veriſimile eſt, hanc eſſe ſecundam ſeparationem Leuitarum, & diuerſam ab ea quæ contigit in Sina, viuente Aarone Num. 3.6. Hæc enim videtur contigiſſe poſt mortem Aaron, in Ietebatha, ſub Eleazaro: alioqui enim fruſtra mors Aaronis, & Eleazari ſucceſſio hîc inſereretur verſ. 7. Fuit ergo hæc quaſi confirmatio, & primæ ſeparationis, quæ facta eſt Num. 3. repetitio, ſub nouo pontifice. ita Caietanus. Aliter Abulenſ. Ipſe enim cenſet, hanc eſſe eamdem ſeparationem tribus Leui cum illa Numer. 3 verſum enim 6. & 7. obiter interiici, vt refricent mortem Aaronis: itaque hunc verſum 8. connectendum eſſe cum v. 5. Tunc enim omnia optimè cohærent. quæ ſententia ſatis eſt probabilis. plura enim talia Pentateucho interiecta ſunt, vti dixi in prooemio Geneſeos.

VT PORTARET ARCAM FOEDERIS, communium Leuitarum hoc erat; ſed quod ſequitur, ET STARET CORAM EO IN MINISTERIO] ad ſacerdotes tantùm, qui eiuſdem cum Leuitis erant tribus, videtur referendum. Hi enim ſoli ſtabant coram Domino, miniſtrantes in tabernaculo, & ſacrificantes, & horum erat benedicere populum.

DOMINVS POSSESSIO EIVS] q. d. Ea quæ Domino dantur, putà oblationes, primitiæ, &c. cedunt in poſſeſſionem Leuitarum: nec enim aliam habent in Iſrael. Vers. 9.

EGO AVTEM STETI IN MONTE, SICVT PRIVS, QVADRAGINTA DIEBVS] Nonnulli putant, Moſen ter per 40. dies, fuiſſe in monte Sina, & hanc tertiam eſſe vicem. Verùm patet, hanc non tertiam, ſed ſecundam eſſe, atque eamdem cum illa, de qua cap. præced. v. 18. Quare rurſum eſt hîc hyſteron proteron hic enim verſus recto ordine ponendus eſſet ante initium capitis. Vers. 10.

ET NVNC ISRAEL, QVID DOMINVS DEVS TVVS PETIT A TE?] q. d. Cùm toties tibi, ô Iſrael, Deus peccata condonarit, hoc vnicum pro omni ſuo beneficio & clementia, petit à te, vt ſcilicet deinceps timeas eum: æquum ergo eſt, vt hoc facias. Vers. 12.

Nota. Timor Dei refrænat animam à concupiſcentiis, & incitat ad omne bonum. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*, Prouerb. 28. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens* in *Mor. de timore Dei. fructus eius. Primus.*

in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, psal. 111. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis*, Eccli. 40. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo*, Eccles. 12. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, psal. 2. *Si pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Malach. 1. 6. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & corpus & animam mittere in gehennã*, Matth. 10. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua*, Eccli. 27. hinc ait Ionas: *Hebræus ego sum, & Deum cæli timeo.*

Secundus. Secundò, timor Dei est initium sapientiæ & pietatis, imò est consummatio earumdem, inquit Sapiens. quantum ergo crescis in timore Dei, tantum crescis in sapiẽntia & pietate, tantumq́; places Deo. *Qui timent Dominũ, inquirent quæ beneplacita sunt ei*, Eccli. 2. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis*, Isaiæ 26. iuxta Septuag. Hinc de S. Monica matre sua ait S. August. in Confess. Erat in corde ancillæ tuæ timor castus, &c.

Tertius. Tertiò, timor filialis non est aliud quàm amor Dei: ex eo enim quòd amamus Deum quasi patrem, timemus eum offendere. *Ad omne opus bonũ, ducit amor & timor Dei: ad omne peccatum ducit amor & timor mundi*, inquit S. August. in Sententiis.

Quartus. Quartò, timor Dei dat constantiam in tentationibus & aduersis. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipse est spes eius*, Eccli. 34. Timore Dei Martyres superarunt tormenta.

Quintus. Quintò, timor Dei parit Dei fauorem, & bona omnia. *Misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*, canit B. Virgo. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum*, Tobiæ 4. *Non est inopia timentibus eum*, psalm. 33.

Sextus. Sextò, parit cordis gaudium. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium*, Eccli. 1. Denique parit fiduciam de felici ex hac vita transitu, estq́ue custos castitatis, innocentiæ & virtutum omnium, inquit S. Hieron. epist. 127.

VERS. 14. CÆLVM CÆLI] Hebr. *cæli cælorum*, id est cæli vastissimi & altissimi, qui omnes inferiores orbes ambiunt.

VERS. 15. PATRIBVS TVIS CONGLVTINATVS EST DOMINVS] Verbum *conglutinatus*, significat vehementiam amoris diuini, quòd per eam arctissimè nos sibi Deus vniat, qui summus est amoris effectus, æquè ac indicium.

Sic anima Sichem dicitur conglutinata cum Dina, Genes. 34. 3. & anima Iacob dicitur dependere ex anima Beniamin, vel, vt hebr. est, illi colligata esse, Gen. 44. 34.

VERS. 16. CIRCVMCIDITE IGITVR PRÆPVTIVM CORDIS VESTRI] Septuag. σκληροκαρδίαν, id est duritiam, &, vt Chald. insipientiam cordis vestri. Præputium enim metaphoricè cordi tribuitur, & significat voluntatem prauitate, luxuria, vanitate & cæcitate obtectam & obduratam. Vide dicta Leuit. 26. 41.

S. Gregorius verò 28. Mor. 7. per cor accipit mentem, siue rationem: ait enim, *Circumcidite præputia cordis vestri, id est postquam luxuriam à carne extinguitis, etiam superflua cogitationum resecate.*

A AMAT (Deus) PEREGRINVM: ET VOS ERGO AMATE PEREGRINOS] Deus hîc Hebræis commendat misericordiam, vt miseris, quales sunt peregrini, pupilli & viduæ, opitulentur, sicut Deus eos peculiariter amat & iuuat. nam, vt ait Psaltes: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* VERS. 18. & 19.

IPSE (Deus) EST LAVS TVA] Id est, ipse est obiectum laudis tuæ, vel materiale, quem scilicet iugiter laudare debes; vel formale, propter quem laudaris, quique te omnibus gentibus laudabilem facit. Secundò, Deus est *laus*, id est fortitudo & virtus tua, qui te omnibus populis laudabilem facit. Metonymicè ponitur effectus pro causa. Sic ait poëta: *Sunt sua præmia laudi*, id est virtuti. & psalm. 8. *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem*, hebr. est, fundasti fortitudinem. & psalm. 105. *Laudamini* (id est confirmamini, animos capite) *in nomine sancto eius.* VERS. 21.

B Nota. Deus est summa maiestas, bonitas, sapientia, potentia, prouidentia, qua nos creat, conseruat, pascit, protegit, iustificat, glorificat: hinc summè à nobis est laudandus, hocque solum ei rependere possumus. *Immola Deo sacrificium laudis*, psal. 49. 9. *Te decet hymnus Deus in Sion*, psalm. 64. 2. Angelorum opus est laudare Deum, inquit S. Basil. in psal. 28. Angeli enim assiduè clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, Isaiæ 6. Beati in cælo non aliud habent negotiũ. eorum enim vox est Apocal. 4. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, & diuinitatem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Testantur magi & sagæ, inter se esse ordinem quemdam hierarchicum, id est diabolicum, scilicet summos C inter eos non aliud facere, quàm blasphemare Deum; medios intoxicare homines & animalia; infimos cooperari mediis. Ita è contrario summi in hac vita Sancti sunt, qui cum B. Virgine assiduè canunt: *Magnificat anima mea Dominũ: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* medij, qui in vita actiua proximos iuuant ad salutẽ: infimi, qui medijs per suas opes & opera externa subseruiunt. *Morale de laude Dei. Primò.*

Sol, luna, omnesq́; creaturæ muta voce laudant Deum. clamant enim: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ est finis. Exaltate illum quantũ potestis: maior est enim omni laude*, Eccli. 43. 32. Ita fecit Dauid psal. 33. *Benedicam Dominum in omni* (tam aduerso, quàm prospero) *tempore: semper laus eius in ore meo. Magnificate Dominũ mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Benedicat omnis caro nomen sanctum eius.* *Secundò.*

D Hinc omnes angelos, homines & creaturas cum Dauide, & tribus pueris in camino, inuitare debemus ad Dei laudem, dicentes: Benedicite Dominum omnes angeli eius, cælum, sidera, pisces, volucres; laudate, & superexaltate eum in sæcula. *Tertiò.*

Hinc rursum non tantùm ore, sed & corde toto ac opere Deum laudare debemus, vt vita nostra sit continua Dei laus; ac præsertim vt peccatores, qui suis peccatis Deum blasphemant, conuertamus, vt sua pœnitentia, & pia vita Deum laudent. Vtinam te Domine mille cordibus, mille linguis, imò omnium hominum & angelorum voce laudare possem!

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in sua concione Moses. Primò, terrendo Hebraeos per pœnas Pharaoni, & Core, Dathan ac Abiron, ob peccata inflictas. Secundò, alliciendo eos promissis bonis Chananaa, quam Aegypto praefert. Tertiò, v. 26. proponendo eis benedictionem, & maledictionem.

1. AMa itaque Dominum Deum tuum, & obserua præcepta eius & cæremonias, iu-
dicia atque mandata, omni tempore. 2. Cognoscite hodie quæ ignorant filij
vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia eius & robustam ma-
num, extentumque brachium: 3. signa & opera quæ fecit in medio Ægypti Pharao-
ni regi, & vniuersæ terræ eius, 4. omnique exercitui Ægyptiorum, & equis ac curri-
bus: quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cùm vos persequerentur, & deleuerit
eos Dominus vsque in præsentem diem: 5. vobisque quæ fecerit in solitudine, do-
nec veniretis ad hunc locum: 6. & Dathan atque Abiron filiis Eliab, qui fuit filius
Ruben: quos aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus & tabernaculis, & vniuersa
substantia eorum, quam habebant in medio Israel. 7. Oculi vestri viderunt omnia
opera Domini magna quæ fecit, 8. vt custodiatis vniuersa mandata illius, quæ ego
hodie præcipio vobis, & possitis introire, & possidere terram, ad quam ingredimini,
9. multoque in ea viuatis tempore: quam sub iuramento pollicitus est Dominus patri-
bus vestris, & semini eorum, lacte & melle manantem. 10. Terra enim, ad quam in-
grederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hor-
torum morem aquæ ducuntur irriguæ: 11. sed montuosa est & campestris, de cælo
expectans pluuias. 12. quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea
sunt à principio anni vsque ad finem eius. 13. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ
ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto
corde vestro, & in tota anima vestra: 14. dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam
& serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, 15. fœnumque ex agris ad
pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis ac saturemini. 16. Cauete ne fortè decipiatur
cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatisq; diis alienis, & adoretis eos: 17. iratus-
que Dominus claudat cælum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum,
pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. 18. Ponite
hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus,
& inter oculos vestros collocate. 19. Docete filios vestros vt illa meditentur, quan-
do sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris. 20. Scri-
bes ea super postes & ianuas, domus tuæ: 21. vt multiplicentur dies tui, & filiorum
tuorum in terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis quamdiu cælum im-
minet terræ. 22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis
ea, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis eius, adhæren-
tes ei, 23. disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis
eas quæ maiores & fortiores vobis sunt. 24. Omnis locus, quem calcauerit pes ve-
ster, vester erit. A deserto, & à Libano, à flumine magno Euphrate vsque ad mare occi-
dentale erunt termini vestri. 25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & for-
midinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut
locutus est vobis. 26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & ma-
ledictionem: 27. benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ
ego hodie præcipio vobis: 28. maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini
Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaueritis post
deos alienos, quos ignoratis. 29. Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in
terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim,
maledictionem super montem Hebal: 30. qui sunt trans Iordanem, post viam quæ
vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Gal-
galam, quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul. 31. Vos enim transibi-
tis Iordanem, vt possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt
habeatis & possideatis illam. 32. Videte ergo vt impleatis cæremonias atque iudicia,
quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

VERS. 2. COGNOSCITE] id est, considerate. est metalepsis.

DISCIPLINAM] Hebr. מוסר *musar*, id est castigationē, qua scilicet varijs pœnis & modis Deus vos, quasi pueros erudiuit & formauit, tum in Ægypto, tum post egressum ex Ægypto, ita Vatabl.

A

Qvo-

Vers.4. QVOMODO, &c. DELEVERIT EOS (Ægyptios) VSQVE IN PRÆSENTEM DIEM] id est, omnino deleuerit eos, ita vt nunc nemo superstes sit, qui vobis noceat.

Vers.6. ELIAB, QVI FVIT FILIVS RVBEN] non immediatus, sed mediatus, putà nepos, vel abnepos.

Vers.10. CVM DOMIBVS] cum filijs & familia. Vide sex domus significationes apud Abulens. hic.

TERRA ÆGYPTI, &c. VBI AQVÆ DVCVNTVR IRRIGVA] Hebr. est, *quam rigabas pede, sicut hortum.* rigare pede, est rigare labore & fossione sua, videlicet ex flumine Nilo deducendo aquas, per sulcos & fossas. q. d. Aquam in Ægypto non habebatis, nisi in campis, nec nisi per laborem vestrum, deducendo scilicet sulcos ex Nilo in campos, vti in hortis fieri solet. in Ægypto enim raræ, vel nullæ sunt pluuiæ. At in Chanaan, terra & in campis, & in montibus, sine labore ex cælo, & cælesti pluuia abundè irrigatur. q. d. Ergo multò melior est terra Chanaan, ad quam tenditis, Ægypto, vnde existis.

Ægyptus irrigatur non pluuiis, sed Nilo.

Vers.11. DE CÆLO EXPECTANS PLVVIAM] Hebr. *de pluuia cæli bibit aquam.* q. d. Terra Chanaan, non aqua Nili, sed cælesti irrigatur: vnde Deus eam visitat, oculique Domini toto anno super eam sunt: quia eius curam semper gerit Dominus, prouidens stato tempore pluuiam, ventum, calorem, frigus, &c. ne quid desit ad fructus & fruges producendas & maturandas.

Vers.14. TEMPORANEAM ET SEROTINAM] Pluuia temporanea est, quæ maturè & tempestiuè mense Octobri, iactis in terram seminibus, in Iudæa depluit, itaque semina germinare facit. Serotina est, quæ serò mense Aprili aut Maio, depluit, frugesque & fructus ad maturitatem perducit. Significat ergo hæc phrasis omnem pluuiam tempestiuam, oportunam frugibus. hinc Prophetæ, vt Osee c. 6. v. 3. & Ioël c. 2. v. 23. comparant Christum pluuiæ temporaneæ & serotinæ: quia Christi aduentus gratissimus, & maximè oportunus fuit mundo & hominibus ad salutem. Erant enim hæ pluuiæ & gratissimæ omnibus, & multum expectatæ, maximeque necessariæ.

Pluuia temporanea est, quæ pluit tempore sementis: serotina, quæ sub messem pluit.

Allegor. pluuia temporanea fuit doctrina legis data per Mosen, qua semina iacta per patres legis naturæ germinarunt. Doctrina legis nouæ est pluuia serotina, qua fructus maturescunt & perficiuntur. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex,* vt ait Apostolus: quia perfectio & maturitas Euangelio seruabatur. Et hoc est quod ait Zachar. cap. 11. v. 1. *Petite à Domino pluuiam in tempore serotino*, id est, petite à Deo doctrinam Euangelij, qua arida totius terræ irrigentur, vti explicat S. Hieron.

Hinc patet, terram promissam ex se, & natura sua ante ingressum Hebræorum, cùm incoleretur à Chananæis, fuisse valdè fertilem. vnde vocatur terra lacte & melle manans, & talis ab exploratoribus inuenta est Numer. 13. 28. præcipuam tamen suam vbertatem habuit ex influentia Dei, & populi religione, vt patet hinc v. 13. & Isaiæ 1. v. 19. Vnde peccante populo, eam subtrahebat Deus, vt minatur hic v. 17. & ita euenisse, patet Aggæi 1. 9. & sequent. Amos 4. 7. & sequent. Ierem. 12. 13. & passim in Prophetis. Sic Pentapolis, quæ olim fuit fertilissima, vt patet Gen. 13. 10. ob peccata Sodomitarum, conuersa fuit in mare

Iudæa erat fertilis, tum ex se, tum speciali concursu Dei.

A salsissimum. hinc illud psal. 106. 34. *Conuertit terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.*

Anagogicè, fœcunditas terræ promissæ significabat abundantiam bonorum spiritualium, in terra viuentium, quæ electis promissa in cælis. qua de re vide Procopium hic.

SVSPENDITE EA PRO SIGNO] assiduè ea vobis proponite. est catachresis. Vide dicta c. 6. 8. Aliter Abulensis, Per manum, inquit, significatur operatio, per oculum intellectus consideratio. q. d. Præcepta ista sint colligata in manibus, id est in operatione vestra, quæ signatur per manum, sintque inter oculos vestros, id est in consideratione mentis vestræ, vt assiduè consideretis num in aliquo deficiatis. Vers.18.

QVANDIV CÆLVM IMMINET TERRÆ] Hebr. *iuxta dies cæli super terram*, id est quamdiu cælum terræ imminebit, putà in æternum. est hyperbole, B significãs *in finem vsque mundi*, siue vsque ad diem iudicij. Itaque nisi peccassent Iudæi, derelinquẽdo Deum, & Messiam respuendo, possedissent terram promissam, vsque ad finem mundi. hoc enim eis hìc promittit Deus. Vers.21.

Iudæi possedissent Chanaan vsque ad finem mundi, si non peccassent.

VIIS EIVS] mandatis eius, quæ sunt quædam viæ directiuæ actuum nostrorum ad finem vltimum, scilicet ad Deum & ad beatitudinem. Vers.22.

EN PROPONO IN CONSPECTV VESTRO HODIE BENEDICTIONEM, ET MALEDICTIONEM] Acer hìc est stimulus ad Dei legem & metum. Vis benedici à Deo, Deum time, Deo obedi: si enim ei sis inobediens, maledicet, id est malefaciet, tibi, teque accrimè & in hac vita & in futura puniet. Eodẽ stimulo vrget Hebræos Moses c. 30. 19. cùm ait: *Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim* C *vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam. vt & tu viuas, & semen tuum.* Vers.26.

PONES BENEDICTIONEM SVPER MONTEM GARIZIM, MALEDICTIONEM SVPER MONTEM HEBAL] q. d. Curabis à Leuitis proclamari benedictionem ex monte, vel potiùs versus montem Garizim, super obseruantes legem Dei; & maledictionem ex monte, vel potiùs versus montem Hebal, super præuaricatores legis, populo respondente Amen. Vide hæc fusiùs explicata c. 28. in fine, & Iosue 8. sub finem. Vers.29.

QVÆ EST IVXTA VALLEM TENDENTEM ET INTRANTEM PROCVL] Pro *vallem*, hebr. est *elon*, quæ vox ilicem, vel arborem è quercuum genere significat, vti Septuag. & Noster passim vertunt: sed Noster hìc quercetum, per quercus synecdochicè significari intellexit, vallem scilicet quercu- D bus refertam. vallem enim fuisse, optimè norat S. Hieron. qui loca sancta accuratè lustrauit. Vers.30.

Rursum, pro *vallem tendentem*, hebraicè est *elon more*. id est quercetum, vel vallis monstratoris, vti docet Masius in Iosue 24. Iam vallis monstratoris, est vallis protensa, monstrabilis, magna, pulchra, &, vt Noster vertit Genes. 12. 6. illustris. Est hæc vallis iuxta Sichem, ad quam primò venit Abraham, veniens ex Chaldæa in Chanaan. nam iuxta Sichem esse montes hos Garizim & Hebal, docet Iosephus oculatus testis, cui potiùs credendum est, quàm Eusebio: is enim auctor est libr. de Locis Hebraicis, qui falsò S. Hieronymo tribuitur, vti rectè probat Masius in Iosue 8. 30.

Auctor libri de locis Hebr. est Eusebius.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HVcusque Moses Hebræos ad legem Dei in genere exhortatus est, nunc ad particularia descendit (hoc enim boni concionatoris est munus) atque hoc cap. iubet, non in montibus & lucis, sed vno in loco, quem Deus elegerit, offerri victimas, decimas, primitias, & vota, ibiq; epulari coram Domino: carnes autem non immolatas Deo, permittit v. 20. comedi quolibet loco si is à templo sit dissitus, dummodo sanguine abstineant.

1. HÆc sunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. 2. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. 3. Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. 4. Non facietis ita Domino Deo vestro: 5. sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis: 6. & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. 7. Et comedetis in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. 8. Non facietis ibi quæ nos hîc facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. 9. Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem quam Dominus Deus vester daturus est vobis. 10. Transibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis 11. in loco quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vouebitis Domino. 12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos & filij ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Leuites qui in vrbibus vestris commoratur. neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos. 13. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: 14. sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi. 15. Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit, occide, & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus tuis: siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile siue mundum, hoc est, integrum & sine macula, quod offerri licet, sicut capream & ceruum, comedes, 16. absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes. 17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voueris, & sponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum: 18. sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & seruus & famula, atque Leuites qui manet in vrbibus tuis, & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam. 19. Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore quo versaris in terra. 20. Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua: 21. locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus vt sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, vt tibi placet. 22. Sicut comeditur caprea & ceruus, ita vescêris eis: & mundus & immundus in commune vescentur. 23. Hoc solum caue, ne sanguinem comedas. sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus: 24. sed super terram fundes quasi aquam, 25. vt bene sit tibi & filiis tuis post te, cùm feceris quod placet in conspectu Domini. 26. Quæ autem sanctificaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus: 27. & offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris. 28. Obserua & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi & filijs tuis post te in sempiternum, cùm feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui. 29. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum: 30. caue ne

ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subuersæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam. 31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

VERS. 2. GENTES QVAS (id est quarum terram, & opes) POSSESSVRI ESTIS.

SVBTER OMNE LIGNVM FRONDOSVM] Gentiles enim arbores consecrabant diis, præsertim Dianæ, quam nemoribus delectari putabat. Hinc in historiis Martyrum sæpè legimus, eos fuisse ad aliquam arborem ductos, vt ibi deos adorarent; nec rarò arbores istas ad preces Martyrum radicitus fuisse euulsas.

VERS. 3. DISPERDITE NOMINA EORVM] Ita legendum cum Rom. & Hebr. non *earum*, vti legunt Plantin. q. d. Ita disperdite idola, eorumque templa, aras & lucos, vt ne memoria quidem idolorum relinquatur in eis, imò vt nomina eorum prorsus aboleantur, & æterna obliuione sepeliantur.

VERS. 4. NON FACIETIS ITA DOMINO DEO VESTRO] q. d. Non vbilibet in montibus, collibus, lucis, vti faciunt idololatræ, sed in vno tantùm loco, quem elegerit Dominus, sacrificabitis. Vbi Nota. Deus ad hoc primò elegit locum Silo: ibi enim positum fuit tabernaculum, & altare, Iosue 18. 8. ibique mansit toto tempore Iudicum, vsque ad Heli, vt patet Iudic. vlt. 9. inde voluit illud Deus transferri in Nobe, 1. Reg. 21. 1. inde in Gabaon, inde demum transtulit illud Salomon in Ierusalem, ad templum à se exstructum, 2. Paralip. 1. 3. & 13.

VERS. 5. VT PONAT NOMEN SVVM IBI] vt memoria nominis eius specialiter eo loco fit, ibique colatur, ipseque habitet ibi, tamquam in templo suo.

VERS. 6. PRIMITIAS MANVVM VESTRARVM] primitias frugum, quas manibus, & labore vestro messuistis.

VOTA] oblationes ex voto.

VERS. 7. COMEDETIS IN CONSPECTV DEI VESTRI] de hostiis pacificis, siue de oblationibus quibus vesci licitum est laicis. Nam hostiis pro peccato, votiuis, & holocaustis vesci non poterant laici, vt patet Numer. 18. v. 9. & 15.

IN CONSPECTV DEI] id est atrio, coram tabernaculo, quod est sedes & domus Dei.

IN CVNCTIS AD QVÆ MISERITIS MANVM, quæ scilicet labore vestro pepereritis vobis, in his LAETABIMINI] epulando ex iis coram Domino.

Nota Voluit Deus Iudæos celebrare sua festa & victimas cum gaudio, vt ad illa libentiùs & crebriùs redirent, vtque eos, & magis Christianos, incitaret ad gaudium spiritale, quo coli vult Deus, vt sic in lætitia, quasi perenne cum eo festum ineamus, quod in cælo consummabimus. Ita Dauid psalm. 76. 4. *Renuit*, inquit, *consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* & psalm. 83. 3. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* & S. Paulus 1. Thessal. 5. 16. *Semper gaudete.* & Philip. 4. 4 *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Rursum psal. 67. 4. *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Gaude, non in sæculo, sed in Domino. *Illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod cùm possederis, nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcumque aliud delectare posit,*

Moralis de lætitia spiritali.

A *molestum*, inquit S. Bernard. epist. 114. Ita Esther regina ca. 14. 16. *Tu scis* (Domine) *quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum: & numquam lætata sit ancilla tua* (ô putum cor!) *ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus.*

Hæc lætitia dilatat cor & spiritus, animamque & corpus vegetat, ac omnia à Deo impetrat. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, psalm 36. 4. *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa*, Prouerb. 17. 22. Rursum omnia dura euincit: *Ibant* Apostoli *à conspectu concilij gaudentes; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* & Paulus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* & Iacobus: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.*

Eius fructus.

B Medium ad hoc gaudium suggerit Ecclesi. c. 3. v. 12. *Cognoui*, inquit, *quòd non esset melius nisi lætari, & facere benè in vita sua.* Vis semper esse lætus, bene facito: bona conscientia semper gaudet. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum*, Eccli. 1. 11. Quis non gaudeat semper in tribulationibus, cogitans illud S. Pauli? *Momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Medium ad eam.

SINGVLI QVOD SIBI RECTVM VIDETVR] Non enim seruabant Hebræi cæremonialia hæc præcepta in deserto, vti superiùs dixi. VERS. 8.

C HABITETIS IN LOCO QVEM ELEGERIT DOMINVS] q. d. Commoremini securè in loco vbi est tabernaculum, quando ter in anno ad illud omnis Israel, iuxta præceptum meum confluet, non metuentes, ne hostes fines vestros inuadant. VERS. 10. & 11.

LEVITES QVI IN VRBIBVS tuis COMMORATVR] VERS. 12.
Tuis, quas scilicet tu ô Israel, Leuitis dedisti: in illis enim 48. sibi datis à populo, seorsum habitabant Leuitæ.

SI AVTEM COMEDERE VOLVERIS, videlicet VERS. 15.
carnes, extra tabernaculum, in vrbe tua COMEDE IVXTA BENEDICTIONEM DEI TVI] id est comede de illis, quæ beneficè & largiter dederit tibi Deus.

D SIVE IMMVNDVM FVERIT, HOC EST MACVLATVM] *Maculatum*, id est mancum (opponitur enim integro) putà si sit cæcum, claudum, mutilum. hæ enim sunt maculæ victimarum, vt patet Leuit. 22. 22.

SICVT CAPREAM ET CERVVM COMEDES] Vox *sicut*, non ad præcedens *offerri*, sed ad sequens *comedes*, referenda est. Sensus enim est: comedes quæ Domino immolari possunt, putà oues & boues; esto sint mancæ, quas immolare non licet, sicut capream & ceruum, quæ pari modo immolare non licet. patet ex Hebræo.

IN CVNCTIS AD QVÆ EXTENDERIS MANVM] VERS. 18.
id est, in omnibus bonis & facultatibus tuis.

QVANDO, &c. VOLVERIS VESCI CARNIBVS, VERS. 20.
&c. LOCVS AVTEM QVEM ELEGERIT DOMINVS & 21.
DEVS TVVS, VT SIT NOMEN EIVS IBI, SI PROCVL FVERIT, OCCIDES DE ARMENTIS ET PECORIBVS, &c. ET COMEDES] Nota Iussit Deus Leuit. 3. v. vlt.

Qui animal immolabile mactabat ad esum, id facere debebat apud templum, si habitabat Hierosolymæ.

v. vlt. & 17. 11. omnem sanguinem animalium mactatorum sibi effundi & offerri; adipem verò animalium eorum, quæ immolari poterant, putà ouis, bouis & capræ, esto actu non immolarentur, sed tantùm mactarentur ad esum, sibi iussit incendi & adoleri, Leuitici 7. 25. si nimirum animal hoc Hierosolymæ, vel non procul à templo mactaretur. Vnde hic, non quidem expressa lege sancit, sed tamen tacitè innuit, congruum esse, vt qui non procul à templo habitant, cùm animal aliquod tale, scilicet immolabile, mactare volunt ad esum, illud mactent ad ostium tabernaculi, vel templi, tum vt sanguis coram Deo fundatur, tum vt adeps Deo adoleatur, quo facto reliqua carne vesci posse. Licet enim *locus quem elegit Dominus*, intelligi possit Hierosolyma, vel vrbs, in qua erat tabernaculum, aut templum; tamen magis propriè intelligitur ipsum templum vel tabernaculum, quia additur, *vt sit nomen eius ibi*: hoc enim propriè competit templo, vt dixi v. 5. & 14. Rursum, licet Hierosolymitæ rigido iure, absolutè possent domi mactare ouem & bouem, dummodò sanguinem Deo effunderent, & adipem mitterent ad templum, adolendum Deo: tamen magis decens erat dignumque Deo, vt ea mactarentur iuxta templum, vt ita ipsa quasi censerentur Deo mactari, & offerri per suas primitias, partesque nobilissimas, putà per sanguinem, qui Deo effundebatur coram tabernaculo, & per adipem, qui Deo adolebatur cum alijs victimis, in altari holocaustorum: hinc consequenter videtur, quòd hæc animalia ferè mactata fuerint à sacerdotibus, quorum proinde ingens erat turba, quibus pro honorario, pars aliqua animalis mactati dabatur.

Si alibi habitabat, ibi ouem vel bouem mactare poterat, sed sanguinem Deo effundere debebat.

Quia verò nimis molestum fuisset iis, qui in aliis, præsertim remotis à templo, vrbibus habitabant, singulos boues suos & oues mactandos adducere Hierosolymam ad templum, indeque mactatos domum reducere: hinc Deus hic cum ijs dispensat, permittitque vt domi suæ eosdem mactent, dummodo ibidem sanguinem Domino effundant, & adipis esu ob Domini honorem abstineant. ita Abulensis, Oleaster, & alij.

Disce hic Christiane quàm epulas tuas, cibumque omnem Deo offerre, quamq; tam ante, quàm post mensam, Deo benedicere debeas.

Lyrani explicatio reijcitur.

Lyranus tamen putat, legem hanc loqui tantùm de primogenitis ouium & boum, quæ Deo offerri & immolari debebant in tabernaculo, vel templo: sed si longè ab eo abessent, poterant possessores ea vendere, vel comedere, dummodo pretium eorum afferret ad templum, vt dicitur c. 14. v. 24. Verùm hic primogenitorum nulla fit mentio, sed tantùm carnium. Rursum, primogenita illa cap. 14. vendi iubentur, & pretium afferri ad templum, vt ibi ex eo aliud animal ematur, quod Deo immoletur, vt deinde ex eo epulentur coram Domino: quæ omnia planè diuersa sunt ab hoc casu. Denique, ex primogenitis, vtpote Deo immolatis, vesci non poterant immundi, qui tamen vesci poterant hisce carnibus, vt patet vers. sequent.

MVNDVS ET IMMVNDVS IN COMMVNE VESCENTVR] Hebr. *simul*, vel pariter, id est sine discrimine, *vescentur*: quia videlicet, hæ carnes non sunt Deo oblatæ. Vers. 22.

SANGVIS ENIM EORVM PRO ANIMA EST] Hebr. Chald. & Septuag. *sanguis enim eorum est anima*, id est, sanguis eorum est vehiculum animæ, id est vitæ: quia sanguine alitur & conseruatur vita, ideoque pro animali, & vita animalis, sanguinem mihi dari & libari volo: ne ergo comedas vitam eius, comedendo sanguinem; vita enim mihi debetur. Vide dicta Leuit. 5. v. vlt. & c. 17. 11. Vers. 23.

IN ALTARI] iuxta altare, ad basin altaris. Vers 27.

CARNIBVS VESCERIS] si videlicet, obtuleris eas in hostiam pacificam.

QVOD PRÆCIPIO TIBI, HOC TANTVM FACITO] q. d. Ne facias, aut fingas tibi in cerebro tuo idolum, vti præcessit; sed in rebus, & cæremoniis Dei, fac tantùm illud, quod Deus vel per se, vel per vicarios suos, putà sacerdotes, præceperit. Vide dicta c. 4. v. 2. Vers. 32.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Deus pseudoprophetam, & amicum qui suadet cultum Dei alieni, occidi & lapidari; vrbem verò, quæ Deum alienum coluit, iubet v. 13. funditus deleri vsque ad pecora, omnemq; eius supellectilem cum vrbe comburi.

1. SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit
signum atque portentum, 2. & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus,
& sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: 3. non audies verba pro-
phetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrùm
diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra. 4. Dominum Deum ve-
strum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem eius: ipsi
seruietis, & ipsi adhærebitis. 5. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficie-
tur: quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Æ-
gypti, & redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit
Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui. 6. Si tibi voluerit persuadere
frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut ami-
cus, quem diligis vt animam tuam, clàm dicens: Eamus, & seruiamus diis alienis, quos
ignoras tu, & patres tui, 7. cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxtà vel procul sunt,
ab initio vsque ad finem terræ, 8. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei o-
culus

culus tuus vt misereris & occultes eum, 9. sed statim interficies. sit primùm ma-
nus tua super eum,& postea omnis populus mittat manum. 10. Lapidibus obrutus
necabitur:quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo,qui eduxit te de terra Ægypti,
de domo seruitutis: 11. vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat
quippiam huius rei simile. 12. Si audieris in vna vrbium tuarum,quas Dominus Deus
tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: 13. Egressi sunt filij Belial de me-
dio tui,& auerterunt habitatores vrbis suæ,atque dixerunt:Eamus,& seruiamus diis a-
lienis quos ignoratis: 14. quære solicitè & diligenter; rei veritate perspecta, si in-
ueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam,
15. statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ
in illa sunt,vsque ad pecora. 16. quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in
medio platearum eius,& cum ipsa ciuitate succendes,ita vt vniuersa consumas Domi-
no Deo tuo,& sit tumulus sempiternus,non ædificabitur ampliùs, 17. & non adhæ-
rebit de illo anathemate quidquam in manu tua: vt auertatur Dominus ab ira furoris
sui,& misereatur tui,multiplicetque te sicut iurauit patribus tuis, 18. quando audi-
eris vocem Domini Dei tui,custodiens omnia præcepta eius,quæ ego præcipio tibi ho-
die,vt facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

VERS. 2. SEQVAMVR DEOS ALIENOS, QVOS IGNORAS] A scilicet esse deos, quia nimirum ipsi ea signa diuinitatis & prouidentiæ tibi non ostenderunt, quæ ego in Ægypto & in deserto ostendi.

VERS. 3. TENTAT (id est tentari permittit) vos DOMINVS] Nam,vt ait S.Iacobus c.1.13. Deus propriè neminem tentat. permittit autem Deus te tentari,vt per hoc elucescat & pateat omnibus, an diligas Deum,nec nè.

Moraliter, S Gregor.18.Moral.c.7.*Tribus*,ait.*modis nos conditor noster interrogare consueuit. Primò,cùm flagelli districtione nos percutit, & quanta nobis insit,vel desit patientia, ostendit.*Sic interrogauit S.Iob. Secundò, cùm quædam quæ nolumus præcipit,& nostram nobis obedientiã vel inobedientiam patefacit.Sic interrogauit Abraham, iubens ei immolare filium, Genes.22. Sic & hîc dicitur:*Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum.Tentare quippe Dei est magnis nos iussionibus* B *interrogare.Scire quoque eius,est nostram obedientiam nosse nos facere. Tertiò, cùm aliqua nobis occulta aperit,& aliqua abscondit,& nobis mensuram humilitatis nostra innotescit.*Ita fecit S.Paulo,cùm exclamauit:*O altitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei!*

VT PALAM FIAT] Hebr.& græcè est, *vt sciat*, scilicet Deus per experientiam, & per euentum, quod per præscientiam præsciuit ab æterno. Aliter S.Augustinus lib.1. de Genes.contra Manich. c.22.*vt sciat*,inquit,id est,vt scire nos faciat quantum in eius solida dilectione profecerimus.Idem cogitent fideles,hacque cogitatione se abarment, cùm oriuntur hæreses, vti pulchrè docet Vincentius Lirinens.in li.contra hæreses, vbi hunc Deuter.locum perurget.

VERS. 5. VT ERRARE TE FACERET DE VIA, QVAM TIBI PRÆCEPIT DOMINVS] *De via*, id est de ritu viuendi, & seruiendi Deo. Hebr. enim דרך *derech*, id est via,significat modum viuendi,conuersationem,institutum,tenorem vitæ. *Via est modus viuendi.*

VERS. 9. SED STATIM INTERFICIES (accusabis eum,vt statim interficiatur. nam sequitur) SIT PRIMVM MANVS TVA SVPER EVM] q. d. Tu primus in eum lapidem mitte, deinde totus populus. quod non potest intelligi,nisi de eo, qui publicè per accusatores & iudices condemnatus est.

VERS. 13. EGRESSI SVNT FILII BELIAL, ET AVERTERVNT] id est cœperunt apostatæ auertere.*Surgere* enim & *egredi*, sæpè in Script. significant incipere,& rem aliquam aggredi,vti superiùs dixi. *Egredi pro incipere.*

Filij Belial sunt homines rebelles & pessimi, qui iugum legis & Dei excutiunt, putà filij diaboli: hic enim primus fuit Belial, id est apostata. Septuag.vertunt, *παράνομοι*, id est exleges. Vide dicta 2.Corinth 6.

SERVIAMVS DIIS ALIENIS QVOS IGNORATIS] Est enallage personæ: τὸ enim *seruiamus* est vox apostatarum: τὸ verò *quos ignoratis*, est vox Dei. apostatæ enim dicerent, Quos scitis esse famosos & celebres apud Gentes.

VERS. 15. STATIM PERCVTIES] Ad stragem hanc congregabatur vniuersus Israel,vti factum est contra Rubenitas,Iosue 22.12.

VERS. 16. CONSVMAS DOMINO DEO TVO] scilicet in honorem Dei tui. erat enim magnus Dei cultus, & quasi quoddam sacrificium, perdere & punire homines illos, ita Deo iniurios, blasphemos & sacrilegos cum omnibus suis, & statuere anathema, in exemplum cæterorum. vnde Tertull. in Scorpiaco cap. 2. anathemata hæc vocat *deuotamenta.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REfricat Moses legem de animalibus mundis & immundis, de qua Leuit.11.Secundò, v.22. præter decimas primàs, præceptas Numer.18. iubet secundas dari, & tertias v.28.

1. FIlij estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis caluitium super
mortuo. 2. quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit vt sis ei
in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram. 3. Ne come-
datis quæ immunda sunt. 4. Hoc est animal quod comedere debetis, bouem, &
ouem,

ouem,& capram; 5. ceruum & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, ory-
gem, camelopardalum. 6. Omne animal quod in duas partes findit vngulam,& ru-
minat, comedetis. 7. De his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, come-
dere non debetis, vt camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, & non di-
uidunt vngulam, immunda erunt vobis. 8. Sus quoque quoniam diuidit vngulam,
& non ruminat, immunda erit. carnibus eorum non vescemini, & cadauera non tan-
getis. 9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnu-
las & squamas, comedite: 10. quæ absque pinnulis & squamis sunt, ne comedatis,
quia immunda sunt. 11. Omnes aues mundas comedite. 12. Immundas ne come-
datis: aquilam scilicet,& gryphem, & haliæetum, 13. ixion, & vulturem ac miluum
iuxta genus suum: 14. & omne corui in generis, 15. & struthionem ac noctuam,
& larum atque accipitrem iuxta genus suum: 16. herodium ac cycnum, & ibin,
17. ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracem, 18. onocrotalum, & chara-
drium, singula in genere suo: vpupam quoque & vespertilionem. 19. Et omnne quod
reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur. 20. Omne quod
mundum est, comedite 21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo.
Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat, aut vende ei: quia tu populus san-
ctus Domini Dei tui es. Non coques hœdum in lacte matris suæ. 22. Decimam par-
tem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos,
23. & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit vt in eo nomen
illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis &
ouibus tuis: vt discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. 24. Cùm au-
tem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixe-
rit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, 25. vendes omnia, & in pretium redi-
ges, portabisque manu tua, & proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus
tuus: 26. & emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex
ouibus, vinum quoque & siceram,& omne quod desiderat anima tua: & comedes co-
ram Domino Deo tuo,& epulaberis tu & domus tua; 27. & Leuites qui intra portas
tuas est: caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.
28. Anno tertio separabis aliam decimam, ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempo-
re: & repones intra ianuas tuas. 29. Venietque Leuites qui aliam non habet partem
nec possessionem tecum,& peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt,
& comedent & saturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operi-
bus manuum tuarum quæ feceris.

VERS. 1. FILII ESTOTE DOMINI DEI VESTRI] gerite A vos vt filios Dei, Deum vt patrem æternum & summum colite & adorate, eique per omnia obedite.

NEC FACIETIS CALVITIVM] Hebr. *non ponetis caluitium inter oculos vestros, propter mortuum*, id est, ait Vatablus, cùm quis ex amicis vestris vita functus fuerit, non tondebitis partem anteriorem capitis, quæ est inter oculos vestros, sicut Gentes faciunt, quæ non habent spem futuræ vitæ & resurrectionis. Vide dicta Leuit. 19. v. 28. Iudæi enim etiamnum credunt animæ immortalitatem, & futuram vitam: vnde orant ipsi pro defunctis, vt patet ex eorum Symbolo quod recitat Genebrardus in Chronol. Porro hunc funeris ritum adhuc hodie seruant Iudæi. Primò, mortuo quopiam mox amicicius, propinquiores lacerant vestes suas, nec comedunt eo die in domo illa, sed foris. Secundò, non comedunt carnes, nec bibunt vinum, nisi fuerit sabbatum. Tertiò, per septem dies luctus nec lauant corpus, nec vnguentis perfundunt. Quartò, lectum sternunt in pauimento, & à venere abstinent. Quintò, nudis pedibus sequuntur funus, & lucernam accendunt in pauimento domus per septem noctes, quòd credant animam defuncti redire ad locum vbi à corpore discessit, & deplorare dissolutionem suam. Sextò, dicunt orationem, in qua petunt vt anima defuncti requiescat, & ducatur in paradisum.

TRAGELAPHVM] id est hircoceruum. est animal ex hirco & cerua progenitum & commistũ; non fictitium, vti hoc nomen accipiunt Dialectici, sed verum, & realiter existens ad Phasim fluuium, barbam, & armorum villos hirci habens, reliqua ceruo simile. ita Plinius lib. 8. c. 32. Hebræi putant esse hircum siluestrem. Tragelaphus ergo, æquè ac pygargus, & oryx, munda erant animalia, quibus vesci poterant Iudæi. VERS. 5. *Tragelaphus ex hirco & cerua nascitur.*

PYGARGVM] Pygargus hîc, non est aquila ita dicta, de qua Arist. aquilæ enim omnes inter immundas aues relatæ sunt, Leuit. 11. 13. pygargus autem hîc censetur animal mundum. Chaldæus putat esse vnicornem. verius est, pygargum esse capreæ genus, simile damis, de quo Plin. l. 8. 53. *Pygargus est caprea genus.*

B ORYGEM] Oryx animal est in Getulia nascẽs, bisulcum & vnicorne, alioqui capræ non dissimile, pilum habens contra aliorum animalium naturam, ad caput versum: sub ortum caniculæ, tanquam eius sideris aduentum præsentiens, fixis oculis eam cæli plagam intuetur, vbi primùm signum hoc exoritur, eoque conspecto sternutat, & velut venerabundus adorat. ita Plinius lib. 2. c. 40. & l. 8. c. 53. & Columella l. 10. *Oryx sidus caniculæ adorat.*

CAMELOPARDALVM] Animal erat mundum, ac proinde diuersum à camelo, qui erat immundus. Camelopardalus ergo est animal cameli proceritate, colore pantheræ, maculas habens, tenui ceruice, capite simile camelo, pedibus & cruribus *Camelopardalus capite similis est camelo, pedibus bubal.*

bus boui, ita Plin. l. 8. cap. 18. & Dion lib. 42. hist. Rom. Vide Anton. Nebriss. in Quinquagen. c. 8.

Tropolog. camelopardalis symbolum est hominis variabilis & hypocritæ. Sicut enim ipse collo refert equum, pedibus bouem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum: ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt: si cultum inspicias, Sanctum aliquem esse existimes: si orationem audias, satrapam loqui putes; si vitam expendas, nebulonem inuenies: si scripta, bubulcum. Sic quidam in templo sunt angeli, in foro & curia dæmones, in colloquio homines, in mensa lupi, in cubiculis veneres.

Verùm quia camelopardalis mundum erat animal, hinc aptiùs per illud accipias hominem versatilem & gratiosum, qui se omnium moribus & ingenijs, quantum fas est, accommodat, nouitque se versare in omnes partes & formas: qualis fuit Vlysses, quem proinde Homerus vocat ἄνδρα πολύτροπον. Sic S. Paulus omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret: hinc cum Iudæis seruabat legalia, cum Gentibus gentiliter viuebat.

VERS. 13. *Ixion est species vulturum.* IXION] Est auis è vulturum genere, vnde Leuit. 11. eam subiecit, ac sub vulturibus intellexit & vetuit Moses. Hebraicè vocatur ראה *raa*, à videndo, quòd acie oculorum valeat. ita Vatablus & Abulensis. Cætera animalia munda & immunda explicata sunt Leuit. 11.

VERS. 21. PEREGRINO, &c. DA, VT COMEDAT] Per *peregrinum* intellige Gentilem, in gentilismo manentem: hic enim non tenebatur legibus Iudaicis, ac proinde poterat vesci animalibus immundis. Secùs erat de Gentili proselyto, id est conuerso ad iudaismum: hic enim lege Iudaica, ac consequenter abstinentia à cibis immundis obstringebatur. ita Abulensis.

VERS. 22. DECIMAM PARTEM SEPARABIS DE CVNCTIS FRVCTIBVS TVIS] Ex hoc loco & ex Iosepho colligit Theodor. hîc qu. 13. Abulensis, Oleaster & Caietan. duplices decimas Iudæis quotannis fuisse præscriptas. *Duplices decimas dabant Iudæi quotannis: Primò.* Primæ erant omnium frugum terræ, gregum & armentorum, quæ totæ dabantur Leuitis: neque ferebantur in Ierusalem, sed Leuitæ, ad quos eæ pertinebant, colligebant eas per ciuitates sibi vicinas. ex hisce decimis, Leuitæ rursum decimam pendebant pontifici & sacerdotibus, vt patet Numer. 18. v. 26. & 28. ibi enim agitur de primis hisce decimis.

Secundò. Secundæ decimæ erant illæ, quas quotannis Hebræi separabant post primam iam dictam decimationem, ex nouem residuis sibi partibus accipiendo decimam, vt ex ea, euntes ad tabernaculum (quod ter in anno faciendum erat, vt patet Exod. 23. 17. & c. 34. 23.) partim in itinere viuerent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, vnà cum Leuitis, quos ad epulandum secum inuitabant. Quod dixi de decimis hisce, idem dico de primitiis: quia post primitias quæ totæ cedebant Domino, separabat sibi quisque aliquid, tamquam primitias secundas, quibus vteretur ascensurus ad Dominū. *Duplices etiam primitias, & primogenita.* Idem dico de primogenitis ouium & boum, vi-

A delicet post primogenitum Deo datum, Hebræos separasse aliud animal in hostiam pacificam idem dico de votis & donarijs. De hisce ergo secundis decimis loquitur hîc lex, vsque ad v. 28. de hisce etiam egit c. 12. 17.

Tertiæ decimæ erant decimæ, quæ singulis triennijs separabantur & dabantur pauperibus, viduis, pupillis & Leuitis in modum eleemosynæ, ne ipsi ob paupertatem cogerentur seruire Gentilibus, à quibus facilè induci potuissent ad idololatriam. *Triplices decimas dabant anno tertio.* De tertiis hisce decimis agitur v. 28. vbi dicitur: *Anno tertio separabis aliam decimam.* Vnde patet, hanc non eamdem fuisse decimam cum prima, quasi decimæ quæ duobus annis Leuitarum erant propriæ, tertio anno iubeantur

B esse communes pauperibus æquè ac Leuitis, vt aliqui volunt; sed fuisse aliam, scilicet tertiam: ita enim vertit Interpres, ita de Tobia dicitur c. 1. v. 7. quòd *in anno tertio proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.* Si Iudæi triplices, quidni Christiani vnas & simplices Deo dent decimas? si Iudæi decimis suos alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? Noui viros in rep. magnos, qui opum suarum, imò omnis lucri sui decimas dant pauperibus, & ad id lege charitatis & religionis putant se quasi obstringi.

Præclarè Nyssen. libr. de Beatitud. *Si*, inquit, *misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi vt Deus fias, tamquam insignitus propria nota deitatis?* & Nazianz. in orat. de

C pauperum amore: *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* *Misericors misero est Deus.* & Chrysost. hom. 33. ad pop. *Melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quàm esse regem. Hæc enim domos ædificat in cælis semper mansuras: hæc docet quomodo Deo possis similis fieri.* & hom. 36. *Magna res est homo, & pretiosa vir misericors. Hæc maior est gratia, quàm mortuos resuscitare: nam hîc tu de Christo bene mereris; illic autem ipse de te. miracula enim Deo debes.*

Audi rarum de hisce decimis exemplum, quod narrat Eugypius in vita S. Seuerini Noricorum Apostoli c. 17. contigitq; sub annum Domini 475. *Exemplum de iis qui detrectant decimas.* Lauriacenses ciues moniti à S. Seuerino decimas dare pauperibus, id facere distulerant, ideoque segetes eorum aliàs pulchras inuasit rubigo. illi ad

D cor redeuntes culpam confessi, veniam petierunt à S. Seuerino, qui eis respondit: *Si decimas obtulissetis pauperibus, non solùm æterna mercede frueremini, sed etiam commodis possetis abundare præsentibus: sed quia culpam propria confessione castigatis, de Domini pietate polliceor, quòd rubigo præsens, licet tam valida, non nocebit: tantùm fides vestra vlteriùs non vacillet.* inde hortatus est indici ieiunium, quo expleto placidus imber desperatæ messis amputauit incommoda. hucusque Eugypius S. Seuerini discipulus, & oculatus rei gestæ testis.

Quinimo etiamnum Iudæi religiosiores, licet templum, sacerdotes & Leuitas non habeant, decimum tamen nummum bonorum omnium pauperibus erogant, habentque hoc prouerbium: *Da decimas, vt ditescas.* id enim, inquiunt, promisit Deus per Malachiam c. 3. v. 10. estque verum.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ITeratur lex de anno septimo remissionis, vt scilicet eo Iudæis remittant debita, vtq; Iudæos seruos & seruas dimittant liberos (de quo v.12.) eisq; dent viaticum. Secundò, v.19. iteratur lex de primogenitis Deo offerendis, & comedendis in tabernaculo, nisi illa essent manca, vel mutila.

1. SEptimo anno facies remissionem, 2. quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debe-
tur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus
remissionis est Domini. 3. A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum re-
petendi non habebis potestatem. 4 Et omnino indigens & mendicus non erit in-
ter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in pos-
sessionem. 5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ
iussit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, vt pollicitus est. 6. Fœnerabis
gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, &
tui nemo dominabitur. 7. Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciui-
tatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit:
non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, 8. sed aperies eam pauperi, & da-
bis mutuum, quo eum indigere perspexeris. 9. Caue ne fortè subrepat tibi impia co-
gitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & auertas o-
culos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne cla-
met contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. 10. Sed dabis ei: nec ages quip-
piam callidè in eius necessitatibus subleuandis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus
in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. 11. Non deerunt pauperes in
terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno &
pauperi, qui tecum versatur in terra. 12. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus
aut Hebræa: & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: 13. &
quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris: 14. sed dabis viati-
cum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit
tibi. 15. Memento quòd & ipse seruieris in terra Ægypti, & liberauerit te Dominus
Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi. 16. Sin autem dixerit: Nolo egredi: eò
quòd diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat: 17. assumes subu-
lam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum. an-
cillæ quoque similiter facies. 18. Non auertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris
eos liberos: quoniam iuxta mercedem mercenarij per sex annos seruiuit tibi: vt bene-
dicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis. 19. De primogenitis
quæ nascuntur in armentis, & in ouibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis
Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita
ouium. 20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco
quem elegerit Dominus, tu & domus tua. 21. Sin autem habuerit maculam, vel
claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur
Domino Deo tuo. 22. sed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam mundus quàm
immundus similiter vescentur eis, quasi caprea & ceruo. 23. Hoc solum obseruabis,
vt sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

Vers. 2. CVI DEBETVR ALIQVID AB AMICO, VEL PROXIMO, AC FRATRE SVO] id est à Iudæo, qui genere frater est, ideoque amicus & proximus Lex ergo hæc solùm loquitur de Iudæo debitore, qui alteri Iudæo aliquid debet: hic enim anno septimo remissionis, omni debito, ex legis huius indulgentia, soluebatur: non verò loquitur de proselytis, ad Iudaismum conuersis; hi enim anno septimo, debitis suis obstricti manebant. ita Abulensis.

Proselyti anno septimo non liberabantur suis debitis, sed soli Iudæi.

Porro debitum intellige ex mutuo, aut vendito; non autem ex accommodato: quia hoc propriè non est debitum, sed alienum, siue res ad alterum spectans. ita Abulensis. Vide dicta Leuit. 25.2. & seq.

Vers. 3. CIVEM ET PROPINQVVM REPETENDI NON A HABEBIS POTESTATEM] Hebr. *ab eo quod fuerit tibi apud fratrem tuum remittes manum tuum* (id est remittes petitionem debiti, quæ fit extensione manus) *fratri tuo*, puta Iudæo.

ET OMNINO INDIGENS, ET MENDICVS NON ERIT INTER VOS] q. d Curate pro posse vestro, vt non sint inter vos indigentes & mendici, mutuando videlicet pauperibus, præsertim infirmis aut inualidis ea, quibus indigent, illisque ea remittendo anno septimo, si antè ea soluere & reddere nequeant. cum hoc ergo rectè consistit id, quod dicitur vers. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*: ibi enim pauperes fore significat; hic verò eis subueniri iubet. Voluit enim Deus semper inter Hebræos esse aliquos pauperes, vt diuites haberent occasionem misericordiæ in eos exer- Vers. 4.

In Israel semper erãt aliqui pauperes. cur?

exercendæ: vnde etiamsi Hebræi conati fuissent efficere, ne in Israel vlli essent pauperes, numquam tamen idipsum reipsa perficere potuissent.

Aliter hæc conciliat Vatablus: ait enim apud Hebræos fuisse priuatos pauperes, nullos autem mendicos publicos; vti iam fit in rebusp. bene ordinatis.

Rursum hunc locum ita vertit, *præterquam si non sit pauper in te*. q.d. Pauperibus fratribus remittes pecuniam creditam: sed diuites fratres excipio, quibus non remittes, cùm habeant vnde reddere possint. Verùm hæc versio dissentit ab Hebr. Chald. Septuag. & Nostro.

Vers. 6. FOENERABIS GENTIBVS MVLTIS] Pro *fœnerabis* hebr. est הַעֲבַטְתָּ *haabatta*, id est mutuabis, vel mutuo dabis. ita Chaldæus & Septuag. vertunt enim, *δανιεῖς ἔθνεσι πολλοῖς, σὺ δὲ οὐ δανιῇ*. Vnde patet, Iudæos hîc nullum suarum vsurarum habere patrocinium. Sensus ergo est, q.d. Si anno septimo dimittas debita tuis debitoribus, non depauperaberis, sed Deus benedicet tibi, teque ditabit, ita vt mutuum alijs des, sed à nemine accipias: sicut enim per quæ quis peccat, per hæc & punitur; sic vicissim per quæ quis meretur, per hæc & præmiatur, inquit Abulensis.

Vers. 9. **Mor. de cognitione sui.** CAVE] Septuag. vertunt, *attende tibiipsi*. Vnde S. Ambros. in psal. 118. sumptum putat illud celebre dictum, *Nosce teipsum*; quod Gentiles Apollini Pythio tribuerunt. Rectè Clemens lib. 3. Pædagogi: *Est disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse. Si quis enim seipsum norit, Deum cognoscit*. Hinc S. August. libr. 2. Soliloqu. cap. 1. ait, breuissimè ac perfectissimè sic orari Deum: *Deus semper idem, nouerim te, nouerim me* Et S. Franciscus: *Quis tu Domine? quis ego?* tu abyssus entis, boni, sapientiæ, virtutis, perfectionis & gloriæ: ego abyssus nihili, mali, ignorantiæ, vitiorum, miseriarum & vilitatis omnis.

E contrario Plato in Philebo, ignorantiam sui vocat genus improbitatis vniuersæ. nam, vt idem ait in Amatoribus, nosse seipsum est absolutè sapere, abeoque omnis vitæ sapientia & iustitia pendet. Xenophon libr. 4. de dictis Socratis, ait, eos qui se ignorant, neque ad regimen sui, neque ad familiæ aut reipubl. gubernationem idoneos esse.

Quare prudenter monet S. Bernard. in Meditation. cap. 5. Stude *cognoscere te, quia multò melior & laudabilior es, si te cognoscis, quàm si te neglecto cognosceres cursum siderum, vires herbarum, naturas hominum & animalium, & haberes omnium cælestium & terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi, etsi non semper, vel sæpè, saltem interdum.*

NE DICAS, &c. APPROPINQVAT SEPTIMVS ANNVS] q.d. Ne dicas, Instat septimus annus remissionis, si quid fratri mutuauero, aut credidero, non restituet mihi, sed instante anno septimo liber à debito erit: itaque non mutuabo, non credam ei. Hæc erat calliditas mutuo dantium, quæ hîc vetatur. Poterat esse & calliditas mutuo accipientium, si videlicet ipsi essent diuites, & instante anno septimo peterent mutuum, vt anno septimo eius restitutione liberarentur. Sed huic calliditati occurrendum erat, negando eis tale mutuum, dicendoque, Tu diues es, ergo mutuo non eges. ita Abulensis.

NOLENS EI QVOD POSTVLAT, MVTVVM COMMODARE] id est mutuum dare. nam si quis ali-

A quid alteri accommodasset, siue commodato dedisset, id in specie anno septimo, æquè ac alijs annis restituendum erat: erat enim alienum, vt dixi v. 2. ita Abulens.

ET FIAT TIBI IN PECCATVM] id est, & irascatur tibi Dominus, teque acriter puniat. *peccatum* ergo ponitur pro pœna peccati, metonymicè. ita Vatabl.

NEC AGES QVIPPIAM CALLIDE] eo modo quo v. 9. explicui. **Vers. 10.**

Moral. Nota hîc, quàm fusè & impensè Deus Hebræis pauperum curam & opem commendet. Eamdem commendat Daniel Nabuchodonosori, Daniel. 4. 27. vt per eam peccata sua redimat. Sic Christus pauperes ad conuiuia vocari præcipit, Lucæ 14. 13. & bona illis collata sibi largita esse **Moral. de cura pauperum.**

B asserit, Matth. 25. v. 40. quodque illi recipient dantes sibi eleëmosynam in æterna tabernacula, Lucæ 16. v. 9. Vnde & pauperes spiritu beatos esse pronuntiat, Matth. 5. 3. Imò ipse pauper esse voluit. quare discipulo cuidam dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Hinc & S. Petrus Christum imitans dicebat claudo; *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*. Et S. Paulus de se alijsque Apostolis dicebat: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus*, 1. Corinth. 4. v. 11. &, *Scio & humiliari, scio & abundare; & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati*, Philip. 4. 12. Nazianz. orat. 16. de pauperum amore: *Nullus*, inquit, *cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia erga pauperes. Nam Primò, Deus vult*

C *quosdam esse pauperes, vt nos infirmitatis nostræ submoneant. Secundò, pauperes iuuandi sunt: quia fratres nostri sunt, tum naturæ, tum imaginis Dei in Christo renouatæ, tum fidei, spei, dilectionis, & adoptionis diuinæ, tum vitæ beatæ respectu. Tertiò, quia ad Christum communem fratrem aspiramus. Quartò, quia cùm nihil sit stabile in præsenti, de opibus per pauperes in tuto collocandis est cogitandum. Quintò, ob infinita huius rei commoda, quæ ad tria reuocari possunt, scilicet, ex malis præseruatio, salutis certitudo, præmiorum maxima fiducia. Sextò, quia Deus qui innumera nobis contulit beneficia, iubet vt pauca fratribus largiamur. Septimò, nihil tam Deo proprium, quàm misericordia & beneficentia. ille autem nobis imitandus est Octauò, pauperes sub speciali cura & prouidentia Dei latent, teste Scriptura. Nonò, quia in die iudicij electi ob eleëmosynas factas cælo, reprobi ob eas neglectas inferno adiu-*

D *dicabuntur.*

S. Augustinus, si quando Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc populo annuntiabat, non habere se quod in pauperes erogaret. nam & vasa Dominica ob captiuos & alios egentes frangi iussit, & in eos dispensari, inquit Possidon. in eius Vita c. 24.

Placilla Theodosij Impor. vxor sua manu fouebat pauperes & infirmos. cumque nonnulli eam ab ijs auocare vellent, respondit: *Aurum distribuere decet Imperatorem: ego autem pro ipso imperio, ei qui idipsum dedit, operam hanc offerre debeo*. testis est Theodor. lib. 5. histor. c. 18.

Acacius Amidæ Episcopus, vt pauperes Persas ad septem millia captiuos redimeret, vasa sacra vendidit, dicēs suis clericis: *Deus noster neque lancibus, neque poculis eget; quare conuenit hæc in eius milites afflictos dispertiri*. testis est Socrat. l. 7. c. 21. Theophilus quoque, *Præstat*, inquit, *ægrotorum corpora*,

quæ veriùs Dei templa sunt, restaurare, quàm templa lapidea ædificare. ita Sozom. l. 8. c. 12.

Vers. 12. In septimo anno dimittes eum liberum] computando scilicet annum septimum non à venditione serui, sed ab anno remissionis, qui statûs erat & communis omnibus.

Vers. 17. Seruiet tibi usque in æternum] id est, vsque ad iubileum, post quod aliud & nouum quasi sæculum sequebatur. Patet ex dictis Exodi 21. 6.

Ancillæ similiter facies] scilicet dando ei viaticum, non autem perforando ei aurem, inquit Abulens. nec enim habebatur ancilla Hebræa, vt serua, sed puber effecta, debebat aut duci in coniugem ab hero, vel ab heri filio, aut libera dimitti: quòd si nollet, sed mallet manere in domo heri serua, perforabatur ei auris, ait Caietanus, B æquè vt seruo. vide dicta Exodi 21. 7.

Symbolicè. Symbolicè, seruus & ancilla sunt ira & cupiditas: hæc tota annorum hebdomade, id est tota vita, seruiant, & subigantur rationi necesse est, vsque ad sabbatum, siue septimum annum beatæ impatibilitatis: tum enim ira dimittetur quasi libera, quando transmutabitur in feruorem spiritualem; & cupiditas conuertetur in diuinum amorem & voluptatem. ita Cyrill. in Collectaneis ex Deuteronomio.

Vers. 18. Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos] Hebr. Chald. & Septuag. *non graueris in oculis tuis, cùm dimittes eum*, id est non erit tibi molestum dimittere seruum, eumque iuuare viatico.

Allegor. Allegor. Cyrill. lib. 7. de Adorat pag. 137. Ante C Christum, inquit, spiritu seruitutis Israel constringebatur, legi punienti subiectus: at postquam anno septimo remissionis, scilicet tempore gratiæ, illuxit Emmanuel, libertate & adoptione filiorum donati sumus, dato viatico, videlicet corpore & sanguine Domini, in Eucharistia.

Quoniam iuxta mercedem mercenarii, per sex annos seruiuit tibi] Chald. Vatabl. & alij recentiores vertunt, *quoniam duplici mercede mercenarij seruiuit tibi sex annis.* Quod Hebræi exponunt, duplam dici serui mercedem, qui sex annos seruus fuit: quia mercenarij apud Hebræos ad tres tantùm annos operas suas locabant: seruus verò hic sex annos seruiebat; ergo in duplum seruiebat, & merebatur.

Verùm Septuag. pro *duplici mercede*, vertunt D *ἐπέτιον μισθὸν*, id est *annua mercede*, vt Hebræum מִשְׁנֶה *misne*, deriuetur, non à שֵׁנִי *sceni*, id est secundus, sed à שָׁנָה *schana*, id est annus, q. d. Per sex annos, annua mercede tibi seruiuit: quod Noster æquè pleno sensu vertit, *iuxta mercedem mercenarij, per sex annos seruiuit tibi.* Sensus ergo est hic, seruus per sex annos vt mercenarius tibi seruiuit, cui mercedem annuam quotannis persoluere debuisses, ipse verò nullam recepit; per sex annos: æquum ergo est, vt eius loco, anno septimo eum manumittas, cum aliqua annona ad viaticum.

Vers. 19. Non operaberis in primogenito bovis] quia hic primogenitus Deo debetur; & iniquum est, vt ex animali Dei, eiusque primitijs, tibi vel A primas operas, vel lanam præcerpas.

Et non tondebis primogenita ovium] sed cum lana sua afferes ea ad sacerdotem, vt tam lanam, quàm ouẽ des Deo, id est sacerdoti vice Dei.

Tropol. S. Gregor. 8. Moral. 34. *Moses*, inquit, *hic vitam inchoantium humanis occupationibus exerceri prohibuit: in primogenito quippe bouis operari, est bona conuersationis primordia, in exercitio publicæ actionis ostendere. ouium quippe primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. Cùm ergo vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est, vt secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat.*

In conspectu Domini Dei tui comedes ea] *Comedes*, tu scilicet, ô sacerdos. est enim hic mutatio personæ: conuertit enim Moses sermonẽ ab offerentibus ad sacerdotes, quorum erat comedere primogenita. nam ad hos solos illa spectabant, vt clarè patet Num. 18. 17. ita Abulensis. Porrò iubet ea hic Deus comedi in loco sancto, putà in atrio templi: quia iusserat eadem sibi offerri in templo fuso eorum sanguine, & adipe concremato, vti fiebat in hostia pacifica, vt patet Numer. 18. 17. *Quia sanctificata*, inquit, *sunt Domino, sanguinem tantùm eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suauissimum odorem Domino.* Post immolationem autem hostiæ pacificæ, carnes eiusdem ab offerentibus eodẽ loco, putà in atrio templi, comedi debebant. omnis enim victima, quia Deo sanctificata, in loco sancto comedi debebat, vt patet Leuit. 6. 16. & c. 7. 6. Idipsum significat hæc lex & phrasis: *Epulaberis coram Domino*, id est in atrio templi, scilicet ex hostijs pacificis cæterisq́; oblationibus. Vnde ea identidem repetitur Deuter. 12. v. 12. & 18. & c. 14. 26. & c. 16. v. 11. & 14. & c. 27. 7. Vbi dicitur: *Immolabis hostias pacificas, comedesq́; ibi & epulaberis coram Domino Deo tuo.* Igitur ob similitudinem primogenitorum cum hostia pacifica, simili modo iubet hîc Deus, vt sacerdotes, quibus iure diuino cedebant primogenita, eadem offerrent Deo in templo, ac post oblationem eadem ibidem comederent, vt hæc comestio esset consummatio, & complementum oblationis similis sacrificio pacifico. Sancit ergo Deus, ea quasi sancta, à sanctis sacerdotibus comedi in loco sancto, præsertim quia sacerdotes habitabant iuxta templum, vtpote perpetui eius custodes & ministri: Leuitæ verò per omnes Iudææ vrbes ad populũ docendum dispersi erant. Ex dictis patet, non rectè Caietanum primogenitum accipere impropriè pro primitijs, & carnibus Deo separatis ad epulum sacrum.

Mysticè vide Rabanum, qui totus hîc, æquè ac per reliquam S. Script. mysticus & moralis est. vnde ex ipso magna ex parte conflata est Glossa ordinaria.

Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, &c. non immolabitur, &c. sed intra portas urbis tuæ comedes illud] Si animal primogenitum esset claudum, cæcum, mancum, immolari non poterat, sed pretio sacerdotibus dato redimendum erat; tum à laicis quolibet loco comedi poterat. ita Abulensis. Vers. 21. & 22.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Refricat festum phase, & azymorum, & v.10. festum pentecostes, & v.13. festum tabernaculorum, iubetq; v.16. vt iis omnis masculus compareat coram Domino, in tabernaculo. Denique v.18. iudices per singulas vrbes constitui iubet.

1. OBserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase
Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de
Ægypto nocte. 2. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus,
in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. 3. Non come-
des in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis
panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto: vt memineris diei egressionis
tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. 4. Non apparebit fermentum in om-
nibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immola-
tum est vespere in die primo vsque mane. 5. Non poteris immolare Phase in qua-
libet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; 6. sed in loco, quem
elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi: immolabis Phase vespere
ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. 7. Et coques, & comedes in lo-
co quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula
tua. 8. Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini
Dei tui, non facies opus. 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua
falcem in segetem miseris. 10. & celebrabis diem festum hebdomadarum Domi-
no Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem
Domini Dei tui: 11. & epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia
tua, seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui est intra portas tuas, aduena ac pupillus
& vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt ha-
bitet nomen eius ibi: 12. & recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto: cu-
stodiesque ac facies quæ præcepta sunt. 13. Sollemnitatem quoque tabernaculo-
rum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas:
14. & epulaberis in festiuitate tua, tu, filius tuus & filia, seruus tuus & ancilla, Leui-
tes quoque & aduena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. 15. Septem die-
bus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus: benedicet-
que tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tua-
rum, erisque in lætitia. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculi-
num tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate azy-
morum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum. Non
apparebit ante Dominum vacuus. 17. Sed offeret vnusquisque secundùm quod ha-
buerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. 18. Iudices & magi-
stros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per
singulas tribus tuas: vt iudicent populum iusto iudicio, 19. nec in alteram partem
declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sa-
pientum, & mutant verba iustorum. 20. Iustè quod iustum est persequêris: vt vi-
uas & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. 21. Non plantabis
lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. 22. Nec facies tibi, neque
constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

VERS. 1. OBSERVA MENSEM NOVARVM FRVGVM] putà Nisan, siue Martium, quo in terra promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ flauescere. illæ enim offerebantur in paschate, scilicet secundo die azymorum, vt patet Leuit. 2. 14. & Leuit. 23. 10.

VERS. 2. IMMOLABISQVE PHASE DOMINO, &c. DE OVIBVS ET DE BOBVS] *Phase*, id est victimas paschales, quæ in solemnitate paschali de ouibus & bobus offerri iubentur Numer. 27. 19. nam agnus paschalis non poterat commutari in bouem.

Perperam ergo Hebræi aliqui phase hic accipiunt pro agno paschali, putantque potuisse pro A agno substitui vitulum, adduntque rationem, quia in amplis familiis agnus non sufficeisset singulis. Verùm Respondeo, agnus non erat ad satiandum singulos, sed vt ex eo singuli aliquam partem comederent, in memoriam liberationis ex Ægypto: præter agnum autem alios comedebant cibos, quibus se satiabant. ita S. August. hîc q. 24. Vide dicta Exodi 12. v. 5. & 11.

VT HABITET NOMEN EIVS IBI] vt illic colatur Deus, & inuocetur nominè suo.

NON COMEDES IN EO (cum eo, scilicet phase) PANEM FERMENTATVM] Totis enim septem diebus paschalibus comedebant panes azymos VERS. 3.

cum agno, & alijs sacrificijs & cibis, etiam communibus.

Azyma sunt panis afflictionis, cur? COMEDES AFFLICTIONIS PANEM] Hebr. *comedes azyma afflictionis panem*, id est indicē & monumentum afflictionis Ægyptiacæ, itemque festinationis & pauoris tui in egressu ex Ægypto, vt sequitur. Secundò *panem afflictionis*, id est affligentem: quia azymus panis gustui insipidus, & stomacho onerosus est. Caietan. vertit, *panem paupertatis*, & ita verti potest: pauperum enim est, carere commoditate fermentandi panem, & vti pane subcinericio, qui azymus est, statimque fit & coquitur.

QVONIAM IN PAVORE (Chald. & Septuag. *in festinatione*) EGRESSVS ES DE ÆGYPTO] q.d. Quia cum tanta trepidatione & festinatione egressus es de Ægypto, vt non habueris otium fermentandi panem: ad huius rei memoriam comedes azyma in paschate.

VERS. 6. IMMOLABIS PHASE (propriè dictum, putà agnū paschalem) VESPERE, QVANDO EGRESSI ESTIS] quādo vos comparastis ad egressum. τὸ enim *egressi*, significat actum inchoatum. vide dicta Exodi 12. 42. Posset Secundò, τὸ *quando* referri ad festū paschæ. nam hebr. est, *stato tempore*, (videlicet paschæ) *quando egressi estis*. ita Vatabl.

VERS. 7. VADES IN TABERNACVLA TVA] ad domos tuas, ad habitationem tuam.

VERS. 8. SEX DIEBVS COMEDES AZYMA] Hinc aliqui Iudæi putarūt, ex lege Dei tantùm sex diebus præcepta fuisse azyma. verùm septem diebus ea præcipi, patet hîc v. 4. & Exodi 12. v. 19. Dico ergo, sensus est, q.d. Sex diebus comedes azyma, sed non vacabis ab opere: septima verò die, præter azyma, etiam vacabis ab opere, quia est festum cœtus. ita Lyran.

Nō sex, sed septem diebus pascha comedebant azyma.

QVIA COLLECTA EST] quia festum est cœtus. quo scilicet populus in templo, gratias Deo acturus, antequam domum redeat, colligitur & adunatur. vide dicta Leuit. 23. 36.

VERS. 18. IVDICES ET MAGISTROS CONSTITVES IN OMNIBVS PORTIS TVIS] *Magistros*, id est præfectos, putà viros sapientes, qui quasi magistri & magistratus, præsint iuri dicundo, vt sequitur. iidem ergo sunt iudices & magistri: quia iudices debent esse magistri. ita Hebr. Chald. & Vatablus. Hinc Plato censuit felices fore respublicas, si Philosophi eas regerent, aut qui eas regunt, philosopharentur.

Nota, *in portis*, id est in ciuitatibus. est synecdoche, vti & c. seq. v. 2. ita Septuag. & Chald. Nominat portas, quia iudicia in portis vrbium agi solebant, vt liberiùs eò quasi ad locum patentem & publicum, exteri causam suam acturi accederent.

NON ACCIPIES PERSONAM, NEC MVNERA: QVIA MVNERA EXCÆCANT OCVLOS SAPIENTVM, ET MVTANT VERBA IVSTORVM] Audiant hoc consiliarij & iudices. Munerum enim hæc duo sunt mala, Primò, vt mentem excæcent; Secundò, vt linguā & sententiam pronuntiandam immutent. nam Primò, inclinant affectum; Secundò, affectus inclinat & obnubilat rationem & iudicium; Tertiò, ratio inclinat sententiam in fauorem eius qui munera dedit. vide dicta Exodi 23. 8. VERS. 19.

NON PLANTABIS LVCVM, ET OMNEM ARBOREM IVXTA ALTARE] ne videaris imitari sacros lucos Gentilium, & idolorum, præsertim Priapi. sacra enim Priapi fiebant in lucis, vt obscænitates eius ijs tegerentur: vnde in hisce lucis omnem turpitudinem exercebant. Nota, *omnem*, id est quamlibet. ita enim collectiuum *omnis* apud Hebræos sæpè capitur pro distributiuo *quilibet*. VERS. 20.

Tropol. S. Greg Præfat. in Iob epist. ad Leandrum in fine: *Quæso*, ait, *vt huius operis dicta percurrens, in his verborū folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosa loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur*. Sic, & Philo.

NEC FACIES TIBI, NEQVE CONSTITVES STATVAM] scilicet, qualem Gentiles suis dijs, vel idolis constituunt. VERS. 21.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus occidi idololatras, & causas legales dubias referri ad sacerdotes, eorumq́ decretis obediri sub pœna mortis. Secundò, v. 14. iubet regem deligi ex ipsorum gente, vtq́ is non multiplicet, primò equos, secundò vxores, tertiò opes; quartò, vt describat, legatq́ assiduè Deuteronomium, quintò, ne superbè se efferat supra populum.

1. NOn immolabis Domino Deo tuo ouem & bouem, in quo est macula, aut
quippiam vitij: quia abominatio est Domino Deo tuo. 2. Cùm reperti fue-
rint apud te, intra vnam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir
aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum
illius, 3. vt vadant & seruiant diis alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem
militiam cæli, quæ non præcepi: 4. & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque in-
quisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel: 5. edu-
ces virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ,
& lapidibus obruentur. 6. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficie-
tur. Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium. 7. Manus testium
prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum
de medio tui. 8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter
sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicum intra por-
tas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus
tuus. 9. Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo
tempore:

tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. 10. Et facies quod-
cumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te 11. iux-
ta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad
sinistram. 12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo
tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & au-
feres malum de Israel: 13. cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps
intumescat superbia. 14. Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus
dabit tibi, & possederis eam, habitaueris que in illa, & dixeris: Constituam super me
regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: 15. eum constitues, quem Do-
minus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis
hominem regem facere, qui non sit frater tuus. 16. Cumque fuerit constitutus, non
multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sub-
leuatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, vt nequaquam ampliùs per eam-
dem viam reuertamini. 17. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum
eius, neque argenti & auri immensa pondera. 18. Postquam autem sederit in so-
lio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exem-
plar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, 19. & habebit secum, legetque illud omnibus
diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cære-
monias eius, quæ in lege præcepta sunt. 20. Nec eleuetur cor eius in superbiam
super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tem-
pore regnet ipse, & filij eius, super Israel.

Vers 2. INTRA VNAM PORTARVM] id est vrbium. Similis synecdoche fuit cap. præced. v. 18.

Vers. 3. ADORENT OMNEM MILITIAM CÆLI] id est, adorent quælibet astra, quæ sunt quasi milites Deo famulantes, & pro eo, cùm opus est, depugnantes. vide dicta Num. 4. 3. Adorationis siderum causa fuit, prima, eorum lux & pulchritudo: secunda, quòd influant in hæc inferiora, eaque viuificent & vegetent: tertia, quòd ea animata putarent: quarta, quòd physici aliqui tradant hominem esse opus siderum: hominem enim cùm concipitur & generatur, à Sole sortiri spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Ioue desiderium, à Venere cupiditatem, à Saturno humorem.

Causæ quatuor, cur Iudæi adorarint astra.

Vers. 6. IN ORE DVORVM] id est, vt Chald. per dictum duorum aut trium testium reus conuictus occidatur.

Vers. 7. MANVS TESTIVM PRIMA INTERFICIET EVM] Hebr. *manus testium primò erit contra eum, ad interficiendum eum*, id est, primum in eum lapidem conijciet.

Moral. de vindicta apostasiæ.

Moraliter Nota hîc, quantum crimen sit apostasia, quantumque Deus illud vindicet, & à nobis vindicari velit. Nota est pœna Luciferi, Adæ, Salomonis, Iuliani. Audi noua.

Sub annum Domini 868. gens Bulgarorum ferox ac bellicosa, relictis idolis, abrenuntiatisque Gentilium superstitionibus, in Christum pro maxima parte credidit, & abluta salutari baptismatis vnda in religionem Christianam transiit. Ferunt autem de huius gentis rege, quòd tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam viuere cœperit, vt diebus, ornamentis regijs indutus coram populo procederet; noctibus verò sacro vestitu latenter ecclesiam intrans, super pauimentum ipsius basilicæ, substrato tantùm sibi cilicio, prostratus in oratione iaceret. Non post multum tempus diuina inspiratione commotus, regnum terrenum dimisit, vt in cælis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinauit in suum locum regem filium suum maiorem natu, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conuersationis suscepto monachus effectus est, eleemosynis, vigilijs & orationibus diu noctuque intentus. Interea filius eius, quem regem constituerat, longè à paterna intentione & operatione recedens, prædas cœpit exercere, ebrietatibus, comessationibus & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum nouiter baptizatum reuocare. Quòd cùm pater audiuisset, nimio zelo accensus sacrum habitum deposuit, militiæ cingulum resumpsit, & cultu regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus filium persecutus est, quem mox absque difficultate cepit, oculosque eius effodit, & in carcerem misit; deinde conuocato omni regno suo filium iuniorem regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo à recta christianitate deuiaret. His ita patratis, deposito cingulo, & resumpto sanctæ Religionis habitu in monasterium ingressus in sancta conuersatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit. ita Regino lib. 6. & Martin. Polon. lib 4. Chronic.

Anno Domini 870. Carolomannus, cùm adhuc esset puerulus, iussu patris attonsus clericus effectus est: deinde procedente tempore ad diaconatus officium, quamuis inuitus atque coactus in præsentia genitoris ordinatus est, legitque publicè Euangelium, & Pontifici Missam celebranti iuxta morem ministrauit. Post hæc in apostasia recedens ab Ecclesiastica religione, abijciens ac spernens negligenter gratiam, quæ ei data erat per impositionem manus, alter Iulianus efficitur. Collecta quippe prædonum non modica turba, ecclesias Dei cœpit deuastare, ea quæ pacis sunt impugnare, cuncta diripere, & mala inaudita perpetrare. Pro quibus cùm crebrò à patre correptus fuisset, nec tamen vllatenus accepta prauitas cessaret; nouissimè ex præcepto patris ei oculi eruuntur, iusto Dei iudicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, quæ Christus est, à suo pectore effugauerat; in tenebras exteriores missus, qui interioribus sua sponte se tradiderat. Orbatusque Ludouicum auunculum suum adijt, miseriarum & calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille, miseratione motus, Absternacum monasterium S. Willebrordi ei tus, ad

ad subsidium vitæ præsentis concessit, vbi non multò pòst tempore mortuus est & sepultus. ita Regino lib.2. chron. anno 870. Audi & Sanctos nutantes in re leui punitos.

Catharina Suedica, dum cum matre Romæ esset, iussa est aliquando ob impiorum nequitias domi manere, tantisper dum mater ad stationes & Indulgentias abiret. Interim adest Sathan, & acerbas in eius animum cœpit cogitationes immittere, tamquam alijs suarum animarum lucra captantibus, ipsa instar bruti animantis ab omnibus spiritualibus bonis arceretur. Addebat his, eius cognatos, fratres & sorores in patria cum summa tranquillitate seruire Deo, ipsam verò miseram ducere vitam: præstare igitur ne in lucem quidem editam fuisse, quàm id genus inertem vitam ducere. Erat hæc in animo sanctæ virginis tentatio vehemens, adeoque eam mœrore & perturbatione oppleuerat, vt matre illius reuertente & seriò præcipiente, vt tanti mœroris causam ediceret, simpliciter responderet, se loqui non posse. Et certè iam planè instar mortuæ facies eius expalluerat, oculi transuersi erant: in tantum molestus erat dæmon id genus importunissimis ingerendis cogitationibus. Porro nocte proxima in somnis visa est sibi videre totum mundum quasi inflammatum, seque in medio ignis positam in parua quadam planicie, planeque desperantem ab illis se posse flammis eripi: tum verò apparentem ipsi beatissimam Mariam Virginem, quam his verbis deprecabatur, Adiuua me, charissima Domina mea. Illam verò respondentem: Et qua te possum ratione iuuare, quæ tanto patriæ teneris desiderio, oblita sponsionis suæ, & neque Deo, neque mihi, neque matri tuæ, neque patri spirituali obediens? se verò offerentem ad omnia exequenda, quæ iuberet Dei mater: atque tum demum Dei genitricem dicentem, Obedias igitur matri tuæ, & patri spirituali. Expergefacta inde Catharina matrem cum omni humilitate celeriter adijt, veniam suæ inconstantiæ petijt, promisitque se deinceps ad mortem vsque libenter in exilio cum ipsa permansuram. ita habet Vita S. Catharinæ c.6. quæ extat apud Surium 22. Martij.

VERS. 8.

Sanguis vocatur homicidiũ. metonymicè.

SI DIFFICILE ET AMBIGVVM APVD TE IVDICIVM ESSE PERSPEXERIS INTER SANGVINEM ET SANGVINEM] *Sanguis* hìc metonymicè vocatur homicidium. q.d. Si ambiguum sit homicidium, id est homicidij qualitas, alijs asserentibus illud esse voluntarium, siue destinatum, ideoque morte puniendum; alijs verò excusantibus, quòd casu, vel ignoranter admissum sit, ideoque homicidæ esse ius asyli, in ciuitatibus refugij. ita Lyran. Abulens. & alij. Sic inter *causam & causam*, id est, si causa & lis sit ambigua, alijs dicentibus esse iustam, alijs esse iniustam. sic inter *lepram & lepram* (ita enim legendum est cum Roman. Hebr. Chald. & Græcis, non autem inter *lepram & non lepram*, vti legunt Plantin.) scilicet, alijs asserentibus esse lepram mundam, vel mundissimam, quæ hominem à sacris nõ arcet; alijs verò dicentibus esse lepram immundam, & arcentem à sacris.

Nota. Legales causæ & quæstiones erant duplices: scilicet Primò, erant sacræ & cæremoniales, vti quæstio de fide, religione, & cæremonijs: talis erat controuersia de lepra. hæ spectabant ad sacerdotes, vti per se patet. Secundò, erant iudiciales, vti de sanguine & homicidio: hæ spectabant ad magistratum laicum, & in singulis vrbibus erant iudices, ad eas iudicandas constituti, vti dictum est cap. præced. v.18. qui si non possent litem dirimere, tenebantur eam deferre Hierosolymam ad sacerdotes, & ad pontificem, qui eam definiebat. Omnia enim hæc ex lege, vel iudiciali, vel cæremoniali definienda erant: legis autem interpres erat pontifex, de quo mox plura. vnde sequitur, pontificem fuisse tum summum iudicem controuersiarum, etiam legalium.

Pontifex olim erat summus iudex controuersiarum, etiam legalium.

ASCENDE AD LOCVM QVEM ELEGERIT DOMINVS] ascende in Ierusalem, vbi est templum: in quo habitat Dominus. ita Abulens. Voluit Deus, supremam auctoritatem iudicij esse in loco tabernaculi, vel templi: quia hic locus erat Dei, id est diuinæ præsidentiæ. Deus ergo præsidens in templo illuminabat & dirigebat sacerdotes & iudices inibi commorantes, ne errarent in iudicio, sed iustam, æquam & veram sententiam pronuntiarent. Rursum iustitia est res sancta & inuiolabilis: hinc Deus iudices voluit residere in loco sacro. Architas dicebat iudicem esse aram: ad vtrumque enim confugiunt qui iniuria afficiuntur; significans iudices tales esse debere, qui oppressis sint præsidio, & instar sacri asyli. testis est Aristot. libr.3. Rhetoric.

Hierosolyma erat summum tribunal. cur?

VERS. 9.

Lyranus putat in sacris iudices fuisse sacerdotes, in ciuilibus laicos.

VENIESQVE AD SACERDOTES LEVITICI GENERIS, ET AD IVDICEM] Aliqui, vt Lyranus & Sigonius lib.6. de Repub. Hebr.7. hæc diuisim accipiunt, q.d. Si dubium sit de rebus sacris, consule sacerdotes; sin de ciuilibus, consule iudicem sæcularem; vt τὸ *&* capiatur pro *aut*. Verùm hoc dici nequit: quia non diuisim, sed simpliciter & absolutè vult Deus hìc recurri ad sacerdotes, in omnibus causis dubijs, quæ ex lege diuina decidi debẽt. Legis enim interpretatio pertinebat ad sacerdotes, & maximè ad pontificem qui erat hierarcha, & princeps sacerdotum. hoc enim est quod subdit: *Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.*

Refellitur Primò.

Secundò, quia sacerdotes fuisse iudices, non tantùm in causis sacris, sed etiam ciuilibus, imò in causa homicidij, disertè docet Ezechiel cap.44. v.24. Idem patet hìc c.21.5. vbi agens Moses de homicidio occulto, ait: *Accedẽt ad sacerdotes, &c. & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum vel immundum est, iudicetur.* Idem docet Iosephus lib.2. contra Apion. cùm ait: *Sacerdotes inspectores omnium, iudices controuersiarum, & punitores damnatorum, constituti sunt à Mose.* & Philo libr.3. de Vita Mosis docet, Mosen ex consilio sacerdotum, qui de more ei assidebant, damnasse ad mortem hominem colligentem ligna in sabbato. de quo Numer.15. v.35. Imò Abulensis docet summum pontificem vocari hìc iudicem, eò quòd ipse solus in concilio, audito aliorum iudicio, proferre soleret sententiam mortis. Ita Caiphas in concilio tulit sententiam mortis in Christum, Ioan.11 v.50. Ita Ananias pontifex in concilio præcepit percuti Paulum, Act.23.2. Ita Ananus pontifex Iacobum fratrem Domini in concilio mortis reum peregit, teste Iosepho lib.20.8. Ita alius pontifex S. Matthiam, quasi blasphemum, in concilio morti adiudicauit, dicens, Scriptum est: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur*: si credimus actis S. Matthiæ.

Secundò. Sacerdotes erant iudices in causis, etiã criminalibus.

Ita Caiphas cõdemnauit Christum, Ananias Paulum, Ananus Iacobum.

Tertiò, quia v.12. expressè dicitur: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, &c. morietur.* hoc

Tertiò.

hoc ergo imperium, erat sententia iudicialis & definitiua pontificis.

Gentilium politiaà sacerdotibus regebatur. Exempla.

Pari modo apud Gentiles, communi ac naturali consensu, cuncta sacerdotum arbitrio regebantur, etiam quæ ad politicum spectabant imperium; vt de Æthiopibus testatur Strabo lib. 17. de Ægyptijs Ælianus lib. 14. Variar. histor. 34. de Persis, eorumque Magis, Eusebius in chron. Agathias lib. 2. & alij; de Atheniensibus & Areopagitis Iosephus libr. 14. Antiqu. 19. de Gallis & Druidis Cæsar lib. 6. de Bello Gall. de Romanis, & eorum auguribus, Cicero libr. 2. de Legibus, & alij. Si igitur (quod Socrates apud Xenophontem libr. 4. de dictis Socratis dicit) quod ab omnibus gentibus obseruatum est, id non nisi à Deo sancitum esse, dicendum est, profectò etiamsi nulla de his in diuinis Scripturis lex appareret; tamen sacerdotum iudiciaria potestas, diuino instinctu & iure concessa, ex dictis iam satis probata haberetur. Hinc & initio Ecclesiæ, Episcopi erant iudices causarum, etiam ciuilium, quæ inter Christianos agitabantur, vti dixi 1. Corinth. 6. 5.

Episcopi olim erant iudices in causis, etiā ciuilibus.

Dico ergo, sancit hîc Deus, vt minores iudices oppidorum in causis tam sacris, quàm politicis, putà in dubijs, non tam facti, quàm iuris, & legis diuinæ, recurrant ad sacerdotes & ad pontificem, qui legis sententiam & mentem explicantes, secundùm eam causam decidant. Leges enim non tantùm cæremoniales, sed & iudiciales, quæ iustam reipublicæ & politiæ gubernationem spectabant, à Deo erant præscriptæ, & hisce sacris libris consignatæ, quarum proinde explicatio ad sacerdotes pertinebat.

In dubijs iuris pontifex erat iudex apud Hebr. curi

Secùs erat in causis & dubijs facti, aut merè ciuilibus, putà talibus, quæ non ex lege Dei, sed ex iure, vel naturæ vel positiuo humano, & rationali resolui debebant: in his enim non opus erat consulere sacerdotes (poterant tamen, & sæpè de facto eos consulebant) sed vel sapientes, vel iudices, & principes sæculares, qualis fuit Othoniel, Gedeon, Iephte, &c.

Non in dubijs facti, aut merè ciuilibus.

Hine sequitur, per iudicem hîc vel intelligi pontificem, vt vult Vatablus; siue eius vicarium, vt vult Abulensis; vel potiùs (vt colligitur ex v. 12.) iudicem sæcularem, inquit Caietan. Lyranus, Sigon. & Oleaster, qui debebat sequi sententiam sacerdotum & pontificis, eiusque tantùm erat approbator & executor: vnde hîc iunctim dicitur, *Venies ad sacerdotes, & ad iudicem*, quasi vnū idemque sit iudicium sacerdotum & iudicis: & quia aliòqui potuisset iudex discrepare à sententia sacerdotum, itaque litigantes iudicis sententiam sequi potuissent, relicta sententia sacerdotum & pontificis, quod tamen hîc vetatur. Rursùm, dissidentibus inter se pontifice & iudice, quod facile & procliue erat, lis terminari & decidi non potuisset. Tales iudices laicos, putà principes familiarum, sacerdotibus in iudicando adiunxit Iosaphat rex, vt patet 2. Paralip. 19. 8. Excipio Samuelem, & si qui alij fuerunt iudices simul & Prophetæ. Hi enim ex dono prophetiæ regebant & iudicabant populum: vnde non egebant consilio sacerdotum.

Iudex sæcularis debebat sequi & exequi sententiam pontificis.

Vnde Hebræi hunc versum referunt ad concilium Sanhedrim, quod erat summum, instar parlamenti, & iudicabat de rege, lege & Propheta, ad illudque erat vltima appellatio. Porrò Sanhedrim constabat 70. viris, qui tam ex sacerdotibus

Hebræi hîc intelligunt conc. Sanhedrim. quodnam hoc?

A quàm ex primarijs viris cuiusque tribus assumebantur; quasi illi hîc intelligantur per *τὸ iudicem*, id est iudices, vt vertit Chaldæus. q. d. Venies ad sacerdotes & ad iudices, id est ad concilium Sanhedrim, in quo sunt sacerdotes, & iudices sæculares, quibus omnibus præest summus pontifex. vide Sigonium lib. 6. de Republ. Hebræor. c. 7.

Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus] Hebr. est, *& facies super os verbi, quod annuntiabunt tibi ex eo loco, quem eliget Iehoua*. Quod Caietanus sic accipit, quasi hîc in ambiguis iubeat lex consulere oraculum Dei, residentis in propitiatorio. Verùm sequentia significant, non ad oraculum, sed ad scientiam & interpretationem sacerB dotum, hæc pertinere. sequitur enim: *Et docuerint te iuxta legem eius*. Fateor tamen, si dubia hæc pontifices ex lege, & ex scientia sua resoluere non possent, recurrisse & consuluisse oraculum Dei, vt patet Numer. 27. 21. Vers. 10.

Ex scientia legis, non ex oraculo, dubia definiebat pōtifex.

Et docuerint te iuxta legem eius] Non quasi hac conditione, acquiescendum sit sacerdotum iudicio, si videlicet illud litiganti, vel alteri cuipiam videatur esse iuxta legem Dei: ita enim frustraneum & euanidum esset hoc eorum iudicium, frustraque ad eos recurri iuberet Deus. Semper enim pars damnata à sacerdotibus, excipere potuisset, eos non iudicasse secundùm legem, ab eisque appellasset ad ipsam legem, ac consequenter debuisset vlterior constitui iudex & censor, qui iudicaret, an sacerdotes rectè secundùm legem iudicassent, nec ne. Rursum, de hoc censore dubitaC ri potuisset, an veram tulisset censuram, ac consequenter illa ab alio iterum, & hæc rursum ab alio, & hæc denuo ab alio & alio examinari debuisset: itaque fuisset hîc appellatio & progressio in infinitum, causæque mansissent indecisæ, ac lites fuissent æternæ & immortales. Vers. 10. & 11.

Absolutè, non conditionate, standū erat sententia pontificis.

Assertiuè ergo hæc verba accipienda sunt, quasi dicat, Subditi acquiescere debent, & præsupponere, sacerdotum & pontificis iudicium datum esse iuxta legem Dei. nam, vt ait Malachias c. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est*. intellige, nisi manifestè cernatur contrarium, scilicet quòd pontifex expressè contra legem iudicet, legemque peruertat: tum enim non illi, sed legi Dei obediendum erat. Patet hic sensus ex Hebr. Chald. & Septuag. qui sic habent. *facies quod docuerint ad os legis* (id est iuxta legem, ex lege) D *quam docuerint te, & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies*.

Nolens obedire sacerdotis (pontificis) imperio, qui eo tempore ministrat Domino] qui scilicet eo tempore fungitur pontificatu. Vers. 12.

Ex decreto iudicis morietur] Pro *ex*, corrige *&*, vti corrigunt Romana; Hebræa verò, Chald. & Græca, pro *&*, habent *aut*. q. d. Qui noluerit obedire pontificis imperio, aut decreto iudicis, morietur. vnde Lyran. ex hoc loco probat, hæc disiunctim debere accipi. q. d. Qui non vult, vel pontificis sententiæ in re sacra, vel iudicis laici decreto in re ciuili, obedire, hic morte plectatur, sine alia causa aut quæstione. Verùm hunc sensum superiùs refutaui.

Dico ergo, *τὸ aut*, quod est in Hebræo, capi pro *&*, tam hîc, quàm alibi, vt Prouerb. 30. v. 31. Leuit.

Aut pro &.

Leuit.4.v.23.& 28.Num.15.6. Hæc enim verba respondent, & referenda sunt ad v.9. quos enim ibi iubet adiri, hic iubet audiri, eisque obediri. versu autem 9. sic ait: *Veniesq; ad sacerdotes, & ad iudicem*, vbi omnes codices Hebræi, Græci & Latini habent *&*, non *aut*: ergo τὸ *aut*, quod hic est in Hebræo, pariter pro *&* accipi debet. q.d. Qui nõ vult obedire pontificis, siue iudicis decreto, moriatur. idem enim erat iudiciũ põtificis & iudicis. vel quia idem erat tunc pontifex & iudex, vt vult Vatabl. & Abulensis; vel quia iudex sæcularis sententiam suam conformare tenebatur sententiæ & decreto sacerdotum & pontificis, illudque sequi & exequi debebat, vti dixi v.9.

Idem erat iudicium pontificis & iudicis.

VERS. 15. DE NVMERO FRATRVM] putà de gente tua, de Hebræis.

VERS. 16. NON MVLTIPLICABIT SIBI EQVOS] tum ne in bello cõfidat in multitudine & fortitudine equorum: quia *fallax est equus ad salutem, & in abundantia virtutis suæ non saluabitur*, psalm.32. tum ne erigatur in superbiam, magnoque fastu & pompa incedat, itaque populo dominari velit, eique grauia onera & tributa, ad suam pompam sustinendã, imponat; vti fecit & peccauit Salomon qui habuit 40. millia equorum in stabulis, & curruum equitumque 12. millia. Vnde multi, & meritò metuunt saluti Salomonis, putantque eum esse damnatum: videtur enim Deus illi gloriam terrenam concessisse, vt priuaret eum gloria cælesti & æterna. Notent hoc reges & principes.

Ita Alfonsus Aragonum rex pompam perosus, sine stipatorum manu, & comitantium turba incedebat: cumque hoc alij carperent, suaderentq; vt more aliorum principum stipatus graderetur, respondit: *Ego minimè solus, vt vos putatis, sed innocentia associatus vado; neque est quod, beneuolentia ciuium fretus, extimescam*. Ita Agesilaus sine pompa incedebat, dicens, maiestatem & gloriam prudentia & virtute esse parandam; ac rogatus quomodo princeps absque stipatoribus possit esse tutus, respondit: *Si subditis ita imperet, vt pater filijs*.

Hinc aliqui putant, Iudæis vetitum fuisse equorum vsum. vnde Oriolanus in notis ad libr. Machab. opinatur Iudæos numquam vsos esse equis, sed asinis. Verùm verius est, non equos, sed tantùm equorum copiam, Iudæis fuisse vetitam, tum psal.75.7. & Isaiæ 2.8. vti ibi disertè docent S.Hieron. Procopius, Basilius. Hinc pij reges & principes Iudæorum, in bellis ferè peditatu, vix equitatu sunt vsi, vti patet in Machabæis: impij autem reges magno equitatu sunt vsi, vti patet de Ioram, 2. Paral.21.9.

Iudæis non equi, sed equorum copia fuit vetita.

NEC REDVCET POPVLVM IN ÆGYPTVM, EQVITATVS NVMERO SVBLEVATVS] vt scilicet bellum inferat Ægyptijs, velitque Ægyptum occupare. Hebræa habent, *non reuerti faciet populum in Aegyptum, vt multiplicet equos*, id est, vt multos equos sibi in Ægypto coëmat, inquit Vatabl. Caietanus, & alij. Verùm ad hoc non erat necesse reducere populum in Ægyptum, sed sufficiebat duos tresve mercatores eò mittere, ad equos coëmendos: quare solerter Noster interpres τὸ *vt multiplicet equos*, ita accepit, quasi dicat, Vt multiplicando equos, & equitatus numero subleuatus & superbiens, audeat inuadere Ægyptum, eoque populum reducat.

Legimus de Platone, in eius apophthegmatibus, quòd cùm aliquando equum conscendisset, mox descenderit, dicens: *vereri se μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ*, id est *ne equestri fastu corriperetur*. Superbum enim animal est equus, & equitare quiddam habet altum & magnificum. Hac ergo fastus causa, noluit Deus regem sui populi multiplicare equos, sed dicere cum Dauide psalm.19.8. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus*.

PRÆSERTIM CVM DOMINVS PRÆCEPERIT VOBIS, VT NEQVAQVAM PER EAMDEM VIAM REVERTAMINI] Quando, & vbi Dominus hoc præceperit, nusquam est scriptum. Præcepit autem, ne per eamdem viam, illam scilicet quæ ducit in Ægyptum, reuerterentur, partim quia Hebræi proni erant ad vitia & mores Ægyptios; partim ne Ægyptum videntes fertilem, ex Nili inundatione, parui penderent liberationem Dei, qui eos inde, è miserrima seruitute eduxerat.

NON HABEBIT VXORES PLVRIMAS, QVÆ ALLICIANT ANIMVM EIVS] Hebr. est, *vt non recedat cor eius*, scilicet à lege Dei. Hinc intelligimus, ait S. August. q.26. & Rabanus, tunc permissum fuisse regibus, vt plures haberent vxores, quàm vnam, vti habuit Dauid; non autem multas, vti habuit Salomon, idq; ne multiplicando eas, peruenirẽt tandem ad alienigenas, quæ eos ad idola deducerent; vti contigit Salomoni. Secundò, ne populus reges suos imitans, in luxum & libidines diffueret. nam Regis ad exemplum totus componitur orbis; &, vt Pindarus ait: Rex est ingenium & mores omnium. Et alius: Rex est cor populi. VERS. 17.

Sic Conuallo pio apud Scotos regnante mirè floruit apud eos religio & probitas: ita vt S.Columbanus ad eam videndam, ex Hibernia in Scotiam traiecerit, ac rediens rogatus, quænam ibidẽ vidisset miracula, responderit: *Vidi vnum instar omnium, regem videlicet Conuallum; qui in mediis deliciis & peccatorum incitamentis, cum Monachis & Episcopis de sanctimonia contendit: qua de causa suis ita est reuerendus, vt ipsi nec aliis iniuriis, nec de rege ipso biscere sinistri quippiam audeant. Vnde effectum est, vt plus regis virtus ferocem populum à solitis flagitijs & seditionibus, quàm eiusdem auctoritas coërceat*. Ita refert Hector Boëthius hist. Scoticæ lib.9.

Alfonsus Aragonum rex, cùm sui de regum munijs, deque eorum & regnorum felicitate disceptarent, dixit: Optimè eam S.August. hisce verbis expressit: *reges felices erunt & regna, si* Primò, *iustè imperent*; Secundò, *si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollantur: sed se homines esse meminerint*; Tertiò, *si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestatis eius famulam faciunt*; Quartò, *si Deum timent, diligunt & colunt*; Quintò, *si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes*; Sextò, *si tardiùs vindicant, facilè ignoscunt*; Septimò, *si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæq; reip. non pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt*; Octauò, *si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent*; Nonò, *si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordia lenitate, & beneficiorum largitate compensant*; Decimò, *si luxuria tanto est castigatior, quanto posset esse liberior*; Vndecimò, *si malunt cupiditatibus, quàm quibuslibet gentibus imperare*; Duodecimò, *si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ*; Decimotertiò, *si pro suis peccatis, humilitatis, &*

& miserationis, & orationis sacrificium, Deo suo verò immolare non negligunt. Tales Christianos Reges & Imperatores dicemus esse felices, item & eorum regna. ita Panormitanus in Vita Alfonsi.

Neqve argenti et avri immensa pondera] Ne scilicet rex ex cupiditate auri & opum spoliet subditos, & ne ex opibus in fastum & luxum diffluat: in quo etiam peccauit Salomon, nimijs tributis premens populum ad suum luxum, 3 Reg. 12.4. Audiant eum reges confitentem suam vanitatem: *Coaceruaui, inquit, mihi argentum & aurum, & substantiam regum atque prouinciarum, &c. cumq́; me vertissem ad vniuersa, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Ecclesiastæ 2.v.8.& 11.

Traianus ait, fiscum esse lienem. Traianus Imp. fiscum suum vocabat lienem; eò quòd eius nimium augmentum, subditorum & populi, à quo pecunia fisci exigitur, fit detrimentum: crescente enim & intumescente liene, cæteri artus & membra tabescunt.

Vers.18. Describet (describi curabit) sibi Devteronomivm, &c. legetqve illvd omnibus diebvs vitæ svæ] Non quòd continuè vel quotidie illud legere teneatur; sed toties legat, vt memor sit eorum, quæ in Deuteronomio scripta sunt.

Vers.19. Vt discat timere Dominvm] Hunc enim Dei timorem magis inculcat Deuteronomium, quàm Exodus, vel Leuiticus. est enim Deuteronomium ardens & perpetua concio Mosis, incitans Hebræos ad cultum Dei. ita Abulensis.

Vera religio est basis imperij. Notent & hoc principes. Peccarunt in hac re reges Iuda, ideoque regnum perdiderunt: vnde Helcias abiectum in angulo inueniens Deuteronomium, attulit illud ad Iosiam, qui magna religione illud excepit, legit, & adimpleuit, itaque rempublicam Hebræorum cum religione restituit, vt patet 4.Reg.22 & sequ.

E contrario Ieroboam, Baasa, Iehu, aliique reges Israel imperium quod à Deo acceperant, ob neglectam Dei veri religionem, mox perdiderũt, & vltra tertium vel quartum heredem non propagarunt. Ita Constantinus Imp. dicebat: *Romani Imperij dignitas & amplitudo fontem atque radicem habet veram pietatem.* Ita regnarunt feliciter pij & religiosi principes Christiani, Theodosius, Marcianus, Iustinus, Iustinianus, & alij; infeliciter verò regnarunt infideles & impij, Constantius, Iulianus, Valens & alij plurimi.

Audi quid de vno Valente scribat Nicephor. libr. 11. c. 50. Cùm Valens contra Gothos Constantinopoli egrederetur, accurrit Isaacius eremita, & fræno equi illius arrepto dixit: *Quònam, ô Imperator, proficisceris, qui aduersus Deum bella geris, neque tecum illius opem trahis? ille contra te Barbaros excitauit: quia tu impiorum hominum linguas exacuisti. redde igitur Orthodoxis ecclesias, quas eis ademisti; & victor euades: si id nolueris, experieris quàm sit durum contra stimulum calcitrare, & impotentem linguam in cælum tollere. neque enim ipse redibis, & perdes quas tecum ducis copias.* Valens ira æstuans: Ego verò, inquit, redibo victor, & dignas à te temeritatis tuæ sumam pœnas, tuamque prædictionem falsam esse ostendam. Et confestim comprehendi hominem, & in custodia asseruari, donec rediret, iussit. At ille abductus vociferabatur: *Eneca etiam, si mendacia esse deprehenderis verba mea.* Paulò pòst Valens cum suo exercitu fœdè perijt, ipseque fugiens ad paludes, in casa à Gothis concrematus est.

Porro pij & boni principis effigiem describit Dauid psalm.71.& 100. item S. Scriptura in Dauide 2.Regum 7. in Salomone, Asa, Iosaphat, Ezechia & Iosia in libris Regum. Mira verò fuit vox Constantini Imper. qui Episcopis sui sæculi dicebat: *Vos intra Ecclesiam; ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum,* vti refert Euseb. lib.4. Vitæ eius cap.24. Pater verò eius Constantius Imper. Christianos, qui semper liberè fidẽ professi essent, stipatores suos & regni custodes, apostatis omnibus & profanis eiectis, constituit; inquiens tales in præcipuis & fidis amicis habendos, plurisque quàm ingentes thesauros æstimandos esse. ita Euseb. lib.1. Vitæ Constant. c.11.

Denique Iustinus Imp. creans Tiberium Cæsarem, eumque purpura inuestiens, dixit ei: *Honora Deum & Ecclesiam eius, olim heram & dominam, nunc verò matrem tuam. nosce quis antea fueris, & quis hodie factus sis: pauperes in primis dilige, & eleëmosynæ apud te non deficiant.* ita Nicephor. lib.17. c.40.

Nec elevetvr cor eivs in svperbiam, svper fratres svos] scilicet super gentem suam, super Hebræos. q.d. Hebræi ex gente & genere, sunt fratres regis: ergo supra eos insolenter non se efferat rex, vt putet illos legibus Deuteronomij teneri, se verò supra illas esse. vnde sequitur: *Neque declinet in partem dexteram vel sinistram,* scilicet *à præcepto,* vt habent Hebræa, sed recta legis via incedat: itaque à Deo assequetur præmium, *vt longo tempore regnet ipse, & filij eius.* Talis rex & regum exemplar fuit Iosaphat, de quo Damascenus in Vita Barlaam & Iosaphat ita scribit: *Illud exploratum habebat, omnium regiorum munerum hoc primum & præstantissimum esse, vt homines ad Dei metum, ac iustitiæ cultum erudiat: quod etiam ipse faciebat, seipsum videlicet ad imperio tenendas animi perturbationes comparans, subditosq́; suos admonens, atque optimi naucleri instar iustitiæ clauum sedulò tenens. Nam hæc demum veri regni lex ac norma est, nimirum voluptatibus imperare, iisq́; dominari, quemadmodum ipse etiam faciebat. Quippe nec de maiorum nobilitate, nec de regia gloria, in qua versabatur, vllo modo se efferens (quandoquidem luteum omnes generis auctorem habemus, eiusdemq́; argillæ pauperes æquè ac diuites sumus) verùm in humilitatis abyssum mentem suam assiduè conijciens, futuramq́; beatitudinem animo & cogitatione complectens, inquilinum hic seipsum esse ducebat: ea autem propria esse statuebat, quibus post huius vitæ peregrinationem frueretur.* Vers.20.

Audi & Gentiles. Cato dixit, *pessimum esse principem, qui regere nequit seipsum.* Et Agesilaus hoc gloriabatur, quòd à nemine superaretur laborando, & sibi magis quàm subditis imperaret. Si quando aliquid vellet celeriter à militibus peragi, id primus ipse in conspectu omnium faciebat. Idem, intelligens Thasios sibi templa diuinosque honores decreuisse, ob beneficia eis præstita, quæsiuit è legatis, an ciuitas eorum posset homines in deos conuertere. cùm affirmarent: *Agedum,* inquit, *vos ipsos primùm deos facite; eo facto credam vobis, posse me quoque à vobis in deum mutari.* Moriens mandauit nullam sui fieri effigiem, aut monimentum: *Si quid enim, aiebat, à me est præclarè factum, id monimentum mihi erit: sin verò, ne omnes quidem statuæ, quæ sunt opera hominum illiberalium, mihi nomen conciliabunt.* ita Plutarchus in Lacon.

Pulchrè

Pulchrè Seneca tragœd.2.

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyria color:
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.
Quem non ambitio impotens,
Et numquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet:
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia.

Et Horat.ode 2.lib.2.

Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Simulacrum Dei est bonus & sanctus princeps, *& animata Dei in terris imago*, inquit Menander.

Vespasianus, inquit Tacitus l.2. *acer solebat militia anteire agmen, locum castris capere, noctu diuq; consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituq; vix à gregario milite discrepans: prorsus, si auaritia abfuisset, antiquis ducibus par.*

Indorum sapientum præceptum est, Principem quo A *natura sublimior est, eo humaniorem se inferioribus si præbuerit, charissimum populo futurum*, inquit Niceph. Gregoras lib.6. histor.

Arbitrabatur Cyrus nemini conuenire imperium, nisi qui subditis esset melior, inquit Xenophon l.8. Cyri pædiæ. Idem aiebat, bonum principem & magistratum esse legem videntem: quippe qui legis negligentem cernere queat & punire.

Notent principes illud Senecæ tragœd.3. *Qui vult amari, languida regnet manu.* Rursum illud Ammiani Marcellini l.30. *Regenti imperium omnia ni-* B *mia, velut prærupti scopuli, sunt deuitanda.*

Nerua vsque adeò bonus princeps fuit, vt diceret, se nihil fecisse, quo minùs posset deposito imperio priuatus tutò viuere, ait Dio.

Hinc Solon aiebat: *Impera, vbi priùs didiceris parire. Regi enim cùm didiceris, scies regere.* Agesilaus rex Lacedæm. se principatum non sibi, sed reip. eiusque socijs & amicis gerere dicebat. Agathon dixit, Princeps meminerit Primò, quòd imperet hominibus; Secundò, quòd secundùm leges; Tertiò, quòd non semper imperabit.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sancit vt sacerdotes & Leuitæ nullam partem habeant in Chanaan, nisi victimas, decimas & oblationes. Secundò, v.10. vetat consuli diuinos & maleficos: sed Prophetam, quem eis v.18. promittit, audiri iubet.

1. NOn habebunt sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, par-
tem & hereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, & oblationes
eius comedent, 2. & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus
enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis. 3. Hoc erit iudicium sacerdo-
tum à populo, & ab his qui offerunt victimas: siue bouem, siue ouem immolauerint,
dabunt sacerdoti armum ac ventriculum: 4. primitias frumenti, vini & olei, &
lanarum partem ex ouium tonsione. 5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de
cunctis tribubus tuis, vt stet, & ministret nomini Domini ipse, & filij eius in sempiter-
num. 6. Si exierit Leuites ex vna vrbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, &
voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, 7. ministrabit in nomi-
ne Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui stabunt eo tempore coram Do-
mino. 8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam & ceteri: excepto eo, quòd in
vrbe sua ex paterna ei successione debetur. 9. Quando ingressus fueris terram,
quam Dominus Deus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gen-
tium. 10. nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem:
aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, 11. nec
incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.
12. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit
eos in introitu tuo. 13. Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.
14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiant: tu autem à
Domino Deo tuo aliter institutus es. 15. Prophetam de gente tua, & de fratribus
tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, 16. vt petisti à Do-
mino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Vltrà non
audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne
moriar. 17. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. 18. Prophetam susci-
tabo eis de medio fratrum suorum, similem tui: & ponam verba mea in ore eius, lo-
queturque ad eos omnia quæ præcepero illi: 19. qui autem verba eius, quæ loque-
tur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. 20. Propheta autem qui ar-
rogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt dice-
ret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. 21. Quòd si tacita cogitatio-
ne responderis: Quo modo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locu-
tus

tus? 22. hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & idcirco non timebis eum.

Vers. 3. HOC ERIT IVDICIVM SACERDOTVM A POPVLO] q.d. Hoc erit ius, vel redditus, quem iure suo sacerdotes à populo recipient. A

SIVE BOVEM, SIVE OVEM IMMOLAVERINT] scilicet, in hostiam pacificam.

DABVNT SACERDOTI ARMVM, AC VENTRICVLVM] Nam in holocausto sola pellis cedebat sacerdoti; in victima verò pro peccato, tota caro; in hostia autem pacifica, tantùm armus & pectusculum dabantur sacerdoti, vt patet ex Leuitico.

Nota. Pro *armum & ventriculum*, hebr. est, armum, genas & ventriculum. ita & Chald. & Septuag. Sed per genas hîc intelliguntur partes carneæ, quæ exciso ex quarta animalis parte armo, vtrimque relinqui solent in ventriculo, seu pectusculo. Quare armum, genas, & ventriculum, idem est quod armum & ventriculum, seu pectusculū, quæ sunt quarta animalis portio: nec enim iure Exodi 29.28. & Leuit 7.31. vbi exactè hæc describuntur, ex hostia pacifica aliud cedebat sacerdoti, quàm armus & pectusculum. ita Abulensis. Quare figmentum videtur, quod aiunt Hebræi, hæc tria dari sacerdoti propter Phinees, scilicet dari armum, siue brachium: quia Phinees in fortitudine brachij sui percussit Zambri cum Madianitide, Numer. 25. dari ventriculum: quia Phinees percussit eos in ventre, scilicet in genitalibus. dari genas: quia has mouent sacerdotes, dum orant pro offerente. hæc enim ante factum Phinees consignata sunt sacerdoti, Exodi 29.28. B

Vers. 5. IPSVM ENIM ELEGIT, VT STET (Septuag. *vt assistat corā Domino*, videlicet vt famulus iugiter ministrans; vnde sequitur) ET MINISTRET NOMINI DOMINI] id est Domino, illum nomine suo compellando, honorando & inuocando. C

Nota. *Stare* significat & famulatum, & eius permanentiam: vnde Michææ 5.4. de Christo dicitur: *Et stabit, & pascet in fortitudine*, q.d. Christus manebit cum Christianis iugiter, & fortiter pascet eos, non transibit ab eis ad alias gentes, vti transijt à Iudæis ad Christianos. ita S. Hieron. ibi.

Vers. 6. SI EXIERIT LEVITES, &c. ET VOLVERIT VENIRE, DESIDERANS LOCVM QVEM ELEGERIT DOMINVS] q.d. Si Leuita deuotione ductus, & cupiens extra vices suas, reliquo vitæ tempore ministrare Deo in tabernaculo, vti fecit Samuel:

Vers. 8. PARTEM CIBORVM (oblatorum) EAMDEM ACCIPIET, SICVT ET CÆTERI] qui per vices suas ministrant Deo. D

EXCEPTO EO, QVOD IN VRBE SVA, EX PATERNA EI SVCCESSIONE DEBETVR] scilicet exceptis decimis, quas in sua vrbe reciperet. hæc enim sunt quasi hereditas Leuitarum, nec aliam habent. ita Abulensis.

Vers. 10. NEC INVENIATVR IN TE, QVI LVSTRET FILIVM SVVM] Hebr. *qui traducat filium per ignem*, id est filium igne cremet, quod faciebant colentes Moloch, vti dixi Leuitici 18. v. 21. aut qui eum per ignem expiet. Curabant enim aliqui filios suos celeriter per hunc ignem transire: quia persuasum eis erat esse non morituros ante diem, qui tali modo per ignē superstitiosè lustrati essent, inquit R. Moyses Maymon.

Nota. *lustrare* est expiare: inde lustratio erat sacrificium expiatorium, quo homines, vel agri expiabantur; quale describit Virg. Æneid 6. cùm ait:

Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ;
Lustrauitq́, viros, dixitq́, nouissima verba.

Talis lustratio erat illa, qua filios Moloch, vel Saturno immolabant, ad publicam, vel priuatam calamitatem auertendam, vti dixi Leuit. 18.

PERFECTVS ERIS, ET ABSQVE MACVLA CVM DOMINO DEO TVO] vt scilicet idola, ritus & scelera Gentium auerseris, vnumque Deum colas, eique per omnia obedias. *qui enim seruat mandata eius, in hoc charitas perfecta est*, ait S. Ioan. epist. 1. c. 2. v. 5. Ita perfectus fuit Dauid psal. 88. v. 21. & alibi, *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et Noë qui fuit *vir iustus, & perfectus in generationibus suis*, Gen. 6. 9. Ita Abrahæ præcepit Deus: *Ambula coram me, & esto perfectus.* vt Deum per omnia ames, colas, obedias, sentias, sapiasque, dicasque cum S. August. *Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Vers. 13.

Præclarè Cassianus lib. 4. cap. vltim. *Audi*, ait, *paucis ordinem, per quem ascendere valeas ad perfectionem summam sine labore. Principium nostræ salutis sapientiæq́, est timor Domini: de timore Domini nascitur compunctio salutaris: de compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est nuditas & contemptus omnium facultatum: de nuditate humilitas procreatur: de humilitate mortificatio voluntatis generatur: mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt vniuersa vitia: expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.* *Ordo virtutum ad perfectionē.*

PROPHETAM DE GENTE TVA, &c. SVSCITABIT TIBI DOMINVS] Duplex quasi est sensus litteralis hîc, vsque ad v. 20. vt rectè docent Abul. & Caietanus. Prior, vt intelligantur hi versus de communibus Prophetis, quos Deus vicissim & successiuè post Mosen Hebræis submisit, ad annuntiandum eis & inculcandum Dei legem; vt τὸ *prophetam* sumatur pro *prophetas*. Et hic sensus optimè cohæret præcedentibus & sequentibus. præcessit enim, ad augures & diuinos non esse recurrendum, & Hebræos aliter à Deo esse edoctos; videlicet promisisse Deum, se eis missurum veros Prophetas suos, ne ad diuinos recurrere opus haberent: & iuxta hanc Dei promissionem, Iudæi ferè semper vsque ad Christum, Prophetas à Deo missos habuerunt. vnde Psaltes psal. 73. 9. tamquam de magna calamitate & derelictione queritur dicens: *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius*, &c. Vers. 15. *Duplex ad litterā hic intelligitur Propheta. Primò.*

Posterior sensus, isque potissimus est, vt hæc intelligantur ad litterā de Christo: de eo enim intelligenda esse, patet Actor. 3. 22. Actor. 7. 37. Ioan. 1. 45. ideoque hîc singulari numero vocat *prophetam*, scilicet per excellentiam. rursum vocat eum similem Mosi, videlicet quoad ducatum populi & legislationem. ita S. August. l. 16. contra Faustum c. 15. Secundò, quia, sicut Moses populū ex Ægypti, ita Christus homines ex peccati seruitute in libertatē asseruit. Tertiò, Moses in Chanaan, Chri- *Secundò.*

stus

ſtus in cælum nos deduxit. Quartò, vti Moſes, ita & Chriſtus, multa fecit miracula, plagaſque non Pharaoni, ſed dæmoni inflixit. Quintò, cum Moſe loquebatur Deus ore ad os familiariter: ita & cum Chriſto, idque longè excellentiùs. erat enim Chriſtus Verbo Dei, Deoque intimè vnitus.

Significat ergo hic Moſes, Deum miſſurum veros Prophetas, qui erudiant Hebræos, & verba Dei ad eos referant: & quia inter eos excellet Chriſtus; hinc ipſum eſſe præcipuè Prophetam, de quo hæc accipienda ſint. q.d. Ego Moſes Propheta, Chriſti ſummi Prophetæ ſum typus & præcurſor: en morior, ad Chriſtum vos tranſmitto, ipſi lampada trado, ipſum audite, ipſum ſequimini. Plures enim eiuſdem loci eſſe poſſe ſenſus literales, præſertim cùm vnus alteri eſt ſubordinatus, ex S. Auguſt. & S. Thoma oſtendi can. 36.

In Chriſto propriè fuit donum prophetiæ. Porro licet Abulenſ. neget in Chriſto fuiſſe verum, & propriè dictum donum prophetiæ: quia ad hoc ipſe putat requiri obſcuritatem cognitionis, quæ in Chriſto non fuit, ideoque Chriſtum tantùm dici Prophetam ſecundùm æſtimationem & appellationem vulgi: tamen contrarium eſt longè verius, ſcilicet Chriſtum fuiſſe verè & propriè Prophetam; eſto claram habuerit prænotionem futurorum: ad prophetiam enim non requiritur obſcuritas cognitionis, vti multis oſtendit Franc. Suarez 3. p. q. 7. diſp. 21. ſect. 1.

Vers. 15. & 16. Ipsvm avdies, vt petisti a Domino Deo tvo in Horeb] In Sina enim Exodi 20. 19. Hebræi territi voce Dei petierunt, ne Deus per ſe, ſed per Moſen, quaſi Prophetam loqueretur eis. Sicut ergo ipſi tunc petierunt Prophetam, qui referret eis verba Dei: verba autem Dei non tantùm tunc, ſed & futuris temporibus neceſſaria ſunt; hinc tacitè non tantùm tunc Moſen, ſed & poſt eum, alios Prophetas petierunt: erant enim hi eis neceſſarij, æquè ac Moſes, vt per eos conſulerent & diſcerent voluntatem Dei. ita Abul.

Qvando concio congregata est] Id eſt in die, quo totus Iſrael congregatus eſt, ad audiendam vocem Dei. hinc vocantur concionatores, qui loquuntur ad totã concionem, id eſt ad totum populum: & ſic Salomon hebr. vocatur *Cohelet*, græcè *Eccleſiaſtes*, latinè *Concionator*. Vers. 16.

Et ponam verba mea in ore eivs] docebo eum verba mea, quæ loquatur, vt ſit interpres meus. Vers. 18

Hæc verba Dei, quæ per Chriſtum ipſe nos docuit, complectitur S. Cyprianus tractat. de oratione Dominica, aurea illa ſententia, quam vtinam Chriſtiani & cordibus, & templis, & domibus ſuis inſcribant: eſt enim ipſa compendium vitæ & perfectionis Chriſtianæ: *Voluntas*, inquit, *Dei quam Chriſtus docuit, & fecit, eſt* Primò, *humilitas in conuerſatione*; Secundò, *ſtabilitas in fide*; Tertiò, *verecundia in verbis*; Quartò, *in factis iuſtitia*; Quintò, *in operibus miſericordia*; Sextò, *in moribus diſciplina*; Septimò, *iniuriam facere non noſſe*; Octauò, *factam tolerare poſſe*; Nonò, *cum fratribus pacem tenere*; Decimò, *Deum toto corde diligere*; Vndecimò, *amare in illo quod pater eſt*; Duodecimò, *timere quod Deus eſt*; Decimotertiò, *Chriſto nihil omnino præponere: quia nec nobis ille quidquam præpoſuit*; Decimoquartò, *charitati eius inſeparabiliter adhærere*; Decimoquintò, *cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere*; Decimoſextò, *quando de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, qua confitemur; in quæſtione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur. hoc eſt coheredem Chriſti velle eſſe, hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt voluntatem Patris adimplere.*

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Moſes deſignari tres vrbes refugij in aſylum homicidæ inuoluntario, quibus tres alias, creſcente populo, adijci iubet v. 9. vide dicta Numer. 35. Homicidam verò voluntarium ex aſylo extrahi, & occidi iubet v. 11. Denique v. 16. falſo teſti pœnam talionis decernit.

1. CVm diſperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus eſt ter-
ram, & poſſederis eam, habitaueriſque in vrbibus eius & in ædibus: 2. tres
ciuitates ſeparabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſ-
ſionem, 3. ſternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam terræ tuæ pro-
uinciam diuides: vt habeat è vicino, qui propter homicidium profugus eſt, quò poſſit
euadere. 4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita ſeruanda eſt: Qui percuſ-
ſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium
habuiſſe comprobatur: 5. ſed abiiſſe cum eo ſimpliciter in ſiluam ad ligna cæden-
da, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrumque lapſum de manubrio
amicum eius percuſſerit, & occiderit: hic ad vnam ſupradictarum vrbium confugiet, &
viuet: 6. ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis, dolore ſtimulatus, per-
ſequatur, & apprehendat eum ſi longior via fuerit, & percutiat animam eius, qui non
eſt reus mortis: quia nullum contra eum, qui occiſus eſt, odium priùs habuiſſe mon-
ſtratur. 7. Idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter ſe ſpatij diuidas.
8. Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, ſicut iurauit patri-
bus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus eſt, 9. (ſi tamen cu-
ſtodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum
tuum, & ambules in vijs eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & ſupradi-
ctarum trium vrbium numerum duplicabis: 10. vt non effundatur ſanguis inno-
xius

xius in medio terræ,quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam,ne sis sanguinis
reus. 11. Si quis autem odio habens proximum suum,insidiatus fuerit vitæ eius,sur-
gensque percusserit illum,& mortuus fuerit, fugeritque ad vnam de supradictis vrbi-
bus, 12. mittent seniores ciuitatis illius,& arripient eum de loco effugij,tradentque
in manu proximi,cuius sanguis effusus est,& morietur. 13. Non misereberis eius, &
auferes innoxium sanguinem de Israel,vt bene sit tibi. 14. Non assumes & transfe-
res terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus
Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam. 15. Non stabit testis
vnus contra aliquem,quidquid peccati & facinoris fuerit:sed in ore duorum aut trium
testium stabit omne verbum. 16. Si steterit testis mendax contra hominem, accu-
sans eum præuaricationis, 17. stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in
conspectu sacerdotum, & iudicum qui fuerint in diebus illis. 18. Cumque diligen-
tissimè perscrutantes,inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum menda-
cium: 19. reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui:
20. vt audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.
21. Non misereberis eius,sed animam pro anima,oculum pro oculo,dentem pro den-
te,manum pro manu,pedem pro pede exiges.

Vers.5. SED ABIISSE CVM EO SIMPLICITER IN SILVAM] Trop. l. S. Gregor. 10. Moral. 9. *Ad siluam*, ait, *cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra conuertimur: & simpliciter ligna succidimus, cùm delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit; cùm sese increpatio plusquam necesse est, in asperitatem pertrahit. Ferrum de manubrio prosilit, cùm de correptione sermo durior excidit; & amicum percutiens occidit: quia auditorem suum prolata contumelia à spiritu dilectionis interficit. Hic ad tres necesse est vrbes fugiat; quia si ad pœnitentiæ lamenta conuersus sub spe, fide & charitate absconditur, reus perpetrati homicidij non tenetur.*

Vers.6. NE FORSITAN PROXIMVS EIVS] cognatus scilicet occisi, qui hebr. vocatur גאל *goel*, id est redimens: quia ius redimendi hereditatem, si ea vendita esset, ad propinquiorem cognatum spectabat.

ET PERCVTIAT ANIMAM] scilicet vitam. est metonymia sic sumitur *anima* infrà c. 22. 26. & c 24. 6. & Act. 20. 24. *Non facio animam* (vitam) *meam pretiosiorem quàm me.*

Vers.13. AVFERES INNOXIVM SANGVINEM] Id est, innoxij sanguinis effusionem tolles, occidendo videlicet effusorem. Vnde Chald. vertit, *auferes effundentem sanguinem innocentem de Israel.* Est ergo hic duplex metonymia, prima qua sanguis ponitur pro effusione sanguinis; secunda, qua effusio ponitur pro homicida.

Vers.14. NON ASSVMES, ET TRANSFERES TERMINOS PROXIMI TVI] *Terminos*, scilicet agrorum, vt aliquid ex possessione alterius tuæ adiicias.

Vers.15. IN ORE DVORVM AVT TRIVM TESTIVM STABIT (id est confirmabitur) OMNE VERBVM] omnis accusatio, omne dictum, omnis res.

Vers.18. & 19. CVMQVE, &c. INVENERINT FALSVM TESTEM, &c. REDDENT EI SICVT FRATRI SVO FACERE COGITAVIT] Pœna talionis hîc falso testi decernitur. congruum enim est, vt quod quis supplicium falso testimonio alteri iniustè irrogare voluit, id iustè ipsemet patiatur. Ita duo senes falsò Susannam adulterij accusantes mendacij conuicti lapidibus obruti sunt, Daniel. 13.

Pœna decreta falsis testibus.

Exempla.

Audi quid Patres VIII. Synodi Oecumenicæ, anno Domini 869. Constantinopoli habitæ, contra Leonem Consulem & Theodorum Protospatharium, qui impulsu Photij & Michaelis Imp. contra B. Ignatium Patriarcham falsum dixerant testimonium, decreuerint. *Definimus, in-*

A *quiunt, & promulgamus, hos per septem annos epitimium* (ita vocatur Ecclesiastica pœna & censura) *habere: esse illos duobus annis extra ecclesiam, & aliis duobus intra ecclesiam audire diuinas Scripturas vsque ad catechumenos; non tamen vllo modo communicare, sed abstinere à carnibus & vino quatuor annis, præter Dominicos dies & Dominicas festiuitates; & aliis tribus annis stare cum fidelibus, & mereri diuinam communionem in solis Dominicis solemnitatibus cum eleëmosynis, orationibus atque ieiuniis, ita vt tribus diebus hebdomadæ, secunda videlicet, quarta & sexta feria abstineant à carnibus & vino.*

Gregorius Agrigentinus Episcopus à Sabino & Crescentio falsò accusatus, coram Synodo Romana centum & 50. Patrum, de stupro cum Eudocia puella, adductis cx. testibus psalmum alta voce ingeminauit: *Insurrexerunt in me testes iniqui;* B *quæ ignorabam obiecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant.* Statim igitur puella à dæmone correpta ad pedes eius concidit; Gregorius Satanam è puella egredi, & verum fateri iussit, ac manu eam comprehensam erexit. Illa falsa est, se à Sabino & Crescentio muneribus corruptam Gregorium falsò accusasse. Gregorius verò coram Synodo pro testibus & actoribus intercessit, & pacem illis impetrauit. Qua concessa, statim tenebræ magnæ abortæ sunt: & actorum alij vtraque, alij altera gena nigri apparuerunt. Sabino verò & Crescentio labia atro colore infecta sunt, qui numquam postea elui potuit. ita habet Vita S. Gregorij Agrigent. quæ extat apud Surium 23. Nouembr.

Porro falsos testes ipso iure esse infames docet C Gratianus causa 3. q. 5. ex Eusebio Papa epist. 3. ad Episcopos Tusciæ in hæc verba: *Constituimus cum omnibus qui nobiscum sunt Episcopis, vt homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, periuri, & qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos diuinosque concurrerunt, similesque, eorum nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium sint admittendi, quia infames sunt, & iustè repellendi, quia est funesta vox eorum.*

Constantinus Magnus Imp. Faustam vxorem habuit. Hæc Crispi priuigni amore capta, cùm ad libidinem eum sæpius prouocasset, renuentem detulit ad maritum, illum sibi vim inferre voluisse. Constantinus fidem adhibuit, ideoque Crispum

 filium

filium interfecit. Verùm post aliquot annos A comperta causa, in vxorem capite animaduertit. ita refert Eutropius lib.10.hist.Rom.

Narrat Eusebius li.6.Hist.c.7. tres testes falsò accusasse Narcissum Hierosolymæ Episcopum de infami crimine:atque primus iurauit,ni verum esset hoc eius crimen, vt Deuseum igne perderet: secundus, vt morbo regio corriperetur: tertius,vt oculis orbaretur. Audiit Deus vindex.nam primus in domo, nocte correpta incendio cum omni familia flammis vltricibus conflagrauit.Secundus morbo regio à capite ad pedes correptus & absumptus est.Tertius hæc videns pœnitens & scelus confessus,tantis lachrymis illud defleuit,vt luminibus orbaretur.

Quinimo Deus non rarò falsos testes viuos per B mortuos redarguit.Audi exempla.Stanislaus Polonus Episcopus Cracouiensis Boleslaum Poloniæ regem grauiter offendit, quòd illius notam libidinem publicè arguisset.Quare rex in solemni regni conuentu Stanislaum,per calumniam,in iudicium coram se vocari curat, tamquam pagum occuparet, quem Ecclesiæ nomine coëmerat. Quod cùm neque tabulis probare posset, & testes veritatem dicere timerent; spondet Episcopus,se Petrum pagi venditorem,qui triennio antè obierat, intra dies tres in iudicium adducturum. Conditione cum risu accepta, vir Dei toto triduo ieiuniis & orationi incumbit. Ipso sponsionis die post oblatum Missæ sacrificium Petrum è sepulchro surgere iubet: qui statim rediuiuus Episcopum ad regium tribunal euntem sequitur, ibique rege & cæteris stupore attonitis, de agro à se vendito,& pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto testimonium dicit,atque iterum in Domino obdormiuit. ita habet Longinus,& ex eo Surius Maij 8.in Vita S.Stanislai.

B. Aia Hidulphi Comitis Hannoniæ vxor, vt refert Hannonum hist.lib.11.c.4.suas hereditates seu dominia Montési contulit Ecclesiæ,quæ postmodum quasi iure propinquitatis repetebâtur à parentibus.sed dicta Ecclesia,cùm vexaretur lite, sanctam Aiam,etsi defunctam,multis precibus in testem euocauit: & ipsa apparens respondit, se donationem suam ratam habere. vnde pacificè quidquid datum erat,datum remansit.

Cùm B. Augustinus Mediolani adhuc moraretur,illud memoratu dignum ad hanc rem,inter D alia accidisse tradit l.de Cura pro mortuis c.11. *Pro certo*,inquit, *cùm Mediolani essemus,audiuimus, quòd,cùm debitum repeteretur à quodam,defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente à patre iam fuerat persolutum;contristari homo grauissimè cœpit, atque mirari, quòd ei pater moriens non dixerit quid deberet,cùm fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater eius in somnis, & vbi esset repositum instrumentum, quo illa cautio vacuata fuerat,indicauit. Quo inuento atque monstrato, non solùm falsi debiti calumniam filius propulsauit,sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat quando ab eo persoluta erat pecunia. Hîc itaque putatur anima hominis curam gessisse pro filio, & ad eum venisse dormientem, vt doceret quod ignorabat, à magna eum molestia liberaret.*

Huic & illud de Spiridione Cyprio Episcopo factum simile subiungamus. Filiam habuit Irenem nomine,quæ ei cùm bene ministrasset,virgo defuncta est. Post eius obitum venit quidam dicens,se ei depositum commendasse.Rem gestam ignorauerat pater. Perquisitum in tota domo, nusquam quod quærebatur inuentum est. Persistebat tamen ille qui commendauerat, & fletu ac lachrymis perurgebat:vitæ suæ quoque illaturum esse exitium, nisi commendata reciperet,testabatur. Permotus lachrymis eius senex ad sepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomine inclamitat.Tum illa de sepulchro: *Quid vis*,ait,*pater? Commendatum*,inquit,*illius vbi posuisti?* At illa locum designans,*Illic*,ait,*inuenies defossum*.Regressus ad domum, rem, sicut filia de sepulchro responderat, repertam tradidit reposcenti. Vides hic quàm Deus veritatis & veri testimonij sit patronus.

Macarius Ægyptius monachus S. Antonij discipulus,cùm ad eius antrum quidam perfugisset, opis petendæ gratia, quia magistratus tamquam reum patratæ tunc cædis insectabatur (is autem insontem se affirmabat) nominis sui reuerentia magistratuum vim repressit;& quia suspicio tantùm,non testes hominem vrgebant,vt veritas palàm fieret, egit, vt qui occisus fuerat, è tumulo, omnibus qui aderant audientibus,loqueretur:qui C quoniam affirmauit, nihil cædem suam ad eum pertinere,cui tunc crimini res dabatur,magistratus hominem quem insectabatur,Macario auctore absoluit. cùm desideraret magistratus auctorem cædis scire,petiit à D.Macario vt interrogaret; respondit ille, sibi sufficere innocentem liberasse.ita refertur in Vitis Patr.lib.2.c.37.

Idem per infantes effecit Deus. Refert Greg. Turonensl.2.Hist.Franc.c.1.S.Brixium Episcopum Turonensem falsò accusatum fornicationis, infantem ex ea recèns natum coram populo adiurasse, vt diceret an ipse esset pater eius. Cui infans: Non es tu pater meus.Populo autem rogante vt ex eo perquireret, quis ergo esset pater? respondit Brixius, *Non est hoc meum;quod ad me pertinuit sollicitus fui:vobis si aliquid suppetit,per vos quærite.* Cumq; populus magiæ hoc tribueret,ignem illæsum veste gestauit vsque ad sepulcrum S.Martini dicens:*Sicut vestem videtis ab igne illæsam,ita & corpus meum à mulieris tactu est impollutum.*

Simile miraculum contigit Episcopo Brooni, qui discipulus fuit S. Patricij, anno Christi 521. sed ibi infans insuper patrem prodidit,vt habetur in Vita S.Brigidæ Scoticæ 1.Febr.

In vita S.Antonij de Padua,qui vixit an.Dom. 1232. narratur, quòd ipse Patauij degens per angelum translatus fuerit Olysipponem: ibi enim pater eius falsò accusabatur, quòd puerum occidisset. Quare ipse puerum occisum interrogauit, an pater suus eum occidisset; qui erigens se respondit,illum cædis huius cõscium non esse:itaq; pater absolutus est. Simili prorsus modo infans purgauit Danielem Abbatem falsò adulterij insimulatum,vti refert Sophron.in Prato spir.c.114.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus in bello domum remitti nouos ædificatores, vinitores, sponsos & pauidos. Secundò, v. 13. iubet in vrbe bello capta, masculos omnes occidi, præter infantes: in Chananæa autem iubet omnes, etiam feminas & infantes, occidi. Tertiò, v. 19. vetat, ne arbores frugiferæ vrbis hostilis succidantur, sed infrugiferas cædi permittit.

1. SI exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem
quàm tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Do-
minus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. 2. Appropinquante au-
tem iam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: 3. Audi Is-
rael, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor ve-
strum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: 4. quia Dominus Deus
vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de
periculo. 5. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt:
Quis est homo qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuerta-
tur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam. 6. Quis est
homo qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omni-
bus liceat? vadat, & reuertatur in domum suam: ne fortè moriatur in bello, & alius ho-
mo eius fungatur officio. 7. Quis est homo qui despondit vxorem, & non accepit
eam? vadat & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo ac-
cipiat eam. 8. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis est homo for-
midolosus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domũ suam, ne pauere faciat corda
fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. 9. Cumque siluerint duces exerci-
tus, & finem loquendi fecerint, vnusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.
10. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. 11. Si
receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet
tibi sub tributo. 12. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum,
oppugnabis eam. 13. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua,
percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladij. 14. absque mulieri-
bus & infantibus, iumentis, & ceteris quæ in ciuitate sunt. Omnem prædam exercitui
diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.
15. Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valdè sunt, & non sunt de his vrbi-
bus, quas in possessionem accepturus es. 16. De his autem ciuitatibus, quæ dabun-
tur tibi, nullum omnino permittes viuere: 17. sed interficies in ore gladij, Hethæum
videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum,
sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: 18. ne fortè doceant vos facere cunctas
abominationes, quas ipsi operati sint diis suis: & peccetis in Dominum Deum ve-
strum. 19. Quando obsederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circum-
dederis vt expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus
per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, & non homo, nec potest
bellantium contra te augere numerum 20. Si qua autem ligna non sunt pomifera,
sed agrestia, & in ceteros apta vsus, succîde, & instrue machinas, donec capias ciuita-
tem, quæ contra te dimicat.

VERS. 1. NON TIMEBIS EOS (hostium currus, & multitudinem) QVIA DOMINVS DEVS TVVS TECVM EST] qui potens est saluare, & dare victoriam tam in paucis, quàm in multis. Notent hoc duces castrorum, curentque vt milites christianè & piè viuant, itaque Deum secum habeant: tunc enim erunt insuperabiles. nam si Deus pro nobis, quis contra nos? id Constantinus, Theodosius, Carolus, Bullonius, Machabæi, & hoc sæculo Ferdinandus, Carolus V. Albuquercius, & alij experti sunt. *Non debent*, inquit Constantinus, *milites in armis aut viribus corporum spem ponere, sed vniuersitatis Deum rerum omnium bonarum, & ipsius victoriæ auctorem agnoscere*, vti refert Eusebius libr. 4. de Vita Constantini c. 19. Duces ergo & milites, vt A victoria potiantur, obseruent illud c. 23. 9. *Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala*, putà à scortatione, ebrietate, rapinis, rixis, iuramentis, blasphemiis, duellis, inuidiis, &c.

Id præstitit Iosue, qui Mosi successit, ideoque tot victoriis potitus est. Id præstitit Narses Italiæ liberator, qui erga pauperes benignus, in reparandis basilicis diligens, vigiliis & orationibus adeò deditus fuit, vt plures victorias supplicationibus diuinis, quàm terroribus bellicis obtinuerit, vti narrat Euagr. lib. 4. c. 24. Et Procopius l. 3. de bello Gothico scribit, eumdem omnem rerum successum, omnemque belli felicitatem, vni Deo acceptam retulisse: & milites in aciem pro- *Exempla ducũ probè castra regentium.*

progressuros, ad similem pietatem hortatum esse. A

Audi Mauri exemplum memorabile. Cabones dux Maurorum circa Tripolim, postquam Wandalos bellum aduersus se mouere audiuit; primùm subditis suis præcepit, vt ab omni iniquitate & cibo qui ad delicias faceret, abstinerent, omniumque maximè à mulierum consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse cum viris in armis fuit, in alteris mulieres inclusit, mortis supplicium minatus, si quis feminarum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis, si quid impij à Wandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, vt illi spectarent, & postea, cùm Wandali discessissent, illud restituerent. ac subiecit, se quidem Deum, quem Christiani colerent, ignorare: consentaneum verò sibi videri, siquidem B (quod diceretur) fortis potensque esset, vt contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos & iumenta introduci, lasciuiam & libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici, & alia multa impia & horrenda à Wandalis fieri spectarunt. Illi post eorum discessum templa repurgarunt, sacerdotes coluerunt, & eleëmosynas in pauperes largè distribuerunt. Tandem facto conflictu, Wandali ad vnum omnes sunt trucidati, & Mauri victoriam reportarunt. ita Euagrius lib. 4. c. 15. & Nicephorus lib. 17. c. 11.

Denique Iouianus, cùm post Iuliani Apostatæ interitum Imperator eligeretur: *Non possum*, C inquit, *regere Iuliani exercitum qui tam pestifera doctrina imbutus est. talis enim à Deo destitutus, facilè ab hostibus superabitur.* Quibus auditis milites vno ore conclamarunt: Ne dubita; Christianis hominibus, & in vera pietate educatis imperabis. ita Theodor. lib. 4. c. 1.

VERS. 5. DVCES QVOQVE, &c. PROCLAMABVNT: QVIS EST HOMO, QVI ÆDIFICAVIT DOMVM NOVAM, ET NON DEDICAVIT EAM?] *Non dedicauit*, hebr. *non initiauit*, id est non cœpit eam inhabitare. Voluit Dominus hos remitti ex castris ad sua, ne desiderio rerum suarum, quibus necdum frui fuerant, remitterent animos in prælio, fugamque capesserent cum sociorum scandalo & periculo. Miles enim tam animo, quàm corpore debet esse libero & expedito. ita Abulens. Notat S. August. q. 30. D hæc dici, non tam imperatiuè, quàm tentatiuè & permissiuè, ad virorum animos explorandos: qui enim viriliter hunc nimium affectum rerum suarum vincere & deponere volebant, poterant manere in castris: qui verò affectum hunc vincere non poterant, vel non valebant, domum abibant, & recedentes à castris prodebant suam pusillanimitatem, seque affectu nimio rerum suarum teneri.

Tentatiuè hac dici, censet S. Augustinus.

VERS. 6. QVIS EST HOMO, QVI PLANTAVIT VINEAM, ET NECDVM FECIT EAM ESSE COMMVNEM?] necdum eius fructu est fruitus? quod quinto demum anno fiebat. nam iuxta legem Leuit. 19. 25. tribus primis annis, fructus censebantur immundi; quarto anno cedebant Deo, erantque quasi sacri; quinto anno fiebant communes siue profani, vt habent Hebræa, poteratque quiuis cum possessoris consensu eis vesci.

VERS. 7. QVIS EST HOMO, QVI DESPONDIT (sibi) VXOREM, ET NON ACCEPIT EAM?] Tropol. significatur, inquit Cyrillus in Collectan. quòd non oporteat eum, qui nuper habitantem secum virtutem accepit, educi ad labores & persecutiones, donec eius amori planè sit illigatus & astrictus. *Tropolog.*

QVIS EST HOMO FORMIDOLOSVS] Ita ex lege hac, Gedeon iturus contra Madianitas, clamauit: Si quis est corde pauido, recedat de castris; & è triginta duobus millibus bellatorum, recesserunt viginti duo millia. Iudic. 7. 3. VERS. 8.

In bello enim plus facient trecenti resoluti & animosi milites, quàm triginta millia pauidorum & hæsitantium. Scipio Africanus rogatus à quodam qua re fretus auderet exercitum è Sicilia in Africam, contra Carthaginenses traiicere, demonstrauit ei trecentos viros, addens: *Nullus horum est, qui non sit me iubente, conscensa hac turri præcipitem se in mare deiecturus.* ita Plutarch. in Apophtheg. Roman. Animus ergo in milite, præsertim capitaneo & duce, requiritur. Animosus Alexander quid non perfregit? paucos habebat milites, hostes innumeros: suadebat Parmenio vt noctu clàm in eos irrueret. cui ille: *Nolo furari victoriam.*

Similis fuit C. Fabricius consul Roman. cui Pyrrhi medicus per epistolam promisit, se iubente ipso Pyrrhum veneno necaturum. eam epistolam Fabricius Pyrrho misit, dicens: Pessimè tu & de amicis iudicas, & de inimicis. noluit ergo animosus consul regem dolo, sed aperto marte prosternere: vnde & totidem captiuos ei remisit, quot ipse miserat. ita Plutarch. in Apophtheg. Romanorum. Militis ergo est in bello non pauere, nec timere mortem, sed potiùs optare. nam, vt aiebat Epaminondas, *pulcherrima est mors in bello.* Id verissimum est in milite Christiano, qui christianè viuens pugnat pro Deo, pro Ecclesia, pro iustitia. *Pulchrior est miles in prælio cæsus, quàm in fuga saluus*, inquit Liuius lib. 2. dec. 1. Et Philemon, *Miles*, ait, *est victima, vt, cùm tempus fuerit, pro patria immoletur.* Matres Laconum eis solebant edicere, *vt aut victores cum armis redirent; aut mortui in armis referrentur*, testis est Valerius Max. libr. 2. c. 8. Cæsaris fuit illa vox, *Disce ferire, disce mori.* Syllaba vna breuis aut longior tua facta variabit; aut occides, aut óccides. Ad vtrumlibet horis locisque omnibus paratum te exhibe. Aratus dicebat *militis esse, vitam nihili facere.* Xerxes audiens quàm fortiter & feliciter Artemisia rem contra suos gessisset in pugna nauali, dixit: *sibi feminas fuisse viros, contrà viros fuisse feminas*, quòd parum dextrè rem gessissent. testis est Herodot. libr. 8. Cùm ob turbatos ordines in Marcelli copiis, victor Hannibal extitisset, reuersus in castra Marcellus conuocato exercitu ait: *se quidem multa Romanorum arma & corpora, Romanum verò videre neminem.* testis est Plutarch. in Marcello.

SI QVANDO ACCESSERIS AD EXPVGNANDAM CIVITATEM, OFFERES EI PRIMVM PACEM] Loquitur de ciuitate, quæ sita erat extra terram promissionis, vt patet v. 15. hæc enim si pacem reciperet sub conditione tributi, incolis omnibus saluis, fiebat tributaria Hebræis: sin pacem abnueret, expugnabatur, omnesque incolæ iure belli, & iussu Dei occidebantur, præter mulieres & infantes. nam ciuitatibus in Chanaan sitis, pacem offerre Hebræi non poterant; sed omnes omnino incolas, etiam feminas & infantes, occidere debebant: tum VERS. 10.

Vrbes se dedentes fiebant tributariæ, vi subactæ delebantur.

tum quia tota Chananæa, à Deo tradita erat Hebræis possidenda; tum quia Chananæi erant homines improbissimi, & quasi semen vitiatum & maledictum; quibus si parcitum fuisset, ipsi Hebræos secum commorantes ad idola & vitia sua pertraxissent, vt dicitur v.17. & fusiùs Sapientiæ 12. v.3. & seqq. Discant hîc principes ante bellum offerre pacem, nimirum pacificè petendo ab hostibus iustam satisfactionem. Nam, vt ait S. August. epist. 207. ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.*

VERS. 19. NON SVCCIDES ARBORES, DE QVIBVS VESCI POTEST, &c. QVONIAM LIGNVM EST, ET NON HOMO] Ita & Chald. quare Hebræa per interrogationem accipe, cum Septuag. hoc modo: *Num enim arbor campi est homo, vt veniat coram te in obsidionem?* q.d. Lignum pomiferum tibi est vtile, neque tamen te obsidere, tibique obesse potest; ergo illud non succidendum, sed asseruandum est: alia verò ligna, licet obesse non possint, quia tamen infructifera sunt, seruient tibi ad machinas bellicas instruendas. ita Abulensis.

Alij, vt Vatablus, sic vertunt & explicant Hebræa: *arbores agrorum (subaudi vita) sunt hominis* (q.d. Vitam hominis sustentant) *non succides eas*, vt scilicet iis machinas instruas, ad vrbem obsidendam. Verùm durum est & insolens subaudire, τὸ *vita*.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus expiari homicidium occultum, per mactationem vitulæ, & per protestationem magistratus de sua innocentia. Secundò, v.10. captiua vt ducatur vxor, iubetur radere cæsariem, & circumcidere vngues. Tertiò, v.15. filio odiosæ vxoris, si sit primogenitus, iubentur consignari primogenita. Quartò, v.18. filius contumax & perditus iubetur lapidari. Quintò, v.22. corpora suspensorum iubentur eadem die sepeliri: quia maledictus est qui pendet in ligno.

1. QVando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadauer occisi, & ignorabitur cædis reus, 2. egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris singulatim per circuitum spatia ciuitatum: 3. & quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere, 4. & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ numquam arata est, nec sementem recepit: & cædent in ea ceruices vitulæ: 5. accedentque sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt ministrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur. 6. Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, 7. & dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. 8. propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: 9. tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cùm feceris quod præcepit Dominus. 10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus in manu tua, captiuosque duxeris, 11. & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem, 12. introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, & circumcidet vngues, 13. & deponet vestem, in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem & matrem suam vno mense: & postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, & erit vxor tua. 14. Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam. 15. Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, 16. volueritque substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, 17. sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. 18. Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit: 19. apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, 20. dicentque ad eos: Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis: 21. lapidibus eum obruet populus ciuitatis: & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat. 22. Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: 23. non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

Vers. 2. METIENTUR A LOCO CADAVERIS] computabunt quot milliaribus, vel passibus locus cadaueris distet à qualibet vicinarum ciuitatum.

Nota, cadauer hic tribui vicissimæ ciuitati: quia in eam præ aliis cadit præsumptio, quòd aliquis ex ea perpetrarit cædem. Vnde maiores natu illius vrbis, cum victima iubentur v. 7. publica protestatione se purgare, & à crimine, & à criminis, vtpote cuius auctorem ignorent, vindicta, vt hac ratione Dei iram tam à se, quàm à suo populo auertant.

Vers. 3. SENIORES CIVITATIS ILLIVS (quæ proximior est cadaueri) TOLLENT VITVLAM DE ARMENTO, QVÆ NON TRAXIT IVGVM] quæ scilicet fortis, & non fracta labore trahendi currum, vel aratrum, innocentiæ eius, qui occisus est, symbolum & typum gerit.

Vers. 4. ET DVCENT EAM AD VALLEM ASPERAM ATQVE SAXOSAM] R. Ioseph Kimchi censet vallem hanc dici asperam, saxosam & incultam per prolepsin: quia scilicet talis futura erat. Reddebatur enim locus ille sacer & maledictus, per carnes vitulæ huius piacularis, in eo sparsas & ibi putrescentes, ita vt eum serere & colere non liceret. nam non semper eligebatur locus incultus, sed ipsemet vbi cadauer ceciderat. Sed hæc sententia clarè repugnat verbis Script. ait enim; *Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ numquam arata est, nec sementem recepit.* quæ verba planè significant, qualis sit, & fuerit hæc vallis, non qualis futura sit.

Vitula expiatrix homicidij mactabatur in valle aspera, cur? Prima causa. Vitula ergo hæc mactanda erat in valle aspera: quia hæc horroris homicidij est symbolum. Omnia enim hæc à Deo præcepta sunt, ad terrendum rudem illum populum, & absterrendum ab homicidio, per externam hanc tristitiæ & funeris quasi pompam, perque victimam expiatoriam homicidij, cui, cùm auctor esset occultus, communitas tota videbatur esse obnoxia, quasi quæ tale intra se sustineret membrum, nec satis supra gregem suum inuigilasset.

Allegoricè, vallis aspera est locus Caluariæ, vbi crucifixus est Christus.

Secunda. Erat & alia huius legis & cæremoniæ vtilitas: nam hanc publicam expiationem præcedere debebat summa in inquirendo sceleris auctore diligentia, vt populo magistratus satisfaceret: simul admonebatur magistratus vigilare, sontes persequi & punire; ne vnius culpa prouocaret iram Dei, aduersus totum cœtum Israel, vt dicitur dist. 45. c. 18.

Tertia. Naturali quasi miraculo occisi cadauer sudat sanguinem, si præsens sit occisor. Denique, tertia huius sanctionis causa erat, vt auctor sceleris, si inter eos fuisset, proderetur. Est enim naturale quoddam quasi miraculum, ait Abulens. vt si, occisor aduenerit ad cadauer occisi, vulnera sanguinem sudent; idque non tantùm fit, cùm recenter quis occisus est, sed etiam cùm à multis diebus: imò, ex ipsis nudis ossibus solet interdum cruor effluere, vt multoties visum est, Deo videlicet criminis tam enormis auctorem hoc signo ostendente. *Miro indicio homicidas detegit & punit Deus.* Solet enim Deus, etiam apud Gentiles, homicidium miro iudicio & indicio detegere & vindicare. Hinc illa Melitensium ad Paulum, cùm à vipera inuaderetur, vox: *Vltio non finit eum viuere*, sed eum quasi homicidam ad necem persequitur.

Exempla. Primum. Audi Gentilium exempla. Macarius Mitylenensis, Bacchi sacerdos, hospitem in templum seducens occidit: paulò pòst filij eius volentes patris sacrificia imitari, vnus alterum quasi victimam iugulauit. mater id resciens filium qui reliquus erat, quique alium iugulauerat, furibunda torre occidit. pater sacerdos id cognoscens, ipsam matrem coniugem suam mactauit, ideoq; captus & confessus crimen ante publicum supplicium in tormentis animam exhalauit. Ecce, Deus homicidiũ sacerdotis, cæde prolium, vxoris, & ipsius homicidæ puniuit. testis est Ælian. lib. 13.

Secundum. Duo Arcades amici venerunt Megaram; alter ad amicum, alter ad cauponem diuertit: hic noctu apparuit alteri, rogans vt subueniret, eò quòd sibi interitus à caupone pararetur. surrexit ille, sed cogitans esse somnium, mox recubuit. Rediit alter rogans, vt si in vita noluisset opitulari, saltem mortem suam non pateretur inultam; se enim à caupone esse occisum, corpusque in plaustrum iniectum sub stercore latere: Manè ergo, ait, ad portam asta, antequam plaustrum oppido exeat, & cadauer, remque, vt narro, deprehendes. Fecit ille, cadauer & cauponem deprehendit. caupo pœnas dedit. Hìc minimè dubitandum est, quin illud somnium amico à Deo sit immissum, vt homicidij auctor proderetur. Narrat hoc Cicero lib. 1. de Diuinatione.

Tertium. Ibycus poëta, cùm in latrones incidisset, iam occidendus, grues fortè superuolantes obtestatus est. Aliquanto pòst tempore, cùm iidem latrones in foro sederent, rursumque grues superuolarent, per iocum susurrabant inter se in aurem: Adsunt Ibyci vltores. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt; maximè desiderato iam pridem Ibyco. Rogati quidnam sibi vellent ii sermones, hæsitanter & inconstanter responderunt. Subiecti tormentis facinus confessi sunt. Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, ac potiùs suo ipsorum iudicio perierunt. ita Plutarch. lib. de Loquacitate.

Quartum. Pyrrhus rex in itinere offendit canem, qui domini iugulati corpus seruabat: auditoque triduo illum sine pastu durasse illic, neque abscessisse, cadauer humari, canemque secum abduci, eiusque curam haberi imperauit. Paucis pòst diebus rex lustrabat copias suas, militesque considente rege transibant. Aderat canis quietus: qui, vt domini percussores conspexit prætereuntes, cum latratu & ira procurrit in illos, subinde circumagens se ad Pyrrhum. Itaque comprehensi extemplò, & quæstione habita, cùm indicia aliunde accessissent, cædem confessi, pœnas dederunt. ita Plutarch. de Animal. compar.

Quintum. Hesiodi canis Ganyctoris Naupactij indicauit filios à quibus fuerat Hesiodus trucidatus. ita idem Plutarch.

Sextum. Popielus Poloniæ rex patruos necauit: mox ex interfectorum tumulis mures erumpentes, regem adorti sunt, nec ignibus circumquaque factis, ab eodem infestando prohiberi potuerunt: vt tandem ipse à suis desertus, & diuina vltione se feriri confitens, à bestiolis illis laniatus sit, vti narrant omnes Polonicarum rerum scriptores.

ET CÆDENT IN EA CERVICES VITVLÆ] Vt significetur, quòd decapitari deberet tam homicida, si sciretur, quàm ille, qui celat homicidium, præsertim si sit è senioribus hisce, putà ex magistratu.

OMNE NEGOTIVM PENDET] Dele τὸ *pendet*, cum Vers. 5. colo

colo ſequente, vti delent Romana. q.d. Seniores vrbis accedent ad ſacerdotes, quorum eſt iudicare & decidere omnes controuerſias, omnemque immunditiem. A

VERS. 7. ET DICENT: MANVS NOSTRA NON EFFVDERVNT SANGVINEM HVNC, NEC OCVLI VIDERVNT] q.d. Neſcimus auctorem homicidij, ſi ſciremus, vtique eum puniremus.

Vbi Nota. Per *non effuderunt*, non tantùm ſignificant iudices, ſe manu ſua non effudiſſe ſanguinem: hoc enim parum fuiſſet, nec ſuffeciſſet ad eorum innocentiam; ſed inſuper ſe ſuo conſenſu, vel conniuentia, vel diſſimulatione, vel impunitate, vel alia ſimili negligentia nullam dediſſe cauſam homicidio. Prætor enim, qui ex officio tenetur vias à ſicariis tutas præſtare, & cædes impedire, niſi id præſtet, earum eſt reus, etiamſi illarum non ſit conſcius. Soli enim priuato dicenti: *Non feci furtum*, reſpondetur: *Non paſces in cruce coruos.* at plus exigitur à perſona publica, qualis eſt magiſtratus. ita R. Salomon, Lyran. & alij. B

VERS. 8. NE REPVTES SANGVINEM INNOCENTEM IN MEDIO POPVLI TVI] ne imputes cædem huius innocentis populo Iſrael, néue in eum vindices.

Quidam Hebræi cenſent animam occiſi in terris circumire ac vagari, & vindictam clamare in cælum, donec magiſtratus in homicidam animaduertat, eúmque de terra tollat: tunc enim animam illam à terra diſcedere, & ampliorem vltionem non expetere. Sed hæc ſententia iudaizat.

ET AVFERETVR AB EIS (ſenioribus populi) REATVS SANGVINIS] Hebr. *& dimittetur illis ſanguis*, id eſt reatus, vel pœna ſanguinis effuſi, ita videlicet, vt Deus non puniat populum, tamquam negligentem punire homicidia, quia fecit quod potuit, & quod præcepit Dominus, ad deprehendendum homicidam, & ad expiandum homicidium. C

VERS. 9. TV AVTEM ALIENVS ERIS AB INNOCENTIS CRVORE] Conuertit ſe hîc Moſes ad ipſum populum, quia totus Iſrael tenebatur reus ſanguinis, quando aliquis occidebatur, niſi per maiores natu ciuitatis vicinæ, faceret hanc inquiſitionem & luſtrationem: per eam enim abſoluebatur.

Nota. Occiſus vocatur innocens, qui tamen poterat eſſe nocens & inuaſor: quia ſecundùm præſumptionem iuris, quilibet præſumitur bonus, niſi contrarium probetur. ita Abulenſ.

Alleg. vitula hæc immolata eſt caro Chriſti crucifixa.

Allegoricè, vitula hæc carnem Redemptoris noſtri ſignificat, inquit Procopius & Raban. quæ numquam traxit iugum peccati, & in valle dura, indomita & ſpinetis vitiorum aſperrima, ſcilicet in Ieruſalem, immolata eſt: ſacerdotes lauant manus ſuper eam, id eſt S. Apoſtoli, & prædicatores, in paſſione Chriſti ſua opera eſſe munda demonſtrant, dum ab eis caro Chriſti pro peccatorum noſtrorum expiatione à Iudæis crucifixa, prædicatur; dumque confitentur ſe impietatis Iudæorum expertes eſſe, conſequuntur remiſſionem, inquit Cyrillus in Glaphyris. Vide Rabanum. Aliter hæc explicat Rupert. D

VERS. 11. & 12. SI VIDERIS IN NVMERO CAPTIVORVM MVLIEREM PVLCHRAM, VOLVERISQVE HABERE VXOREM, &C. RADET CÆSARIEM, ET CIRCVMCIDET VNGVES] Hi ritus præſcripti ſunt, ait Caietan, vt mitigaretur aſperitas & inconcinnitas facti, nempe quòd Gentilis duceretur vxor in populo Dei; decuitque vt ipſa, his velut luſtrationibus ſanctificaretur, itaque populo ſancto miſceretur, oblita gentis & cognationis ſuæ.

Tropologicè, Chriſtianis doctoribus licet Gentilem ducere, id eſt ea quæ apud Gentiles, vel hæreticos docta vel elegantia inueniunt, ſibi aſſciſcere, dummodo tamen ea quæ noxia & ſuperflua ſunt reſecent. ita S. Hieron. epiſt. ad Magnum, Rupert. & Rabanus, qui tamen aptiùs hæc accipit de anima, à gentiliſmo ad chriſtianiſmū, de peccato ad gratiam tranſlata. nam, vt ex eo ait Gloſſa, mulier hæc Gentilis eſt anima peccatrix, qua pulchra eſt, quia ad imaginem Dei creata eſt, ſed captiua eſt ob crimen: hanc Chriſtus ſponſam ambit, quod vt fiat, radat cæſariem, id eſt vitia præterita per contritionem deponat; & præcidat vngues, id eſt occaſiones peccati, permittitur tamen ei flere patrem & matrem ad breue tempus; quia recèns conuerſa dolet ſe à priſtinis amicitiis & voluptatibus auelli, ſed hoc dolore abſterſo, ſponſo iungitur Chriſto. ita Cyrillus in Glaphyris, & S. Ambroſ. lib. 35. epiſt. ad Irenæum.

Tropol. Gentilis eſt anima peccatrix, quæ per pœnitentiam nubit Chriſto.

CIRCVMCIDET (hebr. *faciet*, id eſt adaptabit circumcidendo,) VNGVES] Malè ergo Rabbini exponunt *faciet*, id eſt creſcere ſinet *vngues*, vt ſcilicet fiat deformis, itaque extinguatur vel minuatur concupiſcentia victoris erga eam, cùm ſit Gentilis.

SI NON SEDERIT ANIMO TVO] ſi non placuerit tibi. VERS. 14.

HVMILIASTI] corripuiſti.

DABITQVE EI DE HIS QVÆ HABVERIT CVNCTA DVPLICIA] Primogenitus enim duplicem recipiebat portionem hereditatis. Sic Ioſeph duplicem tribum, ſcilicet Ephraim & Manaſſe, & conſequenter duplicem hereditatem in Chanaan, loco Ruben primogeniti Iacob, ſortitus eſt. Pro *duplicia*, hebr. eſt פִּי שְׁנַיִם *pi ſcenaim*, id eſt os duorum, id eſt duplex portio; perinde atque ſi primogenitus duo haberet ora, alij fratres ſingula, quæ portione parentum hereditaria paſcenda ſint & implenda. Sic 4. Reg. 2. 9. Eliſeus petit ab Elia rapiendo, ſpiritum eius duplicem. Hebr. eſt *fiat quaſo in me os duorum de ſpiritu tuo.* q.d. Ego ſum quaſi primogenitus inter diſcipulos tuos, ſcilicet primus ſum, quem in ſcholam & diſciplinam tuam recepiſti, da mihi ergo quaſi primogenito tuo, vt obtineam duplo maiorem vim ſpiritus tui, præ condiſcipulis & commilitonibus meis. Non ergo Eliam magiſtrum ſuum, ſed condiſcipulos ſuos in ſpiritu ſuperare cupit. Aut potiùs. q.d. Quia ego ſum primogenitus tuus & ſimul vnigenitus (nec enim alios habes diſcipulos & miniſtros, quàm me) fac, vt ſuccedam in vtroque tuo ſpiritu, prophetiæ ſcilicet & miraculorum. Vnde Eccli. 48. 13. dicitur in Eliſeo completus eſſe ſpiritus Eliæ. ita explicant Abulenſ. & Caietan. ibidem. VERS. 17.

DVCENT, &C. AD PORTAM IVDICII] In portis enim, ad quas primò veniebant exteri, tamquam in prætoriis & tribunalibus quibuſdam publicis, olim fiebant iudicia, vt patet ex c. 22. 15. Iob 31. 21. Prouerb. 31. 23. *Mos veterum fuit*, inquit S. Greg. 19. Moral. 13. *vt ſeniores in porta conſiſterent, & cauſas introëuntium iudicarent, quatenus tanto eſſet pacificus vrbis populus, quanto ad hanc diſcordes ingredi non liceret.* VERS. 19.

LAPIDIBVS EVM OBRVET POPVLVS] videlicet poſt examinationem & ſententiam iudicum. VERS. 21.

Vers. 22. & 23. QVANDO, &c. APPENSVS FVERIT IN PATIBVLO, &c. EADEM DIE SEPELIETVR: QVIA MALEDICTVS A DEO EST QVI PENDET IN LIGNO] Hebr. est, *quia maledictio Dei est suspensus*; Symmachus, *quia in blasphemiam Dei est suspensus*; alij, *quia conuicium Dei est suspensus*. Quæres quare?

Maledictus erat pendēs in ligno, curi

Fabulantur Iudæi, quòd ante sepulturam cadaueris, anima ad suam quietem venire non possit, nec ab angelis duci in thalamum Dei, sed interim vexari & affligi à turmis dæmonum. Sed hæ sunt eorum næniæ. Respondet ergo Primò, Andr. Masius in Iosue 8. v. 28. corpus suspensum statim sepeliendum esse, quia censetur contaminare terram, eò quòd homines, terræ incolæ, impiissima & perniciosissima mortalitatis animæ opinione, hoc spectaculo informentur, quò bestiarum loco humana corpora esse vident. Sed hæc ratio acutior est, quàm germanior.

Resp. Prima.

Secunda.

Secundò, Abulens. Suspendere, inquit, malefactores, quia est actus iustitiæ, quo reus punitur, hinc cedit ad gloriam Dei; sin maneat in cruce suspensi cadauer, iam non punitur suspensus, vtpote iam mortuus, sed eius corpus tantùm, quod aliquam gerit Dei imaginem in vultu humano & erecto. Sola ergo imago Dei tunc manet, quæ punitur. hoc autem cedit in iniuriam & ignominiam Dei. quare statim suspensi cadauer sepeliendum est. Verùm hæc ratio subtilior quoque est, quàm solidior; & non tantùm suspensis, sed quibusuis mortuis, & cadaueribus quadrat.

Tertia & genuina, in pœnam criminis id statui.

Dico ergo cum Caietan. maledictum hîc sumi pro execrabili. Volebat siquidem Deus, maximè A facinorosos (quorum pœna erat suspendium) omnino deleri de terra, adeò vt nec eorum cadauera superessent in pœnam, vti fieri solet in illis qui flammis traduntur. Cæterùm illud, *ne contaminetur terra*, vt innuit Chaldæus, explicatio est præcedentium. Sicut enim Script. passim ait, malis hominibus terram contaminari, ita cùm aliquid eorum superest, vt sunt eorum cadauera, adhuc terra inexpiata & contaminata censetur.

Christus pro nobis factus est maledictum, curi

Hinc Christus in cruce suspensus, ab Apostolo Galat. 3. v. 13. vocatur *maledictum*: quia, vt ait Rupert. Deus maledictiones humani generis in Christum transposuit, videlicet dum infamem & execrabilem mortem crucis pro nobis suscepit Christus, *vt non solùm nullam mortem, sed etiam nullum* B *mortis genus Christiana libertas sicut Iudaica seruitus formidaret*, ait S. August. lib. contra Adimantum c. 21. & lib. 14. contra Faustum c. 11. & Tertull. lib. de Patientia c. 8. *Dominus*, inquit, *ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus.*

Vbi tamen Nota, hanc legem propriè loqui de reis & noxiis, vt patet; non de innocentibus, qualis erat Christus. ita Eucherius in quæstion. hîc. vide dicta Galat. 3. 13.

Lex hæc per Christi crucem est abolita.

Nota. Hæc lex iudicialis fuit, ideoque iam per Christi legem & mortem abrogata est. Hinc iam, nec præ aliis sontibus suspensi sunt maledicti, nec eadem die sepeliuntur; sed per dies, menses & annos pendent in patibulo, ad terrorem cæterorum malefactorum.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REpetit Moses leges quasdam de misericordia, etiam in bestias exercenda, vt de subleuando boue, de non capienda matre cum pullis, de non arando in boue & asino. Secundò, v. 13. sponsus falsò obiiciens sponsæ fornicationem, iubetur verberari, & soluere centum siclos argenti. Tertiò, v. 20. adulter & adultera, etiamsi tantùm sit desponsata, iubentur lapidari. Quartò, v. 25. qui vim infert virgini solutæ, iubetur soluere 50. siclos argenti, & virginem ducere, ac semper retinere.

1. NOn videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces
fratri tuo. 2. etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces
in domum tuam. & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. 3. Simi-
liter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: si inueneris
eam ne negligas quasi alienam. 4. Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse
in via, non despicies, sed subleuabis cum eo. 5. Non induetur mulier veste virili, nec
vir vtetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. 6. Si am-
bulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel
ouis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis: 7. sed abire patieris, captos
tenens filios: vt bene sit tibi, & longo viuas tempore. 8. Cùm ædificaueris domum
nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis
reus labente alio, & in præceps ruente. 9. Non seres vineam tuam altero semine:
ne & sementis quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur. 10. Non
arabis in boue simul & asino. 11. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque
contextum est. 12. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui, quo
operieris. 13. Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, 14. quæsieritq;
occasiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Vxorem
hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni virginem: 15. tollent eam pater & ma-
ter eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis qui in porta sunt:
16. & dicet pater: Filiam meam dedi huic vxorem: quam quia odit, 17. imponit ei
nomen pessimum, vt dicat: Non inueni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt signa
virginitatis filiæ meæ. expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis: 18. ap-
prehendentque senes vrbis illius virum, & verberabunt illum, 19. condemnantes
insuper

insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ: quoniam diffamauit nomen
pessimum super virginem Israel: habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere
eam omnibus diebus vitæ suæ. 20. Quòd si verum est quod obiicit, & non est in
puella inuenta virginitas: 21. eiicient eam extra fores domus patris sui, & lapidi-
bus obruent viri ciuitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicare-
tur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui. 22. Si dormierit vir cum
vxore alterius, vterque morietur: id est, adulter & adultera: & auferes malum de Israel.
23. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concu-
buerit cum ea, 24. educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruen-
tur: puella, quia non clamauit, cùm esset in ciuitate: vir, quia humiliauit vxorem proxi-
mi sui. & auferes malum de medio tui. 25. Sin autem in agro reperit vir puellam,
quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus:
26. puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fra-
trem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est, 27. sola erat in agro:
clamauit, & nullus affuit qui liberaret eam. 28. Si inuenerit vir puellam virginem,
quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium
venerit: 29. dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti,
& habebit eam vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis
diebus vitæ suæ. 30. Non accipiet homo vxorem patris sui, nec reuelabit operi-
mentum eius.

VERS. 1. NON VIDEBIS BOVEM FRATRIS TVI (putà Iudæi, qui tuæ est gentis & generis, æquè ac religionis. Sub boue intellige equum, mulum, & alia animalia: par enim omnium est ratio) ERRANTEM, ET PRÆTERIBIS: SED REDVCES FRATRI TVO] Sanxit hoc Deus, ad charitatem mutuam inter Iudæos fouendam & exercendam. Eadem de causa iubet v. 4. asinum proximi lapsum subleuari. Quid ni ergo idem faciant Christiani, etiamsi coloni sint & rustici? Alfonsus Aragonum, Neapolis & Siciliæ rex, cùm per Campaniam iter faceret, in agasonem incidit, cuius iumentum farina onustum cùm in luto hæreret, & agaso prætereuntium opem imploraret; ipse rex ex equo descendens suam in asino ex luto extrahendo operam agasoni impendit; qui vbi regem agnouit, in genua procidens veniam petiit: quem ille placidis verbis à se dimisit, eoque facto Campaniæ populos sibi conciliauit. Testis est Panormit. in eius Vita lib. 1.

A

Mysticè, si Deus iubet asinum sub onere iacentem leuari, quanto magis hominem sub peccato gementem iubet attolli & educi? S. Bernardus epist. 203. *Virgo*, inquit, *Israel corruit, & non est qui subleuet eam. Quousque in luto aurum iacet? tollite margaritam, tollite, leuate splendidissimam ac pretiosissimam gemmam de sterquilinio; leuate eam, antequam porcorum, id est spurcorum spirituum, pedibus conculcetur.*

B

VERS. 5. NON INDVETVR MVLIER VESTE VIRILI, NEC VIR VTETVR VESTE FEMINEA] Tum quia hoc per se indecens est, vt scilicet vir veste mentiatur se feminam, aut femina veste mentiatur se virum: tum ne occultis libidinibus & aliis vitiis locus detur. Optima enim pudicitiæ custodia, est vestitus honestas. nam vt ait Poëta:

Custos pudicitiæ est vestitus honestas.

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à sexu?

& Herodot. *Mulier*, ait, *cum veste simul etiam pudorem exuit.* Vide Raban. vide & S. Ambros. epist. ad Irenæum, vbi hanc Deuter. legem pertractat, eiusque quatuor dat causas. *Primò, cur*, inquit, *homo, non vis videri esse, quod natus es? cur alienam tibi assumis speciem? cur mentiris feminam, vel tu femina virum? suis vnumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diuersus vsus, diuersus color, motus, incessus, diuersa vires, diuersa vox est in viro & femina. Secundò, in auibus etiam propria ad vestitum est inter eos & homines comparatio. In illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Paui mares speciosi, feminæ non item pennarum vario pinguntur colore. Phasianis quoque diuersus color, qui distinguit sexus discretionem. Quid in pullis?* alius certè est habitus galli à gallina. *Numquid illi mutant speciem suam? cur nos mutare desideramus? Tertiò, mendacium, & in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in templis, vbi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ, illic assumere viros muliebrem vestem, gestumque femineum, sacrum* (id est execrandum, sacrilegum) *putatur. Vnde lex dicit: Quoniam immundus est Domino omnis qui fecerit hæc. Quartò, meritò illic non seruatur castimonia, vbi non tenetur sexus distinctio.* Vnde sequitur, *Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Quare videtur peccasse mortaliter Iudæus, vtens veste feminea, & Iudæa vtens veste virili. Vnde videtur hoc præceptum partim esse naturale, partim cæremoniale, & iam abolitum, quatenus scilicet obligabat sub peccato mortali. Iam enim non esse peccatum mortale, si vir, aut femina vestes sexus commutent ex leuitate, si absit scandalum, & intentio periculumque libidinis, docent D. Thom. Caietan. & ex iis Nauar. Enchirid. c. 23. n. 22. Simile erat in cognoscente menstruatam, vti dixi Leuit. 18. 19.

Vir vtens veste feminea, & femina virili, olim peccabant mortaliter, iam non, vnde?

C

Tropolog. Cyrillus lib. 5. de Adoratione f. 87. Abominatur, inquit Deus, ac turpissimum putat spectaculum, tum fortitudinis opinionem in molli vita, tum in forti viro mollis animi languorem.

Tropologia prima.

Rursum Rupert. Mulier, ait, induitur veste virili, quando is qui nescit vitæ suæ moderamina tenere, iudex fieri audet vitæ alienæ, & præesse præsumit, qui nondum subesse didicit. E contrario vir vtitur veste feminea, quando vir spiritualis, vel doctor, aut Prælatus, qui tamquam vir præest in Ecclesia, fluxa sequitur vitia: vnde fit, vt prædicatio eius contemnatur, cuius vita despicitur.

Secunda.

NON TENEBIS EAM CVM FILIIS] non capies in nido matrem cum pullis. Ratio huius legis fuit, VERS. 6.

vt

vt per eam inducerentur Iudæi ad pietatem & misericordiam, etiam in bestias exercendam; quo faciliùs, ait Tertull. l. 2. contra Marcion. 17. *in pecudibus & bestiis præmeditata humanitas, in hominum refrigeria erudiretur.* Sic & Theodor. qu. 21. Tropologiam vide apud Rabanum & Rupert. Eadem de causa vetuit Deus, ne coquerent hœdum in lacte matris, id est lactentem, Exodi 23. 19. & ne ararent in boue & asino, hoc cap. v. 10. & ne obligarent os boui trituranti, Deuter. 24. 4.

VERS. 8. *Tecta domorũ erant plana in Iudæa.* CVM ÆDIFICAVERIS DOMVM NOVAM, FACIES MVRVM TECTI PER CIRCVITVM] In Palæstina tecta domorum erant plana, quibus homines inambulabãt, perinde ac nos in tabulatis: ergo ne ex alto, circa extremitates, in terram labi quem contingat, iubet hîc Deus, eas muro, vel septo cingi. Audi Maldonat. in Ierem. c. 48. v. 38. *Erant*, inquit, *in Iudæa tecta supernè aperta & complanata, strataq́; lateribus, & lita camento, qualia hodie in Bætica nostra, & in Italia sunt multa, vt etiam S. Hieron. adnotauit in epist. ad Suniam & Fretellam, Romæq́; solaria, vel meniana vocari dicit. Itaque in tectis in hieme apricabantur, in æstate noctu cœnabant, & sub dio dormiebant, & sæpè ad confabulandum conueniebant Iudæi. Ex quo illud intelligitur: Quod in aure auditis, prædicate super tecta, Matth. 10. 27. Et Petrus Act. 10. 9. ascendit orandi causa ἐπὶ τὸ δῶμα, in tectum. Et quod præcipitur Iudæis, Deuter. 22. 8. facere murum tecti per circuitum, ne quis ex eo cadat, & homicidij rei fint.*

VERS. 9. *Vineam ne seras altero semine, quomodo? Prima explicatio & genuina.* NON SERES VINEAM TVAM ALTERO SEMINE. quasi dicat, Non seres inter vites, duas species seminis, siue semina heterogenea (hæc enim hebraicè vocantur כִּלְאַיִם *kilaim*) verbi gratia, triticum cum siligine, auenam cum hordeo. In Palæstina enim regione calida, solebat aliquid seri inter ordines vitium, inquit Vatablus. Vetat autem hîc Deus, ne id fiat diuerso semine, datque causam: NE VVÆ & segetes PARITER SANCTIFICENTVR] id est polluantur; quia segetes ex satione hac mixtorum à Deo vetitorum, immundæ censentur, & quasi polluere etiam vicinas vuas, quas contingunt & ambiunt: ita enim sancit hîc Deus. vide dicta Leuit. 19. 19. Nota. Hebræum קָדַשׁ *kadas*, id est sanctificare, est vnum ex iis, quæ sunt contrariæ significationis: vnde subinde, vt hîc & alibi, significat polluere.

Secunda. Alij sic explicant, q. d. Ne ex auaritia, & nimia lucri & frugum cupiditate, seras inter vites & vuas, semen aliquod: quia vinea sibi liberam terram deposcit, totamque eius pinguedinem sola exigit; ne sementis, & vuæ pariter sanctificentur, id est polluantur, & pereant; atque ad sterilitatis & sabbati otium redigantur. ita Rupert. S. August. & Procop. Sed prior sensus germanior est: hoc enim Hebræis est, serere *kilaim*, vt patet Leuit. 19. 19.

Tertia. Tertiò, Abulens. Ne seras, inquit, vineam diuerso semine, scilicet ex fraude & auaritia, putans, quòd primitias & decimas tantùm semel ex eodem fundo, quotannis pendere tenearis: itaque dando eas ex segetibus, quæ primò colliguntur, putes te ex vuis secuturis nihil pendere debere. Vnde ait: *Ne sementis, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, id est, ne credas, quòd sementis, id est fruges, & quæ nascuntur ex vinea, id est vuæ, simul sanctificentur; ita, quòd soluendo & offerendo decimas vel primitias de vno, sit solutum de alio. Hucusque verba sunt Abulensis. Verùm hic sensus alienior est, verbaque inuertit: aliud enim est sanctificari reipsa, aliud credere, idque falsò, vnum semen sanctificari, id est offerri, per aliud.

Quarta. Alienior quoque est explicatio Theodoreti q. 23. *Ne sanctificentur*, inquit, q. d. Volo vt talia mixta semina & segetes mihi sanctificetis, id est offeratis: nolite ergo talia seminare, ne cogamini ea mihi offerre.

VERS. 10. *Ne ares cũ boue & asino, cur?* NON ARABIS IN (id est, *cum*) BOVE SIMVL ET ASINO] Ratio est: quia eorum vires sunt inæquales; itaque asinus associatus boui, plus æquo grauaretur.

Tropolog. Tropolog. S. Gregorius lib. 1. Moral. 16. quasi dicat, *Fatuum sapientibus in prædicatione non socies, ne per eum, qui rem implere non valet, illi qui præualet obsistat.* Ita Plato duos suos discipulos, scilicet Xenocratem, qui tardiori erat ingenio, cum Aristotele acri coniungens: *Hui*, inquit, *qui asinum cum equo sociabo? hic fræno, ille calcari indiget.* ita Plutarc. in Platone.

VERS. 12. FVNICVLOS IN FIMBRIIS FACIES] De his funiculis & fimbriis Iudæorum, dixi Numer. 15. 38. Porrò funiculos hos iubet fieri *per quatuor angulos*, id est oras, siue extremitates, *pallij*, hoc est vestis extimæ: quia, vt ait Abulens. pallia, hoc est vestes extimæ Iudæorum erant apertæ ante & retro, & in duobus angulis cuiuslibet aperturæ erant duo funiculi hyacinthini dependentes, & sic erant quatuor funiculi. Si quis per quatuor angulos accipere velit quatuor differentias positionum, vt hæc fila fuerint in fimbriis vestis extimæ ante & retro, ad dexteram & sinistram, non repugno. Sic enim hodie videmus famulos nonnullorum principum, eorum colores & stemmata, ad quatuor hæc latera pallio assuere. Iudæi iam in Synagogis vestem quadrangulam, cui hæc fila assuta sunt, humeris iniiciunt, vti dixi Numer. 15.

VERS. 14. OBIICIENS EI NOMEN PESSIMVM] putà crimen fornicationis, & quasi adulterij: nil enim peius & turpius de femina, præsertim virgine, dici potest. ita Abulens.

NON INVENI eam VIRGINEM] cùm se talem mihi ante desponsationem venditasset: nec enim aliàs eam ducere voluissem. itaque præsumebatur hæc femina, ex propria assertione, post desponsationem fornicata esse, ideoque rea esse mortis, vt dicitur v. 21. nam asserebat ipsa se virginem, cùm desponsaretur; & postea asserebat sponsus, se eam non inuenisse virginem: ergo inter desponsationem & nuptias, corruptam eam fuisse, necessum erat dicere, ideoque morti adiudicatur v. 21. nam si ante desponsationem peccasset, non puniebatur morte, vt patet hîc, & Exodi 22. 16. Debebat autem statim post nuptias celebratas, queri sponsus de sponsæ fornicatione, alioqui falsa præsumpta fuisset eius accusatio, & tantùm quæsita occasio, ad eam dimittendam.

VERS. 17. *Signa virginitatis quæ? Opinio Lyrani. Opinio cõmunis.* ECCE HÆC SVNT SIGNA VIRGINITATIS FILIÆ MEÆ] Per signa hæc Abulens. & Lyranus accipiunt testimonia matronarum, quæ ante nuptias sponsæ virginitatem explorarant: hæc enim scripto consignata, asseruauerat sponsæ parens. Verùm communiter alij interpretes, quin & ipse Abulens. tandem, per signa hæc accipiunt vestem, vt dicitur v. 17. id est linteum sanguine tinctum, quem ex primo cum virgine congressu, ab illa profluere aiunt medici, idque non ex ruptura membra-

membranæ alicuius, quæ virginitatis sit custos, vt vulgus autumat; sed ex dilaceratione partium, vel labiorum vteri, quæ in virginibus naturali symphysi, seu coalescentia inuicem astricta sunt, & in primo congressu violenter quasi lacerantur & diuiduntur, itaque erumpit sanguis. ita Galenus lib. de Dissectione vuluæ, & Franc. Valesius de Sacra Philosophia c.25. Hoc ergo linteum pater sponsæ, præsente sponso & testibus, accipiebat & recondebat; ac, si sponsus stuprum sponsæ obiiceret, coram iudice proferebat, itaque sponsi calumniam refutabat. Hoc enim significat Primò, *v. expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis*; Secundò, v.14. *ingressus ad eam, non inueni virginem.* Si enim ante congressum maritalem matronæ explorassent, dixissentque non esse virginem, sed corruptam, sponsus ad eam non fuisset ingressus; sed statim eam repudiasset vel accusasset.

VERS.24. VIR] non qui eam sibi despondit v.23. sed qui eam alteri desponsam humiliauit, id est violauit, vt sequitur.

VERS.25. SIN AVTEM IN AGRO. Nota. Puella desponsa, si stuprum esset passa in ciuitate, nisi clamasset, clamorque eius auditus fuisset, censebatur stupro consensisse, ideoque esse rea mortis: si enim clamasset, accurrissent vicini, eamque liberassent. in agro verò clamans, etsi clamor eius à nemine fuisset auditus, censebatur insons: quia scilicet ibi vix vllus erat, qui eam audire & iuuare posset. vnde de hac ait: QVONIAM SICVT LATRO CONSVRGIT CONTRA FRATREM SVVM, &c. ITA ET PVELLA PERPESSA EST] Hebr. *quoniam sicut consurgit quis contra proximum suum, & interficit eum anima*, id est ictu animæ, siue quo anima separatur à corpore, *sic res ista se habet.* VERS.26.

ET APPREHENDENS] id est vim faciens. Vnde Septuag. vertunt, βιασάμενος: alioqui enim nulla lex statueretur hîc circa violenter corruptas. ita Tertull. lib.4. contra Marcion. c.34. qui ergo per vim stuprauerat virginem solutam, iubetur hîc eam ducere & retinere, ac insuper patri eius soluere 50. siclos argenti. VERS.28.

NEC REVELABIT OPERIMENTVM EIVS] Hebr. *non deteges alam vestis patris*, id est, non deteges vestem, siue operimentum, quo turpitudo patris tegebatur. turpitudinem patris, vocat verenda vxoris patris, vti dixi Leuit.18.6. VERS.30.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EVnuchus, Ammonites, & Moabites in æternum arcentur ab ecclesia Dei; item Idumæus & Aegyptius vsque ad tertiam generationem, atque mamzer vsque ad decimam. Secundò, v.10. iubet Deus castra esse munda à pollutione & stercore. Tertiò, v.17. vetat scortationem. Quartò, v.19. vetat ne fænerentur fratri, sed alieno. Quintò, v.21. votum sine mora solui iubet.

1. NOn intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, ecclesiam Domini. 2. Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem. 3. Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum: 4. quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egressi estis de Ægypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi: 5. noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam, eò quòd diligeret te. 6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. 7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius. 8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini. 9. Quando ingressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. 10. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, 11. & non reuertetur, priusquam ad vesperam lauetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra. 12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, 13. gerens paxillum in balteo. cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies 14. quo releuatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 15. Non trades seruum domino suo, qui ad te confugerit. 16. habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requiescet: ne contristes eum. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. 18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voueris: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: 20. sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura, id quo indiget, commodabis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam. 21. Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. 23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis,

uabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. 24. Ingressus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum. 25. Si intraueris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem non metes.

VERS. 1. NON INTRABIT EVNVCHVS ATTRITIS, VEL AMPVTATIS TESTICVLIS, ET ABSCISSO VERETRO (virga virili) ECCLESIAM DOMINI] Per *ecclesiam* aliqui accipiunt atrium templi, vel tabernaculi. ita enim videtur explicari Threnor. 1. v. 10. vbi dicitur: *Vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam.* ita Theodor. Olympiod. & Dionys. Carthus. in Thren. 1. 10. Secundò, Caietan. & Oleast. per Ecclesiam intelligunt primores Ecclesiae & coetus Iudaeorum. q. d. Eunuchus, &c. non erit è magistratu Iudaeorum.

Ecclesia hic quaenam. Prima sententia. *Secunda.* *Tertia & vera.*

Verùm dico, pro *non intrabit in ecclesiam Domini*, hebr. est, *non intrabit in congregationem Domini*, vt scilicet sit de populo sancto, vt censeatur Israelita, & filius Abrahae, vt habeat ius ducendi Israelitidem, vt gaudeat iuribus Iudaeorum. Intrare ergo Ecclesiam Domini, est annumerari populo Israelitico, & frui gratiis ac priuilegiis quibus in lege Israelitae fruebantur, vt quòd illis pecunia non daretur ad vsuram quòd fruerentur priuilegiis anni septimi remissionis, & anni iubilei, vti dixi Leuit. 25. 44. ac aliis pluribus. Non ergo eunuchi, Ammonitae, Moabitae, &c. arcentur hîc à iudaismo, fide, salute & templo. hoc enim alienum videtur à Dei bonitate: poterant ergo fieri proselyti, itaque admitti ad phase, aliaque sacra Iudaeorum, vt patet Exodi 12. 48. Arcentur ergo tantùm à societate politica Iudaeorum, vt non habeantur ciues, nec habeant ius ciuicum apud Iudaeos. Sic sumitur ecclesia pro coetu populi, Numer. 20. 4. & Iudic. 20 v. 2. vbi dicitur: *Cunctae tribus Israel in ecclesiam Dei conuenerunt.* Vnde explicans subdit:

VERS. 2. NON INGREDIETVR MAMZER IN ECCLESIAM DOMINI] *Mamzer* est extraneus, spurius, nothus, non ex propria & legitima vxore, sed ex aliena, putà ex scorto, natus; à rad. זר *zur*, id est alienus, extraneus fuit: aut quòd mater adultera eum, cùm sit alienus, supponat marito suo, quasi eius prolem.

Mamzer est spurius.

VSQVE AD DECIMAM GENERATIONEM] Vndecimus ergo nepos, descendens ex mamzere, quasi abstersa iam macula & nota natalium, poterat in coetum & coniugium Iudaeorum recipi.

Tropolog. Tropol. eunuchus significat sterilitatem animae, mamzer fructum malum: haec arcenda sunt ab Ecclesia Dei. ita Theodoret. q. 25. & 26.

VERS. 6. NON FACIES CVM EIS (Ammonitis & Moabitis, qui tibi hostes fuerunt, & contra te Balaam conduxerunt, vt tibi malediceret) PACEM, NEC QVAERAS EIS BONA] q. d. Non habebis communicationem cum eis, quoad conuictum & commercia temporalia, ne tibi rursum sint scandalo, teque quasi ex innato odio seducere, ad idololatriam pellicere & perdere conentur. Arcet hic Deus eunuchos, mamzeres, Moabitas & Ammonitas à populo suo, tum ob decorem & honorem populi sui: qua de causa S. Ambrosius noluit admittere histriones ad Ecclesiam Christianam. tum ob scelera ac odium innatum Ammonitarum ac Moabitarum in Iudaeos, vti iam dixi. Vnde Theodor. Moab, inquit, & Ammon propter infectam

Eunuchi & Moabitae arceantur à populo Dei, cur? S. Ambros. histriones repulit ab Ecclesia.

A radicem, & propter impietatem arcentur ecclesia Dei. Excipiuntur feminae: nam Ruth Moabitis nupsit Boos, abauo Dauidis.

Tropol. Moab significat concupiscentiam, quae à patre diabolo est, item carnales sensus, qui numquam Ecclesiam Dei caelestem ingredientur. ita Orig. hom. 5. in Genes. Ambros. Gregor. & alij.

QVI NATI FVERINT EX EIS (Aegyptiis, vel Idumaeis) TERTIA GENERATIONE INTRABVNT IN ECCLESIAM DOMINI] Tertia haec generatio computanda erat ab eo, qui primus fuerat ad iudaismum conuersus, atque ab Aegyptiis & Idumaeis transierat ad Iudaeos, habitando in Iudaea. VERS. 8.

QVANDO EGRESSVS FVERIS IN PVGNAM, CVSTODIES TE AB OMNI RE MALA] à furtis, rapinis, scortatione, periuriis, blasphemiis, aliisque vitiis quibus milites infici, & castra inficere solent. Ita Iulius *Caesar non minùs in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem desiderabat*, vti inquit ipse lib. 6. de Bello Gallico. VERS. 9.

B Scipio Minor videns in castris multam licentiam, lasciuiam, superstitionem & luxum, diuinos cum lenonibus protinus eiecit, quin & vasa omnia iussit amoliri, excepta olla, veru & poculo fictili. Edixit vt milites stantes pranderent obsonium non igni coctum: coenarent verò discumbentes panem, aut pultem solam, & carnes assas, siue elixas. Ipse verò sago tectus obambulabat castra, dicens, *se lugere exercitus dedecora.* ita Plutarch. in Apophtheg. Roman.

Theodoricus rex apud Cassiodor. libr. 7. ita sancit: *Milites tibi commissi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec insolescat animus qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet praestare Romanis.*

Sergius Galba in grauissimis bellis seuerissima disciplina habuit milites suos; adeò vt simulatque venisset in castra, protinus vulgaretur ille trochaicus: *Disce miles militare, Galba est, non Getulicus.*

C Alexander Seuerus in expeditionibus, si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, funibus aut virgis caedebat: si honoratus esset, acriter obiurgabat: *Vellésne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno?* Clamabat saepiùs quod à Christianis audierat, idque per praeconem, quoties aliquem castigabat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* ita Lamprid.

Aurelianus Imp cùm à vicario suo literas accepisset, quibus efflagitabat vt rescriberet quomodo res gerenda esset, ita statim rescripsit: *Si vis tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat.* ita Vopiscus in Aureliano.

Optimè verò & breuissimè S. Iohannes Bapt. militibus rogantibus, Quid faciemus vt saluemur? respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*, Luc. 3.

Quocirca Valer. Maximus l. 2. rectè concludit: *Aspero & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget; quia vires armis constant, quae vbi à recto itinere desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur.*

POLLVTVS SOMNIO EGREDIETVR EXTRA CASTRA] Tropol. S. Greg. 9. Moral. 40. *Nocturnum*, ait, VERS. 10.

ait, somnium, est tentatio occulta. Pollutum ergo extra castra exire, est turpi impugnatione laborantem, sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vespertum lauatur aqua, cùm defectum suum conspiciens ad pœnitentiæ lamenta conuertitur: sed post occasum solis ad castra redeat: quia deferuescente tentationis ardore, necesse est, vt iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat.

Vers. 12. & 13. HABEBIS LOCVM EXTRA CASTRA, AD QVEM EGREDIARIS AD REQVISITA NATVRÆ, GERENS PAXILLVM IN BALTHEO, cingulo, &c.] idque ad honestatem, & munditiem castrorum; vnde dicitur v. 14. *Sint castra tua sancta*, id est pura & munda: nitoris enim tam interni, quàm externi amator est Deus, qui est fons omnis puritatis, spiritusque purissimus. Secundò, ad valetudinem castrorum. Tertiò, ad vitandam sacerdotum offensionẽ, qui per castra cum arca & vasis sanctis transibãt. Hisce incommodis in terra promissionis occurrere potuerũt Hebræi: vnde ibi in vrbibus more nostro suos habuerunt secessus. Quare Abul. censet hoc præceptum non obligasse, nisi in deserto: adde & tempore belli, in castris. Esseni verò, vtpote tam legis quàm puritatis studiosissimi, etiam in Iudæa hanc legem strictè obseruarunt, vti docet Iosephus l. 2. de Bello Iudaico c. 7.

Munditiem etiam externam amat Deus.

Tropolog. Tropologicè, S. Gregor. 31. Moral. 22. & ex eo Rupert. *Portare sub baltheo paxillum debemus, vt scilicet ad reprehendendos nos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, & hoc quod à nobis fœdum erumpit, abscondat.* Hinc & Cyrillus in Glaphyris per paxillum accipit crucem cuiusque.

Vers. 15. NON TRADES SERVVM DOMINO SVO, QVI AD TE CONFVGERIT] cùm scilicet dominus eum iniustè vult affligere, vel lædere, aut occidere, vt patet ex sequ. donec placatus & reconciliatus ei sit: tum enim seruus domino suo restituendus est.

Vers. 17. NON ERIT MERETRIX DE FILIABVS ISRAEL, NEC SCORTATOR] Monet lex Primò, filias & filios, vt caueant à scortatione; Secundò, parentes, ne eis permittant scortari, néve filias prostituant; Tertiò, magistratum, vt non toleret in politia sua publicam scortationem & lupanaria. Si enim vetatur Iudæis meretrix Israelitis, multò magis vetatur alienigena & Gentilis, à qua periculum erat idololatriæ, vti euentus probauit in Madianitis & Moabitis, quæ Hebræos duxerunt ad colendum Beelphegor, vnde Deus in eos deseuijt, Numer. 25.

NON ERIT SCORTATOR DE FILIIS ISRAEL] Pro *scortator*, verti potest cum Vatablo & Pagnino, scortum masculum, putà cinædus, siue puer pathicus. Hunc enim aptè significat hebr. קדש *kades*: Noster alibi vertit effeminatus, sicut eius femininum קדשה *kedesca*, hîc & alibi scortum femineum, siue meretricem significat. Alij tamen cum Nostro, rectè quoque vertunt *scortator*.

τελεσφόρος quid.

Septuag. post hunc versum addunt: *Non erit τελεσφόρος de filiabus Israel*; quod Tertull. lib. de Pudicitia cap. 9. & S. Hieron. epist. 146. vertunt, *non erit vectigal pendens ex filijs Israel.* quam sententiam suæ rebellioni contra Romanos prætexebat Iudas Galilæus, de quo Act. 5. Verùm hæc sententia non habetur in Hebræo aut Latino textu. Quare videtur addita à Septuag. ad explicandam præcedentem sententiam: *Non erit meretrix de filiabus Israel*: τελεσφόρος enim hîc vocatur meretrix, quæ se consecrans Veneri aut Priapo, ei vectigal ex impudicitia soluit. ita S. Cyrill. libr. 15. de Adoratione. vnde S. August. lib. 10. Ciuit. c. 9. ait, hac voce teletarum significari consecrationes quasdam theurgicas, quæ verè essent fallaces ritus dæmonum. Videntur ergo teletæ fuisse sacra impudica, quibus quæ se Veneri aut Priapo obstringerent feminæ aut viri, mysteria quædam & dona, vt partem turpis lucri, portarent, sicut canophoræ apud Athenienses. planeque τελεσφόρος videtur dictum de femina: adiungitur enim; *De filiabus Israel*; & subditur: *Et non erit τελισκόμενος*, id est *initiatus de filijs Israel. vbi Theodor. quæst. 28.* τελεσφόρον, *ait, vocat eum, qui mysterijs initiat;* τελισκόμενον *autem eum, qui initiatur.* Tales enim hebraicè vocabantur *kedesim* & *kedescot*, qualis fuit Maacha mater Asa regis, & effeminati in sacris Priapi. 3. Reg. 15. v. 12. & 13.

Vers. 18. NON OFFERES MERCEDEM PROSTIBVLI, NEC PRETIVM CANIS IN DOMO DOMINI] Rectè hinc infert Philo: *Si mulieris amatoribus obsequentis profana dicuntur munera, quanto magis scortantis animæ, quæ se prostrauit constuprandam vinolentiæ, gulæ, voluptati, ambitioni, auaritiæ?*

Rursum S. Hieron. in Isaiæ cap. 66. v. 3. citans hunc locum Deuter. *Pulchrè*, inquit, *canis & meretrix copulantur, quia vtrumque animal pronum est ad libidinem.* Vtrumque etiam ob impudentiam, vilitatem, turpitudinem & fœtorem abominantur homines, præsertim Hebræi. vnde illud Abner 2. Reg. 3. v. 8. ad Isboseth obijcientem ei libidinem, & copulam cum concubinis patris sui Saulis: *Numquid caput canis ego sum?* Et Dauid ad Saulem 1. Reg. 24. 11. *Quem persequeris rex Israel, canem mortuum?*

Vers. 19. NON FOENERABIS FRATRI TVO AD VSVRAM] *Vsura* hebr. vocatur נשך *nesech*, id est morsus, scilicet caninus. Cùm ergo nemo censeri vellet canis famelicus, qui alios mordendo, seipsum pasceret; hinc ad probri effugium, vsuram תרבית *tarbit*, id est incrementum, vocarunt, vti à Latinis honesto nomine vocata est Vsura. Deus, vt talibus fallacijs & prætextibus occurrat, vtrumque nomen hîc coniungit, & damnat. Audi R. Salomonem: Incrementum, inquit, vsuræ vocatur *nesech*, quia se habet instar morsus serpentis, qui mordet vulnus paruum in pede alicuius, ita vt non sentiat, mox autem serpit & diffundit se venenum, donec perueniat ad verticem eius. Sic quoque incrementum vsuræ se habet: non enim sentitur, neque cognoscitur, donec ita augeatur, vt totam substantiam alicuius exhauriat. Hinc vsura à Chaldæis vocatur חבוליא *chabulia*, id est perditio, quòd omnes opes perdat & deuastet. vnde *nesech* alludit per metathesim ad נחש *nachas*, id est serpens; quia instar serpentis arrodit & enecat hominem. Hinc S. Chrysost. in Matthæi cap. 5. Pecunia, inquit, vsurarij similis est morsui aspidis. Percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per suauitatem soporis moritur: quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit. sic qui pecuniam sub vsura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit; sed vsura per omnes eius facultates decurrit, & totum conuertit in debitum, id est hominem deuorat. Quare S. Ambrosius libr. 3. Offic. vsuram vocat

Vsura hebr. vocatur nesech, id est morsus.

vocat homicidium. Sic Cato testis est, olim fures damnatos esse ad duplum, fœneratores verò ad quadruplum restituendum; ac rogatus, quid esset fœnerari, respondit, est hominem occidere. pauperes enim exhaurit vsura, eosq; fame necat. Hinc & Philosophi vsuram, quasi repugnantem rationi naturali, damnarunt: nam manifestè iniustum est, vt rei non fructiferæ, putà pecuniæ, exigatur fructus, idque cum proximi, præsertim pauperis, graui damno. Romani lege 12. tabularum cauerunt, ne quis plus vnciario fœnore fœneraret: mox tribunitia rogatione ad semunciam fœnus redactum est, statim ad semissem, postea ad trientem: demum L. Genutius tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret: paulatim succrescens iterum fœnus Cæsar succidit. Laudati sunt Lucullus quòd Asiam, Cato quòd Siciliam fœnore liberassent. Cornelius Tacitus narrat Germanis fœnus omne ignoratum & execratum fuisse. Indi numquam admiserunt fœnus. Agis Atheniensium dux adeò fœnus detestatus est, vt facto igne in foro tabulas omnes fœneratorum exurēdas curauerit, quo præclariorem luculentioremque ignem numquam se vidisse, exclamauit Agesilaus.

Fœnerari est occidere.

Gentiles damnarūt vsuram.

VERS. 20. SED ALIENO] alienigenæ, qui non est de gente tua, siue persistat in infidelitate, siue ad iudaismum sit conuersus. Permisit ergo Deus, Iudæis dare ad vsuram alienigenis, & his permisit dare Iudæis, ob duritiem cordis eorum, ne lucro inhiantes Iudæi, Iudæis darent ad vsuram. permisit autem, id est non puniuit. Nam vsuras quasuis, etiam illa lege veteri absolutè, absque discretione fratris, vel extranei, vetitas fuisse, colligitur psal. 14.5. psal. 54.12. Ezech. 18.8. ita Lyranus, Caietanus & alij.

Perperam ergo Iudæi, hoc loco suarum vsurarum, quibus Christianis, & alijs gentibus fœnerantur, prætextum quærunt. Præsertim quia Iudæi Romanos vocant & putant esse Idumæos. Idumæi autem erant fratres Iudæorum: nam eorum parens Esau frater erat Iacobi siue Israelis. Si ergo Christiani sunt Idumæi, ergo sunt fratres

A Iudæorum; ergo eis fœnerari non licet. Ait enim lex, *Non fœnerabis fratri tuo.*

Ex paulò antè citatis Scripturæ locis refellas quoq; Caluinum, asserentem in Script. veteri vetari tantùm, ne quis pauperibus fœneretur; permitti ergo, vt quis diuitibus fœneretur.

Vsura quæuis veteri lege fuerūt vetita, licet id neget Caluin.

S. Ambros. libr. de Tobia c. 15. per alienos accipit gentes hostiles, vt Amalecitas, Amorrhæos, Chananæos, &c. q. d. Ab his vsuram exige, quos non sit crimen occidere. vbi enim ius est belli, ibi est & vsuræ: quos enim poterant occidere, eorum & bona rapere, vel apertè vel occultè, & dolosè per vsuras, poterant, præsertim cùm hæ gētes fœneraturæ essent Hebræis, imò eos expilaturæ. Idē ergo ius concedit Deus hic populo suo, quod gētes hæ in eum vsurpaturæ erant. itaque duplici iure, scilicet primò represaliorum, secundò belli, poterant Iudæi gentibus hisce fœnerari. Hic sensus verus est & commodus, nisi quòd nomen alieni, restringat ad gentes hostiles. sed dici posset, omnes gentes, maximè vicinas, fuisse hostes Iudæorum.

Iudæi poterant fœnerari Chananæis, quia eos poterant occidere.

B *Pari modo*, inquit D. Damhouderius insignis Iurisconf. in Locis communibus admon. 9. ad vsuratios, *cum Turca & Saracenis Christiani facere possunt vsuram, vt sic bona Ecclesiæ recuperent, quæ Turca & Saraceni sine vlla ratione, iure & æquitate, occisis tot millibus Christianorum hactenus inuaserunt. Qui ergo à Turca, à latrone & fure infideli vsuram acceperit, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & Ecclesiam auxerit.* Denique piè & verè dixit S. Bernardinus Senensis, *vsuram sine peccato exerceri posse, si pecunia his crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent*, putà si daretur pauperibus.

Christiano licet Turcis fœnerari.

INGRESSVS VINEAM] Quod hîc de vuis proximi, & spicis carpendis & comedendis dicitur, dūmodo foras non efferantur, idem à pari de pomis alijsque fructibus accipe. ita Abul. VERS. 24.

SI INTRAVERIS IN SEGETEM AMICI TVI] putà Iudæi, gentilis tui. Iudæi enim vocabantur fratres & amici siue proximi: nam cum Gentilibus vix erat Iudæis amicitia. VERS. 25.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErmittitur libellus repudij. Secundò, vers. 6. variæ leges circa pignora, & pauperum subuentionem sanciuntur.

1. SI acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. 2. Cumque egressa alterum maritum duxerit, 3. & ille quoque oderit eam, dederitq; ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: 4. non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam. 5. Cùm acceperit homo nuper vxorē, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua. 6. Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam: quia animam suam opposuit tibi. 7. Si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum de filijs Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui. 8. Obserua dili-

diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes
Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple solicitè. 9. Mementote quæ
fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cùm egrederemini de Ægypto. 10. Cùm
repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt
pignus auferas: 11. sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. 12. sin au-
tem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, 13. sed statim reddes ei ante solis
occasum: vt dormiens in vestimēto suo, benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Do-
mino Deo tuo. 14. Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue
aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: 15. sed eadem die red-
des ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animā
suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. 16. Non oc-
cidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, sed vnusquisq; pro peccato suo morie-
tur. 17. Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ
vestimentum. 18. Memento quòd seruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus
tuus inde. Idcirco præcipio tibi vt facias hāc rem. 19. Quando messueris segetem in
agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, nō reuerteris vt tollas illum: sed aduenam,
& pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni
opere manuum tuarum. 20. Si fruges collegeris oliuarum, quidquid remanserit in
arboribus, non reuertēris vt colligas: sed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ. 21. Si
vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in vsus ad-
uenæ, pupilli, ac viduæ. 22. Memento quòd & tu seruieris in Ægypto, & idcirco
præcipio tibi vt facias hanc rem.

VERS. 1. SI ACCEPERIT HOMO VXOREM, ET NON INVENERIT GRATIAM ANTE OCVLOS EIVS, PROPTER ALIQVAM FOEDITATEM, SCRIBET LIBELLVM REPVDII] Pro *fœditatē* hebr. est ערות *eruat*, id est *nuditatem*. vnde Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 34. legit, *si in ea inuentum fuerit negotium impudicum*, indeq; concludit, ob solam vxoris fornicationem, licitum fuisse Iudæis eius repudium. idem censet Burgensis in c. 19. Matt.

Ob solam fornicationem licitū fuisse repudiū censet Tertull.

Verùm Origenes, Chrysost. & passim Interpretes hîc, & Matt. 19. 7. per *fœditatem*, non solā fornicationem, sed etiam alias fœditates, tum animi, tum corporis accipiunt, ob easque licitum fuisse repudium docent. & satis hoc indicat vox *aliquā*; & Hebræa, quæ habēt, *fœditatem rei alicuius*. Hebr. enim *eruat*, id est nuditas, sumitur per metalepsim, & per catachresim, pro fœditate, siue re qualibet pudenda & fœda: nuditas enim est res valdè pudenda & fœda. Talis ergo turpitudo, siue fœditas, ob quam licitum erat vxoris repudium, erat v. g. lepra, sterilitas, veneficium, rixæ perpetuæ, ebriositas, aliique praui mores incorrigibiles. nam in fornicatione, vel potiùs adulterio, vix videtur locum habuisse repudium: si enim constaret facinus, adultera lapidabatur, vt patet Leuit. 20. 10. sin suspecta haberetur de crimine, aquis zelotypiæ, quas bibere cogebatur, prodebatur, vt patet Num. 5. 27.

Melius alij, ob alia quoque licitum fuisse asserunt.

Causa repudij.

Nota tamen. Iudæi non poterant ex qualibet causa, aut fœditate exigua, dare libellum repudij. hoc est enim quod Malachias c. 2. 16. carpēs eos, qui illecti pulchritudine alienigenarum, repudiabant vxores suas Hebræas, dicit: *Si odio habueris, dimitte: veruntamen iniquitas operiet vestimentum eius*, id est corpus eius, quod est quasi vestimentum animæ, ait S. Hieron. q. d. Si hac de causa, videlicet, eò quòd non sit satis pulchra, oderis & repudies vxorem tuam, peccabis, & pœna huius peccati in corpus tuum deriuabitur à Deo. Tunc ergo peccabat repudians, non autem repudiata: quia ipsa cogebatur discedere.

SCRIBET LIBELLVM REPVDII] Hinc probabi- A lior videtur eorum sententia, qui docent ita permissum fuisse Iudæis repudium vxorum, vt Deo cum illis hac in parte dispēsante, repudiantes eas non peccarēt. Adhæc, per hoc repudium solutum fuisse matrimonij vinculum, vt repudians aliam duceret, & repudiata alteri nubere posset (esto aliter alij sentiant, ex eo quod v. 4. talis repudiata vocetur *polluta & abominabilis*, de quo v. 4.) Nam Primò, præscribitur hîc modus & ritus repudij; & hoc ipso quo semel repudiata, vetatur ad maritum repudiantē redire, satis innuitur, eam posse alteri viro nubere: vnde de facto pleræque alteri nubebant. hoc enim significat id quod dicitur v. 2. *Cumq; egressa alterum maritū duxerit*: ergo prius matrimoniū, per repudium iam solutum erat. alioqui enim lex illa vetus permisisset publica & continua adulteria; talia enim fuissent copulæ omnes repudiatarū cum nouis maritis, si prius matrimonium, cum repudiante olim initum, non erat solutum per repudium: ac consequenter filij ex eis nati fuissent adulterini & spurij, itaq; hereditates multorum ad spurios deuolutæ fuissent.

Libellus repudij soluebat vinculum matrimonij.

Prob. primò

B Secundò, quia aliàs nimis iniqua fuisset feminarum conditio, quæ sine vlla sua culpa subinde repudiabantur, si deinceps cælibes viuere debuissent, nec potuissent sine peccato nubere. Confirmatur, quia Exodi 21. 4. statuitur, vt seruus anno septimo liber exeat, vxore cum liberis manēte serua apud herum: ergo vel vxor hæc poterat alteri nubere, & sic solutum iam erat vinculum prioris matrimonij; vel non poterat, & sic inuita tota vita continere debuisset. quod nimis durum videtur in illa lege. Similiter Deut. 21. 14. si quis Hebræus bello captam accepisset vxorē, illaq; postea ipsi displiceret, permittit lex eam repudiare, soluique matrimonium præcipit, ait Theodor. q. 19. ita tamen, vt illa consequatur libertatem, pro mercede copulæ.

Secundò.

Tertiò, quia hebraicè est, *scribat libellum excisionis*; ergo per eum scindebatur vinculum matrimonij. permissio ergo hæc, non erat dissimulatio punitionis, & impunitas tantùm, sed etiam rem per-

Tertiò.

permissam; putà repudium faciebat licitum. ita sentit Abulensis, Burgensis, Caiet. Oleast. & plurimi alij, quos citat & sequitur Sanchez tom. 3. de Matrimonio, lib. 10. disp. 1. Secùs erat de vsuris: hæ enim Iudæis cap. 23. 19. circa alienigenas nudè tantùm permittuntur, ita scilicet, vt vsurarij tales à iudice puniri nō possent, nec vsuræ ab eis repeti.

Obiectio. Dices, Christus Matt. 19. 8. dicit, Mosen ob duritiem cordis Iudæorum, permisisse eis repudium: ergo hæc nuda tantùm fuit permissio, quæ videlicet tantùm non punit repudiantes.

Responsio. Respondeo, duritiem hanc fuisse causam, cur Deus concesserit repudiū, ne scilicet Iudæi vxores suas, quas repudiare non possent, occiderent. hæc tamen concessio efficiebat, vt repudium esset licitum: quia Deus propter duritiem Iudæorum, in lege matrimonij cum eis dispensabat, & eorum infirmitati subueniebat (boni enim principis est, leges suas genio & indoli populi attēperare) præsertim cùm ad mysterium hoc fieret. *Allegoria.* Per hoc enim Iudæorum repudium significabatur, quòd Deus repudiata Synagoga Iudæorum, Ecclesiam ex Gentibus sibi desponsaret. Atque hac de causa factum est, vt matrimonia Iudæorum non haberent rationem Sacramenti, sicut habent matrimonia Christianorum, neque indiuulsam Christi vnionem cum natura nostra, & cum Ecclesia significarent, vti peracta iam Christi incarnatione, significant coniugia fidelium, quę proinde omnino insolubilia sunt.

Nota. Hoc ius repudij tantùm habebant mariti, nō vxores. ita Iosephus l. 15. c. 11. vbi dicit, quòd Salome soror Herodis, præter legē, quæ solis maritis permittit repudium, repudiarit maritū suum Costobarum: *Lex enim*, inquit, *nostra solis maritis ius repudij permittit, mulieribus autem, ne dimissis quidem, fas est nubere, nisi prioris viri permissu.* Prius hoc de maritis lex habet, posterius de feminis dimissis, ne nubant sine viri permissu, lex non habet: sed si id verum est, introductum est consuetudine, qua ius hoc vsurparunt mariti. Poterāt tamen vxores ob adulterium mariti, aliasque causas iustas, facere thori diuortium. Hoc enim Christianis, & quibusuis Gentibus permittit ius naturæ.

LIBELLVM REPVDII] Hebr. est libellum כריתות *keritut*, id est excisionis, vel abscissionis. Nota. Libellus hic vocantur literæ dimissoriæ: sic enim etiamnum libellum supplicē, vocamus literas supplices. Hebræum enim ספר *sepher*, id est liber, significat quasuis literas, catalogum, enarrationem, bullam, &c.

Forma libelli repudij. Tradunt Hebræi, & ex ijs Vatabl. Oleaster, & alij, formulam libelli repudij fuisse hanc: *Ego R. Simeon, filius R. Abraham, filij R. Dauid, filij R. Salomonis, die prima mensis secundi, anno* 5296. *à creatione mundi, hic & in hac ciuitate, ex animi mei consensu, & sine vlla coactione, repudiaui Rachel, filiam R. Mosis, filij R. Ioseph, filij R. Iacob; & dedi illi libellum repudij in manu, schedam abscissionis, & signaculum diuisionis, vt sit à me abiecta, & abeat quocumque velit, & nemo possit illi prohibere, iuxta constitutiones Mosis & Israel.*

Formula libelli repudij apud Rom. vt patet ex Iure ciuili, tit. de diuortijs, erat hæc: *Res tuas curato, res tuas tibi habeto*: debebatque fieri repudium coram iudice forma iudiciaria, vt eodē tit. patet. Et verisimile est ita quoq; fecisse Iudæos. Medos

A etiam & Persas vsos fuisse repudio, patet Esther 1. 19. vbi Assuerus repudiat Vasthi. Idem de Philisthinis patet Iudic. 15. 2.

Causa libelli. Prima. Causam conscribendi huius libelli, audi ex S. Augustino l. 19. contra Faustum 26. *Deus*, inquit, *interposuit hanc moram, vt in dissidiū animus praeceps, libelli conscriptione refractus, absisteret, & quid mali esset vxorem dimittere, cogitaret, præsertim quia scriba, quorum erat literas scribere, quasi viri prudentes, dissidij dissuasores erant.* *Secunda.* Altera causa fuit, vt legitimè & iuridicè res fieret, ne repudians postea repudium negaret, & repudiatam contra legem reciperet. Rursum, vt repudiatæ consuleretur, illaque nouas nuptias inire posset. per libellum enim hunc, ipsa omnibus demonstrabat, se à priore marito & matrimonio esse liberam & solutam; B alioqui enim adulterijs & litibus res hæc fuisset obnoxia, vti in matrimonijs clandestinis accidisse vidimus.

Denique, Christus Matth. 19. 8. & seq. absolutè reuocat dispensationem Dei in lege matrimonij, tollitq; omne ius repudij, atque ipsum matrimonium reuocat ad primæuam suam naturam, institutionem & insolubilitatem; ita vt iam post Christum, repudium nec Christianis, nec Iudæis, nec Paganis, nec vlli hominum liceat. Errat ergo Paulus Fagius & hæretici, qui etiamnum Christianis licere repudium docent.

NON POTERIT PRIOR MARITVS RECIPERE EAM IN VXOREM, QVIA (hebr. *postquam*) POLLVTA EST, ET ABOMINABILIS FACTA EST CORAM DOMINO] Vers. 4.
Repudiatā vocat pollutam, non quòd peccatum admisisset, ineundo secundas nuptias, nam alioqui deberet vetari, ne vlteriùs alicui tertio nuberet; C sed quòd ab alio, putà secundo marito, cognita esset, eiusq; semine polluta, ideoque ad priorem redire ei non liceret: quia respectu eius abominabilis erat, vel, vt habent Hebræa: *Quia abominatio hoc est coram Domino*. quia scilicet, reditus ad maritum qui eam repudiauit, abominabilis est, & omnino vetitus à Deo; tum quia speciem præsefert adulterini concubitus hic orbicularis nuptiarum regressus, videturque fucatum & palliatum tantùm fuisse diuortium: tum quia alioqui facilior datus fuisset aditus ad diuortia & repudia, si post secūdas nuptias, licitum fuisset redire ad primas: iam verò maritus ægriùs repudiabat vxorem, sciens se eam numquam recipere posse. ita Caietanus & Oleaster. *Repudiata nubens alteri numquam poterat ad repudiantem redire, cur.*

NE PECCARE FACIAS TERRAM TVAM] Ne D polluas terram tuam. ita Septuag. q. d. Ne terra polluatur peccato inobedientiæ contra legem hanc, néve Deus illi peccatum hoc imputet, eamque puniat: quia videlicet, prior maritus contra legem recipiendo vxorem, semel à se repudiatam, alteriusque semine pollutam, ideoque sibi abominabilem effectam, seipsum reddebat pollutum, abominabilem & infamem, atque talis ab omnibus habebatur. quo facto, terra ipsa quasi polluebatur: quia rem fœdam ac turpem super se fieri sustinebat. Sic Gen. 38. 7. Her & Onan polluebant terram, super quam semen suum effundebant, quamque consequenter reddebant obnoxiam punitioni diuinæ, putà sterilitati, locustis, bruchis, fami, pesti, &c. propter malitiam inhabitantium in ea. ita Abulensis & Caietanus. vide dicta Leuit. 18. 28.

NON ACCIPIES LOCO PIGNORIS INFERIOREM Vers. 6.

ET

ET SVPERIOREM MOLAM. *Molam*, id est molarē lapidem, vel vtrumque, vel alterutrum, quo fiat vt molere non possit. Hebr. inferior molaris vocatur רחים *rechaim*, eò quòd spiret, & efflet quasi farinam, à se molitam; רוח *rauach* enim spirare significat; vnde רוח *ruach* est spiritus. superior verò molaris vocatur רכב *recheb*, eò quòd quasi inequitet inferiori. causam subdit: QVIA ANIMAM SVAM APPOSVIT TIBI] id est, vt Hebr. Septuag. *quia animam suam dat in pignore.* nam, vt Chald. vertit, cùm hisce molaribus *esca fit omni anima*, q.d. Dum molares in pignus accipis, vitam molitoris & aliorum accipis: quia mola hac molitor viuit, & victum sibi parat, multisque alijs farinam & alimoniam suppeditat.

Tropolog. Tropol. S. Gregor. 33. Moral. 16. & ex eo Rupertus & Raban. pignus debitoris est confessio peccatoris, superior mola est spes, inferior est timor. hæc ergo pignoris loco tolli prohibentur: quia qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, vt nec derelicta spe, timorem subtrahat; nec subtracta spe, in solo eum timore derelinquat.

VERS. 7. SOLLICITANS FRATREM SVVM] Vt videlicet frater, id est proximus, se ei subijciat, eumque sequatur ad alienigenas, quibus eum vendat. Vnde Hebræus, Chald. & Septuag. pro *sollicitans*, habēt *furans*, id est plagiarius. plagiū enim est furtum hominis, quo scilicet homo in seruitutem abripitur, aut venditur. quod ingens est peccatum & iniuria, ideoque hîc morte punitur. *Plagiarij sunt fures hominum.*

VERS. 8. OBSERVA DILIGENTER, NE INCVRRAS PLAGAM LEPRÆ] ita & Chald. vertit, *obserua*, inquit, *studiosè, ne incidas in plagam lepræ, vt custodias valdè, & facias iuxta omnia, quæ docuerint vos sacerdotes.* q.d. Obseruabis & custodies te, vt non incurras leprā, si feceris ea quæ docuerint te sacerdotes; sin eis rebellis fueris, time, ne percutiaris lepra, sicut Maria percussa est, eò quòd murmurasset contra Mosen. Hinc patet leprā fuisse flagellum, quod Deus immittebat rebellibus, & contemnentibus superiores, maximè Ecclesiasticos. Hinc Ozias rex, volens inuitis sacerdotibus adolere incensum, percussus est lepra, 4. Reg. 15. 5. vide dicta Leuit. 13. sub initium cap. *Lepra fuit flagellum, à Deo immissum rebellibus.*

VERS. 10. NON INGREDIERIS DOMVM EIVS (proximi) VT PIGNVS AVFERAS] Ne videlicet domum eius ingressus, auferas in pignus rē proximo necessariam, aut maximè commodam: sine ergo, vt proximus sponte, loco pignoris afferat ad te id quod voluerit, & quo optimè carere potuerit.

VERS. 12. SIN AVTEM PAVPER EST, NON PERNOCTABIT APVD TE PIGNVS] Iubētur hîc diuites, qui acceperunt à paupere in pignus vestem, aliámve rem ei necessariam, quotidie vespere ei hoc pignus domum remittere, vt noctu veste sua calefiat, reque sua vtatur: manè autem quotidie permittuntur illud rursum accipere in pignus, vt hac ratione stimuletur pauper ad citò soluendum id quod eis debet.

VERS. 13. VT HABEAS IVSTITIAM CORAM DOMINO DEO

A TVO] *Iustitiam*, id est misericordiam. ita Septuag. hoc est, misericordiæ meritum & præmiū. Sic Daniel 4. 24. pro eo quod nos habemus: *Peccata tua eleēmosynis redime*, Chald. qui in eo libro est originalis, habet: *Peccata tua iustitia redime.* vnde subinde etiam noster Interpres iustitiā pro misericordia accipit, vt Prouerb. 11. 4. *Iustitia* (id est eleēmosyna) *liberat à morte.* præcessit enim: *Non proderunt diuitiæ* (auarè reconditæ) *in die vltionis.* & psal. 111. 9. quod citat Apostolus 2. Cor. 9. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia* (id est eleēmosyna) *eius manet in sæculum sæculi.* Misericordia ergo vocatur iustitia, eò quòd propria iustorum & sanctorum virtus sit misericordia, idemq; sanctus sit & misericors. Vnde & sanctus hebr. vocatur חסיד *chasid*, id est pius: *Iustitia vocatur misericordia.* *Misericordia, propria est Sanctorū virtus.*
B è contrario, *viscera impiorum sunt crudelia*, vt dicitur Prouerb. 12. 10. vide dicta 2. Cor. 9. 9.

NON NEGABIS MERCEDEM INDIGENTIS, &c. SED EADEM DIE REDDES EI PRETIVM LABORIS, &c. QVIA PAVPER EST, ET EX EO SVSTENTAT ANIMAM SVAM] Merces hîc iubetur solui pauperibus eodem die, quo laborarunt, ante solis occasum; quia ex ea dietim viuere, suamque familiam alere debent. VERS. 14. & 15.

NON OCCIDENTVR PATRES PRO FILIIS] Lyran. censet pœnam, non tantùm damni, sed & sensus, putà tormenta & mortem, posse infligi filijs pro peccatis parentum, idque non tantùm à Deo, sed etiam ab hominibus, putà à iudicibus & principibus. Verùm hoc repugnat huic versui, idque bene confutat Gabriel Vasquez 1. 2 qu. 83. art. 4. disp. 135. c. 3. VERS. 16.

C QVANDO MESSVERIS SEGETEM IN AGRO TVO, ET OBLITVS MANIPVLVM RELIQVERIS, NON REVERTERIS, VT TOLLAS ILLVM] Iubetur hîc, & Leuit. 19. 9. spicilegium & racematio post vindemiā, relinqui pauperibus; idem statuit de frugibus, id est fructibus, oliuarum, in olea post collectionem remanentibus. hæc ergo sunt præcepta misericordiæ, non iustitiæ. VERS. 19.

Nota hoc cap. quā Deus sit tutor & vltor pauperum, quamque velit eis subueniri, nec lædi: *Ne clamet*, inquit v. 15. *contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Celebre, & omnium ore vulgatum exemplum extat in Hollandia: vxor enim Comitis Hollandiæ pauperculam mendicantem
D repellens, eamque insimulans adulterij, eò quòd tam numerosam prolem haberet, ab ea maledicta est, vt tot proles pareret quot sunt dies in anno. maledictionem exaudijt Deus, fecitque vt vxor Comitis vno partu 365. proles pareret, quæ omnes baptizatæ sunt, & mox post baptismum mortuæ. Extat huius prodigij pictura in monasterio virginum inter Leydam & Hagam Comitis. Idem prorsus contigisse Margaretæ vxori Comitis Holsteinij narrat Crantzius in histor. Wandaliæ, & annales Brunsuicēsium anno Domini 1313. An idem sit hoc prodigium cum priore, vt eos fefellerint vicinæ voces Holsteinij & Hollandiæ, non laboro; dummodo rem verissimam esse non dubitemus.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, sancit Deus, vt iudices iustè iudicent. Secundò, v.4. vt non ligent os boui trituranti, vt frater fratri defuncto semen suscitet, vtq; mulier in rixa verenda viri non apprehendat. Tertiò, v.13. vt iusta habeant pondera; vtq; nomen Amalec deleant.

1. SI fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices: quem iustum esse perspe-
xerint, illi iustitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis.
2. Sin autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis; prosternent, & coram se fa-
cient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus: 3. ita dumtaxat, vt
quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat
frater tuus. 4. Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas. 5. Quando habi-
tauerint fratres simul, & vnus ex eis absq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nu-
bet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: 6. & primoge-
nitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.
7. Sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier
ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque: Non vult frater viri mei
suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in coniugem sumere. 8. Statimq; accer-
siri eum facient, & interrogabunt. Si responderit: Nolo eam vxorem accipere: 9. ac-
cedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, spuetq;
in faciem illius & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. 10. Et
vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati. 11. Si habuerint inter se iurgium
viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volensq; vxor alterius eruere virũ suum
de manu fortioris, miseritq; manum, & apprehenderit verenda eius: 12. abscides ma-
num illius, nec flecteris super eam vlla misericordia. 13. Non habebis in sacculo di-
uersa pondera, maius & minus: 14. nec erit in domo tua modius maior & minor.
15. Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: vt multo vi-
uas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. 16. abominatur
enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnẽ iniustitiam. 17. Me-
mento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto: 18. quomo-
do occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu e-
ras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. 19. Cùm ergo Dominus Deus
tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam
tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub cælo. Caue ne obliuiscaris.

VERS.3. ITA DVMTAXAT, VT QVADRAGENARIVM NVMERVM NON EXCEDANT. causa subditur: NE FOEDE LACERATVS ANTE OCVLOS TVOS, ABEAT FRATER TVVS] Ita Paulus, *Quinquies*, inquit, *quadragenas vna minùs accepi*, 2. Corinth. 11. 24.

VERS.4. NON LIGABIS OS BOVIS TERENTIS IN AREA FRVGES] quia par est, vt animalia laborãtia comedant: quare veto claudi capistro ora triturantium, ne comedant ex sua tritura. Solebant enim in Palæstina, vti etiamnum in Canarijs, & nonnullis regionibus fit, per boues, qui circũacti, vngulis pedum suorũ segetes terebant, grana excutere. Vnde Poëta: *Bobusq; triturant*. Hunc esse sensum literalem, patet ex ipsis verbis, quæ hanc legem duris Iudæis inculcant.

In Iudæa boues suis vngulis triturant.

Dices, 1. Corinth. 9. v. 9. Apostolus videtur excludere hunc sensum. ait enim: *Numquid de bobus cura est Deo?*

Abul. ait hic duplicẽ esse sensum literalem.

Respondet Abul. Apostolũ alium afferre sensum literalem huius loci, eumq; præcipuum, cum quo tamen noster hic de bobus, qui minùs præcipuus est, cõsistat. q.d. Apostolus, Minùs præcipua Dei cura est de bobus, præcipua verò est de prædicatoribus verbi Dei. Verũ, non esse hos duos sensus literales, patet: nã bos literaliter non significat A prædicatorẽ, sed tantùm verum bouem; prædicatorẽ verò tantùm significat typicè: quia videlicet, bos ad laborem natus, est typus prædicatoris, qui in agro Domini quasi bos laborat. Ergo cùm literaliter hæc sententia intelligatur de veris bobus triturantibus, non potest literaliter accipi de prędicatoribus, sed tantùm typicè; alioqui enim omnis allegoria esset sensus literalis. quod planè est falsum. nam sensus literalis est is, qui primò per sentẽtiam aliquam significatur: allegoricus verò, vel typicus est, qui secundò, seu mediante sensu literali significatur. sicut ergo vmbra corporis nõ B est corpus, ita sensus typicus nequit esse literalis, sed tantùm literali sensu est adumbratus.

Refellitur.

Quis sensus literalis, quis mysticus.

Dico ergo, sensus literalis est de bobus, vt dixi: typicus vero est de prædicatoribus, quem dat Apostolus, scilicet ijs dandam esse alimoniam, eosq; posse ex Euangelio viuere, sicuti bos alitur sua tritura; quorum quia præcipua cura est Deo, vt scilicet, Deus præcipuè hac lege intenderet significare typicè, prædicatores alẽdos esse à populo; hinc Apostolus ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* q.d. Præcipua cura Dei in hac lege, non fuit boum, sed altius quid spectauit, videlicet, me, & mei similes præcones Euangelij, ex eo posse viuere. Apostolus

lus ergo hîc, vti & aliàs sæpè, argumentatur, non ex sensu literali, sed allegorico: aut potiùs ex sensu literali, argumentatur à maiori ad minus, ad allegoricum. q.d. Si bos viuit ex tritura; ergo multò magis prædicator ex sua prædicatione. ita Tertul. l.5. contra Marcion. c.7. & Theodor. hic q.31. Vbi Nota. Licet sensus literalis in Script. sit primus, allegoricum tamen posse esse primarium & præcipuum, siue magis intentum à Spiritu sancto, vti hîc fit: vnde efficax ex eo duci potest argumentũ, quando constat eum verè esse sensum allegoricum, siue mysticum.

Vers. 5. QVANDO HABITAVERINT FRATRES SIMVL] non in eadẽ domo, aut loco: hoc enim parum ad rem facit, inquit Abulens. sed q.d. Quando simul vixerint fratres, ita vt vno mortuo, alius sit superstes. Est catachresis: solent enim fratres simul in eadem domo, vel vrbe, aut certè prouincia habitare.

Frater suscitet semen fratri illiberi. ET VNVS EX EIS ABSQVE LIBERIS MORTVVS FVERIT, VXOR DEFVNCTI NON NVBET ALTERI: SED ACCIPIET EAM FRATER EIVS, ET SVSCITABIT SEMEN FRATRIS SVI] Tertull. l.4. contra Marc. 34. vertit, *si quis frater illiberis decesserit, à fratre ipsius suppareturr* (id est, substituatur) *semen illi.* vel, vt Caietan. ad verbum vertit, *leuir accipiet eam sibi in vxorem, & leuirabit eam.* Officium enim leuiri erat, fratriam ducere, & ex ea fratri defuncto semen suscitare, quod Caiet. ex Hebræo vocat *leuirare.* Suscitare ergo semen fratris, est generare prolem fratri, seu quæ fratris defuncti censeatur esse proles, illique arrogetur.

Frater non est cognatus, vt vult Caluin. Nota τὸ *frater*: licet enim Caluinus per fratrem intelligat cognatum; quia, inquit, Leuit. 18.16. vetatur, ne frater ducat vxorem fratris sui: tamen quia hîc cognati nulla fit mentio, semperque ingeminatur nomen fratris; hinc Abulens. Caiet. & alij passim, fratrem hîc propriè dictum accipiũt; itaque interpretati sunt Hebræi prisci, vt patet Matth. 12.25. Marci 12.20. Gen. 38. v.8. & 11. Vnde patet, legem hanc exceptionem esse ab illa Leuit. 18. vt ibi dixi.

Lex hæc nõ obligabat cognatos, sed fratres, eosq; singulos. Hinc sequitur, legem hanc tantùm obligare fratres defuncti, non cognatos. Fratres inquam singulos, quemque ordine suo; ita vt si secundus frater, pariter ac primus, sine liberis decederet, fratriam ducere deberet tertius frater; quòd si is illiberis decederet, deberet eam ducere quartus frater, vsque ad vltimum, vt patet Matth. 22.25. Reliqui ergo cognati, quique ordine suo, post fratres, ius quidem propinquitatis habebant ad vxorem defuncti, & consequenter ad eius hereditatem; sed si nollent eam ducere, vellentque cedere hereditate, non notabantur infamia huius legis, vti patet Ruth 4. v.6. vxor verò defuncti tenebatur nubere, non alteri, quàm fratri, aut cognato mariti sui defuncti, si is eam ducere vellet. ita Abulens.

An suscitandum semen ei qui reliquit filiam? Quæres, quid si frater defunctus reliquisset filiam, non filium, numquid frater superstes debebat defuncti vxorem ducere? Aliqui censent quòd non: quia filia hæc nupsisset viro, ex quo suscepisset prolem, quæ nominata fuisset nomine aui, eiusque familiam & nomen continuasset, vt patet de filiabus Salphaad, Num. 27. Verùm Abu-

Resp. affirmatiuè. lens. & alij probabiliùs censent hoc casu fratrem debuisse ducere fratriam, putà vxorem fratris defuncti. ratio est, quia frater fratri debebat suscitare semen: suscitare autem semen, est suscitare prolem masculam, quæ fratris defuncti nomẽ & stirpem propaget. feminæ enim numquam gerunt nomen patris, vel aui, sed mariti: si tamẽ defuncto fratre, filia fuisset superstes, nec superfuisset frater, qui suscitasset semen fratri defuncto; tunc filia ista accepisset hereditatẽ patris sui, & qui eam duxisset, suscitasset semen patri eius defuncto, vt patet Num. 27.

ET PRIMOGENITVM EX EA FILIVM NOMINE ILLIVS (fratris defuncti) APPELLABIT] Hebr. est, *primogenitum stabit nomine fratris sui*, id est primogenitùs vocabitur filius, non patris, sed patrui sui defuncti, eiusq; hereditatem adibit: reliqui verò filij, quos generabit, fratris generantis esse censebũtur, eiusque nomine vocabuntur, vt ita & ipse post se stirpem & familiam suam relinquat. Vers. 6.

Quæres, quæ fuit causa huius legis? Respõdeo, Prima fuit ad multiplicandum familias: frater enim suscitans semen fratri, Primò, instaurabat familiam fratris sui, deinde suam. Secundò, vt viduæ subueniretur. Tertiò, quia illa ætate summũ erat desiderium liberorum, summaque morientis erat tristitia, sine prole defungi: huic ergo leniendæ lex hæc seruiebat. vnde etiam ante hanc legẽ, in statu legis naturæ idem erat mos, vt patet de Thamar, Gen. 38.8. & sequ. Quartò, ne hereditas tribuum & familiarum confunderetur. nam si viduæ alienis nupsissent, bona sua in exteras familias transtulissent. Vnde Iudæi à captiuitate Babylonica, qua vel ereptæ vel confusæ fuerunt eorum possessiones, non seruant hanc legem, dicuntque eam iam cessante causa cessasse, & abolitam esse. Verùm nõ hæc vna, sed plures aliæ fuerunt huius legis causæ, quæ etiamnum apud eos locum habere possunt, vt hoc solo nomine lex hæc non sit abolita. Quintò, vt fraternæ charitatis & dilectionis officium sanciretur, cùm alter alterius posteritatem, velut propriam iubebatur curare. Sextò, vt superstites admonerentur officij in suos defunctos, ne videlicet eorum obliuiscerentur, sed honore simul & amore eos prosequerentur. Septimam causam dat Procopius, & Iulius Africanus apud Eusebium l.1. hist. c.7. *Quia*, inquit, *nondum certa & indubitata resurrectionis spes Iudæorum animis penitus insidebat, idcirco futuram resurrectionis promissionem, in hac mortali & caduca resurrectionis spe, imitatione quadam adumbrarunt, quò nomen eius qui vitam cum morte commutarat, non prorsus ex omni memoria deleretur.* Frater enim mortuus quodammodo resurgebat, per semen à fratre suscitatum.

Cur frater suscitabat semen fratri. *Prima causa.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.*

Allegor. causam dat S. August. l.22. contra Faustum c.10. & ex eo Rupert. Vnusquisque, ait, Euangelij prædicator ita debet in Ecclesia laborare, vt defuncto fratri, id est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatũ fuerit, eius nomen accipiat, vt vocetur Christianus, non Petrianus, nec Paulianus. hic verò, qui sibi & Ecclesiæ prodest, rectè intelligitur vtroque pede calceatus: qui autem curam refugit aliorum lucrandorum, discalceati illius in lege, non figuratũ significabit, sed in se impletum portabit opprobrium, vt scilicet vocetur Domus discalceati. ita & S. Gregorius 1.p. Pastor. c.5. *Alleg. causa.*

SI RESPONDERIT, NOLO EAM VXOREM ACCIPERE, ACCEDET MVLIER AD EVM, &c. ET TOLLET CALCEAMENTVM DE PEDE EIVS, SPVETQVE IN Vers. 8. & 9.

Nolens suscitare semẽ fratri, discalceatur, & conspuitur. cur. Primò.

FACIEM ILLIVS] q.d. Notabit eum infamia. hæ enim sunt notæ conditionis seruilis: vix enim mãcipijs in faciem spuimus. idem significat discalceatio: serui enim incedebant nudipedes, sine calceis. q.d. Talis indignus est qui gestet calceum, id est qui verfetur inter ingenuos, eò quòd fratris vxore, æquè ac hereditate & familia se abdicauit: hoc enim est animi illiberalis & vilis.

Secundò.

Rursum, talis in facie conspuitur, & calceis nudatur, vt summa & ima pars hominis, contumelia afficiatur; itaq; totus homo infamia notetur; vt significetur, quòd talis omni honore nudatus sit, à capite vsq; ad calceos. ita Abul. Oleast. & Feuardentius in Ruth c. 4.

Tertiò.

Tertiò, calceus est quasi domus pedis: quia ergo hic sibi tantùm vult domum, id est familiam, ædificare, non fratri; hinc vnum retinet calceum, alterum verò perdit. Plura calcei symbola explicui ad Ephes. 6. 15.

QVI NON ÆDIFICAT DOMVM] id est familiã, hoc est, qui non suscitat proles fratri suo. Sic Lia & Rachel dicuntur ædificasse domum, id est familiam, Israel, Ruth 4. 11. vide dicta Exodi 1. 1.

VERS. 11. & 12. SI, &c. VXOR APPREHENDERIT VERENDA EIVS A (viri rixantis cũ suo marito) ABSCIDES MANVM ILLIVS] Tum quia hic contactus pudendus est. ita Vatabl. & Caiet. qui ait: *Horret lex, vt membra viri, quæ directè ad perficiendum muliebrem sexum producta sunt, mulier audeat lædere.* hæc enim apprehẽsio ad rixam & pugnam inhibendam facta erat violẽta & læsiua. Tum quia in violenta verẽdorum apprehẽsione tantus est dolor, vt homo fiat immobilis, & ab alio, qui cum rixatur & pugnat, facillimè possit occidi. q.d. Vxor hæc apprehendendo verenda viri, fuit occasio, vel causa cædis ipsius; ergo perdat manum, qua ea apprehendit. Mulier B enim hæc, volens in rixa adiuuare maritum suum, ideò apprehendebat viri, cum quo ille rixabatur, verenda, vt eum imbellem & eneruem redderet, itaque eum marito cædendum & prosternendum obijceret: cooperabatur ergo ipsa rixæ & cædi; hinc iustè hîc manu mulctatur. ita Abulens.

Mulier tenens verenda viri in rixa, manu mulctatur. cur.

VERS. 19. DELEBIS NOMEN EIVS (Amalec), SVB CÆLO] q.d. Ita percuties Amalecitas, vt nulla eorum memoria in terra superſit inter homines, vti iam nullam superesse videmus. Ita delentur, qui persequuntur fideles & sanctos.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbentur Hebræi primitias frugum offerre Deo, cum publica professione, quòd fruges suas Deo acceptas referant. Secundò, v. 12. iubentur tertio anno tertias decimas separare, & dare pauperibus. Tertiò, v. 17. stimulat eos Moses, vt Deo qui eos omnibus gẽtibus prætulit, seruiant & obediãt.

1. CVmq; intraueris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea: 2. tolles de cunctis frugibus
tuis primitias, & pones in cartallo, pergesq; ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius: 3. accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in die-
bus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum
in terrã, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis. 4. Suscipiensq; sacer-
dos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui: 5. & loqueris in con-
spectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægy-
ptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero: creuitq; in gentem magnam ac
robustã & infinitæ multitudinis. 6. afflixeruntq; nos Ægyptij, & persecuti sunt im-
ponentes onera grauissima: 7. & clamauimus ad Dominum Deum patrum no-
strorum: qui exaudiuit nos, & respexit humilitatem nostram, & laborem, atque angu-
stiam: 8. & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pa-
uore, in signis atque portentis: *9. & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis
terram lacte & melle manantem. 10. Et idcirco nunc offero primitias frugum ter-
ræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, & ado-
rato Domino Deo tuo. 11. Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus
tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu & Leuites, & aduena qui tecum est. 12. Quando
compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Le-
uitæ, & aduenæ, & pupillo & viduæ, vt comedant intra portas tuas, & saturẽtur: 13. lo-
querisq; in conspectu Domini Dei tui: Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, &
dedi illud Leuitæ & aduenæ, & pupillo ac viduæ, sicut iussisti mihi: non præteriui man-
data tua, nec sum oblitus imperij tui. 14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec sepa-
raui ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obediui
voci Domini Dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi. 15. Respice de sanctua-
rio tuo, & de excelso cælorũ habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terræ, quam
dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terræ lacte & melle mananti. 16. Hodie
Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata hæc atque iudicia: & custodias &
impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. 17. Dominum elegisti hodie, vt sit
tibi Deus, & ambules in vijs eius, & custodias cæremonias illius, & mandata atque iu-
dicia,

dicia,& obedias eius imperio. 18. & Dominus elegit te hodie,vt sis ei populus peculiaris,sicut locutus est tibi,& custodias omnia præcepta illius: 19. & faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit,in laudem,& nomen,& gloriam suam: vt sis populus sanctus Domini Dei tui,sicut locutus est.

Vers.1. OBTINVERIS EAM] Ergo hæc lex nõ obligauit Hebræos nisi septimo anno ab ingressu in Chanaan, quo deuictis Chananæis terram obtinuerunt & coluerunt,atque deinceps. ita Abul.

Vers.2. TOLLES DE CVNCTIS FRVGIBVS TVIS PRIMITIAS, ET PONES IN CARTALLO] in canistro.Hæ primitię frugum omnium quotannis offerédæ erant in festo Tabernaculorum , vti dixi Num.18.12.tunc ergo facienda erat professio , quæ hîc sequitur: quotannis ergo iteranda erat hæc professio,vti & primitiarum oblatio, idque ad renouandam Dei creatoris & benefactoris sui memoriam , ne illa in mente eorum consenesceret.

Nota. Gẽtiles varijs rebus varios deos præficiẽbant: vnde 300.numerabant deos,inquit Varro. Sic segetibus præficiebant Cererẽ , vel deam Segetiam: cumq; fames aliqua accidisset,eam sacrificijs & ludis placare & propitiare studebant, teste S.August.l.4.de Ciuit.c.8. Ne ergo Iudæi idẽ facerẽt,néve putarent,se ab alio,quàm à Deo vero,fruges recipere;hinc iussit eos idipsum, in harum primitiarum oblatione,profiteri. Porro Hebræi hanc primitiarum oblationem hoc ritu peractam tradunt. Primò,inquiunt,ponebantur in canistro.Secundò,inferebantur,in templum.Tertiò,eleuabantur in altũ. Quartò, fiebat professio hîc præscripta. Quintò,offerebatur victima pacifica. Sextò canebantur psalmi vel hymni.cantus enim sacrificijs iungi solebat. Addunt Septimò, offerentes in vrbe pernoctasse.Sed hoc non habet Script.

Nota Secundò,τὸ *de cunctis frugibus*.cunctarum ergo frugum primitias quotannis Deo offerre debebant Iudæi. Errant ergo,qui certarum frugum tantùm primitias,scilicet mundarum,non immũdarum, eis præceptas fuisse putant. Nam omnes fruges erant mundæ:sola verò animalia,in munda & immunda separabantur.

Vers.5. ET LOQVERIS IN CONSPECTV DOMINI DEI TVI: SYRVS (putà Laban,socer Iacobi qui habitabat in Mesopotamia Syrię,Gen.28.5.) PERSEQVEBATVR PATREM MEVM] scilicet Iacob; fugientẽ ab eo, & redeuntem ad Isaac in Chanaan. Mesopotamia enim hebr.vocabatur *Aram naharaim*,id est Syria fluuiorũ: quia Tigri & Euphrate cingitur. Secundò, Vatablus vertit, *Syrus ille penuria laborans fuit pater meus*, putà Iacob habitans in Syria. q.d.Has diuitias non accepimus à patre nostro Iacob,sed à Deo.Nam Iacob in Syria laborauit penuria,ita vt Labano seruierit: postea idẽ laborans inopia in terra Chanaan,descendit in Ægyptum. Verùm prior sensus planior est, eumque sequitur Chaldæus.

ET IBI PEREGRINATVS EST IN PAVCISSIMO NVMERO] 70.hominum,putà filiorum & nepotum.

Vers.10. & 11. ET ADORATO DOMINO DEO TVO, EPVLABERIS IN OMNIBVS BONIS , QVÆ DOMINVS DEVS TVVS DEDERIT TIBI] Præcipit hîc Deus, vt quilibet de populo offerat frugũ primitias Domino,ideoque introëat coram Domino,id est coram altari holocaustorum,ibiq; faciat professionẽ, qua protestetur se teneri ad hanc oblationem,ob tot à Deo recepta beneficia,maximè liberationis ex Ægypto,

A & ingressus in Chanaan:deinde,vt ibidem adorẽt Dominum,scilicet humiliando se coram altari,& orando,vt Deus eum dirigat in bono:quæ omnia in honorem diuinũ cedebant,erantque actus religionis, quibus peractis, epulabatur cũ tota domo sua,aduocãs etiam Leuitas,& aduenas pauperes, idq; intra atrium sanctuarij, si aliquam victimam pacificam obtulisset:sin autem, epulabatur de his quæ secũ apportarat , nec erant consecrata Deo, iis hospitio aliquo. Epulabatur autem, vt ex delectatione huius epuli,incitaretur ad frequentandũ hos actus gratitudinis & deuotionis. ita Abul.

Nota hîc,quàm studiosè Deus à nobis requirat beneficiorum suorum recordationẽ,& gratiarum actionẽ.hæc enim virtus Deo millies debetur,estque propria Sanctorum & Beatorum.Isaiæ 51.3. *Morale de gratiarum actione.*
B *Gaudium & lætitia inuenietur in ea* (Sione) *gratiarũ actio & vox laudis*. Apoc.7.12. omnes angeli adorant Deũ,dicentes: *Benedictio,& claritas,& sapientia & gratiarũ actio,honor,& virtus,& fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen*. Psal. 49.13. *Immola Deo sacrificiũ laudis*. Ephes.5.20. *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis,& gratias agentes pro omnibus*. & ad Philip.4.6. *In omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum* S.August.epist. 5.ad Marcellinum: *Quid melius*,inquit, *& animo geramus,& ore promamus,& calamo explanemus,quã Deo gratias:hoc nil dici breuius, nec audiri lætius,nec intelligi gratius,nec agi fructuosius potest*. Christiani ergo vt minimum manè, vespere, & post cibum
C dicant:Deo gratias.

Fructus gratiarum actionis primus est, quem dat S.Chrysost. in psal.7.18. *Nihil*,inquit, *æquè facit in virtute crescere, atque cum Deo assiduè versari & colloqui,eiq́ perpetuò gratias agere,& psallere*. *Fructus eius. Primus.*

Secundus,quem dat idem Chrysost.hom.8.in epist.ad Coloss. In aduersis, inquit,infideles maledicunt,Christiani gratias agunt. *Vide quanta sit hæc philosophia*. Primò, *tum Deũ lætificas*.Secundò, *diabolum pudefacis*.Tertiò, *quod malè factum est,nihil esse facis.Nam & tu simul gratias agis,& Deus dolorem amputat,& diabolus abscedit*. *Secundus.*

Tertius,quẽ dat Chrysost.ibidem: *Deus*,inquit, *exigit à nobis gratitudinem, non quòd nostra celebratione opus habeat, sed vt quidquid est lucri,iterum ad nos redeat,& dignos nos faciamus maioribus subsidijs*. *Tertius.*

Quartus extat ibidem apud Chrysost. *Nihil*,
D inquit, *hac lingua sanctius est , quæ in aduersis Deo gratias agit. Certè non est inferior lingua Martyrum: vtraque pariter coronatur*. Ita S.Iob in tot aduersis ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum*. *Quartus.*

Excitamentum ad hanc gratitudinem est,consideratio innumerabilium Dei beneficiorum,quę Deus cuique per se & per Christum,tam generatim,quã particulatim contulit:quæ sanè exigunt, vt mille mentibus,mille vocibus (si id fieri posset) eum laudaremus. *Medium ad eam.*

QVANDO COMPLEVERIS DECIMAM CVNCTARVM FRVGVM TVARVM,ANNO DECIMARVM TERTIO,DABIS LEVITÆ , ET ADVENÆ, ET PVPILLO, ET VIDVÆ] Præscribit hîc Deus decimas,quæ singulis Vers.12.

gulis

gulis triennijs separandæ erant,& dandæ pauperibus. Pro quo Nota. Tertio quolibet anno triplices à Iudæis separabantur & dabantur decimæ. nam Primò, separabantur decimæ, quæ dabantur Leuitis. Secundò, decimæ ad iter,& ad oblationes ter in anno faciendas Hierosolymæ, in tẽplo. Tertiò, erant decimæ, quæ dandæ erant pauperibus, de quibus hic agitur, quæ quia vltimæ erant, ideò dicit: *Quando compleueris decimam.* itaque solutis duabus prioribus decimis, tertiò fruges singulorum erant decimandæ, tertiæque decimæ separandæ erant in vsus pauperum. Hinc tertius hic annus, vocatur annus decimarum, quia in eo omnes hæ tres decimæ soluebantur; alijs verò annis tantùm duæ priores soluebantur. ita Abul.

Tertia decima tertio anno dabãtur pauperibus.

VT COMEDANT INTRA PORTAS TVAS] Singuli ergo suarum vrbium pauperes alebãt, tertijs hisce decimis. imitentur hoc Christiani.

Eleëmosynæ elogia & fructus viginti vnus.

Nota. Sicut Christus Christianis Lucæ 12.33. & alibi: ita Moses Iudæis tam hic, quàm c.14.24. & toto c.15. & alibi, sæpè impensè commendat eleëmosynam ob illustres eius fructus & prærogatiuas. Nam Primò, eleëmosyna, vt ait Tobias cap.4.11. *Ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras: Per charitatis largitatem omne peccatum vincitur, aut declinatur,* ait S. Leo serm.2. de Ascens. *Quare misereantur pauperum, qui sibi volunt parcere Christum,* ait idem Leo serm.4. de collectis.

Primus.

Secundus.

Eleëmosyna est quasi secundus baptismus, ait S. Ambrosius serm.32. & S. Leo serm.2. de collectis, & Hieron. in psal.133. Hoc est quod ait Christus: *Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis,* Luc.11.41.

Tertius.

Eleëmosyna, inquit S. Chrysost. hom.33. ad popul. Christi tribunali astat non tantùm patrocinans, verùm etiam persuadens iudici, vt reo patrocinium præstet, & pro eo sentẽtiam ferat. vnde Iacobi 2.13. dicitur: *Superexaltat autem misericordia iudiciũ,* græcè κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, id est, *aduersus iudicium gloriatur misericordia,* tamquam victrix iudicij. In iudicio enim dicet Christus: *Venite benedicti Patris mei possidete regnum,* &c. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare,* &c. S. Gregor. hom.32. in Euang. narrat duos Martyres habitu peregrino & monastico matronæ cuidã religiosæ apparuisse, cumque illa eis de more eleëmosynam offerret, dixerunt: *Tu nos modò visitas, nos te in die iudicij requiremus, & quidquid possumus præstabimus tibi.* Similem opem promisisse & præstitisse hoc sæculo Carthusianos Martyres sub Hẽrico VIII. Angliæ rege matronæ cuipiam agonizanti, quæ eos in carcere eleëmosynis, omnique obsequio iuuerat, ab Anglis viris omni fide dignis audiui.

Quartus.

Eleëmosyna est instar sacrificij Deum placantis, vt ait S. August. homil.29. inter 50. & Apostol. Hebr.13.16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Vide S. August. l.10. Ciuit.5.

Quintus.

Eleëmosyna est instar columbæ, quæ Gen.8.11. reuersa est ad Noë in diluuio ferens ramũ oliuæ, Eleëmosyna enim affert fiduciam, lætitiam, pacẽ & gloriam sempiternam. *Pennata,* inquit S. Chrysost. hom.7. de pœnit. *est eleëmosyna, aureas habẽs alas, ipsos supra modum delectans angelos.* Nam ipsa aurum egenis tribuẽs, aureis in cælum alis euolat.

Sextus.

Eleëmosyna opes in tuto locat, putà in cælo per manus pauperũ. *Vbinam,* inquit Chrysost. loco citato, *opes deponemus? transfugæ sunt* (ab vno enim ad alium fugiunt) *quomodo tenebuntur? Distributa manent, custodita fugiunt.* Affert deinde similitudinem frumenti, quod domi retentum, à vermibus corroditur, & fugit: sparsum verò messem parit vberrimam, & manet. Sic & opes domi asseruatæ fugiunt: sparsæ in pauperes fructum afferunt, & manẽt. *Neque enim diffugere,* inquit, *poterunt detentæ tot viduarum & pauperum manibus.* Et S. Cyprianus tract. de Opere & eleëmosyna: *Patrimonium,* inquit, *Deo creditum nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hereditas ponitur, quæ Deo custode seruatur.*

Septimus.

Eleëmosyna hominẽ facit similem Deo. Deus enim est ipsum in se bonum: natura autẽ boni est vt se alijs communicet. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est,* ait Christus Luc.6.36. Misericordia ergo imaginẽ Dei misericordis pingit in homine misericorde. *Vbi Deus curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit,* inquit S. Leo serm.10. de Quadrag. & Clemẽs Alexand. l.2 Strom. c.9. *Dei,* inquit, *imago est homo benefaciẽs.* Et Nazianz. orat.16. de pauper. fouend. *Nihil,* ait, *adeò diuinum habet homo, quàm benefacere.* Deus enim maximè hoc titulo gaudet, quòd vocetur pater misericordiarum & Deus totius consolationis. Item, misericors & miserator Dominus, longanimis, & multùm misericors.

Octauus.

Nihil tam homini proprium quàm humanitas: verè ergo homo est, qui humanus est erga alios. Hinc manus, oculos, aures, linguam, aliaq; membra accepit, non vt sibi soli, sed etiam vt alijs prosit: vtque manum, linguam, pedes, &c. alijs commodet & porrigat.

Nonus.

Ait Poëta, *Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.* Hinc Leo Imp. homines misericordes comparabat soli, qui cunctis lucem & calorem suum impertit.

Decimus.

Eleëmosyna auget merita, & gratiam Deique benedictionem conciliat. Nam, vt ait S. Paulus: *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. Corinth.9.6.

Vndecimus.

Auget bona temporalia. Scriptum est enim: *Date & dabitur vobis.* Eleëmosyna ergo similis est terræ, quam seminauit Isaac, quæ reddidit fructũ centesimum. Vnde Christus sua relinquentibus, & distribuentibus in pauperes cẽtuplum promittit. Rectè igitur S. August. serm.25. de verbis Domini cap.3. *Fœcundus est,* ait, *ager pauperum, citò reddit donantibus fructum.* Prouerb.28.27. *Qui dat pauperi, non indigebit; & qui despicit deprecantẽ, sustinebit penuriam.* Indicat hoc hydria illa farinæ, & lecythus olei, ex quibus Eliæ eleëmosyna est collata. Nam *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus,* 3. Reg.17.16. Sic & quinq; panes dati à Christo in eleëmosynam turbæ, multiplicati sunt. Eleëmosyna enim opes & cibos fœnori dat Deo, indeque maximum quæstum facit, Prouerb.19.17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Deus,* inquit S. Leo serm.6. de ieiunio 10. mensis, *fideiussor est pauperum, & largissimus redditor vsurarum.* Si vis igitur fœnerari, fœnerare Deo. Meritò Chrysost. scripsit homiliam 33. hoc titulo, *quòd eleëmosyna est ars omnium quæstuosissima.*

Duodecimus.

Eleëmosyna præbet magnum solatium morituris.

turis. Tobiæ 12. *Eleëmosyna liberat à morte, & ipsa est qua facit inuenire misericordiam.* Psal. 40. 2. *Beatus qui intelligit super egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Non sunt hominis bona,* inquit S. Ambrosius, *quæ secum ferre non potest: sola misericordia comes est defunctorum.* Hinc liberat à gehenna. Tobiæ 4. 8. *Quomodo potueris, ita esto misericors: premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Vide parabolã Barlaam de duobus amicis hominem in morte deserentibus: tertio verò, videlicet virtute & eleëmosyna, eum defendente apud Damascenum. Imò eleëmosyna Tabitam à morte reuocauit, Actor 9. 40, inquit S. Cyprian. de Opere & eleëmosyna.

Decimus tertius. Eleëmosyna ædificat æterna tabernacula in cælis. Patet hoc exẽplo Petri Telonarij, quod extat in Vita S. Iohannis Eleëmosynarij, & alterius quod recẽset S. Greg. 4. Dialogorũ 36. Hinc S. Leo serm. 6. de ieiunio 10. mẽsis: *Temporale,* inquit, *donum in premium transit æternum.* & Chrysost. homil. 9. de pœnit. *Mercatura,* ait, *negotiatioq; tua talis est, da panẽ, & accipe paradisum; parua da, & magna suscipe; da mortalia, & recipe immortalia.* Eleëmosyna ergo in cælo est quasi œconomus, quæ cuiq; pro meritis suum locum & coronam assignat. Scriptum est enim, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hinc Petr. Chrysologus serm. 8. de ieiun. & eleëmosyna: *Manus,* ait, *pauperis sinus est Abraha, vbi quidquid pauper accepit, mox reponit. Thesaurus cali est manus pauperis: quod suscipit ne pereat in terra, reponit in cælum. Da igitur, ô homo, pauperi terram, vt accipias calum: da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum.*

Decimus quartus. Beatius est magis dare quàm accipere, ait Christus. Hinc in dando tota natura nobis præbet exẽplũ. Cæli dant lumen & influxum, ignis dat calorem, aër dat auram qua respiramus, terra dat tot fructus, mare tot pisces, animalia dant lanã & carnes. Pater æternus dat Filio suam naturam: Pater & Filius eamdem dant Spiritui sancto: Filius se dedit nobis in præsepio & in cruce, ac quotidie dat in Ven. Sacramento. Turpissimum igitur erit, si nos, qui ab omnibus creaturis, & à Deo quotidie tam multa recipimus, non etiam discamus largiri non habentibus ea quæ possumus.

Decimus quintus. Eleëmosyna pauperi datur, sed Christus eam sibi datam reputat. *Esuriui,* inquit, *& dedistis mihi manducare,* &c. Esurire voluit Christus in pauperibus, qui diues in cælo est: & tu dubitas, ô homo, dare homini, cùm scias te dare Christo?

Decimus sextus. Eleëmosyna facit opes sanctas: vnde sequitur v. 13. *Attuli quod significatum est.* Sanctũ est aurum quo captiui redimuntur, sanctum est argentum quod pupillis & viduis datur. Hinc vulgò opera misericordiæ vocamus opera pietatis: & heb. חסיד *chasid*, id est pius, vocatur is, qui est misericors.

Decimus septimus. Eleëmosyna opem affert orationi. *Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur,* ait S. Leo serm. 10. de ieiun. 10. mensis. Tobiæ 4. 7. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* S. August. in psal. 42. *Vis,* ait, *orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas, ieiunium & eleëmosynam.* Hinc ait Angelus ad Tobiam c. 12. 8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosyna.*

Decimus octauus. Omnes sumus mendici Dei. Quid sunt opes? nisi eleëmosynæ diuitibus à Deo datæ. dẽtigitur ipsi pariter ex ijs partem pauperibus. *Mendici Dei*

A *sumus; vt agnoscat Deus mendicos suos, agnoscamus nos nostros. Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum?* ait S. August. serm. 5. de Verbis Domini.

Eleëmosyna pugnat apud Deum pro eleëmosynario, vt Deus ei ferat auxiliũ. Eccli. 29. 15. *Conclude eleëmosynam in corde pauperũ, & hæc pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentis, & super lanceã aduersus inimicum tuum pugnabit.* Et c. 3. 34. *Deus prospector est eius qui reddit gratiam: meminit eius in posterum: in tempore casus sui inueniet firmamentum.* q. d. Eleëmosynarius in aduersis à Deo firmabitur & fulcietur. & c. 17. 18. *Eleëmosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* q. d. Sicut annulus signatorius in digito fertur, & est ante oculos hominis: sic eleëmosyna semper obuersatur oculis Dei, & gratiam hominis, id est, beneficium collatum in pauperem, conseruabit Deus quasi pupillam oculi, id est, quasi rem charissimam. — Decimus nonus. — B

Eleëmosyna est propria Sanctorum illustrium virtus, estq; signum prædestinationis Dei. *Induite,* ait Paulus Coloss. 3. 12. *vos sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ.* Vigesimus.

S. Franciscus ita liberalis erat in pauperes, vt à patre prodigalitatis coram Episcopo accusatus sit, bonisque sponte exutus: hocque fuit primum sanctitatis eius fundamentum.

Serapion etiam vestem donauit seminudus incedens: rogatus, cur? ostendit librum Euangeliorum: *En,* inquit, *qui me spoliauit:* ipsumque librum tandem etiam erogauit.

C S. Catharina Senensis pauperi mendicanti crucem argẽteam dedit, cùm aliud non haberet. Noctu apparens ei Christus, dixit se crucem illam in die iudicij publicè ostensurum, in signum pietatis: sicut & S. Martino apparuit veste indutus, qua pauperem contexerat.

S. Iohannes Eleëmosynarius fuit mare eleëmosynarũ, & quo plus dabat, eo plus recipiebat. Solebat ipse pauperes vocare dominos suos, quòd ipsi ei opẽ ferre possent, ne à regno Dei excluderetur. Hinc S. Franciscus Fratribus dicebat, ne mẽdicare erubescerent: quia maiora ipsi largiebantur, quã acceperant, & dantes ipsi copiosiùs ditabant. addebatq; hanc esse nobilem prodigalitatem, quæ pro pane diuinum redderet amorẽ, vt si quis pro pane daret decem aureos: ideoq; Mendicantium Ordines diuino consilio institutos esse eo tempore, quo refrixerat charitas, vt hac occasione homines diuina charitate ditescerent.

D S. Ludouicus rex Galliæ semper pauperes mẽsæ suæ adhibebat, eisq; cibum regiũ subministrabat, cogitans in ijs se conuiuã habere Christum. Rursum sua manu ijs alijsq; pecunias erogabat, dictitans eos esse suos milites, qui regnum defenderent, & idcirco se illis stipendia persoluere.

S. Hieronymus ad Nepotian. *Numquã,* ait, *memini me legisse mala morte defunctum qui libẽter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos intercessores; & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Auctor ad Fratres in eremo apud S. August. serm. 44. *Sola,* inquit, *misericordia ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem: numquam vidi hominem pium mala morte finiri.* Vigesimus primus.

Denique eleëmosyna est quasi torques aurea nobilium Sanctorum ac filiorum Dei, inquit S. Chrysost. imò Salomon Prouerb. 3. v. 3. cùm ait: *Elee-*

Eleëmosyna & veritas te non deserant: circumda eas gutturi tuo, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.

VERS. 13. ATTVLI QVOD SANCTIFICATVM EST] Pro attuli, lege cum Rom. *abstuli*. Hebr. enim est בִּעַרְתִּי *biarti*, id est extuli, abstuli. ita Septuag. Chald. Vatabl. & alij. q. d. E domo mea abstuli & extuli, ô Domine, tertias hasce decimas, quas sanctificari, id est separari, & tibi in pauperibus offerri mandasti. vnde sequitur, *Et dedi illud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, ac viduæ.*

VERS. 14. NON COMEDI EX EIS IN LVCTV MEO. q. d. In calamitate, vel paupertate mea, siue inopia pressus, non comedi ex tertijs hisce decimis, NEC SEPARAVI EA IN QVALIBET IMMVNDITIA] hoc est, nec ijs sum vsus ad res immundas, vt videlicet ea darē meretricibus, canibus, aut iumentis. q. d. Hasce decimas vt sanctas, integras & intactas, Deo, id est pauperibus eius nomine, separaui & dedi.

RESPICE DE SANCTVARIO TVO] Hebr. *respice de habitaculo sanctitatis tuæ, de cælo ipso.* VERS. 15.

FACIAT TE EXCELSIOREM CVNCTIS GENTIBVS, QVAS CREAVIT, IN LAVDEM, ET NOMEN (id est famam) ET GLORIAM SVAM] In tot enim, tamque varijs gentibus, rebusq́; à se creatis, Deus ostendit infinitam sapientiam suam in ordinando, & immensam potentiam in creando, & immensum amorem in communicando eis suum esse suaq́; bona, vt meritò ex hisce omnes assurgere debeant ad Dei laudem & glorificationem. ita Abul. VERS. 19.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ritus benedictionis in Garizim, & maledictionis in Hebal.

PRæscribitur cæremonia benedictionis in monte Garizim, & maledictionis in monte Hebal obeunda, scilicet Primò, vt omnis populus, tam quoad Israelitas, quàm proselytos, tam quoad viros, quàm feminas & pueros, ad montes hosce vadant. Secundò, altare in Hebal excitent. Tertiò, lapides erigant, eosq́; calce incrustent. Quartò, in his inscribant legem. Quintò, in altari sacrificent. Sextò, sex tribus in Garizim, sex aliæ in Hebal consistant. Septimò, in horum montium medio, in ipsa scilicet valle, sacerdotes Domini cum arca stent. Octauò, ab his magna contentaq́; voce, præscripta hic benedictionis & maledictionis formula recitetur, cui populus respondeat, Amen.

1. PRæcepit autem Moyses & seniores Israel, populo dicentes: Custodite omnē
mandatum quod præcipio vobis hodie. 2. Cumq́; transieritis Iordanem in
terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos, 3. vt possis in eis scribere omnia verba legis huius, Iordane transmisso: vt
introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte & melle manātem,
sicut iurauit patribus suis. 4. Quando ergo transieritis Iordanem, erigite lapides,
quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal. & leuigabis eos calce: 5. & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit, 6. & de saxis informibus & impolitis: & offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, 7. &
immolabis hostias pacificas, comedesq́; ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.
8. Et scribes super lapides omnia verba legis huius planè & lucidè. 9. Dixeruntq́;
Moyses & sacerdotes Leuitici generis ad omnem Israelē: Attende, & audi Israel: hodie
factus es populus Domini Dei tui: 10. audies vocem eius, & facies mandata atque
iustitias, quas ego præcipio tibi. 11. Præcepitq́; Moyses populo in die illo, dicens:
12. Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Iordane transmisso: Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Ioseph, & Beniamin. 13. Et è regione isti stabunt
ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aser, & Zabulon, Dan, & Nephthali. 14. Et pronuntiabunt Leuitæ, dicentq́; ad omnes viros Israel excelsa voce:
15. Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile, abominationem Domini, opus
manuum artificum, ponetq́; illud in abscondito. & respondebit omnis populus, & dicet: Amen. 16. Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem. & dicet omnis populus: Amen. 17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui. & dicet omnis populus: Amen. 18. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. & dicet omnis
populus: Amen. 19. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ. &
dicet omnis populus: Amen. 20. Maledictus qui dormit cum vxore patris sui, & reuelat operimentum lectuli eius. & dicet omnis populus: Amen. 21. Maledictus qui
dormit cum omni iumento. & dicet omnis populus: Amen. 22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ. & dicet omnis populus: Amen.
23. Maledictus qui dormit cum socru sua. & dicet omnis populus: Amen. 24. Maledictus qui clàm percusserit proximum suum & dicet omnis populus: Amen. 25. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis. & dicet omnis populus: Amen. 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius,
nec eos opere perficit. & dicet omnis populus: Amen.

Vers. 2. CVMQVE TRANSIERITIS IORDANEM, &c. ERIGES INGENTES LAPIDES] duodecim numero, scilicet pro numero duodecim tribuum. tot enim etiam statuerat Moses, cùm Israelitis legem recitaturus esset, Exodi 24. v. 4. vnde idipsum imitari iubetur Mosis discipulus, Iosue, inquit Masius & Serarius.

Lapides legis alij erant à lapidibus altaris.

Nota Licet Iosephus videatur dicere, hosce lapides eosdem fuisse cum lapidibus altaris, quod hîc iubetur erigi; tamen verius est, ab ijs fuisse diuersos, vti satis hîc significat Script ita Cyrillus in Glaphyris, Caietan. Masius, Serarius, Abulensis & alij.

Vers. 2. & 8. ET CALCE LEVIGABIS EOS (id est, vt Hebr. habent, *linies*, vel *incrustabis eos calce*) idq́; ad hoc, vt, sicuti dicitur vers. 8 super eos scribas OMNIA VERBA LEGIS HVIVS PLANE ET LVCIDE] id est, inquiunt Iudæi, cum punctis, quæ Hebræis sunt instar vocalium. hæc enim iam tum fuisse data Mosi, censent ipsi cum Ceuallerio. Verùm hæc est fabella. Certum enim est, puncta Hebræorum diu post Christum, imò post tempora S. Hieron. esse adinuenta, vti docent Latini, Hebrææ linguæ peritissimi, imò ipse Rabbi Elias Leuita. Tò ergo *planè & lucidè*, idem est, quod *clarè & distinctè*. vnde hebr. est, *explanando bene*. Hinc patet, lapidibus hisce vtrimque, minuto charactere inscriptam fuisse totam hanc legem, id est totum Deuteronomium, tum ad excitationem præsentium, tum ad memoriam posterorum, vt scilicet ipsi præcepta Dei, lapidibus hisce clarè inscripta, legere possent: vnde in hanc cæremoniam, hancque legis descriptionem, non vnus, sed plures insumpti sunt dies. nam non solùm decalogum, vt vult Lyranus & Caietanus; nec solas maledictiones & benedictiones, de quibus v. 15. vt vult Masius; nec sola præcepta legis affirmatiua & negatiua, vt vult Aben Esra, hisce lapidibus fuisse inscripta; sed totum Deuteronomium; patet ex eo, quòd iubet in eis scribi *omnia verba legis huius*, id est Deuteronomij: & ita fecit reipsa Iosue c. 8. v. 32. Vnde patet, lapides hos fuisse grandes: quamquam Deuteronomium non lapidibus propriè, sed calci, lapidibus illito, inscriptum fuerit. ita Abulens. & Serarius, qui ostendit quomodo id fieri potuerit, quæst. 10. in c 8. Iosue.

An puncta, id est vocales data sint Mosi.

Lapidibus inscriptum fuit totum Deuteron.

Mysticè Cyrillus in Glaphyris, per 12. lapides accipit 12. Apostolos, quibus inscripta fuit Dei lex, ita vt omnes eam in ipsorum verbis & moribus legere possent.

Vers. 12. HI STABVNT AD BENEDICENDVM POPVLO, SVPER MONTEM GARIZIM, &c. SIMEON, LEVI, IVDAS, ISSACHAR, IOSEPH (scilicet Ephraim & Manasse: hi enim fuerunt filij Ioseph. hæ ergo duæ tribus, hîc vocantur vna, scilicet Ioseph.) ET BENIAMIN] Nota. Mons Garizim imminet vrbi Sichem, vt patet Iudic. 9. 7. in quo tempore Alexandri Magni, Sanaballat Samariæ præfectus ædificauit templum, eique præfecit Manassen, fratrem Iaddi pontificis; ad quod confluebant Samaritæ, & alij à Iudæis eiecti, teste Iosepho l. 11. Antiqu. 7. cuius templi meminit Samaritana, colloquens cum Christo, Ioan. 4. v. 20. Malè ergo Andr. Masius Garizim collocat, non iuxta Sichem, sed iuxta Hai, cuius rationes multis confutat Nic. Serarius, in Iosue 8. quæst. 14.

Mons Garizim quis? in eo fuit templum Samaritanorum.

Vers. 13. ET E REGIONE ISTI STABVNT AD MALEDICENDVM, vt scilicet sacerdotibus maledicentibus populo, non seruanti legem Dei, applaudant, & respondeant, Amen. IN MONTE HEBAL: RVBEN, GAD, ET AZER, ET ZABVLON, DAN, ET NEPHTHALI] Mons Hebal vicinus est monti Garizim, inter eos enim tantùm interiacet vallis.

Hebal mons vbi.

Nota. Hac cæremonia & pompa, voluit Dominus rudem populum, ad memorandam legem perficiendamque prouocare. vnde Leuitæ, id est sacerdotes, proclamando benedictiones & maledictiones, quasi feciales, fœdus inter Deum & populum innouârunt & confirmarunt. Tota ergo hæc res hoc ordine & modo peracta videtur. Primò, in valle ipsa, inter duos montes, Garizim scilicet & Hebal, stabant sacerdotes ij, qui arcam fœderis gestabant, vt patet Iosue 8. 33. Deinde, circum hos stabant alij sacerdotes, ac Leuitæ omnes: circum hos Tertiò, stabant maiores natu, duces & iudices populi: Quartò, deinceps tribus omnes, ita scilicet, vt sex designatæ starent ascendendo, versus montem Garizim; sex aliæ versus montem Hebal. Quintò, Iosue vel per se, tamquam Propheta, vel per sacerdotes, benedixit populum, vti patet Iosue 8. 34. Sextò, sacerdotes aliqui, qui vocalissimi videbantur, legem recitarunt. Septimò, ijdem conscenderunt cacumen montis Garizim, vt vult Abulens. vel potiùs in valle, iuxta arcam consistentes, vt docent Hebræi, Masius, Serarius, & alij, ex editiore loco, vel ex suggestu, vertentes se versus montem Garizim, pronuntiarunt benedictiones; deinde vertentes se ad montem Hebal pronuntiarunt maledictiones: idque appositè ad montium conditionem. nam Garizim fertilis est & amœnus, ideoque versus eum rectè concipiebantur benedictiones, id est omnis felicitatis precationes: sterilis verò & inamœnus est Hebal; imprecationes ergo & detestationes rectè accipiebat.

Ordo benedicendi & maledicendi, in Garizim & Hebal. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Sextò. Septimò.

Putat R. Salomon, sacerdotes post singulas benedictiones, quibus sex tribus respondebant, Amen, se conuertisse ad Hebal, & contrariam maledictionem pronuntiasse; cui sex aliæ tribus, alterna quasi voce & choro, respondebant, Amen: hoc enim magis congruum & concinnum videtur. Alij verò, vt Andr. Masius, & Abulens. non minùs probabiliter censent, sacerdotes primò omnes 12 benedictiones simul pronuntiasse ad Garizim, sex tribubus respondentibus ad singulas, Amen: deinde post eas pronuntiasse ordine 12. maledictiones ad Hebal, sex alijs tribubus respondentibus, Amen.

An simul prolatæ sint omnes benedictiones, deinde maledictiones, an verò mistim?

Porro benedictiones hæ hîc non describuntur, sed eas ex maledictionibus v. 15. colligere licet, has fuisse: Prima, benedictus qui non facit sculptile, sed vnum Deum verum colit. Secunda, benedictus qui honorat patrem & matrem. Tertia, benedictus qui non transfert terminos proximi sui, & ita de cæteris vsque ad 12. scilicet pro numero 12. tribuum. Denique benedictiones hæ fusiùs explicantur cap. seq. v. 28. vnde verisimile est, Iosue, qui præceptum hoc benedicendi & maledicendi executus est, eodem tempore pariter caput hoc 28. populo relegi & promulgari curasse. ita Andr. Masius.

Vers. 15. ET RESPONDEBIT OMNIS POPVLVS, ET DICET: AMEN] Hinc putant aliqui, vt Masius, omnes 12. tribus communi voce, ad singulas tam benedictiones, quàm maledictiones, conclamasse, Amen. Verùm verius est, sex designatas tantùm ad benedictiones conclamasse, Amen; alias sex tantùm

An omnes tribus ad singulas benedictiones respóderint Amen?

tantùm ad maledictiones conclamasse Amen. hoc enim disertè dicitur v.12.

Nota. Sex nobiliores tribus ad benedictiones responderunt, Amen: ad maledictiones verò Amen responderunt sex tribus ignobiliores, videlicet quatuor prognatæ ex quatuor ancillarum filijs, scilicet Gad, Aser, Dan & Nephthali: quibus additur Ruben, quia hic suo incestu maculauit thorum patris; & Zabulon, quia hic vltimus fuit Liæ filius. ita Raban. & Theodor. q. 34.

Nota Secundò. Singuli hîc in tanta turba respondebant, Amen. licet enim à valle remotiores, sacerdotum vocem non satis audirent; ipsa tamen cæremoniæ ratio, & primorum vociferatio illos admonebat, & insigne ab omnibus exprimebat *Amen*, inquit Serarius.

AMEN] *Amen*, ait S. Hieron. ad Marcellam epist. 137. & in fine comment. ad Galat. Aquila, Symmach. & Theodot. verterũt, *πεπιστωμένως*, id est fideliter, vel verè; Septuag. verterunt, *γένοιτο*, id est fiat. Significat ergo Amen *verè*, vel etiam *firmiter*. radix enim אָמַן *aman*, significat firmare, stabilire: vnde nomen אֱמֶת *emeth*, id est firmitas, stabilitas, veritas. Amen, ergo non est particula iurantis, vt vulgus putat, sed affirmantis & confirmantis. affirmantis est, cùm orationi præponitur, vt *Amen, amen dico vobis*. confirmantis est, cùm orationi postponitur. Rursum cùm postponitur, & significat consensum audientis, nunc asserentis est & concedentis, nunc optantis. Vtrouis modo hîc accipi potest: nam populus respondens, Amen, approbabat benedictionem, vel maledictionem Leuitarum, id est sacerdotum, & simul optabat ita fieri, idque ad hoc, vt suæ benedictione benedictos, & execratione sua execratos, semper se meminissent, si benè vel malè agerent, inquit Caiet.

Amen nũc affirmantis est, nunc confirmantis, nunc optantis.

Tropolog.

Tropologicè, Origenes homil. 9. in Iosue & Rabanus hîc: iuxta montem Garizim incedunt ad benedicendum, qui non metu pœnæ, sed cælestis promissionis, & benedictionis æternæ spe & amore succensi, tendunt ad salutem. Alij qui iuxta Hebal, in quo maledictiones prolatæ sunt, incedunt, sunt ij, qui non amore promissorum, sed timore suppliciorum implent legem, vt saluentur. Omnes autem hi circa arcam incedũt: quia ab Ecclesiæ sinu non recedunt, licet nobiliores illi sint, quàm hi. Iosue autem constituit eos iuxta hos montes: quia Iesus electos suos, vel spe præmij, vel timore pœnæ, ad salutem vocat & perducit. hucusque Origenes, & Rabanus.

Anagog. Rupertus l. 2. c. 5. Significatur, inquit, hîc iudicium vniuersale. nam hi duo colles contra inuicem respicientes, putà Garizim & Hebal, significant duos ordines & duas stationes iudicandorum. Garizim enim, id est diuisio, significat oues, quæ erunt ad dextram Christi, diuisæ ab hœdis, putà electos. Hebal, id est vorago vetus, significat hœdos, qui erunt ad sinistram Christi, putà damnandos ad gehennam. Sex nomina & tribus filiorum Israel, erant in Garizim ad benedicendum, & sex in Hebal ad maledicendum: ita in iudicio sex proferentur opera misericordiæ, ob quæ ij qui erunt à dextris, benedicentur; & sex opera immisericordiæ, ob quæ ij qui erunt à sinistris, maledicentur. vnde hi audient, *Ite maledicti in ignem æternum*. illi verò, *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*. & totus populus, id est omnes tam reprobi, quàm electi, tacitè respondebunt, Amen. Sed & sedes duodecim, de quibus Matth. 19. 28. hîc non omnino tacitæ sunt: nam duodecim maledictiones hîc propositæ sunt, & totidem benedictiones, quasi singulæ de singulis sedibus prolatæ sunt. hucusque Rupertus.

Anag. Garizim significat electos, Hebal reprobos.

QVI NON HONORAT] Hebr. *qui vilipendit, PATREM SVVM*. VERS. 16.

QVI TRANSFERT TERMINOS] agrorum, vt ita VERS. 17.
per dolum & iniustitiam, dilatet prædia sua.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Deus multa bona Hebræis, si legem eius seruent. Deinde v. 15. plurima mala eis comminatur, si eam violent.

1. SI autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra.
2. Venientque super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te: si tamen præcepta eius audieris.
3. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro.
4. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum.
5. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ.
6. Benedictus eris tu ingrediens & egrediens.
7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua.
8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra, quam acceperis.
9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius.
10. Videbuntque omnes terrarum populi quòd nomen Domini inuocatum sit super te, & timebunt te.
11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi.
12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis

cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies. 13. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, & custodietis & feceris, 14. ac non declinaueris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos. 15. Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. 16. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. 17. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. 18. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. 19. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. 20. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. 21. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingrederis possidendam. 22. Percutiat te Dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereas. 23. Sit cælum, quod supra te est, æneum: & terra, quam calcas, ferrea. 24. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. 25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ. 26. sitque cadauer tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestijs terræ, & non sit qui abigat. 27. Percutiat te Dominus vlcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque & prurigine: ita vt curari nequeas. 28. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, 29. & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. 30. Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. 31. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adiuuet. 32. Filij tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua. 33. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos, comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, 34. & stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. 35. Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus & in suris, sanarique non possis à planta pedis vsque ad verticem tuum. 36. Ducet te Dominus, & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu & patres tui: & seruies ibi dijs alienis, ligno & lapidi. 37. Et eris perditus in prouerbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. 38. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ deuorabunt omnia. 39. Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. 40. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngêris oleo: quia defluent, & peribunt. 41. Filios generabis & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captiuitatem. 42. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet. 43. Aduena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior. 44. Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. 45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec seruasti mandata eius & cæremonias, quas præcepit tibi. 46. Et erunt in te signa atque prodigia, & in semine tuo vsque in sempiternum: 47. eò quòd non seruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam: 48. seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat. 49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non possis: 50. gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli, 51. & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium: donec te disperdat, 52. & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus: 53. &

53. & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas
dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus.
54. Homo delicatus in te, & luxuriosus valdè, inuidebit fratri suo, & vxori, quæ cubat
in sinu suo, 55. ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eò quòd nihil
aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastauerint te inimici tui intra omnes portas
tuas. 56. Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pe-
dis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiam inuidebit viro suo, qui
cubat in sinu eius, super filij & filiæ carnibus, 57. & illuuie secundarum, quæ egre-
diuntur de medio feminum eius, & super liberis qui eadem hora nati sunt. comedent
enim eos clàm propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua oppri-
met te inimicus tuus intra portas tuas. 58. Nisi custodieris & feceris omnia verba le-
gis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius gloriosum & terri-
bile, hoc est, Dominum Deum tuum: 59. augebit Dominus plagas tuas, & plagas se-
minis tui, plagas magnas & perseuerantes, infirmitates pessimas & perpetuas. 60. &
conuertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti & adhærebunt tibi. 61. In-
super & vniuersos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis huius,
inducet Dominus super te, donec te conterat: 62. & remanebitis pauci numero, qui
priùs eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei
tui. 63. Et sicut antè lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque mul-
tiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subuertens, vt auferamini de terra ad quam
ingredieris possidendam. 64. Disperget te Dominus in omnes populos, à summita-
te terræ vsque ad terminos eius: & seruies ibi dijs alienis, quos & tu ignoras & patres tui,
lignis & lapidibus. 65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies ve-
stigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & ani-
mam consumptam mœrore: 66. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis no-
cte & die, & non credes vitæ tuæ. 67. Manè dices: Quis mihi det vesperum: & vespe-
re: Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea,
quæ tuis videbis oculis. 68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam
de qua dixit tibi vt eam ampliùs non videres. Ibi venderis inimicis tuis in seruos & an-
cillas, & non erit qui emat.

Vers. 1. FACIET TE DOMINVS EXCELSIOREM CVNCTIS GENTIBVS] vt scilicet omnes superes, tum felicitate, tum opibus, tum honore, tum robore, tum imperio. A

Vers. 3. BENEDICTVS TV IN CIVITATE, ET BENEDICTVS IN AGRO] q.d. Abundabis omnibus rebus necessarijs, tam in re vrbana, quàm rustica. *benedicere* enim hîc est benefacere. Benedictio enim Dei realis est, non verbalis, nec aulica; significatque omnem prosperitatem, tum in corpore, tum in anima, tum in fortunis. vnde sequitur:

Benedictio significat omnem prosperitatem.

Vers. 4. BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI, ET FRVCTVS TERRÆ TVÆ] Id est, abundabis liberis, & fructibus terræ, æquè ac iumentis. B

Vers. 5. BENEDICTA HORREA TVA] Chaldæus & recentiores vertunt, *benedicta canistra tua*: sed nostro Interpreti consentiunt Septuag. Vox ergo Hebræa טנא *tene*, significat repositorium, siue illud sit sporta, siue apotheca, siue horreum. Sensus ergo est, abundabis frumento & panibus, ita vt reliquiæ superfuturæ sint multæ, quas in pauperes eroges. hoc enim est quod subiungit, dicens: *Et benedictæ reliquiæ tuæ, benedictio* enim copiam & abundantiam significat, vti dixi 2. Corinth. 9. 6. C

Vers. 6. BENEDICTVS ERIS INGREDIENS ET EGREDIENS] Ingressus tuus in locum aliquem, æquè ac egressus, erit felix & fortunatus: quia te per omnia diriget Deus. Ita videmus viros sanctos à Deo in omnibus dirigi, omnesque eorum actus felices habere exitus, in quibus illud [illegible] impletur: *Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.*

Vers. 9. SVSCITABIT TE DOMINVS SIBI IN POPVLVM SANCTVM] q.d. Faciet Deus, vt sis & voceris populus sanctus, populus Dei, illique peculiariter addictus, qui vicissim te, vt populum suum defendat, prouehat, & gloriosum reddat.

Vers. 10. VIDEBVNTQVE OMNES TERRARVM POPVLI, QVOD NOMEN DOMINI INVOCATVM SIT SVPER TE. q.d. Videbunt omnes, te vocari nomine Dei, vel te vocari, æquè ac esse, populum Dei, quodque Deus se tuum Deum esse ostendat, te protegendo, & augendo res tuas (vnde omnes TIMEBVNT TE) hoc enim in Script. significat, *inuocari nomen alicuius super aliquem*, vt patet Ecclesiastici 36. 14 Ierem. 7. 11. Baruch 2. 15. Daniel. 9. 18. & alibi.

Vers. 12. APERIET DOMINVS THESAVRVM SVVM OPTIMVM, CÆLVM, VT TRIBVAT PLVVIAM] *Cælum*, id est aërem. dicitur hîc thesaurus Dei: quia in eo, quasi repositorio nobis inscrutabili, recondidit Deus pluuiam, per quam cuncta bona terræ proueniunt. Sic aër dicitur thesaurus ventorum, psal. 134. 8. *Qui producit ventos de thesauris suis*: item grandinis & niuis, Iob 38. 22. Sic abyssus maris & aquarum, quia inscrutabilis est & impenetrabilis, vocatur thesaurus Dei. psal. 32. 7 *Ponens in thesauris abyssos*, id est aquas profundissimas.

Aër & aqua sunt thesaurus Dei, cur?

FOENERABIS, id est mutuabis, mutuum, præ opibus & copia, dare poteris GENTIBVS MVLTIS, ET IPSE A NVLLO FOENVS, id est mutuum, ACCIPIES] quia nulla premeris necessitate, cùm domi omnibus rebus sis abundaturus. ita Hebræa, Septuag. & Chaldæus, qui vertit, *mutuabis gentibus multis, & ipse à nemine mutuum accipies.* Non ergo hîc Deus permittit, aut præcipit vsuras, vti Iudæi intelligunt. Hebr. enim לוה *laua*, non vsuram, sed mutuum significat. Idem verbum est vers. 44. vbi rursum Noster vertit, *fœnerabis.*

CON-

Vers. 13. Constitvet te Dominvs in capvt, et non in cavdam, et eris semper svpra, et non svbter] q.d. Faciet Deus te vbique & semper primum, non vltimum; dominantem alijs, non subiectum. ita Theodor. quæst. 34.

Vers. 15. & 16. Si avdire (obedire) nolveris vocem Domini Dei tvi, &c. maledictvs eris in civitate, maledictvs in agro] q.d. Miser eris & infelix, deficientque te res, tam vrbanæ, quàm rusticæ. Hactenus Moses bona recensuit, danda seruantibus legem Dei: hîc per antithesin recenset mala plurima, obuentura violantibus legem Dei. Hæc concionatores peccatoribus inculcent: mala enim hæc typum & præambulum gerunt malorum & pœnarum gehennæ.

Vers. 20. Mittet Dominvs svper te famem et esvriem] Hebr. *mittet in te maledictionem, & conturbationem*, vel strepitum terribilem, in quo omnia turbatione sunt plena. Sed per hæc tam Noster quàm Septuag. acceperunt famem & esuriem. hæc enim hominibus carnalibus, quales erant Iudæi, summa videtur maledictio & conturbatio.

Et increpationem] id est perditionem, &c. vt vertunt Septuag. consumptionem, quæ est effectus increpationis Dei, vt scilicet omnia opera tua perdantur, destruantur & consumantur. est metonymia.

Vers. 21. Percvtiet te Dominvs, &c. frigore] ita & Septuag. quare Hebræa vox דלק *dalac*, est contrariæ significationis: nam aliàs communiter significat ardorem & persecutionem. vnde Chald. & recentiores hîc pro *frigore*, vertunt, *ardore*.

Et æstv] Chald. & recentiores vertunt, *& gladio*. legunt enim חֶרֶב *chereb*, sed Noster alijs punctis legit חֹרֶב *choreb*, id est siccitas, æstus.

Rubigo, vel aurugo, est tabes segetum. Et rvbigine] *Rubigo* est morbus segetum, qui oritur vento Orientali ingrediente spicas, ita vt maturescere nequeant, sed exedantur, extenuentur, & arescant: vocatur & *aurugo*.

Vers. 23. Sit cælvm, qvod svpra te est, æneum, vt scilicet non pluat imbrem, qui sata riget, sed durum & siccum sit, instar æris: et terra qvam calcas, ferrea] ita scilicet, vt arari non possit, ac consequenter nullum ferat fructum, perinde ac si esset ferrea.

Vers. 24. Det Dominvs imbrem terræ tvæ pvlverem] id est, loco pluuiæ cadat puluis, vel cinis sulphureus. q.d. Tantus sit æstus, vt vice imbris, descendat è cælo puluis ardens, vi ventorum excitatus, & in altum elatus.

Vers. 27. Percvtiat te Dominvs vlcere Ægypti, quale scilicet, per Mosen Ægyptijs inflixit, Exodi 9.10. et partem corporis per qvam stercora egervntvr, &c.] Hebr. *percutiat te infirmitatibus ani*, putà hæmorrhoidibus, mariscis, & similibus morbis.

Vers. 29. Vt palpes in meridie] vt cæcutias in re tam clara quàm est lux meridiana. loquitur de cæcitate animi, vt patet ex sequentibus. Nam cæcitas animi pœna est peccati, eaque ingens, vt docet S. August. in psal. 57. *Paruáne pœna est*, inquit, *obscuratio cordis, & excæcatio mentis? Si quis furtum faciens statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. oculum cordis amisit, & putatur ei pepercisse Deus?* Palpant autem Iudæi & impij, tam olim quàm nunc, in meridie. Annon meridiana lux est lex Christi, & doctrina Christianum orbem illuminans? in hac luce palpant cæci, non vi-

Cæcitas animi, ingens est pœna peccati.

dent æterna, fluxisque & caducis rebus, quæ in puncto temporis effluunt, inhærent. *Vsque in hodiernum diem cùm legitur Moses, velamen positum est super cor eorum*, inquit S. Paulus 2. Corinth. 3.

Non dirigas vias tvas] Hebr. *non secundabis vias tuas*. q.d. Actiones tuæ infortunatæ erunt, omnia tibi infeliciter euenient.

Bos tvvs immoletvr (bos tuus occidatur ab hoste, vel aduersario tuo) coram te, et non comedas ex eo. Vers. 31.

Et non sit fortitvdo in manv tva] ad liberandum filios & filias tuas, ex manu hostium. Vers. 32.

Qvem ignoras] quem tu non nouisti. Vers. 33.

Eris perditvs] Hebr. & Chald. *eris in desolationem, prouerbium & fabulam*, vt videlicet à te stupeant, te quasi exemplo vtantur, de te linguam suam acuant omnes populi. Vers. 37.

Advena, &c. ascendet svper te] Hebr. *aduena ascendet super te sursum sursum: tu autem descendens deorsum deorsum*, id est aduena longè erit te superior, & tu illo longè eris inferior. Vers. 43.

Addvcet Dominvs svper te gentem de longinqvo, &c. in similitvdinem aqvilæ] quæ scilicet, vt aquila, celerrimè, citissimè & violentissimè aduolet, vt te deprædetur. Innuitur hîc dominatus Babyloniorum, & Nabuchodonosor, qui Ezech 17.3. comparatur aquilæ grandi. hic enim Iudæos euertit. Vers. 49.

Nota. Reges & tyranni, ac præsertim Nabuchodonosor vocatur *aquila*, tum à Ieremia c. 48. 40. tum ab Ezechiele cap. 17. 3. tum à Daniele cap. 7. v. 4. tum ab Osee cap. 8. 1. Sic Aiax cognominatus est aquila, & Pyrrhus rex aquila dici voluit, & filius Caroli Magni dictus est Arnulphus, id est aquilæ auxilium: nam aquila symbolum est, Primò, regni & imperij: est enim ipsa rex auium; Secundò, inuasionis & pugnæ fortis, celeris & impetuosæ; Tertiò, rapacitatis & sæuitiæ; Quartò, victoriæ: ipsa enim omnes aues, quin & serpentes & ceruos, puluere quem alis colligit in oculos eorum coniecto, vincit & prosternit. Hinc Romani & Gentiles omen victoriæ sæpè acceperunt ab aquilis, easque ad superstitionem vsque obseruabant.

Aquila symbolum est imperij & tyrannidis.

Anacreon auctor antiquissimus scribit, Iouem aduersus Titanas (alij dicunt aduersus gigantes) profecturum, sacrificium fecisse cælo in Naxo insula, in qua primùm infans educatus fuit, aquilasque dum sacrum faceret, ei apparuisse, & telum prætulisse. Quibus mox visis bonum auspicium suscepit, victoriæ indicium, quæ cùm subsecuta esset, insigne bellicum inde auream aquilam, vt proprium gestasse dicitur, vt Aglaosthenes aliique testantur.

Magnam quoque spem Cyrus Persarum rex ex sequenti cepit augurio, quod Xenophon lib. 2. Pædiæ Cyri his verbis narrat: *Cyro aduersus Armenos proficiscenti continuò in primo agro consurgit lepus; aquila autem volans dextera leporem despiciens fugientem, & irruit, & percussit illum, extulitque correptum, eoque ablato in collem proximum, pro libidine vtebatur præda. Augurium igitur Cyrus intuitus, cùm lætatus est, tum Iouem regem adorauit, dixitque ad præsentes: Venatio quidem pulchra est futura, si deo libuerit.* Et alibi de eodem Cyro, *Cùm talia disserentes*, inquit, *ad fines vsque Persidis venissent, effecta, his aquila dextera apparens itineris dux facta, deos heroasque precati terram colentes Persida, vt se propitij iuuarent ac mites,*

mites, ita fines superarunt. Hinc Cyri & Persarum A signum militare erat aquila aurea extensa in longa hasta, vti ait Xenophon de Pædia Cyri l. 7. initio: vnde Romani idem signum assumpserunt, scilicet aquilam, sed argenteam, & pedibus tenentem fulmen, in hasta erectam.

Aristander augurio aquilæ traijcientem in hostes Alexandrum, victorem pronuntiauit ante conflictum, illa autem à classe in continentem progressa, ibiq; firmata, augurio fuit, Persas terra, non mari debellandos esse, etiam Alexandri ipsius interpretatione, secùs quàm sentiret Parmenio.

Et difficillimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbella commissum est, quo nullum vnquam acrius inter eos fuit; aquila paululùm supra caput Alexandri placidè volitans, nec armorum B sonitu, nec gemitu, clamoréue vllo morientium terreri potuit, sed diu circa equum regis pendenti magis, quàm volanti similis constitit, præsagiens vel indicans potiùs, quò res euasura esset. Neque dissimile est, quod Tacitus l. 1. Fabio Valenti scribit oblatum, cui, cùm exercitum in bellum educeret, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incederet, veluti dux viæ præuolauit, & per longum spatium cùm nullo gaudentium militum clamore, & augurium accipientium, alitemque salutere iubentium, terrefieret, iter ita continuauit, vt haud dubiè magnæ & prosperæ rei omen traderet.

Testatur tale quoque quid Suetonius in Domitiano, *Siquidem,* inquiens, *ipso quo dimicatum est* C *die, statuam Domitiani Romæ insignis aquila circumplexa, pennis clangores lætissimos edidit: pauloq; pòst occisum Antonium* (belli motorem) *adeò vulgatum est, vt caput eius quoq; apportatum plerique contenderent.*

Vers. 50. Gentem procacissimam] Hebr. *gentem fortem facie,* id est perfrictæ frontis, barbaram, audacem & inhumanam.

Vers. 53. Et comedes frvctvm vteri tvi] Id factum est in excidio Ierusalem sub Tito. Reliquæ clades & calamitates, quas hic Iudæis Deus comminatur, eis ab eo immissæ sunt, partim in eodem excidio per Titum, partim in obsidione Assyriorum, putà Salmanasar, Teglat Phalassar, Sennacherib, &c. partim per Nabuchodonosor & Babylonios, partim per Alexandrum & Macedones. ita Theodor. quæst. 34.

Dabit tibi Dominvs ibi cor pavidvm] Vers. 65. Istam maledictionem nunc habent Iudæi, inquit Abulensis: tum quia Deus eam illis in pœnam inflixit: tum quia à tenera ætate Christianos timere discunt, cùm Christiani eos adhuc teneros persequi incipiant, diripere & percutere. Pueri enim, qui in omnibus franguntur, pauidum, ignobile & ineptum ad ardua habent cor; præsertim apud eos, qui eos frangunt: nam & leones domitorum suorum, quorum ferulæ assueuerunt, vultum expauent, alios autem homines non timent. Hinc pueri ita erudiendi sunt, vt ira & passiones interdum in eis castigentur, ne insolescant; interdum verò passiones suas sequi permittantur, ne animositas frangatur, itaque fiant viriles & animosi ad se & rempublicam defendendam. Tertull. lib. contra Iudæos c. 11. legit: *Dabit tibi Deus cor tædians, & tabescentem animam.*

Iudæi semper pauidi, cur.

Modus educandi pueros.

Et deficientes ocvlos] vt scilicet oculi tui, præ lachrymis caligent & deficiant.

Et erit vita tva qvasi pendens ante te (id est, erit vita tua in periculo posita, & quasi in dubio suspensa) imò non credes vitæ tvæ] id est, non fides vitæ tuæ, vel te posse viuere, sed de vita desperabis. Aliter hæc verba accipit S. August. lib. 16. contra Faustum c. 22. Procop. hîc & S. Leo serm. 8. de passione: quasi dicat, Christus est vita tua, ô Iudæe, qui à te visus est pendens in cruce, & tamen tu illi non credidisti. Verùm hic sensus symbolicus est. ita & Tertull. suprà, qui & legit: *erit vita tua pendens in ligno, ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* Vers. 66.

Christus fuit quasi vita pendens in cruce, ante oculos Iudæorum.

Redvcet te Dominvs classibvs in Ægyptvm] Id factum esse sub Tito, docet Ioseph. lib. 7. Belli c. 16. vbi docet Iudæos à Romanis captos, qui minores erant septemdecim annis, in Ægyptum deductos, ibique venditos fuisse ad onera & opera, idque tanta copia, vt vix inuenirentur emptores. Vers. 68.

Nota τὸ *classibus*: hinc enim patet, tempore Mosis fuisse classes & naues. has enim Hebræis hîc, quasi notas proponit & nominat Moses. vnde patet, quàm historia Mosis antiquior sit historia Gentilium & Poëtarum. hi enim primas naues putant fuisse Iasonis & Argonautarum, qui fuerunt paulò ante bellum Troianum, sub tempora Iephte, iudicis Hebræorum.

Mosis tempore erant naues, multo ante Iasonem & Argonautas.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Moses Hebræos vrgere ad legem Dei, partim beneficijs & promissis: partim minis & terroribus, idq; à vers. 18. ad finem capitis.

1. HÆc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi vt feriret cum filijs
Israel in terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.
2. Vocauitque Moyses omnem Israel, & dixit ad eos: Vos vidistis vniuersa, quæ fecit
Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque
terræ illius, 3. tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque
ingentia, 4. & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, vsque in præsentem diem. 5. Adduxit vos quadraginta an-
nis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestro-
rum vetustate consumpta sunt. 6. Panem non comedistis, vinum & siceram non
bibistis: vt sciretis quia ego sum Dominus Deus vester. 7. Et venistis ad hunc locum:
egressusque est Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam.
Et

Et percussimus eos, 8. & tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse. 9. Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea: vt intelligatis vniuersa quæ facitis. 10. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus, ac maiores natu, atque doctores, omnis populus Israel, 11. liberi & vxores vestræ, & aduena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas: 12. vt transeas in fœdere Domini Dei tui, & in iureiurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: 13. vt suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, & sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob. 14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, 15. sed cunctis præsentibus & absentibus. 16. Vos enim nostis quomodo habitauerimus in terra Ægypti, & quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes, 17. vidistis abominationes & sordes, id est, idola eorum, lignum & lapidem, argentum & aurum, quæ colebant. 18. Ne fortè sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro: vt vadat & seruiat dijs illarum Gentium: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.
19. Cumque audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei: & absumat ebria sitientem, 20. & Dominus non ignoscat ei: sed tunc quàm maximè furor eius fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen eius sub cælo, 21. & consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius ac fœderis continentur. 22. Dicetque sequens generatio, & filij qui nascentur deinceps, & peregrini, qui de longè venerint, videntes plagas terræ illius, & infirmitates quibus eam afflixerit Dominus, 23. sulphure & salis ardore comburens, ita vt vltrà non feratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subuersionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas subuertit Dominus in ira & furore suo. 24. Et dicent omnes Gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immensa? 25. Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti: 26. & seruierunt dijs alienis, & adorauerunt eos, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi: 27. idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, vt induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt: 28. & eiecit eos de terra sua in ira & in furore & indignatione maxima, proiecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. 29. Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis & filijs nostris vsque in sempiternum, vt faciamus vniuersa verba legis huius.

VERS. 1. HÆC SVNT VERBA FOEDERIS] Deus inijt fœdus in Sina cum Hebræis, Exodi 19 vers. 4. dando eis decalogum, aliasque leges: hîc verò post 38. annos, illud fœdus renouat cum posteris eorum, in campestribus Moab, sub hac conditione, vt scilicet seruent leges eius.

VERS. 2. VOCAVITQVE MOYSES OMNEM ISRAEL] Fortè ergo Israelitæ iam domum redierunt, interpolata oratione Mosis: hæc enim hucusque longa satis fuit concio; inde hîc denuò reuocati sunt, quasi ad fœdus cum Deo renouandum. ita Abulensis.

Posset tamen Secundò, sic simpliciùs & planiùs explicari: *vocauit*, id est compellauit omnem Israel.

VERS. 2. & 3. VOS VIDISTIS, &C. TENTATIONES MAGNAS] putà plagas magnas inflictas Ægyptijs, quibus Deus animos Ægyptiorum tentauit, impulit, & coëgit vt vos dimitterent.

VERS. 4. ET NON DEDIT VOBIS DOMINVS COR INTELLIGENS, ET OCVLOS VIDENTES, ET AVRES QVÆ POSSVNT AVDIRE] Hebr. *aures ad audiendum*, vel *audientes*, vt scilicet audiretis portenta Dei. non quasi Hebræi non haberent oculos, aut non vidissent portenta, & beneficia sibi à Deo præstita, aut non audissent ea: sed quòd videntes & audientes ea, quasi non viderent, & non audirent: quia ea non æstimabant, nec inde ad amorem, obedientiam, & laudem Dei creatoris & largitoris assur- A gebant. Deus ergo non dedit eis aures, cor & oculos videntes, quia ipsi ea occluserunt illuminationi & gratiæ Dei, sicut qui claudit fenestram, non potest eum sol illuminare. q.d. Semper ingrati fuistis tantis Dei in vos beneficijs, & corpore licet ea videntes, corde tamen & mente ea non vidistis, nec æstimastis. vnde Raban. *Quòd verò, inquit, dicit Deum non dedisse eis oculos, nec aures, nullo modo arguens & increpans hoc diceret, nisi ad eorum culpam* (qui lumine & gratia Dei indigni, eique rebelles fuerunt) *pertinere vellet intelligi* ita & Theodor.

NON SVNT ATTRITA VESTIMENTA VESTRA] Quærit hîc Abulens. vnde tot millia paruulorum, B qui nati sunt in deserto, habuerunt suas vestes? Aliqui respondent, Hebræos eas emisse à vicinis gentibus Sed illæ ferè hostiles erant: vnde Hebræi cum eis vix habebant commercia. Secundò, Abulens. respondet, Hebræos eas extulisse secum ex Ægypto: & esto, illæ maiores essent & viriles, supernaturaliter tamen easdem fuisse imminutas & contractas, atque accommodatas corpusculis paruulorum, easque rursum cum eis crescentibus creuisse. Verùm hoc miraculum hîc sine necessitate ponitur. VERS. 5. *Vnde paruuli nati in deserto, habuerint vestes? Mira Abulens. opinio.*

Dico ergo Primò, Hebræos in exitu spoliasse Ægyptum, vestesque varias inde extulisse, vt patet Exodi 12. 35 quas postea dissuerunt & consciderunt, easque corporibus paruulorum admensi *Responsio Prima.*

Secunda. sunt & adaptarunt. Secundò, vestes eorum, qui moriebantur in deserto cedebant ijs qui subnascebantur & succrescebant. Tot autem ferè sunt mortui in deserto, quot nati, vt patet conferenti cap. 12. Exodi vers. 37. cum Numer. 26. 51.

Tertia. Tertiò, Hebræi tam viri, quàm feminæ, in deserto per 40. annos non fuerunt otiosi, sed lanam & linum tractabant, indeque sibi pannos ac vestes confecerunt. Pari modo, ex pellibus animalium suorum conficiebant corium, indeque calceos, vti concedit Abulens. quod si ita est, cur non pari modo ex lana & lino confecerint pannos & vestes?

Tertul. hinc probat resurrectionem. Ex hoc loco Tertullian. lib. de Resurrect. carnis cap. 58. eam ita probat: *Hæ, inquit, figuræ nostræ fuerunt, vt Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis vtique conseruatorem, cuius etiam vestimenta & calceamenta protexit.*

VERS. 6. *An præter manna, aliud comederint Hebræi.* PANEM NON COMEDISTIS] Quia loco panis comedebant manna; carnes tamen, oua, pisces, &c. potuerunt comedere, & emere à vicinis gentibus, vti dicitur Deuter. 2. 6. vix tamen ea emisse & comedisse videntur: quia in manna habebant omnem saporem. ita Abulensis.

VERS. 10. VOS STATIS HODIE CVNCTI] Oportebat vt omnes ad susceptionem legis & fœderis conuenirent: quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. & hoc modo condebantur leges Romanæ; scilicet conueniente toto populo, quærebat alta voce magistratus, vtrùm placeret eis talis lex: atque ex responsione totius populi pendebat, vtrùm illa approbaretur, vel reprobaretur, vt patet in Institut. de iure naturali, §. *lex est*. ita Abulensis.

VERS. 12. VT TRANSEAS IN FOEDERE DOMINI DEI TVI, vt scilicet ineas fœdus solemne coram, & cum Deo tuo, & obstringas te IVRE IVRANDO] id est execratione maledictionum hoc cap. & præced. descriptarum. has enim significat Hebr. אלה *ala*, & Græcum ἀρὰς.

VERS. 18. NE FORTE, &c. SIT INTER VOS RADIX GERMINANS FEL ET AMARITVDINEM] vel toxicum, & absinthium, vti vertunt recentiores; Chald. vertit, *ne sit inter vos cogitans peccata & superbiam.*

Peccatum est fel & toxicum cur? Primò. Secundò. Tertiò. Peccatum ergo, & auersio à Deo hîc dicitur fel, amaritudo, absinthium, toxicum, Primò, quia lethaliter sauciat animam. Secundò, quia eam amaricat per remorsum conscientiæ, & lancinat. Tertiò, quia eam reddit Deo inuisam & exosam. peccatum enim est obiectum vnicum iræ, indignationis & vindictæ Dei. Similis phrasis est Actor. 8. v. 23. ait enim Petrus Simoni Mago: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*

Explicatio Prado. Potest Secundo, hîc fel significare bilem Dei, quasi dicat, inquit Hieronym. Prado in Ezech. cap. 8. pag. 117. Cauete, ne inter vos reliqua sit aliqua idololatriæ species occulta, quasi radix sub terra, quæ deinde germinet absinthium fellis amarissimum, quæ scilicet accendat bilem meam, & ebullire faciat fel, ita vt nulla sit remissio. nam bilem sequitur sitis, sitim ebrietas, & furoris effusio, atque hoc est quod sequitur: *Et assumat ebria sitientem*, id est consequatur ebrietas sitim: vel potiùs, *absumat ebria*, scilicet anima, *sitientem*, scilicet animam, id est animæ sitim, q. d. Vt animæ sitim ebrietas extinguat & absumat. Verùm de hac phrasi mox dicam.

VERS. 19. CVMQVE AVDIERIT VERBA IVRAMENTI (id est maledictionis, & execrationis huius, vti dixi v. 12. contemnens & irridens eam (BENEDICAT SIBI IN CORDE SVO] blandiatur sibi, promittendo scilicet sibi impunitatem, & *pacem*, id est prosperitatem, etiamsi leges hasce meas violarit. patet ex sequent.

ET ABSVMAT (ita legendum cum Roman. & Regijs, non *assumat*, vt habent Plantin. EBRIA SITIENTEM] Hebr. est *vt addatur ebria sitienti*, scilicet in pœna, æquè ac culpa. vnde Septuag. clarè vertunt, *vt peccator perdat simul innocentem*. Vox enim *non*, quam addunt Septuag. dicentes, *non perdat*, non est in Hebræo, & prohibitiuè tantùm à Septuag. est addita. vnde meliùs & planiùs omittitur. Huc alludit & Chald. *Vt addantur ei peccata ignorantiæ peccatis superbiæ*. q. d. ait Rabanus, Caue, ne qui ebrius es malitia & præsumptione, seducas eum, qui habet votum discendi veritatem. Videtur autem illo tempore fuisse prouerbium, *Ebrius sitientem, aut sobrium ducit* (vti apud nos est, *cæcus cæcum ducit*) id est, impius & sceleratus simplicem & auidum, non tam veritatis & sapientiæ, vt vult Rabanus, quàm nouitatis & voluptatis (ebrietas enim & sitis sunt eiusdem rei) ducit, & seducit ad suas sceleratas voluptates, errores & idololatrias. *Ebrius sitientem quid?* Aliter hanc phrasin explicat Eugubinus, sed minùs, vt videtur, genuinè; scilicet sic: *Vt addatur ebria sitienti, aut ebrietas siti; quasi dicat, Vt auidissimè pessimos quosque errores imbibant, vt eorum maleficiendi sitis fiat quædam ebrietas. inebrientur malefactis, quod tantoperè priùs cupiebant.*

Hinc symbolicè, absumit ebria sitientem, cùm pars inferior voluptatibus inescata & inebriata, totam ad se mentem (quæ sitiens est, quòd voluptatum corporalium per se sit expers) trahit & absorbet; tùncque homo fit mancipium corporis sui: dominatur enim corpus & appetitus in rationem, eamque sibi subijcit.

FVROR EIVS FVMET] id est, grauissimè irascatur & vlciscatur Deus. VERS. 20.

ET SEDEANT] vt quasi fixè & immobiliter peccatori adhæreant hæc maledicta, vti sedens adhæret suæ sedi.

SVLPHVRE, ET SOLIS ARDORE COMBVRENS] VERS. 23. scilicet terram vestram. Pro *solis* corrige *salis*. ita Hebr. Chald. Septuag. & Roman. Sal enim terræ inspersum, eam exsiccat, vrit, depascitur, & sterilem facit. hinc Achimelech sal sparsit in agro Sichem, cùm vellet eum omnino sterilem efficere, Iudic. 9. 45.

IN (id est *ad*) EXEMPLVM SVBVERSIONIS SODOMÆ] q. d. Instar subuersionis Sodomæ, sicuti Deus subuertit Sodomam. patet ex Hebræo.

ET SERVIERVNT DIIS ALIENIS, &c. QVIBVS VERS. 26. NON FVERANT ATTRIBVTI (Hebr. *quos non diuisit eis*, quisquam scilicet, id est, qui non sunt eis diuisi & attributi. Cal enim pro niphal, id est actiuum pro passiuo, sæpè vsurpant Hebræi: q. d. Hebræi dijs alienis non sunt dati in custodiam & famulatum, sed Deo vero, eiusque hereditas iam ab olim fuerunt: quare sacrilegè ipsimet se illi suffurati sunt, & alienis dijs se subiecerunt) SICVT HODIE VERS. 28. COMPROBATVR] videlicet quando ista, quæ hîc prædicuntur, posterioribus temporibus facta fuerint. loquitur enim Moses de tempore futuro: sunt enim hæc verba Gentium, desolationem Iudæorum factam admirantium.

ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO, QVÆ VERS. 29. MANI-

MANIFESTA SVNT, NOBIS, ET FILIIS NOSTRIS] A Chald. Aben Esra, & Rabbini sic explicant, q. d. *quæ occulta sint coram Domino*, id est, Domini est occulta peccata punire: *quæ autem manifesta sunt, nobis*, scilicet conuenit ea punire. Verùm meliùs ad legem Dei, vel potiùs ad maledicta & flagella Dei, quæ hîc præuaricatoribus ab eo intentantur, hæc referemus, q. d. Hæc flagella futura, præuisa & decreta à Deo, sunt abscondita, suntque inter occulta Dei iudicia, quæ tamen nobis manifestauit, vt eorum metu legem eius faciamus. ita Caietan. Quòd enim Abulens. sic explicat: manifesta sunt nobis flagella Dei, quia ea iam immissa sunt nobis quia ea sentimus & experimur; non consentit cum sequentibus. sequitur enim: *Vsque in sempiternum, vt faciamus vniuersa verba legis huius.*

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit concionari Moses: vnde Primò, promittit eis reditum è captiuitate, si ad legem Dei redeant. Secundò, v. 11. docet legem Dei eis esse ad manum. Tertiò, v. 15. proponit eis vitam & mortem, bonum & malum. Quartò, v. 19. ad hoc testes inuocat cælum & terram.

1. CVm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, siue maledictio,
quam proposui in conspectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in vniuer-
sis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, 2. & reuersus fueris ad eum,
& obedieris eius imperijs, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filijs tuis, in toto corde
tuo, & in tota anima tua: 3. reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac mi-
serebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te antè dispersit.
4. Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, 5. &
assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam: &
benedicens tibi, maioris numeri te esse faciet quàm fuerunt patres tui. 6. Circum-
cidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum
tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. 7. Omnes autem ma-
ledictiones has conuertet super inimicos tuos, & eos qui oderunt te & persequuntur.
8. Tu autem reuertêris, & audies vocem Domini Dei tui: faciesque vniuersa mandata
quæ ego præcipio tibi hodie: 9. & abundare te faciet Dominus Deus tuus in cun-
ctis operibus manuum tuarum, in sobole vteri tui, & in fructu iumentorum tuorum, in
vbertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Reuertetur enim Dominus, vt gau-
deat super te in omnibus bonis, sicut gauisus est in patribus tuis: 10. si tamen audieris
vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta eius & cæremonias, quæ in hac lege
conscripta sunt: & reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota
anima tua. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque
procul positum, 12. nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrûm valet ad cælum
ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? 13. Neque
trans mare positum: vt causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & il-
lud ad nos vsque deferre: vt possimus audire & facere quod præceptum est? 14. Sed
iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. 15. Considera
quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrariò mortem &
malum: 16. vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & custodias
mandata illius ac cæremonias atque iudicia: & viuas, atque multiplicet te, benedicat-
que tibi in terra, ad quam ingrediêris possidendam. 17. Si autem auersum fuerit cor
tuum, & audire nolueris, atque errôre deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris
eis: 18. prædîco tibi hodie quòd pereas, & paruo tempore morêris in terra, ad quam,
Iordane transmisso, ingredieris possidendam. 19. Testes inuoco hodie cælum &
terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem.
Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum: 20. & diligas Dominum Deum
tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas (ipse est enim vita tua, & longitudo die-
rum tuorum) vt habites in terra, pro qua iurauit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac,
& Iacob, vt daret eam illis.

VERS. 4. SI AD CARDINES (hebr. ad extremitatem) CÆLI FVERIS DISSIPATVS, INDE TE RETRAHET DOMINVS] Est hyperbole. q. d. Si fueritis in extremo orbe, inde reducet vos Deus; si ad extremas terræ regiones, quæ sub polis, arctico & antarctico, sitæ sunt, relegati fueritis, inde in patriam vos reuocabit. vnde Franc. Valesius c. 26. Sacræ Philos. ex nostro hoc textu colligit, esse Antipo- B des. nam qui sub polo arctico degunt, sunt Antipodes ijs, qui degunt sub antarctico, & contrà. Innuit autem hîc Deus, Hebræos eò posse dispergi, ac proinde ibi esse terram habitabilem. Abulensis per cardines cæli accipit quatuor cæli plagas, videlicet Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem. Verùm aptiùs, per cardines accipias duos polos iam dictos: quia sicut ostij

Antipodes esse docet Moses.

cardines

Cardines cæli sunt poli eius duo.

cardines sunt fixi & immobiles, in iisque voluitur & mouetur ostium; ita poli sunt fixi & immobiles, in iisque voluitur cælum.

Iudæi hunc locum torquent contra Christum.

Est hic vnus è potioribus Scripturæ locis, quem Iudæi pro se citant, & Christianis semper obiiciunt, nempe quòd iam sint in vltima captiuitate, in quatuor mundi plagas dispersi, vbi expectant Messiam, qui illos iterum in vnum congreget, & in Iudæam reducat: hanc enim Scripturam non esse impletam in reditu è captiuitate Babylonica, eò quòd in ea non fuerint dispersi in quatuor mundi plagas, & eò quòd duæ tantùm tribus tunc in Iudæam redierint, aliis decem in Assyria manentibus.

Refellitur Primò.

Verùm Nehemias cap. 1. vers. 8. & 9. disertè docet, hunc locum, & hanc promissionem impletam esse, in reditu è captiuitate Babylonica. non enim asserit Moses, eos dispergendos ad extrema cæli, sed loquitur conditionatè, aitque, Etiamsi contingeret vos dispergi ad extrema cæli, inde reducam vos: estque hyperbole, vt dixi.

Secundò. Adde, loquitur Moses de statu legis & iudaismi: eò enim stante, promittit eis reditum in Iudæam, si pœnitentiam agant: iam autem hic status, cum

Tertiò. iudaismo, per Christum est abolitus. vnde duæ tribus iam in plena dispersione sua & euersione versantur, à 1600. annis; decem verò tribus, à bis mille & ampliùs annis, quamcumque pœnitentiam egerint, vel agant, hactenus tamen tanto tempore eas reduci non vidimus.

Quartò. Denique, Iudæi pœnitere, & ad Deum redire nequeunt, nisi Christum à Deo missum recipiant: hoc autem facient in fine mundi, qui tunc eos per Eliam & Henoch, in Ierusalem reducet, conuertet & saluabit.

VERS. 6. CIRCVMCIDET COR TVVM] Id est, auferet superflua & nociua desideria, & duritiem voluntatis tuæ. vnde Septuag. vertunt, περικαθαριεῖ, id est circumpurgabit cor tuum. vide dicta Leuitici 26. 41.

VERS. 9. REVERTETVR VT GAVDEAT] Non quasi mutabilis sit Deus, vt nunc gaudeat, nunc doleat; sed anthropopathōs de Deo loquitur Script. homines enim cùm alicuius miserentur, cumque in gratiam recipiunt, lætantur de eius bonis & felicitate, cùm priùs eum odissent, & in eius pœnis ac ærumnis lætati fuissent. In Deo autem nulla ha-

Lætitia in Deo qualis? rum passionum est temporalis vicissitudo: sed ab æterno lætatus est Deus, simul & semel vnico actu, de toto ordine punitionis & præmiorum, qui per omnem æternitatem decurret, & his illisve obueniet; atque in eo actu, eaque lætitia semper perseuerat & perseuerabit.

VERS. 10. SI TAMEN AVDIERIS VOCEM DOMINI DEI TVI] Si enim vis vt audiat te Deus, tu prior eum audi; vel exteriùs per legem, Scripturam aut concionatorem, vel interiùs per sanctam inspirationem loquentem. Si vis vt Deus faciat voluntatem tuam, tu prior facito quæ ipse vult & mandat. Si vis vt ipse reuertatur ad te, tu pariter reuertere & occurre illi. Si vis vt ipse gaudeat super te, tu quoque gaude super illo. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Hinc viri sancti omnia quæ petunt à Deo impetrant, quia vicissim faciunt quicquid ab eis exigit Deus. Ita S. Dominicus dicebat se nihil vmquam postulasse à Deo, quod non protinus obtinuisset. cumque subderet vnus: Pete ergo vt D. Conradus (Doctor is erat celebris) fiat tui Ordinis. Difficile, ait, hoc quidem est, attamen si petam futurum confido. Petiit, totaque nocte orauit; & ecce manè accurrit Conradus stimulatus à Deo, habitumque Ordinis à S. Dominico flagitat & accipit. Quòd ergo suos orantes subinde non exaudiat Deus, causa est quòd nos non audiamus eum, nec obediamus voci eius. O quanti fieremus apud Deum, si ei semper studiosè auscultaremus & obsequeremur! Solebat S. Franciscus, audiens internam Dei inspirationem etiam in itinere, consistere, totusque ad eam attendere dicens: Loquere Domine, audit seruus tuus; & quamdiu inspiratio durabat, consistebat, eique humiliter & attentè auscultabat, moxque eam opere adimplebat; hinc tantus euasit.

E contrario non patitur Deus se contemni, suamque vocem negligi. est enim hoc indignum & iniurium Deo: vnde ipse tales punit deserendo eos, sinendoque vt ruant in grauia mala & peccata. Hoc est enim quod ipse comminatur Prouerb. 1. 24. *Quia vocaui, & renuistis, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo.* Qui ergo sapit audiat illud Psaltis: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

MANDATVM HOC, &C. NON SVPRA TE EST] vt possis te excusare, & dicere, Non possum illud attingere, vt sciam & compleam. Hebr. est, *mandatum hoc non est à te separatum, nec remotum.* VERS. 11.

SED IVXTA TE EST SERMO, IN ORE TVO, ET IN CORDE TVO] q. d. Habes legem Dei ad manum, vt in corde, id est memoria, eam rumines, eamque ore proloquaris. Hunc locum citat Apostolus Rom. 10. & allegoricè pulchreque, vt docet S. August. quæst. 53. accommodat eum fidei, vt ostendat, quàm facilè per eam homo iustificari possit. Nec enim ad hoc opus est, vt quis ascendat in cælum, & inde nobis Christum deducat, vt videamus Christum, & videntes salui fiamus; sed satis est, credere Christum esse Deum; & nostri causa de cælo descendisse. Sic non est opus, vt quis ad inferos descendat, & inde Christum à mortuis ad vitam reducat, sed sufficit, vt credamus Christum diuina virtute resurrexisse: hoc autem credere corde, & ore profiteri est facillimum. vide dicta Rom. 10. 6. VERS. 14.

CONSIDERA QVOD HODIE PROPOSVERIM IN CONSPECTV TVO VITAM ET BONVM, ET E CONTRARIO MALVM ET MORTEM] scilicet *in liberam prædam*, ait S. Chrysost. *Quasi enim liberum quoddam voluit esse aucupium mortis ac vitæ, vt in alto veluti suspensa, animabus fidelium exponerentur ad prædam.* Huc allusit Sapiens, Eccles. 15. 17. *Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. Hominis arbitrium,* ait ibidem Iansenius, *Deus quasi suspendit in æthere inter duo elementa; aquam, in symbolum refrigerii vitæ æternæ; ignem, in expressionem tormentorum apud inferos.* VERS. 15.

AMBVLES IN VIIS EIVS] legi eius studiosè & continuè obediendo. Nota. Script. crebrò vtitur verbo ambulandi: quia fidelium est numquam stare, sed semper progredi in via Domini. *Numquam,* inquit S. Bernard. epist. 253. ad Garinum. *iustus arbitratur se comprehendisse, numquam dicit. Satis est; sed semper esurit sititque iustitiam: quia in æternum se diuino mancipauit famulatui.* Hinc Prou. 4. v. 18. VERS. 16. *Fidelium est semper progredi in virtute.*

v.18.dicitur, *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Et psalm.83. v.8. *Beatus homo cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit,&c. ibunt de virtute in virtutem.* Præclarè S.Bernard.epist.253. *Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusq́, metam, vbi Christus posuit, qui nusquam stetit, sed exultauit vt gigas ad currendam viam, factus obediens vsque ad mortem.*

VERS.19. TESTES INVOCO HODIE CÆLVM ET TERRAM] Quomodo cælum & terra testes sint, tum legis, tum præuaricationis, tum vindictæ diuinæ, explicui cap.4.26.

QVOD PROPOSVERIM VOBIS VITAM ET MORTEM] Ita legendum cum Roman. Hebr. Chald. & Septuag. non autem, *vitam & bonum.* q.d. Si legem hanc serues, promitto tibi vitam hic longæuam & felicem: sin eam violes, comminor & prædico tibi mortem celerem & miseram, eamque & præsentem & æternam. Elige ergo vnum è duobus.

IPSE EST ENIM VITA TVA, ET LONGITVDO DIERVM TVORVM] q.d. Deus est effectiuè vita & longæuitas tua: quia scilicet ipse prolongabit tibi vitam, si eius legi obedias. Vnde Actor.17. dicitur, *In ipso*, id est per ipsum, *viuimus, mouemur, & sumus.* VERS. 20.

Pulchrè S.Dionys. cap.6. de Diuin. nom. docet Deum esse vitam in se essentialem: rursum eum esse vitam causalem vitæ animalium, plantarum, hominum, angelorum & Beatorum; eamque triplicem, primò exemplarem, secundò efficientem, tertiò finalem.

Deus est vita. Primò, essentialis; Secundò, causalis, eaq́ triplex.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses roborat populum & Iosue, vt pergant in Chanaan. Secundò, v.9. scribit Deuteronomium, illudq́; iubet legi populo, in anno septimo remissionis. Tertiò, Deus v.14. alloquitur & instituit Iosue loco Mosis. Quartò, vers.19. iubet scribi canticum cap. sequentis, illudq́, ab Israelitis edisci & cani. Quintò, v.26. iubet Deuteronomium in latere arcæ seruari.

1. Abijt itaque Moyses, & locutus est omnia verba hæc ad vniuersum Israel, 2. &
dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum vltrà egredi &
ingredi, præsertim cùm & Dominus dixerit mihi: Non transibis Iordanem istum.
3. Dominus ergo Deus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu
tuo, & possidebis eas: & Iosue iste transibit ante te sicut locutus est Dominus. 4. Facietque Dominus eis sicut fecit Sehon & Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum,
delebitque eos. 5. Cùm ergo & hos tradiderit vobis, similiter facietis eis sicut præcepi vobis. 6. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te. 7. Vocauitque Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel: Confortare, &
esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus
eorum iurauit Dominus, & tu eam sorte diuides. 8. Et Dominus qui ductor est vester,
ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paueas. 9. Scripsit
itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel. 10. Præcepitque eis, dicens: Post
septem annos, anno remissionis, in sollemnitate tabernaculorum, 11. conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit
Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel, audientibus eis, 12. & in vnum
omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, paruulis, & aduenis, qui sunt intra portas tuas: vt audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis huius. 13. filij quoque eorum qui nunc
ignorant, vt audire possint, & timeant Dominum suum cunctis diebus quibus versantur
in terra, ad quam vos, Iordane transmisso, pergitis obtinendam. 14. Et ait Dominus
ad Moysen: Ecce propè sunt dies mortis tuæ: voca Iosue, & state in tabernaculo testimonij, vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moses & Iosue, & steterunt in tabernaculo testimonij: 15. apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. 16. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, &
populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur vt
habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. 17. Et
irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem
meam ab eo, & erit in deuorationem: inuenient eum omnia mala & afflictiones, ita vt
dicat in illo die: Verè quia non est Deus mecum, inuenerunt me hæc mala. 18. Ego
autem abscondam, & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit,
quia secutus est deos alienos. 19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: vt memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel. 20. Introducam enim eum in terram, pro qua iuraui patribus

tribus eius, lacte & melle manantem. Cumque comederint, & saturati crassique fuerint, auertentur ad deos alienos, & seruient eis: detrahentq; mihi, & irritum facient pactum meum. 21. Postquam inuenerint eum mala multa & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes eius, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. 22. Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit filios Israel. 23. Præcepitque Dominus Iosue filio Nun, & ait: Confortare, & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, & ego ero tecum. 24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque compleuit: 25. præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, 26. Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: vt sit ibi contra te in testimonium. 27. Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me & ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum: quanto magis cùm mortuus fuero? 28. Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & inuocabo contra eos cælum & terram. 29. Noui enim quòd post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum vestrarum. 30. Locutus est ergo Moyses, audiente vniuerso cœtu Israel, verba carminis huius, & ad finem vsque compleuit.

VERS. 1. ABIIT ITAQVE MOYSES, ET LOCVTVS EST] A id est, addidit ergo, vel cœpit loqui Moses verba ista, quæ sequuntur. Hebræi enim per *egredi, abire, surgere*, sæpè intelligunt incipere: *abijt* ergo, id est cœpit. ita Abulens. & Oleast.

Abiit, id est cœpit.

VERS. 2. NON POSSVM VLTRA EGREDI ET INGREDI] non possum vltrà vos ducere, & esse dux vester, tum propter senium, tum quia Deus prohibuit me ingressu terræ promissæ, vt sequitur. ita Oleaster.

VERS. 3. DOMINVS ERGO DEVS TVVS TRANSIBIT ANTE TE] non mutando locum, sed operando, & debellando hostes tuos. q.d. Deus erit dux tuus, vsque in Chanaan.

SCRIPSIT ITAQVE MOYSES LEGEM HANC] Putà Deuteronomij. Nota. Scripsit hæc (æquè ac canticum sequens cap. 32. vt patet v. 22. huius) B Moses, antequam ea diceret & promulgaret populo. nam eadem die, qua hæc dixit Moses, & populo benedixit, ascendit in montem Nebo, vt patet cap. seq. v. 48. ibique mortuus est: nec enim Moses potuisset eodem die, totum Deuteronomium dicere simul, & scribere. ita Abulens.

Deuteronomium dixit Moses per vices.

Hinc videtur, quòd Moses totum Deuteronomium non dixerit vnica vice: tum quia hoc longum & molestum fuisset: tum quia postquam cœpit illud proloqui antequam finiret, scripsit illud, vt hîc dicitur.

VERS. 10. & 11. POST SEPTEM ANNOS, computandos à diuisione & possessione pacifica terræ sanctæ, ANNO REMISSIONIS, IN SOLEMNITATE TABERNACVLORVM, &C. LEGES VERBA LEGIS HVIVS] Quolibet C ergo anno septimo, publicè legi debebat Deuteronomium, coram omnibus, etiam paruulis. Nam primæ impressiones sunt fortissimæ. vnde Aristot. magni, ait, interest à iuuentute sic vel sic assuescere. Hinc & Plato iussit, homines à teneris instrui ad rectè lætandum & tristandum; quia in his perfecta disciplina est, vt scilicet lætemur de virtutibus, tristemur de vitijs.

Perfectio est, nosse rectè lætari & tristari.

Mysticè annus septimus remissionis est tempus gratiæ, in quo Christus & Apostoli secundam legem, putà Euangelicam, promulgarunt. ita Cyrill. in Glaphyris.

VERS. 13. FILII QVOQVE EORVM QVI NVNC IGNORANT] putà paruuli, qui nihil adhuc nouerunt, ideoque pariter ignorant hanc Dei legem.

POPVLVS ISTE CONSVRGENS FORNICABITVR POST DEOS ALIENOS] sequetur deos alienos, eosque colet in deserto. idololatria enim à Prophetis vocatur fornicatio. VERS. 16.

ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EO] subtrahendo ei meam protectionem. VERS. 17.

SCRIBITE VOBIS CANTICVM ISTVD (putà carmen hoc, de quo cap. 32.) ET DOCETE FILIOS ISRAEL, VT, &C SIT PRO TESTIMONIO] scilicet propriæ iniquitatis, & iustitiæ diuinæ. VERS. 19.

POSTQVAM INVENERINT EVM MALA, &C. RESPONDEBIT EI CANTICVM ISTVD] q.d. Tunc carmen hoc, quod pangam cap. seq. testabitur populo Hebr. quòd deliquerit, & à Deo desciuerit, cùm scilicet reipsa viderit, sibi ea mala accidisse, quæ in carmine hoc intentabo & prænuntiabo desertoribus Dei. VERS. 21.

SCIO ENIM COGITATIONES EIVS, QVÆ FACTVRVS SIT, HODIE] τὸ *hodie*, referendum est, non ad *facturus sit*, sed ad *scio*. q.d. Scio hodie & ex nunc, ingenium & propensionem populi huius ad idola & alia mala, quodque illa reipsa facturus sit suo tempore.

TOLLITE LIBRVM ISTVM (Deuteronomij) ET PONITE EVM IN LATERE ARCÆ FOEDERIS DOMINI] Non quòd hic liber intra ipsam arcam, in angulo eius aliquo positus sit, aut poni iussus Nam in arca tantùm repositæ fuerunt tabulæ legis, vt patet 3. Reg. 8. 9. & 2. Paralip. 5. 10. sed quòd ad latus arcæ, vt habent Hebræa, hoc est extra arcam, in limbo siue sinu eius, vel prope eam, vnà cum virga Aaronis, & vrna continente manna, inquit Abulens. collocatus sit: ex quo loco postmodum ædificato templo, translatus videtur ad gazophylacium, siue ad locum thesaurorum, vti colligitur 2. Paralip. 34. 14. VERS. 26.

EGO SCIO CONTENTIONEM TVAM, ET CERVICEM DVRISSIMAM] q.d. Quia tu, ô popule Hebræe, es contumax, & propensus ad contentionem & rebellionem, posses que procaciter negare, quòd vmquam tibi data fuisset à me hæc lex, ideo volo, vt liber hic legis recondatur in arca, indeque contra te in testimonium proferatur, cùm opus fuerit. Nota. Alloquitur hîc Deus Leuitas, quasi totum VERS. 27.

totum populum: quia illi, vtpote sacerdotes & Leuitæ, totum populum repræsentabant.

VERS. 28. INVOCABO CONTRA EOS CÆLVM ET TERRAM] vt sint testes eorum quæ dico, scilicet futuræ eorum tam transgressionis, quàm punitionis. Vnde canticum sequens, quod est de hac re, sic orditur: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Vide dicta cap. 4. 26.

VERS. 29. PER OPERA MANVVM VESTRARVM] per prauas actiones vestras. Secundò, per idola quæ manibus vestris facietis & coletis ita Abulens.

VERS. 30. LOCVTVS EST ERGO MOYSES, AVDIENTE VNIVERSO COETV ISRAEL] Hinc videtur per miraculum, vox Mosis senilis ita fuisse confortata & adaucta, vt à singulis audiretur, putà à tribus hominum millionibus, vti dixi c. 1. 1. ita Abulens.

VERBA CARMINIS HVIVS] quod scilicet proximè pepigit & cecinit Moses cap. 32.

Monita principum in morte. Nota hîc zelum, & vltima monita Mosis iam morituri: instar enim ignis ardet, vt populo legem Dei inculcet.

Ita Iosue c. 24. moriturus populum ad legẽ Dei fœdere astrinxit, & saxum ingẽs erexit, quod testis esset aduersus eum, ne datam Deo fidem falleret.

Ita Dauid moriturus ad Salomonem filium & regni heredem ait: *Ego ingredior viam vniuersæ terræ, confortare, & esto vir; & obserua vt custodias mandata Domini Dei tui.* 3. Reg 2.

Ita Constantius Cæsar pater Constantini Magni moriturus coronam filio imponens ad eum & ad Senatum dixit: *Nunc mihi mors vita ipsa dulcior est futura: nunc optatus adest obitus. Nam filium Imperatorem relinquo, qui Christianorum lachrymas absterget, & tyrannorum crudelitatem vindicabit.* Deinde ad multitudinem conuersus, bono animo omnes esse iussit, qui à vera in Christũ pietate non desciuissent, addiditque Christum deinceps cum Constantino in armis fore. Ita ex Eusebio Baron. tom. 2. an. Christi 306.

Ita Theodosius Imper. moriturus vocauit filios Arcadium & Honorium, eosque ardenti affectu seriò cohortatus est, per salutem ipsorum & reip. obtestans, vt sua vestigia insequentes hoc sibi A vnicè curæ esse vellent, quò fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conseruaretur, & ad posteros propagaretur; in eo conatu nullis laboribus ac sumptibus parcerent. uam in hoc vno summam felicitatis esse positam; hacque ratione vnica, nec vlla alia, rectè firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, & parari victorias. ita Theodor. lib. 5. c. 25. & alij.

S. Ludouicus rex moriturus filio suo hæc præcepit: *Fili mi ante omnia cura vt diligas Deum: nemo enim potest saluus esse, nisi Deum amet. Caue ne vmquam admittas peccatum mortiferum, sed omnia potiùs ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam. Crebrò confiteăris peccata tua, deligasq; tibi sapientes Confessarios, qui te possint docere,* B *quid agere, quid vitare te oporteat: coram illis ita tegeras, vt audeant synceré & reprehendere, & vitia indicare tibi. Parentibus tuis debes amorem, obedientiam & reuerentiam. Semper sis addictus & deuotus Romanæ Ecclesiæ, & eius Pontifici haud secus ac spirituali patri te morigerum prabeas.* Ita habet eius Vita, & Robert. Gaguinus lib. 7. histor. Franc.

Erricus Westgothorum rex conuocatis ad se proceribus, prædixit se ad nonum diem è vita mortali transiturum, impetrauitque ab illis, vt Alaricum filium in regni solio collocarent. Ei moriens præcepit inprimis, vt Deum diligeret, Dei ministros honoraret, sine consilio procerum fidelium C nihil arduum tentaret, subditos amaret, iustitiam coleret, clementiam seruaret, omnibus se benignum & liberalem exhiberet. Testis est Ioann. Magn. lib. 15. hist. c. vlt.

Philippus II. Hispaniarum rex moriens annó 1600. filio suo Philippo III. hæc commendauit: *Deus tibi magnã gratiam fecerit, si te ad eum gloria apicem, in quo me vidi, euexerit; & te, sicut me, prosperarit. Te ex animo obtestor, vt cùm id assecutus fueris, huius lecti in quo me vides, & vbi omnis huius mundi gloria sistit, memineris. Tibi commendo Sedis Apostolicæ obediẽtiam, fidei Catholicæ protectionem, religionis Christianæ zelum, reip. pacem, & in subditos iustitiam. Si Deus hæc consilia mea firmauerit, suum regem non amiserit hoc regnum; sed solùm cum fructu commutauerit.*

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HOc caput est canticum cycnæum Mosis, iamiam morituri. Moses enim ex Dei instinctu præuidens, quòd Hebræi post mortem suam à Deo desciscerent, ideoq; grauiter ab eo puniendi forent, Primò, cælum & terram in testes inuocat, Deiq; clementiam, iustitiam & perfectionem commendat. Secundò, v. 6. peruersam eorum generationem futuram increpat, refricans eis tot Dei in se beneficia, quòd post ea delicijs dissoluti, à Deo ad idola deflexerint. Tertiò, v. 28. ob peccata, eos à Deo irato, suaq; protectione ipsos destituente, varijs malis & plagis traditos esse canit. Quartò, v. 35. promittit Dei misericordiam, & in hostes eorum vindictam, vbi plagis suis admoniti resipuerint.

Quocirca Hebræi hoc canticum vocant summarium, siue compendium totius legis. Nam facit mentionem magnificentiæ Dei, creationis cæli & terræ, vnius Dei colendi, diluuij, diuisionis linguarum & terrarum, electionis populi Israel, beneficiorum ei à Deo in deserto præstitorum, resurrectionis mortuorum, &c.

1. AVdite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. 2. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. 3. Quia nomen Domini inuocabo: date magnificentiam Deo nostro. 4. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, &

absque vlla iniquitate, iustus & rectus. 5. Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus: generatio praua atque peruersa. 6. Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?
7. Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. 8. Quando diuidebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. 9. Pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius. 10. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. 11. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis. 12. Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus. 13. Constituit eum super excelsam terram: vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. 14. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum. 15. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. 16. Prouocauerunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. 17. Immolauerunt dæmoniis & non Deo, dijs quos ignorabant: noui recentesq; venerunt, quos non coluerũt patres eorum. 18. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.
19. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. 20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorũ: generatio enim peruersa est, & infideles filij. 21. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & iritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta iritabo illos. 22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. 23. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. 24. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. 25. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. 26. Dixi: Vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. 27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.
28. Gens absque consilio est, & sine prudentia. 29. Vtinam saperent, & intelligerét, ac nouissima prouiderent! 30. Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?
31. Non enim est Deus noster vt dij eorum: & inimici nostri sunt iudices. 32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. 33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.
34. Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis. 35. Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum: iuxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora. 36. Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur: videbit quòd infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. 37. Et dicet: Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?
38. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. 39. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere. 40. Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum. 41. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. 42. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes, de cruore occisorum, & de captiuitate, nudati inimicorum capitis. 43. Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui. 44. Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse & Iosue filius Nun.
45. Compleuitq; omnes sermones istos, loquens ad vniuersum Israel. 46. & dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: vt mandetis ea filiis vestris custodire & facere, & implere vniuersa quæ scripta sunt legis huius:
47. quia non incassum præcepta sunt vobis, sed vt singuli in eis viuerent: quæ facientes longo perseueretis tempore in terra, ad quã Iordane trãsmisso ingredimini possidendã.

48. Lo-

48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die dicens: 49. Ascende in
montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab
contra Iericho: & vide terram Chanaan, quam ego tradam filijs Israel obtinendam,
& morere in monte. 50. Quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est
Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis: 51. quia præuaricati
estis contra me, in medio filiorum Israel, ad Aquas contradictionis in Cades deserti
Sin; & non sanctificastis me inter filios Israel. 52. E contra videbis terram, & non
ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

Vers. 1. AVDITE CÆLI QVÆ LOQVOR] Hebr. *quia loquor*. q.d. Vos cælum & terra, quæ Deo viuitis, & semper obeditis, estote testes æterni eorum quæ Hebræis dicturus & prædicturus sum. vide dicta cap. 4. 26.

Tropolog. Tropolog. per cælos significatur præpositorum ordo, per terram subditorum plebs, inquit S. Gregor. lib. 2. Moral. 26. q.d. Audite præpositi, audite subditi legem & minas Dei vestri.

Vers. 2. CONCRESCAT IN PLVVIAM DOCTRINA MEA] Hebr. *stillet vt pluuia doctrina mea*, scilicet in corda Hebræorum. *τὸ* ergo *in*, ponitur pro *instar*: *in pluuiam*, id est instar pluuiæ. Sic enim Hebræi sæpè *beth* præpositionis, pro *caph* similitudinis vsurpát. q.d. Vtinam doctrina mea non sit cassa, frustranea & inutilis in vobis, sed fructum afferat, faciatque id quod facit pluuia & ros in agris & herbis, dum eas fœcundat. Vnde Septuag. vertunt, *expectetur vt pluuia doctrina mea*; & Chald. *suauis sit vt pluuia doctrina mea, suscipiatur vt ros verbum meum*.

Hebræi idē dicūt posteriore hemistichio, quod priore dixerunt. Vbi Nota. Multis verbis synonymis, vel quasi synonymis idem dicit Moses tum emphasis, tum hebraismi causa. Solent enim Hebræi, maximè in carmine, posteriore hemistichio, idem, vel quasi idem, alijs verbis repetere, quod priore dixerunt. id clarissimum est in psalmis, vt, *Deus in adiutoriū meum intende*: hoc enim idem est cum eo, quod subdit: *Domine ad adiuuandum me festina*. sic, *Tibi derelictus est pauper*, idem quasi est cum eo, quod sequitur: *Orphano tu eris adiutor*. sic, *Domine exaudi orationem meam*, idem est cum eo, quod sequitur: *Et clamor meus ad te veniat*. & ita in alijs plurimis. Sic hîc, *concrescat in pluuiam doctrina mea*, idem quasi est cum eo, quod sequitur: *Fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina*.

Nota Secundò, aptè verbū Dei comparari stillis & rori; quia instar roris animā lenit, humectat, pinguefacit, fœcundat. Hinc Abbas Pimenion, cuidam conquerenti, quòd verbum Dei, licet magno teneretur eius desiderio, complecti tamen nō posset, respondit: *Mollis admodum natura est aquæ, lapidum autem durities est ingens; attamen dum gutta in durum decidit silicem, tandem eum perforat: ita & verbum Dei molle & dulce est, corda autem nostra dura sunt, minusq; eius capacia. Eius autem cor qui frequenter & sedulò verbum Dei audit, tandem emollit, sic vt eius suauitatem & fructum plenè percipiat*. Quin & Horus Apollo l. 1 Hierogl. 35. Ægyptij, inquit, doctrinam indicantes, cælum pingebant rorem fundens, eò quòd sicut ros mollit & fæcundat herbas, non saxa: sic doctrina molliat & imbuat dociles, non stupidos, duros & indociles.

Vers. 3. ℣. QVIA NOMEN DOMINI INVOCABO. q.d. Domini maiestatem colam, laudabo & celebrabo. vnde & vos, ô Hebræi, DATE MAGNIFICENTIAM DEO NOSTRO] eius magnitudinem & laudem deprædicādo. Sic enim hæc phrasis accipitur Genes. 4. v. vlt. Hinc è conuerso, inuocari nomen Dei super aliquem, est Deum ab eo coli, illumque Dei esse & vocari seruum vel populum, vt dixi cap. 28. 10.

Vers. 4. DEI PERFECTA SVNT OPERA] q.d. Deus inuocandus & magnificandus est, quòd opera eius vsquequaque perfecta sint, ita vt nulla ex parte culpari, reprehendi, vel emendari possint: & speciatim hoc opus, quo promisit patribus vestris, dare terram Chanaan, iam tam fideliter & magnificè fecit, & penè perfecit, vt perduxerit vos ad ingressum illius terræ. q.d. Dei opera non sunt vt hominum, caduca, manca, incompleta & vitiosa, in quibus penè semper aliquid deest; sed sunt stabilia, completa & perfecta. Rursum, homo cùm cœpit aliquod opus, sæpè illud non perficit, sed mutat cōceptum & consilia; item cùm promisit aliquid, sæpè illud non adimplet: Deus autem cœpta cōsilia, & promissa sua numquam reuocat, sed semper ea perficit & adimplet. Tertiò, Deus tua, ô Israel, ô homo, opera imperfecta & vitiosa non creauit, vti non creauit te peccatorem, sed tu ea formasti, tu te peccatorem propria voluntate fecisti. nam, vt ait Psalt. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*; & Osee, *Perditio tua Israel, tantùm in me auxilium tuum*: Dei enim perfecta sunt opera. Quartò, nihil est, quod Deus per se aut per alium, ad perfectionem non adducat, ait Molina.

Dei opera sunt perfecta tripliciter. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

Nota. Pro *Dei*, hebr. est צור *tsur*, id est petra vel rupes: talis enim est Deus, tum ob stabilitatem, immutabilitatem, & fidem in promissis præstandis; tum quia firmissimè communit & roborat se colentes, & in se sperantes.

Deus est tsur, id est rupes, cur?

ET OMNES VIÆ EIVS, omnia opera eius, sunt IVDICIA] id est, sunt iusta & æqua. vsurpant enim sæpè Hebræi abstractum pro concreto, maximè vbi est emphasis.

Septem attributa Dei. Nota, hic septem epitheta & attributa Dei. Primò, quòd sit magnificus. Secundò, quòd sit *tsur*, id est petra immutabilis. Tertiò, quòd sit perfectus in omnibus operibus, vt discas à Deo illud Sapientis: *In omnibus operibus tuis*, etiam paruis, *præcellens esto*. Quartò, quòd sit iustus. Quintò, quòd sit fidelis. Sextò, quòd sit absque vlla iniquitate, id est sit sanctissimus. Septimò, quòd sit rectus, qui nec gratia, nec odio, nec muneribus, nec blanditiis, à recto & æquo dimouetur. Hæc imitentur Sancti, vtpote Dei filij, vt sint perfecti, sicut pater eorum cælestis perfectus est.

Vers. 5. PECCAVERVNT EI, ET NON FILII EIVS IN SORDIBVS] Clarè Interpres reddidit Hebræa, quæ implexa sunt, dicitque quòd Hebræi peccarint ei, ideoque non sint filij eius, qui in sordibus peccatorum suorum volutantur; sed adoptionem suam pernegarint, ideoque sint generatio praua atque peruersa. Hebræa ad verbum habent, *peruersa hæc & detorta generatio corrupit sibi* (scilicet vias & actiones suas, qui) *non* (sunt) *filij eius in maculis suis*.

& inter fratres diuidere solebant, vt patet Amos 7. v. vlt. vnde *funiculus* capitur pro ipsa hereditate, vt psalm. 15 6. *Funes ceciderunt mihi in praclaris*: quod more suo explicat, subdens: *Etenim hereditas mea praclara est mihi.* Similia sunt psal. 77. 55. Sophoniæ 2. 5. & alibi.

Funiculus pro hereditate.

VERS. 10. INVENIT (Deus) EVM (populum suum, siue Israelem) IN TERRA DESERTA] q. d. Dominus apparuit in columna nubis Israeli, cùm erraret in deserto, ibique cœpit eum deducere in terrā promissam. Dicit autem, quòd inuenerit eum in deserto: quia in Ægypto Israel seruiebat idolis, & iungebatur Ægyptijs: in deserto autem, putà in Sina, allectus est in populum & Ecclesiam Dei.

CVSTODIVIT QVASI PVPILLAM OCVLI SVI] Vide quanta sit sollicitudo, cura, prouidentia, & custodia Dei erga suos, scilicet quanta est hominis circa rem charissimam, tenerrimam & pretiosissimam, scilicet pupillam oculi sui.

Hinc Iudæorum illa philautia, vt R. Dauid audeat dicere, Deum nullam aliarum gentium curā aut prouidētiam habere, nisi quatenus aliquo modo pertinent ad Israel: hoc est, Deum non punire alias gentes, nisi quatenus nocent aut iniuriam faciunt Israeli: nec eis benefacere, nisi quatenus Israelem iuuerint aliqua in re. Verùm hæc tam stolida, quàm blasphema est ipsius amentia.

VERS. 11. SICVT AQVILA PROVOCANS AD VOLANDVM PVLLOS SVOS, &c. EXPANDIT ALAS SVAS] q. d. Deus vt aquila, Israelem quasi pullum suum, per varia signa in Ægypto ad inde exeundum & euolandum prouocauit, eumque iam exire parantem, velut in expansis prouidentiæ suæ alis assumpsit, protexit & subuexit, tum per se, tum per angelum viæ ducem, tum per columnam ignis & nubis.

Alæ prouidentia Dei.

Nota. Aquila est symbolum Dei; Primò, quia ipsa est regina auium; Secundò, quia est fœcunda & longæua; Tertiò, quia est simulacrum solis: ipsum enim detectis & immotis oculis aspicit; Quartò, quia aliæ aues cùm sursum ascendunt obliquo tramite, sola aquila rectò in altum euolat: hinc à Poëtis aquila vocatur Iouis auis; vt *Cælo imperium Iouis extulit ales.* Quintò, propriè hîc aptèque Deus comparatur aquilæ, ob singularem eius in pullos amorem, de quo ita scribit S. Hieron. in Isaiæ 65. *Inter cateras animantes omnes, aquilarum quidem maximus in pullos est amor, qua in excelsis & inaccessis locis nidos collocant, ne coluber fœtus vi let. Amethystum quoque inter pullos eius lapidem reperiri scribunt, quo omnia venena superentur. Si hoc verum est, rectè affectus Dei in suas creaturas aquila comparatus est, qui omni studio protegit liberos suos, ne draco & coluber antiquus diabolus obrepat nouellis fœtibus, vt ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion, omnes aduersariorum insidia frangantur.*

Deus est aquila ob quinque analogias.

Pulchrè, doctè & piè S. Ambros. lib. 2. de Salom. cap. 2. Christum Saluatorem aquilæ comparat, ob alias quatuor analogias: Primò, *Quemadmodum*, inquit, *aquila colona quasi mater nidi semper vnius est, nec ad procreandam sobolem aliud quandoque cubile perquirit. Secundò, cùm primùm calidis ouis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes, hos contra faciem feruidi solis opponit; vt qui egram & inualidam corusco radiorum appulsu aciem submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio & à fratrum consortio separetur, & deijciatur in terram. Tertiò, sicut auis inimica serpentum est, quos cùm in aëra*

Christus est aquila ob dotes septē.

A *alarum remigio subuectando supportat, hos adunco rostro, & armatis quasi quibusdam telis, pedibus suis lacerat ac diuellit, quos deuorat, calore suo interno noxium illud virus extinguit: ita Primò, Christus Dominus vnam diligit Ecclesiam, vt aquila nidum suum, quam ab æstu persecutionis alarum suarum defendit vmbraculo. Secundò, sic quoque extra Ecclesiam proijcit in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam Euangeliorum lucem vitijs sæcularibus inquinati ferre non possunt. Tertiò, vt aquila serpentes deuorat, & eorum venena calore concoquit interno: ita & Christus Dominus noster dracone percusso, id est, diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tamquam perniciosum virus extinxit, sicut Apostolus ait: Et de peccato damnauit peccatum in carne sua. & alibi: Qui cùm peccatum non nosset, pro nobis peccatum fecit.* Et inferiùs addit

Primò. *Secundò.* *Tertiò.*

B Quartò, *Aquila cùm aliquid rapere voluerit, non vestigijs ambulat terras, sed excelsum eligit locum: sic & Christus alea cruce suspensus, tonante strepitu & terribili volatu impetum ab inferis fecit, sanctosq; rapiens ad superna remeauit.* Adde Quintò, sicut aquila altissimè volat, ita Christus supra omnes cælos ascēdit. vnde illud Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia, &c. viam aquila in calo*, S. Ambros. loco citato de Christo in cælum ascendente intelligit. Et Sextò, aquila liberalis est, & prædam quam cepit cum alijs auibus communicat: ita & Christus prædam æternæ beatitudinis cum Sanctis partitur. Septimò, aquila visus acie pollet, & eminus remota prospicit: ita Christus Deus noster humilia respicit in cælo & in terra, qui in altis habitat.

Quartò. *Quintò.* *Sextò.* *Septimò.*

C CONSTITVIT EVM SVPER EXCELSAM TERRAM] Hebr. *equitare fecit eum super excelsa terra*, quia terra promissa, alta & montuosa est. Nota. Propheticè hîc & in sequent. ponitur præteritum pro futuro: *constituit*, id est, breui & certò constituet: & in sua prædestinatione ac præscientia iam constituit. VERS. 13.

VT SVGERET MEL DE PETRA] q. d. In Chanaan Israel tantam habebit mellis copiam, vt etiam in petris apes sponte mellificent.

OLEVMQVE DE SAXO DVRISSIMO] vt scilicet, etiam inter saxa oleæ mirè fructificent, & copiosè oliuas producant, quæ oleum abunde, vel sponte distillent, vel expressæ emittant & effundant. Adde, oleas & oliuas amare solum saxosum, in eoque mira naturæ & Dei prouidentia meliores & plures succrescere, vti videmus fieri Tibure:

D Tibur enim in monte & rupe situm, oleis & oliuis optimis abundat. vnde oleum Tiburtinum tota Italia celebratur.

Allegor. S. Gregor. hom. 26. in Euang. Petra, inquit, id est Christus, mel dedit, id est, miraculorum dulcedinem discipulis ostendit: dedit & oleum sacrum vnctionis, cùm post resurrectionem Spiritum sanctum in eos immisit.

Alleg. mellis & olei.

Et Ambr. l. 2. de Salomone c 9. Per mel, ait, significabatur, quòd Deus dulcem daturus esset Euangelij suauitatem; per oleum, quòd daret Spiritum sanctum per chrismatis vnctionem.

Tropolog hæc aliqui adaptant Religioni & Religiosis. hos enim constituit Deus super excelsam terram, putà Religionis statum, vt fructus cælestes carpant, vt diuinæ consolationis melle pascantur, oleoque cælesti perungantur. Religio enim est terra excelsa fluens lacte & melle; est *mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est*

Trop. significatur Religionis celsitudo & suauitas.

Deo, habitare in eo, psal 67. est *hortus conclusus*, Cant. 4. in quo Religiosi velut arbores plantantur, quæ Deo iucundissimos proferunt fructus: est *fons signatus*, mundi sitim extinguens: est *turris eburnea*, castitatis ebore vndique septa: est *turris Dauid*, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium, Cant. 4. Omnis enim aduersus vitia armatura in Religione reperitur: veluti armamentariũ mundi est Religio, ex quo tela aduersus dæmonem, carnem & mundum promuntur. *Murus est, super quem ædificata sunt propugnacula argentea*, Cant. 8. id est tria vota, paupertatis, castitatis & obedientiæ: *Ostium cæli est compactum tabulis cedrinis*, virtutum omnium. Denique de ea rectè dicas cum Iacobo: *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Est enim Religio terribilis dæmonibus, *vt castrorum acies ordinata*: in ea est scala à terra in cælum deducens: est status angelicus.

Vers. 14. CVM ADIPE AGNORVM, ET ARIETVM FILIORVM BASAN] id est arietum, qui nutriuntur in optimis & pinguissimis pascuis regionis Basan. Basanitidem enim, occiso Og rege, occuparunt Hebræi; eaque regio vberrima fuit & maximè compascua. vnde vaccæ Basan, & tauri Basan vocantur vaccæ & tauri pinguissimi.

SANGVINEM VVÆ BIBERET] Poëticè succum ex vuis expressum, putà mustum & vinum, vocat *sanguinem*: quia est coloris sanguinei, siue rubei.

Vers. 15. INCRASSATVS EST DILECTVS] Hæc omnia præterita prophetice significant futurum: hæc enim omnia futura præuidebat Moses ita certò, ac si iam facta fuissent. Itaque *incrassatus est*, id est incrassabitur opibus, delicijs & luxu in Chanaan; *dilectus*, hebr. ישרון *iescurun*, id est rectus, vti Noster vertit c. seq. v. 5. vocat autem Israelem rectum: quia rectissima fide & religione Deum verum colebat. Noster hîc *dilectum* vertit: quia *iescurun* etiam directum, scilicet à Deo, id est dilectum, significat. Et hoc epithetum huic loco magis conuenit. Sic enim filij & discipuli à parentibus & præceptoribus dilecti ac lautè habiti & pasti, ijs recalcitrare solent. Ita Apostolus iuniores viduas ab Ecclesia ali vetat. quia, inquit, *cùm luxuriatæ fuerint in Christo* (græcè *in Christum*, id est in Christi iniuriam) *nubere volunt*, 1. Timoth 5. 11. Posset Tertiò, *iescurun* deduci à שור *scor*, id est taurus, q. d. Israel fuit *iescurun*, id est inter greges populorum fuit quasi taurus, dux gregis, id est fuit Deo quasi primogenitus, & princeps aliarum gentium. ita Forerius in cap. 44. Isaiæ.

Iescurun, id est rectus, vocatur Israel, cur? Primò. Secundò. Tertiò.

RECESSIT A DEO SALVTARI SVO] id est salutatore suo. ita Septuag. Chald. *recessit à Deo redemptore suo*, qui sc. eum ex Ægyptia seruitute redemit.

Vers. 16. PROVOCAVERVNT EVM (prouocabunt Deum ad iram & indignationem) IN DIIS ALIENIS] eos scilicet colendo.

Vers. 17. IMMOLAVERVNT DÆMONIIS] Hebr. שדים *scedim*, id est vastatoribus, qui animas, corpora, bonaque omnium suorum cultorum diripiunt & deuastant. hoc enim faciunt dæmones, qui summi sunt tyranni.

NOVI, RECENTESQVE VENERVNT] nuper dij esse, haberi & coli cœperunt.

Talia quoque sunt hæreticorum dogmata siue commenta, quæ proinde Apostolus vocat profanas vocum nouitates, à nouantibus, id est hæreticis, adinuentas. Quare Christiani presbyteri & diaconi Alexandrini, præfecto ad arrianismum eos adhortanti, responderunt, *Desine his vocibus nos perterrere, à verbis inanibus te cohibe. nam nos neque nouitium, neque recentem colimus Deum. ac tametsi tu velut fluctibus iactatus, spumam ore temere fundis, & tamquam ventus violentus in nos cum impetu ruis: tamẽ nos ad extremum vsque spiritum sumus doctrina pietatis firmè adhæsuri.* ita Theodor. l. 4. hist. c. 20.

Verè & appositè dixit noster Ogilbeus in Scotia hoc anno Martyr: *Fides Ministrorum Scotiæ tantùm est octennis. nam duos primarios articulos fidei, quos ante octo annos etiam libris contra eos editis damnarunt, iam credunt & docent, scilicet regem esse caput Ecclesiæ, & Episcopos ac episcopatus esse admittendos.* Plus dixit S. Hilarius, scilicet, *fides hæreticorum esse bimestres & trimestres.* quia ipsi in singulos annos, imò menses sæpè, fidei suæ dogmata commutant. *Innouandi*, inquit S Hilarius ad Constantium Imp. *fidei vsus inoleuit: & facta est fides temporum potius, quàm Euangeliorum. periculosum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas, quot mores.* Verè noster Frusius:

Vna fides sùm sit, quam nos docuere parentes;
Cùr nunc tot fidibus luditur vna fides?

DEVM QVI TE GENVIT DERELIQVISTI, ET OBLITVS ES DOMINI CREATORIS TVI] Est admiratio, q. d. Qui fieri potuit, ô Israel, vt dederis obliuioni Deum, qui parturiuit & genuit te, quique fortissimus fortem & validum te procreauit & efformauit? vnde Hebræa sic habent, *petræ, quæ te genuit, oblitus es; oblitus es fortis, qui te parturijt?* Vers. 18.

ET AIT (Deus peccatis Israelitarum iratus) ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS. meum fauorem, curam, protectionem, beneficia (horũ enim symbolum est facies) ingratis subtraham & subducam: itaque otiosè spectabo ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORVM] quid scilicet ipsis à me destitutis tandem euenturum sit, quem fructum ex suis idolis & peccatis relaturi sint. Vers. 19.

IPSI ME PROVOCAVERVNT IN EO, QVI NON ERAT DEVS, &c. ET EGO PROVOCABO EOS IN EO, QVI NON EST POPVLVS] Pro *prouocarunt* & *prouocabo*, hebr. est קנא *kana*, id est ad inuidiam, æmulationem, zelotypiam prouoco, vt cùm sponsa vnum riualem præponit alteri, eum ad zelotypiam concitat. Ita enim Iudæi vanis idolis adhærentes, neglecto vero ipsorum Deo, quantum erat ex parte sua, eum ad æmulationem & zelotypiam prouocabant: vnde iustè simili æmulatione punit eos Deus. q. d. Ego vicissim prouocabo eos ad æmulationem & inuidiam, præponendo eis alios populos. Nam faciam, vt ij qui non sunt populus Dei, imò sunt Gentiles & idololatræ, feliciter viuant, opibus, imperio & gloria abundent; imò subijciant & dominentur populo meo, scilicet Hebræis, eosque affligant, diripiant & occidant. Vers. 21.

Aliter hæc explicat Abulens. vt τὸ *in*, capiatur pro *instar*. q d. Sicut ipsi iritauerũt me in eo, qui non erat Deus, id est facientes de me, vel contra me, tamquam non essem Deus, essemque similis idolis; ita ego iritabo eos in eo, qui non est populus, id est instar eius, qui non est populus meus, sed hostis, *& in gente stulta non iritabo illos*, id est, ita eos prouocabo ad iram, vel ad derisum, sicut prouocantur homines stulti. Sic enim Babylonij & Romani ludibrio habuerunt Iudæos. Verùm prior sensus planior est & magis genuinus.

Et

Et in gente stvlta iritabo eos] commouebo eos ad iram & inuidiam, præponendo eis gentem stultam, vilem & ingloriam, scilicet Assyrios, Babylonios, Persas, &c. qui eos superent, subijciant & diuexent. S Hieron. ad Fabiol. de 42. mansion. in vlt. hæc refert ad vocationem Gentium, reiectis Iudæis: nam cantico, inquit, hoc Mosis extremo apertissimè Synagoga proijcitur, & Ecclesia Domino copulatur. imò eò vel maximè hæc referenda esse, docet Apostolus Rom. 10. 19. vide ibi dicta. Vnde & Theodor. q. 41. sic explicat, q.d. *Sicut vos vno Deo relicto, plures falsos deos ei antepofuistis; sic ego relicto vno populo, conferam omnibus gentibus salutem: verùm vos coluistis eos, qui verè non erant dij, nec eos colendo, deos efficere potuistis: at ego gentes insipientes verè implebo Spiritu diuino; vos autem videntes contabescetis inuidia.*

Vers. 22. Ignis svccensvs est in fvrore meo, et ardebit vsqve ad inferni novissima. q.d. Vltio iræ & indignationis meæ in eos parata est, & exardescet instar ignis, adeò vt ad inferni nouissima pertingat. est metaphora & hyperbole, quæ verbis sequentibus explicatur; ita videlicet, vt devoret terram cvm germine svo, et montivm fvndamenta combvrat] scilicet vt ima & profundissima terræ & montium loca consumat, & in sterilitatem vertat. hanc enim sterilitatem sæpè comminatus est, & sæpè inflixit Deus Hebræis, ob eorum peccata.

Allegor. Procop. Rupert. Raban. & Gregor. 18. Moral. 11. per ignem hunc accipiunt ignem inferni & damnatorum.

Ignis inferni quantus. Primò. Vbi Nota Primò, hunc ignem dici iam succensum: tum quia iã extat ab origine mundi, Matt. 25. 41. Isaiæ 30. 33. tum quia in Dei præsentia & prędestinatione præparatus est, vt suo tempore exurat peccatores & reprobos.

Secundò. Secundò, ignem hunc succensum dici *in furore Domini*: quia auctor illius est furor Domini, id est voluntas & firmum propositum puniendi impios modo horribili & inaudito, qualẽ suggerere solet furor. Ira enim & furor in Deo non sunt passiones, quales in nobis, sed voluntas tranquilla & rationabilis, acerrima tamen & efficacissima, atque omnipotens infligendi pœnas æternas. itaque cùm eius effectus omnem furorem æquet, & etiam superet, meritò *furor* dicitur.

Tertiò. Tertiò, quòd ignis hic *ardebit vsque ad inferni nouissima.* q.d. Ignis ille nõ solùm hic in terra corripiet & inuoluet impios (cùm Dominus iudicabit orbem) sed etiam in inferno, & in ima terræ voragine in omnem æternitatem ardebit.

Quartò. Quartò, quòd ignis hic *deuorabit terram*, id est vniuersum terræ solum & superficiem, & quidquid ex terra oritur, nimirum omnes arbores, siluas, segetes, herbas: & omnes domos, arces, palatia, vrbes, turres, omnesque opes, quæ ijs continentur, in fauillam & cinerem rediget. 2. Petri vlt. v. 10. & 12.

Quintò. Quintò, quòd ignis hic etiam *montium fundamenta* altissimè demersa *comburet*, tum quia metalla, gemmas, omnesq; opes in visceribus terræ cõtentas absumet; tum quia mixta omnia vi sua dissoluet, & in sua primordia ac simplicia principia rediget. hoc est quod cauit Psaltes psal 96. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terrá.* & Iudith c. 16. *Montes à fundamentis mouebuntur cum terra: petra sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Scimus ingenti ardore saxa liquari, & instar torrentis ignei è montibus per plana decurrere: talis erit ignis hic: hunc cogita dum peccas. Quis habitabit cum igne deuorante, cum ardoribus sempiternis?

S. Prosper gehennæ pœnas ita paucis, sed neruosè describit l. 3. de Vita contempl. *Continuus*, inquit, *gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, neque extorquent; puniunt corpora, neque finiunt. sibi deputatos ignis non extinguit, vt permanente sentiendi vita, pœna permaneat; & ad dolendum magis quàm ad viuendum, æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis viuacibus immortalitas secunda mortis occidat.* Hũc ignem iugiter proponebat sibi sanctus ille Abbas in Vitis Patr. l. 7. c. 44. dicens: *Ego ob peccata mea inferno adiudicaui meipsum, dicòque: Esto cum his quibus dignus es, istis post modicum adnumeraberis: Video igitur ibi pares gemitus & incessabiles lachrymas. Aspicio stridentes dentibus, & salienses toto corpore, & trementes à capite vsque ad pedes. Video & mare ignis bullientis immensibile, & circumfluentes & mugientes, vt putent aliqui vsque ad cælos attingere fluctus ignis, & in tremendo illo mari innumerabiles homines deiectos, & vna voce omnes clamantes & vlulantes simul, quales nemo super terram vlulatus & voces vmquam audierat, & sicut arentes omnis virgulti cremare: misericordia autem Dei se auertente ab illis. Et tunc lamentor genus hominum, quod audeat loqui, vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis. Et in his teneo mentem meam, luctum meditans indignum me cælo & terra iudicans.*

Et sagittas meas complebo in eis] *Complebo*, id est plenè immittam, *sagittas*, id est vltiones & plagas omnes meas. Vers. 23.

Consvmentvr fame] Chald. vertit, *adusti erunt fame.* Vers. 24.

Devorabvnt eos aves] Pro *aues* hebr. est vox רֶשֶׁף *resceph*, quæ generaliter significat omne id, quod volando adurit, incendit & inflammat. alludit enim per metathesin ad שָׂרַף *saraph*, id est incendere, adurere: licet S. Hieron. *resceph*, vertat reptãs ventre, quasi alia metathesi *resceph* alludat ad רָפַשׂ *raphas*, vel רָמַשׂ *ramas*, id est repere. *Resceph quid.*

Hinc *resceph* vertunt auem, vel voluçre, tam Septuag. quàm Chald. Symmachus, Aquila, Theodot. & quinta editio, teste S. Hieron. in Habacuc 3. 4 additque Hieron. Hebræos dicere, *resceph* etiam dæmonis esse nomẽ, qui ob velocitatem & discursum, auis & volatile nuncupetur. vnde Habacuc 3. v. 4. noster Interpres pro *resceph* vertit, *diabolus.* *Primò.*

Hinc Secundò, *resceph* significat ignem, vel fulgetra, quæ instar volucrum celerrimè discurrunt & adurunt, vt psal. 77. 48. *Secundò.*

Tertiò, *resceph* significat sagittas ignitas, quas milites potenter & celerrimè ex arcubus eiaculantur, vt domos & vrbes incendant, vt patet psal. 75. 4. *Tertiò.*

Dentes bestiarvm immittam in eos] q.d. Immittam in eos feras bestias, vt lupos, leones, vrsos, tigrides. ita leones in Israelitas idola colentes immisisse Deum docet historia sacra, 4. Reg. 17. 25.

Cvm fvrore trahentivm svper terram, atqve serpentivm] Hebr. *cum furore serpentium in puluere*, id est cum serpentibus venenatis & furibundis, qui reptant & fœdè cum horrore intuentium trahuntur super terram, vt illi in eos desæuiant, eos mordeant & lanient.

Gens absqve consilio est] Hebr. præponitur כִּי *ki*, id est *quia.* vnde Vatabl. putat hîc reddi ratio- Vers. 28.

ta fuissent. Vnde & VVA EORVM VVA FELLIS. q. d. Vuæ talis vineæ, id est fructus & opera Iudæorum sunt fellea, amarissima & pessima. Hinc & FEL DRACONVM VINVM EORVM, ET VENENVM ASPIDVM INSANABILE] q. d. *Vinum*, id est doctrina ab ijs tam impijs expressa & manans, quam ipsi alijs propinant, vt in eos sua scelera transfundant, est venenata & letifera, velut fel draconum, & venenum crudele ac insanabile, quod omnes bibentes perdit & occidit.

Sic Isaias cap. 1. 10. principes Iudæorum vocat principes Sodomorum, & populum vocat populum Gomorrhæ. Sic Ezech. 16. 3. Iudæos impios alloquens, ait: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* E contrario filij Abraham vocantur Gentiles, qui Abrahæ fidem & opera imitantur. ita Procop.

Apposite vir ille honestus, cùm quidam ei obijceret familiam ignobilem, respondit: *Mihi probro est genus meum, tu autem probro es generi tuo*, vti refert B. Gregor. Nazianz. orat. in nobilem malè moratum.

Paulò aliter hæc adaptat Abulens. *Peccatum*, inquit, *consummatur in tribus: primò, in corde; secundò, in ore; tertiò, in opere. ideo ponuntur hic tria, scilicet vinea, quantum ad primum; vua, quantum ad secundum; vinum, quantum ad tertium. & est ordo inter ista, quia ex vinea procedit vua, & ex vua vinum; sic ex peccato cordis procedit peccatum oris, & inde peccatum operis.*

Moraliter S. Greg. l. 4. in l. 1. Regum c. 4. *Vinearum*, inquit, *appellatione mentis concupiscentiæ rectè figurantur, quia reproborum corda inebriant, & à cognitione veritatis alienant. Ex Sodomorum quippe vinea vitem, ex Gomorrha ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentiis mentem replet. quasi enim vineam facit, qui inde æterna obliuiscitur, vnde per concupiscentias ebriatur; & qui se quasi sub vmbra vineæ, & amœnitate prauæ delectationis refrigerat, æterni sibi incendij retributionem parat. vnde huius vineæ fructus sunt vua fellis, & botrus amaritudinis. vua quippe in visu est, fel in sapore; visum oblectans, gustum amaricans; quia nimirum reproba menti valdè placet quod concupiscit, sed in æterna pœna, quod sibi modò est dulce, amarescit.*

Vinum est venenum corporis & mentis. Denique S. Ambros. lib. de Elia & ieiunio c. 14. vinum & ebrietatem hic ad literam intelligit, notatque ea vocari venenum, non tam corporis, quàm mentis.

VERS. 34. NONNE HÆC CONDITA SVNT APVD ME?] q. d. Ne putetis, quòd ego temporis interuallo horum obliuiscar: nam memoria istarum culparum, quæ significantur nomine vineæ, vuarum & vini, manet apud me abscondita, & alta mente reposta.

ET SIGNATA IN THESAVRIS MEIS q. d. Sicut ea quæ in thesauris sunt, id est diligenter clausa, ne aliquis ea surripere possit: ita omnia quæ Iudæi agunt & agent, in secreto cognitionis, scientiæ & memoriæ meæ seruantur, quasi obsignata, sigillata & clausa, vt suo tempore eadem puniam & vlciscar. Nam

VERS. 35. MEA EST VLTIO] q. d. Mihi competit, ad me pertinet vltio, meum est vlcisci, illudq; non differam: quia instat dies perditionis vestræ & vltionis tempora.

Ex hoc loco Abbas Sisois in Vitis Patr. lib. 5. c. 16. de patientia, suasit monacho cuidam læso & volenti se vindicare, vt Deo relinqueret vindictã, cumque ille nollet, dixit: *Oremus frater.* Exsurgens dicit, *Deus iam te opus non habemus cogitare de nobis, quoniam nos ipsi vindictam nostram facimus.* Hoc audiens frater cecidit ad pedes eius, dicens: *Iam non*

A *contendo cum fratre illo; sed rogo, ignosce mihi.* Nostrum ergo est inimicis imprecari Dei non vltionem, sed benedictionem: Dei enim est vlcisci Psal. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.*

Memorabile est quod de M. Bibulo viro amplissimo scribit Valer. Max. lib. 4. c. 1. *Hic*, inquit, *cũ in Syria moraretur, duos egregiæ indolis filios suos, à Gabinianis militibus in Ægypto occisos cognouit. Quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, vt grauissimæ cladis vltionem arbitriõ suo exigeret. At ille oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti poterat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesq́, sanguinis sui intactos è vestigio ad Cleopatram reduci iussit, dicendo, potestatem huius vindictæ*

B *non suam, sed senatus esse debere.* Itáne Gentilis princeps priuatæ iniuriæ, eiusque grauissimæ vltionem resignat senatui, & Christianus eamdem non resignabit Deo suo?

VT LABATVR PES EORVM] vt corruant in omnia mala & plagas, præsertim coram hostibus.

IVDICABIT DOMINVS POPVLVM SVVM] q. d. Iustè vlciscetur & puniet Dominus peccata populi sui. VERS. 36.

ET IN SERVIS SVIS MISEREBITVR] Vbi eos puniuerit, ipsique hac punitione ad Dominum reuersi fuerint, tum rursum Dominus erga eos quasi seruos suos, misericordia flectetur.

VIDEBIT enim, QVOD INFIRMATA SIT MANVS, id est robur, & potentia eorum, ita vt CLAVSI etiam in turribus DEFECERINT, & pauci illi qui erant RESIDVI, penè omnino CONSVMPTI SINT] Hebr. *ki azelet iad*, id est, quòd abierit manus, hoc est, quòd

C sint sine manu, quòd nihil possint, quòd dissoluti sint viribus, & deficientes, ac si manibus truncati essent. Vnde Septuag. vertunt παραλελυμένους καὶ ἐκλελοιπότας. Videns ergo hanc extremam miseriam eorum miserebitur. *Describitur enim hic tribulatio Iudæorum*, inquit Abulens. *ad modum ciuitatis, quæ ab hostibus obsidetur, in qua primò defendentes muros lassantur, & moriuntur: deinde capta ciuitate, illi qui in fortibus castris & turribus inexpugnabilibus se concludunt, fame & siti enecantur*, ac tandem imbelle vulgus reliquum capitur & consumitur.

ET DICET (Deus per Prophetas, quos mittet ad Iudæos, vt resipiscant & ad Deum redeant) VERS. 37. VBI SVNT DII EORVM?] vbi sunt idola vestra in quibus sperastis?

D DE QVORVM VICTIMIS COMEDEBANT ADIPES. VERS. 38. Insultando hoc dicit. nam in vero & ordinato Dei cultu, adeps omnis victimarum à nemine comedi, sed soli Deo adoleri debebat, vt patet Leuit. 3. 17. sic ET VINVM LIBAMINVM, id est, quod soli Deo libari & effundi debebat, ipsi sacrilegè more Gentilium BIBEBANT.

SVRGANT ET OPITVLENTVR VOBIS] Est enallage personæ: transit enim à tertia ad secundam.

EGO OCCIDAM, ET EGO VIVERE FACIAM: PERCVTIAM, ET EGO SANABO] Armachanus in quæst. VERS. 39. Armen. asserit se à quodam docto Hebræo accepisse, Hebræa punctanda esse passiuè hoc modo: אני אמת ואחיה: מחצתי ואני ארפא *ani omat vaechie, muchatsti vaani erapbe*, id est, ego occidar & viuam, transfigar & sanabor: itaque scriptum est in codice conscripto manu Esdræ, qui Bononiæ apud Patres Dominicanos seruatur: quasi hic sit prophetia de Christo, de eoque dicatur quòd ipse à Iudæis sit occidẽdus, mox à morte propria virtute resur-

resurrecturus, quasi dominus vitæ & mortis. Verùm horum penes eum sit fides. Aliter enim legit Noster, Chald. & Septuag. A

Vers. 40. & 41. LEVABO AD CÆLVM MANVM MEAM (id est iurabo; ritus enim iurantium est, vt in altum manus eleuent quasi vocantes in testem Deum qui in altis habitat. q.d. Ego Deus, quasi elata manu iurabo per me & per vitam meam, dicens) VIVO EGO IN ÆTERNVM (vti homines iurant, dicuntque; *Viuit Dominus*) SI ACVERO, VT FVLGVR GLADIVM MEVM, ET ARRIPVERIT IVDICIVM MANVS MEA. q.d. Cùm præparauero gladium vltionis meæ, vt sicut fulgur luceat, terreat, ac citissimè penetret, & vltrix potentia mea conuersa fuerit ad faciendum iudiciū; REDDAM VLTIONEM HOSTIBVS MEIS] Cogita quàm terribile sit, eritq; iudicium Dei, præsertim extremum, quo damnati adiudicabuntur gehennæ. B Audi S. Anselm. l. de Miseria hominis: *Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia: subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus index: intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Iustus vix saluabitur: peccator sic deprehensus, in quam partem se premet?*

Vers. 42. INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGVINE. q.d. Sagittas meas omnino imbuam sanguine, scilicet CRVORE OCCISORVM, vt sequitur, ET DE CAPTIVITATE NVDATI INIMICORVM CAPITIS] id est cruore captiuorum inimicorum, qui nudati sunt capitis, seu nudato capite, quasi victi & capti, ante victores hostes incedere coguntur.

Vers. 43. LAVDATE GENTES POPVLVM EIVS] *Eius*, scilicet Dei, q.d. O gentes, dum hæc intelligitis, laudate populum Domini, eò quòd tam propitium & iustum habeat Dominum. licet enim ipse eum ad C tempus tradiderit hostibus impijs puniendum, tamen tandem vlciscetur, & rependet talionē hostibus eius, ac miserebitur populi sui, ad se reuersi.

Septuag. paraphrasticè ita vertunt, *Lætamini cæli simul cum eo, & adorent eum vniuersi angeli Dei. Lætamini gentes cum populo eius, & roborentur in eo omnes filij Dei: quoniam sanguinem filiorum eius vlciscetur*, &c. Quod de Gentium vocatione pulchrè explicat hic Theodoret. qu. 42. imò Apostolus Rom. 11. 15. quia sicuti ad literam hisce verbis promittitur liberatio populi Dei à violentia hostium suorum, ita mysticè promittitur liberatio futura per Christum, quæ tam Gentibus, quàm Iudæis præstita est.

Vers. 44. VENIT ERGO MOYSES, ET LOCVTVS EST, &c. IN AVRIBVS POPVLI] locutus est populo audienti & auscultanti. Est anacephalæosis. recapitulat enim hîc Scriptura, quòd Moses hoc canticum audierit & didicerit à Domino in tabernaculo, c. præced. v. 13. & 19. illudque deinde populo promulgarit.

Quærit S. Chrysost. in Isaiæ 1. cur canticū hoc vocet canatque Moses, cùm potiùs sit acris populi obiurgatio? ac respondet, sapienter eum id facere, vt cantu leniat asperitatem obiurgationis. Ex vsu, ait, spiritalis sapientiæ, modulatione cantici deiectionem ei susfuratus est. Nimirum ars fuit boni pastoris animarum, quasi ad fistulam edulcorare ouibus amara pabula, quæ tamen nouerat profutura saluti.

PONITE CORDA VESTRA IN OMNIA VERBA, mentem apponite, & attendite ad omnia verba mea, QVÆ EGO TESTIFICOR, id est seriò prædico, VOBIS in hac die qua moriar, adhibitis testibus, scilicet inuocans cælum & terram. Vers. 46.

LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN IN EADEM DIE, DICENS: ASCENDE IN MONTEM ABARIM, &c. QVEM CONSCENDENS IVNGERIS POPVLIS TVIS] Hinc satis colligitur, Mosen eodem die quo cecinit hoc canticum conscendisse montem, ex eoque speculatum esse terram sanctam, ac mox vita esse defunctum. Vers. 48. 49. & 50.

ABARIM, ID EST TRANSITVVM] *τὸ transituum*, non est in Hebræo, sed ab Interprete explicationis gratia est additum. nam *Abarim* hebr. significat transitus in plurali: fortè quia per eum pluribus vijs ex Moab transibatur in Chanaan. vnde Chald. interpres montem *Abarim*, vertit, *montem transeuntium*. Rursum per hunc montem transiuit Moses, non in Chanaan, sed ex hac vita in limbum, & inde in cælum. Cōscendamus & nos cum Mose sæpè montem Abarim, & transitum nostrū ex hac vita in alteram speculemur, quæ ibi nos domus expectet, quis locus, qui ciues, quod sæculum, quæ æternitas; discamusque mori & transire. Ita ascendit S. Basil. sed Mose directiùs, de quo audi S. Gregor. Nazianz. in eius laudibus: *Cùm autem cursu confecto, fideq́; seruata resolutionis desiderio teneretur, tempusq́; coronarum appeteret, atque illud quidem non audisset: Ascende in montem, & morere; verùm, Morere, & ad nos ascende: hîc quoque miraculum edit superioribus nequaquam inferius. Nam cùm fermè mortuus & inanimis esset, maximaq́; ex parte vita perfunctus, circa extremos sermones inualescit, vt cum pietatis verbis abscederet.* Vers. 49. *Specula transeuntium.*

IN MONTEM NEBO] Nebo erat iugum, vel cacumen montis Abarim.

E CONTRA] è regione. Vers. 52.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses moriturus benedicit Israeli & singulis tribubus, eisq́; ventura prædicit.

1. HÆc est benedictio, qua benedixit Moses, homo Dei, filijs Israel ante mortem
suam. 2. Et ait, Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex. 3. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus eius,
accipient de doctrina illius. 4. Legem præcepit nobis Moyses, hereditatem multitudinis Iacob. 5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum
tribubus Israel. 6. Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero. 7. Hæc
est Iudæ benedictio: Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum:
manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit. 8. Leui
quoque

quoque ait: Perfectio tua,& doctrina tua viro sancto tuo,quem probasti in tentatione,
& iudicasti ad Aquas contradictionis. 9. Qui dixit patri suo,& matri suæ: Nescio
vos,& fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium
tuum,& pactum tuum seruauerunt, 10. iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel:
ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. 11. Benedic
Domine fortitudini eius,& opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum
eius: & qui oderunt eum, non consurgant. 12. Et Beniamin ait: Amantissimus Do-
mini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter hume-
ros illius requiescet. 13. Ioseph quoque ait: De benedictione Domini terra eius, de
pomis cæli,& rore, atque abysso subiacente. 14. De pomis fructuum solis ac lunæ.
15. de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum: 16. & de fru-
gibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat su-
per caput Ioseph, & super verticem nazaræi inter fratres suos. 17. Quasi primo-
geniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit
Gentes vsque ad terminos terræ. hæ sunt multitudines Ephraim: & hæc millia Ma-
nasse. 18. Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis
tuis. 19. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ. Qui in-
undationem maris quasi lac sugent,& thesauros absconditos arenarum. 20. Et Gad
ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requieuit, cepitque brachium & verti-
cem. 21. Et vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus: qui
fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.
22. Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. 23. Et Nephtha-
li dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: ma-
re & meridiem possidebit. 24. Aser quoque ait, Benedictus in filijs Aser, sit placens
fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. 25. Ferrum & æs calceamentum eius.
Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. 26. Non est Deus alius vt Deus rectis-
simi: ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, 27. habi-
taculum eius sursum, & subter brachia sempiterna: eijciet à facie tua inimicum, di-
cetque: Conterere. 28. Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in ter-
ra frumenti & vini, cælique caligabunt rore. 29. Beatus es tu Israel, quis similis tui
popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te
inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

VERS. 1. HÆC EST BENEDICTIO, QVA BENEDIXIT MOYSES HOMO DEI FILIIS ISRAEL] *Homo Dei*, id est amicus, Propheta, legislator, doctor & princeps Dei, vide dicta 1. Timoth. 6. 11.

VERS. 2. DOMINVS DE SINAI VENIT, ET DE SEIR ORTVS EST NOBIS: APPARVIT DE MONTE PHARAN] Iudæi aliqui sic exponunt, q.d. Deus primò præsentauit legem suam Idumæis, qui habitant in Seir, & erant de semine Isaac: verùm cùm Deus pronuntiaret decalogum, & peruenisset ad quintum præceptum, *Non occides*, dixerunt Idumæi, Nolumus istam legem: quia patri nostro dictum fuit, *Viues in gladio*, Genes. 27. 39. Deinde iuit Deus ad Ismaelitas, posteros Abrahæ, habitantes in Pharan, cumque eis legeret præceptum sextum, *Non mœchaberis*; recusarunt & illi, dicentes, quòd patri suo dictum esset, eum valdè debere multiplicari, Genes. 21. 13. Vnde tandem Deus venit ad Iudæos in Sina, eisque decalogum proposuit, qui eum auidè acceperunt; hocque esse quod hîc dicitur: *De Seir ortus est nobis*. quis non rideat nugones & fabulones istos?

Fabula Iudaorum.

Sensus ergo est, q.d. Dominus de Sina venit ad nos, dum inde nobis legem dedit & promulgauit, Exodi 19. & 20. Secundò, in monte Seir, quasi sol quidam nobis exortus est, cùm multis morsu ignitorum serpentum vulneratis, serpentem æneum erigi iussit, quem qui aspicerent, sanarentur, Num. 21. Hoc enim contigisse eo tempore, quo Hebræi circumierunt montem Seir, siue Idumæam, colligitur Deuter. 1. v. 49. & c. 2. v. 28. Tertiò, in monte Pharan apparuit nobis, dando coturnices, & iudices 70. constituendo, Numer. 11.

Deus apparuit in Sina, Seir, & Pharan, quando?

Huc allusit Habacuc cap. 3. v. 3. dum ait: *Deus ab Austro* (ab Idumæa, quæ Iudææ est Australis) *veniet, & sanctus de monte Pharan*. q.d. Filius Dei, qui in monte Pharan & Seir Iudæis apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delituit, ad nos veniet manifestus, dum carnem nostram assumet.

Vbi Nota. Sina, in quo data est lex vetus, fuit typus Sionis, in qua promulgata fuit lex noua in pentecoste: in Seir serpens æneus, fuit typus crucis Christi: Pharan, vbi 70. iudices impleti sunt spiritu Dei, fuit typus missionis Spiritus sancti in Apostolos, & septuaginta discipulos Christi.

Imò S. Augustinus hæc propheticè ad literã de Christo intelligit. Sina enim, inquit, hebr. idem est quod tentatio (si videlicet per metathesin à rad. נָשָׂה *nasa*, id est tentauit, deriuetur.) Venit ergo Dominus, putà Christus, ex Sina, id est ex tentatione passionis & mortis. Secundò, Seir, id est pilosus, significat peccatorẽ. Christus ergo illuxit ex Seir: quia sedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux orta est per Christum. vel ex Seir, id est ex Gentibus peccatricibus: in his enim claruit prædicatio & gratia Christi. Tertiò, festinauit Christus ex mõte Pharan, id est fructifero, hoc est Ecclesia, cum multis millibus Sanctorum, qui per Christum sanctificati sunt, cum quibus venit, id est veniet, Christus ad Israelitas in fine mundi colligendos & conuertendos. Verùm hic sensus potiùs allegoricus est, quàm litteralis.

Allegor.

Et

Et cum eo sanctorum millia] Putà millia angelorum, qui Deo semper astant & ministrant, Daniel. 7. 10. Rabbini per *Sanctos* accipiunt Prophetas, & doctores qui condiderunt Talmud, eò quòd hi suum Talmud, illi suas prophetias, tum à Domino acceperint; omnes enim ipsorum animas iam tum extitisse & fuisse cum Deo in Sina. ita fabulones isti suis fabulonibus per suas fabellas applaudunt.

In dextera eius ignea lex] Dicitur Deus in Sina dextera sua quasi portasse, & tradidisse legem igneam: quia eam dedit cum ignibus & fulgetris intermicantibus, idque ad terrorem Hebræorum, Exodi 19. 18. Porro Caietanus hæc ita explicat, vt non Deus ipse legem portet, sed ad maiorem pompam portaretur à ministris, putà ab angelis, prope dexteram eius liber legis & ignis, vt per hoc significaretur Deum per legem iudicaturum & per ignem puniturū legis violatores. Vnde & pro *Dominus*. hebr. est *Elohim*, id est Iudex.

Lex ignea est lex noua amoris. Allegor. hæc lex ignea significabat legem nouam, quæ est amoris, de qua Christus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Lucæ 12. v. 49. Hinc Tropologicè S. Gregorius homil. 30. in Euangel. *Dextera*, inquit, *Dei appellantur electi: in dextera ergo Dei est ignea lex, quia electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt.*

Vers. 3. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt] *Populos*, id est tribus duodecim Israel: hæ enim vocantur populi & gentes, Gen. 48. 19. q. d. Ideo Deus dedit legem suam vobis qui estis populus Dei, quia vos diligit. hinc etiam omnes sancti, id est eius cultui dicati, quales estis vos, in manu, id est potestate & gubernatione, Dei sunt.

Et qui appropinquant (hebr. est תכו *tuccu*, id est qui medij facti sunt, vel inserti sunt (תוך *toch* enim significat medium) pedibus eius, id est qui discipuli eius sunt, qui eum audiunt, eiusque pedes & vestigia sequuntur. *Sedere ad pedes est esse discipulum.* Discipulorum enim est sedere ad pedes, vel inter pedes magistri. Sic Paulus Act. 22. 3. ait, se educatum ad pedes Gamalielis: hi accipient de doctrina eius] scilicet Dei.

Vers. 4. Legem præcepit nobis Moyses] Loquitur Moses de se in tertia persona, quasi de alio, vt se ostendat, velut vnum de populo, obligatum esse hac sua, imò Dei lege, vti boni & humani legislatores facere solent.

Lex vocatur hereditas, ob tres causas. Hereditatem multitudinis Iacob] Est appositio: legem enim vocat hereditatem; quia æquè vt hereditas transmittenda erat ad posteros: vel quia hereditas terræ sanctæ data erat Hebræis sub hac conditione, si seruarent legem Dei: vel denique, quia eis ita chara esse debebat, vti chara est hereditas.

Vers. 5. Erit apud rectissimum rex, q. d. Apud Israelem, quàm diu rectus & probus permanebit, rex erit lex Dei; vel potiùs Deus regens eos per legē, sine alio rege, idque congregatis principibus populi cum tribubus Israel] id est quamdiu principes cum populo vnanimes erunt, & conspirabunt, viuentque secundùm legem Dei. ita Abulens. Caietan. & alij. Hinc à rectitudine hac desciscentibus Iudæis, & petentibus regem, non Deum, sed hominem, queritur Deus apud Samuelem, aitque: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1. Reg. 8. 7.

A Alij putant, hîc esse prophetiam de rege Saule, & post eum Dauide creando: sed huic expositioni non consonat vox *rectissimi*. Alij ad Mosen hæc referunt, quòd ipse fuerit quasi rex Hebræorum: sed repugnat vox *erit*. iam enim transierat ducatus Mosis, eratque ipse in limine mortis.

Viuat Ruben, et non moriatur, et sit paruus in numero] q. d. Non moriatur penitus, neque deficiat vnquam posteritas & tribus Ruben; videlicet ob peccatum incestus, quod ipse in patrem admisit. ob hoc enim exscindi & deleri merebatur. Verùm in gratiam patris, aui & abaui, mitigauit hanc pœnam Deus, effecitque, vt parua tantum esset in numero. illud idem prædixit Iacob pater Ruben, Genes. 49. v. 4. *Effusus es*, inquit, *sicut aqua*, (per libidinem & incestum) *non crescas*. Vers. 6. *Benedictio Ruben.*

B Nota hîc congrua & iusta pœna libidinis, & præsertim incestus, est imminutio, imò extinctio familiæ. E contraria, Ephraim, qui Ruben hac parte in primogenitura successit, valdè multiplicatus est, vt patet Genes. 48. 19. *Libidinis pœna est extinctio familiæ.*

Nota. Moses iam moriturus hîc morem patriarcharum imitatur, atque populo suo, cuius dux & quasi pater fuerat, benedicit, & propheticè statum cuiusque tribus futurum prænuntiat.

Omittit autem Simeonem, secundogenitum Iacobi filium. nam quòd Septuag. eius nomen hîc interijciunt, vertuntque, *& sit Simeon multus in numero*, omnino verisimile est, Simeonis nomen vitiosè hîc irrepsisse: nam illud non habent Hebr. Chald. & Noster; imò nec S. Ambros. Procop. Apollinar. Diodor. Epiphan. & Theodor. qui sequi solent Septuag. vnde nomen Simeonis hîc C omittitur in editione Romana Septuag. quam edidit Caraffa. *Omittitur Simeon, cur?*

Portò, quòd Septuag. vertunt, *sit multus in numero*, cùm Noster contrariè vertat, *sit paruus in numero*; inde accidit, quòd Hebræa habeant: *& sit virorum eius numerus*, quod Septuag. sic acceperunt, q. d. Sit ingens eorum numerus; cùm Noster contrarium, scilicet *paruus* intellexerit, nimirum secutus Hebræam phrasin, qua *viri numeri*, vocantur viri pauci.

Chald. anagogicè ita vertit, *viuat Ruben in vita æterna, & non moriatur morte secunda, & accipiant filij eius hereditatem suam, iuxta numerum eorum.*

Causa verò, cur Moses omiserit Simeonem, est, quòd hæc tribus paulò ante fornicatione & idololatria Beelphegor contaminata, ideoque D valdè à Deo punita & accisa fuisset, idque in aliorum exemplum, vti dixi Num. 26. 12. ita Abulensis, Perer. & alij. *Prima causa.*

Aliam causam dat Theodoretus quæst. vlt. videlicet, quòd Simeon auctor fuisset insidiarum, quas fratres struxerunt Ioseph, qua de causa Simeonem præ alijs fratribus, Ioseph vinctum detinuit, Genes. 42. 25. *Secunda.*

Sed eodem argumento, nec Ruben benedici debuisset, ob incestum ab eo admissum.

Hæc est Iudæ benedictio: Audi Domine vocem Iudæ] id est, vt Chald. *suscipe Domine orationem Iuda, cùm egressus fuerit ad bellum, & ad populum suum introduc eum*, id est robur contra hostes illi da, vt suam terræ sanctæ partem & sortem victor obtineat. Minùs ergo rectè exponit Lyran. sic, q. d. Introduc Iudam post mortem in limbum, vt ibi iungatur patribus suis & populo suo. sequitur prophetia de Iuda: Vers. 7. *Benedictio Iudæ.*

Manus

MANVS EIVS PVGNABVNT PRO EO] q.d. Iudas pugnabit pro populo Israel, vt dux belli & princeps tribuum. id ita factum esse, patet Iudic. 1. v. 2. Hac de causa Moses præponit hîc Iudam Leui, qui tamen Iuda erat senior. ita Abulens.

ET ADIVTOR ILLIVS CONTRA ADVERSARIOS EIVS ERIT] scilicet *Deus*, vt patet ex Chald. & Septuag. qui vertunt *eris*, scilicet *Domine*: hunc enim initio versus compellauit Moses, dicens: *Audi Domine*, &c.

VERS. 8. *Benedictio Leui.* LEVI QVOQVE AIT: PERFECTIO TVA, ET DOCTRINA TVA VIRO SANCTO TVO, scilicet competit & debetur: hebraicè est, *summim tui sunt, tui sunt vrim, viri* videlicet *pij tui*, putà Aaronis, QVEM PROBASTI IN TENTATIONE (qui locus hebraicè dicitur *massa*, Exodi 17. v. 7. ET IVDICASTI AD AQVAS CONTRADICTIONIS, Numer. 20.] q.d. Tuæ sunt, ô Leui, tibique datæ sunt vestes sacerdotales, ac consequenter ipsum sacerdotium: vestes inquam, ephod & Rationale, quibus inscriptum est *vrim* & *tummim*, id est illuminatio siue doctrina, & integritas siue perfectio vitæ, quibus fulgere, populoque prælucere debet sacerdos, de quibus dixi Exodi 28. 30. vnde Chald. clarè vertit, *vrim & tummim*, id est perfectione & doctrina, *induisti virum, qui inuentus est sanctus coram te.*

Porro, hæc Leui data sunt: quia data sunt Aaroni, progenato ex tribu Leui, qui fuit vir pius & sanctus, nisi quòd peccarit, cùm eum, ô Domine, probasti & iudicasti, id est condemnasti, ne ingrederetur terram promissionis: id factum est ad Aquas contradictionis, Numer. 20. 12.

Aliter hæc explicat Abulensis, q.d. Tu Domine perfectionem vitæ, & integritatem legis ac doctrinæ dedisti viro sancto, id est Mosi, qui fuit oriundus ex Leui, vt eamdem populo, sed maximè Leuitis suis communicaret. Verùm ex Hebræo patet priorem sensum esse genuinum.

VERS. 9. *Zelus Leuitarum.* QVI DIXIT PATRI SVO, ET MATRI SVÆ, NESCIO VOS; ET FRATRIBVS SVIS, IGNORO VOS: ET NESCIERVNT FILIOS SVOS] q.d. Leui, id est Leuitæ in punitione idololatrarum, putà adorantium vitulum aureum, Exodi 32. v. 28. non sunt misert amicorum & cognatorum, ac fratrum & filiorum suorum, sed occiderunt eos, æquè ac alios, perinde ac si eos non nouissent, imò non vidissent, vel aspexissent, vt habent Hebræa.

Putat Abulens. *τὸ patri & matri*, hîc addi per exaggerationem: nec enim vllum Leuitam occidisse patrem, vel matrem; eò quòd nullo casu aut crimine, liceat filio occidere patrem vel matrem, vtpote auctores vitæ suæ, nisi Deus expressè hoc mandet, fratres autem saltem ex altero parente genitos, item filios suos occidisse. nam ob crimen idololatriæ licebat occidere filios, vt patet cap. 13. v. 6. & 10.

Leuitæ occiderunt verè patres & matres. Verùm æquè, imò magis & primò, dicitur hîc de patre & matre, quàm de fratribus & filijs, quòd eos in cæde illa idololatrarum non respexerint Leuitæ, nec miserti sint eorum, vt vertit Chaldæus. vnde videntur ipsi sine discrimine omnes noxios, etiam patrem & matrem occidisse, hoc enim iussu Dei mandauerat eis Moses, Exodi 32. 27. licet enim ibi non exprimatur pater & mater, sed tantùm frater, amicus & proximus, tamen ex hoc loco satis colligitur, Mosen nominasse etiam patrem & matrem; aut certè Leuitas mandatum Dei de occidendis vituli cultoribus, rectè ex zelo suo ita interpretatos esse, vt etiam patrem & matrem complecteretur.

HI CVSTODIERVNT ELOQVIVM TVVM, ET PACTVM TVVM SERVAVERVNT] putà pactum cum Deo initum Exodi 24. 8.

VERS. 10. IVDICIA TVA, O IACOB, ET LEGEM TVAM, O ISRAEL] Hebr. est, *hi docebunt iudicia tua Iacobum, & legem tuam Israelem.* Noster Interpres non legit in Hebræo יורו *ioru*, id est docebunt, & forte hoc irrepsit, vt pro נצרו *iintsoru*, id est *seruauerunt*, quod præcessit; aliqua exemplaria per *keri vketif*, ad marginem legerint *ioru*, quod postea ad *iintsoru* in textu sit additum. nam sine *ioru* sensus consistit. Est enim Appositio, q.d. Leuitæ seruauerunt pactum tuum, quod non est aliud, quàm iudicia, id est præcepta & leges tuæ.

Posset Secundò, retinendo יורו *ioru*, Noster cum Hebræo rectè conciliari, si *ioru*, esto sit futurũ, pro præterito accipias, vti accepit Vatabl. & alij: præcesserunt enim præterita. tũc enim sensus erit: Leuitæ docuerunt iudicia tua, ô Domine, Iacobum, videlicet hoc ipso, quo seruauerunt pactũ tecum initum, & pacti huius violatores vlti sunt: tunc enim ipso facto ostenderunt & docuerunt, quàm rigidè iudicia, id est leges tuæ seruandæ sint.

PONENT THYMIAMA IN FVRORE TVO (hebr. est. באפך *beappecha*, quod Secundò, verti potest, *in naribus tuis*) ET HOLOCAVSTVM SVPER ALTARE TVVM] Vatabl. rursum pro *ponent*, vertit *posuerunt*. Sensus enim est, Ob hunc Leuitarum zelum, tu Domine eos in sacerdotes delegisti, qui scilicet tibi obtulerunt, offerunt, offerentque deinceps semper thymiama & holocausta. *Merces zeli Leuitarum.*

Vide hîc, quanti Deus faciat, quamq; præmiet zelũ & zelosos. Est enim ipse *zelotes & ignis consumens. Angeli quoque*, inquit S. Ambros. in psal 118. *sine zelo nihil sunt, & substantia sua amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Deniq; angelo Laodiceæ dicitur Apocal. 3. 15. *Scio opera tua: quia tepidus es, & nec frigidus es, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptã seruare studet Ecclesiæ castitatē. Zelus, Dei vita est. Zelum habuit Elias; & ideo raptus ad cælũ est. *Zelans*, inquit, *zelaui Dominũ*. Zelũ habuit Mathathias, & ideo adeptus est gloriam & imperiũ gentis suæ. Zelum habuit Moses percutiens Ægyptium opprimentem Hebræum; & rectè: *zelus enim purgat facinus*. Ex zelo clamat rex Dauid psal. 118. 139. *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et Ierem. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Christus ex zelo videns ciuitatem Ierusalẽ, fleuit super eam. Paulus: *Aemulor*, inquit, *vos Dei æmulatione.* &, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* zelũ S. Stephani vide Actor. 6. & 7. Zelabat sponsa in Cant. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* & sponsus: *Pone me vt signaculũ super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Zelum Moses præcepit Leuitis, dicens Exodi 32. 26. *Si quis est Domini, iungatur mihi, & occidat vnusquisque fratrē & amicum suum.* & Christus nobis: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* &, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* *Morale de zelo.* *Zelus purgat facinus.*

Zelus hic necessarius est Prælato: hinc Deus in Ecclesia veteri, præfecit Mosen; in noua, Petrum & Paulum, ob zelum. In rep. veteri regem constituit Dauidem, dicentem psal. 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*; in noua Cōstantinos, Theodosios, Carolos, Bullonios, zelo fidei ardētes. Zelus S. Antonij cōpescuit Arrianos; Aphraatis Valentem Imp. historiam vide apud Theodor. l. 4. hist. c. 24. De zelo S. Francisci vide Bonau. in eius Vita l. 1. c. 9. Hunc zelum maximè acuit cogitatio æternitatis. Quis enim contra peccata non zelet, si cogitet illud: *Momentum quod delectat, æternum quod cruciat?* quis pro felici æternitate sibi alijsque assecuranda, labores omnes, dura omnia non ambiat? Hoc cogitent, hoc faciant Prælati & sacerdotes, quos decet esse satores æternitatis.

VERS. 11. BENEDIC DOMINE FORTITVDINI EIVS] Prophetia est per modum orationis de Machabæis, prognatis ex Leui. vnde Hebræa sic vertas, *benedic Domine exercitui eius, & accepta sint tibi opera manuū eius*, bella videlicet, quæ contra hostes tuos gesturus est Leui per Machabæos. ita Abul.

Nota. *Fortitudo* hîc vocatur Primò, fortis & inuictus animus, quo Leuitæ propter Deum trucarunt affectum erga parentes & fratres. Secundò, fortis & strenua vindicta, quam exercuerunt in adorātes vitulum aureum. Tertiò, fortitudo bellica, quam cōtra Antiochum & alios hostes Machabæi ostensuri erant: hanc enim significat Hebræum חיל *chail*: inde enim milites & viri strenui, vocantur אנשי חיל *anse chail*.

VERS. 12. *Benedictio Beniamin.* ET BENIAMIN AIT] Post Leui benedicit Beniamin, quia in eius sorte ædificandum erat templum, in quo sacerdotes & Leuitæ erant posituri thymiama & holocausta.

AMANTISSIMVS DOMINI] Quia sicut Iacob dilexit suum Beniamin, ita & Deus. vnde primò sceptrum & potestatem regiam illi in Saule (hic enim fuit ex tribu Beniamin) tribuit. Secundò, in sorte Beniamin, putà in Ierusalem, ædificari voluit templum.

Mysticè Beniamin est S. Paulus. Mysticè hæc omnia competunt S. Paulo, qui fuit ex tribū Beniamin. ita Raban. Rupertus & S. Ambros. l. de Benedict. Patriarch. c. vlt.

HABITABIT CONFIDENTER IN EO] Deo suo scilicet. q. d. Beniamin in sua sorte habitabit sine timore: quia habebit Deum secum in templo & habitaculo suo, in eoque securè conquiescet, & quasi habitabit. Causam subdit: quia scilicet Deus in Beniamin, putà in templo suo,

QVASI IN THALAMO TOTA DIE MORABITVR, ET INTER HVMEROS ILLIVS REQVIESCET] Est hebraismus, *inter humeros*, id est in medio tribus Beniamin. nam quod est inter humeros, est in medio. Secūdò, per humeros alludit ad sitū templi, quod erat in sublimi parte montis Moria, non tamen in eius vertice, sed, vt placet Hebræis, 24. cubitis infra eius apicem, vti humeri sunt infra caput, & supra reliquum corpus. ita Perer. in Gen. 49. 27. Vatabl. hæc vertit optatiuè sic, *sit integens eum tota die, & inter humeros eius habitet.* q. d. *Vtinam Dominus habitet in medio Beniamin, & protegat eū omni tempore.* Atque hac de causa tribus Beniamin fuit robustissima, vtpote à Deo suo adiuta & roborata; vt patet Iudic. 20. 16. Caietanus hæc refert ad Beniamin, q. d. Ipse Beniamin requiescat inter humeros Dei, imò in ipso Deo, quasi in thalamo suo. Sed prior sensus est conuenientior, vt non Beniamin, sed Deus hîc intelligatur, quasi verbi suppositum, illudque exigunt Hebræa.

Tribus Beniamin fuit robustissima, à templo suo.

IOSEPH QVOQVE AIT] Ioseph erat frater senior Beniamino: hic duas habuit proles & tribus, scilicet Ephraim & Manasse, quibus nomine patris sui Ioseph, hic benedicit Moses. VERS. 13. *Benedictio Ioseph.*

DE (id est *in*) BENEDICTIONE DOMINI TERRA EIVS] q. d. Benedicta à Domino erit terra Ioseph. patet ex Hebræo.

DE POMIS CÆLI] id est in pomis, quæ cæli, solis & lunæ influxu nascuntur, erit benedicta terra Ioseph, copiamque habebit pomorum, roris & frugum. præpositio enim *de*, hîc & in seqq. capitur pro *in*. sic enim Hebræi sæpè *beth* præpositionem, cum *in* commutant.

ATQVE ABYSSO SVBIACENTE] q. d. Terra Ioseph, scilicet quam occupabunt Ephraim & Manasse, erit benedicta ob fontes, è terra infernè iugiter scaturientes, instar abyssi; sicut supernè benedicta erit ex cæli, solis, lunæ & siderum influentia.

DE VERTICE ANTIQVORVM MONTIVM] q. d. Quæ poma nascentur in vertice montiū priscorum, siue cacuminum æternorum, id est qui fuerunt ab initio mundi. hoc enim est quod rythmicè explicans subdit: *De pomis collium æternorum.* Innuit Moses, hos colles ab initio mundi fuisse fertiles & pomiferos. Hasce benedictiones dedit & Iacob pater Iosepho, Gen. 49. 26. VERS. 15.

BENEDICTIO ILLIVS (Dei) QVI APPARVIT (Mosi, Exodi 3. 2.) IN RVBO, VENIAT SVPER CAPVT IOSEPH, ET SVPER VERTICEM NAZARÆI INTER FRATRES SVOS] Nominatur hîc Deus apparens in rubo: quia sicut Deus in rubo apparuit soli Mosi, in loco deserto, eumq; ducem populi constituit; ita Ahias Propheta solum Ieroboam (qui erat ex Ephraim & Ioseph) allocutus est, eique regnum decem tribuum prædixit, & quasi consignauit, 3. Reg. 11. 29. Benedictio ergo Dei, qui Mosi apparuit in rubo, manifestanda per Ahiam prophetam, & ventura super caput & verticem Ioseph, fuit corona regia. vnde Septuag. vertunt, *qui super verticem glorificatus est in fratribus.* Idem innuunt Hebræa, & Noster, dum explicando subdunt: *Et super verticem nazaræi inter fratres suos.* VERS. 16.

Meritum enim Ioseph, quo tribui suæ meruit hāc coronam, insinuatur, cùm ipse vocatur nazaræus inter fratres suos. eo enim quòd Ioseph à fratribus fuit venditus & separatus, meruit inter eos principatū & regnū in posteris suis. ita Caiet.

Nota. Ioseph fuit nazaræus, id est separatus, Primò, quia sanctus erat inter fratres. Secundò, quia venditus fuit in Ægyptū, separatus, claususque in diuturno carcere. Tertiò, quia in carcere mansit intonsus, comamq; vt nazaræus aluit, quę postea cùm ex eo eductus est, ei attonsa fuit, Gen. 41. 14. ita Rupertus. Quartò, quia ob hæc separatus & exaltatus fuit ad principatum in Ægypto apud Pharaonem. Quintò, quia ob hæc eadem separandus & euehendus erat in posteris suis ad coronam regiam. Sextò, quia hæc corona ei obtigit, quando Israel, id est decem tribus separarunt se à domo Dauid, & à duabus tribubus, putà Iuda & Beniamin, constituendo sibi pro Roboam, proprium regem Ieroboam, qui erat de tribu Ioseph. ita Caiet.

Nazaræus fuit Ioseph sextupliciter. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Sextò.

QVASI PRIMOGENITI TAVRI (Hebr. שור *schor*, Chald. תור *tor*, vnde Græcum & Latinū taurus) PVLCHRITVDO EIVS. quia videlicet Ioseph ob pulchritu- VERS. 17. *Ioseph iuuencus.*

chritudinẽ, ab hera sua velut lasciuiẽte vacca, ceu taurus iuuẽculus, formosus, & inter cæteros egregius, ad stuprum appetitus est: quia verò ipse eius libidini fortiter restitit, hinc de eo subditur: CORNVA RHINOCEROTIS CORNVA ILLIVS, inquit Rupert. Secundò, & aptiùs, q.d. Sicut primogenitus tauri vitulus, est pulcher, torosus, robusto & magno corpore: quia robur est patris, in quo scilicet gignendo & formando taurus primam omnemq; suã vim exseruit, ita & tribus Ioseph, putà Ephraim, erit fortissima, habebitq; bellicas acies & cornua, ita valida, vti sunt cornua rhinocerotis, quibus VENTILABIT, id est exagitabit, profligabit, & quasi in ventum disperget, GENTES hostiles, VSQVE AD TERMINOS TERRÆ] scilicet suæ, & sibi vicinæ, putà Palæstinæ & Syriæ. est hyperbole.

Lim cornua.

Nota. Primò, Iosephũ comparat tauro, Primò, quia ipse ob agriculturam seruatam, & bene prouisam, colẽdus erat in Ægypto; & illius sepulchrũ exornandum erat simulacro bouis, qui agriculturæ est symbolũ. vide dicta Gen. 41. in fine. Secundò, quia posteri eius reges futuri, alios superaturi erant robore & magnitudine, sicuti taurus præcellit armentum. Sic Homerus Agamemnonem comparat tauro. est enim taurus symbolum regis, vt docet Diogenes orat. 2. apud Dionem.

Nota Secundò. Dicit *cornua*, non cornu *rhinocerotis*: qnia rhinoceros, præter vnum cornu aduncum, quod habet in naribus, aliud habet cornu paruum supra nasum, sed validissimũ, vti ex Pausania, Eucherio, Pierio, & Lusitanorum experientia docet Raderus noster in lib. 1. Martial. de spectac. epigr. 22. Hinc hebr. vocatur רְאֵם *reem*, à rad. רָאַם *raam*, id est exaltauit, eò quòd cornu in altũ tollat, vel motu ad feriendum, vel potiùs quod fortitudine & robore, cornu suum super omniũ animalium cornua exaltet, hoc est validius potẽtiusque esse demonstret. Quocirca Psaltes psal. 91. 11. *Exaltabitur*, ait, *sicut vnicornis* (hebr. *reem*, quod alij vertunt *naricornis* vel *rhinoceros*) *cornu meum*. q.d. Sicut reliquorum animalium cornua robore, pulchritudine ac soliditate, à cornu rhinocerotis superantur; ita super omnium regum & gentiũ vires & regna, meum regnũ & dominatus exaltabitur & crescet. ita Vilalpãdo in Ezech. c. 27. pag. 211.

Allegor Ioseph est Christus, cornua sunt crux.

Alleg. Ioseph nazaræus, & à fratribus venditus, significat Christum nazaræum à Iuda & Iudæis suis venumdatum, & Pilato mortique traditum. Pulchritudo eius est vt tauri: quia Christus alijs mansuetus est, vt saluator; alijs sæuus vt iudex, instar tauri. Cornua eius, sunt cornua crucis: qua cruce, ipse nunc per fidem ventilat omnes gentes, eas sibi subijciens, credentesque & Sanctos à terra in cælum transferens: & in fine mundi incredulos omnes & reprobos ventilabit per iudicium & sententiam condemnationis, dispergens, & deturbans eos de terra in infernũ. ita Tertull. l. contra Iudæos c. 10. Ambr. l. de Benedict. Patriarch. c. 11. August. q. 56. Raban hîc, & Iustinus contra Tryphon. pag. 70. vbi docet, monocerotis (sic enim ipse legit cum Septuag. qui passim pro rhinocerote vertunt, *monocerotem*, id est vnicornem) cornua gerere typum & similitudinem crucis. vide dicta Num. 23. 22. Audi Tertull. cùm enim citasset hunc Deuter locum, subdit: *Non vtique rhinoceros destinabatur vnicornis, nec minotaurus bicornis; sed Christus in illa significabatur, taurus, ob vtramque dispositionem, alijs ferus vt iudex, alijs mansuetus vt saluator: cuius cornua essent crucis extima. Nam & in antenna nauis, quæ crucis pars est, extremitates cornua vocantur: vnicornis autem medij stipitis palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuersas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cælum, & tunc ventilabit per iudicium, dejiciens de cælo in terram.*

Cornel. in Pentateuch.

ET ZABVLON AIT: LÆTARE ZABVLON IN EXITV TVO] putà in portubus, nauigationibus & profectionibus ad negotiationes tuas. habitabant enim Zabulonitæ in litore maris Mediterranei. vide dicta Gen. 49. 13. VERS. 18.

Benedictio Zabulon.

ET ISSACHAR IN TABERNACVLIS TVIS] quia Issachariani, non mercimonijs, sed agriculturæ domi suæ quietè erant vacaturi.

Benedictio Issachar.

POPVLOS VOCABVNT AD MONTEM. q.d. Issachar & Zabulon tum verbo (erant enim ex eis doctores) tum exemplo suo, inuitabunt alias tribus ad templum in monte Sion, vt in eo piè & religiosè Deum adorent & colant, ibique sacrificabunt VICTIMAS IVSTITIÆ, id est legitima & iusta, quæ lege Dei præscripta sunt. Secundò, *iustitiæ*, id est, ex opibus non iniquè, sed iustè partis, ait Caietan. QVIA, vt sequitur, INVNDATIONEM MARIS QVASI LAC SVGENT, q.d. Quia merces & opes quaslibet, per vndas maris nauibus importatas accipient, ET THESAVROS ABSCONDITOS ARENARVM] putà gẽmas, aurum & metalla, quæ è terra eruuntur (hæc enim arenis immiscentur & occultantur, quasi thesauri) per mare aduecta accipient. Septuag. vertunt, *diuitiæ maris lactabunt te, & emporia maritimam habitantium*; vel, vt Theodor. legit, *diuitias maris sugent, & mercaturam habitantium iuxta mare*; Onkelos *facultatem populorum comedent, & thesauri, qui absconditi sunt in arena, reuelabuntur eis.* VERS. 19.

Allegor. meliùs, inquit Rupert. & prophetico spiritu digniùs, hæc ad doctrinam Christi & ad Apostolos referemus. nã in terra Zabulon & Nephthali præcipuè versatus est & docuit Christus. vnde & in Nazareth conceptus est, & in Thabor transfiguratus: Nazareth enim & Thabor sunt in Zabulon. ibi & Apostolos collegit, qui populos vocarunt ad montem, id est ad Ecclesiam. Hi inũdationem maris suxerunt, id est multitudinem Gentium dulci prędicatione in vnam fidem, quasi in suum, id est Christi, corpus traiecerunt: suxerunt & thesauros absconditos arenarũ; quia suauiter biberunt profunda Scripturarum, arcana legis & Prophetarum. Rursum ad literam, Ecclesia suxit lac Gentium, & mammilla regum lactata est, atque accepit pro ære aurum, pro ferro argentum, pro lignis & lapidibus ferrum; cùm ex donatione regum & principum opes eas adepta est, quas prædixit Isaias c. 49. 23. & c. 60. v. 6. hinc Zabulon hebr. idem est quod *habitaculum fortitudinis*: Issachar, idem quod *est merces*. q.d. Lætamini, ô Zabulon & Issachar, id est, ô Apostoli Christi: quia vobis fortiter omnia relinquentibus, fortiterque euangelizantibus, & aduersa quæuis propter iustitiam sustinentibus, temporalia bona non deerunt: & insuper copiosa merces in cælis vobis reponetur. ergo in illo exitu vestro, in illis cælestibus habitaculis & præmijs vestris lætamini & exultate.

Allegor. de Apostolis.

ET GAD AIT: BENEDICTVS IN LATITVDINE GAD] Hebr. est, *dilatabit se Gad*, id est latam & amplam sortem & possessionem in Chanaan obtinebit, vti patet Iosue 13. 24. VERS. 20.

Benedictio Gad.

QVASI LEO REQVIEVIT, CEPITQVE BRACHIVM ET VERTICEM] q.d. Tribus Gad erit impauida & fortissima vt leo, qui simul rapit caput & humeros, id est qui vno quasi ictu ex sua præda, putà ex animali quod venatus est, abscindit vel abrumpit caput & humeros.

VERS. 21. ET VIDIT PRINCIPATVM SVVM] Hebr. *& vidit principiũ suum*, id est, vt Chald. *suscipiet in principio partem suam*. Principiũ enim fortis & possessionis Hebræorũ fuit terra Og & Sehon, quam possederũt Gaditæ, antequam aliæ tribus transirent Iordanem, & in Chanaan suam sortem obtinerent. q.d. Tribus Gad prima sibi sortem & ditionem elegit, eamq; iam ante alias tribus possidet, in terra regum Amorrhæorum, Og & Sehon.

ET VIDIT (id est mox videbit & cognoscet) QVOD IN PARTE (id est sorte) SVA REPOSITVS SIT DOCTOR] id est sepultus sit Moses legislator. ita Chald. nam iuxta montem Nebo, cis Iordanem, sepultus est Moses. Licet enim Nebo, & sepulchrũ Mosis propriè fuerit in tribu Ruben: tamen quia erat trans Iordanem, in qua regione eminebāt & quasi dominabātur Gaditæ; hinc hoc eis attribuit Scriptura. Innuit Moses, Gaditas petijsse hanc sortem, nõ tantùm ob pascua suorum gregum, sed etiam quia sciebant in ea sepeliendũ esse Mosen, suum ducem & legislatorem. Sciebant enim Mosen à Deo prohibitũ esse transitu Iordanis, ac proinde moriturũ cis Iordanem, in ipsorũ sorte. Aliter vertit Vatabl. scilicet, *vidit ibi*, (in sorte sua) *partem legislatoris laqueati*, id est palatia laqueata & splendida principum. verùm hoc nouum & obscurum est.

QVI FVIT CVM PRINCIPIBVS POPVLI. id est cũ principibus nouem tribuũ, cùm scilicet in transitu Iordanis Gaditæ præcesserunt ceteras tribus in acie, ad expugnandum Chananæos, sicuti iusserat Moses, ipsique ei promiserant: itaque Gad FECIT IVSTITIAS DOMINI, ET IVDICIVM SVVM CVM ISRAEL] id est, fecit Gad id, quod ex pacto & officio suo erga Deum, & erga contribules suos Israelitas facere debuit ita Vatabl.

VERS. 22. *Benedictio Dan.* DAN QVOQVE AIT: DAN CATVLVS LEONIS, FLVET LARGITER DE BASAN. Pro *fluet Largiter*, heb. est verbum זנק *zanac*, quod hìc tantùm reperitur, pro quo Septuag. Vatabl. Caiet. & alij vertũt, *saltabit*, iicq; explicant, q. d. Dan instar catuli leonis fortissimi & rapacissimi, quales solebant esse in Basan, prosiliet, irruetq; in hostes, vt sit prophetia de Samsone, qui fuit Danita, & fortissimè insilijt in Philisthæos. Rursum de Danitis subitò irruentibus in Lais, Iudic. 18. v. 7. & 27.

Verùm subtilius noster Interpres cum Chald. intellexit, hìc duas benedictiones dari tribui Dan, scilicet Primò, quòd esset bellicosa, vt catulus leonis, in Samsone, & alijs iam dictis; Secundò, quòd in Dan esset origo Iordanis, fluuij celeberrimi in Scriptura.

Pro quo Nota. Ludit Moses in voce Dan. Iam enim per Dan intelligit tribũ, scilicet cùm ait: *Dan catulus leonis*: mox verò per Dan accipit fontem vel fluuium tribus Dan, scilicet cùm addit: *Fluet largiter de Basan.* posset tamen vtrobique eodem modo accipi pro tribu & vrbe Dan, si sic exponas: Vrbs Dan largiter fluet, scilicet per suum fluuium Iordanem, quem ex se quasi emittit.

Pro quo Nota Secundò. Dan est riuulus, qui ex Phiala fonte, sito in Panio, ad radices Libani, per subterraneos meatus oritur, fluitq; ad ciuitatem, quæ inde Dan pariter est dicta (quæ postea dicta est Paneas, & Cæsarea Philippi) ibique in eum alius riuulus influit, cui nomen est Ior. vnde ex confluxu tam nominũ, quàm riuulorum *Ior* & *Dan*, conflatur & dicitur Iordan, siue Iordanis. vide Adrichomium in Tabulis geograph. terræ sanctæ. Iam quia Dan, vel potiùs Iordan, in hoc confluxu, qui est iuxta vrbem Dan, cũ impetu, largiter & quasi dupliciter fluere incipit, adeò vt irriget & fœcundet totam Basanitidem, quæ prope vrbem incipit; hinc dicitur saltare de Basan. sic enim vulgò dicimus, fontes & flumina saltare vel desilire, quando in copia & cũ impetu decurrunt & feruntur in præceps. Vnde pro *saltabit*, tam Noster, quàm Chald. vertũt, *largiter fluet*. q.d. Dan riuulus ex Libano & Panio fluet in vrbem Dan, ibique confluet cum *Ior* riuulo, fietq; Iordan: quapropter saltabit, id est cũ impetu, & largiter fluet de Basan; quia regio Basan incipit iuxta vrbem Dan, & protenditur per totum decursum Iordanis, vsque ad riuulum Ieboc. *Iordanis origo & etymon.*

Paulò aliter hæc explicant Lyran. & Caiet. scilicet, q.d. Fluuius Dan, qui est origo Iordanis, oritur & absconditur in Panio & Phiala: inde per subterraneos meatus erumpit & exilit in Basan; vocaturque Dan: hoc autem erumpere, vocatur hìc saltare. sed errat in chorographia: nam fluuius Dan non erumpit in Basan, sed multò antè quàm veniat ad Basan.

ET NEPHTHALI DIXIT: NEPHTHALI ABVNDANTIA (copia frugũ & opum) PERFRVETVR. Hebr. est, *satur erit voluntatis*, id est habebit quidquid volet; vel, vt Oleaster, liber erit, faciet quod volet, quasi cerua emissa, vt ait Iacob Gen. 49. 21. ideoq; PLENVS ERIT BENEDICTIONIBVS DOMINI] Quod maximè, inquit Caietan. cernetur in eo, quòd in Nephthali præcoces maturescent fructus, ex quibus primitiæ offerentur Deo in templo. VERS. 23. *Benedictio Nephthali.*

MARE ET MERIDIEM POSSIDEBIT] q.d. Sors Nephthali extendet se ad mare Mediterraneũ, & ad plagam Meridianã. ita aliqui. Verùm, quia inter sortem Nephthali & mare, interiacet tota sors Aser, & tota Phœnicia: hinc Secundò & veriùs, q.d. Nephthali extendet se ad mare, id est ad Occidentem & ad Meridiẽ: *mare* enim significat Occidentem in Scriptura, quia mare Mediterraneũ est ad Occidentem Iudææ. vel Tertiò, q.d. Ad Nephthalitas merces & opes aduehentur ex Meridie & ex mari, id est ex Occidente: eas ergo possidebit Nephthali. Nã Nephthalitæ erant contermini Phœnicibus, putà Tyrijs, Sidonijs, &c. vnde ab ijs totius orbis merces facilè habere poterat.

ASER QVOQVE AIT: BENEDICTVS IN FILIIS ASER] q. d. Aser Multas & decoras gignet proles: vnde placebit & gratiosus erit fratribus suis. VERS. 24. *Benedictio Aser.*

TINGAT IN OLEO PEDEM SVVM] abundet oliuetis & oleo, ita vt in eo, seu aqua pedes lauare possit, præ abundantia. Similis phrasis & catachresis est v. seq. & Iob 29. 6. vbi Iob ait: *Lauabam pedes meos butyro.*

FERRVM ET ÆS CALCEAMENTVM EIVS] Est catachresis, q. d. Aser abundabit fodinis æris & ferri, quantũ alij abundant corio; ita vt inde calceos sibi conficere possit, si velit: cuius indiciũ est vrbs Sarepta, quæ huic tribui data est, Iosue 19. 30. quæ à metalli officinis conflatorijs nomen accepit. צרף *tsaraph* enim conflare significat: inde dicitur *Sarepta*, quasi dicas, fornax vel vrbs conflatoria. VERS. 25. *Quadruplex explicatio. Prima.*

Nota.

Nota. Ferrum æquè ac æs priscis erat in pretio. Ita Lycurgus apud Lacedæmones pecuniam auream & argenteam sustulit, & pro ea substituit nummos ferreos, eosque ingentes & ponderosos, vt auaritiam & furta excluderet, vti refert Plutarchus in Lycurgo.

Secunda. Secundò, Caiet. metonymicè per calceamentū accipit possessionem: hæc enim adiri solet calceis, *Tertia.* calcando rē possidendam, vt patet psal. 59. 9. Tertiò, Procop. sic explicat, q. d. Aser erit robustus, suumq; robur perpetuò seruabit, perinde ac si *Quarta.* ære & ferro calceatus esset. Quartò, Masius in Iosue 19. per æs & ferrum Barbarorum vires accipit, qui Aseritas presserūt, vti pedem premit calceus, præsertim ferreus. nam in Galilæa Gentium magna erat gentium barbararum copia, quarum vires frangere non potuerunt Aseritæ. Inter hos sensus, primus simplicior & planior videtur.

Tropolog. Tropol. S. Gregor. 34. Moral. 5. *Sub Aser specie*, inquit, *Ecclesia sancta designatur: calceamentū significat munimen prædicationis, ferrum virtutem, æs perseuerantiam. Ferrum ergo & æs calceamentū eius dicitur, cùm prædicatio eius acumine simul, & constantia munitur. per ferrum enim malà aduersantia penetrat: per æs autem bona quæ propōsuit, longanimiter seruat.*

SICVT DIES IVVENTVTIS TVÆ, scilicet sunt, & erunt placidi, floridi & robusti: ITA ET SENECTVS TVA] erit placida, florida & robusta.

VERS. 26. NON EST DEVS ALIVS, VT DEVS RECTISSIMI] putà Israelis, qui ישרון iesurun, id est rectissimus, dicitur, ob rectissimam fidem & religionem, vti dixi c. 32. 15.

Mundus est equus sessoris Dei. ASCENSOR CÆLI. hebr. *qui cælis inequitat*: cæli enim, totusq; mūdus, sunt quasi equus sessoris Dei, qui eū habenis prouidētiæ suæ regit & gyrat quò vult. ergo hic mundi auriga & rector est AVXILIATOR TVVS] vt scilicet celeriter & repentè aduolet, vtpote cælis & nubibus, quasi equis velocissimis inequitans; vtq; è cælis pro te lapides & fulmina in hostes vibret, solē stare faciat, &c. inquit Caiet. Non est ergo, ô Israel, quòd Chananæos, quòd Philisthæos, quòd homines, quòd dæmones timeas. hos enim omnes magnus hic eques vno lanceæ ictu confodiet. quare animos ingentes cape, pugna viriliter, certò vinces & triumphabis.

MAGNIFICENTIA EIVS (magna eius sapientia & potentia) DISCVRRVNT NVBES.

VERS. 27. HABITACVLVM EIVS SVRSVM; quia Deus habitat in se, suaq; æternitate, item in cælo empyreo; vbi suam maiestatem & gloriam Sanctis exhibet. *Domus Dei est æternitas.* Heb. est, *habitaculū Dei est antiquitas*, id est æternitas, inquit Caiet. vel, *qui* (scilicet nubes & æther) *sunt habitaculum Dei ab antiquo*. ita Vatab. ET SVBTER BRACHIA SEMPITERNA] Heb. *& subter brachia* *Triplex sensus.* *sæculi*, q. d. Sub Deo, & Dei æternitate sunt angeli vel cæli, qui quasi brachia Dei sunt sempiterna. ita Abul. sic & Caiet. Æternitas, inquit, quæ est Dei habitaculum, est suprà; sed subter eam sunt bra- *Tempora & sæcula sunt brachia æternitatis.* chia, id est extensiones & durationes cuiusq; sæculi, omne enim sæculum, & omne tempus ambit æternitas: quoniam vires potentiæq; cuiuscumque sæculi oriuntur de, & sub æternitate, siue sint vires angelorum, siue corporum cælestium, siue inferiorum.

Secundò. Vnde Secundò, ex Hebræo sic vertas, *sub brachiis eius est sæculum*, q. d. Deus sursum per cælos in immensum protendit suæ potentiæ brachia, & sub hisce eius brachijs omnis hic mundus, omne tempus, omnesque res huius sæculi continentur, diriguntur & decurrunt.

Tertiò, & aptiùs, q. d. O Israel Deus auxiliator tuus, licet habitet sursum, non tamen inferiora & res humanas, tuasq; negligit, sed eas curat, regit & prouidet: quia sub cælo habet potentiæ suæ brachia sempiterna, infatigabilia & omnipotentia, quibus mundum, omnesq; res mundi complectitur, stringit, mouet, dirigit, protegit & gubernat: vel, vt Vatabl. O Israel, Deus tam infernè quàm supernè te cingit, amplectitur, defendit & regit. supernè enim protegit te sesuoq; cælo, sicut tugurium homines protegit ab iniuria aëris: infernè verò quasi sub te, habet sua brachia infatigabilia, quibus te stringit, in quibus securè recubas & quiescis, vti infans stringitur brachijs matris, in eisque securè requiescit. q. d. A vertice ad calcem, sursum & deorsum, diligenter Dominus ambit Israelem & custodit.

Huc pertinet & Oleastri explicatio: O Israel, *Oleastri explic.* Deus fuit habitaculum tuum ab initio, imò ab æternitate prædestinationis suæ, & complectitur protegitque te, quasi quibusdam æternis & continuis brachijs.

Ascēde ergo, ô anima, quæ hic cum culicibus & *Morale de ope Dei.* pulicibus, cum gleba & luto luctaris; extende te, & ascende ad ascensorē cæli, ad Deum tuum, qui habitat in altissimis montibus æternitatis. Ibi posita dispice & vide quàm modica sint, quæ hic te sui vel cupiditate alliciunt, vel terrore percellunt: vide quàm exilia & fragilia sint omnia, quæ terræ puncto continentur: vide quàm præ Deo, præ æternitate exigua sint creata omnia, quàm vana, infirma, breuia, imò nihilū sint. vnum ergo summum & immensum bonum ambi; cætera parui æstima: Deo nixus, sublimatus, & dilatatus pedibus tere quidquid sub sole, sub luna vel blandū allicit, vel terribile minatur. Æterna cogita. Dæmon obsidēs camelum, adductus ad S. Hilarionem, cœpit terribiliter furere, quasi eum deuoraturus; cui Sanctus: *Non me terres diabole tanta mole corporis: & in vulpecula, & in camelo idem es.* mox coram eo corruit, & mansuetus planè camelus effectus est. ita S. Hieronymus in Vita S. Hilar.

Talia sunt omnia blandimenta, omnia tentamēta mundi. Quid speras? quid amas? quid times? ascēsor cæli auxiliator tuus: ipse brachijs suis sempiternis te complectitur & tuetur; ijsdemq; hostes tuos, qui vel alliciunt te, vel territant, stringit ita arctè, vt omnes vno ictu quasi pulices occidere imò annihilare possit. Voluptas ergo gulæ aut libidinis te sollicitat? modica est, despice. æternam cogita. Terrent te minæ, tyranni, ærumnæ, paupertas? modica sunt, despice. æterna cogita.

EIICIET A FACIE TVA INIMICVM, DICETQVE, CONTERERE] Ita legendū cū Chald. LXX & Rom. vt scilicet in Hebr. alijs pūctis legamus הִשָּׁמֵד hisscamed, id est conterere, passiuè. nā hisscamed est imperatiuus passiuus niphal. Iam alijs punctis legunt actiuè in hiphil, הַשְׁמֵד hasmed, id est contere, vastato, scilicet tu ô Israel inimicos tuos. Iam, *dicet Contere*, id est faciet vt cōteras. Dei enim dicere est facere. Sed prior lectio & sensus aptior est & planior.

OCVLVS IACOB, id est oculus Iacobæorum, siue posterorum Iacob, subaudi videbit, fruetur & delectabitur IN TERRA FRVMENTI ET VINI. VERS. 28.

CÆLIQVE CALIGABVNT RORE] q. d. Tanta erit roris, herbas & agros irrorantis & fœcundantis, copia,

copia, vt aërem & cælos obſcuret, ſoliſque aſpectum adimat.

VERS. 29. QVI SALVARIS IN DOMINO? id eſt per Dominum, ope Domini, qui eſt SCVTVM AVXILII TVI] ex quo ſcilicet omne tibi auxilium, omniſque protectio prouenit.

ET GLADIVS GLORIÆ TVÆ] quo ſcilicet tibi paratur glorioſa victoria, imperiũ, decus & fama.

NEGABVNT TE INIMICI TVI] Hebr. *mentientur tibi inimici tui*, id eſt omnino ſubijcientur tibi hoſtes tui. hoc enim ſignificat hic hebraiſinus pſal.

A 80.16. pſal. 65.3. pſal. 17.46. Hoſtes enim deuicti & capti, vt à victore veniam & gratiam impetrent, multa mentiri ſolent, ac dicere, ſe verè, & ex animo eius non fuiſſe inimicos, multaq; aliàs in eius gratiam feciſſe. ita Caiet. Vatabl. & alij. Aliter Abul. ipſe enim refert hoc ad Gabaonitas, qui metu Hebræorum perculſi, mentiti ſunt eis, negantes ſe eſſe de terra hoſtium Iſrael; ſed Ioſue & Iſrael eorum colla calcauit: quia re cognita, non quidem occidit eos, ſed ſubiecit ſeruituti. Verùm prior ſenſus eſt ex phraſi Hebræa & Script.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moſes ex Nebo contemplans Chananæam moritur; ſepelitur; plangitur: ſuccedit ei Ioſue; ſed nullus Propheta ſimilis Moſi, poſt eum ſuccedit.

1. Aſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo, in verticem Phaſga contra Iericho: oſtenditque ei Dominus omnem terram Galaad
vſq; Dan, 2. & vniuerſum Nephthali, terramq; Ephraim & Manaſſe, & omnem terram Iuda vſque ad mare nouiſſimum, 3. & auſtralem partem, & latitudinem campi
Iericho ciuitatis palmarum vſque Segor. 4. Dixitq; Dominus ad eum: Hæc eſt terra, pro qua iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. 5. Mortuuſq; eſt ibi Moyſes ſeruus Domini, in
terra Moab, iubente Domino: 6. & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. 7. Moyſes
centum & viginti annorũ erat quando mortuus eſt: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt. 8. Fleueruntq; eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta
diebus: & completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen. 9. Ioſue verò filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Et obedierunt
ei filij Iſrael, feceruntq; ſicut præcepit Dominus Moyſi. 10. Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, 11. in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni,
& omnibus ſeruis eius, vniuerſæq; terræ illius, 12. & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram vniuerſo Iſrael.

VERS. 2. VSQVE AD MARE NOVISSIMVM] Id eſt, vſque ad mare occidentale, putà Mediterraneum, quod erat ad Occidẽtem terminus terræ ſanctæ.

VERS. 5. *Mors Moſis ex Ioſepho.* MORTVVSQVE EST IBI MOYSES SERVVS DOMINI] Mortem Moſis ita deſcribit Ioſeph. lib. 4. Antiq. vlt. *Ad montem Abarim Moſen deduxit ſenatus ſolus, & pontifex Eleazarus, & imperator Ieſus. in eo monte vbi conſtitis, ſenatũ dimiſit, cumq; poſt mutuos complexus Eleazaro ac Ieſu vltimum valediceret, inter loquendum repentina nube circumdatus, in vallem quamdam eſt ablatus. in ſacris autem voluminibus ſcripſit ſe mortuum, veritus ne propter excellentem eius virtutem, à Deo raptum prædicarent.*

Fallitur Ioſeph. ſi enim raptus eſt Moſes, ergo falsò ſcripſit ſe mortuum: ergo mentitus eſt, quod abſit.

Simili modo cùm Epiſcopi ex vrbe Conſtantinop. S Epiphanium ad nauim deducerent, dixit ipſe ad eos: *Vrbem hanc & aulam Imp. vitaq; huius actionem & fabulam vobis relinquo: ego verò abeo, in ciuitatem aliam tranſire properans*, vti refert Niceph. l. 13. c. 13.

De Moſe verò proſequitur Ioſephus: *Vita eius tempus vniuerſum fuit centum viginti annorum, cuius tertiam partem in imperio exegit, vno menſe minùs: mortuuſq; vltimo anni menſe, die prima menſis, qui à Macedonibus Dyſtrus dicitur, à noſtris verò Adar*, reſpondetque ferè Latinorum Februario.

Hebræi tamen in *Seder olã*, quos ſequitur Andr.

B Maſius in Ioſue 1. cenſent Moſen natum eſſe die 7. menſis duodecimi, qui dicitur Adar, & eadem die poſt 120. annos eſſe mortuum.

Verùm dico, Moſen ſub initiũ Adar, putà tertio vel quarto die Adar eſſe mortuum. Id ita eſſe probatur: nã 36. dies fluxerunt à morte Moſis vſq; ad tranſitum Hebræorum per Iordanem in Chanaan: hic autẽ tranſitus contigit die decima menſis primi anni ſequentis, vt patet Ioſue 4. v. 19. iam retro computa 36. dies, à die decima mẽſis primi, & incides in diem quartam menſis vltimi, anni præcedentis. Porro 36. dies præcisè hic fluxiſſe, probatur: nam Hebræi luxerunt mortem Moſis *Moſes mortuus eſt in Februario.*

C per 30. dies: quibus exactis Ioſue miſit exploratores in Iericho, qui triduo latuerunt in monte: ijs reuerſis Ioſue mouit caſtra ad Iordanem, vbi moratus eſt tres dies, ac poſtridie cũ ſuis tranſijt Iordanem. Iam adde tres & tres dies ad 30. habebis 36. quos quærimus. ita Torniellus.

Mirum eſt, quòd in Martyrologio Romano Moſi dies conſignetur quarta Septembris: licet enim in anno vulgari September; tamen in anno ſacro (quo vtitur Script.) Adar, id eſt Februarius, eſt vltimus menſis.

Nota, quod ait Ioſephus de Moſe, *Scripſit ſe mortuum*: ita ſcilicet cenſet ipſe, Philo, & aliqui alij.

lij. Sed verius est, vt alibi dixi, hæc non à Mose, sed à Iosue, vel aliquo alio esse scripta. hoc enim planè innuit id quod dicitur v. 6. *Et non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem.* vnde Hebræi cēsent, totum hoc caput 34. scriptū esse à Iosue, quibus consentit Abul. qui tantùm excipit primos quatuor versus capitis: eos enim putat scriptos esse à Mose, iamiam ascensuro in montem Nebo, cæteros à Iosue.

Nota. De Mosis morte variæ fuerunt veterum opiniones. Primò, aliqui putarunt eum necdum esse mortuum, sed translatum, vt redeat cum Henoch & Elia contra Antichristum. ita opinatus est Hilar. can. 20. in Matth. Iohannes Arboreus l. 11. Theosophiæ c. 11. Catharin. in Gen. 3.

Mosen non esse mortuū. censet Hilar. Cathar. & alij.

Probabant hoc, tum ex eo quòd sepulchrū eius non sit inuentū, tum ex Apoc. 11. 6. vbi Iohannes loquens de duobus testibus Christi, qui tempore Antichristi futuri sunt, subiungit: *Hi habent potestatem aquas conuertendi in sanguinem, & percutere terram omni plaga.* quibus verbis videtur significari Moses: ipse enim conuertit aquas in sanguinem, & percussit Ægyptum omni plaga. Exodi 7. & seq.

S. Hieron. Nyssen. & Ambros. de morte Mosis quid senserint?

Eamdem sentētiam videtur docere S. Hieron. in Amos 9. & Nyssen. in Vita Mosis in fine, & S. Ambros. l. 1. de Cain & Abel c. 2. eamque S. Ambrosio tribuunt Viegas in Apoc. 11. & Suarez 3. p. qu. 45. art. 3. ibi enim asserere videtur S. Ambros. Mosen verè non esse mortuum, sed tantùm dici mortuum per verbum Domini: quia scilicet iussu Domini translatus est instar Eliæ.

Hi tamen Patres ab alijs excusantur, quòd mysticè loquantur. S. Hieron. enim ait, Mosen ascendisse in cælū, id est in cælestem & perfectissimam vitam, & sanctitatem: in morte enim fuit sanctissimus, & exseruit admirabilem zelū & spiritum, vt patet ex Deut. Eodem modo potest Nyssenus explicari. S. Ambros. verò videtur ludere allegoricè suo more, & velle tantùm, quòd Moses fuerit typus Christi à morte statim resurgentis, quodque mors Mosis ita in Scriptura narretur, vt ipse non tā mortuus, quàm translatus & immortalis fuisse videatur. Primò, in eo quòd narratur non esse mortuus ex defectu virium. Secundò, quòd ab hominibus abreptus sit. Tertiò, quòd nesciatur eius sepulchrum. Ex hisce enim potiùs translatus hominibus videri possit, quàm mortuus. nam Ambrosium non negare, Mosen verè esse mortuum, colligitur ex eo, quòd ibidem disertè doceat, Mosen esse resurrecturum.

De fide est, Mosen esse mortuum.

Verùm quidquid sit de Patrum horum mēte: dico erroneam esse hanc sententiam, adeoque de fide esse quòd Moses sit mortuus. Patet hoc ex c. 32. 5. *Iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron;* & hîc expressè, *Mortuusq́, est ibi Moses;* & mox, *Et sepeliuit eum in valle.* Ad Apocal. 11. Respond. ibi non esse sermonem de Mose, sed tantùm ad eius portenta alludi, eò quòd Henoch & Elias similia facient ijs, quæ fecit Moses.

Secunda sententia Mosen statim à morte resurrexisse.

Secundò, alij censent Mosen quidem esse mortuum, sed statim resurrexisse, ideoque neminem cognouisse eius sepulchrum. ita R. Samuel Marochianus l. de Aduentu Messiæ c. 13 Huic sententiæ ferè accedit Gagnæus in cap. 11. Apoc. qui docet Mosen, quidem obijsse, sed resurrecturum, & venturum, vt cum Antichristo decertet. Idem (quod mirum est) censet Maldonatus in Matth. 17. Verùm hæc opinio improbabilis est & temeraria, vtpote carens solido fundamento, & repugnans communi Patrum sententiæ, qui docent non Mosen, sed Henoch & Eliam venturos esse contra Antichristum.

Tertia sententia Mosen resurrexisse in transfiguratione Christi.

Tertiò, alij putarunt Mosen mortuum esse, sed resurrexisse in transfiguratione Christi, in monte Tabor. ita videtur sentire S. Hier. in Matth. 17. & auctor de Mirabil. S. Script. (qui liber falsò tribuitur S. Augustino) l. 3. c. 10. Verùm hoc quoque est improbabile. certum enim est, Christum primum omnium, & ante omnes homines resurrexisse ad vitam immortalem: inde enim Christus ab Apostolo vocatur *Primitiæ dormientium, & Primogenitus mortuorū.* Si dicas Mosen resurrexisse, sed rursum esse mortuum; Resp. Longè durius & acerbius fuisset Mosi, post resurrectionem mori, quàm non resurgere. Deinde planè verisimile est, Mosen paulò post Christum, cum patriarcha Iacob, Ioseph, alijsq́; priscis Sanctis, (de quibus Matt. 27. 52.) resurrexisse: ergo non resurrexit in transfiguratione, sed tantū apparuit ibi in corpore assumpto, vti apparent angeli. ita docent Lyran. & Abul. in Matt. 17. D. Thom. 3. p. q. 45. a. 3. ad 2. & alij. Si enim alij patriarchæ resurrexerunt cum Christo: ergo multò magis Moses, qui fuit legislator & dux populi, typusque expressus Christi.

Moses resurrexit cum Christo.

MOYSES SERVVS DOMINI] Hoc est elogium & quasi titulus sepulchralis Mosis, qui reliquos omnes complectitur. *Seruus* ergo idem est quod legatus, dux, legislator, propheta *Domini.* Magna dignitas est, esse seruum Domini dominantium. Audi Ambros. l. de Parad. c. 4. *Religiosa seruitus subdita Dei verbo, multò melior est, quàm sæculi libertas.* Audi Philon. l. de Cherubim: *Seruire Deo maxima est gloriatio, nō modò libertate maior, sed & diuitijs, & principatu, & omnibus rebus quas mortales miramur, pretiosior.* Hinc S. Paulus gloriatur se esse seruum Christi. Hinc S. Agatha ad tyrannū: *Multò,* inquit, *pretiosior est Christiana humilitas & seruitus, regum opibus & superbia.* nimirum *seruire Deo, regnare est.* Et vt ait S. Ambros. *Dignitas est, seruum esse potentis.* Dicamus ergo cum Cassiodoro: *Tibi ô Domine nobilius est seruire, quàm mundi regna capessere: meritò, quando ex seruis filij, ex impijs iusti, de captiuis reddimur absoluti.* Dixit Alexander Magnus ad ducem militum, qui & Alexander vocabatur: *Res dignas nomine tuo, dignas Alexandro gere:* & nos digna tanto nomine, digna seruo Dei geramus.

Seruus Dei titulus nobilissimus.

IVBENTE DOMINO] Hebr. *ad os Domini,* id est, vt Vatabl. *ad verbum Domini,* vel de sentētia Domini; Noster optimè vertit *iubēte Domino.* Iusserat enim ei Deus c. 32 49. dicens: *Ascende in montē istum Abarim, &c. & morere in monte.* Ibi tulit Deus sententiam mortis in Mosen, vt scilicet moreretur in monte hoc: hîc eam exequitur. Deus ergo sicuti primus animam dederat Mosi, ita hîc eamdem ab eo repetit, separatq́; à corpore. Vnde nihil hîc legimus de Mosis morbo, imò è contrario dicitur v 7 eum vsq; ad vltimum ita fuisse sanum & validum, vt non caligarint oculi eius, nec dentes eius moti sint. Deus ergo animam illi exemit. Vnde Septuag. & Chald. vertunt, *mortuus est Moses, per verbum Domini:* Dei enim verbum & iussio, est efficax, vt si cui dicat Morere, is statim vi iussionis eius moriatur. Quidam cōceptuum nouorū assectæ τὸ *ad os Domini* exponunt, q. d. *In osculo Domini.* q. d. Sicut mater dormientem in sinu infantulum solet ore ori applicato in lectulo reponere: ita

Deus Mosen ceu dormientem infantulum, per osculum & amplexum, in sinu Abrahæ quasi in lectulo collocauit. ita Viegas in Apoc. 14. comment. 2. sect. 3. Hoc elegans est, & pium magis quã genuinum. Nam hebr. *os Domini* non aliud significat, quàm verbum & iussum Domini, vt exponũt Septuag. S. Hieron. Chald. Vatabl. Oleaster, omnesque interpretes.

ET SEPELIVIT EVM IN VALLE] Ergo Moses non sepeliuit seipsum, vt volunt aliqui Rabbini; nec Iosue, vt ait S. Ephrem; sed Deus sepeliuit eum ministerio angelorum, frustra resistente diabolo.

Hinc S. Iudas in epistola sua ait: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemia* (eum blasphemare, ei conuiciari) *sed dixit: Imperet tibi Dominus.*

Vbi Oecumenius sic scribit: *Dicitur Michael ministeriũ præbuisse in sepeliendo Mose. id nõ ferebat diabolus, sed accusationẽ afferebat, Mosen indignum esse sepultura, eò quòd occidisset Aegyptium, eumq; sepelisset in sabulo: & propterea non permittebat, vt honorificam consequeretur sepulturam. cùm autem in hac controuersia Michael haberet occasionem, vt diabolo malediceret, propter eius impudentiam; non id fecit, sed id tantùm in eum intulit: Increpet te Deus, ô diabole.* Alij alias huius altercationis afferunt causas, quas fusè recenset Serarius noster in epist. Iudæ.

Ascensio Mosis qualis.

Extitit olim liber inscriptus, *Mosis ascensio*, scilicet in montẽ Nebo, in quo colloquia Mosis iam iam morituri cum Deo habita, & eiusdem sepulchrum, angelorum manibus in occulto loco effossum, disceptatio quoque Michaelis & diaboli, percensentur: ex quo hæc S. Iudam accepisse, censet Origenes l. 3. Periarchon c. 2. & Clemens l. 6. Stromat. vbi ex eodem loco refert, quòd Moses visus sit à Iosue, & à Caleb, cùm assumeretur in gloria, inter angelos.

Verùm S. Athanasius in Synopsi S. Script. hanc Mosis ascensionẽ, vnà cum alia Scriptura cui titulus est, *Testamentum Mosis*, inter apocrypha reijcit.

IN VALLE TERRÆ MOAB, CONTRA PHOGOR] Hinc, & ex v. 5. patet, Mosen mortuũ esse in monte Nebo, sed inde corpus eius ab angelis translatũ esse, & sepultum in valle Moab, id est quæ confinis est Moab, sed est in ipsa sorte tribus Gad, aut potiùs Ruben.

CONTRA PHOGOR] Opinatur non improbabiliter Serarius in epist. S. Iudæ, altercationis diaboli cum Michaele causam, inter alias fuisse, quòd diabolus coleretur in Phogor, ideoq; eum non tulisse, iuxta se reponi corpus tam sancti viri, qualis erat Moses, ac timuisse, ne ab ipso, vel loco pelleretur, vel obmutescere cogeretur.

Diabolus voluit corpus Mosis sepeliri iuxta Phogor, cur?

Moralis causa fuit, quòd in hac valle, Phogor, siue Priapum coluerant Hebræi, fornicando cum puellis Moabitidis, Num. 25. 1. vt ergo aptam huic vulneri medicinam faceret Deus, voluit ibi sepeliri Mosen, vt mortis memoria, & sepulturæ præsentia, à carnis illecebris & voluptatibus auocarẽtur. Nihil enim eas ita sopit & extinguit, ac mortis & cadaueris inspectio, vel consideratio. Ita Sanctus ille in Vitis Patrum tẽtatus amore puellæ, eius iam mortuæ cadauere & vermibus inspiciendis & olfaciendis se occupans, mortificauit planè hanc tentationem. Eadem de causa alios in sepulchris habitasse legimus.

ET NON COGNOVIT HOMO SEPVLCHRVM EIVS] Cur? Resp. Primò, quia in honorem tanti viri, decuit eum non ab hominibus, sed ab angelis sepeliri, loco hominibus incognito. ita Epiphan. hæresi 9. Oecum. in epist. Iudæ, Abul. hîc q. 3. & Philo, qui ait, Mosen in sepulchro tam admirando sepultum esse, vt nullus hominum dignus fuerit vmquam illud conspicere. Secundò, ne Hebræi corpus eius, vtpote ducis & legislatoris sui, velut numen vel diuinum quiddam colerent. ita Theodor. Procop. hîc, & Chrysost. hom. 1. in Matt. Præsertim, quia valdè credibile est, corpus Mosis, licet mortuum, conseruasse adhuc splendorem vultus & decorẽ, quem antea habebat, sicut multis Sanctorum accidit, inquit Bellar. l. 2. de Reliq. Sanct. c. 4. Atq; hanc præcipuam fuisse altercationis Michaelis cum diabolo causam, scilicet quòd diabolus vellet Mosis corpus & sepulchrum patere & cognosci à Iudæis; Michael verò id ipsum nollet, ne eis esset occasio idololatriæ, communiter docent tam veteres, quàm recentiores interpretes epistolæ S. Iudæ. Iudæi enim tunc procliues erant ad idololatriam: vnde illius tunc magnum erat periculum; quale non est apud Christianos, cùm venerantur reliquias Sanctorum: ergo malè contra eas hoc torquent hæretici. Adde, Deum hic honorasse reliquias Mosis, dum eas ab hominibus abscondit, & nonnisi per angelos decenter tractari & sepeliri voluit; itaque exemplo suo nos docuit, quàm Sanctos, eorumque reliquias venerari debeamus.

Angeli venerati sunt reliquias Mosis.

Sic & S. Antonius moriturus discipulis suis mandauit: *Nullus, inquit, ad Aegyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore seruetur, ne vituperati ritus à me, vt nostis, etiam circa me seruẽtur obsequia: huius enim rei gratia maximè huc sum regressus, vt nemo præter vos locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tẽpore hoc corpusculum resurget incorruptum. Discipuli ergo inuolutum, vt præceperat, corpus humo operuerunt: & nemo interim vsque ad hanc diem, præter eos, vbi conditum sit, nouit,* inquit S. Athanasius.

Verisimile est, quòd docet Ioseph. scilicet, Mosen comitatum Iosue, Eleazaro, & alijs primoribus, ascendisse in Nebo; ibiq; coram eis, vt ait Caietanus, vel aliquibus eorum, esse defunctum: deinde eius corpus ijsdem spectantibus, ab angelis per aërem vectum, & translatum fuisse in vallem Moab, ibique sepultum, licet determinatum vallis locum, in quo sepultum est, cernere & notare non potuerint hi spectantes, vt hîc dicitur. hucvsque Caietanus. Moses 120. annorum erat, quando mortuus est: mortuus est ergo Moses anno Domini 2493. à diluuio anno 836. ante Christum anno 1456.

Angeli Mosis corpus transtulerunt per aërem in vallem Moab, Iosue spectante.

Mortuus est Moses anno mũdi 2493. ante Christum anno 1456.

Hunc Mosis raptũ imitari voluit Romulus, aut certè Romani similẽ ei affinxerunt. ipse enim à senatoribus vel occisus, vel abreptus non comparuit. Vnde finxit Iulius Proculus patricius Rom. Romulum sibi apparuisse, ac rogatũ quidnam ei euenisset, respondisse: *Dijs ô Iuli, à quibus veni, ita visum est, vt tantisper cum hominibus essem. vrbemq; cuius imperium ac gloria foret maxima, conderẽ, inde rursum cælum inhabitarem: vale, ac Romanis dic, fore, vt, si temperantiam fortitudinemq; colant, omnes mortales potentia excellant. Ego autem deus vobis propitius ero Quiritius*, vti refert Plutarchus in Romulo. Ita quoque Apollonius Thyanæus, magus, & impostor orbis, ablegans discipulum suum

Raptus Romuli,

& Apollonij.

ſuum Dauidem ad Neruam Imp. ne vltimi ſui finis teſtis eſſet, occultã oppetit mortem anno Chriſti 99. quò immortalis in cælum crederetur eſſe trãſlatus. teſtis eſt Philoſtratus in eius Vita. Hi fuerunt quaſi ſimiæ Moſis, vti diabolus eſt ſimia Dei.

VERS. 7. NON CALIGAVIT OCVLVS EIVS] vti ſolent ſenum oculi.

NEC DENTES ILLIVS MOTI SVNT] vti in ſenibus dentes, etiam molares, ſolent moueri & excidere. hoc enim eſt, quod de miſeriis ſenectutis ſcribit Eccleſ. cap. vlt. v. 3. *Quando commouebuntur custodes domus*, putà viſus, alijque ſenſus, *& nutabunt viri fortiſſimi*, putà crura: *& otioſi erunt molentes* (putà dentes) *in minuto numero*. Pro *dentes illius moti ſunt*, Septuag. vertunt, *neque corrupta ſunt labia eius*; Chald. *neque mutatus eſt ſplendor gloria vultus eius*: vbi planè ſignificat cornua lucis ſemper adhæſiſſe Moſi: quod & cenſet Bellarmin. paulò antè citatus. qua de re dixi Exodi 34.29. Vatabl. vertit, *maxilla eius nihil defecerant*, vel *nec emarcuerat vigor eius*. ita & Caietan. q. d. Facies & corpus fuit ei ſemper ſucculentum: ſolet enim ſenectus eſſe ſicca. Hinc patet, Moſen non eſſe mortuum ex defectu virium, vel ex morbo: ſed tantùm ex Dei iuſſu & voluntate. nam validus aſcendit in montem, ibique ſtatim defunctus eſt, Deo nimirum eum diſſoluente, animamque à corpore ſeparante, & educente ad limbum Patrum.

Mortuus eſt Moſes vegetus & validus, Dei nutu.

Hic vigor & vires proueniebant Moſi, inquit Abulenſ. ex familiaritate & præſentia Dei: quia moratus & collocutus fuit cum Deo bis per quadraginta dies in Sina, tumque non comedit, nec bibit, ſola Dei præſentia ſuſtentatus. Et inde habuit cornua, id eſt radios lucis, in facie: inde etiam habuit vires perdurantes in omnibus membris; ita vt eò anno quo mortuus eſt, ad bellum proceſſerit contra duos reges, ſcilicet Og & Sehon, Num. 21. & 22. Vox etiam eum non defecit: quia voce maxima & ſtentorea, quæ à toto populo audiretur, totum Deuteronomium ingenti ſpiritu Hebræis promulgauit, paulò ante mortem. Adde tamen, huc adiuuiſſe tum ſobriam diætam, tum animi tranquillitatem, ortam ex manſuetudine Moſis. Nam, vt ait Hippocrates, τὰ ἄχολα μακρόβια, animalia quæ bile carent longæua ſunt, & ſana ac fortia in multam ætatem. qua de cauſa cerui præ reliquis animalibus longæui & validi perdurant. Vnde ſchola Salernitana:

Vigor Moſis vnde?

Vox Moſis ſtentorea ſub mortẽ.

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum;
Curas tolle graues, iraſci crede profanum.

Ita S. Bernardus licet morbidus, ob pacem & trãquillitatem animi ſexageſimum annum ſuperauit, ac moriens ſuis ait: *Tria vobis commendo, qua in ſtadio quo cucurri, quantum potui obſeruaui. Primò, minùs ſenſui meo quàm alterius credidi. Secundò, laſus de lædente vindictam non expetiui. Tertiò ſcandalum nemini facere volui: & ſi quando incidit, ſedaui vt potui.* Vnde diſtichon:

Nullum turbaui, diſcordes pacificaui,
Læſus ſuſtinui, nec mihi complacui.

Ita & S. Antonius, teſte S. Athanaſio, læto ſemper animo & vultu, vixit ad annum ætatis 105. perſiſtẽs ad extremum in eodem tenore & rigore abſtinentiæ & pœnitentiæ, *nec languore quidquam atati aliquando conceſſit. Magis autem aqualitatem propoſiti tenens, nec veſtimentum mutauit, nec pedes lauit, nec eſcam ſectatus eſt molliorem: oculorum quoque aciem, & numerum dentium, licèt paululùm ob atatem*

A *viderentur attriti; nec non & pedum inceſſum, totius etiam corporis firmitatem, ita & contra iura natura meritorum gratia cuſtodiuit; vt lauatis corporibus, qua balneis atque delicijs conſouentur, hilarior eius caro videretur.* Et rurſum: *Verba finierat, & oſculantibus eũ diſcipulis, extendens paululùm pedes mortem latus aſpexit, ita vt ex hilaritate vultus eius, angelorum ſanctorũ, qui ad perferendam animam eius deſcenderant, praſentia noſceretur.* Huc uſque S. Athanaſius.

Ita & S. Abraham eremita, teſte S. Ephrem in eius Vita c. 18. aſſiduis licèt ieiunijs, vigilijs, fletibus & pœnitentijs ſe macerans, in ſenio vegetus fuit ad mortem vſque. *Erat*, inquit S. Ephrem, *aſpectus eius quaſi flos quidã immarceſcibilis; atque in facie eius puritas animi noſcebatur. Sed & totum corpuſculum eius, quaſi nihil egiſſet, validum ac robuſtum apparuit, vtpote qui diuina gratia in omnibus frueretur, & iucũ-*
B *ditate ſpiritalis latitia potiretur. In hora namq; dormitionis ſua ita ſplendidiſſimus vultu apparebat, quaſi qui nequaquam vita ſua tempus in abſtinentia peregiſſet: ſed & in omnibus quinquaginta annis abſtinentia ſua, veſtem cilicinam qua indutus fuerat, non mutauit.*

FLEVERVNTQVE EVM FILII ISRAEL TRIGINTA DIEBVS] Hinc etiam apud Chriſtianos aguntur tricenaria defunctorum, vti dixi Num. 20.29. VERS. 8.

MOYSES POSVIT SVPER EVM MANVS SVAS] q. d. Per *impoſitionem manuum Moſis, Ioſue acceperat Spiritum S.* inquit Vatablus. vide dicta Num. 27.18. VERS. 9.

ET NON SVRREXIT VLTRA PROPHETA IN ISRAEL (ſimilis nimirum Moſi, ita ſcilicet vt ipſe, Deo familiaris & portentoſus) QVEM NOSSET DOMINVS FACIE AD FACIEM. Item ſimilis ei IN OMNIBVS SIGNIS ATQVE PORTENTIS, QVÆ MISIT PER EVM, dans ſcilicet ei virtutem & poteſtatem, VERS. 10. & 11.
C VT EA FACERET] Clariùs verti poſſet cum Vatablo & Caietano, *ad qua*, vel *propter qua miſerat eum Dominus, vt faceret*, &c. Hiſce ergo omnes Prophetas ſuperauit Moſes, ſcilicet in portentis, & in familiaritate cum Deo: cui tamen non obſtat, quòd alicui alteri Prophetæ reuelata fuerint plura & maiora myſteria. Sic enim communiter maximus Prophetarum vocatur Dauid, inquit Abulenſ. De Chriſto non eſt dubium quin Moſe fuerit præſtantior: ſed Chriſtus non tam Propheta, quàm nouus & clarus Euangelij inſpector & legiſlator fuit.

Moſes omnes Prophetas ſuperauit in portentis, & in familiaritate cum Deo.

Dauid maximus Prophetarũ in myſterijs.

Tropol. ita S. Ephrem in Encomio S. Baſilij, eũ Moſi, cæteriſque Prophetis confert, ſi non præfert, dicens: *O fidelis Baſili, velut Abel acceptus es, ſicut Noë ſaluatus, tamquam Abraham amicus Dei vocatus, vt Iſaac pro victima Deo oblatus: inſtar Iacob tẽtationes*
D *fortiter pertuliſti: & ſicut Ioſeph, magnificè glorificatus es: vt Moſes, Pharaonem poſteriorem virga crucis demerſiſti, mare paſſionum ſecaſti: vt Aaron, ſummus ſacerdos Domini fuiſti: vt Ieſus filius Naue, inimicos in fugam vertiſti: vt Phinees æmulator, gratia dignus habitus: vt Iſaias, ſpirituali igne mundatus: vt Ezechiel, ſedentem ſuper Cherubim ſpectaſti: vt Daniel, ora leonum obturaſti: & ſicut tres pueri, aduerſariorum flammam rectè conculcaſti. Inſtar Petri pradicaſti, inſtar Pauli docuiſti, inſtar Thoma filium Dei paſſum confeſſus es: inſtar Matthai, Marci, Luca, & Iohannis, de rebus diuinis diſſeruiſti: inſtar Apoſtolorum iniquos erudiſti, impios conuertiſti, & Deo gratus fuiſti. deprecare pro me admodum miſerabili, & reuoca me tuis interceſſionibus pater.*

ET CVNCTAM MANVM ROBVSTAM] Id eſt, & cuncta opera robuſta, valida & magnifica, repete VERS. 12.

miſit,

misit, id est dedit, Deus Mosi, cùm ad ea ipsum excitauit & corroborauit, vt ea perficeret. In Hebræo clarior est connexio: habet enim: *& in omni manu robusta.* quod aptè connectitur cum eo quod præcessit: *in omnibus signis atque portentis.*

A

MAGNAQVE MIRABILIA] Hebr. *& omnem terrorem magnum.* Manum fortem, inquit Vatabl. dicit, ob ea quæ facta sunt in mari rubro: terrorem autem, propter legem, quam Dominus dedit in monte Sina, cum tot terrificis portentis: cui adde alios terrores, vt absorptionem Core, Dathan & Abiron, incendium 250. procerum, Num. 16. 35. stragem fornicantium, Num. 25. & alios.

Vixit Moses, viuit iam Deo, beatus & gloriosus in æternum. ita viuamus & nos. Anima nostra æterna est, in æternum viuet, vel beatè vel miserè. Viue Æternitati: certa, patere Æternitati. Iacis hîc aleam, aleam irreuocabilem de Æternitate. O chara æternitas, æterna veritas, vera charitas, Deus meus & omnia, aperi oculos nostros, amoue à nobis stuporem hominũ, vt cognoscamus quid sit, quàm immensa, quàm felix vel misera sit Æternitas. Creasti nos ad te, creasti nos ad æternitatem, quia tu es æternitas, tuæ æternitatis nos participes facere voluisti, iussisti, sanxisti. Nam lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & Æternitas temporum. Da, vt momentum hoc temporis piè & sanctè expendamus, vt in eo studeamus Æternitati, laboremus Æternitati, patiamur & certemus Æternitati; vtq; idem omnibus inclamemus, & quotquot possumus animas perituras in æternum saluemus. (Audite Christiani, audite Pagani, audi Belgium, audiat orbis: Nulla satis magna securitas, vbi periclitatur

ÆTERNITAS.

O longa, ô profunda, ô abyssalis, ô æterna

ÆTERNITAS!

Beati qui habitant in domo tua Domine, in montibus Æternis: in sæcula sæculorum laudabunt te.



DOXO-

DOXOLOGIA DEI LEGISLATORIS, EIVSQVE CONCIO EX DEVTERONOMIO.

Misericordias, & sanctificationes Domini, in æternum cantabo.

Audi Israel magnalia, audi misericordias; audi, & lumina mandata Dei tui.

Vt faciens ea viuas: & possideas terram, quam Deus daturus est tibi.

Hæc est enim tuà sapientia, vt dicant: En populus sapiens, & intelligens, gens magna.

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi: sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

Quæ est enim alia gens sic inclyta: vt habeat ceremonias, iustaq; iudicia, & legem Dei?

Interroga de diebus antiquis, si vnquam factum est; vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti;

Si fecit Deus, vt tolleret sibi gentem de medio nationum; per tot signa & portenta, per pugnas, & manum robustam.

De cælo te fecit audire vocem suam: quia dilexit patres tuos, & semen eorum.

Scito ergo, quòd Dominus ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non est alius.

Testes inuoco cælum & terram, citò vos perituros, si Deum ad iram prouocetis: Deus enim tuus ignis consumens est, Deus zelotes.

Audi Israel: Dominus Deus noster, Deus vnus est.

Diliges eum ex toto corde tuo, & ex tota animâ tua, & ex tota fortitudine tua.

Hæc meditaberis sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens; vt sis populus sanctus Domino.

Te elegit Dominus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis gentibus; regale sacerdotium, gens sancta.

Non inibis cum Gentibus fœdus: nec sociabis cum eis coniugia.

Si custodieris pactum, & legem Dei, benedictus eris inter omnes populos.

Non erit in te sterilis, auferet Dominus à te omnem languorem: deuorabis omnes inimicos.

Deduxit te Dominus quadraginta annis per desertum terribile: in quo erat scorpio, dipsas, & serpens flatu adurens.

Dedit tibi manna, vt ostenderet, quòd non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Nec pes, nec calceus tuus est subtritus: en quadragesimus annus est.

Inducet te in terram lactis & mellis: terram frumenti, hordei & vini.

Non propter iustitias tuas inducet te: sed vt compleat iuramenta, quæ dedit Abrahâm, Isaac, & Iacob.

Ne tentes Deum, sicuti fecisti in incendio, in tentatione, & in sepulchris concupiscentiæ: quia populus duræ ceruicis es.

Circumcidite præputium cordis vestri: & ceruicem vestram ne induretis ampliùs.

Et nūc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te: nisi vt timeas eum, vt ambules in viis eius: ac diligas eum, & seruias ei in toto corde?

En Domini Dei tui est cælum, & cælum cæli: terra, & omnia quæ in ea sunt.

Ipse est laus tua, & Deus tuus: qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui.

Multiplicauit te sicut astra cæli: & sicut arenam, quæ est in littore maris.

Duxit te sicco pede per mare rubrum: Pharaonem & Aegyptios in eo demersit.

En morior: propono vobis hodie benedictionem & maledictionem; benedictionem, si obedieritis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini.

Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito: nec addas quidquam, nec minuas.

Si surrexit pseudopropheta dicens, Sequamur deos alienos: ilicò lapidibus obrues eum.

Vrbem delebis, vsque ad pecora: quidquid in ea est, igne succendes.

Non apparebis ante Dominum vacuus: sed offeres iuxta benedictionem, quam dederit tibi.

In iudicio non accipies personam, nec munera: quæ excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorū.

Si difficile & ambiguum apud te fuerit iudicium, venies ad sacerdotes Leuitici generis, & facies, quæcumque dixerint tibi.

Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto iudicis, morte moriatur.

Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus: ipsum, vt me audies.

Si exieris ad bellum, ne timeas; quia Dominus in medio tui est, & pro te dimicabit: tantùm custodias te ab omni re mala.

Maledictus omnis qui pendet in ligno: cur ergo ô Christe dignatus es pro nobis in cruce fieri maledictum?

Primitias frugum dabis Domino, dicens: Profiteor hodie coram Domino, quòd ipse nobis dederit terram lacte & melle manantem.

Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus: custodi ergo mandata & iudicia illius.

Benedictus qui facit præcepta & iustitias Domini: benedicta domus, & horrea eius.

Si ad cardines cæli fueris dissipatus: inde te retrahet Dominus.

Maledictus qui non permanet in sermonibus legis Dei: nec eos opere perficit.

Maledictus in ciuitate, maledictus in agro: maledictus ingrediens, & egrediens.

Sit cælum quod super te est, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.

Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem: tradat te hostibus, & cadauer tuum volatilibus cæli.

Percutiat te vlcere Aegypti, amentia, cæcitate, ac furore mentis.

Det tibi cor pauidum, & deficiens: sit vita tua quasi pendens ante te.

Manè dicas, Quis det mihi vesperum? & vespere, Quis mihi det manè?

Et

Et dicent omnes gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immensa?

Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum in Horeb.

Abscondita Domino Deo nostro, quia manifesta sunt nobis, & filijs nostris, vsque in sempiternum.

Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, vt dicas: Quis nostrûm valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos?

Neque trans mare positum, vt causeris: Quis è nobis transfretabit mare, vt illud ad nos afferat?

Iuxtà est sermo valdè in ore tuo: & in corde tuo, vt facias illum.

Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum.

Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum: diligs Deum; ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum.

Viriliter age, & confortare, ne timeas hostes: Deus est ductor tuus, ipse non derelinquet te.

Canticum Mosis. Audite cæli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.

Peccauerunt ei non filij eius: generatio praua atque peruersa.

Haccine reddis Domino, popule stulte & insipiens?

Numquid non ipse est pater tuus: qui possedit te, & fecit & creauit te?

Quando diuidebat Altissimus gentes: constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel.

Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.

Inuenit eum in terra deserta: in loco horroris, & vastæ solitudinis.

Circumduxit eum, & docuit: & custodiuit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, expandit alas suas: portauit eum in humeris suis.

Constituit eum super excelsam terram: vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.

Deum qui te genuit dereliquisti: oblitus es Domini creatoris tui.

Ignis succensus est in furore meo: ardebit vsque ad inferni nouissima, & montium fundamenta comburet.

Congregabo super eos mala: & sagittas meas complebo in eis.

Gens absque consilio est, & sine prudentia.

Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent!

De vinea Sodomorum vinea eorum: fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

Mea est vltio ego retribuam eis: iuxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

Inebriabo sagittas meas sanguine: & gladius meus deuorabit carnes.

Laudate gentes populum eius: quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.

Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.

In dextera illius ignea lex: omnes sancti in manu illius sunt.

Moses moriens benedixit Leui, dicens: Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos: & fratribus, Ignoro illos. Benedictio Mosis.

Hi custodierunt pactum tuum Domine: eloquium tuum seruauerunt.

Ponent thymiama in furore tuo: & holocaustum super altare tuum.

Benedic Domine fortitudini eius: & opera manuum eius suscipe.

Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ.

Non est Deus alius, vt Deus rectissimi: ascensor cæli auxiliator tuus.

Magnificentia eius discurrunt nubes: habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna.

Habitabit Israel confidenter in terra frumenti, olei & vini: & cæli caligabunt rore.

Beatus es tu Israel, popule, qui saluaris in Domino: ipse est scutum auxilij tui, & gladius gloria tua.

Negabunt te inimici tui: & tu eorum colla calcabis.

Ascendit Moses in montem Abarim, vidit terram Abrahæ & semini eius promissam. Mors Mosis.

Mortuus est, nec cognouit homo sepulchrum eius: non caligauit oculus eius, nec dentes eius moti sunt.

Non surrexit ei similis Propheta in signis & portentis: qui nosset Dominum facie ad faciem.

Similem illum fecit in gloria sanctorum: ostendit illi gloriam suam.

In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum: & elegit eum ex omni carne.

Docere Iacob testamentum suum: & iudicia sua Israel.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO ET CONCLVSIO.

CREATOR omnium Deus, qui tua prouidentia cuncta gubernas, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, quàm sanctus & mirabilis fuisti in Mose, & Hebræis, cunctisque operibus Pentateuchi! Spectauimus in Genesi, potentem tuam rerum omnium creationem: in Exodo, singularem erga tuos curam & prouidentiam: in Leuitico, sacram tuam religionem, victimas & cæremonias: in Numeris, augustam tuam in tantis populi castris magnificentiam: in Deuteronomio, feruentem tuum circa populi salutem amorem & zelum. Spectauimus veterem Ecclesiam & remp. in populo à te electo institutam. Audiuimus legis æternæ tuæ riuulos, præcepta tua sancta, moralia, iudicialia & cæremonialia. Laudent te cælum, terra, mare & omnia quæ in eis sunt: laudent te, & benedicant nomen sanctum tuum in sæcula. Da Domine, vt in his omnibus agnoscamus, & intueamur te, reuereamur te, colamus & amemus te ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine nostra. Da, vt in his omnibus adumbratum & depictum speculemur Vnigenitum tuum, Christum Dominum, Saluatorem nostrum. Da quoque, vt eumdem agnoscat Israel, populus olim à te electus, nunc derelictus & aberrans. Salua Domine reliquias Israel: ipsi enim sunt filij Abrahæ secundùm carnem: ipsi sunt cognati tui, cognati Apostolorum. Aufer ab eis velamen literæ, & carnalium cæremoniarum, quod positum est super cor eorum, à diebus Mosis & Messiæ; vt in eis legant & videant spiritum, & mysteria Christi tui recondita. hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum,

&

& quem misisti Iesum Christum. Da denique, vt hic commentarius tuæ gloriæ, & Mosi tuo illustrando seruiat, vt quicumque hæc legunt, & Pentateuchi, & Christi in eo figurati, & tuæ maiestatis, quasi auctoris omnium, clariorem cognitionem nanciscantur, indeque ad maiorem tui amorem, reuerentiam & cultum incitentur. Faue hisce votis meis S. Dei genitrix, Virgo Maria: effice apud benedictum filium tuum, vt eorum compos fiam. Tibi enim, vt matri meæ, omniumque quæ mea sunt, secundum hunc fœtum meum, æquè ac primum refero & offero: tibi Mosen hunc meum, æquè ac Paulum, dico, trado, consecro. Tuus enim est, non meus: tibi gloria, mihi autem confusio faciei meæ. Maria mater Dei, memento mei, nunc, & in hora mortis. Da denique vt hæc scripta, hi apices singuli laudent te, tuumque benedictum Filium cum Patre & Spiritu sancto; laudent inquam, & hoc sæculo, & futuris omnibus, cunctosque hæc lecturos ad iugem eius laudem inuitent: atque me mortuo perennem eius gloriam loquantur, & testentur vniuersis æternũ & immensum eius laudandi & glorificãdi desiderium. Amen.

Quia leges Mosaicæ, siue veteris testamenti, plurimæ sunt, eæque sparsim & confusè toto Pentateucho proponuntur, & commiscentur; visum est, eas omnes hîc in suas classes distribuere, vnicaque quasi synopsi ob oculos ponere.

SYNOPSIS
OMNIVM PRÆCEPTORVM,
QVÆ DEVS MOYSI DEDIT,
COLLECTA EX PENTATEVCHO.

Leges, siue præcepta Mosaica alia sunt
- Simplicia: alia sunt
  - Moralia siue naturalia.
  - Cæremonialia.
  - Iudicialia.
- Mista: alia sunt
  - Moralia & cæremonialia simul.
  - Moralia & iudicialia simul.
  - Cæremonialia & iudicialia simul.
  - Moralia, cæremonialia, & iudicialia simul.

Præcepta moralia, siue Decalogi.

PRIMVM. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes: non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile: non adorabis ea, neque coles. *Exodi* 20.4. Huc pertinent, & hæc explicant sequentia.

1. Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Diligẽs Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Deuter.6.*4.

2. Erunt hæc verba in corde tuo: narrabis ea filiis tuis; meditaberis in eis sedens, & ambulans, dormiens atque consurgens. *Ibidem.*

3. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. *Deuter.6.16.*

4. Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Leuit.19.2.*

5. Non inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem *Deuter.*18. 10.

6. Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo. *Ibidem v.13.*

7. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, A sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. *Ibidem v.15.*

Si surrexerit prophetes, & frater, filius, filia, aut vxor dixerit: Eamus, & seruiamus diis alienis; non acquiesces, sed statim interficies. *Deuter.13.v.2.& 6.* 8.

Non facietis deos aureos, vel argenteos. *Exodi* 20.23. Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem, vt adoretis eum. *Leuit.26.1.* 9.

Non adores, nec colas solem, lunam, stellas, &c. *Deut.4.19.* Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. *Ibidem v.24.* 10.

Dissipate aras deorum Gentium, confringite statuas, lucos comburite, idola comminuite, disperdite nomina eorum de locis suis. *Deuter.12.3.* 11.

Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. *Deuter.4.2.* 12.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, B qui id fecerit. *Exodi* 20.7. Huc pertinent, & hoc explicant sequentia. SECVNDVM.

Per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro *Exodi* 23.13. 1.

Per nomen Domini Dei tui iurabis. *Deut.6.13.* 2.

Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. *Leuit* 19.12. 3.

Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. quod semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo. *Deuter.23.v.21.& 22.* 4.

Qui maledixerit Deo, & blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. *Leuit.*24 15. 5.

Memento, vt diem sabbati sanctifices: non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit Deus cælum, terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & septimo die requieuit. *Exodi* 20.8. TERTIVM.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis QVARTVM longæ-

longæuus super terram. *Ibidem v.12.* Huc pertinent quæ sequuntur, A

1. Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. *Exodi 22.28.*

2. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iusto iudicio. *Deuter.16.18.*

3. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. *Ibidem.*

4. Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum. *Leuit.19.32.*

QVINTVM Non occides. *Exodi 20.13.* Huc pertinent,

1. Ne oderis fratrem in corde tuo. *Leuit.19.17.*

2. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. *Ibidem.*

3. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum. *Ibidem v.14.*

4. Proximum vi non opprimes. *Ibidem v.13.*

5. Non interficientur patres pro filiis, nec filij pro patribus. *Deuter.24.16.*

SEXTVM. Non mœchaberis. *Exodi 20.13.* Huc pertinent

1. Prohibitiones matrimonij, & copulæ cum patre & matre, *Leuit.18.7.* cum nouerca, *v.8.* cum sorore, *v 9.* cum nepte, *v.10.* cum sorore priuigna, *v.11.* cum amita & matertera, *v.12. & 13.*

2. Rursum in gradibus affinitatis, cum vxore patrui, *v.14.* cum nuru, *v.15.* cum vxore fratris, *v.16.* cum filia & nepte priuigna, *v.17.* cum sorore vxoris, *v.18.*

3. De semine tuo non dabis idolo Moloch. *Ibid. v.21.*

4. Cum omni masculo non commiscearis. *Ibid.*

5. Cum omni pecore non coibis. *Ibidem.*

6. Ne prostituas filiam tuam. *Leuit. 19.29.*

7. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. *Deuter.23.17.*

SEPTIMVM. Non furtum facies. *Exodi 20.* Huc pertinent,

Non decipiet vnusquisque proximum suum. *Leuit.19.11.* 1.

Non contristabis, nec affliges aduenam & peregrinum: quia & vos peregrini fuistis in Ægypto. *Exodi 22.21.* 2.

Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseriseos, clamabunt ad me, & ego exaudiam eos, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. *Ibidem, & Deuter.10.18.* 3.

Nolite facere iniquum aliquid in regula, in pondere, in mensura. *Leuit.19.35.* 4.

Statera iusta, & æqua pondera sint, iustusque modius, æquusque sextarius: ego Dominus. *Ibidem.* 5.

Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. *Deuter.25.13.* 6.

Non transferes terminos proximi tui. *Deuter. 19.14.* 7.

B Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis: non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. *Leuit 19.15.* 8.

Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est animal pro animali. *Leuit.24.28.* 9.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Exodi 20.14.* Huc pertinent, OCTAVVM.

Non suscipies vocem mendacij *Exodi 23.1.* 1.

Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. *Ibidem.* 2.

Mendacium fugies. *Ibidem v.7.* 3.

Non eris criminator, nec susurro in populo. *Leuit.19.16.* 4.

Non facies calumniam proximo tuo. *Ibid.v.13.* 5.

Non concupisces vxorem proximi tui. *Deuter. 5.20.* NONVM.

Non concupisces domum proximi tui, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt. *Ibidem.* DECIMVM.

Hæc sunt moralia, siue naturalia præcepta Decalogi, quæ Deus per Mosen Hebræis dedit. Sequuntur cæremonialia, in suas classes distributa.

Cæremonialia:

1. De loco victimarum & sanctuarij.
2. De vasis Sancti sanctorum.
3. De vasis Sancti.
4. De vasis atrij.
5. De tabernaculo & atrio.
6. De vestibus sacerdotum & pontificis.
7. De consecratione eorum, & Leuitarum.
8. De eorum dotibus & muniis.
9. De eorumdem vrbibus & prouentibus.
10. De sacrificiis.
11. De primogenitis, primitiis & decimis.
12. De censu & oblationibus.

Cæremonialia:

13. De nazaræis & votis.
14. De puerpera.
15. De lepra & leprosis.
16. De iis qui fluunt semine aut sanguine.
17. De eunucho & mamzere.
18. De aqua lustrationis.
19. De munditie castrorum.
20. De simplicitate.
21. De habitu & vestitu.
22. De cibis mundis & immundis.
23. De festis.
24. De homicidiis.

I. Cæremoniale de loco victimarum, & sanctuarij.

1. Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, sed in eo quem elegerit Dominus, ibi offeres holocausta, victimas, decimas, primitias, vota, donaria & primogenita; ex iisque comedes ibi in conspectu Domini, & lætaberis. *Deuter.12.v.6.7.13.14.*

Quòd si longior sit via & locus, vendes ea, & proficiscens ad locum, ex pretio emes quidquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoque & siceram; & comedes coram Domino, tu, & domus tua, & Leuita, qui intra portas tuas est. *Deuter.14.24.* 2.

Quin & si ad esum tantùm mactes bouem, ouem aut capram, id facies apud templum, dummodo non procul ab eo habites, vt ibi adipem 3.

Deo

Deo adolere, & sanguinem illi effundere & libare possis. *Deuter.* 12.20.

4. Ter in anno ascendes ad templum, scilicet in paschate, in pentecoste, & in festo Tabernaculorum: nec apparebis in conspectu meo vacuus. *Deuter.* 16.16.

5. Proclamabunt Leuitæ maledictiones versus montem Hebal, in violantes legem Dei; & benedictiones versus Garizim, in obseruantes legem Dei, iuxta ritum explicatum *Deuter.* 27.

II. Caeremoniale de vasis Sancti sanctorum, scilicet de arca, propitiatorio & Cherubim.

1. Arcam de lignis setim compingite, & deaurate, cuius longitudo habeat duos cubitos & semis, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum & dimidium, habeatque quatuor circulos aureos, quibus inserantur duo vectes, vt portetur in eis, ponesque in arca tabulas legis. *Exodi* 25.10.

2. Facies & propitiatorium de auro mundissimo, quod sit operculum arcæ. *Ibidem v.* 17.

3. Duos quoque Cherubim aureos facies, qui vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & respiciant se mutuo: inde loquar ad te. *Ibidem v.* 18.

III. Caeremoniale de vasis Sancti, scilicet de mensa, candelabro & altare thymiamatis.

1. Facies mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem: eamque inaurabis, & pones super eam panes propositionis in conspectu meo semper. Facies & annulos, & vectes, quibus portetur. *Exodi* 25. v. 23. De panibus hisce vide dicta Leuit. 24.5.

2. Facies & candelabrum ductile ex talento auri, quod habeat septem calamos, qui singuli habeant tres ordines scyphorum, sphærularum & liliorum. Impones eis lucernas septem cum oleo, vt luceant ex aduerso. *Ibidem v.* 31.

3. Lucernas has disponet & accendet sacerdos vespere, vt luceant vsque manè. *Exodi* 27.21.

4. Facies altare ad adolendum thymiama de lignis setim, habens cubitum longitudinis, & cubitum latitudinis, & duos cubitos altitudinis: vesties illud auro. Facies & annulos, & vectes, quibus portetur. pones illud ante velum, quod est ante arcam. *Exodi* 30.1.

5. Adolebit sacerdos super illud thymiama, manè & vespere. *Ibidem v.* 7.

6. Thymiama compones ex stacte, onyche, galbano, & thure lucidissimo. *Ibidem v* 34.

IV. Caeremoniale de vasis atrij, scilicet de altari holocaustorum, & labro æneo.

1. Facies altare de lignis setim, quod habeat quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, & tres in altitudine. cauum erit, craticulam illi facies æneam, item vectes, denique lebetes, forcipes, fuscinulas, & ignium receptacula. *Exodi* 27.1.

2. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna. *Leuit.* 6.12.

3. Altare de terra aut lapide infecto facies mihi, & offeres super eo victimas *Exodi* 20.24.

4. Non ascendes per gradus ad altare meum. *Ibidem v.* 26.

5. Non plantabis lucum apud altare. *Deut.* 16.21.

6. Facies labrum æneum, vt missa aqua lauent in ea sacerdotes manus suas & pedes, quando accessuri sunt ad altare. *Exodi* 30.18.

V. Caeremoniale de ipso tabernaculo & atrio.

Facies tabernaculum, id est Sanctum sanctorum, & Sanctum, & ante Sanctum, atrium. 1.

In Sancto sanctorum pones arcam, cum propitiatorio & Cherubim: item vrnam cum manna. *Exodi* 16.34. & virgam Aaron quæ floruit. *Num.* 17.10. 2.

In Sancto pones mensam in parte Australi; candelabrum in Meridionali, & in medio altari thymiamatis. *Exodi* 40. v. 20. & *seq.* 3.

Denique in atrio pones altare holocaustorum, & labrum æneum. *Ibidem v.* 26. & *seq.* 4.

Tabernaculum compinges ex viginti tabulis, vtrimque in longum porrectis, & à tergo in latum decem tabulis: anteriùs verò velo tegetur. tabulæ hæ singulæ erunt altæ decem cubitos, latæ cubitum cum dimidio. Vnde longitudo tabernaculi erit 30. cubitorum, latitudo decem, altitudo decem: ita vt Sanctum sanctorum habeat decem cubitos, tam longitudinis, quàm latitudinis & altitudinis: Sanctum verò habeat reliquos 20. cubitos longitudinis, latitudinis verò & altitudinis decem. velum polymitum diuidat Sanctum à Sancto sanctorum. 5.

Tabulæ hæ singulæ habeant binas bases argenteas, quibus in terra subsistant: habeant & vectes quinque vtrimque, quibus inuicem astringantur. 6.

Tabulæ hæ pro tecto habeant quatuor tegumenta, scilicet Primum, decem cortinarum polymitarum; Secundum, vndecim sagorum ciliciorum; Tertium, pelles arietum rubricatas; Quartum, pelles ianthinas. *Exodi* 26. 7.

Atrium sit ante Sanctum subdio, quod vndique cingatur columnis, & velis: in eius anteriori parte sacerdotes sacrificent: in posteriori sit populus orans, & spectans sacrificia. *Exodi* 27.10. 8.

VI. Caeremoniale de vestibus sacerdotum, & pontificis.

Facies pontifici sex vestes, Primò, Ephod; Secundò, rationale cum 12. gemmis, in quibus insculpes 12. nomina filiorum Israel, item *vrim* & *tummim*, id est doctrina & veritas; Tertiò, tunicam hyacinthinam cum zona polymita, ex qua infernè dependebunt tintinnabula, & mala punica; Quartò, tiaram cum lamina aurea, cui inscribes *Sanctum Domino*; Quintò, tunicam lineam cum baltheo; Sextò, femoralia linea. 1.

Sacerdotibus verò facies Primò, femoralia linea; Secundò, tunicam lineam cum baltheo; Tertiò, cidarim, siue tiaram. *Exodi* 28. 2.

VII. Caeremonialia de consecratione pontificis, sacerdotum, & Leuitarum.

Facies vnguentum ex stacte, cinnamomo, calamo, casia & oleo, eoque vnges & consecrabis tabernaculum, arcam, mensam, candelabrum, labrum, altare, omniaque vasa eorum; Aaronem quoque cum filiis. *Exodi* 30.23. 1.

Consecra, ô Mose, Aaronem, & filios eius sacerdotes, hoc ritu. Primò, laua eos. Secundò, indue eos vestibus sacerdotalibus. Tertiò, offer vitulum pro peccato, & duos arietes, vnum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam, cum panibus azymis. Quartò, per dies septem quotidie 2.

vnge tam ipsos,quàm altare. Denique,die octauo A Aaron suas quasi primitias celebret, omnisque generis victimas immolet, *Exodi* 29 *& Leuit.*8 *&* 9.tumque 12.principes 12.tribuum sua dona offerant tabernaculo recèns erecto, scilicet Primò, simul sex plaustra; Secundò, seorsim singuli vicissim suas victimas,& vasa ad vsum tabernaculi. *Numer.*7.

3. Leuitas hoc ritu consecra,Primò,Tu,ô Moses, asperge eos aqua lustrationis.Secundò,radant ipsi pilos omnes carnis suæ.Tertiò,lauent vestes suas. Quartò,offerant vnum bouem pro peccato,alterum in holocaustum. Quintò,siste eos Domino. Sextò,filij Israel imponant eis manus suas.Septimò,Aaron offerat eos Domino,eorumque boues immolans,pro eis oret. *Numer* 8.6. B

VIII. Caremoniale de eorum dotibus & muniis.

1. Leuitæ seruient in tabernaculo à 25.anno vsque ad 50.*Ibidem v.*25.

2. Leuitæ custodiant & portent omnia vasa tabernaculi. *Numer.*3.6. scilicet Caathitæ portent arcam,mensam,candelabrum & altare:Gersonitæ cortinas & vela: Meraritæ tabulas, vectes, columnas & bases. *Numer.*4.

3. Sacerdotes careant maculis,id est vitiis corporis, putà non sint cæci, non claudi, non paruo, grandi,vel torto naso,non fracto pede,vel manu, non gibbosi,non lippi,non habeant albuginem in oculo, non iugem scabiem,vel impetiginem, non sint herniosi. *Leuit.*21.17.

5. Sacerdotes abstineant funeribus& planctu.

4. Pontifex nec matrem, nec patrem plangat. C *Ibidem v.*2.

6. Pontifex vxorem non ducat, nisi virginem,& nobilem. *Ibidem v.*13.

7. Sacerdotes cùm ingrediuntur tabernaculum, vinum & siceram non bibant, ne moriantur, vt discernant inter sanctum & profanum, vtque doceant filios Israel præcepta mea. *Leuit.*10.9.

8. Quicumque è stirpe Aaron fuerit leprosus,seminifluus, aut immundus, non comedet ex iis, quæ Deo sanctificata sunt. *Leuit.*22 4.

9. Sacerdotum munus est, 1.Sacrificare in atrio. 2.Quotidie vespere accendere lucernas candelabri in Sancto. 3.Singulis diebus sabbatinis ponere nouos panes propositionis in mensa. 4.Quotidie manè & vespere adolere thymiama. 5.Benedicere populo.

10. Proprium pontificis est, semel in anno, in die expiationis, expiare totum populum, ipsumque tabernaculum, lustrando Sanctum sanctorum. D *Leuit.*16.

11. Hac forma sacerdotes benedicant populo:Benedicat tibi Dominus,& custodiat te,ostendat tibi faciem suam, & misereatur tui, conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. *Numer* 6.24.

IX. Caremoniale de eorumdem vrbibus,& prouentibus.

1. In terra Israel partem non habeant sacerdotes & Leuitæ. *Numer.*18.20.

2. Dabitis Leuitis vrbes ad habitandum, & suburbana ad mille cubitos in circuitu, pro alendis eorum pecoribus. *Numer.*35.

3. Sacerdotes habeant, 1. omnia primogenita, 2.omnes oblationes, 3 omnes victimas, putà ex holocausto pellem; ex pacifica pectusculum, & armum dextrum; ex hostia pro peccato totam carnem; ex mincha totum, excepto pugillo qui crematur Domino. *Leuit.*6.*&* 7.*& Num.*18.

Leuitæ habeant omnes decimas,ex iisque rursum decimas dent sacerdotibus, easque meliores & selectiores. *Numer.*18.26. 4.

Si Leuites desiderans seruire Domino, ex vrbe sua venerit ad templum, vt ibi ei ministret, partem ciborum accipiet eamdem,quam & cæteri qui ministrant: insuper & partem decimarum, quæ ei in sua vrbe ex lege debetur, nanciscetur. *Deut.*18 6. 5.

X. Caremoniale de sacrificiis, scilicet de holocausto, minchâ, hostia pacifica, & victima pro peccato.

Victima holocausti sit mascula & integra,totaque Deo comburatur,excepta pelle,quæ cedet sacerdoti sacrificanti. *Leuit.*7.8 *& Leuit.*1. 1.

Victima hæc sit vel ex bobus, vel ex ouibus & capris;vel ex turturibus & columbis. *Leuit.*1. 2.

Quotidie offeres holocaustũ iuge,putà agnum manè,& agnum vespere, qui tota nocte in altari cremetur, cum decima parte ephi similæ, quæ conspersa sit oleo quartæ partis hin: & simul libabis vini quartam partem hin, tam manè,quàm vespere. *Numer* 28 3. 3.

Mincha,id est sacrificium farreum, offeratur, vel ex simila, vel ex spicis, vel ex panibus coctis, siue clibano,siue sartagine,siue craticula. *Leuit.* 2. 4.

Mincha sale condiatur, eique infundatur oleum,& imponatur thus. 5.

Mincha sit infermentata,& careat melle. *Ibid.* 6.

Pugillus ex mincha crematur Deo: reliquum cedat sacerdoti. *Ibidem.* 7.

Hostia pacifica sit bos, ouis, aut capra; ex ea, Primò,sanguis & adeps,cum renibus,& cauda si sit ouis,adoleatur Deo;Secundò,pectus & armus dexter cedat sacerdoti sacrificanti; Tertiò, caro reliqua cedat laico offerenti. *Leuit.*3. 8.

Immundus non comedet ex ea *Leuit.*7.20.sed soli mundi,tam mares,quàm feminæ idq; primo die,si sit hostia gratiarũ actionis:vel etiam secundo die,si sit hostia votiua,vel spontanea:si quid superfit tertio die,igne comburetur. *Leuit* 7 15. 9.

Hostia pro peccato,per ignorantiam commisso à pontifice, vel populo, sit hircus:à plebeio, sit capra,vel ouis. *Leuit.*4. Ex hac sanguis,adeps,renes,& cauda cremabuntur Deo;reliquam carnem comedent sacerdotes,cum filiis masculis. *Leuit.*7. 3.*& Leuit.*6.18. 10.

Qui calumniam, aut iniuriam fecit proximo, offerat arietem pro peccato. *Leuit.*6 6. 11.

Victima quælibet sit sine macula, id est sit integra,putà non sit cæca,fracta,scabiosa,&c. *Leuit.* 22.21. 12.

Victima carnium habeat sua libamina,putà similam,oleum,vinum,sal,& thus,ea mensura quæ præscribitur,Numer.15.4. 13.

Si quando habebitis epulum, & dies festos,& calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis. *Numer.*10.10. 14.

XI. Caremoniale de primogenitis, primitiis & decimis.

Sanctifica mihi omne primogenitum masculum,tam de hominibus, quàm de iumentis: mea sunt enim omnia. *Exodi* 13.*v.*2.*&* 12. 1.

Primo-

2. Primogenitum asini mutabis oue: quòd si non A redemeris, interficies. *Ibidem.*

3. Primogenitum hominis pretio redimes, putà quinque siclis. *Numer.* 18.16.

4. Primogenitum animalis septem diebus sit cum matre sua: die octaua reddes illud mihi. *Exodi* 22. *v.*30.

5. Primogenita nemo poterit vouere: Domini enim sunt. *Leuit.* 27.26.

6. Primogenitū immundū redimatur. *Ibid. v.*27.

7. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium. *Deuter.* 15 19.

8. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu (ò sacerdos) & domus tua. *Ibidem v.*20.

9. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini. *Exodi* 23.19.

10. Primitias spicarum hordei offeres in paschate, B putà die secunda azymorum. *Leuit.* 23.10.

11. Primitias panum offeres in pentecoste. *Ibidem v.*17.

12. Primitias frugum omnium offeres in fine anni, easque offerens dices: Profiteor hodie coram Domino, quòd Deus introduxerit me in in terram melle & lacte manantem, &c. *Deuter.* 26.2 & *seq.*

13. Cùm plantaueris arborem, fructus, quos tribus primis annis illa proferet, abiicies quasi immundos & incircumcisos: fructus verò quarti anni offeres Domino: itaque quinto anno vesceris fructibus eius. *Leuit.* 19.23.

14. Decimæ fructuum & frugum omnium Deo offerantur. *Leuit.* 27.30.

15. Decimæ animalium, putà ouis, bouis & capræ, Deo offerantur *Ibidem v.*32.

16. Quotannis duplices decimas separabis, primas C dandas Leuitis, secundas pro itinere, & victimis dandis Deo, cùm ter in anno ascendes ad templum: tertio verò anno tertias separabis decimas, pro pauperibus. *Deuter.* 14. *v.*22. & 28.

XII. Cæremoniale de censu soluendo, & de oblationibus.

1. Quando tuleris summam filiorum Israel, dabunt singuli pretium pro animabus suis, putà dimidium sicli, idque trades in vsus tabernaculi. *Exodi* 30. *v.*12.13.16.

2. Offerant filij Israel pro fabrica tabernaculi aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum, byssum, pilos caprarum, pelles arietum, ligna setim, oleum, aromata, lapides onychinos, & gemmas. *Exodi* 25.3.

3. Non offeres mercedem meretricis, nec pretium canis in domo Domini Dei tui. *Deuter.* 23.18. D

4. Leuitæ decimas meliores & pinguiores offerant Domino. *Numer.* 18.32.

XIII. Cæremoniale nazaræorum, & votorum.

1. Vouens votum nazaræi, vinum, siceram, & quidquid ab vuis exprimitur, non bibet, nec vuas recentes, aut siccas comedet. Secundò, comam non tondebit. Tertiò, non intrabit ad funus, etiam patris & matris. Quartò, si quis coram eo moriatur, polluetur: vnde radet caput die primo & septimo: octauo verò die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum pro peccato, alterum in holocaustum. Quintò, completis diebus voti, offeret agnum anniculum in holocaustū, & ouem anniculam pro peccato, & arietem in hostiam pacificam, cum sua simila & libamine: tuncq; radet caput, & crines comburet Domino *Numer.* 6.

Homo qui se deuouit Deo, redimat se pretio, 2. quod pro ætate & sexu taxatur à Deo Leu. 27.2.

Animal immolabile Deo per votum oblatum, 3. reipsa detur, non mutetur in aliud, nec redimatur. *Ibidem v.*9.

Animal quod immolari non potest, si Deo vo- 4. ueatur, vendatur pretio, quod sacerdos statuet; quod si vouens dare voluerit, addat insuper quintam pretij partem. *Ibidem v.*11.

Domus Deo vota, pretio à sacerdote taxando 5. vendatur: quòd si vouens eam redimere voluerit, addat pretio taxato quintā eius partem. *Ibid. v.*14.

Heres vouens agrum hereditarium, qui trigin- 6. ta modiis hordei seritur, redimere eum potest 50. siclis, soluendis pro rata annorum, qui supersunt vsque ad iubileum: quòd si eum non redimat, sed ager alteri vendatur, numquam ipse eum, ne quidem in iubileo, recipere poterit; sed ager absolutè & in perpetuum cedet in ius Dei & sacerdotum. *Ibidem v.*16.

Si vouens agrum non sit heres, sed emptor a- 7. gri, hic redimet eum pretio, quod taxabit sacerdos, iuxta numerum annorum, qui supersunt vsque ad iubileum: nam in iubileo ager ad primum heredem redire debet. *Ibidem v.*22.

Quod per votum *cherem*, id est anathematis, 8. Deo consecratum est, non redimatur, sed moriatur, aut naturaliter, si animal sit; aut ciuiliter, si homo sit, domus aut ager. *Ibidem v.* 28.

Pater filiæ, maritus vxoris votum irritare potest, 9. si illi contradicat statim, id est primo die quo illud resciuit; quòd si eo die taceat, secundo die contradicere, votumque iritare nequit. *Num.* 30.

XIV. Cæremoniale purificationis puerperæ.

Mulier si suscepto semine pepererit masculum, 1. immunda erit septem diebus. *Leuit.* 12.

Octauo die circumcideretur infantulus. *Ibid.* 2.

Ipsa manebit triginta tribus diebus in sanguine 3. purificationis suæ. *Ibidem.*

Sin feminam pepererit, immunda erit 14. die- 4. bus, & 66. diebus manebit in sanguine purificationis suæ. *Ibidem.*

Cumque expleti fuerint dies purificationis, 5. offeret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato: si pauper sit, offeret duos turtures tantùm, vel duos pullos columbarum. *Ibidem.*

XV. Cæremoniale de lepra & leprosis.

Leuit. 13. septem statuuntur species lepræ: Pri- 1. ma est, lepra alba & lucens, *v.*3 Secunda est, lepra recurrens, *v.*7. Tertia est, lepra inolita, *v.*10. Quarta est, lepra mundissima, *v.*13. Quinta est, lepra capitis & barbæ, *v.*29. Sexta est, lepra in caluitio, *v.*42. Septima est, lepra vestis, *v.*47. & domus, *cap.* 14. *v.*15.

Leuit. 13.44. quinque mandantur leproso, Pri- 2. mò, vt habeat vestes dissutas; Secundò, caput nudum; Tertiò, os tectum; Quartò, clamet se sordidum; Quintò, solus habitet extra castra.

Leuit. 14. statuitur ritus, quo legaliter expiari 3. debet is, qui à lepra est curatus; scilicet vt Primò, sacerdos aspergat expiandum sanguine passeris, per alium passerem, alligatum baculo cedrino cum cocco & hyssopo; mox passerem viuum auolare sinat, *v.*5. Secundò, expiandus lauet vestes, radat pilos corporis, ac lauet seipsum, *v.*8. Tertiò,

Tertiò, die octauo offerat agnum pro delicto, & A agnum pro peccato, & ouem anniculam in holocaustum, cum tribus decimis similæ, & olei sextario, v.10. Si mundandus sit pauper, pro hisce iam dictis, offerat agnum pro delicto, & duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum pro peccato, alterum in holocaustum, cum tribus decimis similæ, & olei sextario, v.21. Quartò, sanguine agni tingat sacerdos aurem dextram mundandi, & pollices dextræ manus & pedis. Quintò, ex oleo aspergat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundat super extremum auriculæ dextræ, & super pollices manus ac pedis dextri, & super caput expiandi, v.25. & seq. Simili ratione lustranda est vestis, aut domus, cùm à lepra fuerit curata, v.49.

XVI. *Caremoniale de seminifluis, concumbentibus, menstruatis, & hæmorrhoissis.*

1. Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. *Leuit.* 15.2.

2. Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, & vbicumque sederit. *Ibidem.*

3. Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit vestimenta sua, &c. *Ibidem v.*4.

4. Si sanatus fuerit, numerabit septem dies, & lotis vestibus, & toto corpore, erit mũdus. *Ibid. v.*13.

5. Die autem octauo offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ; vnum pro peccato, alterum in holocaustum. *Ibidem v.*14.

6. Vir de quo egreditur semen coitus (concumbens cum muliere) lauabit aqua omne corpus suum, & erit immundus vsque ad vesperam. *Ibid. v.*16. Idem faciet mulier *Ibidem v.*18.

7. Mulier quæ patitur menstrua, septem diebus separabitur. *Ibidem v.*19.

8. Hæmorrhoissa immunda erit, omne stratum in quo dormierit, & omne vas in quo sederit, pollutum erit. *Ibidem v.*25.

9. Si steterit sanguis, numerabit septem dies, & octauo die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum pro peccato, alterum in holocaustum. *Ibidem v.*18. & 29.

XVII. *Caremoniale de eunucho & mamzere, siue spurio.*

1. Non intrabit eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis, ecclesiam Domini. *Deuter.* 23.1.

2. Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem. *Ibidem v.*2.

XVIII. *Caremoniale de aqua lustrationis ex cinere vitulæ rufæ.*

1. Accipe vaccam rufam sine macula, quæ non portauerit iugum: hanc immolet sacerdos extra castra, totamque comburat cum ligno cedrino, cocco bis tincto, & hyssopo. Colliget autem vir cineres vaccæ, qui in aquam viuam spargentur, iisque is qui immundus est, præsertim ex contactu mortui, vel morticini, aspergetur die tertio & septimo, itaque expiabitur. *Numer.* 19.

2. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & omnia vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus: sic & qui tangunt cadauer, vel ossa, aut sepulchrum hominis mortui, immundi sunt, & expiabuntur aspersione aquæ cineralis iam dictæ, die tertio & septimo. *Ibidem v.*14.

Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiæ. *Ibidem v.*20. 3.

XIX. *Caremoniale de munditie castrorum.*

Homo nocturno pollutus somnio egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad vesperam lauetur aqua. *Deuter.* 23.10. 1.

Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo, cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies quo releuatus es, & sint castra tua sancta, & nihil appareat in eis fœditatis: quia Dominus est in medio castrorum tuorum. *Ibid. v.*12. 2.

XX. *Caremoniale de simplicitate, & fuga duplicitatis.*

Non seres vineam tuam altero semine. *Deuter.* 22.9. 1.

B Non arabis in boue & asino. *Ibidem v.*10. 2.

Non indueris veste ex lana & lino contexta. *Ibidem v.*11. 3.

Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. *Leuit.* 19.19. 4.

XXI. *Caremoniale de habitu & vestitu.*

Non attondebitis comam in rotundum, nec radetis barbam. *Leuit.* 19.27. 1.

Super mortuo non incidetis carnes, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. *Ibidem v.*28. 2.

Non facietis caluitium super mortuo: quoniam populus sanctus es Domino. *Deuter.* 41.1. 3.

Vestes vestræ habeant fimbrias cum vittis hyacinthinis, quæ vos semper admoneant legis Dei. *Numer.* 15.37. 4.

C

XXII. *Caremoniale de cibis mundis & immundis.*

Terrestria quæ vngulam diuidunt, & ruminant, munda sunt, vt bos, ouis, hœdus, ceruus, caprea, bubalus, tragelaphus, pygargus, camelopardalus. *Deuter.* 14.4. 1.

Quæ verò vngulam non diuidunt, vt camelus, lepus, cuniculus, chœrogryllus; aut non ruminant, vt porcus, immunda sunt. *Leuit.* 11. *v.*3. & 4. 2.

Pisces mundi sunt, qui habent pinnulas & squamas; immundi, qui vel pinnulis, vel squamis carent. *Ibidem v.*9. 3.

Aues immundæ sunt, aquila, gryphus, haliæetus, ixius, vultur, miluus, struthio, noctua, larus, accipiter, herodius, cycnus, ibis, mergulus, porphyrio, nycticorax, onocrotalus, & charadrius. *Deut.* 14.11. 4.

D Omne quod reptat, & pennulas habet, immundum est. *Ibid. v.*19. 5.

Reptilia omnia immunda sunt, & tangentem contaminant. *Leuit.* 11.29. 6.

Locustæ, quia saliunt, mundæ sunt. *Ibid. v.*21. 7.

Mustela, mus, crocodilus, mygale, chamæleon, stellio, lacerta, talpa, immunda sunt. *Ibid. v* 29. 8.

Omnis cibus, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit. *Ibidem v.*34. 9.

Si mortuum fuerit animal, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vsque ad vesperam; & qui comederit ex eo, lauabit vestes suas, & immundus erit vsque ad vesperam. *Ibidem v.*39. 10.

Non comedetis animal sponte mortuum, sed peregrino illud vendetis. *Deut.* 14.21. 11.

Carnem quæ à bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed proiicietis canibus. *Exodi* 22.31. 12.

Adipem

Adipem non comedetis, sed Deo adolebitis, si sitis iuxta templum. *Leuit.* 17.

14. Sanguinem non comedetis, sed eum Deo effundetis. *Ibidem.*

XXIII. Cæremoniale festorum.

1. Mensis iste (Nisan, id est Martius) primus erit in mensibus anni. Decima eius die tollat sibi quisque agnum aut hœdum, qui integer sit, masculus, anniculus, quem immolabit 14. die ad vesperam, assabit, & comedet cum lactucis agrestibus, & panibus azymis: septem diebus comedetis azyma. *Exodi* 12. *v.* 1. *& seq.*

2. Os non confringetis ex eo: nullus incircumcisus vescetur ex eo, sed quicumque circumcisus est, esto sit aduena, siue seruus. *Ibidem.*

3. In eadem domo comedetur: non efferes extra domum foras è carne: non relinquent quidquam ex eo vsque manè, sed quod reliquum est igne comburent. *Ibidem.*

4. Qui fuerit immundus, aut in via procul, faciat phase mense secundo, die 14. ad vesperam. *Numer.* 9. 10.

5. In loco quem elegerit Dominus vt habitet nomen eius ibi, immolabis phase. *Deut.* 16. 6.

6. Primo die azymorum & septimo, abstinebitis ab opere. *Exodi* 12. 16.

7. Secundo die azymorum offeres primitias spicarum hordei, & cum eis offeres agnum in holocaustum: nec antè gustabis nouum panem, aut polentam. *Leuit.* 23. 10.

8. In paschate quotidie per septem dies, immolabis in holocaustum vitulos duos, arietem vnum, agnos septem, & pro peccato hircum vnum, cum suis libaminibus. *Numer.* 28. 16.

Pentecostes. 1. Numerabis à secundo die azymorum 50. dies, & quinquagesima erit pentecoste: in qua offeretis panes primitiarum duos, offeretisque cum panibus septem agnos, vitulum vnum, & arietem vnum in holocaustum, hircum alterum pro peccato, & duos agnos in hostiam pacificorum. *Leuit.* 23 15.

2. Rursum ratione festi, offeretis vitulos duos, arietem vnum, agnos septem in holocaustum, & hircum vnum pro peccato. *Num.* 28 28.

Tubarum. Prima die mensis septimi, erit festum clangoris tubarum: opus non facietis in eo. *Leuit.* 23. 24. tuncque immolabitis vitulum vnum, arietem vnum, agnos septem. *Numer.* 29. 1.

A

Decima die mensis septimi, erit festum expiationis: in eo affligetis animas vestras. *Leuit.* 23. 27. in eo offeretis vitulum vnum, arietem vnum, agnos septem. *Numer.* 29. 7. Insuper pontifex dabit sortes duobus hircis, vter immoletur, vter sit emissarius, expiabitque Sanctum, & Sanctum sanctorum eo ritu, quem dixi Leuit. 16. *Expiationis.*

Decimoquinto die mensis septimi, celebrabitis festum Tabernaculorum per septem dies, tumque; Primò, habitabitis in tabernaculis. Secundò, accipietis fructus citri, spatulas palmarum, ramos myrti & salicum, & saltabitis lætabundi coram Domino. *Leuit.* 23. 34. Tertiò, offeretis per singulos dies victimas, præscriptas Numer. 29 12. *Tabernaculorum.*

Dies octaua erit festum cœtus, & collectæ. *Leuit.* 23. 36. *Cœtus.*

B

Primo die cuiusque mensis, offeretis in holocaustum vitulos duos, arietem vnum, agnos septem, cum suis libaminibus. *Numer.* 29. 11. *Calendæ.*

Septimo die septimanæ, erit solemnitas sabbati: in eo non facietis opus, nec ignem accendetis. *Exodi* 35. 3. Tumque præter sacrificium iuge, offeretis duos agnos in holocaustum, cum suis libaminibus. *Numer.* 28. 9. *Sabbatum.*

Anno septimo, qui est libertatis & remissionis, Primò, non seres, non metes, non putabis, non vindemiabis. Secundò, remittes fratri tuo, putà Iudæo, omnia quæ tibi debet. Tertiò, seruos Hebræos liberos dimittes. Quartò, leges Deuteronomium. *Hæc omnia patent Deut.* 15. 2. *& seq & c.* 31. 10. *& Exodi* 23. 11. *& c.* 21. 2. *Septimus annus.*

C

Anno septies septimo, id est 49. mense septimo, proclamabis sequentē annum quinquagesimum, fore iubilæum. *Leuit.* 25. *v.* 8. *& seq.* *Iubilæum.* 1.

In iubilæo, Primò, non seres, nec metes. Secundò, remittet Iudæo omnia debita. Tertiò, seruos manumittes. Quartò, omnes redibunt ad auitas hereditates gratis, & sine pretio. *Ibidem.* 2.

XXIV. Cæremoniale circa homicidia.

Si inuentum sit cadauer occisi in agro, seniores vrbis vicinæ adducent vitulam ad vallem asperam, ibique eam mactabunt, ac super eam lauabunt manus suas, & dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt; propitius esto populo tuo Israel. *Deuter.* 21. 1. 1.

Homicida casualis fit in vrbe refugij, vsque ad mortem pontificis. *Numer* 35. 29. 2.

Atque hæc dicta sint de cæremonialibus Mosis præceptis: sequuntur iudicialia, in suas classes distributa.

Iudicialia:
1. Regis.
2. Belli.
3. Matrimonij & repudij.
4. Homicidiorum.
5. Cædis animalium.
6. Testis.
7. Serui & ancillæ.
8. Bestiarum.
9. Mercenariorum, peregrinorum & pauperum.
10. Pignorum.
11. Vsurarum.
12. Furtorum & damnorum.
13. Depositi.
14. Commodati.

D

I. Iudicialia regis.

Regem delige ex gente tua, isque non multiplicet Primò, equos; Secundò, vxores; Tertiò, opes; Quartò, describat legatque assiduè Deuteronomium; Quintò, superbè non efferat se supra populum. *Deuter.* 17. *v.* 14. *& seq.* 1.

II. Iudiciale belli.

Si exieris ad bellum, stabit sacerdos ante aciem, dicetque: Audi Israel, nolite metuere, nolite cedere: quia Dominus in medio vestri est. *Deuter.* 20. 1. 1.

Duces quoque proclamabunt, vt qui ædificarunt nouas domos, aut vineas, item sponsi & pauidi, domum redeant. *Ibidem v.* 5. 2.

Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in 3.

pugnam,custodies te ab omni re mala. *Deut.*23.9. A

4. Si vrbs se dedat,fiat tributaria; sin vi expugnetur,masculi omnes occidantur,præter infantes:in Chananæa autem omnes omnino, etiam feminæ & infantes,occidantur. *Deuter.*20.13.

5. Arbores frugiferas iuxta vrbem ne cædas, sed infrugiferas, vt ex iis machinas bellicas instruas. *Ibidem v.*19.

6. Fac duas tubas argenteas ductiles,quibus conuoces populum, cùm mouenda sunt castra. *Numer.*10.

7. Si exieritis ad bellum,clangetis vlulantibus tubis, & Deus recordabitur vestri, dabitque victoriam. *Ibid. v.*9.

8. Delebis memoriam Amalec de sub cælo. *Deuter.*25.19.

9. Delebis Chananæos omnes. *Exodi* 23.33.

III. Iudiciale matrimonij & repudij. B

1. Matrimonium nemo contrahet in gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis Leuit.18. *Recensui eos ibi, & in præcepto 6. Decalogi.*

2. Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes. *Leuit.*18.19.

3. Si frater mortuus sit sine liberis, vxorem eius accipiet frater eius, & suscitabit semen fratri suo, & primogenitum nomine illius nominabit. *Deuter.*25.7.

4. Sin noluerit, vxor fratris coram senioribus tollet calceamentum de pedibus eius, & spuet in faciem eius,vocabiturq; Domus discalceati. *Ibidem.*

5. Si vxor non inuenerit gratiam in oculis mariti, ob aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius,& dimittet eam. *Deut.*24.1.

6. Si vxor dimissa nupserit secundo marito,& ille deinde dimiserit eam,non poterit illa ad priorem maritum reuerti. *Ibidem v.*3. C

7. Si quis in bello captam mulierem alienigenam, ob pulchritudinem adamarit, introducet eam in domum suam,quæ radet caput suum,& præcidet vngues, ac mutabit vestem, flebitque patrem & matrem per mensem, quo expleto accipiet eam in vxorem:si postea ei displicuerit,non vendat,sed liberam eam dimittat. *Deuter.*21.11.

8. Si maritus habuerit duas vxores, vnam dilectam,alteram odiosam,& filius odiosæ fuerit primogenitus;dabit ei iura primogenituræ,nec præferet ei filium dilectæ. *Ibidem v.*15.

9. Puellæ, quæ deficiente prole mascula,heredes sunt patris sui, nubant in tribu sua,non in aliena. *Numer.*36.7.

IV. Iudiciale circa homicidia. D

1. Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. *Leuit.*24.17.

2. Non accipies pretium ab eo,qui reus est sanguinis,sed occides eum sine misericordia. *Num.*35.31.

3. Qui irrogauerit maculam,sicut fecit,sic fiet ei: oculum pro oculo, dentem pro dente, restituet. *Leuit.*24.19.

4. Qui casu,vel ignorans occidit hominem,fugiet ad ciuitates refugij,ibiq; manebit vsque ad mortem pontificis. *Numer.*35.25.

5. Si extra vrbes refugij deprehendatur, propinquus occisi interficiet eum. *Ibidem v.*19.

6. Qui percusserit virum lapide, si surrexerit ille, & ambulauerit foris,percutiens operas eius,& impensas in medicos restituet. *Exodi* 21.19.

7. Qui percusserit seruum, vel ancillam virga, & illi mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. *Ibidem.*

Sin autem vno die, vel duobus superuixerint, non subiacebit pœnæ:quia seruus est,qui pecunia est emptus *Ibidem.* 8.

Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem,& abortum quidem fecerit,sed ipsa vixerit,pendet percussor id, quod arbitri iudicabunt. *Ibidem.* 9.

Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. *Ibidem.* 10.

Si percusserit quis oculum serui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit: pari modo si dentem eis excusserit. *Ibidem.* 11.

Qui furem diurnum occidit,occidatur. *Exodi* 22.3. 12.

Facies murum tecti per circuitum, ne quis ex colabatur,sisque sanguinis reus. *Deuter.*22.8. 13.

Suspensi cadauer non manebit in ligno, sed eadem die sepelietur: quia maledictus omnis qui pendet in ligno. *Deute.*21.22. 14.

Si quem iudices plagis dignum iudicent, pro mensura delicti,erit & plagarum modus, sed numerum quadragenarium non excedet. *Deut.*25.3. 15.

Si rixati fuerint duo viri,& vxor vnius apprehenderit verenda alterius, abscindes manum illius. *Deuter.*25.11. 16.

V. Iudiciale circa cædem animalium.

Qui percusserit animal,reddet aliud. *Leuit.*24.21. 1.

Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint,lapidibus obruetur. *Ibidem.* 2.

Si bos cornupeta fuerit, & contestati sunt dominum, nec recluserit eum, occideritque hominem, bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. *Ibidem.* 3.

Si seruum,vel ancillam inuaserit,triginta siclos argenti domino dabit: bos verò lapidibus opprimetur. *Ibidem.* 4.

Si quis aperuerit cisternam, cecideritque bos aut asinus in eam; reddet dominus cisternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. *Ibidem.* 5.

Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit,& ille mortuus fuerit; vendent bouem, & diuident pretium: cadauer quoque mortui inter se dispertient. *Ibidem.*

Si enim sciebat, quòd bos cornupeta esset, & non custodiuit eum dominus, reddet bouem pro boue,& cadauer integrum accipiet *Ibidem.* 7.

VI. Iudiciale testis.

Non stabit testis vnus contra aliquem; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. *Deuter.*19.15. 1.

Testis falsus crimen talione luat, detque animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente,&c. *Ibidem.* 2.

Manus testium prima lapidet colentem deos alienos, deinde manus reliqui populi. *Deut.*17.7. 3.

Testis, nisi indicauerit id quod vidit aut scit, portabit iniquitatem suam. *Leuit.*5.1. 4.

VII. Iudiciale serui & ancillæ, id est serua.

Non trades seruum domino suo,qui ad te confugerit. *Deuter.*23.15. 1.

Si

2. Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet A tibi, & in septimo egredietur liber gratis. *Exodi 21. v.1.* Non dimittes eum vacuum, sed dabis ei viaticum. *Deuter. 15 13.*

3. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat; si habens vxorē, & vxor egrediatur simul. *Exodi 21.3.*

4. Sin dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios, mulier & liberi erunt domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo. *Ibidem.*

5. Si vxorem & proles nolit dimittere seruus, iudices ad postem aurem eius perforabunt subula, & seruus erit domino suo in sæculum, id est vsque ad iubileum. *Ibidem v.6.*

6. Hebræa in seruam emi nequit, nisi herus promittat, se eam sibi, vel filio in vxorem accepturum; quòd si illa postea ei displicuerit, non ven- B deteam, sed liberam dimittet. *Ibidem v.7.*

7. Si eam filio vxorem dederit, & insuper aliam ei superinduxerit, curabit vt priori, scilicet seruæ, ius coniugale constet, cum congruo vestitu, & pretio pudicitiæ, id est sustentatione vxori debita: si tria ista non fecerit, egredietur serua gratis, fietque libera. *Ibidem.*

8. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes, sed quasi mercenarius operabitur apud te, vsque ad iubileum, tumque cum liberis suis liber egredietur. *Leuit. 25.39.*

9. Seruus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis. *Ibid. v.44.*

10. Si quis Hebræus se vendiderit peregrino, vnus C è propinquis redimet eum pretio, taxando pro rata annorum, qui supersunt vsque ad iubileum; quòd si redemptus refundere possit, exibit liber: sin autem, vt mercenarius seruiet propinquo redimenti se, vsque ad iubileum. *Ibid. v.47.*

VIII. Iudiciale circa misericordiam in bestias.

1. In nido non accipies matrem cum pullis. *Deuter. 22.6.*

2. Si videris asinum amici, vel inimici tui sub onere decumbere, erigendo eriges eum. *Deuter. 22. 4. Exodi 23.5.*

3. Non arabis in boue & asino. *Deuter. 22.10.*

4. Non coques hœdū in lacte matris. *Exodi 23.19.*

5. Non alligabis os boui trituranti. *Deuter. 25 4.*

6. Si videris bouem, asinum, aut pecudem, &c. fratris tui errare, colliges, & reduces eum fratri tuo, etiamsi is tibi sit inimicus. *Deuter. 22.1.*

7. Primogenitus bouis septem diebus sit cum ma- D tre sua, die octaua offeres illum Domino. *Exodi 22.30.*

IX. Iudiciale circa mercenarios, peregrinos, pupillos, & viduas.

1. Non detinebis mercedem mercenarij vsque manè. *Leuit. 19.13.*

2. Ingressus vineam proximi tui, comede vuas, quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas. Idem fac in segete & spicis. *Deuter. 23.24.*

3. Cùm messueris segetes, non tondebis eas vsque ad solum, nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis capienda dimittes. *Leuit. 19.9.*

4. Idem facies in oliuis, in olea post excussionem remanentibus. *Deut. 24.20.* & in manipulo, quem oblitus es in agro. *Ibidem v.9.*

Cura, vt in te non sit indigens & mendicus. *Deuter. 15.4.* 5.

Aperies manum pauperi, & dabis mutuum, esto annus septimus remissionis instet. *Ibid. v.7.* 6.

X. Iudiciale circa pignora.

Si pignus acceperis à proximo vestimentum, ante noctem reddes ei: quia ipsum est, in quo dormit. *Exodi 22.26.* 1.

Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam: quia inde ipse & alij viuunt. *Deuter. 24 6.* 2.

Cùm repetes à proximo rem tuam, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas; sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. *Ibid. v.10.* 3.

XI. Iudiciale circa vsuras.

Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno: fratri autem tuo absque vsura, id quo indiget, commodabis. *Deuter. 23.19.* 1.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. *Exodi 22.25.* 2.

XII. Iudiciale circa furta & damna illata.

Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, aut vendiderit, quinque boues pro vno, & quatuor oues pro vna restituet. *Exodi 22.1.* 1.

Si viuens bos, aut asinus apud eum repertus fuerit, duplum restituet. *Ibidem v.4.* 2.

Si non habet quod reddat, ipse vendatur. *Ibid.* 3.

Occidens furem nocturnum, innocens habeatur; occidens verò furem diurnum, occidatur. *Ibidem v.2.* 4.

Qui deliquerit, & damnum fecerit proximo, confitebitur peccatum suum; & reddet ipsum caput, quintamque insuper partem ei, in quem peccauit. *Numer. 5.5.* 5.

Si læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro aut vinea, pro damni æstimatione restituat. *Exodi 22.5.* 6.

Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succendit. *Ibidem v.6.* 7.

Plagiarius, qui furatur hominem, vt vendat, occidatur. *Deuter. 24.7.* 8.

XIII. Iudiciale circa depositum.

Si depositarius per fraudem rem depositam interuerterit, restituet duplum. *Exodi 22.9.* 1.

Si per negligentiam eius, res deposita sublata sit furto, reddet simplum. *Ibidem v.12.* 2.

Si sine eius negligentia & culpa, res sublata sit, nihil restituet. *Ibidem v.10. & 11.* 3.

Si depositum, putà animal, occisum sit à bestia, depositarius deferat ad deponentem, id quod occisum est, & nil aliud restituat. *Ibidem v.13.* 4.

XIV. Iudiciale circa commodatum.

Qui à domino aliquid commodato postulauit, si illud debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur. *Exodi 22.14.* 1.

Quòd si dominus præsens fuerit, non restituet, præsertim si commodatarius, vel conductor commodatum non acceperat gratis, sed eius vsum mercede conduxerat. *Ibidem.* 2.

Hæc dicta sint de simplicibus Mosis præceptis & legibus: sequuntur mistæ, siue compositæ, ac inprimis morales ac cæremoniales simul.

1. MEmento vt diem sabbati sanctifices. *Exodi* 20.*v*.8. A

2. Caue in matrimonio, & copula carnali gradus consanguinitatis & affinitatis, tum iure naturæ, tum lege diuina cæremoniali vetitos Leuit. 18. quos recensui in sexto præcepto decalogi.

3. Omne quod Domino consecratur voto *cherem*, id est anathematis, redimi non poterit, sed morte morietur. *Leuit*.27.*v*.28. *&* 29.

4. Decimas, & primitias animalium & frugum offer Domino. *Leuit*. 27.*v*.30. *&* 32.

5. Ferias Domini celebrabitis. *Leuit* 23.4.

Erunt præcepta Dei in corde tuo: ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & in ostiis domus tuæ. *Deuter*. 6.5. 6.

Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas. *Deut*. 12.32. 7.

Ascendes ad templum ter in anno. *Deut*. 16.16. 8.

Consecra sacerdotes & pontifices *Exodi* 29. 9.

Offer Domino sacrificia, & victimas quaslibet. *Leuit*. 1. *& seq*. 10.

Offer aurum, argentum, æs, &c. ad fabricam templi *Exodi* 25.3. 11.

Secundæ Mosis leges mistæ, sunt morales & iudiciales simul.

I. Circa quatuor prima decalogi præcepta. B

1. MAleficos non patieris viuere. *Exodi* 22.18.

2. Qui immolat diis, occidetur. *Ibid*. *v*. 20.

3. Vir siue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos *Leuit*. 20.27.

4. Qui dederit de semine suo Moloch, lapidetur. *Ibidem v*.2.

5. Si surrexerit prophetes, filius, filia, aut vxor tua, & dixerit Eamus, & seruiamus diis alienis, statim interficies eum: sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum: lapidibus obrutus necabitur. *Deuter* 13.*v*. 2.6.7.8.

6. Si vrbs idem fecerit, delebis eam cum incolis vsque ad pecora: omnia quæ in ea sunt succendes & combures Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur ampliùs. *Ibid*. *v*. 13.

7. Qui maledixerit Deo, & blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit *Leuit*. 24.16. C

8. Chananæos omnes perdendo perdes, non inibis cum eis fœdus, nec coniugia, non habitabunt in terra tua: auocabunt enim filios tuos à me, & colent deos alienos *Exodi* 23.33.

9. Qui percusserit patrem, aut matrem, morte moriatur. *Exodi* 21.15.

10. Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. *Ibidem v*.7.

11. Parentes filium rebellem & epulonem adducent ad iudices: ex quorum sententia, lapidabunt eum omnes homines vrbis illius *Deuter*. 21.19.

II. Circa sextum præceptum, putà circa incestam copulam & libidinem.

1. Mœchus & adultera morte mulctentur. *Leuit*. 20.1.

Si quis dormierit cum nouerca, vel nuru sua, vel cum masculo, vterque moriatur. *Ibidem* Sic & qui dormierit cum matertera, amita, vxore fratris, vel patrui, aut auunculi sui. *Ibidem v*. 18. *& seq*. Item qui viderit turpitudinem sororis suæ. *Ibidem v*.17. 2.

Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius, viuus ardebit cum eis. *Ibidem v*. 14. 3.

Vir, vel mulier, quæ cum pecore congressa est morte moriatur. *Ibidem v*.15. 4.

Si quis in vrbe concubuerit cum virgine, quæ alteri desponsa est, & illa non clamauit, vterque lapidibus obruetur. *Deuter*. 22.23. 5.

Sin in agro id fecerit, ipse morietur solus: puella nihil patietur. *Ibidem*. 6.

Qui vim infert virgini non desponsatæ, eam habebit vxorem, nec poterit eam vmquam dimittere; & insuper patri eius soluet 50. siclos. *Ibidem v*.29. 7.

Si quis dormierit cum ancilla, id est serua, vapulabunt ambo, & non morientur: quia non fuit libera, offerentque arietem pro peccato Domino. *Leuit*. 19.20. 8.

Si concubuerit quis cum virgine non desponsata, dotabit eam, & habebit eam vxorem. *Exodi* 22. 16. 9.

Si pater virginis eam dare noluerit, dotabit eam *Ibidem*. 10.

Si maritus accuset sponsam dicens: Non inueni eam virginem; si verum est, quod obiicit, lapidibus obruent eam: sin autem, proferent parentes virginis signa virginitatis eius, & ex iis iudices condemnabunt maritum ad verberationem, & ad centum siclos argenti, dando patri sponsæ; atque spõsam tota vita sua retinere cogetur. *Deut*. 22.13. 11.

Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste feminea. *Deuter*. 22 5. 12.

Tertiæ Mosis leges mistæ, sunt cæremoniales & iudiciales simul.

1. QVi non fecerit phase stato tempore, exterminabitur de populis suis *Numer*. 9. 13. D

2. Septem diebus (phase) non inuenietur fermentum in domibus vestris: qui comederit fermentatũ, peribit anima eius de cœtu Israel. *Exodi* 12.19.

3. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinẽ & sanguinem, lepram & lepram, causam & causam, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, &c. venies ad sacerdotes & ad iudicem, faciesque quodcumque dixerint tibi, &c.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto iudicis, morietur. *Deuter*. 17.8.

Idumæi & Ægyptij non intrabunt in ecclesiam Domini, vsque ad tertiam generationem, nec mamzer vsque ad decimam: nec Ammonites & Moabites vsque in æternum; quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua: & quia conduxerunt contra te Balaam. non facias cum eis pacem, nec quæras eis bona. *Deuter*. 23 *v*. 1. *& seq*. 4.

Si inueneris nidum, non capies matrem cum pullis: 5.

pullis: sed capies pullos, & matrem auolare sines. *Deuter.* 22.6.

6. Non arabis in boue & asino. *Deuter.* 22.10.

7. Si maritus zelotypus vxorem habeat suspectam de adulterio, adducet eam ad sacerdotem, qui dabit ei bibere aquas maledictionis: quas cùm biberit, si rea sit, intumescet & rumpetur vterus A eius, femurque eius putrescet, itaque ipsa erit in maledictionem. Ritum huius probæ cum sacrificio, descripsi Numer. 5.

Terra non vendetur in perpetuum, sed pro rata annorum, qui supersunt vsque ad iubileum: quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis. *Leuit.* 25.23. vide ibi dicta. 8.

Quartæ leges Mosis mistæ, sunt morales & cæremoniales & iudiciales simul.

1. QVi concubuerit cum muliere in fluxu eius menstruo, interficientur ambo. *Leuit.* 20.18.

2. Filia sacerdotis si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur. *Leuit.* 21.9.

3. Qui polluerit sabbatum, id est opus fecerit in eo, morte morietur. *Exodi* 31.14.

4. Leuitæ ex decimis suis dabunt decimas sacerdotibus, easque meliores & pinguiores, ne polluant oblationem filiorum Israel, & ne moriantur. *Numer.* 18.32.

B Pater filiæ, maritus vxoris, vota irritare potest primo die, quo ea sciuit, non secundo. *Numer.* 30. 5.

Leprosus solus habitet extra castra. *Leu.* 13.46. 6.

Iumentum tuum non facies congredi cum alterius generis animantibus. *Leuit.* 19.19. 7.

Crocodilum, murem, talpam, mustelam, lacertam non comedes. *Leuit.* 11.29. 8.

Denique huc pertinent leges mortis latæ in incestuosos, qui cum nepte, nuru, matertera, &c. fornicantur. *Leuit.* 20.19. hæ enim leges partim naturales sunt, partim cęremoniales, partim iudiciales. 9.

DE MENSVRIS ET PONDERIBVS HEBRÆORVM, GRÆCORVM, ROMANORVM ET HISPANORVM,

collecta ex Roberto Cenali, Agricola, Alciato, & maximè ex Vilalpando & Alcazario, qui nouissimè & exactè de iis scripserunt.

I. De monetis & ponderibus.

PRæmoneo me hic libram accipere communem 12. vnciarum, non autem maiorem quæ 16. est vnciarum.

Talentum sunt tria millia siclorum.

TALENTVM vnicum est apud Hebræos, continetque tria millia siclorum; vncias mille quingentas; duodecim millia drachmarum; minas Hebræas 60. Atticas 120. Romanas libras 125.

Decem millia talentorum auri sunt milliones aureorum seu drachmarum 120. aureus enim Francicus, est vnius drachmæ. Libra ergo auri continet vncias auri duodecim; drachmas, siue coronatos Francicos nonaginta sex. Talentum ergo auri continebat duodecim millia coronatorum Francicorum. Millio coronatorum Francicorum sunt vnciæ auri 125000. putà libræ 10416. & 4. vnciæ.

Talentum aliud erat aureum, aliud argenteum, aliud æreum: omnia hæc æqualis erant ponderis, sed disparis pretij.

Libra auri valebat duas libras argenti.

Proportio pretij auri ad pretium argenti tempore Platonis, erat duodecupla. ita scilicet, vt vna vncia, vel libra auri valeret 12. vncias, vel libras argenti. teste Platone in Socrate: similiter fuit tempore Dauidis. nam Dauid emit aream Ornan Iebusæi, cum bobus & plaustro, auri siclis 50. qui efficiunt siclos argenti sexcentos, vt patet 2. Reg. 24 24 collato cum 1. Paral. 21.25. in Hebræo, qui habet, *dedit Dauid Ornan pro loco siclos auri pondere* (id est pretio & æstimatione) *sexcentorum siclorum*, argenti scilicet, hoc est, quorum pondus æstimabatur sexcentis, scilicet argenteis siclis, siue qui C valebant sexcentos siclos argenteos. Vnde in Hebræo est accentus *zakeph*, qui quasi hypocolon distinguit & seiungit τὸ *auri* à τῷ *pondere*. De argento enim proximè mentio præcessit. Ait enim Dauid v. præced. *Argentum dabo quantum valet.* Communiter enim apud Iudæos siclus, intelligebatur argenteus: quia per argenteum pretia rerum in emendo & vendendo definiebant. Dices, Noster Interpres vertit, *Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.* Ergo hi sicli fuerunt aurei, non argentei. Resp. Erant aurei quoad materiam (erat enim moneta aurea) sed argentei quoad æstimationem valoris & pretij, quod communiter, vt dixi, taxabatur siclo argenteo, non aureo. Sensus ergo est: *Dedit Dauid*, &c. *siclos auri*, id est in auro, *sexcentos*, scilicet vulgò visitatos, nimirum argenteos, q. d. Dedit ei siclos aureos, D qui iusto pondere appensi valebant sexcentos siclos vsuales, putà argenteos. Sexcenti ergo sicli auri idem sunt, quod valor sexcentorum siclorum argenti in auro, vel in moneta aurea. Sic Belgæ vulgò per Regalem accipiunt argenteum, non aureum; proinde si quis apud eos dicat, Dedit mihi rex Regales in auro sexcentos, argenteos intelligunt in pretio, sed in materia & moneta aureos.

Hunc sensum poscunt Hebræa, & sic doctè apteque conciliatur hic locus cum 2. Reg. 24. 24. vbi eadem area empta dicitur quinquaginta siclis, scilicet plenis & perfectis, putà aureis. Licet enim ibi dicatur, *argenti siclis quinquaginta*, tamen aureos fuisse liquet ex dictis: τὸ ergo *argenti*,

tiorum, qui valebant 500. florenos Brabanticos A priscos. Quòd si hunc numerum per aduerbium extuleris, ad hunc modum, *decies sestertium*, iam reddideris hanc summam centuplo maiorem. Idem enim est dicere, *decies sestertium*, quod decies centena millia sestertiorum, quæ valent quinquaginta millia flor. Brab. priscorum. sic *centies sestertium*, sunt centies cētena, siue decies millena millia sestertiorum, quæ valent quingenta millia flor. seu ducēta millia philippicorū. vide Budæum de asse.

II. De mensuris, siue vasis.

Mensuræ omnes æstimandæ sunt secundùm capacitatem aquæ, quam capere possunt: vnde quoad capacitatem semper sunt æquales, sed pro ratione materiæ, inæquales sunt ponderis. v.g. sextarius est vas, siue scyphus magnus, qui continet B 20. vncias aquæ, vini, vel aceti (horum enim æquale est pondus) sed si idem sextarius impleatur auro, continebit tantumdem, quoad ambitum & capacitatem; sed quoad pondus, longè amplius: quia auri pondus se habet ad pondus aquæ, sicut se habet 18¾ ad vnum, vel vt se habent 2775. ad 148. Quare cùm sextarius aquæ contineat 20. vncias, sequitur per regulam trium, quòd sextarius auri contineat vncias 375. si enim 148. dant 20. ergo 2775. dant 375.

Sextarius Rom continet 10. vncias aquæ.

SEXTARIVS ergo Romanus aquæ, vini & aceti, ponderat 20. vncias. sextarius olei, 18. vncias. sextarius frumenti Romani, siue nostratis, 15. vncias. sextarius farinæ eiusdem, ponderat 8. vel 9 vncias (frumentum enim densius & ponderosius est farina) sextarius mellis, ponderat 30. vncias. sextarius auri, ponderat vncias 375. sextarius plumbi, ponderat vncias 233⅓. sextarius argenti, ponderat C vncias 208. sextarius cupri, ponderat vncias 182. sextarius ferri, ponderat vncias 161. sextarius stanni, ponderat vncias 150.

Aurum plumbo est ponderosius.

Proportio metallorum quoad pondus.

Hinc facile est colligere, quæ sit proportio ponderis inter metalla, quodque aurum omnibus, etiam plumbo, sit ponderosius: licet contrarium putarit Plinius lib. 33. c. 3. sed falsò. In æquali ergo quantitate, si oleum ponderat 9. vncias,

aqua pendet	10 vncias.
mel	15. vncias.
stannum	75. vncias.
ferrum	80$\frac{11}{17}$ vnc.
æs cupreum	91. vnc.
argentum	104. vnc.
plumbum	116⅔ vnc.
argentum viuum	150. vnc.
aurum	187½ vnc.

Frumentū Palæstinæ ponderosius est nostro.

Rursum frumentum Palæstinæ densius & pon- D derosius est, quàm sit Romanum & nostrum. Sextarius ergo frumenti Palæstinæ, pendet 20. vncias, Romani verò 15. vncias.

Rursum triticum ponderosius est hordeo. sextarius enim hordei Romani, pendet vncias 12. tritici verò 15.

Amphora est pes quadratus, id est 48 sextarij, putà libra 80. aqua.

AMPHORA dicta est, quòd duas haberet ansas, quibus vtrimque ferebatur, ab ἀμφὶ καὶ φέρω. Amphora capiebat congios octo, id est sextarios 48. alio nomine Quadrantal dicebatur, à mensuræ eius figura, quæ omni ex parte pedem Romanum habebat quadratum. Si enim vas facias, quod tam in longitudine, quàm latitudine & altitudine, siue profunditate, habeat pedem Romanum, erit quadrantal, siue amphora. Amphora ergo erat quadratura pedis Romani, continens libras 80. aquæ vel vini, (frumenti verò nostratis 60.) id est vncias aquæ 960. loquor de amphora Romana: nam Attica fuit maior tertia parte; cōtinebat enim tres vrnas, ait Fannius, id est 120. vncias aquæ.

Amphoram Romani diuiserunt in duas vrnas, vti geometricè & pulchrè ostendit Vilalpando pag. 435. Vrnam deinde diuiserunt in quatuor congios; ita vt VRNA sit amphoræ dimidium, continens sextarios 24. & congius, qui & chus dicitur, sit octaua pars amphoræ. Congij formam vide apud Vilalpando pag. 500.

Vrna est dimidium amphoræ.

CONGIVS ergo est quarta pars vrnæ, continet sextarios 6. fogliettas 8. hoc est libras aquæ 10. frumenti nostratis septem cum dimidia. A congio Nouellius Torquatus dictus est *Tricongius*, quòd vnico haustu coram Tiberio Cæsare, tres vini congios exhausisset, teste Plinio lib. 14. 22.

Congius est octaua pars amphoræ.

Ex 20. amphoris fit CVLEVS, quæ maxima erat Romanorum mensura, continens sextarios 960. libras aquæ, vel vini 1600. sed in frumento nostrate continet libras 1200.

Culeus continet 20. amphoras.

Ex duabus amphoris fit medimnus. MEDIMNVS ergo continet sex modios: vna enim amphora continet tres modios. Est ergo medimnus decima pars culei, atque in aqua & vino, continet 160. libras, in frumento verò nostrate 120.

Medimnus continet duas amphoras.

MODIVS Romanorum propria mensura & vox est. est enim modius, quasi modus, quo frumenta dispensantur. Epiphan. tamen docet Romanos modij nomen & mēsuram ab Hebræis accepisse. מָדַד *madad* enim significat mensurare: inde מִדָּה *midda*, est mensura, modius. Modius est tertia pars amphoræ, continet 16. sextarios, heminas 32. putà C 26. libras ⅔. aquæ, vel vini, frumenti verò nostratis 20. libras: estque sexta pars fanecæ Hispanicæ.

Modius est tertia pars amphora. continet 26. libras aqua.

CHOENIX continebat 4. sextarios, eratque modij quarta pars, amphoræ duodecima. chœnix erat diurnus hominis cibus.

Chœnix erat quarta pars modij.

SEXTARIVS Romanus erat sexta congij pars, indeque dictus est sextarius, ait Fannius.

Sextario tam arida, quàm liquida metiebantur. Sextarius Romanus continet vncias 20. erat ergo sextarius instar magni scyphi, eratque quarta pars chœnicis.

Sextarius Rom. continebat 20. vncias aquæ.

HEMINA, vel cotyla erat dimidium sextarij: QVARTARIVS, erat sextarij quarta pars: ACETABVLVM octaua: CYATHVS duodecima.

Hemina erat dimidium sextarij.

SEXTANS sunt duo cyathi, QVADRANS tres, TRIENS quatuor cyathi.

Sextarium Romanum cum Attico & Hebræo æqualem fuisse, contendit Vilalpando. Sed clarè D demonstrat Alcazar, eos fuisse diuersos; ac Romanum continuisse vncias 20. Atticū 15. Hebræum 13⅓. ita ex Mariana ipse propos. 5. & sequ. idque mox clarius patebit.

CORVS hebr. dicitur חֹמֶר *homer*, quasi חָמֹר *chamor*, id est aceruus, vel cumulus frumenti: inde quoque asinus dictus est חֲמוֹר *chamor*, eò quòd hunc aceruum baiulet, est enim *homer* quasi asinarium onus: hinc asinus Matth. 21. v. 5. vocatur ὑποζύγιον. huc etiam alludūt Hebræa Iudic. 15. 16.

Corus siue homer continebat 30. modios.

Vilalpando coro tribuit Græcas metretas 10. Hebræa ephi 10. sata 30. medimnos 7. cum dimidio, artabas 6. amphoras Romanas 15. modios Romanos 45. id est aquæ, vel vini libras 1200. vncias 14400. Verùm meliùs Alcazar coro tribuit tantùm libras aquæ 800. vncias 9600. modios Rom. 30. Id mox clariùs patebit ex bato, siue ephi.

Mensæ

Synopsis mensurarum, si aqua vel vino impleantur, quantum ponderent.

CVLEVS continet aquæ, vel vini talenta 12$\frac{4}{5}$. libras 1600. vncias 19200.

BOTTA Romana continet talenta 10$\frac{346}{375}$. libras 1365$\frac{1}{3}$. vncias 16384.

CORVS continet libras 800. vncias 9600.

RVBLVM Hispan. talenta 6.$\frac{14}{25}$. libras 820. vncias 9840.

FANECA Hispan. talenta 1$\frac{43}{125}$ libras 168. vncias 2016.

Fanecæ quarta pars est AROBA, continet libras 42$\frac{2}{3}$. vncias 512.

MEDIMNVS tal. 1$\frac{7}{25}$. libras 160. vncias 1920.

EPHI, BATVS & METRETA libras 80. vncias 960.

PES CVBICVS Græcorum libras 90[illegible]. vncias 1085[illegible].

AMPHORA, siue pes cubicus Romanorum libras 80. vncias 960.

PALMVS CVBICVS Roman. libras 37$\frac{3}{11}$. vncias 447$\frac{3}{11}$.

SCORTIVM libras 32. vncias 386.

SATVM libras 26$\frac{2}{3}$. vncias 320.

MODIVS Rom. libras 26$\frac{2}{3}$. vncias 320.

CELEMIN Hisp. libras 14. vncias 168.

HIN libras 13$\frac{1}{3}$. vncias 160.

CONGIVS siue CHVS libras 10. vncias 120.

GOMOR, siue ASSARON libras 8. vncias 96.

CHOENIX libras 6$\frac{2}{3}$. vncias 80.

BOCCAL Rom. libras 5$\frac{1}{3}$. vncias 64.

CABVS, siue palmus cubicus Hebr. libras 4$\frac{4}{9}$. vncias 53$\frac{1}{3}$.

LOG siue sextarius libras 1$\frac{1}{9}$. vncias 13$\frac{1}{3}$.

FOGLIETTA Rom. libras 1$\frac{1}{3}$ vncias 16.

COTYLE & HEMINA vncias 10.

ACETABVLVM vncias 2$\frac{1}{2}$.

CYATHVS vnciam 1$\frac{1}{6}$.

DIGITVS CVBICVS vnciam 1$\frac{1}{4}$.

III. De mensuris longitudinis.

Calamus sunt sex cubiti.

CALAMVS continet sex cubitos.

Cubitus non est pes, sed sesquipes.

CVBITVS est sesquipes, putà ea longitudo, quæ à flexu brachij porrigitur vsque ad extremum digiti, qui index vocatur, continetque 24. digitos, siue duas spithamas, estque quarta pars staturæ hominis. quisque enim homo ritè formatus, habet in

Quisque homo habet in longitudine quatuor sui cubitos.

A statura, 4. sui cubitos, adeoque tantus est, quanta est expansio brachiorum eius: brachia enim complicata in cubito, seque in digito indice contingentia, faciunt 4. cubitos, quæ est statura cuiusque. Consequenter, cùm cubitus sit sesquipes, sequitur, quemque hominem, vti sui cubitos habet 4. ita & sui pedes habere sex, in statura.

Ita S. Hieron. Vitruuius, & passim alij: vnus Alcazar propos. 9. multis probare contendit, cubitum in S. Scriptura non esse quartam, sed sextam partem humanæ staturæ: quia censet cubiti nomine non comprehendi manum, sed tantùm os illud præcipuum, ab ima manu ad brachij vsque curuaturam extensum. Additque sex tales cubitos facere calamum, indeque calamum vocari mensu-
B ram hominis, id est staturæ humanæ, Apoc. 21. 17. Rursum, hunc cubitum esse duplicem; primum esse antiquum Adami, & primorum illorum magnorum hominum, qui contineat digitos Romanos 18$\frac{2}{3}$. sitque penè æqualis pedi Romano: hic enim sedecim præcisè digitos continet. Secundum esse posteriorem & minorem, qui constet Romanis pedibus 1[illegible]. atque hoc minore S. Scripturam mensurare luteres, & mare æneum. Verùm à communi aliorum omnium sententia recedendum non esse, censeo.

Palmus.

PALMVS, hebr. טופח topach, est spatium 4. digitorum transuersim positorum.

Tres palmi complent palmum extensum, qui spithama dicitur.

Spithama.

C SPITHAMA, hebr. זרת zeret, est spatium, quod distenta manu inter pollicem & indicem interiacet, continetque 12. digitos transuersos.

Passus.

PASSVS, est spatium quinque pedum.

Gressus.

Dimidium passus est GRESSVS, qui continet duos pedes cum dimidio.

Pes.

PES ROMANVS continebat quatuor palmos, id est sedecim digitos Romanos transuersos. quantitatem eius vide expressam apud Alcazar lib. de Mensur. pag. 8.

Milliare continet mille passus.

MILLIARE à mille passibus deductum est, continet octo stadia.

Stadium 125 passus.

STADIVM continet 125. passus, id est pedes 750.

FINIS.

BENEVOLE LECTOR

NE mireris, nos hîc ad libri calcem tibi fragmenta quædam præter morem suggerere, & non suis quæque locis, vti hactenus insita sunt & inserentur, inserere. Causa est: iam aliquousque imprimendo processeramus, cùm Roma nobis Auctor fragmenta hæc submisit, quæ proinde tuis commodis seruiendo, loco suo addere singula minimè licuit: quibus tamen ne careres, visum ea fuit hîc ad libri calcem, reliquis loco debito insertis, reiicere, vt & ipse eorum fructum habeas, & nos in proxima editione, ea suo loco commodiùs, ne pereant, inseramus.

Pag.38.col.1.linea 8.ante *Vbi Nota*, adde

Sol primigenia lux.

Quorum antesignanus est S. Iustinus in Expositione fidei. Vnde addit: *Nec mihi solem lucem aliam, quàm quæ prima generata est, esse existimato.* Et inferiùs eamdem mysticè adaptando Verbo incarnato: *Vt enim*, inquit, *postea quam lux illa primigenia cum solis corpore copulata est, nemo ea alterum ab altero diuidere potest: sic in vera illa luce & sancto illo corpore* (Verbi incarnati) *nemo post vnionem illam diuinum Verbum ab homine separabit.*

Pag.41.col.2.lit.D.ante *Denique multa mirari*, adde

An aquæ cælestes sint æther Beatorum.

Vti pulchrè docet noster Lessius lib.3.de Summo bono cap.8.& Gulielmus Parisiensis lib.1.de Vniuerso cap.39. imò noster Adamus Tannerus dissertatione de cælis, quæst.8.assertione 11. censet, aquas has supercælestes non esse aliud, quàm ipsum ætherem liquidum Beatorum in cælo empyreo iam dictum, illumque esse mare vitreum, de quo dicitur Apocal.4.v.6. *Et in conspectu sedis* (throni Dei) *tamquam mare vitreum simile crystallo*; eumdemque vocari fluuium splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Agni, Apocal.22.

Pag.72.col.2.lin.12.ante *Moraliter*, adde

Tres expositiones S. Augustini.

Mysticè S. August.lib.8.de Genesi ad literam c.10. tres affert huius loci expositiones. Prima est: *Posuit Deus hominem in paradiso, vt quod operaretur in terra per agriculturam*, inquit, *in seipso custodiret per disciplinam, id est, vt, sicut ei ager obtemperaret colenti se, ita & ipse præcipienti Domino suo, vt sumpto præcepto, obedientiæ fructum, non spinas inobedientiæ redderet. Denique quoniam similitudinem à se culti paradisi in seipso custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accepit: Spinas*, inquit, *& tribulos pariet tibi.* Secunda: *Posuit Deus hominem in paradiso, vt operaretur & custodiret eumdem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.* Tertia: *Vt operaretur*, scilicet non homo, sed Deus, q.d. *Deus qui creat hominem vt homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, vt etiam bonus beatusque sit.* Deus enim sicut naturæ hominis, sic & omnis bonitatis & beatitudinis eiusdē est auctor.

Pag.84.col.2.lit.C.ante *Inimicitias ponam*, adde

Porrò pro *maledictus es inter omnia animantia*, Septuag vertunt, *ab omnibus bestiis*; itaque legit S. Hieron.in cap.3.ad Galat.vbi contendit probare, *nullo loco scriptum à Deo quemquam esse maledictum, & vbicumque maledictio ponitur, numquam Dei nomen adiunctum.* Et S. Ambros.libr.de Fuga sæculi c.7.ita explicat: *Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ: omnium enim communis inimicus es. quoniam qui hominem læsit, cui illa omnia subiecta sunt, læsit omnia: ideo communi odio omnium atque execratione maledictio eius oneratur.*

Pag.95.col.1.lit.B.ante *Pulchrè S.Ambros.* adde

Potest tamen admitti hæc expositio Chaldæi & Rabbinorum in sensu symbolico, non literali, ac in eodem mysticè adaptari illis, qui prauo verbo vel exemplo teneros & nouitios in fide vel pietate & religione scandalizant, itaque spiritum virtutis & religionis in eis suffocāt & extinguunt. Hi enim reddent rationem Christo iudici non solùm de nouitiis, quos perdiderunt, sed etiam de iis, quos nouitij conuertissent, si in fide & spiritu perstitissent. Horum ergo sanguis clamat contra eos in cælum, poscitque à Deo vindictam. Sic sanguis sæpè significat filios & posteros; vt, *Proiice tela manu sanguis meus*, hoc est fili mi.

Pag.213.col.1.lit.A.ante *Quæ si vera sunt*, adde

Vnde Hebræi tradunt Iacob frequentasse scholas Theologicas, in quibus docebat Sem & Heber, vel, vt alij volunt, Melchisedec, ibique rerum diuinarum & pietatis studio vacasse.

Pag.591.col.1.lit.A.ante *Symbolicè Nyssen.* adde

Tum quia visio Dei, ex eius lege & ordine seruatur Beatis, quasi comprehensoribus post hanc vitam: in hac verò vita viatoribus tantùm promittitur, & quasi præmium ad laborandum inuitans proponitur: tum quia fulgor hic diuinus est igneus & fulgureus, vtpote index diuinæ potestatis, actiuitatis & vindictæ: qua de causa Deus Hebræis in Sina apparuit in specie ignis, sed nube velati refractique, & eminus; ac in castris in specie columnæ nubis & ignis. Si enim fulmen homines sua coruscatione & fulgetro perstringens occidit, multo magis fulgor hic fulmineus Dei fulminantis maiestatem & potentiam ex æquo, quoad fieri potest, Mosi cominus repræsentans, cum non tantùm excæcasset, sed & instar fulminis afflasset & incinerasset.

Pag 661.col.1.lit.C.ante *Clemens Alexand.* adde

Vnde Septuag.vertunt *δασύπυς*, id est cuniculus, ita græcè dictus à pilosis & hirsutis pedibus, teste Aristotele lib.3.Histor.anim.cap.12.& Plinio. Fabulantur Thalmudistæ Septuag.pro Hebr. ארנבת *arnephet*, id est lepore, substituisse *δασύποδα*, id est cuniculum, eò quòd vxor Ptolemæi Philadelphi, qui Septuag. ad versionem Bibliorum euocarat, vocaretur Arnephet; Ne, inquiunt, dicat: *Irrident me Iudæi, atque ideo scripserunt nomen vxoris meæ in lege.* nimirum inaudierant Thalmudistæ de Ptolemæo filio Lagi, qui fuit pater Philadelphi. Itaque quod ad Ptolemæum dictum Lagum, id est leporem, referendum erat, ad Philadelphi vxorem retulerunt. Porrò *δασύπυς*, & leporem, & cuniculum significat, magis tamen cuniculum. Vnde Aristot. & Plinius *δασύποδα ἀ λαγωῷ*. id est lepore, distinguunt; sed, vt dixi, sub lepore hic intelligitur ei affinis cuniculus.

INDEX

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVÆ IN HOC OPERE SINGILLATIM EXPLICANTVR.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam, litteræ additæ eas quæ columnis interiectæ ſunt, denotant.

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICIS.

EX SAPIENTIA.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX EPISTOLA S. IACOBI.

EX EPISTOLA I. S. PETRI.

EX EPISTOLA II. S. PETRI.

EX APOCALYPSI.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Ephod

Fures

rum

Paupe-

Quæ-

iuge

Talio-

com-

F I N I S.

INDEX MATERIARVM PRO CONCIONIBVS EVANGELIORVM DOMINICARVM

totius anni & Festiuitatum aliquot, quæ in hoc Commentario in Pentateuchum proponuntur.

indice

Anima

FINIS.



